Libreria A
ANGELO G.
BOLOGNA - Piazz

ia 4

1801/9/2

Fondazione Diabete To
Museo del Diabete
Libri Antichi
31/1

182 Mag C

MUSEO DEL DIABETE
della Associazione
KAREN BRUNI BÖCHER
Via Beaumont 72 Tel. 011/447712
10138 TORINO

B1224/1

MICHAELIS ETTMÜLLERI,

PHIL. ET MED. D.

OPERUM OMNIUM

TOMUS PRIMUS.

MICHAELIS ETTMÜLLERI,

PHIL. ET MED. D.

HUIUSQUE IN ILLUSTRISSIMA UNIVERSITATE Lipſienſi Profeſſ. Publ. & Practici, dum viveret, longè feliciſſimi & celeberrimi,

OPERUM OMNIUM MEDICO-PHISICORUM

EDITIO NOVISSIMA:

CÆTERIS OMNIBUS TUM CORRECTIOR, tum auctior, tum verò facilior.

Operâ & Studio PETRI CHAVVIN Medicinæ Doctoris Collegio Lugdunenſi aggregati.

Quantùm verò reliquis locupletior ſit præſens editio, patet ex Præfatione poſt Epiſtolam nuncupatoriam.

TOMUS PRIMUS.



LUGDUNI,
Sumptib. THOMÆ AMAVLRY, in vico Mercatorio, ſub ſigno Mercurij.

M. DC. LXXXX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

CLARISSIMO VIRO D.D.

CLAUDIO HEDOIN,

MED. DOCT. SOLERTISSIMO,

practico feliciſſimo, Colleg. Lugdunenſi Profeſſ. aggregato, Amico ſuaviſſimo.

PETRUS CHAVVIN M.D. in eodem Colleg. profeſſ. aggregatus.

ἘΥΠΡΑ'ΤΤΕΙΝ.

DVÆ res ETTMULLERI Doctoris Medici opera omnia de novo Edita tibi ſiſtere me jubent, VIR CLARISSIME, gratus animus & æquitas, cum enim quod auctoritate tuâ & conſilio à me ſuſceptum eſt, totum illud tuum eſſe oportet, tum Medici, ſi quis unquam fuerit, feliciſſimi labores & Vigilias non alteri quã tibi Medico pariter feliciſſimo offerri decuit. Scilicet ei memorem animum non teſtificer à quo tam multa in me paterna redundarunt officia, cujus conſiliis non ſolum illud debeo quod in Collegium Lugdunenſe totius Europæ longè celeberrimũ adſcriptus fuerim, ſed quod multò Illuſtrius mihi videtur, quia ſocium me tibi fieri voluiſti. Iam verò cui convenit viva medici Imago quæ paſſim in ETTMULLERI Libris ſpirat niſi tibi, qui quod verbis ille expreſſit, idem factis ita refers, ut totus in te, hoc eſt viro verè Medico delineando, fuiſſe videatur. Eſt ſanè unde mihi gratuler, quod in viro paterni in me animi, Medici ſimul omnibus numeris abſoluti exẽplar repererim. Hîc patere VIR CHARISSIME, tecũ agi ſine fuco, quod tua te celat moderatio, illud alios celari poſſe fruſtra exiſtimas, nemo non agnoſcit in te virtutes omnes tũ inſitas tum aquiſitas quaſcunq; ars ea requirit, quæ à Deo optimo maximo conceſſa fuit hominibus ad hominũ ſolatium, quorũ compagi primi parentis malitia ſexcentas calamitates addixit. Qui norunt quibus gradibus ad ſupremum Medices practicæ faſtigium aſcendiſti, illis quam benigna in te fuerit natura compertum & perſuaſum eſt: coëtaneos tuos dico, quorum in liberalioribus illis diſciplinis quibus teneriores animæ imbui ſolent; magiſter potiùs quam æqualis videbare. At cum ſeriò arti ad quam natus fueras animum adjunxiſti tuum, in exercitationibus publicis, tum Monſpelij ut Doctoris infulâ donareris, tum Lugduni, ut collegij jus adipiſcerere, tantum doctrinæ & ingenij decus præ te tuliſti, ut illic AGVENAUTII, cui par in medicina nemo extitit, hîc GVILLELMINII viri planè illuſtriſſimi, amicitiam & patrocinium tibi demerueris; de quibus tam piè etiamnum lo-

queris ut talem filij charitatem erga tales parentes non poſſim ſatis admirari; qualem nimirum in diſcipulis ſuis HIPPOCRATES ille ſapientiſſimus deſideravit quidem, haud ſcio an invenerit. Hos habuiſti inſtitutores & magiſtros, quid felicius? BARBEYRATIOS habuiſti condiſcipulos, quid auſpicatius? Quotquot ab eo tempore effluxerunt anni, illos tu ſine intermiſſione, ne unius quidem momenti diſpendio totos medicinæ conſecraviſti, quid conſtantius? Nemini ergo mirum accidat, quod illâ in arte progreſſus feceris quam maximos, à cujus amplexu nullis rerum graviſſimarum momentis, nullis voluptatum illecebris, non aleâ, non comeſſationibus, avelli unquam potuiſti. Tanta eſt morborum varietas, tanta unius alicujus affectionis differentia, ut tot ſint Protei quot affectus, accedit tam longa auxiliorum univerſorum ſeries, tam multæ ſingulorum facies, ut operoſum illud negotium Neſtoreos annos requirere videatur. Tu miram vitæ producendæ & contrahendæ artis artem inveniſti, tamtumdem temporis ſtudio medico apponens, quantum aliis occupationibus, ſomno, atque honeſtis etiam delectationibus, ſuffuratus fuiſti. Qui optimè diſſerit & optimè dividit medicus eſt optimus ait HIPPOCRATES, quis planiùs de re medica unquam diſſeruit, quis multiformes affectuum ſpecies diligentius explanavit, non multa ſed apta loqueris, non ſonantiora ſed neceſſaria eligis, morbum à morbo, à Pharmaco pharmacum, ab ægro ægrum ita diſtinguis, ut non aliâ ratione, æque citò, tutò & jucundè, ſe ſanari potuiſſe quivis facilè intelligat. Ergo quâ nũc ſecurus frueris exiſtimatione & illâ quidem maximâ, ea eſt fructus induſtriæ tuæ honeſtiſſimus, quę te patriciis & plebeis ſimul acceptum adverſus invidorum, quotquot futuri ſunt tela, ſartum & tectum ſemper præſtitura eſt. Quæ laus eò magis tua eſt quod eam neque ambitione, neque adulatione, neque technis occultioribus, pepereris, quæ miſero mortalium fato efficiunt, ut longe major ſit circulatorum numerus, quam medicorum.

Ecquis eximias tuas dotes attentè contemplatus, ſi modo ſit rerum æquus æſtimator, continuò non exclamet, tibi tali medico, medicum opus longè excellentiſſimum deberi; mihique tantò majorem incubuiſſe neceſſitatem tuum ETTMULLERO patrocinium conciliandi, quantò propius mihi licebat virtutes tuas intueri. At multò magis mea iis probabitur ratio, quos antiqua tua fides quotidie in admirationem rapit, cum in medico vident animum verè Chriſtianum. Hinc remotâ omni aulicorum aſtutiâ, hominum quorumdam ſelectiſſimorum in te amor & gratia manavit, quos ingenij ſagacitas, eruditio ſingularis, morum probitas nota, nobilitas purior, honores denique eminentiſſimi ſupra cæteros evehunt & commendât. Hæc etſi vera ſunt, æquus non legis VIR CLARISSIME, nec ab aliis legi paſſus eſſes ſi ante judicio tuo permiſſa fuiſſent quam publico, ſed pluris apud me utilitas mortalium & patronorum cõmunium auctoritas eâ in re fuit, quam pudor tuus. Quid plura: ſic ſum animo, ab omni præjudicio immunis, ut ſentio ita dico, & propenſâ meâ in te voluntate ſuaviſſime abreptus quod tibi debeo vectigal illud ſolvo. vale.

Lugduni tertio nonas Novembris anni R.S.H. M. DCLXXXIX.

PRÆFA

PRÆFATIO AD LECTOREM.

EX quo tempore vir illuſtriſſimus magnus ille BACONUS de VERULAMIO Anglorum Cancellarius docere cæpit, Phyſicam factis magis quàm verbis contineri, hiſtoriæ naturalis recenter inventa, antiquas & receptiſſimas quaſque medicorum hypotheſes ita anteceſſerunt, ut (ſi practicorum obſervationes exceperis, quarum, præterquam quæ ab HIPPOCRATE traditæ ſunt, paucæ admodum accuratiùs deſcriptæ videntur) meritò dixeris, majorem in illâ arte progreſſum hoc ſæculo, quam tot elapſis ab ejus origine retrò annis factum fuiſſe. Cum ingenioſiſſimi quique, quotquot nuperrimis temporibus extiterunt, ſi quid in Phyſicâ certi eſſet, atque adeo in medicinâ, non aliâ ratione, illud poſſe erui perſuaſum haberent, eam ediſcendi methodum mordicùs tenuere, cui cùm præclaræ, tùm utiles illæ cognitiones deberentur, quas CARTESIUS primus veræ philoſophiæ inventor, quas doctiſſimus ille GASSENDI, quas nobiliſſimus eques ROBERTUS BOILE, vir in philoſophando impiger, quas denique vir ſubactiſſimi ingenii D. REGIS gallus Analiticus, in orbem univerſum invexêre. Nam ſi quid in anatomiâ, ſi quid in chymiâ, apud Anglos, Batavos, Danos, Italos, Francos, cæteraſque Europæ gentes de novo repertum in lucem prodiit, ſi quamplurimæ ubique conſtitutæ ſunt academiæ, & illæ quidem celeberrimæ quæ rerum naturalium notitiam amplificare certatim ſtudent, id magnis illis viris acceptum referendum eſt.

Ergo hâc ætate, quæ noſtra eſt fælicitas, in melius mutata fuit medicinæ facies, & tota ejus ratio in eo poſita conſiſtit, ut medici ſi quo pollent judicio, eo utantur, non neglectâ experimentorum quæ in hunc diem facta ſunt conſideratione. Hinc eximia illa artis ſpecimina orta ſunt, quæ VVILLISI, quæ SYLVII DELEBOE, clara illa medicinæ lumina ediderunt, hinc medicinæ corpus hoc integrum profectum eſt, in quo nihil ſane deſideraretur, ſi auctor quem mors invida nobis præripuit, manum, ut aiunt ultimam ipſi admoviſſet. Hoc opus licet poſthumum, ita tamen doctiſſimis quibuſque acceptum fuit, ut bis paucis menſibus, cùm inquarto, tùm infolio editum fuerit. Quibus editionibus tertia hæc accedit, non deterioris ut ſpero, quam priores duæ, futura conditionis.

Iuxta exemplar Francofurti ad Mænum anni 1688.[i] noviſſima hæc editio emendata atque impreſſa fuit, relicto exemplari inquarto, ut pote quod prius operâ & ſtudio viri ampliſſimi GEORGII FRANCI medici longè peritiſſimi typis mandatum, poſteriore accuratius atque auctius videri debuit: quod tamen multis vocibus Germanicis & characteribus Chymicis refertum, magnam pariebat legentibus moleſtiam. Verum vir Clarus D THOMAS AMAULRY Bibliopola Lugdunenſis diligentiſſimus, qui nulli rei pepercit, quò opus hoc Luculentius evaderet nec non aliis Gentibus æque ac Germanis utile, cum ſuper eâ re ſententiam meam rogaviſſet, auctor fui ut voces Germanicæ Latinè redderentur, atque amotis notis Chymicis propria earumdem interpretatio ſubſtitueretur: quod utrumque quam potui accuratiſſimè confeci. Sed nequid alienæ laudi invidere videar, cum ſigna illa chymica mihi multum faceſſerent negotii, adfuit Vir amiciſſimus & honeſtiſſimus D. CASSERUS, CASSERI viri pariter mihi cumjunctiſſimi filius, medicinæ doctor idemque Pharmacopola Lugdunenſis in Chymia Verſatiſſimus, qui me de interpretandis illis characteribus anxium mirificè ſublevavit.

Mihi porrò exemplar illud Francofurtenſe examinanti viſum fuit, altero Tomo tres omnino commentarios, præter Pyrotechniam rationalem contineri, unum in materiam medicam SCHRODERI, alterum in ejuſdem & MORELLI methodum de componendis formulis, tertium denique in egregiam LUDOVICI Pharmacopæam, meque lectorum utilitati & commodo conſultum ire, ſi commentariis ſingulis ſingulorum auctorum oratio apponeretur, ſervato quem ETTMULLERUS ipſe inſtituerat ordine. Communicato cum Prædicto D. AMAULRY conſilio, is totam arbitrio meo rem permiſit, addens ſe omnia ſua utilitati publicæ poſthabere. Ergo dictorum trium auctorum orationem juxta ETTMULLERI, commentarium collocatam reperire licet, quemadmodum omnia ab ipſo examinata ſunt, quod in cauſâ fuit cur priores duo auctores promiſcuè fuerint poſiti.

Præfatio ad Lectorem.

Quod Ad Morellum ſpectat à Blasio editum elegi non omiſſo commentario, qui formulis de unoquoque remedio componendo præfixus nunquam non invenitur. Commentarius ille charactere italico impreſſus, literas habet locis reſpondentes. Cum autem Schroderi & Morelli loca quædam intacta, ab Ettmullero relicta eſſent, ſub hujus commentariorum finem capita prætermiſſa adjeci. Vuolffgangi Vuedellii in præfationem Ludovici & caput primum de ſelectu remediorum commentarium pariter ſuo loco ponendum curavi, qui ut ab Ettmulleri commentario diſtingueretur, illum charactere italico appoſitis literulis, hunc Romano adjectis numeris excudi juſſi.

Duas Ettmulleri obſervationes in Ephemeris Lipſienſibus anni 1682. repertas, unam de Crinonibus ſeu Comedonibus infantum, alteram de Sironibus, ſimul cum effigie ſuâ editas, priori Tomo ſubjunxi.

Mirum fortaſſe videbitur, quod inſtitutiones medicas & juxta Exemplar Inquarto & Infolio deſcripſerim; ſed mirari deſinet quiſquis intellexerit, in inſtitutionibus Inquarto multa reperiri quæ in Infolio requiruntur, primum ſcilicet caput de medicinæ natura, ſecundum de principiis corporum naturalium, tractatum & analyſin de urinis in ſemiotice, aliaque aliis in capitibus ſparſa. Conſultus Bibliopola an inſtitutiones Inquarto integras, an earum tantum appendicem typis mandari mallet, nequid publicæ commoditati detraheretur, Vir ille animo vere liberali, in compendium eas redigi noluit, nullâ majoris ſumptûs habitâ ratione.

Inſtitutionibus Infolio Exemplaris Francofurtenſis ſubjacent annotationes practicæ in multos harum locos, quas ſuis locis charactere italico diſtinctas reſtitui.

Quod indices ſpectat, tractatuum & capitum utrique Tomo ſuus præfigitur, rerum autem & verborum indicem, utriuſque Tomi finis habet proprium, Germanico qui unicus eſt, multo locupletiorem.

Itaque confido, Lector Benevole, te hanc Ettmulleri editionem, Hoc eſt corpus medicinæ completum, æquo animo acceptum ire, quod quemadmodum Sennerti opera juxta antiquorum hypotheſes, ita juxta recentiores erit tibi inſtar omnium: & me cum præclare agi puto, quod laborem mihi quidem durum & moleſtum, Medicis vero omnibus utilem perfecerim. Vale.

B. C. D.

LECTORI HONORATISSIMO

S. P. D.

GEORGIVS FRANCVS.

QVi LIBERORVM & LIBRORVM eundem eſſe ſtatum & fatum dixerit, abs ratione forte non dixerit. In vulgus quippe patet, (immo vel è brutis cognoſcenda eſſet,) admirabilis illa φιλοστοργία, qua Parentes in fetus feruntur ſuos, adeo ut omnem moveant lapidem, pro eorum vita, ſalute, cura atque educatione: nec curas curant, nec inſomnes fugiunt noctes, nec pericula reformidant, nec labores etiam faſtidioſiſſimos averſantur, ſaltim ut liberis ſuis opitulentur, ſibique male eſſe probè perferunt, modo illis bene ſit. Quid enim dulcius hominum generi à natura datum eſt, quàm ſui cuique liberi, adeoque à natura ipſa tributum eſt, ut ii, qui procreati eſſent, à procreatoribus amarentur, conſentiente Romulidum diſertiſſimo.

Vbi verò Parentes in cenſum Libitinæ præcipiti fato veniunt, tunc miſelli orphani omnibus adverſis, miſerrimiſque miſeriis exponuntur, immo de ſalute, forte & haut raro de vita eorum, quam Parentes tanto molimine promoviſſent, (ſiquidem magna eſt vis humanitatis!) planè actum eſſet, niſi vel Magiſtratus nobili officio, vel Cognatorum conſanguinitate, vel aliorum Cordatiorum benignitate & commiſeratione ipſis patrocinium offerretur, & tutela, ſive parentela quædam; hacque bonorum Tutorum vel Curatorum providentia Parentum vices ſupplerentur, quo tandem DEO & Patriæ Proximoque poſſint eſſe utiles.

Pari ratione comparatum eſt cum LIBRIS, quorum conditores maximam habent curam, & cum ſolicitudine nocturna diurnaque manu verſant exemplaria docta, ungueſque rodunt, & pulpita pulſant, ut fetus ingenii ſui cultiores in publicum dimittant, in Reip. Literariæ ſalutem & emolumentum.

Vbi autem fatalis imminet hora, (ſiquidem rectè NASO ita:

Fata manent omnes omnes exſpectat avarus
Portitor, & turba vix ſatis una ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas!)

Vitæque ſtamen Auctoris ſtudioſi & eruditi rumpitur, una tenelli fetus vel plane pereunt, vel in alienas delabuntur manus. Sicuti quoque Is comminuit vitrum, Midas rodit fabam, Ips vitium gemmas enecat, Cis frumentis nocet, Sis veſtibus inhiat, Trips ligna exedit; ita Blattæ Tineæque de tanto Cerebri politioris Palladio triumphum agunt, quando ipſis in prædam cedit, adeo ut nec à pluviis, nec à muribus ſint ſatis tutæ chartulæ pupillæ.

Ab injuriis ergo talibus maſculè haud rarò vindicantur aliorum cordatorum ope & ſolicitudine, qui manum poſthumo tali obſtetricem admovent, & in Reip. literariæ ſalutem, DEI gloriam, & Auctoris immortale monimentum protrahunt in dias luminis auras. Sed veluti TULLIUS conjectat Parentes illos omnium fortunatiſſimos, ſi, antequam moriantur, filios videant promotos: ſiquidem, eodem rectè cenſente, nihil nobis natura jucundius, nihil carius eſſe voluit, nihil dignius, in quo omnis noſtra diligentia indulgentiaque conſumatur. Quare dum habemus liberos parvos, & incertum eſt, quam longa noſtrûm cuique vita futura ſit, conſulere vivi ac proſpicere debemus, ut illorum ſolitudo & pueritia quam firmiſſimo præſidio munita ſit. Pariter & nos LIBROS illos longe nitidiſſimos credimus, quos Parens &

Auctor ipſe ita emancipat, ut ultimam illis imponat manum, cum inter aliorum obſtetricia raro Ilithyiam fauſtam experiantur, & nemo tam affabrè penetrare poterit, quo olim Auctor ipſius collimaverat.

Hinc Chirurgorum Germanorum Antiſtes præclarus *Guilh.* FABRITIUS, quem vulgo à patria HILDANUM cognominant, *Cent. IV. Obſ. 2.* ad Gaſp. HOFMANN. ſcribit: RARO SCRIPTA POSTHUMA MENTEM AUCTORIS RECTE ASSEQUUNTUR. Hocque ibidem comprobat Chirurgiâ Magni rei Anatomicæ Reſtitutoris A. VESALII, quam PROSPER BORGARUCCIUS edidit, in qua nonnulla, quæ VESALIUS propter immaturam mortem perficere non potuerat, ipſe BORGARUCCIUS ex aliis Auctoribus decerpſit, & Chirurgiæ VESALII de verbo ad verbum inſeruit, donec tandem perfectum compilârit opus. Conf. Ejuſd. FABRITII *tr. de Gangræna & Sphacelo cap. XVII.* Qui idem fatum metuit in poſthumis inſignis Proſectoris ADRIANI SPIGELII (vulgo) Vratiſlavienſis, emiſſis in publicum Venetiis A.C. 1627.

Et hoc eſt, quod Rempublicam Medicam inter alios etiam malè habet, & de quo illa illi maxime indoleſcit, quod Viro *Doctiſſimo, & Ingenii fertiliſſimi Medico Dn. D.* MICHAELI ETTMULLERO, Lipſia-Miſnico, Medic. & Phil. D. Illiusque Prof. Publ. in Illuſtriſſima Electorali Lipſienſi, uti celeberrimo, ita Practico longè feliciſſimo, & LEOPOLDINO-IMPERIALIS Acad. Natur. Curioſ. jam ab anno M. DC. LXX. Collegæ ſplendidiſſimo τῷ μακαρίτῃ, & longiori vita longe digniſſimo, non licuerit per Parcæ non parcentis inclementiam elegantiſſimis ingenii ſui fetibus unà omnibus manum, ultimam imponere, & in Theatrum Aſclepiadæum producere.

Prodierunt quidem variæ curioſæ Diſſ. Medicæ ſe vivo, in quibus vel ipſe Reſpondentis, vel quod potiſſimum, Præſidis ſuſtinuit maximo cum Auditorii applauſu vices, ita, ut ex ungue ſaltim, quod in parœmia eſt, leonem generoſum facile cognoſcas. Sunt autem, prout partim in Cl. LIPENII *Biblioth. Real-Med. f.* 69. *a.* 209. *a.* 428. *b.* 458. *b.* 474. *b.* Præſtantiſſ. *Cornel. à* BEUGHEM *in Bibliogr. Medico-Phyſ. p. m.* 82. & Excell. D.D. G.A. MERCKLIN. *in Lindenio Renov. p.m.* 815. allegantur, partim penes me in Muſeo meo aſſervantur ſeqq.

I. De CORALLIORUM TINCTURA, Præſide D.D. Mart. Lipſ. d. 15. Sept. 1665. in 4.

II. De MORSU VIPERÆ, Diſp. Inaug. pro Lic. Præſide D.D. Sigiſm. Rupert. & Pro-Cancell. D.D. Paul. Ammanno, teſte Programm. Lipſ. d. 17. Auguſti 1666. in 4.

III. De CHIRURGIA INFUSORIA, pro Loco, Reſpond. Georg. Frid. Stirio, Lipſiæ d. 30. Octobr. 1668. in 4.

IV. MEDICINA HIPPOCRATIS CHYMICA, diſp. loco publice propoſita, Reſpond. Henrico VVarnatio, Lipſ. m. Octob. 1670. in 4. (in octav. ponit C. à Beughem, p.m. 82.) dein Lugduni Batav. 1671. in 12.

V. De DOLORE HYPOCHONDRIACO, vulgo, ſed falſo, putato SPLENETICO, Autore Reſpond. Emmanuel Blum, Lipſ. d. 4. Maij 1671. Recuſa ibid. 1683. in 4.

VI. De BALNEIS MEDICIS ARTIFICIALIBUS, Reſpond. Theophilo Mullero, Lipſ. d. 6. Sept. 1672. in 4.

VII. VALETUDINARIUM INFANTILE, Reſpond. Georg. Heintke, Lipſ. m. Majo 1675. in 4.

VIII. abſtruſum RESPIRATIONIS HUMANÆ negocium, exſulante famoſa VACUI fuga, Autore Reſpond. Zacharia Lipſiæ d. 7. April. 1676. in 4.

IX. De EPILEPSIA, Autore Reſpond. Godofredo VVeinlig, Lipſiæ d. 16. Iun. 1676. in 4.

X. PARVA MAGNORUM MORBORUM INITIA, Autore Reſp. Maximil. Preuſſ. Lipſ. d. 13. Octob. 1676.

XI. De SUFFOCATIONE HYPOCHONDRIACA, Reſp. Troppanniger Lipſ. 1676. in 4.

XII. De TEMULENTIA, Diſp. Inaug. Autore Reſp. M. Ioh. Frid. Ittig, Lipſ. d. 3. Octob. 1678. in 4.

XIII. De CEREBRO ORCÆ, vulgari ſuppoſititia larva SPERMATIS CETI, develato, Lipſ. Reſpond. Adam. Sigiſm. Scholzio d. 27. Octob. 1678. in 4.

XIV. De OPII VIRTUTE DIAPHORETICA Reſpond. Ioh. Acoluth, Lipſ. d. 11. Iulii 1679. in 4. & Ienæ ap. Ioh. Bielckium 1682. in 4. teſte Mercklino.

XV. De vero USU, & fero ABUSU PRÆCIPITANTIUM, Reſpond. M. Ioh. VVilh. Paulii Lipſ. d. 1. Iul. 1681. in 4.

XVI. De CORPULENTIA NIMIA, Autore Reſp. Georg. Melch. VVidemann. Lipſ. d. 19. Auguſt 1681. in 4.

XVII. Idea PRÆSCRIBENDARUM FORMULARUM, Reſpond. Ioh. Matth. Lipſ. d. 8. Dec. 1682. in 4.

Et ſi quæ forte ſint alia.

Optandum

Optandum vel maximè fuiſſet, ſi reliquis doctiſſimis meletematibus orbi erudito Ipſemet ſuperſtes gratificari & veliſicari potuiſſet. Prodierunt quidem poſt Ejus beatam ἀνάλυσιν ſeqq.

I. MICHAELIS ETTMULLERI, Phil. & Med. D. & Prof. Publ. Lipſ. Chymia Rationalis & Experimentalis Curioſa, cura ac ſumptibus Ioh. Chryſtophori Auſſfeldii, Med. D. Lugduni Batav. 1684. in 4.

II. MEDICUS THEORIA ET PRAXI Generali inſtructus, h. e. Fundamenta Medicinæ, vera, olim à D. Michaele Ettmüllero, Medico & Practico Lipſ. celeberrimo, Prof. Publ. privatim tradita, luci publicæ nunc primum donata, Francofurti & Lipſiæ, ſumptibus Michaëlis Güntheri 1685. in

III. MICHAELIS ETTMULLERI, Phil. & Med. D. & quondam in Acad. Lipſienſi prof. Publ. celeberrimi opera omnia Theoretica & Practica, in quibus univerſa Praxis Medica exhibetur; accedit Chirurgia Medica, ut & Methodus Conſultatoria &c. Lugduni 1685. in 4.

Verum quid de Chymia Rationali & Experimentali curioſa dicta ſenſerit Excell. Dn. D. Günth. Chryſtoph. SCHELHAMMERUS, in Illma Iulia, quæ Helmæſtadij eſt, Profeſſor Celeberr. *in Additament.* ad Incomparabilis Herm. CONRINGII *Introduct. Med. c. XI. n. VI.* ** *p. m.* 385. his verbis expreſſit: ETTMULLERI *Chymia poſt mortem ejus nuper à quodam lucri captatore publicata eſt, nefario tamen auſu, cum non ſit dubium, multa, ſi vixiſſet,* Celeberrimum Auctorem *fuiſſe emendaturum, expuncturum, immutaturum, quæ non ſine ipſius ignominia nunc publice leguntur.* Et AUCTOR *Præfat. ad Lect.* in B. ETTMULLERI Medicum Theoria & Praxi Generali inſtructum 1685. cum Privileg. ELECT. SAXON.): (3. b. ait: *Scito tamen Chymiam Ettmullerianam publicæ luci nuperrimè editam fuiſſe, quæ quidem nomen* Tanti Viri *gerat, vix tamen mereatur, ut pro vero* Chymici hujus egregij *habeatur labore, cum Alterius forſan exceptus, auditusque Diſcurſus, olim à Viro beato habitus, æſtimandus veniat.* In genere vero Acutiſſimi DN. LIPSIENSES ipſi *in Actis Eruditt.* m. Iul. MDCLXXXV. *p. m.* 341 *ſeq.* de illis ita: *Neque dubitandum eſt, profectura ab illo ſcripta publica fuiſſe ſeculo, & ſplendore illo, quo ſe Medica hodiè ſcientia effert, digniſſima, ſi vitam Illi Divinum Numen prorogaſſet. Sic enim ſecum* Vir prudentiſſimus *conſtituerat, non niſi profectiore ætate ad libros componendos animum applicare, & comparare interim ſubſidia, quæ experientia diuturnior, Auctorumque plurium lectio ſubminiſtrant. Quo major eos, qui* Ettmullero noſtro *familiariter uſi fuerunt, cepit admiratio, quando eodem fere tempore diverſis locis edita conſpexerant memorata ſuperius opera,* Ettmulleri nomen *præferentia: ut Viduæ etiam ac Heredes Ettmulleriani, famæ* Beati Viri *conſulturi, neceſſitatem ſibi impoſitam cenſuerint, publico programmate, ſcripta illa ſuppoſititia eſſe, certè luci publicæ nunquam à* B. Autore *deſtinata fuiſſe, declarandi. Atque id quidem, nullo licet monente, deprehendent facile omnes, quibus, pervolutare libros hoſce viſum fuerit, contineri iis non niſi diſcurſus maximam partem extemporaneos, nec caute ſemper ab Auditoribus exceptos, ſed hiulco verborum concurſu & tautologiis fædos, quos qui tribuere Ettmullero velit, tamquam opus ea methodo curaque, ut in publicum prodire poſſet, elaboratum, naevis in* Beati Clariſſimique Viri *manes foret injurius. Ceterum ſicut hanc ipſam ob cauſſam argumentum librorum horum uberius recenſere ſuperſedemus; ita ſperamus futurum, ut quod in ſe Viduæ ac Heredes receperunt, ex Schedis Ettmülleri, à Viro quodam in Arte Medica maxime excellenti revidendis, edantur, aliquando Opera ejus limatiora, & famæ* Beati Auctoris *Convenientia.*

Et utinam huic Voto Eruditorum eſſet hactenus ſatisfactum, qui avidiſſime illa nitidiſſima expetiverunt ſcripta.

His igitur denuò gratificaturus *Præclariſſimus* atque *Integerrimus* DN. IOH. DAVID ZUNNERUS, Civis ac Bibliopola Francofurti ad Mœnum Primarius, non intermiſit ap. Beatiſſimi Ettmulleri Heredes honoratiſſimos inquirere de MS. correctiore, quod tamen ipſi (ceu ad me perſcripſit:) oblato etiam æquo pretio, tradere neſciverunt.

Ne igitur ulterius hi ladaubiles labores retardarentur, ſuo ære alium MS. librum 8. voll. in 4. Præſtantiſſimus DN. ZUNNERUS comparavit, & ut in publicum protraheret, cum videret paſſim eſſe mancum, verba tranſpoſita, loca Auctorum non ſemper accuratè allegata (ſiquidem hoc admodum familiare eſt, ut id, quod non conceptis ad calamum Auditoribus dictatur verbis, ſæpenumero vitioſè admodum concipiatur, & non rarò contra bonam Auctoris mentem & intentionem conſcribatur, quod & mihi & aliis factũ memini ut proprium fœtum nævis Amanuenſium tam mirè deturpatum, vel minimè, vel difficillimè agnoverimus: me circa principium hyemis modo elapſæ rogare cœpit, ut curam hujus libri MS. in me ſuſciperem, & à dictis nævis, quantum pote vindicarem. Quod onus, utut grave, eoque gravius, quod in alienis laboribus, lubens tandem in me recepi. Verùm cum & laborum academicorum, & ægrorum aliarumque occupationum cumulus hinc inde moram injicerent, in laboris partes prece mea pertraxi duos Viros Doctiſſimos, nempe Nobil. atque Exc. DN. IOH. IACOBUM MARTINI, Med. D. & olim Sereniſſ. DN. ELECT. PALAT. glorioſiſſ. mem. Medicum Ord. in Noſocomio militari, Acad. Leopoldino-Imper. Natur. Curioſſ. Collegam d. PLATONEM II. & Amicum noſtrum honorandum, necnon Nobiliſſ. atque Experientiſſ. DN. CONRAD. SIGISM. EBARHAT, Med. D. & Pract. Francofurt. Egregium, Fautorem & Amicum

cum dilectiſſimum; qui mecum verba textus fideliter percurrerent, Amanuenſis παροράματα κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν corrigerent, loca Auctorum reſtituerent, in ipſo vero textu nihil quidquam temerè mutarent. Videbamus enim multa quidem (niſi omnia,) non eſſe limata, ſed ſæpiſſime per diſcurſum ſaltem effuſa, & non ad obruſſam exactioris Bibliographi ſemper examinata, quæ dein imperfecta ab Auditoribus imperite conſarcinata, tandem in tantum excreverunt Volumen.

Ne autem de Rep. univerſa Medica benè meritiſſimi fœtus, ob multos nævos non planè tenebris condemnaremus, maluimus illos (non certè Patris culpa tales, quamvis Cordatiſſimus Vir, ut homo, nihil humani à ſe alienum reputaverit, quin immo ſæpe rerum diverſitas intentionis aciem abrumpit, teſte FLORO,) ita producere, tamquam ψίχια è lautiore menſa, in terram delapſa & collecta, ita ut cautiores (ſicuti MARO ex ENNII ſtercore collegit aurum,) ex iis poſſint adhuc famem ſedare, & multa egregia Artis levamina ex iiſdem depromere. Siquidem tam in Theoria, quam in Praxi ſe Virum præſtitit Acutiſſimus noſter ETTMULLERUS, dum inſtar apis florilegæ ſedulo ex optimis quibuſq; Auctoribus & ſtudioſe congeſſit quidquid rarum quidquid utile & jucundum eſſet tam Medico, quam Ægro. Cumque utiliſſimus IOH. SCHODERUS, & accuratiſſimus DANIEL LUDOVICI elegantiſſimis ſuis laboribus multum hactenus profuerint; plura certè impoſterum proderunt Ope, genio & ingenio ETTMULLERIANO. Adeoque fœtui ſuo ſatis amplum reliquit patrimonium, nempè memoriam Nominis ſui cui cum TULLIO l. 2. epiſt. 16 ad Famil.

Penes TE jam, CORDATE LECTOR, eſt judicium, an adeò malè fecerimus laceras pagellas, inſtar membrorum Virbij, paſſim collegiſſe. Fruere illis interim, & Beati Viri DEO cariſſimi, ac de proximo & Arte noſtra benè meritiſſimi, Manibus benè precare, nobiſque Tuum exoptatiſſimum conſerva favorem. Benè Valè PP. HEIDELBERGÆ, VI. April. CIↃ IↃC XXCVIII.

GEORGIUS FRANCUS
D. Prof. Primar. Univerſit. Pro-Cancellarius, Aliquot S. R. I. ELECT. & PRINCIPP. & Archiater.

Sequuntur

Sequuntur

ELOGIA CELEBERRIMORUM VIRORUM,

Quibus benevolè mactare voluerunt Magna merita

MAGNI ETTMULLERI.

Illuſtres DNN. COLLECT. Auctorum Erudit. Lipſ. Menſ. Iul. A.C.M.DC.LXXXV. p.m.341. ſeq.

EO avidiùs excepta à multis opera hæc fuiſſe non dubitamus, quæ ſub ETTMULLERI noſtri nomine nuper divulgata ſunt, quanto majorem is, dum viveret, æſtimationem famamque ſibi comparavit. Vtique enim Vir fuit ſolidiſſimè, non arte tantum Medica, quam theoria & opere profitebatur, ſed ſcientiis omnibus, quæ illi adjumento ſunt, aut ornamento, doctus, miraque ſemper ac feliciſſima dexteritate, & in erudienda ſtudioſa Medicinæ juventute, & in experimentis, quibus hæc diſciplina magno hoc tempore cum fructu excolitur capiendis, & in exercenda medendi arte, ægriſque ad ſalutem reducendis uſus. Vndè non Lipſiæ tantum noſtræ, cui ſtudia ſua operamque conſecraverat, ſed orbi literato dolendum, vivis hunc Virum in ipſo ætatis flore, (annum enim trigeſimum nonum non exceſſit, die 26. Maij Ann. 1644. natus, denatus d.13. Mart. An. C.1683.) immaturo fato ereptum.

Magnificus Dn. D. IOH. IACOB. VVEPFERUS, Magnus ille Archiater, Patronus & Amicus Opt. Max.

In Eruditiſſima ſua Cicutæ Aquat. Hiſtor. & noxis, Cap. VII. p.m.78. inquit:

Quamobrem Exc. D. SENNERT. de Conſens. & Diſſens. cap. XVI. ingenuè fatetur, non ſolùm ex qualitatibus primis humorum differentiam & cauſam ſatis explicari poſſe; ſed ſpecialius & per propiores qualitates determinandam eſſe, quod in progreſſu orationis, ſeu Manuductore, ſeu Monitore HIPPOCR. ſecundùm hæc principia nervoſe præſtat: ut & Exc. D. BRUNO, dogmat. General. Med. p.2. c.7. 8. & 9. Item CL. Vvilh. then. RHYNE in meditt. int.24. de priſc. Med. & Exc. D. ETTMULLER Diſput. in eund. text. qui videantur, ceu hujus aſſertionis Illuſtratores Eximii.

Excell. DN. D. IOH. DOLÆUS, Conſil. & Archiat. Haſſiac. Amicus noſter ſuaviſſ. in Encyclopæd. Med. l.1. c.3. p.m.55.b.

Inter Chirurgica commendamus hic cum Expertiſſimo ETTMULLERO variorum liquorum volatilium, aliorumque infuſionem: ſed cùm id fuſè prælaudatus Vir retulerit in Diſp. de Chirurgia Infuſoria, ejus lectionem Lectori Curioſo ſuademus; malumus enim eò ipſum remittere, quam in transſcribendo tempus terere.

Idem. Ibid. c.IV. §.11. p.m.61.a.

Sic & Experientiſſ. Dn. Ettmullerus, Prof. Lipſiæ Celeberrimus noſtram annotavit hiſtoriam in diſp. de Morſu Viperæ.

Idem Ibid. c.v.§.10. p.m.81.a.

Sicut acida eorum impreſſionem impediunt, annotante nobiſcum Nob. ETTMULLERO.

Idem Ibid. c.VI.§.15.p.m.94.b.

Transfuſio ſanguinis, & infuſio Opiatorum in venas hominum ſalutifera & extrema nobis anchora erit, de quibus *Alter* HELMONTIUS, Nob. Dn. ETTMLLERUS in diſp. aurea de Chirurgia Infuſor. plura diſſerit.

Idem ibid. c.VIII.§.19.p.m.117.

Infuſionem liquorum, ſalium volatilium aliorumque pro re nata, annuente Nobiliſſimo ETTMULLERO.

Idem Ibid. c.IX.§.16.p.m.136.

Quod experientia edoctus approbat Expertiſſimus, & propitio famæ calculo ditiſſimus ETTMULLERUS in ſuo Valetudinar. Infantili.

Idem ibid. c.x.p.m.157.

Quot & ſummopere commendat ETTMULLERUS, Amicus noſter colendiſſimus.

Idem ibid. c.XII.§.2.p.182.a.

Id & confirmat Excell. Dn. MICH. ETTMULLERUS in Eleganti Diſputatione, cui titulus: Parva magnorum Morborum Initia.

Idem ibid.§.9.p.185.b.

Prout Cl. ETTMULLERUS diſſerit ingenioſè.

Idem ibid.§.ult.p.m.195.a.

Teſte Nobiliſſ. ETTMULLERO in Diſp. elegantiſſ. nuper ab ipſo nobis in literis miſſa de Virtute Opii diaphoretica.

Idem ib.c.XVI.§.19.p.227.

Infuſionem medicamentorum volatilium, acidum corrigentium, & ſanguinem citiſſime diſſolventium, inprimis ſpermatis ceti, convenienti menſtruo diſſoluti, in venas ægrotorum cum Nobiliſſ. ETTMULLERO magnifacimus, &c.

Id.l.2.c.II.§.10.p.m.255.b.

Quod probat Excellentiſſ. ETTMULLER Amicus noſter obſervantiſſimus in Chirurgia ſua Infuſor.

Id ib.paullò poſt.

Prælaudatus Medicus aliud experimentum in eundem finem inſtituit.

Idem ib.p.256.b.

Quale exemplum Nob. ETTMULLERUS Pariſiis obſervavit.

Id.ib.p.m.270.a.

Hiſce nihil proficientibus commendat Nob. ETTMULLER in Chirurgia Infuſ.&c.

Idem ib.c.III.§.10.p.m.279.b.

Conf. BONET Anat.Pract.Nob. ETTMULLER. alioq; Nobiliſſ.& expertos Viros.

Idem ib.§.19.p.m.290.b.

Hiſce omnibus nihil proficientibus, quid velut cum Excell. ETTMULLERO confugere ad Infuſionem? Poſſunt inijci ex mente Nobiliſſ. prælaudati Viri liquores volatiles ſalini.

Idem ib.c.IV.§.10.p.297.b.

Prout illud eleganter annotavit Excell. ETTMULLERUS.

Idem ib.p.313.

Teſtatur Exper. Vir D. ETTMULLERUS in *diſp.de Opii Vi diaphor.*

Idem ib.p.m.315.

Infundatur ergo ex præſcripto *Magni* ETTMULLERI Eſſentia ex Vulnerariis.

Idem ib.c.v.§.10 p.m.323.a.

Quod fermentum radicatum eſſe Exc. ETTMULLERUS jam in ovi puncto ſaliente, &c.

Et paullo poſt.

Omnino mihi cum ſæpius prænominato N. ETTMULLERO perſuadeo.

Idem ib.c.VI.§.10.p.m.344.a.

Cum Nobil. ETTMULLERO audacter ſtatuimus.

Idem ib.§.19.p.352.a.

Sic & Infuſionem cum Nobiliſſ. ETTMULLERO, Amico noſtro colendiſſimo, non quidem contemnimus.

Idem ib.c.VII.§.10.p.m.361.a.

De qua re admodum egregiè diſſerit Celeberrimus Dn. ETTMULLERUS in Colleg. MS. Chymico.

Idem ib.III.c.I.§.18.p.m.386.

Hæc ipſa illis abſorbentibus dextrè adjungenda ſunt, quemadmodum annotavit Experientiſſ. Dn. ETTMULLERUS, piæ memoriæ, ſeriore Libitina digniſſimus in Diſp.de præcip. uſu & abuſu.

Idem ib.c.VII.§.10.p.m.461.

De quo colore vid. ETTMULLERI Valetud. Infantil.§.21.ubi docte hæc elaborata videbis.

Idem ib.c.IX.§.12.p.m.500.

Elegantem locum habet acutiſſimus noſter ETTMULLERUS, Amicus, dùm viveret, obſervantiſſimus in Elegantiſſima Diſputatione de Opii vi diaphoretica.

Vt taceam alia plura adhuc luca.

Curioſiſſimus Senex Dn. D. IOH. MATTH. FABER, Sereniſſ. Duc. Vvurtemberg. Conſil. & Archiat. Acad. Leopoldino Imperial. Collegad. PLATO I. Reip. Heilbron. Phyſ. Sen. & Prim.

Fautor & Amicus fraterno amore æſtimatiſſimus, in ſuaviſſimis ſuis ad me Heilbronna d. VI. Febr. 1681. ita:

Celeber. ETTMULLERI omnia non me vidiſſe arbitror; quæ vero mihi obtigerunt, ſane eximia ſunt.

Solertiſſimus Naturæ Indagator, Dn. D. IOH. IAC. HARDERVS, Med. Phil. D. illiuſque PP. in Alma Baſilea Celeberr. Sereniſſ. Dn. Marchion. Badenſ. Archiat. & Acad. Leopoldino-Imperial. Nat. Cur. Colleg.

Fautor, Collega & Amicus æſtimatiſſ. In Curioſo ſuo Apiario habet ſeqq.

In Schol. ad Obſ. Anatomico-Pract. XXXII. p. m. 145.

Præclare ſane hanc in rem Excellentiſſ. ETTMULLERUS c. de Febri maligna.

Idem ibid.

Meminit qq. CL. DD. LVDOVICI, & paullo poſt pergit:

Quo certè ſupra laudatorum Virorum ſententia de maſſa humorali in ſtatu temerè non agitanda, egregie ſtabilitur.

Idem ib. p. m. 146.

Vid. ETTMULLER. Prax. de Affect. ſoporoſ.

Idem Obſ. XXXIII. in Schol. p. m. 150.

Quandoque ejuſdem motus impeditus malum idem producit, ceu eruditè notat Celeberr. ETTMULLERUS, de fetu.

Id. Obſ. XXXIIX. in Schol. p. m. 176.

In malo hereditario Spirituum certo modo vitiatorum, & in craſi ſua deficientium erratum ſuſpicatur Clariſſ. ETTMULLERUS.

Idem ib. p. m. 177.

In hunc uſque diem ſoſpes vivit, ut ejus (Tinct. ex Sulf. Antim.) efficaciam Clariſſ. ETTMULLERUS aliique Chymici præſtantiſſimi non immerito laudent.

Idem obſ. XLI. in Schol. p. m. 186.

Elegans omninò eſt hanc in rem Celeberr. ETTMULLERI monitum.

Idem ib. p. m. 187.

Virum novi, inquit ſupra laudatus ETTMULLERUS.

Idem Obſ. XLII. in Schol. p. m. 190.

Equidem, ſi erravit Helmontius, uti non male opinatur Clariſſ. ETTMULLERUS.

Idem Obſ. XLIII. in Schol. p. m. 192.

Vnde ſalivatio hæc procedat, docet Excel. ETTMULLERUS Pyrotechn. Ration. l. I. ſect. IV.

Idem Obſ. LXX. in Schol. p. m. 275.

Ita *Laudatus* ETTMULLERUS §. 16. de virtute Apii Diaphoret.

Ib. Abſ. LXXII. in Schol. p. m. 280.

Atque in hydropibus partialibus illud admittit Celeberr. ETMULLERUS.

Idem Abſ. LXXIX. in Schol. p. m. 307.

Opinaturque Celeberr. ETTMULLERUS ipſorum vim non in Subſtant. volat. vel fixa. &c.

Idem Abſ. C. in Schol. p. m. 374.

Infantulorum affectus multiplices eruditè enuclearunt cum Celeberr. SYLVIUS, tum *Excellentiſſ. ETTMVLLERVS*, Valetud. Infantil.

Idem ib. p. m. 375.

Deindè vero malo incrudeſcente, fomite profundius impacto, motibus convulſivis affligi ceperunt per intervalla, iiſque paulatim ingraveſcentibus, à quibus tamen exhibito Sulf. Antim. ETTMULLERI liberati fuerunt, utpote quo viſcidum ejuſmodi eradicatum, vomituque hinc copioſe & ad ſtuporem adſtantium ejectum fuit, ut merito ejus uſum prudenti Medico tutum & citum commendare poſſimus.

Excell. Dn. D. SCHELHAMMERVS in Additament. ad H. CONRINGI Introd. cap. XI. n. VI. ** p. m. 285.

Sane iſti Duo viri (Ioh. MICHAELIS, Lipſienſis, & Guern. ROLFINCIUS, Ienenſis Profeſſores,) quicquid deinceps in Germania Chymicorum eruditorum emicuit, videntur nobis peperiſſe. Ex utriuſque autem diſcipulis Bini maximè celebres evaſere, palmamque ceteris dubiam reddidere omnibus: Lipſiæ ſcil. ETTMULLERUS, &c.

Idem ib. ad cap. II. n. XI. * p. m. 61.

Doctiſſimus ETTMULLER.

Præcell.

Præcell. Dn. D. NATHANAEL SFORTIA; vel clariùs Nobiliſſ. Dn. THEOD. ZUVINGERUS Med. & P. P. Baſil. Cl. Collega & Amicus honorandus.

Idem lib. cit. p. m. 7. 95. 125. 134. 164. 237. ſeq. 246. 253. 274. 284. 341. hunc noſtrum ETTMULLERUM laudat.

Nobiliſſ. Dn. IOH. HELER. IUNGKEN, Med. Electoral. Palat. Ord. in Moſbach, Amicus noſter dilectiſſimus.


In Medico præſ. ſeculo accommod. part. 2. ſect. 2. c. 1. p. m. 769. & c. 2. p. m. 794. ſeq. 796. 800. 819. 834. 837. & paſſim utitur teſtimonio Illuſtris ETTMULLERI.

CL. Dn. D. IOH. CHRISTOPH. AUSSFELDUS in Præfat. ad Lect. B. Ettmull. Chymiæ Rational. præfixa ait:

Hæc ſunt viri Nobiliſſimi, MICHAELIS ETTMULLERI Med. D. ac Prof. Publ. Lipſienſis, Practici feliciſſimi, ac orbi literato ſufficienter cogniti, viri candore, amore erga proximum, ac ob variarum rerum notitiam ſane celeberrimi, nec ſatis laudandi, Præceptoris olim mei, jam beati, ſcripta ac communicata fideliſſima ac eruditiſſima.

Nob. Dn. AUCTOR Præfat. ad Lect. præfixæ Operibus ETTMULLER. Lugduni 1685. in 4.

Quanto ſtudio, quanta induſtria, quamque accurato ac limato judicio omnia ſua Scripta *Clariſſ. Vir Michael Ettmullerus, Profeſſor*, dum viveret, *Lipſienſis Academiæ Celeberrimus*, elaboraverit, & conſcripſerit, multa proſtant teſtimonia: Meum non eſt, nec poſſum, neque temporis anguſtia permittit, pluribus hic explicare. Edidit *Clariſſimus* hic *Vir* ſuo tempore ſucceſſive quoſdam tractatulos, *Diſputationum* nomine, qui, quam primum ad Eruditorum manus perveniebant, multis ſtatim encomiis ornabantur; plurima vero & optima ejus Scripta in paucorum manibus erant, & adhuc ſunt, quamvis à multis, qui pro comperto habebant, varia illorum à nonnullis ſervari, anxie deſiderabantur. Sic multi ſunt, qui ejus Collegia MS. ut vocant, magno pretio deſcribenda curaſſent, ſi modo ab eorum poſſeſſoribus ſolicitis precibus illa impetrare potuiſſent. Sunt alij quamplurimi, quos ſpes alit, nilque magis exoptant, quam ut *Doctiſſimi hujus Viri prelo digniſſima* Scripta tandem aliquando in lucem prodeant, & ab illo tempore, quo aliquoties in Catalogis librorum ſemeſtralibus nundinalibus eorum mentio facta eſt, dici non poteſt, quanto deſiderio multi illa quæſiverint & exſpectaverint, licet inanis ſpes, conceptam multorum opinionem uſque dum fefellerit.



INDEX

INDEX AVCTORVM.

Abbatius.
Acerra Philologica.
Acta medica Haffnienſia.
Aetius.
Æginera.
Agerius.
Agricola.
Agrippa.
Albertus Magnus.
Albinus.
Aldes.
Aldinus.
Aldrovandus.
Allioth.
Alpinus.
Alſtedius.
Amatus Luſitanus.
Ambroſinus.
Amthor.
Ammannus.
Ammelungius.
Anonymi Scriptores.
Hiſtoire de ſigularit. natur. d'q Angleter.
De motu muſculorum.
Exercitatio de Omento, pinguedine & adipoſis ductibus &c.
De gueriſon des fievres par le quinquina.
Apulæus.
Arantius.
Arnæus.
Aretæus.
Argenterius.
Arianus.
Ariſtarchus.
Ariſtoteles.
Arniſæus.
Aromatariis (Joſeph de)
Aſellius.
Athenæus.
Averrhoes.
Augenius.
Augurellus.
Auguſtinus.
Avicenna.
Ayrerus.
Baccius.
Bakius.
Baco de Verulamio.
Ballonius.
Balduinus.
Barbatus.
Barbette.
Barclaius.
Baromus.
Baronius.
Bartholetus.
Bartholinus.
Bartolus.
Baſilius Magnus.
Bauhinus.
Bauſchius.
Bayle.
Beccher.
Becke.
Beckerus.
Beguinus.
Finckius.
Bellinus.
Benedictus.
Benivenius.
Bierling.
Billichius.
Bilſius.
Blegny.
Blochvvizius.
Boetius de boodt.)
Bogdanus.
Bohn.
Bonettus.
Bontius.
Bootius.
Borellus.
Borrichius.
Boulton.
Bourdelotius.
Bourgeſe.(Ludov.de)
Boyle.
Brahe (Henricus à)
Brahe (Tycho de)
Branchinus.
Braun.
Brendelius.
Broſſe (Guido de la)
Brunnerus.
Bruno.
Bruſſus.
Buchnerus.
Burgravius.
Burrhi.
Burſerus.
Busbequius
Cælius Rhodiginus.
Cæſalpinus.
Calceolarius.
Caneparius.
Capivaccius.
Cardilucius.
Cardanus.
Carpus.
Carrichterus.
Carteſius.
Caſtellus.
Caſſerius Placentinus.
Caſtro (Rodericus à)
Caſtro (Petrus)
Cattierius.
Celſus.
Chambre.(Monſ.de la)
Charleton.
Charras.
Chicotius.
Chiflet.
Cicero.
Clauderus.
Claudinus.
Claudius de la Courvée.
Clodius.
Cluſius.
Codronchius.
Coiter.
Colle.
Collumbus.
Comæus.
Conerding.
Conimbricenſes.
Conreingius.
Conſentinus. (Cornelius)
Conſtant (Paulus & Jacobus)
Copernicus.
Corbejus.
Cordus.
Cornarius.
Cornerus.
Corteſius.)
Coſta.(Chriſtophorus à)
Crollius.
Cruce(Vincentius Alſarius à)
Crügnerus Krügnerus.
Cruſius.
Cunradus. Kunrath.
Cunzius.
Curzius.
Cuſanus.
Dariottus.
Daviſonius.
Deckers.
Democritus.
Deodatus.
Dethardingius.
Deuſingius.
Diemerbroeck.
Dæinheim.
Diocles.
Dioſcorides.
Dodonæus.
Doringius.
Donatus.
Dornæus.
Dorncreilius.
Dravvizius.
Drebellius.
Drelincourius.
Dunus.
Duraſtantes.
Dygbæus.
Eichſtadius
Ellenbergius.
Elsholzius.
Ens Entius.
Encelius.
Epicurus.
Eraſiſtratus.
Eraſtus.
Erbenius.
Erckerus.
Everhardus.
Eugalenus.
Euſtachius
Ezlerus.
Faber (Joh.) Lyncæus
Faber (Petrus Iohannes) &c.
Fabricius ab Aquapendente.
Falcoburgius.
Fallopius.
Faventinus.
Febure (Le
Fehr.
Ferdinandus.
Fernelius.
Ferrus.
Ficinus.
Fienus.

Index Auctorum.

Fioravanta
Fiſcher
Flud à Fluctibus
Fœſius
Fogelius
Folius
Fonte (Lælius à)
Fonſeca.
Fontanus
Foreſtus
Forge (de la)
Fracaſſatus
Frabeſarius
Franciſci. (Eraſmus)
Francus.
Freitagius.
Froelichius
Fuchſius.
Gabelchoferus
Galenus
Galilæus
Ganzius
Garenzier.
Garzias ab Horto.
Gaſſendus.
Gatinaria.
Geigerus.
Gemma.
Geſnerus.
Glandorpius.
Glauberus.
Gliſſonius.
Goclenius.
Gœdartius.
Gordonius.
Gorrhæus.
Graaf (de)
Grand (Le)
Graſeccius.
Gregorius Nazianzenus.
Greiſius.
Greiſelius.
Grembs.
Grevv.
Grimaldi.
Grülingius.
Guarinonius.
Guarinus Guarini.
Guericke (Otto de)
Guibertus.
Hafenrefferus.
Hanemannus.
Hartmannus.
Harvæus.
Hauptmannus.
Heer. Henricus ab)
Heerbord.
Heilbrunnenſes Medici.
Helidæus Paduanus.
Helmont.
Helvetius.
Hemſterhuis.
Herbenius.
Highmorus.
Hildanus.
Hildesheimius.
Hillerus.
Hippocrates.
Hirnheimius.
Hobbes.
Hobcken.
Hodiernus.
Hœchſtetterus.
Hœferus.
Hogelande (Cornelius ab)
Hoffmanni.
Hollandus (Iſaacus)
Hollerius.
Holterhof.
Holſtius.
Hoock.
Hornius (Georg)
Horne. (Johan von)
Hornungius.
Horſtius (Gregorius)
Horſtius (Johan Daniel)
Huardus (Janus)
Hummelbergius)
Iaſon Fratenſis.
Jeſſenius.
Joel.
Jolivius.
Jonſtonus.
Jordanus.
Joſephus.
Jungius
Karrichterus.
Keckermannus.
Keglerus.
Kellæus.
Keplerus.
Kerkringius.
Kergerus.
Keslerus.
Kircherus.
Klobius.
Knœfelius.
Kornerus.
Kotzack.
Krügnerus.
Kunraht.
Kyperus,
Lactantius.
Lambzvverder.
Lamoniere.
Langelott.
Langius (Chriſtian)
Langius (Johann)
Laurembergius.
Laurentius.
Leichnerus.
Lemery.
Leo (Dominicus)
Leonardus.
Levinus Lemnius.
Libavius.
Licetus.
Lidelius.
Lindanus.
Linus.
Linſchottus.
Lipſius.
Livius.
Lobelius.
Lobetius.
Locatellus.
Lœſelius.
Lomnius.
Lonicerus.
Loſſius.
Lotichius.
Lovver.
Luca (Jean)
Lodovicus
Luja
Linceus (Joh. Faber)
Lyſerus.
Macaſius
Magatus (Cæſar
Magnenus
Majatus
Major
Malpighius
Mandesloh
Marianus
Martini (Matheus)
Marchettis
Marcus Marci
Maſius
Mathæus
Mathiolus
Maurocordatus
Maxvellus
Mayovv
Mazetta
Mazotte
Meara
Meckeranus (Jobus.)
Meierus
Meibomius
Meiſonerius
Mercatus
Mercurialis Hieronimus
Mercurialis (Scipio)
Merette
Merſenus
Meyer (Martin)
Michaelis
Mindererus
Minſicht (Adrianus)
Miſcellanea Academiæ N.C.
Mœbius
Moglinus.
Mœnichen (Henricus à)
Mollenbroccius
Monardes
Monginot
Montagnana
Morellus.
Morhoſius
Morus
Muſa
Mylius
Myrepſus
Myrthinus.
Nanzelius
Nardurs
Neander
Nedham
Nepos (Cornelius
Nerus
Neſterus
Nettelbach
Neuhof
Neuhuſius
Neucranzius
Niemannus
Nierenbergius
Nitner
Nuyſement
Olaüs Magnus
Olearius
Oribaſius.
Ortelius
Ovidius
Pabſt (Michael)
Palmarius
Panarollus
Pancirollus
Papinius
Paracelſus

Index Auctorum.

Paræus.
Paſchalius
Patinus.
Pauli (Simon)
Pauli (Jacob Henrich)
Pavv.
Pechlin
Pecquetus.
Pedemontanus (Alexius)
Penotus
Perrault
Pertruccius
Petræus
Peucerus.
Pfitzerus.
Pharmacopœa Auguſtana
Philaletha
Photius
Piens
Pigray
Pinæus
Piſo
Placotomus
Platerus
Plautus
Plempius.
Plinius
Plutharchus
Polemannus
Poppius
Poterius
Pratæus
Prævotius
Primeroſius
Prixius
Pythagoras
QUintilianus
Quercetanus.
RAicus
Rallius
Ranchinus
Ratray
Redi
Regius
Reiher
Reis (Gaſpar à)
Reiſnerus
Renealmus
Renodæus
Reuſnerus
Rhodiginus (Cælius)
Rhodius
Rhumelius
Ricciolus
Rickeman
Riolanus
Riverius
Rochas
Rohault
Rolfincius
Rondeletius
Ronſeus
Roſa Anglica
Roſencreuzerus
Rothman
Rucbeckius
Rudius (Euſtachius)
Rulandus
Ruyſch
SAar
Sachs
Sala
Salmaſius.
Salmuth
Sanctorius
Sanchez
Sarpa (Paulus)
Savanarola
Savona
Scaliger
Scapula
Schacchius
Schenckius { Johannes
Theodorus
Scherzerus
Schillingius
Schlegelius.
Schlizerus
Schmidius
Schmuck
Schneider
Schoockius
Scholzius.
Schottus
Schola Salernitana
Schœnbornerus
Schrochkius
Schroderus
Schuyl
Schvvenckfeldius.
Scriptores Chirurgiæ infuſoriæ.
Sculterus
Sebizius
Segerus
Sendivogius
Seneca
Sennertus
Senguerdus
Septalius
Severinus
Sinclarus
Smetius
Snebergius
Solenander
Sperlingius
Spigelius
Spontonus
Starckey
Staricius
Steno
Stephanus
Stetterus
Stockerus
Strobelbergerus
Struppius
Suchten (Alexander von)
Sulzbergerus
Svvalvve
Svvammerdam
Sdenham
Sylvius. Franciſcus de le boe
Sylvius. Jacobus
Sylvaticus
Symſon
TAckenius
Tackius
Tanckius
Tattinghof
Teleſius (Bernhardinus)
Tenzelius
Terentius (Johannes)
Terentius
Theatrum Chymicum
Theodorus Tabernæmontanus
Theophraſtus
Thiermeier
Tholdius
Thomaſius.
Thonerus
Thruſton
Tilemannus
Tornerus
Torricellus
Trallianus
Tranſacta Anglica
Tremellius
Trincavellus
Trollius
Tulpius
Tymæus à Guldenklee
VAlentini (Michael Bernh.)
Valerius Maximus
Valleriola
Varandæus
Varro
Velthuſius
Verbezius
Veſalius
Veſlingius
Vidus Vidius
Vigenerius
Villa nova (Arnoldus à)
Virgilius
WAlæus
Wallis
Walſmid
Warthonus
Wedelius
Weinrichius
Weinslerus
Welſchius
Vvendelinus
Vvepfferus
Vvierus
Vvigandus
Vvilliſius
Vvinclerus
Vvirdigius
Vvittichius
Vvormius
Vvûrz
Ximenez (Rodericus.)
ZAchias
Zapatha
Zacutus Luſitan.
Zaſſius
Zecchius
Ziegler
Zvvingerus
Zvvolfferus

INDEX CAPITUM INSTITUT. MEDIC. IUXTA EDITIONEM IN QUARTO

PHYSIOLOGIA.

CAP I. DE medicinæ natura. pag. 1
CAP. II. De principiis corporum naturalium. 3
CAP. III. De corpore humano ejuſque principio vitali. 10
CAP. IV. De nutritione & auctione. 13
CAP. V. De appetitu animali, ſeu fame, ſiti. 16
CAP. VI. De alimentorum maſticatione & deglutitione. 17
CAP. VII. De chylificatione. 18
CAP. VIII. De chyli in inteſtinis alteratione & fœcum ſeparatione. 20
CAP. IX. De chyli ſecreti per inteſtina tranſcolatione & ad alias partes diſtributione. 21
CAP. X. De chyli in ſanguinem converſione, ſanguiniſque fermentatione. 22
CAP. XI De ſanguinis ad quaſvis partes corporis diſtributione diſtributique uſu. 25
CAP. XII. De pulmonum & reſpirationis uſu. 27
CAP. XIII. De Uſu Lienis. 29
CAP. XIV. De hepatis officio & Bilis generatione. 30
CAP. XV. De ſeri ſuperflui ſalibus abundantibus in prægnanti per renes excluſione. 32
CAP. XVI. De motu ſanguinis ad glandulas, Lymphæque ortu & natura. 33
CAP. XVII. De motu ſanguinis ad corporis circumferentiam, factaque ibidem inſenſibili tranſpiratione. 33
CAP. XVIII. De ſanguinis ad cerebrum motu ſpirituumque animalium generatione & officio. *
CAP. XIX. De ſenſibus externis in genere. 36
CAP. XX. De ſenſibus externis in ſpecie. 38
CAP. XXI. De ſenſibus internis. 43
CAP. XXII. De motu partium. 44
CAP. XXIII. De ſanguinis motu ad Teſtes, ſeminiſque generatione. 46
CA. XXIV. De conceptione fœtuſque formatione. 48
CAP. XXV. De Vita fœtus & nutritione in utero. 49
CAP. XXVI. De partu. 50

Præcepta Pathologica cum diagnoſticis & prognoſticis.

CAP. I. DE ſanitate & morbo hujuſque ſubjecto 52
CAP. II. De differentiis morborum. 53
CAP. III. De cauſis morborum. 60
CAP. IV. De ſignis morborum. 67

Præcepta hygienæ & Therapeuticæ.

CAP. I. DE ratione conſervandi ſanitatem per præcepta hygienes. 77
CAP. II. De methodo medendi. 77
CAP. III. De auxiliis. 79
CAP. IV. De plethoræ diminutione. 85
CAP. V. De cachochymia corrigenda & per purgationem Tollenda. 91
CAP. VI. De Urinæ excretione. 99
CAP. VII. De ſudoris evacuatione. 100
CAP. VIII. De ſalivatione univerſali & particularibus evacuationibus. 102
CAP. IX. De ſymptomatum urgentium remotione. 104

INSTITUT. MEDIC. IUXTA EDITIONEM IN FOLIO

PHYSIOLOGIA.

CAP. I. DE principio vitali corporis animali. 1
CAP. II. De nutritione & auctione. 5
CAP. III.
CAP. IV. De ciborum maſticatione & deglutitione. 9
CAP. V. De chylificatione. 10
CAP. VI. De fæcum alvinarum ex chylo ſeparatione & chymi utilis per inteſtina tranſcolatione. 13
CAP. VII. De chyli ſecreti & tranſcolati ad cæteras partes imprimis ſanguificationis motu. 15
CAP. VIII. De chyli in ſanguinem converſione, ſanguiniſque fermentatione. 17
CAP. IX. De ſanguinis ad reliquas partes diſtributione, diſtributique uſu. 19
CAP. X. De pulmonum & reſpirationis uſu. 21
CAP. XI. De uſu lienis. 24
CAP. XII De hepatis officio & bilis generatione. 25
CAP. XIII. De ſeri ſuperflui ſalibus abundantibus imprægnati per renes excluſione. 26
CAP. XIV. De motu ſanguinis ad glandulas, lymphæque ortu & natura. 27
CAP. XV. De ſanguinis motu ad corporis circumferentiam factaque ibi inſenſibili tranſpiratione. 29
CAP. XVI. De ſanguinis ad cerebrum motu, ſpirituumque animalium generatione & Officio. 30
CAP. XVII. De ſenſibus externis in genere. 31
CAP. XVIII. De ſenſibus externis in ſpecie. 32
CAP. XIX. de ſenſibus internis. 38
CAP. XX. De motu partium, 40
CAP. XXI. De ſanguinis motu ad teſtes ſeminiſque generatione. 41
CAP. XXII. De conceptione fætuſque formatione. 43
CAP. XXIII. De vita fætus & nutritione in utero. 44
CAP. XXIV. De Partu. 45

PATHOLOGIA.

CAP. I. DE ſanitate, morbo, hujus ſubjecto & differentiis. 47

CAP.

CAP.II. De cauſis morborum remotioribus ſeu rebus ſex non naturalibus. 53
CAP.III. De cauſis morborum internis. 56

SEMIOTICE.

CAP.I. De natura ſignorum in genere. 62
CAP.II. De urinis. 63
CAP.III. De pulſibus. 63
CAP.IV. De ſignis quibuſdam prognoſticis. 64

THERAPEUTICE.

CAP.I. De methodo medendi & medicamento. 65
CAP.II. De morborum archealium curatione. 67
CAP.III. De plethoræ diminutione. 70
CAP.IV. De purgatione. 72
CAP.V. De urinæ provocatione. 80
CAP.VI. De ſudoris evacuatione. 81
CAP.VII. De ſymptomatum urgentia. 83

PARS I.

Collegium practicum de morbis humani corporis in genere.

CAP.I. Prologus. 85
CAP.II. De fame læſa. 85
CAP.III. De maſticatione læſa. 94
CAP.IV. De deglutitione læſa. 99
CAP.V. De chyleſeos læſionibus. 100
CAP.VI. De aſſumptorum retentionis in ſtomacho læſione. 103
CAP.VII. De dolore ſtomachi ſeu cardialgia. 109
CAP.VIII. De chylia fæcibus alvinis ſecretione læſa. 112
CAP.IX. De contentorum in inteſtinis expulſione læſa. 113
CAP.X. De variis inteſtinorum doloribus. 136
CAP.XI. De ſitu inteſtinorum mutato. 244
CAP.XII. De chyli diſtributione læſa. 148
CAP.XIII. De chyli ſanguificatione, ſanguiniſque fermentatione læſa. 154
CAP.XIV. De aëris inſpiratione læſa. 156
CAP.XV. De vitiis expirationis læſæ, ſeu de læſione expirationis aëris. 172
CAP.XVI. De cordis & arteriarum Pulſu Vitiato. 179
CAP.XVII. De febribus. 186

PARS II.

Collegii practici.

CAP.I. De nutritione partium læſa. 239
CAP.II. De ſanguinis ex partibus refluxu læſo & inde orta inflammatione tam in genere quam in ſpecie. 269
CAP.III. De urinæ ſecretione in renibus læſa. 312
CAP.IV. De urinæ excretione læſa. 326
CAP.V. De lymphæ ſeparatione in glandulis vitiata, indeque ortis catharris in genere & in ſpecie. 334
CAP.VI. De lymphæ motu impedito, indeque orto hydrope in genere & in ſpecie. 345
CAP.VII. De ſpirituum animalium generatione vitiatâ indeque ſenſus motuſque læſionibus, & I. de Vigiliis & ſomno nimiis. 356
CAP.VIII. De ſpirituum inſenſuum organis agitatione inordinata ſeu præternaturali, indeque orta vertigine. 364
CAP.IX. De ſpirituum animalium inordinato & vitioſo motu in organa motus, indeque orta convulſione & epilepſia. 368
CAP.X. De ſpirituum motu & influxu abolito indeque orta apoplexia. 380
CA.XI. De læſionibus ſenſuum externorum imprimis de læſo tactu indeque orto, dolore in genere & in ſpecie. 392
CAP.XII. De læſionibus auditus. 407
CAP.XIII. De viſus læſionibus. 410
CAP.XIV. De olfactus & guſtus læſionibus. 415
CAP.XV. De operationum rationalium defectu & in ſpecie de læſione memoriæ. 417
CAP.XVI. De deliriis in genere & in ſpecie. 419
CAP. Ultimum. Quod ipſum eſt quaſi appendix practicus, exhibens duos affectus complicatiſſimos, nempe malum hypochondriacum & ſcorbutum. 437

Collegium practicum ſpeciale de morbis virorum, mulierum & Infantum.

AFFECTUS VIRORUM.

CAP.I. De ſeminis generatione læſa. 450
CAP.II. De læſa ſeminis retentione & excretione. 455
CAP.III. De læſa penis erectione. 460

MORBI MULIERUM.

CAP.I. De menſtrui fluxus vitiis. 465
CAP.II. De Virginitate læſa & appetitu veneris vitiato. 478
CAP.III. De affectibus totius, qui fæminis ex vitio uteri contingere dicuntur. 482
CAP.IV. De viri admiſſione læſâ. 491
CAP.V. De conceptione læſâ. 493
CAP.VI. De formatione fœtus læſâ indeque orta mola. 499
CAP.VII. De regimine gravidarum. 501
CAP.VIII. De læſione Partus. 507
CAP.IX. De regimine Puerperarum. 517
CAP.X. De lactis & lanctantiis vitiis. 525
Morbi Infantum. 531
Chirurgia medica. 546

COLLEGIUM CONSULTATORIUM.

Prologomena. 595
CASUS I. De appeſia. 595
CAS.II. Inflatio ſtomachi cum aſthmate, & cardialgia. 596
CAS.III. De Pica à ſcabie retropulſa. 596
CAS.IV. De cholera biliosa. 597
CAS.V. De chylificatione læſa ex cruditate nidoroſa. 698
CAS.VI. De cardialgia ſeu ſpaſmo orificii ſuperioris ventriculi à fungis. 598
CAS.VII. De catarrho Epidemio. 599
CAS.VIII. De dyſenteria. 600
CAS.IX. De colica convulſiva. 601
CAS.X. De diarrhæa bilioſa. 602
CAS.XI. Chloroſis incipiens. 602
CAS.XII. De cholica humoroſa hypochondriaca à pedum refrigeratione ſuſcitata. 603
CAS.XIII. Hæmorrhoides cecæ dolentes. 603
CAS.XIV. De catharro ſuffocativo. 604
CAS.XV. De Tuſſi ferina humida. 605
CAS XVI. De hernia cum paſſione hyſterica. 606
CAS.XVII. De aſthmate convulſivo. 606
CAS.XVIII. Subluxatio vertebrarum dorſalium. 607
CAS.XIX. Febris tertiana intermittens. 607
CAS.XX. Febris ardens benigna ex iracundia. 608
CAS. XXI. Febris continua Lymphatica juxta Sylvium. 609

Index Capitum.

CAS.XXII. Febris hectica lentæ ſimilis ob abſceſſum in mezenterio. 610
CAS.XXIII. Febris maligna petechialis. 610
CAS.XXIV. De variolis collectanea. 611
CAS.XXV. Febris lactea. 612
CAS.XXVI. Pleuritis vera 613
CAS.XXVII. Cachexia cum ſcabie. 613
CAS.XXVIII. De phtiſi. 614
CAS.XXIX. De hæmoptiſi. 615
CAS.XXX. Strãguria occaſione podagræ curatæ. 615
CAS.XXXI. De hæmorrhagia uteri. 616
CAS.XXXII. De nephretico dolore. 617
CAS.XXXIII. De lochiorum retentione cum urinæ ſuppreſſione & doloribus poſt partum. 618
CAS.XXXIV. De gonorrhæa virulenta cum tumore teſtis. 619
CAS.XXXV. De epilepſia. 620
CAS.XXXVI. De apoplexia. 621
CAS.XXXVII. Delirium melancholiacum hypochondriacum. 622
CAS.XXXVIII. De arthritide vaga ſcorbutica. 623

Diſſertationes academicæ Diſſertatio prima de medicina hyppocratis.

CHYMICA.

PRoëmium. 1
CAP.I. Qualitatum elementalium hyppochratica correctio. 1
CAP.II. Facultatum ſalinarum hyppocratica aſſertio. 3
CAP.III. Facultatum hyppocraticarum ad hygienem & Therapeuticam applicatio. 6

DISSERTATIO II.

De abſtruſo reſpirationis humanæ negotio, exulante famoſa vacui fuga.

PRoëmium. 11
CAP.I. Reſpirationis ὀνοματολογίαν, nec non πραγματογίαν ſuccintè adumbrat. 12
CAP.II. Peculiarem ſciagraphiam principiorum omnium reſpirationis actus univerſè conſtituentium delineat. 13
CAP.III. Thoracis ſtructuram in reſpiratione præprimis attendendam ejuſdemque motum inculcat. 14
CAP.IV. Intricatam muſculorum Thoracem in reſpiratione moventium doctrinam ſedulo perquirit atque elucidat. 15
CAP.V. Genuinum diaphragmatis in reſpiratione motum hujuſque cauſas penitius diſcuſſas exhibet. 16
CAP.VI. Pulmonis ſtructuram atque motum in reſpiratione peſcrutatur. 20
CAP.VII. Aëris, tanquam reſpirationis materiæ, indolem ac modum ex neotericorum experimentali doctrinâ declarat, nec non vacui fictum fugam perſtringit. 22
CAP.VIII. Loca ad quæ aër in reſpirantibus hominibus pertingit, diligenter inveſtigat. 27
CAP.IX. Problema harveanum doctis omnibus propoſitum enodando, fætus in utero Reſpirationem diſcutit, diluitque. 31
CAP.X. Reſpirationis humanæ uſus tum minus principales, tum principaliſſimum, ad vivere quippe ſimpliciter neceſſarium, ac ne aliquot quidem minutis, niſi cum mortis periculo adimendum, plenius proſequitur ſimulque concatenato φαινομένων atque cauſarum nexu arduum illud atque bimembre Problema ſedulo dilucidat: Cur ſcilicet animalia, tam ob aëris inſpirati cohibitique preſentiam, quam in machina boyliana propter ejuſdem aëris exantlationem, paucis minutis moribunda evadant. 35
CAP.XI. Epimetron unicum de chryſopeia & agyropæia. 45

DISSERTATIO III.

De parvis magnorum morborum initiis.

Exordium. 46
Tractatio ipſa. 47

DISSERTATIO IV.

De Epilepſia. 57

DISSERTATIO V.

De Temulentia. 64

DISSERTATIO VI.

De malo hypochondiaco. 7[illegible]

DISSERTATIO VII.

De dolore hypochondriaco vulgo ſed falſo putato ſplenetico.

PRoëmium. 74
CAP.I. Hiſtoriam doloris hypochondriaci recenſet. 74
CAP.II. Subjectum doloris hypochondriaci declarat. 75
CAP.III. Cauſas doloris hypochondriaci materiales & formales ſcrutatur. 77
CAP.IV. Signa diagnoſtica & prognoſtica proponit. 79
CAP.V. Medendi rationem doloris hypochondriaci docet. 80

DISSERTATIO VIII.

De corpulentia nimia.

PRæfatio. 84
CAP.I. Pathologicum. 84
ART.I. Naturam & ſubjectum corpulentiæ nimiæ declarat. 84
ART.II. Cauſam corpulentiæ nimiæ proximam ſcrutatur. 87
ART.III. Cauſas remotas indagat. 89
CAP.II. Therapeuticum.
ART.I. Signa prognoſtica exhibet. 91
ART.II. Methodum medendi præſcribit. 91
ART.III. Fontem diæteticum aperit. 92
ART.IV. Remedia è fonte pharmaceutico haurit. 94
ART.V. Fontem chirurgicum libat. 95

DISSERTATIO IX.

De morſu Viperæ.

PRoëmium. 97
CAP.I. Theoreticum. 97
PUNCT.I. Morſum viperæ eſſe venenoſum aſſerit. 97
PUNCT.II. Authorum de veneni viperini naturâ ſententiam perpendit. 98
PUNCT.III. Viperam mortuam nullo modo eſſe venenatam affirmat. 101
PUNCT.IV. Viperam totam eſſe alexiteriam, nec niſi laceſſitam eſſe venenatam aut venenoſè quemquam lædere, oſtendit. 102
PUNCT.V. Viperam irritatam & ad iram provocatam concepto furore morſum inferre venenatum declarat.

clarat. 103
CAP.II. Practicum. 106
PUNCT.I. Signa morſus viperini & diagnoſtica & prognoſtica pertractat. 106
PUNCT.II. Methodum medendi morſui viperæ præſcribit. 107

DISSERTATIO X.

De valetudinario Infantili.

PRœmium. 109
CAP.I. Hiſtoriam nutritionis infantum morborumque eorum tunc temporis frequentium recenſet. 109
CAP.II. Originem morborum infantilium declarat. 110
CAP.III. Præſervationem & curationem morborum infantilium docet. 120

DISSERTATIO XI.

De præſcriptione formularum in genere.

CAP.I. 127
CAP.II. De præſcriptione formularum in ſpecie. 132
CLASSIS I. Pulveres & iiſdem ſubordinatas furmulas ſiſtit. 132
CLASS.II. Pilulas exhibet. 136
CLASS.III. Miſturas varias depromit. 137
CLASS.IV. Infuſa & decocta comprehendit. 142
CLASS.V. Inunctiones varias comprehendit. 154

DISSERTATIO XII.

De uſu & abuſu præcipitantium.

PRæfatio. 158
CAP.I. Hiſtoricum præcipitantium Remediorum in medicinam introductionem, eorundem abundantiam & ſcopum recenſet. 158
CAP.II. Theoreticum præcipitantium naturam, uſum & operandi modum evolvit. 161
CAP.III. Practicum præcipitantium legitimam adminiſtrandi methodum exponit. 168

DISSERTATIO XIII.

DE virtute opii diaphoretica. 185
CAP.I. Effectus opii in partes contentas conſiderat. 186
THES. Opium quaſvis excretiones ſiſtit præter ſudorem, idque nec in partes ſolidas, nec in partes fluidas agendo, ſed ſaltem ſpirituum animalium impetum refrænando. 186
CAP.II. Vim opii ſudoriforam explicat. 188
THES. Opium per accidens, mediante largiori pororum hiatu, ſudoris profluvium promovet. 188
CAP.III. Dubia non nulla diluit. 194
THES. Opium ſubinde vomitum provocare, ſeceſſum & urinam promovere, lochiorum fluxum adjuvare, ſudores ſupprimere, criſes minus impedire obſervatur, &c. 194

DISSERTATIO XIV.

De examine coraliorum Tincturæ. 199

DISSERTATIO V.

De Cerebro orcæ, vulgari ſuppoſititia ſpermatis ceti larva develatio.

PRoëmium. 207
CAP.I. Hiſtoria ſpermatis Ceti Phyſica. 207
CAP.II. Uſus ſpermatis Ceti medicus. 210

DISSERTATIO XVI.

De chirurgia infuſoria.

PRoëmium. 214
CAP.I. Hiſtoriam chirurgiæ infuſoriæ enarrat. 214
CAP.II. Præſupponendorum conſiderationem continet. 218
CAP.III. Concluſionum de chirurgiæ infuſoriæ uſu explicatio. 221
CONCLUS.I. Chirurgia infuſoria legitimè adminiſtrata per ſe ſemper eſt utilis, interdum etiam neceſſaria, ſed debito tempore applicanda eſt. 221
CONCLUS II. Liquor infundendus pro vario ſcopo eſt variandus, præ cæteris tamen ſalinus volatilis temperatus ſeu oleoſus videtur utilis, & hinc opiatus. 223
CONCLUS.III. In affectibus ſubitaneis hincque per acutis vel promptius auxiliari poſſe videtur infuſione V.G. in ſincope, & cordis palpitatione, apoplexia, vertigine tenebricoſa, & epileptico inſultu graviori. 225
CONCLUS.IV. Ad ſanguinis debitam fermentationem reſtituendam apprimè conducit infuſio. 226
CONCLUS.V. Atrociori affectionis hypochondriacæ, & hyſtericæ, ut & aſthmatis convulſivi paroxiſmo infuſoriâ chirurgiâ eſt ſuccurrendum. 227
CONCLUS.VI. Chronici morbi, qui cachexiarum veniunt nomine profundè radicati, & aliis vel non vel difficulter cedentes medicamentis, ſalutarem ex infuſione expectant medelam quibus & Phtiſis annectenda videtur. 228
CONCLUS.VII. In febribus peracutis cum inflammationibus itemque malignis, melius eſt infuſionem experiri, quam ægrum ceu deploratum relinquere. 231
CONCLUS.VIII. In morbis hæreditariis fruſtraneam eſſe chirurgiam infuſoriam arbitror, ut & in arthritide & nephritide. 232
CONCLUS.IX. In mulieribus gravidis periculoſa ad modum eſt infuſio, in infantibus vero recens natis difficilis, imo inutilis. 232

DISSERTATIO XVII.

De medicis balneis artificialibus.

PRoëmium. 233
CAP.I.SECT.I. De nomine. 233
SECT.II. De re ipſa balneorumque differentiis. 233
CAP.II.SECT.I. De balneis ſiccis. 234
SECT.II. De balneis non ſiccis, ſeu de lotionibus 236
CAP.III.SECT.I. De utendi modo. 236
SECT.II. De horum balneorum utilitate & uſu. 238

DISSERTATIO XVIII.

De ſingularibus. 240

OBSERVATIO MEDICA I.

De Crinonibus ſeu de Gomedonibus infantum. 348

OBSERVATIO MEDICA II.

De Sironibus. 349

PRIVILEGIUM.

PREVILEGE DV ROY TRES-CHRESTIEN.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV, ROI DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos amez & feaux conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des requêtes ordinaires de noſtre Hotel, Prevoſt de Paris, Baillifs, Senechaux, leurs Lieutenans Civils & tous autres nos Officiers & juſticiers qu'il appartiendra, ſalut; Nôtre bien Amé THOMAS AMAVLRY Marchand libraire de noſtre ville de Lyon, Nous a fait remontrer qu'il a en main un livre intitulé *MICHAELIS ETTMVLLERI Philoſophici & Medici Doctoris, & Quondam in Academia Lipſienſi Profeſſoris Publici celeberrimi opera omnia Theoretica & pratica. In quibus Vniverſa Praxis medica ſive omnium, totius humani corporis morborum Dilucida deſcriptio &c.* Lequel étant fort utile au public, il deſireroit l'imprimer : il nous a tres humblement fait ſuplier luy en octroyer nos Lettres ſur ce neceſſaires. A CES CAVSES, voulant favorablement traitter ledit expoſant, Nous luy avons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces preſentes d'imprimer, ou faire imprimer ledit livre par tel Libraire ou Imprimeur, en tel volume marge carractere & autant de fois que bon luy ſemblera pendant le temps de douze années conſecutives, à commencer du jour qu'il ſera achevé d'imprimer, iceluy vendre & diſtribuer par tout noſtre Royaume : faiſons deffence à tous Libraires Imprimeurs, & autres d'imprimer, faire imprimer vendre & diſtribuer ledit livre ſous quelque pretexte que ce ſoit, même d'impreſſion Eſtrangere & autrement, ſans le conſentement dudit expoſant ou de ſes ayant cauſe, ſur peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, trois mille livres damande applicable un tiers à Nous, un tiers à l'hoſpital general des lieux, & l'autre tiers au dit expoſant, & de tous dépens dommages interêt, à la charge d'en mettre deux exemplaires en noſtre bibliotheque publique, un autre en noſtre cabinet des livres de noſtre chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre tres cher & feal Chevalier Chancelier de France Le ſieur Boucherat cōme auſſi de faire imprimer ledit livre ſur de bon papier & en beaux carracteres ſuivant les Reglemens ſur ce intervenus : que l'impreſſion s'en fera dans noſtre Royaume & non ailleurs, & de faire enregiſtrer ces preſentes ſur le Regiſtre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de noſtre bonne ville de Paris : le tout à peine de nullité des preſentes, du contenu deſquelles, vous Mandons & enjoignons faire jouir l'expoſant & ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire : voulons qu'en mettant au commencemēt ou à la fin dudit livre l'extrait des preſentes elles ſoient tenues pour deüement ſignifiées, & qu'aux copies collationées par l'un de nos amez & faux Conſeiller, Secretaire foy ſoit ajoſtée comme à l'original, Mandons Au premier noſtre Huiſſier ou Sergent faire pour l'execution des preſentes toutes ſignifications defenſes ſaiſies & autres actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion CAR TEL eſt noſtre plaiſir. Donné à Verſailles le vingt-un jour d'Aouſt l'an de grace mil ſix cens quatre vingt ſept. Et de noſtre regne le quarante cinquiéme.

PAR LE ROY EN SON CONSEIL.

JVNQVIERES.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris le 23. jour d'Aouſt 1687. ſuivant l'arreſt du Parlement du huitiéme Avril 1653. Celuy du Conſeil Privé du Roy du 27. Avril 1665. Et l'Edit de ſa Majeſté donné à Verſailles au mois d'Aouſt 1686. I. B. Coignard Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiére fois le 5. Novembre 1689.

Les Exemplaires ont eſté fournis.

A. B C. MICHAE

B. C. D.
MICHAELIS ETTMULLERI INSTITUTIONES MEDICÆ
IUXTA EDITIONEM IN QUARTO.

CAPUT PRIMUM.
DE MEDICINÆ NATURA.

§. 1.

MEDICINÆ primordia ſunt ab EXPERIENTIA, hanc introduxit NECESSITAS, tàm in morbis internis, quàm externis; ibi nata primitus fuerunt *Præcepta Diatetica*, hìc *Chirurgica*.

§. 2. Creſcentibus vero morbis per Experimenta varia ad Medicamenta itum; hinc Ægri primitus in compitis publicis expoſiti fuerunt, ut à prætereuntibus experimenta quædam colligantur pro morbo: Poſtmodum etiam in adytis Templorum Deorum Medicorum fuerunt ſepoſiti, ut vel per inſomnia, vel per Sacerdotum Oracula, utplurimum ſimulata, nempe per experientias collectas remedia & ſanationes diſcerent; hinc curas peractas, earumque remedia tabulis votivis in Templis Deorum poſtmodum ſuſpenderent.

§. 3. PRIMUM quod attinet INVENTOREM MEDICINÆ, magna eſt ſcriptorum varietas, haud injuria forſan dixeris, ubinam terrarum illam aliquâ ex parte fuiſſe, nuſquam verò integram. Præ cæteris apud ÆGYPTIOS floruit, hinc ad GRÆCOS tranſiit, PROMETHEUS ab antiquiſſimis primus inventor haberet, cujus nomine NOACHUS intelligitur. *Ægyptii* HERMETI primas deferunt, qui fuit Chamus, aut ſaltem illius Filius Mizraim. *Græci* APOLLINI hunc honorem tribuerunt, hujus Filius Æſculapius imprimis celebris, cui & Templa erecta, ejuſque ſimulachto, barba, pileo, baculo nodoſo, ſerpente, noctua, cane, gallo, inſignito, dotes Medici inſinuarunt. Æſculapio quinque filiæ, duo Filii fuerunt, alter Machaon, qui genuit Nicomachum, Medicum, à quo ſucceſſivè deſcendit Ariſtoteles; Alter Podalirius, qui celebrem habuit Scholam medicam in Cariæ Urbe, Scyron, ex quâ tres Coloniæ Medicæ deductæ ſunt, Rhodia, Cnidia, & Coa.

§. 4. *Iactis* ita *per experimenta fundamentis, rationes ſenſim inveſtigari cœperunt* in tribus iſtis ſcholis, quarum tamen ſemper celeberrima fuit, ceu in qua etiã claruit Medicus, Hippocrates primus. Hic genuit Heraclidem, Patrem Hippocratis Magni, nati Anno Mundi 3500. ante Chriſtum 450. Continuata ſerie ab Æſculapio, à quo fuit decimus octavus, ortum habuit à Parentibus, cum ea jam mille ferè annos in Gente Æſculapidæa ſtetiſſet. Auxit hãc Artem tabulis ægrorũ votivis, ex Incendio Templi Æſculapii ſurreptis, & in unum volumen digeſtis, quæ omnia propriis obſervationibus confirmavit. Claruit tempore belli Peloponeſiaci, ſub Dario Longemanno, in curanda Peſte, præſertim celebris, mortuus eſt Lariſæ, in Theſſalia, cum eſſet annorũ 109. Coætaneum habuit Democritum Abderitanum. Scripta, quæ hodie nomine Hippocratis circumferuntur; non ſunt omnia genuina; nec unius Autoris, & ſanè jam Galeni ætate à quibuſdam dubitatum fuit.

§. 5. Hippocrates reliquit filios duos, Theſſalum & Draconem; Ille genuit Hippocratem tertium. Poſt Hippocratem ejus Gener, Polybius, ſcholam ſuſcepit, hunc ſecutus eſt Diocles Caryſtius, & permanſit Medicina in poſteris Hippocratis hæreditaria quaſi poſſeſſione ad annos pene 200. duravitque Doctrina Hippocratis fere uſque ad Tempora Pompeji Magni, quò tempore Aſclepiades ab Hippocratis Doctrinâ deflectere cæpit ad ſectam Methodicam, unde debitus Medicinæ ſplendor uſque ad Galeni tempora ferè viluit.

§. 6. Interea ALEXANDRI MAGNI tempore floruit Ariſtoteles, cui σύχρονος fuit Theophraſtus Ereſius ex Inſula Lesbo oriundus. Succeſſit huic Eraſiſtratus, notus ex curâ Antiochi filii Seleuci; huic coætaneus, vel paulò inferior fuit Herophilus Chalcedonicus, qui 700. humana ſubjecta ſecuit, & etiam quædam, ut refetunt, viva.

§. 7. Poſt Ariſtotelis tempora multis in locis Philoſophia & Medicina magis cæpit efflorеſcere. in ſpecie Alexandriæ, Ægyptii ſtudio Ptolomæi Philadelphi; Hinc tempore POMPEJI MAGNI Aſclepiades ex Bithynia oriundus Methodicam ſectam inſtituit, Pompejo familiaris. Hujus diſcipulus primarius fuit Themiſon Laodicæus, in formanda ſecta Methodica celebris, donec poſtmodum tempore Neronis Imperatoris Theſſalus Trallianus, hujus *Methodicæ Sectæ fere Princeps* exiſteret.

§. 8. In hæc tempora, nempe fere in ætatem Auguſti Imperatoris incidit Cornelius Celſus, Jureconſultus, ſed ſimul medicus, ob elegantem ſtilum, quibuſdam latinus Hippocrates, vel medicorum Cicero dictus; ſed ex aliis corraſit, quæ ſcripſit, fere Methodicus eſſe videtur,

videtur, unde & Heurnius *pluris ejus latinitate quàm medicinam facit.*

§. 9. Neronis Archiater fuit Andromachus ſenior, Cretenſis, cui primam Theriacæ compoſitionem debemus, nam ſub Vespasiano vixit Andromachus Junior, cui coætaneus fuit Plinius Novocomenſis, autor hiſtoriæ mundi.

§. 10. Interea libri Hippocratis fortunam variam paſſi, imprimis incendiis Bibliothecarum, unde ſub Adriano Imperatore, ab Arthemidoro Capitone & ejus cognato Dioſcoride, Alexandrinis, collecti & digeſti ſunt, quibus ſupervenit Galenus, qui quantum in ſe fuit, ſub Antoninis Imperatoribus, Hippocraticam Medicinam reſtaurare anniſus fuit. Natus eſt Galenus Anno Chriſti 136. Patria fuit Pergamum, Aſiæ oppidum, Imperatori Antonino admodum gratus valetudini filii ejus, Aurelii Commodi præfectus fuit. Poſtquam Impeperator Severus eum in Aulam reductum, in ſummo habuit honore, mortuus tandem anno ætatis 70.

§. 11. Cæterum poſt devaſtatas Athenas, Alexandriam & Tharſum, poſt ſeculum VI. & tempora Juſtiniani, ut omnes bonæ literæ, ita in genere omnis Medicina in Oriente & Occidente concidit, quin potius poſt frequentes Barbarorum in iſta loca excurſiones, tandẽ ad Saracenos, & Arabes Studium Literarum & Medicinæ pervenit. Nam à ſeculo IX ad XIII per 400. annos, Medicina ſaltem apud Arabes in Aſia, Africa, & Hiſpania floruit. Factum hoc fuit ope Calivarum in Ægypto, in ſpecie Alexandriæ ſtudia reſtaurantium, quod etiam factum Marocco in Tunetani Regni Oppido in quo Almonsor et Mahomet Reges, ſtudia & Bibliothecas egregias introduxerunt, unde & Mauri, poſtquã ex Hiſpania Gothos & Vandalos ejeciſſent, iſtud Regnũ occuparunt, & Cordubæ ac Hiſpali Academias exſtruxerunt.

§ 12. Sed cum Barbari græcarum literarum non æque eſſent gnari, non mirum etiam, puros Græcorum v. g. Hippocratis, fontes impuris Arabum lacunis fuiſſe inquinatos. Hos inter ſeculo X. floruit Rhaſes, ſcripſit opus ingens, quod continens dicitur, in quo omniũ fere anteceſſorum commentaria collegit. Ad medium ſeculi XI. floruit Joannes, filius Serapionis, Autor Libri de ſimplicibus; item Haly Abbas. Hoc ipſo ſeculo ferè anno 1045. Natus eſt Avicenna patria Corraſenus, adeoq; in Perſia vixit, Aulæ admotus, potius ſtudia amavit, & Alexandriæ ac Cordubæ iiſdem operam dedit, primuſq; rem Græcis ipſis intentatam aggreſſus eſt, integram Artem Medicam in unum ſyſtema redigere conatus. Coævus ipſi ferè fuit Avenzoar, item hoc ipſo ſeculo XII. floruit Averroes, Cordubenſis Patriâ, Cõmentator dictus, Theoreticus non Practicus, maximus Ariſtotelicus, diſputax, ambitioſus, aliorũ reprehenſor. Declinante ſeculo XII. vixit Joannes Meſue, Damaſcenus, qui *vulgo Evangeliſta Pharmacopæorum dicitur.*

§. 13. Sub Barbaris ita & Saracenis abſcondita fuit Medicina, donec currente ſeculo XIII. Itali imprimis, linguarum puritatem, & hinc ſtudia denuo revocare cæperunt. Hoc ſeculo ſcilicet *Schola Salernitana* originem cæpit. Vixit fere ſub idem tempus Albertus Magnus, item Druſianus, pluſquam commentator dictus, ſicut in fine hujus & initio ſequentis ſeculi Petrus de Apono, conciliator dictus, viguit. His poſtmodum ad noſtra uſque tempora innumerabilis fori medicorum copia ſubſecuta fuit, in ſpecie ſeculo XIV. dum ubique fundarentur Academiæ. In his omnibus Medicina Hippocratica profeſſa, ſed ex Galeno & Avicenna explicata fuit. Fundamentis rerum naturalium ex Ariſtotele ſaltim hauſtis, Galli quidem ex Galeno, Hiſpani ex Avicenna & Arabibus, Itali ex utriſque Hippocratem explicant, vel potius lacerant.

§. 14. Ex modo dictis pariter & experientia, clarum eſt, quod dicit *Helmont. in Præfat. de Febb. A temporibus Hippocratis medicinam ſtetiſſe, & non perfeciſſe*; id quod ſatis probabile uſque ad præſens ſeculum XVII. in quo per Anatomen & Chymiam, ac in ſpecie per experimẽta naturalia, denuò medicina incepit. Ratio propter quam medicina ſteterit ſine incremento, eſt

1. Crebrior literarum ſub Barbaris, ac ita & medicinæ mutatio, & fortuna, unde vix ad perfectionem majorem pervenire potuit.
2. Quod ſuperiorum ſeculorum medici, unicè occupati fuerunt in ſcriptorum Græcorum & Arabum verſione, & inani dilucidatione, de ulteriori progreſſu, ne meditando quidem; Unde ſuccrevit infauſta iſta, & quaſi jurata veterum veneratio.
3. Quod neglectâ Hippocraticâ Methodo, nempe per obſervationes ulterius progrediendi præmature medicina mutila in corpus Syſtematicum, inſtar cujuſdam diſciplinæ redacta fuerit.
4. Quod Ariſtoteles, ejuſque Dogmata, ceu fundamentum ſcientiæ naturalis à Galeno in ſcholas medicorum, peſſimo conſilio introductus fuerit.
5. Quod Pyrotechnia, ceu primarium Philoſophiæ & Medicinæ experimentalis medium neglecta, aut plane ignorata fuerit.

§. 15. Revera ergo Philoſophiæ naturali, & medicinæ nihil acceſſit, præterquam, quod à Chymicis factum fuit; equidem Chymia antiquiſſima eſt doctrina veterum, & differt iſta à moderna: Illa conſiſtit in inquiſitione medicinæ univerſalis ad metalla & corpora humana, adeoq; in myſterio lapidis Philoſophorum unicè fuit occupata, ob id, quam maxime occultata fuit ſemper habita. Primi Ægyptii, hinc Arabes, eam coluerunt, ſed ſemper ſub ſilentii ſigillo fuit occultata.

§. 16. Ex his tamen, qui ultimis his ſeculis medicinam aggreſſi ſunt, à ſordibus nonnihil repurgare, & pyrotechniam medentes excitare; primus ferè fuit Baſilius Valentinus, Monachus Benedictinus, currente ſeculo XIV. fere vivens. Hunc poſtero ſeculo inſecutus eſt Theophraſtus Paracelſus, ſicut hoc ipſo ſeculo, ulterius veternum excutere ſtuduit Joannes Baptiſta van Helmont, nobilis Belga,

§. 17. *Medicina* ergo, *cum ſit Ars, quæ corpus humanum vivens, quatenus ſanabile eſt*, ſeu, quatenus ejus ſanitas præſens conſervanda, abſens verò reſtituenda, *tractat*; Erit ratione etiam objecti & finis omnium nobiliſſima.

§. 18. Cui nihil detrahit, quod dicatur Ars conjecturalis, quas enim adhibet conjecturas, non ſunt temerariæ, ſeu ſine fundamento, atque rebus pure conſtat contingentibus, quæ nihil aliud ſunt, quàm puræ ignorantiæ & vanæ perſuaſiones; Sed conjecturæ, quibus innititur medicus, ſunt circumſpectæ & fundatæ experientiis, & hinc deductis concluſionibus rationalibus; Verſanturque circa res apparenter quidem; ob promiſcuas intermittentes circumſtantias contingentes, in ſe tamen neceſſariam cohærentiam cauſarum naturalium cum effectibus habentes, adeoque veræ ſcientiæ proximæ ſunt.

§. 19. Eſt ſcilicet *unicuique homini Ideoſyncraſia*, ob quam univerſales non æque in omnibus formari poſſunt concluſiones, quin eæ, quæ utplurimum veræ ſunt, in individualibus locum neceſſariæ conſequentiæ obtinent; Accedit, & ſcientia naturalis adhuc in pluribus defectuoſa, cui tamen revera ſubalternata eſt medicina, unde ratione fundamenti in naturalibus, & ratione objecti in individuis humanis conjecturis neceſſariò in medicina utendum.

§. 20. Fundamentum conjecturarum non debent eſſe, *ſola experimenta*, ſola enim hæc ſubinde temeraria aut nociva ſunt & Empiricorum Sectam conſtituunt. Non *ſolæ rationes*, hæ enim ſine experimentis ſunt cæcæ, & admodum erroneæ, ac Sectam Dogmaticam Galenicam conſtituunt. Nec *Analogiſmus*, ſeu in pluribus morbis eædem communitates, hoc enim Methodicam facit; Sed *experientia & ratio ſimul fundamentum ſunt conjecturarum medicarum*, dum memoriâ & judicio inſtructus medicus, aliàs obſervata ſuo ægrotanti individuo, tàm quoad Theoriam, quàm praxin applicat. Unde hæc duo, experientia & ratio fundamentũ medicinæ conſtituũt,

&

& pro experimentis obſervandis, binis oculis, ſiniſtro, *Pyrotechniâ*, & dextro, *Anatomiâ*, inſtructa eſt, unde & Spagyrico-Dogmatica Hodierna Secta *præ cæteris nobiliſſima eſt.*

§. 21. Sunt autem *Medicinæ*, pro Artium natura *tres partes principales.*

1. Finem propoſitum ut conſideret Pathologia, quæ ſanitatis, & huic oppoſitorum morborum ſcrutatur naturam, uti
2. In ſubjecto per Phyſiologiam probè cognito, eundem intentum obtinent, ità ut
3. Per legitima media eam, vel integrâ ſtabiliat in Hygiene, vel labefactatam in Therapeutica reſtituat.

Semiotica eſt *bipartita*, nam *Diagnoſtica* ad Pathologiam, *Prognoſtica* ad Therapeuticam pertinet, cum Medicus practicus proſpectâ morborum ratione ex Pathalogia, eoſdem ſubinde etiam abditos in ægro cognoſcere & perſpicere poſſit, & præterea ſub curatione therapeutica ſimul præcognoſcere, an curabilis, an vero incurabilis morbus ſit.

§. 22. *Miniſtræ Partes Medicinæ* ſunt Hygieni quidem Ars Culinaria, & huic cognatæ, Piſtoria, Cereviſiaria, &c. Therapeuticæ verò *Pharmaceutica & Chirurgica*, quarum illa omnium ſimplicium ex tribus regnis exactam cognitionem; Hæc Anatomiæ crebrius præſupponit exercitium.

CAPUT II.

DE PRINCIPIIS CORPORUM NATURALIUM.

§. 1. Dua in univerſum *corporum naturalium ſunt cauſæ ſeu principia eſſendi.*

1. Efficiens ſeu agens, Motus.
2. Materia ſeu patiens, Materia.

§. 2. Forma enim *nihil differt à materia & efficiente*, ſed potius ex mutua horum relatione & reſpectu reſultat, ceu aliquod tertium; Aut enim eſt ipſum corporis efficiens internum, intimè illud conſtituens, indeque conſtitutum conſervans, adeoq; proprietatum ac operationum radix exiſtit; aut ſaltem immediatè forma reſultat in materia ex hujus per efficiens modificatione. Illo conceptu nil aliud eſt, quam inter plures materiæ, idem concretum conſtituentes partes, mutuò ſibi ſubordinatas, primaria & motu cæteras dirigente inſtructa; Hoc vero conceptu, nil aliud eſt, quam multiplex materiæ concreti ex minimis, diverſimode modificatis textura, ſecundum proprietates illarum Mathematico-Mechanicas, ſeu Quantitativas.

§. 3. Circa *materiam* conſideratur

1. *Materia ipſius eſſentia* in genere, & generales ejus affectiones, tàm abſolutæ, quàm reſpectivæ.
2. *Materia in ſpecie*, prout corpora ſic dicta miſta in noſtro Globo Terraqueo conſtituit.

§. 4. Materiæ *nomine* nil aliud *intelligitur*, quàm *ſubſtantia in longum, latum & profundum extenſa, eaque ſolida & impenetrabilis.* Non ergo extenſio, quam Mathematici conſiderant, & quæ non niſi in ſubjecto extenſo concipi poteſt, ſed ipſum ens per ſe ſubſiſtens, & extenſum & impenetrabile, licet ſummo diviſibile materiæ rationem formalem, unde cætera attributa derivantur, conſtituunt. Differunt ergo in hoc corpus Mathematicum & Phyſicum, & dantur in natura minima, ſeu, ultra quorum diviſionem progredi neſcit natura.

Nempe in hoc Gaſſendi (ſeu Renovata Epicuri Philoſophia) ſententia differt à ſententia Cartheſii, quod Gaſſendus materiam præter extenſionem, etiam impenetrabilem ſtatuat, adeoque non in finitum diviſibilem, quin tandem ad particulas minutiſſimas ſeu atomos deveniatur. Carteſius vero materiæ naturam ſimpliciter in extenſione poſitam ſtatuit, adeoque in infinitum diviſibilem. Sed hoc ipſo corpus Phyſicum cum Mathematico confundit, imo ſpatii vacui à materia nullam differentiam reddere poteſt. Vid. hic omnium optime *Lami tract de Principiis rerum*, qui omnium optime hypotheſes phyſicas Peripateticas & Carteſianas refutavit, Gaſſendi vero Phyſicam Epicuream reſtauravit.

§. 5. Materia hæc ſub generali hoc conceptu, ut primo ſub creationis tempore producta, ita ex eadem omnia corpora mundum hunc ſenſibilem & cognoſcibilem conſtituentia, enata fuerunt. Commune etiam adhuc ſubjectum exiſtit cujuſvis generationis, corruptionis & alterationis corporum. Quo ſenſu non incommode *Ariſtotelis materia prima*, vitando Scholaſticorum inania deliria, *vocari poſſit.*

§. 6. Materia hæc cum ſit unica, ipſa ex ſe tam inſigni ac multiplici corporum varietati non ſufficiet, quin potius per motum diſponetur ad corpora diſtincta conſtituenda. Prima enim, quam in materia à motu factam concipere poſſumus, mutatio, eſt ejus diviſio in multas diſtinctas particulas, quæ omnes ex materiæ natura magnitudinem & hinc figuram propriam obtinebunt: Unde hæc tria accidentia particularum, *motus*, (prout ſubjective in mobili conſideratur,) *vel quies. Magnitudo & Figura*, primarii modi aut affectiones materiæ, & hinc corporum erunt. Quod ſi particulæ hæ ceu ad invicem collectæ conſiderantur, ſequitur exinde, quod habeant omnes certum ſitum, reſpectu quaſi eorum horizontis, & ſimul certum ad ſe invicem ordinem, ſecundum quem ſunt locatæ. Quod ſi plures tales particulæ unitæ, in certam maſſam, corpus dictam, tunc ab illarum magnitudine, figura, ſitu, ordine, motu, vel quiete, certa ac determinata corporis oritur plus minus poroſa, vel ſolida textura. Et hæ ſunt affectiones, ſeu modi materiæ, ejuſque particularum ſeu corpuſculorum abſolutæ.

§. 7. Nam & cæteræ omnes reſpectivæ corporum ac materiæ affectiones, ſeu modi, quas unum corpus in relatione ad aliud corpus obtinet, ab iſtis abſolutis primam originem ducunt: Omnes enim tàm *primæ* quàm *ſecundæ* aut *tertiæ* vel *occultæ qualitates dictæ*, materialiter & fundamentaliter ab illis abſolutis affectionibus particularum, & hinc nata ſpecifica concretorum textura, naſcuntur; v. g. quatenus organa corporis humani ita ſunt conſtructa, ut aliis corporibus certas impreſſiones, à nobis, earumque perceptio variis nominibus appellatur, Calor, Odor, Glabrities, &c. & vulgo ex noſtro concipiendi modo tanquam realia entia, & qualitates diſtinctæ in corporibus concipiuntur, cum tamen ſint ſaltem effectus, & conſequentia texturæ, & primariarum iſtarum corpuſculorum affectionum. Unde & rectius hæ ſecundariæ, ſeu reſpectivæ corporum affectiones, ſeu modi vocantur.

§. 8. Ex particulis talibus, quas quotidiana multiplex experientia oſtendit, eſſe minimas, adeo ſuo modo veterum atomos, quælibet Corpora coaleſcere ſolent, tàm ſimplicia ſic dicta, quàm compoſita, & hæc tàm homogenea, quàm heterogenea, adeo ut ex minimis ejuſdem materiæ particulis, totius hujus univerſi conſtent corpora.

§. 9. Saltem dubium eſt, an probabilior, in triplicem particularum differentiam, nempe materiæ ſubtilis, Globulorum, & craſſiorum Ramentorum, iſta diviſio facta fuerit ſecundum Carteſium; An vero in particulas admodum multiformes in omnem tàm ordinatarum, quàm inordinatarum figurarum differentiam eadem diviſa fuerit, quæ veterum, Democriti & Epicuri, & ſuo modo Modernorum Anglorum eſt hypotheſis. *Vid. Boyle. Orig. form.* item *introduct. ad qualit. particul.*

§. 10. Ex materia ita diviſa, in multas, vel indefinitè vel definitè particulas, totus mundus, ſeu ordinatum iſtud Syſtema majorum iſtorum globoſorum corporum, cum expanſa æetherea mole, in quâ natant quaſi, productus eſt, adeo, ut Stellæ in genere, à noſtro Globo Terr-Aqueo-Aereo materiam proximam non habere videantur, utut quædẽ plus de naturâ ignea, alia Terraquea, &c. Idque diverſimode participare videantur id quod ferè manifeſtum evadit, ſi analogiam lunæ cum noſtro Globo, ſolis cum igneis corporibus conferamus.

§. 11. Jam ſpeciatim in Globo noſtro Terr-aque-aereo duplex materiæ ſe offert textura, ex qua corpora conſtant; *Vel enim ſimplex eſt & uniformis , per totum in minimis* , & conſtituit corpora ſimplicia, indeque in ſe ingenerabilia, & incorruptilia, adeoque non transmutabilia, ſed quæ ſaltem matrices ſunt maximam partem, magnaque receptacula cæterorum corporum compoſitorum , ſuntque AER, AQUA , TERRA, abſtrahendo, an & Aër & Terra ex Aqua primitus producta ſint.

§. 12. *Vel eadem materia eſt compoſita*, ſeu quæ ex diverſis ſecundum quantitativas rationes in minimis particulis immediate eſt contexta , unde & corpora emergunt compoſita ; hinc ratione difformitatis minimorum mutabilia, indeque generabilia , corruptibilia , & alterabilia, alia nomine & miſta , ſive perfectè ſive imperfecte talia fuerint appellata ; abſtrahendo an immediate ex primis materiæ diviſæ particulis, enata fuerint , adeoque primò miſta ſint , an verò mediatè ex particulis jam dudum miſtis , adeoque ſecundò miſta ſint. Et illa perfecta miſta vel in toto pariter ac omnibus ſui quoad ſenſum partibus eodem penitus modo ſecundum omnia attributa ſe habent , vocanturque Homogenea , vel deformiter ſe habent , dicunturque heterogenea. *De miſtis primo & ſecundo talibus confer. Magnenus Democrit. Reviviſc. p. 285. &c.*

§. 13. Materia illa compoſita omnium corporum ſub triplici regno comprehenſorum cum immediate conſtet, & componatur ex differentibus minimis particulis, aliàs materialia Principia , item elementa dictis , dubium eſt,

1. Quotnam ſint iſta Principia minima , ſeu elementa , ex quibus quælibet corpora ſublunaria , nunc mediate , idque crebrius nunc immediate , idque rarius concreſcunt , ſeu an certo numero definiantur.
2. An illa minima Principia formaliter ita præexiſtant, adeo ut ſint prima & ultima , h. e. ex quibus primis componuntur corpora & in quæ eadem ceu ultimum terminum reſolvuntur , qualiter v. g. ſal alcali & calx arenæ exiſtant , ex quibus vitrum componit Artifex. An vero non ita præexiſtant , ſed ſub corporum conſtructione ab efficiente ex alia formaliter materia mutata elaborentur , v. g. ignis corporum materîam concremando immutat , dum ſalia fixa item olea ex iis format.

Triplex corporum naturalium ſtatus , reſpectu principiorum noſtrorum naturalium, ſeu elementorum eſt conſiderandus
1. Compoſitionis , ſeu dum fiunt.
2. Conſtitutionis , ſeu dum facta & infecta ſunt,
3. Reſolutionis; ſeu dum iterum intereunt ac corrumpuntur.

Tres hi ſtatus à variis mutationibus particularum elementarium miſti & multiplici textura , quas ab efficiente motu recipiunt , oriuntur , ita ut , quæ materialiter ſunt eadem , formaliter tamen diverſimode differant , v. g. Farina & fermentum & aqua idem ſunt , materialiter cùm pane inde confecto , formaliter & hic ab iſtis multum differt propter mutationes texturæ particularum , quas ſub fermentatione in panificio ſuſceperunt.

Quæritur ergo
1. Quænam ſint illa miſtorum principia materialia ſeu elementa compoſitionis prima , è quibus non dentur priora , ex quibus illa coaleſcunt ; Et quæ ſint iſta ultima, in quæ tandem reſolvantur , cum quod primum in compoſitione , ultimum ſit in reſolutione : Et quotnam ſint , an unum , v. g. aqua , an vero plura ; & ſi hoc , an numero definita , v. g. IV. Elementa Peripateticorum , an vero numero indefinita , v. g. Atomi Epicureorum , aut Particulæ tertii elementi Cartheſii.
2. Quod , & quænam ſint illa elementa conſtitutionis ex quibus proxime conſtat & coaleſcit ipſum miſtum ; ſiquidem rarò ex particulis elementaribus corpus quoddam concreſcit , ſed mediantibus pluribus mutationibus plurimorum elementorum & molecularum inde genitarum miſta concreſcunt.
3. An , quæ ſub compoſitione & reſolutione concreti ſe offerunt principia materialia , iſta ſemper præexiſterent ita formaliter , an vero ſaltem materialiter.

§. 14. Quoad primum quæſitum, nempe, *quoad principia compoſitionis prima , & reſolutionis ultimà* , ſeu remota ac mediata utriuſque ſtatus, notum eſt aſſertum veterum Peripateticorum IV· elementa vulgo nota, pro principiis corporum materialibus proponentium, ita , ut ex illis ita præexiſtentibus , & componantur corpora , & hinc conditiones materiales obtineant, & etiam in illa tandem reſolvantur. Cujus tamen hypotheſis varietatem ſufficienter & *Boyle Chym. Sceptic. & Beck Princip. Rerum natural. & Helmont in tract. Complex. & Miſtion. Element. Figment. refutarunt.*

§. 15. Sed illa ipſa Peripateticorum elementa ex modò dictis materiæ particulis conſtant, ſed homogeneis, ſi nempe in ſua ſimplicitate conſiderentur, v.g. AQUA conſtat particulis oblongis rotundis , cylindraceis , plicabilibus, ſubtilibus, inſtar exilium anguillarum, quæ ſibi invicem ſuperimpoſitæ & agitatæ, aquam fluidam mutato ſitu intertextæ glaciem, variato motu recto in circularem ab igne vapores conſtituunt.

§. 16. TERRA conſtare videtur particulis minutis ſibi undique æqualibus, forſan cubicis, aut rotũdis, ponderoſis, fixis nec in aqua ſolubilibus , nec in igne liquabilibus.

§. 17. AER particulis videtur conſtare tenuibus , agilibus, plicabilibus , adeo ut vel ſponte , vel motu caloris adjutæ ſe explicent, & dilatent proprio elatere, vel frigore ſe ſtringant , aut vi etiam externa facile cogantur in ſe , & complicentur.

§. 18. IGNIS nil minus eſt , quàm tale corpus , quale vulgo fingitur, eſt enim tantum actus diſſolutionis corporum ſulpheorum ab igne tanquam per menſtruum diſſolutorum & calefactorum , non ſecus ac aqua fortis, aliaque menſtrua acria operantur ſuper diſſolubilia, v.g. Mars , Venus, Jupiter. In illo ergo diſſolutionis actu erumpentes & volantes particulæ ante concretæ, ignis appellantur. Calor & Lumen vero ſunt duo effectus inſeparabiles dictæ ſolutionis.

Duæ ſunt ignis proprietates eſſentiales, quibus poſitis, ignis ponitur, remotis vero tollitur. Nempe Calor & Lux, illud acido concitatiſſimo efferveſcentiæ motu cum terreo collidente , oritur; Hoc veró quid ſit, & in quo conſiſtat , res adhuc intricata. Sunt qui ſubtiliſſimum ſui generis materiam lucem eſſe non inepte judicant , quæ in ſuo coalitu ſub pinguis ſchemate fere deliteſcat , quo vero reſoluto illa ſui juris facta motum lucis undique diffundat; & hanc materiam quidem ignem puriſſimum , ſed improprie appellant. Utraque ſubſtantia ſimul in motum concitata , dat ignem , nam lignum putridum lucet quia tamen deficit Calor, non poteſt dici ignitum, oleum vitrioli , item calx viva in aqua communi impenſè æſtuans , quia tamen deficit lux , nullus ibidem adeſſe dici poteſt ignis. In carbone vero & flamma, eſt utrumque adeoque formalis ignis.

§. 19. Fumus & flamma aperte ſunt res eadem , *fumus eſt flamma extincta , flamma eſt fumus incenſus* ; Differentia ſaltem eſt in certa materiæ ejuſdem modificatione , dum eadem materia reſoluta in minima , & Aëri largiter permiſta conſtituit flammam , quæ minus reſoluta , & quaſi craſſius implicata fumum conſtituit. Calor vero qualiſcunque conſiſtit ſolummodo in agili , vehementi ac celerrima particularum minutarum , pinguium , acidarum , ſeu ſulphurearum motione , qua ratione v. g. ſpir. vitrioli affuſus mart. intenſum calorem producit.

§. 20. Notum ulterius eſt , Chymicorum quale fuerit effatum , qui *tria Principia , ſeu elementa corporum activa , ſal , ſulphur. mercurium & duo paſſiva aquam & terram* ſtatuerunt : Sed ut taceam , male à modernis poſt Paracelſi , *in Theoria naturæ minus, quàm Praxi Medica Empyrica, & adhanc requiſitis ſublimioribus Arcanis verſati* , ætatem , ex illius inſtinctu illa Tria quibuſvis corporibus naturalibus miſtis tribuere, quæ ſapientiores veteres Philoſophi Chymici ſaltem Metallis adſcripſerunt , horum nullitatem ſufficienter Boyle Chymiſt. Scept , Helmont , Tract. Tria Chym. Princip. &c. rejecerunt , utut in Regno Minerali , præſertim Becherus eadem ſub triplici terræ nomine, nempe terræ ſeu lapidis fuſilis, loco ſalis, terræ pinguis loco ſulphuris, & terræ volat : ſeu alcalinæ loco mercurii clarius & diſtinctius demonſtravit.

§. 21. QUOAD SECUNDUM QUÆSITUM, equidem innumerabilis eſt minutarum particularum, ex

quibus

quibus coaleſcunt corpora, differentia, unde & tam ſingularis ac multiplex in textura corporum, hinc proprietatibus & operationibus differentia emergit, ſive ex ipſarum minutiarum diſtinctis mechanicis proprietatibus illæ oriantur, ſive ex aliquot minutiarum firmiſſimo coalitu, & inde novis ex textura mutua acquiſitis modificationibus eædem dependeant, quæ denuò mutua aſſociatione aliam corporum varietatem conſtituere poſſunt; quam innumerabilem diverſitatem & olim Democritus ſub atomorum infinitate, & hodie Carthesius in multiplicibus ſuis ramentis majoribus ſufficienter inſinuarunt, ſcilicet principia proxima materialia, & conſtitutionis miſtorum ſunt variæ mollæculæ minimæ ſucceſſivis mutationibus ex aliis prioribus coaleſcentes, & vi principii ſeminalis, ſub generatione corporum per motum varium coagmentatæ.

§. 22. Nihilominus tamen, ſi non inconcinna Analogia per artificem, ignem, confirmati, rem hanc aliquo modo illuſtrare volumus, certè quinquenario numero generalis minutiarum iſtarum corpora hujus Globi compoſita contexentium, varietas in genere circumſcribi poſſe videtur; Nempe dum aſſeramus, reperiri in compoſitis, particulas acidas, alcalinas, pingues, aqueas, terreas: Harum ſanè varietas, ſecundum proprietates mechanicas, (utpote à quibus omnis earum vis & potentia dependet) ac variata ſæpiſſimè proportio, quin & numerus, dum non in omni corpore omnia quinque præciſè ineſſe probabile ſit, &c. omnem iſtum corporum quocunque modo miſtorum exercitum inſignem materialiter conſtituit.

§. 23. Quoad TERTIUM QUÆSITUM, ſanè moderni non pauci oſtendere nituntur nec prima nec ultima illa eſſe corporum Principia ſeu Elementa, ſed eſſe ſaltem principiata, quæ nempe nunc immediatè, idque rarius, nunc mediatè, idque frequentius ex AQUA oriuntur, & in hanc ultimo reſolvantur: Dum v. gr. Vegetabilia immediatè ex aqua naſcuntur & nutriuntur, ex quibus animalia conſtant, & ita hæc quoque ex aqua, mediatè, ſicut illa quoque vegetabilia, eorumque immediata producta materialia, tandem in aquam redeunt, hac in aliud prius vel poſterius immutabili.

§. 24. Certè dum particulæ ſalinæ, ſulphureæ, forſan & terreæ non reperiantur, præterquam in corporibus compoſitis per ſua ſemina productis, non autem in ſimplicibus, niſi quantum de illis plus minus reſolutis participant, ſequi videtur, non tàm primogeneas eſſe particulas illas, quàm ſecundogeneas, per ſemina ſub materiæ proximæ in corpus ſpeciale transmutatione productas, adeoque non tàm ſunt corporum principia materialia, quàm principiata, ex materia, proximè quæ ſeminis actioni ſubeſt pronata, unde non tàm materia componens, quàm conſtituens corporum, illæ particulæ dicendæ erunt, & non tàm in corporibus conſtituendis, quàm conſtitutis obſervabiles ſunt.

§. 25. Et hanc ſubſiſtentiam corporum ex aquâ per motum, confirmat præſertim Analyſis, ſeu ultimata corporum in aquam, etiam quæ aquæ maximè reluctantur, reductio, v. gr. pinguedo animalium, & oleum vegetabilium, attributa habent toto genere aquæ contraria, & tamen maximam partem, ſi non tota, tandem per alcali per crebriorem aëri expoſitionem, in aquam tranſeunt. Si ergo Subſtantia aquæ ſummè contraria in aquam denuò abit, & ita ex aqua ultimatò conſtat, quidni de aliis facilior longè ſubſumpſio erit. Pertinet huc Syncriſis, qua mediante ex aqua fit terra, ſecundum experientiam Boyle *Tractat. de Orig. Form.* ſi adeoque ſubſtantia maximè aliena ut terra ex aqua formata, quidni etiam aliæ minus ab illa abludentes.

§. 26. Adeo, ut ab efficiente, v. gr. Opifice ſeu Rectore ſeminali, vel immediatè ex aqua, vel mediatè ex illa jam aliam larvam cujuſdam concreti induta ſub corporum compoſitione, illæ minutæ materiales oriantur, quæ ipſæ materialiter per ſyncriſin, diacriſin, & metacriſin, ſeu metaſtaſin, corpora ſub generatione componant, ſub corruptione deſtruant, ſub alteratione immutent. Quin & ratione texturæ ſub mutuo coalitu & ſpecialis motus ac quietis in minimis, omnium qualitatum, præſertim manifeſtarum, primarum, ſecundarum & tertiarum formales cauſæ exiſtant & origines; ac tandem mutui nexus & texturæ ſeminalis fatiſcentia poſt plures alterationes in aquam tandem redeant elementarem.

§. 27. Has verò inter particulas primatum revera obtinent ſalinæ, & harum amicabiles ſocii ſulphureæ, minus aqua & terra eminent, unde doctrina ſalium & ſulphurum probè conſideranda venit pro conſtitutione corporum & phœnomenorum eorum ventulatione ritè cognoſcenda.

Salia conſtant particulis rigidis, acutis, penetrantibus, indéque quaſi ſcindentibus & pungentibus, adeoque linguæ reſpectu ſapidis, promptè in aquis ſolubilibus ſeu ipſi unibilibus. Sunt vel acida, vel urinoſa, vel alcalia, quæ duo invicem efferveſcendo dant tertia ſalſa ſeu enixa.

§. 28. Porrò Corpora compoſita vel homogenea vel heterogenea ſunt. Hæc ex pluribus corporibus diſtinctis, miro tamen ordine invicem ſubordinatis, certo nexu & artificioſo coalitu plus minus compoſita obſervantur, ita ut machinæ cujuſdam polydædalæ faciem perquam concinnè repræſentent, quæ etiam, prout ita conſtructa eſt ſecundum mechanicas conditiones & proprietates moveri ſolet, unde & tam variæ operationes inde reſultant, quales vegetabilia & animalia exhibere ſolent, v. gr. *Corpora animalium ſunt Machinæ hydraulico-pneumaticæ, quæ per ſanguinis & ſpirituum contentorum motum varias actiones edunt*, & per corporum externorum in organa ſenſuum actiones, ratione horum determinatæ ſtructuræ certas paſſiones & motiones ſuſcipiant, quas ſenſus vocamus.

In his ergo corporibus heterogeneis tria conſiderantur.

1. Materia ex qua partes mechanicæ coaluerunt, tàm remota, quàm propinqua, tàm ſimilaris quàm diſſimilaris.
2. Ipſæ partes, earundem ſtructura mechanica, formalis compoſitio, nexus, & reſpectu totius machinæ diſtinctus uſus.
3. Motus partium & principium movens illius machinæ, ratione cujus ſpeciatim vivere dicitur.

MOTUS.

§. 1. PRæſuppoſitâ Natura & Eſſentia Motûs tàm interni ſeu ſpontanei, aut naturalis, quàm extrinſecus communicati ſeu non naturalis, in ejus applicatione ad materiam, ceu agentis ad patiens, tria ſunt conſideranda.

1. Qualis Motus in natura locum obtinent.
2. Quotnam ſit mobile.
3. Principium movens, & unde motus tàm in genere quàm in ſpecie dependeat.

§. 2. Motus omnis in natura tantum eſt localis.

§. 3. Obſervatur autem ſaltem duplex, gravitatis & impulſus, ſed his revera etiam tertius, nempe Motus reſtitutionis ſeu elaſticus, quâ corpus in priſtinam figuram ſponte ſua ſe componit, aut reſtituere plus minus nititur. Fit equidem ut ſub conatu iſto, ſeu nixu elaſtico corpora vicina plus minus impellantur, tamen ipſe Elater à ſupervenìente vicinorum impulſu probè diſtinguendus venit. Imò impulſus præ aliis omnibus & univerſalior & prior ferè eſſe videtur, cum in materiæ contiguitate quemlibet partium ejus motum, neceſſario

ceſſario aliarum impulſus, in ſpatio ſeu loco inſequi debeat. Levitas poſitiva ſeu propriè dicta eſt nulla, nec attractio niſi mechanica ferè ab arte inducta & tamen hæc vix ſine impulſu videtur fieri. Univerſalior autem longè eſt Motus impulſus, quam gravitatis, quia hic ſaltem una linea deorſum ad centrum fertur, ille verò ad quaſvis poſitionum differentias ſeſe extendit: Quin etiam impulſus ad totius mundi ſyſtema, gravitas verò ad globulorum illius ſyſtematis particularia corpora ſaltem ſe extendit.

§. 4. Obtinent hæc tàm in naturalibus quàm artificialibus, adeóque univerſaliter; tàm in ſimplicibus, quàm miſtis & his tàm perfectè quàm imperfectè talibus: Hinc quilibet Motus dilatationis, & conſtrictionis, motus quilibet elaſtici, item fermentationes, putrefactiones, motu ſaltem locali eoque utplurimum pulſu peragi videntur.

§. 5. Ipſa corporum per ſemina formatio per motum localem fieri videtur, cùm enim formatio nil niſi poſitionem partis extra partem certamque materiæ ſecundum tres dimenſiones ſituationem inſinuet, hoc ipſo *omnis corporum formatio non niſi motu locali fieri poteſt*, eoque impulſus.

§. 6. Materiæ per ſemina in corpora alia tranſmutatio, aqua in plantam, hujus in lac & carnem, etiam ſaltem motu locali fieri videtur, & ex eo probabile redditur quod corporis reſolutivè ultima pariter & intermedia, qua tranſmutatio & nexus, ſeu craſis ſeminalis tollitur, itidem per motum localem ſaltem accidat, ſicut hoc in putrefactionibus, combuſtionibus, ſolutionibus, &c. manifeſtum eſt; ut taceam motum in minimis alium haud conceptibilem eſſe.

§. 7. Operationes vegetabiles in nutritione, acretione & ſeminificatione non niſi pulſu materiæ certo, hincque dependente coalitu cum aliis, adeoque quiete fieri videtur, cum & geniti & nutriti concreti diſſolutio non niſi motu locali, eoque primario pulſionis peragi videatur.

§. 8. Operationes animalium, ſive ſenſum, ſive motum reſpiciunt, locali pulſionis impetu peraguntur. Externi ſenſus in motu ab objecto externo impreſſo, adeoque pulſu conſiſtunt, ſeu, ut aliàs dicunt, tactu; Interni verò nonniſi in ſpirituum animalium vario, utut determinato motu conſiſtunt, qui undecunque derivetur, vix niſi pulſionis aut elaſticitatis aut ſimili modo peragi videtur: Localis animalium motus impetu ſpirituum, hinc fibrarum motu unico peragitur.

§. 9. Mobile ſeu ſubjectum, quod movetur eſt ſimpliciter materia, quæ purè paſſivè ſe habet ad motum, utut per accidens propriæ extenſionis ac impenetrabilitatis ratione, motum ipſum ſubinde plus minus determinet, unde & hujus in omni motu habenda eſt ratio, ſcilicet conditiones hujus, & proprietates tàm generales, quàm ſpeciales ſimul ſubinde determinant diverſimodè motum unde non tantùm errores interdum in Operationibus naturæ, per accidens emergunt, ſed etiam aliis modis ſubinde diverſimodè effectus variant.

§. 10. Fundamentum determinationis motus à materia facta eſt ejus.

1. Soliditas ſeu impenetrabilitas.
2. Extenſio ſeu Quantitas, & hinc nata figuræ in corpore moto ſpecialis ratio. Illud quidem primario, hoc ſecundario; ſcilicet, veriſſimum eſt illud *DEUS ſemper geometrizat, & Deus omnia menſurâ, numero & pondere fecit.* Leges ſcilicet quantitativas in materia fundavit, & fundatas conſervat, & hinc ſubinde motus determinatur & modificatur.

§. 11. *Motus localis* iſte, quo materia, & ex hac concreta feruntur corpora *eſt vel generalis*, magnorum mundi corporum, *vel ſpecialis*, unius alteriuſque ſaltem particularis corporis, ſeu motus localis, quo feruntur corpora vel reſpectu totius mundi ſiſtematis ejuſque Globulorum conſideratur, vel reſpectu ſaltem corporum in noſtro Globo Terr-Aque-Aereo.

§. 12. Ille, univerſi qui fit reſpectu, eſt circularis, fundatur primariò in ſole ſaltem & ſimpliciter circa centrum mobile; dependet inde reliquorum corporum globoſorum univerſi motus in circulum, dum illius gyro cætera circum rapiuntur corpora, & hoc ſibi adjuncta alia in circulum una movent.

§. 13. Speciatim in noſtro Globo Terr-Aque-Aereo motus annuus, diurnus, & hujus motu lunæ tàm menſtruus, quàm trepidationis ab iſto ſolis motu non inconcinnè derivantur, dum illius rapidiſſimus igneus motus circularis, ſeu undique in orbem abiens fluidum cœlum, ſeu expanſum æthereum in motum ſimul concitat, hoc in eo natantes globos agitat, qui ſimiliter circumrapiuntur, &c.

§. 14. Reſpectu verò corporum noſtri Globi particularium omnis motus eſt vel totius cujuſdam corporeæ molis, junctim, vel minutarum particularum ſeorſim cujuſdam corporis ſive plures ſive pauciores, ſive omnes motu iſto cieantur. Ille externus ſeu progreſſivus, hic internus, ſeu inteſtinus dicitur, v. gr. Glacies aqueas particulas habet in quiete, hæc ſi moveantur ex uno loco in alterum, eſt motus totius molis, minimis immotis perſiſtentibus; Si verò illa in loco tepido liqueſcat, in aquam fluidam, fit iſtud ſaltem per motum minimorum, inteſtinum ob id dictum: Et à tali minimorum inteſtino motu omnes fluiditates, ebullitiones, liquefactiones, putrefactiones, fermentationes, &c. oriuntur, ſpeciatim, ſi corporibus heterogeneis accidat talis motus, fermentatio, item putrefactio dicitur.

Inter motus inteſtinos primatum ducunt fermentationes & putrefactiones, quæ uti in genere fiunt à movente extrinſecus impellente, nempe vel materia ſubtili, vel igne, ita in ſpecie motum hunc inſtrumentaliter perficiunt, particulœ acidæ & urinoſæ, quæ & hæ naturæ mechanica ſunt inſtrumenta, mediantibus quibus omnes iſtæ mutationes, quæ ſub fermentatione & putrefactione contingunt, perficiuntur. Fermentatio quidem fit dominante acido, & in novam texturam cum urinoſis & pinguibus, aliiſque particulis coaleſcente, unde in omni fermentatione nova texturæ mutatio accidit; In putrefactione vero enervatum acidum, fatiſcit pingue & emergit urinoſum, ſeu Alcalinum, hinc ſoluta penitus miſtione particularum textura concreti ſucceſſivè penitus aboletur. Hinc ſcilicet omnia fermentantia ad aciditatem plus minus ſenſilem inclinant, & laudem reperitis vicibus rectè aceſcunt: E contra verò putreſcentes res copioſum ſal vol. urinoſum ſuggerunt, utut ante putrefactionē paucum vel nullum veſtigium. Hinc ea, quæ acidi modum cohibent, fermentationes etiam ſiſtunt, è contra quæ iſtud enervant atque infringunt ad rei putreſcentia diſponunt.

§. 15. Movens ergo eſt vel impellens, vel gravitans, vel tendens, ſeu elaſtica vi reſtituens; ab his duobus dependet tertium, nempe impellens viſibiliter: Qui enim motori primo, vel ſimpliciter tali, vel reſpectivè ita dicto, tribuitur impulſus, ceu motuum primus, inſenſibilis à priori, ac indiviſibilis exiſtit. De origine & natura gravitationis nulla jam conſideratio. Nondum ſcilicet adeo planè conſtat, an principium ejus in corpore gravi, an verò in ambiente, an verò in centro, ad quod tendit, quærendum ſit; Non ſecus ac vis elaſtica ſeu extenſio perquam obſcura, an impetui materiæ ſubtilis externo, an verò particularum conformationi ac texturæ internæ adſcribenda ſit.

§. 16. Omne impellens eſt externum, cum materia nullum tale internum motûs habeat principium, id eſt, omnis motus, (ſaltim originaliter & excitativè) fit ab alio gravitante & tendente, dubium eſt adhuc, an revera originaliter ab externo ſaltim principio dependeat. Nempe omnium motuum prima origo ſeu excitatio videtur eſſe ſemper ab externo, utut determinatio motus ſpecialis, ejuſque variatio, & diverſi inde effectus ſint, à vi motiva interna, v. gr. balliſtarum & arcuum tenſarum motus inſignis; Excitativè eſt ab

externo,

externo, quod vim elaſticam vel exercet, vel primitus movet, inſequens verò impetus & diſtincta motus ratio ab interna ſpeciali materialia arcus ſtructura & conformatione eſt: Sic in ſeminibus vis motus prima eſt à ſeminum excitatore externo, calore ambientis, utut ſpecialis motus ab internis ſeminis principiis naturalibus, & legibus particularibus dependeat & dirigatur.

§. 17. Materia ergo ex ſe cum ſit purè paſſiva, motum aliunde acquirat, neceſſe eſt. Motor ergo ſeu movens eſt vel primum, vel ſecundum; Illud ſimpliciter movens hoc eſt movens & mobile ſimul. *Primus Motor materiæ eſt* DEUS T.O.M. *qui & primitus omnipotenti* FIAT, *Materiam ejuſque particulas movit, ſed etiamnum motum ipſis ſemel impreſſum conſervat*, quæ conſervatio fit per certas motuum rationes, quaſi leges fixas, ultra aut citra quas natura agere neſcit.

§. 8 Cæterum uti materia omnis primitus à DEO creata eſt, quam augmentare ex nihilo, ſeu ex non materia, aut imminuere ex materia in nihilum, ſit ultra Naturæ & Artis vires, Soli Omnipotentiæ Divinæ conceſſum. Ita quæſtio eſt, unde efficiens naturæ ſeu motus, an hic omnis à DEO primitus impreſſus, & omnis adhuc eodem vigore perduret, an verò motui ſemel materiæ introducto, nunc addatur quippiam, nunc verò detrahatur. Sanè non inconcinna videtur Carthesii ſententia, *omnem motum in principio & progreſſu creationis ſemel fuiſſe materiæ impreſſum, eumque adhuc durare, & eodem tenore, mutatis ſaltem ſubjectis ad finem uſque duraturum*: Quod ſi non præciſè de gravitationis, (utut & de hoc verum videatur aſſertum) ſaltem de impulsûs motu aſſerendum videtur, utut de gravitatione non difficile ſit idem aſſerere, cum leve abſolutè corpus non detur. Major vel minor autem corporum gravitas ex materiæ ſuo modo gravis majori vel minori compreſſione & condenſatione, adeoque gravis materiæ coacervatione oriri videtur, unde etiam augmentum gravitatis.

§ 19. Certè par omninò materiæ ac motus eſt ratio, nec ulla diverſitatis apparentia, quare materiæ non verò motui ſui limites præſcripti ſunt. Dein univerſæ naturæ immutabilis ordo, indeque ejus perennis conſervatio, in hoc fundata videtur, quod nempe agens motus cum patiente materia æquali ſemper & correſpondente proportione ſubſiſtant, nam ſi rerum circulus & Urbis ipſius conſervatio peragitur.

§. 20. Saltem dubium eſt, cum motus per ſe nullam habeat extra materiale ſubjectum propriam ſubſiſtentiam, cui materiæ portioni, cum motus & quies ſe mutuo excipiant, motum primariò indiderit? hoc eſt, *Quiſnam Motor ſecundus exiſtat*? Hîc res ferè concidere videtur, an cum Carthesio materiæ ſubtili hunc ipſum impreſſum dicas, ceu ſubjecto primario, An verò cum Chymicis Spiritui Univerſo, ſive ſali Hermetico hunc impreſſum dicas, niſi quod materiæ ſubtilis hypotheſis univerſalior, magiſque ad opera naturæ artiſque mechanicè explicanda accommodata videatur, ſpiritus mundi verò ad rerum generabilium & corruptibilium viciſſitudines explicandas accommodatior videatur.

§. 21 De ſpiritu mundi ex Chymicorum hypotheſi notandum, quod ab Aſtris undique ſparſus, præſertim à ſole per univerſum mundi ſyſtema diffuſus, *Influus* hinc dictus, qui in corporibus quibuſvis primi efficientis & formæ rationem obtinens *Inſitus* dicatur; Hic ab illo dependet in fieri. Ille ab hoc in determinari. Spiritus influus omnibus corporibus communis, ſpecificatur in uno quoque corpore à ſpiritu inſito, in qua ſpecificatione vis rerum ſeminalis conſiſtit, & per *Ideas Helmontii* perficitur.

§. 22. Præ cæteris SOL, radix omnis motus, tàm in univerſo, quàm particularibus corporibus eſſe videtur, nam & hujus materiæ ſubtilis continuatus impetus, & ſpiritus Univerſi continuata ubivis diffuſio & regeneratio, & in antiquum chaos retroceſſio, ex illo ſolis motu perenni radicitus oriri videtur.

§. 23. Adeoque *Movens ſecundum ſunt certæ materiæ portiones à* DEO *motæ*, in quibus tàm univerſales quàm particulares motuum leges ſeu rationes fundatæ ab ipſo ſunt, & à quibus etiam adhuc exercentur; *Eritque* hoc Movens ſecundum, *vel univerſale*, reſpectu tàm univerſi mundi ſyſtematis, quàm reſpectu globi terreſtri ſpeciatim, vel SOL, vel ab eo mota materia ſubtilis, aut derivatus mundi ſpiritus; *vel particulare*, ſemen ſpeciatim dictum, idque præſertim pro corporibus generationi ac corruptioni obnoxiis in natura conſervandis.

§. 24. Nempe ſicut univerſum mundi ſyſtema, per ordinatos globorum in ſpecie & genere motus, in principio univerſi creati à DEO ſtatuminatos, conſervatur adhuc, & ſpeciatim per Solis motum, ceu primum Motorem dirigitur, unde & cæterorum globorum motus, & ſpeciatim in noſtro telluris globo præter diurnum & annuum motum, temporum, anni, viciſſitudines exſurgunt, &c. Unde corporum in univerſo non generabilium nec corruptibilium perennitas conſervatur. Ita particulares motuum leges DEUS T.O.M. ſancivit corporibus generabilibus, & corruptibilibus, quibus me ſub generatione fiunt, generata verò illis ordinatis ac regulatis motibus ſubſiſtunt, ſeu perdurant quibuſque deficientibus denuò corrumpuntur, & hæ determinatæ motuum leges illis partibus materiæ infixæ ſunt, quæ ſemina vulgò appellari ſolēt.

§. 25. Leges hæ motuum particulares, in quibuſvis ſeminalis conſiſtit, à priori ſunt inexplicabiles, utpote quæ immediatè à DEO ſub creatione emanarunt. Ideas has vocat Helmont, idque itidem à poſteriori, quatenus ſimili modo ſe habent, atque idea in gravida per imaginationem concepta, quæ in generatione fœtus tantùm valet, atque idem præſtat, quod illa ſeminalis Idea; Et tamen hæc ipſa imaginativa gravidæ Idea non niſi per certum motum localem, ſpirituum beneficio productum operari, concipi, aut ſtatui poteſt. A priori etiam leges illæ vocari poſſunt Ideæ, quia ſunt characteres, & quaſi imagines Idearum Divinarum ſub rerum creatione, ad quarum normam, ut per motum prius creata ſunt corpora, quælibet, etiam generabilia & corruptibilia, ita illorum motuum impreſſa certa veſtigia quibuſdam materiæ particularis ideas ſeminales, & unde ſemina conſtituunt. Seminum (*) ergo vis ſaltem in ſpeciali ſub rerum creatione ſancito motu conſiſtit, tàm quoad materiæ tranſmutationem, quàm ejus conformationem, & corcorporis geniti conſervationem.

(*) Scilicet in ſemine, ſeu movente particulari duo actus ſingulariter attendendi ſunt.

1. Materiæ in tale corpus mutatio, v.g. aqua in gramen abſinthium, triticum, &c.
2. Materiæ tranſmutatæ mechanica conformatio, dum aliam figuram, & ſtructuram ſeu formam externam habet abſinthium, &c. huc etiam ſimilitudo fœtuum cum parentibus pertinet, prius illud à fermento, hoc poſterius ab Idea perficitur; Utrumque à principio ſeminali, cui ceu ſubjecto primario inhærent, hoc eſt à ſpiritu inſito, ſeu ſale naturæ univerſali aut ſpiritu univerſali influo in particulari quodam corpore ſpecialiter determinato, quod vi fermentativa tranſmutat, & alterat materiam vi ideali, eandem figurat ſimili modo, atque v. gr. Artifex qui campanas fabricat.

§. 26. Leges hæ motuum ſpeciales nullo ſenſui à priori patent, ob id etiam penitus imperſcrutabiles ſunt, cùm autem omnis motus hæreat in certa quadam materia, per quam ille ſe exſerat, cùm ex ſe nullam habeat ſubſiſtentiam, etiam in corporis illius, quod ſemen vulgò dicitur nucleo intimo ſenſibus, ob exilitatem ferè imperſcrutabili reſidet, adeoque in minima corporis ſeminalis particula, quam Helmont. Fermentum vocare aſſolet, ob idque verum ſemen 2800 Pars ſui corporis meritò dicitur.

Ferè tamen obſervatur in principio ſulphureo, ſeu oleoſo, materialiter has leges primariò delitéſcere, ſic vis ſeminalis metallorum à ſulphure plus minus excocto perfectius vel imperfectius, nobiliorem vel ignobiliorem cogens mercurium, latet abſcondita. In vegetabilibus ſulphuris tantillum eſt, ſeu ignis ſcintillula, ut vocant, in quâ vis ſeminalis reſidet. In animalibus Gas ſulphureum reſolutum, ſeu ſpiritus influus ex ſanguine oleoſo ſalino genitus eſt nucleus ſeminum, in quo determinatæ iſtæ ſeminalium motuum leges ſunt ſundatæ.

§.27 Sed quomodo ſpeciatim ſub rerum generatione vel materia transmutetur, v. gr. aqua in vegetabilibus in plantam, florem, &c. vel transmutata conformetur, v. g. Filius in ſimilitudinem Patris determinari nullo modo poteſt.

§. 28. Cæterum, ut ſub corporum corruptione plures ſucceſſivè obſervantur motus ad plenariam uſque rei deſtructionem, ita etiam in corporum generatione plures ſucceſſivè motus fieri, planum eſt. Principales ergo motus, primariique, ut inſtinctu & poteſtate ſeminali peraguntur, ita cæteri, & quaſi ſecundarii etiam per alia inſtrumenta naturæ, magis Generalia, v.g. per motus acidi & alcali, & inde notas coagulationes, præcipitationes, &c. quin fiat & ab his tàm in generatione, quàm conſtitutione aut corruptione peragantur, nullum eſt dubium.

§. 29. Nam, ut nutritio eſt continuata generatio, & tamen in hac ipſa alia naturæ inſtrumenta ſimul multum præſtant, ita pariter in ipſa generatione omninò probabile eſt.

§.30. Et ut ad ſeminum fœcundarum productionem præfata tàm generalia, quàm ſpecialia naturæ inſtrumenta multum conferre ſolent, ideſt, tàm generales motus & materiæ leges, quàm ſpeciatim acido & alcali effectus, uti etiam ad ſeminum productorum in ſtatu fœcundo conſervationem, illa ipſa multum tribuunt, ſicut ad eorum deſtructionem etiam conferre poſſunt, & ipſam ex ſeminibus productionem ſeu generationem multũ promovent, tàm quoad fotum quàm nutritum; Ita illa ipſa per ſemina jam producta ſuipſius & proprii motus ratione, plures operationes multum promovere, etiam eas plus minus impedire poſſe, nullum eſt dubium.

§. 31. Præter tamen iſtas motus, qua talis, leges, tàm univerſales quàm particulares, ulterius leges iſtæ motus determinatrices, *de quibus ſupra* §. 9. 10. quæ ratione materiæ obſervandæ ſunt, & in omni motu, præſertim particulari ſemper præſupponendæ, eæque etiam vel univerſales ſunt quibuſvis corporibus, quatenus materialia ſunt, communes vel particulares, miſtis corporibus ſecundum certas particulas propriæ, v. gr. univerſa illæ ſimpliciter in materiæ impenetrabilitate & determinata figura fundantur, locumque habent in mechanicis pariter ac artificialibus: Hæ verò particulares ſpeciatim ratione hujus vel illius figuræ, aut texturæ, harum & illarum particularum in hoc illo corpore conſiderantur, univerſali ex regula, v.gr. pila aut radius luminis corpori ſolido aut opaco alliſa reſiliunt ad determinatos angulos & determinatam diſtantiam; Particulari verò ex regula acidum agit in alcali, utrumque obtundit, & quaſi inviſcat pingue, &c. quæ ipſæ conditiones determinantes generales ſemper in quibuſvis ſpecialibus motibus probè attendendæ & præſupponendæ ſunt, nam hæ illas non poſſunt mutare, bene autem has illæ.

§. 32. Adeoque ſeminalia corpora, eorumque motus, hujuſque directrices leges, ſeu ideæ particulares ſunt, ita minus particularibus & magis univerſalibus motus legibus, & ipſis univerſalibus motus per materiã determinationibus nil derogãt; ſed has potius præſupponunt, adeo ut ab his generalioribus ſpecialiores ſeminum motus ſimul promoveantur, interdum plus minus varientur: Hinc enim non rarò iſtæ aberrationes ſub generationibus, item augmentationibus corporum.

FORMA ET QUALITAS.

§. 1. Forma non eſt aliquid reale à materia diſtinctum, ſed eſt ipſa materiæ eſſentia quantitativa prout concipitur, ut terminata certo modo, adeoque diverſimodè modificata. *Forma* ergo ſaltim *eſt materiæ à motu modificatio multiplex*.

§. 2. Pro varietate autem formarum melius dignoſcenda, diſtinguenda ſunt corpora; nempe corpora ſunt vel ſimplicia, vel compoſita, ſeu miſta, & hæ vel homogenea, vel heterogenea.

1. In ſimplicibus forma eſt, concurſus modorum, ſeu affectionum abſolutarum vel primariarum materiæ, ſpeciatim materiæ figuratio, h.e. quantitatis Materiæ certa ſpecificatio, ſeu determinatio, à quibus junctim ſumptis tale corpus emergit, v. gr. aqua.
2. In compoſitis homogeneis, forma eſt materiæ ſecundum minima mutuò coëuntia textura ſpecialis, ex minimorum ſecundum abſolutas materiæ affectiones variantium certa unione & ſociatione vel cohæſione dependens, unde nunc propria, nunc communia attributa emergunt. Cum verò in his compoſitis plures particulæ invicem coëant, quæ inter, quoad determinatam figurationem & texturam, non levis eſt ſubordinatio, fit ut iſtud, à quo textura reliquorum ferè dependet, quodque adeo primarii agentis à corporis textura ſpecialis, adeoque Eſſe, Diſtingui & Operari ejus dependet, locum obtinet, etiam ſpecialiter formæ nomine ſubinde veniat, utut ſimul materialiter cum reliquis concretum conſtituat, v. gr. ſulphur figens in auro, acidum nitri vel ſalis commun. quod cum alcali fixo dat nitrum vel ſal ſcilicet acidum informat alcali.

§. 3. In compoſitis heterogeneis, quia hæc ſunt ſaltem certæ machinæ, conſiſtit horum forma in partium heterogenearum tàm fluidarum quàm ſolidarum mutua cohæſione, proportione & proportionata adaptatione ac ad ſe invicem certo reſpectu, ratione cujus certis motibus obeundis, indeque diſtinctis attributis fundendis apta ſunt nata: Talia ſunt plantæ & animalia; conſtituit ſanè hæc corpora ſimpliciter unio & cohæſio, indeque motus varii in circulo ad mutuam conſervationem conſpirantes, ſed quoniam in talibus machinis particulæ dantur liquidæ, à quibus integræ machinæ motus & integritas primariò dependet, utut ipſæ etiam viciſſim ex machinæ vigore conſerventur; item quoniam hæ ipſæ certo modo concentratæ vim habent novam machinam componendi, & eam ſpecialiter movendi, adeoque toti & Eſſe, & Diſtingui, & operari tribuant, ob id hæ particulæ ſpeciatim pro forma regente habentur, qualis in vegetabilibus eſt pingue ſeminale, cum ſucco nutritivo hinc inde diffuſum, in animalibus verò idem pingue ſeminale in ſpiritum reſolutum.

§. 4. Materiæ itaque hæc modificatio ſpecialis, dat Eſſe ſpeciale corpori, eadem ſpeciali illâ modificatione diſtinguitur ab aliis corporibus non ita modificatis. Illa ipſa modificatio, ſive ſit ſimplex in certa magnitudine figuratio, ſive ſit compoſita texturæ, ſive ſit partium plurium multiplex adaptatio, tamen eſt fundamẽtum actionum & operationum omnium, tàm quæ habet corpus, ſi materia modificata in ſeipſa, quàm quæ ipſa habet in alia reſpectivè corpora.

§. 5. Operationum iſtarum fundamentum, ſeu prima Origo aut Cauſa, vulgò dicuntur qualitates, ſeu per qualitates corpora operari dicuntur. Erunt ergo hæ qualitates nil aliud, quàm modificatio eadem materiæ, prout illa reſpectu noſtri & organorum noſtrorum, vel reſpectu ad alia corpora conſiderantur, unde

quot

quot ſic operationes diverſæ obſervantur, tot diverſæ denominationes oriuntur, hinc in noſtro conceptu diverſa entia mox finguntur, quæ tamen non realia, ſed modalia ſaltem exiſtunt,h.e.reſpectivi ſunt unius materiæ ad aliam materiam collati modi , ſeu non ſunt aliquid à corporum textura & modificatione diſtinctū, ſed illa ipſa, prout in reſpectu,ad alia corpora, tàm in hæc agere, quàm ab his pati poteſt; v.g. vis ſeu facultas ſeu qualitas,activitas reſerandi ſeram in clave non differt ab ejus materia, ſeu corpore,ſed eſt ſaltem ejus figuratio, quæ prout in ſe conſiderata , eſt forma , quà ferrum eſt clavis ; ita conſiderata eadem reſpectivè, nempe in relatione ad hanc vel iſtam ſeram eſt qualitas activa aperiendi. Propterea ne multiplicentur Conceptus & Entia, *loco Qualitatis*, proprietates tales Rerum *Attributa* potius appellari ſolent.

§. 6. Hinc materiæ modificatio cum ſit fundamentum & formæ & qualitatum, fit ut forma ſubinde dicatur vel interna,(ſubſtantialis)& externa,(accidentalis.) Formæ attributa ſunt magis eſſentialia , quædam magis accidentalia,ibi ad prædicamenta,hic ad prædicabilia magis reſpectus habetur.

§. 7. Accidentalis forma ſimpliciter eſt attributorum complexus. Subſtantialis verò eſt ipſa corporis propria & ſpecialis textura , unde omnia iſta attributa primam originem ducunt , huic attributa quædam ſeu affectiones corporum quædam ipſi corpori ſunt eſſentialia magis , ſeu modo quarto propria, illa ſcilicet quæ immediatè ex textura rei ſpeciali fluunt, alia verò ſunt magis accidentalia, ſeu plus minus cum aliis corporibus communia, & fluunt ex generali texturæ corporis cum aliis corporibus ſimiliter contextis convenientia. Adeoque materiæ textura ſpecialis dat formam corporis , ex hac verò textura reſultantes affectiones & attributa tàm abſoluta quàm reſpectiva ſunt qualitates.

§. 8. Unde ulterius, attributa eſſentialia generationem & corruptionem. Accidentalia verò alterationem ſaltem texturæ immediatè ſequuntur,v.g. fixitas, ponderoſitas ſumma, cum ſumma ductilitate ſunt propria auri in quarto modo, adeoque ejus ſunt affectiones eſſentiales quibus poſitis,ponitur,remotis ex corpore,removetur aurum.Aſt flavedo,liquefactilitas, ponderoſitas metallica, candeſcentia, fluor in igne, conſiſtentia in frigido, ſunt accidentalia attributa ; Illa ex textura auri ſpeciali, ab illius igne , adeoque à forma ſubſtantiali immediatè fluunt, hæc verò ex textura auri,quatenus in multis generaliter cum aliis metallis convenit; alias illa eſſentialis modificatio,nempe formæ,hæc accidentalis modificatio,nempe attributorum ſeu qualitatum origo dicuntur.

§. 9. Nempe quoad originem Qualitatum ſciendum , quod materia & motus cum ludant univerſam mundi ſcenam, & ex materia per motum omnia corpora oriantur , & ex his duobus , omnes corporum affectiones explicandæ erunt , tàm generales pluribus corporibus communes , quàm ſpeciales quibuſdam ſaltim propriæ. Nempe omnes globi noſtri conſtituentium corporum Qualitates ſunt nil aliud , quàm materiæ ejuſque minimarum particularū modificationes per motum factæ,quatenus materiæ minimæ particulæ per determinatam figuram , magnitudinem , ſitum, ordinem , motum vel quietem habent,quàm mutuo coalitu certam corporis texturam ſecundum illas modificationes primitivas conſtituunt , huic enim omnes tam abſolutæ quàm reſpectivæ corporum qualitates dependent , nempe formaliter in modificatione materiæ , fundamentaliter & ſubjectivè in materia modificata , & efficienter in motu modificante. In quantum ergo modificatio & textura materiæ in pluribus corporibus coincidit , ſeu convenit, eatenus generales & pluribus corporibus communes, qualitates primæ, ſecundæ & tertiæ oriuntur; in quantum verò in ſpecialibus corporibus , ſpecialis eorum à ſeminali principio variat textura , etiam ſpeciales ſeu propriæ quorundam corporum tàm abſolutæ quàm reſpectivæ oriuntur affectiones ſeu qualitates ſeu attributa.

§. 10. Adeoque modificatio materiæ , prout in ſe abſolutè conſideratur , formam corporis certi conſtituit , prout verò conſideratur reſpectivè in ordine ,vel ad alia corpora , vel ſpeciatim ad organa ſenſus noſtri , vel ad utrumque ſimul , varia attributa , & conceptus ac denominationes exinde emergunt , quæ à nobis pro qualitatibus diſtinctis realibus vanè habentur ; v. gr. particularum minutiſſimarum ſpecifica textura , conſtituit formaliter corpus aurum ſpeciale , textura hæc , prout reſpectu ignis , aurum fixum admodum fuſile , reſpectu duri corporis , malleabile , ſummè ductile , reſpectu aquæ Regiæ ſolubile , reſpectu aquæ fortis non ſolubile, reſpectu mercurii amalgamabile, &c. reddit , eatenus auri fixitas, ductilitas , fluiditas, ſolubilitas tribuitur , cum revera aurum in ſe ſit ens ſeu corpus unum , & ſaltem particulæ variæ minutim contextæ , quæ textura facit, ut aurum reſpectu ad alia corpora habito,tot varios conceptus nobis ſiſtat,quæ attributa ejus à nobis ceu tot entitates diſtinctæ ſumuntur,ac qualitates dicuntur,cū tamen revera idem ſint cum materiæ auri modificatione ſecundum minima, ſeu horum in certa figura, ſitu, ordine,magnitudine,per motum mirabilis coaleſcentia & textura,quæ textura,& corpus conſtituit ſpeciale,& tàm multiplicium qualitatum origo eſt,quæ non abſoluta,ſed reſpectiva ſunt entia,non re ipſa,ſed cōceptu à corpore auri diſtincta;Immediatè ex auri textura eſſentiali , mediatè ex minimorum figurâ, magnitudine, ſitu, ordine , quiete , pro tali corpore determinatis & ſpecificatis originem ducunt.

§. 11. Omnis tamen modificationis fundamentum eſt quantitas ſeu extenſio ſubſtantiæ materialis , & ejuſdem impenetrabilitas,ex quibus per motum omnis iſta tàm immediatè,quàmmediatè modificatio reſultat.

§. 12. Tandem pro dictorum meliori dilucidatione obſervetur , quod ſemina & ova ſint automata , quæ ſine motu , (*Sind Vhrwerck , die nicht gehen , oder nicht auffgezogen ſind.*) Externum Movens eſt calor, elaterem, ſpiritum impetum facientem excitans, & ad motum provocans. Hinc vita viventium conſiſtere dicitur in unione animæ & corporis, hoc eſt, in adaptatione concinna & ordinata elateris , ſeu ſpiræ cum reliquis partibus automatis. Sequitur inde in automate motus, in corpore vivente actiones vitales. Eſt adeoque corporum viventium ceu heterogenearum, forma, nexus concinnus partium liquidarum cum ſolidis, agentium, ſeu moventium cum organis, unde ſequuntur motus & operationes vitales & animales.Conſiſtit ergo vita formaliter in unione animæ, ſeu ſpiritus ceu elateris, cum materia plus minus organica ; unde immediatè ſequuntur operationes vitales & animales.Sed & res fluxa cum ſit vita fundamentaliter conſiſtet in ſanguine , unde quotidie vis movens elateris reſtituitur & redintegratur, ſeu ſpiritus, hoc eſt animæ vegetativa & integra conſervatur.

§. 13. Ars nihil poteſt ſupra naturam, nam quicquid eſt in arte , eſt à natura. In arte ſaltem eſt motus & materia , utrumque habet à natura. Leges motûs naturæ immutabiles non mutare , vix niſi per alios naturæ motus variare poteſt Materiam ejuſque attributa quantitativa & ipſa immutabilia nullo modo alterare poteſt. Ubique habet corpora à natura conſtructa , quarum texturam accidentaliter , ſecundum proprietates materiæ per motum variare , vel eſſentialiter per certos naturæ motus materiæ texturæ contrarios,deſtruere valet. Natura ſemina producit & ſola ex iis corpora format,hos motus ars nonnihil adjuvare, per motus naturæ acceleratos, vel variare formaliter perficere nequit. Adeoque nil niſi agētia naturæ motum patientibus,materiæ applicat Ars; Unde omnes

Operationes Artis fundamentaliter ſunt naturæ, formaliter ſaltem, quatenus ab artifice externo applicatio multiplex contingit, vocatur operatio artificialis.

§. 14. Subordinatio ex hactenus dictis patet ſcientiarum Phyſices & Matheſeos, cum eorum practica artificiali mechanica: Siquidem DEUS & Natura ubique geometrizant. Scilicet Phyſica materiam, corpus, matheſis formam illius, nempe determinationem & modificationem quantitativam ſuggerit: mechanica verò efficiens, ſeu motum declarat, per quem in materia forma eſt operativa. Hæc ad corpus humanum ſi applicemus, Anatome mechanicam corporis, ejuſque partium ſtructuram organicam, & inde motus determinationẽ; Chymia, formalem molecularum materiæ configurationem conſiderat, adeoque fluidas & ſimilares ſolidas, anatome organicas nobis declarat.

CAPUT III.

DE CORPORE HUMANO EJUSQUE PRINCIPIO VITALI.

§. 1. SUBJECTUM MEDICINÆ eſt *Corpus humanum vivens, quatenus ſanabile.* Corpus ipſum non ſecus ac omnium reliquorum animalium eſt machina quædam ex variis organis pro multiplicibus actionibus artificioſè conſtructa.

§. 2. Conſiderandæ ſunt hujus machinæ, (1.) Materia, (2.) Partes, & (3.) Operationum principium.

§. 3. MATERIA omnium corporis partium, ex quâ eædem omnes conſtant ſunt quinque iſtæ minutiæ corpuſculorum, quæ mutua ſua textura, & partem ipſam, & temperamentum etiam ejus elementale conſtituunt. Sunt autem PARTES OMNES in triplici differentia, nempe ſunt vel continentes vel contentæ, vel impetum facientes. Inter *Contentas* eminet imprimis *chylus*, ſeu lac, & *ſanguis*, liquores corporis primarii & primogenei, ex quibus vegetabilium nutritivo ſucco omnes partes ſolidæ ſeu continentes conflantur, quæ hujus materiæ proximæ ratione itidem in ſanguineas & ſpermaticas ſeu nerveas, immediatè nempe ex chylo oriundas, ſubdividuntur.

§. 4. Textura iſta particularum ratione quinque materiæ abſolutorum, ſeu primariorum, uti formaliter partes conſtituit quaſlibet, ita eadem radix eſt, unde tam multi modi reſpectivi & ſecundarii, ſeu qualitates tàm primæ, quàm ſecundæ & tertiæ emergunt, qualitatum debita proportio, & parti cõveniens Symmetria, *Temperamentum* dicitur, idque *elementale* quatenus ſcilicet, pro texturæ illius ratione, humidæ vel ſiccæ partes, duræ vel molles, glabræ vel aſperæ, albæ vel nigræ, fluidæ vel ſolidæ, ſubtiles vel craſſæ, ſapidæ vel inſipidæ, aliiſque quàm plurimis modis, ſenſibus noſtris apparent.

§. 5. Porrò *Partes ipſæ ſolidæ* conſiderationem ulterius ſubeunt, vel ratione materiæ proximæ, ex qua conſtant, vel ratione conformationis organicæ qua mediante certis uſibus inſerviunt. *Ratione materiæ*, omnes Partes ſunt vel ſimilares, ſeu ejuſdem naturæ & eſſentiæ, vel diſſimilares, quarum partes integrales diſtinctæ naturæ & eſſentiæ. *Ratione* vero *conformationis* ſecundum triplicem quantitatis dimenſionem ſunt, vel organicæ vel inorganicæ. Illæ, quæ certam, ſecundum longum, latum & profundum habent figurationem, mediante quâ certis quibuſdam uſibus inſerviunt, reſpectu quorum partes quædam principales, quædam Miniſtræ dici ſolent.

§. 6. Partes hæ omnes invicem unitæ conſtituunt ſua unione machinam Hydraulico-Pneumaticam corporis humani; Quæ machina animalis, dum in motu eſt, diverſimodè vivere dicitur, ita ut *Vita formaliter in hujus machinæ motu ſeu actuatione conſiſtat.* Quod ſi omnes iſti motus penitus ceſſent, ita ut irrevocabiles ſint, mortua eſſe dicitur. Quodſi rectè & debitè omnes iſtos motus peragit, ad quos per ſe apta nata eſt, ſana dicitur, nam *ſanitas eſt vitæ integritas;* Sin verò perverſè aut vitioſè movetur, dicitur ægrotare, nam *Morbus eſt vitæ labefactatio.*

§. 7. PRINCIPIUM illud INTERNUM, quod actuat & movet hanc machinam, *Vitale ab effectu appellatur*, quod etiam ſpeciali nomine ANIMA dicitur, non eſt aliqua ſubſtantia immaterialis, quia (1.) in quibuſdam eſt diviſibile, (2.) aliàs eſſet indeſtructibile, (3.) In non rationalibus eſt planè inconceptibile ſeu in intelligibile.

§. 8. Revera ergo principium hoc vitale erit materiale; toti vitæ coextenſum, & propter actionum varietatem, omnibus partibus ac organis intimè præſens ſimulque ob earundem celeritatem, vehementiam & diuturnitatem, ſummè activum. Quæ, & alia ſimilia attributa non conveniunt, præter quam ſubtiliſſimæ cuidam ac volatiliſſimæ ac mobiliſſimæ materiæ, ob id à Medicis analogicè licet, SPIRITUS appellatur; quo ipſo nihil aliud intelligitur quam ſanguis in ſubtiliſſimam ſubſtantiam reſolutus & exactè volatiliſatus in præcordiis, tàm per continuam ſanguinis fermentationem, quam non intermiſſam aëris inſpirationem, ex quo loco pro actuatione, ſeu motu totius machinæ corporeæ ulterius cum ſanguine diſtribuitur.

§. 9. Scilicet vita non eſt in partibus ſolidis, quoniam hæ ſaltem ab alio vitales dicuntur, & quælibet earum operationes, ab alio principio movente enaſcuntur, unde *in partibus fluidis ſeu contentis vitale principium inveſtigandum erit.* Sicut itaque in vegetabilibus principium vitale conſiſtit in ſucco eorum aquæ humoroſo, plus minus reſinoſo, qui conſtituit eorum ſanguinem; ita in animalibus, etiam in ſanguine principium vitale eſſe ſolet. Quoniam verò ſanguis ipſe pro operationibus quibuſlibet non ſufficit, ſed propter operationes ſenſus & motus, volatilior ſubſtantia requiritur, ob id ſanguis in ſpiritum reſolutus, ſeu volatiliſatus h. e. ſpiritus ſic dictus vitæ principium exiſtit. In his ergo principiis moventibus conſiderandus duplex motus.

1. Inteſtinus fluidorum qua talium, proprius.
2. Radiativus, ſeu localis ad quem imprimis pertinet motus ſpirituum elaſticus, ſicuti huc etiam facit motus ſanguinis circularis. Ex his patet *vitã animalis fundamentaliter conſiſtere in ſanguine*, Unde ſpiritus in fieri, eſſe, & ſuo modo, operari dependent, *formaliter* verò *in ſpiritu iſto volat.* ejus formatione, ſeu intima corporeæ machinæ penetratione, hujuſque vario inde excitato motu; à quo poſteriori dependet præſertim gradus vitæ, dum hæc eſt vel perfecta, vel imperfecta, item vel occulta, vel manifeſta. Vid. Pechlinus tract. de aëris & alimenti defectu.

§. 10. Vitæ radicem, & operationum vitalium principium hunc ſpiritum eſſe, docent ova animalium, quæ ſpiritu hoc à calore externo excitato in corpora animata efformantur; è contra, in quibus hic ſpiritus patris deficit, infœcunda ſunt, & ſubventanea aliàs dicuntur, nec ullo fotu in motus vitales animantur, ſed potius corrumpuntur. Dein vim vitalem in hoc ſpiritu conſiſtere ex eo apparet, quod ejus motu aut in corpus influxu, quocunque modo intercepto, non ſine periculo quælibet actiones vitales & animales evaneſcunt. Hinc in Syncopizantibus in momento univerſum corpus mortui inſtar languet; hinc in ſuſpenſis, conſtrictis caroditibus, in momento omnis facultas princeps cerebri perit.

§. 11. Spiritus hi inter alias proprietates, præter vim elaſticam, & ſummè expanſivam, etiam non incommodè hanc obtinent, quod lucidi ſeu luminoſi dicantur, non quidem inſtar lucis cujuſdam igneæ & ardentis, ſed luci iſti, quæ in cicindelis obſervatur, ſimiles ſint. Sunt eſſentia unus, nomine tamen diſtincti,

qui dum in maſſa ſanguinea micant & gliſcunt, vitales dicuntur, dum verò in cerebro & nervis liberiori radio ſe expandunt, animales appellantur, ſicuti hi ipſi dum ova fœcundant, genitales dici ſolent, & hoc, ratione eſſentiæ.

§. 12. Cum ergo tam ſubtilis ſit materia ſpirituum, ut hi luminis inſtar ſe ferè habeant, difficile erit præcisè determinare, cujus ſint naturæ materialis; unde etiam ob ſuam ſpirituoſitatem & activitatem de natura Gas eſſe dicuntur Helmontio, *Tractat. Complexionum Elementalium figmentum*, §. 42. Pro natura tamen ſanguinis, ceu Materiæ ex qua, *Gas hoc ſpirituoſum naturæ ſalino-oleoſæ, ſive ſulphureæ volat. eſſe videtur*, quod per fermentationem, & aëris reſolutionem genitum, celerrimâ agitatione totum corpus penetrat, ac iſtud animat.

§. 13. Spiritus hic, dum tàm ſanguinis vehiculo per arterias in totum corpus diſtribuitur, quàm ex cerebro per nervos undique diſpergitur, ac in motu continuo conſiſtit, Spiritus Influus dicitur; Qui, dum ſub generatione & nutritione ex parte ſolidis partibus unitur, iiſque intimè aſſociatur, Spiritus Insitus appellatur.

§. 14. Dari ſpiritum inſitum præter influum, tàm ex generatione quàm ex nutritione & conſervatione confirmatur. Nam dum ſpiritus ſub generationis negotio, materiam in oſſa, in carnes coagulat, ſimul ex parte in coaguli conſortium rapitur, & ita inſitum dictum conſtituit. Confirmat hoc nutritio, ſeu continuata generatio. Nam in omni parte ſolida reſpiciatur.

1. Ad ipſam conformationem mechanicam, uſui organico inſervientem.
2. Ad ipſam materiam Partis, ejuſque texturam in minimis materialem. Sed præter hæc, conſideranda venit in partibus quædam vis, ſeu facultas à quâ nutrimentum, per impulſum ſub ſanguinis circulo appoſitum, aſſimilatur præcisè in talem ſubſtantiam, & agglutinatur, quæ vis nec ex conformatione nec ex textura partis poteſt determinari, ſed potius, ſicut prima partium conſtitutio à motu & vi ſeminali, ſpiritus perficitur, ita quoque ab eodem in parte præſente, iſta nutritio adhuc peragitur. Nempe ſub nutritione dum ſpiritus influus nutrimentum, tàm chyloſum quàm ſanguineum in partis ſubſtantiam coagulat, ſub hoc coagulationis actu non omnis ſed ex parte concretum materialiter abit, ſed in eo concentratur, adeoque ſpiritum inſitum, ſeu balſamum partium, ſeu calidum innatum, ſeu mumiā partis conſtituit. *Eſt ergo eſſentia unus idemque Spiritus inſitus & influus*, nempe idem, qui in parentibus eſt influus & in generatione ſemen fœcundat, eſt in filiis inſitus maximam partem. Idem qui nunc in ſanguine fluctuat, & per nervos undique radiat, ſui ſub nutritione partis, coagulatione illi inſeritur; Hinc. inſito ſpiritu fatiſcente, vel deficiente, textura miſti vitalis ſolvitur, gangræna in viventibus, in mortuis putredo ſupervenit. Unde, quia hic ſpiritus partis conſervativus rectè balſamum partium, ipſe verò naturæ balſamicæ dicitur, cui negotio aptiſſima eſt cōſtitutio ejus ſalina volat. oleoſa. Suſtentatur hic inſitus volatili ſuâ ſubſtantia, aliàs partim reſolubilis, partim à cauſis externis corruptibilis, à ſpiritu influo, mediante hujus materiali præſentia, & continuo ſupplemento, unde etiam inſiti ratione, influi vim & operationes vitales optimè recipiunt partes ſolidæ ſeu continentes.

§. 15. Præter primam partium generationem, & hinc ſubſequentem nutritionem, & balſamicam conſervationem, ſpiritus inſiti in partibus præſentiam ulterius comprobant, non tantum morbi quilibet hæreditarii à parentibus certæ cuidam parti implantati, dum Pater Podagricus, aut Phthiſicus generat filium ad idem malum diſpoſitum; ſed etiam particulares quædam à parentibus communicatæ Idioſyncraſiæ, dum v. gr. Mulieris cruri ſiniſtro ex matris appetitu impreſſus fuit piſcis, hinc quoties edit piſces, acutiſſimos illo in loco dolores percepit. Aut dum motus periodum ſubit; nempe ſpecialis talium determinatæ cuidam parti implantatio, eaque à principio vitali primitus facta, & poſtmodum per integrum vitæ curſum adeo fixè impreſſa, omninò perſuadet, illud vitale principium quodammodo parti infixum eſſe.

§. 16. Ex hoc, ſpiritu inſito nempe, etiam explicanda venit differentia corporum naturaliter ultimo ſenio, vel longo morbo extinctorum, ab iis corporibus, quæ violenter interimuntur: ut v.g. Manus longa tabe interempti cadaveris tollit excreſcentias corporis, ſarcomata & maculas fœtus, non autem ejus, quod violenter interimitur, ſicuti hoc præter *Helmont.* confirmant *Acta Philoſ. Anglica*, *Part. 1. p. 156.* Quod Uſnea ex cranio ſuſpenſi vel rota fracti, creſcens, tam ſingulares habeat virtutes ſiſtendi ſanguinem, ac epilepſiam curandi, unde etiam baſin unguenti Magnetici conſtituit, Vid. *Helmont. Tract. Magnetica Vuln. cura.* §. 51. Quod corpus violenter interemptum ad præſentiam occiſoris, certis in caſibus ſanguinem ſtillet, ſi longo morbo, vel ultimo ſenio interit homo, ſublato ſpiritu influo, inſimul evaneſcit ſpiritus partium inſitus, ſecus ac fit in iis, qui violenta enecantur morte, nam ſublatis influentibus ſpiritibus, materialiter quidem reſtitat inſitus, ceu partibus optimè fermentatus, ſed omni formali vitæ activitate deſtitutus, à quo tamen plura mortuorum mirabilia dependent.

§. 17. Hæc ipſa manu quaſi nos ducunt ad actiones ſympatheticas & curationes magneticas, quarum omnium fundamentum eſt ſimpliciter Spiritus hic vitalis, nunc inſitus quacunque ratione cum ſolidis partibus, earumve effluviis, à toto ſeparatus; nunc influus, per ſanguinem, lac effluvia, vel alia excreta (quibus ineſt participatio totius, mutuúſque cum toto conſenſus extra concretum naturale) à toto ſejunctus. Insiti quidem ratione, dum cutis capitis piloſa vulnere ablata, eaſdem mutationes ſubit, quas reliqua cutis piloſa in capite relicta. *Vid. Bartholin. cent. 1. Hiſt. Anathom.* 41. Quod naſus inſititius ad mortem bajuli putreſcat, de quo *Vid. Digby. in tract. de Sympathia. item Helmont. de Magnet. Vuln. Cur.* §. 23. Quod lardum ſui affrictu curet verrucas, teſte *Bacone de verulamio Sylvar. cent. 10. Epiſt.* 997. Ratione Influi verò, quod ſanguis linteo exceptus, pulvere ſympathetico vitrioli adſperſus ſanet abſens vulnus; Quod lac à matre in prunas emulctum, lac in uberibus deficere faciat; Quod linteum ſanguine menſtruo nimis fluente irrigatum, in ignem conjectum, ſanguinem ſiſtat, autore *Panarollo in faciculo Arcanorum.*

§. 18. Supra diximus, ſanguinem tam per proprium fermentativum motum, quàm per continuatam aëris inſpirationem, attenuationem, ac hinc volatiliſationem originem conſtituere ſpirituum noſtrorum vitalium. Jam verò propter craſin ejus ſalinam volatilem, oleoſam & quaſi nitro-ſulphuream, fieri vix poteſt, quin attenuatio ac reſolutio iſta cum inſigni ejus excaleſcentia & æſtuatione contingat; unde poſtmodum calor per totam corporis machinam ſe diffundat, pro operationum quarumcunque facilitatione.

§. 19. Pro operationibus ſaltem melius perficiendis calor requiritur, qui non formaliter operando, ſed excitando motum ſpirituum, & quaſi vim elaſticam promovendo, quaſvis operationes promptiores reddit; Hinc calore deficiente, v. gr. in ovo formatio, in ſemine vegetatio, plus minus deficiunt; Eodem ceſſante, torpent ſenſus, motuſque organicus, ut in animalibus quibuſdam hyemali tempore patet, non ſecus ac in plantis.

§. 20. Excitatur primitus in ſanguine calor (*) ejuſdem tamen in univerſum corpus diſtributio, à ſpiritu influo & ſanguine ſimul pendet. Excitatur in ſanguine, ratione ejus texturæ ſulphureo oleoſæ, mediante ejus attenuatione,& in volatilis ſpiritus reſolutione. Sed excitati ex eo ſpiritus hoc ipſo, non tantum ipſi ſimul calent, ſed etiam motu ſuo ex parte, ſanguinis motum & incaleſcentiam conſervant, & ſubinde intendunt. Ad utrumque ergo, & ſpiritum & ſanguinem in calore animalium reſpiciendum;ad ſanguinem quidem, ut ſubjectum primarium, (**) Spiritum autem, ut ſecundarium. Sed ut in pluribus naturæ operationibus eſt circulus, ita etiam hic talis obſervandus, adeoque mutuò ſpirituum impetus ſanguinis calorem, & ſanguinis calor ſpirituum calorem conſervant & excitant. Quantum ſpiritus valeant in promovendo corporis calore, oſtendunt Syncopizantes, mox toti frigidi, ſicuti ſanguinis fervorem ipſe contactus ejus, & febrilis non rarò exæſtuatio commonſtrant.

(*.) Calorem efficienter dependere à ſpirituum impetu probatur.

1. Quod opiata calorem tam naturalem, quàm febrilem ſoleant infringere,quatenus figendo ſpirituum impetum infrænant.
2. Patet ex ſyncope.
3. In pudore rubet & æſtuat facies, in terrore pallet, & frigent extrema, in ira incaleſcimus, &c. omnia ex modificatione motus in ſpiritu & hinc in ſanguine.
4. Genituræ emiſſio tam multum calorem naturalem infringit ob ſpiritus copioſos ſimul excretos.

(*.*.) Subjectum caloris, eſſe ſanguinem, cujus particulæ acidæ cum aliis urinoſis ac terreis vehementius colliſæ, æſtus ſenſum fibrillis partium ſolidarum imprimant, probatur.

1. Quia caloris gradus eſt intenſior, quàm qui ſpiritibus ob raritatem ſubſtantiæ commodè attribui queat.
2. Sub motu corporis intenſius incaleſcimus propter motum ſanguinis localem auctum, & conſequenter inteſtinum celeriorem, adeoque & acidi occulti vehementiorem motum.
3. Dum ad ſudorem ſpontaneum componimur, intenſior calor in nobis percipitur, ob ſanguinis motum inteſtinum & progreſſivum auctus.
4. Cor eſt fons omnis caloris in corpore mediante ſanguine, hinc loca inde remotiora, aut minus ſanguine irrorata minus calent; eſt autem cor fons caloris,quia ſanguis ex aëre inſpirato in corde & pulmonibus intenſiori fermentativo motu agitatur,adeoque etiam intenſius incaleſcit.

§. 21. De ſanguificatione, ſanguinis ſpiritualſcentia, & ſpirituum ac ſanguinis incaleſcentia, controverſia ſunt connexæ, ratione nempe cauſæ & fiendi modi. Nam, quoad cauſam efficientem in genere, Autores vel cordi, vel ſanguini ipſi primatum tribuunt. Quoad fiendi verò modum, vel per veram incenſionem, vel per intenſam exæſtuationem caleſcere illum ſtatuunt. Qui Cordi, vel *ſingulare fermentum* iſtarum alterationum effectivum in corde ſtatuunt, ut Helmont & Backius. Vel *flammulam quandam vitalem* jugiter in ſiniſtro cordis ventriculo gliſcentem præſupponunt, quæ ſanguine ceu pabulo ſuſtentetur, & à qua ſanguis continuo incaleſcat; contra quod Byolycnium pluribus diſputat Needham de format. fœtus, cap. 6. Qui verò cor ceu muſculum ſaltem conſiderant, Sanguini primas deferunt, & hi ipſi *vel ſanguineum ſulphur* ab inſpirato aëre,nitroſo incenſum, incaleſcere & ſpiritualſcere aſſerunt, uti *VVillis de Anima Brutorum* cap. 2. Vel *ipſum ſanguinem particulis fermenteſcibilibus turgidum* ab inſpirato aëre nitroſo attenuatum & reſolutum ex particularum ſulphureo-ſalinarum ſanguinis, & nitroſarum aëris inſpirati motu, & fermentativa turgeſgeſcentia, in caleſcentiam iſtam concipere; qualis eſt hypotheſis *Mayovv. de Nitro cap.* 8. Sed qualiſcunque harum opinionum eligatur, ſive ab alio incendi, ſive efferveſcendo plus minus ſanguinem incaleſcere, velis, ſemper *calorem ipſum in Acido volatili celerrimè moto conſiſtere manifeſtum evadit.*

1. Quod hîc omnis caloris ſpontanei origo in genere ſit per experientiam.
2. Quod omnis qui in igne eſt calor, ab acido oriatur,quod effectus, ut pondus, item fomenta ignis, quæ quo magis de acido participant, eo intenſiorem calorem inducant,confirmant.
3. Quod, quæ efferveſcendo aut fermentando ſpontè incaleſcunt,habent ab acido. Calx viva æſtuat ex acido cum alcali aqueo congrediente.Fænum congeſtum incaleſcere ex acido, fit manifeſtum ex eo, quod & flammam interdum concipiat, & quod ſuperveniente putrefactione, ſub quâ fatiſcit acidum, omnis calor pereat.

§. 22. Non ergo præciſè animalium vita conſiſtat in calido ſeu calore,cum, quam plurima ſint frigida,& ipſa animalia calida ſuas habeant viciſſitudines, ut in ſenibus gelidis,cachecticis atque ſimilibus notiſſimum eſt. *Eſt ergo calor ſaltem conſequens quoddam neceſſarium vitæ in animalibus calidis.*

§. 23. Nam animalium duplex obſervanda eſt varietas, alia ſunt calida, alia frigida. *Confer. Pecblinus Tract. de aëris & alimenti defectu,p.53.VVillis de Anima brutorum.p.*13. 22. 26. Talia ſunt, v.gr. Echinus. Item anguis *Vid. Act. Med. Haffn. Vol.* 2. §. 6 *p.*15. Teſtudo *in Actis Societat. Regiæ. Vol.* 1. *p.*404. 690. Adeo, ut etiam ſanguis ejus admodum frigidus ſit, non ſecus ac piſcium, &c. Fundamentum diverſitatis conſiſtit in ſanguine, aut huic analogo ſucco nutritio; hinc, in quibus ſulphureus eſt, ac pinguior, ſimulque acido ſalſior, in talibus ſulphur ejus attenuatum, &c. ab aëre reſolutum, mediante motu intenſiore, concurrente ſanguinis volatilis ſale, non poteſt non intenſum calorem concipere, unde caloris ſenſibilis per totam corporis machinam cum ſpiritibus diſtributio,& perceptio.In illis verò aquatilibus inſectis, ranis, ſerpentibus,&c. minus ſulphnreis,ſed potius ſalinis nitroſis,ſeu urinoſis, aut temperatis,ſanguinis,vel ſucci nutritii fit reſolutio & volatiliſatio, ſine ulla tali, aut ſaltem minimè ſenſibili incaleſcentia.

§. 24. Unde etiam illorum calidorum animalium vis vitalis longè facilius deſtructibilis & diſſipabilis eſt, quia ſpiritus & ipſi calidiores ac elaſtici, ſummè diſſipabiles exiſtunt ſecus ac frigidorum, quorum ſpiritus minus ferventes, ac ſubtiles exiſtunt, ſimulque ſubjecto ſeu materia nonnihil viſcidiori irretiti, non adeo facile diſſipabiles exiſtunt, quin poſt corpora diſciſſa, portiones diviſæ motum ac ſenſum ſubinde retineant.

§. 25. Hæc ipſa, quæ de calidis & frigidis animalibus dicta ſunt, manu nos ducunt ad contemplationem temperamenti vitalis in ſanguine ex ſpiritibus influentibus fundati. Nempe optimè hoc definire videtur *Marcus Marci in Philoſoph. Vet. reſtit. part.*2. *ſect.*4. *p.*133. per temperamentum non primas qualitates, aut harum Symmetriam intelligi,verùm conſtitutionem cujuſque radicalem, ex qua veluti effectus procedunt dictæ qualitates,cujus potiſſima vis in ſanguine, qui eſt proximum ſubjectum animæ ac primum vivens,cujus gratia univerſum corpus videtur factum, vitamque ex eo participare; Humidum verò radicale, aut ſanguis eſt, ut vult *Harvæus*, aut certè in eo radicatur, & corpus ſanguine deſtitutum confeſtim friget, nihilque in eo manet de temperamento. Sed & ſanguis ex ſe calidus, extra venas mox refrigeratur, unaque cum vita,quàm ex alio principio habet, ſuum temperamentum exuit.

§. 26. Temperamentum hoc vitale, prout elementari contra-diſtinguitur, conſiſtit formaliter in certa calidi & frigidi, ceu vitæ conſequentium temperatura, ſeu in acidi vitalis cum alcali nutriente certâ proportione & harmonia; Unde caliditatis ab illo,

humidi

humiditatis ab hoc, ceu nutrimento, illiuſque debito ſubjecto, certa proportio, ſeu temperatura per vitam durabilis. Formaliter ergo in calidi & humidi moderamine, fundamentaliter in humorum & ſpirituum conſtitutione ſeminali ſeu radicali, inſtrumentaliter in acidi volatili & alcali volat. mutuâ temperatura *temperamentum vitale conſiſtit.*

§. 27. Scilicet ſanguis, dum motu fermentativo in corpore agitatur & adjumento aëris ſimul volatiliſatur & ſpirituaſcit, varias ſub his alterationibus acquirit proprietates novas, ipſi non adeo genuinas, ratione nempe caloris plus minus intenſi, ratione item majoris vel minoris ſub nutritione humectationis, &c. à quibus proprietatibus ſeu qualitatibus temperamentum totius corporis vitale dictum (*quia cum vita perfecta ſaltem præſens eſſe ſolet*) dependet. Fundamentum hujus temperamenti vitalis eſt conſtitutio ſanguinis radicalis, ſeu primogenea, à ſemine orta, unde cæteræ ejus proprietates ſucceſſive emergunt. Præſupponit autem hoc temperamentum vitale, ipſum elementale materialiter in ſanguine, prout enim elementalis craſis radicalis ex ſemine nata variat, etiam alterationes vitales & proprietates ſupervenientes variant; qualis enim ſanguis, talis ſpiritus, quales hi, talis conſtitutio vitalis & proprietates cæteræ totius corporis.

§. 28. Innumerabilis equidem temperamentorum eſt varietas, non tantum ratione individuorum, ſed etiam climatum, vitæ generis, Diætæ, Ætatis, &c. variantium, adeo ut arbitrarius ſit quaternio temperamentorum ab antiquis, fudamento IV. qualitatum ſuperſtructus. Interim tamen cum generalis hic conſiderandi modus non penitus omni uſu in Theoria & Praxi medica deſtitutus ſit, ob id quaternio iſte temperamentorum ita quodammodo defendi poteſt, quatenus nempe temperamenta earumque differentiæ conſiderandæ ſint, & ratione primorum duorum corporis contentorum, Chyli & ſanguinis, & ratione duorum principalium naturæ inſtrumentorum, acidi & alcali. Horum ratione Cholericum & Melancholicum, illorum vero ſanguineum & Phlegmaticum temperamentum originem habet; Sed cum alcali proprie paſſivum quàm activum ſit reſpectu acidi, potius acidum, vel volat. ſulphureum, vel fixum terreum temperamenti Cholerici & Melancholici fundamentum erit.

§. 29. Nempe quorum ſanguis, & conſequenter reliqui ſucci plus de ſale volat. oleoſo potius acido volat. ſulphureo participant, & ad uberius fellis incrementum magis diſpoſitus eſt, Cholerici, bilioſi, ab habitu corporis inde emergente calidi, ſicci, macri, &c. ratione vero ſpirituum ex tali ſanguine genitorum, Activi, Agiles, Inconſtantes, Iracundi, &c. dicuntur.

§. 30. Quorum vero ſanguis & conſequenter ſucci reliqui, minus reſpective de hac ſubſtantia participant, ſed potius in quibus denſior, ſpiſſior, minuſque reſolubilis eadem exiſtit, qui effectus ſunt ab acido fixiori, macro, & quaſi terreo, utut occulto magis oriundi, unde & tàm in ſuccis primarum viarum, quàm lympha, aliiſque majora acidi veſtigia deprehenduntur, hinc melancholici, frigidi, ſicci, duri, & ratione ſpirituum ex tali ſanguine natorum, tardi, meditabundi, graves eſſe ſolent.

§. 31. Quorum ſanguis, utroque extremo magis temperatus, adeoque volatili ſeu ſubtili oleo utrique probè intermiſto, quaſi dulcificatus eſt, hi ſpeciatim ſanguinei, calidi, humidi, corpulenti, ſeu carnoſi, & ratione ſpirituum jucundi, hilares, ingenioſi, & comes exiſtere ſolent.

§. 32. Quorum magis temperatus ſanguis ab uberiore chylo dulci, & probe digeſto pinguiori exiſtit, tales phlegmatici, humidi, frigidi, obeſi, tardi, & ratione ſpirituum, minus volatilium, nonnihil in genii obtuſi, tardioris, in actionibus torpidi deprehenduntur, & Phlegmatici dicuntur; quod eo magis obtinet, ſi Chylus aquoſior fuerit, unde uberior lymphæ emergit copia, indeque major phlegmatis abundantia.

§. 33. Omnia hæc hactenus conſiderata, Homo cum brutis habet communia. *Ipſi ſoli propria eſt* ANIMA RATIONALIS, ſubſtantia revera ſpirituoſa, immortalis & immaterialis, cum corpore hominis animali nihil habens commercii, & ab œconomia animali ejuſque functionibus plane excluſa, ſolius intellectus & voluntatis operationes immateriales ſeu inorganicas, ſibique proprias, peragens. Ex unione tamen ejus cum corpore animali ſenſuum præſupponit Miniſteria & exercitia in intelligendo ut occaſione certarum motionum in ſpiritibus animalibus ſibi formet conceptus & phantaſmata, unde in intelligendo, pro horum exorbitantiis, interdum & ipſa oberrat; ſicut è contra pro voluntatis imperio certum ſpiritibus iſtis animalibus motum interdum tribuere & quaſi imperare valet.

§. 34. Hac anima cum careant bruta, etiam nullam proprie dictam habebunt cognitionem, id eſt, non cognoſcunt bruta, quod, & quid ſentiant, niſi & eadem ipſa rationalia reddere velis.

CAPUT IV.

DE NUTRITIONE ET AUCTIONE.

§. 1. IN Machina noſtra corporea hydraulico-Pneumatica *ſanguis & ſpiritus principii moventis* ſeu activi locum obtinent, partes vero ſolidæ ſunt ſubjecta paſſiva, quæ ab iſtis in motum concitantur, ac ab illis in eſſe, fieri, & operari revera dependent.

§. 2. Operationes omnes hujus machinæ reſpiciunt vel conſervationem in individuo, vel in ſpecie. Illæ directæ ſunt ad eſſe vitale ſimpliciter, vel ad eſſe animale, unde ad tria generalia capita omnes corporis operationes, ſeu functiones rediguntur, nempe ad vitales, animales & genitales.

§. 3. Vitales actiones eò ſunt directæ, ut corpus & conſervetur & roboretur in ſuo vigore vitali, omneſque partes ſolidæ, pro obeundis promptius vel melius operationibus organicis, debitam aſſequantur magnitudinem; Adeoque nutritionem & augmentationem ſpeciatim & principaliter reſpiciunt. Conſiderabimus ergo harum. (1.) Neceſſitatem. (2.) Finem. (3.) Materiam. (4.) Formam. (5.) Subjectum. (6.) Modum ſeu Actum. (7.) Efficientem. (8.) Functiones miniſtras. (9.) Gradus. (10.) Durationem.

§. 4. Cum enim principia corporis activa, nempe humores & ſpiritus ſint in perpetuo motu; tam inteſtino quàm locali, adeoque continuam patiantur partim alterationem, partim jacturam neceſſe eſt, ut horum redintegratione vigor vitalis & reſtauretur, & quantum poſſibile, exaltetur in quo nutritionis finis conſiſtit.

§. 5. Nam ſpiritus continuo ſub actionum exercitio ſubtilitate ſua evaneſcunt & diſſipantur, in quorum ſupplementum ſanguis ex parte ingreditur, cujus maſſa præterea quoque in partibus ſolidis, nunc in earum ſubſtantiam perfecte convertitur, nunc vero Ros nutritivus ex ejus maſſa in partes ſolidas diſperſus, poſteaquam irrorationis & humectationis nutritivæ defunctus eſt officio, ſucceſſivè attenuatus per poros corporis totius inſenſibiliter tranſmittitur, ut taceam ipſas partes maſſæ ſanguineæ effœtas per crebriores circulationes, & continuatam fermentationem attenuatas & reſolutas copioſe tam ſub exſpiratione, quam ſub tranſpiratione exhalantes; adeoque ut totum corpus in continuo eſt fluxu quoad omnes partes ſui, ita etiam totum chylo corpus nutriendum erit.

§. 6. Jacturæ hæ non leves ſunt, nam perſpiratio

inſenſibilis ſola ſolet eſſe lõge plenior,quã omnes ſenſibiles ſimul unitæ. Et ſola expiratio per os facta unica die ad ſemilibram circiter aſcendere ſolet. Si cibus & potus unius diei ſit ponderis ℔. 8. Tranſpiratio inſenſibilis aſcendere ſolet ad ℔. 5. circiter. Imò pluribus unica die naturali per inſenſibilem tranſpirationem tantum evacuatur, quantum per alvum 15. dierum ſpatio; Sicut hæc & alia curioſa in ſtatera dimenſus eſt *ſanctorius ſanctorii in Med. Statica*, quæ impenſæ omnes ex maſſ. ſang. ceu primo fonte emanant.

§. 7. Sanguinea maſſa ergo nutritionis reſpectu, in continuo uti reſtaurationis, ſic perditionis eſt motu, adeo, ut quilibet noſtrum ſaltem in ætate conſiſtente tantum ſanguinis tranſpiret, quantum ſibi ex alimentis quotidie fabricet, ſive hoc fiat mediate, ſive immediate, niſi pauco tempore immenſum corpora tumerent. Et autem hæc abſumptio & perſpiratio, ita ut nullæ feces, nullumve caput mortuum reſiduum ſit, quoties enim aliquid cruoris, aut exinde derivati ſucci nutritii in extremo corporis ineptum ſit, aut non ſenſim diſponitur, ut totum fiat volatile, & tranſpirabile, eo ipſo tumores, apoſtemata, ſcirrhi, affectus cutanei, ſcabies, &c. in promptu ſunt, ſicut in partibus internis, ſi hoc eveniat earum inflammationes, hinc febres, nervorum varia pathemata originem ducunt.

§. 8. Omnimoda talis ſine capitis mortui remanentiâ tranſpiratio & abſumptio non eſt ſolius caloris opus, quoniam calor, præſertim ſi viva flammâ non fuerit accenſus, univerſum omnia humida miſta exſiccet in tophum & Carbonem, adeoque nec abſque reſidui remanentia, unde etiam ſanguis à vivo detractus tam leni calore quàm forti igne tractatus, parte aquoſiore & volatiliore exhalata, craſſamentum vel cineres reliquit ſatis copioſos. Accedit, quod Calor corporis non oriatur ab igne ſeu flammâ libera, ſed revera clauſa, jam vero ignis nihil poteſt in totum aſſumere ſi res ſit in loco clauſo; ſic v. g. Carbones in vaſe clauſo, etiam fortiſſimo igni expoſiti, nec in cinerem abibunt, ſed poſt plures etiam menſes integri eximuntur. Adeoque nutrimenti aſſimilatio, ſeu unio cum partibus ſolidis eſt nunc perfecta, nempe ſub accretionis annis, nunc imperfecta poſt ceſſantem augmentationem.

§. 9. Placet ergo hoc negotium, præcipue Hypotheſis Helmontii, quam propoſuit *tract. imago fermenti impragnat maſſam ſemine, item Blas humanum.* Et ita ſe habet. Scilicet diſponitur ſanguinea maſſa ad omnimodam ſui diaphoreſin tam immediatam, dum ejus partes ſenſim effœtæ redditæ neque ſpirituaſcentiæ neque irrorationi nutritivæ amplius ſufficiunt; quàm mediatam, dum ex ipſa undique diſtributus ros nutritivus partium ſolidarum totius, tandem ita difflatur, partim per continuatum fermentationis motum, partim per aëris continuo inſpirati adjumentum.

§. 10. Fermentationis enim medio ita pedetentim attenuatur ac reſolvitur Cruor in vaſis,& ros ejus nutritivus in ſolidis partibus à fermentis particularibus ſeu ſpiritu inſito, ut tandem fatiſcente ejus textura & miſtura ſeri facie tandem capitis mortui totus exhalet; quod negotium per mechanicam cereviſiæ illuſtrat *Helmont. tract. I. mago fermenti.* §. 2.

§. 11. Accedit ſimul aër, qui uti multa volatiliſat, quæ aliàs igne tractata fixa evaderent; ita continuò inſpiratus, rurſus exſpiratus & tranſpiratus univerſa animalium corpora permeat, & volatiliſationis illius ac reſolutionis totalis ſanguinis & ſucci nutritii cauſa adjuvans primaria exiſtit, ſimulque vi elaſtica ipſum tranſpirationis motum admodum promovet; Aëris enim hujus ratione ſub maximis frigoribus, aëreque puriſſimo ſumus edaciores, ſudamus tamen minus; cum paucula ac duriore ſeceſſu. Item navigans in Mari duplo plus edit minuſque excrementi laxat ſe ipſo in terra degentem. Itaque ſi fortius edimus, minuſque dejicimus ſequitur neceſſario plus difflari ex corpore, quod eſt dicere aërem puriorem boreæ, & marinum facere ad diaphoreſin corporis, ſive diſponere cruorem ad ſui perſpirationem inſenſibilem! Sic ſalia fixa in aëre reſolvuntur in elementalem, & candelæ materiæ ſub inflammatione ab aëre in aquam reſolvitur.

§. 12. Hiſce accedens Calor, æſtuſque corporis internus, motu ſuo continuo uberiorem & promptiorem ſimul, iſtam tranſpirationem nonnihil reddit.

§. 13. Cæterum pro varietate Sexus, Ætatis & Vitæ generis varia eſt quantitas iſtius abſumptionis nutrimenti, nam v. g. viri plus mulieribus, adoleſcentes infantibus, laborioſi deſidioſis perſpirant de ſanguine & rore nutritio, unde non rarò qui ſub laboribus erant macilenti, dum ab his ceſſant, fiunt ſucculenti & pingues. Fundamentum hujus diverſitatis in craſi ſanguinis, ejuſque fermentatione aucta vel diminuta exiſtit, in illa enim ſanguis eſt acrior vel aſperior, minus aptus pro Nutritione, volatilior, hinc calidior & aptior inde tranſpirationi cujus contrarium in hac evenit; Hinc urſi, hyſtrices, Mures montani, ſimiliaque animalia per totum dormientes ſuperſunt ſine alimento, & tamen pingueſcunt, cujus ratio eſt,quoniam eorum ſanguis ex voracitate prægreſſæ æſtatis abundat Chylo paulum crudiore, nondum ipſi aſſimilato, unde dum ſomni tempore hic chylus ſenſim ſenſimque mutatur in ſanguinem, parum de eo ob defectum volatilitatis debitæ exſpirat, ſed potius ceu roſcidus & ſpermaticus liquor, copioſius in partibus ſolidis congeritur, accedente imprimis quiete continua, qua ſanguis tardius movetur, temperatius fermentatur, hinc minus reſpirationem urget, indeque calor blandior exiſtit, quæ cauſæ iſtius phænomeni originem explicant.

§. 14. Defectus ergo hi, quos patitur corpus, ut reſarciatur, indeque vigor vitalis reſtauretur, ſimul quoque corpus ad legitimam perveniat magnitudinem, (in quorum priori finis nutritionis, in poſteriori vero finis augmentationis conſiſtit) alimentum aſſumendorum imminet neceſſitas, quibus reſtaurantur partes aſſumptæ, in quo conſiſtit nutritio, & augmentantur partes ſolidæ pro aptitudine ad functiones promptiori, in quo conſiſtit augmentatio. Objectum ergo *nutritionis & augmentationis remotum ſunt alimenta* ingeſta, *propinquum Chylus.* Forma eſt alimentorum cum partibus alendis unio, ſeu ut alias vocant, perfecta hujus cum illis aſſimilatio.

§. 15. Subjectum ergo quod nutritur eſt totum corpus animale, ſecundum triplicem ſuarum partium differentiam, cum hæ omnes conſervandæ per nutrimentum veniunt.

§. 16. Materia ſeu Objectum, quod partes nutrit eſt vel proxima vel remota. *Remota* ſunt alimenta aſſumpta quæ cibi potuſque nomine in genere veniunt. *Proxima* vero ſunt Chylus & ſanguis, in quos mutata digeſtionum beneficio, fuerunt alimenta, nempe Chylo nutritur ſanguis,&ſanguine reſtauratur & conſervatur ſpiritus vitalis, ſeu ſanguine Chylo & nutriuntur partes ſolidæ, illo quidem ſanguineæ, hoc vero ſpermaticæ ſeu nerveæ dictæ.

§. 17. *Forma nutritionis* conſiſtit in unione ſeu aſſimilatione alimenti cum partibus corporis alendis quibuſvis ut harum reſtaurentur jacturæ. Jam vero in ſpecie triplex quoad unionis hujus cum partibus ſolidis, ratione nutritionis eſt differentia, aut enim plus aſſimilatur corpori quam eidem decedit, adeoque corpus nutritur & augetur ſimul, aut æquale nutrimentum cum eò quod abſumitur, reſarcitur, ſicque corpus in eodem ſtatu permanet, vel minus nutrimenti accedit, quàm abſumitur, unde nutritur, ita ut ſimul plus minus decreſcat. Media illa ſpecies proprie dicta mutatio eſt, prima vero iſta juncta cum

auctione,

auctione, tertia vero ſeu ultima impropriiſſime dicitur nutritio.

§. 18. Diverſitas autem quoad hanc nutritionis formam, ſeu modum intercedit, quatenus partes ſpirituoſæ & humoroſæ perfectæ plus minus alimenti unione & aſſimilatione per totam vitam gaudent; partes vero ſolidæ ſaltim per annos accretionis. Nempe ex partibus ſolidis qua talibus nihil abſumitur, ſed quoad ſolidam ſui ſubſtantiam eædem ſemper manent, Nutrimentum ergo ex maſſ. ſang. ſub forma humoris roridi & mucilaginoſi ſolidis partibus undique diſtribuitur & pro augmento per coagulationis modum perfecta aſſimilatur & agglutinatur. Non poteſt enim non agglutinatus humor & aſſimilatus, augmentare partis molem ſecundum omnes dimenſiones, ita ut in ſolidis partibus nutritio ſit inchoata auctio, & auctio perfecta nutritio. Fit nempe aſſimilatio & fortis nutrimenti agglutinatio tantum ſub accretione adoleſcentiæ, non autem deinceps amplius, quorſum namque oſſi aſſimilaretur nutrimentum in robore, duritie, ſiccitate, ſi oſſa amplius incrementum non capiant? idem de cæteris partibus eſt judicium. Ceſſante vero accretione, conſequenter etiam ceſſat perfecta aſſimilatio; aut ſaltem agglutinatio, quin potius ex maſſa ſanguinea ros mucilaginoſus in ſingula membra diſtribuitur, ut ita eadem humectet, & motui, aliſque functionibus aptiora reddat. Tandem vero ros hic nutritius inſenſibiliter per poros cutis tranſvolat, nec per ſe quicquam ſolidi recrementi relinquit. Hinc non tantum nutritivæ reſtaurationis continua oritur neceſſitas, ſed etiam defectu iſtius ſucci nutritivi tandem rugæ ſeniles, ex evacuatis ſubcutaneis ſpatiolis, indeque fibrarum cutanearum contractiones superveniunt.

§. 19. Attenuatur quidem corpus etiam craſſiſſimum ſub febrium ardentium ardore, omniſque pinguedo evaneſcere videtur, quæ ab acrioribus ſuccis attenuatur & adjuncto calori intenſiori liqueſcit, non vero inſtar ſebi à flammula lychnii depaſcitur, ſed liquefacta eſt in humorem, reſoluta à vaſis cum ſanguine reſorbetur, & nunc ſub forma urinæ copioſioris, cui olei aliquantulum ſubinde in ſummitate ſupernatat, aut diarrhææ colliquativæ, aut ſudoris copioſi, foras ſenſim amandatur. Non eſt enim proprie pinguedo è partium ſolidarum numero, quin potius per accidens ex abundantia ſucci nutritii Chyloſi poſt augmentationis annos membranis adhærere, & ſenſim affixa coagulari, pro earum, vel humectatione, vel partium ſubjacentium blando fotu videatur: Unde nec propriam circumſcriptam continet figuram, & nunc augetur nunc diminuitur, adeoque medium inter partes fluidas & ſolidas obtinet.

§. 20. Quoad hanc autem partium ſolidarum perfectam nutritionem, ſeu augmentationem, tres actus conſiderandi ſunt, nempe.

1. Nutrimenti appoſitio.
2. Appoſiti in ſubſtantiam partis converſio, ſeu aſſimilatio, &
3. Nutrimenti ita aſſimilati firma cum parte unio ſeu agglutinatio.

Appoſitio ſit ſimpliciter per ſecretionem mechanicam, fundatam in proportione pororum partis nutriendæ cum figuris particularum ſubſtantiæ nutrientis, ita quidem ut maſſ. ſang. dum quaſvis partes permeat, certæ ejus particulæ inſinuent ſe in illas partes ſeu membra, quorum pori, ac meatus, eorumque magnitudines ita figuratæ ſint, ut certas ſanguinis particulas in ſe recipiant, reliquis particulis ejuſdem maſſæ præterfluentibus, ita ut unaquæque pars non niſi ſuis ſimillimis alatur, ac augeatur, v. g. nerveæ chyloſis, ſeu lacteis, ſanguineæ ſanguineis, &c.

§. 21. Poſteriores actus aſſimilationis & agglutinationis, fine quidem diſtincti, tempore vero ſimul conſiſtunt in nutrimenti à ſpiritu animali influo coagulatione, fermenti inſtar ipſum nutrimentum impregnat, alterat, & ſucceſſive cæteræ partis ſubſtantiæ, ratione exturæ certo modo mutatæ adhærere facit, ſub quo actu ipſemet nutrimento ſe inſinuat, & ita inſitum ſpiritum conſtituit. Nempe, ſicut ſpiritus vini ſanguinem, ſerum ſanguinis, albumen & vitellum ovi coagulat, & in aliam conſiſtentiam craſſiorem & glutinoſiorem permutat, ita ſimili ratione animalis ſpiritus ſub nutritione ſe habere videtur. An vero hoc fiat ratione occulti cujuſdam acidi, nutrimentum alcalino-oleoſum coagulantis, in medio relinquo.

§. 22. Efficiens hoc ſpiritum eſſe animalem influum ex eo manifeſtum eſt, quod in Paralyſi membrum affectum ex illorum denegato influxu marceſcat. Conferatur etiam id, quod habet *Charleton in exercit.* 10. §. 3. *p. m.* 201. Confer etiam *obſer. Hildan. Cent.* 1. *obſer.* 4. de Atrophia brachii ex globulo auri intruſo, propter conſenſum nervorum eveniente, adeo, ut omnia ex ea quæ erudite *VVilliſius tract. Anatom. cerebri cap.* 20. de ſucco nervorum nutritio, efficientis ratione in nutritione obtinente, diſſerit, meliori jure ſpiritui animali applicanda ſit. Nempe ſpiritus animalis in nutritione parili ſe fere habet ratione, ac ſpiritus Genitalis Maris, fecundantis & actuantis materiam ovi muliebris.

§. 23. Nutritio per totum vitæ curſum durat, augmentatio vero tantum per determinantes ætatis annos. Ratio deficientis tandem augmentationis eſt, quod renitentibus oſſium duritie, ligamentorum robore, fibrarum tenacitate, & pororum anguſtia, extenſioni, dilatationive ulteriori, & ita alimenti uberioris receptioni, retentionique inepti, (quod eò citius contingit, quo minus ſucculentum eſt corpus) ceſſat tandem augmentatio ordinario naturæ curſu. Præternaturaliter vero contingit nonnumquam, ut vel diſtentis membranis, lacertis, fibris, aut dilatatis poris, &c. copioſius recipiatur alimentum, retineatur, & tandem aſſimiletur in præternaturales excreſcentias, quales ſunt v. g. Calli oſſium ex fracturis, nodi tendinum, cicatrices vulnerum, Sarcomata herniæ carnoſæ; lienes magni, &c. quæ augmenta præternaturalia etiam ſub incerta & varia figura pro cauſarum antecedentium fortuito inſultu & partium diverſa læſione conſpiciuntur.

§. 24. Nutritioni & auctioni, ceu principibus, multi quatuor miniſtras facultates adhuc adjungunt, Attractricem, Retentricem, Concoctricem & Expultricem. Sed non neceſſe eſt Entia præter neceſſitatem multiplicare, videmus nempe nullam eſſe in partibus attractionem, ſed motum omnem fieri per pulſionem, cui ſufficiunt fibræ partium circulares, quæ à ſpiritu animali contractæ, anguſtando ſpatium continens, rem contentam ulterius protrudunt, quod ipſum etiam de quacunque expulſione certum eſt. Retentrici ſatiſfacit tonus partium, h. e. legitima, ſecundum fibras eorum nerveas cæteris particulis viſcus componentibus intertextas, ſtructura, harumque à ſpiritu animali facta tenſio. Fibræ enim nerveæ, debite extenſæ & efformatæ in membranas cavitatem efformando, ſufficientem continent, contractæ verò cavitatem arctando, expellunt, laxatæ verò cavitatem, nimis augendo, plus, quam par eſt, recipiunt, diutiuſque retinent. Concoctrici tandem ſufficiunt fermenta & fermentationes, in omni coctione & digeſtione, imprimis Chyli & ſanguinis obviæ, quæ alimenta aſſumpta & diſtributa alterant, & pro miranda, ſua vi omnino immutant, pro varia ſui conſtitutione, nunc naturali modo alimenta perficiendo, nunc vero præternaturaliter eadem vitiando. *Vid. Charleton in Oeconom. animal. exercit.* 7. §. 7.

§. 25. Sunt alii adhuc, qui pro certorum humorum è maſſa ſanguinea ſeparatione v. g. Salivæ, urinæ, &c. adhuc aliam in partibus facultatem ſomniant, Secretricem

tricem ſcilicet; ſed ſtructura partium ſecernentium mechanica huic negotio pulchre ſatisfacit. Sunt namque ratione texturæ ſuorum pororum, meatuum in magnitudine, figura, &c. ita conformatæ, ut inſtar cribrorum, vel filtrorum aut inſtar ſpongiarum, id, quod ex præterfluente liquore ipſis porulis congruum eſt, imbibant, & per certa vaſa aliò tranſmittant, id vero, quod congruum eſt, præterlabi ſinant. Quod ſi p. n. ex vitiatis digeſtionibus maſſ. ſang. excrementis heterogeneis inficiatur, hæc ipſa beneficio fermentationis à reliquis particulis, inſtar ſecum ſeparantur, & humiditati ſeroſæ involuta, nunc per urinas, nunc per ſudores excluduntur, uti in febribus v. g. evenire ſolet.

CAPUT V.

DE APPETITU ANIMALI SEU FAME ET SITI.

§. 1. ADſumimus alimenta, ut nutriamur & creſcamus, ſtimulati ad hoc per appetitum, qui eſt deſiderium cibi potuſque, animalibus proprium, & appetitus quidem cibi, *Fames*, appetitus vero potus, *Sitis* compellatur.

§. 2. *Fames* non oritur à ſuctione venarum in ſtomacho, nec à calore ventriculi cum v. g. in febribus ardentiſſimis appetitus extremè ſit proſtratus; ſed *à ſubtili ſpirituoſo acido in ventriculo, præſertim tunica ejus cruſtoſa.* Hinc omnia, quæ acidum hoc volatile deſtruunt, ſeu ejus vim obtundunt, v. g. Alcalia, martialia, pinguia, & oleoſa, famem etiam imminuunt, aucto vero, vel intenſius reddito illo acido, minus ſubinde appetitus emergit, ſicuti aliquali Analogia, acida aſſumpta ſubinde appetitum ſtimulare aſſolent.

§. 3. Acidum hoc volatile in ventriculo vacuo contracto, halitu & odore ſuo acido blande ſtyptico, latera ventriculi, ſpecialiter vero *Orificium ejus ſiniſtrum ceu proximum Famis ſubjectum* rodit, pungit & vellicat, unde oritur quædam moleſtiæ vel læſionis ſenſatio, qua excitatur appetitus animalis ad deſiderium alimentorum. Diſtinguitur Fames naturalis ab animali, *Naturalis* enim eſt punctio & roſio iſta orificii ventriculi ſiniſtri à ſpiritu acido volatili facta. *Animalis* vero eſt perceptio ſeu ſenſatio iſtius moleſtiæ, & inde natus affectus deſiderii alimentorum.

§. 4. Pro varietate hujus acidi, ejuſque alia atque alia diſpoſitione variat etiam noſter appetitus, dum unus hunc appetit cibum, alius alium. Ex hujus ſucci diverſitate in diverſis animalium ſpeciebus, diverſa animalium fit fames, dum quædam ſolum vegetabilibus, quædam tantum carnibus veſcuntur, dum felis eſitat mures, canis oſſa. Ex hoc acido alterato, v.g. per imprægnationem, aut menſium ſuppreſſionem depravatus ſubinde ſurgit appetitus *Pica* dictus, dum cretam, carbones, capillos, appetunt mulierculæ; Sed quomodo hoc fiat, determinare arduum eſt. *Sunt*, qui à certo ſtomachi temperamento, *ſunt*, qui à certo conſtitutionis, ſeu miſtionis modo iſtius acidi eſurini, *ſunt*, qui à certis ideis, ſpirituum ſtomachi impreſſis deducunt, ſed tamen ubique rem difficultatis plenam relinquunt. Hoc certum eſt, reſpiciendum ſemper eſſe conſtitutionem iſtius acidi, quæ cùm ſit varia, tàm in ſingulis animalium ſpeciebus, quàm in ſingulis ſpecierum individuis variè appetitum determinant, adeo, ut appetantur tantummodo ea, quæ ipſi ſunt appropriatta, id eſt, in qua tanquam convenientia objecta ſuæ activitatis ſolvendo poteſt operari. Sic enim v. g. Cretæ vel calcis vel cinerum appetitus & eſus, alias per ſe non eſt naturalis, unde etiam aſſumpta talia ſolent nocere, in virginibus tamen vel gravidis Pica laborantibus, ex vitiato iſto ventriculi acido, avide appetuntur, & ſine incommodo digeruntur. Conſuetudine imprimis acidi hujus craſis, ſeu conſtitutio mutatur, unde etiam conſueta crebrius appetere, facilius digerere ſolemus, quàm inſueta, licet meliora.

§. 5. Cæterum, quoad certorum ciborum averſionis ſingularis cauſam, tam vi imaginationis, ſtomacho ejuſque ſpiritui inſito, certum quaſi characterem interdum hæreditarium imprimentis, quam læſionis ab aſſumpto quodam ſtomacho inductæ, remanens in ſpiritu inſito certus character ſeu memoria, imprimis conſiderandæ ſunt. Hinc enim natus eſt puer per totam vitam abhorrens à pane, ob matris tædium, ex denegato ipſi pane nimis deſiderato, obortum, *teſte Schotto in Phyſica Curioſ. lib. 3. c. 27. p. 533.* Non minus, quam Infans per totam vitam à fele abhorret, ob terrorem matri gravidæ ex ſubito felis in eam inſultu obortnm, unde & hæreditario jure in integras familias talis antipathia non raro propagatur, cujus antipathiæ, hincque interdũ obortæ Syncopes primus inſultus circa orificium ſtomachi percipitur. Caſeum non pauci averſantur, quod matres vel nutrices denuò gravidæ factæ, mammas præbeant infanti, unde lactis à gravidatione iterata in horum ſtomachis caſeatio, hinc noxa, & ita per vitam averſatio caſei. Sic obſervavi virginem aſſumentem purgans, vehementius cinnamomi miſtura larvatum, ad longum tempus à cinnamomo penitus abhorruiſſe.

§. 6. Hæc de *Fame*, nunc ad *Sitim.* (*) Alimenta ſolida aſſumpta in ſtomacho, à dicto fermento acido avidè excipiuntur & comminuuntur, quæ ut eò melius ab eo ſubigantur, cum ſalia haud melius agant, quàm diſſoluta, humore aquoſo dilui neceſſum habent, quo fine natura ſitim excitat, quæ humidi aquei appetitus eſt, hanc cibi cum acido ſtomachali uniti & in ſalſum paulatim degenerantes, inducunt. Hinc nempe eſuriens ſtomachus nec ſitiet, nec ſitiens eſurjet, & homo à cibo ſumpto ſemper naturaliter bibere geſtit.

* Finis ſitis primarius eſt, ut aſſumantur alimenta potulenta ab animalibus, ut ceu vehiculum inſerviant tam alimentis in corpus diſtribuendis, quam excrementis extra corpus ejiciendis.

§. 7. Oritur ergo ſitis à vellicatione moleſta ſiniſtri ſtomachi orificii, facta ab acrimonia ſalſa, tàm propriè dicta tali, quam ſalſa plus minus urinoſa; quæ ſalia acria pungunt & vellicant peculiari impreſſione. & rodunt orificium ſtomachi ſuperius, unde pro earum dilutione & abſterſione urgetur liquidum ſimplex aqueum; Unde prout acriora, vel temperatiora, prout magis vel minus oleoſa, & quaſi bilioſa, adeoque plus minus viſcida fuerint iſta ſalia etiam magis vel minus intenditur ſitis.

§. 8. Habet ergo ſitis cauſam poſitivam non minus quàm fames, nec ſolum defectum ſalivæ, aut faucium ariditatem vel gulæ aut aſperæ arteriæ ſiccitatem utut lymphæ cujuſcunque, præſertim ſalivalis, in dictis locis defectus, aut dictarum partium nimia exæſtuatio juncta, multum adjuvent ad ſitim intenſiorem reddendam, quatenus nec eluuntur ſalia acria, continuata illius deglutitione, nec fauces debite humectantur, quarum Siccitas ob Membranæ illarum cum ſtomachi interiore tunica continuitatem, ſitis pathema ſenſilius omnino & gravius reddit,

§. 9. Confirmant hæc omnia, quæ ſitim concitant, ut ſunt omnia ſalſa aſſumpta, item acria ſalſa vel urinoſa, aromatica, ſale volatili oleoſo plus minus acri imprægnata, hinc alimenta nimis ſalita, haleces, item piperata, zingiberata, ordinarie ſitim magis intenſam reddunt; Non ſecus ac vegetabilia acria ſale volatili acerrimo, ſemicauſtico imprægnata, ut ſunt Scammoniata, Eſulina ordinariè ſitim inſignem ſucceſſivè ſolent inducere. Saliva item vitioſe ſalſa, tam fauces vellicando, quam deglutita ſtomachum afficiendo ſitim intenſam excitat, ut in hydropicis,

diabeti

diabeticis, quibuſdam Scorbuticis, &c. obvium eſt; Non ſecus ac Cruditas nidoroſa in ſtomacho defectu acidi nata, ſitim excitare ſolet, hinc in febribus, præſertim ardentibus dum deficit acidum fermentativum, & quælibet aſſumpta, in nidorem corrumpuntur, ſitis continua, ſubinde clamoſa ſuboriri ſolet, ne aqueis quidem reſtinguibilis, quia talia cauſam proximam non ſufficienter corrigant, cum in tali ſtomacho alcaliſatur quaſi materia febrilis, ut loquitur *Helmont*. Et ſane quo magis activum eſt ſtomachi acidum, eò minus urgere poteſt ſitis, quò minus verò potens hoc extiterit, eò intenſior torquere ſolet ſiticuloſitas.

§. 10. Ea, quæ ſitim ſedant, idem teſtantur, aquoſa & potulenta ſalia acria imbibendo, diluendo, abſtergendo, ſitim levant, præ cæteris omnibus acida potentiſſima ſitientium ſunt ſolamina, hinc unicus vini hauſtus plus ſitim ſiſtere ſolet quàm dimidia cereviſiæ menſura, præ cæteris in febribus hoc obtinet, in quibus nil magis ſitim tollit, quàm acida, quatenus hæc nidoroſa acria, quaſi alcaliſata in ſtomacho corrigunt, præcipitant & in aliud eſſe tranſmutant. Sic Scorbuticorum ſitim nil melius tollit quàm lactis ejuſque Seri potus, demulcens & obtundens acrioris ſalis impetum. At equidem in leviori malo oris abluitiones, ac gargariſationes ejus ſitim quidem ſubinde fallunt, non autem revera tollunt.

CAPUT VI.

DE ALIMENTORUM MASTICATIONE & Deglutitione.

§. 1. Compulſi famis ſtimulis, aſſumimus alimenta, quæ in ore primam ſubeunt alterationem, & ad meliorem digeſtionem, neceſſariam præparationem poſtulant, idque Maſticationis beneficio.

§. 2. *Maſticatio eſt Ciborum ſolidorum* plus minus duriorum inter dentes, beneficio motus maxillæ inferioris, adjuvantibus tum lingua, tum labiis, *agitatio*, quâ aſſumpta ſolida ſubtiliter comminuuntur, cum ſaliva permiſcentur, & ita ad digeſtionem ſubeundam præparantur.

§. 3. *Finis Maſticationis* eſt præparatio Ciborum ad ſuſcipiendam faciliorem ſtomachi digeſtionem, hanc acquirunt partim, dum comminuuntur, partim dum ſaliva permiſcetur.

§. 4. Salivæ intima cum alimentis commiſtio ſumme etiam neceſſaria eſt, quia eadem penetrando reſolvit ſalia, in alimentis recondita, liquefacit, & vi ſua fermentativa ad futuram fermentationem melius diſponit, quatenus facilitat hoc modo fermenti ventriculi ingreſſum in alimenta, quatenus ſuo modo alterat fermenti craſin, ita, ut ſaliva præſtet alimentis digeſtionis inchoamentum, ventriculi vero fermento, ejus complementum; Præter quos uſus ſaliva alimentis permiſta inſigniter etiam ſaporum perceptiones promovere ſolet.

§. 5. Hanc penetrativam & aliqualem fermentativam ſalivæ vim, confirmat.

1. Panis biſcoctus probe maſticatus, & ita largiter ſaliva imprægnatus, farinaceam maſſam inſtar communis fermenti fermentat.
2. In fructuum ſucculentorum conditura, mulierculæ arcent infantes ne lambendo cochlearia, aliquid ſalivæ condituris permiſceatur, quæ alias faciliime fermentarent & aceſcerent, quod idem Cereviſiæ coctores ſtudioſe obſervant.
3. Per ſalivam inquinatam, mediante ejus vi fermentativa, nunc per communia pocula, nũc per oſcula ſæpius morbi communicantur, quod, ut de ſcorbuto, aliiſque inveteratis obſervetur.
4. Facit huc quod ſaliva ſanorum ſalina ſua vi non inelegans ſit coſmeticum, ac plurimis morbis externis egregie conducat, v.g. Impetiginibus, &c. unde & canes lambendò ſuo vulnera ſanantur.

§. 6. *Origo ſalivæ*, ceu ejuſdem lymphæ eſt à glandulis iiſque admodum copioſis, in & extra os conſitis, in genere ſtomachicæ dictis, quæ tamen omnes ad tria genera, ad Maxillares nempe, ubi & Parotides intelliguntur; ac Palatinas & Sublinguales rediguntur, quibus etiam Tonſillæ ſuo modo addi poſſunt. Hæ glandulæ ex arteriis per minutiſſimos ramulos in iis diſperſis inſtar ſpongiarum emulgent liquorem limpidum ſeroſum, ſalinum, & ut quibuſdam placet occulte acidulum, quibus ex nervis inſignibus accedere videtur ſpiritus animalis volat. & hic liquor per vaſa excretoria in os delatus ſalivam conſtituit. *Vid. Steno de Glandulis Oris. VVarthonus & Adenographia. pag.* 11.

§. 7. *Uſus ſalivæ* in genere eſt

1. Continuò deglutita abſtergere, ſtomachum, ejuſque nimias eluere ſordes, quibus remotis potentior erit acidi fermentativi ſtimulus & effectus.
2. Cum cibis permiſta diſponit eos ad faciliorem fermentationem.
3. Ulterius continuo deglutita adjuvare ſuo modo prædictam fermentationem. Secundarii uſus ſunt. (1) Humectare linguam pro celeriori motu. (2) Lubricare fauces & gulam pro faciliori deglutione. (3.) Moleſtiam quaſi ſiticuloſam removere faucium ablutione. (4) Saporum perceptionem promovere particularum ſapidarum diſſolutione.

§. 8. Cibus in ore ita præparatus, ulterius diſtribuitur ad ventriculum, quæ actio Deglutio dicitur, fitque dum linguæ beneficio ad gulæ partem ſuperiorem, ejuſque expanſam cavitatem, Pharynx dictam, cibus protruſus, imprimis à Sphinctere ſe anguſtante promovetur, & occluſa laryngis rimula deorſim pellitur, quæ pulſio per fibras nerveas Oeſophagi tunicas inveſtientes, motuque periſtaltico ſe ſucceſſive contrahentes, continuatur, donec Cibus in ventriculum ingeratur, ita ut actio hæc; Muſculorum & fibrarum nervearum beneficio peracta, in principio ſpontanea ſeu animalis, in progreſſu verò naturalis dicenda ſit.

§. 9. Fit ſæpius in morbis, ut liquida optime poſſint deglutiri non ſolida, id quod fit ob vitium gulæ, in ſpecie ob ejus Anguſtiam, vel tumorem, aut qualecunque ſimile vitium. Contrarium accidit nonnunquam, ut ſolida deglutiri poſſint, non vero liquida, quæ hauſta, ſubitò cum ſuffocationis metu per nares & os redeunt; Vitium hic eſt in Larynge, ob Epiglottidem non perfecte laryngis rimulam claudentem, quæ à ſolidis quidem deprimitur, liquida vero, dum in Laryngem penetrare inchoant, ex ſuffocationis aut doloris ſenſu cum impetu regurgitant, & qua data porta per os & nares profluunt, qualem caſum etiam ex duritie oſſis Epiglottidis non rite claudentis laryngem accidere aſſerit *Barbett. in Anatom. Pract. cap.* 4. *Part.* 3. *p.* 259. quò etiam facit Pharyngis Paralyſis, unde deglutitio ſolidorum deficiens, liquidorum vero integra.

§. 10 Cornigera animalia, quæ utplurimum ſuperiori dentium ordine carent, & ob id convenienter maſticare non poſſunt, natura quadrupli inſtruxit ventriculo, ut ventriculus primus, ſeu innominatus, Reticulum, Omaſus & Abomaſus. In his ergo ex primo ventriculo cibus maceratus quaſi, & mollior redditus per validarum fibrarum conſtrictionem ſurſum in os repellitur ibique denuò molitur, quod Ruminatio dicitur; molitus ad Omaſum pellitur & in Abomaſo tandem perficitur. Aves ex eadem cauſa duos habent ventriculos, ingluviem & ventriculum proprie ſic dictum. Ingluvies compreſſa humiditatem quaſi ſalivalem ſuggerat, mediante quæ quicquid ſolidum eſt in ingluvie prius emollitur & maceratur, & vel denuo pullis pro alimento evomitur, vel ad ventriculum perfectum pro perfecta digeſtione tranſmittitur. *Vid. Horſt. lib.* 4. *obſ.* 9. *Barthol. cent.* 5. *hiſt.* 16. *de* hominibus ruminantibus.

CAPUT VII.

DE CHYLIFICATIONE.

§. 1. Alimenta aſſumpta & deglutita in ventriculum ingeruntur, ingeſta in liquorem pultaceum priſanæ cremori ſimilem, qui chylus appellatur, tranſmutantur, quæ actio ob id Chylificatio dicitur, ratione modi quidem à veteribus coctio, & in ſpecie elixatio, à modernis vero fermentatio nominatur. *Et eſt Chylificatio alimentorum in ventriculo à fermento, beneficio ſuſcitata fermentationis in liquorem pultaceum, quoad ſenſum homogeneum tranſmutatio.*

§. 2. Primum *efficiens* hujus actionis, *non eſt calor*, quia

(1.) Piſces ſine calore ſenſili ſatis voraces, ſatiſque concoquentes ſunt

(2.) Canes oſſa aſſumant, & Gallinæ vitri fruſtula, teſte *Helmont tractat. Pylorus Rector.* §. 28. quod calori impoſſibile.

(3.) Caloris actio eſt univoca, jam vero Chylus pro varietate animalium toto differt genere, licet uno eodemque alantur nutrimento, & quædam ab uno animali digeruntur, quod non fit ab altero, v. g. dum Turtur helleborum optime digerit, & canis vitrum antimonii ſine evomitione, dum alius eſt Chylus in cane, alius in Homine, eodem licet pane nutritus ſit, hinc & alia excrementa, quod ſolius caloris opus non eſt.

(4.) In febribus, uti calor multum eſt auctus, ut appetitus eſt proſtratus, ita & coctio, aut abolita omnino, aut multum depravata. Interim non negandum adjuvare calorem inſigniter in nobis Chylificationem, non ſecus ut calor ambiens, quaſcunque digeſtiones & fermentationes promovet artificiales; ita & naturaliter excitat tàm in plantis quàm animalibus. Qui calor tàm eſt ipſius ventriculi ceu Ollæ, quàm partium vicinarum quàm ipſorum alimentorum etiam, plus minus calide aſſumptorum.

§. 3. Non hic dilabendum ad facultatem quandam Chimæricam ſeu χυλοποιητικην, cum hujus nulla ſit neceſſitas, nullaque explicatio conveniens, quomodo ad hoc opus concurrat. Ad hæc proceſſit laborioſa Chimicorum induſtria, ut & ipſi per menſtrua ſubacida, volatilia moderati caloris beneficio, Chylum quendam artificialem naturali quodammodo analogum produxerint, de quo confer. Tachen. Hipporat. Chimic. cap. 13.

§. 4. Dicamus ergo, ineſſe, ventriculo fermentum acidum ſpirituoſum ſeu volatile, quod cibum maſticatum, & ſalivali menſtruo probè ſubactum, potuque plus minus dilutum, incidit, penetrat, & diſſolvit, & talem in aſſumptis alimentis motum inteſtinum ſeu genuinam fermentationem excitat, mediante quâ & volatiliſatur, eadem, & ſimul fermenti iſtius ſpecifico appropriam, tali ſubjecto vitali textura & qualitate, ſed ut vocant ſpecifico vitali charactere inſigniuntur, qua mediante, huic, & non aliis ſubjectis chylus conveniens emergit, & qua deficiente, nec aſſimilatio cum ſanguine, nec commoda nutritio fieri poteſt, ſed morborum ubique ſparguntur ſemina. Fermento huic acido volatili occurrunt in alimentis ſimiliter ſalia vol. de urinoſorum natura, quibus omnia edulia, tã vegetabilia, quàm animalia inſigniter ſunt imprægnata, quorum ope, fermentationis opus eò melius & convenientius abſolvitur, donec exacte alimenta ſubacta in ſuccum, nunc ſubacidum, nunc vero ſalſum volat: tali ſubjecto appropriatum tranſmutentur, inque perfectum ſic abeant Chylum.

§. 5. Fermentum ergo illud acidum volat. duplici munere circa digeſtionis negotium fungitur in ſtomacho.

(1.) Quaſi menſtruum penetrat ac intime pervadit & diſſolvit alimenta; quæ exinde aceſcunt, ſicque particulas alimentorum à ſe invicem ſeparat & ſalia abſcondita in apertum producit.

(2.) Volatili aciditate cum particulis alimentorum, præſertim ſalinis, fermentationem inchoat, & abſolvit, eaque volatiliſat, & in ſpecialem naturam tranſmutat; Hinc ſuo modo menſtruum fermentativum appellari poteſt. Hinc ea quæ ſunt dura, aut quæ volatili ſale ſunt maxima ex parte orbata, ut ſunt vel alimenta exſiccata, vel fumo indurata, vel ſale condita, difficulter concoquuntur, quia dura difficilius diſſolvuntur, cætera vero ob ſalis volatilis defectum fermentationem promoventis difficillime fermentantur; Unde in ſubſidium cum prioribus aſſumimus acida, ut acetum, ſpiritus vini, cinnamomum, ſinapi, &c.

§. 6. Concurrere talem circa Cibos fermentationem, præter enarratas circunſtantias, ulterius evincunt;

(1.) Inſignis alteratio & permutatio, quam Cibi vel alimenta in ventriculo ſubeunt, vix verò alios tranſmutationum modos, vel autores habemus in rerum natura, quam fermentationes, vel fermenta.

(2.) Spiritus ex alimentis ſunt elaborandi, quod ſine fermentatione, quâ concreta attenuantur, & ad volatiliſationem plus minus diſponuntur, eſt impoſſibile, & licet illi demum in Corde perficiantur, debitam tamen præſupponunt fermentationem in ſtomacho, cum chylus, dum non rite fermentando ſpirituaſcit in ventriculo, nec debite in ſpiritus abeat in corde, ut ex Cachecticis, hypochondriacis, aliiſve ſtomacho male habentibus, conſtat.

(3.) Alimento inſunt partes nobis utiles, & inutiles, illæ ergo, ceu homogeneæ conjungendæ, hæ vero, ceu heterogeneæ ſeparandæ, quod melius fieri nequit, niſi per fermentationem, in qua miſtum ita recludi ſolet, ut fœces ſecedant, vel ſaltem facile ſeparabiles ſint.

(4.) Ex præſentia omnium ad fermentationem requiſitorum, & Chylificatione, non inepte pro hac ſententia concludunt Sylv. Diſput. Med. 1.

(5.) Alimenta fermenteſcibilia, quo magis talia, eo magis dum chylificationem ſubeunt, corpus inſtant, ructus & flatus emittunt, quod omnino motum fermentativum oſtendit, unde etiam turgeſcentia quædam plus minus intenſa à paſtu circa ſtomachi regionem ordinario ſentitur.

§. 7. Neceſſe autem, ut ulterius de acido ſtomachi fermento, quod ſit, ſtabiliamus ſententiam.

(1.) Oſtendit hoc ferè, quod lac aſſumptum intra horulæ ſpatium vomitu rejectum, aut etiam citius acidulum deprehendatur, hinc dicit *Helmont*, quod omnia aſſumpta etiam dulcia, ut ſaccharum, Mel mox in ſtomacho aceſcant.

(2.) Ad hæc martialia remedia aſſumpta ructus nidoroſos inducunt, ſicuti ſimilem nidoré exhalat ferrum, cùm extra corpus ſpiritus acidus affunditur.

(3.) Hinc pariter omnia ea, quæ acidum hoc fermentativum infringere valent, & appetitum dejiciunt, & coctionem aut impediunt, aut tollunt, aut etiam difficiliorem reddunt, uti ſunt corpora aquea, alcalia; oleoſa & ſimilia.

(4.) In Lienteriis & Dyſenteriis, item Diarrhæis, in quibus penitus & deficit appetitus, & plane ventriculi digeſtio ceſſat, ſi ſuperveniat ructus acidus, bonus judicatur ab *Hippocrate ſect. 6. §. 1.* innuit enim fermenti reſtaurationem.

(5.) Panis etiam eſt cibus, cujus nunquam nos capit faſtidium,

faſtidium, cùm omnibus cibis iſtum permiſceamus, ejus appetitum quoque ægrotantes ultimo admittimus, & primum denuo recuperamus, ineſt nempe Pani Spiritus acidus fermento ſtomachali amicus.

(6.) In animalibus etiam illis, in quibus acidum exſuperat, aſſumpta veluti ab acido corroſa deprehenduntur. Hinc ſtrutio-camelum fruſtra ferri nondum totaliter digeſta, ano rejeciſſe, quæ in vitriolum arroſa apparuere, teſtis eſt *Kircherus*. Acidum hoc in avibus potens, eſt adeo ſæpe, ut argillas, cretam, lapillos devorare, pro illius ſaturatione cogantur, terras enim illas imbibere acidum notum eſt.

(7.) Eo inſuper tempore, quo cibos conficiunt, ſi ſecentur ventriculi animantium iſtorum, ſummè acutos penetrantes, acidulos eructare ſpiritus deprehendimus, qui oculos nareſque vehementer feriunt, uti hoc illuſtrat Thomas Cornelius *Conſentinus in rogymnaſmat. 6. p. 227. de Nutritione*.

(8.) Denique acida, Succus Citri, Omphacium, digeſtionem reſtaurant, eſurina hinc audiunt, nam ſimilia ſimilibus conſervantur, unde ſimilis eſt vel cauſa digeſtionis, vel digeſtio ipſa, quæ à ſimili reſtauratur.

§. 8. Sed ad præternaturales cauſas confugiunt acidi fermentativi Oſores, & acida iſta in ſtomacho reperibilia, aut vomitu rejecta alimenta corrupta fuiſſe ſtatuunt; Sed, ut præteream ea, quæ in ſtomacho corrumpuntur, unde quæſo lac aſſumptum intra horam corrumperetur, & in nidorem degeneraret? hac enim ratione Cibi omnes non digererentur ſed corrumperentur, cum in ſtomacho ordinario omnes aceſcant. Dein cum volucres, quorum tàm potens eſt acidum ſtomachi, Gas illud acre eructent, cur committi hic fallaciam non cauſæ ut cauſæ aſſerunt? Dum verò urgent, non eſſe aperiendos ventriculos animalium dum cibos conficiunt, quia acidus liquor tunc reperibilis ex aſſumptis ſit, ſciant, in vacuo ventriculo vix reperiri adeo ſenſilia acidi veſtigia, quia tunc inſpiratio fermenti fere ceſſat, quod in ſpecie, occaſione alimentorum ingeſtorum copioſius eo derivatur; Adeoque eo tempore, quo Cibaria conficiuntur, aperiendos eſſe ventriculos, ut acidos odores naribus percipiantur, ſupra ex *Conſentino* monuimus.

§. 9. Obſervandum autem hic, maximam eſſe fermenti hujus digeſtivi in animalibus varietatem, quælibet ſcilicet animalium ſpecies ſpecifica ſua habet fermenta, in acido tamen plus minus ſymbolizantia; unde coquit una ſpecies hoc, quod alia abſque læſione ferre nequit. Imo in ſingulis animalium individuis pro circumſtantiarum varietate inſignis ejus eſt diverſitas, ſic v. g. in homine, ratione ætatis, ſexus, alimentorum, ſtatus ſani vel ægri, maxima in ſapore, acrimonia, volatilitate, aliiſque ejus proprietatibus eſt diverſitas, quod nulli videri poteſt admirabile, qui mirabilem ſalium varietatem ex alia atque alia, tàm inter ſe, quàm cum aliis particulis commiſtione oriundam, indeque multiformes reſultantes proprietates, & agendi varietates conſiderant, unde fermentum hoc nunc erit magis acidum, nunc acido ſalſum, nunc ſingulari acrimonia præditum, nunc alio quodam ſingulari ſapore inſignitum.

§. 10. Fermentum hoc in copioſa fluidi corporis ſeu ſucci menſtrualis ſubſiſtentiâ in ſtomacho non exiſtit, ſed inſpirari ſaltem illud eidem ſub alimentorum imprimis digeſtione, adeoque parva & à priori inſenſibili mole ibidem, præſertim circa parietes rugoſas ineſſe, recte ſtatuitur ab *Helmontio*. Nempe, ut ſimili aliquo negotium huc intelligibilius reddatur, res parilis ferè atque in cado aceti evenit, aquam etiam ſimplicē, aut pluvialē ſolo ſuo odore fermentativo impræguāte, & ita in acetum tranſmutante, nempe in cado illo, ejuſque aſſeribus, non niſi fracedo quædam, vel acor, quomodocunque vocites, fuit imbibitus, qui ſimilem mutationem effectivè & realiter inducit, ſola ſaltim odoris quaſi ſui inſpiratione; Atque hac de cauſa fermenta hæc vitalia *Helmont.* ſub nomine odoris, vel cujuſdam quantitatis, vel fracedinis explicare ſolet. Nec proin etiam ſimilem efferveſcentiam, motumque fermentationis fermentum hoc excitat, prout illa in panis, vel vini confectione ordinario ſolent; vis tamen illa ſeu odor aut fracedo, cum ſeſe corporeum ad inſtar fermentorum, imò multo magis adhuc in minima etiam tranſmutati, qualitate ſua ſe explicet, fermenti nomen accepit ab *Helmontio*, retinetque. Unde in ſuibus non coagulum in ventriculo, ſeu ipſe ventriculus exſiccatus & depuratus pro ſeparatione caſei à lacte ſumi ſolet. *Vid. acta Haffn.* loco ſupra citato.

§. 11. Quoad originem hujus fermenti digeſtivi, fert quorundam opinio, Innatum hoc eſſe ſubſtantiæ ſtomachi, in eoq; ſubinde reſtaurari & renovari; Quod tamen minus placet, cum digeſtio & appetitus, quandoque abeant & redeant, v. g. in febribus, unde non ipſius ſtomachi fermentum illud proprium eſſe, patet. Nec tamen origo eſt ex Splene, ut autumat *Helmont.* cum Canes ſine ſplene, adhuc ſint egregiè voraces, & laudabiliter digerant, *ſed potius videtur fermentum illud digeſtivum oriri ex lymphâ certâ per tunicam intimam glanduloſam ventriculi pedetentim tranſudante*, cui, ceu vehiculo appropriato, ſe jungit ſpiritus animalis volatis ex nervis inſignioribus, & copioſis ad ſtomachum derivatus. Quæ ſententia præſertim eſt *Joannis Majovv. tract. de motu muſculorum. cap. 5. p. 55.* ita ut primario fermentum oriatur ex ſpiritibus animalibus per nervorum ductus in membranas ventriculi depoſitis, & ibidem ſpeciali lymphæ, membranæ glanduloſæ ſociatis; è quibus utriſque per vaſa excretoria glandularum in ventriculi cavitatem ingeſtis inſpiratis, liquor ejus fermentativus componitur. Hinc acidum fermenti ex lympha iſta originem ducit, vis autem ſpecialis fermentativa, & vitalis iſta Chyli alteratio à ſpiritu iſto animali primario dependent. Hinc eſt, quod accepto triſti nuntio ſubitò omnis pereat appetitus, antea ſalvus, & quod ab aſſumptis mox gravetur ſtomachus, ac à gravi terrore & iracundia mox commedere, ſanitati maximè averſetur. Ex imaginatione cibus mox horridus & nauſeoſus, & hinc difficillime digeſtio redditur, quibus cōferantur argumenta à Majovv adducta, nempe, ſi quis poſt paſtum mox ſtudiis incumbat, ita ut ſpiritus animales in Cerebro detineantur, digeſtionis munus ob ſpirituum animalium defectum non rite perficitur. Sub ingeſtione ergo alimentorum irritato ſtomacho ſpirantur copioſiores ſpiritus animales, qui excipiuntur uberiori lympha per glandulas ſimul excreta, à quibus junctis penetrantur alimenta, & ita ad fermentationem Chylificatoriam perducuntur.

§ 12. Sunt non pauci, qui reliquias alimentorum acidas in rugis ſtomachi contracti reſtitantes pro fermento agnoſcunt, & hac ratione, eas, fermento in panificio comparare aſſolent. Sed minus concina hæc ipſa videtur hypotheſis, nam alimenta, eorumque reliquiæ, aut à ſe ipſis, aut ab alio acorem fermentativum contrahunt, *ſi ab alio*, de hoc redit quæſtio, quid & quale hoc ſit? & ſic ad peculiare acidum fermentum tandem pervenitur; Si *verò à ſe ipſis*, quæritur, unde & quomodo acor hic emergat! Unde enim eſt quod in febribus, appetitu deficiente, & digeſtione ceſſante alimenta ingeſta, acorem non contrahant, quin in his nidorem, acori contrarium concipiant. Unde eſt, quod abſente acido in ſtomacho quælibet ingeſta corrumpantur, & putrilagine inquinentur, ceu in calido, humido loco, & non aceſcunt; è contra præſente fermento acido, cujus indicium vel ructus acidi ſpirituoſi, vel appetitus naturaliter ſtimulans citra talis corruptelæ aut nidoris præſentiâ alimenta digerantur, à quo ita ingeſta alimenta, ſi ſponte ſua, eorumque reliquiæ acorem contrahere debeant, ante illam ſui aceſcentiam à putredine præſervantur

vantur & defenduntur. Præter has reliquias ſaliva etiam vel pro principio vel pro componente ſaltim fermenti digeſtivi habetur. Sed hæc parum ad fermenti conſtitutionem conferre videtur, cum ſimplici huic liquori lymphatico vis talis alterativa ſingularis minime convenire queat. Si quidem, dum mutantur cibi in Chylum, non nuda ſaltem alteratio, aut permutatio eſt, ſed Chylus novo, ac vitali, & tali individuo ſpecifico Charactere inſignitur. Potius ergo menſtrui loco ſaliva alimentis ſub maſticatione permiſceri, & ſub digeſtione continua deglutiri ſolet, ut macerata ita alimenta eò commodius digerantur.

§. 13. Fermentatione ergò alimenta chylificantur, unum interim citius, quàm alterum in Chylum transmutatur, illo, quod jam in Chylum abiit, ad inteſtina per pylorum deſcendente, parte cruda in ventriculo remanente. pro ulteriori digeſtione. Simul enim ac deglutita ſunt alimenta, ſtomachi utrumque os arcte clauditur, per fibras nerveas circulares, à quibus ſphincteris inſtar, orificia arctantes; unde ſaltem per orificium ſiniſtrum, ſuperius, amplum, inferius arctum facile aliquid admittitur, nihil vero, ne flatus quidem, niſi cum impetu, emittitur, ut in ructibus patet. Reliquæ, corpus ventriculi conſtituentes fibræ & membranæ, ſtomachum moderate ita ſtringunt, ut cibus ubique comprehendatur, non autem nimis comprimatur, nec tamen proprio pondere in fundo fluctuet, ſed ſpatium conveniens habeat pro fermentationis & turgeſcentiæ motu, donec pars cocta reliquis ſupernatans, pylorum laxet, & ad ſui ſtimulationem ſtimulet, è cujus apertura reliquis ventriculi fibris ſe modice ſtringentibus, Chylus ad inteſtina dilabatur.

§. 14. Omnia interim per fermentationem inter ſe agitantur, & confunduntur, non ergo ſcrupuloſe adeo certus ciborum aſſumendorum obſervandus eſt ordo, cum non ea, quæ ingeſta fuere modo, ſi tuentur, ſed à potu etiam invicem permiſceantur, niſi interdum à voracioribus cibos ſolidos parum manducantibus, aut parvo, nullove potu utentibus, ſitum iſtum ad tempus ſervent. Adde, quod cibi poſterius ingeſti, propiores ſint ad exitum, utpote cum utrumque orificium ejus ſit altitudinis, fundo in medio deſidente.

§. 15. Chylus ita confectus, liquor eſt moderate albicans & fere lactens, præſertim in genere humano, quem colorem ipſi ſubacida fermenti digeſtivi vis conciliavit; præcipitando quaſi pinguedinem alimentorum ſulphuream, unde talis color emergit nec ſecus ac acidum quodlibet ſolutionibus pinguium vel ſuphureorum per alcalia factis affuſum, lacteum liquorem emergere facit. Quod enim ſub digeſtione prima pingues & ſuphureæ particulæ exaltentur, & emergant, videtur manifeſtum ex quadrupedibus, quæ etiam ex gramine, fœno, lac, butyrum, adeoque pinguedine turgida eliciant, ratione cujus olei, ſeu pinguedinis ſulphureæ, ab acido alteratæ, nec perfectè cum vehiculo aqueo unitæ, color talis albidus, lactis & chyli & emergere ſolet.

§. 16. Tempus quo negotium hoc abſolvitur, eſt varium, quæ varietas dependet

1. A cibis, qui nunc ſunt vel facilioris, vel difficilioris digeſtionis, nunc appetiti, nunc inappetiti, nunc conſueti, vel inſueti.
2. A fermento, quod nunc fortius vel debilius, nunc ſpirituoſius, vel minus tale, nunc cibis magis appropriatum, vel minus; huc & ætatis ratio pertinet.
3. A ventriculo, qui nunc ſtrictus, vel laxus, & pituitâ vel alienis humoribus vacuus, vel plenus, ſenſilis vel inſenſilis, &c.
4. A tempore, quod nunc diurnum vel nocturnum, hinc corpus vel movetur, vel quieſcit, vel ſedet, vel jacet.
5. Ab animi affectibus, qui coctionem vel promovent, vel imminuunt aut turbant. In genere tamen probabile videtur coctionem abſolvi in nobis intra vj. horas diurno tempore, & intra vij. vel viij horas, nocturno. ita ut interdiu citius, ſed noctu perfectius contingat Chylificatio.

CAPUT VIII.

CHYLI IN INTESTINIS ALTERATIONE ET FOECUM SEPARATIONE.

§. 1. Chylus ex alimentis productus naturaliter obſervatur ſalſus, ſubacidus, interdum ſubdulcis, nonnihil viſcidus utplurimum albicantis, ratò alterius coloris, pro aſſumptorum nempe varietate, fermentique conditione; Eſt uno verbo inſtar pultis dilutioris, vel inſtar lactis paulò craſſioris, in quo, licet quoad ſenſum homogeneo, reſident tamen adhuc partes heterogeneæ, excrementitiæ, & quaſi caſeoſæ, in inteſtinis ſeparandæ, quo à purioribus, corporis œconomia conſervetur, nec ab impurioribus lædatur. Quin etiam ipſe Chylus, ut pro ulterioribus uſibus tàm in ſanguinis redintegratione, quàm nutritione eò melius ſufficiat, debitam ac ultimam ſui perfectionem in inteſtino duodeno acquirit.

§. 2. Quoc ergo ulteriorem Chyli in inteſtinis perfectionem attinet, dependet hæc ipſa à balſamo bilis. Quoad verò recrementorum fœculentorum ſeparationem, dependet hæc à bile & ſucco Pancreatico ſimul; Iſta fit per modum condituræ, hæc per modum præcipitationis. In inteſtino duodeno ergo haud longe à Pyloro, chylo obvia fit bilis per vaſa cholodocha excreta, ipſique exacte permiſcetur; Illa vero cum conſtet ſale volat. temperato, copioſo oleoſo, cum aquæ ſ. q. dilutis invicem, chylum hæc intime penetrat, ejus craſſitiem inſigniter attenuat, eumque ſic mobiliorem & fluidiorem reddit. Sin hic ſimul non nihil ſit acidus, acore ejus ſui conjunctione in ſalſum volat. ſimul transmutat, cum enim, quodcunque acidum manifeſtum, ſi ſenſile corpori extra ſtomachum ſit inimicum, mox tali chylo occurrit bilis in duodeno, quæ ſale urinoſo & oleoſo, acidum hoc egregie temperat, ipſumq; chylum fermentativo motu alterat.

§. 3. Primus hic fuit uſus, ob quem Chylo permiſcetur bilis. Secundus, iſque admodum probabilis eſt, communicare chylo pro ſanguificatione prima diſpoſitionem, beneficio olei ſeu ſulphuris ſui tingentis, quod in ſe rubini inſtar nitet, in bile autem flaveſcit inſtar rubicundæ auri tincturæ, ſub corpore flaveſcente abſconditæ. In chylo inchoata hæc pro ſanguificatione tinctura eſt inviſibilis cum tàm ab ipſo chylo acido, quàm admiſto Pancreatis ſucco obtundatur, cum non rarum ſit in Chimia liquores ſanguine rubicundiores, affuſione acidi, albeſcere & lacteſcere, ut in lacte ſulphuris notiſſimum. Vitiato ergo bilis ſulphure morbi ex deficiente hæmatoſi orti, v.g. Icteri, hydropes, Cachexiæ, fœdi virginum colores, &c. in promptu ſunt, de quo videatur *Tackius in Chryſogonia animali & Minerali.*

§. 4. Tertius, quem bilis chylo præſtat, uſus eſt, quod eũ vi ſua balſamica, ratione ſulphureæ, ſeu oleoſæ cum ſalinis particulis concentratæ naturæ à corruptione & putredinis quacunq; labe, hinc & verminatione præſervet, quam facile enim corpus, ejuſque humores in putredinem dilabantur, notiſſimum eſt, & in ſpecie Chylus ob aſſumpta tam animalia quàm vegetabilia facile putreſcentia & verminantia vermibus admodum eſt obnoxius. Neceſſe eſt ergo, ut ipſi, & eo mediante, reliquo corpori, ejuſque partibus aliquod remedium præſervativum admiſceatur, jam vero bilis tàm interno, quã externo uſu, vermibus, ceu putredinis inſeparabilibus comitibus etſi inimiciſſima, unde etiam quãdiu in inteſtina dilabitur, naturaliter cõſtituta, nulli

unquam

unquam generabuntur lumbrici, cum ex obſtructo-jus meatu, ſubitò iidem propullulant; notum etiam eſt, quælibet pinguia ſulphurea, cum ſale volat. plus minus concentrata, indeque acria, penetrantia plus minus amaricantia, &c. balſamica dici, ob vim putredinem corporum animalium arcendi, cujus naturæ & texturæ etiam bilis obſervatur. Adeoque in viventibus, bilis eſt id, quod mortuis eſt aloe, myrrha ve, quamlibet nempe arcet corruptelam, & ſimplicia amaricantia, abſinthium, centaurium minus, rhabarbarum, & vermes in quocunque loco necant, & ſanguinis, ex deficiente, vel vitiata bile, defectibus medentur, bili ſcilicet in ſua natura ſymbolizantes.

§. 5. Præter hanc perfectionem, quam Chylus in inteſtinis à bile recipit, ulterius ſeparationem patitur fœculentiarum à nutritivo chymo, quæ fit mediante quadam præcipitatione quaſi caſeoſæ partes, ceu inutiles à nutritivo cremore ſegregandæ ſint. Præcipitatio hæc & ſeparatio in inteſtinis fit beneficio bilis & ſucci pancreatici, quibus ita diſponitur chylus, ut & recrementa fœculenta ex eo recedant, & ſubtilior laudabiliorque ejus pars in vaſa lactea commodius tranſcolari poſſit. Fit autem non omnimoda ſecretio contenti à continente, ſed craſſiores tantum & viſcidiores ſeparantur fœces, reliquis chymi partibus cum liquoris præcipitantis maxima portione ſe jungentibus & ita amice coeuntibus.

§. 6. Modus ſeparationis hic conſiſtit in eo, quod nempe bilis, dum diluit, penetrat & temperat chylum, cum ea in homine ſimul, paulò inferius verò in aliis quibuſdam animalibus permiſceatur ſuccus ex pancreate ad inteſtina delatus, qui ſæpius repertus eſt acidulus, interdum ſalſus, rarò inſipidus, alteriuſve ſaporis; de quo *vid. Graaff. in tract. de ſucco Pancreatico, item Sylvius diſput.* 2. Hic ergo ſuccus dilutum & fluidiorem à bile factum chylum etiam ſubintrat, & aciditate, vel ſalſedine ſua quodammodo ſtyptica craſſiores chyli partes ſeparat, eáſque quaſi blandè coagulandos ſpontè ſecedere facit, cum iiſque ſeſe partim verò cum chymo laudabili à bile perfecto in unum corpus abit, ad ſanguineam maſſam ablegandam.

§. 7. Hanc ab his duobus ſuccis, fœcum ſeparationem confirmant ii, qui cæliaco laborant affectu, item Ictero, in quibus ex horum ductuum obſtructione, impedito liquorum tranſitu, fœces chyloſæ excernuntur; prout ergo naturaliter vel præternaturaliter conſtituti ſunt hi ipſi ſucci, bona vel mala etiam fit chyli alteratio & excrementorum ſeparatio, unde plurimorum morborum primæ exſurgunt origines.

§. 8. Hæc ipſa omnia, tam Chylificatio, ſi ritè ſe habuerit, talis fœcum ſeparatorum emergit conſiſtentia, ut ſub debita fluiditate in tenuibus, & ſub moderata liquida craſſitie in craſſis inteſtinis ſucceſſivè ad rectum uſque perveniat, & per ejuſdem os excludantur. Fit itaque hæc excretio fœcum non præciſè ob ſtimulum à bile inditum, nam quicquid hæc tribuit, ſaltem majorem fœcibus fluiditatem conciliando præſtat, quæ aliàs ab acido tàm ſtomachi, quàm pancreatis ſub ſpiſſiore conſiſtentia quaſi condenſatæ, difficulter per inteſtina moverentur, ut in hypochondriacis, v. gr. patet, in quibus acidum dominatur, bilis autem vel vitioſa, vel defectuoſa eſt. Non autem ſtimulari inteſtina à bile fœces aliquomodo inficiente, & ex eo evadit manifeſtum, quod fœces alvi non ſint acres ſtimulantes, ſed vel inſipidæ, vel ſubdulces, aquoſæ, quoniam bilis, ſi aliquis ſubſit amaror, partim ab acido chyli, partim ab acido pancreatico, plus minus manifeſtis, vel occultis, temperatur, ita ut omnia iſta invicem miſta in ſalſum moderatum, vel ſubdulce inſipidum abeant. Nempe & clyſteres emollientes, ſine illa acrimonia, ſolummodo ſua fluiditate inteſtino recto incumbentes, idem ſtimulant pro fœcum excluſione; Sicut etiam urina ſolummodo veſicam diſtendendo ſine acrimonia excretionem urget, & per conſenſum vicinitatis, alvum ſubinde ſtimulat; aliàs etiam quælibet aſſumpta modò fluidas reddunt fœces, alvum reſeratam ſervant.

§. 9. Hi duo liquores, bilis & Succus Pancreaticus, præter dictos uſus etiam motu ſuo per inteſtina pituitam ſeu mucum inteſtinorum, parietibus adhærentem, colliquant, attenuant, & incidunt, & ſic cum eo partim per ordinarios ductus ſanguini infunduntur, partim verò pel alvum exonerantur. Eſt autem mucus ille nihil aliud, quam ſpiſſior paulò chyli ſecreti pars, dum ejus tenuiores portiones per inteſtinorum foramimula tranſcolantur, relicta, quæ obtinendo inteſtina, ab illorum ſuccorum acrimonia eadem defendit, & lubricando eadem chyli, fœcumque motum faciliorem reddit.

CAP. IX.

CHYLI SECRETI PER INTESTINA tranſcolatione & ad alias partes diſtributione.

§. 1. Separatus ita in duas partes chylus, ſubtilior ejus tenuior ac fluidior pars per porulos inteſtinorum in figuratos ſeu conformatos, ut cremorem hunc lacteum ſolummodo admittant, craſſiores verò partes iſtis poris non proportionatas, imò etiam flatus & aërem excludant, in vaſa lactea influit, leniterque ab iiſdem quaſi abſorbetur, reſtitante ejus parte paulò viſcidiore ſub ſpecie muci, pars verò craſſa motu inteſtinorum periſtaltico ablegatur, ubi ſub forma ſtercorum excluduntur, dum in recto inteſtino conſtituta moleſtia aliquali & fluido pondere, idem ad ſui excretionem ſtimulant, quæ tanto eſt major, quo fœces ſunt fluidiores, aut magis flatulentæ, tantò minores quo eædem craſſiores.

§. 2. Motus autem Chyli ex inteſtinis & reliquas partes, quo modo & per quæ fiat vaſa ſemper admodum controverſum fuit, unde etiam tanta dubia de Organo ſanguificationis, & nutrimento partium oborta fuerunt. Veteres Galeni ſectatores ex inteſtinis attrahi à venis Meſaraicis chylum ſtatuerunt, & ad hepar tranſvehi in cruorem, & ſpiritum naturalem elaborandum, inde & facultatem naturalem in hepate collocarunt, & ſimul contrarium chyli & ſanguinis motum in Meſaraicis fecerunt. Juventis verò poſtmodum annor 1626. die 23. Julii à Caſparo Aſellio, Ticinenſi venis lacteis à colore & proprietatibus contenti liquoris ſic dictis, per has ad hepar motum chyli omnis promoveri creditum fuit, de quo *vid. tract. Aſellii de venis lacteis, item VValaus in Epiſtol. de chyli & ſanguinis motu.*

§. 3. Cum autem *Johannes Pecquetus Dygbaus*, anno 1650. trium annorum obſervatione confirmaſus, ſuum noviter inventum, receptaculum commune in brutis, una cum ductu thoracico, ex eo ad venas axillares uſque protenſo, divulgaſſet, & *Bartholinus* loco illius brutorum receptaculi, glãdulas ſuas lumbares in homine demonſtraſſet, creditum omnino fuit duplicem eſſe chyli motum, partem nempe eſſe chyli craſſiorem ad hepar per lacteas circa venam portæ ſurſum tendentes, partem verò tenuiorem, ad chyli receptaculum per reliquas lacteas deferri, ex quo per ductum thoracicum in ramum axillarem ſiniſtrum infundantur, ut cum ſanguine per venas redeunte ad cor mittatur, imò in mulieribus lacteas quaſdam, licet nondum viſas, à lacteo thoracico ad mammas, lactis chyloſam materiam deferre, probabiliter ſtatutum fuit, & ex iis etiam ſeroſam materiam ad renes transferri ſub urinæ forma poſt partum excernendum.

§. 4. Sedulitas Anatomicorum tandem uſque eò proceſſit, ut *à Bartholino*, *Ruydbekio Sveco*, & *Joulivio* Anglo, ferè eodem tempore, licet diverſis in locis

circa annum 1651. & 1652. vaſa lymphatica inventa fuerint, qua occaſione ſimul obſervatum fuit, vaſa ex Meſenterio ad hepar protenſa, non eſſe lactea, ſed lymphatica ſeroſam materiam ex hepate educentia, (ſicut omnia reliqua lymphatica per viſcera & artus diſperſa, ex circumferentia corporis ad truncum thoraricum, & tandem ad cor, ceu commune centrum, liquorem contentum revehunt,) unde nihil chyli ad hepar convehi, ſed omnem receptaculo communi & tandem cordi, infundi aſſertum, indeque cor ſanguificationis Organon unicum proclamatum fuit, hepatis exequiis in ſanguificationis negotio *à Bartholino* celebratis. Quæ opinio communi Medicorũ applauſu, pauciſſimis, imò ferè nullis apertè renuentibus recepta fuit.

§. 5. Lugebat hepar ſuam cladem, dum novæ ex inſperato ipſi feruntur ſuppetiæ *à Ludovico Bilſio Nobili Flandro*, qui â tenera adoleſcentiæ 13. annorum ætate, uſque ad ſenectutem ingruentem Anatomiæ operam dando, præter artificioſam cadaverum condituram & incruentam earum ſectionem, anno 1660. ſe inveniſſe divulgat, quod alimenta in chylum transmutata, præter ſeparationem inutilis ab utili in inteſtinis, ratione vaſorum lacteorum & meſaraicorum dividantur, ita, ut in communiter ſic dicta lactea, pars ſubtilis tenuiorque inſtar roris per anguſtos meatus tranſudet, & ad receptaculum commune transferatur, unde per vaſa (communiter dicta lymphatica, ab ipſo verò ob liquorem contentum, vaſa rorifera appellata) ſurſum partim in cor & reliquas partes, partim verò deorſum, uno verbo in omnia membra deferatur, craſſior verò ejus ſucci pars propriè chylus dicta in vaſa meſaraica ſanguiflua ex inteſtinis ingrediatur ad hepar amandanda, pro ſuſcipiendo ibidem ſanguinis rudimento, quod abſolvatur tandem in corde; ita ut Bilſius non tantum hepar antea ſepultum de novo reſuſcitet, & venarum meſaraicarum minus devehendo chylo denuò renovet, ſed etiam rorem ſuum ab aliis lympham appellatum, in vaſis roriferis ex centro, hoc eſt receptaculo ad circumferentiam corporis quaquaverſus moveri aſſerat, quod omnibus, qui de lymphaticis mentionem fecerunt, omninò contrariatur. Commentatores ejus pro materia ſalivæ, urinæ, ſynoviæ, lactis, nutrimenti fœtus, rorem eundem venditant, uti videre eſt in *Deuſing. Epiſtol. ad Bartholin. de Hepatis reſurrectione*, item *in appendice Exercitat. de Nutrimenti Corporis elaboratione. Zaſius* etiam Medicus Amſtelodam. hæc Bilſii aſſerta peculiari ſcripto belgico, ſextuplici Helmontii digeſtioni accommodavit. Sed hanc Bilſii opinionem refutatam vide, præter omnes alios Anatomicos, *à Jacobo Henrico Pauli in Anatom. Anatomiæ Bilſianæ, & à Ruyſch. in tract. de Valvulis vaſorum lymphaticorum.*

§. 6. Ex his quid verum ſit, ſtatuere, res difficilis videtur, probabilis tamen eſt ſententia, chylum ex inteſtinis in vaſa lactea exprimi, id quod autopſia evincit; à lacteis per mezenterii glandulas, ſucceſſivè ad receptaculum commune, (quod in homine non conſtituunt glandulæ lumbares Bartholinianæ, hæ enim vicariæ ſunt magnæ iſtius meſentericæ glandulæ brutorum, ſed præfatum receptaculum in homine etiam membranoſum inſtar iſtius, quod in brutis reperitur, obſervavit non tantum *Ruydbeck in Tap. Anatom.* ſed etiam *Diemerbrock in ſua anatome p.* 87. Receptaculum hoc bis in homine.) devehi, ibique cum lympha ex inferioribus ramis adſcendente permiſceri, dilui & ſic ulterius continuato pulſionis motu per ductum thoracicum, in venam axillarem ſiniſtram infundi, ibique cum lympha ex ſuperioribus ramis deſcendente, denuò permiſceri, tandemque in cordis dextrum ventriculum cum ſanguine unà influere.

§. 7. An verò præterea Chyli aliqua portio ad hepar quoque perveniat, nondum ſufficienter probatum eſt, & an hoc per ramulos quoſdam lacteos, an verò per veterum venas meſaraicas fiat, valde adhuc dubium eſt. Liquor Bilſii gryſeus vitro fuſo ſimilis in venis meſaraicis, nemini, licet experientia ſæpius facta fuerit, niſi ipſi ſoli apparuit. Sunt, qui colorem & odorem croci copioſius aſſumpti in liquore poſt paſtum è venis meſaraicis hauſto, ſentiri aſſerunt. Sunt, qui ex purgantibus propinatis liquorem ex venis meſaraicis brevi poſt hauſtum purgare dicunt, ſed neutrum ſufficienter conſtat. Moderni nonnulli, reſuſcitationi hepatis faventes, experimenta quædam de motu chyli ad hepar promere promiſerunt, quæ ipſa adhuc exſpectamus.

§. 8. Cæterum aquoſiores aſſumptorum partes in primis quoque viis ex chylo ſecerni, & antequam ille cum ſanguine permiſceatur, ſeparari, cita potulentorum in bibonibus, ferè ut aſſumpta ſunt, ſub urinæ ſpecie, excretio perſuadet, ut & Diabetes, acidularum potatio, aſſumptorum cum urinis cita excretio, odor urinæ violaceus ex therebinth. croceus ex comeſto croco, color ſanguineus ex ſucco rubiæ, &c. Sed per quas vias cita hæc excretio pertingat, obſcurum eſt. Probabile videtur, chylum copioſum per vaſa lactea in meſenterio ad glandulas delatum, ibi pati ſecretionem quandam utilis ab inutili aquoſa materia, &, quod hæc poſtea ceu ſerum chyli per vaſa ſui generis ad partes urinarias amandetur. Hinc rectè urget *Helmont.* dicendo, *diſtite urinam potus, ab urinâ cruoris ſecernere*, quaſi nempe illa in meſenterio à chylo, hæc in renibus à ſanguine ſeparetur, de qua urinâ potus & chyli *Vid. Deuſing. Diſſ. de Alimentorum depuratione p.*146. Confer. ſimul quoad mirabilia urinæ excreta, *Bartholin. Cent.* 1. *hiſt. Anatom.* 68. *item Miſcellan. Acad. Nat. Curioſ. Annus II. p.*4. 248. 266. 401.

§. 9. Lac non generari ex ſanguine, ſed ex ſucco paulò viliori & mitiori, ſcilicet chylo, vel materia chyloſa, probatum vid. in *Deuſing. Diſſert. de lacte. item in Charleton. Oeconom. Animal. Exercit.* 3. *de Galaxia p.* 27. *item in Thoma Cornelio Conſentino Progymnaſm.* 6. *Schneidero lib.* 3. *de Catarrhis cap.* 3. *&c.* Et fœtum per os, item per placentam Uterinam nutriri ſucco hujuſmodi chyloſo, ex quo primitus ſimiliter conceptus materia concrevit. *Vid. Exercit. Hervai de generatione Animalium. Deuſing. de Geneſi Microcoſmi, Claudii de la Courve Tract. de nutritione fœtus in utero.* Sed an hæ chyli portiones per vaſa lactea, vel his ſimilia, nondum tamen cognita ad has partes deferantur, an verò ex chylo cum ſanguine permiſto nondum ſubacto, ſed adhuc crudo & copioſo ſero diluto ad has partes delato in iis ſeparetur à reliqua maſſa, quæ modernorũ plurium eſt ſẽtentia, adhuc diſputatur. Reverà tamen chylus cum ſanguine, ut undique per univerſum corpus rapitur, ita ante ejus aſſimulationem, quæ tardius ſubinde evenit, & lactis, & nutrimenti fœtus, & genituræ ſeu ſeminis maſculini materia exiſtit, & mediantibus partibus glanduloſis ex ſemine ſeparatus, lac, ſemen, &c. conſtituit.

CAPUT X.

DE CHYLI IN SANGUINEM CONVERſione, ſanguiniſque fermentatione.

§. 1. Chylus lymphæ permiſtus in axillarem venam ſiniſtram per ductum chyliferum thoracicum infunditur, ibique cum ſanguine permiſcetur, ab eo reſolvitur, & ſubigitur, ejuſque motu in cordis auriculam dextram, dextrumque cordis ventriculum illabitur, ex quo per pulmones in cordis ventriculum ſiniſtrum pellitur, ex quo per arteriam magnam, ſeu aortam per totum corpus, tàm ſurſum, quàm deorſum ulterius movetur.

§. 2. Dum ita movetur chylus cum ſanguine confuſus, ſenſim ſenſimque ſubigitur, ſucceſſivè permiſcetur, alteratur; & tandem ſucceſſu temporis in ſanguinem

guinem ſimiliter mutatur, quæ mutatio *Sanguificatio* dicitur. In hoc negotio ſanguificationis cor ipſique annexa vaſa ſe habent purè paſſivè, & nihil quàm locum aut ſpatium his liquoribus pro motu concedunt. Eſt enim ſanguificatio actio non organica, ſed tantum ſimilaris, conſiſtens in aſſimilatione chyli cum ſanguine, hoc eſt, *Sanguificatio fit motu inteſtino, ſeu fermentativo particularum*, in quo conſiſtit actio ſimilaris, non verò fit motu locali, ſenſili, ad quem organiſatio partium requiritur, in quo cōſiſtit actio organica. Hinc & ipſum cor non ſecus ac reliquæ partes ſuam vitalitatem, calorem, motum, activitatem debet tantum ſpiritibus, & ſanguini per vaſa coronaria ſanguiferos & nervos in cor diſtributis, quibus deficientibus, & ipſum languet, ac deficit adeo, ut nec ſyncope ſit cordis affectio, ſed tantum ſpirituum & maſſæ ſanguineæ.

§. 3. Cor ergo, ceu muſculus, motuſque adeo localis inſtrumentum in corporis noſtri machina hydraulica, antliæ vices gerit, inque eum finem formatum eſt, ut ſanguinem venis exceptum, in arterias, & inde in totum corpus, vibrante motu tranſmittat, ita ut ejus actio ſimpliciter ſit ſanguinis ex venis in arterias transfuſio.

§. 4. Tranſvaſio hæc ſanguinis fit imprimis mediante ſiniſtro cordis ventriculo, qui propriè cor eſt, cujus appendix ſaltem eſt dexter, ut ſtructura eorum, cordiſque fabrica demonſtrant. Hic enim dexter propter pulmones ſaltem fabricatus eſt, ut eodem rectius & commodius ab hoc, (pro ſubeunda maximè neceſſaria ad vitam alteratione, & ad ſanguificationem perfectam diſpoſitione) fiat ſanguinis pulſio, & per hos ad ſiniſtrum ventriculum ſeu cor primarium, promotio; Unde & animalia ea, quibus pulmones obtinent, duplici etiam cordis ventriculo gaudent.

§. 5. Tranſmutationem Chyli in ſanguinem fieri per elixationem à calore cordis innato veterum fuit hypotheſis; Cum qua Modernorum congruit ſententia, ſanguinem repetito curſu ad cor delatum à flammula vitali, ſeu biolychnio, in ejus ſiniſtro ſinu flagrante, rareſieri, incaleſcere & quaſi accendi, & ita chylum permiſtum ſimul attenuari, reſolvi, ſubigi & alterari, & ita in ſanguinem mutari. Sed cum hæc ſententia ex dictis ſupra de principio vitali pèr ſe corruat, illorum videtur probabilior ſententia, qui eandem per fermentationem fieri tradiderunt, de qua etiam ferè non amplius dubitatur.

§. 6. Cæterum dubium occurrit, an ſanguis ſolus in ſe habeat vim fermentando aſſimilandi chylum, quatenus ſpiritu vitali impræegnatus eſt, & fermentativis particulis copioſè turget, cum quibus chylus beneficio continui motus & agitationis maſſæ ſanguineæ per vaſa & viſcera delatus per minima miſceatur, ſubigatur, & uniatur, donec perfectè aſſimiletur ea ratione, atque muſtum vino confuſum, fermentando in vinum abit, aut vinum in aceto aceſcit. Cujus opinionis ſunt *Charleton in Oeconomia animal. Exercit. 4. item Glyſſonius in Anatome hepatis c. 35. Needham de formato fœtu, cap. 13. de bilychno.* An verò in cordis ſinubus aliquod ſit principium hujus tranſmutationis primariò effectivum, hoc eſt, certum quoddam fermentum à quo ſanguis per venas effluens de novo quaſi vivificetur & chylus ſimul alteretur, donec ſucceſſivè in ſanguinem abeat. Cujus ſententiæ patroni ſunt *Backius de Corde. Helmont. ſubinde, ſpeciatim Tractat. Blas humanum. Item Sextuplex digeſtio, & VVillis Tract. de Fermentatione & Febribus.*

§. 7. Cum priori opinione congruit ferè Sylvii ſententia, qui ex lympha acidula, cum ſanguine per venas axillares deſcendente, & ex bile cum ſanguine per truncum venæ cavæ adſcendente talem, ob contrarietatem acidi ex lympha, cum ſale urinoſo, ex bile in cordis ſinubus, efferveſcentiam oriri vult, quâ ſanguis non tantummodo incaleſcat, accendatur, & ſpiritueſcat, ſed chylus etiam ſimul tranſmutetur. Hæc autē hypotheſis plurimis premitur difficultatibus, nam

1. Iſte bilis motus ſurſū omninò eſt incertus & dubius.
2. Lympha non eſt adeo inſigniter acida, nec ſanguis aſcendens adeo bilioſus, ut tam impetuoſa ex his fieri poſſit efferveſcentia; Sunt enim omnia in corpore noſtro temperata, imprimis ſi
3. Cum ſanguine miſceantur, qui liquor iſtorum ſuccorum ſuppoſitam acrimoniam non leviter mitigabit.

§. 8. Fermentum peculiare non eſſe in corde, ex eo probabile fit, quia

1. Nude & ſimpliciter tantum aſſeritur, nulla verò, vel probabili ratione adſtruitur.
2. Alterationes iſtæ, quas ſanguis in præcordiis videtur pati, ex aëris inſpirati activitate & permiſtione perſpicuè magis explicari poterunt, id quod & experimento Lovveri pateſcit. Vid. *Lovverus tract. de corde. p. 174.* Dum ſanguis in vena pulmonali idem cum ſanguine ex ſiniſtro cordis ventriculo in arteriam tranſeunte obſervatur. Et ſanè iſta de peculiari ſanguinem alterante fermento hypotheſis enata videtur primitus ex eo, quod non ſatis ad vim aëris inſpirati, & inde ſanguini inductam alterationem reſpexerint.
3. Brevis iſta mora ſanguinis in corde non videtur congrua alterationi à fermento inducendæ.
4. Origo, Natura, operandi modus iſtius fermenti penitus incognita ſunt, unde perinde eſſe videtur, ſive neſcire nos ſanguificationis efficiens & modum dicamus, ſive à fermento peculiari eum fieri diſſeramus.

§. 9. Probabilius ergo videtur, ſanguinem ipſum vitali ſpiritu impræegnatū, chylum in ſanguinē mutari, Nā

(1.) Dum in motu fermentativo exiſtit, & præſertim ab aëre inſpirato novo impetu ad fermentationem inſtruitur, materiam ſibi in radice ſimilem, facillimè fermentativam, ſub actione aſſimilabit, ſeu in ſui naturam tranſmutabit. inſtar vini, infuſum ſucceſſivè muſtum aſſimilantis.

(2.) Chylus ipſe fermentativus, & adhuc quaſi muſtaceus eſt, partim à fermentatione, ex acido ſtomachi ſuſcepta, partim à bile permiſta, inde facilè fermentando alterabitur ulterius, & à bile prædiſponitur in rubedinem exaltabitur, adeo, ut quælibet ſuccorum in corpore fermentationes ſint ſaltim continuationes fermentationis in ſtomacho inchoatæ.

(3.) Chylus pedetentim ſub crebrioribus circulationibus, & ita per continuatam cum ſanguine ſubactionem tandem in ſanguinem abir, id quod perſuadet, ſucceſſivè eū à ſanguine ſubigi & alterari.

§. 10. Chylus ergo inſtillatur ſanguini in vena ſubclavia, ſeu axillari ſiniſtra, ibique cum copioſo ad cavæ truncum properante ſanguine, blandè adhuc fermentante confunditur, ab eo attenuatur, ſolvitur, & ſubigitur, cum eo copioſè ex utroque cave trunco ad cordis defertur vētriculum dextrum, in quo nil prætereа alteratus, in pulmones expellitur. In his ſanguinis maſſa ex aëre, hujuſque ſale ſeu ſpiritu nitro-aëreo (*de quo vid. Majovv. tract. de ſale nitri & ſpiritu nitro aëreo.*) penetralia ejus ſubeunte inſigniter ex illius vi elaſtica rareſcit, novoque quaſi fermento inſpirato, tota ejus in pulmonibus præſens maſſa turgeſcit, inflatur, & intenſiorem concipit fermentationem, quatenus particulæ ejus maſſam conſtituentes motu inteſtino inſigniter aucto, agitantur mutuò & commoventur. Imprimis particulis ſulphureis ſeu oleoſis, (ſub quarum tegmine non tantum occultæ latent acidæ, ſed etiam temperantur alcalinæ particulæ) ab aëris ſale diſſolutis, & rarefactis, acidæ & urinoſæ particulæ in ſe invicem concitatius agere, mutuiſque curſibus ſe ſubigere, & iſto motu cum particulis oleoſis rarefactis inſignem incaleſcentiam toti maſſæ conciliare ſolent. Quæ ipſæ ſanguinis in pulmonibus inchoatæ alterationes, continuantur,

nuantur, dum in ſiniſtrum cordis promovetur ventriculum, exque eo per arteriam magnam in univerſum corpus, quamdiu nempe ab aëre ſuſcepta alteratio perſiſtit in eodem. Sanguificatur chylus à ſanguine per motum fermentationis, in quâ ſpiritus vitalis ratione virtutis imprimis elaſticæ, ferè primarii agentis obtinet vices, qui & ipſe primitus in conceptione ſanguinem ex apta materia per ſimilem motum emergergere facit, ſed etiam fluiditatem ſanguinis continuam conſervat. Aër inſpiratus eſt quaſi fermentum,aut ſaltem adjuvans neceſſarium externum, additum motum fermentativum, ſanguinem attenuando & imprimis pingues ejus particulas diſſolvendo, continuò reſtaurat,& ita conſervat. Inſtrumenta mediantibus quibus fermentativus motus imprimis continuatur, ſunt acidum & urinoſum, volatilia, à pingui temperata.

§. 11. Aër nempe inſpiratus tàm ratione virtutis elaſticæ quàm ratione ſalis ſui nitro aërei, agit in ſanguinem, & ſpeciatim poſterioris ratione, teſturam hujus ſalino-oleoſam, ſeu ſulphuream diſſolvit, ac ita compagem ſanguinis laxat, unde non tantum particulæ ſulphureæ, ſeu oleoſæ rarefactæ, intenſionis agitantur, ſed etiam deliteſcentia ſub oleoſo hoc tegmine ſalia, ſui juris facta, concitatiori motu in ſe invicem agunt,quo ipſo intenſiori concreti adeo pinguis motu,adjuvante ſpiritu nitro-aëreo,calor intenſus excitatur,partes quædam attenuantur, & volatiliſantur, & omnis iſta alteratio abſolvitur, unde & ſanguinis perfectio, & redintegratio, & conſequenter hominis vita dependet.

§. 12. Chyloſæ autem portiones unà cum ſanguine ſub iſto fermentationis motu ulterius attenuantur, ſubiguntur,intimè particulis ſanguinis homogeneis, pingues pinguibus, ſalinæ ſalinis, permiſcentur, & ſimul in textura ſua ita alterantur, ut & ipſæ tandem ſed ſucceſſivè ſanguini perfectè aſſimilentur.

§.13. Hæc dum ita fiunt,ſanguinis venenoſi color obſcurus & ferè nigricans exaltatur, & in tincturam eleganter coccineam intenditur,ab aëre inſpirato, rarefaciente,& attenuante ſanguinem, ut experimento Lovveriano patet præſertim ab ejus ſale nitri, aereo, cum aliàs nitri ſolutio ſanguini recenti permiſta, elegantiſſimam tincturam coccineam ipſi cõciliet. Rubedo ſanguinis materialiter ex ſalium volatilium cum oleoſis particulis intima penetratione, & exacta ſubactione originem trahit, qua ratione ſalia volat.& ſpiritus animalium urinoſi etiam limpidiſſima tractu temporis tamen rubicundum colorem acquirunt, idque eò magis, ſi cum ſpiritu vini rectificata fuerint, non ſecus ad alcalia tam fixa,quàm volatilia,dum in ſulphura mineralia agunt, rubedinem exhibent. Ipſe chylus jam de ſulphure ſeu oleo bilis participat, adeoque prædiſpoſitus jam eſt,ut ſubactus cum ſanguine ex particularum ſalinarum cum ſulphureis concurſu eò promptius ruborem induat;Nam bilis ratione facilius ſanguini unitur, promptiuſque ab eodem ſubigitur, ſiquidem ejuſdem tranſmutatio in ſanguine multum facilitatur.

§. 14. Hoc modo continuatur quidem in ſanguine vitæ ſcena, ſemel in formatione corporis incepta, ſed quoad primam ſanguinis generationem, obſervandum eſt,quod aura ſeminalis ſeu ſpiritus genitalis, uti primitus totum conceptum, ſeu ovum fœcundat; & in eodem generationem & formationem partium quarumcunque abſolvit, per motum quem rudimento fœtus communicat,excitatus & adjutus calore, & fotu incubationis, ita & hujus medio ipſum ſanguinem primitus ſuo modo producere evidens eſt. Scilicet dum ſpiritus hic in puncto ſaliente primo ſe manifeſtat, particulas ſubtiliores liquoris ſeminalis, ſeu colliquamenti, in & circa præfatum punctum ſaliens agitare, & in circulum movere incipit, quo motu præfatus liquor, accedente ambiente calore, rareſcit, attenuatur, & aliqualem fermentationem concipit, donec repetitis circuitibus ex propriæ texturæ materialis ratione, & diſpoſitione, talem liquorem rubicundum abeat, in tenui membranula totum colliquamentum ambiente, primò apparentem, qui ſanguinem primogenium conſtituit, quique novo materiæ æque prædiſpoſitæ appulſu & repetito motu & continuata agitatione minimorum fermentativa ſimili ratione, continuò multiplicatur, & augmentatur ad perfecti uſque fœtus excluſionem,quâ facta,ultimum ſui complementum & debitam perfectionem aeris inſpirati medio demum conſequitur.

§.15. Dum hæc fiunt in ſanguine partes ejus tenuiores & ſubtiliores ſalino-volat. oleoſæ à craſſiorum liberatæ compedibus ſe extricant,magiſque adjumento aeris volatiliſantur & attenuantur, & ita in veros abeunt ſpiritus vitales cum ſanguine, ceu nobilior ejus pars in univerſum corpus diſtribuendos.

§. 16. Cæterum hæc tàm ſanguinis fermentatio, quàm chyli tranſmutatio, ut ritè perficiatur, tàm ab ipſius ſanguinis, quàm etiam debita chyli craſi & conſtitutione plurimum dependet: Hac enim vitiata, & vitiatur ſanguinis fermentatio, & chyli legitima aſſimilatio. Craſeos nomine nil aliud, quàm textura mutua ac naturalis unio & cohæſio particularum ſalinarum cum oleoſis, maſſam ſanguineam componentium intelligitur,ita quidem, ut oleum ſeu ſulphur,ceu vinculum miſtionis, ſalia verò ceu agentia primaria conſideranda veniunt.

§.17. Sanguinis,quod attinet craſin, ex ſemine primitus natam, ſi ejus liquor ſit ritè coctus & volatiliſatus, & inſtar vini generoſi ad maturitatem evectus, tunc debito modo fermenteſcit,& ſpirituaſcit,in corde & pulmonibus,& æquabilem,blandumque calorem per totum corpus diffundit. Sin verò ex vitiata ejus craſi vitioſè fermentet, varii morbi, ſpeciatim quodvis febrium genus mox corpus affligunt.Dependet hæc ſanguinis craſis & conſtitutio imprimis à duplici illo ſale,urinoſo & acido, volatilibus, quæ legitimè proportionata, & aliis particulis intermiſta,& oleoſis temperata æquabilem & blandam conſervant fermentationem. Sin verò vel unum excedat activitatem alterius, vel unum aut ambo ſint vitioſè depravata, læditur periculoſè ſanguinis fermentatio; urinoſo enim ſale excedente ſanguinea maſſa diſſolvitur, & fatiſcit, hinc defectu ſpirituaſcentiæ vires reſolvuntur; acido vero excedente eadem coagulatur, & grumeſcit, non ſpirituaſcit, & tardè fermentatur. Sin depraventur, quod innumeris fieri poteſt modis, ut peregrinos acquirant ſapores,depravatur vitalis fermentatio,unde ſcorbutus, lues venerea,cachexia,malum hypochondriacum, &c. Præſentiam autem ſalium horum in ſanguine confirmat,non ſaltem ſanguinis excreta, v.g. urina ſudor,Inſenſibilis tranſpiratio, quæ omnia ſalſo, adeoque ex acido & urinoſo compoſito ſapore prædita ſunt, ſed etiam ipſa ſanguinis,addito ſale fixo inſtar ſalis armoniaci deſtillatio,de quibus cõferatur *Tachenius in Hippocr.Chimic.cap.*12.nec aliter fieri poteſt,quin ex acido ſtomachi manifeſtiſſimo,cum alimentis aſſumptis multum alcali volatilis poſſidentibus emergat chylus plus minus ſalſus,& conſequenter ſanguis ipſe exinde ſalſus generetur,hoc eſt ex acido & urinoſo compoſitus, ſufficienti oleo temperatus.Craſis ſanguinis eſt vel primogenea, vel adventitia, illa à principiis ſeminalibus dependet,quæ per adventitiam,ratione uſus varii, tàm rerum naturalium, quàm nonnaturalium, diverſimodè ſubinde alteratur, utut de prima ſeminali craſi ſemper plus minus conſervet. Sic,v.g.ſanguis qui eſt juvenis & ſenis, in eodem ſubjecto multum variant, propter ſex res naturales,&c.tamen mores juvenum ſuo modo adhuc obſervantur in iiſdem ſenibus, qui mores ſequuntur ſanguinis craſin, & inde natam corporis temperiem. Illuſtrari poteſt per mutationes, quæ in vino Rhenano & Hiſpanico, item Gallico invicem collatis obſervabiles ſunt, in quibus de eſſentiali craſi ſeu ſeminali, ſemper plus minus ſupereſt, utut per adventitia

titias alterationes in craſi adventitia multum variare ſoleant.

§. 18. Hæc vero Sanguinis Diſpoſitio, præter Sex Res Nonnaturales dependet imprimis à chylo, prout hic à primis viis ipſi tranſmittitur, qui naturaliter Salinus volat, debita bilis pro ſanguificatione, tinctura imprægnatus eſſe debet. Quod ſi ſit non ritè digeſtus, ſed vel crudus, acidus & viſcidus, non ritè fermentabitur cum Sanguine, ſed in liquamen crudum viſcidum abit, indeque Sanguinis iſta corruptio quæ ab acido abundanti aut vitioſo oritur, unde Morbi Chronici, utplurimum emergunt; vel crudus, nidoroſus ſit, dum corrumpitur à Ventriculo in quoddam liquamen flavum ex dulci amaricans & nauſeoſum abit, &c. unde corruptâ Sanguinis Maſsâ, depravatæ iſtæ exſurgunt fermentationes, quæ vulgo à Bile, tanquam à Sale volatili. Oleoſo vitiato originem ducunt, id quod tamen minus vero conſonum videtur, quo febres acutæ etiam ſpectant. Viſcera equidem reliqua, Lien, hepar, teſtes, in utroque Sexu tribuunt ſuam quoque partem, pro Sanguinis ſtatu aut naturali, aut præternaturali, ſed horum Succi utplurimum à Sanguine vel chylo corrupto primitus ſunt depravati, unde ad iſtos duos liquores in Corporis regimine principaliores præſertim reſpiciendum eſt.

§. 19. Cœterum Chylus unico per pulmones, Cor, & reliquum Corpus circuitu in Sanguinem abire nequit, propter brevem moram, quæ vix ſufficiens eſt ad tantam tranſmutationem; hinc evenit, quod ſi cani ſaginato poſt quatuor vel quinque horas à paſtu Sanguis detrahatur, hic refrigeratus, chyli lacteſcentis ingentem copiam coagulo Cruori ſupernatantem exhibeat. Sin vero jejunum animal, aut plures horas impaſtum ſimili modo tractaveris, nihil chyli in cruore apparet, ſed ſerum nudum Aquoſum ſupernatabit, quod tamen coagulatum, dare ſolet gelatinam lacteam, nunc, aquoſiôrem, nunc minus copioſam, prout plus vel minus chyli in partium nutritione & Sanguinis aſſimilatione fuit aſſumptum. *Vid Lovverus in Vindiciis Bilſian. p. 44. item Tract. de Corde p. 227. & 229* Pertinet huc Gelatina iſta albicans, quæ vene ſectione emiſſo Sanguini humano non raro ſupernatat, & vulgo pituita vocari ſolet, revera tamen chylus eſt nondum perfecte aſſimilatus. Hinc & tot proſtant obſervationes Sanguinis albi inſtar lactis ex Vena ſecta emiſſi, etiam in ſanis hominibus, ob chylum nondum rite tranſmutatum. *Vid Rhodius Cent. 1. Obſerv. 36. item Cent. 3. obſerv. 32. Borellus Cent. 1. obſerv. 25. Bartholin. Cent 1. hiſtor. Anatom. 17.* Imò ipſæ Sanguinis fibræ rubicundæ apparentes, revera albicant, & chyli videntur proles. *Confer. Knœfelius in Methodo Medendi Febres Epidem. p. 55.*

§. 20. Sicut ergo Naturæ Imitatrix Chymia ſæpius repetitis digeſtionibus & circulationibus ſuum opus tandem perficit, ita ut Natura per crebiores circulationes Chylum tandem ſanguificet. Variatio tamen hic obſervanda non minor quàm in Chylificatione.

1. Ratione ætatis.
2. Ratione ipſius in ſanguine fermentationis, quæ nunc vehementior, ut in juvenibus, & naturaliter conſtitutis, nunc debilior, vel in ſenibus ut morbo diuturno laborantibus.
3. Ratione generis vitæ, qui laborant citius, qui ſedent, tardius ſanguificant.
4. Temporis anni, vere & æſtate celerior, Autumno & hieme tardior eſt ſanguificatio.
5. Ipſius Chyli, qui prout laudabilius, vel minus erit conſtitutus, etiam celerius, vel tardius in ſanguinem abit.
6. Accedunt animi effectus, ſeu pathemata, quæ variè ut agant Maſſam Sanguineam, ita & fermentationem ejus; hincque chyli tranſmutationem vel tardant, vel accelerant.

§. 21. Maſſa ergo Sanguinea pro Vegetatione Corporis & ſuſtentatione partium Sanguinearum & Spermaticarum per vaſa rapta tàm chylo conſtat, quàm ſanguine proprie ſic dicto, qui ex illo nempe Chylo reſtauratur & conſervatur pro continua Spirituū generatione, &c. Ex Chylo ergo in ſe homogeneo univoca fermentationis actione, quid aliud quàm homogeneus Sanguis generabitur. Falſum ergo eſt, quatuor humoribus omnino inter ſe differentibus, Quatuor Elementis, & his ſuperſtructis quatuor qualitatibus primis, & quatuor Temperamentis analogis conſtare Sanguinem; Nam differentes iſtæ partes in quas ſeparatur Maſſa Sanguinea Venæ ſectione emiſſa, poſt ſui coagulationem non actu inſunt Sanguini, ſed partim ab alteratione per Aërem inducta fiunt, unde Sanguinis floridus Color in ſuperficie, quouſque ſcilicet Aëre penetrare valet; partim ex Sanguinis emiſſi oriuntur corruptione, unde reliqua Maſſa nigricans & obſcura; quæ luculento experimento confirmantur *à Louvero Tract. de Corde. p. 175. & 178. Fraccaſſat. in Epiſt. de Cerebro p. 377.* Vanæ ergo ſunt omnes ex ſanguine emiſſo prædictiones, & judicia. Sanguis enim licet in ſe homogeneus, & per totum ſimilis, in unoquoque tamen homine peculiarem & ſingularem ſuam habet craſin, ex radicali ſeu ſeminali ejus conſtitutione, & ſub generationis primordiis facta miſtione oriundam, à qua omni temperamentorum ut vocant diverſitas, & idioſyncraſiæ quam plurimæ dependent; quæ Sanguinis conſtitutio, & inde orta attributa in colore & conſiſtentia, &c. unicuique propria, cum à nemine à priori cognoſci poſſit, ſane, nec de Sanguine, Venæ ſectione emiſſo, an multum vel parum à ſtatu naturali declinet, judicari poteſt: Imprimis cum brevi poſt ob corruptionem & putredinis notam extravaſatus ei, qui in vaſis adhuc fluctuat, omnino fiat diſſimilis.

§. 22. Chylus legitime & naturaliter conſtitutus totus abire in Sanguinem aptus natus eſt, in ſanis, quod ſi vero hoc non contingat, ſed vel proprio, vel ſanguinis vitio depravetur, partes ejus excrementitiæ per fermentationem ſeparantur à partibus reliquis & quaſi Præcipitantur, ſeroque imbibitæ, & ab eo abſorptæ, partim per poros cutis, mediante Sudore, partim verò per Urinaria vias excernuntur, quod in ſanorum Urinis claris, & optime alias conſtitutis circa fundum ſubſidere ſolet, quales Urinæ in Sanis, præſertim mediæ ætatis, vel non, vel raro, dum nempe crapulis indulgent, conſpiciuntur; in Senibus vero & morboſis ſæpius tales obſervantur.

CAP. XI.

DE SANGUIS AD QUASVIS PARTES CORporis diſtributione diſtributique uſu.

§. 1. SAnguis in Pulmonibus & Corde fermentatus & rarefactus cor in ſpecie ſic dictum, h. e. ſiniſtrum ejus ventriculum diſtendit, qui ſe contrahit, & liquorem contentum extra ſe expellit, qui in arterias irrumpit & hinc in totum corpus diſtribuitur, uſque in minutas arteriolas, ſeu capillaria vaſa, ex quibus intrat capillaria Venarum, partim immediate per minutas anaſtomoſes, partim mediate per ſubſtantiam, ſeu porulos partium, per quæ ad majores truncos abit, unde in Cor refunditur; Qui motus, cum ſit in circulum, autoribus, Harvæo Anglo, & Conringo Germano, inventus, dicitur circularis, cujus centrum eſt Cor, peripheriam vero conſtituunt arteriæ, quæ ex Corde exportant, & in Cor reportant, hinc ubique arteriis reſpondent venæ, & contra, Cerebri cortice & Hepate tantum excepto. Nam arteriolis copioſiſſimis Cerebri reſpondent Sinus in dura Matre exſculpti, & venis jugularibus internis continui; Venis vero hepatis ex venâ cava reſpondent venæ portæ, arteriarum vices in importando ſuſtinentes. Confer. de hoc circulari motu. *VValæus in Epiſt. de Chyli & Sanguinis Motu. Charleton. in Oeconom. Animali, Exercit. 6. Harvæus de Motu Sanguinis, Conring de Generatione & Motu Sanguinis.*

§.2.Motus hic pulſatorius omnes motûs veri habet conditiones.

(1.)Movens eſt Cor.(2.)Mobile eſt Sanguis.(3.)Terminus à Quo,in arteriis quidem eſt Cor , in venis verò Partes Corporis.(4.)Terminus adQuem, in arteriis ſunt Partes Corporis,in Venis eſt Cor. (5.)Adeſt etiam certum tempus,in quo fit pulſus, duplici conſtat motu hic Pulſus Cordis & arteriarum.*Primus* eſt verus & proprie dictus,qui eſt contractio ſive *Syſtole. Secundus* improprie dictus,qui eſt dilatatio ſive *Diaſtole.*Illo, agunt hæ partes,dum ſe contrahunt,in hoc verò patiuntur, dum dilatantur;Cor quidem ex ſanguinis expanſione,arteriæ verò ex ejus impetuoſa irruptione. Inter utrumque motum intereſt etiam Quies neceſſaria,licet non adeo ſenſilis , *Periſyſtole* dicta. *Confer.Pechlin. de Corde* §. 12. ubi eleganter demonſtrat,Cor in diaſtole ſe non pure paſſive habere,ſed ſimplici reſtitutione Muſculi eam fieri, nec à Sanguine irruente ſolùm,ſed revera in diaſtole etiam nixum quendam activum Cordis,mediante quo dilatatio ſimul fiat.

§.3.Cor ergo à Sanguine per auriculas illapſo, & dilatato, expanditur, quâ expanſione fibræ ejus extenſæ irritantur,h.e.læſionis quodam, ſeu nimiæ diſtenſionis ſenſu afficiuntur,quâ occaſione fortior per nervos Spirituum Animalium accidit Impetus, quo ipſo iſtæ fibræ muſculoſæ contrahũtur,quâ cõtractione conus ac baſisCordis movetur,motu aliquomodò quaſi turbinis contorto,unde parenchymate craſſeſcente anguſtantur Ventriculi,donec expulſione iſta facta,Spiritus ab iſto motu ceſſant,undeCor flaccidum redditum,denuo ſubſidet,& illabentem Sanguinem recipit. Eſt autem Cor revera Muſculus & muſculorum in Modum movetur, ut jam olim ſtatuit *Hippocrates* , & noviter id confirmavit *Louverus Tract.de Corde.*

§.4.Cor,dum ſe inſtar Muſculi contrahit, cum impetu Sanguis rarefactus exprimitur in arterias,quarum tunica craſſa & nervea ab impellente iſto Sanguine violenter,& cum impetu dilatatur,ſimulque, qui in ea eſt Sanguis,ulterius pellitur , ex qua pulſione Sanguinis pulſus dilatatorius omnium arteriarum in toto corpore contingit:Quia autem iſto impulſu dilatatæ, fibris ſuis circularibus nerveis iterum ſe contrahunt, ſanguinem eas dilatantem in venas propellunt, donec novo Sanguinis impulſu denuò dilatentur. Dependet ergo Arteriarum Motus à ſolo Cordis impulſu,&hinc facta Sanguinis irruptione, dilatantur enim,quia implentur. Anatomen arteriarum exactam, & inde dependentem Motûs rationem *Vid. in VVilliſii Pharmaceut. Rational. p.m.* 280.

§. 5. Non pulſant autem Venæ,quia.

1.Sanguis non tanto impetu in eas irruit , nam vaſa capillaria & pori partium anguſti ejus impetum refrenant.

2. Earum tunicæ ſunt molles , & facile cedunt ſecus ac in arteriis.

3.Movetur Sanguis ex vaſis minoribus ad majora,unde cũ habeat ſẽper amplius ſpatium,tam impetuoſa tunicarum diſtenſio ſenſim remittit.

4.Sanguis non eſt adeò tenuis,ſubtilis,& æſtuans, ut in arteriis,unde blandius movetur.Vena cava tamen circa inſertionem prope Cor utplurimum ſolet pulſare,quod obſervavit *VValæus in Epiſt.de Motu Sãgv.*idque ob fibras quaſdam , quas ſpecialiter obtinet nerveas,& quidem eum in finem,ut non interruptus Sanguinis ad cor conſervetur Motus.

§.6 Ex Requiſitis jam ad Motum iſtum,nempe, Movẽte,Mobili,Tempore,& Inſtrumento,emergunt Quinque Pulſuum differentiæ ſimplices & generales, nempe.

(1.) Magnus & Parvus , ratione Mobilis.
(2.) Celer & Tardus.
(3.) Frequens & Rarus , & hi ratione Temporis.
(4.) Mollis & Durus,ratione inſtrumenti,de quibus videatur *Sylvius Diſſert. Med.3.p.m.* 17.

§.7.Unus idemque Sanguis eſt , qui per Arterias & Venas circulatur,accidentales habet tantumodo quaſdam differentias. Nam.

1.Sanguis arterioſus eſt ſeroſior venoſo,propter Urinam,lymphan,& inſenſibilem tranſpirationem, quæ ſeroſitatem ſanguinis venoſi imminuunt .

2.Ex hac ratione,ut & propter copioſos Spiritus arterioſus Sanguis eſt longe tenuior ſubtilior & calidior,venoſus vero craſſior,& tepidior;hinc & imprimis ob ſpiritum arterioſus proprie dictus eſt Sanguis , Venoſus vero Cruor.

3.Arterioſus eſt rubicundior & floridior,venoſus eſt obſcurior & nigrior,ejus cauſa eſt in Aëre , cujus inſpiratu in Pulmonibus attenuatus Sanguis arterioſus floridior apparet Venoſo.

§.8.Finis Circulationis , reſpectu ipſius Sanguinis, ſeu repetiti ejuſdem perCor & pulmones,tranſitûs,eſt, ut Sanguis novo vitali vigore in Pulmonibus &Corde impregnetur,qui antea longo ejuſdẽ perCorpus motu ſenſim infractus erat.Conſiſtit autem hic ipſe in RenovataSanguinis æquabili fermentatione, indeq; nova caloris excitatione &Spirituũ vitalium regeneratione,

§.9. Fuit hic finis Sanguinis Circulationis per Cor , ſeu repetiti ad Cor reditus; conſiderandus jam eſt finis propter quem Sanguis à Corde in univerſas partes diſtribuatur , qui eſt.

1. Ut ab eodem omnes partes nutriantur,
2.Spiritu Vitali influo animentur.
3. Calore debito afficiantur.

Veteres unanimi conſenſu omnes partes ſanguine nutriri & augeri aſſeruerunt , & cùm Sanguis quatuor diſtinctis conſtet partibus , etiam unamquamque partem convenientem ſibi portionem allicere crediderunt, non obſervantes interim,quomodo v.g.diverſi ſurculi, uni arbori inſerti,unico ſucco à radice tranſmiſſo diverſimode nutriantur & augeantur.

§.10.Sed,cùm acriori ſcrutinio obſervatum fuiſſet homogeneum liquorem eſſe ſanguinem, eum ſolũ corpus noſtrum nutrire non poſſe,ob diverſitatem partiũ, concluſum fuit. Unde Angli ſuccum quendam albicantem roridum ex nervis allatum pro nutriendis partibus ſpermaticis,commenti ſunt,de quâ opinione Vid. *Gliſſonius in Anatom.hepatis c.45.Charleton Exercit. de Sanguinis uſu,& ſucco Nervorum Nutritio,item VVilliſius Anatom.Nerv.& Cerebri c.*20 Sed hanc opinionẽ refutarunt & rejecerunt *Bartholin.Spicil.g.1.c 3.item Deuſing.Exercit.de Sanguinis uſu,& commento ſucciNutritii per nervos influentis.Barbatus* vero præter Sanguinem,etiam ſero partes nutriri aſſerit, *in diſſert. de Sanguine & Sero.Bilſius* verò rorem ſuum ſubſtituit,eumque nervoſas partes nutrire , vel ſaltem ad nutritionem diſponere , ſtatuit.

§.11.Ut,quod probabilius videtur,diſſeramus, conſiderandus venit Sanguinis ſtatus,hinc ex chylo infuſo continuo reſarciri notum eſt,non autem Chylum unico per Cor tranſitu in Sanguinem abire,ſed ſenſim ſẽſimque.idq;pro ſubjectorũ varietate nunc citius nunc tardius , ſupra oſtenſum fuit. Probabile ergo videtur Sanguinem,(dum conſideratur quatenus per vaſa circulatur ad omnes corporis partes diſtribui, ut eas per Spiritum vitalem,vitali vigore animet,ſimul tamen etiã naturaliter nutriat& augeat,ſed pro diverſitate partiũ diverſimode,partes nempe ſpermaticas dictas,parte ſui chyloſa nondum in Sanguinem tranſmutata,parte vero Sanguinea perfecta partes ſanguineas. Cui ſententiæ adſtipulantem vide *Bartholin.Cent 2.Epiſt.65.Cent. 3.Epiſt.35.Schneiderum de Catharris lib.2.p.55.& lib. 3 p. 95.* Quo ſpectat etiam Gelatina iſta Seri lactea *Barbati,in ejuſdem Tract.De Sanguine & Sero.*

§. 12. Rationes,quæ hoc nutrimentum duplex perſuadere videntur , ſunt.

(1.) Ab omnibus recepta eſt ſententia,quibus conſtamus,iis nutrimur & augemur , jam vero partes ſunt duplices , ſpermaticæ & Sanguineæ,illæ ex rorido,albumini ovorum ſimili liquore, in ovo ute-

rino

rino generantur; quibus ceu ſtaminibus, poſtmodum per Sanguinis adhæſionem ſanguinea parenchymata; hoc eſt ſubſtantiæ viſcerum peculiares agglutinantur. *Vid. Harvæus hinc inde in Exercit. de Generatione Animalium, & in ſpecie Claudius de la Courvee Tractat. de Nutrit. Fœtus in Utero Part.* 2. c. 6. 7. 8. Duplex ergo alimentum requiritur etiam illis aſſimilandum, Chyloſum nempe pro ſpermaticis ſeu nerveis; & ſanguineum pro ſanguineis partibus.

(1.) Serum dum à Sanguine ſeparatum eſt, ſi leni calore exhalet, concreſcit in Gelatinam albam; ſpermaticis partibus admodum ſimilem; quam Fruſtraneam eſſe, aut inutilem nemo dicet; nutrimentum verò hanc eſſe ſpermaticarum partium, ex proprietatum convenientia, veroſimile eſt. Atque hac ratione facilis cum *Barbato* eſt conciliatio, quatenus nempe pars chyloſa à Sero imbibita, gelatinam iſtam conſtituens ſpermaticas partes nutrit, ita ut Barbatus integrum Serum continens, cum contento, nos vero in Sero contentum ſaltem Chylum conſideremus, quia nempe Serum commune Chyli pariter ac ſanguinis vehiculum eſt. Hac ratione facilis etiam eſt cum Anglis concilatio, dum illi Nervorum Succum Nutritivum defendunt, cujus loco commodius chylus in ſanguine fluctuans, & verius ſimul ſubſtituitur.

(3.) Quo craſſiores ſunt homines, & quò magis nutriuntur & augentur, eo videtur Sanguinis fermentatio remiſſior, eoque chyli in Sanguinem tranſmutatio tardior, indeque alimenti chyloſi major abundantia. Hinc phlegmatici & Sanguinei, craſſiores & corpulentiores fere exiſtunt, illi tamen magis, quàm hi; Cholerici vero ſunt macri & parvi. Corpora etiam craſſa emaciantur exercitio, quæ pingueſcunt denuo quiete. Nam ſub exercitio, item in Cholericis citata & intenſior eſt Sanguinis fermentatio, in vita vero ſedentaria, item ſanguineis & phlegmaticis, lenta & blanda eſt eadem, unde ibi nutrimenti chyloſi paucitas, ob citam ejus in ſanguinem converſionem, hic vero uberior chyli abundantia, propter tardam aſſimilationem, hinc etiam uberior nutritio. Ex eodem fundamento Infantes, & juniores citius augentur, uberiusque nutriuntur quam Seniores, nempe in illis recens natis & junioribus pluribus in locis lacteus reperitur liquor.

(4.) In vulneribus partium nervoſarum deſtillat Aqua quædam limpida *Vliedmaſſer* dicta, poſt cujus nimium fluxum membra areſcunt. Illa ergo Aqua videtur nutrimentum proximum illarum partium, licet ob alterationem à vulnere corruptum. Sic in oſſium fractura, adnaſcitur callus, ſimilis oſſium ſubſtantiæ, qui oritur ex nutrimento oſſis in motu ſuo propter fracturam impedito, hinc coacervato, & tandem aſſimilato & conglutinato, qui nullo modo Sanguini, bene autem chyloſo liquori ſimilis videtur.

(5.) Impoſſibile eſt explicare quo modo Sanguis iſte rubicundus ex chylo candido genitus, poſſit in liquorem lacteum ſeu albicantem pro nutriendis ſpermaticis partibus converti; Præcipitant equidem acida multa rubicundiſſima in albam ſubſtantiam, ſed hoc fieri nequit in Sanguine, qui ab acidis magis magisque nigreſcit.

(6.) Per Diuretica, craſſa corpora emaciantur, quale exemplum *vid. in Helmont. Tract.* Latex humor neglectus. §. 44. item *in Schenckio lib.* 3. *Obſ.* 11. Ubi de diabete. &c. Ratio alia nulla ſubeſt, quam quod ſeparatum copioſius ſerum per Urinam ſimul partem nutrimenti chyloſam liquefactam & reſolutam per diuretica evacuet.

CAP XII.

DE PULMONUM ET RESPIRATIONIS USU.

§. 1. Sanguis in dextro Cordis Ventriculo cum chylo permiſtus, & ita magis ſubactus, per arteriam pulmonalem ſeu venam arterioſam in pulmones expellitur, ibique ex hoc vaſe in venam pulmonalem, ſeu arteriam venoſam transcolatus, in ſiniſtrum Cordis Ventriculum devehitur. Quod, ut fieri poſſit, dilatari debent pulmones, quo arteria Pulmonalis ſanguine infarcta illorum dilatatione poſſit tranſmittere Sanguinem in Venam pulmonalem, quæ tranſmiſſio, ſine tali pulmonum dilatatione impoſſibilis eſt, ut paſſim demonſtrat *Scvvammerdam de Reſpirat cap.* 3. 17. Pulmonum hæc dilatatio, cum non fiat in fœtu, utpote qui nullatenus dicta ratione reſpirat; propterea tota fere Sanguinis Maſſa tranſit partim ex Vena cava per foramen Ovale in Venam pulmonalem, & ſiniſtrum Cordis Ventriculum, partim verò ex Cordis dextro Ventriculo, ex arteria pulmonali per canaliculum arterioſum in arteriam magnam; ita ut Sanguis non ambos Cordis ventriculos permeet in fœtûs circulatione, ſimul & ſemel; ſed alterutrum tantum.

§. 2. Dilatatio illa pulmonum non fit propria eorum vi, vel facultate ſingulari, neque per nervos ad eos diſtributos, eſt enim eorum ſubſtantia tàm ex ſe, quàm ob defectum fibrarum muſcularum ſui contractione dilatantium omninò inepta pro tali motione; ſed ſequitur Motum Thoracis; quo dilatato, & ipſi dilatantur, conſtricto verò conſtringuntur. *Vid. Highmorus Diſquiſit. Anatom. cap. de Pulmonibus.* Motus autem Thoracis iſte eſt quidem miſtus, proprie tamen Animalis, dependens ſcilicet à muſculis. Dilatatio Pulmonum ſub Inſpiratione fit à Muſculis dorſi ſerratis poſticis, ſuperioribus & Interioribus levatoribus coſtarum Stenonii, & cervicalibus deſcendentibus Diemerbroccii, quibus accedit Diaphragma, partim à thorace dictum, partim propria contractione ex convexo planius factum. Cõfer. *Nova Diaphragm. Anatom.* quod ſit muſculus compoſitus; *Act. Med. Haffn. Vol.* 4. *p.* 14. Exſpiratio autem evenit partim à partibus motis, ſpontaneo impetu gravitatis, deorſum nitentibus, & denuo ſubſidentibus; partim à muſculis intercoſtalibus tàm externis, quàm internis, quibus abdominis muſculi recti & obliqui, uti & dorſi ſacrolumbus; maximum adjumentum afferunt, utpote à quibus Coſtæ, partim abdominis contenta ſurſum in diaphragmatis convexum pelluntur. Adeoq; Diaphragma in dilatatione pectoris nil agit, ſed purè paſſive ſe habet, hoc tamen intelligendum de ejus ambitu, qui coſtis annectitur, à quibus revera extrorſum ſub Inſpiratione, trahitur, Nam revera etiam movetur active in Inſpiratione & quoad muſculum inferiorẽ ſub inſpiratione, à cruribus ejus motum incipere, qui in tumorem abdomen ſpectantem attolluntur, ſuperna vero planities expanditur, eaque denſa redditur, in exſpiratione vero laxius reddi obſervavit *VVepferus de Cicut. p.* 219. 254.

§. 3. Pulmones ergo, poſt motum Thoracis, & ipſi moventur, atque ab Aëre replentur; cui repletioni, aeriſque intro ſuſceptioni, favet imprimis ſubſtantia eorum ſingularis, quæ à Veteribus ſpumoſa & ſpongioſa *dicta*, *Malpighio* Veſiculoſa depræhenſa fuit, id eſt quod ſcilicet ſit contexta ex copioſiſſimis parvis veſiculis angularibus, ſimplici membrana conſtantibus, & ſibi invicem connexis, quas inter diſperguntur rami aſperæ arteriæ, cum annexis copioſis lobulis, hinc etiam fibris motricibus pro eorum contractione ſaltim dotatis, quæ Veſiculæ & lobuli ab Aere per Arteriam aſperam inflantur, & dilatantur, à contracto vero thorace denuo compreſſæ Aerem conceptum emittunt, Aeris ita in Pulmones intrôcepti,

portio quædam ipſum ſiniſtrum Cordis Ventriculum ingredi in viventibus, inter alios teſtatur *Schvvammerdam Tractat. de Reſpirat. item Bartholin. Cent. 4. cap. 2.* Quod notandum *contra Highmorum*, qui in mortuorum Pulmonibus hoc tantum tentavit, in quibus ob porulorum & meatuum poſt mortem, conſtrictionem, Aer conſueto modo penetrare nequit.

§. 4. Cæterum an dilatato thorace, dilatentur Pulmones, & dilatatus ſubintret Aer, ne detur vacuum, hoc eſt, an impleantur qui dilatantur, an vero dilationem thoracis ſequatur Aeris ambientis propulſio, propulſi in pulmones irruptio, & ſic dilatatio, cum non ſit vacuum, ſed omnia plena, & fiant neceſſariò Motus circulares, hoc eſt, an dilatentur quia impleantur, controvertitur. *Prius* cum Peripatecis defenſum videatur *à Sylvio Diſſert. 7. & à Deuſingio in Exercit. de Reſpirat. Poſterius* verò cum Cartheſianis acriter defendit *Schvvammerdam Tractat. de Reſpirat, item Charleton. l. c. Exercit.* 8. §. 5. Neutra harum opinionum ſatisfacere videtur, quoniam potius Aer in pulmones per thoracis dilatationem explicabiles factas, partim pondere atmoſphæræ impellitur, unde tantillum thorace dilatato, mox ab Aere ex dictis cauſis per aſperam arteriam irruente, dilatantur pulmones, quouſque thoracis expanſio permittit, à quo ipſo etiam contracto comprimuntur, & in ſe complicantur denuò pulmones, adeoque Aer receptus denuò expellitur, de qua hypotheſi *Vid. Major de Reſpir. p.* 271. Tria in Aere hîc conſideranda.

1. Motus circularis ex thorace moto, qui fit propter contiguitatem corporum, quæ inter vacuum diſperſum intercipitur.
2. Pondus Aeris, quod patet ex barometro.
3. Vis elaſtica Aeris, quæ patet in Thermometro.

Hæc tria junctis Aeris irruptionem; & hinc pulmonum dilatationem efficiunt.

§. 5. Merito interim miratur *Harvæus de Generatione Animal. Exercit. de Partu.* Cur homo, qui in Utero non reſpirat, dum in lucem editus eſt, ſimul atque inchoaverit ſemel reſpirare, ſine reſpiratione poſtmodum vivere non valeat, ita *ut vitam inſpirando inchoëmus, exſpirando finiamus.* Quæritur igitur, quiſnam ſit uſus reſpirationis primarius, id eſt, iterati hujus Aeris in pulmones ingreſſus & egreſſus. Certè cum conſideramus (1.) Pulmonis viciniam circa Cor, ſanguificationis quaſi officinam, h. e. in cujus viciniâ Chylus maximam pro transmutatione in ſanguinem ſubit alterationem. (2.) Sanguis, dum in eo eſt, ut de novo vivificetur & pro totius animatione iterum diſtribuatur, tamen medio tempore, antequam ex dextro ventriculo Cordis ad ſiniſtrum perveniat per Pulmones circuletur. (3.) Singulare Pulmonum Parenchyma, per quod Sanguinis fit trajectio, qualis alias trajectio à Natura fit fruſtanea. (4.) Quod Aere denegato, nec continuo recentato, nullum animal, ſaltem Terreſtre vivere poteſt, ut experimenta *Boylei & Mujor*, teſtantur. Omnia hæc, ſi probe conſiderentur, ſingulare quid reſpirationis negotio ſubeſſe oſtendunt.

§. 6. Inſpirationis gratia primariò inſtitutum eſt Reſpirationis negotium, Exſpirationis vero tantum per accidens, hujus tamen uſum eſſe, ut Aer fuliginibus impletus ex ſanguine denuo excernatur, nemo facile negabit, ſicut vix alius præter *Mœbium in fundam, phyſ. p.* 310. hanc fuliginum expulſionem primarium totius reſpirationis uſum eſſe afirmavit, quia totius corporis Peripheria habet ſua ſpiracula, per quæ fieri poteſt exhalatio iſtarum fuliginum, ut non opus ſit ſingularem, ſingulariter fabricatam partem ob id efformare. Dein etiam Aer, qui in vitreo receptaculo per antliam pneumaticam exhauſtus, & nimis rarefactus eſt, reſpirationi inutilis eſt, qui tamen fuliginum receptioni aptiſſimus exiſteret. Multò minus propter vocem, reſpirationem omnem fieri cum *Lamsverde*, ſtatuendum eſt, cum Inſecta vel maxime reſpirent, ſuæ tamen vocis uſu non ſecus ac nos dormientes, licet reſpirationem intermittere non poſſumus, voce tamen tunc miſſâ, utentes.

§. 7. Veterum unanimis ferè fuit Sententia, *inſervire Reſpirationem ad refrigerandum Cor & Sanguinem in eo accenſum*, idque per Aeris frigus, vel per effluvia frigida & aquea, quæ contineat. Hanc ſententiam Moderni nonnihil renovatam proponunt, dicendo, Inſpirationis hunc uſum eſſe, ut *nimiam Sanguinis efferveſcentiam contemperet*, eam Blande condenſando, per effluvia Salina Nitroſa, quæ Aer in ſe contineat, & ita nimium æſtum reprimendo. *Vid. Sylvius Diſſert. 7 & Schvvammerdam l. c.* quæ tamen ſententia minus vera videtur. Nam.

1. Cur fieret Caloris refrigeratio, vel efferveſcentiæ contemperatio, poſt Sanguinis ex dextro Cordis ventriculo egreſſum, & quare non potius, dum ex ſiniſtro egreditur, in eo, omnibus fatentibus, calor eſt major, & efferveſcentia impetuoſior, quam in dextro?
2. Sanguis ad Cor pervenit, ut de novo incaleſcat, & fermentetur, ſeu efferveſcat, quid opus ergo eſſet, ut in medio iſto labore intentum, hoc per reſpirationem interturbetur.
3. In Senibus Sanguinis calor & fermentatio haud indiget tali refrigerio.
4. In Sanis, dum Calor & Motus fermentativus ſunt naturaliter conſtituti, non erunt exceſſivi, & per conſequens, non egebunt refrigerio.

Hinc alii Moderni, contrariam plane viam ingreſſi ſunt, & Inſpirationis uſum Sanguinis incaleſcentiam, & reſtauratam fermentationem eſſe, aſſeruerunt. *Vid. VVillis de accenſione Aeris, Majovv, Tractat. de Nitro p.* 147. *item Guilielmus Clarck, Anglus, de Nitro. p.* 31.

§. 8. Nec primarius Reſpirationis erit, ut *Sanguinis per Pulmones promoveatur Circulatio*; nam idem Aer, niſi continuo reſtauretur, Reſpirationi non ſatisfacit. Dein quia etiam ſine pulmonibus poteſt fieri Sanguinis circulatio, ut patet in fœtu, in quo eadem fit Sanguinis circulatio, ſine tamen reſpirationis uſu. Imò, ſic eſſet Pulmo fruſtra fabricatus, cum tamen dexter Cordis ventriculus ſaltem propter Pulmones confectus ſit, quin imo ſequeretur pulmonem corpori potius nocivum exiſtere, ut pote ſi non eſſet dilatatus. Tandem etiam Homo vel animal ſub aquis reſpirare poſſent, nam etiam ſic ſub dilatatione thoracis Aqua ab Aëre preſſa irruere, & pulmones dilatare poſſet, ſtructura vero thoracis iterum exprimi.

§. 9. Ad verum ergo Reſpirationis uſum, ut propius accedamus, conſideremus, quid Aer valeat in alterandis rebus, & mox apparebit, eum multum conducere ad reſolvendum & volatiliſandum etiam quandoque fixa concreta, (id quod primus *innuit Helmont. Tract. Blas human.* §. 45.) & imprimis ad diſſolvenda & attenuanda Sulphurea; hinc nihil, niſi in Aere libero penitus ab Igne deflagrabile exiſtit. Ita etiam quotidie experimur, quod cineres, ſeu potius earum Salia fixa campos reddant fertiles, dum Aëris beneficio volatiliſantur Salia iſta fixa, & abeunt in nutrimentum plantarum volatile Oleoſum optimum. Si jam conſideremus Corpus noſtrum, apparebit facile, Aërem, pro ſua ſubtilitate ac craſſitie multum alterare corpus noſtrum, hinc namque varietas Temperamenti, ex varietate nempe climatum & hinc Victus, dependet. Aerem, qui inhabitant ſubtilem & tenuem, ſunt Ingenioſi, Prudentes & alacres, prompti ac expediti in omnibus actionibus, quod Spirituum & Sanguinis innuit ſubtilitatem & volatilitatem; Qui vero in Aere ſunt craſſo, ſolent eſſe ſtupidi & ſtolidi, ob contrariam rationem. Tempore verno, dum Aer de novo quaſi animatur, ſubtilior ac tenuior evadit, & æſtivo, & Nos ſumus alacriores & vegetiores, ob Spiritus & Maſſam Sanguineam volatiliores; In

autumno autem & hyeme torpeſcimus. Aeris Vitia nos quaſi contaminant, hinc enim in maritimis locis Scorbutus eſt familiaris, ex Aere, Salinis acrioribus marinis effluviis impraegnato.

§. 10. Has ipſas Aeris facultates, dum conſideramus, patebit facile, unde tanta ad vitam neceſſitas ſit reſpirationis, dicimus nempe, *dependere à Reſpiratione ultimam Sanguinis perfectionem vitalem*, quatenus Primarius Inſpirationis uſus ſit, ut Aër attractus, Sanguinem ad vitalem renovatam fermentationem & debitam volatiliſationem, tàm pro Spirituaſcentia debita, quàm pro inſenſibili tranſpiratione diſponat, ſicut *ſupra cap. X. §* 10. inſinuatum fuit. Præſtat hoc Aer, dum ratione Salis ſui univerſalis, texturam Sanguinis Salino Sulphuream diſſolvit, eamque diſſolutam ita rarefacit, ut Salium actiones repetitus fermentativus impetus emergat, mediante quo, & Sanguis prompte in Spiritus vitales abeat, & ſimul ratione diſſoluti Sulphuris, inſignem incaleſcentiam excitet, adeoque, ut recte aſſerit *VVillis*, ad Sanguinis inceſſionem faciat, cum Reſpiratio & Aqua æqualiter vim quandam Aëris exhauriant, & par aëris tàm ad animalium vitam conſervandam, quam Ignem ſuſtinendum eſſe ſoleat neceſſitas, *uti Mayovv. Tract. de Nitro pag.* 188. *item Th. Cornelius in Progymnaſ. Phis. p.* 313. pluribus deducunt. Ex his facile patet, quid ſentiendum de Veterum quorundam Medicorum Sententia, qui Aërem pro alimento, vel Materia Spirituum vitalium attrahi exiſtimarunt; item dum Chymici nonnulli dixerunt, in aere occultum eſſe vitæ cibum, quæ ipſa effata, medicatio Aeris clauſi Drebelliana non inconcinne illuſtrat.

§ 11. Huic primario Reſpirationis fini, & *alii ſecundarii tàm inſpirationis, quàm exſpirationis*, accedunt, nempe.

1. Promota Sanguinis circulatio per pulmones. *Vid.* §. 1. hinc omnia ea, quæ effervescere faciunt, ſanguinem intenſius, & ita ejus motum rapidiorem reddunt, etiam crebriorem & altiorem Reſpirationem procurant.
2. Fœcum Alvinarum, ut & fœtus ex Utero inſpirando, vel excrementorum ex pulmonibus per tuſſim; expirando excretio adjuvatur.
3. Vocem prolatio beneficio laryngis, quæ inſtar fiſtulæ Muſicæ ſeu pneumaticæ per reſpirationem vocem efformat.

§. 12. Fœtum non reſpirare ſuperius aſſertum fuit, dubium ergo eſt, qua ratione fœtus vitam incolumen agere poſſit, deſtitutus tam neceſſariis pro ſubſtinenda vita, aeris uſibus. Sed hunc omni penitus aeris beneficio carere minus probabile videtur, quin potius cū *Mayovv. Tract. de Reſpiratione fœtus* aſſeramus, in viviparis recipere fœtum à Matre nutritium ſuccum, particulis Aereis copioſe refertum, quas Sanguis ipſius per arterias umbilicales ad placentam uterinam diſtributus cum ſucco nutritio receptus ad fœtum per venam umbilicalem advehat, adeo ut *Placenta Uterina non amplius Jecur, ſed Pulmo Uterinus dicenda ſit.* In oviparis verò liquores ovi primogenei ſubſtantia Aerea à Gallina, v. g. hauſta plenos eſſe, quæ per vaſa umbilicalia pari ratione, ut modo dictum ad pullum deferatur.

CAP. XIII.

DE USU LIENIS.

§. 1. SAnguinis ex ſiniſtro Cordis Ventriculo ebullientis pars altera deorſum per arteriæ aortæ truncum defertur, ejuſque inſigni portio per ramum arterioſum ſplenicum, ex arteria Cæliaca oriundum Lieni ante omnia infertur, quæ per venam ſplenicam denuo abſorpta, ad Venam Portæ dilabitur. Præter dicta vaſa; ingentes etiam nervi, & quædam lymphatica, in liene reperibilia ſunt. Jam quid tranſitu iſto per Lienem agat & patiatur Sanguis, quæſtio eſt ardua, quia obſcura.

§. 2. CORPUS LIENIS, utut inter Parenchymata, ex Sanguine certo modo concreto, conflata, olim relatum fuit, revera tamen *eſt compoſitum membranaceum*, in parvas plicas, pluresque cellulas, apum alveolorum inſtar figuratum & diſtinctum, per quæ Membranoſum Corpus univerſum, ejuſque cellulas glandularum globuli copioſi ex fibris & extremitatibus arteriarum & nervorum ejuſdem Corporis pendentes diſperſi ſunt, uti hæc per autopſiam in Splene flatu diducto primum obſervavit & divulgavit *Malpighius Tractat. Scrutin. Viſc. ubi de Liene.*

§. 3. Pro cognoſcendo ergo LIENIS USU, obſerventur ſequentia.

1. Non omnia Animalia Lienem habent, præſertim plura avium genera eò carent, & canes quoque item porci ſine ſplene, poſt exſciſſionem, vivunt; & omnes quâ vitales, quâ animales, quâ genitales coctiones obire, certum eſt, quia per experientiam confirmatum. Homini deficere poſſe, hactenus fabuloſum eſt; ipſi eundem exſcindere, ſi non impoſſibile, certe valde eſt pernicioſum. Exemplum exſciſſi Lienis in Homine citra vitæ noxam videatur *in Miſcell. Acad. Natur. Curioſ. German. Anno IV. Obſ.* 165.

(2.) Iis, quibus Lien eſt bene conſtitutus, eorum Corpus floret, quorum Lien verò, vitioſe augetur, eorum corpus imminuitur, quibus verò Lien exſciſſus eſt, eorum hepar mole auctius obſervatur, adeo, ut certa quædam uſus utriuſque Viſceris dependentia exinde ſuſpicienda ſit, cum imprimis omnis Sanguis ad lienem delatus ex eo immediate ad hepar tranſeat.

(3.) Lien, quoad aſpectum, repertus fuit ſæpiſſime ſalvus in mortuis ex melancolicis ſic dictis affectibus, v. g. Quartana, Scorbuto, Ictero nigro, hypochondriacis affectibus, &c. id quod Anatome patefacit. Interim tamen in deliriis, melancholicis, ſemper per conſenſum hypochondriorum evenientibus, Splenis vitia ſubeſſe, utut non æque per Anatomen ſenſibilia, omnino arbitror. Hinc enim meritò urget *Helmont. Tract. Jus Duum Viratus.* illud Hippocratis, quibus venа fortiter in hypocondrio pulſat, iis mens ægrotat, unde etiam ægri tales, præcedentes in imminente paroxyſmo certos motus in iſto loco deprehenderunt.

(4.) Omnes Splenitici, hoc eſt, quibus Lien tenerum, male affectum, & tumidum, ſcirrhoſum, infarctum, aliove modo vitiatum deprehenditur, ſunt ſalivatores, teſte Hippocrate, & hi ægri optime per medicamenta Salina, Urinam provocantia, v. g. per Sal Tartari, Tartarum Vitriolatum, Arcan. Duplic. Mynſicht. Sal digeſtivum in hypochondriacum curantur, teſte Laurent. in Contr. Anatomicis, id quod ſane Experientia confirmat, dum Urinæ, quæ antea profluxerunt, claræ albicantes ac crudæ reſtituto ſic aliquantiſper Liene, prodire ſolent turbidæ, cum copioſo ſedimento, interdum atræ & obſcuræ, & tandem ad naturalem ſtatum redire.

(5.) Lien omni cavo ſenſili deſtitutus, nec recipiendo nec dirigendo cuidam humori ſingulari, aut excremento erit deſtinatus.

(6.) Omnis qui in Lienem intrat Sanguis ad Venam portæ immediatæ abit, & per hepar trajectum in Cavam & ad Cor, nil aliorſum devehitur; Ut adeo ſingularis quædam hæc duo Viſcera inter, conſpiratio, eaque non fruſtranea, utut nondum ſufficienter cognita, intercedere videatur. Hinc enim etiam non ſolum à Malpighio, ſed

etiam ab aliis obſervatum fuit hepar molle, poſt exſectum Lienem.

(7.) Magnitudo & Color, aliæque Proprietates, uti ſingulis animalibus in liene eſt proprius, ita & Homini, in quo ſano, magnitudo ejus multum variat. Color vero qui in fœtu eſt ruber, in adulto deprehenditur obſcurior, & plus minus nigricans, imò proportione partium inſtituta, grădior in fœtu quàm in Adulto lien obſervatur.

(8) Lien animalium vel aſſatus vel coctus, aliove modo præparatus, guſtatus, deprehenſus fuit auſteri pontici, & acerbi Saporis, *teſte VValæo in Epiſt. de Motu Sanguinis, item Highmoro in Disquiſit. Anatom. de Liene.*

(9.) Hoc inſuper notabile quod Splena animalium v. g. Cervi, Bovis, &c. præparata vel decocta, aut in Eſſentiam redacta, Cachexiæ Virginum ex Menſibus ſuppreſſis, ſpecifice conducant. Hæc omnia neceſſe eſt, probe perpendantur, antequam de Uſu lienis certi pronuncietur.

(10.) Denique & hoc attenta obſervatione in Praxi colligere licet, non adeo frequentes eſſe Splenis proprie dictos affectus, quin potius plura quæ à Liene oriuntur mala, aut ſaltem ex eo oriri putantur, fere ex nervis lienaribus, eorumque plexu affectis dependent, unde per conſenſum, & aliarum partium affectiones, & hinc plura Pathemata ſuperveniunt, de quibus nervis *vid. VVilliſii Anatom. Cerebri p. m. 222. & 263. Tab. XI.*

§. 4. Fruſtra equidem Lien non erit conditus, cum ad Sanguinis laudabilem & naturalem ſtatum, ut conſervandum ita & reſtituendum multum conferre ſtructura ejus & connexio demonſtrat. Sed quid hoc ſit, quod Lien conferat, quæritur? Multi namque morbi tribuuntur Spleni, in ſpecie malum hypochondriacum, in quibus Lien eſt inſons, & ſi ſucceſſu temporis afficitur, non eſt affectus tanquam cauſa mali, ſed potius, quod ceu affectus ab altius radicato malo in Sanguine, læſio ejus dependeat. *Helmontius*, quæ de uſu Lienis ſtatuit, deque ejus cum Ventriculo Duumviratu diſſerit, item de Fermenti Stomachi inſpiratione à Lieni, primorum conceptuum formatione, Somni & vigiliarum ſede, virtute generativa ex ſplene, *in Tract. Sedes Animæ, item Jus Duumviratus &c.* ea omnia Canis & Porcus ſine Splene facillimè refellūt.

§. 5. Veterum quod attinet ſententiam, Lienem recipere ſuccum Melancolicum, h. e. partem Sanguinis craſſiorem, terreſtrem, & fœculentam, eoque partim ali, partim eundem eructare per vas breve in Ventriculum, pro adjumento Digeſtionis, Anatome ſufficienter revellit, cum nulla conſpiratio, conſenſus nullus inter Lienem & Sthomacum obſervabilis ſit. *Confer. Conring. de Generatione & uſu Sanguinis c. 12. 13.* Horum ſententiam, Modernorum plurimi nonnihil emendant, ad experimenta nova Anatomica eam applicando dum nunc Sanguinem craſſum, melancolicum in eo coqui & fermentari; ut corpori fiat utilis, nunc chylum acidum vel crudum, in eo alterari, ut abire queat in Sanguinem, nunc excrementa craſſa, & Tartarea, in eo fermentari & diſponi, ut per convenientia loca, inprimis Urinaria poſſint excerni, aſſerunt. Omnes hæ opiniones profluxerunt ex prima iſta veterum, polita tamen pauliſper & aliter nonnihil explicata. Nam qui modernis eſt acidus ſuccus, veteribus dicebatur Melancolia, id quod de Morbis ab his cauſis oriundis ſimiliter verum eſt. Plures, easque admodum diſcrepantes Sententias, de uſu Lienis collectas *vid. à Mœbio in Fund. Phyſiol. 381.* his addatur *Velthuyſius de uſu Lienis, item Sylvius Diſſert. V. de Lienis uſu.* Sed in hujuſmodi dubiis tutius eſt, unicuique ſuo ſenſu abundare, permittere, quàm rem dubiam abſque ullaprobabilitate aſſerere.

Singularis iſta Conſpiratio hepatis & lienis, quâ omnis Sanguis ex liene immediate in hepar abit, oſtendit peculiarem in officio conſenſum, ita ut probabile ſit diſponi in Lieni Sanguinem, ut eò facilius in hepate alterari, & bilis ex eodem conſici, ac tranſcolari queat.

CAP. XIV.

HEPATIS OFFICIO, ET BILIS generatione.

§. 1. ARteria cœliaca ultra Ramum ingentem Splenicum adhuc in alios duos minores ſe findit, quorum unus ad Pancreas abit, qui eò ſanguinem defert, ex quo lympha ejus ſpecialis elaboratur, & per proprium ductum in Inteſtina excernitur. Alter Ramus ad hepar abit, ut partim in ejus capula communi, ramos portæ comitetur, partim verò ad Veſiculam felleam diſtribuatur. Præter hunc Sanguinem, Vena portæ, omnem ab Inteſtinis, Liene, & Pancreate, reliquiſque infimi ventris viſceribus, præter Renes, refluum Sanguinem, in hepar exonerat, ac ita arteriæ ſuomodo officio fungitur. Jam Quæſtio eſt, quiſnam ſit hepatis uſus, & unde generetur bilis, quæ nuſpiam in toto corpore quam in Vaſis Choledochiis circa hepar reperitur.

§. 2. Antequam hanc decidamus, neceſſe eſt prius hepatis ſtructura, & materialis compoſitio, ut ſit cognita, quam optime explicatam dabit *Malpighius Tract. de Scrutinio Viſcerum*, ubi de hepate *præſertim cap. 2. 3.* dum oſtendit Hepar eſſe ex glandularum, conglomeratarum genere, ita ut compingatur ejus moles ex plurimis lobulis, propria circumambiente Membrana veſtitis, & continuatis per tranſverſum Membranoſis nexibus firmatis, hexagona fere figura in Homine donatis. Lobuli hi ex glanduloſis acinis, peculiari circumſcriptione, utplurimum hexagona donatis, componuntur, & ſingulis vaſorum propaginibus, licet etiam exilibus appenduntur, & ita communi à Perimentonæo oriunda membrana obducti corpus componunt.

§. 3. Cum Hepatis in Sanguificationis negotio ductæ eſſent exſequiæ, omnes ſtatim Hepar eſſe colatorium Bilis. aſſeruerunt; Cum vero de Bilis Natura plures adhuc urgeant Controverſiæ, pro illis melius intelligendis conſideranda ſunt (1.) Bilis Phœnomena, (2.) Materia ejus tàm Conſtitutionis quàm generationis (3.) Efficiens ejus ac generandi. Modus (4.) Ejuſdem motus & (5.) Uſus.

PHOENOMENA circa bilem naturaliter conſtitutam obſervabilia ſunt plura.

1 Primaria ſunt, Notabilem eſſe differentiam inter Bilem cyſticam & hepaticam, cyſtica enim amarior, acrior, & penetrantior eſt, magis tincta & craſſior; Hepatica verò diluti magis coloris, conſiſtentiæ fluidioris, & ſaporis minus amaricantis obſervatur. Equidem cyſtica ſub primo guſtu etiam dulcedinem notabilem, ſed quam mox in amarorem penetrantem vergit, repræſentat, cum hepatica, ſeroſioris conſiſtentiæ ſubinde plus fere dulcedinis, aut minus certe amaroris præ ſe ferat.

2. Bilis deſtillata v. g. bubula, per ſe blando Igne nonniſi phlegma ſuggerit, reſina tenaci ſed inflammabili in fundo remanente. Illa ipſa tamen copioſior, & rigeroſiori Igne examinata, præter phlegma liquorem inſtar Vrinæ recentis deſtillatæ, volatilem acriorem, & copioſum Oleum ſuggerit, Sale fixo non adeo copioſo, & magis ad acrimoniam Salſam inſtar Salis comm. quàm perfectam Alcalinam naturam vergente, ex Capite mortuo fortius calcinato ſuperſtiſte. Eadem Bilis recens cum additione Alcali fixi deſtilata, liquorem volat. ſeu ſpirituoſum Vrinoſum ſuggerit, qui pro volatilium natura Syrupum violarum viridеſcente colore tingit, ſolutionem vero Mercurii Sublimati lacteum reddit; Non ſecus ac eadem

dem bilis cum Aqua ſimplici affuſa ad putreſcendum ſepoſita, deſtillando liquorem volatiliorem & Vrinoſiorem adhuc ſuggerit; modo dictos effectus manifeſtius exerentem. Porro Bilis in vitro hermeticè ſigillato in fimo equino per aliquot ſeptimanas ad putreſcendum ſepoſita ex flavo rubra & perſpicua cum ſedimento quodam apparet. Bili huic admiſta Aqua, ſpiritu Sulphuris imprægnata lacteum Præcipitando exhibuit colorem; Præcipitato ſimul reſinoſo, ſubamaro ſucco, qui in prunis abſque Capite mortuo exhalavit.

3. Bilis permiſta cum liquoribus variis, varia exhibet Phœnomena, eaque multipliciter variantia pro liquorum ex iisdem licet ſimplicibus præparatorum quantitate, tempore, aliarumque circumſtantiarum licet minutiſſimarum differentia, adeo ut leviſſimo ex accidente variet Phœnomenon, utplurimum tamen ab acidis intenſioribus, qualia ſunt imprimis Mineralium, ut Spiritus Sulphuris, Vitrioli, Salis, Nitri, turbari interdum, nonnihil efferveſcere, hinc plus minus intenſe virideſcere & ſedimentum ex albo nonnihil virideſcens, plus minus ſpiſſum ſeponere obſervatur cum amaritiei plus minus remiſſione. Acetum deſtillatū vel ſimplex, item ſuccus citri turbant pariter nonnihil bilem, & aliquale, ſed parcius, ſedimentum ſubpallidum deponunt, & flavedo mediocris emergit, quæ alias naturaliter ex luteo fuſci eſt coloris. Alcalia verò volatilia, ut Spiritus Salis ammoniaci Sal volat. fuligin. Spiritus CC. eſſentificatus alterationem in bile facere obſervantur, conſiſtentiam Bilis hinc tenuiorem & claram cum colore citrino plus minus interdum verò aureo acquirit cum aliquali ſedimento viſcido, in fundo. Aqua commun. denique, Sal commun. Nitrum, Vrina, Sal Armoniacum, alterationem nullam, aut exiguā faciunt, excepto aliquo ſedimento mucilaginoſo. Cū oleo Tartari varia in diverſis tētaminibus exhibet Phœnomena, nunc in Maſſam fœtidam coagulari ab eodem, nunc vero eadem clareſcere, & ſubcitrini coloris reddi, cū ſedimento, quale ab acidis precipitatur, obſervatur. Ab amico relatum habeo, quod obſervarit ex oleo Tartari p. d. bili ſuillæ inſtillatū quaſi efferveſcentiam fieri, id quod innoteſcat ex bullis, & particularū mutua agitatione. Adeo in hujuſmodi tētaminibus experimētalibus, quæ artē magis quā Naturā ſapiāt, ad qualibet circūſtantias probè attendendū, & idem experimētū ſæpius diverſo licet tēpore reiterādū, antequā pro uſu theoretico aut Pract. certi quid cōcludi queat.

§. 4. Materiam Bilis quod attinet, & quidem eā quæ eſt Constitutionis, manifeſtum eſt, copioſum Oleum eidem ineſſe, ex inſpiſſatæ ejus reſiniformi relicto corpore, ut & ex facili ejus incenſione eſt deflagratione. Salinæ ejus particulæ ſub olei tegmine deliteſcentes patent ex phlegmatis, ſeu Aquæ in bile præſentia, ut & facillima ejus cum aqua communi miſcela, cum Oleum, aut Oleoſum Corpus ſine Salinarum particularum interventu conſortiū Aquæ haud patiatur. Atque adeo ſaponarius liquor ſuo jure vocari poteſt bilis, qui ex analogia cum aliis concretis ſimilibus, & præſertim cæteris animalium partibus, ex *copioſo Oleo occulto acido, debito tamen alcali volatili ſaturato conſtet*, id quod imprimis iſta cum alcali fixo deſtillatio illuſtrat, cum per ſe deſtillata Spiritum & Sal volat. Urinoſum nō ſuggerat, quod hoc detinetur ab acido Oleoſo, quod ab alcali fixo abſorpto, volatile alcali prompte dimittitur, nec ſecus in Sanguine, Bilis matre, accidere obſervamus. Nam cæteræ mechanicæ ſuperius allegatæ ad texturam bilis nimis alteratam & intercedentes putrefactiones, & hinc cum fortiori Igne deſtillationes, quibus medicantibus formæ non tàm educuntur, quàm novæ producuntur, minus huc quadrant. Atque adeo *ſaponarius ſeu Oleoſus, Salſus, vel ſecundum alios non inepte, Salſoſus, ſapore dulcamarus, effecto calidus, uſu balſamicus Liquor erit Bilis.* Materia Generationis eſt Sanguis proprie dictus, chylo nempe & ſero contra diſtinctus, per ramos venæ portæ advectus, pinguiores ſcilicet ſubtiliores particulæ ſanguinis cum Salinis certo modo unitæ, quæ tanquam cremor ſeu flos Sanguinis per Hepatis officium in bilem abeunt.

§. 5. Modus, quo ex Sanguine generatur Bilis ab Hepate, fit per tranſcolationem Mechanicam, mediantibus acinis iſtis glanduloſis hepati propriis, ex quibus Parenchyma ejus coaluit, ſicuti v. g. Olea deſtillata ab adjuncto phlegmate, & Spiritu per chartam emporeticam Oleo impregnatam, ſeparari ſolent. Siquidem & vaſorum choledochorum radices terminantur in acinis glāduloſis, quo etiam pertingunt Venæ portæ ramificationes. Dubitare quis interim poſſet, an ita formaliter bilis in Sanguine exiſtat, ut nuda tranſcolatione exinde ſeparabilis fiat, an vero ſaltem materialiter, ita ut per modum vel præcipitationis vel fermentativæ cujuſdam alterationis, Sanguis ex parte talem immutationem ſub ſui per hepatis glandulas tranſitu ſucipiat, qua formaliter in bilem abeat, quæ texturæ ſuæ ſpecialis ratione nonniſi orificiola pororum Choledochorum ingredi valeat. Idque ex eo.

1. Quod bilis Liquor videatur non leviter à Sanguine diſcrepans, & cujus nulla, ne minima quidem in Sanguine veſtigia obſerventur.
2. Parenchyma hepatis ſingulare apparentet majori uſui quàm ſimplici tranſcolationis deſtinatum.
3. Si Urinæ In renibus ſecretio, non abſque fermento alterante fieri poteſt, ut plures aſſerūt, idē potiori longe jure bilis tranſcolationi convenire videtur.

§. 6. Motum Bilis quod attinet, immediate etiam intrat poros biliarios in Hepate, utpote qui undique per ejus Parenchyma ſpeciatim in parte ſima ſeu cava ſunt diſperſi, unde per ductus Choledochos in Inteſtinum duodenum, partim vero mediate, nempe in Folliculum Fellis prius collecto exinde etiam ad Inteſtina per ramum cyſticum abit. Ac ſane negari nequit eam Bilem, quæ per porum biliarium hepaticum excernitur ex hepate oriri in eoque elaborari ex Sanguine per venam portæ advecto, id quod Experimentum *Malpighii*, & *Fracaſſati* confirmat, qui ligatis omnibus hepaticis arteriis, & abſciſſa penitus veſicula fellea nihilominus tamen copioſum bilis per ductus choledochos, ex hepate proventum adhuc in cane vivo obſervarunt. Ad hæc Ductuum hepaticorum conformatio Mechanica, & Inſertio Ductus cyſtici obliqua, ex Mechanicis motum Contenti in eis deorſum non vero ſurſum verſus demonſtrant, ut & intumeſcentia verſus hepar ſi ſupra inſertionem ductus cyſtici ligentur, id quod contra Sylvii hypotheſin obſervandum.

§. 7. Bilem vero, quæ in folliculo felleo continetur, non elici ex hepate, ſed generari in folliculo ipſo ex Sāguine per arteriam propriam in eum tranſmiſſo, vult *Sylvius Diſſert. Med. 6. §. 53.* Item *Schvvammerdam de Reſpiratione Sect. 3. c. 1. p. 86. & Pechlinus de Purgantibus pag. 496.* Ita ut Sanguis in folliculo per fermentationem à bile jam præſente in ſimilem bilem mutetur, inſtar vini aceto infuſi, vel à glandulis tunicæ folliculi internæ ita alteretur. *Vid. Pechlin. l. c.* Obſtant vero hic experimenta *Malpighii*, qui ligata arteria hepatica, & ſic pariter ſurculo ejus, Cyſtica, nihilominus continuum bilis proventum ex Sanguine Venæ Portæ obſervat, & quare duplex Officina bilis, alia in hepate, alia in folliculo fingenda foret quin potius concludendum videatur, hepatis officium verſari ſimpliciter circa bilis elaborationem, ſecretam nempe in hepatis glandulis materiam ex Sanguine, ibique certo alteratam & immutatam in bilem, partim *immediate* per porum choledochum hepaticum ad inteſtina derivari, *partim mediate* in cyſtim prius collectam, per ductum hujus cyſticum ad inteſtina pariter ablegari. Collectio hæc ſingularis Bilis in folliculo, fit mediantibus certis, parvis ducti-

bus

bus biliariis ex hepate in folliculum derivatis de quibus *Vid. Highmorus in Anatom. lib. 1. c. 2. p. 3. item Bartholinus in Anatô. VVepferus de Cicuta. p. 176. Schrader. in Obſerv. p 186.* In quo eadem digeſtionis quaſi Chymicæ beneficio exactius elaborata, & acrior & ſpiſſior pedetentim evadit & ceu Oeconomiæ animali neceſſarius theſaurus obſervatur ſucceſſive, præſertim ſub chyli diſtributione uberius effundenda.

§.8. Uſus autem quem Bilis obtinet in Inteſtinis, ſupra *c.8. §.2.3.9.* fuit explicatus, qui tantus eſt, ut ſine bile corpus languidum omnino, & ægrum evadat, cujus exempla proſtant hinc inde, quæ *Vid. in Mœbii fundã. Phyſ. p. 368. item in Deuſing. Exercit. de Aliment. Depuratione §. 69 item in Gliſſonio Anatom. Hepatis. c. 39.* Exẽplum ſimile in quodam decolato obſervavi, qui omninò Cachecticus jam ad Anaſarcam inclinabat, in quo tamen nihil reperiebatur præternaturale, niſi quod fellis veſicula bile eſſet vacua, adeoque iſta vitia morboſa, qui à Veteribus Hepati frigido, & hepatis intemperei frigidæ, & hinc deficienti Sanguificationi adſcripta fuerunt, illa potiori jure, bilis vel defectui, vel inertiæ, vel præternaturali alterationi adſcribenda erunt. Exinde enim evenit, quod talibus in affectibus amara, ut abſinthium, Centauriũ minus, Rhabarbarũ, &c. imprimis in uſu ſunt, quæ omnia bilem vel deficientem augent, vel vitiatam materiali craſi reſtituunt, adeoque non caloris defectu in Sanguine eſt cauſa Defectus Bilis, ſed potius abſentia bilis eſt autor tepeſcentiæ ſanguinis; Non enim ceu excrementum in hepate ſecernitur, quia alias inconveniens eſſet, ut denuo chylo in Inteſtinis permiſceretur, ſed ceu liquor balſamicus ad ſuos uſus pro totius incolumitate deſtinatus.

CAP. XV.

DE SUPERFLUI SALIBUS ABUNDANTIBUS in prægnanti per Renes excluſione.

§.1. SAnguinis pars tenuis & Aquoſa, ut fluidam reddit integram Maſſam, ita etiam ejuſdem tàm ſuperflua, ſed effœta & inertia, quàm ſi forte digeſtionum errore genita ſint excrementitia Salia, aut etiam alias quaſcunque impuritates, ac ſordes digeſtionis ſecundæ errore prognatas imbibit, eoque ex Maſſa Sanguinea per Renum colatorium expurgat, ſerumque Sanguinis, communiter *Helmontio Latex aquoſus* dicitur, quod in hiſce ſecretoriis locis URINAE nomen accipit, ſicut per poros Cutis, ſi confertim excernatur, Sudoris. Eſt namque una eademque Urinæ & Sudoris materia locorum ſecretiorum diverſitate diſtincta, licet renes ſint naturalia magis, Pori vero Cutis quodammodo præternaturalia excretoria vaſa. Alias de Sero Sanguinis ejuſque uſu videri poteſt *Schenckius in ſingular. diſſert. item Helmont. Tract. Latex humor neglectus.*

§.2. Eſt. itaque Renum Corpus, ſecernendæ Urinæ à Sanguine Inſtrumentum & Organum cujus deſcriptionem, ut non inelegantem ſuggeſſerit *Bellinus de Structura & Uſu renum*; Accuratiorem tamen ſupeditat *Malpighius, Tractat. de Structura Viſcerum, cap. de Renibus*, ubi præter vaſa Sanguifera arterias & venas emulgentes præterque Ureteris in Pelvim expanſiones, & hinc pro papillis renalibus recipiendis, ulteriores in tubulis diſtributiones obſervat, Renes præſertim circa gibbam ſui partẽ conſtare ex glandulis innumeris minutis apparenter, ut piſcium ova, rotundis, & hinc ſimul fibris, ſeu potius canaliculis pene innumeris membranaceis, propriis ſcilicet renum excretoriis vaſculis, extimam renum ſubſtantiam ſuâ aggerie præcipuè componentibus. Glandulæ iſtæ connectuntur arteriarum ramis, & in multiplices ſurculos propagatis iiſdem, adnaſcuntur & appenduntur, ex quibus etiam Urinæ materiam acquirunt, eandemque ex ſanguine eo delato emulgent & ſeparant. Hanc per renum iſtas fibras membranaceas excavatas copioſiſſimas, à gibbo renis, recta verſus tendentes, & velut ut in faſciculum recollectas, & ita in papillas deſinentes, (quæ in productos tubulos ex pelvi protuberant) in Pulvim exonerant. Ergo ſecernendæ Urinæ Inſtrumentum ſunt Glandulæ; ſecretæ ad Pelvim diſtribuendæ Inſtrumentum ſunt excavatæ fibræ.

§.3. Urina ex Renibus in Pelvim exonerata ſucceſſive per continuatam Ureteris ductum in Veſicam deſtillat, hæc moderatè plena, nil ſentit incommodi, ſin verò Urina ſit nimis copioſa, ita ut Veſicæ nimia & dolorifica fiat diſtenſio, vel Urina ſit nimis acris, Salſa aut Acida, ut fiat ejus arroſio, v.g. in Stranguria, tunc excretionem urget Veſica, unde ejus ſphincter ſe laxat, & ita liquida Urina ſponte effluit, adjuvantibus fibris circularibus membranæ ſecundæ, veſicæ, quarum contractione anguſtatur Veſica atque Urina expellitur. In ſubſidium veniunt etiam interdum Muſculi abdominis recti vel pyramidales, qui ſe contrahendo ſubjacentem Veſicam ita premunt, & Vrinam ſimul expellunt.

§.4. Patet ex dictis, Serum à Sanguine percolatione quadam in Renibus ſecerni, quæ tamen ſola haud videtur omnino ſufficiens, quin probabilius eſt, certam in renibus Sanguinis, fuſionem evenire, mediante quâ attenuetur Sanguis, & diſponatur ita, ut ſeroſus latex facilius ab eo ſecedat. Imò ipſum Serum etiam, ſub iſta ſui ſeparatione certam alterationem ſubire, qua ipſa Urinæ materia peculiarẽ odorem, ſaporem, aliaque attributa & proprietates diſtinctas, admodum à latice Sanguinis, & in nullo alio Corporis ſucco reperibiles acquirat, ſimulque talem conſiſtentiam recipiat, mediante quâ & ipſum, & ejus ſimul contenta promptius per renes tranſcolari poſſint, ita ut materialiter quidem Urina in Sanguine præexiſtat, formaliter vero in Renibus demum fiat. Quam & Sanguinis fuſionem, & ſeri alteratione non incongrue fermento cuidam Renibus proprio adſcribit *VVillis Tract. Pharmaceu. Ration Sect. 4. c. 1. item Helmont. de Lithiaſi c. 4. § 30. & Tachen. in Clav. c. 9.* qui iſtud fermentum putredinis ſeu lotii putrefactivum appellitant.

§.5. Eſt ergo hæc Sanguinis Urina, lixivium quoddam Aquâ nempe, Sale Salſo volat. ſeu enixo volatili, quaſi Ammoniacali potiſſimùm impræ gnatum. Sal hoc volatile Salſum ex Alcali nimirum, & acido, ambobus volatilibus conſtat, quæ temperata ſunt partibus Sulphureis ſeu Oleoſis non paucis, uti hoc monſtrat Anatome Aquæ ſpagyrica de qua *Vid. VVillis de Urinis. Helmont. de Lithiaſi. c. 3.* Compoſitio iſta Urinæ quoad ſalia, etiã diviſibilis eſt mediante Alcacali fixo, aut calce Viva etiam additis, ab his abſorbetur acidum, & dimittitur Alcali volatile. Conſtituunt hæc Vrinã Sanguinis, præter quam datur etiam Vrina Potus, ex primis viis ſecreta, quæ ſimiliter Salſa, & ejuſdem cum illâ Sanguinis Vrinâ conditionis, diluta ſaltem magis eſt minuſque contentis Salibus Oleoſis ſaturata. Præter has particulas volatiles etiam duplex Sal fixum, ſed paucum in Capite mortuo Vrinæ interdum deprehenditur *cũ Helmontio de Lithiaſi § 21.* Vnum quidem eſt Sal eſculentum ſeu Marinum, non ita pridem cum alimentis aſſumptum & per Vrinam Potus denuò excretum, alterum verò ipſi lotio peculiare, ex alimentis non æque in primis viis ſub digeſtione, ex ſui nempe ineptitudine volotiliſatus oritur, quale etiam in ipſo Sanguine interdum reperiri ſolet. Hæc ipſa ordinaria quaſi & naturalia Vrinæ ſunt ingredientia, hiſce etiam extraordinaria contenta etiam in ſtatu ſano ſubinde accedunt, ſi nempe errore vel primæ digeſtionis non ritè coquatur totus chylus, vel ſecundæ digeſtionis, non rite totus aſſimiletur, pars hæc crudior ac parte Aquoſa imbibita, una cum Urina excernitur, & ſedimentum iſtud in ſanorum Urinis conſtituit.

§. 6. Prout ergo ſe habent Chyli & Sanguinis Digeſtiones, ita etiam ſe habent in ſuis attributis Vrinæ. Hinc ſi Salia, reliquæque hos liquores conſtituentes partes per fermẽtationẽ bene ſubacta, & à latice Aquoſo rite imbibita fuerint, Vrina eſt clara; ſin vero hæc nõ rite

ſint

ſint inter ſe unita, urina fit turbida. Simile evenit cum omnibus liquoribus fermentantibus, qui legitime fermentati, ex unione partium tàm continentium, quam contentarum reciproca, ſunt clari, vitioſe vero fermentati, ſunt turbidi. Hinc & urinæ in naturali ſtatu dum contenta habent rite fermentata, & probe inter ſe ac cum liquore continente unita, ſunt claræ & perſpicuæ; ſi verò fermentatio ſanguinis vitiatur, & partes ejus ſalinæ cum reliquis non rite uniantur, nec ſubigantur, ex quacunque fiat cauſa, quæ tamen ſæpius eſt ſalium, tum inter ſe tum cum aliis particulis intermiſtis vitiata proportio & ἀμετρία, Chyli & primæ digeſtionis vitio præcipue orta, urinæ fiunt opacæ & turbidæ, donec fermentatione ſe mutuo ſubigant, ſanguinem conſtituentes partes & heterogeneas, nec rite miſcibiles portiones excludant & quaſi præcipitent, quo facto, æquabilis redit ſanguinis fermentatio, & tales urinæ copioſum tandem ſedimentum ſeponendo tanquam ſeparatas fœces, denuò clareſcunt, & naturali colore & conſiſtentia ſe conſpiciendos offerunt.

§. 7. Porrò pro quantitate contentorum urina fit nunc craſſa, nunc tenuis, & prout ipſæ contentæ particulæ ſalinæ, oleoſis combinatæ, diverſo modo ſeſe habent, ex ratione ſcilicet fermentationis, & hinc mutuæ inter ſe cohæſionis, & cum ſero permiſtionis, unde diverſa lucis incidentis fit ad oculum refractio & reflexio. Colores urinæ valde variant, & vel naturali ſunt propiores colori, vel ab eo remotiores, idque nunc in exceſſu, nunc in defectu; Illi rutilant, hi pallent; ſcilicet copioſiora vel acriora ſalia cum oleo plus minus copioſo arctius ſe intimius juncta intenſiorem colorem repræſentant, & contra.

CAPUT XVI.

DE MOTU SANGUINIS AD Glandulas, Lymphæque ortu & natura.

§. 1. EXcurrit ſanguis ulterius ubique ad glandulas copioſe per univerſum corpus hinc inde diſſeminatas, eaſque tàm conglomeratas quàm conglobatas. Illæ ex pluribus quaſi minutis glandulis, aut granulis compoſitæ ſunt, hæ vero ex una continua materiæ, planaque ſuperficie conſtant. *Conglomeratæ* liquorem præparatum in certas cavitates pro peculiaribus uſibus effundunt; *Conglobatæ* vero illum ipſum peculiaria vaſa, lymphatica dicta in venàm axillarem ſiniſtram ſanguini denuo infundunt, ita quidem, ut omnis liquor, quem glandulæ conglobatæ conficiunt, & ſpeciatim *Lympha* dicitur, ab interioribus intra cor partibus, per ductum thoracicum tanquam communem truncum ſanguini in vena axillari ſiniſtra infunditur, ſicuti in eodem loco omnis in glandulis regionis ſupra cor ſuperioris confecta lympha per ſimiles Lymphæ ductus, ibidem infundatur. Sane *Stenoni* ſi credendum, quælibet lymphatica vaſa cum glandulis ſuum habent commercium.

§. 2. *Structuram* quod attinet *Glandularum*, hanc in omni glandularum genere nil præter vaſa (& horum contentos liquores) variè contexta conſtituunt, adeoque nil aliud, quam vaſculorum nervorum maximè exilium congeries ſunt, ita ut nihil ſingulari cuidam ſubſtantiæ, vel carni, vel Parenchymati ſimile in illis occurrat, nec alia intermedia ſubſtantia in illis adſit, ſed vaſa circularibus plicis, inſtar parvorum inteſtinulorum exiſtentia inveniantur, quæ ipſa aliis vaſis rubicundis, arteriolis nempe & venulis ornata ſunt; Prout talis ſtructura in teſtibus præcipue omnium conſenſu pro glandulis conglomeratis habitis, per quam manifeſtum eſt. *Vid. Acta Societ. Reg. Anglic. p. 869.*

§. 3. Glandularum ergo ſimilis ſtructura, ſimilem in genere humorum ab iis emulgeri demonſtrat, non tamen in omnibus eundem, id eſt, præparant liquorem aqueum ſubtilem plus minus chyloſum, adeoque ſanguini, ut ſic penitus contradiſtinctum, pro ſpeciali tamen glandularum, præſertim conglomeratarum varietate etiam diverſum, indeque diverſis uſibus deſtinatum. Conglobatarum vero lympha unica videtur, & eadem, unde etiam uno in loco pro eodem communi uſu omnis infunditur. Conglomeratarum ergo glandularum liquor, prout eædem, ſunt vel laxioris vel firmioris textura, variat, utut omnis ex arterioſo ſanguine immediate præparetur & ſecernatur. Illæ quidem, *quæ laxioris ſunt ſtructuræ*, ſerum magis lacteũ emulgent, uti ſunt glandulæ mammariæ, teſtes, tonſillæ, &c. hæ vero, *quæ firmioris* ſunt compagis, feroſum ſaltem & ſubtilem laticem, eumque ſimul ſale volat. ſalſo, vel acidulo plus minus manifeſto impræ-gnatum, conficiunt, ut Pancreas, Parotides, Lachrymales, Laryngis, Membranarum pituitariarum, & cæteræ glandulæ, quibus ita in dictis glandulis ſecretis & præparatis liquoribus à Spiritibus animalibus per copioſiores vel inſigniores nervos affluentibus, ad glandulas iſtas diſtributis, certa quædam alteratio, vel in operando efficacia ſimul accedere omnino videtur, id quod lactis ex animi Pathematis facta alteratio illuſtrare videtur.

§. 4. *Materia* autem, *ex qua componitur lympha* ſeu liquor glandularum conglobatarũ eſt idem latex aquoſus, ſed nutrimento rorido partium ſpermaticarum ſeu nervearum imprægnatus, miniſterio glandularum collectus, & inda per vaſa lymphatica ulterius in ſanguinem derivatus. Huic ipſi liquori in glandulis his conglobatis ſimul accedere videtur ex ſanguine arterioſo ad illos derivato ſubtilem, volatilem, acidum vel acido ſalſum liquorem, ut probabiliter aſſerit *Sylvius diſſert.* 8. Sicut hoc guſtus ſubacidus linguæ non raro obſervatus idem confirmat. *Vid. Bartholin. Cent. 2. Epiſtol. 55. & 69. item Cent. 3. Epiſt. 53.*

§. 5. Sed quis *ſit uſus certus lymphæ* hujus, ſanguini in venis axillaribus permiſtæ, adhuc eſt controverſia. In genere tamen ejus prope cor cum ſanguine undique refluo commiſtio, & proxime cordis infuſio, & inde in Pulmones atque ſiniſtrum cordis ventriculum diſtributio certum quendam pro reſtaurando vigore vitali ſanguinis in Præcordiis uſum arguit, quare enim aliàs à tam remotis locis tanto itinere omnis lympha ex quibusvis glandulis conglobatis eo adſcenderet, & ſanguini ſpeciatim iſto in loco infunderetur? Unde non inepte *Charleton. exercit.* 9. §. 8. Lympham diluere ſanguinem, eamque fluxiliorem, & ita reſtauratæ fermentationi aptiorem reddere, adeoque ſimul facilem ejus coagulationem impedire, exiſtimat, dum, præfatum ſanguinem à capite deſcendentem, ſpiritibus orbatum; aſcendentem verò ſero aquoſo ſpoliatum, tenuiorem & liquidiorem reddat. Accedit & hoc, quod Chylus lymphâ dilutus in ductu thoracico facilius cum ſanguine permiſceatur & ab eodem ſubigatur.

CAPUT XVII.

DE MOTU SANGUINIS AD Corporis circumferentiam, factaque ibidem inſenſibili tranſpiratione.

§. 1. COrpus noſtrum in continuò eſt fluxu & affluxu, amittit jugiter copioſiſſimas particulas inſenſibiliter per Cutim, (ut nihil dicam de iis quæ ſub expiratione pulmonali exhalant) id quod *inſenſibilis tranſpiratio* appellatur, cujus incredibilem quantitatem, & inſignem neceſſitatem *vid. in Medicina Statica Sanctorii.* Circa hanc ergo conſideranda venit, hujus tranſpirationis materia, vehiculũ, organon, modus quo fiat.

§. 2. Vehiculum et Materia *inſenſibilis hujus transſpirationis eſt Latex aquoſus*, partibus ejus ſalinis volat. oleoſis inutilibus, id eſt, diuturniore circuitu & fermentatione effœtis, & quaſi attritis, ſufficienter tamen pro omnimoda tranſpiratione, mediante & repetita iſta ſanguinis, fermentatione, & aëris inſpirati reſolutione attenuatis & volatiliſatis, imprægnatus, ſicuti ſaporem ejus ſalſum pinguem, adeoque ex acido & alcali compoſitum, ex induſiis mechanicâ chymia, demonſtrat *Tachenius in Hippocrat. Chym. c.16.* Maxima ſcilicet hujus pars craſſior, minuſque ſubtilis, uti cum urina ablegatur, ita reſidua portio in ſanguine, dum cum eo circulatur, per partes continentes, ſolidas, ſapore ſalſo ſaponis inſtar abluit & abſtergit nutrimẽtum harum roridum, non perfectè poſt accretionem ceſſantem aſſimilatum, & coagulatum, ſed in diuturniore mora inutile, & quodammodo excrementitium redditum, hoc ipſum ergo abſterſum, ne aliquid ſordidum à nutritione remaneat inſenſibiliter ſimul exhalat. Commune ergo vehiculum, ut alibi, ita & hic eſt Serum, ſeu Latex aquoſus. Materia cujus evacuandæ gratia tranſpiratio hæc à natura ordinata eſt, *duplex eſt*, ſcilicet *parte ex maſſa ſanguinea* partes hujus effœtæ, ſalſæ volat. oleoſæ, à latice dicto imbibitæ, *partim*, idq; maximam partem, eſt *nutrimentum partium ſolidarum*, poſt accretionis annos haud amplius aſſimilatum, quod, irrorationis debitæ ubi defunctum eſt munere, ſucceſſivè attenuatum, & in ſalſum converſum, à latice præt rfluo abſterſum, ſucceſſive per poros emittitur; adeoq; ut digeſtionis primæ emunctorium ſunt, alvus & inteſtina, ſecundæ vero renes & veſica urinaria, ita digeſtioni tertiæ primario dicata eſt inſenſibilis tranſpiratio, ut quod in ſolidis partibus ſub nutritione vel materiæ vel efficientis ex neceſſitate generatur heterogeneum, aut vitioſum ſufficienter attenuatum per peripheriam corporis tranſpiret.

§. 3. Organon *inſenſibilis hujus tranſpirationis eſt Cutis*, quæ eſt rete quoddam quaſi tendinoſum ex triplici minutiſſimorum vaſculorum Capillarium, ceu fibrarum genere tanquam tot filamentis artificioſe conſtructum, ex capillaribus nempe vaſculis, (quæ ob exilitatem fibræ vocari poſſunt) venarum, arteriarum, eſt primariò nervorum, utpote quorum nervoſæ fibræ præ cæteris copioſiores ſunt, quarum reſpectu etiam Cutis à quibuſdam inter corpora tendinoſa refertur, quæ inter ſe contexta, Rete quoddam, totum corpus inveſtiens conſtituit. Sub hac textura reticulari copioſæ conſtitutæ ſunt glandulæ parvæ ob exilitatem Miliares dictæ, ſuis excretoriis vaſis, exteriora verſus ad cuticulam ſpectantibus inſtructæ, quorum orificiola inſigniores cutis poros videntur conſtituere. *Vid. Malpighius tract. de externo tactus Organo, pag. 32. 39. item Bartholin. cent.3. Epiſt.67. & 97. Pechlinus de purgant.* Nam hæ ipſæ glandulæ excretoriæ, copioſioris tranſpirationis ſaltem ac potius tranſſudationis videntur Organa, quibus alias binas pororum exiliſſimorum & copioſiſſimorum differentias meritò adnumerat *Pechlinus de habitu & colore Æthiopum, pag.* 87. per quas tranſpiratio inſenſibilis imprimis contingit, nempe præter iſtos tubulos cutaneos ex ſingulis glandulis enaſcentes, ſunt *alteræ iſtæ viæ* minus quidem conſpicuæ, ſed ad cutis preſſionem, cuticulæque reduvias lympham copioſe ſtillantes, quæ ſunt oſcula arteriolarum capillarium, unde ad acris medicamenti ſeu eroſionem, ſeu laxationem humor in veſicam colligi ſolet. *Tertiæ viæ* ſunt, minima & indiviſibilia corporis perſpirabilis puncta, per quæ effluvia tantum minutim diviſa nec ſolido coercenda, penetrant.

§. 4. Quoad Modum inſenſibilis hujus tranſpirationis, hæ ipſæ Cutis glandulæ miliares, ex ſanguine per capillaria vaſcula allato, emulgent copioſe partem ejus aquoſam, particulis ejus effœtis, & ſuperfluis ſalinis aliiſque inutilibus tum maſſæ ſanguineæ, tum partium continentium impræ-gnatam, quæ ſub halituum per ſe inviſibilium forma, per vaſcula earum excretoria excernuntur, dum ſimul ſimilis materia per alios exiliſſimos poros cutis ſimili ratione, & inſenſibiliter tranſpirat, adjuvante non parum tam colore ipſius corporis exſpirantis, quam etiam corporis ambientis. Quin etiam aër inſpiratus, & fluidis corporibus permiſtus, ut fermentativum motum inteſtinum, & hinc ſucceſſivam; abſque ſpiſſiori capite mortuo, attenuationem eorum multum promovet, ita & tranſpirationem inſigniter adjuvat, ſimili ſcilicet modo, ac ex pulmonibus exſpiratus idem ſub æſtivo tempore multum effluviorum inſenſibilium ſecum rapere ſolet, ita idem fluidis corporibus permiſtus, in cutis peripheria qua data porta proruit, & ita tranſpirandæ materiæ motum ad extra facilitat. Exinde reſpirationem ac tranſpirationem certam ad ſe invicem proportionem habere rectè annotat *Pechlin. tract. de aliment. & aër. defectu. pag.* 114. Nempe animalia calidiora, ut reſpirationem habent vehementiorem, ſic & tranſpirationem copioſiorem. Efficiens ergo Tranſpirationis eſt vel Principale, idque *vel remotum*, motus ſcilicet maſſæ ſanguineæ circulatorius, mediante quo materia tranſpiranda tàm ad Cutim quàm per Cutim propellitur. *Vel proximum*, fibræ iſtæ nerveæ cutis, rete una contexentes, harum enim blanda conſtrictura tàm ex glandulis quam interceptis porulis & meatulis materia ſucceſſive expellitur. Vel eſt Inſtrumentale tranſpirationis efficiens, idque vel *primarium*, aër inſpiratus, vel *ſecundarium* calor.

§. 5. Quod ſi maſſa ſanguinea à quacunque cauſa velocius moveatur, ideoque inſignius quaſi ebulliat, & intenſius incaleſcat, & ita attenuetur nimium, ut in exercitiis corporis, aut nimio ambientis calore, aut ſub ſtragulis, contingit, *ſudor oritur*, dum ex ſanguinis iſta fuſione tranſpiratio in tantum augetur, ut ex copia materiæ à glandulis imbibitæ, hæc confertim, ſub guttularum minutiſſimarum forma erumpat, & rivulorum ſpecie emanet, quin etiam exterior cutis habitus ab imbitione iſta uberiore turgere quodammodo videatur. Cum hac ſanguinis diſpoſitione, ſub transſudatione, ſimul etiam habenda eſt ratio fibrarum nervearum, ſeu tendinoſarum cutis, harum enim relaxatio, aut contractio, multum tàm in promovendo quam impediendo tranſpiratu ac ſudore præſtare ſolet. Quò magis enim hæ ipſæ tenſæ ac contractæ ſunt, indeque pori conſtricti & anguſtati, eò parcior tranſpiratio, paucus vel nullus ſudor elici poteſt; Quò vero reſolutæ nonnihil hæ ipſæ fuerint, & inde patentiores pori, contrarium exſpectandum.

§. 6. *Materia* ſenſilis hujus *tranſudationis*, ex parte eſt eadem quæ inſenſibilis tranſpirationis, nempe ſalina volatilis oleoſa, de qua *vid. Tachen. Hippocrat. Chym. cap. 12. p. m.* 76. ſed præterea ex maſſa ſanguinea ſub ſudoris motu nimis attenuata, & reſoluta, copioſæ partes utiles, uti etiam ipſum nutrimentum partium ſolidarum roſcidum, ſimul à ſero ſalſo abſorbentur, & foras educuntur, ut nihil dicam de partibus ſpirituoſis in omni ſudore confertim erumpentibus, quorum defectu, non tantum vires tandem deficiunt, ſed etiam materiæ illius unà excretæ ratione crebrior ſudor corpus emaciat, & exſuccum reddit, pingueſque eo valde attenuantur.

§. 7. Aſt in ſtatu præternaturali, quæcunque ſanguinis uti & partium continentium heterogeneitates auſpicatiſſime & copioſiſſime cum ſudore ita ſenſibiliter excernuntur, quando ſcilicet eædem, prius per fermentationem ex ſanguinis arctione miſcela ſeparatæ & quaſi præcipitatæ ſunt, tunc enim ab aquoſis partibus imbibitæ, vel ſpontaneo naturæ motu indeclinatione morbi criticè excernuntur, ut etiã in fine paroxyſmorũ febrilium

febrilium in intermittentibus contingit, vel medicamento Diaphoretico attenuata, & liquefacta maſſa ſanguinea eaſdem excludit. Hic in principio morborum dum nondum eſt facta excernendorum iſtorum ſeparatio, uti urinæ tunc apparent claræ & crudæ, ita tunc ſæpius fruſtra, raro ſine noxa propinantur ſola diaphoretica, magnamque excitant maſſæ ſanguineæ fermentationem, ejuſque effervescentiam inde impetuoſiorem reddunt. Quod ſi vero præmittantur Præcipitantia, vel addantur ſudoriferis, ſæpius ſperatus evenit ſucceſſus.

§. 8. Uti ergo Insensibilis Transpirationis Usus eſt ut maſſa ſanguinea, ſingulæque partes à particulis effœtis, & eatenus ab excrementis ſalinis oleoſis, aliiſque ex neceſſitate materiæ in ſanguificatione & nutritione pronatis, quibus aliàs retentis ex turbata maſſa ſanguinea morbi univerſales, præſertim febres oriuntur, ex vitiata vero Partis cujuſdam ſolidæ nutritione, morbi particulares, præſertim abſceſſus vel apoſtemata oriuntur. Ita etiam *ſudor primariò* eſt evacuativus & purificativus totius maſſæ ſanguineæ, & ſimul abſterſivus partium ſolidarum; *Secundario* vero eſt accelerativus ſanguinis motus circularis, ſanguiniſque attenuativus & ventilativus. Sicuti per accidens, ſi ſit nimius, eſt colliquefactivus nutrimenti, & ſic emaciativus, ob ſpirituum verò exhauſtionem debilitativus.

§. 9. An autem ex præcordiis vel interioribus viſceribus etiam ſudor immediate prorumpat, ut acute hoc urget *Deuſing. exercit. de Depuratione alimentorum pag.* 187. *& in Append. ejus p.*343. id ſane haud improbabile eſt, licèt ob modum, quo id fiat, latentem, res adhuc ſit obſcuriſſima.

CAPUT XVIII.

DE SANGUINIS AD CEREBRUM motu, ſpirituumque animalium generatione & officio.

§. 1. Sanguinis ex ſiniſtro cordis ventriculo in arteriam propulſi pars altera, per arteriæ ramum adſcendentem ſurſum fertur, & ex ramis axillaribus, per duo inſignia arteriarum paria, carotidum nempe & vertebralium in cerebrum aſcendit, in cujus medullam, hæ arteriæ ramos quoſdam hinc inde ſpargunt, maxima vero pars in minima capillaria diviſa vaſcula, extimam cerebri & cerebelli ſuperficiem cinericiam, *Cortex* appellatam ſub tenui meninge, à quâ omnes ejus anfractus arctè inveſtiuntur, ſubintrant, à quibus etiam motu ſuo pulſatorio cerebri cortici certus motus tribuitur, ut ex inflatione carotidum patet, pauciſque venulis ex ſinubus duræ matris oriundis implicantur, in quos ſanguinem denuo reportant, à quibus in ſinus quatuor derivatur, qui, cum continui ſint venis jugularibus (his enim inflatis, inflantur & ſinus) tandem per has in venam cavam omnem ſanguinem refundunt, de quibus *vid. Sylvius Diſſert.* 4. *VVilliſius in Anatom. cerebri. c.* 1. 2.

§. 2. Obſervabilis autem eſt in cerebro & cerebello duplex ſubſtantiæ diverſitas, Corticalis nempe Subcinericia, & Medullaris, eleganter candida. Corticem iſtum qui ex ſanguine eo allato, loco coloris albicantis, ſubcineritius eſt, ex copioſiſſimis glandulis minutulis, ovalis figuræ conſtare, in quas inſinuent ſe iſta vaſa, & ex quibus ſingulares ductus nervei oriantur, qui ut univerſam cerebri medullarem molem conſtituant, & certo ordine convoluti medullam componant tandemque in nervos abeant, primus *Malpighius* aſſerit, & oſtendit *in tract. de Structura Viſcerum*, ubi de cortice cerebri. Adeoque corticalis cerebri & cerebelli ſubſtantia eſt glandulosa, medullaris vero fibroſa ſeu ſtriata, quæ fibræ cum ſui protractione tandem in nervos abeant, continuata cerebri nervorumque, adeoque eadem erit ſubſtantia.

§. 3. Dari autem quendam ſpiritum, ab officio animalem dictum, hoc eſt ſenſus & motus animalis primum autorem in cerebro primitus ſcaturientem, & mediantibus nervis, juxta filamentorum & pororum ſeriem undique diſtributum, hic præſupponimus, cum videmus v. g. nervo diſſecto perire membra infra ſectionem ſenſum pariter ac motum. Objectiones contra eum diſcuſſas *vid. in Rolfinck Exercit. Anatom.* Conſtituunt hi ipſi primariò animam animalium tam brutorum quàm hominum ſenſitivam (excipiendo tamen Animam Rationalem, qui cum œconomia corporis vitali ac animali nullum eſt commercium) ſuntque primi autores actionum animalibus propriarum, quæ utut ſint variæ, & diſtinctæ, determinatur tamen ſpiritus animalis ſpecie & eſſentia unus, adeoque in ſe conſideratus ad varias actiones indifferens, pro varia partium organica diſpoſitione & proprietate, nam is ipſe qui movet pedem per muſculum, conferret ſuo modo ad viſum, ſi eſſet in oculo, & ſic in aliis.

§. 4. Generari hunc ſpiritum ex ſanguine in cerebro & cerebello, indubium eſt, cum nulla adſit materia alia, pro conſtituendo eodem. Et quidem ſanguinis partem ſubtiliſſimam volatilem, quæ ſpiritus vitalis dicitur aliàs, eſſe id, quod tranſeat in animalem ſpiritum aſſeritur, non per modum novæ cujuſdam elaborationis aut fermentationis in cerebro perficiendæ, ſed per nudam ſeparationem, dum ſpiritus ſalinus volatilis forſan & lucidus ſanguinis à ſanguine in cerebro ſeparatur, & ita ſolus ac purus, indeque vegetus exiſtens, & cerebri medullam undique replet & permeat, ſimul etiam membra cætera in fluxu ſuo actuat, eaque ad ſenſum & motum diſponit.

§. 5. Nempe duplex ſubſtantiæ cerebri diverſitas diverſum etiam uſum innuit. Cortice enim mediante, ſpiritus volatiles ſanguinis vitales dicti ſeparantur à ſanguine. Separationis modum optimè expreſſiſſe videtur *Sylvius diſſertat.* 8. *§.* 29. *& VVilliſius anatom. cerebri cap.* 9. *p.* 68. per modum nempe ſubtiliſſimæ filtrationis, & quaſi accuratæ per ſerpentinos ductus deſtillationis, qua partes ſanguinis ſpirituoſæ activæ & mobiles ex carotidibus in cerebro, ex vertebralibus vero in cerebello per eorum corticem glanduloſum agiliter penetrando, tranſeant in cerebri medullam, ſanguine ipſo, ceu craſſiore corpore ob pororum anguſtiam, vehiculo ejus aqueo, ob pinguiorem & oleoſam quaſi cerebri ſubſtantiam excluſis, unde neceſſe eſt, emergat ſubſtantia ſpirituoſa, ſubtilis, volatilis, facillime mobilis, & ut *VVilliſius* aſſerit, Lucida, in ſtatu naturali ſcilicet ſi ſit conſtituta. In ipſa vero medullari ſubſtantia, ceu Regio Palatio, ſpiritus dicti volatiles, luminoſi, animales nunc appellandi debitis motionibus & expanſionibus, & inde per nervos in omnes partes radioſis emanationibus, operationes animalibus proprias, ſenſus in ſpecie internos & motus perficiunt.

§. 6. Eſt adeoque Spiritus Animalis *Præſes omnium functionum animalium in ſenſu & motu conſtitutarũ*, qui ſenſus uti duplices ſunt, externi & interni, ita etiam duplex motus eos inſequitur, internus qui Pathemata ſeu affectus conſtituit, & externus qui localem partium ſolidarum motum perficit. Præter quos uſus, quia etiam nutritioni, generationi, & variæ humorum corporis in Craſi alterationi ſimul conferant, ex ſupra dictis hinc inde notum erit. Quia verò omnes hæ functiones cum Spirituum horum, motu ita coincidunt, ut his quieſcentibus, vel quacunque de cauſa non motis, haud contingant, manifeſtum eſt, formalem eorum activitatem in motu continuo, & ut vocant aliàs non interrupto influxu conſiſtere, qui qualis ſit, & unde dependeat, meritò inquirendum eſt, ſeu potius in continuo nixu & impetu ad motum, adeoque inſigni vi elaſtica.

§. 7. Equidem cum ſpirituum horum exercitus, animæ ſenſitivæ rationem proximè conſtituat, hujus vero hypoſtaſis per totum corpus expanſa ſit, cum omnes partes hac ipſa plus minus gaudeant, etiam ſpiritus animales, ceu illam conſtituentes partes, continuata quadam non interrupta ſerie, undique diffuſi ſibi invicem cohærentes erunt, ita ut non opus ſit ſpiritus numero eoſdem ab una nervi extremitate ad alteram demum proſilire. Unde accidit, ut ſpiritus animales, eodem momento moveantur in nervis, organo cuidam ſenſibili, vel Muſculo implantatis, quo moventur iidem in cerebro circa primum nervorum principium, pari ferè ratione atque ſolaris, aliuſque luminis radii in inſtanti quaſi tranſvehantur ad oculum propter continuam materiæ luminoſæ ſeriem inter oculum videntis & corpus luminoſum, per modum lineæ rectæ diſpoſitum, ut moto uno extremo moveatur & alterum; propter quam Analogiam etiam veteribus, ſpirituum animalium motus irradiatio quædam, aut ἀκτινοβολισμὸς appellatus fuit, quodque irradiendo ex cerebro per nervos influant. Cum enim nervus à ſuo principio ad finem uſque continuus ſit, & ſpiritus animales, ut ſupra monitum, continuata ſerie in iiſdem hoſpitentur, fieri aliter haud poteſt, quin motu ſpiritu, qui reſidet in nervo circa cerebrum neceſſario etiam ſpiritus in nervo circa ſenſorium quoddam, vel muſculum, incola, ſimul moveatur & contra, moto ſpiritu in ſenſorio ſimplici & rectilinea percuſſione, ſpiritus in nervi iſtius principio itidem moveatur. Quod autem parva mutatio in principio facta, multiplices & magnas in extremo faciat differentias, non eſt obſcurum, ut temone paulum tranſlato, magna proræ ſit tranſpoſitio.

§. 8. Primum radiativi hujus motus in cerebro & cerebello principium præter vim ipſorum ſpirituum elaſticam, quâ continuo ſe expandere & undique dilatare nituntur, (qua ipſa etiam fibras partium in debito tono ſeu continuata tenſione ad ſenſum & motum perquam neceſſaria conſervant) plus minus tamen pro ipſorum ſpirituum materiali conſtitutione varia à calore corporis animalis ſimul aucta quærendum eſt in arteriarum omnes cerebri anfractus ſubeuntium, & ſpeciatim corticem copioſiſſime inveſtientium, pulſu, & inde cerebri ipſius, motu pulſatili, ejuſque reciproca dilatatione aliquali, & hinc ſpontanea ſubſidentia, ita quidem, ut & ſanguinis, ex quo ſecernuntur ſpiritus, impetu, & cerebri dicti motu, ſpiritum anteriores à ſubſequentibus, continuata quadam ſerie, & ſucceſſione protrudantur, quibus mediis, & ipſi ſpiritus volat. in cerebro ſcaturientes non ſaltem in continuo ibidem perſiſtant motu, ſed etiam ſucceſſivè ad nervorum principium propelluntur, & inde in univerſam corporis machinam derivantur.

§. 9. Affectio communis animalium, ratione ſpirituum animalium motus ipſis conveniens eſt vigilia & ſomnus, nempe ſi ſpiritus animalis in debita quantitate & ſubtilitate, blando & moderato motu agitentur, ſeu undique radient, indeque cerebrum implendo quodammodo expandant, & continuato rivulo in corpus ſcaturiant, omnium actionem animalium ſequitur exercitium, id eſt, Vigiliæ: Sin vero ab aliis quibuſcunque objectis, vel perturbati, aut irritati inordinato & impetuoſo in cerebro motu creantur, mentis perturbatio & deliria varia, non tamen diuturna oriuntur, ut in Paraphrenitide, item in ebriis apparet. In partibus verò cæteris & muſculis variæ geſticulationes, aut varii convulſivi motus producuntur.

§. 10. Quod ſi ſpiritus torpeat, vel ob deficientem quantitatem, vel deficientem ſubtilitatem & agilitatem, indeque remiſſius & quaſi tardius moveatur, & influat, ſenſus quieſcunt, & alta quies occupat membra, h. e. ſomnus obrepit, non enim defraudatæ ſunt partes ſpiritu animali in ſomno, ſed hic remiſſius tantum influit; nimirum ſunt præſentes, ſed non illi ipſi ſufficientes, & quia non agiles & ſubtiles, non adeo facile objectorum ſenſilium recipiunt impreſſiones. *Cauſa* ergo *Somni eſt*

1. Quando ſpiritus deficiunt, exhauſti nempe ob labores,

2. Quando ſunt torpidi & difficulter, tardeque mobiles, quod fit fere duplici ex ratione: *Vel* ob cerebri aliqualem humectationem ex continua ſpirituum ex ſanguine in cerebro, in vigiliis generatione, cum quibus ſenſim aliquid aquoſi ſimul deſtillat in cerebrum, unde ſpiritus ſimiliter non tantum humidi & aquoſi fiunt, indeque impuriores, ſed etiam ex infarctis poris, iidem à ſolidis expanſionum tractibus & orbitis, pro iſto tempore impediuntur. *Vel* ob eorum fixationem ſeu condenſationem ex applicatis medicamentis Narcoticis ſeu Opiatis, quibus eorum motus inſigniter impediri ſolet.

CAPUT XIX.

DE SENSIBUS EXTERNIS IN GENERE.

§. 1. EXterna ambientia corporis continuò in nos agunt, & externas partes afficiunt, cujus actionis & ab externis in corporis membra factæ impreſſionis receptio, vocatur SENSUS; ſicuti pars iſta, quæ impreſſionem iſtam ſeu externorum inſultum, immediate recipit, ſenſus organon vocatur. In omni ergo ſenſu duo ſunt conſideranda.

1 Receptio impreſſionis factæ in organo ſenſus ab objecto ſenſili externo.

2. Perceptio iſtius impreſſionis ſeu mutationis in organo factæ. *Prius* dicitur ſenſus externus, ſenſus enim eſt quoddam Pati. *Poſterius* vero dicitur ſenſus internus. Sic auris recipit vim irruentis ſoni, cujus inſultus perceptio in cerebro eſt formalis auditus. Prout ergo externorum inſultus variat, hiſque reſpondens corporis partium ſtructura, quæ hujus non illius objecti recipere activam impreſſionem apta nata eſt, etiam variant ſenſus externi, qui ad Quinquenarium vulgo, ſatis apte revocantur numerum.

§. 2. In omni autem ſenſu externo tria ſunt conſideranda.

1. *Agens, ſeu objectum ſenſile* quod in partes corporis certam impreſſionem ſeu actionem exercet.

2. *Patiens*, ſeu partes certæ corporis, quæ impreſſiones iſtas ſuſcipiunt, & quæ exinde organa ſenſoria dicuntur.

3. *Impreſſio* ſeu actio objecti in organon ipſa; ſeu modus quo objectum in organon operatur in objecto movente ſeu agente, ſeu imprimente, duo ſunt obſervanda. Materiale unum ſeu ipſa corporis textura, prout ex particulis variis materialiter coaleſcit. Alterum formale, ſeu ratio ipſa ſub qua in organon ſenſus operatur. In organo verò obſervetur ejus multiplex compoſitio diſſimilaris ratione cujus quædam pars in eodem eſt primaria, ſeu principalis altera minus principalis. Illa eſt quæ objecti impreſſionem immediate recipit. Hæ vero ſunt cæteræ partes quæ ad meliorem illius actionis ſuſceptionem faciunt. In impreſſione denique, ſeu actione ipſa objecti in organon conſideretur modus agendi, vel generalis, qui conſiſtit in motu, ratione cujus omnis ſenſus externus in tactu conſiſtere dicitur. Vel ſpecialis, qui eſt determinatus quidam motus à ſpeciali objecti in organon determinatum actione reſultans, unde Quintuplex ſenſuum externorum dependet differentia.

§. 3. Communis in Scholis Philoſophorum & hinc medicorum, de ſentiendi modo recepta opinio in hoc conſiſtit, quod nempe objecta ſenſibilia habeant in ſe qualitates

qualitates reales, quæ ex ſe diffundant alias qualitates intentionales, ſpecies ſenſibiles dictas, quæ ſpecies ita afficiunt Organon ſenſus, ut facultas ſenſitiva ibidem reſidens, iſtas qualitates mediantibus ſpiritibus recipiat, eaſque ad facultatem, ſenſum communem dictam, tranſmittat, à qua fiat iſtius qualitatis perceptio & dijudicatio, atque ita vera ſenſatio. Sic v. g. Color parietis albus ſit talis qualitas, quæ ex ſe dimittat ſpeciem ſuam in oculum à qua ſpecie ita afficiatur facultas viſiva, ut exinde in ſenſu communi tandem eliciatur iſtius coloris albi perceptio & ejus viſio. Sed quis non videt, hiſce nudis terminis nominalibus, ſine nucleo rerum, rem hanc aliàs obſcuram, multo magis obſcurari, explicandum ſiquidem reſtat, quid ſit iſta facultas ſentiens, in quo conſiſtant iſtæ qualitates ſenſiles earumque ſpecies intentionales? Item quomodo eadem afficiant Organa, & quomodo ab his ad cerebrum fiat tranſitus pro formali ſenſatione.

§. 4. Moderni ergo, relictis terminis, nil ſignificantibus experimenta naturæ conſulentes, aliter longè rem explicant. Inveniunt ſcil. omnes iſtas, quæ corporibus attribuuntur qualitates, non eſſe entia realia ſed ſaltem modos entis, nempe materiæ, adeoque eas rebus in ſe unis affingi, ex diverſo noſtro concipiendi modo, qui multiplices, eoſque diſtinctos de una re, formam conceptus prout diverſimodè res iſta afficit ſenſus, ſtatim tot entia quaſi revera diſtincta concipiat. *Confer. Digby tract de Natura corporum lib. 1. c. 1. p. 3.* Cujus verba, ut aliquò mutata, mea faciam. Suppono, me corticis Aurantiorum fruſtulum in manu tenere, fruſtulum hoc realiter in ſe tantùm eſt ens unicum ex pluribus materiæ particulis in unum corpus coaleſcens, diverſos tamen in meis ſenſibus effectus producit, oculus in eo colorem aureum, naſus ſuavem odorem, lingua ſaporem amaricantem, extrema cutis frigus, levitatem cum aliqua ſcabritie obſervat. Senſus ita diverſimodè affecti, nuncios ad phantaſiam mittunt, tanquam certiores facturi, quid quiſque illo in fruſtulo deprehenderit, ita ut ratio noſtra poſtmodum flavedinem, ſuaveolentiam, amaritiem, frigus, ſcabritiem, &c. ſeparatim conſiderat, unde diverſæ notiones in mente, quaſi tot diverſorum entium oriuntur, quæ tamen revera in illo fruſtulo nullatenus diſtinguuntur reipſa, nec aliud ſunt, quam ipſa illius ſubſtantia materialis, pro varia ſenſuum & Organorum diſpoſitione diverſimodè nos afficiens..

§. 5. Sunt ergo vires corporum ſenſus afficientes, quos qualitates ſenſiles vocant, v. g. Sapor, Odor, Qualitates tactiles, &c. Non entitates quædam reales & abſolutæ, ab alia entitate, ipſoque corpore cui inhærere dicuntur diſtinctæ, ſed duntaxat corpus ipſum, prout hoc ex certo particularum materialium, ex quibus conſtat coalitu, juxta harum figuram, magnitudinem, ſitum, ordinem, motum & quietem, & ex his reſultantem texturam, aptum natum eſt, variè ſenſuum organa, diſtincta ſua compoſitione, ſecundum modo dictam texturam afficere, cujus affectionis ſeu impreſſionis in Organo effectus, ſenſationes vocamus. Sic v. g. eædem particulæ fruſtulum corticis aurantiorum contexentes, quatenus peculiari modo ſituatæ, lucem reflectunt, coloratæ apparent, quatenus certo modo figuratæ, papillas linguæ, vel membranam narium afficiunt, ſapidæ & odoratæ ſunt, quatenus denique inæqualiter contextæ multæ eminent, multæ depreſſæ ſunt, ſcabritiem quandam, ſeu ſuperficiei inæqualitatem tactu repræſentent, atque ita quoad materiale ſe habent qualitates dictæ ſenſiles. Quoad formale verò, & propriam afficiendi rationem, ſenſiles hæ dictæ qualitates, nonniſi effectus quidam ſunt, in ſenſoriis noſtris à materiæ texturâ introducti, adeoque ab iſtis materiæ modis, & inde facta textura non differunt magis quam congruitas clavis ad ſeram, ſeu illius aptitudo hanc reſerandi ab illius magnitudine, figura & conformatione. Adeoque rectè qualitates ſenſiles in objecto eſſe, & non ineſſe, diverſo reſpectu elici poſſunt. De his & ſimilibus philoſophantes *Vid. Digby de Natura corporum. Tract. 1. c. 27. Charteſius tract. de Homine. Gaſſendus in Philoſoph. Epicurea, Boyle de Orig. Formar. & Qualit.*

§. 6. Modus ergo quo objectum ſenſile afficit Organon ſenſationis, non fit per talem qualitatis ex objecto emanantis in Organo receptionem, ut facultas ſentiens, hujus qualitatis quaſi intuitu ſentiat, ſed, fit per certum motum, in quem inſtrumentum ſenſus proximum cietur, eumque varium, pro diverſa objecti materiali textura, & hinc alia atque alia ad Organon movendum habitudine. Conſtant Organa ſenſuum variis partibus, ex quibus una immediatum eſt *Senſus inſtrumentum*, in quam objectum ſenſile immediatè irruit ſeu impreſſionem facit, & hæc ſemper eſt *Nervus*, cujus extremitas, vel in membranam tenacem, fortiter tenſam expanditur, v. g. in auditu & viſu, vel in capitulum papillare conglobatur, v. g. in guſtu & tactu; In hanc nervi extremitatem, irruens objectum ſenſile, illam vel percutit, vel in fibrationes movet, vel pungit, vel titillat, vel alio modo, (voco ut lubet,) in motum ciet, in qua Organi motione, formaliter ſenſus externus, ſeu impreſſionis ab objectis receptio conſiſtit, hic motus in Organo factus ad cerebrum continuatur, ibique quaſi dijudicatur, & ita in ſenſu ſic dicto communi formaliter in homine ſentitur.

§. 7. *Formalis* ergo *ſenſatio externa* in motu & ſingulari ab objecto externo in fibris nerveis Organi ſenſilis facto, ſeu concitato conſiſtit; unde rectè ſenſatio talis, quædam paſſio, & ſentire quoddam pati dicitur. Ulterius verò jam conſiderandum venit, quomodo ad cerebrum uſque motus talis continuetur pro formali ſenſatione interna, ſeu ſenſus communis. Charteſius exiſtimat, filamenta nervea in extremitate nervi ab olfacto externo icta ſeu percuſſa ſecundum ſui continuitatem ad cerebrum uſque ſimili motu concuti, cui ſimilis ictus infligatur; quo ictu, peculiari motu afficiente cerebrum, anima, rerum, oſtia ſenſuum pulſantium, notitiam hoc pacto acquirit. Sicuti alias videmus, chordas tenſas in una extremitate motas, quacunque ratione motum iſtum ad alterum uſque extremum, ictu oculi citius, continuare.

§. 8. Minus placet hæc opinio. *Digbæo, qui tract. de Immortalitate animæ humanæ p. 32.* pluribus eam excuſſit. Potius ergo aſſerendum videtur, in ſpirituum animalium receſſione, externam ad cerebrum continuari, & quaſi deferri ſenſationem. Nempe dum nervorum ſpiritibus animalibus, præſertim circa eorum extremitates ubertim ſcaturientibus filamenta in debito tono conſtituta, ab externo objecto pulſu quodam moventur, non poſſunt non ſimul ſpiritus ibidem præſentes & in univerſo nervi ductu, elaſtica vi turgentes, ſimul parili penitus ratione commoveri, unde fit, ut per nervi continuitatem iſte ſpirituum motus repercuſſione quadam in momento ad cerebrum uſque continuetur, (dum motus in Organo ſpiritus ſibi continuatum pariter movet, & ſic ſucceſſivè ad principium uſque nervorum, ſeu cerebri radicem,) ubi alii intra cerebri medulloſam ſubſtantiam nudulantes commoventur, ita ut horum motu altera & activa magis ſeu formalis ſenſationis pars ſuperveniat, externi nempe ſenſus perceptio, quam ſenſum communem appellamus; Dum nempe occaſione talis determinati motus quorundam ſpirituum in cerebro Anima rationalis in nobis format conceptum, ſeu ideam repræſentantem, exactè rationem externæ impreſſionis, fitque tum formalis cognitio, ſeu ſenſuum externorum, mediante interno quodam communi perceptio, id quod dolor imaginarius eorum quorum partes jam abſciſſæ ſunt, illuſtrare videtur.

CAP. XX.

DE SENSIBUS EXTERNIS.

§. 1. PRimumquod nos afficit *Objectum* eſt LUMEN ex luce corporis lucidi per radios undique in ambientem ſphæram diffuſum. *Lux* in motu certo elaſtico, vel efferveſcente particularum ſubtiliſſimarum, probabiliter pinguium rapidiſſimo, conſiſtit, mediante quo aliæ congeneres ſubtiliſſimæ particulæ in atmoſphæra copioſiſſimæ exiſtentes, undique ſecundum lineam rectam impelluntur, quæ tali impulſu radios conſtituunt, qui impulſus radioſus talis materiæ per corpora fluida, & ſolida, ſed inæqualiter poroſa continuatur, donec in corpus, quod nullum tranſitum concedit, impingat ibique & ſecundum ejus ſuperficiem extendatur in lumen, & hinc valido motu repercutiatur, donec motus iſte à corpore lucido ſemel impreſſus tandem langueſcat, indeque lumen omne evaneſcat, adeo ut ratione ſubjecti lux in corpore lucente, radius in atmoſphæra media, lumen in objecto, corpore opaco hærere videantur, ipſum verò lumen materialiter in corpore fluidiſſimo, formaliter in rectilineo concitatiſſimo motu conſiſtit.

§. 2. Pro talium illuſtratione exempli loco conſideretur lux ignis, & ligni putridi, ex illo enim lumen calidum, ex hoc frigidum ſpargitur. In igne viget actus diſſolutionis ſulphuris, ſeu ſubſtantiæ pinguis acidæ, ſub pinguedine verò ſal volat. materialiter latet reconditum. Ex harum particularum mutua, & cum particulis nitro aëreis ſub ſolutione incenſis colliſione, quaſi efferveſcente, emergunt primaria ignis Phænomena, ex acido nempe concitatius agitato, calor; ex pingui verò velocius cum illo cōcurrente, lux, & dum pingue cum alcali vehementius quaſi exploditur, ſeu eliditur ab acido, particulas ſibi contiguas in aëre, undique in rectam lineam hoc ipſo impellit, & ita radios & lumen etiam in inſtanti ferè ſpargit. Ligna putrida verò ſunt lucida ex motu diſſolutionis cōcreti, in quo ex putredinis, fermentationi ſcil. oppoſitæ, natura, alcali emergens, agit in acidum & pingue, huic ſociatum, diſſolvendo in motum ſupradicto ſimilem, concitat, à cujus diſſoluti impetu, ſimiliter in atmoſphæra ambiente, commoventur particulæ aliæ minutæ, unde radiatio luminoſa.

§. 3. Adeoque non eſt putandum. Lucis ſubſtantiam ex ſubjecto lucido ſubtiliſſimè attenuatam, undique fibrari, hoc enim conceptu impoſſibile; Quomodo enim candelæ exilis flammula, ad tantam diſtantiam, ſubinde poſſit conſpici, idque in orbem, & quidem ferè in momento? Ad hæc ſubſtantia luminoſa, à luce diffuſa, luce extincta, vel ſupereſt, vel annihilatur, poſterius hoc aſſeri nequit, adeoque ſupererit adhuc materialiter, utut formali illuminandi ratione deſtituta; hoc ſcilicet in motu concitatiſſimo rectilineo in orbem conſiſtit, quo ceſſante, illuminatio etiam ceſſat, eo verò reſtituto, etiam ab alia quacunque luce, à qua ſubſtantia iſta denuò in parilem motum concitatur, lumen denuò ſe oculis ſiſtit. Accedit & Experimentum Boylianum, quo conſtat, aere ex recipiente exſucto, ut ignis confeſtim, & omne ejus lumen extinguitur, ita etiam lignorum putridorum lumen, exhauſto aere ex recipiente, evaneſcere penitus, aere verò denuò intromiſſo, illud iterum exſplendeſcere. *Vid. Acta Philoſoph. Societ. Regiæ. Vol.* 1. *p.* 474.

§. 4. Eſſe autem materiale corpus lumen, & radios luminoſos, vel ex hoc eſt manifeſtum, quod quas materiæ conditiones qualitativas, & inde reſultantes proprietates refractionis & reflectionis obtineat, quas ſine conceſſa ejus materialitate declarare, vel concipere impoſſibile eſt, ut taceam ſpeciem intentionalem ſeu immaterialem lucis eſſe rem penitus inconceptibilem, ſed inſtar omnium de hoc puncto videatur *Pater Franciſcus Maria Grimaldi, tract. Phyſic. Matheſis de Lumine toto. Tract.* 1. Qualis autem ſit materia, quæ motu iſto à Luce impreſſo, lumen conſtituit, an ſit ignis quidam, maximè rarefactus, ut vult *Digby de Immortalitate animæ part.* 1. *cap.* 6. An verò globuli materiæ cœleſtis, ut non inconcinne ex ſua hypotheſi aſſerit *Cartheſius*, an verò ſint particulæ Nitro-aereæ per aerem diſſeminatæ, *ut vult Mayovv. de Nitro-aereo cap.* 12. *p.* 198. An verò ipſa fluida expanſi aeris corpus conſtituens, in medio relinquo, donec uberior experientia negotium hoc clarius reddat.

§. 5. Lumen iſtud undique radians à corpore lucido, vel immediatè à corpore lucido in oculo recipitur, v. g. dum ſolem vel ignem aſpicimus; vel mediatè, intercedente corpore quodam opaco, lumen iſtud radians, diverſimodè modificante, quæ modificationes ſunt duplices, nempe refractio & reflexio. *Refractio luminis* fit, dum per diverſa, hoc eſt diverſæ conſiſtentiæ tranſit media. *Reflexio fit*, dum lumen ab objecto opaco, plus minus ſolido, quod tranſitum ipſi denegat, & propterea quaſi repercutit, inſtar muri pilam repercutientis, & ab eodem reflectitur, ad eum angulum exactè, ad quem inciderat. Quod ſi corpus, à quo reflectitur, ſit politum, plus minus tamen (nam perfectè politum nullum eſt corpus ſublunare, ſiquidem & ipſum aurum reſpectu ſubtilitatis materiæ luminoſæ, ſuas habet inæqualitates, id eſt eminentias & poros;) lumen maxima ex parte eodem ferè modo, prout incidit, ad viſum reflectitur, taleque corpus dicitur ſplendere.

§. 6. Sin verò corpus non ſit politum, ſed variformes habeat eminentias, diverſè figuratos porulos, & veriè conformatos meatus, & quaſi receſſus, &c. lumen in iſtis diverſimodè modificatur, turbatur umbris, miſcetur & multipliciter tunc refringitur, & veriè reflectitur, ita ut lumen ad oculum perveniens, non nativo ſuo fulgore appareat, ſed alio planè modo, unde tunc color appellatur, & objectum à quo ita modificatum reflectitur, exinde coloratum. Eſt namque color nihil aliud, quàm lumen in corpore, in quod incidit, diverſimodè modificatum, hoc eſt mediante reflexione, & refractione in motu ſuo mutatum, & hinc ad oculum directum, quæ modificationis varietas ex eminentiis, poris & meatibus, & particularum corporum ſuperficiem componentium diverſa magnitudine, figura, textura, reſultans, omnem colorum tàm apparentium quàm realium differentiam deponit; ſeu, ut alias dicitur, omnis color dicitur ex luce & umbra in porulis corporis opaci incidente obſervabili. Exinde ſcilicet omnis colorum in extremos & intermedios differentia oritur, tum albedo & nigredo, ceu extremi ex radiorum luminoſorum ſimplici reflexione poſita, vel negata, intermedii, flavedo, & cæruleitas, ex radiorum illorum, & reflexione & refractione ſimul, & inde modificato luminis motu oriuntur, & quibus quatuor coloribus omnis reliqua colorum differentia originem ducit. Ex cæruleo & flavo enim viridis, ex flavo concentrato ruber, ex albo & nigro, gryſeus, ex rubro & cæruleo purpureus, &c. Adeoque *in omni colore duo ſunt conſideranda.*

1. MATERIALE, quod eſt corporum textura ſecundum ſuperficiem plus minus æqualis vel inæqualis.
2. FORMALE, quod eſt luminis incidentis, ab iſtis particulis ſuperficialibus facta certa modificatio, quod modificatum lumen, oculum diverſimodè afficiens, diverſorum colorum apparentias nobis exhibet. Hinc ratione *Materialis* colorum, cæcus omnes corporis colores diſcernere valet, ſolo tactu; Ratione verò *formalis* vitrum triangulare pro vario ad lucem poſitu, diverſos

diverſos colores inſtar Iridis producit, pro luminis incidentis varia refractione. Hinc vitrioli in aqua ſolutio limpida & perſpicua, injectione decocti gallarum etiam perſpicui, mox nigreſcit, & fit atramentum, quatenus facta acidi & alcali unione, partes metallicæ vitrioli, ab acido nonnihil dimittuntur, quæ poroſos liquoris replendo lumini tranſitum liberum non permittunt, unde Opacitas, quia verò radii luminoſi refracti penitus in liquore quaſi abſconduntur, & aliorſum non verò ad oculum reflectuntur, nigredo apparet. Sic cornu cervi in retorta clauſa uſtum, nigerrimum eſt, quod in vaſe aperto calcinatum, intensè albeſcit. Sic Auripigmentum & fuligo miſturam viridem exhibent. Sic ſyrupus violarum eleganter purpureus, inſtillato ſpiritu vitrioli intensè rubeſcit, inſtillato verò oleo tartari p. d. virideſcit. Sed hæc non tantum Chymia quotidie ad oculos ponit, ſed præterea ſufficienter ſunt declarata *à Dn. Boyle in tract. de colorib. item à Digby. l. c. addatur his Hamel. de affectionib. Corpor. p.* 128. quibus annectatur *Franciſcus Maria Grimaldi*, *l. c.* cujus excerpta habentur *in Ephem. Erud. Tom.* 2. *ephem.* 35.

§. 7. Lumen ergo vel ſimplex vel modificatum illabitur in oculum, per foramen tunicæ uveæ, ceu in Cameram obſcuram (nam revera oculus eſt talis Camera) in quâ humor cryſtallinus eſt vitrum lenticulare, in quo fit decuſſatio ſpecierum, uti vocant, viſibilium, hoc eſt ipſius luminis à variis punctis objecti vel lucidi, vel colorati, oculum intrantis, donec hæ in tunicam retinam, ceu primarium viſus organon impingant, & ſic objectum inverſo ſitu depingant. Retina tunica iſta eſt expanſio nervi optici, & exinde ubique perfuſa ſpiritu animali, ab illabente ergo lumine, vel ſimplici vel modificato, ſeu colorato, objectum viſibile repræſentante, & impingente in tunicam iſtam hæc quaſi percuſſa, ſimiliter movebit ſpiritus præſentes, qui continuata ſerie per nervos, cerebro, & ibi ſcaturientibus ſpiritibus, ſimilem motionem, impriment, & ita viſionem ſeu objecti in oculo repræſentati perceptionem in ſenſu communi promovebunt. Prout ergo variè modificatum lumen variè percutit tunicam retinam, ejuſque fibrillas, variè dicuntur colorata. Quod ſi ſimilis motus in oculo produci contingat, ab ulla alia cauſa etiam interna, in qua partes lucis nullæ ſunt, putabit quis eandem lucem ſe colorem videre, hinc enim eſt, quod oculi percuſſi, in tenebris lucem videre putent, item quod ante paroxyſmum epilepticum aut vertiginis, non rarò varii colores apparere ſoleant. *vid. Boyle de Coloribus p.* 10.

§. 8. *Fit ergo viſio per conum duplicem, rectum unum*, ab objecto ad punctum interſectionis in cryſtallio, & *inverſum alterum* ab hoc puncto ad tunicam retinam, & prout angulus iſte interſectionis eſt vel major, vel minor, etiam objectum majus vel minus apparebit, & ob id res propinquior major, remotior minor videtur. Unde etiam objecta quædam in æquali diſtantia, inæqualiter interdum diſtare videntur, & res inæqualis, Magnitudinis, tamen æquales cernuntur, pro vario nempe oculi poſitu; & ſic medium inter objectum & oculum, eſt unum, ratione craſſitiei, in loco eodem objectum apparebit, in quo eſt, ſin verò objectum ſit in medio craſſiore vel tenuiore, quam eſt medium circa oculum, etiam in alio loco, quam eſt medium circa oculum etiam in alio loco, quam revera eſt, conſtitutum apparebit, idque ob refractionis varietatem, pro medii diverſitate, nam radius luminoſus incidens in medium craſſius refringitur ad perpendicularem puncti incidentiæ, incidens verò radius, in medium tenuius refringitur à perpendiculari puncti incidentia. Oculi ergo fabrica ex tot humoribus diverſæ conſiſtentiæ eſt compoſita, ut per refractiones eò exactior, quia major fiat objecti repræſentatio. Et ex fundamento hoc omnis Microſcopiorum, Perſpicillorum, ſpeculorum uſtoriorum varietas dependet. Cæterum oculus licet ſit duplex, non tamen una res duplex apparet, quia axes pyramidum viſualium coincidunt in unum punctum, unde viſio duplex in utroque oculo eſt ſimillima; Sin verò contortis oculis axis ita variet, etiam una res duplex apparet. Recta quoque apparent omnia objecta, licet inverſa depingantur in oculo, quia per viſionem res ibi apparet, quo linea viſualis ex oculo tendit, ſed hæc linea ex inferiore puncto retinæ, ſurſum, ex ſuperiore verò deorſum tendit; ergo & hoc modo objectum nobis apparet. Objecta etiam in ſpeculis, quo propiora ſunt ſpeculo, eò propiora poſt ſpeculum eſſe videntur, & quò magis à ſpeculo remota ſunt, eò profundius poſt ſpeculum ſita videntur, quia nempe objectum videtur tantum ibi, ubi perpendicularis linea punctis radiantis concurrit cum linea reflectionis. Plura quoad viſum curioſa qui vult, *vid. Schottum in Mag. Natural. item Comæum in Curſu Philoſoph. ubi de viſu. Carteſ. de Homine, & Johan. Marcum Marci in Thaumatia ſeu Arcu-Cœleſti.*

§. 9 *Alterum objectum*, quod maximè nos afficit, Sonus dicitur, qui eſt motus aëris nunc tardior, nunc celerior, à quocunque corpore movente excitatus, ita ut quilibet aëris vehementior impulſus ſonum edat, cujus utut infiniti ferè ſint modi ad binas tamen efficiendi rationes commodè deduci poſſunt, quod

1. Vel corpus ſolidum percuſſum, adeoque fibratione affectum aërem compellat, ictuque celerrimo repetito, concitatiſſimè undulare faciat, Vel quod.
2. Aër in ſpatium anguſti compulſus, dum à compreſſione impetuoſius erumpit, vicinum undique aërem ſimili motu afficit, & ita ſonitum fieri facit. Prioris exemplum ſunt quælibet Organa Muſica, fidibus inſtructa, poſterioris verò ſunt quælibet fiſtulæ, adeo, ut materiale ſoni ſit aër ſubtilis & tenuis; formale ſit certus, ejuſve vehemens, plus minus tamen, Motus quocunque modo excitatus, ad aurem uſque undulatoria fibratione continuatus.

§. 10. Obſervandi autem ſunt gradus hujus motus, & inde dependentis ſoni, nam prout præfatus motus aeris eſt vehementior, vel debilior, ſonus eſt major ſeu intenſior, vel minor ſeu remiſſior, & prout iſte motus eſt fortior & ſimul concitatior, vel remiſſior & tardior, eo etiam ſonus nunc eſt acutus, nunc verò gravis. Totum negotium aptè declarant chordæ in inſtrumentis muſicis, quæ prout minores & magis tenſæ, eò acutiorem ſi moveantur, efficient ſonum, ob ſubtilem verberationem, & celerrimam motionem aeris; quo verò grandiores aut minus tenſæ, eò gravior eſt ſonus, ex ratione contraria. Quod ſi quietæ perſiſtant, nullus eſt ſonus, quod ſi eorum motum, digiti appulſu inhibeas, ſonum etiam omnino tolles. Sonus ergo hujuſmodi, ſeu motus aeris promotus ad aliquod corpus ſolidum, repercutitur exactè ad angulos tales, ad quales inciderat, ita ut incidentiæ, vel potius impulſionis angulus, ſit æqualis angulo repercuſſionis, & dicitur Echo, quale Echo eſt omnis iſte ſonus, qui in organis Muſicis dicitur reſonantia, quæ eſt ſonus in teſtudinis, v. g. cavitate pluries repercuſſus. Hæc reſonantia imprimis in metallis reperitur, quæ ob firmam ſuam, inſignibus tamen minutis poris refertam compagem percuſſa, in libero aere, uti acutum excitant ſonum, ita & ipſa eundem ſonum diu in ſe conſervant, ob aerem in eorum poris minutis & copioſis celerrimè tremeſcentem, ſeu motum, & ambientem aerem in ſimiles motus concitantem, unde, v. g. Tintinnabula percuſſa maximè ſonant, & reſonant,

nant, quod ſi ſub ſonitu digito tangantur, (qui digitus tunc aliquam in iis percipit formicationem ſubtilem, celeremque titillationem) mox ab omni ſonitu ceſſant, ob digitum, motum aëris in eorum porulis non recipientem, ſed potius impedientem. *Vid. Schottus Mag. Natural. Part. 2. item Digby de Immortalitate animæ.*

§. 11. Inſtrumenta pneumatica ſeu fiſtulæ ſimiliter ſonum edunt, quatenus aërem copioſius & impetuoſius introrſum, hinc in eorum anguſtiis incluſum, impetuoſè nonnihil explodunt, qui cum impetu prorumpens talem concipit, & undique diffundit motum, qui ſonus dicitur, adeo, ut omnis fiſtularum ſonus, ſit aeris compreſſi, mox ſtatim dilatati reciprocus motus. Sonus hujuſmodi, ſeu motus aeris, per fiſtulam tracheæ arteriæ pneumaticam in animalibus productus, dicitur VOX, *quæ fit ex motu certo, aëri in Larynge, beneficio epiglottidis impreſſo*, quæ aerem vel ſtringit, exeuntem, unde ſubtilis & acuta vox, ut in infantibus & mulieribus, vel cum liberè exire permittit, unde vox gravis & ſonora, vel alio etiam modo eam ſonare facit, adjuvante non parum ad hoc aſperæ arteriæ conditione, quæ quò ſiccior, eò clariorem, què humidior eò magis raucam vocem efficit. Item quò eſt major ſeu amplior, eò graviorem efficit ſonum inſtar magnarum fiſtularum in organis, hinc urſi ob magnitudinem tracheæ, adeo murmurantem edunt vocem, Luſciniæ contra ex ejus anguſtia tenuem & canoram, cujus Epiglottis facilè & diverſimodè mobilis ingentem iſtam in ſonitu variationem & harmonias multiplices efficit, de quo *vid. Kircherus muſurgia Magna, ubi habetur etiam Anatome Luſciniæ. lib. 1. c. 15. §. 3. p. m. 49. ſeqq.*

§. 12. Vox hæc animalium per ſe inarticulata, articulantur tamen in animalibus, ſpeciatim in homine, per linguam, dentes & labia, quibus vocales Epiglottidis motu prolatæ, hoc eſt ipſæ voces certo motu modificantur, & figurantur, quæ ab his partibus facta modificatio conſonantes conſtituit. Commune hoc eſt negotium brutis & hominibus, dum etiam bruta vocales certis conſonantibus modificant, ut patet in canibus, gallinis, &c. Sed hæc modificant naturaliter ſolo ſpirituum per nervos certa ratione diſtributos in Laryngem unicuique ſpeciei ſingulariter formatum impetu; Homines præterea articulant artificialiter, ſecundum rationem, & ſic certo conſilio; ex quo conſilio humano, ſecundum variam intentionem, hoc eſt ex impoſitione libera formata ſunt verba, & ex hoc fundamento per ſolam linguæ & labiorum motus accuratiorem obſervationem, ſurdus naturâ & mutus, ſolo viſu, & omnium voces intelligens, & artificioſè loquens effici poteſt, uti hoc per experientiam confirmat *Digby*, *l. 1. c. cap. 28. pag. 324.* conferatur ſimul *VVilliſii Epiſtola* quoad hanc materiam, quæ habetur in *Miſcell. Acad. Natur. Curioſ. in Append. ad Annum. I.* Aër ergo ab imo pectore emiſſus ad ligulam Epiglottidis, plus minus ſub eruptione compreſſus, vocem efficit, cujus modificatores ſunt lingua, dentes, & labia; Moderator verò vocis uvula, quacunque occaſione motu tremulo ferit eërem vocalem, iſto loquelæ vitio laborant, quod Germani *das Schnarren* appellant.

§. 13. Motus ergo aëris aliquantiſper impetuoſus, vel violentus per motum circularem & ſpiritualem, (inſtar aquæ per varios circulos undulando, ſemel impreſſum motum, longè producentis) quaqua verſum ſe diffundit, ubi ſub aure externa anfractuoſa receptus ad internam pergit, per cujus meatum flexuoſum in oſſe petroſo exculptum ad membranam uſque tympani pertingit, quam pulſando movet, & hujus medio ſuum motum aëri in tympano ſeu concha contento imprimit, à quo motus iſte promovetur uſque ad labyrinthum & cochleam in cujus intimo gyro, nervi auditorii major ramus expanſus, in membranulam ab aëre iſto motu verberatur, ſeu aer iſte motus in eam illidit, & impingit, eamque percutit, & ita id, quod nos ſonum vocamus, conſtituit, percuſſionis per ſpiritum animalem ſimili ratione motum continuatio ad cerebrum uſque, ibique perceptio dicitur AUDITIO.

§. 14. Fabrica auris externæ anfractuoſa, & in ſpecie interna concamerata facit ad exactiorem ſoni, ſeu moti aeris perceptionem, ſicuti in conclavibus concameratis, aut fornicibus ellipticis, exactius longè quicunque ſoni percipiuntur, imò conclavia maxima concameratim & artificioſè ad hoc conſtrui poſſunt, ut in ſolo angulo omnia ea audiri poſſint, quæ omnes in toto conclavi, etiam alter alteri in aurem ſuſurrando loquitur, utut omnes alii in conclavi hinc inde ambulantes, nihil horum percipiant. Membrana tympani nimis impetuoſum aeris motum ex parte refrænant, ſimilem tamen illi interno aeri imprimit, qui cavitate conchæ, eundem nempe motum recipit, & per labyrinthum ad cochleam deducit, ubi expanſio nervi, primarium eſt auditus Organon. Motus ergo nunc plures ſucceſſivi aeris ad expanſionem iſtam allidentes, ſi ſpiritum præſentem ita movent, ut ſecundus motus in quodam tertio reſpondeat primo, & tertius ſecundo, & quartus tertio, &c. oritur ſonus armoniacus admodum gratus ex proportione aerearum motionum, ad ſe invicem, reſultans: Sin verò nullo inter ſe reſpondeant, nullamve habeant convenientiam, &c. ſonus non harmoniacus oritur, ſed moleſtus, propter communitatem nervorum ſæpe linguam & dentes unà afficiens, & prout per motus iſtos aereos ſpiritus animales variè moventur & agitantur, omnes iſti affectus animi, mirandique effectus, quos Muſica producit, originem ducunt. Tardior ſcilicet ſeu remiſſior ſonus, tardiores in nobis motus excitat, quales ſunt triſtitia, languor, ſomnolentia, &c. Intenſior verò ſonus, celeriores motus, & hinc impetuoſiores affectus concitat, v. g. Lætitiam, animoſitatem, &c. *Vid. Kircherus Muſorgia Magna lib. 4. part. 1. quæſt. 6. p. m. 135. ſeqq. item artis magnet. lib. 3. c. 8 & Schottus in magia naturali.*

§. 15. Tertium quod valdopere in nos agit objectum, dicitur ODOR, qui cum aere, quem reſpirationis gratia ducimus, vel invitis nobis ſubintrat. Ex omnibus nempe corporibus exhalant copioſæ particulæ, ſeu effluvia in aere hinc inde agitata, (ratione quorum canes agnoſcunt facillimè heros, & tenelle agni in tota grege ſuas matres,) quæ, ſi tales ſint, ut cum aere inſpirato narium ſubeundo latibula, in membranam admodum ſenſilem, earum cavitatem intimam & ſupremam, ſuccingentem certo modo impingant, ſimulque poris ejus quodammodo ſe inſinuent, ac ejus fibras quaſi pungant, & certo motu vellicent, tunc talis motus in membrana narium excitatus, & per ſpiritus animales cerebro communicatus, ibique perceptus, dicitur ODORATUS, ſicut particulæ eum concitantes dicuntur odoriferæ. *In odore* ergo *formale* conſtituit motus certus in membrana narium intima concitatus; *Materiale* verò conſtituunt particulæ volat. peculiari ſua textura ita conformatæ, & ſuo contactu ſpecialiter iſtam membranam movere queant. Volatiles ſunt particulæ, quæ odoris impreſſionem faciunt, eæque ſubtiliſſimæ, non enim integræ corporum partes, ſed harum ſaltem ſubtiliſſima effluvia, odoratum excitare valent. Hinc camphora propter ſummam volatilitatem, qua continuò evaporat, ſummè eſt odorifera, quæ in ſpiritu nitri aut vitrioli ſoluta, omnem mox odorem exuit, quatenus figuntur ab iſtis acidis volatiles ejus particulæ. Quod ſi dictæ ſolutioni aquam ſimplicem infundas, mox camphora, antea inviſibilis, quaſi regeneratur, & cum conſiſtentia & colore antiquam vim odoriferam denuo exhibet. Subtiliſſima eſſe effluvia odorifera, patet ex tantillo Caſtorei, vel Moſchi, vel Zibethi, quæ omnia

magnam

magnam veſtimentorum quantitatem odore ſuo imprægnant ſine notabili ſui communione. Sic olea deſtillata mirabiliter ſunt odorum diffuſiva, ſic enim guttæ ij. olei deſtillati aniſi cum vitello ovi diſſolutæ plures aquæ menſuras odore intenſo aniſato imprægnant.

§. 16. Particulæ tales odoriferæ minus ſolent eſſe ſimplices, ſed ferè compoſitæ ex plurimis minutiis particularum, præcipuè tamen conſtant ex particulis ſalino-ſulphureis, ita tamen conformatis, & in textura materiali conſtitutis, ut certum motum in narium membranam inducere valeant. Has inter particulas hæc ferè habetur ſubordinatio, ut particulæ ſulphureæ per ſalia motæ, & certo modo alteratæ odorem conſtituant, dum ratione particularum ſalinarum volat. penatrantiam in narium membrana obtineant, ratione verò adjunctæ ſubſtantiæ ſulphureæ, ſeu pinguis, formalem odoris alterationem inducant. Dixi ſulphureas ſeu oleoſas particulas, per ſalia quaſi excitatas eſſe primum odorabile, ita quidem, ut nunc urinoſa, nunc acida ſalia, agendo in ſulphurea odores latentes excitent, vel eos remiſſos intenſiores reddant. Sic enim ſulphur commune languidum obtinet odorem, quod cum alcali quodam fixo liquefactum, dum per deliquium fluere incipit, intenſiſſimum fœtorem ſpirat. Sic Antimonium & Mercurius ſublimatus inodora ſunt, quæ junctim deſtillata, butyrum antimonii ſuggerunt, quod odorem ſulphureum penetrantiſſimum, & vix tolerabilem ſpirat.

§. 17. Imprimis in animali & vegetabili regno, *Sal volatile agens in ſulphura*, & ratione latentis ſub hoc acidi, certum motum ipſi, & mutationem texturæ tribuens, *Odores conſtituit*, unde præ cæteris ſunt odorifera, vegetabilia reſinoſa, quæ exinde deſtillando olea ſuggerunt; Hæc olea blando igne ſunt ſuaveolentia, forti verò, ſunt empyreumatica, & graveolentia. Olea ſuaveolentia per veſicam, vel Balneum Mariæ deſtillata, quatenus ſunt ſalia volat. à pingui acido concentrata, maximè eſſe ſolent odorifera; magis adhuc empyreumatica, in quibus nempe actio ſalis volat. cum pingui per intenſiorem ignis aperti torturam, eſt colliquatio, intenſius inde, & etiam gravius olere ſolent. Exemplum manifeſtum eſt in ligno ſaſſafras, cujus raſura per veſicam deſtillata dat oleum admodum ſuaveolens, per retortam verò igne aperto tractata, oleum fœtidum fortiter empyreumaticum ſuggerit, cujus differentiæ ratio ſaltem in texturæ mutatione, & in plus minus arcta particularum concentratione, conſiſtit. Moſchi & Zibethi ac caſtorei fortiſſimus odor, à copioſo ſale-volatil. oleoſo originem habet, qui moſchus nempe, & Zibethum, ſi odorem ſuum amiſerint, ſuſpenſi in latrina, de novo ſuavi odore impræguantur, quatenus recuperant ex latrina, ſalia votatilia acria urinæ & ſtercoris, quibus per copioſam exhalationem fruſtrata fuerant; Nam ſalia volat. in radice congenera agunt in eorum oleum, iſtudque ſolvendo, coeunt cum eodem in particulas novas, ſummè odoriferas, odoris antea amiſſi nova inſtauratio. Fugaces odores ſunt, quos Jaſminum, lilium Convallium, roſæ exhalant, magis ſubtiliori ſale volat. explicato, quàm ſulphure illud concentrante conſtantia. Spiritus ex partibus animalium & ſalia volat. vix ulla arte à fœtore liberari poſſunt, quia oleoſum contagium intimè illis concentratum pertinaciſſimè adhæret. Sed, ſi per ſpiritum ſalis, acidum redigantur in ſal armoniacum, in qua præparatione olei quod ſupereſt, ſeparatur, & ex ſale armoniaco denuo ſi rectificetur, ſalia volat. hæc ipſa, depoſito fœtori omni, ſaltem penetrantiam ſuam volatilem, quâ non nares ſolùm, ſed oculos pariter ad linguam afficiant, retinent. In regno minerali promiſcuè magis, nunc acida, nunc alcali operando in ſubjecta ſulphurea, odores excitare ſolent, ſic enim ſulphur cum alcali fixo tractatum, intenſè fœtet, butyrum antimonii verò ex acido conſtans, penetrantiſſimum odorem ſulphureum ſpargit. Mars cum ſale armoniaco, item cum ſpiritu ſalis armoniaci tractatus, croci, vel ſaltem florum calendulæ ſimilium repræſentat colorem. *Fœtores ipſi rerum putreſcentium per duplicatum quaſi motum oriri* ſolent, dum ex acido agente in ſolutiones ſulphureas per alcali factas ferè produci ſoleant. Sic lixivium ſcoriarum reguli antimonii ab infuſo acido, v.g. ſpiritus vitrioli, ſubito horrendum fœtorem emittere ſolet; par ratio eſt ſulphuris communis cum ſole tartari liquefacti, maſſa per deliquium ſoluta, fœtet, ſed ſi acidum inſtilletur, longè intenſior fœtor emergit. Hinc rerum putreſcentium fœtor à ſale volat. exaltato agente penetrantius in ſulphur, ſeu oleum concurrente ſimul occultato hujus acido, & ſolutionem factam quaſi præcipitante emergere ſolet.

§. 18. Ex his dictis apparet, quod *odor nil aliud ſit, quã particulæ ſubtiliſſimæ, & admodum volat. exhalantes cujuſdam corporis*, tali modo cõformatæ, ut membranam narium blandè, & ſingulariter vellicare valeant. Membrana iſta delicata, ſummitatem narium intimam ſuccingens, primarium odoratus eſt organũ, demonſtrante hoc ſufficienter *Schneidero tract. de Cribriformi oſſe*, cujus aſſertum etiam coryza confirmat, quâ, qui laborant, ob nimiam membranæ dictæ, à lympha copioſiore, humectationem, odoratu ſpoliantur. Contrariũ equidem ſtatuit *VVillis in ſua anatome cerebri*, qui cum veteribus, proceſſibus mammillaribus adhuc iſtum uſum tribuit, cui tamen obſtat, quod quilibet meatus cribriforme penitus, & admodum pertinaciter occluſi ſunt, ita ut ne tantillum per nares ad illos proceſſus penetrare valeat. Fortè membranæ huic inſertæ ſunt papillæ nerveæ, ex nervorum externis fibris, in membranam nariũ deſinentibus abortæ, nonniſi per microſcopium inveniendæ, quales papillæ in lingua, guſtus, in cute tactus organũ conſtituunt, cum guſtus, odoratus, tactus nonniſi pura graduatione, majoris vel minoris objecti in materiam immerſionis diſtinguuntur, omneſque ſolo tactu fiant. *Vid. Act. Haffnienſium Volum. 5. p. m. 133. 134.*

§. 19. Prout ergo particularum iſtarum variat conformatio in figura, textura, &c. indeque ad movendam membranam narium ſint proportionatæ, ejuſque fibris movendis reſpondeant, etiam variat odor, qui nunc eſt gratus, nunc ingratus, ſi enim blanda & moderata in membrana iſta fiat vellicatio, ut fibræ blando & jucundo cieantur motu, odor erit gratus, ſin verò motus minus proportionatus in fibris iſtis excitetur, aut ipſum etiam organon propter objecti vehementiam lædatur, odor ingratus emergit. Quot ergo modi ſunt in conformatione particularum odoriferarum, tot adæquatæ ab iis fiunt impreſſiones & quanta varietas in membranæ narium ſtructura, tanta & varietas in impreſſionis illius receptione. Inde tot odorum & odoratus exſurgunt differentiæ, v. gr. quod bruta quædam, in ſpecie, canes, adeo acutum habeant odoratum, vel quod quidam homines alios de longè venientes, nondum viſos ſolo olfactu agnoſcant, cujus exempla *Vid. in Digby l. c. cap. 27. item in Borello Cent. Obſerv. 68.* Hæc motus in membrana varietas, etiam afficit ſpiritus, unde odores, tàm varias inducunt alterationes, dum unus odor hunc recreat, illum in ſyncopen dejicit, in mulieribus paſſionem hyſtericam producit, à ſpiritu nempe animali variè affecto, & ad tales motus à tali impreſſione diſpoſito.

§. 20. Naſo proximum eſt os, in quod ingeſta quæcunque, Saliva diluta, præter communem tactum, quem excitant, ſingularem quandam linguæ alterationem inducunt, quam GUSTUM appellamus, & ea, quæ eum excitant, ſapores, vel objecta ſapida dicuntur. Aliàs guſtus & odoratus idem materiale objectum habere videntur, quod percipitur ab odoratu, quatenus particulæ illæ effluunt, & in aëre

aere volitant, à guſtu vero, quatenus ſolæ, vel cum ſaliva ſub forma liquoris lentè moventur, & in poros linguæ incidunt; Unde in eundem etiam finem alimentorum nempe ſelectum à natura inſtitutum, conſpirant. Sapor autem non eſt quædam qualitas realis, ſed tantum particularum quarundam in aſſumptis talis conformatio, & textura, ut eæ linguam pungant, & vellicent, quæ motio linguæ impreſſa, percepta à nobis in cerebro, dicitur GUSTUS. Salinis particulis hæc vis imprimis à Chymicis tribuitur, quia hæ talem habeant conformationem, ſecundum quam ſe inſinuando in linguæ poros, iſtam inducunt motionem, quæ SAPOR appellatur. Et ſicut innumerabilis ſalium eſt diverſitas; ex varia tum inter ſe, tum cum aliis, præſertim oleoſis & terreis particulis, commixtione, qua ipſi valdopere in figura, textura, &c. alterantur, etiam hinc innumerabilis ſaporum emergit differentia in omnibus ſubjectis diverſa. Sic ſapor acidus videtur in eo conſiſtere, quod particulæ oblongæ & utroque latere acutæ, penetrent, & utrinque quaſi incisionem quandam ſubtilem faciant. Sapor dulcis, quod particulæ quaſi quadratæ, aut cubicæ, blandè & æqualiter in linguam impingant, ipſique inhæreant. Aqua inſipida eſt, quia ejus particulæ nimis delicatæ, nec ita aptè formatæ ſunt, ut penetrare queant, aut fortiorem motum exprimere, ſed deſuper ſerpant tantum, & leniter linguam ſaltem tangant.

§. 21. Dixi, *Sapores conſiſtere in particularum quarundam, præſertim ſalinarum, ſpeciali ac ſingulari textura*, id quod ulterius varia ſaporum exempla illuſtrant. Hinc nempe evenit, quod propter ſolam figuræ & texturæ particularum ſapidarum mutationem, duo liquores fortem liquorem obtinentes, ex earum mutua miſcela, tertium omninò inſipidum, aut ſaltem novi penitus ſaporis producere poſſint, quatenus mutua conjunctione, ſapidæ ſalinæ particulæ, ita fiunt vel magnæ, vel obtuſæ, vel alio modo, figuratæ, ut ſine impreſſione in linguam inſipidæ cum nova impreſſione, noviter ſapidæ appareant. Sic enim ſpiritus vitrioli acidus, & oleum tartari per deliq. urinoſum, conjunctim, ac mutuo abeunt, in tartarum vitriolat. ſaporis vel leniter ſalſi, vel fere inſipidi. Sic acetum attactu Minii, in talem exit cum eodem, texturam, quâ ſapor dulcis, ſaccharum Saturni dictus, exinde emergit, &c. Spiritus ſulphuris vel vitrioli, cum terra ſigillata texturam & ſaporem inſtar aluminis acquirit. Spiritus acidus in ſulphure inſipidus, in marte ſub vitrioli martis præparatione, ſaporem vitriolaceum dulcem contrahit. Spiritus ſalis acidus attactu cujuſdam ſalis volat. urinoſi, ex mutua utriuſque textura, conſtituit ammoniacum, saporis ſalſi, vinum, item acetum, cui lapilli cancrorum infuſi ſunt, ſub horum ſolutione, & hinc texturæ mutatione, ſaporem lixivialem, aut intensè ſalſum adſciſcit. Vino ex quo ſpiritus ſeparatur, magna ſaporis mutatio accedit, etiam eodem ſpiritu addito nullo modo in antiquam gratiam reſtaurabilis. In tantum nempe texturæ particularum mutatæ, mutant ſapores.

§. 22. Iſta ergo pars, quam particulæ iſtæ, hoc modo figuratæ, primariò afficiunt, & pungunt, &c. primarium *Guſtus Organum*, & hoc *ſunt* parva corpuſcula nervea, rotunda, ſub membrana linguam inveſtiente, proximè ſita, à figurâ, *papillæ*, ab origine *Nerveæ* dictæ. Nervi enim ad linguam ablegati, in quàm plurimos dirimuntur ramos, qui in parvas abeunt fibras, quæ ad ſuperficiem linguæ ſub membrana ejus delatæ, in ſubſtantias ejuſmodi abeunt rotundas, tanquam in capitula fungorum, vel cornua extrema limarum. Hæ ergo papillæ, dum à partibus ſalinis, ſimilibuſque ciborum per ſalivam diluti, & maſticando attritis, punguntur, talis earum fibroſarum papillarum oritur motus & fibratio, qui per ſpiritus animales cerebro, communicatus, guſtus, & ejus perceptio, guſtatio à nobis dicitur. Unde lingua nimis humectata, ut fit in Coryza graviori, papillæ dictæ aquoſo, limoſoque liquore nimis imbutæ, ineptæ fiunt ad percipiendas ſapidas impreſſiones: Quod ſi verò in ſaliva hoſpitentur vitioſa excrementa ſalina, quæ cum aſſumptis ſe inſinuent in linguam, omnia aſſumpta vitioſum, & tamen eundem obtinebunt ſaporem, ut in ictero apparet, in quo omnia amaricant. Guſtus gratus eſt, qui fit à blando motu dictarum papillarum; Ingratus è contra eſt, qui fit cum violentia & quaſi vehementia, lædens dicta linguæ filamenta nervea. Reliqua præter has papillas, linguæ ſubſtantia eſt muſculoſa, ad varios motus ita conformata, pro vocum formatione ſeu loquela, ſicut parvula corpora, ejus ſuperficiei inhærentia, purgationi & abſterſioni oris ſunt dicata, ita ut particulæ ſapidæ iſtis implicitæ, fortius guſtum afficiant. *Confer. Epiſtol. Malpighii & Fracaſſati, item Bellinus Tract. de Organo Guſtus.*

§. 23. Guſtui proximus eſt TACTUS, cùm & guſtus quidam tactus ſit, unde & ratione organi haud adeo diſcrepabunt. Organon ſcilicet tactus primarium ſunt etiam papillæ nerveæ ex cutè erumpentes, & ſub cuticula ſitæ, uti hoc pluribus oſtendit *Malpighius tract. de Externi tactus organo*. Copioſæ nempe fibræ, quæ, cum capillaribus arteriarum & venarum conſtituunt cutis integumentum, hinc inde erumpentes ex cute, deſinunt in parva ejuſmodi capitula, ſeu papillas, quæ ſub cuticula exiſtunt, ac eo grandiores & frequentiores reperiuntur, quo exquiſitior eſt tactus, ut in manibus, minores verò & rariores, ubi non adeo exquiſitus eſt tactus.

§. 24. Objecta ergo externa cuticulæ admota pro varietate circumſtantiarum, quoad ſituationem nempe & conformationem particularum minutarum in ſuperficie; item quoad motum & quietem earundem, &c. diverſimodè ſuo affrictu & attritione afficiunt per cuticulam iſtas papillas nerveas, ſpiritibus animalibus turgentes, qua occaſione, & ipſi ſpiritus moti, eorumque motio & agitatio in cerebro à mente percepta, tactus appellatur, objectum verò movens, tangibile, modus verò objecti, quo papillæ afficiuntur, qualitas tactilis dicitur; v. g. dum ſuperficies rei cujuſdam inæqualis, ex diverſo particularum, in ſuperficie, ſitu, ita afficit papillas, ut in continua ſerie poſitarum à particulis corporis quædam afficiuntur, quædam verò non, exinde interruptus, & inæqualis, in dictis papillis fit motus, cujus occaſione nos dicimus ſentire aſperitatem; Sin verò omnes papillæ ſimul afficiantur æqualiter, à tali corpore duro, corpus dicitur glabrum. Sin prementibus papillis, verbi gratia, in digitis objectum externum cedat, dicitur molle; Sin verò non cedat, ſed reſiſtat, dicitur durum: Sin particulæ quædam objecti admoti, papillis adhæreant, vocatur humidum; item viſcidum; Sin verò nihil adhæreat, dicitur ſiccum. Sin percipiatur celer & vehemens motus in papillis, ab objecto externo factus, hoc dicitur calidum; quod ſi nullus talis fiat motus, objectum dicitur frigidum, ſicque in cæteris objectis tangibilibus ferè in infinitum?

§. 25. Extremitates fibrarum nervearum per cutem erumpentes, eſſe dictas papillas ſupra inſinuatum eſt, unde hæ papillæ ſunt quidem primarium & naturale Tactus Organum, ſed non adæquatum: Hoc enim ſunt illæ ipſæ fibræ neveæ, nunc in extremitate corporis in papillas globatæ, nunc præſertim in partibus internis ſolitarie diſtributæ, nunc in muſculos unitæ, utroque enim in caſu, fibræ dictæ, forti tenſione expanſæ & ſpiritu animali turgidæ, verum Tactus ſunt Organum, quatenus eædem ab objecto externo feritæ, tremula quadam vibratione concutiuntur, & ita tali concuſſione vulnerũ, item in dolore

dolore partium internarum manifeſtum evadit. Vid. *Guilielm. Croone de ratione motus muſculorum.*

CAPUT XXI.

DE SENSIBUS INTERNIS.

§. 1. DUm ob externis ſenſualibus, ad internorum ſenſuum ſcrutinium accedimus, tantum non in cæcas tenebras incidere videmur, in tantum iſta interiora obſcura latent. Obſcuritatis ratio eſt hæc, quod homines rationali anima præditi, quamlibet ſenſationem, rationis ſeu mentis beneficio percipiant, quo fiat, ut ſenſualem & intellectualem cognitionem, benè in ſe norint, ſeque actu reflexo cognoſcere ſciant; In quo vero ſenſus interni dicti, conſiſtant, & quid hi ipſi ad cognitionem genuinam tribuant, parum vel nihil cognoſcant; unde tantò minus de brutis certi quid determinare valent, quin potius propter aliquem illorum actionum cum noſtris analogiam, in iis nempe actionibus, quæ ſenſus externos inſequantur, nos ipſis etiam cognitionem quandam tribuamus, & quaſi ſemirationalia reddamus.

§. 2. Scilicet *in omni noſtra cognitione ſemper ſpirituum animalium præſuponitur motus*, tàm per ſenſuum externorum, quàm internorum exercitio, nihil enim in intellectu, eſt, quod non prius fuerit in ſenſu. Dum itaque objecta ſenſuum externorum, horum organa quocunque modo moverint, mox tali ſpeciali motu ſpirituum animalium tractus, qui per nervum ad organum iſtud devehitur, repercuſſionis modo commovetur, ita, ut ſimilis exactè motus, atque in externo organo fuerat concitatus, & ſpiritibus impreſſus, ad cerebrum uſque, ejuſque compagem fibroſam, eo in loco, ubi nervorum ad partes quaſvis allegatorum eſt principium, ſeu origo, continuetur, ubi anima rationalis ſpecialis talis motus occaſione, & quaſi intuitu, ſpecialem ſibi format ideam, ſeu conceptum, repræſentantem exactè objecti externi factam impreſſionem. Et talis ſpirituum ex omnibus organis ſenſuum, motus, & impetus repercuſſionis, ubi terminatur in cerebro, tali motu, SENSUS COMMUNIS dicitur, in quo, ab anima, Externorum fit perceptio, in anima verò primam ejus operationem, ſeu ſimplicium apprehenſionem conſtituunt.

§. 3. Quod ſi ſpirituum iſte motus continuetur diverſimodè in cerebro, intra fibroſam ejus ſubſtantiam certos itus & reditus faciant, & mutuò coeant, vel ſecedant, talium motuum occaſione & intuitu anima conceptas ideas ſimplices, multipliciter componit, & dividit, unde ratione dictorum ſpirituum motionum, PHANTASIA, ſeu imaginativa, in anima verò, ſecunda operatio, nempe ſimplicium compoſitio & multiplex diviſio exſurgit.

§. 4. Quibus indicium mentis tandem abſolutum ſupervenit, & intellectuali phantaſmatum, ſeu prædictarum idearum conceptarum, conjunctarum, vel ſeparatarum, ſpeculatione, tertia mentis operatio, nempe RATIOCINATIO. Judicamus nempe objecta iſta ita cognita, vel theoriticè vera, aut falſa, vel practicè bona, vel mala. Cujus poſterioris ratione ab anima concitantur certi affectus, hoc eſt, ſuperveniunt certæ animæ motiones, quibus agitantur diverſimodè ſpiritus, & nunc plus, nunc minus, nunc ordinatè, nunc inordinatè moventur & concitantur ad partes extra cerebrum ſitas, magis tamen tali impetu, ad iſtas, ad quas continuato radio trajiciuntur, quales ſunt cor, partes reſpirationi inſervientes, ſtomachus & inteſtina, &c. quàm ad alias, propterea, quod ex continuato, & nunquam interrupto propter vitæ neceſſitatem ad dictas partes impetu,

patentiores ſunt undique nervorum iſtorum, circa ſui principium, pori, & facilior per iſta continuò trita veſtigia, motus, quàm per alia; Unde & circa cor & interna abdominis viſcera primaria ab omnibus affectibus percipitur alteratio. Sed præter hos ſpirituum ad dicta loca, radios, ſub primo affectuum impetu, etiam ſucceſſivè ad alias partes exteriores, pro acquirendo bono, aut fugiendo malo, iidem concitatius radiati, varias membrorum motiones, & hinc locales motus excitant.

§. 5 Multum ſanè in receſſu habent iſta motionum ſpirituum veſtigia, ad promptiorem, ad unum vel alterum nervum, vel partem eorundem, radioſum influxum, nam à ſimili cauſa MEMORIA SENSITIVA unicè dependere videtur, nempe à veſtigiis in cerebro, poſt aliquam motionem ſenſualem manantibus, quæ veſtigia nihil aliud ſunt, quàm tramites quidam, quos ſpirituum animalium curſus inter cerebri fibras reliquit, per quos prima & iterata vice trajecerunt, cujus repetiti & quidem cujuſdam motus intuitu, eædem etiam ideæ menti ſeu animæ occurrunt, quæ ſpontanea vi poſtmodum unam ex altera elicit, & ita rationalem memoriam conſtituit.

§. 6. Rem ita ſe habere, nempe omnem noſtram cognitionem intellectualem à vario ſpirituum in certa ratione confirmato cerebro, motu dependere, ex eo manifeſtum videtur, quia concuſſiò cerebri, v. gr. à caſu ab alto, ſenſus omnes, ac motus, omnem ratiocinationem tollit, uti ſaltem eſt pororum compreſſio & depravatio, unde ſpirituum in motu impedimentum. Hinc non tantum per morbum, ſed & per ſenectutem & judicium hebeſcit, & etiam memoria imminuitur, imò tàm morbi vi, quàm externo, v. g. tegulæ lapſu, memoria & judicium penitus aboleri ſolet, quæ cauſæ non animam ſaltem, ſed cerebrum ſaltem & ſpiritus afficere ſolent. Hinc per experientiam ferè obſervatum eſt, cerebrum moderatè humidum memoriam, ſed hebes judicium, cerebrum vero ſiccum, judicium acre, ſed debilem memoriam; cerebrum verò calidū activam imaginationem conciliare. Ebriorum varia, ut ſic dicam ſymptomata in ſenſu & motu, hæcce ad oculum quaſi confirmant, quod mores ſequantur temperamentum corporis, dum unus ex eodem vino eſt hilaris, alius rixoſus, alius amaroſus, &c. unde? niſi à ſpirituum diverſa agitatione. Unde in febribus ardentibus deliria? niſi ex turbato, inordinato, rapto & confuſo ſpirituum motu. Habitus omnes, tàm animi, v. gr. ſcientia diſcurrendi, quàm corporis, v. gr. Ars ſaltandi, eatenus dependent à crebrioribus actionibus, quatenus iiſdem facilitatur ſpiritum motus, ſæpius enim eodem modo mori, & agitati ſpiritus, poros, meatus, & omnes interjectas ſemitas adeo patulas reddunt, fibraſque in talem ſitum ac plicaturam redigunt, ut facillimo impetu ſpiritus iſti tranſire, & actionem eandem ita perficere valeant.

§. 7. Et ex his fundamentis ingeniorum multiplex petenda eſt varietas. INGENIUM *quodvis ferè hæc tria conſtituunt*, IMAGINATIO, JUDICIUM, MEMORIA, Quæ, ſive ſolitariè, ſive junctim conſiderentur, omnem iſtam in ingeniis innumerabilem diverſitatem formaliter conſtituunt. Fundamentum talis, in dictis mentis operationibus, varietatis quærendum, & in ſpirituum animalium conſtitutione, & in fibrarum cerebri diſpoſitione, ut nihil hìc dicam, de totius cerebri, ſecundum cranii figurationem, interna conformatione, quæ vel acuta vel rotunda, vel depreſſa, vel alio modo variata exiſtit, nam hæ differentiæ ad priorem illam nempe ſpirituum conſiderationem facile reducibilis eſt, quatenus horum motus ſecundum cerebri conformationem ſuo modo determinatur.

§. 8. Spiritus quidem ad ingeniorum varietatem diſponunt, ratione majoris vel minoris puritatis, & hinc ratione majoris vel minoris ſubtilitatis, ſeu

volatilitatis, quæ proprietates illorum tàm à ſanguine, unde generantur, quàm ex cerebro, unde elaborantur, originem habent. Fibræ verò, quæ cerebri medullam, in qua motiones iſtæ ſpirituum intrinſecæ fiunt, componunt, ad ingeniorum varietatem faciunt, quatenus vel ſubtiliores, vel craſſiores, vel quatenus flexibiliores vel rigidiores, vel quatenus ordinatè, aut confuſè ſunt invicem convolutæ, ad quas conditiones præter primam, ſub earum generatione, ſtructuram, ſubſequens nutritio ex chyloſa maſſa ſanguinea multum admodum conferre ſolet. Hoc modo ſecundum Theoriam corrigenda ſunt ea, quæ aliàs eruditè tractat *Æſchacius Major Dobrebomnus*, ſeu potius *Janus Huartus in ſcrutinio ingeniorum*, nam non temperatura cerebri, ſed fibrarum ejus habitudo, & ſecundum hos ſpirituum diverſimodè conſtitutorum motus, ingenia diverſa admodũ faciunt.

§. 9. Ex eo itaque, quod in nobis ſenſuum internorum dictorum operationes ab operationibus intellectualibus animæ rationalis inſeparabiles ſint, fit, ut utraſque diſcernere exactè nequeamus, nec quomodo in brutis fiant probè cognoſcere, quin ex utrarumque confuſione tot opiniones, de ſenſibus internis, & cognitione brutorum ortæ ſint, in genere tamen tres palmariæ quoad hoc negotium ſunt ſententiæ.

PRIMA *ex Ariſtotelica Schola profluxit*, quæ uti omnibus rebus ſuas attribuit formas ſubſtantiales, materiæ contradiſtinctas, & viventibus animas immateriales, ita etiam brutis animam tribuit ſenſualem in genere, quæ tamen pro varietate ſpecierum, ſpecificas ſuas obtineat differentias, & proprietates: Beneficio hujus animæ ejuſque facultatem revera dicunt cognoſcere brutta, ſenſuum externorum impreſſiones, eaſque cognitas ſimpliciter, & dijudicatas à ſenſu communi per phantaſiam componere & dividere, ſeu diverſimodè mutuò complicare, unde mirandæ brutorum actiones, earumque docilitas proveniat, cujus reſpectu alii vim æſtimativam his ipſis facultatibus in brutis ſuperaddunt, cognitiones haſce aſſervari in memoria eorum, & ſubinde repetitas per phantaſiam denuò cognoſci volunt. Quod ſi per ſenſus cognitum ſit objectum, ut bonum excitari in iis facultatem appetentem, & quidem partem ejus concupiſcibilem, quæ ſtimulat bruta ad deſiderium illius objecti, ſin verò objectum ſit cognitum ut malum, excitari partem appetitus iraſcibilem, quæ ſtimulat ad fugam, & ab hac appetitus diverſitate paſſiones ſeu affectus, nempe iram, terrorem, &c. deducunt. Ab hoc appetitu ulterius excitatur facultas locomotiva, quæ ex dictamine appetitus variè & diverſimodè movent membra, vel ad proſequendum bonum, vel ad fugiendum malum. Omnibus hiſce facultatibus operatricibus adjungunt ſpiritus animales, ceu inſtrumenta proxima, quibus peraguntur iſtæ internæ operationes; in homine deſuper adſtruunt animam rationalem, quæ tanquam ſuperior omnes iſtas ſimiliter obtineat facultates, præter eas tamen, ceu ſibi pecularibus, intellectu & voluntate gaudeat, quibus, ceu ſuperioribus, iſtæ cæteræ inferiores obedire cogantur.

§. 10. SECUNDA ſententia, huic exactè oppoſita *ex antiquiſſima Democritea & Epicurea derivata eſt Schola*, quam revera excitavit denuò *Carthesius*, certo tamen modo eam immutavit. Nempe, uti in hac hypotheſi omnes ſubſtantiales formæ negantur, ita omnia naturæ Phœnomena, ex materiæ variis quantitativis conditionibus per motum, ceu univerſalem artificem explicantur, bruta etiam animata eſſe, eo ſenſu, quo Peripatetici volunt, negatur; ſed, ſi quæ in brutis habenda eſt ſubſtantia pro anima, eam ex corpuſculis ſubtiliſſimis conflatam corpoream, & diviſibilem corpori animato coextenſam, ſtatuitur. Unde hæc hypotheſis ex conditionibus materialibus, per varios diverſoſque ſpirituum motus reliquas animalibus proprias operationes explicat, & iiſdem veram & propriè ſic dictam cognitionem, ſeu impreſſionem in organis ſenſuum externorum, perceptionem, omninò denegat, ſed quicqnid ſenſus communis, Phantaſia, memoria, appetitus, &c. vulgò appellatur, pro vario ſpirituum in cerebro, & cerebello diverſimodè in diverſis brutis conformato motu, hinc inde impulſu, agitatione & gyratione, indeque varia cordis & dilatatione, & conſtrictione, pro affectibus ſubtiliter explicat. In homine verò omnia hæcce cum brutis communia habente, animæ rationalis, ceu ſubſtantiæ ſpiritualis præſentiæ, ſublimioris cùm ſit conditionis, veram cognoſcendi & intelligendi modum obtinet, & propria libertate agendi & operandi, quid, & quomodo ipſi placuerit cum iſtis operationibus cæteris brutis communibus, nullo modo confundenda venit, quin continuò cogitando & diſcurrendo, & occaſione variorum ſpirituum motuum in cerebro diverſos conceptus, ſeu ideas in ſeipſa formando ſenſuum objecta verè cognoſcit, cognita combinat, & certas concluſiones elicit, in quo vera ratiocinandi facultas conſiſtit: Cujus cum umbrulæ quaſi in brutis nobis appareant, factum eſt, ut nos falſo eadem ferè quoad cognitionem ipſis attribuamus, quæ nobis tantum propriè conveniunt. Vid. *Digby de immortalitate anima humana. cap. 35. Carthesius tract. de Homine, & Schüllerus in præfat. ſuper Cartheſium de Homine*, in ſpecie *Anton. le Grand. de carentia ſenſus & cognitionis in brutis.*

§. 11. TERTIA, *& media quaſi* has, inter aliorum *eſt ſententia*, *Gaſſendi* nempe & *VVilliſii de Anima brutorum*, qui & ipſi quidem animam materialem eſſe defendunt, adeoque revera corporis, quam informare dicitur, primariam partem, nihilominus tamen brutis, præter externorum ſenſuum motum, veram etiam & genuinam ſenſationem ſeu perceptionem ſenſuum externorum concedunt, & quidem talem, quæ nec corpori nec animæ materiali ſolitariè competat, ſed quæ ex utriuſque certa & artificioſa, ſub talis machinæ ſtructura, unione reſultet, ita ut ex anima & corpore ſimul commiſſis, talis facultatum, ſeu operandi potentiarum concurſus reſultet, quibus unicuique animali in fines & uſus deſtinatos opus fuerit, adeo, ut ſicut in artificialibus ſubinde materiam ſuperet opus, ita & hoc in talium machinarum naturalium operationibus fieri perquam probabile ſit. Confer. *VVillis de Anima brutorum.*

CAP. XXII.

DE MOTU PARTIUM.

§. 1. OMnes partes, in quibus percipitur, vel apparet aliquis motus, eæ inſtructæ ſunt fibris ſuis nerveis, quibus motis, id eſt brevioribus factis, ſequitur partium motus, iis verò relaxatis, motus ceſſat, vel per tranſverſum ſectis omninò idem aboletur. Unde *Fibra nervea erit primarium omnis motus Organum*, quæ ob id FIBRA MOTRIX *dicitur.*

§. 2. Fibræ autem iſtæ, quæ motum exequuntur, vel arctius ſunt conjunctæ, vel laxius ſunt ſeparatæ: Fibræ conjunctæ, iſtud fibrarum ſyſtema exhibent, quod vocatur MUSCULUS, in quem nervi ex cerebro derivati eos gubernant motus, qui prægreſſam ſequuntur cognitionem ſenſualem, exque affectu quodam excitantur; cui in homine interdum etiam adjungitur cognitio intellectualis, ita ut exinde pro noſtro nutu eundem vel perficere, vel omittere, vel certo modo variare queamus: Et hic motus per muſculos factus in genere motus animalis, in

ſpecie

ſpecie verò in brutis ſpontaneus, & interdum in hominibus voluntarius appellatur.

§. 3. Fibræ laxius ſeparatæ, circulari ambitu imprimis partes movendas ambiunt, unde excitatus *motus* dicitur *Periſtalticus*, *ſeu compreſſivus*, v. g. motus ſtomachi, aut motus inteſtinorum de quibus *Charleton. exercit.* 17. §.21. qualem motum fibras circulares etiam arteriis tribuit Sylvius, quo poſt dilatationem ab impellente ſanguine denuo ſe contrahant. *Gonfer. VVilliſ. Pharm. Ration. p.*265.280. Ab his motus contingit ſine ulla progreſſa cognitione ſenſuali, nec à nobis vel impediri, vel promoveri poteſt, & ob id naturalis motus ſimpliciter, & involuntarius dicitur, dirigiturque à nervis ex cerebello derivatis, pari nempe nervorum quinto, 6. 7. & 8. ut hoc ſufficienter oſtendit *VVillis, in anatome cerebri & nervorum*, c.16. 17. Unde & Cordis & Diaphragmatis muſculi, ſimilibus nervis præter aliorum muſculorum rationem moti, ſine noſtro conſilio operantur, hinc & reſpiratio, cùm per muſculos exerceatur, & nobis non cogitantibus etiam in ſomno fiat, interim tamen pro lubitu à nobis, vel promoveri vel impediri poſſit, indeque nervis partim ex cerebro, partim ex cerebello natis perficiatur; Hæc ipſa, ob id, motus miſtus, ex naturali ſeu involuntario, ratione diaphragmatis, & animali, ſeu ſpontaneo, ratione muſculorum Thoracis, appellatur.

§. 4. Differunt hi duo motus in §. 2. & 3. allegati, hoc modo, ratione

1. Organi, quod eſt vel ſyſtema fibrarum denſius in muſculum unitarum vel fibra circularis.
2. Nervi, muſculi per nervos à cerebro, cæteræ fibræ per nervos à cerebello natos motum ſuſcipiunt.
3. Cauſæ remotæ, in motu muſculi, ſeu ſpontaneo, vel voluntario præceſſit cognitio, vel ſenſualis vel intellectualis, in motu vero fibrarum Periſtaltico naturali ſeu involuntario nulla præcedens cognitio locum habet, niſi in quantum per affectus, qui ſenſationem ſequuntur, modificatur.
4. Hujus enim occaſionis antecedentis ratione, prior motus in ſpecie animalis, vel ſpontaneus, interdum voluntarius appellatur, poſterior vero naturalis, vel involuntarius dicitur, utut in genere omnis hic motus, animalis dici queat, quatenus per ſpiritum animalem, mediante organo corporis animalis, nempe fibra perficiuntur.

§. 5. Motum ergo quod attinet animalem in ſpecie ſic dictum, ſeu ſpontaneum, ejus primarium organum eſſe muſculum, confirmat *Charleton. in exercit.* 11. Fabricam, ſeu muſculi ſtructuram Rhomboidæam, eleganter explicatam vid. *in ſtenone obſerv. de muſculis & glandulis, item element. Myologiæ ſpecim.* ubi demonſtrat, fibram motricem in medio ſui coagulo ſanguineo, ſeu carneo veſtitam, circa hujus carnis extremitates incurvari ad æquales angulos & quod plures hujuſmodi fibræ, juxta ſe invicem, & ſibi invicem inæqualiter, æquali tamen ordine ſuperimpoſitæ, muſculum conſtituant, qui vulgo caput & cauda dicatur, intermediæ vero partes carne veſtitæ, & fibrillis ex membrana intelligente productis, diſtinctæ, ipſum muſculi corpus repræſentent. Hoc modo fabricati muſculi, nunc ſunt ſimplices, nunc verò ex pluribus parvis invicem unitis, compoſiti eſſe ſolent.

§. 6. Muſculus ergo, dum abbreviatur, ſeu, ut aliàs vocadum contrahitur, quoad partem ſui carnoſam, partem vel membrum, cui adhæret, ſimul trahit, ſicque & partes movet, & variè ſituat. Una ergo actio eſt muſculi, ut & omnium reliquarum fibrarum, nempe in ſe ipſam, facta abbreviatio, quam, ſive contractionem, ſive corrugationem vocare velis, perinde erit; Unde ſequitur membri motus & ſitus mutatus. Quod ſi fibræ ejus rigidæ & contractæ maneant, membrum quieſcit, & in eodem ſitu revera permanet, quod dicitur abuſive motus, ſed cum adjectione motus tonicus, ſeu tenſivus. Extenſio muſculi, quæ fit, quando contrarius operatur muſculus, qui antagoniſta alterius dicitur, agente nempe antagoniſta extenſoris, extenſior violenter expanditur, non eſt motus ſeu actio muſculi, ſed potius paſſio. Sin vero nullo muſculo agente omnes fibræ ſint laxæ, membrum in naturali quiete perſiſtit, & in media figura poſitum eſſe dicitur, media nempe eſt inter ejus extenſionem & contractionem.

§. 7. Movent autem fibræ partes, quatenus ab extenſione fiunt breviores, abbreviatæ enim & contractæ non poſſunt non ſimul ſecum trahere, aut alio modo movere partem, cui annexæ ſunt. C**AUSA** *hujus abbreviationis fibrarum eſt duplex.* P**RIMA** eſt, ipſa fibrarum ad ſe contrahendum à forti partium, quibus annexæ ſunt tenſione, ſpontanea, ut ſic dicam, inclinatio, qua inſtar Chordarum quocunque modo laxatæ ſubito ſe contrahunt. Sic v. g. diſſectus muſculus per medium verſus utramque extremitatem contrahitur, & quaſi conglobatur, magnamque in medio relinquit rimam, & inteſtina, flatu aut liquore diſtenta, factâ per tranſverſas fibras apertione, ſponte & ſubitò ſe contrahunt; Spontanea hæc, ad ſui contractionem vel corrugationem, fibrarum inclinatio, videtur probabiliter dependere ab earum ſtructura mechanica, quâ illæ chordarum inſtar contortæ & tenſæ, in continuo ſe contrahendi, aut corrugandi nixu ſunt poſitæ. Sed hæc ſpontanea fibrarum contractio non ſufficit ad motum, imprimis in muſculis, ob antagoniſtas oppoſitas, quare æquale oppoſitum robur, iſtam contractionem, & hinc factum motum impedit, donec alia accedente cauſa movente, æqualitas iſta tollatur & alter muſculorum quaſi allatis ſuppetiis, victo antagoniſta, ſe contrahat.

§. 8. Accedit ergo A**LTERA** cauſa motus fibrarum inchoativa, quæ eſt acceſſio ſpirituum animalium per nervos, quibus in muſculis ſe jungit, motumque complet influxus ſanguinis per arterias. A nervis enim, ut ſenſum partium, ſic & motum ratione ſpirituum animalium dependere, ex eo manifeſtum eſt, quod diſſecto nervo ſenſus & motus partis pereat, eo verò punctim læſo, aut alio modo irritato, pars violēter convellatur, de quibus vid. *Charleton. exercit.* 11. Accedere præterea efficienter, ad promovendum motū muſculorum, præter ea, quæ diſſerit *VVilliſius in Pathologia cerebri*, patet ex experimento Stenoniano, quî acu curva Spinam dorſi, per abdomen Canis trajecta, ejus arteriam magnam ſupra vertebras, ſine corporis apertione, filo annexo fortiter ligat, quâ ligatâ, Canis inferioris corporis artus movere amplius nequit, propter impeditum per arterias ſanguinis motum; ſolus enim ſpiritus animalis non ſufficit movendis muſculis, ſicut ſufficienter movet, in motibus naturalibus, v. g. in inteſtinis, idque ob muſculorum magnitudinem, & actionis robur, in movendis membris, & cum iiſdem, attollendis ſæpius magnis ponderibus, unde ex maſſa ſanguinea ipſi feruntur ſuppetiæ.

§. 9. Hæ ipſæ autem ſuppetiæ, an, præter nudam ſanguinis muſculi ventrem replentis, præſentiam conſiſtant ulterius in copula quadam particularum ſulphurearum elaſtica, mediante qua cum ſpiritibus animalibus contingat ſingularis quædam efferveſcentia, & hinc impetus exploſivus, ut ſtatuunt *VVilliſius de morbis convulſivis, item Mayovv. de motu muſculorum*, ceu nondum ſufficienter probatum, in medio relinquo.

§. 10. Muſculi ergo copioſis nerveis inſtructi, ſpiritibus animalibus quaſi turgent, ita, ut hi inter ſingulas eorum fibras, & inter has relicta ſpatiola, in ſpecie circa medium ventrem carnoſum, ordinate diſpoſiti, ex levi accedente in nervo ad muſculum protenſo, impulſu, & ex iſto impulſu uberiore ſpirituum affluxu

affluxu per totum muſculum ferantur, & ibidem concluſi dum ſecundum longitudinem ob occurrentem in fine tendinem anguſtiorem, tam repente excurrere nequeant, in ſe ipſos reflectuntur, & imprimis in ventre ejus carnoſo, ubi pori ſunt ampliores & latiores coacervati, agitati, & propria vi elaſtica expanſi, colliguntur, inde muſculi incipit circa ventrem intumeſcentia, incipiente hac intumeſcentia, dum arteria in muſculum ſanguinem affundens ex dilatato ventre minorem patitur reſiſtentiam, copioſius ſolitò ſanguinem in ventrem muſculi carnoſum expanſum infundit, ut vena ſociatis evehendo ſanguini, fiat impar, præſertim cum funiculi nervei in muſculis varie cingere & implicare hinc inde vaſa ſanguifera, eaque ſic nunc ſtringere, nunc relaxare ſoleant, & hoc ipſo ſanguinis in muſculum, & ex eo motum diverſimode determinare & modificare, qua ratione propter ſanguinem ſimul muſculi tumor non leviter augmentatur. Ab his duobus ergo, ſpiritibus impetum facientibus, & ſanguine irrumpente, in motu ſuo plus minus coercito, intumeſcentia & motus muſculi ita augentur, ut victa reſiſtentia antagoniſtæ, muſculus prompte & potenter contrahatur, ac ita motus perficiatur, eadem fere ratione atque videmus ſequi ſpaſmum ſeu convulſionem alterius faciei partis cynicam, ex ſpontanea muſculorum partis faciei ſanæ contractione, ob deficiens robur antagoniſtarum Paralyſi affectorum. Hæc quæ de muſculo, ſeu fibris invicem congeſtis dicta ſunt, facile fibris diſſipatis applicari poſſunt, ad quarum tamen motum ſanguis parum, vel nihil conferre videtur, cum hæ fere, ut nimis diſtentæ ſe contrahant ad naturalem tonum, vel ultra hunc arctius contrahantur, & quaſi criſpentur, ad quos actus ſpirituum animalium influxus ſufficiens videtur.

§. 11. Supereſt adhuc ut conſideremus, unde tandem determinatus in partibus fiat motus, ut v.g. elevetur brachium, flectatur genu, circumgyretur pes. Animæ hoc opus vulgo tribuitur, cui ſit poteſtas movendi ſanguinem & ſpiritus, ſed quomodo hoc fiat, & unde anima ſciat, hunc vel iſtum eſſe movendum muſculum, imperſcrutabile hactenus videtur, præſertim in brutis. Aptius rem declarare nituntur, qui mechanico modo negotium hoc explicare tentant, imprimis cum videmus non rarò ex abrupto nil tale cogitantibus, v. g. ex imminente percuſſione capitis, ſuſtolli brachium citra ullam prægreſſam animæ cognitionem, & motus convulſivi invitis nobis nos torquentes, ſine animæ nutu eveniant. Ex motu ergo, vel impulſu fibrillarum iſtarum, præciſe ex quibus nervus conflatur, qui in talem muſculum derivatur, moventur ſpiritus in eum muſculum determinate, & non in alium, qui fibrillarum motus fiat in cerebro, moveantur funiculi nervei, ut per eos fibratos vel agitatos celeriter influentes ſpiritus muſculum iſtum determinate ad motum diſponant.

§. 12. Hoc interim evidens, quod ex quacunque ſenſuali, in quadam parte, impreſſione, præſertim, ſi intenſior paulò ſit talis impreſſio illius partis, fibrarem motricum ſequatur motus, ſeu contractio, quatenus fortius motis illius loci funiculis nerveis, ab objecto ſenſili talis motus ad originem eorum in cerebro vel cerebello continuati occaſione, feratur verſus nervos motos, ſpecialius ſpirituum impetus, indeque fibrarum iſtius partis ſequatur motus: Sic enim ex puncto nervo ſequitur partis contractio, vel convulſio; item ex irritatione pylori ab emetico fit contractio ſtomachi, unde vomitus, quia irritato Pyloro, nervei ejus commoti funiculi copioſiores ſpiritus eò radiare faciunt; item, ex quacunque doloroſa impreſſione in parte dolente Spaſmus, ſeu convulſiva quædam fibrarum contractura ſupervenit, hinc enim ex ſpina, digito infixa mox, ratione doloris pulſus durus cum tenſione fibrarum & muſculorum, superveniunt. Ex dolente dente mox totum illius lateris in capite hæmiſphærium tendi, & quaſi contrahi, hoc eſt ſpaſmo quodam fibrarum leviore affici ſolet.

CAPUT XXIII.

DE SANGUINIS MOTU AD Teſtes, ſeminiſque generatione.

§. 1. UT animal, quod in individuo caducum eſt, perpetuetur in ſpecie, generationis mirandum opus ordinavit Divinus Architectus, quod mediante genitura, communiter, ſed abuſive ſemen dicta, de quâ *conſentinus in Progymnaſm. 5. p.* 172. perficitur. Semen vero animalium proprie dictum, ſtirpium ſemini analogum, & quod vim ſibi ſimile generandi poſſidet, eſt, quod ex mari & fœmina miſtum, conceptum fœcundum conſtituit.

§. 2. Semen Masculinum quod attinet, elaborari illud in teſtibus certum eſt, his enim ſublatis, ceſſat ſeminis generatio, qui *teſtes* nihil aliud *ſunt, quàm congeries Minutiſſimorum Vaſculorum, in quibus materia genituræ perficitur,* uti hoc *Fracaſſatus Bononiæ* primùm, poſtmodum etiam *Graaf. in Belgio* invenit, quorum vaſculorum quædam ex teſte erumpentia, variis ſuis flexibus corpus illud conſtituunt, quod teſtium dorſo incumbit, & Epididymis appellatur, quod ipſum hinc dilatatum in Vas deferens, tandem in veſiculas ſeminales abit, unde ſemen elaboratum in teſte, perfectum in Epididymide, per canalem deferentem in veſiculas ſeminales deponitur, ſuo tempore, vel ſponte in pollutione nocturna, vel concurrente partium genitalium motu, in coitu excernendum, aut potius ex affluente ſanguine calefactum, & ſpiritibus copioſis confertim influentibus turgidum, cum impetu ſpumoſo ejaculandum.

§. 3. Huic Genituræ, dum ejicitur, admiſcetur adhuc liquor quidam ſeroſus & blandus in corpore proſtatarum glanduloſo & ſpongioſo elaboratus, qui per copioſos exiles ductus, Urethram, cui annectitur effuſus, ſemen obvolvit, ipſique pro vehiculo ſervit, ut melius & promptius per penem ejaculari poſſit, qui liquor etiam in caſtratis generatur, unde & hi coire poſſunt. Non ergo triplex ſemen Maſculinum, ut vult *VVarthonus Adenograph. cap.* 30. Sed unicum tantum in teſtibus elaboratum, quod liquore ſeroſo ſeu lympha proſtatarum dilutum in coitu effunditur.

§. 4. *Materia ſeminis*, non eſt lympha, vel ros per duplicaturam lymphaticorum ad teſtes delabens, ut vult *Elſius*, nec eſt ſuccus per nervos advectus, ut volunt *Angli*, in ſpecie *Charleton. exercit.* 10. Sed *eſt pars ſanguinis Crudior, ſeu chyloſa*, nondum in perfectum ſanguinem tranſmutata, quæ parte aquoſo diluta cum ſanguine per arterias ſpermaticas ſeu præparantes ad teſtes advehitur, ubi per arteriolas iſtas, quæ vaſcula ſeminalia amplexu ſuo firmiſſime detinent, in cavitatem iſtorum vaſculorum deponitur, & quaſi tranſudat, craſſiore reliquo ſanguine, per venas remeante, parte aquoſa chyloſa ſuperflua, à vaſis lymphaticis abſorpta. Huic materiæ ſpiritus animales nonnulli permiſcentur, & præſertim in coitu copioſe eam imprægnant, & ita ultimam perfectionem, ſeu vim ſeminalem formalem addunt.

§. 5. Cæterum, annon peculiare in vaſculis iſtis ſeminariis teſtium, lateat fermentum, hujus ſingularis tranſmutationis autor, vix dubitare poteſt ille, qui mutationes inſignes à ſeminis generatione, in corpore obſervat; dum ab iis ſingularis vigor virilis inſpiratur, Enuchi vero effœminati maneant, dum barba erumpit, dum venereus brutorum Orgaſmus certo tempore evigilans exinde procedit, non ſecus ac ſingularis hircorum odor, hinc ſub eo tempore Epilepſiæ ſecundum Hippocratem, cura. *vid. Graff. de Organ. virorum p.* 25. Quæ mutationes fiunt ab iſto fermento, dum

dum ſub pubertatis annis excitatum ſanguinem affluentem alterat, ſimilemque fermentativam vim tum ipſi, tum lymphæ ex teſtibus refluenti imprimit, unde tota alterata & fermentata ejus maſſa totius corporis habitum ſimiliter alterat.

§. 6. *Mulieres, an & eæ ſemen generent neceſſarium ad generationem, multi dubitant.* In Oviparis fœmina in Ovario vitellum generat, in utero ſucco lacteo ſub forma albuminis inveſtiendum, quod Ovum tam in ſuo rudimento, quàm jam perfectum Mas fœcundat, ſui ſeminis, vel potius ſpiritus genitalis cum ſemine excreti attactu, vel conſperſione, reliquis Ovis omnibus infœcundis, communiter ſubventaneis dictis, unde unus galli coitus ad aliquot menſes fœcundam reddit gallinam, ita ut omnia ova tunc excludat ſucceſſivè fœcunda, quamdiu illa vis à gallo communicata, perdurat. vid. *Harvæus exercit.* 39. 40. *de generatione animalium.* Idem fit in piſcibus Oviparis, v. g. in Carpione, ubi *der Nagen* nihil aliud eſt, quam Ovulorum congeries, hæc ergo, in coitu illorum, qui fit tantum per partium poſteriorum quendam affrictum à fœmella excluduntur & à ſemine Maris irrorantur, quæ ergo contacta ſunt iſtâ Maris geniturâ, ſunt fœcunda, & ex iis fiunt piſciculi, quæ vero non, ea ceu infœcunda intereunt.

§. 7. Viviparas quod attinet, & has inter ſpeciatim mulieres, modernorum, circa illarum genitalia *Stenonis, Hornii, & ſpeciatim Graff. & Kerckringii* obſervationes teſtantur, & has revera ova generare, quæ genituram earum conſtituant, ſeu ſemen earum ſunt, ita quidem, ut teſtes Viviparorum ſint Ovarium. Per Anatomen nempe cognitum eſt, teſtium muliebrium ſubſtantiam tàm in homine quam brutis eſſe membranoſam, in qua reperiantur quam plures veſiculæ, quarum quælibet habeat tunicam admodum tenuem, neque cum alia cohæreat, repletaque ſit humore limpido, ita quidem, ut in talibus veſiculis in aquam ferventem immerſis, dictus humor mox coaguletur in formam albuminis vel vitelli ovi indurati, ut ita dictæ veſiculæ ſint revera tot ovula generationi diſtinata, quæ pro ſui proventus & augmentationis ratione nunc minora & imperfecta, nunc majora & perfecta, in ſpecie humana, piſi quantitate inveniuntur. Ovula hæc perfecta, ſub coitus ardore (à corpuſculo fibroſo ovo ad exitum deſtinato, circa ambitum, ac à poſtica parte accreſcente) expreſſa ſuſcipiantur à Tuba ad teſtem uſque ſub ipſo fervore criſpata & contracta, & hac mediante ad uterum deferuntur, id quod imprimis confirmat *Obſervatio Ruyſchii.* Ovum hoc à ſpiritu genitali Maris fœcundum redditur, ſive hoc ipſi in Tuba adhuc exiſtente eveniat, ſive jam in uterum excreto. Quod ſi fiat, ut Ovum ita fœcundatum in Tuba perſiſtat, præternaturalis iſta hominis conceptio Tubaria accedit, quæ in brutis naturalis & ordinaria eſſe ſolet.

§. 8. Quod ſi ex repetito coitu contingat, ut unum ovulorum talium, poſt alterum à Tuba ad uterum ita fœcundetur, ſuperfœtatio fieri ſolet: Quod ſi vero bina talia ovula arctius propriis tunicis ſibi fuerint connata, ita, ut integra & abſque laceratione divelli nequeant, quin propter æqualem molem & æqualitatem, & imprimis talem conglutinationem, ovarii carceribus ſimul extruſa ſuſcipiantur, & hinc fœcundentur, Gemellorum conceptionem fieri probabiliter aſſerit *Schrader* in præfat, ad obſervationes Harveanas. Quod tamen etiam ex uno ſimplici Ovo, gemelli naſci poſſint, probabile reddit monſtrum illud biceps, de quo *Brunnerus peculiari diſſertatione* agit, quod revera in ovo ſimplici genitum omninò videtur. Hinc & gemelli nunc ſimplici, nunc duplici involvi ſecundina obſervantur. *vid. Miſcellan. Academ. Natur. Curioſ. Annus* 1. *pag.* 118.

§. 9. Ita ut Ovipara & Vivipara animalia in ſaltem differant, quod in oviparis ovula in ovario ſub forma copioſi vitelli genito in utero copioſum affundatur albumen, à quibus, vi ello nempe & albumine ſufficiens ſuccus pro nutritione & auctione Pulli in ovo formandi ſuppeditetur, & qui ſufficiat ad perfecti illius excluſionem; In Viviparis vero, ſimplici ovulo in utero, vel ejus tubis, affundatur tranſudatione quaſi ſuccus nutritius, à quo ſuſtentetur fœtus ad ſui excluſionem uſque.

§. 10. Sed præter hæc ovula, propriam nempe fœminæ genituram, obſervatur ulterius in iis liquor, ſeu lympha quædam ſeminalis, cujus excretionem non tantum ipſæ mulieres percipiunt in coitu, utpote in quâ primaria earum voluptas conſiſtit, ſed cujus præternaturali effuſione ipſæ etiam gonorrheæ obnoxiæ ſunt. Analoga eſt hæc genitalis lympha, iſti, quam Mares in Proſtatis conficiunt, cum & in fœminis, in ſimilibus glanduloſis corporibus collum veſicæ ambientibus generetur & excernatur. Quin imò ipſius uteri & vaginæ ejus membranoſa ſubſtantia, cum ad naturam glandularum proxime accedere videatur, ut non inepte moderni aſſerunt, etiam ſui generis lympham non abſque voluptatis ſenſu effundere videtur, cum non tantum ipſa vagina perpetuo liquore moderate madeat, ſed interdum adeo copioſe à quibuſdam in congreſſu ſoleat effundi, ut ex iſtis proſtatis circa veſicam, minime omnis derivari queat.

§. 11. Mulier ſimul atque ad generationem apta fit, circa Annum circiter XIV. inter cæteras mutationes corporis, quas cum viro habet communes, propriam habet unam, nempe *Menſtruam Purgationem*, (licet aliquot proſtent exempla etiam viris quibuſdam periodo menſtruali, ſanguinem per penem effluxiſſe, non ſecus ac quibuſdam aliis hæmorrhoidum fluxus menſtruus contingit; ſicut è contra *Schenkius aliique autores* exempla recenſent mulierum non menſtruatarum licet fœcundarum.) Quæ ſimul ac vis prolifica interit, etiam unà ceſſat, nempe poſt ſeptimum ſeptenarium, ſeu Annum XLIX. Circa hanc, præter materiam excretam, ſpeciatim efficiens hujus per uterum excretionis conſideranda veniunt. Materia excreta eſt ſanguis, iſque talis, qualis in vaſis ſuis promiſcue fluctuat, & per arterias hypogaſtricas, ad uterum, ejuſque præſertim vaginam defertur, per venas vero hypogaſtricas refertur. Quod ſi impura ſit maſſa ſanguinea, ſimul excretione iſta excrementa ſub turgeſcentiæ ſanguinis motu nonnihil ſeparata & præcipitata cum iſto ſanguine foras excluduntur: Excluſus autem & extra vaſa effuſus ſanguis conſortio vitali ſpirituum privatus, ad corruptionem ſui tendit, & ita demum cadaveris naturam aſſumit. *vid. Helmont. Tract. Lunare Tributum. p. m.* 732.

§. 12. Obſervabilis autem eſt in ſanguine ſub qualibet menſtrua excretione, ſingularis quædam, fermentatio aucta, & turgeſcentia, quâ concitatus rapidius per vaſa hypogaſtrica circa uterum diſtendendo, & dilatando eorum orificiola, per anaſtomoſin ſic effunditur. Hinc enim eſt quod impedita iſtâ quacunque ex cauſa, circa uterum excretione, ſanguis per alia varia loca, per Mammas, per Nares, per Pulmones, per Aures exitum periodice moliri ſoleat. Hinc laſſitudo artuum tenſiva & gravativa, præſertim dolor lancinans & diſtendens circa lumbos, excretionem præcedere ſolet, non ſecus ac in aliis fluxus alvi crebrior, in aliis febris menſtrua per aliquot dies durans, in aliis alia ſymptomata ex ſanguinis, & hinc reliquorum corporis contentorum commotione inſigni, nata, præcedente vel comitari ſoleant. Hinc quarum ſanguis ineptus eſt, plus minus fermentationi, etiam obſtructionibus ſunt obnoxiæ. Hinc habitus Cachecticus aut melancholicus ad menſium defectum diſponunt, non ſecus ac acida & viſcida etiam remoram huic evacuationi imponere ſolent; cum gaudium è contra, iracundia, motus corporis intenſior, vini generoſi potus ad hanc excretionem diſponunt.

§. 13. Turgeſcens ita ſanguis, & rapidius per vaſa circulatus, uteri vaginæ oſſa, horumque oſcula præcipue aperit, & per hæc effunditur, quia ad hæc loca uberius & concitatius movetur, id quod fit, quia irritatio quædam, & ſenſilis, ſed voluptuoſa vellicatio in dictis locis accidere ſolet, cujus occaſione & ſpiritus animales concitatius eò ferri, & his mediantibus ratione fibrarum aliqualis contracturæ, ſanguis copioſius ibidem colligi ſolet, donec apertis vaſorum oſculis pedetentim effundatur. Nempe ratione hujus vellicationis, tàm ante quàm poſt menſtruationem, præ aliis temporibus ſalaciores eſſe ſolent mulieres; unde, ſicut reſinæ purgantes, vellicando hæmorrhoidalia vaſa, facilem cruoris per hæc, in conſuetis, effluxum concitant; vel, ſicut acriora purgantia inteſtina fortius vellicantia, dejectiones ſubinde cruentas efficere ſolent, ita occaſione ſingularis circa genitalia acrioris vellicationis, turgeſcens jam ſanguis ibidem affunditur. Sicut alias pro ſtimulandis menſibus vel colocynthidis acrior ſuffitus, vel hellebori nigri peſſus, vel ſimilia acriora genitalibus extrinſecus applicari ſolent à Practicis.

§ 14 Turget autem ſanguis quavis menſtrua periodo intenſius, & ſimul vellicantur, & quaſi titillantur ſingulariter genitalia, propter vim peculiarem fermentativam, ab uteri glandulis cum ſanguine & lympha ab iis refluis, univerſæ maſſæ ſanguineæ communicatam, & etiam ipſi lymphæ ſeminali uteri & Proſtatarum conceſſam, à quâ ut acriores hæ factæ, pruritum venereum inſolitum ferè excitant; ita ratione illius in ſanguine alterationis, ſingulares iſtæ mulierum ſub pubertatis annis mutationes eveniunt, unde & menſtruus fluxus, non niſi evigilante vi generativa in mulieribus inchoatur, & hâc ſopitâ, ille etiam ceſſat. Scilicet, uti ex parili ratione, brutorum ſtato tempore, venereus appetitus concitatur, unde & fere eorum genitalia tunc acrius ſerum ſtillare ſolent; ita ex parili fundamento naturali ſtatu excretio menſtrua accidere ſolet, præternaturali vero impetu, furor uterinus mulierum accidit.

CAPUT XXIV.

DE CONCEPTIONE, FOETUSQUE FORMATIONE.

§. 1. DUm legitime copulantur Mas & Fœmina, iſte emittit genituram ſuam ſeminis nomine cognitam, hæc vero ex teſtibus excludit Ova. Illinc ergo genitalis ſpiritus amico afflatu, in utero, vel ejus Tubis ſe inſinuat Ovulo Muliebri, in eoque ſpiritui genitali concentrato fœminæ ſe ſociat, ita ut ex utriuſque copula & unione mutua fiat Conceptio, hoc eſt utriuſque ſexus ſeminalis virtutis in ſpiritu genitali fundatæ, in ovulo facta aſſociatio ad fœtificationem. Nam *tota generationis ratio dependet à ſpiritu iſto genitali, à Mare* quidem ſub craſſioris materiæ involucro *excreto*, iſta materia genituræ craſſo nullo modo vel in utero ſubſiſtente vel ceu materia fœtum conſtituente, ut demonſtrat Harvæus de generat. animal. exercit. 6. 39. 49. 67. 68. item deuſing. exercit. de Geneſi Microcoſmi. ſect. 2. p. 25. &c. *A fœmina vero in Ovo rite conſtituto*, & in quo ſpiritus talis concentratus deliteſcit, ſuppeditato. Qui ipſi ita uniti conceptum perfectum, ſeu ſemen animale conſtituunt, ita ut vis genitalis Maris ſuo ſemine communicata, efficientis ſaltem, non vero materiæ rationem habeat, mulieris ovulo utrumque exhibente; Unde omnia ex ovo eſſe, ſeu generari verè dicuntur. Nam & vegetabilium ſemina non minus recte *olim ab Empedocle, hodie à Malpighio in anatom. plant. & Marco Marci de Ideis Operatricibus*, aliiſque, Ova recte dicuntur, iſtis Oviparorum Ovis ſimilia ferè.

§. 2. In tali ergo generationis actu ſub conceptione, Ovum fœminæ ſe habet inſtar fomitis. *(Es iſt vvie Sunder:)* qui in proxima potentia eſt, ut incendatur, modo tantilla ſcintillula adinveniat. Sic Ovum muliebre fœcundum eſt actu primo, ſed excitatur hæc ejus fœcunditas, à ſcintillula activa & ſpirituoſa maris, ſpiritus hic genitalis maris habet ſe inſtar fermenti, addendi maſſæ, quo rite fermentetur & alteretur, &c. & exinde ſunt cæteræ differentiæ, quæ inter ovum fœcundum & ſubventaneum intercedunt, dum in ovo fœcundo, jam fœtus generandi primordia, & prima ſtamina obſervanda ſunt. ita, ut non primum fœtus ortum, ſed ſaltem emergentem ſucceſſive partium ejus manifeſtationem in ovo conſiderare queamus, ut primus obſervavit *Malpigh. Tract. de Formatione pulli ex ovo, item de ovo incubato.* Cùm è contra in ſubventaneo ovo nil tale obſervari poſſit, adeo, ut in fœcundo ovo pulli ſtamina præexiſtant, haud diſpari ritu, ac in plantarum ovis, ſeu ſeminibus plantulæ fœtus jam exiſtere ſolet. Ulterius ova fœcunda uſque ad XIV. diem ſub incubatu non putreſcunt vel corrumpuntur, ſed cocta eundem ſaporem habent, cum recentibus. Sterilia de facili putreſcunt, & hinc horridum fœtorem contrahunt.

§. 3. Spiritus iſte genitalis, uti ovulum in fœcundum ſemen, ſeu conceptum, alterat, ita quædam ejus ſubſtantia, ſimul uterum muliebrem certo modo alterare, & ad conceptum retinendum, fovendum, & nutrimentum ipſi tranſmittendum, aptum reddere probabile fit, non tantum eis, quæ hunc in finem diſſerit *Deuſing. de Geneſi Microcoſmi p.42.* ſed etiam ex uteri illis poſt factam conceptionem alterationibus, quas obſervat Harvæus *obſ.* 68. Quin imò ſi conſideremus quantum non rarò mulieres quædã ex fœcundo congreſſu, in toto alterentur corpore, non adeo abſona videbitur *Stenonis* ſententia, quam recenſet *Caſpar. Bartholin. in exercit. Miſcell. p.45.* Quod ſemen virile in uterum injectum (non aliter ac medicamenta aut alimenta aſſumpta vires ſubtiliores ſtatim ad ſanguinem amandare videamus) ſanguini & forte in nervoſo generi communicetur, & ita univerſum mulieris corpus ſuo modo alteret. Hinc nempe & purgantis aſſumpti vi à matre in fœminam per complexum venereum transfunditur, de quo vid. *Mœbii fundam. p.* 282. Hinc quædam mulieres mox à conceptu vomere omni mane, breviter picâ corripi ſolent, &c. hinc etiam in nutricibus lac brevi à conceptione nova alterari, & infantibus hoſtile fieri incipit, antequam retentus ſanguis menſtruus iſtas alterationes inferre poteſt. Unde etiam vis generativa maris determinata ſemel mulieri impreſſa, etiam ad plures ſucceſſivas generationes certo modo ſe extendere obſervatum fuit. *vid. Becherus Phyſica Subteran. lib. 1. ſect. 4. cap. 4. p. m. 241.*

§. 4. Poſt factum ita conceptionem, ovum ſeu conceptum fœcundum, ſi naturaliter procedat negotium, vel motu vel brevi poſt in utero apparere, omnino probabile eſt, & confirmant obſervationes *à Kerckringio in ſua Anthropogenia*, notatæ; nec obſtat, quod contrarium aſſerat *Harvæus exercit.* 68. qui primo menſe in utero nihil apparere aſſerit; in quantum ipſi ex ſectione brutorum viviparorum innotuit, ignarus nempe adhuc modernorum in ovis experimentorum, labente tamen primo menſe, conceptum rejectum, ſæpius vidit, ſimilem ei, quem è Tibicina excuſſum *Hippocrates* meminit quique fuit inſtar ovi excorticati. Ex prima ergo ovi fœcundati origine per ſucceſſiva incrementa pedetentim profectus enaſcitur, & increſcit fœtus, Facto nempe congreſſu fœcundo carnoſior, craſſior & levior evadit uterus, & ſucceſſivè liquor limpidus non nihil lentus (revera chyloſus tranſcolatione iſta ita alteratus) in uterum deſtillat, à quo conceptus vitalis nutritio ac accretio ſucceſſiva materialiter dependet.

§. 5. Jam

§. 5. Jam, ut naturæ methodus in formando animali ex fœcundo ovo manifeſta evadat, imprimis ovorum galinaceorum ſub incubatu inſtituatur inſpectio. Fecit hoc poſt *Hieron. Fabric. ab Aquapend.* imprimis *Harvæus*, *in exercit. de generat. animali*; ex quibus conſtat, in ovi vitelli tunica, maculam circularem albam, perexiguam lenticulæ fere magnitudine reperiri, quam, ob ſimilitudinem cicatriculam appellitant. In hac cicatricula per incubatum primo die dilatata & in circulos quoſdam expanſa, mox prima & ſecunda die, obſervatur liquor clariſſime refulgens, quovis Cryſtallino humore purior, colliquamentum ob id appellatus. In hoc colliquamento, tertio & quarto die, linea ſanguinea purpuraſcens, & punctum in medio colliquamenti, ſaliens, primum nempe cordis rudimentum, manifeſtatur, hinc circa puncta ſalientia craſſius & albidius quid inſtar nubeculæ apparet, in duas partes diviſum, quarum major pars capitis rudimentum præbet, quatuor veſiculis conſtans, quæ cerebrum, cerebellū, & oculos binos repræſentant, minor vero pars inferior inſtar Carinæ protenſæ ſpinæ rudimentum eſt, ex quâ brachiâ & pedes ſenſim protuberant, donec vaſis ſanguifluis viſcera ſucceſſive quoque adnata, fœtum perfectum conſtituant; Cujus formationis exactam hiſtoriam, *vid. in exercit. Harvæi, & hujus Epitomatore Schradero*, *item Needham tract. de formato fœtu.*

§. 6. Ex quibus, Harvæi, aliorumque nudo oculo factis ovorum inſpectionibus vere concluditur, *ſanguinem & cor* ſub forma puncti ſalientis eſſe *partes primigeneas*. Sed obſtant hic accuratiores, & Microſcopii acie inſtitutæ ovorum inſpectiones Malpighii. Tract. de formatione pulli in ovo, item de formato fœtu. Quibus oſtendit, jam in cicatricula illa, ante incubatum fœtum incluſum eſſe, ita ut in ſacculo, in cicatriculæ colliquamento notante, velut in amnio fœtus, ejus caput, cum appenſæ carinæ ſtaminibus patentet emergerent, ita ut pulli ſtamina in ovo jam præexiſtans, altioremque originem habeant, haud diſpari ritu, atque in plantarum ſeminibus, ſeu ovis. Nempe ſicut in his eſt gemmula quædam, ex quâ planta naſcitur, & qua corrupta, perit omnis vis & ſpecies generationis, eſtque nihil aliud, quam delicatiſſima plantulæ delineatio & inchoata conformatio; ita ſimiliter in ovulo eſt macula, ſeu cicatricula, in qua partes pulli omnes potentia inſunt, & ex qua ordine oriuntur, & in qua eſt ſpiritus utriuſque ſexus ſeminalis, cui CREATOR ALTISSIMUS poteſtatem conceſſit fœtum elaborandi. Unde cum Maſpighio concludendum videtur, in ovo ante uberioremcolliquamenti collectionem, ejuſque motum, & in ſanguinem converſionem, carinam, cum capitis, cerebri, ſpinalis medullæ, & alarum inchoamentis evidenter patere, & in ovo ſubeſſe pullum, cum partium fere omnium conterminis ſacculis colliquamento innatantem, hujuſque naturam nutritivis & fermentativis ſuccis commixtis integrari, ex quorum ſuſcitata mutua actione, ſanguis ſucceſſive progignatur, parteſque olim delineatæ erumpant & ſucceſſive adoleſcant.

§. 7. Jam vero ſub ulteriori fœtus in ovo progreſſu, obſervanda eſt diſtinctio Ovorum in Oviparis & viviparis. In Oviparorum ovo albumen cum vitello ſimul inſunt pro nutrimento, & augmento fœtus in cicatricula geniti, dum nempe vaſcula ſanguifera in cicatricula genita, & in funiculos umbilicales protenſa tàm ad vitellum, quàm albumen diſtribuuntur, exque illo materiam pro partibus ſanguineis, ex hoc pro partibus nerveis nutriendis abſorbent. In viviparis vero, quæ ſaltem ovulum generant, abſque nutritii ſucci conſortio, ſuccus lentus, limpidus, plus minus albidus poſt factam conceptionem in uterum deſtillat, ut ſupra §. 4. monitum, qui per membranas fœtum ambientes, ſecundinas nempe, & placentam ad vaſa fœtus derivatur, & *nunc immediate* pro partibus nerveis, olim ob id ſpermaticis dictis, nutriendis cum ſanguine diſtribuitur, *nunc mediate*, mediante ſui in ſanguinem converſione pro ſanguineis partibus augmentandis, hinc inde diffunditur.

§. 8. Obſervandum ulterius, quod tertio elapſo geſtationis menſe, circa quarti principium, contingat fœtus motus, ipſo jam quoad principaliores partes fere abſoluto, reliquis vilioribus adhuc perficiendis, unde tempus geſtationis, uſque ad motum fœtus, *tempus formationis*, à motu ad partum, *tempus exornationis* appellatur. Pervulgata alias fert opinio, marium formationem perfectioremque citius, fœmellarum verò tardius fieri; cui tamen non ſuffragatur experientia, cum conſtet imprimis in brutis, ſæpe plures in utero geſtari fœtus, qui licet ſexu diſtincti ſint, eodem tamen tempore & perficiantur, & excludantur, ut fœtus ex ovis oriundos taceam, qui cujuſcunque etiam ſexus fuerint, nec ſerius nec tardius perfici, vel edi ſolent, niſi forſan alia cauſa obſteterit, de quo *confer. Harvæus exer.* 10.

§. 9. EFFICIENS *mirandæ hujus fabricæ*, *eſt* SPIRITUS GENITALIS *utriuſque ſexus*, qui licet originaliter ſit duplex, in ovo tamen mutua coitione unitus, in eodem machinâ corporis format, quod quomodo fiat, res eſt obſcuriſſima. *Cartheſiani*, & hoc ſequentes alii, ex ſolo motu particnlarum per calorem excitato, fieri formationem volunt, mediante quo ſeminis particulæ agitatæ, ob ſuas figuras, magnitudines, diſtinctas texturas, aliaſque proprietates, neceſſario in germen animalis abeunt, eo modo, quo ex oblongis ſalium particulis, in aqua, vi caloris agitatis, & inter ſe conjunctis variæ determinatæ ſalium figuræ, & corpora efformantur. *Alii* per Ideas negotium hoc explicant, quæ antea in ſpiritu confuſæ, ſucceſſive, ſed ordinata ſerie evolutæ, formatorem corporis dirigant, & determinent, ad formandum fœtum parentibus ſimilem. De quo *vid. ſpeciatim Marcus Marci de Ideis Operatricibus*, *& ex hoc*, *Backius in ſuis principiis*. Sed re hac exacte conſiderata, major videtur difficultas, quomodo generentur corpora? cum ex ſuperioribus conſtet in ovo, ante incubationem, jam inexiſtere fœtus rudimenta, ſicut in plantarum ovis ſeminibus integra plantula in gemmula jam conſpici ſolet.

§. 10. Cæterum triplex fœtus formandi cum parentibus obſervanda ſimilitudo, ratione ſcilicet

1. Speciei, quod ſcilicet homo generet hominem.
2. Sexus, dum fœtus nunc eſt Mas, nunc fœmina, nunc utrumque, ſeu Hermaphroditus, id quod fieri ajit *Velthuyſius p. 65.* quatenus vis ſeminalis à mare aut fœmina prædominans alterius vim cogit in ſui obſequium, quæ major vis alterius ſeminis, in prædominio ſpiritus genitalis alteri prævalentis conſiſtere videtur.
3. Individui dum fœtus nunc Patri, nunc Matri, vel in toto, vel patre ſimilis exiſtit, quod ex amplexu mutuo ſpirituum genitalium utriuſque parentis oritur; unde virtutes formativæ confuſæ, ſucceſſive tamen denuo evolutæ, ita determinate formationem dirigunt. Sed de his ſimilitudinibus fœtuum cum parentibus *vid. Horſtius tract. de cauſis ſimilitudinis fœtus cum parentibus.* Item *Marcus Marci loc. cit.*

CAPUT XXV.

DE VITA FOETUS ET NUTRITIONE IN UTERO.

§. 1. OVum uterinum duplici conſtat tunica, interna *Amnion* appellata, in qua formatur fœtus, & reſidet, externa quæ totum conceptum ambit, & *Chorion* dicitur. In Amnio liquor limpidus, plus minus albicans continetur, qui nullo modo

modo cum veteribus pro urina vel ſudore habendus, ſed nutritius ſuccus ipſius fœtus exiſtit, nam urinæ continendæ, inſervit tertia membrana Allantoides dicta, homini olim ab autoribus denegata, nunc verò *à Needham, de formato fœtu,* & *Theodoro Aldes* in Epiſtola contra Harvæum denuo detecta, in quam veſica, per urachum urinam exonerat.

§. 2. Chorio, adnaſcitur in homine, poſtquam fœtus jam ferè formatus eſt, carnea moles *placenta uterina* dicta, nata ex ſanguine per vaſa fœtus umbilicalia, uſque ad chorii extremitatem protenſa, effuſo & coagulato, in quam venæ & arteriæ umbilicales implantantur, ſicut etiam vena umbilicalis copioſus ramos per Chorion & Amnion ſpargit, in eorum cavitatem humore limpido plenam hiantes. Mediante hac mole carnea, fœtus utero demum adhæret, & annectitur, cujus naturam deſcriptam *vid. in VVarthoni Adenograph. c. 35. item Hobocken in anatome ſecundinæ humanæ.* Variant vero, quoad hanc partem inſigniter animalia, dum alia placentifera, alia glanubifera, pauca Cotyledonifera, de qua varietate, ut & quid propriè ſint Cotyledones, ſeu Acetabula veterum, *vid. Needham de formato fœtu.* Placenta ergo hæc, cum membranis poſt fœtum excluſa, & quaſi ſecundo partu edita, *ſecundina* appellantur; Sicut liquores iſti, dum in partu paulo ante fœtum erumpunt, ex ruptione membranarum, ob conatum fœtus, aquæ appellantur, quæ humectando, & laxando partes genitales, partum facilitare ſolent.

§. 3. Quod ergo jam nutritionem fœtus formati attinet, partim per os nutriri fœtum, partim per umbilicum nunc conſtat. *Per os quidem nutritur*, deglutiendo humorem limpidum, & albugineum in Amnio contentum, ex utero per membranas Chorion & Amnion, in hujus cavitatem tranſudantem, qui chylificatur in ventriculo, & unde excrementa in inteſtinis, *Meconium* dicta, oriuntur. *Confer. Harvæus in Exercit. Claudius de la Courvee Tract. de nutritione fœtus in utero, imprimis part. 2. c. 12. 13.* Præterea per umbilicum ſimul advehitur nutrimentum, tantum ſcilicet, quantum præter ejus per os nutritionem, adhuc neceſſarium eſt. Sunt, qui ſanguinem eſſe maternum in placentam ex vaſis uteri delatum cum ſanguine fœtus per arterias umbilicales ad placentam tranſcolato, miſtum & cum vena umbilicali ad fœtum delatum, communiter aſſerunt, de quâ antiqua Hippocratæa ſententia *vid. diſſert. Stegeri de Hippocratis Orthodoxia, & Democriti Heterodoxia*, quoad Doctrinam de nutritione fœtus in utero.

§. 4. Cæterum elegantior & probabilior *Deuſingii* eſt ſententia, qui, *part. 3. ſect. 1. Geneſeos Microcoſmi*, item *in diſſert. de lacte.* In eo eſt totus, ut monſtret, fœtum tàm in utero, quàm extra uterum nutriri ſolo lacte, ſeu materia tali limpida & albuginea, qualis in Amnio continetur, & in quo fœtum natare deprehenditur. Quæ materia albuginea, uti in uterum deſtillat, pro augendo ovo, ſeu conceptu, in quo formatur primitus fœtus; ita etiam poſtmodum per Chorion & Amnion tranſcolata, fœtum per os nutrit, ſimulque defertur in placentam, in quâ à vena ventriculi abſorbetur, miſta cum ſanguine per arterias umbilicales fœtus eò allato, inde in venam cavam fœtus abit, tandemque perfectum in ſanguinem mutatur.

§. 5. Materiæ hujus limpidæ & nutritivæ quod attinet ortum, eam ex abdomine, id ſpecie ex meſenterio, per ſingularia vaſa lactea ad uterum deferri vult *Deuſing. l. c. & Seegerus l. c.* Sed cum vaſa iſta incognita ſint meritò iis adſtipulamus, qui arteriis nutrimenti Chyloſi cum ſanguine vehendi officium tribuunt, ita ut per arterias, Chylus limpidus ſanguini permiſtus, ad uterum delatus, in eodem probabiliter, mediante textura glanduloſo, membranea tranſcoletur, tranſcolatus nunc penetrando in Amnion, per os immediate fœtum nutriat, nunc abeundo in placentam per vaſa umbilicalia mediate cum ſanguine fœtum ſuſtentet.

§. 6. Plura, quæ talem nutrionem confirmant, videri poſſunt in *Deuſingio & Courveo, l. c.* Quibus adde quod nemo adhuc viderit veram connexionem placentæ ejuſque vaſorum cum vaſis uteri ſanguifluis. Placenta è contra referta eſt ſucco illo albugineo, & limpido, & caruncula in brutis, quibus connectuntur glandulæ compreſſæ, dant ſuccum ſimilem, non vero ſanguinem, ut taceam pullum in ovo, ſine materno ſanguine perfectè nutriri & augeri: Illuſtrant hæc non tantum crocus tingens fœtum in utero, de quo *vid. Ioann. Ferdinand. Hertodt in Crocologia p. 278.* aliaque aſſumpta, cum fœtu ſimul in partu edita. *vid. Miſcell. Acad. Natur. Curioſ. Annus 3. p. 483.*

§. 7. Officium ergo placentæ uterinæ, eſt, ut illa mediante, ſuccus nutritius cum ſanguine per arterias fœtus umbilicales allato, miſceatur & ita quaſi ſubigatur, ut facilius poſtmodum cum ſanguine fœtus, per umbilicalem venam ipſi diſtributus conjungi, & in ſanguinem perfectum mutari poſſit. Sed hic non niſi ſecundarius placentæ uterinæ & vaſorum umbilicalium eſt uſus, magis neceſſarius eſt iſte, quem non ineleganter explicat *Mayovv. Tract. de reſpiratione fœtus in utero.* Nempe placentam uterinam non jecur, ſed revera pulmonem uterinam eſſe, in quo ſanguis fœtus per arterias umbilicales eò delatus particulis Nitro-aëris, quibus ſuccus albugineus per uterum in placentam tranſudans probabiliter impræ gnatus ſit, imbuatur, quarum medio reſpirationis neceſſitas in fœtu ſuppleatur.

§. 8. Ex dictis facile concludi poteſt, qualem vitam fœtus in utero agat, & quod non vivat, vita matris, hauriendo ab eadem ſpiritus vitales, ſanguinemque, ſed quod propriam degat vitam, elaborando ex ſucco ſuo nutritio hos ipſos pro ſui ſuſtentatione, ſimili nempe ratione, atque pullus in ovo propriam vitam eodem modo inſtituit, nec alio opus habet Gallinæ adjumento, quam blando ejuſdem fotu & incubatu, ut caloris beneficio exſuſcitetur vis genitalis in Ovo latens. Idem præſtat mater fœtui, dum etiam uterum fovet ſinu ſuo, & fœtum hoc modo ſervat, & tuetur. Vitam autem plantæ vivere tantum dicitur fœtus primis menſibus, quatenus ſolummodo nutritur & augetur: Sequentibus vero etiam vitam animalis vivit, quatenus ſe movet, qui motus nonniſi perceptionem quandam ſenſualem ſequitur, utut dormiat potius fœtus in utero quam vigilet.

CAPUT XXVI.

DE PARTU.

§. 1. QUo grandior ſit fœtus in utero, eo plus quoque uterus ceu vas continens in omnem dimenſionem extenditur, ſub qua extenſione valdopere craſſeſcit, & ſpiſſeſcit uterus, ita ut ultimis menſibus duos digitos craſſa fiat ejus ſubſtantia, id quod contingit ex imbibitione tum ſucci lactei nutritii, tum etiam ſanguinis inhiantibus & multum diſtentis uteri poris coacervatis, & lente circulatis, unde vaſa ſanguiflua ſenſim ſenſimque etiam majora & ampliora fiunt, ut tandem circa partum digiti minoris amplitudinem æquare dicantur.

§. 2. *Fœtus* ergo valdopere auctus & grandior factus, *proprio motu exitum quærit* convolvendo ſeſe, & invertendo capite primò ingreditur, qui motus partui eſt naturalis. Hoc motu membranæ jam diuturniore mora tenuiores factæ, facile & tantum non ſponte dehiſcunt, & rumpuntur, aquarumque fit effluxus. *Huic fœtus conatui accedit ſimul matris labor*, quæ tàm inſpirando, & diaphragma deorſum movendo, quam muſculos abdominis contrahendo, uterum contrahit,

contrahit, qui ſimul quoque fibris fœtum excludit. Plura quæ huc pertinent, & imprimis oſſium Ilei laxationem vid. *in Deuſingii Geneſi Microcoſmi. part.* 3. *ſect.* 2.

§. 3. Hoc contigit menſe poſt conceptionem utplurimum nono, circa finem, & in principio decimi, interdum ſed rarius ſeptimo, idque ſaltem primo partu, qui ſeptimeſtris partus ſæpe habet imperfectionis quaſdam notas in auriculis, ore aut digitis, quia hæ partes ultimæ omnium perficiuntur. *Conf. Borellus cent.* 1. *obſerv.* 71. Accedit tamen interdum, ut vel mater vetula, vel fœtus imbecillis ultra decimum menſem partum differant, ſicut interdum anticipant, & menſe octavo pariunt, quos non vitales eſſe fœtus, falſum eſt, cum plurimi hoc menſe nati, vixerint, *teſte Schenckio in obſerv.* Nam vitales non raro ſunt fœtus qui ſeptimo menſe excluduntur. Quod ſi vero moriantur Octimeſtres, fit hoc, quoniam ex irritatione uteri, vel fœtus, vel ex alia cauſa non naturali fœtus quaſi per abortum octavo menſe excludatur, qui nono menſe naſci debuiſſet, de quo *vid. Drelincurt. diſſert. de partu Octimeſtri. item* Paulus Zachias in Quæſt. Medico-legalibus. Raræ aliàs non paucæ proſtant obſervationes fœtuum ſexto, duodecimo, decimo quinto menſe natorum, qualia vid. *In Schenckii obſerv.* utut fallacia conceptionis ſigna, non rarò matres fallant, ut propterea erroneum ducant calculum.

§. 4. Cauſa, vel ſtimulus, qui fœtum impellit & irritat, ut moliatur ſui egreſſum à variis profertur varius. Optima videtur ſententia *Deuſingii l. c. item Ralii ſect.* 7. Fœtum conari egredi propter defectum reſpirationis, cum aquis immerſus reſpirare nequeat, ſanguis vero motu ſuo circulari quodammodo circa præcordia hæreat, & ita anxietatem quandam fœtui inducat, unde etiam quàm primum egreditur, fœtus reſpirat. Quod vero *de fœtuum vagitu* circumfertur, & cujus non vulgaria proſtant exempla, ea uti ſunt rara, ita utplurimum ſunt prodigioſa, cum non vagiiſſe tantùm, ſed etiam articulatas voces emiſiſſe infantes adhuc in utero incluſos teſtantur obſervationes.

§. 5. Cum ergo non reſpiret fœtus, nec dilatentur pulmones, ſine horum vero dilatatione nulla ſanguinis ordinaria circulatio ex dextro cordis ventriculo fieri poſſit in ſiniſtrum, propterea ſanguis non ſimul per utroſque ventriculos tranſit, ſed per alterutrum tantum, & propterea, factæ ſunt ſingulares vaſorum Anaſtomoſes circa cor in fœtu, quæ in adulto obliterantur; dum una ſanguinis pars per venam cavam aſcendens, tranſit per foramen ovale in venam pulmonalem & inde in ſiniſtrum cordis ventriculum, ex hoc ſubit arteriam pulmonalem, ex hac per canalem arterioſum in arteriam magnam. Dum vero excluditur fœtus & reſpirat, ſubito per pulmones rapitur ſanguis, & foramen ovale propria ſui ipſius valvula clauditur & ita exacte obduratur, obſervante hoc *Kerckringio in Spicilegio obſervat. anatom. obſ.* 94. *p.* 179. & propterea contingit, quod pulmones in fœtu mortuo, aquæ injecti, fundum petant, in vivente vero, & poſt excluſionem mortuo ſupernatent, quia in hoc jam rarefacti fuerint, ex aëre per reſpirationem attracto.

§. 6. Fœtu ergo egreſſo, ſequuntur etiam membranæ cum placenta, cum hæ per funiculum umbilicalem adhæreant fœtui, & ſecundinæ propterea vocantur. Hæ quantocyus poſt fœtum ſunt extrahendæ, hi ſi ſponte ſequantur, ne coarctato denuo uteri interno orificio earum egreſſus omninò impediatur, & ipſæ poſtmodum relictæ, putredinem matri lethalem concilient: Opera etiam danda, ut omnes, ſeu totæ ſequantur ne aliquantula placentæ pars relicta irritando uterum, contumacem, & interdum lethalem ejus hæmorrhagiam inducat.

§. 7. Sed dum enormiter extenſa uteri cucurbita denuo fibrarum ſuarum beneficio ſe contrahit, poros anguſtat, liquores ingeſtos, & geſtationis tempore imbibitos, ſic exprimit, ut purgamenta uteri poſt partum, ſeu lochiorum fluxus ſuccedit mulieribus, non ſecus ac menſtruum fluxus proprius. Effluit autem primò cruentus humor, ſeu ſanguis dilutus, copioſo nempe aquoſo & lacteo ſero, tandem materia alba, mucoſa (quas eſſe reliquias ſucci nutritii fœtus in utero, cum *Deuſingio* arbitror) quam materiam ex utero ſolo effluere certum eſt. An vero ſanguis ex utero ſolo effluat, & annon etiam ex vaſis hypogaſtricis, collo uteri inſertis, imprimis tunc elabatur, ut probabiliter nonnulli ſtatuunt, nondum adeò explanatum. Sanguinis hic fluxus contingit ex partus conatu, quo ſanguis ad iſtas partes propulſus perdiſtenta, apertaque vaſa effluit; forſan & fermentatio talis contingit, qualis in menſtruatione evenit, ut multa tunc evenientia & fluxum ſuppreſſum ſequentia perſuadent. vid. *Deuſing. in Geneſi Microcoſmi p.* 219. Tempus quamdiu hic fluxus durat, varium eſt, pro varietate ſcil. conſtitutionis puerperæ, utplurimum Octo dierum ſpatio abſolvitur, nonnullæ ad quindecim dies purgantur, interdum poſt menſem demum purgatio hæc ceſſat, unde etiam in aliis copioſius, in aliis parcius ſuccedit hæc purgatio. Facta hac purgatione uterus in formam pyri contractus, exſiccatur, & ita ad novam imprægnationem denuo diſponitur.

TANTUM.

S. D. G.

B. C. D.

PRÆCEPTA PATHOLOGICA CUM DIAGNOSTICIS ET PROGNOSTICIS.

CAPUT PRIMUM.

DE SANITATE ET MORBO, Huiuſque Subiecto.

§. 1.

CORPUS NOSTRUM dum ceu artificioſa machina è ſanguine & ſpiritu vitali, tàm inſito, quàm influo actuatur, movetur, & in eſſe ſuo ſuſtentatur, VIVERE *dicitur*. Conſiſtit enim VITA formaliter in iſta corporis actuatione, ſecundum quam operationes debitas vel exercet, vel exercere poteſt, cujus privatio MORS dicitur. Vitæ integritas eſt SANITAS, ejus vero labefactio, MORBUS. Integritas iſta conſiſtit in legitima diſpoſitione ſeu conſtitutione partium quarumvis machinam corporis componentium per quam agere & operari ſecundum leges à natura præſcriptas, aptæ natæ ſunt. Contrarium fit in morbis, adeo, ut in rigore theoretico STATUS NEUTER vix admittendus videatur.

§. 2. Non ergo in ipſa vitâ morbi conſiſtunt, nec tamen corpori, niſi viventi, competunt; Morbi enim nec ſani nec ægri dici poſſunt. Sunt media, vel prodromi mortis adeoque vitam inſequuntur, & ex ejus radice ſuo modo ſuccreſcunt. Hinc iſtæ etiam læſiones, quæ corpori mortuo inſunt; v. g. vulnera, fracturæ, obſtructiones, quatenus tale, proprie vix morbi videntur, niſi in quantum vitale principium corporis viventis ſuo modo afficiunt, in actionibus debitis impediunt, adeoque tandem corporis primũ movens labefactant.

Quoniam corporis ſaltem viventis affectio eſt ſanitas, & morbus ſemper ad principium vitale omnino reſpiciendum erit, ſi quidem ab eodem & omnes actiones tam naturales in ſanis, quam præternaturales in morboſis procedunt. hinc rectè dicitur, idem eſſe principium, à quo fiant actiones laudabiliter in ſanis, vitioſe in ægris, v: g. ab eodem principio, à quo præternaturaliter in febribus æſtuamus, naturaliter calemus; item idem principium eſt, quod naturaliter movet manus, præternaturaliter vero in Epilepſia easdem convellit.

§. 3. Quoad SUBJECTUM MORBORUM totum ſane corpus uti ſanum eſt; ita etiam idem ægrotare ſolet, adeoque & ſingulæ ejus partes, ſanitatis & morborum ſubjecta erunt, utut pro partium varietate, diverſimode. *Primariò* ſcilicet PARTES CONTENTÆ ſpiritus & ſanguis, quatenus hæ ipſæ proprius vitæ radicem attingunt; *Secundariò* vero PARTES SOLIDÆ ſeu continentes. Ut enim vita in ſpiritu & ſanguine radicaliter & fundamentaliter conſiſtit, in partibus verò ſolidis non niſi per denominationem, quod ſcilicet ſint viventes, quatenus ſanguine & ſpiritu irrorantur; ita etiam primarii morbi iſtis inhærebunt, & principale adeo morborum ſubjectum erunt, in his nonniſi ſecundarii, quæ ob id minus principale ſubjectum conſtituunt.

§. 4. Certe, ſicut omnibus patet, inſigniores & ſucceſſivas iſtas corporis mutationes, quæ per ætatum viciſſitudines contingunt, ita ut ultima ſenectus tandem & ipſa morbus evadat, tantum ratione maſſæ ſanguineæ mutatæ, & ſpirituum imprimis influentium diverſimode diſpoſitorum evenire, & ſenſiles à teſtibus ſub pubertatis annis corpori inductas operationes ratione eadem corpus immutare, partibus ſolidis organicis, ſub omnibus iſtis mutationibus in eodem ſtatu perſiſtentibus, niſi in quantum ex ſanguinis varia alteratione in nutritione forſan patiuntur; Ita repentinæ corporis ſub morbis læſiones, & in actionibus mutationes non niſi à diverſimode & præternaturaliter alteratâ maſſa ſanguinea, aut ſpiribus vitiatis oboriuntur, adeo, ut iſtis morboſe affectis tota machina non rite, nec ſecundum conſtitutas naturæ leges gubernata, in præternaturales actionum & operationum læſiones exorbitet.

§. 5. Omnes ergo in genere & ſpecie corporis partes ſubjecta ſunt morborum, utut non rarò hic obſervabilis ſit circulus, ita ut unius partis vitium affricetur alteri, & hujus hinc nata læſio illud prius erratum deterius reddat. Obſervandum alterius *in morbis internis*, quaſi ſponte natura enatis, & in quibus cauſa materialis, ſeu humoroſa peccat, *duplicem ſubjecti eſſe rationem*, nempe dum diſtinguendum eſt *ſubjectum inhæſionis & ſubjectum radicationis*, ſeu fontis, adeoque reſpectu vel cauſæ efficientis vel materialis. *Illius efficacia*, ubi ſpeciatim & particulariter ſe exſerit motu & effectu præternaturali, ibi morbi ſubjectum dicitur: *Hujus verò ſedes*, ubi prima eſt, aut ratione originis, aut ratione diſtributionis, eſt ſubjectum cauſæ, ſeu fomitis morboſi, v. g. conſideretur Epilepſia vitio Splenis enata, in hoc morbo cauſa efficiens proxima eſt ſpirituum impetus, ſpaſmorum epilepticorum primus autor; hinc partes fibroſæ, motu iſto ſpiritum præternaturali affectæ, ſubjectum morbi ſunt inhæſionis; materiæ vero iſtius acidæ, ratione, quæ materialem cauſam conſtituit, & hoſtili vellicatione ſpirituum impetum provocat, in Splene hærentis, hic fomes ſeu ſubjectum fomitis, ſeu radicationis exiſtit. Sic ſtomacho à Crapulâ malè affecto vertigine caput rotatur, Stomachus hic ſubjectum radicationis ſeu fomitis, caput verò & in eo contenti ſpiritus ſubjectũ inhæſionis exiſtunt. Quod ſi cauſa materialis eandem occupét partem quæ morbo ſpeciatim affligitur, *morbus per eſſentiam* appellatur; Si verò in alio loco hæreat, *morbus per conſenſum* enaſcitur.

§. 6. Res omnes præternaturales, in morbum & cauſam morbificam rectè dividuntur, morbus verò in partis affectæ læſam conſtitutionem, & exinde natam vitiatam actionem ſeu functionem ſubdividitur, quæ læſæ functiones primaria ſymptomata conſtituunt, à quibus cætera ſymptomata in excretis & qualitatibus mutatis dependent.

CAP. II.

DE DIFFERENTIIS MORBORUM.

§. 1. A Duplici fundamento MORBORUM DIFFERENTIÆ deſumi ſolent.

1. à ſubjecti morboſi varietate.
2. & multiplici Circumſtantiarum concurſu.

Priores conſtituunt differentias eſſentiales, poſteriores verò accidentales. Cumque ſuperius totum corpus ægrotare, adeoque morborum ſubjectum eſſe, dictum fuerit, hoc ipſum verò compoſitione ſui Mechanica ex triplici partium differentia caluerit, etiam ESSENTIALES MORBORUM DIFFERENTIÆ triplices erunt:

1. Morbi ſpirituum ſeu impetum facientium.
2. Morbi contentorum humorum.
3. Morbi partium continentium ſolidarum.

ACCIDENTALES verò DIFFERENTIÆ pro circumſtantiarum circa cauſas, ſubjectum, ſymptomata, tempus, &c. obſervabilium varietate erunt tantum non innumeræ.

§. 2. SPIRITUS MORBOSI ſunt, quando deflectunt à naturali & requiſita conſtitutione, quæ ad corporis regimen in iis requiritur, ſive inſitus fuerit ſive influus. *Conſtituti* autem *ſunt morboſè & præternaturaliter ſpiritus influi.*

1. *Ratione Quantitatis*, quando deficiunt (a) à debita copia, ad corporis, ac ejus partium regimen requiſita, qua ratione influi deficiunt in inedia, aut diuturnos poſt labores, tunc enim ex defectu ſpirituum influorum, univerſum corpus languet, & poſt hypercatharſes, aut nimias ſanguinis profuſiones ſumma virium & quarumvis operationum vitalium deficientia ſupervenit.
2. *Ratione Qualitatis*, ſeu ſubſtantiæ, (b) dum vel vitioſè & à naturali conſtitutione deflectentes generantur, vel geniti aliunde vitiantur, v. gr. Influi vitioſi generantur in ſcorbuto, vel malo hypochondriaco, melancholia confirmatis; aliunde autem vitiantur ſeu alterantur in peſte, à Miaſmate maligno, item à narcoticis & opiatis aſſumptis, item in gangræna, in qua penitus ad deſtructionem ſui uſque vitiatur inſitus.
3. *Ratione motus*, (c) Spiritui influo ſpeciatim convenientis, de ſpiritibus enim animalibus in ſpecie res clara eſt, quod per motum imprimis animales adminiſtrent functiones, hinc contingit, *nunc torpidos nimis eos eſſe, minuſque moveri*, quando ipſi minus ſubtiles, aut minus volatiles exiſtunt, ſive ab internis cauſis, v. g. Lethargo & Catalepſi tales fiant; ſive ab externis, opiatis, aut narcoticis ſimilibus vel aſſumptis vel applicatis tales fiant. *Nunc verò iidem nimis mobiles, & nimis agiles exiſtunt*, adeo, ut à quacunque agitati cauſa in impetuoſos, & exorbitantes erumpant motus, qualis, v. g. in deliriis febricitantium, aut phreneticis, item in Epilepticis, aut ſimilibus convulſivis paroxyſmis evidens eſt. Quod poſterius vitium ſæpius à cauſa occaſionali materiali, mole licet minima, fibras quaſdam ſenſiles vellicante, & intenſiorem impreſſionem faciente, adeoque ut vocant, irritante, originem habere ſolet, v. g. dum ſpicula antimonii minima ſpirituum impetum ad vomitus violentiam in ſtomacho provocant; Dum moleſta calculi in renibus præſentia, fibras nerveas vellicando, ſpiritus ſupernaturalem impetum ad colicam, alvi occluſionem, nauſeam, interdum etiam vomitus provocat.

(a) Spiritus inſitus deficit, dum vulnere, vel ulcere, vel frigore, vel paralyſi læſo membro, debilitatur, & ſucceſſivè imminuitur, attenuatur, abſumitur; hinc enim membrum unum alterumve debilius poſtmodum obſervatur, quod vocatur *ab Helmontio robur partis inæquale*, & quoniam pars ita debilitata; præ alia robuſta magis, ab alteratione aëris afficitur, membra talia EPHEMERIDES ÆGRORUM dicuntur.

(b) Coincidunt vitia morboſa ſpirituum, ratione Qualitatis ſeu Subſtantiæ, habent ſe enim ut effectus & cauſa immediata, ſiquidem omnes quantitates ex ſubſtantiæ materialis textura formali oriantur. Ergo vitia ſpirituum in ſubſtantia neceſſariò eorum mutatas quantitates, poſt ſe trahunt, & vitia ſpirituum in qualitatibus mutatam eorum ſubſtantiam præſupponit, adeoque ſi ſubſtantiam, ſive qualitatem mutari dicas, res eò decidit.

(c) Motus ſpiritus influi eſt vel elaſticus, vel irradiativus, iſte v. gr. narcoticis & ſomniferis in genere hebetatur, quo imminuto etiam radiativus ab illo ſuo modo procedens, minuitur; hic verò radicativus vitiatur, v. gr. in contuſionibus.

Inſitus ſpiritus vitiatur in motu nempe elaſtico, & cum influo blandè colliſivo; *Nunc enim augetur*, quando ex irritatione ſenſiliori, & hinc potentiori influentis radio concitatior utriuſque fermentativus & colliſivus fit motus, inde enim rubor, calor, tumor & ſimilia, & omnia ea pathemata, quæ ex archei furore ex excandeſcentia derivat Helmont. *Nunc imminuitur*, v. gr. in torpore à nimio frigore, in moribundis, ſenibus, &c. item in terrore, pavore, dum ſpiritus influi ſufflaminato plus minus radio, & inſiti motus plus minus ceſſat, hinc algor & tremor, & tandem ſtupor ex tremore. *Nunc depravatur*, ſub Nutritionis vitiis, læſionem ejus in craſi ſeri ſubſtantia præſupponentibus.

§. 3. Ad morbos hos ſpirituum etiam ARCHEALES MORBI, ab Ideis *Helmontio & Marco Marci*, dicti, pertinent, dum, ſicut per ideas (*) ſeminales dirigantur ſpiritus in operationibus naturalibus, tàm in partium formatione quàm formatarum uſu; ita ab iiſdem peregrinis & eatenus morboſis perficiantur actionum depravationes præternaturales. Nam ſicuti Idea matris per imaginationem concepta, determinat archeum ſpiritum, ut alio modo formet partem, quàm ipſius ſeminalis idea determinabit; ita etiam ſi poſtmodum formatis partibus, Archeo aliæ ſuperindicantur ideæ, potentiores ideis ſeminalibus, ad uſum partium deſtinatis, determinabitur ab iiſdem ſpiritus ad præternaturales actionum læſiones, *ſive* tales ideæ morboſæ *ab extra* adveniant, & communicentur, v. gr. per venena narcotica, per morſum animalium venenatorum, ut canis rabidi, Tarantulæ, &c. carne felis rabidæ; *ſive ab intra* occaſionali quacunque cauſa materiali excitatus Archeus, diverſas paſſionum exorbitantias, indignationis, furoris, terroris, pavoris, &c. concipiat, quarum ideæ vitioſè actiones ejus dirigant. Ut per exempla res fiat clarior: canis rabidi morſus, vel ſaliva hominem ſimiliter reddit rabidum, ut non tantum in canem ſe mutatum exiſtimet, unde omnes eorum actiones imitatur, ſed propterea in urinâ talium ægrorum, catulorum ſimulacra appareant, propter ideas ſcilicet canis rabidi ſeminales in ſaliva ejus ſigillatas & per morſum in corpus traductas, quæ ideæ confuſæ in corpore, ſuo tempore evolutæ, Archeum ſeu ſpiritum inſitum adeo determinent, ut homines tantum non in canes mutati videantur. Has ergo peregrinas ideas delere, & per conſequens morbum curandi modum docuit experientia, ſi ſcilicet tales rabidi ex improviſo aliquoties ſubmergantur in aquas, ibique aliquandiu detineantur, ſic enim pavore mortis & inde concepta fortiori idea omnes iſtæ peregrinæ delentur, & quaſi abſterguntur, ut in poſterum archeum determinare nequeant. Pariter

riter in dyſenteria inteſtina dolent, criſpantur,& proprium ejus nutrimentum ſub immani cruciatu profunditur, idque omne ex furore ſpiritus inſiti, concepto ab hoſtili acido dyſenterico; curatur hic affectus per ſanguinem pavidi animalis, leporis ſcilicet ſub pavore mortis interfecti; Idea nempe ingentis pavoris in lepore moribundo, ſpiritum ſanguinis ejus ſignat, ut hujus pavidæ ideæ intuitu Archeus inteſtinorum furens, omnem furorem ſubitò exuat, & quaſi perterritus ab omni impetu quieſcat, dyſenteriaque ita ceſſet. Sed de his Archealibus morbis ex ideis morboſis videndus *Helmont. in ſuis Scriptis; item Marcus Marci in Philoſoph. Vet. Reſtituta.* qui omnia venena, item vulgò vocatos morbos occultarum qualitatum, item actiones ſympatheticas & curationes per Magnetiſmum & tranſplantationem ex talibus ideis derivant. Quicquid ſit de hac hypotheſi, ſanè imaginationis matris effectus, morbi patris hæreditarii, item imaginationis effectus in curandis morbis, & variis corporis alterationibus, item contumaciſſimorum morborum, v. gr. Podagræ, Paralyſeos, &c. citra materiæ ſuppoſitæ peccantis quamcunque excretionem, ſubitò per quendam animi affectum evaneſcentes, plus in receſſu habere verè oſtendunt hanc hypotheſin.

* Uti per Ideas ſpiritus determinatur in operationibus naturalibus tàm ſtructuram quàm uſum partium naturalem concurrentibus; ita parili modo per ideas vitioſas ſeu peregrinas adeoque morboſas, quas vel aliunde ſuſcepit ſpiritus, quàm quas proprio motu occaſione quacunque excitatus ſibi formarit determinatur ad actiones præternaturales ac morboſas, ita ut morbus conſiſtat materialiter in parte quadam ſpiritus vel inſiti, vel influi, formaliter in idea vitioſa ſpirituum ad præternaturales actiones determinante.

§. 4. ALTERA CLASSIS EST MORBORUM IN HUMORIBUS CONTENTORUM, primariò quidem ſanguinis, hinc & chyli, lymphæ, bilis, &c. *Morboſi hi fiunt*, & à conſtitutione naturali pro conſervatione corporis requiſita degenerat, *primò* in QUANTO dum deficiunt, aut excedunt, commune hoc eſt vitium quibuſvis in corporis humoribus, primariò tamen maſſæ ſanguineæ, ceu primariò corporis contento, & cui radix vitæ inhæret. Conſiderari ſolet *ſecundò* in QUALI ſeu ſubſtantia, dum deficiunt à κράσει debita, unde & motus inteſtinus fermentativus illorum conſequenter vitiatur malè, à quibuſdam etiam humores motu locali, item conſequenter loco peccare dicuntur, dum nempe contenta iſta corporis fluida tàm naturaliter, quàm præternaturaliter conſtituta, naturalis motus leges vel exceſſu, vel defectu tranſgrediuntur & inde aliena ad loca moventur, in quibus vel ſubſiſtant, vel per quæ penitus extra corpus effunditur. Sed ſi rectè rem hanc conſideremus, non tàm vitia morboſa, quàm producta morboſa hæc contentorum in motu & loco errata erunt, cùm ſemper vel ſpiritus moventis præternaturaliter excedentem aut deficientem impetum, vel viarum, per quas moveri debent, impedimenta & vitia, vel propriam ad motum ineptitudinem à vitiata κράσει & textura materiali dependentem, & ita ſemper præcedentes defectus, morboſas inſequi ſoleant, v. g. Odontalgiam inſequitur tumor maxillæ, ob ſtagnationem ſanguinis, aut lymphæ propter pororum anguſtiam, à fibrarum contractura, occaſione d loris facta; Moventur vitioſè contenta in diarrhæis & dyſenteriis, ſed præcedente tàm ipſorum contētorum alteratione præternaturali, quàm inteſtinorum & ſpirituum vellicatione à cauſa morboſa. Hæmorrhagiæ fiunt nimiæ, vel ſpiritus nimis moventis, vel vaſorum nunc relaxatorum, nunc exulceratorum vitio, habent ſe enim humores quicunque in motu locali ſaltem paſſivè, alienaque vi agitantur, unde etiam nonniſi alieno ex vitio vel propriæ Morboſæ conſtitutiones prævià occaſione motu aut loco peccare poſſunt.

§. 5. IN QUANTO deficiunt ſeu peccant, quando qualiſcunque corporis humor contentus, ſive chylus, ſive ſanguis, bilis, lympha, ſerum abundaverint, vel defecerint. In ſpecie, quando maſſa ſanguinea, prout eadem per vaſa rapitur, copioſior fuerit PLETHORA dicitur, atque dividitur, quod ſit duplex, vel *ad vaſa* vel *ad vires.*

§. 6. *Plethora ad vires eſt impoſſibilis*, cum ipſe corporis vitalis vigor in ſanguine & ſpiritibus fundatus ſit, unde niſi ipſas vires viribus vitalibus graves eſſe dicere velimus, etiam Plethoram quoad vires aſſerere non poterimus Nam alia longè ratio eſt habitus Athletici, veterum lactatorum qui ſaltem εὔσαρκος & muſculoſus adeoque robore artuum inſigni notabilis fuit, nonniſi uberiori ſanguinis ſpirituoſi copia in vaſis uberiore ſanguineo nutrimento ſuſtentatus; ſicut obeſorum abundans pinguedo nutrimenti chyloſi circa membranas uberius congeſti & blando acido coagulati congeriem ſequitur, nam athletici ſanguine obeſo, chylo butyroſo abundant.

§. 7. Videretur equidem etiam *Plethora ad vaſa* abſurda, ſi velimus conſiderare chyli diſtributi, reſpectu copioſatum alvi fœcum, paucitatem, cum neceſſaria continuataque uberrima inſenſili tranſpiratione, quam *Sanctorius* adeo copioſam obſervavit Sed intemperantia, otioſa Medicorum nutrix, cum ſtomacho robuſto ex alimentis copioſis & εὐπέπτοις largiorem laudabilemque chylum, indèque oriundum ſanguinem ſuppeditans, cum vita ſeditioſa minus inſenſibiliter difflante, neceſſariò ſanguinis abundantia, intra vaſa, citra ejus vel ſtagnationem vel evacuationem vix coercibili fomitem continuum ſubminiſtrat. Unde & hæc Plethora preter lenta inediæ, laboris, vel exercitii frequentioris aut fortioris auxilia, ſubitaneam venæſectionis opem innuit, quæ ſola huic ſolo ſcopo repentè & ſufficienter ſatisfacit. Sed ob id non adeo frequenter eſt repetenda, cùm rarò adſit talis Plethora, quæ non commodè aliis mediis poſſit inhiberi cum minori vitæ viriumque diſpendio.

§. 8. Hujuſmodi ſanguinis *Plethora ad vaſa eſt vel vera vel apparens*, de illa modò dictum fuit, hæc eſt quando ſanguis febrilis efferveſcentia vel alio ſimili modo turgeſcens inſtar vini generoſi enormiter ebullientis, vaſa diſtendit, & frequenti, celeri, ac magnò pulſu rapidè movetur, unde non rarò aut inflammationes ex ejus ſtagnatione, aut hæmorrhagiæ ex vaſorum ab ejus impetu apertione ſuccedunt. Revocanda huc venit menſtrua mulierum turgeſcentia & fermentatio ſanguinis, quæ ex partem iſtius cum lunare quodam tributum ſolvendo, expurgant per genitalia; quod ſi non contingat, ſæpe per alia loca per nares, mammas, vomitum, oculorum canthos, hæmorrhoides ejus fit eruptio. In ſanguinis turgeſcentia febrili aliave ſimili non imitanda ſtatim effrenis Gallorum & Italorum licentia, copioſiſſimè & frequentiſſimè ſanguinem venæſectione detrahendo, ſed potius efferveſcentias compeſcentibus, fermenta vitioſa corrigentibus & debitis diaphoreticis ſanguineam maſſam ventilantibus inſiſtendum.

§. 9. Plethora ad vires vera ſupra fuit rejecta, interdum tamen etiam *Plethora ad vires apparens*, adeſſe videtur, quando nempe venæſectionibus & cucurbitulis ſcarificatis, vel aliis ſanguinis detractionibus adſueti, tempore eo, quo iſtæ ſolitæ celebrabantur dejectiones, tantam vaſorum diſtenſionem, laſſitudinem membrorum, pulſus mutationem, percipiunt, cum ſuccedentibus interdum partium tumoribuſve hæmorrhagiis, vel aliis diverſis ſymptomatibus. In his certè per ſe ſæpe non adeſt Plethora, ſed conſuetudine natura fuit immutata, & illa in hujus ſucceſſit locum. Hinc videmus, quod mulieres quoque venæſectioni præter menſtruationes adſuetæ, illis rectè licet fluentibus, ſtatuto tamen tempore venæſectionem admittere cogantur, ut præveniant aliud malum ex ejus omiſſione

omiſſione futurum. Determinato nempe ſanguine Quanto per venæſectionem, natura adſueta aliàs per ſe indeterminata, ceu noxium omne, quod ſuperfluum eſt, reſpuit. In his caſibus loco venæſectionum periodicarum vel parcior victus & ſobrietas, vel exercitium frequentius aut vehementius, vel ſudor largior arte provocatus abundè ſatisfacere poteſt.

§. 10. In Quali peccant contenta liquida, quando in genere qualiſcunque humor corporis à debita craſi defecerit, indeque proprietates acquirit functioni debitæ ad corporis conſervationem requiſitæ ineptas. Ineſt ſanè cuivis homini peculiaris tàm in ſanguine quàm cæteris contentis craſis ex generationis primordiis exſurgẽs, unde qualitates earum tàm ſenſiles, ſeu manifeſtæ, quàm non ſenſiles, ſeu occultæ in unoquoque individuo variant. Quamdiu ergò talem harmoniam, ac debitam craſin retinent corporis fluida, tamdiu viget, valetque corpus totum, ſimul atque verò deficiat, vel degeneret, adeoque vitiata fuerit, Cacochymia exſurgit, ſeu contentorum fluidorum in ſubſtantia aut qualitatibus vitium.

§. 11. Hanc cacochymiam contentorum ſequitur immediatè, vitiatus motus inteſtinus ſeu fermentativus adeoque productum moboſum, Cacochymiam inſequens ſunt vitia læſarum fermentationum in humoribus, ſicque *Morbi contentorum in Quali peccantium erunt vel in vitiata craſi, vel in fermentatione vitiata,* ſive hæc fermentatio conſideretur, abſolutè, prout in ipſo humore ſimpliciter conſideratur, vel reſpectivè, prout eadem ex quorundam commixtione exſurgit, ut fermentatio chyli à bile & ſucco Pancreatico.

§. 12. Craſis Naturalis ſeu Seminalis *formaliter* in tepida uniuſcujuſque humoris temperatura, *materialiter* in minutarum particularum concinna mixtura & textura *conſiſtit*; Cujus texturæ nucleum quaſi conſtituunt Acidum et Alcali cum intertexto pingui. Vitiata ergo & morboſa craſis in vitiata iſta temperatura, veniente ex læſa textura & mixtura debita, ſeu materiali particularum minutarum, & ſpeciatim acidi & alcali conſiſtit.

§. 13. Adeoque Cacochymia in genere conſiſtit in vitioſa craſi, ſeu textura ſeminali contentorum præternaturaliter vitiatâ, conſequenter reſpectivè iſtæ Proprietates, quæ Qualitates dicuntur. Sicut enim in genere ex minimorum ſyncriſi, diacriſi, & metaſtaſi omnes corporis noſtri partes materialiter immediatè coaleſcunt, & etiam immutantur, vi effectiva ſeminalis ſpiritus, & etiam in ſpecie contenta corporis ſecundum minimorũ iſtam texturam, ratione Syncriſeos, Diacriſeos ac Metaſtaſeos, diverſas mutationes ſubeunt, quæ à rebus vel naturalibus, vel nonnaturalibus, vel præternaturalibus, in ſpecie digeſtionibus vitiatis dependent. Jam verò ut minima inter iſta ingredientia acidum & urinoſum, verè primatum ducant, ita & eandem hîc loci attendenda ſunt, uti verò ubique acidum informat alcali, & illud agentis, hoc patientis rationem obtimet; ita in quibuſvis ferè morbis tàm generandis quàm corrigendis ad acidum imprimis reſpiciendum venit. Naturaliter omnia in corpore ſunt temperata, ſeu ſalſa, oleoſa, ex concinna & proportionata minimorum miſcela, quâ læſâ, intemperaturæ emergunt, Indices vitiatæ craſeos, ſeu Cacochymiæ contentorum.

§. 14. Obſervanda verò *Acidi* in corpore noſtro plus minus morboſi *differentia*, *dum eſt vel fixum* (ſimulque ferè terreis particulis plus minus ſociatum adeoque macrum) *vel volatile* (particulis alcali ſubtili turgidis plus minus ſaturatum, adeoque oleoſum.) v. gr. Fixum eſt in malo hypochondriaco, volatile in febre ardente, in intermittente febre etiam eſt fixum, nam in paroxyſmo à ſtatu fixilitatis ad ſtatum volatilitatis, unde febres intermittentes ac continuæ ſubinde permutabiles exiſtunt, item Triſtitia, Mœror, Curæ, acidum fixum intendunt & augeant; Ira, Gaudium, lætitia, acidum volatile intendunt & acuunt. Uno nomine, quæ vulgò de bile & bilioſis monent, quod alcali volatili oleoſo conſtent, exiſtimo intelligenda eſſe de acido volatili, ſub olei tegmine alcali plus minus ſaturato, unde ſi acidum iſtud volatile intendatur, bilis nimis exſurgit acrimonia, & morbi bilioſi fiunt.

§. 15. Craſis hæc Vitiata porrò conſiderari poteſt, *vel abſolutè*, prout in ſeipſa eſt (qua ratione eam hactenus conſideravimus.) *vel reſpectivè*, prout ad ſenſus noſtros ſe habet, per quos à poſteriori ex effectibus ſcilicet, & inductis alterationibus craſis vitiata, ſeu cacochymia humorum cognoſcenda venit, & ſub hoc reſpectu, per ſapores tanquam nobis notiores, cacochymiam depingit *Hippocrates de natura humana*, item in integro ſcripto, *de priſca ſeu veteri Medicina*, dum inquit,

Non calidum, non frigidum, humidum aut ſiccum eſt, quod magnam agendi vim habet, verùm amarum & ſalſum, & dulce, & acidum, & inſipidum, & acerbum, & ſexcenta ſeu infinita alia, quæ præ copiâ & viribus varias habent facultates ac potentias; & hæc quidem mixtione & mutua inter ſe contemperatione neque cernuntur, neque moleſtia hominem afficiunt. At ubi quippiam horum ſecretum fuerit, & per ſe exſtiterit, tunc & conſpicuum fit, & hominem moleſtia afficit.

Quibus verbis *Hippocrates* bina ſimul innuit, tàm cauſam morboſam earumque potentias, & agendi facultates, quàm inductas partibus corporis, præſertim fluidis, alterationes cacochymicas. Nempe fermenta morboſa à priori imperſcrutabilia vix niſi ſaporum ſub notione cognoſci explicarique poſſunt, dein à fermentis morboſis, inductæ humoribus alterationes cauſarum naturæ reſpondent, & commodè per ſaporum notiones explicantur. *Hippocrates* ergo his verbis delineata *primariò* cauſarum morboſarum potentias, *ſecundariò* ab iiſdem inductas humoribus alterationes præternaturales cacochymicas.

§. 16. Non ergò ex Qualitatibus primis definienda ſunt humorum vitia, calidum enim & frigidum effectus potius & producta ſymptomata, non cauſæ ſunt) cum non magnam habeant agendi vim, unde & Rerolleæ à *Paracelſo & Helmontio* ficto vocabulo vocantur, ceu tales, quæ non procedant ex fermentis & ſeminibus rerum indeque omni efficaci operandi virtute deſtitutæ ſint. Siquidem & fundamentum talis doctrinæ, nempe inane de Quatuor elementis figmentum, & hinc ſuperſtructa Miſtionis temperamentorum, Qualitatum primarum & humorum ex qualitatibus primis deſcriptorum doctrina jam diu deſtructa eſt.

§. 17. Quæ *Hippocratis* elegans doctrina non de morboſis humorum vitiis ſolummodo intelligenda, ſed de alimentis & medicamentis pariter, dum loco citato ſcribit; Non calidum eſt quod vim magnam habet, verùm acerbum & inſipidum, cæteraq e de quibus dixi, tum in homine tum extra hominem; In iis quæ eduntur aut bibuntur, vel foris illinuntur, vel quacunque forma corpori admoventur, adeoque & alimentorum & medicamentorum vires ex iſtis dimentiendæ ſunt *Hippocratis* potentiis, non ſecus ac ipſa Diætetices & Therapeutices Methodus ab *Hippocrate* in iſtis textibus inſinuetur, dum ab aliis potentiis temperatis, hoc eſt, debita proportione & ſymmetria inter ſe agentibus, nos neque lædi, neque moleſtia affici, aſſerit, adeoque per rerum nonnaturalium uſum eò reſpiciendum eſſe, ut in ſtatu iſto proportionato conſerventur. Dum verò ab iis ſecretis & per ſe exiſtentibus nos lædi affirmat, hoc eſt, ab iis intemperatis & unum alterum præponderantibus, quid aliud faciendum monſtrat, quam ut potentiam iſtam, quæ excedit, corrigamus & imminuamus, vel quæ deficit, additione ſimilis augeamus, eaſque denuò harmonicas ac proportionatas reddamus, hoc eſt, morboſas

has cauſas & potentias non abuſivè phlebotomandas, aut nocivè purgandas, ſed contemperandas & concoquendas, adeoque per ſapores vel potentias ſpecificè oppoſitas eſſe corrigendas. *Confer. Diſcurſ. Becheri, in Phyſic. ſubterran. lib.* 1. §. 5. c. 1.

§. 18. Hippocraticarum harum potentiarum, ſeu ſaporum vitioſorum ſeu fermentorum morboſorum Varietas, cacochymiam conſtituens, uti omninò eſt innumerabilis, oriunda ex particularum minutarum præſertim ſalinarum variâ tum inter ſe, tum cum aliis concretis jam corpuſculis, combinatione; ita etiam varietatem ingentem ſanguinis, chyli, lymphæ, bilis, aliorumque ſuccorum à ſtatu naturali degenerantem conſtituit, non tantum ex multitudine individuorum multivariam, ſed in eodem individuo, pro diverſitate ſexus, ætatis, temporum, anni, vitæ generis, &c. admodum, & quaſi in horas mutabilem. Quot namque aſſumptorum diverſi ſapores, tot diverſæ potentiæ, quæ ex varia cum ſuccis corporis noſtri in primis viis & cum ſanguine unione, non vulgarem denuò inducant diverſitatem, eò majorem vel minorem, vel prout magis vel minus ſunt alimentoſa, ſeu temperata, aut medicamentoſa, ſeu ſapore quodam excedentia, vel prout magis vel minus à fermento ſtomachi ſubiguntur & alterantur.

§. 19. Et ex hoc fonte non tantùm quorundam individuorum Idioſyncraſiæ ex parte promanant, dum ab hoc vel illo aſſumpto læduntur vel juvantur, vel plus minus alterantur; Sed etiam ſpecificæ virtutes Simplicium morbo huic vel illi appropriatorum ex hoc fonte derivandæ ſunt, dũ in quovis morbo peccat ſpecialis ſapor, ſeu potentia Hippocratica, ſeu ſpeciale concretum ſalinum, ſeu ſingulare fermentum, cui in ſpecie delendo ſimplicia quædam appropriata & experta ſunt, qualem effectum alia apparenter ſimilia, ſimplicia æquè præſtare non poſſunt. Sic *Lapis cancrorum* acido in vulneratis & contuſis ſpeciatim corrigendo aptus eſt. *Chelidoniũ Majus* Icterum ſpeicficè, *China-Chinæ* vel *Gentiana*, Quartanas, *Viſcus Coryli* epilepſiam, Mercurius luem veneream ſpeciatim curat, quatenus iſta ſimplicia ſaporem vel fermentum morboſum tali affectui dicantur. Sic *Cochlearia* ſaporem ſcorbuticum tollit, *Stercus pavonis* vertiginem delet, *Papaver rheas*, & *Bellis minor* ſaporem pleuriticum tollunt, *Scrophularia* ſpecificum in hæmorrhoidibus dolentibus acidum corrigit, *Myrrha* variolarum cauſam temperat. Omnia hæc operari videntur, quatenus certam & ſingularem proportionem obtinent ad hoc vel iſtud materiale morboſum ſaporem, fermentum, &c. alterandum, & in iſta textura ſpecifica corrigendum, quibus concretis h. e. temperatis factis, non amplius nocere poſſunt.

§. 20. Hippocraticæ hæ Potentiæ ſeu facultates, (quarum in nobis quidem præſentiam omnia aſſumpta pariter & excreta manifeſto teſtantur,) pro aliarum Qualitatum ratione, fundatæ ſunt ſaltem in materiæ peccantis ſecundum minima materiali textura varia, in quâ conſtituenda, ut aliis in concretis, ita & his particulæ ſalinæ, acidæ & urinoſæ primatum obtinent, ratione quarum non tantùm chyli & ſanguinis inteſtinus fermentativus motus plus minus à naturali motu deviat, ſed etiam quilibet corporis humores mutua ſui, determinatis in locis, miſcela in diverſas & ſubinde anomales fermentationes & efferveſcentias erumpunt, unde & novæ vitiatæ craſes exinde geniti contenti tertii emergunt, adeo, ut in debito vel naturali acidi & urinoſi volatilium ſaturationis, & à pingui temperationis puncto *Sanitatis omne momentum* conſiſtere videatur.

§. 21. Atque ex his hactenus poſitis fundamentis emendanda venit, & accuratius paulò explicanda *Galenicorum de triplici Cacochymia*, biliosa, pituitoſa, & melancholica, *ſententia.* Nimirum conſideranda veniunt in corpore duo primaria contenta fluida, ſanguis & chylus, & in his particulæ iſtæ activæ, *Acidum* & *Alcali*, ceu duo inſtrumenta naturæ mechanica, cum communi omnium vehiculo ſero, ſeu latice aquoſo: Sic enim uti ex ſanguine PLETHORA derivatur, ita ex chylo PITUITA, & ex chylo vitiato CACOCHYMIA PITUITOSA, ex acido volatili oleoſo ſuo compari, alcali volatili plus minus ſaturato BILIS, ex hoc plus minus vitiato, CACOCHYMIA BILIOSA, ex acido fixo ſeu terreis particulis plus minus ſociato MELANCHOLIA, & ex hoc vitiato CACOCHYMIA MELANCHOLICA explicanda venit. Sic enim veterum experimentis, & quoad rem facti veris aſſertis, utut in explicandi modo erroneis, ſua conſtabit veritas, & etiam Chymicorum, præſertim Modernorum cum Galenicis concinnior poterit inſtitui conciliatio, & practicæ demum obſervationes & experimenta utriuſque ſectæ, probabilibus rationibus, & firmiori Theoriâ illuſtrari; Siquidem *Humores Galenicorum* quibuſdam non ineptè audiunt *Vehicula Chymicorum Principiorum.*

§. 22. Nempe CACOCHYMIA BILIOSA Galenicorum ſeu amarum Hippocratis intemperatum, ſeu acidum volat. oleoſum, alcali volatili plus minus ſaturatum, ſecundum noſtram hypotheſin (ex quibus tanquã primariis elementis bilis naturalis, ceu corporis balſamum coaleſcit) *peccabit vel in Quanto*, dum abundat, aut deficit; *vel in Quali*, dum aut nimis acre, aut minus acre exiſtit. *Nimis acre* redditur particulis ſalinis, præſertim acidis abundantibus, aut magis turgeſcentibus, oleoſis volatilioribus junctis, hinc enim ſubtilior, adeoque etiam mobilior redditur bilis ad inſtar nempe oleorum deſtillat. aromaticorum ex vegetabilibus. *Minus acre* redditur ex particularum ſalinarum volatilium defectu & oleoſitate minus volatili, ſed quaſi aquoſiore abundante, unde inertior etiam & minus activa bilis generabitur ad inſtar oleorum expreſſorum aut infuſorum ex vegetabilibus.

§. 23. Quæ vel augent, vel alterant hunc ſaporem, & inde productã bilem, ſunt imprimis aër calidus, ſubtilis, tenuis, item alimenta acria, aromatica amara, potus vini generoſi, corporis exercitium crebrius, ita amor, vigiliæ, &c. Omnia enim hæc aut copioſiorem aut acriorem aut volatiliorem bilem amaram, & ſal volat. oleoſum in corpore reddunt, ſimulque in corpore acidum imminuunt, plus minus deſtruunt, ſicuti, quæ contrario modo ſe habent, ſal urinoſum ſanguinis & bilẽ corporis imminuere, hebetare, & plus minus inertem reddere ſolent. Hinc corrigunt hoc amarũ ſeu bilioſam Cacochymiam, & quidem primum ejus vitiũ.

1. Omnia manifeſtò acida, acrimoniam volatilem infringentia, præcipitantia, ut ſunt acetum, ſuccus citri, berberum, Spiritus mineralium acidi, in ſpecie nitri.
2. Nitrum ipſum, & omnia cum, & ex nitro parata remedia.
3. Sulphurea mineralia cum nitro fixata, figentia volatilem orgaſmum, & hebetando pinguedine ſua unâ cum recondito occulto acido, ejus acrimoniam volatilem, ut ſunt remedia antimonialia fixa, v. g. antimonium diaph. Bezoart. mineral. item ſulphurea alia mineralia fixiora. Poſterius ejus vitium, defectũ ejus vel inertiam corrigunt omnia acria plus minus oleoſa augendo acrimoniam ſalinam & volatiliſando oleum aut ſalia volatil. oleoſa, omnia aromata & aromatica, abſinthium, gentiana, mentha, qua ratione, abſinthium hydropes, chelidonium majus icterum, &c. curare ſolent.

§. 24. Acidum Hippocraticum, CACOCHYMIA MELANCHOLICA veterum Galenicorum ſeu acidum fixius ex noſtrâ hypotheſi, *peccat, vel Quanto*, nimia copia, aut nimia aciditate; *vel Quali*, ſapore peregrino, vel acore quodam alieno, v. gr. vitriolico, vel aluminoſo auſtero, vel alio quodam ſapore ſingulari, non

non ſemper à priori commodè explicabili, dum aliud acidum peccat in ſcorbuto, aliud in lue venerea, aliud in dyſenteria, &c. & à quo acido in ſanguine coagulationes ejus, & grumeſcentiæ, fermentationes nunc imminutæ, nunc depravatæ; ab eodem lympham inquinante, dolores partium modò fixi, modò vagi, item exulcerationes partium, coagulationes ſuccorum in ſcirrhos, qui ex efferveſcentia facilè abeunt in cancros. Ab eodem acido ſuccum pancreaticum inquinante, tormina inteſtinorum varia, excoriationes, ab eodem in ſtomacho fames canina, pica, aſitia, &c. proficiſci ſolent, & in genere omnia ea, quæ de melancholia & atrabile aſſeruerunt veteres, mutatis mutandis optimè applicari poſſunt cum ipſa melancholia à veteribus, ſpeciatim ab Hippocrate acidus ſuccus appellari ſolent.

§.25. Cauſæ, quæ augent vel alterant hoc acidum in univerſo corpore ſunt aër frigidus & hibernus, quæcunque aſſumpta vel manifeſtè, vel occultè acida, qualia occultè acida ſunt mel, ſaccharum, carnes fumo exſiccatæ, ut & omnia aſſumpta in ſtomacho cruditate acida affecto, aut ante digeſtionem abſolutam è ſtomachi dilapſa nimis adhuc aceſcentia, item exercitium deficiens, pavor, mœror, & curæ, ætas ingraveſcens; adeoque corrigunt in genere acidum hoc,

1. Omnia urinoſa ſeu alcalia tàm fixa, ut ſal Carduib. abſinthii, quàm volatilia, ſpiritus ſalis armoniaci, Cochleariæ, &c.
2. Omnia concreta terrea & metallica, iſtud abſorbentia, aut potius invertentia, ut martialia, ſaturnina, corallia, &c.
3. Sicut etiam partes animalium duræ, oſſeæ, item marina, acidum peccans pariter corrigere ſolent, ut lapilli cancrorum, Ebur, &c.
4. Oleoſa & pinguia, quæ obtundunt & quaſi inviſcant aculeos acidi, ſive ſint expreſſa, ſeu, quod eſt melius deſtillata, ſpiritus vini, oleum caryophillorum, macis, quo & caſtorina & camphorata pertinent.

§. 26. PITUITOSA denique CACOHYMIA Galenicorum ſeu immediata chyli errata inſipidi vel dulcis Hippocraticorum, conſiſtunt in fermenti ſtomachalis vitio, vel debilitati, vel acidi nimis fixi, non ritè alimenta digerentis, unde in liquamen vel paſtam plus minus viſcidam, craſſam ac tenacem, ſæpe ex debitæ volatiliſationis defectu, acidam abeunt, unde non tantummodo cumulatur exinde præternaturalitèr cruſta inteſtinorum & ſtomachi pituitoſa, ſed etiam id quod ſanguini infunditur, ineptum eſt, ut ipſi aſſimiletur, aut partes ſolidas nutriat, unde obruuntur quaſi principia maſſæ ſanguineæ activa, hæcque craſſeſcit, ſpiſſeſcit, & imminutè fermentatur, tardeque circulatur, quin & viſcidior iſte chylus, dum in poris partium circa vaſa capillaria ſubſiſtit, viſcera inſtar ſpongiarum imprægnat & proprio acido coagulatus in ſcirrhos abit, quæ mala, eò ſunt pejora, quo acidior ſimul maſſa iſta chyloſa exiſtit: unde contumaces & chronici quàm plurimi, in ſpecie Cachectici oriuntur affectus. *Ad hanc labem diſponunt* ſtomachi fermentum debilitatum, vel vitioſè acidum fixum, cibi, vel copioſiores ingeſti, vel craſſi viſcidi, duri, piſces, pinguia, &c. Quies & ſomnus, vitáque ſedentaria, cura, mœror, &c. *Corrigunt etiam pituitam hanc*, præter evacuantia per os & alvum.

1. Attenuantia & liquefacientia, ſalina temperata, ut cremor tartari, tartarus vitriolat. ſal armoniacum.
2. Reſolventia, gummoſa, ut ſagapenum, maſtix, myrrha, in ſpecie gummi ammoniacum.
3. Aromatica, ſeu ſalina volat. plus minus oleoſa, vulgò aperientia dicta, v.g. fœniculum, angelica, abſinthium, roſmarinus, ſpiritus tartari.

§.27. Addunt his Modernorum quidam etiam CACOCHYMIAM SEROSAM, nempe communis excrementi & alimenti vehiculi, laticis ſcilicet aquoſi, hic ergo ſive deficiat, unde vitiatur cæterorum fluidorum conſiſtentia; ſive nimis abundet, unde cætera fluida nimium fluorem obtinebunt, varii affectus inde oriuntur, imprimis autem læditur corpus, ſi vitioſo ſapore inquinetur, & acrimoniâ vel ſalsâ, vel, quod pejus, ſimulque frequentius eſt, acidâ imprægnetur, exinde enim quamplurimi affectus urinarii & ex inquinata lympha glandularum, affectus catharrales originem ducunt; Nam omnes morbi, quos ex ſeroſa colluvie oriri voluerunt, vel *Piſo vel Schneiderus* optimè ex glandulis, ibique vitiata lympha deduci poſſunt.

§.28. *Altera claſſis morborum* ſecundaria, in contentis ex Cacochymia iſta natorum SUNT VITIA FERMENTATIONIS LÆSÆ, præſertim in maſſa ſanguinea, unde variæ caloris, frigoris, &c. viciſſitudines ferè dependent. Conſiderari autem poſſunt fermentationes humorum *vel abſolutè*, quando v. gr. ipſe chylus, aut ſanguis, &c. præternaturali motu inteſtino agitantur; *vel reſpectivè*, dum duo vel plures humores miſti præternaturalem impetum fermentativum concipiunt, v. gr. quando in inteſtinis chylus, bilis & ſuccus pancreaticus, vitioſè efferveſcunt, aut quando lympha ſanguini infuſa, præternaturalem fermentationem cient, & ſic porrò. In ſpecie *maſſæ ſanguineæ variis modis læditur fermentatio, nunc cum quodam exceſſu*, & periculoſa quadam efferveſcentia, cujus ſignum ſunt pulſus magnus, celer, frequens cũ inſigni utplurimũ corporis incaleſcentia, & ferè acuti inde oriuntur morbi; *nunc cum quodam defectu*, unde pulſus parvus, tardus, rarus & utplurimum tepidus corpori deficit calor, omneſque actiones torpent, ut in Chronicis præ cæteris apparet, *nunc aliis modis* eadem depravatur, unde pulſuum inſignes inæqualitates, & multæ varietates dependent, corpuſque ipſum quoad alia accidentia diverſimodè afficitur, nunc calet, nunc friget, facies nunc rubet, nunc pallet, &c.

§. 29. Omnes hæ Fermentationis læſiones materialiter, & hinc occaſionaliter ex vitiata craſi & proportione ac harmonia particularum minimarum dependent, imprimis ſalinarum (efficienter enim & formaliter à ſpiritu vitali motus iſte inteſtini primario Autore) ſive à rebus non naturalibus, imprimis aſſumptis, ſeu à vitio hæreditario, (quâ ratione ſenes generant imbecilles morboſos fœtus) ſive ab intrinſecus inſpirato aliquo peregrino fermento aut hauſto aliunde contagio fermentativo eadem oriatur: Si enim particulæ ſalinæ maſſæ ſanguineæ ab aliis non ritè contemperentur, exinde acriora reddita, violentius inter ſe concurrunt, & efferveſcunt, in febribus adentibus, pleuritide, &c. ſi verò nimis eædem contemperentur, & quaſi obruantur, quod v. g. fit à chylo crudo, nec ritè volatiliſato, qui hinc utplurimum vitioſè acidulus eſſe ſolet, imminuitur fermentatio, ut in cachexiis tàm virorum, quàm mulierum obvium eſt. Si verò iſta ſalia à debita conſtitutione declinent naturali, ita ut alterum alteri nimis præponderet, fermentatio ferè in totum aboletur, nam ab acido coagulatur maſſa ſanguinea, ab urinoſo eadem diſſolvitur, ut experimenta infuſoria probant. Si autem aliis modis, tum inter ſe, tum cum aliis particulis ſe commiſcendo, depraventur, & quaſi peregrinos ſapores conſtituant, ſcorbutus, malum hypochondriacum, Icterus &c. in promptu ſunt. Conſideranda hîc ſimul viſcerum, imprimis ventriculi fermenta vitiata, eorumque producta fluida, v.g. bilis & lympha corruptæ, quæ hujuſmodi diſpoſitiones in ſanguine aut inchoant, aut inchoatas fovent.

§.30. TERTIA CLASSIS complectitur MORBOS PARTIUM SOLIDARUM, in quibus, prout ab iiſdem læditur corporis conſtitutio ſana, duo ſunt conſideranda:

1. Materia ex qua coaluerunt.
2. Superinducta huic certæ functioni aut uſui deſtinata conformatio, quoad fundamentum Mechanica, quoad uſum, organica.

§. 31. Morbi qui partibus ſolidis ratione materiæ tribuuntur, dicuntur aliàs morbi intemperiei, à poſteriori ſeu effectu ſenſiliori deſumpta denominatione. Nam, uti ſub partium prima generatione à ſpiritu inſito particulæ materiales ſecundum minima ſpecifico modo contexuntur, ex qua diverſi ſenſiles modi in mollitie, duritie, tenacitate, colore, conſiſtentia, &c. Oriuntur, in quibus temperamentum elementale conſiſtit, quibus à ſanguine & ſpiritu tàm influo quàm inſito temperamentum vitale dictum, ſeu certus caloris vitalis gradus ſuperinducitur, quæ ipſa per nutritionem, tanquam continuatum generationis actum conſervantur jugiter; ita quando per vitiatam poſtmodum nutritionem textura iſta materialis partis plus minus vitiatur, etiam qualitates iſtas ſenſiles plus minus mutari neceſſe eſt, & ſic pars morboſa reddita cognoſcitur, atque à poſteriori, morbi intemperiei dicuntur, qui potius morbi materiæ partis ex læſa ejus nutritione nati, dicendi forent, & quidem primariò *morbi intemperiei vitalis*, attendendi ſunt, cùm hâc vitiatâ neceſſariò etiam *Morbi intemperiei elementalis* adſint.

§. 32. Cum verò nulla materia ſit ſine extenſione ſeu quantitate, cujus varia, ſecundum triplicem dimenſionem, modificatio, partis conformationem conſtituit, quæ organica dicitur, quatenus ab hac materia habet, ut inſtar inſtrumenti ſeu organi uſui certo inſervire poſſit, ex læſione conformationis talis ſecunda claſſis morborum partium ſolidarum, nempe Morbi Organici oriuntur. Conſiderari autem poteſt pars ita organiſata vel abſolutè vel reſpectivè, quatenus refertur ad ſuum totum. *Pars organica abſolutè conſiderata* triplici modo in conformatione, morboſa redditur, ſecundum tres nempe dimenſionum differentias, aut enim *vitiatur longitudo* ſecundum lineam rectam, aut curvam, unde ratione lineæ rectæ pars longior, vel brevior, ratione lineæ curvæ, pars vitioſè figurata redditur; Aut *vitiatur latitudo*, unde pars vel craſſior, vel tenuior; vel *vitiatur profunditas*, quæ vel ſolida, vel plus minus poroſa, unde cavitatum & meatuum morbi, ad quos imprimis obſtructiones pertinent. Quod ſi verò *pars organiſata conſideretur reſpectu totius*, ad cujus integritatem requiritur corporis, oriuntur Morbi Compositionis dicti, quando nempe cohæſio mutua, & conſequenter debitus partium ad ſe invicem ſitus tollitur, unde ſunt hi morbi vel in vitiato ſitu, vel in vitiata unione, qui aliàs Morbi solutæ unitatis audiunt.

§. 33. Dictæ partes, quocunque modo conformatæ, neceſſarium ad ſe invicem nexum ſeu unionem & cohæſionem etiam requirunt, unde etiam debitum ad ſe invicem ſitum ex connexione iſta acquirunt. Quod ſi igitur vitietur iſte nexus, oriuntur morbi compoſitionis, quando nempe cohæſio mutua, & conſequenter debitus partium ad ſe invicem ſitus tollitur. Ad hos morbos compoſitionis, etiam morbi ſalutæ unitatis dicti pertinent, ſive ſint vulnera, ſive ulcera, ſeu luxationes, ſive fracturæ, &c. ut ita tres ſint morborum partium ſolidarum differentiæ, nempe morbi intemperiei, conformationis, & morbi compoſitionis.

§ 34. Intemperiei morbos quod attinet, temperiem vitalem læſam primariò, elementalem ſecundariò ſaltem conſideramus, cùm elementalis temperatura ſine vitali immutari aut vitiari nequeat, quia textura partium materialis, & inde nata temperies elementalis à ſpiritu inſito ſub generatione & nutritione, illam conſtituente & vi balſamica partem conſervante, dependeat; unde nec lædi illa, nec læſo prius plus minus ſpiritu influo poterit, cujus læſi occaſione nutritio vitiatur, unde variæ qualitates mutatæ in temperatura exſurgunt, ſicut extincto illo ſpiritu, partis gangræna, & per putredinem omnimoda diſſolutio præſto eſt. Intemperiei ergo vitalis morbi, ſunt vel univerſales, vel particulares, Illi à ſpiritu & ſanguine influo, in temperaturâ vitalis, originem ducunt, & ad morbos humorum pertinent. Particulares verò à ſpiritus inſiti vitio, hinc & partis nutritione vitiata originem ducunt. illius exemplum ſuggerunt imprimis febres, hujus verò v.g. brachii debilitas, atrophia, frigus, & ad quaſvis aeris mutationes, ſenſilis alteratio, à vulnere olim graviori accepto.

§. 35. Oſtendunt hæc, quid de inæquali viſcerum intemperie habendum ſit, dum nempe intemperies ſtomachi frigida, & hepatis calida, in ſcholis quam plurimorum morborum focus & origo habeatur. Nam quoad *univerſalem intemperiem* eſt revera talis inæqualis intemperies. Non-Ens, quia non viſcerum tẽperies æqualis omninò dependet à ſanguine, & ſpiritu vitali influo, qui æqualiter per ſua vaſa juſtitia diſtributiva in partes effuſus, & circumdatus ipſis debitam largitur temperiem, unde eodem æſtuante in cauſo & totum corpus ardet, eodem verò deferveſcente in ſenibus totum corpus ſimiliter tepet, unde & piſces ad tactum frigent, dum ſanguis eorum & cor actu in iis viventibus frigeant, non minus quàm in ranis. Quoad *particularem verò intemperiem* equidem debilior una pars eſt altera (*) ratione ſpiritus inſiti, pro cujus ratione etiam intemperies vitalis à ſanguine & ſpiritu influo in parte iſta plus minus recipitur, unde etiam functionum defectus, ſubinde etiam earumdem aberrationes cõtingunt ſed formalis in operationibus aut proprietatibus contrarietas, ſive viſcerum Antipraxia, & intemperiei inæqualitas, neutiquam obſervabilis eſt.

(*) Equidem obſervatur ſubinde pars quædam intenſius calere & æſtuare, è contra alia magis tepere, & debilior exiſtere. Quod poſterius Robur partium inæquale vocat Helmont. v. gr. ex ſpina infixo digito, vel Eryſipelate, Mammarum, partes hæ præ alia parte compari, intenſius æſtuare obſervantur, exaltatiori Spiritus inſiti & influi mota, ratione doloris & læſionis concitato: Ex oppoſito verò manus, v. gr. in carpo vulnerata gravius, conſolidata licet, ad Atrophiam tamen ferè deflectit, minus calida minuſque activa præ alterâ manu obſervatur, ob ſpiritus inſiti contractam debilitatem. Adſunt hic inæquales ſimilium partium intemperies non (tamen propriè dicta Contrarietas, vel Atrophia: In ſpecie, quando de robore inæquali partium loquitur Helmont, non intelligendum eſt Robur mechanicũ & organicum, quod per Atoniam vitiatur, ſed Robur vitale, ſeu vegetativum, dum ſpiritu partis inſito læſo, Vegetatio ſeu Nutritio, & in ſtatu ſano conſervatio partis plus minus imminuitur, unde reſpectu alterius partis nutrimentum minus promptè aſſimilat, excrementa genita minus excludit, minus etiam calere obſervatur facilius per tempeſtatum mutationes alterari aſſolet.

§. 36. *Inæqualis* autem iſta *putata intemperies*, ſtomachi nempe frigida & hepatis calida revera *nihil aliud eſt, quàm depravatio fermenti ſtomachici*, qua iſtud nimis acidum, nec ſatis volatile exiſtit, ſæpius cum muco, vel materia viſcida in ſtomacho & inteſtinis ſtabulante junctum. Tales namque ægri conqueruntur (1) de Ructibus acidis. (2.) Laborant Apepſia, ſeu digeſtionis defectu. (3.) Acida eos lædunt. (4.) Quæ evomunt cum levamine vel per artem, vel per naturã, ſunt acida, aquoſa, & viſcida (5.) Medicamenta, quæ hæc mala curant, ſunt vel, quæ acidum abſorbent, ut martialia & ſaturnina, vel quæ idem corrigunt, & immutant, ut ſalia tàm fixa quàm volat. & ex vegetabilibus amara, v.gr. ſal abſinthii, ſpiritus ſalis armoniaci, aromata. Nam licet dicantur talia vim habere calefaciendi ſtomachum, hoc tamen falſum eſt, nam operantur tantum per ſalſum volatile & acre, quod nec calidum nec frigidum eſt in ſe, ſed tantùm per appropriationem in noſtris partibus ab iis exſuſcitatur. Nam ſanguis æqualiter circulatus per ſua vaſa & viſcera omninò partibus debitam ſic dictam intemperiem largitur, diſtribuitur ergo tam in ſtomachum, quàm hepar, & non impeditus eodem modo, proportionaliter tamen calefaciet ventriculum quàm hepar, unde viſcera hæc in proportionatâ conſiſtent temperie.

§. 37.

§. 37. Quoad conformationis organicæ læſiones, ſeu morbos attendendum eſt ad Organi operativi partem, ſeu ſubſtantiam fundamentalem, & huic conformationem mechanicam ſuperinductam; Illa ſunt fibræ, hinc atonia commune malum, quibuſvis partibus Organicis, h. e. deficiens tenſio & robur, de quo tamen apud Autores altum eſt ſilentium. Cùm enim omnes ferè partes, in ſpecie nerveæ, conſtent fibrillis nerveis, earum ſubſtantiæ diverſimodè intertextis, quarum tenſione & retentiones & propulſiones humorum fiant; quas aliàs facultatibus, attractrici, retentrici & expultrici adſcribunt, & ipſæ partes certum robur & firmitudinem obtineant, quæ tonus partium vulgò dicitur: ita ſi fibræ iſtæ à tenſione remittantur, pars Atonia laborat, ejuſque robur perditum eſt, eaque flaccida & mollis ad quamcunque motionem obeundam inepta exiſtit, v. g. Tono ventriculi, h. e. fibrarum ejus laxato, ſeu læſo, ingeſta cum ſonitu, tanquam in vacuam lagenam decidunt, eaque non rarò leviter aut nullo modo immutata non tantum expelluntur per inteſtina, quàm ſponte in eadem dilabuntur, imprimis ſi liquida. Tono muſculorum brachii ſeu fibrarum eorum laxato, aut læſo, molle pendulum & ad motum ineptum obſervatur brachium.

§. 38. Atonia hæc diverſas habere poteſt cauſas, præ cæteris eſt nimis *Violenta partis extenſio*, qua fibræ nimis extenſæ, & quaſi nonnihil laceratæ in naturalem tonum redire nequeunt, verbi gratia ex nimia coacervatione & diuturniore urinæ interdum læditur ejus excretio, quia fibræ veſicæ nimis extenſæ ſe contrahere nequeunt. Dein, eſt *Spirituum animalium defectus*, à quorum copia & expanſione, ſeu vi elaſtica ſpatiola fibrillis interjecta aliàs repleta & expanſa in continua tenſione fibras conſervant, vel tandem eſt *nimia fibrillarum*, à ſero ſanguinis ſeu ſuperflua lympha, aliove tenui humore *humectatio*, quâ fibrillæ flaccidæ & laxæ fiunt, minuſque contrahibiles & tenſiles.

§. 39. Inter conformationis organicæ læſiones præ cæteris frequentes admodum numerantur obſtructiones & oppilationes tàm in ſchola Galenica quàm Paracelſica, illa accuſante pituitam craſſam, aut humorem melancholicum, hâc verò tartarum diverſimodè coagulatum. Sed ſi rectè rem penſitemus, tales obſtructiones Meſenterii, Epatis, Lienis, Pancreatis, & inde ortæ humorum ſtagnationes, ac putredines, quæ tantum non omnium morborum, in ſpecie febrium, tàm intermittentium, quàm continuarum, mali hypochondriaci, cachexiarum, Icterorum, &c. ſtatuuntur cauſæ ſæpius ignorantiæ ſunt Aſyla: Unde etiam non pauci Practici dubitant valdè, an revera dentur tales viſcerum, imprimis Meſenterii obſtructiones, de quo *vid. Hœfer. in Hercule Medico p.139. item Horſt. obſervat lib.4. pag.239.* 240. aut ſi reperiantur nonnunquam, an eædem adeò ſint frequentes. In iis certè vaſis & viſceribus, quæ continuus liquorum tranſitus alluit, v. gr. venis & arteriis, vaſis lymphaticis, item hepate & liene, &c. Obſtructio talis fieri nequit, ſine liquoris contenti reſtagnatione & collectione, indeque partis tumore, vel laceratis vaſis liquoris contenti extravaſatione, quæ duo, Tumor & Extravaſatio Obſtructiones veras neceſſariò inſequuntur. Obſtructis his ſanguifluis vaſis, indeque ſanguinis impedito motu, plus minus inflammatio partis accidit, impedito autem, tali obſtructione, lymphæ motu hydropes particulares, v. g. hydrocephalus hydrocele ſunt in promptu.

§. 4. Interim non negandæ univerſaliter, Obſtructiones, ſed abuſus tantùm rejiciendus, & ſuperſtructis iis falsò morbis aliud inveſtigandum fundamentum, & in quibus repertæ interdum obſtructiones, non tàm radix ſunt talis morbi, quàm potius productum. Nam & ductus Choledochus non minus quàm Pancreaticus ſæpius reperiuntur infarcti, tubuli renum itidem à calculo aliove ſubjecto ſubinde ſunt oppleti, lactearum oſcula, ubi hiant in inteſtina, obſtructi cæliacum dant morbum. Meſenterii quoque obſtructionum exempla recenſet *Horſt. l. c. p. 240.* & Scirrhi, idem ſcrophulæ eandem agnoſcunt originem dum ſcilicet in porulis viſcerum aut partium circa capillaria vaſa humores quidam crudi ſtagnant, unde viſcera ſenſim intumeſcunt, & inſtar ſpongiarum inflantur, qui viſcidi tumores ſucceſſivè indurati, in ſpecie ex acore vitioſo, eos utplurimum imprægnante & coagulante, tumores tales duros & tactui renitentes conſtituunt, qui in ſanguineis partibus ſcirrhi, in ſpermaticis nodi & tophi, in glandulis ſtrumæ ſeu ſcrophulæ appellantur.

§. 41. Quid autem de morbis ex obſtructionibus vulgò derivatis habendum ſit, malo verbis Lindani *in Collegio privato M. S. ſuper Hartmanni Praxin pag.166.* §. 2. 3. declarare, qui ita inquit: *Credite hoc mihi, (faciet hoc praxis videre,) illi morbi & vitia, quæ paſſim attribuuntur obſtructionibus meſenterii, ſunt revera affecta ventriculi imbecillis & non bene habentis, laborantis cruditate vel corruptione, imprimis ſæpius in hoc caſu acida. Revocate hoc ad animum, qui praxin aggredimini. Utinam hoc Medici diſcerent, ut, poſtquam tot purgationibus nihil profecerunt, cogitarent, non eſſe obſtructiones meſenterii; dein poteſtne aliquid magis inſanum eſſe, quàm velle tollere obſtructiones purgantibus, quomodo enim intrare aut remeare poſſunt per vias obſtructas? Præterea in cadaveribus nunquam reperietis meſenterii obſtructiones, niſi ſimul ſcirrhum, & corpus longitudine morbi emaciatum. Ubi tetus ſanguis mirè corruptus, ſcirrhum meſenterii & obſtructionem generat, quid igitur purgantia poterunt? Corrigite, roborate, ventriculum, & corrigetis omnem putatam obſtructionem, tolletis omne malum. Natura cautè ſatis providet, ne vaſa meſaraica poſſint obſtrui, ſcil. accuratiſſimè filtrando chylum per filamenta bombycina, unde videmus chylum per venas lacteas inſtar lympidæ aqueæ materiæ tranſire; at verò quomodo ibi fieri poterit obſtructio, præſertim cum pateat, minores ramos deſinere in ampliores, atque obſtructio metuenda, ubi ex majori in minus vas defertur. Ergo tales obſtructiones, affectus melancholicos, hypochondriacos, &c. curo, curato ventriculo.* Hactenus Lindanus.

§. 42. Fuerunt hæ eſſentiales Morborum Differentiæ, conſiderandæ etiam Accidentales, à circumſtantiis variis deſumptæ. Has inter, ratione afficiendi modi ſunt morbi contagioſi dicti, item epidemici. Ad fermentativos humorum morbos hi ipſi contagioſi & epidemici pertinent, qui ab effluviis fermẽtativis cum maſſa ſanguinea, aliiſque contenti permiſti, ſuamque ibi tragœdiam ludentibus perficiuntur. Contagioſi quidem ſi ab alio ægro procedat iſtud fermentum, ſimilem fermentando inducens ægritudinem: Epidemici verò ſi iſta effluvia, vel cum aëre inſpirata, vel cum alimentis ingeſta fermentationes vitioſas inducant. *Conf. Sennert. lib.4. de Febribus c. 3.* ubi de Contagio. *Contagium* (*) enim eſt inſtar particulæ fermenti in panificio, quod à fermentante farinacea maſſa deſumptum, alteri farinaceæ maſſæ additum, eam fermentat. *Miaſma* vero epidemicum eſt inſtar effluviorum florentis vitis in agro, à quo vinum in cellis contentum turbatur & fermentatur.

(*) Contagium revera nihil aliud eſſe videtur, quàm ſpiritus vitæ vel inſitus vel influus morboſè vitiatus & alteratus, à quo in alio ſimili ſubjecto ſimiles etiam alterationes inducuntur. Eſt enim contagium ſub minima mole, ſummè activum, & tamen ſaltem ſimilis ſpecie ſubjecta, eaque imprimis conſanguinitate juncta afficit, omnium fugit ſenſus, & ex effectus atrocitate ſaltim ſe manifeſtat. Non ergo craſſiori materiæ moli, ſed ſubtiliſſimo ſubjecto, adeoque ſpirituoſæ materiæ, vis contagioſa adſcribenda, & cùm tam inſigniter in ſimilis tantum ſpeciei ſubjecta operetur, intimæ ſimul admiſſionis, & propter certam cognitionem cum vi-

talibus talium ſubjectorum unionis exiſtit, adeoque in radice cum iis conveniens. Ergo in omni morbo contagioſo præter fermentum ſeu ſeminium morboſum, in ſpecie ſpiritus vitalis vel influus vel inſitus, ceu illius ſubjectum proximum conſiderandus, nam ratione hujus ſaltim non ſolum contagioſus eſt morbus, ſed etiam exinde eſt, quod tale contagium tantum ejuſdem ſpeciei animalia afficiat, non autem alia, v.g. Dyſenteria caſtrenſis ſeu militaris, homines ſaltem, non canes, non equos affligit, in peſte, v.g belluina brutorum certa ſpecies perit, hominibus nihil tale ſentientibus. Quod ſi fomentum malignum ſpiritui vitali inſito inhæſerit cujus effluvia ex determinata parte vel immediatè ſub inſenſibili tranſpiratione, vel mediatè, cum excrementis quibuſdam emanant, adeoque ad hanc potius, ratione ſpiritus inſiti affecti, quàm ad aliam partem determinata ſunt, ſit, ut etiam contagium tale non promiſcuè quaſvis, ſed ſaltem certam quandam partem ſpecialem affligat. Sic v. gr. Contagium ſaltem inteſtina in Dyſenteria, Fauces in Agina contagioſa, & cutem in ſcabie, non alias partes afficit. Secus ſi ſpiritui influo ſocietur ſeminium morboſum, tam in genere etiam à contagio vel ſpiritus influus, vel maſſa ſanguinea inquinatur, & ſic non particularem, ſed univerſalem morbum infert, ut in variolis, febribus petechialibus, atque ſimilibus malignis affectibus eſt evidens. Ut fiat res clarior, in Dyſenteria contagioſa contagium malignum in ſe acidũ volat. acerrimum, ſpiritui vitali inſito inteſtinorum, cujus portiones quædam cum excrementis excluduntur, ſociatum, in alio corpore humano ab ſymboliſſimum eſſentialem facillimè ſibi ſimili inteſtinorum ſpiritui aſſociabit, & etiam dyſenteriam inferet, itaque morbum contagioſum particularem conſtituet. In variolis verò à fermento contagioſo afficitur ſpiritus influus, hinc morbus totius corporis univerſalis exſurgit, & tàm internæ quàm externæ partes conſpurcari ſolent, cùm ex oppoſito in ſcabie, quia ſaltem ſpiritus inſitus cutis afficitur morbus particularis enaſcitur, in quo tantùm cutis & nullæ aliæ partes afficiuntur.

§.43. *Miaſmata* hæc morboſa ut varii ſunt generis *de ſalium tamen natura multum participare*, eaque eſſe texturæ ſalinæ, multa perſuadent, adeo, ut ob id etiam ad ſalia volat. eadem reducat *Simon Pauli de febribus malignis*. Non tamen omnia ejuſdem erunt naturæ, ſeu conditionis, quin potius quædam de acido volat. acriori, ut in febribus peſtilentialibus, poſt magnas clades, ex cadaverum putredine exhalantia, quædam de acido ſpecifico, v.g in dyſenteria epidemica, variolis, lue venerea, &c. participare videntur. Fermenta hæc morboſa non ſunt ejuſdem poteſtatis, quin unum citius & potentius, v.g. in febre maligna, alterum tardius & debilius, v.g. in lue venerea aut ſcabie, ſe exſerit: Quin etiam haud æqualiter omnes afficiunt ſed hunc magis, illum minus. Diverſitatis ratio inter alias non eſt ultima, convenientia ſubjectorum quoad craſin in maſſa ſanguinea, hinc enim eſt, quod inter Conſanguineos ſimilitudo Craſeos, ſeu conſtitutionis ſeminalis aptiores eos reddat, ut facilius unus ſuſcipiat alterius morboſum effluvium. Singula hic quidem obtinet rabies canina, cujus contagium ad aliquot annos in corpore latet poſt morſum ſepultum, ſed etiam quod ipſum adjuncta quadam Ideâ contagioſa Archeum in mores caninos tranſplantare videtur. Pertinet huc etiam Tarantiſmus, cujus morboſa ſemina toto omni tempore latentia tantummodo eo tempore evigilant, & ſe exſerunt, quo æger à tarantula primò demorſus fuit.

§.44. *Ratione partis affecta* vel per eſſentiam vel per conſenſum morbi oriri & afficere dicuntur. *Per conſenſum* una pars ab altera affici, ſeu morboſa reddi dicitur, quando unâ parte aliquid præternaturale ſentiente, alia etiam ſentit, atque idem aut diverſum quid patitur, unde ſympathia etiam dici conſuevit. *Fundamentum hujus conſenſus conſiſtit* in connexione partium nervoſarum, *ſeu continuæ* eædem ſint, quâ ratione in imminente vomitu tremor labii inferioris contingit, quia integra membrana in ſtomacho, gulæ & oris cavo, ipſiſque labiis continua eſt; *ſeu contiguæ*, qua ratione, qui ſtranguria laborant, ſæpius etiam ad alvum exonerandam ſtimulantur; *ſeu per nervorum tantum intermedios funiculos conjuncta*, quâ ratione dolores renum ex calculo comitantur tormina ventris, vomitus, dyſuriæ, &c. ob nervulos ex plexu meſenterii communi ad omnes has partes derivatos, iſto ergo reali nervo plexu viciniore ex dolore in convulſivas criſpationes irritato, reliqui ex eodem plexu ſimiles convulſiones patiuntur: Sunt enim nervoſæ partes, quæ propriè conſentire dicuntur, quoniam earum ſtructura eſt talis, ut inſtar chordarum vel membranarum tenſarum ſpiritibus animalibus imbutarum hinc inde ſint contextæ: Unde tali chorda & membrana in altera extremitate compulſa vel illiſa, tàm ex continuitate tenſionis, & hinc fibrationis, quàm rapidiſſima ſpiritus animalis in parte impulſa agitatione & motione, ſecundum partis talis nervoſæ continuitatem aut contiguitatem omnis iſte connexus & contextus ſimiliter movetur. Hinc punctis cerebri membranis ſubinde totum corpus paroxyſmo epileptico convellitur, & irritata intima narium membrana, thorax convellitur, unde ſternutatio, ob nervorum ad membranam hanc tendentium cum nervis intercoſtalibus connexionem.

§. 45. Sunt hi veri partium conſenſus, quodſi verò fiat, ut per ſanguinis circulationem excrementa vitioſa ex una parte in aliam transferantur, & ita poſterior afficiatur, non poteſt priore conſenſus appellari, ſed eſt Metaſtaſis materiæ morbificæ, & morbus per *δευτεροϖάθειαν*, non per *συμϖάθειαν*. Quædam aliæ alterationes huc etiam pertinent in corpore obviæ, ac conſenſus vulgò vocatæ, cum vel ex alterata tota maſſa ſanguinea, vel ex imaginatione, indeque vario ſpirituum motu, vel alia ratione dependeant. Pertinent huc, v.g. conſenſus ſic vocatus teſtium, cum pulmone & aſpera arteria, nam & tuſſis pulmonum in tumorem teſtium non rarò mutatur, & ex teſtium virilitate inſpirata ſub pubertatis annis alteratur arteria trachea, dum vocem graviorem & magis ſonoram reddit. Epithema ex ſucco ſempervivi majoris cũ aceto & vitriolo teſtibus applicatum, fortiſſimam etiam citò diſſipat; Simile epithema hepati admotum hæmorrhagiam narium ſiſtit. Pedis plantæ refrigeratæ ambulando ſuper lapideum pavimentum, aut alvum laxat, aut ventris tormina inferunt, quibuſdam caput dolere faciunt.

§.46. RATIONE PRIMI ORIGINIS *Morbi ſunt vel connati, vel adventitii.* Connatos inter morbos primatũ obtinent hæreditarii ſic dicti, ſeu à parentibus talibus affectis in liberos tranſplantati morbi, qui tantum ſunt iſti, qui fixas habent radices, chronicique ſunt, & difficulter curabiles, v.g. Lithiaſis, Arthritis, &c. Quod horum cauſam attinet, ea non minus in obſcuro adhuc poſita eſt, quàm ipſa generationis ratio. Nam materiale aliquod fermentum, aut quidam (ſecundum Paracelſiſtas) morboſus tartarus, aliudve in ſemine ſanguineque reſidens materiale horum morborum cauſa eſſe nequit, quod nihil materiale poſt coitum in utero remanere ſoleat, aut, ſi quod remaneat, quâ ratione ad adeò determinatam partem dirigatur, ut lithiaſeos ſeminarium renibus, podagræ articulis infigatur: Aut ſi tale aliquod eſſet fermentum materiale, cur non pater, v. g. nodoſus ex podagra ſimiliter generat filium, in cujus articulis jam coagulati eſſent ſimiles nodi. Adhæc ſimiliter per lac nutritium hæreditarii ſimiles infunduntur morbi, quale exemplum de Lithiaſi à nutrice in infantem tranſlata, *vid. Helmont. tract. Infantis Nutritio ad vitam longam.*

§. 47. Hic ergo *Helmont*: uti in aliis morbis, *ad Ideas ſuas dilabitur.* Mens ejus hæc eſt: Cum morbi parentum Chronici, v. gr. Podagra, graviter afficiat eorum ſpiritus hinc ex dolore, vel alia ratione in his producitur character idealis iſtius affectus, quæ morbi idea, in ſpiritu characteriſata, in generationis actu unâ cum ideis naturalibus traducta cauſa ſit morbi, hinc tandem ſubnaſcentis hæreditarii. Satuit enim *Helmont*, latere morbum à parentibus traductum characteraliter in Archeo ſeminali, cujus ſigillum in ſemine parentum antea depictum ſub ſua dierum maturitate erumpat, ſigillatus hic in ſpiritu ſeminali character tamdiu dormit, & ſui maturitatem

exſpectat

exſpectat, donec à cauſà occaſionali quadam expergeſiat, ſuaſque jam olim conceptarum explicet Ideas. *vid. Helmont. Tract. Inventio Tartari.* §. 21. *item Morbi Archeales* ; §. 15. *item Volupe viventium.* §. 7. 8. *&c.*

Cui idealis hæc hypotheſis paulò obſcurior videtur ; hoc modo hæreditarios explicet morbos, quod nempe morbi hæreditarii conſiſtant in Spiritu Influo Patris ab inſito cujuſdam Patris, diutius morboſæ alterato, & in craſi ſua facilè degenerabili facto, qui per generationem à parentibus communicatus, & ex parte ſub formatione fœtus partibus implantatus ; tandem ſucceſſivis mutationibus in præternaturali iſta alteratione olim concepta magis magiſque intenditur, & exaltatur, donec ſimilem, ac in parentibus morbum inducat.

§. 48. Ratione conditionis certæ Cauſæ morboſæ, *Morbus vel Malignus, vel Benignus* dicitur. Malignum in ſenſu medico id dicitur, quod apparenter quidem, & quoad externa ſigna, aut externam formam non adeo malum videtur, utut in ſe ſit peſſimum, & quod vitæ periculum minatur, quâ ratione idem cum venenoſo erit. Vitæ periculum minatur malignum, vel repentina Symptomatum truculentia, vel ſubitanea virium, ſine cauſa manifeſta, proſtratione. Vires has, quæ proſternit, ſunt vel animales, vel vitales. vel utræque ſimul, vel ſpiritum Animalem, nervorumque ſyſtema ſimul; vel utrumque afficit, adeoque non eadem malignitatis, in quibuſvis morbis malignis vel venenoſis, eſt ratio, aut conditio, tàm ſubjecti primò patientis, quam ſymptomatum hinc enatorum varietate. Alia enim ratio eſt dyſenteriæ malignæ, alia variolarum, alia peſtis, alia purpuræ puerperarum, alia morſus canis rabidi, &c. Unde pro affectuum varietate & ſymptomatum ubique diverſitas emergit.

§. 49. Speciatim *Febrium Malignarum* cæteris morbis frequentiorum, quod attinet rationem, earum *natura admodum adhuc eſt intricata* ; ſive enim ſingularem putredinem ſeu ſanguis coagulationem, *ut VVilliſius de febribus*, ſive ejus nimiam diſſolutionem ab alcali volat. acerrimo factam, ut vult *Sylvius in praxi, ubi de febribus malignis, item de peſte*, ſive verminoſam putredinem, velis avere, ut *Hauptimannus & Langius*, nunquam tamen rationem exacte illarum explicare poteris, adeo abſtruſa adhuc earundem nocendi eſt ratio. In genere tamen *in febribus malignis* maximè fere *laborare videntur ſpiritus*, nunc quidem magis *vitales cum maſſa ſanguinea*, unde cum ſubitanea virium proſtratione pulſus frequens, celer, parvus obſervari ſolet, corpore adhuc ad ſudorem diſpoſito; nunc vero *ſpiritus animalis, nervoſumque ſyſtema* à malignitate, afficiuntur, unde Agrypniæ, Deliria, convulſiones, cum omnimodo ferè ſudoris defectu affligere ſolent, ita, ut cauſa febrium malignarum in deſtructione ſpirituum influorum conſiſtere videatur.

§. 50. Tempora, ſeu potius *gradus morborum* in febribus & quidem præſertim acutis, ſpecialius obſervandi, prout nempe iiſdem exaſperantur ſenſim, ſenſimque remittunt, à gradibus dependent fermentationes in ſanguine, quam & ſequuntur ſymptomata vel immediate, & unde coctionis ſigna in ſalutaribus, cruditatis verò in lethalibus ſe manifeſtant. *Confer. Kergerus de fermentatione ſect.* 2. *c.* 5. *ſect.* 3. *cap.* 3. Eſt enim coctio excrementorum morbificorum per fermentationem in ſanguine facta ſeparatio, vel præcipitatio inſtar fœcum vini per fermentationem ex eo ſeparatarum, & præcipitatarum. Quorum excrementorum ſeparatorũ pars à latice aquoſo abſorpta & per urinam excreta in fundo Matulæ ſedimentum exhibet coctionis factæ ſignum.

§. 51 Hæc morborum tempora regulam & occaſionem monſtrant legitimæ Praxeos. *Aphoriſmus enim Hippocratis ſect.* 1. *num.* 22. non tantum de purgantibus ſed quacunque evacuatione ſenſili etiam per urinas & ſudores intelligendus. Uti enim natura in ſtatu demum per coctionem factam ; criticas ſuas evacuationes inſtituit, ita & medicus circa principium & incremẽtum præcipitantibus imprimis, circa ſtatum verò ſudoriferis aliiſve evacuantibus inſiſtere debet.

§. 52. Inter Res præternaturales ſuperſunt adhuc Symptomata quo nomine nihil aliud intelligitur, niſi accidentia, quæ læſam partium conſtitutionem ex morbo, tanquam umbra ſuum corpus inſequuntur : Adeoque à morbis ſaltim vel immediate, vel mediate dependet. Sunt in triplici diffentia,

1. Symptomata actionum læſarum, actionis nempe vel abolitæ, vel immutatæ, vel auctæ, vel depravatæ, quas actionum læſiones inſequuntur.
2. Symptomatum Claſſis, nempe ſymptomata in excretis, ut &
3. Claſſis Symptomatum in qualitatibus mutatis. Non enim niſi ex læſis actionibus, ſpeciatim digeſtionibus & hinc vitiatis diſtributionibus vitia in excretis, aut mutatæ corporis qualitates oriri poſſunt.

CAPUT III.

DE CAUSIS MORBORUM

§. 1 Circa *cauſarum morboſarum* conſiderationem *differentiæ* earum probe *conſiderandæ* ſunt

1. *Ratione Cohæſionis* cum effectu *cauſa morbi* eſt vel *immediata*, ſeu proxima, vel *mediata* ſeu remota.
2. *Ratione coexiſtentiæ* cum corpore patiente eſt vel *externa* vel *interna*, & utraque in ordine cohæſionis cauſarum cum effectu eſt.
3. Vel *fortuita* ſeu cauſalis, vel *neceſſaria* ſeu naturalis.
4. *Neceſſariæ* hæ ſunt vel *Res naturales*, vel *nonnaturales*, vel *præternaturales*, quas inter præternaturales eminent, præſertim contentorum, ſeu humorum vitia. *Proxima cauſa dividitur* porro.
5. In efficientem, formalem & materialem : *efficiens formalis* eſt ſpiritus, impetum faciens, actionum ut ſanarum ita & morboſarum autor, adeoque cauſa proxima. *Efficiens materialis* eſt materia quædam vitioſa, quocunque modo peccans, ſpiritum, impetum facientem irritans, & ad morbos provocans : Stylo Helmontiano cauſa occaſionalis dicitur, v. g. in dolore dentis efficiens omnium ſymptomatum eſt ſpiritus, impetum faciens, cujus ratione pars ſentit ac dolorem percipit. Materialis verò ſeu occaſionalis eſt acidum in radice dentis hærens.
6. Materialis hujus cauſæ reſpectu eſt cauſa porro vel *conjuncta*, vel *antecedens* vel *Procatarctica*, prout nempe plures mutua conſecutione tandem unam cauſam materialem conſtituunt.

§. 2. In ſpecie jam rerum illarum, quæ ſub cenſum cauſarum morboſarum veniunt, nocendi artes conſiderabimus. Has inter primò ſe offerunt res fortuitæ, eæque omnes externæ, fortuito caſu & per violentiam nobis occurrentes, quas inter imprimis ſunt eæ, quæ unitatem partium, mutuamque cohæſionem tollunt, adeoque vel contundunt, vel vulnerant, vel erodunt vel adurant, &c. Omnia hæc, etiam ipſa vulnera ſpontaneo naturæ motu reſtituuntur, modò impedimenta removeantur ; quæ ſunt alimenti roridi & ſanguinis ſuperinductæ in crane læſa alterationes, & ſucceſſivæ corruptiones, præſertim in vulneribus ab aëre ambiente obortæ ; Quas inſeparabiliter comitatur acor vitioſus ex iſta corruptione natus. Hic vitioſus acor omnem ludit tragædiam, totuſque ſpiritui vitali ſalſo balſamico, partiſque conſervativo hoſtilis, in-

ſtar fermenti peregrini partis affectæ alimentum proximum multivarie alterat, illudque in pus, ſaniem & Ichores transmutat, unde tandem ulcera depaſcentia emergunt, fermento hoc corruptivo acido in vulneris & inde nati ulceris labiis continuo ulterius ſe multiplicante & ſerpente.

§. 3. Modo ergo vel præcaveatur, vel jam inducta ſubitò corrigatur, vitioſa iſta aciditas per remedia vel balſamica dicta, ſeu alcali temperato & oleoſo conſtantia, vel metallica fixa, omne vitioſum acidum ſucceſſive delentia, recentes læſiones, ac vulnera citra ſuppurationem omnem, inflammationem & tumorem facile coeunt, & ulcera omnia ac abſceſſus iſtis optime mundificata, nova carne facile replentur. Hinc enim ſuccus Nicotianæ aut Plantaginis & Terebinthina, vel Balſamus Peruvianus, vel oleo Momordicæ, vel qui reliquis præfertur Balſamus Copaiva, recentia vulnera ſubito ad conſolidationem perducit. Hinc Colcothar vitrioli abſorbendo acidum, omnem vulnerum & ulcerum corruptorem tollit; hinc ſaturnus ulcera, eorumque dolores ac inflammationes curat, acidum omne ſui attactu dulcificans & aluminoſam adſtrictionem inde acquirens, hinc ceparum ſuccus, aut cum eo dilutus ſapo venetus, aut cancrorum, fluviat: ſuccus ambuſtis, virtute alcalina, acidi colliqueſcentis partes ſolidas, deſtructivâ, reſiſtunt.

§. 4. Sequuntur has res fortuitas, res magis neceſſariæ, & quidem primò Res Naturales dictæ, quales ſunt ætas, ſexus, temperamentum, primariò Idioſyncraſia uniuſcujuſque hominis, ſive hæc connata, ſive adventitia fuerit, ad illam pertinent iſta omnia, quæ ratione conſtitutionis ſeminalis parentum, hæreditario jure quibuſdam eveniunt; ad hanc vero pertinent tàm, quæ ex conſuetudine diuturna, & hinc ſucceſſiva facta quarundam partium alteratione reddita ſunt corpori naturalia, quam quæ ex ſubita quadam alteratione eidem ſingularem diſpoſitionem inducunt; *Prioris ratione* ex ſucceſſiva ſpirituum & ſuccorum alteratione, uxoribus quibuſdam Ambræ & Moſchi Odore hyſterica pathemata excitantur, quem tamen virgines optime ferre poterant. *Poſterioris ratione* non pauci ex terrore ſubitaneo Epileptici redduntur, ita ut levi accedente terroris occaſione Paroxyſmi redeant. Idioſyncraſiæ hæ ratione ſubjecti variant, & nunc in ſanguine, vel alio quodam contento naturali, nunc in ſolida quædam parte, (id quod fere ratione ſpiritus inſiti accidit,) radicaliter hærent.

§. 5. Succedunt his Sex Res Non Naturales, ita dictæ ex eo, quod nec principia nec cauſæ corporis noſtri ejus partium conſtitutivæ ſint, ſed neutro modo legitimo ſcilicet uſu corpus ſanum conſervent, perverſo verò abuſu illud ægrum reddant, adeoque primariò quidem ad ſanam vel ægram, non vero ad longam vitam faciant, minimè omnium autem vitam ad annos CXX. prorogant, ſicuti *Theodato* hoc placuit.

§. 6. *Res has inter nonnaturales eminet* Aer, quem non tantùm continuo inſpiratu attrahimus, unde ſanguini in pulmonibus permiſtus neceſſario ejus ſtatum inſigniter alterat, & ſimul ſalivâ aut alimentis permiſtum ventriculo ingerimus; ſed etiam qui præter hancce ſubſtantiæ ſuæ nobiſcum communicationem ulterius, quatenus nos ambit, varia ſua temperie corpus noſtrum inſigniter afficit. Summa ſcilicet aëris ad vitam eſt neceſſitas pro volatiliſatione ac reſolutione ſanguinis, tàm ad continuandam ſpirituum productionem, quàm ad promovendam excrementorum inſenſibilem evacuationem, idque beneficio ſui ſalis volatilis nitroſi, veri ſalis Hermetici, omnia coagulata diſſolvetis, & omnia fixa volatiliſantis mediante inſpiratione nobis communicato. Prout ergo ſal hoc plus minus aërem imprægnat, aut copioſiori effluviorum aqueorum miſcela hebetatur, variat ſubinde aëris efficacia.

§. 7. *Accedunt his multivaria effluvia, plus minus fermentativa*, ex omnibus corporibus continuò exſpirantia & aërem largiter impræguantia. Hæc ipſa enim, & inde mutatus aër, morborum Epidemicorum familiares autores exiſtunt. Vernali tempore imprimis hoc manifeſtum eſt, unde etiam hoc tempore fermentantibus vegetabilium germinantium effluviis infectus, ſanguinem turgeſcere, & vehementius fermentare facit, unde quicquid heterogenei & excrementitii in eodem reperitur, ſeparatum foras, quâ data porta, amandatur.. Hinc febres, morbi cutanei, & ſimiles affectus eo tempore frequentiores. *Omnis enim varietas aëris* tàm in ſubſtantia quam temperatura, *aut ex corporibus inferioribus, aut ex ſuperioribus aſtris emanant*; hinc enim & temporum, climatum, regionum, & hinc nationum iſta diverſitas. Aſtra, an ſaltem per motum & hujus variam modificationem, mediante lumine, an verò etiam per effluvia corporea, aërem & alia corpora ſublunaria alterent; res adhuc intricata eſt. Poſterius nonnulli affirmant, & videtur confirmari ab iis, qui radios ſolares in pulverem ſubtiliſſimum rubrum per certa inſtrumenta concentrare; aut radios lunæ plenæ per ſpeculum in materiam lacteſcentem frigidam in ſpongia unire volunt.

§. 8. Quoad Alimenta, *ſatis omnia ſunt ſana*, modo ea ſtomachus appetat, & non abhorreat, eò quod fermenta digeſtiva potenter quælibet in ſui ditionem trahant, & coërceant. Quantitatem & qualitatem in alimentis ſolus præſcribit appetitus, tàm in ſanis quàm in ægris, cum appetita facile digerantur à ſtomachi fermento, ſive adſueta, ſive inſueta fuerint. Nam, ſicut ab illis, licet deterioribus. non facile recedendum, dictitante Hippocrate, ita hæc, ſic appetantur, intenſius, non facile deneganda utpote cum dictitante intus natura contingat, quæ ex alimento inſueto appetito ſæpius nullam noxam habet, ſed exinde non raro remedium parat. Hinc carbones & cineres ac atramentum non affligunt mulieres, pica laborantes, ſicuti è contra Caſeus vel butyrum in iis, quæ hæc abhorrent, non ſine noxa ſunt, & non raras lipothymias inducunt. Juſculum carnis optimum in ſtomacho febricitantis, qui illud abhorret, cadaveriſatur, & corrumpitur, halec verò aſſumptus, quia appetitus, non nocet; ſed interdum ex inſperato febrem ſanat: Nempe regimen legitimum alimentorium in duobus conſiſtit, ſobrietate & probâ maſticatione. *Quantitas non qualitas ciborum nocet*, alii tamen ſunt ſalubriores.

§. 9. *Per fermentationem reſolvuntur alimenta in chylum* quâ mediante gummoſa & viſcida vegetabilium ſubſtantia in ſpecie cerealium ſeminum duo ſalia, acidum & alcali, in receſſu habens, & cujus ſubſtantiæ gummoſæ ratione iſta nos nutriunt, reſolvitur in alimentitium ſuccum, & diſponitur ad promptionem in ſanguine volatiliſationem ſubeundam. Nempe quælibet vegetabilia, imprimis ſemina cerealia in ſe habent gummoſam & viſcidam ſubſtantiam, quæ in vegetabilibus eſt objectum in quod operatur ſtomachi fermentum, & ex quo parat Chylum nutritivum, tanquam quoddam extractum. Apparet id in omnibus decoctis extractiſque ſeminum & herbarum, item in ſuccis fructuum, per humiditatis aquoſæ exhalationem inſpiſſatis, relinquunt enim maſſam craſſam viſcidam & gummoſam plus minus copioſam. Subſtantiæ hujus nutritivæ fermentatio ut promoveatur in ſtomacho, arte prius fermentantur, ut in panificio & cereviſiæ confectione. In panificio quidem farinæ ſeminum reſolvi & volatiliſari incipiunt, ſed in ulteriore progreſſu, exſiccatione & toſtione in clibano impediuntur, ita ut non perfectus ſpiritus vinoſus, ſed tantum ſpiritus acidus volatilis (in receſſu tamen duplicatus) in iis generetur, facili igne per retortam ex iis deſtillabilis. Panes ergo aſſumpti liqueſcentes in cremorem, propter fermentum ſuſceptum, cibos alios, quibus

bus cum maſticantur , colliqueſcere cogunt , & ita quaſi quoddam fermentum ſunt aliis cibis in adjumentum additum , ſalivæ beneficio in maſticatione exſuſcitandum ob id Theriaca alimentorum audit. Ratione etiam ſpiritus acidi amici ſtomacho , ejuſque fermento , nunquam panis continuè licet comeſti , nos capit faſtidium, quin potius odor ejus debiliores recreat, ac nauſeam à medicamentis ingratis obortam cohibet. Et , ſicut ægrotantes ejus ultimò nos tædet , ita reconvaleſcentes primò ejus recuperamus appetitum. Ut ergo ex pane rite fermentato tot habemus commoda , ita ex eodem vel plane non , vel non ſufficienter fermentato mille imminent incommoda.

§. 10. Idem uſu venit in Cereviſiæ Coctura, in quibus ſemina germinantia , h. e. occulte fermentantia toſtione ab ulteriore progreſſu inhibentur , quo poſt cocturam cereviſiæ peractam principia fermentativa efficere queant , quâ facta , liquor perfectè inflammabilis ſpiritu præditus remanet , una cum ſubſtantia gummoſa facillime reſolubili & fermenteſcibili , in qua ipſa pro acidi præmaturâ exaltatione impedienda , aromatico quaſi condimento , lupulo v. gr. ſali volat.oleoſo imprægnato præſervatur. Præmittitur autem inchoata germinatio , ut eâ reſolvantur viſcidæ ſubſtantiæ compedes&ita extricata ſalia poſt cocturam melius fermentare queant,quia circa hanc per cocturam paſta ſaltem tenax facile muceſcens , (h. e. in plantulas germinans) non verò liquor dulcis fermenteſcens eliceretur.

§. 11. Ut vero potus ex Cerealibus ſeminibus ſunt Cereviſiæ , ita iidem ex ſuccis fructuum parati , ſunt vina , quo etiam ſaccharum & Mel pertinent, fermentationis medio vina ſuppeditantia. His in potibus vinoſis , præter ſpiritum volatilem ope fermentationis productum , ſpiritus animales ipſi quaſi ſymboliſantes pro vario uſu diverſimode afficientem , aciditas plus minus manifeſta eſt attendenda , nam & vina dulcia , acido ſuo non ſunt ſpoliata , ut propter ſociatum copioſum alcali volat. pingue minus ſenſilis iſte ſit acor ; aciditas iſta vinoſa niſi probe ſub digeſtione corrigatur , aut à bile in duodenuo in Salſum volat. transmutetur ; (id quod fit in nimis copioſa & inordinata ingeſtione , qua ſubcrudum per inteſtina diſtribuitur.) mille malis ſui Amatores multat. Aciditate enim volat. extra Stomachum toti corpori hoſtili, in Inteſtinis tormina Colica , & exinde in artubus Pareſes producit , in Veſica Strangurias , in Renibus Sal Vrinæ volat. aliquali putredine reſolutum , in calculum coagulat , in artubus Synoviam in Tophôs cogit, & partibus nervoſis & membranoſis torturas arthriticas aliis in locis contracturas inducit , cum nihil æque hoſtile ſit nervis ac manifeſtum acidum.

§. 12 Sicut in Vegetabilibus Gummoſa eſt Subſtantia,quæ Nutritionis noſtræ Subjectum ſeu Materia eſt; Ita in Animalibus eſculentis eſt eorum gelatina , quæ nos nutrit & ſuſtentat. In ſpecie quod attinet Carnes, aliaſque ex animalibus deſumptas partes , quo Saniora ſunt animalia , eò & earum uſus ſalubrior , Id quod & in Lacte imprimis obſervandum , cujus bonitas ex beſtiæ Sanitate & paſtura , quæ ſicca & ſalubribus herbis fœcunda ſit Iucúda. Mediæ ætatis animalia ſucco nutritio adhuc abundantia,&quo hic uberior,magiſque temperatus , caſtrata præ cæteris conveniunt.Volatili copioſo Vrinoſo Sale omnes Animalium partes largiter abundant , temperato tamen eodem aliis particulis Oleoſis , unde copioſum nutritivum ſuccum largiuntur. Indurata verò fumo , aut condita copioſo Sale , & difficilis Coctionis , & pauci nutrimenti eſſe ſolent.

§. 13. Vt alimentum Maſſæ Sanguinæ Reſtaurationi, ita moderatus Motus ejuſdem aſſimilationi & Purificationi inſerviunt ; adeoque dum Circulationem , & inde vitalem ejus fermentationem auget , etiam alimentorum ipſi aſſimilationem per Vniverſum Corpus diſtributionem , & heterogeneorum ſeparationem ac præcipitationem promovet , quæ à ſeroſo latice abſorpta , nunc per Vrinam ſub nubeculæ , ſeu levis ſedimenti forma , nunc per poros Cutis transſpirando.

§. 14. Vt EXCREMENTORUM EXCRETIO , AUT RETENTIO varia non infimum locum inter Morborum cauſas retinet , ita & locus in ſpecie ubi fit excernendorum ejectio , non ſemper negligendus eſt , in quo demonſtrando Operoſus Boulthon in ſua Medicina Medico Phyſica , dum aſſerit , omnia noſtri corporis Excrementa , participare nonnihil de Spiritu ejus vitali , & hoc mediante mutuam inter ſe retinere ſympathiam , adeo ut per foricas publicas ſuper terram , & matulas communes morbi contagioſi communicentur , propter putridam & contagioſam fermentationem. Contra ſi in Campis ſupra herbas forte ſalubres , recrementa excernantur , ſanitatem per occultam Sympathiam firmari ; Si noxias in herbas & venenoſas , purgantes , exulcerandi vi præditas , perilem Corporis noxam præſtò eſſe , & vix curabilem, priuſquam herbæ prorſus putredine fuerint conſumptæ. Notum magis eſt quomodo qui in oleta Dyſentericorum aliove morbo correptorum , ſua , dum iſta adhuc calent , exoneraverit excrementa , ſimili paulo poſt Morbo inficiantur. Eodem modo comparatum eſt cum Urinæ effuſione in matulas eorum , qui latentem fovent Morbum , ſeu nephriticum , ſeu alium , quem contrahi inde poſſe metuendum eſt. Addit , quod pueri in prunas qui ſæpius minxere , nephritici evaſerint, alii exulcerationibus moleſtari lotio in venenoſas herbas excreto , ſicut Dolor & Ardor ani inducitur. Quæ ipſa non eſſe penitus abſona , alia in Natura obvia confirmant exempla ; ut nihil dicam de Pulvere Sympathetico Sanguinem , cujus guttas excepit , ſiſtente ; Mammæ Mulierum , ex quibus in prunas candentes lac excretum , ſterileſcunt , linteum Sanguine ex Vtero effluente tinctum ſub cineribus calidis ſepultum ſanguinem ſiſtit. Dyſentericorum excretio Sanguinolenta , & purulenta ſuper Vitrioli Caput Mortuum rejecta , malum curat.

§. 15. ANIMI denique MOTUS ſeu AFFECTUS valde nos alterant , Morborumque ſæpe atrocium fiunt Autores , quatenus diverſimodo ſub iiſdem Spiritus & humores agitantur & commoventur. Ira nempe & Gaudium quoſcunque Motus humorum exaſperant eorumque excretiones promovent; Terror vero tremor & pavor humorum motus ſupprimunt , excretioneſque quaſvis ſiſtunt. Sed de mirandis Animi affectuum effectibus *vid. Marcellus Donatus in Hiſtoria Medica Mirabili lib. 3. cap. 13. pag. 280. ſeq.* & notum eſt , quàm facile graviores animi paſſiones gravidarum vel abortum inducant , vel vitioſo charactere Infantes notent , non minus quàm ex Ira , vel terrore Nutricum Infantes epilepſiæ fiunt obnoxii. Venena Animalium ex perturbationibus oriri , Irâ , terrore , furore &c. paſſim inculcant moderni , ſpeciatim *Helmont* : in ſuis ſcriptis , adeò ut etiam Hominis irati morſus malignus & ſubinde lethalis ſit , teſte *Zacuto Luſitano lib. 3. Praxeos admirandæ obſerv. 84 & Pentecoſte. 2. obſ. 42.* id quod de aliis animalibus ſimiliter verum eſt , cùm Autore *Celſo* , omnis Feræ morſus habeat quoddam virus , idque ex affectu vehementiori.

§. 16. Sed hi ipſi affectus non minoris ad Sanitatem ſunt efficaciæ. Gaudium equidem ſolum ex uſu eſſe ſalubre refert Fernelius , id quod veriſſimum , ac Senibus & iis qui vitam ſedentariam agunt inprimis convenit. Nihilominus tamen nec aliorum negligenda eſt ratio ; Ira moderata convenit iis qui Cachecticis obnoxii ſunt affectibus , item Mulieribus quibus non adeo commode fluunt Menſes. Ex vehementi & Subitanea incandeſcentia curatam Paralyſin *vid. in Valeriola lib. 2. obſerv. 4. item in Horſtio Tom. 2. lib. 3. obſ. 15.* Cum enim Paralyſin ſolvat ſuperveniens

febris

febris teſte Hipocrate, ſane Ira, ceu febris quædam artificialis & ſubitanea, non erit adeò incongrua. Terrore inducto hæmorrhagias periculoſas ſiſti notum eſt, ſicut & quartanas contumaces, aliaſque febres interdum tollit, & ſimilis terror ex projectione in Aquam rabidos & maniacos reſtituit.

§. 17. Sequuntur in ordine cauſarum Res Præternaturales circa quas, ut taceam Inſpirata vitioſa tàm endemica, quam epedemica, ut ex aſſumpta plus minus medicamentoſa aut venenoſa, quin etiam contagia aliunde hauſta, præter hæreditaria morborum ſemina, quæ omnia generali Receptorum nomine complectitur *Helmont. Tract. Morborum Phalanx & Diviſio*, notandum, in hac Claſſe primario eminere Digeſtionum tam publicarum quam privatarum errores; & inde natas ſordes recrementoſas, eaſque nunc relictas, nec rite excretas, nunc ſucceſſive diverſimode transmutatas, & vel per ſe, vel aliorum fluidorum aſſociatione variè alteratas, nunc ad alias partes tranſmiſſas, ubique naturalem Corporis Oeconomiam hoſtili ſua præſentia, & moleſtâ impreſſione turbantes, quæ omnia generali pariter Retentorum nomine comprehendit Helmont. l.c. his enim ex occaſionibus & frequentiores & graviores omninò Morbos continuò ſuccreſcere quotidiana loquitur Experientia. Siquidem uti his rite ſe habentibus, per nutritionem ſupplentur continui naturales defectus Corporis, tàm Spirituum & humorum, quàm Partium ſolidarum, ita his vitiatis, & vitiari illa omnino neceſſe eſt. Pertinet huc *Paracelſi* Tartarus, qui ſub commoda explicatione, (nam quæ *Paracelſus* de Tartaro aſſerit, funditus deruit *Helmont. Tract. alimenta inſontia item Tartarus non in potu.*) nihil aliud eſt, quam acidum, vel facile coagulabile, vitio Digeſtionis primæ genitum, à quo omnia coagula, ſcirrhi, calculi, podragicorum nodi, à Tartaro vel coagulabili, vel coagulato eſſe dicere poſſumus; qui, ſi minora & anguſtiora obſideat vaſa, obſtructionum Autor erit. Appellationis ratio metaphorica eſt, deſumpta à coagulo iſto in vino Tartar. communiter appellato.

§. 18. Imprimis tamen hoc in negotio Ratio vel maxime habenda eſt Digeſtionis primæ in Stomacho, & hinc ejuſdem in Inteſtino tenui perfectionis, quarum Ratione Ventriculus recte Sanitatis Morborumque Limen dicitur, ſiquidem quævis Succorum in Corpore fermentationes, ſunt ſaltem continuationes fermentationis, in ventriculo inchoatæ. Eſt ſcilicet Cacochylia fœcundiſſima Mater Cacochymiæ, & hæc cujuſvis Cachexiæ. Ponuntur nempe prima fundamenta ſani & ægri Corporis in ventriculi digeſtione, & ex hujus errore tàm chronicorum Morborum ſparguntur ſemina. Cruditas ejus ſeu alimentorum chylificandorum corruptio, & depravatio innumerabilis eſt, Acidæ & Nidoroſæ cruditatis nomine generaliter comprehenſa, ibi ſcilicet ad acidum degenerari, hìc ad idem deficiens, & hinc ex ſubnaſcente inchoata putredine ad emergens Urinoſum reſpectu habito, Adeo ut vix occurrat Morbus etiam in remotiſſimo loco, in cujus cura Stomachi non ſimul tàm præſervatione quàm curatione habenda ſi ratio, unde in Cacochymia conſtituenda primatum ducunt ſub chyloſi commiſſa errata. Confer. hic de acido ſtomachi exorbitante multorum Morborum cauſa, *Helmont. Tract. à ſede Animæ ad Morbos. item Tachenius in Clave cap. 9.*

§. 19. Errores verò ſub Digeſtionibus cõmittuntur, vel Materiæ ex quâ, vel efficiendis ferméti, vel excretionis, vitio. Materiæ quidẽ ratione, quãdo hæc vel copioſior, vel vitiata fuit, adeoque fermenti digeſtivi vim alterutro, vel utroque modo ſuperavit, ut ab eodem minus alterabilis exiſtat. Fermentata digeſtiva tam digeſtionis publicæ in ventriculo & hinc vaſis ſanguiferis, quàm privatæ in ſingulis partibus vel naturaliter deficiunt, unde Senectus tandem ingruit, vel præternaturaliter variis occaſionibus vitiantur, aut in operando impediuntur. Equidem vitia fermentorum à priori ſunt inexplicabilia, adeoque tantum à poſteriore ex effectibus ſenſui notioribus, & ſecundum Hippocratis ductum, ex ſaporibus, horumque mille potentiis explicanda & determinanda veniunt, quatenus fermenta vitiata vitiatis ſuis Saporibus vel potentiis Hippocratis nos alterant, & ſimul contenta Corporis, vitiatis talibus ſaporibus inquinant, unde horum Cacochymia ſupervenit. Hippocrates ſcilicet ſaporibus iſtis & potentiis primariò fermenta morboſa humorum corruptiva circumſcribit, ſecundario verò & ipſorum contentorum vitiatam craſin, ſeu cacochymiam, per alterationem ab iſtis fermentis inductam delineat. Excretionis denique vitia, jam ſupra ſub Retentis Helmontii fuerunt expoſita.

§. 20. Dixi, fermentorum vitia præternaturalia à priori eſſe inexplicabilia, nam & eorum Conſtitutio naturalis ſimili modo eſt imperſcrutabilis, adeoque nonniſi ab effectu patent, quem exſerunt mediante certo motu inteſtino, materia conveniente concitato, cujus communia Inſtrumenta ſunt Acidum & Alcali. Spiritus Inſitus ſcilicet, quatenus Nutrimenti aſſimulationi & agglutinationi nutritionem partium privatam perficit, fermentum Digeſtionis tertiæ dicitur, ſicut Influus in ventriculo, Digeſtionis primæ, & in venoſo genere eſt fermentum Digeſtionis ſecundæ. Seminalis eſt hæc potentia, quâ ut primitus Sanguinem & partes ex materia aliena fabricant & conſtituunt, ita eâdem vi eaſdem conſtitutas per nutritionem & huic inſervientes Digeſtiones conſervant. Vis vero iſta, (ut & omnium aliarum rerum) ſeminalis ſub creatione primitus nata, immediate ex mente divina fluxit, adeoque penetrari à nobis & formalitas ejus explicari nequit. Sin itaque fermentum tale digeſtivum quodcunque aliqua ſui parte quacunque ex occaſione vitiatur, ita ut aberret in digerendo, in præternaturali degenerat fermentum, unde præternaturales digeſtiones, vitioſæ aſſimilationes, præternaturales humorum fermentationes, partium ſolidarum irritationes, &c. non prius ceſſantes quã ipſum vitiatũ fermentum, ejuſque vitiatus ſapor alteratus & correctus fuerit, & hinc nata producta pariter emẽdata & excreta.

§. 21. Sic enim ab externo Contagio Chyrothecæ ſcabioſæ vel nutrimenti vitio interno Spiritus Inſitus Cutis fermentativus alteratur, ut nutrimentum in Saniem ſeu Ichorem acido ſalſum convertat, unde Scabies. Sic vitiatur v. g. per Iracundiam in paſtu Digeſtio prima, ut Spiritus fermentativus alteratus, & præternaturalem ſaporem acidum volatilem contrahens, in Maſſa Sanguinea cum chylo eo delatus, præternaturalem fermentationem acutam; febrilem, inducat, adeoque fermentum febrile formaliter conſtituat. Dum itaque fermenta vel naturalia, vel præternaturalia, in Pathologia, ſub cauſarum morboſarum cenſum referuntur, intelligendum venit fermenti nomine in genere agens mole minimum, adeoque ſubtile & penetrativum hinc ſumme mobile, adeoque volatile & Spirituoſum, & potenter activum, ſeu mediante determinanti Motus impreſſione Spirituum & hinc humorum alterativum, ſicque ſimul ſui multiplicativum; Unde Odorum ſubtiliſſimorum inſtar, ſumme tamen penetrantium ferè ſe habere videntur, hinc & ab Helmontio Odoris, à Tachenio Auræ notione inſinuantur; uno verbo, id quod naturali in ſtatu fermentum naturale conſtituit, hoc degenerans ex parte fermentum præternaturale exiſtit; ab hoc enim aſſociatione ſui cum fermentis naturalibus facili, propter radicalem convenientiam, dum turbatur in opere ſuo, & impeditus plus minus Spiritus fermentativus naturalis; actionum læſio, & hinc plurium Morborum Origo ſubnaſcitur, donec correcto præternaturali & ſecreto, naturalis actionibus ordo, ex cauſarum ſecundum leges ſeminum debito modo

do agentium ſerie, ſeu naturæ ſuper morbum victoria ſuperveniat.

§. 22. Ex quibus ſponte ſequitur, non in magna materiæ mole cauſam morboſam proximam eſſe quærendam, nec in humorum varia colluvie, eandem inquirendam, ſed minima utplurimum maximorum eſſe morborum initia,& cauſas materiales ſeu occaſionales non ex mole corporis ſed poteſtate operationis eſſe æſtimandas, ſive humores contentos fermentando, ſive partes ſolidas nerveas ſenſilius vellicando operentur. Sicut enim tantillum eſt materiale quod vel apis ſpiculo, vel ſcorpius caudæ adunco extremo, vel vipera dentis foramine infundit in partem læſam, inde tamen atrocia nihilominus adeo nocumenta: Sicut tantillus ſaltem eſt odor ex moſcho, qui fœminam hyſtericam tantum non exanimat; ſicut tantillus eſt halitus quem ſcabioſæ manus chirotheca ſuo contactu communicat, aut quem ſcortum lue venerea inquinatũ,ſui congreſſu alteri inſinuat; ſicut tantillum eſt,quod felis expirat, & tamen ob Idioſyncraſiam quoſdam in periculoſiſſima ſymptomata conjicit; ſicut tantillum eſt de antimonio quod ſui in vinum infuſione totum abdomen & tantum non univerſum conturbat corpus. Sicut tantillum eſt acidi, quod Odontalgiam intolerabilem cum inſigni hæmicrania,& febrilibus non raro ſymptomatibus excitat; ita ſimili ratione tantillum eſt, quod frequentiſſimus atrociſſimorum etiam affectuum autor exiſtit, adeoque ob ſui potentiam in tantillo corpore meritò fermentum appellandum. Hinc recte & notanter *Tachenius in Clave p. m.237. & 242.* acidum ſtomachale in corpore peccans non inſtar torrentis, ſed inſtar auræ ſeu odoris operari aſſerit.

§. 23. Negotium hoc clarius pateſcit, ſi conſideremus ſpinam etiam tantillam digito infixam, adeo ab Helmontio hinc inde inculcatam, hanc mox dolor, ardor, tumor inſignis, ſuppuratio,& ſubinde gangrenæ periculum ſupervenit, &c. non ſanguis hic eſt in inflammatione gangrænata, aut pars ſolida, quæ peccant, ſed ſpina, cujus hoſtili præſentia omnia iſta gravia occaſionaliter concitantur pathemata. Hinc frequentiſſime tantillula eſt ſpina, cujus tamen doloroſa aliave inimica impreſſione mille mala concitantur, & in cujus ſpinæ perſpectione & genuina evulſione,h.e. fermenti morboſi,aut ſaporis peccantis ſpecialis cognitione ac debita correctione totius Praxeos negotium, unde occupatum eſſe debet, v. g. In Odontalgia vel Arthritide, dolor, tumor, ardor, contractura, impetus febrilis ſocius, &c. plura iſta mala, producta ſaltem ſunt morboſa, ab acido ceu ſpina circa articulum infixa, quâ evulſa ſeu correcta omnia iſta ſponta evaneſcent ſymptomata.

§. 24. Unde ulterius probe obſervanda eſt diſtinctio inter morbum ipſum, & inter productum morboſum, in corpore occaſione cauſæ materialis vel ſpiritus impetum facientis pronatum.v.g.Calculus ipſe in ſe non eſt morbus, ſed certa iſta ametria ſalium quâ eadem facile ſe mutuo coagulant, eſt morbus Lithiaſis, cujus productum eſt calculus, & cachecticorum tumidi pedes non ſunt morbi intemperiei humidæ, ſed ſunt ſaltem producta morboſa cachexiæ, vitio ſanguificationis enata; ſæpius tàm in Quartana, quàm Scorbuto, aut malo hypochondriaco lien inflatus, tumidus,imò non raro ſcirrhoſus deprehenditur, unde vulgo ipſum malum derivatur, cum tamen talis ſplenis affectus potius ſit productum morboſum talibus affectibus inveteratis digeſtionum vitio ſuperveniens, quàm radicales eorum cauſæ.Talia producta morboſa meritò etiam cenſentur incaleſcentia, & refrigeratio tàm univerſi corporis, in febribus, quàm peculiaris cujuſdam loci in eryſipelate, &c. ſic tumor, ardor, inflammatio, lacrymarum fluxus, non ſunt morbus Ophthalmiæ, ſed verè morboſa producta, occaſione illapſi pulviſculi acrioris illata.

§. 25. Ad talia producta morboſa pertinet item calculus & fluxus. Calculorum generatio fit per modum coagulationis, dum acidum vitioſum ex primis viis imprimis ob ſtomachi errorem dilapſum reliquis communicatur, in quibus ſal urinoſum purius cum eodem ſe jungit,unde neceſſario in unam maſſam ita coëunt, & quicquid conveniens ac aptum unioni ſimul apprehẽdunt,id,cum hic duobus una coagulum ſuſcipit,& calculorum varietatem ſic conſtituit,cumq; in renibus imprimis hinc in veſicula fellea abundantia reperiatur ſalis iſtiuſmodi urinoſi,propterea nullæ partes magis,renibus,& inde fellea veſicula obnoxiæ ſunt calculis. Equidem,ut ex urina calculus generetur ab acido,neceſſe eſt,ut urina ſalſa per aliqualem putredinis notam reſolvatur,ut ita ſalſus urinæ ſapor dividatur,id quod v. g.præſtat aſparagus,ut ſal urinoſum vol.ſic purius fiat, quo cum acido congredi & coagulari poſſit,nũc in Arenulas minores,quarum coagmentatione majores reſultant calculi,nunc vero mox in majora concreſcit ſaxea monſtra. Fiunt hæc eò facilius in penibus,quo ſtomachi errores facilius iis communicari poſſunt per urinam potus, ibique hanc peregrinorum coagulorum producere ſobolem, id quod ſimiliter de Podagræ nodis ſeu tophis intelligendum eſt, quatenus acidum Podagricum manifeſtum ita coagulat ſynoviam artuum.

§. 26. Aliud productum morboſum multarum tamen moleſtiarum autor, in ſpecie in abdomine ſunt flatus, qui cum neque ad vapores neque ad exhalationes referri poſſint, merito ad tertiam quandam claſſem hujuſmodi Entium,nempe ad AD GAS SYLVESTRIA, ſeu ſpiritus incurabiles revocantur ab *Helmontio*. Generatio eorum neque eſt à Calore,neque eſt à frigore, per ſe, ſed tantum ab acido,per vitioſam fermentationem, ex materia quacunque, utplurimum tamen aliquid viſciditatis aut glutinoſitatis in receſſu habente. Hinc in Hypochondriacis, ſimilibuſque vitio fermenti ventriculi, aut ſucci Pancreatici vitioſe acidorum copioſiſſimi generantur flatus etiam quibuſcunque ex cibis. Ergo formaliter rebus non inſunt flatus, ſed fiunt tantum per vitioſam fermentationem, non ſecus ac farina quocunque modo tractata, non parit flatus, ſi vero fermentetur, ſponte flatus eructat; ſimiliter ac muſtum, quacunque ratione vexatum, ſine flatuum erit proventu, quod ubi fermentationem conceperit, non ſine impetu eoſdem copioſos exhalet. Et licet ſint alimenta quædam aptiora præ aliis producendis flatibus, flatulenta ob id appellata, non inſunt tamen his flatus, ſed hi gignuntur tantum ex illis, non quidem in omni ſtomacho, nam robuſtus, hæc, ſine flatulentiâ, digerit, ſed tantum in defectuoſo, aut qui aliis ſimul cibis copioſius ſe ingurgitavit,in hoc per vitioſam fermentationem exſuſcitantur flatus. Hinc Aromatica flatuum ſunt medicamenta, corrigendo acidum, & reſolvendo viſcidum; ipſe acidus licet nitri ſpiritus, reliquis tamen præfertur, figendo erumpentes ſpiritus flatuoſus, &impedimento fermentationis motum,imprimis per ſpiritum vini dulcificatus & temperatus, nobiſque ſic magis appropriatus redditus.

§. 27. Ex ſupra jactis fundamentis facile erit multiplicem excrementorum per Os, Alvum, Urinam, Sudorem, aliave loca, varietatem exactius indagare, eorumque fiendi; ac nocendi modum explicare, cum non formaliter ſub tali textura in corpore præexiterit, ſed materialiter tantùm,adeoque utplurimum producta morboſa ſint; modo conſideremus oriri eadem

1. Ex multiplici contentorum etiam naturaliter ſe habentium,undecunque facta alteratione vel corruptione multiplici,ſic enim ſanguis in pus, Lac mammæ in grumũ caſeoſum,ſynovia articulorum in calcem, vel cretam podagricam, nutrimentum chyloſum inteſtinorum, in variformem mucũ ſub dyſenteria,urina in calculum,lachrymalis lympha in ſordes varias abeunt, quæ omnes mutationes contentorum,naturaliter ſe habentium,ex aliunde undecunque etiam facta immutatione oriuntur.

2. Ex multiplici aſſumptorum in ſtomacho & primis viis alteratione & degeneratione, quâ ratione ova frixa facile in cruditatem nidoroſam abeunt, item Lac in caſeum, item infantes copioſiſſima flava ſubinde rejiciunt, quæ tamen non ſunt biliosa, cum ceu dulcia devorentur à canibus, ſed ſunt lac, ſub digeſtione in ventriculo, aut diſtributione per inteſtina corruptum, & ſucceſſive in tale flaveſcens liquamen mutatum. Fructus horrei fermentando in primis viis, quam varia recrementa ſuggerunt. Pituita vitrea dicta, ex acido & pingui fere originem ducit.

3. Ex multiplici liquorum diverſorum, quorum vel alteruter vel uterque corruptus eſt, miſcela & confuſione, unde ſecundum efferveſcentiæ & præcipitationis ratione diſcrepantes novi emergunt liquores nempe bilis & ſuccus pancreaticus varie alterati, nunc ſeorſim, nunc cum bile permiſti excretorum per os & alvum varias larvas conſtituunt. Porracea aut æruginoſa dicta bilis ex acido nimio ſtomachi vel pancreatis cum bile vitioſa efferveſcentia unito, & ita bilis colorem per præcipitationem alterante, oritur, quod manifeſtum eſt, ſi ſpiritus quidam acidus bili ex folliculo felleo extractæ commiſceatur, exinde enim viridis talis liquor emergit, unde & acidum ſpirant talia rejecta,& infantes tormina ex acido juncta habent, hinc etiam acidum corrigentibus Cryſtallis, Coralliis & ſimilibus temperantur. Pituita acida inteſtinorum, Viſcidior Chylus eſt, à ſucco pancreatico acidiore impraegnatus. Ictericorum multiplices colores ex ſuccorum in primis viis corruptorum miſcela,& hinc facta præcipitatione multiplici producuntur, &c.

4. Ex multiplici à medicamentis contentis corporis inducta alteratione, hinc enim martialia rite operantia excreta reddunt nigra, aloë tingit eadem intenſa flavedine, unde bilem ab illa evacuari vulgo æſtimant, Colocynthis craſſa & viſcida emitti facit, quæ non ſunt pituita præternaturalis, ſed revera ſuccus nutritius, à malignitate laxantis corruptus. Opuntiæ maj. ſuccus urinam rubram reddit, quam violaceo odore tingit Therebinthina. Sudor luteus à Rhabarbari uſu obſervatus fuit.

§. 28. Tandem motu etiam locali, adeoque & loco peccare ſupra diximus iſta corporis contenta liquida tàm naturaliter quàm præternaturaliter conſtituta, dum ſcilicet naturales motus leges vel exceſſu vel defectu relinquunt,& inde aliena ad loca moventur, in quibus vel ſubſiſtunt, vel per quæ penitus extra corpus effunduntur, &c. Sed ſi recte rem hanc conſideremus, non tàm cauſæ morboſæ, quam producta morboſa, hæc contentorum in motu & loco errata erunt, cum ſemper vel ſpiritus moventis præternaturaliter excedentem aut deficientem impetum, vel viarum, per quas moveri debent, impedimenta & vitia, vel propriam ad motum ineptitudinem à vitiata craſi & textura materiali dependentem,& ita ſemper præcedentes defectus morboſos inſequi ſoleant; v. g. Odontalgiam inſequitur tumor maxillæ ob ſtagnationem ſanguinis aut lymphæ, propter pororum anguſtiam à fibrarum ſtrictura, occaſione doloris facta. Moventur vitioſe contenta in diarrhæis & dyſenteriis, ſed præcedente tàm ipſorum contentorum alteratione præternaturali, quàm inteſtinorum & ſpirituum vellicatione à cauſa morboſa. Hæmorrhagiæ nimiæ fiunt, vel ſpiritus nimis moventis, vel vaſorum aut relaxatorum, aut exulceratorum vitio, ſunt enim humores quicunque in motu ſaltem paſſivi & aliena agitantur vi, unde etiam nonniſi alieno ex vitio, vel propriæ morboſæ conſtitutionis prævia occaſione, motu aut loco peccare poſſunt.

§. 29. Cæterum quævis hactenus enarratæ cauſæ efficientes materiales, quocunque ex rerum genere deſumptæ ferè nonniſi occaſionales erunt, proximam efficientem formalem, ſpiritum influum, & hinc ſubinde inſitum præſupponentes. Hoc nempe impetum faciens Hippocratis, ut primò fœcundat Ovum, & in corporis ſtructura maxime activum eſt, ita & poſtmodum in corpore vivente, actionum tàm naturalium quam præternaturalium unicus & primarius autor eſt. Neque enim in cadavere morbus eſt, utut cauſa ejus occaſionalis ſuperſit, adeoque ab hoc principio prout omnis motus vita ac ſanitas, ita morbus quoque & Mors ipſa dependet. Et ſicut omnis morbus de vita plus minus deprædatur, ita in iis, vel ſubjectum, vel efficiens erit hic ſpiritus. Idem nempe efficiens eſt actionum tàm naturalium quam præternaturalium, unde & omnia ſymptomata actionum læſarum, & ab his dependentia reliqua, in excretis, & qualitatibus mutatis, nonniſi ab hoc ſpiritu, ceu primario agente originem ſuam nanciſcuntur.

§. 30. Hoc, ut quoad morbos ab internis cauſis enatos, ſatis manifeſtum eſt, ita etiam de iſtis, quæ ab externis fiunt, non minus evidens. Siquidem vulnus & fractura quæ in cadavere æque ac vivente corpore obſervari ſolent, non in illo, ſed in hoc ſaltem morbus dici ſolet, nonniſi ſpiritus hujus ratione, qui ſi inſitus læſus, ſive influus præternaturaliter irritatus ſymptomatum quorumvis, vulneri vel fracturæ ſupervenientium, autor exiſtit, & hujus ratione corpus formaliter ægrotans, læſionis vero externæ reſpectu nonniſi occaſionaliter tale dici poteſt; Adeò ut univerſalis & formalis morborũ efficiens cauſa recte ab *Helmontio* ſecundum *Hippocratem* τὸ Impetum faciens, ſeu ſpirit. vitalis tàm influus quã ſubinde inſitus hinc inde aſſeratur, cujus ob id tàm pro cognitione, quã curatione morborum, ratio exacta ſemper & omnino habenda eſt.

§. 31. Confirmant univerſale hoc morborum efficiens ulterius morbi hæreditarii à patre v. g. Phthiſico, Nephritico, Melancholico, communicati, qui nonniſi ſpiritus genitalis ratione, à patre in filium tranſvehuntur, qui ſuo tempore à patre conceptam alterationem, ſive materialis, ſive idealis fuerit, explicans, ſimilem morbum in filio producit. Par ratio eſt in imaginationis operationibus non tantũ in prima corporis efformatione, ſed etiã morboſa ejus alteratione, hujuſq; curatione, nempe imaginationis vi, tàm ſupra quàm infra potenter purgamur. *Vid. Bartholin. cent. 5. hiſt. 64. Miſcell. Academ. Curioſ. ann. 3. obſ. 152. & ann. obſ. 238. 6.* hujus vi ſubinde morimur, *teſte Henrico ab Heer. obſ. 71. item Kerckringio Spicileg. p. 92.* Hujus vi orta fiducia in medicum, vel remedium, ut graviores etiã affectus curentur. *Vid. Salmuth cent. 3. obſ. 81.* Quicquid autem hæc præſtat, ſpiritus impetum facientis vi,& potentia ſaltẽ & immediate efficere valet; Ut taceam opium maxime ad catholicas panaceas accedens auxilium, ſaltem omnium fere ſymptomatum remedium, quod non niſi ſpiritus impetum in morbis & ſymptomatis cohibendo, operatur. Nec alia ratione vel tranſplantatione inducti, aut ſympathetice levati, aut ſimili ratione curati morbi, quàm ſpiritus hujus morbi & ſanitatis primi autoris virtute orti & curati fuerunt.

§. 32. Meritò ſane & *Helmontius* principium hoc vitale in omni urget morbo, illud, ceu primum ſanitatis & morborum autorem conſiderans, à quo etiam omnia ſymptomata tam immediate, uti ſunt ſymptomata actionum læſarum, quàm mediate, uti ſunt ſymptomata in excretis,& qualitatibus mutatis, originem ducũt. Sed hæc ipſa non intelligenda ſunt excluſive, quaſi contenti ſucci & partes corporis continentes organicæ, ſimpliciter ſe paſſive habeant, ſed potius incluſive, ita ut dictus ſpiritus, ceu elater in automato noſtri corporis una cum reliquis rotulis & partibus organicis, ſeu inſtrumentis & partibus liquidis, ceu ſuccis fundamentalibus operationes ſuas exerat. Hinc dictus ſpir. ſanguinem circulariter moveri cogit, ſed mediante organica cordis & vaſorũ ſtructura, idem ſpiritus ſpaſmos varios excitat,

excitat, ſed mediante fibrarum certa mechanica textura, & mediante vel anaſtomoſi, vel diæreſi vaſorum, hinc ſcorbutici, hæmorrhagiis admodum obnoxii, non tàm ſpiritus moventis vitio, quàm ſanguinis ſeroſi acrioris culpa, &c.

CAPUT IV.

DE SIGNIS MORBORUM.

§. 1. Cum non ſufficiat Medico morborum naturam, cum eorum fiendi modis perſpectam habere, niſi etiam eoſdem rite cognoſcere queat, propterea neceſſario eorum Diagnosis ſubjungenda erit. Nam cum cauſæ morboſæ non minus quã morbi, parteſque affectæ, in obſcuro lateant, ac ſenſibus directe non pateant, ob id per media certa, ſigna diagnoſtica perſcrutanda ſunt à medico.

§. 2. Signum *eſt aliquid notum, alterum quod ignotum, patefaciens.* Notum hoc eſt aliquid in ſenſus incurrens, vim obtinens intellectui aliquid ſiſtendi, quod ſenſus effugit, quatenus eundem determinat, ut per ratiocinationem ex noto, ſibi ignotum patefaciat. Vis autem hæc, qua intellectui ex noto aliud ignotum patefit, fundatur in noti cum ignoto cohærentia, quæ ſi neceſſaria, ſigna exinde emergunt neceſſaria, qualia ſunt pauciſſima, & alias etiam Pathognomonica vocantur, ſin vero iſta cohærentia eſt, tantum contingens, ſigna exinde fiunt probabilia.

§. 3. Ea quæ hoc modo cohærent, ſunt cauſæ & effectus & contra, item quæ ſe invicem, ſive per ſe, aut per accidens conſequuntur, item, quæcunque alio modo inter ſe connexa ſunt. Ex quò connexionis fundamento, tres universales Signorum fontes emergunt

1. Ex conſequentibus ſeu effectis, quo omnia tria ſymptomatum genera pertinent, ubi etiam pulſus & urina, ut etiam Juvantia & Nocentia.
2. Ab antecedentibus ſeu cauſis, tam internis quam externis, tàm communibus, quàm propriis. Ad hũc fontem pertinet etiam ſubjecti patientis conſtitutio, quatenus exinde diſponitur ad hunc vel iſtum affectum, tàm nativa ratione Idioſyncraſiæ proprietatum hæreditariarum, ſexus, &c. quàm advẽtitia, ratione ætatis, victus, vitæ generis, &c.
3. Ab eſſentialiter inhærentibus, id eſt ab ipſo affectu præternaturali, ſenſibus ipſis interdum ſatis manifeſto.

§. 4. Quæ à medico ſub primo ad ægrum ingreſſu pernoſcenda ſint, apte explicat *Hippocrates lib. de affectibus, Textu* 36. terminos quæſtionum præſcribendo, inquiens:

Cum ad ægrum deveneris, interrogare oportet, quæ patiatur, & ex qua cauſa, & quot jam diebus, & an venter ſecedat, & quo victu utatur. Cujus uberiorem explicationem vide *in inſtitut. Kyperi lib.* 3. *cap.* 4.

§. 5. Signa inter hæcce, tàm quæ in Diagnosi quàm etiam Prognosi locum habent, primatum obtinent ea, quæ *ex urina & Pulsibus deſumuntur*, cum hæc, virtutis vitalis rationem in ſanguine fundamentum, immediate deſignent.

§. 6. Nam ut urina potus monſtrat alimenti in primis viis alterati, & digeſtionis ibidem peractæ conditiones; ita urina Sanguinis monſtrat hujus conſtitutionem ex particularum ejus liquorem componentiũ, imprimis ſalinarum fermentatione oriundam, & prout ratione vel puritatis vel impuritatis Cacochymicæ ſubinde variat. Pulsus autem ipſius fermentationis vitalis in corde inſinuat ſtatum, diſtributioniſque ſanguinis, ex eo in omnes partes, rationem.

Urina monſtrat ſtatum digeſtionis primæ & ſecundæ, mediante fermentativo motu peractæ. Pulſus verò monſtrat ipſum motus fermentativi in ſanguine, & inde dependentis motus circularis rationem.

§. 7. Urinæ judicio, utut vulgus multum tribuat, tamen ex urinarum inſpectione nihil aliud poteſt colligi, quàm

1. Ratio Chylificationis, ſeu quomodo fiat digeſtio in ſtomacho, ejuſque inde perfectio in inteſtinis.
2. Status ſanguinis, prout ex fermentatione reſultat, indeque recrementa vel naturalia ſalina vel præternaturalia multivaria ſeparat & præcipitat.

§. 8. In urinæ inſpectione duo ſunt conſideranda.

1. Ipſe liquor lixivialis continens.
2. Contenta varia natantia.

Liquor exhibet (1.) conſiſtentiam craſſam aut tenuem. (2.) Tincturam ſeu colorem ad quam refertur etiam ejus perſpicuitas & opacitas. Consistentia ſalium oleoſorum probe cum liquore continente unitorum, majorem vel minorem copiam conſequitur. Tinctura verò ſeu color urinæ eſt ab oleo ſeu ſulphure cum ſale volat. probe ſubacto, & unito, mediante acido, olei occulto, hinc eſt, quod acida urinæ permiſta colorem intenſiorem, alcalia vero remiſſiorem concilient. Naturalis urinæ Tinctura Citrina eſt, quæ præternaturalem colorem tàm deficientem, albam, plus minus pallidam, &c. quàm excedentem flammeam, croceam, viridem, rubram, nigram, &c. tanquam norma determinat. Deficientes tincturæ, utplurimum cruditatem digeſtionis primæ, ejuſque deficientem à bile perfectionem conſequuntur; Excedentes verò aut fortem admodum lixivii per copioſa ſalia oleoſa ſaturationem, aut præternaturalem in ſanguine fermentationem, quã ſubiguntur exactius ſalia cum ſulphure & intimius liquori continenti quaſi incoquuntur ſeu uniuntur.

Urina, excrementum eſt immediatum digeſtionis ſecundæ, in quã conſiderantur.

1. Liquor, h. e. Latex aquoſus ſuperfluus, ſale oleoſo; maximam partem volat. quaſi armoniacali impræqnatus, cum unctis particulis oleoſis, quæ omnia ex maſſa ſanguinea ſecedunt.
2. Contenta, quæ ſunt partes chyli ſanguini non aſſimilabiles, ex neceſſitate materiæ genitæ à prædicto liquore lixiviali imbibitæ, quæ vel ſunt ſolutæ. & tunc nulla viſibilia contenta in urina, vel ſunt ſeparatæ, & tunc triplicia urinæ contenta emergunt. Ex reſpectiva liquoris cum contentis textura oriuntur tot urinarum qualitates, ſeu proprietates, ut in colore opacitate, vel pelluciditate, &c.

§. 9. *Contentorum ratione opaca* interdum, *Pellucida* ſeu clara conſpicitur *Urina*, hoc dependet ab exacta unione particularum ſalinarum, oleoſarum, cum poris liquoris aquei, unde radii luminoſi æquali tractu fere permeant. Illud vero dependet ab eorum ſeparatione, & quaſi præcipitatione, quæ fit vel aëre externo frigiduſculo, poros liquoris conſtringente, & ita particulas imbibitas extrudente, vel ab internâ recrementorum Cacochymicorum ex maſſa ſanguinea mediante fermentatione, præcipitatione & inſtar fœcum ſeparatione unde radii luminoſi hinc inde impingentes in tranſitu prohibentur.

§. 10. Contenta in liquore lixiviali, ratione ſitus, triplici modo diſtincta, in *Nubeculam*, in *Enæorema* ſeu ſublimamentum, & in hypoſtaſin ſeu *ſedimentum*, in ſanorum urinis rarò occurrunt, & in his cruditatis chyloſæ, vitio digeſtionis primæ coacervatæ, ſanguini non aſſimilabilis, ſed à latice urinario abſorptæ, indicium exhibent. In ſtatu vero ægritudinis, ſeu præternaturali, uti mille modis variant contenta, ita ex triplici fonte fere originem habent; nempe vel ex primis viis, vel ex maſſa ſanguinea, vel ex viis urinariis; *Ex primis viis* ſunt urinæ contenta v.g. in Diabeticis, quando aſſumpta cum urina inalterata exeunt, vel cum primarum viarum cruditates chyloſæ cum urinâ excernunt; *Ex ſanguine* vero, v. g. in ſcorbuticis, ictericis, febrientibus, &c. *Ex viis urinariis*, v. g. mictus cruentus vitio renum, urina purulenta vitio veſicæ, &c.

§. 11. Dum ex urinâ cognoſcitur ſtatus coctionis

Primæ, & hinc ſanguinis, prout hic ex fermentatione ejus reſultat, hoc ipſo ſigna coctionis & cruditatis ſuggerere dicitur. Quo in negotio probe diſtinguenda eſt urina cruda in ſtatu neutro, vel quæ in morbis chronicis, ut in cachecticis, mulieribus non menſtruatis, obſervatur, ab illa urina cruda quæ in morbis acutis, & febribus conſiderari ſolet. Illa, ratione Chyloſeos, hæc ratione hæmatoſeos ita dicitur; Adeoque cruditas & coctio, quarum urina ſignum exhibet, eſt, vel reſpectu alimentorum, vel reſpectu materiæ morbificæ. Urina cruda, vel quæ cruditatis ſigna exhibet, iſta dicitur, quæ extra morbos acutos, aut febres obſervatur, & inſequitur deficientem digeſtionem alimentorum in ventriculo & primis viis, & talis eſt omnis urina, quæ à ſtatu naturali deficit, v. g. Quæ tenuis, non ſufficienter tincta emittitur, utplurimum etiam clara eſſe ſolet, rarò turbatur, & tales urinæ deficientem digeſtionem primam, ſeu cruditatem alimentorum digeſtorum innuunt. Quod ſi vero urina emittatur in debita conſiſtentia, coloris citrini, aut nonnihil intenſioris, clara, aut propter copioſa contenta nonnihil obſcura, talis urina cocta ſeu coctionis alimentorum in primis viis ritè peractæ ſignum aſſeritur.

Diſtingunt hic alii coctionem & cruditatem, earumque ſigna in Phyſiologicam & Pathologicam. Coctio Phyſiologica eſt adaptatio materiæ ad nutriendum. Pathologica coctio eſt adaptatio materiæ excrementitiæ ad excernendum. Pathologicæ ſigna, ſunt ſigna coctionis & cruditatis morbificæ, Phyſiologicæ ſigna Chyloſeos & hæmatoſeos. Pathologica coctio locum habet ſaltem in morbis primariò acutis ac febribus, ſecundario etiam Chronicis: Phyſiologica ſaltem in ſtatu ſano attenditur. Pathologica fit per motum inteſtinum in maſſa ſanguinea præternaturalem, & tendit ad heterogenei ſeu excrementitii ab homogeneo ſeu nutritio ſeparationem; Phyſiologica vero fit in ventriculo & vaſis & tendit ad Chyli cum ſanguine aſſimilationem:

§. 12. Non confundenda eſt cum modo dictis Cruditas & Coctio Materiæ Morbificæ, ejuſque ſigna in febribus, morbiſque acutis in ſpecie notanda. *Cruditas* enim *Materiæ morbificæ* conſiſtit in intimiori particularum Sanguinis Maſſam conſtituentium, ipſique admixtarum, etiam præternaturalium, craſſinque ejus vitiantium commixtione, & impedita hinc earundem cum lotio ſecretione. *Coctio* è contra *Materiæ morbificæ* eſt, quoties particulæ heterogeneæ Sanguini arctius unitæ, ab eodem iterum ſenſim ſeperantur, atque cum Urinâ ex parte excernuntur. Medium coctionis, quo cruda fiunt cocta, id eſt, quò fit iſta ſeparatio & præcipitatio ex Sanguine, eſt fermentatio quædam extraordinaria, indeque p. n. Sanguini inducta, mediante qua præcipitantur particulæ heterogeneæ, & Sanguinis novam texturam acquirit. Illuſtrat negotium hoc, Vinum, dum adhuc muſteum exiſtit, crudum eſt ex arcta partium unione, ſed fermentatione facta, dum muſtum in Vinum tranſit, hoc coctum eſt, facta copioſa fœculentiarum ſeparatione, & ad fundum præcipitatione. Medium, quo ſeparantur fœculentiæ ex muſto, ut ex eo fiat Vinum eſt Fermentatio. Ex quibus patet, quæ Urinæ cruditatis aut coctionis ſigna exhibent, nempe Cruda eſt Vrina, quæ tenuis intenſe colorata, clara vel turbida, ſed quæ talis permanet &c. Coctionis è contra Materiæ Morbificæ Signa ſunt, ſi evadat craſſior, intenſius colorata, clara, ſed quæ nubeculam aut Enæorema exhibeat, item, quæ hinc ſucceſſive fit turbida, ſed tandem Materiam copioſam, in fundum ſeponit, liquore claro ſupernatante. Cruditas iſta Materiæ Morbificæ eſt ab acido vitioſo præternaturali; Coctio vero ab Acido Stomachi fermentali. Sunt enim omnes ſuccorum in Corpore fermentationes, ſaltem continuationes fermentationis in ſtomacho inchoatæ, adeoque Stomachi Digeſtio præeſt quibuſvis aliis, & nubecula in urinâ ſignum eſt redeuntis in ſtomachum fermenti, & redintegratæ digeſtionis ut recte aſſerit *Helmont* unde modo ægri ad ea, quæ afferuntur, rite ſe habeant, & aliquantulum alimenti abſque renitentia, vel nauſea aſſumant, etiam in periculoſiſſimis & acutiſſimis febribus, bonum ſignum activitatis fermenti ſtomachalis, & hinc ſperandæ coctionis materiæ morbificæ. Sunt autem hæc ipſa intelligenda magis de febribus benignis, quàm malignis, item de iis ſaltem, in quibus contenta corporis magis affecta ſunt: Nam in quibus ſpiritus primariò laborant, minus hæc applicari poſſunt, utpote, cum in talibus ſub periculoſiſſimo ægrorum ſtatu, urinæ ſanorum ſimillimæ apparere ſoleant.

§. 13. Arenulas ſæpe cum urina excerni notum eſt, ſed bene obſervanda earum varietas, veræ enim arenæ, duræ & tactui reſiſtentes, nec friabiles calculi ſunt prodromi. Sæpe autem excernuntur cum urinâ, vel potius ubi hæc paulatim ſteterit, lateribus vaſis ſe affligunt quaſi arenulæ vel ſabulum rubrum & copioſum, idque facilè friabile, & hoc ſcorbuticis ferè proprium videtur, & quaſi infallibile quoddam ſignum ejus eſſe. *Conf. Hæferus in Hercule Medico p.* 181. *item Horſt. in Manuduct. pag.* 191 Quæ ſcorbuti ſubſumptio eò magis confirmatur, ſi ſupernatet urinæ cruſta quædam quaſi pinguis vel oloſa ſed ad latus adſpecta inſtar Caudæ Pavonis, vel Iridis, eleganti colorum varietate diſtincta, quam recte Mœbius *Inſtitut. pag.* 359. ex ſale acido cum alcali miſto & volatiliſato & in ſuperficie quaſi Cryſtalliſato oriri ſtatuit.

§. 14. Quantum ſenſuum fide hactenus conſtat, lixivialis ferè ſalſus liquor eſt urina, partim volatilis, partim fixus. Copioſum phlegma ſeu aquoſus latex, qui paulo ante nutrimenti vehiculum extiterat, mutata nunc ſcena recrementi vehiculum evadit; inutiles adeoque recrementoſas, perque continuatum inteſtinū motum, quaſi attritas, ac arctius invicem ſocietas, ſalino oleoſas maſſæ ſanguineæ particulas imbibit, eaſque unà cum intermixtis plus minus copioſis particulis chyloſis ſanguini minus commode aſſimilabilibus evehit. Quod ſi per ignem ejus inſtituamus anatomen, ſaturatus deprehenditur copioſo ſale volat. urinoſo, adeoque compoſito ex acido volat. effectu in urinæ concreto potentiori, & urinoſo volat. copia uberiori; adeoque ſale quodam armoniacali impregnatus eſt, ut loquitur *Mayovv. de ſpiritu Nitri Aëreo, pag.* 160 Quæ ipſa per omnium reliquorum in corpore fluidorum ratione temperata ſunt, intertextis pinguibus, ſeu oleoſis particulis; atque hiſce modo dictis volatiles hujus concreti partes verè abſolvuntur; Nam quem vinoſum Spiritum, utut paucum quidam ex eodem elicere ſatagunt artis potius, aut naturæ quandoque aberrantis, effectus eſſe videtur. Fixæ partes præter terram mortuam, duplex ſal exhibent, eſculentum unum cum alimentis aſſumptum, & cum urinæ liquore ad vias urinas raptum, alterum fixum ſui generis, ſalſum quidem etiam, ſed magis ad alcaliſatorum naturam accedens, quale ut ex ſanguine animalium, ipſius quoque hominis, utut in pauca quantitate parabile exiſtit.

§. 15. Eſſe in urinâ Acidum Ocultum, probat.

1. Salſus ejus ſapor, quem ex conjugio acidi & urinoſi genitum eſſe comprobat Chymia.
2. Spiritus urinæ præparatio cum alcaliſati ſubjecti, ſi non ſimpliciter ſaltem ad majorem ejus copiam acquirendam, & celeriorem deſtillationem, neceſſaria additione, ut liberentur ab acidi ligantis particulis, ſpirituoſæ urinoſæ, ut loquitur *VVedelius in Pharmacia pag.* 23. dum alcaliſatum ſcilicet imbibit acidum; ob quam rationem cum Calce viva deſtillata urina mox ſpiritum volatilem reddit.
3. Quod per putrefactionem ſpiritus urinæ adeo volat. acquiratur, ut mox primo loco, ante Phlegma aſſurgere incipiat, quatenus in quavis putrefactione plus minus perfecta acidi fit inverſio & enervatio, cujus loco alcali volat. emerſio & exaltatio, quod quotidiana rerum putreſcentium confirmat obſervatio.

4. Docet idem *Mayovv. de Spiritu Nitri-Aereo pag.* 160. quod ſolutio ſulphuris in lixivio facta ab urinæ effuſione non ſecus ac à quovis liquore acido præcipitetur.

§.16. Cum itaque ſalſus ſit liquor urinæ, & naturæ inſtrumenta mechanica ſoleant eſſe ſalia, acidum & urinoſum, commodiſſimum videtur etiam ſalium beneficio, Uroſcopiam Medicam inſtituere pro ſignis tàm Diagnoſticis quàm prognoſticis in Praxi Medica firmioribus. Id quod per experimenta omnium optimè innoteſcit, ſit ergo *Experimentum.*

1. Urinæ ſanæ & laudabiliter conſtitutæ, in duas partes diviſæ, infudi, parti primæ ſolutionem ſalis armoniaci filtratam limpidam, hinc cum per aliquot dies & noctes ſtetiſſet, nulla alteratio aut immutatio obſervari potuit. Parti ſecundæ inſtillavi ſolutionem ſalis communis filtratam & cum hæc etiam per aliquot dies & noctes ſtetiſſet, etiam nec minima alteratio obſervari potuit.
2. Urinæ febricitantis copioſo ſedimento cocto refertæ, inſtillavi parti ejus, ſolutionem ſalis communis in aquâ, & nulla mutatio in urinâ obſervari licuit, etiamſi ultra XVIII. horas ſtetiſſet, cum aliæ ejus urinæ partes, avido & aquoſo tractatæ.
3. Urinæ craſſæ, intenſè tinctæ in duas partes diviſæ, priori nitri q. ſ. poſteriori ſalis communis q. ſ. addidi, ſteterunt ita utræque per triduum, citra ullam alterationem eadem facie, nec ab urina ſibi relicta, nec à ſe minimum invicem differentes. Die quinta verò urina cum ſale, turbari, ſitum contrahere in ſuperficie, & fœtere nonnihil incepit. Illa cum nitro adhuc clara, & citra alterationem apparente, ſaltem quod in ſuperficie quodam loco ſitum contrahere inciperet; adeoque nitrum magis urinam condit, & diutius conſervat, quàm ſal commune. Ex his talem elicere concluſionem licet: *Salſa urinas non mutant, nec quoad colorem, nec quoad contenta.* Ipſa nempe urina ſalſum eſt concretum, & ſi naturaliter conſtituta, utroque acido & urinoſo ſaturatum, adeoque ex univerſali œconomiæ animalis lege temperatum, unde & ſine reciprocationis motu ſalſis miſcibile exiſtit.

§. 17. *Color* ſeu tinctura *urinæ naturalis eſt citrina,* ſeu aurea, quicquid in defectu, ſeu exceſſu peccaverit præternaturale eſt. Unde oriantur varietates colorum docebunt experimenta ſequentia.

1. Urina naturaliter conſtituta, in tres partes dividebatur: *Pars prima* ſibi relinquebatur, *Parti ſecundæ* inſtillavi ſpiritum nitri, unde color ſanguineus, intenſè rutilans, ſucceſſivè emerſit urina clara & abſque ſedimenti veſtigio permanente. *Parti tertiæ* inſtillavi ſolutionem ſalis tartari acris, & breviter urina turbida evadebat, colore multum remiſſiore.
2. Tempore Junii æſtuoſiſſimo accepi urinam naturaliter conſtitutam, ſed paulò intenſius tinctam ab ægro tranſmiſſam, cujus etiam, *Una Pars* per ſe aſſervata, XXIV. horas citra alterationem perſiſtebat. *Secunda pars* cum ſpiritu nitri fuit impregnata, & hæc ſucceſſivè intenſiorem colorem ad ſanguineam accedentem ſibi acquiſivit, ſed ſine ſedimenti veſtigio. *Tertiæ & quartæ parti,* alteri lixivium cinerum clavellatorum forte, alteri ſpiritum ſalis armoniaci fortem inſtillavi, effectus utrobique fuit idem, nam ſub ipſa liberaliori inſtillatione turbabantur & candidum ac leve contentum extrudere cœperunt, quod in ſedimentum abibat, adeo utrobique ſimilis erat alteratio.
3. Accepi urinam pueri VI. annorum, ſanam & laudabiliter conſtitutam, *Parti primæ* inſtillavi phlegma vitrioli, acidum, unde ſucceſſivè intenſè color ad ſanguineum gradum rubeſcere cœpit, & ita permanſit. *Parti ſecundæ* inſtillavi partim ſpiritum vitrioli, partim, alii parti oleum vitrioli, unde pedetentim color incepit intendi ad inſignem rubedinem, non tamen tantam, quantam phlegma vitrioli induxerat. *Tertiæ parti* inſtillavi lixivium tartari & nitri invicem denotatorum unde liquor turbabatur & hinc ſucceſſivè ſedimentum candidum ſatis copioſum præcipitabat. Liquor ſupernatans aureo colore erat conſpicuus, æqualis ad minimum priſtino liquori.
4. Urinam febri tertiana laborantis crudam, ſanguineo colore tinctam, claram, & quæ diu ita permanebat, accepi; *Parti primæ* inſtillavi prædicti lixivii partem, & per plures horas abſque alteratione ſtetit, tandem poſt VIII. vel X. horas ſedimentum candidum, craſſum, inæquale ſepoſuerat, urinâ aurei coloris ſupernatante, adeoque tinctura erat notabiliter remiſſior, utut ſedimentum non adeo copioſum eſſet; Tamen inſignis cruſta alba, quaſi glacialis vitro undique quo uſque pertingebat urina, affixa erat. *Parti ſecundæ* inſtillavi ſpiritum vitrioli Philoſoph. hinc tincturæ ſeu coloris inſignis intenſio, & ad ſummam rubedinem exaltatio. Hinc accepi urinam illam cum ſpiritu vitrioli philoſoph. alteratam, & inſtillavi præfatum lixivium ad efferveſcentiæ uſque ſaturationem, hinc altero die conſiderata miſtura copioſum ſedimentum candidum ſepoſuerat, & urinæ color in aureum mutatus fuit. Ex quibus ferè ſequentes concluſiones elici poſſunt.

(1.) Acida tincturam urinæ ſemper intendunt.

(2.) Alcalia tincturam urinæ nunc remiſſiorem reddunt, nunc eandem minus ſenſibiliter immutant.

(3.) Alcalibus acida ſuperaddita tincturam urinæ intendunt, ſed raro ad eum gradum aſcendunt, quem acida ſola attingunt; Alcalia verò acidis ſuperaddita interdum, ſed ferè rarius tincturam imminuere ſolent.

§. 17. *Color urinæ conſideratur* vel materialiter vel formaliter. *Materialiter,* oritur urinæ color à ſalibus ſalſis oleoſis ſuperfluis & effætis primariò quidem volatilibus, ſecundariò etiam nonnihil fixis, quibus per accidens ſal eſculentum ſe aſſociat, de quo nullæ urinæ notabilis mutatio infertur. Salia iſta ſoluta latice aquoſo chyli certam portionem ſecum vehant, quam nunc retinent, nunc ex parte remittunt, unde contenta urinarum in ſanis dependent. *Formaliter* color urinæ dependet, ex ſpeciali iſta particularum ſalino oleoſarum cum aliis textura, unde per lucis modificationem color, quæ ſpecialis textura à nobis à priori inexplicabilis, quia adhuc imperſcrutabilis. Textura tamen hæc ſpecialis materiæ illius in urina tingentis, ſeu coloris urinæ fundamentum, videtur dependere efficienter & proximè ab acido, quoad ſenſuum quidem immediatum judicium occulto utpote ab aſſociato oleoſo & urinoſo temperato, effectu tamen ſatis potente, utpote præcipuorum urinæ Phœnomenorum, primo autore. Neminem terreat acidum occultum in urina, adeo ſalſo urinoſa, non ſæpius acidum quoddam aliudve acre ineſt rebus acerrimum, guſtui licet incognitum. Cryſtalli lunares amariſſimi ſunt, concentrato tamen intenſiſſimo nitri acidi turgent, cujus ratione ἐκαρότικον ſunt. Cryſtalli Saturni dulces, ſive ſpiritu nitri ſive aceto parati, ſub dulcedine iſta acidum concentratum habent, unde etiam per alcalia præcipitabile eſt. Sub ſalſo ſalis armoniaci ſapore acidiſſimus ſalis communis ſpiritus latet reconditus. Modus ergo, quo acida tàm urinæ inſitum, quàm ſuperadditum colorem intendere queant, videtur mihi conſiſte-

re in texturæ particularem à ſeroſo urinæ latice diſſolutarum arctiori unione; adeoque texturæ illius quaſi cōcentratione aut cōdenſatione, ratione cujus copioſiores partim refringuntur partim reflectūtur radii luminoſi pauciores verò tramite recto trajiciunt, unde quo lōgius à perſpicuo abeſt, & propius ad opacū accedit, & quo plus nigredinis aut ſaltim tenebrarum tali texturæ ineſt, eò in ſuo genere intendi colorē ſolet. Certè pro rarefactionis & condenſationis, ſolutionis item, & præcipitationis legibus, ſine materiæ materialiter tingentis additione, urina diverſimodè in tinctura mutari poterit. Hinc citrinus ſeu flavus color quilibet facile concentratione texturæ ad rubedinem plus minus intenſam aſſurgit: Confirmat hoc mechanica, ſi deſtilletur urina ad conſiſtentiam mellis, mel hoc relictum aquæ communis molem aliquoties urinæ quantitatem ſuperantem, tinctura iſta, urinæ tincturæ longè intenſiore communicabit. Acidum hoc urinæ inſitum originaliter & quoad primam ſui ſcaturiginem eſt ex primis viis ſpeciatim ventriculo; In hoc enim aſſumpta alimenta, ſolent plus minus ſenſibiliter aceſcere, ſiquidem & ipſa acido ſimili vel manifeſtiori vel occultiori, copioſiori vel parciori diverſimodè imprægnata ſunt; ſub chylificantis verò fermentationis motu aciditatis iſte undecunque nata, à vitali agente mediante certo motu ita modificatur & alteratur ut noſtris conſtitutivis exactè aſſimilabilis reddatur.

§. 18. Conſiſtentia urinæ naturalis media eſſe debet inter oleoſum & aquam ſed cujus naturâ & origine ſit.

EXPERIMENTUM.

1. Aliquando æſtuoſiſſimo tempore accepi urinæ craſſæ ℥ij. ʒv. his inſtillavi lixivii præfati acris ʒiij. & mox ſub inſtillatione ſedimentum candidum copioſum ſe præcipitabat, urinâ clarâ ſupernatante. Poſt 3. horarum moram inſtillavi ſpiritum vitrioli Philoſoph. ʒiij. ad ℥ß. ad perfectam ſaturationem uſque, & hinc ſucceſſivè non ſolùm intendebatur urinæ color, ſed altero manè inſpecta urina, nihil ſedimenti exhibebat; Nam omne reſorptum erat, ſaltem nubecula levis apparebat, & arenulæ ruffæ plures fundum occupabant. Inſtillavi denuo lixivium præfatum, ultra ſaturationem, & denuò copioſum ſedimentum grumoſum præcipitabatur.
2. Accepi urinam naturaliter conſtitutam cum copioſo ſedimento albo, claro, levi, pyramidali, laudabili, *Parti primæ* inſtillavi lixivium præfatum & ſubitò ſedimentum candidum ſe præcipitavit, ſimili illi quod ſponte ſe præcipitaverat. *Secundæ parti* claræ inſtillavi ſpiritum vitrioli Philoſoph. nulla turbatio, aut ſedimenti extruſio, ſaltim coloris intenſio. Hinc vice verſâ urinæ ab alcali turbatæ inſtillavi ſpiritum vitrioli Philoſoph. & omnia evaneſcere ac urina denuò clareſcere cœpit. Ex oppoſito urinæ per ſpiritum vitrioli Philoſ. medicatæ parti ſecundæ inſtillavi lixivium illud & ſubitò turbari urina ac ſedimenmentum candidum ſeponere incœpit. Urinæ verò illi, in qua poſt claræ turbationem, parti primæ inſtillavi lixivium præfatum, ſedimentum permanebat, imò augeri videbatur; ſed ex oppoſito ſpiritum vitrioli Philoſ. omne ſedimentum abſorbebat, & urina in naturalem faciem clareſcere incepit.
3. Urinæ ſanæ ℥iiß. inſtillavi lixivii cinerum clavell. ʒij. unde mox ſeponebatur ſedimentum, hinc inſtillavi ʒß. ſpiritus nitri, unde levi prævia effervescentia reſorbebatur denuò omne ſedimentum. Ejuſdem urinæ ℥iiß. inſtillavi ſpiritum ſalis armoniaci, hinc eadem præcipitatio. Inſtillavi poſt 8. horas ſpiritus vitrioli ʒß. reſorbebatur ſedimentum maximam partem, ſed non omne, unde adhuc bina vice ʒß. ſpiritus ejuſdem inſtillare cogebar. Ex hiſce tales elici poſſunt concluſiones.

(1) In omni urinâ præter liquorem lixivialem naturaliter etiam alia contenta quaſi chyloſa obſervantur, eaque vel ipſi unita vel ab ipſa ſpontè ſeparata.

(2) Alcaliæ contenta iſta naturalia ſeparant & præcipitant: ſive fixa ſive volatilia fuerint.

(3) Acida, contenta urinarum naturalia retinent nunquam eadem præcipitant, nec urinam turbant, quin potius ab alcalibus præcipitata ſedimenta denuò ſolvunt & quaſi reſorbent.

(4) Acida quo magis retinent urinæ contenta naturalia, eo claram & perſpicuam magis eam reddunt. Alcalia verò quo magis eandem ſeparant & præcipitant eo turbidam & opacam magis urinam reddunt.

(5) Alcalia dum præcipitant, urinæ contenta naturalia tenuiores eas ſimul reddunt; quæ dum reſorbent & liquori reddunt acida craſſiores urinas conſtituunt.

§. 19. Patet ex his acidum urinæ ſalſum occultum eſſe, quod illius contenta cum menſtruo detinet, unde craſſities & perſpicuitas dependent. Sanè eo ipſo quocæteras, concretum urinæ conſtituentes particulas invicem concentrando tincturæ varietatem efficienter efformat, etiam ſimili ex ratione, plura contenta intimius cum liquore aquoſo ceu menſtruo uniendo, craſſam & ſuo modo ſpiſſiorem urinam facit. Quin & ex unione iſta intimiore particularum menſtrui ſalſi ſolventis ſive continentis, & corporis ſoluti, ſive contenti, talis illarum continuatus ordo ac ſeries, interceptorum verò porulorum æqualis adeo ſitus emergit, ut hinc ex modificato lumine perſpicuum & coloratum fluidum exinde oriatur.

§. 20. Materia contenti hujus naturalis eſt portio chyli, ſub digeſtione ſecunda ſive hæmatoſi tanquam ejus excrementum ſeparata, & fermentativo motu præcipitata, hinc cum urina excreta. Nam eſt autem chylus nutritivus ſive laudabiliter conſtitutus, nam nunquam in exactè ſanis ſpontè ſuâ tale contentum ſubſidere obſervatur, ſed ſaltem in defectuoſis: ſive ex præternaturali ſubjecti vitio ſive nonnaturali objecti errato defectus talis oriatur. Præterea lac ceu chylus genuinus ab acido, in ſpecie ſpiritu nitri promptè coagulatur quod ab alcalibus diſſolvitur: Et ſerum ſanguini grumoſo ſupernatans à ſpiritu nitri coagulatur, in ſubſtantiam Caſeoſo-grumoſam, eſt enim chylus ſero dilutus nondum ſanguini aſſimilatus ab alcalibus è contra diſſolvitur. Contraria verò obſervantur in contentis urinæ. Vitioſa ergo chyli portio, quæ nempe inepta eſt nutritioni, ſive aſſimilationi cum ſanguine ex partibus ſolidis, materiam contenti hujus naturalem conſtituit. Jam verò ſi proprietates ejus conſideremus manifeſtum erit cum pinguia coagulentur ab acidis, terrea vero ac urinoſa ab iiſdem diſſolvantur, ferè ſequi videtur, quod chyli ceu concreti ſalſi oleoſi volatilis, partes minus mites minúſque oleoſis temperatæ, minúſque ſubtiles ac volatiles, adeoque quaſi aſperiores ac rigidiores, uno nomine crudiores, ſint iſtæ quæ ſanguini utpote ſalino oleoſo volatili liquori, minus uniri poterunt, adeoque ſecedunt & tale in urina contentum conſtituunt. Uno nomine, chyli qui cœpit ſanguificari, pars crudior quaſi caſeoſa eſt ſanguificationi aliiſque uſibus inepta, quæ ceu excrementum neceſſarium digeſtionis ſecundæ contenta hæc naturalia in urina conſtituit. Cruditas hæc naturaliter ſolum eſt ex materiæ vitio, minus aptæ ad perfectam reſolutionem & volatiliſationem.

§. 21. *Contenta hæc ſunt naturalia, ad præternaturalia* nobis pergendum, quorum ingens eſt varietas, in genere tamen ſunt *vel univerſalia*, ex ſanguinea maſſa immediatè decidua, adeoque totius corporis

ſtatum magis reſpiciunt, *vel particularia*, quæ certæ cujuſdam partis ex vitio communicantur, ut pus ſub empyemate pulmonum, arena ex vitio renum, *Univerſalia* ſaltem conſideranda veniunt, & hæc dividere placet in *præcipitata & coagulata*. PRÆCIPITATA ſunt illa, quæ urinas turbidas reddunt, & in iis plus minus ſecedendo pariter nubeculæ ſub linamenti & ſedimenti nomine venire ſolent. *Præcipitata* ſunt quæ arenularum, pelliculæ, ac cruſtæ facie in ambitu urinæ ſe exhibere ſolent. Illa præcipitata quidem propterea quia in febribus ſimilibuſque morbis acutis vel imminentibus, vel præſentibus, vel declinantibus, coctionis & cruditatis pathologicæ ſigna, indeque vel morbi victoriam, adeoque prognoſeos palmaria fundamenta ſuppeditare ſolent. *Coagulata* verò quia in Chronicis morbis utplurimũ Diatheſi hypochondriaca plus minus ſcorbutica complicatis, cauſæ materialis peccantis & inde natæ fluidorum corporum alterationis præternaturalis non levia indicia reddere ſolent. Sit itaque Experimentum.

1. *Offerebatur Urina* ruſtici intenſè tincta, obſcura, rubrâ flavedine craſſa; *medietati inſtillavi lixivium cinerum clavell.* unde tenuior, clara & perſpicua reddita fuit urina obſcuro colore in intenſam rutilantem tincturam abeunte, quæ tamen in inferiori gradu videbatur reſpectu prioris intenſioris tincturæ, *alteri medietati ſpiritum ſalis* inſtillavi, unde prior obſcurus color idem permanſit, ſi non obſcurior redditus fuerit, conſiſtentia craſſa eadem fuit.

2. *Urina mulieris* gravidæ febre continuâ non adeo acuta conflictatæ, cum copioſo ſedimento lateritio, *inſtillavi lixivium cin. clav. & copioſius ſedimentum album ſeu candidum* reddebatur, ita ut copiâ mirarer. *Ob id alteram medietatem recepi,* & urinam claram cautè & exactè decantavi, relicto omni ſedimento in fundo, *& cum urinæ hujus claræ parte ſimiliter lixivii illius inſtillaſſem,* ſubitò quoque copioſum ſedimentum candidum, craſſum præcipitabatur. Ita ut alcaliſata præter contentum præternaturale jam ſponte ſuâ præcipitatum, ulterius contentum naturale etiam præcipitet. *Id quod patet ex ſimili experimento, dum urinam poſt febrim tertianam excretam* cum ſedimento perfecte cocto liquore claro ſupernatante, &c. Filtratæ adeoque claram recipi & ſolutionem cin. clavel. inſtillavi, unde nihilominus urina turbari, & hinc ſedimentum candidum naturale præter iſtud relictum præternaturale ſepoſuit.

3. *Offerebatur urina ruſtica* craſſa turbida, hæc per aliquot horas aſſervata lentè ſedimentum deponere incipiebat, unde agitatam probè urinam *in duas partes diviſi, parti primæ lixivium* cin. clav. inſtillavi, unde urina turbida, ſubitò clareſcere, & craſſa attenuari incipiebat, & color aureus moderatè rutilans emergere. Sedimentum ſepoſuerat nullum aliud, quam quale urinæ naturales ex alcalibus additis ſolent ſeponere, nempe paucum, leve, candidum. Secundæ medietati inſtillavi phlegma vitrioli acidum unde urina in antiquo craſſo & turbido ſtatu permanebat, & ſucceſſivè ſedimentum reponebat. Tertia ab hinc die conſiderata turbida obſcurè tincta, cum ſedimento arctè in fundo in grumulos molles coagulato, apparebat. Adeo ſubinde in ſtatu præternaturali alcalia clarificant & conſtituunt urinas, acida verò potius turbidas conſervant, contra atque in ſtatu naturali fieri ſolet.

4. Urina nobilis nonnihil hypochondriaci pleuritide nota correpti, erat craſſa, turbida, copioſiſſimis contentis præternaturalibus imprægnata, cujus *pars prima* ſibi relicta ſucceſſivè clareſcat, & urinam naturaliter ferè conſtitutam ſed nonnihil intenſius tinctam exhibebat cum ſedimento copioſo molli, levi, quaſi lateritio; *parti ſecundæ* inſtillavi ſolutionem cin. clav. & ſalis tartari, hæc brevi poſt clareſcebat, & urinam optimè conſtitutam, ſed intenſius aurantio ſcilicet colore tinctam exhibebat: ſanè in hac urina alcaliſata ne veſtigium quidem opacitatis aut contentorum præcipitatorum apparebat. De cætero toti urinalis circumferentiæ, ſalibus candidis chryſtalliſatis quaſi conglaciatis erat obducta, & quidem candidis glaciei inſtar. *Parti tertiæ* inſtillavi ſpiritum nitri probè rectificatum: hinc urina ſeponendo copioſum ſedimentum clareſcere incipiebat & ſanguineo colore tingi: Ipſum ſedimentum viſcidius, tenacius, & magis invicem concentratum obſcurioris etiam coloris erat quam illud in urina ſibi relicta: Undique etiam urinalis parietibus copioſa ſalia chryſtalliſata, ruffa, iſtis ſcorbuticorum ſimilia ſe affixerant, quorum plura in fundo ſeceſſerant. Loco horum ſalium in urinâ ſibi relicta alba ſubſtantia quaſi tenuis viſcida cruſta, Urinale obduxerat. Accepi porrò urinam hanc per alcali reſtitutam & clarificatam, & inſtillavi ſpiritum nitri, & ſine ulla efferveſcentiæ nota, mox turbabatur urina, & exactiſſimè eandem repræſentabat faciem, quam habebat urina primitus allata.

5. Accepi urinam juvenis qui conflictabatur febricula continua lentâ lymphaticâ, cum virium proſtratione, faucium inflammatoriâ excoriatione, alvi fluxu, &c. hæc manè collecta intenſè ſanguine colore tincta, perſpicua, craſſa, cum nubecula per totam urinam diſperſa, à meridie reddita fuerat turbida cum copioſo divulſo ſedimento, coloris flavi, &c. Huic veſperi horâ quinta in duas partes diviſæ primæ inſtillavi lixivium ex detonato tartaro & nitro paratum & ſubitò ſub ipſa inſtillatione urina turbida, craſſa, clara reddita, & in priſtinam conſiſtentiam perſpicuitatem & colorem rutilantem, fuit reſtituta: ſed poſt cœnam conſiderata, ſedimentum candidum grumoſum ſepoſuit, Urina clara ſupernatante. Addidi ſecundæ medietati ſpiritum vitrioli philoſoph. & urina eadem manſit, craſſa turbida, cum deterrimo ſedimento, etiam poſt cœnam denuo conſiderata.

6. Vir quidam tertiana intermittente graviter conflictabatur urina emiſſa mox copioſum dimittebatur ſedimentum, hujus parti primæ inſtillavi ſpiritum nitri unde concentrabatur & magis circa fundum uniebatur ſedimentum. *Parti ſecundæ* lixivium cin. clavell, unde mox evaneſcebat ſedimentum, clareſcebat urina eleganter & aurei intenſè coloris erat. Sed brevi poſt idem ac antea ſedimenta forſan copioſius candidum leve fundum occupabat.

7. Mulier quartana diuturna conflictata emittebat urinam, quæ brevi reddebatur turbida & opaca cum dolore ad rubedinem vergente cum ſedimento tardè ſecedente. *Parti primæ* inſtillavi ſpiritum nitri, contentum hinc denſius mox coagmentari ſenſilius reddi & brevi poſt denſum ac rubicundum fundum petere cœpit, Urina intenſè tincta ſupernatante. *Pars ſecunda in fornace* à colore mox clarificabatur, & ſedimento lateritio præternaturali imprægnata apparebat: Filtro clarum ſeparavi liquorem, ſed nihilominus ab aliquot horis turbari denuo cæpit, & ſedimentum illi priori ſimile extrudere: utramque E. hanc urinam exactè filtro à ſedimento ſeparavi, & urinæ aurantiæ claro lixivium cin. clav. inſtillavi, & adhuc copioſum ſedimentum candidum præternaturale præcipitabatur: Die ſequenti huic urinæ cum ſedimento naturali inſtillavi

lavi

lavi ſpiritum nitri eundem quem ſupra in parte prima adhibueram & hic ſub inſtillatione ſedimentum omne abſorbebat. Adeo acidum hic ſedimentum naturale abſorbet, præternaturale verò non attingit.

8. *Vrina mulieris* diurna tertiana afflictatæ affertur, quæ copioſum ſedimentum ſepoſuerat, rubeſcens quaſi pulv. boli rubri eſſet permiſtus, liquore ſupernatante tenui, incerti coloris, hujus *parti primæ* inſtillavi lixivium ſpiritus carminativi, *ſecundæ ſpiritum vitrioli philoſ.* hinc altero manè, iſta cum alcali ſedimentum copioſum ex albo nonnihil ad flavedinem declinans craſſum ponderoſum ſepoſuerat, ſupernatante liquore urinario, aurantio colore tincto. Illa cum acido ſedimentum concretum ruffi, aut ſanguinei potius coloris in fundo ſepoſuerat, urina non adeo exactè clara, intenſiſſimè tamen tincta ſupernatante. Intendunt E. colorem ſedimentorum acida, quem infringunt alcalia.

9. *Vrina juvenis tertiana* duplicata per aliquot ſeptimanas jam laborantis & declinantis, erat craſſa, turbida, cum copioſo ſedimento ad rubedinem aliqualem accedente. *Parti primæ inſtillavi* lixivii detonati tartari & nitri, unde poſt agitationem copioſæ ſedimentum candidum ejuſdem ac ante quantitatis fundum petebat, urina clara aurantii coloris ſupernatante. *Parti ſecundæ deſtillavi* ſpiritum nitri & ſub ipſa agitatione intendi tincturam tam urinæ quàm ſedimenti videbatur, poſt quietem idem ſedimentum quod ante fundum petierat, ſed intenſiſſimè ruffeſcens, urina clara ex rubro-ſanguinei coloris ſupernatante poſtmodum ab aliquot horis huic medietati cum ſpiritu nitri tractatæ, lixivii præfati aliquantulum inſtillavi, unde liquor in tinctura nonnihil remiſerit, ſedimentum vero ex rubro colore multo candidius factum fuerit.

10. *Vrina affertur cujuſdam craſſa*, intenſè tincta, quæ brevi poſt turbabatur, & ſedimentum copioſum candido lateritium ſeponebat, cum cruſta denſa, glauca vitrum obducente. Hinc inſtillo ſpiritum nitri & ſucceſſivè contentum præternaturale omne abſorberi cœpit, cruſta evanuit, hujus vero loco copioſæ arenæ ruffæ undique vitro agglutinatæ erant. Urina clara, intenſè ſanguineo colore tincta ſupernatante. Abſorpſit hic contentum præternaturale inſtillatum acidum contra experimenta hactenus recenſita, forſan quod hoc proximè ad naturam contenti naturalis accederet.

11. Studioſus febre maligna petechiali laborans in ſtatu morbi periculoſiſſimè decũbebat, urina collecta, erat craſſa, clara, ex aureo intenſè ruffeſcens, & quaſi rubeſcens, ſine contentis ſaltim levioribus enæorematibus. Inſtillavi ſpiritum nitri & intenſius in tinctura exaltabatur, & ad ſanguineum colorem aſcendebat ſucceſſivè, & veſtigia enæorematis delebantur. *Parti alteri* inſtillavi lixivium tartari & nitri detonatorum, & ſucceſſivè ſed lentè admodum ſeponebat aliquid ſedimentum album, quantitatis mediocris, ipſa urina quæ ſupernatabat clara & tenuior, & intenſius ad rubedinem tincta obſervabatur; paucos intra dies mors. Quod hic præcipitabatur ab alcali erat ſaltem ſedimentum naturale, de cætero ita textura urinæ & ſanguinis mutata & concentrata fuerat ut nec ab acido nec alcali alterationem paterentur.

12. Studioſus juvenis laborabat febri lenta hecticæ ſimili, cum ſeceſſibus crebrioribus, appetitu proſtrato, exhibet urinam craſſam, turbidam, cum ſedimento copioſo quæ recens emiſſa colore intenſiſſimè flammeo rutilabat. *Parti primæ ſpiritum nitri*, *parti ſecundæ ſpiritum vitrioli* rectificatum inſtillavi, ſed urina turbida manebat talis & ſedimentum ſuum ſeponebat, urina ſupernatans intenſè ſanguineo colore tincta erat, ſed illa cum ſpiritu nitri paulò intenſior videbatur. *Parti tertiæ lixiv.* cin. clav. non adeo acre, *Parti quartæ lixiv.* ex tartaro & nitro detonat. acre inſtillavi effectus utrinque idem, reſtituebatur iterum mox urina, ſed ut ſolet non adeò exactè perſpicua evadebat: ab aliquot horis ſeponebat ſedimentum ad Croceum colorem vergens. Nempe hic contentum ex colliquatione erat natum indeque copioſum; & ſic ferè minus apparabile tàm ab acido quàm urinoſo.

13. Accepi urinam viri Cachectici, qui in pueritia aliquando hydrope aſcite affectus fuit, jam ad anaſarcam inclinabat, pedes intumeſcebant, reſpiratio paulò difficilis, urinæ mictum cruentum ſubinde patiebatur, facies pallidè intumeſcebat, urina erat tenuis pallida, ex levi citrino albida glauca, h. e. clara quidem, ſed inſtar vitri minus perſpicui, quaſi lacteo turbida, abſque contentorum veſtigio. *Hujus parti primæ* inſtillavi lixiv. cin. clav. nulla hinc mutatio ſenſilis, ſaltem altera die ſedimentum quoddam paucum, candidum, diſperſum in fundum matulæ ſepoſuerat. *Secundæ parti deſtillavi* ſpiritum nitri, & ecce ſub ipſa inſtillatione ſedimentum candidum copioſum fundum occupavit; continuavi inſtillationem, & ſequente mane copioſum admodum ſedimentum candidum, viſcidum, tenax ſepoſuerat, triplo ad minimum ſuperans illud cum alcali. Urina ipſa clara ſupernatans intenſius tincta ad aureum colorem notabiliter accedebat. Eandem urinam poſt 14. dies itidem examinavi, & eadem apparuerunt phœnomena. Aliquot menſibus interjectis æger aſthmate correptus interiit. Similem urinam adhuc ſemel videre contigit, cum iiſdem phœnomenis, in viro cachexia ſcorbutica afflicto, cum affectibus podagricis, tumoribus pedum œdematoſis ac levioribus paraliticis hic poſt aliquot menſes apoplecticus interiit.

14. Accepi urinam ſtudioſi gravi ictero flavo periculoſè decumbentis, eámque ut ſolet turbidam, obſcuram, intenſiſſimè tinctam, immerſa lintea admodum tingentem; *parti primæ inſtillavi phlegma nitri acidum*, unde aliquale ſedimenti præcipitatio, liquore ſupernatante obſcuro, apparente ex viridi nigricante, ad ſolis verò lumen ritè conſiderata miſtura ſedimentum viridè ſeponebat liquore ſupernatante ex flavo ad aliqualem viriditatem declinante. *Parti ſecundæ inſtillavi ſpiritum nitri* & eadem phœnomena ſed magis manifeſta & ſenſibilia. *Parti tertiæ inſtillavi ſpiritum ſalis*, turbabatur nonnihil liquor reddebat præcipitatum elegãs viride, cum liquore perſpicuo aurei coloris ſupernatante. *Parti quartæ inſtillavi ſpiritum ſalis armoniaci*, præcipitabatur ſubſtantia flava inſtar cujuſdam Ochræ, ſupernatante liquore citrino, non adeo intenſè tincto, claro craſſo. *Parti quintæ inſtillavi* lixivium tartari, & nitri detonatorum, præcipitatum ſedimentum fuit intenſe luteum, liquore ſupernatante perſpicuo claro, aurei coloris.

15. Poſt jejunium fere 24. horas in homine non ſano, ſed febricula lenta correpto collecta urina apparenter erat ſana ſed brevi poſt turbabatur & vix per noctem integram ſedimentum perfectum ſepoſuit. *Ergo agitatâ urinâ parti primæ ſpiritum nitri inſtillavi* & ſucceſſive ac pedetentim clareſcebat urinæ liquor & perfecte ſibi reſtituebatur, citra aliam alterationem. *Parti ſecundæ lixivium tartari & nitri* detonatorum inſtillavi,

&

& in momento ſub ipſa inſtillatione perfectiſſime ſibi reſtituebatur ita ut poſt aliquot horas utraque urina tàm acido quàm urinoſo imprægnata ſibi ſimillimæ eſſent. Sedimentum hoc naturali & præternaturali contento videtur fuiſſe compoſitum. Unde etiam phœnomena iſta exhibuit.

§. 22. Ex his apparet quanta varietas ſit in urinis præternaturalibus, & quam diverſa exhibeat phœnomena pro conſtitutionis ſupernaturalis varietate, adeo ut vix in regulas aut concluſiones coërceri queat ſit nihilominus, quantum quidem conceſſum eſt, Concluſio.

1. *Acida urinam* nullam turbant, aut contenta earum præcipitant, quæ verò claræ ſua ſponte poſtmodum turbantur, earum turbationem ac contenti præcipitationem utplurimum adjuvant ſæpius accelerant, rariſſime impediunt.

2. *Acida ſedimenta* præternaturalia vel ſponte ſua vel illorum ope præparata, condenſant & intenſius tingunt; hoc eſt ſpiſſiora magis & ſubinde grumoſa reddunt, ac proprium eorum cruorem magis ad rubedinem accedere faciunt.

3. *Acida interdum perrarò*, ſedimentum præternaturale, vel ſponte ſua, vel eorum adjumento præcipitata reſorbent, & tunc ferè copioſa, ruffa, quaſi ſabuloſa aut arenoſa concrementa in fundo ſubſidentia ſuppeditant.

4. *Alcalia præter contenta* præternaturalia ſpontè ſua ex urina ſeparata ulterius alia contenta naturalia ex eodem præcipitare ſolent.

5. *Alcalia utplurimum* urinas præternaturaliter turbidas reſtituunt priſtinæ perſpicuitati, & ſpontè præcipitatum ſedimentum præternaturale quaſi reſorbent,ſubinde perfectè, ſed hoc rarius i.e. ut contentum abſorptum perfectè diſpareat urina exacta perſpicua fiat.)Subinde imperfectè & hoc frequentius, h.e. reſorbeatur licet contentum,urina non fit perfectè clara ſed idem contentum quod antea denuò præcipitatur, utut in colore mutatum: Nam

6. *Alcalia ſedimenta urinæ* præternaturalia ſui miſcela conſiſtentia magis rara,motu leviora,colore magis candida redduntur, ſed hæc omnia magis à volatilibus quàm à fixis.

§.23. *Ex hactenus tentaminibus circa urinas in ſtatu morboſo collectas collatis cum iis in ſtatu naturali obviis, mox inſignem contentorum præternaturalium, à naturalibus differentiam deprehendere licebit*, ſanè ſi proprietates & affectiones contenti utriusque rectè conſideremus,tantum non toto cœlo differre videbuntur. Aſt dubium eſt qualis differentia inter contenta naturalia & præternaturalia locum ſpecialiter obtineat, an ſaltem formalis an præterea quoque materialis. Equidem quoad formalem differentiam quoad texturæ nempe modum nulla lis eſt quando talis intercedat ſaltim de naturali dubitatur primariò, circa quam ſunt tres hypotheſes, 1. *Eandem eſſe materiam* contentorum naturalium & præternaturalium. 2. *Eſſe diverſam*, 3. *Eſſe partim eandem* partim diverſam,conferatur hîc *Plempius in fundam. Med.lib. 5. §.3. c. 6. §.320.* Verum ſi præter notabilem phœnomenum diverſitatem, ex ſola formali texturæ diverſitate, citra materiæ ſubjectæ differentiam vix explicabilem ulterius conſideremus iu quantum morboſo ſub ſtatu & hujus varietate, ac præternaturalibus functionum læſionibus humores corporis quivis neceſſar ò alterentur & vitientur, concludendum omnino contenta iſta urinarum p. n. materialiter & formaliter eſſe diſtincta à naturalibus.

§. 24. *Vnde quadruplex contentorum præternaturalium* materia omnino ſtatuenda venit. I *Ipſa contenta naturalia ſub ſtatu morboſo* plus minus alterata, in præternaturalia abibunt. Notum enim eſt quidem urina cruda in ſanis excreta, h. e. quæ tenuis & minus contentorum ſecum vehit ſub diæta ſaltim liberaliore, morbos pronunciet, in quibus poſtmodum copioſa contenta in urina præcipitantur: Hinc ſecundum effatum Galeni qui ex otio & repletione febricitant, ſi ſanitati reſtitui debent, in eorum urina neceſſariò plurimum ſubſidet. Illa nempe quæ ſano in ſtatu ob excretionis errorem retinentur, per ebullitionem febrilem præcipitantur & ſeparantur.

§. 25. Deinde eaque primaria & frequentiſſima contentorum præternaturalium materia eſt chylus vitioſus ac uſibus ad naturalia deſtinatus ineptus,h.e.nec ſanguini nec part bus ſolidis debitè aſſimilabilis.Nam ſi ſub ſanitatis latitudine chylus undicunque vitiatus cum urina excretus, ſedimenti partem ſubinde conſtituit, ita multo magis præternaturaliter degenerans idem ſub urinæ vehiculo eliminabitur. Quæ vitia chyli uti ſolent eſſe tantum non innumerabilia, ita etiam in contentis urinæ tàm inſigniter variantia Phœnomena exhibent. *Tertiò*, quin etiam contentorum præternaturalium in urina materiam ſuppeditant cæteri quivis etiam laudabiles corporis humores tàm primariò chylus ac inde genitus ſanguis, quàm bilis & lympha, ſub morbi curſu plus minus alterati & à ſtatu naturali dejecti, genitæ hinc ex mutata textura portiones, motu inteſtino in ſanguine ſecernuntur,& per urinam abſorpta abſumuntur, & ita contenti præternaturalis partem pariter conſtituunt. Locum obtinet primariò in febribus, in quibus minus probabile eſt, tantum partium heterogenearum præextitiſſe in humoribus & ſpeciatim in ſanguine, quantum poſtmodum ſub febrium motu cum urina emittitur, nam minimum ſubinde eſt quod talium morborum cauſa materialis exiſtit, quin ſi ſub purgatione vehemētiori, purgantia acriora alterando humores corporis excrementa fabricant, ita ſub febrili ſanguinis commotione, ſimilia talia plura ceu producta morboſa de novo fiunt, quæ cum urina excernuntur.

§. 26. Quin imò ſi altius negotium hoc examinare velimus etiam ſub morboſo hoc ſtatu in ipſis partibus ſolidis nutrimenta earum præternaturaliter alteratum & colliquatum contentis in urina materiam ſuppeditabunt. In febribus colliquativis, ſub contabeſcentia item corporis, hoc evidens videtur, in quibus non tàm alimenta agglutinandi defectu, quàm agglutinandi retrograda reſolutione, & hinc per loca varia ſenſili excretione partes iſtæ ſolidæ emarceſcunt,ita ut in plurimis morbis ipſis ſolidis partibus non decedere & vehiculo ſeri per urinam quoque excerni videatur. Notatu digna ſunt verba *Fernelii de urinis lib.3. cap. 11. pag. 227.* Quin etiam corporis humorúmque moles, nonnunquam liqueſcit, dilapſáque diffunditur per urinas: Quomodo obſervavimus bibulum quendam, optimo corporis habitu diebus circiter 8. ex ingenti corporis mole in magnam gracilitatem citra ullam vim morbi collapſum, id etiam caloris aut colliquātis vi febris fieri proditum eſt,túmque urina multa non tamen tenuis & alba cernitur ſed flammea vinea aut paſſea,cui etiam pingue & oleoſum quoddam innatat.

§. 27. Quo magis ergo contenta præternaturalia ad naturam ſive texturam naturalium acceſſerit, eò magis etiam ſub ſalium mechanico examine. Phœnomena contentis naturalibus ſimillima exhibebunt. Quod verò inſignem iſtam à naturalibus contentis diverſitatem ſub iſto ſalium examine in contentis præternaturalibus attinet, ante omnia præſupponenda ſunt plura chyli vitia, & corruptelæ, quas ſub digeſtione primâ contrahit. Quod ſi ergo contingat chylum nunc pinguem quidem ſed ſimul plus minus viſcidum eſſe ac ſimul vitioſè acidum, ita tunc dum contenta ex tali chilo pinguia plus minus glutinoſa & occultè vitioſè acida urinam imprægnant, & hinc ex texturæ vitiata conſtitutione ſpontè præcipitantur,

urinæ tales ab alcali promptè reſtituentur perfectè vel imperfectè, quatenus contentum præcipitatum ob acidum occultum facillimè cum alcali coit, quod ſe unit acido, ſolvit pingue unde concretum ſaporis inſtar in aqua ſolubilis apparet ſicuti è contra acidum contentum tale ex texturæ ratione magis cōdenſans ejus præcipitatione promovebit. Quod ſi contentum ſit perfectè ſalſum oleoſum, aliquoque ſaturatum, quale in urinis febrientium perfectè coctis, in urinis hyſticorum etiam obſervatur. Tale nec ab acido nec ab alcali quoad ſolutionem aut alteratione alterabitur, ſed idem ſemper manebit. Et ſic ex tali ac ſimili alia analogia ac proportione contentorum reſpectu additorum ſalium Phœnomena contentorum urinæ præternaturalia explicari & uſui practico acccomodari debent.

§. 28. Ex his etiam natura coctionis & cruditatis pathologicæ explicanda venit: Nempe acidum præternaturale concentrando urinam ejuſque contenta, hanc intensè tinctam, craſſam, perſpicuam, hoc eſt, crudam reddit: Quod ſi infringatur ſucceſſivè acidum & plus minus ſaturetur, fatiſcere citius textura urinæ & contenta præternaturalia ex eadem ſecedere incipient, eritque coctionis inchoatæ in urina craſſa & turbida indicium. Quodſi denique perfectè ſit ſaturatum urinæ acidum ita ut omnia denuo in corporis humoribus ſub temperatura ſalſo-oleoſa æqualiter moveantur, contenta copioſa mox ſecedentia urinam claram eleganter tinctam ſupernatantem habebunt, & ſic perfecta erit coctio. Medium hujus coctionis eſt motus fermentativus præternaturalis mediante quo acidum præternaturale ſaturatur & ita cum ſalſo ſapore ab aliis particulis præternaturalibus involutum unà excernitur. Modus coctionis hujus, conſiſtit in præcipitatione, dum acidum ſaturatum cum aliis particulis heterogeneis cæteris in ſanguine non benè miſcibilibus ex legibus mechanicis propter figuræ, magnitudinis, texturæ diſproportionem ex aliorum conſortio extruduntur, & ita præcipitantur. Heterogeneæ hæ partes præcipitando ſeparatæ à ſeroſo laticè imbibitæ cum urina foras excluduntur. Uno nomine cruditas pathologica conſiſtit in præternaturali unione utilium cum inutilibus facta ab acido. Coctio conſiſtit in inutilium ab utilibus ſeparatione, facta per ſeparationem acidi. Medium eſt motus fermentativus ſub quo in novam texturam abeunt particulæ unibiles, & ſucceſſivè ſaturatur acidum, hinc cæterorum conſortio extruduntur. Modus ſeparationis eſt præcipitatio ſpontanea, inſtar fœcum in cereviſia fermentante: Effectus eſt excretio ſeparati cum urina & hinc coctionis ſigna.

§. 29. *Pergimus ad ſecundam claſſem contentorum* præternaturalium nempe præcipitatorum, quæ arenarum, ſabuli, chryſtallorum forma nunc in urina ſubſident, nunc vitri parietibus affiguntur ut & pelliculæ multiplici colorum varietate tinctæ facie urinæ innatant, aut quæ cruſtæ plus minus glaucæ forma vitrum incruſtant, qualia morborum Chronicorum aut ſaltem affectuum hypochondriacorum aut ſpleneticorum Comites aut indices exinde exiſtunt', Salina coagula aut tartarea concreta uno nomine vocari poſſunt. Circa hæc ſit Experimentum.

1. *Urina juvenis ex febre* intermittente malè curata adhuc languidi, naturaliter conſtituta ad ℥iii. permiſta fuit cum lixiv. cin. clav. non adeo acri ʒiii. & mox copioſum ſedimentum præcipitavit, color idem permanſit, ejuſdem ℥iiß. inſtillavi ſpiritus nitri rectificati ʒi. nulla hic præcipitatio, ſed inſignis in colore intenſio. Cum copioſis arenis ruffis, ſive potius chryſtalliſatis ſalibus undique vitro adhærentibus ſicuti plures tales arenulæ candidæ ſive ſalia, quaſi cruſta glacialis illi cum alcali adhærebat.

2. *Vrina quadam mane collecta*, clara, ferè naturaliter tincta cum copioſo ſedim. naturali in fundo apparebat, ab inſtillato ſpiritu ſalis Marini in continenti, urinæ penitus abſque ſedimento erat & urinæ naturaliſſimæ inſtar conſtituta an tincta: Sequenti die urina clara ſine contentis intenſo ſanguineo colore erat tincta & copioſa ſalia inſtar arenarum ruffarum vitrum, incruſtabant, copioſi etiam in fundo fluctuabant. Inſtillo lixiv. cin. clav. ultra ſaturationis punctum, & copioſum contentum chyloſum mox extrudi cœpit: ſequenti mane præter hoc ſedimentū copioſiſſimi chryſtalli cādidi arenuli formes undique vitrum obduxerant cum leviſſimo nebulæ albicantis veſtigio.

3 *Vrina quædam veſperi* ante cœnam collecta in mediocriter convaleſcente turbabatur, & cruſtam denſam vitro affigebat ſequenti mane omnē urinam cum contentis effundo vitro vero cum reſtitante cruſta dimidiam aquæ reſpectu effuſæ urinæ partem infundo, inſtillavi deſuper ſpiritus nitri q.ſ. agitando vitrum, hinc omnis cruſta ſucceſſivè evanuit & altero die illius loco arenulæ ſive tartarus chryſtalliſatus, moderatè ruffeſcens partim in fundo fluctuare partim hinc inde vitro affigi videbatur.

Vrina hominis ſani jam ad putredinem ruenti & quæ præter cruſtam glaucam denſam, in hac ſimul ſalia parva candida chryſtalliſaverat, inſtillo ſpiritum nitri & ita per biduum relinquo: Ceſſat hinc fœtor, & cruſta ferè tota evanuit, & tantillum ejus veſtigium reſtitit, urinæ candidæ chryſtalliſatæ etiam evanuerant, loco quarum ſalia talia arenoſa ruffa hinc inde vitro ſe affixerant & magna earum pars in fundo vitri mobilis fluctuabat. Eadem Phenomena apparent ſi ſimili urinæ ſanæ ad putredinem ruenti cum cruſta denſa ſpiritus ſalis communis inſtilletur.

5. *Vrina mane emiſſa* bene conſtituta, copioſam denſam glaucam cruſtam, à meridie vitro affigebat, ipſa urina clara permanente. Sequenti die cruſta tenuior apparebat & chryſtalli ruffi copioſi in eadem apparebant. Relicta denuò urina ad ſequentem diem urina in vitro naturaliter conſtituta erat, cruſta penitus evanuerat, cujus loco copioſi chryſtalli ruffi vitro ſe affigerant, & copioſiores circum fundum mobiliores ſe coacervarant, adeo eſt eadem cruſtæ glaucæ & chryſtallorum ſabuli formium materia.

6. *Vrinæ laudabiliter* conſtitutæ inſtillavi ſpiritum vitrioli rectif. unde tinctura exaltabatur ad ſanguinem ruborem, & copioſa ſalia ruffa fundum occupant: urinam hanc filtro ab his ſalibus ſabuli formibus ſeparavi inſtillavi lixiv. cin. clavell. ad ſaturationem uſque, & ſequenti die remitti ſucceſſivè tinctura cœpit in ſpecie pellicula denſa & firma ſupernatabat urinæ quaſi ex ſtellulis hexagonis intertexta conſtaret. *Ex his Experimentis ferè ſequentes elici poſſunt Concluſiones.*

(1.) *Ab acido intenſiori* urinoſas terreas quaſdam particulas coagulante generantur concreta ſalina ſabuli-formia ruffa in urinis.

(2.) *Ex particulis urinoſis* magis terreis adeoque fixioribus in urina abundantibus generantur concreta ſalina, candida, ab acido coagulante non adeo acri.

(3.) *Ex particulis iiſdem urinoſis*, fixioribus, ſed ſubſtantia pingui inviſcatis gignitur cruſta glauca & à ſuperveniente acido facilè in tartarum ruffum coagulatur.

(4.(*Salium acidi & urinoſi* copioſorum aut acrium in vehiculo aquoſo rectè ſolutorum, ſaturationem mutuam & hinc concretionem ſequitur pellicula & cremor pinguedinis inſtar urinæ ſupernatans diverſimodè tincta.

§. 30. Origo ergo horum concrementorum coagulato

torum videtur eſſe efficienter ab acido, naturaliter ex terreo urinoſo fixiori, invicem coagulatis & coagmentatis. Quod ut pateat, obſervandum eſt quod hæc concreta tartarea omnia ſint productum præternaturale, nam ſi ſubjecta conſiderentur in quorum urinis concreta talia obſervantur, ut hypochondriaci, ſcorbutici, item à febribus aut diuturnis aut malè curatis denuò convaleſcentes, illa ſunt talia in quibus alimẽtorum aſſumptorum debita attenuatio & volatiliſatio in primis viis minus perfecta eſſe ſolet, unde particulæ urinæ urinoſæ minus volatiles ſed ſuo modo fixiores magis terreæ exiſtunt, quæ cum urina maturè excernuntur, quæ eo manifeſtiora ſunt, quod *Borrichius in Actis Haffnienſibus vol.2.p.*171. *&* 182. Minus ſalis volatilis plus fœcum terrearum in febrientium ſanguine deprehenderit. De hypochondriacis & ſcorbuticis res ita cadit horum urinas acriores & ſalſiores exiſtere, & præter hoc, quod debitæ volatiliſationis aſſumptorum in primis viis defectu particulis urinoſis minus volatilibus ſed ferè fixioribus impregnatæ ſint, imprimis acidũ eſt quod in eorũ urinis luxuriat, unde etiam tartareus ruffus variegata pellicula tam crebro in eorũ urinis concreſcit. Nempe in his concretionibus tartareis & ipſum coagulans acidum haud adeo naturale exiſtit, uti ex ſubjectorum à quibus urinæ emittuntur conditionibus ſpontè patet, quin à ſpirituoſa aut volatili natura plus minus deflectens, & ſuo modo acrius exiſtens, præter tincturæ intenſionem etiam peregrina talia coagula in urina generat. Hinc etiam à Practicis annotatum fuit, copioſius generari hujuſmodi tartarum in ſtaneis aut plumbeis, aut terreis vitreatis vaſis quàm vitreis acido iſto rodente particulas metallicas & in iis ceu fixioribus ſe concentrantæ. Plus acidum hoc tartari ruffi coagulatorem in receſſu habere inſinuat *Mœb. Inſiit. pag.*153. Quin imò ipſo in ſanguine aut cæteris corporis fluidis actu coagulationis negotium interdum perficit, adeo ut præter hoc copioſè cum urina prodeant, ac per ſudores copioſè excernantur. *Conferatur Horſtius Manuduct. ad Medic. pag.* 191. *item Takius in f. ſecunda pag.*82.

§.31. Quodſi ſub iſta particularum in tartarea concrementa concretione contingat, vel ſpontè ſeparari, vel potius vi quadam extrudi pingues ſive oleoſas particulas ex illorum conſortio, & ſubinde una cum particulis urinoſo terreis copioſioribus præcipitari, oritur cruſta in iſta nebuloſa ſæpius glauca. Idem Phœnomenon in præcipitatione lactis ſulphuris obtinet. Par verò ratio eſt dum idem Phœnomenon ſub incipiente urinæ putredine obſervatur. Quod verò ſaltim copioſius ſulphur ſive pingues particulæ ſolæ cruſtam iſtam conſtituant, ut vult *VVilliſius* de urinis, citra terrearum plus minus urinoſarum conſortium, minus probabile videtur, quia acida inſtillata cruſtam hujuſmodi glaucam abſorbent, interdum cum eadem in tartarum ruffum concreſcunt, jam verò in ſolas pingues particulas ita non agunt acida.

§.32. Ut tandem hæc concludamus, acidum & alcali ſeu duo naturæ inſtrumenta mechanica, & ipſa in ſalſoſo urinæ concreto, utrarumque faciunt paginam, & cujuſvis in urina mutationis fundamentum exiſtũt. Experientia mechanica id teſtante. Ab acido enim plus minus eminente, tincturæ intenſio, ab eodem deficiente tinctæ remiſſio: ab eodem contentum naturale concentrante, ab alcali verò præcipitante, & conſiſtentiæ perſpicuitatis in urina ratio. Quo magis ſub ſalſo urinæ ſapore prævalet acidum, eò diutius citra putredinem ſubſiſtit eadem, quod, uti in ſtatu naturali ſimpliciter obtinet, ita præternaturali ſtatui pariter, ſed mutatis ſubinde mutandis ſub enormi ſcilicet ejus latitudine applicari debet. Quævis in ſtatu præternaturali tinctæ gradualis ab acido in acutis cruditas, ſeu contentorum firma concentratio, à prævalente acido, coctio ſeu eorumdem ſeparatio, ab infracto eodem dependent. Concreta ſalina tartarea in chronicis & ſpeciatim hypochondriacis, ab acido præternaturali urinoſo, terreas ferè fixiores particulas coagulante naſcuntur; Ruffa quidem potentiori exiſtente efficiente acido, candida verò copioſiori exiſtente materia terreo-urinoſa. Cruſta glauca parietibus matulæ affixa, ex urinoſis fixioribus pinguibus particulis inviſcatis conſtat, unde & acido ſupervenientе facilè in tartarum ruffum coagulantur.

§. 33. Cæterum uti non rarò fallax & incertum eſt ex urinâ judicium de quo videatur *Hildanus Cent.* 3. *obſervat.* 73. in ſpecie in febribus malignis; ita & Pulsus non rarò valdopere fallis, non tantum pro varietate affectuum ex variis circumſtantiis ortorum; ſed variæ etiam pulſuum anomalia, & inordinationes, naturaliter quibuſdam contingunt, obſervante hoc *Deodato in valetudinario pag.* 67. adeo ut quaſi uniuſcujuſque naturalis pulſus antea præcognitus eſſe debeat, priuſquam judicium certum de eo morbis immutato ferri poſſit; Unde & *pulſus peſſimi* in febricantibus Mulierculis non rarò Medicus fallunt, teſte *Panarollo Pentecoſt.* 4. *pag.* 48. item *varii pulſus, & diſtincti* in eodem ſubjecto obſervantur, dum pulſus in dextro carpo optimus in ſiniſtro peſſimus obſervatus fuerit, idque ob ulcus & abſceſſum in pulmonibus illius lateris, teſte *Bartholino volum.* 1. *Act. Haffnienſ. p.*18. adeo, ut in pulſuum cognitione & judicio omnia probè à Medico ſint conſideranda, utut raræ quædam mirandorum ex pulſu prædictionum hiſtoriæ, hinc inde etiam proſtent, quas vide in *Schenckii lib.*2. *obſerv. pag.*286. *& Bartholin. cent.*5. *hiſtor.* 37. in quo ipſo mirum quantùm excellunt Medici Sinenſes & Japonenſes, ita ut mirificè excellant in Diagnoſi & prognoſi morborum ex pulſu.

§. 34. Ex pulſu ipſo duo ſaltem cognoſci & exinde Prognosis inſtitui poteſt. Nempe (1.) Statum fermentationis vitalis Sanguinis in præcordiis. (2.) Ex fermentante & conſequenter plus minus ſpiritueſcente ſanguine virium vel robuſtiorum, vel infirmiorum conditionem. Pro quibus ritè cognoſcendis, *in pulſu* pertentando, *Quatuor requiſita* attendenda ſunt.

1. Cor Movens, ratione cujus in motu vigoris pulſus evadit vel vehemens, vel debilis, indeque virium vel conſtantium vel deficientium ſignum exhibet.
2. Sanguis Mobilis ratione ſuæ turgeſcentiæ fermentativæ, unde pulſus vel magnus vel parvus, adeoque vel laudabilioris, vel defectuoſæ fermentationis in ſanguine judex.
3. Instrumentum, ſeu organon, per quod fit ſanguinis motus, nempe Arteria pro cujus conditione pulſus vel mollis vel durus exiſtit, quæ arteriæ durities nil aliud eſt, quàm ſpaſmus quidam, aut convulſiva fibrarum membranæ, arteriæ contractio, indeque in diſtenſione retinentia exiſtit, & membranam in quodam loco affectam dolentem, aut ſpaſmo correptam innuit, ut in Pleuriticis, Nephriticis obvium eſt.
4. Tempus, quod monſtrat motus durationem obſervabile, vel in una ſaltem pulſatione, unde pulſus vel celer, vel tardus, aut in pluribus ictibus, unde pulſus vel frequens vel rarus: Quæ temporis ratio à diverſa ſanguinis fermentantis conditione dependet, prout enim cor & ſanguine intenſius aut remiſſius fermentante magis vel minus irritatur, etiam frequentiores aut rariores, celeriores aut tardiores, hujus fiunt contractiones & conſequenter pulſationes. vid. hîc optimus, quia perſpicuus, *Sylvius Diſſertat. Medic. Diſſ.*3. §.37. *ſeqq.*

§. 35. Simplices hæ differentiæ pulſuum invicem

collatæ, compoſitas dant differentias, quæ mutuo inter eas habito reſpectu, vel æquales ſunt, vel inæquales; ſicut Diaſtole arteriæ collata cum ejus Syſtole pulſum dat vel ἔυρυθμον, vel ἄρυθμον. Omnes hæ differentiæ quò plus recedunt à ſtatu naturali, à conditione ægri, à ratione morbi, & cauſa morboſa varia, eò ſunt pejores; quò minus, eò meliores. In ſpecie debiles parvi & frequentes juncti ſunt peſſimi, in magnis tamen doloribus ſi pulſus fuerit parvus, neminem terreat. *Confer. Barthol. Cent. 5. hiſt. 37.*

§. 36. Inter inæquales pulſus, intermittens & deficiens ſolet eſſe terribilis Medico, quia ſæpè eſt lethalis ægroto, nihilominus quælibet ante omnia circumſtantiæ benè perpendendæ ſunt, antequam feratur judicium. Nam ut taceam abolitum arteriarum pulſum ad plures annos obſervatum fuiſſe *à Rhodio Cent. 2. obſervat. 42* vel ſaltem eundem in quibuſdam ſubjectis digito applicato non ſentiri, quale exemplum *Vid. in Bartholin. cent. 4. Hiſt. 42.* certè interdum ex variis cauſis impedimentum occurrit, quo minus arteriæ pulſare queant, utut res careat periculo; modo bene cognoſcatur origo, ſic ob præſentem Plethoram, indeque impeditum ſanguinis motum pulſum interceptum. *Vid. in Schenkio lib. 2. obſ. ubi de pulſu.* Sic ob tumores occultos comprimentes in aliqua parte arteriam, impeditur ejus debita dilatatio, unde obſcuratur, & deficit pulſus in una manu, qui eò erit manifeſtior in altera. *Vid. Panarollus Pentecoſt. 1. obſerv. 32.* Cordis item auricula, à materia craſſa & pituitoſa referta, dat pulſus inæquales & intermittentes, teſte riverio *obſ. 77. cent. 2.* Imprimis tamen ſolet ſubinde intermittere pulſus minori cum periculo in tribus caſibus, nempe (1.) in febribus malignis. (2.) In Pleuritide, (3.) in malo hypochondriaco confirmato aut ſcorbuto. In quibus expertis nota eſt ingens in pulſu variatio, cum non rara ejus intermiſſione, quæ tamen periculo ſæpè caret, ſubinde fortiter cum palpitatione cordis recurrente eodem. *Confer. Miſcell. curioſ. ann. 2. p. 339.*

§. 37. Sicuti *Diagnoſis* rerum præternaturalium ad Pathologiam pertinet, ita *Prognoſis* ad Therapeuticam. Cum enim rarò plus arte Medica valeat gravius malum, ſubinde neceſſe eſt, ut maturè artificioſa conjectura præcognoſcat Medicus, an, & quomodo curabilis ſit affectus, adeoque & eventum morbi & tempus eventus, & modum eventus artificioſo prognoſtico eruat.

§. 38. Neminem autem Prognoſtico relinquat, quia nunquam omnia adeo manifeſta eſſe poſſunt circa ægros, ob ſpecialem uniuſcujuſque individui Idioſyncraſiam- quin interdum hujus ratione, miracula in Medicina fieri videantur, & ii, qui conclamati putantur, præter ſpem ſubinde convaleſcant.

§. 39. Fundamentum legitimæ Prognoſeos cujuſcunque eſt circumſpecta conſideratio roboris naturæ, & violentiæ morbi, & utriuſque collatio mutua: quorum quod prævaliturum judicatur, & quomodo, eò vergit omnis Prognoſis, Nempe *Proceſſus quaſi judicialis in Prognoſi* inſtituitur; REUS eſt *Æger*, ACTOR eſt *Morbus*, TESTES, ſunt *Signa*, in ſpecie quæ à conſequentibus deſumuntur, nempe ex parte ægri, functiones, quæ adhuc ſunt naturales, ex parte morbi, ſymptomata; ADVOCATUS eſt *Natura*, INDICIS vicem obtinet *Medicus*, vel condemnans alteram partem, vel judicium in re dubia ſuſpendendo, partes interdum ad SUPREMUM JUDICEM NUMEN DIVINUM, ABLEGANS.

§. 40. Proceſſus hic imprimis ſub criſi evidens eſt, ſub qua ſubitanea fit mutatio, eaque in manifeſto vel melius vel pejus. Utut rarius apud nos contingant, cum corpora noſtra ſolidiora victu craſſiori utentia, frequentius labe ſcorbutica infecta, ſanguine minus turgeſcente prædita in climate minus fervido, ineptiora ſunt, ut criticas ſubeant alterationes, unde ſæpius evenit, ut negligatur criſis, partim quia bonus Medicus eam nititur prævenire, partim quia ipſi dies minus certi exiſtunt, cum & extra ſeptenarios ſubinde criſes laudabiles eveniant. *Vid. de his Sanctorius in Comment. in Aphoriſm. Hippocratis, item Methodo Vitandorum errorum in Medicina p. 833.*

Tantùm ſoli Deo gloria.

PRÆCEPTA

PRÆCEPTA HYGIENÆ ET THERAPEUTICÆ.

CAPUT PRIMUM.

DE RATIONE CONSERVANDI Sanitatem per Præcepta Hygienes.

§. 1.

FUndamentum generale legitimæ diætæ pro ſanitate conſervanda ſubminiſtrat *Celſus lib.* 1. *c.* 1. dicens: *Sanus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe obligare legibus debet, ac neque Medico, neque Iatrolepta egere*, h. e. nullis ſtrictis diætes regulis ſe alliget, ſed libertate ſua utatur, *aliàs medicè vivere eſſet peſſime vivere.* Cum vero *ex Hippocrate* conſuetudinis ſit maxima vis, & in aliam naturam tranſmutandi efficacia, hujus dictamen in rerum non naturalium uſu eſt audiendum.

§. 2. Specialius conſervandæ ſanitatis medium docet *Hippocrates, inquiens: Sanitatis ſtudium eſt non ſatiari cibis & impigrum eſſe ad labores*: Morbos vero præcavendi rationem idem ſubminiſtrat, dum docet: Quiete & abſtinentia multos magnos morbos curari. Hinc rectè SOBRIETAS *ab Helmontio* TOTIUS DIÆTES CARDO vocatur.

§. 3. Ætatibus quò magis minuſque congrui ſint quidam morbi, etiam horum exactam rationem habendam ſuadet Hippocrates. Hinc INFANTUM, quorum ſanguis, inſtar recentis muſti moderate fermentat, & hinc facile vitiari poteſt, SANITAS OPTIME CONSERVATUR, modo impediatur lactis coagulum, vel ejus ſub digeſtione depravatio, inſignis enim infantilium affectuum diverſitas, utplurimum ex vitiato lactis coagulo, indeque oriundo muco acido & pontico, originem ducunt, id quod excreta viridia, ſeu æruginoſa ſufficienter declarant. Hinc præter remedia aniſata; lac corrigentia, etiam terrea alcalina, acidum abſorbentia, Lapilli cancrorum Corallia, CC. imprimis ſalia volatilia, v. g. liquor CC. ſuccinatus, item ſpiritus Armon. aniſatus tenellis impenſe conducunt, eorumque declinantem, ſanitatem firmant (*) Calor activum vitæ inſtrumentum & conſequens, conſiſtens in motu celerrimo acidi volatilis oleoſi, gliſcit in infantibus, concitatiſſimè agitatur & quaſi deflagrat, ut in juvenibus, remittit motu, qui partim deficit, partim minus volatilis eſt, in ſenibus ordinario tepeſcentibus. Fundamentum ſpiritus influus & inſitus exiſtunt, qui ſunt iſtud naturale acidum, volatile oleoſum, cujus motu calor iſte tanquam ſignum eorum impetus ſequitur, in hujus ergo naturali conſervatione & temperatione, adeoque debita ad corpus habitudine conſervanda occupata eſt HYGIENE. Ergo in ætate accreſcente, gliſcens obruendo alimentis non extinguatur, in ætate conſiſtente vi æquabili temperatura conſervetur, in decreſcente analogis excitetur.

* Poſt ablactationem vero habenda imprimis eſt ratio Addephagiæ ſeu nimiæ voracitatis, cujus occaſione ob cruditatem acidam generatur pituita acida viſcida: unde plures puerorum morbi dependent, & ad quam fere ſemper in iiſdem reſpectus habendus venit.

§. 4. IN ÆTATE CONSISTENTE JUVENUM ET VIRORUM dum ſanguinea maſſa inſtar vini generoſi in ſuo eſt vigore, ſummaque ſpirituaſcentia, obſervandum eſt; pro conſervanda horum ſanitate, ne vel nimias concipiat efferveſcentias, in periculoſos acutos morbos erumpentes, vel ne cito nimis in ſuo vigore deficiat, ad præmaturam ſenilem debilitatem, idque aut per nimios corporis motus, aut per intenſiores & crebriores meditationes; Unde per conſuetum, ſimul tamen moderatum rerum naturalium uſum, æquabilis ſanguinis motus & fermentatio conſervetur. In ſpecie *in priori* exceſſu ferocior ejus impetus fixioribus imprimis nitratis refrænandus, ſpirituumque nimius motus opiatis ſiſtendus, *in poſteriori* vero defectu ſpirituoſis volatilibus & aromaticis conſervandus ſpirituum vigor.

§. 5. SENES tandem LANGUESCENTES, cum eorum ſanguis inſtar vini aceſcentis, vel ex rancore vappeſcentis fit effœtus ſpiritibus depauperatus indeque ex acidi abundantia crudiſque ſuccis fit craſſus, tardeque mobilis, quæ omnia ex deficiente ſtomachi digeſtione dependent, per generoſi ſpirituoſique potus & ciborum, vel condimentorum aromaticorum moderatum uſum ſunt reſtaurandi, quibus & moderatum gaudium & blanda corporis diaphoreſis, per Rob Sambuci, vel Juniperi conſervetur: Accedat ſimul hic moderatus adeoque cautus ambratorum uſus, quorum virtute fulciantur, non vero proſternantur ſpiritus.

CAPUT II.

DE METHODO MEDENDI.

§. 1. LEgitimam curandi morbos rationem docet THERAPEUTICA, dum legitima agendorum notitia ſeu methodo medendi inſtructus medicus, ſalubriter ſuccurrit ægris. *Notitia hæc curandi, vulgo medendi methodus vocari ſolet*, & innuit artem, cujus ope medicus auxilia invenit, eaque legitime applicat pro ſanandis morbis. Revera autem *Methodus* hæc *medendi conſiſtit in judicio medici practico, fundato in judicio ejus Theoretico*, i. e. in accurata inventione & artificioſa applicatione mediorum curandi, unde, prout hypotheſes medicorum ſeu judicia variat, etiam variat medendi methodus, alia nempe eſt GALE-

NICA, PARACELSICA, POTERIANA, &c. Quod judicium rationale, memoriæ contradiſtinctum, in œconomia animali particulari proximè & in univerſæ naturæ notitia remote fundatum eſt, quod revera ſagacem & prudentem conſtituit medicum, & artem ejus conjecturalem, non ſuperficialem aut temerariam, ſed fundamentalem & accuratam conſtituit. Unde & proptér Caſuum in praxi varietatem & circumſtantiarum inextricabiles nodos, morborumque novorum ſubinde, ex accreſcente hominum luxuria & contagiorum conexu vario proventum, judicioſus magis, quàm memoriâ præditus conſulendus medicus, quatenus hic non niſi viſa ac audita, ille plane nova mentis acie penetrare valet.

§. 2. Eſt equidem NATURÆ morborum medicatricis MINISTER MEDICUS, teſte *Hippocrate*, h. e. non agere debet aut poteſt, niſi quatenus nexus & ordo cauſarum corporis œconomiam conſtituentium & conſervantium permittit, quo in ordine, ceu prima cauſa eminent ſpiritus, impetū illud faciens Hippocratis, præſertim influus, ſicuti fundamentum hujus naturæ medicatricis conſiſtit primario in fermentatione ſanguinis, prout ab acido & alcali peragitur & præſupponit iſtam fermentationem, quæ in ſtomacho & inteſtinis peragitur. Adeoque non conſiſtit NATURA in partibus externis, nec in viſceribus ſeu partibus ſolidis, ſed in contentis ſeu fluidis. *Formaliter* quidem, & proximè in ſpiritu, *fundamentaliter* vero in ſanguine ejuſque motu inteſtino fermentativo. Sed obſervetur hic triplex naturæ ſtatus *ab Helmontio tract. ignotus hoſpes morbus* §. 89. *it. tract. Catarrhi deliramenta* §. 1. inculcatus, naturæ ſcilicet ſtantis, ſedentis & jacentis, ubi medicus imprimis duobus ſtatibus ſolus eſt miniſter, naturam adjuvans & imitans, ſed in tertio proſtratæ naturæ ſtatu medicus potius ejus eſt Patronus & Rector, eam denuo erigens & in libertatem vindicans; quod ipſum non niſi adeptis majoribus medendi, arcanis inſtructis conceſſum eſt.

§. 3. *Legitime autem ſanat morbum* medicus, qui tres haſce conditiones ceu legitimas curationis normas obſervat: nempe ut cito, tuto & jucunde curet: CITO, ratione temporis & citra moram, TUTO ratione effectus, citra recedivæ aut alius cujuſdam periculi metu, JUCUNDE ratione modi & cum nulla, quantum fieri poteſt, eveniat moleſtia. Faciet hæc medicus imitando legitimam functionum quarumvis naturalem rationem, temperatis imprimis inſiſtendo remediis.

§. 4. MEDIA CURANDI invenientur tribus modis (1.) *per rationem* in Philoſophia naturali & œconomia fundatam & vocatur alias indicatio. (2.) *Per experientiam* in aliquot exemplis jam olim obſervatis fundatam, qua ratione medicamenta ſpecifica dicta, quarum agendi ratio à priore non poteſt adeo exacte demonſtrari, in uſum vocantur. (3.) *Per analogiſmum* in ſimilitudine affectus unius cum altero fundatum, unde medicamenta, affectus cognita appropriata, applicantur etiam in affectu altero incognito, priori tamen ſimili, id quod imprimis in novis, aliiſque incognitis affectibus uſu venit. In his tribus inveniendi auxilia mediis, quaſi modus argumentationis ſyllogiſticæ, nunc perfectæ nunc imperfectæ occurrit. Medium argumentationis deſumptum à ratione, eſt indicatio, & dat Syllogiſmum perfectum medium ab exemplis pluribus æqualitas eſt experientia, & dat inductionem: Quod ſi medium ſumatur ab alio exemplo ſimili fit analogiſmus, & eſt argumentandi forma, quæ vocatur exemplum.

§. 5. Ex his EXPERIENTIA primatum obtinet, DILUCIDATA imprimis PER RATIONEM, nam omnis ratio in naturalibus ſenſuum præſupponit obſervationem, adeoque experientiam. Hinc omnis ſpecificorum remediorum, quæ *Helmontio* APPROPRIATA dicuntur, efficacia, caſu utplurimum inventa, per experientiam confirmata, & hinc per rationis ſcrutinium, quantum fieri poteſt, illuſtrata fuit. Equidem experimenta & ipſa ſpecifica in omnibus ſubjectis eandem vim nullo modo ſemper habere poſſunt, quin interdum & ipſa ſint fruſtranea, idque propter Idioſyncraſiam uniuſcujuſque individui ſpecialem, propter quam neceſſario habitudo ſeu reſpectus, quem habet remedium, tanquam agens, ad corpus ægrum, tanquam patiens, variat. Simili negotium illuſtro. Pulvis Gallapæ ad ℈j. hunc copioſe, illum plane non purgat, utut centum alios purgaverit; Exinde tamen hujuſmodi experimenta ſpecifica, ſtatim tanquam nulla plane rejicere, inſulſum eſt; Nam in rebus talibus contingentibus, eâ quæ utplurimum ita fiunt, neceſſarii affectus locum obtinent. Exinde exſurgit *methodus Dogmatica* & Empirica, *quæ eſt duplex*; *Rationalis* ſeu circumſpecta, *&* *audax* ſeu temeraria. Semper nempe neceſſe eſt, ut omnis medicus nonnihil ſit empiricus; Interim tamen in praxi ne ſit tumidus, nec tamen etiam ſit nimis timidus. *Felix ſit medicus quoad eventum, non fortunatus*, cum ratio à fortuna & caſibus fortuitis longius abſit, interim & hanc non plane rejiciat, cum & caſu quidam interdum curentur & etiam miracula in medicina fiant.

Triplex quoad remedia, quibus curationes fiunt, eſt differentia. Nam *curatio fit*, vel (1.) *Per generalia* ſaltem & univerſalia. Evacuantia & alterantia, quæ methodus eſt communiſſima, & quo etiam STLVII PRAXIS pertineat. Vel, (2.) *Per particularia* ſeu ſpecifica, cauſæ aut affectui ſingulariter appropriata ac appoſita. v. g. Priapus Ceti in dyſenteria, Chelidonium majus in ictero, viſcus corylinus in Epilepſia. vel, (3.) *Per arcana* ſeu ſublimiora remedia & quæ ad Penaceæ faſtigium plus minus aſſurgunt, quorum uno alterove pluribus & tantum non omnibus affectibus ſuccurrere ſatagunt, dum ſimpliciter vires naturæ roborando, & ejus inordinationes ſiſtendo operari videntur. Sed cum paucis hic licet adire Corinthum, optima videtur medendi ratio quæ poſt generalia ſpecificis ſeu appropriatis imprimis utitur.

§. 6. *Indicatio eſt Oſtenſio auxiliorum*, ſeu demonſtratio agendorum in ſe nempe & abſolute conſiderata, reſpectu vero medici indicatio eſt inventio remedii in medico, pro curando affectu, ex eo quod cognoſcit ratione à priori tale remedium hanc habere potentiam, ut tollat talem affectum. Id ergo, quod medicum, ceu artificem dirigit ut inveniat remedium, dicitur INDICANS, id vero quod ipſi agendum indicatur, dicitur INDICATUM. Nexus cauſalis, inter indicans & indicatum dicitur INDICATIO. Indicatio hæc ratione oſtenſionis ab indicante factæ, eſt vel *Conſervatoria* rei naturalis, & dicitur indicatio vitalis, vel eſt *ablatoria*, rei p. n. nempe, vel morbi, & dicitur indicatio *Curatoria*, vel cauſæ morboſæ & eſt indicatio *præſervatoria*, vel Symptomatum urgentium & totuplex etiam indicans & indicatum eſſe ſolet. *Indicatum* porro dividitur in quid agendum, & uſum, ſeu in auxilii matetiale & formale. *Quid agendum* ſeu auxilii materiale, eſt ipſum medium ſeu auxilium indicatum, *Uſus* vero ſeu auxilii formale eſt legitima ejus uſurpandi ratio, quæ pro circumſtantiarum varietate multis admodum modis variat.

§. 7. *Fundamentum*, ex quo medicus ex indicante cognoſcit indicatum *eſt ratio fundata*, tam in hiſtoria naturali, quàm œconomia animali in genere, in ſpecie tamen eſt fundamentum nexus vel reſpectus hujus inter indicans & indicatum, quod remoto uno, ponatur alterum, & poſito uno removeatur alterum. Medicus ergo per medium rationis ex curſu cauſarum naturalium elicitæ, invenit id, quod valet removere illud præternaturale, ut permaneat vel reſtituatur in legitimum ſtatum, id quod eſt naturale. Hoc alii explicant, per uſitatum illum Canonem, quod *contraria contrariis curentur*, *ſimilia ſimilibus conſerventur*. Ubi non ſtrictè contraria, neque tantum oppoſita intelligenda, ſed omnia ea, quæ tali ſe habent modo

ad

ad ſe invicem, ut in corporis noſtri œconomia ſimul eſſe nequeant, ſed poſito uno, alterum quacunque ex cauſa removeatur. Qua ratione facile hæc trita ſententia conciliari poteſt cum iis, quæ habet *Helmont. Tractat. Natum Contrariorum neſcia*. §. 15.

§. 8. *Indicans eſt in genere* illud, quod oſtendit agenda, ut homini reſtituatur ſanitas quæ agenda ſunt tam vitanda, ſeu omittenda, quàm uſurpanda ſeu applicanda. *In ſpecie*, quid ſit hoc indicans, facile ex eo cognoſcitur, quod medicus naturæ ſit miniſter. Hæc ergo totam ad ſe convertit medendi rationem. Hæc eſt internum principium, gubernans corporis œconomiam, inducens & ſanans morbos. Natura ergo primario indicabit quid agendum ſit medico, ut conſerventur vires & curentur morbi; ut auferantur cauſæ, ut placentur ſymptomata. Circumſtantiæ vero ipſæ naturales, ut ſexus, ætas, vitæ genus, idioſyncraſia, climatis ratio, aſtrorum influxus, quatenus naturæ vires ſuo modo limitant, & etiam indicationem ejus primariam, certa ratione modificant, ſecundaria ſunt indicantia eaque nunc permittenda nunc prohibentia dicuntur.

§. 9. Quoad *Indicati uſum*, obſervetur illud effatum *Epiphanii Ferdinandi*: Inviolabili lege obſervandum eſt, ut quandoque à remediis abſtineamus, nam interdum remedium eſt nullum adhibere remedium, maximè quando natura à multitudine medicamentorum & diuturnitate doloris afflicta, tunc enim intermiſſionem facere juvat. Illuſtrat hoc in ſua *hiſtor.* 54. *pag.* 188. Exemplo doloris nephritici, in quo poſt novem dies applicatis pluribus ferè fruſtra remediis, cum quietem feciſſet per decimum & undecimum diem, recreata natura, die undecima cæpit plures calculos emittere per venas urinarias. Unde rectè *Borellus inquit cent.* 3. *obſ.* 55. Medicus non minus eſt, qui remedia ægris admovere, quam qui utiliter amovere ſcit.

CAPUT III.

DE AUXILIIS.

§. 1. PRæſidia quod attinet, ſeu auxiliorum naturam tàm conſervandi præſentem (in HYGIENA,) quàm recuperandi abſentem, hoc eſt, amiſſam ſanitatem (in THERAPEUSI) ex triplici fonte deſumuntur. Nempe

(1.) Ex fonte Chirurgico per manuum armatarum artificioſam applicationem.

(2.) Ex Pharmaceutico fonte, per medicamenta ex tribus regnis, minerali & vegetabili deſumpta.

(3.) Ex fonte Diætetico, per rerum nonnaturalium varium, pro circumſtantiarum diverſitate uſum.

§. 2. Præ cæteris auxiliis ſui conſiderationem merentur *ex fonte Pharmaceutico* remedia ceu maximè variâtia, & præ cæteris quibuſvis familiaria. Circa hæc obſervandum, quod illa in quaſvis corporis partes operationem ſuã exſerant, adeoq; in ſpirituoſas, fluidas & ſolidas partes agant, idque diſtinctis modis, dum quædam in alterutrum ſaltem illarũ partium agant, altera intincta. Sic enim Opiata, aliaque ſimilia Narcotica, imprimis in ſpiritus agunt, præſertim animales influos, horumque motus certa ratione moderantur. Salia volatilia ſpeciatim, in fluida ſeu humores corporis operantur, eorumque Craſin diverſimode alterant. Corroſiva denique item Purgantia antimonialia, adſtringentia, ſternutatoria, &c. in ſolidas corporis partes primario agunt. Quatenus tamen in machina noſtra corporea quarumvis partium mutuus nexus & certa conſpiratio eſt, evenit, ut raro medicamentum unam partem afficiat, quin ſimul & alia illius medio afficiantur. Sic *primaria objecta* in quæ remedia agere aſſolent, ſunt ſpiritus & humores, quibus medianti-bus & univerſum corpus remedii activitatem plus minus percipit; *ſecundaria* vero ſunt ſaltem partes ſolidæ.

Operantur remedia nunc in partem ſaltem unam ſeorſim, nunc in plures junctim: hinc propter partium nexum & conſpirationem effectus remedii eſt nunc immediatus & per ſe qui ejus activitatem ſequitur, nunc mediatus & qui per accidens contingit, v. g. Sternutatorium per ſe irritat membranas narium glanduloſas, tanquam effectus immediatus, quem inſequitur fluxus lymphæ. Spaſmus vero thoracis ſuperveniens eſt effectus ſternutatorii mediatus & qui per accidens ſupervenit.

§. 3. *Remedii* in genere quod attinet *naturam*, medium quod inter alimenta recte dicitur *Sylvio in diſſertat.* 2. *Coroll.* 3. *& Praxeos lib.* 4. *tract.* 5. §. 10. Nam omnia ea, quæ aſſumuntur à nobis, vel corpori applicantur, ita apta ſunt mutari in corpore noſtro, ut in ejuſdem ſubſtantiam, hujuſque conſervationem aut reparationem abire poſſint & alimenta dicuntur; vel inepta ſunt tali mutationi ſubeundæ, at contra apta potius, quæ corpus immutent, & quidem, aut in melius ſuo modo alterando, aut in pejus deſtruendo: illa, quæ in melius, adeoque in ſtatu imperfectiori ſeu præternaturali in melius & naturalem ſtatum deducunt, medicamenta recte dicuntur, illa vero, quæ in pejus mutationem ſtatus naturalis tendunt, venena dicuntur. Sed hoc fere ſub latiori appellandi licentiâ, ſtricte enim & propriè venenum innuit alterationem, ſeu immutationem ſummam corporis, conſequenter deſtructivam, ſub mole minima, idque per ſe non per accidens.

§. 4. Conſiderandum jam venit, *quanam ratione operentur medicamenta*; Sanè, quantum hactenus ſenſuum fide & intelligibili ratiocinio penetrari potuit, per contactum corporalem, & miſcelam ſui materialem ſaltem operantur, virtuali radio, qui ideas morboſas archei tollat, vel cujus intuitu ille novas cudat, prout *Helmontius* diſſerit, adhuc ulteriori conſiderationi relicto. Illa certè, quæ potentias morboſas Hippocraticas edomant, acidum abſorbent, acre temperant, amarum corrigunt, item quæ partes ſolidas, quâ tales afficiunt, h. e. adſtringunt, vellicant, ſeu irritant, dolorem excitant, it. movent, ſomnum inducunt, ſpiritus alterant, &c. hactenus nonniſi corporali ſuo contactu & materialis ſuæ texturæ ratione & hujus medio facta partium corporis alteratione operari obſervata aſſertaque fuerunt. Id quod vel iſtud confirmat ſufficienter, quod prout materialis iſta textura & craſis ſeminalis ſub illa recondita plus minus immutatur, vel per præparationes, vel per compoſitiones, etiam plus minus immutentur ipſæ remediorum etiam potentiarum vires, ut in opiatis & purgantibus manifeſtum eſt, ut taceam & venena, Arſenicum, Mercurium, &c. in ſalubria, ex mutata texturâ converti remedia.

Aſt annon inter iſta, quæ ſpiritus afficiunt tàm influos quàm inſitum aliquid ideale intercedat: res conſideratione digna eſt: Nam rabies Canina, in animali rabido, h. e. cujus imaginatio male affect: eſt, item Tarantiſmus, it. venenoſorum animalium morſus, vix niſi ex animali irato tales, eorum econtra ſanatio per tumidum bufonem, ſingulare quid in receſſu habere videntur: ita quidem ut in animali regno operativa tàm nocumenta quàm medicamenta ſubinde aliquid ideale videantur obtinere: Confirmatur, quod in nobis vel ſimplici imaginatione actiones medicamentoſæ variæ item morboſæ in nobis excitentur; quin & morborum contagioſorum ſemina, mediante imaginatione in ſpiritu influi, per terrorem vel ſubitaneam conſternationem generari poſſe, experientia fere invitos credere queat.

§. 5. Materialem dum inſinuo texturam remediorum, & craſin ſeminalem, ſub illa ceu optimum nucleum ſub cortice ſepultum, penitus removeo qualitates iſtas, tàm primas, quàm ſecundas ac tertias, & occultas, ratione quarum medicamenta operari veteribus putata fuerunt. Erratum nempe in hoc fuit inſigniter,

gniter, quod iſtæ qualitates, quæ medicamentorum operationi inſecutæ fuerint ipſis medicamentis attributæ ſint formaliter & abſolutè, cum tamen non niſi effectivè inde procedant & reſpectivè ſaltem ipſis conveniant, prout nempe ex applicatione talium ſubjectorum ad corpus noſtrum vivens ejuſque partes, & inde mutua actione & paſſione, tales qualitates, tanquam certi effectus inde procedant. Tantum igitur abeſt, remedia per ſe calida, frigida, purgativa ſoporifera eſſe, quantum, quod Sol lutum indurandi facultatem habeat, qui ceram tamen liquefacit, quæ virtus ſane & inde orta operatio, non à virtute efficientis, ſed objecti ſeu ſubſtractæ materiæ conditione unice dependet. Sic medicamenta pro varia applicatione, modo caliditatis, modo frigiditatis, modo purgationis, modo ſudoris edunt effectus Prout ergo v.g. ſpiritus nitri acidus aliam operationem in lingua, aliam in oculo, aliam in cute, aliam in ſanguine, aliam cum ſpiritu vini, aliam cum Marte, aliam cum Saturno, aliam cum ſale tartari exerit, ſub eadem, licet materiali texturâ, unde plures qualitates ceu tot operativæ potentiæ ipſi tribui poſſunt, quæ tamen ipſi non inſunt, ſed ejus ſimplici ſaltim in plura tamen & diverſa objecta actione emergunt, ita & remedia non habent in ſe iſtas qualitates & facultates, quas ſui uſu in corpus noſtrum exerunt, ſed iſta ex ſola illarum textura materiali, ejuſque diverſis partibus corporis noſtri viventis applicatione oriuntur. Sic ſaturnus refrigerat inflammationes, non frigoris efficacia, ſed ratione texturæ ſuæ materialis, quà acida abſorbet, à quibus inflammationes & rubores: Sic ſpiritus vitrioli frigidus, &c. reſpectu corporis noſtri, qui tamen cum terebintinæ oleo ardorem efficit intenſiſſimum. Nempe textura materialis ſecundum minima ſpecifica uniuſcujuſque remedii, ſeu ſeminalis, mediante certo motu vel quiete, quæ in partibus corporis excitat, eſt id, in quo vis operativa conſiſtit, inſequuntur immediatè alterationes ſenſiles motum vel quietem illam inductam, ex mutua quaſi conſequentia. Tales ſunt calores, purgationes, ſudores, &c. v.g. Clavis ſeram aperit, non propter vim reſerativam formaliter talem, ſed ſaltem ex ſpecifica textura & ſuperinducta conformatione, quæ nonniſi huic ſeræ reſerandæ aptus eſt; non alii. Pariter Piper calefacit ſub maſticatione linguam, non ob calorem, quem in ſe habet, ſed ob talem ſeminalem minimorum texturam, ex qua mediante motu ſimilis fit motus ac impreſſio in lingua, ut ab igneis particulis. Unde ſimili ex affectu male de ſimili cauſa mox argumentatur.

Quando de facultatibus medicamentorum loquimur obſervandum. (1.) Intelligi eas non abſolute ſed reſpectivè; nempe quas reſpectu corporis noſtri exerunt v. g. In magnete eſt vis tractoria inſignis non abſolute ſed reſpective, reſpectu ferri, ita in remedio eſt vis calefactoria, laxativa, &c. reſpectu ſaltem corporis animalis, in ſpecie humani. (2.) Non reſpectu corporis humani, qua tale ſed quatenus vivens, nam ubique variat operatio. Butyrum Antimonii, Cantharides, Piper, Synapi in corpore mortuo nullum ruborem nec ardorem nec minimam veſicam excitant, ſecus ac in corpore vivente. (3.) Incertæ facultates tribuuntur remediis, hoc intelligendum non formaliter ſed virtualiter, h.e. non quod ipſa remedia in ſe ſint talia, ſed quod ipſorum ad corporis noſtri partes applicatione talis effectus inſequatur. v. g Piper non calidum, calefacere tamen recte dicitur, nam nec ignis eſt calidus, ſed ſaltem manum admotam ex particularum ſuarum motu talem impreſſionem facit, quæ calefactio dicitur. Sicut Sol nec mollis eſt, quia Ceram liquefacit, nec durus quia lutum indurat. Sic etiam medicamenta, pro varia applicatione ad determinata ſubjecta modo calefacere, modo purgare, modo aliud præſtare dicuntur (4:) Adeoque improprie remediis tribuuntur qualitates caloris, frigoris, purgationis, cum non inſunt illis formaliter, tanquam tot entia realia, nec habent eas, ſed ſaltem ex applicatione eorum ad partes corporis quaſcunque, ex mutuo, reſpectu tam ratione texturæ materialis, tanquam agentia aut patientia ad ſe invicem habeant, oriuntur. vid. Exempla §. 5. Und & diſtributio qualitatum in manifeſtas & occultas & iſtarum in certas manſiones ſeu gradus penitus nulla. Unde nec expiſcandi virtutes remediorum modi, ex ſapore, odore, ſignatura omnino ſunt nulli, ſaltem experientia ſola hic conſulenda, per quam vis ſpecifica primario innoteſcit. (5.) Operantur omnia medicamenta ſaltem per contactum ſuum corporalem ſeu materialem, ſeu ratione texturæ ſuæ materialis, qua in partibus Corporis certam in earum textura mutationem faciunt, quam ſequuntur alterationes iſtæ plus minus ſenſiles in Corpore, ſive præciſè agendo, ſive patiendo hoc præſtent: *agendo* v.g. Mercurius vitæ ſpiculis ſuis ventriculum vellicat, hinc ſequitur vomitus: *patiendo*, v. g. Martialia, hæc dum recipiunt in ſe acida vitioſa Corporis. quæ in ea irruunt, & ſecum cum fecibus eliminant, medicamentoſa exiſtunt: hinc enim pro texturæ mutatione etiam virium vel præparando vel componendo fit ſubinde virium mutatio & interdum novarum introductio.

§. 6. Unde etiam diſtributio qualitatum in certas manſiones ſeu gradus eſt plane futilis, non ſecus ac inveſtigandi ratio facultatum medicamentoſarum per guſtum & hinc per alias proprietates externas v. g. odorem, inflammabilitatem, &c. pariter nullius pretii ſunt ex eo, quod Corticem ſaltim medicamentorum, nucleum vero Craſeos ſeminalis & emergentem hinc ſaporem ſpecificum ſeu proprietatem ſingularem non attingant. v. g. amariſſima ſunt Opium, calocynthis, abſynthium, pilulæ Lunares, fel animalium, & tamen in operationum reſpectu corporis noſtri varietate, toto cœlo differunt. *Confer. Hoffmannus in Clave Schrœd. pag. 41.* & quanam ratione ſenſus guſtus judicium ferre poteſt, de objecto alterius cujuſdam, in vel extra corpus actionis & paſſionis. Guſtus judicio ſpiritus nitri eſt acidus, qui variis corporis partibus admotus, multiplices operationes exerit, quarum nullum plane augurium ex guſtu haberi poteſt. ***Sola ergo experientia in medicamentorum facultatum inveſtigatione palmam obtinet.***

§. 7. Prout autem remedia applicantur corpori, ea vel externa, vel interna eſſe ſolent: *Externa* operantur inſinuando ſe effluviorum ſubtiliſſimorum ſaltem formâ ſeu odoris inſtar ſucceſſivè in poros & ita vel immediate alterando partem ſubjectam ſolidam, ejus ſpiritum inſitum, vel mediate afficiendo ſanguinem & ſpiritus influos v. g. Unguenta purgantia empomphalia, tam irritando ſubjecta inteſtina, quam alterando ſanguinem, aliaque corporis contenta, laxant: Cantharides applicati & cutim ſubjectam erodunt, hincque veſicæ eſcharam intumeſcere faciunt, & ſimul mediante ſanguinis circulo & ſeri contenti alteratione, mictum ardentem & interdum veſicæ exulcerationem induunt. Mercurius vivus plantis pedum licet illitus, ſalivationem tamen potentem, interdum & diarrhæam infert. Epithemata ex ſucco ſemper vivi majoris ſale & aceto teſtibus applicata, ſanguinis orgaſmum compeſcunt, à largiori vini hauſtu illatum, non ſecus ac narium hæmorrhagiam à ſanguinis ebullitione refrænant. Spiritus vini crocatus illitus vel applicatus ſanguinis grumos ſub cute ſolvit & diſcutit. Propterea remedia extra impoſita quæ interiora verſus tamen operari debent, impoſita deſuper latere calefacto, quaſi animantur & in operationis efficacia promoventur.

Externa vel profundius verſus penetrant, vel in ſuperficie ſaltem vim ſuam exerunt. De illis in theſi agitur, hæc ſunt concreta fixiora & quæ impedimenta morboſa intercutanea ſaltem removent, aut hujus fibras ſaltem alterant, ut Saturnina, lac, emollientia (adſtringentia & ſimilia.

§. 8. *Internorum* porro remediorum reſpectu quouſque nempe activitatis ſuæ ſphæram extendunt, corpus commode in tres regiones dividitur.

(1.) Primas vias, h.e. œſophagum, ventriculum & inteſtina, ductus felleum & Pancraticum, ut & vaſorum meſaraicorum quorumcunque oſcula, forſan & ratione urinæ potus vias urinarias ſuo modo complectitur.

(2.) Maſſam ſanguineam & viſcera, quæ immediatè alluit Pulmonem, Cor, Epar, Lienem, Renes comprehendit & etiam lympham ſuo modo ſimul complectitur.

(3.) Cere

(3.) Cerebrum & Syſtema nervoſum, cum membris remotioribus & habitu corporis continet. Nempe prout potentius vel debilius, volatilius & fixius, magis vel minus alterabile fuerit remedium, etiam per ſe longius vel proprius operationem ſuam extendit.

§. 9. *Per ſe* dico remedium operationem ſuam pro texturæ ſuæ ratione diverſimode extendere in ſe ipſo nempe conſideratum: *Per accidens* vero & prout reſpectu corporis conſideratur etiam longius ſubinde remedii vis ſe extendit, etiam ultra propriæ activitatis ſphæram; idque duplici imprimis ratione PRIMO, ſi exacte attendamus, plura remedia in primis viis, præſertim in ſtomacho ſaltem, operationis ſuæ energiam exerere, cujus tamen effectus ad longe inde diſſitas partes ſubinde ſe extendat, & ibidem perceptibilis ſit, quatenus nempe vitioſos ſapores Hippocraticos, ſive fermenta, errore digeſtionis primæ enatos, ibique nidulantes corrigit, abſorbet & invenit, à quibus, ut longe diſſiti ſubinde generantur affectus, ita & iſtis remotis, iidem curabuntur. Sic enim cancrorum lapillus in ſtomacho abſorbendo acidum, ardorem, ruborem, ac inflammationem vulneris, etiam in pede ſiſtit, quæ pathemata vini vel aceti pauxillum admodum exaſperat. Oſteocolla lapis fixiſſimus, Calli generationem in oſſium fracturis mire promovet. Cinnabaris antimonii tàm egregium in febribus malignis remedium diaphoreticum, anodynum & antiepilepticum, ultra primas vias corporali ſuo contactu non pergit, adeoque operationem ſuam, quam per ſe exerit, haud longius extendit, & tamen epilepſiis, ac iſtis febribus ſubinde egregie medetur. Auro ſuo diaphoretico fixo *Poterius* Iſchiadem, item contumaciſſimas Paralyſes optato eradicat. Sedulo ſane hoc ad animum revocandum, maximam remediorum hactenus uſitatorum partem, ſaltem circa ſtomachum & primas vias propriam ſuam energiam per ſe exercere, ut exinde corpori vel univerſo vel remotiſſimis quibuſdam partibus levamen maximum afferatur. *Conf. Tachenium in Clave cap.8. pag. 194. item cap. 9. pag. 287. & ſeqq. item Helmont. Tract. à ſede animæ ad morbos §. 21. pag. 299. & Tract. confirmatur morborum ſedes in anima § 14. 17. pag. 565.* & confirmant hoc plura, hinc inde circa remedia obſervabilia. Sic opium, etiam adhuc in ſtomacho exiſtens vim ſuam ſoporiferam, & dolorem etiã in pedibus ſedativam exerit, *teſte VVilliſio Pharmac. rat. volum. I. par. 289.* Sic Cauſidicus apud *Helmontiam, Tr. Ius Duumvir §. 22. p. 306.* ex incaute aſſumpto hyoſciamo inſanus evadebat, ſemine illo adhuc intra ſtomachum exiſtente. Et cornu cervi uſtum ſudoriferum eodem modo ac ſal cornu cervi volatile ultra ventriculum & primas vias pergere, & liquefaciendo maſſam ſanguineam ſudorem ciere, nemo facile aſſeret. Fixa iſta concreta, corallia, ſpecificum febrile *Strobelbergeri*, ſimiliaque alia calcinata, quæ tamen febres intermittentes & ſpeciatim rigorem optime curant, ultra primas vias haud penetrare valent. Non ſecus ac hæmatites lapis, qui cum terra ſigillata hæmorrhagias nariũ habituales ſcorbuticorum, aliorumque item profuſiorem menſtruorum ſcaturiginem compeſcunt, ad loca, unde ſanguis emanat haud pertingit, quin acria illa ſalia & ſcorbutica fermenta dictarum hæmorrhagiarum cauſas abſorbendo, illorum texturam invertendo & ſanguinis hinc notas acrimonias præcavendo, dictis malis, etiam longe à ſtomacho diſſitis ſuccurrũt. Si enim ventriculus ſanitatis & morborum limes eſt, & ex ejus errato, & inde nato peregrino acido etiam longius remotæ partes plectuntur, etiam ex illo acido primarum viarum correcto, vel alio vitioſo ſapore, ex illius loci cruditatibus genito, vel eo tranſmiſſo, immutato, evulſa quaſi radice fructus morboſi ſponte evaneſcent.

§. 10. ALTERA RATIONE remedii cujuſdam operatio, per accidens quaſi longius ſe diffundit, ſi corpus humanum, ut machinam quandam incredibili arte fabricatam ſpectemus, unde tam minus partium etiam longe diſſitarum conſenſus obſervatur, ut pluribus & eleganter hoc illuſtrat bombardæ ſimili *Hamel in affectibus corporis p. 383.* hinc enim in pavimento lapideo frigido nudis pedibus ambulantibus, aut alvifluxus aut capitis dolor ſupervenit: hinc hypochondriaci jejunantes vertigine corripiuntur, quam panis bucella ſiſtit, hinc parum pulveris Nicotianæ, vel liliorum convallium floris narium intima vellicanda, univerſum thoracis ſyſtema in convulſivas concuſſiones ſtimulat: Hinc veſicatoria pedibus applicata, epilepſias & deliria, ex variolis retrocedentibus præcavent, interdum & curant. Unde in medicamentorum in corpore operationibus ſubinde etiam ad ſtructuram machinæ corporeæ machinam reſpiciendum, & hujus ratione, medicamentorum operationes per mechanicam agendi & hinc in diſtans ſubinde operationem explicandæ.

§. 11. Conſiderandum autem venit ulterius, quod, ſicut minima ſubinde moles eſt, quæ maximam in cauſis morboſis exerit potentiam, ita etiam minimum utplurimum, quod in remediis maximam exerit activitatem: quodque ſe, tanquam nucleum habet medicinalem, immediatè à craſi ſimplicis ſeminali profectam, cui altera corpora moles, ſaltem pro Cortice vel integumento inſervit. Quantillum enim eſt, quod in vino emetico, antimoniali tantopere corpus perturbat; quantillum eſt, quod in duobus vel tribus opii granis virtutem ſoporiferam & anodynam exerit: quantillum eſt illius amari in integro pomo colocynthidis, quod tam potenter purgat, ſicut pauxilla eſt ſennæ mucilago, quæ parilem effectum exerit. Sic reſina ſaltem eſt in corpore Jalappæ, quæ purgat, quæ in ipſo pulvere ad ʒß. in eſſentia cum ſpiritu vini ad ʒj. dilatata exiſtit, ipſa reſina ad v. vel vj. gr. tantum, ſi non potentius, operante. Quantum olei deſtillati ex Salvia vel Mentha, in quo tamen Medicinalis nucleus & craſis integra eſt radicata, cujus duæ vel tres guttæ ℥j. eſſentiæ & ℥ij. vel ℥iij. decocti æquivaleant. Oleum deſtillatum fœtidum ligni Guajaci vel Tartari ad guttas viij. vel x. totidem ℥iarum decocto non cedunt efficacia: Volatilis iſta ſubſtantia Cochleariæ, vel raphani ruſticani, quæ ſcorbuti eſt medela, quanta corporis mole jacet obruta, quæ ipſa tota ex cenſu medicamentoſò præſcribitur, illis volatitibus partibus ſaltem in remedium adſcitis.

Minimum interdum in remedio ſummè eſt activum, triplici modo

1. Spiritus torpore aliave ſimili alteratione afficiendo, ut opiata & narcotica.
2. Partes fluidas fermentando aut alias in textura notabiliter immutando, ut purgantia fortiora, quæ liqueſcere cogunt humores.
3. Partes ſolidas ſenſilius irritando, ut vinum emeticum, in prioribus duobus modis vis ſubſtantiæ medicamentoſæ diffuſiva imprimis attendenda, qualis v. g. in odoribus thure, pulvere pyrio, oleis deſtillatis, Caſtoreo, &c. obvia eſt, una cum ejuſdem ſolubilitate ſeu permiſcibilitate cum fluidis Corporis.

§. 12. Interna remedia cum ordinarie per os ingerantur & ita ſtomacho & primis viis immediate applicentur, manifeſtum evadit, quælibet remedia certam plus minus tamen alterationem & immutationem tàm ratione fermenti digeſtivi in ſtomacho quam ratione confluentis bilis & ſucci Pancreatici in inteſtino duodeno ſubire, unde vel infringatur plus minus remedii vis operativa, vel exſurgat nova vis medicamentoſa in remedio ex miſcela ejus, cum illis liquidis, & inde novâ exſurgente textura.

§. 13. In ventriculo ſane fermentum digeſtivum, plus minus activum, plus minus acidum quælibet ingeſta aggreditur, eáque in alimenti naturam tranſmutare ſatagit, quo magis ergo ſubiguntur medicamenta, eò magis alimentoſa naturam induunt, quo minus vero, eò magis medicamentoſa eſſe ſolent: hinc enim eſt quod ejuſdem remedii non tantum in diverſis,

diverſis, ſed etiam in eodem ſubjecto diverſa ſubinde ſequeretur operatio, dum idem purgans nunc vehementius, nunc remiſſius operatur, prout ab acido ſtomachi plus minus infringitur; hinc enim Melancholici adeo difficulter auſcultant purgantibus ob prævalens in horum ſtomacho acidum. Et ſane quo debilior eſt vis ſtomachi digeſtiva eo ſenſilior quorumvis medicamentorum erit operatio, unde etiam remedia, quæ in ægris, & ſub defectuoſo ſtomacho perquam efficacia exiſtunt, in ſano tali parum vel nihil operantur.

§. 14 Non omnem tamen penitus vim medicamentoſam, nec ſemper exuunt remedia, ſed de Craſi, concreti & textura ſui materiali ſub digeſtione plus minus retinentia adhuc operari aſſolent: Unde non tantum alimenta quædam ſunt medicamentoſa, ut armoracia, naſturtium, ſinapi, ſed etiam lac nutricis ex aſſumpto purgante vim purgantem retinet, ac abſynthii uſus febribus intermittentibus ac hydropi optimè medetur, non ſecus ac chelidonium majus ictero: Terebinthina violaceo odore urinam impprægnat, Elaterium ac Scammonium potenter purgat, hedera terreſtris hæmopticos vel ſuppuratos juvat, non ſecus ac ſal vol. C.C. vel viperarum potentiſſimè ſudores movent.

§. 15. Ex eo tamen, quod aſſumpta remedia partim in ſtomacho alterentur, partim vero cum ſuccis in primis viis profluentibus miſceantur & ita inſignem ac neceſſario notabilem in textura ſua mutationem patiantur, certum videtur, quædam medicamenta in dictis locis demum vim medicamentoſam quandam acquirere, quam formaliter antea non habeant: non ſecus ac in operibus Chymicis naturæ imitatricibus ex combinatione quorundam concretorum nova ſubinde fiunt producta & concreta, novis virtutibus prædita: Sic enim terra ſigillata, it. Creta imbibitione ſpiritus nitri ac ſulphuris ſaporem & vim adſtrictoriam aluminoſam acquirunt, quam formaliter antea non habebant. Ita talia aſſumpta, attactu acidorum ſuccorum in ſtomacho vel inteſtinis, plus minus præternaturalium vim potentius adſtrictoriam acquirunt, quam ex ſe habere aſſolent. Sic ſalia acida, ſpiritus aſſumptus alterari in primis viis in ſuo ſapore, & conſequenter ex mutata textura novas ac mutatas vires acquirere omnino evidens videtur, & Alcalia, acidorum appetitiva in primis viis illorum abſorptione novum concretum conſtituere, hinc alias vires, quàm nativas obtinere, extra dubium eſt.

§. 16. *Triplici ex fonte Pharmaceutico hauriuntur auxilia* ſive remedia, ut ſupra monitum fuit, ſed raro nativa ſub formâ, ſeu, ut alias vocant, cruda adhibentur, ſed utplurimum fere præparata, h. e. Arte ad uſum medicum melius accommodata: *idque triplicem ob finem* ſeu rationem.

(1.) Ut facilius vel abſumi, vel melius corpori adaptari queant, ſic enim gelatina C.C. aut ſal ejus volatile commodius & felicius adhiberi poteſt quam cornu cervi crudum, loco urinæ utplurimum nauſeoſæ melius ſpiritus ſalis armoniaci uſurpatur.

(2.) Ut vis eorum ſpecifica medicamentoſa vel nimis occultata, vel aliorum concretione obruta, foras eliciatur melius, ſic enim reſina, vel eſſentia Jalappæ eſt ſola ſubſtantia ejus laxativa, cætero corpore inermi exiſtente. Sic Olea deſtillata aromatum, Macis, Caryophillorum, aniſi, &c. præparantur cum ſola hæc craſin medicamentoſam contineant, relicto corpore inerti: huc nempe ſpiritus, eſſentiæ, extracta & ſimilia præparata collimant, ut in his viis medicamentoſa ſubinde ſub minimo recondita eliciatur ſeparata à cætero cortice non medicamentoſo.

(3.) Ut, ſi quid adſit virulentiæ nocivæ, vel caſtretur vel corrigatur: hunc nempe in finem virulentia narcotica opii à quibuſdam fermentatione cum ſucco Cidoniorum ab aliis ſolutione in aceto, ab aliis per ſalem tartari corrigitur, ut reſtitet ſolummodo vis anodyna exaltata: Non ſecus ac Scammonium cum ſui correctione per fumum Sulphuris, Helleborus niger per phlegma Vitrioli, Eſulæ cortex per acetum deſtillatum, Mercurius ſublimatus corroſivus per additionem cum Mercurio vivo recenti corrigitur: Præparationes ergo tales non ſint caſtrationes, aut inverſiones virtutum genuinarum ſimplicium, uti ſunt aloës lota, fæcula Ari, Magiſteria ex partibus animalium durioribus, Alcalia fixa per acida coagulata & ita in illud eſſe mutata.

§. 17. Equidem intricatum eſt negotium, quoad virulentiam ſeu venenoſitatem ſimplicium, in quo ſpeciatim hæc ipſa conſiſtat. Deus equidem medicinam de terra creavit non venena, h.e. omnibus ſimplicibus ſua ineſt ſeminalis poteſtas, unde proprietatum in Concretis magna varietas, omnis ad ſuos fines à ſapientiſſimo Creatore ordinata, quæ, quod uni ſint amica, alteri vero hoſtilia, ipſis per accidens evenit, & quælibet nobis venena, ſimul ſingulares virtutes & potētias, medicamentoſas geſtant ſub veneni tegmine abſconditas. Noſtrū ergo eſt margaritas è ſterquilinio ſeparare, & ex veneno medicamentum utile elicere. Animalia quod attinet venenata, hæc ex perturbationibus quidē ira, furore, invidia horumq; ideis oriri aſſeritur plauſibiliter à plurimis anteſignano præſertim Helmontio ſed eximenta Rhedi de Vipera, quicquid etiam in contrarium nitatur Charras, fere jam conveniunt, etiam non abſque corporali contactu & certa texturæ materialis ratione ſubtilem per animalium morſus communicantem materiam venenoſitatem ſuam exercere. Probabiliſſimum ergo & vegetabilibus ac mineralibus imprimis venenis conveniens videtur aſſertum *Becheri in Phyſic. ſubterram. lib. 1. ſect. 5. c. 1 p. 305.* Venena in certa quadam intemperie conſiſtere, adeoque alexipharmaca, venena non niſi temperando pellere, hoc eſt, ut interpretor, venena talia in certa acrimonia ſubtiliſſima & continentibus partibus & contentis liquidis hoſtili (illas quidem continuo & moleſtiſſime vellicante adeoque ad ſpaſmos irritante, hos vero periculoſe alterante) conſiſtere, unde talium correctio in temperatura, ſeu texturæ illius mutatione ſita erit. Hac enim ratione & peſſima venena fiunt innocua remedia, interdum optima alexipharmaca, ſic enim per nitrum arſenicum corrigitur, Mercurius vitæ aut flores antimonii peſſime cathartici per nitrum fiunt alexipharmacum, ob id Mercurii ſublimati aſſumpti alexipharmacum eſt lac, acrimoniam illam obtundens & demulcens vel Oleum Tartari per deliquium acidum corroſivum immutans, vel Cryſtallus mineralis iſtud abſorbens: Arſenici medela in lacte copioſo, vel butyro ſuperingeſto conſiſtit: hinc ſpeciatim virulentia nociva purgantium, in acrimonia quaſi cauſticâ conſiſtens, & in ſubjecto viſcido reſinoſo hærens, tam per acidum contrarium convertes quā Salem Tartari texturam reſinoſam diſſolvens, cicuratur, Narcoticorum virus ſimiliter in amaritie ſingulari, in ſimili ſubjecto conſiſtens iiſdem, ex eadem ratione etiam mitigatur. Nitrum Volatilia, Sulphurea & Mercurialia ſubjecta mineralia venenata corrigit, nunc ſub forma Alcalina Sulphurea concreta immutando, nunc ſub ſpiritus acidi ratione, mercurialia figendo, &c. Uti hæc ipſa in antimonialibus imprimis obvia ſunt.

§. 18. Eſt vox reſpectiva VENENUM & ſaltem reſpectu alterius ita dicitur. Quæ DEUS creavit è terra medicamina omnia erant bona, & ex dote ſeminum ſpeciales ſuas habent proprietates: Circa has obſervandum.

1. Si uni alterivè corpori ſint inimicæ ipſis eſſe per accidens.
2. Sub omni veneno ſingulares eſſe abſconditas virtutes medicamentoſas, ut in Mercurio & Antimonio patet. In minerali regno venenū ſimpliciter in

certa

certa ſubtiliſſima acrimonia acida, partes tam ſolidas quàm fluidas ſummoperè alterante conſiſtit, quæ ob firmiſſimam ſui texturam in nobis inalterabilis ſeu incorrigibilis exiſtit. Hinc omnia mineralia vel {irritando / corrodendo} partes ſolidas, vel inmutando texturam in fluidis operari videntur, v. g. Gas aut aqua fortis, item Antimonialia, item Arſenicalia. In vegetabili regno triplicia ſunt venena vel reſpectu ſpirituum Narcotica plus minus dementativa, vel reſpectu humorum colliquativa, vel reſpectu partium ſolidarum irritativa & una plus minus corroſiva, ut Opiata, purgantia ſcammoniata, Synapi ranunculus helleborus. Horum venenorum tam partes ſolidas irritantium quam humores colliquantium conſiſtit formaliter in acrimonia, quæ, quia igni quodammodo ſimilis eſt, quoad effectum, cauſtica quibus non inepte dicitur, hinc acria omnia ſunt plus minus, & licet interdum linguæ apparente dulcedine videantur blandiri, v. g. in ſcammonio item lacte Eſulæ, dulcedo in ſuperficie latet, tamen ſubtile acerrimum eſt reconditum, quod mox nunc fauces, nunc ventriculum, & primas vias potentiſſime irritare, fluidis vero commiſtum, horum texturam diſſolvere & in aliam conſiſtentiam attenuandum mutare, h. e. colliquefacere valet. Narcotica vero venenoſitas, quæ ſpiritus imprimis affligit, quantum ad præſens negotium pertinet, videtur in particulis oleoſis ſumme diffuſibilibus ſpirituum motu & vim elaſticam inhibentibus, eoſque quaſi condenſantibus conſiſtere. Radicatur tamen materialiter in ſubjecto, reſinoſo viſcido inſigniter amaro, pro cujus ratione etiam ipſa narcoſis plus minus mutari poteſt. Vid. imprimis *Borrichius Tract. de Somniferis*, it. *Act. Medica Haffnienſ. Volum.* 5. *p.* 335. In genere ergo mineralium & vegetabilium venenoſitates in certa quadam intemperie conſiſtere, adeoque alexipharmaca venena non niſi temperando pellere aut corrigere aſſerit *Becherus Phyſ. Subterr. lib.* 1. *p*; 305. Intelligit autem intemperiem non formalem ſeu qualitativam, ſed materialem ſeu quantitativam, hoc eſt, quod conſiſtat in tali textura materiali, in qua particulæ ita conformatæ emineant, ut ſupra dictos effectus exſerunt. Materialiter vero omnium vegetabilium venenum in reſina eorum eſt concentratum. Unde etiam talium venenorum correctio in texturæ talis immutatione ſita erit; unde etiam experientia docet, corrigi omnia venena hæc mineralium & vegetabilium, vel 1. pinguibus ſpecula quaſi oblinentibus & obtundentibus, vel 2. contrariis ſalinis tàm alcalinis quam acidis texturam invertendo, ſic lac, oleum amygdalorum dulcium, butyrum corrigunt optime mercurii ſublimati, arſenici, Antimonii venenoſitatem, &c. Alcalia ut Oleum Tartari, Cryſtall. Mont. Mercurii, arſenici ſunt remedia illorum alcali horum corrigente acidum. Spiritus nitri venenum antimonialium corrigit, quatenus acrimoniam vitriolico ſalſam in terreum ſubdulce convertit. Quoad vegetabilia venena cauſtica, lacte aut lixivio quodam cinerantur noxia inducta ſaturninis applicata corrigitur. Reliqua omnia corriguntur vel texturam reſinoſam concentrando, ut acida, vel eandem diſſolvendo, & ita acrimoniam enervando, ut alcalia; Prius præſtant acetum phlegma vitrioli & quilibet mineralium ſpiritus acidus. Poſterioris ratione ſal tartari generalis corrector omnium vegetabilium venenoſorum dicitur, dum texturam illorum immutando acrimoniam multum mitigat. De narcoticis par ratio, caſtrant enim omnia acida, corrigunt & tutiora nobis reddunt omnia alcalia. Quoad animalium venena, triplici ſunt in differentia.

(1.) Quædam enim quæ aſſumpta perimunt foris admota non nocent.

(2.) Quæ contactu in nos agunt vulnere, punctura, &c. interne vero ſubinde innoxia ſunt.

(3.) Quæ halitû & per occulta effluvia in nos agunt, uti eſt venenum torpedinis. Dubium quoad horum venena omnium eſt, an in materiali an in ideali conſiſtat. Materiale fluidum quoddam nobis communicatum veteres & cum iiſdem hodie Rhedi in ſuis ſcriptis & vipera aliique aſſeruerunt: pro ideali vero(1.) *Helmontius hinc Zuvelferus*, & denique omnium maxime *Charras* in ſuis ſcriptis de viparis pugnarunt. De torpedine, vid. *Lorenzini in diſſert. de anatom. & veneno torpedinis*, quarum excerpta videantur *in Miſcell. Nat. Cur. anno* 9. *&* 10. Ut, quod probabilius eſt explicemus, ex perturbationibus ſimpliciter vix oriuntur, utut hæ venenum notabiliter acuere videantur; Sed in materiali ſubjecto, & non ſolum ideali venenoſitas hæret: accedit crebrior experientia ſemper læſioni (læſionis loco) aliquid inſtillari. Præter *Rhedi* de vipera curioſum eſt quod de apium ictu habet *Ludovici in Miſcell. Nat. Carioſ. p.* 112. apim ictum ungui pollicis inflixiſſe, &c. ictu guttulam ſaporis mordaciſſimi ut aquæ regiæ depoſuiſſe, quod pariter in Scorpionibus obſervatur, qui quovis ictu tantillum fluidi emittant. Inſtillatum hoc quia acre & quaſi cauſticum antiquitus putatum fuit, & in hujus acris acidi correctione etiam horum venenorum cura conſiſtit, hinc enim Cancer contuſus læſionibus à venenatis confert. Bufo aut ſperma Ranarum morſui viperæ medetur. Lapis Serpentis pileati univerſale eſt alexipharmacum ictuum venenoſorũ, dum potenter adeo abſorbtivus exiſtit. De Canis rabidi veneno item tarantularum, quædam hic monenda forent, ſed utut hæc primario ſpiritus animales videantur afficere & ita maximam partem idealia eſſe tamen & his injuncto aliquid acrimoniæ malignæ ſubeſſe præter convulſiva ita affectorum pathemata, imprimis cura, quæ in rabie per cancrina, terram ſigillatam, radicem gentianam, in tarantiſmo vero per lac in Perſia perficitur confirmare videtur.

§. 19. Sed ſub his præparationibus præſertim quæ Chymico fiunt artificio, attendendum, quod ſubinde vires ſeu proprietates nativæ plus minus immutentur, aliæque novæ ipſis concilientur, idque per ſyncriſin, diacriſin, metaſtaſin particularum minutiſſimarum ad quas & fixorum volatiſatio & volatilium fixatio referenda. Mutatio hæc virium nativarum tribus ferè evenit in caſibus:

1. Sub alteratione iſta quam aſſumpta in primis viis patiuntur, de qua jam ſupra §. 12. *& ſeqq.* actum fuit.
2. Præparatione imprimis Chymica.
3. Compoſitione.

§. 20. Præparationem ergo quod attinet, notum eſt, quod pro varia præparationis ratione antimonium ſit vel Vomitorium vel Catharticum vel ſudoriferum, vel ſanguinis depurativum, vel confortativum, quod aſarum vomitorium, ſola in aquâ coctione amittat hanc vim, & evadat ſaltem diureticum, ſecus, ac ſi in vino coquatur: ſalia fixa aut penitus, aut maximam partem de virtute ſimplicis ſui deflectunt, non ſecus ac ſalia volatilia; nitri alia longe eſt operatio, ſi vel per ſe adhibeatur, vel in forma ſpiritus acidi, vel in forma alcali fixi. Vulcanus nempe Chymicus. Ignis per inſignes iſtas in textura mutationes, quas experiuntur omnia illa, quæ ejus examini ſiſtuntur, in non paucis proprias vires deſtruit, in aliis vero novas per accidens

inducit: Hinc rectè *Helmont. Tract. Poteſt. Medicaminum* Chymica potius, artis quam naturæ vi nativa agere aſſerit. Ignis alterat partim motu, partim acido, partim ſulphure carbonicea effumante; *Motu*, dum ſolidæ facit fluida & quod aliàs in Concreto eſt reſina nunc fit oleum deſtillatum, cujus ultima pars nimis colliquata in ſal fixum abit. *Acido*, mars enim, Corallia, ſaturnus minium, ex igne ponderoſiora fiunt, acido ignis iiſdem ſe inſinuante ſulphure in ſalis tartari ad cæruleitatem calcinatione ſiquidem cæruleus iſte ſalis tartarii color nonniſi à carbonum occulto acido in ſale tartari concentrato oritur.

§.21. Compoſitione denique plus minus ſimplicium vires immutantur, aut novæ inducuntur, partim ex eadem texturæ dictis iſtis modis per plurium arctum Coalitum alteratione, partim ex ſola quorundam aſſociatione, ſeu nuda compoſitione: utrumque artificium ſclopetandi illuſtrat, ut enim ex ſalium cum auri corpore arcto & haud diſſolubili coalitu emergit aurum fulminans, quod attactu & adhæſione ſpiritus ſulphuris acidi ex texturæ mutatione obmuteſcit, ita ex ſulphure nitro & tartaro per ſimplicem compoſitionem & ſuperficialem miſtionem emergit pulvis ſclopetans effectus adeo ſingularis, quem in nullo ingredientium ſimplicium, vel minima conjectura deprehendere queamus. Paria & in remediorum compoſitione ſæpius evenire, extra dubium eſt, ut adeo horum efficacia non ſimpliciter ab ingredientibus, ſed concreti textura utplurimum derivanda, mercurius nempe vivus ex ſpiritus acidi aſſociatione, cum in ejus ſublimatione mercurius fit dulcis, & optimum graviſſimis in caſibus purgans. Urina & ſal comm. fiunt ſal armoniacum novum & diſtinctum medicamentum ab utroque ſimplicium, quod itidem cum quovis ſale volatili & ſpiritu ſalis accidit, ſaturnus cum aceto concretum dulce, quaſi aluminoſum, ſingularis affectus ſuggerit, & plurium iſta in theriaca farrago, nõ ſine ratione per decennium in fermentatione eſſe jubetur ab Arabibus, ut plurium tali per fermentationem nova miſcela, hinc novum concretum, novarũ itidem facultatum exſurgat.

§.22. Felicem ergo illum prædicat medicum *Helmont, qui crudis ſimplicibus morbos tuto & prompte tollere novit.* Melius itaque eſt, uti ſimplicibus, quoties ſcopo intento ſatisfaciunt, quam compoſitis; nec facile hæc adhibenda, niſi vel artificioſa miſcela & præparatione in unum quaſi tertium coaluerint, ut veteres per theriacæ fermentationem intenderunt, vel affectuum aut ſymptomatum complicatio pluralitatem quoque remediorum ſubinde efflagitet, in quo caſu tamen etiam ſedulo obſervandum, ne plurium talium concurſu, unum alterius craſim immutando intentio medici & expectatio ægri fallatur, quin potius, quantum poſſibile, ſe mutuo alteret. Sic v. g. male acida, ſi qua talia expetantur cum terreis abſorbentibus junguntur, bene autem terra ſigillata pro ſcopo adſtringendi ordinata, moderate acidis miſcetur, cum ex utrorumque concretione aluminoſum quaſi quoddam emergat, adſtrictoriam vim optime complens.

§.23. Alias ſi plura promiſcue miſcere & inordinate componere ſit animus, periculum eſt ne

1. Vires ſimplicium pervertantur, & novæ ita emergant.
2. Naturæ, ex talium ingurgitatione moleſtia, ex varietate multiplici, præſertim circa primas vias creetur, ſicut enim plura alimenta laborioſioris ſunt digeſtionis, quam ſimplex victus, ita multò magis medicamenta, ubi fixa volatilibus, acida dulcibus vel amaris, terrea oleoſis, &c. invicem ſunt permiſta, quorum impetum fermentativum & diverſos motus, vix poſſibile erit, ut natura, in morbis defatigata gubernare queat.
3. Vires plurium ſimplicium adhuc minus aut ſaltem nondum ſatis perſpectæ ſunt eorum mutua ad ſe invicem quoad actionem & paſſionem habitudo, ſeu reſpectus mutuus, nondum undique cognitus, adeoque metuendum, ne talium quorundam miſcela, aliquid novi plus minus ægro hoſtile, emergat, unde loco ſperatæ ſalutis, majus potius morbi incrementum ſuperveniat.

§. 24. *Remedia* ulterius *ratione activitatis ſuæ operativæ*, nunc in univerſale, nunc in particulare dividuntur: & hoc vel ratione cauſæ occaſionalis materialis, vel ratione partis affectæ. Ratione *cauſæ materialis*, particularia ſunt remedia, aliàs communiter ſpecifica, Helmontio appropriata dicta, quæ operantur ſaltem in ſaporem morboſum, illorum naturæ proprium ut applicat *Tachenius in Clave p.263.* hoc eſt, quæ potentias iſtas hyppocraticas morborum proximas materiales cauſas, immediatè corrigunt, temperant, enervant, aliove modo mitigant: hac ratione Cochlearia, naſturtium, trifolium fibrinum, ſunt ſpecifica Antiſcorbutica, ſaporem vitioſum ſcorbuticum proxime corrigentia: hac ratione Chelidonium majus icteri eſt ſpecificum, fermentum ejus p. n. alterans. Hac ratione mater perlarum calcinata ſpecificum febrile antitertianarium Strobelbergeri ſaporem ſeu potentiam febrilem corrigens, hac ratione Priapus Cervi vel Ceti dyſenteriæ eſt appropriatum, acidum dyſentericum proxime emendans, mercurius eſt genuinum ſeu ſpecificum luis venereæ alexipharmacum, ſpeciale luis venereæ acidum enervans, &c. de quibus ſupra in Pathologicis.

§. 25. Prout autem ſummè proficua & ob id præ cæteris æſtimata ſunt in praxi particularia hæc, ſeu ſpecifica, ita è contra minus æſtimantur particularia, ratione partis affectæ, h. e. quæ vulgo dicuntur Cephalica, ſtomachica, epatica, uterina, cordialia, &c. h. e. peculiari vi in has partes potius quam illas agendi prædita. Nam omne medicamentum quodcunque iſtud ſit, quod ultra primas vias pergit, æqualiter in omnes partes, ſecundum circulationis leges, fertur, & ubicunque materiam, quam immutare, ſaporem, quem corrigere, ſubſtantiam partis, quam in textura alterare aptum eſt, invenerit, eam immutat. Hinc obſervare datur; hæmatitem non minus uteri, quàm narium habitualem hæmorrhagiam, quam etiam hæmoptyſin compeſcere, Myrrham mulieribus menſes, aliis ſputum cruentum, aliis narium fluxum proritare. Quin & Cephalica appropriata, Calamum aromaticum, Roſmarinum, Macin, Nucem Moſchatam, Juniperi baccas, æqualiter & ſtomacho & utero dicata eſſe, non ſecus ac balſamus ſulphuris terebinthinatus & pectoris empyema, ac vomicam pulmonem & epatis abſceſſum, & renũ vel veſicæ ulcerationes curare. Adeo ut ſi parti cuidam appropriatum magis præ alio videatur remedium hoc non tàm partis continentis ſolidæ, quàm ſubſtantiæ peccantis fluidæ potentia Hippocratica morboſe infeſtæ, in hac vel iſta parte præſertim reſidentis ratione contingere videatur

Dubium eſt, annon quibuſdam ſimplicibus inſint vires ſpecificæ immediatè ideis earum ſeminalibus annexæ, & quæ cum ideis ſpiritus inſiti hujus vel illius partis certam conſpirationem analogiam & convenientiam habeant, quarum intuitu ſpiritus inſitus recreatur & roboratur, & ita remedium parti affectæ appropriatum exſurgat.

§. 26. Quoad *univerſale remedium* quorumvis morborum ſeu Panaceas ſpecioſum ſane hoc nomen eſt, ſed propter vulgi ignorantiam, & ineptam applicationem, paſſim male audiri ſolet. Occaſio hujus eſt, quod plures remedii vires non ſatis æſtimãdo, nec ejuſdem naturam à priori perſcrutando, effectibus ſingularibus quibuſdam in admirationem rapti, illud nimis extollendo, non imprudenter ad univerſalitatis apicẽ elevarunt. Ut res pateat, ſobriè & caſtigatè Panaceæ vox interpretanda, non quaſi omnes in univerſum morbos corporiſque noſtri defectus curare valeat, nam iſta vitia, quæ manuali indigent operatione, v g. luxata, vulnerata, fracta, male per Panaceam quamvis curare ſatagit medicus. Ergo medicamentum tale univerſalius

ſeu

ſeu pluribus in univerſum h. e. maximæ parti morborum ſatisfaciens, non extendendum eſt, ultra iſtos effectus, quibus *Hippocratis Aphoriſmus* intelligendus venit. NATURA MORBORUM MEDICATRIX: cum vel naturæ vires roborando, vel cauſas occaſionales naturæ vires, & ordines turbantes corrigendo operari ſoleant Panaceæ, unde internis cauſis ſaltem enatis ſuccurrere ſolet univerſale tale remedium. Ad hoc de univerſali remedio, dum in curatione morborum fit mentio non intelligendum id excluſivè, quaſi quodvis remedium particulare penitus hic excludatur, ſed ſaltem incluſivè, ita ut vel alias præmittenda generalia, etiam præmittenda ſint. Ut vi res naturales, adeoque diætæ regulæ ritè obſerventur, ut ipſa univerſalia pro individui ſexus, ætatis, &c. ratione, additis plus minus aliis convenientibus, ſubinde quaſi ſpecificentur, &c. Ulterius etiam de remedio univerſali, dum incipit quæſtio, hoc non ita intelligendum eſt quaſi de neceſſitate & ſēper morbus curet, hoc enim nemo ſanus poſtulabit, alias ſimpliciter omnes morbi eſſent curabiles: quin quod poſitis requiſitis & circumſtantiis debitis, nec naturæ invertentibus nec remedii vim penitus enervantibus curare ſolet quoſvis ferè morbos, hoc ſaltem intelligendum: Confirmant hoc expertiſſima ſpecifica, ob dictas rationes ſubinde fallentia.

§. 27. Præmiſſis his ad ſpecialem remedii univerſalis vim & operandi rationem reſpiciendum eſt: Nempe morbus omnis gaudet cauſa efficiente, formali & materiali ſeu occaſionali, quorum alterutrum ſublata & effectus ſeu morbus ceſſat, *Efficiens proximum formale*, quorumvis morborum eſt ſpiritus impetum faciens, principium iſtud vitale & ſemitalis & morborum proxima primaque origo, nam ejuſdem facultatis eſt, quæ actiones ſanas perficit etiam præternaturales perficere & deſtructo per mortem principio vitali, & ſanitas & morbus ceſſant, neutriuſque particeps cadaver dici poteſt. Illud ergo principium vitale ritè conſtitutum, benè & naturæ legibus convenienter omnia perficit, aſt, laceſſitum idem, aut ex turbis œconomiæ animalis ad præternaturales impetus ſtimulatum, morboſos inſultus infert. Materiales verò & occaſionales morborum cauſæ utplurimum ſunt contentorum vitia, nempe facultates iſtæ & potētiæ ſalinæ Hippocraticæ, acidum, amarum, acre, dulce, acerbum, &c. quæ temperata ſi extiterint, omnia benè habent, ſed intemperata ſi fuerint, aut ſeorſim extiterint, variis turbis totam œconomiam irritant & vitiant.

§. 28. Adeoque remedia univerſalia, habito reſpectu ad duplex hoc cauſarum genus, duplici ferè modo operari obſervantur, ſedando morboſos impetus ſpirituum, & eos roborando, ut ſine tumultu præternaturali in ordinem redeant, turbatæ functiones, ſic enim præternaturalibus functionum vitiis ceſſantibus & ſpirituum vigore reſtaurato corriguntur, & eliminantur ſpontè natura occaſionales cauſæ, & redit pacatus ſtatus univerſo corpori: ſimile huic deſtinationi apparet ferè in opio, plurium imò omnium ſymptomatuū urgentium ſedativo, cujus debito uſu ſubinde iſtis (ſuperficialibus licet halcyonis) & roboratur natura & hinc ſpontè ſua hujus vigore, aut per ſudorem aut per urinam, aut per alium modum eliminato nocivo, reſtituantur morbi, utut non ſine noxa quadam ſtupefactiva ſpiritibus ſuo modo inimica operatur, unde etiam minus radicaliter eo ipſo, ſed palliativè potius levari ſolent morbi. Pertinent adeoque huc remedia iſta univerſalia nempe ſulphur vitrioli veneris anodynum *Helmontii*, mercurius ejus diaphoreticus, item Panaceæ, quæ ex baſi cinnabaris antimonii confici ſolent, cujuſvis anodyna ſatis eſt cognita. Secundum genus remediorum univerſalium operatur temperando & corrigendo cauſas iſtas morborum occaſionales & ſedendo iſtas Hippocraticas exorbitantes potentias: quæ univerſaliter quodvis acre temperando & ita præternaturales contentorum inteſtinos motus effervescentias, ſublimationes, coagulationes, &c. ſiſtendo tantum non omnium morborum internorum erunt ſolamina, præſertim ſi, quod fieri ſolet, diaphoretica vi ſimul inſtructa eſſe ſoleant, ceu naturaliſſimo correcterum ſuccorum evacuationis genere: Simile hujuſmodi Panaceæ ſuggerit, v. gr. Sylvii ſal volatile oleoſum, ab eodem tantum non omnibus morbis adaptatum, temperans cujuſvis acres, & hinc ſiſtens quaſvis præternaturales humorum motus, potius vi diaphoretica blanda ſublevans univerſum corpus. Talia videntur quævis mercurialia Catholica, temperativa, ratione ſulphuris ſui extraverſi omne acre, & hinc Diaphoreſi eiiciens, non ſecus ac alia ſulphurea metallica, unde & idem Sylvius ſulphuris antimonii fixum, ceu univerſale temperans & tantum non Catholicum laudare ſolet. Unde ſulphurea talia metallica fixa partim, quatenus temperant univerſaliter, partim quatenus vi anodyna ſimul plus minus inſtructa ſunt. Panacearum apicem proximè attingunt: Forſan huc etiā lapis ignis Baſilii ex antimonio pertinet. Sic porrò & univerſalia iſta ſalia ex aere, rore, pluvia, parabilia, etiam à quibuſdam Panacearum cenſui annumerantur, quatenus putantur partim ſpirituum ſummè conformativa, partim etiam humorum quorumvis temperativa & reſolutiva.

§. 29. Conſideravimus hactenus remedia per contactum corporalem & qualemcunque texturæ ſuæ materialis miſcelam aut applicationem ad corporis partes operativa, alium operandi motum, remediorum præſertim ſublimiorum ſuggerit Helmont. talem ſc, quo remedia ſine naturali ſuâ miſcela, ſaltem per influxum quendam idealem adeoque radicativè medeantur morbis: Exiſtimant ſc. remedia ſaltim operari in ſtomacho, idque ſaltem in ejus archeum, qui occaſione remedii varias ideas cudet, pro quarum ductu dirigatur in cura morborum. Item cum ipſi *Helmontio* oriantur morbi tantum non omnes proximè ab ideis vitioſis, aut peregrinis in archeo, operari remedia ſaltem, vel iſtas ideas peregrinas archei extinguendo, vel alias novas, iſtis in archeo præexiſtentibus contrarias, tanquam in ſpeculo repræſentando, quorum intuitu archeus reducatur in debitum operandi modum ipſeque certo modo dirigatur in morborum medela. Confirmatur hoc ex eo quod plurimi morbi placentur ſubitò ſine omni ſenſili medicamenti effectu, vel materiæ occaſionalis morbificæ evacuatione, ſaltem per graviora animi pathemata, quarum idea archeum diverſimode dirigat ad morborum ſanationem. *Confer præſertim ejus Tract. In verbis, herbis, & lapidibus magna vis.*

CAP. IV.

DE PLETHORÆ DIMINUTIONE.

§. 1. FRequentes obſervationes loquuntur, quam inſolitas natura interdum ſanguinis inſtituat evacuationes, ut à ſarcina ea molis tantæ ſe liberet. Ut, quando per inſenſilem porum in cute, circa hepatis regionem apertum ſe exonerare ſatagit, cujus illuſtre exemplum vide *in Schenkio obſerv. pag.* 413. & 426. vel per porum in dextræ manus Salvatella ſpontè apertum ſanguinem evacuat, *teſte Barthol. cent.* 5. *hiſtor. XIX.* Taceo nunc menſtruorum excretiones, quæ non tantum mulieribus, ſed viris interdum contingunt: de quo *vid. Zacutus lib.* 2. *Prax. admiranda obſervat.* 102. *item Barthol. cent.* 5. *hiſtor.* 32. vel hæmorrhoidum fluxus, qui non viris tantum ſunt proprii, ſed etiam mulieribus non rarò vicarii ſunt menſtruorum deficientium, quibus ordinariis fluxibus ſuppreſſis, quam variè ſuccedant evacuationes vel per vomitum, vel per mammas, vel per oculorum

lorum canthos ut ſatis ſuperque notum eſt ita exempla videri poſſunt *in Schenckio in lib. 3. obſervat. p. 511.*

Tractandum hic foret de cura morborum in ſpecie, ſed quoniam quæ hic moneri poſſunt generalia, partim ſunt ſuperficialia partim confuſa, propterea nonniſi, quæ de morbis humorum in genere ſcitu neceſſaria ac in praxi ſpeciali præſupponuntur, tractabimus.

§. 2. Quidni ergo imitetur Medicus naturæ conatum & ubi cognoſcit eam aggregatam eſſe à ſanguine, hanc imminuat, ſive ſenſim abſumendo per inedias, exercitia, fonticulos, ſive confertim evacuando per hirudines, per cucurbitulas ſacrificatas, aut per apertam arte venam. Hæc enim per ſe nihil aliud præſtant, quam quod ſanguinem evacuent, cujus abundantia ſola venæſectionem indicat. Sanguinea maſſa abundans ſui imminutionem indicat, abundè autem *vel ſimpliciter* in ſui copia ex temperantia otioſa, aut ſuppreſſione conſuetæ evacuationis, *vel ſecundum quid* in aſſuetis, item Orgaſmo ſive turgeſcentia nimia febrili: ſolum his in quatuor caſibus ſanguinis detractio neceſſaria eſt, pro abundantia imminuenda: Secundariò indicant victus, climatis, ætatis, virium ratio, &c.

§. 3. Tanta certæ interdum venæſectionis eſt utilitas, ut iis qui ex nimiâ plenitudine mori viderentur ſola ſanguinis miſſione ſanati fuerint. *Vid. Schenckius lib. 3. obſerv. pag.* 417. & ex omiſſa venæſectione in corpore ſanguine turgido, ſtagnationem ſanguinis & inde ſuffocationem lethalem obſervavit *Panarollus Pentecoſte I. obſerv.* 13. unde qui conſueti ſunt ſemel venæſectioni, illam neceſſe habent, quotannis repetere, niſi clinicam agere vitam velint, id quod continuare coacta fuit nobis mulier uſque ad 80. annum *teſte Trincavello in Schenckio obſerv. p.* 417. quâ conſuetudine omiſſa, ob ortam febrium cum eryſipelate in ſene 63. annorum, *vid. in Jabeliovero Cent. 6 Cur.* 6. quâ obſervatâ alius à febribus acutis ſe præſervavit. Quare etiam venæſectioni adſueti ſtatis vicibus in vena, pungi ſolitâ titillatione ſentiunt, naturâ quaſi ad ſolitas evacuationes monente ut loquitur *Barthol. Centur. 5. hiſt.* 19. plura de venæſectionis neceſſitate *vid. in Methodo medendi Hoffmanni lib. 1. c. 13. & diſſertatione Mauritii Hoffmanni de venaſectionis neceſſitate.*

§. 4. Per ſe ergo utut ſolummodo evacuationis ſcopo ſatisfaciat ven. ſect. per accidens tamen interdum etiam aliis ſubvenit affectibus, quatenus vel hi à ſanguinis abundantia, vel exinde impedito ejus motu, aut fermentatione imminuta, vel alia circumſtantia adjuncta dependent. Hinc ven. ſect. in brachio inſtituta, inſtantes menſes proritat, urinam remorantem pellit, abortum præcavet, partum difficilem promovet, *Teſte Borello obſerv.* 25. Sic mulierem ex defectu menſium tabefactam per ſectionem venæ repetitam curavit *Benivenius teſte Schenckio lib. 2. obſerv. p.* 261 & extenuatam per venæſectionem curavit *Zacutus Luſ. lib. 3. prax. adm. obſer.* 4. Quod verò quidam in febribus ob id ſecent venam, ut refrigerent, abſonum eſt, cùm calor tum excedens ex efferveſcentia ſanguinis ſit, quàm ſanguinis tantilla detractio non temperabit, niſi velis more veterum, ad animi uſque imminens deliquium venam ſecare, quod illi terminum ſufficientis evacuationis tunc ſtatuebant, cujus exemplum vid. *in Amato Luſit cent. 3. cura* 31. ſicque ægros tuos facillimè curares, quia occideres, de qua controverſia *vid. Majatus Conſiderationum Medicar. Tom. 1. part. 2.*

In ſanguine ejus motus circulatorius probè conſiderandus partim quatenus ipſe neceſſariò pro vita requiritur, & quatenus ab motu ejus & aliorum quorumvis contentorum naturalis motus, v. gr. ſeri, lymphæ, bilis, urinæ, ſudoris & certo modo ſpirituum animalium quoque ſuo modo dependent. Moderatur hunc motum ſimpliciter cor, cujus reſpectu corpus in duas regiones diſpeſcitur. Sub ſanguinis ergo miſſione, quatenus non imminuto nonnihil ejus quanto liberior fit ejus circulatio, & ſimul circa locum evacuationis ob vias magis apertas ex vacuo concitatior ſanguinis ipſius & quorumvis aliorum contentorum, plus minus ſtagnantium fit impetus ac progreſſus, & hic eſt uſus ſecundarius miſſionis ſanguinis, modificare ſuo modo ſanguinis motum circularem, & hinc dependentem aliorum humorum motum, quod vulgo vocant ventilare. Ex his duobus ſanguinis imminutione ejuſque ventilatione ſequuntur per accidens uſus & effectus alii plures, v. gr. in urina ſuppreſſa, partu difficili, dolore iſchiatico, capitis contuſione.

§. 5. Cor eſt fons, ex hoc ſcaturit ſanguis & univerſum poſtmodum corpus ab eo pervagatur. Movetur indeterminatè per arterias ad partes, per venas verò ad cor. Unde nunquam movebitur copioſius aut impetuoſius ad partem unam, quam ad alteram, neque pro correctione talis motus venæſectio ulla ſub nomine revulſionis, vel derivationis inſtitui poteſt. Sed tumet pars, à ſanguine reſtagnante non irruente. h. e. ex ejus legitimo motu impedito, per porulos vel partium, vel vaſorum capillarium, ſanguis neceſſariò coacervatur in parte, indeque pars tumet: quocunque ergo in loco evacues ſanguinem, nunquam corriges iſtum tumorem, niſi impedimētum illud, quod ſanguini, tanquam materiæ liquidæ, fluenti appoſitum eſt, removeas. Et poſito, irruere ſanguinem in partem, ex quacunque cauſa niſi hanc cauſam removeas, non corriges eum motum, licet vel centum venas in alio loco pertundas, & ſi vel maximè irruat, non poteſt copioſius irruere, quàm vaſa permittunt, quorum alveis coërcetur, ſin ergo apta ſint omnia vaſa, viæque patulæ, ſane eo motu, quo irruet in partem eo etiam ex eo affluet, ob immutabilem naturalis circulationis legem. Quid ergo tum proderunt revulſoriæ & derivatoriæ venæſectiones.

Veteres in tumoribus quibuſvis in ſpecie inflammationibus duas partes apprimè conſiderarunt; Mandantis ratione, revulſiones, derivationes inſtituerunt, ratione verò partis recipientis interceptiones & repulſiones. Non tamen eſt de nihilo quoad experientiam practicam revulſionum obſervatio, adeoque corrigenda non ſimpliciter rejicienda, ſic enim revulſio ſanguinis in quadam regione ſtagnantis in contraria vel oppoſita evacuatio, ut aliquando promptus ad hanc fluat, & imminuta ejus quantitate imminuatur ſtagnationis incrementum. Exemplum notabile refert *Lindanus in Manuſcripto ſuo ſuper Hartmannum de Chirurgo Amſtelodam.* Cui dexter oculus erat inflammatus: Medicus ſenex venam ſecat in brachio ejuſdem lateris, unde magis inflammabatur oculus, quia ſic ſanguis majori impetu ad partem affectam movebatur. Medicus aperit venam in ſiniſtro brachio, oculus ante illæſus etiam inflammatur, hoc videns Medicus ſecat iterum venam in brachio dextro, & æger inde oculum planè amiſit, hoc videns ſecat iterum venam in ſiniſtro brachio & ibi quoque augetur inflammatio. Vocatus *Doctor Tulpius* ſtatim venæ ſectionem in pede inſtituit, ex tempore imminuuntur inflammationes.

§. 6. Notæ ergo hæ Veterum fuerunt Hypotheſes ſub tenebris ignoratæ circulationis ſanguinis. Ut E. pateat, quomodo ſub certo ſenſu ſtare queant iſta veterum aſſerta, præſuppono, reſpectu cordis duplices eſſe regionis cordis oppoſitas, in quas emanat ſanguis, ſuperior ſcilicet ratione arteriæ deſcendentis. Quando E. ſecta vena evacuatur ſanguis in quadam parte, hoc ipſo ob majus & liberius ſpatium, promptius ex arteriis capillaribus influit ſanguis, quibus depletis promptius influit ſanguis ex ramis, hinc ſucceſſivè ex truncis, adeoque ſic aliquo modo celerius,

rius, ob minora obſtacula influet ſanguis, in iſtam regionem corporis , ex qua fit talis evacuatio, quam in alteram ubi non fit. Si ergo ſtagnat ſanguis in quadam parte , ex impedito motu , v. gr. in capite vel oculis , datque inflammationem , quo major eſt talis ſtagnatio, eò periculoſior ſucceſſivè fiet inflammatio, ob ſuccedentem & influentem continuò interrupto motu ſanguinem. Si E. aperitur vena in parte inferiori , verbi gratia poplitea aut ſaphæna ſanguis evacuando.

1. Imminuitur.
2. Ob liberius ſpatium in inferiori regione & ob impedimentum ſtagnationis in ſuperiori promptius movebitur ſanguis ad inferiora , ſicque duplex habetur commodum.

(α.) Ut ſanguis non adeo copioſus ſuperiora verſus feratur , ſed hoc non durat diutius , quàm vena aperta ſanguis fluit , hac enim denuò occluſâ, ſanguis brevi poſt denuò in omnibus vaſis æquali tenore & quantitate circulatur.

(β.) *Vt ſanguis* , *dum quantitas* ejus minuitur , ubi ejus motui injicitur impedimentum , non adeo copioſè ſtagnet , ſed depletis nonnihil vaſis à vicinis promptius reſorbeatur , & ita ad cor revehatur , quod fit eò facilius , quò copioſius ſanguis detrahitur. Hoc modo explicata revulſio erit ſanguinis, in quadam regione ſtagnantis, in contraria , vel oppoſita evacuatio , ut aliquo modo promptius ad hanc fluat , imminutâ ejus quantitate impediatur minimum ſtagnationis incrementum. Hoc vocatur revulſio Univerſalis.

Pertinet huc Raptus humorum vel excernendorum vel ſub excretione ſuppreſſorum in alium locum , & nati exinde dolores , tumores , inflammationes & ſimilia mala , v. gr. Si lochiis puerperæ ſubitò ſuppreſſis febris continua cum cephalalgia & delirio, vel pleuritis ſuperveniat, raptus humorum ad caput item ad pleuram vocatur : aut ſi in variolis erumpentibus hæ ſubito diſpareant & hinc deliria ac convulſiones ſuperveniant. Diceretur raptus materiæ variolarũ ad principium nervorum *Quid E. talis raptus?* Nõ proprio impetu moventur humores, ſed ad alios impetum & pulſum , quod vero in ſpecie unam partem præ alia affligant gravius & occupent , hoc imprimis partis eſt vitium aut culpa non ſanguinis , aut aliorum humorum æqualiter indeterminatè per partes circulantium : *potius ergo detentio horum in quodam loco dici* debet, utut propter impetum aut ſubitaneam afflictionem ſubinde communiter Raptus nomine veniat ; In caſu ergo dum ſuppreſſis lochiis purgamenta quædam uteri præternaturaliter ſuppreſſa, æqualiter per univerſum corpus diſtribuuntur cum ſanguine,ſi impedimentum quoddam in quodam loco ſe offerat,quod æquabilem ſanguinis tunc turgentis & particulis heterogeneis, nec æquabiliter commiſcibilibus inquinati nonnihil motum ſufflaminet , ipſe quidem ſanguis , ex impetu pulſus per vaſa conſueta utcunque circumlabitur , ſed particulæ iſtæ heterogeneæ haud benè nec intimè , ipſi unitæ ob texturæ & conformationis vitium moras haud nectent , ſucceſſivè in parte detinentur & ſubſiſtunt , & per continuatum ſanguinis circulum magis magiſque partem occupabunt , & ut aliàs vocant in partem decumbunt, quod cum brevi ſubinde fiat tempore quaſi impetu quodam in partem rapi contenta talia videntur.

Impedimentum in parte cujus occaſione talis detentio contingit , eſt vel vitium quoddam utut leve in conformatione vaſorum capillarium , pororum aut meatuum propter quod difficilius ſanguis tranſit utut adhuc de facto tranſeat. Vel eſt irritatio partis, à ſanguine ita malè affecto, quâ occaſione ſtringuntur fibræ, arctantur pori ac meatus,ſanguis pulſu impetuoſiore quidem trajicitur , ſed peregrina ejus contenta ipſi non adeo benè unita reſtitant unde nunc cum inflammatione nunc ſine illa talis humorum dictus raptus fieri aſſolet:Pro quo aliqualiter corrigendo & per accidens nimium ejus præcavendo, venæſectio revulſoria & averſoria, omnino inſtitui debet.

§. 7. Quodſi vel facta ſit *revulſio* , vel ea non opus ſit , & ſtagnationis ſanguinis in parte incrementum non ſit adeo ingens , vel jam aliquo modo diminutum , ut hoc ulterius præcaveatur , aperitur vena in eadem regione, quo ſic non ad locum ſtagnationis, ſed ad vicinum promptius ſanguis fluat , & magis adhuc imminuto ejus quanto , facilius per alia vaſa remeare queat , ne augeatur ſtagnatio , & hoc vocant REVULSIONEM particularem , alii averſionem, evacuationem , nempe ſanguinis ex loco ejus ſtagnationi vicino. Quodſi vero incidantur venæ iſtæ , per quas ſanguis ſtagnans naturaliter alias refluere deberet, ut ſic adjuvetur , quantum fieri poteſt ejus recurſus , quo reſtituatur in naturalem circulum , vocatur DERIVATIO ſanguinis ſcilicet per locum ſtagnationi proximum eductio. Quicquid ergo adjumenti adfuerunt revulſiones omnes & derivationes , eſt tantum accidentalium & cum ſanguinis evacuatione,i.e. virium diminutione conjunctum. Qui ergo conveniente ſudorifero præcipitante ſanguinem attenuare, reſolvere & fluxilem reddere novit , vel qui appropriato topico irritationem partis & hinc fibrarum criſpaturam ſedare novit , is naturalem ſanguini reſtituit circulum , omnem ſtagnationem tollit , omnibus iſtis venæ ſectionibus ſuperſedere , ac tales affectus citò & jucundè curare poteſt , quod quotidiana in pleuritide abundè teſtatur experientia.

§.8. Supradicta in §.5. qui perpendit , facilè perſpicere poterit , quod , aut interceptionis aut repulſionis humorum cauſa , in parte quadam applicata remedia, ſint fruſtranea , quia ab iis ſperata adjumenta , aut ſunt *impoſſibilia*, ob inviolabilem circulationis neceſſitatem aut admodum *nociva*, ob impeditum Sanguinis motum. Si enim collecti ſucci excrementitii per degenerationem alimenti proximi partis ſenſim coacervati ſunt, fruſtra intercipere aut recipere tentas quod quotidie ſubnaſcitur, ſed radicem potius, depravationem ſcilicet fermenti proximi corrige , & rectè ages; ſin verò vel ſanguinis vel lymphæ motum aut intercipere aut revellere velis ex lymphæ impedito motu, quid niſi tumores ſeroſos , ſeu hydropes particulares induces ? Si verò ſanguinis influxum impedire velis, intercipiendo arterias , neceſſe eſt, adſtringas & anguſtes , aliàs fruſtra laboras , & ſic partem vita privabis ac gangrænam induces : ſin verò venas hoc modo anguſtes, ſanguinis refluxum tolles , & ita inflammationem induces, quam præcavere debebas. Quodſi ſanguinem , jam in partem effuſum & ſtagnantem , repellere tentes, ea omnia , quæ hoc præſtare dicuntur virtutes habent adſtringendi poros ac meatus , vel coagulandi ſanguinis effuſum , unde his applicatis, potius impedies ſanguinis motum , quàm ut eundem promoveas, & ſanguinem refluentem ſiſtes, quem ſurſum pellere debebas. Unde etiam repellentia Chirurgorum in inflammationibus, fracturis, vulneribus,&c. applicata pleraque , in ſpecie acida tumores reddunt pejores & inferunt periculoſa ulcera, aut lethales gangrænas : id cum in Eryſipelate vel aniculis ſit agnitum, hæ indoctæ licet ignorantes inſtruunt Chirurgos, omnem humidorum prohibentes applicationem, quia talia Chirurgorum ſunt repellentia, h.e. adſtringentia vel coagulantia. Hoc E. in caſu loco repellentium,vel intercipientium vulgarium , applicentur vel *refrigerantia* dicta ſeu alcali volatili temperato prædita , ut ſperma ranarum vel *diſcutientia* , quæ penetrant, attenuant, reſolvunt & fluxilem reddunt humorem impactum , ſic enim facile in naturalem motum impeditos reſtitues humores , unde vel ſolus ſpiritus vini externè applicatus, tàm inſignes poſſidet dotes, ut etiam eryſipelata feliciter curet ; quibus ſi addas interdum quoddam diaphoreticum,rectè curabis ægrum.

§.9 INDICIUM quod attinet *de ſanguine venâ ſectâ emiſſo* , hoc non immerito rejicit *Helmont. tract. paſſiva humorum deceptio. c.1.ut &* *Knofelius de febribus epidemicis p.54. & ſeqq.* cum unuſquiſque homo peculiarem ſuam habeat ſanguinem , & in ſanitatis latitudine maxima ſanguinis ſit varietas,pro ratione quoque animi pathematum quotidie alteretur. Ut taceam vix prius judicium ferri de ſanguine,quàm quando hic ad tempus ſteterit,& ab ambiente aëre,propriaque corruptela corrumpi & putreſcere incipit. Hoc interim

à Vete

à Veterum tempore obſervatum fuit, quod ſanguis emiſſus, tardius aut nunquam concreſcens, ejus malignitatem denotet, extinctionemque caloris, ut vocant vitalis: Cujus ratione illi putarunt eſſe fibrarum defectum, & corruptionem, moderni vero cauſam in defectu acidi debiti, ejuſque ſeminalis ſanguinis miſcelam & texturam minus cogentis rejiciunt. *Conf. Pauli in digreſſione de febribus malignis.p.14.* 21 qui ſanguinem impensè coloratum venâ ſectâ emiſſum morbi maligni ſigni ſignum eſſe aſſerit: Simile fatetur *Bruno comm. in Jeſſenium p.89.* Graveolentiam ſeri & cruoris licet raram, certam mortem denotare non ſine contagii ſuſpitione expertum eſt, & confirmatur à *Schenkio in obſ. p.418.* utut contrarium videatur exemplum à *Pauli citato loco p.13.* deſcriptum. Superficies ſanguinis, ubi poſt ſubſiſtentiam marmoris inſtar eſt variegata, inſignem humorum in maſſa ſanguinea confuſionem putredini obnoxiam diaphoreticis cohibendam teſtatur: Sanioſa aut cinerea liveſcens, cruditatem malignam, & impedita fermentatione & ſpirituaſcentia natam, antiſcorbuticis ſale volatili abundantibus tollenda arguit. Viridem veneni occulti indicium eſſe vult *Cardanus l.1. de venis cap. 26.* Et in lue venerea ſanguinem cæruleum vel ſubviridem apparere loquuntur Practici, id quod in ſcorbuto quoque interdum contingit. De cætero, non ſaltem ſanguis, qui primus poſt apertam venam nigricans emanet, ſub ſuo continuato effluxu floribus effluit, ſed & non raro ſanguis emanans diverſæ naturæ & conſiſtentiæ ſubinde obſervatur, præſertim in pleuriticis & peripneumonicis affectibus, pro inæquali nempe ipſius ſanguinis corruptione, de quo *vid. VVillis in Pharm. Rat. vol. 2. p. 185.* ſed plura de hujuſmodi judiciis vid. *in Geſſenii judicio de ſanguine venâ ſectâ emiſſo, à Brunone auctius edito.*

§. 10. Ex dictis hactenus manifeſtum eſt, quinam ſint uſus SANGUINIS EMISSIONIS PRIMARII, vel, ut ſanguinis copia imminuatur, vel ut ejuſdem motus circulatorius nonnihil, determinetur. Quoad regimen, ſeu legitimum venæſectionis uſum, *vitetur*, quantum poſſibile, *licentioſa illa venarum apertio*, & nonniſi urgente admodum indicatione, aut evacuatoriâ, aut revulſoriâ, vel derivatoriâ inſtituatur, idque ſaltem permittentibus, nec contra indicantibus viribus, cæteriſve circumſtantiis, vires determinantibus. *Semper theſaurus vitæ in ſanguine reconditus conſideretur*, unde ſi aliis modis ægro, vel ſine periculo, æquè commodè ſuccurrere poterimus, ſanguini parcatur, quibus ritè conſideratis, apparebit, rariores eſſe ſanguinis emittendi occaſiones. *Tempus* quod attinet, eſt hoc vel *neceſſitatis*, vel *commoditatis*; Hoc in ſanis præſervativè ſi inſtituatur, *vernum imprimis* convenit circa æquinoctium, autore *Hippocrate ſect. 7. Aphor. 53.* & hinc *autumnale*, eodem ſub cardine, idque *luna creſcente potius*, quàm decreſcente, contrà vulgatam opinionem, ut hoc oſtendit *Trevv. in pract. univerſali: Bon Aderlaſſen.* Horis matutinis, minimum onerato ſtomacho. Quoad *neceſſitatis* verò *tempus*, *lege* hoc ipſum *caret*, in Chronicis equidem morbis per ſe minimè neceſſaria venæſectio. In acutis verò cum febribus principio morbi, præmiſſis primas vias evacuantibus convenientiſſimum eſt, idque quo citiùs, eò meliùs: adeo, ut in urgentibus anginis, vel pleuritide, etiam veſpertinum vel nocturnum tempus non obſtare queat, quod etiam in aliis acutis, abſque febribus apoplexia, catharro ſuffocativo, &c. locum habet in quibus urgente affectu pro ſanguinis circulo conſervando & aliis imminentibus malis ſuccurrendis, ven. ſect. per accidens ſubinde urgetur, adeoque prima occaſio quantocyus illa commodè adminiſtrari poteſt, optima cenſetur. *Locum aperiendi venam ſcopus* vel evacuatorius vel ſanguinis circuli correctorius indicat. *Doſin* vires ægri cum affectus urgentiâ collata, oſtendunt tres vel quatuor ad vi. uſque ℥ias ſufficiunt, & illa ipſa etiam an ſolitaria, an repetitis vicibus inſtituta, ven. ſect. conveniat, monſtrabunt.

Si vena pertuſa tendo vel nervus ſubjacens læſus fuerit mox oleum deſtillatum therebinth. calidum, vel oleum deſtillatum ceræ calidum vulnuſculo inſtillandum.

Vel ℞. *Ole. deſtillar. Therebinth.* ℥j.
Spirit. Vini ʒj.
Euphorbii ʒß.
Miſta inſtillentur Vulnuſculo.
Item ℞. *Euphorbii* ℈j.
Reſinæ terebinth. ℥ß.
Ceræ parum.

Extendantur ſuper linteum fiat emplaſtrum loco læſo inducendum. Vid. *Sylvius in lib.1. Praxeos cap.42.§. 38. it. l.2. prax. c.23.§.80. ſeqq. Confer. Scultetus in obſer. Chirurg. obſ.64.*

§. 11. Veneſectionis Vicariæ ſolent ſubinde eſſe CUCURBITULÆ SCARIFICATÆ, & HIRUDINES. Cucurbitulæ quidem ſcarificatæ (nam & abſque ſcarificatione interdum applicari ſolent, ubi avertorius & derivatorius ſanguinis intenditur ſcopus) mediantibus vaſis Capillaribus univerſalis evacuationis ſanguinis locum ſupplent, & tunc ferè uſurpantur, ubi circumſtantiæ quædam *vel* ratione virium ægri, *vel* ratione lipothymiæ forſan imminentis, *vel* ratione difficultatis ſecandi venas venæſectio non ſemper habet locum. Quin etiam revulſorio & derivatorio imprimis ſcopo, per quam convenienter ſuccurrunt, nam & cruribus, cum & ſine ſcarificatione in menſium vel lochiorum ſuppreſſione applicantur, & dorſo intra ſcapulas in capitis affectibus & mammis in nimio menſium fluxu.

Loca frequentiora ſunt in dorſo regio inſtar ſcapularis, in brachio humerus, in cruribus femora, interdum in pathematis nephriticis in lumbis cucurbitulæ ſcarificatæ applicari poſſunt. In menſium vel lochiorum vitiis commodè femoris regioni internæ applicantur Mammis applicatæ & inſigniores quidem ſine ſcarificatione ad reſtringendum nimium uteri fluxum quibuſdam laudantur. Promiſcuè evacuant, non ſolum ſanguinem intercutaneum, unde ridiculus earum in ſcabie uſus.

§. 12. Par ratio eſt HIRUNDINUM, rarius tamen præterquam derivationis & interdum averſionis gratia uſitatorum, qui ipſi non ſecus ac ſcarificationes hoc habent commodi, quod capillaria venarum pariter & arteriarum aperiunt vaſa unde & deliberato conſilio interdum circa arterioſa loca hirudines applicantur: hinc imprimis temporibus in cephalicis, item nuchæ, frequentiſſimè hæmorrhoidibus applicantut à noſtratibus, apud exteros crebrior illorum uſus eſt à quibus & naribus appenduntur, tanquam hæmorrhagiæ vicarum, & vulvæ labiis, pro lochiis provocandis, monſtrante locum optimè vaſorum ſitu, pro derivationis ſcopo, ſemper obſervando.

Loca ſunt ſaltim particularia unde temporibus, nuchæ, in capitis malis, hæmorrhoidibus in earum vitiis, it. in morbis Chronicis, naribus in hæmorrhagia ſuppreſſa, labiis vulvæ in menſibus aut lochiis actu fluentibus ſuppreſſis, &c. Si tenacius adhærent, ſale communi aſpergantur, ſi irrepant in cavitatem quandam, v. gr. inteſtina, fiat injectio cum aqua ſalſa calida idque crebrius reperatur, donec cum eodem denuo ejiciuntur. Quodſi locus ab ipſis vulneratus non bene conſideretur, ſed in ulcuſculum abeat, hoc theriaca vino commiſta crebrius detergendum & ita conſolitandum.

§.13. His ipſis ſanguinis detractionibus etiam CAUTERIUM & hujus medio paratus FONTICULUS accenſetur ab Helmontio, utut non abſque limitatione intelligenda veniunt effata ejus. Verum eſt, quod in ſanis æquè ac ægris excitati fonticuli plus plorent, idque imprimis ex ſanguine loci fonticulo exulcerati in pus mutati, cum tamen præter pus & ſalia varia ſanies ac ſordes ſubinde unà evacuari ſoleant, idque non

rarò

rarò cum ſenſibili in morbis chronicis præſertim ex colluvie ſeroſa, ac lymphæ vitiis natis ægrorum levamine altius quid ſubeſſe omnino eſt veroſimile. Per ſe nempe totum cauterii & inde factæ fontanellæ auxilium tantum in nutrimenti partis roridi & hinc cruoris minutulâ,ſed cõtinua diminutione conſiſtit,adeoque propriè plethoræ tantùm convenit. Per accidens verò & à poſteriori ac palliativè etiã iis confert affectibus, qui à ſordibus quibuſdam, vel vitio læſæ in ſanguine fermentationis vel depravatæ cujuſdam partis nutritionis aut functionis productis enaſcuntur, ita ut labes illæ à priori ob ſubjecti ineptitudinem, v. g. vel ob ſenium, vel ob menſes deficientes, &c. non ſint corrigibiles; Sic enim unâ cum ſanguine & nutrimento laudabili evacuatur ſimul id, quod eſt nocivum, & excrementitium in ſanguine ſua natura eſt proſcriptum ab œconomia vitali, ut facile hinc ſit alterabile & ſeparabile, eò facilius & promptius per fontenellam ſic evacuabitur. Simile fit interdum ab ipſa natura dum hinc inde erumpunt ulcera, tanquam fonticuli naturales quæ ſanata per artem, corpori non leves dant turbas, ſin verò denuo aperiantur,corpus eſt quietum. *Vid.Scultetus in Armament.Chirurg.obſ.55. & 57.item in Miſcell.nat.cur.anno 2.p.383.* Hinc etiam vulnerati inſigniter rarò menſibus vel hæmorrhoidibus evacuantur conſuetis, quia quaſi per fonticulum ſanguis per vulnus ſub puris vel ſaniei ſpecie erumpit. Adeoque in fonticulis præter ſcopum evacuationis nocivi ſub forma puris etiam ſcopus derivationis & averſionis interdum intenditur,unde præter *crura & brachia*, quibus veteres ſaltim fonticulos inuſſerunt,recentiores etiam *Nucha*, loco ſetacei moleſtiſſimi illius remedii in capitis præſertim & oculorum affectibus,item *intra ſcapulas*,item intra ſeptimam thoracis vertebram,item intra coſtas, pro vomica pulmonum moderni inurunt fonticulos.

§.14. De FONTICULIS res nota eſt,quod quicquid exhauriunt, omne illud utut non immediatè, tamen mediatè ex maſſa ſanguinea eliciant, adeoque etiam ſecundariò & ſucceſſivè ejus quantum immineant,utut primaria Medici intentione pro ſcopo nunc *Revulſorio*, nunc *Averſorio*, nunc *derivatorio* adhibeantur. *Proſunt ergo palliativè*, & per accidens fonticuli in illis nempe affectibus, qui à ſordibus quibuſdam excrementitiis,vel vitio læſæ hæmatoſeos ſeu digeſtionis ſecundæ vel vitio læſæ nutritionis privatæ cujuſdam partis, ſeu texturæ digeſtionis natis oriuntur, ita, ut à *priori* vitium illud incorruptibile ſit,quatenus radix ſeu cauſa extirpari nequit, ſic à *poſteriori* producto morboſo pedetentim evacuando & ſymptomata inde nata minuendo ægris ſuccurrere nitimur, e. gr.laborat aliquis cephalalgia pertinaci vitio ſcorbuti, & quidem ita confirmati, ut eradicari nequeat; ut itaque ſymptomati iſti aliquo modo occurratur,Fonticulus in brachio, vel nucha apperiendus, ut evacuata utcunque acriori lympha, tandem capiti levamen afferatur. Vel pono, graviter quendam labi ab alto, in ſiniſtri femoris partem extimam, poſt aliquot menſium moram verò ſucceſſivè incurrere graviſſimos dolores nocturnos lancinantes, idque ex cõtuſione tendinum & nervorum, & hinc læſa utcunque nutritione eorum privata, & aliis irritis pro levando malo infra genu ſiniſtrũ in parte externa inuratur fonticulus ſic enim ſucceſſivè ſpes eſt dolorem remiſſum iri.

§.15. Loca fonticulorum oſtendunt Scopi, vel Evacuationis, vel Averſionis, vel derivationis. Ubique rectitudo vaſorum partis affectæ cum loco fonticuli attendanda. Nucha pro capite & oculis, loco veterum ſetacei, in bregmate nihil valent; In brachio pro affectibus capitis, aurium, faucium, mammarum, oculorum, vertigine, apoplexia.In cruribus,in uteri menſium, hæmorrhoidum affectibus.malo Iſciatico.In ſcapulis, item intra coſtas prout WWillis vult, non æquè proficui ſunt.

§. 16. *Inſtrumenta* ſeu materia quibus excitantur FONTICULI ſunt ferrum aut ignis. FERRUM, dum ſimpliciter cutis elevatæ ſcalpello inciditur foramen debitæ magnitudinis, quod ad ſuppurationem productum, fonticulum ſuggerit. IGNIS eſt vel actualis vel potentialis in corroſivis ſcilicet. *Actualis* ſunt ferramenta ignita, ad debitam profunditatem intrudenda, in ſpecie CAUTERIA dicta. *Potentialia* ſunt in corroſivis. Corroſiva ſunt vel acida vel alcalia fixa vel lixivio ſaponariorum, cineribus fagi & ſimilibus elicita & invicem colliquata; ſed hæc *Alcalia*, non amplius in uſu ſunt, quia facilè liqueſcendo locum exulcerationis mutant, & putrefaciendo operari videntur. Præferuntur ergo *Acida* eaque ex omnibus ſunt tria præſtantiora vel *Chryſtalli Lunares* ſeu lapis infernalis dictus, vel *butyrum antimonii* vel *aqua fortis cum opio*.

1. Cryſtalli Lunares, ſeu Lapis infernalis Gallis dictus, paratur ita. ℞. lunæ limatæ ℥ii. aqu. fort. duplum vel triplum,ſolutio abſtrahatur in cucurbita vel alembicum, caput mortuum quod formam ſalis repræſentat in crucibulo amplo,blande igne calcinetur, donec materia non amplius ebulliat, augmentetur parum aqua, materia effundatur in vas calidum. Refrigerata quaſi lapidem, ſed friabilem repræſentat, aſſervandus in loco calido & ſicco. Optimum eſt cauterium, carnem excreſcentem ulcerum abſumit, tangendo ſaltem, &c. hujus quantum ſufficit pro craſſitie cutis præterpropter quantitate piſi majoris pro parando fonticulo adhibetur.
2. Butyrum antimonii ad gutt.v.vel vj.pennæ anſerinæ,loco,ubi excitandus eſt fonticulus impoſitæ, brevi, idque inſigni ſenſu corroſionis negotium abſolvit,& eſcharam facit.
3. Cum aqu. fort. ita proceditur.

℞. *Aquæ for.* ʒj.
Opii gr.v.

Miſce, hora una ante fonticuli inuſtionem, immittatur globulus ligneus,ut imprægnetur liquore.Globulus hic immittitur dein loco,ubi fonticulus excitandus, procedendo uti moris eſt; altero mane caro mortificata & eſchara apparebit. Eſchara & ſubſtantia cutanea mortificata ſeparantur à ſuâ parte mediante ſuppuratione, pro qua promovenda, vel butyrum non ſalitum, vel unguentum digeſtivum, ordinarium eſt. Ubi pars mortua ſeparata fuit, inſeritur globulus ex ligno hederaclo confectus, item piſum majus, &c.prout ſubjecta hunc vel iſtum ferre poſſunt.Imponitur poſtmodum emplaſtrum appropriatum, pro ægrotorum pariter ratione variandum,v.g. Uſitatiſſimum eſt emplaſtrum Diapalmæ, vel

℞. *Ceræ flavæ* ℥ij.
Ole. olivar. ℥iß.
Therebinth. ℥j.

fluant in tigillo, inſpergendo ceruſſæ ʒß.obſervando, ne materia nimis ferveat; Removeantur ab igne, adhibeantur pro uſu. Imo, quibuſdam cera alba ſola aut quorum fonticuli, ſordes & putredinem contrahunt, addita cera viridis ſufficit. Vid. etiam emplaſtrum pro Fonticulis *in Schrœdero lib.2.p.193.*

§. 17. Quodſi *Fonticuli non ſufficienter plorent*, globulus ex radice gentianæ indatur, vel qui eſt fortior, ex radice hellebori nigri, vel globulus ex hedera illinatur balſamo ſulphuris, vel ex cera, & pauco mercurio præcipitato fiant pilulæ, quæ globulorum loco impoſitæ,idem præſtant;aut etiam ex cantharidibus & cera loco globulorum fonticulo immittantur. Caro luxurians fonticuli, inſperſo alumine uſto abſumitur, vel chryſtallis lunaribus ſimplici contacta applicaris. Fonticulos ſordidos & putridos nihil melius mundificat quam mercurius præcipitatus,ſi tantillum ejus fonticulo immittatur.

§.18. Pedetentim quod faciunt Fonticuli, confertim

m præſtare

præſtare ſolent Vesicatoria adeoque ferè urgentiori in malo, & ubi præſentaneum magis indicatur auxilium, hæc ipſa in uſum vocantur, tam pro ſanguinis ratione excitati doloris aliquali revulſorio auxilio, ut in malignis febribus ubi deliria, vel convulſiones imminentes, his ipſis interdum antevertuntur, quam pro ſcopo evacuatorio, ubi acrior lympha, aut vitioſo ſapore inquinatum ſerum evacuandum, & ex intimiore ſede evocandum eſt, quâ ratione & variolæ retrocedentes illorum medio, aut petechiæ retropulſæ revocari ſolent, quin etiam Iſchiatico dolore urgente, vel articulari dolore torquente per Veſicatoria ægris ſuccurrere ſtudemus. Nuchæ præſertim, item pone aures applicare illa frequentius mos eſt, tàm *in oculorum affectibus* per cacochimicos ſuccos corporis ſubinde exaſperatis, quàm pro *cephalalgia* ſopienda, & ſero acriori Membranas cerebri ferientes prope nucham vel aures avertendo.

§. 19. In veſicatoriis duo conſideranda veniunt dolor & evacuatio. Quoad Dolorem, ubicunque excitatur ab externo objecto, ex fibrarum concitatiore tremulatione & fibratione, provocatur eò, ac citius fertur ſpirituum impetus, quem immediatè ſequitur fibrarum contractura ſpaſmodica, & quaſi major rigiditas, unde dolor pulſatorius. Hinc arctentur pori, ſtringuntur meatus, ſanguis nonniſi majori conatu ex iſtis anguſtiis eluctatur; ſi quid verò heterogenei vel excrementitii, nec ipſe ritè permiſcibile ſit, hoc facilè tanquam in filtri anguſtiis hæret, coacervatur, & ita in ipſa parte detinetur; Et hoc eſt, quod veteres dixerunt, *Dolorem attrahere*. Unde ratione doloris notandum, quod ordinariò objectum ſenſile fortius ſoleat obtundere, ſeu infringere perceptionem objecti debilioris, unde ſi quodam in loco ex partis cujuſdam, præſertim nerveæ irritatione ſequatur grave quoddam ſymptoma, tunc ex dolore majori per veſicatorium excitato, non avertitur dolor minor, unde in loco prius malè habente per ſpirituum à dolore veſicante aliò avocatum motum, fit alteratio & ſucceſſiva correctio cauſæ morboſæ, & ita per accidens prioris ſymptomatis curatio. Quoad Evacuationem par rei eſt ratio ac Fonticulorum, acres particulæ minutæ veſicatorii applicati hinc inde pungunt, vellicant, & rorem partis nutritivum, aut ſuccum ſanguinem penetrant, attenuant, & ita colliquefaciunt. Et quod cauterium actuale ſeu concentratum agens ſubitò & parvo loco præſtat, hoc veſicatorium tanquam agens quodammodo diſperſum, majori & diffuſiori ſpatio præſtat, idque tardius, nam liquamen eſt, quodſi diutius relinquitur, in pus abit, hinc pro ſcopo evacuandi, ut in fonticulis etiam in veſicatoriis ſcopi revulſorii, avulſorii ac derivatorii locum habent.

§. 20. Usus *Veſicatoriorum* eſt in capitis morbis, præſertim in morbis malignis, in doloribus partium chronicis, ex acriori ſero, aut retento noxio uſurpandis; hinc in cephalalgia, in affectibus ſoporoſis, in morbis convulſivis, in quamplurimi nervoſi generis malis, in oculorum pathematis, in febribus intermitt. chronicis, pro rigore imminuendo, in febribus continuis malignis, in quibus graviora capitis imminent mala, in petechiis aut variolis retrocedentibus, aut ſimilibus caſibus opem ferunt veſicatoria. Locus ubi applicantur, ſunt interdum univerſum caput, v.g. in Apoplecticis juxta Villiſium, aut pone aurem, aut hinc prope nucham, brachium, præſertim in carpi parte interna, crura prope inguina, prope ſuras, &c. Tempus quando uſurpanda ſunt veſicatoria, magis in acutis quàm chronicis locum habent, nam in his potius fonticuli uſurpantur, utut in iiſdem nervoſum ſyſtema ſenſibilius afficientibus, v. gr. epilepſiâ habituali adhibenda ſint. In acutis febribus præſtat quidem aliqualia ſigna coctionis expectare, antequam veſicatoria admoveantur, præſertim in ſcopo evacuationis: Sed urgente neceſſitate, v. gr. in convulſionibus ſoporibus, excretione cutaneâ ſuppreſſa, &c. etiam ſine coctionis ſignis adhibere poſſunt. In chronicis morbis, in affectibus nervoſi generis obſervandæ ſunt veſicatoriorum uſu Lunæ Phaſes, ut die uno vel altero ante novi pleni-Lunium applicentur.

§. 21. Materia uſitatiſſima ſunt Cantharides, Ranunculus vulgaris, item Synapi Semen etiam huc pertinent, ſed minus uſitata ſunt cantharides hi apto vehiculo exceptæ imponuntur doſi, in ſubjectis robuſtioribus ʒiß. ad ʒii. aut Recipe Emplaſtrum veſicatorium quod habet *Schræder*. vel quod proſtat in *Diſpenſatorio Auguſtano Zvvolfferi*. Vel

℞. Cantharid. pulveriſ. ʒij.

cum ſufficiente quantit. ceræ & olei liquefactis & cum pauxilla terebinth. permixtis, quibus cantharidum pulvis inſpergitur, fiat emplaſtrum veſicatorium. Vel

℞. Emplaſtr. de Melilo.o.
Mucilag. a. ʒij. ad ℥ß.
Cantharid. pulveriſat. ʒj. ad ʒij..

exactè miſta applicentur, plus minus pro ſubjecti cui applicatur, ratione. Applicatis ergo veſicatoriis poſt VI. XII. horas removeantur, veſicæ inſcindantur forficè, & vel braſſicæ rubræ, aut albæ folium tenerum, quàm calidiſſimè imponatur, idque quotidie, mane, & veſperi repetatur, ſi enim copioſius fluant veſicæ, quæ tamen vix ultra IV. vel VI. dies ita humidæ obſervantur, quin exſiccari & ſanari incipiant. Quando ergo animus eſt, *diutius eaſdem in fluore conſervandi*, recipiantur emplaſtrum de ſpermate ranarum, vel emplaſtri albi cocti partes iii. emplaſtri veſicatorij pars una, miſceantur exacte, vel iſtis emplaſtris addatur parum pulveris cantharidum, & ita amoveantur, contimuò enim ſic apertæ manent. *Quodſi nimis doleat locus exulceratus*, aut ſi inflammationis metus adſit, aut ubi conſolidandi veſicam eſt animus, optimum eſt applicare emplaſtrum de ſpermate ranarum, hoc enim omnia hæc mala curat. Interim tamen *non indiſcriminatim quibuſvis admovenda ſunt ægris*, nam ubi urget urinæ ardor, aut ejus incontinentia, ubi adeſt ſpincteris inflammatio vel exulceratio, ubi hæmorrhagia, ſi mulier ſit gravida, vel ſi inſtet fluxus menſtrualis, item in ſumma virium exſolutione, veſicatoria minus convenire ſolent. In cadavere nil operantur, ſi ergo in gravioribus morbis ſine veſicationis operatione admoveantur ferè ſignum lethale eſt, niſi internum, v. gr. in doloribus ſcorbuticis gravioribus pars ſemiſtupida reddita, cantharidum effectum ex doloris defectu eludat. *vid. Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. anno 9. p.92.*

§. 22. Venas tantùm aperire aſſuetum eſſe ex communi practicorum experientia notum eſt, fit tamen ut etiam *Arteria minores* (nam in majoribus ob hæmorrhagiam, difficilemque ratione pulſus, conſolidationem, & anevriſmatis ſuperventum, res non caret periculo,) Interdum *aperiantur*, idque imprimis in affectibus capitis, in quibus arteriæ prope aures, vel in temporibus non rarò felici cum ſucceſſu aperiuntur, in Hemicrania valdopere eam ſuadet *Lindanus ſuper Hartmann. lib.2. cap.1. §.17.* & intra biduum conſolidari poſſe ait, in ſpecie per terram vitrioli dulcem cum terra ſigillata miſtam ſolidariè vel cum albumine ovi applicatam. Eadem Arteriotomia in Cephalalgia probata eſt, teſte *Tulpio lib. 1. cap. 48.* uti in Ophthalmia contumaci, autore *Fontano reſponſ. & curat. Med. lib.1. pag 30.* In Phreniticis Arteriotomia temporum eſt optima, *vid. Panarollus Pentecoſt. I. obſervat. 29.* & quamplurimis morbis quàm egregiè conducat hæc *vid. in Miſcell. Natur. Curioſ. anno VI. pag.90.*

CAP. V.

DE CACOCHIMIA CORRIGENDA *& per purgationem tollenda.*

§. 1. CAcochymia, ſeu contentorum fluidum diſcraſia, vitioſis ſaporibus & facultatibus Hippocraticis, ſeu potentiis ſalinis fundata, & ex vitioſis fermentis frequentius enata, per varias fermentationum & efferveſcentiarum inordinationes ſe manifeſtans corrigitur, & ex præternaturali ametria in naturalem ſymmetriam redigitur, vel per ALTERANTIA, vel per EVACUANTIA; *Per Alterantia* quidem quæ iſtud, quod ſe exſtiterit, adeoque intemperatum fuerit, ut loquitur *Hippocrates* temperant, deficientes particulas reſtituendo, auctas, adeoque acriores factas contrariorum appoſitione mitigando, aut obtundendo, aliiſve ſimilibus modis in naturalem temperaturam, aut huic, quantum poſſibile proximam redigendo & inde præternaturales orgaſmos in æquabilem naturalem fermentativum motum reſtituendo, v. gr. In ſcorbuto peccat Cacochymia acida ſeu melancholica in ſanguine, lympha, ſucco pancreatico, ſaliva, &c. quæ enervat bilem, & depravat digeſtionem primam, &c. Corrigitur hæc à *priori* quidem, fermentum Digeſtionis primæ ad ſtatum naturalem revocando, quod cum haud facilè præſtari queat, à *poſteriori* productus ſapor acidus vitioſus corrigitur per martialia, quæ illud imbibunt, per ſalia volat. plus minus acria, quæ acidum illud temperant, ſal volat. in concretis corporis augent, bilem acuunt, & ita acidum cum alcali in debitam proportionem redigunt, & præternaturalem contentorum diſcraſiam emendant. Per *Evacuantia* emendatur cacochymia, quando id, quod heterogeneum, adeoque vitioſum, ne reliquis miſcibile, ritè corrigibile exſtiterit, adeoque vel quanto vel quali corpori inimicum fuerit, per convenientia loca & cribra tranſcolari & evacuari faciunt, ad imitationem naturæ, quæ & chyli continuo ſupplemento, temperata conſervat quælibet corporis contenta; eorumque æquabiles fermentationis motum, & intemperamentum ſi quoddam fuerit, illius medio ad temperaturam mediam redigit, & præternaturalem turgeſcentiam mitigat; vel quicquid incorrigibile, cæteriſve impermiſcibile fuerit, per anum, vel per veſicam, vel totius corporis perforatam pellem eliminat.

§. 2. ALTERANTIA hæc ſunt vel generalia, vel ſpecialia. Illa, quæ ſaporem vel fermentum morboſum, prout ſive acidæ, ſive urinoſæ eſt proſapiæ, corrigunt, & prout in ſubjecta materia vel viſcida, ſeu pituitoſa, vel ſeroſa exiſtit, emendant, adeoque quadruplici iſti *Cacochymiæ* generali, *Bilioſæ*, ſeu urinoſæ, oleoſæ, *Melancholiæ*, ſeu acidæ, *Pituitoſæ* & denique *Seroſæ* occurrunt, de quibus jam ſupra in Pathologia ſufficiéter, & quantũ generalis requiſivit ſcopus, actum. Specialia verò, ſeu ſpecifica, aut appropriata, quæ ſpecialem materialis cauſæ vim, ejuſque texturam ſpecificã contrariã textura deſtruunt, ejus ſaporem per naturalẽ emendant, quatenus nempe in particularibus morbis, v. g. non acidum in genere, ſed hoc vel iſtud ſpecialis ſaporis acidum peccat. De quibus in Pathologia, & ſpeciatim *in cap.* 3. pluribus actum fuit.

§. 3. Quoad ALTERANTIA GENERALIA, horum vis ferè in eo conſiſtit, ut 1. acidum aut urinoſum, aut ſalſum temperant & mitigant. 2. conſiderandus eſt effectus qui eos inſequitur plus minus immediatè caliditatis & frigiditatis, humiditatis vel ſiccitatis. 3 Prout ratione partis ſolidæ undecunque vitiatæ conſideranda veniunt. Tertium hoc ſpecialiter in materia tractanda venit; Priora duo hîc tractantur & conſideranda ſunt.

§ 4 ACIDUM præternaturale auctum, aut præternaturaliter fixum, (id eſt melancholicum humorem veterum, tartarum Paracelſi) *corrigunt.*

1. ABSORBENTIA quælibet, quæ aliàs præcipitantia ſunt malè dicta, de quibus ſeq. §. Tales ſunt *Partes animalium quævis duræ*, cornua, dentes, oſſa, maximè cruda, minus uſta, adhuc minus philoſophicè calcinata. *item concreta illorum lapidea*, CC. unicornu, Maxilla lucii piſcis, Dens apri, Oſſa ſepiæ & Oſtracoderma quælibet tam cruda, quàm calcinata. Item *Vegetabilia auſtera*, ut gallæ, flores roſar. rubr. rad. tormentill. China-Chinæ, & ſimilia. Denique *Metalla & Mineralia* quælibet in quæ acidum effuſum potenter agere ſolet. v. gr. terræ minerales quævis, metalla, in ſpecie mars & ſaturnus mercurii liquor alcalinus metallicus, & ejus quædam præparata martialia fixa, remedia ex auro, item *Marina* corallia, mater perlarum, item lapis oſtiocollæ, lyncis & ſimilia.
2. EXACTE TEMPERANTIA & ſaturantia, & in ſalſum tertium coeuntia, v g. quælibet ſalia alcalia, tam volat. quàm fixa, item terrea & calcinata multa, &c. ſalia tam macra quàm volat.
3. OBTUNDENTIA, oleoſa tàm volat. ut ſpiritus vini, qui temperat ſpiritus mineralium acidos, & olea deſtillata, quàm minus volat. ut olea expreſſa, &c. Sed quo acriora ſunt oleoſa, eo minus conveniunt, ne acidum ex volat. & acido compoſitum, quod *atram bilem* vocarunt veteres, inde generetur.
4. AQUOSA, & ſimilia quæ eluunt.
5. OPIATA, quatenus ſenſum irritationis nonnihil ſiſtunt, ut natura vitioſi coctioni ſeu alterationi eò melius interdum incumbere poſſit.

§. 5. Ea quæ *ſal. volat. urinoſum plus minus oleoſum*, qualis compoſitio in bile eſſe dicitur, & unde temperamentum bilioſum dependet Galenicum, (jam ſupra acidi agentis, alcali verò patientis ubique partes agere, in pathologicis oſtenſum, adeoque ſub tali bilioſo potius acido ſalſum oleoſum plus minus copioſum, acre, iners, plus minus motui inteſtino aptum potius intelligenda ſunt, quod praxis confirmabit,) corrigunt. 1. *Temperantia* ſeu Deſtruentia dicta acida, eò potentiora, quo magis talia ac fixa, ut nitrum, ſpiritus nitri, ſpiritus minerales cæteri, acetum, &c. quæ tamen figendo potius & impetum volatilem coërcendo, quod ſuum eſt, agunt. 3. Quæ *obtundunt* & mitigant, oleoſa, tàm volat. quàm minus talia, ut ſalia volat. vel macra, ubi ſal volat. & bilis oleoſa magis fuerit, oleoſa ubi minus. Item ſulphura mineralia & antimonialia fixa, terræ medicatæ pinguiores, &c. 3. *Aquea*, quæ diluunt, & excretioni quaſi melius præparant. 4. *Opiata* in minimo illius orgaſmo & impetu. ACIDUM DEFICIENS *intendunt* vinum, acetum, ſucci vegetab. acidi, aſſumpta acida, aër frigidus, triſtitia, mœror, &c. DEFICIENS urinoſum, ſeu dictum bilioſum *reſtaurant* alimenta nutrientia benè temperata, juſcula & gelatinæ, vegetabilia amara; ubi acuendum per talia, item antiſcorbutica & aromatica. Ex his duobus SALSUM acrius coaleſcens pro temperatura, ſui, oleoſa minus volatilia, minuſque acria poſtulat. 1. oleoſa ut ſemina IV. frigida majora, lac ſulphur. &c. 2. *Mucilaginoſa*, ut Mucilagines, & gummi Arabicum, Tragacanthæ, althea, malva, & omnia ejuſmodi emollientia, item gelatinæ animalium, &c. 3. *Dulcia*, lac, ſaccharum, glyceriza, rapæ, plura olera eſculenta, in ſpecie aqua calcis vivæ. 4. *Opiata*, ſed palliando Optimum eſt ſaporem acidum per diuretica ex corpore eliminare.

§. 6. SUBJECTUM *harum facultatum* in alterationibus obſervabilium eſt nunc *viſcidum* nunc fluidum, utrumque præternaturale, illud pituitoſum, hoc ſeroſum, ſeu lymphaticum dicitur.

1. VISCIDUM corrigunt 1. *attenuantia* ut Gummata,

Ammoniacum, Galbanum, Sagapenum, &c. eorumque tincturæ cum ſpiritu vini extractæ. (2.) *Incidentia*, ut ſalina, vel ſalſa, Cremor tartari, tartarus vitriolatus, Arcanum duplicat. &c. vel acida, præſertim volat. ut acetum deſtill. ſpiritus virid. æris, ſpiritus ſulphuris, &c. Item ſpiritus urinoſi. (3.) *Metus corporis*, calor, ſeu æſtus, alimenta acriora, ſubtilioraque, lætitia, ira, &c.

2. SEROSUM denique vehiculum corrigunt ferè cum ſalinis coincidentia, ut ſunt (1.) *Incraſſantia* dicta, temperantia ac glutinoſa, mucilaginoſa, oleoſa, Ichtiocolla, Tragacantha, Cocleæ, Symphitum majus, &c. (2.) *Terrea* quaſi auſtera, bolus armen. terra ſigillata, corallia cũ aceto. (3.) Quælibet *animalium uſta*. (4.) *Papaveracia* quælibet & opiata.

§. 7. *Alterantia* ratione effectus mediati, qui eorundem immediatam operationem ſequitur, ſunt vel *calida*, vel *frigida*, vel *humectantia* ſeu nutrientia, vel *ſiccantia*, ſeu abſumentia. Præſuppono hic (1.) calorem in ſpecie ſic dictum oriri ex acido celerrimè commoto. (2.) Calorem rerum, præſertim fluidarum ſpontaneum ubique fieri à motu particularum minimarum inteſtino, formaliter, ſed in ſpecie ex motu acidi agentis in terreum, aut oppoſitum urinoſum materialiter. Ex quibus (3.) Tanquam Paradoxon elicio, annon etiam calor in nobis perceptibilis, qui vitalis dicitur, ab acido volatili commoto, hinc ſenſuum organa afficiente revera oriatur, certè qualiſcunque arripiatur hypotheſis, ſi ad primam originem inquiras ſemper ex motu particularum minimarum primario Acido-Volatilium eum dependere. His ita præſuppoſitis.

1. *Calefacientia* quædam ſunt externa, ſeu reſpectu partium externarum, ſeu *interna* reſpectu fluidarum, quæ interdum coincidunt, interdum differũt. Sic ſpiritus nitri aut vitrioli externo contactu intenſum ardorem conducit, qui internè hoc non faciũt. Spiritus vini externe nihil calefacit, internè inſigniter exæſtuat. Nam quæ partium ſolidarum reſpectu ſunt calida, operantur ſaltem quatenus immediatè ſuis particulis vires nerveas potenter rodere, vellicare, aut uno nomine irritare valent, ut v. g. Acidæ ignis particulæ faciunt irritationis ſenſum, ſequitur caloris ſaltem naturalis intenſio, tanquam ſpinulam infixam.

(2.) *Qua internè*, & mediante alteratione contentis corporis inducta, *calorem inducunt*, unde etiam caloris per univerſum corpus diffuſio, obſervantur omnia, habere ſingularem plus minus, penetrantem acrimoniam & quò magis talia, eò etiam eſſe calidiora. Obſervantur etiam omnia (ſcorbuticis exceptis) habere in ſe ſubſtantiam reſinoſam, quâ ſeparata omnis vis calefactoria perit. Patet hoc in omnibus, v. g. *Aromata qualibet* Piper, Zingiber, Zedoaria, Caryophilli, & Aromatibus cognata *Amara* ut aniſum, fœniculum, ſalvia, abſinthium, centaurium minus, gummata, opium, &c. Omnia propriè dicta *Purgantia*, quælibet purgantia acria; hinc obſervandum, eò ipſo quo ſunt acria ſalinæ eſſe texturæ, quo ſunt reſinoſa, eſſe naturæ oleoſæ; adeoque *in particulis ſalinis oleoſis volatilibus vis calefactoria conſiſtet:* Nam reſina igne liquata, dat oleum deſtillatum perquam calidum, quia concentratum, item deſtillatum per debitum ſuum acidum concẽtratum redit in reſinam adhuc calidiorem. Quæ ipſa fermentatione in ſpiritum volatilem abeunt, omnium temperatiſſimum, ob acidum dilutum, attenuatum & temperatum, clarum eſt imprimis in aromatibus ſeu odoriferis. Cætera minus aromatica, tamen amara, quia minus pinguia, non niſi extracta reſinoſa & fermentando ſpiritum vini ſuggerunt. Antiſcorbutica quia minimum olei obtinent nec extractum ſuppeditant, niſi ſuccoſam aut levem eſſentiam, fermentando tamen ſpiritus inflammabilis utut parcus ex iis elici poteſt. Ineſt iiſdem acidum volatile macrius, in aromaticis verò ſalſum oleoſum concentratum, in cæteris acidum minus oleoſum, medio modo ſe habet reſina.

§. 8. Ergo quid eſt illud quod igne liquatum, ſæpius deſtillatum dat oleum? Oleum deſtillatum omnium conſenſu ſal volat. ab oleoſa pinguedine, ſub qua acre reconditum latet acidum concentratum, rectè dicitur, cum de facto per alcali fixi additionem ſal volat. ex quibuſdam elici queat, ſed hoc non calidum ſed frigidum, adeoque vis calefaciendo olei in acido occulto, ſal volat. concentrante primariò conſiſtet, cùm pingue qua tale ſit indifferens Adeoque in acido volat. vis calefaciendi imprimis reſidet; adeoque erunt talia, ratione texturæ acidæ vol. plus minus acris, plus minus temperatæ, ita ut minimis ejus commotis ex acidi volatili activitate & motu in ſanguine, &c. ſuperveniat calor.

§. 9. *Notabile eſt circa calefacientia*, quod (1.) tantum non omnia ſint fermenteſcibilia, item calcinabilia pro ſale fixo obtinendo. (2.) Quod calefacientia talia in vegetabili regno ferè inveniantur & occurrunt, ob acidum volat. copioſius nobis per digeſtionem aſſimilabile. (3.) Ex animali regno ferè refrigerantia aut temperantia, gelatinoſa, alcali temperato volatili imprægnata, acidi correctiva. (4.) Bilis calefactoria vis tanquam Saponario volat. liquore in acido volat. concentrato conſiſtere videtur. (5.) In regno minerali, calefacientia interna propriè nulla quin refrigerantia potius ſint, acido eorum fixiori nobis non aſſimilabili, potius acidum noſtrum volat. figente, &c. dum ceu magis graduata, acidum volat, calorificum infringunt, motum ſufflaminant, & ita caloris ſuppreſſionem ceſſare faciunt. (6.) Quævis ſit reſinæ calidæ, acres, ſummè calidæ à ſale tartari redduntur temperatæ, ut ferè medium effectus calorifici efficiant; diſſolvit nempe ſal tartari texturam reſinoſam, agendo in ejus acidum unde ejus ſapore partim correcto, partim motu per fixationem ſufflaminato multum de calore ceſſat.

§. 10. Quoad REFRIGERANTIA, hæc etiam vel externa vel interna. Illa ſunt quæ impreſſionem ſenſilem factam ſufflaminant, & acidum calefaciens abſorbent, ſaturnus, aqu. calcis vivæ, ſperma ranarum, ſuccus cancrorum fluviatil. dum acidum quodvis vi alcalina macra temperant, refrigerant. *Interna refrigerantia* ſunt duplicia 1. acida intenſa, v. gr. Mineralia, eorumque ſpiritus, de quibus ſupra, in ſpecie nitri nobis præ aliis ſubjectis accommodabile, ex parte ex animalium recrementis natum. 2. Alcalia volatil. macra, aut hic imprægnata naturalia & artificialia, ut Cichorium, Entybacia omnia, Sonchiones, olera, eſculenta, portulaca, plantago, mucilaginoſa, item vulneraria quælibet, ſemina 4. frigida majora, gelatinæ animalium item partes animalium, præſertim marinorum duræ. Spiritus & ſalia volatil. macra, ex omnibus his elicita, quæ acidum volat. colorificans temperando multum calorem imminuunt, e. g. in febre intermittente extractum abſinthii reſinoſum multum calorem intendit, ſpiritus verò ſalis armoniaci ſimplex frigus auget, & calorem multum imminuit.

§. 11. Calida & frigida inter hæc media temperata, vel ſapore dulci aut inſipido, dulci aut aqueo, oleoſitate aut mucilaginoſitate ſe nobis ſiſtentia, amygdala, lac, paſſulæ, in genere omnia temperata ſimulque nutrientia, quæ ab effectu interdum etiam inviſcantia, incraſſantia, oblinentia, emollientia, anodyna, &c. pro vario uſu vocari ſolent. Vis eorum conſiſtit in ſalſo, aqueo, pingui aut aqueo mucilaginoſo, ubi

minimum

minimum acidi plus multo alcali deprehenditur.

§. 12. Humectantia ſunt omnia ea, quæ bene nutriunt, modo aſſimilentur. Talia ſunt temperata & quæ copioſum rorem gelatinoſum, aut Mucilaginoſum, temperatum, hoc eſt chylum ſuggerunt, adeoque partim nutriendo rorem partium corporis nutritivum conſervant, partim temperando acre abſumens deprædationem roridi corporis ſiſtunt. Lac præ omnibus excellit. Siccantia ſunt ea, quæ ſubſtantiam roridam corporis nutritivam diſſolvunt, acrimonia ſua attenuant, & colliquefaciunt, ut in ſeroſi liquaminis formam abeant, & hinc qua data porta excernantur; Talia ſunt omnia acria, adeoque calida item omnia amara, item omnia, quâ data porta ſenſibilius evacuantia. Conferatur quoad hanc doctrinam *Hippocrates Chymicus Tachinii*, hinc inde conſiderando ſimul acidum & alcali, tanquam inſtrumenta naturæ catholica mechanica, quibus tamen ſpiritus ſeminalis inſitus & influus utatur.

§. 13. *Alterantia* inter illa, *quæ acidum tàm generale quàm ſpeciale*, ſeu ſpecificum *corrigunt*, eminent præ aliis concreta terrea, ut lapis hæmatites, creta, terra ſigill. Lapis oſteocoll. &c. item *Marina* Corallia, lap. cancr. Conchæ, Maxillæ lucii piſcis, &c. Item *animalium partes duræ*, oſſa, dentes, & Cornua, Ebur. CC. Unicornu. &c. Item *Calcinata*, ſalia fixa, CC. uſt. ſpecifica febrilia, &c. eminent & hæc præcipitantia vulgo rectius à modo operandi abſorbentia, ab effectu invertentiâ, item figentia dicta. Neque enim præcipitatio proprie dicta quocunque modo explicetur, & qualis frequentiſſime in artificialibus obſervabilis eſt, locum in talium operandi modo obtinet, ſed ſaltim abſorbendo in primis viis acida, quæ ſui illa actione ſolutiva arcto illis uniuntur, & ita cum illis concretum tertium conſtituunt, adeoque impetum ſuum activum vel corrodentem vel effervеſcentem penitus amittunt, & ita fixa quaſi & inermia redduntur, operari aſſolent. Hac nempe ratione Mars morbis chronicis ab acido natis, creta ardori ſtomachi, ſpecifica febrilia, vel ſalia fixa intermittentibus, corallia vel ebur effervеſcentiis in primis viis, & inde natis phlogoſibus vagis, lappilli cancrorum infantum torminibus, dens apri, vel maxilla lucii piſcis pleuritidi medentur, non præcipitando, ſed acidum peccans imbibendo, & ita ex mutata textûra mutua, illud invertendo & figendo.

§. 14. Sicut autem circa alterantia in genere obſervandum, ne nimio eorum abuſu ab uno extremo ad alterum fiat prolapſus, & ita unius defectus curatione alium oppoſitum inducamus, ob id imprimis pedetentim potius & ſucceſſive quàm confertim aut una vice nimis alterando, eadem in uſum vocentur, & ſpeciatim, quantum poſſibile, temperatis inſiſtatur, ita in ſpecie, circa talia abſorbentia & figentia, nonniſi debita cum cautela verſetur medicus, ne plus obſit, quàm proſit. Peccantem materiam morboſam acido vitioſo imprægnatam præter neceſſitatem nimis figendo, quæ ad alia loca, ex primo nido, ita tranſmiſſa, pertinaces alios affectus inferat, veluti, v. g. accidit, ut propinatis hujuſmodi vulgo præcipitantibus, revera figentibus epileptici motus quidem ſiſtantur, miteſcant etiam Paroxyſmi intermittentium, ſed fomite morboſo ita fixato, alio in loco pertinax affectus inferatur. Quid enim frequentius quàm ex intermittentibus ſubito talibus auxiliis ſuppreſſis, atrociores recidivas inductas, vel ſimplices in duplicatas aut triplicatas mutatas, aut tertianam in quartanam converſam fuiſſe, continuam ardentem in hecticam. *Unde in talium uſu legitimo obſervandum*.

1. Ne diutius quàm neceſſitas revera efflagitat, nec majori doſi, quam conveniat, eadem adhibeamus: attendo ſedulo ne acidum ſtomachi generale talium abuſu perfundatur vel enervetur, cum inſigni detrimento ægri.
2. Ut talium poſt uſum & debitum effectum tempeſtivè laxantibus & primas vias abſtergentibus, relictum quaſi caput mortuum removeatur.
3. Ad volatilia plus minus aromatica poſthæc præmiſſa fiat acceſſus, quorum medio reparentur vires morbo antea exantlatæ.

§. 15. Evacuatio eſt vel ſpontanea ſeu naturalis ad quam pertinet etiam critica, vel medica ſeu artificialis: Utraque, præſertim artificialis, eſt vel univerſalis vel particularis: illa quæ univerſi corporis in genere evacuationi, hæc, quæ certæ cujuſdam partis aut regionis evacuationi inſervit: Illa eſt vel purgatio vel Diureſis vel Diaphoreſis vel Ptyaliſmus ſeu ſalivatio, hæc eſt ſternutatio, ſputatio, Clyſmatis injectio, quo etiam aliæ injectiones in uterum, in aures pertinent. Purgatio eſt ratione regionis ſeu loci, per quem fit evacuatio, vel quod fiat per ſuperiora, vel per inferiora; Illa vomitus, hæc ſeceſſus, ſpeciatim dicitur. Purgationem talem, ſeu humorum variorum, præſertim ea medici intentione Cacochymicorum, adeoque excrementitiorum, tam per ſuperiora quam per inferiora evacuationem quod attinet, ejus Doctorem ipſam habemus naturam, quæ non raro aut critico motu ſtimulata, nunc per vomitum, nunc per ſeceſſum morbum judicat, aut non criticè, ſpontaneas tamen ſalutares ſubinde inſtituit evacuationes, v. g. Secundum anni mutationes, verno aut autumnali præſertim tempore, it. ſecundum victus mutationes, dum v. g. in perigrinantibus, ſalutares frequentes inſtituit diarrhæas multorum morborum præcantrices, vomitum in intermittentium febrium Paroxyſmis utiliter ciet, & per periodicos aut ſanguinis aut humorum excrementitiorum variorum vomitus ſplenetici, aliique valetudinarii ſæpe inſigne levamen percipiunt. *Conf. Schenckius in obſervat. p.328.330. item Barthol. cent.3. hiſtor.36. Rhodius cent.2. obſerv.62.64.ſeqq.&c.*

Evacuatio omnis eſt vel ſpontanea, vel artificialis, ſeu quaſi coacta; illa eſt vel ſimpliciter naturalis, vel ſecundum quid, aliàs critica dicta, vel omnino eſt præternaturalis, aliàs ſymptomatica dicta. e.g. Vomitus ex Crapula eſt evacuatio ſimpliciter naturalis, Diarrhæa ſuperveniens Pleuritidi ſeptima die, & eam ſolvens (judicans) eſt critica; quod ſi in variolis ſuppurantibus ſuperveniat eadem eſt ſymptomatica & fere lethalis. *Nulla ex his ſub Praxi periculoſiores ſunt, quam ſymptomaticæ*, ſiquidem præſupponunt non ſolum inſignem materiæ occaſionalis acrimoniam, ſed in ſpecie perturbatum naturæ regimen, intempeſtive excludendo quod nondum temperatum ſeu alteratum eſt. Sive enim excretiones hujuſmodi ſymptomaticas ex amota humorum præſertim ſanguinis effervеſcentia & orgaſmo ſive ex irritatione partium ſenſibilium & hinc provocato motu locali præternaturali contentorum derives excretionem, ſive ex utroque, ſane principale peccans materiale erit acrimonia nimia, quæ vel benigna vel maligna. Unde in Praxi excretionum hujuſmodi ſymptomaticarum primarii duo erunt ſcopi,

1. Temperare acre ſpecificum peccans.
2. Lenire ſenſus irritationis, & inde oriundam, ex partis organicæ motu, contenti excretionem, illud per figentia aut abſorbentia, v. g. in Pleuritidis principio, dum omnia ſunt Cruda ſuperveniens Diarrhæa & Symptomatica, quod ſi ſeptima die prægreſſis ſignis tàm pepticis quàm criticis ſuperveniat hæmorrhagia narium morbum judicans eſt evacuatio critica. Quod ſi ægro jam convaleſcente primas vias impuriores medicus catharcticum exhibeat eſt evacuatio artificialis.

§. 16. Quidni ergo imitetur naturæ motum medicus, & vomitum inſtituat, ubi neceſſarius aut utilis videtur. *Modus, quo fit Vomitus*; eſt, quando irritatur vel moleſtatur ſtomachus, hinc primo Pylorus ſe contrahit, mox ſyſtole totius ventriculi ab orificio inferiori ad ſuperius ſequitur, ac tandem Oeſophagi materiam effundentis, id quod docuit autopſia *Olai Rudbeck in obſervat. 20. vid. Meſſis aurea Hemſterhuſii p.232.* Eſt enim unus continuus fibrarum tractus per ſtomachum & Oeſophagum quibus prope pylorum periſtalticè, ſed inverſe motis, ſuperiora verſus omnia per preſſionis modum rejiciuntur. Sed cum hoc

hoc ventriculi motu, adhuc per conſenſum, dum alii *motus conſtrictivi* conjunguntur.

1. *Duodeni inteſtini*, quod continuum pyloro, hoc contracto, etiam ſe contrahit, ſicque vellicat & concutit ſimul ac irritat ductus Pancreaticum & Choledochum, qui fit copioſius ſolido effundunt ſuos ſuccos, qui poſt vomitum, dum denuo ſe laxat pylorus, ſuperiora verſus in ſtomachum, ob contracturam jejuni adhuc durantem irruunt & ſenſim de novo materiam pro futuro vomitu ſubminiſtrant.
2. *Thoracis*: Contrahitur enim valdopere & diaphragma & Muſculi exſpirationi inſervientes & ſimul cum impetu aërem expulmonum fiſtulis elidunt, ratione cujus pulmonum & thoracis cavitate anguſtatâ, in vomitu unâ non raro cum impetu expelluntur, aut phlegmata viſcida, v. g. in aſthmate humoroſo, aut materia purulenta, pulmones aggravans, ut in phthiſi, &c. Contrahitur autem diaphragma & per conſequens reliqui muſculi thoracis ob conſenſum cum ſtomacho, natum ex nervo paris vagi, ad ſtomachum ramum diſtribuentis, & cum intercoſtali nervo motui thoracis inſerviente hinc inde plexibus mutuis conſpirantibus: unde fortius irritati omnes junctas partes vehementius movent, accedit & contactus diaphragmatis & ſtomachi mutuus circa ſuperius orificium, unde ex ventriculo affecto, aut ſingultus, aut tuſſis aut aſthma, ob diaphragmatis conſenſum, non ſunt rari.

§. 17. Adeoque revera *Polychreſtus vomitus erit uſus*, utpote, cujus ope ſæpius cum impetu evellitur, quod aliàs communia purgantia non attingunt. *Primariò conveniunt* in ſtomachi, inteſtini duodeni, Pancreatis, vaſorum felleorum, & meſenterii affectibus eradicandis, indeque cæteris remotioribus licet in partibus ex primarum viarum tamen morboſo fomite enatis malis tam præſervandis quàm curandis: hinc radix curandarum febrium intermittentium, præſertim quartanæ, eſt vomitus non ſecus ac in continuarum & malignarum principio eſt optimus. In hypochondriaco malo, aliiſque huic cognatis. Chronicis affectibus, ex acido vitioſo primarum viarum natis, item Melancholicis & maniacis, nil utilius vomitu: ad præcavendos Podagræ, aut nephritidis paroxyſmos, quorum ſpicula cuduntur in ſtomacho, vomitus eſt ſaluberrimus. In aſthmate humoroſo & phthiſi vomitus eſt ſingularis uſus, non ſecus ac in Apoplexiæ principio: in partu difficili, aliis irritis, ultimum auxilium eſt vomitus. *Confer. Mœbius in inſtit. pag.445. item in diſſ. eleganti de natura & uſu vomitoriorum, item Angelus Sala de ternario Emeticorum*; ubi ſimul docetur legitimus Vomitoria adhibendi modus ac regimen, cum quo confer. *Grünling. Florilegiæ. part. 4. c.19. & præſertim Mynſicht. in Armamentario Chymico pag.15.* indicant vomitum cauſæ materialis ſitus ſeu locus proprietates & motus.

Coindicant ætas, conſtitutio Corporis, tempus anni. ventriculi robur, conſuetudo, vires. *Contraindicant* (1.) Conſtitutio Corporis in inepta confirmatione. (2.) Procidentia quædam in Corporis abdomine. (3.) Impregnatio. (4.) Capitis affectio per eſſentiam, (5.) Oculorum affectus. (6.) Hæmoptoſis. (7.) Idioſyncraſia. (8.) Affectus abdominis convulſivi, i. e. hypochondriaci aut hyſterici, (9.) Tumores inveterati abdominis. (10.) Menſium defectus ex uteri vitio.

Quando ex propinato vomitorio non ſequitur vomitus, fit hoc. (1.) Ob mucum viſcidiorem incruſtantem parietes ventriculi. (2.) Ob acidum intenſius figens. (3.) Ob robur ventriculi omnia deorſum-potius promovens, (4.) Ob ſenſuum deficientiam. Poſterius hoc ordinario eſt lethale, innuit enim quaſi inchoantem virium in ventriculo extinctionem.

Promovetur vomitus per potum calidum aquoſum, aqu. ſalſam calidam, juſculum pingue bene ſalitum, intruſionem pollicis in fantes, *Vomitum nimium ſiſtit.* Vinum tepide propinatum & licet vice prima rejiciatur reiteratum tamen cum buccella panis emeſin ſiſtit. item Opiata aromaticis ſociata, hinc Theriaca in vino aſſumpta mox vomitum cohibere ſolet, aut etiam eadem Theriaca cum ſpiritu vini crocato ventriculo calide applicata.

§. 18. Quod ſi ex Medicamento aſſumpto per alvum ſequatur humorum excretio, in ſpecie dicitur Purgatio, ſive humores iſti contineantur in vaſis, ſive ſint extra vaſa. v.g. Aquæ hydropicorum aut ſanguis in partibus externis extravaſatus & congrumatus. Utilitas hujus in legitimo & dogmatico uſu per ſe clara eſt, utut legitimo & empirico abuſu non levia etiam inducat damna, Legitimam ergo adminiſtrandi rationem addiſcere poſſumus in *Sennerti prax. part.2. ſect.1. c.5. & ſeqq. uti & methodo & medendi Hoffmanni lib.1. c.7. pag. 41. ſeqq.*

Purgatio eſt vel proprie dicta, vel ſaltem laxatio, veteribus lenitio, quæ repetito uſu per ἐπίκρασιν evacuare dicuntur, & ſint, quando ſaltem primæ viæ abſterguntur & mundificantur. v. g. tartarea, nitrata ſtimulis quibuſdam purgantium ſociata, infuſa ſennata, nodulos, quæ per epicraſin purgatio omnium optima eſt. Proprie dicta purgatio eſt, quæ copioſe evacuat & ultra primas vias ex maſſ. ſang. nunc ex partibus ſolidis earumque cavitatibus evacuat. Sed hæc ſunt periculoſa nec niſi iis qui robore viſcerum adhuc plus minus pollent, propinanda veniunt, aliàs anima ſimul expurgatur.

§. Equidem *optandum eſſet, darentur vera purgantia*, h. e. quæ ex nominis ratione ſordes ſaltem excrementitias, aut heterogenea quæcunque p. n. ex corpore eliminent, citra utilium nutritivorumque ſuccorum corruptionem ſimultaneam & depravationem. Verum quæ vulgò purgantium nomine veniunt non ſunt talia, ſed ſub ſpecioſo & blandiente nomine virulentiam nocivam gerunt abſconditam, unde

1. Sanos & ægros æqualiter vexant, &
2. Tot ſordes, ſtercorum forma ad 30. 40. & plures ſedes, evacuant, quos impoſſibile eſſe citra vitæ periculum in corpore ſubſiſtere, unde &
3. Ægri qui ex legitima purgatione deberent ſecundum Hippocratem levari inſigniter, lædantur, unde & teſte experientia & *Helmont. Tract. Scabies & ulcera Scholarum it. cap. 5. de febrib.* qui antea eſt ſanus, alacer, integris viribus, levis in ſaltu & curſu, &c. poſt purgationem redactus erit ad Maciem, trement genua, genæ collapſæ, vox rauca erit, &c. perſiſtentibus
4. Nihilominus morbis ſub antiqua contumacia cum nullis purgantibus curari ſoleat. Tetra quæ
5. Inferunt ſymptomata, tormina abdominis ſpaſmodica, ſubinde in manifeſtas convulſiones terminantia, ac
6. Tetra ac pernicioſa Hypercatharſis non obſcuræ malignitatis nocivæ & virulentiæ ea arguunt, unde &
7. Additis correctivis, tam ſtudioſe hanc corrigere ſatagunt.

Sane promiſcua virulentia & putrefactiva colliquatione indiſcriminatim, tàm recrementoſos, quàm alimentitios corporis ſuccos reſolvunt & colliquant, & quas non inveniebant ſordes corrumpendo corporis contenta efficiunt, niſi eorum violentiam robuſtior paulo ſtomachus ratione acidi fermentativi plus minus correxerit. Simili ſcilicet ratione atque mercurius vel inunctus vel aſſumptus, etiam ſaniſſimos non ſecus ac lue venerea infectos reſolvendo nutrimentum corporis Chyloſum ſeu ſpermaticum & colliquefaciendo hoc ipſum, in forma muci ſalivalis, cum quo tamen & ſordes quæcunque in ſpecie contagio venereo alteratæ, una evacuantur, transmutat; ita & purgantia ſimili ratione in ſordes transmutant ſtercoreas, quicquid ipſis obtigerit. Dum ergo ita indiſcriminatim operantur purgantia, certe etiam ipſi maſſæ ſanguineæ non leve incommodum inferent, ea ſcilicet, quæ ſunt vehementiora & fortiora v.g. Colocynthis,

Scammo

Scammonium, Eſula, Elaterium, Helleborus albus, &c. Unde vehementes purgationes tam gravia etiam nocumenta inſequi ſolent. Helleborum inſequi convulſiones, jam olim notavit. *Hippocrat. in Aphor.* Galappam Hypercatharſis ferè lethalis teſte *Barthol. cent. 5. hiſt. 69.* Uti & Scammoniatum Pharmacum autore *Helmont. de Febrib. c. 5. §. 13.* Aliàs periculoſas accendunt febres autore *Gabeljovero cent. 6. Cura 26. & 27.* Vi purgantis vehementioris gangrænam in corpore cacochymico introductam obſervavit *Horſtius lib. 9. obſ. 25.* hydropem leucophlegmaticam & aſcitem, à validis catharticis illatas refert *Poterius cent. 2. cura 29.* deprædantur certe omnia purgantia de viribus, & ſubſtantia corporis noſtri, dum bonos pariter & malos Corporis ſuccos ſeu ſanguinem ipſum cum rorida & alimentitia ſubſtantia partium colliquefaciunt; reſolvunt, unde tàm horridi in excretis fætores, execrabiles colores ac proprietates aliæ à malignitate medicamenti ipſis, per colliquefactivam corruptionem impreſſæ *Rectè ergo maligna ſtatuuntur omnia propriè dicta purgantia*, Aloë forſan ſola cum Rhabarbaro excepta, quæ corrumpunt excrementitios pariter ac vitales ſuccos, eoſque putrefactos excerni faciunt. *Confer. Helmont. tract. poteſtas medicaminum*, item *Scabies & ulcera Scholarum*, it. *de febrib.* cum de purgantibus his adjungatur *Knofelius tract. methodus medendi febrib. Epidemicis p. 66.*

§. 20. Patebit hoc clarius ſi modum quo operari ſolent purgantia conſideremus. Varia ratione applicata licet, idem tamen ſequitur effectus. Notum enim eſt

1. Quoſdam ſola imaginatione ex viſa ſaltem purgatione purgari.
2. Alios ex ſolo purgantium ſuſcepto odore. vid. *Schenckius lib. 3. obſ. p. 441. Panarollus pent. 4. obſer. 28. Schneiderus de Oſſe Cribiformi p. 219.*
3. Purgantia externe applicata operantur: v. g. Pilulis compreſſis, ſalivâ inunctis & ventriculo applicatis Abbatiſſa quædam ſufficienter purgata fuit. vid. *Schenckius lib. 3. obſ.* it. Plantis pedum applicatæ pillulæ ſimiliter purgant. *vid. Hœferus Hercule Medico. p. 201.*
4. Purgantia venis infuſa violentius operantur quam
5. Per os aſſumpta.
6. Non ſemper per alvum, ſed etiam interdum per alia loca aſſumpta purgantia operantur.
7. Non vegetabilia ſolum, ſed vel maxime mineralia potentiſſime operantur.
8. Levi adjectione & detractione omnis purgans vis tollitur & ſuccedit aut diuretica aut diaphoretica. Id quod in aſaro, aquâ communi bullito aut antimonio cum nitro fixato manifeſtum eſt. Nihil dicam jam de purgatione artificioſa per magnetiſmum quæ fieri poteſt, quâ ſine ulla applicatione medicamenti tàm interni quàm externi purgatio inſtituitur, in perſona etiam longe diſſita.

§. 21. In genere tamen *purgantia duplici ratione videntur operari*, (1.) Forti inteſtinorum irritatione. (2.) Sanguinis & cætero liquorum fuſione & quadam colliquatione.

Priori ratione operantur, quæ inteſtinorum fibras irritant, eaſque in Vermiculationes crebriores, ac ſi contentorum, aut parietibus affixorum, propulſionem cient, quod ſi & ductus Pancreatici & Choledochi ora vellicantur, ſimul, etiam humores in his contenti copioſius excerni faciunt. Hac ratione videntur operari antimonialia minima enim horum eaque aculeata fortem purgationem ex inteſtinorum vellicatione continua excitant, id quod etiam verum eſt de Reſinis Vegetabilium, Jalappæ, Gummiguttæ, &c. quæ glutinoſa ſua textura pertinaciter adhærent inteſtinorum parietibus, hoſque acrimonia ſua continuo vellicant, indeque facillime hypercatharſes periculoſas inducunt, Facit huc, quod vulgaria purgantia, ſub majore doſi quâ fortius irritant, evadant vomitoria, ſicut vomitoria ſub minore doſi ſaltem Cathartica per inferiora evadunt.

Poſteriori modo vegetabilia acriora & hinc quædam mercurialia imprimis operari videtur, quæ maſſam ſanguineam cæteraque corporis liquida reſolvunt, fundunt, eamque ita colliqueſcere cogunt, & in talia liquamina alterant, quæ lege circulationis ſanguinis circumrapta, ſemſim ſenſimque per appropriatos poros certarum partium ſecerni, & expelli poſſunt, hac ratione operantur manifeſto per nares hauſta purgantia, infuſa item in venas, aut applicata exterius ambitui corporis, item plura interius aſſumpta. Illuſtrant hunc operandi modum in ſpecie fructus horræi facile fermenteſcibiles & alterabiles: ut muſtum, uvæ, pruna, &c. quæ ſimiles in maſſa ſanguinea excitant præternaturales fermentationes & turbas, illam plus minus attenuant & colliquefaciunt, alvum copioſe movent, & non raras Diarrhæas inducunt. *Duplicem hanc purgantium operandi rationem confirmant ea*, quæ quaſcunque purgationes ſiſtunt, in ſpecie hypercatharſes. Qualia ſunt non præciſe adſtringentia, ſed imprimis ea, quæ (1.) ſunt Narcotica, & ita ſenſum irritationis tollunt, & inde natos quoſcunque humorum motus ſiſtunt, ut opiata theriacalia, &c. (2.) Ea, quæ vim habent diaphoreticam in textura plus minus terrea, talia enim & Acrimoniam colliquefacientem ſanguinis temperant, & per ſudorem particulas purgantium ex Corporis liquidis eliminant. Talia ſunt terra ſigill. CC. ſine igne. Antimon. Diaphor. &c.

§. 22. Ex dictis patet, qua ratione operari ſoleant purgantia Vegetabilia quidem irritando inteſtina & ſtomachum ſenſibilia, & ſimul liquida Corporis contenta colliquando; Mineralia vero antimonialia ſimpliciter irritando, mercurialia etiam fortiter ſtimulando, ſimul tamen etiam fluidis corporis colliquefaciendo. Vegetabilium vis vellicans & colliquans in Reſina eorum fundata eſt. Reſina conſtat ex oleo acri, quale aliàs per deſtillationem prodit, ab acido concentrato: Docent hoc & ligna, ex quibus poſt extractam Reſinam nullum oleum deſtillando elicitur, & etiam olei deſtillati aniſi per ſpiritum vitrioli in reſinam coagulatio. Concentratio ergo, & Coagulatio fit ab acido, in oleo vero deſtillato eminet alcali volat. oleoſum, unde etiam ejus acrimonia. Ergo reſina compoſitum eſt ex acri acido, & ex acri urinoſo intercedente ſubſtantia pingui, ſeu oleoſa, unde & texturæ viſciditas & acrimonia intenſe amaricans: Adeoque nec in acido, nec in alcali ſimpliciter, ſed utriſque acribus ante unitis, & intercedente oleoſo, certa ratione modificatis reſinæ acrimonia, & inde vis vellicativa, ut & colliquefactiva derivanda. Acrimonia iſta inſignis in ſubjecti textura viſcida pertinaciter adhæret, & ita fortiter vellicat, textura vero oleoſa à ſanguine ſolubilis, & intimè cum illo miſcibilis, colliquationem & reſolutionem ejus quaſi putrefactivam, mediantibus ſalibus junctis efficit. Hinc enim & diſſolutæ purgantes Reſinæ à vitello ovi potentius longe & copioſius operantur, idque abſque torminibus fere quam per ſe in propria forma aſſumptæ. Nempe ab oleoſa Vitelli textura diſſolvitur Reſina, & ſub tali vehiculo miſcetur promptè liquidis corporis contentis, ac intime iiſdem unitur, unde & fortior horum colliquefactiva alteratio & copioſior operatio & minor inteſtinorum ob breviorem in iiſdem moram & tardiorem adhæſionem irritatio ac torminoſa vellicatio. Ex hac textura oritur, quod tàm acida, quàm alcalia purgantia vegetabilia cicurent, *Acida* quidem ipſam texturam invertendo & figendo urinoſum volatill. & condenſando pingue, caſtrant & plus minus inermia reddunt purgantia. *Alcalia* vero tàm volatilia quàm fixa, texturam reſinoſam penetrant, oleoſam diſſolvunt, hinc viſciditatem corrigunt, acidum hebetant,

hebetant, hinc nimiam acrimoniam temperant, & ita mitiora longè, minus vellicativa, magis reſolutiva, & quodammodo Carthartico Diaphoretica reddunt purgantia.

Quæ purgantia mucilaginoſa videntur & per aquam extrahibilia, ut Aloë, Senna, Helleborus niger, &c. ſub corticè tali nucleum reſinoſum habent abſconditum, non ſecus ac gummata v. g. Ammoniacum aquoſo menſtruo ſolubilia, copioſum tamen nucleum reſinoſum primario activum ſub cortice mucilaginis habent reconditum.

Plura diuretica item Diaphoretica, item alterantia aromatica ſimili reſina acri amaricante ſanguinem attenuantem & fauces vellicante v. g. Extractum lignorum, Abſinthii, Centaur. Min. Piper, &c. *Reſpond.* In generali textura reſinoſa & hinc dependentibus proprietatibus aliis conveniunt, ſed in ſpeciali craſi & formali textura & ſpecifico Sapore toto cœlo differunt & ſaltem ex ſimilibus primordiis immediate oriuntur, ita non niſi per poſteriora, per effectus differentia cognoſcuntur; Nam

1. Iſtæ Reſinæ non habent adeo inſignem acrimoniam partium ſolidarum irritativum, quod patet tàm guſtu, quàm quod nulla tormina & convulſiones ea inſequantur, quin vel in ſe mitiora, vel in nobis facilius alterabilia exiſtant.
2. Nec textura acris ſalſa ſpecifica adeo eſt colliquefactiva & corruptiva humorum, ut purgantia: Nam ſudor, urina, copioſiores, nullo modo ſimiles, ſunt iſtis per alvum ejectis:
3. Uti purgantia in refracta doſi ut alterantia uſurpari poſſunt pro ſcopo attenuandi & reſolvendi viſcida & tenacia, ita quædam illorum in delicatioribus purgantium fere facultates imitantur, ut extract. Cent. maj. Gummi Ammon. &c. quoſdam laxat.

§. 23. Emergit hinc Analogia antimonii purgantis cum dictis vehementioribus vegetabilibus. Nam ſicut hæc conſtant ex reſina ſulphurea ſociata ſali volatil. acri, ex quorum textura coaleſcunt particulæ acres laxativæ, ita & in antimonio particulæ ſulphureæ & mercuriales ceu alcalinæ volatiles ſimul junctæ vim antimonii catharticam conſtituunt. Nam hæc præciſe nec in ſulphurea, nec in mercuriali ſubſtantia conſiſtit, ſed utriſque ſimul combinatis. Hinc enim talis textura emergit, quæ Acrimonia ſua linguæ licet inſenſibili, ſtomachum tamen ſufficienter vellicare & hinc in ſpaſmos & vomitus ciere poteſt; Hinc enim Cinnabaris Antimonii & ex eâ ſeparatum ſulphur eſt ſine vi cathartica; ſicut è contra ſubſtantia mercurialis in antimonio diaphoret. ex regulo parato, quatenus fixata etiam inſons eſt. Pariter etiam mercurialia atque vegetabilia tàm per acida quàm alcalia corriguntur, nunc enim per acida mercurialem partem figentia, & in diaphoreticum mutantia, nunc verò per alcalia cicurantur, pro ſulphure ejus & textura elicienda. Pariter mercurius vitæ tanquam ſubjectum alcalinum metallicum, quatenus ſulphure acido minerali inveſtitum, & ita quaſi reſinoſum factum, acrimonia illa tàm vellicando quàm fundendo & colliquefaciendo operatur. Utrumque patet ex litu cum mercurio vivo facto qui nunc diarrhæam, nunc ſalivationem intenſam excitat. mercurius dulcis etiam tàm inteſtina irritando, quam ſuccos viſcidos & glutinoſos liquefaciendo alvum laxare aſſolet.

§. 24. VOMITORIA non eſſe diſtincta à purgantibus, niſi ratione doſeos, aut minoris majoriſve malignitatis ſeu acrimoniæ, recte docere videtur *VValæus in Methodo Med. pag. 21.* dum ſub majore doſi fortius ſtimulando, & ita citius ſe exerendo in ſtomacho vomitum urgent, qui ſub minori quanto, ſolummodo nauſeam proritant, quam poſt debitam diſtributionem ſequitur purgatio. Curioſum interim eſt, quod obſervatum fuerit à quibuſdam, quædam purgantia pro varia collectionis ratione, dum vel ſurſum vel deorſum avelluntur, nunc per os nunc per alvum purgare. *Vid. Schmuck in Curationibus Magico-Magneticis pag. 56.* id quod de turionibus Sambuci, foliis aſari, radice Ireos, radice Enulæ verum eſſe aſſerunt. *Vid. Agricola in Chirurgia parva pag. 912.* Quam variam operandi rationem ab idea in imaginatione colligentis expreſſa, mediantibus hujus effluviis in plantam tranſplantata oriri vult *Marcus Marci in Philoſoph. Vet. reſtitut.*

§. 25. Promiſcue ergò agunt purgantia in corpus expurgando tàm utile quàm vitioſum. Exinde ergo ruit ſponte ſua diviſio purgantium in *Cholagoga, Phlegmagoga, Melanagoga, & Hydragoga*, ut pro circumſtantiarum ratione nunc hoc, nunc iſtud purgans eligendum ſit, experientia imprimis magiſtra. Prout autem plus vel minus erunt efficacia, ſeu virulenta, etiam magis vel minus primas vias vel etiam ſanguinem vel hoc mediante corporis etiam continentes & ſolidas partes afficiant. Unde triplex corporis regio à veteribus in purgationis negotio aſſerta, ſaltem quoad majorem vel minorem purgantium efficaciam, & hinc activitatis eorundem ſphæram intelligenda erunt; Scilicet res ita ſe habere videtur, ſi variæ fœculentiæ in inteſtinis ſtabularint, aut uberior bilis, ſuccive pancreatici adſit proventus, hæc commode vel lenioribus purgantibus, per moderatam inteſtinorum irritationem evacuari, aut vomitu blandiori exturbari poterunt. Quod ſi craſeos ſanguinis, aliorumque contentorum læſio ex heterogenearum particularum miſcela, harum evacuationem poſtulet, modo aptæ redditæ ſint, quæ eliminari queant, idque mediante coctione ſeu ſeparatione, eò deducendæ ſunt, quò natura vergit, hoc eſt & corporis ratio & conſuetudo & ſordium ipſorum conditio poſtulant. Quod ſi purgare velis, turbanda quidem nonnihil erit maſſa ſanguinea, ſed non nimis turbanda, ut ſub tali motu irritationis inteſtinorum & aqualis colliquationis contentorum corporis, quicquid heterogeneum eſt in ſanguine, & à vitalitate proſcriptum, adeoque à remedio cathartico facilius alterabile, vel omne; vel maximam partem ejiciatur, citra inſigniorem utilis aut nutritivi ſucci corruptelam, adeo, ut aliquot ſaltem ſedes, non vero quæ per decades numerari queant, ſufficiant. Alias propria ſanguinis ac totius corporis, ſyſtematis purgamenta ſunt urina & ſudor, per ſeceſſum vero, quæ fiunt evacuationes, ſaltem ſtomacho, & inteſtinis evacuandis, & digeſtionis primæ fœcibus neceſſariis emittendis, dicata ſunt. Sane unicus ſudor moderatus plus purificabit, & totam maſſ. ſang. ac univerſum corporis habitum, quam forſan decem purgationes, & in Chronicorum curatione per urinam, quæ fit evacuatio, utplurimum convenientiſſima eſſe ſolet.

§. 26. Indiſcriminatim E. purgantia, dum operantur, adeoque ſanos æque ac Ægros vexant; Sane ſub omni purgatione aliqualis latitabit impoſtura, adeoque plures dejectiones plus nocebunt, quam proderunt: Unde etiam inter purgantia quâ talia nullus penitus ſelectus inſtituendus erit. Interim tamen cùm quotidiana praxis varietatem operationis & effectus ex purgantium uſu diverſo oſtendat, ob id in legitima eorum adminiſtratione aliqualis diſtinctio ſubinde facienda erit. (1.) propter purgantis remedii varietatem, (2.) propter purgandi ſubjecti diſtinctas proprietates, & (3.) propter materiæ evacuandæ conditionem & ſitum. IN REMEDIO purgante quidem præter vim laxativam reſpiciendæ ſunt junctæ proprietates certæ, alterantes aut evacuandorum liquaminum noxias qualitates diverſimode ementantes. Hinc e. g. Helleborus niger in hypochondriacis & melancholicis ſpeciatim proficuus; hinc Colocynthis ex penetratiori acrimonia colliquandis & reſolvendis viſcidioribus cruditatibus magis conducit. Hinc Rhabarb. viſceribus aliquali atonia laborantibus, hepati ſpeciatim & renibus confert, hinc mercurius dulcis Lue venerea correptis magis appropriatus eſt, &c. Hæc & ſimilia ſubinde aliqualem ſelectum inter purgantia remedia faciendum inſinuant. IN SUBJECTO purgando conſiderandum an facilioris vel difficilioris ſit laxationis, item an aliis affectibus ſit obnoxium, qui

per

per purgantia vel irritantur, vel exaſperantur. *Prius quod attinet*, ut aliquis facilius vel difficilius purgetur, oritur imprimis ex acido ſtomachi plus minus valido. Dein ex ſuccorum corporis fluxilitate, & majore vel minore reſolubilitate ſeu colliqueſcibilitate, quibus tandem accedit nervoſarum partium major vel minor ſenſibilitas, & ita irritabilitas, &c. *Quod verò poſterius* attinet, obſervandum, v. g an ad colica, hyſterica, ſimiliave pathemata proni ſint ægri, item an facilius animi deliquio corripiantur, item an hæmorrhodibus vel Diarrhææ ſint obnoxii, &c. *Materiæ* tandem *evacuandæ* conditio & ſitus attendendus eſt, pro purgantis remedii ſelectu. Nempe cõſideretur an major vel minor ſit ejus viſciditas ſeu glutinoſitas, indeque major vel minor ad evacuationem obſequentia. Hinc enim nunc acria, temperatiora, nunc eligenda erunt purgantia. Conſiderandus etiam ſitus & in quo corporis regione deliteſcat, cujus reſpectu nunc fortiora, nunc debiliora ſeligenda purgantia.

Quæritur quæ purgantia ſint præferenda, an irritantia ut antimonialia, an mitiora vegetabilia, an colliquantia, ut mercurialia & vegetabilia acriora? Reſpond. In genere præferenda ſunt quæ ſaltem irritant cum tali occaſione, quaſi calcari addito natura ad expulſionem inſtigetur, nulla contentorum corruptela, nulla virium proſtratio. In caſu vero, quando cruditates viſcidæ, Acidæ, Pituita vitrea, & ſimilia vel primas vias obſideant, vel etiam maſſam ſanguineam vel lympham inquinant, unde etiam bilis enervetur & inertior reddatur, tali in caſu ad acriora colliquantia & attenuantia, pro ſcopo alterativo, una cum laxativo progrediendum. v. g. in Cachexiis intermittentibus diuturnis, melancholicis, &c. à quibus alteratur partim & promovetur præternaturalis humor, partim corrigitur naturalis.

§. 27. *Locus expurgationis* ſunt inteſtina, in quibus cum non exiſtant ſolùm ea quæ excernentur, vix enim capiendis illis ſufficerent, quæ interdum una purgatione prodeunt, eo feruntur ex maſſ. ſang. tàm per Ductum Choledochum, & Pancreaticum, quibus natura tuuc temporis quaſi abutitur, unde & quæ excernuntur, frequentiſſime tincta conſpiciuntur, quam primario ex vaſis Meſentericis mediantibus glandulis inteſtinorum, ex quibus per ſua vaſa excretoria copioſus ſuccus evacuandus in inteſtina deponitur. Priores viæ ſufficienter confirmatæ ſunt *à Graſio de Succo Pancreatico* §. 196. *p.*86. Poſteriores vias oſtendit *Pechlinus de Purgantibus c.*36. & præſertim, *Peyerus de Glandulis Inteſtinorum*. Aſſumptum ergo medicamentum purgans, irritando & vellicando inteſtina, horum ſpaſmos, & repetitas violentas contractiones & contentorum excretiones excitat. Simul etiam hiantia orificia ductuum Choledochi & Pancreatici & excretorii tubuli glandularum irritata & vellicata eructant uberius ſua contenta, adeoque proxime quod circa iſtas primas vias ſtabulatur, à medicamento aſſumpto plus minus alteratum & attenuatum ejicitur. Interea ſubtiliores remedii partes cum ſanguinea maſſa permiſtæ, eam reſolvunt, ejuſque contenta, nunc laudabilia, nutritiva, nunc excrementitia alterant, texturam horum in minimis diſſolvunt, & ita in liquaminis ſeroſi conſiſtentiam colliquefaciunt. Quæ ipſa cum ſanguine hinc inde per vaſa circulata, in locis & partibus quorum poruli, meatus & fabrica, tanquam cribra, vel filtra, vel colatoria appropriata reſpondent ſucceſſive ſecernuntur, reliquis maſſæ ſanguineæ partibus præterfluentibus.

§. 28. Utut non tàm ſtrictæ ad inteſtina determinata ſit purgantium operatio, nam dum ſanguinis circulo per corpus rapitur, vis medicamentoſa purgantis, hoc ipſo pro adjuncta ſibi facultate, ſimul vel nihil diaphoretica, vel diuretica, &c. ut & pro certa ſordium expurgandorum à medicamento colliquatorum alteratione & conſiſtentia, ipſorumque etiam viſcerum plus minus ad tranſcolationem diſpoſitorum conſtitutione varia, nunc per urinam; nunc per ſudorem, nunc per ſalivationem ſequitur Cathartici Operatio. Notum enim eſt, quod ſi motu vel exercitio, à medicamento purgante aſſumpto agitetur corpus, ſicque proliciatur ſudor, nihil aut parum per alvum evacuabitur, id quod ſimiliter non raro evenit, ſi quis medicamento aſſumpto ſuperdormiat. Sic *Mauritius Hoffmanus diſſert. de purgationis modo & viis*. Ab aſſumptis pilulis Cephalicis Catharrum obortum, copioſumque ſputum ore rejectum, ut & pruritum à ptarmaci uſu obſervavit; Et à Syrupo Roſarum ſolutivo, pro alvi lenitione cuidam Matronæ exhibito, copioſiſſimam urinam, ſine alvi dejectione Patavii excretam fuiſſe idem notavit. Sicut è contra ex lotio ſuppreſſo obortam Diarrhæam, obſervavit *Rhodius cent.* 2. *hiſt.* 84. Notum eſt, quoque diverſimode operari Mercurium pro medicamento tàm interne aſſumptum, quàm externe inunctum, qui nunc per diarrhæam torminoſam, nunc per copioſam ſalivationem, nunc per utramque ſimul curat Luem Veneream. Ex quibus non difficile eſt judicare, quare ab aſſumpto purgante veneris non raro ſequatur ſtimulus, conſiderata ſimul purgantium facultate in ſale volat. acri fundata. Vid. exempla *in Plateri obſer. lib.* 1. *p.*283.

§. 29. Conſiderandum ulterius jam eſt, *Unde tàm variæ, & ſubinde tam horridæ ſordes*, quæ per medicamentum purgans evacuantur, originem trahant. Formaliter eaſdem in corpore non præexiſtere, ſed fieri demum ex actione remedii colliquativa, & quaſi putrefactiva, ex ſupra dictis notum eſt, niſi excipias iſta recrementa, quæ immediate ex primis viis per ſolum purgantis ſtimulum evacuantur. Oriuntur ergo excrementa iſta varia triplici ex cauſa. (1.) Prout ſanguis, Chylus aliique corporis ſucci plus minus colliquantur à remedio, & ita ſordes plus minus tetras conſtituunt. Sic Scammoniata ad modum fœtida, Colocynthis viſcida, glutinoſa, Jallappa ſeroſa, acria, rejici faciunt. (2.) Ipſa remedia ſubinde tingunt & ita nauſeoſum aſpectum excrementis conciliant. Hac enim ratione aloë & Rhabarbarum omnia flava rejici faciunt. Hac ratione quibuſvis purgantibus ſociata Martialia omnia Nigredine infecta repræſentant, &c. (3.) Ipſarum ſordium in inteſtinis miſcela mutua tàm inter ſe, quam cum bile aut lympha Pancreatica, vel cum ipſo remedio aſſumpto & conſequenter diverſimode horum ipſorum mutata textura, etiam variformia recrementa ſubinde ejici faciunt.

§. 30. Purgantia E. ſaltem Cacochymicis ſuccis, h. e. errore digeſtionum per fermenta vel peregrina vel naturalia vitiata productis, adeoque non tàm cauſis morboſis corrigendis, ſubinde occaſionalibus aliorum morborum cauſis averruncandis conducunt. Sane fermenta morboſa minima illa non attingunt, hinc ſubinde poſt repetitum licet purgantium uſum, nihilominus morbi contumaces perſiſtunt, ut v. g. In febribus intermittentibus, hydrope, Ictero, Lue venerea, &c. Clarum eſt, adeoque potius humoribus peccantibus cauſarum morboſarum productis proprie medentur, & ita à poſteriori ſaltem morbis ſuccurrere nituntur. Unde illorum fermentorum morboſorum reſpectu potius alterantia præſertim ſpecifica, humorum vero per fermenta iſta productorum vitioſorum ratione, purgantia ſaltem conveniunt.

§. 31. Cæterum, cum per purgationes in ſpecie vehementiores, omnia ferè in corpore turbari ſoleant, adeoque periculoſa ſubinde ſequantur ſymptomata, ob id exactè conſideret medicus legitimam purgandi rationem, tàm in acutis, quàm in Chronicis affectibus. In acutis quidem legitimam purgandi methodum, ſeu optimum regimen præſcribit *Hippocrates ſect.* 1. *Aphoriſmo* 20. 25. in quibus cocta medicari docet, non cruda, niſi materia turgeat, quæ medicationis vox non præciſe ad purgationem reſtringenda eſt, ſed in genere omnem notabilem per ſeceſſum, aut urinas aut ſudores evacuationem innuit,

nuit, in quibus omnibus, cum ſalutari ægri ſucceſſu inſtituendis neceſſario coctio prius exſpectanda eſt, aliàs enim aut nihil evacuatur, utut totum corpus perturbetur, aut citra euphoriam ægri, potiùs cum nocumento ejus accidit. Monſtrat ſanè experientia nunquam naturam hujuſmodi inſtituere excretiones, niſi primo ſubegerit & concoxerit materiam morboſam ſeu peccantem, unde & in ſtatu & declaratione ſaltem morborum, non verò in incremento aut principio ſalubritates tales molitur evacuationes, niſi materia interdum nimis turgeat, hoc eſt nimis efferveſcat, & rapide moveatur, tunc enim irritata natura etiam inſueto tempore molitur tales evacuationes, ſed cum coactim procedant ſymptomaticas dictas, quæ rarò etiam ſolent eſſe frugiferæ, ſed ſæpius nocivæ.

§. 32. Eſt ſcilicet *cruditas humorum* evacuandorum talis eorum ſtatus, quo ſanguini permiſti & uniti naturalem ejus fermentationem vitalem turbant, & in efferveſcentias febriles eam concitant, id quod imprimis particularum ſalinarum à debitâ craſi deficientium fit culpa. Coctio è contra eorundem à reliquis particulis per fermentativum motum ſeparatio & quaſi præcipitatio, quo recrementa, & heterogenea ſalia, ceu fœta, inſtar cujuſdam Capitis mortui à ſero, tanquam alimenti pariter, ac excrementi communi vehiculo imbibita, per certa viſcerum cribra, & quaſi filtra commodè ſecerni & hinc per naturæ vias conſuetas evacuari poſſint. Scilicet, ſicut novella cereviſia, aut muſtum turbidum & heterogeneis fœculentis particulis reſpectu vini permiſtum, per quæcunque coletur inſtrumenta, eodem modo integrum tranſit, abſque fœculentiarum remanentia, quod fermentando depuratum ex excrementitiarum aut heterogenearum fœcum ſeparatione & præcipitatione clarum tranſit per colatoria & remanentias omnes relinquit & ſeponit: ita quamdiu fœces recrementoſæ, per fermentationis motum ſeparatæ aut præcipitatæ non fuerint, tam diu, nihil vitioſe ſeparatim excerni aut per quæcunque cribra ſeparari poteſt, eum invicem & homogenea & heterogenea permiſta ſint. Unde etiam in tali ſtatu urinæ, ſunt crudæ, claræ, tenues intenſè tinctæ; quod ſi verò motus fermentativi beneficio partes ſanguinis homogeneæ, quæ naturaliter ejus componunt liquorem, turbatæ, ſe denuò unire, partes heterogeneas extrudere, ſeparare, & præcipitare incipiunt, coctionis eſt principium, urinæ fiunt craſſæ, turbidæ, aut ſublimamentum vel ſedimentum leve monſtrant, quod ſi hæ particulæ perfectæ præcipitatæ fuerint, ſedimentum urinæ copioſum, materiam omninò coctam & declinationem morbi oſtendunt. Si verò efferveſcentia febrilis eò uſque procedat, ut diſſoluta maſſa ſanguinea craſſis ejus omnino depravetur, animal tandem emoritur, permanentibus urinis crudis, aut quæ jam coctionis ſignum præmonſtraverant, denuò recrudeſcentibus.

§. 33. Hæc quæ modò dicta, monſtrant Aphoriſmum illum *Hippocratis*, propriè de morbis acutis ab efferveſcentia febrili ortum habentibus intelligendum eſſe, in quibus tantum talis humorum eſt cruditas & coctio. Nihilominus ſimile quid etiam in morbis chronicis, ex vitiata ſanguinis craſi dependentibus obſervare datur, quibus ob id etiam non incommodè idem Aphoriſmus certo modo applicari poteſt. v. g. in Malo hypochondriaco, ictero incipiente, cachexia, &c. Urinæ ſunt pallidæ & tenues, aut tinctæ, ſed tenues, propinatis ergo tùm temporis medicamentis purgantibus etiam validioribus, exagitur variè maſſa ſanguinea cum diverſis ſymptomatis, ſed fruſtra, cum parum aut nihil promoveatur. Sin verò in ſubjectis ſucciplenis, ſuccedat larga evacuatio, hæc eſt ſine euphoria potius cum damno. Propinatis verò medicamentis appropriatis, urinæ tales fiunt turbidæ, craſſæ, opacæ, & procedente tempore lentè, licet copioſa deponunt ſedimenta, &c. id quod ferè ſignum eſſe ſolet medicamentorum rectè operantium. Tuncque purgantia etiam leviora ubertim & quaſi ſpontè naturâ evacuant, ut ſine egregio fructu, & ſucceſſu uſurpentur. Ergo & in talibus coctio & cruditas certo modo reſpicienda, utut chronici tales morbi, lento gradu abſolvant ſua tempora, quæ cito percurruntur ab acutis, unde & in Chronicis ſubinde medicamenta purgantia, interponenda ſunt alterantibus, quæ in acutis, circa declinationem tantùm uſurpanda: In his tamen in principio ferè purgatio quædam minorativa præmitti ſolet, idque ad abſtergendas ſordes, in primis viis hærentes non verò ad evacuandam integram maſſam ſanguineam.

§. 34. Fit tamen non rarò, in ſpecie in calidioribus Regionibus, & ubi victus aliaque reſpondent, ut non tantùm in acutorum principio & incremento materia morbifica ſit cruda & hinc impetuoſe efferveſcat, ſed etiam, quando ex *Hippocrate* ſit turgida, ſeu turgeat, i. e. quod abundans immoderatè nimis efferveſcat, & rapidè per vaſa moveatur, inſtar muſti, ex vino generoſo impetuoſe nimis ebullientis, quod vaſe nimis arcto, concluſo idem diſrumpit, & in partes, ſua turgeſcentia diſſilire facit. In tali caſu videmus in principiis vel incrementis morborum, natura interdum vomitus, aut diarrhæas hæmorrhagias ſymptomaticas ciere, eam aliquo modo levantes: Hic ergò imitandam naturam ſuadet *Hippocrates*, & in tali materiæ turgeſcentia, ubicunque convenit evacuandum, ubi tamen cauto & circumſpecto opus eſt, ne intempeſtivè irritentur Crabrones.

§. 35. Ex modò dictis patet, quare, ut ſupra dictum, in omni evacuatione coctio ſeu heterogenearum partium ſeparatio & præcipitatio exſpectanda ſit, quia aliàs nihil utiliter per partes ceu per cribra aut filtra tranſcolari poteſt & evacuari. Opus naturæ eſt ſimpliciter coctio, in quo ipſo etiam fermenti digeſtivi in ſtomacho, mediante aliquali Chyli vehiculo & ſupplemento magna conſideranda venit efficacia. Remedia. quæ propinare intereà debet medicus, pro adjuvanda tali coctione, ſunt alterantia & attemperantia, fermenti & materiæ morboſæ primariò peccantis corrigentia, in quibus ipſis cum ferè vitioſum acidum primario peccet, hoc attemperantia & abſorbentia, item producta hinc morboſa abſtergentia, ſunt optima, ac talia ferè ex nitro, antimonio, CC. &c. peti & uſurpari ſolent. Quod ſi malignior fuerit effectus, non tàm ad coctionem, quàm fermentum, aut contagium malignum reſpiciendum eſt, adeoque potentibus & appropriatis alexipharmacis, ac ſudoriferis, mox in principio inſiſtendum, ut eliminetur in tempore fermentum malignum, ne totus ſanguis ab eodem corrumpatur, & ſpiritus influentes quoque tandem inquinentur habita ſimul tamen ratione majoris vel minoris ſanguinis febrilis efferveſcentiæ.

§. 36. Cæterùm præter talem crudorum humorum arte purgationem, coctionem, etiam alii non crudi licet humores præparandi ſunt, vel digerendi, antequam evacuentur: Notum enim, quod interdum in ſcorbuto, quartana, malo hypochondriaco, cachexiis, &c. purgationes fiant admodum graves, cum torminibus, variis ſpaſmis, violenta humorum agitatione, inteſtinorum aut ani exulceratione, deliquio, & in mulieribus hyſterica ſuffocatione: interdum etiam omninò retinentur purgantia, eaque quandoque non ſine noxa. Sicut ex medicamento purgante aſſumpto non operante mortem ſubitaneam obſervavit *Lotichius lib. 4. cap. 1. obſer. 3. pag. 255.* & ex retenta purgatione dolores hypochondriorum graves notat *Gabelioverus cent. 2. cap. 37. Conf. pluribus VVillis Pharm. Rat. Vol. 1.*

Ubi

Ubi de purgantibus. Hæc omnia ſymptomata cum contingere ſoleant, vel ex acrimoniâ & corroſivitate nimiâ humorum evacuandorum, vel ex eorum craſſitie, viarum exinde factis impedimentis & hinc inde obſtructionibus ob id per digeſtiva una vel altera die præmiſſa, vel cum purgantibus permiſta, acres humores imprimis acidi temperandi & edulcorandi, craſſi incidendi & attenuandi, factaque viarum impedimenta removenda.

Quoad regimen purgationis obſervanda, quæ ante, in & poſt purgationem molienda: *ANTE purgationem* præparantia adhibenda i. e. qui impedimenta removent, à quibus moleſtior fieret purgatio, quæ ſunt vel acrimonia vel viſciditas materiæ evacuandæ. *In purgatione* conſideretur tempus vel neceſſitatis vel commoditatis: Hoc declinante Lunâ manè, niſi interdum veſperi pilulæ uſuales, pro emundando primis viis recipiantur: Illud in chronicis fit epicraſin à paroxyſmis vacuo, aut ſaltem ante paroxyſmum, ita ut operatio finita ſit antequam urgeat paroxyſmus. In acutis in primo principio, id ferè per vomitum, hinc in declinatione ultima poſt coctionem idque ferè per alium: Aſſumuntur purgantia ſine alimentis ſaltim hauſtus calidus deſuper ingeſtus diſſolvendo & diſtribuendo remedium purgationem promovet, idque eò magis, ſi huic Cremoris Tartari aliquantulum fuerit additum, ab hoc enim quorumvis ſolutivorum promovetur operatio, ſive cum iiſdem ſive aliquot horis ab eorum uſu demum adhibeatur: Motus corporis moderatus purgationem promovet, ſi immoderatus ſit, ita ut ſudor ſequatur, purgatio ceſſat; conſpirant invicem habitus corporis & abdomen, Hinc enim calidum in loco temperato ſe aſſervet æger poſt aſſumptum purgans, jucundus minoribus moleſtiis ſit operatio. Quæ in forma humida propinantur, melius quam ſicca, ſemper citius & cum minori moleſtia operantur: præſertim in Melancholicis, Cholericis, & qui minus temperatæ naturæ ac habitus ſunt ſiccioris naturæ. Vinum cohibet omnes purgationes ſive die antecedente, ſive ipſo purgationis die propinetur. *Poſt purgationem* opera danda, ut in paratum ſtatum redeant omnia, adeoque appetente nocte blanda anodyna uſurpanda in ſpecie parum theriatæ cum hauſtu vini generoſi.

§. 37. Ergò pro tali ſcopo notum, quod non raro præſcribantur noduli, in quibus ſimplicia digeſtiva cum purgantibus ſunt permiſta, dein præ cæteris hîc conveniunt temperata ſeu ſalſa, ut Tartarus, Tartarus vitriolatus, Arcan. dupl. Mynſichti, ſal digeſt. hypoch. ſal armoniacum abſinth. & ſimilia, quæ imprimis craſſa & viſcoſa incidunt & attenuant. Sin verò ſordes evacuandæ ſint acidæ, & in ægro purgando aliàs acida abundent, martialia, ſaturnina, teſtacea, ſalia fixa, & ſimilia ceu præparantia digeſtiva conducunt. Quod ſi materia peccans fuerit naturæ pituitoſæ accidæ, qualis in chronicis ferè eſſe ſolet, hoc eſt, ſi fuerit mucilago chyloſa, viſcida, tenax, acida, &c. conveniunt digeſtiva, ex aromaticis, amaris, acribus vulgò aperientibus dictis: v. g. Fumaria, abſinthio, Centaurio. Spirit. Tartari, ſpiritu ſalis armoniaci. Modernorum quorundam Methodus ſolet ad præcavenda periculoſa. *In purgatione ſymptomata*, cum digeſtivis vel etiam purgantibus *miſcere Opiata*, ſic enim purgationes blandiores & moderatæ, idque imprimis in delicatioribus vel hypercatharſi aut torminibus obnoxiis, aut ſucco melancholico ſeu acido abundantibus ſuccedere ſolet. *Vid. Hœferus Hercul. Med. pag. 127. item Miſcell. Acad. Natur. Curioſ. Ann. 4. pag. 22. Schneiderus de Catharris lib. 4. pag. 313.* Quin imò, etiam ſi non ſuperveniant talia ſymptomata, nec metuenda ſint, tamen non inconſultum videtur, poſt ceſſantem ſeu finitimam purgantis operationem, blandum quoddam Paregoricum propinare, ſaltem appetente nocte, ut ſedetur inteſtinus iſte motus & tumultus per Catharcticum concitatus; ad imitationem nempe *Sydembam. obſer. hinc inde.*

CAPUT VI.

DE URINÆ EXCRETIONE.

§. 1. JUxta alvi excretionem maximè naturalis eſt ea, quæ fit per veſicam, quæ eò magis neceſſaria videtur, quo etiam in fœtu jam celebrari eam, dum in Allantoidem colligitur urina; notum eſt ex Modernorum aſſertis, Aſt, quam proficua ſit in morborum curatione, vel ex eo patet, quod *natura Critico modo per urinas finiat morbos* aut pleuriticorum, vel etiam ſuppuratorum pulmonum pus per urinas ſalubriter evacuet, *Vid. Schenckius obſer. lib. pag. 243. & 252.* item *Horſtius lib. 3. obſ. 10. Borellus cent. 1. obſ. 17.* vel etiam ex abſceſſibus, ut ulceribus artuum purulentam materiam cum urina expurget. De quo vid. *Hildanus cent. 3. obſ. hiſt. 39.* Quale exemplum etiam in *ſcriptis parai* obvium. Sic *Lindanus in Collegio ſuper Hartmannum* exemplum refert cujuſdam fabri lignarii, ex caſu coſtam in thorace frangentis, qui potu vulnerario diuretico, ſanguinem ex læſione in thoraces extravaſatum, una cum urina ſalubriter excrevit.

§. 2. *Imitetur ergò & medicus naturæ motum* & pro occaſione evacuet morborum cauſas materiales per urinam, idque eò magis, quo jucundior ægro eſt talis evacuatio, aut quo minoribus aut difficultatibus aut moleſtiis eadem conjuncta eſt, cum melior non ſit via, ſalia maſſæ ſanguineæ, aut ſuperflua, aut vitioſa tartarea & peregrina ex corpore eliminandi, quàm ut ſerò ſoluta, lixivii urinoſi forma emingantur; hinc in Scorbuto, Malo hypochondriaco, cognatiſque affectibus, item ictero nigro, aut flavo, & in ſpecie, in quibuſcunque lienis vel revera talibus, vel ipſi ſaltem attributis affectibus optima ſunt diuretica: *Vid. Laurentius inſtit. anat. lib. 4. quaſt. 27.* In his enim affectibus urinæ atramento ſimile profluvium, aut cui copioſè intermiſtæ ſunt arenulæ, ſeu potius ſalia concreta & præcipitata, ſæpè inſigne adjumentum affert, quem in reliquis adhuc affectibus præſtant uſum ad longum explicatum vid. *in Hoffmanno de Methodo Med. p. 75.*

§. 3. Quod jam *facultates diureticorum* attinet, illa propriè dicta talia ſunt, quæ copioſam aut ſaltem crebriorem unam reddi faciunt, ſine eo, ut copioſioris laticis aquoſi materiam ſuggerant: hæc quoad texturam materialem in quintuplici ſunt differentia.

(1.) *Acida*, Tartarus, ſpiritus ſalis; Succus Citri, &c. ſal dulc.

(2.) *Alcalia* tàm volatilia, quàm fixa, ut ſal Tartari, Sal geniſtæ, ſtipitum fabarum. Tinctura Tartari, & ex his parata lixivia, &c. item ſal volatile ſuccini, ſpiritus ſalis armoniaci, aut urinæ, lumbricorum terreſtrium.

(3.) *Salſa* ſpeciatim nitroſa, tàm fixiora, quàm volatilia, ut Nitrum, Millepedes, Scarabei, ſuccus lumbricorum & plura diuretica vegetabilia, ſimul ferè vulneraria: Vegetabilia nitroſa, ut Card. bened. fumaria.

(4.) *Teſtacea*, ſeu marina, & quæ calcinata corpus inſtar calcis vivæ relinquunt. Ut lapides cancr. teſtæ ovorum, cancri calcinati, &c.

(5.) *Sulphurea*, ſeu *Oleoſa* temperata; quaſi balſamica, ut Terebinthina, Juniperus, Crocus, Macis, &c. de quibus vid. prolixior *Villis Pharm. Rat. Vol. 1. Sent. 4. cap. 1. 2. ſeqq.*

§. 4. Quod ſi in genere omnium horum conſideretur *operandi ratio*, deprehendere ferè datur, quod ſapor ſalſus renum ſtimulativus (ad quem ſtimulum renum ſemper in quibuſvis diureticis, plus minus licet potentem reſpiciendum,) vel acris, vel

temperatus oleoſus primatum in vi diureticorum obtineat. Quem utut quidam non habeant, ut ſunt acida & alcalia, tamen hæc ipſa non ſine prævia ſui imprimis viis alteratione, & ita in alium ſaporem, plus minus ſalſum imitatione, operationem ſuam diureticam exerunt; adeò ut ob id de omnibus ferè diureticis *Helmont. tractat. aditus præcluſus ad condum viſcerum*; aſſerere videatur, ea, ut talia fabricarii in ſtomacho. Jam utut ſint acida, qua urinas movent. v. g. ſuccus citri, ſpiritus ſalis, ſpiritus vitrioli, acidulæ etiam, &c. Quæſtio tamen eſt de his an ſub acoris ſui ratione operentur, quod ex eo videtur erroneum, quoniam aliàs ſemper ab his fieret ſtranguria, quod tamen experientiæ contrarium. An verò transmutata à bile in primis viis in ſalſum ſaporem ſub hac alteratione talem diureticam vim acquirant, quod poſterius ſanè perquam probabile eſt. Alcalia verò præſertim fixa, ac ipſa teſtacea, non ſine ſaporis ſui, ab acido ſtomachi immutatione & plus minus facta ſaturatione abſterſivum ulterius pro operatione diuretica ablegantur. Confirmari hoc videtur ex eo, quoniam & ipſa diuretica, quæ abundant ſale alcali, potentius operentur, ſi appoſitione acidi mutentur in ſalſa, ſive fixa, ſive volatilia, v. g. ſalia lixivialia fixa vegetabilium per ſpiritum nitri, vel ſalis in ſalſa abeunt, egregiè diuretica, uti & lapid. cancr. vis infuſione in acetum exaltatur. Nam & ipſa urina eſt ſalſa, & vegetabilia ferè omnia diuretica, quæ ſimul ſunt vulneraria, abundant ſale alcali, ſed temperato ſalſo. Quare diuretica ſupra enumerata, quæcunque ſuo ſalſo imprimis urinam promovere videntur.

§. 5. Quod ſi in ſpecie pro multiplici eorum varietate operandi rationes paulò ſpecialius examinemus, omnes huc collimant, quod vel materiæ evacuandæ, organi evacuantis reſpectu, operationem exerant. In *materia expurgando activa* ſunt.

1. Quæ ſanguinem attenuant & reſolvunt, & ſpeciatim laticem ſeroſum in eo fundunt & ita lotii copiam è toto corpore profundunt v. g. Millepedes, Scarabei, lumbrici & quæcunque ſal volatile continent, item quælibet ſalſa, tartarea & nitroſa, & hujus ratione renes torpidos ſimul excitant.
2. Quæ laticem ſeu ſerum acriorem reddunt, indeque abſterſivum & viſcidorum plus minus attenuativum, ac nonnihil colliquativum & hinc renum ſtimulativum, ut lap. cancrorum herbæ diureticæ, vi alcali volatilis fere operativæ, it. acidul. ſpirit. ſal. *In Organo verò evacuante*; renibus nempe, & viis urinariis vim operativam exerunt.

(α) Quæ ſpeciatim renum & viarum urinarium tonum debitum conſervant, fermentum renale confirmant & vim transcolatoriam hâc ratione non abſque aliquali ſtimulo promovent. Qualia ſunt Terebinthina, Juniperus, Crocus, Rhabarbarum, &c.

(β) Quæ acrimoniâ ſua volatili renes irritant, & ſtimulant, & ita excretionem frequentiorem reddunt. v. g. Cantharides, raphanacea, &c.

(γ) Quæ ex natura alcalina ſub digeſtione migrant in acredinem, vias urinæ abſtergentem inſtar ſaponis, ſimulque fortuitò adhærentes ſortes incidunt, blandè urina loca ſtimulant. Cujuſmodi ſunt teſtacea, item alcalia diureticorum fixa, &c. Confer. quoad hæc *Helmontius de Lithiaſi c.* 2. §. 17.

§. 6. Seri iſta & ſanguineæ maſſæ certa alteratio ad promovendam Diureſin maximi momenti eſt, modò conſideremus, quod præter dicta, quâ coƈta non cruda evacuanda, diximus; in affectibus chronicis, cum ſcirrho, vel epatis, vel lienis conjunctis, urinæ ſit pauca utplurimum excretio, utut tales ægri ex *Hippocrate* copioſi ſint ſalivatores, & poſtmodum per medicamenta ſalina, ſanguinis craſin alterantia impedimenta vel ſcirrhos viſcerum reſolventia copioſus urinæ diverſimodè affectæ ſequatur fluxus. Fieri hoc ex eo videtur, quod ex læſa viſcerum functione, & vitiata ſanguinis craſi, talis hujus ſit compoſitio & textura arcta, ut nihil, aut parum poros renum glanduloſos & fibroſos ingredi, & per eos à reliquorum conſortio liberatum poſſit ſecerni: Unde alteratâ iſtâ ſanguinis craſi, & renovata miſcela naturali, reſtitutoque viſcerum officio, particulæ heterogeneæ præſertim ſalinæ ab aliis ſeparatæ & præcipitatæ & ſimul aquoſæ eas imbibentes, ita diſponuntur, ut meatus renum facillimè ingredi, indeque ſub urinæ copioſæ formâ, cum euphoriâ ægri poſſit excerni.

§. 7. Quoad *uſum* & *legitimum regimen* diureticorum.

1. Conveniunt magis diuretica in morbis Chronicis, quàm in acutis pro ſcopo nempe diuretico.
2. Magis in morborum ſtatu & declinatione, minus in principio, aut incremento: tunc enim fundendo ſanguinem, vel attenuando humores aut ſtimulando intempeſtivè renes, ſubinde plus damni, quam commodi inferunt.
3. Non niſi præmiſſis primas vias laxantibus, aut aliàs ſi opus Cacohymiam non nihil exturbantibus conveniunt: Metus ſcilicet eſt, ne præmaturo diureticorum uſu præcipitentur nimis, ſeu copioſius moveantur ad urinaria loca, corporis reſoluti ſucci, ibique varia pathemata inferant: Hinc
4. Magis in affectibus ex colluvie ſeroſâ natis, vel his conjunctis, quàm aliis conveniunt. In genere etiam euſarcis & ſucculentioribus ſubjectis magis conveniunt, phlegmaticis, it. in ſanguineis, quàm acrioribus & Cholericis & Melancholicis continuò præſertim uſu, ne ſcilicet hi ad atrophiam vel extenuationem diſponuntur.
5. Nec niſi temperatis ſalibus, ſeri urinarii vehiculo evacuantibus, diuretica conducunt, illis enim acrioribus, plus minus corroſivis exiſtentibus, varia pathemata nephritica excitantur, hinc
6. Viis & meatibus urinariis patulis & apertis, nec obſtructis & infarctis, exiſtentibus, illa porrigenda: aliàs prius aperiendæ eædem & impedimenta removenda, niſi vel dolorem nephriticum, vel iſchuriam pertinacem, vel alia periculoſa ſymptomata inferre velis: id quod circa calculum renum imprimis obſervandum in quo non niſi circumſpectus & moderatus diureticorum convenit uſus. Confer. circa hæc pluribus *Hoffmann. in Method. Med. p.* 173. *ſeqq.*

CAPUT VII.

DE SUDORIS EVACUATIONE

§. 1. DUm continuo una die naturali per maſſam corporis poroſam cutim, mediante inſenſibili tranſpiratione tantùm evacuetur, quantum per alvum 15. dierum curſu, teſte accurato *Sanctorio in Medicina Scatica ſect.* 1. *Aphor.* 60. Non mirum, ſi tanta ejus eſt neceſſitas, ut ex impedita oriantur morbi, ex libera verò, aut artificiosè promota, præſerventur vel curentur iidem. Unde & prudens mater natura non tantum plurimos acutos morbos Criticâ per ſudorem tranſpiratione feliciter curat, ſed etiam intermittentibus febribus ordinariò paroxyſmum fauſto ſudore finit. Imò in malignis febribus hoc totum ejus eſt negotium, ut per poros cutis heterogenea ex maſſ. ſang. expellat, cujus veſtigia non rarò petechiæ & puſtulæ per corporis peripheriam diſſeminatæ, adeò, ut veriſ-

ſimum

ſimum ſit illud pronunciatum practicum, *nullam omninò febrim tutò ſine recidivæ metu poſſe dici curatam, niſi ſudore maduerit corpus.*

§. 2. Sequatur ergò naturæ ductum MEDICUS, ut provocet ſæpius ſudorem, quia ſæpè hujus imminet neceſſitas, cum certum ſit, tertiam morborum partem curari poſſe cum ſudore vel aucta ſaltem inſenſibili tranſpiratione. Ad minimum, ſemper in praxi obſervetur, ut poris cutis ſerventur aperti, ne iis occluſis aut augeatur præſens morbus, aut ſuperinducatur ipſi novus. In genere à ſudore hæc emergunt remedia.

1. Sanguis inſigniter attenuatur & liqueſcit indeque ſupervenit pulſus major, celerior & frequentior, cum inſigni corporis incaleſcentia. Unde promptius fermentatur, & non tantum omnes ejus coagulationes, aliorumque corporis contentorum præcaventur, ſed præterea quoque partes ejus heterogeneæ, ex maſſa ita attenuata uberius ſeparantur & facilius præcipitantur.
2. Attenuatus, & liquefactus ſanguis celerius & rapidius per vaſa circulatur, unde & alia corporis liquida, quorum motus à ſanguinis motu plus minus dependet, etiam velociori motu agitantur, ſicque omnes contentorum in partibus ſtagnatio aut præſervatur aut tollitur.
3. In tali ſanguinis ſtatu latex ejus aquoſus etiam inſigniter rareſcit; & attenuatur, unde ab eodem copioſius imbibuntur partes maſſæ ſanguineæ, heterogeneæ ſeparatæ & præcipitatæ & per poros cutis apertos, ſub illius vehiculo ubertim evacuantur, ſicque etiam omnia fermenta peregrina & aliunde ſuſcepta contagia, v gr. in febribus malignis, aut diarrhœis, contagioſis optimè eliminantur.
4. Idem latex penetrat ſimul undique in partes ſolidas, præſertim ſubcutaneas, ſicque ſimul abluit & abſtergit ſapore ſuo ſalſo, vi quaſi ſaponaria partium iſtarum ſordes, eaſque unà exportat: Ita ut univerſale ſanguinis & partium ſolidarum & particulare peripheriæ corporis, in morbis nempe cutaneis purgamentum ſit ſudor.

§. 3. *Modus, quo fit ſudor*, eſt hic: Occaſione vel cauſæ externæ, exercitii corporis, caloris ambientis, &c. vel medicamenti interni attenuatur, & magis fluxilis fit ſanguis, adeo liqueſcit, & plus minus reſolvitur, hinc velocius & celerius per vaſa rapitur & circulatur, adeoque frequentiori per cor & pulmones tranſitu, intenſius fermentatur, magis incaleſcit, &c. in reſoluto & liquefacto ſic ſanguine, & à concepto calore magis agitato, ſerum aqueum intermiſtum & ipſum à calore attenuatum, imbibit copioſè particulas minus reliquis cohærentes, ſeu permiſtas in ſpecie ſalinas: hinc ſudores nunc ſalſi, nunc acidi, nunc alii ſaporis obſervantur, dumque tranſit ità liquefactus ſanguis & attenuatum ſerum, per quaſvis partes ſolidas, ſalſedine ſuâ imbibita hoc ſimul abſtergit quaſcunque ſordes errore nutritionis ſubinde genitas, donec ſucceſſivè circa corporis habitum ſubintrat copioſiſſimè conſitas glandulas intercutaneas, ex quibus per vaſa excretoria corporis poros conſtituentia, emanat. Quod ſi minus ſint aperti pori, interdum per urinam copioſior ſupervenit excretio.

§. 4. *Ad ſudorem* ergo *duo* imprimis, ut debitè fiat, *requiruntur*.

1. Reſpectu materiæ excernendæ, certus ſanguinis & ſeri, ceu communis nutrimenti & excrementi vehiculi, ſtatus.
2. Reſpectu partium, per quas fit excretio, certa earum conditio.

Sanguinis ſtatus ſit talis, ut nec condenſatus nimiùm, nec nimis rarefactus exiſtat, adeoque in æquabili miſtura ſeu textura, ac conſiſtentia ſit conſtitutus, quò rareſieri, & attenuari, & ſeri latex ex eo extricari commodius & ſecerni, tantaque maſſa expeditius per vaſa circulari queat: Nam in condenſato nimis ſanguine rarefaciunt quidem plus minus integram maſſam ſudorifera, ſed non niſi repetitis vicibus exhibita, ſudoris effectum præſtare valent. In reſoluto verò nimis eodem, magis per medicamenta reſolutus ſanguis, tàm intimè ſerum & ſanguis miſta, & juncta exiſtunt, ut nulla ſpecialis fieri poſſit ſecretio, quin magis attenuatus & liquefactus ſanguis virium majorem proſtrationem & fatiſcentiam inferat. Certè magnum momentum ſitum eſt in talis ſanguinis conſtitutione. Hinc enim fit interdum, ut conſueta ſudorifera parum operentur, quæ aceto vel ſimplici vel medicato diluta non ſine fructu ſolent propinari. Sic enim v. gr. Theriaca cum aceto propinata longè potentius operatur minorique cum virium diſpendio, quàm ſolitariè uſurpata. Sic pariter tinctura Bezoardica & aliquam ſpir. vitrioli acidi partem recipit, quæ acidorum permiſtio, præſertim etiam remediis aromaticis oleoſis, adeoque calidiorioribus probè obſervanda venit. *Partium*, per quas fit excretio glandularum nempe intercutanearum & fibrarum cutanearum, plus minus poros ſtringētium vel laxantiū *conditio* in eo conſiſtit, ut non tantum glandulæ apertæ & officio tranſcolatorio aptæ exiſtant, ſed, ut, & fibræ imprimis nerveæ, debitum habeant tonum adeoque nec laxæ nimis eſſe debent, quod evenit, v. gr. in Syncopizantibus, aut quibus aliàs vires jam deficere incipiunt, aut quibus ex vitiato corporis habitu, aliàs fibræ iſtæ laxiores & patentiores exiſtunt, in talibus enim non tam excerni naturæ conatu, quam ſpontaneo motu effluere ſolet ſudor, & cum hoc ipſo ſimul ros nutritivus pro partium ſolidarum nutritione hinc inde appoſitus: Nec ſtrictæ nimis eſſe debent fibræ, ne occluſis hinc poris, & contractis meatibus intercutaneis, quævis ſudoris ſupprimatur excretio & hinc major maſſæ ſanguineæ effervеſcentia & ebullitio ſuperveniat, id quod quacunque ex cauſa irritatis ſpiritibus & hinc continuato undique elaſtico impetu diffuſis accidere ſolet, & non rarum eſt malignis in febribus, in quibus præcordiis à maligno fermento afflictis, & inquieti & inſomnes ſunt ægri, & ex præfata cauſa, ſimul nulla ſudoris, ne cocta quidem profuſio. Hinc tali in caſu opium, tàm nobile audit ſudoriferum, ut & theriaces & Mithridatii compoſitiones, à tot annis adhuc famoſus: ceu ex primariis ingrediatur, quatenus & irritationem moleſtam, quocunque in loco ſiſtit & ſpirituum impetum ſopit, & hinc fibrarum cutanearum ſtricturam, & quaſi ſpaſmum & inde natam pororum occluſionem ſolvit.

§. 5. Medicamenta ergo ſudorifera præter calorem externum vel exercitium ſunt talia, quæ ſanguinem attenuare & colliquefacere poterunt. Conſiſtentia equidem ſanguinis eſt à mutua textura & connexione partium minimarum ejus maſſam componentium dominatur tamen has inter oleo æ utraſque ſalinas temperantes, & ita mutuo nexu cogentes. Speciatim texturam hanc ce conſtituunt oleoſæ particulæ, ratione occultati acidi, hinc etiam experimenta infuſoria docent, ab acidi coagulari, ab alcali verò attenuari ſanguinis conſiſtentiam. Patet ergo ex his, quod *ſudorifera operabuntur quatenus hoc acidum plus minus temperant* vel activitatem ejus impediunt, ſuntque ratione texturæ materialis imprimis alcalia, tam volat. ut ſpirit. CC. ſpirit. ſal. armoniaci, &c. quam fixa, ut ſal. Cardin. Bened. ſal centaur. min. &c. eaque tam macra, quàm pinguia: illa ubi ſine caloris intenſione artificiali provocare volumus ſudorem, hæc ubi ſimul calorem intenſiorem reddere animus eſt. Ad hæc volatilia oleoſa in receſſu ſalina parili ratione potentia ſunt ſudorifera, ut ſpirit. volatiles, & oleoſa deſtillata, v. gr. ſpir. flor. ſamb. roriſm. item ole. deſtilla-

ta, ut oleum deſtillatum tartari, ligni guajaci, buxi, &c. quæ cum nihil aliud ſunt, quàm reſinæ vi ignis colliquefactæ, patet, quod hac ratione, etiam ipſa reſinoſa concreta vim ſudoriferam exinde obtinebunt. Hinc Eſſentiæ lignorum, eſſentiæ theriacales ex aromaticis acrioribus, adeoque reſinoſis volatilibus ferè conſtantes. Quibus & ultimo accedunt fixiora tàm terrea, quàm mineralia ſulphura, ut CC. uſtum, terra ſigillata, unicornu foſſile, antimonium diaph. Bezoardicum minerale. aurum diaph. cinnabaris antimonii, aliaque ſimilia, &c.

§. 6. Quoad rationem operandi, ſudorifera hæc ſunt in duplici differentia.

1. *Erunt poſitivè* talia, v. g. iſta, quæ ſunt ſubſtantiæ ſolubilis, volatilis penetrantis, adeoque ultra primas vias, etiam ad alias corporis regiones perveniunt. Uti ſunt ſpirit. & ſalia volatilia, oleo deſtillata. Eſſentiæ reſinoſæ, &c. item decocta vegetabilium, item ſalia fixa. Hæc enim ceu alcalia vel pura vel oleoſa attenuant, & fundunt effectivè ſanguinem & propriè ad ſudorem illum diſponunt.

2. *Privativa*, quæ fixioris cum ſint conſiſtentiæ, ultra primas vias haud penetrant, ſed ſaltem dictis in locis, acidum tam naturale, quàm p. n. vitioſum abſorbent, imbibunt & ita activitatem ejus in alias corporis regiones impediunt, v. gr. terra ſigillata, maxilla Lucii piſcis, lapis, Bezoar, CC. uſtum, antimonium diaphor. &c. &c. dum enim his imbibitur acidum, & hoc ea aggreditur ſolvendo, ſanguis, ſuo quaſi coagulo vel orbatum, vel alio ſucco acido deſtitutum ex primis viis imprægnatus attenuatur, reſolvitur, ſicque tandem ſudor ſubſequitur. *Confer. Becherus in Phyſ. Subt. L. 1. p. 394.*

§. 7. Hæc dum ita fiunt, æger non parum debilitatur, ex ſpirituum nempe diſpendio & nimiâ maſſæ ſanguineæ diſſolutione, ut ergo citius ſe colligat *poſt ſudorem peractum acida moderata*, v. g. ex citro, berberibus, cydoniis, item tincturæ acidulæ, bellidis, julepi aciduli cum ſpir. vitrioli vel nitri *propinantur*, ut ab his attenuata ſanguinea maſſa, blandè denuò coëat, debitamque & naturalem conſiſtentiam ſucceſſivè recuperet, indeque vires labefactæ plus minus denuò redeant.

§. 8 *Uſum* tandem & *legitimum regimen ſudoris* quod attinet, tàm in acutis quàm in chronicis convenit affectibus.

1. In acutis quidem evacuationis ſaltem gratia h. e. ut heterogeneæ partes & fermenta evacuentur ex maſſ. ſang. quæ per poros naturaliter ſub fuliginum forma evaporare ſolent, artificialiter verò exaucto quanto, in guttas, in ſtrias ſudoris abeunt, hoc ut utilius fiat, neceſſe eſt ſæpè, in ſpecie ſi non ſit febris nimis maligna (ut hâc quoque coctionis ſigna ſemper ſoleant eſſe proficua) ut ſi materia iſta excrementitia peccans ſit cruda, i. e. non ſeparata, ſed potiùs vitioſè in ſanguine ebulliat, ut prius coquatur, id eſt præcipitetur & ſeparetur, alias enim vel nullus ſequitur ſudor, vel nudus latex aquoſus, cum copioſis ſpiritibus tantùm exhalat, ſine euphoria ægri, cum inſigni potentius ejuſdem damno: ad imitationem ſcilicet naturæ, quæ vel in declinatione univerſali morborum, vel particulari paroxiſmorum, tantùm ſudores movet, non ſecus ac eadem variolas, petechias, nonniſi poſt aliquot dierum febrim, ſalubriter & ſufficienter expellere ſolet. His ergo in caſibus vel præcipitantia, ſeu moderatè figentia præmittenda vel addenda ſudoriferis, imò non rarò poſt ſolū hujuſmodi præcipitantiū dictorum uſum, ſpontanei ſalubriter ſequuntur ſudores. Sed hæc non neceſſe eſt, ut rigoroſè adeo obſerventur in morbis, ubi non eſt talis materiæ cruditas non chronicis tantum, ſed etiam acutis malignioribus, illuſtratur hoc per febres eryſipelati, aut plevritidi junctis. Adeo ut hæc confirment ea, quæ ſuperius dicta circa Aphoriſmum *Hippocratis* de coctis evacuandis, tàm de purgantibus, quàm diureticis & ſudoriferis intelligendum, cum certum ſit, & univerſaliter verum, nihil poſſe ſeparari ex liquore, cujus porulis intimè unitum eſt, ejuſque componentibus particulis permiſtum, ſine præcedente præcipitatione ſeu ſeparatione, i. e. ex porulis extruſione.

§. 9. In Chronicis verò

2. Sæpius alterationis interdum & evacuationis ſcopo inſtituitur ſudoris provocatio; ſic enim in paralyticis, iſchiaticis, arthriticis, lue venereâ laborantibus, tàm & ferè magis pro ſcopo alterationis viſcidorum, & acidorum attenuationis, celerioris ſanguinis circulationis, hincque coagulatorum aut ſtagnantium hinc inde ſuccorum reſolutionis gratiâ, quàm præciſè pro ſcopo evacuationis uſurpantur. Cum verò ſudores ſimul & vires attenuent, ſpirituum affluxu, & repetito uſu corpus emacient, roris nutritivi nimia reſolutione & ſudoris formâ evacuatione, ob id, nonniſi viribus adhuc conſtantibus provocandi & habito ſubjecti patientis plus vel minus ſucculenti reſpectu, crebrius aut rarius eliciendi. Obſervetur etiam ſedulò in quovis ſudore, ut primæ viæ ſint emundatæ, & à ſordium vitioſorum caterva liberatæ, quin etiam repetitis evacuantibus, aut diureticis nonnihil maſſ. ſang. repurgata, idque in Chronicis præſertim affectibus, in acutis enim tàm cum, quam abſque febre aliud urget neceſſitas. Cum ſiticuloſi admodum ſint ægri ſub ſudore, potus calidus magis ſudores promovet, ſed minus recreat, frigidus ferè nocivus eſt, ſed magis viribus conſulere videtur. Ratione ſudoris ergò potus calidus, ratione virium hauſtus vini in ſpecie confert.

CAP. VIII.

DE SALIVATIONE UNIVERSALI & particularibus evacuationibus.

§. 1. PEr copioſum ſalivæ fluxum ex ore etiam cauſæ materiales morboſæ evacuari ſolent, idque tàm univerſaliter, quando ex toto corpore per hanc viam inſtituitur evacuatio, in ſalivatione, ſeu ptyaliſmo univerſali, vel particulariter, quando ſaltem ex ore, & locis vicinis per ſalivam fit evacuatio per apophlegmatiſmum dictum. *Salivatio* univerſalis mediante mercurio concitanda caſu primitus, utplurima alia medicamenta *inventa fuit*, quæ nunc ex inſtituto adminiſtratur in cura luis venereæ, aliiſque chronicis morbis. Ex Arabum nempe monumentis didicere veteres, ad ulcera contumaciora commendatum fuiſſe mercurium; Adhibuere ergo illum ulceribus gallicis, hinc ex accidente & caſu ſubſecuta ſalivatio, & per hanc, tàm ulceris, quàm ipſius primarii morbi curatio *Joh. Carpus Med. Bononienſis*, qui hâc luem veneream curandi methodo multa millia ſcutatorum lucratus fuit. In lue venerea ergò tentata cura ſalivatoria, obſervata ſimul etiam fuit aliis affectibus cum lue venerea conjunctis proficua. Hac ratione Epilepticus per 40. annos, lue venerea infectus, mediante ſalivatione ab utroque malo curatus fuit; non ſecus ac arthritis contumax evanuit, poſtquam æger lue venerea inquinatus ſalivationem mercurialem paſſus fuerit, quod etiam circa herniam aquoſam obſervatum. Hinc in ſcabie virulenta, ſeu malignâ, in ulceribus crurum Cacoëticis, in affectibus cutaneis gravioribus, in aſthmate humoroſo, aliiſque ſimilibus, ſalivatio mercurialis proficua obſervata fuit. Quin & modernorum nonnulli paralyticos ex apoplexia per ſalivationem curare ſatagunt, adeoque in genere ſali-

vatione

vatione mercurialis in quibuſdam contumacioribus affectibus,ab humore viſcido, glutinoſo, acido oriundis ſolidas præſertim partes nimis affligentibus, uſum ſuum obtinebit.

§. 2. Salivationem hanc præſtat ſaltem mercurius, quem adhibendi modus duplex eſt, Internus & Externus. *Externus* per unguenta, ſuffitum, emplaſtra, cingula ſapientiæ dicta, &c. *Internè* uſurpatur ferè mercurius dulcis, repetitis vicibus propinatus, præſertim in vitello ovi, item mercurius præcipitatus ſpeciatim cum ſpiritu nitri,aliàs arcanum corallinum dictus.Item turbith minerale crollii cum ſpiritu tamen ſulphuris paratus, ad gr. iii. vel iv. quotidie repetendo, donec ſuperveniat fluxus, ſicut doſis arcani corallini cum theriaca in pill. gr.ij. vel iij. ſequente die iv.hinc verò donec omnes doſes ſimul 15. vel 19. gr. compleverint, raro plus requiritur· *Externè* uſitatiſſimum eſt unguentum ex mercurio vivo cum duplo vel triplo pinguedinis ſuillæ, in mortario lapideo, cum piſtillo ligneo paratum. Adduntur interdum & oleum laurinum vel therebinth. &c. Tali unguento plantæ pedum, tali, genua, carpus & cubitus in graviori malo,in pertinaciori affectu, etiam ſpina dorſi inungitur, continuatur aliqnandiu, donec gingivæ & labia intumeſcere, parotides dolere, lingua inflari & ita ſalivatio prodire incipit. Per ſuffitum inſtituitur ſalivatio, mediantibus trochiſcis, ex reſinis & cinnibari paratis, quibus incenſus æger conopœo incluſus ſuffitur, & ita ad ſalivationem diſponitur. Sed hic modus eſt peſſimus, qui ſubinde periculoſiſſima ſymptomata excitat. Cingulum denique ſapientiæ eſt pannus laneus mercurio vivo cum porcina pinguedine ſubacto impraegnatus, quod lumbis applicatur, & hoc præſertim in malis levioribus: ſcabie, phthiriaſi, &c. ubi non præciſè opus eſt ſalivatione, utut & hoc interdum ſalivationem excitet, id quod obſervavit *Paulli in Quadripart. pag.75*. A tali modo tractato mercurio ſuccedit fluxus ſalivæ primò tenuis, ſecundò mucilaginoſæ, denique viſcidioris & fœtidæ. Rarum eſt, quod in principio fluxus alvi torminoſus accidat, utut internè propinatus mercurius præcipitatus ſubinde vomitus in principio excitat. Galli plerumque ad 20. dies ſalivationem mercurialẽ fluere permittunt,ſed *legitimum ſignum ſufficientis ſalivationis eſt*, ſi viſcidior & tenacior mucus nonnihil fœtidus prodeat ultimò, talis enim nonniſi in fine,cum perfectè operata eſt ſalivatio prodire ſolet.

§. 3. *Modus*,quò fiat à mercurio talis ſalivatio, *intricatus eſt:* Optima mihi videtur *Tachenii* ſententia *in Hipp. Chym.* adherere mercurio ſulphur externum ab ipſo ferè inſeparabile, volatile, & materiæ quaſi arſenicalis, cujus acerrima acrimonia has turbas inferat, reſervando & colliquefaciendo nutrimentum partium roridum, chyloſum, cúmque hoc ſimul vitioſa fermenta acida, venerea, aliáque, eaque hæc omnia ſub forma ſalivæ foras educit, quatenus ita colliquefactus ſuccus, ita ſua textura materiali eſt diſpoſitus,ut ſpeciatim per glandulas,earumque poros, ceu appropriata cribra, & ſpeciatim maxillares poſſet trajici. Patet ergo hanc curam ſalivatoriam ſimul nonnihil eſſe deceptoriam, quatenus ex uſu mercurii tam ſani, quàm ægri æqualiter purgantur. Generat ergo tale liquamen, in corpore mercurius, quod ſub ſalivæ formâ emanat, utut cum eo vitioſa & partim naturalia recrementa ſimul evacuentur, & acida præternaturalia fermenta, à mercurio imbibita,ſimul elimentur. Afficit in ſpecie partes ſolidas, minus liquidas, & in his magis nerveas, quàm ſanguineas, hinc etiam emaciantur & debilitantur non leviter ægri, unde etiam hæc cura, nonniſi aliis ferè irritis, aut ubi alia non ſuffectura, eſt ſuſpicio, inſtituenda eſt.

§. 4. Quod *legitimum regimen ſalivationis mercurialis* præmittenda ſunt, imprimis ex appropriatis, item balneis aquæ dulcis quotidie ſemel vel bis æger inſideat, ut horum medio emolliatur corpus, attenuentur & ad faciliorem modum diſponantur humores plus minus viſcidi, ſimulque operantur pori corporis, pro faciliore mercurii penetratione. Sub ipſa ſalivatione utuntur ægri diæta tenui, potus ſit decoctum lignorum, non tamen nimis fortè, ne ſudor ſequatur, qui ſalivationem impedit. *Adjuvatur fluxus ſalivalis*, tenendo in ore globulum ex mercurio dulci, cum tragacantha paratum: poſt fluxum purgatur denuò æger & propinatur decoctum lignorum ſudoriferum cum antimonio & mercurio, ad eliminandas ſordes hinc inde forſan reſtitantes, uti & penitus extirpandum ex corpore mercurium. Quod *ſi nimia ſit ſalivatio*, pro hac concipiẽda omne punctum complent opiata internè exhibita. Aurum etiam ſingulari amicitia mercurium ex corpore evocat, & ideo ſalivationem ſiſtit, applicatur affricando externè, vel detinendo in ore: Detentum albeſcit ex attracto mercurio, injicitur igni depuratur & iterum in os immittitur. Inſinuat ſe auro, tàm in ore, quàm in africto mercurio, & ita ceſſat ſalivatio. Sufferre poſſunt hanc curam ſaltim ægri, quorum vires adhuc conſtant, *melius procedit tempore verno* & *æſtivo*, quàm aliis. Ab aere libero, item à frigore ſedulo caveant ſibi ægri, cùm aliàs facillimè tumores faucium lethales ex ſuppreſſione ſalivationis incurrant. Citius vel tardius pro ægri conditione ſuccedit ſalivatio. Itali & galli facilè ſalivant, cum humores illorum ſint tenues, & fluxiles, conſpirante aëre tenui, inde pori & meatus corporis patentiores. Nos & Septentrionaliores,difficilius ſic evacuamur,propter glutinoſiores ſuccos, corporaque aëre ſpiſſo compactiora. Cautus etiam apud nos alioſque Boreales locos ſit uſus ſalivationis mercurialis propter ſcorbutum oris, & quem mercurius & omnia mercurialia pertinaciter exaſperant & ſpeciatim graviſſima oris & dentium ſymptomata inferunt.

§. 5. Inter particulares evacuationes ſit primò ſalivatio particularis, quæ ſaltim ſalivam moderatè per externum ſtimulum, & glandulis oris, lociſque vicinis evacuat, indeque caput conſequenter lymphâ præternaturali onuſtum liberat. Unde etiam caputpurgia, aliàs apophlegmatiſmus à phlegmante eliciendo dicitur. Cerebrum quidem, ejuſque ventriculos immediatè non expurgat, nihil enim ex cerebro ad dicta loca deſtillat, ſed omne per membranas pituitarias, poſt quas inſignis eſt glandularum minutarum congeries, & hinc per oris glandulas derivatur. Recipiunt hæ glandulæ lympham ex ramis quibuſdam arteriarum carotidum, quibus, per apophlegmatiſmum, ab uberiore lympha liberatis, uberior ad loca evacuata ſit lymphæ fluxus,& conſequenter internæ capitis partes, minus lympha uberiore gravabuntur.

§. 6. *Conveniunt* ergo *ſalivationes particulares* in catarrhalibus capitis & vicinorum locorum affectibus, item in gingivarum, maxillarum, dentium vicinarumque partium doloribus. Operantur remedia hanc ſalivationem particularem excitantia ſimpliciter vi irritationis cujuſdam dictarum glandularum, unde nunc ſimpliciter, mediante maſticatione actuantur, & in conſiſtentia ſicca applicantur & dicuntur in ſpecie Masticatoria. Nunc verò in forma liquida imprimis decocti, in ore aliquandiu detinentur, quo profundius penetrent, & meliorem effectum præſtent. Sic v. g. Apophlegmatiſmus ſiccus,ſeu maſticatorium eſt radix Zingiberis, item Pyrethri, item Gummi Maſtiche, item Nicotiana,&c. in forma liquida fit decoctum ex herba Majoranæ,Nicotiana,radice Pyretri, ſemine ſynapi & ſimilibus, in vino vel aqua aut acito decoctis, quale decoctum vel in ore calidum detinetur ad tempus, vel pro meliori effectu etiam gargariſatur.

§. 7. Succedunt apophlegmatiſmo Errhina & sternutatoria ſeu Ptarmica, quæ per nares lympham uberiorem ex viciniis oſſis cribriformis & membrana pituitaria ſuperiore eliciunt. *Ratione effectus differunt* quoad magis & minus, quædam blandius irritant,

ritant, & ita ſucceſſivè lympham ex naribus fluere faciunt, quædam acrius & ſublimius vellicant, ut hinc ſternutationes movent. *Sternutatio* talis *affectus eſt diaphragmatis*, & muſculorum thoracis, exſpirationi inſervientium, qui convulſivo ſpaſmo contracti, ſubitaneo impetu aerem elidunt, & ita ſternutationem efficiunt. Cauſa talis convulſivi impetus eſt irritatio, ſenſilior membranæ narium ſuperioris, quæ ſingularem conſenſum fovet cum nervo intercoſtali, quatenus ex hoc mox ex ſua origine ſurculos quoſdam recipit.

§. 8. Duo ergo *in ſternutatione conſideranda*.

1. Ipſa irritatio narium, unde ſequitur affluxus & effluxus lymphæ copioſioris, naturaliter inſipidæ paulò ſpiſſioris partim naturaliter acris, acidæ ſalſæ, tenuioris, item mucilaginis viſcidioris.
2. Motus iſte convulſivus exſpiratorius, cum quo non ſolùm eliditur ſpirit. ſed ſimul concutitur totum abdomen & violenter conſtringitur.

Ratione prioris conveniunt Errhina & ptarmica, pro evacuanda lympha, vel ſuperflua, vel vitioſa, aut muco viſcidiore in ſummitate narium hærentibus. Evacuata ſic lympha iſtorum locorum conſequenter & caput reliquum ab uberiore lymphæ influxu præſervatur, unde per accidens *capiti convenire & ſpeciatim memoriam confortare, dicuntur erthina*. Locus, *per quem fit evacuatio*, eſt partim ductus Stenonianus, partim membrana pituitaria ſuperior & anterior, in ſummitate narium, juxta os vomer ſita, & ad palatum nonnihil protenſa, quâ irritata, glandularum ſeries, poſt hanc membranam conſita, copioſam lympham effundere ſolet.

Ratione poſterioris, conveniunt Erthina & ptarmica in paroxyſmis apoplecticis, hyſtericis, partu difficili, &c. in quibus nempe cum impetu corpus concutiendum venit.

§. 9. Medicamenta erthina & ptarmica ſunt omnia acria illa, quæ vellicare valent membranam narium internam ſenſilem, locaque vicina, unde horum quaſi convulſiva criſpatura, hujuſque medio lymphæ nunc naturaliter, nunc præternaturaliter conſtitutæ excretio. Talia ſunt v. gr. Majorana, Nicotiana. Flos & radix liliorum convallium, helleb. uterque, vitriolum album & ſimilia.

§. 10. Particulariter, quod inteſtina evacuat; eſt CLYSMA, mundificans imprimis inteſtina craſſa, ultra quæ non penetrat, utut craſſioribus evacuatis, per conſenſum & tenuia irritata, ſimul plus minus evacuantur. Nomen habent à κλύζειν eluere, adeoque de quibus in genere injectionibus in uterum, aurem, &c. dici poteſt uſitatiſſimè ſaltem de iſtis quæ in anum fiunt, dici ſolent.

Uſus primarius eſt diluere inteſtina, & hinc removere, quæcunque vitioſa, unde in alvo obſtructâ, in ileo, in teneſmo, in dolore colico, in flatibus, in paſſione hyſterica, in affectu hypochondriaco, in hernia, lumbricis, in febribus intermittentibus frequentis uſus eſſe ſolent.

Secundariò, etiam aliis affectibus conducunt, quatenus cum partibus aliis vel connexa ſunt inteſtina vel per conſenſum eaſdem afficiunt. Hinc etiam in lochiis ſuperpreſſis, in facilitando partu, in affectibus nephriticis, apoplecticis, & ſimilibus multum conferunt. In genere cum quamplurimi morbi, aut originem ducant ex abdomine, aut ibidem ſymptomata inducunt varia, Clyſmatum uſus eſt latè patens, tàm infantibus, quàm adultis convenit, *cautè tamen in gravidis iiſdem utamur*.

§. 11. Inteſtina equidem ſaltim eluunt, & materiali ſui ſubſtantia, ultra Colon naturaliter non adſcendunt, impediente hoc Coli valvula, nihilominus tamen ſubtiliora, volatiliora & ſpirituoſiora Miaſmata eorum, altius etiam intra corpus penetrant, unde non tantùm ex vino cum aromatibus pro clyſmate injecto *ebrioſum delirium* obſervavit *Rhodius Cent. 1. obſer. 38*. Sed & à 3i. Opii cum clyſmate injecto *coma abortum*, narat *Salmuth. cent. 3. obſ. 97*. Per clyſma aliud ex vino Malvatico curatum. Sic quibus clyſmatis aqua bened. pro fortiore ſtimulo additum eſt, interdum vomitus movet. Ipſemet obſervari clyſmata, quibus terebinthina addita fuit diutius paulò retenta, urinam violacio impregnaſſe odore, interim tamen *nullatenus nos nutrire poſſunt*.

§. 12. Regimen clyſmatis, eſt facilè cum tutiſſimum ſit, modò diu retineatur, præſertim in affectibus inteſtinorum, *ſive enim contenta inteſtinalia expurgandi, ſive inteſtina fortius ſtimulandi gratiâ injiciatur*, perinde eſt, modò aliquandiu retineatur. Quod ſi diu nimis ſine effectu intra corpus hæreat, per ſuppoſitorium deſuper applicatum, effectus accelerari poteſt. Si flatus impediant applicationem, partitis vicibus injiciatur, &c. *Conf. in his Mœbius in diſſert. de uſu clyſmatum*.

CAPUT IX.

DE SYMPTOMATUM URGENTIUM Remotione.

§. 1. AB ordinaria morbi medendi methodo, in cauſarum ablatione & morbi ſedatione non rarò deviare nonnihil Medicus neceſſe habet, dum ſcilicet ſymptomata ſubinde contingunt adeo atrocia, ut ſpeciatim his ſuccurrere neceſſe habeat; Si ſcilicet ex eorum violentiâ vitæ quoddam periculum, vel mediatè vel immediatè immineat, quæ ſymptomata tunc urgere dicuntur. Qualia ſunt dolor, vigiliæ, deliria, fluxus alvi, vomitus, lipothymiæ, convulſiones, &c.

§. 2. Jam verò his omnibus legitimam medendi rationem docet praxis ſpecialis, habent enim omnia appropriata ſua remedia mediantibus quibus iis mederi poſſumus. In genere tamen magnum jus ſibi hic vendicat *OPIUM*, ut in morborum curatione, ita & in ſymptomatum urgentium mitigatione, adeo, ut nullum ferè ſit urgens ſymptoma, præter lipothymiam, idque ſaltem in quibuſdam caſibus, quod non leniatur ab opii ſalutari facultate. Nam & univerſaliora remedia, ex ſulphuribus metallicis haurienda ſecundum adeptos, nonniſi certâ vi anodynâ operari videntur.

§. 3. Experitur opium quidem commune fatum. Dum laudatur ab hoc, culpatur ab illo Conf. de ejus uſu & viribus autores, qui ex profeſſo de eo ſcripſerunt, ut *Zwolf. in Pharmacopœa regia p. 153. VVincklerus, Freitagius, Doringius, Hartmannus de Opio, Sala, in Fernario Laudanorum*. Per ſe certè benedictum remedium eſt opium, nec ſatis laudandum, in genere nempe quoſcunque ſpirituum motus & conſequenter omnes humorum primariò locales hinc etiam inteſtinos ſiſtit, unde ſymptomatum inde ortorum ceſſatio, & pacata quies, adeo ut univerſalius longè ſit remedium, quàm purgantia vel ſudorifera. *Conf. Mynſicht. in Armament. Chym. p. 71. item Hœferus Herc. M. p. 157. 158*. Sed pro ſalubri ejus uſu tria ſunt notanda:

1. Ut ritè correctum, præſertim per alcalia, uſurpetur.
2. Ut legitimo tempore & conſtantibus adhuc nonnihil viribus adminiſtretur, has enim aliàs debiles, ſpirituum motum ſopiendo, magis debilitaret; nec dandum, quando omnia jam deſperata ſunt, quia tunc inutile; In ſpecie nonniſi rarò in principio morborum acutorum, ſed tantum in incremento, *in ſtatu verò nunquam uſurpetur*, quia in ſtatu motum naturæ criticum aliàs impediret. In Chronicis verò ſaltim confert cum paroxyſmis paulò atrocioribus mitigandis & ſiſtendis.

3. Obſer

3. Obſervetur legitimus adhibendi modus, nunquam ſcilicet ſolum, ſed ſemper debitis ſocietatum ſpecificis, affectuique ſimul appropriatis remediis propinetur, ne ſolo Opio, palliando ſaltem morbos, horum recidiva vel pertinacior contumacia inducatur.

§. 4. Mirandus hic opii & ſimilium Narcoticorum dictorum eſt effectus, qui tamen ex eo, quod Spirituum impetum & motum ſufflaminet, plus minus eorum volatilitatem & ſubtilitatem, indéque faciilimam expanſionem & mobilitatem figendo quaſi aut condenſando explicari poteſt, quæ figendi Opiatorum potentia conſiſtere videtur in principio ejus ſulphureo, ſale volatili acri juncto, adeoque ex aliorum principiis potius in calore, quàm frigore: cum & alia Narcotica vi prædita, ut ſpiritus vini, carbones incenſi, Gas liquorum fermentantium, de natura quodammodo ſulphurea volatili ex dicto principio ſulphureo efficaciam ſuam mutuet.

APPENDIX.

§. 1.

HActenus ea remediorum genera, quæ corporali ſuo contactu & materiali cum partibus corporis unione operari ſolent, adeóque quorum agendi ratio & intelligibilior & Methodus eadem applicandi planior exiſtit, conſideravimus. Alia longè ea, quæ ſublimior ferè hoc in Negotio *Helmontii* eſt Philoſophia.

§. 2. Vt enim *Hic Ipſe* rerum naturalium ortum, progreſſum & interitum ex terrâ per ſemina rectè explicat, inque horum efficiente Archæo, præter vim fermentalem (materiæ in tale Corpus tranſmutativam) etiam vim directricem in Corporis partium, ex determinata materia formatione, earumque actione ac uſibus ſtatuit, quàm in ideis (ob id *à Marco Marci* operatricibus potius directricibus) poſitam eſſe affirmat, etiam per talem proceſſum quaſi ſeminalem, morbos in nobis progigni aſſerit, dum Archæus ſeu Spiritus Inſitus, occaſione quacúnque ſpeciatim peccantis cujuſdam Materiæ occurſu irritatus, varias ideas, furoris, excandeſcentiæ, pavoris, aliaſque, ſponte concipit, aut ſimiles aliundè ſibi communiatas ideas approprıet, pro quarum ductu & directione multipliciter actiones naturales corporis functiones, vi & potentia idearum ſeminaliũ perficiantur.

§. 3. Remedia ergo hactenus uſitata, ſaltem à poſteriori, removendo cauſam occaſionalem, aut producta ejuſdem morboſa curare aſſerit, à priori vero nullatenus radicem morborum, attingere, unde & tàm plures morbi, ceu incurabiles à Medicis relinquãtur, & quas ipſa natura curare nequeat, etiam Medicos, ceu ſimplices illius Miniſtros removere non poſſint. Illuſtrat hæc non tantum per curas morborum, ſine ſenſili cauſæ materialis remotione per ſola animi Pathemata factas, ſed etiam per vires imaginationis in generatione morborum & horum curatione, & remediorum determinatione, per quam efficaces. Ac ſine Veterum Galenicorum facultates toties irritatæ, actiones hinc pervertentes nil aliud, quàm talia Archæi Pathemata, & hinc natæ præternaturales ideæ, eſſe videntur, loco quarum moderni Spirituum animalium impetum & præternaturales motus ritè ſubſtituunt, vim tamen motus determinativam non clarè ſatis explicant,

§. 4. *Pro genuina* ergò *cura Morborum* hujuſmodi *archæalium* (ut plurimum ad Morbos occultarum qualitatum relatorum) *requirit remedia* etiam *idealiter* ſaltem *operantia*, citra materiæ, ut talis, quaſcúnque conditiones, quæ ſcilicet ſaltim irradiativè inſtar luminis ſolo veluti radio, ſuive adſpectu agant in ſopitum vel ſuccenſum Archæum, unde demum in totum corpus ſpargatur hauſta in Archæo vis radialis, & ſanitas inde ſuccedat, quatenus talium remediorum intuitu, archæus certo modo alteratus, morboſas exuat aut deleat ideas, vel aliàs illis contrarias ſuſcipiat, ut ita ceſſet præternaturalis actionum perturbatio, & naturalis pacata redeat quies, quæ ipſa cruore leporis dyſenteriam, vel eryſipelata curante illuſtrari poſſunt.

§. 5. Pro hoc ſcopo ergò idealiter morborum radices curandi in archæo, extollit imprimis *ſulphura metallica fixa*, quibus correctis & perfectis, tota morborum cohors auſcultet. Speciatim ignem, ſeu ſulphur Veneris fixum his maximè extollit, & mediante hoc Elemento ign. veneris. h. e. olei è ſulphure veneris paratum mercurium diaphoreticum fixum, quæ duo omnia iſta præſtare ait, quæ Medicus vel Chirurgus deſiderare queant. Ad hæc ſulphura & alia fixa ex mettallicis parata remedia, tam ſicca in conſiſtentia quàm liquida tincturarum liquidarum formâ, v.g. antimonij, ſolis &c. ſe exhibeant, pertinent. Sanè, uti generationes rerum ex ſeminibus ſine talibus ideis vix explicari poſſunt, ita etiam in Morborum productione & generatione hæ ipſæ ulteriorem conſiderationem merentur. Sulphura autem hujuſmodi Metallica & quæ ejuſdem ſunt proſapiæ remedia, vi anodynâ ſigulari & hinc vi antiepilepticâ pollere, clarum eſt ex Cinnabari antimonij, ut taceam alia ſulphura & tincturas, fixiores antimoniales, quæ citra ſuam corporalem alterationem tàm activam, quàm paſſivam, & in anodyna, & hinc operatione diaphoretica ſunt ſummè æſtimanda. Horum loco commune ſaltem illud Opium, utut non omni carens virulentia, etiamnum imprimis viis exiſtens, laudatiſſimas non rarò operationes exerit.

§. 6. Pertinent tamen huc & ad ſublimiores ac minus uſitatas curandi ægros rationes, curationes ſympathicæ ſeu magneticæ ſeu tranſplantatoriæ. De his, variæ autorum ſunt ſententiæ. Quidam eos affirmant, eóſque vel admirantur, vel ſcrutantur. Quidam eos negant, quo ſi experientia tales refutet ad Dæmonis pactum omne negotium transferunt. Sed blaſphemi hi ſunt in DEUM, cujus miracula in natura fundata, Dæmoni adſcribunt, Primus talium fuit *Paracelſus*, ſequuti hunc ſunt alij, qui ſcriptis partim, partim experimentis negotium hoc ulterius confirmarunt, qui Autores *vid. in Theatro Sympathetico. Conf.* ſimul *Marci in Phil. veteri Reſtit part. 5. item Tentzelius in Medicina diaſtatica, item Bartholinus Cent. 3. hiſt. 66. & Cent. 6. hiſt. 53.*

§. 7. Cura Sympathetica eſt dum citra remedij parte affectâ contactum in, diſtans fit cura, quaſi per occultum quendam cum parte affectâ conſenſum: dicitur etiam Magnetica, quia eſt quaſi tractio quædam inter partem læſam & inter remedium abſens, quod debet ſanare. Sic Sympatheticè per vitriolum veneris curat hæmorrhagias, vulnera & ulcera cruenta in diſtans, modò ſanguinem ex parte læſa manantem contingat: item Perſicaria per aquam frigidam tracta, & contuſionibus gravioribus vel ulceribus impoſita, donec non nihil intepuerit, hincq; ut citius putreſcat in locum tepidum ſepulta, dictos defectus curat. Conf. *Meyſonerius de Pulv. Sympathetico annexo Digby de affectionibus Corporum.* Item Lac in prunas recens emulctum, ut Vaccæ ubera inflammat, ita mulieris ubera ſterileſcere, facit. Item urina Icterici ſuprâ equinum, dum calet, excreta curat Icterum *Vid. Willis in Pharm. Rat. par. 2. Vol. 2. p. 206. item Miſcell Curioſ. Med. Ann. 3. p. 146.* item: ſi ex urinâ ægri & lacte addito pane ſimilagineo fiat juſculum, quod propinetur Cani, ſi canis exindè non moritur, nec

nec homo morietur, ſed ita ab Ictero convaleſcet. Pertinet huc unguentum magneticum tàm Sympatheticum, quàm armarium, de quo vid. ſpeciatim *Helmont. Tract. Magnetica vulnerum Curatio* §. 2. Item faciunt huc Verrucæ lardo contactæ, teſte *Verulamio Silv. Sylvarum. Cent.* 10. *hiſt.* 997. it. Clavi pedum affrictu pomi evaneſcentes. *Vid. Helmont. Tract. Magnum Oportet.* §. 29. Item contactus manus Mortuæ, ut & pilorum deciſorum cum relictis ſympathia *Bart. Cent.*1. *hiſt.* 41. Item aliquoties obſervavi, quod Mater lactans in uberibus ſentiat ejulatum infantis abſentis.

§. 8. *Tranſplantatoriam* quod attinet *Curam*, hæc fit, quando ægritudines transferuntur, vel in Animale, vel vegetabile Subjectum, ut exindè ſanetur Corpus humanum. Fit talis cura vel per contactum immediatum, & dicitur *Approximatio*, vel per contactum mediatum, mediante quodam tertio, Magnete dicto, & eſt propriè dicta TRANSPLANTATIO. Per approximationem Panaricium, curatum, refert *Riverius Cent.* 4. *Obſ.* 19. & 63. quo etiam pertinet applicationes canum Melitenſium, de quibus vid. *Barthol.c.*3. *hiſt.* 66.& 6. *hiſt.*53. Per tranſplantationem autem curantur Morbi; v. g. quando ſanguis ægri teſtæ ovi includitur, & gallinæ pro incubatu per 14. dies ſupponitur, hinc ſui famelicæ propinatur, exindè morbi, ex vitiata ſanguinis craſi oriundi tranſplantando averruncare ſolent. Vid. *Burgravius in Biolichnio*, item. Atrophia curatur per ſanguinem ægri teſtæ ovi incluſum acervo formicarum impoſitum, quod prius docet *Hartmannus in praxi Chymiatrica* & tanquam à ſe obſervatum confirmat *Boyle in Philoſ. experiment.* Sic canum magnetiſmus notus eſt, dum eoſdem mediante pane, ſudore madente nobis familiares reddimus. Item dolor dentium tranſplantatur in Corylum vel Sambucam, mediante feſtucâ ex arbore deciſâ. Ita caro ſuilla in urina ægri recenti cocta objicitur cani devoranda, pro curâ morborum Chronicorum, ſpeciatim febrium intermittentium. Item dolor crurum inveteratus per urinam ægri, in quâ ovum ad duritiem coctum fuit & hinc ſepultum curatus fuit. Item Caſeus recens pedibus Podagricis applicatus à cane comeſtus; claudum & contractum reddidit Canem. Tranſplantationem Podagræ in ſalicem, mediante urina & ſanguine ægri prolixius deſcriptam videatis *in Timæo lib.*5.*Epiſt.*8.*p.*363.

§. 9. In omnibus his curis tam Sympatheticis, quàm magneticis, mediatè certa portio ſpiritus volatilis ex corpore ægro deciſa, ſive cum ſanguine, ſive cum ſudore, ſive cum inſenſili effluvio ſeparetur à toto, hæc enim omnia aliquid de Spiritu vitali demunt, ineſt iis participatio quædam vitalis extra concretum naturale. Vnde prout hic alteratur diverſimodè, ſequitur ſimilis in toto Corpore alteratio, plus minus tamen prout vel citius vel tardius ad omnimodam ſui diſſolutionem & interitum ac evaneſcentiam diſponitur, ac ita brevius vel diutius cum toto conſenſum ſuſtinet.

§. 10. *Mumiæ ſpiritualis* nomine venire ſolet his in caſibus dicta *ſpiritus vitalis portio*, quæ à toto ſeparata, fundamentum dictarum curationum conſtituit. Vtut enim propriè Spiritui inſito tribui ſoleat hæc appellatio, ratione cujus etiam differentia ſit inter Corpora violenta vel naturali morte obeuntia, tamen hoc in caſu promiſcuè ſumi ſolet. Mumia hæc, ſin ſub formâ effluvij ſubtilioris, ex habitu Corporis extrahi debeat, mediante quodam corpore tertio magnete dicto ſic fieri ſolet; quales magnetes recenſentur quatuor.

1. Ex ſtercore humano *ſecundum Paracelſum & Tentzelium in Medicina diaſtatica.*
2. Eſt caro humana ſiccata, quæ applicata regioni cordis violento magnetiſmo attrahat, ſed neceſſe eſt, deſumpta ſit à corpore humano violenter occiſo, & ſi poſſibile, adhuc calente.
3. Sanguis ex homine ſano quantum placet, ex ſanguine grume facto decantetur liquor ſeroſus ſupernatans, exſiccetur in umbra, humectetur ſucceſſivè iſto liquore, & ſiccetur denuò, donec ſanguinis omnem imbiberit liquorem, & ſic ſiccatum aſſerva.
4. ♃. Stercus hominis ſani & hoc cum urinâ ejuſdem redige inconſiſtentiam pultis, adde quantum habere potes ſudoris ex hominibus ſanis collecti linteo, aut ſpongeâ pone ſimul in loco mundo, donec ſiccentur in umbrâ. Hinc adde ſanguinem recentem, miſce, & aſſerva uſui.

§. 11. Pertinent huc PHILTRA vera ad certam perſonam determinata, quorumvis in tali mumiali confermentatione conſiſtit, ut loquitur Helmontius tract. magnetica vulnerum curatio. Hoc eſt in unione arctâ ſpiritus quaſi transmutetur, & omninò ſubigatur ab iſta mumiâ, unde ſequatur propenſio naturalis in illam perſonam.

Sed hæc pro excitanda ſaltem curioſitate in talibus ſufficiant.

SOLI DEO GLORIA.

JESU

JESU JUVA!

MICHAELIS ETTMULLERI PHYSIOLOGIA CUM ANNOT. PRACT. EJUSDEM AUTH. CIRCA HANC MEDICIN. PARTEM.

CAPUT I.

De Vitali Principio Corporis Animalis.

(Multa huc pertinentia poſſunt peti ex variis Auth. videantur

ALexander Mauro-cordatus.
Andreas Cnæfelius.
Andreas Laurentius.
Andreas Tentzelius.
Ariſtoteles.
Antonius Deuſingius.
Athanaſius Kircherus.
Aur. Philipp. Theophr. paracelſus.
Balthazar Timæus à Guldenkelée.
Bartholus.
Benedictus Sylvaticus.
Bernhard Suvalbe.
Carolus Drelincourtius.
Carolus Fracaſſatus.
Caſpard. Aſellius.
Caſpard Bartholinus.
Caſpard Barthol. Thom. filius.
Caſpardus Schottus.
Caſpard. Hoffmannus.
Claudius de la Courvée.
Corad. Victor Scheineiderus.
Cormœus.
Daniel Sennertus.
Dominicus Panarolus.
Fabritius Bartholetus.
Felix Glaterus.
Florentinus Schuyl.
Franciſc. Deleboë Sylvius.
Franciſc. Gliſſonius.
Franciſc. Maria Grymaldi.
Georg. Entius.
Georg. Fredericus Rallius.
Georg. Seger.
Gottofr. Mœbius.
Gualtherus Charleton.
Gualtherus Needham.
Guerner. Rolfinckius.
Guillelm. Fabric. Hyldenu.
Guillelm. Harvæus.
Hermennus Conryngius.
Henningus Arniſæus.
Henricus Regius.
Hieronimus Barbatus.
Jacob. de Back.
Janus Cornarius.
Jolivius.
Joan. Albertus Schenkius.
Joan. Albertus Sebiſius.
Joan. Alphonſ. Borellus.
Joan. Antonid. Vanderlindin.
Joan. Baptiſta Varhelmont.
Joan. Beguinus.
Joan. Chicotius.
Joan. Conrad. Stetterus.
Joan. Daniel Holſtius.
Joan. Daniel major.
Joan. Donatus Sanctorius.
Joan. Erneſtus Burggravius.
Joan. Gorræus.
Joan. Hartmannus.
Joan. Henricus Paulus.
Joan. Marc. Marci à Cronland.
Joan. Pecquetus.
Joan. Rhodius.
Joan. Scultetus.
Joan. Sperlingius.
Joan. Svvammerdamius.
Joan. Talkius.
Joan. VValæus.
Joan. Vanhorne.
Joan. Zvvelferus.
Kenelin Dygbæus.
Lambertus Veltheyſius.
Laurentius Bellinus.
Ludovicus Bilſius.
Marcellus Molpighius.
Martinus Kergerus.
Martinus Schoonckius.
Martinus Vucinrichius.
Molen brack.
Nathanael Highmorus.
Nicolaus Hobokenus.
Nicolaus Steno.
Olaus Rudbeck.
Otto Tackenius.
Paulus Barbette.
Paulus Sarpa.
Paulus Zacchias.
Petrus Borellus.
Petrus Foreſtus.
Petrus Gaſſendus.
Regnerus de Graef.
Renatus Deſcartes.
Richardus Louverus.
Robert Boyle.
Siboldus Hemſter huys.
Simon Paullus.
Theodorus Aldes.
Thomas Bartholinus.
Thomas Cornelius Conſentinus.
Thomas VVarthonus.
Thomas VVillis.
Vopiſc. Fortunat. Plempius.
Zaſſius.

Theſis 1.

COrpus *naturale* in ſe quidem conſideratum *eſt* MACHINA quædam naturalis eleganter ad varias actiones fabricata, in hoc differens à machinis artificialibus, quod hæ externum habeant motorem, à quo partim exſtruantur, partim etiam moveantur. Cum illud à principio interno dependeat, à quo non fabricatur tantùm; ſed etiam fabricata ad varias actiones motus & operationes, pro organorum diverſitate determinatur. Quas *operationes & motus quamdiu perficit* VIVERE *dicitur*. Simul verò atque eædem *ceſſant*, MORTUUM *vocatur*; quod *ſi perversè & vitiosè* fiant ſive motoris interni, ſive organorum vitio, Corpora ÆGROTANT.

Theſis 2.

Principium hoc INTERNUM VITALE, quid & quale ſit, difficililma eſt diſquiſitio, vulgò ANIMA *nominatur*,

eaque pro viventium triplici genere, vel VEGETATIVA in *Plantis* vel SENSITIVA in *Brutis*, vel RATIONALIS in *Homine* vocatur. *Huic* animæ ceu ſubſtantiæ ſimplici varias adjungunt facultates operatrices, v. gr. NUTRITIVAM, πλαςικὴν *ſeu* FORMATIVAM, LOCOMOTIVAM &c. quarum ope operationes Spiritibus mediantibus perficiat.

Theſis 3.

Doctrina hæc hactenus in Scholis Medicis & Phyſicis recepta, adeò ingentes patitur *difficultates*, quoad eſſentiam, diviſibilitatem, habitudinem ad Corpus &c. hujus animæ, ut nemo adhuc iiſdem ſe extricare potuerit, imprimis cum per Scholaſticorum inania facultatum figmenta, ac nomina qualitatum nil ſignificantia, obſcuris & cæcis ratiociniis, non conſultis apertis naturæ experimentis inſiſtentium, multò magis implicata & quamplurimis non entibus repleta fuerit, ut *occultæ qualitates Philoſophorum & facultates animæ Medicorum pari paſſu* in cauſarum naturalium diſquiſitione ambulent, & tutiſſima *ignorantiæ aſyla* exiſtant.

Theſis 4.

Ob id acutus CARTESIUS, eumque ſequentes potiſſimùm MATHEMATICI omnem omninò formam ſubſtantialem, omnemque per conſequens *animam*, *ſola animâ rationali excepta rejecerunt*, & *per principia Mathematico-mechanica* in ſe ipſis *infallibilia*, materiæ applicata, id eſt, per particularum minutarum omnia corpora componentium diverſas *figuras*, *magnitudines*, *compoſitiones*, *ſitus*, *texturas & motus* &c. naturalium corporum & ſic etiam animalium viventium *operationes & affectiones dilucidare*, & à priori demonſtrare *aggreſſi ſunt*, quas antiqua Peripatetico-Galenica Schola per nuda nomina formarum ſubſtantialium, qualitatum primarum & occultarum, ac facultatum obſcurè & minus ſcientificè explicavit, & hæc Carteſianorum Philoſophia naturalis non eſt nova, ſed ex antiquiſſima *Democriti & Epicuri* Schola de Atomis hauſta, ſed accuratiùs & perſpicuiùs explicata.

Theſis 5.

Arripiunt hæc fundamenta ANGLI & ſtrenuè pergunt in tali ſcrutinio, experimentorum inſiſtentes certitudini, præcipuè DN. BOYLE *nobilis Anglus* inſignes admodum facit progreſſus, uti ex ejus ſcriptis in ſpecie DE CHYMISTA SCEPTICO & *Tr. de* ORIGINE FORMARUM & QUALITATUM, videre eſt, vocatque hunc explicandi naturæ phænomena modum, PHILOSOPHIAM CORPUSCULAREM. Cui ſanè in multis adjumento venit Chymia, quæ iſtas hypotheſes quotidie oculari & manuali experientia confirmat. Huc accedunt *fermentationes* & fermentorum mirabiles effectus, qui tam in Macrocoſmo quàm Microcoſmo ſunt conſpicui, qui omnes optimè per ejuſmodi philoſophandi modum explicantur, cum fermentatio in talium particularum diverſo ac vario motu, à ſalium diverſitate dependente, conſiſtat, quæ ſalium varietas & miranda in natura exinde producta phænomena, videantur *ap.* TACHENIUM *in* HIPPOCRATE CHYMICO *ejuſque* CLAVI, non enim niſi per ejuſmodi materialia principia commodè poſſunt dilucidari.

Theſis 6.

Hæ Hypotheſes materiales tamen vix videntur univerſales, quoniam in formatione Corporum Organicorum, qualia ſunt præcipuè animalia, & in operationibus animalium internis, quoad ſenſum & motum vix applicari poſſe videntur.

Theſis 7.

Sed ut ut animalia ſupponantur habere *formam ſubſtantialem ſeu animam*, (nam de *hominis anima rationali* res de fide Scripturæ Sacræ certa eſt) *quæ tamen ad* HOMINIS VITAM NIL FACIT, quoniam bruta ſine ratione felicius nobis vivunt, ab hac tamen vita non dependebit *radicaliter*, propterea quod illâ illæsâ v. gr. per morbos qui corporis tantum ſtructuram vitiant, & quæ ad eam pertinent, vita hominis pereat. Ergo aliud quid inerit, quod vel ſit quaſi *vinculum conjungens animam cum corpore*.

Theſis 8.

Hoc *Spiritus quibuſdam dicitur* CALIDUS ET IGNEUS, *depaſcens pro nutrimento humidum oleoſum ſeu primogenium*, vel ut alii volunt; *eſt ignis ſeu flammula vitalis*, *in corde* tanquam in primario foco micans & ardens, qui per arterias cum ſanguine undequaque diffuſus, cunctas corporis partes fovet atque vivificat, ſimul tamen etiam oleoſas particulas maſſæ ſanguineæ abſumit, uti etiam fluidiores & diſſipabiliores reliquarum partium ſolidarum ſimul deprædatur, diſſipat & diſpergit: Quamdiu ergo vegeta manet hæc flammula ſeu ignis animalis aut calidum nativum, tamdiu in vita florente ſubſiſtunt animalia; ſimul verò atque eadem extinguitur, moriuntur: Contingit autem iſta extinctio, quando vel ſuo debito alimento deſtituitur, vel aëris commodâ inſpiratione privatur: de his videantur ea, quæ diſſerit CHARLETON *in Oeconomiâ animali Exercit.* 1. §. 3. 4. 5. Item HOLSTIUS *in ſuo Tractat. de flammula cordis.* Item MOEBIUS *in fundam.* p. 39. Item CONRINGIUS *de igne animalium.*

Theſis 9.

Ex hoc fundamento parare nonnulli volunt *Biolychnium ſ. lampadem vitæ artificialem*, analogon huic Biolychnio naturali, ex ſanguine hominis viventis, cujus flammula tamdiu ardeat, quamdiu vivit homo, ſubitò verò atque hic moritur, illa etiam extinguatur, præterea quoque pro varietate coloris, ſplendoris, motus &c. certiſſimus ſit ſanitatis vel morbi index. Quod an verum ſit penes experientiam fides eſto. Vid. interea BURGGRAVIUS de *Lampade vitæ mihi* p. 84. Item BEGUINUS *Tyr. Chymic.* cap. 1. pag. mihi 445.

Theſis 10.

Cæterum inter animalia magna eſt admodum *varietas*, adeò ut in quadrupede, ave, & homine, talis quidem deprehendatur calor, qui *vitalis* vocari poteſt ex eo, quod mox in primordiis eorum in ovo vel utero inchoet, per vitam duret & in morte extinguatur. Sed quoad aquatilia, ut piſces ferè omnes, ſerpentes quoque & inſecta &c. vix locum invenire videtur tale dogma, in quibus nullus calor neque per tactum neque per *Thermometra* ſeu Inſtrumenta calorem & frigora dimetientia, inveniri poteſt: & quomodo ſub frigore aquarum etiam Borealium perdurare poſſit, ut ut non infeliciùs vivant piſces animalibus etiam calidiſſimis, & numeroſa fœtura pelagum ditent, (vid. quæ contra calorem nativum & *humidum radicale* diſputat HELMONT *in Tr. humidum radicale*) in *Viperis* viventibus quoque & ſanguis & cor actu deprehenſus fuit frigidus, uti etiam in *ranis*, in quibus tamen vitæ radix adeò eſt fixa, ut etiam rana integram horam poſt exſectum cor vivat, coaxet & ſaltitet, & vipera poſt detractam pellem, omniaque exempta viſcera ſuſpenſa per biduum vivat, & etiam ulterius detracta ſe moveat, vel caput abſciſſum per biduum inter quiſquilias abſconditum, morſum adhuc infert lethiferum, ut taceam inſecta, poſt diſſectionem etiam in aliquot fruſtula, pertinaciter viventia ut ut omni calore deſtituta, appareant.

Theſis 11.

Has difficultates ut effugiamus, dicendum vitam radicaliter conſiſtere in *ſpiritu inſito* ſeu *omnibus partibus in generatione & corporis inſtructione implantato* (quem multi cum calore vitali ſeu igne animali humidum depaſcente *confundunt*) eſt nempe *Autore* ARISTOTELE *libr. 2. de generatione animali*, cap. 3. in omni ſemine quod eadem fœcunda facit, videlicet quod calidum vocamus, idque non ignis neque talis aliqua facultas, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſóque corpore continetur. Hic ſpiritus à Parentibus ſub craſſioris ſeminis tegmine excretus fœcundat uterum, ſéque in ovo animali, *in puncto ſaliente* manifeſtat, genuinus noſtri corporis eſt Architectus, partes formando & formatis ſe intimè implantando, qui corpus poſtmodum per totum vitæ curſum gubernat, & in operationibus ſuis vivificat, *Archei* nomine ab HELMONTIO nuncupatus. *Tract. Archeus Faber.*

Theſis 12.

Inſitus hic Spiritus ſeu Archeus in operari dependet à ſpiritu *influo*, qui eſt *ſubtiliſſima & volatiliſſima ſanguinis pars*, reſoluta in corde ab ejus vitali fermento in auram ſalſam & illuminatam vitaliter: Eſt enim hic Spiritus influus *ſalinus* volatilis, & ob id rectè dicitur *balſamicus*, ſuique ſubjecti conſervativus. *Illuminatus etiam eſt lumine vitali*, ut rectè ſtatuit hinc inde HELMONT in ſuis ſcriptis imprimis in ſuo tractatu *Spiritus Vitæ*, & *Blas humanum*: quod confirmat etiam *Bartholinus* in eleganti *Tr. de luce animalium*: Item Batholus in Examine dogmatum in Medicina receptorum. Ita conſtitutus Spiritus influus fovet vegetat & ſuſtinet Spiritum inſitum, continuato per totum corpus lumine. Iſta continuitas enim iſtius luminis cauſa eſt, ut in momento *ſuſpenſis* pereat omnis facultas cerebri princeps, quod in momento *ſyncopizantes* pallidè & frigidè inſtar mortuorum jaceant &c. luminis defectus eſt ut in mortuis *oculi appareant cornei & tenebricoſi*, qui in viventibus exiſtunt fulgidi.

Theſis 13.

Quod ſi longo morbo vel *ultimo ſenio* intereat homo, ſublato influo inſimul perit omnis Spiritus inſitus, ſecus atque fit in iis, qui violenta enecantur morte, in quibus ſublatis maxima ex parte influentibus ſpiritibus, *materialiter quidem* reſtitat inſitus, ceu partibus optimè confermentatus, ſed omni formali vitæ activitate deſtitutus, à quo tamen omnia mortuum *mirabilia* dependent. Hinc enim eſt iſta differentia in corporibus vel *naturaliter* ultimo ſenio, vel longo morbo extinctis, ab iis, qui *violenter* interimuntur, ut v. gr. *manus* longâ tabe interempti cadaveris tollit excreſcentias corporis, ſarcomata & maculas ſignantes fœtus, non autem ejus, qui violenter interit, quod *uſnea* in cranio ſuſpenſi vel rota fracti creſcens, tam ſingulares habeat virtutes ſiſtendi ſanguinem & reſiſtendi Epilepſiæ, non autem alia. Quod corpus violenter interfectum ad præſentiam *occiſoris* (non tamen ſemper, ſed tantum certis in caſibus) ſanguinem ſtillet; quod naſus *inſititius* ad mortem alterius, ex cujus brachio deſumptus erat, nec obſtante locorum intercapedine ſubitò frigeat & putreſcat.

Theſis 14.

Hi ſpiritus, tam inſitus cum ſolidis partibus à *toto ſeparatus*, quàm influus per ſanguinem, lac, per effluvia vel alia excreta (quibus ineſt ſanè participatio totius, mutuúſque cum toto conſenſus *extra concretum naturale*) à *toto ſejunctus*, fundamentum etiam exiſtunt omnium *actionum ſympatheticarum*, quod v. gr. cutis capitis piloſi vulnere cæſim facto ablata & ciſtæ incluſa, nunc pilos affert caneſcentes, nunc decidentes, prout cæteri in capite læſo & ſanato adhuc perſtites ſe habent, autore BARTHOLINO *in Cent. 1. hiſt. 41.* quod naſus inſititius, ad mortem bajuli putreſcat: Ut ſanguis in linteo exceptus pulvere ex vitriolum ſympathetico aſperſus ſanet abſens vulnus: quod *lac* à matre in prundas emulctum, ſterileſcere faciat ubera, ut lac deficiat. Quod linteum ſanguine menſtruo nimis fluente irrigatum, in ignem conjectum, ſanguinem ſiſtat. Autore PANAROLLO *in faſcicul. arcan.* Ad hoc fundamentum pertinent omnes *per transplantationem*, factæ morborum curationes, ſive beneficio *urinæ* aut *ſanguinis* aliove modo contingat, ſive in aliud animal ſ. in plantam fiat transplantatio. Pertinent etiam huc *philtra* naturalia quando v. gr. per contactum manus, in quâ *planta certa* prius benè intepuerit, conciliatur alterius amor, de quibus actionibus ſympatheticis videatur *Marcus* MARCI *à Cronland* in Tractatu: *Philoſophia veterum reſtituta part. 5.* DYGBY in Orat. *de pulvere Sympathet.* HALMONT Tr. *de magnetica vulnerum curatione.* BORELLUS in *Appendice ad Cent. 3. obſervat.* De transplantatione verò Vid. BARTHOLIN in *Cent. 3. hiſt. anatum. 66.* & *in cent. 6. hiſt. 53.* item BURGGRAVIUS in Tr. de BIOLYCHNIO, uti & *Tenzelius* in ſuâ *Medicinâ diaſtaticâ*.

Theſis 15.

Spiritus iſte influus, in corde elaboratus ex ſanguine per fermentationem: in totum corpus continuò arteriarum tractu diffunditur, túmque ita ſingulas partes, quas in tranſitu alluit, fovet, naturale earum balſamum i. e. ſpiritum inſitum confortat & ita vitalitate perfundit, ab officio *vitalis* appellatur, ad cerebrum verò delatus ibique à ſocio ſanguine ſeparatus pro miniſterio principum operationum, ſenſuum nempe tàm exteriorum, quàm internorum, & motus ab iſto munere dicitur *animalis.* Non eſt proinde *diverſus re ipſâ* à vitali, hic enim in ſe ipſo eſt omnium iſtarum proprietatum capax ſine nativæ ſuæ eſſentiæ permutatione, utrobique ſcilicet *particularem organorum characterem ſuſcipiens*; & proprietatem induens: Sicut idem ſpiritus, qui in coitu ſpumeſcens reddit ſemen prolificum, uterumque fœcundat, & miræ corporis ſtructuræ author eſt artificioſus, à *munere genitalis* dicitur, ſunt enim hæ tres generales operationum vitalium corporis animalis claſſes, vitalis nempè, animalis, genitalis. Vid. MOEBIUS *in fundam.* cap. 6. pag. 59. & *ejus inſtitut.* cap. 5. libr. 1. pag. 25.

Theſis 16.

Hujus vitæ ſcenæ ordinarium & etiam neceſſarium *conſequens* in greſſilibus & avibus eſt *calor*, per totum corpus diffuſus, qui ex ſanguinis in *corde efferveſcentiâ* dependet, quâ uti ſpiritus generantur vitales, ita ſanguis inſigniter attenuatus & calefactus, cum ſpumoſo impetu in arterias ebullit, accenſumque calorem continuato fermentationis motu fomentat, per arterias in omnes partes diffundit, & ita corpus calefacit, eum in finem, ut *excitativè & diſpoſitivè* actiones corporis adjuvet & promoveat, impetum quendam tribuendo ſpiritibus & calorem magis volatilibus, unde actionum alacritas ac vigor, tum etiam diſponendo materiam nutritivam ad faciliorem impreſſionum à fermentis receptionem, indeque ortas digeſtiones.

Theſis 17.

Poſito jam principio quodam vitali interno, ſive ſit anima, ſive archeus, ſive aliud quid, à quo componatur machina corporis organica, & quæ poſtmodum ab eo moveatur atque in actionibus dirigatur;

quæſtio eſt ardua, quomodo & talis compoſitio & conſequens membrorum actuatio contingat, & *quæ regula ſit, quæ determinet agens*, & dirigat, ut hoc vel illo modo tam ordinatè, tam diſtinctè tam artificioſè agat? Nemo hactenus ſatisfacere potuit huic quæſito. Cognitionem naturalem, uti etiam prudentiam naturalem in brutis defendit ſufficienter SPERLINGIUS *in Inſit. Phyſ.* lib. 1. cap. 6. quæſt. 2. 3. ſed modum non determinat. Modernorum ergò probabilior eſt opinio, quæ hæc omnia per *Ideas* determinari aſſerit, quod ut pateat, *ex eorum ſententiâ* rem declarabo.

Theſis 18.

Gravida per imaginationem ſignat fœtum, v. gr. videns caput ſuillum per medium fiſſum, parit fœtum ex imaginatione capite ſimiliter per medium fiſſo; quia conceptus maternus, ſeu idea in mente matris tanquam exemplar nuda ſui repræſentatione direxit architectum corporis, ut eo modo formet fœtum, ſimiliter atque fit cum artifice, v. gr. figulo, fabricaturus ſtatuam ex argillâ, operatur ſecundùm conceptum ſuæ mentis, qui conceptus ſeu idea tanquam *exemplar* dirigit ejus potentias locomotivas, ut operentur ſecundùm iſtam ideam conceptam in mente, ut ſtatua ipſi fiat ſimilis: Simili modo neceſſe eſt, ut architecto noſtri corporis vitali inſit aliquid, à quo is, ex ſe indifferens, dirigatur, ut faciat hîc cor, illic cerebrum: ut faciat naſum ſimilem patri, oculos verò & os matri. Tale directivum *eſſe ideas confirmat* imaginatio materna, cum enim vitioſæ ideæ ab extra adveniens à matre, eandem dirigat in operando vitioſè, quidni idea quædam ipſi connata eam dirigat in animali formando legitimè.

Theſis 19.

Archeus ergo, ſeu quodcumque aliud vitale principium cum ſemine fœcundo in uterum à parentibus derivatum, habet in ſe *chaos ideale*, ex prædeceſſoris ideis defluens, in quo ideæ corporis fabricativæ latent involutæ & confuſæ, ſed per incubatum ſenſim ſenſimque evolvuntur, tum una alteram connexam trahit, evolutæque ſucceſſivè corporis architectum dirigunt in operando. Cum enim hæ ideæ ſint *Exemplaria* rerum Producendarum, habebunt ſe eodem modo ad agens naturale, quo ars ſeu conceptus mentis ad opus artificiatum, licet non verè ſit ſcientia, naturalis tamen dicitur, in qua objectum producibile repræſentatur. Cum verò per nativitatem à primo ortu inſit ut cum ſeminibus communicatæ, ob id *ſeminales* dicuntur, ad differentiam idearum *imaginativarum* per ſenſuum opera poſtmodum impreſſarum. Habet tamen ſeminales cum imaginativis non levem analogiam & convenientiam ex eo, quod ſe mutuo tranſplantent. Sicut imaginatio materna per ſuam ideam ſignat fœtum; Et ſicuti in memoriâ eſt *tale chaos ideale*, cujus evolutione nobis repræſentantur, res olim conceptæ in phantaſiâ, eo ordine, quo defixæ ſunt in memoriâ firmâ, dum ſpecies ſeu ideæ evolutæ alias ideas trahunt connexas, & evolutionem procurant propter cognationem, quam una habet ad alteram. Ita ſimile chaos ſeminale, dum evolvitur una idea alteram connexam ſucceſſivè protrahit, & corporis fabrum determinat in fabricandi modo, unde etiam ſucceſſivè una pars poſt aliam tantùm generatur.

Theſis 20.

Ut autem evolutio idearum tàm ſeminalium, quam memorativarum ex ſuo chao rectius intelligatur, concipiendus *eſt viſionis modus*, quâ ratione ſcilicet omnes ſpecies ab objecto viſivo emanantes in humore cryſtallino, in uno interſectionis puncto confundantur, & nihilominus tamen ordinatè adeò in tunicâ retinâ denuo evolutæ repræſententur, ut objectum viſivum perfectè depictum appareat.

Theſis 21.

Jam verò his ideis ſeminalibus ad membrorum fabricam determinantibus, aliæ ſimul *connexæ* ſunt: ad *eorum uſum organicum dirigendum* deſtinatæ. Quod ut pateat, pro exemplo, inſerviat *bombyx*, in ſuâ tranſmutatione qui 1. eſt eruca, hinc ſibi ſericium ſepulchrum conſtruit, in quo ſe transformat in papilionem hinc ut variè conformatum eſt corpus, etiam variæ hinc ſunt actiones, nec ante eruca exercere volatum conatur, quam enatis pennis mutetur in papilionem. Sic fuit ante paucos annos Amſtelodami puella reliquo corpore ſatis elegans, capite verò ſuillo & ſatis horrido. Inceſſu & converſatione mulierem rationalem, & bene moratam, in cibo verò ſumendo ſuem imitabatur, roſtrum fœdè immergendo, hæc quia capitis ſuilli exemplar fuit ejuſdem fabricæ determinativum, eadem quoque ratione annexarum ſpecierum pro uſu partis ad actionem porcinam in capite inclinabat.

Theſis 22.

Ita quidem conſtitutum principium corporis vitale operatur naturali modo: Aſt non verò à peregrinis ideis, ab extra advenientibus ſeque ideis ſeminalibus permiſcentibus, inſignis actionum perverſitas contingit, ſic v. gr. *qui à Tarantulâ* morſi ſunt, omnes Tarantularum actiones in ſaltu, telarum textura &c. imitantur, uti etiam *rabidi à morſu rabioſi canis* ſe in canes transmutatos putant, omnes incitando eorum actiones, idque propter ideas cum morſu communicatas, quod, invitus licet, fatetur KIRCHERUS *in mundo ſubterraneo*. Tom. 2. libr. 9. ſect. 4. pag. 133. quæ rabies tamen facilè curatur, immerſione repentinâ ægrorum in aquam frigidam, nam per terrorem & pavorem mortis ſupervenientes novæ ideæ firmiter impreſſæ, delent priores rabidas ideas, unde ſanitas; Simili ratione etiam furoris & amentiæ ideæ in maniacis curantur immerſione in aquas, ob terrorem & pavorem mortis. Ex hâc idearum tranſplantatione *ſanguis* animalium v. gr. *felinus*, *hauſtus* hominem transformat in mores felinos, ut in angulis latitet & mures inſectetur, teſte *VVeinrichio in Tractatu de monſtris*. Nec ab extra tantum, ſed ab intra quoque in *imaginatione* fortiter ſigillatæ ideæ ſeu ſpecies non parvam in alterando corpore obtinent potentiam, ut quando v. gr. ex imaginatione rei horridæ ſequitur vomitus, aut ex viſione pilularum ab altero deglutitarum ſequitur purgatio. Imo paſſionum ſeu animi affectuum ſpecies vel ideæ v. g. iræ, furoris, metus &c. præter hoc, quod in penu memoriæ ſignentur, etiam in parte corporis, quam ſpecies connexa ſignat, inſculpuntur. Hînc propter talem furoris ideam *morſus hominis* valde irati eſt venenatus, raſurâ cornu tauri in coitu abraſa inſigniter ſtimulat venerem, felis verberibus in furorem actæ eſus, comedentes reddit rabidos, ut felium inſtar, unguibus & digitis in ſe involent, & ſe mutuo lacerent. Huc pertinent omnes morbi à veteribus *occultarum qualitatum* vocati, quos Moderni ab ideis morboſis oriri volunt, unde non rarò per contrarias his ideis curentur. Sed ex Modernorum mente hæc innuiſſe ſufficiat, plura qui cupit, videat *Marc.* MARCI in Tract. *de ideis operatricibus*, item *in Philoſophiâ Veterum reſtituta*. Vid. etiam HELMONT. hinc inde præſertim in Tractatu, *poteſtas medicaminum*. §. 29. item Tract. *natura contrarorium neſcia*. §. 49.

CAPUT II.

De Nutritione & Auctione.

Theſis 1.

Continuis actionibus valdè *diſſipantur Spiritus influi* per poros aliave loca frequenter exhalantes: præterea ſemper de *maſsâ ſanguineâ* copioſè inſenſibiliter exſpirant partes, quæ tanquam effœtæ poſt crebras circulationes & in corde ſuſpectas fermentationes reſolutæ per cutim rejiciuntur, & denique una cum his ex *partibus ſolidis* in primis carnoſis, humor roſcidus & mucilaginoſus, ceu proprium earum nutrimentum ex maſſa ſanguineâ elaboratum, ſenſim ſenſimque diſſipatur. Ita ut teſte SANCTORIO in *Medicinâ Staticâ* §. 1. aphoriſm. 60. *pluribus* unicâ die per inſenſibilem exſpirationem tantum evacuetur, quantum per alvum quindecim dierum curſu.

Theſis 2.

Inſignes ergo defectus ut reſarciantur, ſimul quoque corpus materiæ oppoſitione ad legitimam perveniat magnitudinem, alimentorum aſſumendorum imminet neceſſitas, quibus *reſtaurantur partes aſſumptæ in quo conſiſtit nutritio*, & *augmententur membra pro aptitudine ad functiones, in quo conſiſtit augmentatio.* Quorum illa *per totum vitæ* curſum durat, hæc verò tantùm per *ætatem creſcentem.*

Theſis 3.

Ratio autem deficientis tandem augmentationis eſt, quod retinentibus oſſium *duritie*, ligamentorum *robore*, fibrarum *tenacitate*, & pororum *anguſtia*, extenſioni dilatationive ulteriori & ita alimenti uberioris *receptioni retentionique* ineptis (quod eò citius contingit, quò minus ſucculentum eſt corpus) ceſſat tandem augmentatio ordinario naturæ curſu; Præternaturaliter verò contingit nonnunquam, ut vel *diſtentis* membranis, aut *laceratis* fibris, aut *dilatatis* poris &c. copioſius recipiatur alimentum, retineatur & tandem aſſimiletur in præternaturales excreſcentias, quales ſunt v. gr. calli oſſium ex fracturis, nodi tendinum cicatrices vulnerum, ſarcomata herniæ carnoſæ: item lienes magni, quale exemplum recenſetur in *Cent.* 4. *Epiſt.* 13. BARTHOL. hepar magnum, quale Exemplum habet HELMONT. *Tract. ignotus Hydrops* §. 48. quæ augmenta præternaturalia etiam incerta & varia figura pro cauſarum antecedentium fortuito inſultu, & partium diverſa læſione conſpiciuntur.

Theſis 4.

Alimenta aſſumpta feruntur in ſanguinem, pro reſarcientis ejuſdem damnis, cujus partim maſſa volatiliſatur in ſpiritus vitales, partim verò partibus ſolidis ſub forma humoris roſcidi & mucilaginoſi pro nutritione *opponitur*, & pro augmento per *coagulationis* modum perfectè ipſis *aſſimilatur*: non poteſt enim non agglutinatus & aſſimulatus humor augmentare partis molem ſecundùm omnes *dimenſiones*, ita *ut auctio & nutritio non niſi majoris & minoris ratione differant*, & nutritio ſit inchoata auctio, & auctio perfecta nutritio ut rectè defendit BARTHOLETUS *in Encyclopædia Phyſica de facultate augment.* fit enim aſſimilatio & fortis nutrimenti agglutinatio tantùm ſub accretione adoleſcentiæ, non autem deinceps amplius; quorſum namque oſſi aſſimilaretur in robore, duritie, ſiccitate, ſi oſſa amplius incrementum non capiunt. Idem de cæteris partibus eſto judicium. Alimentum ergo modo roris, mucilaginoſi aſpergitur in ſingula membra, ut partium aſſumptarum defectum reſarciat, membra ſimiliter humectet, & ita motui aliiſque functionibus aptiora reddat. Atque eatenus à *à ſiccitate ſenii* quantum poteſt tueatur. Tandem hic humor nutritius inſenſibiliter per cutis poros tranſvolat, niſi per accretionis coagulum ſiſtatur. Nam ex quibus conſtamus, ex iis nutrimur, nec poſt ſe quicquam ſolidi ſedimenti relinquit. Hinc non tantùm nutritivæ inſtaurationis continua oritur neceſſitas, ſed etiam tandem rugæ ſeniles ex evacuatis ſubcutaneis Maciolis, indeque fibrarum cutanearum contractione, dum non ſufficiens amplius nutritiva fit irroratio, ſuperveniant.

Theſis 5.

Cæterum *quomodo humor nutritius ex ſanguine fiat*, *duæ* primariæ ſunt *ſententiæ*; (nam tertia quorundam hypotheſis de *facultate concoctrice* obſcurum per æque obſcurum declarat) quarum 1. per *ſecretionem Mechanicam* ex principiis Carteſianis, negotium explicat, quod ſcilicet porulis & meatibus partium, dum maſſa ſanguinea permeat, certè hujus particulæ, cum illis quoad figuras & magnitudinem, aliaſque proprietates ſimiles convenientes, in locum aliarum aſſumptarum ſe inſinuent & affigant, infixæque manentes ſe uniant, & ita ſecundum fibrarum, pororum ac meatuum ductum partes nutriant, ſimulque augeant, reliquis particulis ejuſdem maſſæ præterfluentibus, ut ita unaquæque pars non niſi ſui ſimillimis & proportionatis alatur. Altera opinio *fermentorum* adhæret doctrinæ, & *quot partes tot* particularia quoque ſtatuit *fermenta*, à quibus ſanguineæ partes in ſingulis partibus ita alterentur, ut in naturam partibus homogeneam ſenſim abeant, & per coagulationis modum pro augmento iiſdem uniantur. Quæ fermenta particularia eſſe de natura ſubacida volatili multi perſuadere videntur. Utraque ſententia eſt probabilis, ut prior clarior, poſterior difficilior ſit.

Theſis 6.

Naturale hoc eſt *nutritionis ſchema*, quo maſsâ ſanguineâ exiſtente temperatâ, & plenâ partibus mucilaginoſis & roſcidis, i. e. chyloſis, corpus turgidulum, craſſiuſculum, molle & ſucci plenum repræſentatur. Quod *præternaturale redditur*, vel *alimenti* nutrientis vel *partis* nutriendæ *vitio*, quando enim nutrimentum vel *deficit*, aut ob ſui aſperitatem tàm naturalem, quàm præternaturalem, ut v. g. in ſcorbuto, vel ob partis debilitatem, aut vitium, v. gr. in Hecticis, aſſimilari non poteſt, *Atrophia* in promptu eſt. Quando verò alimentoſæ partes maſſæ ſanguineæ, aut ſunt *depravatæ*, ut non poſſint legitimè partes nutrire, habitus exterioris mala v. gr. *Cachexia*, *Icteri*, *Leucophlegmatia* &c. proveniunt, aut ex partis vitio *præternaturali fermento* inquinato, eoque ſæpius per contagium extrinſecus hauſto vitioſè alterantur, ut præter talia vitia, etiam non perfectè poſſit exſpirare, tunc vitia cutanea v. gr. *ſcabies*, *pruritus*, *variolæ*, *petechiæ* in facie, *gutta roſacea vari* &c. originem ducunt, in quibus alimentum nutriendum à vitioſo acido ſubcutaneo depravatur, ut in pruriginoſas puſtulas & varias maculas abeat, unde & medicamenta Coſmetica, cutaneis morbis dicata, talia eſſe ſolent, quæ acidum iſtud aut abſorbendo, aut præcipitando corrigere valent, v. gr. ſperma ranarum, aqua pomorum putridorum, ſal & oleum tartari, ſulfur, Benzoes. Ceruſſa & ſaccharum Saturni &c.

Theſis. 7.

Partes ita nutritivas unà cum ſanguine præter ſpiritus volatiles continuo expirare per poros, ſupra dictum fuit, ita ut Maſſ. Sang. ſit in continuo *reſtaurationis & perditionis motu.* Cum enim quilibet noſtrum ſex

vel 8. ℥ ſanguinis præter propter ſibi quotidie fabricet neceſſe eſt, ut ſaltem in ætate *conſiſtente* tantundem ferè in dies, tàm immediatè, quàm mediante nutritione conſumatur, idque ex toto abſque remanentia fecis, aut reſiduitate reliquiarum. Hoc verò non eſſe ſolius caloris opus ex eo patet, quod actio caloris, præſertim ſi viva flamma non fuerit accenſa univerſim omnia humida miſta exſiccet in tophum & carbonem: Nunquam ſcilicet abſque reſidui remanentia. Unde & ſanguis à vino detractus tàm leni calore, quàm forti igne reſolutus in vaſe, parte aquoſiore & volatiliore exhalatâ, craſſamentum vel etiam cineres relinquit ſatis copioſos, unde periculum eſſet ne ſimiliter calor corporis abſumens relinquat copioſas reliquias. Ut taceam ſanguinem ipſum minus eſſe aptum ex ſe, ut flammulam igneam nutriat. Præterea ignis noſtri corporis ſeu flammula vitalis, non eſt adeò libera, ſed verè clauſa, aut ſaltem quæ minus gaudet de aëre libero, jam verò hoc notum eſt, quòd ignis non valeat in totum comburere, ſi res comburenda ſit in loco clauſo; v. gr. carbones in vaſe clauſo etiam fortiſſimo igni expoſiti nunquam in cinerem abibunt, ſed igniti quidem candebunt, poſt modum verò ſe integros ab igne remoti in forma antiqua ſiſtent aſpectui. Præterea oleum commune, quod vaſe aperto à flammula ab ſumitur elychnii totum, ſi in vaſe clauſo vel Retorta igni exponatur craſſeſcit potiùs, & inſtar Colophoniæ & Terebinthinæ evadit. Videantur etiam hìc ea, quæ de generatione alkalium fixorum per concremationem ignis ex volatilibus cum ſulfure diſſerit HELMONT in Tract. *Blas humanum*.

Theſis 8.

Diſponitur autem *maſſa ſanguinea ad* omnimodam *ſui diaphæreſim*, tàm *mediatam*, poſtquam humectationis nutritivæ obiit munus, quàm *immediatam* per repetitas in corde *fermentationes*, dum à fermento cordis vitali accedente ſimul Aëris in *pulmones* inſpirati adjumento, ita attenuatur, reſolvitur, & volatiliſatur cruor, ut vel ſponte vel leni & blando accedente calore totus ſucceſſivè exhalet. Videat. HELMONT. tract. citato qui non immeritò pro confirmatione urget §. 36. quòd navigans in mari ſanus duplo plus edat, minúſque excrementi laxet, ſeipſo in terra exiſtente itaque ſi fortiùs edimus, minúſque dejicimus, ſequitur neceſſariò plus inſenſibiliter difflari à corpore quia fluctuatio Aërem nobis continuò renovat, à quo fermentationi ſanguinis calcar additur, quo diſponatur idem ad totalem ſui perſpirationem.

Theſis 9.

Attenuatur quidem corpus, etiam craſſiſſimum ſub febrium ardentium ardore, omniſque *pinguedo* evaneſcit, *quæ à calore liqueſcit* tantùm, non verò inſtar ſeri à flammula lychni depaſcitur: ſed liquefacta & in humorem reſoluta à vaſis cum ſanguine reſorbetur, & nunc *ſub forma* urinæ oleaginoſæ, vel olei in ſummitate perfuſæ, aut diarrhææ *colliquativæ*, aut ſudoris *copioſi*, aut *alio modo ſubtiliſata* cum ſanguine *foras* ſenſim *amandatur*, non eſt enim propriè è partium ſolidarum numero, quin potius per accidens ex abundantia ſucci nutritii, poſt auctionis annos membranis adhærere, & ſenſim affixa coagulari, pro earum vel humectatione vel partium blando ſubjacentium fotui videatur: unde nec propriam circumſcriptam à ſe continet figuram, & nunc augetur, nunc diminuitur. Vid. SEBIZIUM libr. *de aliment. facult.* lib. 5. quæſt. 15. p. 1219.

Theſis 10.

Cæterum pro varietate *ſexus*, *ætatis* & *vitæ generis*, *varia eſt quantitas* iſtius *abſumptionis nutrimenti:* nam v. gr. viri plus mulieribus, adoleſcentes infantibus, laborioſi deſidioſis perſpirant de nutrimento, unde non rarò qui ſub laboribus erant macilenti ubi ab his ceſſant, fiunt ſucculenti & pingues. *Fundamentum* hujus *diverſitatis in fermentatione aucta* vel *diminuta conſiſtit*, in illa enim ſanguis eſt acrior vel aſperior minus aptus pro nutritione volatilior, ſubtilior & calidior inde aptior tranſpirationi, cujus contrarium in hac evenit. Hinc urſi, hiſtrices, mures montani ſimiliaque animalia per totam hiemem dormientes ſuperſunt ſine alimento, & tamen pingueſcunt, cujus ratio eſt, quoniam eorum ſanguis ex voracitate prægreſſæ æſtatis abundat chylo paulò rudiore, nondum ipſi aſſimilato unde dum ſomni tempore hic chylus ſenſim ſenſimque mutatur in ſanguinem, parum de eo ob defectum volatilitas debitè exſpirat, ſed potiùs ceu roſcidus & ſpermaticus liquor copioſus in partibus ſolidis congeritur accedente imprimis quiete continuâ, qua ſanguis tardiùs movetur, temperatiùs fermentatur, calor blandior exiſtit, ex quibus etiam *ratio* petenda, *ſtupendæ* quorundam mulierum *inediæ*, quæ ipſæ, ferè ob ſimiles rationes parùm tranſpirando, ad aliquot annos, ſine ullo victu perſiſtere potuerunt, id quod patet imprimis in puella Confolentanea per longum tempus ab omni alimento abſtinente, in qua nec veſica nec alvi excrementa prodierunt, quin nec aures nec nares ſuas ſordes excreverunt, ſed tota corporis ſuperficies tangentibus frigida ſicca apparuit, de qua vid. HORSTIUS *libr.* 11. *hiſt.* 1. ubi plura Exempla. SENNERTUS in *libr.* 3. *prax. part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 2. SCHOTTUS *in Phyſica curioſa pag.* 463. SCHENCK. *lib.* 3. *obſerv. p.* 565. *& ſequ.* BORELL. *Cent.* 3. *obſervat.* 35. PANAROLLUS *Pentecoſt.* 5. *obſ.* 20. RHODIUS *Cent.* 2. *obſ.* 54.

Theſis 11.

Nutritioni & auctioni ceu *principibus* multi quatuor *miniſtras facultates* adhuc adjungunt, *attractricem*, *retentricem*, *concoctricem* & *expultricem*, ſed cùm ipſi Autores non poſſint explicare, quid per has facultates intelligant, aut quomodo operentur, non neceſſe puto, entia præter neceſſitatem multiplicare. Videmus nempe nullam eſſe in partibus attractionem, ſed motum omnem fieri per pulſionem, cui ſufficiunt fibræ partium circulares, quæ inflatæ à Spiritibus contrahuntur, & ſic rem contentam, anguſtando ſpatium continens ulteriùs protrudunt, quod ipſum etiam de quacumque expulſione certum eſt; Retentrici ſatisfacit *tonus partium* h. e. legitima ſecundùm fibras earum nervoſas, cæteris particulis viſcus componentibus intertextas, ſtructura. *Fibræ* namque *nerveæ* debitè extenſæ cavitatem efformando ſufficientem, rem *continent*, contractæ verò cavitatem arctando *expellunt*, laxatæ verò cavitatem minùs augendo plus quàm par eſt *recipiunt*, diutiúſque *retinent*. Concoctrici tandem ſufficiunt *fermenta* & *fermentationes* in omni coctione & digeſtione imprimis Chyli & ſanguinis obviæ, quæ alimenta alterant, & pro miranda ſua vi omninò immutant, pro variâ ſui conſtitutione nunc naturali modo alimenta perficiendo, nunc verò præternaturaliter eadem vitiando. vid. CHARLETON *in Oeconomia animali* Exerc. 7. §. 7.

Theſis 12.

Sunt alii adhuc qui pro certorum humorum è MASS. SANG. *ſeparatione* v. gr. ſalivæ urinæ &c. adhuc aliam in partibus facultatem *ſecretricem* ſomniant. Sed *ſtructura partium ſecernentium mechanica* huic negotio pulchrè ſatisfacit. Sunt námque ratione texturæ *ſuorum pororum meatuumque in magnitudine*, *figura*, &c. ita conformatæ ut *inſtar cribrorum* vel filtrorum aut inſtar ſpongiarum, id quod ex præterfluente liquore ipſis porulis congruum eſt, ambibant, & per certa vaſa aliò tranſmittant, id verò, quod non congruum eſt præterlabi ſinant. Quod ſi præternaturaliter ex vitiatis digeſtionibus maſſa ſanguinea excrementis

crementis heterogeneis inficiatur, hæc ipſa beneficio fermentationis à reliquis particulis inſtar fecum ſeparantur, & humiditati ſeroſæ involuta nunc per urinas, nunc per ſudores excluduntur, quod in febribus unicuique obvium. Sed de his facultatibus vide CHARLETON in *ſua Oeconomia animal.* exerc. 7. §. 7. & ſequ.

Theſis 13.

Cùm fermentatio & *fermenta* ſint *media transmutationum & digeſtionum* in corpore animali, appendicis loco, in quo conſiſtat fermentatio, conſiderandum. *Fermentatio* eſt *motus inteſtinus particularum minutarum Corpus miſtum conſtituentium, ortus à mutua ſalium acidi & alkali* in unoquoque miſto exiſtentium, ſed reſolutorum, *in ſe invicem actione*, qua omnes reliquæ miſtum componentes, particulæ variè inter ſe agitantur & permiſcentur. Uſque dum ipſa ſequatur aut ultima miſti reſolutio aut ejuſdem nova alteratio, à ſalium nova unione, aut ſaltem contemperatione dependens.

Theſis 14.

Subjectum fermentationis eſt *corpus miſtum*, h. e. cujus minutæ *particulæ* ex quibus proximè conſtat & in quas proximè eſt diviſibile, *ſunt diverſæ naturæ.* Quæ naturarum diverſitas ex ſolius figuræ, magnitudinis, poſitionis quoad levitatem & gravitatem, compoſitionis, motus & texturæ aliarúmque hujuſmodi circunſtantiarum ratione dependet.

Theſis 15.

Cauſa fermentationis *proxima* ſeu id, quod motum iſtum in particulis componentibus incipit, ſunt *ſalia* iſta *duo, acidum* & *alcali*, & hoc tàm volatile quàm *fixum*. Hæc duo generalia ſalia omni inexiſtitunt corpori naturali, & unum ſine altero in rerum natura reperibile non eſt, variata nihilominus admodum proportione.

Theſis 16.

Sub Alkali autem & ſub acidi nomine innumerabilis ſalium diverſitas comprehenditur, cùm tàm urinoſa, quàm acida innumerabiliter differant unde etiam variis modis inter ſe mutuò combinari poſſunt, indéque variæ ſaporum conſiſtentiæ operationúmque differentiæ deducendæ ſunt. Indéque etiam ſalſum ex eorum concurſu obortum, multis modis variat, de quibus videatur TACHENIUS in *Hippocrat. Chym.* ut & in *hujus clave.*

Theſis 17.

Quod *ſi hæc ſalia* non debito juncta ſunt modo ſed *disjunguntur* vel *non debitam* ad ſe invicem obtinent *proportionem*, vel *non legitimè* ab aliis admiſtis *temperantur*, immediatè tunc *in ſe agunt*, acidum rodit alkali, alkali propellit acidum, unum agit contra alterum, agúntque & patiuntur mutuò. Hinc miſtionis ſolvitur vinculum ab his ſalibus potiſſimùm dependens, & reliquæ componentes particulæ ſui juris factæ, uti non ſemper in omnibus concordant, ita à ſalibus & eorum motu variè agitatæ, motæ & commotæ, confuſæ & perturbatæ, debitóque, quem antea obtinebant, ſitu translocatæ, hanc inteſtinam motionem à ſalibus inchoatam maſculè promovent, augéntque & ita fermentationis motum efficiunt.

Theſis 18.

Efferveſcentia & *fermentatio* multis confunduntur, à multis etiam nimis rigidè tanquam longè diverſa diſtinguuntur. Revera ſunt *una eadémque res*, *diverſus ſaltem* eſt *ſtatus ſalium*, quæ nunc ſunt pura (h. e. ſine alterius additione) aquæ tantum beneficio conjuncta & confuſa: nunc verò impura (h. e. ſociata aliis particulis corpora miſta componentibus) ſi priùs, habeo efferveſcentiam, ſi poſterius, habeo fermentationem; in primo ſunt libera unde cum impetu validè dimicant, in ſecundo ſunt impedita, unde remiſſiùs agunt, hinc in primo citiùs, in ſecundo tardiùs abſolvunt ſuum opus, in primo unita firmiter requieſcunt in ſecundo verò variè ſe habent, tum cùm aliis particulis ſe unientes, vel laxè tantummodo ſe invicem contingunt, vel cùm aliis firmiùs concreſcunt, prout alia atque alia ſalium tum inter ſe, tum cum admiſtis eſt proportio: hinc quò magis miſta ſunt corpora, h. e. quò magis ſalia ſunt contemperata & ita impedita, eò magis fermentant: quò verò minus ſunt miſta, & ita ſalia ſunt liberiora & puriora eò magis efferveſcunt.

Theſis 19.

Effectus fermentationis eſt vel *eſſentialis*, vel *accidentalis*. Eſſentialis eſt vel frequentior, & intermedius, vel rarior & ultimus, ille eſt miſti inſignis alteratio, hic eſt miſti ultima in ſuas particulas componentes omnimoda reſolutio.

Theſis 20.

Alteratio quæ verè ordinarius eſt *fermentationis effectus* contingit tùm ob novam ſalium, tàm inter ſe, quàm cum aliis particulis mixtum componentibus, unionem aut contemperationem, tùm ob partium non miſcibilium excluſionem, quæ partes non ſunt miſcibiles, aut ratione ponderis, unde leviores avolant, graviores ad fundum præcipitantur, aut quod frequentius, ratione figuræ. Eſt ergo rerum quarumdam *ſeparatio accidens quoddam, neceſſario conſequens fermentationem*, non verò eſſentialis ejus effectus. Ubique enim ſalia ob id agunt in ſe invicem, ut ſe uniant, quod nunc faciunt immediatè ſi ſunt ſola, ut in efferveſcentiâ, nunc mediatè, ut in fermentatione, ſi ſunt aliis nempè ſociata. Ex qua nova unione ingens miſti ſequitur alteratio, in colore, ſapore, conſiſtentia & aliis proprietatibus, ita ut nulla ferè in rerum natura peragatur alteratio, neque generatio aut corruptio, ubi non intercedat fermentatio v. gr. ex muſto per fermentationem alterato fit Vinum & Tartarus, ex Vino alterato fit acetum, fructus matureſcunt per fermentationem & ſemina per eandem germinant.

Theſis 21.

Ultima miſti reſolut[illegible] rarior & *ultimus* denique *fermentationis effectus eſt*, ad quam verè non niſi per iteratas fermentationes eſt acceſſus. Quoties namque contingit fermentatio, toties fit nova ſalium unio, partium volatilium avolatio, gravium vel alio modo immiſcibilium ad fundum excluſio: unde ſenſim ſenſimque ſalia arctius ſe uniunt, aliis particulis relictis donec tandem vel uno ſale dominante altero oppreſſo, vel ambobus inter ſe arctè tantum unitis, aliarum partium conſortium relinquatur unde vinculum miſtionis, à ſalibus oriundum tandem reſolvitur, & miſtum in componentes ſe immediatè particulas, tandem dirimitur, id quod *putredo* appellatur. Plura qui cupit de ferment. vid. *Kergerum*, *VVilliſium*, *Schookium* de fermentatione agentes, quorum hypotheſes erroneæ facilè corrigi poſſunt.

Theſis 22.

Fermentationes non rarò autem *inchoantur* aut *augmentantur per Fermenta*, quæ hanc vim obtinent, quatenus unum alterumve ſalium in iis excellat, dumque per fermentationem & fermenta inſignes admodum alterationes in rerum natura produci diximus, non mirandum quod *fermenta* licèt *mole minima*, in alterandis tamen rebus, & immutandis earum naturis,

turis, *potentiæ* ſint adeò *eximiæ*, ut ſæpè vel occultum quoddam miaſma in aëre volitans, integram vini cellam perturbare valeat, & parvæ ſalivæ guttulæ ingentem farinæ ac cereviſiæ novellæ copiam fermentare. Hinc namque miaſmatum venenatorum & contagiorum poteſtas, dum fermentando in corpore humano operantur, clarior manifeſtiorque reddenda venit.

CAPUT III.

De Appetitu animali ſ. Fame & Siti.

Theſis 1.

Aſſumimus alimenta ut nutriamur & creſcamus ſtimulati ad hoc per Appetitum, qui eſt deſiderium Cibi & Potus animalibus proprius, & *appetitus* quidem *cibi*, *fames*, *appetitus* verò *potus ſitis* communiter dicitur.

Theſis 2.

Fames non oritur ex *ſuctione venarum* in ſtomacho, de quo vide *Mœbium in fundam. Med. pag.* 101. nec *à calore ventriculi*, cum v. gr. in febribus appetitus extremè ſit proſtratus, ſed *ab humore* quodam *ſalino acidi ſ. acido volatili*, in fundo ventriculi & tunica ejus cruſtoſa hærente. Nam omnia quæ hujuſmodi humorem *conſervant* & famem conſervant, quæ *augent* famem augent, quæ *deſtruunt* famem etiam imminuunt.

Theſis 3.

Hic ſuccus acido volatilis in ventriculo vacuo contracto à calore magis volatiliſatus vaporibus ſalſis acidulis & ſtipticis latera *ventriculi*, ſpecialiter verò *orificium* ejus *ſiniſtrum*, ceu *proximum famis ſubjectum* rodunt, pungunt & vellicant, unde oritur quædam moleſtiæ vel læſionis ſenſatio, qua ex innato inſtinctu (ex Ideis ſeminalibus evolutis) excitatur appetitus animalis ad deſiderium alimentorum.

Theſis 4.

Pro *varietate hujus ſucci*, ejúſquè alia atque alia *diſpoſitione variat* etiam noſter *appetitus*, dum unus hunc appetit cibum, alius alium, ex hujus ſucci diverſitate in diverſis animalium ſpeciebus, diverſus animalium fit appetitus, dum quædam ſolùm vegetabilibus, quædam tantùm carnibus veſcuntur, dum felis eſitat mures, canis oſſa. Ex hoc ſucco eſt quod quidam aliquos cibos omninò abhorreant, iiſque per inſidias ingeſtis in lipothymias incidant, alsquos verò plus quàm naturaliter appetunt. Sed quomodo hæc fiant, determinare arduum eſt. Sicut qui à certo ſtomachi temperamento, ſunt qui à certo conſtitutionis ſeu miſtionis modo iſtius ſucci eſurini, ſunt qui à certis Ideis ſpiritui ſtomachi inſito impreſſis deducunt. Sed tamen rem ubique difficultatis plenam relinquunt. Hoc certum eſt, primo reſpiciendum eſſe ad naturam ſucci, quæ cum ſit varia tàm in ſingulis animalium ſpeciebus, quàm in ſingulis ſpecierum Individuis, variè appetitum determinat, adeo, ut appetantur tantummodo ea, quæ ſunt ſimilia iſti ſucco, h. e. in quæ tanquàm convenientia objecta ſuæ activitatis ſolvendo poteſt operare. Sic enim v. gr. cretæ vel calcis vel cinerum eſus & appetitus, aliàs per ſe non eſt naturalis, unde etiam aſſumpta talia ſolent nocere. In Virginibus tamen vel Gravidis Pica laborantibus ex vitiato iſto ventriculi ſucco avidè appetuntur, & ſine incommodo digerunt.

Theſis 5.

Cæterum quoad certorum ciborum vel appetentiam vel averſionem ſingularem, & *Idearum ſpiritui inſito ſtomachi*, in ſpecie in ejus orificio ſiniſtro à veteribus ob ſui dignitatem *Kardiâ* appellato, *impreſſarum*, tàm ab imaginatione materna, quàm ab incommodo ex certo quodam aſſumpto oborto, magna hîc quoque *habenda eſt ratio*. Hinc enim natus eſt Puer per totam vitam abhorrens à pane, ob matris tædium ex denegato ipſi pane nimis deſiderato obortum teſte *Schotto* in *Phyſic. curioſ.* lib. 3. cap. 27. pag. 533. non minus quàm infans per totam vitam à Fele abhorret, ob terrorem matri gravidæ ex ſubito felis in eam inſultu obortum, unde & hæreditario jure in integras Familias talis antipathia non rarò propagatur. Caſeum non pauci averſantur, quod matres vel nutrices denuò gravidæ factæ mammas præbeant Infanti, unde lactis à graviditate iterata in horum ſtomachis caſeatio, hinc noxa, & ita ab hujus Idea impreſſa per vitam averſatio caſei. *Autoribus Schookio* Tract. de *averſat. Caſei*, & *Dygbii* Tract. 1. de *natur. corpor.* pag. 38. ob id non rarum eſt, quòd aſſumentes purgantia cinamomi miſtura larvata ad longum tempus poſtmodum à cinamomo abhorreant. Ut nihil dicam de imaginatione beneficio Idearum ſeu conceptuum appetitum determinante, dum v. gr. mulier exenterans lucium inque ventriculo ejus ranam inveniens, ex tadio ranæ omnem poſt lucium nauſeat.

Theſis 6.

Sitis alia omnino eſt ratio. *Oritur* enim hîc *à vellicatione & morſicatione faucium membrana*, ſcilicet illas ſuccingentis: qui vellicationis ſenſus in illa membranâ ſuſceptus *excitat deſiderium aquoſorum*, quod dicitur ſitis; Cùm verò membrana fauces ſuccingens etiam gulam inveſtiat, & aſperam arteriam, non improbabile eſt, etiam in ſiti nimis aucta has partes gulam nempe & aſperam arteriam vellicari, & ſitim ita multum augeri. Vid. *Schvvalbe* in Tr. *Querela ventriculi.*

Theſis 7.

Cauſa hujus vellicationis *eſt acrimonia ſalſa* tam ex ſalſo propriè ſic dicto, quam ex ſalſo lixiviali oriunda. Quæ ſalia acria pungunt & rodunt faucium membranam, unde deſideratur potus pro earum ablutione, quâ facta ceſſat etiam ſitis.

Theſis 8.

Habet ergo ſitis cauſam *poſitivam* non minùs quàm fames, non ſolum defectum. *Saliva* licèt hîc multum *adjuvet* ad ſitim augendam, quatenus propter abſentiam ſui non debitè abluit fauces: & ſicut acidum vellicans ventriculum urget pro illius moleſtia medelâ ſiccâ & ſolidâ, in quæ agere queat, ita acria hæc & ſalſa vellicando fauces poſtulant humidum aquoſum, quod ea abſtergere & diluere queat.

Theſis 9.

Confirmant hoc omnia ea, quæ ſitim concitant, ut ſunt omnia ſalſa aſſumpta, item acria ſalina, volatilia & calida, & ſal commune, aromata, piper, zingiber, ſynapi, item ſaliva nimis ſalſa, ut in hydropicis, diabeticis, cachecticis, item febribus ardentibus: tum defectus partium ſpirituoſarum vel aquoſarum vel acidularum in ſaliva, quæ acrimoniam ſalinam antea attemperant: tandem halitus ex præcordiis per fermentationem excitantur, qui ſalibus volatilibus acribus inſigniter impregnati ſunt, unde caliditate ſua partem ſalinam aquoſam & ſpirituoſam diſpergunt; ſalia verò ſuâ acrimoniâ fauces pungunt & vellicant, unde in paroxyſmis febrilibus item poſt nimium motum ſitis adeò intenditur.

Theſis 10.

Theſis 10.

Ea, quæ ſitim ſedant, idem teſtantur, aquoſa & potulenta: Salia hæc acria imbibendo abſtergunt, ſicque ſitim levant, item abluitio oris & gargariſatio tantùm ſitim ſæpè tollit, poſt eſum acrium & ſalſorum imprimis ſi ſit concitata: item acida aſſumpta cum potulentis maximè ſitim tollunt, quia ſalia acida lixivialia præcipitant & corrigunt, id quod in febribus præcipuè locum habet; Spiritus vini in ſiti poſt labores optimus, quia parte ſua volatili oleoſa temperat & tollit acrimoniam ſalium ex defectu Spirituum in laboribus diſperſorum ortam. Sitim ſcorbuticorum acerrimam à ſalſo nimis & acri ſero lactis potus vel ejus ſeri tollit, quia acrimoniam illam diluit & temperat.

CAPUT IV.

De Ciborum maſticatione & deglutitione.

Theſis 1.

Compulſi famis ſtimulis aſſumimus alimenta, quæ in ore primam ſubeunt alterationem & ad meliorem digeſtionem, neceſſariam præparationem, idque maſticationis beneficio.

Theſis 2.

Maſticatio ergo *eſt Ciborum ſolidorum* vel *duriorum inter dentes* beneficio motus maxillæ inferioris, adjuvantibus tùm lingua, tùm labiis, *agitatio*, *qua iidem ſubtiliter comminuuntur*, *cum ſaliva permiſcentur*, *& ita ad digeſtionem ſubeundam præparantur.*

Theſis 3.

Finis eſt *præparatio* ciborum ad ſuſcipiendam faciliorem ſtomachi digeſtionem, hanc autem acquirunt partim cum comminuuntur, partim dum ſalivæ permiſcentur.

Theſis 4.

Ciborum cum ſaliva intima commiſtio ſummè etiam neceſſaria eſt, QUIA EOS ATTENUAT, & reſolvit, ſalia alimentorum varia liqueſcit, & vi ſua fermentativa ad fermentationem diſponit, ita ut ſaliva *præſtet alimentis digeſtionis inchoamentum*, *ſuccus* verò *ventriculi* tandem ejus *complementum.* Præter hos fines ſecundarii uſus ſunt 1. facilitare ventriculi fermenti ingreſſum in cibos, quia cum illo eſt naturæ homogeneæ & illius rudimentum. 2. promovere ſaporum perceptiones.

Theſis 5.

Componitur namque *ſaliva* ex copioſa aqua ſ. ſero impraegnata ſubtili humore acido temperato ab admiſto ſpiritu ſalino volatili oleoſo per nervos advecto, uti videre eſt in *Diſſertat.* 1. SYLVII pag. 8. item STENONE *Gland. oris* pag. 27. Hæc cibis conjuncta facillimè fermentationem inchoat, parte aquoſa reſolvendo, acidula incidendo & penetrando, ſpiritu volatili ſubtiliſando. Eſtque ſic inſtar fermenti farinaceæ maſſæ additi pro facilitanda fermentatione.

Theſis 6.

Hanc penetrativam & fermentativam vim ſalivæ confirmant. 1. cum pane biſcocto maſticata farinaceam maſſam inſtar communis fermenti fermentat. 2. Si ſpiritus ſeu halitus oris farinaceæ maſſæ inſpiratus & concluſus eam fermentare facit, multò magis ſpiritus hic & ſaliva cibis ſimul permiſta fermentationem ciborum ſimul inchoabunt. 3. in fructuum ſucculentorum conditura mulierculæ arcent infantes, ne lambendo cochlearia aliquid ſalivæ iis permiſceatur, quia aliàs conditum facilius fermentaret & aceſceret, quod idem cereviſiæ coctores ſtudioſè obſervant. 4. per ſalivam & ejus vim fermentativam nunc per oſcula, nunc per communia pocula ſæpè morbi communicantur, quod de ſcorbuto, leprâ, lue venerea & ſimilibus inveteratis aſſeritur. 5. ſaliva ſanorum ſalina ſua vi eſt optimum coſmeticum; & pluribus morbis externè egregiè conducit ut hordeolo, impetigini, &c. ut & canes lambendo ſua vulnera ſanant, de quibus ſalivæ facultatibus Vid. DEUSING. *in exercit. de nutriment. animal. elaborat. pag.* 8. & item in *appendic. hujus exercit. pag.* 303. item TACKIUS in *Chryſogonia animali & mineral.* pag. 13.

Theſis 7.

Origo Salivæ ceu cujuſdam LYMPHÆ, eſt à *glandulis* iiſdémque admodum copioſis, in & circa os ſitis, in genere ſtomaticæ dictis, quæ tamen omnes ad tria genera ad *maxillares* nempè ubi & parotides intelliguntur ac *palatinas* & *ſublinguales* rediguntur, quibus etiam tonſillæ addi poſſunt. Hæ glandulæ ex ARTERIIS per minutiſſimos ramulos in iis diſperſis inſtar SPONGIARUM emulgent liquorem ſeroſum, ſalinum ſeu acidulum, quibus ex NERVIS inſignibus accedere videtur ſpiritus animalis volatilis, hi in os per ſingularia vaſa Excretoria delati, conjunctim ſalivam conſtituunt. Vid. *Steno* de *glandulis oris*, & VVATHONUS in *Adenographia.* pag. 21.

Theſis 8.

Uſus ſalivæ in genere eſt 1. concurrere continuò deglutitam ad fermenti novi in ventriculo confectionem. 2. cum cibis permiſtam eos diſponere ad faciliorem fermentationem. 3. ulteriùs continuò deglutitam, adjuvare prædictam fermentationem. *Uſus ſecundarii* ſunt: 1. lubricare fauces & gulam pro faciliore deglutitione. 2. humectare linguam pro ceteriore motione: 3. ſitim perpetuò moleſtam reſtinguere; faucium ablutione.

Theſis 9.

Cibus ita in ore PRÆPARATUS ulteriùs protruditur, quæ actio *Deglutitio* dicitur, *ſitque* dum linguæ beneficio ad gulæ partem ſuperiorem, ejúſque expanſam cavitatem, PHARYNX dictam cibus protruſus à muſculis iſtius partis, imprimis à ſphinctere ſe anguſtante promovetur, & OCCLUSA LARYNGIS RIMULA deorſum pellitur, quæ pulſio per fibras nerveas, œſophagi tunicas inveſtientes, motúque PERISTALTICO ſe ſucceſſivè contrahentes, continuatur, donec cibus in ventriculum ingeratur: ut actio hæc muſculorum & fibrarum nervearum beneficio peracta, *in principio voluntaria*, *in progreſſu* verò *ſpontanea* ſeu *animalis* dicenda ſit.

Theſis 10.

Fit ſæpiùs in morbis, ut liquida optimè poſſint deglutiri, non ſolida, quod fit ob VITIUM GULÆ, in ſpecie ob ejus anguſtiam vel tumorem, quale Exemplum refert SCHENCK in *Obſervat.pag.* 365. & Similem Caſum habet PLATERUS *in lib.*2. *obſerv. pag.*277. Contrarium accidit nonnunquam, ut ſolida deglutiri poſſint, non verò liquida, quæ hauſta ſubitò cum *ſuffocationis metu* per nares & os redeunt, quale exemplum idem SCHENCK habet *pag.* 366. item LAURENTIUS in *Conſil.* 3. vitium hîc eſt in LARYNGE OB EPIGLOTTIDEN NON PERFECTE CLAUDENTEM LARYNGIS RIMULAM, quæ à ſolidis quidem deprimitur; liquida verò, dum in laryngem penetrare in-

choant, ex ſuffocationis aut doloris ſenſu cum impetu regurgitant, & qua data porta per os & nares pro'eunt, unde etiam talem caſum ex duritie oſſis Epiglottidis non ritè claudentis laryngem accidere aſſerit BARBETTE in *Anatom.practica* pag. 17.

Annot. Pract. *Interdum non poſſunt deglutire propter Paralyſin Gulæ, in tali caſu conveniunt ea* Gargariſmata *item ii* linctus *qui in loquela amiſſa conveniunt. v. gr.* Decoctum Salviæ, Erucæ *in ore detentum:* Decoctum Erucæ *&* Sinapi Pulegii, Naſturtii, *it.* Nux moſcata, *deglutita.it.* Spirit. vini *cui infuſ.*Flor. Lavendul. *cum aliquot gran.* Caſtorei, *it.* Aqua Apoplectic. Epileptica *in ore detenta;* Spirit. Theriacal. Ceraſor. nigrorum, *it.* Succus Salviæ *miſtus cum* Sinapi, *it. miſtus cum* Nuc. moſchat. *&* Caſtoreo *& inſtar linctus deglutitus.* Therebintina potabilis *reddita cum* Aqua primulæ veris *ſucceſſivè deglutita, valdè convenit. Item* Oleum Aniſi, ſalviæ *guttatim inter fauces injecta egregiè conducunt.*

PLATERUS *habet Obſervationem flaglutitionis impeditæ, cum loquela amiſſa, ex vitio nervorum paralytico: Curatam per* Decoctum ſalviæ in vino, *gargariſando & continendo in ore* Aquavitæ infuſionis Thymi.

CORNARIUS *habet obſervationem impeditæ deglutitionis ex nimia exſiccatione gulæ Curatæ per* Gargariſmum ex aqua tepida cum pauco Aceto *miſta.*

Externè conveniunt oleum lumbricor. terreſt. Oleum Coſtinum, Aniſi, Succini, &c.

Videat. SENNERT. lib.3. prax. p. 7. *ubi obſervat interdum deglutitionem læſam ex vaporibus ſtypticis & vitriolaceis, quod Hypochondriacis & ſcorbuticis eſt familiare. Huic malo medentur præcipitantia vapores v.gr.* Corallia, Creta, CC. uſtum, Nux moſchata, *&c.*

* *

Interdum etiam res alienæ efficiunt læſam deglutitionem vid. de his SENNERT. lib.3. prax. p. 15. *qui curam inſtituit per* frumenti ſaracenici pultem *ſed hujus loco* puls ex Oriza, Milio & Avena (*Baſergribe*) *craſſiuſcule cocta tale pulmentum comeſtum aciculas fruſtula vitri ita obvolvit. ut circa læſionem ex ſtomacho exeant ſed obſervetur quod poſt eſum talis pulmenti nullus potus guſtandus ſit.*

Theſis 11.

Cornigeris animalibus, quæ ut plurimum SUPERIORE DENTIUM ORDINE carent, & ob id maſticare convenienter non poſſunt, natura *quadruplici* proſpexit *ventriculo*, ut ſunt *ventriculus primus* ſeu innominatus, *reticulum*, *Omaſum*, & *abomaſum*; in his ergo ex primo ventriculo cibus maceratus quaſi & mollior redditus, per validas fibras ſurſum in eos repellitur, ibique denuo molitur, quod *ruminatio* dicitur. Molitus ad Omaſum pellitur & tandem in abomaſum. *Aves* verò *duos* habent *ventriculos*, *ingluviem & ventriculum* propriè ſic dictum. In ingluvie quicquid ſolidum eſt priùs emollitur & maceratur, & vel denuò pullis pro alimento evomitur, vel ad ventriculum pro ulteriore perfectione tranſmittitur.

CAPUT V,

De Chylificatione.

Theſis 1.

ALimenta aſſumpta & deglutita in ventriculum ingeruntur, ingeſta in liquorem pultaceum, PTISANÆ CREMORI ſimilem, qui chylus appellatur, tranſmutantur; quæ actio ob id *chylificatio* dicitur, ratione modi à veteribus *coctio*, *& in ſpecie elixatio* à modernis verò *fermentatio* nominatur. Eſt ergò *Chylificatio alimentorum in ventriculo à fermento, beneficio ſuſcitatæ fermentationis, in liquorem pultaceum quoad ſenſum, homogeneum, tranſmutatio.* GORRÆUS in *Medic Defin:* QUID PTISANÆ CREMOR ſit, declarat.

Theſis 2.

Primum efficiens hujus actionis non eſt *calor*, cum Piſces ſine calore digerant. 2. Canes oſſa abſumant & gallinæ vitra, quod calori impoſſibile vid. KERGER. de *ferment.* pag. 187. 3. caloris ACTIO EST UNIVOCA, jam verò chylus pro varietate animalium toto differt genere, licèt uno eodemque alantur nutrimento: & quædam ab uno animali digeruntur, quod non fit ab altero, v. gr. dum Turtur helleborum optimè digerit, & Canis vitrum Antimonii, ſine ullâ evomitione, jam verò alius chylus eſt in Cane, alius in homine, eodem pane licèt nutritis: hinc & alia excrementa, quod ſolius caloris opus non eſt. 4. in Febribus ubi calor multùm eſt auctus, ut appetitus eſt proſtratus; ita & coctio aut abolita omninò, aut multùm depravata. 5. in Canina appetentia ut ingens eſt appetitio, ita cita digeſtio, calor tamen tunc temporis non eſt auctus. 6. omnia acida dicuntur frigida, appetitum tamen excitant, & digeſtionem promovent, & hypochondriaci nonnulli, quorum ventriculus dicitur frigidus, fortiter appetunt & citò digerunt. Calor ergo non eſt primus digeſtionis auctor, non negandum tamen eum inſigniter adjuvare chylificationem in nobis, quod docet experientia, ut calor ambiens quaſcunque digeſtiones & fermentationes promovet artificiales: ita & naturales excitat, tàm in plantis quàm in animalibus. Qui calor tàm eſt ipſius ventriculi ceu ollæ, quàm partium vicinarum, quàm ipſorum etiam aſſumptorum alimentorum; MOEBIUS in *fundam. Med.* pag. 168. HELMONT tàm in tract. *Calor efficienter non digerit*, &c. quàm in tract. *ſextuplex digeſtio.*

Theſis 3.

Nec hìc dilabendum ad *facultatem* quandam CHIMÆRICAM *ſeu* CHYLOPOETICAM, cum hujus nulla ſit neceſſitas, nulla explicatio conveniens quomodo ad hoc opus concurrat, cum & in hoc, ita & in reliquis omnibus FERMENTORUM POTESTAS SIT SUPREMA, ad hæc eò jam proceſſit, laborioſa chymicorum induſtria, ut & ipſi per menſtrua ſubacida volatilia moderati caloris beneficio chylum quendam artificialem, naturali, quantum ſuſpicari licèt, ſimillimum, produxerint, de quo vid. TACHENIUS in *Hipp. Chym.* pag. 88. item BOYLÆ. in *utilit. Philoſoph. experimentalis.*

Theſis 4.

Remanet ergo ut *fermentationi adhæreamus*, dicamuſque *ineſſe ventriculo* quendam *ſuccum*, *qui inſtar fermenti* piſtorii *alimenta* apportata excitet, eaque fermentationis beneficio *tranſmutet.* Hic ſuccus *eſt acido-volatilis ſeu ſalino-ammoniacalis* in ordine ſcilicet naturali conſtitutus, unde cibum maſticatum & ſalivali menſtruo aliquantiſper ſubactum, potuque benè dilutum incidit, penetrat & reſolvit, volatilitate ſua ſubtiliſat & ad actum fermentationis promovet. Huic acori volatili occurrunt in alimentis ſimiliter *ſalia partim acidula*, partim verò & quidem primariò copioſa *ſalia volatilia*, de urinoſorum natura, quibus omnia edulia, tàm vegetabilia quàm animalia inſigniter ſunt imprægnata, quorum ope fermentationis opus promovetur, & ultimò abſolvitur, donec exactè alimenta ſubacta *in ſuccum*

nunc

nunc ſubacidum nunc verò ſalſum volatilem transmutentur inque perfectum ſic abeant chylum de qua fermentatione ſtomachi Vid. SYLVIUM in *diſſert. medic.* I. DEUSING. in exerc. *de nutrimenti animalis elaboratione.* CHARLETON *in Oeconomia animal. exercit.* 2. *Thomas* CORNELIUS *Conſentinus* in *progymnaſm. medic. progymnaſm.* 6. *de nutritione* MOEBIUS *in fundam. med. de uſu ventriculi*, cujus dubia diluit KERGERUS ſect. 3. ubi de *ferment. ventricul.* TACKIUS in *Chryſogonia animal.* & *mineral.* & denique HELM. Tract. *Sextupl. digeſt.*

Theſis 5.

Succus ergo *ille* acido volatilis ſeu acido ſalſus duplici in ſtomacho circa digeſtionis negotium fungitur munere. 1. *inſtar menſtrui* reſolvit cibos, ſicque partes alimentorum à ſe invicem ſeparat, & ſalia abſcondita in apertum producit. 2. *volatili aciditate* cum ciborum ſalibus alkalibus fermentationem inchoat & feliciter abſolvit. Hinc non incommodè *menſtruum fermentativum* appellari poteſt, unde ea, quæ ſunt DURA, aut quæ ſunt VOLATILI SALE maxima ex parte orbata, ut ſunt alimenta, vel exſiccata, vel fumo indurata, vel ſale condita difficulter concoquuntur; quia dura difficulter reſolvuntur, cætera verò ob ſalis volatilis defectum, in fermentatione neceſſarii, difficulter fermentantur. Unde in ſubſidium cum prioribus aſſumimus ACIDA, ut acetum, ſpiritum ſalis dulcem, &c. Cùm poſterioribus verò VOLATILIA ut ſpiritum vini, item cinamom. &c. cum ambobus optimè ſinapi aceto ſubactum, h. e. acidum volatile fermento ventriculi quodammodo ſymbolizans.

Theſis 6.

Contingere autem talem circa cibos fermentationem ultra enumerata ulterius evincunt. 1. INSIGNIS ALTERATIO tranſmutativa, quam cibi vel alimenta in ventriculo ſubeunt, jam verò vix alios tranſmutationum in rerum natura habemus Autores, quam vel fermenta vel fermentationes. 2. SPIRITUS ex alimentis ſunt elaborandi, quod ſine fermentatione eſt impoſſibile; & licet illi demum in corde perficiantur, debitam tamen præſupponunt fermentationem in ſtomacho, cum chylus, dum non ritè fermentando ſpirituaſcit in ventriculo, nec ritè in ſpiritus abit in corde, ut ex Cachecticis, Scorbuticis, hypochondriacis ſtomacho malè habentibus, conſtat. 3. ALIMENTO inſunt partes nobis utiles & inutiles, illæ ergo ceu homogeneæ conjungendæ, hæ verò ceu heterogeneæ ſeparandæ, quod meliùs fieri nequit niſi per fermentationem in qua miſtum ita recludi ſolet, ut feces ſecedant, vel facilè ſeparabiles fiant. 4. EX PRÆSENTIA omnium ad fermentationem neceſſariorum in chylificatione non ineptè pro hæc ſententia concludit SYLVIUS & KERGERUS loco ſuprà citato. 5. ALIMENTA FERMENTESCIBILIA, quò magis talia, eò magis, dum concoquuntur, corpus inflant, ructus & flatus emittunt, quod omnino de fermentatione teſtatur, unde etiam TURGESCENTIA quædam poſt paſtum circa ſtomachi regionem ordinariò ſentitur. 6. Poſt aliquot horas à paſtu diſſectis corporibus maſſa reperta in ventriculis talem retinet ſpeciem, ut INSTAR FARINÆ SUBACTÆ, & jam in fermentatione conſtitutæ appareat.

Theſis 7.

Ineſſe autem *fermentum* quoddam *in ventriculo*, i. e. ſuccum ſalinum imprimis acidulum, illius tranſmutationis autorem, videtur *manifeſtum* ex hiſce. 1. QUICUNQUE LAC jejune aſſumit illúdque illico revomit, tunc acidum lingua percipiet, illúdque ſemicaſeatum videbit, unde confirmatur quod omnia aſſumpta, etiam dulcia, ut ſacharum & mel mox aceſcant in ſtomacho: Et martialia medicamenta aſſumpta nidoroſos ructus inducunt, ſicuti ſimilem nidorem exhalat ferrum, cui extra corpus ſpiritus acidus affunditur. 2. acido volatili liquore artificiali producimus chylum, de quo TACHENIUS loco ſuprà citato. 3. in morbis, in ſpecie in febribus, ubi abolita eſt coctio & immunita, aſſumptione acidi volatilis v. gr. Spiritus Salis dulcis, aceti aromatici, Spiritus Maſtiches, ſucci Cydoniorum, Coctionem, quantùm poſſibile eſt, reſtauramus. 4. omnia, quæ acidum aut ſalſum ſolutivum infringere valent, & appetitum dejiciunt, & coctionem aut impediunt aut tollunt, ut ſunt omnia de naturæ alkalium, ut ocul. canc. creta, CC, item omnia oleoſa, ut oleum commune, olea deſtillata, Spiritus vini, &c. 5. in diſſectorum ANIMALIUM STOMACHIS, ſæpiùs cruſta ventriculi deprehenditur acida, nunc guſtu, nunc affuſione ſpiritus urinoſi volatilis, cum quo fit efferveſcentia 6. LIENTERIÆ ET DYSENTERIÆ, in quibus deſtructus eſt & appetitus & ventriculi digeſtio, ſuperveniens ructus acidus bonus judicatur ab HIPPOCRATE, quia fermenti reſtaurati eſt indicium, in *ſect.* 6. *aphor.* 1. 7. PANIS EST cibus cujus nunquam nos capit faſtidium, cum omnibus cibus permiſcemus, ejus appetitum ægrotantes & ultimò amittimus, & primum denuò recuperamus, ratio eſt, quia in pane ineſt ſpiritus acido volatilis fermento noſtro amicus.

Theſis 8.

Obſervandum autem hîc imprimis *maximam eſſe fermenti hujus* in animalibus *varietatem*: omnes ſcilicet animalium ſpecies ſua ſpecifica habent fermenta, unde coquit una ſpecies hoc, quod alia ſine læſione ferrè nequit: Imò in ſingulis animalium individuis, pro circumſtantiarum varietate inſignis eſt diverſitas; ſic v. gr. in homine ratione ÆTATIS, SEXUS, ALIMENTORUM, STATUS SANI vel ÆGRI maxima in ſapore, acrimonia, volatilitate, & aliis proprietatibus eſt diverſitas, quod nulli videri poteſt admirabile, qui inenarrabilem ſalium varietatem ex alia atque alia cùm inter ſe, tùm cum particulis aliis commiſtione oriundam, indéque multiformes reſultantes proprietates & agendi varietates conſiderat: undè *fermentum erit* nunc *acidum* nunc *ſalſum* nunc *acre*, nunc *inſipidum*, nunc *peculiaris ſaporis*, &c. de quo Videat. KERGER, MOEBIUS & CONSENTINUS loco ſuprà citato.

Theſis 9.

Eſt autem fermentum hoc ſalinum in ſuo genere omninò ſingulare, ſeu ſpecificum, ſtomacho appropriatum & vitale, quod certum vitalitatis characterem imprimere alimentis probabiliter ſtatuitur. *Origo ejus* non eſt *ex ſplene*, cùm Canes ſine ſplene adhuc ſint egregiè voraces. (HELMONT) ſed oritur primario *ex liquore ſubtili acido per arterias* ad ſtomachum delato, & per multa minuta foraminula per internam membranam tranſſudando excluſa, de quo videatur CONSENTINUS *in Progymnaſm.* 6. Probabilius quidam ſtatuunt hunc liquorem ſudare in ſtomachum, nam internam STOMACHI TUNICAM ESSE GLANDULOSAM EX COPIOSISSIMIS minutis glandulis contextam, per quos in ejus cavum effundatur hic liquor: huic ſe JUNGIT SPIRITUS ANIMALIS VOLATILIS ex nervis grandioribus & copioſis, non pro ſolo motu ac ſenſu ad ſtomachum apportatus, & per parvos meatus in ſtomachi cavum excluſus.

Theſis 10.

Hæc duo primaria ingredientia ſe jungunt, CUM RELIQUIS ALIMENTORUM in ventriculi rugis

hærentium, quæ à SALIVA continuò deglutita ſpumefactæ & aceſcentes, fermento ex maſſæ chyloſæ portione relicto, & addito ſale parato ſimiles ſunt. Unde ſaliva pro quarto componente fermenti, ejuſque inſigni reſtaurativo meritò habetur. Ex his ſucco ACIDO per ARTERIAS & SPIRITU VOLATILI per nervos in ventriculum ſepoſitis alimentorum portionibus, & ſaliva hæc omnia diluente, & conjungente, fermentum jugiter renovatur, unde etiam pro horum varietate, conſtitutione & varia invicem combinatione adeò ingens fermentorum varietas reſultat.

Theſis 11.

Fermentatione ergò alimenta chylificantur, unum interim CITIUS quàm alterum in chylum transmutatur, illo, quod jam in chylum abiit, ad *inteſtina per pylorum* deſcendente, parte cruda in ventriculo remanente, pro ulteriori digeſtione: ſimul enim atque deglutita ſunt alimenta ſtomachi utrumque OS ARCTE CLAUDITUR per fibras nerveas circulares inſtar ſphincteris orificia arctantis: unde per orificium ſiniſtrum ſuperius amplum, inferius arctum, facilè aliquid deſuper admittitur nihil vero ne VAPOR quidem niſi cum IMPETU emittitur, ut in ructibus patet. Reliquæ ventriculi corpus conſtituentes fibræ & membranæ moderatè ſtomachum ita STRINGUNT, ut cibus ubique comprehendatur, non autem nimis comprimatur, nec proprio pondere in fundo fluctuet, ſed ſpatium conveniens habeat pro fermentationis & turgeſcentiæ motu, donec pars cocta reliquis ſupernatans PILORUM LAXET & ad ſui emiſſionem ſtimulet, cujus apertura reliquis ventriculi fibris ſe modicè ſtringentibus, chylus ad Inteſtina dilabitur. Vid. VVALÆUS *Epiſt.* 2. *quæ appenſa eſt Anatomiæ Bartholinianæ.*

Theſis 12.

Omnia interim *per fementationem* inter ſe *agitantur, & confunduntur*, non ergo adeo certus ciborum obſervandus eſt ORDO, cum non eo quo ingeſta fuere modo ſituentur, & à potu invicem confundantur, niſi interdum in voracioribus, cibos ſolidos PARUM manducantibus, aut parvo nullove potu utentibus, ſitum iſtum ad tempus ſervent.

Theſis 13.

Tempus, quo negotium hoc abſolvitur eſt *varium*, quæ varietas dependet. 1. à cibis qui nunc ſunt vel facilioris vel difficilioris digeſtionis, nunc APPETITI vel inappetiti, nunc CONSUETI vel inconſueti; 2. à fermento, quod nunc fortiùs vel debiliùs, nunc fixiùs, vel ſpirituoſiùs, nunc cibi PROPINQUIÙS NATURA vel remotiùs, huc & ætatis ratio pertinet. 3. à ventriculo, qui nunc ſtrictus vel laxus, & PITUITA vel alienis vacuus humoribus vel plenus, ſenſilis vel inſenſilis, legitimo ſitu vel illegitimo. 4. à tempore, quod nunc diurnum vel nocturnum, hinc corpus vel movetur vel quieſcit vel ſedet, vel jacet. 5. ab animi affectibus, qui coctionem aut augent aut imminuunt. In genere tamen probabile videtur, coctionem abſolvi, in nobis poſt tertiam horam uſque ad ſextam, diurno tempore, à quarta uſque ad octavam nocturno.

Annot. Pract. *Coctio aut abolita aut imminuta ut plurimum procedit ex fermento digeſtivo obruto & mutato à muco craſſo ſeu pituita viſcida in ſtomacho ſtabulante, cujus.*

SIGNA *præter ea quæ habet* SENNERT. lib. 3. prax. p. 125. *ſunt imprimis* ructus acidi, phlogoſes faciei poſt paſtum, difficilis reſpiratio, *ita quidem ut reſpirationis impedimentum percipiant in præcordiis, tempore matutino copioſum mucum excernunt poſt ingeſtum paſtum; aut* 2. *horis percipiunt dolorem gravativum. In ſtomacho, omnia hæc ſymptomata fiunt quia ſuccus fermentativus, craſſus & obrutus minus poteſt fermentare, quin potiùs eadem ſub forma liquaminis aut paſtæ viſcidæ, acidæ & flatulentæ in ſtomacho ſubſiſtunt.*

In tali caſu pro CURA *præter* VOMITORIA *conveniunt hæ* PILULÆ.

♃. *Maſſ. Pil. d. Hier. c. Agaric gr. xv.*
(*uſque ad ℈j. ratione ſubjecti purgantis plus minus.*)
Gumm. ammoniac. in aceto ſcyllitic ſolut. ℈ß
vel hujus loco
Extr. abſinth. l. ſucc. inſpiſſat. ℈ß
Scamm. ſulphur. gr. i
Extr. Troch. alhand. gr. ij.
c. ſ. q.
Elix. Propr.
vel Eſſent. Menth. aut Spir. Maſtich.
F. l. a. Pilulæ

quæ conveniunt ad iſtum mucum evacuandum ex ſtomacho & inteſtinis.

Alia Formula

♃. *Maſſ. Pil. Maſtichinar. ℈j*
Extr. Abſinth. ℈ß
Scamm. ſulphurat.
Extract. Troch. alhand.
aa. gr. ij.
c. ſ. q.
Eſſent. Ment.
Seu Tinct. Tartari
F. l. a. Pilul. ſtomach. purg.

In forma liquida pro ſubjectis facilis purgationis præprimis Mulieribus *delicatis, fiat talis potio.*

♃. *Aquæ hyſſop.*
Menth.
Sirup. roſar. ſolut. aa. ʒß.
Extract. Agaric. ℈ß.
Tartar. vitriolat. ℈ß.
Scamm. ſulff. gr. ij.
Extr. Troch. alhand. gr. j.
miſc. f. l. a. Potio purg.

Citra Purgationem pro roborando ſtomacho *conveniunt inprimis* ſalina incidentia, *&* abſtergentia mucum, *conveniunt itidem* aromatica amara; *præ cæteris* acida ſpirituoſa *conducunt* ſal ammoniacum *eſt optimum propinatum à ℈ß ad gr. xv. itidem* arcanum duplicatum MYNSICHT *quod egregium: Itidem* Crem. tart. *cum tart. ſale commiſtus, it.* tart. vitriolat. *it.* Spiritus ſalis dulcis *eſt optimus, it.* ſpir. nitri dulc.

Vel

♃. *Elix. Menth. ʒj.*
Spir. vitrioli philoſ. ʒij.
miſc.
doſ. gr. 40. l. 50.

Spir. Maſtichis *bene rectificatus eſt egregius miſtus cum* Spir. Menthæ. Elixir. propriet. *& ipſum maximè conducit miſtum cum* Spir. Cochleariæ, *qui egregiè convenit in hac formula.*

Aromatica ut Abſinth. Zingib. Galanga, Menth. Zedoar. *Inſigniter conducunt, item* Spir. Carminativus *ſecretus, qui eſt egregius.*

Cydonia *& omnia ex his parata ut* Succus, Sirupus; *&c. mire conducunt ad juvandam digeſtionem & mucum diſſolvendum.*

Interdum etiam fiunt Vina medicata *ex aromatibus, &c.*

Pulchrè etiam hîc conveniunt ſpecies Diagalangæ, Stomachic. MYNSICHT. *Si miſceantur cum ſalinis. Non ſunt inelegantes*, Inda ſucolata, Elixit. ſtomach. D. MICH. *It. talis formula.*

♃. *Elixir. ſtomach. D. M. ʒij.*
Spirit. Maſtich.
cochlear ana ʒj. miſc.
F. Elixit. ſtomach. quo utatur æger ad gutt. 30. aut 40. bis Indre.

Vel ♃. Eſſent. Abſinth.
Menth. ana ℥j.
Spirit. Carminat. ſecret. ℨij.
D. S. *miſc.*

In Apesia Senum.

Medicamenta Ambrata *ſunt optima , vel in forma* ſicca *aut* liquida *uſurpata.*

Præter imminutam etiam eſt Coctio depravata *quæ nunc* nidoroſa *nunc acida.* In Nidorosa , *quando ructus ſunt inſtar ovorum frixorum conveniunt* ſubacida volatilia , *ut ſunt præmiſſis univerſalibus ,* Cydoniata , ſuccus citri , Spirit. ſalis , vitrioli dulcificat. Elix. proprietat. ſpiritus Maſtichis , &c.

In Cruditate Acida , *quando ructus acidi , flatulentiæ , &c. adſunt , imprimis conveniunt* aromatica volatilia ; *ut* Abſinthium , *& omnia ex ipſo parata ut* Vinum Abſinthites , Eſſentia , *&c. item* Zingiber , Caryophylli nux moſchat. Spiritus & Eſſent. Menth. *aut cochleatim , quando hæ Eſſentiæ ſunt debiles tunc datur cochlear, parvum pro una vice, aut guttatim, quando ſunt ſpirituoſæ , it.* Aqua vitæ Matthioli Spir. Antiſcorb. Eſſent. Ligni Saſſafras , *& ſimilia quæ acorem temperant , it.* ſpirit. Carminat.

Sin Acidum Nimium , *conveniunt* ſalia alkalia *quæ acidum abſorbent , ut* ſal abſinth. Card. benedicti, Tartari , ocul. 69. Creta , Corall. CC. uſt. ſpirit. CC. ſpir. ſalis ammon. *& ſimilia alkalia volatilia.*

Externe Ventriculum roborant Balſam. ſtomach. Timæi , *cujus deſcriptio hæc.*

♃. Balſam Peruv. ℨß.
Oleum Nuc. moſch. expr. ℨiij.
lign. rhod. gt. jx.
Caryoph. gt. v.
Cinamom. gt. iij.
miſc. pro balſam. quo regio ſtomach. Inungat.
D. S.

Hic competit quando ægri ſentiunt frigus in ſtomacho.

NB. quando hoc balſamo inungitur ventriculus tunc poſt inunctionem , tegatur ventriculus linteaminibus (cum lapide calido) benecalefactus , & hoc obſervetur in omnibus externis applicandis ; & eſt Helmontii.

Cinamoniata *huc etiam conveniunt.*

In Affectibus Stomachi Flatulentis *quibuſcúmque recipiantur* ſemina 4. calid. minor, *eáque infundantur in vinum & leniter ebulliant: Vinum colatum hauriatur & mire conducit in flatibus. Item conveniunt* ſpir. Nitri dulc. *item* ſpir. Aniſi. *aut* ſpir. Nitri loco ſpir. vini cum ſpiritu aniſi dulcificatus.

Forestus in ſtomachi inflatione & dolore ejus *intolerabili ex eſu ciborum flatulentorum & potu muſti , tale habet Experimentum.*

Decoxit Chamomill. Roman. & vulgat. *minutim conciſam adjecto pauco* ſemin. aniſi *& Carvi , in Cereviſia , hoc decoctum cum bibiſſet & copioſos flatus per ſuperiora & inferiora æger emiſit , & ita integer curatus fuit.*

In Nimia Mucilagine, & Contumacissima *optimus eſt* ſpiritus Aſthmaticus, *vel ſolus vel miſtus , ut*

R. Elix. ſtomach. D. M. ℨj.
Spirit. Aſthmatic. ℈ij. vel ℨß.
miſc.
doſ. gt. 20. l. 30.

Eſt egregius optimúmque remedium.

CAPUT VI.

De fecum alvinarum ex chylo ſeparatione & chymi utilis per inteſtina tranſcolatione.

Theſis 1.

Chylus ex alimentis productus naturaliter sentitur salsus vel subacidus , aut etiam interdum ſubdulcis , & quaſi inſipidus, viſcidus & craſſus , ſæpius albicantis interdum alterius coloris , pro aſſumptorum varietate fermentíque conſtructione , eſt uno verbo inſtar pultis dilutioris vel instar lactis paulo crassioris : in quo licèt quoad sensum homogeneo , reſident tamen adhuc partes heterogeneæ, excrementitiæ , & quaſi caſeoſæ , in inteſtinis ſeparandæ , quo à purioribus corporis Oeconomia conſervetur , nec ab impurioribus lædatur.

Theſis 2.

Jam verò nihil ſeipſum ſeparare valet , aliud ergò quid neceſſe eſt , adſit , quod ſeparationem inſtituat : ſicut ergò chymici ex liquore ſolutione ab aliis rebus imprægnato affuſione liquoris cujuſdam tertii facilè ſeparant præcipitando contenta , & ſicut ex lacte aſperſione liquoris aciduli , præcipitantur craſſa caſeoſa : ita & *natura* ſolers talem *in inteſtinis inſtituit ſeparationem , præcipitando feces ex chymo laudabili ,* idque *beneficio* duorum ſuccorum multum diverſorum , *bilis* nempè & *ſucci pancreatici* : quo tenuior & ſubtilior chyli pars per inteſtina colari poſſit.

Theſis 3.

Cæterum non fit omnimoda secretio contenti à continente , ut in Chymicis fit ſeparationibus , ſed craſſiores tantùm & viſcidiores ſeparantur feces , reliquis cum liquoris præcipitantis portione ſe amicè jungentibus , quoniam in Chymicis nudæ tantùm & ſuperficiales ſunt ſolutiones ; in chymo verò eſt cum alimentorum ſolutione conjuncta fermentatio , & hujus medio ſimul quædam unio tertiique cujuſdam productio.

Theſis. 4.

Bilis ergò *in principio inteſtini* duodeni per vaſa choledocha *permiſcetur chylo* , illa verò cum conſtet copioſo ſale volatili acri & retorrido temperato, quadam parte oleoſa , dilutóque aqua ſufficiente (ex quibus liquor ejuſmodi flaveſcens componitur) chylum diluit, ejus craſſitiem inſigniter attenuat , eúmque ſic mobiliorem & fluxiorem reddit : ſin hic ſimul sit acidus *ejus acorem* ſui conjunctione *in ſalſum volatile* ſimul *tranſmutat* : eſt námque omne acidum manifeſtum ſeu exceſſivum corpori , extra ſtomachum, inimicum , unde ut chylus interdum acidus temperetur , bilis eſt ſtatuta , quæ ſale ſuo urinoſo acidum hoc egregiè temperat , eúmque ſimul fluidiorem reddit. Vid. Helmont. Tract. *ſextuplex digeſtio.*

Theſis 5.

Hic *primus* eſt uſus ob quem chylo permiſcetur bilis : *ſecundus* eſt *communicare chylo primam pro ſanguificatione diſpoſitionem* , beneficio ſui ſulphuris tingentis , qui in ſe rubini inſtar nitet , in bile autem flaveſcit , inſtar rubicundiſſimæ auri Tincturæ ſub corpore flaveſcente abſconditæ , in chylo hæc Tinctura eſt inviſibilis , cum ab acido ſalſove pancreatis ſucco obtundatur , cum non rarum ſit in Chymia liquores ſanguine rubicundiores affuſione acidi albeſcere & lacteſcere : ut in balſamo Sulfuris notiſſimum. Vitiato ergò bilis Sulfure , morbi ex deficiente hæmatoſi orti v. gr. Icteri , hydropes , cachexiæ, & fœdi virginum colores , in promptu ſunt , de quo Vid. Tackius *Chryſogon. animal. & mineral.* p. 19. & 20. item Moebius in *fundament.* p. 368. 369.

Theſis 6.

Tertius quem bilis chylo præſtat uſus eſt, quod eum vi sua balsamica *à corruptione & verminatione conſervet* , quàm facilè enim corpus ejuſque humores in putredinem dilabantur, notum eſt, & in ſpecie chylus

ob

ob aſſumpta tàm animalia, quàm vegetabilia, facilè putreſcentia & verminantia, vermibus admodum eſt obnoxius, neceſſe ergò eſt, ut in humoribus aliquod remedium præſervativum deliteſcat, jam verò bilis tàm interno quàm externo uſu vermibus, ceu putredinis inſeparabilibus comitibus, eſt inimiciſſima, unde etiam quamdiu in inteſtina dilabitur naturaliter conſtituta, nulli unquam generabuntur lumbrici, cum ex obſtructo ejus meatu ſubito iidem propullulent. Eſt nempè in viventibus bilis id, quod in mortuis eſt aloë vel myrrha, omnem namque arcet corruptelam. Unde etiam hujuſmodi ſimplicia amaricantia, aloë, abſinthium, centaureum minus, rhabarbarum, &c. vermes quocunque in loco enecant, & ſanguinis ex deficiente vel vitiata bile defectibus medentur, bili ſcilicet in ſua natura ſymbolizantia.

Theſis 7.

Quartus tandem uſus eſt *fecum excretarum excluſionem promovere*, non quidem ſtimulando inteſtina, ſed feces tantùm fluidas reddendo, quæ alias à ſucco pancreatico planè coagulatæ indureſcerent, & difficulter in Inteſtinis moverentur: ut in hypochondriacis, ſcorbuticis, & quibus bilis vel vitioſa vel deficiens eſt, patet. *Sunt enim feces alvi non acres ſtimulantes*, ſed vel *inſipidæ vel ſubdulces aquoſæ*, cum bilis amaror & ſucci pancreatici acor ſe mutuò temperando in ſalſum moderatum vel ſubdulce inſipidum abeunt, unde & Clyſteres emollientes ſine ulla acrimonia, ſolummodo ſua fluiditate inteſtino recto incumbentes idem ſtimulant pro fecum expulſione. Sicut etiam urina ſolummodo veſicam diſtendendo ſine acrimonia excretionem urg t, & per conſenſum vicinitatis alvum ſtimulat. Omnia enim aſſumpta modo fluidas reddant feces alvum reſeratam promovent, ſine ulla acrimonia, unde & bilis naturaliter diluendo feces earum excretionem promovet, ſicut in nimia abundantia, fluidas nimis eas excernere facit.

Theſis 8.

Hoc modo dum diluit & temperat chylum bilis unà cum eâ in homine, paulò inferiùs verò in aliis quibuſdam animalibus, permiſcetur *ſuccus ex pancreate* ad inteſtina delatus, qui ſæpius repertus *eſt acidulus*, interdum *ſalſus* raro *inſipidus alteriuſve ſaporis*, qui tamen temperatus eſt, parte quadam ſpiritus volatilis cum eò permiſta, de quo vid. GRAFF. de *ſucco Pancreatico*. Hic ergò ſuccus aciditate vel ſalſedine ſua quodammodo ſtipticâ, vel aliquali auſteritate, in chylo à bile diluto & in ſalſum volatile tranſmutato, EFFERVESCENTIAM blandam cum ſale bilis urinoſo excitando, craſſiores chyli partes (eas forſan leniter COAGULANDO) ſeparat & præcipitat cum iiſque ex parte bilis ſalſiore ſeſe partim, permiſcet, partim verò cum chymo laudabili cui colorem album conciliavit, & bilis parte volatiliore in unum corpus abit ad ſanguineam maſſam ablegandam de quo vid. SYLVIUS in *diſſertat. Medic.* 2.

Theſis 9.

Hanc ab his duobus ſuccis fecum ſeparationem confirmant ij, qui COELIACO laborant affectu, item ICTERO, in quibus ex horum ductuum obſtructione, impedito liquorum tranſitu, FECES CHYLOSÆ excernuntur: prout ergo naturaliter vel præternaturaliter conſtituti ſunt *Succi*, *bona vel mala fit chyli diſpoſitio* & *excrementorum ſeparatio*, indéque *variorum morborum* exſurgunt origines.

Annot. Tract. *Prout naturaliter vel præternaturaliter conſtituti ſint hi ſucci, nempe bilis in veſicula bilaria, & Succus Pancreaticus ex ductu ſuo ad Duodenum delati, etiam vel legitimè ſeparant excrementa à Chymo, vel vitioſè faciunt ſeparationem. Deinde nunc blandam ſeu naturalem cum chylo inſtituunt efferveſcentiam, aut in abſentia hujus inter ſeipſos: vel vitioſè in chylo aut etiam in ſeipſis efferveſcentiam inſtituunt.*

In quo ipſo negotio conſiderandus mucus iſte ſ. pituita viſcida quæ parietes naturaliter oblinit. Nam ex vitio horum ſuccorum quamplurima, in ſpecie morbi Chronici tantum non omnia in inteſtinis obvia, ſymptomata oriuntur: adeò ut ex ſtomacho, digeſtione vitiata, & ex vitioſa conſtitutione horum duorum ſuccorum tantùm non omnes morbi chronici originem ſuam ordinariò habeant.

Nam ab his ſuccis vitiatis vitiatè ſeparatus à fœcibus alvinis Chylus, quin & ab eorum vitio imprimis à bile inquinatus & depravatus, ſimiliter totam Maſſ. Sang. & tandem totum corpus inficiet & inquinabit. Iam verò, tum vitiati hi ſucci vitioſè concurrunt ac vitioſas efferveſcentias aut inter ſe mutuò aut etiam cum chylo imprimis ſi hic nimis acidus, nec ritè volatiliſatus fuerit, ut in hypochondriacis contingit inducant. Varia ſymptomata abdominis v. gr. Phlogoſes & excandeſcentiæ ubi bilis nimis vitioſa & vitiata fuerit: item dolores, algores ſeu frigore in lumbis, lancinationes & roſiones abdominis dolores propè ſpinam dorſi, ubi ſuccus Pancreaticus aut nimis acidus aut nimis auſterus, aut nimis aquoſus, aut alio modò vitiatus fuerit. Imò ex vitioſa iſta efferveſcentia orti flatus, rugitus, murmura, ructus, borborigmos & ſimilia quam plurima abdominis vitia & ſymptomata inducant: qualia v. gr. in hypochondriacis item in Paroxyſmis Febrium intermittentium item in Diarrhæis, &c. ſunt obviæ. Imò Cachexiæ, Icteri cujuſcúmque ſpeciei ſi non ex ſtomacho quod rarius fit ut plurimum ex vitiatis his duobus ſuccis vitioſam cum chylo efferveſcentiam & præternaturalem fœcum ſeparationem conſtituentibus radicaliter oriuntur.

Dum in Iracundis, in territis varia abdominis, ſymptomata, dolores, æſtuationes, diarrhææ & ſimilia ſymptomata contingere ſolent: oriri hæc ipſa videntur ex vitioſa efferveſcentia horum duorum ſuccorum per animi motus indéque ſanguinis vitiata fermentatione præternaturaliter conſtitutis & vitioſè ex ſuis ductibus dejectis.

Ut ergò coerceantur hæc ſymptomata & rectificentur vitioſæ hæ efferveſcentiæ, imprimis attendendum eſt quinam horum ſuccorum primariò peccet. Ubi enim vitium eſt in bile vel deficiente, ibi

Propinanda ſalina volatilia, *item* aromatica, *v. gr.* ſpir. ſal. ammon. cornu cervi, ſalis volat. *item* aromatica, Eſſent. Abſinth. Cent. minor. *& ſimilia.*

Ubi verò vitium eſt in bile nimis acri & ſalina, aut nimis oleoſa, aut nimis copioſa, &c. tunc conveniunt acida blanda, *v. gr.* ſpir. vitrioli ſalis: nitri dulcificati *hi ipſi enim bilem præcipitant & corrigunt, aut* ſucci acidi vegetabilium citri, ribium, &c.

Ubi verò vitium eſt in ſucco Pancreatico vel minus ſapido aut nunc acido, vel debili aut pauco, tunc ſubtilia acida, *tùm* ſpir. nitri dulc. ſuccus cydoniorum *& ſimilia conducunt.*

Ubi verò quod frequentius accidit vitium eſt in eodem ſucco aut nimis acido aut nimis copioſo aut nimis auſtero, tunc conveniunt, vel aromatica ſeu volatilia oleoſa, vel conveniunt alkalia & terrea quæ acidum iſtud abſorbent & præcipitant, v. gr. Caſtoreum, Galang. Zedoar. ſpir. ſal. ammon. Olea, aromatum deſtill. Macis, caryophyll. Spirit. Vini *& ſimilia: item* ſalia fixa, Cent. minor. Abſinth. tartari ſalia volat. urinæ, CC. *item* creta, corall. ocul. canc. Antim. diaphor. *Verum cum ſæpius tam complicata ſymptomatum ſit ſyndrome & etiam tam ſingularia horum ſuccorum vitia & corruptiones, ut vix artificioſa conjectura Medicus cognoſci poteſt quod primarium vitium.*

Ob id talia quæ ſimul hos ſuccos corrigere valent & quæ univerſaliter ferè horum vitia corrigunt in promptu eſſe debent, qualia ſunt ſalſa temperata, *it.* acida volatilibus permiſta *& in ſpecie* Opiata, *nam hæc opiata quaſcunque*

quaſcunque vitioſas effervefcentias, ac præternaturaliter eorum ſtatum feliciter ſiſtunt & tollunt: imprimis ſi appropriatis permiſta fuerint.

Talia ergo quæ in genere hos ſuccos vitiatos eorumque vitioſas fermentationes corrigere valent ſunt. v. gr. ſpir. carmin. *it.* ſp. Articolic. ſ. ſp.nitri *cum duplo aut triplo* ſp. Aniſi *junctus, it.* Arcan.duplicatum Mynsicht.

Imprimis conducunt hîc Miſturæ *ad imitationem* Silvii *conſcriptæ, v. gr.*

♃. Aquæ Menth.
Chærefol.
Carminativ. aa. ℥j.
Cinamom. ʒvj.
Aceti rutac.
vel aceti ſimpliciter
deſtillat. ℥j.
Ocul. canc. præpar. ʒj.
Antimon. diaphor. ℈j.
Laudan. Opiat. gr. iij.
Syr. Scelotyrb. Foreſt. ʒvj.
miſc.
F.l.a. Miſtura.

doſ. cochl. aliquot ſubinde hauſta.

Vel. ♃. Aquæ Endiv.
Menth.
Card. bened. aa. ℥j.
Aceti deſtill. ʒvj.
Ocul. canc. præpar. ʒß.
Antimon. diaph. g. xv.
Spir. nitr. dulc. ℈j.
Syrup. cortic. Aur. ℥ß. l, ʒvj.
miſc.

uſurpentur cochleatim.

Convenit etiam in talibus caſibus Miſtura ſimplex *v. gr.*

♃. Aquæ Ment.
Fumar.
Hyſſop. aa. ℥j.
Miſt. ſimplic. ʒj.
Laud. opiat. gr. iij.
Syrup. ſcelot. Foreſt. ℥j.
miſc. pro aliquot caſibus.

D. S.

It. ♃. Aquæ Ment.
Antiſcorb. comp.
Dornkrell. aa. ℥iß.
Tinctur Bezoart. ʒj.
Ocul. canc. præp. ʒß.
Antim. diaph. gr. xv.
Succ. Cydon.
Sirup. Acet. citr. aa. ℥ß.
miſc.
addant.
Laud. opiat. gr. iv.

Hæ Miſturæ conveniunt in dubio ſtatu quando neſcimus quinam ſuccorum peccet.

Theſis 10.

Hi duo liquores præter dictos uſus etiam *pituitam ſeu mucum* inteſtinorum parietibus adhærentem *colliquant*, attenuant, & incidunt, & ſic cum eo per ordinarios ductus partim ſanguini infunduntur, partim verò per alvum exonerantur; *Eſt* autem *mucus* ille nil aliud, quàm *craſſior chyli pars*, dum ejus tenuiores portiones per inteſtinorum foraminula transcolantur relicta, quæ obliniendo inteſtina, ab illorum ſuccorum acrimoniâ eadem defendit, & lubricando eadem chyli fecúmque motum faciliorem reddit.

CAPUT VII.

De chyli ſecreti & tranſcolati ad cæteras partes imprimis ſanguificationis motu.

Theſis 1.

SEparatus ita in duas partes chylus ejus ſubtilior & tenuior ac fluidior pars per porulos inteſtinorum, ita configuratos, ut cremorem hunc lacteum ſolummodo admittant, craſſiores verò partes iis poris non proportionatas imò etiam flatus & aërem excludant, de quo vid. Louver. Tr. *de Corde* p. 212. in vaſa lactea influit & leniter ab iiſdem abſorbetur, reſtitante ejus parte viſcida ſub ſpecie muci, pars verò craſſa excrementitia ſenſim ſenſimque ad inteſtina craſſa motu eorum *periſtaltico* ablegatur, ubi ſub forma ſtercorum excluduntur, dum in recto inteſtino conſtituta moleſtia & pondere idem ad ſui excretionem ſtimulat, quæ tanto eſt major, quo feces ſunt fluidiores, tanto minor, quo eædem craſſiores.

Theſis 2.

Motus autem *Chyli ex inteſtinis ad* reliquas *partes* quo modo & per quæ fiat vaſa ſemper admodum controverſum fuit, unde etiam tanta dubia de organo ſanguificationis & nutrimento partium, oborta fuere. Veteres *Galeni Sectatores* ex inteſtinis attrahi à Venis meſaraicis, chylum ſtatuere, & ad hepar tranſvehi, in cruorem & ſpiritum naturalem elaborandum, inde & *facultatem naturalem* in hepate collocarunt, & ſimul contrarium chyli & ſanguinis motum in meſaraicis fecerunt: *Inventis* verò poſtmodum anno 1626. die 23. Julii, à *Caſparo* Asellio *Ticinenſi venis lacteis*, à colore & proprietatibus contenti liquoris ſic dictis, per has ad Epar motum chyli omnis promoveri creditum fuit, de quo vidend. Asellius in Tr. de *Venis lacteis*, item Walæus in Epiſt. *de chyli & ſangu. motu.*

Theſis 3.

Cùm autem *Iohannes* Pecquetus *Diepæus* anno 1651. trium annorum obſervatione confirmatum ſuum noviter, licèt caſu inventum *receptaculum commune*, in brutis unà cum *ducto Thoracico* ex eo ad *venas axillares* uſque protenſo, divulgaſſet, & Bartholinus loco illius brutorum receptaculi, *glandulas ſuas lumbares* in homine demonſtraſſet, (*licèt nonnulli de his an verum ſint chyli receptaculum dubitent*) creditum omninò fuit partem chyli *craſſiorem* ad hepar per lacteas circa venam portæ ſurſum tendentes; partem verò *tenuiorem* ad chyli receptaculum per reliquas lacteas deferri, ex quo per ductum Thoracicum in ramum axillarem ſiniſtrum infundatur, ut cùm ſanguine per venas redeunte ad cor mittatur, imò in *mulieribus lacteas quaſdam meſenterii ad uterum deferri* chyli partem pro nutrimento fœtus & ramulos quoſdam licèt nondum viſos à *lacteo thoracico ad mammas lactis* chyloſam materiam deferre, probabiliter ſtatutum fuit, & ex iis ſeroſam materiam ad renes transferri ſub urinæ forma poſt paſtum excernendam. Vid. Pecquet. in Tr. *de receptaculo communi*, item Bartholin. Tr. *de lacteis thoracicis.*

Theſis 4.

Sedulitas Anatomicorum tandem uſque eò proceſſit, ut à Bartholino Dano; Rudbeckio Sveco, & Jolivio Anglo ferè eodem tempore, licèt diverſis in locis, circa annos 51. & 52. *vaſa lymphatica* inventa fuerint, quâ occaſione ſimul obſervatum fuit, vaſa ex Meſenterio ad hepar protenſa non eſſe lactea, ſed eſſe lymphatica, ſeroſam materiam ex hepate educentia

tia (ſicut omnia reliqua per viſcera & artus diſperſa lymphatica ex circumferentia corporis ad *truncum thoracicum* & tandem ad cor, ceu commune, centrum liquorem contentum revehunt) unde nihil chyli ad hepar convehi, & omnem receptaculo communi ac tandem cordi infundi, indéque *cor ſanguificationis organum unicum* proclamatum fuit, *Hepatis exequiis* in ſanguificationis negotio *à* BARTHOLINO *celebratis*. Quæ opinio communi Medicorum applauſu, pauciſſimis imò ferè nullis apertè renuentibus fuit recepta. Vid. BARTHOL. de *vaſis lymphat.* item RUDBECKIUS de *ductu Thoracico.*

Theſis 5.

Lugebat Hepar ſuam cladem dum novæ ex inſperato, ipſi feruntur ſuppetiæ à *Ludovico* BILSIO Nobili Flandro, qui à tenera adoleſcentiæ 13. annorum ætate uſque ad ſenectutem ingruentem Anatomiæ operam dando præter artificioſam *cadaverum condituram & incruentam eorum ſectionem* anno 1660. ſe inveniſſe divulgavit, quod alimenta in chylum transmutata præter ſeparationem utilis ab inutili in inteſtinis, ratione vaſorum lacteorum, & meſaraicorum dividantur, ita ut communiter ſic dicta lactea pars ſubtilis tenuiorque inſtar roris per anguſtos meatus transſudet, & ad receptaculum commune transferatur, undè per vaſa (communiter ſic dicta lymphatica, *ab ipſo verò* ob liquorem contentum *vaſa rorifera* appellata) ſurſum partim in cor, & reliquas partes, partim verò deorſum uno verbo *in omnia membra deferatur*, *craſſior verò ejus ſucci* ex inteſtinis *pars*, propriè chylus dicta, in vaſa meſaraica ſanguiflua ingrediatur, *ad hepar* amandanda pro ſuſcipiendo *ibidem ſanguinis rudimento*, quod abſolvatur tandem in corde, ita ut BILSIUS non tantum Hepar antea *ſepultum de novo reſuſcitet* & venarum meſaraicarum munus devehendo chylo denuò renovet, ſed etiam rorem ſuum ab aliis lympham appellatum in vaſis roriferis ex centro hoc eſt receptaculo ad circumferentiam corporis quaquaverſus moveri aſſerat, quod omnibus, qui lymphaticorum mentionem fecerunt, omninò contrariatur. Ejus commendatores pro materia ſalivæ, urinæ, ſynoviæ, lactis, pro nutrimento fœtus rorem eundem venditant, & alii recentiores etiam pro nutrimento partium ſpermaticarum aſſumunt, ut videri poteſt in DEUSINGII *Epiſtola ad Bartholinum de hepatis reſurrectione.* item *in appendice exercitationis de nutrimenti corporis elaboratione.* ZASSIUS item videatur, qui hæc BILSII aſſerta ſextuplici HELMONTII digeſtioni accommodat; ſed *hanc* BILSII opinionem refutatam vide præter omnes alios Anatomicos, à *Iacobo Henrico Pauli* in Anatome Anatomiæ Bilſianæ, & à RUYSGH in Tr. de *valvulis vaſorum lymphaticorum.*

Theſis 6.

Ex his quid verum ſit hariolari potiùs, quàm ſtatuere, res omninò difficilis eſt, *probabilius* interim *videtur*, *Chylum*, ſi non omnem certè maximam ejus parrem, *ex inteſtinis in vaſa lactea exprimi*, id quod αὐτοψία evincit, à lacteis per meſenterii glandulas ſucceſſivè ad receptaculum commune (quod in homine non conſtituunt GLANDULÆ LUMBARES BARTHOLINIANÆ, hæ enim vicariæ ſunt meſenterii MAGNÆ BRUTORUM de quo vid. VVARTHONUS in *Adenographia*, item RUDBECKIUS in *Tabulis Anatomicis*, quæ in HENSTERHASII *neſſe aurea Anatomica* reperiuntur) devehi, ibique cum *lympha* ex inferioribus ramis aſcendente permiſceri, dilui, & ſic ulteriùs continuato pulſionis motu, per *ductum thoracicum* in venam axillarem ſiniſtram infundi, ibique cum lympha ex ſuperioribus ramis deſcendente denuò permiſceri tandémque in *cordis dextrum ventriculum* influere.

Theſis 7.

An verò præterea chyli aliqua *portio ad hepar* quoque *perveniat*, *nondum ſufficienter conſtat*, & an hoc per ramulos quoſdam lacteos, an verò per veterum venas Meſaraicas fiat, validè adhuc dubium eſt. Liquor BILSII *gryſeus* vitro fuſo ſimilis in venis meſaraicis, nemini, licèt experientia ſæpiùs facta, niſi ſibi ipſi ſolum apparuit. Sunt qui COLOREM ET ODOREM CROCI copioſiùs aſſumpti in liquore poſt paſtum in venis Meſaraicis hauſto, ſentiri aſſerunt. Sunt qui EX PURGANTIBUS propinatis liquorem ex venis meſaraicis hauſtum, poſt paſtum purgare dicunt, ſed neutrum ſufficienter confirmant. Modernorum verò nonnulli reſuſcitationi favent hepatis, & experimenta ejus quædam promere promittunt. Sin ergò & quædam chyli portio eò deferatur, probabile eſt eandem cum ſanguine permiſtam alterari, & rudimentum quoddam pro ſanguine ſimul accipere, adjuvante non parum bilis ſubtiliore & volatiliore portione ex veſicula in hepar expreſſa, qua chylus, hoc ſulphure rubicundo impregnatus, faciliùs in ſanguinem abeat.

Theſis 8.

Cæterum *aquoſiores aſſumptorum partes*, *imprimis* quoque *viis ex chylo ſecerni* & antequam ille cum ſanguine permiſceatur, ſeparari, *cita potulentorum in* BIBONIBUS FERÈ UT ASSUMPTA SUNT SUB URINÆ SPECIE, *excretio perſuadet.* Ut & DIABETES, ACIDULARUM POTATIO, ASSUMPTORUM CUM URINIS CITA EXCRETIO ODOR URINÆ violaceus ex therebinthina, croceus ex comeſto croco, fœtor ex aſparago, color ſanguineus ex ſucco opuntiæ, &c. *ſed per quas vias* cita hæc excretio pertingat, *obſcurum* eſt. Probabile videtur chylum copioſum, per vaſa lactea in Meſenterio ad glandulas delatum, ibi quamdam pati ſecretionem utilis ab inutili aquoſâ materiâ, & quod hæc poſteà ceu ſerum chyli per vaſa ſui generis ad partes urinarias amandetur. Hinc rectè clamare videtur HELMONTIUS: diſcite urinam potus ab urina cruoris ſecernere, quaſi nempè illa in meſenterio à chylo, hæc in renibus à ſanguine ſecernatur, de hac urina, & potus, & chyli vid. DEUSING. in diſſert. *depurat. alimentorum pag.* 146. & *in appendice harum diſſertationum pag.* 331. & 334.

Theſis 9.

Lac non generari *ex* ſanguine, ſed ex ſucco viliori nempe *chylo* vel MATERIA CHYLOSA probatum vide in DEUSIG. in *diſſert. de lacte* CHARLETON *in Oecomm. animal. exerc.* 6. *de Galaxia pag.* 25. *in Thoma Cornelio Conſentino* progymnaſm. 6. In SCHNEIDER. de *Catar.* lib. 3. cap. 3. &c. & *fœtum* per os fortè & per *placentam uterinam* nutriri ſucco HUJUSMODI CHYLOSO, ex quo primitùs ſimiliter ovum uterinum concrevit. Vide in *Exercitat.* HARUEI *de generatione animalium*, item in DEUSING. *de geneſi microcoſmi*, item in *Claudio de la* COURVEE *tract. de nutritione fœtus in utero.* Sed an hæ chyli portiones per vaſa lactea, vel his ſimilia, nondum tamen cognita ad has partes deferantur, an vero ex chylo cum ſanguine permiſto nondum ſubacto, ſed adhuc crudo, & copioſo ſero diluto delata ad has partes in iis ſeparetur à reliqua maſſa, quæ modernorum plurimorum eſt ſententia, adhuc dubium eſt. Prior ſententia facilior quidem, ſed ob incognitas adhuc vias minus cetta: Poſterior eſt difficilior, ſed tamen probabilior. Quod ſimiliter de materia ſeminis ex quâ intelligendum venit.

CAPUT VIII.

CAPUT VIII.

De Chyli in ſanguinem converſione & ſanguiniſque fermentatione.

Theſis 1.

CHylus lymphæ permiſtus in axillarem venam ſiniſtram per ductum chyliferum thoracicum infunditur ibique cũ ſanguine permiſcetur, ab eo reſolvitur & ſubigitur, ejuſque motum cordis auriculam dextram dextrumque cordis ventriculum illabitur, ex quo per pulmones in cordis ventriculum ſiniſtrum pellitur, ex quo per arteriam magnam ſeu aortam per totum corpus tàm ſurſum quàm deorſum ulterius movetur.

Theſis 2.

Dum ita movetur *chylus cum ſanguine* confuſus *ſenſim ſenſimque ſubigitur* ſucceſſivè permiſcetur, alteratur, & tandem ſucceſſu temporis in ſanguinem ſimiliter mutatur, quæ mutatio SANGVIFICATIO dicitur. In hoc negotio ſanguificationis *cor ipſique annexa vaſa ſe habet puré paſſivè*, & nihil, quàm locum his liquoribus concedunt pro motu. Eſt enim COR OFFICINA in qua peragitur iſta transmutatio, eſt olla vel vas in quo fit coctio, eſt inſtrumentum quaſi chymicum certo modo fabricatum, in quo fit iſta digeſtio. Eſt enim *ſanguificatio actio* non ORGANICA, ſed tantum *ſimilaris* conſiſtens in aſſimilatione chyli cum ſanguine. Hinc & ipſum cor non ſecus ac reliquæ partes ſuam vitalitatem, calorem, motum, & activitatem debet tantum SPIRITIBUS ET SANGUINI per ejus ventriculos circulato, & per vaſa coronaria in ejus ſubſtantiam diſtributo, quibus deficientibus & ipſum languet & deficit, unde *ſyncope* cordis non eſt affectio, ſed ſpirituum & maſſæ ſanguineæ, de quo videantur CHARLETON *in Oeconomia animali* pag. 51. item GLISSONIUS *in Anatomia hepatis* pag. 13.

Theſis 3.

Tranſmutationem chyli in ſanguinem fieri per ELIXATIONEM à calore cordis innato, veterum fuit hypotheſis. cum qua Modernorum congruit ſententia, ſanguinem repetito curſu ad cor delatum à FLAMMULA VITALI in ejus ſiniſtro ſinu flagrante rarefieri, incaleſcere, & accendi, & ita chylum permiſtum ſimul attenuari, reſolvi, ſubigi & alterari, & ita in ſanguinem mutari. Sed cum hæc ſententia ex dictis ſuprà de principio vitali per ſe corruat, illorum videtur probabilior ſententia, qui eandem *per fermentationem fieri*, tradiderunt, de qua etiam fermè non ampliùs dubitatur. Videatur KERGERUS *de fermentatione*, pag. 206. & ſequ. WILLIS *de febribus* cap. 1. 2. DEUSING. *diſquiſit. de nutrimenti animalium elaboratione cap. de ſanguificatione.*

Theſis 4.

Cæterum dubium occurrit, an ſanguis *ſolum in ſe habeat vim fermentando* aſſimilandi chylum, quatenus fermentativis particulis copioſè turget, cùm quibus chylum beneficio continui motus & agitationis Maſſ. Sang. per vaſa & viſcera delatus, per minima miſceatur, ſubigatur donec perfectè aſſimiletur: ea ratione atque muſtum vino confuſum fermentando in vinum abit, aut vinum cum aceto aceſcit. Videatur CHARLETON *in Oeconomia animali* pag. 53. exerc. 4. *de ſanguificatione*, item GLISSONUS *in Anatom hepat's* cap. 33. NEDHAM *de formato fœtu.* cap. de BIOLYCHNIO. An verò in *cordis ſinibus aliquod ſit principium* hujus transmutationis primario efficativum, à quo ſanguis, per venas effluens, de novo, quaſi vivificetur, & chylus ſimul alteretur, donec ſucceſſivè in ſanguinem abeat, alibi videbimus.

Theſis 5.

Cùm priori Opinione congruit ferè SYLVII *ſententia*, qui ex lympha acidula cum ſanguine per venas axiliares deſcendente, & ex bile cum ſanguine per truncum venæ cavæ aſcendente, talem ob contrarietatem *acidi ex lympha cum ſale urinoſo ex bile* in cordis ſinibus efferveſcentiam oriri vult, qua ſanguis non tantum incaleſcat, accendatur & ſpirituaſcat, ſed chylus etiam ſimul transmutetur; ſed plurimis hæc hypotheſis premitur difficultatibus. Nam 1. *iſte bilis* motus omninò eſt incertus & dubius. 2. *lympha* non eſt adeò inſigniter acida, nec ſanguis aſcendens adeò bilioſus, ut tam impetuoſa ex his fieri poſſit efferveſcentia. Sunt enim omnia in corpore noſtro temperata, imprimis ſi 3. *cum ſanguine miſceantur*, qui liquor omninò eſt mitis, & iſtorum ſuccorum ſuppoſitam acrimoniam non leviter mitigat.

Theſis 6.

Probabilior ergo eorum eſt ſententia, qui originaliter ſanguinis fermentationem & per eam chyli tranſmutationem *à principio quodam* fermentativo in ſiniſtro cordis ſinu ſtabulante deducunt, ob id namque *toties per cor tranſit* omnis ſanguis, ut primo languidus & effœtus Spiritibúſque depauperatus denuò exſuſcitetur. 2. *ob id chylus* tam longo tramite ex inteſtinis per longitudinem dorſi per ductum thoracicum ad claviculas uſque aſcendit, ſanguini permiſcendus, ut eo propiori via ad cor deferatur, ubi leviter anteà cum ſanguine ex vena ſubclavia ad dextrum cordis ventriculum fuerit permiſtus, ſubactus & ita quodammodo præparatus. Hoc confirmatur à prima ſanguinis in fœtu origine, qui *ex puncto ſaliente*, id eſt ſiniſtri cordis ventriculi inchoamento primitus producto tanquam ex ſuo fonte ſcaturiens, & per orbem iſtum repetens ſua purpura demum ſe conſpiciendum præbet: & huc pertinet omnis pulmonum & vaſorum circa cor fabricatorum apparatus, qui eò tantum ſpectat, ut novam & ſingularem alterationem in & circa cor de novo ſanguis recipiat.

Theſis 7.

Principium hoc in corde *alterativum* à quo de novo ſanguis effœtus à partibus refluus fermentatur, & ſimul chylus tranſmutatur *non eſt cor quatenus pars organica*, hac enim ratione tantummodo motui ſanguinis inſervit, ſed *eſt fermentum quoddam ſingulare* in ſiniſtro cordis ventriculo habitans, de quo videatur BACKIUS *tract. de corde* & HELMONT *in tract. Spiritus Vitalis*, item *Blas humanum*, item *ſextuplex digeſt.* &c. *Fermentum hoc eſt* nihil aliud, quam *ſpiritus vitalis*, in prima ſeminali materia hoſpitans, & incubationis calore excitatus primò in puncto ſaliente ſe manifeſtans: à quo, ut primitus ſanguis elaboratur, pro ſucco totum corpus conſervaturo; ita ab eodem poſtmodum per totum vitæ curſum idem opus continuatur: & hoc ſenſu CHARLETON & GLISSONIUS loco ſuprà citato ſpiritum vitalem in ſanguine principium hujus effectivum conſtituentes, nobiſcum conciliari poſſunt.

Theſis 8.

Fermentum hoc eſſe *ſalinum volatile*, & *urinoſum* à quo ſanguis fermentativo contactu exaltetur in ſpiritum vitalem volatilem, non incongruè ſtatuit HELMONT ſub qua ſanguinis fermentatione & exaltatione eidem confuſus chylus ſimul alteratur & ſanguini *ſucceſſivè* aſſimilatur. Uti ergò in chylificatione regnat imprimis fermentũ acidum volatile: ita in ſanguificatione

dominabitur ſalſum volatile. Hoc ipſum ſub generationis primordiis in puncto ſaliente enatum, poſtmodum in corde à ſanguine jugiter influente & ſpirituеſcente conſervatur, & reſtauratur, donec effœtum & ſenſim deficiens, ab opere deſiſtat & ſanguificationis ſimulque vitalitatis circulum terminet.

Theſis 9.

Tranſmutatio ergo *chyli in ſanguinem* & ſanguinis renovata fermentatio *fiunt hoc modo:* Chylus ſanguini permiſtus in ſubclavis attenuatur, ſolvitur, & ſubigitur, & cum eo ad cor defertur. In hujus dextro ventriculo ſanguis ex inferioribus & ſuperioribus vaſis concurrens, nonnihil rareſcit & turgeſcit, quod in pulmonibus ex aëre penetralia ejus ſubeũte inſigniter promovetur, donec ad ſiniſtrum delatus ventriculum ab ejus fermento tota maſſa diſſoluta infletur & in ſpumoſam ac impetuoſam abeat fermentationẽ, qua particulæ maſſam ſanguineam componentes imprimis acidæ & ſalinæ urinoſæ in ſe invicem agere, & mutuis concurſibus ſe ſubigere incipiunt, quos tamen intermiſtæ partes, tàm aquoſæ, quàm ſulphureæ & oleoſæ rarefactæ *temperant. & coërcent*, ut æquabili nec nimis impetuoſa efferveſcentia agitentur & incaleſcant. Ex concurſu & nexu partium harum ſulfurearum cum ſalinis exſurgit talis maſſæ mixtura, ut oriatur inde Tinctura ſanguinis rubicunda, *dum ſulfur ſeu oleum bilis* quod tinxerat chylum in Inteſtinis unà ſe explicant, & cum ſalinis urinoſis ſe permiſcendo acida verò temperando, chylum à reliqua maſſa ſubactum, ſenſim rubore inveſtit, Vid. MOEB. *in Inſtit.* cap. 11. pag. 55. item *in fundam.* cap. 12. pag. 253. VVILLIS de *Febr.* cap. 1. Ex harum ergo partium certa, facilè tamen *diſſolubili miſcela*, exurgit tandem hicce liquor ſalinus volatilis oleoſus, quem ſanguinem appellamus, qui ex corde, hujus contractione promotus, in arterias abit, ebullit, indéque per totum corpus diſtribuitur tandem ad cor rediens ſimili modo ſuſcitandus & diſtribuendus.

Theſis 10.

Dum hæc fiunt in ſanguine, partes ejus tenuiores & ſubtiliores ſalinæ volatiles, à craſſiorum liberatæ compedibus, ſe extricant, magiſque vi fermenti cordis volatiliſantur & attenuantur, ac vitaliter illuminantur, ſimulque Idearum in omnium vitalium characteribus inſigniuntur, & ita in veros abeunt *ſpiritus vitales* cum ſanguine ceu validior ejus pars in univerſum corpus diſtribuendus. Eſt enim *Spiritus vitæ* ut loquitur HELMONT *ſanguis à fermento cordis reſolutus in auram ſalſam & illuminatam.*

Theſis 11.

Cæterum hæc tàm ſanguinis fermentatio quàm chyli tranſmutatio, ut ritè perficiatur, tàm ab ipſius ſanguinis, quàm etiam *chyli debita craſi* & conſtitutione plurimum dependet. Hac enim vitiata & vitiatur ſanguinis fermentatio & chyli legitima aſſimilatio. Craſis hæc eſt nihil aliud quam textura mutua particularum imprimis ſalinarum maſſam ſanguineam componentium, quarum unio & cohæſio talem liquorem determinatum conſtituit. Sicut particulæ variæ, quæ vini conſtituunt liquorem, tali textura ſunt unitæ, ut exinde liquor ortæ craſeos oriatur; namque quod veteres dixerunt temperamentum, ceu qualitatem quæ reſultet ex qualitatibus elementorum miſta componentium, hoc moderni texturam particularum in compoſitione corporum indéque reſultantes diverſas proprietes, craſeos ſeu conſtitutionis nomine appellant.

Theſis 12,

Sanguinis quod attinet *craſin*, ſi ejus liquor ſit ritè coctus & volatiliſatus & inſtar *vini generoſi* ad maturitatem evectus, tunc debito modo fermenteſcit & ſpirituaſcit in corde & æquabilem blandúmque calorem per totum corpus diffundit: ſin verò ex vitiata ejus craſi vitioſè fermentetur, varii morbi in ſpecie omne *febrium genus* mox corpus affligunt. Dependet hæc ſanguinis craſis & conſtitutio imprimis à duplici iſto ſale *acido & urinoſo volatilibus*, quæ legitimè proportionata & aliis particulis intermiſta & temperata æquabilem & blandam conſervant fermentationem: Sin verò vel unum excedat activitatem alterius, vel unum aut ambo ſint vitioſè depravata, læditur periculoſè ſanguinis fermentatio, urinoſo enim ſale excedente ſanguinea maſſa *diſſolvitur & fatiſcit*; acido verò excedente eadem *coagulatur & grumeſcit* non ſpirituaſcit & tardè circulatur. Sin depraventur, quod innummeris poteſt fieri modis, *ut peregrinos acquirant ſapores*, depravatur vitalis fermentatio, unde ſcorbutus, cachexia, lues cuprea, malum hypochondriacum, &c.

Theſis 13.

Hæc verò *ſanguinis diſpoſitio præter ſex res non naturales* imprimis *dependet à chylo* prout hîc à primis viis ipſi tranſmittitur, qui naturaliter *ſalinus volatilis*, debita bilis pro ſanguificatione Tinctura impregnatus eſſe debet. Quod ſi ſit non ritè digeſtus, ſed vel *crudus*, *acidus* & viſcidus, non ritè fermentabitur in corde, ſed in liquamen crudum & viſcidum abit, indéque ſanguinis iſta corruptio, quæ ab acido abundanti oritur; vel ſi *crudus* & *nidoroſus*, tum corrumpitur à ventriculo, in liquamen flavum inſipidum & pingue abit, unde corrupta ſanguinis maſſa & depravatæ ejus exſurgunt fermentationes. Viſcera equidem reliqua, lien, hepar, teſtes, in utrόque ſexu tribuunt ſuam quoque partem pro ſanguinis ſtatu aut naturali aut præternaturali, ſed horum fermenta ut plurimum à ſanguine vel chylo corrupto primitus ſunt depravata, unde in Praxi utriſque ſimul proſpiciendum.

Theſis 14.

Cæterum *Chylus unico per cor tranſitu in ſanguinem abire nequit* ob brevem, quam ibi nectit, moram, quæ non ſufficiens eſt ad tantam tranſmutationem, hinc evenit, quod ſi cani ſaginato poſt 4. vel 5. horas à paſtu ſanguis detrahatur, hic refrigeratus *chyli lacteſcentis* ingentem copiam, coagulo cruoris ſupernatantem, exhibeat. Sin verò jejunum animal aut plures horas impaſtum ſimili modo tractaveris, nihil chyli in cruore apparet, ſed ſerum nudum aquoſum, quod tamen coagulatum dare ſolet *gelatinam lacteam*, nunc copioſiorem, nunc minus copioſam, prout plus vel minus chyli in partium nutritione & ſanguinis aſſimilatione fuit abſumptum de quo videat. LOVVER. *in Tractat. vindic. Vvilliſ.* pag. 44. item *in Tractat. de corde* pag. 227. & 229. Pertinet huc gelatina iſta albicans quæ Venæ-ſectione emiſſo ſanguini humano non raro ſupernatat, & vulgo pituita vocari ſolet, reverà tamen chylus eſt, nondum perfectè aſſimilatus, ut ſtatuit Dn. VAN HORNE teſte PLEMPIO *in fundament. Medic.* lib. 2. ſect. 3. cap. 1. Videatur etiam HARVÆUS *de generat. animal.* exerc. 52. unde & tot proſtant obſervationes ſanguinis albi inſtar lactis ex vena ſecta emiſſi, etiam in ſanis hominibus, ob chylum ſcilicet nondum ritè aſſimilatum videat. RHODIUS *in Cent. 1. obſ.* 36. item *Cent.* 3. *obſ.* 32. SCHENCK. *in obſ. lib.* 3. *pag.* 418. BARTHOLIN. *in hiſt. lactear. thorac. cap.* 13. BERELLUS *in Cent. 1. obſ.* 25. GRAFF *de organis virorum generationi inſervientium pag.* 84. MAJOR. *in diſſert. in lacte argentina* cap. 10. §. 12. SCHNEIDER. *lib. 3. de Catarr. pag.* 101. MOLENBRACK *de Arthritide vagâ cap.* 8. *pag.* 50. Lac pridie hauſtum per

Venæſectio

Venæſectionem in cubito cum ſanguine effinxiſſe in puella notat BARTHOLINUS *in Cent.* 1. *hiſt.* 17. id quod in viro plethorico obſervatum refert. SCHENCK. *in obſervat. cit. loco.* Imò ipſæ ſanguinis fibræ rubicundæ apparentes revera albicant & chyli videntur proles videat. KNOFEL *in methodo medendi febres Epidemicas pag.* 55.

Theſis 15.

Sicut ergo naturæ imitatrix Chymia ſæpius repetitis digeſtionibus & circulationibus ſuum opus tandem perficit: ita & natura per crebriores circulationes chylum tandem ſanguificat. Variatio tamen hic obſervanda non minor quàm in chylificatione 1. ratione ætatis, 2. ratione ipſius in ſanguine fermentationis, quæ nunc vehementior, ut in juvenibus & naturaliter conſtitutis, nunc debilior, ut in ſenibus vel morbo diuturno laborantibus. 3. ratione generis vitæ, qui laborant, citius, qui ſedent, tardius ſanguificant. 4. ratione temporis, anni, vere & æſtate celerior, autumno & hyeme tardior eſt ſanguificatio. 5. ratione chyli, qui, prout nunc magis eſt ſalſus volatilis, nunc minus, & vel viſcidus vel acidus vel non ritè volatiliſatus, &c. celerius vel tardius in ſanguinem abit. 6. accedunt animi affectus, qui variè ut agitant Maſſ. Sang. ita & fermentationem ejus hincque chyli transmutationem vel tardant, vel accelerant.

Theſis 16.

Maſſa ergo ſanguinea pro nutritione & ſuſtentatione *partium ſanguinearum & ſpermaticarum* per vaſa rapta, tam chylo conſtat, quam ſanguine propriè ſic dicto; qui ex illo, nempe chylo, reſtauratur & conſervatur, pro continua ſpirituum generatione, &c. ex *chylo ergo in ſe homogeneo* & univoco, univoca fermentationis actione quid aliud quam *univocus ſanguinis* generabitur liquor. *Falſum ergo eſt, ex quatuor humoribus omnino inter ſe differentibus, quatuor Elementis & his ſuperſtructis quatuor qualitatibus primis, & quatuor temperamentis analogis conſtare ſanguinem:* Nam *differentes iſtæ partes*, in quas ſeparatur maſſa ſanguinea *venæ ſectione emiſſa* poſt ſui congulationem & infrà ſerum ſubſidentiam, *non actu inſunt* ſanguini, ſed partim *ab alteratione per aërem* inducta fiunt, unde ſanguinis floridus color in ſuperficie, quo uſque aër ſcilicet penetrare valet, partim *ex ſanguinis emiſſi oriuntur corruptione* & incipiente putredine, unde reliqua maſſa nigricans & obſcura, quæ luculento experimento confirmatur à LOVVERO *tract. de corde pag.* 175. & 178. item ab HELMONT *in tractat. Scholarum humoriſtarum paſſiva deceptio cap.* 1. §. 46. 47. item à FRACASSATO *in Epiſt. de cerebro pag.* 377. & 378. vanæ ergo ſunt *omnes ſpeciales* ex ſanguine emiſſo *judicia & prædictiones. Sanguis* 11. licèt in ſe homogeneus & per totum ſimilis *in unoquoque* tamen *homine peculiarem & ſingularem habet ſuam craſin* de quo vid. HELMONT *Tractat. citato pag.* 50. ex radicali ejus conſtitutione & ſub generationis primordiis miſtione oriundam, à qua omnis temperamentorum, ut vocant, diverſitas, & *idioſyncraſiæ* quamplurimæ dependent. Quæ ſanguinis conſtitutio & inde orta attributa in colore & conſiſtentia unicuique propriâ, cum à nemine cognoſci poſſit, ſane nec de ſanguine venæ ſectione emiſſo, an multum vel parum à ſtatu naturali declinet, judicari poteſt. Imprimis cum brevi poſt ob corruptionem & putredinis notam extra vaſatus, ei, qui in vaſis adhuc fluctuat, *omninò fiat diſſimilis.* Imò cruor optimè coloratus & elegans maligni & lethalis morbi ſignum non rarò exhibet, ſicuti peſſimus apparenter ſanguis ex ſanguis ex ſano ſæpè elicitur. Teſte SIMONE PAULI *in digreſſione de febrib. malign. pag.* 14. & 15.

Theſis 17.

Chylus legitimè & naturaliter conſtitutus *totus* abire in ſanguinem aptus natus eſt in ſanis: Quod ſi verò hoc non contingat, ſed vel *proprio* vel SANGUINIS vitio depravetur, *partes ejus excrementitiæ per fermentationem ſeparantur* à partibus & quaſi *præcipitantur*, , ſeróque imibibitæ & ab eo abſorptæ, partim per poros cutis, partim verò per urinarias vias excernuntur, quod in ſanorum urinis claris & optimè alias coloratis *circa fundum ſubſidere ſolet*, quales urinæ in ſanis imprimis mediæ ætatis, vel non, vel rarò; dum nempe crapula indulgent, requiruntur In ſenibus verò & morboſis ſæpiùs tales conſpiciuntur.

CAPUT IX.

De ſanguinis ad reliquas partes diſtributione diſtributique uſu.

Theſis 1.

SAnguis in corde fermentatus & rarefactus, cor diſtendit, quod ſe contrahit & liquorem contentum extra ſe expellit, qui *in arterias irrumpit, & in totum corpus diſtribuitur uſque in minutas arteriolas* ſeu capillaria vaſa, *ex quibus intrat capillaria venarum*, partim immediatè per *minutas anaſtomoſes*, partim mediatè *per ſubſtantiam* ſeu porulos partium, *per quæ ad majores truncos abit, unde in cor refunditur:* qui *motus* cum ſit *in circulum*, Autoribus HARVEO *Anglo* & CONRINGIO *Germano* inventus, (revera tamen primus hujus inventi author fuit *Paulus* SARPA, religioſus Venetus vid. BARTHOLIN *in Epiſtol.*) *dicitur circularius* cujus *centrum* eſt *cor*, *peripheriam* verò conſtituunt *arteriæ* & venæ, arteriæ quidem ex corde exportant & in membra important; Venæ verò ex membris exportant, & in cor reportant. Hinc ubique arteriis reſpondent venæ & contra, *cerebri cortice & hepate* tantum *excepto.* Nam arteriolis copioſiſſimis cerebri reſpondent ſinus in dura matre exſculpti, & venis jugularibus continui, venis verò hepapatis reſpondent venæ portæ, arteriarum vicem in importando ſuſtinentes. De hoc motu circulari videant VVALÆI *Epiſtolæ*, CHARLETON *Oeconomia animali exercit.* 6. HARVEUS *de motu ſanguinis* CONRING. *de generatione & motu ſanguinis.*

Theſis 2.

Motus hic pulſorius omnes motus *veras habet conditiones.* 1. movens eſt *cor.* 2. mobile eſt *ſanguis*; 3. terminus à quo in arteriis eſt *cor*, in venis partes *corporis*; 4. terminus ad quem in arteriis ſunt *partes corporis*, in venis eſt *cor.* 5. adeſt & certum tempus in quo fit, pulſus. Duplici conſtat motu hic pulſus cordis & arteriarum. 1. eſt *verus* & propriè dictus, qui eſt *contractio ſeu* SYSTOLE. 2. impropriè ſic dictus qui eſt dilatatio ſeu DIASTOLE, illo agunt hæ partes dum ſe contrahunt, in hoc verò patiuntur, dum dilatantur: Cor quidem ex ſanguinis expanſione, arteriæ verò ex ejus impetuoſa irruptione. Inter utrumque motum intereſt etiam quies neceſſaria, licèt non adeò ſenſilis, PERISYSTOLE dicta.

Theſis 3.

Cor ergo ex ſanguine, ex auriculis illapſo & dilatato, *expanditur*, qua expanſione fibris ejus expanſis & ſic *irritatis* hoc eſt læſionis quodam ſeu nimio diſtenſionis ſenſu affectis copioſè per nervos irruunt *Spiritus animales*, qui has fibras inflant, inflatas contrahunt, qua contractione conus ad baſin cordis movetur, motu aliquo modo quaſi *turbinis* contorto, unde parenchymate

craſſeſcente anguſtantur ventriculi, donec expulſione iſta facta Spiritus ceſſant ab iſta inflatione, unde cor ceu flaccidum denuò ſubſidit; & illabentem ſanguinem recipit. Eſt enim *cor* REVERA MUSCULUS, *muſculorum in modum movetur*, ut olim ſtatuit HIPPOCRATES & noviter id confirmavit STENO *in obſervat. de glandulis & muſculis*, item LOUVERUS *in Tractat. de Corde*. HIGHMORUS, &c.

Theſis 4.

Cor dum ſe inſtar muſculi contrahit cum impetu ſanguis rarefactus exprimitur in Arterias quarum tunica *craſſa & nervea* ab impellente iſto ſanguine violenter & cum impetu dilatatur ſumulque qui in ea eſt ſanguis ulterius pellitur, ex qua promotione *pulſus* omnium *arteriarum* in toto corpore contingit; quia autem iſto impulſu dilatatæ, fibris ſuis *circularibus nerveis* ſe denuò contrahunt, ſanguinem eas dilatantem in venas propellūt, donec novo ſanguinis impulſu denuò dilatentur. Dependet ergo arteriarum motus à ſolo cordis impulſu & hinc facta ſanguinis irruptione, dilatantur enim quia implentur, quod modernorum transfuſio ſanguinis ulterius confirmat. Vid. HARVEUS *de motu cordis & ſanguinis*, item PLEMPIUS *in fundam. Med.* pag. mihi 130. 173.

Theſis 5.

Non pulſant autem *venæ* 1. quia ſanguis non tanto impetu in eas irruit. Nam vaſa capillaria & pori partium ang ſti ejus impetum refrenant. 2. quia earum tunicæ ſunt molles & facilè cedunt ſecus ac in arteriis. 3. quia movetur ſanguis ex minoribus ad majora vaſa, unde cum habeat ſemper majus ſpatium tam impetuoſa tunicarum diſtenſio ſenſim remittit. 4. Sanguis non eſt adeò tenuis ſubtilis & æſtuans ut in arteriis, unde placidiùs movetur *Vena cava* tamen circa inſertionem *prope cor* ut plurimum etiam *ſolet pulſare*, hoc obſervat *VValæus in Epiſtolis de motu ſanguinis*, idque ob fibras quas obtinet nervoſas.

Theſis 6.

Ex requiſitis jam ad motum iſtum, nempè movente ſpatio in quo fit motus, tempore, inſtrumento & mobili, emergunt iſtæ *quinque pulſuum differentiæ ſimplices* & generales, nempè primo, *magnus & parvus*; 2. *celer & tardus*; 3. *frequens & rarus*; 4. *vehemens & debilis*; 5. *mollis & durus*, de quibus videat. SYLVIUS *in diſſert. Medic.* 3. his aliqui addunt differentiam ſextam, nempè pulſum *plenum & vacuum*, qui tamen ad magnum & parvum referendus.

Theſis 7.

Unus idémque ſanguis eſt, qui per arterias & venas circulatur, *accidentales* tantummodo habet quaſdam differentias. Nam 1. arterioſus ſanguis eſt ſeroſior venoſo propter urinam, lympham, & inſenſibilem tranſpirationem, quæ ſeroſitatem ſanguinis arterioſi imbibunt. Videatur BARTHOLINUS *hiſt. anatom.* 29. 2. ex hac ratione ut & propter copioſos Spiritus arterioſus ſanguis eſt longè tenuior, ſubtilior & calidior, venoſus verò eſt craſſior, & tepidior; hinc & imprimis ob ſpiritum arterioſus propriè dictus eſt ſanguis, venoſus verò cruor. 3. *arterioſus* eſt rubicundior & floridior, venoſus eſt obſcurior & nigrior, ejus cauſa eſt in aëre, cujus inſpiratu in pulmonibus attenuatus ſanguis arterioſus, floridior apparet venoſo. Videat. LOUVERUS *in vindicatione pyretologiæ VVilliſianæ pag.* 50. *& tract. de corde pag.* 174.

Theſis. 8.

Finis tandem *circulationis* eſt, ut ſanguis novo vitali vigore in pulmonibus & corde imprægnetur, qui antea longo ejuſdem per corpus motu ſenſim erat infractus. Conſiſtit autem hic ipſe in renovata ſanguinis æquabili fermentatione, indéque nova caloris ex ſuſcitatione & ſpirituum vitalium regeneratione.

Theſis 9.

Motum ſanguinis per orbem hactenus vidimus, ſuper eſt conſideremus, quare continuo adeò motu in univerſas partes diſtribuatur. *Veteres* unanimi conſenſu *omnes partes ſanguine nutriri & augeri aſſeruerunt*, & cum ſanguis quatuor conſtet partibus diſtinctis, etiam unamquamque partem convenientem ex ſanguine portionem ſibi allicere crediderunt. Non obſervantes interim quomodo v. gr. decem diverſi ſurculi uni arbori inſerti, unico ſucco à radice transmiſſo diverſimodè nutriantur & augeantur.

Theſis 10.

Sed cum accuratiori ſcrutinio obſervatum fuiſſet, *homogeneum liquorem* eſſe ſanguinem, eum ſolum corpus noſtrum nutrire non poſſe; ob diverſitatem partium, concluſum fuit: unde *Angli ſuccum* quendam albicantem, roridum *ex nervis* allatum, *pro nutriendis partibus ſpermaticis commenti ſunt*, de qua Opinione vide GLISSONIUM *in Anatomia hepatis cap.* 45. CHARLETON *in Exercitat. de ſanguinis uſu & ſucco nutritio nervorum*, item ENTIUS *in Apologia ſanguinis contra Pariſanum*; Sed hanc opinionem *refutarunt & rejecerunt* BARTHOLINUS *in ſpicileg.* 1. *cap.* 3. item STENO *de glandulis oris* §. 32. *& ſequ.* DEUSING. *in exercitat. de ſanguinis uſu & commento ſucci nutritii per nervos influentes.* BARBATUS verò præter ſanguinem etiam ſero partes nutriri aſſerit *in diſſert. de ſanguine & ejus ſero.* BILSIUS verò rorem ſuum ſubſtituit, eúmque nervoſas partes nutrire, vel ſaltem ad nutritionem diſponere ſtatuit.

Theſis 11.

Ut, quod probabilius videtur, diſſeramus, conſiderandus venit ſanguinis ſtatus, hunc ex chylo infuſo continuò reſarciri notum eſt, non autem chylum unico per cor tranſitu in ſanguinem abire, ſed ſenſim ſenſimque, idque pro ſubjectorum varietate nunc citius nunc tardiùs, ſuprà fuit oſtenſum. Probabile ergò videtur *ſanguinem* (dum conſideratur quatenus per vaſa circulatur) ad omnes corporis partes diſtribui, ut eos per Spiritum vitalem vitali vigore animet, ſimul tamen etiam *naturaliter nutriat* & augeat, *ſed pro diverſitate partium diverſimodè*, partes nempè ſpermaticas dictas parte ſui chyloſa, nondum in ſanguinem transmutata, parte verò ſanguinea perfecta partes ſanguineas. Cui ſententiæ adſtipulantem vide BARTHOLIN. *Cent.* 2. *Epiſt.* 65. *pag.* 612. item *Cent.* 3. *Epiſt.* 38. *pag.* 141. SCHNEIDERUM *de Catarrhis lib.* 2. *pag.* 85. item *lib.* 3. *pag.* 95. quo ſpectat etiam gelatina ſeri lactea de qua BARTHOLIN. *Cent.* 2. *Epiſt.* 33. item BARBATUS *de ſangu. & ſeri uſu.*

Theſis 12.

Rationes, quæ hoc nutrimentum duplex perſuadere videntur, ſunt 1. *ſerum*, dum à ſanguine ſeparatum eſt, ſi leni calore exhalat, *concreſcit in gelatinam albam ſpermaticis* partibus admodum ſimilem, quam fruſtraneam eſſe aut inutilem nemo dicet. Nutrimentum verò hanc eſſe ſpermaticarum veroſimile eſt: & hac ratione facilis cum BARBATO eſt reconciliatio, quatenus nempè pars chyloſa à ſero imbibita gelatinam iſtam conſtituens, ſpermaticas partes nutrit, & ita BARBATUS continens ſerum, nos vero in eo contentum chylum nominamus. 2. Statuta eſt ſententia ab omnibus: quibus conſtamus, iis nutrimur & augemur, jam verò partes ſunt duplices, ſpermaticæ & ſanguineæ, illæ ex rorido, albumini ovorum ſimili, liquore, in ovo uterino generantur, quibus ceu ſtaminibus

poſtmodum

poſtmodum per ſanguinis adhæſionẽ, ſanguinea *parenchymata*, id eſt, ſubſtantiæ viſcerum peculiares agglutinantur. Vid. HARVEUS hinc inde *in generat. animal.* & in ſpecie CLAUDIUS *de la* COURVEE *tractat. de nutritione fœtus in utero part. 2. cap. 6. 8.* Duplex ergo alimentum requiritur illis aſſimilandum, *chyloſum nempè pro ſpermaticis, ſanguineum pro ſanguineis.* 3. quo craſſiores ſunt homines, & quo magis nutriantur & augeantur, eo videtur ſanguinis fermentatio debilior, eóque tardior chyli in ſanguinem transmutatio, indéque chyloſi alimenti major abundantia: hinc phlegmatici & ſanguinei ut ſunt proceri, ita etiam craſſi, illi tamen magis quam hi. Cholerici verò ſunt macri & parvi: prout enim corpora craſſa emaciantur exercitio, quiete verò pingueſcunt denuo: ita in illis etiam lenta eſt & blanda ſanguinis fermentatio: In his verò eadem citata, unde ibi uberior chyli abundantia propter tardam aſſimilationem, hîc vero nutrimenti chyloſi paucitas ob citam ejus in ſanguinem converſionem. Ex eodem fundamento infantes & juniores citius augentur quam ſeniores, in quibus recens natis & junioribus pluribus in locis lacteus liquor reperitur. 4. *in vulneribus* partium nervoſarum deſtillat *aqua quædam limpida Synovia* dicta poſt cujus nimirum fluxum exareſcunt membra: illa ergo aqua videtur nutrimentum proximum illarum partium, licèt ob alterationem à vulnere corruptum: ſic in oſſium fracturis adnoſcitur *callus ſimilis oſſium ſubſtantiæ*, qui oritur ex nutrimento oſſis in motu ſuo imped to hinc coacervato & tandem coagulato, qui nullomodo ſanguini ſimilis. 5. Impoſſibilis eſt explicatio quomodo ſanguis iſte rubicundus poſſit in *liquorem lacteum ſ. albicantem* pro nutriendis ſpermaticis partibus converti, *præcipitant equidem acida multa rubicundiſſima* in albam ſubſtantiam, ſed hoc fieri nequit in ſanguine; qui ab acido magis ingreſcit & ſpiſſeſcit 6. *per diuretica craſſa corpora* valde emaciantur, quale exemplum vide in HELMONT. Tract. *latex humor neglectus* §. 44. *& in* SCHENKIO *lib. 3. obſerv. de diabete.* item *maſticatione foliorum Tabaci* per copioſam ſalivationem ingens corporis craſſities curata refertur à BORELLO *in Cent. 2. obſ. 11.* item per Terebinthinam inductam extenuationem obſervatum à FOREST. *in lib. 31. obſ. 10.* Tartari uſus crebrior corpora emaciat, nam urinam provocat *ratio alia dari nequit* quàm quod ſeparatum copioſius ſerum per urinam & cum eo pars nutrimenti chyloſi liquefacta & reſoluta evacuetur.

CAPUT X.

De Pulmonum & reſpirationis uſu.

Theſis 1.

Sanguis in dextro cordis ventriculo rarefactus, & chylus cum eo ſubactus *per arteriam pulmonalem* ſeu venam arterioſam *in pulmones* expelluntur, ibique *ex hoc vaſe in venam pulmonalem* ſ. arteriam venoſam transcolati, *in ſiniſtrum cordis ventriculum devehuntur.* Quod ut fieri poſſit *dilatari* debent *pulmones*, ut arteria pulmonalis ſanguine infarcta, illorum dilatatione poſſit tranſmittere ſanguinem in venam pulmonalem, quæ tranſmiſſio ſine dilatatione pulmonum impoſſibilis eſt, uti paſſim demonſtrat SCHWAMMERDAM *in tract: de reſpiratione in ſpecie cap. 3.* pag. 8. quæ *Pulmonum dilatatio* cum *non fiat in fœtu*, propterea tota ferè ſanguinis maſſa, tranſit partim ex vena cava per *foramen ovale* in pulmonalem venam & ſiniſtrum cordis ventriculum, partim verò ex cordis dextro ventriculo ex arteria pulmonali per *canniculum arterioſum* in arteriam magnam, ut ſanguis non ambos cordis ventriculos permeet in fœtus circulatione, ſed alterutrum tantum.

Theſis 2.

Dilatatio iſta *Pulmonum* non fit *propriâ eorum vi*, vel facultate, neque per *nervos*, ad eos diſtributos, ut moderni quidam imprimis WILLIS *in* ſua *Anatome cerebri* ſtatuunt, eſt nempè pulmonum ſubſtantia tàm ex ſe, quàm ob defectum fibrarum omninò inepta pro tali motione, ſed *ſequitur motum thoracis*, quo dilatatæ & ipſi dilatantur, conſtricto verò conſtringuntur. Addatur vulnus thoracis, item abſciſſio coſtarum & revivificatio per flatum follis. Videant MOEBIUS *in fundam. cap. de uſu pulmonum pag.* 301. item HIGMORUS *diſquiſitione anatomica cap. d. pulmonibus*, item BARTHOLIN. *in Anatomia reformata* & denique CHARLETON in *exerc.* 8. §. 16. ſecundario à reliquis *intercoſtalibus* nempè *triangulari* & *ſubclavio.* Cæterum an dilatato thorace, *motus* autem *thoracis* eſt dependens *à muſculis*, primario à *diaphragmate* (de cujus motu videat. HIGMORUS citato loco, item BARTHOL. &c.) dilatentur Pulmones, & dilatatos ſubintret aër, quia non datur vacuum, hoc eſt, an impleantur quia dilatentur, an verò dilatationem thoracis ſequatur aëris ambientis propulſio, propulſi in pulmones irruptio, & ſic dilatatio, cùm non ſit vacuum, ſed omnia plena, & fiat neceſſario motus circularis hoc eſt an dilatentur, quia impleantur, eſt controverſia magis Philoſophica quàm Medica. Priùs cum Peripateticis vide defenſum à SILVIO *diſſert.* 7. & à DEUSING. *diſſert. de reſpirat.* Poſterius verò cum CARTHESIANIS acriter defendit SCHWAMMERDAM *in tractat. de reſpirat.* item CHARLETON *in exercit.* 8. §. 5.

Theſis 3.

Pulmones ergo dum poſt motum thoracis & ipſi moventur, omninò aëre replentur, *ſubſtantia* enim eorum à veteribus ſpumoſa & ſpongioſa dicta, MALPIGHIO *nempè* (*videatur* BARTHOLINUS *tractat. de ſubſtantia & uſu pulmonum*) *veſiculoſa* deprehenſa fuit, quod ſcilicet ea ſit contexta ex copioſiſſimis parvis veſiculis angularibus ſimplici membrana conſtantibus, & ſibi invicem connexis, quæ veſiculæ ab aëre, per aſperam arteriam allato, inflentur & dilatentur, à contracto verò thorace denuò compreſſæ aërem receptum iterum emittant. Cujus verò aëris portionem ipſum *ſiniſtrum cordis ventriculum ingredi in* viventibus. Vide in SCHWAMMERDAM *tractat. de reſpirat.* item in BARTHOLINO *Cent. 4. Epiſt.* 448. Quod notandum contra HIGHMORUM, qui in mortuorum pulmonibus hoc tantum tentavit, in quibus ob porulorum & meatuum poſt mortem conſtrictionem, aër conſueto more penetrare nequit.

Theſis 4.

Merito interim miratur HARVEUS *Tract. de generatione animal. exercit. de partu pag. mihi* 501. cur homo qui in utero *non reſpirat*, dum in lucem editus eſt, ſimul atque inchoaverit ſemel reſpirare, ſine reſpiratione vivere poſtmodum non valeat, ita ut *vitam inſpirando inchoemus, exſpirando finiamus.* Quæritur ergo quis nam ſit *uſus primarius reſpirationis*, id eſt iterati aëris inpulmones ingreſſus & egreſſus. Certè cũ conſideramus pulmonis viciniã circa ſanguificationis officinam. 2. ſanguis ut dum in eo eſt, ut de novo vivificetur, tamen medio tempore antequam ex dextro cordis ventriculo ad ſiniſtrum perveniat, per pulmones circuletur. 3. ut *terreſtria animalia* habent *pulmones*, ita *aquaticaa branchias* quæ eorum ſunt vicariæ. 4. ſingulare pulmonum parenchyma, per quod ſanguinis fit trajectio, qualis aliàs trajectio à natura nunquam fit fruſtranea. Omnia hæc ſi probè conſiderentur, ſingulare quid reſpirationi ſubeſſe promittunt.

Theſis 5.

Veterum unanimis fere *fuit ſententia*, *inſervire reſpirationem ad refrigerandum cor & ſanguinem in eo accenſum*, idque *per ſuum aër frigus* vel per effluvia frigida & aquea, quæ continet. Hanc ſententiam *Moderni* ſuæ hypotheſi applicando, dicunt inſpirationis hunc eſſe uſum, *ut nimiam ſanguinis efferveſcentiam contemperet*, eam blandè condenſando, per effluvia *ſalina nitroſa*, quæ aër in ſe contineat, & ita nimium æſtum reprimendo. Vid. SYLVIUS *diſſert.* 7. & SCHUVAMMERDAM *Tract. citat. pag.* 12. & 101. hanc tamen ſententiam eſſe falſam vide in MAURACORDATO *tract. de uſu pulmonum cap.* 1. item *pag.* 26. 43. item CHARLETON *in exerc.* 8. item MOEBIUS *in fund. pag.* 310. & ſane cur fieret caloris refrigeratio, vel efferveſcentiæ contemperatio poſt ſanguinis ex dextro cordis ventriculo Egreſſum, & quare non potius dum ex ſiniſtro egreditur, in quo, omnibus fatentibus; calor eſt major & efferveſcentia impetuoſior, quam in dextro. 2. Ad hæc ſanguis ad cor pervenit, ut de novo incaleſcat, vel de novo fermentetur, & efferveſcat, quid opus ergo eſſet, ut in medio iſto labore hoc intentum per reſpirationem interturbetur? 3. ſenum calor & fermentatio non indiget refrigerio. 4. dum calor naturaliter eſt conſtitutus, non erit exceſſivus & per conſequens non opus habebit refrigerio.

Theſis 6.

Inſpirationis gratia, fit pulmonum motus *per ſe & primario* exſpirationis verò tantum *per accidens: cujus tamen uſum* eſſe, ut aër fuliginibus impletus denuò excernatur, nemo facilè negabit: Sicut vix alius præter MOEBIUM *in fund. p.* 311. hanc fuliginum expulſionem eſſe primarium totius reſpirationis uſum affirmavit, qui conſiderat quod totius corporis peripheria habeat ſua ſpiracula, per quæ fieri poſſit exhalatio iſtarum fuliginum, ut non opus ſit ſingularem ſingulariter fabricatam partem ob id efformare. 2. quod in montibus Peruvianis aër ob nimiam ſuam ſubtilitatem ſit reſpirationi ineptus videatur MOEBIUS *cit. loc. pag.* 310. (non minus quam is, qui in magno vitreo receptaculo *per anthiam pneumaticam* exhauſtus & rarefactus nimis animalia ſuffocat. Vid. BOYLE *in tract. de vi aëris Elaſtica*) qui tamen receptioni fuliginum eſt aptiſſimus. Conferantur etiam ea quæ contra hunc ceu primarium uſum urget, MAUROCORDATUS in *tract. de uſu Pulmonum cap.* 1. *pag.* 17. etiam SCHOTTUS, DEUSINC *de vacuo*.

Theſis 7.

Ad verum ergo reſpirationis uſum ut propius accedamus, conſideramus quid *aër valeat* in alterandis rebus & mox apparebit eum multum conducere *ad reſolvendum & volatiliſandum omnia etiam fixa*, id quod primus innuit HELMONT *in tract. Blas humanum in ſpecie* §. 45. ita quotidie experimur quomodo cineres vel ſalia fixa campos reddant fertiles, dum aëris beneficio volatiliſantur ſalia iſta fixa, & abeunt in nutrimentum plantarum, ut volatile ſic optimum. Quem proceſſum imitaturi Chymici beneficio aëris & nitrum & ſal tartari fixum volatiliſare volunt. Vid. ZUVOLFER *in pharmacop. Regia pag.* 244. & 247. Hinc & *aurum vitrioli & nitrum* expoſita aëri de novo imprægnantur, & volatilem poſtmodum præbent ſpiritum, & *antimonialia fixata* ſudorifera aëri commiſſa demum volatilem auram attrahunt, unde denuò vomitus & ſeceſſus movent. Si jam conſideremus corpus noſtrum, apparebit facile aërem pro ſui ſtatus varietate & inter cætera pro ſua ſubtilitate ac craſſitie multum alterare corpus noſtrum, hînc namque imprimis varietas nationum, ex varietate nempe clymatum, dependet. Aërem qui inhabitant ſubtilem & tenuem ſunt ingenioſi, prudentes & alacres; ac prompti & expediti in omnibus actionibus, quod ſpirituum & ſanguinis innuit ſubtilitatem & volatilitatem; qui verò ſunt in aëre craſſo ſunt ſtupidi & ſtolidi ob ſpirituum & ſanguinis fixitatem. Tempore verno quo aër eſt ſubtilior & volatilior, ut & æſtivo, ſumus & nos alacriores & vegetiores ob ſpiritus & maſſam ſanguineam melius volatiliſatos, in autumno verò & hyeme torpeſcimus aëre exiſtente craſſo & fixo. Aëris vitia nos quoque contaminant, hinc enim in maritimis locis ſcorbutus eſt familiaris ex Aëre ſalſis fixis marinis exhalationibus referto.

Theſ. 8.

Has aëris facultates dum conſideramus, patet facilè unde tanta & utilitas & ad vitam neceſſitas ſit reſpirationis. Dicimus nempe *à reſpiratione dependere ultimam ſanguinis in ſiniſtro cordis ventriculo perfectionem, quatenus primarius inſpirationis uſus ſit, ut aër attractus volatilis & ſanguinem*, hoc eſt eum attenuet & ſubtiliſet, quo & aptior fiat pro ſpiritus vitalis generatione & omnimodâ ſui ſine ulla reſidentia per poros cutis tandem difflatione, idque beneficio ſalis cujuſdam *forſan nitroſi*, quo imprægnatus eſt, de quibus vide. HELMONT *loco ſupra citato*, & confirmatur non tantummodo ab iis quæ ſupra § 4. dicta ſunt, imprimis quod ſanguis pulmones trajiciat, antequam ex dextro ventriculo ad ſiniſtrum perveniat; ſed apertiſſimo etiam experimento LOUVERI *de corde pag.* 144. dum ſanguis in pulmonibus ab occurrente aëre ſubito in floridum & eleganter coloratum mutatur. Sanguinis quod attinet difflationem, notum eſt, eum continuò tranſpirare per poros, totum abſumi, niſi per accretionis coagulum ſiſtatur, ut ſupra *capit.* 2. dictum. Huic ergo ad difflationem aëris ſubtilis inſpirati adjumentum & quaſi vehiculum adjungitur. Ex dictis facile patet, quid ſentiendum de veterum quorundam Medicorum ſententiâ, qui aërem pro alimento vel materia Spirituum vitalium attrahi exiſtimarunt; Jtem dum Chymici nonnulli dixerunt, in aëre occultum eſſe vitæ cibum.

Annot. Pract.

Reſpiratio naturalis læditur multis modis, quando enim impeditur, SUFFOCATIO *dicitur*, *quo pertinet* CATARRHUS SUFFOCATIVUS *dictus*, *qui revera nihil aliud eſt quam ſanguinis impedita per Pulmones circulatio unde ſanguis ſtagnans in pulmonibus ſuffocationis metum infert. vid.* diſp. de chirurgia infuſoria D. ETTMÜLLER. *de cane infuſione Olei ſulphuris Catarrho-ſuffocativo enecato, & falſum eſt quod in tali caſu pituita viſcida ſub forma Catarrhi à Capite refluens repentinam ſuffocationem inferat.*

Sed potius eſt ſtagnatio ſanguinis in Pulmonibus indeq; ejuſdem impeditus circulus.

In CURA *poſt V.S. nihil melius eſt ſpermate ceti à* ʒß. *ad j. in Aqua Hyſſop. cum pauca* Aqua Aſtmatica *propinatum hoc enim ſanguinem congrumatum denuo reſolvit, fluxilemque reddit; quin & interdum ubi ſuſpicio ſimul eſt mucilaginem viſcidam ſubeſſe in ſtomacho aut etiam hærere in pulmonibus, idque fovere malum, aut cauſæ remotæ inſtar eſſe in tali caſu propinatum* Vomitorium *in forma liquida optimum eſt remedium?*

Quin & ſuccus raphani *cum pauco ſaccharo paratus egregie convenit in hoc caſu: Subinde ante V. S.* clyſma acrius *injectum non eſt inconveniens.*

Quando reſpiratio nimis crebra, difficilis & ſæpius repetita cum gravi anhelitu conjuncta dicitur ASTHMA; *quod ubi adeo ingraveſcit ut ægri cogantur erecti ſpirare dicitur* ORTHOPNOEA.

CAUSA *talis Aſthmatis eſt multiplex, nam præter Grandines, Tubercula aut lapillos in Bronchiis Pulmonum genitos qui hos ipſos obſtruunt, & ita liberum aëris commeatum impediunt;*

Subinde etiam 1. Cauſa *eſt, mucilago craſſa in pulmonibus coacervata Bronchia obſtruens & ita exſpirationem & inſpirationem impediens.*

2. Cauſa *Aſthmatis ſæpiſſime eſt in ſtomacho qui ſcili-*

cet ex cruditate acida collegit mucilagines craſſas & viſcidas easque ſæpius flatibus copioſis conjunctas, unde etiam in tali Aſthmate ægri conqueruntur de Anguſtia ſub Coſtis nothis, quoniam ſtomachus á talibus copioſis ſuccis oneratus & flatibus diſtentus impedit liberum diaphragmatis deorſum verſus motum, unde etiam tales ſiunt Aſthmatici imprimis poſt paſtum. Tum alimenta vitioſa fermentatione turgeſcendo diſtenſionem iſtam præcordiorum indeque diaphragmatis motum impediunt.

Talia Aſthmata hypochondriacis & ſcorbuticis imprimis ſunt moleſta & rejicere ſolent tales ægri multa viſcida per os quæ ipſa non tam ex pectore quam ex ſtomacho oriri ſolent.

3. Cauſa Aſthmatis eſt in nervis qui movent muſculos diaphragmatis nempe & reliquo Thoracis motui deſtinatos, hi nervi irritati expulſivum motum in muſculis excitant unde hi ipſi convulſi nunc exſpirationem nunc vero inſpirationem rite perficere nequeunt, in ſpecie diaphragma, ubi tali convulſivo motu affectum fuerit.

Conqueruntur ægri de dolore circa coſtas nothas, ibique ſe quaſi cingulo cingi, talia Aſthmata convulſiva non ſunt continua, ſed interdum plane intermittunt, & deinde ſubito recidivant; & ultra manifeſtam cauſam ut inchoant, ita etiam citra ullius materiæ rejectionem denuo ceſſant. Periodum interdum ſervant certam, interdum non, & ut plurimum Veſpertino tempore circa primas noctis horas atrocius infeſtant.

Hæc ſunt Aſthmata quæ HELMONT. vocat ſicca, ſuntque ſatis frequentia: à VVILLISIO vero in Pathologia cerebri dicuntur ASTHMATA CONVULSIVA quia à convulſionibus oriantur.

Hæc Aſtmata etiam interdum ſcorbuticis ſolent contingere.

Quod attinet ad CURAM.

Primæ duæ Aſthmatis ſpecies curantur per talia quæ materiam viſcidam evacuant eamque incidunt ac denique quæ ſtomachum roborant & Pulmones ejuſque iteratum eventum impediunt.

Inter PURGANTIA ſunt PILULÆ.

♃. maſſ. pilul. de Agaric. ℈j.
(aut d. Hier. c. agaric.)
Gumm. ammon. Acet.
ſquillit ſolut. ℈ß.
Extr. troch. alhand. gr. ij. l. iij
c. ſ. q.
Aquæ Aſthmatic.
F. l. a. Filul. purg.

pro doſ. 1.

Præter purgantia per inferiora optima ſunt VOMITORIA quæ ingruentem Aſthmatis paroxyſmum ac imminentem interdum ſuffocationem mirè ſedant.

Vomitoria ſunt partim Antimonialia, partim quæ ex Nicotiana parantur, nam hæc materiam viſcidam ex ſtomacho & ex Pulmonibus evacuant.

His tamen vel præmittenda vel adjungenda ea quæ viſciditates iſtas attenuare & reſolvere valent, qualia primaria ſunt ea quæ ex Gumm. ammon. præparantur. it. Sirupus Nicotianæ & ſimilia.

Sic ad Adſthma experta hæc POTIO BRUNNER.

♃. Gumm. ammon. ʒ jß.
Aqua Hyſſop. ℥iv.
Vin. rhenan. ℥ij
miſc. pro doſ. ij.

ant ubi neceſſitas urget pro j.

Pertinet huc Decoctum expertum ad Orthopnæam JOELIS.

♃. Zedoar. ʒß.
Gumm. ammon. ʒij.
Flor. Sulph. ʒiß.
Croc. ℈j.
contuſ. coqu. in
Hydromel. ℔j.
coqu. ad medias.

ſumat ſæpè cochl. j.

nam & radix Zedoar. ſola mire levat dyſpnæam comeſta.

Pertinet huc ſpir. Aſthmat. à gt. xx. ad 30. propinatus qui potenter incidit materiam viſcidam, imprimis ſi miſceatur cum aqua Aſthmatica, RULAND. vel cum Elix. proprietat. &c.

Denique ſuccus raphani recentis cum ſacharo expreſſus eſt egregius, it. ſperma ceti propter vim reſolvendi cum aqua Cinam. ad ℥ji. Oxymel. ſquillit. ℥j. propinatum egregiè conducit imprimis in Aſthmate ſenum. Denique Aſelli ſ. millepedes ſpecifice conducunt imprimis vino infuſi, in quem uſum mirè commendantur. Sin flatulentiæ ſtomachi malum exaſperent quod fit in Hyſtericis & Hypochondriacis ſpir. Carminativ. eſt egregius. Ad Aſthm 3 tium nempe convulſivum præmiſſis Univerſalibus conducunt imprimis ſal. volat. v. gr. ex ſuccino, CC. Cran. human. & ſimilia.

nonnunquam licet caute VOMITORIA.

TUSSIS cum oriatur ex irritatione partium reſpirationi dicatarum, quæ irritatæ forti concuſſione exſpirando repellere nolunt iſtud nocivum irritans qua ratione, v. gr. tantillum panis in aſperam arteriam illapſum pertinacem tuſſim continua irritatione excitat.

Præter hanc cauſam proximam, remotæ ſunt variæ ut taceam de læſione externa ab aëre nimis frigido inſpirato, aut etiam aëre fumoſo aut ſimili quem ordinario ſequuntur tuſſes; cui medetur optimè decoctum radicis Helenij c. paſſulis in Vino Hiſpanico &c.

Sæpius Tuſſim excitat vitium ſtomachi excrementa nempe craſſa & viſcida, in ſtomacho ſtabulantia quales Tuſſes non tantummodo ſenibus ſunt familiares ſed etiam junioribus; ut & infantibus ex lacte corrupto unde & hi cum tali tuſſi ſubinde pertinaces habent vomitus, dum n. excrementa talia hoſpitantur in ſtomacho irritatur exinde diaphragma, quia connectitur arcte cum orificio ſtomachi ſiniſtro, irritatum hinc tuſſim excitat primo quidem inanem, hinc cum rejectione mucilaginis viſcidæ conjunctam. Signum talis tuſſis ex ſtomacho inter alia ſuppeditat ſonus in tuſſiendo ſi enim quaſi ex loco profundo & imo quaſi pectore tuſſiunt, it. quando ægri percipiunt gravamen in præcordiis tunc tuſſis ut plurimum ex ſtomacho, talem tuſſim optimè curat vomitus: loco huj9 propinandæ ſunt pilulæ ex

Extract. Agaric. cum
Scammon. ſtimul.

his ſubjungenda ſunt quæ incidendo, attenuando & reſolvendo materiam viſcidam colliquant & liquefactam excretioni aptam reddunt.

In tali caſu, præter ea quæ ſupra de Aſthmate ex ſtomacho oriundo dicta ſunt: imprimis conducit hæc Potio experta.

♃. Aquæ Hyſſop.
Tuſſilag. aa. ℥ij.
Syrup. d. Nicot.
Hyſſop. aa. ʒvj.
Oxymel ſquillit. ℥j.
Aqua Aſthm. ſpirituoſ. ℥ß.
Spir. ſal. dulc. q. ſ.
pro grat. ſap.

F. potio Emoll. de qua utatur æger cochleatim quam ſæpiſſime. Id eſt una quaque horà.

Vel. ♃. Aquæ Menth.
Hyſſop. aa. ℥j.
Cinamom.
Oxymel. ſquillit. an. ℥j.
Aquæ Aſthmatic. ʒvj.
Gumm. Ammon. in acet. ſol. ʒij.
Spir. ſalis dulc. q. ſ.
pro grato ſapore

D. S.

Vel ♃. Elix. Propriet. &c.

Præter tuſſim talem ex ſtomacho ſæpius etiam oritur tuſſis ex lympha nimis tenui acri & ſalſa, interdum etiam

acida, quæ per glandulas circa fauces it. circa laryngem & cartilagines aſperæ arteriæ ſitas effuſa, iſtas partes irritat & ad Tuſſim talem provocat.

Talis Tuſſis eſt quæ à Catarrho oriri dicitur, & ratione acrimoniæ lymphæ ſubinde Phthiſin præcedere ſolet, quin & non raro Febrem Catarrhalem lentam veſpertino tempore moderatè affligentem adjunctam habet.

Nam & talis tuſſis ut plurimum veſpertino tantum & nocturno tempore uſque ad mediam noctem affligere ſolet, alio tempore vix ſentitur.

Hanc tuſſin & CURANT *&* PRÆSERVANT *optimè* Opiata *quæ veſpertino tempore aſſumpta mirè talem tuſſim ſedant; unde & veteres* Philoniis *contra talem tuſſim, item* Ciacodiis *uſi fuerunt. Nobis vero* Opiata *imprimis ſunt in uſu eaque permiſta imprimis talibus quæ acrimoniam lymphæ temperare, corrigere, mitigare poſſunt, qualia ſunt* Lac, Glycyrrhiza. Iujubæ, Paſſulæ *& ſimilia. Verum cum adjunctus inprimis ſoleat eſſe Catarrhus & febris catarrhalis ab eadem lympha acrimonia oriundus ad hunc ſimul reſpiciendum eſt: unde conveniunt in tali tuſſi, tales* pulveres.

℞. Spermat. cet. gr. xxiv.
Succin. præpar. ℈j.
Laud. Opiat. gr. iij.
miſ. divid. in part. ij. æqual.

cujus pars 1. *accipiat. hor. v. pomerid. pars altera hor. X. veſpertin.*

Vel ℞. Sperm. cet. ℈ij.
Flor. Benzoes. ℈j.
Sal vol. ſuccin. ℈ß.
Laud opiat. gr. iv.
miſc. divid. in p. iij. æq.

hor. iv. vel v. pomerid. j.

Pillulæ de ſtyrace *itidem mirè conveniunt ad compeſcendam hanc tuſſim.*

℞. Styrac. liquid.
Thur.
Maſtich.
Myrrh.
Laudan. opiat.
Croc.
Succ. liquirit aa. ℈. v.
miſc. F. l. a. Pilul. inſtar Cicer.

quarum j. aut ij. dentur veſpertino tempore aut ſub ingreſſum lecti.

Præter hæc decocta lympham temperantia ex paſſulis, Glycyrrhiza, Iujubis, radic. Helenij *& ſimilibus non negligenda erunt.*

Denique datur etiam TUSSIS CONVULSIVA *ex convulſione muſculorum thoracem moventium & contrahentium ortum, qualia Exempla habet* VVILLISIUS *in ſua* pathologia Cerebri.

CURATUR *talis Tuſſis ut aliæ convulſiones Epilepticæ & imprimis præmiſſis Univerſalibus per* volatilia & ſuccinata, *quæ inter* Liquor CC. ſuccinatus *eſt egregius.*

SINGULTUS *eſt motus convulſivus diaphragmatis, dum in inſpiratione diaphragmatis impetuoſe contrahitur ſubinde oritur talis ſingultus ex irritatione diaphragmatis facta à re moleſta in ſtomacho exiſtente, unde vulgo falſo putatur ſingultum ſtomachi eſſe affectum.*

Quod ſi citra talem manifeſtam cauſam oriatur, patet quare tam periculoſum ſit ſignum ſingultus in morbis acutis, Febribus ardentibus, dyſenteriis &c. quoniam prænunciant imminere Convulſiones Epilepticas in talibus morbis ut plurimum lethales.

Singultui Medentur Opiata, Semen Aniſi, *& ejus* Oleum, Caſtoreum, Theriacalia *& ſimilia.*

Quin etiam ubi ſingultus contumacior perdurat in corpore robuſto ut quando ad aliquot ſeptimanas, interdum menſes perſiſtit provocatus Vomitus *eundem tollere ſolet.*

Theſis 9.

Huic primario *reſpirationis* fini & alij *ſecundarij* accedunt, 1. promota ſanguinis circulatio per Pulmones vid. § 1. hinc omnia ea, quæ effervеſcere & incaleſcere faciunt ſanguinem, & ita *ejus motum rapidiorem reddunt*, etiam crebriorem & altiorem procurant reſpirationem. 2. fœcum alvinarum, ut & fœtus ex utero inſpirando, vel excrementorum ex pulmonibus per tuſſim expirandi excretio. 3. vocum prolatio beneficio laryngis, quæ inſtar fiſtulæ muſicæ ſ. pneumaticæ per expirationem vocem efformat.

CAPUT XI.

De uſu Lienis.

Theſis 1.

SAnguinis ex ſiniſtro cordis ventriculo ebullientis pars altera *deorſum* per aortæ arteriæ truncum defertur, ejusque *inſignis portio per ramum ejus ſplenicum lieni ante omnia infertur, quæ per venam ſplenicam denuò abſorbta ad venam Portæ dilabitur*; Sunt autem præter dicta vaſa, ingentes nervi & quædam lymphatica etiam in liene reperibiles, jam quid tranſitu illo per lienem agat vel patiatur ſanguis, quæſtio eſt ardua, quia obſcura.

Theſis 2.

Pro cognoſcendo ergo *uſu Lienis* obſervo. 1. *Canes ſine ſplene* vivere, & omnes quâ vitales quâ animales actiones obire certum eſt, confirmatum experientia. Homini deficere poſſe eſt fabuloſum, ipſi eundem exſcindere, ſi non impoſſibile, certè eſt valdè *periculoſum*. Licet de *exſectione Lienis* vid. BARTHOL. *in Hiſt. Anatom. Cent. 4. hiſt. 51.* qui refert FIORAVANTAM hoc præſtitiſſe &c. 2. Iis quibus lien eſt bene conſtitutus eorum corpus florere, quorum lien vero vitioſè augetur, eorum corpus imminui indubium eſt. 3. Lienem quoad aſpectum repertum eſſe ſæpiſſimè ſalvum & ſanum in *Melancholicis affectibus mortuis*, Anatome patefecit. 4. omnes ſplenetici, hoc eſt quibus lien male affectus vel tumidus deprehenditur, ſunt ſalivatores, teſte HIPPOCHRATE, & hi ægri optimè per medicamenta ſalina, *urinam provocantia*, curantur, teſte LAURENTIO *in controverſiis* Anatomicis, ubi ſanè experientia teſtatur, urinas, quæ antea profluxerint flavæ & albicantes ac crudæ reſtituto ſic liene, prodire turbidas cum copioſo ſedimento, coctas, interdum atras & obſcuras, tandem ſenſim clareſcere, & ad naturalem colorem redire. 5. lien omni *cavo ſingulari* deſtitutus, nec recipiendo, nec digerendo cuidam humori aut excremento erit deſtinatus; 6. omnis qui in lienem intrat ſanguis ad venam portæ immediatè abit, & per hepar trajectum per cavam ad cor nihil alio rſum devehitur. 7. magnitudo & color uti ſingulis animalibus in liene eſt proprius: ita & homini in quo ſano magnitudo ejus multum variat. Color verò qui in fœtu eſt ruber, in adulto ſemper deprehenditur obſcurior & nigricans. 8. Lien animalium vel aſſatus, vel coctus, vel alio modo præparatus, *guſtatus, deprehenſus eſt auſterus, pontici acerbi & acidi ſaporis* teſte VVALÆO in *Epiſtol. de motu ſanguinis*, item HIGHMORO *diſquiſitione Anatomica*. Hoc inſuper notabile, quod ſplenes animalium in ſpecie cervi & bovis præparati, vel in eſſentiam redacti affectibus ſpleneticis, & imprimis Cachexiæ Virginum & menſibus ſuppreſſis ſpecificè conducant. Hæc omnia neceſſe eſt probè perpendantur, antequam de uſu lienis certi quid pronuncietur,

Theſis 3.

Veterum quod attinet *ad ſententiam, lienem recipere ſuccum melancholicum*, h.e. partem ſanguinis craſſio-

rem, terreſtrem & feculentam, eoque *partim ali, partim eundem eructare per vas breve in ventriculum* pro adjumento digeſtionis, Anatome ſufficienter refellit, ut & CONRING *de generatione & uſu ſanguinis cap.* 12.14. horum ſententiam & multi *ſequutur & modernorum quam plurimi*, etiam ad experimenta nova anatomica applicando nunc *ſanguinem craſſum* melancholicum in eo coqui & fermentari, ut corpori fiat utilis, nunc *chylum acidum* vel crudum in eo alterari, ut abire queat in ſanguinem, nunc *excrementa craſſa* & tartarea in eo fermentari & diſponi, ut per convenientia loca, imprimis urinaria poſſit excerni, aſſerunt. Omnes hæ opiniones profluxerunt ex prima iſta veterum, polita tamen pauliſper & aliter nonnihil explicata. Nam *quod modernis eſt acidus ſuccus, à veteribus dicebatur Melancholia*, id quod de morbis ab his cauſis oriundis ſimiliter verum eſt. Vide omnes ferè ſententias collectas à MOEBIO *in fundam pag.* 385. his addatur VELTHUYSIUS *de uſu lienis* & SYLVII *diſſertatio de uſu lienis.*

Theſis 4.

HELMONT quæ de uſu lienis ſtatuit, deque ejus cum ventriculo *duumviratu* nugatur, de fermenti inſpiratione, primorum conceptuum formatione, ſomni & vigiliarum ſede, virtute generativâ ex ſplene, *in tract. ſedes animæ* item *in Tr. Ius duumviratus*, &c. ea omnia canis ſine ſplene facilè refellit.

Theſis 5.

Fruſtra interim lien non eſt conditus, cum ad ſanguinis laudabilem & naturalem ſtatum, ut conſervandum, ita & reſtituendum multum conferre ſtructura ejus & connexio monſtrat. Sed quid hoc ſit, quod conferat, quæritur. Multi namque morbi tribuuntur ſpleni, in ſpecie malum Hypochondriacum in quibus *lien eſt inſons*. Et ſi jam afficiatur, non eſt affectus tanquam cauſa mali, *ſed potius quod ceu affectus ab altius radicato malo in ſanguine, ejus læſio dependet.* Ut tamen id quod *probabilius videtur*, ediſſeram, arbitror, *ineſſe lieni certum quoddam fermentum ſubacidum inſigniter tamen volatile*, ob copioſos ſpiritus volatiles per nervos eò allatos, *quod ſanguinem* infuſum impraegnet, & *diſponat ad faciliorem* partium ejus craſſarum à chylo nondum perfectè aſſimilato reſiduarum *volatiliſationem*, indéque promptiorem in corde *fermentationem*, & uberiorem ſpirituum *generationem*; ſimulque partes ſanguinis heterogeneas nec ritè miſcibiles ita à reliqua maſſa *ſeparet*, ut per convenientia cribra, *in ſpecie renes* commodè evacuari poſſit. Quibus poſitis & rectè ſe habentibus, corpus floret & meritò *Saturnia dicuntur florere regna*, iis verò læſis, ſanguis ſpiſſeſcit, torpeſcit, tardè fermentatur, ſpiritúſque ſenſim deficere incipiunt, ut in morbis, qui ſpleni vel competunt, vel eum ſimul afficiunt, patet Videat. VELTHUYSIUS *de uſu lienis cap.* 1. ubi ſimilis ferè reperitur ſententia per Anatomen tamen & ulteriorem experientiam uberius confirmanda.

Annot. Pract. *Vulgo æſtimant, punctiones & roſiones in Hypochondrio ſiniſtro occurrentes eſſe ex ſplene, quod tamen falſum eſt, cum ſplenis ſubſtantia fere inſenſilis, inepta ſit tali dolori, adeo ut nullus dolor niſi tenſivus ex ejus inflatione aut gravativus ex ejus pondere ab infarctu ſplenem infeſtare poſſit.*

Cui dolori tenſivo ſpir. carminativ. *& ſimilia carminantia*; *dolori vero gravativo*, ſpir. ſalis ammon. penetrans & aperiés, *item* aperitiva Martialia, *conducunt.*

Acuti ergo iſti dolores qui crebrius Hypochondriacos infeſtant, item roſiones & morſus Hypochondrii ſiniſtri non ſunt in ſplene; ſed ſunt revera in Inteſtino Colo quod ſub Hypochondrio ſiniſtro nonnihil anguſtatum & deorſum verſus contortum aut flatuum tranſitum impedit, aut ſtercora indurata ſiſtit, aut denique viſciditates acidas ibidem colligit, Unde ibidem tam pertinaces dolores reperiuntur.

Quos nunc Clyſteres Carminantes & emollientes *imprimis cum* ſale gemmæ injecti ſedant.

Aut ſacculi & fomenta, *in aqua & vino cocta calida compeſcunt.*

Aut Carminantia, ſpir. Anticolicus & Carminativus *ſiſtunt.*

Aut Opiata *nunc cum* reſolventibus, *nunc* per inferiora laxantibus *miſta*, *ſedant.*

CAPUT XII.

De Hepatis officio & Bilis generatione.

Theſis 1.

ARteria cœliaca ultra ramum *ingentem ſplenicum* adhuc in alios duos minores ſe findit, quorũ unus ad Pancreas abit, qui eò ſanguinem defert, ex quo ſuccus aquoſus acidus emulgetur, qui cum ſpiritibus animalibus nervorum junctus, *ſuccum pancreaticum* conſtituit, fœcum alvinarum à nutritio chymo ſeparationi dicatum, de quo ſuperius actum, & etiam videri poteſt GRAFF *de ſucco Pancreatico.* Alter ramus ad Hepar abit, ut partim in ejus *capſula communi* ramos portæ comitetur, partim verò ad veſiculam felleam diſtribuatur. Præter hunc ſanguinem vena portæ omnem ab inteſtinis, liene & pancreate, reliquiſque infimi ventris viſceribus, *præter renes* refluũ ſanguinem in Hepar exonerat. Jam eſt quæſtio *quorſam Hepatis ſit uſus & unde generatio bilis*, quæ tantum in vaſibus cholidochis circa hepar reperitur.

Theſis 2.

Cum Hepatis in ſanguificationis negotio ductæ eſſent exequiæ, omnes ſtatim *hepar eſſe colatorium bilis* aſſeruere. Vid. GLISSONIUS *in Anatom. hepatis* imprimis in *c.* 37. quæ bilis in hepate ſecreta à ſanguine, derivetur *partim immediatè* per ductus cholidochos inteſtinum, *partim* vero in folliculum fellis prius collecta, exinde etiam ad inteſtinum per ramum cyſticum abeat. Jam verò facilè concedimus, eam *bilem* quæ *per ductus hepaticos* excernitur, ſi non omnem, maxima ſaltem ex parte (nam interdum inſignis ramus Hepaticus cholidochus veſicæ felleæ circa fundum connexus reperitur, qui ſuam bilem non ex hepate, ſed ex folliculo haurit) *ex hepate oriri, in eoque ſecernis ex ſanguine* per venam portæ advecto, id quod experimentum MALPIGHII & FRACASSATI confirmat, qui ligatis omnibus hepaticis arteriis, & abſciſſa penitus veſiculâ felleâ, nihilominus tamen copioſum bilis per ductus cholidochos ex hepate proventum adhuc in cane vivo obſervarunt. Vid. MALPIGHIUS *in tract. de viſcerum ſtuctura c. de hepate.* Ad hæc ductuum hepaticorum confirmatio, mechanica, & inſertio cyſtici ductus obliqua ex Mechanicis in eis motum deorſum contenti, non verò ſurſum verſus demonſtrãt, ut & intumeſcentia verſus hepar, ſi ſupra inſertionem ductus cyſtici ligentur.

Theſis 3.

Bilis verò quæ *in folliculo felle* continetur non dicitur ex hepate, ſed *generatur in folliculo ipſo ex ſanguine* per arteriam propriam in eam tranſmiſſo, hiat enim ipſa in ejus cavum, teſte SILVIO *in diſſert* 6. §. 53. & teſte SCHUUAMMERDAM *de reſp. ſect.* 3. *c.* 1. *p.* 86. unde ſanguis eo delatus *per fermentationem* à bile jam præſente in ſimilem bilem mutatur, inſtar vini aceto infuſi, uti loquitur SILVIUS *cit. loco* § 36. 37. & ſi ex hepate derivetur bilis in folliculum, ad inteſtina ablegandа, quare conſtructum eſſet vas adeò ſingulare, quod illã ad tempus aſſervaret, quin potius ſoli ductus hepatici ſufficerent, ſine ſpeciali folliculi ſtructura. Adhæc patet potius ingreſſus ex veſicula in hepar, quàm ex hepate in illam, quia veſiculæ *injectum atramentum* denigrat hepatis Parenchyma, ut obſervavit FRACASSATUS. Quamvis Parechyma hepatis glanduloſum ex MALPIGHIO. *In folliculo* ergo *generata bilis tranſmittitur* per ramos ſingulares ex ejus fundo *in hepar*, & per ejus collum ceu ductum cyſticum *ſuperabundans portio* per ductum communem *ad inteſtina.*

Theſis 4.

Sed *quem in finem bilis in veſicula elaborata derivetur in hepar*, obſcurum eſt; an quod inſtar fermenti vel liquoris

quoris potius cujuſdam præcipitantis, hepatis porulis vel parenchymati infuſa, ſucci bilioſi ex ſanguine ſeparationẽ promovere vel adjuvare, vel ceu primariũ efficiens inſtituere debeat. Probabile quidem, nondum tamen adeò certum eſt. Difficilis admodum aliàs explicatu eſt *modus, quo ſeparetur ex ſanguine bilis* in hepate, quæ per ductus hepaticos educitur. Mechanico modo & *per modum percolationis* hoc fieri aſſerit CHARLETON *in exercit.* 11 § 14. *& ſequ.* item GLISSON. *in anatom. hepatis c.* 41. *&* 42. 43. hujus tamen ſententiæ difficultatem breviter quidem ſed ſufficienter demonſtrat, SYLVIUS *in diſſert.* 6. §. 21. 22. 23. & 24. uſus autem, quam bilis obtinet in Inteſtinis *ſuprà cap.* 6. explicatum, qui tantus eſt, ut ſine bile corpus languidum omninò & ægrum evadat. Cujus exempla proſtant hinc inde vid. MOEBIUM *in fundament. pag.* 368. item DEUSING. *in exercit. de alimentorum depuratione* §. 69. GLISSON. *in anatom. hepatis cap.* 39. Simile exemplum in quodam decollato vidi, qui omninò cachecticus jam ad Anaſarcam declinabat, in quo tamen nihil reperiebatur præternaturale, niſi quod fellis veſicula bilis eſſet vacua. Non vero caloris defectus in ſanguine eſt cauſa bilis defectus ſed potius abſentia bilis eſt author tepeſcentiæ ſanguinis, non enim ceu excrementum in hepate ſecernitur, quia aliàs inconveniens eſſet, ut denuò cum chylo inteſtinorum permiſceretur, ſed ceu liquor balſamicus ad ſuos uſus deſtinatus, pro totius incolumitate.

Annot. Pract. *Vulgo morbi chronici, tantum non omnes Febres intermittentes, malum Hypochondriacum, & ſimiles morbi obſtructionibus Epatis, Lienis & Meſenterii adſcribuntur: ex quibus obſtructionibus tanquam cauſis remotis poſtmodum tales affectus contumaces oriantur. His ipſis etiam poſtmodum per medicamenta aperientia dicta mederi volunt.*

Verum tales fictitiæ obſtructiones revera ſunt ſæpiſſimè aſylum ignorantiæ, cum à nullis unquam demonſtratæ ſint; aut explicatum quo modo tales morbi exinde oriantur. Interim tamen non nego ſubinde in his affectibus adeſſe intumeſcentias Epatis & lienis, non raro etiam deprehendi ſcirrhos in his viſceribus, ſed hi tumores non ſunt cauſa iſtorum affectuum, ſed potius ex illegitima cura iſtis affectibus ſuperveniunt, tum nempe ex vitiata ſanguinis craſi indéque deficiente Hematoſi coacervati ſucci crudi & cum ſanguine circulati hinc inde in viſcerum porulis ſtagnant, donec denſius agglomerati viſceris tumorem inferant & tandem proprio acido coagulari in ſcirrhos indurentur.

Suntque tales viſcerum affectus producta potius morboſa quam talium morborum radices. Oriuntur potius affectus hi chronici ut plurimum ex vitio diætæ, & depravata digeſtione prima ſeu chyloſi, qua chylus vitiatur ut plurimum vitioſe acidus ſanguini infuſus ejuſdem Craſin naturalem pervertit, fermentationem ejuſdem depravat, corporis nutritionem inquinat, & reliquos corporis ſuccos tam lympham in ſpecie Pancreatis, quam bilem vitioſis qualitatibus & ſaporibus tingit, unde & conſequens vitioſa fœcum alvinarum à chylo ſeparatio & chyli imprimis viis, ab iſtis ſuccis vitioſis inquinatio contingit, ut inde poſtmodum tot ac tanta ſymptomata oriantur.

Vitioſam iſtam ſuccorum conſtitutionem per ſalia definiendam, Veteres Antipraxian *ſ. contrarietatem viſcerum appellarunt: intelligentes hoc ipſo imprimis Hepar & ſtomachum læſum. Id quod Moderni potius per facultates ſalinas à ſtatu naturali degenerantes indéque depravatas ſuccorum craſes explicant.*

Hinc etiam CURAM *inſtituunt, præmiſſis* Vomitoriis.

Nunc per Martialia *quæ acida vitioſa primarum viarum & alios ſapores vitioſos abſorbent & præcipitant.*

Nunc per Vegetabilia *acria aut amara, aut aromatica, v. gr. per* Cochleariam, Abſinthium, Roſmarinum, *& ſimilia, vulgo* Febrifuga *aut* aperientia *appellata inſtituunt.*

Nunc parando ex his Nodulos, *vino infundendo, nunc* decocta, *nunc* eſſentias *aperitivas, &c.*

Quorum virtute ſalina imprimis de alcali volatili participante vitioſè craſes m, ſ. & inde vitiatorum ſuccorum corrigantur, ut ſtomachi tonus & fermentum emendetur & ita æger reſtituatur. Quibus non incommodè permiſcentur ſalina nunc volatilia ut ſpir. ſalis ammon. ſpir. tart. volat. Carmin. *&c. nunc vero fixa ut* ſal. digeſt. Hypochond. Arcan. dupl. *&c. Hæc ipſa enim vulgo aperire, digerere, concoquere, propriè autem loquendo vitioſorum humorũ craſes corrigere & vitioſos eorundem ſapores ſalinos emendare dicuntur.*

CAPUT XIII.

De ſeri ſuperflui ſalibus abundantibus impregnati per renes excluſione.

Theſis 1.

SAnguinis *pars tenuis* & *aquoſa*, ut fluidam reddit integram maſſam, ita etiam ejúſdem *tam ſuperflua*, quàm ſi fortè *digeſtionum errore* genita ſint *excrementitia ſalia, aut* etiam *alias quaſcunque impuritates ac ſordes* digeſtionum errore pronatas *imbibit, eaque* ex maſſa ſanguinea *per renum colatorium expurgat; ſerumque* ſanguinis communiter dicitur, quod in hiſce ſecretoriis locis *urinæ* nomen accipit, ſicut per cutis poros, ſi confertim excernatur, *ſudoris*. Eſt namque *una eadémque ſudoris & urinæ materia* remota, ſecretoriorum locorum diverſitate diſtincta, licèt renes ſint naturalia magis, pori verò cutis quodammodo præternaturalia excretoria vaſa. Aliàs de ſero ſanguinis ejúſque uſu videri poteſt, SCHENK *in ſingulari diſſertatione*, item HELMONTIUS in Tract. *latex humor neglectus.*

Theſis 2.

Eſt ergo hæc *ſanguinis urina lixivium quoddam; aqua nempè, ſale ſalſo, volatili impregnatum*: Sal hoc volatile *ſalſum*, ex *alkali nempè & acido*, ambobus volatilibus conſtat, quæ temperata ſunt partibus *ſalfureis oleoſis non paucis*, (uti hoc demonſtrat anatomia urinæ ſpagyrica de qua videat. VVILLIS *in Tract. de urinis*, & ex eodem MOEBIUS *in Inſtitutionibus*. Hæc conſtituunt *urinam ſanguinis*; datur præterea *urina potus* ex primis viis forſan ſecreta *de quo* ſuprà cap. 7. hæc urina ſimiliter ſalſa, quæ ſalſedo partim volatilis tum ex aſſumptis in ſalſum mutatis, tum ex pancreatis ſucco & bile in ſalſum volatile abeuntibus, partim verò & quidem maxima ex parte *hæc ſalſedo eſt fixa* ex *ſale communi* cum alimentis aſſumpto, quod hoc modo immutatum ferè denuo excernitur, & poſt urinæ deſtillationem in capite mortuo reperitur, ex quo ſimiliter ſpiritus acidus tanquam ex ſale communi deſtillari poteſt. Quod ſi errore vel primæ digeſtionis non ritè coquitur totus chylus, vel ſecundæ digeſtionis non ritè totus aſſimiletur, pars *hæc crudior* à parte aquoſa imbibita, unà cum urina excernitur, & ſedimentum iſtud in ſanorum urinis conſtituit. Vid. ſuprà cap. 8. §. 15.

Theſis 3.

Prout ergo ſe habent *chyli & ſanguinis digeſtiones*, ita etiam ſe habent, in ſuis attributis *urinæ*. Hinc ſi ſalia, reliquæque hos liquores conſtituentes partes per fermentationem bene ſubacta & à latice aquoſo ritè imbibita fuerint, *urina eſt clara*: Sin verò non hæc rectè inter ſe unita, urina fit *turbida*. Simile fit cum omnibus liquoribus fermentantibus, qui legitimè fermentati ex unione partium convenientium ſunt clari, illegitimè vero fermentati ſunt turbidi. Hinc & urinæ in naturali ſtatu, dum contenta habent ritè fermentata, & probe inter ſe ac cum liquore continente unita, ſunt claræ & perſpicuæ. Si verò fermentatio ſanguinis vitietur & partes ejus ſalinæ cum reliquis non ritè uniantur, nec ſubigantur ac fermententur (ex *quacunque* fiat cauſa, quæ tamen ſæpius & ſaliũ tùm inter ſe, tùm cũ aliis particulis intermiſtis

vitiata

vitiata proportio & ametria, chyli præcipuè & primæ digeſtionis vitio orta) urinæ fiunt opacæ & turbidæ, donec fermentando ſe mutuò ſubigent, ſanguinem conſtituentes partes & heterogeneas nec rite miſcibiles portiones extrudant, & quaſi præcipitent, quo facto æquabilis ſanguinis redit fermentatio, & tales urinæ copioſum tandem ſeponendo ſedimentum ceu ſeparatas feces denuò ſucceſſivè clareſcunt, & naturali colore & conſiſtentia ſe conſpiciendas offerunt. Porrò pro quantitate contentorum, urina fit nunc *craſſa* nunc *tenuis*, & prout alio atque alio modo eadem ſe habent, ex ratione ſcilicet fermentationis, & hinc mutuæ inter ſe cohæſionis & cum ſero permiſtionis, unde diverſa lucis incidentis fit ad oculum refractio & reflexio, Colores urinæ valdè variant & vel naturali ſunt propiores colori; vel ab eo remotiores, nunc in *exceſſu* nunc in *defectu*, hi pallent, illi rutilant.

Theſis 4.

Sanguis ergo ad renes per arterias emulgentes delatus ad eorum ſubſtantiam, ad membranam uſque extimam tendit, ubi fibræ occurrunt tenues & *perforatæ*, quas ceu filtrum ſubintrat liquidior ſanguinis pars ſeu ſerum, parte ſanguinis craſſiore, à venis emulgentibus abſorpta, & denuò cavæ infuſa. Serum jam fibras vel filamenta illa tenuia intrans in iis ad *corpus, papillare tortuoſum* promovetur, per cujus porulos tranſudat in *expanſam interius membranam, pelvim dictam*, ex qua tandem per continuatum ureteris ductum in veſicam deſtillat, hæc moderatè plena nil ſentit incommodi; ſin vero urina ſit nimis copioſa, unde ejus nimia & dolorifica fit diſtenſio; vel urina ſit nimis acris, unde fit ejus arroſio v. gr. in ſtranguria, tunc excretionem urget, unde ejus ſphyncter ſe laxat, hinc urina ſeu liquidum ſponte effluit, adjuvantibus fibris circularibus membranæ ſecundæ veſicæ, quarum contractione anguſtata veſica urina expellitur. In ſubſidium veniunt etiam muſculi abdominis recti vel pyramidales, qui ſe contrahendo ſubjacentem veſicam ita premunt; & ita urinam unà expellunt. Videat. BELLINUS *de ſtructura & uſu renum.*

Annot. Pract. URINA *naturaliter conſtat ex* ſale volat. ſalſo *ſ.* compoſito ex acido & alcali volatilibus, *quod ſi vero fiat ut acidum vitioſum & excrementitium in ſpecie vitio digeſtionis primæ genitum cum urina potus deferatur ad loca urinaria ibi urinam inquinant & ſuo acore inficit quæ urina exinde acida facta continuum ſtimulum Veſicæ infert & exinde malum quod* STRANGURIA dicitur, infert vid. HELMONT. in tract. pleuraſurens. *Unde etiam fit quod potus non ritè fermentati ſed facilè adhuc fermentibiles indéque aceſcentes, ut Cereviſia recens, Muſtum & ſimilia ſubinde ſtranguriam inferunt, quæ ipſa.* CURATUR *talibus, quæ acidum præcipitare & abſorbere ejuſque in primis viis vitium imbibere ſolent: qualia ſunt* Teſtæ ovorum, Corallia, nux moſchata, Cortic. aurant. *horumque* oleum deſtill.

Conducit itidem inunctio umbilici *cum* ſevo hircino *additis aliquot gutt.* ol. macis; *it. interne etiam conducunt* creta, ſal. tart. *&c.*

Quod ſi tale acidum vitioſum ex primis viis imprimis ex ſtomacho dilapſum in renibus offendat, urinam vitio aliquali putredine vel alio vitioſo fermento infectam, ita ut ejus liquor ſalſus exinde dividatur ut acidum ejus & alcali ſeparentur. Hunc acidum vitioſum offendens copioſum alcali ſecum eodem unit & coagulat in calculum, *qui calculus humanus proprio nomine à Paracelſo vocatur* Duelech *tanquam tertium à duobus ſalib. ſ. ſpiritib. concretum: ſub iſto coagulo quicquid coagulationi aptum ſimul apprehenderunt, unde ſi infundibulum læſum ploret ſuum nutrimentum appropriatum chyloſum calculi albicantes emergunt: ſin renes læſi ſanguinis guttulæ ſtillent, qui una coagulentur emergunt calculi rubri.*

Hi ipſi ergo calculi hærentes in infundibulo dum dolorem inferunt renibus per conſenſum propter nervos omnia abdominis viſcera afficiunt, & ubi in tranſitu aſperitate ſua læſerint ſubſtantiam infundibulis & urethram membraneam hæc ipſa exinde læſa & quaſi nonnihil lacerata ſtillat & fundit ſuum nutrimentum proximum ſub forma liquaminis viſcidi pituitoſi quales cum urinis nephriticorum frequenter excerni ſolent. Calculus ergo ſeu ʒ um ſalſum ex acidi & alcali fortiter concretum difficillimus erit ſolutu cum eum neque acida neque urinoſa ſalſa aggrediantur, hinc etiam tam pauca ſunt remedia quæ ſemper aut certo lapidem frangant. Præ cæteris tamen & ad diminuendum calculum uſitatus, ſingularia ſpondet ſpir. tartar. volat. *rectè paratus cui reſpondet etiam* tinct. Amelung. *it.* ſpir. Carmin. *&c. Quin &* ſpir. nitri dulc. *ritè paratus interdum calculum in arenulas comminuiſſe obſervatus fuit. Ad præſervandum calculum habenda eſt imprimis ratio ſtomachi ejúſque digeſtionis ne ſc. acida exinde generentur vitioſa, unde præter vomitoria correctionis ſtomachi gratia inſtituta, conducunt imprimis ſupradicta* tartar. volat. *imprimis* aqua betulæ, *de qua videatur* HELMONT. tract. Lithiaſis *it.* allium *ejúſque capita minutim inciſa & in cochleari ſpiritus Iuniperi aſſumpta, ſingulis 14. diebus ſemel: nam alcali volatile allii acidum calculorum coagulativum domat & temperat.* Terebinthinata *item* Juniperata *& ſimilia egregiè à calculo præſervant.*

CAPUT XIV.

De motu ſanguinis ad Glandulas, lymphæque ortu & natura.

Theſis 1.

SAnguis per arterias *movetur etiam ad glandulas*; quæ copioſè in corpore ſunt hinc inde diſſeminatæ; de quibus videatur VVARTHON *in Adnographia*, elaborantes peculiarem quendam humorem, qui è *glandulis conglomeratis* per ſingulares ductus in cavitatem quandam effuſus peculiaria obtinet nomina & officia, ut ſunt *ſaliva, ſuccus pancreatis, lachrymæ*, &c. *à glandulis verò conglobatis* per peculiaria vaſa ſanguini in vena axillari ſiniſtra denuò infunditur, & *lympha* generali nomine dicitur, ſicut *vaſa*, quæ eum vehunt *lymphatica*, de quibus videat. SYLVIUS *diſſert.* 5. & 8. item BARTHOLINUS *de vaſis lymphaticis*, item RUDBECKIUS *de vaſis hepatis & glandulis ſeroſis*. Maxima namque lymphaticorum pars oritur à glandulis, pauca vero ab artubus & viſceribus internis, quæ glandulis eſſe connexa nondum evidenter compertum. Probabile ſaltem hoc videtur. STENO ſanè affirmat. *in obſervat. de glandulis & muſculis* pag. m. 40. & 44. *quod omnia lymphatica cum glandulis ſuum habeant commercium*, quodque omnis verè conglomerata glandula ſuos habeat binos ductus, advehentes & devehentes.

Theſis 2.

Glandularum ergo ſimilis ſtructura *ſimilem* in genere humorem, ab iis emulgeri demonſtrat, (in genere convenit lympha omnium glandularum in hoc, quod ſit liquor aquoſus, ſpirituoſus, ut plurimum acidulus:) non tamen in omnibus *eundem*; Nam *conglomeratarum diverſitas*. *certam* quandam etiam *in humore producit diverſitatem*, diverſis uſibus etiam deſtinatam *conglobatarum* vero *lympha* videtur *unica & eadem*; cujus, quis ſit *uſus* certus, adhuc eſt pomum Eridos. In genere tamen *ejus prope cor cum ſanguine* refluo à capite & brachiis commiſtio &

cordi infuſio, certum quendam pro renovatione ſanguinis in corde uſum arguit, quod lymphæ aſcendentis ab inferioribus cum chylo in ductu thoracico miſcela ulterius confirmat. Unde aut cum CHARLETONE *exercitat.* 9. §. 8. dicendum, lympham quatenus impediat coagulationem ſanguinis, dum eum deſcendentem ſpiritibus orbatum, aſcendentem verò ſero aquoſo ſpoliatum reddat fluidum, promovere ejus futuram in corde fermentationem, aut cum SYLVIO *exercit.*8. ſtatuendum, lympham, quatenus ſuccum ſubtilem volatilem acidum continet, diſponere ſanguinem certo modo ad eandem fermentationem. Nec negligendum puto, quod chylus lympha dilutus facilius cum ſanguine permiſceatur & ab eodem ſubigatur.

Theſis 3.

Materia ex qua componitur lympha ſeu liquor glandularum conglobatarum, putantur eſſe maximam partem *Spiritus Animales* in partes per nervos allati, qui cum laboribus non abſumantur omnes, cum *alimento partium aquoſiorum ſe jungunt*, & ita ſubtilitatem ſuam ſpirituoſam amittunt, ac denuò in aquoſam ſubſtantiam condenſantur, adjuvante hîc non parum *aliquali eorum in artubus refrigeratione*, qui non adeò ſunt calidi ac interna viſcera, tum ob ſanguinem ſenſim tepeſcente, tum ob ambientem aërem eos refrigerantem, hic ergo limpidus liquor vel à glandulis imbibitus, vel alio modo in partibus collectus derivatur, in vaſa iſta lymphatica. Vid. *diſſert.* SEGERI *de quidditate & materia lymphæ*: item SYLVII *diſſert.*8. *de lympha.* His ſpiritibus condenſatis *accedere in glandulis* iſtis conglobatis *ſuccum* vel liquorem *quendam acidulum*, qui temperetur à ſpiritu iſto volatili condenſato, probabiliter diſſerit idem SYLVIUS *citato loco* Sicut hoc guſtus ſubacidus lymphæ non raró obſervatus confirmat. Vid. BARTHOLIN. *in Cent.* 2. *Epiſt.*55. item *Epiſt.* 69.& in *Cent.* 3. *Epiſt.* 93. Comprobat hoc ulterius analogia conglobatarum cum glandulis conglomeratis, quæ & per nervos recipiunt Spiritus animales & ex arteriis emulgent laticem aquoſum, cumque eo ſimul aliquem ſuccum ſubacidum, quæ tria ſimul conglomeratarum liquorem v. gr. Pancreatis, maxillarum, &c. conſtituunt.

Theſis 4.

Sanguinis hoc modo *correſponderent circulo ſpiritus animales*: dum per nervos exportentur ex cerebro, & per lymphatica importentur ſanguini de novo volatiliſandi. Continuus ſanè ſpiritibus animalibus eſt influxus, etiam in dormientibus, uno tempore tamen copioſius, altero parcius, non autem providentiæ naturæ conveniret, ut omnes exhalent ſine neceſſitate laboris, ergo reſtitabunt in parte, vel potius *in aquas limpidas condenſati cum parte alimenti roſcidi tenuiore per lymphatica redibunt.* Sicut ergo ſanguinis motu, ob vaſa obſtructa, &c. impedito, ejus fit ſtagnatio, hinc extravaſatio, unde inflammatio, ita lymphaticis obſtructis lymphæ fiet ſtagnatio, hinc extravaſatio, & ſeroſa partis intumeſcentia ſeroſi tumores, hydropes particulares v. gr. Abdominis, pectoris, hydrocephalus. Quod ſi glandulis affectis præternaturaliter lymphæ vitioſa fiat generatio, & nimia effuſio, oriuntur imprimis Catarrhi exiſtente tunc ut plurimum lympha nimis acida.

Annot. Pract. *Lymphæ vitia & depravationes inducunt affectus Catarrhales, dum glandulæ ſint fontes ex quibus omnes catarrhi originem ducunt, quando enim ex vitiatis glandulis vitiatur lymphæ generatio, ita ut hæc exinde fiat acida aut m. nimis ſalſa, aut alio peregrino ſapore infecta, indeque diſtribuitur in partes in ſpecie ex glandulis conglomeratis, tunc oriuntur* CATARRHI *Non enim membranæ ſunt per quas tranſudat ſerum pro materia Catarrhi uti vult* SCHNEIDLERUS *in voluminibus* de Catarrhis: *ſed potius juxta membranas ſituatæ copioſæ glandulæ, quarum excretoria vaſa membranulas iſtas perforant, & per quas lympha iſta vitiata copioſè excreta Catarrhum conſtituit, ſint origo catarrhorum uti demonſtrat* STENO in obſ. de gland. & muſculis. *Neque etiam vapores ex ſtomacho exhalantes & in capite tanquam in alembico collecti indéque depluentes cauſam catarrhorum conſtituunt ſufficienter namque hanc opinionem* SCHNEIDER. in loc. ſup. cit. & HELMONTIUS *rejecerunt.*

Hoc interim certum eſt, quod in affectibus Catarrhalibus contumacioribus aut ſæpiùs recurrentibus fomes mali aut quaſi cauſa remota hæreat in ſtomacho, in ejuſdem ſcilicet digeſtione vitiata; quando nempè alimenta in liquamen nimis aquoſum & vitioſè acidum, aut vitioſè ſalſum tranſmutantur, ſic namque poſtmodum diſtributus talis chylus in corpus & copioſæ & vitioſæ nimis nempè acidæ lymphæ materiam ſubminiſtrat. Catarrhi vero leniores & ex tempeſtatis varietate ſubinde oriundi ut plurimum externam agnoſcunt cauſam vilium nempè glandularum quarundam particularum ibique elaboratæ lymphæ ab aëris externi inclementia inductum, qua ratione tempore autumnali & hyberno Catarrhi frequentiores eſſe ſolent. Prout ergo lympha variè vitiata, varias infeſtat partes variæ etiam Catarrhorum *oriuntur* Differentiæ: *nam nares ipſiſque vicinas partes infeſtans dicitur* GRAVEDO, *infeſtans vero aſperam arteriam, eamque nimis humectans* RAUCEDINEM *infert. Sin vero acrimonia ſua nimia membranam ejus continuò irritat & pungit qualſique titillet,* TUSSIS *exinde* CATARRHALIS *oritur & ea ut plurimum tempore veſpertino. Sin artus infeſtat lympha vitiata communiter dicitur Catarrhus externus, quo ipſo citra ſenſibilem partis mutationem dolor acerbus eandem excruciat, aut etiam ſenſus ac motus partis hebeſcit, aut omnino tollitur aut etiam ſenſus quidam formicationis percipitur. Quæ ſymptomata ex tali lympha acri nimis, ſæpiſſimè nimis acida originem ducunt. Pertinent huc etiam affectus Arthritici nempè* Podagra, Chiragra, malum Iſchiaticum, *quorum tormentans acidum primo quidem in ſtomacho genitum vehiculo lymphæ vitiatæ imprimis has partes occupat quoties ſci paroxyſmi recurrunt contenta ſimul in iſtis partibus charactere morboſo ſingulari non raro per hæreditatem tranſplantato. Medicamenta quæ Catarrhis conducunt ſunt præter* Purgantia *imprimis* ſudorifera, *& inter appropriata* ſuccinata. PURGANTIUM *Formula in Catarrhis ſit talis.*

℞ *Maſſ. Pilul. d. ſuccin. Crat.* ℈j.
Scamm. ſulphurat. gr. iij.
Extr. troch. alhand. gr. iß.
c. ſ. q.
Eſſent. ſuccin.
F. l. a. Pil. Cathar. pro 1. *doſ.*
aſpergant.
Pulv. ſuccin. præpar.

Formula SUDORIFERORUM *ſit hæc*
℞. *Aquæ Menth.*
Hyſſop. aa. ℥j.
Cinamom. ℥ß.
Spir. CC. c. ſal. vol. acuat. ʒß,
ſal volat. ſuccin. gr. xv.
Sirup. d. Hyſſop. ʒvj. *miſc.*
F. pot. Diaphoret. pro 1. *doſ.*

His ſubjungenda poſtmodum appropriata quæ interprimatum obtinent omnia ex ſuccino parata *remedia ſive ſit* ſuccinum præparat. *ſive* ſal ſuccini volat. *à gr. xij. ad* ℈j *pro uſu interno, ſive ſit* oleum ſuccini deſtillatum *pro uſu externo Capiti inungendo.*

Præterea Myrrha, *it.* Spermat Ceti, *quod acres ca-*

tarrhos egregie temperat, thus, ſulphur, *& omnia ex* ſulphure *parata remedia.*

Lignum ſaſſafras *appropriatum contra catarrhos eſt remedium, ſive ejus Decoctum hauriatur, ſive ejusdem Eſſentia cum ſpiritu ſerpilli parata;it.* tinct. Ligni ſaſſafras Mynsicht.

Hæc enim ſunt appropriata remedia ad catarrhos.

Paracelsus *in Cura Catarrhorum chronicorum ſæpius recurrentium hæc duo præſcribit remedia.* 1. Vinum medicatum.

♃. *Radic. Caryophyl.*
Acor. adulterin. aa. ℔ß
Flor. Sambuc.
Summit. Majoran. aa. m. iij.
Flor. Euphraſ.m.ij.
infundant in
Vini menſ. aliquot.
ſtent ita per octid.

de hoc vino omni mane jejuno ſtomacho & Veſperi ſub introitum lectus capiatur hauſtus

Juxta hoc vinum ſimul commendat hoc Electuarium.

♃. *Baccar. Junip.* ℔j.
decoqu. & exinde elicit. rob.
ſ. ſuccum inſpiſſat. hujus
♃. *Rob. hujus &*
Sachar. aa. add.
Radic. Zingib. ℥j.
Calam. aromat.
Macis. aa. ʒij.
Cubebar. ʒj. *miſc.*
exponant : ſoli in vitro clauſo per menſem.

hinc uſurpent. Conducit hoc electuarium ſtomachi & ita Catarrhi fomitem abſumit, uſurpatur quantitas nucis jugulandis, ſeu dimidium ejus poſt ſingulos paſtus continuetur per duos menſes.

Subinde certi partium oriuntur dolores Catarrhis vulgo aſcripti iique ex acore vitioſo aut propter lympham acidam collectam, aut propter aliam cauſam coacervato oriuntur.

Curantur hi optime per ſudorifera imprimis per ſalia volat. vel ſpiritus ſalino volatiles Opiatis *miſta qualia ſunt* : Spirit. ſalis ammon. ſpir. CC. cran human. *& ſimilia,hi enim ſpiritus urinoſi acidum vitioſum abſorbent & præcipitant : Opiata vero acorem temperant, & ſimul acorem leniunt.*

Podagricos & Artrhiticos *affectus, quod attinet hi ipſi præmiſſa purgatione blanda imprimis cum Hermodactylis, aut etiam præmiſſo* Vomitu. *Curantur per ſimilia* ſalia volatil. *blandum proliciendo ſudorem it.* ſpir. tartari volat. *præ cæteris hic convenit.*

Præter hæc fixa acidum abſorbentia, ut Oſſa Microcoſmi præp. Antim.diaph. cinnab. Antim. Bez. *ſolare optimè conducunt imprimis ſi* ſal volat. CC. *aut* viperar. *aut* ſanguin. human. *addantur.*

Et quidem cum ſubinde apud nos radix Podagræ ſit à ſcorbuto, his commode ſpir. lumbricor. terreſtr. *per ferment. parat. it.* Eſſentia contra Arthrid.vag.*it.*ſpir. cochlear. *&c.iſtis diaphoreticis adduntur. Quin & Opiata ſubinde adrelevandum ægrũ ſubinde uſurpanda veniunt.*

Externe *ſin cum dolore Arthritico tumor ſanguineus calor & quaſi inflammatio circa articulos adſit optime convenit* aqua ſpermat. ranar. legitime deſtillata *cum aliquot gran.*Camphor. *permiſta & impoſita.*

Sin vero citra intenſum ardorem & calorem dolor affligat optime conducit ſpir. vini crocatus; camphoratus, *it.* ſpir. ſalis ammon. cum ſpir. vini miſtus. *it.* Sapo Venetus *ſi diſſolvatur in* ſpirit. vini *aut in* ſpir. lumbr. terreſt. *& ita cum penna illinatur partibus dolentibus : hæc enim & ſimilia acidum podagricum doloroſum potenter extinguunt.*

Hinc etiam convenit Balsamus Podagricus Rhumelii, *qui eſt hic,*

♃. *Sapon. Venet.* ℥ij.
Camphor. ʒij. *ad* ℥ß.
Spirit. vin. q. ſ.

Solvantur & ad tempus digerantur, & ſeparatis fecibus reliqua ad uſum ſerventur, ac cum linteis parti dolenti applicentur.

Spirit. urinæ *cum* ſpirit. vin. *miſtus egregiè conducit applicatus, it.* ſachar. Saturni cum ſpir. vini camphorat. *Arthritidem cum inflammatione incipiente junctam tollit, NB. optimum ad* quamcunque Arthritidem *eſt Later, ſive ferrum candens in quo ſuperfunde urinam pueri, & vapor exhalans excipiatur partibus dolentibus forſan lotio cum ipſa urina ſic parata non eſſet incongrua.*

Si poſt paroxyſmum podagricum Tumor *adeſt hic optime diſcutitur* Vapore de Eruca, abſinth. *&* Artemiſ. *in aqua & vino coctis & pedibus calide ſuffumigatis.*

Ad præſervandam Podagram optime conducit Vomitus *ſingulis menſibus ſemel inſtitutus : vitentur omnia acida, & per volatilia item abſorbentia paroxyſmus imminens avertatur.*

CAPUT XV.

De ſangvinis motu ad corporis circumferentiam factaque ibi inſenſibili tranſpiratione.

Theſis 1.

C*Utis noſtra eſt rete quoddam ex triplici* minutiſſorum *vaſculorum capillarium* ceu fibrarum *genere* tanquam tot filamentis artificiosè constructum, ex capillaribus nempe vaſculis, quæ ob exilitatem fibræ vocari poſſunt, *venarum,arteriarum & nervorum,*quæ inter ſe contexta rete quoddam totum corpus inveſtiens conſtituunt : ſub qua textura reticulari *copioſæ conſtitutæ ſunt glandulæ parvæ,*ſuis excretoriis vaſis exteriora verſus ad cuticulam ſpectantibus inſtructæ,quorum orificiola cutis *poros* conſtituere videntur, Videat. Steno *in tractat. Myologiæ ſpecimen Geometric.* ubi de piſcis anatome, item *obſervat. de muſculis & glandul. pag.*46. Malpighius *in tractat. de externo tactus organo pag.*32.39.Bartholinus. *Cent.* 3.*Epiſtol.*65.*item* 97.

Theſis 2.

Hæ ipſæ cutis glandulæ ex ſanguine per capillaria vaſa emulgent & ſeparant copioſè partem ejus *aquoſam, ſalibus oleoſis ſuperfluis aliiſque particulis inutilibus,*tùm primariò maſſæ ſanguineæ, tùm etiam partium continentium imprægnatam, quæ ſub halituum per ſe inviſibilium formâ per vaſcula earum excretoria expirant, adjuvante non parum calore tùm ipſius corporis exſpirantis, tùm etiam corporis ambientis, & insensibilis transpiratio appellatur, cujus quantitatem incredibilem ſimul ac neceſſitatem inſignem vide in *Medicina ſtatica* Sanctorii.

Theſis 3.

Materia inſenſilis hujus tranſpirationis primaria eſt latex aquoſus ſanguinis, partibus ejus inutilibus, id eſt ſuperfluis, & diuturniore cum ſanguine circuitu effœtis, ſufficienter tamen pro omnimoda tranſpiratione attenuatis & volatiliſatis, *ſalinis volatilibus oleoſis, impregnatus,*cujus maxima pars uti cum urina ablegatur : ita reſidua portio in ſanguine, dum cum eo circulatur per partes continentes, i. e. ſolidas, *inſtar ſaponis abſtergit* & abluit nutrimentum harum roſcidum non perfectè poſt *ceſſantem accretionem* aſſimilatum & coagulatum, ſed jam *diuturniore mora inutile,*aut quodammodo excrementitium redditum : *Hoc ipſum ergo ſimul abſterſum ne aliquid ſordium à nutritione remaneat,* ſecundariò inſenſibiliter ſimul exhalat.

Theſis 4.

Quod ſi ſanguinea maſſa à quacunque cauſa velocius moveatur, inſignius effervescat, & nimis incaleſcat, indeque attenuetur nimium, & quaſi liqueſcat, ut in exercitiis Corporis aut poſt aſſumpta volatilia ſalina aut ſulfurea contingit, SUDOR oboritur, dum tranſpiratio in tantum augetur, ut ex copiâ maximæ à *glandulis imbibitæ*, *hæc confertim ſub guttularum* minutiſſimarum forma erumpat, quæ unitæ rivulorum ſpecie demanant, adeò ut etiam habitus exterior ab iſta imbibitione uberiori humectatus quodammodo turgeſcere & intumeſcere videatur. *Materia ſenſilis* hujus *tranſudationis*, *eſt eadem, quæ inſenſilis tranſpirationis*, imprimis *ſalina volatilis* Vide TACHENIUM *in Hipp. Chimic. pag.* 68. Sed præterea in ſtatu naturali *ex maſſa ſanguinea ſi ſit primis attenuata* & reſoluta, copioſæ partes utiles uti etiam *ipſum nutrimentum partium ſolidarum roſcidum* liquefactum, ſimul à ſero ſalſo abſorbentur, ſimulque foras educuntur. Ut nihil dicam de partibus ſpirituoſis in omni ſudore evolantibus: unde & crebrior ſudor, ut in laborioſis, corpus emaciat, & exſuccum reddit, pingueſque eo valdè attenuantur. Vid. ſupra *cap. de nutritione.*

Theſis 5.

Aſt in ſtatu præternaturali quæcunque *ſanguinis uti & partium continentium heterogeneitas*, auſpicatiſſimè & copioſiſſimè cum ſudore excernuntur. Quando ſcilicet eædem prius per fermentationem a ſanguinis arctiore miſcela ſeparatæ, & quaſi præcipitatæ ſunt, tunc enim ab aquoſis partibus imbibitæ vel ſpontaneo naturæ motu in declinatione morbi criticè excernuntur, ut etiam in fine Paroxſymorum febrilium in intermittentibus contingit, vel medicamento diaphoretico attenuata & liquefacta maſſa ſanguinea eaſdem excludit. Hinc *in principio morborum*, dum nondum eſt facta excernendorum iſtorum ſeparatio, ut urinæ tunc apparent claræ & crudæ, ita tunc ſæpius fruſtra rarò ſine noxâ propinantur ſola ſudorifera, magis namque exagitant maſſam ſanguineam, & efferveſcentiam impetuoſiorem reddunt. Quod ſi vero præmittantur *præcipitantia* vel *addantur ſudoriferis*, ut plurimum ſperatus evenit ſucceſſus.

Theſis 6.

Uſus ergo inſenſibilis tranſpirationis & ſudoris primarius eſt, *ut purificetur maſſ. ſang.* ſingulæque partes ab excrementis ſalinis aliiſque neceſſitate materiæ in ſanguificatione & nutritione pronatis, unde his excrementis retentis *turbatur ſanguinis fermentatio* progignunturque immediatè febres: *ſecundarij* ſunt *ut acceleretur* per ſudorem *Maſſ. ſang. motus*, ſanguis ſpiſſus attenuetur & reſolvatur, ne fiat ejus ſtagnatio, & procuretur ejuſdem ventilatio.

Theſis 7.

An autem ex præcordiis vel interioribus viſceribus aliquid per ſudorem excernatur immediatè, ut acute hic urget DEUSING *in exercit. de depurat. alimentor. pag.* 187. & *appendic. pag.* 343. item *in diſſertat. de lacte ſect.* 2. §. 63. id ſanè valdè probabile, licèt ob modi, quo id fiat, & viarum per quos id contingat, ignorantiam, res obſcuriſſima fit.

CAPUT XVI.

De ſanguinis ad cerebrum motu, ſpirituumque animalium generatione & officio.

Theſis 1.

SAnguinis ex ſiniſtro cordis ventriculo in arteriam dropulſi *altera pars per arteriæ ramum, adſcendentem ſurſum fertur*, & ex ramis axillaribus *per duo inſignia arteriarum paria carotidum nempe & vertebrarum in cerebrum aſcendit.* in cujus medullam hæ arteriæ ramos quoſdam hinc inde ſpargunt, maxima verò pars in minima capillaria diviſa vaſcula extimam cerebri & cerebelli ſuperficiem cinericeam, *cortex* appellatam, ſub tenui menynge, à qua omnes ejus anfractus arctè inveſtiuntur, ſubintrant, & paucis venulis ex ſinubus duræ matris oriundi ſimplicantur, in quos ſanguinem denuò reportant, à quibus in *ſinus quatuor* derivantur; qui cum continui ſint venis jugularibus (*his enim inflatis inflantur & ſinus*) tandem per hos in venam cavam omnem ſanguinem refundunt, de quibus vaſis vide SYLVIUM *diſſ.* 4. & VVILLIS *in Anatom. Cerebri cap.* 1. & 3.

Theſis 2.

Arteriolæ iſtæ copioſæ *motu ſuo cerebri certum motum tribuunt*, ut ex inflatione Carotidum patet. *Corticem* verò iſtum qui ex ſanguine eò allato loco coloris albicantis ſubcineritius eſt, *ex copioſiſſimis glandulis minutulis ovalis figuræ conſtare*, in quas inſinuent ſe iſta vaſa & ex quibus *ſingulares ductus nervei* oriantur, qui ut univerſam cerebri medullarem molem conſtituant, etiam tandem in nervos abeant, per quos nutritius in glandulis iſtis elaboratus ſuccus in corpus diſtribuatur, exiſtimat MALPIGHIUS *in Tractat. de ſtructura viſcerum, capit. de Cortice cerebri.*

Theſ. 3.

Pari autem quendam *ſpiritum* ab officio *animalem* dictum, hic præſupponimus, cum videamus v. gr. nervo diſſecto perire membro infra ſectionem ſenſum pariter ac motum, Objectiones autem contra eum diſcuſſas vide in ROLFINKII *exercit. Anatomic.* Hunc generari ex ſanguine indubium eſt, cum nulla adſit materia pro eodem: & quidem ſanguinis partem *ſubtiliſſimam volatilemque ſpiritus vitalis* aliàs dicitur *eſſe id, quod tranſeat in animalem ſpiritum* aſſerimus. Non per modum novæ cujuſdam elaborationis, aut fermentationis in cerebro perficiendæ, ſed *per nudam ſeparationem*, dum ſpiritus ſalinus volatilis & lucidus ſanguinis, à ſanguine in cerebro ſeparatur, & ita ſolus ac purus indeque vegetus exiſtens membra in fluxu ſuo actuat, eaque *ad ſenſum ac motum diſponit*, & hos varios; prout ubique particularem organorum characterem ſuſcipit & proprietatem induit.

Theſis 4.

Modum iſtius *ſeparationis* optimè expreſſiſſe videtur SYLVIUS *in diſſert.* 8. §. 29. & VUILLIS *in Anatom. cerebri cap.* 9 *pag.* 68. per modum nempe *ſubtiliſſimæ filtrationis*, vel accuratæ per ſerpentinos ductus deſtillationis, qua partes ſanguinis *ſpirituoſæ activæ & mobiles* ex carotidibus in cerebro, ex vertebralibus vero in cerebello, per *eorum corticem* glanduloſum agiliter *penetrando* tranſeant, in cerebri medullam craſſioribus ob pororum anguſtiam, aquoſis ob cerebri ſubſtantiam, quaſi oleoſam & pinguem, excluſis, unde neceſſe eſt emergat *ſpiritus ſubtilis volatilis facillimè mobilis* & luminoſus, in ſtatu ſcilicet naturali conſtitutus.

Theſis 5.

Cum ergo *ſpiritus animalis præſes ſit omnium ſenſuum & hos conſequentium affectuum & motuum*, neceſſarium erit, materiali ſuo influxu vigorem hunc par tibus tribuere, quod defendentem vide CHARLETONEM *in exercit.* 11. contra eos, qui nuda quadam *irradiatione a cerebro* partes ita diſponi aſſerunt, ut aptæ fiant ad percipiendas ſenſilium objectorum impreſſiones, & exſequendos debitos motus. *Determinatur* autem *Spiritus Animalis ex ſe indifferens ad diverſas actiones pro varia partium organica diſpoſitione*, & proprietate, nam is ipſe, qui in lingua dicitur guſtare,

ſtare, videret, ſi eſſet in oculo, aut deglutiret ſi eſſet in Oeſophagi muſculis. in operationibus enim externis quos per motum exercet, *paſſive* ſe habet; in inſtrumentis enim *ſenſuum recipiendo* objectorum ſenſilium per organa mota impreſſiones, ſenſus inſtrumentum eſt, ſicut non *niſi motus* ipſe fibras motrices movere videtur. Sed quo ad ſenſus internos, non ſine idearum compoſitione explicabiles aut ruditer ſaltem cognoſcibiles, ipſisque conſequentes affectus, quomodo hoc ſpiritu vel obeantur vel adjuventur, res adhuc intricatiſſima eſt.

Theſis 6.

Quod ſi Spiritus animales in debita *quantitate & ſubtilitate blando & moderato motu* agitentur, indeque cerebrum implendo, quodammodo *expandant & continuato rivulo in corpus influant*, omnium actionum animalium ſequitur exercitium, h. e. *vigiliæ*, ſin ab alio quocunque objecto vel perturbati & irritati inordinato & impetuoſo in cerebro motu, cieantur, *mentis perturbatio*, & *deliria varia* non tamen diuturna oriuntur, ut in paraphrenitide, item in ebriis apparet. In partibus vero & muſculis variæ geſticulationes aut varij *convulſi motus* producuntur, quod ſi hi ſpiritus paulo ſubtiliores celerius & agilius moveantur, ſubtilitatem ſ. acumen ingenij (quantum nempe hoc à ſenſibus internis dependet) alacritatemque ſingularem corporis actionibus, & promptitudinem conciliant, ſed quæ ob nimiam ſpiritus ſubtilitatem, indeque inſignem in varios non rarò inordinatos motus aptitudinem, ſimul tamen etiam facilem eorum abſumptionem & diſperſionem, inconſtantiam partim, partim etiam *impatientiam* ſecum vehunt, hinc verſatilia *ingenia*, qualia *Gallorum*, item ſic dictorum *Cholericorum*. Quod ſi hic ſpiritus purus quidem & lucidus, non tamen adeò ſubtilis & agilis ſit indeque tardius, ordinatè tamen, movetur, minus quidem velocia, acuta tamen & accurata conciliat ingenia, cum quadam pertinacia, ſimulque in omnibus actionibus autoritas quædam & maturitas, conſtantia & patientia eſt conſpicua, uti in *Italis* & *Hiſpanis* & ſic dictis *Melancholicis moderate* videre eſt, ſin verò torpeſcat nimis ſpiritus, minus ſit agilis, ſtupor & hebetudo ingenij cum actionum reliquarum corpore obvius eſt, ut in *phlegmaticis nimis* vel *nimis Melancholicis* uſu venit. In tali caſu ſpiritus excitandus eſt, unde choreæ, facetæ converſationes, jucunda Mulierum conſuetudo, melancholicos alacres reddit, agitando nempe & ſubtiliſando ſpiritus.

Annot. Pract. *Vires corporis noſtri dependent primario à ſpiritibus tam vitalibus quam animalibus: horum defectus cauſa eſt imbecillitatis & Proſtrationis virium. Relictis cauſis variis quæ ſpiritus deficientes reddunt in.*

CURA *vires reſtaurant omnia ea quæ ſpiritus copioſiores & volatiliores reddere valent: qualia ſunt omnia ſpirituoſa ex vegetabilibus parata* ſpir. vini, *& ſimiles hinc etiam* aromata *ex quibus* aquæ confortativæ Apoplecticæ, *&* Epilepticæ *conſtare ſolent inter quæ primatum obtinet* Eſſentia *&* oleum cinamomi. *Pertinet huc* Ambra *ſimul ſummum reſtaurativum ſpirituum animalium, unde non tantummodo uſurpantes in venerem armat, ſed præterea quoque ſenibus decrepitis moderato uſu mire conducit, unde* Confectio Alchermes *quam ingreditur Ambra conducit, it.* Eſſentia Ambræ *cum ſpir. roſar. it.* tinct. corall. *cum ſpir. cord. Cervi quam ingreditur Eſſent. Ambræ, it.* ſpirit. roſar. ambratus *& ſimilia.*

Subinde fit ut ex irrequieto nimis ſpirituum animalium motu indeque ortis deliriis *aut* Agrypniis *aut etiam* motibus convulſivis *ingens virium immineat proſtratio.*

In tali caſu ex Opio *recte parata remedia ſunt divina auxilia, ſi appropriatis aliis remediis miſceantur: ſnter talia* Laudanum Opiatum Helmont. *ex Opio cum ſucco Cydoniorum fermentando paratum, eſt optimum auxilium; quin &* camphora *in morbis malignis cum modo dictis ſymptomatis conjuncta in pauca quantitate & aliis appropriatis addita ſpiritus animales nonnihil figit & ad debitum motum redigit.*

Theſis 7.

Quod ſi *Spiritus torpeat* vel ob *deficientem quantitatem*, vel ob *deficientem ſubtilitatem*, indeque parciter at tardè influat, ſenſus quieſcunt, & alta quies occupat membra, hoc eſt *ſomnus* obrepit, *non enim defraudatæ* ſunt partes ſpiritu animali in ſomno, ſed hic parcius tantum influit, & quia non adeo agilis & ſubtilis, non adeo facile objectorum ſenſilium recipit impreſſiones. *Cauſa* ergo *ſomni* eſt, 1. quando ſpiritus deficiunt exhauſti nempe ob labores. 2. quando ſunt torpidi & difficulter tardeque mobiles, quod fit primo ob cerebri aliqualem *humectationem* ex continua ſpirituum ex ſanguine in cerebro in vigiliis generatione, cum quibus ſenſim aliquid aquoſi ſimul deſtillat in cerebrum, unde ſpiritus ſimiliter non tantum humidi & aquoſi fiunt, indeque denſiores, ſed etiam ex infarctis poris ijdem à ſolitis expanſionum tractibus & orbitis pro iſto tempore impediuntur. Vid. VVILLIS *in Anatom. Cerebri pag.* 84. Secundo *ob eorum fixationem.* ſ. condenſationem ex aſſumptis vel applicatis medicamentis narcoticis ſeu Opiatis, quibus eorum motus inſigniter impediri ſolet.

CAPUT XVII.

De ſenſibus externis in genere.

Theſis 1.

EXterna ambientia corpora continuo *in nos agunt*, *& externas partes afficiunt*, cujus actionis & *ab externis factæ in corporis membra impreſſionis perceptio, vocatur ſenſus.* Sicuti *pars* iſta, *quæ impreſſionem* iſtam ſeu externorum inſultum *immediatè recipit*, *ſenſus Organum* vocatur. In omni ergo ſenſu duo ſunt conſideranda, 1. *receptio* impreſſionis factæ in organo ſenſus *ab objecto externo ſenſili.* 2. *perceptio* iſtius impreſſionis ſeu mutationis in organo factæ. Prius dicitur *ſenſus externus*, ſentire enim eſt quoddam pati, poſterius vero dicitur *ſenſus internus*, ſic auris interna recipit vim irruentis toni, cujus inſultus perceptio in cerebro eſt formalis auditus. Prout ergo externorum inſultus variat, hisque reſpondens corporis partium ſtructura, quæ hujus non illius objecti recipere activam impreſſionem apta nata eſt, etiam variant ſenſus externi, qui ad quinquenariū *numerum* vulgò aptè ſatis revocātur.

Theſis 2.

Communis, in Scholis *Philoſophorum & Medicorum de Sentiendi modo* recepta *opinio* In hoc cōſiſtit, quod nempe objecta ſenſibilia habeant in ſe qualitates reales; quæ ex ſe diffundant alias qualitates intentionales, *ſpecies ſenſiles* dictas, quæ ſpecies ita afficiant organum ſenſus, ut facultas ſenſitiva ibilem reſidens, iſtas qualitates mediantibus ſpiritibus recipiat, easque ad facultatem *ſenſum communem* dictam tranſmittat, à qua fiat iſtius qualitatis perceptio & dijudicatio, atque ita vera ſenſatio, ſic v. gr. color parietis albus, ſit talis qualitas, quæ ex ſe dimittat ſpeciem ſuam in oculum, à qua ſpecie ita afficiatur facultas viſiva, ut exinde in ſenſu communi tamdem eliciatur iſtius coloris albi perceptio & ejus viſio. Sed quis non videt hiſce nudis terminis nominalibus ſine nucleo rerum, rem hanc aliàs obſcuram, multo magis obſcurari? explicandum enim reſtat, quid ſit iſta facultas ſentiens, in quo conſiſtant iſtæ qualitates ſenſiles, earumque ſpecies intentionales? Jtem quomodo eædem afficiant organa, & quomodo ab his ad cerebrum fiat tranſitus pro formali ſenſatione.

Theſis

Theſis 3.

Moderni ergo relictis cæcis rationibus & terminis nil ſignificantibus, experimenta naturæ conſulentes aliter longè rem explicant. Inveniunt ſcilicet *omnes* iſtas, quæ corporibus attribuuntur *qualitates*, *eſſe non entia*, ſed eos rebus in ſe unis *affingi ex diverſo noſtro concipiendi modo*, qui multiplices eoſque diſtinctos de una re formans conceptus, prout diverſimode res iſta afficit ſenſus, ſtatim etiam tot entia quaſi reverà diſtincta in ipſis concipimus. Videat de hoc DYGBY *in Tract. de natura corporum*, *Tract.* 1. *cap.* 1. *pag.* 3. cujus verba ut aliquomodo mutata mutuò accipiam, ſuppono, me corticis Aurantiorum fruſtulum in manu tenere: Hoc fruſtulum in manu tenere: Hoc fruſtulum in ſe realiter tantùm ens unicum ex particulis materialibus in unum corpus coalitum, diverſos in meis ſenſibus effectus producit, viſus in eo colorem aureum, olfactus odorem ſuaveolentem, guſtus ſaporem amaricantem acutum, tactus denique frigus, lævitatem & aliqualem ſcabriciem detegit. Senſus itaque diverſimodè affecti nuncios ad phantaſiam admittunt, tanquam certiores facturi, quid quiſque in fruſtulo illo deprehenderit, ita ut ratio poſtmodum flavedinem, ſuaveolentiam, amaritiem, frigus, ſcabritiem, &c. ſeparatim conſideret, unde diverſæ notiones in mente quaſi tot diverſorum entium oriuntur, quæ tamen reverà in illo fruſtulo nullatenus diſtinguntur, nec aliud ſunt, quàm ipſa illius ſubſtantia pro varia ſenſuum & organorum diſpoſitione diverſimodè me afficiens.

Theſis 4.

Sunt ergo vires corporum ſenſus afficientes, quos *qualitates ſenſiles* vocant, v. gr. ſapor, odor, color, &c. non *entitates quædam reales & abſolutæ*, poſitæ in indiviſibili & ab alia qualibet entitate ipſoque corpore, cui inhærere dicuntur, diſtinctæ, ſed duntaxat *corpus ipſum prout hoc ex certo particularum materialium*, ex quibus conſtat, *coalitu* juxta harum magnitudinem, figuram, ſitum, texturam, &c. *aptum natum eſt variè ſenſuum organa ſua diſtincta conformatione* ſecundum iſtas corporum *texturas*, ceu *diverſa patientia diverſimodè agentibus reſpondentia afficere*: ſic v. gr. *eædem particulæ* fruſtulum corporis aurantiorum contexentes, quatenus peculiari modo ſituatæ lucem reflectunt *coloratæ* apparent, quatenus certo modo figuratæ, papillas linguæ vel membranam narium afficiunt, *ſapidæ & odoratæ* ſunt, quatenus denique inæqualiter contextæ multæ eminent, multæ depreſſæ ſunt, ſcabritiem quandam ſ. ſuperficiei qualitatem tactui repræſentant. De his ſimiliter philoſophantes videantur DYGBY *in libr. de natura corporum Tract.* 1. *cap.* 27. & *ſequ.* item CARTESIUS *in ſuis ſcriptis*, *imprimis de homine.* GASSENDUS *in ſua philoſophia Epicuræa.* REGIUS *in Phyſicis*, BOYLE *in Chymiſta Sceptico* imprimis in *Tract. de Origine formarum & qualitat.*

Theſis 5.

Modus ergo *quo objectum ſenſile afficit organon ſenſationis*, non fit per talem qualitatis ex objecto emanantis in organo receptionem, ut facultas ſentiens hujus qualitatis quaſi intuitu ſentiat, ſed *fit per certum motum*, *in quem inſtrumentum ſenſus proximum cietur*, eumque *varium*, pro diverſis objecti materialis conditionibus, & *hinc alia atque alia ad organon movendum* habitudine. Conſtant organa ſenſuum variis partibus, ex quibus *una immediatum eſt ſenſus inſtrumentum*, in quam objectum ſenſile immediatè irruit, vel impellit, & hæc ſemper *eſt nervus*, cujus extremitas vel in membranam tenacem fortiter tenſam expanditur, v. gr. in auditu & viſu, vel in capitulum papillare conglobatur v. gr. in guſtu & tactu. In hanc nervi extremitatem irruens objectum ſenſile illam vel percutit, vel in vibrationes movetur, vel pungitur, vel titillat, vel alio modo (quibuſcunque terminis explicetur, modo intelligatur) motum ciet, & in hac *organi motione formaliter ſenſus externus ſeu impreſſionis ab objectis receptio conſiſtit*, hic motus in organo factus in cerebro perficitur & quaſi dijudicatur, & ita in ſenſu ſic dicto communi formaliter in homine ſentitur.

Theſis 6.

Cæterum conſiderandum venit, *quomodo motus ipſe ſenſorius* in quo ſenſus externus conſiſtit, *deferatur ad cerebrum pro formali ſenſatione interna. Medium* hocce *ſunt Spiritus Animales in nervis continuati*, & in horum extremitatibus ſenſilibus quaſi coacervati, qui non poſſunt non ad leviſſimam eorum motionem ſimul moveri, & eodem modo atque fibræ iſtæ nervoſæ ab objecto contactu vibrari. Hi ſpiritus ita moti per continuitatem nervorum ad cerebrum uſque pertingunt, (quatenus motus ſpiritus in organo ſibi vicinum ſ. connexum ſimiliter movere, & ſic ſucceſſivè & id quaſi per modum undulationis) cui alium quoque ictum infligunt, reſpondentem illi, quem ſenſui externo objectum inflixerat, & ictu quidem hoc peculiari modo afficiente cerebrum: formalis poſtmodum in eodem per ſenſum communem ſenſatio in homine elicitur, quatenus forſan ad normam hujus motionis ab organo ad cerebrum continuitate imago ſeu idea, exprimens hanc ceu ſuum exemplar, fabricatur.

CAPUT XVIII.

De ſenſibus externis in ſpecie.

Theſis 1.

PRimum quod nos afficit *objectum* externum eſt *lumen*, ex corpore lucido per radios ubique diffuſum: materia nempe quædam ſubtiliſſima & mobiliſſima quæ *ſive ſit ignis* quidam maximè rarefactus, uti vult DYGBY *de immortalitate Animæ part.* 1. *cap.* 6. & *ſequ. vel* alia quædam *materia ætherea*, ut CARTESII eſt ſententia, in medio relinquo. Hoc *lumen vel immediate* ab oculo *recipitur* v. gr. à ſole, ab igne, *vel mediate* mediante nempe *refractione* nunc per diverſa tranſit media *vel* mediante *reflectione* ab objecto opaco vel ſolido, quod tranſitum ipſi denegat, & propterea quaſi repercutit, inſtar muri pilam repercutientis, & ab eadem reflectitur ad eum angulum exactè ad quem inciderat. Quod ſi corpus à quo reflectitur ſit politum (plus tamen vel minus, nam perfectè politum nullum eſt corpus ſublunare, nam & ipſum aurum reſpectu ſubtilitatis materiæ luminoſæ, ſuas habet inæqualitates & poros) lumen maxima ex parte eodem fere modo; prout incidit, ad viſum reflectitur, taléque corpus *ſplendere* dicitur.

Theſis 2.

Sin verò non ſit politum, ſed variformes habeat eminentias, diverſè figuratos porulos, & variè conformatos meatus, &c. lumen in iſtis diverſimodè modificatur, turbatur, umbris miſcetur, & multipliciter nunc refringitur, ut lumen ad oculum perveniens non nativa ſua facie appareat, ſed alio modo, ita ut tunc color appelletur & objectum à quo ita modificatum reflectitur, *exinde coloratum.* Eſt namque *color nihil aliud*, *quam lumen in corpore*, *in quod incidit diverſimodè modificatum & hinc ad oculos directum*, quæ modificationis varietas ex eminentiis, poris & meatibus, & particularum corpora componentium diverſâ magnitudine, figura, textura, reſultans, omnem colorum tàm apparentium, quàm realium differentiam depromit. Hinc *enim cœcus* ſolo tactu exquiſito omnes corporum colores diſcernere valet.

Hinc

Hinc enim *vitrum* triangulare pro vario ad lucem poſitum, varios iſtos colores inſtar Iridis producit, pro lucis incidentis varia refractione. Hinc Vitrioli in Aqua ſolutio limpida & perſpicua injectioni decocti gallarum vel alius cujuſdam alkali ſolutione, ſimiliter clara & perſpicua, ſubito nigreſcit & fit atramentum, quatenus facta ex acido & alkali unione partes metallicæ Vitrioli ab acido dimittuntur, qui porulos liquoris replendo lumini tranſitum liberum non permittunt, unde opacitas; Prætereà iſtud lumen variè refringunt & diverſimodè reflectunt, ut exinde in oculos incidens, colorem nigrum repræſentet. Sed hæc non tantum Chymia quotidiè ad oculos ponit, ſed prætereà ſufficienter ſunt declarata à Dn. Boyle *in Tractatu de coloribus*, item Dygby *loco citato cap.* 19. Addatur *Pater* Franciscus Maria Grimaldi *in Tractat. Phyſico Mathem. de lumine, coloribus & Iride.*

Theſis 3.

Lumen ergo vel ſimplex vel reflexum & modificatum *illabitur in oculum per foramen tunicæ uveæ ceu in cameram obſcuram* (nam revera *oculus eſt talis camera*) in qua *cryſtallinus humor eſt vitrum lenticulare*, in quo *fit decuſſatio ſpecierum*, ut *vocant viſibilium* (hoc eſt ipſius luminis à variis punctis objecti oculum intrantis) donec hæ in *tunicam* ceu *primarium viſus organon* impingant, & ſic objectum inverſo ſitu depingant. Videatur Schottus *in Magia naturali part.* 1. *Retina* tunica iſta *eſt expanſio nervi optici* & exinde ubique perfuſa Spiritu Animali: ab illabente ergo lumine vel ſimplici vel colorato objectum viſibile repræſentante, & impingente in tunicam iſtam, *hæc quaſi percuſſa ſimiliter movebit ſpiritus præſentes*, qui *continuata ſerie per nervos cerebro ſimilem motionem imprimenr, & ita viſionem ſ. objecti in oculo repræſentati perceptionem in ſenſu communi promovebunt.* Prout ergo variè modificatum lumen variè percutit tunicam retinam ejuſque fibrillas, variè dicuntur objecta colorata. Quod ſi ſimilis motus in oculo produci contingat ab ullâ aliâ cauſa, etiam interna, in qua partes lucis nullæ ſunt, putabit quis eandem lucem vel colorem ſe videre: Hinc enim eſt, quod oculi percuſſi in tenebris lucem videre putent, item quod ante Paroxyſmum Epilepticum aut Vetiginis, non raro varii colores apparere ſoleant. Boyle *citat. loc. pag.* 10.

Annot. Pract. *De* Affectibus Oculorum *noto in genere quod ex duplici oriantur cauſa.*

Vel ex lympha lachrymali nimis acida & acri, unde oriuntur fere omnes affectus oculorum externi: nam omnis lympha ſub ſe continet ſubtilem quendam acorem abſtergentem & detergentem, hinc fit, ut in naturali ſtatu hoc oculi à tali lympha lachrymali humectati ſint facilè mobiles & ab omnibus ſordibus purificati; ſimul vero atque hæc lympha lachrymalis fit nimis acida, tunc varia oriuntur oculorum mala, imprimis externa v. g. Oculorum rubedines, corroſiones, lippitudines, puſtulæ, ulcera, fiſtulæ lachrymales, pruritus, &c. quin & ſi lympha hæc nimis acris & corrodens lædat carnem in angulis oculorum ſi tam exinde emergunt exereſcentiæ variæ in ſpecie ungues ſeu panniculi oculos tandem obtegentes.

Altera Cauſa affectuum oculorum ſita eſt imprimis in humoribus oculi bulbum replentibus in ſpecie in humore aqueo: hi enim humores dum nimis craſſeſcunt & exinde nimis perſpicui fiunt tunc viſum impediunt, & ſpecialiter aqueus humor pro varietate craſſitiei varios acquirit colores, nunc glaucum, nunc album, nunc alium: ita ut tales tamquam per nebulas omnia ſe videre exiſtiment imo ſi aqueo humori permiſceantur nonnulla excrementa hæc ipſa tandem arctius compacta concretionem membranaceam efficiunt & ita ſuffſionem ſeu Catarrhactam inferunt.

His affectibus facilè eſt invenire remedia, nam qui ex lymphæ vitio oriuntur poſtulant talia quæ aciditatem & acrimoniam ejus corrigere poſſunt: quæ verò mala oriuntur ex vitio humorum oculi poſtulant ſubtilia penetrantia in quibus imprimis Fellà *animalium excellunt.*

Remedia quæ oculis adhibentur dicuntur Collíria, *quæ inter primatum obtinent* infuſa Martialia *cum aqua appropriata facta, ſive fiant ex Vitro Antimon. ſive ex* Croc. metallorum *ſive quod optimum ex capite* mortuo butyri Antim. *e. gr.*

℞. Vitr. Antim. pulveriſat. ℈ß. ad gr. xv.
Infund. in
Aqua flor. Cyani
Euphraſ.
Fœnicul aa ℥j.
ſtent in loco calido per noct. mane filtrent.
add. Camphor. gr. vj. F. Collyr.

hujus aliquot guttæ inſtillandæ ſunt oculo, ægro ſupinatim jacente NB. & hoc interdum repetendum prout opus fuit.

Hæc aqua etiam valde convenit contra ſuffuſionem.

Huic Collyrio Catholico commode addi poſſunt in rubedine, dolore & inflammatione oculorum, Ceruſſa *vel* Saccharum Saturni *à ℈j. ad ʒß. vel ʒj. ſubtiliſſime pulveriſati, poteſtque tunc fieri infuſio in aqu. ſpermat ranarum aut aqua deſt. ex baccis fragrorum.*

Ad clarificandos humores oculorum item ad detergendos & abſumendos ungues & pannos optima eſt hæc Miſtura.

℞. Aquæ leucoi bulboſi ℥ij.
Fell. lucii piſcis. ʒj.
miſc.

ſtent in loc. calido per noctem mane filtrent. D. S. Specific. aqua contra dictos affectus.

Secretum Burrhi *in his caſibus eſt* Fell. humanum deſtill. *ex cucurbita vitrea humili per alembicum æneum ſeu cupreum.*

Alii etiam ad abſumendas iſtas oculi excreſcentias commendant hanc Miſturam.

℞. Aqua Chelid. major.
Euphraſ. aa. ℥iß.
Vitrioli albi pulveriſ. ℈j.
miſc. & filtrent.

NB. pondus vitrioli eſt augendum vel minuendum pro tolerantia ægri.

In Ulceribus aut Vulneribus oculorum, ubi opus eſt deterſione aquis ophthalmicis addetur interdum Mel aut ejus loco Sacchar. Candi aut ſimilia.

Sic Forestus in lib. 11. obſ. 29. *habet exemplum pueri qui ex variolis incidit in puſtulas oculorum quæ poſtulæ tandem fuerunt exulceratæ & exinde oborta eſt nebula oculorum huic profuit ſequens Collyrium.*

℞. Aqua fœnic. ℥iij.
Fell. anguill. ʒj. ad ℥iß.
Sachar. Cand. pulveriſ. ſubt. ʒj.
miſc.
ſtent in loc. calid. per noct.
F. Collyr.

Hartmannus in prax. chymiatr. cap. 43. theſ. 3. *habet aquam ophthalmicam cum Zingibere paratam, quam non ſatis commendare poteſt* Lindanus *ut pote qua ipſe aliquot ſuffuſiones confirmatas ſe curaſſe gloriatur.*

Ad affectus ex lymphæ vitio & inflammationes oculorum confert hæc Miſtura.

℞. *Aquæ Plantag.*
Fœnicul.
Spermat. ranar. aa. ℥j.
Tutiæ præp.
Ceruſſ. pulver. aa. ʒß.
Camphor. gr. vj.
Croc. gr. ij.
miſc.
ſtent in loco calid.

D. S.

Unguis oculi *perfectus fuit curatus aliquando beneficio talis Collyrii.*

℞. *Aquæ Chelidon.*
Calcatr. aa. ℥j.
Oſſ. ſepiæ ppt. ℈j.
Vitrioli alb. ℈ß.
Tut. præp. ʒß.
Sachar. Cand. ʒj.
miſc. probè & agitent.

D. S.

Liquor reſicularum ulmi *ſingulare experimentum eſt in oculorum vulneribus inſtillatus, & cum linteis duplicatis in eo humectatis impoſitus, nam hoc ſucco etiam vulnera oculorum per quæ humor aqueus effluxerit, fuerunt curati & oculi reſtituti.*

In dolore, rubedine, & inflammatione oculorum, *Cataplaſma ex Pomis aſſatis ſeu ſub cineribus coctis eſt expertiſſimum, modum vide in* Collegio Jonſtoniano D. Mich.

Fruſtum carnis crudæ *ſive bovinæ ſive vitulinæ, magnitudine & craſſitie thaleri applicatum oculis conducit inſigniter ad rubedinem & tumorem oculorum ex cauſa externa, puta feſtuca in aure contenta. Idem valde convenit in præſervandis oculis à variolis ſi applicetur & ſubinde removeatur, novumque denuo applicetur.*

Theſis 4.

Fit ergo viſio per conum duplicem, rectum unum ab objecto ad punctum interjectionis in cryſtallino, & *inverſum* alterum ab hoc puncto ad tunicam retinam, & prout *angulus iſte interſectionis* eſt, vel major vel minor, etiam objectum majus vel minus apparebit, & ſi medium inter *objectum & oculum eſt unum ratione craſſitiei in loco* eodem objectum apparebit, in quo eſt, ſin verò objectum ſit in medio craſſiore vel tenuiore, quàm eſt circa oculum, etiam in alio loco, quam reverâ eſt conſtitutum apparebit, idque ob refractionis varietatem pro medii diverſitate Videat. Horstius *in Operibus Medicis Tom. 1. in diſſert. 3. coronid, 1. exercit.* 18. unde nummus in pelvi poſitus non apparens infuſa aquâ in pelvim mox apparebit, & baculus rectus, cujus medietas aquæ ſit immerſa fractus apparet. Oculi ergo fabrica ex tot humoribus diverſæ conſiſtentiæ eſt compoſita, ut per refractiones eò exactior fiat objecti repræſentatio. Cæterum oculus licet ſit *duplex, non tamen una res viſa duplex apparet, quia axes pyramidum viſualium coincidunt in unum punctum* unde viſio duplex in utrôque oculo eſt ſimillima: Sin vero *contortis oculis axis iſta variet,* etiam una res duplex apparet. Recta quoque apparent omnia objecta licet iſta verſa depingantur in oculo, quia per viſionem res ibi apparet, quo linea viſualis ex oculo tendit, ſed hæc linea ex inferiori puncto retinæ ſurſum, ex ſuperiori verò deorſum tendit. Ergo & hoc modo objectum nobis apparet. Sed hæc pro exactiori cognitione perfectam Opticæ præſupponunt notitiam. Plura qui vult, videat Schottum *loco ſupra citat.* Comæum *in curſu Philoſophic. cap. de viſu* Carthesium *Tract. de homine,* & Marcum Marci *in Thaumantia ſeu arcu cæleſti.*

Theſis 5.

Alterum Objectum quod maximè nos afficit *dicitur* Sonus, *qui eſt motus aëris* nunc celerior, nunc tardior, *ab aliquo corpore movente excitatus,* & prout hic motus eſt vehementior vel debilior, ſonus eſt major vel minor, & prout eſt ſubtilior ſeu minor & celerior, vel major ſeu tardior, eo etiam ſonus nunc eſt acutus, nunc verò gravis. Totum negotium aptè declarant chordæ in Inſtrumentis Muſicis, quæ *minores & magis tenſæ,* eo acutiorem, ſi moveantur, efficient ſonum, ob ſubtilem verberationem, & celerrimam motionem aëris, quò verò *grandiores aut minus tenſæ,* eò gravior eſt ſonus, ex ratione contraria. Sin verò quiete perſiſtant nullus eſt ſonus, quin ſi eorum motum digiti appulſu inhibeas, ſonum omninò tolles. Sonus ergo hujuſmodi ſeu motus aëris promotus ad aliquod corpus ſolidum repercutit exacte ad angulos tales, ad quales inciderat, ita ut *incidentiæ* vel impulſionis *angulus* ſit æqualis *angulo repercuſſionis,* & dicitur *Echo*, quale Echo eſt omnis iſte ſonus, qui in organis Muſicis dicitur *reſonantia*, quæ eſt ſonus in teſtitudinis cavitate multipliciter repercuſſus. Hæc reſonantia imprimis in metallis reperitur, quæ ob firmam ſuam inſignibus tamen minutis poris refertam compagem percuſſa, in libero aëre, uti acutum excitant ſonum, ita & ipſa eundem ſonum diu in ſe conſervant, ob aërem in eorum poris minutis & copioſis celerrimè tremeſcentem ſeu motum, & ambientem aërem in ſimiles motus concitantem, unde & v. gr. Tintinnabula maximè reſonantia, quando digito tanguntur (qui digitus tunc aliquam in iis percipit quaſi formicationem ſubtilem celeremque titillationem) mox ab omni ſonitu ceſſant ob digitum motum aëris in eorum porulis non recipientem, ſed potius impedientem, plura de ſono in genere videat. in Dygbii *cit. ſupra loco cap.* 28.

Inter Affectus aurium *frequens ſatis eſt* Tinnitus & ſonitus aurium, *ex agitatione & motione aëris in concha exiſtentis oriundus.* Annot. Pract.

Remedia quæ præmiſſis Univerſalibus proſunt imprimis ſunt ſequentia, Spiritus Urinæ, *cujus parum in aurem immittatur*; *item* Eſſent. Flor. Anth. Caſtorei, lign. ſaſſafr., Eſſ. Fellis human., *aut lucii piſcis, quæ Eſſentiæ cum bombace immittuntur in meatum auditorium, & reiteratur hoc ipſum quotidie bis.*

Aqua Picarum cum Caſtoreo *ſimili modo applicata etiam convenit.*

Sacculus *ex milio toſto & ſale toſto factus probe calefactus & auri externè applicatus mirè convenit imprimis ſi aliquot gutt. olei deſtillat. Charyophyllor, prius fuerit irrigatus.*

Præ cæteris conducit bombax *in quo gr. j. alterumve* Zibtehi *aut* Moſchi *continetur meatui auditorio immiſſus; nam talis bombax cum Zibetho aut Moſcho non tantum Tinnitum aurium ſed etiam gravem auditum mire curat.*

Quod attinet ad Surditatem *ſeu difficultatem auditus, quæ ex variis oritur cauſis ut plurimum tamen ex affecto nervo auditorio in cocleam expanſo oritur.*

Cura. Conducunt ad ſurditatem, præter bombacem Zibetho aut Moſcho impregnatum Axungia Serpentis, *quæ meatui auditorio illata, aut cum goſſypio applicata, pro magno Arcano à quibuſdam habetur.*

Sic Balſamus Peruvianus *cum goſſypio applicatus confert.*

Item Suffitus *ex decocto baccar. laur. & Abſinth. in vino factus aure exceptus. Item ex Decoct. baccar. Iuniper & Sabinæ.*

Poſt ſuffitum Oleum Fœniculi deſt. cum goſſypio applicandum.

Eſſent. Card. benedict. Caryophyll., Spiritus Acuſticus Minderer, *itidem conveniunt.*

Quibuſdam ad difficultatem auditus *& m. aurium Tinnitum ceu ſingulare Secretum eſt ſequens.*

℞. *Rad. Helleb. nigr.* ʒß.

Calam.

Calam. aromat. ℈ij.
Pulp. Colocynthid. ℈j.
Baccar. laur. elect.
excortic. ℥j.
Sem Cumin. ℈iß.
Spir. Vin. ℥iv. *miſc.*

infundant. in vaſe vitreo obturato bene, ſtent in infuſo per biduum poſt, colentur cum expreſſione. Hic ipſe Spiritus cum goſſypio applicatus meatui auditorio; curavit ſurditatem inveteratam, quod ſi in hoc ſpiritu diſſolvatur parum moſchi aut Zibethi erit eo efficacior.

Item ſi talis Spiritus applicetur cum bombace in quo antea moſchus vel Zibetum jacuit.

In ſurditate melius medicamentum non eſt quam Ambra *imprimis ubi defectus ſpirituum animalium adeſt uti fit in Senibus, uſurpatur internè, tam in ſubſtantia quam ejus* Eſſentia, *quin & cum bombace ejus Eſſentia externè auribus applicari poteſt. Medicus quidam Hamburgi habuit pro ſingulari ſecreto, quo reſtituit alicui auditum antea à veneno læſum idque uſu interno.*

Fit ſubinde ut ex nimio ſonitu lædatur auditus tunc Recipe Bacc. Iuniper. Contuſ. miſce cum Pane fermentato & ita fiat Panis qui recens ex furno extractus per medium diffiſſus ita calidus ſingulo mane eſt auribus applicandus.

Liquor ex Ovis Formicar. *expreſſus admodum confert, aut etiam Ova Formicar. contrita cum ſucco cæpe in aurem infuſa, quam vetuſtiſſimam ſurditatem ſanare dicitur.*

Aqu. ex ovis formicar. per M. B. deſtill. commendat. CUNRADUS in Medull. deſtillat.

DOLOR AURIUM, *frequens eſt ſymptoma ex variis cauſis ortum; tanquam expertum commendatur.*

Remedium hocce.

℞. *Ol. Scorpion.* ℥j.
Amygdal. dulc. ℥ß.
miſc. incaleſcat.

& auri dolenti inſtilletur ægro ſuper aure ſana incumbente.

℞. *Globul. plumbeum quo, cervus enecatus fuerit, illumq. complan. & aur. dolent. admove.*

In dolore aurium inflammatorio optimè conducunt Aſelli *in ſ. q. Olei Nymphææ & Violat. infuſi & expreſſi. Liquor auri inſtillatus admodum conducit.*

Decoctum Caryophyllor. in vino auri inſtillatum ad dolorem ex lympha craſſa confert.

Theſis 6.

Inſtrumenta pneumatica ſeu fiſtulæ ſimiliter ſonum edunt, quatenus aërem in eorum anguſtiis incluſum *impetuosè nonnihil explodunt*, qui cum impetu perrumpens talem concipit motum, qui ſonus dicitur. Sonus hujuſmodi ſeu motus aëris per fiſtulam tracheæ arteriæ pneumaticam in animalibus productus *dicitur* vox, *quæ fit ex motu certo aëri in larynge beneficio Epiglottidis impreſſo*, quæ aërem exeuntem vel ſtringit, unde ſubtilis & acuta vox, ut in infantibus & mulieribus, vel eum liberè exire permittit, unde vox gravis & ſonora, vel alio modo eum ſonare facit, adjuvante non parum ad hoc *aſperæ arteriæ conditione*, quæ quo ficcior eò clariorem, quò humidior, eò magis raucam vocem profert. Item quò eſt major ſeu amplior, eò graviorem efficit ſonum inſtar magnarum fiſtularum in organis, unde Urſi ob magnitudinem tracheæ adeo murmurantem edunt vocem, luſciniæ contrà ex ejus anguſtia tenuem & canoram, cujus Epiglottis facilè mobilis ingentem iſtam in ſonitu variationem & harmonias varias efficit, de hac videatur KIRCHERUS *in Muſurgia magna, ubi etiam habetur* Anatome luſciniæ.

Theſis 7.

Vox hæc animalium *per ſe inarticulata* (licèt modo intenſior, modo remiſſior, vel aliâ ratione variata interdum ſit, unde & affectus interiores vel paſſiones *hoc modo produnt animalia bruta, ut in Gallinis*, felibus, canibus, &c. patet, quæ vocem pro paſſionum varietate variant) *articulatur in homine* per *linguam, dentes & labia*, quibus *vocales* Epiglottidis motu prolatæ hoc eſt ipſæ voces, modo certo, modificantur & figurantur, quæ ab his partibus facta modificatio *conſonantes* conſtituit, ex quibus pro intentione humana ſeu ex impoſitione libera formata ſunt verba, animi ſenſus explicantia, unde omnis idiomatum diverſitas profluxit: & ex hoc fundamento per ſolam linguæ & labiorum motus accuratam obſervationem *ſurdus natura ac mutus* ſolo viſu & omnium voces intelligens & artificiosè *loquens effici poteſt*, ut hoc per experientiam confirmat DYGBY *loco citato cap.* 28 *pag.* 324. & *liber Anglico idiomate* de tali artificio per experimenta *conſcriptus* PHILOCOPHUS appellatus. Aër ergo ab imo pectore emiſſus ad lingulam Epiglottidis plus minus, &c. vocem efficit, cujus modificatores ſunt lingua, dentes & labia, moderator verò vocis *eſt uvula*, quæ ceu plectrum illam temperat; hinc ii, in quibus uvula motu tremulo ferit aërem vocalem, iſto loquelæ vitio laborant.

Theſis 8.

Motus ergo aëris aliquantis per *impetuoſus vel violentus* (nam lenis placiduſque ejus motus nares non ferit) per *motum circularem* & ſpiralem) inſtar aquæ per varios circulos undulando ſemel impreſſum motum longè producendis) quaverſum ſe diffundit, & ad aures noſtras pervenit, ubi ab *aure externâ anfractuoſa* receptus ad internam pergit, per cujus *meatum flexuoſum in oſſe petroſo exſculptum*, ad membranam uſque *tympani* pertingit, quam pulſando movet, & hujus medio ſuum motum aëri in tympano ſeu *concha* contento imprimit, à quo motus iſte promovetur uſque ad *labyrinthum & cochleam*, in cujus intimo gyro nervi auditorii major ramus expanſus in membranulam ab aëre iſto moto verberatur, vel aër iſte motus in eum illidit & impingit, eumque percutit, & *ita* id, quod nos *ſonum* vocamus, *conſtituit*, cujus percuſſionis per ſpiritum animalem ſimili ratione motum, continuatè ad cerebrum itidem percuſſum perceptio, dicitur AUDITIO.

Theſis 9.

Fabrica Auris externæ anfractuoſa, & in ſpecie internè concamerata facit ad exactiorem ſoni ſeu aëris moti perceptionem, ſicut in conclavibus concameratis ſeu fornicibus exactius longè quicunque ſoni percipiuntur, imò conclavia maxima concameratim & artificiosè adhoc conſtrui poſſunt, ut in uno ſolo angulo omnia ea audire poſſint, quæ omnes in toto conclavi etiam alter alteri in aurem ſuſurrando loquitur, ut omnes alii in conclavi hinc ambulantes nihil horum percipiant. Vid. DYGBY *citat. loco p.* 319. item SCHOTTUS *in Magia naturali part.* 2. *de auditu & Muſica.* Membrana tympani nimis impetuoſum aëris motum ex parte refrænat, & cum interno aëre imprimit, qui in concha eundem recipit, & per labyrinthum ad cohleam deducit, ubi expanſio *nervi eſt primarium auditus organon.* motus ergo plures ſucceſſivi aëris ad expanſionem iſtâ allidentes, ſi ſpiritum præſentem ita movent, ut ſecundus ejus motus in quodam tertio reſpondeat primo: & tertius ſecundo, & quartus tertio, &c. oritur *ſonus harmonicus* admodum gratus, ex proportione aërearum motionum ad ſe invicem reſultans: ſin verò nullo modo inter ſe reſpondeant, nullamve habeant

convenientiam, &c. oritur *ſonus non harmonicus* ſeu moleſtus, propter communitatem nervorum ſæpè linguam & dentes unà afficiens, & prout per motus iſtos aëreos ſpiritus animales variè moventur & agitātur, omnes iſti affectus animi mirandique effectus, quos Muſica producit originem ducunt, tardior ſcilicet ſonus tardiores in nobis motus excitat; quales ſunt langnores, triſtitia, metus, &c. celerior vero, celeriores affectus ut lætitiam: amorem, &c. Vid. Kircherus *in Muſurgia magna*, item *in arte Magnatica l.* 3. *cap.* 8. *part.* 1. item Schottus *loc. ſupra citat.*

Theſis 10.

Tertium quod valdopere in nos agit *objectum dicitur* ODOR qui cum aëre, quem reſpirationis gratia ducimus vel invitis nobis ſubintrat. *Ex omnibus* nempè *corporibus exhalant copioſæ particulæ ſeu effluvia in aëre* hinc inde agitata (ratione quarum *canes* agnoſcunt facillimè heros & *tenelli agni* in tota grege ſuas matres) quæ ſi tales ſint, ut cum aëre inſpirato narium ſubeundo latibula *in membranam ſenſilem* cavitatem earum intimam, & ſupremam ſuccingentem certo modo impingant, ſimulque poris ejus quodammodo ſe inſinuent, eámque quaſi pungant, & levi motu vellicent, *tunc talis motus in membrana narium excitatus*, & per ſpiritus animales cerebro communicatus, ibique perceptus, *dicitur odoratus*, ſicut particulæ eum concitantes odoriferæ. Ita ut reverà Odor *nihil aliud ſit, quam particula cujuſdam corporis tali modo conformata, ut membranam narium leviter & ſingulariter, valeant vellicare*: quod ſi enim hujuſmodi *vellicatio ſit nimia*, talis impetuoſus ſpirituum exuſcitatur motus per muſculos reſpirationi dicatos, qui STERNUTATIO dicitur, de qua videatur Schneider *tract. de Oſſe cribriform.* item Schookius *de ſternutatione. Membrana* iſta *nares ſuccingens primarium odoratus eſt Organon* demonſtrante hoc ſufficienter Schneidero *citat. loc.* licèt contrarium ſtatuat Vuillis *in ſua Anatomia cerebri*, qui cum veteribus *proceſſibus mammillaribus* adhuc hoc officium tribuit. Forſan ſub hoc membrana latent, vel ipſi inſertæ ſunt quædam papillæ nerveæ ex nervorum extremis fibris in membranam narium deſinentibus obortæ, non niſi per Microſcopium inveniendæ, quales papillæ in lingua guſtus, in cute tactus organon conſtituunt, cum guſtus, odoratus, tactus, non niſi pura graduatione majoris vel minoris materiæ immerſionis diſtinguantur, & omnes ſolo tactu fiant.

Annot. Pract. In Læso olfactu *optima remedia petuntur ex* Majorana *quæ eſt ſpecificum pro hoc affectu; ſive internè* Eſſentia *aut* Extractum *aſſumatur.*

Aut etiam *Nodulus* cū ſtilo ex *Nigella & Majorana factus, & ſubinde naribus admotus egregiè confert.*

Quidam ſingulariter commendant Nigellam *in aceto horti infuſam & denuo exſiccatam, cum ruta, fumaria, caſtoreo ℥j. miſtam quæ ſubtiliſſimè trita incorporari debent cum Vrina pueri, ad conſiſtentiam mellis liquidi ſeu Sirupi tenuioris, cujus quolibet manè jejuno ſtomacho v. l. vj. gr. per nares attrahantur fortiter, & patiens poſteà caput ad poſteriora inclinatum, teneat os aqua impletum, idque iij. l. jv. diebus fieri debet donec ægro odor redeat.*

Item, *oleum Nicotian. & Iridis miſtum C.* oleum deſtill. Majoran. *interne naribus illitum egregiè confert.*

* *

Hæmorrhagia narium præter interna ſanguinis fervorem reſtringentia qualia ſunt Spiritus acidi ex Mineralibus, Eſſentia Martis adſtr. Tinct. Sulfur. Vitrioli, Liquor Stypticus, Sirupus *factus* ex ſucco ſtercoris Aſinini *miſſus cum Sirupo Myrtillor.*, *item præter* Opium *&* Opiata, *&c.*

Externè imprimis conveniunt, Pulv. Sympatheticus, *item* Cap. mort. Vitriol. *ſi in iſtud aliquot gutt. ſanguinis incidant.*

Item Cap. Mort. Vitrioli cum album. Ovi miſtum & inſtar Turundæ naribus applicatum.

Item Atramentum ſcriptorium goſſypio exceptum, antea leniter expreſſum, & inſtar Turundæ naribus admodum & niditum.

Convenit etiam lignum Sympatheticum Fraxini *naribus admotum.*

Item Bufo *diebus canicularibus transfoſſus & ita exſiccatus ſub axillam alligatus aut fronti admotus mirè ſiſtit hæmorrhagiam narium.*

Cataplama *ex Bolo communi aut ex Gypſo cum Aceto communi, fronti & temporibus applicatum mire ſiſtit hæmorrhag.*

Fimus Porcinus *item* Aſininus *cum ſucc. Plantag. miſti & cum bombace naribus immiſſi etiam ſiſtunt ſanguinem.*

In Hæmorrhagia narium Adoleſcentum ex efferveſcentia ſanguinis orta ab ira aut nimia commotione, item in Febribus, tunc Acetum aut ſolum aut cum ſucco ſemperviv. major. miſtum additoque Nitro applicatur teſtibus & ſcroto & ſic ſedata ſanguinis efferveſcentia, hæmorrhagia ceſſat.

Idem remedium etiam Ebrietatem ſubito diſcutit; Item fœminarum mammis applicatum narium hæmorrhagiam ſiſtit.

* *

In Coryza, *ubi obſtructæ ſunt nares, ad Curam optimus eſt* ſuffitus *ex Gum. Animæ ſubinde repetitus; melius adhuc ſi ipſi addatur* ſuccinum. *Item* Aniſi *internè naribus illitum aut mel cum bombace intruſum naribus egregiè confert.*

Denique Camphora *in Oleo amygdal. dulcium diſſoluta naribus externè illita etiam egregiè prodeſſe dicitur.*

Theſis 11.

Prout ergo *particularum iſtarum variat conformatio* in figura, textura, &c. indéque membranæ narium ad eam movendam *ſunt proportionatæ*, *ejuſque porulis vel reſpondeant, vel non reſpondeant, etiam variat odor*, qui nunc eſt gratus, nunc ingratus, ſi enim blanda & moderata in membrana iſta fiat vellicatio aut titillatio, ut ſpiritus blando & jucundo cieantur motu, odor erit gratus, contrarium ſit, ſi ſe habeant alio modo. Quot ergo modi ſunt in conformatione particularum odoriferarum, tot adæquate ab iis fiunt impreſſiones, *& quanta varietas in membrana narium, tanta eſt varietas in impreſſionis illius receptione*, & inde tot *odorum & odoratus* exſurgunt differentiæ, dum vario modo movetur iſta membrana, hinc enim eſt, quod bruta, in ſpecie canes, acutum habeatur odoratum, & quod quidam homines alios de longo venientes, nondum viſos, ſolo olfactu agnoſcant, Exempla hujus vid. in Dygbii *cit. loc. cap.* 27. item in Borellio *cent.* 3. *obſ.* 68. Hæc motus in membrana varietas, varie etiam afficit Spiritus, unde *odores tam varias inducunt alterationes*, dum unus odor *hunc recreat. illum in Syncopen dejicit*, in mulieribus paſſionem hyſtericam producit, à ſpiritu variè affecto & ad tales motus à tali vel tali impreſſione diſpoſito: unde ſtercoris odor hominis nares lædit, qui oblectat porcum, moſchus contra hominem recreat; *qui ſi odorem omnem ſuum* amiſerit ſuſpenditur in latrina, & ecce de novo impregnatur ſuo ſvavi odore ab iſtis excrementis. Imò hæc ipſa *excrementa per* fermentationem & digeſtionem etiam in ſimilem ſuavem odorem tranſmutari poſſunt.

Theſis 12.

Fundamentum eſt tantum *mutatio figurarum & texturarū in particulis* ſtercora componentibus, quæ in moſcho, dum ſe conformant ad ejus poros, ſeſe inſinuando in locum particularum, quæ ex moſcho antea expiraverant, ex figuræ & texturæ & hinc motionis identitate vim moſchiferam naribus repræſentant, quod fit etiam ſi per per fermentationem antiquam mutant figurā ex varia ſeparatione à ſe invicem, & nova à particulis

culis aliis facta combinatione. *Chymici odorem adſcribunt ſulfuri ceu ejus principio*, ſed quæro, quomodo ſulfurea odoratum efficiant, ſi arctè eos preſſeris, tandem nolentes volentes figuras, reliquaque mechanica principia agnoſcent; Ut taceam ſalium variam combinationem multum conducere ad odores, ut in lixivio ſcoriarum Antimonii poſt factum regulum apparet, ſi illi tantum pauxillum acidi inſtilles, hi duo liquores inodori, ſubitò horrendum fœtorem ex ſola miſturâ emittent, ob ſolam texturæ particularum ex liquorum iſtorum confuſione mutationem. Sic ſolutio Antimonij per ſpiritum ſalis in butyro Antimonii fortem ſulfureum ſpirat odorem, quod neque Antimonium crudum, nec ex butyro præcipitatus Mercurius vitæ, nec reſidens liquor acidus ſolitarii, ſicut uniti præſtant.

Theſis 13.

Naſo proximum eſtos, in quod ingeſta quæcunque *ſaliva diluta* præter tactum, quem excitant ſingularem quandam *lingua inducunt alterationem*, quem GUSTUM appellamus, & ea quæ eum excitant, SAPORIS *vel objecta ſapida* dicuntur. *Sapor* iſte revera non eſt quædam qualitas realis, ſed tantum *particularum quarundam in aſſumptis talis conformatio & configuratio, ut ea linguam pungant & vellicent, & ita ſingulariter moveant, quæ motio* linguæ impreſſa, percepta à nobis in cerebro, *dicitur guſtus. Salinis particulis* hæc vis imprimis *à Chymicis tribuitur*, quia eæ talem habeant conformationem, ſecundum quam ſe inſinuando in linguæ poros iſtam inducunt vellicationem vel puncturam, quæ *ſapor* appellatur, quæ punctura taliter movet ſubſtantias nerveas linguæ, & ſpiritus animales in iis reſidentes, ut exinde guſtare; id eſt, ſaporem ſeu vellicationem iſtam percipere dicatur, & *ſicut innumerabilis ſalium eſt diverſitas* ex varia tum inter ſe, tum cum aliis particulis commiſtione, qua ipſi valdopere in figura, textura &c. alterantur, etiam *hinc innumerabilis ſaporum emergit differentia* in omnibus ſubjectis diverſa. Sic *ſapor acidus* videtur in eo conſiſtere, quod particulæ oblongæ & utroque latere acutæ penetrent, & quaſi inciſionem quandam ſubtilem faciant; *Sapor dulcis* quod particulæ quadratæ quaſi aut cubicæ blandè & æqualiter in linguam impingant, ipſique inhæreant. *Aqua inſipida eſt*, quia ejus particulæ non ſunt ita aptè formatæ, ut penetrare queant, ſed deſuper ſerpant tantum, & leniter membranam linguæ ſenſilem tangant, hinc propter ſolam figuræ & texturæ particularum *ſapidarum mutationem*, duo liquores fortem ſaporem obtinentes, eorum mutua miſcela *tertium omnino inſipidum producere poſſunt*, quatenus mutua conjunctione ſapidæ particulæ ita fiunt vel magnæ vel obtuſæ, vel alio modo figuratæ, ut ſine impreſſione in linguam inſipidæ appareant, ſic v. gr. ſapor acidus ſpiritus vitrioli & ſapor acris urinoſus, in oleum tartari, per deliquium, conjunctione mutua abeunt in ſaporem vel leniter ſalſum vel omninò inſipidum, ut in Tartaro vitriolato legitimè præparato apparet.

Theſis 14.

Iſta ergo pars, quam particulæ iſtæ taliter figuratæ primariò afficiunt, pungunt, eſt *primarium guſtus organon, & hoc ſunt parva corpuſcula nervea rotunda*, ſub membrana linguam inveſtiente proximè ſita, à figura *papillæ* ab origine *nerveæ dictæ*. Nervi enim ad linguam ablegati in quamplurimos dirimuntur ramos, qui in parvas abeunt fibras, quæ ad ſuperficiem linguæ ſub membrana ejus delatæ in ſubſtantias ejuſmodi abeunt rotundas tanquam in capitula fungorum, vel cornua extrema limacum dum à particulis ſalinis ſimilibuſve ciborum per ſalivam dilutis & maſticando attritis punguntur, vel ab iis in earum porulos & meatus ſeſe inſinuantibus vellicantur, talis earum fibroſarum papillarum oritur motus & vibratio, qui per ſpiritus animales cerebro communicatus, GUSTUS & ejus perceptio, GUSTATIO à nobis dicitur. Unde linguâ *nimis humectatâ* ut fit in Coryzanarium, papillæ aquoſo limoſoque liquore nimis imbutæ fiunt ad percipiendas impreſſiones, quod ſi verò in ſaliva hoſpitentur *excrementa*, quæ cum aſſumptis ſe inſinuent in linguam, omnia aſſumpta vitioſum & tamen eundem obtinebunt ſaporem, uti in Ictero apparet, in quo omnia amaricant. Cæterum de his *papillis & organo guſtus* videant. *Epiſtolæ* MALPIGHII *&* FRACASSATI *de lingua.* BELLINUS *de organo guſtus.* Reliqua *linguæ ſubſtantia muſculos ad varios motus eſt conſtituta*, pro vocum formatione ſeu loquelâ, ſicut *parvula cornua* ejus ſuperficiei inhærentia purgationi & abſtertioni oris ſunt dicata, item ut particulæ ſapidæ iis implicitæ, fortius guſtum afficiant.

Theſis 15.

Guſtui proximus *eſt* TACTUS, *cum & guſtus quidam tactus ſit*, unde & de hoc idem docendum: *Organum* ſcilicet *tactus primarium eſſe etiam papillas nerveas, ex cute erumpentes, & ſub cuticula ſitas* defendit & invenit MALPIGHIUS, *Tract. de organo tactus externo.* Copioſæ namque nervorum fibræ, quæ cum capillaribus arteriarum & venarum conſtituunt cutis integumentum, hinc inde erumpentes ex cute, definiunt in parva iſtiuſmodi capitula ſeu papillas, quæ ſub cuticula exiſtunt, & reperiuntur eò grandiores & frequentiores, quo exquiſitior eſt tactus; ut in manibus, minores verò & rariores ubi non exquiſitus eſt tactus.

Annot: Pract.

De Tactu. Papillæ dicuntur tactus Organon, nec quenquam confundat quod in vulneribus vel ulceribus &c. ubi vel nervi, vel nerveæ fibræ tanguntur & ubi nullæ tales ſunt papillæ ſenſus tamen percipiatur acutiſſimus & dolorificus inſigniter: nam fibra nervoſa ſentit id eſt promptè movetur ſive ſit nuda ſive in papillam iſtiuſmodi conglobetur ſive etiam in membraneam ſubſtantiam expandatur: hæc tamen differentia, quod in papilla naturalis & blandus fiat motus & ſenſus, tactus ſcilicet ſimpliciter ſic dictus: nervoſa vero fibra ex violento & nimio ejus motu tactus fiat dolorificus & quaſi præternaturalis. In membrana vero vel puncta vel diſtenta vel rupta eadem ratio militat atque in fibra nervea pura unde hæ præternaturales affectiones naturali & ordinario tactus Organo nil derogare volent.

Similis interim motus ſeu tactus ab objectis in extremitate fibrarum nervearum in fibris partis ſane poſt abſciſſionem membri ſphacelo correpti ſæpius producitur, dum ignorantes ægri exiſtimant ſe in digito manus ante aliquot dies licet abſciſſo dolorem percipere qualia Exempla habentur in HILDANO cent. 3. obſervat. 14. & 15. *item in* SCULTETO in ejus Armamentar. pag. 67. *idque ob continuatas tales nerveas fibras ex parte ſana ad partem uſque antea abſciſſam ob quam continuitatem naturalem dum ſimilis fit motus fibræ circa ejus medietatem poſt abſciſſionem qualis antea fiebat in fibræ extremitate ante hujus cum parte ſeparationem; hinc fit ut ex identitate motus etiam in ſenſu interno & imaginatione idem feratur judicium & æſtimetur pars jam abſciſſa adhuc ſentire quaſi toto adhuc cohæreret.*

* *

Symptoma Tactus ferè præcipuum eſt DOLOR *tam internas quam externas partes excrucians.*

Qui Opiatis internè aſſumptis ut plurimum depelli ſolet in quorum tamen uſu quædam Cautelæ ſunt obſervandæ.

Si rodens humor excruciet &c. Narcotica exhibenda &c. quæ minus hos affectus quam alios lædunt quippe & tenues & calidi hujuſmodi humores ſunt &c. hæc autem non ſolum ſalutaria ſunt, quod ſenſui torporem inducant,

cant, ſed etiam ut humorum tenuitatem cogentia, &c. Vbi vero craſſi, glutinoſi humores excruciant, alieniſſima ſunt quæ torporem inducunt, nempe interdum dolorem mitigant, & deteriorem reddunt partium diſpoſitiorem ut in Colicis doloribus quæ ex opio, hyoſcyamo, ſtyrace conſtant Antidoti, hæc membra ad patiendum reddant idonea & in pleuritide dolorem non ſanant ſed doloris ſenſum tollunt enecantes: talis curatio deceptio eſt, CHICOTIUS diſſert, & Epiſtol. medic. dialogo de dolore. NB. Ergo adjungenda ſunt ſemper medicamenta morbum & cauſam reſpicientia.

Interdum in partibus muſculoſis percipiuntur dolores qui vulgo tribuuntur Catharris revera tamen, ſunt à flatulentiis ſuppreſſis & inſenſili tranſpiratione impedita, unde interſtitia muſculorum diſtenta tali dolore conflictantur in tali dolore & caſu optimum eſt.

Emplaſtrum ex Tacamahac. vel ſola vel cum Gummat. Carannæ linteo inductum & parti oppoſitum.

Sin vero dolores in partibus muſculis fiant à defluxionibus ſeu Catarrhis frigidis ut vocant ceu expertum commendatur à TIMÆO.

℞. Balſam. Peruv. ℥j.
diſſolv. c.
Vitell. ovi num. j.
add.
Spirit. bacc. Juniper. ℥iij.
miſc.

F. aq. qu. articul. foveant.

Sane Balſamus Peruvianus in doloribus nervorum, in eorundem combuſtione, punctura, etiam in ipſo dolore Iſchiatico eſt egregius.

Alias ad dolores Chronicos item Artheticas, ac ſimiles alios egregiè conducit Spiritus Vrinæ cum Spiritu Vini miſtus, calide applicatus, & bene fricando membrum. Conducit etiam in tali caſu Sapo Venetus in Aquavitæ ſeu ſpiritu vini diſſolutus cum pauca Camphora & ita calidè applicatus. In dolore à caſu indeque orta contuſione Emplaſtrum de Meliloto malaxatum cum Balſamo Peruviano impoſitum eſt egregium.

Ad dolorem Brachii ex ſcarificatione in ſcapula convenit ſequens.

℞. Oleum lumbricor terr. ℥ß.
Pingue d. Tax.
Vulp. an. ℥ij.
miſc.

pro inunctione partis ſcarificatæ.
brachium vero cum Aqua hirundinum c. Caſtoreo bene illinatur & foveatur.

In doloribus Catharralibus, item Artheticis & ſimilibus conducunt Spirit. Formicar. miſtus cum Spir. lumbricor. terreſtr.

In doloribus partium quibuſcunque imprimis Capitis à lue Venerea excitatis valde efficax eſt Emplaſtrum de ranis VIGON. cum Mercurio.

Porro gravida dolore crurum quaſi convulſivo, agitata ſequenti remedio fuit reſtituta.

℞. Aqua hirund. c. caſt. ℥j.
Theriacal.
Cephalic.
Spirit. lilior. convall. ana ℥ij.
miſta.

calida inuncta fuerunt.

Simile Exemplum habet HORTSIUS DOLORIS PEDUM PERIODICI acerbiſſimi & diuturni in quo externè inſigniter profuit Aqua Hyſterica camphorat. cum ſpirit. lilior. convall. & ceraſo. nigror. miſta externè uſurpata.

Alias Aqua articularis ad extra miſta c. Spirit. lumbric. terr. in talibus doloribus inſigniter confert externè.

In doloribus crurum inveteratis Thermæ aut lapides Thermarum in Aqua cocti inſtar Balneorum uſurpati inſigniter conducunt; aut poſſunt fieri Thermæ artificiales ex decocto Calcis vivæ cum ſulfur. ad imitationem ZVVOLFERI in ſuas Mantis. Spagyric. pag. 401.

Theſis 16.

Objecta ergo externa cuticulæ admota, *pro varietate circumſtantiarum, quoad ſituationem & conformationem particularum in ſuperficie diverſimodè* ſuo affrictu & attritione *efficiunt per cuticulam iſtas papillas nerveas* ſpiritibus animalibus. Quibus ſpiritibus motis, percepta in cerebro motio & agitatio, *tactus* appellatur, *objectum* verò *movens tangibile* ſicut *modus objecti, quo papillæ afficiantur, qualitas tactilis dicitur*, v. g. dum ſuperficies rei cujuſdam inæqualis ex diverſo particularum in ſuperficiei ſitu ita afficit papillas, ut in continua ſerie poſitarum à particulis corporis quædam inæqualiter afficiantur, quædam vero non, exinde interruptus in ſpiritu fit motus, & nos dicimus ſentire *aſperitatem*. Sin verò omnes papillæ ſimul afficiantur æqualiter, corpus dicitur *leve, ſeu glabrum* ſin prementibus papillis, v.g. in digitis objectum externum cedat, dicitur *molle*; ſin verò non cedat ſed reſiſtat dicitur *durum*: Sin objecti papillis admoti quædam particulæ iiſdem adhæreant, vocatur *humidum*, item *viſcidum*; ſin vero nihil adhæreat dicitur *ſiccum*; ſin percipiatur celer & repetitus motus in papillis ab objecto externo factus, hoc dicitur *calidum*, quod ſi nullus talis fiat motus, objectum dicitur *frigidum*, quod ſi una vel duæ tantum afficiantur papillæ punctim objectum dicitur *acutum*; ſin verò aliquod leniter moveatur objectum, dicitur *obtuſum*.

Theſis 17.

Sin minus placeant hæ papillæ, nondum ſufficienter probatæ, certum eſt, quod *membranæ* ubique ſuper corpus & partes ejus forti tenſione expanſæ, & ſpiritu animali per omnes earum fibras perfuſæ, à quo in debito expanſionis toto conſervantur, *ſint verum tactus organon*, quatenus eædem ab objecto externo feritæ, tremula quadam vibratione concutiuntur, & ita tali concuſſione vel motione tactus ſenſus peragitur, quæ opinio eleganter explicata videatur *in Tract. de motu muſculorum, annexo Anatomiæ cerebri VVilliſiana.*

CAPUT XIX.

De Senſibus internis.

Theſis 1.

DUm ab externis ſenſualibus ad internorum ſenſuum ſcrutinium accedimus, ex clara luce ſolis in cœcas tenebras incidere videmur, in tantum iſta interiora latent obſcura, quantum iſta externa omnibus proſtant clariſſima. Cujus obſcuritatis ratio eſt hæc, quod homines anima rationali præditi, ſuam ſenſualem & intellectualem cognitionem bene in ſe norint, ſeque actu reflexo cognoſcere ſciant, de modo verò quo fiant ſenſus interni, parum vel nihil cognoſcant, unde tanto minus de brutis certi quid determinare valeant, quin potius ex noſtra, ratione eorum actiones dimetientes, iis ea tribuamus, quæ an verè competant, præſupponimus potius quam ſciamus.

Theſis 2.

In genere duæ palmariæ quoad internarum in animalibus actionum principium & modum ſunt *ſententiæ*. *Prima* ex Ariſtotelica Schola profluxit, quæ uti omnibus rebus ſuas attribuit formas ſubſtantiales, materiæ contradiſtinctas & viventibus animas immateriales, ita etiam *brutis animam tribuit ſenſualem in genere, quæ pro varietate* tamen *ſpecierum ſpecificas ſuas obtinuit differentias & proprietates*: beneficio hujus animæ ejuſque facultatum reverâ dicunt cognoſcere bruta ſenſuum externorum impreſſiones, eaſque

cognitas

cognitas *ſimpliciter* , *& dijudicatas à ſenſu communi* per phantaſiam tantum componere & dividere , ſeu diverſimodè mutuò complicare , unde mirandæ brutorum actiones proveniant : Cognitiones haſce aſſervari in memoria horum , & ſubinde repetitas per phantaſiam denuò cognoſci ; quod ſi per ſenſus cognitum ſit objectum, ut *bonum* excitari in *iis facultatem appetentem* , & quidem *partem ejus concupiſcibilem* , quæ ſtimulet bruta ad deſiderium iſtius objecti ; ſin verò objectū ſit cognitum ut *malum* excitari *partē appetitus iraſcibilem*, quæ ſtimulet ad fugam, & ab hoc appetitu paſſionem ſ. affectus nempe *iram*, gaudium, terrorem, &c. deducunt. Ab hoc appetitu ulterius excitatur *facultas loco motiva*, ad movendos artus deſtinata, quæ ex dictamine appetitus variè & diverſimodè moveat membra, vel ad proſequendum bonum vel ad fugiendum malum. Omnibus his facultatibus operatricibus adjungunt *ſpiritus animales ceu inſtrumenta* proxima, quibus peraguntur iſtæ internæ operationes. In homine adſtruunt *animam rationalem*, quæ tanquam ſuperior omnes iſtas ſimiliter obtineat facultates , præterea tamen ceu peculiares obtineat INTELLECTUM & VOLUNTATEM, quibus ceu ſuperioribus iſtæ inferiores cæteræ obedire cogantur.

Theſ. 3.

Altera ſententia ex antiquiſſima *Democritea & Epicuræa* derivatur *Schola*, quam non tantummodo GASSENDUS denuo reſuſcitavit , ſed etiam CARTESIUS certo modo arripuit , & ex qua *Anglorum corpuſcularis philoſophia* ſimiliter prodiit ; Hæc uti omnes *ſubſtantiales formas negat* , ita *omnia* naturæ phænomena ex materiæ variis quantitativis conditionibus *per motum ceu univerſalem artificem deducit* , bruta etiam animalia eſſe eò ſenſu , quo Peripatetici volunt , pernegat , ſed ſi quæ *in brutis* habenda ſubſtantia pro *anima* , eam *ex corpuſculis ſubtiliſſimis* conflatam corpoream & diviſibilem, corpori animato coextenſam ſtatuunt. Unde ex conditionibus materialibus per varios *diverſoſque ſpirituum motus reliquas* animalibus proprias operationes explicant, & *iiſdem veram & propriè ſic dictam cognitionem omnino denegant* , ſed quicquid *ſenſus communis* , *phantaſia* , *memoria* , *appetitus* , &c. vulgò appellatur , *pro vario ſpirituum* in cerebro & cerebello diverſimodè in diverſis brutis conformato *motu* , hinc inde appulſu , agitatione & gyratione indeque variâ cordis & dilatatione, & conſtrictione, &c. pro effectibus, ſubtiliter *explicat. In homine* vero omnia hæc cum brutis communia & eadem habente, *animæ rationalis ceu ſubſtantiæ ſpiritualis præſentia*, ſublimioris cum ſit conditionis, *verum cognoſcendi & intelligendi modum* obtinet , & propria libertate agendi & operandi quid & quomodo ipſi placuerit , cum iſtis cæteris brutis communibus, nullo modo confundenda venit , quin continuò *cogitando & diſcurrendo*, & occaſione variorum Spirituum motuum in cerebro , in quo ſenſus tam externi , quam interni conſiſtunt , *diverſos conceptus in ſe ipſa formando* , ſenſuum objecta *verè cognoſcit* , ſimplici comprehenſione *cognita combinat*, & ex iis combinatis certas & determinatas *elicit concluſiones*, in quo vera ratiocinandi facultas conſiſtit : cujus cum umbrulæ quaſi in brutis nobis appareant , factum eſt , ut nos falsò eadem fere quoad cognitionem , &c. ipſis attribuamus , quæ nobis tantùm propriè conveniunt. Videantur *ſcripta* CARTESII *imprimis de homine*, & SCHUYL *in ſua præfatione in librum hunc* , item DYGBY *de immortalitate animæ cap.* 33. *Tract.* 1. & 2. item WILLIS *Anatome Cerebri cap.* 11. 16. & 19.

Theſis 4.

In bivio hîc hæremus difficillimo, prima ſententia utut vetus parum tamen exculta fuit , poſterior recentior renovata , nondum ſufficienter exculta eſſe poteſt , prior rem obſcuram per modum ſola imaginatione intelligibilem , & fide abſoluta credibilem declarat; poſterior eandem nimis clare & perſpicuè proponere ſatagit , prior negotium difficile verè difficilius reddit , poſterior iſtud nimis facile ſibi proponit, prior multa verba paucum ſenſum ſuggerit, & ita diſertum Phyſiologum non verò ſapientem efficit ; poſterior modum rei ſcrutatur & per exempla quotidiana & obvia perſpicuum & quaſi viſibilem eum reddere geſtit : prior corticem verborum ſeu appellationum ſectatur, & ſpeculationibus nudis nititur, poſterior rem aggreditur, & experientiam , quantum poſſibilè conſulit : prior entia ſine neceſſitate multiplicat, poſterior eadem arctè nimis contrahit : prior bruta nimis rationalia, poſterior eadem nimis ſtupida reddere videtur.

Theſis 5.

Priorem equidem *ſententiam illuſtrare videntur* non mediocriter *ideæ* ſeu rerum extrinſecus occurrentium ab animæ facultate factæ imagines , de quibus imprimis conſulenda venit MARC. MARCI *Philoſophia vetus reſtituta* , item *ejus Tractatu de imaginatione* : item *Tract. de Ideis operatricibus* , quæ enim HELMONT *Tract. de Ideis* vel ſunt confuſa vel obſcura. Aſſerit ſcilicet MARC. intrinſecus *ab anima produci ſpeciem ſeu Ideam repræſentantem* , *exactè objectum* ſenſibus oblatum ; tanquam imago ſuum exemplar, *à quibus Ideis* non ſolum *dependeat vera cognitio* , ſed *has ipſas* etiam confuſas *aſſervari in memoria* involutas , tanquam in chao quodam , quæ poſtmodum tamen evolutæ denuò eo modo & ordine quo fuerunt convolutæ , una trahendo alteram ſibi connexam , de novo imaginationem vel etiam intellectum determinent , ut ex iſta repræſentatione neceſſariò ſequatur *actus imaginationis* vel *intellectus*. Has imagines ſeu ideas imaginativas ſimiles ſeu analogas dicit ideis ſeminalibus ſub generatione propagatis , ſeu iis , quæ in ſeminibus dirigant corporum formationem , & quarum evolutione architectus corporis determinetur ut certo modo & ordine corpus fabricet & formet.

Theſis 6.

Difficillimæ *huic de Ideis hypotheſi* ſanè *aliquid ſingulare ſubeſſe videtur* , nempe unuſquiſque quando per memoriam rem quandam v. gr. *ludum ſcenicum* antea viſum , muſicam ſuavem antea auditam , ſaccharum antea guſtatum , &c. repetit , eo ipſo totam rem quaſi præſentem habere videtur , cum omnibus connexis circumſtantiis, quod aliter fieri nequit , niſi per imaginis vel ideæ rei anteà cognitæ, repræſentationem : Cujus ideæ vel imaginis ductu in gravidis, & transformantur fætus diverſimodè, prout Architectus corporis ab eadem variè determinatur. Delirantes varias res ſibi imaginantes obſtinatè ſolummodo talium idearum ſemel firmiter conceptarum ductu hoc facere videntur , & dum concipio vel Polyphemum monoculum, vel Argum centoculum , vel montem aureum, res nunquam per ſenſus hauſtos , quid aliud quam aliarum rerum imagines ad aliarum his cognatarum imaginem , in mente expreſſas concipio ? quid dicendum de morſu , vel eſu animalium rabidorum , canis, felis, quæ ita vulneratum nihil tale cogitantem, etiam poſt longam annorum ſeriem afficiunt , ut ſe omninò in canem, v. gr. transmutatum æſtimet latrando , ringendo , mordendo. A tarantula demorſus geſtus tarantularum, ſaltum ejus proprium, coloris determinati amorem, telæ texturam perfectè imitatur , idque per aliquot annos periodicè. Cicutam comedentes Monachi , lacus & ſtagna petunt , dum in anates vel anſeres ſe transformatos putant , teſte KIRCHERO *in ſcrutinio peſtis*, *pag.* 203. vix certè intelligibiliter declarari & multa alia in ſtatu tam naturali, quàm præternaturali

ternaturali obviá phænomena poſſunt, niſi tales ideas imaginatione conceptas conſideres.

Theſis 7.

Hæc in homine non tantam habere difficultatem videntur atque in brutis, cum illius animæ ſpiritualis in ſe ipſa tales imagines, ductu tamen ſenſuum vel immediatè vel mediatè (nam *nihil eſt in intellectu, quin prius quacunque ratione fuerit in ſenſu*) concipere & fideliter exprimere valeat. De *brutis* verò cum nullum horum dici poſſit, res hærere videtur, *non rara* tamen talium *idearum* in his *videmus veſtigia*, v. gr. aranea, à nullo ducta, artificioſè fabricat tela: *bombyx* à nullo inſtructus pretioſum ſibi conſtruit ſepulchrum; *hirundo*, abſque magiſtro mirabiliter ſibi conſtruit nidos, ſimiles actiones in hominibus fieri ſecundum ductum conceptæ antea in intellectu *ideæ*, extra dubium eſt, quà ratione ergo fiant in brutis & annon hîc ideæ tales operationes ideis ſeminalibus connexæ agnoſcendæ ſunt? nam quod ad ſeminales attinet, hos mira animalium in ovo vel utero ſtructura confirmare videtur, item quod pavones verſicolores in conclavibus albis aſſervati eo tempore, quo coeundo luxuriant, pavones albos poſtmodum pariant, quod oves Jacobi, intuitu baculorum ex parte deglubtorum, & ita varicolorum, varicolores pepererint agnos, annon & hîc ideale quid ineſſe videtur. Nihil dicam de docilitate brutorum, quæ quodammodo ſine ideis per motum varium Spirituum animalium & memoriam explicari poſſunt, in quo ſe *operoſum exhibet* DYGBY *in locis ſupra citatis*.

Theſis 8.

Cæterum & *altera ſententia*, *quæ omnia* hæc in brutis & homine præter rationalitatem *per varios ſpirituum in* certo modo conformato *cerebro*, *motus explicat non parum fundamenti habere videtur*; Hinc enim quòt animalium ſpecies, tot etiam varietates in cerebri conformatione; Hinc concuſſio cerebri, v. gr. à caſu, ſenſus omnes ac motus tollit, ex pororum compreſſione, & depravatione, & inde ſpirituum motu impedito. Hinc non tantum per morbum, ſed etiam per ſenectutem, non tantum judicium hebeſcit, ſed etiam memoria omninò tollitur, quatenus hæc in homine à ſenſibus, id eſt, ſpiritibus animalibus & cerebro dependent, experientia namque cognitum, cerebrum moderatè humidum memoriam firmam, ſed hebes judicium, cerebrum verò ſiccum, judicium acre, ſed memoriam debilem conciliare. Et pro Spirituum animalium varia diſpoſitione, ingenia multum variare, alterationes corporis in affectibus, imprimis circa præcordia, unde niſi à vario ſpirituum in muſculis cordis motu, & hinc ſanguinis in circulatione, fermentatione, &c. diverſa mutatione? Ebriorum varia ut ſic dicam, ſymptomata, in ſenſu & motu, unde niſi à ſpirituum perverſa agitatione? Unde in febribus ardentibus deliria, niſi ex turbato, inordinato, rapido & confuſo ſpirituum motu? Unde ex punctura nervi convulſio brachij, niſi ex momentaneo ſpirituum per nervum punctum impetu. Habitus omnes tàm animi ſic dicti, quàm corporis, v. gr. in homine, diſcurrendi, ſaltandi, in homine & cane eatenus dependent à crebrioribus actionibus, quatenus iiſdem ſpirituum facilitatur motus, ſæpius enim eodem modo moti & agitati ſpiritus poros, meatus & omnes interjectas ſemitas, adeò patulas & permeabiles reddunt, ut facillimè levi motu pertranſire, & actionem eandem ita perficere valeant: Sed hæc & ſimilia cum ad Philoſophum potius naturalem, quàm Medicum pertineant, qua talem, miſſa faciamus.

CAPUT XX.

De Motu partium.

Theſis 1.

OMnes partes in quibus percipitur vel apparet aliquis motus, *hæ inſtructæ ſunt ſuis fibris nerveis*, quibus motus id eſt, contractis ſequitur partium MOTUS, iis verò relaxatis motus ceſſat, vel per tranſverſum ſectis, omnino idem aboletur, unde FIBRA NERVEA erit *primarium omnis motus organon*.

Theſis 2.

Fibræ autem iſtæ quæ motum exequuntur *vel arctius* ſunt conjunctæ, vel *laxius* ſunt ſeparatæ. *Fibræ conjunctæ* iſtud fibrarum *ſyſtema exhibent*, *quod vocatur muſculus* (quibus tamen movendi officium denegat STETTERUS & oſſibus potius tribuere nititur *in Tractat. cenſura argumentor. Galeni de motu muſculorum*) in quem *nervi ex cerebro* derivati eos gubernant motus, quæ prægreſſam ſequuntur *cognitionem ſenſualem*, exque affectu quodam excitantur, cui in homine interdum etiam adjungitur cognitio intellectualis, ita ut exinde pro noſtro nutu eundem vel perficere, vel omittere, vel certo modo variare queamus & hic motus per muſculos in genere *motus* ANIMALIS, in ſpecie verò in hominibus VOLUNTARIUS, in brutis SPONTANEUS appellatur.

Theſis 3.

Fibræ laxius ſeparatæ circulari ambitu imprimis *partes movendas ambiunt*, *unde* excitatus *motus*, dicitur PERISTALTICUS *ſeu* COMPRESSIVUS, v. gr. motus ſtomachi aut inteſtinorum, de quibus vid. CHARLETON *exercit.* 7. §. 21. &c. qualem motum per *fibras circulares* etiam arteriis tribuit SYLVIUS, quo poſt dilatationem ab impellente ſanguine, denuo ſe contrahunt. Ab his motus contingit *ſine ulla prægreſſa cognitione ſenſuali*, neque à nobis vel impediri vel promoveri poteſt, *& ob id naturalis motus* ſimpliciter dicitur, dirigiturque *à nervis ex cerebello derivatis*, ut hoc confirmat VVILLIS *in Anatome cerebri cap.* 16. & 17. *unde & cordis & diaphragmatis muſculi* ſimilibus nervis præter aliorum muſculorum rationem moti, ſine noſtro conſilio operantur, hinc & reſpiratio cum per muſculos exerceatur, & etiam à nobis vel promoveri vel impediri poſſit, & tamen nobis non cogitantibus etiam in ſomno fiat, nervis partim ex cerebro, partim ex cerebello natis perficitur, & ob id *motus miſtus ex naturali* ratione diaphragmatis, *ex animali* ratione muſculorum appellatur.

Theſis 4.

Motum ergo quod attinet ad *animalem*, ejus *primarium organon eſſe muſculum* confirmat CHARLETON *exercit.* 11. *fabricam ſ. ſtructuram muſculi rhomboideam* eleganter explicatam vide in STENON. *inbſerv. de muſculis & glandulis*, item *Tract. Myologiæ elementorum ſpecimen*, ubi demonſtrat *fibram* motricem in medio ſui coagulo ſanguineo, ſeu *carne veſtitam*, circa hujus carnis extremitates incurvari ad æquales angulos, & quod plures hujuſmodi fibræ juxta ſe invicem poſitæ, & ſibi invicem inæqualiter æquali tamen ordine ſuper impoſitæ muſculum conſtituant, ita ut unitæ fibræ in extremitatibus tendinem conſtituant, qui vulgò *caput & cauda dicatur*; intermediæ verò partes *carne veſtitæ & fibrillis ex membrana integente productis diſtinctæ*, ipſum *muſculi corpus* repræſentent. Hoc modo fabricati *muſculi* nunc *ſunt ſimplices*, nunc verò ex pluribus parvis invicem unitis *compoſiti*. Muſculus ergo dum contrahitur quoad partem carnoſam, partem

tem vel membrum cui adhæret ſimul trahit, ſicque & partes *movet* & variè ſituat. *Una ergo actio eſt muſculi*, ita & omnium reliquarum fibrarum nempe *contractio*, unde ſequitur membri motus & ſitus mutatus: quod ſi fibræ ejus rigidæ & contractæ maneant, membrum quieſcit, & in eodem ſitu permanet, quod dicitur abuſivè motus, ſed cum adjectione *motus tonicus ſeu tenſivus*. *Extenſio* muſculi quæ fit quando contrarius operatur *muſculus*, qui *antagoniſta* alterius, v. gr. flexore cubiti agente ceu antagoniſta extenſoris, extenſor hic violenter extenditur, non eſt motus ſeu actio muſculi, ſed potius *paſſio*. Sin verò nullo muſculo agente, omnes fibræ ſint laxæ, membrum in naturali quiete perſiſtit, & in *media figura* poſitum eſſe dicitur: medium namque eſt inter ejus extenſionem & contractionem.

Theſis 5.

Movent autem *fibræ quatenus ab extenſione fiunt breviores*, abbreviatæ enim & contractæ non poſſunt non ſimul ſecum trahere, aut alio modo movere partem, cui annexæ ſunt; *cauſa* hujus abbreviationis ſ. *contractionis fibrarum* eſt duplex 1. *ipſa fibrarum ad ſe contrahendum* à forti partium quibus attenſæ ſunt tenſione, *ſpontanea*, ut ſic dicam *inclinatio*, qua inſtar chordarum vel membranarum laxatæ, ſubito ſe contrahunt; v. gr. diſſectus muſculus per medium, verſus utramque extremitatem contrahitur, & quaſi conglobatur, magnamque in medio relinquit rimam: & inteſtina flatu & liquore diſtenta, facta per tranſverſas fibras apertione, ſponte & ſubito ſe contrahunt. Sed hæc ſpontanea fibrarum contractio non ſufficit ad motum, imprimis in muſculis ob antagoniſtas oppoſitos, quare æquale oppoſitum robur, iſtam contractionem & hinc factum motum impedit; donec alia accedente cauſa movente æqualitas iſta tollatur, & alter muſculorum quaſi allatis ſuppetiis victo antagoniſta ſe contrahat.

Theſis 6.

Acedit ergo *altera cauſa* motus inchoativa fibrarum, quæ eſt *acceſſio ſpirituum animalium per nervos*, quibus in muſculis *ſe jungit influxus ſanguinis per arterias: à nervis* enim ut *ſenſum* partium, ita *& motum* ratione ſpirituum animalium *dependere*, extra dubium eſt, cum videmus diſſecto nervo & ſenſum & motum perire partis, eo verò compuncto aut alio modo irritato, partem convelli violenter, de quo CHARLETON *in exercit.* 11. Accedere prætereà ſanguinem efficienter ad promovendum motum muſculorum, præter ea, quod diſſerit VVILLIS *in ſua Anatomia & cerebri Pathologia*, patet ex experimento STENONIANO, qui *acu curva circa ſpinam dorſi* per Abdomen canis trajectâ ejus arteriam magnam ſupra vertebras ſine corporis apertione filo annexo fortiter ligat, qua ligata canis inferioris corporis artus movere amplius nequit, propter impeditum per arterias ſanguinis motum, ſolus enim ſpiritus animalis non ſufficit movendis muſculis, ſicut ſufficientes movet fibras in motibus naturalibus, v gr. in inteſtinis ob muſculorum magnitudinem & actionis robur in movendis membris, & cum iiſdem attollendis ſæpius magnis ponderibus, unde *ex maſſ. ſang. ipſi feruntur ſuppetiæ*.

Theſis 7.

Muſculi ergo copioſis nervis inſtructi, iſtis ſpiritibus animalibus turgent, ita ut hi inter ſingulas eorum fibras, & inter ſingula relicta ſpatiola, in ſpecie circa medium ventrem carnoſum ordinatè diſpoſiti, ex levi accedente in nervo ad muſculum protenſo impulſu, & ex iſto impulſu uberiori ſpirituum affluxu, per totum muſculum ferantur, & ibidem concluſi, dum ſecundum longitudinem ob occurrentem in fine tendinem anguſtiorem, tàm repente excurrere nequeant, in ſe ipſos reflectuntur, & imprimis in ventre ejus carnoſo, ubi pori ſunt ampliores & latiores, coacervati, agitati & expanſi colliguntur, & ita muſculi circa ventrem incipit intumeſcentia, incipiente hac intumeſcentia, dum arteria in muſculum ſanguinem affundens ex dilatato ventre minorem patitur reſiſtentiam, copioſius ſolito ſanguinem in ventrem muſculi carnoſum expanſum infundit, ut vena ſocialis evehendo ſanguine fiat impar, & ita ex ſanguine ſimul muſculi tumor non leviter augmentetur. Ab his duobus ergo ſpiritibus impetum facientibus, & ſanguine irrumpente motus & intumeſcentia ita augentur, ut victa reſiſtentia antagoniſtæ, muſculus promptè & potenter ſe contrahat, & ita motum perficiat: eademque fere ratione atque videmus ſequi ſpaſmum ſeu convulſionem alterius faciei partis cynicam, ex ſpontanea muſculorum partis faciei ſanæ contractione, ob deficiens robur antagoniſtarum paralyſi affectorum. Hæc quæ de muſculo ceu fibris unitis dicta, facile fibris diſſipatis applicari poſſunt, ad quartum tamen motum ſanguis parum vel nihil conferre videtur, cum hæ fere ut nimis diſtentæ ſe contrahant ad naturalem tonum, vel ultra hunc arctius contrahantur & quaſi criſpentur, ad quos actus ſpitituum animalium influxus ſufficiens videtur.

Theſis 8.

Supereſt adhuc ut conſideremus, *unde* tandem *determinatus in partibus fiat motus*, ut v. gr. tollatur brachium, flectatur genu, circumgyretur pes? Animæ hoc opus vulgò tribuitur, cui ſit poteſtas movendi ſanguinem & ſpiritus, ſed quomodo hoc fiat, & unde anima ſciat, hunc vel iſtum eſſe movendum muſculum, ceu imperſcrutabile negligunt. Apertius ergo rem declarant, qui *mecanico modo hoc negotium explicant*, imprimis cum videamus non rarò ex abrupto, nihil tale cogitantibus v. gr. ex imminente percuſſione capitis ſuſtolli brachium, citra ullam prægreſſam animi cognitionem & motus convulſivi invitis nobis nos torquentes id comprobent. Ex motu ergo vel impulſu fibrillarum iſtarum præciſè ex quibus nervus conflatur, qui in talem muſculum derivatur, moventur ſpiritus in eum muſculum determinatè, & non in alium, qui fibrillarum motus ſi fiat in cerebro ex prægreſſo ſenſuali ſpirituum motu, à quo determinatè tales in cerebro moveantur, funiculi nervei, ut per eos fibrales vel agitatos celeriter influentes ſpiritus, muſculum iſtum determinatè ad motum diſponant: confirmat hoc quando ex irritato nervo, ſequitur partis contractio, vel convulſio, v. gr. ex punctura nervi, item quando ex irritatione pylori fit contractio ſtomachi, unde vomitus, qui irritato pyloro nervi ejus commoti funiculi copioſos ſpiritus influere faciunt, unde motus, non ſecus ferè, atque nervus punctus brachium movet.

CAPUT XXI.

De ſanguinis motu ad teſtes ſeminiſque generatione.

Tehſis 1.

VT animal, quod in individuo caducum eſt, perpetuetur *in ſpecie*, generationis mirandum opus ordinavit divinus Architectus, quod mediante *genitura*, communiter ſed abuſivè *Semen* dicta, de qua CONSENTINUS *in progymnaſm.* 5. *pag.* 112. perficitur; ſive utriuſque ſexus certo modo circa uterum concurrant ſemina, ut in *viparis*, ſive maſculino ſemine tantùm irrigetur, & ſic fœcundetur fœminæ jam factus conceptus, ut in *oviparis*.

Theſis 2.

Semen maſculinum quod attinet ad illud *elaborari in teſtibus* certum eſt, vid. Moebium *in fundam pag.* 470. qui *teſtes* nihil aliud *ſunt*, quam *congeries minutiſſimorum vaſculorum, in quibus ſemen perficitur*, uti hoc Fracassatus Bononiæ primò & poſtmodum etiam in Belgio Graff invenit, quorum vaſculorum aliquot ex teſte erumpentia variis ſuis flexibus corpus illud conſtituunt, quod teſtium dorſo incumbit, & *Epidydimis* appellatur; quod ipſum tandem dilatatum in *vas deferens in veſiculas ſeminales* abit, unde ſemen elaboratum in teſte, perfectum in Epidydimidibus, per canalem deferentem in veſiculas ſeminales deponitur, ſuo tempore vel ſponte in pollutione nocturna, vel concurrenti partium genitalium motu in coitu excernendum, aut potius ex affluente ſanguine concalefactum, & ſpiritibus copioſis confertim affluentibus turgidum cum *impetu ſpumoſum* ejaculandum. Anatomen vide in Graff *Tract. de virorum organis generationi inſervient.*

Theſis 3.

Huic ſemini dum ejicitur admiſcetur adhuc *liquor quidam ſeroſus & blandus in corpore proſtatarum glanduloſo & ſpongioſo elaboratus*, qui per copioſos exiles ductus in urethram cui annectitur effuſus, ſemen obvolvit, ipſique pro vehiculo ſervit, ut melius & promptius per penem ejaculari poſſit, qui liquor etiam in *caſtratis* generatur, unde & hi *coire poſſunt*. Non ergo eſt triplex ſemen maſculinum, ut vult Vvarthonus *in capit.* 30. *Adenographiæ*, ſed unicum tantum in teſtibus elaboratum, quod liquore ſeroſo proſtatarum dilutum in coitu effunditur.

Theſis 4.

Materia ſeminis non eſt *lympha vel ros* per duplicaturas lymphaticorum ad teſtes delabens, ut vult Bilsius, *nec eſt ſuccus per nervos advectus* uti volunt Angli, in ſpecie Charleton *exercit.* 10. & Vvarthonus *cap.* 27. quo etiam declinat Velthuysius *de generat. cap.* 6. ſed eſt *pars ſanguinis crudior ſeu chyloſa*, quo inclinat Barbatus *Tract. de ſero ſanguinis*, item Consentinus *in progymnaſm.* 5. *cap.* 176. *& ſequ.* nondum in perfectum ſanguinem tranſmutata quæ parte aquoſa diluta cum ſanguine per arterias ſpermaticas ſeu præparantes ad teſtes advehitur, ubi per arteriolas iſtas quæ vaſcula ſeminaria amplexu ſuo firmiſſimè detinent in cavitatem iſtorum vaſculorum deponitur, & quaſi tranſudat, craſſiore reliquo ſanguine per venas remeante, parte vero aquoſa à vaſis lymphaticis abſorbta; huic materiæ ſpiritus animales nonnulli permiſcentur, qui materiæ iſti ultimam perfectionem addunt: ita ut dum in teſtibus fuit aquea & cineritia, in Epidydymidibus fiat craſſa & lactea. Rationem quod attinet ſeminis formalem, ejuſque fæcunditatem *Vide in* Rallio *de generat. animal. ſect.* 1.

Theſis 5.

Cæterum annon *peculiare in vaſculis* iſtis ſeminariis *teſtium lateat fermentum*, hujus ſingularis tranſmutationis autor vix dubitare poteſt ille, qui mutationes inſignes à ſeminis generatione in corpore obſervat: dum ab iis ſingularis vigor virilis inſpiratur, Eunuchi vero effœminati maneant, de quibus mutationibus videatur Graff *pag.* 25. item Moebius *in fund. pag.* 280. quæ mutationes fiunt ab iſto fermento, dum ſub pubertatis annos excitatum ſanguinem affluentem alterat, ſimilemque fermentativam vim, tum ipſi, tum lymphæ ex teſtibus refluentibus imprimit, unde tota alterata & fermentata ejus maſſa totius corporis habitum ſimiliter alterat.

Theſis 6.

Mulieres an et eæ semen generent, *neceſſarium ad generationem*, multi dubitant. *In oviparis fœmina in ovario vitellum generat, in utero ſucco lacteo ſub forma albuminis inveſtiendum*, quod ovum tàm in ſuo rudimento, quàm jam perfectum, mas fœcundat ſui ſeminis vel potius *ſpiritus genitalis* cum ſemine excreti attactu vel conſperſione, reliquis ovis omnibus infæcundis: unde unus galli coitus ad aliquot menſes fœcundam reddit gallinam, ita ut omnia ova tunc excludat fœcunda, quamdiu illa vis à gallo communicata perdurat. Vide Harvæum *de generat. animal. exercit.* 39. *&* 40. idem fit in *piſcibus oviparis*, v. gr. in carpione, ubi nil aliud eſt, quam ovulorum congeries, hæc ergo in coitu, qui fit tantum per partium poſteriorum quendam affrictum, à fœmellâ excluduntur, & à ſemine maris aſperguntur, quæ ergo contacta ſunt iſto maris ſemine ſunt fœcunda, & ex iis fiunt piſciculi, quæ verò non, ea ceu infœcunda intereunt.

Theſis 7.

Viviparas verò *quod attinet ad fœminas*, earũ *teſtes*, *vaſa præparantia*, ſimiliſque apparatus circa genitales partes, nulli alii uſui deſtinatus apparet, quam generationi ſeminis ſuique generis (cadavera equidem teſtiũ teſtes muliebres vocat Hoffmannus *lib.* 2. *inſtitut. cap* 44. ſed hunc refutat Vvarthonus *in adenographia*) quod tamen *aquoſius eſt*, quam virorum, quia ex defectu Epidydymidum ultimam perfectionem non accipit, eſt tamen *perfectum in ſuo genere*, utut de ejus in uterum excretione, per quas vias id contingat, & an neceſſariò cum ſemine virili in coitu fœcundo ſit permiſcendum, adhuc obſcura eſt controverſia. Similitudo cum matre ſæpè major quàm patre, v. gr. mulus, qui ſæpè ſimilior aſinæ, quam equo, id confirmare videtur. Anatome fœminatum ſanarum & in juſta ætate conſtitutarum *teſtes materia ſeminali turgidas* ſæpe invenit, ſicut & ipſæ fœminæ ſe percipere *ſeminis ſui emiſſionem in coitu* aſſerunt, ut nihil dicam de furore uterino, nimiam ſeminis retentionem inſequente, item de ſymptomatibus ſeminis nimiam excretionem inſequentibus, ſimilibus virorum affectibus. Unde etiam caſtratio fœmellarum in brutis eas reddit infœcundas, videat. Velthuysius *de generatione*, item Deusing. *de Geneſi Microcoſmi pag.* 15 17.

Theſis 8.

Moderni quidem *ut* Steno, Horne, &c. ſingularem hîc fovent opinionem, & *teſtes muliebres ovarium eſſe viviparorum ſentiunt*, ſimilem præſtare uſum atque ovarium oviparis. Anatome ſcilicet detexit *ſubſtantiam teſtium muliebrium* tam in homine, quam in brutis *eſſe coagmentatam ex quamplurimis veſiculis*, quarum quælibet peculiarem habeat tunicam, neque cum alia cohæreat, & repleta ſit humore albicante lacteo, ita ut iſtæ veſicæ ſint quaſi tot ovula, in teſtibus contenta, humore ſcatentia, *& pellicula* propriâ ſeu putamine membranacea circumdata, quod ſi in coitu horum ovulorum unum vel decidens in uterum vel in *tuba* contentum, à ſemine virili vel ejus ſpiritu genitali, ſui attactu & quaſi afflatu fœcundetur, inſtar ſpiritus genitalis galli fœcundantis ova gallinæ fœcundum eſſe coitum, quod ſi duo fœcundentur talia ovula, *fieri gemellos*: ſin plura, plures oriri fœtus, ſin unum poſt alterum fœcundetur, fieri *ſuperfœtationem*, Sed hæc ſunt nova, & nondum ſufficienter probata, ideoque tantummodo ſignificaſſe ſufficiat.

Theſis. 9.

Mulier ſimul atque generare ſemen incipiat, & apta ſit ad generationem, *circa decimum quartum annum*, circiter inter cæteras mutationes corporis, quas cum viro habet communes, *propriam hab t unam nempe menſtruam purgationem* (licet aliquot proſtent Exempla etiam viris quibuſdam periodo menſtruali ſanguinem per penem effluxiſſe, ſicut in quibuſdam aliis hæmorrhoidum fluxus menſtrua periodo contingit. Contrà SCHENCKIUS *in obſervat.* aliique Autores exempla recenſent mulierum, nunquam menſtruatarum, (licet fœcundarum) quæ ſimul atque vis genitalis prolifica interit, etiam una *ceſſat*, nempe poſt *ſeptimum ſeptenarium ſeu an. 49. purgatio hæc fit mediante certa quadam turgeſcentia & fermentatione ſanguinis*, qua dilatatus & expanſus ſanguis, circa genitalia loca erumpit & exitum quærit. Quod ſi impura ſit maſſ. ſang. ſimul ſeparatione iſta excrementa ſep rata & præcipitata cum iſto ſanguine foras excluduntur. *Fermentum* quod hancce fermentationem producit & probabiliter eſt ex genere ſalium volatilium oleoſorum *inſpiratur à teſtibus* beneficio ſanguinis & lymphæ refluentium, quod ſenſim ſenſimque alterans & volatiliſans ſanguinem, ut alterationes ſingulares in corpore producit, ita etiã ad turgeſcentiam congeſtum, impetu facto iſtam fermentationem inducit, quæ ſingulis tamen menſibus redit, quia tantum ſpatium requiritur, uſque ad ſufficientiam imprægnetur ſanguis, unde etiam in quibuſdam citius, in quibuſdam tardius emergit, prout vis genitalis uno vel alio tempore magis vel minus excitatur. Vid. VELTHUSIUS *de generatione, cap. 5. pag.* 127. KERGERUS *de ferm. ſect. 3. cap. 2. p.* 214. SCHOOCKIUS *de ferment. cap. 27. pag* 491.

Annot. pract. *Sin ularem quandam turgeſcentiam & fermentationem eſſe in maſſ. ſang. à fermento teſtium inſpirato excitatam quando menſtruo tempore per partes genitales prorumpit, confirmant plurima circa menſtruationem obvia. Hinc enim eſt quod Fermenti communis odor ſubinde naribus admotus fermentationem promovet : item ſi fermenti fruſtulum ad quantitatem Caſtaneæ cum pulvere nuc. moſchat. intus ſumatur.*

Vnde etiam eſt quod LINDANUS *obſervavit in muliere febrem menſtruam. hoc eſt quæ toties per aliquot dies febricitaret, quoties menſtruum pateretur fluxum idque propter fermentationem & turg ſcentiam ſanguinis tunc temporis excitatam*

Hinc omnia acida menſes naturaliter fluentia ſiſtunt, & fluxuras impediunt, quatenus fermenıationem ſanguinis & ejus turgeſcentiam cohibent, deſtruendo ſalia volatilia & coagulando blandè maſſ. ſang. Econtra illa quæ menſes ſtimulant de natura ſalina volatili eſſe debent & utplurimum inſigniter amaricantia, v. gr.

Præter aromata ut Cinamom. Caryoph. &c. excellit Caſtoreum, Crocus, Myrrha, Sabina, Aloetica, hinc Elix. Propr. &c. Vnde & Spl n bovis menſes ſtimulet ratione virtutis fermentativæ ſanguinis in ſplene reſidentis.

Purgantia etiam imprimis ex Colocynthide ſive intus aſſumpta, ſive foras Peſſorum forma exhibita menſes inſigniter ſtimulant.

Vnde & notabile eſt qnod conſervæ ſi recipiant halitum monſtruatæ deſubito acceſſant, ita etiam halitus earum vinum & ceriviſiam aceſſcre facit, ob vim talem fermentativam quæ earum halitui ineſt :

Hinc etiam eſt quod Chirurgi in vulnerum cura & deligatione nullam admittant fœminam metu menſtruationis quia earundem effluviis vulnera depraventur.

Theſis 10.

Sed *quare* ex omnibus animalibus *ſola mulier & forte ſimia menſtrua patiantur*, cum alia animalia ſine hoc fluxu fœcundiora ſint longè, & felicius educent fœtum, *res eſt obſcura.* Multitudo ſanguinis abundans in muliere ſola ſeu plethora, eſt forſan aliquid, ſed non omne fert punctum, nam & laborioſæ mulieres obtinent menſtrua, & primo geſtationis tempore non tantum decedit in maſſa ſanguinea, ut exinde ceſſare debeat omnis evacuatio. Vide HELMONTIUM *Tract. lunare tributum*; item VELTH SI M *citato l co*; propter generationem & nutritionem hoc fieri eſt nihil, quia alia animalia hæc omnia feliciter, ſine tali fluxu præſtant Carere autem talia animalia tali fluxu conſtat per experientiam, licet eundem ſimiliter tribuere videtur illis VELTHUSIUS *cit. loc. pag.* 125. Sed errat, confundendo menſes mulierum cum earum fluore albo, & materia iſta *ex brutis*, venereo orgaſmo turgere incipientibus, emanans, eſt tantum ſperma aquoſius efferveſcens & erumpens.

CAPUT XXII.

De conceptione fætuſque formatione.

Theſis 1.

DUm legitimè copulantur mas & fœmina, iſte emittit *ſuum ſemen*, cujus *ſpiritus* amico complexu in utero aut tubis ſe jungit *ſpiritui genitali*, aut *materiæ ſeminali mulierum*, ſeque invicem uniunt & cop lant, fitque *conceptio*, hæc *eſt*, *utriuſque ſexus ſeminalis virtutis in ſpiritu genitali fundatæ in utero facta aſſ ciatio ad fœtificationem* vide VELTHUSIUM *de generat. cap. 7. item 4.* RALLIUM *de generatione animalium pag.* 168. Vel eſt ovuli uterini cujuſdam à ſpiritus genitalis maſculini afflatu facta fœcundatio uti in gallinis fieri ſolet : ſi ovulum eſt in utero naturalis eſt conceptus, ſin hæreat adhuc in Tuba fit conceptus præternaturalis. Nam tota generationis ratio, *dep nd t à ſpiritu genitali* ſub craſſioris materiæ involucro excreto; iſtâ materiâ ſeminis craſsâ nullo modo *vel in utero ſubſiſtente*, vel ceu materia *fætum conſtituente*, ut demonſtrat HARVÆUS *exercit* 6. 39. 49. 67. 68. item DEUSINH. *exercit. de geneſi microcoſmi ſect. 2. pag. 25. & alii.* Sed ſolus ſpiritus genitalis maris uti unitus cum ſpiritu genitali mulieris in poros uteri, ſeu, quod rarius fit, in tubas uteri ſe inſinuat, indeque uterum fœcundum reddit, hoc ſub contagii ſpirituoſi nomine uterum fœcundantis innuiſſe videtur HARVÆUS *in exercit. ultima de conceptione*, ad quam fœcunditatem recipiendam ipſe uterus legitimè diſpoſitus & quaſi naturatus eſſe debet, de quo vide RALLIUM *ſect. 5. p.* 158.

Theſis 2.

Utero hoc modo inſtar agri fœcundato *primo menſe, nihil ferè in eo apparet*, ſed poſt coitum uterus tantum carnoſior, craſſior & levior exiſtit, donec circa primi menſis finem diſtillet in uterum *liquor limpidus*, lentus, & aliquo modo viſcidus (*chyloſus revera, tranſcolatione ita alteratus*) qui ſua membrana incluſus *ovum ſine teſta* exactè æmulatur, autore HARVÆO *exercit* 68. unde etiam *ovum uterinum*, item *conceptus ab* HARVÆO hinc inde appellatur (nam & aliquot proſtant exempla mulierum ova parientium) indeque *omnia ex ovo eſſe rectè ab eodem dicuntur*, hinc etiam MARCI *in Tractat. de Ideis operatricibus* inquit : Subtilius rem penſitando videbitur non minus *plantarum*, *quam animalium genus ex ovo naſci*, cum non minus in plantarum ſemine diſtinguere liceat partes albuminis & vitelli, aut etiam grandini analogas : ſiquidem neque in omnium animalium ovis ineſt differentia albi & lutei, unde rectè à

Rallio *ſect. 5. pag. 75. ſemina plantarum ſui generis ova dicuntur.*

Theſis 3.

In hoc ovo quod primum contingit eſt ipſa *humoris in intimiore parte, in Amnio*, nempe tunica concluſi *colliquatio*, inque cryſtallinum humorem *tranſmutatio*, atque ob id *colliquamentum* appellatur ab Harvæo *exerc.* 16. 69. & Courvee *de nutritione fœtus in utero cap.2. lib.3.* in hoc ipſo colliquamento primum emergit *punctum minutum, ceu veſicula*, à parvo motu *ſaliens* dicta cum lineis rubiculis circumcirca, primum nempe ſanguinis cum corde ejuſque vaſis rudimentū, adeoque pars primogenia. Harvæus *exercit.* 16. 69. Deusing *de geneſi Microcoſmi part.2. ſect.2.* hinc circa ſanguinea vaſa craſſius & albidius quid inſtar nubeculæ apparet, in duas partes diviſum, quarum *major pars capitis* rudimentum præbet, quatuor veſiculis conſtans, quæ cerebrum, cerebellum & oculos binos repræſentant, minor verò pars inferius inſtar carinæ *protenſa ſpinæ rudimentum* eſt. Ex qua brachia & pedes ſenſim protuberant, donec vaſis ſanguifluis viſcera ſucceſſivè quoque adnata, fœtum perfectum conſtituant. Cujus *formationis exactam hiſtoriam vide in* Harveo *&* Deusing *citat. loco*, & ex his in Moebii *fundament. pag.559.* item in Velthuysio *de generat. cap. 9.* item in Needham *de fœtu formato*, qui tam plurium animalium in utero dum ſunt, varietatem explicant.

Theſis 4.

Hoc certum jam monſtrat Harvæi obſervatio, *punctum iſtud ſaliens*, quod in *cor poſtmodum abit cum ſanguine primo antè omnia generari*; ſunt quidam qui exiſtiment, partes omnes ſimul delineari, eaſdem poſtmodum ſucceſſivè perfici & generari: de hoc videatur Courvee *part.2. cap.4.* ſed cum iſtis fatentibus inviſibilis ſit iſta delineatio, & tantum imaginabilis, certi eſſe non poſſunt de hac ſua aſſertione. Spiritus ergo genitalis in ovo uterino excitatus ſeſe exerit & in unum colligit, veſtitus ſubtiliſſima tenuiſſimaque materia, & ſic *colliquamentum* conſtituit, quod ipſum alterando ulterius per occultam fermentationem in ſanguinem tranſmutat in quo ſe primo fundat, & per membranas ſubtiles ſimul fabricatas hinc inde excurrit. Ulterius ergo expanſus partium nervoſarum, cerebri, oſſium, &c. & ſimilium rudimenta ponit, quæ omnes præter cerebrum & oculos videntur conſtare ex *copioſiſſimis fibris*, quæ ſecundum longitudinem protenſæ mucilagineque ſpermatica conglutinatæ, cartilagines conſtituunt, quæ tandem in oſſa indurantur, quorum capita ſeu extremitates rotundæ ex iſtarum fibrarum in ſe ipſis convolutione oriri videntur. Harum fibrarum quædam ab aliis ſeparatæ, & extrorſum in alias fibras protenſæ & implantatæ, partim ligamenta, partim tendines conſtituunt. Fibrillæ ſimiles ſecundum longitudinem & latitudinem ſibi intertextæ in membranas uniuntur, &c. Hiſce nervoſis partibus per ſanguinis agglutinationem adnaſcuntur partes ſanguineæ, v. gr. fibrillarum interſtitiis ex oſſibus protenſarum ſanguis ſeſe inſinuat, iiſque adhæret, ſicque muſculorum corpora conſtituit, vaſorum verò ſurculis adnaſcuntur ſimiliter interiora viſcera, inſtar fungorum arboribus. Unde *partes nervoſæ ex* materia iſta ovi uterini lenta & limpida veteribus ſemen credita natæ, merito adhuc *ſpermatica vel lacteæ aut chyloſæ, cæteræ* vero ex ſanguinis coagulo illis adnatæ, *ſanguineæ vocantur.*

Theſis 5.

Hoc quoque obſervetur, quod *tertio elapſo menſe in quarto contingat fœtus motus*, ipſo jam quoad *principaliores* partes ferè abſoluto, reliquis *vilioribus* adhuc perficiendis: Unde *tempus uſque ad motum, tempus formationis, à motu uſque ad partum, tempus exornationis vocatur.* Pervulgata aliàs fert opinio, marium formationem perfectionemque citius, fœmellarum verò tardius fieri. Cui tamen non ſuffragatur experientia, cum conſtet imprimis in brutis ſæpè plures in utero geſtari fœtus, qui licet ſexu diſtincti ſint, eodem tamen tempore & perfici & excludi ſoleant, ut fœtus ex ovis oriundos taceam, qui cujuſcunque etiam ſexus fuerit nec ſerius nec tardius vel perfici vel edi niſi forſan alia cauſa obſtiterit, quod etiam Harvæus *exercit.* 10. confirmat.

Theſis 6.

Efficiens mirandæ hujus fabricæ *videatur eſſe ſpiritus genitalis*, mediante ſemine ab utroque parente promanans, qui licet originaliter videatur duplex, in utero tamen mutua *coitione unitus*, & materia lenta & limpida veſtitus, ex eadem machinā corporis format, quod quomodo fiat, res eſt obſcuriſſima. Carteſiani & hos ſequentes alii ex *ſolo motu particularum per calorem excitato fieri formationem* volunt, quo ſeminis particulæ agitatæ ob ſuas figuras, texturas, aliaſque proprietates neceſſariò in germen animalis abeunt, eo modo, quo ex oblongis ſalium particulis in aqua vi caloris agitatis & inter ſe conjunctis, variæ ſalium ſpirituumque imagines efformantur, ut commentatur Regius *in fundam. Phiſicis cap.*10. Alii probabiliter *per Ideas* hoc negotium explicant, quæ antea confuſæ ſucceſſivè ordinatā ſerie evolutæ formatorem corporis dirigant & determinent ad formandum fœtum ſimilem parentibus.

Theſis 7.

Cæterum *triplex* formandi *fœtus cum parente* obſervanda *ſimilitudo.* 1.*ratione ſpeciei*, quod ſcilicet homo generet hominem. 2.*ratione ſexus*, dum fœtus nunc eſt mas, nunc fœmina, nunc utrumque ſeu *Hermaphroditus*, hoc fieri ait Velthuysius *pag.65. quatenus vis ſeminalis* à mare aut fœmina *prædominans*, alterius vim cogit in ſuum obſequium: quæ major vis alterius ſeminis in prædominio Ideæ evolutæ, & ob id in determinatione aut directione formantis archæi prævalētis conſiſtere videtur. 3.*ratione individui* tum fœtus nunc patri nunc matri, vel in toto, vel in parte ſimilis exiſtit: quod ex amplexu mutuo ſpirituum genitalium utriuſque parentis oritur, unde ſpecies anteà confuſæ, poſtmodum ordinatæ evolutæ, ita determinatè dirigunt formatorem, ut partim patrem, partim matrem referat. Sed de his ſimilitudinibus fœtuum cum parentibus, videatur *Gregor.* Horst *in diſſertat. de cauſis. cur fœtus parentibus ſimilis Tom.1. diſſert.4 in fine*, item Marci *Tract. de Ideis operatricibus.*

CAPUT XXIII.

De vita fœtus & nutritione in utero.

Theſis 1.

Ovum *uterinum duplici tunica conſtat, interna Amnion* appellata, in qua formatur fœtus & reſidet, *externa*, quæ totum conceptum ambit & *Chorion dicitur. In Amnio liquor* albicans & lympidus continetur, qui *nullo modo cum veteribus pro urina vel ſudore habendus*, ſed urinæ continendæ inſervit *tertia membrana Allantoides* vocata, homini olim ab Autoribus denegata, nunc vero à Needham *Tract. de formato fœtu*, & Aldes *in Epiſtola contra* Harvæum, denuò delecta, in quam veſica per *Urachum* urinam exonerat.

Theſis 2.

Chorio adnaſcitur in homine, poſtquam fœtus jam *ferè formatus eſt, carnea moles, placenta uterina dicta* nata ex ſanguine *per vaſa fœtus umbilicalia* uſque ad chorii extremi

extremitatem protenſa effuſo & coagulato, in quam venæ & arteriæ umbilicales implantantu, ſicut etiam vena copioſos ramos per chorion & Amnion ſpargit, in earum cavitatem humore limpido plenam hiantes. Mediante hac mole carnea fœtus utero demum adhæret & adnectitur, cujus naturam deſcriptam à VVARTHONO *in Adenographia cap.* 35. item HOBOCKEN *in Anatome ſecundinæ humanæ.* Variant verò quoad partem hanc inſigniter animalia, dum alia *placentifera*, alia *glandifera*, pauca *Cotyledonifera*, de qua varietate, ut & quid propriè ſint Cotyledones ſeu acetabula veterum; vid. in NEEDHAM *citat. loc.* Hæc ergo placenta cum membranis iſtius poſt fœtum excluſa, & quaſi ſecundo partu edita, SECUNDINÆ appellatur: Sicut liquores iſti dum in partu paulò ante fœtum erumpunt, ex ruptione membranarum ob conatum fœtus, AQUÆ appellantur, quæ humectando & laxando partes partum facilitare creduntur.

Theſis 3.

Quod ergo jam ad nutritionem attinet, partim *per os nutriri* fœtum, partim per *umbilicum* nunc conſtat. Per os quidem nutritur *deglutiendo humorem limpidum*, & albugineum in Amnio contentum, ex utero per membranas tranſſudantem; qui chylificatur in ventriculo & unde excrementa in Inteſtinis *Meconiam*, dicta, oriuntur. Vid. HARV. *in diſſert.* COURVE'E *in tract. de nutritione fœtus imprimis part.* 2. *cap.* 11. 13. Cæterum cum grandior fit fœtus, per *umbilicum* ſimul advehitur nutrimentum ſcilicet, quantum præter ejus per os nutritionem neceſſarium eſt adhuc, quod ſanguinem eſſe maternum in placentam ex vaſis uteri delatum, cum ſanguine fœtus per arterias umbilicales ad placentam tranſlato miſtum, & cum venâ umbilicali ad fœtum delatum, communiter aſſerunt, de qua antiqua *Hyppocratea ſententia* vid. diſſertat. SEGERI *de Hyppocratis Orthodoxia & Democriti Heterodoxia, quoad doctrinam de nutritione fœtus.*

Theſis 4.

Cæterum elegantior & probabilior videtur DEUSINGII ſententia, qui *part.* 3. *ſect.* 1. *Geneſeos Microcoſmi*, item *in diſſert. de lacte*, in eo eſt totus, ut monſtret fœtum *tam in utero quam extra eum nutriri ſolo lacte* ſeu materiâ tali limpidâ & albuginea, qualis in Amnio continetur, & in quo fœtum natare comprehenditur; quæ materia albuginea, ut ex utero deſtillat pro conſtituendo ovo, ſeu conceptu, ex quo formatur primitus fœtus; ita etiam poſtmodum fœtum per os nutrit, & ſimul partim defertur, in placentam, ex quâ in Amnion abit, partim verò à vena umbilicali abſorbta in placenta & cum ſanguine per arterias fœtus umbilicales eò allato miſta, in venam cavam fœtus abit; ut in corde in perfectum tandem ſanguinem abeat.

Theſis 5.

Materiæ hujus limpidæ & nutritivæ quod attinet ad ortum, eam ex abdomine in ſpecie *ex meſenterio per ſingularia vaſa lactea* ad uterum deferri vult DEUSING. *cit. loc.* item SEGERUS *cit. loco*: ſed cum vaſa iſta ignota ſint, merito iis adſtipulamur qui arteriis cum ſanguine nutrimenti chyloſi officium vehendi tribuunt, itaut *per arterias chylus limpidus ſanguine permiſtus*, ad uterum delatus, in eodem ſeparetur, ſeparatus in placentam abeat, & nunc per vaſa umbilicalia *mediatè* cum ſanguine, nunc penetrando in Amnion, per os *immediatè*, fœtum nutriat. Vid. NEEDHAM *de formato fœtu cap.* 1.

Theſis 6.

Plura quæ talem nutritionem confirmant, videri poſſunt in DEUSING. *citat. loco*, item COURVE'E in toto *Tract. de nutritione fœtus* in utero. Confirmat hæc Crocus tingens fœtum in utero; quibus adde; nullum adhuc vidiſſe veram connexionem placentæ, ejuſque vaſorum cum ſanguifluis vaſis uteri: ſed omnes ex præconcepta opinione hæc aſſeruiſſe; placenta contra referta eſt *ſucco iſto albugineo & limpido* & carunculæ in brutis, quibus connectuntur glandulæ, compreſſæ dant ſuccum ſimilem, non verò ſanguinem: & practicorum teſtantur obſervationes, poſt partum puerperis materiam ejuſmodi lacteam, ex utero effluere, ut *taceam pullum* in ovo ſine tali materno ſanguine perfectè nutriri & augeri.

Theſis 7.

Officium ergo placentæ uterinæ eſt, ut iſta ſuccum iſtum nutritivum cum ſanguine per arterias fœtus umbilicales allato miſceat, & ita quaſi ſubigat ac præparet, ut facilius poſtmodum in fœtu per venam umbilicalem cum ſanguine refluo diſtributus, in ſanguinem abeat, id quod iis imprimis placet, qui hepatis aliquali reſuſcitationi favent, cum enim hoc in fœtu circa chylum feriari videant, cum omnis liquor per venam umbilicalem allatus *mediante canali venoſo* ſtatim ex vena portæ citra hepatis contactum in venam cavam abeat, ob id placentam *hepar uterinum* appellant, & ita hepatis vice in fœtu fungi volunt.

Theſis 8.

Ex dictis facilè concludi poteſt qualem *vitam fœtus* agat in utero, & quod non vivat vita matris, hauriendo ab eadem ſpiritus vitales, & ſanguinem, ſed quod propriam degat vitam, elaborando ex ſucco ſuo nutritio hos ipſos pro ſui ſuſtentatione, ſimili ratione nempè atque pullus in ovo propriam vitam eodem modo inſtituit, nec alio opus habet gallina adjumento, quam blando ejuſdem fotu atque incubatu, ut caloris beneficio exſuſcitetur vis genitalis in ovo latens, idem præſtat mater fœtui, dum etiam uterum fovet ſinu ſuo, & fœtum hoc modo ſervat, & tuetur; vitam autem plantæ vivere tantum fœtus dicitur primis menſibus, quatenus ſolummodo nutritur & augetus: Sequentibus verò etiam vitam animalis vivit, quatenus ſe movet, qui motus non niſi perceptionem quandam ſenſualem ſequitur, utut dormiat potius fœtus in utero, quàm vigilet.

CAPUT XXIV.

De Partu.

Theſis 1.

QUo grandior fit fœtus in utero, eò plus quoque uterus ceu vas continens *in omnem dimenſionem extenditur*, ſub qua extenſione valdoperè *craſſeſcit & ſpiſſeſcit* uterus, ita ut ultimis menſibus *duos digitos* craſſa fiat ejus ſubſtantia; teſtibus BARTHOLINO aliiſque, id quod contingit ex imbibitione tùm ſucci lactei nutritii, tùm etiam ſanguinis in hiantibus & diſtentis multum uteri poris coacervati & lentè circulati unde vaſa ſanguiflua ſenſim ſenſimque etiam majora & ampliora fiunt, ut tandem circa partum digiti amplitudinem æquare dicantur.

Theſis 2.

Fœtus ergo valdopere auctus & grandior factus, *proprio motu* exitum quærit, convolvendo ſeſe & invertendo, *capite deorſum verſus*, unde & capite primò egreditur, qui motus partui eſt naturalis; hoc motu membranæ jam diuturniore mora tenuiores factæ facilè & tantum non ſponte dehiſcunt & rumpuntur, *aquarumque fit effluxus.* Huic fœtus conatui accedit ſimul matris labor, quæ tàm *inſpirando & diaphragma* deorſum movendo, quam muſculos abdominis *contrahendo*, uterum comprimit, qui ſimul quoque nimia diſtenſione irritatus modico ſenſu & ſtimulo contractis ſuis fibris fœtum excludit. Plura quæ huc pertinent,

nent, & imprimis *oſſium pubis ſeparationem* & Ilei laxationem vid. in Deusingio *part.* 3. *ſect.* 2. *de geneſi Microcoſmi*, item in Harvæo *diſſert. de partu*, item in Courvee *part.* 3. *cap.* 12. *de nutritione fœtus in utero.*

Theſis 3.

Hoc contingit *menſe* poſt conceptionem *ut plurimum nono*, circa finem, vel in principio decimi interdum, ſed rarius ſeptimo, imprimis in *primo partu*, qui *ſeptimeſtris partus* ſæpè habet imperfectionis quaſdam notas in *auriculis*, *ore* aut *digitis*, quæ partes ultimæ omnium perficiuntur, de qua Borell. *cent.* 1. *obſ.* 71. Accedit tamen interdum ut vel mater vetula vel fœtus imbecillis ultra decimum menſem partum differant, ſicut interdum anticipant & *menſe* 8. *pariunt*, quos non vitales eſſe falſum eſt, cum plurimi hoc menſe nati vixerint, de quo vid. Schenckium *in obſerv.* cum vitales non raro ſint fœtus, qui ſeptimo menſe excluduntur, ſi verò moriuntur octimeſtres, hoc fit quoniam ex irritatione uteri, vel fœtus, vel alia cauſa, fœtus quaſi *per abortum octavo m nſe* excludatur qui nono menſe debuiſſet naſci de qua vid. Drelincourtius *diſſert. de partu octimeſtri*, item Paulus Zacchias *in quæſtionibus Medico legalibus*, raræ aliàs non paucæ proſtant obſervationes fœtuum ſexto, item duodecimo, decimo quinto menſe natorum, qualia vide in Schenckii *obſervationibus* utut *fallacia conceptionis ſigna* non rarò matres ipſas fallant, ut ob id erroneum ducant calculum. Cæterum de legitimo partus tempore vide Sennert. *ſect.* 6. *part.* 2. *c.* 1. *pag.* 376. item *Henricus* Arniſæus *diſquiſit. de partu humano*, item Sylvaticus *cent.* 4. *conſil.* 64. ubi etiam quædam de partu quinquemeſtri.

Theſis 4.

Cauſa vel ſtimulus qui fœtum impellit, & irritat à variis profertur varius, optima videtur ſententia Deusingii *cit. loco*, item Ralli *ſect.* 7. fœtum conari egreſſum *propter defectum reſpirationis*, cum aquis immerſus reſpirare nequeat; ſanguis verò ſenſim ſenſimque quodammodo circa præcordia ſtagnet, majorem volatilitatem & perfectionem urgendo, unde etiam quam primum egreditur fœtus, reſpirat, de qua fœtus reſpiratione vide Schvvammerdam, *Tract. de reſpiratione*; quod vero de *vagitu fœtuum* circumfertur & cujus non vulgaria proſtant exempla, ea ut rara, ita ut plurimum ſunt prodigioſa, cum *non vagiiſſe tantum*, ſed etiam *articulatas voces* emiſiſſe infantes adhuc in utero incluſos, teſtantur obſervationes. Vide Sperling. *de formatione fœtus cap.* 7. *quæſt.* 2.

Theſis 5.

Cum ergo non reſpiret fœtus, nec dilatentur pulmones, ſine horum dilatatione verò nulla ſanguinis circulatio ordinaria, ex dextro cordis ventriculo fieri poſſit in ſiniſtrum, propterea ſanguis non ſimul per *utroſque ventriculos tranſit*, ſed per alterutrum tantum, & propterea factæ ſunt *ſingulares anaſtomoſes* vaſorum circa cor in fœtu, quæ in adulto obliterantur: dum per venam cavam aſcendens ſanguis, *ejus pars una tranſit* per foramen ovale in venam pulmonalem, & exinde in ſiniſtrum cordis ventriculum, ex quo per Aortam in totum corpus. Altera verò pars ingreditur dextrum cordis ventriculum, ex hoc in arteriam pulmonalem; ex hac per venam pulmonalem in arteriam magnã; ita ut ab una ſaltem in ventriculo immutetur, non verò ab utriſque; dum verò enaſcitur fœtus & reſpirat, ſubito per pulmones circulatur ſanguis, unde iſtæ Anaſtomoſes coaleſcunt. Videat. *Anatom.* Bartholini *cap. de fœtu*, item Courvee *part.* 3. *cap.* 4. & propterea contingit, quod pulmones in fœtu mortuo aquæ injecti fundum petant, in viventi verò & poſt excluſionem mortuo ſupernatent, cum nempè in hoc rarefacti fuerint ex aëre per reſpirationem attracto, hinc inſtituitur proba an fœtus mortuus an vivus natus ſit, ſed poſtea vi interfectus.

Theſis 6.

Fœtu ergo egreſſo ſequuntur etiam membranæ cum placenta cum hæ per funiculum umbilicalem adhæreant fœtui, & *ſecundinæ* vocantur, hæ quantocyus poſt fœtum ſunt extrahendæ, niſi ſponte ſequantur, ne coartato denuò uteri interno orificio, earum egreſſus omninò impediatur, & ipſæ poſtmodum relictæ putredinem matri lethalem concilient. Opera etiam danda, ut omnes ſequantur, ne aliquantula placentæ pars relicta irritando uterum contumacem & interdum lethalem ejus hæmorrhagiam inducat:

Theſis 7.

Sed dum enormiter extenſa uteri cucurbita denuò fibrarum ſuarum beneficio ſe contrahit, poros anguſtat, liquores ingeſtos & geſtationis tempore imbibitos ſic exprimit, unde purgamenta uteri poſt partum ſeu *lochiorum fluxus* ſuccedit, mulieribus non ſecus ac menſtruorum fluxus proprius: Effluit autem primo cruentus humor ſeu *ſanguis purus*, hinc ſanguis dilutus *aquoſo nempè* & lacteo ſero; tandem materia *mucoſa alba* (quas eſſe reliquias ſucci nutritii fœtus in utero cum Deusingio arbitror) quam materiam ex utero ſolo effluere certum eſt, an verò ſanguis ſolus ex utero tunc effluat, & an non etiam ex *vaſis hypogaſtricis* collo uteri inſertis imprimis tunc elabatur, ut admodum probabiliter nonnulli ſtatuunt, nondum adeò explanatum. Sanguinis hic fluxus contingit ex partus conatu, quo ſanguis ad iſtas partes propulſus per diſtincta apertaque vaſa effluit: forſan & *fermentatio talis* contingit, qualis in menſtruatione evenit, ut multa tunc evenientia, & multa fluxum ſuppreſſum ſequentia perſuadent. Videatur Deusing. *de geneſ. microcoſmi pag.* 219. *Tempus* quamdiu hic fluxus fluat, eſt varium pro varietate ſcilicet conſtitutionis Puerperæ. Nonnullæ ad quindecim dies purgantur, ut plurimum citius, octo dierum ſpatio abſolvitur, aliæ diutius poſt menſem demum à purgatione ceſſant, unde etiam in aliis copioſius, impetuoſius, in aliis parcius, lentius ſuccedit iſta purgatio. Vide Sennert. *lib.* 4. *prax. ſect.* 7. *part.* 3. *pag.* 55. item Deusing. *cit. loc.*

Theſis 8.

Facta hac purgatione uterus in pyri formam contractus exſiccatur, & ab accumbentibus teſtibus per liquoris ſeu confectionem ſeminis genitalis denuò præparatur, ut ceu fœcundus ager à vivo denuò impraegnetur, & ita cum vitæ noſtræ primordio Oeconomiam animalem finio.

D. MICHAEL

D. MICHAEL ETMULLERI
INSTITUTIONUM MEDICARUM
PATHOLOGIA.

CAPUT I.

De Sanitate & Morbo, hujus ſubjecto & differentiis.

Theſis 1.

CORPUS noſtrum, dum ceu artificioſa *machina* à *ſanguine & ſpiritu vitali* tàm inſito, quàm influo actuatur, & movetur, & in eſſe ſuo ſuſtentatur, *vivere* dicitur. Vita enim formaliter ſ. effectivè conſiſtit in illa corporis actuatione, ſecundùm quam operationes debitas vel exercet vel exercere poteſt cujus privatio dicitur *mors*. Vitæ intergritas eſt *ſanitas*, ejus vero labefactio eſt *morbus* Integritas iſta ſeu ſanitas dependet à legitima diſpoſitione vel conſtitutione partium machinam corporis componentium, per quam agunt & operantur ſecundùm leges à Naturâ præſcriptas. Contrarium fit in labefactione ſeu morbis.

Theſis 2.

Ut ergo vita, ita & ſanitas ac morbus conſiſtunt & dependent *à ſpiritu & ſanguine* effectivè & radicaliter, ita ſunt in partibus ſolidis ſeu componentibus nonniſi relativè & per denominationem, quod ſcilicet ſint viventes, quatenus ſanguine & ſpiritu vitali irrorantur, pro quorum ratione nunc ſana ſunt, nunc ægrotant. Nam *ſpiritibus & ſanguine* naturaliter ſe habentibus ceu diſpoſitis, & partibus ſolidis ceu inſtrumentis legitimè eorum vim recipientibus, corpus eſt ſanum, præternaturaliter verò iis affectis, hoc eſt, morboſis, corpus eſt ægrum, ejuſque vitiantur actiones.

Theſis 3.

Cum ergo ſpiritus & maſſa ſanguinea principales ſint actionum vitalium autores, à quibus eæ effectivè dependent, *partes verò ſolidæ* ſint tantum inſtrumenta, ſeque habeant (1) in actionibus purè paſſivè; (2) nec propriam ad actiones habeant autoritatem, ſed (3) per ſuas organicas conformationes iſtis primariis agentibus inſerviant ad actiones, unde & (4) in vivente & mortuo, quatenus taliter conformata organa, eodem ſe habeant modo, & (5) eorum læſiones v. gr. oſſium fracturæ, vulnera & ulcera non minus in cadavere quam vivente ſint ſubjecto, (6) iiſque licèt optimè ſe habentibus, intemperie & conformatione, tamen actiones lædantur, & (7) ut taceam varios luſus naturæ in hatum partium formatione, ſine ſubſequente morboſo ſtatu, propterea ſpiritus & ſanguinea maſſa erunt primarium & proprium ſubjectum morborum, cum *his vitiatis*, ceu primario agentibus, neceſſario lædantur actiones, partes verò ſolidæ ſeu organicæ tantum *ſecundarium & improprium*. cum non tàm lædant actiones, quàm vitio conformationis eam ceu læſa inſtrumenta *tantum impediant*.

Theſis 4.

Certè ſicut omnibus patet, inſigniores & ſucceſſivas iſtas corporis mutationes, quæ per *ætatum* viciſſitudines contingunt, ita ut *ultima ſenectus* tandem ipſa, morbus evadat, tantum ratione Maſſ. Sang. mutatæ & ſpirituum; imprimis influentium diverſimodè diſpoſitorum evenire, & ſicut ſenſibilis à teſtibus ſub pubertatis annos *corpori inducta alteratio* ratione eadem corpus immutat, partibus ſolidis organicis ſub omnibus iſtis mutationibus in eodem ſtatu perſiſtentibus, niſi quantum ex ſanguinis varia alteratione in nutritione forſan patiuntur, ita repentinæ in morbis corporis, ejuſque operationibus læſiones & mutationes, non niſi à diſpoſita diverſimodè & p. n. maſſa ſanguinea, aut vitalibus ſpiritibus oboriuntur, ita ut iis morboſæ affectis tota machina non ritè, nec ſecundum conſtitutas naturæ leges gubernata, in p. n. actionum & operationum læſiones exorbitet.

Theſis 5.

Statuta ergo morborum & ſanitatis ſedes in *ſanguine & ſpiritibus* duæ hinc emergunt *generales morborum differentiæ eſſentiales*. *Sanguinem* quod attinet, hic circulatus per vaſa partes nutrit & auget, eaſque calore vitali fovet, ita & ſpiritu vitali ſalino balſamico turgidus ſpiritum inſitum conſervat, omneſque partes à corruptione & putredine tuetur, unde denegato ejus influxu partes gangrenatæ moriuntur. Habet hanc vim ſanguis, à determinata ſua *craſi ſeu miſtionis particularum ejus liquorem componentium imprimis ſalium harmonia & proportione*, ratione, unicuique ſpeciei animalium, & in ſpecie humana unicuique *individuo propria*, ex *generationis primordiis* exſurgente, unde & conſiſtentia, color, cæteræque apparentes ejus qualitates & hinc natæ in corpore unicuique ſingulares proprietates variant, omnibus licet exiſtentibus ſanis. Quàm diu ergo talem harmoniam in ſuis principiis, ſeu talem determinatam radicalem unicuique *propriam craſem retinet* ſanguis, tam diu viget valetque corpus totum, ſimul verò atque deficit vel degenerat, ſparguntur morborum ſemina, pernicioſos fructus tandem germinatura.

Theſis 6.

Dependet namque ab hac craſi ſanguinis naturalis fermentatio ejus, ſeu iſte motus inteſtinus & agitatio particularum minutarum, imprimis *ſalium urinoſi & acidi volatilium* ſanguineam maſſam componentium,

qua chylus aſſimilatur ipſi pro reſarciendis naturalibus & inevitabilibus ejus jacturis, & quo ſuccedente, ipſaque naturalis craſis etiam conſervatur. Vitiata ergo iſta craſi uti non rite fermentatur ejus maſſa, ita nec rite aſſimilatur chylus, ut ita magis magiſque à naturali deficiat craſi, tandem omninò inepta fiat, pro ſuſtinenda ulterius animalis vita. Ergo *morbi ſanguinis conſiſtunt in vitiata ejus fermentatione* ob læſa ſalia, unde *febres*, imprimis *malignæ*, *pleuritides*, *cachexiæ*, *icteri*, *ſcorbutus*, &c.

Annot. Pract. *Ex læſa ſanguinis fermentatione & vitiata ejus craſi quamplurimi Morbi in Maſſ. Sang. exſurgunt, quæ craſis cum dependeat primario à ſalibus, ob id etiam per Remedia virtute ſalina operantia curantur.*

Sic namque Febres ardentes, *benignè, ex acriori nimis ſal. volat. urinoſo oleoſo per Julepos blandè acidos curantur, qui ſal. volat. urinoſum corrigunt: item per interpoſita fixa Antimonialia; ut* Antimon. diaphor. Antihect. Poter. Corn. Cerv. ſeu Ign. Bez. Saturnial. *& ſimilia, quæ præcipitando nonnihil & ad diaphoreſin corpus diſponendo auctam efferveſcentiam corrigunt:* Sal. *item* præparat. *ſeu* depuratum *&* Sal. Antimoniat. *optima ſunt remedia in Febribus continuis ardentibus quatenus ſal urinoſum Bilis domant, coërcent ac figunt vid.* COLLEG. PRACTIC. cap. 16.

Quod ſi præterea adſit Malignitas, *modo dictis Sulfura Antimonial. ut v. gr.* Antimonii *cum volatilibus ut* Camphor. ſal. vol. CC. *&* Viper. *&c. adduntur, repetendo ſudores vide* COL. PRACT. Febres continuæ, lentæ, Catarrhales *ex lymphæ vitio oriundæ ſi fuerit Lympha acida per* ſuccinum *ejuſque* ſal. vol. Myrrham, Antihect. Poter. *& ſimilia curantur, promovendi ſudorem: ſi fuerit Lympha nimis ſalſa, ea quæ edulcorant ſunt uſurpanda v. gr. ex* Glycyrr. Ficubus, Jujubis, Hordeo, *&c. itē* Emulſionis Papaverinæ; *ipſum etiam* Opium, *& cum eodem parata* Pilulæ de Styrace. *Vid.* COLLEG. PRACT. c. 16. *& annotata Practic. in Collect. Phyſiol. Præced.*

FEBRES INTERMITTENTES, *in quibus primario læditur ſanguinis craſis ab acido & viſcido Chylo, vel alio modo vitiato, errore digeſtionis ſtomachi pronato: Curantur, præmiſſis* Vomitoriis *aut ubi opus fuerit Purgantibus, imprimis per ſalia, tam fixa v. gr.* Abſinth. cent. min. Card. benedict. *&c. & his cognatas terreſtres concretiones ut Ocul. Cancror. Conch. margaritifer. & ſimilia, quam volatilia ut Spirit. Sal. Ammon. & alia. Vid.* COLL. PRACT. cap. 16.

In Morbis Chronicis *v. gr. Scorbuto, malo hypochondriaco, & ſimilibus, vitiata ſanguinis ejuſque ſalium craſis, in quibus imprimis acidum vitioſum ſapore peregrino infectum peccare ſolet, corrigitur per vegetabilia, amara, acria & ſimilia quorum ſapor ſingularis à ſal. volat. oriundus corrigit iſtam vitiatam ſanguinis craſin: item tolluntur tales Affectus per temperata v. gr. per uſum* Lactis *per* Paſſulas *& ſimilia, quæ vitiatos ſapores obtundunt & ita Morbos corrigunt. Vid.* COLLEG. PRACT.

Theſis 7.

Læditur autem vel depravatur iſta fermentatio variis modis nunc cum quodam *exceſſu* & periculoſa quadam efferveſcentia, cujus ſignum ſunt pulſus magnus, celer, frequens, cum inſigni ut plurimum, corporis incaleſcentia, ſuntque ſemper *acuti morbi* nunc cum quodam *defectu*, unde pulſus parvus, tardus, rarus, & ut plurimum corpori deficit debitus calor, omneſque actiones torpent, ut in chronicis morbis præ cæteris apparet: nunc aliis modis eadem vitiatur, etiam in malignis admodum id quod tunc ſumma virium proſtratio teſtatur, unde pulſum inæqualitates inſignes, & multæ variationes dependent, corpuſque ipſum quoad alia accidentia diverſimodè afficitur, nunc calet, nunc friget, facies nunc rubet, nunc pallet, &c.

Theſis 8.

Omnes hæ fermentationis læſiones ex vitiata *craſi & proportione ac harmonia particularum* minutarum dependent *imprimis ſalium* ſive *à rebus non naturalibus* in ſe aſſumptis, ſive à *vitio hæreditario* ſit, qua ratione ſenes generant imbecilles & morboſos fœtus, ſive ab extrinſecus inſpirato quodam fermento peregrino, aut hauſto aliunde *contagio fermentativo* eodem oriatur. Si enim ſalia maſſæ ſanguineæ ab aliis nō rite contemperentur, exinde acriora, reddita violentius inter ſe concurrunt, & efferveſcunt ut in febribus ardentibus, item pleuritide, &c. Sin vero nimis eadem contemperentur & quaſi obruantur, quod v. gr. fit à chylo crudo nec ritè volatiliſato ſalino, qui tunc ut plurimum ferè *acidulus eſſe ſolet*, imminuitur fermentatio, ut in *cachexiis* tàm virorum quàm mulierum obvium eſt. Sin vero iſta ſalia à debita conſtitutione naturali declinent, ita ut alterum alteri nimis præponderet, fermentatio ferè *in totum aboletur*, dum ab *acido* coagulatur maſſa ſanguinea, ab *urinoſo* verò eadem diſſolvitur, ut experimenta infuſoria probant. Sin verò aliis modis, tùm inter ſe, tùm cum aliis particulis ſe commiſcendo depraventur, & quaſi *peregrinos ſapores* hauriant, *ſcorbutus*, *malum hypochondriacum*, *dyſſenteria*; *lues venerea*, *icterus*, &c. in promptu ſunt. Pertinent huc viſcerum imprimis ſtomachi *fermenta vitiata*, corúmque ſucci v. gr. bilis folliculi fellei, aut lympha pancreatica, corrupti, quæ hujuſmodi diſpoſitiones in ſanguine aut inchoant, aut inchoatas cum ex ſanguine fiant, fovent. De ſanguinis fermentatione vide VVILLIS *de Febribus* qui tamen aliquantiſper confuſus, item KERGERUS *de fermentatione ſect. 3. cap. 3. pag. 238. & ſequ.* SYLVIUS & *in diſſertat. & in ſpecie in ſua praxi, quam ferè totam ſuper ſalium concurſum & varias vitiatas efferveſcentias fundat*, ſed hæc infrà de cauſis erunt clariora.

Theſis 9.

Quod concernit *ſpiritus & alteram in iis radicatam morborum claſſem*, de influis, in ſpecie animalibus, res clara eſt, eos cum per motum imprimis animales adminiſtrent functiones, nunc *torpidos* nimis eſſe, & minus moveri, quando ipſi minus ſubtiles aut minus volatiles exiſtunt, ſive ab internis cauſis v. gr. lethargo & catalepſi tales fiant, ſive ab externis opiatis aut narcoticis ſimilibus vel aſſumptis vel applicatis tales fiant: nunc verò iidem *nimis mobiles & nimis* agiles exiſtunt, adeò ut à quacunque agitati cauſa in impetuoſos & exorbitantes erumpant motus, qualis v. gr. in *deliriis febricitantium* aut *phrenitide* correptis, item in *Epilepticis* aut ſimilibus *convulſivis paroxyſmis*.

Theſis 10.

Quod verò attinet ad *ſpiritum vitalem imprimis* inſitum, hujus morbos ex vitiatis ideis ſunt qui deducunt, ut ſicut per ideas ſeminales dirigantur ejus operationes naturales, ita ab iiſdem *peregrinis & morboſis* perficiantur actionum depravationes præternaturales; ſive tales *morboſæ ideæ ab extra adveniant* & communicentur per venena imprimis, & per morſum animalium venenatorum, ut viperæ, aut rabidorum, ut canis, ſive *intra* ab ipſo Archeo ſeu ſpiritu inſito & à cauſis occaſionalibus morborum in furorem & diverſas paſſionum exorbitantias acto, cudantur & generentur. Ut per exempla res fiat clarior, *canis rabidus* morſu vel ſaliva hominem ſimiliter reddit rabidum, ut non tantum ſe in canem mutatum exiſtimet, unde omnes canum actiones imitetur, ſed præterea in urina talium ægrotorum catulorum ſimulacra appareant, propter ideas ſcilicet canis ſeminales in ſaliva ejus ſigillatas, & per morſum in corpus humanum traductas, quæ ideæ confuſæ in corpore ſuo tempore evolutæ archeum ſeu ſpiritum inſitum adeo determinent, ut

homines

homines tantum non in canes mutati appareant, præ-tereáque canum corpuſcula ſecundum ideas iſtas in lotio formentur. Has ergo peregrinas ideas delere & per conſequens morbum curare modum docuit experientia,ſi ſcil.tales rabidi ex improviſò aliquoties ſubmergantur in Aquis, ibique aliquandiu detineantur; ſic enim pavore mortis & inde concepta idea fortiori omnes iſtæ peregrinæ delentur & quaſi abſterguntur, ut in poſterum Archeum determinare nequeant: ſimiliter dens dolet ex furore ſpiritus inſiti concepto ob acidum vitioſum dentis radicem vellicans, curatur hic admotione *oſſiculi bufonis* ab homine violenter interfecti, idea namque ingentis pavoris in bufone moriente etiam, oſſium Archeum ſignat, cujus pavido ideæ ceu contrariæ intuitu archeus furens dentis omnem ſubito exuit furorem, & quaſi perterritus ab omni impetu quieſcit, & ita dolor ceſſat. Sed de his archealibus morbis ex ideis morboſis videndus HELMONT in ſuis ſcriptis, item MARCUS MARCI *in philoſoph. veter. reſtituta*, qui omnia venena item vulgo occultarum qualitatum dictos morbos, item actiones ſympatheticas, & curationes per magnetiſmum & tranſplantationem per tales ideas deducunt, quæ tamen eo fine adjecta volo, non quaſi ea approbem, ſed ut vobis occaſionem ſubminiſtrem in ea ulterius inquirendi.

Theſis 11.

Partes Corporis Organicas non eſſe proprium morborum ſubjectum ſupra monitum: ſed earum defectus eſſe impedimenta tantum actionum, non verò morboſas læſiones: in his duo conſideranda, 1. *materia* ex qua coaleſcant, 2. hinc ſuperinducta certa *conformatio*, qua in ratione organi conſtituuntur. Quoad materiam hujus varia textura diverſos modos ſenſiles in mollitie, tenacitate, duritie, colore, craſſitie, &c. partibus tribuit. Cum vero nulla materia ſit ſine extenſione ſeu quantitate, hæc ipſa vero neceſſariam inducat figuram, ſecundum quam materia dicitur organica, quatenus à figura ſeu materiæ conformatione habet, ut inſtar inſtrumenti ſeu organi alteri inſervire poſſit, ex læſione iſtius requiſitæ figuræ morbi oriuntur, quos vocant organicos, qui in triplici ſunt differentia, aut enim vitiatur *longitudo* ſecundum lineam aut rectam aut curvam, unde pars vel nimis longa aut nimis curta, vel vitiatur *latitudo*, unde pars vel nimis craſſa vel nimis tenuis, vel vitiatur *profunditas* quæ vel ſolida vel concava, unde cavitatum & meatuum dicti morbi, quibus ceu generale ſolidarum partium requiſitum nempè legitimus ad ſe invicem *ſitus & mutua connexio* accedit, unde & hoc vitiatum operationes machinæ corporeæ non leviter lædit. Sed de his videantur inſtitutiones Autorum.

Theſis 12.

Partibus his ſolidis ratione *materiæ ex* qua conſideratis tribuuntur vulgò morbi; *intemperiei & occultarum qualitatum*: de quibus vid. Autorum inſtit. INTEMPERIEI quod attinet ad MORBOS,hi revera nihil valent, nam duo eorum fundamenta 1. *de* concurſu quatuor *elementorum* in miſto, & ex horum *qualitatibus quatuor primis* orta temperies omnium corporum & corporis partium. 2. *de monarchia caloris* innativi omnes functiones ſi non ſunt falſa, ſunt admodum dubia, & à nemine adhuc probata. Hæc viſcerum temperies omnino dependet *à ſanguine & ſpiritu vitali*, qui æqualiter per ſua vaſa juſtitia diſtributiva in partes effuſus & circulatus, ipſis debitam largitur temperiem, unde eodem æſtuante in cauſo, & totum corpus ardet, eodem verò in ſenibus deferveſcente, totum corpus ſimiliter tepet, unde & piſces ad tactum frigent, dum ſanguis eorum & cor actu in iis viventibus frigeant, non minus quam in ranis. Officium vero quod *temperaturæ* adſcriptum fuit olim nunc imprimis *fermentis & fermentationibus*, tranſmutationum autoribus tribuendum. Calorque partis tantum diſpoſitivè, non effectivè ſe habet in operando. *Occultarum verò qualitatum morbi* quid ſint adhuc ab ipſis defenſoribus eorum ignoratur,ob id enim ab occultis,id eſt, incognitis cauſis deducuntur: qui tamen ab aliis *per fermenta* exotica, Maſſ. Sang. turbantia, ac aliis vero per *ideas peregrinas* explicantur.

Temperies *aut* Intemperies *partium corporis dependet radicaliter à varia atque diſtincta ſanguinis craſi; quæ prout variat etiam corporis ac aliarum omnium partium calor, frigus, humiditas,ſiccitas, durities ac mollities, aliæque ſimiles proprietates ſunt variæ.* Annot. Pract.

Unde dum in Febre ardente *ſanguis ex aucta ejus efferveſcentia impenſius calet,totum etiam corpus omniaque viſcera ſimul ardent: Econtra vero,dum in* Cachecticis *Maſſ. Sang.ex imminuta fermentatione tepet,etiam corpus univerſum minus calidum ſentitur.Calor autem ſanguinis major ut plurimum ex ſal.volat, ſeu bile oritur: niſi in Febribus cum inflammationibus partium conjunctis, v.gr. in* pleuritide, inflammatione Hepatis,Eryſipelate *& ſimilibus acidum vitioſum ſanguinem coagulans & ad ſtagnationem indéque ortam inflammationem diſponens, ex vitioſa cum ſal. volatil. efferveſcentia in ſanguine talem ardorem febrilem infert.*

Unde etiam hæ Febres cum Inflammationibus *conjunctæ per ſudorifera curantur; uti ſunt* Antimonium diaphoret. maxillæ Luc. piſc. dens Apri, Priap.Taur. Cerv. &c.

Hac ratione etiam Lactuca, Endivia, ſerum Lactis, Semperviuum & alia Refrigerantia dicta, alkali volatili blando conſtantia, phlogoſes & incaleſcentias ab efferveſcentia acidi ortas corrigunt & ita per accidens refrigerant.

Per ſe autem Intemperiem calidam corporis corrigere ac refrigerare ſolent imprimis Acida, quatenus bilem ſeu ſal. volatil. oleoſum præcipitant ac corrigunt, & blande ſanguinem in inſpiſſando ſeu coagulando, nimias ejus efferveſcentias compeſcunt.

Talia ſunt Succus Citri, Ribium, Berberum, Granatorum, Acetoſ. & Tamarind: & ſimilia, item Tinctur: Acidulæ Flor. bellid. papav. rhæad. roſar. &c.

Facit huc elegans Roſarum Tinctura ZVVOLFER. *quam parat cum ſero lactis acidulato cum pulpa Tamarindorum, menſtruum hoc affundit floribus Roſarum, & elegantem acquirit Tincturam, blandè refrigerantem & laxantem, loco Julepорum in* Febr. ardent. benignis *uſurpandam: in quibus ex tempore tales Tinctura tanquam Julepi hoc modo præſcribi poſſunt.*

℞. *Flor. Bellid.*
Papav. rhæad.
Roſar. an.p.ij.
irrorent. c.ſ. q.
Spir. Vitriol. vel Sulfuris.
infund. in
Decoct. Hord. ſimplic. ℔jß.

vel loco hujus in Aqua deſtill. papav. rhæad. Taraxac. ſcabioſ.&c. ſtent in Mariæ Balneo per. hor. donec extrahatur Tinctura quæ filtretur, cui adde.
Sirup. de rub. Idæo.
Iujub. an. q.ſ. S. Iulep: refriger.
hauriend. ſubinde in Febribus ardent.

Faciunt huc etiam ſpir. acidi Mineralium,Tam ſimplices,ut Sulfur.Vitriol. Nitr. Salis, quam compoſiti Clyſſi *dicti: quo etiam pertinent* Epaticum dictum rubeū,*egregium Maſſ.Sang.non autem Hepatis refrigerativum.*

Sic Paſſullæ *temperatæ optimum dicuntur Hepaticum & reſtaurativum Hepatis, cum tamen potius conducant quatenus temperata ſanguinem in æquali craſi conſervant, ejuſque vitioſos & exceſſivos ſapores ita corrigunt & emendant ſimulque acrimoniam ejus ſalſam temperant, non vero quod Hepati conducant.*

Aliàs enim uti Stomacho, ratione fermenti ſui ſalinoacidi, acida imprimis conducunt, ita Amara imprimis ſunt Hepatica,ſeu Hepati amica v.gr. Abſinthium, Cent.

minus & ſimilia, cum balſanum Hepatis nempè bilis ſit amariſſima, & talia amara, uti etiam Aromatica bilis proventum in corpore augent.

Quodſi interdum fiat ut in parte quadam particulari ſingularis ardor & calor exſurgat, hæc fit aut ex vitioſa ſuccorum confluentium effervescentia, ut quando interdum ſub hypochondrio dextro ardor percipitur, tunc vitium eſt in vitioſa effervescentia bilis cum ſucco pancreatico: aut cauſa eſt vitium quoddam in parte ratione cujus ſanguis copioſius affluit, ibidem diutius hæret, & ita calorem intenſiorem inducet, v. gr. ex ſpina digito infixa inſignis ardor & incaleſcentia in digito oritur, quia ex ſpina infixa indéque orto dolore ſanguis uberius affluit, ſtagnat, & ita iſtum ardorem inducit, & hæc ſunt refrigerantia.

Calefacientia *econtra ſunt omnia volatilia acria & aromatica, quæ ſanguinis fermentationem augent, & acidum temperando, bilem ſeu ſal. volatil. oleoſum ſanguinis copioſius reddunt, qualia ſunt omnia aromata v. gr.* Piper, Cinamom., Galang *item his cognata* Hyſſop. Menth. Salv. Roſmar. Abſinth. *&c. item* ſpirit. volat. ardent. Vini. Cochlear. Aniſ. *ac denique* ſpirit. urinoſi Sal. Ammonic. Corn. Cerv. *ac ſimiles.*

Theſis 13.

Per TEMPERAMENTUM autem quid revera intelligendum ſit, optimè explicari videtur MARCUS MARCI *in Philoſoph. veter. reſtit p. 2. ſect. 4. p. 133.* dum inquit; per temperamentum intellige non primas qualitates, aut harum ſymmetriam, verum conſtitutionem cujuſque radicalem, ex qua velut effectus procedunt dictæ qualitates: cujus potiſſima vis *in ſanguine*, qui eſt proximum ſubjectum animæ ac primum vivens, cujus gratia corpus univerſum videtur factum, vitamque ex eo participare. HUMIDUM verò RADICALE aut ſanguis eſt, ut vult HARVÆUS, aut certè in eo radicatur, & corpus ſanguine deſtitutum confeſtim friget, nihilque in eo manet de temperamento. Sed & ſanguis ex ſe calidus extra venas mox refrigeratur, unàque cum vita ſuum temperamentum exuit. Hæc MARCUS MARCI, Ineſt ſcil. in omnium animalium ſanguine (ſicut in omnibus miſtis) ſua determinata *craſis* in ſemine radicata & in corpus inde genitum neceſſitate ſeminali propagata.

Theſis 14.

Decantata iſta INÆQUALIS INTEMPERIES, *ſtomachi nempè frigida, & Hepatis calida*, quæ à Scholis quam plurimorum morborum chronicorum habetur focus, & origo, reverà nihil aliud eſt, quam *depravatio fermenti ſtomachici*, quia iſtud nimis *acidum* nec ſatis volatile exiſtit, ſæpius cum muco vel materia viſcida in ſtomacho & inteſtinis ſtabulante junctum. Tales namque ægri conqueruntur imprimis de ructibus acidis. 2. laborant apepſia ſeu digeſtionis defectu. 3. acida eos lædunt. 4. quæ evomunt cum levamine vel per artem vel per naturam ſunt acida aquoſa & viſcida. 5. tormina inteſtinorum à pituita acida eorum parietibus agglutinata cum flatibus conjuncta, his ſunt frequentia. 6. medicamenta quæ hæc mala curant ſunt vel quæ acidum abſorbent ut Martialia & Saturnina vel quæ idem corrigunt & immutant ut ſalina tam fixa quam volatilia & ex vegetabilibus amara, v. gr. abſinthium, cochlearia, aromata, ſpir. ſalis amoniac: ſal abſynthii, artemiſiæ, &c. nam licet dicant alia habere vim calefaciendi ſtomachum, hoc tamen falſum eſt, nam operantur tantum per ſalſum volatile & acre, quod neque calidum neque frigidum in ſe, ſed tantum per appropriationem in noſtris partibus ab iis exſuſcitatur, nam ſanguis æqualiter circulatus per ſua vaſa & viſcera omninò partibus debitam largitur ſic dictam temperiem, diſtributus ergo tàm in ſtomachum, quam hepar, & non impeditus eodem modò calefaceret ventriculum quam hepar, adeóque hæc viſcera in proportionata conſiſtent temperie.

Theſis 15.

Cæterum ut hæc exactius intelligantur, diſtinctio obſervanda eſt inter MORBUM IPSUM & inter PRODUCTUM MORBOSUM in corpore vi morbi per degenerationem materiæ pronatum, v. gr. *calculus* ipſe in ſe non eſt morbus, ſed orta iſta ametria ſalium, qua eadem facilè ſe mutuo coagulant eſt morbus, *lithiaſis*, cujus productum eſt calculus. Et cachecticorum tumidi pedes non ſunt, morbi intemperiei humidæ, ſed ſunt tantum producta morboſa *cachexiæ*, vitio ſanguificationis ex deficiente & depravata fermentatione ſanguinis enata: Sæpius tam in *quartana*, quam *malo hypochondriaco*, & *ſcorbuto* lien inflatus tumidus imò non rarò ſcirrhoſus deprehenditur, unde vulgo ipſum malum derivatur, cum tamen talis ſplenis affectus potius ſit productum morboſum, talibus affectibus inveteratis digeſtionum vitio ſuperveniens, quam radicales eorum cauſæ. Talia producta merito etiam cenſentur incaleſcentia & refrigeratio tam univerſi corporis in FEBRIBUS quam particulares quædam partium *incaleſcentia & phlogoſes.*

Theſis 16.

Inter conformationis organicæ læſiones præ cæteris frequentes admodum numerantur *obſtructiones & oppilationes* tàm in Schola Galenica quam Paracelſica, illa accuſante pituitam craſſam aut humorem melancholicum, hæc vero Tartarum diverſimodè coagulatum; ſed ſi rectè rem penſitamus, tales obſtructiones Meſenterii, hepatis, lienis, pancreatis, &c. inde ortæ humorum ſtagnationes & putredines, quæ tantum omnium morborum, in ſpecie febrium tàm intermittentium, quàm continuarum, mali hypochondriaci, cachexiarum, icterorum, &c. ſtatuuntur cauſæ, ſæpius ignorantiæ ſunt aſyla. Unde & non pauci Practici dubitent valdè, an re vera dentur tales viſcerum imprimis meſenterii obſtructiones, de quo vid. HOMBERUS *Hercul. Medic. p. 139.* HORST. *obſerv. lib. 4 pag. 239. & 240* aut ſi reperiantur nonnunquam an eædem ſint adeò frequentes. In iis certè vaſis aut viſceribus quæ continuus liquorum tranſitus abluit, v. gr. Venis & Arteriis, vaſis lymphaticis item & lacteis, hepate, liene, obſtructio talis fieri nequit ſine liquoris contenti reſtagnatione & collectione, hinc vaſis laceratis *extravaſatione & tumore*, qui obſtructiones veras *inſequitur neceſſario.* Obſtructis ſic vaſis ſanguifluis, indéque ſanguinis impedito motu plus minus, inflammatio partis accidit, impedito verò à tali obſtructione lymphæ motu, hydropes particulares v. gr. hydrocephalus, hydrocele ſunt in promptu.

Theſis 17.

Interim univerſaliter non negandæ obſtructiones, ſed abuſus tantum rejiciendus & falſo iis ſuperſtructis morbis aliud inveſtigandum fundamentum & in quibus repertæ interdum obſtructiones, non tam radix ſunt talis morbi quin potius ejus productum morboſum. Nam & ductus cholidochus non minus quam Pancreaticus ſæpius reperiuntur infarcti, tubuli renum itidem, & oſcula lactearum ubi hiant in inteſtina obſtructa cæliacum dent morbum. Meſenterii quoque obſtructionum exempla recenſet HORSTIUS *c. l. p. 240.* & ſcirrhi per ſe enati eandem cognoſcunt originem, dum ſcilicet in porulis viſcerum aut partium, circa capillaria vaſa humores quidam crudi ſtagnant, unde viſcera ſenſum intumeſcunt & inſtar ſpongiarum inflantur, qui viſcidi humores ſucceſſivè indurati, in ſpecie *ex acore vitioſo eos ut plurimum impragnante & coagulante* tumores tales duros & tactui renitẽtes conſtituunt, qui in partibus ſanguineis ſcirrhi in ſpermaticis nodi & tophi, in glandulis verò peculiari nomine ſtrumæ ſeu ſcrophulæ appellantur.

Theſis 18.

Quid autem de morbis ex obſtructionibus vulgo derivatis habendum ſit malo verbis LINDANI in Collegio privato Maſſ. Sang. ſuper HARTMANN. *praxin cap. 166. §.2.&3.* declarare. Credite hoc mihi (faciet vos praxis videre,) illi morbi & vitia, quæ paſſim attribuuntur obſtructioni meſenterii ſunt revera effecta ventriculi imbecillis, & non bene habentis, laborantis cruditate vel corruptione, imprimis ſæpius in hoc caſu acida peccant. Revocate hoc ad animum qui Praxin aggredimini, utinam hoc Medici diſcerent ut poſtquam tot purgantibus nihil profecerunt cogitarent non eſſe obſtructiones meſenterii, dein poteſtne aliquid magis inſanum eſſe, quam velle tollere obſtructiones purgantibus: quomodo enim intrare aut remeare poſſunt per obſtructas vias: præterea in cadaveribus nunquam reperietis obſtructiones, niſi ſimul ſcirrhum & corpus longævitate emaciatum; Ubi totus ſanguis mirè corruptus, ſcirrhum meſenterii & obſtructionem generat, quid igitur purgantia poterunt? Corrigite, roborate ventriculum, corrigetis omnem obſtructionem, tolletis omne malum. Natura cautè ſatis providet ne vaſa meſaraica poſſint obſtrui: ſcilicet accuratiſſimè filtrando chylum per filamenta bombicina, unde videmus chylum per venas lacteas inſtar limpidæ aqueæ & aëreæ materiæ tranſire adeo ut potius ſpiritus lacteus tranſeat, ſi ita loqui liceat quam aliquod corpus. At vero quomodo ibi fieri poterit obſtructio, præſertim cum pateat, minores ramos deſinere in ampliores, atqui obſtructio metuenda, ubi ex majori in minus vas defertur. Ergo tales obſtructiones, affectos melancholicos, hypochondriacos, &c. curo curato ventriculo. Rem ſane ita ſe habere quotidiana confirmat experientia, hinc præmiſſa vomitoria & propinata poſtmodum medicamenta *ſalina volatilia & aromatica*, ſimiliaque aut alia acidum vitioſum tàm ſtomachi quàm primarum viarum abſumentia, perfectè curarunt tales morbos, imprimis Martialia.

Theſis 19.

Tandem inter ſolidarum partium affectus unus eſt maximè frequens & non rarò periculoſus nempè *Atonia*, ſeu *deficiens tenſio aut robur*, de quo tamen apud Autores altum eſt ſilentium. Cum enim omnes ferè partes in ſpecie nerveæ, conſtent fibrillis nerveis, eorum ſubſtantiæ diverſimodè intertextis, quarum tenſiones & retentiones & propulſiones humorum fiant, quas aliàs facultatibus attractrici, retentrici, & expultrici adſcribunt, & ipſæ partes certum robur & firmitudinem obtinent, quæ *tonus partium* vulgò dicitur: ita ſi fibræ iſtæ à tenſione remittant, *pars atonia* laborat, ejus robur perditum eſt, eáque flacccida & mollis ad quamcunque motionem obeundam inepta exiſtit, ut v. gr. tono ventriculi laxato ſeu læſo, ingeſta cum ſonitu tanquam in vacuam lagenam decidunt, eáque non raro leviter aut nullo modo immutata non tàm expelluntur per inteſtina, quàm ſponte in eadem dilabuntur, imprimis ſi liquida.

Annot. Pract. ATONIA PARTIUM *ſeu reſolutus partium Tonus à præternaturali fibrarum laxitate & flacciditate oriundus, curatur imprimis per* Adſtringentia, *nervinis aromaticis permiſta, v.gr. inter Adſtringentia ſunt* Cydonia *eorúmque ſuccus, item* Terra ſigillat. bolus Armen, *imprimis ſi ſpiritu Vitrioli irrorentur, unde & Liquor ſtypticus eſt adeo potens adſtringens, facit huc etiam* Tinctura Mart. adſtringens, *item* Tinct. Sulfuris Vitrioli. *Ex Coralliis & Hæmatite parata remedia tam Corallia præparata quam Syrup. Corallior.* QUERCETAN, *quam Tinctura Corallior. item Lap. hæmatit. præparat. & Tinctur. ejus egregiè adſtringunt, facit huc & ipſe Hæmatites artificialis ex ſacchar. Saturni & Vitriolo Martis parandus, ad hæc adſtringentia imprimis* Alumen *pertinet, quod internè aſſumtum partes laxatas mire reſtituit ſimulque Maſſ. Sang. coagulat.*

His adſtringentibus ſubinde Nervina *adjungenda, quæ fibras reſolutas ſimiliter reſtituunt; ſive externè ſub Fotuum forma aut Cataplaſmatum, aut Inonctionum applicentur, ſive internè adſtringentibus permiſceantur. Sic notum eſt quod Cataplaſma ex fermento cum aromatibus ventriculi Tonum laxatum reſtituat: item quod Fomenta ex decocto Roſmarin. Chamomill. Puleg. Origani, Salviæ, &c. Tonum partium à frigore læſum, aut nimia humectatione labefactatum reſtituant: Oleum item nuc. moſchat. tam expreſſum quam deſtill. item Oleum Caryophyllor. externè inuncta Atoniam curant.*

Internè ad reſtituendum ventriculi robur ſit hæc Formula ex adſtringentibus & aromaticis miſta in Lienteria *aut ſimili morbo proficua.*

℞. *Aqu. Menth.* ℥ij.
Cinam. ℥j.
Succ. Cydon, ʒvj.
Elix. Menth. ʒiij.
Alum. crud. gr. vj. vel ℈ß.
Oleum deſt. Caryoph. gt. iij.
Sirup. Corall. Quercet. ℥j.
miſc. F. potus adſtring. & confort.

Theſis 20.

Atonia hæc diverſas poteſt habere cauſas, præ cæteris etiam eſt nimis violenta *partis extenſio*, qua fibræ nimis extenſæ & quaſi nonnihil laceratæ in naturalem tonum ſe iterum contrahere nequeunt v. gr. ex nimia retentione & coacervatione urinæ læditur interdum ejus excretio, quia fibræ veſicæ nimis extenſæ ſe contrahere nequeunt, vel ſpirituum *animalium* defectus à quorum copia & expanſione ſpaciola aliàs repleta & expanſa in continua tenſione fibras conſervant; vel denique nimia fibrillarum à ſero ſanguinis ſuperflua lympha, aliove tenui humore, qua fibrillæ flaccidæ & laxæ fiunt nimiſque contrahibiles & tenſiles.

Theſis 21.

Ad fermentativos morbos *contagioſi* quoque & *Epidemici* pertinent morbi, quia ab *Effluviis fermentativis* cum Maſſ. Sang. permiſtis, ſuamque, ibi tragædiam ludentibus proficiſcuntur. *Contagioſi* quidem ſi ab alio ægro procedat iſtud fermentum; ſimilem fermento inducens ægritudinem: *Epidemici* verò, ſi iſta effluvia vel in aëre ſparſa vel cum alimentis ingeſta fermentationes morboſas inducant. Vid. SENNERT. *lib. de febrib. lib.4. cap.3. de Contagio. Contagium* enim eſt inſtar particulæ fermenti paniſicis quod à fermentante farinacea maſſa deſumptum, alteri farinaceæ maſſæ additum, eam fermentat: *miaſma verò Epidemicum* eſt inſtar effluviorum florentis vitis in agro à qua vinum cellâ contentum turbatur & fermentatur.

Quod attinet ad MORBOS CONTAGIOSOS & EPIDEMICOS, *horum* Curatio *conſiſtit imprimis in ablatione fermenti morboſi & ſedatione obortæ inde in ſanguine fermentationes: faciunt huc optimè* Sudorifera præcipitantia, *quibus tamen quantum fieri poteſt ſemper admiſcenda ſunt ſpecifica, fermento morboſo contraria, ſic enim in* lue Venerea, *talia ſudorifera ſunt imprimis ex lingui. in* Peſte *talia ſudorifera ſunt ex Sulfuribus mineralium in ſpecie Antimonii cum ſal. volat. & camphora miſtis: in* Dyſſenteria Epidemica *ſudorifera optima ſunt Opiata, aut loco horum Theriaca cum pulvere Oſſ. humanor. & Hepat. viperar. Quodſi à fermento maligno jam inducta ſit alteratio morboſa in Maſſ. Sang. & huic appropriatis poſtmodum erit occurrendum,* Annot. Pract.

Theſis 22.

Miaſmata hæc morboſa, ut varii ſunt generis, *de ſalium tamen natura multum participare*, eaque eſſe ſalina multa perſuadent, adeo ut ob id etiam *ad ſalia volatilia* eadem reducat SIMON PAULI *digreſſione de febribus*, non tamen omnia erunt ejuſdem naturæ ſeu conditionis, quin potius quædam *de ſale vol. urinoſo* ut in Peſte, febribus peſtilentialibus, petechialibus, quædam *de ſale vol. acido* v. gr. in dyſſenteria Epidemica, variolis, lue Venerea, &c. participare videntur. Fermenta hæc morboſa non ſunt *ejuſdem poteſtatis*, quin unum citius & potentius v. gr. Peſtis, alterum tardius & debilius v. gr. lues Venerea, ſe exerit. Diverſitatis ratio inter alias non eſt ultima convenientia ſubjectorum; quoad craſin in maſſa ſanguinea hinc enim eſt quod inter conſanguineos ſimilitudo craſeos ſcilicet naturalis conſtitutionis aptiores eos reddat, ut facilius unus alterius ſuſcipiat morboſum effluvium. Singulare quid hic obtinet in rabie canina cujus contagium ad aliquot annos ſæpè in corpore latet, poſt morſum ſepultum, ſed etiam quod ipſum adjuncta quadam idea contagioſa Archeum in mores caninos tranſplantare videtur. Pertinet huc & *Tarantiſmus* cujus morboſa ſemina toto anni tempore latentia, tantummodo eo tempore quo à Tarantula primo demorſus fuit, evigilant & ſe exerunt.

Theſis 23.

Per conſenſum morbi oriri & una pars ab altera affici dicitur, quando una parte p. n. aliquid ſentiente, altera etiam ſentit, atque idem aut diverſum quid patitur, unde *ſympathia* etiam dici conſuevit. Fundamentum hujus conſenſus conſiſtit *in connexione partium nervoſarum* ſeu *continuæ* eædem ſint, qua ratione in imminente vomitu, tremor labii inferioris contingit, quia intima membrana ſtomacho, gulæ & oris cavo ad labra uſque continua eſt, ſeu *contiguæ*, qua ratione qui ſtranguria laborant, etiam ſæpius ad alvum exonerandam ſtimulantur; ſeu per nervorum tantum *intermedios funiculos* conjunctæ, qua ratione dolores renum ex calculo comitantur, tormina ventris, vomitus, dyſuriæ, &c. ob nervulos ex plexu nervorum meſenterii communi ad omnes has partes derivatos, iſto ergo renali nervo plexu viciniori, ex dolore in convulſivas criſpationes irritato, reliqui ex eodem plexu ſimiles convulſiones patiuntur. Sunt enim *nervoſæ partes*, quæ propriè conſentire dicuntur: quoniam earum ſtructura eſt talis, ut inſtar chordarum vel membranarum tenſarum ſpiritibus animalibus imbutarum, hinc inde ſint contextæ aut connexæ: unde tali chorda vel membrana in altera extremitate compulſa aut illiſa, tàm ex continuitate tenſionis & hinc vibrationis, quam ex rapidiſſima ſpiritus animalis in parte impulſa agitatione & motione ſecundum partis talis nervoſæ continuitatem aut contiguitatem omnis iſte contextus, & connexus ſimiliter movetur: hinc punctis cerebri membranis, totum ſæpe corpus paroxyſmo Epileptico convellitur; teſte SCHENIDER *de Catharris*, & irritata narium intima membrana thorax convellitur, unde ſternutatio, ob nervorum ad membranam hanc tendentium, cum nervis intercoſtalibus orta connexione de qua vid. VVILLIS.

Theſis 24.

Sunt hi veri partium conſenſus: quod ſi verò fiat ut per ſanguinis circulationem excrementa vitioſa ex una parte in aliam transferantur & ita poſterior afficiatur, non poteſt propriè conſenſus appellari, ſed eſt tantum *metaſtaſis* materiæ morbificæ & morbus per deuteropathiam non per ſympathiam. Quædam aliæ alterationes huc etiam pertinent in corpore obviæ, ad conſenſus vulgo vocatæ, *cum vel ex alterata tota maſſa ſanguinea*, vel ex *imaginatione* indéque vario ſpirituum motu, aut *alia ratione* dependeant. Pertinet huc v. gr. conſenſus teſtium cum Pulmone & aſpera arteria: nam & tuſſis pulmonum in tumorem teſtium non rarò mutatur, & ex teſtium virilitate inſpirata ſub pubertatis annis alterata trachea arteria vocem graviorem & magis ſonoram reddit: teſtes iidem immiſſi cum ſcroto in certum oleum ex radicibus nucis juglandiis parandum, capillos canos denigrare, denuo refert SCHENCK. *lib.* 1. *obſ. pag.* 4. Epithema ex ſucco ſempervivi maj. cum aceto & nitro teſtibus applicatum, fortiſſimam etiam ebrietatem citò diſſipat. Pedum plantæ refrigeratæ ambulando ſuper pavimentum lapideum, aut alvum laxant, aut ventris tormina inferunt, quibuſdam caput dolere faciunt. Mammarum cum utero conſenſus in omnibus decantatus cum iſtis contrectatis, puellarum uterus pruriat. Mulieribus frequentes ſunt in occipitio dolores frigidi, quaſi glacies ibidem jaceret, qui à Practicis utero malè habenti aſcribitur, & hoc curato dolor evaneſcit.

Theſis 25.

Morbos inter connatos primatum obtinent HÆREDITARII dicti ſeu *parentibus talibus affectis* in liberos tranſplantati morbi, qui tantum ſunt iſti, qui fixas habent radices, *chronicique ſunt*, & difficulter curabiles, v. gr. *lithiaſis*, *arthritis*. Quod attinet horum cauſam ea non minus adhuc in obſcuro poſita eſt, quam ipſa generationis ratio. Nam materiale aliquod *fermentum*, aut quidam ſecundum PARACELSITAS, *morboſus Tartarus*, aliudve in ſemine ſanguinéque reſidens *materiale* horum morborum cauſa eſſe nequit, quod nihil materiale poſt coitum in utero remanere ſoleat: aut ſi quid remaneat, directore tamen opus habebit, quid id ad tàm determinatam partem dirigere valeat, & qui lithiaſeos ſeminarium renibus, podagræ articulis infigat: aut ſi tale aliquod eſſet fermentum materiale, cur non pater v. gr. nodoſus ex podagra, ſimiliter generaret filium, in cujus articulis ex fermento jam coagulati eſſent ſimiles nodi. Ad hæc ſimiliter per *lac nutricum* hæreditarii ſimiles infunduntur morbi, quale exemplum de lithiaſi à nutrice infantem tranſlata. Vid. HELMONT. *pag.* 623. *Tract. Infantis nutritio ad vitam longam.*

Theſis 26.

Hic ergo HELMONT, ut in aliis morbis ita & hic ad ideas ſuas dilabitur. Mens ejus eſt hæc: Cum morbi parentum chronici v. gr. podagra, graviter afficiat eorum ſpiritus, hinc ex dolore vel alia ratione in his producitur character idealis, iſtius affectus; quæ morbi idea in ſpiritus characteriſata in generationis actu unà cum ideis naturalibus traducta, cauſa ſit morbi hinc tandem ſubnaſcentis hæreditarii. Statuit enim HELMONT, latere morbum à parentibus traductum charecteraliter in vità mediâ archei ſeminalis, cujus ſigillum in ſemine parentum antea depictum ſua dierum ſubmaturitate erumpit: Sigillatus hic in ſpiritu ſeminali character tamdiu dormit, & ſui maturitatem expectat, donec à cauſa quadam occaſionali expergefiat, ſuaſque jam olim conceptarum imaginem explicet ideas. Vid. *invent. Tartari* §. 21. item *morb. Archeal.* § 15. *volup. vivent.* §. 7. 8. qui characteres citius vel tardius evoluti, & clarè explicantes ſuas ideas, citius vel tardius vehementiorem vel debiliorem inducunt morbum. Cum per conceptam libidinis imaginationem, natura ingenti fermentatione concitatur fit, ut anima deſiderio generandi veluti turgida Archeo quaſi generationis executori demandet cum vitali radio totius hominis imaginem: quæ ipſa dum quãdam totius generantis omniumque ejus partium Ideã, potentiali quadam ac chaotica confuſa veluti ſpiritualitate in ſe contineat quendam etiam veluti characterẽ morborum

morborum in generantibus præſentium ex præternaturali generantis infirmitate conceptum neceſſario ſemine communicabit, per curſum formationis explicandum. Hoc igitur Characteriſmo inſignitus Archeus ſeminalis, à qua uteri Contagii forma, attractus, quem aliàs vim Plaſticam nominare conſueverunt, tamque generationis ſeu formationis executor & rector ſe ipſum tandem veſtit corporali materiæ in ovo Uterino amictu, ſtatimque veluti perambulat ovi iſtius uterini latebras omnes incipit materiam transformare juxta imaginis ſuæ potentiam: hic cor locat; ibi cerebrum deſignat, omniaque membra pro conceptæ Ideæ ſcientia fingit ac depingit optimus domicilii ſui Architectus, quin & ipſe jam meticuloſas, nunc audaces fœtui communicat impreſſiones. Quod ſi itaque Phthiſica exulceratione debilitatus ſit Pulmo, conceptam etiam hanc in ſimul debilitatis ſimilitudinem in Pulmonum Fabrica molitur. Sic mutos, ſic ſurdos, &c. ob delectum quaſi & abolitum totaliter horum Organorum robur fabricat. Ita m. Arthriticos ob debilitatem Articulorum quaſi ſimul generantium introducit diſpoſitiones, &c. Debilitate enim ſi infirmentur corporis humani partes, facillimo coctionum errore concipiunt & ipſo fabricantur cruditatum excrementa jamque quaſi aſſuetæ hiſce ærumnis facilius longè in paroxyſmos morborum recipiendas prolabuntur.

Theſis 27.

Tranſlationis hujus morborum idea modum clarius explicat iiſdem ex hypotheſibus NETTELBACH *diſſ. de Epilepſia cap.* 4. §. 4.

Theſis 28.

Tempora ſeu potius gradus morborum prout iidem exaſperantur ſenſim ſenſimque remittunt (in acutis imprimis obſervandi morbis) ita gradibus dependent fermentationis in ſanguine, quam & ſequuntur ſymptomata vel immediatè vel mediate & unde coctionis ſigna in ſalutaribus, crudelitatis verò in lethalibus ſe manifeſtant! vid. KERGERUS *de fermentat. ſ.* 2. *cap.* 5. *& ſ.* 3. *cap.* 3. Eſt enim coctio excrementorum morbificorum per fermentationem in ſanguine facta ſeparatio vel præcipitatio inſtar fecum vini per fermentationem ex eo ſeparatarum & præcipitatarum. Quorum excrementorum ſeparatorum pars à latice aquoſo abſorpta & per urinam excreta in fundo matulæ ſedimentum, exhibet, *coctionis* factæ ſignum.

Theſis 29.

Hæc morborum tempora *regulam & occaſionem* monſtrant legitimæ praxeos. Aphoriſmus enim Hippocrat. ſect. 1. aph. 22. *Cocta medicari oportet, non cruda*, non tantum de purgantibus ſed quacunque evacuatione ſenſili aut per urinas aut ſudores eſt intelligendus. Uti enim natura in ſtatu demum poſt coctiones, *criticas evacuationes* inſtituit ſuas, ita & Medicus circa principium & incrementum præcipitantibus imprimis, circa ſtatum verò ſudoriferis, &c. inſiſtere, ſicque Criſin negligere debet, *quia prævenire*. Unde etiam in principio & incremento generoſiora remedia l. ſudorifera vel purgantia ſæpè fruſtrà, interdum non ſine damno adhibentur, dum nondum ſeparata & præcipitata ſeu cocta ſunt excrementa. Et in ipſis malignis ſudorifera in principio *ſola* ſæpe ſunt nociva, niſi *præcipitantibus temperata*, v. gr. Theriaca l. Spiritus Theriacalis camphoratus eſt periculoſus; Spiritus vero vitrioli & tartari temperatus fit ſpecificum in peracutis *Paracelſi* ſeu Miſtura ſimplex: Hinc Tinctura bezoardica.

CAPUT II.

De cauſis morborum remotioribus ſeu rebus ſex non naturalibus.

Theſis 1.

QUæ morboſum reddunt corpus, ſivè internè, ſivè externè, iis vel corpus ſecundum immutabiles naturæ leges *neceſſariò* eſt expoſitum ut ſemper tales concurrentes cauſæ ex naturalium corporum actione & paſſione corpus noſtrum ita afficiunt & alterant, vel *non neceſſariò* tales occurrunt cauſæ quin potius caſu & fortuito ſæpius nobis ingruant. Inter has cauſas externas, quæ fortuito caſu & non neceſſariò nobis occurrunt ſunt imprimis ea quæ contundunt & vulnerant, &c. *Vulnera* ſpontaeo naturæ motu coeunt, niſi adſint impedimenta. Hæc autem ſunt alimenti partis, roſcidi & ſanguinis effuſi ex ſpiritus vitalis diſſipatione *corruptio & putredo*, imprimis ſi externo aëre alteretur pars læſa, quam indiviſibiliter ſequitur *acor peregrinus ex putredine iſta natus.* Hic acor ſubito totam ludit tragædiam, totuſque ſpiritui vitali ſalſo de alcalium proſapia balſamico & partis conſervativo prorſus hoſtilis, inſtar *fermenti exotici* partem affectam ejuſque alimentum multifariam alterat & corrumpit. Unde facilis vulnerum in ulcera eſt tranſitus fermento hoc corruptivo in vulneris labiis alimentum proficuum & ſanguinem inficiente, & in liquamen ſordidum Jchores tranſmutante, cum copioſiſſimo vermiculorum proventu in omni puro obvio & non niſi per Microcoſpium cognoſcendo.

Theſis 2.

Medicamenta ergo *Balſamica* dicta ſeu vulneraria *alcali occulto & temperato* pollent quo ceu contraria omnem iſtum acorem tollunt & ſordes inde natas ſaponaria virtute abſtergunt blandè, v. gr. Terebinthina, Aloe & Myrrha, Nicotiana & hypericon, Succus Cancrorum fluviatilium & aurium Sordes cum Terra Vitrioli Balſamica & Saturno.

Theſis 3.

Inter res iſtas quibus neceſſariò corpus noſtrum eſt expoſitum ſunt primariæ *res dictæ non naturales*, quod mediæ inter id *quod eſt p. n. & ſ. n.* pro vario earum ſtatu aut uſu, corpus noſtrum aut conſervant ſanum aut idem reddunt ægrum. Inter has ipſas eminet aër, quem continuo inſpiratu attrahimus, unde ſanguini in pulmonibus permiſtus, neceſſariò ejus ſtatum inſigniter alterat. Tenuis enim admodum cum ſit ac rarus, *infinitis quarumcunque corporum effluviis* eſt imprægnatus, id quod *Vernali* tempore imprimis eſt manifeſtum, unde etiam hoc tempore fermentantibus vegetabilium germinantium principiis infectus ſanguinem turgeſcere & vehementius fermentare facit, unde quicquid heterogenei & excrementii in eadem reperitur, ſeparatum foras, qua data porta amandatur, hinc febres morbique cutanei & ſimiles affectus eo tempore ſunt frequentiores. Omnis enim in aëre varietas aut ex *corporibus inferioribus*, aut ex *ſuperioribus aſtris*, demanat. Hinc enim & temporum ac Climatum & regionum, & hinc nationum iſta diverſitas. Aſtra an ea per effluvia corporea alterent, quæ ex ſe diffundant non pauci affirmant, & confirmari poteſt ab iis, qui radios Solares in pulverem ſubtiliſſimum rubrum per certa inſtrumenta concentrare, aut radios Lunæ plenæ per ſpeculum in materiam lacteſcentem admodum frigidam in ſpongia unire volunt.

Theſis 4.

Quoad alimenta, *ſanis omnia cenſentur ſana*, modo

ea ſtomachus famelicus appetat, & non abhorreat, eo quod *fermenta* digeſtiva potenter quælibet in ſui ditionem trahant & coërceant. Quantitatem & qualitatem ſicut & aſſumendi modum in alimentis ſolus præſcribit *appetitus*, tàm in ſanis, quàm in ægris: cum facilè poſtmodum digerantur à ſtomachi fermento, ſive appetantur *aſueta* ſive *inſueta*: nam ſicut ab illis licet deterioribus non facilè recedendum, dictante HIPPOCRATE, ita hæc ſi appetantur non facilè deneganda, utpote cum dictante intus natura contingat, quæ ex alimento inſueto appetito ſæpius nullam noxam habet, ſed exinde non rarò remedium parat. Hinc carbones & cineres ac attramentum & carnes crudæ non affligunt laborantes pica feminas. Vid. HELM. Tr. *victus ratio*: hunc brevibus his complectitur HORNIUS: *in Arca Moſ. pag.* 131. Diæta in duobus conſiſtit: Sobrietate & proba maſticatione. Quantitas non qualitas ciborum nocet: alii tamen aliis ſunt ſalubriores. Non eſt negandus cibus vel potus quem quis vehementer appetit. Potus in ſiti non eſt prohibendus: ſicut è contra vel butyrum in iis, qui hæc abhorrent, non ſine noxa ſunt, & non raras lipothymias inducunt: & juſculum carnis optimum in ſtomacho febricitantis, qui illud abhorret, cadaverizatur: halec verò aſſumptus, quia appetitus, ex inſperato febrem ſanat, interdum.

Theſis 5.

Vegetabilia ſi non omnia, ſaltem quamplurima habent in ſe *gummoſam & viſcidam ſubſtantiam*, quæ in vegetabilibus nutritioni inſervientibus eſt objectum in quod operatur ſtomachi liquor fermentativus, & ex quo parat *chylum nutritium tanquam quoddam extractum*. Id apparet in omnibus decoctis & extractis ſeminum & herbarum, itidem in ſuccis fructuum inſpiſſatis per humiditatis aquoſæ exhalationem, relinquunt enim maſſam craſſam, viſcidam, & gummoſam. Subſtantia hæc vegetabiliū gummoſa & mucilaginoſa nutritiva, ſi addito quodam fermento aut alio modo fermentando volatiliſetur, mutatur in *ſpiritū vinoſum formaliter diſtinctum* ab eo, quod erat antea, & ita non eſt amplius objectū fermenti ſtomachalis, in quod operari debeat & ob id non eſt amplius nutritiva ut alimentū, ſed eſt refocillativa ſpirituum, quatenus ſpirituoſa: Sic v. gr. ſecale, triticum, pomum, &c. ſunt vegetabilia, nutritioni deſtinata; ſin verò per fermentationem legitimam volatiliſentur, ut fit in cereviſiis, item vinis ex vegetabilium ſuccis paratis, potui inſerviunt, non adeo diu in ſtomacho eorum vis moratur, quin ſpirituoſæ eorum partes raptæ in arterias in conſortium ſpirituum aſſumuntur, & ita potulenta citius nos recreant eſculentis, ſic ſuccus uvarum per fermentationem obtinet ſpiritus inſigniter nos reſtauribiles, & parum nutrit, aſt uvæ paſſæ citra ſucci expreſſionem exſiccatæ, & comeſtæ egregiè nos nutriunt.

Theſis 6.

In panificio farinæ ſeminum addito *fermento* reſolvi & volatiliſari incipiunt, ſed in ulteriori progreſſu, exſiccatione, & toſtione in clibano impediuntur, ita ut non perfectus ſpiritus vinoſus, ſed tantum ſpiritus acidus volatilis in iis generetur, facili Igne per Retortam ex iis deſtillabilis. Panes verò propter fermentum ſuſceptum liqueſcentes in cremorem, herbas & cibos alios quibus cum maſticantur, colliqueſcere cogunt & ita quaſi quoddam fermentū ſunt, aliis cibis in adjumentum additum, à commiſtione ob id theriaca alimentorum audit, ſalivæ in beneficio maſticatione exuſcitandū. Ineſt enim pani imprimis ſecalino ſpiritus acidus volatilis, homogeneus aliqnomodo adeoque amicus fermento ſtomachi noſtri, ratione cujus panis nunquam nos capit faſtidium, quin potius naribus applicatus aut maſticatus nauſeam & vomitum poſt medicamenta ingrata imminentem compeſcit; & ſicut ægrotantes ejus ultimò nos tædet, ita reconvaleſcentes primo ejus recuperamus appetitum. Ut ergo ex pane fermentato tot habemus commoda, ita ex eodem vel planè non vel non ſufficienter fermentato mille imminent incommoda.

Theſis 7.

Carnes quod attinet, aliaſque ex animalibus deſumptas partes, quo ſaniora ſunt animalia, eò & earum uſus ſalubrior: id quod & in *lacte* imprimis obſervandum, cujus bonitas ex *beſtiæ ſanitate & paſturâ*, quæ ſicca & ſalubribus herbis fœcunda ſit, judicanda. Mediæ ætatis animalia, ſucco nutritio adhuc abundantia, & ut hic ſit uberior magiſque temperatus, *caſtrata*, præ cæteris conveniunt; Volatili copioſo urinoſo ſale omnes animalium partes largiter abundant, temperato tamen eodem modo aliis particulis, ſubacidis oleoſis, unde copioſum nutritium ſuccum largiuntur. Indurata ergo fumo aut condita copioſo ſale & difficilis coctionis & pauci nutrimenti & copioſi excrementi ſunt materia.

Theſis 8.

Vinum ut revera eſt humanum nectar legitimo uſu, dum *ſpiritus ejus volatiles* ſpiritibus noſtris ſymbolizantes in eorum conſortium recipiuntur, & aciditas ejus volatilis in ſtomacho in ſalſum volatilem abit liquorem; ita legitimo & nimiò uſu lethiferum evadit venenum dum ſpiritus ejus *ſalinus volatilis ſulfureus*, ſpiritus animales varios in motus confuſos & inordinatos coactos, figit inſtar opii aliorumque narcoticorum, undeque eos torpidos & ad actiones debitas ineptos reddit. *Aciditate verò volatili* extra ſtomachum tali corpori hoſtili, in inteſtinis tormina colica & exinde in artubus Pareſes producit, in veſica ſtrangurias, in renibus ſal urinæ volatile aliquali putredine reſolutum in calculum coagulat, in artubus Synoviam in tophos cogit, & partibus nervoſis & membranoſis puncturas arthriticas inducit, aliis partibus nervoſis contracturas & paralyſes contumaces infert, cum nihil *æque hoſtile ſit nervis quam acidum*, hinc ſpiritus volat. urinoſus, corrigit omnia vitia ex vini nimio abuſu orta, quatenus & ſpiritum vini coagulat in offam craſſam, & propterea acidum vini nimium corrigit, in ſalſum tranſmutat, & ſub forma copioſæ urinæ aut ſudoris blandi evacuat. Item intelligendum de Cereviſiis & aliis ſimilibus quod aceſcere poſſunt.

Theſis 9.

Ut *alimentum* maſſæ ſanguineæ reſtaurationi, ita *moderatus motus* ejuſdem *aſſimilationi* & *purificationi* inſerviunt: Nam dum circulationem ac vitalem ejus fermentationem auget, etiam ſimul alimentorum aſſimilationem, diſtributione & hæterogeneorum ſeparatione ac præcipitatione promovet; quæ à ſeroſo latice abſorpta nunc per urinam ſub nubeculæ vel levis ſedimenta forma, nunc per poros cutis tranſpirando evacuantur. Adeo ut legitimum ſanitatis conſervativum & morborum præſervativum ſit *motus*, vicarius nempe omnis *Venæſectionis, purgationis alteriuſque ſanguinis correctionis*, quæ ruſticorum & mechanicorum gens palam teſtatur, & mulier iſta Cachectica cujus Panarollus mentionem facit in Obſervat. pentecoſt. 1. Obſerv. 30. confirmat.

Theſis 10.

Ut excrementorum *excretio aut retentio* varia, non infimum locum inter morborum cauſas retinet, ita in ſpecie & *locus* ubi excernendorum fit rejectio non negligendus, in quo demonſtrando operoſus eſt *Boulton* in ſua Medicina Magico-Phyſica, dum aſſerit omnia noſtri corporis excrementa participare *de ſpiritu nonnihil ejus vitali*, & hoc mediante mutuam inter ſe retinere ſympathiā, adeo ut per foricas publicas ſupra terra, & matulas communes morbi contagioſi communicentur,

nicentur, propter putridam & contagioſam fermentationem. Contra ſi in campis, ſupra herbas fortè ſalubres, recrementa excernantur, ſanitatem per occultam ſympathiam firmari, ſin noxias in herbas ut venenoſas purgantes, exulcerandi vi prædi tas, parilem corporis noxam præſtò eſſe, & vix curabilem, prius quam herbæ prorſus *putredine fuerint conſumptæ*. Notum magis eſt, quomodo qui in oleta dyſentericorum, aliove morbo correptorum, ſua, dum iſta adhuc calent, exoneraverit, ſimili paulo poſt morbo inficiatur. Itidem comparatum cum urinæ effuſione in matulas eorum, qui latentem fovent morbum, ſeu nefriticum, ſeu alium quem contrahi inde poſſe metuendum eſt. Addit quod pueri in prunas qui ſæpius minxere, nephritici evaſerint, alii exulcerationibus moleſtati lotio in venenoſas excreto herbas; ſicuti dolor & ardor ani inducitur, ſi cineres calidi aliæve res acres exulcerantes in ejus excrementa calida injiciantur. Hæc ipſa autem non eſſe abſona alia in natura obvia confirmant exempla: ut nihil jam dicam de pulvere ſympathetico ſanguinem, cujus guttas excepit, ſiſtente, mammæ mulierum, ex quibus in prunas candentes lac excretum, exareſcunt, ſeu lac iis deficit: linteum ſanguine ex utero affluente tinctum, ſub cineribus calidis ſepultum, ſanguinem ſiſtit. Dyſentericorum excretio ſanguinolenta & purulenta ſuper Alumen Vitrioli rejecta, malum curat.

Theſis 11.

Animi denique motu, ſeu affectus, valdopere nos alterant, morborumque ſæpe atrocium fiunt autores, quatenus diverſimode aut *ſpiritus* aut *humores* movere ſolent, *ira* namque & *gaudium*, &c. quoſcunque motus humorum exaſperant, eorumque excretiones promovent, *terror* verò *tremor* & *pavor*, humorum motus ſupprimunt, & excretiones quaſvis ſiſtunt, ſed de mirandis animi affectuum effectibus vid. M. Donatus H, m. mir. lib. 3. cap. 13. & notum eſt, quam facilè paſſiones animi graviores *gravidarum*, vel abortum inducant, vel vitioſo charactere infantes notent: non minus quam ex ira, vel terrore *nutricum* infantes Epilepſiæ fiunt obnoxii. *Venena* animalium ex perturbationibus oriri, ita terrore, furore, &c. paſſim inculcant moderni. Helmont. tractat. poteſt. medic. §. 29. pag. 382. M. Marci Zvvolfer. animadv. adeò ut *etiam hominis irati morſus* non minus malignus & lethalis ſit, quam ſerpentis. Zacut. Luſit. lib. 3. prax. adm. obſerv. 4. Panaroll. pentecoſt. 2. obſerv. 42. id quod de aliis animalibus ſimiliter verum eſt cum autore Celſo omnis feræ morſus habet quoddam virus; id quod ex affectu vehementiore, quo tunc percita eſt beſtia, oritur. Ex *nimio gaudio* quoſdam mortuos eſſe vulgatum eſt: non minus quam ex ira febres accendi periculoſas.

Triſtitia nimia abbreviat vitam mortemque accelerat, aut ſopitos melancholiæ deliriorumque paroxyſmos denuò exuſcitat: nimius autem metus de ſubito quoſdam canos reddit, nimius verò terror ſubito calvos, teſte Schenckio obſ. lib. 1.

Theſis 12.

Sed hi ipſi affectus non minoris ad ſanitatem ſunt efficaciæ. *Gaudium* equidem ſolum ex uſu eſſe ſalubri, refert Fernelius; id quod veriſſimum ac ſenibus & iis, qui vitam agunt ſedentariam, imprimis convenit. Nihilominus tamen nec aliorum negligenda eſt ratio; *ira* moderata convenit iis, qui cachexiis obnoxii ſunt affectibus, uti & mulieribus quibus non adeò commodè fluunt menſes. Ex vehementi & ſubita excandeſcentia curatam paralyſin vid. in Valleriola lib. 2. obſerv. 4. item Horſt. Tr. 2. lib. 11. obſ. 15. cum enim paralyſin ſolvat ſuper veniens febris, teſte *Hippocrat.* Sane ira, ceu febris quædam artificialis & ſubitanea non adeo erit incongrua, *Terrore* inducto ſæpè hæmorrhagias periculoſas ſiſti notum eſt, ſicut etiam quartanas contumaces aliaſque febres interdum tollit, & ſimilis terror ex projectione in Aquam rabidos & maniacos reſtituit, &c. teſte Helmontio.

Theſis 13.

Res ergo hæ non naturales cum ex ſe indifferentes ſint ad ſanitatem & morbum, earum legitimum regimen ad ſanitatem diæta appellatum docet Hygiena conſervanda, cujus generaliores regulæ cum reſpectu ad differentes ætates hic adnectere placet. Fundamentum legitimæ diætæ pro ſanitate conſervanda, ſeu legitimum regimen rerum ſex non naturalium ſubminiſtrat Celſus in ſua Medic. lib. 1. cap. 1. dum inquit *ſanus homo qui & bene valet & ſua ſpontis eſt nullis ſe obligare legibus debet ac neque Medico neque Jatrolipta egere.* Id eſt nullis ſtrictis diætæ regulis ſe alliget ſed libertate ſua utatur: aliàs Medice vivere eſſet peſſimè vivere. Sed cum ex Hippocrate conſuetudinis maxima ſit vis, & in aliam tranſmutandi naturam efficacia, hujus dictamen in rerum non naturalium uſu eſt audiendum. Sanitatis verò conſervandum medium docet Hippocrates inquiens, ſanitatis Studium eſt non ſatiari cibis & impigrum eſſe ad labores. Morbos verò ſublevandi rationem idem ſubminiſtrat dum docet. Quiete & abſtinentia multos morbos curari.

Theſis 14.

Infantum ſanitas, quorum ſanguis inſtar *recentis muſti* modicè fermentat, facileque vitiari poteſt: optime conſervatur modo impediantur *lactis coagulum* vel ejus in digerendo *depravatio*. Hinc enim ferè omnes infantum morbi propullant: Signum autem illius eſt ſi excreta per alvum ſint *viridia* ſeu *porracea & æruginoſa*: hæc enim utplurimum *acidum* ſpirant, vel alio peregrino charactere inſignita. Oculi ergò cancrorum, Sperma Ceti, Antimonium diaphoret. & præ cæteris *Semen Aniſi* conveniunt infantibus, & à morbis præſervant, dum acidum abſorbent, & lactis coagulum impediunt.

Theſis 15.

In conſiſtente juvenum & virorum ætate, quando ſanguinea maſſa in ſuo eſt vigore & ſpirituaſcentia inſtar vini generoſi temperateque ſed paulo vehementius effervelcit, obſervetur, ne nimias *concipiat ebullitiones*, adeoque acutos ſuſcitet morbos: caveantur ergo nimis generoſa alimenta, nimius motus, primario animi, ſecundario corporis, & tandem nimia Venus: ſed per *conſuetum* ſimul tamen *moderatum* illorum uſum æquabilis ſanguinis conſervetur motus & fermentatio. Ad cujus & ſpirituum exorbitationes compeſcendas *opiatorum* uſus ſit commendatiſſimus.

Theſis 16.

Senes tandem langueſcentes, cum eorum ſanguis inſtar *vini aceſcentis*, ex rancore vapeſcentis, ſit effœtus & ſpiritibus depauperatus, indeque ex *acidi* abundantia crudiſque ſuccis ſit craſſus, tardeque mobilis, generoſi ſpirituoſique potus & ciborum vel condimentorum aromaticorum moderato uſu, ſpiritus ſenſim deficientes ſuſcitent, & lenibus diaphoreticis, v. gr. rob. ſambuci vel Juniperi cum tantillo Spiritus Vini vel aquæ apoplecticæ, &c. Sanguinem tenuem fluidumque adeo circulationi & fermentationi continuandæ aptum reddant: unde & *ſinapi vel Eruca* Senibus ad præſervationem apoplexiæ ſunt utiliſſima. Ad quæ gaudium lætitiaque non parum ſimul confert. Sed generoſa & ſpirituoſa ſub moderamine mediocritatis uſurpentur, ne eos proſternamus quos fulcire debemus, ex nimia fuſione ſanguinis & ſpirituum repentina diſſipatione, vel ex nimia ſpirituum agitatione per generoſa & ſubſequente fixatione narcotica

tica functiones omninò aboleantur, id quod de Ambræ uſu quoque obſervandum.

CAPUT III.

De cauſis morborum internis.

Theſis 1.

SAnguis ſpiritu vitali turgidus actuat & vivificat corpus idque æquali & perpetua ſua circulatione, quæ ſub debita ſanguinis quantitate debito peragitur modo. Sin verò nimis augeatur *& ſanguis abundet*, quod Plethora vocatur, vaſibus & receptaculis ejus nimis diſtentis & repletis remora & impedimentum injicitur ejus motui dum in majoribus vaſis promotus ſanguis, in minoribus vaſculis & capillaribus poris ac meatibus eorum anguſtia impeditus difficilius tranſit. Sicque habitus corporis quandam turgeſcentiam infert & periculum futuræ cujuſdam ſanguinis particularis l. univerſalis *ſtagnationis*, aut inſignis vaſorum *ruptionis* præmonſtrat.

Theſis 2.

Hæc Plethora cum copioſi & Euchymi victus laudabilem ſequatur aſſimilationem, cum pauca ſanguinis per labores abſumptione vel diſſipatione, poſt *lenta* inediæ, laboris l. exercitii frequentioris aut fortioris inedia *ſubitaneam* Venæ Sectionis innuit opem quæ ſola huic *ſoli* ſcopo repente & ſufficienter ſatisfacit, ob id non adeo frequenter eſt repetenda, cum raro adſit talis plethora quæ non commodè aliis mediis poteſt inhiberi cum minori vitæ viriumque diſpendio.

Theſis 3.

Hujuſmodi ſanguinis Plethora *ad vaſa* eſt vel *vera* vel *apparens*; De illâ ſuperiori in theſi; hæc eſt, quoad ſanguis febrili vel ſimili efferveſcentia turgeſcens inſtar *vini generoſi*, adeò ebullientis ut vaſis ora excedat vel idem in partes diſſilire faciat, vaſa diſtendit & frequenti, celeri, ac magno pulſu rapidè movetur: unde non rarò aut inflamationes ex ejus ſtagnatione aut hæmorrhagiæ ex vaſorum ab ejus impetu apertione ſuccedunt. Revocanda huc venit *menſtrua* mulierum turgeſcentia & fermentatio ſanguinis, quâ eæ partem ejus ceu lunare quoddam tributum ſolvendo, expurgant per Genitalia, quod ſi non contingat ſæpè per alia loca, per mammas, nares, vomitum, oculorum canthos, hæmorrhoides, &c. ejus fit eruptio. In ſanguinis turgeſcentia febrili non imitanda effroenis Gallorum vel Italorum *licentia* copioſiſſimè & frequentiſſimè ſanguinem V. Sectione detrahendo: ſed efferveſcentiam compeſcentibus, præcipitantibus, *nunc acidis moderatis*, uti ſunt v. gr. Julepi aciduli: it. ſucci vegetabilium acidi, ſpiritus miner. &c. nunc verò *fixis volatilibus* temperatis (pro cauſæ occaſionalis diverſitate) inſiſtendum, & debitis diaphoreticis pro ſanguinea maſſa ventilanda. e. g. Antim. Diaphor. C.C.ſ. Igni Nitrum Antimon. l. Nitr. probè depuratum in potu ordinario in febribus diſſolvendum.

Theſis 4.

Ad *vires* Plethora vera *nunquam datur*, cum non plus poſſit adeſſe ſanguinis, quam à viribus naturalibus elaboretur. Interdum tamen *apparens adeſt Plethora ad vires*, dum V. *Sectioni vel ſcarificatis cucurbitulis* vel alii ſanguinis evacuationi aſueti tempore eo, quo iſtæ ſolitæ celebrantur depletiones certam vaſorum diſtenſionem, laſſitudinem membrorum, pulſus mutationem, &c. percipiunt cum ſuccedentibus interdum partium tumoribus vel hæmorrhagiis vel aliis diverſis ſymptomatis. In his certè *per ſe* non adeſt ſæpè Plethora *ſed conſuetudine* natura fuit immutata & illa in hujus ſucceſſit locum. Hinc videmus, quod mulieres annuæ V. ſectioni ultra debitas menſtruationes aſuetæ, his rectè fluentibus ſtatuto tamen tempore. V. S. admittere cogantur, ut præveniant aliud malum ex ejus omiſſione futurum, Determinata namque ſanguinis quantitas per V. ſectiones natura aſſueta alias per ſe indeterminata, ceu noxium omne, quoque ſuperfluum, reſpuit. In his caſibus loco V. ſectionum Periodicarum aperiuntur interdum *fontanellæ*, ſenſim abſumentes ex ſanguine ſub ſpecie liquaminis Ichoroſi, ejus redundantem partem, alias confertim per V. ſectionem exhauriendam. Cui tamen uſui vel parcior victus & ſobrietas vel exercitium aut frequentius aut vehementius, vel ſudor largior arte provocatus abunde ſatisfacere poteſt.

Theſis 5.

Per ſe enim totũ cauterii & exinde factæ *fontanellæ* auxiliũ tantum in cruoris minutula ſed continua *diminutione* conſiſtit, adeoque proprie tantum Plethoræ convenit. Vid. in HELMONT *Tract. Cauſterium.* Per accidens vero & à poſteriori ac palliativè etiam confert iis affectibus, qui à ſordibus quibuſdam vel vitio læſæ in ſanguine fermentationis vel depravatæ cujuſdam partis functionis productis enaſcuntur, ita ut labes illæ à priori ob ſubjecti ineptitudinem, v. gr. vel ob ſenium vel ob menſes deficientes, &c. non ſint corrigibiles, ſic enim una cum ſanguine laudabili evacuatur ſimul id quod eſt nocivum: eſt quia excrementitium in ſanguine ſua natura & proſcriptum, ab Oeconomia vitali, ut facilè ſit alterabile & ſeparabile, eo facilius & promptius per fontanellam ſic evacuabitur. Simile fit interdum ab ipſa natura, dum hinc inde erumpunt ulcera, quæ ſanata per artem corpori non leves dant turbas; ſin vero denuò aperiantur, corpus eſt quietum vid. SCULTETUS *obſ.* 57. & 55. id quod ſimiliter interdum in fonticulis obſervatum, unde aut vulnerati inſigniter aut ulceribus laborantes, raro menſibus l. hæmorrhoidibus evacuantur conſuetis quia tanquam per fonticulum ſanguis per vulnus ſub puris vel ſaniei ſpecie erumpit, unde tempore conſuetæ illius excretionis vulnera & ulcera in deteriorem delabuntur ſtatum, qui poſtea vel ſponte melioratur.

Theſis 6.

Diluitur & fluxilis fit ſanguis ab ejus parte aquoſa ſeu latice ſeroſo, qui, præter hoc officium & ſanguinis ſuperflua ſalia & heterogeneas partes imbibit, atque ex omnibus partium culinis abluit & abſtergit ibidem enatas ſordes, adeoque urinæ ac ſudori materialiter ſubſtrata eſt, tuncque ſeri nomen vulgò rejicit, ſicuti lympha appellatur cum ſpiritibus animalibus per nervos influentes juncta à glandulis imbibita & ſucco acido volatili imprægnata, denuo ſeparatur, & vel ex conglomeratis per peculiares ductus in ſingulares deponitur Cavitates, ut in *ſucco pancreatico*, *ſaliva*, *lacrymis*, &c. apparet, vel ex conglobatis per vaſa lymphatica maſſ. ſang. denuò circa axillarem ſiniſtram infunditur.

Theſis 7.

Deficiens ergo latex hic in ſanguine, ſpiſſum & coagulationi aptum eum reddit, dumque non ſatis diluit partes ejus roſcidas nutritivas, ratione quarum vocatur aliàs vehiculum nutrimenti corpori debitum deficit alimentum & marceſcit: reſtituitur autem per potulenta aquoſa: *Nimis vero abundans* ex urinæ vel ſudoris imminuta excretione, ſanguinem nimis fluidum & aquoſum reddit; imminuitur vero per ſudorifera, diuretica, & hydragoga dicta, ut elaterium, item jalap. gumm. gutt. quod ſi vero motus lymphæ *impediatur* in glandulis vel ſuis vaſis, lymphæ fit vel in partibus ſubcutaneis ſtagnatio, vel ruptis vaſis ejus effuſio,

ſio, indeque *hydropes:* ut eſt ſi copioſius ob irritationem quandam l. læſionem imprimis aëris vitio obortam, ex glandulis cephalicis aliiſque vicinis effundatur, *Catarrhi* fiunt exiſtente tunc lympha utplurimum ſimul nimis acida, unde ea ſæpius ſimul ex parte ſpiſſeſcit & coagulatur, variaſque muci larvas mentitur: Hic proſunt lympham corrigentia, quæ in Catarrhalibus affectibus uſurpantur, imprimis Gummata, ſaſſafrata, &c. Ut taceam vitiatas lymphæ ex conglomeratis glandulis Secretæ *qualitates*, vitio vel ſanguinis vel ipſarum glandularum ceu cribrorum pronatas, dum ſæpius nimis deprehenditur acida vel nimis viſcida vel inſipida vel aliis modis depravata, dum omnes morbi, quos ex ſeroſa colluvie oriri volunt vel Piso vel Schneiderus, optime ex glandulis ibique vitiata lympha deduci poſſent, nam quod veteres vocarunt ſerum, & inde orti morbi ſeroſi, modernorum nomine lymphæ ejusque vitiis adſcribitur.

Theſis 8.

Cæterum ex continua ſecundum res non naturales (1) *alteratione* in maſſ. ſang hujus varia exſurgit indoles, ac inſignis non raro depravatio, fomes ac mater futurorum morborum. Vitio ſcilicet vel (2) *interno digeſtionis primæ* in ventriculo, *fecum ex chylo ſeparationis* & hujus tandem per fermentationes cum ſanguine *aſſimilationis*, *depurationis* per renes ac poros cutis, ac *diſtributionis*, vel vitio (3) *alieno* aut ſub *prima generationis* origine aut ex *ſuperventu fermenti cujuſdam exotici* & peregrini à debita & naturali craſi ſenſim deficit, adeoque *Cacochymicus* evadit. Non quod actu ex quaternione humorum ſit compoſitus, quorum de generatione oriatur præternaturales & excrementitii iſti humores, hoc enim erroneum, ſed quod talis eveniat in principiis ejus liquorem componentibus *vitiata harmonia & proportio* læſa ut fermentatio ejus vitalis exinde vitietur & depravetur, ut v. gr. loco vini ſpirituoſi degeneret vel in vappam vel in acetum, vel aliud quoddam contrahat vitium.

Theſis 9.

Unicuique ſanè homini peculiaris eſt in ſanguine *craſis*, ex generationis primordiis exurgens, unde & conſiſtentia, color, cæteræque apparentes qualitates in unoquoque variant, omnibus licet exiſtentibus ſanis. Quamdiu ergo talem harmoniam retinet ſanguis, tamdiu viget valetque corpus totum, ſimul vero atque deficiat & degeneret, ſparguntur morborum ſemina perniciosos fructus germinatura tandem.

Theſis 10.

Vitia iſta ſanguinis graphicè nobis depingit divus Senex *lib. de natura humana text.* 31. it. in *lib. de priſca medic.* Vid. Sennert. *de conſenſ. & diſſenſ. pag.* 139. *non calidum, frigidum, aut ſiccum eſſe, quod magnam agendi vim habeat, verum amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & inſipidum, & acerbum aliaque ſexcenta, quæ & copia & viribus varias habent facultates Et hæc quidem mixtione & mutua inter ſe contemperatione neque cernuntur neque moleſtiâ hominem afficiunt. At ubi horum quippiam ſecretum fuerit & per ſe extiterit, tunc & conſpicuum fit & hominem moleſtia afficit.*

Theſis 11.

Non ergo ex *qualitatibus primis* definiendæ ſunt Causæ morbificæ, cum non magnam habeant agendi vim, unde & *relollaceæ* à Paracelso & Helmontio ficto vocabulo vocantur, ceu tales, quæ non procedant ex fermento & ſeminibus rerum, indeque omni efficaci operandi virtute deſtitutæ ſint. Cum & inane *de quatuor Elementis figmentum*, ipſique ſuperſtructa *miſtionis temperamentorum*, *qualitatum primarum*, morborum *intemperiei* & *humorum ex qualitatibus primis deſcriptorum doctrina* ab Helmontio *Tract. miſtionum & complexionum elementarium, figmentum*, ut & ab acutiſſimo Boyle *in Chimiſta ſceptico* ſufficienter concusſum & everſum ſit.

Theſis 12.

Quæ Hippocratis elegans doctrina non de *morborum cauſis* ſolummodo intelligenda ſed de *alimentis & medicamentis* pariter dum c. l. ſcribit: *Non calidum eſt quod magnam vim habet, verum acerbum & inſipidum cæteraque de quibus dixi, dum in homine dum extra hominem, in iis quæ eduntur aut bibuntur vel foras illinuntur vel quacunqu forma corpori admoventur.* Adeoque & alimentorum & medicamentorum facultates, ex iſtis demetiendæ potentiis, ut patet, alinis. Ut taceam Hippocratem *theſ. ſuperiori* 10 ſimul legitimam *Diætetices & Therapeutices* methodum præſcribere, dùm ab iis facultatibus *temperatis*, hoc eſt debita proportione & *συμμετρία* inter ſe agentibus, nos neque lædi, neque moleſtia affici, inquit; adeoque per rerum non naturalium uſum eò reſpiciendum, ut in ſtatu iſto proportionato conſerventur. Dum vero ab iis ſecretis & per ſe exiſtentibus nos *lædi affirmat*, hoc eſt ab iis intemperatis & unum alterum præponderantibus, quid aliud faciendum monſtrat, quam ut præcipitatione id quod excedit imminuamus, & corrigamus, & quod deficit additione ſimilis augeamus, eaque denuò conjungamus & harmonicas ac proportionatas reddamus.

Theſis 13.

Hæ *Hippocraticæ potentiæ* (quarum in nobis præſentiam omnia *aſſumpta*, *excreta* & omnes *corporis componentes* partes ſi in tribunali chymico per torturam Vulcani examinentur, ſufficienter manifeſtant imò & ſapor vel bilis l. ſucci pancreatici vel ſalivæ vel lymphæ valdopere ex ſalium miſcela varia varians, idem teſtatur) ſe exerunt in ſanguine beneficio iſtius inteſtini motus, fermentatio dicti, dum ſal alcali ſeu urinoſum cum ſale acido ambo volatilia blando motû concurrunt, temper ta pinguedine quadã ſulfurea laxè ea invicem uniente, unde à motu iſtorum ſaliũ reliquæ quoque in ſanguine exiſtentes particulæ una cum ſucco chyloſo, ex abdomine recenter advecto, ſimiliter agitantur, permiſcentur & fermentantur, pro cujus fermẽtationis varietate ex rerum non naturalium diverſo inſultu, & inde ſalium inſigni alteratione & variatione, ſanitas noſtra variat. Spiritibus ipſis diverſimodè exinde effectis & in varios furores ac exorbitantes agitationes, &c. ob irritationem attactis & commotis.

Theſis 14.

Salium horum *varietas* ut omnino eſt innumerabilis, oriunda ex particularum earum varia tum inter ſe, tum cum aliis particulis combinatione, ita *varietatem ingentem ſanguinis* non tantum ex multitudine individuorum multifariam, ſed in eodem individuo pro diverſitate ſexus, ætatis, temporum anni, vitæ genere, &c. admodum & quaſi in horas mutabilem: quod namque aſſumptorum diverſi ſapores, tot diverſa ſalia, quæ ex varia cum ſuccis corporis noſtri in primis viis, & cum ſanguine unione non vulgarem denuò inducunt diverſitatem, *eò majorem vel minorem, vel prout* magis vel minus ſunt alimentoſa ſ. temperata, vel medicamentoſa ſeu altero excedentia, *prout magis* vel minus à ſtomachi fermento ſubiguntur & alterantur. In genere tamen ſub ſupremo *urinoſi & acidi* conceptu in microcoſmo conſiderantur.

Theſis 15.

Et ex hoc fonte non tantum quorundam individuorum certæ *idioſyncraſiæ* ex parte promanant, dum ab hoc vel illo aſſumpto læduntur vel juvantur vel plus minus alterantur; ſed etiam *ſpecificæ virtutes* ſimpliciũ,

H dum

dum morbo cuidam unum convenit, cui alterum priori ſimile non æque eſt proficuum, v. gr. dum *fumaria* affectibus ſic dictis melancholicis, *centaurium* minus febribus intermittentibus; *cochlearia* ſcorbuto ſpecificè ſunt dicata, *Allium* vero huic non convenit, à Lithiaſi præſervat: quod *Doronicum & ſtercus pavonis* præ aliis vertiginem curant, quod *papaver Rhœas & bellis minor* pleuritidi ſuccurrant *priapus cervi* & huic & Dyſenteriæ: Sambuci flores vel ſuccus, Eryſipelati, cujus juli & cortex purgant, qui *cortex* etiam ad ambuſta ſpecificus eſt, ſicuti & *cepa*; *ſcrophularia & chelidonium* minus hæmorrhoidibus medentur, *Saturnus* ulceribus eſt proficuus, non autem Jupiter. Hæc omnia operari videntur quatenus certam & ſingularem proportionem obtinent ad hanc vel iſtam ſalium alterationem & conſtitutionem corrigendam & alterandam, &c. Hæc tamen non confundenda ſunt cum iis, quæ tota ſubſtantia agere vulgò dicuntur, ſeu occultis qualitatibus. Hæc enim ferè ſpiritum, Archeum vitalem reſpiciunt, ejuſque ideis conceptis occurrunt, ut ſecundum earum ductum actiones pervertere deſinat.

Theſis 16.

Sal quidem *urinoſum ſeu alcali volatile* eſt vel nimis *copioſum*, vel nimis *acre*, vel nimis *oleoſum* ob partes pingues ſulfureas adhærentes, vel *deficit* vel aliam ſingularem ac anomalem & anonymam habet *qualitatem*: Unde ſanguis nimis diſſolvitur & debitam deperdit conſiſtentiam, & propter læſam cum acido proportionem, vel in quanto vel in quali, fermentatio in ſanguine nunc *augetur* cum ebullitione & efferveſcentia, &c. ut in febribus continuis & ardentibus, nunc *aboletur* ut in virium nimiis proſtrationibus, tàm artificialibus quam naturalibus, in diarrhæis ſpontaneis, ex mutatione victus, aëris, &c. vel præternaturaliter ſymptomaticis, &c. & certè quamplurimi acuti morbi, hujus vitio oriri videntur: & idquod veteres *de bile* dixerunt huc quodammodo applicari poteſt.

Theſis 17.

Genuina hujus ſalis proles eſt bilis iſta quæ ceu ſingularis theſaurus ſeu corporis balſamum in *folliculo fellis* reperitur, & cum reliqua in Epate ſecreta, ad inteſtina amandatur, ut ſeparet feces ab utili chymo, & tunc ſimul ſulphure quodam ſingulari tingat, pro futura ſanguinis rubicunda Tinctura; conſtat enim hæc ipſa imprimis *copioſo ſale* volatili acri, oleo rubro temperato & copioſa aqua diluto, quæ primaria liquoris hujus balſamici ſunt conſtitutiva. His ergo principiis vitiatis non leves tum in Inteſtinis, tum in ſanguinea maſſa accidunt mutationes.

Theſis 18.

Quæ vel *augent* vel *alterant* hoc ſal & inde productam bilem, ſunt aër calidus ſalibus volatilibus occultis ſæpius impregnatus, *aſſumpta* acria amara aromatica, potus vini generoſi, corporis exercitium, ira, amor, vigiliæ, ætas juvenilis, vel virilis, tempus æſtivum vel vernum, &c. *medicamenta* ergo quæ hujus ſalis alcali exorbitantiæ medentur. ſunt primario *acida*, v. gr. *vegetabilium*, ut citri, ribium, berberum, cydonior. *mineralium*, ut ſpiritus Vitrioli, Nitri, Sali, &c. Tartarus Vitriolatus, hepaticum rubeum, &c. vel ſimul, quæ præcipitant iſtud ſal, & ejus exceſſum ſimul & acrimoniam corrigunt: interdum & volatilia uſurpanda, vel ſola vel acidis miſta ut corrigant ejus depravationem, & in ſtatum naturalem idem reducant imprimis ſi vel oleoſus nimis, vel alio modo vitioſus exiſtat. *Opiata* non ſunt negligenda, quæ obortas hinc nimias efferveſcentias potenter domant, & refrenant, ſimulque conjunctos ſæpius feroces ſpiritus compeſcunt.

Theſis 19.

Sal vero acidum peccat interdum vel nimia *copia* vel nimia *aciditate* vel acore quodam *alieno*, v. gr. Vitriolico vel aluminoſo auſtero, vel alio quodam ſapore ſingulari, dum aliud acidum peccat in ſcorbuto quod non ineptè vino pendulo vel ranceſcenti comparat WILLIS, aliud in lue venerea, aliud in Dyſenteria, &c. à quo ſanguinis coagulationes & congrumeſcentiæ, fermentationes ejus, nunc imminutæ nunc depravatæ, dolores partium modo fixi, modo vagi, fames aucta & bulimos, coagulationes humorum & ſcirrhi, qui ex efferveſcentia facilè abeunt in Cancros exulceratos, &c. & ea quæ *de melancholia* præternaturali aſſuerunt veteres, mutatis mutandis hic quodammodo applicari poſſunt: cum melancholia ab HIPPOCRATE *acidus ſuccus appellari ſoleat.*

Theſis 20.

Ab hujuſmodi acido & *ſuccus Pancreaticus* habet ſuam aciditatem ut & ſaliva acorem occultum, interdum tamen, imprimis in ſcorbuto ſæpius ſatis manifeſtum, ut & *lympha* quæ ſubacida naturaliter eſſe dicitur. Pancreatici ſucci acor præcipitationem efficit, fecum alvinarum ex utili chymo per blandam cum bile chylum diluente efferveſcentiam. Salivæ acor volatilis alimenta incidit & inſtar fermenti eadem ad fermentationem futuram in ſtomacho diſponit.

Theſis 21.

Cauſæ quæ *augent* vel *alterant* hoc acidum & in glandulis inde productos ſuccos ſunt aër frigidus & hybernus, quem acido ſale eſſe impregnatum in ſpecie nitroſo, multa perſuadent, quæcunque acida manifeſta aſſumpta vel ea quæ occultum acidum gerunt, ut mel, ſacharum, carnes exſiccatæ vel muria conditæ, ut & omnia *ingeſta ante tamen abſolutam digeſtionem è ſtomacho elapſa*, & nimis tunc aceſcentia, exercitium deficiens, mæror & curæ, ætas ingraveſcens, ſomnus, &c. Hinc quæ remediorum loco adhibentur, ſunt primario *ſalia alkalia* tàm fixa, ut ſal abſinth. cent. min. card. bened. Tartar. Vitriolat. &. quam volatilia, v. gr. ſpiritus urinæ l. ſal Ammoniaci, ſpiritus & ſal C. C. ſanguin. hum. &c. & acria ſeu manifeſta in antiſcorbuticis; & temparata ſeu occulta, in vulnerariis, acidum quoque præcipitantia: Sed cum hæc non rarò dent nimias efferveſcentias, unde tormina, rugitus, cordis palpitationes, vertigines, perturbationes mentis, &c. in ſcorbuticis & hypochondriacis interdum evenient poſt talia, conveniūt etiam *terreſtria fixa* ut Antim. diaphor. C.C. uſtum & ſ. Igne ocul. cancr. corallia, & metallica, &c. acidum abſorbentia & concentrantia ut cornu cervi uſtum, medicamenta ex Saturno & Marte, &c. Saccharum Saturnini: crocus & Tincturæ Martis.

Theſis 22.

Pertinent huc PARACELSI *Tartarus*, qui nil aliud eſt, quam *ſuccus acidus facile coagulabilis vel coagulatus*, vitio primæ digeſtionis hoc eſt ventriculi fermentationis & fecum vitioſæ ſeparationis generatus, unde omnia coagula, Venereorum tophos, ac Gummata, Scirrhos, Calculos, Podagricorum nodos à tartaro ſeu ſucco acido coagulabili aut coagulato eſſe dicere poſſumus. Quod ſi minora & anguſtiora obſideat vaſa, eaque oppilet obſtructionum autor eſt. Appellationis ratione deſumpta à ſucco iſto à vino ſeparato & in ambitu circa dolium concreſcente, tartarus communiter appellato. In ſpecie ad reſolvendum & curandum Tartarum morboſum, conducunt remedia Tartarea ex Tartaro vini parata, v. gr. Sal Tartari, Tinctura Tartari, ſpiritus Tartari, &c. Sal volatilis, item ſpiritus carminativus & ſeq.

Theſ. 23.

Cæterum alimentum in ventriculo digeſtum inque ſalſum volatile mutatum, atque in inteſtinis à ſcoriis inutilibus ſeparatum, tranſcolatur & quaſi filtratur per inteſtinorum poros in vaſa meſenterii, adhæreſcente eorum parietibus craſſiore ejus parte quæ *mucus vel pituita naturalis* inteſtinorum appellatur, qua *obliviuntur* inteſtina & lubrica fiunt & ut facilius contentorum ſit motus, & ſimul quoque defendantur ab acrimonia vel bilis, vel ſucci Pancreatici, qui humores in ſpecie bilis, ne increſcat illius copia, eam quoque ſenſim ſolvunt & quaſi abradunt & vel cum fecibus foras educunt vel ſanguini quoque infundunt.

Theſis 24.

Cæterum chylus ſanguini permiſtus, non adeo celeriter ipſi aſſimilatur, quam potius poſt repetitos ſæpius ejus circuitus in uno citius in altero tardius ſanguificetur. Hinc eſt quod ſæpius per V. ſectionem emiſſo ſanguini ſerum albicans vel lacteum ſupernatare obſervatum fuerit, & quod ferè ſemper ſerum limpidum licet appareat, levi igne in gelatinam quandam lacteam coagulari queat, vel hæc etiam ex eo præcipitari, quam nutrimentum eſſe partium ſpermaticarum aſſerit Barbatus. Hæc ipſa ergo chyli pars nondum aſſimilata temperat ſalium ſanguinis acrimoniam & fermentationis æquabilitati conſervandæ multum conducit.

Theſis 25.

Sin vero vitio *fermenti ſtomachici* vel debilitati vel acidi nimis ſed fixi, non ritè fermententur alimenta, ſed in paſtam viſcidam craſſam & tenacem, ſæpè ex defectu volatiliſationis debitæ, acidam abeant, non tantum cumulatur exinde cruſta inteſtinorum pituitoſa, ſed etiam id quod ſanguini infunditur ineptum eſt, ut ipſi aſſimiletur, unde obruuntur quaſi principia, maſſ. ſang. activa, hæcque craſſeſcit, ſpiſſeſcit & diminutè fermentatur, tardeque circulatur unde dum in poris partium circa vaſa capillaria ſubſiſtit, viſcera inſtar ſpongiarum impræ gnat, & proprio acido *coagulata in ſcirrhos* abit: quæ mala eò ſunt pejora, quo acidior magis ſimul maſſa iſta exiſtit chyloſa, unde contumaces & *chronici quamplurimi in ſpecie cachectici* oriuntur affectus, adeoque quodammodo applicari poſſunt huc ea quæ de *pituita excrementitia dixerunt veteres.*

Theſis 26.

Ad hanc labem diſponunt ſtomachi fermentum *debilitatum vel nimis acidum fixum*: Cibi ſimiles imprimis *craſſi, viſcidi, duri* in ſpecie piſces, item copioſior & inordinatè ingeſtus: quies & ſomnus vitaque ſedentaria, &c. unde medicamenta *volatilia* plus minus acria vel temperata & *aromatica* hic ex uſu ſunt, quæque vulgò incidentia *aperientia* & reſolventia appellantur, & ut plurimum *ſale volatili, ſubtili* & penetranti ſunt impræ gnata, v. gr. abſinthium, mentha, centaur. card. bened. antiſcorbutica, &c. in ſpecie gummata, ammoniacum in primis potenter reſolvit & attenuat humores pituitoſos viſcidos: hinc ſpiritus gumm. ammoniaci c. viridi æris paratus, ſeu ſpiritus aperiens, optimè viſcida & mucilaginoſa reſolvit & liquefacit, in ſpecie ſi ſpiritu aniſi, vel Aqua aſthm. & ſimilibus temperetur. Motus temperatus multum valet & exercitium uti & ira, gaudium, &c.

Theſis 27.

Quod ſi vero vel alimenta vitioſa *aſſumantur*, vel alia non vitioſa ingeſta, ex depravato ſtomachi fermento *non ritè coquuntur ſed vitientur*, aut rectè cocta vitio tamen vel ſucci bilioſi vel ſucci pancreatici vel utriuſque non ritè à fecibus *ſeparentur*, ſed inſiguiter depraventur, aut bonus etiam chymus ex læſa quacunque de cauſa ſanguinis craſi non rectè in ſanguinē laudabilem & temperatum *convertatur*, ſed valdopere pervertatur, &c. omnia hæc cauſæ occaſionales fiunt morborum, pro alio atque alio ſanguinis vitio ab iis contracto, variorum dum in ſanguinem congeſta non ritè plus minus ſubacta nec per debitam aſſimilationem in ſanguinem mutata, nec ejus principiis activis ſalinis, ceu diſproportionata debitè unita, vitioſam inordinatamque *plus minus* pro craſeos ſanguineæ alia atque alia depravatione inducunt, fermentationem, non prius feliciter ceſſantem, niſi heterogeneis ſeu non unibilibus & vitioſis particulis ſeparatis & præcipitatis, æquabilis & ordinata ſanguinis redeat fermentatio: qua ratione ſubnaſcuntur *febres diarrhææ & dyſenteriæ* ex fructibus horæis, *icteri*, item *morbi Epidemici* dum ex *fermento* peregrino extrinſecus inſpirato alteratur maſſa ſanguinea & naturalis ejus fermentatio hinc pervertitur, donec morbus talis oriatur, ut in *ſcorbuto, febribus malignis Epidemicis*, &c. id quod de *contagio* ſimiliter verum eſt, ut in *variolis*. Hæc omnia fiunt quatenus debitam ſalium harmoniam & motum æquabilem tollunt ea alterando, immutando, &c. de quo ſuprà §. 14.

Theſis 28.

Morborum *malignorum*, & (quod ferè *ſemper* ipſis conjunctum eſt) *contagioſorum* natura valdè eſt intricata. In ſpecie quoad *Febres malignas*, ſunt qui in ſingulari earum cauſam ponunt *putredine*, hoc ipſo nihil explicant: Alii ſanguinis volunt *coagulationem* ut Vvillis *de Febribus*, alii ſanguinis nimiam *diſſolutionem* cujus cauſa ſit *ſal vol. acre ut* Silvius & Pauli vid. ejus *digreſſio de febribus malignis*: alii *verminoſam putredinem & corruptionem* uti Kircherus *de Peſte*, Hauffmannus in ſpecie *de viva mortis imagine*, uti & Langius *in ſuo Collegio Pathologico in Fabrum*; alii aliam producunt rationem. Cæterum arbitror *malignorum ſic dictorum morborum aut febrium non eſſe unam eandemque rationem*, ſed pro febris varietate etiam ipſam cauſam variare, quod in praxi non minus locum habere ſuſpicor. In hoc generaliter convenire videntur, quod nempe de ſe ſpargant *miaſmata valdè fermentativa*, hoc eſt inſtar fermenti Piſtorii, aliam ſimilem maſſam inſigniter alterativa & tranſmutativa, adeoque in alio ſubjecto ſuſcepta ſimilem priori ludant Tragædiam.

Febres Malignæ *ſimileſque* morbi maligni *optimè curantur per ſudorifera appropriata, hæc ipſa enim optimè malignitatem expellunt maſſ. ſang. purificant: in ſpecie in* Febribus malignis *conducunt* Alexipharmaca volatilia *ex Animalibus deſumpta, conjungenda cum* Antimonialibus fixis, *quibus ſemper* Camphorata *addenda tanquam optima Alexipharmaca, v gr.* A not. Pract.

℞. *Cinnabaris Antimonii* ℈ß.
Antimonii diaphor.
Sal. vol. CC. an. gr. v.
Camphor. gr. ij.
miſc. F. Pulv. pro doſ. *huic quando Ægri ſunt inquieti & anxietates habent nimias* Laudan. Opiat. *gr. j. alterumve addi poteſt, obſervandum tamen ne hoc fiat tempore Criſeos, nam Opiata Criticas motiones impediunt. Et quidem ſudorifera ſæpius repetenda ſunt idque eo frequentius quo magis maligna eſt febris ita ut viginti quatuor horarum ſpatio ter propinentur.*

Poſt ſudores provocatos ne Ægri nimis debilitentur danda ſunt Julepi & Potiones acidulæ imprimis cum & ex citro paratæ, quæ maſſ. ſang. ſubſudatione nimis diſſolutam denuo ad conſiſtentiam debitam redigant. vid. Coll. Pract.

Præſervationem *in* Febribus malignis *&* Epidemicis *optimè præſtant acida blanda ut Acetum in ſpecie Acetum deſtillatum, Bezoartica & alexipharmaca, infu-*

ſione ſimplicium alexipharmacorum parata: item Citrus ejuſque ſuccus, Cydonia & ſimilia: item hauſtus largior Vini, de his quotidie manè ante egreſſum è domo hauſtulus ſumptus egregiè præſervat, in ſpecie ſi cum tantillo camphoræ fuerit junctus. Vid. Collec. Pract.

Theſis 29.

Cæterùm cum non tantùm variæ alimentorum imprimis viis ſint *corruptiones*, ſed etiam ſuccorum tam bilioſi quam pancreatici non tantùm in quanto, ſed maximè in quali *variationes & alterationes*, ſæpeque depravationes & à naturali ſtatu *degenerationes*, à varia harum combinatione imprimis ſecundum principia ſalina *varietas excretorum* dependet. Non ergo variæ *pituitæ* ſpecies ſtatuendæ, ex alio atque alio caloris ſecundum gradus defectu, nec varia *bilis* aut *melancholiæ* determinatæ ſortes, ex alio atque alio caloris augmento, nec ſolo colore excreta æſtimanda, ut omnia flava ſint bilis, omnia alba ſerum, & omnia nigra melancholia, ſed *varii ſuccorum concurſus dant varia iſta excreta*, & quoad colorem, ſaporem, conſiſtentiam, aliaſque proprietates innumerabiliter diſcrepantia, ut expertæ Chymicorum manus ſuccos ob varietatem ſalium aliarumque particularum diverſos miſcentes ad oculum demonſtrant, pro varietate ſecretionis, reſolutionis, præcipitationis, &c. qualitates ejuſdem liquoris innumerabiliter variando.

Theſis 30.

Sic v. gr. rejecta excrementa alvi *flavent*, quoniam colorem habent à bile, non tamen ſunt amara, aut ſola bile conſtant, admiſtio ſucci Pancreatici ſaporem ferè inſipidum & aquoſum ſub dulcem ipſis conciliat unde & *ſale ſalſo & armoniacali volatili* ſcatent. Infantes, ſæpe rejiciunt *flava* quæ tamen non ſunt *amara* nam ceu ſuavia devorantur à canibus & unde tanta in fœtu bilis copia? Interdum infantes rejiciunt *porracea & æruginoſa*, quæ tamen non ſunt ex bile, nam manifeſtè acidum ſpirant, nata ſcilicet à corruptione *lactis aceſcentis*: unde & tormina inferunt, ac acidum præcipitantibus, v. gr. oculis cancrorum curantur. Sæpè fit ut *alba & aquoſa* evomantur, imprimis l. poſt potum vel etiam in ſcorbuto, quæ non tantum manifeſtam *aciditatem* in lingua produnt & dentibus ſtuporem inſtar fructuum immaturorum auſterorum inducunt, & pelvi æneæ immiſſa in æruginem eam corrodunt: id quod & æruginoſa rejecta ſæpè faciunt. Unde & fructus horæi omnibus conſentientibus imprimis producunt bilem porraceam & æruginoſam, ſed iſti ob facilem fermentationem facile corrumpuntur & aceſcunt, unde ratione hujus acoris *Cryſtallus bilis* porraceæ ſicut & Dyſenteriæ Antidotus prædicatur à Langio *in Epiſt.* & experimento comprobatur ab Heer *in ejuſdem obſerv. de cholera.* Hæc experimẽtum Graff *de ſucco Pancreatico* non parum confirmat *pag.* 65. §. 147.. qui ex bile flava ex veſicula extracta cum ſpirit. vitrioli perlucido permiſta liquorem *ex acro vireſcentem acquiſivit.* Idem in artificialibus quotidie contingit, dum decoctum gallarum inſtar bilis cum ſolutione vitrioli ceu acido pancreatis dat atramentum, & ſpiritus ſanguinis humani rubicundiſſimus, cum vitrioli ſpiritu Cephalico ſeu ex capite mortuo vitrioli in aëre denuo impregnato (cum affuſione ſpiritus Cephalici vegetabilis parato) dat liquorem viridem; Oleum Tartari per deliquium cum conſervis violarum vel roſarum miſtum colorem earum mutat *in viridem.* Et Spiritus Vitrioli *rubicundam* Tincturam ex violis & *Cyani vel Calcatrippæ cæruleis floribus* elicit. Contingit interdum ſimiliter planè flava evomi, ſine *ullo amarore*, in ſpecie ex cibis pinguibus in ventriculo corruptis cum putrido & fœtido ſapore. E contra vero alb[?]antia vel limpida rejecta inſigniter amareſcere teſte Silvio. *Pituita vero acida* quid aliud eſt, quam mucus inteſtinorum cum ſucco pancreatico permiſtus, *& atra bilis* adeo horrida apud Autores videtur ſuccus pancreaticus vel interdum lympha nimis acida volatilis, ſubtilis & penetrans adeoque potenter corrodens, & levi de cauſa cum quodam ſubjecto alcaliſato concurrendo in enormes & periculoſas efferveſcentias erumpens. In diarrhæis ex fructibus horæis, vel mutatione aëris & victus quæ rejiciuntur licet flava, non tamen ex bile ſunt, ſed partes ſanguinis hæterogeneæ fermentatione ſeparatæ. Et quos humores educunt *purgantia colorem non habent nativum & proprium*, ſed vel ex medicamentis ipſis tributum, v. gr. Rhabarbarum & Aloe quæ flavedine tingunt & Martialia medicamenta ſemper feces reddunt nigras: vel ex *colliquatione*, per medicamentum purgans in ipſis enatum ut ſufficienter demonſtrat Helmont *l. de Febribus cap.* 5. *& tractat. Scabies & ulcera ſcholarum.* Knofelius *de feb. Epidemica pag.* 66. Vvallæus *in Method. medend. pag.* 25. Hinc & fortiora purgantia in diverſæ licet conſtitutionis hominibus eadem ſtercora ratione coloris, aliarumque proprietatum evocant.

Theſis 31.

Calculorum generatio fit per modum *coagulationis*, dum acidum vitioſum ex primis viis in ſpecie ob ſtomachi errorem elapſum reliquis partibus communicatur in quibus inveniens *ſal urinoſum cum eodem ſe conjungit*, unde neceſſum in unam materiam ita coeunt, & quicquid conveniens aptumque unioni ſimul comprehendunt, id cum his duobus unà coagulum ſuſcipit & calculorum varietatem ſic conſtituit. Cumque in renibus imprimis, hinc in veſicula fellea abundantia reperiatur ſalis iſtiuſmodi urinoſi (modo prius per aliqualem putredinis vel fermentationis notam ſolus urinæ ſapor dividatur & ſal ſalſum volatile manifeſtius ſic fiat, id quod v. gr. præſtat aſparagus) propterea nullæ partes magis quam renes & veſica fellea obnoxiæ ſunt calculis, idque eo promptius, quo facilius ſtomachi errores communicari poſſunt renibus, per urinam potus, ibique hanc peregrinorum coagulorum producere ſobolem. Videat. Tachenius in *Hipp. Chimic. pag.* 83. id quod ſimiliter de *podagræ nodis & tophis* intelligendum eſt, quod acidum podagricum coagulet ſynoviam artuum per ſe manifeſtum eſt.

Theſis 32.

Flatus cum neque ad *vapores* neque ad *exhalationes referri poſſint*, meritò ad tertiam quãdam claſſem hujuſmodi entium, ſive ad *Gas ſylveſtria* ſeu ſpiritus incoercibiles revocantur ab Helmontio. Generatio ejus neque eſt à calore, neque à frigore per ſe, ſed tantum ab acido, p. n. per vitioſam fermentationem, unde in Hypochondriacis ſimilibúſque vitio fermenti ventriculi vel ſucci pancreatici vitioſè acidorum, copioſiſſimi generantur flatus etiam quibuſcunque ex cibis. Et licet ſint alimenta quædam aptiora præ aliis producendis flatibus, flatulenta, ob id appellata, *non inſunt tamen hi flatus, ſed hi gignuntur tantum ex illis*, non quidem in omni ſtomacho, nam robuſtus hæc ſine flatulentia digerit, ſed tantum in defectuoſo, aut qui aliis ſimul cibis copioſè ſe nimis ingurgitarit, in hoc per fermentationem exuſcitantur flatus. Sicut farina ſi coquitur non parit flatus, fermentata autem ſponte flatus eructat: Et muſtum quocunque modo tractetur ſine flatuum erit proventu, qui per fermentationem non ſine impetu ex eo exhalant. Vid. Helmont. *de flatibus &* Kergerus *de fermentatione ſect.* 3. *cap.* 3. *p.* 223.

Flatus

Annot. Pract.

FLATUS cum fiant per fermentationem vitioſam ab acido præternaturali excitatam, curantur per talia quæ fermentationem vitioſam corrigere acidum temperare & natos jam flatus diſcutere ac reſolvere poſſunt: eminent inter hæc imprimis ſemina calida majora, *nempè* Aniſi, Fœnic. Carv. Cumin. *quæ bullita in vino & ita aſſumpta contra Flatus optimè proſunt: hinc ſimplicia Aromatica ſal. volat. oleoſo conſtantia etiam laudata ſunt contra flatus in ſpecie quidem* nux Moſchat. Caryophyll. Macis, *& ex his deſtill. ol. item ex ſalinis volatil. oleoſ. ſimplicibus carminantibus parata Miſturæ. v. gr.*

℞. Aqu. Menth.
Fœnicul. an. ℥iß.
Carmin. uſit. ℥j.
Spir. Aniſ.
Tinct. Cort. Aurant. an. ʒiij.
Oleum Mac. deſt. gr. v.
Sirup. de Cortic. Aurant. ʒvj.
miſc. F. Potio.
Cochleatim haurienda.

Porrò ex Caſtoreo *parata remedia, item ex* Myrrha *atque ex* Theriaca *contra flatus ſunt egregia: item* Spirit. Nitr. *imprimis* dulcis *admodum egregius eſt contra flatus,* Spirit. *quoque* Carminativus *& omnis* Spirit. Tartar. vol. *ſit adhuc alia Formula.*

℞. Aqu. Flor. Chamom.
Aniſ. an. ℥ij.
Cinamom. ℥j.
Spir. Zedoar. ℥ß.
Nitr. dulc. ʒij.
Laud. Opiat. gr. ij.
Ol. deſt. Aniſ. gt. ij.
Sirup. Helen. ℥j.
miſc. F. Potio.
haurienda Cochleatim in colica flatulenta.

MICHAEL ETMULLERI INSTITUTIONUM MEDICARUM SEMIOTICE.

CAPUT I.

De Natura Signorum in genere.

Theſis 1.

SIGNUM eſt aliquid notum, aliud, quod ignotum, ſcitu tamen ad curationem neceſſarium patefaciens. Notum hoc eſt aliquid in ſenſus incurrens vim obtinens intellectui aliquid ſiſtendi, quod ſenſuum aciem effugit, quatenus eundem determinat, ut per ratiocinationem ex noto ſibi ignotum colligat. Vis vero hæc, qua intellectui notum aliquid repræſentat ignotum, fundatur *in noti cum ignoto cohærentia*, quæ ſi neceſſaria exinde ſigna emergunt, *neceſſaria* qualia ſunt pauciſſima, & aliàs *etiam* PATGOGNOMONICA vocantur, ſin vero iſta cohærentia eſt tantum *contingens*, ſigna exinde fiunt probabilia.

Theſis 2.

Ea quæ hoc modo *cohærent* ſunt *cauſæ & effectus* & contra, vel per ſe, vel per accidens ſe invicem conſequantur, & quocunque alio modo inter ſe ſunt connexa. Ex quo connexionis fundamento *tres ſignorum univerſales emergunt fontes*: 1. Ex *conſequentibus* ſ. *effectis*, quo omnia Symptomatum tria genera pertinent, cum Pulſu & urina. Huc non ineptè & à *juvantibus* & *nocentibus* ſigna deſumpta revocantur. (2) *Ab Antecedentibus*, ſ. *cauſis* tam *internis* quam *externis*, tam *communibus* quam *propriis*: ad hoc poſterius pertinet ſubjecti quoque conſtitutio, quatenus exinde inclinatur ad hunc vel iſtum effectum, tam *nativâ* ratione, idioſyncraſiæ naturalis, proprietatum hæreditariarum, ſexus, &c. quam *adventitia* ratione ætatum, victus, & vitæ generis, &c. (3) Ab *Eſſentialiter inhærentibus*, ſive ab ipſo *affectu præter naturali* ſenſibus ipſi interdum ſatis manifeſto.

Theſis 3.

Quæ autem Medico ſub primo ad ægrum ingreſſu prænoſcenda ſint, aptè explicat HIPPOCRATES *lib. d. Affectib. tit.*36. Terminos quæſtionum præſcribendo, inquiens, *cum ad ægrum deveneris, interrogare oportet, quæ patiatur & ex qua cauſa & quot jam diebus, & an venter ſecedat, & quo victu utatur.* Cujus uberiorem explicationem vid. *in Inſtit.* KYPERI *lib.* 3. *cap.* 4.

Theſis 4.

Sed an abſentis & per longa locorum intervalla diſſiti, ſtatus ſanitatis cognoſci poſſit per *Medica Magica naturalia*, ab aliis dicta *Sympathetica*, vel *magnetica* negotium eſt altioris indaginis, & ut non omnino rejiciendum, ita nil temere aſſerendum aut blaſphemè effectus naturales diabolo tribuendi. Expertum certè fuit, Nobili Bruxellenſi in patria friguiſſe & putruiſſe ſubitò naſum, eo tempore, quo bajulus ex cujus brachio exſciſſus fuerat, Bononiæ mortuus eſt. Et mater lactans infantem, abſentis novit ejulatum lac poſcentis ex compreſſione & quaſi vellicatione mammarum. Dum urſus hyeme pingueſcit, in ſpecu, ſomno ſepultus, adeps vel pinguedo Urſina in pyxide aſſervata, intumeſcit & quaſi augebatur. Gallina Ovis incubans; ſi in iiſdem ædibus ovum aſſetur ex iis, intereunt pulli excluſioni vicini. Sic Fratres Germani vel Gemelli; multis milliaribus ſæpè diſſiti, iiſdem tamen conflictantur morbis, in ſpecie variolis. licet hæ in altero loco omnino ſint tunc temporis inuſitatæ. Referenda huc ſunt ſingularia Exempla ſimilis ſympathiæ à BORELL. *cent.* 2. *obſ.* 17. & BARTHOL. *cent.* 5. *hiſtor.* 79. memorata. Propter hæc & ſimilia experimenta nil inconſideratè judicandum, dum refertur, quod ſpiritus ſanguinis alicujus viventis vitro hermeticè clauſo impoſitus, monſtrat ſanitatem & morbos ejus, cujus eſt ſanguis, licet longè abſentis, mutatione coloris, & conſiſtentiæ in clarum, rubrum, turbidum, lividum, in Febribus, Ictero, Melancholia, &c. Vel dum JOHANNES ERNESTUS BURGGRAVIUS incendit vel præparat *Biolychnium* ſeu lampadem vitæ ex ſanguine viventis, cujus flammula pro varietate coloris, ſplendoris, motus, &c. certiſſimus ſit ſanitatis vel morbi index, ſicut ſui extinctione mortem inſinuat ejus ex cujus paratum eſt ſanguine. Videat. AUTOR in *pecul. Tract.* & BEGUINUS *in Tyrocin. Chimic. lib.* 3. *cap.* 1. *pag. mihi* 445. Id quod SCHMUCK *Theſauro medico ſecreto phyſico*, 18. per herbam *Telephium* dictam, verſo modo ſuſpenſam perficere tentat, quæ ſuo virore, flacciditate, vel ariditatè ſanitatem & morbum, vel mortem peregrè profecti, hæredibus domicilii monſtrare debet. Alii eundem effectum expectant, per imaginem pictam cujuſdam abſentis, &c. Quod tamen valdopere Magiam non naturalem ſapit.

CAPUT II.

De Urinis.

Theſis 1.

COlorem ſuum aliaſque proprietates habet Urina ex contentis *ſalibus volatilibus oleoſis laticem aquoſum* impraegnantibus, inſtar lixivii communis à ſalibus imbibitis flaveſcentis: Quod ſi contenta porulis laticis continentis ſint *probè unita*, ut radii luminoſi aequaliter tranſeant fit urina *clara*, ſeu perſpicua; ſi vero partes contentae liquori *non aequè ſint unitae*, ut impediatur radiorum progreſſus, urina fit *turbida*. Sin contenta ſint pauca, urina eſt *tenuis*, ſinvero copioſa urina eſt *craſſa*: Quod ſi radii luminoſi tranſeuntes ex parte quadam ſui refringantur, urina fit *colorata* plus minus *intenſè* prout magis minuſve talis radiorum refractio contingit: pro majori vel minori contentorum copia, aut prout plus minus contenta cum continente ſunt unita.

Theſis 2.

Mictio lactea ſine incommodo diu durans obſervata fuit à PLATERO *lib. 3. obſerv. pag.* 836. Urinam lacteam in Cachexia obſervavit SYLVATICUS *cent. 3. conſil.* 29. Urina *viridis* in Pueris ſpaſmum, aut venenum potum innuit, cujus exemplum vid. in FOREST *lib. 18. obſ.* 28. Urina *nigra* non ſemper malum eſt ſignum, ſed morbis Chronicis imprimis ex acido oriundis, ſuperveniens, concoctionis optimae, hoc eſt, excrementorum praecipitationis eſt Maſſ. Sang. & ſic cum urina ſeparationis eſt indicium. Id quod probatur ab eo, quod habet HÖFERUS *in Hercul. medic. pag.* 140. quod ex uſu lapid. bezoar in Ictero nigro, aeger nigra minxerit inſtar atramenti. Et hoc imprimis uſu venire ſolet in morbis ex ſplene ortis, vel cum ejus affectu conjunctis. Sic SCHENCKIUS *lib. 3. obſ. de liene* refert, quendam lienis Tumore laborantem per 15. annos, annuatim bis vel ter per urinae profluvium inſtar atramenti, convaluiſſe. Rarum interim eſt quod habet BARTHOLINUS *cent. 5. hiſtor.* 90. Urinam nigram ex uſu nimio uvarum obortam fuiſſe.

Theſis 3.

De urina *clara*, quae ſucceſſivis excretionibus perturbatur, obſervetur, per ſe eſſe ſemper in morbis optimum ſignum, quia in acutis notat inchoatam & continuatam concoctionem, unde haec abſoluta copioſum dat ſedimentum urina denuo clareſcente; id quod in Chronicis ſimiliter obtinet, in quibus urinae clarae & ſplendentes, quando turbidae fiunt in Ictero nigro, hydrope ſicco, ſeu abdominis, malo hypochondriaco, &c. Signum bonum ſunt futurae morbi ſolutionis, ob renovatam naturalem in ſanguine fermentationem, indéque heterogenearum & non unibilium particularum extruſionem, & hoc ſignum in ſcorbuto perhibetur, quod medicamenta antiſcorbutica probe ſuo fungantur munere, ſi urina antea clara, turbida & craſſa ab eorum uſu reddatur.

Theſis 4.

ODORIS varietatem ex aſſumptis ſaepius eſſe vid. in HORST. *manuductione ad medicinam pag.* 187. ubi ſimul de Medico caeco *ex odore de urinis dijudicante*. Urinae *violacei odoris* ex *Therebinthina* abſumpta cauſam in ſal volat urinae à terebinthinae ſal. volat. oleoſo balſamico rectè refert BORELLUS *cent. 2. obſ.* 33. Sine manifeſta autem cauſa urina *ſuaveolens* in morbo à SARTHOLINO obſervata *cent. 4. hiſtor.* 78. inter ea quae raro contingunt referenda.

Theſis 5.

Suſpenſum ſeu ἐναιώρημα annulare & in medio perforatum obſervavit BARTHOLIN. *in cent. 3. hiſtor.* 74. Coronam urinae capitis affecti ſigna referre confirmat BARTHOLINUS *cent. 4. hiſtor.* 26. Unde ea Urina ſpumoſa in circulum abiens, ſignum Catarrhi perhibetur ab HOFER *in Herc. medic. pag.* 30.

Theſis 6.

Arenulas ſaepe cum urina excerni notum eſt, ſed bene obſervanda earum varietas. Verae enim arenae *durae & tactui reſiſtentes* nec friabiles, calculi ſunt prodromi. Saepe autem cum urina excernuntur arenoſa haec, ubi paulatim ſteterit, lateribus vaſis ſe affigunt arenulae, vel ſabulum rubrum & copioſum, idque *facile friabile*, & hoc ſcorbuticis ferè proprium videtur, & quaſi ejus infallibile ſignum eſſe, vid. HOFFER. *Hercul. medic. pag.* 180. HORST. *manuduct. ad medic. p.* 191. Quae ſcorbuti ſubſumptio eò magis confirmatur, ſi ſupernatet *urinae cruſta quaedam, quaſi pinguis, vel oleoſa*, ſed ad latus adſpecta inſtar caudae pavonis, vel Iridis cum inſigni manet colorum varietate ut rectè MOEBIUS *inſtit. pag.* 358. ex ſale acido cum alcali miſto & volatiliſato oriri ſtatuit.

Theſis 7.

Varia cum urina reddita vid. in BARTHOLIN. *de lact. Thorac. cap.* 9. DEUSING. *de aliment. depurat.* §. 10. HORST. *manuduct. ad medecin. pap.* 189. CLAUDINUS *Conſil.* 40. COLLE *in Coſmetor. Medic. pag.* 318. Inſecta in urina notat BARTHOLIN. *cent. 4. pag.* 378.

CAPUT III.

De Pulſibus.

Theſis 1.

UTi Urina potus monſtrat alimenti in primis viis alterati & digeſtionis ibidem peractae conditiones; Ita urina ſanguinis, hujus monſtrat craſim ex particularum ejus liquorem componentium, imprimis ſalinarum fermentatione oriundam, & prout diverſimode variat ejus conſtitutio. *Pulſus* autem ipſius fermentationis vitalis in corde inſinuat ſtatum, diſtributioniſque ſanguinis ex eo in omnes partes rationem. *Pulſus* differentiae in genere ſunt vel *ſimplices*, vel *compoſitae*: illae ſunt quinque iſtae vulgares communiter notae: Hae inter ſe mutuo collatae dant differentias pulſuum compoſitas, quarum prima eſt, ut pulſus ſit aequalis vel inaequalis, &c.

Theſis 2.

Caeterum uti non raro fallax, & incertum eſt ex Urina Indicium, de quo vid. HILDANUM *cent. 3. obſ.* 73. in ſpecie in Febribus malignis. Expertum videtur illud SCHENCK. *lib. 2. obſ. pag.* 278. *Ita & pulſus non raro* valdopere fallit. vid. SCHENCK. *lib. 2. obſ. pag.* 287. Non tantum ex varietate affectuum, ob varias circumſtantias ortarum (de pulſu amatorio: An ſit ſingularis litigant autores, vid. HORST. *Tom. 1. diſſert. de natura amoris pag.* 435.) Sed variae etiam pulſus anomaliae & idioſyncraſiae naturaliter quibuſdam contingunt: Obſervante hoc DEODATO. *in valetudinar. pap.* 67. SCHENCK. *lib. 2. obſ.* adeò ut quaſi uniuſcujuſque *naturalis pulſus* antea praecognitus eſſe debeat, priuſquam judicium certum de eo in morbis immutato ferri poſſit, unde & pulſus peſſimi, in febricitantibus mulieribus non raro Medicos fallunt, teſte PANAROLLO *Penteceſt. 4. obſ.* 48. Utut rarae quaedam mirandarum ex pulſu praedictarum hiſtoriae proſtent, quas vid. in SCHENCK. *obſ. lib. 2. hiſtor.* 268. BARTHOLIN. *cent. 5. hiſt.* 37. in quo ipſo mirum quantum excellere dicuntur medici Sinenſes, & Japonenſes, ut tantum non

prophetas

prophetas agant. Inſtrumenta quod attinet ſphygmica à quibuſdam ſagacibus pulſus ſcrutatoribus inventa, ſunt ea magis curioſa quam proficua, & plus habent ſubtilis ſpeculationis quam expertæ praxeos. Vid. de iis SANCTORIUS *in Comment. in Fen primum Avicennæ, proœmi: quæſt.* 6. SCHOTTUS *in magia naturali part.* 3. *lib.* 4. *pragmatolog.* 9. MARCUS MARCI *de proportione motus, proportione* 41. *&c.*

Theſis 3.

Pulſus intermittens & deficiens utut non ſine cauſa *ſit terribilis medico*, cum ſæpè ſit lethalis ægroto, nihilominus omnes ante omnia circumſtantiæ benè perpendendæ ſunt, antequam feratur judicium. Non ſemper enim ſunt lethales teſte VVIERO *in obſ. de Febribus malignis.* ZACUT. *lib.* 2. *medicor. principum hiſt. quarta.* MARCELL. DONAT. *hiſt. Medic. mirabil. lib.* 7. *cap.* 8. BARTHOLIN. *cent.* 5. *hiſt.* 37. Nam ut taceam abolitum arteriarum pulſum ad multos annos obſervatum eſſe à RONSEO *Epiſt.* 11. *pag.* 41. & RHODIO. *cent.* 2. *obſ.* 42. SCHENCKIO. *lib.* 2. *obſer.* vel ſaltem eundem in quibuſdam ſubjectis digito applicato non ſentiri. Quale exemplum vide in BARTHOLINO *cent.* 4. *hiſt.* 42. Certè interdum ex variis cauſis impedimentum occurrit, quo minus arteriæ pulſare queant, utut res careat periculo, modo benè pernoſcatur. Sic ob præſentem Plethoram indéque impeditum ſanguinis motum pulſum interceptum vid. in SCHENCK. *lib.* 2. *obſ.* Et in hypochondriaco malo confirmato ac ſcorbuto expertis eſt nota ingens in pulſu variatio, cum non rara ejus intermiſſione (vid. SALMUTH. *cent.* 1. *hiſt.* 94. quæ tamen periculo ſæpè carens, ſubinde fortiter cum palpitatione cordis recurrente eodem. Sic ob tumores occultos comprimentes in aliqua parte arteriam, impeditur ejus debita dilatatio: Ita cordis auricula à materia craſſa & pituitoſa, referta dat pulſus inæquales & intermittentes de quo vid. RIVER. *cent.* 2. *obſ.* 77. unde obſcuratur & deficit pulſus in una manu qui eo manifeſtior erit in altera, quod vide in *Pentecoſt. obſ.* 32. PANAROLL. Et ob ſimiles cauſas externas, etiam in uno carpo pulſus multum eſt diverſus ab eo in altero, Teſte HOFER. *in Hercul. medic. pag.* 89. Ergo præter Carpos in tali caſu etiam in aliis locis perquirendi ſunt pulſus v. gr. inter pollicem & indicem de quo vid. RHODIUS *cent.* 2. *hiſt.* 44. TULPIUS *lib.* 3. *c.* 45. Item in temporibus & circa Poplitem pedis: Interdum vel arteria Tarſi tangenda in pede prope ſecundum digitum, Auctore AMATO LUSITANO *cent.* 1. *curat.* 96. Optimè obſervat BARTHOLINUS *cent.* 5. *hiſt.* 37. quod parvus pulſus in magnis doloribus neminem terrere debeat.

CAPUT IV.

De ſignis quibuſdam Prognoſticis.

Theſis 1.

QUi de doloribus bulbi oculorum conqueruntur, nulla Ophthalmia præſente, raro evadunt. PAULI *in digreſſ. d. Febr. malign. pag.* 17. *Oculi quaſi ignei* delirium ſeu Inſaniam portendunt LINDAN. *in Colleg. Practic. ſupr. Hartm. cap.* 18. Quod *auditus læſio* non ſemper ſit malum ſignum vid. præter ZACUT. LUSITAN. *in lib.* 1. *medic. princip. Hiſt. dubio* 40. PAULI *in digreſſ. pag.* 16. 17. Lumborum dolor ſine manifeſta cauſa & febri, hæmorrhoidum vel menſium inſtantium eſt ſignum vid. GABELCHOVER. *Cent.* 2. *Cur.* 65. *annot. pag.* 98. Oculi unius minoritas præ altero eſt peſſimum ſignum EPIPHAN. FERDINAND. *in hiſt. medic.* 27. *pag.* 85. HOFERUS *in Hercul. medic. pag.* 73. D. LANGIUS *Diſſert. de morbillis. Sanguis ex ſecta vena,* ſi non egreditur fontis modo, ſed tanquam fex ex dolio, lethale ſignum eſt. PANAROLLUS *Pentecoſt.* 4. *obſ.* 7. *Hirudines ano* applicatæ cum hauriunt ſanguinem, iſtum vero attrahere reliquunt, aut attracto ſanguine cito pereunt, lethale ſignum eſt, IDEM *citato loco.* Inter lethalia ſigna quæ certò mortem prænunciant nullum obſervavit *Johan.* STEPHANUS *in operibus medic. miſcel. pag.* 449. quod pluris ſit momenti & plus polleat *frequenti & inſolenti manuum admotione ad nares ſine ulla materiæ effluxione*; ubi enim ægri febricitantes identidem manus motitant ad nares quaſi ſordes exempturi aut nares emuncturi, ſi nihil talium fiat, pernicioſiſſimum eſt ſignum. Si ægroti non ſint ſimiles atavis, avis aut parentibus in ſtatu ſano, at in morbis eos referant, lethale eſt: vid. BARTHOLIN. *Cent.* 4. *hiſt.* 31. lividus color corporis ſæpius quidem mortem denunciat ſed non ſemper; obſervante hoc ZACUT. LUSITANO *lib.* 3. *prax. admirand. obſ.* 10. qui colore ſunt pallido & *virentibus* herbis perquam ſimiles ſunt jecinoroſi, ſed ſplenetici ſunt nigri & ſubcinericii. Teſte FONTANO *in reſponſis & curis medicis. lib.* 1. *pag.* 95. *Linguæ actualis frigiditas* eſt ſignum lethale, RIVER. *obſ.* 1. *communicata* à JACOT. Aphoriſmus HIPPOCRATIS 62. *ſect.* 4. non ſemper eſt verus vid. HORST. *lib.* 1. *obſ.* 20. Ubi Icterus ſalutaris quarta die in continua Febri obvenit. & BARTHOLIN. *Cent.* 3. *hiſt.* 4. obſervat Icterum in quartana ſalutarem ante ſeptimum ſupervenientem.

Theſis 2.

Medicus bonus negligere debet Criſin, quia prævenire, recte monet HELMONT. ſi enim Criſin expectat, naturæ ægræ totum onus bajulandum incumbit, Medico tantum ſpectatorem agente, qui tamen naturæ ſit potius miniſter, eámque adjuvet, quod facit, dum præcipitantibus opus concoctionis promovet & blandis diaphoreticis & aliis modis cocta ſenſim foras eliminat. Sic enim vix expectato Criſeos termino actum erit de morbo. Obſervetur tamen quod *Criſes ut frequentiores ſunt in calidioribus regionibus*, ita *rariores in Climatibus frigidis.* In Chronicis morbis fiunt quaſi Criſes à 30. die ad 40. teſte EPIPHANIO FERDINAND. *inſtit.* 32. Habet aliàs ANNUS CLIMACTERICUS quaſi aliquid Criticum, per ſeptenarios recurrens, ut Criſis magna ob id aliquo modo vocari poſſit, de quibus ex profeſſo conſcripſit Tractat. Clariſſimus SALMASIUS.

ET HÆC DE SEMIOTICE.

* * *

MICHAEL ETMULLERI
INSTITUTIONUM MEDICARUM
THERAPEUTICE.

CAPUT I.
De Methodo Medendi & Medicamento.

Theſis 1.

NAturam *eſſe morborum medicatricem*, *Medicum* etiam ejuſdem *miniſtrum* HIPPOCRATIS eſt oraculum. Natura hæc eſt Spiritus iſte HIPPOCRATIS impetum faciens tam inſitus, quam influus, & hinc Maſſ. Sang. à quibus dependet ſalus machinæ noſtræ corporeæ. Sed obſervatur triplex *naturæ ſtatus* ab HELMONT. *Tr. ignotus hoſpes morbus* §. 89. & *Catarrhi deliramenta* §.1. inculcatus *naturæ* ſc. *ſtantis*, *ſedentis* & *jacentis*, ubi Medicus in duobus ſtatibus primis eſt ſolus miniſter naturam adjuvans, & imitans, ſed in tertio proſtratæ naturæ ſtatu, Medicus etiam ejus eſt Patronus & Rector, eam denuò erigens, & in libertatem vindicans.

Theſis 2.

Fungitur ſuo munere Medicus, dum legitima agendorum notitia ſeu *Methodo medendi* inſtructus auxilia ſeu media invenit, eaque legitimè applicat pro ſanandis morbis. In omni namque *auxilio duo conſideranda* (1) *materiale* ſeu ipſius medium in ſe & (2) *formale ſ. legitima* uſurpandi ratio: quæ pro varietate circumſtantiarum multis admodum modis variat.

Theſis 3.

Legitimè autem ſanat morbum, quit *tres haſce conditiones* obſervat, ut *citò*, *tutò*, & *jucundè* curet. CITÒ ſcilicet ratione temporis, TUTÒ ratione effectus, ne quid remaneat pro recidiva, aut alium morbum poſt prioris ablationem inducat. JUCUNDE ratione modi, ut ſine magna ægri fiat moleſtia. VVALÆUS *methodo medendi p.*7.

Theſis 4.

Media curandi, inveniuntur tribus modis: (1) per RATIONEM in philoſophia naturali & Oeconomia animali fundatam & hoc vocatur aliàs INDICATIO. (2) per EXPERIENTIAM in aliquot exemplis fundatam, qua ratione medicamenta ſpecifica dicta, quorum agendi ratio non poteſt adeo certè à priori demonſtrari, in uſum vocantur. (3) per ANALOGISMUM in ſimilitudine affectus unius cum altero fundatum, unde Medicamento affectui cognito appropriata applicantur, in affectu altero incognito, priori tamen ſimili id quod imprimis in novis incognitis affectibus uſu venit.

Theſis 5.

INDICATIO eſt cognitio vel inventio remedii in Medico, quo ſuccurrit naturæ in curando affectu, ex eo quod cognoſcit ratione à priori, tale remedium hanc habere potentiam ut tollat talem affectum. Id ergo quod Medicum ſeu Artificem dirigit, ut inveniat remedium dicitur INDICANS, id vero quod ipſi agendũ monſtratur per tale remedium dicitur INDICATUM. Medicus ergo naturali nixus ratione perſpicit hoc vel illud remedium hanc habere potentiam, ut ſatisfaciat tali ſcopo pro reſtituenda ſanitate indicato.

Theſis 6.

Fundamentum hujus nexus vel reſpectus inter *indicans* & *indicatum* eſt, quod remoto uno, ponatur alterum, & poſito uno alterum removeatur. Medicus ergo per medium rationis ex curſu cauſarum naturalium elicitæ, invenit id, quod valet removere illud præternaturale, ut permaneat vel reſtituatur in legitimum ſtatum id quod eſt naturale. Hoc alii explicant per uſitatum iſtum canonem, *quòd contraria contrariis curentur*, & *ſimilia ſimilibus conſerventur.* Vid. CÆSARIS MAGAT. *conſiderationes Medicæ Tom.* 1. *part.* 1. *quæſt.* 2. 3. 4. HARTMAN. *diſſenſ. Chymicor.* 8. Ubi non ſtrictè contraria neque tantum oppoſita intelligenda, ſed omnia ea quæ tali ſe habent modo ad ſe invicem, ut in corporis noſtri Oeconomia ſimul eſſe nequeant, ſed poſito uno alterum quacunque cauſa removeatur. Qua ratione facilè hæc trita ſententia conciliari poteſt cum iis quæ habet HELMONT *tract. natura contrariorum neſcia & in ſpecie* §. 15. & *tract. Ignota actio regiminis.*

Theſis 7.

INDICANS quid ſit facilè cognoſcitur ex eo, quod *Medicus* ſit *naturæ miniſter*. *Hæc* ergo totam ad ſe convertit medendi rationem: Hæc eſt internum principium gubernans corporis Oeconomiam & ſanans morbos. Vid. *Diſpenſat. Medico Chymica* HARTMANN. 9. §. 75. POTERIUS *de Febribus lib.* 2. *cap.* 4. JONSTON *Ideæ Medicin. Practicæ lib.* 4 *tit.* 1. *pag.* 187. Natura ergo indicabit quid agendum ſit Medico, ut auferatur cauſa, ut placentur ſymptomata, conſerventur ea quæ ſunt naturalia & tollantur moleſta præternaturalia: *Circumſtantiæ vero ipſæ naturales*, ut ſexus, ætas, vitæ genus, &c. pars affecta, &c. quatenus naturæ vim reſpiciunt, aut ejus indicationem certa ratione modificant, nunc *contra indicantia* nunc *permittentia*, nunc *conſentientia* dicuntur.

Theſis 8.

Quoad remediorum indicatorum *uſum*, obſervetur illud Epiphani Ferdinandi *inviolabili lege eſſe obſervandum, ut quandoque à remediis abſtineamus, nam interdum remedium eſt, nullum adhibere remedium, maxime quando natura eſt à multitudine medicamentorum & diuturnitate doloris afflicta, tunc enim intermiſſionem facere juvat.* Illuſtrat hoc *hiſtoria* 54. *pag.* 168. exemplo doloris nephritici, in quo poſt novem dies pluribus applicatis feré fruſtra remediis cum quietem feciſſet per decimum & undecimum diem, recreata natura, undecimo die cæpit plures calculos per vias urinarias emittere. Vid. Zacut. Lusitan. *lib.* 2. *prax. admirand. obſerv.* 81. Unde rectè inquit Borellus *cent.* 3. *obſerv.* 55. *Medicus non minus eſt qui remedia ægris admovere quam qui utiliter amovere ſcit.*

Theſis 9.

Præſidia quod attinet tam conſervãdi præſentem (*in Hygiene*) quam recuperandi abſentem ſeu amiſſam ſanitatem (*in Therapia*) *ex triplici fonte deſumuntur.* (1) ex fonte Chirurgico per manuum armatarum artificioſam applicationem (2) ex fonte Pharmaceutico per medicamenta ex tribus regnis, minerali, animali, vegetabili deſumpta, tam intus propinata, quam foras admota (3) Ex fonte Diætetico per rerum non naturalium varium pro varietate circumſtantiarum uſum.

Theſis 10.

Quoad *ſimplicia* obſervetur, (1) quod eorum uſus qualiſcunque longè præferendus ſit *compoſitis*, cum in his ut rectè monſtrat Helmont *Tract. diſpenſator. modernum.* § 5. ſit perfecta cura & ſanatio omnium morborum: modo virtutes eorum melius indagentur & per lucem experientiæ, in apertum protrahantur. Natura namque ſimplex, & ipſa ac uniformis ſimplicitate gaudet. Omnibus notumque alimenta diverſa aſſumpta ſtomacho laborem faciunt, & ſanguinem perturbant, multo magis alterantium medicamentorum, tam horrida farrago, qualis in Theriacalibus compoſitionibus ac ſimilibus eſt conſpicua. Cumque aliter fieri nequeat quin variæ dotes ſimplicium tam cognitæ quam incognitæ confundantur, unum alterius impediet activitatem, contrarias ſcopo deſtinato aliud exercet virtutes & loco adjumenti non leve detrimentum adferet. Zvvolfer. *Pharmacop. Auguſt. Animadv. claſſ.* 14. *pag.* 245. Helmont. *l. c.* §. 520. Hinc rectè Arnoldus Villanovanus *inquit ubi in promptu habentur ſimplicia, dolum eſſe ſi quis compoſitis utatur.*

Theſis 11.

Obſervetur (2) quod *præparationis* eorum hic ſolus debeat eſſe ſcopus, ut eorum virtus ſpecifica occultata aut aliorum nativa concretione obruta, in *apricum protrahatur*, ut liberius adeoque ſimul potentius operetur, *ſecundo* ut ſi quid adeſt virulentiæ & heterogeneæ aut nocivæ potentiæ, hoc aut omnino caſtretur, aut ferè corrigatur, & tertio denique ut faciliori & meliori ratione corpori adaptetur. Non ergo præparationes aut correctiones ſint eorum *caſtrationes*, qualis v. gr. lotio Aloes aut feculæ Aronis vel Ireos aut Magiſteria ex Oculis cancrorum vel ſpinis viperarum aut purgantium per acida correctio. Neque aut vires earum per præparationes in ſpecie Chymicas *alterentur* aut omnino *invertantur*, cum Vulcanus Chymicus non paucas proprias vires deſtruat, novas vero ex *συγκρίσει* l. *διακρίσει* particularum aut ex alia ratione ortas, iis conciliet. Hinc Helmont. *Tractat. natura contrar. neſcia*, § 45. felicem eum deprædicat Medicum, qui crudis ſimplicibus morbos tutò atque promptè tollere novit.

Theſis 12.

Medicamentorum vulgari modo applicatorum *agendi ratio* & operandi, eſt una ex difficillimis Theoriæ Medicæ Doctrinis. Nam eorum vires reſpectivè tantum conſiderandæ ſunt, ex effectu, quem ſcilicet applicata corpori noſtro exerunt; quæſtio ergo eſt, *quonam modo talis effectus ab iis promanet?* In genere tamen cum varius eorum ſit agendi modus duplici imprimis operantur ratione. 1. *Materiali ſuo contactu* & cum corporis noſtri fluidis ſeu contentis partibus miſcela, quam inſequuntur certæ corporis tam ſenſibiles quoad primas ſic dictas qualitates, quam inſenſibiles alterationes: qualia ſunt, v. gr. quæ fermentant, præcipitant, acidum abſorbent vel concentrant, vel purgant, ſudores movent, urinam cient, menſes evacuant, reſolvunt, incidunt, adſtringunt, coagulant & alias vires exerunt, & *Hippocraticas cauſarum morbificarum agendi potentias* edomant, ſeu internè aſſumantur, ſeu externè applicentur. De quibus externis vid. Major. *diſſert. de inunctione verticis.* Hæc omnia propriis ſuis materialibus imprimis *ſalinis agendi* principiis ſuas exerunt potentias, quibus ſanguineam maſſam & ab ea derivatos humores, lympham tam conglomeratam quã conglobatarum glandularum, item bilem, ipſaque viſcerum fermenta à multiplici præternaturali labe corrigunt & emendant.

Theſis 13.

Licet enim ſtomacho potentem concedam in aſſumpta medicamenta juriſdictionem, dum ſuo *fermento* eadem reſolvendo in humorem nutritium ſubigere nititur, adeo ut propterea Helmont aſſerat, ea non pergere extra ſtomachum, quin prius deponãt omne fermè remedii robur, (vid. ejus *Tract. in verbis, herbis, & lapidibus magna vis*, ubi hoc argumentum ex profeſſo tractat) Ad hæc *ſuccus Pancreaticus & bilioſus* non leviter medicas eorum dotes imminuunt, ob quas cauſas aut diverſus ſæpè non in diverſis tantum, ſed in eodem ſubjecto, in eodẽ affectu ejuſdẽ medicamenti eſt effectus, prout iſtorum ſuccorum imprimis viis major minorve eſt alterãdi potentia, unde & venis canum infuſa purgantia, narcotica, operantur promptè & efficaciter, quæ iis interius propinata, ob ſui alterationem nullum edebant effectum. Nihilominus tamen ut ut hæc imminuant eorum vim, non tamen omninò eam tollunt, ſed hanc alteratam licet, non inefficacem eſſe ad curandos morbos, non adeò atroces, nec adeò ſubitaneos, experientia loquitur quotidiana. Vix enim alio modo Hippocraticæ cauſarum morbificarum *ἐνεργίαι* edomari poterunt, ac per ea quæ ſimilibus potentiis agendi ſunt inſtructa, ad quæ ſane corporalis requiritur contractus ac miſcela.

Theſis 14.

Alio modo operantur medicamenta (1) quod ſine materiali ſui miſcela *per influxum idealem medentur morbis.* Cum enim multi morbi oriantur proxime ab ideis peregrinis in archeo pictis, & alii placentur ſubito ſine ullo ſenſibili medicamenti effectu, vel materiæ occaſionalis morbificæ evacuatione, amuletorum quoque ac appenſorum influentialis vis radiativa ſit tantum non ſtupenda, & quædam medicamenta dum adhuc in ventriculo hoſpitantur ſuas mirandas exerant energias, v. gr. Hyoſcyami ſemen vid. Helmont *Tract. jus duumviratus* § 22. Et opium &c. Sane hæc omnia optimè explicari poſſunt & dilucidari per hujuſmodi ideas in Archeo ſuſcitatas, quæ alias ad occultas qualitates referri neceſſe eſſet, id eſt, earum ignorantiam apertè fateri, de quibus in ſequ. capit.

CAPUT II.

De Morborum Archealium Curatione.

Theſis 1.

DAri morbos archeales, ab *Ideis vitioſis & peregrinis* in Archeo ſeu ſpiritu inſito partim; in influo ſuſcitatis, ortum habentes, ex Pathologicis notum eſt: Et confirmant hoc ſufficienter morſus quorumcunque animalium, qui ex perturbationibus affectuum indéque ortis ideis, ſunt venenati, aut *ipſius hominis*; ſicut & ſanguis recens, & calidus animalium hauſtus, hominem in mores & actiones brutales transformat, non minus quam carnes animalium ex perturbationibus in rabiem actorum comeſtæ, ſimilem rabiem nobis communicant. Vid. KIRCHERUM *de Peſte pag.* 207. & in genere omnia ea aſſumpta quod imaginativam perturbant & deliria determinata inducunt, alio modo operari nequeunt, quam per Ideas ſimul transplantatas, qualia exempla vid. in KIRCHERO *de Peſte pag.* 203. BARTHOLETUS *de reſpirat. lib.* 5. *cap.* 3. *pag.* 405. DORING. *de Opiò pag.* 72. 79.

Theſis 2.

Imaginationis ab omnibus mirandæ prædicantur vires, tam in ſtatu ſano quam morboſo, neque id immerito: quid valeat *matris imaginatio in ſignando fœtu*, notum eſt vid. HORST. *lib.* 11. *obſ.* 3. quo & pertinent peculiaria exempla ab HELMONTIO recenſita; *Tr. de objectis materialibus* § 9. quorum rationem vid. in MARCO MARCI *pag.* 415. quoſdam ex imaginatione firma non tantum in morbos incidiſſe ſed etiam iiſdem occubuiſſe, referunt obſervationes, imprimis Henrici ab Heers. *Fiducia ægri in Medicum*, ejuſve medicinam quid valeat omnibus notum eſt: & vid. MARCUS MARC. *pag.* 511. Ubi ſimul demonſtrat, quare metus morbi ejuſdem paroxyſmum ſæpe inducat, qui aliàs ad tempus aliquod adhuc manſiſſet ſopitus: dumque terrores vel pavores concepti ſæpe diuturnorum malorum cauſa ſunt, in ſpecie variorum deliriorum de quibus PLATER. *in obſervat. pag.* 51. & 90. Hoc tamen beneficio imaginationis fortioris obtinent. Vomitum ſequi rei cujuſdam *horrendæ auditionem*, noto notius eſt, unde aut ſolo conſpectu infuſi cujuſdam Antimonialis nauſeam & copioſam tam per ſuperiora quam per inferiora purgationem excitatam refert. BARTHOL. *cent.* 4. *hiſt* 64. & viſu deglutionis pilularum procuratam purgationem vid. in SALMUTH *cent.* 3. *obſ.* 14. Omnes hæ operationes, ſequuntur imaginativæ vires. Hæc autem tantum circa ſpecies objecta ſenſibilia repræſentativas, hoc eſt, ideas verſatur, quæ ſpiritus nunc influentes ſignant, & ad actiones certas determinant, nunc in ſpiritu iſtius partis inſito quam ſpecies connexa ſignat, ſigillatæ, hunc ad varias depravationes, actionem diſponat.

Theſis 3.

Dum etiam cauſæ læſarum actionum, facultates dicuntur, *læſæ vel irritatæ* aliter explicare nequeunt, quid his irritationibus velint intellectum, niſi dicant ex præſentia rei moleſtæ vel præternaturalis percepta, ſtimulum inijci facultati ad amovendum hoc moleſtum, neceſſe ergo eſt moleſtiam inferri ab objecto, hanc recipi & percipi hoc eſt quaſi ſentiri in ſubjecto, quod exinde vult repellere iſtud: Sed quomodo hoc faciet, niſi interveniat furoris vel indignationis Idea, à qua exuſcitatur ad talem repulſionis motum, v. gr. dum ſtomachus irritatus producit vomitum: Sub iſtorum ergo umbrularum lumine tacitè ipſas Ideas inſinuant.

Theſis 4.

Opium eſt remedium ferè Catholicum, & quod in omnibus ferè affectibus non ſine fructu adhibetur, ſiquidem *quaſcunque in corpore noſtro exortas motiones humorum & ſpirituum præternaturales compeſcit.* Sed parva & exigua ejus doſis, non poteſt referri ad ea, quæ materiali ſui agant miſcela, cum hæc ſub certo quanto operentur: Sed operatur potius in ſpiritus vi ſua narcorica, ejus motus nimio furores, & excandeſcentias ſopiendo, ſicut alia remedia omnia Narcotica, nonniſi ſpiritum afficiendo ſuas exerunt operationes. Sed cum & ipſa vis *narcotica ſit nociva*, demum tunc ſalutare evadit remedium, dum depoſita iſta virulentia per ſolas virtutes anodynas, archeum placantes, operatur.

Theſis 5.

Quoties fit, ut ſine ulla materiæ ſenſibilis *evacuatione vel alteratione* ſubitò curentur morbi, qui aliàs ſub laborioſis V. Sectionibus, purgationibus, diætis, & ad dedecuss Medici contumaces perſiſtunt. Nihil dicam jam *de lapillo* BUTTLERI de quo HELMONT *pag.* 466. & MARCI *p.* 544. ſed hoc urgeo quod contumaces febres intermittentes, eſu rei apparenter nocivæ, ſed appetitæ v. gr. halecis curentur tutò (unde & periodi febrium quatenus adeo certæ & ſtatutæ ab interno Archeo per certam Ideam modificato oriri videntur; hinc & opium paroxyſmorum febrilium recurſum impedit) quod difficillima curatu mania injectione in Aquam frigidam tollatur, vid. HELMONT *Tractat. demens Idea* §. 49. Quod ſubita excandeſcentia vel repentinus metus curent inveteratas paralyſes, SCHENK. *lib* 1. *obſervat. pag.* 94. HORST. *Tom.* 2. *lib.* 11. *pag.* 15. quod magnæ excreſcentiæ curentur ſine ferro, ſine igne, per contactum *manus mortuæ Chronico* morbo ſenſim interemptæ. Hic ergo in morbis ideæ morboſæ per aliàs deletæ morbum ſolvunt.

Theſis 6.

Sunt ergo *morbi Archeales*, qui oriuntur ab Ideis peregrinis, Archeum ad actionum depravationes determinantibus; Quatenus nunc communicantur ſpiritui *ab extrinſeco* ab aſſumptis, aut morſu animalium, nunc generantur *in eodem ab intrinſeco*, vel ab imaginatione vel ab animi perturbationibus, quorum ſimulacra non tantum in penu memoriæ, ſed etiam in ea parte corporis, quam ſpecies connexa ſignat, inſculpuntur (hinc ſcorpio irritatus infligit per cuſpidem cauſæ vulnus venenoſum per ſe lethale, ſin vero ex improviſo cauda ipſi amputetur, hac ipſa corpus innoxiè vulneratur) vel aut excrementis, quæ prout alias noxas, quas corpori inferunt, cauſæ ſunt occaſionales, ut ex eorum moleſta præſentia & irritatione excandeſcat ſpiritus & furoris Ideam concipiat, indéque varias actionum læſiones inducat. De quibus vid. HELMONT & MARCUS MARCI.

Theſis 7.

Remedia ergo, quæ mederi debent *directè* hujuſmodi ab Ideis ortis morbis, ſimiliter agere debent per modum Idealem i. e. Ideas iſtas Archei morboſas delere vel *eum blandè pacando*, vel *Ideam contrariam* Ideæ morboſæ repræſentando, vel denique per modum irradiationis novam *vitalem Ideam* in corde exuſcitando. *Indirectè* autem conveniunt ea, quæ cauſam occaſionalem talis morboſæ Ideæ removet v. gr. quando delirium ab Hyoſcyamo aſſumpto inductum curatur per vomitum, vel quando excrementa evacuantur, quorum præſentia aliàs excandeſcentiæ Ideas inducebantur.

Theſis 8.

Per Exempla res eſt clarior: *Manus mortua* ex longo morbo excreſcentias delet ſuo contactu, ob pavorem mortis inductum Archæo excreſcentiæ, qua pavoris Idea excreſcentia ſenſim decreſcit. Manus vèro violenta morte interempti cadaveris, idem non facit, cum in talibus aliquid vitale hoc eſt de ſpiritu inſito remaneat: Ob ſimilem rationem manus mortuæ ad contactum noſtrum adeo frigent apparenter. *Viperæ venenum* per morſum inflictum, in indignationis & furoris conſiſtit Idea, hanc delet *Bufo Vivus* contuſus & applicatus, ob contrariam pavoris Ideam, ex hominis præſentia contactam, quam moriens adhuc retinet. (Vid. HELMONT *Tract. tumulus peſtis pag.* 885. KIRCHER. *ſcrutintum peſtis pag.* 346.) quæ ipſa pavoris Idea quaſcunque *Hæmorrhagias*, ex nimio ſpiritus furore, & impetuoſo motu concitatas, bufo appenſus feliciter ſiſtit: Sicut *ejus oſſiculum* pulſui Infantis applicatum ob eandem Ideam *Epilepſiam* ejus ſiſtit, notam vel ex ira, vel ex terrore nutricis, infantem paulo poſt lactantis: Ex ſimili fundamento ſcorpius *cum vipera propriis* morſibus applicati venenum tollunt, ex contrarietate ſcilicet Idearum. Vid. MARCI MARCI *p.* 532. quare pavidum animal Lepus ejuſque cruor per venationem bene agitati ex Idea contrarìa vel *dyſſenteriam vel Eryſipelas* curet. Vid. HELMONT. *Tract. Poteſtas medicaminum* §. 29. Non minus quàm quare *cruor tauri* potantem ſtrangulet, non vero cruor bovis: idem *in Tract. natura contrariorum neſcia* §. 49. Sanguis torpidi & ſomnolenti *Aſini* juxta aures extractus, & linteo exceptus ſi potui infundatur, *maniacos* feroces ex Idea contraria curet.

Theſis 9.

Nec deſunt alia remedia per Idealem modum operantia v. gr. *raſura cornu tauri* in coitus ardore abraſa, mire armat in venerem. *Cerebrum & ſanguis Paſſeris* in Veneris actu enecati, potentius longe ſtimulat eandem, quàm ſi nude interficiatur alio tempore. Sanguinis & teſticuli *Cervi* dum in venerem hiat, tranſfoſſi, arcanum eſt Cupreum cujuſdam Principis. Ejus priapus veroſimili tempore enecati cum vel ſubactus & teſtibus applicatus, ſingulariter Venerem excitat. Vid. BARTHOL. *cent.* 6. *hiſtor.* 50. Filum rubrum *quo Vipera* ſtrangulata fuit, collo circumductum curat *anginam. Uſnea Cranii humani detenta* in manu impedit ſanguinis ex ſecta Vena in brachii eruptionem vide BOYLE in *philoſophia experimentali.* HELMONT. *Tract. Magnetica Vuln. Curatio.*

Theſis 10.

Ex perturbationibus animi per ideas inde enatas & induci morbos & etiam curari aliquoties monitum fuit. *Terror* interdum diuturnam curat *quartanam. Arthritidem* inveteratam curari per torturam, refert HILDAN. *cent.* 1. *obſerv.* 79. quæ ex *terrore ac nimio ac ferè* intolerabili dolore, ob ſuem Cataplaſma Anodynum depaſcentem, curata quoque fuit Autore SALMUT. *cent.* 1. *obſerv.* 48. ob ingentem *terroris Ideam* Archeo pedum incuſſam, quare curſus paroxyſmi inhibetur qualis Arthritis ex inſperato gaudio ſimiliter ablata fuit Autore HILDANO *cent.* 1. *obſerv.* 79. Aſt quoties fit ut *metus podagræ* eam abſentem ſubito inducat, aut præſentem exaſperet. Vid. MARC. MARCI *pag.* 510. *Pavor mortis* ex metu ſuffocationis. *Hydropobiam* ſanat. Jam cogita operoſam medentium artem circa tales affectus, per medicamenta interna & externa varia applicata, ſed fruſtra, qui per ſola animi pathemata ſubitò & de repente curantur, quæ quicquid poſſunt primario per ideas exinde enatas & certæ parti impreſſas præſtant. *Motum humorum & agitationem* quam quidem hic pro cauſa cognoſcunt, vix aliter quam ab archeo, per tales Ideas determinato oriri poſſunt aut certe non tantam habent efficaciam, ut v. gr. arthritidem tam ſubito & radicitus tollere valeant.

Theſis 11.

Satis manifeſta hæc ſunt, pro confirmatione curationis morborum Archealium per Ideas & remedia idealiter operantia. Hiſce jam adjungenda ea remedia quæ ſimili ideali influxu, ut ut obſcurius paulo, licet potentius operantur. De amuletis earumque efficacia jam nihil dicam. Saltem de metallicis dico, quod horum legitimè præparatorum & recluſorum magna ſit poteſtas, quæ imprimis in *eorum ſulfure fixo latet* recondita, adeo ut his ſulfuribus tota morborum cohors auſcultet. Vid. de modo agendi horum remediorum HELMONT. *Tract. in his verbis & lapp. magna eſt vis.* In quo prolixè demonſtrat, agere hujuſmodi ſulfura ſine ſuo materiali in corpus ingreſſu a irradiativè in Archeum, inſtar luminis ſolo velut radio vel aſpectu ſui, quo radio animatus Archeus, fingat in ſe ipſo ideam rerum agendarum. In ſpecie quidem eſt Sulfur Veneris fixum, quod valdopere omnes deprædicant, in quo latet vis ſingularis pacans Archeum, omneſque ejus furores ſuaviter compeſcens, & componens, de quo præter ea quæ hinc inde habet HELMONT. Vid. POLEMAN. *de ſulfur Philoſoph.* Vitriolum ratione ſuæ partis metallicæ hanc vim obtinet participatam, unde *Sulfur Vitrioli anodynum dulce* tantæ eſt æſtimationis & in hoc Sulfure Vitriol. vis latet ejus curativa ſympatheticè, unde etiam ex Vitriolo volatiliſato *lapillus* BUTLERI ſeu *Drif* HELMONT. *præparari ſolet.*

Theſis 12.

Ex modò dictis ratio curationis *Sympatheticæ & transſplantatoriæ inveſtiganda venit.* SYMPATHETICA eſt v. gr. dum naſus corrumpitur Bruxellis in nobili, ob mortem Bajuli Bononienſis: Dum Vitriolum in Sole calcinatum curat vulnera vel hæmorrhogias, ſi ſanguis in idem immittatur, vel linteum cruentum eo aſpergatur, vocatur ob id Pulvis *Sympatheticus.* Dum gladio quo vulnus fuit inflictum ſive cruento ſive non cruento applicatur unguentum quod vocant *magneticum, armarium* quo curatur vulnus. Dum mulier lac in prunas candentes excernens, lactis proventum in uberibus amittit &c. Dum ſanguis teſtæ ovi incluſus & gallinæ pro fotu ſuppoſitus, poſt cum carne quadam miſtus & carni eſurienti propoſitus & comeſtus, curat multos Chronicos ſubjecti ſui morbos in ſpecie ictericos. Id quod alio modo per Urinam ægri quoque fieri valet; qua ratione cum ſanguine, Urina, excrementis &c. ægrotantium multæ ſympatheticæ Curæ fieri poſſunt. Pertinet huc quando verrucæ, lardo vel pomo per medium diſſecto contactæ &c. lardo in camino furni areſcente vel pomo putreſcente ſimiliter evaneſcunt.

Theſis 13.

Sympathia proprie eſt conſenſus: quid autem aliud eſt conſentire, quam uno ſentiente aliud quoque ſentire atque idem aut diverſum quid pati, unde & *Magnetiſmus* appellatur. Fundamentum conſiſtit in Archeo vitali, cujus aliqua portione à corpore deciſa, in alio ſubjecto hærente, prout hæc varias paſſiones recipit, indeque ideas cudit, variarum animi paſſionum analogas, ita etiam Archeus in toto ſibi fingat ſimiles ideas à quibus pro eorum ductu variè determinatur, v. gr. in Archeo ſanguinis ex vulnere emanantis, eſt idea furoris & indignationis, quæ dum ſedatur per *armarium unguentum* ratione Usneæ ex crano humano, vel in pulvere Sympathetico, ratione virtutis pacativæ Archei in ſulfure Vitrioli Anodyno, etiam ſedatur eadem in Archeo ipſius vulneratæ parcis,

parcis, idque ob Symbolum unitatis, quod inter ſe habent, adeoque Symptomata ex iſta Idea promanantia ſubito quoque ceſſant, ut inde pars remota omni impedimento ſanetur. Vid. MARC. MARCI *in parte 5. prolixè*. Uno verbo ſpiritus vitalis cum ſanguine emanans prout afficitur à pulvere Sympathetico, eodem modo afficitur pars læſa diſtans, propter unitatem ſpiritus vitalis.

Theſis 14.

Idem contingit *in* TRANSPLANTATIONIBUS *ſeu morborum ex uno ſubjecto in aliud traductionibus*, ſive hoc alterum ſubjectum exindè ægrotet, ſive non; ſive ſubjecto hoc creſcente ſive corrupto fiat morbi curatio: talis tranſplantatio fit vel per certum quoddam medium quod ob id vocatur MAGNES, ſive ſine medio per mutuum contactum. Prioris exemplum eſt dum applicato ſtercore humano ad certam aliquam partem tranſplantatur eo ipſo morbus in plantam cujus ſemen in terram hoc ſtercore miſtam inſeritur. Vid. TENZELIUS *in Medicina Diataſtica*, vel dum ungues pedum abſciſſi & in quercu terebrata incluſi, hominem liberum reddunt à Podagra vid. MARC. MARC. *pag.* 479. Poſterioris Exemplum eſt dum digitus laborans panaritio in aurem felis intruſus ſanatur ab omni dolore, fele dolore auris affecta vid. RIVER. *cent.* 4. *obſ.* 19. Plura in BARTHOLIN. *cent.* 3. *hiſt.* 66. *cent.* 6. *hiſt.* 53.

Theſis 15.

Prior modus proprie eſt TRANSPLANTATIO, poſterior vero vocatur APPROXIMATIO: in priori mediat MAGNES ATTRAHENS mumiam, in poſteriori vero Ægro applicatur tale ſubjectum, quod attrahit ſpiritus vitales & unit ſe cum iis, eoque morboſos corrigit, unde ſicut affectus quidam inficiunt per approximationem ſpiritibus infectis ſe inſinuantibus in corpus ſanum, & hujus ſpiritus ſimiliter inficiendo, ita fit ſimiliter Cura per approximationem dum ſpiritus morboſi in corpus ſanum derivati certo modo corriguntur aut emendantur.

Theſis 16.

Tranſplantatio quæ mediante Magnete peragitur eſt quintuplex (1) INSEMINATIO, quando Magnes mumia (i. e. ſpiritu vitali è corpore extracto) imprægnatus, miſcetur cum terra pingui in quam ſemen plantæ morbo appropriatæ ſeminatur & lotura membri affecti vel totius corporis ſubinde irrigatur, inde poſtmodum quantum planta propullulans accreſcit, in tantum morbus decreſcit: quod ſi mumia imprægnans magnetem non ſit ægra ſed ſit ſana, planta imprægnabitur ſpiritu vitali ejus cujus fuit mumia, quo ipſo ſingularia ſecreta fieri poſſunt, (in ſpecie philtra) ſed probè obſervetur qvod eligantur herbæ propoſito aptæ cum unaquaque planta habeat peculiares dotes, & alio modo operatur ſpiritus in *Carduo*, alio in *Angelica* (2) IMPLANTATIO quando plantæ cum ſuis radicibus vel ſolæ radices in terram ſupradicto modo præparatam & irroratam immittuntur, ita ut optimum ſit quod radices nullam aliam humiditatem acquirant quam quæ ex lotione partis affectæ contingat: quod ſi plantæ intereant ex attracta vitioſa qualitate, antequam perfecte curatus ſit morbus, alia ſimilis eſt implantanda in eandem vel ſimilem terram. (3) IMPOSITIO, quando recipitur mumia membri morboſi, aut ejus excrementum aut utrumque, tantum quantum haberi poteſt & immittitur in arborem vel plantam intra corticem & lignum tegendo corticem & obducendo terra limoſa: vel mittitur in foramen terebra prius factum, & obducatur piſtillo. Denuo, ex eodem ligno facto claudendo foramen per terram limoſam. Sed in omni impoſitione obſervetur, quod ſi deſideras effectum durabilem uſurpas arbores longævas (v. gr. quercum &c.) ſin vero deſideras effectum celerem, uſurpes eas quæ celeriter creſcunt: obſervetur dein in his quæ celeriter creſcunt, qvod tàm cito atque obtines tuum finem tollas omne, qvod impoſuiſti, ne nimia ſpiritus attractio Ægrum lædat. (4) IRRORATIO, omni die irrorandæ ſunt plantæ aut arbores convenienter, donec curetur affectus, Urina, ſudore, fecibus alvi vel lotura membri aut totius corporis, prout fert occaſio: aut ſeparatim, aut his mixtis conjunctim, ſed ego hoc quoties uſurparem (inquit SAMUEL BOULTON *in ſua Medicina Magica* &c.) tanquam adjumentum reliquorum modorum: ſimul vero atque irrigatio facta eſt, nova terra imponenda deſuper, ne aër diſſipet virtutem Mumialem. (5) INESCATIO quando datur mumia Animalibus pro alimento, calor enim vitalis animalis unit mumiam ſecum, eaque corrigit approprians ſibi vitioſam qualitatem qua ſpiritus ægrotabat, & ita reſtaurat ſanitatem corporis cujus mumia extracta fuerat: qvod ſi Æger non perfecte ſit ſanatus dum animal affectum moritur, neceſſe eſt ut aliæ beſtiæ partem ſimilis mumiæ communices: & in hoc modo imprimis ſanguis legitime putrefactus vel fermentatus præ cæteris debet uſurpari; plura vid. in SAMUEL BOULTON MEDIC. MAGICA.

Theſis 17.

Magnetes pro attrahenda mumia recenſet 4. BOULTON (1) ſecundum PARAC. & TENZEL. *cit. loco* ex ſtercore humano (2) eſt caro humana ſiccata quæ diu durat aſſervata à D. FLUDIO quæ applicata regioni cordis tam violenter attrahit ut non poſſit diu perferre, ſed neceſſe eſt deſumpta ſit à corpore humano violenter occiſo, & ſi poſſibile eſt dum adhuc calet. (3) eſt ſanguis ex homine ſano quantum placet, ab hoc grumefacto decantetur liquor ſeroſus ſupernanatans & exſiccetur in umbra, humectetur ſucceſſivè iſto liquore & ſiccetur denuò, donec ſanguis omnem imbiberit liquorem & ſic ſiccatum aſſervetur (4) Recipe copioſum ſtercus hominis ſani & hoc cum Urina ejuſdem miſce, redige in conſiſtentiam pultis adde quantum habere potes ſudoris ex hominibus ſanis à linteo aut ſpongia collecti, ponantur ſimul in loco mundo in umbra donec ſiccentur, hinc adde ſanguinem recentem, miſce, ſicca & ad uſum reſerva.

Theſis 18.

Hujuſmodi tranſplantationibus fit communicatio *Archei ſeu ſpiritus vitalis* ex ſubjecto ægrotante, in aliud ſubjectum, in quo ipſo ideæ & morbificæ archei delentur vel per earum ſedationem, pacationem, vel per contrariarum repræſentationem, vel per omnimodam earum ex Archei omnimodo per corruptionem, interitum, extinctionem, &c. quo fit ut in Archeo corporis ægri, ſimiles exuſcitatæ ideæ faciunt, ut Archeus pacatus conquieſcat & ita morbus curetur. Rectè enim HELMONT. *pag.* 599. §. 28. inquit ſanguis, pus, urina & perſpirabile effluvium, continuò aliquid ſecum de ſpiritu vitali demunt, hiſque ineſt participatio quædam totius, extra concretum materiale. Unde quando tale aliquid, pro tranſplantationis adhibetur medio hoc habeat ſpiritus iſtiusmodi vitales ipſi inhærentes.

Theſis 19.

Obſervetur hoc loco, quod in tali tranſplantationis caſu, iſta ſpiritus vitalis portio, quæ talem effectum præſtat, MUMIA vocari ſoleat, & quidem MUMIA MICROCOSMICA SPIRITUALIS. Licet enim mumiæ vocabulum, propriè ſpiritui inſito conveniat, qui ob id etiam *ſpiritus mumialis* vocatur, cum ratione hujus partes corporis violenta morte interempti, quibus conſermentatus ſeu intimè permiſtus & adjunctus exiſtat adhuc aliquid vitale contineant, & operatio-

nes ſingulares in Magia naturali exſerant, tamen ob analogiam quandam ſpiritus vitalis influus in hoc negotio *mumialis* vocari ſolet.

Theſis 20.

Denique ex ſimili Ideali & Archeali principio, fluit vis & poteſtas PHILTRORUM naturalium, & in determinatam Perſonam directorum, quorum vis conſiſtit in tali mumiali confermentatione, ut ad certum objectum trahatur dilectio, ut rectè loquitur HELMONT. *pag.* 599. §. 27. Medium ſcilicet, quo pro philtro utimur impraegnetur effluvio quodam ſpiritus vitalis, ſeu tali vitali mumia, quo determinetur & individuetur certo cuidam ſubjecto huic ſubjecto: Unde alter aſſumpto cum philtro tali fermento mumiali, ab hoc ipſius ſpiritus, cui iſtud nubit & cui ſe jungit, per magnetiſmum trahitur & ſubigitur in amorem talis perſonae, cujus mumia ipſi per philtrum fuit communicata, & ejus ſpiritui confermentata, v. gr. Notum eſt panis ſub axillis ad tempus detentus ut impraegnetur effluvio ſpirituali & mumiali (ratione cujus & herum inter mille homines ſolent agnoſcere canes) tui corporis, cani propinatus, eum in immenſum rapit amorem ut nunquam te deſerere poſſit. Sic D. HARTTMANNUS habuit paſſerem, cui hunc amorem ſui communicavit, unde paſſer eum nunquam deſeruit, ſive ſederet, ſive ambularet, ſeu aegros viſitaret, ſed ſemper eum comitatus fuit. Sed haec de morbis Archealibus ſeu iis quod ab ideis morboſis Archeum ad actiones morboſas determinantes oriuntur, & eorum remediis idealiter contra rationem operantibus, haec dicta ſufficiant: quae ita intellecta volo ut ceu paradoxa ulterius penſitentur, & experientiae ſaltem ſua maneat laus, ubi ratio vacillare videtur.

CAPUT III.

De Plethorae diminutione.

Theſis 1.

FRequentes obſervationes loquuntur quàm inſolitas natura interdum *ſanguinis inſtituat evacuationes*, ut à ſarcina eam moleſtante ſe liberet. Exemplum vid. in ZACUT. LUSITAN. *lib.* 2. *Medic. princip. hiſtor.* 10. BARTHOL. *cent.* 5. *hiſtor.* 19. Et per inſenſibilem porum in cute circa hepatis regionem apertum, ſe exonerantis naturae Exemplum illuſtre vid. in SCHENCK. *pag.* 413. Ut taceam vel menſtruorum excretiones (quae non tantum mulieribus ſed etiam viris interdum contingunt de quo vid. ZACUT. *lib.* 2. *prax. admirand. obſerv.* 102. BARTHOL. *cent.* 5. *hiſt.* 32.) vel haemorrhoidum fluxum qui non tantum viribus eſt proprius ſed & mulieribus non raro vicarius eſt menſtruorum deficientium, vel naturaliter emanentium, quibus ordinariis fluxibus, ſuppreſſis quam variae ſuccedant evacuationes, vel per vomitum, vel per nares, vel per mammas vel per oculorum canthos vid. poteſt. in SCHENK. *lib.* 3. *obſ. pag.* 511.

Theſis 2.

Quidni ergo imitetur Medicus naturae conatum, & ubi cognoſcit eam aggravatam eſſe à ſanguine hunc imminuat, ſive *ſenſim* abſumendo per inedias & exercitia aut fontanellas, ſive *confertim* evacuando aut per cucurbitulas ſcarificatas, aut per hirudines applicatas, aut per inciſam arte venam. Vid. NICOL. FONTAN. *reſponſ. & curat. pag.* 110. & 111. Haec enim *per ſe* nil aliud praeſtant, quàm quod ſanguinem evacuent, cujus abundantia *ſola V. S. indicat* &c. Vid. ſupra ubi de Plethora.

Theſis 3.

Tanta certe interdum *V. S. eſt utilitas* ut ij, qui ex nimia plenitudine mori viderentur, ſola ſanguinis miſſione ſanati fuerint. Vid. SCHENCK. *lib.* 3. *obſervat. pag.* 417. Et ex omiſſa V. S. in corpore ſanguine turgido ſtagnationem ſanguinis, & inde ſuffocationem lethalem obſervavit PANAROLLUS *pentecoſt. obſerv.* 23. Unde qui *conſueti* ſunt ſemel V. Sectioni, illam neceſſe *habent quotannis* repetere, niſi clinicam velint agere vitam, idque continuare coacta fuit nobilis mulier uſque ad octuageſimum annum Teſte TRINCAVELLIO. SCHENCK. *obſervat. pag.* 417. quâ conſuetudine omiſſa, obortam febrim cum Eryſipelate in ſene 63. annorum vid. GABELCHOVER. *cent.* 6. *curat.* 6. Unde etiam V. S. aſſueti, ſtatis vicibus in vena pungi ſolita titillationem ſentiunt, quaſi natura ad ſolitas evacuationes movente, ut eleganter loquitur BARTHOLIN. *cent.* 5. *hiſt.* 19. Plura de V. S. neceſſitate vid. in *Method. medendi* HOFFMANN. *lib.* 1. *cap.* 13. & *diſſertationem* MAURIT. HOFFMANN. *de V. S. neceſſitate.*

Theſis 4.

Per ſe ergo ut ut ſolummodo *evacuationis* ſcopo ſatisfaciat V. S. *per accidens* tamen interdum etiam aliis ſubvenit affectibus, quatenus vel hi à ſanguinis abundantia vel exinde impedito ejus motu aut fermentatione imminuta, vel alia circumſtantia adjuncta dependent. Hinc V. S. in brachio inſtituta, inſtantes menſes proritat, urinam remoratam pellit, abortum interdum praecavet, partum difficilem promovet teſte BORELLO *cent.* 4. *obſerv.* 24. idque PATINUS Pariſiis & BAUHINUS Baſiliae feliciter quoque experti ſunt &c. ſic mulierem ex defectu menſium labefactatam per V. S. repetitam curavit BENIVENIUS SCHENCK. *lib.* 2. *obſervat. pag.* 264. & extenuatum per V. S. curatum vid. in ZACUT. LUSITAN. *lib.* 2. *prax. admir. obſervat.* 4. quod vero quidam in Febribus ſecent venam, ob id, *quod refrigerent*, abſonum eſt, cum calor tunc excedens ex efferveſcentia ſanguinis oriatur, quam ejus tantilla detractio non depauperabit, niſi velis more veterum ad animi uſque imminens periculum Venam ſecare, (exemplum vid. in AMAT. LUSITAN. *Cent.* 3. *curat.* 31.) quod illi terminum ſufficientis evacuationis tunc ſtatuebant, ſicque aegros noſtros facillimè curares, quia occideres, de qua controverſ. vid. MAGATUM in *conſiderationibus Medicis Tom.* 1. *part.* 2. *quaeſt.* 7.

Theſis 5.

COR eſt fons, ex quo ſcaturit ſanguis & univerſum poſtmodum corpus pervagatur, movetur indeterminate per arterias ad partes, per venas vero ad cor & nunquam movebitur copioſius aut impetuoſius ad unam partem quam alteram, neque pro correctione talis motus V. S. ulla ſub nomine *revulſionis* aut *derivationis* inſtitui poteſt. Sed tumet pars à ſanguine ſtagnante, non irruente, hoc eſt ex ejus legitimo motu per porulos vel partium vel vaſorum capillarium impedito, ſanguis neceſſario coacervatur in parte, indeque pars tumet. Quocunque ergo in loco evacues ſangvinem nunquam corriges iſtum tumorem, niſi impedimentum iſtud qvod ſanguini tanquam materiae liquidae fluenti oppoſitum eſt removeas. Et poſito, irruere ſanguinem in partem ex quacunque cauſa, niſi hanc cauſam removeas, non corriges eum motum, licet vel centum Venas in alio loco pertundas: Etſi vel maximè irruat, non poteſt copioſius irruere quàm vaſa permittunt, quorum alveis coercetur, ſin ergo aperta ſunt omnia vaſa, viaeque patulae, ſane eo motu, quo irruit in partem, eo etiam ex eo affluet, ob

immuta-

immutabilem naturalis circulationis legem. Quid ergo nunc proderunt *revulſoriæ* vel *derivatoriæ* V. Sectiones?

Theſis 6.

Natæ ergo fuerunt hæ veterum Hypotheſes ſub tenebris *ignoratæ ſanguinis circulationis*, quibus diſcuſſis & iſtæ falſitatum nebulæ diſparuerunt. Ut ergo pateat quomodo ſub certo ſenſu ſtare queant iſta veterum aſſerta, propono ratione cordis *duplices eſſe regiones* corporis oppoſitas, in quas emanat ſanguis, ſuperior ſcilicet ratione arteriæ aſcendentis, & inferior ratione arteriæ deſcendentis, quando ergo Secta Vena evacuatur ſanguis in quadam parte, hoc ipſo ad majus & liberius ſpatium promptius in venulas ex arteriis capillaribus influit ſanguis, his ergo depletis promptius influit ſanguis ex ramis, hinc ſucceſſivè ex truncis, adeoque ſic aliquo modo celerius ob minora obſtacula, influet ſanguis in iſtam regionem corporis, ex qua fit talis evacuatio, quam in alteram, ubi non fit. Si ergo ſtagnat ſanguis in quadam parte ex impedito ejus motu v. gr. in capite vel oculis, datque inflammationem, quo pertinacior eſt talis ſtagnatio, eo major & perículoſior erit inflammatio, ob ſuccedentem & influentem continuo non interrupto motu ſanguinem. Si vero Vena in parte inferiori aperitur v. gr. poplitea aut ſaphæna, ſanguis evacuando primò diminuitur, ſecundo ob liberius ſpatium in inferiori regione & ob impedimentum ſtagnationis in ſuperiori promptius movebitur ſanguis ad inferiora: Sicque duplex habetur commodum 1. ut ſanguis non adeo copioſus ſuperiora verſus feratur (ſed hoc non durat diutius, quam Vena aperta ſanguis fluit, hac enim denuò occluſa ſanguis brevi poſt iterum in omnibus vaſis æquali tenore & quantitate circulatur.) 2. Ut ſanguis dum quantitas ejus minuitur, ubi ejus motui injicitur impedimentum, non adeo copioſè ſtagnet, ſed depletis vaſis à vicinis abſorbeatur & per ea ad cor revehatur, quod fit eo felicius, quo copioſius ſanguinis detrahitur. Hoc modo explicata REVULSIO erit ſanguinis in quadam regione ſtagnantis, in contraria vel oppoſita evacuatio, ut ejus quantitate imminuta, impediatur nimium ſtagnationis incrementum, hoc vocatur *revulſio univerſalis.*

Theſis 7.

Quod ſi vel facta ſit talis revulſio vel ea non opus ſit, & ſtagnationis ſanguinis in parte incrementum non ſit adeo ingens, vel jam aliquo modo diminutum, ut ulterius hoc præcaveatur, aperitur Vena *in eadem regione*, quo ſic non ad locum ſtagnationis ſed *ad vicinum* promptius ſanguis fluat, & magis adhuc imminuto ejus quanto, facilius per alia vaſa remeare queat, ne augeatur ſtagnatio, & hoc vocant *revulſionem particularem*, *alii averſionem*, evacuationem nempe ſanguinis ex loco ejus ſtagnationi vicino, v. gr. Anginoſus evacuat ſanguinem ex pede pro revulſione, è brachio pro averſione, è raninis ſub lingua pro derivatione. Quod ſi vero incidantur venæ iſtæ per quas ſanguis ſtagnans naturaliter aliàs refluere deberet, ut ſic adjuvetur quantum fieri poteſt ejus recurſus, quo inſtituatur in naturalem circulum vocatur DERIVATIO *ſanguinis*, quando per locum ſtagnationi proximum educo, quicquid ergo adjumenti afferunt revulſiones omnes & derivationes, eſt tantum accidentarium, & cum ſanguinis evacuatione, id eſt virium diminutione conjunctum, qui ergo convenienti *ſudorifero præcipitante ſanguinem* attenuare, reſolvere (nam ſtagnationes tales ut plurimum ab acido ſanguinem coagulante & ejus motum impediente oriuntur) fluxilem reddere novit, is naturalem ipſi reſtituit circulum, omnem ſtagnationem tollit, omnibus iſtis V. S. ſuper ſedere & tales affectus cito, tuto & jucunde curare poteſt, quod quotidiana in *pleuritide* abunde teſtatur experientia.

Theſis 8.

Supra dicta in §. 5. qui perpendit, facilè perſpicere poterit, quod aut *interceptionis* aut *repulſionis* humorum cauſa, in parte quadam applicata remedia, ſint fruſtranea, quia ab iis ſperata adjumenta aut ſunt *impoſſibilia*, ob inviolabilem circulationis legem, aut admodum *nociva* ob impeditum ſanguinis motum. Si enim excrementa ſunt per degenerationem alimenti partis proximæ coacervatæ ſenſimque collecta, fruſtra intercipere aut repellere tentas, quod quotidie ſubnaſcitur, ſed radicem prius nempe depravationem fermenti corrige & recte ages. Sin vero vel ſanguinis vel lymphæ motum aut intercipere aut repellere velis, ex lymphæ impedito motu quid niſi tumores ſeroſos ſeu *Hydropes* particulares inducis? Sin vero ſanguinis influxum impedire velis, intercipiendo *arterias* neceſſe eſt adſtringas, & anguſtes, aliàs enim fruſtra laborabis, ac ſic partem vita privabis & gangrænam induces: ſin vero *venas* hoc modo anguſtes, ſanguinis refluxum tolles, & ita inflammationem induces, quam præcavere debebas. Quod ſi ſanguinem jam in partem affuſum ac ſtagnantem repellere tentes, ea omnia quæ hoc præſtare dicuntur virtutem habent obſtruendi poros & meatus vel coagulandi ſanguinem effuſum, unde his applicatis potius impedies ſanguinis motum, quam ut eundem promoveas, & ſanguinem refluentem ſiſtes, quem ſurſum pellere debebas. Unde aut repellentia Chirurgorum in inflammationibus, fracturis &c. applicata, in ſpecie acida, plerumque tumores reddunt pejores & inferunt periculoſa ulcera aut lethales gangrænas, id quod in Eryſipelate vel ab aniculis eſt cognitum, hæ indoctæ licet, ignorantes tamen inſtruunt Chirurgos, omnem humidorum prohibentes applicationem, quia talia Chirurgorum ſunt repellentia, hoc eſt adſtringentia & coagulantia. Hoc ergò in caſu, loco repellentium vel intercipientium applicentur diſcutientia, quod penetrant, attenuant, reſolvunt & fluxibilem faciunt humorem impactum (& talia imprimis vim habent omne acidum abſumendi & corrigendi à quo ſæpe tales per coagulationem inducuntur ſtagnationes ſeu dicantur calida ut ſpiritus vini vel frigida ut ſperma ranarum ejuſque Aqua) ſic enim facile in naturalem motum impeditos reſtitues humores, unde vel ſolus ſpiritus vini externè applicatus tam inſignes poſſidet dotes ut etiam Eryſipelata feliciter curet. Quibus ſi addas internum quoddam diaphoreticum elegantem & felicem te exhibebis Medicum.

Theſis 9.

Judicium quod attinet de ſanguine V. S. emiſſo, hoc non immerito rejicere videtur HELMONT. *Tract. paſſiv. humor. deceptio lib.* 1. ut & KNOPHEL. *in Method. curand. Febr. Epidem. malign. pag.* 54. *ſequ.* Cum unuſquiſque *homo peculiarem ſuum habeat* ſanguinem, & in ſanitatis latitudine maxima ſanguinis ſit varietas, pro animi paſſionum quoque ratione quotidie alteretur. Ut taceam vix *prius judicium ferri* de ſanguine, quam quando hic ad tempus ſteterit & ab ambiente aëre propriaque corruptela corrumpi & putreſcere incipit. Hoc interim jam à veterum tempore obſervatum fuit, quod ſanguis emiſſus *tardius ac nunquam concreſcens* ejus malignitatem denotet, extinctionem nempe caloris vitalis. SPIGELIUS *humani corporis fabrica lib.* 5. *cap.* 13. cujus rationem putarunt illi eſſe fibrarum defectum & corruptionem, moderni vero cauſam in abundantiam ſalis volatilis acris ſanguinem nimium diſſolventis rejiciunt. Vid. PAULI *in digreſſ. de Febrib.*

malign. pag. 14. 21. qui ſanguinem tenſè coloratum V. S. emiſſum morbi maligni ſignum, eſſe aſſerit. *Graveolentiam ſeri & cruoris*, licet raram, certam mortem denotare, non ſine contagii, ſuſpicione expertum eſt, & confirmatur à SCHENCK. *in obſerv. pag.* 418. ex FORESTO: ut ut aliquo modo contrarium videtur exemplum à PAULI *in cap.* 1. *pag.* 13. deſcriptum. Superficies ſanguinis ubi poſt ſubſidentiam *marmoris inſtar eſt variegata*, inſignem humorum in Maſſ. Sang. confuſionem, putredini obnoxiam, diaphoreticis cohibendam teſtatur. *Securioſa vero aut cinerea liveſcens* cruditatem malignam ex impedita fermentatione & ſpiritueſcentia ſanguinis natam antiſcorbuticis ſale volatili abundantibus tollendam arguit. *Viridis* Veneni occulti indicium eſſe vult CARDANUS *lib.* 1. *de Venenis cap.* 26. Et in lue Venerea ſanguinem *Cœruleum* vel *ſubviridem* apparere loquuntur Practici, id quod & in ſcorbuto interdum contingit. Plura vid. in JESSENII *judicio* de ſanguine V. S. emiſſo à BRUNONE auctius edito, ubi hæc ex profeſſo tractantur.

Theſis 10.

Venas tantum aperire conſuetum eſſe ex communi practicorum Experientia notum eſt; fit tamen ut etiam *arteriæ minores* (nam in majoribus ob *hæmorrhagiam*, difficilem ratione pulſus *conſolidationem* & *aneuriſmatis* ſuperventum res non caret periculo) interdum aperiantur, idque imprimis in *affectibus capitis*, in quibus *Arteriæ prope Aures*, vel in temporibus non raro felici cum ſucceſſu aperiuntur. In *hemicrania* certe eam valdopere commendat LINDANUS in *Colleg. Practic. in Hartm. lib.* 2. *cap.* 1. *Theſ.* 17. Et intra biduum conſolidari poſſe ait, imprimis ſi applicatur Terra Vitrioli dulcis cum Terra ſigillata. In *Cephalalgia* experta eſt Teſte TULPIO *lib.* 1. *cap.* 48. & SCHENCK *lib.* 1. *obſerv. pag.* 51. uti & in *Ophthalmia contumaci*, Autore FONTANO, *reſponſ. & curat. Medic. lib.* 1. *pag.* 50. In *Phreneticis* Arteriſotomia temporum optima. Vid. PANAROLL. *pentecoſt.* 1. *obſerv.* 29. Plura quæ huc pertinent. Vid. *Method. medend.* VVALLÆI *pag.* 79. HOFFMANN. *pag.* 237.

CAPUT IV.

De Purgatione.

Theſis 1.

Sanguineæ maſſæ legitima fermentatio læditur ex læſa particularum ejus liquorem componentium imprimis ſalinarum harmonia & proportione, de quibus in Pathologicis: Corriguntur hæc ejus vitia, vel *primo per alterantia* quæ partes ejus vitioſas corrigunt, & emendant & temperant, deficientes reſtituunt, auctas additione aliarum ad proportionem debitam reducunt, & ſanguinis fermentationem certo modo aut variant aut reſtaurant aut moderant, v. gr. in ſcorbuto, peccat acidum corruptum in ſanguine, lympha, ſucco pancreatico, &c. Corrigitur hoc acidum per ſalia volatilia, quæ hoc acidum temperant, ſal. volatil. urinoſum in Maſſ. Sang. augent, hæc duo ad debitam proportionem redigunt, & ita præternaturalem ſanguinis labem emendant: *Vel* (2) *per præcipitantia* (appellationis ratione per ſimilitudinem ex Chimicis deſumpta, dum v. gr. in ſolutione oculorum cancrorum ab aceto deſtillato, per inſtillationem cujuſdam lixivii præcipitantur ad fundum & ſeparantur particulæ antea in aceto ſolutæ hærentes, vel dum Cereviſiæ aut Vino ex vitioſa fermentatione aceſcente, injicitur creta &c. aquæ particulæ diſproportionatæ acidæ ſeparantur & ad fundum præcipitantur, ut in debito ſapore, calore, &c. potus perſiſtat. Omnia enim præcipitantia operantur ſeparando, quatenus vel diſponunt poros liquoris ut non amplius poſſint continere tales particulas, vel diſponunt particulas ipſas ut ſint ineptæ ut contineri queant in talibus poris, ſeu hoc fiat ratione figuræ, ſeu ponderis, &c.) quæ ſui miſcela particulas heterogeneas & vitioſas reliquis permiſtas naturalemque fermentationem turbantes & vitiantes ex poris Maſſ. Sang. expellunt, ut *quaſi* (dico *quaſi* nam aliàs circulationis legibus eſſet contrarium,) ad fundum ſecedant, vel inſtar calcis aut capitis mortui omni activitate deſtitutæ in ea tantum fluctuent, ut cum antea ipſi fuerint unitæ & permiſtæ, ac ob id difficulter ſeparabiles, nunc ſint tantum confuſæ & facilè per certa loca ſeparabiles, vid. *Tachenius* in Hippocrat. Chymic. circa finem, de præcipitationibus quas Martialia in morbis chronicis faciunt: Unde urinæ antea tenues & claræ, fiunt poſtea craſſæ & turbidæ, cum ſedimento copioſo, &c. id quod obſervatur v. gr. in febre intermittente poſt uſum præcipitantium v. gr. ſalium fixorum; vel oculorum cancrorum, Chinæ Chinæ: vel ſalium ſalſorum v. gr. Tartari Vitriolat. ſalis digeſtiv. Hypochondriac. &c. (obſervetur 1. ſæpe coincidere *præcipantia & alterantia* & pro diverſo reſpectu nunc hoc nunc illo nomine appellari. 2. Uti dyſcraſia ſanguinis eſt varia & fermentationis diverſæ ſæpeque ſingulares læſiones, ita etiam *præcipitantium & alterantium* inſignis & ſpecialis eſt varietas nobiſque non raro diverſitas incognita.) *Vel* (3) *per evacuantia*, quæ id quod heterogeneum eſt, & maſſæ ſanguineæ reliquiſque corporis partibus vel in quanto vel in quali inimicum eſt, ex corpore per convenientia loca & cribra evacuari faciunt: ad imitationem naturæ quæ & per anum & per veſicam, & per totius corporis perforatam pellem eliminat nociva & heterogenea: ſimili namque modo natura materiam peccantem v. gr. in febre ſenſim per media diætetica corrigit, incorrigibilem vero per efferveſcentiam febrilem præcipitat ſeu coquit, coctam & ſeparatam denique foras cum urina aut ſudore expellit. Inter hæc talis eſt nexus, ut *alterantia corrigant vitioſum, præcipitantia ſeparent, & evacuantia omnino eliminent.*

Theſis 2.

Purgationem ergo, ſeu humorum excrementitiorum tum per ſuperiora tum per inferiora evacuationem, quod attinet, ejus ductorem ipſam habemus naturam, quæ non raro aut *critico motu* ſtimulata nunc per vomitum, nunc per ſeceſſum morbum ſolvit; vide SCHENCK. *in obſervat. lib.* 2. *pag.* 244. & PANAROLLUM *pentecoſt.* 1. *obſervat.* 36. Aut *non criticè* ſalutares tamen inſtituit ſponte evacuationes. Vid. SCHENCK. *lib.* 3. *obſerv. pag.* 428. Sic ſecundum anni mutationes in vere præſertim, aut ex victu mutato, ut in peregrinationibus ſalutares frequenter fiunt Diarrhææ multorum morborum precautrices. Vomitum in Intermittentibus Febrium paroxyſmis utiliter natura ipſa movet, & per periodicos aut ſanguinis aut humorum excrementitiorum variorum vomitus, ſplenetici aliique valetudinarii inſigne ſæpe levamen percipiunt. Vid. SCHENCK. *lib.* 3. *obſerv. pag.* 328. 330. BARTHOL. *cent.* 3. *hiſt.* 36. RHODIUS *cent.* 2. *obſerv.* 62, 64. PANAROLL. *pentecoſt.* 1. *obſerv.* 22.

Theſis 3.

Theſis 3.

Quidni ergo naturæ imitetur motum Medicus, & *Vomitum* inſtituat ubi neceſſarius aut utilis videtur. In quibus autem morbis conveniant Vomitoria vid. enarratum à MOEBIO *in Inſtitut. pag. 544. ejus diſſert. de uſu vomitor.* item in HOFFMANN *in method. medend. lib. 1. cap. 9.* & eximium vomitoriorum uſum vid. decantatum in *Ternario Emeticor.* A. SALÆ. In *partu difficili* vomitoria eſſe omnium optima aſſerit BILLICK. *in obſervat. & paradox. chym. lib. 2. cap. 14. pag. 161.* In paroxyſmo *a hmatis deſperato*, item in paroxyſmo *apoplectico*, mirè conferunt fortiora propinata vomitoria. *In Athmate & Phthiſi* pro expurgando pure ſunt ſingularia teſte BARTHOLETO *de reſpiration.* nam per vomitum ſæpe cum impetu evellitur quod alias purgantia communia, partitis vicibus vix exhaurirent. Ad præcavendos *nephritidi: aut podagræ* paroxyſmos, quorum ſpicula cuduntur in ſtomacho vomitus eſt ſaluberrimus. In genere primario conveniunt *in ſtomachi & Inteſtinorum, Pancreatis & Meſenterii* affectibus eradicandis. Radix curandarum *Intermittentium* contumacium conſiſtit in vomitu, imprimis *quartanæ*, item in omnibus morbis Chronicis; radix curandi ferè eſt in vomitu omnique cachexia. In *malo Hypochondriaco* ſimilibuſque chronicis affectibus nil utilius vomitu: Unde etiam vomitum quovis menſe ſemel ebrietate provocatum ſalutarem eſſe defendit LANGIUS *in Epiſt. lib. 1. Epiſt. 30.* id quod imprimis iis obſervandum qui *vitam agunt ſedentariam.* Contrarius eſt in hoc SACHS. *in Ampelographia pag. 201. & ſequ.* Legitimum adminiſtrandi vomitoria modum & quibus in ſubjectis ſit admittendus vid. in GRULING. *Florileg. p. 4. cap. 19.* SALA *l. c.* HOFFMANN. *c. l. pag. 120.* Medicamenta vomitoria eorumque præparationem vid. in citat. Autoribus & præterea in WALÆO. *method. Med. pag. 59.*

Annot. pract. *Formulæ vomitoriorum nonnullæ ſint hæ & quidem in forma pulveris.*

℞. pulv. rad. Aſar. ʒj.
F. pulv. Emetic. pro 1. doſ.
℞. Tartar. Emet. Mynſ. gr. jv.
(aut gr. vj.)
D. S. ut ſupra.
Vel. ℞. Croc. metall. abſinth. gr. iij.
ad iv.
S. ut ſupra.
In Forma Bolorum autem.
℞. Conſerv. Menth. ʒj.
Mercurii vit. rit. par. gr. ij.
Sirup. de Canell. q. ſ.
miſc. f. Bolus Emeticus pro 1. doſ.
Item tali modo.
℞. Piror. Moſchatel. condit.
num. ij.
evacuent. & unicuique indat.
Mercurii vit. gr. j.
F. pir. Emetic. pro 1. doſ.
Vel ℞. Ceraſ. conditor. num. iv.
eximant. nuclei & permiſceant.
Tartar. Emetic. gr. iv. vel v.
F. Ceraſ. Emet. pro 1. doſ.
Optimè vero dantur vomitoria in forma liquida, in ſpecie ſub forma infuſi. v. gr.
℞. Vin. Rhenan. infuſionis
Croc metall. vulg. ℥j.
F. Vin. Emetic. pro 1. doſ.
Vel ℞. Sirup. ſ. Oxyſach. Emetic. Ang.
Sal. ℥ß. ad ℥vj
F. ſyr. Emet. pro 1. doſ.
Vel ℞. Aqu. Menth. ℥j.
Sirup. Emet. Sal. ℥ß.
Aqu. Cinam. ʒij.
miſc.
F. pot. Emetic. pro 1. doſ.
Vel. ℞. Croc. metall. abſinth.
Mynſ. q. ſ.
infund. in
Vin. Rhenan. ℥iß
ſtent in loco tepido per noctem mane filtretur per chartam.
F. vin. Emetic. pro 1. doſ.
Ubi materia viſcida & tenax in ſtomacho hæret tunc commode propinetur tale vomitorium reſolvens ſimul.
℞. Aqu. Hyſſop. ℥j.
Cinam. ʒij.
Acet. deſtill. ſcyllit. ℥ß
Sirup. Emetic. ℥ß
Spir. Gum. Ammon. c. viride æris
ʒß. ad. ʒj.
miſc.
F. pot. Emet. pro 1. doſ.
Modum utendi pro vomitoriis Helleboro vid. COLL. PRACT. *de Mania.*

Nodulus in affectibus Chronicis, *v. gr. in* Cachexia *uſurpandus.* Annot. pract. ſubſtituend. in fine Theſis 12. cap. IV. pag. 74.

℞. Comar. Abſinth.
Herb. Fumar.
Roſmar. an. m. j.
Radic. Helen.
Fenicul. an. ʒ. vj.
Fol. Senn. ſſt. ℥j.
Rad. Helleb. nigr. præparat. ʒvj.
Rhabarb. or. elect. ʒiij.
Sem. 4. Calid. maj. an. ʒiß
Baccar. Junip. ℥ß
Cortic. Aurant.
Citr. an. ʒiij.
Galang.
Zingib.
Sal. Tartari. ʒij.
miſ. præp.
includant. nodulo.
Qui nodul. io. vin. infund.
Nodulus alius Antiſcorbuticus.
℞. Radic. Armor. rec. ℥iß
Summit. Fen. cul. virid.
Herb. recent. Cochl. an. m. ß
Fumar.
Abſinth.
Charef. an. m. iß
Pomor. Citr. inciſ. num. j.
Paſſul. minor. contuſ. ℥iß
inciſ. & contuſ.
includant nodulo.
Qui nodul. Antiſcorbutic. vin. infund.
Hic Nodulus ſi deſideretur purgans ſupradicta purgantia, in nodulo præcedente cum adjectis aromaticis & ſal. Tartari poſſunt addi & purgantia mox poſt herb. præſcribi, & ſignatur.
Nodulo & purg. & Antiſcorbutic. vin. infund.

Theſis 4.

Modus quo fit vomitus, eſt quando irritatur vel moleſtatur ſtomachus, hinc primo Pylorus ſe contrahit, mox ſyſtole totius ventriculi ab orificio inferiori ad ſuperius ſequitur, ac tandem œſophagi materiam effundentis, vid. OLAUS RUDBECK. *obſervat. 20. in Meſſe aurea* HEMSTERHUSII *pag. 332.* Eſt enim unus continuus fibrarum tractus per ſtomachum & Oeſophagum quibus propè pylorum periſtalticè ſed inversè motis, ſuperiora verſus omnia per preſſionis modum rejiciuntur. Sed cum hoc ven-

triculi motu, adhuc per *conſenſum* duo alii motus conſtrictivi conjunguntur: Primo *duodeni* inteſtini quod continuum Pyloro, hoc ſe contrahente etiam contrahitur, ſicque vellicatur & agitatur ſimul ductus Pancreaticus & Cholidochus, qui ſic copioſius ſolito effundunt ſuos ſuccos, qui ipſi poſt vomitum dum denuo ſe laxat pylorus, ſuperiora verſus in ſtomachum ob contracturam duodeni tunc adhuc perdurantem irruunt, & denuo materiam pro futuro vomitu ſenſim ſubminiſtrant. Unde etiam eſt quod poſt vomitum bilioſus humor ſequatur vel guſtu tantum deprehendatur, & tunc ſignum eſt quod omne ſit evacuatum & eradicatum malum. Et Inteſtino duodeno, in quo ductus Cholidochus inſeritur, contracto & coacto, bilis in ventriculum regurgitat & ita talis humor vel rejicitur vel guſtatur tantum, &c. *Secundo thoracis*, contrahuntur enim valdopere diaphragma & muſculi exſpirationi inſervientes, & ſimul cum impetu aërem ex pulmonum fiſtulis elidunt, ratione cujus pulmonum & thoracis cavitatibus anguſtatis in vomitu unâ non raro expelluntur aut phlegmata viſcida in *Aſthmate*, aut etiam *Catarrho* ſic dicto *ſuffocativo*, aut materia purulenta pulmones aggravans, ut in *phthiſi* nondum adeo deſperata fieri ſolet. Contrahitur autem Diaphragma & per conſequens reliqui muſculi thoracis ob conſcenſum cum ſtomacho ex nervis paris vagi ad ſtomachum ramos diſtribuentis, & paris intercoſtalibus motui thoracis inſervientis, qui nervi plexibus hinc inde conſpirantes fortius irritati omnes junctas partes vehementius movent: accedit & contactus diaphragmatis circa orificium ſuperius, unde ex ventriculo affecto aut ſingultus, aut tuſſis, aut Aſthma ob diaphragmatis conſcenſum non ſunt rari, unde & vomitus in Affectibus pectoris eſt optimus, & valde proficuus.

Theſis 5.

Quod ſi ex Medicamento aſſumpto per alvum ſequatur excrementitiæ materiæ excretio, dicitur in ſpecie PURGATIO: ſive humores iſti contineantur in certis locis & vaſis, ſive ſint extra vaſa, v. gr. Aquæ hydropicorum aut ſanguis in partibus internis extravaſatus & congrumatus, &c. Utilitas hujus in legitimo & dogmatico uſu per ſe clara eſt, utut illegitimo & Empirico abuſu non levia etiam inducat damna. Legitimam ergo adminiſtrandi rationem addiſcere poſſumus ex SENNERT. *Inſtitut. lib. 5. part. 2. ſect. 1. cap. 5. uſque ad 12.* Uti & in HOFFMANN. *Meth. med. lib. 1. cap. 7. pag. 41. in* WALÆO *pag. 32. & ſequ.*

Theſis 6.

Sed in legitimo purgationis uſu inſtar Cynoſuræ prudenti Medico eſſe poſſunt aurei divini SENIS *Aphoriſm. 21. 22. 23. 24. 25. ſect. 1.* Ubi imprimis monent, cocta eſſe evacuanda ſeu medicanda non vero cruda: id quod non tantum de *purgationibus* ſed etiam *ſudoribus & urinis provocandis* intelligendum eſſe ſuadent *& ratio* & fida *experientia*, quæ monſtrat, nunquam naturam inſtituere hujuſmodi excretiones, niſi primo ſubegerit & concoxerit materiam heterogeneam, unde & in ſtatu aut declinatione morborum tantum, non vero in Incremento aut principio ſalubriter tales moliūtur evacuationes, niſi materia interdum nimis *turgeat*, *hoc eſt* nimis efferveſcat & rapidè moveatur, tunc enim irritata natura etiam, inſueto tempore movet tales evacuationes, ſed cum coactim procedant ſymptomaticas dictas, quæ rarò etiam eſſe ſolent frugiferæ ſed ſæpius nocivæ. Vid. KERGER. *in Tract. de ferment.* de uſu p. n. fermentationis, item de tempore morborum.

Theſis 7.

Cruditas humorum evacuandorum, id eſt particularum heterogenearum ſanguinis, eſt talis earum *ſtatus*, qua ſanguini *permiſtæ & imperfectè unitæ*, ejus naturalem fermentationem turbant: & in efferveſcentias febriles eas concitant. *Coctio* vero eſt *earum ſeparatio à reliquis particulis & præcipitatio:* v.gr. in muſto fermentante ob particulas inter ſe agentes, non debitè unitas, hæ ſunt crudæ quandiu efferveſcunt, ſin vero ſeparatæ ſub fecum forma præcipitentur ad fundum, ſunt coctæ: ita partes heterogeneæ in maſſ. ſang. quamdiu efferveſcentias Febrium acutarum concitant, ſunt crudæ, quod monſtrant Urinæ, claræ, tenues, inſigniter tinctæ, quod ſi vero per fermentationem iſtam partes ſanguinis homogeneæ, quæ naturaliter ejus componunt liquorem turbatæ, ſed denuo unire, partes iſtas heterogeneas expellere, ſeparare & præcipitare incipiunt, in morbo ſalubri coctionis eſt principium, & Urinæ fiunt turbidæ aut ſublimentum vel ſedimentum leve monſtrant, quod ſi hæ particulæ perfectæ præcipitatæ fuerint, ſedimentum Urinæ copioſum materiam omninò coctam & declinationem morbi monſtrat: ſin vero efferveſcentia iſta febrilis uſque eò procedat, ut diſſoluta maſſ. ſang. ejus Craſis ſeu partium harmonia omnino deſtruatur, fatiſcit tandem & animal moritur, permanentibus Urinis tenuibus & pallidis aut crudis aut quæ jam coctionis ſignum præmonſtrabant, denuo recrudeſcentibus. Vid. plura in SENNERT. *de febribus lib. 2. cap. 7. pag. 115.* HOFFMANN. *Method. medend. pag. 56.* Conferant. etiam ea quæ habet KERGER. *de natura Febr. Tractat de fermentat. ſect. 3. cap. 3. pag. 233.* Item *in Cap de fermentat. gradibus.* Item vid. quid ſupra *theſ. 1. de præcipitantibus* dicta ſunt, item *in Phyſiolog. cap. de Vrinis.*

Theſis 8.

Hæc, quæ modo dicta, monſtrant aphoriſmum iſtum HIPPOCRATIS propriè *de morbis acutis ab efferveſcentia febrili* ortum habentibus, intelligendum eſſe, in quibus tantum talis humorum eſt cruditas & coctio. Nihilominus ſimile quid etiam in morbis *Chronicis ex vitiata ſanguinis craſi* obſervare datur, quibus ob id etiam non incommodè idem aphoriſmus certo modo applicari poteſt: v. gr. in malo hypochondriaco, in Ictero nigro, principio Icteri flavi, Cachexia, &c. Urinæ ſunt pallidæ & tenues aut tinctæ, ſed tenues, &c. propinatis ergo tunc temporis medicamentis purgantibus etiam validioribus, agitatur quidem variè & movetur maſſ. ſang. cum diverſis ſymptomatibus, ſed fruſtra, cum parum aut nihil promoveatur; ſin vero in ſubjectis ſucci plenis ſuccedat larga evacuatio, hæc eſt ſine Euphoriâ, potius cum damno: Propinatis vero medicamentis appropriatis, Urinæ tales fiunt turbidæ, craſſæ, & opacæ & procedente tempore lentè licet, copioſa deponunt ſedimenta, &c. Id quod in ſcorbuto ſignum eſſe dicitur medicamenti rectè operantis, uti & in Ictero nigro, dumque purgantia ubertim, & quaſi ſponte naturæ evacuant, ut non ſine egregio fructu & ſucceſſu uſurpentur: Ergo & in talibus coctio & cruditas *certo modo reſpicienda* utut Chronici tales morbi lento gradu abſolvant ſua tempora, quæ cito percurruntur ab acutis, unde & in Chronicis medicamenta purgantia ſubinde interponenda ſunt præcipitantibus & alterantibus, quæ in acutis circa declinationem tantum uſurpantur.

Theſis 9.

Fit tamen non raro, in ſpecie in calidioribus regionibus, ut non tantum in acutorum principio & incremento, materia morbifica ſit cruda, ſeu impetuosè

tuoſè effervescat, ſed etiam quod ex HIPPOCRATE *ſit turgida ſeu turgeat, id eſt, quod abundans immoderatè nimis efferveſcat, & rapidè per vaſa moveatur*, inſtar muſti ex vino generoſo impetuoſè nimis ebullientis, quod vaſe nimis arcto concluſum, hoc diſrumpit & in partes ſua turgeſcentia diſſilire facit: in tali caſu videmus in principiis vel incrementis morborum, naturam interdum Vomitus aut Diarrhæas ſymptomaticas ciere, eam aliquo modo levantes: hìc ergo imitandam naturam ſuadet HIPPOCRATES, & in tali materiæ turgeſcentia purgandum; Cauto tamen hìc & valdopere circumſpecto opus eſt, ne irritentur crabrones.

Theſis 10.

Ex modò dictis patet, quare ut ſupra dictum in *Theſ.* 6. in omni evacuatione coctio ſeu præcipitatio, hoc eſt heterogenearum partium ſeparatio expectanda ſit, quia alias nihil evacuari, & per partes ceu per cribra aut filtra tranſcolari poteſt, non minus quam muſtum craſſum & turbidum per omnia lintea tranſit, ſine ulla materiæ remanentia, quod poſt fermentationem & fecum ſeparationem ac præcipitationem has copioſas poſt ſe relinquit, liquore claro vinoſo tranſeunte. Remedia ergo quæ hic propinare debet Medicus, pro adjuvanda coctione, ſunt præcipitantia & alterantia, pro cauſæ, unde efferveſcentia vitiata primariò dependet, diverſitate variâ: ſi enim efferveſcant bilioſa, hoc eſt ſale urinoſo volatili vitioſo conſtantia, acida conveniunt (quia omnia ſalia volatilia præcipitant) ad acida etiam pertinent Tartarea remedia, Martialia, quæ occultum acidum in ſe continent. Sin vero melancholica hoc eſt acida copioſa, aut vitiata tales efferveſcentias inducant, alcalia ſeu urinoſa quæcunque tam fixa quam volatilia, uti & Martialia ac terrea acidum abſorbentia conducunt. In Febribus ardentibus & malignis miſtura ſimplex reliquis præfertur *ceu præcipitans diaphoreticum*, ut & ſpiritus *ſalis dulcis*, item lapis prunellæ *ſal antimoniatum*, aut ſpiritus ſalis dulcis in decocto hordei cum C.C. vel radic. Scorzon. Item omnia ex *nitro parata remedia* imprimis ſi antimoniatis fuerint convenienter maritata. Item Julepi omnes, qui ſunt omnes acidiuſculi: Succi berberum; cydoniorum, citrorum: Tinct. violar. roſarum, &c. In his tamen experientia conſulenda, & quid hæc jubeat, obſervandum, cum malignarum omnium non ſit una eademque ratio. Doctrina ſalium cum ſit fundamentum Phyſicæ, Chymicæ & Praxeos, merito magni facimus iſtam, ut clarior res fiat; per Exempla declaramus: v.gr.

1. Si purgare velim bilioſum, hoc eſt in quo abundat ſal volat. urinoſum, &c. Sequent. præſcribo Formulam ex contrariis acidis conſtantem.

♃. Hepat. rub. ℈j.
Ocul. cancror. ppt. ℈ß. miſc.
detur in duplo.

Pro mane, & ſero, die præced. purgation. diem.

2. Ubi materia peccat acida.

♃. Sal Abſinth. Ocul. Cancr. ppt. an. ʒß
miſc. divid.
in 2. p. æq.

(ingredientia n. ſal alcal. ſunt imprægnat.)

3. Ubi quicunque humores ſunt permiſti:

♃. Tartar. Vitriolat. ℈j. Sal Abſinth. gr. v.
miſc.
detur in duplo.

Sal illud.

4. Ubi materia craſſa, pituitoſa & viſcida in Inteſtis.

♃. Salis Ammon. depurat. gr. xiv. l. xvj.
detur in duplo.

Sal illud.

♃. Sal Ammoniaci dep. gr. xv.
Ocul. cancrorum pp. ℈ß
miſc.

Vel cum purgantibus permiſta v. gr.
Ubi metus tertianæ, l. in ipſa Tertian.

♃. Hepat. rub.
Tartar. Vitriol. an. gr. viij.
Scamon. Sulphur. gr. v.
miſc.

Pulvis ille laxanſ. 4. au. 5. ſedes movet.

In Febrib. Intermittent. (uſitatiſſima eſt hæc Formula.)

♃. Hepat. rub. gr. xv.
Rhabarb. elect. gr. vj.
Scammon. gr. ij.
miſc.

F. pulv. laxanſ.

In Scorbuticis, &c.

♃. Tartar. Vitriol. S. Arcan. duplicat.
Mynſicht. gr. xv. ad. ℈j.
Scam. Sulphurat. gr. iij.
Trochiſc. alhandal. gr. j. l. ij.
miſc.

D. S.

Ubi Martialia uſurpanda:

♃. Croc. Martis. aperitiv. ℈j.
Scam. Sulfurat.
Salis Tartari aa. gr. v.
miſc.

Laxanſ. pulv.

♃. Sal digeſt. hypoch. ℈j. ad ʒß
detur in duplo ſ.

Theſis 11.

Cæterum præter talem crudorum humorum ante purgationem *coctionem*, etiam alii non crudi licet humores *præparandi ſunt*, vel *digerendi*, antequam evacuentur. Notum enim eſt quod interdum in ſcorbuto, quartana; malo hypochondriaco, Cachexiis purgationes admodum fiant doloroſæ, cum torminibus, cum varia & violenta humorum agitatione; inteſtinorum aut ani exulceratione, animi deliquio, & in mulieribus hyſterica ſuffocatione, ſicut ex medicamento purgante aſſumpto non operante mortem ſubitaneam obſervavit LOTICHIUS *lib.* 4. *cap.* 1. *obſ.* 3. & ex retenta purgatione dolores hypochondriac. graves notat GABELCHOU. *cent.* 3. *cur.* 37. Hæc omnia ſymptomata cum contingere ſoleant vel ex acrimonia & corroſivitate humorum evacuandorum nimia, vel ex eorum craſſitie, viarumque exinde facta obſtructione, ob id *per digeſtiva uno vel altero die præmiſſa, vel cum purgantibus permiſta* acres humores imprimis acidi temperandi & edulcorandi, craſſi incidendi & attenuandi, factaque viarum impedimenta & obſtructiones removendæ, id quod in purgatione tam per ſuperiora quam per inferiora interdum obſervandum.

Theſis 12.

Pro hoc ſcopo notum, quod non raro præſcribantur *Noduli*, in quibus ſimplicia talia digeſtiva cum purgantibus ſunt permiſta: dein præ cæteris hìc conveniunt omnia quæ ſunt temperata ſalina, uti ſunt Tartarus Vitriolatus, Arcan. duplicat. *Mynſicht.* Tartarus Nitratus *Bartholet.* ſal digeſtivum hypochondriac. tam quod ex capite mortuo ſpiritus Salis Ammon. quam quod ex capite mortuo ſpiritus Aperitiv. *Penot.* eruetur. Dictorum horum doſ. eſt ad ℈j

In Scorbuto.

♃. Arcani dupl. Mynſ. ℈j
Croci Mart. apetit. ʒß
Sal abſinth. ℈ß
M. Div. in 3. p. æ.
S. Digeſtiv. *pro tri b. doſ.*

Sin vero humor evacuandus ſit acidus tunc uſurpanda cum his ſimul vel Salia fixa vel Martialia vel ſimplicia paulo fixiora, ut ſcolopendr. polypod. filix, Gallæ, cortex cappar. &c. Sin vero pituita, hoc eſt mucilago chyloſa, viſcida & craſſa imprimis ſimul acida, ſit in abundantia, conveniunt cum iſtis Decocta vel Eſſentiæ ex Plantis aromaticis vel guſtu acribus, ſeu incidentibus, attenuantibus, reſolventibus, hoc eſt ſal volatil. nunc acri nunc temperato imprægnatur, v.gr. radices aperientes, abſinthium, Cent. min. fumar. marrubium, Calaminth. Aſarum, Salvia, Zedoaria, &c. Modernorum Methodus ſolet ut præcaveat periculoſa in purgatione ſymptomata cum his digeſtivis vel etiam cum purgantibus miſcere Opiata, idque felici admodum cum ſucceſſu cum ſic purgationes contingant blandæ & moderatæ, idque imprimis in delicatioribus, aut hypercatharſi vel torminibus, &c. obnoxiis, aut ſucco melancholico ſeu acido abundantibus. Vid. HOEFER. in Hercul. Medic. p. 127. &c. Interdum digeſtivis permiſcentur ex opio remedia, ad præcavenda graviora aut ſaltem doloroſa in purgatione remedia: id quod in affectibus melancholicis interdum evenit; & tunc propinata purgantia melius & ſuavius longe operantur v. gr. In Melancholia Hypochodriaca.

℞. Sal. abſinth.
Ocul. Cancr. ppt.
Sal. ammoniac. ana gr. xv.
Laud. Opiat. gr. ij. l. iij.
M. Divid. in 2. p. æ. S.
Digeſtiv. pulver. *pro duab. doſib.*

Digeſtiva hæc facile in forma liquida ita præſcribuntur.

℞. Aqu. menth. ℥j
Arcani duplic. ℈j.
Ocul. Cancr. pp. ℈ß.
Sal. Tartar. gr. vj
Sirup. de hyſſop. ℥ß.
M.F. potio D.S.
Digeſtiv. *pro duab. doſib.*

Theſis 13.

Cæterum quomodo medicamenta purgantia *operentur*, ſeu purgationis negotium perficiant, res eſt non parum intricata, idque ex eo, quod *varia ratione applicata licet*, *idem* tamen ſequatur effectus: notum enim eſt (1) quoſdam ſola *imaginatione* ex viſu purgantis purgare vid. HENRIC. ab HEER. *obſervat. oppid. rar.* de Hera & Ancilla, (2) Alios ex ſolo ſuſcepto purgantium *odore* vid. SCHENCK. *lib. 3. obſerv. pag.* 441. PANAROLLUS *pentecoſt.* 4. *obſervat.* 28. SCHNEIDER. *de Oſſe Cribriformi pag.* 219. (3) Purgantia *externè* applicata operantur, v.gr. Pilulis compreſſis ſaliva imbutis & ventriculo applicatis Abbatiſſa quædam ſufficienter purgata fuit. Vid. SCHENCK. *lib. 3. obſerv. de excrementis*: item plantis pedum applicatæ pilulæ ſimiliter purgant HOEFER. *in Hercul. medic. pag.* 201. (4) purgantia *venis immediate infuſa* violentius operantur quam (5) *per os aſſumpta* vid. SCRIPTORES *de Chirurgia infuſoria.* (6) Non ſemper per alvum Sed etiam per *alia interdum loca* aſſumpta purgantia operari, ut nihil jam dicam de *purgatione artificiali magnetica*, qua ſine ulla applicatione medicamenti tam interni quam externi, purgatio inſtituitur tanta, quantam eam volumus, & quæ pro libito etiam ſiſti poteſt in perſona quanquam longè diſſita. Accedit hic (7) quod *non vegetabilia ſola ſed etiam animalia*, v.gr. raſura unguium humanorum, & vel maxime mineralia potentiſſimè operentur. (8) quod levi ſubjecti purgātis alteratione omnis ejus vis purgans tollatur, & ſuccedat aut diuretica aut diaphoretica, id quod in Aſaro in Aqua bullito, aut Antimonio cum nitro fixato manifeſtum eſt.

Theſis 14.

In genere tamen purgantia *duplici ratione* videntur operari (1.) *inteſtinorum irritatione*, ut omnia *Vomitoria*: quæ ſtomachum vellicant, reliqua ſtimulant inteſtina. (2.) *Sanguinis fuſione*, & *quadam fermentatione* Priori ratione operantur quæ Inteſtinorum fibras irritant, eáſque in vermiculationes, & contractiones crebriores, ac ſic contentorum, aut parietibus affixorum expulſiones cient, quæ ſi & ductuum Pancreatici & Cholidochi in Inteſtina hiantium ora vellicant, ſimul etiam humores in iis contentos copioſius excerni faciunt vid. LOVVER *in vindicatione Pyretolog. p.* 58. 59. hac ratione videntur operari *Antimoniata* imprimis ſi in ſubſtantia aſſumantur, nam plicis inteſtinorum inhærentia hypercatharſin, ſeu nimiam purgationem inducunt, id quod etiam verum eſt *de reſinis vegetabilium Jalapæ*, *Gummi guttæ*, quæ niſi adjuncta ſint ſalino abſterſivo remedio ſimili læſione hypercatharſin inducunt.

c. gr. ℞. crem. Tartar. ℈j.
reſin. Jalap. ℈ß.
Olei deſtill aniſi gutt. ij.
M. F. pulv. *purg. pro* 1. *doſ.*
Item
℞. Aquæ hyſſop. ℥j.
cinnamom. ℥ß.
reſin. Jalap' gr. V.
gumm. gutt. gr. iij.
Scamm. gr. ij.
extr. troch. alhand. gr. 1.
Tartari vitriol. gr. xij.
Syrup. de abſinth. ℥ß.
M. D. S.
& f. pot. purg. ſubmovend. prius quam hauriatur.
℞. Sem. melon. ʒiß.
c. ſ. q. Aquæ menth. F. l. a.
Emuls. adde
reſin. Jalap. ℈ß.
Extr. troch. alband. gr. 1.
ſal Tart. gr. viij.
Edulc. rot. mam. Chriſt. perl.
M. F. Emulſ. purg. pro 1. *doſ.*

it. *arſenicalia & mercurialia ſublimata* aſſumpta, quæ acrimonia corroſiva horrendos vomitus & hypercatharſes inferunt: facit huc quod vulgaria purgantia ſub majore doſi qua fortius irritant, evadant vomitoria ſicut vomitoria ſub minori doſi, Cathartica per inferiora fiunt! *Poſteriori modo* vegetabilia reliqua imprimis operari videntur, quæ maſſam ſanguineam fermentant, eamque quaſi colliqueſcere faciunt, unde ita excrementa alterentur, ut facile lege circulationis circumrapta ſenſim ſenſimque per appretiatos poros partium certarum, ſecerni, & expelli poſſint: hac ratione operantur per nares hauſti purgantium odores, infuſa item in venas, aut applicata exterius corporis ambitui, ita multa interius aſſumpta in ſpecie fructus horræi facile fermeſcentibiles ut muſtum, uvæ, pruna, quæ ſimili in maſſ. ſang. excitata fermentatione alvum copioſe movent, & non raras diarrhæas inducunt. Pro confirmatione huc faciunt ea, quæ purgationes quaſcunque ſiſtunt, qualia ſunt non præciſè adſtringentia, ſed imprimis ea, quæ primo ſunt *narcotica*, & ita ſenſum irritationis tollunt, prætereaque quaſcunque humorum motiones ſiſtunt ut Opiata, theriacalia, &c. tam interne quam externe uſurpata. 2. ea quæ vim *habent fermentationem compeſcendi* & blanda diaphoreſi ſuprimendi v. gr. Antimonium diaphoret. ſpirit. theriacal. camphor. Corn. cervi ſ. Igne, terra ſigill. &c.

℞. Antim. diaph. gr. xij.
Terr. ſigill. ℈ß.
Laud. op. gr. ij.
M. F. pulv. *diaphoret. pro* 1. *doſ.*
℞. Theriac. Androm. ʒiß.

C. C. ſ.

C. C. ſ. ign. gr. xv.
c. ſ. q. ſyrup. menth.
F. l. a. Bolus. *Diaphoretic.*

♃. Aquæ Menth. ℥j
cinnam. cydon. ℥ß
ſpir. theriacal. Camph. ʒiß
Antim. diaph. ℈i.
Laud. op. gr. ij.
Sirup. Cydon. ʒß *f. pot. diaphor.*

♃. Aquæ Tormentill. ℥iß
Spir. theriac. Camph. ʒiß
Diaſcord. Frac. ʒj.
Bez. Jovial. ℈ß
Sirupi cydon. ʒvj.
M. F. Potio D. S. u. ſ.
cochleatim ſubinde hauriatur.

Theſis 15.

Vis hæc fermentativa nonnullorum purgantium conſiſtere videtur in partibus eorum ſubtilibus hoc eſt *ſale volatili acri* felleo & amaricante imprægnatis, v. gr. odore hauſta aut extrinſecus applicata intus ſuſcepta purgationes movent: Probant hoc *primò* quod omnia *acida purgantium vim infringant* (acida enim ſal volat. ſunt contraria) unde ſpir. vitr. vel ferociſſima purgantia corrigit quia caſtrat, id eſt eorum vim omnino tollit, unde etiam canes à fortiſſimis medicamentis parum aut nihil purgantur, quia fermentum eorum nimis acidum (unde & oſſa concoquere poſſunt) purgantium vim figit, quæ tamen venis eorum infuſa facile operantur: id quod etiam valet de hominibus quorum ii qui melancholicis laborant affectibus, hoc eſt in quibus abundat acidum, difficilis ſunt purgationis, & ii, qui robuſto ſunt ſtomacho, h. e. in quibus vegeta eſt vis fermenti digeſtivi fortiora etiam ſuperant purgantia (præter hæc acida tamen etiam alkalia fixa, ut in cineribus, &c. idem faciunt, quæ legitima digeſtione purgantia in diuretica & diaphoretica transmutat. v. gr. ſal tartari, unde STARKEY *in Pyrotechnia, p.*100. & *ſequent.* rectè aſſerit ſub veneno purgantium egregias & ſpecificas latere virtutes medicinales) [2.] quod purgantia vegetabilia (nam in minerabilibus res eſt intricatior, v. gr. in Antimonio & Mercurio) *habent ſaporem acrem amaricantem* inſtar fellis, minut. ſal volatile acre, unde & cum tempore medicamenta vim purgantem amittunt poſtquam exhalavit iſtud ſal volatile, id quod præparatio rhabarbari viridis confirmat. [3.] quod vis eorum *purgans imprimis per Spiritum vini* extrahatur, qui tantum partes reſinoſas ſeu ſalino volatiles extrahat, niſi mucilagine aquoſa obvoluta ſit hæc vis purgans, tunc enim menſtruo aquoſo potius extrahenda. Reſina ſunt Jalapa, Agaricum, Scammonium, colocynthis, &c. Extrahenda per oleoſa ſeu ſpirituoſa. Mucilaginoſa ſunt Senna, Helleb. nig. Rhabar. Extrahenda per menſtrua aquoſa, acuata, cum Sale Tartari.

Theſis 16.

VOMITORIA non eſſe diſtincta à purgantibus, *niſi ratione doſeos* aut majoris minoriſve malignitatis, rectè dicere videtur VVALLÆUS *method. medend. p.* 29. dum ſub majori doſi fortius & citius ſtimulando ſtomachum, vomitum urgent, qui ſub minori quanto ſolummodo nauſeam proritant, quam poſt debitam diſtributionem ſequitur purgatio. Mirum interim eſt, quod obſervatum fuit à quibuſdam, quædam purgantia pro varia collectionis ratione, prout vel *ſurſum vel deorſum avelluntur*, nunc per os, nunc per anum purgare vid. SMUCKIUS *in Curationibus Magico Magneticis* (Germanicè ſcriptus Tractatus) p. 56. id quod de turionibus ſambuci, foliis aſari, radic. Ireos, Eſulæ, verum eſſe aſſerunt vid. AGRICOL *Chirurg. p.* 912. quam variam operandi rationem à tali Idea ſeu conceptu in imaginatione colligentis expreſſa, & per effluvium in plantam tranſplantata, oriri vult MARCUS MARCI *in Philoſoph. veterum reſtitut.* & plures alii.

Theſis 17.

Purgantia ea, quæ *irritando* inteſtina ex Pancreate & fellea veſicula proliciunt humores, promiſcuè hoc facere facile patet, quod ipſum de iis quæ *fermentando* purgant ſimiliter aſſerendum. Omnium enim fermentorum hæc immutabilis eſt neceſſitas, ut alterent & tranſmutent id, quod fermentant, & quantum fieri poteſt in ſui naturam convertant. Unde indiſcriminatim fermentando omne noxium evacuent, nec determinate ex veterum hypotheſi diſtincta purgantia diſtinctos humores educent, ſicque diviſio in cholagoga, phlemagoga, melanagoga & hydragoga corruet. Id quod imprimis *Antimon. & Mercurialia* confirmant, indiſcriminatim evacuantia. Et colores excretorum aliæque proprietates l. ipſis *imprimuntur à medicamento vel fiunt demum in inteſtinis ex mutuò cum* ſucco pancreatico & bilioſo concurſu. Unde etiam ex eodem medicamento validiore, diverſa licet ſanitatis & conſtitutionis ſubjecta, eadem excrementa evacuare ſolent. Vid. HELM. *de Febribus c.*15. & CNOFHELIUS *de Febre Epidemic. pag.* 66. VVALÆUS *meth. med. p.* 25. & PLEMPIUS *de febrib. lib.* 2. *c.*14. Obſervetur interim, hydragoga vera eſſe tantum *diuretica*, quæ ſcilicet laticem aquoſum ſanguinis per urinarias vias evacuant, hinc etiam *ſudorifera* quæ eundem non leviter quoque abſumunt, unde & hæc in *Catarrhis* purgantibus longè præferenda. Hydropicorum Aquæ qua ratione ex abdominis cavo ab Elaterio evacuentur, aliis diſcutiendum relinquo.

Obiter.

Purgationes igitur *parva doſi præſcribas*, & non errorem cum vulgo hic erres, qui niſi ſedes 12. ad 20. ſumpta purgatione habeant, ſe non purgatos affirmant. Cum tamen 4. (ad ſummum) ſedes ſufficiant. Ut ergo hîc non impingas, ſequentes mihi maximè uſitatas Formulas tibi communicatas habe.

1. In Foma pulveris.

♃. Tartar. Vitriol. gr. xij. l. xv.
Scamm. ſulphurat. gr. iij.
Troch. alhand. gr. j.
miſc. pro pulv. purg.

Vel

♃. pulv. rad. jalap. gr. xij.
crem. tart. gr. xv.
Sal. tart. gr. vij.
ol. deſt. aniſ. gutt. ij.
F. pulv. purg.

2. In Forma potionis (ſ. liquida)

♃. Fol. ſen. ſſ. ʒiij. ad ℥ß. vel ʒvj.
(vel ♃. Fol. Sen. ſſ. ʒiij.
Rhabarb. ʒi)
Sem. Aniſ. ʒj. (tanquam correctivum)
Cremor tartari vel quod melius ſal tartari ℈j. l. ʒß
infund. in
Aqua fumar. ſ. q.
ſtent in loco calido per noctem manè filtretur add. colat. ℥iij.
vel ℥ijß
Aquæ cinnamom. ʒij.
(ſtomachum roborat.)
Syrup. de Pom. reg. Sabor ℥ß
miſc. *f. pot. purg.*

3. Iterum in forma liquida.

Imprimis Melancholicis ubi ſuſpicio mucilaginis craſſæ viſcidæ.

℞. Aquæ Menth. ℥j.
Gummat. Ammoniac. ʒß. I. ℈j.
(incidit maſſam viſcidam)
Tartar. Vitriol. ℈ß.
Extr. Troch. alhand. gr. i.
Syr. de pom. reg. Sabor. ℥ʒ.
miſc. f. potio
Alia.
℞. Aquæ Menth. ℥j.
Spir. aniſ. ʒj.
Extr. hell. n. gr. iv.
Scamm. ſulf.
Extr. troch. alhand. au. gr. ii.
Sir. roſar. ℥ß.
M. F. potio.
4. In forma Pilularum.
℞. *Maſſ. Pilul.* d. hier. c. agaric. gr. xij.
(quod in *affectibus uterinis* e. gr. *obſtruct. Menſ.* prodeſt. it. in aff. ſtomachi ſunt fere Catholicum.
(NB. Alii ad ℈j. præſcribunt, ſed abſit)
Extr. Abſinth. gr. vij. l. viij.
(nobile eſt digeſtiv.)
(NB. in hypochondriacis, &c. loco hujus interdum Gumm. Ammoniac. ad ℈ß. ſumimus.)
Scam. ſulphurat. gr. ij.
Extr. Troch. alhand. gr. i.
c. ſ. q.
Eſſent. Abſinth.
D. S. F. l. a. Pilul.
Aliæ.
℞. Extr. Cathol. Andern.
Panchym. Croll. à ℈ß.
Gumm. ammon. in acet. ſol. gr. xij.
Scamm. ſulff.
Extr. alhand. à gr. i.
C. ſ. q. Eſſ. vel Tinct. Tart.
F. pil. D. S.

In Morbis contumacioribus & pravi moris Mercurialia optime conducunt.

℞. Extr. hell. nigr.
Argent. viv. dulc. rite ppt. à gr. xv.
Scamm. ſulff.
Extr. troch. alhand. à gr. i.
M. c. ſ. q. Eſſ. ligni Saſſafr.
F. pil. minor.
In affectibus Catarrhalibus it:
Pro Purgatione Senum.
R. *Maſſ. Pilul.* de ſuccino Crat. gr. xv.
Extr. abſinth, ℈ß. ad ℈j.
troch. alhand. gr. i.
c. ſ. q. ol. deſt. ſuccin. vel
Eſſ. ſaſſafr. F. Pil. D. S.
Purg. & Catharal. pro 1. *doſ.*
In Forma Boli.
℞. Conſerv. roſar. ʒi.
Tart. vitriol. gr. xij.
Scamm. ſulff. gr. ij.
Troch. alhand. gr. i.
c. ſ. q. ſirup. roſ. ſol.
F. l. a. Bolus.
Catharal. & purg. pro 1. *doſ.*

Omnia Purgantia habent in ſe venenum excepto *rhabarbaro & aloe.* Hanc autem venenoſitatem corrigere ſi ſcis, purgantia eſſe deſinunt, & ſpecifica ſeu appropriata fiunt, v. gr. helleborus niger alias eſt venenatus, ſed ſi hujus malignitatem ſale tartari (NB. hoc omnia purgantia corrigit) corrigis, optimum ſpecificum in *melancholicis & ſpleneticis* habes, quod PARACELSI Arcanum fuit. Purgationes felicius ſuccedunt in decremento Lunæ minus in incremento, & quo magis Luna decreſcit, eo felicius operantur purgantia, quo magis accreſcit eo minus: Sed hæc de tempore commoditatis non vero neceſſitatis intelligenda.

In *gravidis* niſi ſumma urgeat neceſſitas abſtinendum à purgationibus. Si tamen purgandum lenioribus ſaltim ut Manna, paſſulis, &c. fiat: reliqua enim quia uterum irritant, crabrones irritabis, &c. *Infantes & pueri* per nutrices ſunt purgandi, ſed & hîc cauti ſimus. Inſtituatur paſſulis, rob paſſularum addito dimidio grano Scammonii.

Flor. Sambuci in lacte cocti etiam lac in mammis ſtrenue augent, ſin vero in doſi excedes & verb. gr. m. jß. vel m. ij. ſumes, tunc non ſolum nutricem, ſed etiam infantem ipſum purgabit. quod etiam in Infante & nutrice ſororis nuper obſervavit quidam Medicus CL.

Theſis 18.

Dum ergo indiſcriminatim agunt, & operantur purgantia, certe fermentando ipſi etiam Maſſ. ſang. *non leve incommodum* inferent, ea ſcilicet, quæ ſunt vehementiora & fortiora v. gr. Colocynthis, Scammon. Eſula, Elaterium, Euphorb. Gum. de Peru, Helleb. albus, &c. unde vehementes purgationes, tam gravia nocumenta inſequi ſolent, ut teſte Experientia cum HELMONT. *tract. ſcabies & ulc. ſcholarum & cap.* 5. *de Febribus*, qui antea eſt ſanus, alacer, integris viribus, levis in ſaltu & curſu, poſt purgationem redactus erit ad maciem, tremebunt genua, genæ collapſæ, vox rauca erit; Helleborum ſequuntur convulſiones, Jalapam hypercatharſis fere lethalis. vide BARTHOL. *Cent.* 5. *hiſtor.* 69. ut & Scammoniatum pharmacum, vide HELMONT. *de febr. c.* 5. §. 13. alia periculoſas accendunt febres, vid. GALBECHOV. *cur.* 26. & 27. *Cent.* 6. Vi purgantis vehementioris gangrænam in Corpore Cacochymico introductam obſerv. *Horſt. lib.* 9. *obſerv.* 26. hydropem leucophlegmaticum & aſcitem à male applicatis validis purgantibus, habet POTERIUS *cap.* 2. *obſerv.* 29. *Depradantur certe omnia purgantia de viribus ac ſubſtantia* Corporis noſtri dum *malos pariter ac bonos* ſuccos, ſeu ſanguinem ipſum ac ejus chyloſam partem una cum rorida ac alimentitia ſolidarum partium ſubſtantia, fermentant, reſolvunt, & reſoluta putrefaciunt, unde tam horridi in excretis fœtores, execrabiles calores & proprietates aliæ, à malignitate ipſis per fermentativam & colliquefactivam corruptionem impreſſa. Recte ergo maligna & venenata ſtatuuntur omnia ſic dicta proprie purgantia, aloe forſan ſola cum rhabarbaro excepta, quæ corrumpunt excrementitios pariter ac vitales ſuccos, eoſque putrefactos excerni faciunt. Vid. HELMONT. *tractat. poteſtas medicaminum:* dum enim tam copioſæ à generoſo purgante fiunt, dejectiones impoſſibile eſt talia excrementa ſtabulari in nobis citra majorem noxam, ſed *fiunt* per corruptionem à purgante tam inſano quam in ægro vid. HELMONT. & CNOPHEL *l. c.* Ob id etiam corrigere purgantia & cicurare eorum ferociam nituntur practici, ſed ea quæ fit per addita *aromata* eſt ridicula quæ per *acida* eſt caſtrativa (id eſt, imminuit eorum vires.) Optimæ erunt illorum præparationes, quando aut per fermentationem aut per legitimam cum ſale tartari fixo digeſtionem ita mitigantur & inverruntur, ut blande ſine colliquefactiva vi id quod nocivum eſt eliminent.

Theſis 19.

Aſſumptum Medicamentum purgans, primitus irritando inteſtina horum ſucceſſivam contractionem, & excrementorum viſcidorum & mucilaginoſorum à purgante nonnihil liquefactorum ejectionem promovent, unde non raro præmiſſa digeſtiva in ſpecie vel Tartarus Vitriolatus vel arcanum duplicat. Mynſicht. vel Crocus Martis aperitivus, ſi tales ſuccos in primis viis reperiant, alvum aliquoties movent. Partes vero purgantis ſpirituoſæ ſeu ſalinæ volatiles, cum Maſ. Sang. permiſtæ, eam fermentant, ejuſque ſuccos *nunc excrementitios nunc laudabiles* ita alterant & diſponunt, ut ſero involuti, dum cum fervefacto ſanguine hinc inde circulantur, in locis & partibus, quarum poruli meatus, & fabrica ipſorum compoſitioni & miſcelæ reſpondet, tanquam cribris, vel filtris, vel colatoriis appropriatis ſecernantur; reliquis maſſæ ſanguineæ partibus præterfluentibus, quæ iſtos ſuccos relinquendo deponere videbantur. Hæc ipſa loca in quibus ordinario fieri ſolet talis ſecretio, eſt *hepar vel vaſa ejus cholidocha, & pancreas*: per horum viſcerum poros ſecreta excrementa dilabuntur in Inteſtina, per ductus conſuetos (Pancreatis ſcilicet & Cholidochi) hæ enim ſunt ordinariæ iſtæ viæ per quas in Diarrhæis fluunt excrementa, inde in perturbationibus his ventris rariſſime ſola fluunt excrementa, ſed bile perfuſa cernentur. Per *Vaſa Meſaraica* in inteſtina ea diſponi, quæ multorum eſt opinio, ex eo erroneum deprehenditur, quod nunquam natura immediate ſeparet excrementa ex vaſis ſanguiferis ſine ſanguinis miſcela, id quod in hæmorrhoidibus, menſibus, Vomitibus cruentis, &c. tam Criticis quam non criticis ſatis manifeſtum ſed ſemper ubi excrementa deponuntur ex ſanguine, citra ſanguinis permiſtionem, hoc certarum partium ſeu cribrorum fit beneficio, unde & in purgationibus his ductibus ex hepate & pancreate abuti natura veriſimile eſt, & confirmari poteſt ex eo quod habet MOEBIUS *in Fundament. Med. pag.* 368. & GRAEF *de ſucco pancreatic.* §. 196. Vid. M. HOFFMANN *de Purgatione & viis purgationum*, (quæ diſp. ſatis eleganter elaborata, ubi etiam eſt in hac ſententia.)

Annot. Pract. *Per quæ loca fiat Purgatio ubi notandum. Veteres ratione Purgationis corpus diſtribuerunt in tres regiones: primam à ventriculo per Inteſtina & vaſa meſaraica ad Hepar, ſecundam ab hepate per vaſa majora ſanguifera: ac denique in tertiam regionem quæ comprehendit vaſa minora; & partes ſolidas. Quæ Hypotheſis cum conciliari nequeat cum circulatione ſanguinis ob id à Modernis aliter explicatur. Per primas vias intelliguntur ſtomachus & Inteſtina quibus purgandis leniora ſufficiant; regio ſecunda eſt maſſ. ſang. cui purgandæ medicamenta mediocria conducant; regio tertia ſunt partes corporis ſolidæ & continentes ad quas etiam fortiorum purgantium vis ſeſe extendit.*

Theſis 20.

Sed cum ſanguis purgationis tempore ita diſpoſitus *per totum corpus omneſque ejuſdem partes æqualiter tranſeat*, nil impedit, ſi aliquando vel in hepatis vaſis vel in pancreatis ductibus impedimentum ſe offerat, quo minus debitè excernenda evacuantur, vel pro aliis circumſtantiis aliter corpus ſanguineaque maſſa diſpoſita ſint, quin per medicamentum purgans fermentata & diſpoſita excrementa, *etiam per alia loca quam per inferius guttur* eliminentur.

Notum enim eſt, quod ſi per motum & exercitia à medicamento purgante aſſumpto proliciatur *ſudor* hicque largiter fluat, nihil aut parum per alvum evacuetur; idque ſimiliter non raro evenit ſi quis medicamento aſſumpto *ſuperdormiat*; e contra vero in febre ardente, ex medicamento diaphoretico aſſumpto, præcipitante, cum una alterave vice ſudorem concitaſſet, 3. aut 4. vice copioſam diarrhæam loco ſudoris provocatam fuiſſe expertus ſum. Sic D. HOFFMANN *in Diſſertatione de purgationis modo & viis*, ab aſſumptis pilulis Cephalicis; Catarrhum obortum (à GALENO *lib.* 3. *de ſymptom. Cauſis cap.* 4. diarrhææ comparatum) copioſumque ſputum, ore rejectum, ut & pruritum à pharmaci uſu cum alvi ſolutionem obſervavit: & à ſirupo roſarum ſolutivo, pro alvi lenitione, cuidam matronæ à Cl. VIRSUNGIO exhibito, copioſiſſimam Urinam ſine alvi dejectione Patavii excretam fuiſſe idem notavit. Sic uti contra ex lotio ſuppreſſo obortam diarrhæam obſervavit RHODIUS. *Cent.* 2. *hiſt.* 84. Notum eſt quoque, diverſimode operari Mercurium pro medicamento tam interne aſſumptum quam externe applicatum ſeu inunctum; quod nunc per diarrhæam torminoſam nunc per copioſam ſalivationem, nunc per utramque ſimul curat luem veneream. Ceruſſa Antimonii ſeu Antimonium diaphoreticum ex regulo paratum, ut ut communiter pro ſudorifero habetur, interdum tamen etiam morbos per ſalivationem levat. Ex quibus non difficile eſt judicare, quare ab aſſumpto purgante Veneris non raro ſequitur ſtimulus, conſiderata ſimul purgantium facultate in ſale volatili acri fundata: Exempla vid. in PLATERO *lib.* 1. *pag.* 263. add. MOEBIUM *in fundam. pag.* 483. qui ſingulare exemplum affert.

Ad univerſales Evacuationes Maſſ. Sang. *ac totum corpus purificantes pertinet etiam* SALIVATIO, *per uſum Mercurii crebriorem ſive internè aſſumptum ſive externè inunctum excitata.* Annot. Pract.

Uſitata primario in Cura luis Venereæ *inveteratæ, & contumacioris, nam quæ non cedit ſudoriferis lignorumque decoctis, ea tandem per ſalivationem Mercurialem radicitus curatur. Uſitatus hic curandi modus imprimis eſt Gallis, apud nos non æquè aut crebro poteſt in uſum vocari propter metum ſcorbuti cujus intenſiſſimus hoſtis eſt Mercurius: Verum ubi ſuſpicio ſcorbuti abeſt commode inſtitui poteſt, non tantum pro Cura Luis venereæ, ſed etiam pro aliis affectibus contumacioribus ac Chronicis corpus adhuc robuſtum affligentibus v. gr. in* Hemicrania *contumaciori in affectibus Catarrhalibus diuturnioribus aut ſæpius recurrentibus, in Paralyticis affectibus, poſt Apoplexiam evenientibus aliiſque.*

Tribus modis inſtitui poteſt talis ſalivatio (1) per Mercurium præparatum internè aſſumptum v. gr. ſi Mercurius dulcis ad aliquot dies continuo uſurpetur, prima die ℈j. ſecunda die ʒß. tertia ʒi. ſic enim quarta vel quinta die ſequitur ſalivatio. (2) modus eſt per ſuffitum Mercurial. inſtitutum per cinnabarim, hoc enim dum conſtet ex Mercurio viv. ſi fiat ſuffitus ægro in machina appropriata clauſo per candelas cinnabarinas vel remedia alia ex cinnabarini parata, fit ut pars Mercurii in cinnabari per Ignem reſoluta ſubintret ægri corpus omneſque ejus partes penetret ut poſt ſuffitum talem aliquoties repetitum æger ſalivare incipiat. (3) modus & optimus fit per inunctionem Mercurialem, dum Mercurius vivus cum ol. Laurino vel pinguedine porcina, vel alio appropriato corpore redigitur in unguentum, quod illinitur plantis pedum aliquoties, vel juncturis pedum & manuum, vel denique ſpinæ dorſi: imo ex his tribus modis ſi fiat illinitio Mercurii in loco calido, ſolent intumeſcere os & gingivæ & ſubſequi ſalivatio: interdum loco talis ſalivationis ſuperveniunt Diarrhææ torminoſæ ſed rarius.

Hæ ſunt Evacuationes univerſales; quod attinet ad Evacuationes particulares, *eæ ſunt imprimis* STERNUTATORIA *quæ per nares, &* APOPHLEGMATISMI, *qui per os evacuant, ſpecialiter affectibus capitis*

capitis imprimis conducunt, v. gr. ſit pulver. ſternutator.

℞. Pul. Fol. Nicot.
Majoran.
Flor. Lil. conv. an. ʒj.
Rad. Helleb. alb. ℈j.
Caſtor. ℈ß
miſc. F. pulv.
irroret.
Oleo deſt. Major. gut. iv.
F. pulv. ſternutator.
Vel ℞. Pulv. rad. Ir. flor. ʒij.
Euphorb.
Lil. Convall. an. ℈j.
Olei deſt. Caryoph. gut. v.
miſc. f. pul.
S. ut ſupra.

Quod attinet ad Apophlegmatiſmos *ſeu* maſticatoria *eorum Fomulæ ſint.*

℞. Rad. Pyrethr. in Acet. macerat. ℥j.
Vel rad. Zingib. ʒvj.
F. radic. maſticator.

quæ maſticanda continuo & prolicitum ſputum copioſe ejiciendum.

In forma Electuarii.

℞. Maſtic. elect. ʒij.
Radic. Pyrethr. ʒj.
Semin. Sinap.
Cubeb.
Cardam. an. ℈j.
c. ſ. q.
Rob. Paſſul. (vel Mell. anthoſ.)
F. Elect.

Sub forma Trochiſcorum.

℞. Rad. Pyrethr. ʒj.
Lilior convall.
Sem. Sinap. an. ʒß
Cardam. Cubeb. an. ℈j.
c. ſ. q.
Maſtic. Ceræ
liquefactis
F. Troch.
Maſticator.

de quibus unum in ore detineatur.

CAPUT V.

De Urinæ provocatione.

Theſis 1.

JUxta alvi excretionem *maxime naturalis* eſt ea quæ fit per veſicam, quæ eo magis neceſſaria videtur, quoniam in fœtu jam celebrari eam dum in allantoideam urina colligitur, notum eſt ex modernorum aſſertis: Aſt quam proficua ſit in morborum Curatione, vel ex eo patet, quod natura non raro per urinas critico modo finiat morbos, etiam pleuriticorum vel aliter ſuppuratorum pulmonum pus per urinas ſalubriter evacuet. Vid. SCHENCK. *lib.* 2. *obſerv. pag.* 243. & 252. HORST *lib.* 3. *obſerv.* 10. BORELL *Cent.* 1. *obſ.* 17. Vel aut ex abſceſſubus aut ulceribus artuum purulentam materiam cum urina expurget. de quo vid. HILDAN. *Cent.* 3. *hiſt.* 39. quale exemplum etiam in ſcriptis PARÆI obvium eſt. Et LINDANUS *Collegio ſuper Hartmann. Praxin.* habet Exemplum de quodam fabro lignario, ex caſu coſtam in thorace frangente, qui potu vulnerario diuretico ſanguinem ex læſione in thoracem extravaſatum unà cum urina ſalubriter excrevit. Notabile non minus quod narrat SCHENKIUS *lib.* 3. *obſervat. pag.* 327. de quodam qui à lienis tumore & gravibus ſymptomatis ſupervenientibus quindecim annis continuis annuatim bis vel ter per ſpontaneum urinæ profluvium atramento ſimile liberatus fuit.

Theſis 2.

Imitetur ergo Medicus naturæ curſum, & pro occaſione evacuet morborum cauſas per urinam, idque eo magis, quo jucundior ægro eſt talis evacuatio, ex quo minoribus etiam difficultatibus aut periculis eadem eſt conjuncta: cum melior non ſit via ſalia maſſ. ſang. aut ſuperflua aut vitiata tartarea & peregrina ex corpore eliminandi, quam ut ſero ſoluta lixivii forma emingantur, hinc in *ſcorbuto, malo hypochondriaco,* cognatiſque affectibus item *Ictero nigro aut flavo* in ſpecie in quibuſcunque *lienis* vel re vera talibus vel ipſi ſaltem attributis affectibus optima ſane ſunt (*præmiſſis, quod obſervetur, primas vias abſtergentibus*) diuretica. Vid. LAURENT. *hiſt. anat. lib.* 4. *qu.* 27. LEVINUS FISCHER *tract. de foco mal. hypochondr.* ZACUT. *lib.* 2. *medic. princip. hiſt.* 112. In his enim affectibus, urinæ attramento ſimile profluvium, aut cui certè copioſæ intermiſtæ ſunt arenulæ, ſeu potius ſalia concreta, præcipitata, ſæpe inſigne adjumentum affert MOEBIUS *pag.* 556. quod etiam in reliquis adhuc morbis præſtant uſum ad longum explicatum vid. in HOFFMANN. *pag.* 178. & ſequent. qui ipſe p. 173. legitimam diuretica adminiſtrandi rationem ſufficienter declarat.

Theſis 3.

Facultates quoad attinet remediorum diureticorum, & qua ratione operentur vide HOFFMANN, *pag.* 169. & *ſequ.* ut exactius noſcatur, nota imprimis quod diuretica propriè ſic dicta remedia ſint in triplici differentia: nam (1) ſunt quæ imprimis impedimenta removent. ſ. eorum poros & ductus aperiunt, itaque permeabiles reddunt, v. gr. raphanus, aſparagus, ſal tartari, tartarus vitriolat. item Therebinthina, &c. (2) quæ copioſam urinam reddi faciunt, ſine eo ut materiam aquoſam ſuppeditent, qualia ſunt, verbi gratia Juniperus, mille pedes, ſcarabei, ſal volat. ſuccini, &c. (3) quæ urinam copioſis contentis ſaturant, i. e. ut loquitur HELMONTIUS quæ urinam reddunt abſterſivam, ut copioſè dum circulatur ſerum cum ſanguine, abſtergat partium continentium ſordes, & imbibat partes heterogeneas ſanguinis, utut ejus quantum non ſemper nec neceſſario augeant, verbi gratia armoracia in ſcorbuto vel malo hypochondriaco, &c. ſalia volat. acria, &c. omnia hæc diuretica quorum quædam omnes has proprietates ſimul poſſident, continent in ſe copioſas particulas *ſalinas, nunc volat.* ut mille pedes, ſcarabæi, ocul. 69. Cepæ allium raphani, *nunc fixas* ut ſal tartari fixum, abſinth? ononidis, ſive hoc ſal eorum diureticum ſit acrius *ſeu urinoſum lixiviale* ut in modo dictis diureticis ſimul vulnerariis. Licet enim ſint *acida* quæ urinas movent, v. gr. ſuccus Citri, ſpir. ſalis acid. ſpiritus vitrioli: quæſtio tamen eſt de his an ſub acoris ſui ratione operentur, quod ex eo videtur erroneum quum alias ſemper ab iis fieret ſtranguria, quod tamen experientiæ contrarium, an vero tranſmutata in primis viis in ſalſum ſaporem, ſub hac alteratione talem diureticam vim acquirant: unde rectè HELMONTIUS non de his tantum, ſed fere de omnibus diureticis aſſerere videtur, ea ut *talia fabricari in ſtomacho* dum ſub digeſtione eorum ſalia in ſalſa abeunt diuretica. Confirmari hoc videtur ab eo, quia & ipſa diuretica quæ abundant ſale volatil. alkali acri ſeu lixiviali potentius operentur in ſalſa ſeu fixa ſeu volatilia, verbi gratia ſalia vegetabilium lixivialia fixa, per ſpiritum nitri vel ſalis in ſalſa abeunt egregia diuretica, ut & lapidum cancrorum vis infuſione in acetum exaltatur, ut & millepedum aut ſcarabæorum ab aceto vel ſpirit. vitrioli temperato, &c. Nam & ipſa urina eſt ſalſa, & vegetativa fere omnia diuretica quæ ſimul ſunt vulneraria abundant ſale volat. ſed temperato ſalſo

Quare.

Quare diuretica ſupra enumerata quæcunque imprimis ſapore ſuo ſalſo urinam promovere hoc ipſo perſuadetur.

Annot. pract. *Ex* Diureticis *ſeu urinam pellentibus remediis poſſunt tales parari Formul.*

℞. Tart. Vitriol. gr. xv.
Sal. Geniſt. ℈ß.
miſc. F. pulv.

Seu ſal diureticus.

Vel ℞. Tart. Vitriol. ℈j.
Ocul. cancr. præparat. ʒß.
Sal. ſtercor. columb. gr. xv.
Vol. ſuccin. ℈ß.
miſc.
divid. in 3. p. æ.

Quæ pulv. diuretica in vino hauriat.

Vina *Diuretica.*

℞. Tinct. Nephritic. ʒß.
Malvatic. Juniper. ℥iv.
vel ℔ß.
miſc.

F. Vinum diuretic. cochlatim propinand.

Malvaticum Juniperinum *fit ex ſpirit. baccar. Junip. rob. Juniperino affuſo & digeſto.*

Vel. ℞. Cantharid. pulveriſ. ℈j.
infund. in
Vin. Rhenan. optim. ℥iv.
ſtent in loco tepido per aliquot dies, filtrentur per chart. bibulam.

Et f. ſ. a. Vinum diuretic.

Cujus infuſi cochlear. j. permiſcetur aliis ſeptem cochlearibus vini vel cereviſiæ, de qua miſtura j. die cochleare unum, altero die 2. & ſic conſequenter aſcendendo propinentur. vid. Barthol. cent. 5. Hiſt. Anatomicar. hiſt. 82.

℞. Aqu. Ononid.
Heder. Terreſtr.
Saxifrag. an. ℥j.
Malvatic. Juniper. ℥iß.
Baſis. Spir. Lumbr. Terreſtr. ʒiij.
(per putrefact. parat. & probe rectificati.)
Spir. ſal. Ammoniaci ʒiß.
Sirup. Heder. Terreſtr. ℥j.
miſc.

F. Miſtur. diuretic.
doſ. 2. 3. l. 4. Cochlear. ſubinde repet.

Sub forma ſpiritus.

℞. Spir. Lumbr. Terreſtr.
Sal. Ammon. ana ʒij.
miſc.

F. Spirit. diuretic. doſ. 40. aut 50. gutt. aſſumatur in hauſtu vini, alias fit ſudoriferum, in vino vero ratione acidi mutatur in ſalſum.

Ubi Renum nimia incaleſcentia aut diſpoſitio horum inflammatoria, aut adjuncta Febris volatilium aut taliter calidorum uſum prohibeat, tunc Diuretica *refrigerantia & efferveſcentiam ſanguinis præcipitantia poſſunt præſcribi.*

℞. Aqu. Geniſt.
Hyperic.
Saxifrag. an. ℥j.
Acet. deſtill. ℥vj.
Baſis. Ocul. cancr. ppt. ʒß.
Tart. Vitriolat. gr. xv.
Spir. Nitr. dulc. ʒß.
Sirup. d. ſucc. Heder. Terreſtr. ʒß.
miſc.
doſ. aliquot cochl.

Millepedes *etiam (uti Cantharides) poſſunt infundi in vinum & liquor filtratus propinari; ſic & armorac. radix vino infuſa dat potum inſigniter diureticum.*

Theſis 4.

Modum ergo operandi quod attinet; ea quæ renes reddunt transcolationi aptos, cum urina potus delata ad eos vi ſua ſalina incidunt, attenuant, reſolvunt omnem mucilaginem aut viſciditatem, anguſtas renum vias infarcientem, eamque liquatam & abſterſam educunt. Quæ vero urinam ſaturant contentis, ut ab eorum uſu urina antea pauca, tenuis, fiat copioſa craſſa, opaca, & copioſo ſedimento aut ſublimamento, inpprægnata, ea operantur præcipitando ex maſſ. ſang. partes ejus non rectè unitas, nec bene ipſi permiſcibiles, id quod ex coctione humorum eſt notum, & ſalina ſua vi abſtergendo partium ſolidarum Sordes, à nutritione reſiduas, quas partibus aquoſis (per attenuationem ſanguinis à ſalibus factam diureticis partes aquoſæ ab aliis fiunt facilius ſeparabiles) involutas una ſecum evehunt: quæ vero urinam copioſam reddere faciunt, videntur operari quatenus quidem fundunt, maſſ. ſang. certo modo, ſimul tamen ei talem, non ſine aliqualis & ſingularis coagulationis modo conſiſtentiam conciliant, ut materia ſalſa à reliquo ſanguine ſenſim ſecedat, quæ ſic præparata, facile renum meatus ſubeundo excernitur.

Theſis 5.

Cum vero in morbis Chronicis imprimis cum ſcirrho vel Hepatis vel lienis conjunctis urinæ ſit pauca utplurimum excretio licet fortia propinentur diuretica, utut tales ægri ex Hippocrate ingentes ſint ſalivatores & poſtmodum per medicamenta ſalina ſanguinis craſin alterantia & tales ſcirrhos reſolventia copioſius urinæ diverſimodè affectæ, ſequitur fluxus, hoc fieri videtur exinde, quod ex læſa viſcerum functione & vitiata ſanguinis craſi, ſalis hujus ſit compoſitio & textura, ut nihil aut parum poros renum fibroſos ingredi, & per eos à reliquorum conſortio liberatum poſſit ſecerni.

Unde alterata iſta ſanguinis Craſi & renovata ejus miſcela naturali reſtitutoque viſcerum officio, particulæ heterogeneæ ab aliis ſeparatæ & præcipitatæ & Aquæ eas imbibentes ita diſponantur, ut faciliime renum meatus ingredi, indeque ſub urinæ copioſæ forma poſſunt ſecerni.

CAPUT VI.

De ſudoris evacuatione.

Theſis 1.

DUm continuo una die naturali per corporis poroſam cutim, per inſenſibilem tranſpirationem tantum evacuatur, quantum per alvum quindecim dierum curſu teſte accurato Sanctorio *in ſtatica Med. ſect. 1. aphoriſm.* 6. non mirum, ſi tanta ejus eſt neceſſitas, ut ex *impedita* oriantur morbi & libera, aut *artificioſe promota* præſerventur vel curentur iidem de quo vid. *citat. tractat.* Unde & prudens mater natura non tantum quamplurimum acutos morbos *critica per ſudorem* tranſpiratione feliciter curat, ſed etiam in intermittentibus febribus, ordinario paroxyſmum fauſto ſudore finit. Imo in *malignis febribus* hoc totum ejus eſt negotium, ut per poros cutis eliminet malignitatem, cujus veſtigia non raro ſunt petechiæ & puſtulæ per corporis peripheriam diſſeminatæ, adeo, ut veriſſimum ſit iſtud pronunciatum Practicum. *Nullam omnino febrim tuto ſine recidivæ metu poſſe dici curatam niſi ſudore maduerit corpus.*

Theſis 2.

Sequatur ergo naturæ ductum Medicus & provocet ſæpius ſudorem, quia ſæpius hujus indicatur neceſſitas, cum certum ſit, *tertiam morborum partem curari poſſe per ſudorem*, vel auctam ſaltim inſenſibilem tranſpirationem. Ad minimū vero ſemper in praxi obſervetur, ut pori *cutis ſerventur aperti*, ne iis occluſis aut augeatur præſens morbus aut ſuperinducatur ipſi novus. In genere à ſudore hæc emergunt commoda (1) ſanguis inſigniter attenuatur & liqueſcit, unde etiam promptius fermentatur (ſicque ejus heterogeneitates uberius ſeparantur) unde oritur pulſus major, celerior & frequentior cum inſigni corporis incaleſcentia. (2) attenuatus & liquefactus ſanguis celerius & rapidius per vaſa circulatur ſicque omnis ejus vel coagulatio vel ſtagnatio præcavetur. (3) à latice aquoſo & attenuato copioſius imbibūtur partes maſſæ ſanguineæ heterogeneæ ſeparatæ & præcipitatæ & per poros cutis à calore apertos ſub iſtius vehiculo ubertim evacuantur ſicque etiam *omnia fermenta peregrina* potentes internarum calamitatum authores uti in morbis malignis, dyſſenteriis, diarrhæis, &c. & dum idem latex ſimul abluit & abſtergit partium ſubcutanearum ſordes, eas unà exportat, ita *ut univerſale ſanguinis & particulare peripheriæ corporis in morbis externis & cutaniis purgamentum ſit ſudor*, quibus affectibus particulariter conveniat, & quanam Methodo legitime in uſum vocandus ſit. vid. in MOEBIO *pag.* 558. UVALLÆO, *pag.* 62. *ſequent.* HOFFM. *lib.* 1. *cap.* 11.

Theſis 3.

Cæterum cum ſæpiſſimè provocatur ſudor, ut evacuentur heterogeneæ partes & fermenta ex maſſ. ſang. per poros, quæ naturaliter ſub fuliginum forma (coagulabilium tamen in guttulas ex occurſu rei politæ frigidæ) evaporari ſolent, artificialiter ex aucto quanto in guttas & auctis guttis in ſtrias ſudoris abeunt, hoc ut facilius fiat, neceſſe ſæpè eſt, in ſpecie ſi non ſit febris nimis maligna (ut ut in his non raro quoque aliqualis coctio expectanda) ut ſi materia iſta excrementitia peccans ſit *cruda* id eſt non ſeparata ſed potius vitioſè in ſanguine fermentet, prius coquatur i. e. præcipitetur & ſeparetur, aliàs enim vel ſudor nullus ſequitur, vel nudus latex Aquoſus cum copioſis ſpiritibus volatilibus exhalat, ſine Euphoria ægri, cum inſigni potius ejuſdem damno. Ad imitationem ſcilicet naturæ, vel *in declinatione univerſali* morborum vel *particulari Paroxyſmorum* tantum movet ſudores, & in malignis, petechialibus & morbillis, variolis circa diem quartum vel ſeptimum tantum ſalutariter ſolet expellere. His ergo in caſibus vel præcipitantia præmittenda vel addenda ſudoriferis. Imo non raro poſt ſolum præcipitantium uſum, ſpontanei ſalubriter ſequuntur ſudores; ſed hæ non neceſſe eſt, ut rigoroſè adeo obſerventur in morbis; malignis ubi talis non eſt materiæ cruditas. Hæc ergo confirmant ea quæ ſuperius dicta *aphoriſm.* HIPPOCRAT. de coctis evacuandis tam de purgantibus quam de diureticis & ſudoriferis intelligenda eſſe. Cum certum ſit & univerſale verum nihil poſſe ſeparari ex liquore cujus porulis intime unitum eſt contentum, ejuſque componentibus particulis permiſtum, ſine præcedenti permiſtione.

Theſis 4.

Modus quo fit ſudor eſt hic. Medicamentum ſudoriferum aſſumptum, attenuat & fluxilem facit ſanguinem, hic ergo celerius efferveſcit, & inſigniter incaleſcit, unde omnes totius corporis meatus laxantur, & patuli fiunt. A calore vero interius rarefactus latex aquoſus in agitata ſanguinea maſſa imbibit & abſorbet particulas ſanguinis heterogeneas, ſimulque per partes circulatus, earum ſordes à nutritione reſtitantes abſtergit. Hiſque gravatus à glandulis intercutaneis ſecretus foras copioſè amandatur, Donec ceſſante ſanguinis fluore, hic denuo indebitam abeat conſiſtentiam, ſicque latex aquoſus ipſi denuo intime uniatur, unde fermentatio fit placidior, circulatio tardior, calor ſenſim remittit, & pori denuo connivent.

Theſis 5.

Medicamenta ergo diaphoretica (præter calorem externum vel exercitium quæ ſanguinem fundunt) erunt talia, quæ ſanguinem colliquefacere poterunt: Sed cum ejus conſiſtentia ſit imprimis *ab acido* ejus ſubtili, omnes particulas ejus imprimis chyloſas, cæteris permiſtis blande coagulatis, ſicque in debita unione conſervans, patet ex hoc facile quod ſudorifera operantur quatenus hoc acidum temperant, vel ejus activitatem impediunt, eruntque in duplici differentia. 1. *erunt poſitivè talia*, v. gr. ſpiritus volat. ſalini omnes, ut C C. urinæ, ſanguinis humani, viperarum, &c. Item ſalia fixa, verbi gratia Cardui bened. Abſinth. tartari, item vegetabile ut Angelic. Centaur. minus Card. bened. Item ſuccus ſtercoris Equini, Camphora, &c. Hæc enim ceu alkalia pura, vel his copioſè admodum imprægnata, præcipitant acidum, ſicque effectivè ſanguinem attenuant & fundunt. (2) *Privativè talia* quæ non conſtant tali alcali manifeſto, ſed vel hoc ſunt imprægnata occulte, vel ſunt talia ut abſorbeant acidum in ſe, vel alio modo ejus activitatem impediant, v. gr. terra ſigillata, occul. cancr. lap. Bezoar. Antim. diaphor. CC. uſtum vel philoſoph. præparat, &c. dum enim ab his imbibitur acidum, & hoc ea aggreditur ſolvendo, ſanguis attenuatur & reſolvitur ſicque ſubſequitur ſudor.

Diaphoreticorum *formulæ ſint, & quidem ex ſudoriferis fixis.* Annot. pract.

♃. Antim. diaphor. ℈j.
Sal. Card. bened. ℈ß
Laud. Opiat. gr. j. l. ij.
M. F. pul. diaphor. pro 1. doſ.

♃. C C. ſin. Ign. ppt. gr. xv.
Cinnab. Antimon. ℈ß.
Bezoart. Solar. gr. iv.
miſc.
D. S. ut ſupra.

♃. CC. ſin. Ign.
Nitr. Antimon. an. gr. xv.
miſc. F. pulv.
D. S. ut antea.

Hæ Formulæ ſunt pro doſi unica, & quidem robuſtis Ægris præſcripta.

♃. Rob. Sambuc. aut Junip. ℥j.
CC. ſin. Ign. ℈j.
Antimon. diaphor. fix. ℈ß.
c. ſ. q.
Sirup. rub. Idæi.
F. Bolus. diaphor.

Ex ſudoriferis volatilibus.

♃. Sal. vol. Ammoniac. gr. xv.
Camphor. gr. ij.
miſc.
F. Sal. diaphoret. pro 1. doſ.

♃. Aqu. Scorzon. ℥j.
Cinam. ʒß.
Spir. Theriac. Camph. ʒß.
Sal. volat. CC. gr. xij.
Succin. l. gr. vj.
Sirup. d. ſucco ſcord. ʒß.
miſc. F. Potio diaphoret.

Sudorifera *miſta ex fixis & volatilibus.*

♃. Aqu.

℞ Aqu. Scabioſ.
Flor. Samb.
Vlmar. an. ℥j.
Cordial. Hercul. Sax. ʒvj.
Spir. Theriac. Camph. ʒiij.
Antimon. diaph. fix. ʒß.
CC. ſin. Ign. ℈j.
Sal. vol. CC. ℈ß.
Camphor. gr. iij.
Sirup. d. ſcord. ℥j. l. ℥iß.
miſc.
F. Potio diaphoret. agitand. pro 4. doſ.

℞. Aqu. Flor. Samb. ℥j.
Theriac. Androm.
l. loco. hujus.
Diaſcord. Fracaſtor. ʒj.
Sal. vol. viperar. gr. vj.
Camphor. gr. j.
Sirup. d. rub. Idæo. ℥ß.
miſc. F. pot. diaphor. pro 1. doſ.

℞. Tinct. Bezoart. ʒj.
F. Tinct. diaphoret. pro 2. doſib.
In robuſto vero corpore & caſu periculoſo pro una doſi ʒj. ſufficit.

Theſis 6.

Hæc dum ita fiunt, æger non parum debilitatur; ut ergo citius ſe recolligat, poſt ſudorem peractum *acida moderata*, verbi gratia ex citro vel berberibus, ribibus vel cydoniis, item tincturæ acidulæ vel Julapi aciduli, cum ſpir. vitrioli vel nitri vel ſalis, propinentur: ut ab his attenuata ſanguinis maſſa, denuo blande coaguletur & coëat, debitamque & naturalem conſiſtentiam acquirat, obortumque ex aucta effervescentia incendium ſic extinguatur.

Annot. pract. *Poſt ſudorem Ægris debilitatis propinentur* confortantia *talia.*

℞. Aqu. Acetoſ.
Scorzon.
Cordial. H. Sax. an. ℥j.
Tinct. Flor. Bellid.
Aquileg. an. ʒiß.
Spir. Nitr. dulc. ʒj.
Sirup. d. rub. Idæo ℥j
miſc. F. potio.
Confort. concleat. ſumend.

Vel. ℞. Aqu. font. ℔j.
Succ. Cydon.
Citr. an. ℥iß.
Tinct. Flor. Bellid. ʒiij.
Sirup. acetoſ. Citr.
d. rub. Ideæo. an. ℥ij.
Spir. Nitr. dulc. q. ſ. pro gratia.
F. Julap. refriger. & confort.

Vel. ℞. Conſerv. Pulv. Citr. ℥j.
Acetoſ. ℥ß.
Ebor. ſin. Ign.
Epat. rubr. an. ʒß.
Cryſtal. miner. Saturni gr. xv.
c. ſ. q.
Sirup. acetoſ. citr.
F. l. a. Elect.
Confort. & refriger. pro 2. doſ.
irroretur adhuc Spir. Vitr. aliquot gut.

Theſis 7.

Sed cum non raro contingat, ut propinata ſudorifera nullum aut parvum admodum ſudorem eliciant, in hujus cauſam inquirendam. Præter ea quæ ſupra theſ. 3. dicta ſunt, ſæpius in febribus malignis, hiſque cognatis ardentibus, nullus *fit ſudor ex nimia ſanguinis diſſolutione* quo fit ut miſtionis ejus vinculo laxato, ea tota diffluat, cum pulſu parvo, ſed celeri & frequenti, vel aut tardo & raro, unde partes ejus laxius unitæ & fere confuſæ, nullam Aquoſi laticis permittant ſeparationem, ſicque ſudoriferorum uſus à quibus adhuc magis diſſolvitur, fit fruſtraneus. Quod ſi verò ſudoriferis tunc addantur temperata acida, imprimis *acetum* vel ſimplex vel *ſambucinum*, &c. à quo moderatè & leniter redeat ſanguis ad debitam conſiſtẽtiam cum quadam particularum non bene miſcibilium, & heterogenearum præcipitatione; tunc non ſine fructu ſolent propinari, imprimis ſi aliquoties hoc reiteretur.

In nimia diſſolutione ſanguinis uti in Febribus maligNis *talia præſcribenda.* Annot. pract.

℞. Aqu. flor. ſambuc. ℥j.
Acet. diſtillat. ſambuc. ℥ß
Diaſcord. fracaſt. ʒj.
Antimon. diaphoret. ℈ß.
Camphor. gr. i. l. ij.
Syrup. acetoſ. citri. ℥ß.
miſc.

Vel ℞. Aqu. ſcorzon.
Galeg.
Cord. H. ſax. an. ℥j.
Succ. citr.
Cydon. an. ʒvj.
Spirit. Theriac. camph. ʒiij.
Tinct. flor. pæon.
Aquileg.
Diaſcord. frac. an. ʒiß.
Syrup. acetoſ. Citr. ℥ß.
miſc. f. pot. alexypharmac. Id eſt adſtring. ſang. & aliquo modo diaphoret. pro 1. doſ.

CAPUT VII.

De Symptomatum urgentia.

Theſis 1.

Ab ordinario methodi medendi curſu in morbi ſedatione, & cauſarum ablatione, non raro deviare Medicus neceſſe habet: dum ſcilicet *ſymptomata contingunt adeo atrocia*, ut iſtis relictis neceſſe eſt his ſuccurrat, ſi ſcilicet ex horum violentia vitæ periculum immineat, ob nimiam virium ab iis proſtrationem quæ *ſymptomata tunc urgere* dicuntur: qualia ſunt *dolor, vigiliæ, deliria, fluxus alvi, Vomitus, lipothymia*, &c.

Theſis 2.

Jam vero his legitimam occurrendi rationem, docet imprimis, praxis ſpecialis & in genere vid. MOEB. *inſtit. pag. 561. ſequ.* SENNERT. *pag.* 1218. Habent enim omnia ſua appropriata remedia, quibus iis mederi poſſumus. In genere tamen magnum ſibi vendicat *Jus Opium*, ut in morborum curatione, ita etiam in ſymptomatum urgentium mitigatione, & quod opio longe præferendum eſt *ſulphur in vitriolo veneris anodynum*, adeo ut nullum fere ſit urgens ſymptoma, præter lipothymiam, in quibuſdam caſibus, quod non leniatur ab opii ſalutari facultate.

Theſis 3.

Experitur equidem commune fatum *Opium*, dum laudatur ab hoc, culpatur ab illo, vid. de ejus uſu & facultatibus authores qui ex profeſſo de eo ſcripſerunt uti ſunt ZVVOLFER *in Edit. ult. pharmacop. reg. pag.* 153. *ſequ.* VVINCLER, FREITAG, DORING, HARTMANN *de Opio.* SALA *in Ternario laudanor.* Per ſe certe benedictum eſt remedium & medicamentum non ſatis elaudandum. In genere quoſcunque Archei furores & perturbationes ſopire valet, omneſque humorum motus & agitationes potenter

compeſcere, & ab his orta ſymptomata ſedare. Adeo *ut univerſalius longe ſit remedium quam purgantia & ſudorifera*, &c. Vid. MYNSICHT. *pag.* 71. HOFFRUS *in Hercul, Medic. pag.* 157. & 158. BONTIUS in *Commentar. in Garcias abhorta. cap.* 4. ſed pro ſalubri ejus uſu duo ſunt *notanda* (1) *tempus ut* propinetur fere nunquam in ſtatu morborum, ſed tantum in principio & in ſpecie in incremento. Vid. BALLONIUS *lib.* I. *Conſil.* 65. *pag.* 329. Viribus ſcilicet adhuc conſtantibus, quas alias debiles ſpiritus ſopiendo magis debilitat, necdum quando omnia deſperata ſunt, quia tunc inutile. (2) *Modus*, ne propinetur ſolum, ſed ſemper appropriatis, vel diaphoreticis vel præcipitantibus, vel purgantibus, vel ſpecificis, &c. miſtum. Quia hæc tunc jucundius ſæpe felicius operantur. Et ſi quæ metuenda eſt noxa ex ſedativa vi opii admiſtione appropriati præcaveretur. vid. GRULING. *in Florileg. art.* 10. *cap.* 3. *pag.* 263. 269.

Theſis 4.

Cæterum in *Opio* nobis uſitato non immerito *vis narcotica id eſt ſtupefactiva*, qua ſpiritus figuntur & ſtupidi ac immobiles quaſi fiunt, unà cum veneno quaſi maniaco, & ſomnia turbulenta inferente (vid. HELMONT. *tract. Jus duumvirat.* §. 66. *pag.* 248.) pertimetur. In eo ergo toti ſemper fuerunt cordatiores Medici, ut corrigant Opium, id eſt, auferant hanc vim narcoticam, ut ſub ea abſcondita vis anodyna, ſpiritus ſedativa, clarior pateſcat. Tentarunt hoc per *rorem majalem*, ſed hæc eſt ſuperficialis ejus depuratia: Alii negotium hoc inſtituerunt per *Spiritum vini*, ſed cum hic ipſe ſit inebriativus & narcoticus, nihil fecerunt: Alii *per acida* acetum ſcil. item per fumum ſulphuris, &c. ſed acida caſtrant opium, quatenus ejus ſal. volat. oleoſum figunt & immutant ſicque vim narcoticam & anodynam pariter deſtruunt ut ut iſta cum aceto recté inſtituta ſit tolerabilior. Alii per Sal Tartari feliciori cum ſucceſſu, imprimis ſi addatur Spir. Terebinth. ſic enim perfectum anodynum medicamentum fit ſine ulla narcoſi, magnarum virium. Optima autem ea videtur præparatio *dum ſolvitur in ſucco quodam ſtomachico* appropriato & debita fermentatione exaltatur ejus vis anodyna ſuppreſſa aut imminuta ejus virulentia narcotica; ſic enim remedium evadit magnarum viarum.

Finis Inſtit. Medic.

* * *

MICHAEL

MICHAEL ETMULLERI
COLLEGIUM PRACTICUM.
DE MORBIS HUMANI CORPORIS IN GENERE.

PROLOGUS.

CUm placeat nobis mecum nos exercere in Praxi, non poſſum non facere, quin facilem me præbeam, atque exorato Divino Numine ad eandem me accingam. Ante omnia autem moneo, quod is, qui cum laude eamdem aggredi, inque ea feliciter progredi velit, *debeat.* PRIMO *exactè* callere ſeu cognitam ac perſpectam habere *naturam ſubjecti Medicinæ naturaliter conſtituti:* ut benè ſciat quomodo fiant naturales corporis humani operationes: Naturale enim ſeu rectum eſt norma ad quam examinatur & emendatur præternaturale ſeu curvum. Uno verbo calleas *Phyſiologiam & Pathologiam.* SECUNDÒ, requiritur *ut exactè ſit verſatus in materia medicâ.* Niſi enim cognitas habeat ſimplicium vires, & componendi rationem ſeu Methodum præſcribendi formulas, certum eſt, quod in multis habebit impedimenta in Praxi. Tertium *eſt*, quod præſuppono, *ut calleat generalem Methodum Medendi:* Nam generalia debent præcognita eſſe, antequam ad ſpecialia fiat progreſſus cum jam in ſpecie pertractandi ſint affectus. Ad rem.

Corpus noſtrum conſervatur per nutrimentum: tamdiu enim vivimus, quamdiu nutrimur. Nutrimenti ergo aſſumptio & diſtributio eſt prima è functionibus primariis totius corporis. Aſſumimus autem alimenta ſtimulati per appetitum, qui, quando ſiccorum, vocatur *Fames*, quando liquidorum, vocatur *Sitis*. Sit ergo.

CAPUT II.

De Fame læſa.

T*Ribus modis læditur fames animalis*; aut enim *Imminuitur*, ut in *Anorexiâ*; aut *augetur* ut in *Appetentia Caninâ ſeu Bulimo*; aut *depravatur omnino*, ut in *Picâ ſeu Malacia.*

QUOD ATTINET INAPPETENTIAM.

Inappetentia. Notum eſt rejectam veterum Hypotheſin de ſuctione vaſorum ventriculi in aſſignanda cauſâ appetitus; & rectius introductam Fermentorum doctrinam. Unde alimentorum digeſtionem & *Famem oriri dicimus à ſucco ſtomachi fermentativo vellicante orificium ventriculi ſiniſtrum; Famem vero diminutam à defectu vellicationis iſtius in orificio ventriculi ſiniſtro:* quæ vellicatio ſanè, ut eſt cauſa famis ſeu appetitus alimentorum naturalis, ita certè defectus illius erit cauſa *Anorexiæ.*

Vellicatio iſta uti naturaliter fit ex fermento ſalinô ſæpius acidulo, ſeu ſubtiliter acido, quod ſubtiliter rodendo aut morſicando orificium ſtomachi ſiniſtrum dat Famem: ita *Fames imminuitur* & per conſequens ABOLETUR, *quando* aut 1 *Nervi in orificio ſiniſtro ſunt affecti, ita ut non ſentiant ſtimulum*; aut *quando* 2. *deficit ſummus ſtomachi fermentativus*; aut 3. *quando eſt obrutum fermentum* à copioſâ materiâ craſſâ & viſcidâ, aut 4. *quando fermentum redditum eſt iners* ex materiâ pingui aut permiſtâ ſalinâ.

Defectus vellicationis eſt cauſa generalis; quatuor *reliquæ ſunt ſpeciales. Hæ cauſæ in genere appetitum dejiciunt:* Jam *in ſpecie.* Ubi ſunt imprimis *ratione trium rerum*, aut *Naturalium*, aut *præternaturalium*, aut *non naturalium.*

Res non naturalis eſt imprimis *aër calidus aut ſqualidus*; Multa enim in aëre volitant inſenſibilia, maximè tamen operoſa, unde certum eſt in aëre reperiri ſalia volatilia, quæ dant cauſam ut deficiat calidum in maſſa ſanguinea: unde debilitatur fermentum ſtomachi. Hinc eſt quod æſtivo tempore dejectus ut plurimum ſit appetitus propter abundantiam nempe ſal. volatil. ex aëre attracti, contra tempore hyberno auctus, propter acidum quo tunc aër eſt imprægnatus. *Cæterum* præ aliis *Aſſumpta* multum valent ad Inappetentiam. *Sic pinguia* dejiciunt appetitum, quia iners reddunt ventriculi fermentum. Hinc SENNERTUS *lib. 3. Prax. pars.* 1. *ſect. cap.* 2. habet Exemplum ex AVICENNA, de quodam cui per dies decem appetitus fuit dejectus, ex aſſumpta ℔j. Olei violacei in quo cera & adeps diſſoluta fuere. Pinguedo ergò admodum infringit vires fermenti ſtomachici. *Cibi copioſè* aut *inordinatè ingeſti* ſimiliter proſternunt Appetitum, quod idem præſtant cibi *duri & difficulter digeſtibiles* quoniam non concoquunt omnes debitè. Sed relinquunt copioſam materiam craſſam & viſcidam à qua ventriculi fermentum obruitur, quo minus vim ſalinam exercere poſſit. Unde gulones qui una vice plus ingurgitant quàm par eſt per aliquot dies poſtmodum habent dejectum Appetitum.

Huc pertinent *Cereviſia & Potus non probe defecatus* (fæces enim quæ imprægnant eundem nihil aliud ſunt quam Tartarus,) quæ appetitum proſternunt: quod verum eſt imprimis de potu recenti: ſolet enim præcipitari Tartarus in ſtomacho & ſubſidere in fundo atque ſic debilitare fermentum ſtomachi.

Spiritus Vini copioſè aſſumptus ex ſe & ordinariè proſternit appetitum, propterea quoniam acrimoniam ſalſam fermenti ſtomachi temperat & coërcet. Nam ſpiritus vegetabilium virtutem habent temperandi & corrigendi acrimoniam humorum in corpore noſtro. Hinc ſpiritu vini copioſè ſumpto, altero die oritur *Anorexia.*

Præterea *Opiata & Narcotica ingeſta appetitum proſternunt:* Ratio ex ſuperioribus patet quoniam ſtu-

pidum reddunt orificium ventriculi ſiniſtrum, ex quo inſenſile fit, ut non percipiat vellicationem. Hinc notum eſt *fumum Tabaci* inhibere ſolere appetitum propterea quia partim eſt narcoticus & nervoſo generi ſtuporem inducit, partim quia impragnatus eſt ſal. volat. oleoſo admodum penetrante, quod obtundit & temperat ſalinam vim ſtomachici fermenti. Quod idem facit *Laudanum Opiatum & quæcunque ex opio parata* remedia, aſſumpta.

Facit huc Inventum Indorum qui ad fallendum appetitum utuntur medicamento facto *ex foliis Tabaci & Conchyliis fluviatilibus calcinatis.* Hæc duo in Maſſ. Pilul. cogunt & aſſumunt: quæ Pilulæ duplici ratione appetitum proſternunt: & quoniam ratione *fol. Tabac.* orificium ſtomachi inſenſile reddunt & ratione *conchyliorum calcinatorum*, ſalino acidam vim fermenti ſtomachici abſorbent & præcipitant, & ita ad multas dies appetitum reprimunt. Hiſtoriam reperietis in Sennert. *cit. loc. pag.* 97. Hinc milites uſurpant *fumum Tabaci* pro fallendo appetitu.

Denique inter res non naturales *Excrementa excernenda ſubitò ſuppreſſa*, inappetentiam generant: Sic videmus *in mulieribus ſuppreſſis menſibus* dejici & depravari non rarò appetitum: Singulare exemplum habet Schenck. *lib.* 3. *obſervat.* 1. de inappetentiâ inſigni in viduo, ex deſuetudine ſubitaneâ Veneris, & ex mærore contractâ.

Inter aſſumpta etiam eſt ſerum lactis cujus nimius uſus admodum ſolet proſternere appetitum: Exemplum habet Timæus *in Caſibus lib.* 3. *caſ.* 2. *pag.* 110. Ex nimio ſeri lactis uſu appetitus dejecti, ratio eſt facilis in ſero enim lactis eſt ſal volatil. admodum temperatum (ratione cujus refrigerare dicitur) quod obtundit & temperat acrimoniam fermenti ſtomachici, & exinde ceſſat appetitus.

Inter res præternaturales, quæ appetitum proſternunt, inprimis ſe offerre ſolet, *quantum* in nonnullis *non reperitur, aut deficit, aut imminutus eſt inſigniter appetitus*, cujus *cauſa eſt quod tunc temporis deficit acidum in ſtomacho*, cujus defectus non poteſt non cauſari appetitum dejectum: *aut fit propter conturbationem omnium humorum* in corpore, in ſpecie in maſſa ſanguinea: *aut propter abundantiam ſal. volat. oleoſi*, quod in *Febribus*, in ſpecie *ardentibus*, abundat. Unde dejectus ſolet eſſe Appetitus.

Ad res præternaturales pertinet, *quando per conſenſum afficitur plexus orificii ſiniſtri nerveus*, ut non percipiat ſenſum à fermento moleſtum, ut in *Nephritide*, propter convulſionem: ratio eſt quoniam renibus affectis & dolentibus, nervi ex plexu Fallopiano ſ. Meſenterico, levi ſpaſmo & convulſione ſimul afficiuntur, unde non tantùm dolorem excitant ſed præterea ſunt cauſa quo minus percipi poſſit vellicatio in ſtomacho à fermento facta. Quod etiam uſu venit in *Colicâ & affectibus omnibus Inteſtinorum*, in quibus ratione continuitatis ſtomachus ſimul afficitur.

Fit interdum ut *calculi in ſtomacho contenti* appetitum proſternant. Sic Hoferus *in Hercule Medico p. m.* 137. ſubminiſtrat exemplum appetitus proſtrati, lethalis cum Nauſea ex calculis duris & copioſis in ſtomacho repertis.

Fit etiam *non raro ut per vitioſum bilis motum* hæc regurgitet in ſtomachum, unde *dejicitur appetitus* & percipitur in ore ſapor amaricans; & tales affliguntur inſimul *ſodâ*; Et certum eſt bilem Appetitum proſternere, ſive in ventriculo reperiatur, ſive in maſſa ſanguinis abundet ſal volat. oleoſum, quoniam præcipitat acidum quo minus poſſit augeri fermentum ſtomachi à quo oritur vellicatio.

QUOD ATTINET AD SIGNA.

In Diagnoſticis non opus eſt prolixitate quoniam ex ſe patent.

PROGNOSTICA QUOD ATTINET.

Nunquam eſt bonum ſignum Appetitus proſtratio; multum enim ſitum eſt in ſtomacho ad totius microcoſmi vigorem: Unde ſemper ſuſpecta Medico.

Pejus eſt ſignum *ſi quidem ægri appetunt cibum, allatum vero faſtidiunt*, quoniam non ſolum non appetunt, ſed ſimul depravatum habent appetitum.

Deinde *Appetitus in principio & ſtatu* morbi *dejectus* non eſt adeò malum ſignum: *modo in declinatione revertatur*, aut *ſi in declinatione* demum *proſternatur* eſt *ſignum recidivæ.*

Denique eſt *Fatale ſignum*, *ſi Ægri* in ſummâ *virium debilitate* & proſtratione *ſubitò alimenta vel potum appetunt*: quod quidem exhilarat adſtantes, ſed terrere debet Medicum.

METHODUM MEDENDI QUOD SPECTAT.

In appetentiâ dejectâ curandâ habeamus rationem cauſarum: his enim ſublatis tollitur effectus. Præ cæteris *expurganda ea quæ vitioſa hærent in ſtomacho*, & *corrigendus* quoad fieri poteſt, *fermenti ſtomachi defectus*: dico quoad fieri poteſt; nam Fermentorum eſt magna vis & non poſſunt facilè hæc ad libitum Medici tractari.

Ad hos ſcopos *conveniunt vomitoria*: hæc enim ſunt quæ immediatè ſtomachum expurgant, *& unum vomitorium plus purgat in affectibus ſtomachi quàm decem Purgantia.* Vomitoria conveniunt *Antimoniata*, quæ ut operentur per vim ſtomacho inimicam & malignam, non tamen prohibet quo minus legitimè præparata & cautè exhibita, optatus ſequatur effectus. In genere moneo *vomitoria Antimonialia non eſſe aſſumenda in ſubſtantiâ* ſed *potius in infuſo*, ratio eſt: quoniam ſubſidendo in rugis ſtomachi aut hærendo circa parietes Inteſtinorum nauſeoſas ſolent inducere Hypercatharſes. *In Infuſis Antimonialibus* elegans eſt modus Walæi *in Methodo Medendi*, qui rectè monet *non attendendam eſſe quantitatem Antimonii infundendi ſed potius quantitatem liquoris* in quam fieri debet infuſio. Nam ſive infundantur jv. vel vj. gr. *Mercurii vitæ* ſive ℈ß. perinde eſt, modò juſta accipiatur liquoris quantitas. Sic v. gr. ℈j. *Mercurii vitæ* eſt ſalutaris ſi infundatur in ℥j. *Vini Rhenani*: ſicut è contra gr. vj. tantum, ſunt lethalia ſi in ℥vj. vini. *Antimonium enim non plus de ſe diffundit quam poſſunt recipere liquores. De vitro Antimonii, Croco metallorum* tàm *vulgari* quàm *Abſinthiaco Mynſicthi & aliis, idem verum eſt. Sirupus Emeticus Angeli Sal.* ab ℥ß. ad ʒvj. interdum ad ʒiij. in ſubjectis debilibus, eſt egregius. His *vomitoriis*, ut ventriculum, à materia craſſa & viſcida oneratum adjuvemus; *additur Spiritus viridis æris*, tam *ſimplex* quàm *compoſitus*, ſeu qui paratur ex *viridi æris & gummi ammoniaco*, ut qui eſt ſingularis in deſtruendâ viſcoſitate ventriculi. Sic v. gr. paratur vomitorium, quando appetitus eſt proſtratus propter præſentiam materiæ craſſæ & viſcidæ.

℞. Aqu. Hyſſop. ℥j.
Cinnamom. ʒij.
Sirup. Emetic. ℥ß.
Spir. Viridis æris comp. ſ. c. gum. am. ℈ij. ad ʒj.
miſc.

F. potio emotica.

Quod vomitorium operatur egregiè.

Poſt. Vomitoria, iis, qui non ſunt apti ad vomendum præſcribantur *Purgantia*, in quibus præpollent *Aloëtica* omnia, hæc enim detergunt mucilagines & exhauriunt eaſdem. Variæ ſunt *Pilulæ ex Aloë*: Francofortenses, ex *Aloë*, *ſucco roſarum & violarum* inſuccatæ. Pilulæ *Roſarum.* Quilibet hic poteſt abundare ſuo ſenſu, & *ex aloë non lotâ* parare *Pilulas*; dico non lotâ, quoniam non lavando exhauritur mucilago purgans, relictâ parte adſtringente: Aloë ergo

non lota debet aſſumi. Vid. Helmont. In officinis proſtat *Maſſ. Pilul. de Hiera cum Agarico* quæ merito præfertur reliquis in affectibus bilioſis à gr. xv. ad ℈j.

Hic moneo de Purgantibus in genere, illa debere tantum 3. aut 4. vel ad ſummum 6. vicibus purgare, demonſttante hoc ipſum Helmont. & Knofel. *Tract. de Febre Epidemica malignâ*: non verò imitandam eſſe vulgi pravam conſuetudinem. De *Maſſ. Pilul. Hieræ cum Agarico* à gr. xv. præſcribo ſæpius ad ℈j. adjecto forti & acuto ſtimulo. Dabo exemplum, in mucilagine viſcidâ præſcribo talem formulam.

℞. Maſſ. Pilul. Hieræ c. Agaric. gr. xij.
Extract. Abſinth. gr. vj. vel viij.
Scam. Sulfur. gr. j.
Extract. Troch. alhand. gr. j.
c. ſ. q.
Elixir Proprietat.
F. l. a. Pilul.
Purg. ſtomach.

Eædem *Pilulæ de hiera c. Agaric. conveniunt* quoque egregiè *Hypochondriacis* quoniam ſunt leniter purgantes: ſed tunc temporis adduntur appropriata ut *Extractum ſ. Eſſentia Martialis liquida, aut gummi Ammoniacum*: Nam hoc potens eſt, in detergendâ & reſolvendâ materiâ viſcidâ ſtomachum incruſtante. Dabo exemplum pro *Hypochondriaco leniter purgando*:

℞. Maſſ. Pilul. de Hier. c. agaric. gr. xij.
Gum. Ammoniac. c. Acet. ſolut. ℈ß.
Scam. roſat. gr. ij.
Extract. Trochiſc. alhand. gr. j.
c. ſ. q.
Eſſent. Mart. liquid.
F. l. a. Pilul. purg.

& hæc etiam de purgantibus ſufficiant. Quod attinet ea, *quæ corrigunt ſtomachi appetentiam dejectam ſunt* talia *quæ in ſalinâ præponderant*, & quidem *acidâ blandâ*: quæ ſunt egregiè in appetitu dejecto, *aut* uſurpantur *quæ conſtant ſal. volat. oleoſo aut acri*, quod detergit rugas ſtomachi & mucilaginem reſidentem abſtergit. Nam his deterſis ſponte appetitus revertitur. Eadem conveniunt, quando *pinguia aſſumpta*, & *bilis*, ſunt cauſa Appetitus dejecti, de ſingulis ſingulatim.

Quod attinet Medicamenta: 1. *Inter ſtomachica ſale volatili abundantia ſunt*, v. gr. *Menth. Abſinth. Pulegium, Salv. Roſmarin.* & in genere *omnia nervina*, ſapore ſubacri & odore aromatico prædita, hæc omnia conveniunt in appetitu dejecto: Unde etiam omnia *aromata* præprimis *Cinamomum & Piperata*, ſunt carminantia in appetitu dejecto, non minus quam *Zingiber* & *Zedoaria* quæ poſterior, imprimis *Zedoaria* ſatis eſt decantata & uſitata ubi flatus ſunt moleſti ſtomacho. His aromatibus ſunt confinia *ſemina calida majora & minora*: nam & hæc ſal. volat. oleoſo ſunt prædita. *Radix Ari* convenit in appetitu dejecto quia conſumere & abſumere creditur materiam in ventriculo reſtitantem & appetitum imminuentem. *Radix Armoraciæ ſ. raphani ruſticani*: Hunc enim inſigniter commendat Gabelchoferus *cent. 1. cur. 14.* contra appetitum dejectum, & eſt potens remedium: Fit ſcilicet infuſio rad. raphani ruſtican. cum radice Helenii an. in vinum rhenanum & in uſu accipitur, ſingulis manè hauſtus. *Radix Helenii* ſingulare ſtomachicum eſt. Non minoris virtutis *calamus aromaticus verus*, qui cum hic ſit rariſſimus, commodè ſubſtituitur *radix Acori veri* quæ elegans eſt in corrigendo ſtomacho & recreando appetitu dejecto.

Pertinent ad ſal. volat. oleoſo aut acri conſtantia compoſita officinalia, ut *ſpecies Diatr. Pipereon. ſpec. aromat. & ſimiles*: ex ſimplicibus hiſce paratæ *Eſſentiæ*: *Eſſent. Menth Zedoar.* & ſimiles admodum conveniunt in hoc affectu. *Timæus* facit mentionem *Eſſent. Panis cum Vino Malvatico deſtillatæ* quæ omnino non erit rejicienda; Nam ſpiritus Panis per Retortam, acido volatilis eſt inter ſtomachica remedia ſingulariſſimus; Eaque confirmant, quod medicamenta ſeu ſimplicia ſal. volat. acri prædita regenerent appetitum antea proſtratum ſunt, eſt *obſerv.* Riverio communicata à Paschequo *obſ.* 1. qui habet exemplum appetitus dejecti, ita aucti ut canina ſecuta ſit: Cura peracta fuit per tale decoctum.

℞. Fol. Agrimom.
Comar. Abſinth.
Herb. Cent. minor. ana m.ß.
coqu. in
Aqua com.
cum pauc. Sacharo.

Capiat æger hauſtum bonum manè. Hoc inquam decocto aliquoties ſumpto, famem Caninam obortam refert Riverius.

Thonerus *lib. 2. obſervat. 1. pag. 141.* ſimile habet: quia curavit faſtidium ciborum ingenti virium proſtrationi, conjunctum cum amarore oris, ſimili decocto facto.

℞. Radic. Cichor.
Herb. Abſinth. Roman.
Cardui bened. an. m. j.
Cent. minor. m. ß.

decoqu. in Aqua & Vini menſ. ß. ad conſumpt. tert. part. de hoc decocto mane & veſper. æger aſſumpſit hauſtum, & egregiè curatus. Præterea dixi etiam *convenire acida non nimia ſed potius temperata.* Notum enim eſt quod Paracelsus ſingularia in hoc affectu *cum Spiritu Vitriol. Veneris* præſtiterit, adeò ut ſectatores ejus dicant, ſtomachum ita ab eodem roborari ut inſtar ſtruthocameli digerere & conſumere valeat ferrum: Certum eſt quod inſigniter conveniat: & *ſpiritus* quoque *ſalis* eſt potens in eodem affectu. His non cedit *ſpiritus Maſtiches acidus* qui eſt potentiſſimus in affectibus ſtomachi omnibus: eſt ſanè ſingularis in ſtomacho, & corrigit purgantia omnia ſtomacho adverſa: unde ſpiritus maſtichis uſitatus. *Spiritus hi minerales* acidi meliorantur ſeu *dulcificantur cum ſpiritu vini*: ſic fit *ſpiritus ſalis dulcis*; *Spiritus Vitrioli dulcis & ſimiles*; qui præferendi *ſpiritibus acidis puris*; & quidem optimè *conjunguntur* hi cum *vegetabilibus ſtomachicis* ad appetitum dejectum. Hinc videmus *Elixir. Proprietat.* habere *adjunctum ſpiritum ſulfuris & ſalis* ut eò melius operetur. Hucce facit *Elixir Stomachale* D. Mich. in quo conjungit aromatica ſalina & oleoſa cum ſpirit. ſalis. Deſcriptio eſt hæc.

℞. Herb. Menth. criſp. m. jv.
Meliſſ.
Puleg.
Salv. an. m. ij.
Rad. Pimpinell. ℥ij.
Calam. aromat. ℥j. (ſ. acor veri
Granor. Maſtich. ʒvj.
Zedoar.
Galang. an. ʒij.
Cubebar.
Nuc. moſch.
Cinamom.
Macis.
Caryophillor.
Zingib. an. ʒß.
Coriandr. ℥j.
miſc. affund.

Spiritus Menth. cui add. Spirit. Vitrioli philoſ. (qui revera eſt ſpiritus ſalis) ad gratum ſaporem & ſubtilem acorem. Digerantur in loco calido & filtrentur. Filtrato add. Extractum Stomachicum compoſitum vel Extractum Acori veri.

miſc. F. Elixir.

Hoc Elixir Stomachale in Scorbuto & Malo Hypochondriaco conjungitur cum Spiritu Cochleariæ h. m.

℞. Elix. Stomachal. ℥iij.
Spir. Cochl. ʒjß.
miſc.

De hac ſumantur bis de die *gr.* 30. *ad* 40. & inſigniter appetitum renovat, & ſtomachum confortat.

Præter hæc ad ſalina *pertinet Ammon.* quod eſt ſingulare ſtomachicum, & quod antea dixi de *gummi Ammoniaco*, & *ſalinis* incidit, & attenuat mucilaginem viſcidam, remanentem, & nihil magis depurat. Eſt quaſi ſal ſalſum, & ex ſale communi & ſale volatil. urinæ, quæ dant ſal ſalſum tertium. Unde ſolet præſcribi *Ammoniacum cum ſalibus vegetabilium fixis*; ſed eſt error inſignis, ratio eſt quia ſalia fixa alcalia arripiunt ſal. volat. *Ammoniaci*, & ſic fit ſalſum fixum: potius omittuntur ſalia fixa & præſcribitur *Ammoniacum ſolum vel oculi cancrorum adjunguntur.* Idem *Ammoniacum* convenienter præſcribitur *cum aromatibus*: Sic pro ſtomacho detergendo & appetitu reſtaurando,

♃. Sal. Ammon. depurat. ʒj.
Rad. Zingiber.
Specier. diatr. Piper. an. ℈j.
M. f. pulv. ſtomach.

Ammoniacum ſimplex eſt admodum potens in appetitu revocando.

Præter ſalina conveniunt ex *Tartaro* remedia *Cremor. Tartar. Tartarus Vitriolat. Panacea Holſteinenſ.*

Ad acida hæc pertinent etiam *Cydonia* in his enim abſoluta eſt cura appetitus proſtrati. ZACUT. LUSITAN. non poteſt ſatis commendare, quocunque modo uſurpetur, ſive *Miva*, ſive *ſuccus*, ſive *ſpiritus paratus* ex iis, in quocunque appetitu dejecto. Unde miſturis ad ſtomachum roborandum *Cydoniorum ſuccus* aut *ſirupus permiſcetur.* Si oriatur appetitus dejectus *ex vitio nervorum in ultimo ſenio*, convenit *Ambra.*

Item *Balſamum Peruvianum* ſi aliquot guttæ in hauſtu vini propinentur. RIVERIUS commendat hoc expertum.

Quando fit ut vel pinguia proſternant appetitum aut bilis, præ cæteris conveniunt medicamenta ex *Abſinthio*, & prædictum *Elixir. Propr.* quod pinguedinem quamcunque potenter domat. item cum amaris miſta *Cydonia*, quæ blandè temperant & corrigunt.

In Externis præter cætera alias nota eſt *cruſta Panis, irrorata vino aut aceto aſperſo pulver caryophyll.* & inſtar ſcuti applicata regioni ſtomachi. *Pellis Vulturis* ſimiliter in forma triangulari, ſtomacho applicata eſt expertum remedium: vidi ego aliquot experientias feliciſſimas, ut ut videatur ridiculum.

Pergo ad *appetitum depravatum* in

PICA ſeu Μαλακία.

Quid ſint hi affectus paucis exponam: *Pica* in genere *eſt appetitus ita depravatus, quando quocunque tempore inuſualia appetuntur. Malacia vero eſt appetitus quidem nimius, uſualium tamen*, ita ut appetantur uſualia cum deſiderio extravagante: Unde & plus quam conducit comedunt: Sic v. gr. *Pica* eſt *quando Gravida appetit carbones: Malacia*, quando *haleces & alios cibos* uſitatos, appetitu tamen *nimio & inconveniente.*

Pica ſeu malacia.

Eſt ita Pica appetitus nimius inuſualium.

Malacia appetitus nimius uſualium. Contrarium eſt: *Faſtidium determinatum: quando* ſcil. *determinate faſtidiuntur cibi* v.gr. *alii omnimodè averſantur caſeum,*&c.

Quod attinet ad *cauſam Appetitus depravati*, certum eſt quod, ſicut *appetitus* in genere *oritur à fermento ſtomachi*, ita in ſpecie ab eodem *appetitus* vel *auctus* vel *depravatus in Pica & Malacia*: Videmus enim quòd omnia animalia habeant in ſuo genere determinatum ſtomachi fermentum, & ab iſto determinetur eorum appetitus; ſic Canis appetit oſſa, Felis mures; Ciconia ranas nullâ aliâ è ratione niſi quod activitati ſuæ appropriatum objectum poſtulet ſtomachi fermentum in illis ſpecificum. Et ſimili ratione *ſolet oriri Pica & Malacia*, nimirum: Dum ita determinatum eſt fermentum ſtomachi, ut in hoc vel iſtud feratur. In quo verò conſiſtat iſta ſpecificatio fermenti, ut in ſingulis ſpeciebus certo modo determinetur, & ita in unoquoque ſpeciei Individuo determinetur ad hoc vel iſtud: nullus adhuc potuit explicare. *Pars affecta primaria eſt ſtomachus ejuſque fermentum.* Ubi enim reſidet appetitus naturalis, ibi quoque reſidebit præternaturalis ſeu depravatus. *Præterea* hic ſimul *afficitur Phantaſia, Guſtus & Odoratus.* Phantaſiam affici ex eo certum eſt quod homines dum ſtomachus appetit, affectu feruntur in talia vel talia, cretam, corallia, murorum calces, &c. Namque fermentum non determinat hoc vel iſtud, ſed phantaſia: Eſt ergo vitium phantaſiæ.

Quod afficiatur *Guſtus* certum eſt ex eo *quod cibi peſſimi ſaporis cum inſigni voluptate deglutiantur*, ut dicunt tales cibos habere elegantiſſimos ſapores; Exemplum habet SALMUTH *cent.* 2. *obſerv.* 62. *de virgine quæ* inter alia *calces parietum abraſas devoravit* & earum deprædicavit ſuavitatem & dulcedinem: hic certum eſt fuiſſe depravatum guſtum, calx enim eſt admodum acris. BORELLUS habet Exemplum *cent.* 4. *obſervat.* 2. de *Virgine Picante* quæ *ſtercora humana comedit*, quæ non ſunt adeò ſapida, & tamen *cum inſigni guſtu* appetita deglutivit: Unde certum eſt affici guſtum: non enim poſſent talia ingeri niſi eſſet ſimul depravatus.

Res probabilis eſt quod *ſuppreſſio Menſium det Picam*, quoniam ſanguis ſeparatus in vaſis uteri externa vel alia ex cauſa coagulatus, ſtagnans inquinatur, & ſenſim ſenſimque regurgitat in totam maſſam ſanguineam. Unde afficitur lympha, quæ per internam tunicam ſtomachi glanduloſam tranſſudans, uti dat fermentum ſtomachi, ita dat augmentum ſalivæ: Dum ergo ſaliva infecta eſt non poteſt non etiam lingua affici & guſtus depravari: Unde ſaliva non minus quàm fermentum ſtomachi vitale ſimul affectum eſt in *Picâ.* FRACASSATUS *in Epiſtola de lingua pag.* 255. quidem vult deducere guſtum depravatum à papillis linguæ vitiatis: Sed ego conſultius puto ſi conſtituatur in ſaliva.

Afficitur denique *Odoratus*: Exemplum affecti odoratus habet SALMUTH *cit. loco obſerv.* 63. *de Virgine, quæ inſigniter à fœtore veterum librorum* à Tineis Blattiſque eroſorum *afficiebatur* ita ut nares per totum diem in tales libros immitteret, quod odorem ſuavem, uti dicebat, hauriret. BORELLUS *cit. loc.* habet exemplum de *Virgine Picante, quæ afficiebatur odore Corii*, quare ſemper in ore detinuit & maſticavit ut perciperet odorem ſuavem. Hæc probant eſſe non ſolum affectum ſtomachum,ſed inſimul phantaſiam,guſtum & odorem.

Quod verò ſingularis ſit fermenti ſtomachici depravatio confirmat exemplum HILDAN. qui *cent.* 1. *obſ.* 37. refert *Picam obortam ex ulcere faucium in quo pus generatum*: Unde *haleces, Piſces*, & *carnes fumo induratas* & ſimilia *ſalſa appetita facillimè deglutiebat, non appetita admodum difficulter.* Fundamentum conſiſtit in hoc: Ex ulcere faucium cùm ſemper bullierit pus, quod derivatum fuit in ſtomachi cavum, hinc factum ut determinatum fuerit ſtomachi fermentum: Unde videmus appetita fuiſſe talia ſalſa & ſalita. Ex hoc patet ſolutio controverſiæ. *An in Pica appetantur ſimilia an vero contraria? an appetantur ea quæ conveniunt cum fermento ſtomachi, an verò quæ non conveniant? Reſpondetur*, *appetunt* ea quæ ſunt *ſimilia* & quæ ſe habent ut objecta convenientia ad activitatem *fermenti ſtomachici* ſeu in quæ poſſit agere & digerere: reliqua omnia rejiciuntur.

Dicunt *Picam eſſe conſequens in mulieribus gravidis* ſeu in quibus *ſuppreſſi ſunt menſes.* Cæterum RIVERIUS habet exemplum de *Fele Picante* quæ devoravit, calces, carbones & ſimilia: *ſed hæc non fuit gravida*, potius ſemen, vel aliud quid fuit ſuppreſſum: & hoc probare poſſunt & confirmare ſimiliter *Pueri & Infantes Picantes.* Sic FABER *curat.* 62. habet exemplum *de puero trium annorum Pica laborante*, qui *cineres* &

terram

terram efflagitavit, lac vero & alios cibos omninò reſpuit. Forest. *lib.18. obſer.7. in Schol.* habet exemplum de pueris cruſtas & calces parietum avidè deglutientibus. Nec pueri tantum ſed etiam *viri* non rarò *Picâ laborare deprehenduntur*. Nam ſicut certum eſt laborare viros affectu ſuffocationis hyſtericæ ſimili, ita etiam proſtant exempla virorum ſimiliter picâ laborantium. Exempla plura videbitis in Schenckii *obſervationibus lib.3. obſerv.33.p.561.*

Malum hoc non rarò eſt hæreditarium, exemplum habet Fonseca *lib. 2. conſil. 29. de Puella* 14.annor. quæ à tenera ætate infantili *calces parietum & laterum fragmenta* appetiit & deterreri nullo modo potuit: ratio quia mater gravida ſimilia affectarit: unde charactere hæreditario affecta fuit.

Quæſtio eſt, *an in Pica* quando *extraordinaria ingeruntur* hoc fiat *ſine aut cum nocumento agri*. Nam proſtant exempla quòd devorentur inordinata & non noceant. Reſpondetur ſicuti in ordinario victu ſobrietas eſt cardo diætæ, & alimenta moderate aſſumpta conducunt, immoderata verò nocent, ita *in Pica, ſi aſſumantur inuſitata, non minus copioſa, contraria & nociva non ſunt.* Sic *Tulpius* habet Obſervat. *lib. 2. cap.24. de muliere gravidâ*, quæ tempore geſtationis 1400. *Haleces (ſed non unâ vice) devoravit ſine noxâ.* Stupenda ſunt ea, quæ habet Platerus *in obſervationibus lib.1. p.240. de puella, quæ comedit cepam* ſub cineribus coctam & *buboni peſtilentiali applicatam* citra noxam, cum tamen certum fuit cepam veneno fuiſſe impregnatam. Idem Platerus refert de ſeipſo, quod aſſumpſit aliquot cochlearia Theriacæ abſque ullo nocumento.

Sic quoque proſtant Exempla ſine noxâ ſimilia fuiſſe aſſumpta, ſed non niſi nimis copioſè. Nam appetitus determinat aſſumenda: ſi ergo aſſumuntur ordinatè non nocent, alias inordinatè aſſumpta optimè fiunt venena. Mira proſtant hinc inde exempla ſatis cognita. Unum habeo quod rarum ex Medico Gallo de la Forge *in notis ad Carteſium de homine, de puella quæ comedit lapides*, qui gratiores fuerunt quando ad tempus radiis Lunæ expoſiti fuerunt.

QUOD ATTINET SIGNA.

Res eſt clara *quoad Diagnoſtica*. In *Prognoſticis* diſtinctè pronunciandum. Nam *citra noxam poſſunt comedi res appetitæ*. Verum hic *obſervetur in prægnantibus appetitum non ferre denegationem rei appetitæ*: cum notum ſit de muliere, quæ duabus vicibus dentibus invaſit in pectus cujuſdam viri qui primum morſum pertulit, alterum vero recuſavit: unde factum ut duos filios in lucem ediderit unum viventem alterum mortuum. Memorabilius exemplũ habet Salmuth *de Gravida, quæ pica laborans habuit libidinem vellicandi barbam Lanionis*: unde egregiam partem evulſit, quod etiã alterâ vice fecit, tertiâ vice lanio denegavit: hinc peperit tres fœtus, unum mortuum & duos vivos, in his quoad prognoſin ſimus cauti & circumſpecti.

METHODUS MEDENDI.

Imprimis *evacuandus eſt ſtomachus, vomitorio; in non Gravidis tutius: in gravidis cautius* in 1. 2. & 3. menſe & quidem in iis qui facilè vomunt: *in ultimis* 4. 5. & ſequentibus *menſibus non ſine periculo* propinantur vomitoria: ergo tunc cautius diſcamus mercari. Faber pro vomitorio utitur *ſale vitrioli vomitivo*, ut & *Mercurio vitæ*. Sed ejus Mercurius vitæ tutius exhibetur quam ſal vitrioli vomitivum, ex eo, quoniam hoc tantum eſt vitriolum ad albedinem calcinatum, hinc inimiciſſimum ſtomacho, adeò ut, ſi tantillum reſidet, ſoleat attrehere ex aëre inſtar capitis vitrioli mortui ſal, regenerari & multiplicari & ſtomachi robur atque vires dejicere & proſternere, *Mercurius vitæ per ſe eſt ſatis tutus.*

Præmiſſo vomitorio opera danda, *ut corrigatur labes in fermento ſtomachi*, quod vix poteſt fieri, niſi removeatur cauſa iſtius; *ſi menſes ſuppreſſi provocentur: ſi alia tollantur.*

Hinc *dentur ſtomacho grata acida*, ſic enim fit, ut Acor fermenti naturalis reducatur & appetitus depravatus ſic corrigatur. Inter hæc *Cydoniorum, Limonum, Aurantior. Citri. Granator. ſucci* ſunt egregii: ſpecificè commendatur *Aqua Pampinorum vitis*, primo vere ex vitium ſurculis inciſis extillans, quæ eſt impregnata ſubtili Tartar. ſeu aciditate, ratione cujus corrigit ventriculi labem & appetitum reducit, convenienter *permiſcetur cum Aqua Therical. in Julepis ſucci citri & aurantiorum*, quoniam hi ſunt ſingularia ſtomachica. Riverius *cent.4. obſerv.93.* Specificè commendat pulverem ſtomachicum Quercetan. compl. & pulv. Croci Martis aperitivi: & hunc expertum dicit in Pica mulierum ex quacunque cauſa ortâ.

Commendantur etiam *Cappares Aceto conditi*, ceu experti quibus nonnunquam etiam ſolent addi *ſemina carminativa aniſ. fœnicul. carvi. Potus vini generoſioris* non inconveniens eſt, quoniam in vino ſingularis vis reſtaurativa ſtomachi, imprimis *ſi ſit infuſum ſuper folia Menth. vel Portulacæ.* Lindanus *in Collegio ſuper* Hartmann. *conſervam roſarum* acidulatam *cum Spiritu Vitrioli* commendat; cui *addit pulverem Zedoariæ* in hac forma.

℞. Conſerv roſar. ℥v.
Pulver. Zedoar. ʒj.
Spiritus Vitrioli q. ſ.
ad grat. acidit.

D. S. Electuarium
de quo ſubinde aliquid aſſumitur, ter de die, mane, meridie, & veſperi, continuetur tamdiu donec ceſſet affectus, nam dicit eſſe expertum. *Loco conſervæ roſarum melius* eſſet ſi reciperetur *conſerv. menth. criſpæ Vitriolat.* nam eſt ſingularis in hoc affectu. Quæſtio eſt *an ven. ſect. conveniat in pica?* de iis in *quibus menſes ſuppreſſ.* dubium non eſt, quin *ſaphenæ ſectione* ſuo tempore inſtituta, multum *adferatur auxilii*. Interim non *opus eſt ut ven. ſect.* in talibus affectibus *planè omittatur*, & *non niſi in ſanguinis copia adminiſtretur*; quum natura per Hæmorrhoidum fluxum quendam liberaverit: Sic refert Rhodius *in Obſervat.* de quodam qui Malacia inſigni laboravit & curatus fuit ſolo *hæmorrhoidum fluxu*: Cum ergo hac in parte ducem habeamus naturam, non opus eſt, ut ven. ſect. omittamus. E contra *ubi purgantia per inferiora adminiſtranda, admiſcendum eſt aliquid Mercurii dulcis rite præparat.* Agricola miſcet cum Extracto Hellebori nigr. purgando mulieres non gravidas, ex menſium ſuppreſſione, Pica laborantes, *hoc modo.*

℞. Extract. Helleb. nigr.
Mercurii dulc. rit. præparat. an. ℈ß.
Extract. Colocynth. gr.j.
c. ſ. q.
Succ. Cydonior.
Fiant Pilul. purg.

Convenit quoque *Aqua Cinamom. cidoniat.* vel *ſola* vel *cum Elix. Menth.* impregnat. & *acidulata* cum tantillo *Spiritus Vitriol.* philoſoph. formula hæc eſt.

℞. Aqu. Menth. Meliſſ. c. v. ana ℥j
Cinamom. cydoniat ℥ij.
Elix. Menth. ʒj.
Succ. Cidon. Citr. ana ʒß.
Spir. ſalis dulc. ℈j.
Sirup. de ſucco Cydonior. q. ſ.
ʒj. ʒiß. pro libito.

Nam Sirupi non benè præſcribuntur in magna doſi propter admiſtum ſaccharum.

Miſ. F. miſt. ſtem at.
de qua ſubinde cochlearia aliquot ſume.

Sylvius *in praxi Modernorum* commendare ſolet *ſalia volatilia* non communia, ſed *oleoſa*, ſeu oleis vegetabilium impregnata. Sed *cautè adhibenda*, quoniam ſunt generoſa nimis, & metus eſt ne aliquando cauſent abortum.

Subſtitimus in Affectibus qui pertinent ad læſam famem, quos inter reſtat *Appetitus nimius.*

APPETITVS NIMIVS.

Appetitus nimius. *Eſt quando plus quam naturæ legitimus curſus permittit, appetimus.* Hic *Duplici vocatur nomine* : Uno *Appetentia Canina* , altero *Bulimus.*

Appetentia canina. *Appetentia Canina* dicitur à ſimilitudine canum, quoniam taliter affecti alimenta comminuunt, deglutiunt, digerunt, interdum etiam evomunt, inſtar canum.

Bulimus. *Bulimus* vox græca , ratione compoſitionis autem *denotat ingentem Famem. Differentia* eſt hæc: ii qui laborant fame Canina , avidè comminuunt, & digerunt alimenta ; aut ſubitò indigeſta evomunt: *Bulimus verò eſt magna fames , ita ut ægri ob nimiam famem deliquium animi patiantur.* Revera ergo Bulimus eſt defectus animi ob nimiam famem. *Appetentia Canina eſt nimia fames quando copioſè ingeruntur & digeruntur alimenta, vel indigeſta per vomitum rejiciuntur.*

CAVSA appetitus aucti tàm in Bulimo quàm Appetentiâ Caninâ in genere eſt *ſuccus acidus corroſivus in ſtomacho reſidens,& ejus orificium ſiniſtrum inſigniter morſicans.*

In hoc ipſo omnes omnino medicorum ſectæ conveniunt, veteres enim dum producunt ſuccum melancholicum, hoc ipſo ſuccum acidum in ſtomacho confirmant: Nam HIPPOCRATES ordinariè melancholicum ſuccum per acidum deſcribit, dum ſubinde melancholiam comparat cum aceto acerrimo.Dum ergo dicunt veteres melancholiam eſſe cauſam Bulimi & Appetentiæ Caninæ,eo ipſo dicunt eſſe acidum.

Alii producunt *bilem porraceam & æruginoſam:* Cæterum *in hac bile* , ſi datur , *primariò peccat acidum.* Unde etiam infantes , quibus frequens eſt rejectio talis bilis porraceæ , & æruginoſæ , tunc temporis patiuntur tormina ventris & exulcerationes ani;propterea quoniam acidum etiam has exulcerationes producit, quæ tamẽ curantur per illa quæ acidum abſorbent. Hinc idem eſt ac ſi dicant peccare acidum corroſivum in ſtomacho. *Hermeticorum Schola* uti Microcoſmi actiones & operationes per Macrocoſmum definit,cõfugit *ad Spirit. ſalinum Eruſinum famelicum & Vitriolicum,* qui ſpiritus ſalinus acidus & acris cum ſit acerrimus in ſtomacho,ut quicquid ingeritur promptè celeriterque concoquatur;& à quo omnia aſſumpta tanquam à fortiſſimo menſtruo diſſolvuntur.

In hoc ergò omnes conveniunt quod acidum ſit nimium , vellicans ſtomachum.

Nec deeſt Experientia : *acida aſſumpta* imprimis vero *acetum, Succus Citri, Spirit. Vitrioli* & ſimilia, *appetitum naturalem provocant* , quatenus ſunt acida. Unde à ſimilitudine effectuũ poterit argumentari quod etiam fames canina præternaturalis à ſimili acido ſucco proveniat. Confirmat hoc ulterius Experientia eorum qui laborant appetentia nimia. Hi enim qui jejuno ſtomacho vomunt , rejiciunt ſuccos inſigniter acidos. Quale exemplum habet FONSECA (fuit Medicus Papæ) *lib. 2. obſerv.* 86. de quodam adoleſcente qui ſolitus fuit ſingulis menſibus rejicere per vomitum ſuccum craſſum inſipidum nigrum , poſtmodum vero ſucceſsit appetentia canina, quo tempore ea quæ rejecit omninò fuerunt acida. Cæterum *ordinaria* quidem hæc eſt *cauſa appetentiæ caninæ* ſeu Bulimi , *acidum peregrinum* nempe *in ſtomacho* abundans & vi corroſiva præditum. *Extraordinariè* autem fit ut appetentia Canina oriatur *à Vermibus.* Exempla ſunt rara, quædam tamen tum à veteribus , cum etiam Modernis Medicis allegata.Exemplum à TRALLIANO obſervatũ, quod etiã habet ZACUTUS LUSITANUS *lib.2.med.princ. hiſtor.*68.item SCHENCKIUS *lib.3.obſ.27.pag. m.*559. de muliere intenſiſsimo appetitu affecta,curata tamen per uſum Hieræ id eſt medicamenti ex aloë parati ; cujus uſu vermem admodum longum excrevit, & ita à fame Canina liberata fuit. Vide ZACUT.LUSITAN. qui refert hoc, elegantem habet diſcurſum de hac materia. Memini etiam aliquando D.MICHAEL. curaſſe fœminam ſcorbuticam ſimiliter appetentiâ caninâ laborantem, quæ poſt uſum ſucci Naſturtii aquatici rejecit lumbricum latum inſignis longitudinis,& exinde appetentia canina promptè ceſsit.

Verum *an vermes ſoli poſſint inducere appetitum caninum merito dubitatur*, propterea quoniam taliter appetentes uti promptè appetunt, ita promptè digerunt, quod fieri nequit à vermibus : *Putarim* ergo unà cum vermibus in Inteſtinis *adeſſe ſuccum acidum Eſurinum nimium* à quo oriatur, appetitus & etiam digeſtio non ſolos præſupponit vermes, qui dubio procul vellicando & morſicando malum inſigniter augebunt. Cæterum ut ut tales caninâ appetentiâ laborantes multa devorent & citò digerant,*raro* tamen *ſolent pinguefieri,* ſed potius emaciantur:Ratio eſt quoniam in talibus ob acidos ſuccos & acriores maſſa ſanguinea redditur aſpera & minus nutritiva. Nutritio namque noſtri corporis fit à ſucco blando , pingui , chyloſo & ſubdulci : unde eorum qui probe nutriunt, maſſa ſanguinea eſt ſemilactea,quod videmus in Infantibus. In his verò cùm deſit talis ſuccus pinguis chyloſus quia potius abundet acidum ; fit ut tales propter aſperitatem maſſæ ſanguineæ minus nutriantur ſed potius emacientur. Videmus hoc in Scorbuticis qui laborant Atrophia propter exceſsivum acidum rancidum à quo maſſa ſanguinea , aſpera reddita minus poteſt nutrire corpus. Unde rarum eſt Exemplum quod habet AMAT. LUSIT.*cent.*7. *cur.*37. de muliere *melancholicâ ingenti fame correpta,* quæ ob id multa & copioſa devorabat, & cum arida fuiſſet & *emaciata,* exinde tamen *poſtmodum pinguis fuit reddita.*Rarũ uti dico hoc eſt,interim ſi conſideremus ſtatum mulieris ægræ.quæ fuit melancolica,patet ſolutio dubii.Ex dictis patet *famẽ caninam non eſſe morbum adeo frequentem.*Unde mirum eſt quod obſervata fuerit *fames canina Periodica.*Sic SCHENCK. in *l.3.obſ.31.p.*560.habet hiſtoriam de fame canina Periodica quotannis circa ſolſtitia invalente ; & quidem tantummodo 20.dierum ſpatium perſiſtente,inſequente ingenti ciborum faſtidio. Idem SCHENCK. habet ſimiliter Exemplum ſimilis *famis* ſeu Appetentiæ *caninæ Epedimicè graſſantis, lib.3.obſ.26.pag.*559.Quod ſimiliter admodum rarum eſt.

QVOD ATTINET SIGNA.

DIAGNOSIS eſt facilis.

PROGNOSIS eſt citra periculum ; *niſi* 1. *ob animi deliquium interdum immineat morbus,aut exinde deficiat æger.*

2. *Poſt morbos* imprimis febres *in ſtatu reconvaleſcentiæ ſæpius* ſolet invadere *appetentia canina,* quæ tamen eſt *ſine periculo :* Signum potius eſt recolligentis ſe naturæ.Cæterum *niſi ægri ſint moderati* & temperati, aut ſi nimis concedant *ſolent pati recidivam.*

3. Bulimus *ſuperveniens morbis Chronicis* Quartanam,Hydropem,&c. *raro* eſt *citra ſuſpicionem funeſti exitus.*

QVOD ATTINET METHODVM MEDENDI.

Quæ ſunt primariæ Indicationes?

1. Eſt ut *temperetur ſuccus iſte acris,*ut acrimoniam ſuam amittat.

2. Ut *temperatus* ita , vel corroſivitate ſua exutus, *poſtmodum evacuetur.* Si enim humorem velis *purgare antequam temperetur* à ſua acrimonia , metus eſt ne *peſſima inferat ſymptomata :* ſi enim ſurſum vis evacuare per *vomitum* metus eſt ne *cholera* morbus concitetur , uti rectè putat HARTTMANNUS : Si velis per *inferiora* purgare metus eſt ne exulceret Inteſtina & ita inferat *affectum Dyſenteriæ* ſimilem.

Ea quæ *temperant acrimoniam iſtam* ſunt triplicia, Aut ſunt *ſalia alcalia* dicta tàm *volatilia* quàm *fixa,*

quæ

quæ acidum omne præcipitant & *in ſalſum aut inſipidum transmutant*. Sic v.gr. ſi Spirit. Vitrioli acido, imò acidiſſimo addatur ſal Tartari fixum exinde Spiritus Vitrioli omnem aciditatem amittit & fit planè inſipidus.

2. Temperant acidum *corpora terrea quæ acidum* in ſe *abſorbent*, & ita ejuſdem activitatem temperant. Sic v. gr. ſi aceto acerrimo infundas ocul. cancror. fit ut acetum corrodat oculos cancrorum, qui abſorbent in ſe omne acidum & exinde acetum fit inſipidum.

3. Corrigunt acidum omnia ea *quæ acrimoniam ejus obtundunt*, qualia ſunt *pinguia* aut *mucilaginoſa* aut his ſimilia quæ obtundunt acidum & temperant.

QUOD ATTINET MATERIAM *Medicam*.

Ad alcalia ſeu ſalia fixa & volatilia pertinet Sal Tartari, Abſinth. in genere, *ſalia fixa vegetabilium omnia, ſal cardui benedict. Cent. minor*, item *ſalia volatilia*, quæ inter eminet *ſal urinæ* ſale volatili turgidum. Hæc ſi hauriantur potenter coërcent appetitum quemcunque nimium, item *Spiritus urinæ*, *Spiritus Corn. Cerv.* & ſimilia ſalia volatilia.

Pertinet huc etiam, *Cepæ, allium*, & ſimilia *ſimplicia ſal. volat. acri prædita*. Inter *Terrea* ſunt *Ocul. Cancr. Corallia Margarit. Creta, Lap. Hæmatit. CC. uſtum*, & ſimilia quæ omnia abſorbent acidum & ita temperant ut deponant acrimoniam. *Bolus Armena* huc pertinet non minus quam *Terra ſigillat*. Hæc namque acidiſſima acida temperant: item *Ferrum & omnia Martialia*; quæ quoniam acidum quodcunque imbibunt, non tantùm in Appetentiâ caninâ ſed in ſpecie in Malo Hypochondriaco ſunt convenientiſſima: ſive, ſit *Limatura Martis cruda*; ſive *crocus Martis aperitivus* quicunque, ſive *Tinctur. Martis* quæcunque: Hoc obſervetur in præparatione *Martialium* pro hoc uſu *ne præparentur* eadem *nimis acidis*: ubi enim ferrum ab acido ſemel eſt ſaturatum extra corpus, tunc ſanè nunquam intra corpus acidum amplius poteſt abſorbere. Dabo exemplum pulveris præſcribendi contra Appetentiam Caninam ex modo citatis ſubjectis.

♃. Corallar. rubr. pp.
Limaturæ Martis minutiſſ. trit.
Oculor. Cancr. ana ʒß.
Matr. Perlar.
Lap. Carpion. ana ℈j.
Croc. orient. ℈ß.
miſc. F. Pulvis.

Aſſumendus copioſè in juſculo pingui, ſufficit pro duabus vel tribus doſibus pro ut magis vel minus appetit æger.

Si volumus remedium *ex ſalibus*, poteſt ſufficere hæc formula.

♃. Sal. Abſinth.
Cent. minor. ana ℈j.
Antimon. diaphoretic. ʒß.
Sal. viol. CC. ℈ß.
aut loco hujus ſal vol. urinæ aut quodcunque aliud.
Elæoſachar. Aniſ. aut aliud.
pro odore & ſapore q. s. ℈ß. ad gr. xv. pro ut magis vel minus volumus medicamenti ſaporem.
miſc. f. Pulvis pro dos. ij. aut iij.

Poſſunt & inſervire alia ex *CC. uſto*, *creta* & ſimilibus.

Denique quod attinet *Oleoſa*, ſunt hæc: *Olea expreſſa* & in ſpecie *Olea deſtillata*. Expreſſa ſunt *Oleum Amygdalarum dulcium*, *Lini*, quod egregium in Pleuritide, *Butyrum, tus pingue*: Deſtillata ut *Oleum, Aniſi, Carvi*, & præ ceter. *Caryophyllor.* quod potens eſt in abſumendo acido quocunque; Unde etiam rigores Febriles ab acido ortos compeſcit. Pertinet huc *vitellum ovi ad duritiem cocti*: quod valde prodeſt in appetentia canina: ratio eſt *quoniam* vitellum ovi ita præparatum in ſe *continet plurimum ſulfuris & olei*. Unde etiam inde paratum oleum ovorum uti notum eſt. Unde hoc oleum vitelli ovorum obtundit vim acidi in Appetentia canina ut ceſſet, & exinde appetitus ad naturalem ſtatum redeat. Commendantur præter modò dicta etiam alia, v. gr. *Cochleæ, Cancri fluviatiles, Caro ſuilla*, hæc enim eſt imprægnata ſuo copioſo ſale volatili & difficillimæ digeſtionis ſeu coctionis, unde enervat vim acidi. Commendantur in Diæta *cerebra Animalium* imprimis *butyro frixa*. Cerebrum animalium enim in totum eſt oleoſum & pingue, & ob id obtundit acrimoniam corroſivam ſucci acidi in appetentia canina. Præterea commendatur *Oryza cum multo butyro & lacte cocta*, hæc namque ſunt oleoſa. Similiter pertinent huc *Pineæ & Piſtaceæ*, oleoſæ non minus, quam Amigdalæ dulces: ratione olei conveniunt *ſpir. omnes vegetabilium inflammabiles* Hi namque nihil aliud ſunt quam olea volatiliſata per fermentationem, & conſtant ob id blando acido pingui imprægnato ſale volatili plantæ.

Unde *ſpir. vini* aut ſolùm *vinum generoſum* appetentiam caninam ſedat. Loco ſpiritus vini ſimplicis convenit *Spiritus Menthæ* aut *ſalviæ*. Aut *vinum generoſum cui infuſa ſalvia & Abſynthium* horum enim ſal volat. oleoſum temperat omne acidum.

Faciunt huc quoque *Eſſentiæ Abſynthii, Pulegii, Meliſſæ*, imprimis ſi cum his *maritentur olea deſtillata* e. g. Carni & ſimilium: hæc enim citra noxam temperant acidum in ſtomacho.

Denique hic non inepte ſubjiciuntur Narcotica adeoque ſenſum ventriculi ſtupefacientia, quo minus orificium ſiniſtrum percipiat vellicationem. Hæc ipſa tamen cautiſſime ſunt uſurpanda, quoniam palliant tantum affectum non vero revera curant. Huc pertinet *Laudanum Opiatum* notum: loco hujus ſubſtituitur *Theriaca*, uti etiam *Mithridat*. Hæc duo enim Laudano opiato ceu baſi ſunt ſuperſtructa, ſolanum furioſum ſeu Maniacum cum *vino infuſum*, ſi hauriatur, quamcunque Appetentiam dejicit, uti expertus eſt Gesnerus *in Epiſtolis*, qui videatur, quoniam eſt admodum elegans diſcurſus quem de hoc habet.

His modis temperatur acrimonia ſucci ſtomachi appetentiam Caninam cauſantis.

Quando ita eſt temperatus venit expurgandus: Nam hic ſuccus faceſſit omnino in ſerum, ut poſſit evacuari citra noxam.

Huc faciunt quæcunque *Purgantia* imprimis autem *Panchymagogum* Crollii. Item *Extractum Agarici* aut *Agarici*, quacunque ratione uſurpatum tam infuſione quam in ſubſtantia. it. *Senna & ſpecies Hierarum*, & Medicamenta ex Aloe parata. Imitandus hac in parte Forestus *ſect. 3. l. 18. obſ. 5. p. 138.* habet exempl. appetentiæ caninæ cum vomitu acidorum, quæ ſola fuit curata per has Pilulas.

♃. Maſſ. Pilular. hier. ſimpl. Galen. ℈j.
Rhabarb. optim. pulper. ℈ß.
c. ſ. q.
Infuſion. roſar. ſirupi.
F. l. a. Pilulæ.

Quod cum aliquoties fuiſſet mane uſurpatum hoc Medicamentum, vomitus morbuſque ceſſavit, & hac ratione etiam alius juvenis fuit curatus.

Dixi anteà ſuccum acidum temperatum ſub forma ſeri poſſe evacuari. Unde etiam ad purgantia refertur *Jalapa* quæ mire ſerum expurgat. Hinc poteſt præſcribi pulvis purgans ab amico quodam expertus.

℞. Radic. Jalapp. pulv. ℈ß.
Reſin. Scam. gr. v.
Tartar. vitriolat.
Limitatur Martis præp. an. ℈ß.
(ſi adſit nimia acrimonia)
miſc. F. Pulv. purg.

Quæ ſupradixi de *Theriaca* etiam confirmentur à FONTANO *in Curat. & reſp. p.* 74. Ubi refert de Ancilla inſatiabili appetentia tribus menſibus detenta una cum crebro vomitu, quæ ipſa cum aſſumpſit vomitorium ex Antimonio & ſeſe vino poſtmodum recreaſſet, aſſumpta ʒj. *Theriaces* omnino fuit curata. *Bolum Armenu.* ſuperius commendari quod confirmat. FORESTUS *lib.* 21. *obſerv.* 28. *in Scholio.* ubi refert morbum quendam Famem Epidemicam appellatum, ex eo quod iſta Fame correpti ſatiari non poterant: Omnes tamen iſta fame Epidemica correpti fuerunt ſanati ſolo uſu *boli armen. ita* quidem ut poſt ejus uſum ſimul copioſiſſimi vermiculi fuerint rejecti. Non minus notatu digna eſt obſervatio MEARÆ qui *in hiſtoriis medicis p. m.* 159. refert. Bulimum repentinum ſponte natura ſuccedente gravi Diarrhæa curatum.

Quod ergo attinet BULIMUM.

Cum ſit defectus animi propter nimiam famem optime curatur *per vinum*, quod quo generoſius eſt eo magis ſatisfacit ſcopo Medici. Omnes enim Authores ab HIPPOCRATE, ad hanc uſque ætatem commendant vinum idque generoſum quod abundat ſulphure & ſpiritibus volatilibus, quo potentius poſſit temperare acidum: Vinum *Malvaticum* præ reliquis generoſum. Loco vini ſimplicis poteſt fieri *Hippocraticum cui nuces moſch. & Cinamom. infuſum* fuere: hoc ſane vinum multum conducet. Præterea Mica Panis vino intincta naribus applicatur: nam ipſe odor panis ſolius commendatur *ad Bulimum*, magis ergo convenit ſi intingatur in vinum, aut ſi fruſtulum panis vino intinctum comedatur: nam certum eſt quod vinum & panis Bulimi paroxyſmum ſubito coerceant, pergo autem ad

CAPUT II.

DE SITI LÆSA.

NOtum eſt quod appetamus etiam liquida, eum tamen in finem ut inſerviant inſtar vehiculi tam nutrimentis intra corpus diſtribuendis, quam excrementis extra corpus eliminandis; Ille liquidorum appetitus *Sitis* naturæ curſu, ad ſolam aquam fertur, ex quo omnia animalia ſola aqua pura & ſimplici ſunt contenta: Homines vero per artem nutrimentum cum vehiculo conjungunt uti videmus in Cereviſia, dum ſimplicis alicujus v. gr. hordei grana incoquuntur aquæ & ita mucilaginem hordei nutritivam eliciunt & ſic vehiculum nutritivum acquirunt.

Sitis ſeu appetitus humidorum *læditur tribus modis.* Aut enim *nimia* quod frequentius, aut eſt *deficiens* quod rarius; aut *depravata*, ut loco conſuetorum appetantur abſurda & inconſueta.

QUOD ATTINET SITIM NIMIAM.

Præſuppono ex Phyſiologicis in *ſiti nimia partes affectas* eſſe *Fauces*, *& Gulam.* quæ partes vellicatæ à *ſale acri & ſalſo* inducere poſſunt iſtiuſmodi Appetitum liquidorum humidorum *ſitis* dictum.

Huc concurrit *ſalivæ defectus* quæ alias abluit fauces; Aut ſi & ipſa nimis ſalſa eſt, ut in Hydropicis, Cachecticis & ſcorbuticis: in talibus caſibus tantum abeſt ut ſaliva compeſcat ſitim ut potius exaſperet. Videmus quod poſt uſum ſalitorum aut Piperatorum habeamus magnam ſitim, ubi nil aliud percipere poſſumus, niſi vellicantem & morſicantem ſenſum in Faucibus & Larynge: quod monſtret, ſitim eſſe in faucibus: Unde ſitis ab aſſumptis vel gargariſatione poteſt tolli abluendo nimirum fauces.

Sitis ergo præternaturalis nimia oritur, imprimis " à ſalibus ſubtilibus nimis acribus & copioſis fau- " ces pungentibus & vellicantibus ſive hæc ſalia ſint, " ſalia urinoſa de genere bilis, uti fit in Febribus, " ſive ſint pure ſalſa in Hydropicis & ſcorbuticis ob- " via, uti & ſalſis à Lympha ſalſa, afflictis: Hujuſ- " modi ſalibus aut per efferveſcentiam febrilem ex " præcordiis exhalantibus, aut lympham ſalivalem " impraegnantibus, linguam, fauces & gulam velli- " cantibus, & ita ſitim producentibus. "

Hic *defectus ſalivæ*, quando eadem non ſufficiens abluendo os & fauces *ſitis naturalis & præternaturalis fit Cauſa:* hinc *poſt purgantia ſequitur ſitis*, quia exhauſta eſt & ſubducta Lympha. Hinc *qui diutius loquuntur* percipiunt ſitim quia deſinit ſaliva ordinaria: hinc *in Febribus* præter ſalia bilioſa acria nimis urgens eſt ſitis propter *defectum ſalivæ*, qui in febricitantibus eſt familiaris adeo ut lingua arida & non raro fiſſa deprehendatur.

Verum ad ſitim vel augendam vel minuendam multum facit *conſuetudo:* hi enim, qui ſunt *aſſueti* magnis *potationibus crebrius ſolent ſitire.* Exemplum huc faciens elegans habet *Alex. Deodat. in ſuo Valetudinario p. m.* 26. de Puella ſeptenni admodum ſiticuloſa & bibacula idque propter nutricem ſiticuloſam à qua fuit lactata quæ per conſuetudinem ita fuit, & ſic in infantem cum lacte hoc malum tranſtulit.

In Genere *Differentiæ ſitis* hæc obſervetur, quod *affligat* aut *cum ardore febrili aut ſine eo:* quod *poſterius in ſcorbuoicis obvenit*, & *probe* hæc differentia *notanda* in Cura.

Signa DIAGNOSTICA æger ſcit.

PROGNOSTICA.

1. *Si æger ſitiens non conqueratur de ſiti malum:* ratio, quia aut innuit adeſſe *Delirium*, aut innuit omnimodam *omnium facultatum* gubernantium corpus *proſtrationem*, & imminentem mortem.

2. Sitis *in febribus ardentibus* parca, eſt admodum *ſuſpecta.* Unde non ſit ſecurus tunc Medicus. Quod attinet.

CURAM ſeu METHODUM MEDENDI.

Eò dirigatur ut 1. augeatur lympha ſalivalis per " aquoſa. 2. Ut temperetur ſal acre fauces velli- " cans: temperatur autem vel ſi ſit urinoſum ſeu bi- " lis, tantum per acida: (unde Julapia acida ſunt " frequentia in Febribus) aut temperatur ſi ſit ſal ſal- " ſum per ſubdulcia aut pinguia. 3. abluendo fauces " ſitis compeſcitur quod ordinarie fit *per Gargariſmata*, quoniam ſitis eſt faucium affectus.

Quod attinet hos ſcopos: Verum eſt, aquam " appetere naturam, ſed in illa propinanda *ſimus cauti*, proſtant enim Exempla non pauca eorum qui ex *nimio aquæ frigidæ potu ſunt demortui.* Tria recenſet AMATUS Luſitanus *cent.* 2. *cur.* 62. Item SCHENCK. *lib.* 3. *obſervat.* Exemplum habet, quendam ex ſubito aquæ frigidæ poſt paſtum potu mortuum eſſe. Similia exempla extinctorum à frigidæ potu videbitis in MARCELLO DONATO *in Hiſtor. medicin. mirabil. lib.* 4. *cap.* 6. *Sin* vero *non immineat mors*, *metus eſt ne periculoſum Aſthma* inducat, idque propter coagulationem ſanguinis in præcordiis, ab aqua frigida factam. Tale obſervavit GABELHOVERUS *in cent.* 2. *cap.* 17. *&* 18. alias noxas prætereo. Rariſſimum eſt quod habet BARTHOL. *cent.* 3. *obſerv.* 89. de mulieribus Gronlandicis per aquam frigidæ potam curatis: ſed uti dico rarum hoc eſt, & potius ipſarum Idioſyncraſiæ tribuendum quam imitandum.

Raro ergo aut nunqaam aqua ſimplex uſurpanda. "

Potius

Potius appropriata quæ ſalium acrimoniam temperant ſua aciditate adhibeantur.

Hæ nimirum ſunt. Acetoſa, Portulac. Sempervi- “ vum & ſimilia, item pruna acida, fructus Citri, “ Aurantiorum, Granatorum, Acidorum, Ber- “ beres, Ribes, Cydonia & omnium horum ſuccus: “ item primi omnium Tamarindi qui in Febri- “ bus præter hoc, quod ſitim compeſcant, etiam “ æſtum impediunt, & blandiſſime alvum ſubducunt. “ Ex his ſuccis parati *Sirupi* eundem habent uſum *utut non adeo potentem propter admiſtum ſacharum.* Pertinent huc *ſucci* expreſſi *ex ſempervivo & portulaca.* In ſempervivo eſſe ſingularem vim contra æſtum probant Anginoſi. Item tam *Acetum ſimplex* quam *roſaceum & violaceum.* Sic aquæ diſtillatæ Portulacæ, “ Lactucæ, Nymphææ imprimis *aqua fragor.* it. *phlegma vitrioli*, modo legitimè diſtilletur, ut participet aliquid de ſulphure vitrioli. Item *phlegma ſulphuris.* Hinc etiam *ſpir. vitrioli* tam *ſimplex* quam *philoſophicus*, ſeu ſpir. ſalis ſpiritus ſulphuris, & in ſiti in „ febribus malignis, ſpiritus nitri ſpiritus minera- „ les compoſiti qui aliàs vocantur *Clyſes* per retortam tubulatam deſtillati ſunt admodum elegantes & vocantur etiam propterea acidulæ artificiales. Clyſſus paratur ex tart. Antim. & nitr. aut ex tart. Antim. & ſulphure, aut aliis modis quibus omnibus elicitur, ſpiritus acidus ſubtilis qui inſtillatus potui egre- „ gie ſitim extinguit: Tincturam roſarum & viola- „ rum prætereo: imprimis convenit Tinctura flor. bellidis quæ eſt egregia in pleuritide & ſitim compeſcit Pertinet huc *Epaticum rubeum*, pulvis acidus ex Cremor. tartar. ſpir. vitr. & Tinctura Santalorum conſtans: Præ cæteris notum eſt quod egregie conveniat, *lapis prunellæ* ſ. nitr. fixum, ſive ſimplici ſul- „ phur. ſive quod melius eſt ſulphure Antimonii in „ præparatione Antim. diaphoretici ſit *fixatum* cum hoc habeat vim contra malignitatem peſtis, hinc egregie temperat ſalia & ſitim coercet.

„ Lac & ſerum lactis imprimis nitro volatili turgi- „ dum, quod in febribus imprimis ſcorbuticis æſtum compeſcit *ſive ſolum* propinetur, *ſive ſolvatur in ſero lactis lapis prunellæ*: ſive *aqua deſtillata ſeri lactis* modo legitime deſtilletur. Loco lactis naturalis, fiunt *emulſiones* artificiales quæ ſitim temperant: Ex *ſeminibus* frigidis majoribus, ut *Portulacæ*, *Lactucæ papaveris albi*, aut etiam emulſio paratur *ex Hordeo.*

Ex his variæ poſſunt fieri formulæ, imprimis ex *Acetoſa* fit elegans Formula: nam Acetoſæ radix, folia & ſemen, liquorem ſeu aquā tingunt colore rubeo inſtar vini rubri: Unde ægri decipi poſſunt talibus: Platerus deſcribit tale medicamentum ſcil. rad. & fol. acetoſæ coquit in aqua in quo decocto ſolvit poſtmodum ſyrupos aut ſuccos appropriatos. hoc modo.

℞. Decoct. rad. & fol. acetoſ.
℔j. add.
Succ. Acetoſæ recent. expr. ℥iij
Sirup. Ribium aut Granator. ℥iß.

F. Julep. ad ſitim extinguend.

Uſitatum aliàs eſt *Decoctum Hordei* ſimplex, hoc enim ſubpingue eſt; unde egregie temperat ſalia ſiticuloſa ut

℞. Decoct. hordei ſimplic.
in Febri maligna.
cum CC. aut rad. ſcorzon. ℔j.
Succ. Citr.
Cydonior. an. ℥iß. vel ℥iij.
Tinctur. Flor. Bellid.
Roſar. an. ʒij.
Spir. vitrioli aut ſalis q. ſ.
pro grato acore.

Interdum etiam additur *Siruppus acetoſitatis Citri* aut *Ribium*, ſed tamen non ſemper eſt neceſſarium.

F. Julep. ad ſitim extinguend.

Interdum Iulepi inſtar Tincturarum ex tempore *præſcribuntur* qui ſunt gratiſſimi. Modus eſt hic.

℞. Roſar. incarnatar. ʒvj
irrorentur ſpir. vitrioli q. ſ. infundantur in ſ. q. decocti hordei ſimplicis, v. gr. ℔iß. aut ℔ij. ſtent in loco calido donec ſuaviter rubeſcat liquor. Colaturam ℞. & ſinis leniter abſtergere adde
Sirupi Jujubini
Acetoſitat. Citr.
Ribium an. ℥j. miſc.

F. l. a. Julapium gratum.

Loco decocti hordei interdum non ſine fructu *præſcribitur Decoctum Tamarindor.* uti monui, ubi opus eſt blanda alvi ſubductione Modus ſit talis.

℞. Pulpæ Tamarindor. ℥ij. vel
Tamarind. contuſor. ℥ij. vel ℥iiß.
coqu. in ſ. q.
Aquæ ſimplic.
colatur ad.
Tinctur. roſar.
Violar.
Bellid. an. ʒj.
Sirup. Ribium.
Berber. an. ℥j.
miſc.

F. Julep. ad ſitim extinguend.

Sunt nonnunquam ſubjecta quæ non poſſunt perferre acida: In tali caſu optimum eſt *ſal prunellæ* ſ. nitr. fixum *quod eſt egregium in compeſcendo ſale* quocunque *etiam Hydropicorum* quoniam urinam movet; Præſcriptionis formula quæ eſt grata cum aliàs nitrum ſit nauſeabundum eſt hæc.

℞. Aquæ decoctionis hordei. ℥xx.
Cinamon. ʒj.
Sirupi violacei ℥iiß.
Lapid. prunell. ſ. nitr. fix. ʒj. ad ʒiß.
miſc.

F. Potio ad ſitim extinguendam.

Cui tædioſus eſt ſapor nauſeoſus *lapidis prunellæ*; *ipſi detur ſolum nitrum probe depuratum* v. gr. diſſolvatur ad ʒj. l. ʒiß. *in aq. appropriata* l. *decocto* appropriato, egregium enim eſt in efferveſcentia maſſæ ſanguineæ & ſiti temperanda. Ratione hujus nitr. imprimis convenit *ſerum lactis* quod excellens eſt in *Febribus malignis* cum etiam ſit *Antiſcorbuticum.* Certū enim eſt quod *non raro ſcorbutici* vehementer *conquerantur de ſiti*, qui non melius compeſci poteſt quam *ſero lactis* quod *temperat blandè ſal ſcorbutic.* rancidum & ſitim compeſcit. Modus utendi eſt; quando in menſur. j. Seri lactis pomum citrinum in taleolos inciſum infunditur poſtmodum colatur, & leniter exprimitur: ſic enim acidum citri, quoniam adhuc quid caſeoſi aut Butyroſi eſt in ſero lactis, præcipitatio, ut exinde ſerum evadat acidulum clarum & ſuavis ſaporis. Aut quod melius eſt: *Sero lactis infunditur ſuccus cochleariæ* & *Acetoſæ*, agitatur ſimul & per pannum colatur & fit ſerum lactis admodum appropriatum contra *ſcorbuticorum ſitim. In febribus* ardentibus *ſerum lactis* leviter acidulatum cum *ſirupo aut ſucco quodam*, aut cum *lapide prunellæ* eſt *elegans.*

Dum loquor de ſiti ſcorbuticorum obſervetur, quod præter ſerum lactis ſit elegans *decoctum radicis Chinæ cum liquiritia ad ſcorbutum.* Modum præſcribendi nos docet Timæus. *lib.* 3. *epiſt.* 29.

℞. Radic. Chinæ inciſ. ℥j.
Liquirit. ʒvj.
Santal. rubr. ʒij.
Aqu. fontan. ℔viij.

Macerantur per noctem, poſtea coquuntur Igne lento, vaſe bene cooperto ad remanentiam ℔vj. bibat æger ſcorbuticus de hoc decocto quantum & quando libuerit. Quod ſi hic quidam *acidum* aut *Citri* aut *acetoſæ* addere velit, per me erit conceſſum. Mentio facta Liquiritiæ: Hæc cum ſemine fœniculi decocta “ temperat ſitim, ubi ſitis oritur ab acrimonia talis “

„ ſalis qualis affligit Phthiſicos, Hecticos & qui Catarrhis ſunt obnoxii in tali caſu non conveniunt „ acida, aut hæc ſaltem parciſſime: ſed potius propinanda ſunt temperata talia ex Glyzyrrhiza, Paſſulis & ſimilibus, propinantur *vel ſola vel cum hordeo* aut aliis. Exemplum ſit tale.

♃. Hordei crud. m.j.
Paſſular. pingu. ℥j.
Cinamom. acut. optim.
Sem. Aniſ.
Fœnicul. an. ʒj.
Liquirit. raſæ & inciſ. ʒß.
coqu. in
aqu. fontan. menſ. ij.
ad. conſumpt. menſ. ß.

bibat æger exinde quantum placet.

Denique *Emulſiones* dixi convenire ad temperandam ſitim, emulſionis hujuſmodi craſſæ dabo formulam.

♃. Hordei ad crepat. coct. ℥ij.
cum ejuſdem decoct. f.
Emulſio ad ℔i. l.℥xv.
cui adde
Julep. Roſar. aut
ſirup. violar. q. ſ. pro grat. ſapor.

quæ emulſio erit ſatis conveniens

Ad *tertium* dico, *compeſcere ſitim ſi os ſæpius abſtergatur aut gargariſetur*. Unde ſolent commendari *mucilagines* quæ tunc temporis præſcribuntur *quando* præter ſitim *arida eſt lingua fiſſa* aut omnino *nigricans*: In talibus caſibus ſolent fieri mucilagines *ex ſemine Pſyllii & Cydoniorum cum aqua roſacea vel ſemper vivi majoris & horum mucilaginum* ℥j. ſolent convenienter addi ana l. dimiduum *ſucci ſempervivi* expreſſi aut *Cydoniorum* & immiſceri tantillum *nitri depurati* bene. Hæc miſtura linguæ impoſita eandem denuo tractabilem reddit & fauces blandè humectando ſitim ſedat, non tamen radicitus tollit: *aut aqua ſimplex* adhibetur *in qua ſolutum nitrum* pro frequenti gargariſatione ut æger abluendo fauces & linguam ſitim hoc modo fallat, ſed hæc ſufficiant.

Secundum in ſiti vitium eſt.

SITIS DEFICIENS.

Sitis deficiens.

Affectus rarus imprimis in Juvenibus: Nihilominus tamen proſtant Exempla, ubi non tam in morbo, quam citra illum non raro ad longum tempus *omnis potus fuit rejectus* Exemplum ſingulare habet Lotichius *lib. 4. cap. 1. obſervat. 1. & 2.* de puero ab omni vino & Cereviſia necnon aqua abhorrente & qui ne aquam quidem unquam guſtaverat, ut ut egregie & athletice vivens, & quod magis mirandum progenitus à Patre inſigni Hellnone. Borellus *cent. 2. obſervat. 68.* ſimilem obſervationem habet de abſtinentia à potu per 6. annos, it. per annum integrum & ſimile fere Exemplum videre eſt in Rhodio *cent. 2. obſervat. 56.* Ubi juvenis nunquam fere potans introducitur, qui tamen multum delectabatur fructibus ſucculentis qui dederunt materiam copioſam lymphæ ſalivali & muco; unde non facile potuit ſitire. Nam ubi adeſt copia muci non eſt ſitis. Borellus *cent. 2. obſervat. 68.* habet obſervationem de Medico qui nunquam ſputum rejecit nec mucum, ut ut optime ſanus. Cæterum iſta lympha quæ per ſcreatum excernitur ipſi fuit converſa ad fauces, unde raram habebat ſitim & propter humectationem difficulter loquebatur.

Notum eſt ex Hippocrate quod ſplenenetici ſint ſalivatores, unde facile fieri poteſt ut tales ſplenitici ſatis diu à potu abſtineant. Exemplum habet Panarollus *in Pentecoſt. 2. obſervat. 19.* de ſplenetico quodam per trimeſtre ſpatium nil omnino bibente.

Abſolvimus ea quæ pertinent ad famem & ſitim læſam: Excipiunt hæc Deglutionis & Maſticationis læſiones.

CAPUT III.

DE MASTICATIONE LÆSA.

Maſticatio læſa.

Alimentorum aſſumptionem & maſticationem “ læſam accurate & ſuccincte ſecundum theo- “ riam pro more complexus eſt Sylvius *l. 1. pr. cap. 4.*

Primaria, quæ hic occurrunt, vitia ſunt, quando *imminuitur* aut *deficit* plus minus, vel quando *depravatur maſticatio.*

In *imminuta* aut *deficiente maſticatione* primaria vitia ſunt vel *muſculorum moventium*, (ad quos etiam muſculoſa congeries, linguam conſtituens, pertinet, de hujus tamen malis infra, ubi de *guſtus vitiis*) vel *maxillarum*, & cum his *dentium molarium*.

Quoad *muſculos moventes*, primario *muſculi temporales*, & hinc *muſculi genis & labiis communes*, ſui conſiderationem merentur, eum in finem à natura magiſtra fabricati, ut præter ornatum decentem movendæ maxillæ inferiori, & ad ſuperiorem convenienter, idque valide, adducendæ inſerviant.

Vitiatur hic motus, quando vel *ſpaſmo* laborant, adeoque *convulſi*, ſive pertinaciter eorum fibræ contractæ & rigide perſiſtunt, adeoque inferior maxilla ſuperiori conſtanter adducta perſiſtit: vel quando iidem *paralyſi* laborant, & fibræ eorum relaxatæ & flaccidæ, inferiorem maxillam pondere proprio deorſum labi permittunt, abſque reductione ad ſuperiorem. *Convulſio* ac *Paralyſis temporalis muſculi* rara eſt, quin cum convulſionibus univerſalibus epilepticis & reſolutionibus univerſalibus apoplecticis concurrat, quibus curatis, utiliter & particulariter horum affectus ceſſat, niſi interdum ſpeciale muſculi vulnerati, vel alio modo affecti, ſubſit vitium particularibus remediis externis, pro caſuum varietate, & cum aliis ſimilium partium ſimilibus affectibus convenientia vel analogia, curandum. *Genis & labiis* inſervientium *muſculorum* ſimultanea convulſio aut paralyſis pariter nonniſi aliis gravioribus hujus generis aliarum partium internarum affectibus ſuperveniunt, & tunc ſpeciatim utriuſque faciei partis convulſio, & oris hinc facta utrinque diductio, tanquam in ridentibus vel potius canibus rigentibus, *ſpaſmus cynicus* dicitur. Sin vero alterutra ſaltem faciei muſculorum pars vel convellatur, vel paralyſi afficiatur, & exinde recta oris figura in alteram partem diſtorqueatur, in convulſione quidem, pars ſana ad ægram convulſam, in paralyſi, pars ægra reſoluta ad ſanam, *oris tortura ſpeciatim* dicitur, in qua modo dicta oris ad alterum latus diſtorſione oculus alter ritè claudi nequit, nec æger debitè exſufflare, quando expuere juſſus, ex altero tantum oris latere id præſtare poteſt. Quod ſi æger jubeatur ridere, vel literam O pronunciare, facile apparebit, alteram faciei partem libere movere non poſſe. Quod ſi pars faciei dura ſit, cum ſenſili plus minus dolore, & hæc aliam recte ſe habentem, ad ſe quos trahat, à convulſione illius lateris malum eſſe, palam fit. Sin vero pars effecta mollis, laxa & minus ſenſilis, & ejus oculi inferior palpebra fere decidit, ad ſanam partem trahatur, à paralyſi malum eſſe oſtenditur.

CAUSÆ.

Causæ tam *externæ* quam *internæ*, hujuſmodi convulſionum & Paralyſium ſuo tempore, ubi de his in genere tractabimus, evolventur. In ſpecie nunc in radice

dice ac principio nervorum, ad faciei alteram partem derivatorum, hæret malum: tumque dimidium faciei totius, quin etiam aliæ illius lateris partes, plures vel pauciores, ſimul afficientur. Sin vero ſpecialiter vel in muſculo uno alterove faciei, vel in nervi cujuſdam ſurculo ſpeciali, ad hos derivato, malum hæreat, illa ſaltim faciei pars, quam iſte muſculus regit, occupata apparebit. Sic v.gr. *Torturam oris* à Paralyſi tali particulari putat *Epiph. Fernandus in Hiſt. Med.* 12. natam, ex ſæpius repetita applicatione *aceti acerrimi*, cui fuerat immaceratum *lithargyrium*, ad foveas in variolis delendas. Non ſecus ac HENA. *ab Heer in obſer.* 17. notat, quendam ex ebrietate ſopitum, & tota nocte nive verberatum, *Tortura oris maxima* exinde laborantem, dextra gena feneſtra viciniore omnino reſoluta. *Torturam* vero *oris ex ſpaſmo* natam obſervavit PLATERUS *lib.* 1. *obſ.* 137. *&* 139.

QUOAD PROGNOSIN.

Tortura oris, ſi per ſe extiterit, *malum eſt difficile*, aut *tarde curabile*. Si vero acutis morbis ſuperveniat, „ eaque ex ſpaſmo, periculoſiſſima. Quo etiam per-„ tinet aphoriſmus Hippocratis 49. ſect. 4. in febre „ non intermittente, ſi labrum, aut ſupercilia, aut „ oculus, aut naſus pervertatur, imbecilli jam corpo-„ re, in propinquo jam mors eſt. In ſpecie ſuperveniens ſpaſmo vel Paralyſi reliqui corporis, apoplexiam vel epilepſiam, mortem portendit.

CURA.

Præmiſſis *univerſalibus*, i. e. *primas vias laxanti-„ bus*, aut ulteriori efficacia fortius purgantibus ex aromaticis & volatilibus, quin & interdum *decocto ſudorifero ex lignis*, per aliquot dies continuato, ſi quidem ex paralyſi fuerit malum, utpote frequentius, poſtea *veſicatoria* nuchæ, vel ad aurem affectam applicentur: ubi etiam *cucurbitæ ſcarificatæ* admoveri poſſunt. Hinc *caſtoreum*, tam interne quam externe uſurpatum, eſt optimum. *Extractum* ejus in ore detineatur. *Eſſentia caſtorei* extrinſecus loco affecto crebrius illinatur, præſertim cum *Tinctura aſæ dulcis ſive Benzoes* commiſta, quam commendat TIMÆUS *in caſibus p.*73. Quin & *eſſentia roriſmarini*, *ſalviæ*, &c. ſimiliter admoveri poſſunt. Nucha item & vertebræ colli aq. vitæ (i. e. ſpiritu vini) rectificata foveri, & illiniri ol. ſtillat. chamom. ſuccin. & terebinth. debent. In ore detineantur maſticatoria. v. gr. rotulæ. Plateri:

℞. Nuc. Moſchat. ℥ij.
rad. pyreth.
angelic.
ſem. ſtaph. agr. (vel ſem. coriand.)
ſinap. ana ℥j.
angelicæ (vel cumin.)
Cubebar. ana ʒ ß.
piper. ℈ß.
maſtic. ℨiß.
ceræ q. ſ. F. Rotulæ.

Aut *caſtoreum* in *vini ſpiritu* diſſolut. aut fiat gargariſatio, vel diuturna in ore retentio *decocti rad. pyrethri cum ſemine erucæ*.

Ex Spaſmo ſi fuerit malum, *univerſalia* iſta ſimiliter locum habent, uti & *ſudorifera*, & hinc quælibet ex & cum *caſtoreo* parata remedia, ſpeciatim obſervanda & fructuoſe imitanda. Vid. Cura PLATERI loc. cit per *narcotica aromatica*, mediante *ſudore & ſomno* hujuſmodi affectum curantis, v. gr. *Mithridatium*, *ſyr. papav. opiat.* Plura de hoc affectu vid. in *Senn. l.* 2. *part.* 1. *c.* 8. item in *Timæo in caſibus p.*73.

MAXILLARUM ET DENTIUM VITIA.

Maxillarum vitia. *Maxillarum*, & his mediantibus *dentium molarium vitio* læditur *maſticatio*, quando maxillæ immobiles vel in tantum, vel in totum fuerint, idque vel *ob laxationem*, in qua os nimis hiat, à quavis violentia externa factam, interdum etiam *ex oſcitatione vehementiori*, adeoque nimio oris hiatu inductam, facile tunc per *inflictam alapam*, *per percuſſionem ſub mento* tunc curabilem: vel *ob tumorem*, aut *faucium*: in tonſillis inflammatis, aliave ratione nimis tumentibus, in quibus vix os aperiri poteſt: aut *parotidum*, liberum in ſua cavitate maxillæ proceſſibus motum impedientium: vel quando nutritionis privatæ errore, aut univerſalis ex maſſa ſanguinea quaſi decubitus ratione, lentus, tartareuſve humor juncturam illam maxillæ cum oſſibus temporum repleverit, adeoque motum liberum illius impediverit, quale in *ſcorbuto* interdum contingere affirmat SENNERTUS. Quæ tamen mala omnia facile patent, eorumque ex aliorum ſimilium graviorum curatione medicatio manifeſta eſt. Confer quoad maxillarum hos & ſimiles affectus SENNERT. *l.* 2. *Pr. part.* 1. *c.* 17. His fere modis *imminuitur* aut *deficit* maxillæ motus, ad aſſumptionem & maſticationem requiſitus.

Depravatur, quando tremule movetur maxilla, unde ſonus ex dentium crebriore colliſione natus ſupervenit in affectu, ob id *ſtridor dentium* dicto. Oritur proxime à ſpaſmo reciproco muſculorum in genis, abductioni & adductioni mutua opera inſervientium, qui aliquali covulſivo motu affecti, ſtridorem talem inferunt.

Specialiores hujus cauſæ ſunt vel *frigus externum*, vel *vermes ſive lumbrici inteſtinorum*, ex qua cauſa *ſtridor dentium nocturnus* infantibus familiaris exiſtit, ſicut & ex cauſis aliis, convulſionibus communibus, oriri poteſt. Speciatim etiam *per conſenſum* fieri ſolet, *in febrium* nempe *rigoribus*, in quibus non rarus eſt ſtridor dentium. Ob conſenſum cum partibus circa præcordia membranoſis.

Sine manifeſta cauſa *ſuperveniens adulto dentium ſtridor*, malum protendit, aut *Apoplexiæ*, aut *Epilepſiæ* imminentis. *In febribus* dentibus ſtridere, malum, præſertim ſi *deliranti* id accidat.

IN CURA

Cauſis ſublatis, & ipſe affectus morboſus ceſſat, optimum tamen remedium eſt *Balſamus Peruvianus*, extrinſecus uſurpatus.

DENTIUM VITIA.

Dentium vitio maſticatio læditur, vel quando *vel deficiunt*, *vel* præſentes licet, *vacillant* aut *ſtupore* affecti, aut *dolore* afflicti fuerint. *Dentium vitia.*

Deficiunt dentes, vel *proprio*, vel *alieno gingivarum vitio*, infra, ubi *de dentium vacillatione*, prolixius explicando. *Proprio vitio*, dum evelluntur, aut excutiuntur à quavis cauſa externa, vel ita alterantur, ut tanquam minus viventes non amplius cum gingiva viva cohærere queant, ſed ſponte ſua decidant. Ut enim mortificatum, v. gr. carioſum os, cum vicinis partibus, vita communi & propria pro ratione ſpiritus influi & inſiti gaudentibus, uniri nequit, ſed neceſſe eſt, ut excidatur & ſeparetur, quo cum vivo oſſe partes ſubjacentes molles, viventes, conſolidatione debita, nutrimento mediante, uniri denuo queant: ita & dens minus vitalis non jungitur amplius gingivæ, ſed ab hac ſeparatus excidit, idque

I. Si mortuus fuerit propriæ ætatis, adeoque ſenii ſui ratione, de quo videatur HELM. *alimenta Tartari inſontia* §. 25.

II. Si ab externis nimis lædatur & vitietur ut ſunt *nimis frigida*, aut copioſius aſſumpta dentibus inimiciſſima, & quæ ſenium eorum accelerant, item *nimis calida*, dentes & gingivas quaſi amburendo alterantia, eaque vel crebrius aſſumpta, vel dentibus admota, à quibus ſucceſſive ita penetrantur & arroduntur dentes,

dentes, ut fruſtulatim tandem excidant. Quo facit perverſa plurium conſuetudo, dolores dentium vel aceto ſimplici, vel per coctionem medicatam curantium, à quibus ſtupefiunt non ſolum omnino dentes, & inſenſibiles ſic fiunt ſubtiliores illorum intimæ fibrillæ, ſed & ipſi dentes ſimul mortificantur & corroduntur.

III. *Nimia viſcida & glutinoſa* dentibus inimica ſunt, ut ſunt *omnia dulcia, ſaccharum, ficus*, uti & *caſeus*, &c. Hæ ipſa enim, ut prompte & tenaciter dentibus adhærendo, tranſpirationem eorundem propter neceſſariam nutritionem impediunt: ita & ſucceſſive acorem attrahunt qui continuata ſui adhæſione, ſucceſſive eoſdem alterat, hinc & *lac*, & *qualibet lacticinia*, ob hanc rationem inimica dentibus obſervantur eo uſque ad ſui corruptionem ſive cariem & ſucceſſivam deficientiam diſponere. Hæc ipſa gingivas ſimul plus minus alterando, & laxiores ac flaccidiores reddendo, indeque nutrimentum pro dente, per gingivas tranſmittendum, corrumpendo, ipſos dentes inſigniter lædere valent.

IV. *Carie* denique plus minus exeſi dentes à lapide dentali ſive lythodonto obſeſſi ſeu ſordibus variis inquinati, nigrique ac fœtidi redditi, minus firmiter gingivæ cohærent, ſed ſucceſſive decidunt. Quæ poſteriora vitia non niſi ex vitiata dentium nutritione privata, undecunque primitus orta, originem ducunt. In quem finem noto, nutriri dentem, non ſolum per propria ſua vaſcula, arteriolas & venulas, circa ſui radicem implantatas, ſed lateraliter etiam, ex adhærentibus ipſis gingivis, unde & tam firmiter earum quo'que ſani ſunt eſt nexus, ut dens ſive oſſeum concretum, ex ſe indolens, quouſque gingivis inveſtitur, acutiſſimi tamen ſit ſenſus: adeo mutuæ vitæ & nutritionis dentes ſunt participes. Ac ſane particularis, ac præ aliis partibus, propria dentibus eſt nutriendi ac augmentandi ratio, adeo ut, cum continua attritione neceſſario imminuantur, niſi nova eaque continua augmentatione reparentur, brevi penitus abſumerentur. Quod ulterius ex eo patet, quod uno evulſo vel elapſo, vicini utrinque ſe dilatare magis ſoleant, & ex oppoſito ipſi reſpondens oblongari nonnihil, & in prioris ſpatium aliquantulum ſubintrare obſervetur.

CARIEM.

Caries. Igitur dentis quod attinet, hæc eſt *arroſio dentis, nunc major, nunc minor, qua inſenſibiliter ſubſtantia ejus abſumitur, & nunc ſucceſſive excavatur, nunc altero latere pedetentim conſumitur, donec ſucceſſive magis corroſus fruſtulatim excidat.* Inchoat malum utplurimum in parvo puncto extrinſecus, quod nigreſcit primitus, hinc foraminulũ aperitur, ſicque ad interiora e us penetrat, quæ quo teneriora ac molliora, indeque facilius diſſolubilia, eo promptius abſumuntur, & dentem cavum reddunt. Conjungitur tunc, ad interiora, ubi penetraverit corroſio, dolor, nunc major nunc minor, prout radicem dentis nerveam diverſimode ſimul arroſerit. Ex corroſo ita dente nata ſanies, ubi per dentis foraminulum relictum, ceu per fiſtulam, liberum ſpatium effluendi haud nacta fuerit, ſed interiora magis ac radicem dentis unum alterumve, ſpeciatim in maxillaribus, vitiaverit, acrimonia ſua nunc gingivam, nunc ipſam maxillam rodit, & præſertim per illa hujus foramina, per quæ vaſa in dentes ſubeunt, ſenſim extra effluit, & tubercula, nunc in gingivis, nunc ſub maxillis, excitat, quæ tandem exeſa ſanioſum acre liquamen fundunt. Et licet curetur tale tuberculum & excitatum ulcuſculum, ſubinde tamen, quoties ex carioſo dente ſub nutritione vitiata nova ſanies generatur, recidivat, & interdum in fiſtulam vel gingivæ ſive maxillæ, degenerat, adeo ut talia curari nequeant, niſi dens læſus evulſus fuerit. *Fœtorem* etiam ſubinde dentes carioſi inferunt, halitum oris inficientem, præſertim ſi major fuerit eorum evacuatio, ut alimenta carnoſa retenta in eadem putredinem attrahere queant: Imo ex nutrimenti dentis carioſi proprii corruptione, aut alimentorum maſticatorum in iiſdem retentorum putredine, *vermes* in eorum cavitatibus generantur, graviſſimorum dolorum aliorumque malorum autores.

CAUSA CARIEI.

Eſt læſa dentis quacũque occaſione nutritio, ſive gingivarũ vitiatarum, & à contiguo dente abſcedentium, indeque ejus lateralem nutritionẽ impedientium, (unde *ſcorbutici*, gingivæ vitio, omnium frequentiſſimi *cariem* patiuntur) eveniat cauſa, ſive ipſe dens ſub nutrimenti aſſimilatione, aut hujus ſucceſſiva tranſpiratione fruſtratus ex illius corruptela, & in acidum corroſivum degeneratione, cariem pedetentim contrahat. *Acidum* itaque ex nutrimento dentis degenerato, tandem corrodens cariem inducit. *Cauſæ remotæ* rationem habent tam omnia dentes alterantia ſupra allegata, quam infra circa *gingivas*, quoad *ſunt dentium vacillationem* alleganda.

QUOAD LAPIDEM DENTALEM SIVE *Lithodonton.*

(Ut vulgo ex vana perſuaſione vocant Tartarum dentiũ): hujus ortũ & geneſin optime delineavit *Helmont. Tract. alimenta Tartari inſontia* §. 22. nempe nutrimentum dentium laterale ex gingivis depravatam, ſub ſui perfecta cum dente aſſimilatione fruſtratum & vitiatum, ſicque in excrementitiam plus minus naturam degenerans, adhæreſcit ſaltem, ſuperficie tenus denti, ibique quia jam ad duritiem dentalem, ex aliquali ſui pro nutriendo dente alteratione, determinatum fuit, ad indureſcentiam quaſi lapideam dentalem, coagulatur ſaltem, & talem, plus minus tamen friabilem duritiem acquirit, ſimulque quicquid mucilaginis ciborum ac potuum imbiberis, ſimul ſecum fortiter indurat. Nunquam igitur ſanæ gingivæ & quæ cuſpiduli figura ad dentis medium aſſurgunt, hancque firmo amplexu retinent, dentalem hunc lapidem generare ſolent, bene autem *laxæ, flaccidæ, cruentæ*, minuſque apte dentibus adhærentes, adeoque externis injuriis ad ſenſilem dentis partem aditum permittentes, nec commodum nutrimentum ſuppeditantes, ſed potius etiam laudabile pervertentes, hoc malum inducunt. Par omnino eſt ratio *ſordidorum, nigrorum aliove modo male coloratorum* dentium: quicquid enim hic ſubeſt vitij, non niſi productum morboſum ex fruſtrata ac depravata privata dentium nutritione enatum, ſive externa illa ſupra circa dentium caſum, ſpeciatim viſcida & dulcia primam occaſionem ſuggeſſerint, ſive gingivarum morboſus flatus, alterando nutrimentum dentium, & vitiando lateralem ejus nutritionem, in cauſa fuerit. Sane ut ſcorbuticis nil æque familiare eſt, ac gingivarum varias ſubire paſſiones, ſpeciatim cruentam flacciditatem, ita & in talibus dentium nigrities & ſordities frequentiſſima eſt. *Nigrities* ſane dentibus adhærens, quid niſi extra venati ex gingivis, plus minus corrupti, & acore infecti cruoris dentibus adhærentis veſtigium eſt; à cujus hoſtili præſentia, ut irritantur gingivæ, & inviſcantur dentis pori, ita ex facili hinc aceſcentia eroſio & cariei ſucceſſivus progreſſus. Juxta læſionem gingivarum & dentium læſio, indeque ſordium excrementitiarum pluralitas ac veritas æſtimanda: Hinc & ab inunctione Mercuriali pro cura *luis Venereæ* ſimilive concitata ſalivatione, uti notabiliter vitiantur *gingivæ*, ita nigreſcere ſubito, & pluribus ſordibus inquinari obſervantur dentes.

Lithodonton.

QUOAD CURAS.

Dentes excidentes aut deficientes reparare, ſolius naturæ eſt, quæ in junioribus, per recentium dentium ſubnaſcentiam priores alveolis ſuis extrudit, & defectum ita reſtituit. Quamdiu itaque dentium novorum primordia & quaſi ſemina inter gingivas reſtitant recondita, novi dentes poſt priorum defectum renaſci facile poſſunt id quod non tantum *genuini* ſive *ſapientiæ* dicti *dentes* comprobant, ſed quod etiam interdum in ſene

in ſenectute dentes renati obſervati fuerint. Arti quod relictum eſt, ſaltim defectus illos naturæ imitandos „ nonnihil ſupplere, artificiales dentes, ex ebore, „ vel dente hyppopotami fabricatos in iſtorum locum ſubſtituendo, pro loquelæ ſaltem gratia, non autem pro melioris maſticationis beneficio. Equidem exempla quædam proſtant dentium ſanorum, ex homine recenter revulſorum, in proprios vel alienos alveolos denuo inſertorum, firmiter cum gingiva coalitorum, tanquam ſi nunquam dens defuiſſet, ita ut etiam maſticatio fortis hoc modo perfici potuerit: Sed quoniam adeo incerte res nondum confirmata eſt, eam in medio relinquo. Vid. *Obſervat.* SCHENCKII *p. 202.* ex *Paræo l. 1. c. de dentib.* item *Riverium in obſerv. comm. p. 357. vel 685.* BORELL.. *l. 1. obſ. 10. p. 18.*

Quoad *carioſos dentes*, equidem præſentiſſimum remedium eſt carioſi evulſio, interdum etiam neceſſarium, ſi longius proceſſerit caries, cum facile aliàs contiguus dens contagio carioſo infici, & hincidem malum contrahere poſſit. Ut taceam, confirmatam cariem, alia ratione quam evulſione, curari non poſſe. Quamdiu vero vel nondum eouſque proceſſerit malum, vel propter pericula, ſub dentium evulſione interdum obſervata, hæc nimis metuatur, remediis res tentanda eſt, cariei ſcilicet progreſſum ulteriorem inhibendo.

Evulſio appropriato peragitur inſtrumento ac ſuccedit eo melius, quo minus firmiter dens hæſerit, & quo magis idem vacillaverit. Quo autem diſponatur ad facilem, magis & minus dolentem, evulſionem, remedia quædam à nonnullis adhiberi ſolent, verbi gratia, *Tithymali ſuccus* denti inditus: aut ſi *ex eo* & *ſale ammoniaco* formentur globuli, aut cum *farina triticea* fiat paſta, & cavitati dentis indatur.

Præter *tithymali lac* alia ex ſimili lactearum genere, pari virtute pollent: ut *lac ficulneum farinæ* admiſtum, vel *ex lacte tithymali* cum *farina triticea* ſubacta fiat paſta, quæ frixa in pinguedine ranæ facit dentes ſine dolore cadere: vel *farina ſiliginis* miſceatur cum *lacte cataputiæ*, inſtar pultis, indatur denti cavo, ſicque aliquandiu permittatur, brevi ſic cadere affirmant. *Succus* pariter *chelidonii majoris*, cavis dentibus inditus, eos frangit & ejicit. *Pinguedo* item *ranarum viridium*, dentibus affricata, aut iiſdem indita, dentium caſum promovet; nempe coquuntur ranæ in olla vitreata effuſa aqua communi, & pinguedo quædam innatabit, quæ dentis evulſionem promovet.

Vel ℞. gumm. ammon.
Sem. hyoſcyam.
Succi ejuſdem an. ʒiß.
Miſtis addatur
Pinguedinis ranæ viridis ac ceræ parum F. Ung.

denti extrahendo applicandum vel indendum.

Cariei vero ulterior progreſſus per artem & medicamenta inhibetur, efficaciſſime imprimis per inuſtionem dentis carioſi in loco carioſo cum cauterio actuali, ſive ex ferro, ſive ob ſubtilitatem commodiorem, ex argento vel auro facto, quo facto auro foliato dens cavus repleatur: præſervatur enim ſic à majori putredine & corruptione: vel ex cera cum myrrha probe ſubacta, vel potius ex *cera viridi*, propter admiſtam æruginem, impleatur dentis carioſi excavatio. Ipſa *myrrha* denti indita, egregia eſt in hoc caſu. Confer hic RIVER. *in obſervat. communic. pag. 309. l. 663.* ubi refertur, quod dentes terebinthina impleantur, & cauterio actuali dens inuratur in carie. Loco actualis cauterii, ubi neceſſum viſum fuerit, potentiale adhibeatur: Sic aqua fortis denti carioſo admota vel ſpiritus vitrioli gutt. i. vel ij bombaci inditæ, ac denti adhibitæ, mirè corroſionem juvare & præſervare dicitur. Item *zingiber* in *oxymelite* coctum, & in cavernam dentis immiſſum, præſervat corruptionem. *Coralliorum* pulvis denti cavo inditus, vel *oſſa ſepiæ*, item *camphora* cariei ulteriorem progreſſum inhibent: vel ex pulvere coralliorum alborum cum melle roſato ad conſiſtentiam linimenti craſſioris redacto, dentibus illitum cariem inhibet.

Fœtorem dentium ablata caries ſponte curat: ſin minus gallia moſchata cum cypero & maſtiche miſta, denti cavo indatur. Tollitur & fœtor dentium, ſi abluuntur *aqua in qua* ſal armoniacum ſolutum, poſt prandium & cœnam.

Vermes ex dentibus elicere ſubinde neceſſe eſt. Præſtat hoc optime *Sabina in vino decocta* & in ore retenta, quæ copioſius vermes elicit. *Fumus* item *ſeminis hyoſciami* ſpecificus eſt, per infundibulum ſuſceptus ore, mirabiliter vermes expellit. Confer *Act. Med. haff. vol. 1. pag. 209.* Suffitus item ſive *fumus ex fructu halicacabi* contuſa, cum cera mixta, facta exinde paſta, in laminam ferream ignitam injecta, fumum ſuggerit, quo ore excepto, catervatim vermes cum ſputo copioſo rejecti, & crudeliſſimi dolores ſopiti, obſervati fuerunt. Spiritus ſulphuris quoque dentibus cum bombace inditus vermes optime necat, & dolorem inde oriundum placat, vel ex *pulvere gallarum*, cum *ſucco rad. pyrethri* imprægnato paratur remedium, quod denti inditum vermes expurgat. Sevum cervinum quantum contra vermes dentium valeat. *Vid. Bartholin. cent. 3. hiſt. 96.*

Quoad *Tophos* (ſive *Lithodonton*) dentium eorumque ſorditiem & nigritiem, ne ab his dentium caries, crebrior dolor, aut præmaturus caſus ſuperveniat, cura inſtituenda venit, per ea, quæ ſordes dictas abſtergere, vitioſum earum acidum, gingivis & dentibus hoſtile, abſorbere & hinc blanda adſtrictoria vi gingivarum tonum roborare valent: quod ſi longius proceſſerit malum, & tenacior mucus dentes vitiaverit, potenter incidentia & diſſolventia, & quidquid heterogenei fuerit, abſumentia & quaſi exedentia adhibenda erunt habendo ſemper reſpectum ad ſcorbutum plus minus reſpectum. Convenient igitur in leviori malo „ oſſa ſepiæ, C C. uſt. mandibul. luc. piſc. „ teſtæ ovorum calcin. cinis majoran. roriſmarin. uri- „ na calida, cum qua fricentur ſubinde dentes & gingivæ: *Tartarus calcinatus* aut parum *ſalis tartar. uſt.* &c.

Duriora ſubjecta lapidea ex ſilicibus, pumice, &c. vitanda ſunt, quia crebriori uſu *gingivas* atterere & abſumere valent, ut recte monet ZWELFERUS *in Pharm. reg. pag. 101.* niſi ubi fortius agendum: tunc enim paulo tamen rarius adhibita, talia minus nocent. Exempli loco ſit *farina virginea Mynſych.* egregie dentes dealbans, & à tartaro corroſivo purgans.

Hiſce modo dictis convenienter *radix Irid. Flor.* additur, præſertim quod & ipſa conveniat propter odoris gratiam, propter quem ultimum finem non inepta. Paratis *dentifriciis* aliquot *guttæ olei deſtil. caryoph.* aut *lign. Rhodii* poſſunt addi. Quod ſi dictis pulveribus color purpuraſcens conciliandus, *Coccionigliam* in *aqua aluminis* ſolvamus, & ſoluto aſpergamus pulverem, qui exinde rubeſcit, ſed leni admotus igni idem purpuraſcit. Quod ſi pertinacius fuerit malum, ſordes tenaciores, obſtinata nigrities firmius dentibus impacta, ac firmius conglutinata lithodontes, optimum remedium eſt *Spiritus ſalis cum melle* ad gratiam ſaporis, vel quantum placet miſtus, & ita gingivis illitus. *Spiritus vitrioli* ſuſpectus eſt, cujus loco *oleum ſulphuris* in *aqua communi* dilutum, vel cum *melle roſato* ſubactum adhiberi poteſt. Pertinet huc *Opiata Borelli Cent. 2. obſ. 65.* ad gravius malum præſertim conveniens. Non

N incommo

incommodum eſt, ſi recipiatur vinum, cui permiſceatur *ſpiritus ſulphuris*, ut aceſcat, huic immitte *radiculam polypodii* per 24. horas, hunc ſicca & utere pro dentircio, firmat, mundat, & candorem iiſdem inducit. Et ea quæ de *ſpiritu vitrioli* refert RIVERIUS *in lib.* 6. *prax. c.* 2. potius *ſpiritui ſalis*, quam *ſpiritui vitrioli* applicanda veniunt. Quo etiam facit ejuſdem *liquor ex auro uſto*, hic egregie conveniens citato loco.

Pulvis dentifric. Principiſſæ Altenburgenſis.

♃. oſſ. ſepiæ, C C. uſt. pumic. pp. an. ℥iij.
moſchi ℈j.
M. F. pulv. cui adſpergatur
ſpir. roſar. ℥ß. & ſicca. Interim
♃. Gran. cherm. Santal. rubr. an.
ſpir. vini q. ſ. pro extrahenda Tinctura, qua irrora aliquoties prædictum pulverem, & ſicca. Non incommodum eſt hujuſmodi pulveribus dentrifriccis ſal armoniacum ſubinde addere, dentibus, gingivæ, ac omnibus oris partibus imprimis convenniens.

Quod attinet dentes vacillantes ſive minus firmiter gingivis connexos, hoc vitii contrahunt propria vel aliena, gingivarum culpa. Propria eadem eſt, ſed in minori ſaltim gradu, quæ & dentes decidere penitus & cadere facit, de quo ſuperius ſufficienter actum. Aliena gingivarum culpa conſiſtit in eo, quod fibroſa illarum caro vel mollis ſive flaccida, vel ſimul tumida, vel etiam nonnihil exulcerata, adeoque omnibus his caſibus plus minus cruenta ſimul evadat. Rarum eſt, quod in SCHENCKII *collectis obſervat. l.* 1. *c. de dentibus p.* 200. refertur, ex defluxione in dentium alveolos, hos gypſea pituita interdum impleri, ut dentes extrudantur. Suſpicor tamen non tam ex defluxione, quam lapidis ſive tophi dentalis uberiori incremento, potius vitium hoc ortum traxiſſe. Iſta vero mala gingivarum oriuntur frequentiſſime ſalivæ, vel in genere *acrioris*, vel in ſpecie *ſcorbutico* ſapore, ſive vitioſo acri ſale inquinatæ culpa, à qua tonus fibrarum gingivarum reſolvi & emolliri, penetrari eædem, & plus minus ſucceſſive, non raro ſenſili admodum cum pruritu erodi aſſolent, vaſculis ſanguineis una per diæreſin vitiatis, ſanguinem paulatim fundentibus.

Poſtea & mercurii uſus, tam in ſalivatione excitanda, & hinc acrioris & præternaturalis cujuſque copioſioris ſalivæ profluum, quam faciei pro uſu coſmetico applicatus, ordinario gingivam valdopere laxare, & omnes dentes hinc mobiles quaſi reddere ſolet.

Quod ſi ulterius procedat negotium, vitiari magis gingivæ, exulcerari profundius, abſumi eædem, vel corrumpi etiam, & ad gangrænam diſponi aſſolent: Malum, quod in genere *ſcorbutus* appellatur.

Quod ſi firmior paululum gingivarum fuerit textura, relaxata eadem nihilominus ſanguinem uberius in ſe recipit, & ſpuria intumeſcit & excreſcit carne, laxa, flaccida & ſordida, & facile ad tactum cruorem ſtillante in gingivarum hinc dicta excreſcentia ſive dentium ſuperincarnatione.

„ Ut igitur moveantur hæc mala, præmiſſa debita radicis morboſæ internæ curatione, gingivæ flaccidæ, tumidæ, cruentæ adſtringendæ, exulceratæ abſorbentibus, & mundificantibus ac adſtringentibus conſolidandæ, corruptæ & plus minus gangrænatæ, ab ulteriori mali progreſſu præſervandæ. Conveniunt igitur *flor. roſ. rubr. flor. aquileg.* & ex his paratum *unguentum de aquil.* ad *ſcorbut. oris* præſertim proficuum. *Deſcriptio* proſtat *in Tilemanni materia Medic. CC. & ebur uſt. Lacca & Myrrha Alum. tam crudum quam uſtum, lap.* 69. *fol. quercus, liguſtri, radix ireos. Flor. Biſtort. tormentill. flor. malvæ arboreſcent. naſtur. aqu. Ruta Salvia, Roſmarin.* Ex his vel fiunt *Pulver. dentrificii*, cujus exemplum vide in BARTHOL. *cent.* 6. *hiſtor.* 54. vel ex iiſdem fit *decoctum*, v. gr. *Ruta in vino decocta*, quo calidiſſimo os eluatur, egregia eſt contra hos affectus ſcorbuticos. *Salvia* item *Roſmarin. decocta in aqua* cum pauco addito *alumine*, egregius eſt *Gargariſmus* ad dicta dentium vitia. Vel

♃. Herb. ſalv. opt. Miiß.
flor. mal. hortenſ. rubr. Mj.
rad. polypod. ℥ß. F. decoctio in lib. j.
aqu. font. colatur.
adde mellis roſat. ℥iß.
alum. uſt. ʒj.
lapid. prunell. ℥iij.
terr. ſigillat. ʒj.
M. F. Dentiluvium.

Pertinet huc *Gargariſmus de Tormentilla Mynſicht: p.* 403. *Decoctum ad gingivas roborandas Poterii in pharmac. p.* 313. Si quoque aliud quid, certe *myrrha & lacca* in iſtis gingivarum vitiis ſunt præſtantiſſima. Huic *Tinctura laccæ* aſſociari ſolet. Nam ſola *myrrha* crebrius maſticata præſervat egregie contra ſcorbutum oris. *Tinctura laccæ* proſtat p. 46. Armament. Mynſ. & Conf. *M. A. N. C. Ann.* 6. *App.* 26. B. D. *Michaelis tincturam laccæ* parabat ita.

R. Phlegm. vitrioli q. v. in quo diſſolve alumen q. ſ. ſoluta & miſta infunde *laccæ pulveriſatæ* donec tingantur M. Porro ulterius *mel roſaceum* cum *ſpiritu ſalis* tantillo uſque ad gratum acorem impregnatum, omnia ulcera & putredinem partium in ore ſanat, ſi præſertim ex ſcorbuto originem ducant. In ſpecie ſi ſimul cum *decocto ſalviæ* ſubinde abluantur gingivæ. Egregium quoque eſt *linimentum Hartmanni* ad hos gingivarum affectus, quod deſcribit in *prax. chymiatr. p.* 123. ſed cui non incommode *myrrha* addẽda venit, ad imitationem SENN. *in prax. l.* 3. *p.* 5. *ſ.* 2. *c.* 7. *p.* 633. Cui ſimile eſt elegans *linimentum contra oris & gingivarum ſcorbutum*, quod habet DECKERUS *in comm. in prax. Barbett. p.* 156. cujus loco poſſit etiam recipi.

♃. Alum. crud. ʒiß.
flor. aquileg. fol. ſalv. an. ʒij.
rad. ireos Fl. ʒiij.
myrrh. elect. ℈ij.
c. ſ. q. mell. roſ. F. *Linim.*
egregium ad vacillationem dentium ſcorbuticam. Vel
♃. Rad. biſtort. ʒiß.
flor. roſ. rubr. ʒiß.
Balauſt. ʒj.
aluminis uſti ℈ij.

Imprægnetur largiter *ſpirit. cochl.* qui ad oris ſcorbutum eſt egregius. Hinc in excreſcentia gingivarum ſcorbutica *ſuccus cochlear. cum alumine uſto* miſtus per quam egregius eſt. Sicuti ad hæc ipſa gingivarum vitia ex ſcorbuto nullo cedit *vermicularis*; cujus *decoctum cum alumine & melle* nobile experimentum eſt, *gargariſando uſurpatum.* vid. M. A. N. C. *An.* 6. *p.* 50. In *Digby Medic. Experiment. part.* 2. *p.* 78. itidem egregia eſt *miſtura pro his gingivarum malis ex aqu. calc. viv.* cum *alumine crud. & uſt.* ac *rad. ireos Flor.* quod in mentem revocat aliam non inconvenientem miſturam, efficaciſſimam in ſcorbuto oris, nempe *cremorem aquæ calcis vivæ* ſupernatantem ſaliformem.

♃. Hujus cremor. ʒiij.
gumm. lac. ʒij.
Vitriol. Cypr. gr. vj.
aq. roſar. ſalv. an. ℥iß.

Solve calore leni, ut probe imprægnetur à *lacca*, eo laventur gingivæ, probatum eſt. Ac merito extollitur uſus, *laccæ*: Nam B. D. MICHAEL aliquando putredinem gingivarum ſcorbuticam, tantam ut gangrænam minaretur, & propter inſenſiſſimum fœtorem nemo juxta ægrum commorari poſſet, per ſolam *tincturam laccæ*, præmiſſis internis univerſalibus, feliciter reſtituit.

Juxta

Juxta *laccam* hanc nobiliſsima eſt *myrrha*, verbi gratia.

℞. Fol. ſalv. alumen uſt. maxill. lucii piſcis calcinat.
myrrh rubr. an. ʒiß.
mell. q. ſ. pro *Linim.*
ad fricandos dentes.

Quod ſi efficacius poſtuletur, aliquot gutt. *ſpir. ſalis* impraegnetur.

In graviori malo ulterius procedendum eſt, atque ſic, præter *linimentum Hartmanni*, ſupra laudatum, ut *Vnguentum Ægyptiacum melle roſato* probe permiſtum, deveniendum, pro graviori exulceratione aut inde metuendis malis gingivarum curandis. Vel

℞. Alum. uſti, ſalis armoniaci an. ℈j. maſtic. thur. an. ʒß.
M. F. Pulvis.

Affricandus gingivis, poſteaquam ante & poſt *decocto ſalviæ, torm ntill. ac roſ. rubr.* os elotum fuerit. Imo interdum aqua fortis gravior gingivarum luxuries ſedanda. Conf. item *Linim.* SENNERT. *l. 2. prax. part. 1. c. 16. p. 52.* Aut denique *aquæ viridis ex viridi æris, pauco auripigm. alumine* & quibuſdam *vulnerariis*, addito *melle* in aquam infuſis & decoctis, hic commode adhiberi poſſunt, quo affrictæ gingivæ à luxurie, flacciditate & putredine defendantur, e. g. ſit vel *aqu. virid. Hartm. Pr. part. 110.* vel *aq. virid. Plateri* cujus *deſcriptio* proſtat *in fine obſervationum* ejus.

Stupor dentium. STUPORE, tandem ſive HÆMODIA affici dicuntur dentes, ſicque maſticationem impedire, quando ſpeciali doloris genere afficiuntur, poſt acida vel aſſumpta, vel vomitu rejecta.

Algor dentium. Cui affine malum eſt ALGOR DENTIUM, dum frigoris attactu notabiliter alterantur dentes, nempe acidum & frigus inimiciſſima exiſtunt dentibus, unde illorum nimia impreſſione afficiuntur fibræ illorum interiores, & quaſi irritantur, ut à cujus vis objecti actione ſpecialis quidam dolor in dentibus percipiatur, maſticationis negotium inſigniter impediens.

Curat ſtuporem dentium portulaca recens maſticata, *caſeus tam recens* quam *vetuſtus*, adeoque alcali manifeſtiori dives. *Siliqua caracea* maſticata, it. calidum *ovi vitellum*, ad duritiem coctum, applicatum. Omnium optimum *calida urina applicata. Algorem ſpir. vini* dentibus affrictus, vel *panis calens* maſticatus, vel *vitellum ovi* aſſatum, calide maſticatum: item *theriaca* dentibus affricta huic malo medetur.

CAPUT IV.

DE DEGLUTITIONE LÆSA.

Deglutitio læſa. LÆditur *deglutitio* quando I. *impeditur* ſive *imminuitur* & *abòletur*, vel quando *depravatur.* I. *Oeſophagi* ex parte: II. *Stomachi* ſeu *orificii ventriculi ſuperioris* culpa.

Oeſophagi vitium eſt, (I.) quando muſculorum 3. paria, fauces ſui ampliatione efformantium, una cum ſphynctere paralyſi reſolvuntur, (II.) quando ipſa muſculoſa ejus tunica ſimili malo corripitur. De poſteriori vide VVILLIS. *Pharm. rat. vol. I. p. 11.* de priori TULPIUS *lib. 1. obſervat. 42.* (2.) quando anguſtatur nimis, ſive hoc fiat (*a*) vel à *tumoribus* tam propriis, quam partium vicinarum. *Illud* quando inflammatur *Synanchi*, aut quando *ſcirrhoſo tumore* obſidetur, aut quando à *caruncula excreſcente* vitiatur Exempla quorum vid. RHOD. *obſervat.* 46. 47. *cent.* 2. *Hoc* quando *tonſillæ*, *aſpera arteria*, aut *uvula* intumeſcunt, inflammantur, &c. Sive hoc fiat (*b*) 2. ab arcta nimis clauſura & ſtrictura fibrarum ejus, idque nunc ex *ſpaſmo* ſive *convulſione*, quo pertinent *hypochondriaci* ſubinde, non ſecus ac *mulieres hyſtericæ*, gulæ adſtrictionem & contracturam per nervorum ſpaſmos ob conſenſum patientes, quod alii ex vaporibus ſtypticis ex hypochondriis elatis fauces ſtringentibus male derivant, nempe pertinent huc *gulæ ſtrictura ab Vtero*; cujus mentionem facit HELMONT. *Tr. Aſth. & Tuſſis* §. 31. Hinc etiam in *Epileptico paroxyſmo* difficillima aut nulla ſolet eſſe deglutitio. *Nunc ex illarum nimia exſiccatione in febribus ardentibus continuis.* Quo ſuo modo etiam pertinet *defectus ſalivæ*, deglutionem plus minus impediens, *nunc ex illarum ab aſſumptis conſtrictione & corrugatione*, quo *Hochſtetteri* facit *obſervat. decad. 3. cap. 5.* adſtrictio gulæ ex potu vini malvatici, in quo radix conſolid. major. infuſa fuit. Sive hoc fiat (*g*) 3. *ab obſtructione*, propter deglutita varia aut majora in faucium iſthmo ſive principio œſophagi hærentia, ubi *boli majores*, *nux Perſica*, *ovum gallinaceum*, &c. aut acuta gulæ infixa, ibique tam ſui inſolita præſentia, quam propter dolorem & hujus occaſione inflammationem aut abſceſſum, deglutionem impedientia, v. gr. *oſſicula, ſpinæ piſcium, aciculæ gulæ infixa.*

Orificium ſuperius ventriculi ſive ſtomachus in culpa eſt, quando ritè licet, per œſophagi iter demiſſa, nihilominus admittere debite recuſat, id quod fit imprimis, quando quacunque occaſione irritatus ſive laceſſitus, contumacius ſe ſtringit & claudit, adeoque aſſumpta ulterius progredi impedit, id quod fit. (*a*) quando *vel inflammatum*, *vel velut excoriatum*, aut plus minus *exulceratum*, *vel tumore quocunque*, à priori nullo modo cognoſcibili, *obſeſſum fuerit*, quo facit curioſa & notabilis obſervatio VVILLISII *Pharm. rat. vol. 1. p. 45.* (*b*) quando copioſiores, plus minus acriores, *flatus* in ejuſdem anguſtiis incluſi fuerint, quorum inimica præſentia utrumque, ſpeciatim ſuperius, orificium ad pertinacem ſui ſtricturam irritatur. Unde aſſumpta non niſi difficulter admittit, aut admiſſa eadem copioſi flatus eructantes, inſequuntur eaque plus minus ſimul unà rejiciuntur, quo facit non inelegans *obſervat.* RIVERII II. *de morbis infrequent.* item PLATERI *obſervat. l. 1. p. 223.* (*g*) Quando quacunque de cauſa nauſeat, aut aſſumenda horret ventriculus, nam & ſic orificium claudit, non aſſumpturus ſibi hoſtilia. Hac ratione familiare eſt *febricitantibus*, quælibet liquida aut eſculenta fluida deglutire, ſed carnes, ova frixa vel ſimilia pertinaciter reſpuere, & oblata nullo modo, aut non niſi difficulter admittere.

Pertinet huc *Amat Luſitan. cent. 6. cur 49.* ubi poſt ſcreatum ſanguinis, & aſſumptorum vomitionem, deglutiendi omnimoda difficultas etiam aquæ, ſola vini aſſumptione ſalva. Conf. HILDAN. *cent. 5. obſ. 34.*

Depravata tandem *deglutitio* eſt; I. quando liquida difficulter, ſolida facile & contra deglutiuntur, de quorum affectuum theoria in Philoſophicis, ubi de deglutitione pluries actum. II. Quando in eodem aſſumptorum vel ſolidorum vel liquidorum genere quædam facile, quædam difficulter, quædam omnino non deglutiri poſſunt. De ejus ratione ex ſuperioribus, ſpeciatim ex *nauſea ventriculi* jam conſtat.

QVOAD PROGNOSIN.

Igitur deglutitio quo magis vel minus tollitur, eo magis etiam vel minus periculum vitæ imminet. *A paralyſi muſculorum faucium* nata difficilis deglutitio *periculoſum & difficulter curabile malum eſt.* Quod ſi *ob ſpirituum moventium defectum*, & adeo *inſignem virium reſolutionẽ*, prout *in acutis* interdũ accidit, mali evenit *peſſimum ſignum, & mortis futuræ indicium, ſi cum ſonitu*, quaſi in lagenã vacuam, decidat potus. *In vulneribus* ſi

accidat *ex convulſione* deglutitio læſa, *periculoſum*, ſicut alias convulſiones faucium *in acutis* periculoſius, in *chronicis* minus. Si à *tumoribus* per ſe quidem, & ex interna cauſa naturali oriatur malum pro tumorum vel facile, vel difficulter, vel omnino non curabilium natura, prognoſis facilis eſt. Sic v. gr. *ex ulcere Oeſophagi cancroſo* omnimoda, adeoque lethalis deglutiendi impotentia. Sic ob *Oeſophagum cartilagineſum factum* deglutitio penitus abolita: *Ann.* 3. *N. C.p.*26. adeoque *lethalis*.

Deglutitæ res alienæ in faucium iſthmo vel hærent, vel extra hunc, vel ad ventrem tandem deſcendunt. Dum in faucibus hærent, præter inimicam ſui præſentiam interdum ſimul dolorem excitant, unde *tumor*, *inflammatio abceſſus*, iique vel lethales, de quo vid. Hild *cent.*1. *obſ.* 35. it. *cent.*5. *obſ.* 35. ex oſſiculo œſophago infixo, *tumor*, *dolor*, *febris*, *inflammatio*, *mors*: vel hoc rupto abſceſſu rei peregrinæ cum pure excretionem, aut deſcenſum faciunt. Confer item Hildan. *cent.*1. *obſerv.*35. ubi mulier oſſiculum devoratum, quo pene ſuffocabatur, ſeptimo tandem die, excitata ſuppuratione, ejecerit: vel per alia plus minus vicina loca, exitum ſibi quærunt. Quo facit exemplum notabile Paræi *l.* 24. *c.*29. *Chirurgiæ*, de graminis ramulo deglutito, qui poſtea integer per intercoſtale ſpatium erupit. Idem Hild. *cent.* 1. *obſer.* 33. ubi ſpina piſcis gutturi biennium infixa, poſt, excitato abſceſſu, in extrema colli parte extracta. Dum vero ad ventriculum quocunque modo deſcendunt, vel inferius per anum ſucceſſive denuo excluduntur: dum v. gr. metu, ne in itinere ſpoliaretur, 6. ducatos deglutivit, eoſque poſt aliquot dies, injecto clyſtere abſtergente, ſine noxa rurſus reddidit, teſte D. Michael vel dum fiſtula deglutita tertio die ſine noxa per alvum fuit reddita, authore Bartholino *cent.* 1. *hiſt. anat.* 59. vel in ſtomacho pertinacius hærentes varia mala inferunt, dum v. gr. pylorum obſtruunt, quæ obſtructio, ſi contumacior fuerit, mortem comitem trahit, authore Kercking *in ſpecileg. obſerv.*1. Confer etiam Hildanum *cent.* 6. *obſer.* 35. Quo etiam pertinent *aciculæ*, quarum quædam *ſine periculo*, quædam *cum ſummo periculo* deglutitæ obſervantur, conf. M. A. N. C. *Ann.*4. *p.*77. *Vitri fruſtula* aut *annulus*, cujus aſperitate excitatam dyſenteriam notat Zacutus *Luſitan.l.*2. *Med.Princ.hiſt.*84. Cæterorum huc facientium affectuum *prognoſis* ex dictis facilis eſt.

CURA.

Pro earum varietate, & mali inde nati diverſitate, etiam variat. Paralyſis partium deglutitioni inſervientium curatur per *decoctum ſalviæ in vino*, & continendo in ore *V. S. infuſionis thymi vel decoctum ſalviæ & erucæ gargarizatum*, aut in ore contentum egregium eſt. *Nux moſcata* maſticata & deglutita eſt egregia. *ol. ſuccini deſt. aut ol. deſt. aniſi*, *ſalv.* guttatim intra fauces aſſumpta, ſunt efficaciſſima. *Eſſentia caſtorei*, *ſp. ceraſorum nigrorum*, *liliorum convallium*, *ſpir. theriacal. cum eſſentia caſtorei juncti*, *it. Aqua Anhaltina* eſt egregia, illinatur collum ac nucha *ol. lumbric. terreſtr. coſtin. l. deſtill. ſuccin. aniſ. lavendul.* &c. *Tumores* harum partium, ſiquidem cogniti fuerint, quales ſint, more talium tumorum curari debent. *Clauſura faucium & Oeſophagi à ſpaſmo aromaticis & nervinis*, *blandis opiatis* additis, tam in-
„ ternis, quam externis curanda. Si à vitio hypochon-
„ driorum per acidum abſorbentia & opiata, it. ca-
„ ſtoreata. Sin ab excitatione in febribus interne mu-
„ cilag. ſem. cydon. cum ſperm. ran. extracta eſt egre-
„ gia. Externe unguent. Zacuti ad hunc affectum, com-
„ poſitum ex unguento filii Zach. unguento roſato, re-
„ ſumptiv. ol. amygd. dulc. violar. & mucilaginibus
„ cum lacte muliebri. Salivæ defectus potu præſertim
„ vini I. cereviſiæ ſecundariæ resarcitur: item *cry-
„ ſtalli* fruſtula in ore circumacta ſalivæ copiam nonnihil provocant. *Aſſumpta* externa pro ſui varietate oppoſitis curanda, ut in illo *Hochſtetteri* exemplo, propinata aceto ſtrangulatio & faucium anguſtia ſublata fuit.

Quoad res alienas deglutitas, ſed intra Oeſophagi ſuperiorem tractum adhuc hærentes, ea quantocyus iterum artificioſè eximenda veniunt, vel ad ventriculum, ſi innocuæ ſunt, detrudendæ, cui fini inſervit vel *inſtrumentum VVilliſſ. Pharm. rat. vol.*1. *p.*45. *aut Hildani C.*1. *obſ.* 31. *Quod* ſi vero foras denuo protrahenda res deglutita, vel *tuſſis*, vel *artificialis ſternutatio* una cum *rerum dulcium* plus minus lubricantium lambitione conveniunt. *Quod* ſi his modis non ſuccedat negotium, inſtrumentis res tentanda, in quem finem vel *forcipes roſtris longis*, *l. inſtrumentum* Hildani *cent.* 1. *obſ.*36. aut hujus ſuccedanea *cent.*6. *obſ.* 34. vel *candela cerea*, vel *ſpongiola cum filo*, it. pro aciculis *hamulus*. Hildan. *cent.*6. *obſerv.* 36. adhibet *ol. amygd.* d. & *ſaccharum* in forma Electuar. ante paſtum, ut dolor per oleum leniri, per ſaccharum vero ulcus forte præſens abſtergi poſſit.

Quod ſi aciculæ, *vitri fruſtula*, *ſpinæ piſcium*, aliave acutiora per deglutitionem in ventriculum penetraverint, opera danda, ut hæc ſine noxa per inferiora tandem excludantur. In quem finem propinetur *puls* aliquanto ſpiſſior *ex oryza*, *vel milio*, *vel panico*, ita quidem, ut aliquamdiu æger à potu abſtineat, ut ita per hujuſmodi ſpiſſiora involuta res deglutitæ acutiores ſenſim ex ventriculo per inteſtina ulterius promoveri queant.

In ſtomacho ſi fuerit vitium, *priori ex cauſa*, vel mala ejus methodice curanda, vel *inſtrumento* VVillis. *Pharm. rat. vol.*1. *p.*45. utendum. Si ex *ſecunda cauſa carminantia* interna & externa propinanda, infra *de inflammatione ſtomachi* propinanda. Quoad *tertiam cauſam* ſtomacho gratis & acceptis inſiſtendum, ventriculus nondum cogendus.

Depravata deglutitio, cum quædam curabilis, quædam non curabilis ſit, illa vero *nervorum ex vitio* ſpeciatim oriatur, partim ex dictis pro ſuo loco dicendis curatio manifeſta erit.

CAPUT V.

DE CHYLOSEOS LÆSIONIBUS.

Chyloſis ſ. chylificatio, notum eſt quomodo fiat, nempe *beneficio ſucci fermentativi Julini* ſeu fermenti ſtomachici ſalini à quo inciduntur, diſſolvuntur, & volatiſantur ſimul alimenta, ita ut abeant tandem in liquorem dilutum lacteum, quem non immerito liquidiori cremori vel Priſanæ aſſimilant. Qui liquor *chylus dictus* natura ſua eſt *ſalſus volatilis & temperatus. Hæc chyli productio*, ſeu alimentorum in Chylum tranſmutatio variis *læditur* modis. *Chyloſis læſa.*

Aut enim *imminuitur ſ. oboletur* quando non ſufficienter digeruntur Alimenta: Vel inſigniter *depravatur*, unde innumeræ fiunt alimentorum corruptiones.

Ad depravationes alimentorum merito etiam referuntur *Cruditates dictæ*, quæ imprimis ſunt duplices *acidæ & nidoroſæ. Acida eſt, quando alimenta abeunt in ſuccum acidum*, nec ſufficienter volatiſatum: *Nidoroſæ ſunt quando eadem corrumpuntur ut abeant in liquamen horridi ſaporis*, putrilaginoſum & omnino nutritioni ineptum: nam corruptionem nidoroſam ſolent comparare communiter cum ovis frixis butyro & non bene poſtmodum concoctis.

Cauſam quod attinet, notum eſt ex lectione Veterum quod hi ipſi omnes operationes naturales ſoli manciparunt calori, & exinde in chyloſeos læſionibus ut plurimum accuſarint calorem debilem ſtomachi, ſeu
„ Intemperiem ſtomachi frigidam, nunc ſimplicem,

nunc

„ nunc vero compoſitam, complicatam cum Intempe- „ rie Hepatis calida. Lectio frequēs *Practicorum* etiam *Modernorum* & imprimis ITALORUM & GALLORUM vos docebit quod hi omnes accuſent inæqualem Intemperiem ſtomachi frigidam & Hepatis calidā.

Verum hac in parte merito laudes tribuendæ HELMONTIO, qui primus caliginē diſcuſſit, & calorem non effectivè ſed diſpoſitivè tantum digerere ſtatuit, & ſufficienter confirmavit, quo potius fermenta & fermentationum læſiones, cauſas proximas introducit læſarum digeſtionum.

„ Quod ergo attinet chyloſin læſam, cauſa ejus „ proxima erit vel in fermenti ſtomachi cinctio, vel „ erit in vitio aſſumptorum alimentorum. in fermen- „ to quidem quando non poteſt ſufficienter digere- „ re, aut quando non legitime digerit, ſed potius de- „ pravatum alimentum corrumpit. In alimentis vero „ erit cauſa, quando eadem digeſtioni ſunt inepta, „ aut quoniam peccant cum quantitate, dum ſunt ni- „ mis copioſa, aut quando peccant qualitate dum ſunt „ vitioſa & digeſtioni aliàs inepta.

Hæc ut pateant imprimis *fermentum* ſtomachi non ſatis volatile, ſed *acidum nimis fixum aut cum peregrino acore* in ſtomacho *corruptum*, uti fit in Hypochondriacis, diſſolvit quidem promptè alimenta, ſed eadem non ritè fermentando nec debitè volatiliſat, ſed *nimio acore* eadem *in maſſam vitioſè acidam transmutat unde* imprimis *cruditas acida* provenit.

Quod ſi *ex perverſo Bilis* per vaſcula fellea in Inteſtina trajectæ *motu* fiat, ut regurgitet in ſtomachum fit ut ab hoc ſale volat. oleoſo bilis debilitetur aut vi- „ tietur fermentum ſtomachicum: adeo ut aſſumpta „ alimenta non poſſint convenienter digeri, quin pro- „ pter talem præſentiam bilis vitiantis fermentum, abeunt in cruditatem nidoroſam, quod etiam fit quando alimenta *pinguia nimis* ingeruntur aut *butyro nimis frixa*, & condita: nam & alia *pinguia* dant cruditatem nidoroſam. Verum in unoquoque ſubjecto peculiaris & à priori non perſcrutabilis eſt fermenti varietas tam in ſpecie animalium quam in unoquoque Individuo humano: ratione cujus fit ut non tantum appetitus variet, ſed etiam ut ipſa variet alimentorum digeſtio, ita ut ea quæ unus avidè appetit & hinc facillimè digerit, alius reſpuat, aut non ſine moleſtia concoquat. Appetitus ſane eſt Index qui loquitur quaſi & monſtrat quæ ſunt aſſumenda. Nam quæ facile aſſumuntur facile digeruntur, quoniam tum appetuntur ea quæ ſunt amica fermento ſtomachico, & quæ ipſi ſunt amica, facile diſſolvit & facile fermentatur,

Hinc eſt quod nobis inculcet HIPPOCR. *in Aphoriſmis* quod appetita facilius longe digerantur quam non appetita. Ex hoc fundamento etiam conſuetudinis magna adeo eſt habenda ratio: nam idem HIPPOCRAT. in omnibus morbis *conſueta licet deteriora inſuetis tamen eſſe præferenda*, dicit, *licet melioribus*. Ratio eſt hæc, quod poſt omnia aſſumpta ſemper remaneat nonnihil in ſtomacho, ſeu omnium aſſumptorum nonnullæ reliquiæ hæreant in plicis & rugis ſtomachi, quæ reliquiæ ſi non ingrediuntur materialem compoſitionem fermenti, uti multi volunt. Certum tamen eſt quod nonnihil aut certo modo fermentum modificent ſeu ad ſui ſimilia alimenta magis appropiatum reddant. Hinc eſt quod ab aſſumptis minus lædamur quando fermentum iiſdem quodammodo eſt homogeneum & nulla eſt diſcraſia inter aſſumpta & fermentum, ſed hoc ſe habet ad illa ut proportionatum agens. E contra inſueta ſunt moleſta quoniam non habent convenientiam cum illo partes alimenti.

Propterea etiam eſt ut ii qui certa quædam nonnunquam abhorrent, incipiendo à minima doſi ea ſibi reddant familiaria nonnunquam: quoniam fermentum ſtomachi ſucceſſive alteratum, talia olim hoſtilia tanquam amica facile arripit.

Hæc de fermento, cujus ſalino-volatilis activitas ſi debilitetur, fit illud ratione modo dicta.

Quod attinet VITIUM CHYLOSEOS ALTERUM *ex alimentis aſſumptis*. Hæc eſt CAUSA. *quando copioſè nimis ingeruntur unde non poſſunt digeri*: ratio, quoniam unumquodque menſtruum fermentativum (quod ſolvit & fermentat, quale eſt fermentum ſtomachi,) requirit proportionem objecti debitam in quod agere debet.

Si ergo nimia ingeratur alimentorum quantitas, obruitur in tantum *fermentum ut eadem nec diſſolvat ſufficienter* quoniam non eſt ſufficiens, *nec convenienter fermentando volatiliſet*. Non diſſolvit convenienter, quoniam, uti dixi, nimia quantitas ſuperat fermenti activitatem: hinc tarda fit concoctio & non recte volatiliſantur digeſta. Imo ſæpius *nimia quantitas* alimentorum ingeſta *abit in cruditatem acidam*, unde aſſumpta quidem acorem recipiunt fermentativum ſed propter nimiam copiam admodum debilem; unde non poſſunt fieri volatilia, ſed in forma paſtæ crudæ acidæ remanent.

Præter *quantitatem* imprimis *varietas* ciborum etiam turbat digeſtionem, ut ut enim magna ſit fermenti ſtomachici poteſtas, quatenus ſemel varios admodum cibos poteſt diſſolvere & fermentare, tamen certum eſt quod non ſit univerſalis quin magis determinatur ad hunc vel ad illum cibum: ſi ergo tam varia ingeruntur pinguia cum macris, acida cum dulcibus, etiam certum eſt quod fermentum, potentius dum agit in unum, quam in alterum, non leviter vitietur digeſtio, & peſſimæ oriantur corruptiones & cruditates quarum comes eſt mucus copioſus in Ventriculo reſiduus: nam quod non recte digeritur vix per Pylorum tráſmittitur unde copioſus mucus obruit ventriculum & ulterius vitiatur chyloſis.

Quoad *Qualitatem* Ciborum certum eſt quod delectus ſit habendus. De *Pane* tantum loquor qui ex omnibus alimentis nobis eſt familiariſſimus. Ratio, quoniam fermento ſtomachi eſt amiciſſimus idque propter ſpiritum acidum volatilem; qui in pane eſt ſatis copioſus & quodammodo homogeneus & ſymbolizans eſt cum natura fermenti ſtomachici. Unde etiam Panis ratione fermenti in paneficio concepti, vel ratione ſpiritus iſtius acidi volatilis, adjuvat ut reliqua aſſumpta promptius colliqueſcant, & cum iſto ſtomachi fermentum volatile ſimul adjuvat, ut promptius volatiliſentur & chylificentur. Unde panis quo magis eſt fermentatus & magis in eodem exaltatus ſpiritus ejus acidus volatilis, eo eſt nobis ſalubrior quo minus vero fermentatur & quo minus ſpiſſior & glutinoſior, eo magis eſt nocivus & eo promptius abit in paſtam viſcidam & crudam in ſtomacho. *Præter* ciborum *varietatem* etiam *Potus nimius* eſt qui inſigniter turbat digeſtionem: ratio, quoniam 1. Potus nimius diluit nimis fermentum ſtomachi & iſtud diluendo nonnihil hebes reddit: 2. quoniam facit fluctuationem alimentorum in ſtomacho quæ nonnihil impedit legitimam fermentationem: 3. quoniam Tonum ſtomachi lædit, eundem diſtendit & fibras ejus laxat ac flaccidas reddit ut digeſta licet, non poſſint adeo commodè per pylorum expelli. Hinc eadem præter tempus in ſtomacho detenta, corrumpuntur & in vitia varia abeunt. Ex his facile patet quid habendum ſit *de veterum Intemperie inæquali*: Nam eandem non habere fundamentum in re, patet ex eo, quod ſanguis qui calorem & ſic dictam Temperiem vitiat, omnibus partibus diſtribuitur æqualiter & proportionaliter movetur ad Hepar & ventriculum. Quamdiu ergo ſanguis debito calore non vegetus, & quamdiu æquali proportione circulatur tam ad Hepar quam ad Ventriculum, tamdiu ſane his ipſis etiam debi-

tam conciliabit Temperiem & eodem modo debite calebit Epar atque calet ventriculus.

In iſta ergo *quam dixi* veterum *inæquali intemperie* experientia nos docebit, *quod ſemper ſubſit vitium fermenti ſtomachici*, quod ſit nimis & *vitioſe acidum nec ſatis volatiliſatum* quin ſimul obrutum copioſo muco craſſo & viſcido : propterea inſtituitur in talibus Cura non cum iis quæ calefaciunt ſtomachum & refrigerant hepar ; ſed quæ vim habent attenuandi & diſſolvendi , imo etiam volatiliſandi & temperandi nimium fermenti acorem.

Præter has *Cauſas primarias* CHYLOSEOS LÆSÆ, *Secundariæ* nonnullæ adſunt, *quæ, quatenus retentionem aut expulſionem turbant, etiam Chyloſin vitiant*, quale exemplum non incognitum eſt *Procidentiæ Cartilaginis enſiformis*, quam ſæpius *cauſam fuiſſe chyloſeos læſæ* & ſimilium ſtomachi ſymptomatum, Teſtis eſt expertus ZACUT. *Luſitanus in lib. Medic. Princip. hiſt.56. quæſt.36. It Verrucæ ventriculo adnatæ* Chyloſin turbare valent. Quale exemplum habet FOREST. *in lib.18. obſ. 18. & obſ.30.* Notum etiam eſt quod *renes afflicti calculo* propter conſenſum nervorum qui intercedit ventriculum & renes, ſimiliter ſolent turbare digeſtionem.

QUOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

Ea ſunt facillima. Nam in *chyloſi imminuta* conqueruntur ægri de *dolore ſtomachi poſt paſtum* it. conqueruntur ægri de ructibus etiam poſt 5. vel 6. horas ab alimentorum aſſumptione moleſtis, iiſque genuinum aſſumptorum ſaporem repræſentantibus : Porro conqueruntur tales ægri de *appetitu dejecto*, *de inflatione ſtomachi* & quæ ſunt ſimilia ſigna hinc inde obvia.

Præterea ſæpius adeſt poſt paſtum in talibus ſubjectis *Phlogoſis* ſeu *rubor faciei*, in qua phlogoſi ſemper obſervetur quod fiat à ſtomacho, hocque muco copioſo nimis acido ab alimentis non rite digeſtis reſiduo, onerato.

Item conqueruntur ægri tales de *difficili reſpiratione*, quando incumbunt dorſo, Item matutino tempore ſæpius conqueruntur, quod habeant os *muco plenum*, qui revera aſcendit ex ſtomacho, dum per incubationem regurgitat & ad fauces tendit & ſic matutino tempore excernitur. Cæterum quando vitiata eſt digeſtio illam teſtantur *ructus*. *In cruditate acida* habent *ructus acidos*, habent *copioſiores* præ cæteris *flatus*, & quæ rejiciunt aut natum aut arte *per vomitum* deprehenduntur *craſſa viſcida & pituitoſa*, ſimulque *ſaporis acidi*.

Cruditas nidoroſa cognoſcitur ex eo, quod *ructus* ſunt *fœtidi* aut ſaltem *horridi* quales ſolent elevari poſt ova frixa aſſumpta : it. quod ſubinde *nauſeant*. Matutino tempore *ſaporem* percipiunt, quem non poſſunt ſufficienter explicare : quæ rejiciunt aut arte aut natura per *vomitum ſunt liquida ſub flava & aut omnino inſipida aut quodam modo amaricantia*. Præterea habent *alvum* ſæpius *plus ſolito apertam* : Tales cruditate nidoroſa laborant.

QUOD ATTINET SIGNA PROGNOSTICA.

Certum eſt in *chyloſeos læſione* conſiſtere fundamentum quam plurimorum morborum Chronicorum, in ſpecie Certi ſitis quod ex *cruditate acida* & ejus variis differentiis oriantur *quam plurimæ ſi non omnes Febres intermittentes* : quod hæc cruditas acida certo modo corrupta ſit origo *mali hypochondriaci*, ſit origo *ſcorbuti*, niſi hic oriatur per contagium maſſæ ſanguineæ communicatum : ſit *origo Paſſionis Colicæ & ſimilium*. It. quod ſimilis acor in ſtomacho vitians alimenta ſit origo *morborum Cutaneorum ſcabiei*, *ſerpiginum*, *Herpetum*, forſan & *Eriſypelatum*.

In genere omne acidum ſeu acor vitioſus ſubinde in corpore errans, quod ab HELMONTIO dicitur inimicum toti corpori, fundamentum habet in vitioſa digeſtione ex corruptione acidi. *Arthritis* ipſa dum vinum aceſcit in ventriculo, aut potulenta vitioſo acore tincta proruunt in corpus ex hac *acida ſtomachi aciditate* habet ſuum ortum : Imo (de quo impoſterum plura) *omnes morbi chronici* qui veniunt aut oriri putantur à viſcerum obſtructione, Meſenterii, Hepatis & Lienis : Tamen ſitis certi quod oriantur *ex vitio chyloſeos* & in *ſpecie quando fermentum ſtomachi eſt nimis acidum nec rite volatiliſatum*.

METHODUS MEDENDI.

Corrigendum itaque *fermentum ventriculi* quando fieri poteſt & *collocandum in naturalem ſtatum*.

Conferunt hic 1. *Ea quæ mucum & ſuccos in ſtomacho hærentes* ut plurimum *craſſos & viſcidos acidos removent*. 2. *Ea quæ ſale volat. oleoſo ſubtili acido temperato conſtant* : hæc namque nonnihil alterant fermentum ſtomachi volatilem ſubtilemque acorem ei attribuunt.

Quod ergo attinet : *Purgantia* : VOMITORIA primum obtinent locum, inter hos ſuperius dictum *Antimonialia* eſſe præferenda non ea quæ non infuſa, ſed quæ infuſa : & in Infuſo non tam eſſe ponderandum pulverem quam liquorem in quem fit infuſio. Poſt hæc ſunt *Aſarina* & in ſpecie *Extr. act. Aſari Emetic.* HART. *Aqu. Nicot. deſtill.* ſimiliter elegans præbet vomitorium. *Maſſ. Pilul. de Hier. cum Agarico* ſuperius commendavi & dedi formulam. Præter hæc *Pilulæ Maſtichinæ* ſunt elegantes : nam Maſtiche eſt ſingulare ſtomachicum ratione ſpiritus acidi volatilis. *Pilulæ Aloephanginæ ex aromatibus factæ, & uno alterove grano ſcammonii* aculeatæ conveniunt ad detergendas ſordes mucilaginoſas ſtomacho ſæpe adhærentes.

Dabo Exemplum hoc modo egregium.

℞. Pilul. Aleophang. gr. xv. l. ℈j.
(ſunt enim ex aromaticis)
Scammon. ſulphurat. gr. ij.
Extr. troch. alhand. gr. iß.
(eſt egregium ad pituitam viſcidam detergendam)
c. ſ. q Tinct. tart.
(quæ ſtimulat. & eſt ſalina abſtergens)
F. l. a. Pilulæ. purg. ſtomach.

Poteſt etiam beneficio remediorum ſalinorum imprimis ex tartaro fieri pulvis laxativus & ſtomachum egregie evacuans.

℞. Tartari vitriolat.
Cremor. tart. an. ℈ß.
Scamm. ſulphur. gr. iij. l. iv.
Trochiſc. alhand. gr. j. l. ij.
(hi enim præſcribuntur in pulverib.
Olei deſtill. Aniſ. gr. ij.
F. Pulvis. purg. ſtomach.

Nam ultra ij. l. iij. ſedes vix operabitur pro conſtitutione tamen ſubjecti.

Poſt hæc dixi convenire in *Chyloſi læſa ea quæ conſtat ſal. volat. aromatico blando*, quæ ſi maritentur cum ſubtilibus acidis fiunt egregia remedia. Ex his imprimis commendantur *ſemina* quæ vocantur *minora calida : Aniſi, Carvi, Petroſel. Cumini*, & poſt hæc *aromata*, præ ceteris *Galanga* & *zingiber* ſimul.

PLATERUS *in obſerv.* egregia aliquot habet exempla *Chyloſeos & cruditatis vitiorum ſtomachi curatorum* per uſum *zingiberis. Nux moſchata* etiam eſt elegans ; ſed quia eſt nimis oleoſa & ob id obtundere ſolet fermentum ſtomachi, aliis ſubinde eſt temperanda, imprimis ſimplicibus ſtomachicis dictis quæ ſunt ſatis nota.

Præ cæteris Palmam obtinebit *Abſinthium & Mentha, it. Acorus verus : Roſmarinum & lignum Saſſafras* uti etiam reliqua *aromata*. Item *Elixir* quod vulgo vocatur *Proprietatis* in ſpecie ſi miſceatur cum

ſpir.

ſpir. cochleariæ aut cum *ſpir: ſal. ammoniaci volat.* Conveniunt etiam egregie *Elixir ſtomachale D.* MICHAEL. cujus ſuperius facta fuit mentio, *Eſſent. Meliſſæ, Menthæ, Pulegii Roſmarini, Ligni Saſſafr.* omnes conveniunt, ſi acidulentur cum parva quantitate *ſpir. ſalis* vel *ſpir. vitr.* ſic enim concipiunt ſubtilem volatilem acorem.

Aut fiat *Vinum Medicatum*, nam ſic acidum vini imbuitur cum ſalibus volatilibus Vegetabilium. h. m.

℞. Radic. Enul. camp. ℥vj.
(quam ſuperius commendavi c. rad. armoraci.)
Rad. Galang. ʒiij.
Herb. Menth. criſp.
calaminth. mont.
Abſinth. an. m. ß.
Sem. Aniſi.
Cinam. acut. an. ʒiij.
Macis ʒj. (quia nimis oleoſa.)

Conciſa & contuſa includantur cum nodulo in Vini Rhenani menſ. j. ſtent per hor. xij. in loco calido. Hinc ſubinde aſſumatur hauſtus ante cœnam & prandium, ſingulis hauſtibus addendo *ſpir. ſalis dulcis* (acid. volatile) *gutt. x.* l. loco hujus *Elix. Propriet.* imprimis cum *ſpir. cochlear.* facti & parati *gutt. v.*

Salia ea quæ mucum ſubtili aciditate potenter abſtergunt & detergunt ſtomachum, ſimiliter egregia ſunt: inter quæ excellit *ſal. ammon.* imprimis ſi aſſumatur in *Vino abſinthite* ſ. *vino infuſionis ligni Saſſafras.* Poſt hoc non minus etiam *terra foliat. tartari*, ſeu *ſal. tart. eſſentiale* & reliqua ex *Tart.* parata: item *ſpir. Carminativus ſecretus* vid. c. 6. de quo faciam mentionem paulo poſt, egregie conveniunt. *Tart. vitriolat.* aut etiam *Hepaticum rubeum* imprimis ſi cum aromaticis ſpeciebus *Diatrion Pepereon*, aut cum ſpeciebus *Dialanga*, aut *ſtomachicis* MYNSICHTI miſceatur. *ſal. vitr.* ſeu *Arcanum duplicatum* MYNSICHTI ſimiliter eſt egregium in affectibus ſtomachicis, ſimilibus pulveribus ſtomachicis miſtum: Nec *miſtura ſimplex* eſt inelegans cum ex acido volatili temperato conſtet.

Ambra eſt conveniens ſenibus, & in cruditate ſenum imprimis eſt convenientiſſima ſive cruda cum ſaccharo in forma pulver. aſſumatur ſive cum *Eſſentia Menthæ* l. *Meliſſæ* in eſſentiam ſtomachicam redigatur. Noti aliàs ſunt *Pulveres ſtomachici* BIRCKMANNI & QUERCET. in quibus baſis eſt *radix Ari* præparata: Propterea quia radix Ari impregnata eſt ſal volat. acri & penetrante: Cæterum utut hæc radix præparetur cum aceto vel vino, in arida tamen maxima pars ſalis volatilis avolat, & ob id inanis nonnihil evadit: Melius ergo eſt ſi infuſio fiat cum radic. Helenii in vino, vel ſi ſuccus expreſſus ex radice & foliis aſſervetur ut tempore uſus cum aliis aſſumatur.

Sed eſt Quæſtio quomodo aſſervari poſſint citra corruptionem ſucci. R. Obſervetur quomodo vinum conſervetur beneficio ſulphuris, & ii qui legunt HELMONT. callebunt artificium aſſervandi ſuccos ad aliquot annos incorruptos.

Præterea pertinet huc *pulvis ſtomachicus* D. MICHAEL. compoſit. eſt.

℞. Rad. Ar: præp. ℔ij.
Panac. Holſteinenſ. ℔j.
Sal. abſinth. ℔ß.
Radic. calam. arom. ℥ii.
(loco hujus acor. ver.)
Cinamom.
Caryophyll. an. ℥iß.
Macis.
Piper. long.
Zingiber.
Cubebar.
Cardam.
Granor. Paradiſ.
Sem. zedoar. coriand. an. ℥j.
F. l. a. Pulvis.

Illi qui legunt POTERIUM ſæpius remoratum in ſcriptis inveniunt *ſpecificum ſtomachicum* ſed quid hoc ſit nemo ſcit præter Filium POTERII BONONIÆ degentem: Interim in aurem vobis dico quod Baſis ſit regulus Antim. Martialis, ſapienti ſat dictum.

Ad ſpecifica ſtomachica etiam pertinet *ſuccolata*: ſuccus inſpiſſatus factus ab Indis ex fructibus Cacaum conditus cum Cinnamomo & pipere, quæ ſuccolata in vino cocta & pota eſt egregium *ſtomachicum* & ſimul *antiſcorbuticum.* Non minoris pretii eſt herba *Thea*, Planta apud CHINENSES & JAPONENSES ſingularis virtutis: ad nos tantum ſicca adfertur: quæ herba CHINENSIBUS & JAPONENSIBUS elegantiſſima eſt medicina non tantum *ſtomachum* roborans: ſed præterea liberat tam à *Calculo*, quam *Arthritide* (morbis CHINENSIBUS & JAPONENSIBUS propter hujus plantæ uſum incognitis) item in *Cephalalgia* potenter, *Præſervans ebrietatem & ſomnum arcens, ſtomachum confortans, & vigilias citra debilitatem etiam ad tres dies protrahens.* Uſus eſt ſi folia pulveriſata quantum 2. vel 3. capiunt Cochlearia ebulliunt in aqu. ſimplic. adjecto pauxillo ſacchari; & iſtud decoctum poſtmodum ſubinde hauritur.

Hæc in Genere de CHYLOSEOS LÆSIONE. In ſpecie quod attinet *Cruditatem nidoroſam.* Conveniunt *Rhabarbarum* quod evacuat & *Tamarindi*: Præterea *ſuccus Citri, ſuccus & Sirupus Portulacæ*, it. *ſpir. ſalis dulcis, Epaticum rubeum.* Omnia enim temperant pinguedinem & bilem præcipitant: Item *Conſerva Roſarum* aut *Menthæ vitriolatæ, aut ſpir. vitr.* aliquod guttulis *irroratæ.* Cruditas vero acida corrigitur per " *vinum abſinthites, per radicem Helenii & Armoraciæ*: *per ſpir. vegetabiles volat. Menthæ Salviæ* & ſimiles: *per ſpir. Antiſcorbutic. Naſturtii, Cochleariæ*, it. per *ſpir. Piperitidis* quæ eſt Planta paucis cognita acerrimi ſaporis & potentiſſima in corrigendo ſtomacho. *Spirit. ſalis ammon. volat.* imprimis ſpiritu vegetabili commiſtus ut fiat ſal. vol. oleoſum. Denique *ſal. abſinth. ocul. cancr. corallia* & ſimilia quæ acidum abſorbent.

Inter *externa* coctionem juvant *olea* nonnulla deſtillata ſuaveolentia quoniam hæc ſunt ſtomacho grata. Hæc inter excellens eſt ol. Angelic. deſtillatum. " Menthæ, Caryophyl. Macis, Juniperi, it. ol. ſto- " machale compoſitum CRATONIS, Balſamus Peru- " vianus itidem eſt egregius.

Præterea *Tacamahaca, Galbanum, Maſtiche*, in forma Emplaſtri ſ. ſcuti ſtomachici: ſi regioni ſtomachi applicentur. it. *ſpongia vino generoſo* cui ſimplicia ſtomachica fuerunt infuſa, *impregnata*, ſtomachi regioni applicata.

Habuimus Vitia quæ coctionem turbant, pergimus jam ad.

CAPUT VI.

De Aſſumptorum retentionis in ſtomacho læſione.

PRimum vitium *retentionis alimentorum læſæ* in ſtomacho, quando copioſis *flatibus* diſtenditur ſtomachus & exinde turbatur contentorum læſio. *Inflatio ſtomachi.*

Affectus à *flatibus* ſtomachum diſtendentibus vocatur INFLATIO STOMACHI. quod ſi *flatus erumpant cum ſonitu* non ſemper grato vocantur *Ructus*: Sin *copioſè* admodum *perque ſuperiora & inferiora* erumpant; ut in Malo Hypochondriaco vocatur *Cholera ſicca*: qui tres affectus inter ſe parum differunt. Flatus hi ſi in ſtomacho retineantur ſatis ſunt moleſti: imo interdum tanti ut peſſima inducunt ſymptomata. Sic BARTHOLINUS exemplum habet *cent.2. epiſt.687.* Fœminæ quæ Ventriculum adeo habuit inflatum, ut gravida habita fuerit.

" Flatus omnes fiunt in ſtomacho per vitioſam fer-
" mentationem factam ab acido in materia viſcida ,
" craſſa & pituitoſa : ita ut efficiens Flatuum ſit aci-
" dum : materia ſ. ſubjectum , ſit materia *viſcida* ſ.
pituitoſa ; *modus* quo generantur & elevantur Flatus, eſt *Fermentatio* quædam *ſingularis*. Hinc eſt.

Quod Veteres dixere oriri flatus à *Melancholia.* hæc enim eſt nihil aliud quam acidus ſuccus: Unde *Hypochondriaci* , in quibus Ventriculus obrutus eſt mucilagine acida , abundant flatibus propter acidum fermentans materiam pituitoſam & viſcidam.

Dico fieri flatus in Inteſtinis & ſtomacho per *fermentationem ex aſſumptis.*

Quod non inſint aſſumptis patet ex eo quod duo homines iiſdem alimentis utentes , unus eorum generet flatus,alter non. Ratio eſt, diverſitas fermentorum in ſtomacho. *Hypochondriaci* & *Hyſtericæ* fere ex omnibus alimentis ejiciunt flatus , quod alia non faciunt ſubjecta.

Porro tractes *Muſtum* quomodocunque velis , ſi non fermentare incipit non dat flatus : ſimulac vero fermentare incipit copioſum *Gas* ut vocat Helmontius , ſeu multi flatus erumpunt quæ etiam fortiſſima dolia diffringunt. Item *Farina* , quacunque ratione tractetur , ſive aſſetur , ſive coquatur , ſive alio modo tractetur , nullos flatus eructat , acorem contrahit & fermentare incipit , etiam ſubito flatus erumpunt.

Verum quidem eſt eſſe multos *cibos* reliquis aptiores ut ex illis generentur flatus : ut ſunt *raphani*, *Armoracia* , *Allium* , *Cepa* : quoniam tales ſale volat. acri abundantes incidunt & attenuant mucilaginem ſtomachi , & poſtmodum cum acido ſtomachi concurrentes generant flatus : Non ergo inſunt iiſdem ſed generantur ab acido.

Quod vero adſit in talibus talis mucilago acida. Experientia teſtatur , quia in Vomitu ructant copioſa craſſa viſcida & tenacia acida.

Interim rarum eſt Exemplum de ſubito generatis flatibus per uſum decocti Chinæ quod habet Rhodius *Cent.* 2. *obſ.* 52.

Quidam ſc. poſt uſum decocti Chinæ, etiam poſtmodum comedit piſces , tam ſubitam Ventriculi & Abdominis inflationem paſſus eſt ut edere non potuerit : Cæterum ſubito ſub forma ructuum eruperunt.

Ructus ab Helmontio ſtatuuntur *quadruplices.* 1. *Eſt ructus acidus* ut in Hypochondriacis & jejuno ſtomacho. 2. *Eſt ructus nidoroſus* ex cruditate nidoroſa. 3. Eſt *ructus ſpecificus* , ſeu is qui ſimplicium aſſumptorum ſaporem refert v. gr. poſt eſum raphani , Piſcium , &c. 4. Eſt *ructus inſipidus* quando adſunt flatus ſine certo ac determinato ſapore. Interdum , licet rarius , adeſt etiam *ructus fœtidus*, peſſimæ notæ & admodum horrendus ſed rarus.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

In inflatione ſtomachi ubi erumpunt ructus per ſe ſatis proditur malum : Verum quando orificium ſtomachi ſiniſtrum eſt occluſum adſunt anguſtiæ in præ-
" cordiis : deinde præcordia ſunt diſtenta 3. ſi tanga-
" tur locus præcordiorum,ubi *remiſſius* quidam *perci-*
" *pitur.*

4. Ægri conqueruntur de *difficili reſpiratione*, quoniam diſtento ſtomacho impeditur Diaphragmatis motus , imprimis quando incumbunt ſupini , quod Hypochondriacis frequens , Subinde quoque percipiunt *flatulentias* quaſdam *in ſtomacho* , quando ſe jactitant ex uno latere in alterum , & quæ ſunt ſigna alia.

SIGNA PROGNOSTICA.

Hi quidem ſi in *malo Hypochondriaco* oriantur *mali:* poſtmodum ſunt ordinarium ſymptema.

Verum *inflatio ventris diu durans* , *nec facile diſparens* injicit metum futuræ *Tympanitidis.*

Ructus , qui rejiciuntur *fœtidi* ſunt peſſimæ notæ , & à Gabelhovero *in cent.* 2. *cur.* 15. in annotatione admodum funeſti declarantur , imo monet Medicos ut ſibi caveant à taliter eructantibus,ne fœtore contagium malignum in Pulmones inſpirent.

QVOD ATTINET CVRAM.

" 1. Opera danda ut attenuetur & expurgetur ma-
" teria viſcida in ſtomacho hærens. 2. Opera danda
" ut per medicamenta ſalina volatilia oleoſa diſcu-
" tiantur flatus & temperetur acidum.

De Evacuantibus & Purgantibus aliquoties locutus ſum , quod *Aloetica* conveniant & *Pilulæ ex iis paratæ.*

Quidam etiam commendant *pulverem Sennæ laxativum* qui non eſt in elegans.

Vomitoria : imprimis à Rulando uſurpatur *aq. benedicta* , ut exhauriatur per Vomitum fomes.

Simplicia quæ conveniunt ſunt *Radix Angelicæ* ,
"Gentianæ , Ariſtoloch. rotund. Calami aromat. Ga-
" lang. Zedoat. Zingib. Cart. Aur. quæ ſunt elegantes & ex his parata *Eſſent. Flores Chamomillæ vulgaris*, & quæ ſunt præſtantiores *flores Chamomillæ Romanæ.* Porro *ſemina calida Majora* & *minora* quibus merito additur *Semen Dauci* it. *bacca-laur. & Junip. Caſtoreum* , & ejus *Eſſentia. Ambra* in ructu contumaciori eſt experta , idque à Zacuto *Luſitan. lib.* 2. *prax. admirandæ obſ.* 7. *Species aromaticæ officinales* hic expetuntur ratione *Cinnamomi.*

" Sunt qui commendant talos leporis pulveriſatos
" aut talos ſuillos CC. præp. Corall. rubr. præp. An-
" tim. diaphor. quia hæc abſorbent acidum. Ex liquidis ſunt *aqu. ſtomachicæ* uſitatæ. Fœniculi , &
" Menthæ , aqua Carminativa Dornkreüll. aqua
" Cinnam. Cydoniat. Sirupus Cortic. Aurant. it. ſiru-
" pus Baccar. Lauri. it. Sirupus Baccar. Juniper. de quibus videatur Horstius *lib.* 4. *obſer.* 4. Spir. Aniſi
" Eſſent. Chamom. Romanæ , ol. deſtillata ſeminum
" ſupra monitorum Carvi , Aniſi , Corticum Auran. Cinnamomi & ſic porro. *Spir.nitr.* eſt ſingularis carminativus idque imprimis ſi cum flatibus ſit conjunctus ardor , qui ſolet oriri ex bile cum acido in Inteſtinis concurrente & vitioſe efferveſcente , in quo caſu peculiaris eſt *ſpir. nitr.* melior eſt *ſi dulcificetur* cum *ſpir. Aniſi vel Menthæ.* Eſt elegans *ſpir. Carmin. ſecretus* in quibuſcunque flatibus ſupra monitis , & fit ex *tart. & nitr.* pelliturque per retortam tubulatam, adapto recipiente magno cui ſpir. vini ineſt. poſtmodum rectificatur fit ſpir. elegantiſſimus , odoris urinoſi potentiſſimus in quibuſcunque flatulentiis. Convenit in multis ſtomachi affectibus & in ſpecie conducit Hypochondriacis.

Sylvius *in ſua Praxi* , (quæ vix lucem tota aſpiciet) hanc commendat *Miſturam contra flatus & ructus.*

♃. Aq. Menth.
Fenicul. an. ℥ij.
Spir. Carmin. noſtr. ʒj.
Nitr. gutt. xx.
Laudan. opiat. gr. iij.
Ol. Mac. deſtil. gutt. vj.
Sirup. Menth. ℥iß. miſc.
S. ut ſupra. doſ. cochl. j.

Spiritus Carminativi Sylvii , cujus feci mentionem , eſt hæc compoſitio qui propter delectum ſimplicium elegans.

♃. Radic. Angelic. ʒj.
Imperat.
Galang. an. ʒiß.
Folior. roriſmarin.
Majoran.

Rutæ

Rutæ Hortenſ.
Baſilicon.
Summitat. cent. minor. an. mſſ.
Baccar. laur. ʒiij.
Sem. Angelic.
Leviſtic.
Aniſ. aa. ʒß.
Aromat. Zingiber.
Nuc. moſchat.
Macis aa. ℥iß.
Cinnamom. ʒvj.
Caryophyll.
Cort. aur. aa. ʒj.
conciſ. & contuſ. craſſe
affunde.

Spir. vini malvatici vel Hiſpan. digerantur per biduum in MB. hinc ad ſiccitatem deſtillentur quicquid aſcenderit magmati iterum affundatur, per biduum digeratur, mox tres quartæ partes denuo deſtillentur & aſſerventur pro uſu.

Forestus *lib.*18. *obſ.* 39. Exemplum habet inſignis *inflationis ſtomachi* cum intolerabili ejuſdem dolore ex diſtenſione idque ex *eſu nimio* & multo *ciborum flatulentorum* & *potu Muſti*: qui affectus omnes curati fuerunt cito per *decoctum Chamom. Romanæ & vulgaris aa. m. j.* adjecto momento *Seminis Aniſi & Carvi* in *Cereviſia* decocti: quod decoctum cum bibiſſet. Flatus copioſi per ſuperiora & inferiora emiſſi fuerunt cum levamine ægri.

Subſtitimus in capite *de retentione ventriculi læſa*: Jam notum eſt quod omnis motus humorum per os ſurſum ex ſtomacho ſit præternaturalis: In eum namque finem eſt conſtructum œſophagi iter; ut deriventur quædam inventriculum. Cum vero poſt ructum variæ res aliæ humidæ *ſanguis*, *pus*, *acida biliosa*,&c. *rejiciuntur per os*; vocatur Vomitus, cui motui alius adeſſe ſolet qui vocatur Nausea.

Jam quod attinet 1. Vomitum.

Vomitus. *Vomitus revera nihil aliud eſt quam convulſio Pylori & hinc totius ventriculi propter imitationem ejus gravem & nimiam.* Dum enim Pylorus fortiter ſe contrahit & conſtringit, fit, ut ſubito ſequatur motus totius Ventriculi periſtalticus inverſus, qui à Pyloro progreditur uſque ad ſtomachum (intelligo hic per ſtomachum orificium ventriculi ſuperius quod ſemel pro ſemper nota) idque propter fibras nerveas circulares ſtomachi tunicas intertexentes; poſt Pylori conſtrictionem ſimiliter conſtrictas. Hanc pylori & ſtomachi convulſionem ſequitur ſimilis gulæ convulſio, indeque omnium contentorum in ſtomacho, in gulam, & ſic per conſequens per os protruſio. Eſt enim Pylorus uti recte cum intitulat Helmontius Rector & Præſes retentionis in ſtomacho dum ſui apertura naturali, tranſmittit inferiora adverſus Ventriculi contenta ut ſui contractura præternaturali ſuperiora verſus regurgitare facit eadem ipſa contenta. Vera eſſe ea quæ modo dixi, confirmat ocularis experientia; *Olaus* Rudbeck *Profeſſor Suecus in ſuis obſerv. anatom.* quod videre poteſtis in Meſſe aurea Hemsterhusii in octavo. Hic in *obſerv.* 20. ita inquit: Canis vivus ſectus vomitionis actum palam fecit: primo Pylorus ſe contrahebat mox ſyſtole totius ventriculi ab orificio inferiori ad ſuperius ſequebatur, ac tandem œſophagi materiam effundentis.

Nauſea. Præcedere *Vomitum* ſæpius dixi Nauseam: Nausea vulgo dicitur *laxatio nimia orificii ſuperioris* quod tamen omnino falſum eſt: quin potius *pertinax & nimia ſtomachi ſeu orificii ſuperioris clauſura eſt; id quod revera* Nauseam *conſtituit.*

Quando enim ex re moleſta irritatur ventriculus, & Pylorus & ſtomachus ſe contrahunt, eſt *Nauſea.*

Sin vero continuetur irritatio à re moleſta prævalet tandem fortior Pylori conſtrictio, & ſequitur ſic Nauſeam Vomitus.

Nam quod in *Nauſea adſit talis conſtrictio* & anguſtatio *ſtomachi patet ex eo quod nauſea revera ſit Faſtidii ſpecies*: In omni vero Faſtidio ſe contrahit ſtomachi orificium.

Hinc eſt quod in *omni Faſtidio* & in ſpecie in *Nauſea* tam *difficilis ſit deglutitio*, dum boli deglutiti videntur hærere in gula & non poſſunt ulterius inferiora verſus deſcendere propter Nauſeam & Ventriculi conſtrictionem. Deinde quando comedimus Nauſeantes aliquid, tunc ſane poſt deglutionem rei moleſtæ ſequitur ructus, non vero ante, quia ſcilic. antea ſtomachus erat clauſus, qui per intruſionem deglutiti aperitur & ſic ſequitur ructus. Hinc eſt, quod, quando audimus res horridas, vel quando olfacimus res ingratas, quod hoc ipſo nauſeamus; tunc totus ſtomachus & omnia ejus orificia ſe quaſi contrahunt. Immo ſi nauſeantibus rem ingratam intrudas hæc ipſa ſæpius per Vomitum regurgitat antequam Ventriculum intret; ex pertinaci ſcil. ſtomachi clauſtura. “ Eſt ergo Nauſea ſtomachi quædam conſtrictio reſ- “ puens rem ingratam, ſicut in vomitu eſt Pylori contractio convulſiva quam ſequitur totius ventriculi ſimilis convulſio.

Cum ergo conſtet *Vomitum eſſe conſtrictionem convulſivam* patet illum eſſe *referendum inter Actus non voluntarios*: adeo ut *rarus* ſit *voluntarius vomitus*, quale exemplum commemoratur à Bartholino *Cent.* 1. *hiſt. Anatomicar.* 39. In his certe voluntarie vomentibus videtur ſimilis adeſſe conſtitutio atque eſt in hominibus ruminantibus quale Exemplum etiam videre poteſtis in *cit.* Bartholino *cent.* 4. *hiſt.* 16. In his ruminantibus eſt ventriculus ſolito fibroſior & carnoſior, ut quaſi veſtimento muſculoſo ſit indutus, ratione cujus tanquam per muſculos voluntarie movetur ſtomachus & fit regurgitatio cibi in os pro ruminatione aut voluntarie rejiciuntur per Vomitum. Quod attinet *Cauſas ſecundarias*, *vomitus & nauſeæ*, *Cauſa eſt quicquid vehementer irritare & moleſtiam creare poteſt ſtomacho.* Hinc enim fit ut percuſſi nervi & fibræ nerveæ ſint cauſa ut impetuosè irruant ſpiritus animales, à quo ſequitur convulſivus ſtomachi motus.

Hæc *irritatio* ſtomachi, ut inde oriatur *Vomitus*, aut eſt per *Eſſentiam* ſeu primario affecto ſtomacho, ſeu per *conſenſum* ſecundario eodem laborante. Per *Eſſentiam* ſeu primario ſtomacho laborante eſt quando “ humores ſeu Excrementa acria in eodem ſubſiſtunt, “ aut ex Inteſtinis in ſpecie Duodeno, ratione du- “ ctus Pancreatici & Bilioſi in ventriculum regurgi- “ tant: aut quando Ventriculus eſt inflammatus aut “ exulceratus aut excoriatus. In omnibus enim his caſibus ventriculus facile irritabilis eſt, ut ob id facile ſequatur *Vomitus*, *propter* talem *ſuccorum* quorumcunque in *ſaliva acrimoniam Vomitus* ſæpe adeo pertinaces infeſtant *ſcorbuticos.* Cæterum quando fiunt *diuturni vomitus aut continui*, ita ut nullis cedere velint remediis, tunc ſæpius *vitium* eſt in *Pyloro*, ita ut hic vel *omnino occluſus* vel *ſcirrhoſus* ſit, cujus non pauca hinc inde proſtant Exempla Sic Salmut. *cent.* 1. *hiſt.* 20. dicit, quod *ſcirrhus Pylori* interdum eveniat *Hypochondriacis* qui *vomitus continuos* ciborum inducat. Sic Bartholinus *cent.* 6. *hiſt.* 47. obſervat *vomitus continuos* ex *Pyloro Callo obducto.* Sic Barbette *in ejuſdem Prax. lib.*4. *cap.*2. obſervat *vomitum continuum lethalem* ex corruptione & *ſphacelo Pancreatis*, quod cum ſubſtratum ſit ventriculo, ſphaceloſum factum illum facile irritare potuit. Panarollus *Pentecoſt.* 1. *obſerv.*44. *vomitum lethalem recenſet ob Pancreas lapidoſum* factum. Et idem Panarollus *Pentecoſt.* 1. *obſerv.* 43. refert ſimilem *Vomitum lethalem*

O quotidia

quotidianum, ab Herpete ſeu ulcere exedente Ventriculi. Et RHODIUS denique *in cent.* 2. *obſer.* 63. *habet vomitum perpetuum à ſteatomate*, quod eſt certa quædam excreſcentia Ventriculi utrique ſcil. orificio adnato.

Hæ & ſimiles cauſæ imprimis inducunt *vomitum per eſſentiam.* Fit etiam ut in principio *Febrium intermittentium* fiat *vomitus*, dum ſc. ſucci ex Pancreate & bilis in inteſtinum duodenum effuſi violenter effervescendo Pylorum irritant vicinum, qui irritatus vomitum infert.

Pertinent huc aſſumpta quæcunque ſtomacho inimica & ingrata ſicuti videmus tantillum odoris Antimon. (ita recte cum HELMON. vocatur) quod imprægnat vinum infuſionis Antimonii, citra corporalem ejus motum, ſtupendos non raro inducere Vomitus.

Faciunt huc etiam *pinguia* aut *crebro* aut etiam *copioſe aſſumpta*, idque duplici ex fonte; pinguia enim difficillime digeſtibilia reluctando ſtomachi fermento acido ſalino ferunt moleſtias & gravant ſtomachum: Præterea orificium ſuperius laxant. Unde dum ex irritatione horum ſupervenit Pylori conſtrictio ex laxitate ſtomachi facile ſupervenit Vomitus poſt pinguia.

Quod attinet *vomitum per conſenſum* ſeu ſecundarium hic eſt *frequentiſſimus*, ubi notum eſt quod inſit in *paſſione Colica & Iliaca* propter conſenſum tunicarum ventriculum & inteſtinum inveſtientium. Sic novi Hypochondriacum dolore Coli ſuperiori Hyeme affectum qui continuum ſed inanem patiebatur vomendi conatum: cum enim dolor fuerit in ſiniſtro latere in quo ſplen inſons ut plurimum reperitur, facile patet quod fuerit per conſenſum quem impoſtmodum curavi. Notum etiam eſt *in dolore Iliaco ſupervenire vomitum* propter ſimilem conſenſum, tunicarum, non minus quam *in Nephritide* ſeu renibus affectis, qui ex eodem plexu hauriant nervos, ex quibus nonnulli ad ſtomachum derivantur: Hinc calculo affectis Renibus, ſtomachus in motus ſpaſmodicos irritatur.

Notum eſt in *vulneribus Capitis* ſupervenire *vomitus* propter membranas cerebri ſtomacho & reliquis partibus communes, imprimis internis. *Mulieres* imprimis patiuntur. *Vomitus* inſignes, quando ſunt *virorum cupidæ*, it. quando *non recte fluunt* earum *menſes.* Recte namque dicit HILDANUS quod ſæpe vomitus diuturnus & pertinax affligat mulieres & virgines item Moniales, vitio ſeminis in iiſdem retenti, cujus notabile exemplum recenſet Cent. 4. obſ. 32. Simile exemplum videre eſt in DEODATO. *p. m.* 170. ubi recenſet vomitus contumaces eosque periodicos ſ. certo tempore affligentes ex retento in muliere ſemine poſt intermiſſionem coitus. Ita HOFERUS in *Hercule Medico p. m.* 137. habet exemplum vomitus poſt quamcunque cibationem oborti ob menſium ſuppreſſionem accedente ſimul quadam pectoris conſtrictione.

Dixi ſuperius *quod per ſpir. animales affluentes fiat vomitus.* Hinc elegans & admodum ridiculum eſt exemplum PLATERI *in obſ. p. m.* 755. de vomitu paſtam putatum caput. Simile inter rara referendum eſt exemplum BARTHOL. *cent.* 4. *hiſt.* 44. de vomitu contagioſo qui malignitatis fuit ſuſpectus, & ſimiliter alios per contagium affecit.

QUOD ATTINET DIFFERENTIAM Vomitus.

In genere vomitus eſt vel naturalis vel *artificialis. Naturalis* eſt vel *Spontaneus* vel *non ſpontaneus. Spontaneus* eſt quem inſtituit natura; irritata à materia vitioſa & hic eſt qui oritur à vitio externo. *Non ſpontaneus* eſt vel *morbidus* ſ. *præternaturalis* quando ea vomuntur quæ vomi non debebant, vel eſt *Symptomaticus* qui occaſione alterius morbi incidit. Vel denique eſt *Criticus* quo natura ſeipſam cum ſalute ægri exonerat. Ad vomitum *ſpontaneum ſalutarem* referendi ſunt ii qui *Periodice* nonnunquam infeſtant nonnullos, idque imprimis eos qui vitio nonnullo ſplenis ſunt affecti. Tale Exemplum videre eſt apud FOREST. *in lib.* 18. *obſ.* 17. de quodam qui circa lienem ſubinde dolebat idque per certa intervalla unde certis periodis humorem melancholicum (uti loqui amat FORESTUS) ſæpe etiam omnino atrum evomuit. Sic BORELLUS *in cent.* 3. *obſ.* 93. *p.* 270. & 279. inſigniter commendat utilitatem *vomitus menſtrui.* Et ZACUTUS *Luſitan. l.* 3. *prax. admir. obſerv.* 115. recenſet pernicioſiſſimum *vomitum menſtruum* ſ. ſingulis menſibus, materiæ maſſæ globiformis inſtar concretæ & PANAROL. *in Pentec.* 1. *obſ.* 22. recenſet vomitum matutinum ordinarium multa admodum ſymptomata præſervantem. Facit huc *Vomitus* ſtudio provectus *in Hypochondriacis:* ſi ſc. ſingulis menſibus aut 6. hebdomatibus ſemel largius mero ſe ingurgitant, & hinc vomitum artificialem non citra ſanitatis commodum inſtituunt.

VOMITUS SANGUINIS.

Inter ea quæ vomuntur etiam eſt *ſanguis.* Huc ergo pertinet VOMITUS SANGUINIS qui *fit vel ex aperta* quacunque ratione, *vena ſtomachi*, *vel vitio ſplenis ex aperto vaſe brevi, vel* denique *vitio Pancreatis* in quo una alterave vena à Lympha ejus acida exeſa non raros Vomitus ſanguinis inducit. *Vomitus Sanguinis.*

Cauſæ remota imprimis ſunt *ſuppreſſæ conſuetæ ſanguinis evacuationes*: ut quando videmus quod in *menſium ſuppreſſione* excernuntur menſes ſub forma *vomitus ſanguinei.* Exempla talia non ſunt rara & referuntur à RULANDO *in Cutr. Empyric.* & ab HOCHSTETT. *dec.* 2. *caſ.* 6. Vomitus ſanguinei admodum periculoſi propter *ſuppreſſos menſes*, it. SCHENCK. *lib.* 3. *obſ.* Similiter talem habet obſervationem *vomitus ſanguinei* propter *ſuppreſſos menſes.* Fit quidem non raro ut *prægnantes* ipſæ ex *menſibus retentis* affligantur tali *Vomitu ſanguineo* idque ut plurimum ſine periculo. Eſt enim motus naturæ quem non facile licet alterare: vid. SALMUT. *cent.* 2. *hiſt.* 54. qui refert de *prægnante vomitu ſanguinis* contumaci *afflicta*, donec ſc. ipſo conceptu edito ab onere liberaretur. Et ſimile fere exemplum habet SCHENCK. *lib.* 4. *obſerv.* de *gravida* quæ ſanguinis *Vomitum* per 7. menſes perpeſſa fuit, & tandem feliciter peperit. *Spleneticis* dixi *familiares* eſſe vomitus quoſcunque continuos, præſertim etiam *ſanguinis vomitus*: modus eſt hic, ſplen. nonnihil infarctus admittit per Arteriam ſplenicam ſanguinem, qui tamen non poteſt propter infarctionem remeare convenienter ad ſplenicam venam lege circulationis: Impedito ergo ſanguinis motu in arteria & vena ſplenica ſtagnat quodammodo in Arteria ſplenica, in ſpecie circa vas ejus breve ante ingreſſum Arteriæ in ſplenem & ventriculum ſeu fundum ſtomachi: hinc ſæpius percipiuntur pulſationes circa dorſum in latere ſiniſtro & brevi poſt ruptionem vaſis brevis arterioſi ſequitur ſanguinis rejectio in ſtomachum & exinde oritur ſanguinis vomitus in talibus ſubjectis ſæpius ſalutaris. Sic in ZACUTO *Luſitan. in lib.* 2. *medic. princip. hiſt.* 10. aliquot recenſentur exempla ſpleneticorum & ſimilium quos ſanguinis Vomitus ſimiliter ſublevavit: qualia habentur in SCHENCK *obſ. li.* 3. Ad ſuppreſſionem conſuetarum evacuationem pertinet *Ulcus conſolidatum.* Ex curato enim ulcere antiquo tibiarum vomitum ſanguinis obſervavit. RHODIUS *cent.* 2. *obſ.* 65.

Ex *Pancreate* ſubinde fieri *Vomitum ſanguinis* patet ex eo quod interdum ſanguinem vomentes conquerantur de dolore profundo ſub hypochondrio dextro: locum ſcil. monſtrant inſcii, ubi inſeratur ductus Pancreaticus in duodenum, & præterea talem vomitum ſanguinis ſæpius ſequi ſolet puris Vomitus,

qui

qui fit nonniſi ex Pancreate exulcerato vel per abſceſſum nonnihil vitiato : Tales vomitus Pancreatis præcedere ſolet dolor gravativus in lumbis, ſuperiori in loco ubi ſitum eſt Pancreas. Habeo hac in parte conſentientem SYLVIUM qni in *Prax. lib.*1. *cap.* 15. dicit, quod ut plurimum ſanguis qui ſimul per ventriculum & per alvum rejiciatur, oriatur ex Pancreate, quando ſcil. vaſculum ejus quodam à ſucco acriore corrodatur : unde ſanguis in Inteſtina excidens partim inferius deferatur, partim ex irritatione duodeni ſurſum in Ventriculum propellatur, & etiam pus quod rejicitur per Vomitum huc pertinet, quod ex Pancreate eſt : Hæ ſunt obſervationes ordinariæ.

Obſervationem rariorem habet RIVERIUS *cent.* 4. *obſer.* 26. de Ruſtico, qui cum potans aqu. fluviatilem inſcius hirudinem ſimul hauſiſſet, quæ lateribus ſtomachi infixa continuum ſanguinis vomitum induxit. Hæc de Cauſis.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

De illis non opus eſt ut multa dicam.

PROGNOSTICA QVOD SPECTAT.

Vomitus omnis ſi non eſt nimis ut plurimum eſt ſalutaris. Is qui eſt à *cauſâ externa*, vel qui eſt à *menſibus ſuppreſſis* (qualis eſt *Gravidarum vomitus* : *it. vomitus in principio morborum ſpontaneus non nimius*, aut vomitus *in declinatione morborum criticus*) *ſalutaris* potius eſt quam *periculoſus.*

Deinde vomitus *lividus* aut *vermium* ſuperveniens, in *morbis malignis* in ſpecie *ut plurimum* eſt *lethalis.*

Vomitus ſpleneticorum periodicus eſt ſaluberrimus ſi non ſit nimius cui ſupervenientes *Hæmorrhoides* levamen morbi certum & tutum afferunt.

Excretiones ſanguinis ſurſum & deorſum *Exanthematibus*, *Variolis*, *Morbillis*, *& Petechiis*, *lethales*, Teſte HOCHSTETTERO *in decad.* 1. *caſ.*8.

LINDANUS in vomitu ſanguinis hoc inſtituit Prognoſticum. Sanguinem ægri rejiciunt ex ventriculo duplici forma i. grumoſum ſeu craſſum & atrum, vel tenuem fluidum & nigrum inſtar atramenti & acrem, ii qui hunc, ad unum omnes pereunt, qui priorem in illis nihil periculi. Neutrum autem eſt atrabilis : (per vitioſum ſuccorum in Inteſtino Duodeno concurſum facta) quibus enim atra bilis exit ii poſtridie moriuntur, quod ipſe dicit, aliquoties vidi. Nam Atra bilis longe differt à ſanguine, quæ omnes partes exeundo quaſi cauterizat.

QVOD ATTINET METHODVM MEDENDI.

Ante omnia *Cauſa irritans* in vomitu eſt *removenda*: ſive ſit *per Eſſentiam* ſive *per Conſenſum*, (de NAUSEA idem intelligendum.)

2. *Medicamenta ventriculo grata aromatica admiſtis blande adſtringentibus propinanda.*

3. *Acutus Ventriculi ſenſus opiatis leniendus.*

Præter hanc Methodum obſerventur hæ cautelæ.

1. *Vomitus ſpontaneus haud facile ſiſtendus.*

2. *In vomitu ſcorbutico non conveniunt calida aut acria*, quæ exaſperant magis, ſed conveniunt mitigantia & temperantia acrimoniam ſalis ſcorbutici, qualia ſunt v.gr. Oculi 69 Ebur ſine igne, Corallia, it. lac præprimis Caprillum ſucco Naſturtii & cochleariæ miſtum.

3. In *vomitionibus* quibuſcunque unicè procurandum *ne alvus ſit aſtricta*, *ſed* quantum modo poſſibile eſt, *arte* vel *natura aperiatur.* Hinc *Clyſteres* tantum non in omni Vomitione contumaci commendantur : iidem tamen in pauca quantitate injiciantur ne ventriculi fundus Colo incumbens exinde irritetur.

4. *A veneno* vomitus ſi ſit tamdiu continuandus hic eſt quamdiu ſuſpicio eſt aliquid veneni remanſiſſe.

5. *Somnus* quatenus fieri poteſt *concilietur* : nam & hic efferveſcentias humorum ſiſtit, irritationes lenit & evacuationem quamcunque cohibet.

QVOD ERGO ATTINET REMEDIA.

Quæcunque cauſa ſit irritans, removenda ſive ſit per Eſſentiam Vomitus, *ſive ſit per conſenſum* : Curato enim morbo in hoc ipſe curatur vomitus : ſive curato Ileo curatus etiam eſt vomitus, &c.

Quæ in ſpecie conveniunt in ſiſtendo Vomitu ſunt " ſtomachica bene odorata & aromatica ventriculo " grata quæ inter primaria ſunt Mentha, Abſinthium, " Meliſſa, Rad : Zedoar & Cyperi, Cortic. citri, au" rant. Cydonia, omniaque ex cydoniis parata Caryo" phyll. Nuc moſchat. Macis, præ cæteris Cinnamom. " Syrupus de roſis ſiccis, qui blande adſtringit, Sy" rupus Myrtinus, Syrupus Corallorum Quercetan. " Syrupus de Canella ſ. de Caſſia lignea. MYNSICHTI : " it. Tinctura Caſſiæ ligneæ ejuſdem, ſuccus Cydo" nior. & Granator. Acetum forte, it. Acet. Ze" doar. aqua Cinnamom. ſimplex & Cydoniat. aqua " Maſtichina MINSICHT. Spir. Maſtiches (qui eſt " egregius) Menthæ Theriacalis camphoratus, Extr. " Theriacal. Torment. Abſynth. ligni Aloes, &c. Spiritus vitrioli qui blande ſimul adſtringit tam ſimplex quam veneris, uti etiam *ſpir. vitrioli philoſophicus.* Potens eſr ſpir. *vitrioli vener.* in vomitu nimio, aut etiam Martis, aut cum *ſpir. vitrioli* paratur *liquor ſtypticus ex terra ſigillata.* Modus eſt hic.

Terra ſigillata ſtrigenſis imbibitur antea pulveriſata, cum ſpirit. vitr. & ſpirit. nitr. ut fiat inſtar pultis, quæ puls concreſcit in frigido in lapidem, lapis hic tritus & pulveriſat. in loco frigido fluit in liquorem, qui liquor vel ſolus uſurpatur nomine liquoris ſtyptici, vel cum æquali parte ſpirit. ceraſor. nigror. digeritur, donec perfecte uniantur. Liquor admodum potens eſt, valide adſtringit & ratione terræ ſigillatæ malignitati reſiſtit. Hinc dicitur à PRÆVOTIO & BARTHOLETO Aurum potabile ex terra ſigillata, quia terræ ſigillatæ ineſt aliquid de primo Ente aur. *Elix. propriet.* miſtum cum *tinct. Martis* adſtringens ſimiliter eſt conveniens, & omnes *ex Marte paratæ tincturæ* adſtingentes, hic conveniunt, pulvis itidem *Maſtichis* convenit. Bolus Armena, terra ſi" " gillata, camphora cum ſpeciebus diamoſch. aſſum" pta commendatur à RIVERIO. Balſami Peruviani " aliquot guttulæ conveniunt Conſerva roſar. vi" triol. it. conſerva Menthæ Tandem opiata, Lau" danum opiatum, Philonium Roman. Theriaca, " Mithridatium.

Ex his omnibus præ cæteris palmam præripit *ſuccus Cydoniorum* : Hinc *ſpir. vitrioli prodeſt.* Nam ſpirit. ſ. ol. vitrioli uti aliquot gt. 5. vel 6. in hauſtu vini Malvatici admodum commendatur à RULANDO in vomitu diuturno.

Quidam expertam habent hanc Miſturam quæ ſane eſt admodum potens.

♃. Aqu. Menthæ. ℥ij.
Cinnamom. ʒvj.
Succ. Cydonior. ℥j.
Spir. vitrioli gt. vj.
Olei Cinnamom. gt. iij.
miſc. F. Pot. adſtring. ſtomachi.

Cochleatim uſurpatur. Hinc poſſunt addi gr.ij. vel iij. ad ſummum Laudani opiati, & ſic erit efficacior. Alii ita præſcribunt :

♃. Aqu. Cinnamom. ℥iij.
Sirup. Menth. ℥j.
Olei vitrioli ℈ß.
miſc. d. S.

Ad demulcendum Ventriculum nimis irritatum, prodeſt vel ſimplex hæc formula.

℞. Aqu. Menth. ℥iij.
Spir. theriacal. camph. ʒiß.
Laudan. opiat. gr. ij. l. iij.
Sirup. Menth. ℥ß. l. ʒvj.
miſc.

It. ℞. Aqu. Cinnam. Cydoniat.
Menth.
Fœnicul. aa. ℥j.
Succ. Cydon. ℥iß.
Liquor. ſtyptic. ſupradict. ʒß.
(potenter adſtringit, igitur ℈j. potius)
Sirupi corallor. Quercet. ℥j. m. F. pot. adſtring. ſtomach.

Inter EXTERNA vomitum ſiſtentia ſunt ol. Nuc. moſch. expreſſum it. deſtill. ol. carvi & Caryoph. Balſam. Peruv. & ſimiles: it. ol. Cydon. it. Maſtichinum, Abſinth. & Menth. Emplaſtrum de cruſta Panis, ſtomachale CRATONIS Emplaſtr. de Gumm. Caranna, quod eſt ſingulare. Compoſitio ejus ſecundum BARBETTE eſt hæc.

℞. Specierum Aromat. roſſat.
Maſtich. elect.
Ol. Nuciſt. expr. an. ʒj.
Macis deſtill.
Citri an ℈ß.
Gummat. Carann. q. ſ. miſc. F. E. ſtomach. inducatur ſuper alutam, obducatur ſyndone rubra in forma ſcuti ſtomachalis.

Ulterius applicatur *externe panis toſtus acet. vin. vel vino adſtringente madidus, pulvere Caryoph. adſperſus, & externe ventriculo applicatus. Sacculus Croci* admotus ventriculo, vomitum potenter ſiſtit etiam eum qui navigantibus ſolet eſſe familiaris: de quo vide elegantem hiſtoriam BACONIS *de Verulan. in Hiſt. vitæ & mortis p. 121. Fotus* applicantur externe facti ex *decocto Abſinthii, Menthæ, Meliſſæ, in vino & aceto Cataplaſma factum ex fermento irrorato aceto & aſperſo pulvere zedoariæ, Menthæ, Caryophyllorum, & Croci*, eſt expertum in vomitu. Formulam videbitis in Colleg. JONSTONIANO D. MICH. eſt ſane ſingulare.

QUOD ATTINET VOMITUM Sanguinis.

Hic duplicia poſtulat remedia. 1. *Vaſa adſtringentibus* coercenda ut ſanguis ſiſtatur. 2. Sanguis effuſus congrumatus reſolvatur & ejiciatur.

Hæc inter remedia quidem adſtringentia, primatum obtinent: *Succus Plantaginis, Portulacæ* præ omnibus aliis *ſuccus radicis Urticæ majoris* quæ radix urticæ majoris vel decocta tantum vel infuſa ſimiliter eſt admodum experta.

Præterea convenit *Sirupus de Symphyto* FERNELII: item ex *ſuccis folior. Plantaginis & radic. ſymphyt. majoris ſit Syrupus* contra vomitum ſanguinis expertiſſimus in ANGLIA, qui à BOYLE valdopere commendatur: *aq. urticæ majoris acidulata, ſpir. vitrioli* deſperatum ſanguinis Vomitum ſiſtit teſte RULANDO *in ejuſdem theſauro p. m.* 184. ubi habet Exemplum horrendi Vomitus ſanguinis curati per hanc Miſturam.

℞. Aqu. ſtill. rad. urtic. ℥vj.
Spir. ſ. ol. vitriol. q. ſ. m.
ut aceſcat modice.

Verba Auctoris ſunt hæc; bene diluta & frigide pota firmarunt ventriculum, ſanguiniſque profluvium inſtar miraculi repreſſerunt: Simile exemplum videbitis *in obſ.* RIVERII ubi ſimilis vomitus eodem modo fuit curatus.

FORESTUS habet potionem expertam in vomitu ſanguinis, quæ & ſanguinem ſiſtit & congrumatum diſſolvit. deſcriptio hæc.

℞. Aq. Burſæ Paſtor.
Portulac.
Plantag. an. ℥j.
Trochiſc. de Carabe:
terr. ſigill. an. ʒß. m. f. pot. adſtring.

Præ cæteris convenit hic *tinctur. ſulphur. vitrioli* medicamentum expertiſſimum inquacunque Hæmorrhagia. Modus præparandi eſt hic. ℞. vitriol. probe calcinati & edulcorati ſeu cap. mort. vitrioli (aliàs enim vomitum movet quod vidi) quantum vis. Solve in ſpir. ſalis, ſolutum abſtrahe per retortam in arena remanentiam in retorta ſiccam pulveriſat. ℞. cui affunde. ſpirit. vini bene rectificatum, ponantur in digeſtionem loci calidi ad aliquod tempus & evadet tinctura rubicundiſſima per filtrum à remanentia ſeparata. Hæc tinct. ſaporis ſubdulcis adſtringentis datur à gt. 15. ad 20. & 25. in aq. appropriata & egregie confert.

SYLVIUS *prax. l. 1. c. 9. §. 20.* habet Miſturam ad quamcunque ſanguinis excretionem & in ſpecie ad vomitum ſanguinis expertam: Mixtura prima fronte inanis ſed quod ipſe teſtari poſſum admodum proficua, deſcriptio hæc eſt.

℞. Aqu. Plantag. ℥ij.
Cinnamom. ʒvj.
Aceti deſtillati ʒß.
Corall. rubr. præp. ʒß.
Sanguin. draconis. ℈ß.
Laudan. opiat. gr. ij.
Syrup. Myrtin. ℥j. miſc.

Hæc miſtura ſæpius cochleatim ſumpta curabit pleraſque vaſorum rupturas & ſupra multorum expectationem ſanguinis effluxum brevi tollet: quod ſi metus eſt à coagulatione ſanguinis, addi poteſt prædictæ miſturæ *ocul.* 69. ʒß. ut & *Antimon. diaphor.* ℈j. atque ita uſurpari.

Præter vomitum variorum excretorum non raro etiam ebullit in ſtomacho materia excrementitia, unde *dolor & ardor Stomachi* percipitur, quaſi copioſe fumi ignei per gulam aſcenderent. Malum quod à primaria paſſione vocatur ARDOR STOMACHI, iis qui Germanos ſectantur, SODA. *Cauſa* ejuſdem eſt *efferveſcentia nimia in Stomacho orta ab acido efferveſcente vitioſo cum quodam ſalino oleoſo*, ſalinum & acidum enim dum efferveſcunt ardorem inducunt, qui eo eſt major, quo plus ol. vel ſulph. adjunctum eſt. Unde ii, qui ſunt *iracundi* aut quibus facile Bilis ex duodeno in ſtomachum regurgitat obnoxii ſunt huic affectui propter efferveſcentiam bilis cum acido ſtomachi tunc temporis vitioſi obortam: It. *Hypochondriaci* in quibus ſimiliter acidum bilioſum in ſtomacho prædominatur: ſi aſſumunt *dulcia* in ſpecie *mellita* aut *ſacharata*, ardorem hunc inducunt, quoniam dulcia efferveſcendo cum acido has facile excitant turbas, imo etiam *aromatica aut acria* v. gr. *Allium & cepæ:* aſſumpta copioſius efferveſcendo cum acido non raro ſodam inducunt.

His facile poſſumus occurrere, modo temperemus acrimoniam humorum efferveſcentium, aut præcipitemus acidum vitioſum. Primatum obtinent inter hæc ipſa *Creta* it. *ocul.* 69. uti & *Ebur uſtum, Bolus armen. Corall. lapis carpion. Cryſtall. depur. lac Prunal. & ſimul.* Hinc *Morſuli ex creta* MYNSICHT. ut expertiſſimi. Quibuſdam uſitatum eſt *lateres combuſtos pulveriſatos* propinare, nam & hi potenter præcipitant quamcunque efferveſcentiam in ſtomacho. *Siliqua ceracea* comeſta itidem eſt egregia: *Conſerva fructuum Cynosbati* ad ℥j. doſi, avellanæ cujuſdam magnitudinis inſigniter convenit: ſed hic obſervetur quod fibrillæ iſtæ in interiore parte fructus quibus adhærent ſemina non ſunt ſeparandæ *ſyrupus ex ſummitatib. Quercus* commendatur ab HORSTIO *l. 4. obſ. p. m.* 194. *Album Græc.* ſ. ſtercus Canis oſſa vorantis ſimiliter à multis eſt probatum. *Portulaca* ejuſque *ſuccus aut Syrupus* ſimiliter eſt egregius. Tandem ubi temperati ſucci, & efferveſcentia prohibita, expurgantur optime per *decoctum* l. *infuſum Tamarindor.* quod aliàs in bilioſis ſolum hunc affectum ſedare ſolet.

Abſolvimus ea quæ, quoad retentionem contentorum in ſtomacho peccant. Pergimus ad.

CAPUT VII.

DE DOLORE STOMACHI SEU CARDIALGIA.

Cardialgia.

QUod attinet CARDIALGIAM, notum eſt ſtomachum ex ſe nullo ſenſu, nullaque moleſtia corpori eſſe moleſtum. Cæterum non raro contingit, ut in præcordiis ſcilicet in ea regione, quæ coſtis nothis anteriora verſus ſternum ſe inflectentibus circumſcribitur, non raræ ſint anxietates, non rari dolores & inſignes moleſtiæ ægris admodum difficiles, & quidem ſi ægri conquerantur de quadam anguſtia illius loci, quando ſunt inquieti & hinc inde in lecto ſe volutant & jactitant: Vocatur ſimpliciter *anxietas ſtomachi:* tales enim anguſtiæ oriuntur ſemper ab affecto orificio ventriculi ſiniſtro. Sin vero dolor ſit qui in ea regione vehementer affligit, & quam ægri intento digito monſtrant, in fovea iſta quæ vocatur ſcrobiculum cordis, & in iſta regione admodum ægros torminat. vocatur *dolor ſtomachi ſeu Cardialgia.*

Nam iſta regio veteribus vocata fuit *Cardia* quæ vox ut ut propriè Cor ſignificet, nihilominus tamen, quoniam talis dolor ſtomachi ſ. orificii ſuperioris ſæpius in conſenſum trahit cor ut exinde ſic dictæ *Lypothymiæ*, *Syncopes*, *virium omnimodæ proſtrationes & varia ſymptomata* oriantur, propterea vocarunt dolorem hunc *Cardialgiam* quaſi dicere voluerint *dolorem cordis.* Et quidem iſte dolor orificii ſuperioris eſt admodum moleſtus & infenſiſſimus propter ſymptomatum frequentiam & vehementiam & toti corpori periculoſus: propter quam cauſam etiam HELMONT. ibid. ſtatuit ſedem Animæ & duumvirat. ſ. conſpirationem lienis cum ſtomacho ſ. ſede animæ, cujus duumviratus jus ſe extendat in omnes operationes animales homini proprias. *Nobilis pars* eſt hic locus affectus: nam *leve vulnus* ſi attigerit hoc orificium ſiniſtrum eſt *lethale:* Imo *plaga cum manu fortiori inflicta mortem* inferre poteſt, quale Exemplum recenſet BARTHOL. *in cent.5. hiſtor.34.* Ex pugno nempe ſtomacho violentius applicato ſubortam eſſe mortem. *Cardialgia* hæc ſi paulo ſit atrocior horrenda & ſtupenda infert ſymptomata: ita ut non raro *Epileptica* ſibi aſſociet ſymptomata. Exemplum tale, quanta atrocitas ſit in Cardialgia, notabile recenſet AMATUS *Luſitan. cent.1. cur.20.* ubi proponit Mulierem hoc affectu laborantem, quæ, præter hoc quod inſtar mortuæ pene jaceret, graviſſimis ſymptomatibus *Epilepticis* afflicta erat.

CAUSA proxima Cardialgiæ eſt læſio inſignis ventriculi orificii ſiniſtri qua læſione Archæus, ut Idiomate HELMONTIANO utar, *iſtius partis præſes laceſſitus inſignes excandeſcentiæ & furoris Ideas concipit.* Unde poſtmodum totius Microcoſmi œconomia turbatur & gravia ſymptomata oriuntur, vel potius totum nervoſum genus in conſenſum trahitur: unde actionum animalium inſignis læſio & proſtratio ſuccurrit. *Quicquid lædere poteſt orificium ventriculi ſiniſtrum, dat cauſam huic furori ſive id fiat per Eſſentiam ſive per conſenſum. Per Eſſentiam* frequentes ſunt *flatus*; imprimis in ſtomacho vacuo oberrantes; hi namque flatus incluſi anguſtius, strictura potenti utriuſque orificii, inſignes anxietates & moleſtias inducunt. Symptoma hoc frequens eſt *Hypochondriacis* ſi à flatib[illegible]mirum oriatur: in ſpecie ſi ipſi corripiantur quadam *Febri intermittente* tunc enim in principio Paroxyſmorum ſolent ſe offerre tales anxietates à flatibus productæ.

Secundum flatus, ſunt *Excrementa* quæcunque in ſtomacho ſtabulantia, quæ inter fere primatum obtinet *materia viſcida & acida*, *pituita acida* dicta, hæ enim acore vitioſo inquinatæ, rodunt & vellicant & quaſi perterebrant ſtomachum, unde iſti dolores. It. *Excrementa* illa quæ vulgo *Bilis porracea & æruginoſa* vocantur. *Excrementa hæc porracea & æruginoſa*, à colore viridiuſculo ſic dicta oriuntur partim ex corruptione aſſumptorum ſub digeſtione, partim vero tranſmittunt ex Inteſtinis in ſpecie ex duodeno in ventriculum, quando enim ſuccus Pancreaticus aut ſuccus bilioſus ſunt inquinati & corrupti, tunc ex horum duorum miſcela varii ac diſtincti humores ſolent generari, nunc nigri nunc virides, nunc fœculenti, nunc alio colore vitioſo præditi: in ſpec. in bile porracea & æruginoſa peccat acidum Pancreatis nimium, forſan ſimul vitioſe auſterum; unde talia evomẽtes ſæpius patiuntur ſtuporem dentium ex vitioſo acido. Comprobat hoc ulterius mechanicâ GROSSII qui cum reciperet bilem flavam ex folliculo fellis canis aperti, eumque miſceret cum ſpir. vitrioli inſigniter acido accepit miſturam ex nigro virideſcentem & ita id quod vulgo dicitur bilis æruginoſa ſ. Iſatodes, uti videre poteſtis in *Tract. de ſucco Pancreatico.* Quando ergo ſimilia *Excremeta acida, acria & corroſiva* reperiuntur in ſtomacho, tunc *ſi non vomitum aut Choleram* morbum, *certe intenſam Cardialgiam producunt.*

Infantibus familiaria ſunt excrementa porracea ſ. viridia eaque ſemper cum torminibus alvi conjuncta, quæ originem ducunt ex vitio & corruptela lactis quod acore vitioſo inquinatum non rite digeritur ſed aceſcit, & exinde levi bilis permiſtione virideſcit. Unde etiam talia excreta tenellorum non raro ſolent excoriare podicem propter nimiam acrimoniam & ordinario inferre tormina propter aciditatem inteſtina rodentem: Hinc, quod obiter moneo, *ocul. 69. ſem. Abſnth.* &c. curantur, quoniam talia corrigunt acorem & vitium lactis emendant. Præterea *aſſumpta vitioſa* ſolent ſimiliter inferre *Cardialgiam.* Sic non tantum VALERIOLA *l. 1. obſ.7.* habet exempl. intenſiſſimæ Cardialgiæ *ex aſſumpta ſolutione Mercuriali coſmetici*, loco emulſionis Amygdalar. de qua curatione infra habebimus: ſed præterea quoque PLATERUS *in obſervat. allegat. Cardialgiam lethalem ob Arſenicum propinatũ & Petr. Ioann.* FABER. *in curat.* exempl. habet Cardialgiæ intenſæ cum pravis ſymptomatis *ex eſu nimio Caſei recentis*, & *mellis* in ventriculo poſtmodum *coagulati:* ſimile fieri ſolet, *ſi lac* quodcunque intempeſtivè hauſtum, aut ſi *acidum* quodcunque ſuperingeratur, coaguletur & grumeſcat: in ſtomacho tunc tetra enim *hoc lac coagulatum* infert ſymptomata, tum *crudeles anxietates præcordiorum, ſudores frigidos* & ſimilia ſymptomata, ut ob id *lac coagulatum inter venena* fuerit relatum. Dixi de Hirudine cum potu aſſumpta vomitum ſanguinis producente. Hic vero Cardialgiam induco ab Hirudinib. productam, quæ adhibitæ narib. uti fieri ſolet in Gallia; præ hæmorrhagia artificiali irrepſerunt in Gulam & ibid. Cardialgiam crudelem introduxerunt circa orificium ſtomachi ſiniſtrum, uti obſervavit RHOD. *cent. 2. obſerv. 72.* quæ Cardialgia fuit curata, quod obiter inſpergo, *aqu. ſalita propinata*, propterea quoniam ſal admodum contrariatur Hirudinibus.

It. in Gallia applicantur Hirudines ano ut Hæmorrhoides provocent, fit nonnunquam ut ingrediantur Inteſinum rectum & gravia inferant ſymptomata. In tali caſu ſolent elici *Clyſteres ex aqu. ſalit.* ſic enim prompte egrediuntur.

Quod attinet Hirudines, pertinet etiam ad vermes. Fieri enim Cardialgiam *à vermibus* patet ex eo, quod his excretis ſolent ceſſare: vid. cit. RHOD. *cent. 2. obſerv. 73.* Elegans eſt quod habet PLATERUS *in obſerv. de Cardialgia* intenſiſſima & cruciatu maximo ob *deglutitam Anguillam vivam*, quam poſtmodum mortuam & veluti excoriatam per alvum excrevit: Signum hæc excoriatio eſt, quod jam fermentum ſtomachi incepit agere in Anguillam: Unde tantum ex-

terius roſit, interius tantum aliquantiſper corroſit: Hoc etiam videmus in piſcibus voracibus, v. gr. Lucio qui piſciculos minutos ita ſenſim ſenſimque digerit. Aliud exemplum PLATERUS habet intenſæ Cardialgiæ obortæ ob *deglutitionem cochlearis*, quod ipſum ſequenti die per anum reddidit.

Hi ipſi dolores ſtomachi ſeu Cardialgiæ *non raro ſunt periodici*, ſtatuto tempore ac Periodo affligentes: Hinc inde hujus rei proſtant exempla; quale imprimis eſt ſingulare BARTHOLIN. *cent.* 3. *hiſt.* 50. ubi recenſet tales ventriculi dolores periodicos alternis diebus ſtatuto tempore affligentes ſic GUARINONIUS *in conſiliis. conſil.* 170. habet intenſum ventriculi dolorem *menſtruo tempore* tantum affligentem in muliere.

QUOD ATTINET SIGNA.

Obſervetur imprimis ſignum quod non ſemper Cardialgia affligat in parte Epigaſtrica Abdominis anteriore; quin potius ſæpe etiam dorſum fatiget, non tantummodo in ſuprema lumborum regione aut circa ultimas vertebras pectoris ſeu thoracis, ubi ſcil. accumbit Pancreas ſtomacho; ſed quod magis mirandum, ſæpe Cardialgia ſequitur ductum Oeſophagi, ita ut dolor talis ſæpe intra ſcapulas ſurſum aſcendere videatur, ut ut inferius circa vertebras dorſi ſeu thoracis ſit gravior illa quæ aſcendit inter ſcapulas, & fit à ſpaſmodica contractione & motione.

CAUSÆ

Per ſe facile patent, *an ſint humores, an flatulentiæ, an per conſenſum renū an per cōſenſum alius alterius partis.*

Deinde obſervetur diſtinctio, ne forſan Cardialgia pro colica inferius protenſa ſeu protracta habeatur, & dolor Colicus, in ea parte coli quæ immediate ſubſternitur ſtomacho, pro Cardialgia. Tale Exemplum habet SKENCK *in obſerv.* de quibuſdam Medicis, curantibus quendam in anteriore ſtomachi regione dolorem ſentientem, tanquam Cardialgia laboraret: quē tamen errorem detexit unicus Clyſter injectus, dum nimirum fuit dolor colicus ſedatus: alias nihil præſtitiſſet clyſter.

Diſtinguendi rationem colicam à Cardialgia in dolore colico vero deſcendit ſeu inclinat deorſum circa umbilicum, ſcil. renes.

SIGNA PROGNOSTICA SUNT,

Dolor ventriculi, ſeu *Cardialgia ex ſe leve eſt malum: ſin* tamen ſit *acrius* aut *diutius protrahatur propter ſyncopes metum malum eſt non contemnendum. Unde ſi in Cardialgia ſuperveniat extremorum refrigerationes habetur periculoſa. In Febribus malignis* ſuperveniens *Cardialgia* admodum periculoſa.

QUOD ATTINET CURAM.

In hac imprimis *removenda cauſa irritans aut lædens ſtomachum, ſive ſit interna ſive externa.* 2. *Placandus eſt dolor tam appropriatis* expertis *quam intermiſtis Opiatis.*

Primo quidem ad removendas cauſas notum eſt quod optima ſint *vomitoria*, quæ Amatus Luſitanus, Faber & omnes Autores ubi neceſſarium commendant, præ cæteris tamen *vomitor. Antimon.* præcellunt quæ interſunt *aqu. benedicta* HARTMANN. aut RULANDI; vel quidam ſolent commendare ſi *vinum Abſinthites infundatur in poculum vomitorium* RULANDI, cujus deſcriptionem habebitis in Collegio JONSTONIANO D. MICH. eſt admodum elegans hoc poculum.

Poſt vomitoria ſe offerunt.

Purgantia. Cæterum quoniam purgantia & ipſa ventriculo inimica facile poſſunt exaſperare malum propterea convenientiſſimum eſt, ut iiſdem *Opiata* addantur, ut ut etiam Opiata omnium humorum excretiones ſiſtant & etiam hypercathar ces removeant nihilominus tamen convenientibus purgantibus miſta eadem blande & ſuaviter, nec adeo vehementer operari faciunt: Hujus rei alias horrenda proſtant veſtigia: Nam ut plurimum habuerunt hanc formulam.

♃. Elect. Diaphœnic. ℥ß.
(quod etiam purgat)
Philon. roman. ʒij.
(ex capitibus papaver.)
miſc. fiat Electuar.

quod purgat blande & ſimul dolorem ſiſtit, de quo videre poteſtis RIVERIUM *in ſua praxi ac* SCHOLZIUM *in Conſil.* 114. Verum quoniam talia Electuaria ſunt nauſeoſa commodius à modernis præſcribitur talis formula, quæ etiam in colica eſt proficua.

♃. Maſſ. pilul. Aloephang. c. ſcam. gr. xv. l. ℈j.
Laudan. opiat. gr. ij.
c. ſ. q.
Eſſent. Abſinth.
F. l. a. Pilul.

Purg.

Certum eſt quod admodum convenienter poſſint *permiſceri opiata cum purgantibus* obſervata cautela, ut ſi volumus purgare tunc temporis quando admiſcemus opium doſin purgantis nonnihil augeamus ne ſupprimatur omnino minor purgantis doſis. Conveniunt *purgantia opiata* imprimis iis qui laborant *inteſtinorum doloribus* aut *mulieribus*, quæ ex levi purgatione *ſuffocationi Uterinæ* fiunt obnoxiæ; Item convenit talis Miſtura *iis qui facillimæ ſunt ſolutionis alvi* (quemadmodum reperiuntur quod v. gr. (ſcammon. octies purgant) in his enim remora injicitur purganti. It. convenit hæc Miſtura iiſdem qui acidis aut corroſivis ſuccis abundant, in ſpecie *ſcorbutico-Hypochondriacis*: In his enim ex medicamentis purgantibus ob ſuccos crudos & acidos ſuperveniunt ſatis horrenda & gravia Abdominis tormina, hoc ne fiat commode permiſcetur opium: aut ſaltem die uno aut altero cum digeſtivo præmittitur. De hac Miſtura vid. unice agentem HOFERUM *in Hercul. med. p.* 124. ſicut moderni Belgæ SYLVIUS & ejus diſcipuli utuntur tali miſtura Opii cum purgantibus. POTERIUS curavit aliquando Cardialgiam aliis omnibus reluctantem per ſuas *pilulas Catholic. cent.* 1. *cur.* 24. habet exemplum de dolore ventriculi intenſiſſimo periodico quotannis certis temporibus certiſque diebus redeunte, qui aliis quamplurimis irritis tandem à POTERIO curatus fuit per *pilulas Catholicas* quæ ſunt hæ & proſtant in *Pharmac. ſpagir. vid. ejus cent.* 1. *cur.* 24.

♃. Aloes ſuccotrin. ℥ß.
Myrrhæ. ʒij.
Maſtich. ʒj.
Croc. orient. ʒß.
Magneſ. ſaturn. meteoriſat. ʒj.
cum
Syrupo roſar. ſolutiv.
F. maſſa.

cujus doſis à gr. xv. ad xxiv.

Valde commendat has pilulas. *Magneſia* Saturnina Meteoriſata, ſunt flores Antim. correcti ita ut per inferiora purgent; Magneſia Saturn. eſt Antimon. per meteoriſationem intelligit flores. Alias *ſi Cardialgia oriatur à Flatibus aut exhalationibus ex efferveſcentia humorum* in inteſtino duodeno obvia: Nam ſuccu[illegible]creaticus & Bilis commiſti dum efferveſcunt, halitus acres in ſtomachum mittunt, uti contingit in Febribus intermittentibus: in tali caſu injiciatur *Clyſma ex carminativis*, ex iis nempe quæ flatus diſcutiunt & blande inteſtina abſtergunt. Exemplum talis Clyſmatis ſit hoc.

♃. Radic. Angelic. ℥ß.
Fol. Origan.
Puleg.

Calaminth

Calaminth aa. m. j.
Flor. chamom. Roman.
aut vulgar. m.ß.
Sem. Aniſ.
Fœnicul.
Dauc. aa. ʒj.
Baccar. laur. ʒiij.
egregiæ ſunt carminativæ.
coqu. in ſ. q.
Aqu. ſimpl.
colat. ℥ix.
add.
Electuar. deſtill. bacc. laur.
lenitiv. aa.℥ß. l.ʒvj.
Olei deſtill. Aniſ.
Fœnicul.
Chamom. aa. gt. v.
Vitell. ovor. num.j.
miſce pro Clyſmate injiciendo tepide.

RIVERIUS habet *clyſmata* in tali caſu ex ſolo vino albo cum oleis deſtillatis carminativis parata, quæ non ſunt inelegantia.

Quæſtio eſt *an ven. ſect. conveniat*: quæ negatur, per ſe enim nihil adfert adjumenti in Cardialgia tollenda. Ergo quando proſtant Exempla curatarum Cardialgiarum per ven. ſect. ſunt potius exempla caſualia, quàm ex lege Artis exhibita: Exemplum tale habet RIVERIUS *cent.* 1. *obſerv.* 44. de dolore vehementi ventriculi & Lienis regionem occupante, qui aliis omnibus irritis ven. ſect. tandem fuit curatus. Pertinent huc etiam exempla THONERI *in obſerv. p.* 135. de dolore ventriculi immani & ingenti in Plethorico aliis irritis ven. ſect. ſubito incantamenti inſtar curato, idque propterea quia tantum adfuit ſuſpicio inflammationis ſtomachi quæ tamen non eſt ſufficiens. Aliàs *quæ conveniunt in Cardialgia Remedia*, quæ poſt purgantia ventriculum placant & dolorem ſedant, ſunt *Aromatica blanda*, præ cæteris *Radix Angelicæ & Enulæ campan. Fœnicul. Cariophyllatæ, Denique herba Chamomillæ vulgar. & romanæ*, quæ ſunt expertiſſimæ in Cardialgia & non habent remedium in hoc paſſu illis conferendum: imprimis *flores harum Camomil.* conveniunt. Sane AMAT. *Luſit. cent.* 5. *cur.* 39. Vix ſufficienter poteſt commendare, *Aqu. Camom. deſtillatam* in Cardialgia ſi ad ℥iij. propinetur. *Decoctum Camomillæ vulgaris* ceu expertiſſimum commendatur à FORESTO. *Eſſentiam* paravit D. MICH. *ex Floribus c. ſpiritu vegetabili Carminativo, ſpiritu vini à ſpecificis ſeu ſimplicibus Carminativis abſtracto*, quæ Eſſent. à gt. xx. ad 30. propinata in affectibus ſtomachi & Cardialgia erit convenientiſſima & elegantiſſima. Solet etiam deſtillari ol. *ſaphirinum ex Chamomilla vulgari & Romana* cujus paucæ guttæ cum vino interius aſſumptæ aut oleo nucis moſchatæ deſtillato, exterius illitæ admodum ſunt convenientes ad tollendam Car„ dialgiam. Poſt Chamomillam conveniunt Hyſſo„ pus, ſummitat. Anethi & ordinaria Mentha, item „ Flores Anthos ſeu Roriſmarini & flor. Verbaſci, qui ſunt ſingulariter Anodyni. Hinc etiam Cortices Citri „ & Aurantiorum & ex his parata Elexyria: Elexir. „ Citri & Aurant. Ex his ſimplicibus deſtillatæ aquæ. Aqu. Chamomillæ flor. Sambuci, Hyſſopi & Cinam. convenit.

Vinum Abſinthites ſimiliter eſt utile, uti etiam ad dolorem acrem vinum, in quo decoquitur *Nux moſchata* quod admodum commendatur à STOCKERO *in praxi* ad dolorem acrem. *Spiritus vini ſeu ſpirit. aniſi* experimentum eſt LINDANI qui inſigniter commendat *ſpirit. ſtomachale* MYNSICHTI. itidem eſt expertus. *Eſſentia Chamomill.* à ʒß. ad ʒj. in urgente caſu poteſt propinari *Elixir Menthæ*: Si percipiatur ſimul ardor in regione ſtomachi; tunc commode permiſcentur his appropriatis temperate acida, quæ ardorem refrænant, quæ intereſt *Rob.* & *Sirupus Cydoniorum*, it. *Syrupus acetoſitatis citri*, it. *ſpir. vitrioli* & ſimilia.

Denique interne *olea deſtillata* ſunt admodum convenientia. De *oleo Chamomillæ* dixi: huic ſimile eſt *ol. Carvi & ſuccini deſtillatum*, de quo poſtmodum: it. *ol. Aniſi & Cumini*.

Subſequuntur denique ea quæ dolorem tollunt ſenſum imminuendo in ſtomacho, qualia ſunt *Papaverina*: Veteribus in uſu fuit *philonium Romanum* ad ℈j. item *Pilulæ de Cynogloſſa* ad ℈ß. Modernis in uſu eſt *Laudanum Opiatum cum decocto flor. Chamomillæ* uſurpatum.

Cæterum ſit formula contra dolorem ſtomachi:

℞. Aqu. Chamom. deſtill. ℥iij.
Succi Cydonior. ℥j.
Eſſent. Chamom. roman. ʒiij.
Elixir. Menthæ. ʒiß.
Olei deſtill. chamom. gt. vj.
Laudan. opiat gr. iij.
Sirupi de hyſſop. ʒvj.
doſ. cochl. ij.
M. F. Miſtur. dolor. ſedanſ.

Vel ℞. Eſſent. flor. chamom.
roman. ʒij.
Menth.
Spirit. Aniſi an. ʒj.
Eſſent. Anodyn. ſ. ſolut. Opii.
in ſpir. vin. ʒj.

Perinde enim eſt ſive in forma ſicca ſive liquida adhibeatur.

F. Eſſent. dolor. ſedanſ.
doſ. 30. ad 40. gt.

Elegans caſus eſt quem habet THONERUS *in obſerv. p.* 136. de dolore ventriculi punctorio, qui fuit curatus per ℥iiß. olei amygd. dulcium in jure Galli propinato, quo facto intra 3. horas acicula per vias urinarias fuit excreta & exinde dolor omnis ſubito diſparuit. Facit huc etiam quando oritur *dolor ex deglutitis fruſtis vitri* & conveniens eſt ut uſurpetur *pulpa ex Milio* aut *Oryza* facta, eaque non nimis fluxilis ſed aliquantiſper ſpiſſa, quæ abſumitur abſque ſubſequente potu: ſic enim fit ut huic pulti involuta fruſta vitri vel aciculæ aut ſimiles res acutæ citra noxam ex ventriculo per Pylorum dilabantur. Idem THONERUS citato loco duo exempla habet curatorum à vehementiſſimo totius abdominis itemque ventriculi dolore per *v. gt. ol. carvi deſtill.* Et eodem loco habet exempl. doloris ſtomachi, qui per intervalla præſertim à cibo aſſumpto, uſque ad ſcapulas ſe extenderit qui dolor inſignis ſubito fuit curatus *v. gt. ol. deſtill. ſuccini*.

Sic ZACUTUS *Luſitan. l.* 2. *Med. Princ. hiſtor.* 58. *obſervat.* 10. habet de importuno ventriculi dolore, potu *Vini abſinthitis* curato. In doloribus ſenum aut etiam in doloribus ſtomachi, in dejectione virium elegantes ſunt iſtæ Pilulæ POTERII quas recenſet in *cent.* 3. *cur.* 30. ita:

℞. Ambræ Gryſeæ gr ij.
Moſch.
Croc. orient. an. gr. j.
Opii Thebaic. rit. præp. gr. iv.
miſc.
F. l. a. Pilulæ.

quæ in ſenibus & viribus dejectis ſunt convenientiſſimæ.

Idem POTERIUS *citat. loc. curat.* 31. habet exemplum doloris ventriculi aliis omnibus irritis tandem *decocto ligni Saſſafras* per 20. dies curati.

Quod attinet *Externa* inter hæc ſunt imprimis, *olea. Ol. Chamomill. deſtillatum & infuſum, Maſtich. Nucis moſch. Nardinum*: *it. ol. ſtomachale Cratonis. Hinc Balſam. Peruvianus ut & ol. deſtill. Macis, Caryophyllorum, & guttulæ quædam olei deſtillati Cinnamomi.*

Modus præſcribendi eſt hic,

℞. Ol.

℞. Ol. Chamom. deſt. ʒj.
Balſami Peruvian. ʒß.
Ol. Mac.
Caryoph. an. ℈ß.
vel gt. xv.
Nuc. moſchat. expr. q. ſ.
miſc.

F. Balſamus.

Quo inungatò regio ſtomachi.

Poſt olea uſitata ſunt *Emplaſtra* regioni ſtomachi applicata: quæ inter elegans eſt *Emplaſtrum Carminativum* Mynsichti. it. *ſi ſuſpicio ſit Flatuum Emplaſtrum de baccis lauri.*

Reliquis externis omnibus præferenda *Tacamahaca*, in forma Emplaſtri regioni ſtomachi applicata. Experientiam hujus certam factam videbitis in Poter. *cent.* 3. *cap.* 32. Et quod etiam fuit in frequenti uſu D. Michael. Præſcribitur vel ſimpliciter ita. ℞. Tacamahacæ, q. v. ſubigatur in mortario calido inducatur ſuper alutam & obducatur ſyndone rubra in forma Emplaſtri ſtomachalis.

Melius videtur ſi *Tacamahacæ* & *Ceroti ſtomachalis* aa. miſceantur & cum *ol. ſtomachali* Cratonis ſubigantur in formam Emplaſtri.

Ipſe Poterius in ejuſdem *Pharmac. Spagyrica* excellens præparat nobis Emplaſtrum ſtomachicum ex Tacamahaca hac forma.

℞. Ol. Maſtich. deſtillati. ʒß.
Menth.
Abſinth.
Nucis moſchat.
Caryophyll. an. ℈j.
Gumm. Tacamahac. ℥iß.
Ceræ citrin. ℥iv.
miſc.

Fiat Cerotum de quo accipiatur q. ſ. pro ſcuto ſtomachali.

Quæ dicuntur de *Tacamahaca*, eadem & ſimilia dici poſſunt de *Gummi caranna* quod & ipſum in ſimilibus caſibus eſt elegans. Aliàs *videatur quod attinet naturam Gummatis carannæ & Tacamahacæ, Monardes de ſimplicibus commentario in Cluſium p.* 318.

Fotus itidem externe applicantur in Cardialgia iique duplici ſub forma: aut *ut ſpecies coquantur in aqua & aceto aut in vino* & iſtud decoctum pannis linteis triplicatis aut quadruplicatis applicetur ſtomacho: vel ipſæ ſpecies inſuuntur ſacculo, coquuntur parumper in aqua vel vino & ita ſacculus applicatur regioni ſtomachi ſubinde renovandus.

Fotus poteſt eſſe talis quem commendat inter alia Foristus *in lib.* 18. *obſ.* 22.

℞. Abſinth. com. & roman.
Flor. chamom.
Roſar. rubr.
Menth. aa. m. j.
Semin. Sumach.
Myrtillor. an. ʒß.
Flor. Melilot. p. ij.
coqc. in ſ. q.
Aqu. commun.
Colat. ℔ß. adde
Specier. Diarrhod. abbat. ℈iiß.
Aromatic. roſat. ℈j.
Aqu. roſar. ℥ij
Acet. roſacei ʒß.
ebulliant.

F. fotus pro ventriculo.

Sacculi fiunt meliores ita.

℞. Flor. Chamom. Roman.
Comar. Abſinth.
Herb. Menth.
Majoran. an. m. j.
Sem. Aniſ.
Fœnicul.
Carvi.
Dauci. an. ʒvß.
Baccar. Junip. contuſ. ʒß.

Conciſ. & contuſ. impleatur ſacculus interpaſſatus. *Region. ſtomach. applicand.* vel *ſiccus*, vel *coquatur in vino aut aqua* & applicetur ſubinde renovando.

Sin vero ſit Cardialgia *à refrigeratione corporis externa*, & inde ortis *flatibus*, tunc conveniens eſt ſimplex quidem, ſed admodum bonus Sacculus Montagnanæ, deſcriptio hæc.

℞. Milii Cribrativ. m. ij.
Furfurum. m. iij.
Salis comm. m. j.
miſc.

F. Sacculus qui calefactus imponatur: In colica quoque eſt elegans.

Superius dixi quod Valeriola *in l.* 1. *obſ.* 7. referat hiſtoriam intenſiſſimæ & moleſtiſſimæ Cardialgiæ factæ *ex hauſtu* merc. ſublim. qui caſus cum ſit ſingularis & non inelegans ejuſdem remedia paucis communicabo.

1. Præſcripſit fomentum exterius.

℞. Fol. Hyoſcyam. alb.
Abſinth. roman. an. m. ß.
Maſtich. ʒiij.
Cryſtall. puriſſimi ʒij.
coqu. in
Olei roſat.
Violati
Liliacei.
Anethini an. ℥iv.
Vini rubri ℔ß.
Colent.

Et hoc remedio applicato mirum levamen percepit.

Interim poſtmodum præſcripſit hanc potionem.

℞. Cryſtall. puriſſim. ʒj.
(Ratio quoniam acidum Mercur. ſublim. arripit cryſtallum & enervatur.)
Theriacæ elect. ℈ij.
Butyri recent. ℥j.
(ad demulcendam acrimoniam mercur. ſublim.)
Aqu. decoct. hordei q. ſ.
miſc.

F. Potio pro aliquot vicibus.

NB. *Hyoſcyamus externe & Cryſtallus interne* perfecerunt totam curam: Nam cryſtallus externe in fomento nihil præſtat: nititurque ejus Auctor Hypotheſi vulgari.

Habuimus ſymptomata quæ ventriculo in coctione obveniunt. Sit nunc.

CAPUT VIII.

DE CHYLI A FOECIBUS ALVINIS Secretione Læſa.

De hac communiter altum apud Auctores eſt ſilentium, nihilominus neceſſum eſt ut de ea agatur.

Alimenta in chylum tenuem mutata dilabuntur è ſtomacho, & quidem mox circa principium duodeni permiſcentur cum Bile ex folliculo felleo diffluente, ibidem etiam permiſcentur cum ſucco ex Pancreate effluente: Hi duo ſucci bilis nempe conſtans ſal volat. oleoſo & ſuccus Pancreaticus conſtans acido temperato, ſubeunt Chylum, hunc attenuant, incidunt, reſolvunt & facta efferveſcentia, craſſiores ac fæculentiores partes à reliquis tenuioribus temperatis & nutritivis ſeparant & hæ poſteriores tranſcolantur in vaſa lactea, &c.

Dum hæ fiunt Bilis ſulphur. rubeum ut ut in ſe appareat

pareat flavum, ſe jungi utili Chymo ipſique primam communicat aptitudinem, ut facilius tranſmutetur in rubineum ſanguinis Nectar.

Ab hac ſeparatione Chymi nutritii à fœcibus maxima noſtra ſalus dependet, poſt legitimam ſc. ſtomachi digeſtionem. Aliàs enim ſi nihil ſeparatur utilis ab inutili, fruſtratur corpus ſuo nutrimento. Sin vero vitioſe ſeparatur ita ut excrementa maneant chylo permiſta, & ita ſubintrent maſſam ſanguinis, quid aliud expectare poſſumus quam inſignem hujus Cacochymiam & vitioſiſſimum ſtatum. In hoc certe puncto imprimis in concurſu horum duorum ſuccorum in duodeno, & ibid. blande oborta efferveſcentia, chyli ſecretione, & ſic porro maximam partem morborum originem ducere quamplurimi moderni ſtatuunt, quos inter præprimis eſt SYLVIUS, qui cum magno ſatis applauſu Triumviratum ſuum ſtatuit inteſtinalem, nempe ex *Bile flava, ex ſucco Pancreatico,* & denique *ex pituita*, compoſita partim ex ſaliva continuo deglutita, partim ex reliquiis chyli in ſtomacho digeſti, & per inteſtina tranſcolati.

Hæc tria ſi recte ſe habeant, blandam ac temperatam in inteſtinis excitant efferveſcentiam; ſin vero vitiantur, exinde varia mala nunc Abdomen affligunt, nunc ſucceſſive in totum corpus redundant: Hoc enim in loco non tantummodo *radicem paroxyſmorum febrium intermittentium*, ſed præterea fundamentum *colicæ*, *diarrhææ*, *affectus Hypochondriaci, ſuffocationis* ſic dictæ *uterinæ*, & ſimilium quamplurimorum ſtatuit. Nam ſi ſucci permiſti per neceſſitatem naturæ inviolabilem efferveſcentiam inducunt, ex eo quoniam impoſſibile eſt ut ſal. volat. quale eſt in bile, & acidum quale eſt in ſucco Pancreatico; ut inquam talia incurrant ſine efferveſcentia, quæ tamen his ſuccis legitime conſtitutis eſt blanda & temparata, his verò ſuccis vitiatis eadem eſt vehemens & impetuoſa: Hinc ſcil. eſt quod tunc ſæpe ſub *hypocondrio dextro*, ubi nempe inſeruntur in duodenum, percipiuntur nunc *ardores* ex bile nimis copioſa, & nimis oleoſa, nunc vero percipiuntur *flatus*, *Borborygmi, & diſtenſiones*, elevati namque ſunt hi flatus per fermentationem talem in pituita ab acido vitioſo factam. *Vitia* horum ſuccorum *primaria* ſunt in BILE quidem. 1. quando *abundat*: 2. quando eadem eſt *nimis ſalina acris* & 3. quando eadem eſt nimis oleoſa ſ. pinguis.

SUCCUS PANCREATICUS PECCAT 1. *nimia copia.* 2. *nimia aciditate*, & 3. *non raro præternaturali auſteritate*, ratione cujus auſteritatis pertinaces alvi obſtructiones, dolores inteſtinorum torquentes, & ſuffocationes uterinæ oriuntur.

PITUITA DENIQUE PECCAT, aut 1. *nimia copia*: aut 2. *nimia craſſitie & viſciditate* quando eſt nimis viſcida.

Hæ ſunt *primaria humorum* in hoc loco *peccata* data opera *corrigenda*, ne exinde mala oriantur plurima.

Correctio fit: & quidem *BILIS* 1. *per acida*: 2. *per moderate auſtera*, & quidem *in ſpecie acida & dulcificata* ſe conjungunt cum bile & illam temperant.

Succum *PANCREATICUM* corrigunt & emendant *omnia ſalia alcalia* tam *fixa* quam *volatilia*, quæ acidum præcipitant, it. *omnia terrea* quæ eadem acidum abſorbent.

PITUITAM denique emendat, præter evacuationes, quas hic præſuppono, *ſalina volatilia aromatica* quæ etiam incidunt & reſolvunt, it. *ſalina ſalſa* quæ eadem abſtergunt.

Hæc in genere præmonere volui ſecundùm modernorum Hypotheſin, propterea quia dabitur occaſio ut horum mentionem injiciam.

Pergimus ulterius ad

CAPUT IX.

DE CONTENTORUM IN INTESTINIS Expulſione læſa.

DIctum eſt ſuperius, quod Chylus, ſeu id quod è ſtomacho dilabitur in inteſtinis ſeparetur in duas partes: quarum pars alimentitia pergat in vaſa lactea ſic dicta, pars vero excrementitia poſt aliqualem moram in inteſtinis tandem foras expellitur excrementorum nomine.

Expulſio hæc contentorum in inteſtinis variis modis *læditur*.

1. *Quando imminuitur* ita ut aut *rara* ſit, aut *ad tempus omnino nulla*, id quod fit in *alvi retentione*, it. in *tarda ſubjectione*. *Alvi retentio.*

2. Vel *augetur* ita ut ſit *nimis copioſa* aut *nimis frequens*, ut fit in *alvi fluxibus*. *Alvi fluxus.*

3. Denique *depravatur* ita ut contingat *cum dolore*, *cum torminibus*, aut ſimilibus aliis ſymptomatibus. *Ventris tormina.*

Quod ergo attinet *alvi retentionem*, *Cauſa* quare alvuus ſit obſtructa ita ut nihil poſſit effluere, eſt vel in *inteſtinis* vel in *ipſis contentis expellendis.*

Quod *attinet* 1. *Expellenda contenta hæc ipſa ſunt cauſa alvi retentæ, quando non perveniunt ad inteſtinum rectum* ut idem poſſint ſtimulare: Nam niſi aliquid inteſtino recto incumbat quod iſtud ſtimulet, eſt alvi retentio. Cauſa quare non deveniant ad inteſtinum rectum, *eſt eorum paucitas* ex alimentis paucis aſſumptis: 2. *propter ineptitudinem ad motum* inteſtinorum periſtalticum: quando enim inepte ſunt in motu, fit ut in cellulis inteſtinorum, imprimis coli ſtagnent & non poſſint protrudi. *Inepta ſunt* ad motum *propter exſiccationem & indurationem*: Hinc enim eſt quod in febribus ardentibus, aut in iis qui crebriori utuntur exercitio, fœces induratæ & exſiccaræ non poſſunt commode expelli.

Porro *aſſumpta* quædam *duriora* ſimiliter dant fœces induratas, qualia in ſpecie ſunt *ſpira quæ* ipſæ aſſumptæ nimia copia non raro ſolent dare alvi periculoſiſſimam obſtructionem, ſunt enim tenaces & viſcidæ: quale exemplum habet MOEBIUS *in inſtit. p.m.* 453. Notum etiam eſt quod *ova ad duritiem cocta* ſimiliter inſigniter ſoleant alvum adſtringere: exemplum habet CORNARIUS *conſil.* 4. de quodam qui ex eſu 4. ovorum ad duritiem coctorum jejuno ſtomacho, inſignem alvi adſtrictionem paſſus fuit, ita ut poſt aliquot dies in fœcibus alvi per medicamenta eductis, adhuc fruſtula vitelli & albuminis ovorum integra apparuerint. Pertinent huc *fructus nonnulli horæi pellicula tenaci obducti.* quales ſunt *uvæ criſpæ*, it. *uvæ vulgares*, ſi ſc. comedantur una cum pelliculis: Nam hæ pelliculæ admodum reluctantur ſtomacho in coctione, quia crudæ & inconcoctæ dilabuntur ex ſtomacho inſigniter acidæ. Unde dum coacervantur cum reliquis contentis in inteſtino colo, fit ut exinde incraſſentur & inviſcidentur contenta, & pertinaciſſima alvi obſtructio ſequatur.

Præterea *Ceraſa* & imprimis eorum *nuclei integri devorati*, ſimiliter fœces induratas & difficulter excernibiles inducunt. Sic SCHENCKIUS *lib.* 3. *obſ.* de excrementis refert, *de alvo* ad 3. ſeptimanas *obſtructa ex copioſis ceraſis cum nucleis* comeſtis, qui nuclei poſt id tempus rurſum alvum ſubierunt.

Facit huc etiam *viſciditatem fœcum* alvinarum, quæ dum adhæret parietibus inteſtinorum impedit, quo minus poſſint excerni: Unde ii *qui utuntur copioſis alimentis* viſcidis, ſeu qui eadem in pituitam excrementitiam ſeu mucum viſcoſum ex tranſmutata digeſtione tranſmutant, *ſolent eſſe obnoxii alvi obſtructioni*: Item ii qui laborant pituita quæ vocacatur vitrea ſive mucagine tenaci acida, quales ſunt

Hypochondriaci, de quibus poſtmodum, quorum inteſtina ſolent eſſe adſtricta, item qui *parce nimis* potant: ſic quoque ii qui vitam agunt ſedentariam, propter deficientem in motu excretionem, cum inteſtina minus agitentur & commoveantur, hinc inde ſubſiſtunt & difficulter retruduntur in inteſtinum rectum. Præterea condenſatæ & coagulatæ fæces alvi obſtructionem inducunt, idque ex *vitio ſucci Pancreatici.* Notum enim eſt quod bilis & ſuccus Pancreaticus, uti ſeparant cremorem nutritium ab excrementi,ſita ſimul excrementis certam conſiſtentiam tribuunt ſecundum quam nunc magis nunc minus ſunt fluxilia. Unde à bile abundante diluuntur excrementa & fiunt fluxilia: e contra à ſucco Pancreatico aut abundante aut nimis acido aut nimis auſtero fæces alvi nimis coagulantur & indurantur. Hoc ita eſſe commonſtrat imprimis Icterus: in hoc ipſo enim propter abſentiam bilis in inteſtinis (in iſto ſc. Ictero ubi denegatur tranſitus Bilis in inteſtina) ſolent aut omnino,aut maxima ex parte,induratæ eſſe fæces. Deinde *Hypochondriaci*, & quod idem eſt mulieres *Hyſtericæ*, ut plurimum alvo laborant obſtructa propter auſteritatem nimiam ſucci Pancreatici, cujus auſteritate induratæ fæces, diutius in inteſtinis ſubſiſtunt.

Hæ ſunt Cauſæ propter quas alvus vitio fœcum ſupprimitur.

Superſunt cauſæ quando ulterius *vitio ipſorum inteſtinorum* non ſufficienter propellentium ſupprimuntur fæces.

Tales cauſæ ſunt, quando inteſtina omnino ſunt obſtructa variis ex cauſis, 1. quando inteſtina inflammata indureſcunt & quaſi nimis coaleſcunt quod ſi ſupervenit Gangræna malum eſt deſperatum. Exemplum habet Barth. *cent.6.hiſt.18.de contracto Ileo ex inflammatione* inteſtinorum, eamque ſubſequente gangræna, unde obſtructiſſima alvus ſecuta. Item in *Dyſenteria:* nam poſt dyſenteriam nonnunquam in fine coaleſcunt & invicem conſolidantur inteſtina, ut exinde non raro poſtmodum lethalis alvi ſuppreſſio ſequatur. Idem fit vitio inteſtinorum quando eadem ſunt *inſenſilia* aut quaſi *Paralyſi laborant.* Nam etiam tum temporis aut parum aut nihil excernitur & expellitur. Unde non rarum eſt ut in Apoplexia fruſtra injiciantur clyſteres propter inteſtina Paralyſi affecta.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOST. CLARA.

PROGNOSTICA SVNT.

Alvi ſuppreſſio malum eſt frequens, & quidem *raro lethale*, ſin tamen ſit *nimium* ſeu *diu protractum,poteſt omnino inferre necem* ſive immediate ſive mediate *inſequente* ſcil. *Ileo* de quo poſtmodum: Deinde ſi non infert lethum, nihilominus teſtatur experientia quorundam quod gravia ſecum vehat ſymptomata, ita ut interdum ſuperveniat *animi deliquium:* item quod nonnunquam in ipſa excretione alvi ſuperveniant ex conatu naturæ *hæmorrhagiæ narium.* Exemplum tale habet Salmuth *cent.3.obſervat.26.* de alvo nimium obſtructa,ita ut in excretione ſcybalorum ſanguis per nares proſiliret. Non raro alvi nimia obſtructio cauſa eſt, ut ægri habeantur pro ſpleneticis,unde Medici nonnunquam ridiculum faciunt Prognoſticum. Nam vulgaris eſt conſuetudo, ut omnia ſymptomata in latere ſiniſtro ſeu hypochondrio ſiniſtro adſcribuntur falsò ſpleni. Vnde cum in latere ſiniſtro Colon ſit anguſtius & præterea intorqueatur verſus Rectum: hinc ſæpius fit ut ibidem locorum hærentia ſcybala talia inferant ſymptomata quæ vulgo ſpleneticis attribuuntur, & non raro pro ſpleneticis habentur. Nec, quoniam purgantia in his ſuum faciunt officium ſine effectu tamen hoc probant: Nam fallunt: Ut ut enim propinata materiam educant tenuem, non raro tamen fæces in inteſtino colo relinquunt. Exemplum talis pro ſplenetico habiti, habet Salmuth, *cent.1. obſervat.* 14.de quodam in quo per annum unum & ſemiſcybala retenta,dolorem tenſivum & humorem hypochondrii ſiniſtri intulerũt,ut inde propter talia ſymptomata pro ſplenetico fuit habitus: poſtmodum tamen paucis emollientibus adhibitis curatus fuit & eventus detexit, quod tantum ab induratis ſcybalis ortum traxerit iſtiuſmodi affectus. Denique *alvi obſtructio* ſemper *ſolet augere capitis ſymptomata:* unde continuo præmonent Practici, ut in *vulneribus capitis*, & quibuſcunque capitis affectibus alvus ſit libera propter conſenſum, quem mediantibus nervis copioſiſſimis omnia interna viſcera in ſpecie inteſtina habent cum ſuo principio cerebro.

QVOD ATTINET CVRAM.

In CURA ante omnia *removenda cauſa:* unde *conveniunt 1.ea quæ emolliunt: & 2.ea quæ ſtimulant.*

Quæ emolliunt ſunt talia quæ fæces fluxiles faciunt & vias lubricant. Quæ ſtimulant ſunt ſalina quæ leniter inteſtina irritant.

Fœcibus enim fluxibus & inteſtinis leviter irritatis, eorum motu periſtaltico concitato ejiciuntur contenta. In his 1. *ſunt interna:* ſic notum eſt quod imprimis convenit *ol. Amygdalar. dulc.* quod blande alvum ſubducit, ſive aſſumatur per ſe ſive in juſculo pingui: Item conveniunt inſigniter *ova ſorbilia*, eaque quo magis ſorbilia, eo magis ſ. plus movent alvum: cujus rei Exemplum refert Hoferus *in Hercule medic. p.199.* quod ſcilic. ova ſorbilia aſſumpta alvum fluxilem & parvam quaſi diarrhæam in uno alterove ſubjecto produxerint. Notum etiam eſt quod *potus copioſus* alvum aperiat, quoniam aut induratas aut exſiccatas fæces diluit. Bartholinus *cent.5. cur.* 40. refert pertinacem alvi obſtructionem *largo vini hauſtu curatam:* id quod vel maxime neceſſarium iis, qui aut ſunt hypochondriaci aut laboribus dediti, ut eo promptius exeant fæces.

Potus eſt nunc uſitatus nunc medicatus, quæ medicatio imprimis *per paſſulas fit:* Paſſulæ ſunt egregium remedium, & nihil *aliud quam muſtum concentratum*, temperatæ in ſe & quæ blandam irritandi vim obtinent, unde vel *paſſulæ nudæ* aſſumptæ egregie *conveniunt hypochondriacis* quibus alvum ſuſtinent apertum. Vel *cum paſſulis earumque pulpa* tantillum permiſcetur *cremoris ſulphuri, aut arcani duplicati* Mynsichti, & fit potus elegans in Hypochondriacis. Faciunt huc *paſſulæ laxativæ* quarum variæ ſunt deſcriptiones, quæ videntur in Pharmacopæis: *Vinum paſſulatum* ſimiliter egregium eſt delicatulis quod alvum adſtrictam blande educit. Facit huc *Vinum paſſulatum* Timæi, cujus deſcriptio admodum elegans & proſtat *in epiſt. l.3. epiſt. 26. p.m.224.* Poſt paſſulas ſe offert *ſerum lactis*, quod conveniens eſt tam in febribus ardentibus & malignis quàm ſcorbuticis, ſi alvum habent obſtructam id quod fit ex ſucco Pancreatico nimis auſtero & acido coagulante fæces: Nam præbet ſerum lactis ſalſum nitroſum volatile, cujus ratione temperat acrimoniam ſalis ſcorbutici auſteri & ſubtilis, ſimulque emollit fœces: ſive ſolum uſurpetur ſive imprægnetur leniter per Tamarind. quod ſerum lactis egregie confert in febribus ardentibus, quoniam moderate compeſcit efferveſcentias ſanguinis & blande ſubducit alvum. Alias notæ ſunt *decoctiones fol. mal. herb. parietar. violar.*& ſimilium emollientium decocta: quæ uſurpata ſimiliter blande alvum ſubducunt. *Ficus Maſſilienſes* ſeu *quicunque ficus* ſimiliter alvum ſubducunt, imprimis ſi decoquantur *in potu ordinario ſ. decocto hordei ſimplici:* ſed videtur nimis ficuum uſus improbandus, quia pediculos generat, id quod obſervavit Henric. ab Heer *in obſer. opido raris.* In contumaci alvi obſtructione notus eſt

eſt *mercur. vivus*, de quo ubi de Ileo, erit occaſio dicendi.

Hic moneo quoſdam commendare *vinum in quo per menſem in loco tepido fuit infuſus mercur. vivus*, quod vinum infuſionis mercur. vivi non tantum lumbricos enecat, ſed inſigniter alvum ſubducit ſi ad cochl. i. vel ij propinetur.

In deſperata alvi obſtructione commendatur inſigniter *aur. fulminant. gr. vj. l. viij. ad x. uſque ſi cum aliquot granis extracti Ellebori nigri in pilulas* compingantur. Nam tales pilulæ ex auro fulminante ceu extremum commendantur præſidium. Sed obſervetur quod in tali caſu aurum fulminans non ſit nimis edulcorandum ut ſapor ſalinus aliquantiſper remaneat. Nam quo magis eſt edulcoratum eo magis eſt diaphoreticum, vel quo minus edulcoratum, eo magis Catharticum. It. hoc aurum fulminans in affectibus infantum inteſtinalibus in ſpecie flatulentis cum torminibus conjunctis eſt optimum remedium. Deinde & hoc ſingulare quod in adultis fœces nigerrimo colore inficiat aurum fulminans. Alias commendatur in deſperata alvi obſtructione *ſuccus radicis* id quod videbitis annotatum in Schenck *lib. 3. obſervat.* de excrementis. Fiunt etiam *conſervæ laxativæ violarum & roſarum* elegantes, quando loco ſacchari his additur *Manna electa Calabrina* & *flor. recentes violarum & roſarum* cum hac conjungantur in conſervam, quæ miſta cum pulpa *paſſularum* & *tantillo cremoris ſulphuris* blandiſſime & ſuaviter alvum ſubducunt ſtimulando ſunt omnia *ſulphurea* tam *cryſtalli* quam *cremor* etiam ipſum *ſal eſſentiale tart.* aut etiam *tinctura Tartari* legitime per ſpir. vini parata.

Externe quæ *applicantur* ſunt primario quidem, uti notum eſt, *Clyſmata* eaque *ex emollientibus* parata. Ubi non ſufficiunt hæc, fiunt fortiora emollientibus ſtimulantia in coquendo. Hinc notum eſt *quod clyſmata ex ol. olivar. it ol. expreſſionis ſeminis lini: item ex oleo ſeminis rapi*, ſint admodum experta. Clyſterum nihil efficientium habeatis exempla nonnulla. Sic Rulandus *in Theſauro practico* Exemplum habet alvi per 3. hebdomadas obſtructæ, ita ut nullis neque clyſmatibus neque ſuppoſitoriis moveri poſſit, tandem ingeſtis ſingulis horis ℥iv. *ol. olivarum* alvus emollita & multa ſcybala rejecta fuerunt. Sic idem Rulandus quendam Ruſticum qui ſimiliter ob ſcybala indurata alvum habuit obſtructam curavit *per clyſma ol. Lini* ℥v. quod injectum non ſolum, nunc cum ℥ß. *Troch. alhand.* egregie alvum obſtructam curavit. Clyſteres emollientes communes noti ſunt omnibus: Hic tamen ubi non poſſumus vincere alvum, alia incoquuntur, & quando jam metus eſt induratarum fœcum egregium *eſt ſal gemmæ quod à* ʒß. *ad* ʒj. *uſque ad* ʒi ß. quaſcunque fœces induratas potentiſſime reſolvit & fluxiles facit: nihil namque magis emollit fœces duras quam *ſal gemmæ*: quod ſi ſal gemm. non ſufficiat, commodiſſime in clyſteribus incoquitur vel *pulpa colocinthidis* vel etiam *Trochiſci alhandal*. Sic Lindanus commendat in obſtinatiſſima alvi obſtructione, ſi fiat clyſter ſeu Enema ſolummodo *ex juſculo carnis cum melle* cui addatur *ſal gemmæ à* ʒß. uſque ad ʒij. ſin vero hoc non ſufficiat, tunc debet „ fieri Enema emolliens ex decocto foliorum Melilot. „ Chamom. & violarum cujus decocti ℥viij. vel ix. „ incoquenda eſt pulpæ colocynthidis in nodulo ligatæ ad ʒj & poſt hanc decoctionem addendum *ſalis gemmæ* ʒj. cum *benedicta laxativæ* ℥j. *Vitell. ovor. n.* 1. & hæc miſta ut fiat l. artis clyſter injiciendus. Sed obſervetur quod in his ubi admiſcentur aut pulpa colocynthidis aut ſal gemm. aut ſimilia acria ſtimulantia, *oleoſa omittenda* ſunt quæ ſalina temperant quo minus effectum ſuum præſtare queant. Denique ubi colocynthis non eſt ſufficiens, tanquam ad ultimum *crocum metallorum* eſt confugiendum, ſi ſcilic. loco colocynthidos ʒj. croci metallorum decocto ſuperius dicto emollienti incoquatur. Nam hoc extremum eſt remedium, cujus crebriorem uſum factum videbitis *in obſervat.* Riverii, qui aliquot habet exempla decocti in clyſteribus admodum feliciter. Vel quod magis approbem, *Infuſum fiat in crocum metallorum* cujus ℥iij. aut iv. decocto emollienti admiſcentur & ſic conjunctim injiciuntur additis ſimul reliquis convenientibus. Formula ſit hæc.

℞. Decoct. emollient. ℥v.
Infuſ. croc. metall. ℥iij. l. iv.
Benedict. laxativ. ℥j.
Sal gemm. ʒi.
& ſic porro.

F. l. a. Clyſter.

Poſt clyſmata imprimis conveniunt *ſuppoſitoria*, quæ communiter parantur ex *ſale & melle* & cum *pulv. hellebori*, ſicut videre eſt in Pharmacopeis. Cum tamen non ſemper conveniant propterea Lindanus idem *ſal gemmæ* admiſcendum ſuadet, ita quidem ut in talibus ſuppoſitoriis pro adultis quidem poſſit ſumi ℈j. ad ʒj. una cum *gran. iij. vel iv. trochiſc. alhand.* & ita cum melle fieri ſuppoſitorium acre. In parvulis vero loco *trochiſc. alhand.* poſſint ſumi ſpecies hieræpicræ Galen. eæque cum pauca quantitate ſalis gemmæ permiſceri cum melle in ſuppoſitorium ſatis acre. Omnibus tamen ſuppoſitoriis à Sylvio præfertur ſuppoſitorium ex alum. idque ad imitationem *Angeli* Salæ qui *in ſuis ſcriptis* & quidem in *Appendice p. m.* 840. facit mentionem ſuppoſitoriorum ex alum. factorum quæ ſuppoſitoria ſimiliter admodum commendantur à Sylvio uti dixi: ſive fiant ex fruſtulis alum. in loncum & acutum conciſis, *& ol. amygdal. dulc. vel liliorum alborum illitis: vel ſi alum. uniatur pulveriſatum cum gummate Tragacanth. in aq. lilior. alborum* ſoluto compingatur in ſuppoſit. quod ſuppoſitorium aluminoſum in alvo adſtricta ſtimulanda admodum conducit. Cæterum obſervetur quod *præmittenda* ſuppoſitoriis ſint medicamenta *emollientia, incidentia & ſtimulantia per os*, ne fruſtra irritetur alvus & ſequatur, quod ſæpe fit, inflammatio inteſtini recti. Cum his ſunt qui externe adhibent *unguenta ſtimulantia* ſic à quibuſdam ad concitandam vim inteſtinorum labentem, ſeu motum periſtalticum procurandum, commendatur *Zibethum umbilico inunctum* (obiter moneo in colica hoc inunctum eſt ſecretum:) Præterea *Emplaſtrum ex felle tauri & colocyntide umbilico applicatum* eſt egregium. Exempla habebitis in Schenck *lib. 3. obſerv.* de excrementis ubi exemplum habet de puella quæ per 3. menſes non depoſuit alvum, curata tamen per tale Exemplum non omiſſis aliis. In officinis proſtat, *Vnguentum de Arthanita* ad quod D. Moebius tanquam ad ſacram Anchoram conſuetam confugit; applicando ſupra umbilicum: quod etiam commendat Claudinus *de ingreſſu ad infirmos. lib.* 10. *cap.* 2.

Alii commendant tale *linimentum* in alvi obſtructione illitum.

℞. Ol. amygd. dulc. recent.
Pinguedinis Anſeris.
Butyri Majalis.
Unguent. Diarrhæ an. ℥ij.
Sal. gemmæ ℈ß.
Specier. hier. ſimpl. ℈j.
Colocynth. gr. xvj.
Diagrid. gr. iv. miſc.

F. l. a. Unguentum.

Supradixi *de Emplaſtro ex felle tauri*: hoc ipſum admodum commendatur *ſi nempe fiat ex felle tauri cum Aloe Epatica, ſal. gemm. & modico Eſulæ*, quo Emplaſtro umbilicus inungendus & ſi fortius agere velimus plantis pedum. Qua ratione nonnulli etiam in alvi obſtructione plantis pedum commendant ut applicetur *Emplaſtrum* factum *ex ol. Populeonis cum hiera picra* uſitata. De ſuppoſitoriis jam monui.

Sunt qui dicunt quod in deſperata alvi obſtructione nihil melius ſit quam *digitus intinctus ol. ſemin. rapi vel lini* (quod ol. communi ſeu oleo olivarum melius in obſtructionibus alvi) *immittatur ano* : hinc enim potentiſſime ſolvi aſſerunt. Superius dixi quod *interne* conveniant *paſſulæ* in alvi obſtructione:ad eandem imitationem ſunt qui *decoquunt paſſulas in iure vituli* & colaturam decocti *inſtar Enematis* injiciunt cum laudabili effectu.

Alii etiam ſunt modi quibus juvantur alvo aſtricta laborantes, inter quos obſervatu dignum eſt Exemplum quod recenſet MEIBOM. *Tract. de uſu flagellor. in re venerea pag.7. de quodam Principe qui non potuit alvum deponere niſi prius à ſervo flagellatus* : *Præterea Tuſſis & ſternutatio* ſimiliter adjuvant nonnihil excretionem alvi. Sic PLATERUS *in obſ.p. m.* 210. habet exempla de quibuſdam,quibus ob duritiem excrementa ægre poſſunt per podicem excerni : his crebriorem tuſſim imperabat, ut beneficio iſtius Tuſſis, Diaphragmate moto foras excrementa eliciantur. Fit nonnunquam ut à podice nonnihil læſo, aut excrementa craſſiora, aut indurata hæreant, ut nonniſi inſigni dolore poſſint excerni, uti etiam fit *in Hæmorrhoidibus* ut animi ſæpe deliquium patiantur ægri; In tali caſu idem imitandus PLATERUS qui *fomentat Podicem cum oleo*,& ſimul imperat *ſternutationem & tuſſim* & ſic feliciter alvi ſuppreſſionem tollit & fœces retentas ejicit.

Alvus nimis obſtructa interdum cauſa eſt ut per alienas vias ejiciantur contenta : ad quam expulſionis inteſtinalis læſionem primario referendus ILIACUS MORBUS,*quando ſc.excrementa alvina per os rejiciuntur.* *Iliacus morbus.*

CAUSA ejuſdem recte dicitur motus Inteſtinorum Periſtaltaticus inverſus, ita ut revvera id quod eſt Vomitus in ſtomacho,hoc eſt Ileus morbus in Inteſtinis. Nam quando incipit inverſio motus periſtaltici in quodam loco inteſtinorum, in ſpecie in fine Ilei circa principium Coli, ibi enim frequentior eſt ſedes Ilei morbi,iſte ileus. Eſt enim unus continuus tractus ejuſdem ſubſtantiæ ſimiliter connexæ à ſummitate gulæ uſque ad extremum podicis hiatum. Totus tractus eſt una ſubſtantia membranacea fibris circularibus nerveis obliquè tamen incidentibus compoſita, quæ ſubſtantia nunc eſt amplior nunc anguſtior; amplior eſt dum conſtituit ſtomachum; anguſtior eſt, ubi gulam & inteſtina craſſa in ſpecie Colon & Tenuia efficit. Unde ſicut in ſtatu naturali unus cõtinuus eſt motus à ſummitate Gulæ uſque ad podicem, quò ingeſta ſucceſſive motu periſtaltico naturali protrudantur : Ita ſi quodam in loco invertatur hic motus ut fiat contrario modo ſurſum verſus, tunc oritur excretio contentorum in hoc tractu, non per podicem : *quæ excretio interdum eſt Vomitus*, ſi incipiat motus periſtalticus inverſus à Pyloro, *interdum eſt cholera*, ſi incipiat inverſus motus circa inſertionem ductus Pancreatici & cholidochi ; *interdum eſt Ileus morbus* quando incipit motus inverſus in Ileo, ſeu reliquis inteſtinis. Nam interdum podex eſt locus ubi incipit talis inverſus motus : qua ratione non tantum Clyſteres alvo injecti ſed etiam ſuppoſitoria fuere rejecta per os quoniam ſc. hic motus inverſus incipit ab extremitate Coli.

CAUSA occaſionalis motus compreſſivi inverſi eſt *irritatio quæcunque inteſtinorũ*, ita quidem ut inteſtinis irritatis non poſſet bene deorſum verſus moveri, quando enim irritatur in quodam loco inteſtinum deorſum verſus deprimit : Ubi vero ex quacunque cauſa hæc protruſio irritantis verſus inferiora impeditur, propter hoc impedimentum continuata tamen irritatione, his contractis fibris ſurſum promoventur contenta. Hæ *cauſæ occaſionales* irritantes quidem & tamen impedientes *ſunt variæ* : HILDANUS *in obſerv. cent.1. obſerv.61.*aſſerit quod cauſa ſeu radix Ilei imprimis *conſiſtit in fine Ilei circa cœcum*, in principio Coli, ubi eſt *valvula quæ ex attenuatione Ilei cauſatur, ubi ſi ampliat in cœcum, conſtrictionem* in iſto loco aut *coacervationem ſcybalorum circa cœcum eſſe* cauſas,*ſcybala* tamen *magis frequentes Ilei*, quod confirmat l.c. ubi aſſerit.*Iliacam* paſſionem ortam *ex ſcyrrho & ulcere cancroſo in cœco*,quod Ileum oppleverat ut nihil ad colon penetrare potuerit:Facit huc etiam obſervatio Nicol. FONTANI *in conſ.& reſponſ.p.*84 de Iliaca paſſione lethali,in qua ſine ullo volvulo inteſtinorum cœcum tantum apparuit plenum materia indurata & quaſi lapidoſa inteſtinum ita extendente,& adhærente ut extrahi non poſſit. Unde etiam ZACUT. *Luſitanus* eſt in hac ſententia quod Ileus tantum oriatur à forti inteſtinorum adſtrictione. Unde notum eſt quod *hernias* tam *umbilicales* quam *Inteſtinales* quæ in ſcrotum incidunt ſæpius *ſubſequatur Iliaca paſſio*, quia non poſſunt expelli excrementa per inteſtina in umbilico & ſcroto convoluta : Unde non poſſunt non ſine horrore ſurſum verſus excrementa ejici. PANAROLLUS *Pentec. obſ.* 50. Quatuor ſpecies habet Ilei à diverſitate cauſarum differentes. 1.*Cauſam* dicit eſſe *Herniam.* 2. Vult *eſſe convolutionem inteſtinorum* 3. *dicit eſſe adſtrictionem alvi inſtar farciminis Lucanici : & 4.vult eſſe deſcenſum inteſtini unius in cavitatem alterius.*

Examinemus has cauſas, iſtam de convolutione Inteſtinorum ceu falſam propalo. Hypotheſis enim nondum eſt pro vera agnita, quod Inteſtina ita convolvi queant; verum quamdiu adhærent Meſenterio impoſſibile eſt talem inteſtinorum convolutionem dari, demonſtrante hoc ipſum HELMONT. *in tract. de Flatibus*; unde & appellatio volvuli eſt abſurda dum Ileus dicitur volvulus à volutatione. Verum *deſcenſus inteſtinorum unius in alterum*, ſeu ſuperioris intruſionem in cavitatem inferioris, ſeu intruſionem inferioris in cavitatem ſuperioris eſt ſatis frequens & in praxi à SYLVIO *aliquoties obſervatus*, *cauſam* quare una pars inteſtini ingrediatur in alterum ſive deorſum ſive ſurſum fiat, prædicat has duas, 1. *Flatus* diverſimode inteſtinum tenue diſtendentes, quo fit ut in uno loco magis dilatetur inteſtinum quam in altero, & huic ſupervenire: ſecundo dicit, nempe ægros in torminibus poſſe ſe varie contorquere & corpus ſuum varie mutare & agitare. Hac corporis violenta contuſione & agitatione facile fit ut inteſtinum à flatibus diſtentum admittit partem iſtius inteſtini flatu non diſtenti & propter anguſtiam loci fit ut ſe invicem uniant, & ita ſe mutuo ingrediantur; & hic *ingreſſus mutuus eſt frequentiſſima veri Ilei cauſa*, præter Exempla SYLVII etiam videbitis in SCHENCK *l.3.obſ.*factam mentionem ingreſſus inteſtinorum tenuium in Ileo ad digiti longitudinem. Alias BARTHOLINUS, *cent.* 4. *Epiſt.p.m.*542. plures recenſet Ilei cauſas quæ poſſunt ibidem videri.

Notum etiam eſt quod *inflammatio inteſtinorum* & hanc ſubſequens *Gangræna*, qua corrugantur inteſtina *ſit cauſa Ilei lethalis.*

QUOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

Eadem per ſe clara, nihilominus hic ſunt imprimis notandum,quæ *Ileum præſentem*,aut *futurum* eſſe monſtrant 1.Alvus pertinaciter ſuppreſſa. 2. Inteſtinorũ " tenuium crudelia tormina : 3. Incipiens Nauſea & " Vomitus, quod ſi ſuperveniat ſingultus mors in olla & imminet Fatum. "

QUOD ATTINET PROGNOSTICA.

Raro evadunt Iliaci, unus tamen facilius curatur quam alter.

Ex inflammatione & gangræna, eſt lethalis,quod præſuppono.

Ileus ex ſcybalis induratis item ex mutuo congreſſu inteſtinorum curari poteſt. Ileus ex Hernia ut plurimum lethalis.

Superſunt

Superſunt adhuc nonnulla *Curioſa* quoad Ileum. Rarum eſt quod habet SCHENCK. *lib.3. obſ. de Ileo contagioſo*, quod nempe Ileus aliquando fuerit contagioſus. Quadrat huc obſervatio AMAT. *Luſit. cent.7.cur. 93.* ubi habet *Ileum Epidemicum*, in quo cum ſtercoribus vermes per ſuperiora fuerunt rejecti.

In Inſula Americana Iamaica, Ileus dicitur morbus Endemius, ſeu communiter graſſans in Incolas in quibus etiam oritur ex mutuo ingreſſu inteſtinorum in ſe invicem uti hoc videbitis ap. BARTHOLIN. *cent. 4. ep. p.529.* Aliàs nota eſt obſervatio DODONÆI quam recenſet FORESTUS *lib.21. obſ. 19. in ejus Scholio* nempe *de Ileo Periodico* tertio quoque die recurrente.

QVOD ATTINET CVRAM.

Conſiſtit in eo 1. *ut irritatio Inteſtinorum ſiſtatur:* 2. *ut excretio contentorum quacunque ratione promoveatur.*

Ea quæ uſurpantur ſunt tam *interna* quam *externa*.

Adhuc tamen *moneo*, in Genere ubi ſtercora dura ſunt, aut ubi ſaltem, præſupponuntur *ibi nihil agi poſſe niſi antea hæ ipſæ fæces induratæ emolliantur.* 2. quod in Ileo morbo *purgantia fortiora* quacunque ratione adhibita aut etiam *leviter ſtimulantia per os exhibita non conveniunt niſi ubi jam ſedata eſt omnis* Inteſtinorum *irritatio* & hinc ortus motus eorum inverſus: ſubſiſtente namque irritatione & durante aut imminente vomitu inteſtinali Purgantia quæcunque tam levia quam fortiora ſemper *evadunt Vomitoria* & ita malum non leniter exaſperant. Unde recte dicit SYDENHAIN *Tract. de Methodo curandi Febres p.67.* & 68. qui admodum eſt elegans, quod non applicanda ſint Purgantia niſi prius reſtituto in integrum ventriculo, quod veriſſimum eſt.

Deinde etiam hoc obſervetur quod in tali motu *ægri laborent ſumma virium dejectione*, & non raro etiam animi deliquiis; Propterea Medicus *ſemper aq. Theriacal. camph. aut vinum cum aq. Cinnamom.* & ſimilia refectiva, *ſpiritum roſarum Ambratum* caute debet admiſcere quo etiam viribus conſulatur. Animi deliquium oritur ex fœtore quo tales ſunt affecti. Jam omnia fœtida ſpiritibus nocentiſſima judicantur.

De fœtore hoc conſulatis PANAROLL. *Pentecoſt.* 4. *obſ.* 16. de juvene quodam volvulo tandem mortuo qui fœtidiſſimum odorem non tantum in omni vomitu & ructu ſed etiam tandem ex toto corpore exſpiravit.

Quæ ergo conveniunt in hoc morbo ſunt 1. *Clyſteres abſtergentes & emollientes quos ex Vino, urina pueri, & ſeminibus Carminantibus commendat* Z. *Luſitan. li.7. Medicor. princip. hiſt.97. obſ. ſequent.* Simplicia emollientia ſatis ſunt cognita & quomodo ex his fiunt Clyſteres: ubi opus eſt ſtimulo iiſdem incoquitur *colocynthis* imprimis in alvi obſtructione, aut *ol. lini aut raparum* quibus incoquuntur *trochiſci alhandal*, commode injiciuntur. RIVERIUS commendat pro clyſmate *decoctum Inteſtinorum & Omenti Vervecis in quo butyrum & ſal gemmæ diſſolutæ ſint* ſed in induratis fæcibus. Ubi metus eſt ſive adſit aut ſubſequatur inflammatio Inteſtinorum, LINDANUS laudat Clyſterem ex *Decocto Hordei in quo nitr.* uſque *ad ℥iij. diſſolutum ſit.* Facit huc Z. *Luſitan. loco ſupra citato*, qui habet obſervationem de Iliaco malo com vomitu ſtercorum per Clyſterem *ex ol. cum ruta & nitro decocto*, paratum, curat. RULANDUS habet obſervationem de Ileo periculoſo curato per Clyſterem *ex ſemini. lini ℥vj. Trochiſc.alhand.* ʒiß. quæ mutuo bullita, partim umbilico inungantur partim alvo immittantur loco Clyſteris, qui morbus Iliacus ita fuit curatus. Facit huc POTERIUS *cent.2. cap.84.* de Iliaca Paſſione per *ol. ſupra & infra infuſum* curata.

Hoc tamen moneo ubi motus periſtalticus inverſus jam incipit in Inteſtinis craſſis aut ab ipſo Podice, omnia injecta raro ſcopo ſatis, faciunt immo nunquam; ſed obſervandæ bene circumſtantiæ.

Interne notum eſt quod conveniant Globuli ſclopetorum, quod primum credo introduxiſſe HELMONTIUM ſive ſint fœces remoratæ; ſive ingreſſus Inteſtinorum partis inferioris in ſuperiorem: *ubi vero inflammatio & gangrana, & quando ingreditur ſuperius inferius non conveniunt.* Ubi dico juvant in ſcybalis induratis in conglutinatione item ubi inferius inteſtinum ingreditur ſuperius: Nam ita detruditur inferius in ſuum locum: Nocent vero ubi eſt inflammatio aut Gangræna, item ubi ita ingrediuntur Inteſtina ut ſuperius deſcendat in inferius, non enim poſſunt convenire quin potius exaſperant malum.

Videatur etiam præter HELMONT. Henr. ab HEER. *in obſer. oppid. rar.* it. ZAC. *luſit. lib. 2. prax. admir. obſ.* 27. ubi dicit & obſervat, quod pilæ plumbeæ 18. devoratæ parvæ tamen, curant: & curarint Ileum deſperatum ex nimia caſtanearum crudarum ingurgitatione ſeu ingluvie fœcibus induratis natum, ſic etiam habet exemplum *Ilei orti ex Pyris crudis* copioſe ingeſtis. Cæterum Globulos plumbeos ſuperat adhuc *Mercur. vivus* ſed *copioſe ingeſtus*, in dictis caſibus nempe ubi utiles ſunt globuli: ſed dico ſatis copioſe aſſumi debet. *Communiter ad* ʒj. præcipitur ut capiatur *in ol. Cumini*, quod quidem non contemno, ſed puto tamen *quod nimis doſis debeat eſſe ab* ℥j. *ad* ℥ij. *vel iv.* pro neceſſitate in qua conſtitutus eſt æger; & poſtmodum ſimulac per alvum ejectus eſt (nam ſi minor eſt doſis tarde & difficulter redditur) *propinetur ol. amygdalar. dulc.* ℥ß. & *ol. deſtill. aniſi* ℈ß. ut lubricitentur denuo & emendentur Inteſtina. Aliquando ERBENIUS cum eſſet *Archiater* POLONUS propinavit ℔ß. ad ℔j. *Mercur. viv.* in obſtructione alvi quæ ad aliquot dies in ægro ſubſtitit, ut ergo promptius operaretur, ægrum currui impoſitum hinc inde cum violentia & impetu trahi juſſit, qui poſtmodum domum reverſus in ſomnum incidit, mane vero reperit ſtercora cum Mercurio vivo in lecto utut per 3. dies illum detinuerat. Qui vult videre quædam de Mercurio in Iliaca paſſione conferat RIVERIUM *in praxi p.456.* item Henr. ac HEER. *in citat. loco.* FONTANUM *in Conſil. & reſponſ. p.85.* RHODIUM *in cent.2. obſ.80.* LYSERUM *in obſerv. cultro Anatomico annexis p.* 244.

Et quidem quod Mercur. ſit melior globulis plumbeis, patet ex FONTANO *qui in conſ. & reſponſ. p. 85.* refert Iliacam paſſionem tandem Mercur. ope curatam poſtquam tres globuli bombardarum deglutiti fuiſſent, &c.

Præter Mercur. & ſimilia interne commendantur *juſcula emollientia* quæ temperant acrimoniam & indurata emolliunt quorum hiſtoriam habebitis in RIVERIO *juſculum Malvæ aut decoct. Flor. Meliloti & Chamomillæ. item flor. Chamom. & decoctum Hordei cum melle & nitro aſſumendum.* SYDENHAIM cit.loc. in principio morbi laudat ℈j. ſal abſinth. cum ſucco limonum aſſumpti ſuperingeſta ſubinde Aqua Menthæ. Aliàs interdum etiam propinantur *pinguia*, Inteſtina lubricantia qualia ſunt ol. commune, Amygd. dulc. it. ſpir. Therebinth qui à PETRÆO ceu egregius commendatur ad ſiſtendam irritationem. Commendatur etiam *Theriaca in hauſtu vini ad* ʒj. *aſſumpta, it. ſirupus papaveris* & ſimilia.

Externe commendatur *ol. chamomill. cæruleum cum pinguedine Taxi* miſtum & abdomine probe illitum. Item ZAC. *Luſit.* curat *Ileum* pertinacem *ex eſu malorum Cottoneorum* Induratis fœcibus contractam, aliis omnibus irritis per ſtercus Vaccinum recens toti abdomini per illitum & ſic Ileus fuit curatus. *Veteres & jam quoque moderni applicarunt follem & flatus copioſos in Inteſtina injecerunt* eum in finem ut flatus inteſtina nimis diſtendentes ſcybala à parietibus abſcedere facerent & poſtmodum facilius ſi quæ adeſſent in Inteſtinis ſtercora removeantur. Videre poteſtis hunc ap-

plicandi modum in AMAT. *Luſit. cent.* 1. *cur.* 100. it. in RIVERII *Prax.* 456. Uti etiam in EPIPHANIO *Ferdinand. hiſt.*74. ſic ZACUT. *Luſitan. in lib.* 2. *prax. admirand. obſ.*25. habet tale Exemplum Ilei ex *eſu nimio oryzæ ſemicrudæ* ob retentas foeces *per applicationem follis curati.*

Ubi dolor urget quod eſt frequens ſymptoma admodum laudatur Omentum vervecis recentiſſime impoſitum it. ſpecificum eſt in tali dolore *ſi ſanguis veſpertilionis* illinatur Hypochondriis quod ad malum commendatur: Uti etiam ſi exuviæ ſerpentum cum ol. roſac. decoctæ ventri applicentur.

Denique cum omnia alia videntur fruſtranea, deliberandum eſt an audiendus ſit BARBETTE *in Anatome ejus ad praxim applicata pag.*148. qui dicit, aliis nil juvantibus apertio Abdominis inſtituenda & manuali opera ſitus Inteſtinorum corrigendus.

Subſiſtitimus adhuc in Læſa contentorum in Inteſtinis expulſione, & progredimur nunc ad EXPULSIONEM CONTENTORUM AUCTAM, quando nempe aut citius, aut crebrius, aut frequentius, aut copioſius ejiciuntur copioſa excrementa & contenta. In genere vocatur.

ALVI FLUXUS.

Alvi fluxus. Qui *Alvi fluxus* pro Excretorum varietate varia ſortitur nomina, de quibus jam in ſubſequentibus ſuo loco.

Verum antequam ulterius progrediar: *Ventilanda prius eſt Quæſtio. Per quænam loca in purgatione artificiali transferantur excrementa in Inteſtina?* per quænam loca quando v. gr. aſſumuntur pulvis Jalappæ, Rhabarbari, Hellebori & ſimilia in inteſtina expurgentur iſta Excrementa?

R. Loca iſta eſſe tantum *duos ductus* iſtos *Cholidochum* & *Pancreaticum* propterea quoniam hi ſunt naturaliter diſtincti, ut, quicquid ex maſſa ſanguinea in iis fuit ſeparatum ad inteſtina amandent. 2. quia alii nulli apparent ductus. Jam vero licet multi cum PLEMPIO & aliis Autoribus velint, quod per vaſa etiam Meſaraica in purgatione artificiali ſeparentur excrementa. Reſpondeo tamen quod contra legem naturæ univerſalem quæ talis eſt, & per experientiam confirmatur, quod nempe nunquam fiat ſecretio cujuſdam materiæ ſecernendæ ex maſſa ſanguinea ſine certo ac determinato cribro, per quod tanquam per filtrum ſeparetur excernendum ab utili maſſa ſanguinea: ſin vero immediate & citra tale inſtrumentum ſeparativum, ut ſic dicam, aliquid ſeparetur è Maſſ. ſanguinea, tunc hoc fit promiſcue, nunc cum ipſo ſanguine, uti hoc clarum eſt in fluxu hœmorrhoidali item in Hæmorrhagiis quibuſcunque criticis, item in vomitu ſanguineo ſpleneticorum interdum Periodico & ſalutari, &c. *Ita ut omnino exiſtimem per vaſa Meſaraica quæcunque nil in purgatione deferri ad inteſtina, ſed* quicquid defertur, deferri *eo per ductum Pancreaticum & cholidochum.* Unde etiam eſt quod hi duo ſucci ſi naturaliter ſint conſtituti, ut plurimum tingant excrementa à purgantibus colore ſubpallido & ſubflavo, qui color ſæpius oritur ex Bile tingente copioſo tamen ſucco pancreatico diluta. Sin vero vitioſe hi ſucci conſtituti ſint aut ſi remedium aſſumptum habeat vim tingentem, qualia ſunt Rhabarb. Aloe remedia Martialia & ſimilia tunc varii coloris varia oriuntur excreta.

His præmiſſis pergo ad.

CHOLERAM.

Cholera. Quæ *eſt affectio, quando* nempe *non abſque impetu & non abſque ſingulari violentia copioſa recrementa tam ſurſum per os quam deorſum per anum expurgantur.*

CAUSA eſt fortis aut inſignis irritatio Inteſtinorum, facta ab ipſis excrementis acribus & effervescentibus. Locus irritationis eſt finis duodeni & principium jejuni, ibidem ſcil. ubi inſeruntur iſti ductus Pancreaticus & cholidochus, per hos enim dum confluunt in iſto loco acres ſolum & contrarii ſucci, hi non poſſunt non inſignem excitare effervescentiam & acrimonia ſalina fortiter irritare & ſtimulare inteſtina in iſto loco, quæ ipſa mox convulſivo motu ſe contrahunt, & ita periſtalticum motum tam inferiora verſus naturalem quam ſuperiora verſus inverſum præternaturalem excitant: per quem inverſum præternaturalem contenta regurgitant in ſtomachum, ex qua continuata contractione periſtaltica ſurſum tandem vomendo egeruntur:

CAUSA remotior eſt *inſignis fermentatio corruptiva, in Maſſ. Sang. facta à fermento peregrino vitioſoque cum ipſa confuſo:* quod fermentum vitioſum eandem fermentando alterat, tranſmutat & corrumpit ita, ut partes corruptæ ne vitioſæ ſero involutæ tandem per abuſum (nam revera abutitur Natura his viis) ſupra citatorum ductuum ad inteſtina ablegantur, & ibi concurrendo, effervescendo, hanc Tragœdiam choleræ agant.

Nam quod tale vitioſum fermentum ſit, quod Maſſ. Sang. inquinet, patet ex eo quod utut non rara ab *alimentis corruptis* occaſionaliter inchoatur *Cholera*, nihilominus tamen excrementorum quantitas ſit tanta, ut alimenta aſſumpta omnia & quocunque modo corrupta longe ſuperet: quæ excrementa non oriuntur niſi ex maſſa ſanguinea. Hinc etiam eſt quod *purgationes ſi ſint nimiæ, non raro Choleras excitent*, in iſtis ſcil. *in quibus copioſa ſalia contraria & acria per medicamentum purgans* fermentante motu, ad inteſtina detruduntur & ibidem *effervescendo Choleram* excitant.

Unde eſt quod *Fructus Horai*, aut ipſi *aeris vitio corrupti*, aut in *ſtomacho digerendo vitiati*, per facilem imo facillimam quam ſubeunt fermentationem, Maſſ. Sang. fermentando *Choleram* excitant. Unde etiam ex iſta fermentatione præternaturali maſſæ ſanguineæ *ſymptomata Febrilia*, non raro adſunt, tam ratione *Pulſus*, quam ratione *Caloris & Cephalalgiæ:* Imo facit huc imprimis *hiſt.* AMAT. *Luſit.cent.* 3. *hiſt.* 88. de muliere cholera correpta cum Febre ſupervenientibus tandem Menſtruis, in qua quando effluebant menſes, alvus erat aſtricta, ſimul vero atque menſes ſupprimebantur cum Febris inſigni augmento redibat Cholera & ſic viciſſim, quodinnuit effervescentiam febrilem in Maſſ. Sang. quæ maſſa ſanguinea per menſes fluentes, tum his ſuppreſſis per choleram morbum evacuabatur, idque cum effervescentia.

Fermentum hoc maſſæ ſanguineæ in Cholera ſæpius eſt malignum, id quod tetra ac periculoſa quæ non raro conjuncta ſunt teſtantur ſymptomata. *Peracutum* enim eſt *malum Cholera*, quodque graves *lypothymias*, *extremorum refrigerationes* non raro *convulſiones* cum *pulſu parvo, celeri & frequenti* inducit. Hinc etiam eſt quod *Theriacalia ſudorifera & malignitati reſiſtentia* primario in hac *Cholera* ſunt attendenda.

Unde etiam PANAROLLUS *Pentec.* 1. *obſ.*28. *choleram à veneno* quodam *putredinali* oriri aſſerit. & Joh. COLLE *medic. pract. lib.* 3. Choleram inter affectus ventriculi malignos reponit. In genere quæcunque & qualiacunque ſymptomata fortem ac deleteriam *Antimonial. purgationem* ſequuntur, ea ſimiliter obvia ſunt in *cholera* morbo: jam vero notum eſt quod *Antimoniale venenum* ſit *maximè corpori inimicum* & adverſum & cum magna malignitatis nota conjun-
" ctum, in genere cauſæ remotæ occaſionales quæ
" fermentum corruptivum & choleram producunt
" ſunt: Vel Alimenta aſſumpta facile fermentando
" corruptilia vel Medicamenta aſſumpta acriora &
" maligna: vel denique Certa venena aut acrimonia corroſiva aut ſibi propria natura Choleram indu-
" centia.

Inter

Inter Alimenta 1. ſe offerunt *Mala Perſica* ex quorum eſu Choleram contractam in ſe ipſo obſervavit TIMÆUS *in lib.* 3. *caſ.* 8. *it. Raphanus* & nimius ejus uſus ratione ſal. volat. acris, quo corrupto inſigniter poteſt depravari etiam ſanguis non raro inducit Choleram: exempl. hujus rei habet AMAT. *Luſit. cent.* 2. *cur.* 32. Ex eſu *Melonum* eandem choleram obſervavit ZACUT. *Luſit. lib.* 1. *prax. admirand. obſ.* 17. Ex eſu nimio *lactis* hincque ejus *corruptione*: (Nam fac facillime fermentatur & corrumpitur) obſervationem habet *Henricus ab* HEER. *in obſer. oppido raris obſer.* 15. Sic *ex oryza* cum *lacte* parata, ſed *frigide* aſſumpta itidem choleram obſervavit ZACUT. *Luſit. cit. loco obſer.* 16. It. ex eſu *Cucumerum* itidem choleram obſervavit ZACUT. *Luſit. lib.* 7. *prax. admit. obſ.* 15. itidem ex eſu *fructuum præcotium cum ovis frixis ſuperbibita frigida* obſervavit choleram ingentem ZAC. Luſit. ita ut biduo trecenteſies, ejiceret, & ſexageſies evomeret. *Muſtum, cerevisia novella, vinum non rite defæcatum* facillime generant choleram, ſi eorum fermentativa vis ad Maſſ. Sang. forſan digeſtionis errore deferatur: ſic SCHENCK. obſervavit Choleram *ex Muſto, eſu fungorum, potu frigidæ, ambulatione cum pedibus nudis, & lotione pedum in aqu. frigida* quæ conjunctim periculoſam choleram induxerunt *vid. l.* 3. *obſ.* 3. It. FONTANUS *in Analectis cap.* 15. *exempl.* 12. memorat Anum ſeptuagenariam quæ ex eſu nimio *Cucumerum ſuperbibita* Cereviſia, cholera correpta fuit, ita ut una die 300. vicibus aquam inſipidam per alvum, 100. vero vicibus pituitam per os ejecit. *Ova Piſcium Barbi & Lucii* inſigniter choleram morbum producunt. Exempla aliquot videbitis in TIMÆI *lib.* 1. *c.* 7. Item in SCHENK *lib.* 7. *obſ.*

Poſt aſſumpta *Alimenta* ſunt *Medicamenta purgantia nimis generoſa aut fortiora, aut inconcinna doſi* propinata quæ non raro inducunt choleram: ut videre poteſtis in RIVER. *cent.* 2. *obſ.* 19. It. in RHOD. *cent.* 2. *obſ.* 68. quod eſt rarum exempl. dum RHODIUS refert, quod ex aſſumpto Antim. non rite correcto ſingulis hebdomadibus per biennium Cholera periodica per aliquot horas excitata fuit recurrens. Ita FOREST. *l.* 18. *obſ.* 44. Choleram periculoſiſſimam obſervat. *ex taleolis radicis Hellebor. nig. vino infuſis*; *Venena acria arſenicalia, mercurialia, in ſpecie merc. ſubl. corroſivus*, multum contribuunt ad inducendam choleram.

Denique *Febres malignæ* in principio ſui interdum adjunctam habent choleram, quales Febres ſæpius ſunt funeſtæ ipſi ægro. Duo ſunt adhuc *ſingularia Choleræ Exempla*; unum FONSECÆ *lib.* 1. *conſ.* 84. de cholera in qua ſurſum & deorſum copioſa nigra fuerunt evacuata idque vitio Lienis propter menſium obſtructionem. Deinde PANAROLLUS obſervavit choleram ſanguineam in *Pentec.* 1. *obſ.* 11. de quodam viro mulierem ſuam ſæpius comprimente, qui cum aliquando ferocius huic actui incumberet, in tam copioſam ſanguinis choleram incidit ut etiam mortis periculum immineret: nihilominus curatus fuit cum vino granator. & ℈ iv. lapid. hæmatit. poſtquam ad 12. ℔: ſanguinis rejecerat, cum omnium admiratione, quod plane ſingulare eſt; & non memini me apud ullum Autorem tale quid legiſſe.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOST. clara.

PROGNOSTICA.

Sunt 1. *Cholera quæ ſupervenit principio Febrium imprimis malignarum, ut plurimum eſt funeſta*, utut in declinatione quarundam Febrium interdum poſſit eſſe ſalutaris, ſi nempe fiat per modum Criſeos. Aliàs *periculoſiſſimum & acutiſſimum eſt malum* Cholera, quod paucis horis & diebus poteſt jugulare.

2. *Propter malignitatem cautiſſime tractanda eſt cholera*, quoniam ſuſpecta admodum eſt propter metum recidivæ: ſæpius enim ægri jam reconvaleſcentes ex ſuperventu inopinatæ recidivæ obierunt, qualia exempla videbitis in HORSTIO *lib.* 4. *obſ.* 8. *quo magis patitur Ventriculus eò periculoſior eſt Cholera & etiam periculoſa habet ſymptomata, & eo citius mortem infert.*

4. *Non magis à ſtatu naturali recedunt excrementa*, imprimis ſi fuerint *livida* aut ſi fuerint *fœtida*, aut ſi fuerint *nimirum corroſiva*, qualia ſunt ea *quæ vocantur æruginoſa & porracea, eo periculoſior eſt Cholera*: ſin tamen aliquando oriatur Cholera *per Criſin, poteſt eſſe ſalutaris, uti monui.*

QVOD ATTINET CVRAM.

„ 1. Conſiſtit in eo, ut efferveſcentia maſſæ ſangui-
„ neæ nimia compeſcatur.
„ 2. Ut ſucci acres temperentur & blande aut per
„ inferiora, aut, quod in principio morbi melius, per
„ leniter ſudorifera evacuentur, hinc.
„ Stomachus & Inteſtina odoriferis appropriatis & blandis adſtringentibus roborentur. Dico *Odoriferis*: nam in omnibus Inteſtinorum & ſtomachi affectibus ſunt egregia odorifera ſive interne ſive externe uſurpanda, eò ſæpe ſolo poteſt alvus ſiſti. Sane multum hiſce tribuit HELMONT. qui ſolo *Emplaſtro odorifero* ſæpe deſperatiſſimas curavit Choleras.

Aliàs ad Curam obſervandum eſt 1. *quod ſemper Medicamentis Anticholericis admiſceri debeant alexipharmaca*, vel ipſa remedia propinata ex ſe vim habeant alexipharmacam, quia cauſæ hujus morbi ut plurimum, non levem ſecum vehunt malignitatem ubi recte monet LANGIUS Commentario in FABRUM.

2. *In principio morbi bene conſiderandus naturæ motus*: ſi enim monente HIPPOCR. evomuntur ea quæ debent, confert & facile ferunt. Unde ab alimentis corruptis & ſimilibus orta cholera non ſubito nimis eſt ſupprimenda, quare ab *adſtringentibus fortioribus in initio abſtinendum & cavendum ne vomitus & alvi egeſtio ſtatim in initio cohibeatur*, quoniam ſuppreſſa excrementa alia fermentativa ſub cinere gliſcunt, & novum ac deterius incendium minantur uti hoc recte monet FORESTUS *lib.* 18. *obſerv.* 15. it. AMAT. *Luſit. cent.* 3. *cur.* 88.

3. *Opiata* nunquam ſunt ſatis laudata remedia in
„ Cholera & omni alvi fluxu quæ ſane nunquam omit-
„ tenda. Sin tamen ſit magna virium diſſolutio ſeu
„ proſtratio, quod ſæpiſſime fit, magna Laudani doſis
„ non eſt exhibenda ſed in gr. j. vel ij. ſubſiſtendum
„ & raro bis in die exhibendum: ubi ſc. vires jam ſunt
„ proſtratæ.

Medicamenta quæ his conveniunt ſcopis ſunt. 1. quidem *Mentha* quæ ceu ſingulare ſpecificum commendatur à TRALLIANO, quoniam nempe ſingulariſſime convenit: Unde etiam *ejus Succus* inſigniter commendatur ad Choleram. Portulaca item & Scordium ac Plantago conveniunt. Semina 4. frigida majora & ex his paratæ Emulſiones propter vim temperandi acrimoniam humorum efferveſcentium à quibuſdam commendantur, quas tamen minus probo, quia laxant ſtomachum. *Aromata oleoſa, nux moſch. Caryoph.* & ſimilia commendantur ſimiliter. *Acida* item efferveſcentiam ſanguinis nimiam compeſcentia commendantur: *Succus aut Sirupus Granatorum, Ribium, & Berberum, ſirupus Corallorum, Portulacæ*, inſignem vim habent temperandi acidum in corpore: Unde in Cholera, ubi rejiciuntur viridia *Portulaca* cum cæ-
„ teris convenit. Unde etiam Decoctum Plantaginis
„ & Portulacæ cum ſirupo Cydoniorum & Confe-
„ ctione de Hyacintho valde commendatur. Spiritus
„ Theriacalis camphor. Eſſent. Theriacal. & Eſſent.
„ Menthæ, ſpir. vitr. imprimis ſpir. vitrioli Martis, &
„ & è ſpir. vitr. paratus liquor ſtypticus, cujus ſupra
„ feci mentionem. te m ſolutiones corallor, cum ſucco
„ citri aut Limonum. Tinctura item ſulph. vitrioli inſigniter

" ſigniter convenit,uti etiam in principio morbi Tinctura Bezoardica. ſ. miſtura ſimplex,quæ & efferveſcentiam Maſſ. Sang. compeſcit ratione ſpir. vitrioli blande adſtringendo,& ſudorem movendo malignitati occurrit. *Sal prunellæ* à Riverio commendatur ubi cum cholera conjunctus eſt ardor & ſitis.

Aliàs interne præterea conveniunt *terra ſigill. & terra Solis & Martis, Solaris eſt terra* quæ reperitur in aurifodinis coloris flavi & quæ imprægnata eſt, primo Ente auri quæ ſoluta cum ſpir. ſalis dat tincturam inſigniter adſtringentem,& quæ fluxibus malignis Epidemicis alvi præ cæteris convenit. Reperitur itidem in Mart. fodinis terr. Martialis,quæ ſimiliter imprægnata è primo Ente ſ. ſemine Mart. ſimiliterque hic commendatur Cryſtall. præp. ceu ſingulare laudatur ſpecificum imprimis ubi acria nimis acida rejiciuntur ʒß. *cryſtall.* admodum commendat Langius *in Epiſt. lib.*3. *c.*1. & hunc cryſtallorum uſum inſigniter ſimiliter expertus eſt Zacut. *Luſit. in lib.* 2. *prax. admirand. obſ.*15. Videri etiam poteſt Henr. ab Heer. *in obſ.*1. ubi Choleram inepto uſu fontium Spadanorum ortam *uſu Cryſtalli montani in ſucco Limonum & Berberum curavit. Bezoardicum ſolare , & Antim. diaphoretic.* vi præcipitandi & ſudorifera itidem conveniunt.

Præ cæteris laudatur *Opiatum* & omnia ex Opio parata remedia : quæ inter præcellit ad hunc quidem uſum choleræ *Diaſcordium* Fracastorii, *cujus doſis ad ſummum* convenit *in cholera* à ℈ij. ad ʒj. Compoſitio eſt ex adſtringentibus alexipharmacis & ſudoriferis ; Eſt quidem quodammodo rudis & Theriacalis , nihilominus quoad ingredientia eſt ſatis elegans. Utut loco ejuſdem vel *ſola Conſerva Menthæ cum terra ſigillata & aliquot granis Laudani Opiati admodum conveniat. Theriaca & Mithridatium* & ex his facta *extracta Theriacalia*,quibus in majori malignitate ſemper addenda eſt *Camphora.* Sic Sylvius in quacunque humorum attemperatione,& hinc orta Cholera curanda hanc M ſturam commendat.

℞. Aqu. Plantag. ℥ij.
Fœnicul. ℥j.
Diaſcord. Fracaſtor. ʒij.
Sirup. papav. alb. ℥j.
miſc.
D. S. Miſtur. doſ. cochleatim.

Vel alio modo.

℞. Aqu. Menth.
Cinnamom. Cydon. an. ℥j.
Spir. Theriacal. ʒiß.
Liquor. Styptic. ʒß.
Laud. opiat. gr.iv.
Sirup. Corallor. ℥vj.
miſc.

Ante aliquot annos mihi occurrit ſtudioſus,qui ex nimia compotatione incurrit in Choleram,cui propinavi hunc pulv.

℞. Ebur. ℈j.
Bezoart. Jovial. gr. v.
Pulver. Anodyn. confort. ℈ß.
miſc.

aſſumatur & cum Theriaca illinatur Ventriculus & ita bene ſe habuit adjuncto ſudore.

Timæus in *Cholera* pro fluvio alvi vehementiſſimo & ſimilibus fluxibus, commendat ſuam *opiatam Bezoarticam* cujus compoſitio eſt hæc :

℞. Theriac. Andromach. ℥ij.
Confect. de Hyacinth. ℥ß.
Bezoartic. Sennert. ʒij.
vid. ejus deſcript. medicam. ſingular. p. m. 442.
Magiſter. ſmaragd.
Perlar.
Corallor. an. ʒj.
terr. ſigillat. ſtrigenſ. ʒiij.
Extract. torment.
Contrayerv. an. ℈iv.
miſc. cum
Sirup. de Scord.
F. Opiata.

In Cholera à venenis corroſivis oborta, pinguia & oleoſa ſunt utilia , ut quando v. gr. eſt *ab arſenico & merc. ſublim.* tunc *ol. amygd. dulc.* it. *Lac* & ſimilia proſunt , ſemper tamen cum *terra ſigill.* acidum enim, & pinguia & lactea idem potenter temperant. Elegans quod huc facit,exemplum habet Poterius *Cent.*2. *cap.* 57. ubi *ex incauto potu Aquæ fortis , Vomitus , dyſenteria , Febriſque ſecuta ſunt,* quæ tamen omnia fuerunt " curata per lac , emulſionem amygdal. dulc. admi- " ſta terra ſigillat. it. cum Theriaca admiſtis aliquot " granis ejuſdem terræ ſigillat. uti etiam cum lacte " Vaccino chalybeato ſimiliter iſtius terræ nonnihil " abjecto.

Quod attinet *externa* , talia conveniunt quæ partim ſuperius in vomitu ſunt dicta,partim inferius de Diarrhæa recenſentur.

Cæterum in principio interne opus eſt ut dentur blande evacuantia & abſtergentia excrementa in Inteſtinis ſtabulantia , imprimis *ubi eſt nata cholera ex corruptione alimentorum* in ſtomacho : in tali partim excretio per ſuperiora adjuvanda , partim inferiora verſus excretio promovenda. In tali caſu Sylvius propinat *Vomitorium Antimon.* admiſto *Laudano Opiato* , unde fit ut dum antim. evacuat non minus & alii humores efferveſcant. Formula eſt hæc.

℞. Oxyſach. Vomitivi ʒij.
Laud. opiat. gr. ß. l. j.
Aqu. Menth. q. ſ. miſc.
F. hauſtus.

Inferiora verſus movent blande abſtergentia , qualia ſunt ſerum lactis , quod & ipſum acrimoniam humorum temperat , *cum ſirupo roſarum aut violarum ſolutivis* , it. *Manna* ad ℥j. vel. ℥ij. *Pulpa* etiam *Tamarindor.* ad ℥j. in ſero lactis diſſoluta non eſt fruſtranea. *Clyſteres* itidem injiciuntur,permiſta imprimis *Theriaca* ad imitationem Riverii qui ſubinde ſuis Clyſteribus admiſcet Theriac. non abſque fructu : Nempe clyſteribus ex lacte addit Theriacam ad ʒij. & ʒiij. interdum etiam ad ℥ß. Loco Theriacæ interdum permiſcetur *confectio de Hyacyntho* quæ ſimilis fere eſt uſus, Si oriatur *cholera ex Hypercatharſi*,tunc vel ſolum ſufficit *Laudanum opiatum* , quod in quacunque hypercatharſi eſt præſentiſſimum remedium ſi cum vino bibatur. Uti etiam notum eſt quod *Theriaca* à ʒj. ad ʒij. aſſumpta tum *ratione opii quamcumque hypercatharſin ſiſtat.* Sicut River *cent.* 2. *obſ.* 19. habet obſervationem de cholera morbo ex ſuperpurgatione admodum periculoſa, propinatis gr. vj. *Laudani opiati* exoptate curata. Sicuti idem River. curavit ſenem ſeptuagenarium , propinando *interne decoctum Plantaginis & Portulacæ* de quo ſuperius , cum Sirupo Cydoniorum & Confectione de Hyacyntho ſingulis noctibus exhibendo gr. j. l.ij. *Laudani opiati.* Idem River. facit mentionem choleræ morbi cum febre terriana maligna *cent.*3. *obſer.*75. caſus fuit admodum periculoſus , qui tamen fuit curatus præſcripto *Clyſmate ex juſculo cum Confectione Alchermes* ad ʒiij. & *Theriacæ recentis* ℥j. quo ſubito Vomitus & & alvus ſuppreſſa fuit. Deinde ad præcautionem ſemper 2. horis ante Paroxyſmum gr. ij. *laudani opiati* propinavit , & ſic præſervavit. Simile exemplum habebitis *in obſ.*4. *communicata à* Paschequo. Quando citra Vomitum per inferiora ſolum rejiciuntur copioſa excrementa , eaque varia tum communi nomine vocatur.

DIARRHÆA.

Alvi fluxus. Multa quæ dicta ſunt de cholera hic poſſunt applicari. *Diarrhæa.*

In genere nota quod ut plurimum Diarrhæa oriatur

ex

ex Maſſ. Sang. per fermentationem excrementa ſegregante & in Inteſtina amandante.

Diarrhœa iſta pro varietate excrementorum *varia habet nomina*, nunc *Diarrhœa pituitoſa*, nunc *ſeroſa*, nunc *biliosa*, nunc *purulenta*, quando pus per inferiora rejicitur, & qui ſunt alii modi. Imo quod attinet quamcumque excrementorum *Diarrhœam*, *omnis fit quando excrementa ex Maſſ. Sang. ſeparantur per fermentationem. Purulenta ſemper oritur ex prægreſſa ruptura abſceſſus*: ita notum eſt quod *Pleuriticis ſuppuratis* non raro ſuperveniat Diarrhœa purulenta; idem quod in *ulceribus*, *artuum* interdum pus ſub forma diarrhϾ ejiciatur per alvum, quale exemplum habet Pareus *in ſuis operib.* ſic habentur exempla *Diarrhœæ ſanioſæ ex rupto Iecoris abſceſſu vid. Benedict.* Sylvatic. *cent.* 3. *conſ.* 15. Ad hoc ut fiat Diarrhœa multum confert habitus corporis. Nam iis qui parum per cutem tranſpirant, facilis eſt Diarrhœa & propterea id, quod deprimitur, per alvum ſolet deponi: uti recte annotat Gabelhoverus *cent.* 3. *cur.* 73. *in Scholio* ii, inquit, qui ſunt cutis ſpiſſioris ſæpius quotidie egerunt quam qui poros habent apertos, inde & Diarrhœæ ſunt obnoxii.

CAUSA DIARRHÆAM.

Excitantes nunc ſunt ipſa externe aſſumpta facile effervescibilia, nunc eſt ipſe *internus naturæ motus.*

Inter aſſumpta primatum obtinent *fructus Horai*, utpote facillime fermenteſcibiles qui Maſſ. Sang. ſimiliter fermentando Diarrhœam producunt.

Interne provenit *Diarrhœa* aut per motum *Criſeos* aut per modum *ſymptomatis*. Per motum *Criſeos* quando in diuturnis morbis materia cocta, ſ. fœces Maſſ. Sang. per fermentum ſeparatæ & præcipitatæ, per convenientia loca filtratæ, cribratæ ſeparantur & ita confertim excernuntur. *Symptomatica* vero eſt quæ in principio morborum exturgeſcentium maſſa ſanguinea fermentativa & unica ejuſdem colliquatione oritur. Utrobique tamen, ubi apparet, præſupponitur fermentatio quædam aucta & vitioſa in maſſa ſanguinea. Interdum fit ut DiarrhϾ per certum tempus affligant, Exemplum habet Forest. *in lib.* 27. *obſ.* 2. de Diarrhœa quadam ſpontanea qua ſeroſa & quidam humores, excernebantur, ſingulis fere tribus menſibus recurrens. Sic diarrhœam etiam *menſtruam* recenſet Schenck. *lib.* 3. *obſ.* quæ diarrhœa ſemper declinante Luna cum variis torminibus afflixit, ita ut tandem ægrum etiam interfecerit. Varia excerni dixi per Diarrhœam: Unde etiam iſtud rarum eſt, quod obſervatum ſit interdum *excreta* eſſe *copioſa oſſa* & *Oſſicula* per Diarrhœam. Idem Schenck. *lib.* 3. *obſ.* habet exemplum de Diarrhœa tandem lethali in qua ſæpius oſſa & quidem copioſe fuerunt excreta. Pertinent huc DiarrhϾ ſanguinis utut raræ, & quidem per *modum Criſeos* affligentes quales diarrhœas aliquot obſervavit Rhod. *in cent.* 2. *obſer.* 85. ubi habet de diarrhœis ſanguinis Criticis *in Febribus* ægros ad ſalutem vindicantibus: quale exemplum nullus Autorum unquam notavit: idem Rhod. *cit. loc. obſervatione antegreſſa obſervat Diarrhœam ex ſuppreſſione urinæ, dum fuit rejecta per Pancreas urina* per renes ſecernenda. Singulare præterea eſt Mearæ, *in hiſtor. medic. p. m.* 131. *de diarrhœa ſeroſa*, ut ipſe inquit, è capite oriunda (potius ex tota maſſa ſanguinea) quæ quoties ſupprimebatur toties in capite oriebantur *copioſi pediculi*, ipſa vero fluente, ipſi pediculi evaneſcebant.

QUOD SPECTAT SIGNA DIAGNOSTICA.

Sunt clara cum ex relatione ægri pateſcant.

QUOAD PROGNOSIN.

Obſervandæ *Differentiæ Diarrhœarum*: Nempe Diarrhœa ut eſt *ſpontanea* aut *non ſpontanea. Non ſpontanea* eſt vel *ſymptomatica* in principio morbi, aut *Critica* in declinatione *Spontanea*, ſi excernantur, ea quæ debent, idque cum Euphoria ægri, relinquatur quoniam fit ad ſalutem ægri. *Symptomatica* vero, quæ ſupervenit morbo, ſi non ſemper, certe ut plurimum eſt mala: Sic v. gr. *Diarrhœa* ſuperveniens *Peripneumoniæ eſt peſſima*: Nam omnis talis alvi fluxus in principio morborum ſuperveniens eſt malus, quia 1. impedit coctionem materiæ morbificæ ſeu legitimam ſeparationem per naturalem ejus fermentationem. 2. quia vires proſternit. 3. quia ſubſequens eſt febrilis colliquationis, id quod patet, quod, quoniam rejecta tunc temporis ſunt ut plurimum fœtida: Ergo talis Diarrhœa ſymptomatica ſemper ſiſtenda, aut ſaltem ita cohibenda ne fiat præternaturalis.

Medici alias ordinarie putant indicari tunc purgationem quando ſc. ſupervenit talis Diarrhœa, ſed recte dicit Lindanus ipſos tunc neſcire quid ſit ſuperveniens morbo. Nam cum talis Diarrhœa ſuperveniat tantummodo propter ſummam materiæ cruditatem, eamque ſæpius malignam, non debet ſane irritari aut exaſperari purgantibus.

Adhuc unum in prognoſi moneo. Communiter dicunt. Mulieri uterum gerenti, ſi alvus multum fluat periculum eſt ne abortiat: idque ſecundum Hippocr. *ſect.* 5. *aphoriſ.* 34. Verum recte hic ſentit Scholzius *conſil.* 340. *Vbi*, inquit, *videris fluxum adſiſtendum inobedientem, nempe in gravida, ne multum urgeas*, ferunt enim nonnunquam prægnantes hujuſmodi purgationes, uſque ad partum citra noxam; ut contigit in uxore fratris mei, inquit, quæ prægnans per 4. menſes ſanguinolentas dejectiones etiam cum raſura Inteſtinorum paſſa eſt, nec ullo medicamento ſiſti poterat, tandem excluſo fœtu ſano & incolumi ſponte ſua intermiſit. Videatur itidem Platerus quoad hoc punctum, *de Gravida in obſerv. p.* 802. *it. de ſimili alvi fluore & dyſenteria Gravidarum* Ballon. *lib.* 2. *conſ.* 57.

QUOD ERGO ATTINET METHODUM Medendi.

Cautiones fere ex differentiis Diarrhœarum patent.

In genere enim, quando eſt ſiſtenda Diarrhœa, *ſanguinis effervescentia compeſcenda, per præcipitantia blando adſtringentia ſeu incraſſantia & Anodyna.*

2. His ſi adjungatur *Sudor*; curatio erit magis fida ſeu tuta.

3. *Evacuanda* ſunt *excrementa* occaſionem ſubminiſtrantia.

4. *Roborandus eſt ſtomachus*: cum in omni Diarrhœa ſtomachus ſit labefactatus, unde ſemper attendendum eſt ad ſtomachum.

5. In Diarrhœa maligna aut *Epidemice* graſſante, *ſudorifera alexipharmaca blande adſtringentia* utramque paginam facere debent.

Ea ergo quæ conveniunt in diarrhœis ſunt imprimis *tormentilla*, cujus *extractum*, præmiſſa, ſcopus, eſt levi purgatione abſterſoria, à ∋ß, ad ʒj. propinatum in conveniente vehiculo, à quibuſdam aliis omnibus præfertur remediis in *diarrhœa* etiam *Epidemica*. Poſt „ *Tormentillam* convenit radix Plantaginis, it. herba „ Plantaginis & Portulacæ, uti etiam folia Myrti, „ flor. Balauſtiorum, Lyſimachiæ flor. luteo & pur- „ pureo: fructus Myrtillorum, Meſpilorum, Sorborum, Cydoniorum. Eſt ſpecies quam vocant *Sorbum*, cujus fructus ex nondum perfecte maturis expreſſus & inſpiſſatus, ſuperiori anno egregie profuit. Forestus *lib.* 22. *obſerv.* 1. aliquotes expertus eſt uſum Meſpilorum in quibuſdam diarrhœa continua laborantibus, qui aliis irritis his meſpilis fuerunt curati. *Lignum Lentiſcinum*, ſ. lignum ex quo tranſudat Maſtiche, ubi poteſt haberi minori pretio, eſt admodum elegans, *Decoctum hujus ligni* potum inſigniter

Q notum

notum eſt de Maſtiche ex hoc ligno poſtmodum *ſemen Portulacæ* & in ſpecie *ſophiæ chirurgorum* valde commendatur. *Spongia ſalicis exſiccata* ad ʒß. data à quibuſdam ſingulariter commendatur, hæc ipſa ſpongia aliàs commendatur ab HARTM. ad Choleram, paucorum granorum doſi, ſi in aqu. ſtyptica propinatur *nux moſchata* & *Macis* communia ſunt & omnibus nota contra diarrhœam remedia inter aqu. appropria-
“ tas ſunt imprimis, aq. Tormentill. Pimpinellæ,
“ Plantaginis & Portulacæ: Ex ſuccis ſunt ſuccus
“ Cydoniorum & Granatorum. Rob & muſcus prunorum ſylveſtrium, quod Rob commodiſſime loco hypocyſtidis poteſt ſubſtitui. *Gelatina CC.* in potu ordinario diſſoluta eſt admodum ſpecifica in *Diarrhæa* in ſpecie *Epidemica* graſſante. *Decoctum Maſtichis*, ſeu gummatis ex Lentiſco ſecretum fuit D. OSVVALDI contra diarrham in aqu. appropriata vel potu ordinario. Loco hujus decocti quidam imprægnat *aq. fumo Maſtichis*, ſcil. adjiciunt Maſtichen ſupra prunas calentes, fumum excipiunt olla nova & mox ollam fumo bene repletam implent aqua appropriata, hoc ſubinde repetunt, donec ſubtilem Maſtichis ſaporem acidulum aqu. contraxerit, quæ eſt
“ potus conveniens in Diarrhæa & Dyſenteria. Ovi
“ vitella dura aceto roſaceo irrorata & acidulata ſunt
“ experimentum HELMONTII p. m. 184. §. 22.
“ Aliàs aqu. Chalybeata. Item ſerum lactis chaly-
“ beatum uti & acetum chalybeatum convenit. Decoctum granorum Juniperi laudatur à RIVERIO urinam enim promovendo neceſſario alvum exſiccat. *Malum Cydonium cera impletum & aſſatum comeſtumque egregie convenit. Bolus Armena, terra ſigillata, terra ſolar. vitriolata* ſeu ſpir. vitr. irrorata inſigniter convenit, cum efferveſcentia Maſſ. Sang. potenter compeſcat & præcipitet. *Reſiduum ab extracto Rhabarbari*, aut etiam *rhabarbarum toſtum*, ſcopis multis ſatisfacit, adſtringit, acrimoniam humorum temperat, & tum temporis potenter ſudorem movet. *Sachar. ſaturn.* à multis non incommode commendatur, ubi imprimis excrementa ſunt nimis acria. Hoc miſtum cum *croco Martis* adſtringente valde convenit in Diarrhæa & Dyſenteria. Vel ex *vitriol. Martis & ſaccharo ſaturn. fit Hæmatites artificialis* cujus gr. x. vel xv. in aqu. appropriata inſigniter conducunt: nam & ipſe *Hæmatites* naturalis ex Mart. & ſaturn. vim ſuam habet in ſiſtendo ſanguinis fluxu & compeſcendis etiam diarrhæis. *Sal prunellæ* non eſt inconveniens ubi imprimis in febribus cum ſiti & ardore affligit diarrhæa Exemplum habet RIVERIUS de diarrhæa per uſum *ſalis prunellæ* curata *cent. 1. obſ. 33.* Denique præter *liquorem ſtypticum*, de quo ſuo loco dictum, *confert opium*, & utramque faciunt paginam *opiata*: Nam *opium* quoſcunque motus & evacuationes corporis præter ſudorem compeſcit, hæmorrhagias, ſiſtit, paroxyſmos febriles inhibet, vomitus ſedat, &c. In genere omnes humorum motus, ſive ſint efferveſcentiæ, ſive alii potenter compeſcit, unde ſemper cum præcipitantibus & diaphoreticis miſcetur *opium*: propter hoc opium, *theriaca* tales meretur laudes contra quoſcunque alvi fluxus, imprimis cholericos ita ut veteres non ſatis illam potuerint laudare, & ab opio vim ſuam habet ſudoriferam. *Theriaca* in hoc caſu ſive *externe* applicetur umbilico illita & regioni ſtomachi, ſive *interne* à ʒj. ad ʒij. aſſumatur, egregie confert: Et quidem quo magis eſt recens eo potentius operabitur, quoniam minus infractæ ſunt opii vires.

Miva Cydoniorum aromatica cum Theriaca miſta: vel miva Cydonior. arom. ad ʒj. vel ʒij. cum aliquot guttulis olei deſtillati Cinnamomi & Macis, experimentum eſt ſæpius probatum LOTICHII *in obſerv.* quibus ſi addantur aliquot grana Laudani opiati. erit bolus eo magis efficax. Quidam ℞. *Boli Armen. nuc. moſch. aa.* miſcent cum *vitelli ovi* ad mollitiem cocti & ita *abſque ſale* ſumunt quod experimentum eſt STOCKERI *in ſua praxi.* Quibuſdam etiam ceu probatiſſimum commendatur, *ſevum hircinum* (multa ſane latent in hirco) quod liquefactum cum tantillo farinæ triticeæ miſcetur, ut fiat inſtar pulmenti, quod pulmentum ſubinde aſſumptum: laudatur inſigniter contra diarrhæam. Pro *potu ordinario ſit decoctum Maſtiches* ſupra dictum.

STOCKERUS decoquit *Maſtich. in aqu. pluviali*, quod decoctum tepide ſumptum, ceu certum experimentum commendat. ELLENBERGIUS *quondam Medicus Hallenſis Saxo pro potu ordinario menſ. j. Cereviſiæ in qua decoxit Sacchar. alb. ℥ij. & Gumm. Arabici* ℥ß. propinat.

Quando graſſatur diarrhæa Epidemica maligna: Alexipharmaca ſudorifera, præprimis conveniunt quæ etiam conducunt in quacunque diarrhæa.

Sudorifera uſitata ſatis cognita, *miſcenda* tamen *ſemper appropriata, cum ſpiritu Theriacali conjungatur Spiritus Maſtichis cum terra ſigillata, ſal volat. viperarum* & ſimilia.

Superiori Anno cum graſſaretur hic *Diarrhæa Epidemica* non abſque applauſu medentium aliquoties uſum vidi egregium hujus pulver. *etiam ubi jam adeſſet Delirium.*

℞. Antim. diaphor.
terr. ſigill. an. gr. xv.
ſal. volat. viper. gr. vj.
Pulver. Moſchat. gr. jv.
miſc.

Fiat pulvis pro doſ. j. blandum ſudorem expectando, cui interdum etiam unum alterumve *gran. Laud. opiati* additum egregie convenit. It. Mixtura hæc aliquoties feliciter ſucceſſit.

℞. Aqu. Tormentill. ℥iij.
Diaſcord. FRACAST. ʒij.
Extr. Torment. ʒj.
Antim. diaphor. ʒß.
Sirup. Cydonior. ℥j. miſc.

Pro duabus doſibus expectetur ſudor, poſt unamquamque doſin.

In eadem *Diarrhæa maligna Gelatina CC.* ſemper egregium habuit effectum.

Externe contra diarrhæam inſigniter commendatur *Theriaca* umbilico impoſita & illita, aut etiam regioni ſtomachi ſimul, ſive ſola, ſive cum ana Balſa-
“ mi Peruviani miſceatur, & irroretur aliquot gut-
“ tis ol. deſtillat. Macis. Emplaſtrum de cruſta panis
“ malaxatum cum ol. Maſtichis, ſimiliter convenit
“ cruſta Panis toſta vino auſtero adſperſa ſimiliter convenit quando inſpergitur pulv. *nucis moſchatæ* & applicatur ſtomacho. *Balſamus* ſeu *Linimentum factum ex ol. macis deſtillato & ol. Menthæ & Carvi deſtillatis & ſ. q. ol. nucis moſchatæ expreſſi*, quantum ſufficit ſcil. pro corpore. Fiat Balſ. ſtomacho & umbilico illinendus.

Quando opus eſt abſterſione inteſtinali tunc notum eſt quod uſitatum ſit *Rhabarbarum* idque nunc in ſubſtantia ad ℈j. cum conſerva roſarum, nunc vero toſtum ad ℈ij. cum *pulver. nucis moſch.* gr. v. vel viij. Vel *Sirupus roſarum ſolutivus* propinatur in *decocto hordei*, cui additur ℈j. *præter propter terr. ſigillatæ.*

Fit nonnunquam ut *diarrhææ* ſint admodum *diuturnæ*, ita ut etiam ad aliquot annos ſeſe extendant: in tali caſu conveniunt *Thermæ*. Sic RIVERIUS *cent. 2. obſ.* 47. facit mentionem alvi fluxus per 8. annos durantis, qui tandem uſu *Thermarum* fuit curatus. Quibus ipſis Thermis etiam curatus fuit alius alvi fluxus diuturnus cum ulcere conjunctus.

Hæremus adhuc in affectibus alvinorum fluxuum & quidem præter varia & tantum non innumera quæ diarrhæarum forma excernuntur, non rarum eſt quod etiam aſſumpta excernuntur prout fuere ingeſta,

in

in Affectu quem vocant LIENTERIAM.

LIENTERIA.

Lienteria. *Eſt quando aſſumpta, prout fuerunt ingeſta egeruntur: aut eſt alvi fluxus ubi parum aut leviter, aut omnino non immutata per alvum egeruntur aſſumpta.*

Jamvero cum in naturali ſtatu ad legitimam digeſtionem requiratur ut fermentum digeſtivum debite diſſolvat & ſtomachus convenienter retineat, ſane ex contraria cauſa neceſſario oritur LIENTERIA.

ORITUR nempe aut *quia ſuccus fermentativus ſtomacho aut omnino deficit aut iners eſt,aut quia tanta eſt Pylori laxitas,econtra reliquarum partium ſtomachi irritatio*, ut nihil in ſe retineat, quin potius Pylorus aſſumpta dilabi ex ſe & pertranſire ſinat quam revera excernat: idque imprimis, uti dixi, ſi cum hac pylori laxitate vel leviſſima conjungatur irritatio ſtomachi vel moleſtia. Unde eſt quod obſervata ſit *Lienteria* admodum *contumax ex ulcere ventriculi*, in hoc enim ulcere non tantum fuit corruptio ſucci fermentativi ſtomachici & ob id imminuta digeſtio, ſed præterea etiam ſtomachus ulcere doloroſo continuo irritatus quælibet aſſumpta mox deinde expulit. Nihilominus tamen hoc ulcus fuit curatum & per conſe-" quens etiam Lienteria 1. abſtergendo per aq. mul-" ſam it. decoctum hordei cum melle roſaceo, poſt-" modum 2. coſolidando cum decocto radicis ſymphyti cum terra lemnia, uti hanc hiſtoriam recenſet FORESTUS *lib.22. obſ.30.* Item Lienteriam *ex irritatione ſtomachi* obſervavit GABELHOVERUS *cent. 2. obſ. 47.* qui refert exemplum cujuſdam qui Borborygmis & ſtomachi debilitate nonnihil affectus omnia potulenta in ea forma,qua aſſumpſit per alvum egeſſit: Curatus tamen fuit per *abſtergentia & temperantia*, imprimis *ſerum lactis.*

Verum *nimius potus* etiam dat Lienteriam idque propter laxitatem nimiam,quam infert ſtomacho præſertim pyloro: Hujus enim fibræ relaxatæ non poſſunt ſufficienter ſe conſtringere & propterea ſuccedit Lienteria ſeu alimentorum crudorum egeſtio: Sic DEODATUS *in valetudinario p. 28.* de puella refert ſiticuloſa continuo bibente in Lienteriam incurrente. Denique *Scorbutus* non raro ſecum conjunctam habet Lienteriam ut primus annotavit BARBETTE, utut continuo in praxi occurrat, ut excrementa à talibus aſſumpta, ſicut fuerunt ingeſta, excernantur. Malum difficile & admodum reluctans in ſcorbuticis, & quod credo oriri ex ſaliva infecti inſigniter, quod in talibus fieri poteſt, inde, quod in iis dentes non raro laborent ulceribus, fit, ut ſaliva in his ulceribus in ſtomachum deſcendens, non poſſit non moleſtiam contrahere eidem, & cum alimenta, dum maſticantur, hac ipſa ſaliva impregnentur tunc fit ut non poſſint diutius retineri, ſed vel leviſſima laxatione pylori denuo è ſtomacho dilabuntur.

QUOD ATTINET SIGNA IN DIAGNOSI.

Res eſt aperta:

QUOAD PROGNOSIN.

1. Lienteria *diu durans*, *ut Atrophiam & tabem ita ſummam virium proſtrationem* ſecum *infert*, ut fieri aliter nequit.

2. Lienteria quæ ſupervenit *gravioribus morbis* ſive ſunt *acuti* ſive *chronici ægrum* ſimiliter ad *tabem diſponit*, quia difficulter curatur, propter virium inſignem dejectionem, quæ tamen deberent reſtaurari per aſſumpta.

IN CURA OBSERVETUR.

1. *Stomachum eſſe roborandum & blande adſtringendum moderate acidis.*

2. *Irritationem eſſe ſiſtendam tollendo acrimoniam humorum quorumcunque & ſopiendo ventriculi ſenſum.*

Hos ſcopos ut felicius obtineamus obſervetur. 1. quod in præſentia excrementorum ventriculi pituitoſorum conveniunt quidem *vomitoria*: ſed ea debent admodum *lenia* eſſe, fortiora enim vel quantitate vel qualitate aut oleaginoſitate infeſta (imprimis oleoſa quæ veteribus fuerunt in uſu) tonum ventriculi facillime deſtruunt. 2. *Si metus* vel *ſuſpicio veneni* adſit, imprimis ſi contracta fuerit Lienteria ex fungis vel aliis *fructibus horæis*, ordinaria Methodus relinquenda & his venenis *per alexipharmaca* reſiſtendum. 3. Monet FORESTUS *lib. 22. obſerv.22.* Hoc unice eſſe obſervandum, quod debeamus *cavere à fortioribus* medicinis *purgantibus*, uti etiam à *magna eorum doſi.* Unde procedendum quantum poſſibile eſt cum iis quæ participant aliqualem adſtrictionem utut in principio non debeamus mox accedere ad ea quæ fluxum reſtringunt.

Quod ergo attinet Medicamenta, conveniunt *ſtomachica* qualia ſunt *Abſinthium*, *Mentha*, *uti etiam Salvia*, *Cydonia*, *Meſpila condita*, *nux moſchata*, & *Macis*, *Galanga*, *Zingiber*, *Syrupus Coralliorum & Cydoniorum*,unde refert FABER. *in cur.66.* de Lienteria præmiſſa purgatione curata cum *Aq. cinnamomi & Syrupo Corallior.* Hinc *Tincturæ coralliorum* conveniunt inſigniter in Lienteria, quarum tamen præparatio admodum variat: Non inutilis eſt modus pro hoc ſcopo quando ſolvuntur Corallia in ſucco citri, ſolutio filtratur, inſpiſſatur & poſtmodum cum menſtruo debito extrahitur tinctura, quod menſtruum eſt nunc ſpiritus Antiſcorbuticus compoſitus in tinctura Coralliorum antiſcorbutica quæ erit conveniens in Lienteria Antiſcorbutica: Nunc extrahitur cum ſpir. roſarum ambrato ad reficiendas vires imbecilles tam ex ſenio quam ex venere: Nunc extrahitur cum eſſentia ligni ſaſſafras & fit tinctura corallior. ſaſſafrata & qui ſunt alii modi. In *Lienteria ſcorbutica* uti dico, convenit *Tinctura coralliorum antiſcorbutica*, quia utrique ſcopo ſuccurrit. QUERCETANUS *in pharmacopœa* habet ſingulare *decoctum*, quod ad *Lienteriam* vocat: uti videre poteſtis in Autore.

Præterea convenit *Zingiber in India conditum*,uti & *nux moſchata condita*, it. *Myrobalani conditi*, potenter enim adſtringunt. *Elixir proprietatis* commune legitime paratum,non eſt inelegans.De aliis adſtringentibus, *Spir. Maſtichis*, *ſalis*, *liquore ſtyptico* ceu notis, non eſt ut multa dicam.Alum. legitime applicatum ceu præſentiſſimum remedium commendatur à *Petræo* & ſane inſignis *Practicus* ſequentem Miſturam in ſecretis habet contra vomitum, Lienteriam, alvi fluxum & ſimiles affectus, ubi moderata aut paulo fortiori opus eſt adſtrictione: Formula eſt hæc.

℞. Aqu. Cinnamom.
Menth. an. ℥iß.
Spir. vitrioli ℈ß.
Aluminis gr. iv.
Ol. macis deſtill. gt. vj.

Hauriatur ſubinde cochleatim in *Lienteria & vomitu* tam *ſanguineo* quam communi *Diarrhæis* & aliis alvi *affectibus* & diſſolutionibus. *Vinum Abſinthites*, *chalybeatum* itidem convenit: aut *vinum infuſionis Abſynthii*, *Meliſſæ*, *Pulegii*, &c.

Præter communia adſtringentia, ut ſunt *Maſtiche*, *terr. ſigillat. Tunicæ internæ ſtomachi gallinarum* commendatur præ cæteris *coagulum leporis & hœdi ſiccatum & ad* ʒj. propinatum. Item PETRÆUS qui alumen ceu præſentiſſimum commendat, dicit etiam quod *pudendum* ſeu *Priapus Cervi & Tauri* inſigniter conveniat, ſi pulveriſata à ʒß. ad ʒj. in vino medicato propinentur panis bene coctus in ſpir. vini maceratus & hinc *Theriaca* illitus comeſtus etiam convenit in Lienteria.

Forestus *in lib.22. obſ. 28.* habet curam, qua quemdam ex Lienteria deſperata decumbentem præter omnem ſpem aliis irritis hoc remedio reſtituit: Exhibuit nempe *Vitellum ovi pulvere nucis moſchatæ unius inſperſo, ſupra tegulam ignitam ſeu calefactam, aſſatum*, quo ipſo fluxus deſiit & ipſe probe curatus fuit.

Denique mira Cydoniorum aromatica cum terra ſigillata miſta,& hinc leviter aliquot *gutt.ſpir.vitrioli* irrorata ſimiliter laudatur.

Ubi opus eſt ut fiat levis evacuatio, imprimis conveniunt purgantia ſtomachica, talia ſcil. quæ præter vim laxativam adſtringunt & ſtomachum roborant: qualia ſunt nota, *Aloe*, *Rhabarbarum*, & *Myrobalani.* Sic Helidæus reſtituit puerum trium annorum, cibos nec quantitate nec qualitate immutatos excernentem, per Rhabarbari ℈j. in vino ante cœnam exhibiti.

Poſt hæc *Pilulæ Maſtichinæ* conveniunt in hoc paſſu quæ ex blandis purgantibus, ſtomachicis ac aromaticis ſunt compoſitæ; ad gr. xv. vel. ℈j. tuto poſſunt præſcribi.

Unum adhuc moneo in Lienteria habebitis Electuarium in Senner. *p.m. 295.* quod eſt expertum. Et ſimili forma ex Amat. *Luſitano* deſumpta; Riverius uſus eſt feliciter cap. de Lienteria *prax. med. l.10. c.4.* Amat. *Luſit.* autem habet *cap.2. obſ.66.*

Cæterum quando alimenta quidem digeruntur in ſtomacho, verum digeſta ſub forma chyloſa excernuntur,dicitur tunc *fluxus* Coeliacus. ſeu.

COELIACA PASSIO.

Cœliaca paſſio. Quæ eſt duplex. 1. quando chylus non ſecernitur à fœcibus alvinis, in Inteſtinis; tunc excreta albicantia invicem permiſta apparent. 2. quando fit quidem ſecretio chyli ab excrementis: Cæterum propter defectum diſtributionis chyli, chylus ſecretus tandem, cum excrementis, confuſus tamen, excernitur. *Prius* quando ſc. nulla ſecretio chymi ab excrementis contingit; *fit vitio Bilis* quando nempe non defertur ad Inteſtina,ut ibidem poſſit inſtituere ſecretionem iſtam, aut quia bilis defectus eſt, in tali Icteri ſpecie, in qua obſtructus porus cholidochus: Nam ſolus ſuccus Pancreaticus non poteſt ſecretionem inſtituere ſine bile, in qua maximum momentum ſitum eſt. Aut licet bilis deferatur ad Inteſtina, ſi tamen hæc eſt *iners* & non *ſatis ſalina* ſeu *acris*, quin potius tantummodo *oleoſa* & nimis *pinguis*,tum ſimiliter nulla fit ſecretio excrementorum à chymo nutritio.

Poſtrema Cœliacæ ſpecies eſt,quando fit quidem ſecretio, ſed nulla diſtributio, *cauſa* eſt quando propter *obſtructionem* aut propter *infarctum orificium vaſorum lactiorum* in Inteſtina hiantium non poteſt ſubintrare chymus nutritius, periſteoma iſtud inteſtinis incumbens per quod tanquam per filtrum cribratur aut transcolatur Chymus nutritius, ſi incruſtatum ſit mucagine viſcida ac tenaci,non poteſt admittere ſuccum chyloſum nutritium atque propterea confuſa excrementa cum chymo nutritio excernuntur.

In hac *Cœliaca* paſſione ventriculus ut plurimum eſt ſalvus,quod patet ex eo, quod chylus perfecte coctus excernatur,uti hoc obſervat Frambesar. *in conſ. l. 5.* it. quod taliter affecti non raro inſignem habeant appetitum ſicuti obſervat Forestus *lib.22. obſ.26.* in muliere in qua appetitus adhuc fuit ſalvus.

VITIUM ergo totum eſt aut in bile non ſecernente, aut in poris inteſtinorum non rite diſtribuentibus.

SIGNA diſtinctiva, ſeu quibus diſtinguere poſſumus à qua cauſa oriatur *Fluxus cœliacus*, ſunt hæc.

Nam ubi deficit bilis in Inteſtinis excreta omnino ſunt albicantia aut ſaltem pallida: it. omnia ſunt permiſta ut nullum cujuſdam ſecretionis pateat veſtigium.

Ubi vero cauſa eſt obſtructio Orificiorum vaſorum lacteorum, tunc excreta ſunt tincta bile,flaveſcunt nonnihil,& ſic porro, & præterea chymus talis cum excrementis confuſus, tantum appareat nonnulla diſtinctio inter excrementa & chylum nutritium.

QUOD ATTINET CURANDI METHODUM.

Hic *acuanda* imprimis eſt *bilis* iis quæ *ſal. volat.acri* conſtant, & hinc abſtergendus eſt mucus inteſtinorum parietibus adhærens.Uterque ſcopo ſatisfaciunt ſimplicia: aut Aromatica odorifera, Mentha, Abſynthium,& ſimilia: aut ſapore acri inſigniter prædita: ſic convenit Abſinthium, Agrimonia, capilli vener. Mentha, radices quinque aperientes dictæ, cichorium cujus amaror egregie abſtergit inteſtina, Fœniculum,radix rubiæ, ſemen Aniſi, Fœniculi,imprimis ciceres rubri, quorum decoctum à quibuſdam inſigniter commendatur. Veteribus in uſu fuit in tali caſu ubi abſtergenda pituita *Oxymel.* tam *ſimplex* quam *ſcylliticum cum aq. vitæ Juniperina.* Loco horum utimur potius *ſpir.virid.æris. compoſito*, ſive componatur virid. ær. cum ſolo Gummate. Ammoniac. ſive una cum ſulphure, de quo poſtmodum ubi de Aſthmate.

Tinct. tart. tam *vulgar.* quam *Antimon.* iſtæ ſc. quæ fiunt ex ſcoriis teguli antimon. Hæ enim tincturæ, ſal. alcali impragnatæ aperiunt & bilem acuunt. It. ſpir. tart. volat. ſpir. carmin. ſecretus, cujus ſupra feci mentionem ex tart. nitr. & ſpir.vini, ad gutt. 20.l.30. in aq. appropriata,vel hauſtu vini abſinth. *Spir.urinæ, ſpir. ſal. ammon.* aut *ſolus* aut *cum ſpir. cochleariæ* miſtus ſatis notus.

Frambesar. loco ſupr. cit. ceu ſpecificum commendat, *Pudendum* ſeu *Priapum Cervi.*

Quod attinet *externa.* In Cœliaca parum aut nihil operantur externa, in Lienteria magis ſunt efficacia. Imprimis in laxitate ſtomachi paratur *ſacculus* in vino coctus pro fotu applicandus cujus formula ſit hæc.

℞. Comarum Abſinth.
Herb. Menth. an. m. j.
Flor. roſar. rubr.
Chamom. an. mß.
Maſtiches. ℥iij.
Nuc. moſchat.
Caryophyll. aa. ʒj.
Zingiber.
Zedoar. aa. ʒß.
inſuantur ſacculo interpaſſat.
qui coctus in
Vino q. ſ.
ſubinde ventriculo admoveatur.

Loco hujus fotus,*Cataplaſma ex fermento* convenit, ſi permiſceantur pulveres aromatici & applicetur quod eſt magni uſus in affectibus ſtomachi quibuſcumque: Formulam videre poteſtis *in Collegio* Jonstoniano *Emplaſtrum ſtypticum* Munsycti vel *ſolum* vel *miſtum cum aa. Gummi Tacamahacæ*, de quo ſuperius, ſimiliter convenit.

Rulandus recipit ſolum *micam panis*,eamque aceto impragnatam regioni ſtomachi non abſque ſucceſſu applicat.

Præter Chylum aut ſimilia non raro ex alvo ejicitur ſanguis, qui fluxus alvi dicitur Diarrhæa Cruenta,aut ſecundum legitimum veterum uſum dicitur.

DYSENTERIA.

Nam Hippocr. & *Coætanei* aut *ſucceſſores ejus*, quicquid Dyſenteriam vocarunt, hoc ipſo ſemper intellexerunt *fluxum alvi cruentum*: & quandocumque per alvum evacuatus fuit ſanguis, tunc vocarunt Dyſenteriam, exceptis *hæmorrhoidibus* quibus adhuc ſtat ſua auctoritas. *Dyſenteria.*

Dyſenteriarum apud Veteres tres *Differentiæ* leguntur.

1. Propter

1. Propter boni ſanguinis copiam in toto corpore qui ex Venarum orificiis in inteſtinis apertis effunditur, in hoc differens ab hæmorrhoidum fluxu, quod in his hæmorrhoidibus nempe venæ ani tantummodo aperiantur, in illa vero nempe Dyſenteria hac, ſecundum totam inteſtinorum longitudinem, perque omnes eorum anfractus & longè ab ano aperiantur. Qualis dyſenteria ſolet interdum evenire iis quibus aut membrum *quoddam abſciſſum* eſt e. gr. pes, brachium, &c. tunc enim non poteſt non abundare ſanguis in corpore, aut in quibus *ſolemnes evacuationes ſanguinis ſuppreſſæ*, ut quando, v. gr. mulieribus menſes ſupprimuntur, tunc enim non raro fit diarrhæa cruenta aut evenire ſolet hominibus ſpleneticis, quibus uti per vomitum ita interdum per alvum ſanguis excernitur. Talis ſanguinis excretio item eſt uſitata iis qui laborant, ut ut raro *ulcere Pancreatis*, quale SYLVIUS obſervavit, quod ulcus apertum interdum pus, interdum autem non parum ſanguinis effudit.

Pertinent huc *diarrhææ criticæ* ſingulares quarum ſupra ex RHODIO feci mentionem.

2. *Species dyſenteriæ* ſeu fluxus alvi cruenti eſt iſte fluxus qui *propter Hepatis imbecillitatem fieri dicitur*, ut ut Hepar ſit inſons, quo ſanguis tenuis & aquoſus & loturæ carnium ſimilis, uti appellant, excernitur, & aliàs fluxus *Hepaticus* appellatur, ſicuti hoc nomen ipſi omnes Moderni tribuunt.

„ Species dyſenteriæ eſt quando ob corroſa, exco„ riata & non raro exulcerata inteſtina cum tormi„ nibus & cum muco albeſcente hinc cum purulenta „ materia ſanguis dejicitur: qualis tertia ſpecies communiter tantum dyſenteria appellari ſolet à vulgo: *quæ nihil eſt aliud quam diarrhæa cruenta torminoſa*, ſicut reliquiæ diarrhææ cruentæ ſunt abſque torminibus.

CAUSA proxima recte eſt ſuccus adeo acris corroſivus & imprimis acidus in inteſtina rodens hinc *abradens* & denique *excorians*.

Quod attinet *cauſam remotam* ante omnia diſtinguendæ dyſenteriæ: quod nimirum alia ſit *benigna*, alia *maligna*.

Benigna ut plurimum eſt *ſine febri*, ut plurimum eſt ſine contagio, & tantum *ſporadice* ſeu ſparſim in hoc vel iſto loco affligit homines.

Verum dyſenteria *maligna* ut plurimum conjuncta eſt cum febre maligna, non raro peſtilentiali: Deinde Epidemice graſſatur & ſæpe integram regionem devaſtat: Et patenti contagio ſe multiplicat, de quo poſtmodum.

Dyſenteria *benigna* ceu leviſſima, uti dixi, oritur ex *ſucco acri & corroſivo* inteſtina corrodente, ſive oriatur ex *aſſumptis* talibus, aut ex aſſumptis *corruptis* & in acorem peregrinum degenerantibus: aut denique oritur ex *ſucco Pancreatico nimis corroſivo, vel per ſe tali, aut quia non temperatur ſufficienter à bile*. Rara eſt dyſenteria *benigna* quæ fit ex maſſ. ſang. ſed tantum ex contentorum deſtructione & corruptione in inteſtinis. Hinc notum eſt quod imprimis *fructus horæi* ſ. Autumnales qui faciliime corrumpuntur & corrupti intenſum & fortem acorem contrahunt, dant dyſenteriam, quos inter fructus, *pepones & melones* imprimis eminent, uti etiam *pruna cerea*, quæ ipſa non paucos dyſentericos reddidiſſe refert MOEBIUS *in inſtit. ſaccharum*, it. *cibi dulces & melliti* corrupti in ſtomacho, in quibus ſubjectis fortiſſime aceſcunt imprimis in Hypochondriacis ubi fortiſſime acorem contrahunt, unde talem corroſionem inferre poſſunt.

Pertinet huc *eſus uvarum nimius*: uti etiam *muſti potus nimius*: nam muſtum corruptum ſimiliter aceſcit.

Denique animalia, aut eſus carnium animalium caſſia fiſtula nutritorum dyſenteriam inferre dicitur, uti habet SENNERTUS *in cap. de dyſenteria ex* ZAC. *Luſit. Purgantia fortior.* uti *Antim.* aut *Colocynthis* aut ſimilia, non raro induxerunt dyſenteriam: quin etiam *mercur. viv. externe illitum* dyſenteriam inferre obſervant GALLI ſæpius per inunctiones mercurial. luem vener. curantes. *Adamas devoratus ſi non ſit minutiſſime tritus* dat dyſenteriam, quod certum eſt, ratio quoniam ejuſdem acutiſſima punctura non poſſunt non erodi & lædi inteſtina, cum notum ſit ſolum vitrum non rite comminutum tale quid præſtare. Sed dico adamas minutim non tritus: alias enim minutiſſime pulveriſatus, per ſe non nocet, uti refert VVORMIUS *in Muſæo* ubi de Adamante conf. experientiam ZACUT. *Luſit. lib. 2. prax. admir. 16. de dyſenteria ex Adamante* impoſito. It. ex *aſperitate annuli deglutiti* obſervavit idem ZAC. *Luſit.* Dyſenteriam.

Sed hæc eſt dyſenteria benigna quæ non multum faceſſat negotii.

Maligna plus habet in receſſu. Maxime obſervanda contagioſa vis, qua ſe mirum in modum propagat, non enim ſolum per latrinas communes, poteſt inficere eum qui ſuccedit dyſenteriæ. Sed etiam notatu dignum eſt quod obſervat Helidæus PADUANUS *in obſervat. p. 104. per clyſteres* etiam *communes* oriri dyſenteriam: dicit enim hinc videmus ſæpius dyſenteria corripi eos, quibus clyſter infunditur inſtrumento non bene abluto, quo antea dyſentericus fuit uſus.

Exempla hujuſmodi dyſenteriarum malignarum ſunt frequentiſſima; imprimis videatur *Tr.* LA MONIERE *de fluxu dyſenterico Epidemico* It. SCHENCK. *in obſervat. libr.* ni fallor. 6. ubi de morb. malignis. it. BARTHOLINUS *cent. 2. hiſtor. anatom. hiſt. 65.* non minus quam AMATUS *Luſit. cent. 3. cur. 90.* Rarum eſt interim quod habet SALMUTH. *in cent. 3. obſ. 55. de canibus & felibus* dyſenteria contagioſa maligna laborantibus.

In conſideratione hujus malignitatis contagioſæ, cum omnia contagia conſiſtant in Miaſmate fermentativo, convenientem maſſam ſe ipſam multiplicat: recte arbitror ſenſiſſe VVILLISIUM *de cauſa dyſenteriæ Tr. de febribus c. 10. p. m. 186.* quod ſc. talis dyſenteria non oriatur ab humore aliquo vitioſo in internis viſceribus producto, qui acrimonia ſua corrodat, (non ita quoniam tantillus fermentativus odor poteſt etiam ſumme infici:) ſed recte dicit cauſam eſſe Miaſma quoddam ſanguini impreſſum, adeoque intime ipſi confuſum, inde inteſtina verſus propulſum vaſorum oſcula reſerat, ulcuſcula & ſanguinis excretionem faciat.

Tale eſſe fermentum contagioſum quod fermentando corrumpit ſanguinem & ipſi acrimoniam aut naturam inteſtinis inſigniter hoſtilem imprimit, nullum eſt dubium. Hinc etiam recte dyſenteriæ hujus cauſam rejicit HELMONT. in Archæi inteſtinalis irritationem: ſ. quæ irritatio fit ex fermento acido inteſtinis inſigniter hoſtili, quo fermento corruptivo & alimentum inteſtinorum proximum vitiatur, & ſub forma muci ſeu mucilaginis albicantis ſenſim depluit, & præterea Archæus inteſtinalis cruorem diffluentem ſpargit ad anum. Unde etiam recte dicit quod dyſenteria à *Pleuritide* tantum *differat* in radice ſ. *loco affecto, cum quoad cauſam conveniant.* Hinc etiam dicunt iſtud acidum in dyſenteria eſſe de natura Antimon. aut de natura Colocynt. quæ duo cum ſint contraria inteſtinis, quid aliud eſt ac ſi dicant cum HELMONT. irritari ab iiſdem Archæum inteſtinalem.

Progreſſus in dyſenteria eſt hic: *in principio*, dolores quando & tormina aggrediuntur inteſtina, excernuntur *albicantia mucilaginoſa mucus albicans*, hinc *ſanies & pus cum ſanguine*. Hic mucus eſt adeo copioſus, ut mirentur multi unde ſit, & ſunt qui dicunt quod nihil aliud ſit quam pituita quæ naturaliter oblinit parietes inteſtinorum, quod tamen non poteſt eſſe propter nimiam & exceſſivam quantitatem. Nam

datur dyſenteria, quam vocant albam, in qua pauca cruenta, ut plurimum copioſa mucoſa excernuntur. Rectius ergo ſentit HELMONT. qui dicit, deſtillare talem mucum ex inteſtinis læſis, & nihil eſſe aliud quam nutrimentum inteſtinorum proximum ſed læſum, aut fruſtra inteſtinis infuſum. Dum enim hoc non aſſimilari poteſt, plorat ex parte læſa; nunc ſub forma muci, nunc ſaniei, nunc ſeri cruenti, prout diverſi ſunt gradus corruptionis alimenti proximi.

Etenim in dyſenteria obſervandi ſunt imprimis *gradus tres: 1. eſt quando tantum adſunt tormina: 2. quando adeſt jam abraſio inteſtinorum: 3. quando in tantum ſuſcepit malum augmentum, ut ſequatur exulceratio. Abraſio* itidem eſt *triplex*: 1. eſt abraſio *bombycini filamenti* ſ. cruſtæ iſtius quæ inteſtinorum carni obducitur: 2. quando *tunica craſſa abraditur*, HIPPOCRAT. ſolet vocare *ramenta, ſect. 7. aphor. 67.* 3. eſt quando *ipſa inteſtinalis ſubſtantia* ſeu caro abraditur: atque tunc *carunculæ* exeunt ut dicit HIPPOCR. *ſect. 4. aphor. 26.* Dolor acerrimus, qui dyſentericos torquet non eſt permiſcue *ex corroſione*, ut ut hæc videatur totalis cauſa, ſed fere maxima ex parte eſt *ex ſpaſmodica inteſtinorum convulſione*, qua inteſtina irritata ſpaſmo quodam correpta, ſe convellunt aut contrahunt, aut motu quaſi vermiculari ſe torquent; ſub quo tam inſignes ſunt dolores, & quidem præcedunt excretionem quoniam ſub iſta ſpaſmodica contractione inteſtina ſimul propellunt & exprimunt contenta, & ita ad excretionem ſtimulant.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

Ex dolore & excretione imprimis deſumuntur. *Signa cauſarum* quod ſpectat in dyſenteria *benigna*, *raro* eſt febris, in maligna vero *utplurimum conjuncta eſt febris, eaque interdum Petechialis: Vires inſigniter proſternuntur*: unde non raro *delirium* ſuccedit, & tandem quoque *convulſio*.

Ad meliorem curandi rationem imprimis ſciendum eſt an *Tenuia* an *craſſa inteſtina afficiantur?*

„ 1. Tenuia inteſtina affecta arguit locus doloris, „ qui imprimis eſt circa umbilicum: in craſſis eſt in- „ fra & juxta ſtomachum à lateribus in colo.

„ 2. Modus doloris qui longe vehementior in af- „ fectis tenuibus, remiſſior nonnihil ſeu obtuſior in „ craſſis.

„ 3. Celer excretio poſt dolorem craſſa inteſtina af- „ fecta, tardior vero excretio tenuia inteſtina labefa- „ ctata arguit.

„ 4. Si tenuia afficiantur magis permiſta & confuſa „ ſunt excrementa, ſtercus, ſanguis & mucus ſunt invicem permiſta propter magnum iter quod conficiunt mutuo. In *craſſis minus* ſunt *confuſa* ita ut adſint apta veſtigia diſtinctionis à ſe invicem. Conſulatur quoad hoc punctum & prognoſin in dyſenteria SENNERT. qui ſatis eſt accuratus.

PAUCA TAMEN QVOAD PROGNOSIN ADJICIAM. La MONIERE *tr. ſupr. cit. c. V. p. 164. &* 191. inquit. Quoties adfuit *Teneſmus* cum hiatu Ani, ita ut *clyſteres injecti ſtatim elaberentur*, aut cum tanta *adſtrictione* ut nihil intromitti poſſet, certum plerumque *mortis ſignum.*

Deinde prægnans cum dyſenteria Teneſmo correpta, ſemper abortum paſſa eſt: idque cum periculo, ſi nempe gradior fuit fœtus. Porro SAVONA *in ſuis deciſion. Medicis deciſ. 31. p. 80.* inquit dyſenteria *cum Oris amarore* vel *vomitu bilioſorum* malitioſiſſimo & in principio quidem.

Denique RIVERIUS *cent. 2. obſerv. 36.* ex maculis in facie erumpentibus in dyſenteria: item ex ſingultu dyſenteriæ ſuperveniente ſignum prognoſticum lethale ominatur: Singultus enim eſt ſignum convulſionis diaphragmatis, quæ ſuperveniens malum.

Id. RIVER. *cent. 3. obſerv. 2.* refert, quod qui ex dyſenteria intereunt, præcipuam *mortis cauſam inteſtinorum* habeant *Gangrænam*: quidam ex *tuberculo* ſ. *puſtula circa aures* erumpente in dyſenteria ſimiliter ſignum lethale auguriunt.

In quo equidem incertus eſt SENNERTUS, ſignum tamen certum eſſe vult HOFERus *in Hercul. medic. p. 192.*

Dyſenteria gravidis ante partum obveniens: iiſdem ut plurimum in partu ſolet eſſe ſalutaris: quoniam in partu curatur, uti hoc refert FOREST. *lib. 22. obſ. 34.* it. AMAT. *Luſit. cent. 2. obſ. 51.* ſit autem benigna non maligna non nimis gravis & non longe ante partum, alias periculoſa & mors in illa.

QVOD ATTINET CVRAM.

„ Cura conſiſtit in hoc, 1. Ut anodynis & appro- „ priatis dolor ſiſtatur ac ſpiritus inſiti agitatio tol- „ latur. 2. Ut præcipitantibus & blande ſudoriferis „ maſſa ſanguinea tranquilletur. 3. Inteſtina abſtergatur „ & conſolidentur: & 4. Ubi in principio interdum „ opus videbitur leni laxatione inteſtina eluantur.

Hæc Methodus eſt diverſa à methodo communi in hoc, quod vulgo tantummodo reſpiciant productum morboſum, exulcerationem inteſtinorum, non vero reſpiciunt radicem morbi ſeu id unde morbus oritur. 1. evacuant inteſtina. 2. abſtergunt clyſteribus. 3. ſedant dolorem, & 4. purificant ulcera, in hac methodo ſæpe feliciter moriuntur ægri.

1. Quod attinet *Appropriata & Anodyna.* Multi Narcotica in dyſenteria ceu Necrotica proclamant, ſed falſum eſt: quin LINDANUS expertus ille Practicus in hac tota cura ſemper ab *Anodynis & Narcoticis* incipiendam curam ſuadet. Hinc dicit, iſti, qui in dyſenteria ſtatim ruunt ad purgantia non curant, ſed omnia faciunt deteriora, ii vero, qui feroces tranquillant ſpiritus, feliciſſime curant. Unde dicit quando ad incipientem dyſenteriam venitis, date ſomniferum & ſiſtite materiam tali remedio ſimplici ſed bono.

℞. Diaſcord. FRACAST. ʒß. ad ʒj.
(eſt præcipitans ſudorifer: & Anodynum.)
Rhubarb. pulv. ℈j.
Laudan. opiat. gr. ij.
Sirup. de roſis ſiccis. q. ſ.
F. Bolus.

Detur veſperi. Si neceſſe eſt repetatur mane.

Et hanc *Methodum* per appropriata & anodyna (potius conjungenda putarim) inchoandam eſſe commendant præterea omnes Moderni. vid. Praxis BARBETT. *cap. de dyſent.* & HOFER. *in Hercul. medic. p. 195.* vid. etiam DEOD. *in valetud. p. 340.*

Unde etiam tot præſtant Exempla feliciter curatarum dyſentariarum per *ſola opiata*. Sic RIVERIUS *in cent. 1. obſervat. 64.* refert dyſenteriam in fluxum Hepaticum mutatam cum febre & ſumma virium proſtratione per *laudanum opiatum* curatam vid. *in cent. ejus 2. obſer. 84.*

Cæterum non ſuadendum, ut dixi, dari *in principio opiata ſolum*; ſed eadem aut *præcipitantibus ſudoriferis miſta* aut ſi opus eſt, leni *abſtergente* medicamento, quale eſt *Rhabarbarum*, conjuncta, aut certe ubi multum neceſſarium eſt appropriata ſpecifico ſimul permiſta.

2. Dixi etiam ſupra, eſſe habendam rationem *ſudoris*, imprimis in dyſenteria maligna: ante aliquot annos enim dum in tota hac regione egregie graſſaretur dyſenteria, Paſtores pagani ſuos Ruſticos ſolum curarunt ſudoriferis, *Tinctur. Bezoartic.* Eodem tempore quidam Ruſticus, & ipſe laborans dyſenteria maligna accepit aliquoties *Balſami ſulphuris gt. 20.* & ultra, & ſic ſæpius ſudore repetito ipſe fuit curatus.

Unde dicit PETRÆUS quod recte faciant Hermetici qui dyſenteriam non tam purgantibus quam *diaphoreticis*

phoreticis aggrediuntur, & ſtatim *correcto aëre baccis Iuniperinis* alternis diebus *potionem* PARACELSI *peſtilentialem aut aquam theriacalem* aut ſimile diaphoreticum alexipharmacum propinant: poſt expulſionem veneni poſtmodum curativo appropriato utuntur.

Unde etiam LA MONIERE refert, quod primis morbi diebus ſponte prodiens vel debito ſudoriferorum uſu prolicitus ſudor plerumque fluxus violentiam unice interceperit.

Certe nihi pejus eſt quàm uti in dyſenteria adſtringentibus, ſæpius ex dyſenteria repulſa, imprimis in principio, talibus adſtringentibus, peſſimi oriuntur morbi. Sic MARTIN. *in tract. de morbis meſenterii* obſervat inflammationem & abſceſſum meſenterii ob dyſenteriam ſiniſtre per adſtringentia curatam.

It. dyſenteria intempeſtive ſuppreſſa *Pareſin* non raro infert.

Item HILDANUS *cent.* 3. *obſerv.* 42. dicit dyſenteriam gravem ſubitanea mutatione in melius, ſed ſimul materiæ retroceſſione invehere *febrim malignam lethalem.*

Quid ergo fiet ſi ſolis adſtringentibus initium fiat.

Ad hæc ii ipſi, qui in principio ſuadent *purgationem*, non ſine cautela hoc faciunt, volunt nempe, ſi dyſenteria oriatur ab humore atrabilario, acerrimo & maxime corroſivo, quod tunc ferociam illius potius temperando purgandum ſit.

De mobo purgandi optime Ludovicus SEPTALIUS *in animad. & cautionibus Medic. l.* 7. *p.* 224.

Clyſteres aliàs noti & *frequentiſſimi* ſunt in dyſenteria, *ſed ſæpius peſſimi*: ſcilicet nimio abuſu malum exaſperant potius quam leniunt. Uſus laudem habet, vituperium meretur abuſus.

Ratio eſt, quia 1. Clyſteres inteſtina tanquam aliquid peregrinum irritant, quæ irritatio peſſima. vid. HELMONT. qui accuratus eſt quoad uſum Clyſmatum in dyſenteria.

2. *Teneſmus* aut *Vlcus ani* ſæpiſſime inſigniter exaſperatur per clyſmata, &

3. Ipſa inteſtina irritata mox denuo clyſteres rejiciunt, & ita ſuis contracturis & convulſionibus ſpaſmodicis tantummodo exacerbant.

Plures cautiones quæ ad praxin faciunt videatis in SEPTALIO *citato loco* qui eſt elegans.

1. Quod attinet REMEDIA ea ſunt l. *communia* vel *ſpecifica*; (ita enim melioris cognitionis ergo diſtinguere lubet) *Communia* ſunt & *proſunt* aut *quatenus adſtringunt* aut quatenus *corroſivam acrimoniam temperant*, qualia ſunt 1. *Vulneraria* quæ blando ſuo alcali demonſtrante HELMONT. & TACHEN: acidum in exulceratis inteſtinis temperant & præcipitant. 2. Pertinent huc etiam *lacticinia & ſubpinguia*, quæ ſimiliter etiam acidum corroſivum obtundunt: 3. Sunt talia *quæ ſuccos acidos & corroſivos imbibunt & abſorbent* aut adſtringendo temperant.

Medicamenta vero *ſpecifica* ſunt iſta quæ vim ac impetum ſpiritus inſiti coercent & ſingulari proprietate dyſenteriæ reſiſtunt, & quorum vim & energiam antidyſentericam longa experientia confirmavit, quæ interſunt:

1. *Priapi: Priapus cervi, tauri & ceti*, quos inter ipſos *priapus ceti* eſt omnium *optimus*, *poſt hunc eſt priapus cervi, viliſſimus eſt priapus tauri.* Facit mentionem horum priaporum HELMONTIUS *in pleura furente* eoſque commendat non magis contra dyſenteriam, quam in ſpecie contra pleuritidem, in qua ipſa hi priapi ſunt experti.

Vſus eſt vel *in forma ſicca* l. *humida*. In forma ſicca, quando nempe exſiccantur bene in furno, hinc raduntur, & quantum fieri poteſt comminuuntur, (non præſcribuntur pulveriſandi) *doſis* talis pulveris eſt ℥j. ſive in *potu lactis*, ſive in *aqua foliorum quercus deſtillata*, aut etiam in *potu cereviſiæ calidæ* propinetur, idque ſubinde repetatur, & unum eſt ex optimis contra hunc morbum remediis. In *forma humida* præparatur horum priaporum *decoctum*, quod decoctum potum ad aliquot uncias ſimiliter eſt expertum à quibuſdam in ſecretis habitum, non tantum, per ſe potum eſt uſitatum ſed etiam pro vehiculo aliis inſervit remediis, ſic v.gr. in paranda *Emulſione ex ſeminibus cum nucleis amygdalarum dulcium, cum ſemine papav. albi*, tunc decoctum hoc priaporum eſt liquor appropriatus, quo fiunt tales emulſiones. Vel pro *potu uſitato* inſtar *juleporum* uſurpantur hi ipſi priapi decocti hac formula.

♃. Decoct. priap. cerv. ℔j
Sirup. corall. QUERC. ℥ij.l.℥iij
Aq. Cinam. ℥j.
miſc. pro Julepo.

Non eſt ingrata potio & admodum efficax quam ego ſuperiori anno aliquoties præſcripſi non ſine effectu.

Plura qui cupit videre de efficacia horum Priaporum adeat DORNCRELL. *Tract. Germanic. de dyſenteria*. Item STOCKERUM *in ſua praxi p.* 38. in quem commentatus eſt THOLDIUS: & tantum non omnes laudant hos priapos.

Priapis his conjunguntur alia & fiunt pulver. compoſiti antidyſenter. v. gr. multi commendant hunc pulverem.

♃. Priap. Cervi. ℥ß.
CC. uſt.
(imbibit omne acidum potenter)
terr. ſigillat.
Boli Armen. an. ʒij.
Nuc. moſchat.
Radic. Symph. major. ʒiij.
Zedoar. ʒiß.
Tragacant. ʒiij.
miſc. F. Pulvis. *adſtringens.*

Hunc pulverem multum commendat EURERIUS *tr. de dyſenteria p.* 25. tr. eſt admodum elegans.

Vel ut alii componunt.

♃. Terræ ſigillat. ℥iß.
CC. ſine igne.
Priap. cerv. an. ℥j.
Pulv. Tormentill.
Corall. rubr. an. ℥iij.
miſc. f. pulvis doſ. ʒj.

CC. poſt priapum non eſt contemnendum remedium quod multis ſcopis ad curam dyſenteriæ ſatis facit, quod facile patet, ſive *uſtum* aſſumatur ſive *ſine igne* præparatum propinetur.

Præ cæteris *Gelatina* CC. eſt admodum elegans ſi ſcilicet diſſolvatur in potu ordinario, v. gr. Julepus propinandus in dyſenteria.

♃. Decoct. hord. c. CC. ℔j.
(loco hujus poteſt etiam ſumi decoctum priapi cervi pro lubitu.)
Gelatin. CC. ℥ß.
Aq. Cinam. ʒvj.
miſc. f. Julepus.

Obiter moneo, hæc aqua additur propter ſtomachum cui eſt convenientiſſima cum in dyſenteria ratio omnino ſit habenda ſtomachi imprimis quando ulcus eſt in inteſtinis tenuibus & ſequi ſolet vomitus.

Vel ſumitur tantum Gelatina & præſcribitur diſſolvenda in potu h.m.

♃. Gelatin. CC.
Priap. Cerv. an. ℥j.
F. Gelatin. pot. admiſcend.

Hæc Gelatina ſuper igne liqueſcit & hujus liquefactæ cochlear. ij. l. iij. immittantur cereviſiæ menſ. j. pro potu ordinario. Non alterat ſaporem cereviſiæ & tamen egregie confert.

Quidam commendant pro potu *decoctum* CC. cum *radic. pimpinellæ*, uti eſt RIVERIUS utpote qui *pimpinellam* ceu expertam in dyſenteria commendat.

Poſt

Poſt CC. & aliorum *animalium oſſa* aut *cornua* ſunt egregia. De *oſſibus bovinis calcinatis*, quæ multum commendantur, it. oſſibus *humanis calcinatis* aut præparatis quæ ſimiliter ſunt admodum utilia nihil dicam: Saltim moneo quod *cranium humanum* ſit egregium ſpecificum in dyſenteria, inprimis ſi ſit deſumptum ex homine violenta morte interempto, utpote in quo de Mumia vitali ſ. ſpiritu inſito nonnihil reſiduum eſt. *Raſura pulveriſat. cranii humani ad* ʒj. propinata eſt experta ab illuſtri Dn. BOYLE *Anglo.* ut ipſe mihi narravit. Vide etiam commendantem hanc raſuram RIVER. *in ſua praxi, l.*10. *c.*6.

Nec mirum ſi *cranium humanum* proſit, cum virtute ejuſdem *Uſnea humani cranii* ſit expertiſſima in dyſenteria, ſi ſcil. hujus Uſneæ, tam ſuſpenſi quam rota fracti propinetur à gr. vj. ad xij. mirandum edere effectum dicitur. De hac *Uſnea* & arcanis ſub eadem ſepultis *contra* quamcunque *Hæmorrhagiam* vid. HELMONT. *de magnetica vulnerum curatione.*

Unum adhuc moneo, de *uſnea* experimentum egregium factum in *Anglia* uti retulit mihi unus *ex collegio experimentali Regio*: Curavit quidam ſecantam venam: verum ut ut ſanguis floridus exſiliebat, tamen arrepta uſnea ſubito ſupprimebatur: cum vero depoſuiſſet uſneam, denuo confertim exibat: ſimul ac vero denuo manu arripiebat, ceſſabat, cum inſigni præſentium admiratione. Narrat hoc ipſum etiam BOYLE *in ſua philoſophia experimentali anglico Idiomate* conſcripta.

Dens Hippopotami eſt ſingulariter expertus in dyſenteria ſi *præparatus* à ℈j. ad ʒß. vel ℈ij. propinetur. De hoc dente vid. WORMIUM & BARTHOLIN Confert imprimis hic *dens Hippopotami* tunc temporis, ubi imminent *convulſiones*, utpote contra quos eſt ſingulare remedium. Certum etiam, quod obiter adjungo alias hic eſt experimentum, & commendatur contra *Hæmorrhoides nimium fluentes*: item contra *nimiam hæmorrhagiam uteri* ſ. nimium menſium fluxum; eſt experimentum HORHSTETTERI.

Uva Quercina à non paucis commendatur, uti poteſtis videre in SENNERT. *cap. de dyſenteria*, item in SCHENCK. *l.*3. *obſerv.* Verum cum non ſemper reperiatur hujuſmodi *uva quercina* ſub radice Quercus collecta, in defectu hujus non incommode poteſt ſubſtitui *Viſcus quercinus* aut etiam *fungus quercinus*, hi ipſi enim ſimiliter ſunt egregii.

Poſt *uvam quercinam* eſt pulvis quem vocant *Granorum actes*, ſive *panis inſuccatus cum ſucco baccarum ſambuci.*

Laudes ejuſdem videatis quæſo in BORELLO *C.* 2. *obſ.* 40. Optimus præparandi hunc pulverem modus eſt ſequens: nam vario modo præparatur.

℞. Baccar. ſambuci ſuccum q. v. ex quo & farina ſecalina conficiatur maſſa, è qua panis formetur, qui bis in fornace ad duritiem coquatur, ut in pulverem redigi poſſit, ex pulvere iſto cum ſucco baccarum ſambuci iterum formetur panis, & priori modo coquatur: deinde ubi tertia vice pulveriſata fuerit iſta paſta, ad. ſanguinis leporini crudi (de quo poſtmodum) ℥iv. pulveris priapi cujuſcumque uti notum eſt, vel ceti, l. cervi l. tauri. ℥ij. ſucci Granorum ſambuci recentis q. ſ. fiat maſſa & tertio in clibano coquatur & pulveriſetur: doſ. eſt ℥ß. inſpergitur pani toſto vino intincto, & ita aſſumitur.

Quidam conjungunt ſuccum Granatorum maturorum cum ſucci ſambuci aa. & cum farina fermenti q. ſ. faciunt paſtam & ſuperiori modo procedunt.

Mentionem feci *ſanguinis leporini*, hic ergo *ſanguis leporinus* ſimiliter eſt ſingulare experimentum, ſed obſervetur, quod non ſit accipiendus lepus ſponte mortuus aut frigore enecatus, ſed potius quantum fieri poteſt in ſummum pavorem actus à vertagis, tunc enim ſanguis eſt optimus quocunque modo poteſt haberi: ſcil. hic ſanguis excipitur linteo mundo & exſiccatur, quod linteum ſiccatum infuſum pro potu curat dyſenteriam, vel ipſe *ſanguis leporis* ſuperiori modo capti, ſiccatus & pulveriſatus à ʒß. *ad* ʒj. expertum eſt remedium, de quo ipſo elegantem videatis HELMONT. *in ſcriptis p.m.*381. & uſum hujus lintei expertus eſt deſideratiſſimus noſter præceptor D. MICHAEL. fœliciſſimo ſæpius cum ſucceſſu. Commendat etiam hunc ſanguinem SCHMUCK. in *Theſauriolo ſecretor.*10. *theſaur.*2. Poſt *ſanguinem leporinum* non minoris uſus eſt *ſanguis pavidi agni*: ſcil. ſi capiatur ſanguis ex agno in articulo mortis jam conſtituto: Sic enim pavor ejuſque idea ſigillat ſanguinem totum, ratione cujus eſt remedium dyſentericum.

Doſis ſanguinis exſiccati tam *leporini* quam *Agnini* eſt *à* ʒß. *ad* ʒj. imprimis ſi uſurpetur in *ſucco* l. *ſirup cydoniorum* cui ſi addere velis l. *Mumiam* l. aliquid de *lapide Hæmatite* perinde eſt.

Vide de *ſanguine agnino* RHUMEL. *in Iatro-Hermetic. p.m.*415. it. MINDERER. *in eleganti ſua Medicina militari.*

Porro inter ſpecifica fere primum locum meretur *hepar ſerpentum & viperarum*, quod tam in dyſenteria communi ſ. *benigna*, quam in ſpecie in dyſenteria *maligna* eſt expertiſſimum remedium ſi *exſiccetur, pulveriſetur*, & *ad* ℈ß. propinetur. D. MICH. in frequentiſſimo ſimul ac expertiſſimo fuit uſu, cui communicatum fuit à D. ELLENB. *Medico Hallenſi*, qui ſatelliti Principis fluxu deſperato laboranti in hauſtu vini rubri propinavit, tam felici ſucceſſu ut intra horam fuerit ſuppreſſus fluxus.

Anno 1669. cum nonnullæ acerbiſſimæ hic graſſarentur dyſenteriæ cum diarrhæis, ego feliciſſimum vidi uſum hujus pulveris.

℞. Pulv. hepat. viper. gr. xv.
Cryſtall. ℈ß.
miſc. det in triplo.

Prima doſis aſſumatur mane, altera veſperi circa horam 5. & tertia doſis poſt mediam noctem: certe miratus ſum efficaciam hujus pulveris, quam nunquam crediđiſſem.

℞. Aq. Torment. ℥ij.
Cinnamom. ʒvj
Spir. Theriacal. camph. ʒiß.
Sirup. de ſymph. Fernel. ℥ß.
miſc.

pro vehiculo iſtorum pulverum hanc miſturam cochleatim uſurpando.

Interdum etiam addebam *ſanguinis draconis* & *oſſium bovinorum an.* ℈j. felici cum ſucceſſu.

Nam tunc erat dyſenteria maligna: præſcribebam hepata ratione malignitatis, cryſtallos vero ut abſorberent & imbiberent ſicque temperarent acidum. Unde ſpecifici ſunt *Cryſtalli* in *cholera à bile porracea* orta.

Præter hepata viperarum, ſunt qui inſigniter etiam commendant *hepata ranarum viridium*, qui pulvis ſimili uſu dicitur fuiſſe ſecretum PARACELSI, de quo ſit fides penes autorem.

Non ignotum eſt etiam quod à multis *commendetur Pomum cum cera & gummi arabico* repletum, aſſatum & comeſtum.

Laudatur admodum tale pomum ab HARTMANNO *in praxi chymiatr. pag.*191. uti etiam ab HORSTIO *lib.* 4. *obſ.*2.18. item ab AMAT. *Luſit. in cent.*6. *cur.*14.

Loco pomi communis melius eſt ſi uſurpetur *pomum cottoneum*, utpote cum hoc non ſit inelegans contra dyſenteriam: autor eſt VALERIOLA *lib.*8. *obſervat.* 4.

℞. Gumm. Arabic. ʒj.
Maſtich. ℈j.
Laudan. opiat. gr. ij.
pulveriſ. dent.

Hic pulvis pomo excavato indebatur ac aſſabatur & totus comedebatur, erat eſus in ſapore aſtringentiſſimus.

tiſſimus : ſed non vidi magnum effectum , utut non ſit contemnendum remedium.

Ulterius *ſtercus canis ſ. Græcum album* vulgo commendatur, & admodum expertum eſt remedium, imprimis ſi canis bene fuerit nutritus oſſibus : nam ſuperius commendavi oſſa. Hic pulvis addito pauco *ſaccharo in lacte caprillo* propinatus experimentum contra dyſenteriam eſt : ſi à ℥ß. ad ʒj. propinetur. Experimentum eſt JOELIS *in ſua praxi* de dyſenteria, uti etiam MINDERERUS *in medic. militari* idem commendat.

Certum eſt quod *ſtercus canis* ſit admodum ſingulare in hæmorrhagiis etiam deſperatis, ſic ruſticam mulierem quæ ultra 10. ſeptimanas *Hæmorrhagia uteri* laboraverat, ſcio quod hoc ſtercus feliciſſime curaverit.

Denique *ungula equina* ſeu iſtud cornu molliuſculum quod ex ungulis equinis exſcinditur: ſi exſiccetur hinc pulveriſetur & ad ʒj. propinetur, commendatiſſimum eſt remedium ab EURERIO ad dyſenteriam. Hanc *ungulam caballinam toſtam* & propinatam & quidem ex *Equa non laſciviente* itidem ſpecifice commendat HELMONT. *p.m.*184.*item* 270. Videri etiam poteſt LANGIUS *comment. in* FABRUM qui & ipſe adſtipulatur HELMONTIO,eaque aſſerta approbat.

Satyrioni multi multa attribuunt in hoc morbo, idque imprimis qui PARACELSI terunt veſtigia, qui inſigniter illam commendat in quamplurimis morbis. Duæ l. tres radices potui infuſæ & ita potatæ ſingulariter commendantur contra dyſenteriam. Unde & *radix ſatyrionis* à multis admodum laudatur.

Denique aqua ſuberata ſeu aqua in qua ſuber bullierit arcanum dicitur contra dyſenteriam expertum à BORELL. *cent.*1. *obſerv.* 57. & RIVERIO *in cent.*4. *obſ.*87. Quidam etiam commendant inſigniter *julos juglandis* tempore vernali in majo arboribus adnaſcentes, qui ſereno cœlo collecti, ſiccati & pulveriſati & ad ʒj. in aq. appropriat. propinati à multis commendantur.

Denique alumen non eſt omittendum, nam & hoc egregie prodeſt, & quidem tantummodo recipiunt *tria alum.* fruſtula magnitudinis piſi, propinant in vino rubro & pretioſum ducunt eſſe arcanum : Alii quod magis approbo recipiunt *alum. crud.* ℥ß. *cinnamom.* ℥iß. miſcent & hujus miſturæ ℈j. *in lacte vaccino* propinant.

HÆC SUNT SPECIFICA.

Progredior ad ea quæ *communiter* ſolent uſurpari in dyſenteria, quæ ſunt pleræque *herbæ dictæ vulnerariæ*, quas inter magis uſitatæ ſunt Plantago, Tormentilla, „ Pimpinella, Sanguiſorba, Centinodium, Lyſima„ chia, folia quercus, Potentilla, Burſa paſtoris, Mil„ lefolium, it. Radix tormentill. plantag. conſolid. „ major. Nymphææ, Filipendul. Pœoniæ, Biſtortæ, „ Helenij, Flor. roſar. rubr. Balauſtior. Juli Corylini, „ Flor. papav. rhæados, Bellidis, Hyperic. Cimæ quer„ cus (NB. in quercu ſingularia latent contra hunc morbum) *Semina plantagin. acetoſ. Portulac. naſt. aquileg. perfoliat. papaveris.*

STOCKERUS *in ſua praxi* tanquam expertum commendat. *ſemen papaveris contuſum, cum vitello ovi & frixum in cineribus.*

Porro *Mala cydonia, meſpila, ſorba, myrtilli, ſpongia cynosbati*, cujus alias ʒj. commendatur ad quaſcunque hæmorrhagias) *Nux moſcata.*

Succus plantaginis, eſt ſingularis it. *ſuccus hederæ terreſtris.*

Aqu. burſæ paſtor. Cinnamom. quercus commendatur ſpecificè ab HORSTIO. *Aqu. tormentill. plantagin. cinamom. cinamom. cydoniat.*

Syrupus de roſis ſiccis myrtinus plantag. portulac. cydonior. coralliorum QUERCETAN. *de Symphyto* FERNELII. *papaveris.*

Denique *ex lacte* parata temperant humores acres & quibuſdam additis ſimul adſtringunt. Sic *Lac amygdalar. dulcium ſ. Emulſio cum aqu. chalybeata* parata.

Item *lac chalybeatum* in quo *radix ſymphyti* decoquatur. Modus eſt hic.

℞. Menſuram lactis recentis in quo quinquies l. ſexies extinguatur ferrum ignitum & poſtmodum incoquatur : *radicis tormentill. & ſymphyti* an. ʒj. ad conſumptionem tertiæ partis. Hinc ter propinetur ægro in die bonus hauſtus. Eo efficacior eſt hic potus ſi ſingulis hauſtibus addatur ʒj. *ſtercoris canis* oſſa rodentis, ſubigatur, exprimatur & uſurpetur.

Prodeſt etiam *decoctum oryzæ in lacte cum vitellis ovorum & ſucco hederæ terreſtris.*

Præterea etiam conveniunt *eſſentiæ vulnerariæ compoſitæ, eſſent. ſatyrionis, ſymphyt. it. extract. theriacal. tormentill.* quæ extracta *cum laudano opiato* dant elegantes pilulas nocturnas.

Item ſpir. theriacal. camph. tinct. corall. ſaſſafrata. tinctura ſulphuris, vitriol. lapid. hæmatit. bezoartica. it. miſtura ſimplex in principio malignæ.

Præter dicta convenit *terr. ſigill. terr. vitr. exanimata ſ. terra vitrioli dulcis.*

Hinc AGRICOLA hunc commendat bolum.

℞. Terræ vitrioli dulc. ℈ß.
Oſſ. microcoſm. calc. gr. xij.
Theriacæ ℥ß.
miſc. pro bolo.

Ulterius *Bolus armena, ſanguis draconis, antim. diaphoret. corallia, myrrha* (eſt balſamica & elegans, imprimis ejus eſſent.) *ſulphur* ejuſque *flores, ocul.* ♋. *præp. umbilicus marinus præp. Succinum* (hoc eſt ſingulare) imprimis *trochiſc. de carabe*, qui inſigniter conferunt non tantum in dyſenteria ſed etiam in ſputo ſanguinis.

Superiori anno etiam præſcripſi aliquoties hanc miſturam nocturno præprimis tempore aſſumendam, cum egregio ſucceſſu, imitatus hac in parte SYLVII ſub forma miſturæ præſcribendi modum.

℞. Aqu. plantag. ℥ij.
Cinnamom.
Acet. deſtill. ℥ß.
Diaſcord. FRACAST. ʒj.
Troch. d. Carab.
terr. ſigillat. an. ℥ß.
Oculor. ♋ præp. ℈ij.
Antim. diaphor. ℈j.
Syrup. myrthini ℥j.
miſc. doſ. cochl.
F. l. a. Potio.

Modus hic per miſturam præſcribendi eſt SYLVIANUS, uti dixi.

Cryſtallus præpar. etiam convenit, item *Alabaſtr. uſtum : Crocus Martis adſtringens à* ℈ß. *ad* ℈j. & hinc *rubrica fabrilis* quæ multum de marte participat.

Pulvis bezoarticus SENNERT. cum aliis compoſitis in malignis. Pulvis SAXON. adſtringens Bezoarticus, " Thus, Myrrha, Gummi arabicum. Putamina ovo- " rum anſerinorum : Dens Lucij piſcis, os ſepiæ. Ta- " lus porcinus calcinatus commendatur à BARTHOL. " cent. V. hiſtor. 97.

Saccharum ſeu ſal plumb. ad gr. x. eſt ſingulare remedium, quod vobis NB. ſit recommendatum. Unde etiam cum hoc *ſacchar. plumb.* præparatur *tinctura antiphthiſica*, quæ eſt elegans in exulcerationibus internis quibuſcunque.

Theriaca, Mithridatium, Diaſcordium FRACAST. *Laudanum opiatum* & ſimilia nota.

His uſurpatis, quando mitigatum eſt malum & quodammodo adſtringenda ulcera in declinatione morbi. Conveniunt *Potiones vulnerariæ* quibus nempe abſtergantur & conſolidentur inteſtina. Conveniunt

etiam tunc *balſamus ſulph. tam communis cum ol. therebinth. aut ol. aniſi, aut ol. juniperi* præparatus quam *balſ. ſulph.* nobilior quem nobis deſcripſit POLEMANNUS *de ſulph. Philoſophorum* qui videatur, fit ex ſulph. aur. antimonii.

Potiones vulnerariæ poſſunt præſcribi hoc modo.

℞. Heder. terreſt. m. j.
Alchimill.
Plantag. an. m. ß.
Summitat. Hyperic. p. iv.
Raſur. CC. ℈ij
coqu. in ſ. q.
Aqu. com.
Colat. ℥vij
add.
Syrup. Corall.
de ſymph. an. ℥j.
miſc.

Aſſumatur ſubinde pro potu & cum hoc ſemper *balſam. ſulphur.* gutt. iij. l. iv. multum hoc profuit.

Hæc ſunt interna commendata in dyſenteria.

Nam de *purgantibus* ceu raro uſurpandis nihil eſt quod dicam: aut ſi uſurpanda, ſufficit *Aloe, Rhabarbarum & Myrobalani.*

Externe conveniunt, clyſmata ſed raro.

Clyſmata iſta aut ſunt *temperantia acrimoniam* humorum, aut ſunt *conſolidantia exulcerationem.*

Ea quæ temperant ſunt clyſmata *ex lacte* huic interdum ratione doloris incoquuntur *capita papaveris*: Sic interdum *lac chalybeatum* in quo diſſolvitur ℥ß. *plus minus ſevi hircini* eſt elegans: quibuſdam expertum clyſma quod recipit lactis q. ſ. in quo decocta ſit radix ſymphyti & huic addunt *pinguedinis caprinæ*, ℥j & miſcent.

Porro etiam commendantur clyſmata *ex vulnerariis*, ubi conſolidatione inteſtinorum opus. Hic præ cæteris vobis commendo clyſmata *therebinthinata* (Hæc enim in affectibus inteſtinorum & uteri ſunt ſingulariſſima) præſcriptio eſt talis.

℞. Lactis rec. chalyb. ℥viij
(loco lactis aſſumi poteſt decoct. vulnerarium aut aliud)
Therebinth. venet. c. vitell.
ovi diſſolut. ℥ß.
(ſic enim fatiſcit in liquorem)
Mellis roſat. ℥j.
miſc. pro Enemat.

De hoc Enemate dicit SYLVIUS: Tali Enemate & quidem unico circa initium adeoque mature injecto, curavi non ſemel dyſenteriam cum puris dejectione conjunctam.

Dabo aliud exemplum quod habet BARBETTE *in ſua praxi.*

℞. Therebinth. c. vitell. ovi
diſſolut. ʒij.
Diaſcord. Fracaſt. ʒiß.
Pulver. roſar. rubr. ℈j.
(NB. Pulveribus clyſteribus admiſtis non multa tribuo)
Lactis vaccini ℥viij
miſc. pro clyſmate.

quod idem ceu expertum commendat.

Porro *clyſmata ex cancris.* ſimiliter egregie conveniunt, quæ acorem corroſivum abſorbent, & virtute vulneraria inſigniter in dyſenteria proſunt. Modus præſcribendi eſt.

℞. Juris ♋. fluviatil. contuſ.
& tritor. ℥viij. l. x.
add.
ſevi hircin. ℥j.
miſc.
in dolore *Sirup. papav.* ʒvj. (ita enim præſcribit DEODATUS)
F. l. a. Clyſter.

Vel ℞. Jur. ♋. fluviatil. ℥vj.
Succ. cancr. fluviatil.
contuſ. ℥iij.
Colat. add.
Sirup. de ſymph. Fernel. ℥j
Vitell. ovor. num. j.
F. ſ. a. Clyſma. miſc.

Inter *Externa* ulterius commendantur applicanda quæ interſunt. 1. *Inunctiones* faciendæ *ex ol. maſtich. cydon. myrtin. hyper. abſinth. ment. nardino, nuc. moſch. expreſſo*, &c. addunt quidam *theriacæ* & his oleis *terr. ſigillat. croc. martis adſtr.* ſed eſt ridiculum, nihil enim hæc operantur.

Emplaſtrum contra ruptur. ſed & hoc non multi eſt pretii: *emplaſtr. ſtyptic.* MYNSICHT. *Omentum Vervecis* recenter extractum & ol. hyperic. irroratum inſigniter commendatur NB. *Fomenta* ſub forma ſacculorum applicata ſunt potentia: imprimis quidem *ſacculi ex fol. querc. in acet. coctis abdomini & podici* applicati ſunt experti à RULANDO. Ad imitationem hujus præſcripſi ſuperiori anno felici cum ſucceſſu hos ſacculos.

℞. Folior. Querc.
Furfur. an. m. iij.
Flor. Chamomill.
Verbaſc. an. m. ij.

Ex conciſis f. ſacculi num. ij. interpaſſati, unus rotundus major pro abdomine, alter oblongus minor pro podice, hi in aceto cocti aut aceto infuſi calido, applicantur, mirum quantum anterior tormina ſedet: poſterior Teneſmum potenter coerceat.

Porro *Suffitus* ano excepti ſunt elegantes, *ſuffitum fabarum* commendat PLATERUS. Magis laudo ſuffitum *ex ſuccino*, quem etiam commendat KESLERUS *in cent.*

It. Suffitus *ex raſur. CC.* eſt expertus ab ANGLIS podice exceptus: it. *ſuffitus aceti ſuper laminam ferream effuſi* ſimiliter expertus eſt. Suffitus ex *ſtercore aſini juvenculi*: item *ex decocto thapſi barbati* imprimis *in Teneſmo.*

Denique ſuffitus *ex Zingiber.* eſt experimentum ANGLORUM. vid. BARTHOLINUM *in cent. 4. epiſt. p. 523.* it. BOYLE *in philoſophia experimentali.*

Quæ *plantis pedum* applicantur non magni facio: ideoque hic etiam prætereo, & pergo ad dyſenteriæ cognatum malum eſt quod vocatur.

TENESMUS.

Nam fere quod in inteſtinis *ſuperioribus* eſt *dyſenteria*, hoc in *inteſtino recto* eſt *Teneſmus*. *Teneſmus.*

Teneſmus eſt aſſidua cupiditas egerendi per alvum, in qua ipſa tamen aut parum aut nihil omnino excernitur.

CAUSA eſt irritatio continua inteſtini recti quod ſtimulatum ſe contrahit & ita egeſtionem urget; Si enim tantillum hæreat in inteſtino recto, ſubito urget excretionem. Hic *ſtimulus* ſeu vellicatio inteſtini recti eſt vel *per eſſentiam*, vel *per conſenſum.*

Per *Conſenſum* obſervatur aliquando in *Nephritide* ſ. dolore renum: quia tunc temporis contingit Teneſmus propter nervos ad renes & inteſtinum rectum ex ramulis plexus meſenterici derivatos.

Item *Calculus veſicæ*, ubi imminet urethræ, non raro inducit Teneſmum *in viris*, pondere & irritatione ſimiliter irritans inteſtinum rectum.

Ad hæc *Mulieres propinquæ partui*, patiuntur Teneſmum propter uterum incumbentem inteſtino recto.

Hi ſunt Teneſmi propter conſenſum.

Teneſmus *per eſſentiam* oritur *primario à muco acido ſ. à pituita viſcida acida* inteſtinum rectum *rodente*; Hinc *excoriante* & tandem *exulcerante*.

Anus inflammatus ſimiliter non raro infert Teneſmum.

Aſcarides.

Aſcarides denique inteſtinum rectum rodentes & morſicantes ſimiliter ut plurimum, ſi non ſemper adjunctum habent Teneſmum.

In *dyſenteria frequens eſt Teneſmus* propter ea, quæ excernuntur, acida & acria corroſiva ſunt.

Item *in purgationibus* violentioribus ſupervenit Teneſmus propter excrementa acria excreta & inteſtino recto nonnihil adhærentia.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA

Sunt manifeſta per ſe, imprimis ex querela ægri.

PROGNOSTICA.

Teneſmus ex ſe *leve eſt* malum, ſi vero non ritè curetur non raro degenerat in *ulcus ſordidum*, quod ulterius tandem in *fiſtulam ani* abit per ſectionem curandam: quales fiſtulæ hîc locorum ſunt raræ, in Anglia vero frequentes.

In gravidis Teneſmus ſi *non ſemper, ut plurimum* tamen *Abortum* infert.

CVRA

Conſiſtit in eo ut *humor acidus & viſcidus corrigatur, ulcus abſtergatur, & denique conſolidetur.*

Conveniunt hic *Clyſmata* in pauca quantitate ad ℔ß. injecta.

Formulam elegantem habebitis in SENNERTO *de Teneſmo* quam etiam commendat D. MICH. in qua Baſis ſunt *lumbrici terreſtres* ex quibus parata clyſmata etiam in dyſenteria ſunt egregia.

Aliàs interdum *decoctum cicerum rubrorum cum floribus verbaſci inſtar clyſmatis cum ſævo hircino*, vel cum *melle roſaceo* injectum eſt conveniens.

Præ cæteris appropriatum remedium in Teneſmo eſt *verbaſcum* ſ. ut aliis vocatur Thapſus Barbatus, *decoctum* cujus in *lacte cum linteis inſtar fomenti ano admotum* Teneſmum quemcunque etiam dyſentericum curat.

Facit huc *ſuffumigium ex Verbaſco* MYNSICHTI quod egregie convenit.

Vel fiunt *ſacculi ex verbaſc. foliis Querc. & Anſerina*, qui in *lacte* decocti poſterioribus applicantur.

Decoctum folior. Quercus cum furfure in aqu. chalybeata cum ſacculis applicatum eſt egregium, & expertum.

Clyſteres optimi fiunt ex *jure carnis vervecinæ* cum aliquot gutt. *ol. ceræ deſtill.* hoc enim ol. ceræ eſt mirabile in exulceratione inteſtini recti, potenter abſtergit & conſolidat.

Loco ol. ceræ aut ſimilium cum eodem injectus *Balſamus Peruvianus* ſimiliter eſt efficax.

Suffitus ex latere calefacto infuſo aceto exceptus à quibuſdam multum commendatur.

Vel recipiatur *later bene calefactus* cui linteis involuto *ſuperinfundatur vinum* & huic ſuperſedeas.

Aliàs fiunt etiam *ſuffitus ex Thure, myrrha, galbano, nuc. moſcata, roſis & ſimilibus. Item fumus decoctionis ſabinæ ex aceto & aqua* pro fotu exceptus eſt egregius.

STOCKERUS *in praxi* mirabiliter juvare dicit *ſuffimigium de thure & pice* ſuper carbones injecto.

Glandes ſ. *ſuppoſitoria* parata ex *ſevo hircino* vel *melle inſpiſſato cum pilulis de cynogloſſa it. cum opio* laudantur in gravi dolore Teneſmi idque ab AMAT. *Luſitan. cent.* 3. *hiſt.* 97.

Denique, ubi nonnihil exulceratus eſt anus, convenit *inunctio* ejus *cum oleo roſarum & lumbricorum terreſtrium*: vel fiunt ſuppoſitoria *ex ſevo hircino cum ol. verbaſci* quæ illinuntur *unguento de tutia*, aut *unguento diapompholygos*, it. de *ceruſſa camphor.* ad mundificandum & conſolidandum ulcus.

Interne aliquot *guttæ olei maſtich. in aqu. menthæ, plantaginis & pulegii*, exhibitæ valde laudantur etiam in ipſa dyſenteria.

HILLERUS *in cent.* 1. *cur.* 75. refert Teneſmum chronicum & admodum contumacem, quem poſt multa alia fruſtranea curavit *ol. vitrioli rubelli in juſculo carnis* exhibito, à quo purulenta multa excreta fuerunt.

Propter cognationem materiæ noto, quod interdum adſit PRURITUS ANI ſatis moleſtus: In quo prurituAni expertus eſt *fotus aq. plantaginis* in qua modicum alum. coctum fuit niſi ſit contumax.

It. ad *pruritum ani*, aut ejus exulcerationem præſtans eſt *unguentum* hocce.

♃. Tragacanth.
Lithargyrii.
Sulph. citr. an. ℥ʃ.
cum
aceto &
adject.
Ol. roſac. pauco
F. Linimentum.

Denique pertinet huc *dolor ani* ſi quis fricat anum *charta piperata* vel ſimili.

In tali caſu prodeſt *fotus lactis cum aq. roſacea*, uti vult BORELL. *cent.* 4. *obſ.* 82. in dolore ani cui vitriolum fuit affrictum.

Hæremus adhuc in fluxibus alvi & quidem in iis in quibus excernitur ſanguis.

Ordine quaſi progredimur, ad iſtum quem vocant.

FLVXVM HEPATICVM.

Affectum modernis rariſſime viſum, adeo ut ob id non pauci de eodem omnino dubitent, ut ut *Veteres* non quidem antiquiſſimi, ſed majoris ævi, multa de eodem clamitent & ſcribillent adeo ut etiam VARANDÆUS conſcripſerit integrum, *Tr. de Hepatitide.* De hoc affectu ſ. alvi fluxu vitio hepatis contingente. *Fluxus Hepaticus.*

Vocatur Veteribus *hic fluxus Hepaticus quando nempe ſanguis aquoſus & imperfectus, tenuis & loturæ carnium ſimilis, abſque dolore aut gravioribus ſymptomatibus per alvum copioſe rejicitur.*

Appellationis ratio deſumpta fuit ex Hypotheſi falſa majorum, quod nempe hepar ſanguificet; adeoque cum hunc fluxum oriri voluerint ex deficiente ſanguificatione in Hepate, ob id eum fluxum Hepaticum vocarunt.

Cæterum ſi exacte conſideremus exempla eorum qui referuntur hoc fluxu laboraſſe, ea longe aliud quid perſuadent: ſcilicet duo ſunt imprimis caſus in quibus talis fluxus vocatur *fluxus Hepaticus*, *eſt diarhæa ſanguinolenta*, dum ſanguis per venas inteſtinorum quaſcunque ob cauſas effunditur: Sic ZACUT. *Luſit. lib.* 2. *medic. princip. hiſtor.* 84. obſervat ſanguineum fluxum hepaticum in iis in quibus *artuum aliquis præciſus*, item *ab omiſſa exercitatione ſolita*, & ſimilibus cauſis, quæ quidem coacervare poſſunt ſanguinem utilem, & ita date occaſionem, ut quocunque in loco erumpat, non autem poſſunt inducere verum hepaticum fluxum.

Exemplum tale proponit DEODATUS *in valetudinar. p. m.* 217. non minus quam BORELLUS *cent.* 1. *obſervat.* 99. *&c.*

CAVSA talis fluxus poſt dyſenteriam eſt, *quod* nempe in dyſenteria excoriata interiore inteſtinorum *membrana vaſa Meſaraica non exacte occludantur*, quin ſubinde aliquid de ſanguine tenuiore tranſſudet.

Unde dyſenteriæ ſuperveniens fluxus, nullo modo talis fluxus hepaticus ſtatuendus.

Adeo ut de fluxu hepatico & ipſi ſimili merito dubitent moderni, cùm rariſſima imo fere nulla proſtent exempla.

Ob id BARBETTE *in ſua praxi* vult *quod* talis *fluxus* dictus *Hepaticus ſit* tãtummodo *apertio ſuperiorum venarum hæmorrhoidalium, per quas evacuatur ſanguis &*

ſubinde per anum defluit & effluit, quæ ſententia etiam mihi videtur veriſſima.

Quibus tamen placet defendere talem fluxum qui à veteribus vocatus fuit *Hepaticus*, ipſi nullam aliam poſſunt aſſignare *cauſam* quam *nimiam ſanguinis aquoſitatem & tenuitatem*, *ob nimiam ſeri abundantiam*, quod ipſum abundans ſerum in tantum tenuem & fluxilem reddat maſſam ſanguineam, ſimulque vaſa ſanguifera imprimis Meſaraica copioſiora adeo laxet, ut exinde ſanguis aquoſus per vaſa laxata facile & copioſe tranſſudare poſſit.

Unde *remota cauſa* erit partim *chylificatio læſa*, partim *ſeri excretio vitiata* ſ. impedita.

Chylificatio læſa eſt, quando aut copioſis aſſumptis potulentis aut alia quacunque ex ratione chylus non lacteus & legitimæ conſiſtentiæ, *ſed* tantummodo *tenuis aquoſus* & *admodum fluxilis* generatur.

Unde ſi poſtmodum vel *vitio renum* vel vitio debitæ *motionis* corporis, l. alia quacunque ex cauſa *ſupprimitur ſeri excretio*, non poteſt non exinde ſubſequi ſanguis aquoſus & facile tranſſudabilis.

Sed ut dixi, *veriſſima eſt ſententia* eorum qui ſtatuunt, *quod non revera ſit talis fluxus*, ſed tantum oriatur *ex apertione venarum hæmorrhoidalium ſuperiorum*: de quo paulo poſt plura.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

Per ſe patent.

PROGNOSTICA.

Eandem ſimiliter ſtatuunt Prognoſin quæ ſolet ſtatui in fluxu nimio hæmorrhoidum: ſcilicet *excretio nimis copioſa & frequens ſanguinis tandem corpus ad Cachexiam, Hydropem*, *Tabem* & ſimilia ſymptomata neceſſario *diſponit*. Ut propterea *fluxus hepaticus* dictus *in juvenibus interdum, in ſenibus vero nunquam fere curetur.*

QVOD ATTINET METHODVM MEDENDI.

Eodem modo tractandus eſt hic fluxus, atque vel dyſenteria lenior, vel nimius hæmorrhoidum fluxus.

Inter ea quæ ad fluxum ſupprimendum commendantur, ſunt imprimis *ex plantagine & ex urtica majore* petita remedia.

Succus plantaginis & ſuccus urticæ majoris, ut quemcunque fluxum ſanguinis ſiſtunt, ita in ſpecie ad fluxum hepaticum commendantur: quibus ſi miſceatur *ſuccus ſaniculæ* eſt eo convenientior: Cum his ſuccis miſti *Syrupi coralliorum it. papaveris albi*, eorum vires intendunt.

Item *Martialia* quæ omnia per ſe ſemper adſtringunt hic conveniunt, tam *terra Martialis* in mineris Martis frequens, quam etiam *crocus Martis adſtringens*, aut *tincturæ Martis adſtringentes* de quibus alibi, præpar. eorum ſunt variæ, adeoque habendus delectus.

Agrimonia ſ. Eupatorium ſpecificum eſt POTERII, cum dicit ſe decocto Eupatorii deſperatam Hepatitidem curaſſe. Cum hoc decocto, ſ. parata *eſſentia ex ſucco Eupatorii* (non ex herba ſicca uti procedunt Pharmacopœi) ſi miſceatur Tinct. *ſulph. vitrioli*, aut legitima *lapidis Hæmatitis Tinctura*,) quæ parca manu adminiſtratur) erit miſtura maxime conveniens, v. gr.

℞. Eſſent. Agrimon. ſ. ſpirit.
ex ſucco parat. ℥ß.
Tinct. ſulph. vitr. ℈ij.
Eſſent. Anodyn. c ſucco Cydon.
(de quo ſuo loco)
Vel quocunque modo parat. ʒj.
miſc.

F. Tinct. adſtring. doſ. 30 gt.

Non ſine ratione addo *eſſent. opiatam* propterea, quoniam BORELLUS *cent. 1. obſ. 99.* refert, fluxum hepaticum poſt dyſenteriam *Laudani opiati* uſu curatum. Id quod affirmat ſimiliter BONTIUS *in medic. Indorum cap. 4.* qui dicit optimum remedium ad fluxum hepaticum (loquendum ut plures, ſentiendum ut pauci) eſſe *extractum opii vel croci.*

De terris res nota eſt, quod adſtringant: has inter convenit *Unicornu foſſile*: ſed ut obiter moneam: Duæ ſunt ſpecies quæ unicornu foſſilis veniunt nomine: Prima ſpecies revera ſunt oſſa animalium calcinata in terra calcinatione vaporoſa à vapore humido & calido è terra elevato: videbitis etiam in officinis materialium quod talia oſſa dentur perfecta pro unicornu foſſili, quæ linguæ adhærent inſtar CC. uſti, adeo ut non ſint habenda pro vero unicornu foſſili in hoc affectu proficuo. Altera potius ſpecies quæ eſt verum unicornu foſſile, & ſpecies margæ quæ interdum ſuperveniente ſpirit. ſalino coagulatur, ut in veram abeat duritiem lapideam, ita tamen ut quaſi per cancellos ſit diviſa nunc marga nunc concrementum ejus lapideum: In hac, pars mollis linguæ admodum adhærens ſ. Marga adhibenda in fluxu hepatico.

Porro *lignum lentiſcinum* ex quo fit maſtix. Lignum *cotoneum* decoctum inſtar aliorum lignorum & propinatum ſingulariter commendatur in hoc morbo. Nam ut rectè dicit VARANDÆUS *cit. loc.* ubi contumacior fuerit hic morbus, quod etiam tunc temporis neceſſum ſit accedere ad decocta lignorum, ut iſtorum beneficio provocatis ſudoribus minus fluxilis evadat maſſa ſanguinea, & ita minus poſſit tranſſudare per inteſtina. Porro *Gelatina CC.* parata vel *inſuccata cum aq. cinnamomi*, à LINDANO tanquam experta commendatur.

Denique *paſſulæ* ſingulariter in hoc morbo conveniunt: Hæ enim multum faciunt ad ſanguini legitimam & debitam conſiſtentiam tribuendam. In *paſſulis* quippe multa latitant quæ aut ſanguinis diſcraſiam, aut ejus vulgo ſic dictam temperiem corrigunt: ſunt enim revera muſtum concentratum, quod blandè fermentando multum valet ad corrigendam vitiatam ſanguinis fermentationem.

Sed pergimus.

Notum eſt quod diximus modernorum ſententiam eſſe, quod *fluxus hepaticus ſit revera apertio venarum Hæmorrhoidalium ſuperiorum*: quare me converto ad

HÆMORRHOIDES.

In quibus plura ſe offerunt agenda.

Hæmorrhoides, quoad vim etymi nihil aliud notant quam quemcunque ſanguinis fluxum. *Proprie* tamen uſurpatur tantummodo *de fluxu ſanguinis ex externis venis ani.* *Hæmorrhoides.*

Dantur quidem etiam *Hæmorrhoides muliebres*, ſeu evacuatio ſanguinis ex venis externis vulvæ, de quibus tamen inter morbos mulierum agendum.

Hæmorrhoides ſunt apertio venarum hæmorrhoidalium in ano.

Hæ venæ *ratione inſertionis* in inteſtinum rectum ſunt duplices; *ſuperiores & internæ*: & *externæ ſ. inferiores.*

Superiores ſ. internæ oriuntur ex ramo meſenterico venæ portæ. Unde dixerunt veteres, per hunc ramum meſentericum evacuari ſplenem per hæmorrhoides. Cui tamen aſſerto repugnat lex inviolabilis ſanguinis circulationis.

Externæ ſ. inferiores oriuntur ex vena cava è ductu ſcilicet ejuſdem hypogaſtrico, ex quo ramo hypogaſtrico etiam vena pudenda, it. Vena quæ ad muſculum Clunium: it. quæ ad inteſtinum rectum derivatur, & hæ ſunt hæmorrhoides externæ.

Jam vero cum ex hoc ramo hypogaſtrico etiam deriventur in mulieribus vaſa ad collum uterinum

per quæ vaſa in iiſdem fit Excretio Menſtrua; adeo ut iſta vaſa hæmorrhoidalia ad anum, & vaſa menſtrualia uteri oriantur ex uno trunco, ex hoc facile patet, quare nonnunquam, immo ſæpius in mulieribus defectus, menſtruationis compenſetur per fluxum hæmorrhoidum.

Antequam ulterius pergamus, melioris doctrinæ ergo *differentiæ hæmorrhoidum* ſunt attendendæ.

In Genere ſunt vel *furentes*, vel *fluentes*.

Furentes alio nomine dicuntur *Cœca*, ex eo quoniam non ſunt apertæ, ſed oculis quaſi clauſis connivent, unde propter clauſuram inſigniter dolent.

Fluentes alio nomine *apertæ dicuntur*, & ſunt l. *ſpontaneæ*, l. *non ſpontaneæ*, *Spontaneæ* ſunt beneficium naturæ.

Non ſpontaneæ ſunt l. *Criticæ* l. *morbidæ*. *Criticæ* ſunt quæ in morbo beneficio naturæ ad morbum ſolvendum accidunt.

Morbidæ vero ſunt quæ maleficio ſanguinis aut propter quamcunque cauſam in perniciem ægri oriuntur.

Hæmorrhoidum fluxus frequens eſt imprimis *viris*, raro noſtris, *Italis magis*.

In his enim, Viris nempe, eſt hic fluxus hæmorrhoidalis loco menſtruationis muliebris adeo, ut proſtent exempla virorum per ſtatas periodos hæmorrhoidum fluxum patientium, ita ut interdum ſingulis menſibus, interdum ſingulis 6. ſeptimanis nonnulis in viris redeant. Ob id etiam alio nomine *dividuntur Hæmorrhoides in Erraticas & Periodicas*.

Erraticæ ſunt quæ nullum certum tempus obſervant recurſus.

Periodicæ, quando eadem imprimis in Viris certa & ſingulari periodo recurrunt.

Quale Exemplum habet AMAT. *Luſit. Cent. 5. cur. 3.* de viro qui ſingulis menſibus per hæmorrhoides habuit evacuationem inſtar mulieris per Uterum. Imo idem AMAT. *Luſit. cit. loc.* refert quod in quibuſdam viris ſuppreſſus menſtruus hæmorrhoidum fluxus, periculoſam Hæmoptyſin. in iis induxerit.

Mulieribus non raro accidunt M. Hæmorrhoides, ſed tunc temporis ut plurimum eæ conjunctæ ſunt cum vitio menſium.

Aliquot ſcio exempla quod in habitu corporis ſucculentiore & turgidiore partium, poſt 49. annum, quando naturaliter fluere deſinunt menſes, superveniat fluxus hæmorrhoidum *periodicus*, ita ut, cum in his certa periodo fiat evacuatio, per uterum hanc naturaliter ceſſantem inſequatur hæmorrhoidum fluxus.

Immo interdum à *Junioribus* ex menſium obſtructione præternaturali, oriuntur hæmorrhoidales fluxus, fluentes *periodice*. Qualia exempla ſubminiſtrat HORSTIUS *lib. 5. obſ. 45.*

Immò in *Gravidis* quibus naturaliter connivent menſes interdum ſuperveniunt hæmorrhoides, menſium loco in Gravidis fluentes. Exemplum videbitis in SCHENCK *lib. 3. obſ. de hæmorrhoidibus.*

Verum ordinarie dixi quod per hæmorroides effluat ſanguis: interdum non rara ſunt exempla, quod loco ſanguinis, effluxerint etiam alii excrementitii ſucci.

Nempe loco ſanguinis interdum albidus humor, vel humor aquoſus nonnihil viſcidus per has venas emulgetur, quæ ipſæ mucoſitates hæmmorrhoidales ſunt ſimiles fluori albo in mulieribus.

Exempla plura congeſta hujus nempe fluxus hæmorrhoidalis nothi, ut ſic dicam, videbitis in SCHNEIDER, *lib. 3. de Catarrhis cap. 7. pag. 270. & ſeq.*

Hæ ſunt hæmorrhoides *fluentes*, Quod attinet *Hæmorrhoides furentes ſ. cæcas, hæ ſunt nihil aliud quam incipiens inflammatio ani.*

Sanguis enim qui deberet evacuari, dum propter clauſuram oſculi iſtorum vaſorum non poteſt excerni, neceſſario ſtagnat, ſtagnatione in partium porulos intrat, partim tumefacit & ita inflammationem inchoat, ſicut aliàs omnis inflammatio oritur ex impedito ſanguinis motu, de quo alibi.

Talis ergo *Cæcarum* hæmorrhoidum ſtatus eſt inſigniter *dolorificus*, adeo ut in tali caſu quando ægri volunt excrementa alvi excernere, propter ingentem dolorem ſæpius *animi* patiantur *deliquium*: immo *dum internis laborant hæmorrhoidibus* ex præterlabente ſtercore interdum tales ſunt dolores ut *convulſiones* ſuperveniant. Scio ego exemplum mulieris hoc in loco, quæ, quando volebat excernere alvi excrementa. in animi deliquium cum faciei tumore, rubore & incaleſcentia incidebat, ex iiſdem hæmorroidibus cæcis: ſimulac vero excreta fuerunt ſtercora, ceſſabant omnia talia ſymptomata.

Hæ cæcæ hæmorrhoides ex ſanguine ſtagnante & in hoc loco coacervata ſæpe inſignem contrahunt *tumorem*, imprimis in externis, qui tumor ad inſignem magnitudinem foras eminet, adeo ut referat LINDANUS *in Collegio ſuper.* HARTMANN. ſe obſervaſſe, hæmorrhoides cœcas in tantum tumorem auctas, ut pugni inſtar extra Anum foras prominerent.

Unde etiam eſt quod cauto opus ſit Medico, ne confundat *Hæmorrhoides dolentes cum Criſtis aut Condylomatibus ani.* Immo tales *hæmorrhoides cacæ*, ubi ſanguis ſtagnans non diſcutitur aut diſſolvitur ulteriori coagulatione indurantur in *ſchirrhos*, qualia exempla non ſunt pauca: *Inteſtini recti* ex tumore hæmmorrhoidum cœcarum *ſchirrhoſi*: imprimis è SANCHEZ *in obſ. p. 377.* de muliere mortua ex Hæmorrhoidibus cœcis diuturnis, quæ ipſa poſt mortem diſſecta oſtendit inteſtini recti terminum ſex digitorum longitudine ad Anum uſque *ſchirrhoſum* & *induratum.* Simile exemplum vid. in RIVERIO *Cent. 3. obſ. 7.* de dolore & inflammatione hæmorrhoidum in tumorem durum degenerantium.

Fœminæ in ultimis Gravidationis menſibus aut etiam *ubi difficili laborant partu* incurrunt hæmorrhoides: in utroque enim caſu impeditur nonnihil ſanguinis circa uterum & Anum motus, qui occaſionem ſubminiſtrat ut ſtagnet in venis hæmorrhoidalibus, qua ſtagnatione tumefacta vaſa & inflammata pars, dant *hæmorrhoides cæcas dolentes*.

Effluunt Hæmorrhoides imprimis citra voluntatem & ſponte naturæ: nihilominus conſuetudo, ceu altera natura, eſt adeo potens, ut etiam reddere queat hæmorrhoides *voluntati fluentes.* Exemplum habet PANAROLLUS *Pentecoſt. 2. obſ. 47.* de Sene, qui cum jam juvenis laboraſſet fluxu hæmorrhoidum ſalutari, in tantum ſibi reddidit familiarem eandem, ut, cum in ſenectute ſe aliquo modo male haberet pro voluntate hæmorrhoidum fluxum concitaret: nunc plus nunc minus ſanguinis excernens prout ipſi libuerit.

Purgationes vehementiores non raro inducunt hæmorrhoides, partim quatenus particulæ medicamenti purgantis ad inteſtinum rectum protulæ, ibi ſtimulant inteſtinum rectum, ex quo ſtimulo facile inflammatum dare poteſt hæmorrhoides fluentes: partim quando purgatione acres & ſalini evacuati humores circa Inteſtinum rectum non raro dolores excitant & ibidem vellicando occaſionem ſubminiſtrant apertionis venarum Hæmorrhoidalium.

Ex his patet quod Cauſa Hæmorrhoidum, omnium *ſit* tantum *ſanguis evacuandus*: interdum propter *quantitatem* ſponte naturæ evacuatur, interdum realiter à *cauſa externa* fit *irritatio*, exinde *apertio iſtarum partium*, quæcunque iſtæ fuerint cauſæ.

QUOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

In genere, quidem, ii qui laborant Hæmorrhoidibus ut plurimum *vitiatum* habent *faciei colorem*, de hoc videmus FOREST. *lib. 23. obſ. 5. in ſchol.* qui

dicit quod color faciei rubentis Hæmorrhoides ad viridem nonnihil colorem declinet, id quod aliquando in multis animadvertentes hoc ſolo ſigno inducti, eos Hæmorrhoidibus laborare pronunciavimus.

Deinde, quoad Signa, bene *diſtinguendus fluxus hæmorrhoidalis verus à fallaci ſcorbutica evacuatione ſanguinis*, quæ aliàs vocatur *Dyſenteria ſcorbutica mendoſa*, de hoc caſu obſervatu digniſſima videantur quæ habet Horstius *lib.7. obſerv. 35.* ubi de caſibus ſcorbuticis, ibi inter alia *p. 399.* fit mentio fallacis hæmorrhoidum fluxus ſcorbuticis familiaris, qui ipſe in hoc differt à vero fluxu hæmorrhoidum, quod Hæmorrhoides veræ attritu excrementorum imprimis aperiantur, & etiam cum excrementis una ſanguis evacuetur: ob id etiam raro ſolet excerni ſanguis antequam excrementa prodeant: ſin vero fiat, ut promiſcue excernatur ſanguis tam antè, quam poſt excrementa, vel etiam longe poſt excretionem copioſus ſanguis effundatur, tunc ſuſpicionem potius eſſe, numne ſit ſcorbutica evacuatio, quam fluxus hæmorrhoidalis.

Porro *Signa diſtinctiva* hæmorrhoidum, imprimis tumentium à *Condylomatibus* à *Thymis & verrucis ani* videnda apud Riverium *in prax. l.10. c.11.*

QVOD ATTINET SIGNA PROGNOST.

Certum eſt quod *Hæmorrhoides Criticæ* aut *ſpontaneæ non nimiæ* ſint *ſaluberrimæ*, quod teſte experientia & Authoritate veterum confirmatur, *Præſervant* & curant morbos, quos vulgo à Melancholia derivant *Maniam*, *Melancholicos affectus*, *ſcirrhos ac tumores viſcerum*, & ſimilia mala, & quando fiunt *loco menſtruationis* muliebris ſunt ſimiliter *ſalutares*.

Verum *ubi fluxus* aut eſt *nimis diuturnus* aut *copioſus* admodum, imminent pericula quæ hæmorrhagiam nimiam ſequi ſolent: præ cæteris *Hydrops*: it. *Tabes*: Imo nimius aut frequentior fluxus hæmorrhoidum viros reddit ad *exercitium vener.* omnino *impotentes* cum magno fœminarum tædio.

Hæmorrhoides cæcæ male curatæ ſ. ubi jam adeſt inflammatio, non raro dant *ulcera*, quæ facillime degenerant *in fiſtulas*, in Anglia malum moleſtiſſimum, interdum *lethale*.

QVOD ATTINET METHODVM Medendi.

Primario ut in omni excretione *attendendus eſt motus naturæ.*

2. *Hæmorrhoides fluentes* ſeu fluere conſuetæ, ſuo tempore *ut fluant conſervandæ.*

3. *Deinde Hæmorrhoides conſuetæ fluere ſuppreſſæ* ſ. in *cæcas* degenerantes, *aperiendæ.*

4. *Hæmorrhoides nimium fluentes ſiſtendæ* moderate.

5. *Hæmorrhoides cæcæ* ubi aliàs fluxerint, *aperiendæ*, *ubi nunquam*, *diſcutiendæ & ratione doloris demulcendæ.*

Quod attinet *Media* his ſcopis convenientia 1. quidem ad aperiendas hæmorrhoides cæcas, uti notum eſt, commendantur *Folia Ficus.*

Modus applicandi eſt, quod primo nonnihil fricanda ſunt folia ficus, donec exeat lac. & cum his foliis fricandæ hæmorrhoides: nam ſic facile aperiuntur.

Conſultum tamen eſt ut antequam applicentur aperientia, hæ ipſæ cæcæ prius *emolliantur balneis aut fomentis emollientibus*, *imprimis cum lacte paratis.*

Semicupium enim *ex lacte tepido* præſtantiſſimum eſt ad compeſcendum *dolorem hæmorrhoidum cæcarum*, obſervante id Zacut. *Luſit. in ſua Praxi.*

Emollitæ deinde optime aperiuntur *foliis Ficus*, it. *Foliis Herb. Mercurialis.*

Si hæ non ſufficiant, illinuntur commode cum *ſucco Cyclaminis*, uti monet Henr. ab Heer. *in obſ. oppido rar. obſ. 6.*

Nam ſuccus Cyclaminis inſigniter laudatur ad Hæmorrhoides cæcas aperiendas, vel ſolus vel miſtus cum *ſucco Betæ*, imprimis ubi jam adeſt inflammatio: aut ob dolorem adhuc acriora adjicienda *ſuccus Ceparum Ari. Bryoniæ, Centaur. Minor.*

Succus Ceparum cum Aloe miſtus externe illitus ſimiliter commendatur.

Suppoſitoria facta ex *radic. Cyclaminis* inſigniter ſtimulant hæmorrhoides ut aperiantur: Et ſuppoſitoria facta *ex Hiera* Ruffi *cum pulvere Colocyntidis & melle* acriter etiam ſtimulant.

Vel applicantur ſolum mel cum pulvere Colocynthidis ſolo, aut etiam adjecto felle bubulo, aut felle porcino, fit Linimentum pro aperiendis Cœcis Hæmorrhoidibus ſatis conveniens.

Porro Linimentum factum ex ♋. *fluviatilibus in ol. coctis* ad conſiſtentiam uſque mellis, etiam aperit hæmorrhoides & convenit imprimis ubi metus eſt de inflammatione, aut ſi hic metus de inflammatione imminet: applicantur optime remedia, ſive ſucci ſive pinguedines tamdiu in mortario plumbeo agitata donec nigreſcant.

Plumbum enim convenit ad arcendam inflammationem.

Fit etiam Unguentum ex medulla Colocynthidis permiſta cum *ol. amygdalarum amararum*, quod unguentum ſimiliter aperit hæmorrhoides cœcas.

Denique *Cataplaſma* factum eſt *ſtercore columbino* cum *ſemine ſtaphidis agriæ & Lupinorum*, ſimiliter aplicari poteſt.

Succus & magma ſ. pulpa Galiopſidos ſ. urticæ mortuæ furentes hæmorrhoides aperit.

Denique valdopere commendatur ad obſtructas hæmorrhoides quod ſequitur.

R. Urinæ vetuſtæ & ſanæ bonam partem quæ bulliat ad minimum per horam unam, deſpumetur & purificetur addendo in fine Urticas parvas ſ. Galiopſides conciſas ſubigantur & fortiter exprimantur.

Quod ſi *calor* adſit *hæmorrhoidum* ſimul addenda eſt aqua roſarum: ſin vero adſit ſimul *pruritus hæmorrhoidum*, addendum nonnihil de ſucco Limonum l. Acet. deſtillat. vel aceto roſaceo.

His ita permiſtis æger collocetur in ſella & foveatur linteo multiplici fotu iſto calidiſſimo imprægnato, quæ lintea tamdiu novo fotu calido imprægnata admoveantur ſubinde, donec hæmorrhoides aperiantur.

Quoad *INTERNA*, ad aperiendas hæmorrhoides *remedia*, notum eſt quod Aloe imprimis aperiat venarum ora: quatenus nempe parte ſui reſinoſa circa partes ani adhæreſcendo eaſdem ſtimulant, ut hinc facile ſanguis effluat.

Unde omnia ex Aloe parata remedia commendantur ut *Pilulæ Aloephanus*, *Elixir Proprietatis* & ſimilia quæ ingreditur imprimis Aloe.

Cæterum ubi ſunt Hæmorrhoides *cæcæ* non *aperiendæ* autem, nihilominus tamen inſigniter dolent & tormentant, in tali caſu admovenda ſpecifica dolorem hæmorrhoidum cæcarum compeſcentia.

De *Lacte* dixi quod inſigniter compeſcat dolorem.

Inter *SPECIFICA* ad dolorem Hæmorrhoidum eſt *Momordica* planta inſigniter vulneraria & imprimis ulceribus mammarum dicata, cujus poma ſpinoſa & rubicunda in ol. communi infuſa, l. quod melius eſt in ol. lini, dant ol. ad quævis ambuſta, & in ſpecie ad Hæmorrhoides cæcas aptiſſimum. In muliere hujus feci experimentum quæ ex menſibus imminutis dolore Hæmorrhoidum afficiebatur.

Poſt Momordicam præ cæteris eminet *Verbaſcum & ol. verbaſci. Verbaſcum* certe appropriatiſſima eſt planta

planta ad *cæcas* & furentes hæmorrhoides compeſcendas. Applicatur variis modis præ primis applicatur in *aqua ferrariorum* vel *vino adſtringente* cocta, quo decocto ſubinde fricatur anus. Experimentum hoc eſt Mynsichti ad *condylomata* & *Hæmorrhoides cæcas*.

Quidam non incommode cum *flor. verbaſci* ſimul uſurpant *flores ſambuci*, qui & ipſi ſunt experti in tali caſu, ſi ſcilicet una coquantur in *aqua ſimplici vel lacte* decocto ſubinde fricetur anus.

Sin vero dolor eſt adeo acerbus ut verbaſci fotus ſolus non ſufficiat, imitandus eſt Forestus *lib. 23. obſ. 6. in ſchol*, qui cum *fol. & florib. Verbaſci l.* Thapſi barbati miſcet *ſemen Hyoſciami.* ſic enim ex his decoctis facit fotum, qui dolorem intenſum, & qui nullis aliis ſedari poterat remediis, feliciter ſedat & compeſcit.

Quidam recipiunt *lanam verbaſci*, hanc cum *therebinthina* miſcent in formam *Pilul.* quibus pro ſuffitu utuntur ad hæmorrhoides compeſcendas, id quod experientia comprobavit.

De Floribus Sambuci dixi jam. Quidam etiam faciunt *Cataplaſma ex foliis & floribus ſambuci in lacte* decoctis & applicant cum fructu; eſt ſane egregium.

Quod ſi inflammatio præſens, aut hæc multum progreſſa ſit, convenienter adduntur *folia Portulacæ* quæ addita, in iſta ſcilicet, valdopere commendantur.

Poſt verbaſcum & ſambucum nota ſunt *folia Mandragoræ* utut raro: Nam Mandragora ex ſolanorum genere non parum conjunctam habet narcoſin: item *Folia ſolani furioſi*, *Portulacæ*, *Hyoſciami*, *Flores Chamomillæ* & ſimilia.

De *Linaria* res eſt nota, quod nempe *Linaria*, *ol. Linariæ*, aut etiam ex illa parati fotus & unguenta ſint ſingularia ſpecifica: de *Linaria* experimentum vid. in Hartmann. *pag.* 160. §. 3. *in praxi.* ubi habet Unguentum ex Linaria.

Huic adjungendus Hoferus *in Hercul. Medic. pag.* 295. Nam certum eſt quod ex Linaria quæcunque parata ſint expertiſſima in *cæcis* Hæmorrhoidibus. Modum parandi Linimentum habet uti dictum Hartmannus & in *Pharmacop.* August. etiam ejus eſt deſcriptio.

De ol. Momordicæ locutus ſum; quidam etiam commendant *ol. in quo baccæ herbæ Paridis* coctæ ſunt.

Facit huc *ol. ſeptem Florum* Mynsicht. item *ol. ſeminis papaveris*: *ol. ſeminis hyoſcyami cum Aſellis*: it. cum *ſcarabæis* fiunt olea ſingulariter laudata *in dolore cæcarum* hæmorrhoidalium. *Urſulæ* Cartesiæ *Principiſſæ Italæ* Patavinæ in ſecretis fuit *ol. Aſellorum.*

Scilicet aſelli contuſi coquuntur in *ol. Violaceo* aut *ol. Lini*, & ſic fit inſigniter expertum. Vel etiam, quod melius eſt, millepedes coquuntur in *ol. nucum expreſſo*, vel ſi mille pedes miſti cum oleo ponantur in cucurbitam bene obturatam & facta poſtmodum leni digeſtione purum ex iis eliciatur *oleum.*

Quod dicunt de Millepedibus etiam verum eſt de *ſcarabæis ſtercorariis*: Nam paratur per decoctionem in ol. lini cum ſcarabæis ſtercorariis, *Linimentum* expertiſſimum anodynum, quod valde commendat Solenander *ſect.* 4. *conſil.* 20.

Quidam parant *Unguenta* ex modo dictis oleis & applicant imprimis in hæmorrhoidibus intus latentibus ſub forma ſuppoſitoriorum ut pertingant ad partem affectam. hoc modo.

℞. Ol. violac. ℥ij.
Aſellor. contuſor. ℥j.
coquant. &
adde
Ceræ ℥ß. plus minus.

Prout magis vel minus volumus Unguentum fluidum vel craſſum.

Certum eſt quod Aſelli in Chirurgia in compeſcendis doloribus nimiis hæmorrhoidum, in Ulceribus & Fiſtulis, *Ulceribus Mammarum*, &c. non habeant par remedium. vid. Fonsec. *lib.* 1. *conſ.* 27. & Borellus *cent.* 1. *obſerv.* 63. de uſu millepedum in hoc caſu.

Oleum Buxi inſigne eſt Anodynum, propter quam cauſam etiam applicatur hæmorrhoidibus dolentibus, non minus quam dentibus in Odonthalgia, in quo eſt ſingulare.

Sunt qui putant hoc oleum eſſe oleum Haraclinum Rulandi, ſed falſum eſt, paratur enim iſtud ex corylo.

Cineres ſuberis uſti ſpecificum ſunt Hartm. miſti cum *ol. Myrtino* contra *dolorem hæmorrhoidum cœcarum p.* 160. Quod ſimiliter commendat Lindanus *in Commentario ad hunc locum.*

Cæterum loco ol. Myrti ſumit *ol. rapiſtr.* aut in defectu hujus ol. lini, præ eo enim dicit, quod valdopere conveniant *in dolore hæmorrhoidum cæcarum.*

Idem Lindan. occaſione ol. rapiſtri commendat *ad nimium ardorem hæmorrhoidum cæcarum*, *hoc unguentum quod fit ex ſucco ſempervivi ſ.* ſed majoris cum oleo rapiſtri tantillo *ceruſſæ* & *ceræ*, ſic enim fieri inquit, ut ſtatim ceſſet ardor hæmorroidum cæcarum.

Aliàs in ſimili ardore applicatum *ſacchar. plumbini cum aqua Roſarum* eſt elegans, quod ſimiliter etiam *ardorem* ſiſtit.

Applicantur non raro etiam *Mucilagines ex ſemin. Pſylli*, *Lini*, *Cydoniorum*, nunc ſoli nunc intermiſto tantillo *Opii.*

His mucilaginibus in *ardore* adduntur ſuccus Portulacæ, ſuccus medii Corticis ſambuci.

Rulandus *curat. Empir. cent.* 1. *cur.* 7. contra dolorem hæmorrhoidum applicat *Sacculum ex fol. Quercus*, *Glandibus contuſis in aceto coctis*, quo ipſo ſacculo, ut ipſe loquitur, miraculi inſtar ſiſtitur dolor hæmorrhoidum.

Ad imitationem Rulandi in uſum quoque vocavit Lotychius *in obſerv.* & ſimiliter ſe eſſe expertum ſcribit.

Loco horum fiunt etiam *ſacculi ex furfuribus triticeis & flor. verbaſci*, quæ invicem cocta applicantur.

De balſamo ſulphuris tam therebinthinato quam cum *ol. Hyperici* facto, notum eſt quod appropriatiſſimus ſit contra dolentes hæmorrhoides: id quod debemus Rulando, cui aſſentitur Fonseca, qui mirè laudat in tali caſu, imo in ſecretis eſſe habendum ſcribit: ubi deficit verus balſamus ſulphuris, tunc ℞. *Flores ſulph.* miſcentur nudi cum *therebinthina*, aut *ol. therebinthina* & applicantur.

Porro de *ſcrophularia* res nota eſt quod ſingulariter & ſuper alia conveniat, in quocunque ſtatu ſint hæmorrhides *dolentes*, ſive radix ſcrophularia collecta in Autumno ſecum portetur. Nam certum dicitur experimentum ſecum portata aut coxæ alligata. Item ſi *radix ſcrophulariæ interne capiatur* ſive ex decocto ſive in ſubſtantia experta eſt, in quocunque hæmorrhoidum affectu ſive fluant ſive ſint cæcæ.

Si radix hæc recens frixetur cum butyro fit exinde *Unguentum* quod eſt ſingulare ad *dolentes* hæmorrhoides. Solenander facit mentionem cujuſdam Chirurgi qui omnes hæmorrhoidum affectus certo curavit, ſive ſint dolentes ſive tumentes, ſive fluentes: Scilicet per herbas integras *ſcrophulariæ & craſſulæ majoris cum ſuis radicibus*, quas cereviſiæ infundit & infuſi hujus mane & veſperi bonum hauſtum offert.

Craſſula major vocatur ſedum Telephium. Hæc Craſſula ſingulariter commendatur ad Hæmorrhoides dolentes, imprimis ſi ejus radix quando turgida primo vere primitus protendit folia contundatur una cum foliis, teratur *cum ol. roſaceo*, coquatur & ita applicetur,

applicetur, admodum ad dolorem & ardorem hæmorrhoidum convenire dicitur. SOLENANDER *ſect.* 4. *conſil.* 20. neſcit fere quibus verbis commendare debeat *Chelidonium minus* ad quæcunque hæmorrhoidum vitia, idque uſu tam interno quam externo, quæ *fluentes* ſiſtat, *dolentes* vero aut *tumentes* perfecte ſanet. Herba ſiccata infunditur cereviſiæ: Herba vero recens contuſa aut ſuccus expreſſus, extrinſecus admoveatur, certa experientia curat earum vitia. Planta integra ol. incocta dat unguentum contra quæcumq; hæmorroidum vitia. In ſpecie cõtra hæmorrhoides *dolentes & tumentes*. In ſpecie ſi radix hæc appendatur, tanquam ſingulare ſecretũ ad hæmorrhoides comẽdatur.

Quidam

℞. Pulv. rad. ſcrophular.
Chelidon. min.
an. ℥ß.
cum
Ol. Verbaſci
F. l. a.

Ungentum magnæ laudis ad hæmorrhoides.

Pro uſu interno ad ſedandum dolorem & abſumendas hæmorrhoides cæcas commendatur *decoctum millefolii* ſi hauriatur. Vires hujus decocti, vid. in obſervat. 5. RIVERIANA communicata ipſi à PASCHEQUO.

Moleſtum ſymptoma eſt *prægnantibus*, ſi *in difficili partu* oriantur hæmorrhoides cæcæ, cum enim fluant Lochia ex venis hypogaſtricis è quibus oriuntur venæ hæmorrhoidales; facile fit ut ſanguis etiam illic influat, ſtagnet, & inflammationem ani inducat.

Hic prodeſt decoctum baccarum herbæ paridis in ol. cum modico vini, cujus ol. illinitio ſtatim dolorem ceſſare facit uti expertus loquitur GESNERUS *in epiſt. lib.* 1. *p.* 21.

In tali caſu, puerperarum hæmorrhoidum dolore laborantium commendat FORESTUS iſtud unguentum *ex ol. lini cum cineribus ſuberis*, quod antea laudavi, *lib.* 23. *obſerv.* 5. qui locus probe notandus, quia multa in ſe continet quæ huc ſpectant. Facit ex *cineribus ſuberis*, *vitelli ovi & ol. roſacei* an. & fit *linimentum* ad hæmorrhoides.

Denique ſit hoc unguentum compoſitum.

℞. Ol Momordic. ʒj.
Balſam. ſulph. ver. ʒiß.
(imprimis cum ol.
Hyperici.)
Ol. papav. expreſſ. ʒß.
ſacchar. plumb. ℈j.
Camph. gr. vij.
miſc. pro Linim.

Camphoram addo: Nam mirabile dicitur remedium ad hæmorrhides dolentes: ſi *camphoræ* ʒj. ſubigatur (nam non diſſolvitur) in *aqua Malvæ* ℥j. & ita applicetur cum linteis ad *dolentes & ardentes hæmorrhoides*.

Hæ fuerunt hæmorrhoides cœcæ.

Sequuntur nunc *Hæmorrhoides apertæ*.

Hæmorrhoidas apertas non rite fluentes provocat *Fotus ex emollientibus*, item ſi interne aſſumantur *Aloetica*.

Quod ſi vero fiat ut nimis fluant in tali caſu *ſupprimendæ*.

Supprimuntur tam *internis* quam *externis*.

Interne conducit *Rhabarbarum & Myrobalani*, præ cæteris tamen Tamarindi, quos commendat RIVERIUS ad hæmorrhoides fluentes.

Conſerva ex cymis quercus itidem laudatur.

Decoctum ligni lentiſcini præſervat à nimio fluxu hæmorrhoidum.

Syrupus è roſis ſiccis, utut vulgaris, eſt tamen efficax BORELLUS namque *cent.* 4. *obſer.* 58. refert, quod hæmorrhoidum fluxus nimius ad ℔x. fuit ſedatus per ſyrupum *de roſis ſiccis*, ſi aliquoties adhibeatur, *Syrupus portulacæ*, *Myrtinus & Cydoniorum* ſunt convenientes.

Succus urticæ ad ℥ij. hauſtus eſt experimentum RIVERII, *cent.* 4. *obſerv.* 81.

Succus ſtercoris aſinini hauſtus, aut ex hoc paratus ſirupus, uti quamcunque hæmorrhagiam mirabiliter ſiſtit, ita in ſpecie hæmorrhoides fluentes.

Dens equi marini ſ. Hyppopotami præparatus & aſſumptus fuit D. MICHAELIS ſecretum contra hæmorrhoides nimis fluentes. Item annuli parati ex hac dente & inditi digitis, hæmorrhoides compeſcere ſolent.

Oſſa microcoſmi præparata: item trochiſci de carabe conveniunt.

Pilulæ de Bdellio ad ʒj. ſunt expertæ contra nimium hæmorrhoidum fluxum. Primus qui hoc obſervavit per experientiam eſt SOLENANDER *ſect.* 4. *conſ.* 20. quod conſilium multa in ſe continet, quæ ad hanc materiam pertinent, & eum poſtmodum ſecutus eſt FORESTUS *obſ.* 5. *lib.* 23.

Vnde quidam non ſine ſucceſſu adhibent *ſuffitum de Bdellio*, qui ſuffitus ſimiliter egregie confert.

In *Externis* quæ hæmorrhoidum fluxum ſiſtunt, eſt ſpongia iſta terreſtris, crepitus lupi dictus, qui ſiccatus & venis fluentibus admotus non tantummodo ſanguinem fluentem ſiſtit, ſed etiam partes jam exulceratas optime ſanat (crede experto dicit SCHOLTZ. *conſil.* 202.)

Pulvis ex Mumia & ſubere uſto ſimiliter convenit: Pulvis *Bufonis combuſti*, vel pulver. *ranæ terreſtris* applicatus hæmorrhoidibus eaſdem ſtringit; item Fuligo furni conquaſſata cum albumine ovi & miſta cum telis aranearum ſi applicetur nimium fluxum ſimiliter cohibet.

De pulvere ſympathetico ceu noto nihil dico: ſaltem hoc noto, quod obſervat RHUMELIUS ut ſcil. in nimio hæmorrhoidum fluxu accipiatur ſanguis recenter excretus & exſiccetur in lamina ferrea bene calefacta qui ſanguis ſiccatus, pulveriſatus *inſpergatur* hæmorrhoidibus *fluentibus* & ſubito ſiſtit.

Pinguedo Anguillæ quæ exſtillat quando aſſatur, eſt inſignis contra fluxum Hæmorrhoidum quæ etiam dolores earum ſiſtit.

HARTMANNUS commendat Cingulum ex Helleboro nigro: Verum eo magis commendarem *Helleborum album*, cujus *folia* ſunt inſtar Plantaginis nerveæ: ex his linteo inſutis factum Cingulum eſt ſingulare experimentum LINDANI contra fluxum hæmorrhoidum & Menſium, imprimis ſi adhuc pulvis ſubtiliſſimus *de Corticibus quercus* adſpergatur, qui inſtar pollinis adhæret & aliàs in dyſenteria eſt magnum remedium.

Denique non raro ſunt *exulceratæ hæmorrhoides*; eſt experimentum ad has ſingulare quod habet Dn. BOYLE *in Philoſoph. experimentali. Vnguentum factum ex ol. amygdalar. dulcium cum aur. fulminante*; hoc unguentum experientia fretus certum commendat. Facit etiam mentionem hujus BARTHOLINUS *Cent.* 4. *Epiſt. pag.* 523. ex communicatione ex Anglia facta.

Abſolvimus ea, quæ in contentorum in Inteſtinis expulſione & diſtributione ſunt obvia, pergimus ergo ad.

CAPUT X.

DE VARIIS INTESTINORUM *Doloribus*.

NAm dum diſtribuuntur Contenta in Inteſtinis & excernuntur excrementa, non parvi & pauci Inteſtina torquent dolores. *Inteſtinor. dolores.*

De quibus, utut in Capite Generali quodam de doloribus ſit agendum, nihilominus tamen conſultum duxi & hic quædam de iis præmonere.

Naturaliter

Naturaliter quidem, dum hæc omnia peraguntur, nullus dolor, nullaque moleſtia percipi ſolet, niſi quod tantum inteſtinum rectum ſentiat ſtimulum, ubi fæces ſunt excernendæ.

2. Tantummodo interdum adſunt murmura & borborygmi, quando flatus Inteſtini Ilei naturali contentorum motu externo & inteſtinorum motu periſtaltico, hinc inde agitatus iſta murmura & borborygmos infert.

Verum *præternaturaliter varios* continuo *dolores* patiuntur *inteſtina*, qui vocantur tormina, à torquendo, quod inteſtina quaſi contorta aut convoluta aut omnino conſtricta appareant.

Antequam ad *Cauſas* progrediar: quod ad *Differentias* ſpectat, pauca dicam.

1. *Diſtribuuntur dolores* Inteſtinorum ratione *partis affectæ*, Nam afficiuntur interdum Inteſtina *tenuia*: interdum afficiuntur *craſſa*.

Ubi afficiuntur *Tenuia*, *Jejunum & Ileon*, vocari ſolet imprimis *dolor Iliacus*.

Qui vero in Inteſt no *Craſſo Coli* nomine obſervabilis eſt, *Colicus* vocari ſolet, utut non raro *Iliacus* dolor cum *Colico* confundatur à vulgo, & omnis dolor Inteſtinorum Colicus vocari ſoleat; Nec multum refert.

Diſtinguitur autem *Iliacus à Colico* imprimis *ſecundum Inteſtini utriuſque ſitum.*

Nam *Colon* inteſtinum à dextro inguine incipiens ſupra & citra dextrum Renem ſurſum aſſurgit verſus hepar & inde ſub coſtis nothis tranſverſim fertur ad hypochondrium ſiniſtrum, cujus magnam quidem partem occupat, nihilominus tamen mox anguſtatum contorquetur ad renem ſiniſtrum in Hypochondrio ſiniſtro, indeque porro ad inguem ſiniſtrum, ubi tandem ad os ſacrum in Inteſtinum rectum devolvitur.

Hinc iſti dolores qui in Abdominis ambitu modo deſcripto percipiuntur omnes ſunt Colici, utut non multi eum tantum hoc appellant nomine, qui partem abdominis ſuperiorem & anteriorem inſtar Cinguli ambit: cum tamen ſæpe dolor uſque ad umbilicum immo interdum uſque ad veſicam inſigni ambitu devolvatur. Unde & iſti dolores ſunt Colici.

Tenue vero *Inteſtinum* ubi emergit, ab inteſtino duodeno verſus hypochondrium ſiniſtrum torquetur, & hinc recedens meditullium ventris imprimis occupat. Unde in & circa umbilicum percepti dolores ſunt imprimis Iliaci.

2. *Diſtribuuntur dolores* Inteſtinorum *à ſitu doloris:* & *dolor* interdum dicitur *Hypochondriacus*, interdum itidem vocatur *dolor Lumbaris.*

Hypochondriacus dolor eſt iſte, qui imprimis & frequentiſſime percipitur in Hypochondrio ſiniſtro ſub Coſtis nothis, dolor acerbus & admodum pertinax, qui communiter adſcribitur Lieni affecto.

Unde quicunque dolores in iſta parte percepti, mox habentur pro augurio affecti ſplenis: ii vero qui conſiderant Parenchyma ſplenis infarctum quidem, ſed per ſe inſenſile, ſtatim poſſunt percipere, quod Lien nullum poſſit habere dolorem niſi gravativum obtuſum ex infarctu ejus à vitioſis ſuccis ſeu ſanguine productum. 2. non poteſt habere dolorem, niſi obſcuriſſime tenſivum ex diſtenta membrana Lienem cingente ab infarctu nimio ortum. *Dolores* vero *punctorii, & terebrantes* nullo modo ſunt in Liene, cum ineptiſſimus ſit Lien pro tali dolore: Et quando cum his doloribus hypochondriacis ſæpius concurrit *Tumor* ad tactum renitens in Hypochondrio ſiniſtro, aut quando concurrit inſignis iſtius *Hypochondrii intumeſcentia.* Hæc ipſa ſane nullo modo conveniunt Lieni, cum Lien in profundo ſitus nullo modo contingi queat.

Dolor ergo hicce *punctorius* & *terebrans* acerbiſſimus in *Hypochondrio ſiniſtro* obſervabilis frequentiſſime, ſitus eſt in Inteſtinis, partim quidem in Inteſtino *jejuno*, partim vero & quidem ut plurimum; in Inteſtino *Colo.*

Quod attinet 1. *Inteſtina Tenuia Duodenum* ubi deorſum à Pyloro pergit ad principium Jejuni contorquetur hoc ipſum Jejunum mox ad hypochondrium ſiniſtrum ibique à lumbis & Meſenterio liberius adſurgens, contorquetur poſtmodum denuo in abdominis meditullium, in iſto, ut ſic dicam, angulo, ſeu contorſione iſta; ſæpius latent nunc *flatus*, nunc vero ut plurimum *mucilago acida*, quæ ibidem pertinaciter affixa dolores iſtos acerbos Hypochondrii ſiniſtri in profundo ſitos inducit. Verum hi dolores frequentius ſunt in *Colo*: id quod rectiſſime obſervat. Gvilhelm. FABRIC. *Hildanus Cent* 1. *obſerv.* 18. propterea quoniam Colon amplum in ſiniſtro Hypochondrio anguſtatur, & in iſta anguſtia contorquetur inferius ita ut ratione ſitus & conformationis facillime *flatus*, ibidem allidere, ſtercus aut excrementa ibidem hærere & non tantummodo intenſum dolorem, ſed etiam renitentiam tactui uti etiam perceptibilem intumeſcentiam inferre poſſunt.

Hic ergo eſt *dolor* iſte *frequens* admodum *Hypochondriacis*; partim quoniam horum inteſtina ſemper obſidet copioſa mucilago viſcida acida, partim quia his nunquam deficiunt flatus; & falſum eſt hunc dolorem eſſe in ſplene, ut pote qui per ſe ineptus eſt iſtius modi dolori.

Et utut dicunt, medicamenta ſplenetica interna & etiam externa *Emplaſtra & Vnguenta* ſpleni admota convenire in ſopiendo hoc dolore.

R. Quod iſta medicamenta *Interna ſplenetica* habeant vim aut *carminativam* aut *temperandi acidum* in inteſtinis & ita removeant Cauſam antecedentem: Item Emplaſtra & Unguenta ordinarie ingreditur *Gummi Amoniacum*, quod habet vim diſſolvendi & liquefaciendi mucilaginem viſcidam ibi ſtagnantem & ita tum putantur conducere ſpleni, revera conducunt Colo.

Poſt dolorem Hypochondriorum eſt.

Dolor Lumbaris frequentiſſimus & qui ſæpius confunditur cum *dolore Nephritico*, quando pylorus in Inteſtina ſe anguſtat, ubi inteſtinum duodenum Ventriculo proximum ſuperſtratum reperitur dextræ lumborum regioni.

Unde ſi in Inteſtino Duodeno circa principium jejuni oriuntur dolores tum iſti dolores percipiuntur in lumbis ſeu dorſo & recte dolor lumbaris vocatur, cujus pars affecta revera eſt finis Duodeni & principium Jejuni.

Hæ ſunt *Differentiæ dolorum Inteſtinorum quoad partem affectam.*

Quoad differentiam ipſius doloris, pro cura inſtituenda etiam quædam notanda.

Et quidem percipitur nonnunquam *dolor ardens* & quidem in profundo ſub hypochondrio dextro prope regionem lumbarem, ibidem ſcilicet loci, ubi inſeruntur ductus Pancreaticus & Cholidochus in Inteſtinum Duodenum. Hic ergo *dolor ardens* ibidem perceptibilis oritur *ex bile nimis oleoſa efferveſcente vitioſe cum ſucco Pancreatico* occurrente: ex qua efferveſcentia vitioſa propter oleoſitatem Bilis talis inducitur *Calor & ardor*, qui ægris inſigniter eſt moleſtus: de hoc nuperrime habui obſervationem in ſubjecto maxime bile oleoſa prædito.

Exemplo rem illuſtrabo. Notum eſt quod ex confuſione ſpiritus vitrioli acidi & ol. Therebinthinæ oriatur intenſiſſimus ardor, ut per vitrum manus inſigniter incaleſcat & ſæpius vitrum rumpatur. Vel ſi confundatur ſpiritus nitri rectificatus cum Spirit. vini rectificato, ex his duobus celeri manu permiſtis tam intenſus excitatur Calor, ut interdum erumpat flammula & vitrum, niſi ſit admo-

dum capax, in centum fruſta diſſiliat: Si ergo conſideremus bilem & ſuccum Pancreaticum & conſerimus cum ol. Therebinthinæ & Spiritu vitrioli acido: item ſpiritum nitr. & Spir. vini, facile patet res ipſa, quod nimirum ardor talis oriatur ex vitioſo congreſſu horum ſuccorum.

Cæterum præter hunc ardorem, etiam non raro ſunt *ardores* in *Abdomine*, ut in *aliis locis*, ſed hi ſunt conjuncti cum *ſenſu pulſatili*, & ſunt dolores *ardentes pulſatorii*, qui oriuntur ex *inflammatione* cujuſdam inteſtini, quando ſcil. ſanguis in vaſis capillaribus inteſtinorum ſtagnans in Parenchyma inteſtinorum effunditur ibique inflammationem inducit, in qua inflammatione inſeparabilis comes eſt ſenſus pulſatorius.

Poſt Ardorem non raro percipitur in *Abdomine Dolor algens* ſeu dolor intenſi frigoris & imprimis in principio *Febrium Intermittentium.* Hic dolor algens eſt ex contraria cauſa. Oritur nempe *ex ſucco Pancreatico nimis acido* aut *auſtero*, aut alio modo *exceſſivo acore prædito*, qui occurrens bili paucæ vel nimis oleoſæ, aut etiam obruta à materia viſcida in Inteſtino duodeno, ibid. cum eadem concurrens, effervеſcit quidem, dolorem tamen cum frigoris ſenſu infert.

Sicut videmus ſpir. vitrioli, ſal. volat. non oleoſo affuſum effervеſcentiam quidem, ſed ſatis frigidam inferre.

Hoc frigus ſæpius quidem in regione lumborum & interdum etiam in aliis inteſtinorum locis perſentiſcitur prout plus minus acidus aut copioſus iſte Pancreaticus exiſtit ſuccus.

3. *Dolor eſt perterebrans & fixus*, quando ſcilicet Inteſtina in uno eodemque loco perterebrari aut quaſi perforari videntur.

Oritur hic ipſe à mucilagine viſcida & acida in quodam determinato loco hærente & agglutinata imprimis in colo ſub hypochondrio ſiniſtro, in cujus cellulis aptum invenit diverſorium, nempe in Hypochondrio ſiniſtro ubi anguſtatur & deorſum contorquetur Colon.

Hujuſmodi mucilago viſcida & acida pertinaciter inteſtinis agglutinata *ratione viſcoſitatis* dolorem *continuum & fixum*, ratione *aciditatis* dolorem *perterebrantem* & quaſi *perforantem* infert

Et hic eſt dolor iſte qui Hypochondriacos non raro vexat & eſt dolor Colicus frequentiſſimus à materia viſcida. Uti dico eſt imprimis ordinaria & uſitatiſſima Colica.

4. *Dolor eſt diſtendens & quaſi diſrumpens.*

Hic oritur à flatibus, qui oriuntur vel naſcuntur ex materia viſcida per vitioſam effervеſcentiam ex acido productam. Aliàs quoad generationem *flatuum* ſufficiunt ea quæ habet HELMONT. *tract. de Flatibus* qui legatur attente, maximam enim lucem affundit doctrina de dolore Inteſtinorum à flatibus. Hi in Inteſtinis coerciti & inordinate moti hinc inde, dolores tenſivos & divulſivos inducunt. Et *hic dolor à flatibus eſt ſecunda Cauſa Colicæ frequentioris.*

5. *Dolor* percipitur interdum *gravans*: oritur *ex mucagine copioſa & viſcida abſque acrimonia* in quadam parte infixa: Quæ pituita ſi parum ſit acida ſive ex vitio ſtomachi ſive ſucci Pancreatici præter gravativum dolorem.

6, *Dolorem Contuſionis ſ. contundentem infert.*

Denique *Torſionis* acerbiſſimus *Dolor*, quo inteſtina contorqueri & invicem quaſi convolvi videntur eſt frequens inteſtino colo; qui oritur *ex convulſione & ſpaſmodica inteſtinorum contractione*, de qua poſtmodum.

8. Tandem *Dolor varius* nunc *rodens* nunc aliis ſymptomatibus variis conjunctis in Inteſtinis ut plurimum agnoſcit *Vermes*, qui ſæpe ſatis copioſi inibi ſtabulantur.

Ex his patet quæ ſint Cauſæ omnium in Inteſtinis dolorum.

In genere ſunt duæ cauſæ, quæ dolorem inteſtinis inferunt.

Prima Cauſa ſunt *contenta* in Inteſtinis, quæ iiſdem dolorem inferunt.

Secunda Cauſa eſt ſpaſmodica Inteſtinorum convulſio: qua Inteſtina in miras dolorificas criſpationes & contorſiones coguntur. Ut plurimum concurrunt hæc duo, ut ſcilic. adſit aliquid acre imprimis ex Pancreate quod inteſtina vellicat & hinc ſupervenit ex irritatione ſpaſmodica & dolorifica inteſtinorum contractio.

Quoad *Contenta* imprimis dixi obſervandum eſſe *acorem.* Vix enim datur *Colica vera*, quæ non habeat ortum ſ. doloris ſenſum *ex acore vitioſo* & inteſtinis moleſto, qui ſi adeſt, dat tormina vel flatus diſtendentes inteſtina. Et iſtud *acidum* partim *ex vitioſa ſtomachi digeſtione* transfertur ad inteſtina, partim *ex Pancreate* eo derivatur.

Bilis certe per ſe inepta eſt ad inducendum Colicum dolorem: hujus enim ſal volat. oleoſum de natura alcalium ſaponariæ cum ſit naturæ, abſtergit potius inteſtina, temperat acorem & adhærentes ſordes inſtar Clyſteris naturalis per abuſum naturæ quaſi, abluit.

Aſt acidum Pancreatis aut Acor ſtomachi vitioſus in Inteſtinis iſtorum *Torminum* eſt frequentiſſimus Autor.

Hinc poſt eſum *Alimentorum difficulter digeſtibilium*, aut quæ copioſam viſcidam mucilagine loco chyli ſuppeditant, oriuntur Colicæ, quia hi difficilis digeſtionis abeunt in liquamen mucilaginoſum viſcidum & acidum, quod in Inteſtinis poſtmodum dat Colicam.

Tale Exemplum contumaciſſimæ *Colicæ ex nimio oſtrearum uſu* memini me legiſſe. Hinc etiam notum eſt quod poſt fructus horæos, poſt potus non bene defecatos & depuratos, item poſt *abuſum cereviſiæ albæ*, ex tritico, & ſimiles potus facile effervеſcendo in flatulentias abeuntes, aut facile effervеſcendo aceſſentes ſuperveniat ſæpiſſime Colica.

Unde in Hypochondriacis, in quibus notiſſimus eſt exceſſus acidi & in quibus ſemper reperitur materia viſcida & acida in ſtomacho & Inteſtinis, non rari ſunt flatus, aut non admodum ſecuri ſunt à doloribus acidis.

Hinc eſt quod recte Mulieres dehortentur nutrices ab omni acido, ne Infantes incidant in tormina ventris. Acidum enim, uti lac coagulat in ſtomacho, ita viſcidam mucilaginem exinde productam in Inteſtinis inhabitat, unde oriuntur exinde *tormina* infantum.

Hac ratione intelligenda venit Doctrina PARACELSICA, qui pro Cauſa Colicæ adducit ſpiritus ſalium reſolutos, aut etiam Tartarum nimis reſolutum aut etiam coagulatum nimis, qui tartarus ſtypticis Ponticis, acetoſis. Aluminoſiſque acutis ſpiritibus Inteſtina & vicinas partes irritet & excruciet.

Inter Contenta Inteſtinorum etiam ſunt *ſtercora nimis indurata*, quæ induratio ſtercorum partim fit ex eorum viſciditate & craſſitie, partim ex ſucci Pancreatici auſteritate, & ſtercoribus inducta coagulatione: Vocatus aliàs *colica ſtercorea.* Unde eſt quod ſæpiſſime ſuperveniat Colica pertinaciſſima propter defectum Bilis & abundantiam ſucci pancreatici in Inteſtinis.

Pertinent huc *varia deglutita* quæ dolorem talem Inteſtinis inferunt. Ut quando v. gr. oritur *colica aurea* ex nummis aureis deglutitis qui in cellulis coli ſubſiſtentes fæces impediendo & ulteriorem tranſitum denegando, occaſionem præbent contumaciſſimæ Colicæ. Exempl. vid. in BARTHOLINO *cent.* 3. *epiſt.* 69. Item in BORELL. *cent.* 4. *obſerv.* 25. Pertinent huc *calculi* qui non raro in Colicis reperti ſunt, excreti cum levamine ægri: ita ut revera dolor

lor colicus detur à Calculis in Inteſt. coagulatis. Exem. vid. in HORST. *l.4.obſ.p.232.236.& 237.* de graviſſimo itidem dolore Colico percepto ex calculo magnitudine ovi Gallinæ excreto it. à BENIVENIO *c.9. p.122.* ubi habet Colicum dolorem intenſiſſimum qui curatus fuit excreto lapide ex Inteſtinis per Fomenta emollientia admota.

Secundam cauſam colicæ dixi eſſe non contenta in Inteſtinis ſed potius *ſpaſmodicam convulſionem & Contorſionem.* Tales convulſiones ſpaſmodicæ quod dentur, elegans probat Exemplum HELMONT. *tr. de Flatibus. §.38.* de Puero Hernioſo, qui ingentes paſſus dolores, quotieſcunque Inteſtina inſtar vermis ſe elevarunt & contorſa ſunt.

Talis Colica eſt, ut à notioribus incipiam, *conjuncta cum doloribus Nephriticis*, quibus ſupervenit, *vomitus* & ſimilia ſymptomata. Oritur ex plexibus Meſenterii nerveis, qui diffundunt ramos partim ad Inteſtina, partim ad renes, partim ad ſtomachum: ubi ergo per dolorem renalem per nervum ad Renem derivatum communicatur ſpaſmus ſ. motus convulſivus plexui iſti, ex quo oritur nervus; tunc omnes nervi ex plexu oriundi ſimiliter convelluntur, & Inteſtina convulſa infeſtat dolor Colicus contumaciſſimus, ubi miſere torquentur ægri, quique nullis neque purgantibus neque evacuantibus cedit. Et recte hujus ſedem ſtatuere puto, VVILLIS. *l. de anim. brut. part. 2. c. 15.* in Meſenterio, ita quidem ut pertingat ad plexum Meſenterii maximum qui quacunque ex cauſa irritatus & contractus dolorem Inteſtinorum & ventriculi infert.

Talia *Tormina* ſunt Tormina *fœminarum*, quæ vulgo vocantur *Suffocatio Hyſterica, qui dolores abdominis* nihil aliud ſunt quam *Convulſiones Meſenterii, & plexuum nervoſorum & conjunctorum Inteſtinorum* quarum partium convulſionem fortiorem ulterius inſequitur *faucium conſtrictio* & quaſi *ſuffocatio.* Nam certum eſt quod *ſuffocatio uterina* ſit *ſpecies colicæ convulſivæ* cujus fundamentum reſidet in *plexibus Meſenterii* irritatis & in ſpaſmodicas convulſiones concitatis. Nam *ſenſus Globi* in abdomine moti, quem Mulierculæ & ignorantes Medici pro uteri habent motu, eſt Plexus Centralis maximus convulſus, adeo ut etiam obſervetur talis Globus in Viris, qui tamen utero caret. vid. VVILLIS. *de Paſſione Hyſtorica.*

Nec rarum eſt quod *Mulieres* ſub *difficili menſium fluxu* patiantur *tormina* gravia *ex convulſione inteſtinorum ſpaſmodica.* Immo ipſi dolores *Parturientium* in Abdomine & dolores *Poſt Partum* ſunt tales convulſiones in Meſenterio & Inteſtinis, quibus in partu accedit convulſiva Uteri contractio; unde non rarum eſt quod Mulieres communiter poſt partum dolore colico laborent, ratio eſt convulſio ſpaſmodica partium abdominis.

Non rarum eſt quod *morbos diuturnos* in ſpecie *Febres intermittentes* non rite curatos ſuperveniant pertinaciſſimi dolores *Colici* qui nullis cedunt remediis propter efferveſcentiam impeditam in Inteſtinis, & propter Metaſtaſin materiæ delatæ ad glandulas Meſenterii ibique vellicantis partes nervoſas. Fundamentum, uti dixi, hæret in Meſenterio ad quod materia morbifica per metaſtaſin tranſlata intra glandulas hærens Cauſa eſt ut oriantur pertinaciſſimæ convulſiones Colicæ.

Unde etiam non raro ſunt ſimilia *Tormina in Meſenterii abſceſſibus* & ſimilibus morbis. Exemplum habet BARTH. *cent. 1. epiſt. p.253.* propter communicationem ſpaſmodicam.

Denique progredior ad *dolorem ſcorbuticum Abdominis* qui adeo eſt urgens, ut juxta illum omnes hi reliqui ſunt riſus jocuſque, de quo enim nunquam vidi meliorem tractatum quam quem ſcripſit Joh. *ſect.* 8. Et recte demonſtrat oriri *ex Convulſionibus Inteſtinorum* cum percipiatur ab ægris quod ſe inchoet ejuſmodi dolor in dorſo & regione lumbari & hinc pergat ad interiora: inchoat ſcil. ubi annectitur Meſenterium & pertingit uſque ad umbilicum, admodum eſt vagus & oberrans in abdomine; interdum in abdomine & inteſtinis convulſiones & contracturas infert; interdum ceſſat & ſuperveniunt convulſiones artuum, quibus ceſſantibus repetitur dolor abdominis. Quæ omnia certe non poſſunt concipi, niſi per talem Convulſionem. Accedit quod ſæpiſſime in tali Colica *Podex* ſit *pertinaciſſime clauſus*, & tantum non *retractus*, ita ut nullum Clyſma poſſit applicari; ratio, quoniam iſta in convulſione evelluntur etiam inteſtina. Fit non raro ut ipſum *Abdomen excavatum appareat, & umbilicus retrorſum verſus retractus* videatur. Propter iſtas convulſiones, quibus umbilicus & forſan etiam ipſum Peritonæum ſimul afficitur.

Certum eſt quod *dolores Abdominis convulſivi* ſint *pertinaciſſimi*, & niſi recte tractentur facile degenerant in *Pareſis & contracturas Artuum.*

Videbitis hinc inde apud Practicos & theoreticos veſtigia hujus doloris; ſed non poſſunt ſe explicare; dicunt oriri *ex humoribus induplicaturam Peritonæi* effuſis: alii *aliàs cauſas* aſſignant vid. FOREST. *lib.25. obſ.3. in ſchol.* & RIOLAN. *in Enchirid. Anatom. de Peritonæo Cap.3. p.96.* ſed uti dico non poſſunt ſe explicare. VVILLIS aperit oculos *in Anatome cerebri de morbis convulſivis.*

Multa eſſent dicenda de CAUSIS, de *Colicis malignis*, &c. ſed temporis anguſtia impedit.

Moneo ſaltim, quod *Vomitus & ſingultus* talis Colicæ, ex vicinitate ſtomachi & Diaphragmatis omnes fiant ex ſimilibus ſpaſmis ex Meſenterio fibratis.

PERGO AD SIGNA DIAGNOSTICA.

Diagnoſtica ſigna doloris hauriuntur ab ægro: In hoc ſimus cauti ut dignoſcamus bene in colica affectis eam quæ eſt *conjuncta cum Nephritide à ſolitaria.*

Solitaria facile diſtinguitur ab ea quæ incipit in Affectibus Uteri. Nam ubi cum convulſione Inteſtinorum concurrit convulſio partium ad uterum pertinentium; percipitur dolor qui à lumbis deorſum trahitur verſus ſinum Pudoris. It. ſi adeſt ſimul. Affectus Uterinus, dolor iſte etiam ad *os femoris* ſeu Coxendicis pertingit.

Item ſi adſit conjunctus dolor iſte, cum difficultate motus, percipitur gravamen in dorſo & lumbis, prope renes, & hinc ſequitur poſtmodum dolor *Colicus*: Denique ſi acerbatur dolor *colicus* ut fiat *paſſio hyſterica*, tunc percipiunt ſimul anguſtiam in præcordiis, item percipiunt impedimentum in reſpiratione, propter ſimilem convulſionem diaphragmatis deorſum verſus.

Ut à *dolore Nephritico* diſtinguatur *Colica*, obſervetur quod in dolore Colico poſt paſtum fit remiſſio, imprimis poſt aſſumpta aromatica quæ ſunt colicæ remedia: dolor vero *Renalis* poſt paſtum fit *acerbior*.

Deinde ſi adeſt *dolor Renalis* mutatio ſemper eſt in urina, quod non eſt in Colica.

Aut quod obiter moneo, quod in dolore colico ſcorbutico adſit *ſtranguria* inſignis, & urina coloris admodum fulgidi & ſalini excernitur, ſed non ſemper.

Denique ubi dolor eſt Colicus, Clyſteres & evacuationes Alvi. Renalem autem parum aut nihil ſolent levare.

Tandem in *Renali Colica* adeſt ſemper *dolor* plus minus *obtuſus* ac *gravativus*, in dorſo circa lumbos qui non eſt in Colica vera.

In *convulſione* eſt *lacerans* ſed non ita gravativus & obtuſus ut in *Renibus.*

Urinæ excernuntur *pallidæ & lacteæ*, copioſo ſedimento impregnatæ, quod non fit in reliquis ſpeciebus Colicæ.

QVOD ATTINET SIGNA PROGNOSTICA.

Colica raro eſt malum periculoſum, ubi tamen eſt nimis *contumax*, poteſt eſſe *lethalis*.

Iſta quæ fit à materia in Inteſtinis contenta, eſt mitior Colica altera convulſiva: Nam colicæ illi convulſivæ non raro ſuperveniunt *Epilepſiæ*: HOFFERUS in *Hercul. Med. p.*185. habet exemplum de Colica, quæ *Cephalalgiam* & *maniam* induxit, cum cæcitate & impedita deglutitione. Item TONNERUS *in obſ. p.* 93. obſervat Colicam in geminatam viſionem & Epilepſiam tranſmutatam. Nec raræ ſunt *Pareſes*, aut *contracturæ Artuum*, *Colicæ ſpaſmodicæ*, ſeu convulſivæ ſupervenientes.

HILDANUS *Cent. obſ.* 74. refert dolorem neglectum qui ſuperveniente febre & abſceſſu in Colo, mortem poſt ſe traxit. it. *cent.* 1. *obſerv.* 54. aliud videbitis Exempl. in PANAROLL. *pentec.* 4. *obſ.* 50. qui habet dolorem Colicum inter 10. hor. *lethalem* quæ tamen ſunt rara, pergo ad.

METHODUM MEDENDI.

In omni Colica quæcunque ſit 1. *Servetur alvus aperta* ſemper, quantum fieri poteſt, & hinc *Anodynis ſedetur dolor*.

Obſervetur II. Si eſt à *materia in Inteſtinis contenta*, *tunc imprimis eſt acidum temperandum*, *viſcidum incidendum & evacuandum & flatulentum diſſipandum*.

Obſervetur III. Sin vero eſt *Colica convulſiva* propinanda *appropriata nervina*, imprimis *ſalia volatilia opiatis* miſta & hinc primarius morbus curandus.

His ſcopis ut ſatisfaciamus, dum 1. debet ſervari alvus aperta.

Obſervetur I. quod in principio Colicæ *purgantia non conveniant*, quatenus talia, ſin vero debent uſurpari ſint *lenia*, & *opiatis* miſta.

Cum enim in Colica ſæpius periculoſus adſit Vomitus, metus eſt ne ita purgantibus irrites Crabrones, & ex Colica contumacem Ileum producas.

In progreſſu vero morbi attenuata viſcida materia, & temperata ejuſdem acrimonia *blande ſubducentia* conveniunt.

Deinde ſi ex Inflammatione eſt Colica, Medicus caveat ne ullo quantumvis leni medicamento ſubducente utatur: ex irritatione enim inteſtinorum, inflammationem auget, & hinc volvuli ſeu Ilei metum infert.

Obſervetur II. *Opiata in principio* appropriatis miſta ſunt optima: frequentius tamen in uſum duci poſſunt, ubi materia morbifica ſit acrior, minus vero ubi eadem ſit viſcidior.

Nam opiata acrimoniam temperant, viſcidæ vero materiæ motum ulterius impediunt quatenus motum Inteſtinorum inhibent.

Denique ſi quando opiatis utendum, non ſunt differenda eo uſque, donec vires vitales jam collabeſcunt, ægerque non longe ſit ab interitu: tali enim in caſu non raro ſolet vita dormiendo finiri.

Obſervetur III. *Clyſteres* in omni dolore colico conveniunt, magis tamen quando malum hæret in Inteſtinis craſſis: minus quando in tenuibus.

Deinde ubi non ſumus certi materiam peccantem hærere in Craſſis Inteſtinis, minus conveniunt Purgantia Clyſteribus admiſta, propter metum volvuli. Ubi vero ſumus certi, quemadmodum in dolore Hypochondriaco communiter hærent in Colo, tunc fortioribus purgantibus ſeu ſtimulantibus per clyſmata eadem evacuare convenit.

Quod ſi videmus Clyſteribus malum non mitigari, iis ulterius inſiſtendum non eſt, ſed præſumendum vitium hærere in Inteſtinis ſuperioribus.

Hoc ergo in Caſu quando adeſt morbi ſedes in Inteſtinis ſuperioribus, conveniunt potius blandiſſima per *os laxantia* & *abſtergentia*: quod confirmat experientia D. MOEBII in infante Colica laborante, cui Medicus quidam aliquot Clyſteres applicandos curavit, ſed ſine fructu: tandem Mœbius advocatus laxantia blandiſſima per os adhibuit, quod ex voto ceſſit & infans brevi convaluit, vid. *colleg.* MOEBII *in ſynopſ. cap. de Colica*.

Ea quæ propinantur in Colica *Interne*, & quidem ubi materia eſt in Inteſtinis, ſunt *Aromatica*. Hæc enim ſola ſatisfaciunt ſcopo, ratione ſalis volatilis, temperant acidum, incidunt viſcoſum, & diſcutiunt flatulentum.

In *colica* vero *convulſiva* conveniunt ea quæ Mulieribus in paſſionibus hyſtericis propinantur imprimis *volatilia ſalina*, item ex *caſtoreo cum opiatis* miſta.

Videamus hæc ordine.

I. *Clyſmata. In Colica ſtercoraria aut à pituita viſcidiore* nunquam obliviſcatur Medicus *Sale gemmæ*: Nam hoc eſt expertiſſimum ad reſolvenda ſtercora & mucilagines craſſas. Elegans eſt de hoc obſervatio FOREST. *lib.* 21. *obſ.* 5.

Dabo Exemplum Clyſmatis injiciendi in tali caſu, ubi materia hæret in craſſis Inteſtinis.

℞. Herb. Malv. m. ij.
Radic. lilior. alb. ℥ß.
Flor. Sambuc.
Verbaſc. aa. mß.
(ſunt Anodyni)
coqu. in
Aqu. ſimplic. ſ. q.
colat. ℥viij.
add.
Electuar. Hieræ picr. ℥ß. ad ʒvj.
(ſtimulat & eſt aloeticum)
Salis gemm. ℈ij. ad ʒj.
Vitel. ov. n. ij.
miſc.

Ubi adſunt *flatus* loco *ſal gem.* potius *ol. deſtill.* addenda, quæ potenter penetrant & flatus diſcutiunt. h. m.

℞. Rad. Angel. l. leviſtic. ʒvj.
Flor. chamom. roman, mjß.
(aut commun. ſunt baſis)
Folior. laur. p. iij.
Sem. quat. calid. minor. aa. ʒij.
coq. in
Aq. comm. ſ. q.
Colat. ℥x.
add.
Elect. de bacc. laur. ʒvj.
Ol. deſtill. Angelic.
Cumin.
Carvi.
Lauri. aa. gt. iij. l. iv.
Sirup. papav. ℥ß.
vel
Theriac. ʒj. ad ʒij.
Vitell. ovor. n. j.
miſc. pro Clyſmate.

Pro duabus doſibus injiciendo, propter flatus, qui impediunt quo minus totus poſſit injici.

RULANDUS ceu expertum Clyſma laudat in dolore *Colico* & *Iliaco* ſequens.

℞. Decoct. Thapſi barbat.
Flor. Chamom. aa. ℥vii.
Ol. chamom. ℥v.
Vitell. ov. n. j.
Salis ʒj.
Sacchar. rubr. ℥ß.
Benedict. laxativ. ℥j.
Diagryd. gr. vij
miſc. pro Clyſmat.
(incondita eſt compoſitio)

Commendat uſum hujus Clyſteris tanquam ſibi ſæpius expertum.

Quod

Quod ſi certum ſit hærere in inteſtinis inferioribus malum, quod tamen nulli vult cedere remedio; tunc *ad infuſionem antim.* Clyſteribus admiſcendum felici cum ſucceſſu accedunt Practici. Videatis hac in parte RIVER. qui ſæpius uſurpat *aq. benedictam, aq. infuſione croci metallorum, & alemb. vitr.* paratam & ad ℥iij. vel iv. miſcet has cum clyſteribus, nunc cum *Emollientibus. In cent.1. obſerv.* 58. & 67. videbitis exempla. it. *cent.* 2. *obſ.* 12. & *cent.* 3. *obſerv.* 22.

Imitatur hac in parte RULANDUM, qui ipſi hic eſt Anteceſſor, qui & ipſe ſolet in Enemate diſſolvere *aq. benedict* hac forma.

℞. Juris Piſorum. ℥viij.
(egregie abſtergit)
Sachar. ℥ß.
Aq. benedict. ℥iß.
ol. commun. ℥iv.
miſc.

Injiciatur calide quavis hora doloris recrudeſcentis: inſigniter commendat hunc clyſterem & quidem in contumaciſſima alvi obſtructione, in dolore iliaco & colico.

Simile exemplum habet idem in contumaciſſima alia obſtructione *in puerpera*, quæ per 20. dies nihil excreverat, & jam ſtercora per os exibant, curata hoc clyſmate, in quo loco *aqu. bened.* addidit *extractum eſulæ.*

℞. Jur. piſor. ℔j.
ol. ſem. lini ℥iv.
Extr. eſulæ. ʒj.
miſc.

quo injecto alvique excrementis copioſis rejectis curata fuit iſta puerpera.

Superius in dyſenteria dedi exempla clyſmatum *therebinthinatorum*, quæ ſimiliter conveniunt in colicis, præprimis ubi adeſt ſuſpicio affectuum uterinorum vel etiam renalium, aut in alio caſu, clyſteres therebinthinatos admodum laudat DEODATUS *in valetud.p.*247. qui etiam in colica flatulenta hoc clyſma præſcribit.

℞. Fol. Mercurial.
Chamomill.
Bet. aa. miß.
Abſinth.
Rut.
Laur. aa. m. j.
Sem. Cumin.
Baccar. laur. aa. ʒiij.

Fiat decoctio in aqu. com. & vini malvat. aa. ℔ß. (ingredientia ſunt nimis copioſa pro ℔ß. poteſt facile emendari.)

ol. nucis expreſſi ℥iv.
Caſtorei ʒß.
Therebinth. ℥ß.
miſc. pro clyſm.

In affectibus *Renalibus & Vterinis.*

Alias etiam clyſteres *ex lacte* tanquam inſigniter emollientes injiciuntur.

Sunt qui ſeu ſingulare clyſma laudant & commendant *decoctum Veronicæ cum vino & myrrha*, quibus B.D. LANGIUS addit *ſal. tart.* ʒß. ad ʒj. aut *tinct. tartar.* ʒij.

Clyſteres ex fumo Tabaci ſunt præſtantiſſimi, id videre poteſtis in BARTHOL. *cen.* 6. *epiſt. p.* 523. inſtrumentum vero quo commode poteſt ſibi applicare unusquisque tale clyſma, habet *cent. ultima hiſtoriarum anatomicar.*

Ulterius ubi ſunt nimij flatus in inteſtinis, ibi præ cæteris conveniunt clyſmata *ex urina pueri*, quæ mira faciunt in affectibus flatulentis. Si ſcil. recipiatur urina pueri impuberi & ipſi addatur parum fermẽti, ipſique poſtmodum incoquatur *ſemina aniſi, fœniculi: anethi, & colatur* ℥vj. *vel ix.* additis *mellis deſpumat.* ℥j. ſicque injicianur, inſigniter confert in affectibus flatulentis.

Quæ alia ſunt uſitata *clyſmata carminantia & emollientia*, ſtudio prætereo.

Quod attinet *Interna* ea ſunt varia & ſubinde varianda. Uſitata tantum proponam.

Herba *Veronica* ceu ſingulare ſpecificum laudatur, cui tamen non cedit *Chamomilla* in ſpecie *Romana*. Nam *Chamom. ſive aq.* ſive *decoctum* ſpecifice commendatur à GABELHOVER. *cent.*1. *cur.* 10. imprimis *ol. ſaphyrium*, quod eſt præſentiſſimum carminativum & anodynum. *Veronica* multum probatur cum *vino & myrrha decocta* & ejus decoctum aſſumptum. Porro ſpecies eſt *Hormini*, quam vocant *Sclaream*, qua ſolent adulterare vinum noſtrates, ut fiat moſcatellinum, eſt odoris penetrantis & tetri, ſi quid tamen aliud vegetabile, eſt miraculoſum quod facit, *in colica virorum & ſuffocatione mulierum uterina:* ſive *decoctum* uſurpetur, ſive exinde parata eſſentia aut ſuccus in conveniente vehiculo adhibeatur, mira præſtat imprimis in *ſuffocatione uterina* mulierum in arcanis habenda.

Radix Allii jam à GALENI temporibus laudatur. Notum enim eſt exemplum de ruſtico eſu Allii ſe curante, quod ex GALENO habet SCHENCK. & ZAC. *Luſit. de med. princip. hiſtor. lib.*2. *hiſt.*95. Ad hujus imitationem commendatur juſculum ex Allio & ol. olivarum (nec ſine ratione) hoc ol. enim laxat inteſtina, allium acrimoniam humorum temperat) quæ calide hauriantur cum parte dimidia vini: & hanc miſturam ceu ſæpius expertam commendat BORELLUS *cent.* 4. *obſerv.* 92.

In *Corticibus aurantiorum* non eſt vis vulgaris anticolica, & certe *eſſentia cortic. aurantior.* legitime parata aut ſaltem ejus pulv. uſurpatus aut *Eleoſacharum ex ol. corticum aurant.* ſunt egregia remedia in affectibus colicis. Mirum eſt quam potenter acida quæcunque temperentur à corticibus aurant. ob id etiam quod obiter moneo in *ſtranguria* ab acido conveniunt.

Helenium ejuſque radix, abſinthium, & ſimilia alia nota.

Helenium cum vino ceu ſingulare experimentum laudatur. Et poſtmodum *Abſinthium* convenit iis imprimis, qui peregrinationibus dediti colicis doloribus vexantur, ſive decoquatur ſive minutim diſſectum cum ſaccharo miſceatur & capiatur. Ob id MINDERERUS *in medic. milit.* commendat *vinum decoctionis abſinthii vel radicis Helenii cum corticibus aurant.* calidiſſime potum addito pauculo *theriacæ vel mithridatii.*

Semina quatuor calida minora in vino ebullita & ita hauſta recte dicuntur ab HELMONTIO ſolamen pauperum, virtus conſiſtit in eo, quod nempe corruptionem & aciditatem inhibendo faciunt egregium ſolamen inteſtinis *§.*75. *in tr. de flatibus.*

Semina hæc decocta in vino & hauſta à STOCKERO commendantur.

„ Uſitata etiam eſt aq. flor. Chamom. veronicæ, Cina-
„ mom. Menth. aqu. ſpirituoſ. compoſitæ, aq. carmi-
„ nativ. DORNCRELL. NB. Aq. theriacalis camphorata,
„ it. Sirupus corticum aurantiorum, de papavere ubi
„ dolor adeſt. Sirupus de althæa Fernelii; ubi emolliendum, & acrimonia temperanda.

Reſtant quædam de *materia Medica* in cura colicæ neceſſaria: Et quidem

Caſtoreum eſt ſimiliter medicamentum admodum egregium in colica, non tantum in ea ubi adſunt flatus quos potenter diſcutit, aut ubi adeſt pituita viſcida acida, quam temperat; ſed etiam in *colica convulſiva*, uti notum eſt quod ſit egregium in *ſuffocatione uterina*, quæ revera eſt colica convulſiva: It. in doloríb. ſcorbuticis convulſivis egregium quoque eſt *Caſtoreum*, ſive per ſe, ſive miſtum cum aliis. In colica convulſiva permiſcetur cum *ſalib. volat.* in ſpec. cum *ſal. volat. ſuccini*, cui ſi addatur unum l. alterum gr. opii fit egregium medicamentum.

Dabo exemplum *in colica convulſiva* ſeu *ſuffocatione uterina*.

♃. Caſtorei ℈ß.
Sal. vol. ſuccin.rit.præp.gr.v.

(Nam in ſuccino multa latent arcana contra) convulſiones & epilepſiam.

Laudan. opiat. gr.iß. l.ij.
miſc. f. pulvis.

Unde *Caſtoreum ad* ℈ij. propinat Joel *in ſua praxi*, ſi colica ſit orta uti dicit *à cauſa frigida*: In aliis tamen etiam convenit. Et Solenand. commendat *Caſtoreum* clyſteribus additum: ſc. aliquot gr.ejuſdem in vino diſſoluta infunduntur loco clyſteris in colica. vid. *ejus ſect.3. conſil.28*.

It. *Eſſent. Caſtorei* hic convenit: quo facit *eſſent. anonyma* B. D.Langii, facta ex caſtoreo & Aſa fœtida, cum ſpir. vini tartariſato, quæ eſſent. anonym.& in colica & in paſſionibus hyſtericis id eſt colicis convulſivis, & in ſtranguriis, & in præcavendis variolis & morbillis eſt egregia.

Extractum Caſtorei commiſcetur commode cum *extr. theriacal.* quod habet vim opiatam, & ſic cum *ol. ſuccini* fiant pilulæ Anticolicæ.

Porro *ſulphur ejuſque flores* valde commendantur in colica ſi ſcil. à ʒß.ad ʒj. propinentur & ſane expertiſſimum ſunt remedium flores ſulphuris: vidi Romæ egregium effectum in comite, colica pertinaci laborante,qui aliis irritis per ʒß. *flor.ſulphur*. fuit curatus. Propinantur commode in vino calido.

Permiſcentur ſulphur & ejus flores convenienter cum *Eleoſacharis carminativis*, factis ex *ol.deſtill. corticum aurantior. aniſi*, *Zedoariæ* & ſimilibus, quibus imprægnatur ſacharum, v.gr.

♃. Flor. ſulph. ℈j.ad ʒß.
Eleoſach. aniſi.
Zedoar. aa. gr.viij.
Laudan. opiat. gr.j.
miſc. f. pul.

Dolor. ſedans.

Flores ſulphuris egregij ſunt, vobis ergo ſint recommendati.

De *Aromaticis* res eſt nota, quod eorum ſal volat. oleoſum inſigniter conveniat in colicis torminibus: præ cæteris eminet inter Aromata *Galanga* alias egregium uterinum, *Zedoaria*, *Cinnamomum*, *Nux moſchat. & Caryophilli*, & hinc ex his paratæ ſpecies ſic „ dictæ in diſpenſatoriis: nempe ſpecies diacumini, „ diacalaminthæ, dianiſi, diagalangæ, diatrion pipereon,& tandem ſpecies diaſulphuris Mynsichti.
„ Item pulvis factus ex Tenellis cornubus cervi, „ cum myrrha & pipere,commendatur, à Sennerto. cap. de colica.

Ut & pulvis ex *mandibulis Lucii piſcis,oculis 69.* & ſimilibus acidum abſorbentibus ſimiliter laudatur.

Pertinet huc pulvis Schalleri *ad colicam* compoſitio hæc eſt.

♃. Cortic. aurant.pulver. ℥iß.
Dent. inferior. auratæ.
Oculor. canc.
Dent. Lucii piſc.
Succin. præp.
Talor. Lepor.
Zedoar. aa. ʒij.
miſc. f. pulvis.

D. S. doſ. à ʒß. ad ℈ij.

Meliorari poſſit hic pulvis additione *flor.ſulphur.* & irroratione cum *ol. carminantibus*.

Porro Eſſentiæ ſ. Extracta, itidem ſunt egregiæ. Nempe *Eſſent.ſ. tinct. Zedoar. Eſſent.ſ.tinctur.Corticum aurant.* facta imprimis cum *ſpirit.Chamomill. Romanæ. Extract.calami aromatici cortic. aurant.* & denique *extract.ſpecificum colicum* Mynsicht. Eſt elegans compoſitio, (utut quædam adſint ingredientia non multi pretii.)

De *Theriata*, *Mithridatio* res eſt nota quod ad ℈j in vino propinata, ubi aperta prius fuerit alvus, ſint egregia remedia, idque ratione Laudani opiati: Nam *Laudanum opiatum* eſt generale & univerſale remedium & anodynum.

Cæterum notum eſt varias eſſe opii præparationes, è quibus omnibus duas vobis commendo (in praxi enim ſæpiſſime adhibendum venit opium) quæ ſemel pro ſemper notentur.

1. Eſt ſecundum modum Hemontii, fermentando cum ſucco Cydoniorum, idque tribus vicibus, poſtmodum cum ſpiritu vini,aut in forma liquida; Eſſentia, aut ſicca, Extractum poteſt adhiberi, uti didici ab amico, qui hunc modum ab Helmontio *Juniore* habuit communicatum. Videri etiam poteſt hic modus in Barthol. cui à Langelot fuit communicatum in *epiſt. cent.3.epiſt.45.p.188*.

Præparatio eſt ſequens ex Bartholino.

Vidi id ſane non ſine inſigni voluptate cum una cum appropriato ſucco corrigente ſucco cydoniorum leni calore ad fermentandum expoſuiſſem. Exſpirabat primo volatile illud ſulphur fœtidum, cerebro, cordique adeo infeſtum, ſi quis eo propior factus id copioſius cum aere hauſerit: Ego ſane cum meo ipſius damno expertus ſum, cum prima vice pararem. Cautior dein factus elegi locum aeri maxime pervium. Colligitur dein ſenſim ſenſimque reliquum quod ineſt impurioris ſubſtantiæ: atque ea quæ levis ſpumoſaque eſt ſuperiorem, ea vero quæ craſſa & terreſtris eſt, imum occupat locum, utraque in magna quantitate, ea tamen imprimis, quæ inferiora petit; Mirum quam puri parum adſit. Eſt liquor perlucidus, rubini inſtar rutilans medio conſiſtens loco, qui à doctis accurate ſeparatus, balneoque vaporis ad ſpiſſioris extracti conſiſtentiam, redactus circulatur tandem per unum aut alterum menſem cum alcoole vini, ut quod crudi reliquum eſt, excoquatur adque debitam maturitatem deducatur. &c.

Uſus ejus eſt ampliſſimus,atque extendit ſe ad omne ferme morborum genus, exceptis ſoporoſis, vel naturam motu inordinato peccantem ſedando, viribus defectam reficiendo, doloribus & vigiliis conſumptam placidiſſima quiete refocillando, vel humores nimium efferveſcentes compeſcendo, vel ſpiritus paulo concitatiores ad temperiem reducendo.

Adjungo ut plurimum appropriata cuique membro remedia, inque magnis ardoribus flores nitri, nitrum perlatum, ſal ducis Holſatiæ: Sequenti tamen compoſitione familiariſſime utar. ♃.Pulv.diachem.Aug. Salæ ℥ij. ſal. *ducis holſat.* cum aur. par. flor. nitr.an. ʒß. Eſſent. opii noſtræ gr.54.miſc. optime. doſ.eſt gr. xv. xvij. xx. pro adulto, quam dimidium tantum granum Eſſentiæ opii ingreditur, raro enim ad gr.j. aut jß. aſcendo, & niſi in magnis doloribus & vigiliis, &c.

Hæc ſunt verba D. J. Langelot. & deſumpta ex Bartholin *epiſt. cit. loc.*

Angli in frequenti uſu habent iſtud Laudanum opiatum Helmontianum nec potuerint mihi ſatis decantare ſingulariſſimas ejus virtutes. vid. Bartholin. *cit. loc.*

2. Vix inferior priori eſt correctio Opii beneficio ſalis tartari: Nam ſal tartari ut obiter moneam corrigit & omnia purgantia & præ primis etiam corrigit opium: ſive addatur inſimul vinum; ſive quod melius eſt addatur ſpir. therebinth. & eſt Laudanum multarum virium à quibuſdam in ſecretis habitum.

Hæ ſunt duæ ſingulariſſimæ opii præparationes quas ſemel pro ſemper ne prolixus videar, commendo.

Multa ſane proſtant in Medicina cum opio,adeo ut Sylvius dicit, ſe malle non eſſe Medicum quam carere Laudano opiato.

Porro *Spir. Anticolicus* eſt ſummum Hartm. Arcanum

canum & ultimum refugium ; quem ipſe deſcribit *in praxi Chymiatrica* : Fit ex parte 1. ſpir. nitr. & part. iij. ſpirit. vini omnibus bene rectificatis : Et ſane hic ſpiritus eſt egregius in quocunque flatulento caſu, adeo ut etiam in *Tympanitide* ſuum faciat egregie officium.

Modus præparandi eſt, ſi ſpiritus dicti in quantitate notata miſceantur, miſti, in Balneo digerantur, digeſti duabus vel tribus vicibus cohobentur, donec perfectiſſime uniantur, & ſic fit ſpir. Anticolicus à ʒß. ad ʒj. in appropriato vehiculo propinandus.

Vehiculum appropriatum eſt imprimis *decoctum radicis Helenii*, vel *decoctum priapi tauri*.

Loco ſpiritus vini vulgaris melius ſumitur ſpir. appropriatus, v. gr. Sp. Chamom. per fermentationem paratus, aut idem ſpir. infuſus ſpeciebus carminantibus digeſtus, & tandem in balneo aliquoties cohobatus, ſic enim rapit ſecum particulas carminantium aromaticas per alembicum, id eſt ſalinas volat. oleoſas & ita cum ſpirit. nitr. junctus fit efficacior & melior.

De Spiritu carminativo ex nitr. tart. & ſpir. vini ſuperius locutus ſum ubi de Cardialgia.

Spiritus itidem *Therebinthinæ* commendatur ab Hartmanno, qui abſtergit egregie inteſtina ut nihil remaneat.

Unde quidam commendant hoc remedium ad colicam.

℞. Spirit. therebinth.
Juniper. aa.
infundantur.
Floribus Hyperic.

digere per diem & noctem; exprime & ita cum floribus novis perge, quod erit liquor rubicundus cujus doſ. ℈j. in brodio ſumptus in colica eſt expertiſſimus.

(Unum adhuc obſerva de *perforata*, id eſt *Hyperico*, ſi ſc. digeratur in ſpir. vini per menſ. ſupernatabit ejus ol. in uſu chirurgico externo & Medico interno pretioſiſſimum. Sapienti ſat.)

Denique *olea deſtillata carminantia* ſimiliter egregie commendantur : qualia ſunt *Carvi, cumini, aniſi, fœniculi, caryophyll. lauri, cortic. aurant. angelic. ſuccini, macis, zedoariæ, menthæ* quod inſigniter commendat Thonnerus cum his oleis poſſunt fieri *Eleoſacchara*, uti antea monui.

Hinc Panarollus *pentec. 2. obſer. 8.* ceu ſæpius expertum remedium ad dolorem ex cauſa frigida colica, commendat *ol. baccar. lauri.* aut *ol. ex corticibus aurant.* per expreſſionem paratum cum vino; (potius eſt ſuccus expreſſus) quo bibito ægri per breve tempus ſedato dolore ſomnum capientes convaluerunt.

Porro *Sordes aurium humanarum* pro præſtantiſſimo auxilio in colica ſimiliter commendantur.

Pulvis teſticulorum equi ad ʒj. cum pulv. ſem. aniſi ʒß. Experimentum eſt Fonsec. Anticolicum *in lib. 1. conſil. 57.* (fuit Archiater Papæ.)

Qui pulvis *teſticulorum equinorum in aqu. lilior. convallium cum croco* exhibitus fuit remedium Polychreſton Anticolicum Zwolferi.

Pudendum ſ. Priapus tauri experimento egregio comprobatum eſt à Zac. *Luſitan. lib. 2. prax. admirand. obſerv. 24.* in colica, quam curat & præſervat doſ. ad ℈j. *in vino malvatico*.

Similiter commendat *Pudendum cervi* Bartholin. *cent. 6. hiſt. 50.*

Fuligo pulveriſata *cum acet. deſtill.* miſta & bibita calide ſtatim dolorem pellere dicitur : ſimiliter etiam *ſpir. fuliginis* aliquando felici cum ſucceſſu fuit propinatus.

Sacharum ſaturn. in colica à nimio acido, remedium eſt ſingulare ſi ad gr. iij. vel iv. cum aliis propinetur.

In *Sacharo ſaturn.* magna vis medica latet.

Denique *ſtercora animalium* ſunt remedia aliis omnibus ſi non anteferenda ſaltim tamen æquiparanda.

Præ cæteris *ſtercus equinum* recens: hujus ſuccus cum liquore appropriato expreſſus tantum non præſentaneum eſt remedium colicæ : habita tamen ſi fieri poteſt ratione ſexus, ita, ut ſuccus ex equo propinetur maſculo, ex equa vero fœminæ.

Loco hujus *ſtercus Catti* exſiccatum in aere *in vino* reſolutum & edulcoratum, hinc percolatum aliquando Magnatem aulicum reſtituit.

De *ſtercore lupi* res eſt apud omnes decantata: præ cæteris totus eſt in commendando, Panaroll. *pentec. 3. obſer. 36.* Item Forest. *lib. 21. obſerv. 15.* Item *in obſerv.* River. & tantum non apud omnes Autores in magnis laudibus verſatur ſtercus & Inteſtina lupi. Hinc etiam *aq. deſtill. ex ſtercore Bovis junioris ad ℥j.* propinata laudatur.

In colica ubi metus eſt *Pareſeos*, in tali caſu *ſalia volatilia* propinata expectato ſudore juvant certo præ cæteris convenit *ſal. volat. urinæ* quod & præſervat & curat *Pareſin* expectato ſudore.

Spir. tart. volat. legitime paratus (quo volatilior eo melior, variæ ſunt ejus præparationes felix eſt qui optimam habet) eſt excellens remedium pro curanda Pareſi per ſudorem. Obiter moneo. Ex fæcibus vini fit volatilior ſpir. quam ex ipſo tartar. modo recte deſtilletur & ſuper caput mortuum rectificetur.

Deinde neceſſe eſt ut alvus clauſa etiam per inferiora aperiatur, in quo caſu raro fortiora Purgantia, quin tantum lenia aut emollientia aut abſtergentia conveniunt. Sin vero neceſſum ſit propinentur *Purgantia* paulo fortiora, iis commode permiſcetur *Laudanum opiatum*.

Veteribus nonnullis in ſpecie Helidæo *Paduano* hoc fuit uſitatum, qui Helidæus propinavit in colicis doloribus.

Electuar. diaphœnicon à ʒv. ad ʒvj.
Philon. Romani ʒj.
quod laxat doloremque ſedat.

Cæterum noſtra delicatula roſtra non perferunt hos *Bolos ſ. Electuaria:* propterea conveniunt potius *Pilulæ* ad imitationem Riverii præſcribendæ : qui *cent. 2. obſervat. 1. & cent. 1. obſ. 63.* has imprimis commendat pilulas.

℞. Aloes optim. ʒj. (ſatis forte non
Diagryd. gr. viij. ita præſcriberem)
Laudan. opiat. gr. iij. l. v.
ſex pilul.
miſc. f. l. a.

Similes pilulas cum laudano permiſtas videbitis apud Potterum *cent. 3. cap. 27.*

Pertinent huc *Pilulæ* Storckeri, quibus ut ipſe ſcribit cum ſummo ſuo honore *ducem Tartariæ* curavit in colica.

℞. Aloes ſuccotrin. l.
Pilular. Aloephanginar. ʒj
Opii
Croci aa. gr. ij.
(pro croco poteſt ſumi Caſtoreum.)
miſc. f. pilul.

Exhibeantur ſtomacho jejuno : dolorem n. poſt horam ſedant & poſtmodum ſolvunt ac faciunt uti dicit operationem. Si velis ut potentius operentur *gr. ijl. iij. ſcammon.* eſſent addenda.

Verum *perfecta purgantia* non ſemper in colica conveniunt, quin leniſſima plura præſtant quam fortiſſima.

Hinc noto uſitatum eſſe *Mannam ab ℥j. ad ℥iß. cum ℥ij. ol. amygdal. dulcium* propinari cum juſculo gallinæ pingui, commendat hanc miſturam River. *prax. l. 10. c. 1.*

Singulare experimentum Cratonis ad ſol-
vendam

vendam alvum & ſedandos dolores colicos *eſt ol. amygd.dulc.cum vino malvatico & ℥ß. ſpermatis ceti.*

Plateri potio ad dolorem colicum in principio propinanda ex ſimili leniente & emolliente procedit præſcriptio eſt hæc.

℞. Ol. amygdal. dulc.℥iß.
Vini malvatic. ℥ß.
Sirupi de papav.℥ß.
miſc. f. potio.

Vide *obſervationes* Plateri.

Nam & *ol. amygdal. dulcium in juſculo calido* propinatum ſubito ſedat tormina infantum.

In declinatione morbi ubi adhuc hæret pituita viſcida ac nitrea commode uſurpatur *mercur. dulc.* qui hanc ipſam potenter abſtergit.

Imitandus hac in parte Deodatus qui has præſcribere ſolet pilulas.

℞. Maſſ. pilul. Cochiar. minor. ℈j.
Aquil. albæ dulcis.
ſ. Mercur. dulc. gr.xvj. ad xx.
ol. Aniſi, gt. ij. miſc. f. pilul.

mane deglutiendæ

(inepta eſt compoſitio poſſunt aſſumi aliæ.)

Mercur. dulcis eſt egregium medicamentum & videbitis *in obſ.* River. ſæpius fieri mentionem *galomelam torquati* qui nil aliud eſt quam *merc. ſubl.dulc.* additis tantum aliquot granis ſcammonei, in hac proportione, v. gr.

℞. Mercur.ſublim. dulcis gr.20.
ſcammon. gr.x.
Fiant cum
Mucilagine Tragacanthi.
l. a. Pilulæ.

Sed hæc obiter.

Denique ſubſequuntur *Externa.* quæ Abdomini applicantur ad compeſcendos dolores colicos & iliacos : quæ interſunt notiſſima ol. externe inungenda : *ol. aneth.chamomill.rutæ, amygdal. dulcium.* It. ol. deſtill.quæ intus ſumuntur, poſſunt etiam externe applicari.

Oleum Laurinum ad ℥ß. cum ℈j.Caſtorei permiſtum non eſt inconveniens umbilico inunctum.

Sacculi & fomenta carminantia ſunt nota.

Galbanum præ primis convenit tam in omni colica, quam imprimis colica convulſiva : unde etiam eſt egregium Hyſtericum.

In omni colica, in ſpecie convulſiva , in affectibus hyſtericis applicatur umbilico.

Huc pertinet *Galbanetum* Paracelsi de quo vid. Schrod. quod eſt elegans & expertiſſimum in colica quacunque.

Verum loco hujus etiam ol. Succini umbilico illitum eſt egregium. Vel *Galbanum* diſſolvitur in ſpirit. vini non adeo dephlegmato & additur *caſtoreum* , & ita fit unguentum tenue.

Emplaſtrum ex Gummi Tacamahaca & Caranna eſt egregium.

Aliàs uſitatum etiam eſt Emplaſtrum ex baccis lauri. it. emplaſtrum.

De meliloto cum ol. Chamomill. malaxatum & ita *Stercus ſuillum* tanquam emplaſtrum calide applicatum laudatur à Rulando.

Cataplaſma vero *ex ſtercore equino* cum *ol. rutaceo* experimentum eſt Joelis & Amati *Luſit.*

Paracelsi remedium externum eſt ol. nuc. moſch. & macis cum Zibetho junctum & umbilico inunctum.

Hæc ſufficiant de colica & paſſionibus colicis,pergo ad alia : Sit ergo jam.

CAPUT XI.

DE SITU INTESTINORUM MUTATO.

AD hoc ut legitima fiat chyli diſtributio & conveniens excrementorum egeſtio neceſſum eſt ut legitimum ſitum obtineant inteſtina : Hoc niſi fit ut in chyli diſtributione & fœcum egeſtione , neceſſum eſt ut fiat peccatum. *Situs inteſtinorum mutatus.*

Situs Inteſtinorum mutatur quando ex naturali loco in alium transferuntur , quod ſine inſigni tumore fieri nequit : qui tumor ex inteſtinis extra locum proprium prolapſis vocatur communiter Græcis κήλη, Latinis,

HERNIA.

Situs Inteſtinorum naturalis eſt hic.

(Naturale tanquam rectum eſt norma præternaturalis tanquam curvi) Meſenterium interius colligat inteſtina & eadem colligata ſ. collecta vertebris lumborum ſuſpendit & annectit , exterius vero Peritonæum, eadem (nempe inteſtina) ambiendo, convaſata quaſi aut tanquam in burſa unita continet. *Hernia.*

Quamdiu ergo hæc burſa peritonæi eſt integra tamdiu in naturali loco permanent, ſin vero hæc burſa in quodam loco aut rumpatur aut laxetur neceſſum eſt ut inteſtina prolabantur , qui prolapſus inteſtinorum per peritonæum ruptum eſt *Hernia.*

Inteſtinis , uti notum eſt , tanquam linteum vel induſium ſuperſtratum eſt omētum, ſimiliter uti inteſtina à peritonæo collectum , hoc ipſum ſimili ratione aut cum inteſtinis aut abſque eis rupto aut laxato peritonæo decidere poteſt.

Inteſtina omnia ſunt vel *Tenuia* vel *Craſſa* uti notum eſt. Ergo Quæſtio eſt,

An omnia inteſtina poſſint mutare ſitum ?

R. *Quod non* : Nam *craſſa* ut ſunt *Cæcum* , *Colon, Rectum* tam firmiter lateribus aut lumbis annectuntur, ut citra vim inſignis tractionis aut divulſionis non poſſint ſitum mutare.

Inteſtina vero *tenuia* ut ſunt jejunum & Ileum: hæc duo ſunt quæ una *cum Omento in Hernia* prolabuntur.

Loca in quibus *laxatur* aut *rumpitur peritonæum* ſunt varia , frequentiſſima ſunt ejuſdem proceſſus per quos in ſcrotum deſcendunt *vaſa ſpermatica* , & poſt hos proceſſus eſt *Umbilicus.*

Nam in his duobus locis facillime aut laxatur aut omnino rumpitur peritonæi membrana ſ.burſa.

Unde etiam hæ duæ ſunt *Primaria herniarum ſpecies*, nempe

Enterocele ſ.Hernia ſcrotalis, & *Omphalocele* , ſive *Hernia umbicalis.*

Nam *Bubonocele* quando in regione pubis eſt tantum tumor ab inteſtinis prolapſis, quæ ſi ulterius deſcendant in ſcrotum eſt *hernia perfecta* : Quod ſi deſcendat Omentum in ſcrotum eſt *Epiplocele*,ſi una cum inteſtinis vel ſola inteſtina eſt *Enterocele.*

Quod ſi vero fiat Hernia ex laxato aut rupto umbilico , tunc vocatur *Omphalocele ſ. Hernia umbilicalis.*

Hæc duo *umbilicus* & *proceſſus peritonæi* ſunt ordinaria loca per quæ fit hernia. Non autem ſunt ſola: nam etiam in aliis locis ruptum aut laxatum peritoneum dat Hernias.

Primus qui hoc obſervavit eſt Barbette in Chirurgia *part.1. c.7.* ubi obſervat , quod etiam aliis locis in lateribus item parte poſteriori ruptum aut laxatum peritonæum det hernias , quæ ab imperitis ſoleant tractari tanquam abſceſſus , non citra periculum ægri : dicit enim quod etiam interdum ſupra umbilicum ruptum aut laxatum peritonæum det hernias: item

Item quod à lateribus umbilici longe ſupra inguina ſimiliter poſſit fieri, unde obſervata ſit hernia: ubi refert, quod quidam talem herniam curavit in hoc loco, ut abſceſſum idque ex ea ratione quoniam nimirum non ſit in loco ordinario.

Refert etiam exemplum herniæ ubi quidem per proceſſus peritonæi laxatos & ruptos facta ſit hernia, ſed hæc ipſa non in Scroto, ſed quod inteſtina juxta ſcrotum in partem femoris muſculoſam inſederint, & ita juxta ſcrotum ingentem tumorem ex laxata cute induxerint. Idem BARBETTE obſervat rupturam peritonæi juxta ſpinam dorſi & ibidem ex inteſtinis prolapſis factam herniam.

Sic BARTHOLINUS *cent. 2. hiſt. 96.* obſervat herniam ſupra regionem umbilicalem mox infra cartilaginem enſiformem ex ruptura peritonæi, quæ eſt ſimiliter ſingularis: utut non vulgaris, non tamen contemnenda, quia poteſt occurrere in praxi.

Sic mox *utero rupto* inteſtina prolapſa dederunt herniam: quale exempl. habet SCHENCK. *lib. 4. obſerv. p. 650.* de inteſtinis ex utero prolapſis. Simile exemplum habet NANZELIUS *in anal. microcoſmi & macrocoſmi p. 705.* de deſcenſu inteſtinorum in capacitatem uteri ex rupta uteri cervice quæ inteſtina etiam in uterum prolapſa loco ſecundinæ ab imperito Chirurgo extracta fuere.

Cæterum fit non raro ut *præternaturalis teſticuli ſitus*, ignoranti herniam poſſit imponere: Non enim ſemper in ſcrotum pendent teſticuli, ſed obſervantur interdum proretracti in abdomen, ut etiam in cavo abdominis, etiam ſupra os pubis lateant, aut interdum unus in ſcroto ſit, alter vero ſuper os pubis incumbens tumorem inducat, qui tumor à Chirurgaſtris interdum pro abſceſſu, interdum pro hernia habetur. Exempla ſubminiſtrat SCHENCK. *p. m. 541.*

CAUSÆ HERNIARUM

Sunt omnes eæ quæ aut *rumpere* aut *laxare & dilatare* poſſunt *peritonæum.*

Unde patet quod cauſæ internæ ſint paucæ & raræ, interdum ſubeſt *Character hæreditarius*, ita ut Hernioſi parentes hernioſum producant fœtum: aliquot exempla videatis in VVilhelm. FABRIC. *Hildani obſ. cent. 6. obſ. 73.*

Fiunt etiam interdum herniæ inteſtinales ex nimia & violenta purgatione, exemplum tale ſubminiſtrat PLATERUS *in obſerv.* Ex uſu & nimia operatione purgantis ab Empirico propinati.

Ut plurimum ſunt *Cauſæ externæ*, quæ herniam inducunt: v. gr. motus nimius: clamor nimius: Hinc ratione continui clamoris infantes facillime incidunt in herniam.

Tuſſis nimia cum vomitu nimio, protrudendo interius inteſtina herniam producere poſſunt.

Denique *difficilis Partus*, qui *Omphaloceles* ſeu herniæ umbilicalis eſt imprimis origo.

QUOAD SIGNA DIAGNOSTICA.

Hæc facile poſſunt dignoſci & quidem facilius in incipiente hernia quam in confirmata: In incipiente enim dum cubat æger in dorſo, inteſtina vel omentum prolapſum ſponte recedit.

Ubi vero eſt confirmata accuratius examen eſt inſtituendum. vid. SENNERTUM.

PROGNOSIN QUOD SPECTAT.

Quo major vel minor eſt hernia, eo etiam eſt periculoſior vel levior, quod per ſe patet.

Verum interdum fieri poteſt ut *inteſtina* prolapſa *inflammata ſuppurentur*, & *ſuppurata aperiantur*, adeo ut ſtercus aut aſſumpta alimenta per aperturam egrediantur.

Interdum fit ut inflammata inteſtina *Gangræna incipiant*, atque ita ad mortem producant ægrum: quale exemplum habet HILDANUS *ex Epiplocele demortui. obſ. 72. cent. 1.* Ubi *Enterocele* ſupervenit *ſingultus* res fere eſt deſperata.

Item ubi Ileos ſupervenit pauciſſimi evadunt. TULPIUS tamen habet exemplum, de hernioſo cum vomitu ſtercoreo ſeu ileo qui evaſit *lib. 3. obſ. 13.*

QUOD ATTINET CURAM.

In omni hernia duo primarii ſcopi ſunt attendendi. 1. *Ut reponantur inteſtina prolapſa in ſitum naturalem.*

2. Ut iis repoſitis peritonæum vel ruptum vel laxatum conſolidetur, ut in loco naturali remaneant inteſtina.

Cautiones in repoſitione imprimis obſervandas recenſet PANAROLI. *pentec. 5. obſ. 49.* quæ ſunt,

1. *In Enterocele non debet Chirurgus ſæpius manum admovere*, creſcit enim dolor & cum dolore inflammatio.

2. *Abſtinendum à rebus omnibus calidis*, (frigida vero ego probare non poſſum) tam intra quam extra, quoniam inflammationem accelerant, ex qua corruptio & mors.

3. Ita debemus ægrum collocare ut pedes altiores ſint quam caput.

4. Cibi omnes ſaliti fugiendi, & tantum rebus ſolidis utendum eſt.

5. *Parti dolenti* applicare poſſumus *Omentum caſtrati* tepidum, & ungere cum *ol. amygdalar. dulcium* recenti dummodo frigide (tepide) applicetur.

6. *Advertat Chirurgus facile ſponte inteſtinum regredi hiſce remediis* abſque ulla manuum vi. Nam ii manus ſubinde admoveantur, irritatur natura & res eſt deſperata.

7. Abſtineat tandem ægrotans à vino, etiam ſi decrepitus (loquitur de vino Italis familiari, de noſtrate aliter pronunciandum) id tantum animadvertendum eſt, quod ſi in ſtomachi incidat dolorem, concedendum eſt ut mane capiat vini potentis ℥j.

Ut ergo reponantur inteſtina prolapſa hæc ipſa conveniente corporis ſitu adjuvanda ſunt & ſubinde impedimenta, flatus & ſtercora dura removenda.

De ſitu videantur omnes Authores.

Quod attinet *impedimenta removenda*, imprimis conveniunt.

Interna, *ſemina 4. calida majora in vino pota*, de his vide egregium exemplum HELMONTII *tr. de flatibus* ubi refert hernioſum deſperatum curatum, dum horum uſu inteſtina laxata fuerint ut potuerint, reſtitui.

Externe applicantur Fotus, & unguenta emollientia & diſcutientia: Emollientia in induratis fœcibus & inteſtinis: Diſcutientia in flatuum præſentia.

Ingredientia per ſe patent. RIVER. applicat *Spir. vini* calide. Alias *Omentum caſtrati* tepidum commendatur.

Imo non raro etiam infunduntur Clyſteres ad abſtergenda inteſtina craſſa, ut facilius ex inteſtinis tenuibus in eadem deriventur excrementa, & ſi ſic removeantur impedimenta. SOLENANDER *ſect. 4. conſil. 13.* ceu expertiſſimum commendat *ſtercus ovilium in lacte*, *dulci* coctum & ita tanquam fomentum, aut tanquam cataplaſma applicatum: Hoc enim remedium idem SOLENANDER, uti loquitur ſæpius utile reperiit ubi non potuerunt reponi inteſtina propter flatuum copiam & fœcum duritiem: aliquoties ſe, ubi res viſa deſperata inteſtina laxata repoſuiſſe, & ubi fruſtra alia adhibita fuerint. *Vid. citat. loc.* ubi fere omnia habet quæ ſunt neceſſaria ad curam herniæ: & HILDAN. *cent. 6. obſervat. 73.* Item SCULTETUM *in Armament. Chirurgico.*

Præter ea quæ applicantur prolapſis inteſtinis ſive

in ſcrotum ſive umbilicum *in regione Lumbari* quædam applicanda, quæ inteſtina prolapſa retrahunt.

Hæc inter eminet emplaſtrum HOFFMANNI *in meth. Med.* cujus deſcriptionem vobis communicabo.

℞. Gomm. Sagapen.
Ammoniac.
Galban. aa. ℥iij.
Terebinth.
Cer. Virgin. aa. ℥v. ℈ij.
Magnet. Arſenic. ʒij. gr. xv.
Radic. Ari. ʒj.

Gummata diſſolvantur in Acet. deſtill. & coquantur ad formam emplaſtri: Poſtea additis reliquis ſpeciebus fit emplaſtrum ſuper alutam extendendum & dorſo applicandum: ejus effectum vidi mirabilem.

Aliàs etiam notum eſt quod convenienter admodum *regioni* dorſi applicetur *pinguedo urſina* quæ quibuſdam tanquam ſecretum & lumbis illita ad retrahenda inteſtina.

Loco hujus *pinguedo leporis dorſo illita* & hinc *exuviæ ſerpentum* ſuperimpoſitæ admodum retrahunt & inteſtina retenta firmant.

Quod attinet *alia remedia*, ut repoſitis inteſtinis peritonæum conglutinetur, ſunt hæc vel *interna* vel *externa*.

Ad *interna* pertinent omnia *vulneraria*, & ex his paratæ *potiones vulnerariæ*, aut *eſſentiæ traumaticæ*, ſ. *vulnerariæ*: quæ inter eminent *ſymphytum majus* & omnes *conſolidarum* ſpecies: Deinde *perfoliata*: refert enim SOLENANDER *loco ſupra citato*, de quodam *perfoliatæ* uſu ab Hernia curato.

Herniaria ſ. *planta* HOLLERIANA ab HOLLERIO ad Herniam commendatur ſive decoquatur ſive pulvis aſſumatur in Hernia.

Herniaria & perfoliata præ cæteris commendantur. Deinde hic imprimis etiam vulnerariæ plantæ ſunt in uſu, quæ inter præſtantiſſima ſunt *Plantago*, & *Geranium Robertianum*.

Semen Naſturtii nulli cedit in hoc paſſu *externe & interne* uſurpatum. Et adhuc Medicus Polonus, qui pueros Hernioſos reſtituit propinando interius *ſemen naſturtii cum vino*, applicando vero exterius fruſtum pellis ſeu cutis anguillæ cum albumine ovi oblinitum.

Idem *Semen naſturtii* commendat inſigniter FORESTUS, *l.22. obſ.15.* uti etiam FONSECA *lib.2. conſ.36.* qui tanquam expertum hanc deſcribit herniarum Cumm.h.m.

℞. Pulv. ſem. naſturt. q.ſ.
Album. ovi n.j.

miſceantur & extendantur ſuper alutam imponantur ad locum herniæ neque removeatur, donec ex ſe decidant. Pulvis vero detur mane & ſero ad ʒi. cum vino rubro. Et hanc curam tanquam expertam commendat FONSECA.

Pertinet huc etiam cerotum SCIOPII ad herniam inteſtinalem ſimiliter ex *ſemine naſturtii*: deſcriptio eſt hæc.

℞. Gummat. Carann.
Sem. Naſturt. aa. q.ſ.
ſubigantur cum
Album. ovi.
F. l. a. Cerotum.

quod impoſitum herniam inteſtinalem fere ſanat: Maxime autem juvare dicit ſi ſumatur ſingulis diebus mane & veſpere *ſeminis naſturtii ʒj. cum vino*.

Poſt ſemen naſturtii eſt *Radix ſigilli* SALOM. quæ ad uſum herniæ à quodam tanquam ſingulare ſecretum habita fuit: reperitur tamen hoc in FORESTO *l.27. obſ. 15.* qui refert de quodam qui dum potaret tribus ſeptimanis ex decocto radicis ſigilli Salomonis in vino, curatus fuit à ruptura.

„ Aquæ vulnerariæ deſtillatæ, vina medicata vulneraria, eſſent. herniariæ: eſſent. ſymphyti, ſ. ſanguis ſymphyti, flor. hyperici, &c. conducunt.

Pulvis lumbricorum terreſtrium & ex his parata eſſent. ſimiliter convenit in hernia.

Quod attinet *Externa* ſunt eadem *adſtringentia* vulneraria, loco rupturæ aut laxationis imponendæ: Ex vulnerariis uti notum eſt fiunt *Cataplaſmata*: (Notitiam vulnerariorum præſuppono ex materia medica.)

Præ cæteris FABER commendat ſuccum herniariæ cum farina fabarum rupturæ applicatum.

Item *Exuviæ ſerpentum* contuſæ & ex his paratum *Emplaſtrum* prodeſt: quidam ſuadent rupturæ applicandum, utut alii dicant quod regioni dorſi admotum firmet inteſtina.

Cerata fiunt ex pice navali: huic tanquam corpori & baſi adduntur *Thus, maſtiche, ſanguis draconis, bolus, armena, viſcus quercinus, terra vitr. dulcis, Bdellium, terebinth.* & ſimilia.

Balſamum ſalis gemmæ, ceu expertiſſimum commendat HARTM. deſcriptio videatur *cap. de hernia in prax. chymiatr. c.210.* quæ tamen eſt manca legitima eſt hæc.

Quando ſal gem. ad iſtum fluorem eſt redactum quem deſcribit HARTM. affunditur ipſi ſpiritus Terebinthinæ ad eminentiam trium digitorum, digeruntur ad tempus hinc abſtrahuntur de novo affunduntur & abſtrahuntur donec ol. Therebinth. evadat ruberrimum.

Hinc ol. Therebinth. abſtractum inſpiſſetur ad conſiſtentiam aliqualem, donec in fundo remaneat balſamus, qui eſt verus balſam. ſalis gemm. ad hernias decantatus.

Balſam. ſulph. eſt etiam egregius, miſc. cum *emplaſtro contra rupturam*, v. gr.

℞. Emplaſtr. contr. ruptur.
Pices naval. liquef.
Empl. diaſulph. RULAND. aa. q.ſ.
malaxent. c.
Balſ. ſulph.
inducat ſuper alut.
F. ſ. a. Emplaſtr. aplicand.

Præterea ol. maſtichium, myrtinum, hyperici & therebinth. conveniunt.

Ol. vitellorum ovorum, à quibuſdam ſingulariter commendatur.

Quidam laudant inſigniter *emplaſtrum ex gummat. ceraſorum nigrorum in ol. hyperici* diſſoluto adjecto pulvere, *thuris & maſtiches*, & hoc donec fiat emplaſtrum, quod applicatur loco rupturæ.

Cæterum ad curam herniæ perfectam nil æque utile eſt quam *quies corporis* adeo ut *continuus in dorſo decubitus* ſit vera herniarum panacæa etiam in ſenibus. Exemplum quod hoc confirmat vide in HILDAN. *cent.5. obſ.54.*

Locuti ſumus de ſitu inteſtinorum mutato eoque imprimis quando *Omentum* vel *inteſtina tenuia* decidunt in ſcrotum vel umbilicum, &c. & dant *Hernias*. Dictum etiam fuit quod *craſſa non poſſint* prolabi ut dent hernias. Nihilominus tamen *ſingularis mutatio eſt quando inteſtinum rectum eminet per anum* & vocatur

ANI PROCIDENTIA.

Quæ fit quando excernendo fœces inteſtinum rectum in tantum prominet, & extra protruſum hæret ut non poſſit rurſus ſponte retrahi intra corpus. *Ani procidentia.*

Notum alias eſt, quod in omni alvi excretione inteſtinum rectum aliquantiſper protrudatur, ſed facta excretione idem inteſtinum à muſculis levatoribus denuo ſurſum retrahatur.

Quando ergo iſta extruſio excedit, retractio ve-

ro deficit tunc oritur affectus, quem vocant *ani procidentiam.*

Ex his facile patet *duplicem* eſſe *originem* hujus ani „ procidentiæ. 1. eſt nimia aut frequentiſſima aut vio- „ lenta ani extruſio: 2. aut eſt muſculi reſoluti defi- „ ciens retractio.

NIMIAM ET FREQVENTEM ET RESOLVTAM extruſionem inferunt non raro quæcunque *acria* aut *morſicantia* in inteſtino recto hærentia, quæ omnia iſtud inteſtinum vellicant & continuo ſtimulant, à quo ſtimulo continuo irritatum inteſtinum ſe contrahit, indeſinenter & foras extruditur, qua protruſione tandem in tantum elabitur, ut non poſſit denuo retrahi. Faciunt huc imprimis *teneſmus & dyſenteria*, quos non raro comitatur ani procidentia. 2. it. in *Diarrhœis* non raro ſupervenit ani procidentia. 3. *clyſteres acres aut etiam ſuppoſitoria* nimis ſtimulantia inducunt non raro hunc affectum. Uti videri poteſtis de hoc PANAROLI. *pentec.* 1. *obſerv.* 23. *ſtercora dura* aut excrementa *viſcida* in inteſtino recto ſubſidentia ac difficulter excernibilia ut ſic dicam continuo ſtimulo & continua protruſione ſimiliter procidere faciunt anum. Conatus enim iſte expellendi eſt tantus, ut per hunc pertrudatur inteſtinum rectum; Quod ſimiliter fieri poteſt & ſolet & non raro in *partu difficili*, dum parturientes omni conatu & retenta reſpiratione protrudunt inferiora verſus: unde cum fœtu per anteriora anus per poſteriora egreditur. quale exemplum habet AMAT. *Luſit. cent.* 1. *cur.* 93. & GABELHOV. *cent.* 1. *cur.* 7.

Quando ita protruſus eſt anus; altera cauſa nempe *muſculi impedita retractio* antecedit, vel *paralyſis muſculi* in ſpecie *inteſtini recti* à quacunque cauſa oriatur, de qua ſuo loco ubi de paralyſi. Percuſſio ſeu caſus ab alto ſupra os ſacrum, vel ſpinas lumborum ubi nervuli derivantur: vel *inteſtinum rectum protruſum*, ſi diutius extra hæreat, ut fibræ muſculorum retrahentes laxentur, ac flaccidæ fiant, ſimiliter procidentiam Ani ſæpius chronicam inferunt: quin excrementa ſeroſa aut aquoſa copioſius vel crebrius per anum excreta inteſtinum rectum, ac fibras muſculorum laxantia ſimiliter ani prolapſum inferunt.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA;

ſunt facilia, per ſe enim patent.

Cauſas: ex antecedentibus facile poſſumus hariolari.

QVOAD PROGNOSIN.

Procidentia ani ſi non ſubito & repente curetur interdum in periculoſum tumorem ani terminatur, in *inflammationem* quam non raro ſubſequitur tandem *Gangrana.*

Ani procidentia quæ orta eſt à *paralyſi*, & ſi hinc ſuperveniat nimia muſculi levatoris reſolutio difficulter curatur, quia repoſito licet ano, tamen quando denuo excernitur cum excrementis iterum decidit.

QVOD ATTINET CVRAM.

Duo primarii indicantur ſcopi: anus nempe prolapſus eſt reponendus; deinde repoſitus firmandus.

Repoſitio eſt facilis, fitque imprimis *manuum ope* quando *indice digito* intruditur anus, vel quando linteum cum decocto vel adſtringente vel emolliente, prout neceſſitas poſtulat, humectatum, circumvolvitur index digitus & ita hoc ipſe anus intruditur.

Quod ſi cauſæ ſint ſtercora dura aut multa in ano & inteſtinis ſubſiſtentia neceſſe eſt ut hæc prius emolliantur, & evocentur, aliàs recidivat malum.

Si cauſæ ſint *ſordes* aut quæcunque acria inteſtinum ſtimulantia, tunc prius eſt abluendum inteſtinum fomento abſtergente & blande adſtringente.

Quando ita repoſitum eſt inteſtinum, patiens extendere debet coxas & crura, hæcque conſtringere quantum poteſt, & diu ita retinere jacendo vel ſupra ventrem, vel etiam ſupra alterum latus.

Sin vero adſit *Inflammatio* vel *tumor* aut ſimilia quamdiu hæc durant tamdiu impoſſibile eſt ut reſtituatur anus in integrum.

Si adeſt ergo inflammatio, hæc prius arcenda fotu diſcutiente ad quos *Fotus* uſurpantur imprimis *folia & flores verbaſci, meliloti, chamomillæ, ſambuci, malvæ, violariæ*, quæ coquuntur nunc in lacte, nunc in vino rubro adſtringente, nunc in *aq. ferrariorum.* h. m.

℞. Flor. ſambuc.
Chamomill.
Hyperic. an. m. ß.
Roſar. rubr. p. ij.
Summitat. abſinth.
Melilotian. m. ß.
coq. in
Lacte, & Vino.

Et hoc decocto anus tumefactus ac inflammatus ſubinde fomentetur ac foveatur donec *tumor ac inflammatio* ceſſent. Hinc tandem intrudatur.

Remotis ergo omnibus impedimentis reponendus eſt anus: antequam vero reponatur, illinitur *ol. roſacco* vel *myrtillorum* ſuperadſperſo *pulvere gallarum contuſarum.* His enim adſtringitur, denuo inteſtinum rectum quo minus recedere & excidere poſſit.

Præterea ut facilius reponatur & firmetur applicatur *emplaſtrum* calidiſſime aut *oſſi ſacro*, aut *lumbis* quod fit ex

Gumm. ſagapen.
Opopanac. aa. q. ſ.
liquefact.

inducatur ſuper alutam, & applicetur quantum fieri poteſt calide.

Præterea ad *firmandum anum prolapſum* in ſuo *loco*, convenit etiam *ſuffitus ex ſeminibus & floribus Verbaſci, Flor. chamomill. & reſina abietis.*

Melior adhuc eſt *ſuffitus* KESLERI, quem deſcribit in ſuis *centuriis proceſſuum*, quæ fit ex hiſce.

℞. Aſphalt.
Gumm. ſuccin.
Maſtich.
Thur.
Myrrh. an. ʒj.

Pulveriſata adhibeantur pro ſuffitu in ſella perforata recipiendo: poſt quem ſuffitum cum *ol. ovorum* fovenda aut inungenda.

HARTMANNUS *in prax. chymiatr.* commendat ad firmandum anum prolapſum aſſerem quernum bene calefactum & *Maſtiche* illitum cui per quadrantem horæ inſideatur.

Loco *Maſtichis* SALA illinit cum Medulla cervina & ſimili ratione uſurpatur, nam vel ſolum *ſevum cervinum*, aut etiam *Hircinum* liquefactum & ita inteſtino prolapſo illitum facilitat repoſitionem & firmat anum, quo minus denuo poſſit procidere.

Vel frixetur *verbaſcum in butyro*, frixa bene tranſcolentur.

Ceu aliis præferendum remedium habetur *cinis ſcarabæorum pilularium*, qui inteſtino ſubinde prolabenti inſperſus & hinc iſtud inteſtinum denuo repoſitum mire firmare dicitur.

Hi ipſi *ſcarabæi in ol. Maſtiches* bulliti ſi iſtud ol. inungatur ſpecificum eſt in ani procidentia ex *Hæmorroidibus.*

Sicuti ſi in eodem ol. bulliat. *verbaſcum* eſt ſpecificum ad procidentiam ani ex Teneſmo.

Inſigniter in *ani prolapſu* conveniunt ne denuo procidere poſſit, ſacculi facti ex

Furfur. m. ij.
Fol. Milleſol.
Flor. verbaſc. an. m. j.
coqu. in
Aceti
Vini part. æqual.

& applicati inſigniter firmant anum, utut poſtmodum continuo poſt partum elabatur. vid. GABELHOV. *cent.* 1. *obſerv.* 71.

Loco aceti vel vini aut ſimilis liquoris conveniens eſt ſi decoquantur in *aqu. ferrariorum* quæ potenter adſtringit & anum firmat.

Si non remaneat, aliud quid ſubeſt nempe *muſculi levatoris reſolutio.* Unde tunc appropriatis nonnulla *Nervina* ſunt permiſcenda, v. gr. Fiat talis Fotus.

℞. Flor. Chamomill.
Anth.
Folior. ſalv.
Laur.
Balauſt. an. p. j.
Nuc. Cupreſſ.
Gallar. contuſar. an. par. vj.
Cortic. mali Granat. ℥j.
coq. in
aq. vel vino Chalybeatis.

applicentur & uſurpentur pro fotu.

Quod ſi poſt repoſitionem ano firmato remaneat *calor* aut etiam *rubedo* in ano, ne ulterius ſuperveniat *inflammatio* aut ſimile quid: *aq. plantaginis* in qua ſolutum eſt *ſacharum ſaturni* blande fomentandus podex aut loco hujus ſupradictis fomentis adſtringentibus utendum.

Hæc de ſitu inteſtinorum mutato. Pergo ulterius ſecundum ordinem naturæ ad

CAPUT XII.

DE CHYLI DISTRIBUTIONE LÆSA.

Chyli diſtributio læſa. CHylus beneficio Bilis & ſucci pancreatici à ſcoriis excrementitiis ſeparatus ulterius tranſcolandus eſt per cruſtam inteſtinorum bombycinam & hinc à vaſis lacteis reſorptus ac trajectus per glandulas meſenterii derivandus ad receptaculum commune.

Læditur hæc diſtributio 1. *quando nulla fit in inteſtinis tranſcolatio, idque duplici ex cauſa* 1. *quando obducta & oblinita ſunt inteſtina à copioſo muco craſſo ac viſcido* ſimulque obducta *ora vaſorum lacteorum*: ſic enim excrementa chyloſa excernuntur ut fit in altera cœliaca ſpecie, de qua ſuperius ubi de cœliaca affectione.

2. *Fit læſa aut omnimode abolita tranſcolatio,* quando per diarrhæam aut dyſenteriam abraſa inteſtinorum interna tunica, ſequuntur hinc inde *cicatriculæ,* quibus ſimul occluduntur *Pori* ſeu *orificia vaſorum lacteorum* in inteſtina hiantia, id quod fit imprimis uti dixi in dyſenteria quæ *tenuia* affligit inteſtina. Id quod à SYLVIO aliquoties in ſectionibus cadaverum fuit obſervatum.

Denegatam hanc Chyli tranſcolationem neceſſum eſt ut ſequatur *Corporis.*

ATROPHIA AC TABES.

Atrophia ac tabes. quæ tamen minoris eſt momenti, quando ex prima cauſa oritur, uti patebit ex methodo medendi, ſed „ poſterior ex occluſione pororum ſeu orificiorũ va- „ ſorum lacteorum ac cicatricibus poſt dyſenteriam „ vel diarrhæam è craſſa tunica inteſtinorum, impri- „ mis tenuium relictis, ullo modo eſt curabilis, ſed tabidum ægrum interimit.

Quod ſi fiat ut jam tranſcolatus chylus & ad vaſa lactea propulſus, propter obſtructionem in vaſis lacteis factam non progredi poſſit, ſimiliter læditur diſtributio & impeditur.

Hæc *obſtructio* fit imprimis à *chylo ipſo* nonnihil *viſcido,* aut, quod frequentius eſt, à pituita ſeu muco inteſtinali reſoluto, in vaſa lactea pulſo, ac ibidem denuo coagulato: id quod fit v. gr. poſt exercitium nimium: dum corpore bene calefacto ſubito ingurgitatur potus frigidus: à calore enim exercitii & motu primo liquefactus mucus ac attenuatus in vaſa lactea propulſus ſuperventu hauſtus frigidi, denuo congelaſcit & ſpiſſeſcit, & ita vaſa lactea ac glandulas meſenterij infarcit.

Quando ergo Chylus in vaſis lacteis tale invenit impedimentum & nihilominus tamen continuo novus accedit, vaſa lactea inſigniter diſtenduntur, & tunc apparent in *meſenterio copioſæ veſiculæ,* ſeu *copioſæ Hydatides,* qualia exempla non pauca obſervata ſunt; propter valvulas in lacteis conſpicuas & obſervabiles.

Quod *ſi vero lacteæ rumpantur,* quod facile fieri poteſt, tenuiſſima enim eſt illorum tunica, tunc *chylus infunditur in cavum* Abdominis, & fit exinde certa quædam *hydropis ſpecies,* de qua ſuo loco plura, ubi de Lymphæ motu impedito.

Hoc ſaltim in loco, occaſione obſtructionis vaſorum lacteorum diſſerenda nonnulla de

OBSTRUCTIONE.

Meſenterii, Hepatis, Lienis, Pancreatis, & ſimilium vaſorum Abdominis. *Obſtructiones.*

Notum namque eſt quod nihil frequentius aut nihil uſitatius in morbis chronicis accuſetur quam *Obſtructiones, & infarctus vaſorum Meſaraicorum,* item obſtructiones hepatis, lienis & ſimiles.

Hinc in Schola GALENICA imprimis in *praxi & conſultationibus* nihil frequentius *in febribus intermittentibus, in continuis, cachexiis, ſcorbuto, malo hypochondriaco* & ſimilibus ægrorum torturis & Medicorum ſcandalis invenietis, quam obſtructiones & infarctus *Meſenterii,* qui fiant aut à pituita viſcida aut à ſucco terreſtri melancholico.

Hoc ipſum ſimiliter uſu venit in ſchola PARACELSICA: nam & ibi nihil uſitatius eſt quam loqui de *oppilationibus & infarctibus* factis à tartaro hinc inde coagulato.

Cæterum ſicuti *qualitates occultæ* Phyſicorum merito dicuntur Aſyla ignorantiæ illorum, ita ſimili ratione dicere audeo: quod etiam tales in Abdomine viſcerum obſtructiones ſæpius ſint pallium, quo ignorantiam ſuam palliare ſolent Medici.

Ob id non pauci Practici Moderni ſolent dubitare, *an revera dentur tales obſtructiones viſcerum quales accuſantur?*

Videatur de hoc dubio *An* ſcil. *verum ſit,* quod dicunt de his *obſtructionibus.* HOFER. *in Hercul. medic. p.* 139. *it. in* HORST. *lib.* 4. *obſ.* 47. *p.* 239. *&* 240. ubi recte dicit HORSTIUS, poſtquam dubitaſſet de obſtructionibus, quod plurima ſymptomata vulgariter adſcribantur meſenterii obſtructionibus, quæ tamen ſæpius habent aliam originem.

Cæterum duo ſunt imprimis: *Unum* quod *probabilem* reddit hanc *opinionem: alterum* quod eandem facit *inculpabilem.*

Probabilem reddit hanc de obſtructionibus opinionem, quoniam in iſtis morbis chronicis; quamplurima ſymptomata moleſta ſint ac percipiantur in abdomine, etſi alia loca ſint affecta, ſemper abdominis paſſiones præcedant aut connexæ ſint cum vitiis abdominis. Unde facile poſſunt perſuaderi, ſimpliciter eſſe in meſenterio talem obſtructionem & infarctum.

Alterum quod reddit *inculpabilem* eſt, quod fons per Anatomen non adeo poſſit detegi: Cum enim ſupponant infarctum vaſorũ capillarium quæ ordinario

rio poſt mortem connivent & aperiuntur clauſa, tunc poſt mortem nulla ſatis accurata inquiſitio poteſt inſtitui: ſed potius hos ut & alios Medentium errores tegit terra.

Certe in iis vaſis aut viſceribus, quæ continuo liquorum tranſitus abluit v.gr. *in venis & Arteriis cum vaſis Lymphaticis & lacteis Hepate & Liene*, &c. *Obſtructio* talis fieri nequit ſine liquoris permeantis reſtagnatione & collectione hinc partis tumore aut ruptis vaſis, liquoris contenti extravaſatione, quæ mala tumor aut extravaſatio, &c. ſemper & neceſſario comitari debent veras obſtructiones.

Res ut pateat accuratius *tres* imprimis concipiendi *meatus*, in quibus ſupponitur fieri *obſtructionem*.

1. *Sunt vaſa ſanguifera arteriæ & venæ*, quæ inferunt & referunt: 2. *Lymphatica* quæ ex uno loco inferunt in alium.

3. *Sunt pori ac meatus partium continentium* per quos continua eſt liquorum trajectio; *primario* quidem Viſcerum *Hepatis*, *Lienis*, *Pancreatis*, *Pulmonum*, *Renum*: *ſecundario*, *Glandularum*: *ac tertio partium carnoſarum*.

Si in his debet fieri obſtructio, tunc ſane neceſſe eſt ut ſemper aut adſit tumor, aut adſit liquoris in motu impediti extravaſatio.

1. Quidem in *vaſis ſanguiferis*, ubi eſt in aliquo vaſculo obſtructio, neceſſario impeditur ſanguinis motus. Hac in parte impedito, primo fit ſanguinis in iſta parte ſtagnatio, ex ſtagnatione partis *Tumor*, tandem vaſculorum capillarium ruptio, iis ruptis ſanguinis extravaſatio, & ſic neceſſario inflammatio: ſtante continuo ſanguinis circulo; ſive ſit impeditus motus in Arteriis, & tunc adeſt *continua pulſatio*, ſive in *venis*, & tunc eſt *renitentia & diſtenſio*.

2. *Ubi in vaſis lacteis & Lymphaticis, fit obſtructio*, ſimiliter fit *motus Lymphæ impeditio*, ita ut aut non reſorbeatur Lympha ex parte: Unde hæc in parte coacervata dabit *tumores ſeroſos*: ſin vero abſorpta ſit aceſcere ſolet Lympha in his venis, à qua Tumor ſ. Obſtructio. Tunc enim à Lympha ſtagnante fit vel *vaſorum diſtenſio*, *ruptio*, & ita *Lymphæ* neceſſaria *effuſio*.

Lympha iſta ſi effundatur in cavitatem quandam corporis notabilem dat *Hydropem particularem v.gr. Hydrocephalum, Hydropem pectoris*: *Palpitationem Cordis* ex aqua Pericardii abundante. *Aſcitem* partium abdominis & ſimiles aliàs *Hydropes* particulares.

Ubi vero fit Lymphæ effuſio in partem ſolidam, non tamen iſta pars inſtar ſpongiæ intumeſcit, ſed fiunt exinde *tumores aquoſi* pro varietate Lymphæ varii.

3. *Obſtructiones, quæ dicuntur in ipſis viſceribus aut partibus continentibus* fieri, dant m. ſuos tumores.

Cum enim meatus & pori eorum ſunt in hunc finem conſtructi ut aliquid tranſeat, non poteſt non fieri interdum liquoris pertranſeuntis ſtagnatio: Unde pars neceſſario intumeſcit, & tumefacta degenerat in Abſceſſum, aut ubi materia ſtagnans inſpiſſatur ac indureſcit, fiunt *tumores duri indolentes & ad tactum renitentes, qui in partibus ſanguineis vocantur Scirrhi, in partibus vero glanduloſis vocantur ſtrumæ & ſcrophulæ.*

Talis *induratio* fit imprimis ab acido ſubſiſtente, aut in ſanguine craſſo aut Lympha viſcidiore in quocunque loco obſtructo, ubi ſenſim ſenſimque partes ſubtiles avolant & evaneſcunt, quæ ipſæ aliàs temperabunt acidum, his diſcuſſis materia ſenſim inſpiſſata à reſtitante acido coagulatur & induratur.

Quod adſit tale acidum *in ſcirrhis & ſcrophulis* patet ex eo: quod ſi inconvenienter tractentur hi tumores, ubi eorum acidum vitioſum contrahit efferveſcentiam, ita ut exinde interdum ejus acore degenerent facillime in cancros exulceratos, tam *ſcirrhi* quam *ſcrophulæ*. Hinc adeo neceſſum eſt ut ſimus accurati in cura *tumorum Mammarum*: quotum glandulæ ſcrophuloſæ ut dicam ita, facile dant *cancrum*.

Ex his patet quid habendum ſit de *Obſtructionibus*.

Nempe Univerſaliter nullo modo negandas eſſe obſtructiones, hoc enim eſſet abſurdum; ſed abuſus tantum tollendus & imaginariis iſtis obſtructionibus ſuperſtructis morbis aliud quærendum fundamentum.

Nam & ductus cholidochus, non minus quam ipſe ductus Pancreaticus ſæpius reperiuntur infarcti, tubuli renum, item oſcula vaſorum lacteorum, ubi hiant in Inteſtina ſimiliter ſæpius ſunt infarcta. Meſenterii obſtructiones eſſe repertas una cum glandulis ejus induratis, ſubſequente corporis macie, ſimiliter hinc inde proſtant exempla & plurima practicorum experimenta loquuntur.

Scirrhi denique omnes neceſſario præſupponunt obſtructionem.

Verum in *Intermittentibus Febribus*, *in cachexiis* & ſimilibus morbis ſæpius omnino nihil adeſt quod obſtruat: quod ſi vero in his morbis tandem ſuperveniat *tumor* viſcerum v. gr. ut quando *quartanæ* ſuperveniat *ſcirrhus Lienis*, aut *Ictero ſcirrhus Hepatis Hydropis prodromus*: tunc *Quæſtio* adhuc eſt de tali tumore & præſuppoſita vera obſtructione, an *ſint cauſa* ac radices *morbi* talis, *an vero* potius ſint *producta morboſa*, ſeu talia quæ morbo jam facto ſuperveniunt tandem. Videbitis aliqu. experientiam quod in talibus morbis chronicis aut nunquam aut rariſſime in principio adſint tales obſtructiones & tumores: ſed quod hi ipſi potius affectus ſuperveniant tantummodo morbis iſtis Chronicis, adeo ex morbo fiunt, non vero ex his morbi.

Quod attinet Scirrhos in his integer quidem ramus aut viſcus aliud omnino oppilatur & communiſſime ramus eſt qui in talem tophum cogitur.

Sic ſi *totus* quidam *ramus ex vena portæ in Hepate*: aut ſi quidam *ramus ex ſplene*: aut ſi *glandulæ Meſenterii & colli ſcirrheſcunt*, tunc totus iſte ramus aut glandula inepta fit ſuo uſui: Unde dum nulla amplius fit trajectio *ſcirrhus* generatur, quem nullus tumor, nulla inflammatio ſubſequitur.

De his ergo obſtructionibus aut morbis, qui ex Obſtructione oriri dicuntur, optimum eſt judicium Lindani *in Colleg.* ſuper Hartmannum *Cap.* 166. *de Meſenterii inflammatione* §. 2. & 3. Ubi de hoc affectu ita loquitur.

Credite hoc mihi, nam faciet vos Praxis videre: illi *morbi*, & vitia *quæ* paſſim obſtructionibus Meſenterii aliorumque viſcerum attribuuntur ſunt revera effecta ventriculi imbecillis, & non bene habentis, *laborantis* ſcilicet *cruditate* vel *corruptione* imprimis *acida*.

Utinam hoc Medici diſcerent, ut poſtquam tot *purgationibus* nihil profecerunt, cogitarent non eſſe obſtructiones Meſenterii: dein poteſt aliquid magis inſanum eſſe, quam velle tollere obſtructiones purgantibus? præterea in cadaveribus nunquam reperietis Meſenterium obſtructum niſi ſimul ſcirrhum & corpus longitudine mali emaciatum, uti totus ſanguis mire corruptus ſcirrhum, Meſenterii & obſtructionem generet. Quid iis purgantia proderint, *Corrigite* ergo ac *roborate*. Ventriculum, corrigetis ſic omnes obſtructiones, & tolletis omne malum.

Natura caute ſatis providet ne vaſa Meſaraica poſſint obſtrui, ſcilicet accuratiſſime filtrando chylum per filamenta bombycina. Unde videmus chylum per venas lacteas inſtar limpidiſſimæ aqueæ materiæ tranſire, adeo ut potius ſpiritus lacteus ſi ita loqui liceat tranſeat quam aliquod corpus.

At vero quomodo ibi fieri poteſt obſtructio, præ-

ſertim cum pateat minimos ramos deſinere in ampliores? Verum obſtructio eſt metuenda, ubi ex majori in minus vas defertur: Ego, inquit, tales *Obſtructiones*, *Affectus Melancholicos*, *Hypochondriacos*, &c. Curo curato *ventriculo*.

Et ſane rem ita ſe habere confirmat quotidiana Experientia. Certi ſitis quod nullum reperietis morbum Chronicum, in quo non primaria morbi radix ſemper hæreat in ſtomacho ejuſque vitiata digeſtione. Unde vitioſa imprimis acida naturæ ſalinæ tantum non in omnibus Chronicis reperietis morbis.

" Unde etiam baſis curandorum talium morborum " conſiſtit in Vomitoriis, quibus & Febres Intermit- " tentes & Malum Hypochondriacum, & omnes af- " fectus Melancholicos, Cachexias itidem neceſſario ſunt primitus aggrediendæ.

Hinc poſtmodum propinari ſolent *remedia* vel talia quæ ſapores vitioſos imprimis acidos abſorbent, qualia ſunt Martialia & ſaturnina, quæ, uti notum eſt, in his affectibus utrumque faciunt paginam.

Aut denique propinentur Medicamenta, quæ imprægnata ſunt *ſale alcal. aut fixo*, aut *volat. acri*, aut *volat. oleoſo*, qualia ſunt v. gr. *Aromata Antiſcorbutica*, *Aperientia*, dicta temperantia, &c.

Quæ conveniunt, non quatenus aperiunt, hoc enim eſt contra Martis naturam: potius adſtringit, & omnia ex eo parata ſaporem habent adſtringentem: Sed potius quia ſapores acidos ſ. uti vocat HELMONT. ſylveſtria ſalia, imprimis in prima corporis regione, aut abſorbent, aut etiam contraria facultate ſalina præcipitant & alterant.

Incipiam de Marte, qui, uti notum eſt, in his morbis eſt anchora ſacra: Unde etiam ſolemus ablegare ægros ad *potum acidularum*, id eſt, ad aquas quæ imprægnatæ ſunt primo Ente martis. *Martialia* enim in his morbis conducunt. Jam vero Mars per ſe ſemper adſtringit: Unde etiam lac ferratum & potus ferrati in Diarrhæa & Dyſenteria conveniunt, qui ipſi tamen etiam in Malo Hypochondriaco propinantur.

Per ſe ſemper Mars adſtringit, & guſtate omnia ex Marte parata, ſive ſint ſicca, ſive liquida, ſemper reperietis quod apertam habeant adſtrictionem in lingua. Dum ergo per ſe ſemper Mars adſtringit quo nam modo tanquam aperitivum adeo poteſt feliciter propinari in talibus malis?

Idem dico de Saturno: Sacharum Saturni enim convenit in morbis Saturni Microcoſmi ſ. ſplenis, adeo ut certum ſit, quod in *malo hypochondriaco* cum tumore ſplenis conjuncto ſit egregium remedium ſaturni ſacharum, item in ſcorbuto. Guſtate ſacharum ſaturni & aperte aluminoſitatem & adſtringentem dulcedinem guſtabitis.

Quare ergo convenit in talibus morbis ab oppilatione derivatis? Aliud quid ſane ſubeſt. Primus nobis aperuit oculos HELMONTIUS *in Paradox.* cujus veſtigiis laudabiliter inſiſtit TACHENIUS *in Hypocrat. Chimic. p.28.* ubi agunt de Marte: qui duo toti ſunt in eo, ut oſtendant Martem per ſe ſemper adſtringere; probant autem natura ejus: eſſe enim dicunt corpus terreſtris texturæ, ut promptiſſime ſe inſinuent acida ſalia corroſiva, ita ut promptiſſime in ipſo abſorbeantur.

Hæc vero ſalia abſorpta, dum agunt in ejus corpus fixum terreſtre, omnem ſuum vitioſum ſaporem & omnem exceſſivam qualitatem omnino exuunt & deponunt; id quod moderni mutationi texturæ particularum attribuunt: Quando ergo à tali aſſumpto Marte (de Saturno etiam intelligendum) hoc ipſo per ſe adſtringente, id verum, dum ad eum prompte accurrunt ſalia vitioſa, acida, auſtera, pontica, vitriolica, & quæcunque ſint, in ejus corpore figuntur & abſorbentur) quod poſtmodum fœces nigræ coloris atramentitii à tali ſubjecto egerantur.

Cum vero hæc ipſa *ſalia vitioſa* morborum Chronicorum auctores oriantur imprimis *ex vitioſa ſtomachi digeſtione*, loco laudabilis, qua debent transmutari in chylum ſalſum volatilem degenerant ac transmutantur in liquamen viſcidum aut fixum, aut eadem cum alio vitioſo ſapore impræegnantur, facile patet quod in talibus morbis & qui obſtructionibus attribuuntur prima radix ſ. origo ordinarie ſit *in ſtomacho*.

Propinatis Martialibus in talibus morbis ſubſequuntur Medicamenta dicta *Aperientia*: quæ inter eminent *Antiſcorbutica* quæ ipſa conſtant ſal. volat. de natura Alcalium, aut moderato aut temperato ut ſunt *vulneraria*; aut acriori ut ſunt *Antiſcorbutica*. Talia conducunt in talibus morbis chronicis non quod penetrent dictas obſtructiones, ſed quod ſua natura ſalina volatili contraria ſint vitioſis ſalibus in ſtomacho & primis viis & hinc in ipſa Maſſ. Sang. ubinde aberrantibus.

Unde hæc ipſa ſalia aut præcipitant (nam alcalia omnia præcipitant acida in genere) aut eadem alterant aut in ol. terreſtr. transmutant, aut denique in novum plane ſaporem alterant.

Præter hæc vitia in iſtis morbis chronicis vitio ſtomachi pronatis, ſimul videre eſt, quod non raro ex vitioſa ſtomachi digeſtione ipſa quoque Maſſ. Sang. vitioſo muco craſſa ac viſcido ſit impræegnata.

In talibus ſubjectis ſi Ven. ſecta mittatur ſanguis (quod rectum ſit non dico, præſuppono ſaltim) obſervatur ut plurimum ſupernatare ſanguini extravaſato, mucus quidam albicans ſublividus, ſpiſſus, aut multis modis vitiatus, qui revera nihil eſt aliud quam chylus vitioſe digeſtus, qui cum non poſſit commode fermentando Maſſ. Sang. aſſimilari, ſub forma talis ſucci ac mucaginis vitioſi ipſi confuſus ineſt, ac tales morbos chronicos antequam corrigatur ac evacuetur adeo contumaces reddit.

Dum ergo ab his *Martialibus & ſaturninis* remediis abſoluta ſunt ſalia vitioſa in his morbis conveniunt ſalia tam Animalium quam vegetabilium volatilia, quæ hæc ſalia alterant & ſimul iſtam vitioſam mucaginem vitio ſtomachi enatam attenuant, nonnihil reſolvunt ac fluxilem faciunt ut facilius corrigi aut evacuari, aut tandem ſanguini aſſimilari poſſit.

Unde etiam *Purgantia* præter hæc aſſumpta conveniunt, imprimis ad detergendum, ut, quantum fieri poteſt craſſos ac pituitoſos ſuccos evacuemus, in quibus uſurpantur talia quæ eadem incidunt, ac viſciditatem corrigunt.

In Genere ergo remedia, quæ in morbis chronicis, aut ut tantum communi ſenſu loquar, quæ conveniunt in obſtructionibus ex acido natis & morbis chronicis, &c. Illa ſub una generali nota poſſunt contineri.

Talia quæ obſtructionem reſpiciunt ſunt ſequentia.
" 1. Notæ ſunt quinque radices aperientes, dictæ, " ut ſunt radix Apii, Aſparagi, Fœniculi, Petroſeli- " ni, ac Ruſci, his adduntur imprimis rubia tincto- " rum eſt egregia diuretica. Radix Gentianæ, Armo- " raciæ, Cichorei, Taraxaci, (ſal volat. egregie con- " ſtans) Ari, Chelidon. major. Graminis, Filicis, " Fragar. Curcumæ, Aſari, Pimpinell.

De *Aſaro* firmum & certum eſt HELMONTII Experimentum quod in *ſubſtantia aut vino bullita ſit vomitorium, in aqua vero bullita ſit diureticum, & curativum Febrium* egregium, teſtibus ZUUOLFER & ANGLIS inter ſimplicia conveniunt omnia *Antiſcorbutica*, uti ſunt imprimis *Cochlearia*, *Naſturtium*, *Piperitis*, *Flammulæ Iovis*, *Trifol. aquaticum*, *Fumaria*, *Abſinthium* & ſimilia. Præterea conveniunt *Marrubium*, (*in ſcirrho hepatis & Lienis commendatur*) *Hyſſopus*, *centaur. minus*, *Carduus benedictus*, *Agrimonia*, *Chamædrys*, *Scolopendria*.

De

De Floribus Geniſtæ, item *Taraxaci* res eſt nota.

Semina calida minora uti vocant: item *Semen Sinapi* egregium in *ſcirrhis* it. *Erucæ*, *nigellæ*, *Dauci* & ſimilia.

Perſicaria quoque apud Modernos magnæ eſt æſtimationis.

His jungitur etiam quam vocant ITALI *Milzatellam* quæ eſt nihil aliud quam *ſpecies Galiopſidos minoris*.

Item Lingua Cervina, *Cicuta*, *nam radice cicutæ* quidam curavit *obſtructionem Epatis*, pulvere ejus à ʒß. ad ℈ij, propinato: *decoquitur* etiam & decoctum adhibetur.

Sabina non mulieribus ſolum eſt dicata, ſed etiam infarctibus, quos vocant viſcerum.

Porro *Gummi Ammoniacum* & omnia *Gummata Sagapenum*, *Galbanum*, admodum conveniunt in his morbis; hæc enim abſtergunt & reſolvunt pituitam vitream ſeu mucaginem acidam hincinde Inteſtinis & ſtomacho adnatam.

Notæ ſunt *Pilulæ de Ammoniac.* QUERCETAN, quibus præferrem *Pilulas* SYLVII *ex prax. med. l.* 1. *c.*7: §.52. ex his gummatibus paratas, quæ multum contribuunt ad evacuandum in his morbis. Compoſitio eſt hæc.

℞. Gumm. Ammon. vel
Galban. cum aceto præpar. ʒß.
Maſtich. elect. ℈j.
Trochiſc. alhand.
Reſin. ſcamm. aa. gr. xxv.
miſc.
F. l. a. Pilulæ.

Quarum aliquot capiat æger mane jejuno ſtomacho.

Et certum eſt quod *Gummi Ammoniacum in ſcirrhis* viſcerum & ſimilibus ab infarctu vero ortis affectibus nullis aliis cedat remediis: poteſt ſumi in forma pilularum, vel ſaltem poteſt purgantibus addi: vel ex virid. æris & Gummi Ammon. deſtilletur ſpiritus acidus volatilis & penetrantiſſimus: vel quidam recipiunt ſpirit. virid. æris & in eodem diſſolvunt vel extrahunt Gumm. Ammon. & vocant *Eſſentiam Gumm. Ammon.* quæ eſt egregia.

De Eſſentiis & Extractis noto, imprimis in iis parandis imitandum eſſe *Angel.* SALAM. qui ex ſuccis inſpiſſatis per ſpirit. proprios parat Eſſentias. v. gr. *ex ſucco baccar. ſambuci* inſpiſſato affuſo *ſpirit. Flor. Sambuci* vel *Baccar. ſambuci* fit egregia *Eſſentia* contra *Eryſipelata.* Ex *ſucco fumariæ* inſpiſſato cum *ſpir. Fumariæ* paratur Eſſentia *Antiſcorbutica.* Idem fieri ex Antiſcorbuticis *Naſturtio* & *Cochlearia.*

Nam utut videatur, vis conſiſtere in ſale volat. quod in ſuperficie videtur hærere notum tamen eſt, quod plus inſit ſalis fixioris, ut ita dicam, quod mediante fermentatione prolicitur ex craſſiore materiæ vinculo: Unde ſi affundatur ſpiritus cochleariæ per fermentationem factus ſucco cochleariæ inſpiſſato etiam fit egregia eſſentia cochleariæ nam ſal in ſucco fixius magis ita protrahitur in lucem; Dicunt quidem non eſſe fermentanda ejuſmodi vegetabilia Antiſcorbutica quoniam avolet ſal volat. maximam partem: Sed hoc nihil eſt.

De Martialibus remediis, cum Marte & ſaturno in hoc tantum conveniunt, quatenus abſorbent ſalia vitioſa, eaque cum fœcibus nigris eliminant in eorum præparatione attendendum, ſi nimis acidis præparentur nullius eſſe virtutis & efficaciæ: Mars enim ſemel acido ſaturatus extra corpus, inſtar pulv. tantum jacebit in corpore & quomodo aſſumptus fuit, prodidit.

Unde *Crocus Martis ſacharinus*, qui fit quando lamina ferrea illinitur acido ſpirit. vitr. vel ol. vitr. ſeu ſpir. ſulph. ſtagmate, quod illam corrodit in crocum, nullius eſt pretii, utut ſit baſis pulv. cachectici QUERCET. Nam à ſpir. ſulph. acido Mars, ita eſt ſaturatus, ut ne aq. fort. quidem attingit eandem: unde nec in corpore poteſt diſſolvi.

Ad præparandum Mart. minus conveniunt ſpir. Minerales quoniam ſunt nimis acidi & corroſivi, ut Mart. adeo imprægnent & corrodant ut inſtar terr. mortuæ hæreat in corpore nec ſuperari poſſit à fermento ſtomachico.

Quare melius fiunt Martialia medicamenta cum talibus quæ ſtomacho noſtro ſunt amica & convenientia, & quæ ſuperari poſſit à fermento ejus ita ut ſolutus mars tantum à ſalibus vitioſis corporis ſaturetur.

Unde commode per ſuccos vegetabilium ſuccum pomorum Boſdorffianorum, Cydoniorum, Muſtum, *Acetoſæ*, & *Acetoſellæ* paratur. His enim ſolvitur mars, hinc inſpiſſatur, poſtmodum in quocunque liquore diſſolvitur: Et hoc modo fit *Eſſentia* vel *tinctura Martis*, quæ nullo modo reluctatur digeſtioni.

Tinct. Martis cum *ſpirit. panis* parata eſt egregia. Hoc itidem obſervetur de Croc. Mart. aperitivis, non paucis, ſaturatis cum acidis

Optimus modus eſt, ſi mars irroretur cum *aq. appropriata:* vel ut vult PANAROLI. cum aq. vel ſucco cichorei: ſic enim fit ut acidum Martis proprium, ſolvat corpus in crocum; Mars ergo ita à proprio acido corroſus non eſt ſaturatus ab alio & propterea magnam obtinet vim ſalia in corpore ſylveſtria abſorbendi.

Quid dicendum de croco Martis aperitivo cum ſalibus? Fit lixivium ex ſalibus vegetabilibus fixis; hoc lixivium affunditur Marti, unde mars corroditur in croc. Martis aperitivum cum ſalibus. *Vix laudem meretur:* propterea quoniam ſalia iſta fixa in lixivio aggrediuntur Martem & dum aq. ſolvit proprium Martis acidum, ſalia fixa ſe uniunt cum acido & ita abeunt in tertium ſalſum nullius uſus. Nam hoc tertium ſalſum cum in ſe ſit ſaturatum neque acidum neque alcali corriget, & ita crocus Martis aperitivus cum ſalibus vix laudabilem habebit in corpore uſum.

Sed hæc tantum mea eſt conjectura, an vera ſit conſulenda experientia?

Subſtitimus in remediis ad obſtructiones viſcerum veras directis, aut iis quæ à vitio ſtomachi ortis in obſtructionibus laudantur.

Recenſui ea quæ *ex regno vegetabili* deſumuntur, & progreſſus factus ad regnum Minerale & de Marte dictum *quod ſemper adſtringat per ſe*, *aperiat per accidens*, hinc opus eſſe ut caute præparetur pauciſſimis acidis vid. PANAROLI. *pent.* 5. *obſ.*32.

Præ aliis præparatis nota eſt *tinct. vitr. Mart.* ZWOLFERI. quæ à multis in magno habetur pretio: Verum hæc ipſa plus operatur ratione ſalis Eſſent. tart. quam ratione vitriol. Martis: Ex eo quoniam vitr. Martis jam proprio acido ſaturatum parum aut nil in hac tinct. confert. Unde huic vel ſimpliciſſimam ſatis tamen efficacem tinctur. longe præferre vellent.

Modum ad has ſimplices ſed non inelegantes tinct. Martis parandas, deſcribit DRAWIZIUS *in tr. ſect.* 8. *de dolore ventris ſcorbut. tinctura & extract. Martis* legitime paratæ certe mirabilia præſtant.

Notum eſt quod etiam fiant *vina Martialia* ſine extinctione ſive infuſione; it. aqu. in quibus extinguitur chalybs calefactus. Nam *vinum extinctionis chalybis* imbibendo ſecum minerales corporis Martial. partes, exinde vim egregiam acquirit imprimis in *affectibus ſplenis*, in *Infarctibus* nempe *ejus & ſcirrhis.*

Hinc notum eſt iſtud quod dicitur, quod canes Fabrorum ferrariorum, dum potant aquas ferratas, fere careant ſplene: de quarum aquarum ferratarum vi in antea tumentem & ſcirrhoſum ſplenem. vid. MAIOR. *tr. de chirurg. infuſoria p.* 188.

Gratius eſt vinum, in quo vel extinguitur vel infunditur

funditur chalybs, volatilis enim & ſubtilis vini acor nunquam intermittit, quin rodendo Martem ejuſdem ſubtilem crocum in ſe abſorbeat. Hinc ſi addantur nonnulla vegetabilia appropriata v. gr. *Cochlearia, Fumaria Abſinthium, Chelidonium majus (minus) Fœniculum*, &c. cum *cinnamomo* & *zingibere* exinde evadet *vinum Medicatum Anticachecticum.*

Pergo. Poſt Martem eſt *ſaturni ſacharum* quod uti notum eſt, egregium in affectibus Chronicis hypochondriacis, & aliis qui vulgo obſtructionibus attribuuntur.

Ex hoc ſacharo ſaturni Methodo conſueta fit ſpiritus, quem vocant ſpir. ſaturni & multi inſigniter in ſplenis commendant affectibus. Sed ſub hoc ſpiritu inſignis latet impoſtura, eſt enim nihil aliud quam ſpiritus vini regeneratus ex aceto cum quo paratum fuit ſacharum ſaturni quod certum eſt.

Fiunt etiam Cryſtalli *ex minera ſaturni* cum *ſpiritu nitri*, qui Cryſtalli præter hoc, quod in *Febribus ardentibus*, item in *Peſte* egregium præbeant refrigerium, ut cum vulgo ita loquar, etiam in affectibus chronicis Hypochondriacis & hinc ortis Melancholicis præ cæteris conveniunt, & etiam hos in ſtomacho radicatos affectus & obſtructionibus falſo tributos inſigniter curant & ſanant.

Inter regnum animale, Minerale & vegetabile eſt tartarus ejuſque ſal. fixum privilegiatum ad reſuſcitationem metallorum. De hoc notum eſt quod ad illud Medici tanquam ad ſacram anchoram confugiant in Morbis Chronicis ubi imprimis laborat *ſtomachus.*

Verum *Tartari* & ejus *Cremoris* ut & *cryſtallorum* aciditas, non paucis eſt ſuſpecta, utut in ſe inſignem vim habeat incidendi, attenuandi & reſolvendi, prætereaque urinam ciendi. Ut ergo iſtam ſuſpectam aciditatem temperent convenienter ſolent admiſcere ſal. tart. proprium, vel addunt ocul. 69. aut ſimilia ſubjecta quæ vim ſalinam acuunt, aciditatem vero nonnihil temperant.

Sic ſi ſolvantur *Cryſtalli tartari in aqua ſimplici* & ſolutioni indatur *ſal. tartari* proprium, ut probe ſe uniant & poſtmodum inſpiſſentur fit *ſal digeſtivum ſalſum* egregium.

Similis naturæ fere eſt *tart. vitriolat. it. tart. nitr.* Barth. *in tr. de reſpiratione* quam vocat expertum alexipyreton.

Cum his ſimilitudinem habet *arcanum duplicatum* Mynsichti, factum ex alcali nitr. ſaturatum nonnihil à ſpiritu vitrioli: Cæterum præter vim antiſcorbuticam inſignem antihypochondriacam, antifebrilem vim obtinet ad ſomnum inclinandum: ratio hujus rei videtur hæc, quod nempe ſal alcali nitr. imbibit nonnihil de Sulphure vitrioli fixo anodyno, ut & parum ſit: ab hoc videtur derivanda vis ejus ad blandum conciliandum ſomnum.

Redeo ad Tartarum; Tartarum in ſubſtantia hactenus uſurpatum habuimus.

Sequitur quando deſtillatur in ſpiritum. Verum parum dat ſpiritus propter copioſum oleum, hoc utut ſit egregium remedium, tamen cum conſtet ex ſal. vol. per acidum proprium inſpiſſato & in oleiforme corpus redacto, poteſt imminui, ſi addatur corpus alcaliſatum, quod imbibit aciditatem nimiam, quo ſpiritus & ſal. vol. tart. eo promptius in deſtillatione prodeat.

Spiritus ergo tart. non communis phlegmaticus, ſed *rite volatiliſatus* eſt excellens remedium in omnibus obſtructionibus tributis affectibus. Eſt de natura ſalium alcalium volatilium ſaponariæ virtutis & qui abſtergit quaſcunque ſordes in corpore vitioſe enatos.

Præterea quodcunque acidum præcipitant iſtudque per vias urinarias ablegant.

Melior fit ſpiritus ſi deſtilletur ex fœcibus vini, uti in ſuperioribus monui. Imo qui recte ſcit tractare fœces vini, is rectificando ſpiritum ſimul accipit egregium ſal vol. ſaporis urinoſi, quod inſtar glaciei incruſtat alembicum, uti ergo vidi.

Superius etiam aliquoties commendavi *Spiritum carminativum ex tart. nitr. & Spir. vini*, qui eſt expertiſſimus in *Chronicis* affectibus, imprimis in Hypochondriacis: ſed circumſpecte præparandus, ſi debet fieri legitime & niſi recte procedatur omnia diffringit. Mira vide quæ hic præſtitit.

De *ſale tartari* notum eſt, quod ſi quid aliud ſit egregium inciſivum. Verum cum ſit fixæ naturæ & reluctetur ſtomachi digeſtioni, ob id melius eſt ſi volatiliſetur: Sal tartari enim fixum volatiliſatum eſt ſuccedaneum liquoris Alkaheſt Helmontii, uti ipſe fatetur in *tr. de Febribus*, inquiens: ſi non poſſumus pervenire ad arcanum hoc, &c.

In ſpiritu vini hæret medium volatiliſandi nonnihil ſal. tartar. & fit *Balſamus Samech* Paracelsi, arcanum in ulceribus, de quo vid. Helmont. *it. ſcabies & ulcera.*

Notum eſt quod vegetabilium *ſalia fixa*, *Geniſtæ*, *Fraxini*, *Abſinthii*, *Cardui benedicti*, & ſimilia, in ſpecie admodum conveniunt in his affectibus ab obſtructionibus vulgo natis: ſalia enim fixa hæc ſua ſaponaria & abſterſiva natura, uti quælibet alcalia, quæcunque acida infringunt: Verum cum, ut ſuperius dixi, reluctentur ſtomacho, & obnituntur digeſtioni ob id loco harum fixarum potius propinanda ſunt *ſalia volat.*

Quæ inter eminet *Spiritus ſal. ammoniaci* volat. hic uti quaſcunque *Febres intermittentes* certo ſanat, ita in morbis chronicis Hypochondriacis, ſcorbuticis & cachexiis pauca habet ſimilia remedia. Paratur quando ſali ammoniaco adjungitur ſal quoddam alcali, ſive ſit ſal. tartari, ſive cineres clavellati ſive calc. viva ſive quodcunque ſit: tunc enim acidum ſal commun. in ſal. ammon. conjungit ſeſe cum alcali fixo & dimittit ex ſe alcali volat. ſcil. ſpiritum urinæ.

Fit enim ſal ammoniac. quando ebullit ſal commune cum urina humana: nam ſic ſal commune imbibit ſal. volat. urinæ & ſic fit ſal ammon. Jam vero omnia acida lubentius ſeſe jungunt & uniunt cum ſalibus fixis quam volatilibus, quando ergo additur alcali fixum acidum ſalis communis: illud ſibi unit & dimittit ex ſe ſal. volat. & fit ſpir. ſal. ammoniaci volatilis.

Si calc. viv. & ſal. ammon. addatur ſulph. poteſt præparari ſpiritus ſal. ammon. rubicans inſtar ſanguinis & qui in reſolutione in ſe nonnihil habet ſulphur in affectibus pectoris conjunctis forſan non Inelegans.

Urinæ ſal. vol. eſt in ſpir. ſal. ammon. Nam *urina humana* ad chronicos hos affectus, utut ſordida, eſt tamen expertiſſima, vid. Solenan. *conſ. 12. ſect. 1.* qui dicit quod ruſticis & agreſtibus hominibus in obſtructione Hepatis & Lienis harumque partium tumoribus ſæpe potandam dedit urinam propriam idque magno ac felici cum ſucceſſu.

Melius autem eſt ſi etiam præparetur ex urina immediate *ſpiritus*, aut mediante ſal. ammoniaco.

Hoc ſal. ammon. ſi rite conjungatur cum ol. deſtill. (quæ ſunt ſalia volatilia concentrata à proprio acido) omnia coagulat in butyraceam maſſam, & exinde fiunt ſalia volat. oleoſa, de quibus nullus dubito quin multa audiviſtis ſecundum Sylvii experientiam.

Dico ſpirit. ſal. ammoniac. coagulat. ol. deſtillata: ratio eſt quia in ol. deſt. adhuc copioſum acidum: ſunt enim uti dixi, nihil aliud quam ſalia volat. concentrata ab acido pauco. Unde deſtillata dant ſpiritus ardentes. Cum ergo ſit in his acidum conjungit ſe ſpir. ſal. ammoniaci; & fit tale corpus butyraceum.

Cum

Cum perventum ſit jam ad regnum animale, ratione urinæ, notum eſt quod *Splen bovis* inſigniter commendetur in affectibus *hypochondriacis*, *ſpleneticis & Hepaticis*, & exinde paratum *decoctum* vel *Eſſentia ſplenis bovis: Decoctum ad morbos chronicos* habet QUERCETANUS *in pharm. Eſſent.* HARTM. & ZWOLFER.

Eſſentia ſplenis bovis cum Spiritu Fumariæ, Meliſſæ aut ſpir. cochlear. parata, præter uſum *Anticacheticum*, experta eſt in *morbo virgineo ex obſtructione menſium* orto: eſt enim expertiſſima in provocandis menſibus: ſi conjungatur cum *Eſſentia Martis aperitiva* legitime parata fit egregium remedium *in affectibus Chronicis & Hypochondriacis* vulgo obſtructionibus attributis; item *ex ſuppreſſione menſium* natis.

In regno Animali etiam ſunt *lumbrici terreſtres*, qui non cedunt aliis remediis in vi Diuretica & aperitiva.

Horum Spiritus per putrefactionem paratus vix habebat per remedium in *Arthritide vaga ſcorbutica* uti etiam in ipſo *ſcorbuto* tantæ eſt virtutis abſterſivæ, ut potentiſſime urinas promoveat & hoc mediante ſalia vitioſa, acida imbibita & præcipitata foras educit.

Rudi Minerva Lumbrici contuſi infunduntur Vino cum rad. Armoraciæ, aut ipſi lumbrici decoquuntur contuſi: quod infuſum aut decoctum bibitum ſimiliter eſt egregium in his affectibus.

In his affectibus chronicis medicamentis hiſce dictis aperitivis ſubinde interponuntur *lenia laxativa*; quæ ſcil. alteratas & præcipitatas ſordes beneficio iſtorum medicamentorum ſubinde leniter educant.

Hæc intereminet *Rhabarbarum*, quando blande laxativum & amaritie ſua ſimul nonnihil abſtergit. Unde Helidæus PADUANUS facit Pilulas *ex Rhabarbaro pulveriſato*, & *ex Gumm. Ammoniac. in aceto* diſſoluto & hæ fuere ejuſdem Pilulæ optimæ in morbis cachecticis.

Si quid aliud m. ex purgantibus mediocribus convenit, hoc eſt Gumm. Ammon. Unde *Pilulæ de Gumm. Ammon.* QUERCET. BONTII, aut RIVERII, aut HARTM. paratæ ſunt ſatis commendatæ & utiles ſicuti etiam ſupra ex SYLVIO dedi formulam pilularum ex Ammoniac.

Item *mercur. dulcis* in his chronicis affectibus, in ſpecie *ſplenicis* cum *extracto Hellebori nigri* eſt egregium; quæ omnia cum ſint leniſſima uno vel altero grano extracti trochiſc. alhandal ſunt acuenda hac forma.

♃. Extr. Hallebor. nigr. gr. xv.
Merc. dulc. rit. præp. gr. xij. l. xv.
Extr. troch. alhand. gr. i. l. ij.
c. ſ. q.
Sirup. de Abſinth.
F. l. a. Pilul.

(ratione mercur. dulc. aſſumitur ſirupus ut melius poſſint formare pilulæ)

Item pilulis convenienter permiſcentur *chalybeata*. Unde poteſt fieri talis forma.

♃. Extr. helleb. nigr.
Martis an. gr. xv.
Scam. roſat. gr. iv.
(vel ſulphur. perinde eſt)
Extr. troch. alhand. gr. j.
c. ſ. q.
Eſſent. ſ. tinctur. Martis liquid.
F. Pilulæ.

Item *Gummi Ammoniacum* ipſum eſt egregium.

♃. Gumm. Ammoniac.
in acet. ſolut. ℈ j.
Scamm. ſulphur. gr. jv.
Extr. troch. alhand. gr. j.
c. ſ. q.
Eſſent. Cathol. purgant.
F. l. a. Pilul.

Si in forma pulverum debent dari laxativa (dico laxativa: nam tres aut quatuor ſedes ſufficiunt, poſſunt tamen ſubinde repeti) hi dantur imprimis cum ſalibus digeſtivis. v. gr.

♃. Tart. vitriol. ℈ ß. l. gr. xv.
Scamm. ſulphur. l. roſat. gr. iv.
Troch. alhand. gr. j.
Ol. deſt. aniſ. gt. ij.
(ratione odoris & ſaporis)
miſc.
F. l. a. pulvis. purg.

Hic pulvis interdum ſepties, interdum duodecies laxat.

Præſcripſi aliquando Hypochondriaco colica hypochondriaca laborante hanc formulam, à qua is abſque ulla laſſitudine cum inſigni levamine purgatus fuit.

♃. Aqu. Menth. ℥ j.
Gumm. Ammoniac. ʒ ß.
Tart. vitriol. gr. xij.
Scam. roſat. gr. iv.
Extr. troch. alhand. gr. j.
Sirup. de pom. reg. ſabor. ℥ ß.
miſc. F. Potio purg.

Aliàs in forma humida in his affectibus optime fiunt *Noduli*: item *Infuſum fol. Sennæ cum ſale tart.* Infuſum hoc fit rubicundum & omnis teter ſapor eſt correctus.

Obiter moneo nunquam Senna propinanda in quacunque forma niſi addatur ſtimulus ſalinus in ſpecie ex tartar. ratio eſt quia aliàs non purgat, ſed tantum adhæreſcendo parietibus inteſtinorum dat tormina; ſi tamen addatur ſtimulus blande & benigne ſufficienter tamen evacuat.

Infuſum Sennæ fit tale.

♃. Fol. Senn. ſine ſtip. ℥ ß.
Sem. Aniſ. ʒ ß. l. ʒ j.
(ceu corrigens)
Sal. tart. ℈ j. ad ʒ ß.
infund. in ſ. q.
Aq. ſimpl.
ſtent in loc. tep. per noct.
Colat. ℥ iij. l. jv.
add.
Aq. Cinam. ʒ iij. l. ʒ ß.
Sirup. de cichor. c. rhabarb. ℥ ß.
vel q. v.
miſc. F. pot. purg.

Quod attinet *Nodulos* hi ipſi fiunt partim *ex Herbis* ſ. Plantis *recentibus*, partim ex *ſiccis*: Priores ſunt meliores, & cum alterantibus, poſtmodum purgantia quæ poſſunt permiſcentur: non enim omnia purgantia conveniunt ut infundantur, quæ ſunt talia quorum vis purgans conſiſtit in parte reſinoſa, quoniam reſinum non attingit aqua. Quorum vero vis purgans conſiſtit in parte mucilaginoſa ea poſſunt infundi & ſubminiſtrant ſuam vim liquore aquoſo ſ. vino.

Sic dabo Exempla: Radix Jalappæ non purgat etiamſi totum cantharum ejus infuſi haurias: Gummi Gottæ, & ſimiles plantæ reſinoſæ nihil valent in nodulis. Econtra Radix Eſulæ, Helleborus, fol. Sennæ, Rhabarbar. & ſimilia commodiſſime infunduntur (de Mechoacanna neſcio:) hæc enim vim purgantem communicant aquæ, quæ conſiſtit in parte mucilaginoſa.

Dabo Exemplum Noduli ex Herbis recentibus.

♃. Herb. cochl. recent. mij.
Naſturt.
Abſinth.
Chelidon. major.
Fumar. recent. an. mß.
Radic. Helen.
Armor. rec. aa. ℥ ß. l. ʒ vj.
uſque ad ℥ j.
Fol. ſen. ſine ſtip. ʒ vj. ad ℥ j.
Radic. Helleb. nigr. præp. ʒ vj.

Eſul. præp. ʒij. l. ʒiij.
violenter n. eſt propterea m. in hac doſi datur.
Sem. Aniſ.
Fœnicul. aa. ʒij.
Zingiber.
Cinnamom.
Zedoar. an. ʒj.
Sal. tart. ʒiij. ad ℥ß.
inciſ. & contuſ.
F. l. a. Nodulus purg.

(Sal. tart. ſtimulans eſt & menſtruum pro purgantibus extrahendis : poſſet loco ejus addi cremor. tart. ſed ſal. tart. eſt melius.)

Hauriatur exinde unus alterve hauſtus & laxabitur blande corpus.

Si aſſumantur herbæ ſiccæ, infundendæ tales de quibus non multum, perit in exſiccatione virium ſeu ſal. volat. Unde Plantæ Aromaticæ, quorum ſal. volat. oleoſum cum ſit fixius ut pote quod coercetur ab ol. commode poſſunt infundi. Poſſunt hac ratione infundi *radix Angelicæ, Fœniculi, Leviſtici, Helenii: item herba Filicis & Scolopendriæ, aut potius ex Aromaticis Herb. Majoranæ, roriſmarini, Menthæ, Abſinthii Aſari, Taraxaci, Centaur. minor. Card. bened.* & cum his *Paſſulæ* imprimis *Corinthiacæ* : it. omnia quorum *ſal. volat.* concentratur in proprio concreto.

Semen Erucæ, Sinapi, Dauci, Carvi : Bacc. itidem Juniper. & Lauri: & ſimilia, ſed pergo.

Hæc ſunt *interna*.

Subinde tamen fit, ut quando in Hypochondriis percipitur tumor durus, aut etiam in Abdominis cavitate eſt talis tumor tactui renitens, ſive ſit ſcirrhus viſcerum ſive tumor Inteſtinorum ex mucagine coacervata : in tali caſu etiam applicantur *Externa*.

Quæ inter *Externa* primatum obtinent *gummata, Ammon. Galban. Sagapen. Bdellium*, & ſimilia : item *Emplaſt. Splenetica* uſitata, quæ ut plurimum fiunt *ex Gumm. Ammoniac.* cum *ſuccis plantarum appropriatarum*, nempe cum *ſuccis Nicotianæ, Mandragor. Cicutæ. Radic. Cucum. agreſtis, cum ſucco bryoniæ* & ſimilibus.

Nam obiter moneo ſucci plantarum narcoticarum, ut ſunt *Mandragoræ, cicutæ*, &c ſingulares ſunt ad emolliendos tumores duros ſcirrhoſos. vid. DORINGIUS *tr. de opio cap.* 5. Hinc in ZWOLFERO habetur egregium *Cataplaſma ad ſcirrhos ſplenis ex Nicotiana* quod videatur in *Pharmac. regia ult. edit. p.* 312.

Hinc etiam in officinis proſtant *Unguenta* & *Emplaſt. ſplenetica*, it. *Emplaſt. de cicuta*, quæ malaxari poſſunt in applicatione *cum ol. ſuccini* quod expertum eſt in duris tumoribus in ſpecie abdominis : cum ol. deſt. Gumm. ammoniac. Cum ol. hoc malaxata *Emplaſtra* & *unguenta* fiunt admodum penetrantia, it. cum ol. philoſophorum in tumoribus duris aut ad *ſcirrhum* inclinantibus.

Proſunt præterea *Emplaſtra de ammoniaco* alia parata. Item *Emplaſtr. Heurnii ex cicuta & ammoniaco*, quod deſcribit SENNERTUS *cap. de ſcirrho Lienis*.

Pertinet huc etiam *Emplaſtr.* SENNER. *de cicuta* quod in omnibus Tumoribus Abdominis eſt egregium. Deſcriptio eſt hæc.

♃. Cicut. m. iij.
Flor. Geniſt. m. j.
Gumm. Ammon. ℔jß.
(quod eſt baſis)
affunde
Acet. deſtill. S. q.
bulliant donec ammoniacum diſſolutum ſit poſtea colet.
add.
Succ. Nicot. ver. ℥vj.
Ebul. ℥iv.
Itidem leniter bulliant pro unione. Tandem add.
Reſin. pini.
Terebinth. aa. ℥iij.
Styrac. Calam. ʒvj.
Myrrh. ℥j.
Ol. de Capparibus.
Ceræ aa. q. ſ.
F. l. a. Emplaſtr.

Facit huc etiam *Emplaſtrum Carminativum* SYLVII, quod in ſe etiam egregium eſt in hujuſmodi affectibus, ubi externa opus eſt applicatione.

Compoſitio eſt hæc. Vid. SYLV. *prax. medic. l.* 1. *c.* 14. § 58.

♃. Gumm. Galban.
Bdell.
ammon. aa. ℥ß.
Thur. maſcul.
Myrrh. rub. aa. ʒij.
Opii Thebaic. ʒj.
diſſolv. in
Acet ſquillit.
Iterumque inſpiſſat.
add.
Ceræ Citrin.
Colophon. aa. ʒiij.
Balſam. Peruvian.
Ol. Philoſoph. an. ʒj.
Carvi ſtillat. ℈ß.
Terebinth. venet. q. ſ.
miſc. pro Emplaſtr.

quod inſignes habet vires in duris emolliendis & reſolvendis tumoribus.

Aliàs proſtat in officinis *unguentum d. cicuta* quod miſtum cum *aa. gummat. ammon. in aceto ſoluti* ſuper alutam inductum & applicatum parti dolenti non eſt inconveniens BARTOLET. *tr. de reſpiratione* commendat Sinapiſmum humidum ex Sinapi & urina, quo utitur in Lienis infarctu & ejuſdem induratione.

Fit nempe ex Sinapi & urina contuſis & applicatis inſtar cataplaſmatis. Non eſt inelegans, nam ſal. vol. urinæ potenter penetrat unitum cum ſal. volat. ſinapi ſeminis.

Hæc de morbis ex obſtructionibus aut veris aut falſis & putatitiis ita dictis. pergo ad.

CAPUT XIII.

DE CHYLI SANGUIFICATIONE, Sanguiniſque fermentatione læſa.

De Chyli ſanguificatione ſanguiniſque fermentatione læſa.

DIctum fuit quod deferatur Chylus in receptaculum commune : ex hoc, ut notum eſt infunditur per ductum Thoracicum venæ axillari ſiniſtræ ubi permiſcetur nonnihil, ac permiſcetur cum maſſ. ſanguinea.

Ex vena axillari pergit permiſtus vel confuſus ſanguini in dextrum cordis ventriculum ubi aliquale ſanguinis recipit rudimentum : defertur ex hoc in ſiniſtrum cordis ventriculum ubi ultimam recipit perfectionem.

Intermedio vero tempore antequam ex dextro pervenit in ſiniſtrum ventriculum, intermediat pulmo per quem tractus, ſanguis & cum iſto permiſtus chylus inſignem & maxime ſubitaneam alterationem ſubit ab aëre inſpirato.

Hic enim inſpiratus volatiliſare debet maſſam in pulmonibus hærentem tam ex chylo quam ſanguine conſtantem, ut facilius & perfectius abeat in ſanguinem, & ſpiritus vitales volatiles : adeo ut iſta aëris inſpiratio ſit conditio ſine qua non poteſt fieri ſanſuificatio ejuſque ſpiritueſcentia.

Chyli

Chyli ſanguificationem & ſanguinis ſpiritueſcentiam fieri per fermentationem præſuppono ex pathologiacis.

Quæ fermentatio an ex ſolis particulis activis ſalinis maſſ. ſang. originaliter dependeat, an vero ſimul concurrat fermentum quoddam ſalinum volatile in ſiniſtro cordis ventriculo radicaliter ſtabulans. Theoreticis Phyſiologis ventilandum relinquo.

Sufficiat fermentari continuo maſſ. ſang. itaque fermentatione chylum ſucceſſive & repetitis multis circuitibus ſanguificari.

Hæc ipſa *ſanguificatio* & ipſa etiam *ſanguinis fermentatio læditur ex duabus* imprimis *rationibus*.

Vel nempe *vitio chyli*, vel denique *vitio ipſius ſanguinis*.

Chyli, quando ineptus eſt ut exinde fiat ſanguis; *Sanguinis*, quando ineptus eſt ut aſſimiletur chylo.

Primariam & fere originariam cauſam quærendam eſſe in *chylo* per ſe notum eſt.

Hinc enim mater *Cacochymiæ*, eſt.

CACOCHYLIA.

Cacochylia. Chylus ut ex eo fermentando fiat laudabilis ſanguis, debet eſſe ſalin. vol. ſubdulcis & conſiſtentiæ tenuioris lactis, ſeu potius ſeri lactis tenuioris, ſimulque ſulph. bilis rubineo ſufficienter, licet inſenſibiliter, propter admiſtum acidum quod omnia reddit pallida, tinctus, & hoc ipſo ſulphur. facilius uniatur ſanguini & promptius incaleſcat, debet etiam chylus legitimus à ſcoriis fœculentis in inteſtinis eſſe ſeparatus.

His Tribus ergo ex fontibus dependet *Cacochylia*, *quando* nempe.

1. Non ſufficienter volatiliſatur in ſtomacho. 2. Quando non rite tingitur à ſulphure bilis. 3. Quando non rite ſecernitur à ſcoriis.

Præter alia peccata in ſtomacho maximum vitium eſt, quando *chylus non recte volatiliſatur*: quando *nimis eſt fixus ac viſcidus* quod eo *pejus* ſi ſit ſimul *acidus*. Hic enim eſt origo quam plurimorum morborum Chronicorum: Unde tam multi chronici morbi *ex ſtomacho* ceu fonte propullulant. Nam tali chylo vitiatur maſſ. ſang. inſigniter, imminuitur ſpiritueſcentia & fermentatio: deinde tali ſucco infarciuntur potius partes ſolidæ quam revera nutriuntur.

Porro cum inſigniter varient & *Bilis* & *ſuccus pancreaticus* facile patet variam m. eſſe *chyli* inteſtinis ſecretionem, nunc laudabiliorem, nunc pejorem. Unde nunc vitioſus nunc laudabilis chylus maſſ. ſang. tranſmittitur.

Hæ ſunt *cauſæ* quæ lædunt maſſam ſanguineam *vitio chyli*.

Maſſæ ſanguineæ vitio læditur *ſanguificatio*, *quando* ipſa maſſ. ſang. deficit à *naturali* ac *debita craſi* unicuique individuo propria ac peculiari. Nam certum eſt, unumquemque hominem ſingularem ac ſibi peculiarem obtinere, maſſ. ſanguineam quæ proprietas & ſingularis craſis ex particularum ſeu principiorum naturalium componentium varietate & craſi reſultat. Unde tam multæ ſyncraſiæ, Idioſyncraſiæ & proprietates emanant.

Craſis maſſæ ſanguineæ dependet, uti dixi à particularum naturalium eam componentium ad ſe invicem habitudine, cujus fundamentum & radix jam à prima corporis formatione oritur, & jam à parentibus quodammodo in fœtum tranſplantatur. Uti enim diſpoſitio morboſa communicatur à parentibus, ita ſimili ratione craſeos naturalis conſtitutionis fundamentum ex ſemine petendum.

Inter hæc *principia naturalia* quæ componunt ſanguinem & ejus conſtituunt craſin eminent *ſalia*, *urinoſum & acidum*, *volatilia*: Hæc duo continuo & nunquam interrupto, ſimul tamen blando fermentationis motu maſſ. ſang. agitant, & hoc pacto, beneficio fermentationis nempe, eam partim in ſpiritus volatiliſant, partim etiam chylum ſibi aſſimilant: partim denique ſi quid eſt heterogeneum in tota maſſa excludunt ac ſeparant, ut per convenientia cribra tranſcolatum ex corpore evacuetur.

Hac ergo ſanguinis Craſi, ſaliumque debita proportione vitiata, vitiatur naturalis ac vitalis ſanguinis fermentatio, vitiatur chyli aſſimilatio ac denique vitioſi ſucci maſſam ſanguineam inquinant. iſta.

FERMENTATIO.

Læditur ac vitiatur *multis*: In genere. Fermentatio.

1. *Cum quodam exceſſu*, & periculoſa quadam effervescentia id quod deprehenditur in *pulſu magno*, *celeri*, *& frequenti*, *cum inſigni* ut plurimum *corporis incaleſcentia & ardore*, uti fit imprimis in morbis aut *febribus ardentibus*, *Pleuritide* & ſimilibus nunc.

„ 2. Vitiatur fermentatio maſſ. ſanguineæ: cum „ quodam defectu. Unde Pulſus parvi, rari: tardi, „ percipiuntur: Corpori debitus deficit calor, totum „ corpus eſt torpidum & ſegne, & inſignis ſpirituum percipitur defectus, id quod in chronicis morbis, cachexiis, & ſimilibus apparet, nunc.

3. *Variis modis depravatur* fermentatio, unde pulſus nunquam non in horas mutatur, ut fit in ſcorbuto malo hypochondriaco inveterato, malo hyſterico & ſimilibus, in quibus variæ ac diverſæ pulſuum differentiæ percipiuntur. Unde corpus nunc calet, nunc friget, nunc pallet nunc rubet, alvus nunc eſt obſtructa, nunc laxa, & ſimilia ſymptomata quæ Hypochondriacos & ſcorbuticos in horas fatigant.

CAUSÆ.

Ut vitietur hæc ſanguinis fermentatio, quærendæ *ex ſanguinis craſi vitiata*, propter ſalia debitam non obſervantia harmoniam ſ. proportionem, imprimis *urinoſum vol. & acidum volatile*.

PECCANT HÆC SALIA.

1. Quidem *ſal. vol. urinoſum* (ex quo bilis fit) *nimia quantitate*, *nimia acrimonia*, interdum *nimia oleoſitate*, & pinguedine, interdum *ſingulari & anomalo vitio*, pro diverſo uſu rerum non naturalium: v. gr. per ſapores rem explicabo: Inter plantas antiſcorbuticas *cochlearia*, *Abſinth. fumar.* &c. omnia habent. Sal. vol. in ſe & tamen etiam in ſpecifico ſale vol. eſt differentia: ſimili ratione & noſtri corporis ſal. volat. in maſſ. ſang. ſal. urinoſum variis modis poteſt variari ſecundum ſapores & diverſis ac variis modis variare fermentationem.

CAUSÆ. Quæ vitio hujus ſalis dant occaſionem ſunt imprimis *alimenta aromatica*, it. alimenta *acria* & *penetrantia* quæ partim augent, partim acrius reddunt hoc ipſum ſal. vol. maſſ. ſanguineæ; accedunt *vigiliæ*, *exercitia*, *iracundia* & ſimiles affectus, qui nunc exaſperant & acrius reddunt, alio modo diſponunt hoc ipſum ſal. volat. & inde totam maſſ. ſanguineam.

2. Econtra *acida vitia* ſunt, quando hoc eſt nimis exceſſivum, i.e. *copioſum*, aut quando eſt *nimis acidum*, aut quando *vitioſum*; id eſt *ſapore rancido* aut vitioſe ſalſo aut aluminoſo auſtero aut alio ſimili inquinatum.

Ubi eſt nimis copioſum aut inquinatum maſſ. ſanguinea ſpiſſeſcit & tarde circulatur: ubi eſt *vitioſum*, variæ iſtæ in efferveſcentia ſanguinis contingunt anomaliæ quæ *ſcorbuticis & hyſtericis* familiares.

CAUSÆ. Sunt variæ, *aſſumpta* imprimis *acida*, plus minus talia, item *aër frigidus*, qui acido occulto videtur imprægnatus Triſtitia, mœror, curæ, deficiens motus, & ſimilia *augent* partim, partim *acrius reddunt acidum*.

 Hæc

Hæc duo *acidum & Urinoſum* recte vocantur duo pugiles à SUUALVE *tr. de ſale alcal. & urinoſo*, qui continua pugna fatigant maſſ. ſanguineam, ut fit in fermentatione, quandiu æqualibus & proportionatis viribus concurrunt, tamdiu fit ſanguis in æquali motu & fermentatione naturali, ſimulac vero alterum deficiat aut labeſcat, fit vitiata fermentatio & totus maſſ. ſanguineæ ſtatus turbatus.

Nihil dico jam de variis contagiis, quæ ceu tot varia fermenta & ipſa inquinant maſſ. ſang. & imprimis omnia extrinſecus hauriuntur: idque *primario per aërem, ſecundario vero per alia media.*

Cum namque *aër* ipſe penetrat chylum, dum circulatur per pulmones, & totius etiam maſſ. ſang. penetralia, non mirum eſt ſi aër fermentis contagioſis inquinatus inſigniter vitiet maſſ. ſanguineam.

Inſpirata enim iſta fermenta, quæ fermentorum eſt mos, alterant maſſ. ſang. eamque alterando ſeipſa multiplicant, unde poſtmodum malorum contagia corpus affligunt, & ſe ulterius propagant: ſi quid aliud ſane *contagium ex corpore morboſo* aut *aëre* hauſtum, inſigniter maſſ. ſanguineæ ſtatum turbat & vitiat.

Sanguine ergo hinc ita *vitiato à vitioſis fermentis* non tantum *Chylus perverſe adſimilatur*: ſed præterea quoque totum corpus exinde inquinatur: qualis namque ſanguis, talis totius corporis eſt habitus vel ſtatus, qui *ſanguis* tunc modo eſt *frigidior*, modo *calidior*: Exinde omnia ruunt quæ vulgo de *Intemperie* dicuntur.

De *Temperamentis* nihil dico; quæ originem ex *Elementis* deducunt. Nam temperaturæ & intemperiei fundamenta ſufficienter ſunt deſtructa; quaternio nempe elementorum & caloris nativi monarchia Elementorum quaternionem exploſit BOYLE *in tr. de qualitatum origine*: & calidi nativi monarchiam HELM. qui evincit quod ſcilicet hic non effective ſed diſpoſitive tantum cooperetur.

Quid autem certo modo per temperamentum intelligendum ſit optime explicat *Marcus* MARCI *in Philoſoph. veter. reſtituta part.* 2. *ſect.* 4. *p.* 133. dum inquit, per temperamentum intelligo non primas qualitates aut harum ſymmetriam. Verum cujuſque conſtitutionem radicalem, ex qua velut effectus procedunt dictæ qualitates; cujus radicalis conſtitutionis potiſſima vis eſt in ſanguine, qui eſt proximum ſubjectum animæ, ac primum vivens & cujus gratia corpus univerſum videtur factum. Humidum vero radicale aut ſanguis eſt, aut certe in eo radicatur, ut corpus ſanguine deſtitutum confeſtim frigeſcat nihilque maneat in eo de temperamento. Hactenus Marcus MARCI.

Hæc ita ſe habere, patet ex legibus circulationis ſanguinis & æquali etiam ſanguinis diſtributione in partes proportionaliter facta. Quandiu enim debita manet ſanguinis Craſis & hic fermentatione debita incaleſcit, non poteſt non totum corpus ejuſque partes omnes æqualem & proportionatam habere temperaturam.

Unde patet *falſum eſſe iſtam inæqualem temperiem calidam Hepatis & ſtomachi frigidam*, qua uti nihil potuiſſet fingi inſulſius, ita tamen in Practicarum & conſultantium libris nihil occurrit frequentius, quin tamen in *tali* ut plurimum ſi non ſemper vitium eſt in ſtomacho.

Sane dum ſanguis nimium incaleſcit fit ex abundante ſale volat. oleoſo; dum vero nimis fermenteſcit & eſt intemperies frigida id fit ex abundantia acidi idque eo magis ubi chylus viſcidus maſſ. ſanguineam imprægnat. Propterea ſalia volatil. oleoſa, calorem corporis accendunt, e contra acida temperant & imminuunt.

Hinc in omnibus morbis Intemperiei calidæ mire commendantur acida volatilia, qualia ſunt: Succus citri, Ribium & Berberum, Acetoſa, Acetoſella, item rubi Idæi, ſpir. ſalis, nitri, vitrioli, Epatic. rubeum, & ſimilia *acida*. Propterea quoniam acida præ cæteris corrigendo ſal. volat. oleoſum ſimulque maſſ. ſanguineam blande condenſando effervеſcentiam nimiam imbibunt.

Econtra in *Intemperie frigida* ubi ſanguis minus fermentatur, commendantur *aromatum* ſal. vol. acria, „ it. ſalia vol. oleoſa. uti ſunt omnia aromata, Spi„ ritus ardentes volatiles Extracta vegetabilium amaricantium, & quæ ſunt ſimilia alia.

Denique dixi *lædi fermentationem* maſſ. ſang. *ex vitiata ſalium Craſi*, jam facile patet quod *ubi vitium eſt urinoſo in ſale*, illud corrigi per acida quæ ſal illud deſtruunt & in tertium ſalſum mutant. Ubi vero eſt in acido quod curandum ſit per contraria alcalia ſive revera ſint talia, quæ acidum præcipitant, ſive alcalibus ſimilia imprimis talia quæ acidum abſorbent.

Verum ſpecificis ſaporibus aut ſpecificis horum ſalium vitiis nobis à priori incognoſcibilibus, patet ſpecificis per Experientiam cognitis eſſe accurendum.

Ita v. gr. dum in *in ſcorbuto peccat acidum* vitioſum, *non quæcunque alcalia* conveniunt *ſed appropriata* tantum, quæ ſcilicet præter hoc quod acidum in genere corroſivum corrigunt, etiam ſpecificum acidum in ſcorbuto corruptum emendant.

Ita in Ictero flavo non quæcunque amara conveniunt ſed ſpecificum iſtud amariſſimum Chelidoniũ majus (quod tamen ſuperat Abſinthium) quod ipſum præter alcali naturam generalem, ſpecificam vim habet ſpecificum in Ictero peccantem ſaporem corrigendi.

Et hinc eſt quod HYPPOCRATES, quem omnes adhuc laudant *tract. med. priſca*. (legatur tract. Cedro dignus) in eo totus ſit, ut rejiciat qualitates elementares tam ex theoria Medicorum quam ex praxi, & omni conatu ſe monſtrat chymicum, dum *defendit* totis viribus *quod peccet amarum, ſalſum, dulce, inſipidum & ſexcenta alia*, & quod etiam his ſaporibus morboſis per medicamenta ſpecificos quoque ſapores habentia ſit accurendum. In quo ipſo fida experimenta Chymiæ cœcorum manu ductricis eſt conſulenda.

Hæc in genere notaſſe ſufficiat. Superius locuti ſumus de ſanguificatione læſa in genere, nunc ordine conſiderandum quod antequam perfectus fiat ſanguis, præcedat alteratio iſta in pulmonibus ab aëre inſpirato.

Sit ergo.

CAPUT XIV.

DE AERIS INSPIRATIONE LÆSA.

Aëris Inſpirat. læſa.

DIxi ſuperius quod antequam ſanguis ex dextro cordis ventriculo perveniat ad ſiniſtrum ventriculum pro acquirenda ultima perfectione & perfecta Hæmatoſi ut abire queat in ſpiritus, prius alteretur per aërem reſpiratione attractum; adeo ut hæc reſpiratio ſit tanti momenti ut citra hanc perfectus & in corpore gubernando ſufficiens ſanguis minime generari poſſit.

Intermediat inter utroſque ventriculos *Parenchyma pulmonum veſiculoſum*, per quod trajectus *ſanguis* in ſuo tranſitu *alteratur*.

Alteratio hæc non conſiſtit in refrigeratione aut condenſatione aut ſimili alia circumſtantia: quia potius cum Chymici continuo monſtrent, quod aëris ſit maxima neceſſitas ad volatiliſanda fixa adeo ut beneficio aëris volatiliſari poſſint etiam fixiſſima ſalia.

Sanguis vero præter alios ſcopos hunc in uſum trajicitur per cordis ventriculos, ut volatiliſetur & ſubtiliſetur in ſpiritus vitales.

Hinc *alteratio* iſta ſanguini ab aëre impreſſa conſiſtit in hoc, *ut aër permiſceatur* ſanguini & eundẽ vel volatiliſet

tiliſet vel volatiliſationem ejus in ſiniſtro ventriculo ita promoveat ut tandem in perfectum ſanguinem vitalem & ſpiritus vitales ſumme volatiles abeat.

Jam vero, *ut ſanguis* convenienter *poſſit trajici* per pulmonum parenchyma. Pulmo eſt plicabilis & extenſilis, id eſt, poteſt dilatari, poteſt etiam iterum contrahi: ad hoc ipſum diſponit parenchyma veſiculoſum: Scatet ſcilicet multis veſiculis membranaceis, quæ veſiculæ nunc inflari, & nunc in ſe invicem comprimi poſſunt.

Verum quando *ſanguis trajici debet* per pulmones neceſſe eſt *ut explicentur* aliàs vaſa in ſe compreſſa non ſufficiunt recipiendo ſanguini. Hinc eſt quod in fœtu nulla fit per pulmones ſanguinis trajectio quoniam non dilatati pulmones non poſſunt recipere eundem: *ſed fit per foramen ovale.*

Facit huc experimentum hoc anatomicum, v. gr. ſi in pulmones è corpore exſectos flaccidos per venam arterioſam injicias liquorem tunc nihil trajicitur, ſimul ac vero pulmones inflati continentur promptè per eandem venam, injectus fertur liquor.

Vt ergo trajiciatur ſanguis dilatandi ſunt pulmones, Verum dilatatio iſta fit ita quod ſcilic. repleantur pulmones quia dilatentur: non vero dilatentur quia repleantur, id eſt, aer irruens pulmones dilatat ac diſtendit. Non vero pulmones diſtenti aerem hauriunt: Ita ut dilatatione pulmonum & amplientur vaſa quæ recipiunt ſanguinem & amplientur veſiculæ ſimul, donec aer irrumpens eaſdem diſtendat.

Iſta irruptio aeris fit per motum thoracis & abdominis, dum ſcilicet thorax extrorſum ſurſum, illud extrorſum deorſum moventur. Unde aer ambiens intra pellitur qui ſimul per fauces & aſperam arteriam irrumpens in pulmones, hos diſtendit.

Hæc irruptio vocatur.

INSPIRATIO.

Inſpiratio læſa. *Hæc læditur tribus modis*, 1. *quando omnino aboletur*, ut ceſſet, uti fit in *ſuffocatione* dicta.

2. *Quando non eſt ſufficiens* hæc inſpiratio ac propterea fit ſolito ac debito frequentior.

3. *Quando cum labore ac difficultate* fit inſpiratio aeris.

Quando omnimode ceſſat & aboletur aeris inſpiratio tunc ordinariò vocatur.

SVFFOCATIO.

Suffocatio. Hujus *ſuffocationis cauſæ* ſunt triplices ex triplici hauriendæ fonte.

Fit ſuffoatio ſeu irruptio aeris abolita, vel *vitio vitiatum* aerem non tranſmutantium. Vel 2. Fit vitio pulmonum aerem non admittentium. Vel 3. fit vitio muſculorum ad inſpirationem requiſitorum aerum non legitime propellentium.

QVOD ATTINET 1. CAVSAM.

Quando nempe viæ clauſæ non admittunt aerem, hoc ipſum certum eſt, ſive *extrinſecus* aliquid anguſtet vias ſive *intrinſecus* hæreat.

Extrinſecus ſeſe offert ſtrangulatio qua per funem anguſtantur fauces & conſtricta larynge intercluditur omnino aeri tranſitus.

Deinde *inflammationes internæ* partium ad fauces pertinentium, ſive ſit *inflammatio* ac *tumor tonſillarum* ſive ſit inflammatio ac tumor muſculorum Laryngis & gulæ in Angina; ſive ſint alii *tumores* aut *abceſſus*, in his locis geniti, qui omnes anguſtationes deſperatas & ſuffocationem inferre poſſunt.

Pertinent huc *varia & multa deglutita*, quæ quacunque ratione in faucibus hærentia occaſionem præbere poſſunt, quo minus aperiri queat rimula laryngis ſeu glottis unde neceſſario ſequitur ſuffocatio.

Sic refert BARTHOLIN. *cent.* 1. *hiſtor. anatomic.* 11. de ſuffocatione ſubita ex avida deglutitione fruſti linguæ bubulinæ non ſatis manducatæ.

Idem FOREST. *lib.* 15. *obſ.* 28. refert nonnulla talia exempla ex comeſtione bolorum majorum ſuffocatorum, ut quidam ex *fruſto pomi* non rite maſticato fuit ſuffocatus: alius *ex fruſto tabaci*: &c. quæ interne hærentia difficilem reſpirationem & ſuffocationem inferre potuerunt.

Facit huc *quando* incepta deglutitione *res grandiuſculæ in aſperam arteriam irrumpunt*, & ingrediuntur hincque unum vel alterum arteriæ aſperæ ramum obſtruunt & ſuffocationem inferunt. Sic SCHENCK. *lib.* 2. *obſer.* refert de matrona nobili ſumptura *Pilulas* quarum unam in aſperam arteriam attraxit, & inde fere ſuffocata fuit. vid. etiam Marc. DONAT. *in hiſtor. medic. mirabil.*

In genere quicquid motum Laryngis & Epiglottidis poteſt impedire, poteſt ſuffocationem inferre. Unde etiam *Pili* Epiglottidi involuti ſtrangulationem inferre poſſunt. FOREST. *lib.* 15. *obſ.* 29. refert de *crinibus* vomitu rejectis ſuffocationis periculum inferentibus quoniam, iis involuta & colligata fuit Epiglottis.

Facit huc etiam *Polypus narium* qui interdum nimis excreſcens, non tantum nares obſtruit ſed non raro quædam cruſta in fauces protrahit, ut exinde non leve ſuffocationis periculum immineat, de quo & ejus cura ſuo loco plura habebimus.

Hæc eſt *prima cauſa* quando *vitio viarum* fit ſuffocatio.

2. Cauſam dixi hærere in pulmonibus infarctis aut irrumpentem aerem non admittentibus.

Id quod imprimis fit, *quando ſanguis* quâcunque ex ratione ſtagnat in pulmonibus vitioſe ac eos nimis replet, atque ita reſpirationis negotium omnino tollit.

Sic PANAROLLUS *pentecoſt.* 1. *obſ.* 13. exempl. habet ſuffocationis ortæ *ex nimia ſanguinis abundantia* & ita nimia venarum turgeſcentia à ſanguine copioſo ac turgido, à quo ſanguinis per pulmones motus fuit impeditus.

Quo etiam facit *obeſitas nimia*, à qua nonnullos eſſe ſuffocatos refert SCHENCK. Tantus n. in his fit ſanguinis circulus adeoque ſtagnat in pulmonibus & neceſſario ſequitur ſuffocatio.

Pertinet huc *Catarrhus* dictus *ſuffocativus*, de quo recte dicit LINDANUS, quod maxima de nihilo fiat hiſtoria: propterea quod inſulſiſſima ſit ſententia, oriri catarrhum ſuffocativum ex irruptione materiæ vel pituitoſæ vel ſeroſæ à capite in aſperam arteriam & hinc in pulmones: quam ridiculam catarrhorum in ſpecie catarrhi ſuffocativi doctrinam non ſufficienter & erudite deridet HELMONT. *tr. catarrhi deliramentum*: Sed præterea etiam hanc paradoxam catarrhorum doctrinam erudite rejicit Vincent. BARONIUS *tr. de Pleuropnevmonia* & SCHNEIDERUS *lib.* 5. *de catarrhis cap.* 4. quin potius hi omnes Autores & cum iis LINDANUS recte dicit, nihil aliud eſſe catarrhum ſuffocativum, quam ſanguinis quacunque ex ratione in pulmonibus ſtagnationem: ſed quod catarrhus ſuffocativus oriatur ex impedito ſanguinis circulo in pulmonibus, dum nempe ſanguis copioſus ex dextro cordis ventriculo in pulmones effuſus non promovetur ulterius, ſed in pulmonibus ſtagnat & hæret. *Catarrhus ſuffocativus.*

CAVSÆ hujus *ſtagnationis* in genere *ſunt*, vel *ſanguis nimis abundans* qui propter rarefactionem in pulmonibus majus ſpatium occupat.

2. Eſt ſanguis viſcidus ſtagnationi aptus. Vel 3. „ eſt ſanguis ab acido vitioſo, aut nimis frigido aere „ inſpirato, aut denique ex quacunque alia ratione „ coagulatus ac inſpiſſatus. „

Recte namque dicit LINDANUS nihil magis poſſe eſſe abſurdum quam fingere tam repentinam de-

ductionem viſcidæ ac pituitoſæ materiæ ex capite in aſperam arteriam citra tuſſim, ac exinde ſuffocationem imminentem: quin potius per patulas vias in gulam ejus contingat excretio. Ergo *vult*, dictam *ſuffocationem non eſſe à catarrho*, *ſed eſſe à ſtagnatione ſanguinis*.

Hoc ut pateat, certam quandam Syncopes habet ſpeciem, quam vocat Syncopem cardiacam, quæ Syncope quoad externam faciem affectus *Apoplexiæ* finitimus eſt, *quando* quacunque ex cauſa *ſanguis in corde* aut *circa cor ſtagnat, & quaſi immobilis hæret*, ſtagnationem ſanguinis tunc fieri ait *circa cor*.

De hac *Syncope cardiaca* nonnulla refert Caſparus HOFFMANNUS *in inſtit.* & recte obſervat talem vulgo haberi pro Apoplexia ex eo, quoniam revera adſint omnia ſigna Apoplexiæ, cum tamen non fiat ſtagnatio ſanguinis in vaſis cerebri uti fit in Apoplexia, ſed potius ſtagnet ſanguis in vaſis pulmonum aut cir-„ ca cor. Ita ut hæc ſyncope Cardiaca & Catarrhus „ ſuffocativus ſint unum idemque, orianturque ex „ ſanguinis impedito motu circa cor & in pulmonibus.

Hinc recte dicit SCHNEIDERUS quemadmodum in *Apoplexia* irruente *ſanguis Arteriarum* in *cerebro*; ita imminente catarrho ſuffocativo ſanguis venarum in pulmonibus cum impetu ac violentia movetur ac ſubſiſtit, ibidem dicuntur etiam admodum ſimiles ac ſibi affines eſſe affectus: *Syncopen*, *catarrhum ſuffocativum & apoplexiam*, ita ut ſæpius confundantur: aut ſimul ſæpius in ægris adſint.

Nam ut in catarrho ſuffocativo fit ſanguinis ſtagnatio in pulmonibus, *ita* ſimiliter in iis qui *apoplexia* moriuntur ſimilis ſupervenit *ſanguinis ſtagnatio in pulmonibus*. Nam non tantummodo FRACASSATUS *in epiſt. de cerebro ad* MALPIGHIUM refert, quod in iis qui apoplexia moriuntur vaſa pulmonum repeퟄriantur diſtenta & rupta ex ſanguinis impedito motu in præcordiis: Sed etiam Cornelius CONSENTINUS *in progymnaſmatibus* inquit, quod ii qui moriuntur apoplexia eodem modo intereunt atque ſtrangulati quod admodum appoſite dicitur. Nam in ſtrangulatis laqueo injecto collo ſubito perit ſenſus & motus ex impedito ſanguinis in Carotides motu ſuccedente reſpirationis abolitione: adeo ut *Apoplexia*, *Syncope*, *& Catarrhus ſuffocativus* fit ex *impedito ſanguinis motu in pulmonibus*: *Apoplexia ex impedito ſanguinis motu in cerebro*.

Verum fit non raro ut in paroxyſmo catarrhi ſuffocativi fiat *tuſſis* & *copioſa materiæ viſcidæ*, immo non raro *ſpumoſa* excretio. Nam huc trahendus iſte inter Autores maxime hinc inde ventilatus, *Aphor.* HIPPOCR 43. *ſect.* 2. Dicit enim hic: Ex iis qui ſtrangulantur & diſſolvuntur nec dum, &c.

Hic valde digladiantur Autores quid intelligatur per ſtrangulationem: optima eſt ſententia eorum, quos intereſt LINDANUS, qui dicunt intelligi per hanc catarrhum ſuffocativum. Nam ut dixi in eodem apparet ſpuma & non raro ejicitur mucus ac materia viſcida: Qui mucus & materia viſcida dedit occaſionem impoſturæ ſcholarum, quæ putarunt eſſe cauſam morbi, illam pituitam ac materiam ſpumeſcentem: Veram oſtendam *originem* illius ex *duplici fonte*.

Spuma omnis in taliter affectis *eſt ex pulmonibus*: *mucus* vero & *materia viſcida eſt ex larynge*.

Quod ut pateat dicam exemplum catarrhi ſuffocativi, quo mortuus fuit canis, cui fuit infuſio facta cum ol. ſulph. per campanam: Injeci ol. ſulph. per campanam ℥j. in venam cruralem, unde canis per ſemihorulam admodum *anxie reſpirabat ſenſimque difficilius*, ita ut tandem *ſuffocatus interiret*: antequam ſuffocaretur, & etiam poſtquam ſuffocatus eſſet *copioſiſſima ſpuma* ex ore & auribus effluxit, imo facta apertione thoracis totum pulmonum Parenchyma, omnia vaſa, aſpera arteria, totus ejus truncus, fauces, nares, & guttur erant infarcta hac *ſpuma viſcidiſſima*. Bullæ extractæ & aſſervatæ in tabula tandem abierunt in liquorem & ſpumam rubicundam ſeroſam inſtar loturæ carnium. Facta ulterius apertione *Pulmones* erant repleti ſanguine nigricante & craſſiuſculo, ita ut hic canis exactiſſime manifeſtarit Tragœdiam *catarrhi ſuffocativi*. Nam ab acido ſulph. coagulatus ſanguis ſubſidebat: unde ab aere violentius inſpirato mutatus fuit in ſpumam quæ replevit has partes. *Spuma* ergo in iis qui laborant catarrho ſuffocativo eſt *ex pulmonibus*. Fit nempe ex ſanguine ſtagnante ab aere cum impetu hauſto nonnihil rarefacto & ſpumeſcente, qua ipſa ſpuma infarcta aſpera arteria potius exaſperat malum, quam levatur. Recte ergo dicit HIPPOCR. *in aphoriſm.* ſtrangulatis ſpumæ, &c. Quod attinet *Mucum* qui in tali caſu ejicitur *eſt ex larynge*. Nam larynx & aſpera arteria obducuntur interius membrana, poſterius circa cartilagines hærent copioſæ glandulæ, hæ glandulæ ordinario tranſſudant in aſperam arteriam lympham tenuem pro humectatione laryngis & aſperæ arteriæ ad formationem vocis. Hinc in febribus ardentibus ubi abſumpta eſt iſta lympha vox eſt clangoſa.

Quando ſtagnat ſanguis in pulmonibus & impeditur nonnihil circa aſperam arteriam: Unde ſanguis hic hærens loco lymphæ tenuis per glandulas dat occaſionem ut emulgeatur lympha craſſa & viſcida, quæ tunc temporis nonnihil ingeſta in aſperam arteriam eſt id quod habetur vulgo pro pituita ex capite depluente.

Eſt ergo revera *Catarrhus ſuffocativus* cum fiat à ſanguinis ſtagnatione & coagulatione *in præcordiis ſ. pulmonibus* à quacunque cauſa fiat.

Utplurimum uti antea dixi *fit ex coagulatione ſanguinis* facta ab acido.

Hinc fit quod etiam ab aliis cauſis quæ poſſunt inferre coagulationem ſanguinis poſſit oriri catarrhus ſuffocativus, qui poſt nimium exercitium & motum concalefacto inſigniter corpore ſubito ingurgitant aqu. frigidam repentinam incurrunt ſuffocationem: propterea quoniam in exercitio & motus ſanguis attenuatus & rarefactus rapide ac celeriter circulatur: ſubitus vero aqu. frigidæ potu ingurgitatus ſubito coagulat eundem ac inſpiſſat, adeo ut hærendo in pulmonibus & præcordiis inferat ſuffocationis periculum. Exemplum tale habuit aliquando Dn. D. MICHAEL in coquo, qui cum diu ac longe circa focum & ignem incaluiſſet, coquendo à foco abſcedens ſubito *copioſam* & *frigidiſſimam cereviſiam* hauſit: unde in præſentaneum ſuffocationis periculum incidit ex coagulo ſanguinis.

Curavit tamen hunc coquum beneficio *ſucci expreſſi ex Bellide rubra*. Jam notum eſt quod ſuccus bellidis rubræ ſpecialem vim habeat vulnerariam ac imprimis ſanguinem coagulatum reſolvendi: unde etiam hic ſuccus ſanguinem ex potu frigidæ ſemicoagulatum congrumatum denuo reſolvendo ſuffocationis periculum removit. *In medicina militari* MINDERERI videbitis acetarium ex bellide & ad hujus imitationem inſtituit curam hanc D. MICHAEL.

Facit huc etiam *ſuffocatio ab aquis*, quando partim ex impedito aeris tranſitu, partim ex irruptione aquæ fit *ſuffocatio*. Nam ii qui intereunt in aquis partim intereunt, propterea quia non poſſunt *attrahere aerem*, partim quoniam aqua frigida pulmones vel *replere* vel *ſanguinem præſentem coagulat*, ut ſuffocati intereant.

Faciunt huc alia exempla ſuffocationum ſimiliter factarum ex impedito ſanguinis motu per pulmones: quale imprimis eſt iſtud quod habet MAUROCORDAL. *in tr. de motu & uſu pulmonum c.* 40. *p.* 88. de ſuffocatione ex impedito ſanguinis motu in pulmonibus, propter lapidulum in arteria venenoſa enatum.

Sic

Sic *Polypus cordis* ſ. excreſcentia carnoſa cordis & ipſa quatenus nempe ſanguinis motum intercipit ſuffocationem infert. Id. quod videtur in BARTHOL. *cent.* 2. *epiſt. p.* 683. de polypo cordis ſuffocationem inferente, quatenus ſanguinis motum impedivit.

Faciunt huc etiam iſtæ *ſuffocationes*, quando ex fumo carbonum, exhalationibus ſ. gas ſylveſtri ut rectius vocat HELM. vinorum ac cereveſiarum effervescentium, *ex ſpirantibus fumis* it. *ex muſto, albedine parietum*, &c. & ſimilibus, fit ſuffocatio.

Hujuſmodi enim fumi carbonum, fumi metallici antimon. & min. ſulph. ſpirit. nitr. aqu. fortis & ſimiles fumi aut vapores promptiſſime periculum inferunt ſuffocationis, in ſpecie *minerales ſpir. nitr. aqu. fortis* & ſimiles.

Exempla quamplurima obvia ſunt; de *Gas ex efferveſcente vino* ſuffocante, res mira eſt, in cellis quando fermentat cereviſia recens, ſi quis ingrediatur cum faculis ardentiſſimis, ita illas extinguit, ut ne ſcintillula remaneat.

Quæſtio jam eſt quando hi *fumi* extingunt in ardentiſſimas faces, *quomodo inferant ſuffocationes?*

Multi, quos inter eſt Marcellus DONATUS, volunt imprimis affectum eſſe *cerebrum*: Fundamentum erroris eſt in eo, quod putarunt Veteres, reſpiratione attrahi aerem in cerebrum per os cribriforme; dicunt ergo, hi fumi per nares attrahuntur, & promoventur per cerebrum atque ita ſpiritibus animalibus lethargicus infertur affectus.

Contrarium recte aſſerit SCHNEIDERUS *lib.* 2. *de catarrh. c.* 1. *ſect.* 2. ubi recte defendit quod hi fumi metallici à mineralibus Gas carbonum & liquorum fermenteſcentium afficiant ſanguinem per pulmones circulatum propterea quoniam nos ipſi percipimus hauriendo tales fumos ſylveſtres in thorace & præcordiis quo percepto non turbatur ſtatim caput ſed prius pectus. Item quod ii qui Gas carbonum fuerunt ſuffocati, ſæpius poſt curationem incidunt demum in *Pleuritidem*, vel *febrim*, vel *tabem*, utut taliter affectus *lethargus* vel *apoplexia* invadat, aut ad ſe redeuntes *delirant* interdum, non tamen eſſe ſignum prius affecti cerebri, quin potius ſpiritibus vitalibus his fumis imprægnatis ad cerebrum promotis ſupervenit tale ſymptoma, non vero proprium morbum conſtituit.

Hi *Fumi* ſeu Gas attracti *ſuffocationem inferre* videntur, quia ſanguinem coagulant, & motum illius per pulmones impediunt.

De *Fumis metallicis* & *mineralibus* ut *antimonialibus, vitriolicis, ſulphureis* res clara eſt. Nam in omnes participant de potenti acido, cujus ſubtilis odor ſufficiens eſt, ut promptiſſime coagulet ſanguinem. Sic percipimus ex fumo ſulphuris ſubtilem aciditatem inferentem ſuffocationis metum.

De *Gas carbonum* res videtur difficilior: Verum ſi conſideremus in carbonibus eſſe ſuſphur ſimillimum *minerali*, quod etiam beneficio lixivii alcaliſati elici poteſt, non dubito quod in ambuſtione comburatur ſulphur & reſolutum effume Gas ſuum acidum quod interius hauſtum coagulat ſanguinem.

De *Gas liquorum fermenteſcentium* res adhuc difficilior eſt: an id quod exhalat ſit de ſulphur. volat. quod vim obineat coagulandi ſanguinem? An potius vim obtineat ſpiritus inebriandi; cum idem quod dixi, hoc ſit ſulphureum ſalinum inſtar ſpir. vini; ut hic ipſe hæream quid determinandum, ut inclinem ad vim *coagulandi*.

Omnes hæ cauſæ in catarrho ſuffocativo unam habent Theoriam & Praxin uti videbimus poſtmodum.

3. *Cauſam ſuffocationis* dixi hærere *in nervis*: ſic fortis apoplexia infert non tantum ſuffocationem, imprimis propter deficientem pulmonum motum: Sed præterea quoque in ſyncope ubi deficit nonnunquam ſanguinis fermentatio ac turgeſcentia, unde in pulmonibus ſtagnat & talis *oritur ſuffocatio, propter impeditum nervorum pulmones moventium motum & eſt ex reſolutione nimia.*

Contrarium vitium nervorum eſt, *quando ſuffocatio fit ex convulſione nervorum affectorum*, quales *ſuffocationes* ſunt quas patiuntur mulieres *hyſtericæ*, in quibus nervi paris vagi ac intercoſtales ſpaſmo affecti, qui omnia viſcera interna abdominis & thoracis ac Laryngis movent.

Tales *ſuffocationes hyſtericæ* mulierum & *hypochondriacæ* virorum (perinde namque hæc eſt, uti habebimus ſuo loco) *fiunt ex convulſione* ſeu ſpaſmo *nervorum laryngem* imprimis & hinc *diaphragma moventium.*

Nam hinc eſt quod mulieres *hyſtericæ* & viri *hypochondriaci* percipiant *anguſtias faucium* quaſi *ſc. laqueo ſtrangularentur: ex convulſione muſculorum laryngem moventium*, qui ſpaſmo aut contractura correpti ſe valde contrahunt & laryngem anguſtant, cum quibus faucium muſculi ſimiliter contracti iſtas anguſtias longe promovent. vid. WILLIS. *in deſcriptione nervorum cap.* 26. ubi recte quamplurima (non omnia) mulierum hyſtericarum ſyptomata à tali nervi intercoſtalis ſpaſmo & contractura deducit.

Nec ſolus WILLIS. ſtatuit hanc convulſionem, ſed reperitur in SOLENANDRO *conſil.* 24. de difficili & periculoſiſſimo affectu in muſculis laryngis & aſpera arteria, ubi ſæpius imminebat ſuffocatio, idque ubi recte decidit, & diſſerit *ex convulſione laryngis*: uti ſimiliter *ſingularem laryngis convulſionem* habet BARTHOLINUS *cent.* 4. *epiſt. p.* 454. In paroxyſmis *epilepticis*, it. virorum *Hypochondriacis* ſæpius imminet periculum ſuffocationis cum *aſthmate convulſivo* (de quo inferius:) ſubito uti dico accedit & recedit, ſine omni materiæ ſenſibilis acceſſione & receſſione. Semper hîc reperiuntur nervi correpti ſive ad laryngem derivati ſive nervi diaphragma moventes.

Quando ex *venenis* nonnullis aſſumptis in ſpecie ex *fungis* quemadmodū proſtant exempla oritur *ſuffocatio*: illa videtur originem ducere *ex ſimili convulſione laryngem & diaphragma* afficiente & ita ſuffocationis periculum infert.

Facit huc etiam ſingularis obſervatio PLATERI *in obſer. p.* 182. de ſuffocatione *ex coitu*, aliàs robuſto & ſano, qui quoties cum muliere rem habuit ſemper in ſuffocationem quaſi lethalem incidit: Immo ipſe aliquando fuit in rem hanc domeſticam adeo ſedulus ut in ipſo actu animam expiravit. Notum namque eſt quod *coitus* recte appelletur *epilepſia parva*, propter convulſionem quandam qua afficiuntur nervi: Unde ex ſimili affectu nervorum thoracem moventium talem ſuffocationem certam fuiſſe probabile eſt

Hæ ſunt ſuffocationes convulſivæ.

QUOAD SIGNA.

Si oriatur à *viis intercluſis* res eſt facilis, & per ſe patet.

VERUM SIGNA CATARRHI SUFFOCATIVI DIAGNOSTICA SUNT: Gravedo, dolorque pectoris, difficultas reſpirandi, vox vere amputata, periculum ſuffocationis, anxietas, interdum tuſſis, pulſus tardus ac rarus ex tarda circulatione ſanguinis, ac quodammodo formicans ſeu vermicularis: nonnunquam oris nariumque pituitaria materia à SCHNEIDERO dicta, quæ obducit ſubjecta corpora glanduloſa, plures humores recedunt, quos ſolet ſcreatu ut ſternutatione rejicere æger.

SIGNA DISTINCTIVA, quæ differentiam catarrhi ſuffocativi monſtrant *ab apoplexia* ſunt: quod is qui catarrho ſuffocativo ſupprimitur ægerrime ſpiret, ita ut animam fere cum ſpiritu ferat; contra is

qui

qui graviore *apoplexia* vel *ſyncope* corripitur vix vitæ manifeſta obtinet indicia & ſpirandi difficultate vexatur, pulſus eſt admodum diverſus.

Nam in *Syncope* communi *pulſus eſt fere nullus in apoplexia pulſus nonnunquam eſt frequens & vegetus.*

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

In Prognoſi res eſt clara quod admodum periculoſum penſum incumbat Medico. *Strangulatio* autem cum ſpuma omnino eſt infeſta, ut dicit HIPPOCRATES.

SIGNA *ſuffocationis convulſivæ* ſunt petenda ex eo quod mulieribus *Hyſtericis* ſymptomata alia concurrant, item quod viri laborantes malo hypochondriaco confirmant.

Nam viri & mulieres tantum laborant tali ſuffocatione: deinde quod ex leviſſima cauſa talis ſuffocatio oriatur & iterum abſcedat.

QVOAD CVRAM.

Quando via ſunt affectæ quæ non tramſmittunt tunc impedimentum ex viis eſt auferendum. Sic v. gr. quando in faucibus hærent boli iſtorum deſcenſus promovetur concuſſione in dorſo ubi eſt via Æſophagi. Aut *ubi* tales *boli* hærent in *faucibus* propinantur *lubricantia* & ſic promoventia.

FORESTUS uſus fuit lenta deglutitione caſſiæ, cujus beneficio lubricatum fuit œſophagi iter. *Oxymel ſcylliticum* adhibuit, ubi hæſit in gula fruſtum pomorum non rite comminutum ſed hæc ſunt facilia: pergo ad

CATARRHUM SUFFOCATIVUM, ſeu. *SYNCOPEM CARDIACAM.*

Catarrhus ſuffocativus, ſeu Syncope Cardiaca. *In catarrho ſuffocativo* totus ſcopus eſt, ut *promoveatur ſanguinis motus per pulmones, id quod fit vel imminuendo ejus quantitatem: vel reſolvendo ejuſdem coagulationem, vel denique blandum ſudorem promovẽdo & ſanguinem attenuando.*

Hic primo ſe offert *Venæ ſectio*, quæ in catarrho ſuffocativo utplurimum eſt neceſſaria.

Obiter moneo hic vulgò infunduntur *Clyſteres, Gargariſmata*, adhibentur item *Bechica, Linctus*, applicantur *Emplaſtra* & *Cataplaſmata* capiti, quoniam ortum duxiſſe creditur à pituita ex capite deſcendente; ſed hæc certè *ſunt luſus & inania* omnia & ſæpe & feliciter tunc moriuntur ægri: Quin potius ubi neceſſarium videtur *Secetur vena in brachio* ut ſanguinis motus hinc aliquantiſper promoveatur. Inprimis eſt *Lazarus* MESSONERIUS qui commendat *Ven. ſect.* modo *in tempore* inſtituatur. In tempore inſtituenda eſt, nam occaſio eſt præceps. *Ubi metus eſt coagulati ſanguinis* vix tunc temporis poteſt conferre venæ ſectio.

Secta vena aut etiam nonnunquam ante ven. ſectionem, ſunt qui propinant *vomitorium* & videbitis inſigniter quoſcunque laudare *vomitoria in catarrho* ſuffocativo & etiam ſunt exempla feliciter propinatorum vomitoriorum. Verum facilè patet quòd *vomitoria* in catarrho ſuffocativo vix aliquid laudabile conferant. Hinc ipſe ſubdubitans RIVERIUS inquit. In vehementi catarrho *vix* confert *vomitorium:* Et FREITAGIUS in *Aurora Medicorum* dicit in catarro graviori eſſe *periculoſa vomitoria.*

Verum hic dicam impoſturam: nam copioſa materia viſcida infert impoſturam ut habeantur talibus anguſtjis afflicti pro catarrho ſuffocativo laborantibus, quin potius eſt *aſthma fortius* factum ex *ſtomacho, in tali ſane aſthmate vomitoria* ſunt divina remedia. Jam verò cum hoc aſtma pro tali ſuffocatione habeatur hinc factum eſt quod dicantur conferre vomitoria in catarrho ſuffocativo.

Verum *in catarrho ſuffocativo* vero, ubi ſtagnat ſanguis in pulmonibus res eſt clara quòd *vomitoria nunquam proſint*; quin potius ſecta vena. *Propinanda* ea quæ *ſanguinem ſtagnantem & attenuant* ac ita fluxilem faciunt.

Sperma Ceti, expertiſſimum eſt in quocunque ſanguinis coagulo reſolvendo. Unde etiam eſt ſingulare vulnerarium ubi eſt ſanguis coagulatus.

Paucis nota eſt *Origo* hujus *ſpermatis ceti: reverà* autem *eſt ex capite Balanarum*, non verò ipſum cerebrum *ſed materia pinguis in capite balanæ contentaque* exinde deſumpta per lixivium forte depuratur. Hoc *ſperma ceti* propinatum *ad* ʒß. *in aqua hyſſopi* expertiſſimum præter *ven. ſectionem*; in catarrho ſuffocativo vix habetur ſimile remedium, id quod commendat SMUCK. *Theſ. 2. ſecret. med.* 15. Imò in deplorato catarrho ſuffocativo ad hoc *ſperma ceti* tanquam ad ſacram anchoram confugere debent Medici: Formula poteſt præſcribi talis.

℞. Aquæ Hyſſop. ℥j.
Spermat. Cet. ʒß. ad ℈ij.
Syrup. de Hyſſop. ℥ß. vel ʒvj.
miſc. pro doſi.

Nam hoc admodum diſſolvit ſanguinem congrumatum. Aliàs ex *Scabioſa*, item *ex Bellide minore*, item *ex Veronica* parantur remedia ſimiliter ſingularia.

Ferè omnia *vulneraria* ſunt egregia in catarrho ſuffocativo: propterea quoniam alcalicorum ſolent abſorbere acidum coagulans ſanguinem.

Raphanus & ex hoc *expreſſus ſuccus* ſingulare eſt remedium in ſanguinis coagulo.

Nicotiana eſt ſingulariſſima: *Syrupus ex hac* paratus inſigniter convenit in hoc caſu, multa ſane latent arcana ſub hac plantula, utpote cujus ſal. volat. eſt vulnerarium omnibus aliis præferendum; In ſuffocatione eſt quoque commendatum, datur *Syrupus ab* ℥ß. *ad* ℥j. ſed legitimè ſit præparatus, aliàs vomitus movet.

Radix ari & ſuccus ejus ſal volat. acri prægnans inſigniter convenit: Vel *acetum* in quo macerata fuit, commendat HELMONT. contra *caſum ab alto* in congrumato ſanguine reſolvendo. Hinc ſimili ratione conveniet in *catarrho* ſuffocativo quoniam ſtagnantem ſanguinem in præcordiis diſſolvit.

In vulgari uſu ſunt *Oxymel ſcylliticum*, item *acetum ſcylliticum* quæ tamen minus ſunt potentia.

Gummi ammoniacum itidem valde convenit ſi diſſolvatur in *pauco aceto* & propinetur in *aqua hyſſopi*. Unde *Spiritus gummatis ammoniaci cum viridi æris* paratus etiam cæteris paribus eſt egregius: Miſtura hunc in uſum poteſt fieri talis.

℞. Aquæ Hyſſopo.
Scabioſ. an. ℥j.
Succ. Ari ℥ß.
(Vel Aceti infuſionis rad. Ari ʒvj.)
Spir. Gum. ammon. c. virid. æris ʒij.
Syrup. Nicotian. ℥j.
miſc.

D. S. ſubinde cochleatim uſurpanda.

Hiſce remediis commodè etiam adduntur ex *croco* parata medicamenta: Nam *crocus* eſt egregius in catarrho ſuffocativo & FREITAGIUS *in Aurora Medicorum* inquit, quod Orthopnoicis infallibile remedium ſit. Et certè uti *crocus eſt anima pulmonum*, ita ſanguinẽ fluxilem ac tenuem facit & quodcunque acidum delet: ut taceam vires inſigniter refectivas in *croco*.

ZECHIUS *in ſuis conſultationibus* commendat in catarrho ſuffocativo *Gummi ammoniacum* ſi propinetur *cum Oxymelle ſimplici* idque felici, uti dicit, cum ſucceſſu.

Nota etiam eſt *Potio* BRUNNERI *ex Gummat. ammoniac. ad* ʒj. *in aqua hyſſopi & vino rhennano.*

Proſtat in Officinis *aqua aſthmatica* RUDOLPHI quæ eſt ſpirituoſa & ſimiliter cum aliis permiſcetur.

Item *Aceta theriacalia* conveniunt in catarrho ſuffocativo.

Omibus

Omnibus tamen merito præfertur *Sperma Ceti* quod etiam in catarrho ſuffocativo infantum eſt expertiſſimum remedium *D. Petri à Caſtro.*

Denique *ubi* jam remiſit *Paroxyſmus* bládè *promoveatur ſudor* (in ipſo etiam paroxyſmo poſſunt dari quoniam & ipſa ſanguinem reſolvunt & fluxilem faciunt.) Notetur tamen hic *vitanda* eſſe *acida*, & *danda* potius *alcalia volatilia*, v. gr. *antimon. diaphoreticum*, cum *ſal. vol. CC.* cum *ſal. volat. ſuccini.* vel *ſpir. CC. eſſentific.* item *Liquor CC. ſuccinatus à gt. 20. ad. 30.* eſt egregium ſudoriferum & in hoc caſu admodum.

Quod attinet *Clyſteres, Emplaſtra*; &c. de his nihil dico quoniam ſapiunt ſciolarum mulierum morem, & anilia ſunt inventa medico rationali non imitanda.

Contra ſuffocationem ex *Gas & fumo carboſnum ex aceto & cum aceto* omnia parata remedia conveniunt.

Notum etiam eſt quòd *acetum* quibuſcunque Narcoticis ſit averſiſſimum adeò ut refert Nardius *in noctibus genialibus noct. 1. p. 76.* quòd à *fumo carbonum ſomnolentia* ſolo *calido vapore aceti* naribus ſuſcepto fuerit curata.

Hinc fiunt *Noduli ex nigella & ſemine majoranæ*, qui infunduntur *aceto* & applicantur naribus: aut etiam infunditur unum alterumve cochleare: quod in talibus ſuffocationibus *à fumo carbonum & cereviſia efferveſcente* eſt egregium.

Non autem convenit in ſuffocatione *à Gas minerali ſed tantum vegetabili.*

Acetum vitrioli benedictum ſecretum fuit D. Langii ex *vitriolo* artificioſè calcinato & cum aceto deſtillato extracto; quod expertum eſt in morbis ſoporoſis, *lethargo, caro cataphora*, & ſimilibus catarrhoſis affectibus, &c. Imò etiam in affectibus *ex fumo carbonum & Gas ſylveſtri* exſuſcitandis ſuffocatis.

Non inutile etiam eſt, ut *ubi hauſtum Gas ſylveſtre*, inſtituatur *vomitus*, imprimis ſi propinentur *vomitoria* commodè miſta *cum ſpirituoſis, cum ſpiritu theriacali* & ſimilibus. Nam mirum eſt quantum excitentur ægri per vomitoria præprimis *cum acida admoventur naribus.*

Caſtoreum etiam conveniens eſt in *corrigenda crudelitate & violentia Opii*: cum enim in Opio ſit tale ſulphur narcoticum ut in ſulphure carbonum & in efferveſcentium vegetabilium fumis & vaporibus in iiſdem fiat miſtura.

℞. Aqua hyſſop. ℥i.
Aceti theriacal. ℥ß.
Caſtor. ʒj.

& hæc cochleatim aſſumatur præmiſſo vel ſubſequente vomitorio.

Aut *in aceto caſtoreum* infuſum ſimiliter incidit ſanguinem congrumatum: copioſo enim ſale volatili eſt imprægnatum.

Denique *ubi eſt ſuffocatio convulſiva*, ibi *in genere conveniunt* eadem *remedia quæ* propinantur *in paſſione hyſterica* & affectibus *Epilepticis*; quos intereſt. *Caſtoreum & ſalia volatilia* in ſpecie *ſal. volat. ſuccini* aut etiam *oleum deſtillat. ſuccini.*

Item *ſalia volat. cum camphora* propinata;

Pergo ad

DISPNÆAM.

Diſpnæa. *Difficilem* ſcilicet *laborioſam & cum anxietate conjunctam reſpirationem.*

Cujus *Dyſpnææ 1. gradus* vocatur Anhelitus ſimpliciter: *2. Gradus* vocatur Asthma: 3. *Gradus* vocatur *Orthopnæa* quoniā tales ὀρθοὶ ſeu corpore erecto reſpirant, ſublatis aliis & expanſo pectore.

Egregie deſcribit, *ſitum Orthopnæicorum* Helmont. *tract. Tuſſis & Aſthma.* Nam ſi tales Orthopnæici incumbunt in dorſo imminet ſuffocatio, ſimul ac vero erecti reſpirant levamen percipiunt.

In genere *cauſa* omnis *Dyſpnææ aſthmatis & Orthopnææ eſt deficiens motus expanſionis & conſtrictionis pulmonum*, qui inſigniter impeditus reſpirationem tollit, & hinc anxietatem & anguſtias, ut & ſuffocationis periculum infert.

Notum namque eſt quamdiu expanduntur & conſtringuntur debitè pulmones tamdiu eſſe reſpirationem liberam; ſimul ac verò aliud impedimentum ſe offert adeſſe difficultatem reſpirandi, anxietatem & ſimilia, & tunc eſt.

ASTHMA.

Melioris doctrinæ ergo in genere dividam *aſthma* ſecundum doctrinam Helmontii & Willis qui primi nobis in hoc puncto oculos aperierunt in *aſthma humidum & ſiccum*: ſeu ut alio nomine vocatur in *aſthma manifeſtum & occultum.* Aſthma.

Aſthma humidum ſ. *manifeſtum* eſt iſtud quod à *materia vitioſa* fovetur & cujus excretione idem ceſſat.

Aſthma verò *occultum* ſ. *ſiccum* eſt quod *citra præſentiam materiæ* talis à ſola fit *convulſione muſculorum, thoracem moventium* in ſpecie *diaphragmatis.*

Primum *aſthma manifeſtum* ſ. *humidum* hoc ipſum eſt quod fovetur *à materiâ vitioſâ*, quæ materia vitioſa interdum *eſt in pulmonibus, interdum* & quidem *ferè ſæpius eſt in ſtomacho.* Aſthma humidum.

Aſthma humidum quod fit *ex vitio pulmonum* eſt; quando vel *vitio aeris* vel *vitio inſpiratorum* vel alia quacunque ratione *coacervantur ſucci craſſi viſcidi & mucilaginoſi*, quos alii vocant *pituitam* viſcidam, qui ipſi in bronchiis pulmonum hærentes non rarò impediunt aëris ingreſſum & egreſſum, & ita vitiant pulmonum dilatationem & conſtrictionem.

Succi hi vitioſi oriuntur: partim *ex vitio lymphæ*, quæ continuo humectat aſperam arteriam, &c. hæc enim vitiata ab aëre inſpirato facile patet quod infeſta ſit pulmonibus. Partim fit *vitio nutritionis pulmonum* dum nempe hæc *nutritio læſa* alimentum ejus pervertit in ſuccum viſcoſum ac mucilaginoſum. Id quod imprimis ſolet fieri, v. gr. *iis qui in mineris metallicis* ſunt occupati, aut qui *metallica* in ſpecie *Mercurium* tractant; quorum inſpiratum, Gas ſeu quorum fumi maligni cum aëre hauſti ita inquinant digeſtionem pulmonum ut loco aſſimilationis alimenti proprii hoc ipſum degeneret in excrementa varii generis. Uti de hoc elegāter diſcurrit Helmont. *Tr. aſthma & tuſſis* §. 44. Facit huc quæcunque *materia in pulmonibus* aut *propè pulmones hærens* eorundem liberum motum impediens, quo pertinent imprimis *abſceſſus & vomica pulmonum.* Sic namque Dodonæus, ex quo alii habent Auctores: refert *in obſerv.* Exemplum *aſthmatici mortui* cujus in pulmonum inferiori ſede & baſi reperti ſunt *abſceſſus duo*, in utraque parte unus, à quibus inundati pulmones materia purulenta *aſthma* lethale induxerunt.

Hinc etiam *Phthiſici* utplurimum ſunt *aſthmatici* propter *Pus*, quod vel in *Empyemate* in cavo thoracis fluctuat: vel propter pus quod unum alterumve latus pulmonum inundat. Quin & *ſerum* non verum eſt quod in corpore copioſius retētum, ut fluxidiorem facit ſanguinem, ita etiam *aſthma* ſolet inferre. Unde hinc inde legitis obſervationes *ex ſolitis evacuationibus ferè ſuppreſſis* oborta fuiſſe *aſthmata.* Præ cæteris huc facit exēplum Rhod. *cent. 2. obſ. 27. de Orthopnæa ingenti* oborta *ex ſero ſanguinis*, id quod patuit per ſolutionem quoniam intra 24. horas fuit levata per excretionem 36. ℔. Urinæ.

Nec ſerum tantùm ſed & *ipſe ſanguis* quacunque ratione *in ſuo motu impeditus ac in vaſis pulmonum ſtagnans aſthma* ac *Orthopnæam inducit*, non minus quàm *ſanguinis* gravior *ſtagnatio* dat *catarrhum ſuffocativum* de quo ſuperius.

Hinc eſt quod poſt *curſum* ſeu *motum* vehementiorem ſimus quodammodo *aſthmatici naturales*, quoniam

 ſanguis

ſanguis per motum rapidum ac velocem per vaſa motus, vix tunc promptè circulari poteſt per pulmones ex dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum, quia nonnihil ſubſiſtit ac in pulmonibus hæret: unde tale aſthma ſeu diſtenſio pulmonum nonnihil impedita, quia non ſufficiens.

Unde etiam videmus quod *mulieribus* quibus *ſuppreſſi ſunt menſes* item *viris* quibus *ſuppreſſus hæmorrhoidum fluxus*: item *in Cachecticis* quibuſcunque ex leviſſimo motu ſuperveniet *aſthma* ſeu difficilis reſpiratio: quoniam in talibus ſanguinis excretio ſuppreſſa eſt, cauſa ut ſanguis hæreat in pulmonibus & non facile poſſit circulari. Quod vero in *ſanguinis menſtrui & hæmorrhoidalis ſuppreſſione* ſæpius ſit impedita circulatio in pulmonibus, patet dum *frequens* in his *ſymptoma eſt ſputum ſanguinis*.

In *Cachecticis* alia eſt ratio, in his ſanguis crudus ac quaſi ſemichyloſus diutius hæret in pulmonibus quoniam tardius in iiſdem movetur propter tardiorē ab aere alterationem: dum ergo motu agitatur ſanguis nonnihil celerius influit in pulmones hinc facilius ſubſiſtit, ac aſthma tale inducit.

Unde etiam obſervatum fuit quod *terrores* intulerint *Orthopnæam* propter ſimilem ſanguinis in præcordiis ſtagnationem, quæ utplurimum obſervata fuit in *terrore*. Sic FORESTUS *lib.* 16. *obſ.* 10. refert *Orthopnæam lethalem ex terrore* ſubito concitatam.

Sanguis uti & alia *quæcunque materia*, aut in *pulmonibus* aut in *ſiniſtra cordis auricula coagulata* ſtagnans *dyſpnæam lethalem* infert, ita RIVERIUS *cent.* 1. *obſer.* 82. tale exemplum habet ex *dyſpnæa mortui*, in quo poſt mortem reperta fuit *materia viſcida coagulata* in *ſiniſtra cordis auricula* à qua impeditus ſanguinis motus dedit *diſpnæam lethalem*.

Pertinet huc quod *potus frigidus in æſtu* aut *lotio corporis in aqua frigida* inferat *aſthma*. Exempla non ſunt rara: ſic RULANDUS *in Theſauro p.* 112. refert *dyſpnæam ferè lethalem ex hauſtu aquæ frigidiſſimæ* in intento canicularum æſtu: ſimile exemplum aſthmatis ex *potu frigidæ* habet GABELHOVERUS *cent.* 1. *obſ.* 17. Ratio eſt in his quoniam poſt nimium æſtum aut motum maſſ. ſang. inſigniter attenuatur diſſolvitur & fluxilis redditur, & ſubito verò rei imprimis frigidæ vel potu vel intempeſtivâ applicatione rei frigidæ imprimis circa præcordia coagulatur, ex qua coagulatione ſubſiſtens ſanguis neceſſariò infert *aſthma*.

Ex modò dictis obiter noto: *ſanguinem & materiam vitioſam in pulmonibus* quæ aſthma tale inferunt *non deſtillari ex capite*, ut falsò putarunt majores noſtri: ſed omnem iſtam *ex vaſis ſanguifluis* ſolummodo *cum ſanguine eò inferri*, ſive fiat *immediatè*, ſive *mediatè*, *alimenti* nempe *degeneratione*, aut *lymphæ alteratione*.

Ad hæc aſthmata pertinent alia exempla ut quando v. gr. *fiunt aſthmata propter crudum tuberculum*, aut propter *grandinem*, aut propter *calculos in pulmonibus* enatos, ſive talia concreta præternaturalia hæreant in ipſo parenchymate pulmonum ſive eadem imprimis in bronchiis aſperæ arteriæ reperiantur, utroque enim modo inferunt aſthma.

Sic HELMONT. *tract. T. & aſthma* §. 41. exemplum habet *aſmatis lethalis ex calculis pumicoſis in pulmone & bronchiis repertis.*

Facit huc etiam *defficiens pulmonum nutritio*: unde pulmones *aridi* ac *flaccidi* redditi inſtar membranæ, exſiccatæ concidunt ac minus expandi poſſunt. Unde in talibus ſubjectis ex tali exſiccatione, ariditate, & concidentia pulmonum, neceſſario oritur *aſthma*.

Exempla talia non ſunt rara præ cæteris videat RHODIUS *cent.* 4. *obſ.* 21. ubi habet aliquot exempla *aſthmaticorum ex tali ariditate & flacciditate pulmonum mortuorum.* Sic SYLVIUS *in ſua praxi lib.* 1. *cap.* 24. Exemplum habet ſimile de quodam *Empyematico*, in quo poſt mortem aperto in dextro latere repertum fuit *empyema aquoſum & ſero & pure permiſtum*, cujus lateris dextri *pulmo totus arefactus*, *acidus*, *flaccidus*, & *tabe confectus* repertus fuit, quod ipſum rectè adſcribit *impeditæ nutritioni pulmonum ex pure.*

Singulare etiam eſt exemplum TULPII *lib.* 2. *obſ. c.* 7. de *Dyſpnæa* admodum *diuturna cum tuſſi* orta ex *putamine nucis avellanæ capiti aſperæ arteriæ inhærente.*

Notum porrò eſt quod *Gibboſi* utplurimum *aſtmatici*, quoniam ſpinæ dorſi conformatio vitioſa impedit exſpirationem pulmonum legitimam.

Quo etiam facit *ſterni ac coſtarum notharum vitioſa conformatio*: quale exemplum refert SCHENCKIUS *de difficili reſpiratione* ſeu difficultate reſpirandi orta *ex ſterni cum coſtis ad inferiora reflexione.*

Cæterum *aſthma* tale *humidum* ſeu manifeſtum *ſæpius* hæret in *ſtomacho* quàm *ipſis pulmonibus*: utplurimum enim talium ſtomachus reperitur infartus materia craſſa, viſcida ac mucilaginoſa, quæ ubi quacunque ex cauſa fuerit agitata ut incipiat turgeſcere & quaſi inflari periculoſa admodum dat *aſthmata*: partim quoniam nimia diſtenſione ventriculi impeditur motus diaphragmatis deorſum, qui tamen maximè eſt neceſſarius: partim verò quia diaphragma ipſum quodammodo in conſenſum trahitur ex irritatione ſtomachi ut illius convulſio & perverſus ſequatur motus. Ita ut certus ſim *plura eſſe aſthmata humida ac vitio ſtomachi* quam *vitio pectoris.*

Imò in talibus aſthmaticis interdum adeſt *ſtertor*, qui ſtertor vulgo habetur ſignum infarctivum pulmonum ſed obſervavi quòd etiam in ſtomacho infarcto à tali muco talis adſit ſtertor.

Item taliter affecti ſæpè *tuſſi* exſcreant materiam, quæ *Tuſſis* etiam *ex ſtomacho* oritur utut vulgò adſcribatur pulmonibus.

Hinc apprimè conformat experimentum GABELHOVERI *cent.* 4. *obſ.* 20. quod ſcilicet ii qui aſtmati ſint obnoxii fere habeant ventriculum frigidum, imbecillem ac flatulentum quoniam in talibus ex vitiata digeſtione coacervantur mucilagines.

In talibus ſæpius etiam ſunt *flatus* qui inſignes dyſpnæas inferunt.

In *Scorbuticis & hypochondriacis* ſæpius *poſt paſtum difficillimæ* oriuntur *dyſpnææ*, quæ non fiunt niſi *ex vitiata digeſtione* à qua copioſè & oriuntur & elevantur *flatus.*

Imò ſcio aliquot *ſcorbuticos* qui quando poſt paſtum vel hauſtulum vini hauriunt fiunt *aſmatici.*

Tale *aſthma & flatibus & hypochondriis* vocatur à RIVERIO *aſthma nothum*: & eſt mihi unum ex certiſſimis ſignis mali hypochondriaci quando ægri matutino tempore conqueruntur de difficili reſpiratione, ex ſtomacho in hypochondiacis partim flatibus diſtento partim materia viſcida onerato.

Unum adhuc moneo quod ad aſthma manifeſtum pertinet.

Si quid aliud, *ſuppreſſa ſcabies & ulcera retropulſa* dant *aſthma*: (de termino hic non litigabo.) Sic HILDANUS *cent.* 3. *obſ.* 39. obſervat *aſthma lethale ex repulſa ſcabie*: & LINDANUS *in Collegio ſuper* HARTMANNUM ſimile refert exemplum de *aſthmate pericul ſo ex ſerpigine retropulſa* oborto.

Hæc eſt *prima differentia aſthmatis* ſcilicet *manifeſti & humidi*, cujus dixi *materiam vitioſam* imprimis & utplurimum hærere *in ſtomacho*, *raro in pulmonibus* niſi ſit *ex vitio ſanguinis* non rite circulati.

Alterum aſthma quoad ab HELMONTIO vocatur *OCCULTUM S. SICCUM.*

Eſt iſtud quod citra *materiæ ſenſibilis* cujuſdam *acceſſionem* vel *receſſionem paroxyſmum ſubito inchoat & ſubito levat.* *Aſthma ſiccum.*

Tale *aſthma* vocat HELMONT. *Caducum pulmonum*: WILLISIUS vero in *Pathologia cerebri cap.* 12. vocat hæc *aſthmata convulſiva* quia cauſam rejicit in convulſionem pulmonum.

Omnium

Omnium optimè LINDANUS vocat tale *aſthma ſiccum crampum* ſeu *convulſionem diaphragmatis*.

In Genere antequam ad ſpecialiora tranſeam *dico*, talia *aſthmata eſſe aſthmata convulſiva.*

Plura hinc inde talium aſthmatum apud Autores inveniuntur exempla: Imò qui attente legit Practicos plura invenit *aſtmatum occultorum* exempla quam manifeſtorum.

Cæterum omnes ferè veteres practici, excepto HELMONTIO & VVILLISIO, ſua præoccupati hypotheſi falſa de infarctu pulmonum in id maximo conatu allaborarunt, ut demonſtrent talia oriri *ex flatibus in pulmonibus* vel ex quacunque alia cauſa: ipſi verò interdum videntes difficultates fatentur ultrò ſe non poſſe ſufficienter explicare:

Legatur HELMONT. qui plura habet exempla. Præterea invenietis talis aſthmatis exemplum in PISONE *tract. de morbis à colluvie ſeroſa ortis pag.* 192. & 222. ſed nititur demonſtrare ex hypotheſi *per ſerum*, ſed fruſtraneo conatu.

PLATERUS *in obſ. p.* 161. cum videret quod non poſſet conciliare tàm ſtupenda exempla cum infarctu pulmonum: dicit oriri ex Catarrho qui in pulmones derivetur. *Idem* ſimile habet exemplum *p.* 172.

Item COLLE *Medicus Italus in tract. Coſmitor. Medic. dicto. p.* 159. idem & ſimile Helmontianis refert exemplum, ubi ipſe fateri cogitur quòd *oriatur tale aſthma à pravo motu pulmonum ob conſtrictionem* ſive à *flatuum & fuliginum* copia.

Ulterius ſimilia exempla HELMONTIANIS habet SCHENCKIUS *p.* 234. & 237. *in obſ.* Item *Marcellus Donatus lib.* 4. *hiſt. medic. mirabil. cap.* 12. RIVER. *cent.* 3. *obſ.* 85. Item *Benedictus* SYLVATICUS *cent.* 2. *conſ.* 60. Hîc SYLVATICUS *cit. loco* ſimile HELMONTIANIS habet exemplum; ubi caſus eſt *ſyncope epileptica* cui conjunctum eſt *aſthma* non ſine ſuffocationis periculo, aucta imprimis ubi ſupinus jacebat æger, affligens propter vaporem qnendam quem ſentit ex ventre inferiore ad ſuperiora delatum & ad fauces.

Idem SYLVATICUS *Conſilio* videatur *ſequente* 61. de Palpitatione cordis cum ſyncope ſimulque anguſtia & difficultate ſpirandi ex vitio hypochondrii ſiniſtri, &c.

Jam ut pateat quid ſentiendum de his liberè *pronuncio, me facere neque cum* HELMONTIO *neque cum* VVILLISIO.

Non facio cum *Helmontio* propterea quia hic dicit in talibus *aſthmatibus ſiccis* ſeu occultis eſſe *caducum pulmonum.* Jam notum eſt HELMONTII hypotheſeos fundamentum falſiſſimum quod pulmo non moveatur, ſed potius ſit cribrum per quod moveatur aer: Hanc enim deſtruit & anatome & ſufficienter infringit BARTHOLINUS *tract. de ſtructura & uſu pulmonum.*

Unde dicit HELMONTIUS tale *aſthma ſiccum* eſt *caducus pulmonum*, id eſt in tali obſtruuntur & occluduntur pori pulmonum per quos intrat aër: Unde his occluſis ſequitur *aſthma* tale.

VVILLIS peccat in *exceſſu* uti HELMONT. *in defectu*: dum his proprios pulmonibus nervos & proprium attribuit motum, unde his convulſis inquit ſequi tale aſthma: *vid. ejus pathol. cerebr. de morbis convulſ.* Verum hæc ſententia contrariatur Anatomiæ cum parenchyma pulmonum ſit ineptiſſimum pro momotu proprio: dum ergò *vult* VVILLIS *oriri aſtma convulſivum à convulſione pulmonum laſſus* itidem *eſt* uti HELMONT. cum ex falſis hypotheſibus non poſſit non ſequi falſa concluſio.

Quin potius ſubſiſtimus in *Muſculis*: ſanè ſæpius miror cum veteres viderint moveri thoracem per inſignes muſculos, quare admodum & fruſtra ſe macerârint in aſthmate hoc perſcrutando. *Dico* ergò in *aſthmate* hoc *vitium eſſe in muſculis convulſis primario in Diaphragmate*, *ſecundario in reliquis muſculis.*

In *Diaphragmate* quidem *convulſo* rectè urget LINDANUS quòd tali *aſthmate* affecti conquerantur omnes ſe ſentire *anguſtias* & difficilem *conſtrictionem inſtar Zonæ* circumligatæ in regione ubi eſt annexum partibus: id quod fit ex violenta diaphragmatis deorſum verſus concuſſione, quod ita convulſum dat talem ſenſum conſtrictorium.

Reliqui *muſculi thoracis* ſive *convellantur* qui *inſpirationi*, ſive qui *exſpirationi* inſerviunt perinde eſt; ſemper namque inducitur *aſthma*: utplurimum tamen *convelluntur* qui *inſpirationi* videntur inſervire.

Exemplum habet HOBOKEN *tractatulo de Anatomia ſecundina in epiſt. pag.* 21. ubi manifeſtū eſt exemplum talis *aſthmatis convulſi*, ubi *convulſi muſculi* dederunt *aſthma* periculoſiſſimum.

Pertinet huc *aſthma muliebre* ſeu *hyſtericum* & his ſimile in *viris aſthma hypochondriacum.* Sæpius namque mulieres *hyſtericæ* cum varia patiantur ſymptomata patiuntur etiam *inſignem reſpirandi difficultatem*, quod tribuit HELMONT *actioni regiminis uterini*, in *viris ſplenis vitiis.* Revera tamen *ſunt convulſiones diaphragmatis & muſculorum thoracem moventium.*

Exemplum tale quod inſigniter huc facit habet HORSTIUS *lib.* 5. *obſer.* 32. de muliere *hyſterica* gravi *aſthmate* afflicta.

Tale *aſthma convulſivum* eſt etiam iſtud quod habet THONERUS *ex vermibus lib.* 2. *obſer.* 1. ubi habet *conſtrictionem faucium* ſummam & *Orthopnæam* cum *ſuffocationis periculo unà cum aliarum partium convulſionibus à vermibus inteſtinorum*: quando ergo jam inferunt hi convulſionem aliarum partium, certum eſt quod convulſio thoracis ſimiliter det aſthma & Orthopnæam.

CAUSA horum *aſtmatum convulſivorum* quærenda eſt in *nervis* iiſque imprimis *vago pari & intercoſtali*, Verum *imprimis aut* afficiuntur *nervi paris vagi*, *aut* afficiuntur *nervi & vagi & intercoſtales* circa exortum in cerebro.

Utriuſque proſtant exempla: Ubi afficiuntur in abdomine, *in plexibus* imprimis *meſenterii*, *in plexibus Lienaribus* aut ſimilium *nervorum* in abdomine, cum quibus conſpirant ſæpè *rami paris vagi & intercoſtales*, ibi adſunt ſigna alia in *abdomine* in ſpecie *murmurationis ſenſus*; interdum quidam ſenſus *vermiculationis in abdomine*; vel percipiuntur *tenſiones hypochondrii ſiniſtri* & ſimiles ſenſus alii.

Unde varia *in mulieribus* ſunt adjuncta ſymptomata *hyſterica*, frequentia etiam *viris hypochondriacis.*

Verum ubi malum hæret in *capite*, ibi ſine tali ſenſu in abdomine infeſtat *vertigo* aut ſimile quid quod motum inordinatum ſpirituum in cerebro innuit, pertinet huc exemplum HOBOKENII.

Jam verò quod afficit *nervos* utplurimum eſt *acidum vitioſum* nervis, uti notum eſt, inimiciſſimum: & quidem *Lympha* quædam *acida* ſive in *plexibus abdominis*, ſive in *alio foco* in abdomine coacervato has dat turbas, ſive *in cerebro*, ſive in *confiniis cerebri prope plexus choroideos*, &c. perinde eſt, modo vellicet nervos eoſque in ſpaſmos deducat.

Peccat ergo *acidum nervos ſive in cerebro ſive abdomine infeſtans & vellicans* vid. VVILLIS: utut non hac in re illi aſſentiar, ſed ſubſtituam *muſculos* interim tamen quoad vellicationem, cum illo convenio.

Aſthma convulſiva ſeu *ſicca* ſunt ſæpius *hæreditaria*, non ſecus ac *Convulſiones epilepticæ & aliæ* hæreditariæ jure in fœtum tranſeunt.

Sunt etiam *Periodicæ*: *Nunc* certâ infeſtant periodo, imprimis *tempore veſpertino*, *nunc erraticè* affligunt uti teſtantur exempla quæ hinc inde inter autores citatos ſunt obvia.

Quando jam tales *muſculorum convulſiones* & hinc

vitiatus pulmonum motus dant aſthma, utplurimum ſimul ſolet *ſtagnare ſanguis in pulmonibus*, unde ex impedito ejus motu non tantùm inſignis *in præcordiis eſt anxietas*, & imminet *ſuffocatio: Sed* præterea *eſt rubor malarum* ex impedito ſanguinis circulo ſuperiora verſus & impedito ſanguinis motu in pulmonibus quod ipſum gravat inſigniter malum.

QUOD ATTINET SIGNA.

Aſthma ipſum ſe manifeſtat ſponte: de *cauſis* tamen eſt inquirendum, quomodo dignoſcendæ ſint, ne oriatur error in praxi.

In humido ſeu *manifeſto*: ſi humor continetur craſſus in pulmonibus aut etiam in bronchiis reſpiratio difficilis ſit cum ſonitu & tuſſi & excretâ pituitâ ceſſat vel imminuitur affectus: quod ipſum tamen etiam occurrit quod iterum repeto ubi malum eſt in ſtomacho. Reliqua ſigna Aſthmatis manifeſti quilibet poteſt facile cognoſere.

Tandem etiam notanda ſunt *Signa diſtinctiva aſthmatis convulſivi ab aſthmate manifeſto.*

SIGNA HÆC SUNT.

1. *Si malum radicatum eſt in capite adeſt vel prægreditur vertigo in aſthmate convulſivo: Ubi eſt* vero in *abdomine rugitus & murmura præcedunt* tale *aſthma convulſivum*, quod in *manifeſto* non ſolet evenire.

2. *Ubi vitium eſt in pulmonibus* ſeu *ventriculo* ſeu *ubi eſt aſthma humidum*, ibi *eſt aſthma continuum*, aut ubi *ſemel fuerit curatum* antequam denuò repetat, *ſucceſſivè augmenti ſui ſigna prodit.*

Contrarium fit in aſthmate ſicco ſeu occulto: Nam hoc ſubito inchoat & etiam ſubito ceſſat: non verò ſucceſſivè.

Deinde tales *aſthmatici convulſivi* vel ſicci utplurimum *multum inſpirant ſed parum exſpirant* ſi ſint convulſi muſculi exſpirationi inſervientes: *Contrarium fit in aſthmate humido* in quo non ſufficienter poſſunt reſpirare.

Porrò *nullus humor, nullus ſtertor* aut *nulla tuſſis*, item *nulla humoris excretio eſt in talibus aſthmaticis* aut ſi aliquid excernitur ſunt in fine 2. vel 3. *ſputa* & non amplius: Cum *econtra in aſthmate humido* confertim ejiciantur & cum levamine ægri.

Adhuc moneo *aſthmata convulſiva* à cauſis quibuſcunque procatarcticis, v. gr. *à levi motu corporis* aut *à levi excandeſcentia*, aut ſimilibus in momento ferè concitantur & ſicuti ſubito fiunt ſubito etiam deſinunt, quod tamen *contrarium fit in aſthmate humido*, quod ſucceſſive fit & etiam ſucceſſivè removendo cauſam ſeu materiam curatur.

Deinde in talibus ſemper accedit *ingens dolor inſtar Zonæ* in iſta regione ubi annectitur diaphragma partibus.

Ultimo taliter affecti *aſthmate convulſivo ſæpiſſimè affliguntur horis veſpertinis* donec recedat vel in ſomnum incidant, quo obrepente reliquam noctem & ſequentem diem ſine ulla difficili reſpiratione pertranſigunt donec tandem periodicè vel erraticè ſubito redeat paroxyſmus.

QUOD ATTINET PROGNOSIN.

Aſthma omne eſt *periculoſum: periculoſiora* tamen *ſunt occulta quàm manifeſta.*

Aſthmata inveterata rariſſimè perfectè curantur, quoniam vel leviſſimo *diætæ* errore vel alio peccato ſubitò recidivant.

In *Febre acuta* ſuperveniens *aſthma* eſt *valdè periculoſum*: Unde etiam à RIVERIO *prax. med. lib. 7. cap. 1. lethale* dicitur ſi *aſthmati* ſuperveniat *Pleuritidis* ſeu *Peripneumonia.*

Hæc de ſignis pergo ad

CURAM.

Quæ pro varietate cauſarum imprimis eſt diſtinguenda:

In genere primò in *aſthmate humido* ante omnia *removenda eſt cauſa* atque ante omnia *per vomitum* inſtituenda eſt evacuatio: nihil enim æque paroxyſmos *aſthmaticos humidos* curat quàm *vomitus* omnibus atteſtantibus Autoribus practicis: æqualiter enim materiam haurit *vomitus* ſive hæreat in *ſtomacho* ſive in *pectore*. Notum namque eſt quod in omni vomitu ſimul fiat inſignis conſtrictio pectoris & quod per motum gulæ ſurſum ſimul ſurſum moveatur aſpera arteria & ita ſimul ex ventriculo & ex pectore fiat evacuatio.

Unde *pus Phthiſicorum* quod in pulmonibus fluctuat, ſæpius optimè & feliciter *per vomitoria* evacuatur.

Et talia vomitoria etiam id quod bronchiis pulmonum fortiter impactum eſt certo & feliciter deturbant.

Exempla per *vomitoria* in paroxyſmo propinata curatorum proſtant hinc inde in Autoribus.

Imprimis RULANDUS quamplurima habet in *Theſauro Medico, p. 109. 112. 120. & ſic porrò.* De *Orthopnæa* periculoſiſſima *curata* ſubito ſolo *vomitu* ℔viij. *pituita lentâ & craſſa cum bile* permiſtæ.

Et hæc etiam eſt methodus POTERII qui viribus adhuc ſtantibus in *aſthmate* propinat *vomitorium vid. cent. 2. cap. 16.* item *cent. 3. cap. 22.* Ubi etiam curavit POTERIUS *aſthma* periculoſiſſimum ex *vitio menſiū deficientium* beneficio *vomitus* in paroxyſmo propinatus ſic TIMÆUS *in epiſt. p. 122. aſthma* refert periculoſiſſimum & contumaciſſimum nullis cedens remediis, tandem provocato vehementi *vomitu* curatum *vid.* etiam HOFERUS *in Hercul. Medic. p. 118.*

Imò *natura* ipſa monſtrat interdum proficuum uſum *vomitoriorum*. Sic SYLVATICUS *cent. 3. conſil. 49.* refert *aſthma* ſingulis noctibus recurrens cum ſuffocationis periculo à quo non prius æger fuit immunis quam ſponte ſuccederet *vomitus* tàm aſſumptorum quàm materiæ pituitoſæ.

Inter *vomitoria* ad hunc ſcopum uſualia præter *infuſa antimonialia* imprimis convenit *vomitorium ex Nicotiana* quæ eſt appropriatiſſimum ad tale *aſthma* remedium.

Aqua Nicotianæ ad ℥j. *data*: Vel *Syrupus Nicotianæ vomitivus ad cochlearia* 2. egregiè promovet vomitum. Nam duo ſunt Syrupi ex Nicotiana vomitivus & alterans.

Imò ſolus *fumus Nicotianæ* per tubulum attractus & gutture hauſtus potentem *vomitum* pro *aſthmate* curando movet.

Deinde *ſuccus expreſſus radicis Ireos naſtratis ad* ℥ß *vel* ℥j. plus minus prout eſt validus vel minus validus in *hydromelite vinoſo* propinatus *Orthopnæam* deſperatam curavit teſte PLATERO *obſ. lib. 1. p. 175.* movet vomitus & ſeceſſus: qui ipſe ab eodem commendatur in *diſpnœa ab hydrope pectoris* enata.

Facit huc ſecretum FREITACII *ad aſthma & Empyema*, cujus Autor eſt HEURNIUS, *in Auror. Medicorum cap. 20.* deſcriptum.

Fit ex Hellebor. alb. ℥ß.
cui affunditur
Vini Peterſimon. ℔j.

hujus infuſi cochlear. j. valdè movet vomitus idque ſine inſigni difficultate. Semi vero cochlear. cum aliis laxantibus alvum præclarè movet ſine vomitu: unde ad *aſthma* laudatur. Quod ſi *hujus infuſi* aliquot *guttulæ linctibus* adduntur copioſè *Empyematis* expectorationem promovere aſſeritur.

Linctum huncce ita commendant.

℞. Paſſular. mundatar. ℥iv.
Liquirit. raſæ ℥j
Mell. deſpumati. ℥iij.

Sacchar.

Sacchar. cand. ℥v.
Vini Hiſpanici. ℥vj.

bulliant ut ſumantur inſtar conditi, cui tantum admiſce *ſpir. ſulphuris acidi per camp.* ut gratum acquirat acorem.

Hinc aliquot guttulæ *Vini* iſtius *Helleborati* inſtillentur & teneat in ore maſticandas *paſſulas*, vel quoties eas in os recepturus eſt guttulas 2. vel 3. inſtillet de dicto infuſo.

Remedium hoc ceu ſecretum habendum vult FREITAGIUS.

Purgantia non conveniunt in aſthmate in Paroxyſmo quin potius Paroxyſmum inſigniter exaſperant: niſi forſan imitari velis methodum POTER. *in cent.* 3. *cap.* 22. qui cum *Pilulis ſuis Catholicis* miſcet. *Opium.* Nam hoc ſedat Paroxyſmum dum interea Pilulæ laudabiliter operantur: *vid. citat. cap.* ubi egregia & notatu digna habet.

Aliàs *Purgantia* in paroxyſmo *non* conveniunt.

Poſt ſedatum *Paroxyſmum* verò ad præcavendum malum & reliquias exhauriendas conveniunt *Pilulæ* quæcunque: quibus ſemper *Gummi ammoniacum* eſt admiſcendum.

V. gr. *Maſſ. Pilul. d. ammoniaco Quercetan.* it. *Maſſ. Pilul. de Hiera cum. agarico* miſta c. *gum. ammoniac.* v. gr. FREITAGIUS has habet *Pilulas*.

℞. Maſſ. Pilul. de agaric. ℈ij.
Gum. ammoniac. ℈ß.
Trochiſcor. alhand. gr. ij.
Extract. Cinamom. gr. iij.
miſc.
F. l. a. Pilulæ.

Ubi aſthma ex vitio ſtomachi; conveniunt hæ *Pilulæ*.

℞. Maſſ. Pilul. de hier. c. agaric. ℈j.
Gum. ammoniac. Acet. ſcyllitic.
ſolut. ℈ß.
Extract. Troch. alhand. gr. ij.
cum Spirit. Aſthmatic. F. Pilul.

Item eſt aliàs *Oxymel de Nicotiana* QUERCETANI *purgans.*

Pilulæ Catholicæ POTERII ſimiliter ſunt expertæ contra *aſthma*,

RIVERIUS interdum uſurpat ſuum *Mercurium dulcem cum ſcammoneo ſeu Carbomelanum vid. cent.* 3. *obſ.* 28. & 31.

Veneſectio non convenit, niſi ubi aſthma eſt ex impedito ſanguinis motu in præcordiis: tunc aliquo modo juvat Ven. Sectio: aliàs ſi in bronchiis hæret materia non eſt utilis.

Remedia alia *appropriata* quæ conveniunt in *aſthmate humido* ſunt inprimis *Pectoralia* dicta.

Et ferè eò reſpiciunt ut materiam craſſam viſcidam & flatulentam attenuent, reſolvant & corrigant, ſive hæreat in pulmonitus, aut præcordiis, ſive hæreat in ſtomacho.

Talia ſunt, *Helenium* quod eſt inſigne pectorale; *Marrubium, Hiſſopus & Capilli Veneris: Ros Solis, Tuſſilago, Scabioſa, Pulegium, Calamintha, Carduus bened. Satureia*; *Crocus* imprimis:

Item *Roſmarinus* eſt experimentum BORELLI *cent.* 4. *obſ.* 46.

Veronica, Radix raphani, ari, Zedoariæ, Zingiberis: radix vitis albæ ſ. bryoniæ cujus *ſuccus* ſingulares hic habet vires quem videbitis præparatum in HARTMANN. *Prax. Chymiatric.*

Aqua Cinamomi inſigniter à quibuſdam commendatur: Et hanc ipſam imprimis in paroxyſmo commendat RIVERIUS *cent.* 3. *obſ.* 8. & 21. *ut & prax. med. lib.* 7. *cap.* 1.

℞. Aqua Cinamom. ℥ij.
Oxymell. Scyllitic. ℥j. miſc.

Aqua Aſthmatica IMPERATORIS RUDOLPHI quæ eſt ſpiritus vini aromaticus.

Syrupus de marrubio, de Abſinthio, MYNSICHTI, & in ſpecie *Syrupus Nicotianæ.* In Arcanis habuit ſanè QUERCETANUS *Syrupum Nicotianæ ad aſthma*: ſed legitimè debet eſſe paratus ne moveat vomitum.

Epiphanius FERDINANDUS *hunc Syrupum* ceu divinum commendat remedium *ad evacuandum pus Empyematicorum.* Idem FERDINANDUS *conſ.* 48. hunc habet Syrupum quem ceu ſingularem in *Aſthmate* laudat.

℞. Tabac.
Tuſſilag. an. m. j.
cum
Aqu.
coquantur ad tertias
& adde
Sachar. q. ſ.
pro Sirupo.

Utraque ratione convenit *Nicotiana*: nam tum adhuc inſtructa eſt virtute vomitoria convenit in paroxyſmo pro vomitorio, poſtmodum ubi hæc eſt infracta ejuſdem tamen ſal. volat. acre inſigniter expectorat.

Unde *Petrus Johannes* FABER. inſigniter commendat *Aquam Nicotianæ, ad Aſthma* præmiſſo *purgante ad* ℥jv. *cum gutt. jv. vel vj. aut x. ſpirit. Nitr.* inſtilatis.

Nobis uti dixi in uſu eſt *Aqua* rectè *deſtillata* vel *Syrupus Nicotianæ*: Porrò *Syrupus de Helenio* paratus. *Syrupus* AUGENII *de Helenio* quem habet SENNERT. *c. de Aſthmat. p.* 336. item *Syrupus de Eryſimo* LOBELII qui aliàs vocatur Syrupus ad raucedinem.

Porrò veteres uſurparunt *Oxymellita ſimplex & ſcylliticum*, item *Acetum ſcylliticum.*

Nos feliciori uſu uſurpamus eorum loco *Gummi ammoniacum* in liquore appropriato acidulo diſſolutum. Nil namque æquè reſolvit mucilagines viſcoſas ac Tartarum pulmonum & ſtomachi ubi vocant quam Gumm. ammoniacum: In *Aſthmate* certe vix habetur per remedium *datur à* ℈j. *ad* ʒß. *vel* ʒj. *diſſolvitur in Aceto* & cum appropriatis vehiculis propinatur.

Hinc baſis eſt remedii infallibilis BRUNNERI *contra Aſthma* in ejus *Conſiliis conſ.* 34. cujus deſcriptio eſt hæc.

℞. Gum. Ammoniac. ʒj.
Aqu. hyſſop. ℥iv.
Vini Rhenan. ℥ij.
miſc.

Hanc Potiunculam multi Autores commendant; quos intereſt etiam TIMÆUS *in caſibus p.* 97.

Notus eſt *Spiritus Aſthmaticus* B. D. MICH. cujus baſis eſt hoc *gummi ammoniacum*, vocatur etiam aliàs *ſpiritus virid. æris.* compoſitus; vel *ſpiritus gummat. ammoniac.* compoſit. v. gr.

℞. Virid. æris aut cryſtallor. virid. æris ℥jv.
Gummat. ammoniac. ℥ij.
Sulfuris ℥jß. miſc.

deſtilla per Retortam in Arena cautè, aliàs enim rumpit vitra, aut tota maſſa in receptaculum proruit, prodit ſpiritus acidus admodum volatilis & ſimul oleum fœtidiſſimum & penetrantiſſimum, hoc ſeparata rectificatur ſpiritus & datur à ℈ß. ad gt. xv. xx. eſt egregius, quia præter hunc in Aſthmate uſum quamcunque materiam viſcidam in quocunque loco ſtabulantem reſolvit, unde & in aliis affectibus uſurpatur: hoc oleum inſervit pro malaxatione Emplaſtrorum pro Tumoribus duris ac Scyrrhoſis viſcerum aut partium externarum.

Hic Spiritus miſtus cum *Elixir Pectorali* D. MICHAEL. admodum commendatur ab eodem contra *Aſthma* & ſimiles pectoris affectus. Deſcriptio iſtius *Elixiris* eſt hæc.

℞. Herb. Pulmonar. Italic.
Gnaphal. montan.
Marrub.
Hyſſop.

Braſſic.
Rorell.
Veronic.
Scabioſ.
Fol. Tuſſilag. an. m. j.
Flor. Helen.
Scabioſ: an. p. iij.
Radic. Enulæ.
Tuſſilag.
Ariſtol. rotund.
Iridis Florent. an. ℥j.
Myrrh.
Maſtich. elect.
Croc. orient.
Succi Glyzyrh. an. ℥j.
Cinnamom.
Cardamom. elect. an ℥ß.
Benzoës optim. ℥jß.
(egregium in affectibus pectoris)
Styrac. ℥ß.
Alyptæ moſchatæ ʒij.
Sem. Naſturtii,
Urticæ an. ʒiij.

irrorentur Spirit. Sulphuris; infundantur in Spiritum Hyſſopi, Helenii, & rorellæ, digerantur & extrahantur. In liquore filtrato diſſolve Extract. pectorale & ſerva pro uſu.

Extractum Pectorale eſt *ſuccus Tuſſilaginis* ſeu *plantaginis* inſpiſſatus.

Hoc cum dimidia doſi ſpirit. Aſthmatici permiſtum & ad gutt. 20. vel 30. propinatum eſt excellens remedium.

Alii ſolummodo *ſpiritum gummat. ammoniaci* cum viridi æris deſtillatum miſcent cum *ſpiritu Aniſi* vel *Zedoariæ* & ita ſimiliter egregium remedium habent contra Aſthma.

Superſunt adhuc nonnulla quoad materiam medicam in Methodo medendi in Aſthmate obſervanda. Dixi de ſpir. Gum. ammon. viridis æris qui vel ſolus uſurpandus vel miſtus cum ſpir. Aniſi vel Zedoariæ ſint egregia in aſthmate remedia.

Poſt Gummi Ammoniacum inſigniter commendatur *ſulphur* & in ſpecie ejus *ſtagma acidum* ſ. ut alii vocant *ſpiritus Sulphuris per campanā* ſi ſcilicet propinetur in *aqua appropriata* donec apertam præ ſe ferat aciditatem & hujus miſturæ cochlearia aliquot ſubinde hauſta inſigniter paroxyſmum alleviare aſſerunt. vid. de hoc BRUNNERUS *in conſ.* 34. ubi neſcit ferè quomodo ſufficienter commendare debeat hoc *ſtagma acidum Sulphuris in aqua* appropriata: ſe vidiſſe inquit ad 10. horas paroxyſmo *aſthmatico* periculoſiſſimo affectum cui propinatum *oleum ſulfuris in aqua Hyſſopi* miraculi inſtar contulit opem:

Quod ipſumconfirmatur etiam à THONERO *in obſervat.* Imò ab omnibus Autoribus commendatur tam ad malum præcavendum à recidiva quàm paroxyſmum imminuendum. Variæ poſſunt fieri Miſturæ hujus Olei ſulfuris: imprimis ad imitationem Miſturæ BRUNNERI. Dabo Exemplum.

♃. Aquæ Flor. raporum ℥jß.
Veronic.
Hyſſop. an. ℥j.
Spirit. Zedoar. ʒvj.
Gummat. ammoniac. ʒj.
Spir. Sulphuris acidi legitim. parat.
(ut diſſolvatur melius Gummi ammoniacum)
q. ſ. ad gratum acorem.
miſc.

D. pro aliquot doſibus cochleatim uſurpandis, Commendo *aqua Flor. rapor.* Nam de hac BRUNNERUS *cit. loco* dicit, quod *hac aqua cum croco & pauco Moſcho* miſta miraculosè *Aſthmaticis* reſtituat reſpirationem.

Aliàs nota eſt *aqua ſ. ſuccus ex raphano recenti cum ſacharo* expreſſus qui ipſe in paroxyſmo egregium eſt ſpecificum.

Modus eſt quando taleoli ſacharo adſperguntur & exprimuntur: vel quando comminuitur raphanus & cum ſacharo miſtus exprimitur. In omni *Tuſſi* & *Aſthmate* reſpirationem lædete hic ſuccus eſt expertiſſimus.

Oleum ſ. liquor ſachari tàm *ſimplex* quam *compoſitus* qualem habet RIVERIUS *prax. lib.* I. *cap.* 7. ſimiliter commendatur in *paroxyſmo*.

Sed in *genere moneo fugiendum eſſe abuſum ſachari & ſacharatorum* in omnibus morbis: *Sacharum* enim propter facilem efferveſcentiam ac hinc flatulentiam multos *exaſperat* morbos, *febres* imprimis poſt hinc *ſcorbutum & malum hypochondriacum* deterius reddit. Tandem utut Phthiſicis, Tuſſiculoſis & Aſthmaticis ordinario uſurpetur ſacharum: tamen mala ſæpius aggravat quam eadem lenit.

Imprimis *de nocumentis ſachari in affectibus pectoris* vid. GARENZIER *in Tract. de Tabe Anglica*: ubi dat Exemplum tale: ſi quis fruſta duo carnis recipiat & unum ex his ſacharo adſpergat altero non conſperſo & per noctem relinquat mane invenit unum putredine correptum altero non ſacharato adhuc ſine noxâ exiſtente.

Oleum Sachari etiam à PETRÆO *lib.* I. *diſſert. harmon.* 18. §. 44. commendatur tanquam expertum.

Porrò *eſſentia croci in aſthmate* multum commendatur. Item *Eſſent. Helenii* & *Ligni Saſſafras*: Item *Eſſent. Ireos Flor.* cum *ſpiritu Aniſi* parata.

Superius commendavi *Radicem Ari*, unde etiam *pulv. radic. ari* parat. commendatur *in vino*.

In genere quo recentior eſt radix & ex ea parata remedia, eò ſunt meliora propter ſal acerrimum quod avolat.

Fœculæ omnes: *Ireos*, *Ari*, *Bryoniæ*, quæ aliàs vulgo in affectibus pectoris in ſpecie in *aſthmate* commendantur, ceu fœculentæ omninò *rejiciendæ*, quoniam omni uſu omnique facultate omninò ſunt deſtitutæ videat. ZWOLF. *in animadv. in Pharmacop. Auguſt.*

Sperma Ceti ſingulare & expertum eſt remedium ſi ſcilicet ʒß. *in hauſtu calido* propinetur: diſſolvitur enim ſic ſperma ceti inſtar butyri & facilè ac ſine nauſea aſſumitur.

Aliàs etiam poteſt propinari *in aqua Hyſſopi* cui ſaporis gratia additur *Syrupus de Nicotiana*: in *paroxyſmo aſthmatico* egregium eſt ſperma ceti, adeò ut feliciorem ſucceſſum ex *ſpermate ceti* propinato quam ex potiuncula BRUNNERI obſervaverit TIMÆUS *in caſibus lib.* 2. *obſer.* 10. & *lib.* 2. *epiſt.* 11. ubi ſcribit illum nunquam fefelliſſe *ſpermatis ceti* uſum in *aſthmate* etiam in *paroxyſmo*. Cæterum vix ſcio an melius magiſque conducens remedium ſit contra *aſthma* quàm *Aſelli* ſeu *millepedes*. Hi ipſi namque ab omnibus Autoribus mirificè commendantur.

Quidam propinant eos in *ſubſtantia* præparatos *ad* ℈j. alii eos *præparatos* cum *melle* miſcent & addunt modicum *gum. ammoniaci cum Syrupo Nicotianæ* faciunt Linctum ſeu potius Electuarium & ita aſſumunt.

Optimus præparandi *Modus* eſt: ſi Aſelli linteo incluſi infundantur vino quod vinum infuſionis expreſſum ac filtratum ſingulariſſimum eſt ad *aſthma* remedium.

Quidam tale vinum macerationis millepedum pro potu ordinario *aſthmaticis* propinant.

Rectè hinc dicit LINDANUS quod in ſolo hoc animalculo ſit perfecta cura *aſthmatis*: Et ſanè multa alia latent in his arcana quæ paucis nota, ex cognitione tamen materiæ medicæ præſuppono, *vim* ſingularem habent *anodynam & diureticam*, contra *ſuffuſiones internè* commendantur contra *ulcera ac fiſtulas mammarum*,

mammarum, contra *arthritidem ſcorbuticam*: & quidem vis illorum conſiſtit in ſal. volat. Nitroſo egregiè inciſivo & potenter diuretico.

Balſamus ſulphuris quicunque & in ſpecie cum *Oleo Aniſi* præparatus inſigniter commendatur à quam plurimis: vel etiam ſolus communis *balſamus ſulphuris cum Terebinthina* (de qua poſtmodum, cum & hæc commendetur contra *aſthmata* à practicis) paratus. Quod ſi nimius calor metuatur ob id ſuadet SCHOLKIUS, ut ex *balſamo ſulphuris cum Gum. ammon.* fiant *Pilulæ* quibus aſſumptis hauſtus appropriatus deſuper ingurgitandus ut eò promptius operetur.

Terebinthina per ſe à multis commendatum eſt remedium in *aſthmate*.

Uſurpandi *modus* eſt varius: *optimus* eſt ſi diſſolvatur in vitello ovi & affuſa aqua appropriata fiat liquor lacteus ſeu Emulſio, quæ in paroxyſmo Aſthmatico, item in aliis pectoris affectibus eſt egregia. Nam ſic poteſt optimè aſſumi Terebinthina, quæ aliàs eſt admodum nauſeoſa: *doſis eſt à* ʒß. *ad* ʒj. quocunque modo uſurpata.

Elixir proprietatis PARACELSI & ipſum inſignis eſt laudis in *aſthmate* pro varietate præparationis à *gr. xv. xx. ad xxx.* propinatum.

De Oleis ſeminum pectoralium, in *Olei deſtill. Aniſi*, *Salviæ*, *Roſmarini*, in hauſtu *vini* propinandis nihil dico, quoniam ſunt aliàs ſatis nota.

Denique *Joël in ſua Praxi lib. 3. prax. ſect. 1. cap. 5.* *Decoctum* habet, quod vocat expertum & utiliſſimum in *Aſthmate* & *Orthopnœa* ac ſimilibus affectibus; præſcriptio eſt hæc.

℞. Rad. Zedoar. ℥ß.
Gummat. Ammoniac. ʒij.
Flor ſulphur. ʒiij.
Croc. ℈j.

Contuſa coquantur in Hydromelitis ℔j. (Nam mediocris mellis uſus præferendus uſu ſachari) ad medias: doſ. cochl. j. ſæpè in die.

Nam ſola *radix Zedoariæ* mirè levat Dyſpnœam ſi comedatur, eodem docente JOELE.

Loco radic. *Zedoar.* alii laudant *radicem Zingiberis*, ſi ſcil. hujus ℥j. *in* ℔v. *aquæ* communis coquatur ad abſumptionem ℔i. Et hinc aliquantulum *ſachari* ac *mellis* addatur pro potu ordinario.

Aliàs pro *potu ordinario aſthmaticorum* & *tuſſientium*, & ſimilium optimus eſt *potus ſulphuratus* HELMONTII, cujus præparandi modum docet KNOFELIUS *in Tr. de curandis Febr. Epidemicis malignis.*

Ab iſta *potione* JOELIS non abludit *potio* BRUNNERI, qui eam tanquam Panaceam in Paroxyſmo commendat, ubi aliàs ſedari nequeat, compoſitio eſt hæc.

℞. Rad. Fenicul.
Aſari.
Ireos Florentin. an. ℥iij.
Glyzyrrh. raſæ. ʒij.

Coquantur in aqua fontana ad conſumptionem tertiæ partis.

Colatur. ℞. ℥viii.
in quibus diſſolv.
Gummat. Ammoniac. ʒi.
Oxymell. ſcyllitic. ℥ß.
Syrup. de braſſic. ℥i.
miſc.

Hæc de *aſthmate humido* ſ. eo quod imprimis ex mucilagine viſcida pulmonum & ſtomachi oritur.

Quod ſi talia *aſthmata manifeſta* oriantur ex alia cauſa, nempe ex *Scabie retropulſa*; tunc omnis movendus eſt lapis, *ut iterum appareat ſcabies* in extima cute: Unde tunc temporis uſurpari poteſt *Eſſentia fumariæ*, *Eſſ. Helenii* & ſimiles. Item *antimon. diaphoreticum*, *ſalia volatilia*, & ſimilia.

Verùm neceſſum eſt, ut fomentum ſcabiei denuò ſub cute defigatur, niſi enim hoc fiat omnis cura erit fruſtranea:

Sed fit interdum, ut nullo modo poſſit reproduci ſcabies, unde in tali caſu imitandus ZACUT. *Luſitanus* (egregium inventum) qui cùm ſcabioſum ſimiliter ægrum non poſſet denuo reddere ſcabioſum, juſſit illum concumbere vel accumbere in lecto alio ſcabioſo, ut ab iſto hauriret fermentum ſcabiei malignum & ulceroſum, quo facto ſcabies fuit reproducta.

Si ſit *Aſthma* NB.

Ex fumis metallicis in ſpecie Mercurialibus.

Tunc nihil proficitur in earum Cura ordinariis ad aſthma remediis: quin potius *mineralia & metallica remedia* in uſum ſunt revocanda: quæ inter excellunt *Mercurius dulcis*, item *Mercurialia fixa* (quo fixiora eò meliora) *Turpethum & purgantia per inferiora*: item *Cinnabar. antimon. Antimonium diaphoreticum*; *Bezoarticum ſolare*, ac ſimilia.

Exempla talium *aſthmatum ex fumis metallicis*, *imprimis Mercurialibus*, curatorum ſubminiſtrat HORSTIUS *lib. 7. obſ. 25.*

Denique quod attinet:

ASTHMATA OCCULTA SEU CONVULSIVA.

In his Cura nonnihil eſt varianda.

In his enim *aſtmatibus occultis* & *convulſivis* legitimum ac obſervandum eſt dictum HELMONTII, quod nempe id quod Epilepticum adultum ſanet, ſanet etiam talem aſthmaticum. *Aſthma occultum ſive convulſivum.*

Unde remedia *Antepileptica*, item *Antihyſterica* hic ſunt convenientiſſima, quibus ſubinde nonnihil etiam de *Laudano Opiato* addendum quod in talibus morbis convulſivis nulli adeò cedit remedio.

Conveniunt ergo *ſal. volat. ſuccini*, *C.C. ſanguinis humani*; item *ſpiritus ſanguinis humani.*

Caſtoreum & ex eo parata remedia:

(Obiter moneo: dicitur communiter *Caſtoreum convenit*, *ubi peccant flatus*, quoniam illos diſſipat: ſed aliud quid ſubeſt, *Caſtorei ſal. volat. oleoſum abſumit* quodcunque *acidum* nervis inimicum: *Nec eſt Caſtoris teſticulus*, *ſed liquor intra teſticulos & penem collectus.*)

Ex *Aſellis & Lumbricis* parata remedia, quæ commendat WILLIS *in aſthmate convulſivo.*

Cum his, uti dixi, miſcenda ſubinde *Opiata.*

His remediis utiliter interdum interponitur vel præmittitur *vomitus*, imprimis ubi malum hæret in abdomine: (interdum dico non ſemper.)

Aſthmata hæc *convulſiva* frequentia ſunt apud ANGLOS: unde Dn BOYLE *in philoſophia experimentali p. 270.* refert Exemplum talis *aſthmatis convulſivi per vomitum* curati: utut ipſe non definiat, quod tale fuerit; tamen circumſtantiæ ſatis apertè monſtrant.

Idem p. 92. & p. 121. Exempla habet talis *aſthmatis* inveterati & *Orthopnœa* ferè deſperatæ *curata* per uſum *ſpiritus ſanguinis humani*, *cum Laudano Opiato* HELMONTII *cum ſucco Cydoniorum facto*; de quo ſupra.

Hæc de *aſthmate* ſeu *Diſpnœâ* ſufficiant. Pergo ad alia reſpirationis læſæ vitia, quæ inter non ultimum eſt, quando *reſpiratio interrupta cum impetu ac ſono ingrato peragitur*, quæ reſpiratio ita facta vocatur tunc.

SINGULTUS.

Qui fit à ſubitaneâ ac vehementi diaphragmatis deorſum verſus contractione. Percipimus enim omnes, quod ſingultiendo cum impetu inſpiremus, & quod tunc ſimul regio ventriculi antrorſum moveatur, ſicuti aliàs fit in ordinaria inſpiratione. Dum ergò diaphragma violenter, & cum impetu deorſum verſus ſe contrahit, ventriculum & abdomen antrorſum propellit, & ita ſubitaneam inſpirationem efficit. *Singultus.*

Notum aliàs eſt ſufficienter, quod *ſingultus* ſtatuatur

tur *affectus ſtomachi*, *ſed inconſideratè*: Nam ipſe Galenus *in Commentario ſuper Aphoriſmum* 3. *ſect.* 2. apertè ſtatuit talem ſtomacho eſſe ſingultum, qualem nervis convulſionem. Immò hinc inde Autores Practici apertè comparant ſingultum convulſioni. Sed cujus partis? Nempe iſtius partis, quæ primariò inſpirationi inſervit, & hæc pars eſt imprimis *diaphragma*, quod ſcilicet *convulſum* ſeu violenter, & cum impetu deorſum tractum ſingultum inferr.

Primus, qui hanc ſententiam defendit, eſt Platerus, cujus à partibus etiam ſtat Sylvius. Nec deſunt Argumenta, quæ hoc ipſum perſuadent, *quod ſingultus oriatur à convulſione ſeu contractione fibrarum diaphragmatis verſus inferiora.*

1. Quod confimat, eſt, quòd *nos omni tempore voluntarie poſſimus ſingultire*: Hoc innuit neceſſario affici partem, quæ voluntatis nonnihil ſubjacet imperio, & quidem cum faciamus ſingultum inſpirando, hoc innuit talem affici muſculum, qui pro voluntatis imperio reſpirationem poteſt mutare. Jam nullus talis eſt muſculus in toto reſpirationis negotio, quàm diaphragma: pro hujus enim varia alteratione ſecundùm voluntatis imperium poſſumus etiam reſpirationem variis modis mutare.

Primario ergò *affectum eſt diaphragma*, cum pro motu voluntatis poſſumus ſingultum movere, quod non fit in ſtomacho.

2. *In omni ſingultu percipitur motus vehemens abdominis circa regionem Epigaſtricam extrorſum verſus*, quod non poteſt concipi alio modo fieri, niſi quod ex convexitate nimia aliquantiſper (non toto) planius redditum deorſum premat, & in ſpecie extrorſum ventriculum ipſi proximè annexum. Nam, cùm hoc fiat inſpirando, & in omni inſpiratione diaphragma moveatur deorſum, patet eſſe diaphragma affectum.

3. *Nullus poteſt ſingultus fieri niſi inſpirando*, id eſt, aërem attrahendo & ita diaphragma deorſum verſus movendo.

4 *Sæpiùs curatur ſingultus ſola inſpiratione continuata, & quàm longiſſimè inhibita exſpiratione*: Jam ergò ſi eſſet motus expulſorius ſtomachi in ſingultu, inſpiratione potiùs aggravaretur malum, quàm curaretur: Ratio, quia inſpirando diaphragma comprimit ſtomachum, unde potiùs irritaretur ad ſingultum, quam quod exinde malum levaretur.

5. Notum eſt *joco interdum*, imò *ſæpiſſimè curari ſingultum*: id quod innuit non aliquid naturalis, ſed potiùs voluntarii & ſecundùm rationis ductum alterabilis partis primariò in ſingultu affectæ, quæ in inſpiratione non eſt alia quam diaphragma.

6. Ad hæc *Sternutatio ſuperveniens ſingultui hunc ſolvit*, id eſt curat: teſte Hipp. *ſect.* 2. *aph.* 13. ratio eſt quia forti ſternutatione ſ. forti iſta exſpiratione concuſſum diaphragma ex ſe diſpellit non minus quàm ex ſtomacho, quod iſtud antea irritabat.

7. *Nimii animi motus* v. gr. *Terror*, *nimius motus* & ſimilia pathemata *curant ſingultum*: idque ratione ſpirituum animalium, qui à fortiori objecto avulſi minus vacant ſingultui. Exempla talium ab animi motibus curatorum habet Valeriola *p.* 123. utut aliàs etiam non ſint rara.

8. Ad hæc *abſque ſtomacho affecto hepatis inflammatio dat ſingultum*, præterea quia hepar inflammatum immediatè contingens diaphragma iſtud irritat continuò ac ſtimulet ut convellendo ſingultiat.

Singultus ergò, uti dixi, *conſiſtit in contractione violenta & convulſiva diaphragmatis.*

CAUSA hujus violentæ ac convulſivæ diaphragmatis contractionis *eſt* omne *quicquid ad violentam, non tamen durantem ſed interruptam ſubinde ſui contractionem diaphragma cogere poteſt.*

Hoc ipſum, quod ita valet *irritare diaphragma*, ut fibris conſtrictis fiat convulſio, interdum & quidem ſæpiùs hæret *in ſtomacho*: quo pertinent v. gr. *alimenta* aut *medicamenta nimis acria* aſſumpta, *vel alia* quæcunque.

Sic enim ſolum *panem nimia quantitate comeſtum* & illico devoratum *ſingultum* concitare dicit & refert Ferdinandus *conſ.* 43.

Item *in Febribus*, poſt intemperatum *Julapiorum* refrigerantium potum ſequitur non raró *ſingultus*, *vini potu curandus*: uti hoc habet Schenck. *lib.* 3. *obſ.*

Sic quidam *loco Balſami ſulphuris* aſſumens *Ol. Vitrioli* exinde in gravem & periculoſum incidit *ſingultum*, uti refert Barbette *in prax. l.* 4. *c.* 2.

Hæc omnia in ſtomacho exiſtunt & talem ſingultum ſ. convulſionem diaphragmatis inducunt. Ratio eſt conſenſus ſtomachi cum diaphragmate: Dum ſtomachi Os ſuperius ſenſile tranſit per circulũ nerveũ diaphragmatis, ibique idem firmiter ſatis annectitur: Unde ſi aliquid pertinacius vellicat orificium ſtomachi, facillime ſimul vellicatur diaphragma ejuſque pars nervea & exinde ſequitur ſingultus.

Præterea quæcunque aliæ *cauſæ*, ſive in *diaphragmate* ſive in *pectore* hærentes aptæ natæ ſunt, ut producant *ſingultum* modò irritent diaphragma: Sic dixi de *hepate inflammato ſingultum* inferente. Quo pertinent *conformationis vitia*, dum nempe *coſtarum ad ventriculum detruſio* cauſa eſt *ſingultus trimeſtris*, uti habet Schenck, *in lib.* 3. *obſ.*

Item *continuum ſingultum ex compreſſione Thoracis undecimæ vertebræ* obſervavit Rhod. *cent.* 2. *obſ.* 61.

Item *ſingultum* gravem ac continuum *ex potu aquæ frigidæ & nitr.* refert Timæus *in caſibus lib.* 3. *caſ.* 5. *p. m.* 115.

Hæc de natura ſingultus.

Rara qui vult *exempla ſingultus*, qualia non pauca proſtant. Vid. Macell. Donat. *l.* 4. *hiſt. med. mirabil,* 5. it. Schenck. *lib.* 3. *obſ.* Barth. *cent.* 2. *hiſt.* 4. *de ſingultu* 4 *annorum continuo.* it. *eundem* Barthol. *cent.* 3. *Epiſt.* 61. de muliere adeò graviter *ſingultiente*, *ut per biennium à Dæmone obſeſſa* crederetur.

QUOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

Singultus cognitu facillimus eſt vel infantibus quoque notus: Verùm imprimis *obſevandum* venit *an hæreat cauſa* irritans *in ſtomacho*, *an in alio quodam loco*, idque propter curam tunc temporis variandam.

Nam ſi eſt *in ſtomacho*, *evacuantibus* curatur, ſi *in alio loco* conveniunt *appropriata.*

SIGNA PROGNOSTICA,

Singultus ſuperveniens nimiæ purgationi periculoſus: quoniam convulſionem membrorum innuit.

Deinde *ſuperveniens ſingultus inflammationi hepatis periculum* imminet; uti hoc habet noſter Hippocrates *ſect.* 7. *aphoriſm.* 17.

Exemplum hujus, quod *ſingultum ex inflammatione hepatis lethalem* eſſe confirmat, refert Amat. *Luſitan. cent.* 5. *cur.* 30.

In morbo Iliaco, aut etiam in aliis *inteſtinorum* periculoſioribus *doloribus ſuperveniens ſingultus* admodum *malum.*

Superveniens, item *repentinæ Herniæ periculoſus.*

Singultus in omni Febre continua eſt periculoſus habita tamen temporum morbi ratione: Nam is ſingultus, qui adeſt mox in principio, aut qui ſupervenit Febri circa ſtatum ac perſerverat, plerumque mortis eſt prænuncius: uti rectè hoc obſervat Platerus *l.* 1. *obſ. pag.* 203. item Horstius *lib.* 1. *obſ.* 25.

QUOD ATTINET IAM CURAM.

Ea quæ vulgaria anicularum ſunt remedia, *compreſſionem Thoracis*, *reſpirationem omiſſam*, &c. omitto.

Dico potiùs ad *ſingultum compeſcendum* inſigniter commendari *Opium*, quod ipſum ſcil. ſenſum irritationis tollit, & hinc natum impetuoſum ſpiritum ad diaphragma motum ſimiliter impedit.

Nam

Nam *Opii* & *Opiatorum* uſum felicem omnes omninò deprædicant.

Sic *ſingultum* pertinacem admodum *Febri continuæ ſupervenientem* in fine curavit HORSTIUS *ſupra cit. loco lib.* 1. *obſ.* 25.

per Laudan. Opiat. gr. iij.
Theriacæ ʒß.
Conſerv. roſar. ʒi. invicem miſtâ.

GALENUS ſimiliter commendat *Opiata*, ſed eadem miſcere jubet cum appropriatis & quidem rectè nempe *cum Caſtoreo*, *Zingibere*, *Caryophillis* & ſimilibus.

Pertinet huc *Bolus expertus* TIMÆI *contra ſingultum*, item *contra vomitum* & ſimilia. Cujus compoſitio eſt hæc.

℞. Theriac. Androm. ℈ij.
Lign. Aloës ℈ß.
Ol. Macis. gt. ij.
Laudan. Opiat. gr. j. miſc.

Ego aliquando felici cum ſucceſſu talem præſcripſi.

℞. Theriac. ʒß.
Sem. Aniſ. ℈ß.
Ol. Macis. gt. ij.
Laudan. Opiat. gr. j.
cum Succo Cydonior.
F. bolus.

His Opiatis uti rectè dicit GALENUS ſemper admiſcenda appropriata ſingultui dicata remedia.

Talia ſunt *Caſtoreum* & præ cæteris *Semen Aniſi*, quod inſigniter commendatur *ad ſingultum*, ſive *interius* aſſumatur, ſive ſolummodò *naribus admoveatur*.

Item *Eſſentia*, *Spirit.* & *Ol. Aniſi*, quocunque modo aſſumpta ſunt commendatiſſima.

Zingiber ſimiliter ad *ſingultum* commendatur: ſi ſcil. Zingiber in INDIA *conditum* aſſumatur: ſic enim inſigniter ſiſtere *ſingultum* dicitur.

JOEL in omni *ſingultu* ceu præſentiſſimum commendat *Cornu Cerv. uſti* ʒj. quocunque modo uſurpatum.

FORESTUS aliàs habet *Julapium*, quo ipſe aliquoties feliciter uſus eſt contra *ſingultum*. Compoſitio ejus eſt hæc.

℞. Hord. mundat. m. j.
Sem. Aniſ.
Aneth.
Fœnicul. an. ʒj.
Flor. Cordial. an. p. j.
Sem. 4. frigid. major.
Papaver. albi an. ʒj.
Portulac.
Lactuc. an. ʒß.
Liquirit Raſæ ʒiij.
Coquantur in aqua com. pro ℔j.
Coletur & aromatiſetur Decoctum
cum Speciebus Diatragac. frigid.
Diarrhod. abbat.
Diatrion Santalon. an. ℈j.
add.
Syrup. Violat. ℥iß.
Acetoſitat. Citr.
Roſarum an. ℥j.
D. S. Julep. miſc.

Externe expertum eſt *Cataplaſma* MYNSICHTI *ad ſingultum*.

Componitur ex fermento cum pulveribus aromaticis. Vix enim datur efficacius inter externa remedium, quo multi feliciter & cum ſummo ſucceſſu utuntur. *vid. deſcript. in* MYNSICHT. *ſect.* 38.

Simile eſt *Cataplaſma* SCHMUCKII, quod tanquam certum & probatum ad *ſingultum* commendat. *Compoſitio vid. in Theſaur. Med.* 2. & eſt hæc.

℞. Baccar. laur.
Roſar. rubr. Sylveſtr.
Menthæ an. m. j.
pulveriſat. ſubige.
cum ſ. q.
Ferment. acerrimi.
affunde.
Acet. fervens, & calidiſſimum.

Et ſic cū linteo triangulari impone regioni ſtomachi & præcordiorum. Si exſiccetur denuò aceto irroretur.

Deinde in uſu etiam eſt *contra ſingultum* externè *Emplaſtrum de Galbano Crocatum* MYNSICHTI, *cujus deſcriptionem* videbitis *ſect.* 37. *p.m.* 511.

Ol. deſt. Aniſi gt. aliquot *umbilico* illitæ ſimiliter egregiè conferre dicuntur.

Item *Panis calidus vino malvatico* vel alio *generoſo irroratus* applicatus *ventriculo ſingultum* ſiſtit.

Quidam cum *ſpongia* applicant *ventriculo fotum humidum* factum *ex aceto* valdè *acri*, *cocto cum Caſtoreo*, *Pipere*, & *Sinapi*. Hæc in genere.

Ubi *ſuſpicio* eſt malum hærere in *ſtomacho*: & quidem imprimis, ubi non ſufficiunt & conferunt *Opiata*, optimum eſt inſtituere *purgationem*, & quidem *vomitoria*.

Fiunt namque tales ſingultus contumaces ſæpè ex pituita, quā vocant vitrea, ſtomachi orificio firmiter impacta: hac ergo vomitorio ſublata ſponte ceſſat malum.

Ubi opus eſt ut fiat *per inferiora purgatio*, danda ſunt imprimis *aloëtica*: ut *Pilulæ ex aloë cum Laudano Opiato* miſtæ.

Aut *Mercurius dulcis* convenit, idque ad imitationem RIVERII *cent.* 3. *obſ.* 42, ubi curavit ſingultum moleſtum ſæpius quotidiè per annum recurrentem per *Mercurii dulcis gr. xvj. & diagrid. g. viij.* miſta invicem.

Peracta purgatione, vel vomitorio, ubi languet ſtomachus, propinandum eſt.

Ebor. uſt. ʒß.
Ol. Cinnamon. gt. ij.
& ita denuò roborabis ſtomachum.

Aut ad imitationem SYLVII danda eſt talis *Miſtura*.

℞. Aq. Menth. ℥j.
Vitæ Mathiol. ℥ß.
Confect. Alkerm. ʒj.
Laudan. Opiat. gr. ij.
Syrup. Menth. ℥j.
miſc.
D. S. Cochleatim aſſumenda.

Huic Miſturæ, *ſi* ſimul adſunt *flatus*, qui interdum in ſingultu reperiuntur, *Spirit. Nitri gutt. vj. vel viij.* ſunt addendæ.

Nam præter hæc generalia in omni ſingultu reſpiciendæ ſunt cauſæ variæ:

Si enim v. gr. *fiat ſingultus à crudo cibo in ſtomachi*, aut *à vitiata digeſtione*, tunc conveniunt *Aloëtica*; *Pilulæ roſaceæ Marocoſtinæ*; uti etiam *Elixir Proprietat.* cum *ſpiritu aniſi*.

Si ſingultus fiat ab humoribus acribus corroſivis ac efferveſcentibus; tunc præter iſta appropriata in ſpecie uſurpanda.

Ebur uſtum, *C. C. uſt. Ocul. cancr.* quia præcipitant omnes corroſivos humores; item *terra ſigillata*, *bolus armena*, item *lapid. Percar. & Carpionum*, & *aqua Portulacæ*.

Si ſuſpicio ſit malignitatis in ſingultu, v. gr. *in Febri maligna*.

Tunc dictis appropriatis addenda *aqua Cord. Carv. Hercul.* SAXON. *aqua Cinnamom. Cydoniat. Syrupus Citri*, *Extracta Theriacalia*, aut imitandus RIVERIUS *cent.* 4 *obſ.* 78. qui continuum *ſingultum in Febri maligna* compeſcuit per Emulſionem ex.

Sem. 4. frigid. major.
cum
Sal. prunell. ʒj.
Laudan. Opiat. gr. ij.

Singultum ſupra dictum BARBETTE *per Ol. Vitrioli* hauſtum excitatum idem BARBETTE curavit hac *Miſtura*.

℞. Succ. ſemperviv. major. depurat. ℥j.
Aq. roſar.
plantag. an. ℥ij.
Vitell. ovor. num. j.
Syrup. de Portulac. ℥j.
Laudan. Opiat. gr. ij.
miſc.

Cochleatim uſurpentur.

Huic Miſturæ putaſſem ſimul debuiſſe addi aut *Ocul. cancr.* aut *C. C. uſtum*, aut *terra ſigillat.* aut ſimilia acidum promptè abſorbentia.

Ubi *ſingultus eſt ſymptoma* cujuſdam gravis affectus: v. gr. *Inflammationis hepatis*, *Febris acutæ*, &c. *ſpontè* equidem morbo primario curato *ſingultus* ceſſat.

Nihilominus tamen, quoniam partim moleſtum, partim mali ominis eſt ſymptoma, propterea ſimul *Opiata* & *ſudorifera blanda* cum affectui appropriatis, ut iiſdem & ſingultus & affectus primarius ſimul curentur, addenda.

Denique obſervatio notatu digna eſt iſta, quam habet RIVERIUS *in obſ. morborum infrequent.* uti vocat. *obſ. 1. de ſingultu* mirè obſtinato per *bimeſtre durante ex nimio frigidæ hauſtu* poſt calorem; qui ſingultus, aliis omnibus ferè irritis *per balneum aquæ dulcis*, in qua *plantæ Nervinæ* coctæ fuerunt, curatus fuit.

Locuti ſumus hactenus de vitiis inſpirationis, quæ etiam continuabimus.

Adhuc tamen in *genere* monebo, quod *vitia* iſta *varia & multiplicia*, quæ *inſpirando & exſpirando aërem fiunt*, & quidem maximè *ex nervis & muſculis* affectis oriantur, ex *triplici* imprimis ſint conſideranda *fonte*.

1. *Fons eſt Textura & tractus nervi intercoſtalis & paris vagi*, qui duo nervi proſunt movendis membris & partibus etiam colli, Thoracis & Abdominis. Hi duo nervi & eorum plexus ſubinde juncti & diverſimodè diſtributi, in varias ac inſignes convulſiones ac motiones ciere poſſunt. Vid. WILLIS.

2. *Fons eſt*, *varietas muſculorum*, in quos inſeruntur; nempe muſculos varios laryngis, Thoracis & tandem ipſum Diaphragma.

Jam verò, cum omnes hi muſculi ſuas peculiares habeant functiones & ſuas miras alterationes, mirum non eſt, quin muſculis affectis diverſimodè diverſæ etiam functionum ſequantur læſiones.

3. *Fons eſt duplicitas motus*, *univerſalis* nempe, & motus unius cujuſque muſculi in ſpecie.

Duplex eſt motus Thoracis, *dilatatorius* in inſpiratione, & *conſtrictorius* in expiratione: quibus motibus dum varii muſculi diverſimodè inſerviunt, ſequitur, quod hi duo motus variè lædi & variis modis tàm in expiratione quàm inſpiratione vitiari poſſint.

Habuimus jam *aſthmata convulſiva*, ſeu talia aſthmata, quæ impediunt motum pulmonum, ſive convellatur Thorax expirando, ſive convellatur inſpirando. Habuimus convulſionem diaphragmatis inſpiratoriam, ſeu *ſingultum*.

Pergimus ad.

INCUBUM ſeu *EPHIALTEN.*

Incubus ſeu Ephialtes.

Qui & ipſe INCUBUS revera *eſt affectus pectoris & ad vitia inſpirationis læſæ omninò pertinet.*

Nihil enim aliud *eſt Incubus ſ. Ephialtes*, quàm *impedita ac difficilis inſpiratio dormientibus imprimis*, *ac dorſo incumbentibus ſuperveniens*, *cum ſomno ponderis præcordia prementis*, *ac ſuffocationis imminentis*. Unde varia ſubinde ſibi *de perſona certâ* aut etiam *de perſona viſa ſuper incumbente* delirare ſolent *Melancholici*.

Eſt *affectus complicatus incubus*, cujus ſymptomata ordine hoc ſe ſequuntur mutuo. (1) *læditur inſpiratio*; hanc (2) *inſequitur ſenſus*, aut ſaltim metus *ſtrangulationis* (3) *eſt depravata loquela*: dum loqui nequeunt Incubo affecti, ſed ſonum inconditum, aut boatum, aut ſaltem ſonum gravem proferunt. (4) *adeſt anxietas præcordiorum*, & (5) denique *ſupervenit inſomnium rei alicujus Thoracem prementis & quaſi conſtringentis.*

Quæ *vulgò* aſſerunt *de cauſa* Incubi, omnibus notum eſt: ſcil. incuſant *obſtructionem meatuum cerebri à vapore craſſo*: ob id Incubus ad affectus capitis ordinariò refertur. Sed *inſulſiſſima* hæc eſt *opinio*, quam jam ſuo tempore FERNELIUS ac PLATERUS rejecerunt.

Qui ipſi *cauſam* potius *proximam* ſtatuerunt *humorem craſſum melancholicum vel pituitoſum circa præcordia hærentem*, quo humore quacunque ex cauſa *commoto* aut *turgeſcente diaphragma* vel *pulmones* comprimantur: Unde exhalantibus vaporibus *vox* opprimatur, & denique iiſdem cerebrum petentibus ſpiritus animales turbentur & miſceantur, unde *ſomnium* tale ſequatur.

Hæc ſententia differt à communi, quod hi duo PLATERUS & FERNELIUS *dicant incubum eſſe primario affectum Thoracis & reſpirationis læſæ*, *ſecundariò affectum capitis.* Verùm vapores iſti & quicquid illis ſuperſtruitur, eſt doctrinæ diſcuſſivæ & facilis ſolutionis.

Audiamus *Modernos* quoſdam, in ſpecie SCHNEIDERUM *in libro ſpecialiſſimo de Catarrhis*, ubi inter alia tractat de *Epilepſia*, & per conſequens etiam *de incubo*: *cit. libr.* inquam *cap. de Catarrho narium p. 246.* etiam fit mentio *incubi*: ubi *citatus Autor* rectè videtur referre *incubum ad convulſionis ſpecies*, in qua Thoracis muſculi hominis ſomnum capientis ita afficiantur, ut reſpiret exinde laborioſius.

Res ut pateat clarius, ordine procedam, ſcil.

CAUSA PROXIMA.

Incubi eſt omne id quod liberum diaphragmatis motum inferiora verſus impedire poteſt: hoc namque ita *primario*, quoad reſpirationis negotium impedito, *ſecundariò* etiam reliqui muſculi inſpirationi inſervientes impediuntur in motu: cum notum ſit, quod diaphragma ſit primarium inſtrumentum reſpirationis.

Quicquid ergò *primario* libero *diaphragmatis* motui, *ſecundario* reliquorum *muſculorum* inferre poteſt impedimentum, *eſt cauſa incubi.*

Diaphragmatis motus impeditur, ſive *vitio objecti* cujuſcunque, quod diaphragma opprimit & ejuſdem motui deorſum verſus reluctatur: ſive læditur *diaphragmatis motus vitio nervorum* ejuſdem contractioni reſiſtentium.

Id quod *diaphragma comprimit*, aut ſaltim liberum ejus motum impedit, ſolet imprimis eſſe *Stomachus*; qui infarctus materia viſcida & mucilaginoſa, quæ ab acido fermentata in flatus abit, de quo ſuperius, ubi de inflatione ſtomachi. Vel etiam, *ſi Stomachus copioſis nimis alimentis infarciatur*, vel denique *omne quicquid ſtomachum replere ac diſtendere valet.*

Hinc eſt quod *dorſo incumbentibus*, & quibus à dictis cauſis diaphragma ſurſum repelli & ejuſdem inferiora verſus motus ac conſtrictio impediri poteſt, *incubus* fit frequentior.

Ob id eſt, quod *raro* afficiantur *incubo*, qui *laudabili utuntur diæta*, aut qui *ſobriam amant cœnam*: *frequentius*, autem ij, qui vel *crapulæ* vel *ingurgitationibus*, *vel nimiæ voracitati in cœna* ſunt dediti.

Ob id in *puerorum nimia & immoderata ciborum ingurgitatione* ἀδηφαγίᾳ *eſt familiaris incubus.*

Unde etiam ſæpius ex *crapula & ebrietate incubus* affligit: Cæterum, utut equidem hoc ipſum poſſit dare Incubum leviorem & facilè diſcuſſibilem: Nam ſi dormiatur in latere & elevetur caput, poſſumus præcavere talem Incubum: quo magis enim ſupini jacemus, eò minus comprimit ventriculus diaphragma & contra. Nihilominus tamen *in vero* ac continuo *incubo ad nervos* eſt reſpiciendum, qui *inſpirationi inſervientes*, imprimis *diaphragma*, *convulſi dant incubum.*

Ob id etiam quibuſdam *incubus* ſolet vocari *Epilepſia Nocturna*; item *Epilepſia parva*, & ſimiliter, partim

propter

propter *convulſiones muſculorum thoracis*, quæ ſimiliter fiunt in omni inſultu Epileptico: unde in Epilepticis reſpirationis eſt difficultas & ſpuma apparet circa os: partim propterea vocatur *Epilepſia parva*, *quia incubus confirmatus in Epilepſiam degenerat.*

Exemplum tale habet TIMÆUS *in caſibus l.* 1. *caſ.*17. *p.*42. *de incubo in Epilepſiam lethalem* deſinente:

Præterea quoque *Epilepſia parva* dicitur, quoniã *Cura ejus imprimis medicamentis Antepilepticis* perficitur.

Revera ergo *incubo infeſtante laborant muſculi*, imprimis *diaphragmatis motus inſervientes, primariò* quidem *diaphragma*, *ſecundariò reliqui muſculi*, qui *convulſi* impediunt motum diaphragmatis dilatatorium, unde primò ſequitur reſpirationis difficultas.

Verùm cum idem nervus ex intercoſtali profectus moveat muſculos, & ex eodem trunco profectus ramus moveat laryngem, hinc eſt quod à nervi intercoſtalis irritatione muſculis convulſis ſimul etiam convellatur Larynx, qui exinde ſenſum ſtrangulationis, & poſtmodum etiam loquelam impeditam, aut ſonum inconditum, qualem Epileptici alias etiam edere ſolent infert. Et cum hinc impediatur ſanguinis circulus à pulmonum reſpiratione læſa, ob id *anxietas* ægris infeſta eſt.

Denique cum hoc fiat imprimis in *ſomno*, facilè exinde *ſomnia varia* excitare poteſt, concurrente ſimul anima rationali & percepta iſta moleſtia varia talia in ſomnia cudente. Nam quod in ſomno anima rationalis alterationes corporis percipiat, & pro varietate perceptionis varia cudat ſomnia, ſola pollutio nocturna perſuadet:

Ut per Exemplum rem declarem. Notum eſt quod ii, in quorum veſiculis ſeminalibus ſperma turget, dum eruptum eſt ſperma turgeſcens, accidunt ſomnia venerea, quaſi rem habeamus cum hac vel illa pulchra fœmina. Uti ergò turgeſcentiæ & eruptio ſeminis dant ſomnia venerea.

Simili ratione motus diaphragmatis & hinc Thoracis impeditus, dat ſomnia compreſſionis & conſtrictionis Thoracis à re ſuperimpoſita. Hoc ſomnium vagum interdum applicatur certo ſubjecto. Unde tali affectu laborantes certum ſibi ſubjectum imaginantur: *Se premi imaginantur à vetula ingrata*, quale Exemplum habet SCHENCK. *p.*129. & *ſeq.l.*1. *obſ.* de ſacrifico, qui putavit ſe comprimi à vetulâ, quã vidit & cõtrectavit.

Sic FORESTUS *Incubo* affectus putabat pectus ſuum comprimi *à cane nigro*, utut fœmina videret eſſe ſomnium fallax, uti *de ſe refert lib.*10. *obſ.*51.

Hinc rectè dicit *Vincentius Alſarius à Cruce*, idque ex autoritate GALENI, quod *Ephialtes* ſit quædam *quaſi in ſomno Epilepſia*, cum eadem, utut leviora, perpetiantur in incubo dum quieſcunt, quæ patiuntur comitiali morbo correpti, dum vigilant; utrobique ſcil. *ægrè reſpirant* & *vox incondita* profertur.

Vitium eſt imprimis in nervis, ſive *in radice* aut *exortu nervi intercoſtalis*, ubi vitium imprimis conſiſtit in *lympha acida* in cerebro nervos laceſſente & hinc irritante: *Proxima* tamen *cauſa* eſt *in uno alterove ejusdem plexu*, antequam ſcilicet ſurculos thoracem moventes, hinc inde diſtribuit.

Exemplum *Incubi ex nervo in exortu affecto* habet LOVVER. *Tr. de corde p.*157. de quodam nobili.

Cæterum, utut *dormientibus* imprimis accidat *Incubus*, nihilominus non mirandum ſi in ipſis etiam *vigilantibus* oriatur: Nil enim impedit quominus & in his diaphragma, & reliqui muſculi etiam interdiu convellantur. Exempla talis *Incubi vigilantibus* obvenientis *vid. in* RHOD. *cent.*1. *obſ.*54.

Uti etiam videbitis ſimilia exempla in SMETII *miſcellaneis medicis de Incubo* etiam *vigilantes* afficiente.

Hypochondriacis imprimis familiare eſt ſymptoma *Incubus*, & quidem jam inclinantibus ad *melancholiam hypochondriacam*. Jam vero in malo hypochondriaco præter alia vitia convulſiones ſunt frequentiſſimæ: Unde etiam iiſdem facilè talis pectoris poteſt obvenire convulſiva conſtrictio.

Præterea *vermes in abdomine* ſtabulantes inferunt in *pueris Incubum*: Notum enim eſt quod vermes, uti ſuperius aliquoties monui, *horrendas* pueris inducant *Epilepſias*: unde non mirum ſi etiam inferant *Incubum*.

Rarum eſt obſervatum fuiſſe *Incubum Epidemicè* ſparſim ROMÆ graſſantem, uti hoc ex *Cœlio* AURELIANO refert SENNERT. *Tom.*1. *prax. c. de Incubo.*

Non minus *rarus* eſt affectus FOREST. *lib.*10. *obſ.*25. ubi refert de affectu medio inter Incubum & Epilepſiam *tertio quoque die redeunte*, & ita *periodum tertianam* obſervante. *Curato*, ut obiter moneam, *nodulo* ex *ſemine nigro Pœoniæ cerevisiæ immiſſo.*

QUOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

Patent ex *relatione ægri*, poſſunt etiam hauriri ex *concumbente cum ægro.* Taliter enim affecti *ſolent fieri queruli*, *gementes*, *raucum & inconditum ſonum proferentes*, *jacent immobiles*, *parum aut nihil vocati reſpondent*, *& cum impetu expergefacti de nimia anxietate cordis & laſſitudine conqueruntur.*

QUOD ATTINET PROGNOSIN.

Incubus eſt prodromus Epilepſiæ.

Si conjungatur cum *Incubo nocturno vertigo diurna* prognoſis eſt eò certior.

QUOAD METHODUM MEDENDI.

1. *Evacuandus eſt ſtomachus & primæ viæ.*
2. *Propinanda* Medicamenta *Antepileptica* ſeu *convulſionibus* appropriata.

Inter *evacuantia vomitus* obtinet primatum.

Inter *vomitoria* excellunt *infuſa antimonialia* & *Mercurialia.* Modus infundendi omnibus eſt notus.

Si non volumus *vomitorium* propinare, utut *vomitus* ſit optimus, ſaltim inſtituatur *Evacuatio per Inferiora, cum Extract. helleb. nigr. & Mercur. dulc. in forma Pilulari*, quæ in Epileptico inſultu eſt experta.

℞. Extract. helleb. nigr.
Mercur. dulc. an. gr. xv.
Scam. ſulphurat. gr. ij. vel iij.
Extract. Trochiſc. alhand. gr. j.
c. ſ. q.
Ol. deſtill. ſuccini.
F. Pilulæ.
Purg. ſtomach. & cæphalic.
adſperg. Pulver. ſuccini præparat.

Aliàs etiam *infuſa ſennata*, ſunt in uſu; item *Maſſ. Pilul. officinalium de Lapid. Lazuli* commendatur à quibuſdam.

Inter *appropriata* hic convenientia præ cæteris palmam refert *Pœonia*, cujus *radix*, *ſemen & flores* ſunt frequenti in uſu: ſive *radix infundatur potui*, ſive ex *ſeminibus fiat Emulſio*: ſive ex *floribus fiat Tinctura.*

Huic adjunguntur nonnulla alia in Epilepſia uſitata. *Flor. Stœchados*, *Lavendulæ*, *Anthos.*

A quibuſdam *Pulvis Smaragdi præparati contra pavores nocturnos*, & contra *Incubum* inſigniter commendatur.

Quibuſdam in uſu eſt, dum cubitum eunt ut *Theriacam in aqua Pœoniæ* præſervationis ab Incubo gratia aſſumant.

Item *Ol. Roriſmarini, Succini, Salviæ, Cinnamomi*, & ſimilium per *ſacharum in Eleoſachari* formam redacta, & ſub introitu lecti aſſumpta commendantur.

Imprimis tamen *Pœonia mas & Semina* ejus ſingulariter commendantur, imprimis ſi ex iis fiat *Emulſio.*

Expertum etiam eſt remedium *ſi paſſulis majoribus indatur aloë*:

Si ſcilicet *paſſulæ majores excavatæ* ſ. exemptis acinis impleantur *aloë optimâ* ciceris parvi magnitudine, quarum paſſularum nonnullæ ſemper in aurorâ duobus horis ante cibum aſſumptæ curare certè dicuntur *Incubum*, modo aliquandiu continuetur.

ZACUT. *Luſitan. lib. 7. med. prin. hiſt. in obſer. c. 8.* Exemplum taliter curati refert. *Aloës* ℈ij. *paſſulis indendi* & tamdiu continuandus earum eſus donec aſſumptæ ſint.

Pilulæ aloëphang. uti ex ZACUTO notum eſt, quod arceant Ebrietatem, ita ad Incubum laudat; ſi earum *v.* vel *vj.* ante cibum una alterave hora aſſumantur.

Loco harum Pilularum ſubſtitui poſſunt *Pilulæ ſine curâ Cyriaci* WEBERI, quarum deſcriptio *vid. in Auguſtanâ pharm. claſſ. 6.*

Aniſum quoque appropriatum eſt in *Incubo*, ſi ſcilicet ejus *ſemen* ſub introitum lecti comedatur: cum præterea etiam mirifica præſtet in *ſomniis truculentis & turbulentis*: ſi *olei ejus aliquot guttæ*, cum aliis permiſtæ poſt cænam aſſumantur: imprimis *pavores in pueris* potenter curat.

Hæc de Incubo.

Cumque hæ ſufficiant de vitiis inſpirationis læſæ, pergo ad.

CAPUT XV.

DE VITIIS EXSPIRATIONIS LÆSÆ, ſeu DE LÆSIONE EXSPIRATIONIS AERIS.

Læſio expirationis aëris. Dilatati Pulmones ob aëris irruptionem, ſubſequente muſculorum aliorum Thoracis Coſtas moventium contractione denuò conſtringuntur, & ut melius conſtringantur aër expellitur, quæ aëris expulſio vel excluſio *exſpiratio* vocatur.

Conſtrictio hæc Thoracis fit per diaphragma, 1. dum hoc deorſum motum inſpirationem, ſurſum motum expirationem efficit, ita ut duplici motu agitentur muſculi & diaphragma. Deinde poſt diaphragma ſunt imprimis muſculi Intercoſtales interni, qui coſtas in inſpiratione ſurſum movent, & ita Thoracem ampliant, & hinc deorſum ad ſe invicem trahunt, & ita thoracem anguſtant: quin etiam Abdominis muſculos in forti inſpiratione aliquid conferre nullum eſt dubium, qui volumus Tuſſim & ſternutationem attentius conſiderare.

AERIS HÆC EXSPIRATIO LÆDITUR.

1. Quando fit *cum impetu & inſigni labore in ſternutatione.*
2. Quando fit *interruptim, & cum ſonitu in Tuſſi.*
3. Vitiatur, *quando eadem omninò aboletur & ceſſat in iſto aſthmate convulſivo*, quo muſculi inſpirationi dicati convelluntur, de quo ſuperius: & denique.
4. Quando *aër erumpens non legitimam, ſed vitiatam vocem profert.* Nam ſolummodo exſpirando, dum aër tranſit laryngem, fit vox, nullo modo inſpirando. Jam de

STERNUTATIONE.

Sternutatio. *Vitio* ſcil. ſingulari *in exſpiratione aëris* contingente, quæ *Sternutatio* nihil *eſt* aliud quàm *motus convulſivus muſculorum pectoris exſpirationi inſervientium*: in quo motu convulſivo poſt aliquam inſpirationis inchoatæ ſuſpenſionem, ſubito & magnâ, ſed mox iterum ceſſante vi, per nares & os aër unâ vice exploditur.

Pars proximè affecta, ſeu id quod ſternutationem dat, ſunt *muſculi Thoracis ejuſque conſtrictioni deſtinati.*

Nos enim ſcimus, quòd pro lubitu, poſſumus motum ſternutationi non abſimilem ciere, quod neceſſum eſt fieri, à muſculis voluntatis imperio ſubjectis. Jam vero cum & inſpiratio & exſpiratio ſint motus miſti, uti præſuppono ex phyſiologicis: ob id eundem motum dormientes citra voluntatem obimus & vigilantes variè determinamus: & ipſo tactu percipimus ſemper cum impetu in ſternutatione non ſolum conſtringi Thoracem, ſed diaphragma etiam moveri ſurſum: ex eo percipimus, quod omnis abdominis pars ſurſum verſus moveatur, quia ſequitur diaphragma ſurſum verſus motum.

CAUSA HUIUS CONVULSIONIS.

Eſt quicquid valet irritare membranam narium internam. Nulla enim fit ſternutatio, niſi membrana nares internè ſuccingens irritetur & ſimul pectus per conſequens afficiatur. Connexus hujus irritationis, uti dico, eſt *conſenſus nervorum paris tertii & quarti* ad nares productorum, *cum pari nervorum intercoſtalium* Thoracem moventium: Nervis ergo iſtis ad nares derivatis ſpaſmo correptis, ſimili ſpaſmo convelluntur nervi thoracem moventes; & exinde diaphragma aliquandiu propter inſpirationem deprimitur, ſed mox cum impetu & forti motu ſurſum propellitur. Simili ratione ac videmus *ex titillatione circa diaphragma* oriri motum in facie quem vocamus *riſum*: hinc titillati ridemus; utut involuntariè.

Certum ergò eſt *nullam fieri ſternutationem niſi irritetur membrana narium.*

Quæ *irritatio* fit variis modis, *ſive externè ſive internè.*

Externè nunc ſunt *odores fortes*: ſic poſt odorem *majoranæ, roſarum,* &c nonnulli ſternutant; nunc *pulveres in aëre volitantes* inſpirati: nunc ſunt *medicamenta acria, ut naſturtium*, & quæ vocantur *ſternutatoria*, à quibus vellicata membrana narium & irritata ſternutatio promovetur: qualia ſunt, quæ fiunt ex *liliis convallium, Elleboro albo, Euphorbio, Fol. Nicotianæ*, & præ cæteris omnibus, quæ fiunt *ex vitriolo ad albedinem calcinato.*

Quoad *interna*, eſt imprimis *lympha acrior* membranam narium naturaliter humectans. Hæc prout afficit membranam narium ut quando in *colyxa* fit, aliquantiſper fit acris, quia ſalſior & acidior in tali caſu vellicando membranam *ſternutationem* concitat.

Videmus ex his *inſons eſſe cerebrum* in omni *ſternutatione*, *utut vulgò dicatur cerebro concuſſo fieri ſternutationem.* Concutitur ſanè caput, ſed ſine cerebri concuſſione.

Hinc quæ *ſternutatione* projiciuntur *primariò* ſunt *ex naribus & faucibus*, *ſecundario* ſunt *ex pectore, aſpera arteria & bronchiis pulmonum.* Ex *naribus & faucibus*, quoniam ibidem membrana pituitaria continuò tranſſudat lympham, poſt hanc membranam ſunt ſita corpuſcula glanduloſa, quæ lympham præparant & præparatam per membranam narium effundunt. Vid. STENO & alii; lympha hæc, ubi fuerit *copioſior* vel *ſpiſſior*, quod fit ab aëre inſpirato, tunc aër cum impetu per laryngem erumpens obſtacula moleſta ſeu humores ibi concitos propellit & foras exturbat. *Secundum*, etiam *ſi quid hæret in bronchiis aſperæ arteriæ aut laringe*, illud ſimul *ſternutatione* expellitur. Unde in *Tuſſi ſecundariò* potius ſternutando materia in bronchiis hærens excernitur. Remedia ſternutatoria, quæ hos humores propriè emulgent, nihil ex capite educunt, ſed tantùm ex membranis palati & ſubſtratis glandulis hauriunt: ſimili ratione atque Apophlegmatiſma, nihil omnino ex capite, ſed immediatè ex glandulis palatinis & ſublingualibus mediatè ex maſſ. ſang. emulgent & haurit.

Hæc de *cauſis.*

Fit interdum ut *coitus* etiam promoveat *ſternutationem*: Exemplum tale videmus in BARTHOLIN. *cent. 5. hiſt. 99.* ubi refert ſe obſervaſſe in quibuſdam copioſam *ſternutationem poſt coitum* celebratum:

Quò etiam pertinet AMAT. *Luſitan.* qui dicit, quod quidem, qui *à venere* aliquandiu abſtinuit, *adſpectâ pulchrâ muliere* fortiter *ſternutavit*, *cujus ſternutationis optimum medicamen ſit coitus. vid. cent. 4. obſ. cur. 4. in Scholio.*

Plura qui cupit de *ſternutatione*, adeat abſolutum *tractatum* SCHOCKII *de ſternutatione*, item SCHNEIDERUM *Tract. de Oſſe cribriformi*: & ſpecialiſſimè

Tr.

Tr. de catharrho narium, quem vocat ſternutationem, item VVILLIS *im Patholog cerebri*.

In genere ſternutatio eſt motus quidam ſingultui contrarius. Nam in *ſingultu diaphragma convellitur inſpirando* ſeu *deorſum*: *in ſternutatione* diaphragma convellitur *exſpirando*, ſeu *ſurſum*.

Porrò in *ſingultu fit ſonus clarus & ingratus*, propter apertum laryngem, *in ſternutatione fit ſonus raucus & ſtridulus*, propter occluſum nonnihil laryngem, & propter impedimentum narium.

In ſingultu cum impetu inſpiramus : in ſternutatione cum impetu exſpiramus.

SIGNA DIAGNOSTICA PER SE PATENT.

QVOD ATTINET SIGNA PROGNOSTICA.

Sunt varia & quidem HORSTIUS *in ejuſdem obſ. pag.* 298. habet ſternutationem admodum dubiam in puella, dicit quod *ſternutatio nimis frequens & vehemens ſemper ferè innuat ſubſequentem mortem*, quod confirmari poteſt exemplo HILDANI, *cent.* 4. *obſ.* 12.de *ſternutatione lethali im puerpera* obſervata, quæ, cùm aliquoties ſternutaſſet, exſpiravit.

Deinde *ſternutatio nociva eſt oculis* . *ſic ex ſternutatione nimia cæcitatem* nonnunquam obortam habet HILDANUS *cent.* I. *obſer.*24. uti etiam ROLFINCKIUS *in Diſſertat. anatomicis pag.*12. 54. Ob id in affectibus oculorum cauti ſimus in ſternutatoriis, ne cœcos reddamus eos, quos debemus in viſu conſervare.

Poſtmodum *per accidens ſternutatoria conveniunt menſibus & partui* : quando enim ita concutitur abdomen, inſigniter ſanguis circa uterum ſtagnans promovetur & commovetur : Vel facta tali concuſſione motus & vibratus uterus ſponte ejaculat fœtum. Uti de *menſibus* quidem proſtat obſ. HILDAN. *cent.* 3. *obſ.* 58. *De partu* vero uti etiam de *ſtrangulatu uteri* audiendus eſt HIPPOCRATES *Section.* 5. *aphoriſm.*35.

Denique *ſternutatio poſt uſurpata ſternutatoria non ſuccedens malum ſignum, in ſpecie*, ſi hoc fiat *in apoplexia* vel *epilepſia*, & ſimilibus affectibus: totam enim vim animalem proſtratam arguit.

QVOD ATTINET CVRAM

Hæc in eo conſiſtit, *ut tollatur narium vellicatio*, & hinc *ortus impetuoſus ſpirituum motus in diaphragma compeſcatur. Removenda* igitur *in ſternutatione* 1. *Cauſa vellicans* & hinc 2. *ſenſus irritationis obtundendus* : Unde *odor Opii* aliorumque *Narcoticorum* vel *Opium ipſum aſſumptum* eſt expertum ad *ſternutationem.*

Exempl. habet AMAT. *Luſitan. de ſternutatione* continua per uſum *laudani opiati curatâ*.

Primùm *Odor* ſufficit *Opii*, ubi verò hoc nihil proficitur *interiùs adhibetur Laudanum Opiatum.*

Ocimum commendat AMAT. *Luſitan.* ut & ejus *ſuccum* : Cæterum notum eſt, quod ſit planta ſuavis & optimi odoris, ut *probabilius ſit illam provocare ſternutationem* , *ob id potius abſtinendum eſt ab Ocimo in ſternutatione.*

Denique *ablutio narium cum lacte tepido vel cum aqua ſuaveolente temperata ſternutationem* etiam inhibet.

Loco lactis tepidi *mucilagines Sem. pſyllii* vel *Cydoniorum cum aqua Nymphææ* extractæ conducunt.

De tuſſi ſuo tempore agemus.

Hac vice adhuc vitia vocis pertractabimus. Vocis dico, non loquelæ : aliud enim eſt vox, aliud loquela. Vox enim nihil aliud eſt niſi ſonus, qui fit ab aere aſperam arteriam tranſeunte : Huic poſtmodum accedit in lingua & faucibus articulatio & eſt ſermo loquela. Hac vice,

DE VITIIS VOCIS.

Vitia vocum ſunt quando vel deficit vox ; *vel quando vitiatur.* *Vitia vocis.*

Deficit vox, vel *vitio aëris*; vel *vitio laryngis*.

Aeris vitio deficit , *quando non exſpiratur* , *ut* fit in *apoplexia* graviore aut *convulſione thoracis* tali , ubi inſpiratio & exſpiratio impeditur. Hinc *hyſtericæ non* loquuntur dum nullus aër prodit.

Vitio laryngis fit, quando hic *paralyſi* vel reſolutione laborat, ita ut tota rimula ſit aperta, & exinde nullus in aëre ſonus poſſit formari : vel quando laborat contrario vitio *convulſione*, tum enim conſtricta rimulâ ſimiliter nullam poteſt edere vocem.

Ex minoribus cauſis fit *vox nonnihil imminuta.*

Vitia vocis ſunt varia , quando nempe diverſimodè & non naturali modo ſonat vox. Præſuppono enim hîc notitiam ac conſtitutionem fiſtulæ pneumaticæ & laryngis, ut & muſculorum laryngis. Jam ergo notum eſt , quod per fiſtulam pneumaticam in longitudine & latitudine , & aliis qualitatibus humiditate, ſiccitate , &c. variam , varius etiam formetur ſonus nunc gravis nunc ſuavis, nunc clarus nunc ſtridulus, &c.

Ita ſimili ratione cum noſtra *fiſtula pneumatica*, imprimis *aſpera arteria & larynge* comparatum eſt, nunc *humida* , nunc *alio modo vitiata* varios etiam ſonos ac varias voces per exſpirationem profert : *ut quando eſt ſicca & arida profert vocem claram ac ſonum*, quem in *febribus* vocamus *clangoſum.*

Ubi *Larynx & aſpera arteria eſt nimis humida*, tunc fit vox *rauca* , fit eadem *ſimul obſcura* & quaſi *interrupta*, quin non tantum *humida*, ſed etiam *mucilagine craſſa in viſcata eſt aſpera arteria.*

Cum ergo alia vitia vocis non cadant ſub Medici manus, imprimis agam.

DE RAVCEDINE.

Vox rauca redditur, *quando aër exſpiratur par aſperam arteriam ac laryngem nimis humidum ac nimis madefactum*: Unde ſæpius fit quod *poſt nimium potum vox* fiat *rauca*, quia potando, tantillum licet , ſubinde rimulam Epiglottidis ingrediatur , nihil minus tamen ſæpius potando in tantum poteſt coacervari, ut dare poſſit talem *raucedinem.* *Raucedo.*

Item *per aſperam arteriam* continuò tranſſudat *Lympha* , quæ humectat eam ac imbuit, ut voci formandæ aptior reddatur, & oritur ex glandulis juxta ramulos laryngis ſitis. Quod ſi hæc ſit vel *nimis copioſa vel inſpiſſata ac incraſſata* uti fieri poteſt *tempore hyberno* vel alio modo *vitietur*, ſubito *vox aſpera* evadit.

In diuturnâ loquelâ vox rauceſcit , quia quò plus loquimur , eò copioſior emulgetur ſaliva per vaſa ſalivalia & per glandulas : etiam propter motum laryngis, & propter motum linguæ in aſperam arteriam ex glandulis ibidem latitantibus, quæ in copia derivata dat raucedinem.

Reliqua vocis vitia , ut ſunt *vox tremula intercepta*, &c. *vid in* SENNERT. *lib.* 2. *prax. cap, de vitiis vocum.*

QVOD ATTINET SIGNA.

Raucedo per ſe malum eſt, *ſine periculo* tantummodo *moleſtum* eſt adſtantibus & audientibus vocem raucam : propterea interdum fit, ut ſoleant nonnulla inſtitui cura ad tollendam raucedinem : utut ſit ſine periculo.

QVOAD CVRAM.

Remedia partim ſunt *purgantia*, quæ lympham abſumunt, partim *appropriata.*

De *Purgantibus* non multa dico , ſed *ſumantur ea quæ in abſumendo ſero conveniunt*, & ſunt *Gummi guttæ, rad. jalapæ, Eſula, Elaterium, Ebulus & ſambucus, &c.* de quibus ſuo loco , ubi de vitiis glandularum. Nec multùm refert , licet inter purgantia nullus ha-

beatur delectus, quia promiſcuè omnia evacuant.

Appropriata, quod attinet, præ cæteris notus eſt *Syrupus de Eryſimo* LOBELII.

In genere obſervetur, quoad Curam, *an raucedo fiat à lympha copioſa nimis humectante aſperam arteriam? an* verò fiat *à lympha craſſa & viſcida laryngem incruſtante*. In *priori caſu* ſaltem *imminuenda* eſt *lympha*, *in poſteriori* caſu eſt *incidenda, attenuanda*.

Signum diſtinctivum eſt quòd *in lympha nimis copioſa nihil excernatur per os, in raucedine à lympha craſſa nimis ejic itur*.

QVOAD REMEDIA.

Syrupus de Ereſimo LOBELII expertus eſt in *raucedine à muco* ſeu lympha craſſa orta κατ' ἐξοχὴν dicitur *Syrupus ad raucedinem*.

Compoſitio eſt incondita farrago ingredientium calidorum, ſiccorum, humidorumque: *baſis* eſt *Eryſimum*, *ſemen* nempe *ejus*, quod guſtu prodit ſuum ſal. volat. acre. Tota planta imprægnata eſt ſal. vol. acri antiſcorbutico, ſeu ſimili illi quod reperimus in plantis antiſcorbuticis. Hoc Eryſimum eſt baſis totius Syrupi *cum quo vel ſolæ paſſulæ conjunctæ* dabunt remedium ſufficiens pro curanda *raucedine* & reliqua ingredientia ſine periculo poſſunt omitti: cui placet multa congerere, is abundet ſuo ſenſu.

Ubi eſt *raucedo à lympha nimis tenui & copioſa*, convenit *Syrupus de glycyrrhyza*, *ſyrup. de jujubis*, quem RULANDUS & DODONÆUS valdè commendant.

Syrupus de Papavere; *ol. ſacari*, tàm *ſimplex* quàm *compoſitum*: item *ol. ſachari aniſi*, admodum conducunt.

Balſamus ſulphuris vel *ſolus* vel *cum ſacharo* ſubactus eſt quoque expertus *in lympha copioſiore etiam viſcidiore*; cumque hoc raucedinem, quæ ad aliquot annos duraverat, curavit PRIXIUS.

Flores ſulphuris ſunt egregii.

Si quid aliud, *Sperma ceti* eſt expertum ad *raucedinem à* ℈j. *ad* ʒß. aſſumptum. Quidam raucedine contumaciſſima aliquando affectus aliis nil juvantibus *per* ʒij. *ſpermat. ceti* tandem fuit curatus.

Decoctum raparum cum ſacharo cancro commendatur à TIMÆO *in caſibus lib.* 2. *caſ.* 12. *pap.* 100.

Paſſulæ elegantes ſunt ad *raucedinem* tàm *majores* quàm *minores*: Unde *Rob. paſſularum* eſt egregium.

Notum etiam eſt quod *decoctum paſſularum cum aniſo* non ſit contemnendum remedium in *raucedine*, cum quibus paſſulis *Eryſimum* decoctum erit medicamentum *præferendum ſyrupo de Eryſimo* LOBELII.

De Braſſica res nota eſt quod etiam dicitur caulis. Unde *Lohoch de caulibus*. De hac *Braſſicâ vid.* COCTRONGIUS *de vitiis vocis reſpirationis*: Nam ſi quis alius hìc pertractavit vitiorum horum naturam. Hic CATRONGIUS commendat *ſuccum Braſſicæ cum melle* miſtum ad *raucedinem & vocem interceptam*.

Hic præ cæteris *duo* habet *remedia in raucedine* experta.

Decoctum unum; alterum *Electuarium ſ. lambile*. *Decoctum* commendat concionatoribus tàm ad *præſervandam*, quàm *curandam raucedinem*: item commendat aliis qui *multum clamant* & exinde *fiunt rauci*, *doſis* iſtius decocti ℥vj. ante ſomnum & etiam manè: Neceſſitate urgente etiam interdiu ſorbendo affatim hauriatur, ut melius operari queat. *Decoctum* eſt tale.

℞. Hord. optim. non excorticat.
Paſſular. minor, ſine nucleis an. ℥j.
Radic. liquirit. mundat. & raſæ ʒij.
Carycar. pingu. num. vj.
Herb. capill. veneris.
Hyſſop. an. m. ß.
Sem. Braſſic. ʒij.
Pinear. recent. ℥ß.

F. Omnium decoctio
in
Aqu. Fontan.
Colatur. ℞. & pro ejus qualibet ℔.
add.
Mellis deſpumat. ℥j.
Sachar. cand. ℥ß.
miſc. uſurpetur.

Loco ſachar. cand. poteſt addi *Syrupus de Eryſimo Lobelii*, vel *Jujubinus*, vel *de Hiſpidulæ*, quoniam alias ad *raucedinem* commendantur.

Poſterius *Electuarium ſ. lambile* convenit in *raucedine à craſſa & tenaci materia*, & eſt hoc.

℞. Succ. Braſſic. depurat. ℥ij.
Sachar. Penid. ℥j.
(huic potius ſubſtituerem ſyrupos ſupra dictos.)
Oxymell. ſcyllitic. parum
F. Eglecma ſeu Looch in raucedin.
ſubinde lambatur.

De virtutibus *Braſſicæ* contra *raucedinem* vid. GABELHOVER. *cent.* 1. *cur.* 74.

Ubi *lympha eſt nimis ſpiſſa* Electuario poſteriori adjungerem ego ſimul *radicem ari præparatam* vel *recentem*, quocunque modo haberi poteſt.

Nam ad *raucedinem* & vocem interceptam nihil dicit eſſe melius HORSTIUS ſi miſceatur *cum ſyrupo papaverino*: poteſt addi Electuario *à* ʒj. *ad* ʒiß.

JOEL affirmat *myrrham* in ore detentam *raucedinem* tollere.

RIOLANUS commendat *cubebas* ſ. *gran. Paradiſi*, quæ ſenſim ſunt deglutiendæ aut *cum aqua* vel *decocto mellis* propinandæ: & credo quod propter acrimoniam aromaticam non ſint inconvenientes in raucedine curanda.

Subſtitimus in vitiis quæ exſpirationem noſtram lædunt ac vitiant, quæ inter frequentius admodum & ſatis commune vitium eſt quod vocamus.

TUSSIM.

Quæ *tuſſis talis exſpirandi aërem modus*, *in quo non unâ ſed pluribus ſimul ac interruptis vicibus fit aëris interdum & contentorum in aſpera arteria viciniſque locis per os excluſio cum violenta admodum corporis concuſſione.* *Tuſſis.*

Fit ſcilicet omnis *tuſſis*, dum *muſculi thoracem ſtringentes & aërem ſic expellentes*, non blando ac naturali modo ſubſident, ſed potius *violenter* ſimul & *confeſtim contrahuntur*; ſed contractione tantummodo momentanea ſimulque ſubinde iterata & non perdurante una vice.

Ob id ad *motus convulſivos pectoris* rectè refertur *tuſſis, non autem ad veras convulſiones.*

Notum eſt aliàs quod *tuſſis nunc ſit voluntaria, nunc* verò *coacta*.

Cùm enim *tuſſis fiat per muſculos* imprimis *diaphragma*, qui muſculi thoracis certo modo obediunt voluntati; eſt enim *actio media* ſeu *miſta partim animalis, partim naturalis*: Hinc fit, ut pro voluntatis imperio variè exſpirationem alterare, & ſic etiam tuſſim provocare queamus.

Non rarò tamen nobis nolentibus admodum contumaces fiunt *tuſſes*, quæ ſunt *præternaturales* & conſiderationi Medicæ ſubſunt. Dictū fuit præterea, quòd interdum ſimul fiat contractio in aſpera arteria & vicinis locis excluſio per os. Interdum dico: quoniam *tuſſis omnis eſt vel ſicca vel humida*.

Humida eſt, *quando concuſſionis iſtius ope humores, ſanguis, pus, lympha & ſimiles liquores per os excernuntur*, ex quocunque loco proveniant talia.

Sicca verò *tuſſis eſt*, *quoties magno ac multo labore nihil excernitur*, *ſed irrito tuſiendi conatu corpus univerſum fatigatur*, qua tuſſi inani ſeu ſicca non rarò tam *capitis*, quàm *hypochondriorum* aliarumque

rumque

rumque partium dolores contundentes & lacerantes oriuntur.

Immò hac ipſa *tuſſi* inani *Herniæ* tàm *inteſtinales*, quàm etiam *Herniæ ſcroti* ſeu *teſtium tumores* excitantur. Sicut non rarò conatu iſto aliquando *urina* aut etiam *alvi fœces* involuntariò protruduntur.

CAUSA OMNIS, quæ *tuſim* provocare valet, *eſt quicquid muſculos aut nervos exſpirationi dicatos irritare aut vellicare poteſt. Sive hoc fiat mediatè, ſive immediatè.* Iſta enim vellicatione fibræ tàm muſculorum quàm nervorum criſpatæ velocem ac rapidum ſpirituum motum ac influxum excitant: de quo plura, ubi de convulſionibus; Unde neceſſariò contracti muſculi thoracem contrahunt & prout irritatio eſt interrupta, etiam interruptus ſeu ſubſultorius thoracis eſt motus.

Fit iſta irritatio, ut dixi, *vel mediatè vel immediatè.*

Immediatè, quando vitium, quod tuſſim concitat, aut *eſt in ipſis nervis*, aut *eſt in muſculis.*

Mediatè verò, quando alia quædam pars cui nervi intercoſtales thoracem ſtringentes conſentiunt, aut cui muſculi thoracis conſentiunt, afficitur: Et ſic mediante altero vellicantur *nervi*, unde *tuſſis.*

Sic notum eſt, quòd *asperâ arteriâ*, item *auribus irritatis*, ſequatur *tuſſis.*

Locus irritationis eſt vel *aſpera arteria* ſenſibiliſſima, in ſpecie quoad tunicam internam eandem inveſtientem. *Vel 2. eſt in œſophago & ſtomacho*, quorum ille, nempe œſophagus aſperæ arteriæ, hic verò ſtomachus diaphragmati eſt contiguus & connexus. *Vel 3.* denique, irritatio eſt in *ipſis muſculis motis*, aut *nervis eos moventibus.*

Quod attinet *irritationem in aſperâ arteriâ.*

CAUSÆ iſtius ſunt admodùm *variæ.*

Ex *externis* quidem, *quicquid tunicæ aſperæ arteriæ moleſtum cum aëre inſpiratur*: quò pertinent imprimis *fumi minerales acidi.*

Sic ex *hauſto fumo nitr. vel ſulphuris* & ejus effluviis pertinax & intenſiſſima oritur *tuſſis*, propterea, quoniam particulæ acidæ ac corroſivæ inſigniter aculeatæ pungunt aſperam arteriam, qua puncta oritur tuſſis.

Ratio, quoniam nervi ad caput laryngis & ipſas aſperæ arteriæ bronchias delati, oriuntur ex eo nervi intercoſtalis ſurculo, à quo ipſe thorax ſtringitur & contrahitur. Surculo ergo iſto ad aſperam arteriam protracto ex irritatione in ſpaſmodicas contractiones acto, hæ continuantur ad muſculum iſtum, qui thoracem ſtringit, & ſic fit thoracis conſtrictio & tuſſis.

Immò *quicquid extrinſecus hauſtum aſperam arteriam irritat, cauſa eſt* hujus *tuſſis*: Hinc vel *minutiſſima gutta potus*, vel *mica panis*, aut ſimile quid ex irritatione concitat *tuſſim* pertinacem ex modo dicta ratione.

Iſta vitia quoque extrinſecus hauriuntur *in aëris inclementia tempore hyberno*, rationem dat HELMONT. quia læduntur cuſtodes, qui eliciunt exinde humorem, id eſt, quoniam aeris iſtius inclementiâ ſeu vitioſa qualitate, vitiatur aſperæ arteriæ digeſtio ita, ut humor ejuſdem nutritius vitietur in liquamen ac mucum craſſum & viſcidum, quod ipſum incruſtans ac vellicans aſperam arteriam tempore hyberno, dat iſtas contumaces tuſſes.

Ex *cauſis internis, quæ aſperam arteriam irritant, ſunt tres* præcipuè.

1. Quidem *lympha ejus nimis acida.*
2. *Lympha ejus nimis ſalſa.*
3 *Mucus vitioſus ſæpe ſubacidus ipſi adhærens.*

Hæ ſunt *cauſæ principaliſſimæ.*

1. *QUOD ATTINET LYMPHAM.*

Superius monui, quod juxta annulos tracheæ ſint ſitæ glandulæ quæ pro humectatione membranæ continuò tranſſudant Lympham pro faciliori formatione vocis. Quando ergo *ex vitio catarrhali* (de quibus inferius) *lympha eſt nimis acida*, indeque defertur ad interiorem aſperæ arteriæ tunicam, non poteſt non ſubſequi irritatio, & inde *tuſſes* ſæpius *contumaces.*

Obiter moneo SCHENEIDERUS *de Catarrhis* in eo eſt totus, ut dicat excrementa tuſſiendo rejecta tranſſudare per tunicas, quas vocat pituitarias. Verùm STENO obſervavit, quòd poſt has tunicas ſint copioſæ glandulæ, quarum orificia hiant in iſtas tunicas pituitarias, adeò ut dum dicit SCHNEIDERUS *in Coryza* tranſſudare mucum per tunicam ſeu membranam internè nares ſuccingentem, in tuſſi tranſſudare mucoſa rejectanea per membranam ſ. tunicam aſperam arteriam inveſtientem, &c. potius cum STENONE dicendum, ſub his tunicis latitantes glandulas ſuam lympham exonerare; hæc obiter.

Quando ergo iſta *lympha eſt nimis acida*, *non poteſt non fieri tuſſis.*

Item *ſi iſta lympha*, quod ſæpius fit, *exiſtit ſalſa*, ubi ſimul in ore percipitur ſapor ſalſus, & ſic etiam vellicat aſperam arteriam, & tum excernitur, fit *tuſſis.*

Salſa fit lympha ex concurſu acidi & urinoſi, uti ex Pathologicis patet.

Tertiò, Mucus ſubacidus interdum *aſperam arteriam incruſtans & vellicans. Oritur* hæc imprimis *ex vitiata aſſimilatione alimenti aſperæ arteriæ.* quæ vitiata aſſimilatio oritur, quando aſpera arteria afficitur vel læditur vitio externo.

Sic *à fumis metallicis* inſpiratis tali laboramus vitiata digeſtione & inde tali tuſſi.

Hinc obiter moneo in tali tuſſi falſam eſſe ſententiam excerni talia excrementa pulmonum ex maſſa ſanguinea: Non ſanè ſunt ex maſſa ſanguinea, ſed fiunt in aſpera arteria, res patet: Ego aliquando eram ſaniſſimus, præparabam autem Clyſſum antimonii, ſed cùm rumperetur retorta tubulata, hauriebam fumum ex ſulphure & antimonio, ex quo fumo acido in tuſſim per 4. ſeptimanas incidebam, copioſamque coryzam, ubi mucilaginoſa excernebam, quæ non erant in maſſ. ſang. nec in corpore, ſed fiebant ex acido lædente aſperam arteriam & in talem mucilaginem viſcidam degenerare faciente alimentum aſperæ arteriæ proprium.

Præterea quoque *contenta in pulmonibus provenientia in aſperam arteriam* dant *Tuſſim.* In *empyemate*, item *phthiſi* & pure ægros fatigat *tuſſis.*

Obſervata etiam fuit *tuſſis admodum diuturna ex irritatione continuâ capitis laryngis* propter *calculos in tonſillis* genitos, qui irritando dederunt tuſſim. Vid. SCHENCK. *in lib. 2. obſ.*

Tuſſis iſta quæ fit ex *lympha acida & ſalſa* ſolet eſſe *nocturna*: id eſt, ſolet vexare ægros tempore nocturno *à 7. & 8. uſque ad 12. horam*, alio tempore aut parum aut nihil tuſſiunt: Immò ſæpius concurrit *febricula* quædam *lenta* quæ ægros fatigat tunc temporis.

Ubi hæc adſunt ſigna, obſervetur quòd *ſemper* peccet *lympha* eaque vel *acida* vel *ſalſa.* Nam uti ſuo loco habebimus, *Febris* talis *lenta* oritur à *lympha acida & ſalſâ*, vocatur aliàs *catarrhus.*

QUOD ATTINET IRRITATIONEM in ſtomacho & œſophago.

Hic *locus ſatis frequens*, utut parùm attendatur à Practicis.

Oeſophagus irritatus dat tuſſim, quoniam connectitur cum aſpera arteria, ubi deficiunt annuli tracheæ, & eſt pars membranoſa: Unde reverà & facillimè irritatur aſpera arteria contigua & ita *per conſenſum* fit *tuſſis.*

Nec deſunt Exempla; ſic quando *bibimus aquam vitæ*, aut aliud *ſpirituoſum*, eo tempore quo tranſit gulam ſimul fiunt *tuſſes*: item quando *aſſumimus admo-*

dùm

dùm *acida*, ut exactè claudatur larynx, tunc obſervamus *tuſſiculam* nunc *leniorem* nunc *aſperiorem*, prout plus minus irritatur aſpera arteria.

Stomachus irritatus dat tuſſim: Imprimis quando vitium hæret circa orificium ſuperius, quod connectitur diaphragmati, ſic fiunt namque ſæpius tuſſes contumaces adeò, & pertinaces, ut, dum ingruit vix tuſſiendo conatus remittat ante vomitum.

Talis *tuſſis ferina* dicta *ſemper eſt ex ſtomacho:* dum nempe iſta materia, quæ ſæpius eſt tenuis, rarò craſſa, adhæret orificio tamdiu, donec pertinaci tuſſi concuſſus ſtomachus contenta eructet.

Imò omnes *Tuſſes infantum* ſemper habent *cauſam in ſtomacho.* Immò habeo jam tale exemplum; eſt hic juvenis, qui aliquando benè inebriatus domum rediens noctu non bene tectus dormivit, & in tantam ventriculi incidit læſionem, ut percipiat compreſſionem ſtomachi cum tuſſi acerba, in qua tuſſi perſentiſcit vellicationem in ſcrobiculo cordis: Unde quando ejicit talia mucoſa ſunt ex ſtomacho ex vitiata digeſtione: Manè inquit gulam eſſe infarctam quaſi muco. Nam dum ita concutitur ſtomachus, irritatur diaphragma & materia mucoſa ſenſim ſenſimque ſurſum verſus vergit, ut gula quaſi infarcta videatur.

Hic habeo conſentientem LINDANUM imprimis, qui dicit, mihi eſt compertum pluribus obſervationibus, plerumque *tuſſim* eſſe ex *ventriculo:* & omnis illa *tuſſis furibunda*, quæ eſt in *infantibus*, *ſemper eſt ex ſtomacho.* Imprimis quidem, inquit, dum materia vellicans eſt in rugis ejuſdem, circa orificium ſuperius, tunc enim pertinacem dat tuſſim: *vid. ejus Meletemata Medica pag.* 351. Ubi habet plura de hac tuſſi ex ſtomacho imprimis orta. Hinc etiam fit, quòd *in vermibus infantum*, hi laborent *tuſſi: Cauſam* rejicit rectè SENNERTUS & FORESTUS *in vellicationem ſtomachi*, quo vellicato ſequitur talis *tuſſis inanis vid.* SENNERT. *lib.2. prax. cap de tuſſi:* FORESTUS *lib.16. obſ.2. in ſcholio.*

In ſpecie quidem tunc ſubſumptio eſt de tuſſi in ſtomacho; quando præceſſit erratum *Diætæ*: Et quidem tuſſis talis ſigna ſunt quando humida fit ex ſtomacho: *Sicca* ubi *per conſenſum* vel ex *tenui humore* oritur: *humida* quando *ex materia craſſa.*

Senes ſæpè laborant quoque tuſſi & quidem *ex vitio aëris*, contrarium vitium *eſt* in aſpera arteria: ubi citra hoc vitium tales tuſſiendo excernunt viſcida, & *tertiò conqueruntur de dolore in ſcrobiculo cordis eſt tuſſis ſpecies*, quæ non ſunt *vitio aëris* contractæ, *ſemper* ſunt *ex ſtomacho.*

Fit non rarò in *principio Paroxyſmorum febrium intermittentium*, ut oriatur pertinaciſſima *tuſſis. Hæc tuſſis eſt ex ſtomacho*: dum enim fit effervefcentia fortis in inteſtino duodeno imprimis ex concurſu ſucci Pancreatici & bilioſi in principio paroxyſmi, tunc elevantur halitus acres, qui dum ſtomachum vellicant, per hujus conſenſum cum diaphragmate iſtam tuſſim excitant. Et quidem tales in quibus ſunt tuſſes tales in principio paroxyſmi febrium intermittentium ordinariò ſunt *hypochondriaci*, ſeu in quibus abundat acidum in ſtomacho.

TERTIUM IRRITATIONIS LOCUM DIXI muſculos ſ. Nervos Thoracem ſtringentes.

Quærunt Anatomici unde ſit quòd auriculæ membranâ interiore vexatâ ſtylo oriatur tuſſis inanis? Et rectè dicitur conſenſum eſſe propter irritationem & convulſionem plexus nervi auditorii cum nervis intercoſtalibus, vel per plexum derivatum ad aſperam arteriam, ex qua irritatione nervi auditorii irritatur nervus ad aſperam arteriam pertingens, & ſic ſit tuſſis inanis vellicatâ auriculâ internâ.

Sed hæc eſt *tuſſis naturalis.*

PRÆTERNATURALITER ETIAM fiunt tuſſes.

Quo pertinent omnes *tuſſes convulſivæ*, ſeu quæ interdum in *morbis capitis* ſunt obſervabiles. Exemplum habet WILLIS *in Pathologia cerebri* talis *tuſſis convulſivæ* de virgine Epilepſia afflicta, ex tali nervorum circa principium in cerebro irritatione.

Et tales *Tuſſes convulſivæ* ſunt *conjunctæ* cum aliarum partium *convulſionibus*, & ſunt frequentes *hypochondriacis, hyſtericis* & iis qui vitiis *cerebri* ſunt obnoxii *ex lympha acida circa principia nervorum in cerebro ſtagnante.*

Nec ſolùm *Nervi, ſed* etiam *Muſculi* irritati poſſunt dare talem *tuſſim.*

Facit huc exemplum BARTHOLIN. *cent.6. hiſt. anatom.97.* de *tuſſi per annum* inveterata in *vacca*, in qua poſt mortem ſalvis pulmonibus inventum fuit *jaculum diaphragmati infixum*, à quo continuò irritatum diaphrama non potuit non talem tuſſim inveteratam & continuam inferre.

Tales *tuſſes convulſivæ* non ſecus atque alii morbi convulſivi *epilepticis* affines non ſunt ſolùm *chronicæ*, ſed etiam *periodicæ.*

Aliàs ſingulare ſubeſt *aëris vitium* quando *tuſſis* interdum *Epidemicè* graſſatur, non deſunt tamen exempla: imprimis BENIVENIUS ex quo etiam allegat SCHENCKIUS *lib.2. obſ. de tuſſi* habet exemplum *tuſſis* admodum *ferinæ* ROMÆ *Epidemicè* graſſantis.

Dixi quod per *tuſſim* ſubinde quædam rejiciantur *per Os.*

Iſta *rejectanea* nunc ſunt ex *pulmonibus*, nunc ſunt ex *ventriculo*; utrinque aut *ſunt craſſa*, aut *tenuia, frequentiùs* tamen ſunt *ex ſtomacho quàm ex pulmonibus:* idque imprimis ubi nulla eſt circa reſpirationem difficultas: vix enim copioſa & mucoſa ex pulmonibus poſſunt rejici citra difficultatem reſpirationis. Immò ſanè; ubi ſunt rejectaneâ copioſa mucoſa, ſemper vitium hæret in ſtomacho.

Locum affectum *an ex ſtomacho, an pectore* imprimis demonſtrat *ſonitus*, qui tuſſiendo ſimul percipitur, uti etiam hoc rectè movet LINDANUS.

Tot enim inſunt modi in *ſonitu* tuſſis quot ſunt loca, in quibus materia deliteſcit, & deinde pro natura materiæ excernendæ diverſa, etiam diverſus eſt ſonus. Ubi *lympha ſalſa & tenuis* hæret in ventriculo ibi *tuſſis eſt ferina* & furibunda, ubi tamen parum aut nihil excernitur.

Quòd *ſi ſonitus eſt quaſi ex imo pectore* tunc *vitium ineſt ſtomacho*, & tunc ſimul conqueruntur ægri de dolore antrorſum. Immò percipiunt ante tuſſim ibidem vellicationem quandam, & ita tuſſis ex profundo hauſta etiam indicat affectum ſtomachum.

Ubi verò *ſonus eſt ſuperficialis* & quem brevi poſt ſequitur excretio, tunc ſæpiùs malum hæret in *bronchis pulmonum.*

Præter talia *mucoſa* aut etiam *aquoſa*, quæ ſunt ordinaria rejecta, etiam *extraordinaria* nonnulla ejiciuntur.

Sic *vermes inſtar Erucarum* per Tuſſim rejectos vidit *Z. Luſitan. lib.2. prax. admirand. obſ.36.* item BENIVENIUS *in ejuſdem obſervat. cap.77.*

Deinde *lapides* non rarò ſunt obſervati tuſſiendo excreti, qualia exempla imprimis ſunt in BORELLO *cent.1. obſ.67.* & in *Z. Luſitan. lib.1. prax. admir. obſ.95. & 96.* de calculo magno tuſſi projecto.

Immo in *ulcere pulmonum* ejuſdem *abſceſſus*, *in tabe pulmonum fruſtula*, *venarum rami ac ſurculi*, frequenter obſervati fuerunt dejecti. *Sic Tulpius lib. 2. obſ. cap.12.* habet *ſurculum venæ arterioſæ* expectoratum, item *cap.13.* obſervavit *venam ex pulmonibus rejectam.* Sic *fruſta pulmonum* fauces occludentia Tuſſi rejecta obſervat. *c.14.* uti m. BDNIVENIUS *in obſ. c.* 88.

Mirum

Mirum eſt quòd interdum obſervatæ fuerint *Turundæ* tuſſi projectæ: Unde moderni Chirurgi *turundis pectoris fiſtulis* immittendis alligant filum. Nam tales *turundas tuſſi rejectas* habet idem TULPIUS *cit. loc. cap.* 15. item HILDANUS *cent.* 1. *obſ.* 46. item *cent.* 6. *obſer.* 22.

QVOAD SIGNA.

De Tuſſi quando affligat ægros res eſt clara. *Diſtinguenda* tamen *tuſſis eſt, an ſit ex pulmonibus, an ex ſtomacho, an nervis.*

SIGNA DISTINCTIVA PETENDA.

1. *Ex loco titillationis.* 2. *ex ſonitu.* 3. *affectibus conjunctis.*

Nam ubi titillatio eſt in faucibus, aſpera arteria, ſtomacho, res eſt clara, tuſſim eſſe ex uno horum.

Ubi *ex ſonitu* petenda ſigna diſtinctiva dixi ſuperius *tuſſim cum ſonitu profundo eſſe ex ſtomacho, cum ſuperficiali ex pectore.*

Ex affectibus conjunctis: ubi adeſt *apepſia* ſeu *dyſpepſia*, ſ. appetitus proſtratus, *vitium eſt in ſtomacho.* Ubi *conjuncta* eſt *febricula nocturna* aut alii affectus Catarrhales, eſt *ex lympha aſpera nimis*: ubi adeſt *vertigo, convulſiones epilepticæ, hyſtericæ* vitium *eſt ex nervis.*

Obiter moneo *de tuſſi ex ſtomacho*, nihil videbitis in aliis Autoribus niſi in LINDANO.

QVOAD PROGNOSIN.

Tuſſis frequens nimis & *diuturna* ſolet inducere non rarò *Hæmoptyſin*, quæ mala hanc ſequantur res eſt nota.

Deinde *tuſſis infantum* interdum etiam *adultorum contumax & diuturna* ſæpius infert *Herniam*, ſicut in *prægnantibus* ſolet inferre *Abortum.*

Capiti debilitato admodum *nociva eſt tuſſis*, uti etiam iis, quibus affecti *ſunt oculi.*

Interdum *Febribus ardentibus* imprimis curatis & in declinatione non ritè purgatis aut judicatis ſupervenit *tuſſis ex metaſtaſi materiæ morbificæ concoctæ*, in tali caſu, ſi non in tempore ſuccurrimus ægro, periculum imminet *phthiſeos* aut periculoſi *aſthmatis.*

QVOAD CVRAM.

Imprimis ante omnia 1. *removenda eſt cauſa*: 2. *ſiſtenda eſt vellicatio.*

Ad removendam cauſam melius non eſt remedium *vomitu*, imprimis ſi ſit vitium *in ſtomacho*, hinc etiam *in pectore* utrobique melius convenit *vomitorium.*

Imprimis *in principio* tuſſis conveniens eſt *vomitus*, *Tuſſim* verò *inveteratam abſque vomitu curari difficillimum* eſt.

Vomitoria præſuppono quæcunque, ſive ſint vegetabilia, ſive mineralia.

Præter *vomitoria* poſſunt præmitti quæ *laxant per inferiora*: in quibus *ubi eſt Apepſia, Agaricus* & *ſemen Carthami* convenit: item *agaricus in tuſſi ex pectore* non minus quàm *Carthami ſemen* imprimis *agaricus*, ſunt enim appropriata.

In infuſo datur *agaricus ad* ℥ß. vel quod melius eſt datur *extractum cum aliis ad* ℈j. *vel* ʒß.

Semen Carthami contuſum *infunditur in ſubſtantia ab* ℥ß. *ad* ℥vj. utut etiam ex hoc ſemine poſſit fieri elegans *Emulſio purgans ad* ʒiß. *ad* ʒij. ſubigatur in formam Emulſionis.

Maſſ. pilul. de hiera c. agarico ſtimulatæ hîc conveniunt.

RIVERIUS uſurpat *Mercurium ſuum dulcem c. ſcammonio cent.* 3. *obſ.* 31.

Ea quæ irritationem poſtmodùm tollunt præ cæteris uti notum eſt ſunt *Opiata*: Opiata in *tuſſi nocturna* ſunt egregia appropriatis miſta. Nam præter hoc quod irritationem tollunt, *lympham acidam & ſalſam* potenter *temperant.* Unde videbitis quòd veteres in talibus affectus à lympha ſalſa aut acida quod vocant ſerum tenue, ſemper uſurparint *pilulas de Cynogloſſa*, quos ingreditur Opium & Hyoſcyamus.

Unde in *tuſſi nocturna* egregium eſt *Opium* aliis miſtum, quia oritur utplurimum ex lympha acida & ſalſa. Miſcetur imprimis *cum ſpermate ceti*, item cum *ſuccino.*

Modus, v. gr. eſt talis quo ego ſoleo uti in tali caſu.

℞. Spermat. cet. gr. xxiv.
Succin. præparati ℈j.
Laudan. Opiat. gr. iij.
miſc.
divid. in part. ij. æqual.

Cujus pars una detur hora v pomeridiana, pars altera, ſub ingreſſum in lectum prægreſſa cæna moderata.

Vel alio modo cum *Succino.*

℞. Spermat. cet. ℈ij
Flor. Benz. ℈j.
Sal. volat. ſuccin. ℈ß.
(eſt egregium in omnibus vitiis lymphæ, quoniam blandè temperat & urinam movet.)
Laud. Opiat. gr. iv.
miſ. *F. Pulv. dividat.*
In 4. præp. Capiat. iturus cubitum.

Aliàs ad *temperandam lympham ſalſam & acidam* præter *opiata* & dicta *ex ſpermate ceti & ſuccino*: conveniunt imprimis *Gummata* mucilaginoſa qualia ſunt *Tragacanthum*, item *Gum. Arabicum.*

Radices etiam *ſubdulces* imprimis *Glycyrrhyzæ, Altheæ, Helenii, & ſimiles.*

Veteres, ut dixi, uſurparunt *pilulas de Cynogloſſa* ſed ſunt nimis crudæ propter crudum Opium admiſtum.

Loco horum admodum elegantes ſunt *pilulæ* SYLVII *de Styrace ad temperandam lympham ſalſam & acidam* optimæ, quas rectè dicit poſſe ſubſtitui pilulis de Cynogloſſa. Compoſitio eſt hæc, quam deſcribit *prax. l.* 1. *c.* 20.

℞. Styrac. Calamit.
Succi Glycyrrh. ſolut. & inſpiſſat.
(S. Extract. Glycyrrhyz.)
Oliban.
Myrrh. rub.
Opii Thebaic. correct. ſ. laudan.
opiat. an. ʒß.
Croc. oriental. ℈j.
Cum Syrup. Papaver. alb. q. ſ.
fiat maſſ. pilularum.

Obſervetur hic de ſucco Glycyrrhyzæ quòd ſæpiùs ſoleat adulterari idque variis quiſquiliis ac pulveribus pro ponderis augmento: Unde dum propinandus Glyccyrryzæ ſuccus pro temperanda lympha acida vel ſalſa multum aggravatur malum: nam reperitur in ℥ß. ſucci Glycyrrhyzæ una alterave drachma quiſquiliarum.

Ubi ergò volumus eſſe cauti præſcribimus ita.

℞. Succum Glycyrrhyzæ in aqua Hyſſop. ſolutum, filtratum, & inſpiſſatum, &c.

Dum enim ſolutum filtratur, quiſquiliæ remanent, & ſic habemus ſuccum purum & gratum. Verùm in inſpiſſatione exactus obſervetur ignis gradus: ubi enim vel leviter excedit, fit ſuccus amaricans & Empyreuma contrahit, quod etiam eſt nocivum.

Paſſulæ quoque ſunt egregiæ.

Quod ſi pilulæ ſint moleſtæ, loco earum habet *Rotulas* has SYLVIUS, *l. c.* Nam & ipſum Sacharum in tali tuſſi convenit.

℞. Sem. Hyoſcyam. albi
Papaver. alb. an. ʒß.
Thuris maſcul.
Myrrh. rubræ. an. ℈j.

Croc. optimi. ℈ß.
Succi Glycyrrhyz. inſpiſſat. ʒj.
Sachar. Altheæ ℥ß.
(facti cum mucilagine altheæ.)
Gummat. Tragacanth. in aqua roſar.
diſſolut. ʒj.
miſc. F. *Rotulæ* exiguæ.

quarum unam ſubinde in ore detineat æger, ac ſenſim deglutiat, quòd ſi aliquid de *Opio* admiſceretur, eſſet eò melius.

Hæc conveniunt ad temperandam lympham ſalſam.

Aliàs præterea in *tuſſi* conveniunt *ex vegetabilibus*, habita quidem ratione ad materiam craſſam & tenuem.

Marrhubium, *Helenium*, *Hedera terreſtris*, *in tuſſi à putrilagine* pulmonum, *Hyſſopus*, *veronica*, *Scabioſa*, *Mentha*, *Roſmarinus*, & modo dictorum *Flores*.

Item *Radix ireos Florentin. Helenii, Tuſſilaginis, Zædoariæ, Zingiberis*: Item *Semen Papaveris*, *Amygdalæ dulces*, *Semen urticæ*, vulgò commendatur *aqua pulmonum vituli*, *cum plantis pectoralibus* deſtillata, an jure, neſcio, quia parvi facio.

Scholz laudat egregiè *decoctum calami aromatici*, item *decoctum raparum*, quod eſt egregium & *ex hoc decocto* paratus *Syrupus* qui egregius eſt in *tuſſi inveterata*.

Porrò *Syrupus de Nicotiana in tuſſi à lympha craſſa*: item *de Praſſio ſ. marrubio de jujubis in lympha tenui & acri*.

Denique *Syrupus de Botryde*. Nam & ipſa planta eſt ſingulare pectorale, ubi eſt incidenda materia craſſa: quam *ſuccus* & *ex eo* paratus *ſyrupus* potenter incidunt.

Hordeata & eorum *decocta* ſunt in uſu, ubi eſt *lympha acida & ſalſa* quam temperant. Hinc Borellus *cent. 4. obſ. 89.* refert de Tuſſi, Macie, & Agrypnia *hordeatorum uſu* curatis.

Conveniunt etiam vegetabilium dictorum *conſervæ*, & ſic porrò.

Oxymelita & ſimilia veteres uſurparunt, ubi fuit *materia craſſa in ſtomacho & pulmonibus*: loco horum, uti ſuperius dixi, in uſu feliciori nobis eſt *ſpiritus Gummatis ammoniaci compoſitus*.

Zizyphas in aqua vitæ maceratas commendat Harttmannus ad tuſſim *in prax. Chymatric. cap. m. 105*.

Loco hujus Lindanus jubet fieri *decoctum ex radice Helenii cum uvis Corinthiacis in vino dulci Hiſpanico* decoctis, poſt coctionem omnia fortiter debent exprimi, & poſtmodùm ſacharum *rubrum Candi* addi, ut accipiat mellis conſiſtentiam, *doſ. manè & veſperi cochl. j.* Hoc remedium adultorum tuſſim certò curat præmiſſo vomitorio: in infantibus abſque vomitu. Poſſet addi aliquid pro ratione circumſtantiarum de Opiatis aut ſimilibus.

Tinctura Papaveris rhœados in *tuſſi à lympha ſalſa*: item *Tinctura baccarum juniperi* Mynsicht. *in armament. ſect. 2. deſcripta*. Hinc Riverius *in praxi* commendat *Baccar. juniperi* m. iij. coquantur in *Cereviſia* ad conſumptionem tertiæ partis, & ex decocto hauriatur ſubinde bonus hauſtus; expertum dicit eſſe ad curandam tuſſim.

Spiritus nitr. dulcis, item *ſpiritus ſalis dulcis* miſtus cum aliis eſt egregius: quoniam potenter incidit craſſa.

Mihi ad tuſſim *ex ſtomacho ex materia viſcida & craſſa* uſitata eſt talis *miſtura* quæ admodum eſt utilis.

℞. Aqu. Hyſſop.
Tuſſilagin. an. ℥ij.
Syrup. de Hyſſop.
Nicotian. an. ʒvj.
Oxymell. Scyllitic.
Aqu. Aſthmatic. Rudolph. an. ℥ß.
Spirit. nitr. dulc. q. ſ. pro grato acore.
(Vel ſpiritus ſalis dulcis perinde eſt.)
miſc. F. potio pector.

Hæc miſtura ſubinde cochleatim ſumpta expectorat, ſi ita loqui liceat, egregiè.

Elixir. pectorale D. Mich. cum *ſpiritu ammoniac. compoſit.* miſtum uti in *Aſthmate*, ita in *tuſſi à ſtomacho* notum eſt quòd ſit egregium.

Liquor ſ. ol. ſachari ex ſacharo & ſpir. vini uti habet Harttmannus à multis inſigniter laudatur: quidam loco ſpiritus vini vulgaris recipiunt, *ſpirit. juniperi*, & ita parant *liquorem ſachari*, quem laudant in tuſſi ubi eſt *ex vitio aëris* & inde orta *raucedine*. Paratur combuſtione ſpiritus vini ſuper ſacharum: quidam laudant ſi modo cohobetur ſpirit. vini, ſed non magna eſt differentia.

Riverius facit *ol. ſachari compoſitum*, dum ſpiritum vini imprægnat appropriatis pectoralibus. Hoc ol. ſachari, ut obiter moneo, eſt quoque egregium vulnerarium, ſi extrinſecus inſtilletur & applicetur.

Loco hujus olei ſachari ſunt qui recipiunt *ovum ad duritiem coctum*, & exempto vitello albumen induratum *ſacharo replent*, ita nonnihil perforant & in cella ſuſpendent, & ita fit ol. ſachari egregium, quod arbitror non eſſe inconveniens.

Eſſentia Helenii, item *Croci*: *Elixir proprietatis in vino enulato* uſurpatum egregiè commendatur.

In principio quidem hoc elixir videtur exaſperare tuſſim, verùm modò continuetur ad tempus, neminem ſpe ſua fruſtrabit.

Joccolata ſ. Succolata compoſitum iſtud exoticum ex fructibus cacaon, miſta c. ſacharo aut etiam cocta in vino ſacharato optimè cōvenit in *tuſſi* quacunque, ſive *mucilago* hæreat *in ſtomacho*, ſive hæreat in *pectore*, nam egregium eſt ſtomachicum & pectorale.

Porrò *Pulvis Ari præparati*: *Flor. Benzoës*, *Myrrha*, & ſimilia in *tuſſi* conveniunt à *lympha acida*, in quo caſu etiam permiſcentur *ſuccinata*.

Habet hic *Evporiſton contra tuſſim A. Luſitan. cent. 6. cur. 90. Ex floribus ſulphuris & Benzoës in ovo ſorbili* aſſumptis, cujus felicem uſum ſimiliter expertus eſt Ruland. *in Theſauro p. 109.* qui viro annorum 40. Tuſſi vehementiſſima & Aſthmate afflicto præſcripſit pulveris ſulphur. ſive crudi ſive in *flores ſublimat.* ℥ß. (perinde enim eſt) *Benzoës* ℈j. miſceantur in tenuiſſimum pulverem *cujus* ℈ *ij. in ovo ſorbili* manè & veſperi iturus cubitum per 3. dies continuos aſſumpſit, atque ita intra 4. dies reſtitutus fuit.

Benzoë ſanè rectè vocatur Balſamus pectoris, & in morbis aliis pectus affligentibus revera eſt egregium remedium: Unde *Eſſentia Benzoës* cum *eſſent. croci*, & *eſſent. ſuccini* miſta, in *tuſſi ex pectore* affecto orta erit egregia.

Loco florum ſulphuris communium quidam commendant *flor. ſulphuris ſacharatos*: Modus præparandi eſt, ut ſumantur flor. ſulphuris communium part. ij. & ſachar. pars j. cap. mortui vitrioli ad pondus omnium, ſublimantur hæc invicem in flor. ſulphuris ſacharatos.

Proſtant hinc inde *pulveres pectorales*, & *pulvis contra Phthiſin*, qui conveniunt in *Tuſſi ex vitiis lymphæ*.

Balſamus ſulphuris aniſatus aut *ſuccinatus* inſigniter laudatur.

Fit interdum ut cum tuſſi conjuncta ſit *Hæmoptyſis* ſeu *ſputum ſanguinis*: In tali caſu Forestus commendat *Syrupum Myrtillorum lib. 16. obſ. 20. in ſcholio* imprimis *ſi cum decocto paſſularum cum ſpica aromatiſato* aſſumatur.

Quidam omnes tuſſes curavit per *pomum excavatum melle roſaceo* impletum, ſupra prunas poſitum, & ita ſub noctem devoratum.

In genere *habendam* eſſe *rationem cauſarum obſervetur in tuſſi*, & poſtmodùm cognita re medica res eſt facilis.

In *tuſſi ſtomachi* præmiſſo *vomitorio ſtomachica* conveniunt, quæ inter optimum eſt *decoctum Zedoariæ cum vino* paratum aut alia ſtomachica.

In *tuſſi nervorum* ſeu *convulſiva* habeantur commendata, uti ſuperius monui aliquoties, *ſalia volatilia.* Vnde etiam Dn. BOYLE *in Philoſophia experimentali* in tuſſi quacunque etiam inveterata ſola ſolet commendare *ſalia volatil.* v.gr. *ſpiritum & ſal. volat. urinæ*, item *ſpirit. C.C.* aut *ſal. volat. C.C.* tanquam ſingulariſſima & expertiſſima, pergo ad

CAPUT XVI.

DE CORDIS ET ARTERIARUM Pulſu vitiato.

Cordis & arteriarum pulſus vitiatus. VT pateat connexio cum prioribus: Superiùs habuimus in genere de ſanguificatione læſa (de ſpeciebus ſuo loco in ſpecie,) quæ fit dum ſanguis non rectè fermentatur neque in dextro cordis ventriculo, neque in ſiniſtro, unde tunc ſimul fit vitioſa chyli aſſimilatio; quæ vitia ſanguificationis ex læſa particularum maſſam ejus componentium craſi oriri diximus: ſive hæc craſis vitietur vitio chyli, ſive vitio maſſ. ſang. aut hæreditario, aut adſcititio, verùm inter utroſque mediat alteratio ab aëre inſpirato & expirato: hujus ergò vitia hìc inſerenda fuere.

Jam ergò in ſiniſtro ventriculo perfectus ſanguis non ibidem hæret & ſubſiſtit: aliàs præſentiſſimum immineret mortis periculum, ſed ulterius promovetur ex corde per arterias per motum ejus conſtrictorium, qui *pulſus* vocatur, qui ſanguis expulſus promovetur in arteriis per ſimilem earum motum.

PULSUS HUJUS.

Duo ſtatuuntur *motus*, *Expanſorius* ſeu *Diaſtole*, & *conſtrictorius* ſeu *ſyſtole.*

Verùm reverà *unus* tantùm eſt *motus* talis, nempe *ſyſtole* ſeu conſtrictio, dum duplex cordis muſculus ſecundum fibras ſuas ſe contrahit, & ita contractum cor contentum expellit. *Diaſtole* verò ſeu *Dilatatio* eſt reverà potius *cordis paſſio*, dum cor extenſum patitur, quia ab ebulliente ſanguine dilatatur ac diſtenditur.

Pulſus iſte continuatur in arteriis, *quæ* etiam habent *Syſtolen & Diaſtolen cordi* tamen *contrariam.* Dum enim cor ſe contrahit, in arteriis ebulliens ſanguis ac irruens, has per diaſtolen diſtendit: ubi verò cor denuò repletur & diſtenditur remittente in arteriis ſanguinis impetu, hæ per propriam ſyſtolen ſe denuo contrahunt.

Motus hic qui vocatur, ut dixi, pulſus imprimis conſideratur à Medico eum in finem, ut cognoſcatur qualis ſit ſanguinis fermentatio in corde; ſicut ſecundo exploratur urina à Medico, ut cognoſcatur ſanguinis ſtatus ex fermentatione iſta reſultans, & pro fermentationis varietate ſubinde varians.

IN HOC PULSU TRIA SUNT conſideranda.

1. *Sanguis qui movetur.*
2. *Efficiens quod movet.*
3. *Inſtrumenta ſ. Canales per quos movetur.*

Pro ratione horum trium *quinque generales* emanant *pulſuum differentiæ*: Et quidem *ratione ſanguinis motus pulſus eſt* vel *magnus & parvus.*

Magnus, quando arteria à ſanguine turgeſcente diſtenditur: *Parvus*, quando minus eadem diſtenditur. Ad hunc pulſum etiam refertur *plenus & vacuus.*

2. *Ratione partis moventis.* 1. *Pulſus eſt* vel *robuſtus*, vel *debilis*: à corde enim robuſtè ſe contrahente & ſanguinem ita vibrante pulſus fit validus vel robuſtus; ſi è contra, fit parvus.

3. *Ratione* ejuſdem *inſtrumenti* 2. *pulſus* nunc eſt *celerior*, nunc *tardior.*

Celerior à fortiori irritatione: Irritatum enim cor cum impetu ac violentia evibrat ſanguinem, unde ſubitò ac celeriter irritantur arteriæ: Contra minus irritato corde etiam minus irritantur arteriæ, & ſic fit pulſus tardior.

4. *Ratione inſtrumenti* 3. *pulſus eſt* vel *durus* vel *mollis.*

Mollis ab arteria cedente tactui: *Durus* ab eadem arida & tactui quaſi retinente.

5. *Differentia* etiam eſt à *ſanguine promoto*, ratione cujus pulſus interdum aut eſt *frequens* aut *rarus.*

Frequens eſt, quando ſanguis celeriter movetur & ebullit in corde, ſicque totum cor diſtendit. *Rarus* eſt ab immutata ſanguinis fermentatione ac rareſcentia, vid. præter MOEBIUM SYLVIUS *in prax. lib. 1. cap. 26.*

Ex his V. differentiis ſimplicium judicantur etiam facillimè pulſus compoſiti.

Locus, ubi percontatur pulſum Medicus, eſt *carpus manus.* 2. eſt *interſtitium inter pollicem & indicem* in parte molli. 3. *ſunt tempora*, quando v.gr. in prægnantibus corpus non debet detegi. 4. locus *circa talos pedum.*

Vitia pulſus cordis & arteriarum ſunt, quando 1. *pulſus* aut *eſt mollis* vel *tardus*, *debilis & parvus in ſyncope & imbecillitate virium.*

2. *Eſt auctus & nimis impetuoſus in palpitatione cordis.*

3. Quando eſt *præternaturaliter frequens*, ut in *febribus*: de quibus ipſis inferiùs plura.

Dictum fuit quòd *Pulſus ſit parvus*, *tardus & rarus in imbecillitate virium ac languore*, quæ omnis triplici nomine definitur *Syncope*, *Lypothymiâ & Aſphyxiâ*, de quibus ſigillatim erit agendum: imprimis cum certum ſit, quod conſtemus ſanguine & in ſanguine conſervemur, immò etiam ex ſanguine ſpiritus volatiliſentur & generentur.

Hinc quoad *vires ſeu imbecillitatem virium cauſâ ad maſſ. ſang. ejuſque naturalem conſtitutionem* ſunt deducendæ. Ex *ſanguine* dico ſunt *æſtimandæ vires* noſtri corporis.

Jam verò non rarò obſervatur partium functionum & *virium languor* vel *à nativitate* contractus, vel *poſt eam* ſenſim ac ſucceſſivè obortus, aut poſt affectum alium præcedentem, aut poſt eandem remanentem accedunt. Non raræ enim ſunt virium imbecillitates, *quæ poſt morbos diuturnos* obſervantur accedere.

Cum hac virium imbecillitate ſemper conjunctus eſt *pulſus tardus & minor*, item pulſus *debilis & juſto languidior*, tunc præterea plerumque *rarior* quandoque, immò ſæpius *per intervalla certa aut incerta intermittens*: interdum ſecundum arteriæ ductum magis minuſque *deficiens*, qui tunc vocatur *Pulſus Myurus*, qui ubi fit minor, dicitur pulſus *formicans* ſeu *vermicularis.*

Cum his *virium languoribus concurrunt* ſimul *ſenſuum* tàm *internorum* quàm *externorum*, uti etiam *motus corporis defectus*, qui defectus aliàs *laſſitudo nimia* vocari ſolet.

Cæterùm præter hunc languorem, ſucceſſivè ut ſic dicam, ægros affligentem obſervatur aliquando *ſubito ingruens virium proſtratio*, non diu quidem permanens, aut ſubitò perſeverans, ſed *per intervalla ſubinde* quaſi *recurrens*, nunc quidem *ordinatè*, nunc *inordinatè.*

Hujus ſubitaneæ virium proſtrationis *tres* vulgo ſtatuuntur *Gradus*; quorum 1. *eſt Lypothymia* ſeu *animi deliquium.*

2. *Eſt Syncope*, à συγκόπτω concido, quod ægri concidant.

3. Gradus *eſt Aſphyxia*, ſeu omnimoda pulſus ad tempus ablatio.

In omni *animi deliquio*, ſeu

LYPOTHYMIA.

Lypothymia. Præter *Pulſum minorem & debiliorem*, plus minus, prout Lypothymia eſt magis minuſque periculoſa ſeu gravis, ſimul *ſenſus interni & externi omninò obfuſcantur & motus animalis*, tàm *voluntarius*, quàm *debitus* etiam quodammodo *aboletur*: adeo *reſpiratio*, aut *obſcura* aut ferè *nulla* obſervetur.

Graviſſima verò ac ſingularis animi deliqui ſpecies eſt.

SYNCOPE.

Syncope. *In quâ ſubitò ac penè inopinatò concidunt ægri, pulſus mox nullus obſervatur, uti etiam nulla reſpiratio*: interim *ſudor frigidus ac glutinoſus erumpit per poros, parteſque omnes corporis frigent ac pallent, imò urinæ ac alvi excrementa unà effluunt*, adeò ut tales Syncopizantes mortuis, quàm vivis exiſtant ſimiliores.

Cùm in omnibus his effectibus, tàm imbecillitate virium, quàm etiam Lypothymiæ ſpeciebus ſemper obſervetur, *varietas* inſignis *in pulſu*, adeò ut plus minus deficiat in robore & magnitudine, id eſt, nunc *parvus* ſit, nunc *magnus*: facilè patet in perſcrutandis *cauſis* Lypothymiæ, ex quo fonte ſint deſumendæ. Nempè *ſanguinis imprimis plus minus turgeſcentia* infert fortiorem & debiliorem cordis conſtrictionem.

CAUSA ergò *pulſus minoris ac rarioris* in virium imbecillitate adeoque ipſius virium imbecillitatis cauſa erit vel *rareſcentia* vel *fermentatio ſanguinis imminuta* aut *ſpiritus animales non ſufficienter in cordis muſculos influentes. Deficit vitalis ſanguinis fermentatio* ac rareſcentia *in corde* in animi languore imprimis *propter ſanguinis nimiam viſcoſitatem ac glutinoſitatem*: Unde partes ejuſdem ſalinæ activæ obrutæ minus concurrere inter ſe ac fermentare poſſunt: propter ipſam viſcoſitatem ejus, ac glutinoſitatem ineptus fit, ut commodè rareſcat & fermentando expandetur.

Quòd ſi accedat ut in hac ſanguinis glutinoſitate, uti non rarò fit, *acidum abundans* ſimul peccet tàm in maſſa ſanguinea, quàm in lymphis ſanguini permiſtis, malum hoc eſt eò deterius, cùm ſic magis magiſque inſpiſſetur, ac tantum non coaguletur maſſ. ſang. exindeque vitalis ejus fermentatio tantum non omnino aboleatur.

Undè *poſt morbos chronicos non ritè curatos* in quibus plus minus ſpiſſa fit ac craſſa maſſa ſanguinea, ſæpiùs languores tales ſunt diuturni.

Hinc eſt quòd in *Scorbuto* vires ſint adeò imbecilles, quoniam ex vitioſo & rancido acido in maſſa ſanguinea tunc abundante ſpiſſeſcit maſſ. ſang. ejuſque fermentatio inſigniter imminuitur. Unde quando horum ſanguinis nimis ſpiſſeſcit minus expanduntur ventriculi cordis, pulſuſque ſic fiunt rariores, tardiores ac minores. Sanguine taliter conſtituto etiam neceſſariò deficiunt *ſpiritus animales*, unde horum defectus vix erit ſufficiens pro ſenſuum functionibus: quare in virium imbecillitate ſenſus ſunt hebetes imò vix ſufficiunt legitimo cordis motui, unde pulſus eſt tenuis & ſimul tremulus ac languidus: aut ubi ſufficiūt quodāmodo ſpiritus movendo cordi, tamen, ubi à gravioribus objectis in motu diſtrahuntur vel perturbantur, vel figuntur, uti fit ab Opiatis & Narcoticis, tunc neceſſariò ſequitur talis virium proſtratio & languor.

Hæc de *virium imbecillitate* ſatis ſunt clara, verùm quoad *Syncopen* res quodammodo eſt intricatior.

Ut tamen res pateat quadantenus cauſæ Syncopes remotæ prius ſcrutandæ quàm propinquæ.

CAUSÆ REMOTÆ ſunt admodum *variæ* ac multiplices, Sic notum eſt quòd ab *odoribus ingratis* & ſimilibus concidant ægri in Syncopen. Sic refert AMAT. *Luſitan. cent.* 2. *obſ.* 36. de quodam qui ab *odore* immò vel ſolo *adſpectu roſæ* in gravem lypothymiam incidit; erat Monachus.

Funeſtius exempl. eſt quod habet HONFERUS *in Hercule medico p.* 311. de puerpera quæ noviter pepererat, quæ *ex odore ſtrophioli in quo involutæ* fuerunt *roſæ* ſubitò lypothymia lethali fuit correpta.

Hinc eſt quòd fœminæ *Hyſtericæ ex odore Zibethi, Moſchi, Cinnamomi*, &c. cum paſſione hyſterica ſeu hypochondriaca ſimul incidant *in Syncopen*. Nec ſolus *odor* ſed ſæpius *m. præſentia rei horrendæ* infert Lypothymiam ac Syncopen. Sic qui non poſſunt perferre *præſentiam* felis aut *cancrorum* (quale ego novi exemplum) ſi, licet iis inſciis in loco quodam talia animalia horrenda abſcondantur, ſubito tamen illis defectiones animi ingruunt.

Affectus animi fortiores aut *magis ſubitanei* non rarò etiam inferunt ſyncopen.

De *gaudio ſubitaneo eoque nimio* nota eſt res quod inferat ſyncopen lethalem. Exempla ſunt nota ex LIVIO & LATICHIO, item *Marcello* DONATO *Hiſtor. mirab.*

Terror ſubitaneus & gravis ſimiliter infert ſyncopen.

Ex *timore* obortam ſyncopen periculoſam per ven. ſect. curatam refert FONTANUS *in conſil. & reſponſ. pag.* 63.

Immò *ſola fortior ac intentior imaginatio*, dat interdum ſyncopen. Exemplum quod imprimis huc facit, habet HILDANUS, *cent. epiſtol.* 43. ubi refert de ſuo ſervo equo inſidente, cui cùm narraſſet calamitoſas ſtrages bellicas, ex ſola narratione in ſyncopen incidit.

De *evacuationibus nimiis* res nota eſt, quod *ſanguinis* per quæcunque loca aut *ſeminis* & ſimilium humorum abundantes effuſiones ſequatur lypothymia & ſyncope: ſive *ſanguis* reddatur *per nares*, ſive per *uterum*, ſive *hæmorrhoides, ven. ſectionem, aut alio modo.*

Subita mutatio ex aëre calido in ſubito frigidum, aut etiam *ingurgitatio potus intèsè frigidi poſt inſignem corporis incaleſcentiā* etiam lypothymias inferunt. Exempla habet SCHENCK. *lib.* 2. *obſ. ex* BENIV. *cap.* 17. ubi obſervat animi deliquium ſ. lypothymiam, ex *frigidiſſimo vino hauſto* poſt longum luſum ſub ardentiſſimo ſole. Et talia exempla ſyncope correptorum ex *nimio calore & frigore* non ſunt rara.

De *venenis* res nota eſt quod eadem ſive *extrinſecus* applicata *per morſum* ac *puncturam animalium venenatorum*, ſive *intrinſecus* aſſumpta quæcunque graves ac periculoſas inducant lypothymias.

Nimius corporis motus ac externa defatigatio ſimiliter interdum in lypothymias inducit ægros. Pertinent huc *abſceſſus cordis* aut *partium cordi vicinarum*, qui abſceſſus ſubito rupti periculoſas ſyncopes inducunt ægris: de quo videatur non tantum TULP. *lib.* 2. *obſ. c.* 16. de lypothymia ex *abſceſſu in ſiniſtra cordis auricula.* Sed imprimis videndus, utut rarus SANGHEZ *in obſer. p.* 273. Medicus Hiſpanus, de Bibliopola longo tempore lypothymia ſæpè correpto, quo mortuo noxium in corde *Apoſtema* inventum medium ejus partem occupans. Alius Venetus, refert idem, in ſuo corde ſimiliter *Apoſtema* habebat, *dimidii ovi magnitudinis.* Unde & hi ipſi ſubinde ſyncope correpti fuerunt.

Denique *epilepticis paroxyſmis* ſubinde ſuperveniens etiam ſymptoma eſt ſyncope, ſive hæreat in partibus internis, & dicitur à mulierculis, *ſimpliciter magnus in corpore morbus*, ubi fit in *ſuffocatione hyſterica dolore nephritico*, &c. ſive etiam vibretur ad artus in epilepſiam ſeu totius corporis.

His ita conſideratis *univerſales cauſæ ſyncopes proximæ* erunt imprimis *duæ*: ſcilicet aut *ſanguis deficiens*

ſubito

ſubito in fermentatione vitali : aut *ſpiritus animales ſubito deficientes in cordis motione* ſeu *conſtrictione*.

QVOD ATTINET SANGVINEM.

Hic aut *nimis parcus* poſt nimias excretiones: aut *pure vitiatus*, aut *ſubito coagulatus ex hauſtu frigido poſt æſtum aut alia* quacunque ratione *inſpiſſatus* ac *incraſſatus*, ac ob id ineptus fermentationi debitæ ac rareſcentiæ lipothymiam & Syncopen infert.

Quod ſi huic craſſitiei ſanguinis accedat ſimul *vitium acidi abundantis* res eſt eo perículoſior de quo antea dixi. Hinc etiam *pulſus* aut *nullus* aut *rarus*, quia ſanguinis fermentatio eſt imminuta *vitio ſpirituum animalium*.

Fit Syncope *quando* ſcilicet *hi ipſi* aut *deficiunt*, uti fit poſt nimias excretiones, aut quando *hi ipſi in ſuo motu ita perturbantur, ut ad cor aut planè non, aut non ſufficienter deferantur*, & ſic cor quaſi *Paralyſi* laboret, aut *quando ita inordinatè moventur, ut ad cor delati iſtud in continua ſyſtole*, ſeu conſtrictione *contineant*, ita ut ſit continua quaſi cordis convulſio.

In tali enim caſu conqueruntur ægri ad ſe redeuntes, ex cordis conſtrictione valida.

Videmus quòd *animi affectus* dent Syncopen quoniam in his inordinatiſſimè moventur ſpiritus. Hinc adeò graves dant Syncopes, quia hic afficiuntur ſpiritus & inſigniter perturbantur.

Et hoc eſt quod *Syncopen* & Lipothymiam ſubinde *præcedat vertigo, caligo & tenebricoſitas oculorum, dolores, morſicationes* ac *titillationes in orificio ventriculi ſuperiori* nonnullæ præcedant *convulſiones*, & quæ ſunt ſimilia præcedentia ſymptomata, quæ ſpirituum animalium perturbatiſſimum innuunt motum.

Facit huc quod aſſerit PISO *Tr. de Colluvie ſeroſa p.166.* qui dicit quòd Syncopes funeſtiſſimæ ac momentaneæ cauſa ſit motus cordis repente abolitus ab interceptione ſeu obſtructione nervi cordi implantati, idque ex ſubtili aquula quam nos vocamus lympham ex cerebro eò defluente. Declaraturus hanc ſuam ſententiam obſervationes aliquot raras & curioſas, ſubnectit & dicit eſſe quaſi quandam cordis Apoplexiam. Et ex his *ſpiritibus animalibus* aut *deficientibus* aut *perturbatiſſimis fit Syncope, ſive cauſa* hæreat externè circa cor, aut in *corpore cordis muſculoſo* ſive ſit *in vaſis*.

Si accedat ſanguinis vitium, fiunt ingentes, funeſtæ & periculoſæ ſyncopes.

Quod verò ſanguine ſpiſſeſcente ac coagulato in corde ſubito totum corpus corruat, fit quòd non tantùm ſanguinis circulus neceſſarius ſit ad ſuſtinendum totum corpus ſed imprimis quòd requiratur continuus radius ſpiritus vitalis ex corde cum ſanguine in totum corpus: Hoc ergò ſanguine in ſyncope in corde ſtagnante & non fermentante & hinc deficiente cordis motu abrupto aut intercepto ſimul neceſſariò omnes facultates corruunt.

Unde eſt quod ſpiritus animales dicantur luminoſi, qui continuato lumine omnes corporis partes continuò illuſtrant, & ita ad ſuas functiones aptas reddunt vid. BARTHOL. *de luce animalium. Hoc lumine intercepto fit Syncope*: Et à PARACELSISTIS *Syncope* vocatur *Eclipſis Microcoſmi* quia lumen vitale in corpore deficit.

Certum eſt ſemper *obſervari in Syncope vitium ſanguinis circa vaſa & cor & ſpirituum in motu & nervis*.

QVOD ATTINET SIGNA.

Syncopes & debilitatis virium, per ſe manifeſta ſunt ſatis. *Cauſæ* tantummodò probè *diſtinguendæ*: melius autem has non poteſt quis percipere, niſi ex adſtantium relatione.

QVOAD PROGNOSIN.

Res nota eſt omnibus *Syncopen & Lipothymiam eſſe periculoſas* plus minus prout magis vel minus aut eſt durabilis, aut deficit cordis motus.

Unde quando Syncopizantes poſt exhibitionem *ſpirituoſorum* aut poſt *irrorationem faucium*, *liquoribus ſpirituoſis* & fortiter odoratis & ſtimulantibus non reſuſcitentur, ac ad ſe redeant, ſignum eſt graviſſimæ & ob id periculoſiſſimæ Syncopes.

Syncope quæ eſt ex *effuſione ſanguinis*, *ſeminis* aut aliorum humorum quorumcunque, *minus periculoſa eſt* iſtâ Syncope, quæ ab interna & non rarò abdita eſt cauſa.

Sudor frigidus ac glutinoſus quò magis talis eò periculoſior ſyncope. Hic ſudor uti rectè aſſerit HELMONT. eſt nihil aliud quàm mucilago rorida nutritia partium ſubcutanearum, quæ ſub ſyncope reſoluta ac diſſoluta foras qua data portaruit, & ſic ſudorem glutinoſum ac frigidum infert.

QVOD ATTINET CVRAM.

Quoniam Syncope eſt affectus ſubitaneus requiruntur remedia *volatilia & ſpirituoſa*, quò magis talia eò ſunt meliora, quæ ſcilicet ſanguinis glutinoſitatem attenuare, fermentationem ejuſdem deficientem reſtituere & ſpiritus volatiliores ac agiliores reddere valent.

In *languore virium* talia *minus generoſa* conveniunt; idque propterea quoniam diutius ſunt continuanda.

Unde in *languore virium* conveniunt *vina aromatica*, ſeu quibus aromaticæ ſpecies infuſæ, quæ ſubinde hauſta ſucceſſivè vires ac ſenſus reparant.

Dabo Exemplum *Noduli* talis infundendi in *Vinum*, in languore virium pro iiſdem reſtaurandis.

℞. Fol. roriſmarin.
Majoran.
Salviæ.
Calaminth. montan.
Menth. Criſp. an. m. ß.
Rad. Angelic.
Galang.
Acor. veri.
Enulæ campan.
Fœnicul. an. ℥ß.
Sem. 4. calidor. minor. an. ʒij.
Cinnamon.
Cubebar. an. ʒj.

Conciſa & craſsè contuſa inſuantur ſacculo ac affundatur vinum q. ſ.

Quoniam hoc vivens imbibit ſucceſſivè vires ſimplicium aromaticas, exinde fit vinum quod manè & veſperi hauſtum vires ex *morbo proſtratas* vel etiam *ſenio* reſtaurat: Nam vinum lac ſenum ſucceſſive reſtaurare valet.

In *ſyncope & Lipothymia generoſa* requiruntur habita ſemper ratione cauſarum præcedentium.

Sic *ubi* Syncope eſt *ex veneno* addenda appropriata *Alexipharmaca*. Ubi eſt ex *paſſione Hyſterica* aut *Vterina*, appropriata addenda *hyſterica*, ubi tunc naribus admoventur appropriata: ut plurimum quidem naribus in *ſyncope hyſterica fœtida ex Caſtoreo*, & *Aſa fœtida: fumus ſulphuris, pennarum accenſarum*, &c.

Verùm in hoc ſimus cauti propterea quia non omnes mulieres æquè perferunt graveolentia ut plurimum quidem, ſed non ſemper de quo ſuo loco ubi de morbis mulierum. Sunt enim quædam quæ à graveolentibus læduntur.

Unde optimum eſt in *Hyſterica paſſione*, ubi non ſcimus genium mulieris an ſuaveolentia an vero fœtida perferat. *Spiritum ſal. ammoniaci volatilem* admovere naribus. Hic enim ſuaveolentia & fœtida ferentibus conducit.

Semper habenda cauſæ ancedentis ratio, atque *in ſyncope* non frigidiora & calidiora remedia aniculatum

 rum

rum more attendenda ſed ea quæ plus minus ſunt *refectiva* adhibenda.

Imò in *ſyncope ex vitio ſtomachi*, aut etiam *abdominis* interdum *vomitus* tuto poteſt provocari; quin ſcil. ſunt excrementa quæcunque in ſtomacho quæ ex conſenſu ſtomachi cum corde ratione nervorum facta eſt. In tali caſu interdum neceſſarius eſt *vomitus*.

Quæ ergo conveniunt in *ſyncope internè refectiva & analeptica* dicta ea ſunt primariò *vinum generoſum* ac ſpirituoſum cui *aliquot guttæ Ol. Cinnamomi* ſint addendæ, ſic enim fit admodum potens in reficiendo.

Aceta Cordialia, *Theriacalia* & ſimilia in moderata doſi commodè etiam adhibentur cum aliis.

In genere vehicula quæ inſervire poſſunt medicamentis *in ſyncope* ſunt: *Aqua Meliſſæ*, *cum vino*, *aqua Pulegii cum Aceto*, *aqua vitæ* ſeu *quinta Eſſent.* aut ut alii vocant *Elixir vitæ* MATTHIOLI: Item *aqua Cordialis Hercul.* SAXONIÆ, In mulieribus *aqua Hirund. c. Caſtoreo. Aqua cordis*, *cervi*, *carbunculi*, *aqua vitæ alba* DRESDENS. quæ eſt optima NB. *aqua cordialis calida* MYNSICHT. &c.

Hinc *ſpiritus Theriacal. camphorat. cord. cervi & C. C. volatilis*. Nam *ſalia volat.* ſunt potentiſſima in Syncope.

Sic eſt Medicus qui frigidos ut ſic dicam & calore vitali deſtitutos ſe recreaturum confidit beneficio *Elixir. vitæ* MATTHIOLI, *in quo grana aliquot ſal, volatil. viperarum* fuerunt diſſoluta.

Hinc *Liquor* C. C. *ſuccinatus* (ſeu *ſpiritus* C. C. *ſuccinatus*) vel *ſpiritus* C. C. *eſſentificat. & ſal. volat. ſuccini*, debita proportione unitus eſt elegantiſſimus.

Nam *ſuccinum* & ejus *ſal. volat.* imò *Oleum ſuccini* aliquot guttularum vel granorum pondere exhibitum admodum potenter roborat ſyncopticos imprimis ſimul concurrentibus inſultibus Epilepticis aut inſultibus hyſtericis.

Spiritus Roſarum per ſe eſt egregium refectivum: quod ſi vero fiat *ſpiritus roſarum Ambratus*: id eſt, ſi fermentetur Ambra cum roſis fit exinde ſpiritus roſarum ambratus potentiſſimus & elegantiſſimus: Nam fermentatione ambræ cum roſis ejus occulta compages recluditur ut poſtmodum, cum ſpiritu roſarum ſurſum rapta det ſpiritum elegantiſſimum.

Loco hujus proſtat *Eſſentia Ambræ* (præfero tamen ſpiritum) parata *cum ſpiritu roſarum*, aut quod melius eſt cum *ſpiritu Meliſſæ*, quæ *Eſſentia Ambræ*, ut & *ſpiritus roſarum ambratus ad gt. viij. vel x. in aqua Meliſſæ* exhibetur & eſt medicamentum mirè reficiens ſyncopticos.

Quod ſi huic *ſal. vol. viperarum* aut *ſuccini verum* addatur vix relinquet Medicum & ægrum.

Elixir citri; *ſpiritus citri* acuatus *ſal. volat.* C. C. (quod ſemel pro ſemper noto) *in aqua appropriata* exhibita ſimiliter conveniunt.

Spiritus Liliorum convallium per fermentationem paratus.

Quibus notæ ſunt Enchiriſes Chymicæ parandi ex *vino oleum* ſeu *quintam Eſſentiam vini* cujus minutiſſima gutta linguæ admota, totum corpus quaſi fulmine penetrat: & eſt ſal. volatile ſubtiliſſimum vini in oleiforme corpus concentratum ii non habebunt melius levamen in ſyncope.

Eſſentia cordialis D. MICH. ex vegetabilibus cordialibus *cum ſpiritu cordis cervi* eſt egregia.

Tinctura ſ. Eſſentia Caſtorei in *ſyncope hyſterica & hypochondriaca* convenit.

Aliàs *Eſſentia ſ. Tinctura croci* inſigniter laudatur; & rectè à PARACELSO Croci Eſſent. ſumma cordis lætitia dicitur.

Paratur hæc Eſſentia Croci per aquam vitis menſe Martio ex pampinis inciſis deſtillantem: vel etiam cum ſpiritu appropriato Meliſſæ aut Roſarum parata eſt efficacior: Huic Eſſentiæ ſi granum unum vel alterum addatur fit medicina penetrantiſſima.

Tinctura Corallorum cum ſpiritu cordis cervi noto modo parata eſt elegans; imprimis poſt ſanguinis aut alius utilis ſucci excretionem. Unde etiam Puerperis poſt partum exhibetur pro reparandis viribus.

Nota eſt *Tinctura Solis cum Oleo Cinnamomi* tàm ea, quàm habet MYNSICHT. *in Armamentar.* quàm etiam D. GANTZLANDI.

Verum vires potius Oleo Cinnamomi tribuendæ quàm Auro, utut enim per ſalia inſigniter diſſolvatur Aurum non tamen ejus totalis eſt recluſio, ut ſulphur abſconditum fiat manifeſtum. Facilius enim eſt Aurum conſtruere quam deſtruere: adeò ut menſtrua in his ſint egregia, admiſtæ atomis Auri parum operantur: qui verò poteſt parare veram Auri Tincturam, iſti concedam ſuum gaudium:

Aliquoties facta fuit mentio *ſalium volatil.* nec immeritò: Hæc ipſa fiunt magis appropriata *ſi fiant oleoſa*, id eſt ſi artificioſe conjungantur cum oleis aromaticis deſtillatis, quod per ſe non poteſt fieri: *beneficio* tamen *ſpiritus vini*, qui de utroquoque nempe ſal. volat. & oleo participat.

Imò vel ſolus *ſpir. ſal. ammon.* benè rectificatus conjunctus cum *ſpiritu vini rectificatiſſimo* dat talem miſturam, *ſal. vol. oleoſum* admodum elegantem *in ſyncope* aut virium ſubitâ proſtratione.

In *ſyncope* & Lipothymia ex *nimiis purgationibus* quæ ſunt frequentes imprimis conveniunt *Theriacalia*, *aqua Cinnamomi cum ſpiritu Theriacali*, *aqua Cinnamomi* in qua *Theriaca & Confectio Alchermes* fuit diſſoluta. Nam hæc ſunt præſentanea.

Spiritus vini rectificatus cum Ambra & Moſcho aromatiſatus commendatur imprimis à FABRO in *ejusdem Pathologia*.

Inter *externa* notæ ſunt *aqua & olea* quæ illinuntur; *aqua Carbunculi*, *Liliorum convallium*, &c.

Item *Olea* quæ illinuntur naribus, temporibus, pulſibus, ſcrobiculo cordis; ut *oleum carbunculi*, *cinnamomi*, *citri*: præ cæteris utile eſt *oleum ſuccini*, *Caryophyllorum* & ſimilia.

Succinum ſolum ſub formâ *ſuffitus* adhibetur à RULANDO: Cum dicit ſe longa experientia in omni ætate & affectu reperuiſſe Lipothymicos refocillatos ex *accenſu Carabe* aut ex *Ol. Carabino* naribus illito aut una alterave gutta cum aqua appropriata ori infuſa *vid. Theſaur. p.*177. de muliere mortua ferè & frigida, quam *ol. ſuccini* reſtituit. NB. In ſuccino multa latent.

Syncoptica reliqua *acet. flor. Tunicæ*, *Sambuci*, *aceta Bezoartica* & Aniculis ſunt nota HŒFERUS *externè* commendat *olfactum panis recentis*: cujus odorem omnibus aquis perlatis longè præfert BECHERUS.

Regioni cordis admovet HARTTMANNUS *ſacculos ex Meliſſa irrorata cum ſpiritu vini*.

Non raro eſt *ſyncope à Ven. Sect.* In hoc caſu præſentaneum eſt remedium ſi *labia fricentur ſale communi* vel *granula quadam ori imponantur*.

TIMÆUS habet egregiam Miſturam ad *ſyncopen ſenum* imprimis ad *Lipothymiam* & virium imbecillitatem *defectu ſpirituum ſenibus* obviam ſub formâ *Opiatæ*.

♃. Rotular. Manus Chriſt. perlat. ℥iij.
(corpus)
terantur in mortario marmoreo
affunde.

Ol. Cinnamom. gt. j.
Macis gt. ix.
Caryophyllor. gt. vj.
Nucis Moſchat. gt. x.
Eſſent. Ambr. Crocat. gt. xxvij.
Velleris aurei VVEIDNERI ℈ij.
Spirit. roſar. gt. xx.
Meliſs.

Citri,

Citri. an. gr. xj.
Confect. Alcherm. ʒij.
miſc. exactè doſis quantitas avellanæ ſ. juglandis.

Dictum fuit quòd contrarium pulſui debili ac infirmo ſit vitium, quando *pulſus eſt nimis rapidus vehemens ac violentus*: id quod fit in affectu dicto.

PALPITATIO CORDIS.

Palpitatio cordis. *Vitium*, ubi dixi, *Palpitationis cordis* quod etiam ratio pulſus affirmat, *eſt quando cor impetuosè ac vehementer ſubſultat & pulſat.*

Eſt enim revera *Palpitatio cordis motus ejuſdem convulſivus*, id eſt motus cordis nimis inordinatus coactus & vehemens: habet tamen ſuos *gradus & differentias. Nunc vehementer eſt, nunc mitior, nunc ſit major, nunc* vero *mediocris.*

Obiter moneo: *Palpitatio hæc* cordis ſeu motus nimius, *vix ſufficienter ex arteriarum pulſu poteſt cognoſci*, quin potius ſæpius neceſſum eſt cordis *regioni*, imprimis *lateri ſiniſtro admoveatur manus* ut percipiatur. Non vero opus eſt ſemper quin *interdum eſt adeò vehemens* ut *ſolo auditu vel viſu poſſit* cognoſci & percipi adeo ut exempla in HORSTIO teſtentur cordis palpitatione *ferè diffractas fuiſſe coſtas in obſerv. lib.* 3. *obſer.* 17.

Quod ſi tamen *coſtæ* non confringantur certè *diſlocantur*, id eſt protruduntur ut foras protuberantes ita promineant.

Ex quo patet *eſſe convulſionem muſculi cordis in tali palpitatione.*

CAUSA.

Hujus *cordis palpitationis eſt omne id quod quacunque ratione aut muſculos cordis aut nervos ad hos muſculos derivatos irritare adeoque conſtrictionem inordinatam abſque intermiſſione poteſt concitare, ſive* inquam afficiantur *nervi* cordis ſive *Parenchyma* cordis muſculoſum, *ſive intra cordis hæreat ſtabulum* ſeu *ventriculos: ſive externè* ipſis adhæreat.

Contrarium vitium Palpitationi cordis eſt.

TREMOR CORDIS.

Tremor cordis. *Motus* ſcilicet *ejus imminutus vibrans & tremulus, imminutam ac vitioſam, quia debilem, cordis conſtrictionem inſequens.*

Confunditur communiter hic cordis Tremor cum Palpitatione cordis & vix reperietis quendam practicum qui hæc non confuſè tractet cum tamen differant toto cœlo.

Palpitatio enim *eſt immoderata & vehemens concuſſio vehementi ſyſtole ac diaſtole moleſta*: In Palpitatione enim concutitur & quatitur cum impetu & *vocatur hic motus rectè* ad ſententiam noſtri HIPPOCRATIS à quo jam ſuo tempore fuit cor pro muſculo habitum *cordis convulſio*, & confirmat hoc LOVVERUS *Tr. de corde pag.*132.

Tremor cordis dicitur cum minores ſunt pulſationes & crebræ ac quaſi tremulæ, pulſui languido ac crebro ſimiles.

Tremor cordis oritur equidem *ab irritatione muſculi cordis*: Verùm in hoc eſt *differentia* quòd cor agitatum palpitat qn. vires ſunt robuſtæ ac conſtantes: ubi verò ſunt imbecilles ac proſtratæ agitatum & irritatum cor vult quidem ſe agitare ſed debiliter & tremule: adeo ut *tremor cordis* pertineat *ad ſymptomata de viribus imbecillibus & etiam quodammodo ad Lipothymias.*

In genere uti dixi confunduntur Palp. Cord. & Trem. Cord. ſed uti apparet magna eſt differentia.

CAUSÆ IRRITANTES.

Tàm in *cordis palpitatione*, quàm *tremore* ſunt vel *interna* vel *externa*: id eſt vel *hærent* in cordis parenchymate vel iſtud irritant, quo etiam pertinent *quæ irritant nervos cordis.*

Inter *externas* ſæpe obſervata fuit aqua *pericardii nimis abundans*, quæ aqua nihil eſt aliud quàm Lympha derivata eò per vaſa lymphatica ex glandulis thoracis ſe eò effundens.

Hac ergo *Lymphâ abundante fit Hydrops Pericardii*, ſcil. humor pericardii abundans, quæ *lympha abundans in pericardio dat Palpitationem cordis* moleſtam & diuturnam. Exempla vid. in ZACUT. *Luſit. cent.*3. *cur.*43. item *in Piſone tract. de ſero p.* 168. qui etiam refert quod in his qui palpitatione cordis laborarunt poſt mortem fuit inventum pericardium copioſo ſero diſtentum: quod GALENUS obſervavit *lib.*5. *de locis affectis* in quo dicit, quod *aqua abundans in involucro cordis ſit cauſa palpitationis cordis.*

Tuberculi itidem *cordi vel Pericardio adnati* interdum ſunt cauſa *palpitationis cordis* admodum vehementis: Exempla habet SCHENCKIUS *lib.* 2. *obſ.* item Z. *Luſitan.lib.*8. *Med. prin. hiſt. cap.*8. *obſer.*3. ubi ex *excreſcentia carnea* inter atteriam magnam *cauſa palpitationis* cordis inſignis.

Præter tuberculos imprimis ſunt *vermes* aut *in pericardio hærentes* aut *pericardio adhærentes*, qui vermes inter alia ſymptomata periculoſas dant *palpitationes.*

Affectus eſt rarus vermis pericardii, & paucis cognitus.

Hac ergo occaſione explicabo naturam.

VERMIS PERICARDII.

Symptomata quæ inferre poteſt & *medicamenta vid.* Vermis pericardii. *poteſtis apud* GABELHOVER. *cent.*3. *cur.*1.

Præ cæteris *ægri patiuntur* uti dixi *palpitationem cordis* ſubinde *recurrentem* ſine cauſa, *immenſas roſiones in præcordiis, facies pallet* & ſimilia adſunt ſymptomata.

Medicamenta quibus vermis hic interimitur ſunt imprimis.

Succus allii, Raphani & Naſturtii: his enim interimitur hic vermis *vid.prax. Chymiatrica* HARTTMANN. *cap.* III. & GABELHOVERUS. *citat. loco*: ubi habet exempla vermis pericardii per hæc medicamenta necati.

Notatu digna eſt Hiſtoria quam excerpſi ex manuſcriptis *Petri à* CASTRO *Medici* VERONENSIS: Mihi inquit, contigit hoc dirum morbi genus in Cantabria obſervaſſe ſub Epidemica conſtitutione, in qua poſt ingentem ægrotantium qui ſtragem omnes convulſi cum frequentiſſima & ferè continuata cordis palpitatione moriebantur, diſſectis quibuſdam cadaveribus invenimus in ſingulis vermem magnitudine ferè minimum digitum æquantem capſulæ cordis affixum. Non valuerunt inquit præſtantiſſima Alexipharmaca vermem occidere non *Bezoar orientalis*, non *Theriaca* non *Confectio Alchermes*, non *Scorzonera* aut alia, itemque neque *allium* à quo tamen magis quàm ab omnibus angebatur & videbatur lædi: *Solus ſuccus ſcabioſæ* vermem occidit. Unde hac experientia obſervata *ſcabioſa* uti juſſimus languentes tàm *in juſculis* excocta quàm in *decoctis & Syrupis* ex ea fabricatis. Tandem nulla auxilia ægrotantibus apponebantur abſque hoc ſpecifico alexicaco & certè mirum fuit ab eo tempore nec ullum ægrotantium periiſſe. Itaque non cordialibus hic affectus curari potuit ſed *ſucco alii, ſcabioſæ & aqua ſcabioſæ* in qua agitatus fuit per aliquot horas *Mercur. crudus*. item *Mercur. dulcis ad* gr.xj. exhibitus cum *bolo ex conſerva florum ſcabioſæ* inſigniter profuit. Hæc CASTRO propria experientia nobis reliquit.

Aliàs in *verme pericardii enecando* expertum eſt *Cataplaſma ex foliis Cinaræ, Tanaceti, & Abſinthii, aceto vini incoctis & cum pauco Mithridatii* miſtis regioni cordis admotum: Expertum fuit à LOVVERO *Tract. de corde p.*107.

Rara proſtant de hoc exempla ego tamen puto, quod *non ſit rarus talis vermis ſed* admodum *frequens.*

CAVSAS.

Quod attinet *internas in corde*: hæ ſunt imprimis *ſanguinis vitioſa fermentatio*; uti etiam poſtmodum alia *interna vitia*. Uti enim à ſanguine rareſcente expanſum cor irritatur ad ſui conſtrictionem, ita ubi præternaturalis eſt fermentatio, etiam præternaturalis per conſequens irritatio, ibi præternaturalis etiam ac violenta erit contractio.

Hypochondriacis Familiare hoc eſt *malum* duplici ex fonte partim, *quoniam eorum maſſa ſanguinea fermentans vitioſè, ob acidum vitioſum abundans facilè inferre poteſt palpitationem*: partim vero & quidem altero ex fonte *quoniam tales obnoxii ſunt ſpaſmis nervorum* imprimis *rami inter eos talis & paris vagi*: Unde fit ut in talibus *Lieni incumbentibus* ſubinde contingat *palpitatio cordis*: Non propter vapores ex liene ad cor deſcendentes: ſed *propter ramum ſplenicum nerveum* ſatis inſignem tunc *in ſpaſmum contractum* cujus ſpaſmus plexui meſenterico communicatus talem ſurculum paris vagi contrahit cujus truncus cor agitat & ita affecto nervo cor palpitat, quod patet imprimis ex eo quod in talibus ſpleneticis ingruente cordis palpitatione, percipiantur murmura ac rugitus in abdomine ex ſpaſmodica meſenterii & imprimis inteſtinorum contractione & agitatione.

QVID DE FLATIBVS?

Flatus in cord. & arter. Communiter quidem *flatus* dicuntur *cauſa palpitationis cordis*, *puto* tamen hoc ipſum *rariſſime* obſervari, & poſito quod ſint, *vix* tamen *continuam cordis palpitationem inferre poſſunt.* Dubitant equidem nonnulli an *dentur flatus in vaſis majoribus ſanguifluis*, & per conſequens *arteriis*. Verum vix poſſunt negari in vaſis flatus ſub certis caſibus: proſtant namque exempla horum.

Sic Sylvius in Belgio in quodam cadavere in Noſocomio reperit *flatus* vix diviſa ſumma abdominis cute erumpentes, quin & *arteriam Aortam* præcipue verò *ſiniſtrum cordis ventriculum*, ita diſtendentes ut ſiniſter ventriculus dextro longe capacior apparuerit propter diſtenſionem à flatibus cum tamen aliàs ſit minor.

Vid. etiam *obſervationes Anatomicæ* Laurentii quæ confirmant flatus in vaſis reperiri *lib. 9. anatomiæ quæſtione* 18. Ex quo flatus quoque poſſe eſſe cauſam anaſtomoſeos & exinde ortæ hæmorrhagiæ quæſtione 13. elicit. *An* autem *hi flatus ſemper aut ut plurimum ſint cauſa pulpitationis cordis*, *vix credo* ſed ſemper dubito.

Vbi ſanguinis motus nonnihil impeditur adeoque minus commode per cordis ventriculos circulatur, poteſt dare *palpitationem cordis*, id quod confirmat exemplum Foresti *lib. 17. obſer. 1.* ubi Palpitatio cordis obſervata in quodam qui ſomnum meridianum capiendo *tibias* habebat *nimis conſtrictas*; laxatis vero tibiis ſine ulla palpitatione propter debitum ſanguinis motum dormiebat.

Scholzius *in Conſ.* 104. de iiſdem *tibiis conſtrictis* ſimile quid refert. In his enim propter impeditum ſanguinis motum non potuit non fieri ineptus circulus in præcordiis & hinc Palpitatio cordis.

Quin & *Calculi* nonnunquam *in corde* reperti cauſa ſunt *cordis palpitationis*: Scholzius *in Conſ.* 103. refert inventum lapillum quendam nigricantem in eo qui tali morbo ſæpius fuit correptus.

Sic Horstius habet Exempla *Calculorum in corde* repertorum ex quibus vehemens ac diuturna oborta fuit *Palpitatio*, & ex Horstio, Hoferus *in Hercul. Med. pag.* 89. refert *palpitationem cordis lethalem ex tribus lapillis in corde* repertis.

Quod attinet *Nervos* affectos hi ad cor derivati *irritati* ſimiliter *cordis convulſionem* inferunt. Unde *Terror* item *Odores* & ſimilia quæ ſpiritus animales in motus perturbatos ciere & nervos irritare aut concitare poſſunt, inferunt cordis palpitationem.

Imprimis mulieres *Hyſtericæ* ubi malum ceſſat odore tamen quodam afficiuntur in palpitationem cordis incidunt ex ſolo *odore*: *id* quod *fit affecto nervo & ſpiritibus cor moventibus.*

Abſolvimus Theoriam Palpitationis cordis jam ad ea quæ Praxin ſpectant pergendum.

SIGNA DIAGNOSTICA.

In anteceſſum monui: Nam palpitatio cordis ut cognoſcatur *non ſufficit pulſus in carpis* manuum vel aliis locis *contactus quin potius* requiritur imprimis *applicatio manus ad ipſum cor*: id quod ſufficienter notatu dignum exemplum Timæi *in Epiſt.* 23. *p. m.* 592. dum inſignis & valida *cordis palpitatio* obſervata fuit in *qua nullus in Carpis pulſus* percipi potuit; *ob id* ſcilicet vel *ægri relationi fidendum* vel *ipſi cordis regiori manus admovenda* pro percipienda cordis varia palpitatione.

QVOD ATTINET SIGNA CAVSARVM.

In his totius rei cardo vertitur pro meliori praxi.

Si malum quod frequentiſſimè fit *ex malo hypochondriaco* tunc *ante inſultum vel cum eo percipiuntur murmura & rugitus in abdomine* in ſpecie *juxta regionem* ejuſdem *ſiniſtri hypochondrii*. Præterea in talibus, dum afficiuntur Paroxyſmo, videtur *cor quaſi conſtringi* ac cum *ambabus manibus comprimi* violenter. Concurrunt ſimul & quidem nonnunquam *vertigines* & ſimilia abdominis mala ex anomalo motu ſpirituum animalium dependentia.

Sin verò malum ſit ex *abundantia aquæ pericardii difficilius* iſtud *cognoſcitur. Signa ferè ſunt hæc. Pulſus non eſt adeò magnus nec adeò vehemens* aut *concitatus*, cum cor in impedita capſula libetè moveri nequeat, *affectus eſt contumax & pertinax*: conjuncta ſimul eſt *febricula* referens *Hecticæ ſpeciem* accedit *& tabes corporis* & tamdem quoque *ſpirandi difficultas.*

Signa vermis in pericardio habuimus cum *cura*.

Scorbuticis malum hoc eſt admodum familiare & hoc habet peculiare ut ſæpius ad leviſſimum corporis motum, ſi vel brachium vel manus tantummodo moveatur paroxyſmus palpitationis ingruat; iiſque conjunctas graviores habent lypothymias. Exemplum ſi quod mirandum palpitatio cordis talis *ſcorbuticæ* in *puerpera* videatis in Horstio *in obſ. lib.* 17. *obſ.* 35. *p.* 380. 390. eſt ſanè rariſſimum exemplum *palpitationis cordis ſcorbuticæ.*

Tremor cordis, verò qui vitium ferè contrarium palpitationi utut confundatur communiter, *cognoſcitur ex pulſu inæquali debili & languido*, prætereaque *ingens virium proſtratio & imbecillitas eſt* conjuncta.

Talem *tremorem cordis* quem Autores perversè vocant palpitationem cordis *lethalem cum inſigni pulſus inæqualitate ex terrore gravi* ortum refert Riverius *cent.* 4. *obſ.* 21.

QVOD ATTINET SIGNA PROGNOSTICA.

Si palpitationi cordis *ſuperveniat pulſus ſenſim remittens, aut etiam* nonnunquam *intermittens*, cauti ſint adſtantes, imminet enim *ſyncope.*

Ulterius qui in *Juvenili ætate* corripiuntur cordis palpitatione *rarò ad ſenectutem perveniunt ſed citius moriuntur.* Aphoriſmus eſt Galeni & per experientiam Practicorum comprobatus.

Palpitatio cordis ex malo Hypochondriaco levior eſt reliquis ſpeciebus, ea quæ *ex ſcorbuto* ferè *gravior* propter lipothymias conjunctas.

Sin palpitatio cordis vitio pericardii contingat *lente & ſucceſſive ad mortem* deducit hominem.

Sin ſubſit *malignitas aut ſuſpicio veneni in palpitatione cordis* res eſt *periculoſa & non rarò vitæ immi-*

ne-

net periculum, Curanda ergo eſt quantocyus hæc palpitatio cordis.

QVOD ERGO ATTINET CVRAM.

In genere ea *eò dirigenda ut id quod muſculum cordis irritat, removeatur.*

Irritationem ipſam *ſiſtere opiatis non æque nec ſemper tutum eſt.*

Aſpicienda ergò hic eſt origo mali & *ubi à ſcorbuto, malo hypochondriaco, venenis, verme pericardii*: ſemper *appropriatis inſtituenda eſt Cura.*

Præ cæteris adjungenda ſunt talia quæ aliàs in palpitatione cordis ſolent commendari, quæ inter primatum obtinet *Meliſſa*, blandè ſi quæ alia balſamica, ejuſdem enim primum Ens, ut vocat PARACELSUS, vim habet aliqualem corpori inducendi rejuveneſcentiam experientia facta in ANGLIA, ubi poſt primum *Ens Meliſſæ* propinatum, *vetulæ* ipſi capilli cani deciderunt, menſes antea naturaliter ſuppreſſi denuò fluxerunt, dentes & ungues regenerati & rugæ ſeniles repletæ.

Idem factum eſt in *Gallinis* quibus propinatum hoc primum Ens. Experimenta fecit *Monſ.* LE FEBURE qui deſcripſit proceſſum & experimenta in *ſua Chymia*; *de* 1. *Ente meliſſæ* obiter hæc quoad rejuveneſcentiam.

Hæc ipſa *Meliſſa* ſive ejus *Eſſentia* ſive *ſpiritus* inſigniter reficiunt aut *Lipothymiâ* aut *cordis palpitatione* affectos: idque imprimis ſi hoc ſpiritu paretur *Eſſentia Ambræ* de qua poſtmodum plura. Hæc ipſa etiam *externè* applicata cordis regioni inſignis eſt *in ejus* παλμῳ; ſi fiat *ſacculus ex meliſſa viridi vel ſola vel cum foliis Borraginis qui aqua roſacea & aceto immerſus* cordis regioni applicatus inſigniter prodeſt. Experimentum hoc primus fecit HELIDÆUS *Paduanus* felici ſucceſſu.

Hunc præter LÆLIUM *à fonte* imitatus eſt FOREST. *l.*17, *obſ.*1. qui in *Thoracis vulneribus ex ſanguine concreto* excitatas cordis *palpitationes* ingentes hoc modo curavit. *Secta Vena* applicavit *Meliſſam viridem* & *Borraginem aqua roſacea & aceto* irroratas, quas ipſas cum cordi admoviſſet, ſubito omnis palpitatio ceſſavit.

Poſt Meliſſam eſt *Citrus* & *Roſmarinus*, quæ cordis palpitatione laborantes reficiunt.

Immò ferè *omnia Aromatica & Nervina* conveniunt, quæ inter etiam eſt *radix Zedoariæ* quæ imprimis convenit *ſi palpitatio* cordis *ſit vitium paſſionis hyſtericæ*, quocunque uſu. Nam ſingularis eſt *Zedoaria in paſſione Hiſterica.*

Item *radix Enulæ Campanæ* eſt inſignis in hoc caſu.

Crocus de quo dictum fuit quod ejus *Eſſentia* ſit cordis lætitia tam *externè* quam *internè* commendatur. *Internè ejus Eſſentia ſ. Tinctura*: *Externè* ſi fiat *Nodulus ex Croco & Camphora* & ſuſpendatur in regione cordis: Qui *Nodulus* eſt etiam *ſingularis* quod obiter moneo, in *Melancholia hypochondriaca.*

De *Ambra & Moſcho* res eſt nota, quod inſigniter reficiant, cor uti dicunt, id eſt, quod ſpiritus vitales & animales roboret.

De *Ambra* notum eſt quòd *habeat vim inebriativam*, inſtar ſpirit. vini v. gr. nonnihil etiam ſtupefacit; unde nimio uſu Ambræ ſenes pro juvandâ memoriâ fiunt infantes. In hac tamen palpitatione cordis vis hæc inebriativa nullatenus metuenda: qui enim palpitatione cordis laborant difficillimè inebriantur; res mira interim tamen vera, unde eo tutius Ambræ uſus conceditur.

Ubi tamen fit *ſpiritus roſarum Ambratus* per fermentationem vis iſta inebriativa Ambræ inſigniter corrigitur. Nam tanta vis eſt fermentationis ut omnem ſtupefactivam vim etiam ex *Opio* tollat.

Huic *ſpiritui roſarum ambrato unum alterumve gr. vel gutt. Ol. Cinnamon.* addita inſigniter conducit.

Nam LINDANUS contra *palpitationem* cordis *Cinnamomum* omnibus præfert remediis.

Hinc etiam *Tinctura Auri cum Ol. Cinnam.* ſive MYNSICHTI ſive alia inſigniter convenit.

Conducunt etiam *Cortices Aurantiorum*, item *Citri*: Horum enim ſal. volat. aromaticum in multis affectibus in ſpecie in palpitatione cordis multi eſt uſus.

Aqua cordis cervi & ex cor. cerv. paratus *ſpiritus*; & cum hoc ſpiritu parata *Tinctura Corallorum* B. D. MICH. ſunt egregia in hoc caſu in ſpecie in *Palpitat. cord. Hypochondriaca &* palpit. cordis *ſenili. Tinctura Corall.* hæc à MICH. ſæpius fuit egregia.

In *Baccis Juniperi* uti alia multa latitant *& ſuccedaneus eſt Juniperus arbori cedro* ad vitam longam de quo videat. TACKIUS *in Chryſogonia*: ita ex his parata *Tinctura ſ. Eſſentia cum ſpiritu proprio* vel *Malvaticum Juniperinum* ROLFINCKII *in ſua Chymia*, & ſimilia ex *Baccis Juniperi* parata multum laudantur à FONSECA *lib.*1. *conſil.* 11.

Quinta Eſſentia ſeu *Elixir vitæ* MATHIOL. notum eſt, imprimis *ſal. volat. Viperarum* acuatum.

Nam ubi alia adhibentur in caſſum ſalia volat. non fallunt imprimis ſi cum ſpirit. ſulphureo combinentur in corpus olei forme.

Camphora in palpitatione cordis eſt egregia non tantum *externè* appenſa cum cera ſed etiam *internè* ad aliquot grana remediis appropriatis permiſta.

Hinc *Spiritus Theriacal. Camphoratus*: It. *Eſſentia Caſtorei cum Camphora* inſigniter convenit in palpitatione cordis.

Nam *Caſtoreum* in quacunque Palpit. Cord. inſigniter commendatur jam à GALENI tempore & confirmatur ab *Epiphanio* FERDINANDO ubi *Caſtoreum* omnibus aliis præfert remediis in palpitatione cordis: nec res eſt ſuſpecta cum *Caſtoreum* in omnibus *convulſivis motibus* ſit conveniens.

In palpitatione cordis Hypochondriaca inſigniter commendatur *Syrupus de Limatura Chalybis Mercati*, deſcriptionem ejus videbitis in HORST. *lib.* 3. *obſ.*6. & credo. Nam notum eſt quod in *malo hypochondriaco Martialia* ritè præparata utramque faciant paginam. Aliàs *ſerum lactis in palpitatione cordis melancholica* commendatur à RHODIO *lib.*2. *obſ.*40.

De *Succino* res eſt nota quod in *palpitatione* cordis non minus quàm *Lipothymia & ſyncope*, imprimis *ſal. ejus volat.* eſt magnarum virium.

Unde *liquor* C.C. *ſuccinatus in palpitatione cordis repentina cum ſyncope* conjuncta eſt penetrantiſſimum remedium.

Imò *Ol. deſt. ſuccini gt.*3. *l.*4. *in aqua Flor. Nymphæ*, ſeu *Flor. Aurantiorum* propinatæ, expertum fuerunt remedium FONSECÆ.

Notum eſt quod *multi inſigniter commendent medicamenta ex corde*, *Pulmonibus*, *Hepate & aliis animalium* partibus, *quæ* tamen meo quidem judicio *ſunt nullius pretii*. Si enim deſtillatur aqua ex corde vel exprimitur ſuccus, vereor ſane ne potius natura horreat talia remedia quàm iiſdem ſuaviter afficiatur.

Ex modo dictis variæ poſſunt fieri Miſturæ in palpitatione convenientes. v.gr.

℞. Aq. Cinnamom. cydoniat. ℥j.
Cordial. H. SAX. ℥ß.
Eſſ. baccar. Junip. ʒjß.
Croci ʒß.
Spirit. Theriacal. camphor. ʒj.
(præparat. camphr.)
Ol. deſt. cinnamom. vel ſuccini gt. jv.
(perinde eſt, ol. tamen cinnamomi viris, ſuccini mulieribus convenit, non enim hæ ſemper poſſunt ferre cinnamomum,
agitentur & miſceant.
F. pot. in palpat. cord.
*doſis Cochl.*1. *vel* 2. pro renata. Syrupos ſtudio omitto.

Vel ℞. Aq. Meliſſæ c. x. ℥ij.
Cord. Cervi.
Cordial. SAXON. an. ℥j.
Tinct. Corall. cum ſpiritu cord. cerv. ʒij.

Sal. volat. ſuccin. ℈j.
Syrup. d. canella. ℥j.
miſc.

Vel ℞. Tinct. Corall. c. ſpirit. cord. cerv. ʒiß.
Eſſent. Ambr. cum ſpir. Meliſſ. aut roſar. vel ſpirit. roſar. ambrat. ʒß.
miſc.

F. cardiac. Eſſent. doſ. gt. 20. ad 30. in poculo vini vel ſimili hauſtu appropiato.

Quod attinet *Externa*, *aqua Carbunculi*, *Ol. illinenda*, &c. *parvi æſtimo* ego, poteſt tamen quilibet abundare ſuo ſenſu.

QVID DE VEN. SECTIONE?

Qvoad punctum Ven. Sect. Palpit. Cord. res eſt dubia certè expertiſſimi Practici eam cum cautela adminiſtrandam monent, adeò *ut niſi adſit plethora vera planè omittenda*, utut in palpitatione cordis à *nimio timore* aut *terrore* contracta nonnunquam neceſſitate coactus *venam aperiat Medicus.*

Nihilominus tamen, quoniam proſtant exempla practica quo venam ſecando paroxyſmi palpitationis cordis in momento remiſerint, propterea neceſſum eſt ut ubique experientiam conſulat & tamen circumſpectus ſit Medicus. *Exempla* talium in quibus *Ven. Sect. in momento quaſi omnes paroxyſmos ſedaverit* ſubminiſtrat Horstius *lib. 3. obſ. 16.* de quodam qui quoties paroxyſmo palpitationis cordis affectus fuit toties *Ven. Sect.* liberatus eſt.

Item Fontanus *in conſil. & reſponſ. p. 66.* de cordis palpitatione refert, quæ per *Ven. Sect.* ſubitò fuit curata: quin & *Hirudines applicatæ* vel *poſterioribus ani venis* vel etiam applicatæ *ſupra cor* interdum ſedarunt paroxyſmum Palpit. Cord. exemplum habet Zacut. *Luſitanus lib. 2. Med. princip. hiſt. 39. obſ. 2.* qui habet de *Palpit. cordis per Hirudines ſupra cor admotas curatâ.*

Immò quod mihi magis adhuc videtur paradoxon Z. *Luſitanus* obſervat *cordis validam palpitationem curatam per ſcarificatam cucurbitulam ſuper cor* admotam *lib. 4. prax. admirand. p. 136.*

Verùm præter Palpitationem cordis, ſubinde etiam moleſtæ ægris ſunt.

Palpitationes arteriarum particulares, ita ut modò in hac modo in illâ parte cum impetu ac vehementiâ arteriæ pulſent.

Splenica interdum, interdum *temporum arteria* pulſat, quo facit exemplum Bartholin. *cent. 1. hiſt. 18. de pulſu arteriarum carotidum tam vehementi ut etiam ſtrepitus ac ſonitus exinde poſſit audiri*: ſicut & alia vaſa pulſant particulariter.

Tales in arteriis pulſationes fiunt quando impeditur ſanguinis motus in quadam particulari arteria: non quando tollitur, ſed *quando ex quacunque cauſa* ſeu ratione *anguſta nonnihil aut compreſſa arteria* vel *alia ratione impeditur nonnihil liber ſanguinis tranſitus*, ſolet ſequi talis pulſatio. Unde ſequitur in *ſpleneticis vomitus ſanguinis.* Præter hoc & taliter affecti habent *ſanguinem ſpiſſum ac craſſum* & ob id *difficulter mobilem*: ac præterea *varices in venis* talium ægrorum obſervavit Bartholinus *cent. 6. obſ. 34. de pulſatione per univerſum corpus cum varicibus copioſis.*

Verùm taliter affecti ſunt *ut plurimum affectus Hypochondriaci*, & ubi percipiuntur tales pulſationes, inſtar Hypochondriacorum *per* remedia imprimis *Martialia ſunt curandi ægri.*

Quæ obiter occaſione Palpitat. Cord. annectere volui, pergo ad.

CAPUT XVII.

DE FEBRIBUS.

Doctrina *de Febribus* maximè *neceſſaria* & tantùm non fundamentalis, *cum nullus detur morbus ferè qui non ſit conjunctus cum febre.* In qua tamen pertractanda me ita geram, ut propter amplitudinem materiæ non teram tempus refutatione illorum quæ Autores hinc inde dicunt ſed quid mihi videatur probabile ediſſeram. Quòd ſi tamen quis alius præter me ipſum accuratius rem tetigit quoad *Theoriam* & *Praxim*, imprimis laudandus Sylvius, quem vobis præ omnibus aliis commendo, utut mihi non ſufficiat, cujus Hypotheſibus facillima Febrium Theoria poteſt ſuperſtrui, vid. *ejus Praxin* ſed cum non ſit in omnium manibus: Sufficere poteſt Graeff *de ſucco Pancreatico*, ubi quidem ex hypotheſibus Sylvianis de Febribus. Item *privatum Collegium* Sylvii excuſum cum *Tr.* Hoffmanni *de uſu Lienis*, &c. quod quidem non pro ſuo vult cognoſcere: & verum eſt nimis confuſè tractantur omnia in illo, interim tamen plurima continet Sylvio digna. *Febris.*

Verum eſt quòd non in omnibus ſatisfaciat mihi Sylvius, ſi quis tamen alius, certè ſolus & facilè & accuratè tractat febrium doctrinam & quæ dicit in Theoria ſunt talia quibus Praxis facillima & quaſi manualis & ocularis poteſt ſuperſtrui. Dixi ſuperius quod inter vitia Pulſus, ſit *pulſus nimis frequens in febribus.*

Nam hoc certum eſt quod *febris* in genere ex nullo poſſit melius *cognoſci*, quàm *ex Pulſu nimis frequenti aut ex pulſu nimis frequentiori quam naturaliter eſſe debet.* Febrim enim exactè monſtrat: Motus quidem corporis facit pulſum frequentiorem, ſed eſt mutatio Pulſus non naturalis.

Vbi verò citra manifeſtam cauſam pulſus eſt frequens habemus ex ipſo *ſignum pathognomonicum febrium* quarumcunque. Pulſus imprimis in febribus eſt freqnens, cui poſtmodum adjuncta alia ſyptomata ſpeciem febris certam determinantia.

Hæc eſt ſententia Sylvii quòd *pulſus frequens ſit ſignum pathognomonicum febrium.*

Scripſit contra SylviumDeusingius juratus Sylvii hoſtis, *in diſquiſitione anti* Sylviana de ſigno febris Pathognomonico, ubi manibus pedibuſque vult revellere doctrinam Sylvii: ſed nihil agitur. Statque adhuc immota ſententia Sylvii quod ſignum Pathognomonicum febrium ſit Pulſus frequens.

Communiter ſtatuunt Autores *calorem præternaturaliter auctum eſſe Eſſentiam febrium*, eorumque *ſignum proprium.* Verum rectè *hoc negat* Sylvius cùm dicit, calorem nullo modo eſſe de formali ratione febris, *quia nec ſoli*, *nec omni*, *nec ſemper febri conveniat. Non ſemper* calor convenit febri, quoniam in principio febrium intermittentium horror & frigus ægros quatit nullo præſente calore, qui tamen pro febricitantibus habentur. Reſpondent quidem ad hoc: verùm hanc reſponſionem ſtringit Helmont. *Tr. de febribus.*

Non convenit *ſoli febri* calor, cum aliâs etiam in multis affectibus intendatur calor utut non ſemper adſit febris: quin & febres dantur malignæ in quibus nil minus quàm calor eſt moleſtus, & hæ ſunt omnium peſſimæ, in talibus pulſus ut plurimum eſt frequens, parvus, & tardus & ſunt lethales.

Denique *nec omni* convenit febri calor, quoniam dantur febres frigidæ: Paradoxon hoc videtur multis, experientia tamen loquitur, & aliquot adducit exempla Sylvius *in diſputationibus duabus de febribus*, quod nempe obſervati ſint ægri, & ſuo & adſtantiū conſenſu

febricitantes,

febricitantes, utut ipſis nunquam nihil caloris neque ante neque poſt Paroxyſmum acceſſerit.

Hinc etiam HELMONT. *de febribus c.1.§.4.* refert Febrim certam Caſtrenſem dictam, quæ citra ſitim & manifeſtum calorem accedebat, & ab initio uſque ad finem vitæ ſine ullo calore ſuam peragebat Tragœdiam. Immò in lectione veterum habemus etiam exempla frigidarum non tantum in HIPPOCRAT. ſed etiam AVICENNA, qui AVICENNA expreſsè affirmat dari febres frigidas abſque calore. Unde loca AVICENNÆ & HIPPOCRATIS videbitis allegata in ROLFINCII *Tr. de febribus in genere cap.13.* Et ipſe etiam GALENUS jam ſuo tempore obſervavit horrores, & rigores febriles, abſque ſubſequente calore uti videbitis allegatam in *obſ.* SCHENCK. *lib. 6. obſ. de febribus p.636. & p.757. in ſpecie.*

Quales rigores omninò febriles abſque calore ſubſequente obſervarunt etiam alii Practici, exempla *vide cit. loco* SCHENCKII.

Et ſimilia exempla in Praxi quotidie occurrunt. Exempla febrium frigidarum non tantum à SYLVIO fuerunt obſervata, ſed etiam *mihi* contingit obſervare Menſe Aprili hujus Anni talem febrim in Scorbutico, quales imprimis ſunt noſtri febricitantes ut plurimum; quod exemplum pro meliori fide hîc lubet adducere.

Erat hic Artifex qui laborabat perfecta tertiana, ſeu recurrebat febris tertio quoque die anticipando ſemper duabus horis, cum nullo ſubſequente calore.

Quoad conſtitutionem ſubjecti: patiens inclinabat ad Phthiſin & erat inſignis ſcorbuticus, Paroxyſmus ingruebat cum inſigni rigore & horrore graviſſimo qui ultra horam integram durabat, poſtmodum cum deberet ſuccedere calor, nullus apparebat omnino, quin loco caloris acerbiſſimi dolores totum corpus omneſque artus cruciabant; imprimis regionem dorſi & femora, & in ſpecie quidem in dorſo regione lumbari in & circa Centrum Meſenterii. Cum his doloribus ſenſim ſolvebatur Paroxyſmus citra ullum calorem, utut interdum circa finem Paroxyſmi, materia viridiſſima, teterrima tamen & amaricantis ſaporis cum vomitu ſequebatur, abſque ullo calore & ardore. Urina erat inſigniter turbida & pallida craſſo cum copioſo ſedimento. Paroxyſmi obſervabant ordinarium typum, anticipando per horas duas.

Vocatus ego cùm jam à muliere purgatus eſt, præſcripſi ad temperandum acidum hoc remedium. (de rationibus plura ubi de intermittente tertiana) v. gr.

℞. Tartar. vitriolat. gr. xv.
Oculor. cancr. præparat. ℈ß.
miſc.

Propinetur horâ 1. ante paroxyſmum: Tres jam erat paſſus, hic erat quartus.

Poſt hoc remedium & frigus & dolor inſigniter remiſerunt, & quidem blando ſudore ſubſequente, abſque tamen incaleſcentia corporis, potius erat ſudor ſubfrigidus. Poſt paroxyſmum & ſudorem vomitus ordinarius ſequebatur:

Præſcribo die intermiſſionis, erat enim ſcorbuticus:
℞. Spirit. ſal. ammon. fortiſſim. ʒij.
cochlear. ʒj. miſc.

Hujus Miſturæ capiat gt. 30. manè & veſperi die intermiſſionis, ſemper per bihorium ante paſtum: per bihorium ante paroxyſmum accipiat gt. 40. in liquore tepido. Paroxyſmus idem habebat frigus ingens, ſed dolores inſigniter remittebant; die ergò intermiſſionis continuavit hunc ſpiritum; Tertio paroxyſmo ad quem vocatus, præſcripſi:
℞. Salis Abſinth. ℈j.
Oculor. cancr. ℈ʒ.
F. miſc.
Sal. febrifug.

Aſſumatur per bihorium ante paroxyſmum & ſic paroxyſmus non rediit.

Die intermiſſionis denuo continuavit miſturam ſpir. ſal. ammon. & cum adhuc ſemel ſal. abſinth. cum ocul. cancr. die paroxyſmi ſumpſiſſet, non apparuit febris.

In hoc exemplo fuit notabile, quòd nullus calor ſit perceptus, utut æger revera eſſet febricitans, uti apparuit ex horrore & rigore: ſed loco caloris acerbiſſimis doloribus affligebatur æger.

Certum ergò eſt *dari febres frigidas*, utut hoc multis videtur Paradoxon. Et verè etiam ſimiles *Febres abſque calore* infeſtas videbitis in Z. *Luſitan. l.4. Med. princip. hiſt. 1. &* etiam *l.3. prax. hiſt. obſ.121.*

Calor ergò non ſemper eſt de Eſſentia febrium ſed eſt tantummodo ſymptoma ſequens ut plurimum febrium.

Quando *pulſus* uti dixi eſt *frequens eſt ſignum Pathognomonicum febris,* quo citra manifeſtam cauſam præſente, ſimus certi in judicanda perfecta febri.

Frequens pulſus fit naturaliter quidem *ex aucta ſanguinis turgeſcentia & fermentatione in præcordiis & in corde,* quando cor minus diſtentum, & hinc quodammodo irritatum ſe contrahit frequentius, ex quâ frequentiori cordis contractione propter auctam ſanguinis fermentationem fit Pulſus frequentior, qui innuit febrim.

Oritur ergò febris ſ. potius conſiſtit Febris *formaliter in fermentatione ſanguinis præternaturali:*

Qua ſanguis vehementius, aut impetuoſius, aut vitioſo modo fermentatur, in corde pro cujus fermentationis varia ratione, variæ febrium differentiæ ac varia iis adjuncta ſymptomata verè oriuntur.

Uti enim ſanguis naturali fermentatione volatiliſatur, in ſpiritus & reſtauratur aſſimilando chylum, & depuratur præcipitando per fermentationem ſcorias excrementitias per urinas ablegandas, ita ubi vitioſe fermentatur ibi præternaturaliter ebullit ac efferveſcit, ut inde motus inſignis arteriarum obſervetur & crebriori pulſu præſens eſt febris.

De hoc quod nempe febris conſiſtat in fermentatione ſanguinis præternaturali vid. VVILLIS *de febribus,* it. KERGER. *Tr. de fermentatione ſect.3. cap. 3. p.233.* item videbitis *Cæſareum* MAJOTUM *conſiderat. medicor. q.p.27.* imprimis. Item ZIEGLER. *de ferment.* SCHOKIUM in ſuo *Tr. de ferment. c.25.* negat quidem febrim eſſe fermentationem, ſed efferveſcentiam: verùm vos non terreat SCHOKIUS, eſt potius Criticus quàm Medicus adeò contendit magis ſatisfacere Philologis quàm Medicis, ſed hæc obiter.

Quòd autem febris eſſentia conſiſtat in tali fermentatione ſanguinis præternaturali, multa confirmant in febribus quotidie obviis, & quidem certum eſt quod ex *abuſu fructuum recentium horæorum intermittentes* oriantur *febres.* Jam notum eſt quod fructus horæi ſint inſigniter fermentativi: ratione cujus facilis fermentationis non rarò *Diarrhæas & Dyſenterias* imò *febres intermittentes* inducunt. Immo liberatus aliquis à febre intermittente ſi fructibus horæis aut eorum Embammatis delectetur ex eorum ſuccis paratis, facile patitur recidivas. Unde hoc ſæpius contingit ſcorbuticis, ut quando utuntur ſuccis crudis expreſſis ex plantis Antiſcorbuticis, hi ſucci in iis fermentando inducant febres intermittentes.

Deinde *prohibita tranſpiratio*, ſi quid aliud certe hæc inducit febres. Nam id quod aliàs tranſpirat ubi ſupprimitur neceſſario regurgitat in maſſ. ſang. quod exinde ad turgeſcentiam uſque infarcta, talem fermentationem & efferveſcentiam concipit, quæ tandem in febrim ardentem erumpit. Nam hoc certum eſt ex SANCTORIO quod uno die naturali ſeu 24. horarum ſpatio plus exſpiremus inſenſibiliter quam 15. dierum ſpatio per alvum deponamus aut per urinas reddamus.

Ulterius notum eſt hoc, quod multæ febres oriantur *ex contagio:* Jam vero contagiorum naturam nemo poterit aptè concipere aut proprietates ejus digne

explicare quam is qui naturam fermentationis in contagiis concipit; dum enim iſtæ Febres quæ fovent contagium multiplicativum, & contagium multiplicativum ſuam vim obtinet beneficio fermentationis, facile apparet quod Febres productæ in ſimili fermentatione conſiſtant. vid. KERGERUM qui eſt ſatis elegans, utut theoria ejus adhuc ſit manca. Nam in fermentatione reſpiciendum ad ſalia, urinoſa, ſeu alcali, & acidum: ſine his non poteſt ſatis explicari.

Quod attinet ſententiam veterum *de Putredine*. Hæc putredo non poteſt concipi niſi per fermentationem explicetur. Videatur hic SENNERTUS, qui utut ſtatuat Febres putridas tamen videbitis hincinde vocabulum ebullitionis, efferveſcentiæ, immo ubi graviores controverſiæ dirimendæ ſemper ad efferveſcentiam, turgeſcentiam & ebullitionem confugit, ut hic quaſi per tranſennam viderit quod jam dictum eſt.

Subjectum primarium omnis Febris non ſunt Vaſa Majora & minora, non cor, non aliud quoddam viſcus, *ſed omnes* Febres conſiſtunt in *maſſa ſanguinea*, quæ vitioſe fermentando ac ſæpius efferveſcendo, cum differentia tamen nunc magis nunc minus ſubjectum eſt Febris in qua imprimis radicatur. Unde etiam ex Urina item Pulſibus tam elegantia habemus in Febribus benignis ſigna, quia per pulſum cognoſcimus ſanguinis fermentationem in corde & per urinam ſanguinis ſtatum ex fermentatione varia varium: quod fieri non poſſet ſi Febris non conſiſtat primario in maſſa ſanguinea.

Non nego interim ſubinde eſſe certum, quod *viſcus quoddam* poſſit eſſe focus in quo hæreat ac latitet cauſa febris: ſic certum eſt, *focum intermittentium eſſe ſtomachum imprimis quartanæ*. Item in *febribus ſymptomaticis ulcerum ac vulnerum* febris afficit maſſ. ſang. *focus* vero eſt *in parte ulceroſa vel vulnerata*.

CAUSÆ FEBRIUM.

In genere erunt omnia ea *quæ Craſin maſſæ ſanguineæ naturalem pervertere & talem diſcraſiam* ſeu talem heterogeneitatem & non miſcibilitatem ut ita dicam *partium componentium inducere poſſunt, ut exinde ſalium conatu concuſſa fermentatio præternaturalis concitetur*.

Nam ut exemplo rem declarem. In Febri continua aut Paroxyſmo intermittentium maſſ. ſang. eſt ſimilis vino aut muſto fermentanti generoſo: nam vinum utut variis conſtet particulis, imprimis tamen ex ſale ejus alcalico ſ. urinoſo & acido fit fermentatio; in iſta fermentatione inſignis turgeſcentia percipitur, qua mediante præcipitantur fœces & particulæ ſeparatæ, vel ad fundum vel per ſuperius vaſis orificium. In turgeſcentia febrili ſimile quid videmus occurrere, ibi enim particulæ heterogeneæ in maſſ. ſang. coarcervatæ mediante tali efferveſcentia ſeu fermentatione ſeparantur, & præcipitatæ per urinas ſub forma ſedimenti rejiciuntur, vel ſub forma ſudoris, vel interdum, imo ſæpius naturæ critico motu per alvum amandantur adeo ut vinum harum naturam exacte exprimat. In intermittentibus quot ſunt Paroxyſmi tot ſunt fermentationes peculiares, in quibus frigus, turgeſcentia & efferveſcentia maſſæ ſanguineæ & peractis his ſequitur in fine eorum facile ſudor & copioſus urinæ fluxus.

Quamdiu ergo ſanguinis craſis unicuique homini propria dependens ab alcali & urinoſo proportionalis, eſt naturalis ſeu debita, tamdiu fermentatur blande maſſ. ſanguinea, ſimu lac vero læditur imprimis ſi congerantur particulæ facile fermenteſcibiles & non rite cum integra maſſa miſcibiles ex primis viis, fiunt fomes pro febri & ubi fortius incipiunt fermentare febrim inducunt.

Proclives in febrim vulgo dicuntur *calidi & humidi*, quod recte rejicit POTERIUS *lib. 1. de febribus c. 15.* quin potius dicit omnia corpora æqualiter fere diſpoſita ad febres eſſe, imprimis ea *quorum Pori ſunt obſtructi, & qui crapulæ ſunt dediti*: per hanc enim læditur ſanguinis craſis & oritur diſcraſia, per poros obſtructos coarcervantur ſalia excrementitia ad turgeſcentiam febrilem ſuſcitandam in maſſ. ſang. jam ante diſpoſita.

Notabile interim eſt quod ii *qui laborant in argenti vivi fodinis* aſſiduo *raro* aut *nunquam* affligantur febribus: Item quod ii *qui mercurii unguento* peruncti fuerunt ad longiſſimum tempus vix febri corripiantur. Uti POTERIUS *cit. loco* notanter & experte loquitur.

SIGNUM IN GENERE DIAGNOSTICUM.

Dixi quod ſit *pulſus frequens*. Calor vero, qui in febribus interdum adeſt, tantummodo ſymptoma ſuperveniens, non vero neceſſario ipſis conjunctum, utut ut plurimum non minus quam *ſitis* affligat ordinario febricitantes adeſt *cephalalgia* item interdum adeſt *adjuncta ſyncope & alia ſymptomata varia*.

PROGNOSTICA SUNT.

In Principio pulſus magnus ſemper eſt bonum ſignum, in febribus quæcunque ſint *ſive malignæ ſive benignæ & quo major eſt pulſus eo melior, quo minor eo periculoſior*.

Urina ubi exhibuerit ſuo tempore *ſigna coctionis eſt fauſtum ſignum*: Signa coctionis ſunt, quando urinæ claræ redduntur turbidæ craſſæ & continent vel nubeculam vel ſedimentum, quæ ubi ſunt copioſiora eo meliora *urina quamdiu eſt cruda* tamdiu morbus eſt *ſuſpectus*, quoniam adhuc in æquilibrio ad mortem vel ſalutem hæret æger.

Febribus ſæpe ſuperveniens Icterus qui ſtatuitur vulgo ante 7. diem periculoſus quod tamen non eſt: Ex ſe Icterus eſt motus naturæ, per deſpumationem maſſ. ſang. generatus fermentando enim maſſa ſanguinea deſpumatas ſordes figit intra cutem & colorem dat Icteritium. Hic *ſuperveniens* dixi *3. l. 4. vel 7. eſt fauſtus*, ubi vero *die 1. vel 2 aut etiam 6. vel 8. ſupervenit* utut ex ſe non ſit pravus, *non* tamen *eſt tutus*, quia cum tali Ictero ſymptomatico frequenter moriuntur ægri, apud nos eſt rarus: in Italia ſatis frequens.

METHODUM MEDENDI QUOD SPECTAT IN CURA GENERALI.

Quoad Febres. *In febribus benignis* ſemper *uſurpanda præcipitantia*, ſeu talia quæ fermentationem febrilem compeſcere & ſordes efferveſcentes ac craſin maſſ. ſang. vitiantes ſeparare & quaſi præcipitare ad fundum poſſunt.

Præcipitationis vox ex chymicis eſt deſumpta. Nam ſicut præcipitando ſeparantur contenta in liquore quodam, ita propter analogiam præcipitationis vocabulo hic utuntur Medici.

Præcipitantia ergo hæc (de quibus vide KERERUM) ſunt quæ utramque faciunt paginam in febribus ſunt enim talia quæ diſcraſiam ſanguinis corrigere & particularium excrementitiarum activitatem & fermentationem ſopire & quaſi cicurare poſſunt.

Hoc alias vocant coquere, nam materia febrilis cruda debet coqui, cruditas conſiſtit in impetuoſa efferveſcentia: coctio vero conſiſtit in partium ad efferveſcentiam diſponentium ſeparatione: ſic enim fit ut partes ſeparatæ inſtar caput mortuum natent in maſſ. ſang. ſine efferveſcentia, & ſic præcipitatæ poſſunt excerni.

Nam quamdiu in fermentante Liquore omnia ſunt confuſa ſi tranſcoletur per filtrum quodcunque maſſa turbida tranſit: Fermentatione vero abſoluta fœces ſeparantur ad fundum & liquor clarus tranſit, fœces reſtitant: Idem fit in cruditate & coctione ſanguinis: Quamdiu omnia ſunt confuſa urinæ ſunt

tenues,

tenues, rubeæ, claræ ac perſpicuæ: quando vero per fermentationem febrilem excrementa febrilia ſunt ſeparata & præcipitata vocatur *Coctio*, ſeu quod materia morbifica ſit cocta ac urinæ apparent turbidæ, craſſæ, frequentes cum copioſo ſedimento.

Iſtam *Coctionem adjuvant* Medicamenta dicta *præcipitantia* quæ efferveſcentiam maſſ. ſang. compeſcere & heterogeneas partes ſeparare & præcipitare valent.

Hæc ſunt quæ in Febribus intermittentibus ſimul atque continuis præmittuntur inſtar digeſtivorum cum aliis ante paroxyſmum.

Digerunt enim ſeu corrigunt & temperant ſalia in primis viis & habet vim alterandi maſſ. ſang. corrigendi ejus Craſin & præcipitandi excrementa quæcunque maſſam ſanguineam deturbantia in febribus; antequam aliquid evacuemus in Febribus talia præmittenda.

Nam in omni evacuatione in febribus inſtar Cynoſuræ *Aphoriſmus* obſervandus HIPPOCRATIS. *Cocta medicari oportet non cruda.* Per hoc medicari intelligit quamcunque evacuationem ſive ſit per urinam ſive per ſudorem, ſive per alvum per cocta ſeparata, uti antea monui.

Quando enim omnia ſunt confuſa & cruda nihil poteſt evacuari; quando vero ſunt cocta tunc poſſunt educi.

Hoc obſervetur & in principio & incremento febrium: Unde *purgantia in principio non ſunt præſcribenda. Vomitus ſaltem convenit in principio: Verum purgantia ſudorifera & diuretica nunquam in principio aut incremento*, antequam coctionis ſigna in urina appareant, ſunt *adhibenda.* Obſervetur hoc in omnibus febribus continuis & intermittentibus benignis.

Natura hoc agit, quæ inſtituit nunquam evacuationem cocticam, niſi cocta ſit materia. Imitemur ergo naturam tanquam miniſtri & nunquam evacuationem inſtituamus antequam perfectè cocta ſit materia morbifica.

In *Febribus intermittentibus* facilius nunquam erumpit ſudor moxque urina niſi in fine paroxyſmi: dum prius materia morbifica in paroxyſmo eſt cocta, & ejicitur per ſudorem vel urinam.

In febribus malignis alia eſt ratio: hîc præcipitantibus & alexipharmacis ſemper adjungenda ſunt ſudorifera. Sequendo naturæ ductum; quæ in malignis mox in principio 2. vel 3. die erumpere facit petechiales puſtulas & carbunculas.

Unde cum præcipitantibus in malignis ſemper blanda ſudorifera in principio temperatiora, in incremento & ſtatu fortiora admiſcenda.

Purgatio ergo convenit in omni febre ubi materia eſt cocta. Vomitus in omni febre imprimis in principio tam in intermittentibus quam continuis. vid. SIEDENHAM *in tr. de febribus.*

Præ cæteris, tum *coctæ materiæ per ſudorem evacuatio optima.* Cùm certum ſit, nullam febrim perfectè curari citra metum recidivæ niſi in declinatione ſudor provocatus fuerit.

Cæterum in ipſis ſudoriferis obſervetur quod non ſemel tam in curſu morbi ſed quoties opus eſt, propinentur: Nam prima ſudatione tantummodo movetur maſſ. ſang. potius quam quod integrè evacuetur: Iteratis ergo ſubinde ſudoriferis inſtituenda eſt denuo maſſ. ſang. perfecta purificatio. *Semper* tamen *obſervandus criticus naturæ motus* ne impediatur, peracta criſi, ſudor iteratus tutiſſimus eſt, quo omnis metus recidivæ tollitur.

Quod ſi non ſit diſpoſitum corpus ad ſudandum, tutiſſimum eſt addere ſudoriferis *opiata*, quæ uti alias quaſcunque excretiones ſiſtunt, ita promptiſſimè ſudorem promovent, & naturam ad faciliorem per ſudorem evacuationem diſponunt.

Jam de *Venæſectione.*

Inſignis hic eſt abuſus in omni febri ſecare venam: *In intermittentibus melius eſt:* præcipitantibus enim ſolis & evacuantibus curatur, & ſi vel nullæ mihi curandæ eſſent, nunquam ven. ſect. inſtituerem.

In *continuis cautius mercandum:* in ardentibus enim ſæpiùs eſt malignitas: Jam in *ardentibus ſecare venam eſt patientes jugulare. In malignis quibuſcunque eſt maximè conveniens.*

Hinc in continuis ardentibus cum raræ ſint ſine adjuncta malignitate in adminiſtranda venæſectione cautiſſimus ſit Medicus, adeo ut ubi ſecanda vena in principio ſecet, ubi expectavit 3. vel 4. diem eſt periculoſa venæſectio.

Vbi autem convenit venæſectio eſt in febribus continuis benignis, in ſubjecto juvenili, aut in quo conſuetæ quædam ſanguinis evacuationes ſunt ſuppreſſæ, tempore verno vel æſtivo.

In Juvenilibus ſubjectis in quibus efferveſcentia & ebullitio maſſ. ſang. dejecta, in tali caſu his circumſtantiis abſentibus venæſectionis nunquam ſuaſor ero.

Nam rectè dicit Z. LUSIT. Venæſectionem intempeſtivam cauſam mortis eſſe in febribus ardentibus, *lib. 3. prax. admir. obſ. 52.*

Ad hæc ven. ſect. inſtituta in *acceſſione febris*, ſive *continuæ*, ſive *intermittentis*, eſt *periculoſa:* cum non raro jugulentur ægri.

Utut ſint exempla ſine periculo mortis interdum inſtitutæ ven. ſect. ſunt tamen rara & nos non omnia poſſumus imitari.

Dicunt quidem ad hoc conducere ven. ſect. ut ventiletur maſſ. ſang. & ſupprimatur calor Sed merum eſt effugium cui contrariatur praxis: Nam ubi eſt inſigniter calidus ſanguis & in vaſis coarctatur vix ebullitioni poteſt habere ſpatium ſufficiens, tunc ſane quando aperimus venam potius efferveſcentiam augemus, quin majus acquirit ſpatium pro ebullitione.

Cauti ergo ſimus *in ven. ſect. in febribus continuis vid.* HELMONT. & KNOFELIUS *de febr. Epidemica maligna.*

Sitis ordinarium ſymptoma eſt, & oriri dicitur à calore, quod tamen falsè ſubſannat HELMONT. idque jure optimo: *fit* potius *à ſale lixivioſo, ſeu ſale ſalſo fauces infeſtante in paroxyſmo. Hinc in febribus ſcorbuticis* tam *intermittentibus* quam *continuis ſitis eſt intenſiſſima*, aut tali ſiti admodum torquentur ægri: ratio, quia ſal ſalſum ſcorbuticum vellicat fauces, & ita illam infert: Unde etiam uti rectè dicit HELMONTIUS aliquot guttæ ſpiritus ſeu ſtagmatis ſulphuris acidi, plus levant ſitim quam integra amphora aquæ frigidæ ſimplicis ſumpta. Non ergo ad calorem, ſed ad ſal ſalſum vel lixivioſum erit recipiendum.

Sacharata quæcunque *in omnibus febribus* inſigniter *nocent*, cum ſacharum & mel ſint admodum fermentativa, adeoque fermenteſcendo fermentationem præternaturalem intendunt, itaque malum exacerbant: *vide* imprimis *de ſachari & dulcium noxa in febribus. Heinric. ab* HEER. *in obſerv. oppido raris obſ. 5.* Item PANAROLLUM *pentec. 2. obſ. 12.* ubi ſimiliter dulcium uſum in febribus perſtringit.

Vini potus arctè *interdicitur* ægris, ſed *peſſimo conſilio. In intermittentibus* enim *vinum non nocet* ſive die intermiſſionis ſive poſt paroxyſmum aſſumatur.

In febri maligna vini hauſtulus in conſervandis & reſtaurandis viribus *egregius.*

Id quod etiam *in febribus malignis non improbandum*: Calor qui metuitur eſt à ſpiritu volatili, in hauſtu vero integro vini generoſi vel ℈j. vel ʒß. continetur: quæ ergo ab hac metuenda noxa?

In intermittentibus vinum non nocet: In malignis eſt

eſt optimum, in continuis moderatè uſurpatum non improbatur.

Naturæ enim vinum eſt amiciſſimum, & quod vires inſigniter reſtaurat: prætereaque non raro ſanguinem adeo promovet, ut ad vias urinarias facilius diſcedat urina: habito tamen delectu. Nam generoſa vina, *Hiſpanicum & de Malvaſia minus, Rhenanum vero & Nicarinum & ſimul ſubacida plus conveniunt, non pro potu ordinario, ſed pro appetitu agri & ratione virium.*

Quod attinet *Potus* alios, *cerevisia non rejicienda* niſi propter amarorem moleſtum, loco potus appetatur tenuis, *ſive ſecunda cereviſia*, hic potus flatus generat quia eſt crudus, & facile fermentat, & ita morbum auget: quando ergo appetitur ab ægris ne noceat in febribus, propterea inſtillantur ſubtilia acida *ſuccus citri*, &c. diſſolvitur aliquantulum *vitrioli & nitr. antim.* it. inſtillantur *tinct. ſubacida Bellidis Cyani, Roſarum*: his enim correcti hi potus poſſunt concedi.

In intermittentibus copioſè poſſunt admitti, quia promovent ſudorem.

In continuis LANGIUS perſtringit Medicos qui ſitientibus ægris omnem ſubtrahunt potum: quin potius *in continuis non negandus potus ſed* hinc *tincturis appropriatis* imprimis *ſtomachicis temperandus,* ne noceat & minus laxet ſtomachum: Immò in *febribus continuis cum ſecund. cereviſ.* &c. *mistum vinum & pomum citrinum* additum eſt potus ſuaviſſimus & convenientiſſimus.

Serum lactis aliàs bene depuratum & ſucco citri acidulatum in *febri continua* item *intermittente ſcorbuticis* eſt potus optimus: ſed depuratum eſſe debet, ne pars caſeoſa remanens exaſperet malum, cum pomo citri in taleolos inciſo purificatur, & convenit etiam in morbis malignis continuis & ſcorbuticis.

Quod attinet *Victum*; parum in febribus ardentibus appetitur, *nec ad appetitum adigendi ægri*: Ratio quia alimenta quæcunque in febribus quæ citra appetitum & cum nauſea aſſumuntur, non digeruntur, ſed putreſiunt & ſordes febriles augent. Unde in continuis utut ad aliquot dies nihil comedatur perinde erit. Nam in alimentis appetitus præſcribit rationem & tempus. Unde conſultius eſt ad cibum non cogere vel perſuadere ægros: nec voluit HELMONT. ſuos ægros à morbis obeſos aſſurgere.

Fructus omnes aut *ex fructibus* parata fermentando ſunt *nociva: nam omnia qua augere & ciere fermentationem poſſunt, in febribus nocent.*

Et hæc de febribus in genere ſufficiant.

In genere locuti ſumus de febribus, *dictumque fuit conſiſtere febrim in turgeſcentia ac fermentatione ſanguinis præternaturali vitioſè aucta & depravata.*

Jam obſerva quod hæc fermentatio febrilis aut continua ſit & ſine intermiſſione fatiget ægros donec depurata maſſ. ſang. aut per criſin naturæ beneficio præcipitata & ſegregata heterogenea excludat, aut adjumẽto Artis debita evacuatione artificiali imprimis per ſudorem eadem expellat: Aut iſta effervescentia febrilis eſt interrupta ſuis interſtitiis diſtincta, quibus elapſis novus inſultus & quaſi nova quædam fermentatio redit.

Ita ut *in genere febris omnis* aut ſit *continua* aut ſit *intermittens.*

Hac vice de

FEBRE INTERMITTENTE.

Febris Intermittens. *Intermittens febris eſt, ut dico, qua poſt intervalla nunc breviora nunc longiora diverſis redit paroxiſmis.* Unde dum febris in genere eſt fermentatio ſanguinis nimia & depravata, ſeu effervescentia ejus inordinata, ut plurimum cum calore & ſiti aliiſque præterea variis ſymptomatis moleſta, quibus œconomia anilis variè perturbatur: Hinc febris intermittens erit interpolata ac quaſi interrupta talis febrilis fermentatio. Unde pro ſingulorum acceſſione ac interſtitio diverſo febres diverſa quoque ſortiuntur nomina.

Nam *ſi quotidie novus redit paroxyſmus* præcedenti in proportione reſpondens (hæc eſt cautela in cura quotidiana) dicitur *quotidiana.*

Si vero hîc tantummodo *alternis* contingat *diebus* dicitur *Tertiana.*

Sin *poſt duos demum intermiſſionis dies* revertantur paroxyſmi vocatur *Quartana.*

Sic porro de febribus *quintanis, ſextanis, octanis & nonanis.* Mihi ſanè obſervare licuit febrim octanam, omnibus diebus veneris circa veſperam redeuntem, quam, præmiſſo vomitorio, per ſpir. ſal. ammon. brevi profligavi. *Exempla* talium febrium quintanarum, octanarum & plurium aliarum vid. in SCHENCK. *lib. 6. obſ. de febribus.* Quin & dantur *Febres menſtrua* ſingulis menſibus tantummodo redeuntes, quale exempl. in juvene obſervatum annotavit SCHENCK. *cit. loc.* Item exemplum talis *febris menſtrua* obſervavit LINDANUS in Muliere, quæ toties quoties menſtruam patiebatur purgationem, ordinario per triduum febricitabat.

Immò dantur etiam *Febres Anniverſariæ,* ſeu ſingulis annis certo tempore redeuntes: *Immo febris qua die natali quotannis* affligebat, & tandem etiam extinguebat fuit obſervata.

Hæ febres hunc typum ſervantes vocantur *ſimplices.* Obſervantur etiam *febres* ex pluribus intermittentibus *compoſitæ.*

Tales ſunt *quotidianæ duplices triplice ſve*, quoties eodem die duo treſve proportione varia ſucceſſivè ſibi reſpondentes, producuntur paroxyſmi. Dantur *tertianæ, duplices, it. triplices*: Ex tot tertianis compoſitæ, ſive eodem die bini, altero unus tantummodo obſervatur paroxyſmus. Tandem obſervantur & *quartanæ, duplices, triplice ſve.* Contingit enim ut æger uno die ſit immunis à febri & binis ſequentibus patiatur ſingulos paroxyſmos atque tunc eſt quartana duplex: Quin & contingit, ut quotidie novus recurrat paroxyſmus hoc tamen ordine, ut primus in proportione durationis, afflictionis, ſymptomatum, &c. reſpondeat quarto, quartus ſeptimo; ſecundus quinto; quintus octavo; Tertius reſpondeat ſexto; ſextus nono; & ſic conſequenter, & tales ſunt Quartanæ triplices.

Ex his omnibus de quotidianis eſt dubium imprimis *an dentur?*

Multi affirmant: multi negant. Qui affirmant GALENUM producunt; qui negant producunt *Experientiam.*

Cum enim in ſchola GALENICORUM præter ſanguinem, tres ſtatuantur humores, à bile derivarunt tertianam, à melancholia quartanam, hinc neceſſario à quarto humore pituita, voluerunt febrim quotidianam produci.

Qui negant uti dico producunt experientiam: rariſſimè enim obſervatæ ſunt tales febres. Sic RHODIUS exemplum habet *in cent. 1. obſ. 5.* de febri quotidiana intermittente 4. annorum.

Sic GABELCHOV. *cent. 6. p. 137.* obſervat febrim diuturnam ſingulis diebus hora certa invadentem. Verum ſæpius decipiuntur Medici, ſicut fateor, quod ipſe ita fuerim deceptus, ut quando febris quotidie recurrit putent eſſe quotidianam, quæ tamen ſæpius eſt tertiana duplex utut in ſingulis diebus eodem tempore & eadem proportione recurrant, eventus tamen loquitur fuiſſe tertianas duplices: ſolent enim tales quotidianæ ſæpius finire ita ut uno die paroxyſmi ceſſent qui tamen poſtmodum alternis diebus repetunt; Clarum exemplum fuiſſe tertianam duplicem.

Vel licet eadem proportione & eodem tempore ſubinde

ſubinde recurrant, fit tamen ut tandem unus paroxyſmus ſubinde ſoleat poſtponere altero ſtatum tempus obſervante, id quod ſimiliter teſtatur eſſe perfectam Tertianam duplicem.

Aut denique quando fit ut paroxyſmi ſe mutuo inſequentes non habeant eandem ad ſe invicem proportionem, ratione nempe temporis invaſionis, aut ratione durationis, aut ratione comitum ſymptomatum, in talibus caſibus uti non reſpondet ſecundus primo, tertius ſecundo, & ſic porrò; ſed paroxyſmus in tali caſu tertius reſpondet primo, quartus ſecundo, quintus tertio, & ſic porrò ſimiliter eſt febris duplicata tertiana, utut quotidie invadens.

Præter has febres certa periodo affligentes obſervantur etiam *febres intermittentes*, quæ plane incerto tempore redeunt & affligunt, quæ ob id *inordinatæ* vel vagæ, item *erraticæ* communiter dicuntur.

Febrium harum *intermittentium* pro occurrentium ſymptomatum varietate eſt ſimiliter *inſignis varietas*.

Ordinariè quidem frigore præcedente & calore ſubſequente moleſtæ ſunt hæ febres ita (ut totum earum deſcribam periodum) ut primo ægri percipiant *oſcitationem & pandiculationem*, quin & *laſſitudo Artuum univerſalis* ſubinde eſt moleſta, non raro etiam præcedit *inquietudo*: His moleſtiis ſubvenit plerumque *corporis quædam lenis refrigeratio*, quæ refrigeratio quod bene notandum ſævior aut ſaltim perceptibilior eſt in *regione lumbari*, ita ut in dorſo ſurſum & deorſum repere videantur.

Hinc magis magiſque totum corpus & in ſpecie extrema digiti, naſus, manus, mentum refrigerantur: Frigori conjunctus eſt nunc *levis horror* nunc *gravis rigor* concutiens & quatiens membra. Durante frigore ſubinde *dolores* nunc *rodentes*, nunc *lancinantes*, nunc alia *tormina* infeſtant abdomen, & *inſipiente frigore pulſus* uti eſt *frequentior*, ita fit *inſigniter minor*, fit etiam *debilior*, interdum tam debilis & exiguus propter fermentationem ſanguinis imminutam, ut vix digitis percipi queat. In hoc frigore, *aut remittente jam frigore*, ſubinde *anxietates circa præcordia* ſolent affligere ægros, unde tunc ſenſim ſenſimque frigus mutatur in *calorem*, cum quo calore intenditur *ſitis*, quæ rarius aut ſaltim non adeo vehementer urget in frigore. *Cum calore pulſus fit continuo frequentior, ſenſim fit major ac robuſtior*: Ubi enim in corporis incaleſcentia pulſus eſt parvus ſignum fere eſſe ſolet febris malignæ, ſummæve virium proſtrationis, ideoque non parvum imminet periculum. *Calori acuto* accedit *linguæ ariditas, reſpiratio aucta, capitis dolor, ac æſtus temporum pulſatilis, vigiliæ*, non raro quoque *Delirium*. Hinc *remittente* interim *nonnihil calore*, *ſudor* emanare ſolet nunc *copioſior*, nunc *parcior*, aut ſaltim *urinæ* ſequitur *copioſa excretio inſequente* tunc fere *ſomno vario* nunc magis nec minus quieto, *ſomniis variis moleſto* ac turbato. Hic eſt quidem motus ordinarius quo ſolet invadere febris, nihilominus tamen obſervatur ſubinde Anomalia ſeu degeneratio in paroxyſmis, à conſueto hoc ordine.

Sic namque ratione ſymptomatum dicuntur *febres algidæ* vel frigidæ, ſeu tales quæ affligunt cum frigore ac horrore quem aut nullus aut omnino levis inſequitur calor, de quibus ſupra.

E contra dantur etiam *febres intermittentes, calentes ſeu ardentes*, idque in ſpecie *tertianæ*, vix quartanæ, quæ citra frigus aut horrorem ullum, mox à calore & ardore gravi inchoant, qui calor etiam interdum poſt paroxyſmum nonnihil ſubinde durat, aut ſaltem lentè admodum ac pedetentim remittit.

Obſervare huc licet ſubinde degenerare has febres in ſe invicem.

Obſervavi enim febres intermittentes ordinario modo invadentes, quæ poſtmodum poſt aliquot paroxyſmos remiſerunt abſque frigore ſolo calore fuerunt moleſtæ: E contra obſervavi febres intermittentes tertianas quæ incipiunt ſolo calore abſque frigore, ſed poſt aliquot paroxyſmos revera in modum ordinarium frigoris & caloris tranſmutantur.

Deinde hæ *febres intermittentes* nunc ſunt *ſiticuloſæ* nunc *famelicæ*.

Siticuloſæ quando ſitis nimis ac extraordinariè urget, idque tam in frigore quam calore, quod in ſcorbuticis ſubinde ſolet evenire.

Famelicæ ſunt quibus conjuncta fames gravior & tamen non explebilis; idque ſæpius inchoante paroxyſmo, aut ſaltem eodem continuato.

Subinde in febribus moleſta *Cardialgia* infeſtat ægros, quales *febres Cardiacæ* vocantur.

Item in principio Paroxyſmorum aut ſaltem in ſtatu ſubinde *tormina ac dolores* Abdomini ſunt moleſta, quales *febres torminales, ſeu colicas* appellant.

Sunt & *febres anxioſæ*, quæ imprimis cum inſigni anxietate, præcordiorum anguſtia, hypochondriorum tenſione ſunt moleſtæ, ſymptomata emiſſi flatus vel ructus alleviant nonnihil.

Tales febres anxioſæ iis qui malo hypochandriaco ſunt obnoxii ſolent utplurimum contingere.

Obſervatur etiam febris *Tuſſiculoſa*, (qualem ipſe vidi) quæ inchoante paroxyſmo gravi tuſſi ſolent eſſe moleſtæ, inanis hæc & in qua parum aut nihil omnino rejicitur.

Quin & *Deliræ* obſervantur, quando nempe in paxyſmo imprimis in declinatione ſubinde delirium adeſt & recurrit. In declinatione dico, rarum enim eſt ut in principio morbi adſit delirium: vid. Marcell. DONAT. *hiſtor. medic. mirabil. lib.* 3. *cap.* 14. qui obſervat delirium melancholicum in muliere quartana laborante, quod delirium melancholicum ſingulis paroxyſmis rediit remittente paroxyſmo & ipſum remittit & intermittit delirium.

Ordinario febres ſunt *vomitivæ*, rarius *dejectoriæ*, ſeu fere ſemper, imprimis in tertianis in principio corripit vomitus: rarius poſtmodum ſequuntur dejectiones ordinariæ.

Denique attendendum eſt ad *intermittentes malignas* ſeu periculoſas ita dictas, quod inſtar febrium malignarum continuarum, cum pulſu parvo, ſumma „ virium proſtratione, interdum Exanthematum & „ Petechiarum eruptione, ſumma ſordis anxietate, in- „ quietudine, & ſimilibus ſymptomatibus ſæpius ſunt „ lethales.

„ Exempla talium Tertianarum & aliarum inter- „ mittentium malignarum videbitis in Epiphanio FERDINAND. *hiſt.* 85. de Febri tertiana primo miti quæ poſtmodum omnino maligna & peſtilentialis facta fuit. Quin & tales *tertianas malignas* obſervat RHOD. *cent.* 1. *obſer.* 7. Sic *maculas petechiales in febre tertiana* obſerv. *Marcell.* DONAT. *lib.* 3. *hiſtor. medic. mirabill. cap.* 14. Item *Tertianam malignam intermittentem* in qua convaleſcenti maculæ lividæ proruperunt, obſervavit RHOD. *cent.* 1. *obſ.* 10.

Quin & *Tertianas duplices* primo & *contagioſas* deinde etiam *ſimplices ſudoriferis* imprimis *curandas* videbitis obſervatas à SALMUTH. *cent.* 3. *obſervat.* 51. *Tertianam duplicem malignam* curatam videbitis in RIVERIO, *cent.* 4. *obſervat.* 2. & 15. Item aliam ſimilem *malignam Bezoarticis mineralibus curatam*. Idem habet RIVER. *cent.* 4. *obſerv.* 36.

Nec ſolum tertianæ, ſed etiam *Quartanæ malignæ* obſervatæ fuerunt: vid. Marcell. DONAT. *lib.* 3. *cap.* 14. *Editionis* HORSTIANÆ. Item *quartanam malignam contagioſam* habet HORSTIUS *lib.* 1. *obſ.* 12. Item Marcell. DONAT. *lib.* 7. *cap.* 6.

Hæc in genere de febribus intermittentibus earumque variis ſymptomatis.

Hæ febres omnes intermittentes cujuſcunque Typi & cujuſcunque rationis omnes ſunt ejuſdem eſſentiæ. Oriuntur nempe ab eadem omnino cauſa; ſive ſint octanæ, nonanæ, ſive ſimplices, ſive duplices, quæ tamen diverſificantur pro ſubjectorum & circumſtantiarum ſecundum rerum naturalium non natural. & præternatural. varietatem: Unde etiam poſtmodum febres emergunt adeo differentes: Utut earum medendi ratio in omnibus ſit una eademque in Methodo medendi generali.

CAUSAM

Febrium omnium intermittentium remotam, fabricari puto in ſtomacho ex vitiata nempe digeſtione ſive in fermento digeſtivo ſive in alimento aſſumpto hæreat vitium.

Notum namque eſt nonnullis antea ſanis ex eſu rei adverſatæ, vel ipſis alias horridæ ac nauſeoſæ incidere brevi poſt in febrim: ſicuti e contra ex eſu rei appetitæ intenſè ac ſummè, utut apparenter noxiæ diuturnis correpti febribus ægri nonnulli optimè ſanentur.

Confirmat hoc quod levis error in Diæta aut curatione, aut febrim recidivare faciat aut eandem adhuc durantem inſigniter exaſperare & duplicare ſoleat. Nec rarum etiam eſt quoſdam curare ſe in febribus ſola pertinaci ac ſtatuta inedia. E contra alii curantur exceſſivo potu ſive ſequente vomitu, ſive ſequente ſudore.

Exempla paſſim ſunt obvia, quædam ſaltem enarrabo. Novi hîc mulierem quæ ultra tres menſes conflictaverat tertiana ſub longo medicamentorum uſu, ipſa denique capta eſu halecis, Medico non connivente, illum clam devoravit & exinde præter ſpem & opinionem febri curata fuit. Novi hîc aliam mulierem quæ naturaliter averſabatur caſeum, huic cum clam & ipſi neſcienti tantillum caſei cum aliis cibis fuit oblatum, ipſa brevi poſt nauſea correpta & vomitu mox ſubſequente febri tertiana 17. hebdomadum à qua nec ipſa potuit curari niſi quod aliquando intenſè ſimiliter appeteret halecem, quo comeſto ipſa ſimiliter ſana evaſit. Facit huc exemplum VVIERI *in obſervat.* de quodam qui 21. halecibus ſemiroſtis eſitatis à quartana liber evaſit. Sic novi hic virum, qui eſu anguillæ quam naturaliter abhorret in febrim ultra quadrantem anni durantem incidit. Utplurimum in mutatione victus peccatum febres producit. *Rarum eſt*, quod tales febres ſint *Epidemicæ, vitio aëris & alimentorum contractæ.* Qualia exempla fuerunt obſervata ab aëris vitio à VVILLIS, *in tr. de febribus*, it. à BARTHOLINO *cent. 2. hiſt. 56.*

Remanet ergo *cauſam oriri in ſtomaaho ex vitio digeſtionis.*

Unde non fiunt ex Hepate neque ex Liene, ut quidam dicunt tertianas oriri ex vitio Hepatis; Quartanas ex vitio ſplenis. Nam in principio harum febrium hæc viſcera ſunt ſalva & ſana: his febribus vero diuturnis redditis aut reſiſtentibus pertinaciter aut male curatis ſubinde ſupervenit vel tumor aut ſcirrhus Lienis, aut tumor ac ſcirrhus hepatis: ſupervenit imprimis talis viſcerum horum affectus, adeoque potius eſt productum morboſum quam radix morbi originaria.

Concedo quidem facile infarctus tales quorumcunque viſcerum vel alia vitia, menſtrua, v. gr. ſuppreſſa, ſubinde diſponere ægros ad morbos, ut ſunt quamplurima exempla quartanarum poſt ſuppreſſionem menſium ortarum. Verum horum cauſæ præcedentes fabricantur in ſtomacho ejuſque digeſtione fundamentali totum corpus inſigniter turbante Uti notum eſt in menſibus ſuppreſſis infeſtare nauſeam, vomitum, picam & ſimilia ſtomachi vitia. In hoc ergo fundamento à ſtomacho vitioſè digeritur chylus, aut licet vitioſè non digeratur, ſi tamen vitio ſuccorum pancreatici & bilioſi non ritè ſeparetur à fœcibus alvinis, & ſic poſtmodum infundatur ſanguini, ipſique permiſcetur maſſ. ſanguineæ, non poteſt ritè nec convenienter aſſimilari, ſed potius craſin maſſ. ſang. lædit, eamque variè depravat.

Ex hoc fonte uti plurimi alii exſurgunt morbi, ita ut maſſ. ſang. facile per ſe fiat fermentiva, v. gr. in Juvenibus aut data quacunque occaſione aut crapulæ, aut iræ aut impeditæ tranſpirationis ad fermentationes præternaturales diſponitur, aut denique ſi ipſe chylus vitioſus nonnihil fuerit fermentativus, v. gr. ex fructibus horæis, ex potu non ritè defœcato, ex dulcibus, &c. factus tunc facile maſſ. ſang. his heterogeneis nec ritè aſſimilatis particulis, in quibus ad primarias facultates ſalinas ſemper reſpiciendum, turgida in fermentationem vitioſam erumpit, ſicque paroxyſmum febrilem concipit.

Quod ut pateat obſervetur vitium iſtud concoctionis, imprimis in eo conſiſtere, quod nempe chylus non ritè ſalſus volatilis ac temperatus fuerit: ſed potius acidus & viſcidus nonnihil plus minus, prout diverſimodè vitiatur digeſtio. Unde diverſimodè poſtmodum variat febris accedente alia atque alia in omnibus ſubjectis ſanguinis craſi.

Saturata ergo & interdum ad turgeſcentiam uſque impleta maſſ. ſang. tali materia vitioſè aſſimilata, tunc data occaſione pars iſtius materiæ vitioſæ in ſanguine congeſtæ ſanguinis naturalem fermentationem turbat; fit ut cum ſit acida & viſcida, partes maſſ. ſang. ſalinas volatiles ac oleoſas quodammodo obruat, ſanguinem nonnihil coagulet aut inſpiſſet & notabiliter ſanguinis fermentationem imminuat. Unde ingruente paroxyſmo pulſus fit minor, fit etiam debilis propter debilem fermentationem ſanguinis interdum omnino non obſervatur, utut Cor depravata ſanguinis fermentatione irritatum frequenter ſe contrahat, ſicque pulſum frequentiorem edat.

Turbata ita ſanguinis fermentatione naturali, tunc ſalia ejus fermentativa non ritè invicem agunt, nec partes ejus oleoſæ ex motu fermentationis debitum calorem concipiunt, calor ſenſim deficit corpori, & frigus ſuccedit, quia & turgeſcente ſanguine & hinc confuſis ſpiritibus vitalibus ac perturbatis animalibus, laſſitudo inſignis prehendit artus.

Dum vero aciditas iſta vitioſa materiæ peccantis plus minus vellicat partes nervoſas & membranaceas, hinc rigor modo major modo minor ſuccedit. In rigore enim primario vellicatur panniculus carnoſus non verò ſolum, ſed & membranæ Abdominis particulares vellicatæ quatiunt corpus. Unde & frigus intenſum imprimis in abdomine & lumbis percipitur.

Hinc & in horrore & rigore patiuntur ita partes nervoſæ abdominis, etiam ſtomachus & inteſtina, & his annexa vaſa cholidocha & Pancreatica vellicantur, ut contenta ſpaſmodico motu copioſius egerant, unde ab horum efferveſcentia non tantum varia ſymptomata abdominis contingunt, ſed hæc ipſa efferveſcendo regurgitando in ſtomachum eundem ſtimulant ad crebras ac violentas iſtas vomitiones.

Hæc tamdiu durant quamdiu partes materiæ vitioſæ nonnullæ turgeſcendo maſſam ſanguineam turbant. Sed remittente hoc fervore partes maſſæ ſanguineæ volatiles emergere denuo incipiunt, acidum temperant viſcidum incidunt, ac ita vehementem ac inſignem efferveſcentiam concipiunt & inchoant: qua efferveſcentia partes maſſæ ſanguineæ ol. ſulphureæ in efferveſcente maſſa velocius

motæ & agitatæ calorem iſtum inſignem concipiunt.

Quo calore per totum corpus ſucceſſivè diffuſo, calor, æſtus & aucta fermentatio, pulſus major robuſtior ac celerior percipitur; donec materia fermentativa vitioſa omnino ſubacta inſtar fœcum vini præcipitata, à reliquarum partium conſortio liberata ſero copioſo calore attenuato, involuta ſeu abſorbta aut copioſo urinæ fluxu aut effuſo ſudore excernatur, & ita maſſ. ſang. æquabiliter ac naturaliter fermentante febris omnino remittat ac intermittat, idque tamdiu donec ſimilibus vitioſis ſuccis in maſſa ſanguinea adhuc ſtagnantibus denuo ex parte maturatis & turgeſcentiam concipientibus novus redeat paroxyſmus, quæ tragœdia tamdiu durat, donec maſſ. ſang omnino depurata ac quaſi defæcata exiſtat.

Verum quare tam ſtatutis horis & tam præciſo tempore recurrant paroxyſmus adeo ut certitudine ipſa horologia ſuperent, hoc eſt quod apertè *fateor me neſcire*, ſicut & aliarum omnium periodorum rationes ſunt obſcuriſſimæ, 17. diverſæ Auctorum de hoc ſunt opiniones, quas collexi ſed nulla eſt ſufficiens: quædam ridiculæ, nonnullæ ex toto abſurdæ.

His ita explicatis *Noto*, imprimis *frigus & horrorem omnem ortum ſuum debere acido*, id quod teſtatur Cura, dum alias frigidæ materiæ combinatum acidum dat febres tam frigidas quam calidas ut in ſcorbuto, & *totum paroxyſmum dependere imprimis à materia viſcida cui acidum inhæret*, immò quo magis viſcida fuit materia eo tardius paroxyſmi redeunt ut in Quartanis quo minus talis fuerit, eo citius recurrunt ut in tertiana.

Hîc *noto differentiam inter febrim tertianam notham & legitimam: Notham* oriri dicunt ex pituita viſcida ſeu, ut ego interpretor, ex *materia acida viſcida*: unde & in paroxyſmis talis obſervatur diverſitas. In *Legitima* paroxyſmi ſuum legitimum ſervant ordinem. *Calor paroxyſmorum ex ſale volatil. oleoſo prædominante* tandem *ac effervеſcente cum acido originem ducit.*

Noto II. in febribus diuturnis (obſervantur enim quæ ultra 10. annos continuantur) non videri veriſimile ſemper adeſſe talem materiam morbificam peccantem, utut in principio adſit, quod jam etiam Celsus monuit, quin potius naturam tunc ex conſuetudine febrim continuare videtur, ceu loquitur Celsus.

Unde etiam Sennertus vult, quod miaſma quoddam fermentativum hæreat in maſſ. ſang. quod revocet paroxyſmos febriles. A Poterio vocatur ſeminarium febrile: utut non ſit talis focus nempe materia viſcida in corpore ſeu maſſ. ſang. confirmatque experientia, quod tales febres diuturnæ ſint leviſſimæ, imprimis Quartanæ ita ut paroxyſmus ultra horam unam alteramve vix duret, & ſit maximè tolerabilis cùm ipſæ febres non ad annum non ad biennium, ſed ad quinquennium imò ad 30. annos duraverint. Spigelius recenſet exemplum *tertianæ per* 30. *annos* durantis *de febri ſemitertiana lib.* 2. *cap.* 13. Wierus *in obſervatione* de quartana obſervat aliquot exempla *quartanarum ultra* 30. *annos* durantium & ſic porro.

Quia ergo putet ex maſſæ ſanguineæ coacervatis tales oriri? quin potius conſuetudinem vel miaſma reſiduum ſtatum inducere paroxyſmum: Unde ſolent curari tales citra excretionem materiæ notabilem, v. gratia per ſubiteneam alterationem, vel in motibus corporis vel animi: v. gratia ex *terrore ſubitaneo* quartana aliquot annorum & fere incurabilis fuit curata, ut refert Boyle in *philoſophia experimentali p.* 219.

De Sene quartana afflicto qui ſub aqua demerſus fuit curatus. vid. Schenckium. Et Valeriola *lib.* 2. *obſervat. pag.* 123. refert, quartanam contumaciſſimam & multis cedantem remediis, quæ *ſubita ira* & excandeſcentia ægri fuit curata.

Hinc eſt quod Opiata tales febres tuto & certo curant, cum conſuetudinem talem naturalem turbent.

Et quæſo, quomodo curarentur febres per *Amuleta ridicula*? Sic refert Salmuth. *pentec.* 3. *obſervat.* 81. *pag.* 364. de tertianis diuturnis curatas per Amuletum factum ex charta linteo incluſa cui fuit inſcriptum (*martis vulpiſque pellis, tegit nos adverſus frigus.*) Item Timæus *in caſ.* 20. *libr.* 8. de quartana cum ſchedula cui fuit inſcriptum (*Caro pinguis optimum facit juſculum.*) In his ſola imaginatione cura fuit peracta, & nulla fuit materiæ morbificæ ſeu fomitis facta excretio ſenſilis.

Noto 3. *quod variata maſſ. ſang. ex vitio digeſtionis*, neceſſario *etiam videntur primarii* poſt maſſ. ſang. *ſucci*, nempe *Bilioſus & Pancreaticus*, quibus in paroxyſmo uberius in inteſtina effuſis quamplurima abdominis ſymptomata oriuntur, & propterea horum ſuccorum in cura paroxyſmorum maxima habenda eſt ratio.

Immò qui cum Sylvio ex ſucco pancreatico primario & ex Bile ſecundario, omnium paroxyſmorum rationem in intermittentibus explicare volunt non habebunt me refragantem; Cum certus ſim optimè poſſe explicari praxi & facillimè. Talis tamen efferveſcentia vix ſufficit, cùm plurima ſint problemata maximè neceſſaria, quæ ex illa non poſſunt reſolvi.

Certum interim eſt, ab iis vitiatis ac in principio paroxyſmi in inteſtina effuſis ad vehementem invicem efferveſcentiam inducentibus, non tantummodo aggravari paroxyſmum, ſed multa etiam abdominis ſymptomata induci, qualia jam ordine recenſebo.

A ſucco Pancreatico acidiore & Bile minus oleoſa intenditur frigus, Abdominis juxta lumbos in latere dextro: ubi Inteſtini Duodeni inſiguntur ductus. *A bile* vero *nimis acri ſalina & magis oleoſa æſtus ac ardor ſubinde in Abdomine moleſtus eſt*, & ægri tales dicunt, *quod in corpore ardeant*, & monſtrant locum ſub hypochondrio dextro.

Succi hi concurrentes, & *vitioſè efferveſcentes non* raro iudicunt *flatus*, item ex flatibus ſubſiſtentibus *anxietates præcordiorum* & imprimis ſi ſimul afficiatur ſtomachus & infletur *difficilem reſpirationem* ac *inſignes anguſtias*, item *dolores ſub coſtis nothis* inducunt, quibus ſymptomatibus medetur Clyſma aut ante paroxyſmum aut in principio paroxyſmi applicatum.

Acidum in corpore *abundans* inducit *famelicas febres.*

Quod ſi ex efferveſcentia ſucci Pancreatici & bilioſi halitus acres ſæpius acidi ſurſum in ſtomachum pertingunt per Pylorum & Duodenum à ſtomachi irritatione *Tuſſes ſiccæ & inanes*, utut ſæpius violentæ oriuntur.

Sanguis interea turgeſcens ac vaſa diſtendens *dolorem capitis* infert, inſigniter vero incaleſcens *ariditatem linguæ* ob abſumptionem lymphæ ſalivalis linguam humectantis.

Sitis intenſa *ex halitibus ſalſis & acidis* ex præcordiis exhalantibus, & fauces vellicantibus *oritur.*

Quod *ſi adſit ſaliva* eaque ſimul *ſalſa* nimis inſigniter *intenditur ſitis.*

Aucta tandem ſanguinis efferveſcentia ejuſque ardore non mirum eſt ſi *reſpiratio difficilis* ex ſanguine in pulmonibus ſtagnante & ebulliente *æſtus* aut *difficilis arteriarum in artubus pulſus* moleſtet ægros: quin & rapidius tantummodo motis &

Bb perturba

perturbatis ſpiritibus animalibus aut *Vigiliæ pertinaces* aut *Deliria* ægros affligant.

Scorbutus uti eſt Protheus ac cum mille ſe induat larvis, ac omnibus ſeſe adſociet morbis: ita etiam *non raro febribus intermittentibus & continuis*, præcipuè tamen intermittentibus *ſe jungit*, & febres tales acerbius longè ſolent affligere cæteris: *Periodi earum ſunt*, Vagæ interdum, non vero ſemper, *modo anticipantes, modo poſtponentes*. Nam ubi adeſt febris erratica intermittens, ibi ſemper ſupicio debet eſſe latentis ſcorbuti, dolores lancinantes artuum, aut etiam dolores vagi ante aut in paroxyſmo affligentes aut in frigore, aut in calore, ſimiliter ſcorbutum monſtrant. Arenulæ rubræ facile friabiles, parietibus matulæ ſe affligentes, infallibile ſcorbuti ſunt ſignum: nam ſunt ſalia concreta vitioſa; ſunt friabiles, non duræ ut calculoſorum,

Quod ſi vero deſint hæ arenulæ ſæpius in urinis talium febri ſcorbutica affectorum hæret ſedimentum craſſum copioſum & quaſi furfuraceum, ſub rubicundo ſanguineo colore nonnihil tinctum: In tali caſu ſæpius etiam, immò fere ſemper, ſubeſt ſcorbutus.

Tandem contumaciſſimæ ſunt tales febres ſcorbuticæ & quæ non poſſunt curari niſi ſublato fomite ſcorbutico, alias etiam vel ſepties recidivant.

Febres periodicæ interdum ſtata redeunt hora, interdum etiam nunc citius nunc tardius redeunt, & tunc *anticipare* vel *poſtponere* dicuntur.

Præ cæteris typum mirabilem habet Marcell. DONAT. *lib. 3. hiſt. medic. mirabil. cap.* 14. de quadam febri quæ prima vice diei 1. hora, ſecunda vice rediit hora 2. tertia vice hora 3. & ſic ſucceſſivè uſque ad 1. horam noctis: deinde ordine retrogrediendo à 1. hora noctis ad vigeſimam quartam diei, hinc à vigeſima quarta ad 23. vigeſimam ſecundam, & uſque ad primã horam diei (nam Marcell. DONAT. fuit Italus, unde ad horologium Italorum hos paroxyſmos obſervavit) uſque tum penitus extincta fuit.

Quod attinet *Multiplicativam febrium quando ſimplex fit duplicata, triplicata, quadruplicata.* Nam RHODIUS habet exemplum quartanæ duplicis quovis „ die ter invadentis *cent. 1. obſ. 15. Fiunt* hæ multipli„ cationes ex duplici fonte, vel ex errore curæ, vel „ ex errore diætæ. Ex errore curæ quando Medicus „ vel adſtantes propinant intempeſtivè ſpecifica, tunc „ enim optimè multiplicantur febres: Sic *ex ſpecifico febrili* STROBELLBERGERI, quod alias ſuas meretur laudes, *intempeſtivè adhibito, multiplicantur febres* certo. Item *quando volunt ægri ut abigatur febris*, tunc loco ſimplicis ſæpe duplex aut triplex emergit. *Tertio inconſideratus opiatorum uſus* (de legitimo infra) ante paroxyſmum etiam non raro multiplicat febres.

„ *Errore diætæ* multiplicantur febres *quando ægri* „ ante abſolutum paroxyſmum nimis avidè comedunt, vel quando ægri ſudorem fluentem ſupprimunt: vel quando ægri in aut ante paroxyſmum „ lacticinia bibunt: it. ex *eſu nimio piſorum* interdum multiplicantur febres & quæ ſunt hujuſmodi cauſæ aliæ.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

Ex iis quæ dicta ſunt per ſe patent, imprimis quoad ſcorbutum.

QVOAD PROGNOSTICA.

In Prognoſi *primariò attendenda eſt natura febris, ſecundariò ratio urinæ.* Quoad naturam febris; Notum „ eſt febrem quamcunque ſi fuerit maligna eſſe pe„ riculoſam.

„ Deinde Tertianas & Quartanas benignas eſſe „ abſque periculo, leviſſimam omnium eſſe quarta„ nam utut contumaciſſimam; graviorem Tertianam & breviorem. Tertiana enim ut rectè dicit HIPOCRAT. *ſi legitima* fuerit *ſeptem circuitibus ad ſummum finitur*, modo nec æger nec Medicus errorem committant.

Tertiana quo magis eſt notha quo magis mitis „ & lenta, eo eſt diuturnior, curatu difficilior ac pe„ riculoſior. Legitima ſeptem circuitibus finitur: „ Notha diutius durat & ferè ad 14. paroxyſmos ſe extendit.

Quod attinet *urinam. In principio omnis urina ſolet eſſe tenuis, quo magis ſucceſſivè craſſeſcit*, quo magis ſucceſſivè *turbatur*, & quo magis *copioſum* ſucceſſivè *deponit ſedimentum eo tutius* & eo brevius imminuitur morbus. Immò *dicunt, ſi in principio urina ſit cruda paulo verò poſt nubeculam albam habeat* ſeu Eneorema *bonum eſſe*; quarto enim paroxyſmo terminari febrim. *Sin vero urina ſit rubicunda ſine nubucula ſ. Eneoremate, quod tunc ad 7. uſque paroxyſmum extendatur febris.*

Si in ſecunda acceſſione febris Tertianæ omnia „ fuerint fortiora & in tertia remittant acceſſione, „ quarta acceſſione remittit febris. Sin vero in quar„ to paroxyſmo febris ſit in ſtatu ubi omnia ſunt gra„ viora & in quinto ſymptomata remittant, ſeptimo „ paroxyſmo finitur.

Quando *copioſi ſudores manant* poſt *paroxyſmum*, interdum *in urina nullum apparet ſedimentum, & res eſt abſque ſuſpicione.*

Sin verò citra ſudores ſedimentum appareat nullum, aut *nullum coctionis ſignum* adſit, *diuturnior ferè innuitur febris.*

Febribus tàm *quartanis* quàm *tertianis ſupervenientes Scirrhi viſcerum* quod fit in febribus diuturnis malè curatis, *& hinc Hydropes, malum ferè lethale eſt.*

Quartana ſi eſt conſtans in Typo vel ad interitum vel ad graviora tendit ſymptomata, ſin verò fuerit *inconſtans ad ſalutem* vergit & ſubinde motu veluti critico evacuatur.

Quartanæ inveteratæ raro niſi ferè ſolvuntur aliiſque anni æquinoctiis, his enim anni temporibus facilè curantur tàm ſponte quàm etiam arte.

Quartanæ æſtivæ ſunt breviores autumnalibus: Autumnales verò ſunt admodum longæ, imprimis ubi ad hyemem vergunt.

Dejectum in quartana appetitum malum eſſe ſignum & rarò tales evadere aſſerit HOFERUS *in Hercul. medic. pag.* 293.

De *urina quartanariorum* refert JOEL. *quod extra paroxyſmum ſunt aqueæ, tenues & pallidæ*, ſed *die paroxyſmi* magis ad obſcuram *flavedinem* vergant, & *ante ſolutionem febris* utplurimum *turbidæ & nigræ* excernantur; *Nigras ergo urinas in quartanis ſalutare eſſe ſignũ* utut in aliis morbis periculoſum.

Modus eventus eſt quòd vel *intermittentes* transmutentur in *febrim continuam*: vel malè curatæ abeant *in Hecticam.* Vel tertiò perfectè per quartam evacuatione curantur, ſive evacuatio fuerit *critica*, ſudores aut urinæ copioſæ, quo etiam pertinent puſtulæ ſubinde in malignis erumpentes de quibus vid. WILLIS.

Nam & SALMUTH *refert. cent. 2. obſ. 2.* Tertianas intermittentes per inflammationem labiorum criticam aliquoties finitas: ſive artificialiter, dum legitimis evacuationibus aut ſudoris eductione curantur.

Denique *Icteri ſupervenientes varii vel nigri vel flavi*; Tertianam vel quartanam ſolvunt.

Supereſt nobis *Methodus medendi*; cum *materia medica*, & ſimilibus quæ pertinent ad curam febrium intermittentium.

IN CURA ergo harum febrium eò imprimis *reſpiciatur ut fermentatio inordinata febrilis debitis alterantibus corrigatur & præcipitetur*: hinc *per convenientes vias* quò ipſa vergit natura *in ſpecie* tamen *per ſudorem evacuetur: & tertio* denique *ſymptomatis variis occurrentibus convenienter reſiſtatur.*

His ſcopis optimè ſatisfaciunt Medicamenta *ſalina* tam

tam *artificalia lixivialia* ſive *fixa* ſive *volatilia*, item *compoſita*, *ſalſa ex acido & alcali* conſtantia : quam *ſalina naturalia* in medicamentis febrifugis inſigniter amaris ac acribus ſale volatil. nunc acriori nunc oleoſo turgentibus latentia, quæ ipſa vario uſu tàm intermiſſionis die quàm imprimis ante paroxyſmum uſurpanda.

IN HAC CVRA LEGITIME OBEVNDA.

Obſervatur I. *Vomitoria* in omni intermittente *ſunt inſigniter proficua* non in ſola quartana, in qua tamen præ cæteris auxiliantur. Certum namque eſt quod radix curandarum intermittentium conſiſtat in vomitu : propinanda ſunt hæc ipſa una alterave horâ ante paroxyſmum, monet enim hoc ipſum natura, quæ ſæpiſſimè ingruente paroxyſmo ſe exonerat per vomitum.

In primo principio præprimis conveniunt, nec nocent interdum in progreſſu, ſic enim Chronicas ac contumaces febres repetita exhauriunt, imprimis quãdo ægri conqueruntur de ſaporibus aut amaris aut nauſeabundis, manè dum evigilant.

Nam tales ſapores oriuntur ex ſtomacho & ſæpè contumaces reddunt febres. Aut quando conqueruntur ſe perſentiſcere quaſdam anguſtias in præcordiis. Immò ſi febris contumacior perſiſtat, repetitus vomitus etiam in ſtatu eſt egregius.

Hinc rectè RULANDUS *aquam ſuæ Terræ ſanctæ* quæ maxima eſt antimonialis, tanquam Catholicum commendat febrifugum, quo febres nullis pharmacis cedentes eradicatæ fuerunt.

Obſervetur II. *Purgatio paulo efficacior ſ. fortior in principio eſt nociva*, turbat maſſ. ſang. & dum cruda adhuc eſt urina nil noxium expurgat, ſed vires debilitat, febrim verò efferaciorem reddit. Immò in ſtatu etiam ubi copioſa ſedimenta onerant urinam ſi violentior paululum eadem fuerit, die intermiſſionis inſtituenda inſigniter debilitat, & paroxyſmos inſequentes aut graviores aut febres diuturniores reddit.

Poſſunt hæ febres curari ſine ullâ purgatione (certis conditionibus) cùm aut vomitus aut ſudor poſt paroxyſmum aut in declinatione univerſali erumpens, ſufficienter, quicquid heterogeneum eſt ſanguine expurgat.

Quòd ſi *in principio* aut *in progreſſu morbi* ubi contumacior idem videtur, inſtituenda eſt *Purgatio* idque ſuſpicionem ſordium in ſtomacho & inteſtinis ſtabulantium, *ſit illa lenis* ultra 4. l. 5. ſenes non proritans, id quod in omnibus in ſpecie in quartanis obſervandum. Pilulæ minus convenientes videntur. Pulveres aut infuſa ſtimulo ſalino acuta ſunt optima. Dabo exemplũ: talis pulvis purgans ſit hic, aliàs in frequenti uſu.

♃. Tartar. vitriolat. gr. xij. l. xv.
Scam. ſulphur. gr. iij.
Trochiſc. alhand. gr. ij.
Ol. deſtill. aniſ. gt. ij.
miſc. F. pulvis.

qui 5. vel 6. ſedes blandè movet.

Infuſum verò ex omnibus optimum eſt infuſum ſennæ cum ſal. Tartari quod non tantum RIVERIUS ſed & alii quamplurimi Auctores in ſpecie in quartana commendant, v. g.

♃. Fol. ſen. ſine ſtip. ℥iij. l. ℥ß.
Sem. aniſ. contuſ. ʒj.
Sal. Tartari à ℈j. ad ʒß.
infundantur in
Aq. card. bened. ſ. q.
ſtent in loco tepido
per diem manè col.
add.

♃. Colat. ℥iij.
Aq. cinamom. ℥ß.
Syrup. de pom. reg. Sabor. ℥ß. F. pot. purg.

quæ 4 l. 5. vicibus purgat, eſt coloris elegantis & ſaporis minimè nauſeabundi.

In tertianis additur Rhabarb. ʒj. & imminuitur doſis ſennæ.

Obſervetur III. *Clyſteres* ad alleviandam paroxyſmorum atrociam ubi copioſi flatus aut borborygmi aut ardores Abdominis aut dolores in centro Meſenterii, aut anguſtiæ in præcordiis percipiuntur *ſunt inſigniter proficui, ex leniter abſtergentibus aut carminantibus* conflati, id quod eò magis obſervandum quando alvus alias eſt obſtructa aut excreta fuerunt indurata uti *fit in Hypochondriacis.*

In *Scorbuto* vel *Febri Scorbuticâ ex lacte* iidem ſalubriter fiunt ſemperque in principio ante paroxyſmũ hora una alterave injiciendi. Dabo exemplum *Clyſteris carminantis ac blandè abſtergentis.*

♃. Radic. Angelic.
Leviſtic. an. ʒvj.
Herb. Chamom. rom. m. j.
Folior. Laur.
Flor. Sambuc. an. m. ß.
Hord. Contuſ. ʒvj.
coqu. in ſ. q.
Aq. ſimplic.
Colat. ℥ix. add.
Elect. d. bacc. laur. ʒvj.
Elect. lenitiv. ʒvj.
Ol. deſtill. Angelic. Rutæ,
Lauri an. gt. iv.
(multa namque faciunt in flatibus hæ)
Nitr. antimoniat. ℈j.
Vitell. ovor. num. j.
miſc. pro Clyſmate.

Clyſter ex lacte in ſcorbuto.

♃. Lact. Caprill. ℥ix. ad ℔j.
(nam hoc optimum eſt in ſcorbuto)
in quo diſſolv.
Mell. roſat.
rutac. an. ℥iß.
(acria non injicienda.)
Vitell. ovor. num. 1.
miſc. & applicetur.

Hoc ad 1. vel 2. horas ante paroxyſmum vel etiam in principio paroxyſmi injicitur cum Euphoria ægri.

Obſervetur IV. Rarius ſuccedit ut febris quæcunque ſolis purgantibus aut venæ ſectioni cedat, quin *alia inſuper alterantia requiruntur* : quæ malam Craſin maſſ. ſang. corrigere & fomitem febrilem emendare unaque inquinamentum à paroxyſmo relictum vi tuta ſpecificâ & diaphoreticâ reſolvere queant, aliàs in pejus reddit malum : Experientia teſtatur *Emetica & diaphoretica in intermittentibus plus operis præſtare quam purgantia* & remedia alia.

Obſervetur V. *Quicunque febres rectè curare velit eum cavere oportet, ne corpore non purgato* per quæcunque loca id fiat, *à ſpecificis initium faciat*, quin potius præmiſſis univerſalibus tantummodo hæc exhibeantur, aliàs enim ſpecifica intempeſtivè adhibita qualia ſunt STROBELBERGERII, TIMÆI, MYNSICHTI, quæ terrea ſunt febrim ſimplicem reddere ſolent duplicatam vel triplicatam.

Obſervetur VI. *In omnibus intermittentibus & in aliis etiam Periodicis æger ante paroxyſmum neque cibum neque potum aſſumat*, quicquid enim paroxyſmus in ſtomacho invenit, hoc omne in ſcorias febriles corrũpit; Utiliter tamen alvus exoneratur ante paroxyſmum, idque injecto ſi opus eſt clyſtere uti ante monui.

Obſervetur VII. *Medicamenta febrifuga ſemper non præſente ſed inſtante febre & ita ante paroxyſmum exhibeantur*, una duabuſve horis ante paroxyſmum, idque repetatur & ſæpius in duobus, tribus, l. 4. paroxyſmis licet non redierint ſuo tempore, ut ſic junctis viribus cum natura operentur.

Obſervetur VIII. *Quòd pro potu ſingulariter conveniat vinum & cereviſia abſinthiaca in omni intermittente.* Quòd ſi metus ſit *Scorbuti vinum cochlearia*

bibatur vel *vinum medicatum* aut potus medicatus *cum eſſent. abſinth. ſpir. cochl.* & ſimilibus.

Obſervetur IX. *Spir. ſal. ammon. volatil.* (modus parandi eſt omnibus notus) univerſale eſt intermittentium febrifugum, etiam quartanarum, unde vocatur ſpirit. antiquartius, & rarò fallit.

Loco ejus *ipſum ſal ammoniacum depuratum* ſeu *ejus Flores*, convenienter præmiſſis univerſalibus & uno alterove paroxyſmo elapſæ propinantur: ipſas ſcorbuticas etiam mitigat, in quibus commodè cum ſpirit. cochleariæ miſcetur, uſurpatur ante paroxyſmum ad gr. 30. l. 40. plus minus prout acrior vel debilior fuerit; die intermiſſionis etiam continuari poteſt ad 20. gr. bis aſſumendo.

Loco hujus in Schola GALENICA uſurpata fuerunt *decocta abſinth. cent. minor. card. bened. & ſimilium* plantarum febrifugarum *ſale acri præditarum.*

Obſervetur X. *Salia fixa vegetabilium* ſeu cineritia omnes quoque febres intermittentes tollunt. v. gr. *ſal. abſinth. ſal. card. bened.* &c. Immò his adjunctum vel *antimon. diaphor.* vel *ocul. cancr. præparati* dimidiata ad illa doſi rarò fallunt.

Fit interdum ut vel nimis citò propinetur ſpiritus ſalis ammoniaci aut ubi nimium frigus adeſt, minus procedat hic ſpiritus, (frigus enim valdè coercet ſpiritus, conveniunt igitur ſalia fixa l. oleoſa) tunc ergo in ſubſidium vocanda talia fixa & ante paroxyſmum propinanda, continuato ſpiritu intermiſſionis die: Nam ubi nimis urget frigus ſalia fixa ſunt convenientiora; ſed ubi æſtus excedit, ſpirit. aceti eſt convenientior, qui per ſubitaneum ſudorem æſtum mitigat. Hinc in febribus frigidis fixa utramque abſolvunt paginam, & BARBETTE *in ſua praxi ſalia fixa* longè *præfert uſui Chinæ Chinæ* tanquam tutiora & promptiora.

Obſervetur XI. Quod attinet *ſalia ſalſa, fixa ſeu duplicata*, quæ conſtant ex alcali & acido; ut *Tartar vitriolat.* (ſuperius dicta fuerunt purè alcalia) *Arcan. duplicat.* MYNSICHT. *ſal. hypochondriac. digeſtivum.* Item. *ſalia fixa vegetabilium, ſpiritus ſalis aut nitri coagulata in ſalſa*, mirè in omnibus intermittentibus conveniunt imprimis in principio morbi tanquam digeſtiva, & præcipitantia ante univerſalia valde utiliter uſurpantur. Immò iis continuatis feliciter ſæpiſſimè febres profligantur. *Nitr. vitriolatum ſ. arcanum duplicatum* aut *Panacea Holſteinenſium* perinde eſt ſcorbuto imprimis convenit adeoque *febres ſcorbuticas* optimè tollit.

Obſervetur XII. *Opium* legitimo uſu omnes febres tollit intermittentes, mitigatque continuas, (in opio multa latent) uſurpatur præmiſſis univerſalibus digeſtivis & evacuativis: idque quando paroxyſmi potius ex conſuetudine redeunt quàm ex fonte morboſo, nec unquam ſolum ſed ſemper febrifugis uſitatis, quæcunque fuerint admiſceatur: Metus enim eſt ne citò nimis aut ſolum uſurpatũ ſimplices febres reddat multiplices id quod etiam faciunt fixa terrea in ſpecie ex *cochleis marinis* matre pellarum, &c. de quibus ſuperius.

Obſervetur XIII. *Cephalalgiæ raræ ſunt poſt paroxyſmum aut die intermiſſionis niſi ſuppreſſus in paroxyſmo ſudor eadem inducat.*

Fit tamen in febribus nonnullis imprimis ſcorbuticis, ut in primis Paroxyſmis nullus omnino promanet ſudor, ſed declinante jam febre hic vel ſponte poſtmodum prorumpit, ita ut die noctuque tales ægri cum Euphoria tandem ſudent.

Obſervetur XIV. *Dum jam remittit febris univerſaliter aut etiam alio tempore intermiſſionis die commodè eſſent. abſint. cent. minor. ſpirit. cochl. Elixir proprietatis ſimiliaque alterantia*, quæ acidum temperant maſſ. ſang. craſin emendant & ſtomachum corrigunt propinantur, bis in die 20 l. 30. gutt. in liquore appropriato.

Obſervetur XV. *Venæ Sectio eſt inutilis* apud nos ad curandas intermittentes: paroxyſmus eam inſequens utplurimum gravior eſſe ſolet & diuturnior reliquis antecedentibus: Et cui uſui inſtituetur eadem? ſanè quò plus urget nimius æſtus eò celerior inſtituatur ſudoris provocatio, remittet ſic æſtus ægerque percipiet levamen.

Obſervetur XVI. *In tertiana periculoſa ſeu maligna miſceantur ſemper cordialia & Alexipharmaca, & ſudorifera*, eligantur talia quæ vim habent alexipharmacam. Cùm ergo febris maligna etiam ſimulare poſſit tertianam, cautus ſit Medicus præſertim cùm lingua ſit aſpera & nigra, omniumque virium nimia proſtratio: (ex lingua multa petentur ſigna imprimis in continuis & malignis.)

Obſervetur XVII. *Tempore acceſſionis abſtinendum eſt à potu in ipſo verò vigore conceditur, & maximè cum ſudoris eruptio inſtat, tuncque potus liberalior nonnihil concedendus*, ſic enim promptius erumpit ſudor, & promptius erumpit febris.

Obſervetur XVIII. *In declinatione paroxyſmorum ſi ſponte ſudet æger, cooperiatur leniter:* alioque ſi beneficio naturæ non erumpit ſudor ante paroxyſmum quartum provocetur. Poſtquam apparentibus coctionis ſignis in fine acceſſionis cieatur, & calidis linteis abſtergatur, ut eo meliùs fluat.

Obſervetur XIX. *In cura quartanæ Medicus tangat Hypochondria an adſit tumor vel ſcirrhus cujuſdam viſceris*, in ſpecie *in quartana diuturna, hepatis lienis aut etiam meſenterii. Quærat an* etiam *adſit ſcorbutus*, ſunt enim invicem ſociata plerumque: quærat etiam *an adſint flatus*, ut certus fiat de malo hypochondriaco: item *an viſcera reliqua imprimis pulmones ſint ſalva?* tunc demum inſtituat prognoſin & curam.

Obſervetur XX. *In quartana contumaci locum habẽt acidulæ, ſed opus erit* id quod in omnibus acidulis obſervandum, *ut ventriculus & viſcera adhuc ſint robuſta*, ſeu in legitimo tono conſtituta: aliàs enim nimio hujus aquæ potu debilitantur illæ partes, quod *ſi ſint debiles, conveniunt* potius remedia *Martialia arte præparata aut etiam acidulæ artificiales.* Sed de his acidulis vid. GABELHOV. *cent. 6. cur. 8.*

Obſervetur XXI. *In quartanis maximè parce bibendum eſt, (excepto paroxyſmo)* cum nihil magis reddat has febres contumaces quam nimius potus & humidorum copia, idque ratione lienis facile noxam contrahentis. *In fine* tamen *parxyſmorum non interdicendus eſt potus.*

Obſervetur XXII. *Cum quartanæ* uti etiam febres aliæ imprimis tamen quartanæ, *non poſſunt eſſe diuturnæ, niſi tandem ſuperveniat vitium & noxa lienis: ideo* tunc in omnibus medicamentis *ſimul ad ſplenem reſpiciendum* erit, ut felicius eradicetur morbus.

Hæc ſi benè obſerventur in Methodo legitimâ, nunquam errorem aliquem obſervabitis in praxi.

Illegitimam verò & vitioſam Methodum dum impediuntur febres, *(per incantamenta ut mos eſt apud vetulas mulieres Germanicas.)* Id quod fit quando impeditur ſanguinis fermentatio febrilis & ſufflaminatur ejus debita turgeſcentia *multa prava inſequi ſolent ſymptomata:* tunc enim materia vitioſa cum ſanguine circulata & in turgeſcentia fermentativa impedita, hinc inde tandem affixa hæret & gravia infert ſymptomata, *viſcera reddit turgida* imprimis *infarcit lienem & hepar, colicas paſſiones infert continuas, tumores pedum aſthmata & tuſſes, cachexiam, laſſitudines artuum, Cephalalgias diuturnas*, & ſimilia ſymptomata. Exempla nonnulla imprimis videbitis in GABELHOVER. *cent. 1. cur. 43.* it. *cent. 6. cur. 109. 110. 111. 112. & ſequent.*

QUOD ATTINET REMEDIA.

Agmen ducunt *vomitoria*, deſumpta *ex triplici regno vegetabili, & animali & minerali.*

Inter *vomitoria vegetabilia*, primò excellit *Aſarum:* quod ceu ſingulare febrifugum antiquartium commendatur

mendatur à STROBELBERG. *Tract. de Febrium Curatione.*

Uſus ejus eſt 1. ſi propinetur *Radix pulveriſata* mediocriter (minutiſſimè enim ſudorem tantum movet) à ʒj. ad ℈iv. propinetur cum *pauco Pipere in hauſtu vini calidi* hora una aut 2. ante Paroxyſmum: bene ſe tegat æger in lecto, ſic enim & vomitus & ſudor ſequitur.

Et certum eſt omnes Autores commendare *Aſarina* vomitoria contra quartanam.

Alio modo præparatur *Aſarum* & quidem ut fiat *vomitorium* admodum blandum *ex foliis Aſari*: Aſſumunt folia ejus viridia & ſucculenta benè craſſa, à madore nocturno & diuturno purgata num. viij. x. ad xij. ad ſummum, hæc folia convoluta ſcindunt ad modum Tabaci in longa ſegmenta (non minime quia tunc vehementius dant vomitorium) infundantur per noctem in aqua card. benedict. ℥jv. ſtent ita in loco tepido manè colatur infuſum per linteum rarum & detur vel per ſe vel cum ℥ß. Oxymellis ſimplicis: ulla moleſtia vomitum movet.

Si vomitorium hoc debeo eſſe potentius, tunc recipiuntur Aſari folia recentia num. jx. conteruntur cum piſtillo ligneo in mortario marmoreo affunditur ſtillatim Oxymellis ſimplicis ab ℥ß. ad ℥j. idque terendo tamdiu donec folia in liquidum & potabilem ſuccum fuerint contrita, tunc addunt aquam card. benedict. ab ℥ij. ad ℥jv. miſcent & fit hauſtus ſatis potens ad vomendum in quibuſcunque intermittentibus in ſpecie in quartanis.

De Aſaro obiter noto, quòd hac ratione præparatum ſit vomitorium, decoctum vero in aqua ſimplici omnem amittat vim vomitoriam, & potius fit appropriatum remedium diureticum febres quartanas ſolvens.

Poſt Aſarum eſt *Aqua Nicotianæ*, quæ ab ℥ß. *ad* ℥j. proprinata ciet vomitus uti videre poteſtis in HARTMANN. *Praxi chymiatric. cap.* 238. *de Febr. tertiana.*

Denique *Radix Vincetoxici* & ipſa commendatur tanquam vomitorium in principio intermittentium, ut

℞. Radic. Vincetoxic. ʒj. coqu. in aqua & vino q. ſ. colatur. ℥iß. vel ℥ijß. detur uſui, quæ excitat vomitum blandum & poſtmodum etiam diaphoreſin.

Verùm omnibus quibuſcunque vomitoriis meritò præferuntur vomitoria *antimonialia in infuſo*: (in ſubſtantia cautiſſimè & nonniſi ſæpius experta danda) *Calix vomitoria Rulandi infuſum croci metallorum, in vino albo ab* ℥ß. *ad* ℥j. prout tamen mitior vel etiam magis fortior eſt Crocus metallorum plusminus, poteſt ſumi, nam variant præparationes. *Mercurius vitæ ad* gr. vj. *infunditur in* ℥j. *vini albi* & propinatur: Item *Tartarus Emeticus* MYNSICHT. poteſt dari in ſubſtantia à gr. jv. *ad* vj. quia adeſt Tartarus. *Oxyſaccharum vomitorium ſ. Syrupus vomitivus à* ʒiij. *ad* ʒvj. *Quæ omnia poſſunt propinari in aqua appropriata vel vehiculo appropriato ante Paroxyſmum.*

Multi commendant *ſal. vitrioli vomitivum à* ℈j. *ad* ʒß. ſed ego horreo quia remanet aliquid ſubinde, quod in totum deſtruit ventriculum.

Optima ſunt vomitoria antimonialia.

Denique omnia hæc ſuperant *ramenta Vnguium humanorum*. quæ *infunduntur vino*, colatum ſumitur & violentiſſimos vomitus movent adeò ut nonniſi *militibus*, *& ruſticis* propinari queat propter nimiam violentiam: fuit Secretum Caſtrenſe KNOFELII.

Poſt vomitoria quando opus videtur *Purgatione*, *tertio vel quarto paroxyſmo abſoluto propinatur Purgans*, idque *intermiſſionis die in tertianis: in quartanis die ante paroxyſmum.*

Purgantia ſunt: quæcunque uſitata in ſpecie tamen *blandiora conveniunt.*

Extractum Catholicum Andernac. à gr. xv. *ad* ℈j. item in eadem doſi *Extractum Panchymag. Corall.* it. *Extract. Rhabarb.* acuatum *cum aliquot gran. Scammonii* in forma Pilularum. Item *Extractum Hellebor. nigri*, *cum Extr. Antimonial.* junctum in quartanis v. gr.

♃. Aq. card. benedict. ℥ij. l. ℥j.
Extract. hellebor. nigr. ℈j.
Martis aperitiv. ℈ß.
Trochiſc. alhand. gr. ij. l. iij.
Syrup. d. Pomis. ʒvj.
miſc. F. Potio. purg.
in quartana.

Aliàs etiam *Pilulæ Tartareæ* QUERCET. it. *Pilulæ d. Ammoniaco* QUERCET. & ſimilia alia nota conveniunt.

Nam in Purgantibus non eſt magna differentia. *Butyrum antimonii in ſubſtantia* ſumptum etiam eſt conveniens Purgans in febribus (adeſt enim aliquid de Mercurio vitæ.) Nam quidam propinant gutt. ij. Butyr. Antimonii in hauſtu vini & quidem quartanario, & citra ullum incommodum alvum ſolvit: rurſus ſumpſit gutt. v. in vino & purgatus eſt & ſudavit, febriſque ſoluta fuit.

Hæc ſunt univerſalia.

Remedia appropriata aliàs dicta *febrifuga* primaria eſſe dixi *ſalina*, quæ die intermiſſionis aut Paroxyſmi tutò poſſunt adhiberi: Nam non admittunt febrium duplicaturam.

Talia *ſalia ſunt: Sal. Abſinthii*, *Cent. min*, *Card. benedict. fumariæ* (in quartana & Scorbuticis præprimis) *Artemiſ. Imperator. Salis Armoniac.* (quod imprimis eſt febrifugum in quartana:) Exhibeatur *à* ℈ß. *ad* gr. xv. *ad ſummum*, eſt enim acerrimum: reliqua ſalia ſupradicta præter ſal. ammoniacum poſſunt dari à ℈ß. ad ℈j. imò ad ʒß.

Verùm obiter noto nunquam eſſe præſcribendum ſal. ammoniacum conjunctum cum ſalibus lixivialibus fixis: ratio quia aliàs ex ſale ammoniaco avolat. omne ſal. volatile relicto ſale fixo acido quod ſejungit cum lixiviali & fit ſal. tertium ſalſum.

Ad hæc ſalia pertinet *Tartarus vitriolatus ad* ℈j. it. *Arcan. duplicatum* MYNSICHT. *à* gr. xv. *ad* ℈j. it. *Tartarus Nitratus* BARTHOLETTI quem vocat ſuum Alexipyreton univerſale ſeu ſal. Tartari imbibitum cum ſpiritu nitr. Nam & hæc ſalia lixivialia commodè poſſunt ſolvi in ſpirit. nitr. vel ſpir. ſalis & ſic ex alcaliis fiunt ſalia ſalſa quæ ſimiliter ad ℈j. propinari poſſunt in appropriato vehiculo. Fiunt enim ſalia cryſtalliſata & ſalia coagulata.

Huc etiam pertinent *ſalia volatilia* inter quæ imprimis commendatur *ſpiritus urinæ ſ. ſalis ammoniaci*, *volatilis*, ejus *gt.* 30. *l.* 40. *ſpir. Ammoniaci* autem *ad* ℈ß. *l. gt.* xij. *ad* xv. *ad ſummum* propinari poteſt: *Sal. volat. ſuccini.* it. *ſal. volat. C. C.* cum aliis commodè permiſceri poteſt imprimis in quartana.

In qua quartana *ſal. volat. viperarum* aut *pulvis viperarum* aut ſimilia, reliquis præferuntur.

HELMONTIUS commendat ad vim febrilem *ſalia ex plantis Cephalicis*, *Majoran. Salv. Roſmarin.* &c. ſed non fixa verùm *volat. in Tract. de febribus* §. 4. Sed non omnibus licet adire Corinthum ut poſſint habere ſalia volatilia in forma pulverum: intermiſta ſub forma olei poſſunt adhiberi.

Pertinet huc *potio febrifuga* CROLLII quam RIVERIUS uſurpavit cum felici ſucceſſu, deſcriptio eſt hæc.

♃. Spirit. vitrioli ℈j.
Sal. Abſinth. ʒß.
Aq. cichor. ℥j. vel ℥ij. miſc. F. pot.

Propinetur ante Paroxyſmum: hac ipſa ſæpius curavit febres imprimis tertianas: In imbecillibus ſubjectis imminui poteſt doſis ingredientium. RIVERIUS creberrimam ejus fecit experientiam uti videre eſt *in obſ. ejus cent.* 1. *obſ.* 20. *&* 26. item *cent.* 4. *obſ.* 2. 12. 25. In quam plurimis tertianis uſurpavit felici cum ſucceſſu.

 His

His ſalibus commodè addantur *ocul. cancr.* quia & ipſi turgent ſalè vol. temperato, & quidem uti antea monui dimidiata ad reliqua ingredientia doſi. Modus præſcribendi eſt hic.

℞. Aq. cent. minor. ℥ij. l. ℥j.
Sal. Abſinth. ℈j.
Ocul. cancr. præparat. ℈ß.
Syrup. d. ſucc. card. bened. ℥ß.
miſc. F. Potio.

antè paroxyſmum aſſumenda.

Vel ℞. Arcan. duplic. MYNSICHT.
Sal. abſinth.
Ocul. cancr. præparat. an. ℈j.
miſc.
divid. in iij. part. æqual.

die intermiſſionis tanquam digeſtivum aſſumendum.

Item ℞. Sal. ammoniaci gr. xv.
Ocul. cancr. præparat. ℈ß.

abſorbent acidum illudque in Hypochondriis temperant.

Vel ℞. Sal. card. bened. ℈j.
Antimonii diaphoret. ℈ß.
Laud. Opiat. gr j. l. ij.
miſc. F. pulvis.

ante Paroxyſmum aſſumendus.

Item ℞. Arcan. dupl. *Mynſ.* ℈i.
Sal. vol. ſuccin. gr. iv. ad ℈ß.
miſc. pro doſ.

ante Paroxyſmum.

Vel ℞. Sal. abſinth. ℈i.
vol. C. C. gr. v.
Laud. Opiat. gr. ij.
miſc.

detur ante Paroxyſmum.

In quartana contumaci felici cum ſucceſſu præſcripſi hoc.

℞. Sal. abſinth.
Arcan. duplic.
Ocul. cancr. præparat. an ʒß.
Sal. volat. ſuccin. gr. xij.
Laudan. Opiat. gr. iij. miſc.

divid. in 3. part. æquales pro tot doſibus ſemper unam doſin hora 1. ante paroxyſmum aſſumendo.

Item ℞. Spir. ſalis ammoniaci vol. ʒij.
S. febrifug. Spiritus.
doſ. xxx. xl. gutt.

Vel ℞. Eſſent. cent. minor.
card. bened.
abſinth. an. ʒi.
Spirit. ſal. ammoniaci ʒii.
miſc. F. miſtur. febrifug.
doſ. 30. 40. gt.

detur bis die intermiſſionis.

Vel in forma liquida.

℞. Aq. menth. ℥ii.
carminativ. ℥i.
Spirit. ſal. ammoniaci vol. ʒß.
Laudan. Opiat. gr. iß.
Syrup. d. cortic. aurant. ℥ß.
miſc.

fiat potio, cochleatim aſſumenda ſingul. ſem. hor. valde prodeſt ante Paroxyſmum ubi anxietates præcordiorum, Tuſſes ſiccæ, rugitus ventris & ſimilia adſunt.

Item ante Paroxyſmum convenit hæc Potio SYLVII, cochleatim aſſumenda.

℞. Aq. petroſelin. ℥ij.
fœnicul. ℥j.
Aq. S. ſpir. Ther. ſimpl. ℥iß.
Sal. vol. ſuccin. ℈j.
Syrup. card. bened. ℥j.
miſc. F. pot.

Nam hoc obſervetur: ad frigus compeſcendum & rigorem tollendum nil melius eſſe ſalibus fixis: ubi vero ardentes ſunt febres tunc potius Tartarus vitriolatus, item Potio Crolliana & ſimilia acidula conveniunt: Nam acida ardores in febribus potenter compeſcunt. Sic ubi incipit febris ſine frigore convenienter admiſcetur acetum deſtillatum potionibus hoc modo.

℞. Aq. card. bened.
cichor. an. ℥iß.
Spirit. Theriac. ſimplic.
Acet. deſtill. an. ʒvj.
Ocul. cancr. pulveriſ. ʒß.
Syrup. d. quinque radic. ℥j.
miſc. F. pot.

Item in *febribus Scorbuticis atque frigore invadente, cum ſummo ardore extrema lancinante*, cum *anguſtiis præcordiorum & anxietatibus cum flatibus* conjunctis; cum fructu præſcripſi hanc potiunculam ſubinde hauriendam, ubi ad omnia reſpicitur ſymptomata.

℞. Aq. Menth.
Fœnicul.
Fumar.
Carminativ. an. ℥j.
Spirit. Cochlear.
Theriac. ſimpl. an. ʒj.
Nitr. dulc. gt. xij.
Ocul. cancr. præparat. ʒß.
Laudan. Opiat. gr. iß.
Syrup. cortic. aurant. ʒvj.

M. det. cochleatim in ipſo Paroxyſmo, valdè prodeſt.

Loco horum ſalium ipſa *ſimplicia vegetabilia* febrifuga commodè uſurpari poſſunt.

Illa *ſimplicia Febrifuga* ſunt.

Herb. *Abſinth. Marrub. card. bened. cent. minor. Tormentill. Tertianariæ* (hujus enim *decocto* tàm intermiſſionis die quàm ante paroxyſmum propinato tertiana fuit curata vid. TABERNAMONTAN.) *Ulmaria*, (hujus *decoctum* it. *aqua deſtillat.* inſigniter commendantur in tertianis diuturnis) *Taraxacum ſ. Dens Leonis*, quod eſt egregium. *fumaria* etiam convenit in *febribus ſcorbuticis* & hinc *quartanis. Naſturtium* hujus *ſuccus cum aceto* miſtus ante paroxyſmum aſſumptus egregiè curat *febres*, in ſpecie *ſcorbuticas*: vel *ſuccus expreſſus Naſturtii cum vino admiſto pauxillo ſachari* aſſumptus egregiè convenit, interdum cum aceto. *Sedum minus ſ. vermicularis*, quod imprimis in quartana eſt egregium. *Semperviv.* & ejus *ſuccus cum vini albi* ℥iij adhibitus quartanam certò curat modò in lecto paroxyſmum inſtantem expectet æger, ſudorem movet & purgat.

Convenit etiam *Radix Plantag. Taraxaci, Zedoariæ, Chelidon. majoris Gentianæ: Imperator. Angelicæ, Valerian, Aſari, Chinæ Chinæ.*

China china, uti notum, eſt Cortex aromaticus ſaporis ferè inſtar Cinnamomi & defertur ex plantis Peruvianis, quam quidam vocant Gentianam Indicam vid. BARTHOL. *cent. 5. Epiſt.* Vocatur etiam Antiquartium Peruvianum, ex eo quod in quartana ſit ſingulare, utut etiam tertianas chronicas, it. tertianas duplicatas etiam nothas feliciter curet. datur *à* ʒj. *ad* ʒij. *in hauſtu vini ante paroxyſmum* (*ordinario datur* ʒj.)

Sed obſervetur quod ritè præmiſſa debent eſſe univerſalia & quod poſt uſum Chinæ leniter expurgandum ſit corpus, aliàs certo recidivant febres.

Vocatur etiam aliàs Gentiana Indica, & ergo credo, quòd Gentiana noſtra quæ excellens eſt febrifugum commodè poſſit ſubſtitui in locum Chinæ Chinæ. Nam & *ſuccus Gentianæ condenſatus ad* ʒj. cum *vino aſſumptus hor. 1. ante paroxymum febres intermittentes quaſcunque feliciter curat.* Unde etiam *pulverem Gentianæ* loco pulveris Chinæ Chinæ, aſſumi poſſe nullus dubitat: utut certum ſit *Chinam Chinæ* eſſe egregium remedium tàm in quartanis quam tertianis diuturnis.

Hæc

Hæc *vegetabilia febrifuga uſurpantur vel in ſubſtantia ſub forma pulveris* : quâ ratione *flor. cent. minor. ad* ℈j. *pulveriſati* adhibiti inſigniter commendantur ad curandas febres.

Sic THONERUS curavit tertianam duplicem admodum refractariam, præmiſſis univerſalibus per *pulverem herb. cent. minor. ad* ʒj. *in hauſtu vini* per 3. dies propinando, ſudorem enim movet.

Superſunt nonnulla quoad materiam medicam ad febres intermittentes curandas neceſſariam, & ſubſtitimus in vegetabilibus quæ aliàs laudantur ad Curam febrium. Dictum fuit quòd eadem adhibendi methodus ſit multiplex imprimis ſub forma pulveris: Unde *pulverem cent. minor.* expertum eſſe dixi; pertinet hic & *pulveris card. benedict.* &c.

Præterea poſſumus etiam adhibere dicta vegetabilia febrifuga *ſub forma decoctorum*, imitando hac in parte RULANDUM: quæ decocta vehementi ſudore febres tollunt modò, ut ſæpius monui, *præmiſſa* fuerint *univerſalia*, qualia decocta nonnulla *ex ejus Theſauro* enarrabo.

℞. Flor. cent. minor. m. iß.
Radix. Aſar. m. j.
(nam Aſarum in aq. coct. omnem vim vomitoriam amittit.)
coqu. in ſ. q.
Aq. comm.

Hujus decocti calentis quotidie in lecto bene tecta, hauſit ℥vj. & diu multumque ſudavit quod ad certum tempus continuato, virgo diu à diuturna chronicaque febri curata fuit.

Porro. ℞. Card. benedict.
Radic. Aſar. an. m. j.
infund. per noctem in
Aquæ ℔iv.
poſt decoque lento Ign. ad tertias.

Cujus decocti mane jejunus in lecto coopertus bibat ℥iij. calidè, accepit quotidie 6. horis ante paroxyſmum & continuavit ſudando donec febris omninò diſparuerit. Et certè hujuſmodi decocta ex pauciſſimis ingredientiis præferenda longe decoctis Magiſtralibus quæ vel ex 100. Speciebus combinatis ſunt compoſita. Hinc vel ſola Herba cent. minor. optimum eſt ad intermittentes remedium, ſi ante Paroxyſmum adhibeatur.

Aliàs etiam *Chamemelon*, ejus *decoctum*; item *aqua deſtillat.* ex ejuſdem ſucco ad aliquot ℥. adhibita à multis inſigniter commendatur ante Paroxyſmum.

Uſurpantur etiam iſta vegetabilia *ſub forma Eſſentiarum*, (modum parandi præſuppono ex *Angelo* SALA) *ſeu Extractorum.* Nam Eſſentia & Extractum differunt tantum ratione conſiſtentiæ. Ad iſtas Eſſentias ex vegetabilibus febrifugis paratas pertinet etiam *Elixir. Febrile Dn. Doct.* MICHAEL. cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. Summitat. cent. minor.
abſinth. an. m. iij.
Herb. Auricul. mur.
Folior. Aſar. an. m. ij.
Pentaph.
Marrub.
Rutæ. an. m. j.
Card. benedict.
Scord. an. m. j.
Sem. Hyperic. ʒß.
Radic. Chelidon. maj.
Taraxac.
Angelic.
Zedoariæ.
Gentian.
Imperator.
Dyptamn.
Morſus Diabol.
Filicis.
Ariſtol. rot. ver. an. ʒij.
Aromat. Caryophyll. ʒj.
Piper. long. ʒ vj.
Zingib. ʒß.
miſta.

Extrahantur cum ſpirit. Abſinth. card. bened. & cent. minor. & addatur Extractum Febrile *doſ. eſt. à gt.* 40. *ad* 50.

Die intermiſſionis ad alterandam vitioſam maſſ. ſang. Craſin.

Vel denique uti dixi *uſurpantur in Extractis ſub forma Pilularum.* Cum enim vegetabilia febrifuga omnia ſint inſigniter amara ut tollatur amarities *ſub forma Extracti* adhibentur Talia Extracta ſunt: *Extract. cardui benedicti, cent. minor. Theriacale*, & quæ ſunt alia.

Hinc fiunt Pilulæ.

℞. Extract. Abſinth.
Cent. minor.
Card. bened.
Theriacal. (ratione opii)
an. gr. v. l. vj.
Ol. deſtill. Caryophyll. gt. iij.
(ubi adeſt horror, aliàs omittitur)
miſc.

nihil enim magis rigorem Febrilem imminuit quam ol. deſtillat. Caryophyll,
& c. ſ. q.
Eſſent. Abſinth. F. Pilulæ.

dentur in aqua appropriata ante Paroxyſmum.

Quidam Medicus hic uſus fuit in febribus Mixtura ſequent.

℞. Extract. Abſinth.
Cent. minor.
Gentian.
Card. bened.
Extract. Pentaphyll. an. ʒi.

Sal. extrahatur ex fœcibus & extractis addatur doſ. ad ʒi. in forma Pilulari ante Paroxyſmum in aqua appropriata.

Ad hæc vegetabilia febrifuga pertinet meritò etiam *Myrrha* quæ ipſa *ante Paroxyſmum* propinatur, in ſpecie in *febri quartana* à multis ſolet inſigniter commendari: & credo quòd etiam in *febribus Scorbuticis* futura ſit non inconveniens: Propinatur ante Paroxyſmum *à* ℈i. *ad* ʒß. *vel ſolùm vel* etiam ſecundum veterum Methodum *cum Caſtoreo* idque non ineleganter. Utrumque *Caſtoreum & Myrrha permiſcetur ad* ℈i. *& propinatur in hauſtu vini ante Paroxyſmum.*

Alii ℞. Myrrhæ.
Caſtor.
Opopanac.
Extract. Gentian.
Abſinth. an. ℈i.
& cum
Mithridat.
Succo Abſinth. q. ſ.
F. Pilul. num. xxviij.

de quibus horis ij. ante Paroxyſmum æger vij. deglutiat & hinc ſudorem expectet.

Aliàs etiam notum eſt quod *in quibuſcunque febribus intermittentibus ante paroxyſmum* commodè poſſit propinari *Mixtura ſimplex* ſ. *Tinctur. Bezoartica ad gt.* 20. 40. *ad* 50, pro ratione circumſtantiarum in *aqua card. bened.* vel *Vino Abſinthites præmiſſis univerſalibus*, curat enim iſtas per ſudorem.

Cùm denique febres diuturnæ in ſpecie *quartana* rarò ſoleant eſſe quin accedat iſtis, *vitium* vel *Hepatis* vel *Lienis* in ſpecie *Scirrhus Lienis*, vel etiam *Meſenterii* tanquam productum morboſum: In tali caſu *non omittenda Martialia* die imprimis intermiſſionis, vel etiam aliæ *plantæ ſpleneticæ*, nominatæ, quo cum febrifugis aut die intermiſſionis imprimis aut ante Paroxyſmum propinanda.

Inter

Inter Martialia ſunt: Eſſent. Vitrioli Martis ZVVOLFER *Eſſent. Martis liquida*, item *Crocus Martis aperitivus cum ſalibus vel cruda Martis limatura præparata.*

Denique uſurpari, quoque ſolent nonnulla *fixa febrifuga ſpecifica* κατ᾽ ἐξοχὴν dicta qualia ſunt v. gr.

Specificum STROBELBERG. paratum ex conchis margaritiferis calcinatis, Specificum febrifugum CROLLII, paratum ex teſtis longis concharum calcinatis: quale etiam eſt ſpecificum febrile MYNSICHT. Has teſtas *præparandi modum habet* ROLFINCIUS *in Chymia propinantur* talia, *ante paroxyſmum à* ʒß. *ad* ʒj. *vel* ℈iv. *in hauſtu vini* bis ac ter reiterando, donec ceſſet febris.

Pertinet huc etiam *antimonium diaphoreticum* quod à quibuſdam tanquam expertiſſimum commendatur *in paroxyſmo*: Nam de his terreis eſt una eademque ratio.

Item pertinet huc, *Pulvis Febrilis perlatus* TIMÆI cujus hæc deſcriptio.

℞. Antimonii diaphoretic. ʒß.
Margarit. præparat. ℈iv.
Ocul. cancr. præparat.
C. C. uſt. præparat. an. ʒj.
miſc. F. Pulvis.

Propinetur in aqua appropriata cum aliquot gt. Miſturæ ſimplicis.

Hæc omnia fixa ſpecifica febrifuga ut vulgo magni æſtimentur; *ego* tamen *nihili facio*, ex eo *quia eorum uſus eſt periculoſus*, *ſolet enim febres duplicare aut triplicare* & ſic hoc non facit tamen impediendo turgeſcentiam febrilem ſubinde cauſa eſt ut inſpiſſata nonnihil maſſ. ſang. ſæpius in viſceribus *Scirrhos ac Tumores* relinquat: adhæc *minus tutus eſt eorum uſus*, *quia his ſpecificis* ſeu terreis *ſemel curatæ febres ſubinde ſolent recidivare*: *Longè* ergo *his præferenda* ſunt *ſalina* & ex ipſis præparata remedia *quæ* etiam, uti antea monui, à BARBETTE *præferuntur China Chinæ*.

Pertinet huc, *Alumen* quod à non paucis tanquam ſingulare febrifugum commendatur febrium intermittentium.

Hinc *Tartarum Aluminoſum tinctum* videbitis in ROLFINCII *Chimia*. Alii *Alumen benè depuratum ad aliquot grana* miſcent *cum aliis febrifugis* & ita *propinant*.

Quidam *Alumen* ad uſum febrilem ita præparant. Aluminis nempe crudi ℔j. calcinant in vaſe ut moris eſt, fruſta aluminis calcinata & adhuc candentia immittunt in acet. deſtill. Hoc menſtruum acet. deſtill. nempè filtrant per chartam bibulam, & hinc humiditatem maxima ex parte ſi non omnem per Alembicum abſtrahunt, & reſiduum in loco frigido in Cryſtallos concreſcere permittunt: quos propinant à ℈j. ad ℈ij. in aqua card. bened. horis duabus ante Paroxyſmum. Hi ipſi Cryſtalli dum concreſcunt poſſunt tingi ſi addatur ſuccus baccarum ſambuci qui eos tingit colore rubineo.

Denique etiam Sulphur eſt quod inter ſpecifica febrilia inſigniter commendatur, & certum eſt quod ſulphur in febribus intermittentibus non ſit contemnendum remedium propinari poteſt *à* ʒß. *ad* ʒj. idque *bis ante paroxyſmum*. Tertianas & quartanas enim contumaces feliciter curare ajunt, & credo quod verum ſit. Hinc etiam *pulvis Pyrius eſt febrifugum militare*, quo milites utuntur in caſtris ad fugandas febres intermittentes non inconcinno conſilio: ratione enim ſulphuris & nitri eſt egregius: *doſ. pulveris pyrii eſt à* ʒß. *ad* ʒj. *in aceto vel vino acidulo.*

Facit hic, *pulvis roſeus febrifugus Dr.* SALZMANNI cujus baſis & in ſulphure deſcriptio ſequitur.

℞. Nitri fixi. ℥ß.
Flor. ſal. ammoniaci ʒj.
ſulphuris ʒiij.
Santal. rubr. pulveriſat. ʒvj.
Sachar. albiſſ. ʒij.
miſc. F. Pulvis.

Propinetur à ʒj. ad ʒiß. *ante paroxyſmum*.

Eſt etiam *Opium* cujus ſæpius facta eſt mentio & ex Opio legitima fermentatione paratum *Laudanum* ſingulare in febribus intermittentibus debite uſurpatum remedium. Ratione hujus enim eſt quod *Theriaca* refertur inter febrifuga, maximas ſane virtutes continens ab Opio.

Facit huc antiquiſſima GALENI febres curandi *Methodus*, *qui ſuos quartanarias curavit*, primùm *propinando vomitorium* deinde die ſequenti dedit *ſuccum Abſinthii* bibendum, denique *duabus horis ante paroxyſmum dedit Theriacam*, & ſic *quartanarias omnes curavit* GALENUS. Plura de hac Methodo vid. apud Z. *Luſit. lib. 4. medic. princ. hiſt.* 33.

Unde quidam dicunt quòd *ſuccus Abſinthii ad* ℥ß. *cum Theriacæ* ʒj. *in hauſtu vini tribus horis ante paroxyſmum* propinata certo liberent à febribus.

Unde etiam *Theriaca ad* ʒj. in febribus tertianis intermittentibus Chronicis ſubinde experta à RIVERIO *in ejuſdem obſerv.* quod egregiè conducat.

Ego aliquando cum ſucceſſu præſcripſi hoc modo.

℞. Theriac. ANDROMACH. ℈ij.
Specific. STROBELB. à ℈j. ad ʒß.
Ol. deſtill. Caryophyll. gt. iij.
(aderat. horor.)
c. ſ. q.
Syrup. Scelotyrb. FOREST.
F. Bolus.

D. & egregiè contulit.

Nam uti antea monui rariſſimè & nonniſi cautè uſurpanda ſpecifica febrilia: & ſi uſurpantur propinanda cum aliis ſudoriferis; ſolis nunquam fido. Sic alio modo præſcripſi ſed miſtum cum aliis, h. m.

℞. Syrup. card. bened. ℥ij.
Specific. STROBELB. ʒß.
Sal. volat. C. C. gr. iv.
Laudan. Opiat. gr. j. miſc.
F. pulv. mixt. febrifug.

Theriaca ante paroxyſmum hauſta *cum aceto* multum prodeſt.

Subinde facta fuit mentio *febrium ſcorbuticarum intermittentium* quæ vix ullis cedunt remediis & ſunt contumaciſſimæ, nec quicquam in illis poteſt præſtari niſi *die intermiſſionis propinentur Antiſcorbutica*; *ſpirit. Cochleariæ* vel ſimilia, ante paroxyſmum permiſta cum aliis: Si enim hoc non fiat incaſſum laborabis.

Inter hæc tanquam præſtantiſſimum remedium eſt *Arcanum duplicatum* MYNSICHT. *ad* ℈i. *vel ſolum vel cum ocul. cancr.* ℈ß. *ante paroxyſmum*: vel repetitum ſubinde die intermiſſionis & egregiè confert, vel etiam propinatum ante paroxyſmum. Item *ſpirit. cochlear. cum ſpir. ſal. ammoniaci.* h. modo.

℞. Aq. Antiſcorb. uſitat. DORNKR. vel
QUERCET. ℥i.
Spirit. ſal. ammon. volat. ʒß.
(plus minus pro ut vel fortis eſt)
Cochlear. ℈i.
(in officinis eſt admodum debilis aliàs vix gt. x. propinari.)
Laud. Opiat. gr. j. vel ij. miſc.

Præmiſſis univerſalibus ante Paroxyſmum propinetur.

Vel cum *ſpirit. ſal. ammoniaci* eleganter permiſcetur *Arcanum duplicat.* MYNSICHT. in forma liquida. v. gr.

℞. Aq. Scorbutic.
Menth. an. ℥ß.
Spirit. cochl. ʒi.
Arcan. dupl. MYNSICHT. ʒß.
Syrup. Scelotyrb. FOREST. ℥ß.
miſc. pro ij. doſ.

Item Miſtura hæc quam in *tertiana ſcorbutica continua* probatam habeo.

℞. Aq. Antiſcorb.
Febrifug. an. ℥i.

Spirit.

Spirit. Cochlear.
Sal. ammon. an. ʒj.
Arcan. dupl. MYNSICT.
Ocul. cancr. præpar. an. ℈j.
Laud, Opiat. gr. iij.
Syrup. Scelotyrb. FOREST. ℥vj.
miſc. F pot. febrifug. pro aliquot. doſ.

Aliàs etiam *Antihecticum Poterii* (de quo plura ubi de Hectica) *cum Magiſt. Corallorum cum ſucco citri præparat.* (reliqua ſunt nullius pretii) & *Arcano duplicat. an.* ℈ß. miſtum & *ante Paroxyſmum propinatum in febribus ſcorbuticis* eſt egregium.

Superiori Hyeme in *quartana ſcorbutica* contumaciſſima & *metu phthiſeos* hæc potio admodum profuit *paroxyſmo* aſſumpta *præmiſſo ſemper ante paroxyſmum Clyſtere ex Lacte.*

℞. Aq. Menth.
Chærefol.
Antiſcorb. an. ℥j.
Spirit. Cochlear. ʒij.
Sal. ammoniaci ʒj.
Ocul. cancr. præparat.
Arcan. duplicat. an. ʒß.
Antihect. POTER. ℈j.
Sachar. Saturni gr. vj.
Syrup. d. ſucc. Granat. acid. ℥j.
miſc. F. Potio. ſpecific.

In febr. ſcorbut. quæ ſubinde hauriatur aliquot doſibus.

Spiritus Cochlear. cum Elix. febrili vel in defectu hujus *cum Elix. proprietatis* miſtus & *die intermiſſionis* uſurpatus eſt egregius: *doſ. á gt.20. ad 30.*

Potus in febribus ſcorbuticis in quibus admodum urget ſitis, *optimus eſt ſerum lactis* in ſpecie *Caprilli acidulatum cum ſucco citri*: Nam & hic in ſcorbuto eſt egregius. Item *Decoctum Tamarindorum* egregium eſt in ſcorbuto, quod ſimul alvum obſtructam quæ ſæpiſſimè in ſcorbuto, ſolet obſervari, blandè laxat, prætereaque Craſin maſſ. ſang. vitioſam temperat. Miſcetur *cum aqua Decoctionis Hordei* & poſtmodum uſitato modo *fiat Julepus.* Vel *pulpæ Tamarind.* ℥iß. coquitur *in aqua Hordei.* Colatura tingitur *Tinctura Bellidis* & additur parum *de ſyrupo roſarum ſolutivo*, & fit elegans Julepus febrilis laxativus.

De *ſucco Naſturtii* ſuperius aliquoties dictum fuit

Sed hæc ſunt *febrifuga partialia.*

Quid dicendum de febrifugis *Catholicis*? Sicut KERGERUS *in lib. d. ferment. ſect. 3. de febribus* refert ſuum *febrifugum præcipitans*, quo feliciſſimè utitur in febribus, & commendat pro hoc uſu *vitriolacea & Tartarea*, præparationem autem reticet, Pertinet huc *Mercur. præcipit. diaphoreticus* HELMONTII cujus præparationem in ſecretis habuit: eſt autem revera Mercur. præcip. fixus & tinctus cum ſulphur. vener. fixo (quod etiam vocat ſulphur. veneris fixum) parato beneficio liquoris Alkalh eſt, quod extrahit ſulphur. veneris ut mercurius ejuſdem decurrat, vid. de hoc STARKEN *in Mirctechnia Anglicâ.*

Facit huc etiam *febrifugum Antiquartium* RIVERII paratum ex auro vitro Antimonii & Mercur. vivo præcipitatis in pulverem cui interdum de Scammonio nonnihil additur. Hinc etiam eſt quod vomitum, ſudorem & ſedes movet: ratione vitri antimonii non ritè correcti.

Hæc ſunt *interna* quæ ſubinde uſurpantur in febribus.

Sequuntur *externa* ſive *Emplaſtra* ſive *Cataplaſmata*, ſive *Vnguenta*, ſive *Amuleta.*

Illa imprimis *parantur vel ex Allio*, item *Sabina, ruta, Ranunculo ardente, Plantagine vulgari*, item *plantagine aquatic. Maſtiche, Thereb. Camphora, pulver. pyrio, Croco, Araneis & earum telis & ol. harum,* & ſimilibus. Sic *Allium contuſum miſtum cum croco & cum aceto ſubactum, applicatur carpis manuum*: quidam etiam addunt *Piper long.*

Quidam recipiunt *Sonchum tritum, Sambucum & Plantaginem, hæcque aceto ſubacta carpis alligant.*

In fuligine furni eſt elegans remedium ſi ſcil. *fuliginis furni & ſalviæ contuſæ ana miſceatur cum albumine ovi & applicetur carpis.*

Alii, *fuliginem* eandem *cum Alliis capis & albumine Ovi miſcent*, *nonnihil aceti affundunt & ita carpis applicant.*

Facit huc *Emplaſtrum ad tertianas* imprimis uſurpatum quod fit *ex Mellis* ℥ij. *Maſtich. Therebinth. ana* ʒß. (Thereb. egregiè eſt externè) coquantur ad conſiſtentiam debitam, extenduntur ſuper alutam, & aſpergitur nonnihil furfurum, ne nimis adhæreſcat, & imponitur regioni ventriculi, quando febricitans iturus eſt cubitum, ac quamdiu placet, relinquitur.

Obiter moneo *ol. deſtill. Caryophyll. ad gt. v. l. vj. ventriculi regioni illitum rigores febriles* potenter compeſcit.

Facit huc, *Emplaſtrum Febril.* D. MICH. cujus compoſitio eſt hæc.

℞. Fulig. furni ſplend. ℥iß.
Therebinth. ʒvj.
Telar. Aranear. ʒj.
Camphor. ℈ij.
Ol. Aranear. q. ſ.
F. Emplaſtrum.

Carpis manuum applicandum:

Hinc ipſo Emplaſtro quendam Senem ferè Octuagenarium *quartana* laborantem ſine alius alterius medicamenti uſu interno curavit.

Rectè additur *Camphora*: nam *Camphora ad* ʒj. *vel* ʒij. *ſacculo lineo incluſa & in ſcrobiculo cordis appenſa donec exhalaverit, feliciſſimè tertianarios reſtituit.* Et experimentum D. SCROCKII *Auguſtani*, quod in privato diſcurſu mihi valdoperè commendavit. ANGLI habent *Cataplaſma febrile, ex ſale, lupulo recenti, & paſſulis majoribus.* Hoc *carpis manuum* applicatum *in febribus intermittentibus* inſigniter prodeſt.

In quartanis præ cæteris uſitatum eſt *oleum Aranearum, & omnia ex Araneis parata*: quæ araneæ & etiam ex araneis paratum oleum ſunt baſis decantati *Emplaſtri* STROBELBERG: quod deſcribitur *in* SCHRODERO, *ubi de Emplaſtris*, ſed deſcriptio eſt manca: genuinam, admodum prolixam, niſi habenda eſſet ratio temporis, communicarem.

Loco hujus non inconveniens eſt *hoc ad quartanas etiam malignas* expertum *Emplaſtrum.*

℞. Terebinth. Venetæ ℥j. liquefactæ in aheno cupreo adhuc aranearum vivarum magnarum num. 30. agita cum ſpatula lignea donec araneæ ferè non amplius appareant, adde poſtea pulveris carnis Bufonum exſiccatorum pulveris carnis Rubetarum exſiccatarum an. ʒß. Tartari crudi ℥j. Sabinæ ʒij. ol. Scorpion: Matthioli q. ſ. ad juſtam conſiſtentiam: agitando omnia ſpatula lignea, donec fiat Emplaſtrum. Hoc, uti dixi, egregium eſt in febri quartana & in malignis. *In quartanis diuturnis Emplaſtra Splenis regioni applicantur ex Nicotiana*: nam Nicotiana aliàs per ſe Scirrhis & Tumoribus Splenis eſt optima: In hunc finem Extractum vel ſuccus ejus inſpiſſatus & ſimilia cum Gummat. Ammoniaci an. permiſcentur & fit Emplaſtrum.

Quidam volunt hoc eſſe *Emplaſtrum* HELMONTII in quartana: ego verò non credo.

℞. Tabaci q. v. adde vini q. ſ. coquatur per mediam horam, poſt coletur & fortiter exprimatur: Colaturæ addatur Mellis communis, ceræ & olei communis q. ſ. ad conſiſtentiam Emplaſtri. Applicetur tepidè regioni lienis cum oleo Capparum. Facit huc etiam *Cataplaſma febrile Mynſicht. armam. med. ſect.* 38. quod ipſum etiam non eſt inelegans.

Radix plantaginis appenſa commendatur etiam contra febres: Hinc LOTICHIUS *obſervationibus*

hanc radicem commendat ut applicetur à ſuis ægris.

Item *Potentilla* ſ. *Argentina*, & *flammula* recenter contuſa, *carpis manuum & plantis pedum applicata ad leniendum calorem & æſtum intermittentium* laudatur, *ſi ad compeſcendum æſtum ſit Epithema ex aceto & ſucco ſedi majoris an. q. ſ.* addito *nitr. fixi tantillo*; quod Epithema plantis pedum applicatum admodum laudatur ad temperandum æſtum &

Hæc de febribus intermittentibus.

Dictum fuit ſuperius quòd effervеſcentia febrilis vel ſit interrupta, & ſuos habeat Paroxyſmos, uti vidimus in intermittentibus hactenus conſideratis; nunc eadem ſit continua, quæ ſcil. à primo invaſionis ſuæ momento permanet continuò uſque ad ultimum durationis finem, & ad integram ſui ceſſationem: fit igitur nobis ſermo de

FEBRIBUS CONTINUIS.

Febres continuæ.

Hujuſmodi *febris continua, quoties blanda eſt ut non tantum die durat*, *dicitur febris Diaria* ſ. *Ephemera*: quemadmodum *Diaria plurium dierum*, uſitato vocabulo *Synochos non putris* dicitur, quoties ipſa blandior tres vel quatuor dies perdurat.

CAUSA.

In genere *febrium Ephemerarum eſt perverſus uſus ſex rerum non naturalium*: quando ſcil. à quocunque uſu rerum non naturalium eò uſque corpus incaluerit, ut tandem excitetur ſanguinis fermentatio nonnihil præternaturalis: unde præter functiones leviter læſas frequentior ſolitò ac major excitatur.

Omnes ergò res non naturales quæ ſanguinis fermentationem augere & effervеſcentiam excitare poſſunt, ſunt febris diariæ cauſæ.

Unde *eſt febris nullius momenti*, & rariſſimè ſub praxim Medicam cadit, quin *ſponte ſudore & levi madore prorumpente ceſſat* & definit: aut ſi hoc non fiat, levi ſudore *per Miſturam ſimplicem l. Tinctur. Bezoarticam ſubitò ceſſat & curatur*.

Gravior febris continua eſt, quæ nec ita blanda nec ita brevis: & in ſpecie *dividitur* uſitatis nominibus in *ſynocham ſeu continentem* & *in continuam* in ſpecie ſic dictam.

Continua dicitur aliàs *ſynochos*, utut hoc vocabulum Medicinæ parentibus, in ſpecie HIPPOCRATI fuerit incognitum: nihilominus verba valent ſicut nummi. Sicut *continens in ſpecie ſynochos* ſ. *febris ſynocha* appellatur.

Continentes dictæ *febres ſunt iſtæ, quæ ſine ulla exacerbatione perdurant à ſuo principio uſque ad ultimam & integram ſui ceſſationem.*

Continuæ verò *febres ſunt iſtæ, quæ in ſuo curſu ad finem uſque continuum perſeverant, nihilominus tamen, nunc tertio die, nunc, quod rarius quotidie aut quarto die aliquando patiuntur ſuas exacerbationes.*

Hæ ipſæ poſteriores *continuæ*, quæ aliàs propter excellentiam vocantur *continuæ Periodicæ*, *revera nihil aliud ſunt niſi febres compoſitæ, ex febri* nempe *intermittente ſuas periodos obſervante, & febri continente æquali curſu continuo promota.*

Quod attinet iſtas *febres continuas non periodicas*, ſeu æqualiter motas; melioris doctrinæ ergò *dividam* ſecundum SYLVII doctrinam & manuductionem *in*

ACUTAS ET MINUS ACUTAS.

Febris acuta & minus acuta.

Ad quas *minus acutas* pertinent etiam *febres* dictæ *lentæ* item *Hecticæ*.

De *iſtis acutioribus* prius.

Scilicet iſtæ febres continuæ non periodicæ acutæ, quæ aliàs vocari ſolent.

FEBRES ARDENTES.

Febris ardens.

Dependent à tali maſſæ ſanguineæ dyſcraſia quâ hæc ſale vol. acri ſæpius oleoſo ſimul, quod aliàs vocant bilem, adeò eſt turgida ut vel levi accedente occaſione effervеſcentiam febrilem præternaturalem inſtar vini generoſi immanius ebullientis concipiat, dum ſal. volat. acrius aut oleoſius vitioſe cum acido concurrit & fermentat; Unde inſigniter incaleſcentes oleoſæ (nam calor conſiſtit in motu) tàm efferatum ardorem atque æſtum in totum corpus diſtribuunt. Unde ex ſal. volat. abundante calor acris & inſigniter auctus obſervatur qui ſimul eſt magnus quo magis oleoſum eſt ſal. volat. Item pulſus eſt admodum frequens & quò magis eſt oleoſa maſſ. ſang. eò erit major; Urinæ ſunt craſſiuſculæ plus minus prout longius vel proprius à ſtatu abſunt tales febres. Et quò magis oleoſum fuerit ſal peccans eò ſimul magis tinctæ.

Confirmant hoc imprimis *cauſæ antecedentes*: Cùm tales *febres continuæ ardentes imprimis ſoleant occupare corpora Juvenilia* in quibus cauſæ, quod bilis ſit copioſa, ſeu quorum maſſ. ſang. imprægnata eſt copioſo ſale volat. oleoſo; item *tempore vernali & æſtivo*; item *corpora εὔσαρκα & εὔχυμα* quorum maſſ. ſang. eſt nimis pinguis & oleoſa: item *eos qui utuntur victu lauto & potu generoſo*: item *qui vitam agunt ſedentariam* aut *otioſam*, aut *ſomno nimis ſunt dediti* & ſimiles. Hæc enim corpora omnia ſunt diſpoſita, ad tales febres, modo accedant *cauſæ externæ* quæ res procatarcticas in actum deducant: quales ſunt, primariò *tranſpiratio prohibita*: his enim effluviis prohibitis maſſ. ſang. turgeſcit & veluti fermento oppoſito aliàs ante diſpoſita inſigniter effervеſcit & turgeſcit.

Immerſio ſubitanea in aquam frigidam poſt æſtum, & ipſa corpora diſpoſita in febres ardentes conjicit. Sic HILDANUS habet exemplum *cent. 1. obſ. 95.* uti & VALERIOLA *lib. 2. obſ. 6.* habet exempl. *febris ſynochæ perículoſiſſimæ ex pororum cutis obſtructione*. SALMUTH. verò *pen. 1. obſ. 51.* habet *febrim ardentiſſimam* ortam *ex nimis uſu aquæ Theriacalis in animi deliquiis infuſæ*. Sicuti idem SALMUTH. *pent. 1. hiſt. 31.* obſervat *febrim ardentiſſimam ex Theriaca in nimia quantitate* exhibita. Sed res eſt clara, quo enim magis diſpoſitum eſt ſubjectum eò facilius oriuntur febres ardentes.

Hæc febris pro Symptomatum varietate *varia ſortitur nomina* ſeu appellationes. Sic uſitatiſſimum eſt quod vocatur, *febris ardens Græcè καῦσος*, ab æſtu nempe & ardore nimio imprimis urgente, utut febris continua tertiana ſeu continua periodica tertiana etiam ſoleat vocari καῦσος quod nihil refert. Ut enim febris vocetur ardens *duo primaria* ſunt quaſi *Pathognominica ſigna*: nempe *ſummus æſtus ac intolerabilis ſitis*.

In quâ ergò *febri continua hæc duo adſunt iſta merito καῦσος* ſ. febris ardens *vocari poteſt. Ut ſecundum* HORSTIUM *in problematibus veterum καῦσος ſit revera hodierna febris Ungarica*,

Uſus tamen obtinuit ut *febres cum ardore & ſiti* conjunctæ vocentur *cauſi*, & ſunt vel *continuæ*, vel *continuæ tertianæ periodicæ*.

His ipſis duobus ardori & ſiti ſubinde accedit *linguæ ariditas labiorum fiſſuræ*, *capitis dolores*, *delirium & ſimilia* alia ſymptomata.

Porrò cum his *febribus continuis* ſubinde *concurrit faucium ardor ac rubor obſcurus*: Unde tunc temporis ſimul *lingua quoque non tantum arida* exiſtit: *ſed præterea etiam colore puniceo nigricante apparet tincta*, *Rirſchbralm*, uti vocant: qui faucium ac linguæ affectus vulgò vocatur *die Bræune*, & omnino diſtinguenda ab angina infantum utut vulgò confundantur: Unde etiam tales febres à ſymptomate primario *die Bræune*, appellantur, quæ febres non rarò ſolent eſſe Epidemicæ.

Porrò *febribus continuis & continentibus nonnunquam adjunctum* ſymptoma *eſt delirium* non leve, quale in morbis ſcorbuticis ſubinde obſervatur, ſed *grave & ad furorem ægros diſponens*, quod etiam intra paucos dies

dies advenit & adſtantes inſigniter ſolet turbare. *Hæ febres*, quas vocant ardentes deliras, *non rarò ſunt Epidemicæ atque convulſionibus ſupervenientibus tandem interimunt ægros. Has ipſas deliras febres comitantur vigiliæ pertinaces & dolores capitis intenſi ſolent præcedere deliria.*

Denique *hæ febres interdum* vocantur *colliquativæ* ſ. colliquefactivæ in quibus nempe corpus brevi tempore inſigniter ſolet conſumi & emaciari. *Nunc mediante ſenſibili excretione* & tunc *vocatur Diarrhæa colliquativa, ſudor colliquativus, urinæ fluxus colliquativus*; *nunc* verò *ſolo ardore febrili ſine ulla ſenſibili excretione* ſolet talis febris colliquefactiva ſe exhibere. De *malignis* nihil dico: quia ſuo loco dabitur ulterius occaſio.

Cùm dictum fuerit quòd *turgeſcentia ſalis vol. acris & oleoſi*, quod aliàs vocant bilem, *ſit cauſa febrium continuarum ardentium*, etiam *ex hoc fonte* erunt *deducenda* hæc *ſymptomata*.

Et quidem *ipſum ardorem* quod attinet, notum eſt, nil magis fermentando & efferveſcendo incaleſcere quàm ſalia vol. oleoſa: Sic ſpiritus Therebinth, ſalinus volat. oleoſus cum ſpirit. nitr. miſtus, ſi ſint rectificati, promptiſſimè efferveſcit. Unde etiam *in Maſſ. Sang. turgeſcens ſal. volat. oleoſum facillimè ardores ingentes poteſt concipere.* Hinc dum ſub iſta efferveſcentia inſigniter turgeſcit &, ut ſic dicam ebullit maſſ. ſang. non poteſt non *pulſus fieri maximus* & neceſſario *frequentior & prout ſpiritus* animales ſunt conſtituti imprimis *in principio ſimul robuſtus.*

Iſte ardor dum ſimul *non ſolum alterat lympham ſalivalem* humectantem fauces, ſed præterea cum hæc ipſa *ſit minus inſipida*, ſed ſubinde *ſal. volat. oleoſo imprægnata*, *ſitis adeò intenſa ac crucians oritur.*

Immò *ipſa ſaliva infecta cauſa* videtur *febrium* iſtarum, *quas vocant vulgo die Braune*; ſeu febrium vitioſo faucium colore conjunctarum. Dum ſcil. iſta infecta agglutinatur faucibus & linguæ, haſque vellicat & arreſcere facit iſta, ut tandem in fiſſuras dehiſcant fauces & lingua.

Immò *ipſa maſſa ſanguinea fortiter efferveſcens* non poteſt non inſigniter turbare ſpiritus animales & excalefacto cerebro eoſdem exagitare: *unde & vigiliæ & capitis dolores* ac tandem *funeſta* inſequuntur *deliria.*

Colliquativa febris, ubi cum ſenſibili excretione eſt conjuncta facilè ſe manifeſtat & ſuam cauſam prodit. Verùm *ubi ſine tali ſenſibili excretione ſubitò corpus quaſi fatiſcit & colliqueſcit*, ſignum eſt maſſ. ſang. admodum acris ineptæ ad nutriendum præterea ſignum eſt ardoris liquefacientis rorem nutritium partium ſolidarum eumque liquefactum ſub ſeri vel halituum formâ foras ſucceſſivè amandantis.

Febres hæ continuæ acutæ tàm continentes quàm continuæ & periodicæ, ingruere ſolent cum rigore vel horrore: quod frigus in principio harum febrium dependere videtur ex eo quod ingruente febrili efferveſcentia dum turgeſcere incipit ſal. ejus volatil. oleoſum; hoc adhuc ab acido concurrentè nonnihil impeditur (nam in omni fermentatione acidum & urinoſum præſuppono) quin & quodammodo adhuc ſubigitur, aut ſaltim in æquali proportione detinetur antequā efferveſcentiam febrilem concipere poſſit: ſub qua luctatum turbatur maſſ. ſang. calor ordinarius nonnihil deficit, & ab acidum in partibus nerveis horroris aut rigoris ſenſus infertur (ſed admodum levis immò leviſſimus) qui tamen non diu durat, quin ſuperato tandem acido à ſale volatil. oleoſo continuus calor ac æſtus ſuccedens ipſam febrim continuam ac continentem infert.

Iſtæ continuæ periodicæ ut plurimum ſunt tertianæ, ſeu ut diſtinctius loquar: *quæ febres intermittentes combinantur cum continuis, ſunt imprimis tertianæ*: unde etiam *febres continuæ periodicæ tertianæ ſunt frequentiores*: *rarò conjungitur quotidiana*: *rariſſimè* omnium *continua quartana*: de qua an obſervata fuerit adhuc dubito.

Iſta continua periodica tertiana, ubi fuerit gravior etiam vocatur cauſus ſeu ardens non minus quàm febris ardens. Ipſi verò febri quotidianæ dictæ, *in febris exacerbatione nonnunquam* animi deliquium vel ſyncope ſolet imminere, ob quam cauſam tales febres aliàs *Syncopales* nuncupantur.

In his exacerbationibus febrium continuarum ferè nunquam aut rariſſimè horroris ſenſus percipitur, quin ſaltim ex coloris & ardoris augmento tantummodò exacerbatio ſolet eſſe funeſta.

Cauſa complicationis hujus eſt quod in maſſam ſanguineam ad febrim continentem diſpoſitam ex ſale volat. oleoſo copioſi ubi ex errore diætæ vitioſi ſucci ex ſtomacho congeruntur, tunc hi vitioſi ſucci intermittentes periodicas inferunt, cum & antea ipſum ſal. vol. oleoſum in maſſ. ſang. efferveſcentiam continuam inducat. *Hæc de febribus continuis acutis.*

Habuimus cauſas febrium continuarum acutarum quarum peculiaris, ſpecies vocatur *febris ardens* ſeu καῦσος & dictum fuit quòd oriantur *ex ſale vol. oleoſo maſſ. ſang. efferveſcentiam exinde concipientis, unde varia* inducantur *ſymptomata ardor ingens, ſitis, delirium, cephalalgia, ardor & rubor faucium*, &c. pergo ad.

SIGNA DIAGNOSTICA.

Per ſe patent facilè: Nam *in genere calor intenſus & ſitis aucta ſ. ferè intolerabilis ſigna ſunt pathognomonica febris ardentis* ſeu cauſi ſive ſit febris ardēs ex continentium genere, ſive ex genere continuarum tertianarū periodicarum, &c. perinde eſt: *pulſus* præterea *adeſt magnus, qui ſemper bonus, ſi eſt parvus ſubeſt malignitas: eſt etiam vehemens, celer & frequens* ſimilis ferè pulſui quem omnes poſſumus obſervare in nobis quando incaleſcimus inſigniter ex vehementi & nimio corporis exercitio. Et calor ſi ſit intenſior magnamque ſequatur ebullitionem eò vehementius & celerius vibratur arteria.

Calor ubi dixi *eſt intenſus admodum & ut vocant vaporoſus*, ſeu quando manu tangimus arteriam quaſi ſubtilis mador videtur percipi. Et quidem *ubi maſſ. ſang. fuerit magis temperata & minus acris ſalina eſt blandior, ubi eſt magis, ſalina* ſolet percipi *ſimul acrior & quodammodo ſimul morſicans.*

Vrina in talibus febribus *eſt craſſa, rubra, & turbida ſive ſedimento cruda*, aut *ſaltem leviter cocta in principio*, (bene attendendæ urinæ mutationes pro meliori prognoſi) NB. *urinæ eorum* qui *conſtitutionis ſunt bilioſæ*, ut vocant, aut qui *laborant ſcorbuto*, aut *obnoxii ſunt phthiſi*, *levi etiam febricula intenſe rubeſcunt*: E contra vero *quorum maſſ. ſang. magis eſt temperata* ſeu *diluta aut copioſa lympha, aut temperata ſucco nutritio chyloſo*, eorum *urinæ minus intenſæ tingi ſolent.* Semper ergo conſtitutio ſubjecti conſideranda.

Sin *febris continua fuerit periodica per exacerbationem, eadem ſe ipſam prodit an ſit tertiana, quotidiana, an quartana*: Imo obſervantur etiam *continuæ periodicæ tertianæ duplicatæ*: quale exemplum videbitis in POTERIO *cent.* 1. *cap.* 43. de duplici nempe tertiana concitata *à fulgure Palatium incendente*, &c. quin & PANAROLLUS *pentecoſt.* 2. *obſ.* 33. obſervat tertianam duplicatam continuam cum quintana lethali complicatam. Et quidem hæ febres continuæ periodicæ ſemper ferè ſunt tertianæ: Nam de continuis quartanis multi dubitant, *Quotidianæ* verò *continuæ ſunt* revera *febres lentæ ortæ ex vitio lymphæ.* Ego ſanè continuas periodicas (quotidianas & quartanas) pauci æſtimo: niſi tertianas quæ ſunt frequentiores.

QVOD ATTINET SIGNA PROGNOSTICA.

Febris vel continens vel continua; tertiana periodica per ſe, minus eſt periculoſa ſed potius *per ſe ſalutaris.* Verùm eæ ſunt *periculoſæ quæ mox, uti dicunt, extremos*

habent labores (eſt formula loquendi HIPPOCRATI uſitata) ſeu *quæ* eſt *nimis acuta* & ubi ſymptomata atrociora confertim ingruunt.

Denique *cum febribus continuis ardentibus quibuſcunque ſæpius complicatur malignitas*, quæ tales febres reddit admodum periculoſas.

Ulterius *fluxus alvi in principio magnus vires diſſolvens*, aut ex materia inſigniter corrupta eſt *periculoſus & interdum mortem minatur.*

Vrina alba in febribus ardentibus admodum periculoſa eſt & plerumque mortem portendit.

Vrina alba, tenuis & clara in delirantibus, cum febri continua vel ardente lethale eſt ſignum.

Iſtæ *febres continuæ ardentes quæ nullius evidentis cauſæ vi*, ſed in corporis & animi quiete præter expectationem *exſuſcitantur, graviores* multò ſunt & *periculoſiores, quam quæ prægreſſam cauſam evidentem v. gr. motum corporis, æſtum diei*, &c. *inſequuntur.*

In omni *febre ardente* ſemper *inſpicienda* eſt *lingua*, an ſit *tumida* an *nigra*, an *fiſſa*, vel *alio modo vitioſè conſtituta.* Tempus eventus quod attinet.

Febris ardens pura raro tranſit 7. diem, interdum *ad* 14. extenditur.

Sæpè *ubi ſunt magis acutæ intra diem* 4. ſolvitur. Et *quando urina in principio eſt rubicumdior, tanto citius terminantur*. Unde ſi quarto ſigna coctionis evidentia appareant terminantur ſeptimo, ſi vero conſpiciantur ſigna ſeptimo, demum terminantur 11. l. 14.to. Nam *in acutis imprimis obſervanda eſt criſis.*

Facies turgida & ſubtumida morbi longitudinem prænunciat & pro ſignis coctionis ſubinde citius vel tardius finitur.

Denique cùm ſit morbus acutus *ſubinde curatur per criſin.*

Modus criſeos uſitatiſſimus apud nos quidem eſt *ſudor*, in locis calidioribus GALLIA & ITALIA ordinaria *Cryſis eſt Hæmorrhagia narium.* Exemplum *ſudoris critici poſt febrim* talem *ardentem* notatu dignum habet HILDANUS *cent.6. obſ.77.* de quodam robuſto viro cum ardentiſſima febri conflictante qui 7. die in ſudorem adeò flavum incidit ac ſi croco tinctus eſſet, & quidem copioſiſſimum, ita ut lintea ſubinde madidiſſima neceſſum eſſet ut removerentur. Exemplum vero *criſeos per Hæmorrhagiam* ſingulare habet ZACUT. *Luſitan. lib.1. Prax. Admirand. obſ.86. de febri ardente ingenti per ſanguinis copioſum fluxum ex dentibus criticè* ſolutum. Hæmorrhagia ut plurimum fit per nares, hic autem facta fuit per radices dentium.

Quin & idem Z. *Luſit. criſin febris* ardentis *per ſputum ſanguinis obſ. lib.8. prax. hiſt. c.6. obſ.4.*

Nulla febris æque citò ac tuto per criſin finitur *quàm ardens.*

Quin & *interdum alvi fluxus ſuperveniens* ſi fuerit *ſufficiens & ſpontaneus, hanc febrim tuto ſolvit.*

Quoad *criſin* dicit HELMONT. Medicum debere negligere eam, quia prævenire ſcilicet melius ſit: & hoc veriſſimum eſt. Qui prævenire poteſt, faciat. Verùm cum hoc non in omnibus ſit licitum & generoſum hoc negotium præſupponat remedium, potius Medicus ſit Miniſter Naturæ & expectet Criſim quam ut Naturam turbet, legitimis remediis illi ſuccurrendo.

QVOD ATTINET CVRAM.

In hac primariò *temperandum eſt & alterandum ſal. volat. acre & oleoſum efferveſcens: Temperatum* verò *quò vergit natura, in ſpecie per ſudorem ſubinde eſt ejiciendum:* niſi Criſis hoc negotium prævertat, ſeu *niſi naturalis excretio præveniat artificialem.*

Hoc ut ritè fiat. *Obſervetur* I. *Cautiſſimum eſſe debere Medicum ne pro cauſo aut alia febri continua curet malignam.* Fit enim ſæpius, ut febris maligna in primis diebus formam cauſi tantùm præ ſe ferat, & ſua malignitate latitet: Unde *tutius eſt adhibere mox ſimul in principio appropriata malignitati reſiſtentia.* Nam dubitant nonnulli an detur cauſus verus ſine adjuncta malignitate: Si itaque certò jam conſtet malignitatis metum adeſſe, nullus tunc denuò ad ordinariam ac conſuetam Methodum tutò acceſſus fieri poteſt.

Obſervetur II. *Dum propinantur ſimul Alexipharmaca aut Bezoartica minime æger in principio ad ſudorem eſt cogendus:* quoniam ſudor tum temporis ſine ſucceſſu eſt, quin potius tantummodo debilitat ægrum, dum nempe omnia adhuc ſunt cruda, nec quicquam ſeparatum inutiliter ſudor elicitur.

Potius ergò *ſemper addenda* ſunt *præcipitantia & diſcraſiam ſanguinis emendantia* ſeu corrigentia, talia ſcil. ſimul quæ corpus ad levem Diaphoreſin diſponunt nonnihil antequam perfectus & copioſus proliciatur ſudor. Hinc v. gr. *Mixtura ſimplex* ſ. *ſpecificum* PARACELSI *in peracutis* compoſitum eſt ex ſudoriferis blandis ſimul cum præcipitantibus miſtis.

Obſervetur III. *In febri ardente imprimis potus concedendus eſt liberalior:* imprimis *quò major eſt ſitis & intenſior ardor eò lubentiùs indulgendum genio.* Rectè enim carpunt LINDANUS & LANGIUS *in Epiſtolis*, Medicos quod dicunt in hoc maximè peccare quòd febrientibus ferè omnem potum interdicant peſſimo conſilio: Hoc ſaltem obſervetur *melius* eſſe *ut frequentius & parcius bibant, quam ut una vice copioſſiſimum hauſtum ingurgitent*, prius enim ſucceſſivè alterat, (nam omnis mutatio ſubita periculoſa) poſterius vero Tonum Stomachi nimis labefactat.

Proſtant ſanè non pauca *Exempla viſcerum omninò aridorum & exſuccorum ex ardore febris ardentis ob denegatum potum vid.* PANAROLLI *Pentecoſt. 4. obſ. 8.* de quibuſdam febri continua mortuis in quibus cor, Pulmones, & reliqua viſcera tanquam exuſta apparuere. Idem alio loco habet obſervationem febri ardente mortui, in quo cor tanquam ſemitoſtum apparuit, & SCHENCK. *lib. 6. obſ.* refert, quendam cauſo mortuum repertum fuiſſe deſtitutum aqua Pericardii adeò illa abſumpta fuit in calore febrili.

Ergò liberalior potus concedendus eſt ægris ut talia præveniantur & feliciùs ſudor promanet.

Obſervetur IV. *In principio febrium ardentium ubi Alvus eſt obſtructa vel non ſatis libera conveniunt imprimis Clyſmata*, verùm eadem ſaltim *lenientia ac blanda* quæ Alvum tantummodo laxam ſervant: ubi verò quotidiè ſatisfacit ſuo officio, nullo modo irritanda natura.

Obſervetur V. *Injecto vel omiſſo Clyſtere convenit in primo principio Venæſectio*; dico in principio primo quando nempe eadem neceſſaria videtur. Nam ſi eſt febris quæ urget Ven. Sect. hæc eſt ſanè febris ardens, propterea quoniam in his obſervatur Pulſus major ſ. potius maximus. Unde periculum eſt ne ex nimia rarefactione ſanguinis vaſa diſtenta & repleta, liberiorem ſanguinis impediant motum.

Ubi ergò neceſſaria videbitur Ven. Sect. (non enim ſemper neceſſaria eſt) mox inſtituenda eſt in principio primo, præmiſſo vel neglecto uti dixi Clyſtere, ſive hoc fiat veſperi ſive manè perinde eſt. Multis equidem religio eſt alio tempore mittere ſanguinem quàm matutino: Verum occaſio eſt præceps. Unde quando neceſſaria videtur Ven. Sect. eadem inſtituenda eſt. Ergò mox in principio ſecanda vena ubi opus eſt: *Si 2. vel tertia dies expectata fuerit, periculoſum eſt ſecare venam & eo magis ſi eſt febris maligna* in qua Ven. Sect. planè etiam in primo principio non conducit.

Obſervetur VI. *In febribus continuis ardentibus purgantia non niſi in declinatione morbi conveniunt:* Cocta ſcil. jam materia & ſedatâ maximâ ex parte efferveſcentia febrili. In curſu vero morbi eadem omnino ſunt omittenda, utut ſubinde eò reſpiciendum ſit ut alvus blandè ſervetur: idque imprimis ubi nulla eſt ſuſpicio malignitatis. Nam *in malignis cautiſſimi ſimus in alvo aperienda.*

Obſervetur

Obſervetur VII. *Vomitoria minus conveniunt quàm in intermittentibus.* Nihilominus tamen *ubi in principio & incremento Nauſea urget* ut vel ex bilis regurgitatione ſtomachum *Lipothymiæ* aut *Cardialgiæ* immineant, vel *anxietates præcordiorum* ſubinde excitentur, *convenientiſſimum eſt vomitorium in principio aut incremento* hæc impedimenta removere ut eo melius remedia poſtmodum poſſint operari.

Obſervetur VIII. *Victus in febribus ardentibus ſit tenuis,& cum* Appetitus ferè ſemper ſit proſtratus,*minus ad victum cogendi ſunt ægri* nam, Alimenta aſſumpta calore febrili putreſcunt potius quàm digeruntur & ita malum exaſperant. Imprimis alimenta nutritiva aggravant ſtomachum,& melius eſt ut per aliquot dies jejunent ægri, quoniam facilè ferunt.

Optimus eſt hac in parte HELMONT, qui *in Tr. de victus ratione:* egregiè decidit hanc controverſiam, & dicit ſe nolle ut ægri ſui obeſi evadant, &c.Immò & optimè notat WILLIS *Tr. de febribus*, quod ſæpius ex erratis in victu recidiva inducatur: quando ſcil. ex carnium aut alimentorum Euchymorum uberiori ingeſtione viſcera debilitata novum fomitem pro morbo ſuppeditant: quicquid enim non rectè digeritur in ſcorias faceſſit febriles.

Obſervetur IX.Denique *opium & opiata* in febribus continuis *ſunt optima*, tantùm *obſervetur* in eorum adhibitione *legitimum tempus &* legitimus *uſus.*

Tempus eſt ut propinentur opiata, non in principio quando tantummodò incipit morbus, *tanto minus in ſtatu* quando imminet quædam criſis; *ſed propinandum eſt opium in incremento morbi,* quòd non tantum *calorem febrilem* ipſum *inſigniter demulcet,* præterea *ſomnum inducendo delirium præcavet & turgeſcentes humores etiam placat & ſopit.* Hinc rectè dicit LINDANUS *ſi Orgaſmus ſit humorum* ac humor peccans turgeat, ſeu immanius effervеſcat tunc *Syrupus papaverinus convenit ad ℥j.*nobiliſſimus enim & blandus eſt, convenitque in febre imprimis ardente ſi cum *tantill. nitr. miſtus* fuerit.

Item in febribus ardentibus motus furibundus optimè ſedatur *laudano opiato,*ſed non debemus eo abuti, verùm *recto tempore exhibere* Nempe conſultius eſt in exhibitione horum medicamentorum non expectare donec ſpiritus planè conſumpti ſint, ſed in tempore uſurpanda,dum vires adhuc conſtant.In rebus nempe deſperatis ad opiata non eſt refugiendum. Unde etiam POTERIUS inſigniter commendat hanc miſturam in febribus ardentiſſimis.

℞. Aq. acetoſ. ℥j.
Syrup. Papaver. nigr.℥j.
Succi Limonum.℥ß.
Specier. Diamarg. frigid.ʒj.
miſc.

Et hæc potio ipſi elegantiſſimos præſtitit effectus vid. *cent.2. c.49.*

Modus utendi opio & opiatis eſt, ut nunquam ſolum ſed *ſemper appropriatis miſta propinentur,* aut *appropriatis alterantibus* aut appropriatis *Alexipharmacis,* prout neceſſitas requiſiverit.

Remedia quæ hoc præſtant *ſunt primariò omnia acida* quæ ſale volat.acri præcipitant & corrigunt. Nam verum eſt quod omnia acida præcipitant alcalia.

2. Sunt *blanda oleoſa:* ut *ſemina* & ex his paratæ *Emulſiones,* quæ ſal iſtud nimis acre temperant.

3. Conveniunt. *Nitrata fixa Antimonialia* & ſimilia quæ iſtud ſal. volat. acre figunt, & ubi fuerit oleoſius, ejus oleoſitatem coërcent, & ſucceſſivè corpus ad ſudorem diſponunt. Ex his tribus fontibus uſurpanda convenientia.

QUOD ATTINET ACIDA.

Præ cæteris palmam præripiunt, *Spiritus mineralium acidi,* v.gr. *ſpir. ſulphuris, vitrioli, ſalis,* præ cæteris *ſpir. nitri,* & cum his ſpiritibus parata *Tincturas, Bezoartica* cum *ſpirit.* ſcilicet *vitrioli volatil.* Et *Tincturæ vegetabilium cum phlegmate vitrioli, ſpiritu proprio acidulato, Tinctur. Bellidis, roſar. violarum,cyani, aquilegii, &c.*

Hi ipſi Spiritus acidi præſcribuntur in julepis aut *tincturæ inſtillantem potui ordinario 50.vel 60.gt.*inſtillantur dimidiæ menſuræ.

Pertinent huc *Spiritus minerales compoſiti ſeu clyſſi* parati ex *ſulphur.nitr.& antimonio,*aut ex *Tartar nitr. & antimonio,* per retortam tubulatam, & fiunt ſpiritus acidi volatiles admodum egregii.

Verùm ſpiritibus his acidis puris meritò præferuntur, *ſpiritus hi dulcificati ſ. cum ſpiritu vini temperati:* Nam hæc ſuprema ſit lex Praxeos:Semper nempe temperatis quantum fieri poteſt inſiſtendum,duplici ex ratione, 1. quoniam omnes corporis noſtri ſucci naturaliter ſunt temperati. 2. quoniam remedia intemperata & nimis graduata nimiam ac ſubitaneam naturæ inferunt mutationem quæ nunquam eſt bona. Propterea ego præfero ſpiritus dulcificatos ſeu temperatos, ipſis ſpiritibus crudis acidis. Et certum eſt quòd potentius æſtum febrilem temperent quàm ſi crudi propinentur. Sic *ſpiritus ſalis dulcis* item *nitr. dulcis* meliores ſunt uſu interno cum aliis miſti quam ſi crudi propinentur.

Ex vegetabilibus conveniunt quæ ſapore acido ſunt prædita, v.gr.

Citrus qui primatum obtinet,& malignitati reſiſtit. *Succus ejus expreſſus:* item *Acetoſa acetoſella, ſuccus ribium,berberum & cydoniorum* (imprimis in fluxibus alvi nimiis) *Succus granatorum & ſimilia acida. Tamarindi* quoque hîc optimè conveniunt, cum ſapore acidulo æſtum leniunt quatenus ſal. vol. præcipitant, & præterea alvum obſtructam blandiſſimè laxant.Hinc etiam ZACUT. *Luſit in febribus ſyncopalibus ſ.* cum Lipothymiis conjunctis inſigniter commendat *Tamarindos in aqua ſimplici decoctos,*cum tales febres Syncopales egregiè leniat.Præter hoc etiam *ſuccus ſempervivi majoris,* item *ex Portulaca & Plantagine paratæ remedia* commendantur.

Ex his variæ fiunt *potiones* ac *præſcriptiones*, v. gr. *In principio morbi* propinetur *tinctura Bezoartica ſ. miſtura ſimplex ad gt. 30,vel 40.vel etiam 50.*pro conſtitutione ægri ubi adhuc ſubeſt metus malignitatis. Item propinantur *julepi in curſu morbi ex iſtis acidulis parati,* v.gr.

℞. Decoct. hord. l. ſimplic. l. cum l. C Cl. cum Radic.Scorz.(habita ratione circunſtant)℔j.
Succ. Citr. ℥ij.
Sirup. Nymph.
Papaver. an.ʒvj.
(eſt egregius in his febrib.)
Spir. nitr. dulc. q.ſ. pro grato ſapore.
miſc.

F. Julep. refriger.

Extemporaneæ tincturæ fieri poſſunt inſtar juleporum ſaporis elegantiſſimi in his febribus, v. gr.

℞. Decoct. Hord. ℔iß.
Aq. roſar. ℥ij.
cinnamom. ℥j.
Flor.roſar. exſiccat.l. papav. rhæad.
l. violar.Cyani.l.aquileg.ʒß.
(quoſcunque volueris: Nam omnes flor. cœruleæ affuſo ſpiritu acido dant tinctur. rubicundam.)
Ol. ſulphur. per Campan. q. ſ. pro grato acor. infundant in vaſe vitreo loco clauſo ſtent ad aliquot horas donec eliciatur tinctura elegans, cui tranſcolatæ add.
Syrup.rub.Idæid.l.jujub.℥ij. l.℥iij.
miſc.

F. Tinctur. refriger.

Vel etiam ipſæ *Tincturæ*, v. gr. *Bellidis roſarum,* aut etiam *Spiritus acidi dulcific.* inſtillantur potui ordinario, ſive ſit cereviſia, quam tamen propter amarorem

rorem reſpuunt, ſive ſit potus cereviſiæ tenuis Secundæ, quæ ipſis ſunt gratiores, v.gr.

℞. Tinct. flor. bellid. ʒij.
aquileg.
violar. an. ʒj. miſc.

F. Tinctur. refriger. 50. l. 60. gt. In pot. ordinar.

Et ipſi Spiritus dulcificati præſcribuntur h. modo.

℞. Spir. ſal. l. nitr. dulc. ℥ß.

F. Spiritus infund. ad gt. 50. aut 60. in pot. ordinar.

Interdum loco juleporum propinatur *decoctum Tamarindorum vel ſolum in aqua communi vel* quod blandius abſtergit *in ſero lactis*, v.gr.

℞. Pulpæ Tamarind. ℥iij.
coqu. in ſ.q.
Aq. Hord. vel ſeri lactis depurat.
colatur. add.
Tinctur. flor. bellid. ʒij.
Syrup. acetoſ. citr. ℥iß. l. q.ſ.
miſc. *F. pot. alter. & purg. blandè.*

Ipſum certè ſerum lactis eſt potus admodùm conveniens in febribus imprimis, *ſi* melioris depurationis gratia *aciduletur cum ſucco citri vel Tinctura* ſimiliter *appropriata*: inſigniter enim compeſcit æſtum & alvum blandè ſervat apertam ratione ſalis nitroſi volat. quod in ſe continet.

Ubi ipſum ſal. volatil. peccat nimia acrimonia, conveniunt ſubinde *Emulſiones paratæ ex ſeminibus oleoſis*. Nam hæc ſemina oleoſa blandè temperant ac obtundunt acrimoniam iſtius ſal. volat.

Emulſiones iſtæ fiunt ordinariò ex ſeminibus 4. frigidis aut majoribus aut minoribus, *vel ex Hordeo* ad crepaturam cocto, *ex Amydalis dulcibus* & ſimilibus: item *ſemine papaveris* egregium eſt in Emulſionibus: *quibus adduntur* poſtmodum *nitrata.* ſal. volat. figentia, v. gr.

℞. Sem. 4. frigid. major. an. ℥j.
(pro qualibet ʒ. ſeminum ℥j. liquoris aſſumitur, uti notum ex formulis.)
Sem. papav. alb. ʒij.
c. ſ. q.
Aquæ ſemperviv. major. &
galegæ l. nymphæ, &c.
F. l. a. Emulſio.
cum pro neceſſitate circumſtantiarum
add.
Nitri antimon. ℈j.
Antimonii diaph. vel
Antihect. poter. ℈ß. l. gr. xv.
edulcoret.
Rotul. manus Chriſt. perlat.
miſc. *F. Emulſ. refriger. pro. 11. doſib.*

Denique in his febribus imprimis poſt acida mineralia *conveniunt fixa nitr. antimoniat.* & ſimilia, quæ volatilitatem nimiã ſalis vitioſi figere & per ſudorem expellere poſſunt. Hæc inter excellit *nitrum, in quo abſoluta eſt cura febrium ardentium*: Nihil enim magis calorem febrilem domare poteſt, quàm nitr. ipſum ſolum depuratum; ſuperat hoc laudem inquit POTERIUS & nihil magis deſiderat.

Sumitur *in decocto hordei*, & ita ſub forma potus ordinarii propinatur: Vel *nitrum depuratum pulveriſatum immittitur potui ordinario*, & diſſolvitur ſicque hauritur.

LINDANUS dicit quod poſſit *nitrum ad* ʒß. aſſumi diurno & nocturno ſpatio cum ſit admodum utile

Poteſt etiam præſcribi in forma ſicca cum fixis antimonialibus, v.gr.

℞. Nitr. depurat. gr. xij.
Antimonii diaphoretic. vel
Antihect. poter. ℈ß.
Laudan. Opiat. gr. j. vel ij.
(ſi nocturno tempore propinetur.)
miſc. *F. pul. confort. hora ſomni ſumenda.*

Loco nitri ſolummodo depurati uſitatum aliàs eſt *nitrum fixum* ſ. *ſal prunellæ, ſi fuerit antimoniatum, fixatum cum ſulphure antimonii*, id quod fit in præparatione antimonii diaphoretici eſt eo melius, & præfertur lapidi prunellæ cum ſulphure communi præparato. Nam in tali nitro præparato adeſt adhuc ſubtiliſſima pars ſulphuris antimonii adeo ut ratione hujus ſimul corpus ad blandam diaphoreſin diſponat & ſimul ſal corrigat vitioſum *propinatur ad* ʒj. *in aqua hord. vel potu ordinario*. Verùm ſub forma pulveris propinatur cum *Antihectico* POTERII & multi uſus eſt. Ego aliquoties feliciſſimo cum ſucceſſu præſcripſi hunc pulverem.

℞. C. C. ſin. Igne gr. xv.
Nitri antimon. ℈ß.
Antimonii diaphoret. gr. v.
Camphoræ gr. ij
miſc.

Si *tempore veſpertino*, loco Camphoræ præſcribo *Laudani opiat. gr. ij.* detur in vehiculo convenienti aut quocunque: blandè movet ſudorem & egregiè compeſcit æſtum.

Pertinet huc *Bezoarticum joviale* quod loco Antihectici poteſt ſubſtitui. Item *Sudoriferum magnum* FABRI & quæ ſunt ſimilia metallica fixa, quæ figunt volatilitatem nimiam ſalis febrilis.

Denique *dulcedo aluminis ſacharata ſ. alumen fixum*, à quo nempe phlegma toties cohobatur donec non amplius exſurgat, ſed omnia fixa maneant, &c. uti eſt arcanum ad febres hecticas, ita ſimiliter egregium eſt figens in febribus continuis ardentibus. Vid. POTER. *lib. Pharmacop. cap. 9.* Clariorem verò & meliorem in DARIOTTI *præparat. medicament. cap. 24. p. 245.*

Hæc quoad interna ſufficiant.

Externè conveniens eſt *plantis pedum* nonnulla applicare, ad compeſcendum febrilem æſtum & *ad præcavenda deliria ac vigilias.* Excellit hoc in caſu factum *Cataplaſma ex fermento*, ſi ſcil. *aceto irroratum & ſale aſperſum* applicetur plantæ pedum,

Vel quod melius eſt *folia rutæ recentia ac radix raphani contuſa* ſubigantur cum *fermento acerrimo*, ſubacta irrorantur *aceto* & aſpergantur *ſale*, ac ita applicantur *pedibus*. Imò *ſolæ radices Raphani* in taleolos inciſæ *pedibus applicatæ* inſigniter commendantur.

Cancri fluviatiles vivi contuſi & inſtar Cataplaſmatis plantis pedum applicati, ſubinde renovando egregiè conducunt ad temperandum æſtum. Immò *ſuccus ex his cancris fluviatilibus* contuſis expreſſus inſtar Epithematis fronti circumligatus ſ. applicatus inſignis *eſt ad Cephalalgiam* tollendam, item ad *præcavendum delirium*, (in cancr. fluviatilibus multa latent tàm in febribus ardentibus quàm etiam in uſu Chirurgico.

Superius dictum fuit quod etiam dentur *febres deliræ* propter delirium præſens ita dictæ. In tali *delirio* aliquoties hoc Epithema felici cum ſucceſſu præſcripſi.

℞. Sem. papav. alb. ʒiij
Hyoſcyam. ʒß.
c. ſ. q. ut
Aq. ſperm. ranar. ℥iij.
Semperviv.
Solani.
Hypnotic. uſitat. an. ℥j.
F. Emulſio.
add.
Camphor. gr. viij.
(eſt ſingulare in deliriis)
miſc.

& huic Emulſioni addatur an, Succi cancr. fluviatilium expreſſi.

Hæc miſtura ſubinde fronti applicetur cum linteaminibus & egregiè delirium ſiſtet.

De

De Prunella dictum fuit quòd non rarò adſit in his febribus in nimio corporis ardore ſeu calore: Hic convenit optimè *Mucilago ſeminis pſyllii* vel *Cydoniorum cum aqua ſempervivi* extractæ; ſi eadem ſubinde linguæ applicetur.

Convenit etiam *in nimia faucium inflammatione Gargariſma* factum ex *plantagine, lactuca, ſolano, liguſtro, portulaca, prunella & ſimilibus, additis* poſt decoctionem *ſuccis mororum, berberum, citri,* &c. aut ſimilibus.

Dabo exemplum talis Gargariſmatis.

℞. Fol. Prunell.
Salicis.
Fragar. an. m. j.
Hord. Integri p.j.
coqu. in ſ. q.
Aqu. puræ. in
Colat. ℥xij.
diſſolv.
Syrup. Diamori ℥j.
Lapid. Prunell. ſ. nitr. fixi. ʒß.
miſc.
F. Gargariſma.

Conducit etiam interdum in hoc linguæ & faucium affectu, *apertio venarum raninarum* ſub lingua, idque tunc *imprimis quando tumores obſervantur & metus eſt ſupervenientis & inſtantis Anginæ.*

Hæc de Febribus ardentibus, ſeu continuis acutis. Pergo ad

FEBRES CONTINUAS MINUS ACUTAS ſeu lentas.

Febris continua lenta. Has ipſas quod attinet; *Primaria harum* ſpecies eſt *Hectica*, ex multis cauſis producta de qua inferiùs.

Reliquas *Lentas* tardè prodentes nec ardore adeò intenſo moleſtas, plus tamen minus prout variat ægrorum conſtitutio; *à lympha imprimis oriri cum Dn.* Sylvio *arbitror.*

Lympha omnis eſt vel glandularum conglobatarum, vel conglomeratarum.

Lympha conglobatarum glandularum acrior & acidior ſanguini immiſta in vena axillari uti notum eſt *excitat effervescentiam febrilem* in ſanguine *cum ardore rodente* magis quàm magno moleſtam, *accedentibus* hinc inde ſimul *lancinatibus* corporis *variis doloribus.*

Hæc ipſa Lympha ubi *in glandulis cerebri acrior,* id eſt *tàm ſalſior,* quàm in ſpecie *acidior* facta fuerit, uti ſubinde *capitis dolorem gravativum, cum* ſubſequente *Coryza, raucedine, tuſſi,* &c. (quæ omnes ſunt vitia lymphæ à tali cauſa) & ſimilibus affectibus infert; ita inducit imprimis *Febres Catarrhales.* Calore non tàm vehementi & intenſo quàm mordicante & acri comitatas.

Nam certum eſt quòd *omnes febres catarrhales, tàm cum quàm ſine coryza* conjunctæ *ſemper ſint ex Lympha nimis acida.*

Et tales febres *Catarrhales circa veſperam ſolent exacerbari.* Unde *tales febres ſunt febris continua periodica quotidiana veterum*, quam ipſam etiam Fernelius jam ſuo tempore ſub *lentæ febris* Titulo inſcripſit.

In his febribus *lymphaticis lentis* ac *Catarrhalibus* ſubinde *levis horror & facilè tranſiens* moleſtus eſt. *Pulſus eſt frequens* non adèo magnus. *Vrina* excernũtur *tinctæ ac rubentes, ſed quæ ferè mox conturbantur & flaveſcunt, vel albeſcunt,* videnturque copioſum admodũ deponere ſedimentum. *Laſſitudo gravis ac lancinans* ſubinde ſolet occupare artus. His ſubinde conjunctus eſt *calor circa veſperam ingraveſcens*, non tamen adeò intenſus, quoniam Lympha acidior non poteſt non vitioſè effervescere cum maſſ. ſang. ex qua effervescentia oritur calor intenſior quidem naturali non tamen adeò magnus & quidem circa veſperam, quoniam tunc conniventibus nonnihil poris corporis, uberior Lymphæ tranſpiratio impeditur & exinde ejuſdem & copia & acrimonia augetur. Unde etiam febris tunc exacerbatio levis uſque ad mediam noctem ſentitur.

Hæ ſunt *Febres catarrhales ex lympha conglobatarum glandularum.*

Sin verò *lympha glandularum conglomeratarum* qualis eſt *ſaliva & ſuccus pancreaticus*, vitientur, ſubitò alia adſunt ſymptomata.

Vitia ſalivæ & ſucci pancreatici ſunt quando plus minus viſcidiores ac ſæpius fiunt ſalſiores.

Tunc enim *ſaliva viſcidior ac ſalſior*, blandam quidem ac lentam febrem calore non ita forti moleſtam infert in qua tamen *Appetitus* eſt proſtratus, inſequitur alimentorum aſſumptionem *dolor gravativus ſtomachi* ejuſdem ut & *inteſtinorum diſtenſio* ac quaſi inflatio: adeſt ſimul *ſomnolentia* ſeu propenſio in ſomnum.

Febris circa veſperam vel poſt cœnam nonnunquam exaſperatur cum pulſu frequentiori: Non tamen adeò magno, propter lympham fermentationem depravantem; durat per noctem ferè ad meridiem ſequentis diei & tunc ſolet ceſſare.

Hac cum ſaliva vitioſa ſi fuerit conjunctus *ſuccus pancreaticus viſcidus & ſalſus*, ſimul adeſſe ſolent *anxietates circa præcordia*, interdum *Tormina ventris ac lancinationes. Pulſus eſt frequens, ſed parvus & debilis; Sitis* in his febribus *interdum ſatis urget*, & in ſpecie ubi ſaliva peccat, fauces & lingua viſcida ac lenta materia ſunt obducta.

Saliva & ſuccus pancreaticus tales, ubi vitiant alimentorum digeſtionem, item, ubi cum alimentis ingeſti fuerunt ad cor, in ſanguine vitioſam fermentationem inferunt, dum propter ſalſedinem minùs ſunt apti fermentationi, & ita calorem nonnihil auctiorem, pulſum ex irritatione cordis frequentiorem, propter imminutam ferè & nonnihil depravatam fermentationem, parum & ſimul debilem producunt.

Hæc poſterior *febris ex ſaliva & ſucco pancreatico vitiatis* pendens magnam habet affinitatem cum *febre hectica*, adeoque certa ejus ſpecies ſtatui poteſt.

Hæc de febribus lentis quoad theoriam ſufficiant.

QUOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

Illa *per ſe patent* ex memoratis Symptomatis.

PROGNOSTICA.

Facilè quoque patet *non eſſe periculoſas* & magni momenti, ut febres ſic dictæ ardentes.

QUOD ATTINET METHODUM MEDENDI.

Ut ordine procedam. 1. Iſta *febris quæ oritur à lympha glandularum conglobatarum nimis acri & acidâ*, in hac ipſa *acrimonia lymphæ temperanda, temperatáque per ſudorem vel urinas evacuanda.*

Conducunt hic imprimis *ſalia volat.* imò conveniunt *appropriata remedia in Catarrhis* uſitata, v. gr. *Lignum ſaſſafras*, ejus *decoctum* & exinde parata *Eſſentia* Catarrhalis, cum *ſpiritu ſerpilli*, conveniunt etiam omnia ex *Succino* parata remedia: ipſum *Succinum præparatum, ſal. volat. ejus, oleum deſtillat. & ſimilia* quæ vitia lymphæ ex acore oborta potenter corrigunt.

Myrrha ſimiliter eſt elegans remedium: ejus enim aliquot grana acore ſuo balſamico, acorem lymphæ nimiam temperant.

Camphora hic imprimis eſt uſitata, quæ & blanda diaphoreſi vitia lymphæ imminuit.

Denique imprimis *ſalia volatilia: C. Cervi, ſanguinis humani,* & ſimilia hic ſunt egregia.

Superiori anno cùm graſſaretur hic *febris catarrhalis epidemica*, ex lymphæ vitio oborta, cum *vagis partium doloribus, cephalalgiis, diarrhæis, hæmorrhagia*

gianarium, *coryza* imprimis, & ſimilibus lymphaticis affectibus, cum calore lento circa veſperam exacerbato, utiliſſima fuit hæc mixtura ab ægro aſſumpta expectando ſudorem blandum.

℞. Aq. Sambuc.
Card. bened. an. ℥j.
Spirit. C. C. ʒß.
Sal. vol. ſuccin. gr. xv.
Syrup. flor. papav. rhead. ℥ß.
miſc. f. Potio.

Diaphoret. pr. 1. doſ.

quæ ſubinde una alterave vice repetita profligavit febrem catarrhalem, epidemicam, corrigendo lympham & correctam per ſudorem evacuando.

Item profuit hic pulvis.

℞. Succin. præparati gr. xij.
Specific. Cephalic. gr. viij.
Bezoartic. ſolar. gr. iv.
Laudan. Opiat. gr. 2. miſc.

F. pulv. hora ſomni ſumenda.

2. *Sin verò Limphatica* hæc *oriatur ex vitio lymphæ glandularum conglomeratarum, ſalivæ & ſucci pancreatici,* quando hæc nimis *ſalſa ac nimis viſcida* exiſtunt: in tali caſu *viſciditas ac acrimonia ſalina corrigenda, ac lympha correcta blandè evacuanda.*

Quæ corrigunt reſolvendo & attenuando ſunt imprimis *ſpiritus ſalis dulcis*, valdè egregius in tali caſu etiam in *Hectica*: item *ſal ammoniacum*, *ſpirit. nitri dulc.* & ſimilia.

Conveniunt etiam, utut minus, *nitr. antimoniat.* nam reliqua ſalina ſunt meliora, dabo exemplum.

℞. Sal. ammoniaci depurat. ℈j.
Antihect. POTER. gr. xvj.
miſc.
divid. in ij. part æqual.

doſis j. detur manè, altera veſperi

Item hæc miſtura egregiè profuit.

℞. Aq. Menth.
Fœnicul. an. ℥iß.
Spirit. theriacal. ſimpl. ʒiß.
(talia oleoſa corrigunt viſciditatem lymphæ.)
Spirit, ſal. dulc. ℈j.
Syrup. de Hyſſop. ℥ß.
miſc. F. miſtur.

Item. ℞. Sal. ammoniaci depurat. ℈j.
Radicis Galang.
Zingib. an. gr. viij. miſc.
divid. in ij. part. æqual.

Hæc & ſimilia egregiè contulerunt.

Ad febres has lentas pertinere imprimis etiam dixi *Febrem*, quam vocant,

HECTICAM.

Febris Hectica. Quæ *Hectica eſt lenta admodum* & ægro vix ſenſilis. Nam *calor ejus eſt admodum lenis & occultus quaſi*, qui ipſe primo attactu vix eſt perceptibilis, utut ſi diutius contineatur manus ægri nonnihil ſeſe manifeſtet. *Poſt aſſumpta* tamen *alimenta duabus vel tribus horis ſe prodit calor nonnihil acrior & vehementior*: deinde *corpus inſenſibiliter* & *ſucceſſivè emaciatur* & tunc *Hectica* dicitur *Maraſmodes*: Nam hectica incipiens non habet conjunctam aſſumptionem, ubi verò contumacior eſt ut corpus emacietur vocatur, Hectica Maraſmodes.

Denique *Pulſus* equidem *eſt frequentior ſolito, parvus tamen & debilis cum ſucceſſiva & clandeſtina virium proſtratione.* Et hæc ſunt *tria ſigna Patognomonica* quaſi & primaria ſymptomata, quibus præſentibus hectica conjicitur & ponitur: *Calor occultus*, 2. *Abſumptio corporis*, & 3. *Pulſus parvus, debilis ac durus*. Hæc tria ubi obſervantur, audacter pronunciandum eſt aut adeſſe aut imminere hecticam.

Symptomata quod maximè infeſtat ægros *eſt Maraſmus* ſ. conſumptio & *Marcor ſucci nutritii partium ſolidarum*: ratione cujus Marcoris *hectica perfecta in tres gradus* vulgò *ſubdividi ſolet.*

1. *Gradus* eſt cùm ipſa rorida ac mucilaginoſa partium ſubſtantia, quæ in nutrimentum partium proximum abit, aſſumitur & quaſi diſpergitur.

2. *Gradus* eſt cùm hæc ipſa ſubſtantia rorida mutata in pinguedinem, vel etiam ſuccus nutritius aſſimilatus ſucceſſivè liquefactus conſumitur.

3. *Gradus* eſt cùm aſſumpto omninò iſto rore ſeu mucilagine roſcida, ipſa ſtamina partiũ fibroſa, ſeu ipſæ fibræ areſcunt tandem ac exſiccantur, atque ſiccitatem & ariditatem ſenſibus manifeſtam contrahunt.

Modus generationis hujus febris *eſt duplex. Nunc* enim *per ſe* incipit; *nunc inſtar ſymptomatis ſupervenientis alios inſequitur morbos.*

Iſta febris quæ *per ſe* incipit eſt, quando *oritur vitio rerum non naturalium*: v. gr. Hectica quæ fit nonnunquam *à nimio corporis exercitio*, *labore continuato*: quandoque oritur ab *ira vehementiſſima*: quandoque & quidem primariò ferè ex *triſtitia & mœrore animi immoderatis*: quandoque fit à *vigiliis* & *curis* multùm *protractis*: ſubinde ab *Inedia diuturniore*: interdum ab *evacuationibus corporis inſignioribus*, non rarò ab *illegitimo ac perverſo termarum ac balneorum uſu*: ſæpiſſimè ab *alimentis parvi & pravi ſucci* non ritè in ſtomacho digeſtis & corruptis: Hæc eſt cauſa primaria ac vix ſine alimentorum corruptione oritur hectica.

Hectica verò *qua aliis ſupervenit morbis* inſtar ſymptomatis; *eſt quando obſervatur* iſtiuſmodi hectica *ſupervenire febribus continuis* aut *intermittentibus contumacioribus* ac vehementioribus, in ſpecie *perverſo modo curatis.* Sic namque inter alia HORSTIUS *lib. 1. obſervat.* 34. obſervat hecticam lethalem obortam ex febre intermittente per ſpecifica ineptè & empiricè curata.

Supervenit etiam *hectica ſæpiſſimè viſcerum plerorumque ſpecialiſſimè pulmonum inflammationi*: uti etiam *his inflammationibus ſupervenientibus apoſtematibus & ulceribus.* Cum quibus apoſtematibus & ulceribus ſæpiſſimè conjungi ſolet hectica. Sic LINDANUS *ſuper* HARTMANNUM: vidit *hecticam contumaciſſimam ex abſceſſu meſenterii* pronatam: item hecticam *ex ulcere renum*: item hecticam *ex ulcere cancroſo*: item vidit hecticam in fœmina *ex multitudine fonticulorum* qui omnem humiditatem & rorem nutritium conſumpſerunt, quæ curata fuit clauſis & ſanatis iſtis fonticulis.

Quod obſervetur contra fonticulos.

Vulgò dicitur hecticam conſiſtere in habitu corporis, ita ut ſit quidam calor uti vocant in partibus ſolidis ac continentibus reſidens: quod tamen non eſt: quin potius inſtar aliarum febrium *radicatur in maſſ. ſang. una cum lympha vitiatis*: prout enim ſe habent hi duo liquores in ſpecie ſanguis; ita ſe habet univerſum corpus.

Unde etiam *particularia ulcera inſigniora tibiarum renum*, &c. quatenus inquinant maſſ. ſang. circa loca ulceroſa circulatam, eatenus *dant hecticam.*

Vnde etiam *calor hecticorum lentus* imprimis *circa loca arteriarum manifeſtior* ac magis perceptibilis ſentitur.

Inter has cauſas quas modo numeravi *remotas*, iſta *hectica quæ per ſe incipit eſt ex vitio ventriculi.*

CAUSA PROXIMA

Hujus febris in maſſ. ſang. *eſt diſcraſia ſanguinis nimis ſalſa & acris conjuncta cum hinc ortâ lymphæ glandularum conglomeratarum viſciditate.* Unde *ſaliva* non tantùm *pauca* ſed *viſcida* ſimul nonnihil *eſt glutinoſa* percipitur, (qualis ſaliva talis utplurimum eſt ſuccus pancreaticus) ab iſta ergo acrimonia ſalina maſſ. ſang. non blanda & æquabilis fit ſanguinis fermentatio in corde, ſed potius depravata inſigniter & quodam

quodammodo imminuta, cum partes ſalinæ urinoſæ & acidæ (inſtrumenta naturæ generalia) non debitè concurrunt, ſed potius paucæ & inertes partim in tertium ſalſum coaluerint, partim adhuc liberè ab iſta ſalſedine impediantur quominus debitè fermententur, quin potius *vitioſa fermentatione calorem auctum* quidem non tamen intenſum ſed tantùm *acrem ac aſperum* inducant.

Hæc ipſa omnia augentur adhuc inſigniter *à viſciditate lymphæ*, ſæpius à nimia laticis aquoſi abſumptione orta (de quo poſtmodum:) Unde magis *imminuta ſanguinis fermentatio pulſum parvum ac debilem generat. Sanguis* hinc *ſalſus* ac ſimul *viſcidus* ineptus eſt ut nutriat partes, quin potius aſperitate ſua rorem nutritium vitiat, eumque acri ac lento calore ſucceſſivè colliquat: unde corpus neceſſariò tandem abſumitur.

Poſt paſtum ergò dum fluidior facileque digeſtibilis alimentorum pars per inteſtina & ductum thoracicum ablegatur ad maſſ. ſang. ſanguinique infunditur. Hic ipſe ſanguis dilutus nonnihil ac fluxilior ob reſoluta ſalia (Canon enim eſt Chymicus ſalia non agunt niſi reſoluta) in attenuata maſſ. ſang. fermentationem nonnihil acriorem inducit: Unde aliquot horis poſt paſtum *calor auctus cum pulſu frequentiore ac nonnihil majore* percipitur effloreſcente ſimul *colore faciei* nonnihil *rubicundo*. Sed cum hæc ipſa fluxilior alimentorum pars minus commodè aſſimiletur ſubinde *tempore nocturno* ſub ſpecie *ſudoris* denuò per poros cutis emanat. Unde *ſudores nocturni in hectica confirmatâ ſunt ſatis frequentes*.

Propter iſtam *lymphæ ſalivaris viſciditatem* forſan etiam *ſalſedinem* ſimul, *imminuitur* ac omninò *proſternitur appetitus*, ſuperveniente nonnunquam *alimentorum* ipſorum *faſtidio* (nam in *vitiis ſtomachi* ſemper ratio habenda *ſalivæ*, utpote quæ multum valet.) *impeditur* quoque & labefactatur eorum *fermentatio* ac tandem ipſa *ſanguificatio*: unde neceſſario maſſ. ſang. ſalia fermentativa magis magiſque obtunduntur, hecticaque ſic lentè ac ſucceſſivè fit gravior ac tandem incurabilis.

Hæc quæ dicta ſunt de *cauſa proxima*; confirmant omnia ea quæ *febrim hecticam* inducunt tanquam *cauſæ remotæ*.

Omnes enim *cauſæ remotæ* huc collimant, *ut aut viſciditatem ſanguini*, & in ſpecie *lymphæ* inducant, *aut in ſanguine acrimoniam ſalinam* generent.

Sic quando à *nimio corporis motu ac defatigatione* oritur hectica tunc non tantummodo abſumuntur ſpiritus animales, ſed quoque pars ſanguinis aquoſa vehiculum reliquarum partium ſubinde diſpergitur, ac ros nutritius ſimul attenuatus exhalat. Unde neceſſario lympha & maſſ. ſang. viſcidiores & unitis ſalibus acriores ſeu ſalſiores fiunt.

Quoties *ira* infert hecticam toties ſale volat. maſſæ ſang. oleoſæ ſ. bile, ut vocant acrimoniam excedente nacto fortius afficit acidum & uniendo cum eodem acrimoniam ſalinam inſignem generat.

Quoties *triſtitia* aut *mæror* hecticam inferunt, toties acidum immoderatum cum urinoſo conjunctum in ſalſum iners degenerat.

Quoties à *vigiliis & curis protractis* oritur, toties ſpiritibus animalibus inſigniter abſumptis, ac tenuibus maſſ. ſang. partibus exhauſtis reliqua maſſa ſpiſſior ac neceſſariò evadit acrior.

Denique *inediam diuturniorem* inſequitur hectica, quoties defectu alimentorum temperatorum acidum & urinoſum intimiore unione concurrendo tertium ſalſum acre generant. Id quod fit eò magis quoties *alimenta pravi ſucci aut minus* nutritiva hecticam inferunt.

Unde ſubinde fit ut *Picæ* ſuperveniat hectica, vitio alimentorum aſſumptorum in Pica utplurimum pravorum.

Hoc enim certum eſt quod aſſerit LINDANUS *hecticam* propriè ſic dictam & quæ non aliis ſupervenit morbis, utplurimum *vitio alimentorum in ſtomacho* induci. Aſſerit enim ſe vidiſſe plures hecticos ex ſtomachi vitio, tùm ex vitio aliarum partium; & omnes iſtas hecticas quæ oriuntur cum dolore ventriculi aut quibus talis dolor ſuperveniat oriri ex *ſtomachi cruditate vitioſa*, quæ ſit talis ut neque ſit acida neque nidoroſa, ſed potius ſit talis alimentorum corruptela, *quâ alimenta in chylum craſſiorem ac viſcidiorem ſalſum acrem* degenerant. Unde tales hectici conqueruntur ſubinde de ſapore cinereo ſeu ſapore ſingulari & non inexplicabili in ore imprimis tempore matutino. Unde utplurimum *in cura hecticæ* ſit *reſpiciendum ad ſtomachum & corrigenda ejus cruditas*.

Immò reliquæ etiam cauſæ non naturales ſolæ vix ſufficiunt inferre hecticam niſi ſimul ſtomachus ità afficiatur ut hujus vitio alimentorum ſuccedat corruptela.

Porrò *continuis febribus ſuperveniens hectica fit*, quando per curſum morbi aut copioſo ſudore exhauſtus eſt latex aquoſus & abſumpta tenuior lymphæ pars: aut quando in deflagratione ut ſic dicam febrili maſſ. ſang. perverſa fuit in diſcraſiam acrem & nimis ſalſam.

Quo etiam pertinet *perverſus curandi modus* per medicamenta *nimis acria*. Id quod eò magis ſit in *febribus intermittentibus*, (quas ordinariè in fine paroxyſmi ſequitur largus ſudor: ſi tales febres cum talibus ſudoribus ſint contumaciores ac Chronici & propinentur ſubinde ante paroxyſmum medicamenta ſalino acriora,) tunc facilè fieri poteſt ut intermittentes degenerent in difficillimas & periculoſas hecticas auctâ maſſæ ſanguineæ acrimoniâ & abſumpto latice aquoſo eam diluente: unde fit viſcidior.

Quoties denique *viſcerum primariorum* præprimis *pulmonum inflammationem in apoſtema & ulcus* degeneratam ſequitur, tunc à pura maſſ. ſang. inficiente hoc ipſo & acri & ſalſo (cum omne pus ſit ſalſum per effervéſcentiam ex acido & urinoſo) maſſ. ſang. fit acris & ſalſa & præterea à pure craſſo, glutinoſa & viſcida, quæ vitia reliquis humoribus communicatâ malum eò magis exaſperant.

QVOD ERGO ATTINET SIGNA Diagnoſtica.

Tria pathognomonica omni, ſoli & ſemper hecticæ convenientia ſuperius fuerunt enarrata.

Nempe *calor lentus poſt paſtum exacerbatus: pulſus frequentior celerior minor & debilior*: ac denique *conſumptio corporis* cui tandem *ſudor nocturnus cum capillorum defluvio* ſupervenit.

His ipſis cùm accedant circumſtantiæ diſponentes ad eam, eò magis confirmatur conjectura Medici artificialis.

Vrina hecticorum in principio ſanorum eſt ſimilis, (quod etiam obſervatur in febribus lymphaticis à ſalivâ & ſucco Pancreatico nimis viſcidis: & hinc urinæ ſanis ſimillimæ obſervantur.)

Sin verò, quod ſæpius fit, *concurrat vitium ſtomachi urina alba, pallida ac tenuis* ſubinde excernitur.

Hecticâ ad Maraſmum progrediente urina eſt oleaginoſa, ideſt pinguedo araneaꝛũ telis ſimilis ipſi ſupernatat. Qualis urinæ facies in duabus aliis caſibus obſervare licet; ne ergo fiat confuſio hìc illos enarrabo.

In *febre ardente*, item in *febre intermittente* nimio calore conjunctis interdum etiam talis *urina oleaginoſa* conſpicitur, quoniam aucto calore liquefacta corporis pinguedine, parum ejus cum urina excernitur: unde tales ægri ſubitò emaciantur.

Deinde in *ſcorbuticis & malo hypochondriaco* afflictis ſimilis pinguedo obſervare licet, ſed non eſt pinguedo ſed potius ſunt ſalia vitioſè concreta urinæ ſupernatantia.

Ut diſtinguantur hæc, obſervetur, quòd ubi eſt vera pinguedo, quæ urinæ ſupernatat ſemper ſit uniformis, & ad latus adſpecta, nullum colorem, nullum ſplẽdorem acquirit. In ſcorbuticis vero & hypochondriacis hujuſmodi pinguedinis cruſta innatans ad latus adſpecta inſtar caudæ pavonis eſt vel inſtar Iridis elegãtiſſimè coloratæ apparet. Prius ubi nulla eſt alteratio, eſt vera pinguedo: poſterius ſunt ſalia vitioſè concreta.

Excrementa alvi in hecticis ſunt diverſa: *Fæces quandoque ſunt duræ*, imò *ſæpius* dum *in principio & incremento* hecticæ, *difficulter* egeruntur, poſtmodum fiunt admodum *liquidæ & copioſæ*, inde nempe ſtomachus omnino labefactatus nec ritè continet nec debitè concoquit aſſumpta. *In ultimo hecticæ gradu fluor alvi eſt* continuus & *ſudores ſingulis noctibus* excernuntur, & talis *fluor alvi ægros interimit*.

QVOD ATTINET SIGNA PROGNOSTICA.

In principio omnis hectica facilè curatur quo verò *magis eſt chronica eò difficilius*, curari poteſt, id eſt, quò propinquior primo eſt gradui, eò facilius, quo propinquior tertio eo difficilius curatur.

Hectica febri putridæ uti vocant *intermittenti vel continuæ* conjuncta, *curatu eſt difficillima & plerumque lethalis*.

Hectica *in junioribus facilius*, *in adultis tardiùs & difficius, in ſenibus* quocunque ſe habent modo, *ferè nunquam curatur*.

Si adſit *facies hippocratica* quam vocant *res eſt deſperata*: adhuc ſi accedat *Lienteria* aut *alvi profluvium* aut *pili decidant*, & *tibiæ inflentur mors eſt præ foribus*.

Quoad *tempus eventus*: notum eſt quod ſit *morbus admodum chronicus ac contumax*, *tardus*, *lentus ac difficilis*.

IN CVRA.

1. *Eò eſt reſpiciendum ut morbus primarius*, à quo ſubinde dependet hectica, *removeatur*.
2. *Vt acrimonia ſanguinis ſalina temperetur ac corrigatur*: &
3. *Vt humorum in ſpecie lymphæ viſciditas emendetur*.

Hæc ut commodius fiant.

Obſervetur 1. *In hectica ſimplici ſeu ſine putrida* quam vocant febri complicara, *nec evacuationes nec Venæ Sectiones*, *nec purgationes* eſſe inſtituendas. Sed potius mediis diæteticis ac pharmaceuticis corpus reficiendum.

Obſervetur 2. *Si prima regio* nempe ſtomachus & inteſtina excrementis *ſit referta propter cruditates* à debili ventriculo productas *tutò purgatio lenis abſterſoria* inſtitui poteſt. Immò *ſi vitio ſtomachi*, id quod ſæpius uti dixi fit, oritur *hectica*, tunc audiendum eſt conſilium LINDANI, qui dicit *vomitorium* tunc ante omnia eſſe præmittendum. Dicit enim in curatione, hecticæ ſtatim ad partis affectæ cognitionem incumbere oportet, qua cognita ego facilius hecticam, quàm quartanam curabo; oriuntur enim plerumque ex corrupto ventriculo: Sic inquit curavi uno vomitorio & cnm *Elxir proprietatis hecticam*, *intra 4. dies*. Quod *Elixir proprietatis in hectica ex ſtomacho* ſingulariter commendat, idem LINDANUS. Convenit ergò vomitum inſtituere ſi oriatur hectica ex vitio ſtomachi.

Obſervetur III. *Inter ſymptomata*, quæ huic ſuperveniunt morbo *periculoſiſſimum* & præcipuum eſt *alvi fluxus*, qui ægros ad interitum ſolet perducere, qui tamen refrænandus eſt *ſyrupo cydoniorum*, *conſerva roſarum*, *lacte chalybeato & ſimilibus*.

Obſervetur IV. *Dulcia vitanda* & maximè *mel*. *Mel* enim & *ſacharum* ſuſpecta ex eo quod ſtomacho ſint inimiciſſima, & ita hecticam deteriorem reddunt.

Primarium ergò morbum curandum eſſe dixi in quo *reſpiciendum ante omnia ad ſtomachum*.

Si ſuperveniat febri intermittenti ſ. continuæ *hectica* ibi utiliſſimum eſt *ſal ammoniacum*, *cum antihectico Poterii* miſtum, in formula quam ſuperius dedi ſub febri lymphatica ex vitio lymphæ glandularum conglomeratarum ſucci nempe pancreatici & ſalivæ propinatum eſt egregium remedium, *curans hecticam præſentem & præſervans* ab ulteriori progreſſu. De cætero ubi obſervatus fuit primarius morbus accedatur ad curam hecticæ per remedia *Pharmaceutica* & *Diætetica. Fons Chirurgicus nihil valet*, neque ven. ſect. neque fonticuli, neque ſcarificationes, nec aliud quid conducit.

QVOD ATTINET PHARMACIAM.

Conveniunt *remedia temperata*, quæ temperant ſalſum, & attenuant viſcidum, quæ intereſt *Ros majalis*: ſunt qui ex eodem *ſal eſſentiale* parare volunt, & in hectica valde prodeſſe dicunt. Item cum *ſpiritu roris majalis paratæ tincturæ violarum Borraginis*, *bugloſſæ*, & ſimiles commendari ſolent ab Autoribus.

Vicarius roris Majalis eſt *Ros volat vitrioli*, qui in deſtillatione ſpiritus vitrioli prius erumpit, uti & *omne volatile phlegma* quod ante ſtagma acidum progreditur. Nam certum eſt quòd tinctum ſit utut inſenſibiliter cum ſulphure metallico. Hoc phlegma vitrioli roridum ad modum *Marc.* MARCI *à Kronland*, ſubinde rectificatum ac abſtractum à vitrioli intercedentibus reiteratis digeſtionibus fit remedium ad hecticam partium internarum ab exulcerationibus expertiſſimum. Vid. *Marc.* MARCI *in Philoſ. veterum reſtit. Tr. Lapis* BUTTLERI *& Rieff.* HELMONTII.

Sunt qui etiam *aquam* iſtam quæ *rorellæ* ſeu *rori ſolis* innatat & quam vocant Spiritum mundi concentratum, commendant. Res eſt mira; ſub ardentiſſimo ſolis æſtu guttula continua inhæret huic rorellæ: Unde etiam hæc & ejus aquæ in phthiſi commendantur: puto non eſſe nocivam ſi non ſit proficua.

Vulgò commendatur *aqua ex carne porcellorum*, *oſtreis, cancris fluviatilibus*, & ſimilibus: laudet eaſdem qui vult, ego ſanè minimi facio.

Ex vegetabilibus ſubinde conveniunt *Chicorium*, *Endivia*, *Lactuca*, *Portulaca*, *Nymphæa*, *Borrago* & *Bugloſſa*: item *Nuclei pinearum*, *Piſtaceorum*, *Amygdalarum dulcium*; *Semina 4. frigida majora*, *Papaver album & ſimilia*.

Paſſulæ ſunt egregiæ, & putarem ego perfectam in paſſulis eſſe curam hecticæ & proſtat in *cent. 4. River. obſ. 43.* Exemplũ de *phthiſi hectica paſſulis curata*. Nam JOEL commendat paſſulas ad corpus pinguefaciendum & incraſſandum: Et alias in diſcraſia ſanguinis temperanda ac corrigenda paſſulæ blandæ ac temperatæ inſigniter conveniunt. Fit ex paſſulis vinum admodum elegans inſtar vini Malvatici ſ. Petri Simonis, quod ſi præparatum fuerit, quod obiter moneo, cum ſucco Pomorũ Borſdorffianorum in malo hypochondriaco eſt egregium, forſan etiam in hecticâ.

Perlas & Magiſteria perlarum & aquas perlatas, etiam *liquores perlarum* commendant aniculæ.

Hoc verum eſt, quod etiam notanter dicit HELMONT. *Perlæ & oculi cancr.* (nam de his idem ſentio) ſi *reſolvantur in primum ſuum concrementum lacteum*, tunc *fit cura phthiſeos & hecticæ* abſoluta.

Verùm *concretæ perlæ & ocul. cancr. ſolutæ cum corroſivis menſtruis in Magiſteria vel corpora ſalina* ſeu ſaliformia & hinc *in liquores parum aut nihil conducunt*: *utut liquor perlatus per deliquium*, item *ocul. cancr. per deliquium*: item *coralliorum per deliquium* conveniũt ad temperandum æſtum non tamen ſunt perfecta cura. Qui habere poſſunt liquorem primigenium horum, eos concedo habere perfectam hecticæ & phthiſeos curam.

Antihecticum POTERII ita nominatum ab uſu

contra

contra hecticam. Præparandi modus eſt facilis, ſed Enchiriſis quo ſulphur. jovial. aufertur non omnibus nota: Communiter proſtat colore cœruleo, qui tamen olet imposturam: Nam color cœruleus eſt adhuc de ſulphure ſtanni inflammabili ratione cujus interdum movet vomitus. In præparatione ejus detis operam ut ſeparetis hoc ſulphur & Antihecticum *Poterii* habebitis præſtantiſſimum *à gr. vj. ad viij. vel* ℈ß. quod etiam intellige de ſudorifero magno Fabri: item *Bezoartico joviali*, quæ debent eſſe alba & tamen ſunt cœrulea.

In defectu horum vel *antimonium diaphoreticum* ritè *fixatum*: item *Ebur ſ. Igne* cum appropriatis miſtum convenit.

His fixis ſubinde *ſal. ammoniac.* additum fit egregium in hectica pharmacum, v.gr.

℞. Antihect. *Poter.* ℈ß.
Sal. ammoniac. gr. vj. vel vij. miſc.

Poſt hæc etiam eſt *Saturnus* ex quo paratum *Sacharum*, eſt egregium *in hectica* remedium, in ſpecie *ſi ex ulcere interno* oriatur, de quo ſuo loco.

De *alumine* & ejus *dulcedine ſacharata* locutus fui ſupra, quæ ab omnibus practicis commendatur ad *hecticam*: allegavi Poterium & Dariotti, videre etiam poteſtis *Petr. Joan.* Fabrum *libr. 4. panchymiæ cap. 39.*

Sunt qui miſcent *ſpirit. aluminis, & ſpirit. vin.* ſimul & habent ſpirit. vini aluminatũ, quo Chymicum quendam familiariſſimè uſum fuiſſe contra hecticã refertur.

Faber commendat *arcanum ſanguinis humani vel cervini ad gr. x.* Hoc revocat in mentem quod habet Boyle *in Philoſoph. experimental. p. 331.* qui *ſpirit. ſanguinis humani* (ex ſal. vol. diſſoluto) *& ol. ſanguinis humani* diverſis in locis inſigniter *ad hecticam* commendat.

Hæc è fonte Pharmaceutico.

Nam uti dixi maximã partem replet *fons Diæteticus*, quoniam hecticæ non poſſumus melius reſiſtere quàm per *alimenta convenientia*.

Hæc inter conveniunt *lacticinia*: *lac* convenientiſſimum eſt *muliebre*, ſi inprmis *ex uberibus ſugatur* ne ab aëre alteretur exemplum habet Forestus *l. 4. obſ. 10.* de juvene Phthiſi deſperata laborante, qui ſibi conduxit nutricem & lac ex illius uberibus ſuxit: ex quo non tantum reſtitutus fuit, ſed etiam gravidam fecit eandem (nam lac muliebre ſtimulat ad venerem) ne novum illi lac deficeret.

Notum etiam eſt *lac aſininum* ſ. uti uſu obtinuit *lac bubulum*: Hoc uſitatiſſimè præſcribitur in Cura hecticæ modò non nimis tardè. Viribus integris eſt præſcribendum, his enim deficientibus parum prodeſt.

Lac Caprillum etiam eſt egregium.

In *uſu lacticiniorum* obſervetur. 1. *Vt nihil ferè aut bibatur aut comedatur.* 2. *Vt lacti ſemper aliquid addatur quod ejus coagulationem impedit*, v.gr. *ſacharum.* 3. *Omne lac eſt aſſumendum calidum*, *ſive ex Mammis*, *ſive calefactum in vaſe debito.*

Alimenta ſint temperata & optimi ſucci imprimis *carnes pullorum & anatum*, imprimis *ranis & cochleis nutritorum.* Sunt enim qui inſigniter commendant *ranas earúmque coxas*; quæ ranarum coxæ frequentius eſitantur in Italia.

Etiam *Teſtudines* laudantur ad curam hecticæ, imprimis quidem quando prius nutritæ fuerint ſacharo & farina, & poſtmodum coquantur in brodio gallinatum non admodum ſalito: Scilicet volunt ut Teſtudines ſeu limaces Montani per aliquot dies in jejunio ſerventur, poſtea ſacharo & farina fiat nutritio duobus vel tribus diebus: poſtmodum aqua & pauco ſale coquantur, poſtremo verò jure optimo Galli aut anatis præparentur. Hac enim ratione præparatæ optimè in hectica conducere dicuntur.

Ipſos *Cancros* commendo imprimis quorum caro eſt inſignis: contunduntur, & ſub forma lactis aſſumantur: Vel *cancr. ſuccus expreſſus cum butyro* nõ ſalito miſtus, fit butyrum antihecticum, egregium reſtaurativum conſumptorũm.

Sunt qui commendant etiam *Oſtreas in hectica*: Sic Lindanus habet exemplum *Hecticæ, Oſtrearum uſu curatæ.* Dicit namque, fuit Amſtelodami virgo 20. annorum, quæ ex ulcere pulmonum in hecticam inciderat, & jam deſperata per aliquot annos decubuerat: Huic ægra obviebat voluptas comedendi *Oſtreas*, unde cùm ipſi gratificarer 25. præparatæ fuerunt oſtreæ, quas avidiſſimè comedebat: poſtero die cùm ſentiret quod ſe haberet melius, plures fuerunt oblatæ, & ita in totum ab hectica liberata fuit.

Langius *in ſuis Miſcellaneis* commendat *anguillam*, ut comedatur ab hecticis: nec hoc videtur obſonum, vid. *ejus miſcellan. p. 41.* ubi videbitis ejuſdem opinionem.

Tandem *Hordeum & ex eo parata* inſigniter laudantur à Borello *cent 4. obſ. 89.* qui multos hecticos tantùm non deſperatos uſu hordeatorum frequenti reſtitutos eſſe affirmat. Loco hujus apud nos in uſu ſunt *juſcula avenacea temperata* & in ſtatu hectico non erunt inconvenientia.

Hæc ſufficiant de febribus benignis.

Ubi de febribus in genere actum fuit, facta fuit mẽtio *diſtinctionis febrium in benignas & malignas.*

Quod attinet.

Febres Malignas.

Seu *contagium malignum*, & hujus ſupremum gradum, ſcil. *peſtilentiale.* *Febris maligna.*

Nihil aliud *hæc* ſunt quàm nomina quæ ſignificant certum cauſæ morbificæ & inde ortorum affectuum conditionem, ſecundum quam conditionem à naturali conſuetudine degenerant & pejores fiunt, quæ pejor conditio per vocabulum maligni ſolet exprimi.

Hac ratione non tantùm *Febres* tàm *intermittentes* quàm *continuæ ſunt malignæ & benignæ*: ſed etiam communis affectio *omnium morborum* eſt, ut interdum ſint *benigni*, interdum *maligni*: Sic dantur *Anginæ malignæ, choleræ malignæ*: & ſic in aliis etiam morbis quidam ſunt maligni, quidam benigni.

Jam verò uti alius affectus quivis, ita etiam *febris maligna* nomen ſortitur, *quoties ſubitò ac inexpectato vires ægri proſternuntur*, *aut ſymptomata* occurrunt, quàm in affectu ſimili obſervare ſolent, *longè graviora ac inſolentiora*: Sic v.gr. ſi in tertiana intermittente ſubinde immineat animi deliquium Symptoma inſolens in tertianis & gravius longè, quàm conditio morbi requirit, tunc latet anguis ſub herba & ſubeſt malignitas. Item in tertiana ardente ſi nulla adſit ſitis, ut ut naturaliter adeſſe debeat, ſuſpecta eſt res, & malignitas ſubeſſe dicitur.

Item ſi homo adhuc in neutralitatis ſtatu conſtitutus, ſeu apparenter ſanus conqueritur de maxima & ſubitanea virium proſtratione, citra cauſam manifeſtam, hoc ſubinde ſolet innuere aut prædicere morbum malignum.

Vires hæ proſterni ſolitæ ſunt imprimis *vitales* dictæ, *ſucceſſivè* etiam *animales. Cognoſcuntur* enim *ex pulſu* vel *mox in principio nimis debili*, vel *ſubitò nimis debilitato*, de quibus ſignis poſtmodum.

Febres hujuſmodi *malignæ* interdum *Epidemicæ* ſunt: interdum ſunt *privatæ.*

Quando *Epidemicæ* ſunt, eodem tempore in plures graſſantur, cauſamque communem habent *aërem* vel *alimenta vitiata.*

Privatæ verò ſunt quando hunc vel iſtum hominem *ob cauſam ſingularem* interdum affligunt.

Porrò *Febres malignæ* vel ſunt *contagioſæ*: ita ut etiam aliàs ſanos afficiant & inficiant. Vel ſunt *minimè contagioſæ*, quæ adſtantibus aliis nullam noxam inferunt. *Contagium in ſe eſt* nihil aliud niſi, *μίασμα fermentativum*

tivum ſalinum, quod ex ægrotante exſpirans in aliud corpus receptum, hujus corpus & in ſpecie maſſ. ſang. fermentando alterare, ſeque ulterius multiplicare poteſt. Ut enim tantillus fermenti odor ſæpè integram cellam cereviſiæ & vini poteſt turbare: ita ſimili ratione vel tantillum contagioſi miaſmatis fermentativâ poteſtate ſæpius poteſt afficere multos homines.

Modus quo ſe propagat contagium, eſt admodum *varius. Nunc per alimenta: nunc per contactum corporis ſani cum ægro: nunc alio modo.* (Nam in genere *contagium eſt* vel *corporale* vel *virtuale.*)

Sæpius tamen fit ut per *aërem* hauriatur contagium: quo modo (per aërem nempe) ſæpiſſimè & febres malignæ Epedimicæ ac peſtilentiales nos afficiunt.

Per aërem ita attractum ſeminium malignum morboſum ſæpius *primariò* afficere videtur *ſtomachum*: hinc & *maſſam ſanguineam per pulmones circulatam.*

Quòd afficiatur *ſtomachus* patet ex eo quòd tales, ubi aliàs nullam ſentiunt infectionem, conquerantur tamen de quadam *moleſtia in orificio ventriculi ſuperiori*, quæ nauſea ſi ſuperveniat, bonum eſt ſignum: innuit enim ſtomachum inſurgentem contra malignitatem, nec ſtatim fuiſſe nimis alteratum: modò ſi maſſ. ſang. à miaſmate nullo alterata ſit.

Et certè rectè dicit LINDANUS *in conſtitutione Epidemica* hoc obſervandum eſſe, *neminem nauſeare* (niſi forſan hoc ſit ex ingluvie) niſi qui miaſma contagioſum acceperit, à quo ventriculus irritatus nauſeet; *Unde* etiam *ſubito* præſente tali nauſea *provocandus eſt vomitus* ut ſuccurratur naturæ nauſeanti.

Afficit autem contagium ſtomachum, quatenus *aër* hauſtus *ſalivam inquinat*, quæ ita inquinata ſubinde per gulam deſcendens *ſtomachum* afficit: Non enim poſſum conſentire HELMONTIO, qui dicit, tranſire aërem ex pulmonibus per diaphragma & hinc ad ſtomachum, ſunt enim viæ nimis dubiæ.

Id quod videtur confirmari poſſe per opinionem BARTHOLINI, qui aſſerit, quòd in *febribus malignis* affectus *locus primarius ſemper ſit ſtomachus* ex eo quòd in febribus malignis ardentibus de mortuis ſemper in *ventriculo* vel *eſchara* vel *inflammatio*, vel *ſphacelus*, vel ſimiles affectus in ſtomacho obſervati fuerunt, utut etiam alia viſcera interna reperiantur ſimiliter interdum ſphacelata. Vid BARTHOLIN. *cent.* 3. *hiſt.* 68. *item* 80. uti etiam *in* 3. *epiſt.* 42.

CAUSÆ

Malignitatis *remotæ* ſunt admodum *variæ*, *prout nunc epidemicè, nunc non epidemicè* graſſatur, &c.

Sæpius vitium aëris adeſt, v. gr. *aër nimis quietus*, aut *in loco minus apto concluſus*, ſubinde inſigne vitium contrahit, ut talem aërem inſpirantes poſtmodum quaſi veneno afflentur. Singulare exemplum *aëris maligni* habet RULANDUS *Tr. d. febr. ungarica cap.* 8. *p.* 231. de febri maligna ex attractione auræ, ex ventilatione frumenti per aliquot annos quieti oborta.

Aliàs *eſus ciborum corruptorum* nonnihil *putridorum* ſubinde etiam ſolet eſſe cauſa ut oriantur febres malignæ: Sic BORELLUS *cent.* 2. *obſ.* 32. febrem malignam epedimicam ex *eſu carnium beſtiarum ægrotantium* obortam notat: Sic *Epiphanius* FERDINANDUS *hiſt. medic.* 11. notat febrem malignam *lethalem ex eſu fungorum.* Item febrem malignam *petechialem: ex eſu cicutæ cum oleribus recentibus* obortam, notat *Simon* PAULI in elegantiſſima ſua παρεκβάσει ſeu *digreſſione de febribus malignis p.* 3. Et quæ ſunt ſimiles aliæ cauſæ remotæ quæ malignæ cenſentur, de quibus vid. KIRCHERUM *in Scrutinio peſtis.*

Quando aliquis incipit laborare febri maligna horror levis ac tardus præcedit, quem *calor* mox ſubſequitur, qui in maligna qua tali ſæpius eſt *parvus* vel *nullus*; adeò ut de eo interdum vix conqueri ſoleant ægri; ſubitò verò *virium* ingruit *proſtratio* inopinata: interdum oriuntur *deliria*, *jectigationes ac inquietudines corporis*, adſunt *maculæ* ſubinde ac *veſiculæ* coloris & magnitudinis variæ in corpore effloreſcunt: Imò nulla ſunt ſymptomata quæ non ſubinde in hac vel in illa febre maligna obſerventur: adeò ut etiam *Hydrophobia* in febri maligna obſervata fuerit exemplum refert SALMUTH *cent.* 2. *hiſt.* 52. quin & SANGIAZ. *in obſ. medicis* ſimiliter refert exempl. *Hydrophobiæ* in febre maligna obſervatæ: Subinde malignitas eſt tanta ut *partes* nunc *internas* nunc *externas ſphacelo ac gangræna* correptas obſervare liceat: id quod interdum in *variolis malignis* contingere ſolet, (dico in malignis, non enim ſemper & omnes variolæ ſunt malignæ) uti exemplum tale habet HILDANUS *cent.* 3. *obſ.* 93. & 95. Item SALMUTH. *poſt variolas non rectè expulſas* obſervavit *gangrænam. pent.* 1. *obſ.* 70.

Ab adjunctis ſymptomatibus variis, varia nomina ſortiuntur febres malignæ.

Ubi namque *hinc inde* manifeſtant ſe *maculæ corporis cutim tingentes*, quæ alias dicuntur *Petechiæ*; tunc dicuntur *febres petechiales.*

Ubi hinc inde erumpunt *tubercula minora rubicunda*, dicuntur *Morbilli.*

Ubi hinc inde erumpunt *Puſtulæ ſ. Tubercula majora*, quæ tandem in pus abeunt ac cruſtam fœtidam relinquunt, vocantur *variolæ.*

Ubi corpus hinc inde minutis tuberculis inſtar milii granis reſperſum apparet, vocatur *febris maligna miliaris*, *ſ. purpura*: prout *grana* ſunt vel *rubra* vel *alba*, vocatur *alba*, quæ *alba puerperis* ſolet eſſe *moleſta & lethalis.*

Ubi obſervatur in *febri maligna intenſiſſimus capitis dolor cum affectibus ventriculi* in ſpecie *Cardialgiâ*, tunc vocatur ſæpius *Febris Caſtrenſis ſ. morbus Ungaricus.* Cum imprimis in caſtris inter milites ex ſqualore caſtrorum ſoleat obſervari.

Obſervetur tamen quòd ſæpius quidem *in morbis malignis* erumpant *maculæ*, quæ conſtituunt febrem Petechialem, non tamen *ſunt ſignum Pathognomonicum febris malignæ.*

Multi ſunt etiam morbi in quibus apparent maculæ utut non ſunt morbi maligni: Sic interdum *in tertianis in fine paroxyſmi* maculis ſubinde coloratur corpus ante ſudorem, quæ poſt ſudorem evaneſcunt, utut non adſit febris maligna.

Ita etiam in *ſcorbuto leviore* licet ſubinde rubicundis maculis tingitur cutis, utut ægri nihil de malignitate conquerantur. Item *febres ſcorbuticæ* hoc habent ſingulare, ut maculæ etiam pulicum puncturæ inſtar in partibus erumpant, quæ tamen non indicant malignitatem.

Cæterum; *Quæſtio eſt, quæ ſit cauſa proxima, Febrium malignarum*? ſeu in quo conſiſtat id quod vocamus venenoſum, malignum, ſ. virulentum? nam hæc tria ſunt ſynonyma.

De hac controverſia *quatuor* ſunt *opiniones.* 1. Opinio dicit conſiſtere *malignitatem in ſingulari putredine ac corruptione humorum*: quæ eadem tanquam putrilagine affecta totum corpus putridum quaſi reddat. Verùm eo ipſo quo non explicant in quo conſiſtat putredo, aut per eandem intelligant, eo ipſo hæc ſententia neminem ſapientiorem reddit.

Unde nonnulli *Modernorum* quorum anteſignanus eſt VVILLIS *Tr. de febribus volunt in febri maligna ſanguinem diſponi ad coagulationem*, ita ut hinc inde coagulatus & grumoſus hæreat, ſtagnet & ſic circulum naturalem turbet: Unde tam certa ſymptomata oriantur.

Hanc VVILLISII ſententiam apprehendit *Johan Daniel* MAJOR *in Tr. d. Chirurg. infuſor* & totam illam operationem ſuperſtruit coagulationi ſanguinis.

Verùm *quod non adſit talis ſanguinis coagulatio*, rectè imprimis experientiam ſuam in contrarium profert SYLVIUS, qui ſubinde obſervavit ſanguinē ven. ſect.

per

per nares evacuatum vix concreſcere aut coagulari, quin potius alio ſanguine fluidiorem, liquidiorem ac tenuiorem apparere *à qua ſanguinis fluiditate* potius quàm coagulatione *febres malignas* deducendas aſſerit: Hæmorrhagiæ narium aut ſtillicidium ſanguinis, per varia loca oriantur ex diſſolutione ſanguinis potius ſint quam coagulatione.

Ipſe ergò SYLVIUS aſſerit in *febri maligna malignitatem* conſiſtere in *quodam ſale vol.* admodum *acri*, quòd acidum infringat ac enervet, ita ut ſanguinis conſiſtentia naturalis exinde imminuatur, ipſaque exinde nimis diſſolvatur, adeò ut ex deperdita conſiſtentia ejus turgeſcentia & rarefactio in corde impediatur, quin & ſpirituum animalium generatio imminuatur, & quæ ſunt reliqua ſymptomata quæ infeſtant, maſſam ſanguineam ſal. vol. acri diſſolutam.

Præter SYLVIUM eſt etiam S. PAULI in *diſgreſſione de febb.* qui *ſal. acre in ſanguine radicatum & fundatum* ſtatuit *febrium malignarum proximam cauſam.*

Probabilior fit hæc opinio ex eo, quod obſervetur *acida temperata* non tantum præſervare à febribus malignis immò ipſâ Peſte: ſed etiam quod in ipſa cura morborum malignorum ſubinde *moderata acida* ſint adhibenda: quæ ceu contraria ſalibus volatilibus acribus eadem temperent & ita malignitatem tollant.

Præterea *ſulphura metallica fixa* in ſpecie ex *antimonio* ſubjecto maximè ſulphureo parata commendantur in cura morborum malignorum, quatenus hæc ſulphura figunt ac emendant ſal. volat. malignum acrius, iſtudque fixatum & quaſi cicuratum foras ſub forma ſudoris educunt.

Nam uti rectè dicit SYLVIUS in antimonio eſſe ſulphur quoddam ſingulare ac mirabile à quo mirè temperetur quodcunque acre, & imprimis figatur quodcunque ſalſius vel acrius: ratione cujus *Antimon. diaphoretia* & omnia *Bezoartica* ſint Alexipharmaca.

VI. *Opinio* eſt eorum *qui malignitatem conſiſtere volunt in verminatione* ſeu uti vocant *putredine animata.* Hujus ſententiæ patronus eſt imprimis KIRCHERUS *in Scrutinio Peſtis* aliàs elegantiſſimo. Succenturiant eidem LANGIUS quondam noſter, uti & HAUPTMANNUS *in Tr. de viva mortis imagine*, item *Tr. d. Therm. Vvolckenſteinenſibus.*

Volunt hi in omnibus febribus malignis talem putredinem, etiam exinde copioſiſſimos generatos vermiculos, qui corpus lancinantes inducant varia ſymptomata. Nec deeſt experientia: in *variolis* ſanè minutiſſimos *vermiculos* fuiſſe obſervatos refert BORELLUS *in ſuis obſervationibus per Microſcopium factis.* Sic *Petrus à* CASTRO *in peſte* ſæviſſima *Neapolitana Bubones vermiculis ſcatentes, & Emplaſtra bubonibus applicata* fuiſſe *referta vermiculis* obſervavit.

Quin immò & HAUPTMANNUS *in Sphacelo ex lue venerea* oborto obſervavit quam plurimos *vermes inſtar Cimicum* minutiſſimorum tamen, qui carnem non ſecus atque vermes caſeum morſicantes erodiſſent ac conſumpſiſſent. Item in *dyſenteria maligna* laborante, fuerunt copioſiſſimi *vermiculi albi & rubei roſtrulis hamatis præditi* cum excrementis alvi rejectis, idem HAUPTMANNUS refert.

Verùm *optimè* hanc controverſiam videtur decidere *Marcus* MARCI *in ſua Philoſoph. veterum reſtituta part.* 4. *ſect.* 6. ubi expreſsè ventilat hanc opinionem de *vermibus* in febribus & dirimit eandem, dum dicit Autores oriri putant ex vermibus. Cum igitur corruptio non adſit, unde putredo & vermes? qui non niſi præcedente putredine generari poſſunt? Idem eſt ac ſi dicat ſi oriuntur vermes à putredine quidni ipſa potius erit cauſa quàm per putredinem producti vermes:

Sed quæ eſt *optima opinio*? Ex his quatuor imprimis *ea eſt magis conſentanea Praxi* qua ſtatuunt *quod oriatur per ſal. volat. acre maſſæ ſanguineæ.*

Aliàs quod ingenue fateor non eſt una & eadem, quin potius diverſi morbi maligni, diverſam etiam præſupponunt malignitatem.

Nam certum eſt quod *alia ſit malignitas in lue venerea, quàm in dyſenteria maligna:* Item *alia* malignitas *in febribus Petechialibus, alia in febribus malignis ſeu Petechiis:* Item *alia in morbillis & variolis: alia in ſcorbuto* ad gradum malignitatis devecto: adeò ut de maligno ferri vix poſſit judicium, quin ſingulare ſubeſſe videatur.

In *variolis* ſingulare quid ſubeſt præ febribus malignis: Nam hæ ipſæ *interdum* ſunt *benignæ, interdum malignæ.* Obſervatæ ſcil. fuerunt variolæ abſque ulla malignitate conſpicuæ aut etiam quæ adfuerunt ſine inſigni efferveſcentiâ febrili: qualia exempla obſervat SCHENCKIUS *lib.* 6. *obſ. de febribus malignis & de variolis.* Interdum autem adeo ſunt mites variolæ, ut licet febre ardente conjungantur, pauci tamen moriantur, quin ferè quaſi ſpontè natura convaleſcant.

Opinio equidem fert *vulgaris: Omnes homines neceſſariò corripi variolis*, ſed ita *ut qui ſemel iiſdem eſſent affecti vix tamen eaſdem denuo patiantur.* Et ex hac præ concepta opinione Hypotheſis *Arabum* in ſpecie AVICENNÆ & RHASIS emanat, ſcil. *variolas ingenerari nobis in utero materno ex ſanguine menſtruo:*

Quæ Hypotheſis multos hactenus habuit Patronos: *Antecedens* tamen *eſt falſum, conſequens irrationale. Prius:* multi homines moriuntur qui nunquam variolis laborarunt. Econtra ſunt qui aliquoties afflicti fuerunt variolis. Exemplum habet BORELLUS *cent.* 3. *obſ.* 10. de muliere quæ ſepties variolas paſſa fuit, & tandem anno ſuæ ætatis ſeu vitæ 118. his ipſis variolis mortua tandem fuit.

Quod autem *poſterius* ſit contra rationem, patet ex eo quod non ſanguine materno ſed potius lacte vel chylo nutriatur fœtus in utero, deinde quòd non omnes mulieres ſint adeò morboſæ ut neceſſario exinde pro variolis fomitem exinde contrahant infantes: 3. ſi ſanguis maternus corruptus eſſet cauſa certa variolarum, fieret, quod aut lochiis ſuppreſſis aut etiam menſibus, & ſic neceſſariò corruptis, ſemper generentur in puerperis variolæ.

Labilis eſt hæc ergò opinio: utut non ſit negandum, natos eſſe fœtus variolis affectos in utero materno qualia obſervat exempl SCHENCKIUS *lib.* 6. *obſ.* & BARTHOLINUS *cent.* 2. *Epiſt. pag* 682. de muliere gravida variolis affecta quæ fœtum ſimiliter affectum variolis in lucem edidit.

Quin potius *in variolis in genere* videtur ſubeſſe & peccare *acidum vitioſum*, quod iſtam efferveſcentiam in maſſ. ſang. inducat, & à quo acido tandem in puſtulis concentrato, *parvi abſceſſus, cuticulæ eroſiones* ac tandem *cicatriculæ* oriuntur: quin & *ab* iſto *acido* ſæpius *Tuſſes graves* infeſtant ægros aut etiam ubi ſæpius vidi, ſupervenit, vel *mictus cruentus* vel *dejectio alvi cruenta* ex eroſione viſcerum ab acido facta: aut etiam quod ſæpius contigit *variolæ* determinantur in *Phthiſin*, ex eroſione Pulmonum *ab acido acri* in variolas peccante obortam.

Cum his *variolis* ſubinde conjunctam eſſe *malignitatem* patet ex eo quod interdum ſint admodum *lethales*, eſt dum graſſantur communiter catervatim interimunt infantes. Item quod obſervatum fuit ſæpius *peſtem præceſſiſſe variolas*, aut *variolas ſecutam peſtem*, quæ tunc temporis non fuerunt ſine malignitate.

Cauti ergò ſimus in variolis an benignæ an malignæ ſint, ne has invicem confundamus: de quibus agam, ubi de ſignis.

Hæc de generatione in febribus malignis.

QVOD ATTINET SIGNA.

Ea ſunt benè ponderanda ne cum detrimento ægrorum addiſcamus.

1. *Eſt pulſus* qui imprimis *initio ſæpius naturali eſt ſimillimus*, aut nonnihil ab eo diſcrepare videtur: tamen poſtmodum *ſubito debilitatur*, fitque *debilis ac parvus: interdum mox ab initio pulſus* eſt *formicanti ſimilis* id eſt minimus & frequentiſſimus: *durus* etiam *ſubinde in febribus malignis* eſt pulſus. In genere, *ubi in febribus malignis*, quæ ſimulant ardentem, *pulſus eſt parvus, ibi certo* colligendum eſt *malignitatem ſubeſſe.*

Sitis in febribus malignis aliquando eſt tanta, ut communium febrium conditionem longe ſuperet, & cum calor in malignis non ſit tantus quantus in febribus ardentibus, imò interdum ferè ſit nullus aut ſaltem ab ægro non percipiatur nihilominus tamen graviſſimè urgeat ſitis, *ſignum eſt ſubeſſe malignitatem.*

Quod *ſi potus* reſtinguendæ ſitis gratia porrectus non ſolùm *nihil proſit*, verùm etiam ſimul *fluctuationem* aut *anxietatem* pariat *lingua ſcabra & arida* fiat, indicium eſt ſubeſſe *malignitatem.*

Quando ægri conqueruntur de intenſiſſimo calore interno, utut partes internæ parum aut nihil caleant *pravum malignitatis eſt ſignum.*

Vires præ cæteris citra rationem *nimis proſtratæ* ſemper ſuſpectæ ſint Medico: & ſæpius tribus aut quatuor ante febrem diebus percipitur talis proſtratio; adeſt præterea *anxietas cordis*, *inquietudo* & *jectigatio* ægri inſignis & major longè quam pro ratione febris.

Ægri qui inſigniter calent & tamen de nulla ſiti conqueruntur, ſimiliter *malignitatem* adeſſe monſtrant. Hoc an ſit periculoſum vid. in LANGII *Miſcellaneis curioſis pag.* 38.

Vrina quatenus febris eſt maligna nullas patitur alterationes, quin ægri intereunt interdum febri maligna correpti cum urinis optimis & ſanorum ſimillimis: idque tum temporis imprimis quando primaria febris ardentis concurrunt ſymptomata.

Interdum urinæ ſunt *tenues & crudæ ſine ſedimento*, quando *eſt febris ardens maligna* ſeu conjuncta eſt febris ardens *urinæ* ſunt interdum *craſſæ, coloratæ, & turbidæ:* interdum RIVERIO *teſte* urina in ſtatu concocta apparet licet ad interitum ruant ægri.

Vrinæ ergò *bonæ aut ſanæ ſimiles* aliis tamen præſentibus ſymptomatibus, Medico ſuſpectæ ſint.

Facies taliter ægrotantium ſolet eſſe *tetra & à* ſtatu naturali multum mutata, *livida* interdum aut *plumbea.*

Cerebri & partium nervoſarum morbidæ ſeu malæ affectiones ſubitò inductæ neque legitimam inter ſe proportionem obtinentes *malignitatem* denotant.

In ſpecie *vigiliæ contumaces* citra cauſam legitimam: aut etiam ſubito ac inſperato etiam citra cauſam ferè obvenientia *deliria* ſemper innuunt. *malignitatem.*

Excreta in ſpecie *veſicæ & alvi* inſigniter *fœtentia* aut gravi fœtore imprægnata *malignitatem peſtilentialem* interdum denotant.

Maculæ purpureæ in toto corpore ac præſertim *in lumbis*, *dorſo* ac *pectore* apparentes: vel etiam *Pulmones* aut *Tubercula* ſimul ac *Carbunculi* erumpentes *malignitatem* maximè denotant: Et hæc eſt differentia in Petechiis & aliis malignis quod prius afficiatur pectus lumbi & dorſum: contrarium ſit in variolis quæ prius caput occupant.

Præterea fit ut Pulicum morſus habeantur pro Petechiis: ut ergò iſti commodè diſtinguantur in Petechiis docet modum ZACUT. *Luſit. lib.* 3. *prax. admirand. obſ.* 14. Experimentum facit cum farina lupinorum cum aceto aut oxymelite ſubactâ: quæ ſi applicetur morſibus pulicum, hi ipſi morſus ſubitò evaneſcunt: Maculis vero malignis applicata hæ ipſæ non diſparent.

In ſpecie ubi hæc tria adſunt ſymptomata in genere *ſubitanea virium proſtratio*: 2. *ſitis admodum intenſa & appetitus dejectus* utrumque citra cauſam ordinariam & manifeſtam. 3. *vigiliæ pertinaces* aut *leve* ſubinde *delirium* citra cauſam manifeſtam ut plurimum *gravem malignitatem* inducit

IN SPECIE VARIOLAS QVOD ATTINET.

Signa quæ *variolas* manifeſtant aut ſaltem eas portendunt ſunt *dorſi dolor* ac quaſi *pulſatio in ſpina*, cum qua ſubinde conjungitur *dolor capitis gravativus*; *dolor oculorum tenſivus*, aut horum quaſi *involuntaria illacrymatio* variolas portendit.

Quòd ſi adſit *Tuſſis ſicca*, ſeu potius nimius tuſſiendi conatus cum reliquis ſignis, eò magis rem confirmat.

Reſpiratio nonnihil *impedita* aut nonnihil læſa cum *voce raucâ* interdum ſimiliter hic adeſt.

Vrina ſanorum non eſt diſſimilis.

Vbi ergò adſunt *ſymptomata febris ardentis cum urina parum aut nihil à ſtatu naturali immutata* variolas portendunt, uti HORSTIUS rectè obſervavit *in obſ. pag.* 346. præprimis in juniori ſtatu ſeu ætate.

Terrores, *inſomnia aut leviculi inſultus Epileptici* prodere ſolent eruptionem variolarum.

Hæc ipſa omnia eò magis confirmant quando *Epidemicè* graſſantur variolæ: quod benè etiam debet obſervare Medicus.

Ipſæ variolæ per ſe patent *ex Puſtulis* & *Maculis* nempe *foras prorumpentibus*:

Maculæ elatiores in morbillis: Puſtulæ magis *eminentes in variolis.* Non enim adeò inſignis videtur eſſe differentia inter variolas & morbillos: utut rarum ſit quod obſervavit B. D. MICH. qui curavit mulierem in una corporis medietate variolis in altera morbillis affectam. Curatio tamen eſt eadem.

Item *ſi unus ex conſanguineis ægrotat tunc* ſimiliter *alii ex conſanguineis afficiuntur*: res mira, quod inter conſanguineos hæc conſpiratio etiam ad longa intervalla pertingat.

Sic obſervatum fuit quod *fratres* longè diſſiti quorum unus erat in *Italia* alter in *Germania*, ambo tamen *uno eodemque tempore variolis* laborarint.

Item ſcio exemplum hic *Lipſiæ* Gemellorum maris & fœminæ: Cum mas degeret *Vuittebergæ* ſtudiorum gratia fœmella hic *variolis*, eodem tempore corripiebatur.

Item morabantur hic tres nobiles aliquando, hinc duo *Gieſſæ*, tertius cum ſororculis *domi*: Cum hic tertius cum ſororculis laboraret *variolis*, duo *Gieſſæ* iiſdem variolis correpti moriebantur.

Præ cæteris tamen *tria primaria ſigna variolarum* ſunt *dolor in dorſo & lumbis*, *oculorum involuntaria illacrymatio*: & *dolor tenſivus in oculis.*

QVOD ATTINET SIGNA PROGNOSTICA.

Notum eſt per ſe quòd omnes morbi maligni ſint moleſti & ſæpius peſſimi ominis. Item quòd periculoſiora cum viribus debilitatis conjuncta ſymptomata eò magis periculum portendant.

In genere tamen omnes confirmant Practici *Prognoſin malignarum* eſſe *incertam* & cautum requirere Medicum cum mox & inopinatè ad vitam & mortem terminentur: Et hoc eſt quod dicit HIPPOCRATES; In acutis ſunt incertæ prædictiones vitæ & mortis.

Pulſus qui magis eſt æqualis aut conſuetum tenorem ſervans *eo eſt melior*: *Inordinatus*, *debilis & quaſi retractus periculoſus* in ſpecie *in principio morbi*: imprimis *quò major pulſus* quod raro fit *eò melior*, *quo minor eò deterior*: nihilominus tamen *pulſus parvi non tam ſunt mali ominis in febribus malignis quàm in benignis*: ſi etiam *pulſus intermittens* in febri ardente ordinariò eſt *periculoſiſſimus*: Interdum tamen dicit

RIVERIUS in febri maligna juniores utut habeant pulſum intermittentem per multos dies; tamen interdum levantur. Nec *pulſus* parvus, rarus & debilis, ſed etiam *ſimilis ſano*, cum aliis pravis ſignis portendit *malignum morbum*.

Delirium ſi à ſomno compeſcatur non eſt metuendum in ſpecie ſi conjungatur ſimul copioſus ſudor. *Poſt ſomnum* autem *perſeverans* delirium admodum *eſt periculoſum*.

Surditas in morbis acutis *in principio periculoſiſſima*, *in ſtatu* tamen *apparens ſalutem portendit*, præcipuè in malignis: Et multos obſervavimus dicit RIVERIUS quibus in his febribus in ſtatu ſupervenit ſurditas aliis licet periculoſis cum ſymptomatibus omnes tamen evaſerunt.

Vrina pinguis & oleaginoſa, *nigra & liveſcens cum ſedimento nigro vel liveſcente* certum *exitium* pronunciat.

Sanguinis dejectiones in febribus malignis ſunt admodum *periculoſæ*, imò omnes *lethales* pronunciat HOCHSTETTRUS *decad.I.caſu* 11.

Si in vola manus vel etiam *propè carpum* ægri percipiunt *tenſiones & titillationes* hoc ſignum eſt imminere *cenvulſiones*.

Maculæ purpureæ quo plures quo majores, & denique *quo coloris benignioris, ſi criticè erumpant* naturæ præſagiunt victoriam: contra vero, ſi contrario ſe habeant modo quòd *ſi* fiat ut *retrocedant*, *periculum* ingens imminere ſolet.

Color autem *benignus eſt rubicundus* quo enim *magis rubicundæ ſunt maculæ eo eſt melius* ſignum, *Virides* enim & *flavæ* maculæ ſunt *deteriores. Cæruleæ, lividæ & nigræ ſunt omnium peſſimæ*.

Criticè dixi erumpere debere maculas & puſtulas.

Nam quæ *ante ſigna aliqualis coctionis* erumpunt, aut quæ *inordinatè* prodeunt, eæ ſunt *periculoſæ* nam ſæpius recurrunt. Erumpere ergo debent *die* 4. *vel* 7. *vel* 10. 11. *aut* 12.

Recurſus ſeu retroceſſio macularum & puſtularum fit ita:

Miaſma malignum ſeu volat. curſu morbi figitur & quaſi præcipitatur, tandemque intra cutim & cuticulam deponitur à ſanguinis efferveſcentia ferociore at ſi non ſit perfectè fixum, fit ut retrocedat & præſentaneam ſæpius inferat mortem.

Denique *ſigna variolarum* in ſpecie *prognoſtica* quod attinet: *Si ſint benignæ* variolæ nihil refert. Verùm *ubi* eſt in variolis *malignitas*, obſervetur *quod ij quorum parentes morbo Gallico laborarunt*, *gravius* affligi ſolent variolis utiobſervat HORSTIUS *in obſerv. p.* 308.

Si in *initio* variolarum *ſanguis largius è naribus* fluxerit varioli & morbilli *pauciores* erumpere ſolent, ægerque facilius liberatur.

Variolæ meliores ſunt *rubræ & albæ*, *magnæ, plures, molles & eminentes*, *disjunctæ* & non adeo proximæ ad ſe invicem, quæque *loca externa & ignobiliora* occupant.

Proſtant namque in SCHENCKIO obſervationes variolas omnia viſcera interna obſediſſe!

Porrò *variolæ acuminatæ* ſunt *ſalutares*; variolæ verò *depreſſæ* imprimis *ſi ſimul* nonnihil *nigricent*, ſunt *lethales*.

Vrinæ ſanguinis ſeu *mictus cruentus* eſt ſignum *lethaliſſimum*: etiam *ſi per Alvum ſanguis purus & ſincerus* rejicitur. Exempla habebitis in FORESTO *lib.*6. *obſervat.*45. Item in RIVER. *cent.*1.*obſ.*71. SALMUTH. *cent.* 2. *obſ.* 70. Unde etiam HOCHSTETTERUS *Decad.*1.*conſ.*8. non tantummodo urinas cruentas, ſed ſanguinem per urinam, ſed omnes omnino ſanguinis tàm per ſuperiora quam inferiora dejectiones, *lethales* aſſerit.

Variolæ quæ ſunt *lividæ* aut quæ ſunt *violaceæ*, aut quæ ſunt *duræ & depreſſæ* etiam inſigniter ſunt *periculoſæ*: præſertim ſi in earum medio *maculæ nigreſcentes* appareant.

Si variolis maculæ Petechiales inſpergantur periculoſum eſt.

Si poſt eruptionem remittant ſymptomata in ſpecie *convulſionis* res eſt *ſalva*, ſin vero poſt eruptionem *non alteretur æger*, *nec ſymptomata remittant*, portenditur *mors*.

Et *poſt eruptionem alvi fluxus* aut *hæmorrhagia* ſuperveniens *malum eſt* indicium.

In principio adjunctæ *Epilepticæ convulſiones* non debent terrere Medicum quia Puſtulis erumpentibus vel ſponte ſolent ceſſare.

Res *deſperata*, *ſi manuum cutim aſſiduus mador ſiccis tamen brachiis occupet*: niſi forte tales madidas manus naturaliter ſoleat habere æger.

Si in *variolis & morbillis* adeſt *tenſio & rugitus ventris cum anxietate & agitatione ægrorum* huc illuc, *intra paucos dies obeunt*: præſertim ſi adjunctus *ſit dolor* qui innuit inflammationem inteſtinorum.

Variolæ ſalutares ut plurimum die quarto erumpunt.

Nam ut melius curſus & motus earum obſervetur: diſtinguitur in *tempus ebullitionis* ſ. *efferveſcentiæ febrilis*, & *in tempus expulſionis*.

Tempus ebullitionis febrilis ad diem 4. extenditur, *rarò ad diem ſeptimum*.

Tempus *expulſionis* eſt à 4. ad 11. vel *rarius à ſeptimo ad decimum quartum*.

Qui variolis pereunt vel *Angina* moriuntur, quia fauces occluduntur, vel *ſincope*, vel *Alvi profluvio*, vel denique *Dyſenteria*.

Variolæ maximè infeſtæ ſunt oculis, in quibus *lippitudinem*, *Ophthalmiam*, *ſuffuſionem* ſæpius *cæcitatem* inferunt.

Variolæ licet non ſtatim jugulent ægros tamen interdum *diuturna* vel *lethalia* inducunt mala, in *internis* præſertim corporis *partibus* præcipue *exulcerationes* earum imprimis *pulmonum*.

Hæc de Prognoſi & Diagnoſi febrium malignarum. Pergo ad

METHODUM MEDENDI.

CURA per medicamenta talia inſtituenda, quæ per *ſudorem* malignitatem ſeu venenoſitatem expellunt *bezoartica & alexipharmaca* aliàs nominantur, in quo ipſo conſulenda imprimis experientia: pro diverſitate enim febrium malignarum diverſa etiam Alexipharmaca plus minus utilia fuerunt obſervata.

Hæc ut legitimè fiat.

Obſervetur I. Interdum febrim eſſe purè malignam aut ſimpliciter: interdum verò eſſe complicatam cum febre continua ardente: Utut verum ſit rarum eſſe febrim ardentem cui non ſubſit modo major modò minor malignitas. In tali ergò caſu complicati quaſi morbi: *ad illud quod magis urget dirigenda* præſertim eſt *Curatio*, adeoque *interdum magis ad malignitatem* eſt reſpiciendum: *In genere* tamen *ſemper* quantum fieri poteſt *utrique proſpiciendum: febri nempè per nobilia præcipitantia; malignitati per alexipharmaca: utrique per moderata acida* aut *ſulphura metallica fixa* v.gr. *Antimonialia*: nam hæc & in ardentibus & in malignis conveniunt.

Progreſſus eſt factus ad Methodum medendi in febribus malignis, & quidem pro obſervatione fuit monitum quod attendere debeamus, *an in febribus malignis pura ſ.* ſimplex adſit *malignitas*, *an conjuncta febris ardens* ut pro varietate circumſtantiarum poſſimus variare medicamenta propinanda nunc præcipitantia, nunc ſudorifera, nunc ſola nunc miſta invicem, cum moderate acidis: Id quod in genere in omnibus febribus *malignis* obſervandum eſt: in *Petechialibus*: item in febribus in quibus imminet excretio per cutim.

Obſervandum II. *de Petechiis*, quod iis intempeſtivè, hoc eſt *Symptomatice* potius quam criticè *erum-*

pentibus

pentibus non inſiſtendum ſit minimopere *ſudoriferis ſed* potius *efferveſcentiam nimiam ſiſtentibus*, adjunctis ſimul *alexipharmacis* utendum.

Sic enim optimè *Iohan.* STEPHANI, *in operibus Medicis decad. 9. conſil. 6.* dicit minus ſunt illi tolerandi, qui quamcumque cutis efferveſcentiam Petechiarum nomine dignantur etiamſi aut febris intermittat aut ſit mitiſſima.

Petechiæ enim genuinæ ſunt ſymptoma febris Peſtilentialis conjunctæ cũ incendio ac fervore ſanguinis.

Hæ enim dum *criticæ* ſunt promoveri debent *ſudoriferis* id eſt quando *die* 4. *l.*7 erumpunt. Ubi verò *Symptomaticè* erumpunt, tunc potius *temperate acidis* ſanguinis fervor refrænari debet, & facta ſufficienti præcipitatione ſanguinis ſudoriferis debitis, Petechiarum proventus promovendus.

Id quod etiam vel maximè obſervandum in Curâ variolarum & morbillorum: In his enim rectè obſervatur tempus ebullitionis & tempus excretionis ſ. expulſionis de quo ſupra. *Quamdiu efferveſcit maſſ. ſang. & tempus ebullitionis adeſt præcitantibus* debitis eſt inſiſtendum: *ubi verò jam incipiunt* erumpere variolæ & morbilli, & *tempus excretionis* imminet, tunc convenienter *Alexipharmacis & ſudoriferis* ſubinde repetitis naturæ motus promovetur.

Obſervetur III. quod *febrium malignarum non ſemper nec in omnibus ſit una eademque ratio*: Sed ut febres malignæ tàm intermittentes quàm continuæ diverſis ſe produnt Symptomatibus & peculiari malignitatis gradu differunt: ita eas curandi non planè eſt eadem methodus: ac licet Alexipharmaca in omnibus eadẽ uſurpari poſſint ſubinde tamen appropriata addenda, aut pro varietate ſymptomatũ alexipharmaca ſpecificãda.

Obſervetur IV. *In cura* febrium malignarum diligenter *Medicus debet inſpicere oculos, linguam*, & conſiderare *manus. Oculos* quidem *ut poſſit judicare de futuro delirio*: quando enim oculi ſunt fulgidi & ignei, aut quando ægri torvum vident delirium imminet. *Linguam* debet aſpicere ut ſciat *an metus ſit de futuro morbo Hungarico*, id eſt *an ſuperventura ſit inflammatio linguæ & faucium.* Ac denique *manus* conſiderare *an convulſiones* ſint metuendæ: ubi enim percipit medicus tangendo pulſum quaſi tractionem quandam aut ſubſultũ tendinum in Carpis, tunc adſunt convulſiones.

Obſervetur V. *Nihil exitialius eſt & hominem* febri maligna correptum certius ad interitũ ac citius trahit, *quam quæcunque* in ſpecie *ingens & ſuperflua purgatio*, uti crebra experientia ſufficienter confirmavit. Caveant ergo inſigniter Medici ne quæcunque propinent purgantia in ſpecie in curſu morbi quando & apparentibus jam Petechiis aut maculis à quocunq; ſtimulo abſtinendum & ne quidem ad Clyſteres aut ſuppoſitoria eſt accedendum quoniam ſic inſigniter impellimus motum naturæ. Id quod magis adhuc obſervandum.

Obſervandum VI. *In variolis & morbillis & puerperarum purpuratis febribus*, in quibus licet pertinaciter alvus ſit obſtructa, tamen *in Clyſma* quidem *leniſſimum infundi tutò* poteſt, quoniam *Clyſterum uſus* tunc obſervatus ſit *à Doct.* MICHAEL & D. LANGIO *lethalis.* Non ſanè in variolis ſæpius ſupervenit in fine alvi fluxus non abſque periculo, quoniam interdum Dyſenteriam infert.

Non ergo niſi in principio primo ſi opus ſit *eluenda alvus Clyſmate.* Aut ubi minus urget malignitas ingens vero ſanguinis efferveſcentia eſt conjuncta, non niſi cautè ac in *primo principio Tamarindorum decoctum* ſubinde uſurpandum. Interim tamen ulterius.

Obſervetur VII. quod *maculis & puſtulis jam apparentibus ſuperveniens fortè alvi fluxus nequaquam ſubito ſit ſupprimendus niſi* aut *copia exceſſerit* aut *maculas retrocedere* faciat, aut *ſenſibiliter* ægrum *debilitet*: eſt enim quodammodo motus naturæ evacuationem ſenſibilem molientis, & ob id non incautè ſupprimendus.

Verùm *cum* tales *alvi fluxus* alio tempore venientes ſint *ſimptomatici* ac ſubinde *lethales* propterea cum *alexipharmacis* miſcenda ſimul *adſtringentia* ut præcaveatur quaſi tàm funeſtum Symptoma, id quod in febribus præſertim malignis cum excretione ad cutim conjunctis, notandum, (in Petechiis, variolis morbillis & purpuratis.)

Obſervetur VIII. *In principio malignarum* idque eò magis quo magis ſunt malignæ, *ubi nauſea urget, vomitus* interdum concedendus idque tunc temporis imprimis quando ex contagio ſtomachum imprimis inquinante & inficiente orta fuerit febris. Præterea.

Obſervetur IX. *In morbo Hungarico* ſeu morbo Caſtrenſi, *Vomitus in principio* provocatus *ſæpè eſt ſalutaris*, dico in principio antequam quamcunque excretionem aliam imprimis per cutim moliatur natura. Elapſo enim primo principio ſimul occaſio eſt elapſa. Ex *vomitoriis* præferuntur cæteris *Antimonialia* propter ſulphur malignitati peculiariter reſiſtens.

Obſervetur X. *Venæſectio in malignis quæ talibus nullum omnino invenit locum*: adeò ut quæ magis maligna ſit febris eò magis noceat Venæ Sectio: idque eò magis quo tardius fuit inſtituta eadem. In ſpecie in febribus cum excretione macularum vel puſtularum conjunctis *Ven. Sect.* inſtituta eſt *lethalis*, quæ impedit criſin ad cutim factam. Ubi tamen minor eſt malignitas, adjuncta autem febris ardens impetuoſior in ſubjecto Plethorico ac juvenili in eo interdum ſed mox in principio primo, idque nonniſi benè ponderatis circunſtantiis Ven. Sect. cautè inſtituenda.

Ego nulli auderem venam ſecare. Et quidem contra Ven. Sect. & Purgationem in febribus malignis acriter dimicantes videbitis TIMÆUM *in reſponſionibus p.*104. & 126. Item BRUNNERUM *in Conſiliis de febre Hungarica.* Item RULANDUM *de morbo Hungarico* ſ. Caſtrenſi & ſimiles alios auctores qui pertinaciter rejiciunt & Ven. Sect. & Purgationem.

Utut econtra multi ſint qui pro Ven Sect. & Purgatione pugnant vid. HORST. *Tr. an Ven. Sect. conveniat in febri maligna?* Qui tamen nonniſi à cautiſſimo vix imitandi.

Obſervetur XI. *Sudorifera* ergò primatum obtinent in Cura malignitatis, interdum tamen obſervandum & hic, ne quid nimis.

Quò major eſt malignitas eò frequentius ac copioſius provocandus eſt ſudor, adeò ut *in malignis peſtilentialibus*, id eſt in ſummo malignitatis gradu ad minimum *ter in* 24. *horis* ſunt propinanda medicamenta *ſudorifero alexipharmaca*: & ita ſudor ter excitandus ſemper tamen habito virium reſpectu, *ne nempe ſit nimius*, neque etiam linteis vel aliis ſuper impoſitis æger nimis eſt contegendus quoniam experientia docuit, tales interdum cum ſudore exſpiraſſe. Nimia enim & profuſa ſudoris profuſio, ſerum aquoſum nimis exhauriendo ſanguinem coagulat ac inſpiſſat.

Unde *ubi cum mitiore malignitate conjuncta eſt febris ardens in principio præcipitantibus ac mitioribus ſudoriferis, in progreſſu fortioribus* inſiſtendum.

Obſervetur XII. *Cùm maſſa ſanguinea à ſale maligno acri* ac admodum *volatili* in febribus malignis ſit *nimis diſſoluta*, ut conſiſtentiam propriam perdat, ob id cum *alexipharmacis & ſudoriferis non negligendus eſt acidorum uſus*, idque eò magis quo crebrius, ſudore coguntur ægri, quæ in declinatione ſudoris porrecta & poſt ſudorem continuata, ſanguini debitam reſtituunt conſiſtentiam ac ægros debilitatos egregiè refocillant: Subinde ergò *Iulepi moderatè aciduli* ex talibus quæ malignitati reſiſtunt ac corpus blandè ad diaphoreſin diſponunt ſunt propinanda.

Quin & in ipſa ſudoris tortura *acida ſpirituoſis miſtæ naribus* ſubinde *applicanda*, quæ ægros debiles nonnihil animant: ſic *acetum theriacale*, *acetum cum aqua carbunculi* miſtum, *aqua apoplectica acida* & ſimilia naribus ab adſtantibus admovenda.

Obſervetur

Obſervetur XIII. De *Opio & Opiatis* expertum HORSTII eſt Judicium, in *Indicio de Chirurgia infuſoria*. Ea nempe *Opium & Opiata* in febribus malignis quibuſcunque utramque facere paginam: Nam & *ſymptomata mitigant*, *ſudoris excretionem promovent*, *vigilias*, ac *deliria præcavent*, ac *impetuoſos humorum* interdum *efferveſcentium motus impediunt* & compeſcunt, in ſpecie horrendum ac metuendum ſæpius *ſanguinis per nares profluvium ſiſtunt*. Præter alia exempla huc facientia, videndus TIMÆUS *in Conſiliis lib.8. caſ.25. p.377.* Ubi maligna febris ardens cum ſanguinis ex naribus profluvio, tandem aliis irritis *Laudano Opiato* curata. Quale exemplum habetur etiam in HORTSIO *in obſervat.* de milite ardente maligna & morbo Hungarico pertinaci afflicto, aliis irritis *Laudano Opiato* curato.

Unde & *Theriaca* & *Mithridatium*, & quod in malignis his præfertur *Diaſcordium* FRACASTORII ſuper baſin Opii videntur extructa, uti recte hoc aſſerit VVALÆUS, quorum tamen vis & apud veteres & apud modernos eſt decantatiſſima. De ipſis tamen Theriacalibus.

Obſervetur XIV. quòd *Theriaca ſola abſque acido* adjuncto propinata *in principio* malignarum, in ſpecie cum fervore exceſſivo ſeu efferveſcentia nimia conjunctarum, *nonnihil ſit ſuſpecta*: quoniam Theriaca per ſe ſola nimiam ſanguinis turgeſcentiam excitare ſolet: ergò *miſcenda* cum *aceto Theriacali*, *aceto rutaceo*, & ſimilibus, quæ ſanguinis efferveſcentiam nimiam refrænant blandè.

Obſervetur XV. *Veſicatoria in febribus malignis in ſtatu* admodum *ſunt decantata* & commendata, quorum utilitatem inſigniter commendat HOFERUS *in Hercul. Medico p.282* Et imprimis *in Italia* & *Gallia* uſurpantur *Veſicatoria* in febribus malignis *Carpis & femoribus* applicata: *Imprimis* autem tunc conveniunt quando *externa frigent*, *interna* verò *uruntur*. Vel *ſi in ſtatu morbi* (non in principio aut incremento) *Capitis dolores* exceſſivi, *deliria* aut *convulſiones* ægros infeſtent. Quin & veſicatoria talia aut his paratæ *Fontanella* expertum eſſe Peſtis præſervativum habebimus ſuo loco. Apud nos non ſunt in frequenti uſu veſicatoria: in regionibus tamen calidioribus in ſtatu malignarum multum proſunt.

Obſervetur XVI. *In variolis & morbillis in principio*, ubi morbillorum Elementa, id eſt puſtulæ & maculæ nondum apparent: *haud protinus ad expellentia dilabendum*, interim propinemus talia quæ *non tantummodò primordia morbifici fermenti compeſcere & mitigare: Sed quæ quoque corruptioni ſanguinis à miaſmate perficiendæ obſtacula* ponere valeant, quæ *præcipitantia* appellantur.

Obſervetur XVII, *Dum erumpunt vel eruptæ ſunt variolæ, ſymptomatibus urgentibus* pro re nata *proſpicere debet Medicus*: magna tamen hic cautione opus eſt, ne, dum exiguis conſulimus, magnum *naturæ* Opus turbemus: Etenim toto hoc tempore continuata eſt Criſis, quare nihil temerè tunc audendum.

Obſervetur XVIII. *Sanatione variolarum peracta, ſemper purgandum eſt corpus Catholicis. ſanguiſque ulterius purificandus.* Hinc interrogandi ſunt ægri poſtmodum, an in partibus quibuſdam internis, præſertim in Pulmonibus ſentiant aliqua ſymptomata, & tunc dentur appropriata parti affectæ: Sæpius enim poſt variolas ægri in phthiſin incidunt.

Obſervetur XIX. *Externa in variolis ad tollendas maculas & delendas cicatrices cautiſſimè ſunt applicanda:* Ante maturationem enim nihil juvant, immò potiùs tetra non rarò inferunt ſymptomata: refert namque FORESTUS *lib.6. obſ.45.* quòd ex variolis in facie Butyro in ſartagine ad nigredinem frixo illito, facta ſit cruſta admodum fœtida: quæ totam exulceravit faciem, ita ut æger unum perderet oculum, & niſi in tempore occurriſſent, etiam alterum amiſiſſet. Sic BORELLUS *cent.1.obſ.64* obſervat mortem ex cataplaſmate repellente faciei admoto ad tollendas notas variolarũ.

Cauti ergo maximè ſimus in talibus applicandis.

Quod ergò attinet *Alexipharmaca & Sudorifera*; quæ in malignis febribus imprimis conveniunt, ſunt ea.

EX REGNO VEGETABILI.

Radix Scorzoneræ, *Zedoariæ*, *Gentianæ*, *Ariſtoloch. rotundæ*, *longæ*, *Angelicæ*, *Succiſæ*, *Chelidonii majoris*, *Valerianæ*, *Enulæ* (hujus radicis Decoctum cum floribus calendulæ in vino propinatum commendatur mirè ad expellendas Petechias) *vincetoxici*, *Biſtortæ*, *Leviſtici*, *Vlmariæ*, *Petaſitidis*, *Pimpinellæ*, *Pentaphylli*, *Contrajervæ*, *Anthoræ*. *Folia Dictamni Cretici*, *Scordii Cretici*, (quod fere omnibus præfertur in Curatione malignarum.) *Uvæ inverſæ* ſeu *Herb. Paridis*, *Rutæ Galegæ*, *Cardui benedicti*, *Scabioſæ &* ſimilia. *Flores* 4. *Cordiales*, quibus meritò additur flos *Calendulæ*, *Hyperici*, *Salviæ*, *Croci*, *Betonicæ*, *Aquilegii*, *Semen Acetoſæ*, *Cochleariæ*, *Cyani*, *bugloſſæ*, *Angelicæ*, *Meliſſæ*, *Aquilegiæ*, *Napi*, *Citri*: *Cortices Citri & aurantiorum*: *Grana Iuniperina*: *Baccæ uvæ inverſæ*, &c.

Omnibus palmam præripit in regno toto vegetabili *Camphora*, Alexipharmacum omnibus ſuperius, quæ aliis remediis omnibus ad depellendam malignitatem ſemper eſt addenda: totam maſſam ſanguineam ſuo balſamo tingit, potentiſſimè ſudorem movet, ac in præcavendis deliriis & convulſionibus vix par habet remedium.

Ex his ergo varia fiunt remedia, præter *aquas deſtillatas* iſtorum ſimplicium v. gr. *Meliſſæ*, &c. imprimis *aceta Bezoartica*, infuſione horum ſimplicium fiunt, de quibus poſtmodum, ubi de Peſte. v. gr. *radix Angelicæ*, *Zedoariæ*, *ſcordii aceto deſtillato* infunduntur, & fit Acetum Bezoarticum.

Semina iſta dicta imprimis in Cura variolarum conveniunt. Sic namque non tantummodò ex ſemine *Napi & Aquilegiæ*, fit *Emulſio* egregia ad curandas variolas: ſed etiam ipſa *ſemina pulveriſata* ſufficiunt. Pertinet huc *pulvis contra variolas* TIMÆI cujus hæc eſt deſcriptio.

♃. Sem. Aquileg.
Naſturt. an ℥ij.
Card. bened.
Napi. an. ʒj.
Radic. Scorzon.
Dictamni an. ʒjß.
Terr. ſigillat.
C. C. ſin. Ign. an. ʒij.
miſc. F. Pulvis.

Ex his Seminibus CRATO *trium Imperatorum Archiater* facit *Emulſionem*, quam inſigniter commendat in Cura variolarum. Et certum eſt quòd in variolis & morbillis magnum uſum habeant hæ Emulſiones.

Citrus totus quantus eſt, alexipharmacus eſt, *cortices*, *ſuccus*, immo *acidulæ ex citro* paratæ nnnquam omittendæ: Pertinet huc *Syrupus Acetoſitatis Citri*: item Syrupus *de Citro compoſitus*: Syrupus *de toto Citro* SENNERT. *Decoctum Citri* MYNSICHT. &c.

Nam hoc obſervetur quòd cum Medicamentis tàm præcipitantibus quàm Alexipharmacis in febribus malignis ſubinde aliquid propinandum, aut etiam poſt illa exhibita.

Decocta Hordei inſerviunt pro corpore Julepis: ut tamen fiant magis appropriata, præſcribitur *decoctum hordei cum* C. C. item cum *radic. Scorzoner.* & quæ ſunt ſimilia.

Tinctura Aquilegiæ præ cæteris convenit ad expellendas Petechias & variolas.

De *Sambuco* res eſt nota, quod egregium ſit ſudoriferum: & quòd *rob. ſambuci cum* C.C. præparatum ſit medicina quaſi pauperum: *Rob. ſambuci*, *ſpiritus florum ſambuci*: *decoctum flor. ſambuc.* pro Julepo egregie conveniunt.

EX REGNO ANIMALI.

Imprimis ſe offert *Cervus*, qui totus eſt alexipharpharmacus & antipeſtiferus, imprimis ejuſdem *cornua, ſanguis & cor* primatum obtinent.

Unde *aut* C. C. *ſine igne*, aut quod melius eſt *ſpiritus* C. C. *ſal. volat.* C. C *ſal. vol. ſanguinis cervi, ſpiritus ſanguinis cervi, ſal. vol. cordis cervi*, præ cæteris ſunt in uſu.

Hinc *liquor* C. C. *ſuccinatus* eſt potentiſſimum alexipharmacum ſ. ſudoriferum in *malignis*, in ſpecie cum *affectibus nervinis, convulſionibus & Epilepſiâ* conjunctis.

Sal. volat. C. C. *rectè* acuatum *à gr.v. ad xij.xv. uſque ad* ℈j. propinatur.

Spiritus C. C. *à* ʒß. *ad* ʒj. *liquor* C. C. *ſuccinatus ad gt.20. l.30.* eſt enim ſatis potens.

Poſt cervum ſe offert *vipera*, & ex eadem paratum *ſal.vol.* aut *pulveres viperini* legitimo artificio parati.

De *lapide Bezoar* ex damarum genere deſumpto res eſt nota: utut in virtute ſudorifera & alexipharmaca ipſi nihil cedat *Calculus humanus*, qui tamen Bezoar in Peſte & morbis malignis potentiſſima dicitur medicina.

De *Bezoar non ſophiſticato* obſervetur, quod habet ZACUTUS *Luſitanus*, & HILDANUS quòd non adeo in parva doſi ad aliquot grana tantum, ſed ad *minimum ad* ℈j. ſit propinandus.

EX REGNO MINERALI.

Præripiunt reliquis palmam *antimonialia fixa:* quoniam antimonii ſulphur de natura ſolari nonnihil participans malignitatem figit, fixatamque per corporis poros nonnihil educit.

Unde *antimonium diaphoreticum* aliàs notum eſt ſingulare & uſitatum remedium, omnia quoque quæ baſin antimonium agnoſcunt: ſive ſit *Bezoarticum minerale ſimplex à gr. vj. ad xij.* ſive ſit *Bezoarticum ſolare*, ſive *lunare*, in eâdem doſi.

Bezoarticum Joviale eſt uſitatum POTERIO *cum Camphora*, ſi propinetur in aqua appropriatâ in febribus malignis.

Sed neſcio an non hiſce cum auro fixatis præferendum ſit potius *antimonii ſulphur fixum: Hinc cinnabaris antimonii ad gr. vj. x. xv.* vel aliud genuinum *antimon. ſulphur* ſub forma Tincturæ ſiccæ propinatum, *vel ſulphur antimon. fixum ex ſcoriis reguli antimonii* occulto artificio præcipitatum & *malignitatem & Epilepſiam* certò ſiſtunt.

Pertinent huc etiam *terræ alexipharmacæ, Bolus armena, terra ſigillata*, & ſimilia.

Succinum & ejus *ſal. volat.* eſt ſingulariſſimum, ubi genus nervoſum à malignitate ſimul eſt affectum.

Pertinet huc etiam *ſulphur ſimplex*, quod in locum ſulphuris antimonialis commodè poteſt ſubſtitui, cùm magnam inter ſe habeant cognationem.

Hinc etiam *ſuffitus* debet inſtitui *cum ſulphure* aut *pulvere Pyrio:*

Item *induſium & veſtimenta* malignis morbis correptorum *ſuffumigari debent fumo ſulphuris.*

Quin & *potum ſulphurare* docet CNOFELIUS *in Tr. de Methodo medend. Febr. malign. pag.96.*

Spiritus mineralium aciduli ſubinde Julepis admiſcendi conveniunt: in ſpecie quidem & cæteris quaſi præfertur *ſpiritus nitr.* nunc *ſolus*, nunc quod melius eſt cum *ſpiritu vini* dulcificatus: Item *ſpiritus ſalis & ſpiritus ſulphuris*, qui eſt egregius.

De *Tinctura Bezoartica ſ. miſtura ſimplici*, cujus baſin conſtituit Camphora, de *ſpir. Theriacali* camphorato res nota eſt, quòd egregiè proſit à ʒß. *ad* ʒj. propinata.

Spiritus fuliginis acidus volat. à ʒij. *ad* ʒiij. quibuſdam in ſecreto habitus in morbis malignis.

Sal prunellæ ſ. nitrum imprimis *antimoniatum* in potu diſſolutum egregiè convenit.

Multa ac varia ex his fiunt compoſita: quæ inter imprimis ſunt *compoſitiones Theriacales*, quas inter ad febres malignas excellit *Diaſcordium* FRACASTORII *ad* ʒj. *l.* ʒij. propinatum imprimis ſi cum *aceto theriacali* miſceatur & ita propinetur *in aqua ſcabioſæ, calendulæ, card. benedicti*, & ſimilibus multùm commendatur.

Apud omnes *Diaſcordium* in multo uſu: item *Theriaca*, & ratione hujus, *ſpiritus Theriacalis camphoratus, Eſſent. Theriacalis Anodyna* & ſimilia.

Ex *Cervo* vel C. C. *fit Gelatina*, quæ ſuper carbones liquefacta commodiſſimè infunditur cereviſiæ, aut potui ordinario, quoniam ſubinde corpus ad ſudorem diſponit.

Pulveres proſtant item *compoſiti:*

Pulvis Pannonicus rubeus, ſpecies de Hyacintho, & ſimiles in Pharmacopæis compoſitiones.

Quæ ex his variæ compoſitæ præſcriptiones ſunt: 1. quidem *pulveres ex tribus ſalibus* ROSENCREUZERI ex omnibus tribus regnis.

Compoſitio eſt hæc.

℞. Bezoart. miner. gr. vj.
Sal. vol. C. C. gr. jv.
Card. bened. ℈ß.
miſc. pro doſ.
D. S.

Mihi in malignis *cum delirio* aut imminentibus *convulſionibus* familiaris eſt pulvis qui admodum conducit: præſcriptio eſt hæc.

℞. Antimonii diaphoret.
cinnab. antimon. an. ℈ß.
ſal. vol. C. C.
ſuccin. an. gr.v.
camphor. gr. ij.
miſc. F. Pulvis.

qui potentiſſimè ſudorem movet ac ſimul malignitati potenter reſiſtit: *Tempore veſpertino 1. aut alterum granum Laudani opiati* additum ejuſdem operationem potenter promovet.

Item in forma *Potionis* in febribus malignis ubi *delirium* imminet.

℞. Aq. cord. *Herc. Sax.* ℥j.
Cinnamon. ℥ß.
Spirit. Theriac. camph. ʒij.
C. C. eſſentif. ℈ij.
vel loco hujus potius.
Sal. vol. C. C. ℈j.
Succin. ℈ß.
Syrup. flor. tunic. ℥ß. miſc.
hauriatur ſubinde cochleatim.

Item ℞. Aq. cord. *Herc. Sax.*
Ulmar. an. ℥j.
Cinnamon. ʒvj. ratione virium.
Bezoartici mineralis.
Cinnab. Antimonii an. ℈ß.
Camphor. gr. iij.
Nitri Antimoniat ℈j. miſc.
Fiat Potio pro aliquot doſibus.

Quando præſcribimus Theriacalia, aceta dixi eſſe addenda.

Hinc ℞. Aq. Scabioſ.
Card. bened. an. ℥j.
Cinnamomi ℥ß.
Aceti Bezoartic. uſitat.
vel rutac. aut
ſambuc. ʒj.
Theriac. veter. ʒiß.
Antimon. diaphoret. ʒß.
Camphor. gr. iij.
Syrup. card. bened. ℥j. miſc.

Vel ſimplicius.

℞. Aq. Flor. ſambur. ℥j.
Aceti ſambucin. ℥ß.

Diacord.

Diacord. *Fracaſt.* ʒj.
Camphor. gr. ij.
Syrup. acetoſ. citr. ℥ß. miſc.

Pro potu in febribus malignis vel ſimpliciter convenit *aqua fontana* quæ leviter ebullierit, cui frigefactæ *pomum citrium cum corticibus* in taleolos diſſectum infunditur, & pauco ſaccharo agitatur.

Vel convenit etiam pro potu *ſerum lactis acidulatum cum ſucco citri.*

Vel etiam *Julepus* ex
Decoct. Hord. c. C. C. ℔j.
Syrup. acetoſit. citr. ℥jß.
rub. Idæi ʒvj. qui admodum commendatur à *Geſner.*
Tinct. Flor. Aquileg.
Pœon. an. ʒj.
Spir. nitr. dulc. q. ſ. ad grat. ſapor.
miſc.

& propinetur pro potu.

Item *Clyſſi* commodè etiam infunduntur potui ordinario q. ſ. & eleganter conducunt.

In ſupra citato loco & *Tr.* Cnnofelii inſigniter commendatur *Miſtura de tribus ex tribus.* Compoſitio eſt hæc.

℞. Miſtur. d. tribus id eſt M.S. ʒvj.
Spirit. d. tribus ʒij.
Flor. ſulphur. ℈j.
Aq. fumar. vel. alius alexiter. ℥ij.
Syrup. acetoſ. citr. ℥j. miſc.
F. potiuncula pro j. doſ.

(Satis potens, ita tamen præſcribit Cnnofelius, ſubjecta forſan habuit fortiora.)

Miſtura de tribus, ut notum, eſt *miſtura ſimplex*, *ſpiritus de tribus* ſic componitur.

℞. Antimonii quintuplâ nitri parte, in pulverem album fixati & edulcorati, vel loco hujus.
Regul. antimonii pulveriſat. ℥ij.
Sulphur. crud. pulveriſat. ℥ij.
Nitri purificat. ℥iv.

deſtillentur per Retortam tubulatam more ſolito & fit ſpiritus de tribus, ſcilicet Clyſſus.

Immò *Externè* obſervetur hoc *Euporiſton*, quòd nempè in febribus malignis & Peſtilentialibus, quando provocandus eſt ſudor, tunc ſemper cum medicamentis intrinſecis propinatis, extrinſecus *applicandus eſt umbilico panis parvus, recens ac calens ex furno extractus:* Hic panis ablata cruſta inferiore paululum excavatur & in cavitatem *Theriaca* immittitur, hinc *vinum generoſum* ſuper affunditur, ac ita calidè umbilico imponitur. Sic fit, dicunt & credo quòd aliquid ſubſit ut panis, dum ſudat æger omne fere malignitatis venenum ad ſe trahat, adeò ut panis, ubi umbilico adhæſit, vapore ſeu halitu ſubcæruleo interdum reſperſus fuerit, ut quod dicunt certum malignitatis ſignum. Panis remotus ſepeliendus ne homini vel bruto nocere poſſit.

Quando Petechiales maculæ aut ſimiles nolunt convenienter prodire, tunc optimum eſt inſtituere *frictionem* ſ. inunctionem externam *cum nitro:* Hæc enim inunctio à multis autoribus inſigniter commendatur. *Vnguentum* fit tale.

℞. Ol. Amygd. amar. ℥ij.
Vini rhenan. ʒvj.
Aq. chamomil. ℥ß.
Nitr. ʒij.
bulliant ad conſumpt. aquæ & fiat. colat.

Colatura toti corpori affricetur, in ſpecie dorſo ad evocandam materiam malignam è corpore in febribus malignis & petechialibus. Eſt aliàs etiam hoc unguentum ſummum Arcanum in febribus omnibus in quibus non vult procedere ſudor: facta enim corporis inunctione & propinatis hinc ſudoriferis ſufficienter admodum promovere ſolet.

Paulò aliter præſcribit hanc inunctionem Brunnerus *in conſil.* 42. qui ita præſcribit.

℞. Ol. chamomill.
Amygd. amarar. an. ℥ß.
Nitr. pulveriſat. ʒiij.
Aq. chamomill. ℥j.
miſc. & coquant.

Hinc inde videbitis apud Practicos hujus linimenti ad evocandas Petechias in morbis malignis veſtigia.

Quod attinet *variolas*, in his *in principio præcipitantibus, in progreſſu expellentibus ſudoriferis inſiſtendum:*

In principio tamen nonnihil de *Antimonii cinnabari* vel *ſimili Antepileptico* addendum: quoniam ante variolarum eruptionem ſubinde convulſiones imminent.

Præter ſupra *dicta Alexipharmaca* præ cæteris *Tria* ſunt, quæ *in variolis & Morbillis* ſunt egregia.

Myrrha, *Caſtoreum & Aſſa fœtida*, quæ tria egregiè conducunt aliis admiſta in variolis & morbillis.

Sic ſuperiori anno Puellæ decenni variolis afflictæ, & in qua incipiebant periculosè evaneſcere variolæ, cum ſuccedente *Alvi fluxu* & cujus *pedes uſque ad genua cum dolore liveſcebant*; in adeò periculoſo articulo conſtitutæ præſcribebam hunc pulverem.

℞. Antimonii diaphor. gr. xv.
Caſtorei.
Myrrh. an. gr. jv.
Camphor, gr. j.
miſc. det. in duplo.

quem pulverem cùm aliquoties hauſiſſet ſuppreſsâ alvo variolæ denuo receſſerunt & fuit ſalvata.

Item ad *variolas.*

℞. Antimonii diaphoret.
C. C. ſin. Ign. an. ℈ß.
Caſtor. gr. iij.
Myrrh. gr. ij.
Sal. volat. viperar, gr. v.
miſc. F. l. a. Pulvis. diaphor.

Decoctum Ficuum, *Milii*, *Fœniculi*, & ſimilia ſunt admodum appropriata in variolis, alii jam incipiunt nonnihil erumpere, imprimis decoctum *ficuum cum milio* egregium eſt expulſivum variolarum.

De *ficuum decocto* notatu digna eſt *obſervatio* Foresti qui refert, quòd in variolis & morbillis epidemicè graſſantibus inſigniter omnes ij pueri, qui decocto ficuum utebantur in cereviſia facilè fuerint curati, quoniam facillimè prodierunt variolæ.

Verùm in *hoc decocto obſervetur ne nimis fiat dulce & craſſum*, quoniam ficus laxant alvum, id quod fieri non debet: commodè ergo *milium* additur, quod aliquantiſper alvum conſtipat.

Emulſiones, quas antea commendavi ad curam variolarum (& quas Crato valdopere commendat) fiant ferè hoc modo. Cratonis *Emulſio ad Petechiales febres, variolas & morbillos* eſt hæc.

℞. Sem. card. bened. ʒjß.
napi. ʒj.
citri. ʒß.
Aq. card. bened. ℥iijß.
miſc.
F. l. a. Emulſio.
cui adde.
Syr. acetoſ. citri.

egregia eſt hæc Emulſio.

Vel ſecundùm methodum Modernorum præſcribitur hoc modo.

℞. Sem. Napi.
Aquileg. an. ʒj.
Papav. alb. ℥ß.
c. ſ. q.
Aq. fœnicul.
ſcabioſ.
F. Emulſio.
adde.

C. C. ſin. Igne.
Ebor. ſ. Igne an. ℈ß.
Bezoartic. mineral. gr. vj.
edulcoretur Rotul. man. Chriſt. perlatis.

Puero 13. annorum tribus diebus gravi corporis æſtu, vomitu continuo, & incipiente *diarrhæa* afflicto, in ſuſpicione variolarum, cùm in vicinis locis obſervarentur:

♃. Extr. theriac. gr. v.
laudat. opiat. ferment. gr. j. ß.
M. F. Pilul. N. xij. pro 2. doſ.

à prima doſi omnis vomitus & anguſtia ceſſarunt. Hinc.

♃. Pulv. bezoard. compoſ.
ſpecif. cephal. an. ℈j. M. pro 2. doſib.

Hinc copioſiſſimè eruperunt variolæ. *Potui* infundebatur *ſtercus equorum*, ejuſque ſuccus permiſcebatur.

Puer unius anni cum ſemiſſe, cum alii fratres morbillis correpti, decumberent ex improviſo, à meridie cum *gravi ſtertore* incaleſcere admodum & debilitari cæpit. *Tuſſi enim laborabat, ſpiratio erat difficillis & conquerebatur de dolore acutiſſimo per totum corpus diffuſo.*

Cùm malum hoc ex imminentibus variolis eſſe ſuſpicarer, cùm alii fratres una decumbentes graviter tuſſirent.

♃. Aq. flor. ſambuc. ℥iß.
liq. C. C. ſuccin. ʒj.
ſyr. papav. albi ʒiij. M.

Hujus uſu copioſiſſimi proruperunt morbilli, & ſtertor & difficultas anhelandi ceſſarunt. Nempe ex impetu lymphæ acrioris & hinc inimica vellicatione & irritatione faucium, laryngis & pulmonum, malum ortum fuerat, ob id acrimonia ſuſpecta maligna erat corrigenda per volatilia; irritationis autem ſenſus ſopiendus per papaverina.

Puero aliquot annorum ex variolis gravi difficultate reſpirationis laboranti, & ſimul diarrhæâ correpto in ſtatu morbi:

♃. Aq. ſcabioſ. ℥ij.
terr. ſigill. ʒß.
ſyr. è ſucco ſcabioſ. ʒvj. M. capiatur pro lubitu.

In Infantibus in Morbillis diarrhæa affectis.

♃. Aq. menth.
flor. ſambuc. an. ℥j.
Gelat. C. C. ʒvj.
ſucci cydon. ℥ß.
terr. ſigill. ℈j.
antimon. diaph. ℈ß.
ſyr. de toto citr. ʒß. M.
propter infantes eſt grati ſaporis.

Symptomata in his morbis *mitiganda ſunt vel ante eruptionem, vel poſt eruptionem.* 1. *Anxietates præcordiorum & jectigationes* quas quando vel vomitus ſpontaneus præceſſit, vel per medicamenta nauſeoſa provocatus fuit, omnium optime confert *liq. C. C. ſuccin.* infantibus præſertim ſingulariter conveniens. Cui etiam *extr. theriacale aut laud. opiat.* in parva doſi conveniunt. 2. *Vomitus* in principio non ſtatim ſupprimendus, aſt, ſi nimius fuerit, *extract. theriacale, ſyr. papav. laud. opiat.* unà cum *abſorbentibus* curant. 3. *Diarrhæa* aut alius *alvi fluxus per extr. ſigillat.* curatur. Si nempe hujus pulveris largiter cereviſiæ injiciatur, & ſub quolibet hauſtu probè invicem agitentur, & ita aſſumantur; it. *C. C. uſtum, theriacalia* conveniant. 4. *Vigiliæ, deliria,* imprimis *convulſiones epilepticæ,* quæ infantes mox primo in morbi principio cum abdominis duritie affligunt; quas optimè curat *liq. C. C. ſucc. cinnabaris antimonii*, & neceſſarium videtur, in morbi principio, *clyſmata* levia. 5. *Hæmorrhagia narium moderata* aliquandiu ſinenda, præſtat ut plus fluat ſanguis, quàm minus. vid. Horstius *obſ. Anat. pag.* 95. Quod *ſi non ſufficienter* procedat, potiùs promovenda venit, vellicando nares, aut cum ſeta porcina, aut crebrius & fortiùs eoſdem emulgendo, aut aliis modis hæmorrhagiam narium provocando, quod cum feciſſem, ſanguis bene fluxit, & febris deſiit, & brevi ſanata eſt, *dicit* Forest. *l.* 6. *obſ.* 48. Quod *ſi excedit*, optimè narium hæmorrhagiam curant *bufones* appenſi, aut ſub axillis agitati, vid. Willis *de febr. pag.* 266. Id quod & in aliis malignis obtinet. Virgo adulta febri petechiali graviter correpta, cum jam effloreſcerent copioſè petechiæ, gravi & pertinaci corripitur hæmorrhagiâ: pro qua ſiſtenda juſſi caperet. 2. *bufones vivos* eoſque contuſos & conquaſſatos ſub axillis utrinque alliget, cum linteolo, quo facto ſubitò omnis hæmorrhagia ſedata fuit, & virgo per continuatum Electuarii ex conſerv. citr. cum theriaca uſum convaluit. Sed brevi poſt, cum nimis ſtrenuè dediſſet, graviſſimæ anxietates præcordiorum & æſtus intenſiſſimus recurrunt, jubeo ut vomeret, uſu Syr. emetico, & dictum electuar. continuaret: quo facto perfectè convaluit. Aliàs cùm in variolis *nimiæ hæmorrhagiæ* ex ebullitionis ſanguinis nimio impetu oriantur, eaſdem etiam *opiata* cum *abſorbentibus* ſeu præcipitantibus dictis compeſcent, vitando tunc volatilia. 6. *Tuſſis.* Hic *in principio* temperantia & levigantia, vulgò incraſſantia; *in ſtatu* vero incidentia & expectorantia uſurpanda. Ibi *Syr. violar. papav. de jujub. Diacod. in aq. ſcabioſ. tuſſilag.* Hic vero *Syr. Nicotian. de Eryſimo*, cum *aqua menth. hyſſop.* &c. *In omni tempore remedia ex ſcabioſa* præſertim; ſpecioſè præſervant & curant partes reſpirationi dicatas. 7, *Virium proſtratio* corrigitur à Tincturâ corall. cum ſpiritu C. C. item vin. Rhenan. hauſtulo, ſpeciatim quando proſternuntur vires à nimio ſudore.

Poſt eruptionem ſymptomata ſunt 1. *Retroceſſus*, in hoc caſu nil melius eſt quam *veſicatoria.* vid. *Act. Medic.* Hafn. *vol.* 2. *pag.* 200. ſicut aliàs, ubi in variolis graviora urgent ſymptomata, nec ritè eadem erumpunt, non abſque fructu veſicatoria applicantur. vid. *Febr. de ſcorzonera p.* 88. item *Act. Med.* Hafn. *vol.* 3. *p.* 72. 2. *Suppuratio* pro hâc promovenda, ac ne lædantur præſertim partes internæ, optimè conveniunt *lapid. cancr. cum myrrha* crebriùs uſurpata. v. gr.

♃. Lap. cancr. præp. ʒß.
myrrh. gr. xv.
C. C. ſine igne ℈j.
Sal. card. bened. gr. v. M. pro 3. doſ.

Vel veſperi ad promovendam ſuppurationem & levandum ejus dolorem in adulto.

♃. Aq. ſcabioſ. ʒvj.
lap. cancr. præp. ℈j.
myrrh. gr. vj.
laud op. gr. ß.
ſyr. de ſucco ſcabioſ. ʒiij. M.

3. *Cicatrices & foveæ earum* ab eroſione, ab acido acri ſalſo. *Ergo temperandum illud*, ut plus miteſcat: quo facto fovearum & cicatricum nullus metus; *unde* 1. maturantia & temperantia conveniunt. 2. nævos & maculas tollentia. 3. Cicatrices, & foveas, ſi quæ ſunt, implentia.

Pro quo ſcopo ut temperetur & mitigetur pus, oleum amygd. dulc. expr. recens cum penna calidè illinatur, quando jam maturaverint, & in medio oculi quaſi albicantes apparuerint, hoc ſæpiuſcule fiat in die. Vel. ♃. *Statim atque puſtulæ apparent, renum porci adipem, liqueſcat ad ignem, & cum lititrolis ter aut quater Tepide in die facies inungat. Taliſque inunctio continuet uſque ad puſtul. exſiccat optimum & tutiſſimum eſt illud externum remedium.* Fruſtulum item lardi, ſubinde impoſitum ac ſæpius renovatum eſt egregium. Præſtantius pinguedo lardi inceſi deſtillans, vid) *M. A. N. C. Ann.* 6. *App. p.* 192. *Pulvis ad variolas Mynſ. vid. in Armam. pag.* 134. Unum ex optimis eſt *ſpir. vini aromaticus c. ſalibus volatilibus* leviter acuatus, & ſubinde calide variolis applicatus vid.

Sylv.

Sylv. *de morb. infant. c. 9.* vel obſervetur elegans illa methodus *M.A.N.C. ann.4. p.* 150. ut ſub eruptione variolarum *ſpir. vin. myrrhatus* calidè per 2. dies repetitis vicibus illinatur. Hinc *ſach. Saturni aq. roſ.* mixtum, calidè penna faciei applicetur: Hujus loco etiam *Empl. de ſperm. ran. cum ſach. Saturni* imponi poteſt. vid. Hoffmanni *clav. p.*249. Sed cautè talia fiant, ne repulſis variolis ſuperveniat mors. Vid. Borell *obſ.*64. Forest. *l.*6. *obſ.*45.

Ne autem facies tot variolis obſideatur, Viennæ dorſo ſive ſcapulis imponunt *veſicatoria.* vid. Thiermajer. *l.*1.*conſ. p.*106. Alii pro hoc vaporem ex decocto herbarum emollientium pedibus ſuſcipiunt. *vid. M.A.N.C. an.*6. *p.*247. Aut lacti calido pedes immergunt. Autore Sylvio, *loc. ſupra cit.* Facit huc, quod refert Forestus *lib.*6.*obſ.*42. In pruritu manuum & plantarum pedum, dum erumpunt puſtulæ, ponantur dicta membra aſſiduè in aquâ calidâ & multum confert pluribus & punctiones ceſſant, meliuſque morbilli erumpunt. Sed habeatur tunc pedum ratio, ne à copia variolarum dolores diuturni aliáve gravia mala iisdem concilientur. Conf. Hildan. *cent.* 3. *obſerv.*99.

Nævos tollunt imprimis ſperma ranarum, hinc aqua flor. fabar. c. pauco oleo Tartari per deliq. temperata, item aqua omnium florum, cui miſceatur coſmeticum Clavii cum pauca tutia, &c. Facit huc etiam Cataplaſma.

℞. Farin. fabar.
lupinorum an. ℥ij.

M. cum urina bovis ad conſiſtent. Cataplaſma, hoc ipſo veſperi tota inungatur facies. Relinque ita per noctem, mane tunc aqua florum fabar. ablue & videbis egregium effectum. Cicatrices denique, ſi nihilhominus quædam ſuperſint, pro his mediante nutritione debitè implendis inſervit axungia aſciæ piſcis illita, & pinguedo anguillæ.

4. *Ptyaliſmus*, rarum equidem hoc poſt variolas apud nos eſt ſymptoma; obſervatum tamen ſæpius à Sydenham. Hic igitur variolis malè tractatis, interdum auſpicato ſuperveniens, ut tractandus, vid. in *cit. Authore de method. med. febres pag.*108. item *in ejus obſ. pag.*174. *& p.*201.

Quoad *quartam indicationem*, *læſionis partium* adhuc habenda eſt ratio, quas inter rarius ac periculoſius affligi ſolent imprimis *Oculi.* In his variolis laborantibus adhibeatur fruſtulum crudum *carnis recentis vitulinæ*, & ita tepidè oculis imponatur, ut hoc ipſum ſalſam infeſtantem oculos humiditatem abſorbeat. Hinc ubi ferè ad quadrantem horæ adhæſerit, auferatur, & recens imponatur, & ſic conſequenter aliquando continuando. *Succus cerefolii* cum *aqua fœnici* inſtillatus variolas oculorum curat. Vid. Sylv. *de morb. infant. c.*9. §.83.

℞. Aq. plantag.
ſolan.
roſar. an. ℥j. in quibus ebulliant.
ſem. ſumach. ℥j.
plantag. ʒß. Ex Colatura

f. Collyrium, ſæpe oculis inſtillandum, idque *in principio*, ut defendantur oculi à puſtulis, in quo obtinendo tale me nunquam fefellit, dicit *Renealmus in obſervat.* Aliquando cum jamjam humor ad partem appulerat, admiſcui, detractis aq. ſolan. & ſem. ſumach. mucilag. ſem. alth. in aq. fœnic. extract. ʒiß. Quibuſdam minori in copia pro ratione morbi. Conf. Horst. *l.*6. *obſ. append. pag.*301. Loco ſem. ſumach. malicorium recipi poteſt, v. gr.

℞. Cortic. granatorum ʒiij. infunde in ſ. q. aq. roſ. & plantag. ſtent in infuſ. in loco calido, poſtea filtretur, & adde
margarit. præp. gr. IX.
croci orient. gr. iij. M.

Aut pro collyrio extemporaneo. ℞. Aq. plantag. & ſperm. ranarum, in quibus parum ſacch. Saturni miſceatur, & ita oculis inſtilletur pro præſervatione. Loco cujus *Saturni ſachari* etiam *tutia* præd. cum pauco vitriolo albo adhiberi poteſt.

Quod ſi nihilominus oculi progreſſu morbi intumeſcant, ita, ut nequeant aperiri, vel etiam glutinoſis ſordibus inviſcentur, *decocto ſem. lini, fœnugraci, cydon mal.* vel *fotu ex malva & ſem. cydon. in aq. communi decoctis* aperiantur, idque tamdiu, donec inviſcatio & tumor ceſſent. *Nebulæ* poſtmodum in oculis apparentes, *pulv. ſacch. candi in oculos inflato* curantur. Hoc enim ſaccharum præſervat non ſolùm oculos; ſed etiam nebulas detergit, ſi etiam cum aqu. roſac. adhibeatur. Sin his omnibus nonobſtantibus, tamen variolæ oculos occupârint, ita, ut iſtis curatis, nebulæ aut ſuffuſiones, aut ſimiles viſus obſcurationes poſt variolas ſuperſint, proficua eſt aqua ophthalmica Rulandi, vel aqua ophthalmica ex croco metall. Pertinet huc, quod refert Lipſius de variolis: Sic ait, (*Sequens experimentum refert codex nonnullus.*)

Adoleſcentulum viſu annuo orbavit Variola, nullo tamen relicto vulnere, lippitudinem unam & caliginem ſi excipies. Gentianæ radicem coctam & contuſam æquali aqua & vino adhibuit quidã & immiſit in oculum ter aut quater in die hanc decoctionem, quod remedium adoleſcentulum, licet tamen cum dolore penitus ſanavit.

Item ℞. *olei muſtelarum gt. j. vel ij. hocce remedium nævos oculorum obliterat.* Conf. quoad Pterygion poſt variolas curatas. *For. l.*6. *obſer.*55. *Nares* defendendi ſunt, in quem finem.

℞. Flor. roſ. rubr. p. iij.
camph. gr. viij. M. F. nodulus crebrius naribus admovendus, vel ſolitarius, vel aceto roſaceo intinctus. Quod ſi in variolis *cruſtæ* ſubinde *circa nares* concreſcant, ita, ut per eas ſpiritus trahi nequeat, *butyrum recens non ſalitum, vel cum aqua roſar. ſæpius lotum*, blandè inungendus eſt, quouſque cruſtæ decidant. *Aures.* Ubi in variolis *auditus læſus* fuerit, imprimis veſicatoria pone aures applicanda: hinc eſſentia card. ben. aut caſtorei cum bombace crebrius auribus immittatur. Vel fiat *ſuffitus ex caſtoreo, myrrha, colocynthide, ſem. fœnic. & pauco croco in vino coctis*, ac per tritorium auribus immittatur.

Funeſtæ imprimis variolæ ſunt *Faucibus*, in quibus ſuffocatoria pathemata, atque adeo agrypniam quaſi inducunt. Ad præſervandas has fauces.

℞. Aq. prunell. ℥iij.
ſyr. de ſuc. ſcabioſ.
granat. an. ℥ß.
Rob. diamor.
dianuc. an. ʒij. *M. F. Looch. pro guttur.*

Vel ℞. Aq. prunell.
ſcabioſ. an. ℥ij.
mucilag. ſem. Cydon.
fœnugr. an. ℥j.
nitr. depur. ʒß. ad ʒj.
M. Gargariſm. pro guttur.

in quem finem *ſtercus equinum* optimo conſilio potui additur vel *ſucco cancr. fluviatilium c. aqua ſempervivi major. miſto*, pro collutione oris & faucium uſurpato, fauces & lingua præſervantur.

Quod ſi nihilominus fauces & lingua obſideantur, idque cum magno dolore & calore, imitemur Forest. *l.*7. *obſ.* 17. qui jubet, ut continuo cum *lacte caprino & aq. plantag. ſimul miſtis*, tepidè ſe gargarizent ægri, aut ſi gargarizatio moleſta ſit, ſaltim aliquandiu in ore detineantur, hinc expuantur, quod miraculi inſtar prodeſſe ait, & oris & gutturis præſtantiſſimum remedium, cùm ſigna exanthematum ſe produnt. Item ℞. *Gargariſma ex decocto hordei, paſſul. min.* ac ſimilibus temperantibus adhibeatur, idque ad faciliorem maturationem, puſtulis verò jamjam ſe aperientibus,

hoc decocto *mel roſaceum c. pauxillo alumine* admiſceatur ad meliorem purificationem, ne ulcera ſordida remaneant. Quod ſi nihilominus fauces exulceratæ fuerint.

℞. Herb. ſalviæ, vel veronicæ.
ſem. hordei, an. M.ß. vel j.
paſſul. min. M.ß. coq. in ſ.q.aq.plantag.
Colat. ℞. ℥viiij. vel ℔j.
adde mellis roſati ℥iß.
alum.ʒß. ad ʒj. M.pro Gargariſmate.

Quod ſi *lingua* exulcerata fuerit, ſiquidem hæc non rarò tota putreſcit, eroditur, & expuitur. (*vid.* Schenck. *l.*1. *obſ.* Bart. *c.*2. *hiſt.* 22.) Contra talem linguæ exulcerationem.

℞. Flor. malvæ arbor.℥ß.
balauſt. ʒij.
myrrh. elect. ʒj.
alum. ʒß.
C.ſ.q.mellis deſpumati, F.Linim.molle.

Quod ſi variolæ *labia* obducant, adeoque ingentem dolorem inducant, *mucilag. ſem. Cydon.* eædem inungantur, & curentur.

Quod *Dyſenteria* vel corripiat, vel ſubſequatur variolas, internè *diaſcord. Fracaſtor.C.C. uſt. terr. ſigill. tormentill.* &c. conveniunt. Externè ſi ferat morbi conditio, *clyſter* ex lacte cum rad. ſymphyti uſurpari poteſt. Adhiberi etiam poſſunt remedia *Riveriana*, quæ in *cent.*1.*obſ.*71.*& cen.*2.*obſ.*2.

In *mictu cruento* remedia ex *plantagine* ſunt optima.

Paralyſes nunc particulares, nunc univerſales, non rarò inſequuntur variolas, quam tractandi rationem vid. in *M.A.N.C.ann.*4.*pag.*13. Item quoad *loquelam* poſt variolas amiſſam, ex vitio paralytico, vid. Hild. C.6. *obſ.*14.

Ulcera ſubinde peſſimi moris poſt ſe relinquunt variolæ, adeò ut Salmuth, *cent.*2.*obſ.*50. ulcera mammarum admodum maligna orta notet ex paucis latentibus variolis corruptis. Ulcera talia cautè, & non adeò vulgari modo tractanda ſunt. Conf. *Fehr. de* Scorzoner. *pag.*88.

Gangræna non rarò variolas uno alterove loco inſequitur, quæ pars quomodo tractanda, & ægra à corpore ſeparanda ſit, exemplo gangrenæ genarum à variolis docetur in *M.A.N.C.ann.*4.*pag.*50. Facit huc curioſa obſervatio Thiermajers *conſ.l.*1.*p.*106. *Scortum* in Variolis ſphacelatum per *præcipitatum rubrum* cum unguento roſato digeſtivo mixtum, ſeparatum & reſarcitum.

Denique *articulorum tumores & ulcera* poſt variolas ut curanda, vid. in *M.A.N.C.ann.*6.*pag.*139.

Ad malignas hujuſmodi febres pertinet etiam.

FEBRIS NOSTRA PURPURATA.

Febris purpurata, ſive febris militaris.

Aliàs *febris militaris* dicitur. Vid. *M.A.N.C. ann.* 6. *pag.*76. quo loco pag. 205. *Purpuræ epidemicæ malignæ* infantum fit mentio. Aliàs febris militaris dicitur. vid. *M.A. N.C. ann.* 3. *pag.* 397. item *Morbilli ignei* quibuſdam vocantur, vid. *M.A.N.C. l.c. ann.*6. Febris hæc quoſvis adoritur, mares & fœminas, infantes & adultos, præſertim puerperas, quibus & malignior & funeſtior exiſtit, forſan menſium retentorum occaſione. *Acidum* ſui generis *malignum eſt ejus fomes.* Hoc enim ubi ſecretum & devictum fuerit, atque ad loca intercutanea propulſum, horum ardor, pruritus, deſquammatio, excitatur. *Remedia volatilia & myrrha* conveniunt. Subinde acutus, non rarò præceps eſt affectus, qui dum maximè videtur blandiri, etiam ex leviſſimo horrore, ſubito jugulat.

In *Cura* eadem quæ ſupra de malignis dicta fuerunt, obſervanda. In ſpecie *rob. ſambuc. cum C. C. item:*

℞. Aq. ſcabioſ.
fumar. an.℥iß.
Eſſent. caſtor. ʒj.
unicorn. ver.
antimon. diaph. an.ʒß.
ſal. volatil. C.C. gr.xv.
ſyr. artemiſ.ʒvj.M.pro aliquot doſib.

Item præſertim, ſi diarrhæa talibus funeſta ſe ſociaverit.

℞. Aq. flor ſambuc.
card. ben. an.℥iß.
ſpir. theriacal. ſimpl.ʒiij
C. C. uſt.
antimon. diaph. an.℈j.
bol. armen. gr.xij.
ſyr. flor. tunic. ʒiij. M.

Liquor C.C. ſuccinatus egregius pariter eſt in hoc affectu. Agmen claudat

MORBUS HUNGARICUS.

Morbus Hungaricus ſive febris caſtrenſis.

ſive *Febris caſtrenſis*, maligna admodum & glorioſa præ cæteris malignis febribus, trigâ ſymptomatum acerbius affligentium inſignita. Nempe 1. *gravi cardialgia & anxietate*, hinc 2. *Intolerabili Cephalalgia*, indeque *graviſſimis deliriis*, ac denique 3. *graviore prunella*, quibus & *dolor ſive laſſitudo artuum oſteocopos*, & ſubinde *alvi fluor* ſe ſolent ſociare. De hoc morbo tractavit *Mart. Rulandus.*

Cura eadem eſt atque ſupra inſinuatum. Valent in ſpecie *Vomitoria*, quæ in morbi principio admodum ſunt neceſſaria. Hinc etiam *venarum raninarum ſectio*, reſpectu nempe *prunellæ*, loco quarum *venam frontis* quidam ſecare amant, reſpectu habito ad *Celphalalgiam & deliria. Remedia* inter pro *julepo* commodè inſervit *decoctum C.C. cum ſucco citri.* Pro diaphoreticis *ſpiritus* theriacal. camphor. Diaſcord. Fracaſt. pulvis rubeus Pannonicus. Quibus & nitrum antimoniatum, præſertim in potu ſubinde addi poteſt. Faucibus optimè convenit. aq. ſemperv. maj. v.gr.℔j. cum ſucci proprii ℥ij. acuata, addita, ſalis armoniaci ʒj. quæ miſceantur pro gargariſmate.

PESTIS.

Peſtis

Adhuc ſupereſt, cujus conſideratio & Theologica & Medica eſſe poteſt. Theologi eandem Flagellum DEI dicunt: Medici ejus naturam quantum poſſibile eſt indagant, & per medicamenta ejus malignitati ſuccurrere ſatagunt.

Eſt autem ſeu vocatur *Peſtis* quando adeſt in morbis ſupremus malignitatis gradus, qui quoniam cum omnibus morbis conjungi, adeoque varia Symptomata inferri poteſt non peculiarem quendam morbum conſtituit, ſed tantùm conditionem morbi peſſimam deſignat. Conjungitur etiam peſtis cum omnibus aliis morbis: Unde etiam diverſo tempore diverſæ obſervatæ ſunt peſtes.

Sic enim ab Ægineta prodita eſt *Colica peſtilens: Peripneumoniæ peſtilentialis* meminit Fracassatus: *Peſtis pleuritica* deſcripta eſt à *Johanne* Wiero: ab aliis *Phrenitides, Dyſenteriæ, Hepatitides peſtilentiales* fuerunt obſervatæ: Item *Anginæ peſtilentiales* non ſunt raræ: Mercurialis memorat cujuſdam *peſtis* quæ *pedes, tibias & oſſa* ita *infeſtabat*, ut correpti intra triduum plerumque interirent. *Georgio* Agricolæ nota fuit Peſtis quæ homines velut *ſtupefactos ac ſideratos* omnibus membris reddidit, item obſervata fuit ab eodem alia quæ totum fere corpus in *putredinem verminoſam* reſolvebat. Nec ignota eſt peſtis illa quæ *ſudoris Anglici* nomine ſuperiori ſæculo & quod excurrit innotuit.

Omnium maximè eſt *peſtis ea vulgaris quam nunc Bubones nunc carbunculi nunc petechiæ peſtilentiales inſequuntur.*

Omnes ergò hi affectus diſtincti, præter ſuam ordinariam ut ſic dicam naturam ſeu conſtitutionem ſummam h ibuerunt conjunctam malignitatem. Unde

ſive

ſive eos appellare velis morbos malignitat. ſumma conjunctos ſive dicere velis eos eſſe peſtes tales morbos imitantes perinde eſt: Cum in peſte &*ſit cauſa quæ tales morbos producere; & præterea ſingulari malignitate præſentaneum vitæ periculum inferre poteſt: In poſteriori conſiſtit peſtilentialitas: Unde morbus cui hæc conjungitur peſtis poſtmodum vocatur: adeo ut per *peſtem* nihil aliud intelligatur quàm *morbus maximè contagioſus & epidemicus, qui ortum ducit ex miaſmate veneneto ab aëre primum ſuſcepto* & hinc per *Contagium propagato, quo occultè & latenter homines aggreſſus in ſummum vitæ periculum conjicit.*

Miaſma iſtud contagioſum *ſummè eſt ſubtile* adeò ut quaquaverſum diffuſum potentiſſimè multiplicet: Unde à quibuſdam vocatur *ſpiritus peſtilentialis*, item *aura venenenda* vocari ſolet.

Summè contagioſum eſt malum quod miris modis inficere ac ſe multiplicare poteſt. Cum *non tantum per contactum corporalem*, ſed per *intermedia quæcunque*, v. gr. per *veſtes*, per *nummos*, per *literas*, hinc inde tranſmiſſas, propagata & in alias regiones tranſlata fuerit peſtis.

Natura hujus *Miaſmatis peſtilentis* contagioſi cum à nemine hactenus cognita fuerit etiam ab omnibus ceu ignota relinquitur: vid. tamen KIRCHERUS *in ſcrutinio peſtis* qui egregiè ventilat, eam tamen ſuæ putredini animatæ applicat: poſt hunc cautè legendus HELMONT. qui imprimis eſt artificioſus in eo quod præ cæteris eleganter monſtrat modum quo ex affectibus animi, imaginatione, terrore ac pavore ſubinde propagantur peſtes: ut eædem afficiant corpora anteà ſana.

Nam inter *cauſas* quæ diſponunt corpus ad peſtis fomitem ſuſcipiendum vix una potentior eſt *affectibus animi, imaginatione* ſeu *terrore, metu, pavore* & ſimilibus. Exempla admodum miranda hinc inde proſtant in Autoribus: in ſpecie videndus DEUSINGIUS, *Diſſertatione de peſte*, item GABELHOVER *cent.* 1. *obſ.* 67.

CAUSÆ REMOTÆ,

Seu quæ Miaſma iſtud venenoſum poſſunt producere ſunt *variæ* ac diſtinctiſſimæ. Præ cæteris *terræ motus* ſunt conſiderandi: Utpote cum paſſim extant terræ motus quos graviſſimæ inſecutæ fuerunt peſtes.

CAUSA.

Tunc rectè rejicitur in *effluvia arſenicalia & ſulfurea cruda* & immatura quæ aërem inquinando promptiſſimè peſtem induxerunt.

Hinc *morbi maligni nonnulli* ſubinde graſſantes tandem in *peſtes varias exacerbantur*. Unde eſt quod *variolæ*, quod *Dyſenteriæ epidemicæ* & in ſpecie *febres petechiales* ſubinde graſſantes *Prodromi ſint* admodum frequentes veræ *peſtis*. *De veneficiis* & aliis morbis non opus eſt ut multa dicam. Cum proſtent apud omnes Autores. Utut autem Miaſma peſtilentiale ſit potentiſſimum adeò ut etiam per infectum aërem ſe propaget: nihilominus tamen inter *conſanguineos* ſ. eos qui habent ſymbolum ſ. convenientiam naturalem citius & potentius ſe propagat. Unde ſæpius integras familias devaſtat peſtis, utut alios homines cum his frequenter converſantibus non attingat. Fundamentum conſiſtit in *Archæo* ſ. ſpiritu *animali* cui ſi cum ei Miaſma peſtilentiale arctius ſe impreſſit huic Symbolicantem ſimilem Archæum inficere & inquinare poteſt.

Peſtis uti ſuperius monui eſt admodum *varia*. In genere *nunc eſt cum febre complicata nunc*, utut rarius, *eſt abſque febre*.

Sunt equidem multi qui exiſtimant peſtem eſſe non poſſe abſque febre. Verum contrarium teſtatur experientia: Imprimis videre poteſtis de peſte BARBETTE *in Tr. de peſte*, qui cùm aliquoties fuiſſet præſens ſ. duas peſtes ſuſtuliſſet *Amſtelodami*, refert ſe obſervaſſe multos quibus citra febrim bubones ſub axillis propè inguina & propè aures eruperunt qui ſatis teſtati fuerunt peſte correptos & affectos fuiſſe: quos ipſos tumores *abſque febre* in peſte longè difficiliores eſſe curatu quàm reliqui ipſe obſervavit.

Symptomata alia quæ peſte affectis ſuperveniunt ſunt ferè omnis generis. Præ cæteris *horror levis* corripit peſte infectos: Huic inſequitur *æſtus* ſ. *ardor internus* admodum *ingens*: Hic æſtus internus eſt interdum admodum inſignis *cum ſiti* tamen *parva vel nulla* conjunctus. Econtra eſt *ſitis* admodum *intenſa* ſ. uti vocant *clamoſa*, & tamen eſt *febris admodum parva* ſeu ardor exilis.

Utplurimum ſive parvus ſive magnus ſit ardor corporis, *lingua* percipitur *arida & ſicca urina exiſtente ſanorum ſimillimâ*. Interdum *inclinant in ſomnum*: ſæpius tamen *caput inſigniter dolet*, & tunc *album oculi inſigniter rubet inſtar ignis*, & taliter ægri *nullomodo ſomnum* capere poſſunt. Adſunt imprimis *anxietates cordis, cum pulſu parvo ac debili*: aut verò ſi primo attactu pulſus apparet magnus nihilominus tam ubi vehemetius paulò applicantur digiti mox ſuam parvitatē prodit. *Vires* imprimis *in principio ſubitò ex toto proſternuntur*: ſupervenit interdum *alvi fluxus*, qui nullo ferè remedio ſiſti poteſt: quidam ſæpius *vomunt*: quidam verò tantummodo ad *vomitum inclinant*. Multi habent *tumores propè axillas*, propè *aures*, & propè *inguina*: aut *in locis ubi adſunt glandulæ*, aut majores aut frequentiores: quibuſdam erumpunt *Puſtulæ rubeæ* ſ. *albæ*: quibuſdam *Anthraces* ſ. *Carbunculi*, quibuſdam *Petechiæ*.

SIGNA

Jam quæ peſtem prædicunt ea ſunt.

QUIDEM PESTIS IMMINENTIS

1. Quæ inter vel maximè conſideranda ſunt *inſecta*, ubi ſcil. *multa ac varia* Inſecta aliàs *inſueta* aut admodum *copioſa* obſervamus in aëre. Nam ex his inſectis aut portendi aut etiam inferri peſtem multi exiſtimant Autores. *Exempla* ſunt nota ex KIRCHERO præ cæteris, præter hunc ex RIVERO *obſ.* 10. *Morborum infrequentium*, item HILDAN. *cent.* 4. *obſ.* 23. Item obſervatum fuit ſæpiſſimè vel *Bufones crebriores*, aut etiam *inſecta inconſueta* aut inſolita, aut admodum *frequentia*, ita prædixiſſe peſtem ut ſæpius inſecuta fuerit peſtis, an ut cauſa an verò ut ſignum non diſputo. Reliqua *Signa Prognoſtica* peſtis imminentis à KIRCHERO *in ſcrutinio peſtis* adſignata hîc non attingo.

2. VERUM PRÆSENTIS PESTIS SIGNA.

Non æquè ſunt facilia. Nam antequam peſtis graſſatur vix ſignum Pathonogmonicum poteſt haberi: plerumque tamen in omnibus peſtium Generibus cum *ſignis* quibuſdam *febrium ardentium* ſ. *continuarum* concurrere ſolent *bubones carbunculi, & macularum varietates*, uti etiam interdum *ulcera maligna*. Quod ſi verò in aliquo loco jam graſſari incipiat peſtis non difficulter cognoſci poteſt ex eo. 1. *quod multos invadat*, ac pleroſque ſubitò *jugulet*, vel 2. quod *virium ſubitanea* adſit *proſtratio* & adſint *ſymptomata facultatem vitalem ſine manifeſta cauſa* inſigniter *lædentia*.

Pulſus in progreſſu ſunt parvi, languidi frequentes & inæquales. In *principio* interdum ſunt *magni*, & *celeres* ſed *mox fiunt intermittentes & inæquales*.

Si *in progreſſu* conjungatur *febris calor extrinſecus* apparet *nullus, intus* verò inſigniter *eſt ardens*.

Ægri interdum *fœtidum expirant aut ſudant* aut etiam *malè totum corpus olet*: aut etiam *dicunt in cibo & potu fœtidum ac putridum ineſſe odorem*.

Ægris

Ægris varii colores ſubinde ante oculos verſari videntur.

Et denique *ſi graſſante peſte æger ſentiat in locis bubonum*, v.gr. ſub *axillis* vel *inguinibus* & *parotidibus* ſi his in locis ſentiunt, *puniticulum* ſ. punctutam inſtar circuli, tunc ſolet eſſe *infallibile ſignum* peſtis, tunc temporis ubi aliàs eadem graſſatur. Et LINDANUS dicit nunquam me fefellit; qui tribus interfuit peſtibus, ſi ſcilicet conjunguntur reliqua ſigna.

Quoad *DIAGNOSIN* adhuc noto curioſum quid ex BORELLO de quodam Eremita qui *locum peſte infeſtum ſolo odore* potuit cognoſcere & quidem, uti retulit fuit fœtidus inſtar calceorum uſtorum. Vid. *cent.* 1. *obſ.* 74.

In *PROGNOSI* cautus ſit Medicus utut minus poſſit errare quàm in febribus malignis, ex eo quoniam ſæpiſſimè peſte infecti moriuntur.

INTER SIGNA PROGNOSTICA.

Obſervetur quod *ſcabies tempore peſtis* ſit *ſalutaris*; & qui ex *lue venerea infecti* ſunt aut qui *ulcera habent raro peſte inficiuntur*, ubi hoc rectè obſervat FORESTUS *lib.* 6. *obſ.* 24.

Porrò ii, *qui ob peſtis horrendū metum* vel *poſt exercitationem nimis vehementem, peſte corripiuntur in vitæ periculum adducuntur* licet maximè ſedulò curentur; uti obſervavit GABELHOVERUS *cent.* 5. *curat.* 71.

Salutarem promittunt eventum ſi *Bubones* atque *tumores citò & confeſtim* erumpunt ſimulque poſt eorum eruptionem ſymptomata remittunt.

Bubonaria peſtis quocunque in loco erumpat eſt *utiliſſima*. Secundum hanc ſunt peſtes cum *Anthracibus* conjunctæ.

Peſſimæ omnium ſunt peſtes *petechiales* quæ petechiis corpus inquinant.

Bubones plures ac boni coloris ſunt ſalutares: E contra *Carbunculi quo plures eò res eſt periculoſior.*

Si *per ſudores largiores* materia diſcutiatur *bonum* ſignum: *ſi verò ſudor ſit frigidus* vel etiam *externa frigida* in ſpecie *nares eſt malum.*

Narium ſtillicidium eſt lethale.

Tumores deliteſcentes ſeu uti vocant ad interiora retrocedentes *ſummum periculum* portendunt.

Eminentibus Exanthematibus ſ. bubonibus ſupervenieus *ſingultus malum eſt periculoſum.*

Delirium cum oculis ſiccis & lingua arida pravum eſt ſignum.

Anthraces quæ erumpunt *in digitis*, utut videantur tutiores, quia à corde remotiores: propter nervos tamen ac multos tendines *periculoſiores ſunt quàm in aliis partibus carnoſis.*

Si *ſuper Bubonem* erumpat *Anthrax* ſeu carbunculus *lethale* eſt ſignum.

Si *Bubones & Anthraces ante febrim* erumpunt *minus eſt periculum*, *quam ſi poſt febrim* demum appareant.

Si *Tumores ſunt aliquantiſper inflammati non eſt adeo* inſigniter *periculoſum*. Verum ubi eos circumdat *circulus plumbeus* ſ. *lividus* ſæpè ante biduum ægri moriuntur.

Cantharides applicatæ *ubi non excitant veſicas*, audacter pronunciandum *ægrum difficulter reconvaliturum.*

Si poſt *applicatum veſicatorium* aptum vel etiam poſt *cauterium actuale* intra 12. vel etiam ad ſummum 24. horas *Anthracis augmentum* ſ. ejuſdem progreſſus *ad vicina non poteſt inhiberi, æger interibit.*

Id quod etiam fit *quando poſt cauterium* ſive *potentiale* ſive *actuale* applicatum *locus aridus ac ſiccus permanet.*

Sin verò applicato cauterio erumpit *Puſtula* ſeu veſicula, *quò major eò melior* & poſtmodum conveniens materia in illa generatur, æger erit extra periculum.

Anthrax cum vibice communiter *flavo vel rubeo*, eſt admodum *periculoſus*, *quod ſi vero vibex albeſcat* citra febris decrementum *pauca ſpes* ſalutis ſupereſt.

Si *Bubones in* collo aut prope aures inducant *dolores gutturis & deglutitio citra inſignem internam inflammtionem impeditur*, tunc patiens vix ultra 12. vel 15. horas ſupervivet.

Febris inſignis citra anxietates cordis minus periculoſa eſt, quàm anxietates cordis citra inſignem febrim,

Quò arida magis & ſicca eſt lingua eo majus imminet *periculum.*

Si *ſudorificis propinatis*, ægri parum vel nihil ſudant, facillimè interire poſſunt.

Hæmorrhagiæ ſemper ab omnibus Medicis tempore peſtis ſtatuuntur *periculoſæ.*

Sed qui *per nares* legitimam habent *Hæmorrhagiam* aut quibus ſupervenit *menſium fluxus*, *ii ſæpius convaleſcunt.*

Quibus ſupervenit mictus cruentus ſubitò intereunt.

Interdum fit ut *Anthraces* oriantur in *oculis* in *naribus* in *ſtomacho & inteſtinis*, idque *citra ſpem* vel *minimæ convaleſcentiæ. Anthraces* oriuntur etiam in *veſica urinaria* & tunc ægri cum ſummis torminibus intereunt.

Quidam tanquam certum hoc habent experimentum *prognoſticum* in peſte: ſcil. *projiciunt lac mulieris* lactantis maſculum *in urina peſte infecti*, unde ſi cadat in fundum ante 6. vel 7. dies ægros interire ſi vero non cadit dicunt eundem ſupervivere, ſit fides penes experientiam. Peſtis una eſt acutior altera. *Eſt peſtis quæ intra* 24. *horas* enecat: quædam ad 4. *vel* 7. *diem* ſe extendit. Plurimi peſte laborantes 6. die vel 7. intereunt, intra 4. ſummum eſt periculum.

QVOD ATTINET CVRAM.

I. In peſte *duo ſunt conſideranda* 1. *ut præſervetur* æger *ab inſultu.* 2. *ut infectus* jam æger *curetur.*

Præſervativum optimum *eſt fuga*, quæ an licita ſit digladientur Autores.

Præcipiunt in genere *citò, longè & tardè*: Citò ut in tempore iter ſuſcipiamus: longè, ut longè recedamus: tardè, ut tardè revertamur.

II. *Cum peſtis afflictio* in duobus *conſiſtat*: nempe *in cauſa agente*, id eſt in malignitate ubique graſſante. 2. *in ſubjecto patiente* ſeu corpore humano malignitatis inſultus ſuſtinente.

Propterea *Præſervatio conſiſtit* in duobus: *in cauſæ averruncatione* & vitatione, & 2. *in ſubjecti ad reſiſtendum roboratione*, ſeu impeditione ne contagium malignum ſuſcipiat. Deinde *jejunos* facilè afficit peſtis ut quod in genere de febribus malignis, obſervatur idem in *Metalliforſoribus*, ideoque *jejunus non eſto*, ſed ſemper antequam domo exeas *ſumas buccellas panis & hauſtum vini Abſinthitis* vel quod melius eſt præcipiunt quidam *hauſtum vini*, ita quidem ut prius accendas *Camphoram* magnitudinis, Piſi, quam leniter accenſam immitte vino ut ſupernatando comburatur, ſi extinguatur denuò accende & perge donec conſumpta ſit, & *vinum* hoc *Camphoratum*, antequam exeas, *haurias*. Eſt enim vinum ſingulare præſervativum in peſte, imprimis etiam ex eo quod animoſos & minus pavidos & meticuloſos reddat homines: adeoque ſi graves animi affectus ad peſtem diſponant, ad reſiſtendum iiſdem Autores unanimiter commendant vinum. Vid. VVILLIS, *Tr. de peſte.*

Poteſt fieri *vinum medicatum infuſione vegetabilium Alexipharmacorum*, & tale vinum medicatum hauriri ſingulis mane antequam exeamus.

Purgantia ad præſervationē ſunt rara, parca & cauta. Rara, ne *ſæpius* inſtituantur purgationes: *parca ne ſint* nimis graduata ſeu *in nimia doſi*: *Cauta*, ne *ſint vehementiora*, Ubi opus eſt laxatione, præſcribendus eſt hauſtulus BARBETÆ cujus hæc eſt deſcriptio.

♃. Rad. Scorzoner. ℥ß.
Fol. Senn. ʒij.

Rhabarb.

Rhabarb. elect. ʒiß.
Crem. Tartari.
Sem. Aniſ. an. ʒß.
coquant. vel infundant. (perinde eſt.) in
Aqua Card. bened.
Colat. ℥iij.
add.
Syrup. d. Cichor. c. ʒvj.
Confect. Alcherm. ℈j.
Spirit. ſalis parum
miſc.

D. S.

In genere tamen raro & parcè ſunt purgandi qui ſe præſervare volunt.

Potus ſpirituoſi in ſpecie tamen *aqua theriacalis, aquæ apoplectica*, & ſimiles: item ipſæ *compoſitiones theriacales in præſervatione non ſunt adeò convenientes:* ratio quia admodum *ardentes* accendunt *febres* ubi ſupervenerit peſtis, & in talibus febribus admodum pertinacia inferunt *deliria: Aut* ergò *parum* ſunt *uſurpanda* talia *aut intermiſtis acidis temperanda* monente Sylvio.

Fonticuli corpori inuſti ſunt unum ex præſentiſſimis præſervativis, quos omnes Autores ex experientia confirmant. vid. præ cæteris Primerosium *lib.* 4. *de Febribus cap.* 10. Hildan. *cent.* 4. *obſ.* 23 & alios Autores. Confirmat hoc ipſum etiam Lindanus qui dicit nihil melius eſſe ſe præcavere quàm per fonticulos: dicit Avunculus meus vixit in Marocco ſ. Africa ubi ſuo tempore ſpatio 5. ſeptimanarum 85000. hominum fuerunt interempti à peſte: ipſe ſe præſervavit autem & multos alios inuſtis fonticulis, ita ut omnes ii quibus excitantur fonticuli liberetur & præſerventur. Dicit in ſe expertum eſſe fonticulorum inſignem uſum, & quod ii qui inſcii ad infectos accedunt ſtatim puncturas & quaſi mortificationem in fonticulo perſentiant, ut quod ipſe expertus teſtatur.

Præſervatio inſtituitur *vel per medicationem aëris, vel per medicationem corporis. Aërem* medicari ſolemus *per ſuffitus*: ubi *ſuaveolentia ut moſcus, ambra, zibethum minus conducunt* quin *potius ſulphurea, nitroſa, & acida* pro aëre medicando ſunt aptiſſima.

Sic *ſulphuris parum* accenſum inſigniter aërem corrigit: ſi adjungatur *nitrum*, eò melius.

Hinc *pulvis pyrius* accenſus eſt unum ex optimis Medicinis pro aëre corrigendo.

His nempe ſulphuri & nitro adduntur etiam alia *ſulphurea ſubjecta, Succinum, Benzoë, Baccæ Juniperi, Thus, pix nigra, Camphora*, ac *Galbanum*, & ſimilia ſulphurea.

Pix uti notum eſt fuit ſecretum Hippocratis pro aëre corrigendo.

Commendantur etiam *exploſiones tormentorum bellicorum:* idque fit beneficio pulver. pyrii.

Præterea etiam *vitriolum, alumen, nitrum, ſulphur*, & in ſpecie *horum ſpiritus*, ſuperaffuſi lateribus ignitis inſigniter aërem corrigunt.

Aut etiam *acetum roſaceum*, *acetum rutaceum*, item *acetum vitriolaceum Angeli* Salæ, affunduntur lateri ignito ut fumus exinde exſurgens aërem corrigat.

In ſpecie *acetum vitriolaceum* Salæ commendatur ad purificanda veſtimenta & domos peſte affectas. Singulare experimentum dicunt acetum hoc modo præparatum ad corrigendum aërem.

℞. Rutam quam macera in aceto deſtillato addunt vitrioli q. ſ. pro ratione aceti deſtillati, clarum decantant & ſuper lateres ignitos effundunt: quod dicunt fugare peſtem utut omnia conclavia ſint repleta. Sunt qui præferunt *viride æris in aceto* maceratum quod ſimili modo infunditur lateribus candeſcentibus pro corrigendo aëre.

De *ſulphure & pice* Hipocratis, ſcil. ad corrigendum aërem remediis, vid. Kircherum *in ſcrutinio peſtis*, item Helmont. *in tumulo peſtis*. Non inepti ſunt qui *Lac* calefactum præcipiunt ut reponatur in conclavi venenato: ſic enim fieri ut infectio lacti ſe inſinuet ita, ut cruſta viridiuſcula lacti ſupernatare appareat.

Medicamenta corpus *præſervantia*, ſunt vel *Interna*, vel *Externa*.

INTERNA SUNT ACIDA vel *SULPHUR*,

Quod eſt τὸ θεῖον quo curavit Hippocrate peſtem, vid. Helmont. *Acida* ab omnibus Autoribus commendantur in præſervando corpore à peſte: Unde præter *vinũ acidum, fructus aciduli, citrus berberi ribes* & ſimiles inſigniter commendantur: item *cydonia & aurantia, & ex his parata Embammata.*

Obiter moneo: *acida conveniunt in peſte*, unde Sylvius concludit à poſteriori cauſam peſtis eſſe ſal. vol. acre uti in reliquis morbis malignis,

Quæcunque *acida* aſſumpta *proſunt*.

Sic *aceta theriacalia* ſunt quæ in tali caſu reliquis præferuntur: In genere quidem *cochlear aceti* tempore matutino hauſtum inſigniter convenit ad præſervandum corpus à peſte, quo uſus eſt Sylvius *in peſte Amſtelodamenſi*.

Meliora ſunt *aceta theriacalia*, ex ſimplicibus alexipharmacis quorum deſcriptiones variæ hinc inde proſtant.

1. Sit *aqua prophylactica Belgarum* quam Sylvius & Barbette *in peſte Amſtelodamenſi* uſurparunt feliciſſimè.

℞. Radic Angelic.
Zedoar. an. ℥j.
Petaſitid. ℥ij.
Fol. Rut. ℥iv.
Meliſſ.
Scabioſ.
Flor. Calendul. an. ℥ij.
Nuc. jugland. immatur. concisar. ℔ij. (ratione vitrioli)
Pomor. citr. recent. conciſ. ℔j.
contund. omnia ſimul.
affundat.
Aceti vini optimi ad 3. quart. partes ex arena per alembic. deſtillati ℔xij.

digerant per noctem. Hinc deſtillentur igne cinerum lentè ad ſiccitatem & acetum hoc uſui ſerva pro præſervatione peſtis.

2. Facit huc etiam *acetum theriacale* Timæi, cujus feliciſſimum ſucceſſum ipſe in peſte vidit. *vid. lib.* 8. *caſ.* 32. ubi videbitis inſignem efficaciam aceti hujus theriacalis. Compoſitio eſt hæc.

℞. Confect. Orvietan. ℥ij.
Diaſcord. *Fracaſt.* ℥iiß.
Theriac. *Andromach.* ℥j.
Radic. Angelic.
Contrajerv.
Enulæ.
Pimpinell.
Tormentill.
Scorzoner.
Dictamni alb.
Petaſitid. an. ʒvj.
Fol. Scord.
Rutæ
Millefol. an. m. j.
Flor. Calend.
Tunicæ an. m. ß.
Cortic. Fraxini.
Citr. an. ʒß.
Baccar. Juniper. ʒiiß.
Macis.
Zedoar. an. ʒiij.
Camphor. ℈ij.

Croc. Orient ℥j.
Myrrh. Elect. ℥ß.
Aceti ex ſucc. rub. Idei q. ſ.

Miſta ſtent in loco calido benè tecta donec extrahatur tinctura quæ colata in uſum ſervetur.

Hoc certum eſt quod ſola *acida* ſint, quæ potentiſſimè præſervant.

Imo *ſolum acetum* in quo ſoluta *camphora* ſufficit ad egregiè præſervandum in peſte. Quantæ ſint *vires alexipharmacæ aceti vid.in* BARTHOLINO *cent.4.hiſtor.* 13. Et uti ſuperius monui *theriacalia* & ſimilia nunquam ſunt *uſurpanda* niſi in *vehiculo acido.*

Poſt acida *ſulphurea* ſunt,quæ conveniunt ad præſervationem. Hæc interſunt *ſulphur* ipſum & ejus *flores* legitimè ſublimati.

Cum pulvere hoc ſi *myrrham* & *Camphoram* miſceri velis erit pulvis eo convenientior in peſte, vid. in KIRCHERO *ſulphur Bezcarticum* egregium præſcriptum in peſte.

Juxta ſulphur eſt *ſuccinum* ſingulare peſtis præſervativum: quantum valeat *ſuccinum pulſibus applicatum* in peſte, vos docebit HELMONT. *in tumulo peſtis.* Cæterum internè *ſuccinum pulveriſatum* vel ſolum vel cum aliis in vehiculo acido miſtis & aſſumptum eſt egregium.

Sulphur, *Succinum*, *Myrrha* & *Camphora* ſunt egregia.

Nam *Camphora* omnibus Alexipharmacis in peſte *palmam præripit* de qua plura inferius.

Elixir proprietatis cum ſulphure plus ſolitò *acidulatum* etiam egregiè convenit.

Tinctura Bezoartica ſ. *Miſtura ſimplex* ratione ſpiritus vitrioli in minori doſi aſſumpta etiam præſervationis loco uſurpari poteſt. Inter uſualia eſt imprimis *diaſcordium* FRACASTORII quod theriacæ & mithridatio præfertur in præſervatione.

Deinde *ſacharum Saturni* eſt ſingulare præſervativum & curativum morbi Saturnini ſeu peſtis, hujus ſachari Saturni *gr. iv. vel v.* inſigniter præſervant à peſte & febribus malignis, quo aliquot centum perſonas *Auguſtæ Vindelicorum* eſſe à peſte præſervatos, experti loquuntur.

Præ aliis commendatur in peſte *camphora cautè* tamen *uſurpanda*, ne nimio ejus uſu malum acceleremus.

Pauca hæc ſufficiant ad præſervationem internè.

QVOD ATTINET EXTERNA.

Imprimis conveniunt *ſpongia aceto impragnata* naribus admovenda, quæ omnibus pomis ambræ, reliquiſque ſuaveolentibus præferenda.

Vel ad imitationem ZVVOLFERI fiat *pyxis tornatilis* cui indatur *ſpongia aceto Bezoartico* madida & admoveatur naribus. Hæc præferenda omnibus balſamis, oleis ſuaveolentibus ambræ & pomis ambræ. In ore maſticatur *zedoariæ radix*, quæ præfertur reliquis in præſervatione à peſte. Item metalla tractantibus & effodientibus multum commendatur.

RULANDUS *Tract. de morbo Hungarico* experimentum fecit in febre hungarica præſervanda.

Vnde commendantur præ cæteris etiam *radices angelicæ,helenii,imperatoriæ,zedoariæ,cortex citri:* macerantur in aceto & hujus radicis maceratæ ſemper fruſtulum in ore detinetur & ſubinde maſticatur. Sunt qui appenſis ſ. *amuletis* qui Idiotiſmo Paracelſico *Xenexta* vocantur, multa tribuant imprimis *globulis ex arſenico metallico cum albumine ovi & gummi tragacanthi* confectis. Verùm GRIBERTUS *in Medico officioſo* dicit eſſe periculoſum appendere tales.

Præferendus ergo *Magnes arſenicalis*, in quo arſenicum fixum & potenter collectum eſt; Faciendum ergo tale *amuletum.*

℞. Magnet. arſenical. ℥j.
Benzoes, q. ſ.
F. Rotulæ majuſcul.

quæ ſyndone rubrâ incluſa circa regionem cordis appendantur.

Poſt hunc magnetem arſenicalem nota eſt vis *bufonum* in curatione & præſervatione peſtis, quæ burſa uti vocat HELMONT veneno ſa, quodcunque venenum attrahit: ſi ſcil. Bufo aridus applicetur, vel ad methodum HELMONTII fiant trochiſci ex vermiculis bufonum cum carne bufonum & ita cordis regione appendantur.

Verum à quodam experto *Medico* mihi narratum fuit quoad *bufonum* applicationem faciendam diſtinctionem peſtis: *Si ſit peſtis* quæ oritur *ex Gas terreſtri*, ſeu Sylveſtri *ex terræ mineris exhalantibus:* in tali peſte *convenire amuleta ex bufonibus*, quoniam bufo tanquam alimentum attrahat tale Gas Sylveſtre. *Ubi verò* ſit peſtis *ex vitioſo ſiderũ influxu* aut ex *perverſo aëre*, circa gas ſylveſtre aut terreſtre; *optimum* remedium eſſe *in araneis*, utpote quæ vitia aëris attrahant: *In peſte ergo terrea Amuleta bufonum*, *in aërea amuleta arancarum* conveniunt.

Hæc de præſervatione peſtis, pauca ſed ſufficientia, pergo ad

CURAM.

Totius curationis cardo conſiſtit in eo ut miaſma venenoſum in maſſam ſang. receptum patenti ſudorifero foras excludatur. Fundamentum ſuggerit ipſa natura, quæ curatura peſtem deponit venenum, & ab hoc vitiatam materiam veneni tamen atrociam ſimul corrumpentem in bubones & carbunculos, ita peſtem curat, quia venenum extra corpus eliminat.

Totius ergò *curæ cardo conſiſtit in legitimo ſudoriferorum uſu* & applicatione.

Ergò ſi peſte afflicti curandi invocato Divino Numine primo acceſſu *ad ſudorifera alexipharmaca* eſt confugiendum: & quidem omnibus his remediis ob ſummam penetrantiam ſemper & ubique addenda eſt *camphora.*

Deinde *ſemel exhibitum alexipharmacum non ſufficit ſed ſubinde iſtud repetendum* & ſingulis 8. horis iterandum ita ut diurno & nocturno ſpatio æger ad minimum ter ſudet, neque enim putandum quod ubi ſemel vel bis ſudet periculum jam ſit evitatum, nam vel minima veneni particula inſtar fermenti mirandas & ſtupendas exſerit vires: tantum ergo quantum quantum eſt, eliminandum: Et quamvis bubo & anthrax ſit magnus cum levamine, & utut petechiæ ſint copioſæ, nihilominus tamen ſudorifera ſunt continuanda ut eò tutius poſſimus fidere in ſalute ægri *ne fiat recidiva.*

Cæterum *in ſudore proliciendo viriũ ſemper habenda eſt ratio*, ne dum venenum eliminatur, vires ex toto dejiciantur, *neque nimis contegatur* æger ne ſuffocetur, ad unam alteramve horam prolicitus ſudor ſufficit, & peracto ſudore ad confortationem ægri dentur *confortantia acidis* miſta quæ & malignitati reſiſtunt & ſanguini nimis diluto conſiſtentiam denuò conciliant: nam acida coagulant ſanguinem.

Ulterius *in principio* morbi ubi materia maligna ſ. miaſma venenoſum adhuc eſt in primis viis, id quod teſtatur *Nauſea.* Tunc in principio primo commodiſſimè adhibentur *vomitoria admiſtis* ſimul *appropriatis.* Talia enim in peſtis contagio, dum contagium per aërem fuerit hauſtum, mirè conveniunt teſte experientia. Et ubi jam incipiunt apparere vel bubones vel anthraces neceſſitas ulterius vero ſuadet ut propinetur vomitorium, tunc, ne conatus naturæ per tales tumores expellentis venenum impediatur, conſultius eſt buboni maturativum remedium, anthraci verò athractivum applicare dum propinatur vomitorium: Aliàs enim ſi retrocedat tumor is, adeo interdum inſtar ſcirrhi indureſcit ut ad aliquot menſes durities iſta permaneat.

Vomitoria ergò *in principio peſtis conveniunt* cum regimine.

Purgativum

Purgativum verò nulli ullo tempore eſt ſalutare in peſte ſed *ſemper eſt nocivum* : Imò vel *clyſteres vix* ac ne vix quidem ſunt *præſcribendi*.

Quoad *Alexipharmaca* & *ſudorifera* obſervetur: *Generale alexipharmacū pro cura peſtis vix dari*, *niſi* quis *Camphorum* aut *Bufones* velit hîc ſubſtituere, de quibus tamen dubito: Sed deprehenſum fuit diverſis temporibus diverſa etiam remedia peculiares obtinuiſſe vires.

Quod ſi ergò ſpecialia in peſte tali appropriata remedia nondum ſunt inventa generalibus aut alio tempore probatis utendum erit, quibus in cura ſymptomatum ſubinde ſymptomati appropriata ſunt admiſcẽda.

Inter ea quæ adhuc requiruntur ad legitimam peſtis methodum medendi eſt.

Quòd *æger ſudans à ſomno debeat arceri* : impedit enim ſomnus convenientem malignitatis per ſudorem expulſionem.

Quòd ſi ſomno nimis infeſtetur ſubinde *ſpongiola* vel *linteum aceto vini vel aceto roſarum* imbutum naribus admovendum, cujus odore ſomnus arcetur.

Quòd ſi tamen fiat ut *adſit Agrypnia*, vel etiam ex Agrypnia immineat *Deliriū* aut etiam ſi adſit nimia *inquietudo* & ſimilia ſymptomata: in talibus caſibus ſubinde neceſſarium videtur ipſis *ſudoriferis nonnihil de Laudano Opiato addendum*, ut ſymptomata coërceantur, & poſt abſterſum ſudorem ſomnus blandus ac requiſitus ſequatur.

Quando æger ſufficienter ſudavit abſtergendus eſt *linteis ſiccis mundatis* & benè calefactis : ſin lintea iſta *prius ſint ſuffita cum ſulphure ſuccino, thure & myrrha* eſt eò magis proficua abſterſio & convenientior.

Abſterſo ſudore *mutanda* etiam *ſtragula*, nedum ſudore expulſa malignitas denuò verſus corpus properet.

Peſtis conjuncta eſt interdum cum *febre ardente* : ſi ergò adſit talis febris ardens, & inſignis effervescentia totam agitet maſſ. ſang. *in tali caſu minus commodè concedi poſſunt Theriaca* aut *Mithridatium* & ſimilia quæ & ipſa fermentare poſſunt, *niſi* admodum *acidis temperentur*. Loco ergo horum *potius*, *fixa antimonialia* vel *ſalina lixivialia* & ſimilia uſurpantur. Aliàs enim periculum eſt nedum veneno reſiſtimus febrim intendamus, adeóque tandem ægrum interimamus.

Sin verò cum peſte vel *febris mitis vel* omnino *nullà* adſit, tunc videtur conveniens eſſe *theriacalibus* uti, ut ſopita quaſi fermentatio denuò reſtituatur.

Deinde *in peſte ſatius ven. ſect. planè intermittere*, quàm eadem vires labefactare, quarum maxima conſervandi eſt neceſſitas. Præterea nullum indicans ven. ſectiones: è contra plura incommoda poſt ven. ſectionem obſervata, omninò ven. ſect. prohibent eandemque interdicunt: *Idque eo magis ubi peſtis cum alvi fluore* prorumpit: vel etiam ubi *bubones* vel *carbunculi* vel *exanthemata petechialia* ſeſe manifeſtant.

Quibuſdam in locis ægris peſte affectis non ſecus ac febre maligna, applicantur *veſicatoria* circa corpus & coxas, quæ *veſicæ* tali caſu ad evacuationem malignitatis *præferuntur fonticulis qui* potius *in præſervatione experti: hæ in curatione* potentius vim attrahunt, & potentius eliciunt ipſis fonticulis.

Sin cum *cantharidibus* præparanda *veſicatoria*, ſemper præcipiunt Autores ut correctionis gratia ℈j. *cardamomi* addatur.

Quod *ſi* fiat ut *materia ad vias urinarias inclinet abſtinendum eſt à cantharidibus*, *ne* iiſdem *mictus cruentus* in peſte *lethalis* excitetur.

Denique *acida nunquam ſunt omittenda* quin eadem temperata & ſudoriferis addenda & in ſudoris declinatione & poſt ſudorē propinanda: cum hæc ipſa poſt ſudorem debilitatum ægrum inſigniter reficiant, & præterea experientia teſte ſimul malignitati reſiſtant.

His ipſis tamen *acidis* ad æſtum compeſcendum propinatis *ſemper aliquid de ſudoriferis addendum*, ut corpus ſi non in perpetuo ſudore ſaltim in perpetua diaphoreſi aucta nonnihil conſervetur.

QUOD ATTINET REMEDIA.

Præter ea quæ ſuperius de febribus malignis recenſui, & quæ ipſa etiam in peſte commodè applicari poſſunt *ſunt aceta omnis generis. Acetum de rubo Idæo, Sambucinum, rutaceum, Tunicæ, Scordii.*

Præterea ſubinde laudavi *camphoram*, quæ certè in peſte curanda *omnibus præfertur* ſicut acetum in peſte præcavenda : ſive *in ſubſtantia* aſſumatur ſive *in oleum* redacto propinetur : Unde expertiſſimum & celeberrimū eſt *oleum peſtilentiale* HEINISII, *Medici Veronenſis in Italia* qui tanta præſtitit cum hoc in peſte Veronenſi, ut ipſi poſt mortem ſtatua Veronæ fuerit erecta conſtat ex ana olei camphoræ, olei ſuccini, & olei corticum citri. Hæc enim ipſa olea bene juncta ad *guttas* 10. *vel* 15. pro circumſtantiarū varietate propinata inſigniter conferunt.

Alii *camphoram cum albumine* lento igne per retortam deſtillant in oleo, quod oleum cum ſpiritu vini aliquandiu circulatum fit egregium antipeſtiferum. Imò vel *ſolus ſpir. vini camphoratus* ſeu in quo ſoluta fuit camphora egregii eſt uſus in curandâ peſte.

Hinc ſunt qui dicunt quod *camphora in ſpiritu theriacali camphorato* ſit baſis miſturæ ſimplicis, & etiam tincturæ Bezoarticæ.

A nonnullis inſigniter commendantur hæc duo medicamenta *ab* UNZERO *de peſte* deſcripta, quorum baſis eſt *camphora*. Primum eſt *electuarium*, alterum *Potio*.

Electuarii deſctiptio eſt hæc.

℞. Theriac. Andromach. ℈ij. l. ʒj.
Flor. ſulphur. ℈j.
Camphor. gr. xv. (doſis exceſſiva)

M. d. infecto expectando ſudorem.

Potio hoc fit modo.

℞. Aqu. theriacal. ℥j.
Croci ad quantitat. Ciceris.
Camphor. ℈ß. (doſis exceſſiva.)

miſc. detur adulto infecto totum, juniori dimidium ſuperbibendo aqu. card. benedict.

Semen Hederæ arboreæ, jam ab antiquiſſimis Autoribus commendatum à multis etiam expertum in praxi: *ad ʒj. in aqu. card. benedict. vel vino:* vid. KIRCHER. *in ſcrutinio peſtis; & palmarium in Tr. de morbis contagioſis p.* 453. *Verùm* etiam noviſſimis temporibus in peſte Hyberniæ Medicus quidam frequentiſſimo in uſu habuit hoc *ſemen*, quo ſæpius in dies repetito, quamplurimos à peſte liberavit.

Baccæ juniperi ſunt commendatiſſimæ : unde etiam theriaca Germanorum jure optimo vocari poſſunt: & ejus *Rob.* ſ. ſuccus inſpiſſatus non minoris eſt uſus quam theriaca, & ex ſambuco elicitum Rob ; Tam in potionibus poteſt diſſolvi quàm etiam in forma Electuarii propinari ; Unde ROSENCREUZERUS *in Aſtrologia inferiorum* commendat hoc Electuariū tanquam in peſte expertum.

℞. Rob. Juniperi ℥iij.
Elect. de novo
Mithridat. an. ℥iß.
Theriacæ ℥ß.
Flor. ſulphur. ℥iß.
Thuris albiſſim. ʒvj.
Myrrhæ ʒiij.
Camphor. ʒij.
Croc. ʒß.
Succ. Citr. ℥iß.
miſc. F. Eectuar.

doſis ad præſervationem eſt quantum capit cultelli cuſpis, ad *curationem* verò ℈iv. vel ʒiß. in aqu. card. *benedict.* & *acetoſæ* an. ℥j. & *aqua theriacalis* ℥ß. invicem miſtis.

Allium ſimiliter & ſuam meretur laudem dum alliū

communiter Theriaca ruſticorum appellatur: Cum certum ſit *contuſa capita allii cum aceto vel vino* aſſumpta ſudorem potenter movere & malignitatem per ſudorem expellere. Remedium eſt nauſeabundum, ſed uti dixi inſigniter proficuum.

INTER ANIMALIA.

Imprimis eminent *Cervus* & *Ciconia*, utpote quæ tota ſunt alexipharmaca.

Unde *Antidotus* PARACELSI *è ſanguinibus* cujus baſis *eſt ſanguis ciconiæ* adeò eſt commendata in peſte: utpote quæ veſcitur ranis & ſimilibus animalibus peſti curandæ dicatis.

Non minus ergo *ciconia* inter volatilia quam *cervus* inter quadrupedia eſt alexipharmaca.

Verùm omnibus præfertur *vipera & remedia ex vipera* quæ inter eminet *ſal. volat. à gr. xij. ad ℈j. Spina viperinæ præparata exſiccatæ, oleo ſuccini irroratæ,* ac denique *Camphoræ* q. ſ. *permiſtæ* ſunt *egregiæ à ℈j. ad ℈ij*. In peſte tamen *ſpiritus & ſal. vol.* in quibus tota conſiſtit energia, *reliquis præfertur*. Poſt viperas ſunt *Bufones* qui non tantum externè appenſi à peſte præſervant, ſed etiam internè propinati ſunt egregium remedium & ſingulare Antipeſtentiale: *Trochiſcos bufonum* ex vermibus & pulvere paratos commendat HELMONT. *in Tumulo peſtis Cap. Xenexta Petr. Job.* FABER. *in Pathologia* dicit *ſal. vol.* ex *Bufonibus* quod ſuggerit ſatis abundè egregium eſt remedium, inſigne *diaphoreticum* & probatiſſimum *diureticum*. Quidam recipiunt prius Bufones vivos in ſpiritu vini ſubmergunt & ita ſuffocant, & tunc acquirunt ſpiritum vini alexipharmacum. Bufones maceratos per Retortam deſtillant & acquirunt ſpiritum, ſal. vol. & oleum: quod ſal. volat. cum ſpiritu junctum eſt expertiſſimum.

Quibus tædioſi ſunt hi labores, ℞. Bufones purgatos ab interioribus, exſiccant cum hepate exſiccato miſto pulveriſant atque ita propinãt. In peſte penultima *Londinenſi pulvis talis Bufonum* propinatus rarò fuit abſque ſucceſſu.

Stercus humanum etiam eſt ex alexipharmacis non ultimum: Certum namque eſt quod refert POPPIUS & confirmat LANGIUS, quòd ſtercus proprium cum urina propria diſſolutum & hauſtum, per vomitum, alvum, & ſudorem peſtem curet: ſicuti ſimilem experientiam habet RIVERIUS *in obſer. communicat: à Samuele* FORMIO *oberſ.* 38. Hinc inde etiam in ZACUTO *Luſitano* non pauca proſtant exempla virtutis alexipharmacæ *ſtercoris humani contra morſum viperarum* & ſimilia *vulnera à beſtiis venenatis* inflicta. In India Orientali in inſula Celebes ubi admodum intoxicantur ſagittæ quæ tàm venenatæ, ut vel leviſſimum vulnuſculum ſit lethale, Batavi bellum ibi gerentes non habent promptius remedium & alexipharmacum niſi ſtercus proprium applicatum vulneri, quod extinguit veneni vim.

Mercator Noribergenſis nomine *Saar*, qui per ſeptem annos Caſtra ſecutus oſtenda obſeſsâ refert quod in India ſit animalculum adeò venenoſum, ut ejus minutiſſima læſio præſentiſſimum eſſet venenum niſi applicaretur ſtercus proprium.

Et certum eſt, *Stercus humanum buboni peſtilentiali* applicatum potentius *venonum* peſtilentiale *extrahit* quam quodlibet cataplaſma & emplaſtrum à Chirurgo applicatum. Non mirum ergò eſt ſi & Stercus humanum intrinſecus aſſumptum ſit adeò potens in curanda peſte.

EX REGNO DENIQUE MINERALI.

Vix potentius habetur remedium *ſulphure* tàm *minerali* quàm quod excellentius eſt *ſulphure antimonii*, ſi ſcilicet legitimè fixatum in uſum trahatur, ſive communi modo per nitrum in antimonio diaphoretico & omnibus Bezoardicis mineralibus tàm ſimplicibus quàm compoſitis: ſive quod melius eſt ipſum *ſulphur antimonii ex ſe fixum in cinnabari antimonii*, aut in *Tinctura antimonii ſicca* beneficio aquilæ albæ ſ. ſalis ammoniaci elevandæ.

Omnia hæc *antimonialia & ſulphura antimonii* totam abſolvunt paginam in cura peſtis. Sicuti etiam *ſulphur à ʒß. ad ʒj.* propinatum eſt expertiſſimum in peſte remedium. In peſte Romana ante 11. & quod excurrit annos referente *Petro à* CASTRO cum feliciſſimo ſucceſſu fuit exhibitum *ſulphur tenniſſimè* tritum ad ʒij. *cum aliquot ℥ij. Aceti vini generoſi*. Unde *ſulphur* adeò ab HELMONTIO tanquam ſummum Hippocratis arcanum remedium commendatur.

In *ſulphure* enim eſt pinguedo quædam mineralis quæ nupſit arctè ſpiritui acido primigenio ſeu ut alii vocant Sali Hermetico. Id quod non tantùm probat reſolutio ſpagyrica, qua in ſtagina acidum & ſingularem pinguedinem reſolvitur: ſed etiam ex compoſitione; ſulphur artificiale dum ex ſpiritu vitrioli & oleo therebintinæ poteſt ſublimari ſulphur elegans. Ratione pinguedinis balſamicæ confortat & corrigit ſal. volat. acre peſtilentiale: ratione vero aciditatis maſſ. ſang. nimis diſſolutam temperat & quodammodo coagulat. Ut taceam quæ habet HELMONT. *Tr. de arbore vitæ* circa finem. Unde etiam *Vinum Hippocratis* ad peſtem curãdam nihil aliud fuit quàm vinum commune, miſtum cum ſale decrepitato, & ſulphure depurato, in vaſe pice obturato adſervatum.

Potus etiam *in peſte ſunt ſulphurandi* ad arcendum venenum peſtilentiale ſicut dixi in morbis malignis.

Sulphuri quodammodo cognatum *ſuccinum* eſt, unde & hoc aut *præparatum*, aut *oleum*, aut *ſal.* vel aliis miſtum in peſte ſunt egregia remedia.

De *Theriacalibus* compoſitionibus nihil dico quoniam omnibus ſunt notæ.

Præferendum tamen reliquis omnibus *diaſcordium* FRACASTORII propinatum *à ℈j. ad ʒiß. vel ʒij. in aqua appropriata cum aceto Bezoartico miſta.*

Noti etiam ſunt *pulveres* in Officinis proſtantes *compoſiti: pulvis Saxonicus ad ʒß.* propinandus; *pulvis Pannonicus rubeus ad ʒj.* imprimis *ubi ſunt alvi fluxus* conſtat enim ex adſtringentibus: *pulvis Cæſareus* & ſimiles alii.

Ex his variæ poſſunt fieri Præſcriptiones & Compoſitiones ſit, v. gr.

℞. Antimonii diaphoretic.
Flor. ſulphuris an. ʒß.
ſal. vol. viperar. ℈j.
camphor. gr. xij. vel xv.
ſachar. alb. ʒj.
miſc. dividend. in 3. part. æquales. *M. F. pulv. diaphor.*

Item ℞. Cinnab. Antimonii gr. xv.
ſuccin. præparati ℈ß.
ſal. volat. C. C. gr. v.
ſuccin. gr. iij.
Camphor. gr. iij. miſc.
D. S.

Item ℞. Aqu. Tenellor. C. C. ℥iß.
Liquor. C. C. ſuccinat. ʒß.
camphor. gr. v.
Syrup. de rub. Idæo ℥ß.
miſc. pro potu diaphoret.

℞. Aqu card. bened. ℥ij.
aceti Bezoartic. ʒvj. vel ℥j.
diaſcord. *Fracaſtor.* ʒiß.
camphor. gr. v.
ſyrup. acetoſitat. citr. ʒvj. vel ℥j.
M. F. pot. diapho. pro 1. doſ.

In *peſte* ſæviſſima *Amſtelodani*, ſæpius uſus fuit BARBETTE hoc hauſtu.

℞. Aqu. card. benedict. prophylactic.
Syrup. Berber. an. ℥j
Diaſcord. *Fracaſtor.* ℈iv.
Sal. prunell. ℈j.

abſinth

absinth. ℈ß.

miſc. pro hauſtu. diaphor.

Item hoc Potu.

℞. Aqu. prophylact. noſtr. ℥j.
Julapii roſacei ℥j.
Antimonii diaphoretic. ℈j.
Sal. ſcord.
rutæ an. ℈ß.
Aqu. Fumar. q. ſ.

miſc. pro doſi.

D. S.

In genere moneo *in defectu* Medicamentorum *antimonialium*, *ſulphur* commune aut *ejus flores* commodè *poſſunt ſubſtitui.*

Elegans eſt *electuarium* quod ipſum in frequenti fuit uſu in Peſte curanda & præſervanda eadem D. MICHAEL. cujus compoſitio eſt ſequens.

℞. Specier. alexiteriar. ʒjß.
Pulv. Saxonic. ʒß.
Theriac. optim.
Mithridat.
Elect. de ovo an. ℥j.
Flor. ſulphuris ʒß.
Camphor. ʒiij.
Oleum Peſtilent. *Croll.* ʒjß.
Succin.
Citri an. ℈ij.
Syrup. de Scord. q. ſ.

D. S.

doſis ad præſervationem ʒß. *ad curationem* ʒjß. vel ʒij.

Cæterum frequentiſſimum ſunt *ſymptoma* in Peſte *Bubones & Carbunculi*, horum ergo legitima Medela convenientiſſima hic tractatur.

QVOD ATTINET BVBONES;

Bubones. In iis Curandis *Tria* præ cæteris *attendenda* ſunt ſedulo: Nempè applicanda ſunt *externè.*

1. *Attractiva* ſeu quæ venenum eliciunt.

2. *Maturativa* quæ Tumorem ad ſuppurationem producunt, &

3. *Conſolidativa* quæ ulcus uniunt.

Attractiva applicantur *in principio eruptionis* pro eductione veneni; reliqua ſucceſſivè poſtmodum.

Sunt equidem qui ſuadent etiam *Bubones crudos eſſe incidendos* & aperiendos quod tamen *minus commodum* videtur; quod potius aliqualis materiæ coctio & maturatio eſt expectanda plus minus perfecta pro circumſtantiarum varietate. *Sin verò Bubo ſit lividus* vel *niger*, ita ut Gangrænam minetur, tunc nulla expectata maturatione *protinus etiam crudus eſt aperiendus.*

Emplaſtra quæ applicantur pro attrahendo veneno & maturando tumore *ſunt varia.*

Quidam recipiunt *Cepas coctas* & contritas *cum ſinapi & albo pulveriſato* mixtas & ita applicant Bubonibus, & eſt potens attractivum.

Loco Sinapi etiam *Theriaca cum Cepis* contunditur & miſcetur & ita inſtar attractivi remedii per aliquot dies applicatur Bubonibus pro eductione veneni & maturatione abſceſſus FOREST. *lib.6. obſ.19.* refert fuiſſe experimentum cujuſdam Chirurgi:

Quidam dicunt ſpecificè valere ad Bubones *ſcrophulariam*, imprimis ſi fiat *Cataplaſma ex ſcrophulariâ, Baccis Herbæ Paridis & ex fermento*, quod Cataplaſma applicatum ſingulariter commendatur ad maturandos Bubones & extrahendum venenum.

Item *Radix Symphyti*, *majoris* ſub prunis cocta & cum *Mithridatio ac Butyro* in modum Cataplaſmatis impoſita, Bubonem coquit, maturat & aperit.

Bufones exſiccati Bubonibus ſunt expertiſſimi: *ſive* ſcil. *Bufo exſiccatus per ſe* applicetur *ſive* prius in *vino maceratus*, donec probè molleſcat bubonibus imponatur, *ſive etiam pulvis Bufonum* cum Emplaſtro permiſceatur & ita applicetur Buboni Peſtilentiali.

Facit huc Emplaſtrum HILDANI expertum vid. *cent.6. obſ.50.*

Vel ſolus *pulvis bufonum cum aqua ſcorzoneræ* aut *cum aqua rutæ caprariæ* in modum Cataplaſmatis impoſitus buboni inſigniter conducit.

Elegans eſt Emplaſtrum CNOFELII Bubonibus aut Tumoribus malignis in Peſte applicandum.

℞. Succin. optim pulveriſat. ʒß.
Bufonis ſiccati & pulveriſat. ʒj.

miſc.

& in cucurbita tantum ſpiritus vini ſuperfundatur ut ſuperemineat digitum transverſum, in leni balnei calore ſenſim exhalet ſpiritus uſque ad conſiſtentiam Magmatis ter affuſo ſemper novo ſpiritu, tandem magma relictum cum Emplaſtro de Meliloto in debitam conſiſtentiam redigatur & applicetur: Eſt elegans Emplaſtrum quod ipſum etiam in *nimia narium Hæmorrhagia in morbis malignis* interdum eveniente, ſub alis applicatum eandem ſiſtit. Nam *Bufo exſiccatus ſub axillis geſtus* quamcumque *Hæmorrhagiam* ſiſtit.

Methodus CNOFELII *curandi Bubones* eſt hæc: mox applicat Buboni Emplaſtrum *attractivum magneticum* & propinat *Bezoardica.* Sin loco Euphorias ſperatæ vigiliæ, deliria, vomitus, &c. ſucceſſerint, tunc eligit centrum aliquod in extracto abſceſſu, & in illo cutim ſpecifico ruptorio, factâ prius Eſcharâ aperit. Ubi inquit ſedula obſervatione hoc impetrari quotieſcumque ruptorium cuti Eſcharam negavit, toties morbum fuiſſe deſperatum: ubi verò produxit Eſcharam, vigilias, deliria, aphonias, & ſimilia ſymptomata ſubito ceſſaſſe.

Cæterum *reliquis præfertur Emplaſtrum Magneticum Angeli* SALÆ *ex Magnete arſenicali* paratum, in quo Magnete arſenicali plurima ſingularia latent Arcana abſcondita. *Modus uſurpandi* legitimus hujus Emplaſtri eſt rarior quod nudum per ſe applicetur; frequentior verò quod poſt factam Eſcharam per veſicatorium demum applicetur. Dum ergò erumpere incipit bubo, applicandum veſicatorium & promovenda eruptio: porrò 7. vel 8. horas facta veſica ſ. Eſchara aut puſtula, hæc ipſa eſt aperienda. Hinc admovendum eſt Emplaſtrum Magneticum iſtud arſenicale, quod omnibus palmam præfert: *Compoſitio eſt hæc.*

℞. Antimonii crudi.
Sulphuris flavi.
Arſenic. alb. an. ℥ij.

Subtiliſſimè pulveriſata immittantur in phiola in arenam & ſubminiſtretur Ignis donec benè invicem liqueſcant & colorem rubeum ſubobſcurum acquirant: (ſic enim egregiè corrigitur arſenicum) vaſe refrigerato materia contenta vocatur magnes arſenicalis.

Jam ℞. Gummi Sagapen.
Ammoniac.
Galban.
Magnet. Arſenical. an. ʒiij.
Terebinth. laricææ.
Ceræ, an. ʒß.
Olei ſuccin. ʒij.
Terræ vitrioli dulc. ʒj.

miſceant. ita

Gummata ſoluta in aceto & per pannum linteum trajecta iterum inſpiſſentur deinde ſeorſim liquefacta cera & Terebinthina extra Ignem miſcentur ad conſiſtentiam debitam unguenti: hinc ſuperadduntur Gummata, & magnes arſenicalis cum Terra Vitrioli dulcis & Oleo ſuccini. Et ſic paratum eſt Emplaſtrum ad extrahenda venena quæcunque aptiſſimum.

Beatus noſter MICHAELIS ita paravit *Emplaſtrum Magneticum.*

℞. Emplaſtr. Diachyl. ℥iv.
Pulv. fol. uvæ in verſ.
(herb. Paridis.) ℥j.

Magnet. arſenical. ℥ß.
cum
Oleo ſerpent. Araneæ. *Minder.*
F. Emplaſtr.

quod uti dicit eſt expertiſſimum in hoc caſu.

De hoc Emplaſtro *magnetico Angel.* SALÆ refert BARBETTE quod ſi applicetur cuti duræ ac ſpiſſæ nullam faciat cruſtam & nihilominus tamen malignitatem potenter extrahat; ita ut intra 4. vel 5. dies tumor diſpareat, ſed quoniam hoc non ſemper facit adeò cito, propterea interdum neceſſum eſt pro facilitanda veneni extractione per veſicatorium prius excitare veſicam ut poſtmodum facilius excitet cruſtam Emplaſtrum magneticum. In pueris verò, item in corporibus tenellis etiam citra veſicam prægreſſam Emplaſtrum magneticum cruſtam inducit. In hac cruſtâ quam Emplaſtrum excitat, hæret imprimis venenum, & ob id inſigniter tenſa ac ſpiſſa eſt. Unde etiam longè facilius removetur & quod ſponte ſecedit, quàm aliæ cruſtæ, cum facillimè per ſpatulam poſtmodum removentur, ſine prægreſſa neceſſaria ſcarificatione.

Unge *unguentum Baſilicum cum Theriaca* miſtum ſuper cruſtam admovetur; nam hoc eam decidere facit.

Quòd ſi cruſta primâ factâ tumor non ſufficienter imminutus apparet, denuo applicandum eſt Emplaſtrum Magneticum & nova cruſta eſt elicienda donec ſufficienter diſparuerit Bubo.

Tandem *ulcus cum Emplaſtro de Minio*: Emplaſtro *albo cocto*: Emplaſtro *Diapompholygos*, &c. *conſolidandum* & ita curandum.

Quod *ſi* fiat ut *Bubo* aut *nimis altè* promineat, aut rectè *ſuper Tendine* conſiſtat tunc *veſicatorium eſt nimis debile*: *Cauterium* verò *actuale periculoſum* propter tendinem: In tali caſu *admovendum eſt ruptorium* ſeu *cauterium potentiale*, quod fit ex Calc. vivæ ℨj. & *ſaponis nigræ q. ſ.* quæ miſta dant Emplaſtrum quod applicatum ſubitò foraminulum exedit.

Formulæ veſicatoriorum aliàs per ſe notæ convenit tamen imprimis in Bubone aperiendo ſequens *veſicatorium.*

♃. Ferment. acerrim. ℥ß.
Euphorb.
Semin. ſtaphid. agriæ.
ſinap.
Radic. Pyrethr. an. ℥ß.
Catharid. ℨjß.
Aceti vini fort. q. ſ.
miſc. F. Paſta veſicatoria.

Poſt Bubones ſequuntur.

CARBUNCULI ſeu *ANTHRACES.*

Carbunculus ſeu Antrax.

Facilè poteſt *cognoſci* carbunculus ſi cum colore purpureo & puniceo emergat & circum circa circulus quaſi inflammationis ſe repræſentat. Interdum tamen fit ut appareant tantummodò inſtar *puſtulæ* cujuſdam *albæ* quæ videtur continere materiam benè depuratam ac ſuppuratam, quod ſi tamen aperiatur non tantummodo arida ſed etiam dura ac profundè in partibus ſubcutaneis carnoſis radicata apparet.

In hoc ergò Carbunculo dum ardor ſummus eſt, abſtinendum eſt in Topicis *ab oleis & pinguibus*: Talia enim in Carbunculo interdum ſphaceli metum inducunt.

Quidam expiscaturi *an ſanabilis an verò lethalis ſit Carbunculus* imponunt *Emplaſtrum ex molli Galbano* quod ſi ulceri tenaciſſimè adhæreat; ita ut non niſi cum cruſta avelli queat ſalutis ſpem adeſſe aſſerunt, ſin verò eadem non adhæreat incurabilem plerumque: atque lethalem eſſe:

Item *Emplaſtrum ex Theriaca Andromachi* imponi ſuadent carbunculis, quod ſi Theriaca citò areſcat & aduratur ipſa verò carbunculi conſtitutio à Theriaca nihil immutetur, lethale eſſe ſignum portendunt.

Verùm hoc in poſteriori ſimus cauti, (quoad Galbanum res eſt ſine periculo) quoniam obſervatum fuit *in Peſte Mantuana* quæ anno 1529. ſuperiori ſæculo graſſata fuit, quod *Theriaca Carbunculo impoſita attulerit mortem*, *ſalutem* verò ubi *bubonibus* fuit applicata, uti refert RHODIUS *in Analectis. p.*129. Ad *ſuppurandos & aperiendos Carbunculos* valdoperè commendatur *Emplaſtrum de fuligine*:

Poſtmodum etiam *Herba Paridis*, *Baccæ* vel *Uvæ* ad *maturandum* carbunculum & ad *mitigandum dolorem* laudantur.

Bufo exſiccatus aut *in vino maceratus* & Carbunculo applicatus admodum confert.

Si *Saphiro* in cute ducitur circulus circa carbunculum, præcavet non tantummodò ut non ulterius ſerpat carbunculus ſed præterea etiam vis veneni tota extinguitur: Uti hoc non tantùm affirmat HARTMANN. & HELMONT. *Tr. de Magnetica vulnerum curatione*, ſed etiam *Marcus* MARCI *in Philoſophia veter. reſtitut. ſect.* 5. *cap. de Magnetiſmo Saphiri.*

Deinde *Emplaſtrum magneticum Arſenicale* ſimiliter applicatum maximè commendatur: hoc enim facit ut ſubito exeat carbunculus.

Modus medendi carbunculis eſt hic: *Carbunculi halo ſaphiro* eleganti circumducta tamdiu *tangatur donec liveſcat.* (Obiter noto, Saphirus ſepultus ſub Terra novas acquirit vires.) Hinc *apex carbunculi illinatur* ſeu tangatur *butyro antimonii*: Hinc *inungatur unguentum ruptorium* ſeu *cauterium potentiale*, & paulo poſt totus excidet carbunculus (id quod habet ex Butyro Antimonii; In Gangræna enim ſecernit partem mortuam è viva.) Poſtmodum applicandum *Emplaſtrum magneticum arſenicale*; & poſtea *ulcus* conveniente Emplaſtro vel unguento *mundificandum ac conſolidandum.*

Alii mox applicant *cauterium actuale*: hoc facto applicant *Emplaſtrum magneticum arſenicale.* Qui metuunt ignem actualem applicant *veſicatorium* vel *cauterium potentiale* ut *butyrum antimonii*, &c.

In *corpore tenello* vel ſolum *Emplaſtrum magneticum* ſufficit, quod facta cruſta excidere etiam facit carbunculum.

Ut verò *ſuppuretur eò melius cruſta*, ſunt qui inſigniter commendant hoc Cataplaſma.

♃. Rad. conſolid. major. ℨij.
Althææ ℥ß.
Herb. ſcord. ſicc. ℨiij.
Farin. ſemin. lini cribrat.
Pollinis farin. triticiæ an. ℥ß.
F. Pulvis.
cui affunde.
Aqu. comm. q. ſ.
coqu. ad conſiſtent.
Cataplaſmatis.
add.
Mellis.
Therebinth.
Unguent. Apoſtolor. an. ℨiij.
Baſilic.
Picis liquidæ. an. ℨij.
Vitell. Ovi. num.j.
Croc. Oriental. ℈j.
Theriac. ℈ij.
miſc. pro Cataplaſmate
& applicetur.

Poſt fractum jam Carbunculum ulcus mundificatum & abſterſum *ad abſolvendam conſolidationem* ne remaneat ulcus ſordidum inſigniter laudatur *cataplaſma ex radice Symphyti majoris* contuſa intra duos lapides & repetitum applicatum: Hac enim intra paucos dies carbunculum conſolidare & curare perhibent.

Ea *quæ æſtum* in genere *mitigant*, ſunt in ſpecie *viriolata. v. gr.* pro uſu *interno nitrum antimoniatum*, in potu ordinario diſſolutum, ℨj. ad ℥ß. aut etiam

♃. nitrum

℞. nitrum antimoniati ℈ij. antimonium diaph. ℈j. M. pro 2. doſ. item *arcan. duplic.* item *ſpiritus nitri dulcis*, &c. *externè.* diſſolvatur. *Nitrum in ſucco ſempervivi maj. & acet. roſac.* quibus intingantur lintea, & applicentur pulſibus. Item fronti & temporibus. *Sed obſervandum* non ſemper opus eſſe refrænare calorem, niſi ubi modum nimis exceſſerit. In febribus cum excretione cutanea conjunctis, calor haud facilè ſufflaminandus erit, ne modus excretorius impediatur.

In *dolore capitis, vigiliis & deliriis* notandum, ſæpius *dolorem capitis* febrium continuarum imprimis benignarum *eſſe* ſaltim per *conſenſum ſtomachi*, vel *primarum viarum* ſaltem in principio. Cujus ratio exinde deſumitur, quod *vomitorio in principio morbi* dato, ut præcaventur omnia fere præcordiorum ſymptomata, ita ſpeciatim cephalalgia, quam intenſa etiam antea fuerint, remittat. Quin & *clyſmata* injecta in febrium cephalalgiis ſubinde eandem notabiliter levant. *Sunt tamen & febres* præſertim *malignæ*, quæ genus nervoſum, adeoque & *caput primario affligunt.* Hinc æſtu corporis utcunque moderatos caput, præſertim circa frontem, intenſe ardet, agrypniæ adſunt plus minus, interdum planè non dolet. *Febres ſunt peſſimæ notæ*, quibus correpti, rarò evadunt, nempe ſpina maligna capiti & nervoſo generi infixa eſt, unde illa ſymptomata. Quoad *vigilias*, hæ pertinaces in febribus *vel* hypochondria ac præcordia malè affecta ſequuntur; & tunc inquieti, & plus minus jactabundi ſolent eſſe ægri, *vel* capitis ſive cerebri malè habentis ſunt pediſſequæ, & tunc intenſior incaleſcentia circa frontem, oculi fulgidi, capitis plus minus perturbatio, item ſubinde dolor per eſſentiam adeſſe ſolent, ægri minus inquieti ſunt. Hæc ipſa ſymptomata diutiùs ſi durent, aut gravius affligant, delirium poſt ſe trahunt, cujus comes tandem ſunt convulſiones.

Dolor igitur capitis, ſi in principio eſt, adeoque non portendat judicationem, vel criſin, curandus venit. Si vero febris ſit valde intenſa, adſuntque ſalutis ſigna, ſupervenerit vero capitis dolor, cum ipſa prope judicationem venerit, nil oportet tentare, quia interdum talis cephalalgia ſolet eſſe ſignum decretorium, vomitum vel hæmorrhagiam præſagiens. Par ratio eſt quoad *vigilias*, in quibus cri eos tempore vel præſentis vel inſtantis anodyna, aut plus minus ſomnifera minus tuto applicari poſſunt. Internè verò mala hæc curat in genere *papaver*, & quælibet ex eo parata opiata. Externè verò in febribus in uſu eſt *unguentum alabaſtrinum*, nunc oleum papav. expreſſ. temporibus ſubinde illitum, item *Emulſio ex nucl. perſicor. v. g.* ʒiij. *cum ſem. papav. albi.* ʒj. *cum aqua flor. ſambuci aut verbenæ, aut ſolani parata*, ac fronti tepidè applicata, nunc cum, nunc ſine camph. Pariter & ſupputanea remedia, nempe *cataplaſmata ex foliis rutæ, rad. raphani & ſal. comm. cum fermento* ſuſcepta, & plantis pedum applicata. Denique *nitrum in aqua appropriata quavis diſſolutum*, cum linteis multiplicatis fronti ac temporibus adplicatum convenit. *Obſervandum tamen* hic, dolorem in parte capitis anteriore à febri oriri, in parte vero poſteriori à proprio capitis affectu. Confer *Primeros: de febribus pag.* 321. deinde quoad *Epithemata humida*, hæc minus conveniunt, quando nempe corpus in continuo eſt madore. Talia enim uti refrigerata fuerint, ſtricturam pororum capitis, adeoque & per conſenſum univerſæ cutis diaphoreſeos impedimentum inferunt.

Hæc ipſa ferè & vigiliis medentur: præterea tamen & *medulla crurum vituli recens* temporibus crebriùs illita, veſpertino tempore ſomni beneficium adfert. *Emulſiones ex ſem. melon. 4. frigid. major. papav. &c.*

Ut interno uſu, temperando ſanguinis æſtum & acrimoniam fermenti febrilis, vigilias ſubinde compeſcunt; ita & externè epithematis forma applicata non inutiles ſunt. Internè.

℞. Aq. flor. papav. rhæad. ℥ij.
C. C. ſine igne.
Antimon. diaph. an. ℈j.
laud. opiat. gr. j. vel ij.
vel eſſent. opii. gr. xij.
ſyr. corall. ʒvj. M. pro j. vel ij. doſ.

[BARBETTE *de peſte* ſcribit, *opium*, licet ſudoriferum ſit, iſto peſtis tempore ſe valde parum fuiſſe uſum, quòd ſomnus primis duobus vel tribus diebus non adeò conferat. Quando vero patientes 6. vel 7. diebus continuo ſe in ſequentibus nullum ſomnum capere poſſunt, & virium defectus inde ſequitur, hac ratione, quod ſequitur, præſcriptum & egregiè aſſumptum contulit.

℞. Aq. prophylact. noſtr. ℥jß.
borrag. ℥j.
cinnamom. ʒiij.
confect. hyacinth. ʒj.
ſacch. perlat. ʒij.
laud. op gr. ij. M.

Capiatur cochleatim ſingulo horæ quadrante, donec ſomnus redeat, hinc æger ſomnum benè naturalem, & in ſomno ipſo dolorem ſat tolerabilem capiet. Idem tamen *Autor temerarium opii uſum diſſuadet*, nec impuro ventriculo, ægriſque nimis debilibus, dandum eſſe monet, quod plus nocumenti quam emolumenti in his ab eo ſit expectandum. Econtra neminem meticuloſum nimis eſſe jubet, ne ejus uſum ſe ignorare prodat. Prius verò quàm ad laud. opiat. deveniat, *capitis dolorem* ſequenti more ſedare ſtudet BARBETTE Hederam terreſtrem contuſam plantis verò pedum ut & volis manum hoc vel ſimile admovere jubet.

℞. Fol. rutæ Mjß.
ferment. acris ℥ij.
fimi columbin. ℥j.
ſalis comm. ℥ß.
aceti ſambuc. q. ſ. M. F. Cataplaſma plantis pedum & volis manuum applicandum.

Vel ℞. Bol. armen.
terr. ſigill.
cretæ vulgar. alb. an. ℥ß.
acet. calendul. q. ſ. M.
uſurpetur eod. mod.)

Interdum *profundior ſomnus* ægros febricitantes, quaſi ſtupidos reddit, cui reſiſtunt *acet. rutac. ſambucin.* ſive etiam *ſuccus rutæ aceto miſtus.* item *caſtoreum aceto intinctum, &c.* naribus applicata. *Veſicatoria* cervici, item carpis aut malleolis applicata *ſunt optima. Conf.* HORST. *in obſ. p.* 383. *in Problem. p.* 26. Vel ℞ *thuris, bacc. lauri, pip. nigr. an.* ℥ß. *ſubigantur probè cum albumine ovorum*, imponatur fronti q. ſ. & ſomnolentiam arcebit. [BARBETTE eò in caſu theriacam, mithridatium & diaſcordium ac ſimilia non convenire ait, quod & hæc ipſa opium in ſe habeant: ſequens autem conferre, qui vapores capitis & ſimul calorem ac cordis anxietates profligat.

℞. Sal. rutæ.
ſcord.
prunell. an. ℈ß.
Tart. Vitriolat. gr. viij.
aq. prophylact. ℥j.
meliſſ. q. ſ.
ſyr. de betonic. ℥j. M.
F. Hauſtus expectetur ſudor, ſomnus vero & ſeq. die, quantum vires permittunt arceatur.]

Hæmorrhagia narium varia eſt pro varietate febrium. Circa hanc notandum eſt, an hæmorrhagia ſit critica, an ſymptomatica. Critica intempeſtivè ſuppreſſa quæ mala intulerit, & quomodo ipſa correcta ſit vid. HENR. *ab Heer. in obſer. pag.* 70. Hæmorrhagia talis febrium *ſiſtitur*, *vel* ſanguinis fluxum prohibendo, *vel* locum apertum occludendo, *illud* prius, *hoc* poſterius, *illud* imprimis vellicantia, aut derivantia, aut interna refrigerantia præſtant. Quod ſi ſedata fuerit

hæmorrhagia,

hæmorrhagia, placet conſilium SYDENH. *in method. med. febres: pag.*61. Laxationem alvi eſſe inſtituendam, ſi nempe alia non impediant. Inter *interna excellit laud. opiat.* & *omnia papaverina* etiam & præſertim in malignis, præmiſſis præmittendis. vid. TYMÆUS *in caſ.p.*378. HORST.*obſ. lib.*1. *obſer.* 27. hinc & *aq. papav. errat. cum ſyr. de portulac.* & de *papavere*, hinc & *ſucci aciduli cydoniorum*, *ribium*, *ſyr. portulac.* aut *plantag.* ac denique *terr. ſigill. lap. hæmatit. corall. bezoard. Martiale, aut Antimon. diaphor. Martiale*, &c. Inter *externa* autem imprimis confert, ſi hoc ipſo abluantur manus ac pedes, vel epithemata ex aceto collo applicentur, vel *creta cum aceto* in forma Cataplaſmatis temporibus ac fronti applicata. *Bufo vel vivus* ſub alis applicatus, *vel exſiccatus* ſimili ratione ſub axillis detentus, vel pugno compreſſus, ut probe incaleſcat, potenter hæmorrhagias ſiſtit. Denique nitrum ad ʒiß. in aqua frigida diſſolutum ac propinatum hæmorrhagias ſiſtit. Conf. RIVERIUM *cent.*1. *obſ.* 48. Quo facit *Julepus Primeroſii*, quo ſæpe uſus fuit ad compeſcendam hæmorrhagiam aliis irritis.

℞. Aq. ſymphit.
plantag. an. ℥iiij.
ſyr. de roſ. ſicc.
plantag.
cydonior. an. ℥iß.
acet. vini albi ʒiij.
nitr. antimoniat. aut ſal. prunell. ʒj.
ſpir. vitriol. gt. x.

[BARBETTE *obſer. hiſtor.* 2. in quodam peſte & cum hac inſuper hæmorrhagia die 5. vel 6. laborante non auſus eſt ſudorifera continuare, ſed cor confortare, ſanguinem incraſſare, ſicque ſanguinem retardare. Hujus gratia ordinavit ſequens, de quo ſæpius cochlearia duo haurire juſſit.

℞. Aq. roſac.
plantag. an. ℥iiij.
cinnamom. ʒvj.
ſanguin. Dracon.
corall. rub. præparat. an. ℈j.
confect. Hyacinth. ʒj.
ſpir. ſalis gtt. viij.
ſyr. berber. ℥iß.

Ex hujus uſu hæmmorrhagia fuit ſedata, ſanitas & mens redierunt.]

Sitis moleſtum per quam ſymptoma, ſedatur convenientiſſimè per *nitrata* & per *acidula*. *Nitrata* inter excellit *Nitrum Antimoniatum* in potu quovis diſſolutum: quo etiam facit ſerum lactis depuratum, imprimis ſucco citri, acidulatum. *Acidula inter* tam vegetabilia, quàm mineralia *excellit Julepus* ex *aqua commun.* acidulata cum *ſpir. ſal.* & *ſyr. citri*, ſudorem ſimul movens. vid. RIVER. *cent.* 1. *obſ.* 19. *cent.* 3. *obſ.* 83. Ex Vegetabilibus acidis vulgò notis *Tamarindorum pulpa*, aut *decoctum* conveniens eſt, ubi alvus ſimul aperienda venit.

[BARBETTE *de peſte pag.* 615.

℞. Aq. borrag.
acetoſ. an. ℥ij.
prophylact. noſtr. ℥j.
ſucc. aurant. acid.
citri recent. an. ʒij.
julep. roſac. q. ſ. ad mediocrem edulcor.
lap. bezoar. or. gr. xv. M. de quo patienti cochlear. j. ſæpius exhibeatur bibendum, hoc ſitim magis ſedabit, quàm cereviſiâ, vel decies tantundem datâ, & tamen ægrum in ſudore ſuavi inſuper detinebit. Vel:

℞. Aq. card bened. ℔j.
prophylact. noſtr. ij. unſ.
ſyr. granator. acidor. ℥ijß.

Vel: ℞. rad. *Scorzoner.* petaſitid. an. j. unſ.
fol. acetoſ. Mij.
coq. ex aq. hordei. Colatur. ℔j.
ſyr. violar. ſimpl. ij. unſ.
ſal. prunell. ℈ij. vel ſpir. ſalis q. ſ. M.

Potus refrigerantes pro divitibus ſuaviores & magis confortantes hac ratione parari poſſunt, ita.

℞. Aq. borrag. iij. unſ.
card. bened. ℔ß.
roſac. j. unſ.
ſacch. perlat. ℥ß.
ambr. gryſ. g. ij.
Moſchi gr. j.
ſucci citri recent. q. ſ. M.

Cereviſiam concedit, ſi impрægnata ſit fruſto C. C. uſti; vel nux moſchata contrita nodulo incluſa in ea detineatur. Nihilominus nec nimia quantitate, nec ſæpius, nec nimis frigidam bibendum eſſe monet, aliàs flatus, alvi fluxus, cordis anxietates & ſymptomata plura alia inde fore metuenda ſcribit. *Debilibus ſtomacho & difficulter reſpirantibus ceſſante febri parumper vini mozellini & Rhenani permixtis ſaccharo & jure mali aurei preſcribas, quod ad nutum geras.*

Peccant non leviter utentes vino gallico, in diaphoreticis dum illud præbent maxime febricitantibus.

℞. Aq. card. bened. ℔j.
alexipharm. ℥ijß.
Julep. roſar. ℥ijß.
ſpir. ſalis gtt. viij. M.]

Cardialgia & vomitus. Sal abſinth. ad ʒj. datum valde prodeſt in vomitu & nauſea febrium. Conf. RIVERIUM *cent.*1. *obſer.* 47. Item *conſerva menth. Extra. tormentill.* eſt egregium. Conf. etiam Remedia BARBETTE *uſitata in deſcript. peſt.* in vomitu febrium peſtil. [Si mala hæc *ait idem pag.*622. non ex internis carbunculis peſtilentialibus oriantur (nam & hoc ventriculum, ut & inteſtina occupare, certiores nos reddunt temerarii quidem, at fide digni naturæ ſcrutatores, qui in ſectione cadaverum eos ibi deprehenderunt, cui nec experientia, nec ratio contrariatur:) citra inſignem laborem iſta ſedavi, patientem quavis ſemihora coch. j. ſequentis miſturæ recipere jubens.

℞. Aq. menth.
prophylact. noſtr. an. ℥iß.
cinnam. ℥ß.
Confect. hyacinth. ʒj.
ſal. corall. ℈j.
ſyr. myrtin. ℥ß. M.

Ex hujus uſu vomitus plerumque ſedatur, ſi præſertim regio ventriculi ter vel quater quotidie oleo ſequenti inungitur:

℞. Ol. nuciſt. expr. ʒjß.
macis deſtillat. ʒß.
abſinth. ʒj. M.

inter ea parcus potus conceditur, ſedato verò vomitu, mox ſudoriferum exhibeo.

Alvi fluxus uti & *Tormina abdominis* curat in ſpecie Diaſcord. Fracaſtor. à ʒj. ad ʒij. propinatum. v. g.

℞. Aq. plantag. ʒj.
acet. Sambuci ij. unſ.
diaſcord. Fracaſt. ʒj.
extr. tormentill. gr. xij.
ſyr. plantag. ʒij. M. pro j. doſi.

Vel ℞. Aq. plantag. ij. unſ. vel iij.
cinnamom. ʒij.
diaſcord. Fracaſtor. ʒii.
C. C. ſ. Ign.
antimon. diaph. gr. xv.
ſyr. portulac. ʒiij.
ſpir. nitr. dulcis. ʒj. M. capiatur pro lubitu.

Item *Eſſentia theriacal.* ad gut. 30. vel 40. item *extract. theriacal.* ad gr. iij. vel iv. aliaque ſimilia: *anodyna* autem & *opiata* ſunt optima, quibus adduntur & *abſorbentia*, nempe *C. C. uſtum bolus arm. terra ſigill. cryſtall.* præpar. cum *conſerv. roſar. antiqua* propinata.

propinata. Item *extractum tormentillæ* ac ſimilia. *Cydoniata* denique quælibet ſunt uſitatiſſima. (BARBETTE *l. c. pag.* 624. *Alvi fluxus* plerumque mortis eſt prodromus. Attamen quoſdam, in quibus non merus ſanguis vel materia cruenta prodibat, *ſequenti modo ſedavi.* Patiens ab omnibus ſalſis, ut & acidis, quæ aliàs in peſtis curatione ſunt neceſſaria, ſicut & à potu largiore abſtineat. Si *ſitis*, quæ tum temporis ægros maximè urget, fuerit impatiens, ſequentis mixturæ cochlearia duo vel iij. per vices accipere jubeo.

℞. radic. tormentill. ℥j.
flor. roſ. rubr. p. j.
raſur. C. C. ʒß.
ſem. acetoſ.
myrtill. an. j. drachm.
coq. ex aq. ferrata. Colatur. jx. unſ. adde.
confect. Hyacinth. ʒi.
ſyr. Myrt. j. unſ. M.

Theriacæ ſolius ʒj. ſingulo quadrihorio aſſumpta, multis egregiè contulit, ut & ſequens cochleatim uſurpatum.

℞. Diaſcord. Fracaſtor. ij. drachm.
carabe ʒß.
corall. rub. præp.
Sang. Dracon. an. ℈j.
Margar. præpar. ℈ß.
aq. fœnic. j. unſ.
plantag.
roſar. an. ℥iß.
ſyr. de ſymph. Fernel. j. unſ. M.

Utere fœce vinoſa potiſſimum rubra & tepida obline totum corpus, & obtege linteo duplicato, perutile tentabis remedium.

℞. ol. maſtichin.
nuciſt. expr. an. ʒj.
aneth.
abſinth.
myrtill. an. ʒii.
Theriac. veter. ʒiii. M.

Vel: ℞. bol. Armen.
Thuris.
maſtich.
ſanguin. Dracon. an. ʒii.
muniæ. ℥iii.
pul. gallar. ʒiß.
ſem. dauci.
leviſtic.
anet.
myrtill. an. ℈i.
ol nuciſt. expr. ʒi.
Terebinth. Vener. q. ſ. M. F. empl.

Sudores rarius equidem hi nimium vexant ſub febrium motu, quia moderati ſunt exoptati: interdum tamen poſt febres continuas, aut graviores aut paulò diuturniores, crebri ſudores nocturni ægros vexare ſolem, atrophiam minantes, ex deficiente nutrimenti chyloſi aſſimilatione, ob ſanguinem depauperatum nati. Hos ipſos & *emulſiones temperantes*, vel *abſorbentia coralliata*, interdum *martialia cum aromaticis ſubjectis amaris*, v. gr. *abſinthio* curant. Confer etiam SYDENHAM. *in obſervat. pag.* 335. De cætero corpore adhuc pleno in febribus eliciendi vi, quia facilè translatio fieri poteſt ad caput, ut rectè monet BELLONIUS *Pharos. Med. p.* 215.

Quoad *Urinarios affectus*, *ſuppreſſio hujus* interdum ſupervenit, *interdum* criſeos per ſudores imminentis indicium eſt, præſertim ſi prægreſſo ſudore ſuperveniat. *Conf.* H. ab HEER. *obſervat. pag.* 62. *Interdum* in ſtatu ſine criſeos indiciis ſupprimitur, vel in delirantibus, vel alio modo affectis. In talibus regio pubis illinenda venit *unguenti de alth.* ʒß. *olei ſcorpion. ſimpl.* ʒj. M. applicetur crebrius.

De hoc affectu accuratè ſcribit D. D. MAURITIUS HOFFMANNUS in tractatulo, cui titulus: *conſilia circa ſymptomata febrium peſtilential.* edito 1680. cujus remedia tàm præſervationis quàm curationis gratia præſcripta ſunt ſequentia.

Primo Autor iſte alimenta ex aceto vel malis citreis aut acetoſella parata & frequentata commendat: Hebdomadatim tamen, præſertim mutatione lunæ occurrente, acido citri, aut potiuncula ex aqua card. bened. vel ſambuci, vel ſpirit. acidô AA. aut miſtura ſimplici uſque ad ℈i. vel ſpirit. vitrioli ad gutt. 6. 8. 10. 12. manè ſudorem ad horæ quadrantem vel dimidiam procurare jubet, quomodo præſervationis ſcopus obſervandus.

℞. miſtur. ſimpl. ℈iiii.
ſpir. ſulphur. per camp. ℈ii M. de hoc ſpirit. acid. ſulphur. capiat. æg. ad gt. xv. vel amplius.

In locis ſuſpectis, vel de tempeſtate nebuloſa de *pulvere camphorato*. BB. ſumatur tantum. quantum cultri cuſpis capit.

℞. pulv. macis alexipharm. camph. ℥iß.
rad. zedoar.
ſulphur. chym. an. ℥ij.
M. ad ſcatul. f. pulv. ex intervall. ſumendus.
Aut cortex citri condit. aut radix ſcorzoner. condit. frequenter uſurpetur;

Aut in ore detineantur *Rotulæ de zedoar.* vel Angelicâ ſeqq. C. C.

℞. pulv. rad. zedoar. ʒij.
angelic.
flor. ſulphur. chym. an. ʒj.
M. c. ſ. q. ſach. fin. in aq. ſcord. diſſolut.
F. Rotulæ ex intervall. ſumend.

Vel *baccæ juniperi. Nares ſpogiolis aceto juniperino vel theriacali* D. D. imprægnatis & in pyxide ex juniperi ligno tornata aſſervatis *præmuniantur.*

℞. aceti theriac. Auguſt. ℥ij.
ſpir. theriac. camphor. ℥ij. M. F. Epithem.

De *collo ſacculus* ex floribus cordialibus & camphora paratus & interpaſſatus E. E. ſuſpenſus continuò geſtetur.

℞. ſpec. pro Epithem. cordis rec. par. ℥ß.
camphor. pulv. ℈iiij.
M. ad ſaccul. ſeric. rub. cord. maj. interpaſſat. uſ. ſupra dict. dicat.

Vel *nodulus de zedoaria & camph.* vel *allium* portetur, &c. Conclavia evaporatione ex lapide ignito cum baccis juniperi acidis, vel pulvere pyrio, ſulphure, thure, myrrha ſuffiantur.

In *Cura.* Quam primùm quis præter ſpem ob lunæ mutationem, ob *animi affectum*, iræ nempe, vel terroris, qui pro reliquis flammæ vitali, turbando ſanguinis motum circularem, nocent, *vel* ob exceſſum in potu commiſſum, *vel* motum corporis, *vel* ſuſceptum aërem venenatum, *aut* patientis alterius ſudorem, quis inflammatur & corripitur, id quod ex inſolita anxioſa debilitate, rigore, ſomnolentia, cephalalgia, nauſea ventriculi, &c. eò facilius cognoſcitur, cum revera cæteri ſimilibus ſymptomatibus ſtipati morbi, peſtilentialibus graſſantibus, ſileant, nil certius & melius eſt, quàm ut talis æger (ad multiplicem probam priſci per Germaniam & Italiam benè noti, potatoris veneni Tarquinii Romæ Neapolitani, qui ſicut Altorph. Ann. 1662. Domin. Palmar. ita & alibi ſæpius arſenici gr. xij. ex vino albo ſumpſit, & mox Orvietano ſuo per vomitum reddidit, & veneni vim eluſit:) ſuſceptum venenum è ventriculo, ut alia venena ore ſumpta, revocet & tractet, & ſtatim primâ, ſecunda vel tertia horâ ſine mora, quando natura talem excretionis modum ſponte non tentat, beneficio aquæ calidæ oleo impregnatæ, vel *potiunculæ acido vomitivæ* A.

℞. oxymel. ſimpl.
pulv. ſal. vitrioli vomit. ℈ß. vel ℈i.
M.. c. aq. hordei q. ſ. F. potio brevis emetic. ex vitriolo. vel *pulveris emetici.* B.

℞. pulv. Tartari emetic Mynſ. gr. iij. vel iiij. S. ad Chart. dupl. F. pul. Emet. pro j. doſ. in juſcul. acidal. dilut. aut *ſyrupi emetict.* C.

℞. Syr. emet. Angel. Sal. pro ratione ætatis ʒii. vel ℥ß. vel ʒvi. S. ad vit. F. ſyrup. Emet. ſumen. cum aqua card. bened. pr. j. doſ. aut *aquæ benedict.* D. Ruland. ſe diſponat.

℞. aq. bened Ruland. ℥ß. ʒvi. ℥i. pro ratione ætatis. F. aqua Emet. ſumend. pr. j. doſ. cum aceto.

(His omnibus, ut medicamentis aliis, pro ratione ætatis à minori doſi ad majorem cum judicio progrediendum, cùm in compendium omnia ſecundùm ſuas circumſtantias contrahere poſſibile non ſit:) & ita hærentem maximam partem in ventriculo maſſam febrilem malignam minuat, atque ſic febrem, obſtructo fonte, ut natura ipſa provida idem ſæpe cum emolumento conatur, optimè & maximè truncet: Hoc autem facto, acidulo confortante ex vino tunicato, vel citriis, aut acetoſella, aut ſcorzonera parato per duas vel tres horas ſe recreet, & tum ſtatim ad *Electuarium alexipharmacum* E. properet.

℞. El. Diaſcord. Fracaſt. ℥ß.
C. C. abſque igne præpar. pulv.
ſal. card. bened. pulv. ana ʒi.
gran. cherm. elect. pulv. ʒß.
M. cum ſyr. papav. errat. q. ſ.
F. Boli inaur. num. vj.
Sumantur cum aqua diaphoretic. acidul.

Vel *acido camphoratum pulverem.* F. in 6. partes æq. diviſum, ut primo, ita & quarto 7. 9. 11.. & 14. die (utpote in quibus diebus aliàs natura libera vim ſuam & cooperandi virtutem, teſte experientiâ, exſerit. *ex* 4. *aph. Hipp.* 36. & quo tempore ſimiles morbi acuti ut plurimum judicantur. 2. *aph.* 23. quando nempe rectè tractantur, atque natura robuſta eſt, qualis in calidis regionibus & corporibus, etiam 4. 7. vel 9. diebus liberatur.)

℞. Terræ ſigill. Strigens ℥ß.
C. C. Camph. pulv.
ſal. card. bened. pulv. an. ʒi.
M. ad vi. part. æqual. & F. pulv. camphor. ſumatur pars. j. pro j. doſ.

Vel ℞. pulv. rad. zedoar. ʒiii.
C. C. abſque Ign. præparat. ʒii.
camphor. el. ʒi.
M. ad part. vi. æqual. F. pulv. camphor. ſumat. pars. j. pro j. doſ.

Vel ℞. terr. ſigill. vitriolat. vel
C. C. vitriolati ʒiii.
ſal. card. bened. ʒi.
camphor. ʒß.
M. F. pulvis D. ad vi. part. æq. F. pulv. camphorat. ſumat. parſ. j. pro j. doſ.

manè in potiuncula aquæ *acetoſellæ*, vel *galegæ*, vel *acetoſæ*, cum 4. vel 6. cochlearibus *ſucci expreſſi* vel *citriorum*, vel *acetoſellæ*, vel cum *aceto rubi idæi* vel *ſambucino* acidulatâ, bene calida capiat, & poſtea per dimidiam vel totam horulam, pro ratione virium, ſudet. Interea conclave ex *acidis juniperi baccis aut ligno juniperino recente* ſuper lapidem ignitum ſuffiatur, ſudor calidis benè detergatur, & recenſitis rebus acidis patiens refocilletur. Quum jam æger ex virium reſtauratione & ſymptomatum gravium remiſſione, urinaque fracta, ſe in meliorem ſtatum eſſe tranſlatum percipit, repetitionem *Electuarii E. vel pulveris. F.* uſque ad initium quarti diei negligat, & interea, ſi plethorica adſit diſpoſitio, in partibus extremis *tutius* ferè *cucurbiculas*: quàm *venæ ſectionis* uſum adminiſtrabit, quotidie etiam conditi confortantis acidi G. uſum, capiendo cochlear bonum, manè & veſperi continuabit, reliquum in loco frigido aſſervabit, erectique ſemper animi erit.

℞. conſerv. acetoſell.
acetoſ. citri. an. ℥iß.
rad. ſcorzon. cond. & inciſ.
cort. citr. exterior. condit. & inciſ. an. ʒvi.
ſpec. liberant. ʒii.
gran. cherm. elect. pulv. vel confect. alkerm. vel cordial. Norimb.
ſal. prunell. pulv. an. ʒi.
M. ad fictil. c. ſ. q. ſyr. fl. tunic. F. cond.
Alexipharmacum cochleatim ſumend.

Quod ſi verò *Cephalalgia*, *anxietates*, & cum *calore imbecillitas* non remittunt, ſed magis creſcunt, *Electuarium alexipharmacum* E. vel pulv. F. aliquot granis *Bezoar.* aut *C. C. aurati*, vel *ſolut. margaritarum* proditionibus augeri, illiſque manè per duas dies proximè inſequentes aſſumptis, ægri ad ſudorem dimidiæ horæ mediocrem ſe diſponere, veſperi verò quotidie *conditum confortans* G. ſumere, & interea *pro cibo* acidulis juſculis, vel hordeatis, & *pulpis* cum acidulis confortantibus ex Granatis, Ribibus, Citris, Aurantiis, Acetoſella, &c. pro potu aqua ex C. C. raſpato H.

℞. C. C. raſpat.
rad. ſcorzoner. mund. an. ℥iß.
cort. citr. extern. ʒiii
ſem. acetoſ.
aniſ.
bacc. alkekeng. an. ʒi.
Inciſ. & contuſ.
M. ad chart. S.

Potionem aquæ C. C. para, obturato vaſe ſuperſint ex quatuor coponis poſt Ebullitionem tres, filtra prædictum liquorem linteo, & ſerva tanquam julep. alexipharmac. (cui addi poſſunt non nunquam Rad. graminis & ſalſæ-parillæ contra *convulſionis* pericula.) aut acidulo Julepo. I.

℞. Syr. acetoſell. ℥iii.
acetoſ. citr.
papav. errat. an. ℥i.
aceti rubi idæi. ʒvi.
ſal. nitr. perlat. ʒii. M. ad vitr.
Syrup. ille acetoſ. ſervetur & miſceatur cum aq. C. C. ſuperius præſcripta.

Vel recens expreſſo *ſucco cydoniorum*, aut *granatorum*, & ſimilium, *ſine vino* uti poſſunt. A quarto autem die uſque ad ſeptimum nonnihil remiſſior ſit ſudor, ne in exceſſu peccetur. Quam primum enim vitalis flamma ventilatur, & reſpiratio libera exercetur, excluſis, quæ ſuffocationem minabantur cum anxietate, fuliginibus igneis, ita ut flamma iſta ſuffocationis periculum effugerit, vires redeunt, & ſanguis in virtute coquendi laudabili perſtat, vitaque continuat. Quod ſi ventilatione tali primis 12. vel 24. horis, aut ad longiſſimum primo triduo flamma vitalis non erigitur, ſed penitus ſuffocatur, totaque maſſa ſanguinea, ſeu ſucci vitales omnes omnibus in vaſis corrumpuntur, homo quidem aliquot horas vel paucos dies anxiam cum fermenteſcente ſeu gliſcente calore vitam agit, ſpes verò reconvaleſcendi, ut flamma vitalis, candelæ inſtar extinctæ, reſuſcitari queat, concipienda eſt nulla. Quapropter nullo modo feriandum, ſed *ſtatim in principio*, ut ſcaturigo mali obturetur, vitæque vitalis & ſanitatis cuſtos, ſanguis ſcilicet conſervetur, *ſedula in vomitus & ſudoris provocatione navanda eſt opera.* Quem in finem non modo *ſymptomatibus* metuendis maturè obviam eundum; ſed & *diæta* certa, tenuis, acidula, quæ cibos euchymos

chymos & coctu faciles offerat, vinum & carnem excludat, nonnihil tamen alvum laxet, & aërem corrigat: *Liberam alvum facit pulmentum pomiferum, jus uveæ corinthiacæ, prunum damaſcenum, & conſuetum, vel jus avenæ, vel Borraginis, vel oxilapi ſilveſtris.*

Symptomata quod concernit, quæ primis diebus, 4to 7. 11. & 14. à fermentatione febrili totius maſſæ ſanguineæ omnium ſpirituum animalium, ut umbra corpus, ſequi ſolent, quatenus ceu noxia periculum quoddam minatur (aliàs enim non ſunt adeò formidanda, eaque adaucta flammâ vitali & correcto ſanguine ac ſpiritu animali, remittenteque morbo redeunt:) ſequenti modo iis occurri poteſt, & quidem.

I. Ad *nauſeam*, *faſtidium ciborum*, quandoque *vomitum frequentem ac ſingultum*, à fermento ventriculi depravato ortum, tam *acidi confortantis conditi* G. cochear. j. quàm *ſpiritus acidi A. A.* ſæpius guttæ 15. ad 20. in brodio carnis tenui ſunt exhibendæ. *Externè Emplaſtr. de cruſta panis Montagnanæ*, vel *ſacculus ſtomachalis* interpaſſatus ex *mantha criſpe, abſinthio, roſmarino & roſis rubris*, vel *ex fermento cum baccis juniperi, cariophyllis nuce moſchata, macere & aceto roſaceo* facta *placenta* calidè applicanda.

II. Ad *Cephalalgiam*, *inquietudinem*, & *agrypniam* ab adſcendentibus igneis fuliginibus excitatam, non ſolum *interne emulſio refrigerans* K.

♃. ſem. 4. frigid. major. enucl. an. ʒß.
papav. alb. rec. ʒij.
contunde c. ſ. q. aq. decoct. cum C. C.
vel lact. f. l. a. Emulſ. ad ℔j.
adde man. Chriſti perlat. pulv. ℥j.
ocul. cancr. præparat. ʒj.
M. ad vitrum F. Emulſ. reſtriger. hor. ſomn. ſumend.

nocte una duobus hauſtibus ſumi, ſed & *externè* calida, ſalſa, vel cineraria *pediluvia* ex *malv. chamom. violaria, hedera, terreſtr.* in coctis, manè & veſperi ad quadrantis horæ ſpatium uſurpari poſſunt. *Vnguentum alabaſtrinum* L.

♃. unguent. de alabaſt. ʒj.
popul.
ol. papav. alb. expr. an. ℈iv.
pulv. rad. Rhod. ʒij.
M. ad fictil. F. ung. alabaſtr. front. aplicand.

corio inductum, fronti uſque ad tempora, vel ex *nucleis Perſicis*, *ſem. papav. albi & aq. roſar.* applicari, ſoleis verò pedum ſingulo trihorio, quadrihorio, vel poſt 6. horas raphanus niger raſus & ſalſus, vel rapa flava, vel inferius ſequentes placentulæ fermentaceæ adhiberi, vel inſimul verò dorſum, brachia & crura ſacculo ſale repleto benè calido manè & veſperi fricari poſſunt.

III. Ad *Sitim* magnam, ex fermento in ventriculo gliſcente igneo natam, & *ardorem ejusdem*, conducit *aq. C. C. decocta cum Berberibus* H. vel *aqua, in qua citrium malum totum cum ſacchari quadam portione decocta*, præſertim ſi cum *ſyrupis acetoſis* I. *Iulepia* ex ea fiant, item *Emulſio* K. vel *cremor ptiſanæ cum pulvere ſacchari* candi & ſalis prunellæ, convenientiſſima ſunt. Alternationis gratia *ceraſa acida* in aqua decocta, vel *paſſulæ*, vel *berberes*, vel *citria*, vel *aurantia, granata*, vel nodulus ex *ſeminibus melonum & papaveris albi ex aq. roſarum ſaccharata*, concedi poſſunt.

IV. Ad *Syncopen*, *palpitationem cordis & anxietatem* à ſanguine ebulliente & vapeſcente oriundam, *præter externam* ſuaveolentem *humectationem ex aqua roſarum* factam, aliquid *confectionis alkermes*, vel *cordialis cujuſdam cum ſucco rubi idæi*, aut pulverum cordialium probatiſſimorum quidam. M.

♃. ſpec. cordial. temperat. ʒj.
conf. liberant. ℈ij.
ſal. margar. ſicc. ℈j.
M. ad iij. chart. æqual. ſ. major. F. pulv. ſumat. parſ. j. in emulſ. refrig.

alternis diebus dari, externè verò tres *ſacculi cordiales* N.

♃. ſaccul. cordial. major. uſit. ex ſpeciebus pro Epithemate cord. rec. parat. ac interpaſſat. num. iij. F. ſaccul. cordial. N.

aceto roſaco vel tunicarum, vel rubi idæi cum exiguo vini, vel aquæ meliſſæ madefacti, calidi axillis & ad jugulum colli uſque impoſiti, vel circumligati continuò geſtari, *pulſus* quoque *balſamo citri*, vel *hujus cortice*, vel *oleo* ſcorpionum magno Matthioli juxta cum Empl. febrifugo. alum. præſervari poſſunt.

♃. Empl. antifebril. Strob. pro pulſ. ſuper alut. ten. extenſ. magnin umm. dimid. applicet. ſup. pulſ. per. 9. dies.

V. Ad *prunellam* ſive *Anginam* & incipientem *oris putredinem*, ab inſpirato & ex ventriculo rurſus exſpirato vapore maligno productam, *Gargariſmus* adſtringens ex ſpeciebus, cum roſis rubris, miſtis, & cum aqua hordei decoctis paratus additis *rotulis ſalis prunellæ*, *terrâ ſigillata*, unà cum *ſyrup. papav. rhœad. & diamor.* confert. P.

♃. fol. plantag.
fragar. an. Mi.
ſumm. veron.
flor. ſcabioſ.
prunell.
roſ. rubr. an. Mß.
Inciſ. Miſc. ad chartam. F. gargar. de roſ. rub. dict.

Speciatim quando externè collo *ſacculus integro croco, floribus ſambuci & ſale Petræ* repletus & interpaſſatus ita ſiccus calidè applicatur.

VI. Ad *alvi fluxum* ʒj. *terræ ſigillatæ.* vel ʒß. *pulveris adſtringentis rubr.* Q.

♃. C. C. vel cran. cervi uſti. ʒi.
Gran. chermes. el. ℈j.
Pulveriſ. M. ad chartam duplicem. F. pulv. adſtring. pro ij. doſib.

cum *aq. flor. ſambuci*, vel *ſucco cydoniorum*, convenientiſſimè datur, calidè quidem, ut ſudor eò facilius prodeat. Umbilico etiam *Emplaſtrum adſtringens theriacale* R. imponi poteſt.

♃. Theriac. Venet. ℈ij.
croci Mart. ſtipt. ℈j.
M. cum therebinth. q. ſ. & extend. ſuper alut. ten. magnit. Imperial. F. Empl. adſtring.

Si *alvus* contra *nimis adſtricta*, *pruna & pruneola*, vel *paſſulæ* quoque & *pulmenta pomacea*, ut & parum de *rotulis ſalis prunellæ*. auxilio eſſe poſſunt, ſi neceſſitas flagitat, quod tamen rarò contingit.

VII. Ad *Soporem & affectum comatoſum* ſæpius, ſuſcitandi ægri gratia, naribus *nodulus ex camphora* aut *ruta*, *aceto madidus* objici, vel ſuccus naſturtii aquat. iisdem injici, *veſicatoria* quoque S. manibus & coxendici applicari, veſicæ maturè aperiri, & cum *unguento de ceruſſa*, *vel camphorato* ſanari poſſunt.

♃. Empl. veſicat. ſuper alut. ten. extenſ. magn. numm. dimid. num. iiij.
F. Emplaſtr. viſic. aplicand. ut moſ. eſt.

III. *Sudoris fœtidi & contagioſi* ergo vapor *aceti juniperini* eò ſtudioſius continuandus, &c. *aq. roſar.* etiam acidulata ebulliens cum *cinnamomo* paretur, & cum *confectione alkermes*; *in aceto camphorato*, ſoluta fiat illitio.

IX. Contra *deliria* peculiares habentur *placentæ ex fermento* T.

♃. pulv. ſem. ſinap.
naſturt.
Sabin.
ſal. nitri an. ʒi.
M. c. ſ. q. fermenti panif. acerrimi.
F. Placent. magnit. & craſſit. manus extenſ. num. iiij. applicent. ſupr. plant. ped.

quæ non ſolum poſt *pediluvium calidum ex aqua ſalſa* pedum plantis, ſeu etiam umbilico imponuntur, vel *nucha veſicatorium* S. applicatur. Iſtæ poſt 12. horas renovandæ: hoc ſtatim uſurpandum, & modo removendum, prout rubedo & veſica deprehenditur.

X. Ad *tremorem & membrorum tenſionem* dicta jam *veſicatoria* S. pulſibus manuum & ſupra genua in parte interiore, imò contra *nimias cordis anxietates* etiam ſub axillis, & ſupra umbilicum cautè applicari, veſicæ inde ortæ maturè aperiri, & medicamento refrigerante camphorato, vel ſiccante rurſus curari queunt.

XI. Ad *maculas* non rarò diebus cirticis, 4. 7. vel 9. in corpore hinc inde, præſertim dorſo, brachiis & cruribus, ceu morſus pulicum; quandoque ut vibices longiores provenientes, & à guttarum ſanguinis ſyderati diſperſione & diſtributione ortis, non modò *ſudorifera* continuanda ſupra nominata, inter quæ *aqua galegæ* excellit, hinc *Electuarium alexipharmacum* E. & *pulveris* F. ac M. *cavendo ſedulo frigus*, & fricando quotidie corpus *ſacculo, ſale calido vel ſale Petræ repleto*, & præterea de *aqua corn. cerv. H.* cui *nodulus V.* inhæreat, ſæpe bibendum.

♃. ſem. aquileg. vel Galeg. rec. ℥iiß.
ſal prunell. ℥j.
gran. cherm. ℨß. Contus. M. ad nodul. ſeric. infund. in pot. ordin.

ſed etiam *cucurbitæ ſiccæ* paſſim in dorſo, brachiis & cruribus calidè affigendæ & ſæpius detrahendæ, vel dictis ſacculis, ſale vel nitro refertis, & lixivio calido, vel aq. ſambuci humectatis, corpus calidè benè fricandum, ut eò citius maculæ diſcutiantur, & reſolvantur, nec ad interiora redeant.

XII. Sed ſi ſanguinis ſyderati venenatæ guttulæ, ſeu particulæ non amplius vitales à natura non diſperguntur, ſed poſt aures, ſub axillis, in inguinibus, in glandulis coacervantur, ita ut poſt tertium vel quartum diem *bubones, carbunculi & anthraces* paſſim, tanquam certa peſtis ſigna exoriantur, eò laborandum, ut promoveantur, emolliantur, & ad ſuppurationem ſine ſphaceli periculo deducantur. Quem in finem *Emplaſtrum ſambucinum* probatiſſimum VV. vel *Emplaſtrum pulmentare* X. cum *theriaca* miſtum, quotidie craſsè illinendum, bis calidè applicandum, & cum *Emplaſt. de Fuligine Aug.* aut mixtura ex fermento, butyro & cantharidibus, vel pulte lactea cum croco & ſale petræ alternandum.

♃. vitell. ov. ad durit. coct. num. iiij.
crudor. num. ij.
ſal. comm. præparat.
nitr. præt. an. ℨvj.
M. cum. rob. ſambuc. q. ſ. pro Emplaſtr. veſicat.

♃. farin. orobi,
fœnugræc. ana ℥ij.
fol. ſcord.
ſuccis.
flor. chamom.
ſambuc.
hyperic.
ſumm. aneth.
abſinth. ana Miß.
ſal. nitr. ℥j.
caric. ping. num. viij.
Inciſ. tenuiſſ. incid. M. ad chart.
F. Emplaſtr. diluend. cum aqua card. benedict. & ſcabioſ.

Quam primùm pus apparet, tumores tales corroſivo, vel quod melius, lancetta aperiendi, & poſtea ſalubri *digeſtivo* Y. & *unguento* Z. ac *Emplaſtro ex melle, vitello ovi, terebinthina & theriaca* compoſito & inducto circumligandum, & tardè ex toto ſanandum, *hæc tamen cum cautela*, ne corrodendo ſerpant, id quod periti Chirurgi ſcitè præcavere norunt.

♃. Vitel. ovi. rec. num. j.
ol. violac.
mell. roſac.
tereb. Venet. an. ℨij.
theriac. Venet. ℈j.
M. f. Digeſtiv. pro uſu.

♃. unguent. Ægypt. magiſtr.
ol. hyperic. an. ℥iij.
pulv. ſcord.
rad. ariſt. rot. ver. an. ℈ij.
mell. roſac. ℈iiij.
M. ad fictil. & F. unguent pro uſu.

Hactenus D. HOFMANNUS *de febribus peſtilentialibus* earumque cura.

Peſtem ipſam verò ait *eſſe morbum contagioſum, non ab ebullitione, ſed coagulatione & refrigeratione, tam fermenti ſtomachi, quam ſanguinis & ſpirituum animalium natum: Febres malignas peſtilentiales; nil niſi ebullitiones continuas & vehementes totius maſſæ ſanguineæ eſſe* proclamat, quarum vi natura renovationem totius maſſæ ſanguineæ quærat, eamque victricem evadere, quando naturales ſucci præternaturales & ferè malignos citò ſuperant: & eandem contra vinci, quando præternaturales humores copiâ paucos naturales ſuperant, utut plerumque horrore vehementi vel frigore incipiant, eoque ipſo prodant, flammam vitalem in ſanguine vim, vel ſuffocationem pati, & poſt flammæ hujus extinctionem in maſſa ſanguinea ignem prunæ inſtar ſupereſſe, propendereaque maturè, quantum poſſibile, mediante ſudore, velut hypocauſtum calidum feneſtrarum reſeratione, non autem ignis extinctione, ventilatione, & quaſi per afflatum ſuſcitatione opus eſſe. *Peſtis* autem *cauſam* poſt Dei diſpoſitionem cœlique tempeſtatem, à venenoſarum nebularum, ſemen fructuſque perdentium, pluviarum frigidarũ multitudine, inde orta aëris coagulandi virtute derivat, à qua vis fermenti ſtomachalis ignea ſenſim ſenſimque mediante faucium ſaliva adulteretur & extinguatur, ſanguis albus (ita loquitur) & ruber in vaſis fixus & refrigeratus, atque ita flamma vitalis in ſpiritibus ſubſiſtens, & in animo terrore percuſſo, quaſi timida ſubitò ſuffocetur, ut homines etiam ſubito per imaginationem euntes & ſtantes cadant, & ſine auxilio, quia nulla medicina in ventriculo actuari & ad operationem deduci poteſt, mori cogantur.

Quare hoc tempore, propter æſtatis hactenus elapſæ calorem & aëris ſerenitatem (Deo gratia) nondum adeò pertimeſcendum.

Quodſi vero talis neceſſitatis caſus hic illic *poſt famem ſuperatam*, & *uſum alimentorum inſalubrium* per ſingularem venenatam, vel vitali facultati adverſum ſtomachici fermenti refrigerationem, ignisque ibi aliàs efficaciter operantis extinctionem, præter ſpem poſt diuturnæ, humidæ, nebuloſæ & aſperæ tempeſtatis mutationem *oriatur, optimum conſilium eſt*, præſervationis ergo variis *ſuffimentis, è ligno vel baccis juniperi, ſulphure, pulvere pyrio, ſuffitu communi & tædis aromaticis Aug.* ædes & conclavia quotidie *ſuffire*, & moderato uſu variarum, ſubtilium, *ſpirituoſarum aquarum* vel hebdomadario *Theriacæ, Mithridatii vel ſpiritus theriacalis camphorati, centaur. min. cochlear. Trifol. aquat. Elix. P. P. aut Zedoar. ſulphurei, aut camphorati pulveris, vel pilularum peſtilential. Avicennæ, Plateri, Ruffi, &c. vel vini medicati optimè* ex petaſitide, helenio, carduo ben. centaurio min. abſinthio & baccis junip. *ſe præſervare. ulcera* non ſanare, imò *fonticulos excitare, parum* verò, præſertim diebus mutationum Lunæ; in novi vel plenilunio, oborta nebuloſa & humidâ tempeſtate, in publicum *prodire*, ſed nonnunquam *mane, fiſtulam Tabac. Bezoardici vel juniperi* haurire.

In *curatione* verò ſummè *neceſſarium eſt*, extemplo aut

aut propere, poſthabita omni venæ ſectione & purgatione, attamen poſt *moderatam vomitionem*, ad mutationem fermenti ſtomachici efficaciſſimam, *ſpirituoſis*, ſubtiliſſimis, *volatilibus*, ignis vitalis multum foventibus, & in actum ſtatim exeuntibus *calidis* remediis naturæ ſuppetias ferre, eamque excitare, ut fermentum ſtomachicum, præſertim vacillans vitæ flamma ſe multiplicare citiſſimè, & ubique coagulatus & refrigeratus ſanguis vitalis calefieri, & ad priorem activitatem deduci queat. Facultatis enim animalis & vitalis quia fundamentum eſt facultas naturalis: Quem in finem poſt ſpirituoſam ventriculi fomentationem iſta hîc magis, quàm in febribus peſtilentialibus convenientia remedia, *Theriaca Andromachi, Theriaca Diateſſaron, Ther. Auguſtan.&c. Mithridatium Damocratis*, item, *Antidotus Matthioli, Elect. Papæ & de ovo. Confectio Archigenis*, & ſimilia alia fortia & penetrantia Electuaria quamprimum, ut dictum, poſt vomitum, *in ſpirituoſis aquis ex aqua benè calida* poſſunt exhiberi. Eoque in caſu etiam cochlear *raphani ruſticani* raſi acrioris, ut in caſtris ſæpius fuit obſervatum, *cum cochleari* ſpiritus vini conducere poteſt. Similiter quoque *radix petaſitidis, imperatoriæ* ſeu *magiſtrantiæ, leviſtici, vincetoxici* vel ex *nucibus, ficubus, ruta & allio* compoſita, vitalem flammam ſuſcitans *Theriaca ruſticorum cum rob. juniperino* ſingulari uſui eſſe poteſt, ut mox calefaciendum & calefactum ſtomachi fermentum ad ſanguinem venæ portæ & venæ cavæ, ſpirituſque nervorum & vaſorum lymphaticorum animales denuò ſe diffundat, & in Oceano ſanguinis ad cor quaſi gliſcentem, & ſerpendo vires acquirentem coagulationem & concretionem ſanguinis lethalem efficaciter impediat. Cujus gratia etiam neceſſarium, ut omnia *ſpirituoſa remedia* probata quovis quadrihorio vel poſt 6. vel 8. horas, prout viſum, offerantur, inter quæ ea, quæ ex *rad. ſcorzon. corticibus citri, conſerv. acetoſell. & granis cherm.* cum *ſyr. de cinnamom.* & *meliſſa* præparat. condita, & ex C.C. & *rad. ſcorzon. pimpinellæ & zedoariæ*, ac cinnomom. præparata decocta, quando præſertim in iiſdem vitali virtute multa pollentia *ſemina aquilegiæ, galegæ, naſturtii, ſinapi* infunduntur, inſigniter conferri poſſunt. Sicut & loco *ſalium theriacalium vel viperinorum* Veterum celebratiſſimorum, *Confectiones viperinæ, aromatica & juniperina Quercetani*, item *ſalia chymica, volatilia C. C. ſal. armoniac.* & alia tenuium partium, *vel ſalia fixa abſinthii, cardui. bened. cent. min. meliſſæ*, &c. aciditatem coagulantem corrigentia valde proficua ſunt, cum pulveribus cordialibus, *ſpec. cordial. temperat.* item *zedoaria cum flor. ſulphuris & camphora.* Item *pulv. Pannon. pulv. Elect. de gemmis cal.* item *ſanguis hirci cum miſtura ſimpl.* atque noſtro *balſamo vitæ* exhibita. Quamvis enim iſta *calida* tenuium partium febrili ſæpe accedenti calori incrementum accedentia videantur, *conferunt tamen*, cùm fermentum reſuſcitant, ſanguinem vigorant, quæque coagulant ſanguinem, tollunt, ſpiritueſcentiam fermenti ventriculi & ſanguinis promovendo, & fuligines acidas, coagulationi faventes, eliminando, utpote per quas ſubſiſtentes coagulatæ, craſſiores & chyloſæ ſanguinis portiones ſæpius etiam gelidi & ignei *bubones peſtilentiales* poſt aures, ſub axillis, & circa inguina in glandulis, ut interſcapilio & aliis in locis vibices & maculæ, quatenus ſequentem ſanguinem in circulari ſuo curſu impediunt, & retentum coagulant ac colligunt, cauſantur, *quorum naturam, præſervationem & curationem in præcedentibus expoſuimus*, quod nempe non detinendæ, ſed quantum poſſibile, *per diaphoretica* tenuiſſimarum partium ad exteriora expellendæ, & quidem imprimis poſt quartum diem cum *vitello ovi, vel allio, vel cepa aſſa, vel rob ſambuci, & nitro, vel Empl. de fuligine*, aut *veſicatorio theriacali*, aut *cucurbitulis* evocandæ, ut ſanguis reliquus in ſuo motu promoveatur, vitaque conſervetu r. *Hæc Mauritius Hofmannus*.

[In Senatus Lipſienſis ſequentia habentur. Ad corrigendum aërem in ædibus & conclavibus.

℞. Bacc. junip. ℔j.
ſulphuris opt. ℔ß.
ſalis petræ ℔. dimid.

Singula ſeorſim contundantur, poſtea miſceantur, quo manè, meridie & veſperi, vel quando placet, ſuffitus fiat. Qui meliora deſiderat, parare poteſt *ſuffitum ex thure, maſtiche, ſtyrace, &c.* ℞. *Tantillum ignitæ Reſticulæ & per noctem ſervatæ in cubiculo vitato tamen incendio. Præſervationis* gratia ſemel vel bis *pilulæ peſtilentiales Ruffi* hebdomatatim manè à ʒß. ad ℈ij. uſurpentur, vel *Elix. prop.* cum *Rhab.* 40. gutt. ad 60. in *vino abſinth.* aut *pilulas Francof.* qui his aſſueti ſemel vel bis capiant. Reliquis diebus alternatim *Elix. præpar.* per ſe, *vel cum tertia parte Tincturæ bezoard.* miſt. 25. gt. ad 40. in vino abſinth. ſumantur manè, vel in brodio carnis.

℞. Elix. prop. P
Tincturæ bezoard. D. Mich. an. ʒiij.
M. S. Præſervativ. Elixir.

Purgantia calidiora caveantur; *Jejunus* in publicum nemo exeat, ſed *vel* juſculum capiat, *aut* panem butyro cum ruta vel abſinthio illitum, & deinceps hauſtum vini abſinth. *vel* ex carduobened. parati ſumat. Mundato corpore *alexipharmaca* tutius uſurpantur, ut *Theriaca, elect. de ovo, Elect. camphoratum Kegleri*, ut & *Diaſcordium* quotidie ſemel vel bis magnitudine caſtaneæ per ſe, vel in vino, vel in aqua card. ben. aut ſcordii alternatim. *in publicum exituri* gingivam quodam ex Electuariis jam notatis, vel cum vino abſinth. vel aceto præſervatio leniter prius fricent. Confert etiam ſingulis ſeptimanis bis, ſumptâ *Theriacâ* vel *Electuario camphorato* per ſe, vel in vino, aut in aceto rutaceo, ſcordiaceo, vel theriacali diſſoluto, ſudorem lenem provocare, & induſio bene prius perfumato ſe munire.

℞. Conſerv. acetoſ. ℥iij.
flor. citr.
tunicar.
Diaſcord. Fracaſtor. an. ʒvj.
Elect. camphorat. Kegler.
Rad. ſcorzoner. condit. an. ℥ß.
zinzib. in Ind. condit. ʒiij.
ſyr. è tot. citr. q. ſ.
M. F. l. a. Electuar. med. conſiſt.

Præſervativum pro ditioribus ſervand.

Quotidie bis, manè & veſperi cubitum iturus, quantum cultri cuſpis bis vel ter capit, pro ratione tamen ætatis & aliarum circumſtantiarum capiat.

℞. Spec. pro trochiſc. ſublingual. Auguſt.
liberant. an. ʒij.
Extr. Angelic. ʒß.
zedoar. ℈j.
Sacch. in aqua ſcorzoner. diſſol. q. ſ. F. l. a. confect. in Rot.

Præſervat. pro ditiorib. ſervand.

Unde vel duæ ſæpius, nullâ habitâ ratione temporis, ſub lingua detineantur, donec diſſolvantur.

℞. Tinct. corall. cum ſpir. cord. cervi. ℥ß.
F. Alexipharmac. Tinctur. bis in ſeptimana gt. 25. uſque ad 30. in hauſtu vini veſperi iturus cubitum ſumatur.

Pulvis Montagnana, de quo ipſe ſcribit, quod nunquam viderit aliquem mori, qui illo uſus fuerit.

℞. ſem. citri.
acetoſ. an. ʒij.
rad. dictam. albi
gentian.
tormentill. an. ʒijß.
boli Armen.
cinamom. elect. an. ʒj.

 margar.

margar. præparat.
ſaph. præpar.
oſſ. de C. C. an. ʒj.
ſantal. omnium.
ſem. ocymi an. ʒiß. M. F. P.] Doſis ℈j. ad. ʒj. manè in brodio carnis vel gallin. veſp. in cochl. vin. & quidem hebdomadatim bis, vel prout conſultum videtur.

Aceta, ut *rutaceum*, *è toto citr. fl. ſambuci, fl. tunic. rubi idæi, antipeſtentiale*, officinar. domi ſervari, & alternatim internè & externè uſurpari poſſunt. *Externè* tempora, frons, naſus & pulſus iiſdem illiniri poſſunt: internè nonnunquam cochlear. j. vel ß. pro ratione circumſtantiarum ſpongiolæ & iiſdem impræ-gnatæ globulis vel ſphærulis tornatis incluſæ ad odorandum adhiberi poſſunt.

℞. Conſerv. acetoſ. ℥iij.
roſar. ℥iß.
Theriac. diateſſar. ʒj.
Andromach. ℥ß.
rad. Angelic.
tormentill. pulveriſat. an. ʒij.
cum ſyr. acetoſ. F. Electuar. mediocr. conſiſt. Præſervativ. pro pauper. Doſ. 1. vel 2. manè, veſperi, & quoties opus.

Si quis *Balſamum*, quem ſecum portet, deſideret,

℞. ol. ſcorpion. magn. Mathiol. ℈j.
angelic.
rutæ. an. gtt. xv.
citr. ℈ß.
camphor. gt. vij.
corp. pro Balſ. q. ſ. F. l. a. Balſam.
S. Præſervativ.

Vinum abſinthites pro familia.

℞. Fol. & ſummit. abſinth. ℔j.
herb. Cardui bened.
fol. & ſummit. rut.
ſcordii an. ℔ß.
rad. angelic.
pimpinell. an. ℥iij.
flaved. citr. recent. ʒvj.
conciſa. g. m. S.
Species pro vino Abſinth. Præſervativ.]

PARTIS SECUNDÆ
CAPUT I.
DE NUTRITIONE PARTIUM LÆSA.

Nutritio partium læſæ. JAM ut pateat connexio cum ſuperioribus præſuppono, quod ſanguis in utroque cordis ventriculo & pulmonibus perfectus transferatur tandem per arteriæ Aortæ ramos infinitos in totum corpus ac ſingulas partes quo ipſæ tum illæ nutriuntur (nempe ſanguine in genere ſic dicto) tum etiam ex eodem liquores humanæ œconomiæ conſervandæ aut utiles aut inutiles ſeparantur , utpote ſunt urina, lympha, bilis,&c.

In genere ergò ſanguis diſtribuitur ad partes , ut eas nutriat, id eſt ad particularum ſenſim ab ipſis ſecedentium ac pereuntium reparationem. Ut & in juventute earundem ad majorem molem ac magnitudinem accretionem.

Hæc partium *Nutritio tribus* imprimis *læditur modis.*

1. *Quando abundat* ſeu *nimis eſt aucta :* idque vel *univerſè* in toto corpore ſecundum carnis muſculorum & ipſi annexam pinguedinem *in corpulentia* dicta *nimia.* Vel *particulatim ſecundum partium nonnullarum & viſcerum Parenchymata :* qua ratione obſervatæ fuerunt *nimiæ magnitudines Hepatis, Lienis, Renum* & ſimilium partium.

2. Læditur Nutritio *quando deficit in Atrophia & Tabe.*

3. Læditur Nutritio *quando depravatur* ut *in Cachexia* , *Anaſarca*; in *Ictero* & ſimilibus aliis affectibus.

Quod 1. attinet *auctam nutritionem* , de ea quæ eſt particularis auctio quorundam Viſcerum, ſufficienter actum fuit in Phyſiologicis. Quod verò attinet univerſi corporis augmentum in

CORPULENTIA NIMIA.

Corpulentia nimia. *Quando* nempe *habitus corporis muſculoſus inſigniter augetur.*

Item in *obeſitate nimia* , quoniam pinguedo membranas partium & in ſpecie ſubcutaneos infarcit & incruſtat.

Pertinet huc , *Habitus* vocatus *ſucci plenus* dum nempe omnes partes rore nutritio abundanter irrigatæ , dum corpus molle humidum tumefactum & ita uno nomine ſucci plenum ſit , alio nomine vocatur *corpus quadratum* , dum nempe omnes partes in omnes dimenſiones ita abundanter nutriuntur, ut exinde conveniens robur atque forma conſiſtentia corporis concilietur : Metaphora deſumpta ex Matheſi in qua corpora quadrata pro firmiſſimis habentur.

Pertinet huc etiam *Habitus Athleticus* dictus, cujus apud veteres in ſpecie *Aphoriſm.* HIPPOCR. *ſect.* 1. ſubinde injicitur mentio. Habitus Athleticus iſte eſt quando ab optimè conſtituta maſſ. ſang. corpus inſigniter nutritur ac pingueſcit ; & in ſpecie caro muſculoſa inſigniter augetur : unde poſtmodum tale robur conciliatur iiſdem , quale veteres Athletæ habuerunt , qui invicem congredientes exercitia Athletica ſuſcipiebant.

Hic Habitus Athleticus & ſucci plenus, ſunt auctiones quaſi affines corpulentiæ nimiæ.

Eſt autem *Corpulentia nimia quando corporis totius tam ventris quam artuum peripheria in tantum convenienti nutrimento eſt aucta , ut actiones imprimis eas quæ ad motum pertinent aut impediat aut inſigniter vitiet.* Nam non rara ſunt exempla *ex nimiâ* corporis *obeſitate* quoſdam eſſe *ſuffocatos* , qualia videbitis *in* SCHENCKIO *lib. 2. obſer.* Sic etiam TIMÆUS *in ſuis caſibus p. 262.* notat *mortem repentinam* ex pleniore corporis habitu : Et vix aliter eſſe poteſt , quin motus tàm thoracis inſpiratorius quàm totius corporis progreſſorius vitietur cum enim fiat motus per fibras muſculorum abbreviatas ſi omnia intercepta muſculorum ſpatiola ſucco nutritio in tantum ſunt repleta & infarcta, ut nullo modo in ſe ipſum cedere poſſit muſculus neceſſum eſt, impediatur imprimis hinc fibrarum cōtractorius motus & per conſequens membri ipſis annexi.

Stupenda ſuperſunt *obeſitatis nimiæ exempla* cum inter alia referat PANAROLLUS *Pentecoſt. 4. obſ. 32.* de muliere adeo obeſa ut *pinguedo ad genua uſque laberetur 30. circiter & amplius librarum.* Sic ſtupendum abundantis pinguedinis exemplum in Abdomine puellæ recenſet BARTHOL. *cent. 2. epiſt. 81.* plura qui cupit. vid. *Marcellum* DONAT. *lib. 5. hiſt. med. cap. 2.* uti etiam TULP. *lib. 3. obſ. cap. 55.*

QUOD ATTINET CAUSAM.

Corpulentiæ & obeſitatis nimiæ, hæc *eſt ſanguis laudabilis & pinguis minus abſumptus ſed copioſè generatus ac in partes diſtributus ibique quodammodo affixus.* Unde huc diſponunt omnia ea quæ ſanguinem copioſum generare & minus abſumere poſſunt, v.gr. *corporis motus deficiens* aut *exercitium admodum moderatum.* Item *vita curis anxiis vacua* , *ſomnus mediocris* aut *protractior*, *alimenta* aut *multi ſucci* aut *copioſius aſſumpta* & ſimilia. Cæterum laudabilis *hæc ſanguinis conſtitutio* , ſecundùm quam pingue & corpulentum fit corpus, *conſiſtit in eo quod ejus maſſa ſit admodum temperata & minus ſalina* : Unde fit ut chylus non adeò ſubitò aſſimiletur : neque ex maſſ. ſang. multum adeò diſpergatur; quin potius ſanguis ſemilacteus quaſi aut copioſo chylo turgidus ad partes delatus , has ſucco temperato & chyloſo infarcit , qui pro varietate partium ſubactus , eas tandem in adeò inſigne augmentum diſtendit. Nam uti ex lacte primi conſtamus, & ut infantes ex lacte primum ac præſentaneum acquirimus augmentum : Ita ſimili ratione *ex lacte* vel *chylo* etiam *fit corpulentia nimia & obeſitas.* Nam quod nutriamur lacte præſuppono cognitum ex Phiſiologicis.

Cæterum in chylo ſanguini permiſto non ſecus ac in lacte copioſæ ſunt partes pingues ſ. butyroſæ , has ipſas beneficio ſeri hinc inde diſtributas imprimis circa

circa membranas in pinguedinem concreſcere arbitror, idque beneficio ſubtilis cujuſdam ſeu blandi ac temperati acidi, quo uti omnia pinguia & oleoſa ſunt inſigniter imprægnata, ita hoc ipſum occurrens alcali ſubtili & volatili in omnibus partibus obvio & in omni partium nutrimento etiam præſente tunc ſenſim ſe mutuò coagulando in pinguedinem circa membranas abeunt.

Cæterum in hoc ipſo negotio tum primitus dependeat à ratione chyli nutritio, vel *maximè ſtomachi* etiam *habenda eſt ratio*. Hic enim ceu coquus corporis univerſalis prout diverſimodè præparat chylum, etiam eundem diverſimodè diſponit pro nutritione corporis aut uberiori aut parciori. Unde eſt quod *in ſtomacho & prima rudimenta obeſitatis* & etiam prima principia *Atrophiæ*.

Confirmant hæc omnia ea, quæ præ cæteris diſponunt homines, ut fiant corpulenti & obeſi quæ inter eminent *Paſſulæ* quæ præ aliis à RIVERIO & JOEL commendantur, quod pinguefaciant etiam tabidos. Ratio eſt quia hæ inſigniter temperatæ temperatum chylum ac temperatam maſſ. ſang. conciliant. Pertinent huc etiam *ſemina vegetabilium oleoſa*, & ipſa *temperata*, v. gr. *amygdalæ dulces*, *pineæ piſtaceæ*, *ſemina frigida minora & majora* ac ſimilia. Hæc enim ſemina oleoſa & temperata ut temperatam reddunt maſſ. ſang. ita copioſum ſubminiſtrant chylum (ratione cujus etiam venerem ſtimulant) à quo poſtmodum copioſius ac temperatius nutrimentum accedit. Unde etiam *Cereviſiæ triticeæ* uberius nutriunt quam Cereviſiæ hordeatæ: Illæ enim triticeæ temperatæ copioſum ſuggerunt chylum: Hæ verò hordeaceæ ſunt abſterſivæ & præterea lupulo diuretico conditæ, unde quatenus nonnihil urinam movent, & ipſæ corpus minus nutriunt. Nam ſanè in *obeſitate nimia* aut *concilianda* aut *curanda potus imprimis maxima habẽda eſt ratio*. Potus enim eſt vehiculum nutrimenti ut latice aquoſo chylus dilutus transferatur ad partes eas ut nutriat. Hic enim eſt iſta *Gelatina* quæ in *ſero ſanguineo* hinc inde conſpicitur nempe *chylus* ſanguini nondum aſſimilatus ſed *copioſo ſero dilutus*: ratione cujus BARBATUS ſtatuit in ſero ſanguinis eſſe imprimis nutrimentum partium ſpermaticarum. Unde *in pinguibus & obeſis* remedium infallibile eſt *abſtinentia à nimio potu* uti rectè hoc confirmat PANAROLLUS *pentecoſt*. 4. *obſerv*. 18. quòd nulla res majori celeritate pinguedinem imminuat quàm ſubtractio humidi. Unde etiam *lactis* uſus impinguat quoniam eſt temperatum & in ſe ipſo nutritivum. *Panis* etiam habenda eſt ratio quatenus in eo, quoad digeſtionem primam, multum reſidet, hic enim ejuſque fermentum inſigniter facilitat digeſtionem. Hinc eſt quod refert CATTIERIUS *in obſerv. poſt* BORELL. *p*. 44. quod quidam diminuto panis nimis copioſo uſu & in locum ejus ſubſtituta tantummodo carne inſigniter tenuis redditus ſit.

Unde etiam *ſeminis excretio* maciat homines quatenus ſubtrahitur ſuccus chyloſus nutritivus: è contra caſtrati pingueſcunt, quoniam materia ſeminis blanda dulcis & oleoſa retinetur in corpore quæ & temperat maſſæ ſanguineæ acrimoniam, & ita eandem diſponit ad uberiorem nutritionem ratione chyli aſſimilandi partibus.

QVOAD SIGNA DIAGNOSTICA & Prognoſtica

Pauca ſunt monenda. Nam *Diagnoſtica* per ſe patent: In *Prognoſi* plus minus obeſorum facilè eſt hariolari.

QVOD ATTINET CVRAM.

1. *Impediendus eſt copioſus alimenti laudabilis proventus*. 2. *Alimentum jam genitum removendum eſt antequam partibus ſeſe uniat*. 3. *Vnitum jam partibus alimentum eſt reſolvendum ac liquefaciendum*, ut ſero abluenti imbibitum foras amandetur. Serum enim uti primò eſt vehiculum alimentorum ita poſtmodum vehiculum eſt excernendorum.

Dubium videre poſſit *an corpulentia jam facta reſolvendo ſemel aſſimilatum nutrimentum poſſit tolli*? *Affirmari* facilè poteſt: Videmus enim craſſos & obeſos ſub *febrium ardentium* ardore inſigniter emaciari: præterea *ſcorbutus* confirmatus corpus etiam ad Atrophiam producit unde Atrophia ſcorbutica. Ad hæc *viſcerum ulcera* dum Hecticam inferunt, ita maſſam ſanguineam inficiendo phthiſicos & macros reddunt. Denique *excretio copioſa lymphæ* abſumendo nutritium rorem corpus emaciat. Præ cæteris tamen *urinæ copioſæ & confertim facta evacuatio* corpus emaciare ſolet. Vid. HELM. *Tr. jus duumviratus*, & *Tr. latex humor neglectus*, ubi refert exempla inſigniter obeſorum per potiones diureticas ſubitò emaciatorum. Talia exempla habet etiam SCHENCK. *in obſer*. ubi de Diabete, ibi enim refert multas Diabete affectos per copioſum urinæ profluvium ſubitò fuiſſe extenuatos. Nec minus efficax etiam eſt *copioſa ſalivæ excretio*: notum enim eſt quod lue venerea ditati, curati per inunctiones mercuriales Gallis frequentes, ubi continuam ac copioſam excernunt ſalivam, quod exinde admodum attenuentur. Item refert BORELL. *cent*. 2. *obſ*. 11. nimiam corporis craſſitiem & pinguedinem *continua maſticatione foliorum Tabaci* fuiſſe curatam. Iam notum eſt quod tabacum ſit egregium maſticatorium dum elicit copioſam ſalivam: id quod etiam *de foliis lauri* dicitur ſi maſticentur: ſalivam enim eliciendo corpus emaciant. Hæc & ſimilia perſuadent quòd *corpora pinguefacta* poſt reſolutionem jam aſſimilati nutrimenti à latice aquoſo partes ambiente imbibiti, & *ſub forma urinæ* copioſè & ubertim evacuati *aut* etiam *ſalivæ* emacientur. Hæc inter ergò quæ huc faciunt ut corpus denuò emacietur primatum obtinet *acetum & omnia ex aceto vini* filio degeneri parata remedia: vid. CATT. *cit. loc*. ubi refert exempl. viri admodum obeſi, qui loco vini aceto utens in potu ita rurſus extenuatus fuit ut 87. ℔. pondere decreverit. Id quod confirmat STEPHANUS *in operibus medicis tr. Coſmotica*, ad obeſitatem tollendum nihil melius eſſe quam *acetum ſcylliticum jejuno ſtomacho* hauſtum.

Item *acetum rutaceum*, aut etiam *potus ordinarius ex aqua chalybeata aceto temperata*: Item *acetum ſcylliticum* in quo *abſinthium* eſt maceratum. Ratio hujus eſt quod acetum ſtimulat fermentum ſtomachicum adeoque alimenta potenter diſſolvit & incidit eademque in chylum tenuem & admodum aquoſum colliquefacit. Qui accedente in duodeno bilis attactu transmutetur in ſalſum diureticum quæ diuretica ſalſedo non tantum chylum aquoſum potenter exhaurit, ſed præterea quoque nutritium rorem diſſolvit ut per urinas excernatur *Acetum* ergò ſi *cohobetur aliquoties ſuper nitrum*, eò magis evadit *diureticum* & eò magis emaciat antea craſſos.

Faciunt huc etiam *Purgantia* quæ promptè corpus emaciant. Hinc etiam CELSUS inquit crebris purgationibus adſueſcere eſt corpus non nutrire. Nam purgantia etiam nutritium ſuccum putrilagine afficiunt & ſub forma ſtercorum exhauriunt; verum cum purgantia fortiora ceu venenata non ſemper tutò in uſum vocari poſſunt propterea *aleotica & abſtergentibus miſta* conducunt imprimis. Hinc FERNELIUS *Conſil*. 15. inquit quod corpora obeſa optimè curentur *per pilulas ex rhabarbaro aloe & agarico* paratas.

Hinc etiam *Elixir proprietatis* ſæpius ſumptum corpus nonnihil emaciat, uti etiam omnia inſigniter amaricantia, v. gr. *Myrrha*, *aloë*, *pilulæ de tribus* ſ. *Peſtilentiales pilulæ de hiera*, *abſinthium* & ejus *eſſent. Eſſent. myrrhæ gentiana*, *centaur*. minus, *mentha*, *naſturtium*.

ſturtium & ſimilia quæ omnia amara attenuant & reſolvunt rorem nutritium ac ſero involvunt qui interdum excernitur ſub forma urinæ interdum ſudoris. Præ cæteris tamen omnibus eminent *Diuretica fortiora*: quæ inter eminet *Radix aſparagi*(quæ & ipſa urina fœtido odore corripit) radix *fœniculi, petroſelini*; item *alliata* ac *cæpacia omnia. Syrupi* dicti *de duobus* item *de quinque radicibus*, qui diuretici ſunt. *Decoctum Cicerum rubrorum*; item *Cappares, Olivæ, Amygdalæ amaræ*,& ſimilia condimenta diuretica.

In ſpecie huc facit *Tartarus* remedium vino ipſo nobilius cujus volat. aciditas potenter abſterſiva ac attenuativa ſimul blandè interdum copioſè urinam movet. Sic refert FORESTUS *lib.31. obſ.12.* de Aurifabro adeo craſſo ut ferè expiraret qui tamen fuit curatus hoc pulvere.

℞. Tartari ℥ij
Cinamom. ℥iij. (potius ʒiij.)
Zingiber. ℥j.
Sachar. ℥iv.
miſc.

& ſubinde aſſumpſit.

Sic etiam *Epiphanius* FERDINANDUS *conſ.* 8. ſpecie commendat *Tartarum* in pulverem redactum contra nimiam pinguedinem.

Aliis ſecretus eſt *Pulvis* contra nimiam corpulentiam paratus *ex Tartaro & Cymis ſ. Julis Coryliana miſtis & pulveriſatis* Hujus pulvis *mane jejuno ſtomacho & veſperi* ſub introrſum lecti ℈j. *aceto deſtillato irroratus* eſt aſſumendus, idque continuò donec corpus egregiè emacietur,(quæ dico de tartaro ſimplici etiam intelligenda de *ſal. volat.* & nobilioribus præparatis quod præſuppono. Pertinet huc etiam *Tartarus vitriolatus* & ipſe ad emaciandum aptus.

Deinde poſt tartarum eſt *Nitrum* & ipſum diureticum ac ſpecificum admodum proprium contra pinguedinem nimiam. *Nitrum vitriolatum ſ. arcanum duplicat. Mynſichti* ſpecificè etiam contra obeſitatem commendetur.

D. LANGIUS ceu ſingulare habuit Arcanum *Dioſpoliticon* GALENI *ex Nitro & Cumino* quod ſæpius uſurpatum per urinam corpus maciat. Pertinet huc *Tartarus nitratus* BARTHOLETI *ex ſal. tartar. & ſpiritu nitri* invicem miſtis paratum, egregium ſanè appropriatum contra nimiam corpulentiam.

Facit huc etiam *Juniperinum gummi* aliàs dictum *Sandaracha Arabum*; Græcorum Sandaracha eſt auripigmentum. Unde elegantes ſunt *pilulæ Myſinchti ex Sandarachâ ſ.* gummi juniperi contra obeſitatem quarum doſis *eſt* ℈j. *ſingulis manè jejuno ſtomacho* aſſumenda: D. OSUUALD *eſt Autor* qui primus compoſuit has pilulas contra obeſitatem *à quo* habuit has MYNSICHT.

Semen fraxini ſeu lingua avis ad ʒj. *manè* in *hauſtu vini* propinatus inſigniter commendatur ad evacuandam urinam, ratione cujus & hydropicos curat & emaciat craſſos.

Secretum D. EBERBENII eſt *ſemen eſulæ pulveriſatum* & omni manè quantum cultelli cuſpide capitur uſurpatum & continuatum: Hoc enim dicitur expertum remedium.

Nec omittenda *Terebinthina* ratione virtutis diureticæ; refert FORESTUS *cit. loco* de viro valde craſſo, qui inſigniter extenuatur, per *pilulas ex terebinthina cum ſacharo* paratas aſſumendo earum majuſcularum v. *aut vij.* per 2. horas ante prandium. Denique *ſudorifera* ſunt quæ & ipſa corpus emaciant. Unde omnia *lignorum decocta* in ſpecie *Guajaci & ligni ſancti cum dicta ſudorifera* propinata corpus emaciant. Alii *ſalia vegetabilium fixa, ſal abſinthii Card. benedicti*, item *ſalia theriacalia* propinant, quæ corpus inſigniter macrum reddere dicuntur. Aliis *ſalia viperina roſ.* ſunt commendata, item alia remedia *viperina* ſunt commendata quæ & ipſa corpus extenuare & pinguedinem reſolvere dicunt.

Denique *ex fonte Chirurgico* ſunt *ven. ſect.* & *Fonticuli. Venæ ſectio* enim cum ſanguine ſimul nutrimentum exhaurit: Unde ſubtracto nutrimento emaciat. *Fonticuli* verò uti ſucceſſivè partis cui inflicti ſunt nutrimentum reſolutum exhauriunt, ita etiam maſſ. ſang. depravant & corpus neceſſariò emaciant. Hæc de *Corpulentia nimia.*

Vitium ipſi contrarium atque oppoſitum eſt *Defectus nutritionis* qui in genere aliàs vocari ſolet.

ATTROPHIA.

Attrophia.

Deficiens nempe *Nutritio*: Et quidem *deficere ſolet hæc* ipſa manifeſtè *ratione carnis muſculoſæ & ratione pinguedinis*, non item ratione cartilaginum oſſium aut parenchymatum viſcerum. Hæc enim non abſumuntur utut partes muſculoſæ abſumptæ Attrophiam conſtituunt. Et quidem *quando pinguedo ſola deficit* vocari ſolet MACIES, *quando* verò *caro ſimul abſumitur*, nec reſtituitur, vocatur TABES.

Hæc *Attrophia nunc eſt partialis nunc univerſalis. Univerſalis frequentior* eſt quando totum corpus non nutritur: *Particularis eſt rarior*, quæ unum alterumve tantum occupat: vocatur *Aridura* ſeu Attrophia particularis.

IN GENERE ATTROPHIÆ UNIVERSALIS CAUSA EST.

Vel *Alimenti defectus in maſſa ſanguinea*, vel eſt ejus alimenti *ſecundum quod nutritioni ineptum* exiſtit.

Quod attinet *nutritionis defectum: Deficit nutritio* 1. *quando non generatur in ſtomacho*, v. gr. *in Inedia voluntaria, aut* etiam *quando alimenta parum nutrientia aut vitioſa aſſumuntur.*

2. Deficit nutritio, *quando chylus genitus non diſtribuitur uſque ad vaſa ſanguiflua*: idque vel *vitio vaſorum lacteorum* in inteſtina hiantium obſtructorum in paſſione Cœliaca quam ſuo tempore habuimus: Vel *vitio glandularum meſenterii obſtructarum*, hinc *tumefactarum* ac tandem *ſcyrrhoſarum ac ſtrumoſarum*: (Hæc enim ſe ita invicem inſequuntur) chylo tranſitum non concedentium.

Exempla hujus non ſunt pauca vid. HILDANUS *cent.1. obſ.7.* ubi curavit puellam tabeſcentem appetitu minimè privatam idque ex *Meſenterii vitio, tumoribus Scirrhoſis & ſtrumoſis* multum referto.

HORSTIUS *lib.11. obſ.5.* ſimiliter exemplum habet *Attrophiæ ex obſtructione glandularum meſenterii*. Facit huc etiam quod refert BONTIUS *Medicina Indorum cap.11.* quod nempe Attrophia ſeu extabeſcentia Indis regionibus familiaris & quaſi *Endimia* ſit, idque *ex meſenterii* vitio nempe ejus *abſceſſibus*.

Nec *Tabes* adeo decantata in *Anglia* aliam videtur habere originem quàm *Meſenterii glandulas ſcirrhoſas & ſtrumoſas*: quod anatome talium affectorum confirmat: utut aliam habeat rationem GARENZIER *in tract. de Tabe Anglica.*

Infantulis, rarò adultis *Attrophia eſt frequens ex vitio meſenterii* uti ſufficienter hoc deducit BARBETTE *in Anatomia practica p.87.* In qua refert frequenter infantes, rarò adultos, Attrophia corripi cum ventriculo tumido ac inflato & doloribus compreſſivis vitio meſenterii denegantis chylo tranſitum ac debitam diſtributionem.

Deficit *nutritio* 3. *quando chylus* ſanguini permiſtus & quodammodo aſſimilatus *nimis evacuatur* quò pertinet quæcunque *nimia ſanguinis effuſio ſive fiat per nares, ſive per uterum, ſive* quod ſæpius fit, *hæmorrhoides*. Nam tales ſanguinis evacuationes & excretiones multum depauperant de rore nutritio ut non poſſit non ſequi Attrophia.

Facit huc *metus nimius* qui nutritivum rorem exhaurit per glandulas ſubcutaneas ſub forma ſudoris.

Facit huc etiam *æſtus* qui liquefaciendo ſuccum nutritium eundem ſucceſſivè deprædatur.

Fluxus alvi nimis copioſi huc etiam pertinent, refert enim BORELLUS *cent.* 2. *obſ.* 64. de Atrophia & macie, poſt ſumptum Pharmacum adeoque ortam hypercatharſin, obortâ.

Fluor uterinus albus mulierum, qui eſt revera Gonorrhæa, continuatus & ipſe tandem in Atrophiam ac maciem degenerat; uti exemplum habet GUARINONIUS *conſ.* 185. ex fluore albo uterino obortæ corporis macies. Denique *nimia Venus* imprimis eſt quæ cum ſpermate nutritium ſuccum exhaurit: quale exempl. habet ZACUTUS *Luſitanus lib.* 3. *prax. admir. obſer.* 120. de extenuatione Tabifica ex nimio Veneris abuſu contractâ.

Quo etiam pertinet affectus noviter maritatorum quam vocant TABEM DORSALEM, alio nomine *Hecticam novorum maritorum* ſeu *ſponſorum* quando hi ipſi nimis ad rem attenti tandem ſuccum ſeu rorem nutritium nimis exhauriunt: Unde taliter in dorſo ſucceſſivè extenuantur, ſpina prominet & ſenſus vermiculationis cum titillatione ſubito per dorſum decurrere percipitur. Exempla non ſunt rara vid. SOLENANDER *conſ.* 5. item TULPIUS *lib.* 3. *obſ. cap.* 34. item ZAC. *Luſit. lib.* 1. *prax. admirand. obſ.* 122. &c. vid. etiam SENNERT. *lib.* 2. *prax. cap. de Tabe dorſali* & WILLIS *pharm. rat. part.* 2. *ſect.* 1. *c.* 5. *p. m.* 82. *& ſeqq. De hac Tabe dorſali ex Veneris* abuſu orta ſingulare eſt quod habet *in obſer.* 190. quod hæc Tabes dorſalis, licet ſemel curata, ſoleat tamen ſubinde per periodos ſeptenniorum recurrere, & maritos inſigniter affligere. *Hac eſt Atrophia* orta *ex defectu nutritionis.*

2. *Cauſa* eſt *Atrophia* orta *ex vitio nutrimenti.*

Vitium nutrimenti eſt; *quando hoc nimis aſperum aut acre & ſalſum aut alio peregrino vitio inquinatum* eſt ineptum ut nutriat corpus: *id quod fit.*

1. Vel *præter vitioſam nutrimenti generationem in ſtomacho* Vel.

2. *Propter vitiatum aut infectum nutrimentum in maſſa ſanguinea* antea vitiata.

Quod attinet *ſtomachum* in hoc ſanè ſæpiſſimè hæret cauſa & Tabis & Atrophiæ, qui ſcilicet alimenta corrumpit, eaque non in chylum ſubdulcem nutritium, ſed in vitioſè ſalſum aſperum & nonnihil viſcidum immutat. Quod vitium ſæpiſſimè aut ipſa aſſumpta vitioſa, v. gr. in *Pica* ſequitur, aut certè ſæpiſſimè *vitio lymphæ ſalivalis* ſtomachi digeſtionem turbantis & fermentum ejus vitiantis oboritur.

LINDANUS hoc fideliter inculcat: quod nempe *frequentiſſima tabes ſit vitio ſtomachi* qui ob id vitium iſtud vocat cruditatem putridam ad differentiam cruditatis acidæ & nidoroſæ, quando ſcil. alimenta pervertuntur, & vitioſum acorem aut etiam ſalſum depravatum acquirunt ſaporem: & hanc eſſe frequentiſſimam Tabis & Atrophiæ cauſam conſtanter defendit: dum inquit omnis tabes aut phthiſis, quæ vulgò à deſtillatione capitis oriri dicitur, fit originaliter à ſanguine ejuſque cruditate ſ. acrimonia quæ originaliter ex ventriculo ortum habuit. Dicit enim teſtabuntur vobis Tabidi & Phthiſici ſe habere *ſalſum in ore ſaporem* matutino tempore & muriam vix eſſe ſalſiorem quæ omnia ex ventriculo oriri patet, ex cruditate ejus putida, quæ cruditas ad maſſ. ſang. delata eam inquinat, & vitiat. Unde ſucceſſivè lympha quæcunque infecta acrimonia ſua ſalina Bronchia & pulmones ſtimulat, & has partes ad crebriorem tuſſim irritat: Unde & in principio tuſſicula eſt parva & ſicca qua concuſſi pulmones ſenſim intumeſcunt donec vas rumpatur, aut donec perfectè tandem ſuperveniat phthiſis. Vitio ergò tali ſtomachi inquinata maſſ. ſang. fit nimis ſalſa, item lympha ſimiliter ſalſa progeneratur: Unde tam pravi ſapores percipiuntur in ore.

Præter hanc acrimoniam ſalſam *conqueruntur* etiam ægri de *ſapore cinereo*, qui eſt ſignum jam incipientis in pulmonibus corruptionis ſ. ulceris.

Deinde conqueruntur de *ſapore piſcium*, aut *carnium putridarum* qui tales ſi perſeverent neceſſaria tandem ex corruptione ſtomachi, & ſanguinis degenerant in tabem & phthiſin. Nec deſunt *exempla ortæ tabis vel phthiſis ex vitio ſtomachi.* Sic ſcilicet SOLENANDER *conſ.* 8. *ſect.* 1. *& conſ.* 25. *ſect.* 2. exemplum habet totius corporis extenuationis ex male affecto ventriculo.

Item in POTERIO non pauca exempla reperietis tabis & phthiſeos ex *ventriculo* ſubnatas, *cap.* 61. *cent.* 1. *& cent.* 3. *cap.* 82. *& cent.* 2. *cap.* 87. & quæ ſunt alia loca in quibus omnibus ſtomachus accuſatur in phthiſi.

Et quotidiana experientia monſtrat ſæpiſſimè vitio ſtomachi oriri tabem & phthiſin, depravantis alimenta & in acrimoniam ſalſam ac muriaticam transmutantis.

Verſamur adhuc in *cauſis tabis* perſcrutandis & quidem dictum inter alia quod *ubi ex vitio alimenti* ſeu nutrimenti inepti ad nutriendum fit tabes, illa fiat vel *ex vitio ſtomachi* vel *maſſa ſanguinea* vitiatæ.

Quando *vitio ſanguinis* fit tabes neceſſariò corrumpitur etiam chylus aliàs laudabilis: hæc fit quando *ſanguis ſalſus* aut *nimis acidus* aut *nimis acris* aut alio quocunque vitio inquinatus ineptus eſt, ut nutriat. Hunc *poſt febres* tàm *continuas* quàm *intermittentes* malè curatas ſupervenit *Hectica* tabem inferens ex acrimonia partim, partim viſciditate ſanguinis & lymphæ. Unde *ſcorbutici* ſæpius laborant *tabe & atrophia* ex acrimonia ſalis ſcorbutici: maſſ. ſang. nutritionem impediente. Id quod etiam in *malo hypochondriaco* familiare: ut hi ipſi ſi malum progreſſum fuerit in atrophiam incidant: Et quæ ſunt aliæ cauſæ in maſſa ſanguinea vitiata quæ nutritionem impediunt.

Exemplum tabis & phthiſeos ex maſſ. ſang. inquinata obortæ refert BARTHOLUS *cent.* 2. *hiſt.* 31. Pertinet huc imprimis quando *maſſ. ſang. infecta eſt per pus ex ulcere cujuſdam partis* enatum & cum maſſ. ſang. permiſtum, quod ipſum pus ſanguinem vitiat, putrilagine inficit eumque ſalſum & acrem reddit, & per conſequens tabem inducit.

Et hæc ſpecies ſingulari nomine vocari ſolet.

PHTHISIS.

Eſt equidem *phthiſis* vocabulum per ſe generale & *propriè* ſignificat *omnem corporis conſumptionem à quacunque cauſa & in quacunque parte* fiat. *Phthiſis.*

Cæterum *ſtrictius* & ferè jam uſitatius phthiſis dicitur, *omnis contabeſcentia quæ ſequitur corruptelam alicujus viſceris nobilioris: Ita ſi quis contabeſcat ob purulentum hepar*, ſi quis contabeſcat ob *purulentos renes*, ſi quis contabeſcat ob *purulentos pulmones*, & ſimilia viſcera corrupta, tunc dicitur *phthiſi* laborare.

Jam verò quoniam ex omnibus partibus pulmo maximè expoſitus eſt injuriis externis à quibus inſigniter lædi ſolet: Unde etiam ex omnibus partibus pulmo ſæpiſſimè & frequentiſſimè exulceratur. Propterea κατ᾽ ἐξοχὴν *Phthiſici* ii dicuntur interdum, *qui ulcere pulmonum* laborant: Cum hac phthiſi ſimul ſemper cōjungitur febris *Hectica* in quacunque parte ſit ulcus: Qualis hectica etiam interdum conjungitur ulceribus partium externarum inſignioribus. *Si pulmo ſuppuratus*, eſt ſequitur *ſordidum ulcus*, quod magis magiſque inquinando ſanguinem tabem admodum exaſperat.

Cujuſque partis ulcus ſequi phthiſin dixi: unde *datur phthiſis renalis* à ſuppuratis renibus: datur phthiſis *pulmonialis* à ſuppuratis pulmonibus: datur phthiſis *Jecoralis* ex ſuppurato jecore, quin & à ſuppurato *Meſenterio* ſeu abſceſſu meſenterii obſervata fuit phthiſis ab HORSTIO *lib.* 11. *obſer. phthiſis à Vomica* cum

cum quâ ſæpiùs confunditur in eo tantum *differt*, uti à ſe invicem differunt *abſceſſus & ulcus ſordidum*. Nam in vomica in pulmonibus ſeu eorum abſceſſu eſt pus putum album, leve & æquale, quod ipſum interdum ſuis membranis incluſum citra excretionem in pulmonibus hæret. Verùm ubi tale pus non expurgatur variè degenerat à propria natura in varias ſordes ac ſanies, & tunc ſupervenit ulcus ſordidum quod dat phtiſin.

CAUSÆ HUJUS ULCERIS REMOTÆ.

Sunt *variæ*, ſæpiſſimè eſt *nimia ſanguinis* & exinde *natæ lymphæ acrimonia ac ſalſedo muriatica*. Nam omnis phthiſis quæ à deſtillatione capitis ſeu à Catarrho vulgò oriri dicitur à nullo alio eſt niſi à ſanguine & lympha & horum ſuccorum acrimonia: quæ ſalſedo ſæpiſſimè in digeſtione ventriculi vitiata originẽ ponit.

Notum etiam aliàs eſt quod inter *cauſas remotas* tres *externæ & fortuitæ* non rarò phthiſin inducant: verbi gratia, *Vulnus thoracem penetrans*; *Contuſio* ſeu *caſus ab alto ſanguinis ſputum* & ſimiles affectus ſæpius phthiſin pediſſequam poſt ſe trahunt. *Pleuritis* etiam *& Peripneumonia ſuppurata* ſeu *male curata* ſæpius phthiſin poſt ſe relinquit. De *variolis* res nota eſt, quod hæ ipſæ non rarò phthiſin inferant. Ulterius *vapores acidi corroſivi & minerales* in iis, qui operationibus chymicis vel metallicis operam navant non raram tabem ac phthiſin inferunt: unde *aquæ fortis odor* adeò virulentus ab HELMONTIO dicitur, ut ſæpius hauſtus tabem inferat. Unde *Gypſum & Calcem properantes* plerumque phthiſici moriuntur uti rectè obſervat LUSITANUS *cent.* 4. *obſerv.* 41.

Pertinent huc *acidula & omnia vitriolata* in iis qui debiliorum ſunt pulmonum. Nam talia his phthiſin inferunt.

Potus vini nimis acidi & tartarei ad phthiſin diſponit. Unde teſte HOFERO *in Hercul. Medic. Mauraviæ & Auſtriæ* provinciis phthiſis quodammodo eſt *Endemia* propter vinum acido tartareum crebrius hauſtum.

Denique *hæreditarium* malum eſt phthiſis quod à parentibus per traducem ſeminalem in fœtum transplantatur. Hiſtoriam notabilem narrat L'INDANUS *in* HARTMAMNUM de Cive Enckhuſæ habitante nomine *Augerio Paſſa* cui uterque parens ex tabe & phtiſi fuit mortuus: poſt horum mortem prima filia incidit in phthiſin, quæ exinde tabida mortua eſt. Hinc filia ſecunda natu ſimiliter contabeſcens moritur, poſt hanc tertia idem experitur fatum. Propterea *Augerius Paſſa*, peregrinas viſitat regiones ut ſemper eſſet in exercitio nec idem fatum experiretur, & peregrinatione continua & aëris mutatione malum evitarit.

Denique *Contagioſum* vel maximè malum eſt phthiſis, dum fermentum ulceris corruptivum aut *per halitum* aut *per ſputum* ſe propagat & pulmonem in alio ſanum ſimiliter inficit, & ad abſceſſum vel ulcus diſponit.

Hinc fit, ut ſæpius conſortes ſeu conjuges ſani inficiantur à phthiſicis ægris. Exempla contagii phthiſici videantur in RIVERIO *centur.* 1. *obſerv.* 35. *&* 99. item in BARTOLIN. *centur.* 1. *obſer.* 46. Sic etiam RIVERIUS, *centur.* 4. *obſer.* 92. obſervat phthiſin propagatam per contagium in mulierem, quæ mammas viro phthiſico lactandas præbebat, quæ mulier ſubinde poſtmodum ſororem infecit quoque.

Imò refert SCHENCKIUS *in obſer.* adeò contagioſa eſſe phthiſicorum ſputa, ut Medicus ſubinde olfaciens phthiſicorum ſputa exinde phthiſicus factus ſit: Et ex ERACASTORIO idem refert, *phtiſicorum veſtes* poſt biennium contagium phtiſicum propagaſſe.

Hæc de natura & cauſis Tabis in genere & phtiſeos in ſpecie, pergo ad

SIGNA.

Diagnoſis Tabis eſt facilis, dum nempe *corpus ſenſim ac ſenſim emaciatur* ac tabeſcit, hincque *virium imbecillitas* ſenſim ac ſenſim *ſupervenit*: donec in confirmatâ ſucceſſivè tabe *præter faciem* dictam *Hippocraticam* (cujus deſcriptio aliàs per ſe eſt nota.) *coſtæ* in thorace *protuberant*: *Cartilago enſiformis incurvata* apparet *ſcapulæ alarum*, ac *claviculæ* arcuum inſtar *eminent*, *dorſi ſpina* ſe exſerit, *venter collapſus conſtrictuſque* apparet: *Clunes pendulæ* ſunt vel *omninò conſumptæ*, *crura*, *brachia*, *pedes manuſque cum digitis arida* ſpectantur, & *circa articulos protuberantiæ* attolli videntur, *ungues curvantur*, *pili excidunt*, *cutiſque flaccida & corrugata* exiſtit, *venæ* interim *prominent undique conſpicuæ & lividæ*, *corpuſque univerſum* tantum non *tranſparens* ac *pellucidum* in quibuſdam obſervatur.

Cæterùm præcipuè dignoſcendæ ſunt phthiſeos ſeu tabis cauſæ.

Ea, quæ *ex defectu alimenti* tabem inferunt, *per ſe* facillimè patent; Et ea, quæ *vitio glandularum meſenterii* accidit, *abdomen inflatum ac tumidum cum dolore* in ejus profundo *obtuſo ac tenſivo* habere ſolet; item: *excreta liquida & chyloſa* ecernuntur, ac ſenſim *corpus emaciatur.*

Sed ea tabes ac ſubſequens phthiſis, quæ *vitio ſanguinis* & natæ inde ad nutritionem ineptitudine proficiſcitur, imprimis accuratè cognoſcenda. Morbi qui præceſſerunt, quilibet ex ſuis ſignis ſpecialibus cognoſcendi.

Cauſæ quæ eam induxerunt *externæ*, aut *ex ægri relatione* aut *ex ejus vitæ genere* expiſcendæ.

Præ cæteris *inquirendum*, *an vitio ſtomachi*, an verò vitio *cujuſdam partis ulceratæ* oriatur labes ac phthiſis, in ſpecie *vitio pulmonum*? Nam utut ſubinde coincidant, ita ut vitium ſtomachi ſanguinis & lymphæ acrimonia ſequatur, & hæc tandem pulmonum ulcus, tamen etiam ſubinde ſeparatim exiſtunt.

Ex ſtomacho eſſe & dependere tabem innuit, *ſi in principio* tabis adfuerint *inflationes ſtomachi & tumefectio abdominis*: *anguſtia præcordiorum* ſi præceſſerit, item *appetitus dejectus & tuſſis ſicca*, cui tandem ſupervenit *febricula* quædam continua *Hecticæ ſimilis*: præterea *ſapor ſalſus in ore* talium phthiſicorum, percipitur imprimis tempore matutino, dum ex lecto ſe levant. Vel etiam *conqueruntur* ægri de *ſapore cinereo*, aut de *ſapore piſcium & carnium putridorum*, in tali caſu ſemper radix mali in ſtomacho quærenda.

Procedente malo exaſperatur Hectica, dum non tantùm *calor poſt paſtum augmentatur* notabiliter, ſed & *ſudores nocturni* copioſi ſupervenire ſolent, *tuſſiculæ* ingruit ſeu *tuſſis lenior* hinc *ſucceſſivè aſperior*, primum *arida & ſicca*, aut in qua tenuia & aquoſ. ſaltem recipiuntur, & in ſpecie *nocturna* eſſe ſolet. Tandem etiam tuſſis *continua*, in qua craſſa, alba & viſcida, imò ſubinde varia copioſa rejiciuntur. Quod ſi huic tuſſi jam ſuperveniat pulmonum *ulcus*, ſubinde cum ſputo etiam *purulentum* quid rejici ſolet: idque imprimis *cum difficili* plus minus *reſpiratione.*

Rejectum hoc pus frequentius quidem eſt ex pulmone, non tamen ſemper, quin etiam pus in ulceribus aliarum partium per ſputum expurgari poteſt: exempla aliqua habebitis in SCHNEIDER. *lib.* 4. *de catharhis p.* 103. de quodam pro phthiſico habito, qui copioſum pus & ſanguinem tuſſiendo rejiciebat, aperto corpore poſt mortem pulmo omninò ſanus, hepar verò exulceratum ac purulentum repertum fuit. Nec mirum hoc eſſe debet: uti etiam per ſanguinis circulum pleuriticorum pura interdum

Hh ij per

per alvum, interdum per urinam recipiuntur, & uti pus ex ulcere brachii per urinam excretum obſervavit PARÆUS; ita ſimili ratione hepatis aut aliarum partium pura, per pulmones circulata, per ſputum ac tuſſim ejici poſſunt.

Sputum hoc in *confirmato pulmonum ulcere* admodum *contagioſum* eſt, ut antea monui, quin & *malignum* interdum ac virulentum, quod inſtar arſenici muſcas iſtud guſtantes interimit, quale exemplum videbitis in PANAROLLO *pentecoſt. 2. obſer. 49.* In procedente pulmonum conſumptione & exulceratione *toti pulmonum lobi* conſumpti aut etiam eorum *fruſtula* ſucceſſivè ejiciuntur. Imò *venæ* quoque & *arteriæ* corroſæ in phthiſi excernuntur: Sic namque *ſacculum venæ arterioſæ* expectoratum obſervat TULPIUS *lib. 2. obſer. cap. 12.* Et *pulmo integrè ferè per pus rejectus* obſervatus fuit à SALMUTH. *cent. 1. obſer. 14.*

Tandem *ſupervenit* interdum *Diarrhæa*, item *tumor pedum œdematoſus.*

Quod ſi ex viſceris cujuſdam præcedente inflammatione vel abſceſſu, aut poſt pleuritidem aut ſputum ſanguinis, aut poſt alium ſimilem morbum ſupervenit tandem phthiſis, tunc minus ſtomachus eſt incuſandus, qui tunc potius inſons apparet, ſed ad primarium morbum reſpiciendum.

Quæ pulmonum pars afficiatur, an dextra an ſiniſtra cognoſcitur ex *decubitu ægri*: In latere enim affecto tantum cubare conceſſum eſt, aliàs imminet ſuffocatio: uti rectè obſervat SALMUTH. *cent. 1. obſerv. 14.*

Hæc de diagnoſi. Sequitur.

PROGNOSIS.

Tabes omnis ac phthiſis difficillimæ, ſæpius nullius eſt curationis.

Quo melior & ſanior ſtomachi eſt conſtitutio, *eò uberior ſanitatis ſpes ſupereſt.*

Qui *ex pulmonis ulcere vult evadere*, is ſex *Hippocratis* ſigna habere debet, quæ videbitis *in* SENNERTO *lib. 2. prax. cap. de phthiſi p. 207.*

Diarrhæa ſuperveniens phthiſi, aut *tumor pedum* ipſi ſuccedens, aut denique *deficiens tuſſis*, *mortem* in propinquo denuntiat.

Quod attinet *curam Atrophiæ* & *Tabis* & *Phthiſcos.*

Cura Atrophiæ & Tabis eò eſt dirigenda, ut:

1. *Cauſa*, quæ vel alimentum exhaurit, vel primarius morbus, qui maſſ. ſang. inficit, *removeatur*. Unde ſæpiſſimè *aut ſtomachus curandus, aut acrimonia ſanguinis ſalſa temperanda, aut* denique *ulcus viſceris ſanandum.*

2. *Alimenta copioſi ac laudabilis ſucci faciliſque digeſtionis propinanda*, quæ & chylum ſubdulcem & ſubpinguem ſuggerunt, ſimulque ſanguinem temperatum & quaſi chyloſum reddunt.

Ratione ſtomachi convenit vomitus, hinc acida blanda conducunt, ut Spiritus ſalis dulcis, liquor terræ fol. tart. Elix. prop. ſine acido. lap. cancr. fluviatil. cum acet. &c.

Ratione acrimoniæ ſanguinis & lymphæ ſulphur, ſuccinum, myrrha, antimon. diaph. antihectic. Poter. papaverina, & opiata, tragacanth. amygd. paſſulæ, &c. Ex his & ſimilibus parati pulv. pectorales, ſpecies, &c. His ſocientur ligna, in ſpecie ſaſſafras & rad. chinæ: Hinc Guajac. & ex his lignis parata decocta, quæ reſinoſam ſulphuream ſubſtantiam elicitam obtinent, unde temperant acre, reſolvunt hinc inde hærentes ſordes, & in progreſſu phtiſeos in ſpecie, ubi jam diſcraſia ſanguinis proceſſerit longius, aut pulmones jam affecti ſunt, conferunt, quibus optimè ſociantur paſſulæ. Præſcribendi modus & uſus *vid. in Lotichii Obſ.* qui *pag. 23.* ita ait: Ad materiam pulmonibus jam impactam digerendam, attenuandam & per ſudores ſucceſſirè evacuandam, nihil utilius facile excogitari poterit decocto ligni Guajac. quo tanquam hujuſce "
affectus bezoardico alii inſignes Medici tàm olim "
quàm hodie, imò ipſe ego, ſingulari cum ſucceſſu, "
uſi ſumus. Non pigebit autem modum ac deſcriptionem haud incelebris Medici *D. Barth Brunneri è Conſiliis* ipſius *Medicinalibus* huc adſcribere, qua ille, tā- "
quā raro, ſicut dixi bezoardico, contra catarrhos de- "
fluxioneſque ad pulmones & ventriculum, uti ſolet: "
♃. Lign. Guajacin. el. ℥viij. cort. lign. ℥ij. paſſul. "
℥j. lign. aloes pulv. ʒij. infund. in lib. xv. aqu. "
ferventiſſ. in ollam vitreatam, & ponantur in- "
tra cineres calid. per xxiv. hor. Poſtea benè clau- "
ſa coquantur. Antequam verò ad medietatem "
coctio facta eſt, injiciantur lign. ſaſſafr. ℥ij. "
ſem. aniſ. ʒij. cinam. el. ℈iv. ſantal. citr. ʒj. "
coq. probè tecta ſine favillis & fumo, donec "
ad medietatem pervenerint, poſtea per ſe re- "
frigerata colatura cautè defundatur. Hujus "
exhibeantur ℥vj. Fecibus decocti affunde aqu. "
comm. ℔. xx. coqu. ad tertias, ſub finem "
addendo cinamomi ʒij. Refrigerata per ſe co- "
lentur & F. Potus communis. Quo deficiente.
♃. Lign. Guajac. probè limat. ℥iiij. lign. aloes "
ʒij. paſſul. ʒvj. coq. in libr. xx. aqu. ad tertias, "
ſub finem, ut per quadrantem horæ unâ co- "
quantur addendo lign. ſaſſafr. ʒvj. ſem. aniſ. "
ʒiii. cinam. el. ʒi. ubi ſua ſpontè refrixerint, co- "
lentur. Porrò *pag. 55.* hanc habet formulam. "
♃. Limatura lign. Guajac. el. ℥iii. ſarſ. paril. ℥ii. "
rad. chin. opt. ℥ß. rad. ſarfar. liquirit. pulmonar. "
an. ʒiii. paſſul. enucl. ℥i ſem. aniſ. ʒiii. infund. "
per noct in aqu. fontanæ (vel cœleſtis) menſ. "
iv. coq. manè ad caſum medietatis. Colaturæ ad- "
de ſacch. & cinam. q. ſ. ad gratiam guſtus pro "
decocto. "

Hoc ut melius obtineatur, *obſervetur.*

Quòd *Vomitoria in tabe ac atrophia*, item in *phthiſi incipiente ſint optima*, *ubi* ſcilicet malum eſt *ex vitio ſtomachi & acrimonia maſſ. ſang.* uti hoc rectè inculcat LINDANUS, quod ſcilicet vomitoria ſint maximè neceſſaria, & ſe curaſſe ſæpius tabidos per vomitoria etiam repetita: & quiſquis, inquit, feliciter vult curare tabem, quando jam non adeò vehemens, ubi tuſſis non tamen ulcus, & quamvis incipiat quodammodo & excretum ſit aliquid ſputi ſanguinolenti aut purulenti, tamen ſtatim accedatur ad vomitoria: in quo ipſo eleganter conſentit HARTMANNUS *in praxi chymiatrica p. 142. & 222.*

Quin & in *ulcere pulmonum confirmato*, *ubi* urget *difficilis reſpiratio*, aut eſt *difficilis materiæ excretio*, tunc ſimiliter *optimè convenit vomitorium*, *hac* tantummodo *cautela* obſervata, *ne metus* adſit *ſputi ſanguinis*. Certum eſt, quod vomitorium potenter ac copioſè evacuat ſordes ſanioſas ex pulmonibus.

Propter quam cauſam & BARTHOLETUS *Tract. de difficili reſpiratione*, & etiam SYLVIUS *in praxi* inſigniter commendant *vomitoria in ulceribus pulmonum* etiam in *empyemate.*

Superiori anno curavi ancillam deſperatè phthiſicam ex ulcere pulmonum, cui inter alia duo valida præſcripſi vomitoria (non tamen una vice) & vix credibile eſt, quam variæ ſordes & copioſæ, cum præſentiſſimo levamine rejectæ fuerunt, quæ promptiſſimè facilitabant curam.

Poſt vomitoria *cavete à purgantibus.* Nam licet à leni purgante liberaliter evacuentur, experientia tamen teſtatur, quod tales ægri poſt purgationem veſperi pejus ac crebrius tuſſiant.

In totum ergò non ſunt purgandi, ſed poſt vomitum, reliqua *cura conſiſtit.*

In *mitigatione acrimoniæ ſalinæ.*

Et quidem, *quàm noxia ſit purgatio*, uti etiam *Ven. Sectio* in phthiſi, videbitis in BORELLO *cent.4. obſer. 15.*

Denique in *phthiſi ſcorbutica* ex lympha ſcorbuticorum admodum acri, *optima* erunt *omnia lacticinia*, quibus inſtillari poſſunt *ſpiritus cochleariæ*, vel *balſam. ſulphuris aniſatus*, vel *eſſent. vulnerar.* vel *ſpirit. vini.* Denique lac *capræ* nutritæ herbis vulnerar. pulmoniac. ſcorbutic, item *potiones vulnerariæ*, quibus *ſpir. cochlear.* permiſcendus.

Ad correctionem maſſ. ſang. acrimoniæ, eamque temperandam *optima* ſunt *decocta* v. g. *radicis chinæ*, *lignorum Guajaci* ac ſimilium. Item omnia *ex Helenio* parata ex *Glyzyrrhiza & paſſulis*, quin & *fumaria* his ipſis miſta, & ſæpius uſurpata dicuntur convenientia.

Temperata acida in tabe ſeu experta commendat BARBETTE, ubi credo illum intelligere tabem ex ſtomacho: qualia temperata acida ſunt *ſpir. ſalis dulcis, liquor. tartar.* ſeu *ſal. ejus eſſentiale* reſolutum; *Elix. proprietat. ſal. amoniac.* miſturæ, quas ingreditur *acet. cum ocul. cancr.* & ſimilia *vid. praxis Barbettiana.*

Verùm in quacunque tabe in ſpecie ea, quæ jam in ulcus pulmonum tranſiit, tanquam diabolus *fugiantur vitriolata*, utut acida: Nam inſigniter nocent pulmonibus tabidorum; cum vitriolum ſit virulentum phthiſicis, *vid.* LANGIUS *diſſert. de acidulis.* §.18. *theſ. 10. & ſeq.*

Et ſanè ſcio quoſdam phthiſicos incipientes, qui vel propter ſcorbutum vel propter malum hypochondriacum viſitarunt acidulas, qui vel in ipſo earum potu vel brevi poſt hydropici lethales facti fuerunt.

Dulcia ſaccharata & mellita plus *nocent* tabidis ac phthiſicis, quàm proſunt, fermentativa enim ſunt ſaccharata & putrefacientia, & quæ inſigniter ſtomacho ſunt hoſtilia: unde ſyruporum non niſi moderatus in phthiſi uſus tolerandus. *De nocumentis mellis & ſacchari vid.* GARENZER *tract. de tabe Anglica*, & HELMONT. *tr. diſpenſatorium modernum.* §.30.

D. Phil. Iacob Schenfelder pro phthiſicis ſequentes duas formulas celebres eſſe ſcribit *l.1. curat. & hiſtor. p.219.* ℞. Farin. hordeac. ℥xv. Sacchari fini ℥v. lact. capril. q. ſ. cum modico fermento fiat panis coctus: Scindatur in taleolas & rurſum ad formam bis cocti coquatur atque pulveriſetur. ℞. Oculor. cancr. fluviatil. benè mundatorum No. 17. exſiccentur in furno, ut in pulverem redigi poſſint. ℞. Pulv. panis ℥vij. oculor. cancr. exſiccatorum ℥iij. M. F. *hujuſmodi pulvis perutilis pulmoni & accipiatur quotidie manè cochleatim in juſculo hordeaceo filtrato, Vel in jure acervecino, permixto cremore decoct. ex flore carneo.* ℞. Radic. chin. elect. ʒiß. radic. centaur. major. alth. tuſſilag. an. ℥ß. Prius china inciſa coquatur benè in ℔. v. aq. Tandem addantur reliquæ radices & herbæ veron. ſcabioſ. pulmon. hedera ter. capill. veneris ana p.ij. flor. viol. purp. roſat. ex obſcuro rubrarum, tuſſilaginis, ſalv. an. p. j. ſem. bombac. fœnic. eryſimi an ʒj. poſt debitam cocturam colentur. ℞. Colatur ℥xv. add. ſyr. viol. è ſucc. ℥iij. ſcabioſ. veronic. farfar. an. ℥j. ſacch. cand. penid. mellis an. ℥ij. denuo ſimul coquantur & l. a. clarificentur, imponendo nodulum cum ſpec. diair. ſimpl. ʒiß. flor. benz. ℈j. M. *F. julep. perutilis pulmoni, & pectori cochleatim diu noctuque ſumendus.*

Ulterius *phthiſis perfecta rariſſimè* poteſt *curari*: *vita* interim *diutiſſimè* poteſt *conſervari* per hæc tria:

1. *per legitimum uſum lactis.*
2. *per uſum vulnerariorum &*
3. *per mutationem aëris.*

Denique quoad legitimum uſum lactis.

In omni *atrophia*, *tabe & phthiſi* commodiſſimè obſervatur, quod *lactis uſus* ſeu legitimus potus in quibuſdam caſibus *multum poſſit*: *ſed parum proderit, quoties atrophia eſt à colluvie* cujuſdam viſceris, aut ubi *atrophia eſt ex vitio ſtomachi, niſi hic prius ſit correctus*: aliàs enim vix fieri poteſt, quin lac corrumpatur etiam in ventriculo, cum tenerrimum ac facilè alterabile ſit ab aëris vel leniſſimo contactu ac facillimè cujuſcunque rei odore, ut ſic dicam, inficiatur: adhuc facillimè coagulatur, coagulatum poſtmodum lac plus nocet quàm prodeſt.

Ubi ergò *convenit lac*, imprimis eſt *in atrophia à nimia acrimonia humorum conjuncta calid tate & quaſi aredine maſſ. ſang.* ubi opus eſt, ut humectetur & temperetur, in hoc caſu multum prodeſt. Nam quantum hoc nutriat, videri poteſt in infantibus, qui potenter nutriuntur ſolo tamen lacte.

Semper deinde aliquid *addi debet de ſaccharo roſato* vel ſimili, ne adeò facilè coaguletur.

Porrò *qui lacte utuntur*, *debent ter in die ſumere*, & *vixalium cibum guſtare*, idque per aliquot ſeptimanas; donec benè denuò proficiat corpus, & ſumpto lacte *moderato exercitio corpus movendum*, ut facilius idem diſtribuatur, non enim longa indiget in ſtomacho concoctione, cùm potius lac ſit chylus antea benè præparatus.

QVOD ERGO ATTINET REMEDIA.

1. *Ea*, quæ in omni atrophia ac tabe conveniunt; chylum laudabilem ſuggerunt, facilè in ſtomacho digeruntur, & ſimul quamcumque vitioſam acrimoniam ac ſuccos corporis temperant, ſunt v.gr. *Radix Glyzyrrhiz & Helenii* (generalia hæc ſunt in omni tabe & phthiſi) item *lactuc. betonica* ac *tuſſila. amygdal. dulces*: *Nuclei pini & piſtaceæ. ſem.4. frigida majora & minora*, vel *ex iis* aut *cum his variæ* præparatæ *emulſiones.* Item *ſemina Nymphæa*, ac *fœnugræc.* ac ſimilia.

Hæc enim omnia ſua oleoſitate temperant acrimoniam ſanguinis & lymphæ.

Paſſulæ imprimis ſunt laudabiles, quæ ceu muſtum concentratum ſimiliter temperant ſalium acrimoniam; Unde quocunque modo adhibitæ conveniunt.

Sic *Decoctum hordei cum paſſulis*; item *decoctum ex paſſulis cum radice Helenii* & ſimilibus.

Sic refert LINDANUS ſe curaſſe quendam domeſticum atrophia laborantem ſolo *decocto ex radice helenii cum paſſulis & Glyzyrrhiza adjecto decimâ parte vini hiſpanici*, nam & hoc nutrit egregiè.

JOEL *in praxi de paſſulis* dicit, quod pinguefaciant: & RIVERIUS *cent.4.* habet exempla pinguefactarum per uſum paſſularum.

In ſpecie pulv. pectorales dicti, ex lap. cancr. fluviatil. Sulphure, antimon. diaph. antihectic. *Poterii* ſunt egregii; v. g.

℞. rad. ireos flor. ʒiß.
lap. cancr. fluviatil. præp. ʒj.
antihectic. Pot. ʒß.
croci ℈j M. F. pulv. pro aliquot doſ.
vel F. Rotulæ. Item

Pulv. *Cnophelii* ex Sulphure & aliis parati, quorum compoſitiones & uſum vid. in cura Cnopheliana, *in M.A.N.C. Ann.6. append. p.81.* Ubi hæc: Primò „ in morbo nondum confirmato & abſque excretione „ ſanguinolenta adhibuit Cl. *Cnophelius* pilulas ſuas „ Balſamicas ex aloe, myrrha & croco, cum balſ. „ ſulph. aniſato & ſeu Elixir. propr. hellebotino efformatas. Doſis erat ʒß. ante ſomnum. Poſt per octiduum, & quidem ter in die, ſcil. manè à meridie & „ veſperi has rotulas ſulphuratas, quæ

℞. Speciet. diaireos, diatrag. an. ʒij. antimon. fixi, fixi diaph. ʒvj. fl. ſulph. ʒß. Sacch. albi. in aq. tuſſilag. q. ſ. diſſolut. ℥vj. ol. aniſ. gr.xij. F. Tabulæ. ad ſcatulam mundam. doſ.6. 7. & 8.

„ Vel ℞. antimon fixi. fix. diaphor. ʒiß. flor. ſulph. ʒß. „ ſpecier. diatrag. fr. diaireos, ſuccin. alb. „ præp. an. ʒj.

" extr. helen. ʒß. balſ. ſulph. aniſ. ℈ß.
" ſacch. in aq. fœnic. ſ. an. q. diſſolut, ℥iv.
" F. l. a. Rotulæ.

Sequenti ſeptimana loco rotularum præſcripſit aliud, *quod vid. ibi & plura.* Pulveres tales vel ſumuntur in decocto hederæ terreſtris, vel in decocto lignorum lign. chin. vel ſaſſafras, &c.

Aquæ ex ſanguinibus animalium, itèm *ex carne teſtudinum & cochlearum* laudantur, quæ tamen ego minimè facio: quin potius, *caro oſtræarum, caro cancrorum fluviat.* & ſimilium eſt iſtis præferendum: item *ſuccus cancrorum fluviatil. aut butyrum* eorundem.

De lacte dixi, quod egregiè conveniat, imprimis *lac muliebre*, idque ſi fieri poſſit *ex mammis exſuctum ab ægro*, ne ab aëris attactu alterari poſſit, & exinde in putrilaginem verminoſam abeat.

Poſt lac muliebre eſt *Caprillum* in ſpecie *in atrophia ſcorbutica:* item *lac Equinum cum pauco ſaccharo*, quod laudatur ab HARTMANNO *in atrophia à philtro.*

Veteribus in uſu ſunt *lac aſininum*, *butyrum ex lacte muliebri* arcanum ſummum in phthiſi habetur à BORELLO *cent.* 3. *obſ.* 82.

Electuarium reſumptivum proſtat in officinis, quod miſcendum eſt *cum rob. de paſſulis.* & ita aſſumendum.

Ova ſorbilia cum vino generoſo aſſumpta inſigniter nutriunt & reficiunt. Et talis hauſtus ovorum ſcorbilium cum vino generoſo *additis aliquot granis ambræ contra tabem dorſalem* ac imbecillitatem *ex venere* contractam, eſt optimum remedium.

His omnibus *pro ſcopo temperandi* tuſſim, præſertim nocturnam ſiſtendi, & hinc copioſum nimis puris proventum coërcendi merito accenſetur opium, cujus largas doſes præ aliis ægris diu ſine nocumentis ferre poſſunt Phthiſici. *vid. M. A. N. C. anno* 4. *p.* 29. ac opii uſu imprimis diu conſervari poſſunt phthiſici. Sic aliquando phthiſico dedi ſeq.

℞. Conſerv. roſac.
heder. terreſtris an. ℥j.
flor. ſulph.
antihect. Poter. an. ʒj.
lap. cancr. fluviatil. præp. ʒj.
laud. opiat. gr. xvj. c. ſ. q. Diacod. Mont.
F. Elect.

Quod intra octiduum ſemper aſſumpſit, capiendo biliorio ante cœnam bonam doſin, cujus uſu ſemper habent melius ægri; tuſſis remittit, melius dormiunt, manè facilius magiſque cocta exſpuunt. Sanè hæc opiata quotidie, item eſſentia opii liquida ſucceſſivè ultra tres menſes continuata ſunt, citra ſenſilem noxam. Conveniunt autem præſertim in principio & incremento phthiſeos: In ſtatu verò quando difficilior eſt anhelitus, aut etiam quando multa viſcida expectoranda ſunt, tali in caſu, ne ſiſtatur excretio, cautè uſurpentur, aut penitus intermittantur. Certè irritationis ſenſum ſiſtendo, tuſſim, item humorum acrium in parte læſa decubitum & hinc ulteriorem corruptelam & ulceroſum progreſſum ſic imbibent. Hoc etiam commodi habent opiata in Phthiſicis, ut veſpertino uſu ſudores nocturnos potenter cohibeant. Hinc aliquando Phthiſico perfecto ſeu confirmato præſcripſi:

℞. Antihect. Pot. ℈j.
Sacch. saturn. ℈ß.
extr. croci gr. iv. vel v.
laud. opiat. gr. ij. vel iij.
c. ſ. q. balſ. Peruv. F. Pilul. pro ij. doſ. quarum unaquæque.

duabus horis ante cœnam ſumatur. Sub uſu earum ſemper æger hilarior reddebatur, ſudore nocturno iſta nocte ceſſante.

Vel pro uſu veſpertino. ℞. aq. ſerpil. ʒij.
Syr. de Veronic. ʒj.
laud. op. gr. iij. M. F. Potiunc.
veſpertin. pr. j. doſ.

In ſpecie cooveniunt talia, quando tuſſis veſpertina aut nocturna plus minus ſicca urget. Item

℞. aq. Scabioſ. ℥ij
Syr. ſcabioſ. l. betonic. ℥j.
Diacod. Mont. ℥iij. M. D.
F. pot. veſpert. pr. j. doſ.

Conf. hic ea, quæ ſupra circa tuſſim, de tuſſi ſicca nocturnâ catarrhali, &c. monita fuere.

Cura magnetica per transplantationem beneficio ovi in urina ægri cocti, & hinc acervo formicarum immiſſi, deſcribitur ab HARTMANNO *in praxi Chymiatica.*

Quin & non tantùm D. MICHAEL aliquoties cum ſucceſſu expertus fuit: ſed prætereà quoque *Medicus veteranus in Anglia* atrophia correptus ſeipſum curavit hoc modo: uti refert BOYLE *in ſua philoſophia experimentali.*

Si malum *ſit à ventriculo, danda* etiam *Stomachica appropriata, præmiſſo vomitorio*, imprimis *blanda ſubacida*, quo in uſu commendatur *tartarus vitriolatus:* item *ſal. armon. Elixir. proprietat.* & ſimilia.

Quod *ſi* malum eò profectum ſit, ut cum maſſ. ſanguinea etiam *lympha ſimul nimis acris ac ſalſa* evaſerit, *danda ſimul decocta* talia, *quæ* aliàs *in lue venerea uſurpantur*, aut uti vocant, contra catarrhos deſtillantes laudantur, *ſaſſafras*, *china*, *guajacum*, *&c.* Quæ ipſa etiam conveniunt, ſi ulterius ab acrimonia ſanguinis & lymphæ pulmo eroſus & in ulcus corruptus ſit, ubi præter dicta ſimul *vulneraria* ſunt experta item *balſamica* fermentum ulcerum corruptivum ſanguinem inquinantem emendantia, corrigentia & ulcus conſolidantia.

In genere, *quando* Authores dicunt eſſe phthiſin ſeu tabem à deſtillationibus, tunc ſemper intelligenda eſt *acrimonia nimia maſſ. ſanguineæ* cum acrimonia nimia *lymphæ.* His ergo in caſibus dixi, quod *decoctum lignorum & radicum* conveniant.

Quò facit obſervat. GARENZERI *tr. de tabe Anglica. p.* 148. qui recenſet duos tabidos Lue venerea correptos, qui per uſum legitimum *Gvajaci* ab utroque malo fuerunt liberati. Unde etiam *Alphonſius* FERRIUS *lib.* 2. *de ligno ſancto* decocto ejus phthiſicos tantùm non deſperatos denuò ſanitati fuiſſe reſtitutos, refert RIVERIUS *prax. l.* 7. *c.* 7. *& cent.* 1. *obſ.* 99. videri quoque poteſt. Ex his *radix Chinæ & lignum Saſſafras* præ cæteris conveniunt: Nam hæc duo reliquis omnibus palmam præripiunt, ſed alio potu uti non debent quàm ejus decocto.

Modum propinandi habet ERASTUS *in Conſiliis*, SCHOLZ. *N.* 88. qui dicit, ſe aliquot deſperatos phthiſicos plurimos etiam inſipientes curaſſe, per hæc decocta ſcilicet exhibita præmiſſis univerſalibus ubi opus fuit.

Decoctum lignorum accipitur per 2. vel 3. menſes, *vel ſolum, vel in decocto ſubinde macerando ſaniculam, pedem leonis, pyrolam veronicam* & ſimilia.

Huic conſentit HILDANUS, qui propinat *decoctum chinæ cum radice bugloſſæ, prunellæ & conſolidæ majoris.*

Hiſce accenſentur etiam ligna ſantal. ſimili modò uſurpata, præſcribendi modus eſt ſeq. v. g.

℞. Rad. chin. in taleol. inciſ. ℥ij.
fl. papav. rhæad.
betonic.
Scabioſ. an. Mß.
paſſul. maj. enucl.
min. an. ℥j.
c. ſ. q. aq. comm. coq. Colat. edulcoratæ, adde ſyr. papav. rh. parum. F. pot. pector. pro uſu.

Vel. ℞. lign. ſaſſafr. raſ. ℥ij.
flor. papav. rh.
beton. an. p. ij.

maceren

macerentur per bihorium in aq. font. hinc bulliant Colatura edulcoretur Syr. papav. rhæad. D.
F. pot. Catharh.

Aliquando in tuſſi pulmonali phthiſin minitante cum ſucceſſu præſcripſi:

℞. raſur lign. ſaſſafr. ℥j.
maceretur in aq. comm; Menſ. ij. adde.
Herb. heder. terreſtr.
Scabioſ.
pulmonar. an. Mj.
ſem. aniſ.
fœnic. an. ℥ß.
rad. liquirit. ʒiij.
paſſul. min. conquaſſ. ℥j.
coq. ad tertias Colatura D.
F. pot. pect. extra Tuſſ. pro uſu.

Item alii perfecto Phthiſico.

℞. Lign. Guaiac. ℥iij.
cort. ejuſd. ℥j.
rad. chin. inciſ. ℥j.
bardan.
helen. an. ℥ij.
bacc. junip. ʒiij.
herb. veron. Mij.
heder. terr. Mj.
inciſa macerentur in ℔.xij. aq. ſimpl. per 24. hor. coq. ad dimid. addendo in fine coctionis
ſem. aniſ.
fœnic. an. ℥ß.
rad. liquirit. ℥j. Colatura D. capiebat omni mane bonum hauſtum in lecto, expectando aliqualem ſudorem addendo ſimul gt. xij. balſ. ſulph. Terebinth. unicuique hauſtui. Veſpertino vero tempore remedia cum opio uſurpabantur, ſed minus, cum hectica æger affligebatur. Sc. pro lymphæ vitiis corrigendis, ad ejuſdem nimiam effuſionem, pulmones nimis irritantem inhibendam, & hinc puris ſeu ſordium quantitatem & qualitatem corrigendam, non inepta ſunt hæc ligna, præſertim cum vulnerariis uſurpata, idque præſertim in phthiſi non tam confirmata, quàm adhuc increſcente. Cætera huc facientia, nempe ſpecies diaireos, diatragac. Pulv. Hali contra phthiſin ſperma ceti, &c. ceu ubivis nota, in medio relinquo. Pertinet huc Electuarium illud Antiphthiſicum, quod *M. A. N. C. Dec.* 1. *Ann.* 4. *pag.* 134. habent, ubi *D. VVinclerus* hæc habet: Uxor quædam poſt „ hæmoptyſin ſæpius moleſtam in phthiſin incidebat, „ adjuncta hectica. Exſpuebat tuſſiendo purulenta „ cruore tincta, aderat ſudor colliquativus reſpira„ tioque valde difficilis. Tamen unico hoc præter „ ſpem & opinionem omnium Deo benedicente eva„ ſit. ℞. rad ſymph. maj. tuſſil. enul. mundat. an. „ ℥iiij. coq. in aq. ſ. q. ad mollit. Tunde & trajice per „ ſetaceum. ℞. paſſul. maj. & min. ana ℔. ß. coque „ in brodio reliquo à radicibus, & extrahatur pulpa „ eodem modo. ℞. Salviæ acut. beton. hyſſop. ve„ ron. heder. terr. pulmonar. macul. an. Mj. coq. ad „ mollitiem in brodio à paſſulis relicto. ℞. decoct. „ colat. add. Sacch. canar. ℔. j. coq. ad conſiſtent. „ coletur. Adde it. pulv. radicum & paſſul. amygd. „ d. excort. pineat. rec. probè piſtar. an. ℥iij. cinnam. „ ʒij. croci ℈j. M. f. l. a. Elect. Eodem quoque me„ dicamento paucis mutatis filium meum 3. annorum, „ cui poſt petechias ſupuratas, vomicæ in pulmonibus „ 4. vicibus collectæ & ruptæ, ita ut pus in magna „ quantitate expectoraret, macie valde confectum & „ calore hectico conſumptum, Deo ſic annuente fe„ liciter reſtitui. Pertinet & huc denique conſerva, ſeu ut alii vocant, ſaccharum roſarum, à pluribus adeò decantatum. Ac ſanè alcali nonnihil ſtypticum in flor. roſ. rubr. egregium eſt, pluribus ſcopis ad acrimoniam præſertim ſuccorum corrigendam & viſcerum tonum conſervandum inſerviens, ſed ſaccharum junctum non æque omnibus proficuum, & hujus ratione nociva quibuſdam obſervata fuit Conſerva *Vid. Sylvium ubi de phthiſi.* §. 187. Aliàs à pluribus expertum idque ſæpius feliciter, eſt remedium. Uſus eſt, ut vel crebrius pro lubitu uſurpetur, vel veſpertino præſertim tempore crebrius aſſumatur. Ex quo c. flor. ſulph. terr. ſigil. antimon. diaph. rad. ireos. flor. aliiſque ſimilibus pectoralibus Electuaria parari poſſunt.

His verò omnibus videtur præferendum *lignum Saſſafras* aromaticum egregium, quod in affectibus à lympha vitioſa ortis ſpecialiter convenit.

Multi loco horum commendant uſum *ſantalorum*, in ſpecie *rubri & citrini*: Horum decocta & prohibere pulmonum eroſionem, & eandem factam tollere aſſerit FONSECA *l.* 1. *conſ.* 58.

His cum decoctis *ſemper admiſcenda vulneraria.*

Quidam etiam ſingulis hauſtibus addunt *Terebinthinæ venetæ* ʒj. cujus balſamum occidentale ſ. noſtras vix ſatis commendare poſſunt.

Poſt hæc vulneraria dixi, quæ in Phthiſi commendantur. Qualia ſunt *bugula ſ. conſolida media*, cujus decoctum admodum commendat POTERIUS *in Pharmacop. ſpagyrica* ad ulcera pulmonum curanda. Poſt hanc ſunt imprimis *ſanicula*, *conſolida major & minor*, *veronica*, *plantago*, *equiſetum* & ſimilia.

Item elegantiſſima & experta plantula *hedera terreſtris*, item *chærefol. ſcabioſa*, *hypericum*, *helenium* & ſimilia.

Quibus in *ſcorbuticis*, apud nos familiaribus, ſub finem decoctionis *infundendæ ſunt plantæ antiſcorbuticæ*, quæ ſunt *naſturtium, plantago aquatica*, *trifolium aquaticum* & ſimilia.

Rorem ſolis ac ejus guttulas non pauci ſpecificè commendant: Cum hæc plantula tenaciſſima ſit illius etiam ſub ardentiſſimo ſolis ardore: Unde eam etiam humectare & rorem nutritivum reſtituere putant.

Hoc *decocto* quidam *Chirurgus Stetinenſis* gravi Phthiſi laborans, per multos annos ſe ſuſtentavit.

℞. Herb. alchimill.
ſanicul.
pulmonar.
centaur. minor.
veronic.
auricul. mur.
vinc. per vinc.
flor. hepatic. ana mj.

Coquantur in cereviſia benè defæcata de colatura, bibat æger manè jejunus ante prandium & ante cœnam & iturus cubitum: aliquot gutt. *elixir. proprietatis* ſimplic. quàm ſcorbutici, cum hujus decocti hauſtibus ſumptæ admodum conveniunt.

Vel in phthiſi pulmonali nondum inveterata.

℞. Herb. heder. terreſtr.
chærefol.
veronicæ aa. Mj.
rad. helen. ℥iß.
ireos flor. ℥j.
ſem. aniſ. ʒiij.
fœnic. aa. ʒij.
ficuum pingu. N. iv.
paſſul. min. ℥iß.
rad. liquirit. ʒvj. M. coq. in aq. & ita.
F. infuſ.
vel *decoctum*, vel cum ſacchar. *ſyrupus*, aut cum melle *hydromel*, &c.

Apud nos pluribus in frequenti uſu eſt ſequens farrago, quæ feliciter pluribus ceſſit, magis tamen ad phthiſin pulmonalem inclinantibus, quàm perfectè phthiſicis, ſi quidem ob alcali herbarum vulnerarium aliorumque ingredientium vis alterativa, in corrigendis corporis contentis & confirmandis viſceribus, non contemnendi uſus eſt:

℞. *Sem. aniſ. fœnicul. ana m. ii.*
flor. pulmonar. hepat.

radic.

radic. Tormentill.
glicyriz. raſ. fol. ſenn.
ana m. j.
Fol. etiam ſalv. hyſſop. hepat.
virid. ana m. ß.
cocq. in coclearib. duobus.
mell. in urina nova bene obturata.
cum. 4. aut. 5. ſextar. aq. font.
cocq. ad med. part. conſumpt. utatur ſerò & manè.

Faciunt hunc *pulv. antiphthiſici* præſertim pulv. antiphthiſicus *D Erbernii*:

℞. Viſci pyror.
ſalviæ an. ℥j.
pulmonar.
veronic.
flor. farfar. an. ℥ß.
rad. enul. ʒij.
ſacch. cand. alb. ℥ij. M. F. Pulv. Doſ. ʒj.

Ex his parati *ſirupi* per ſe patent. *Syrupus veronic. nicotian.* ubi opus eſt expectoratione. Syrupus *hederæ terreſtr. de Symphyt.* qui admodum commendatur.

Item *conſervæ* horum *vegetabilium* v. gr. *hederæ terreſtris*, quæ potenter expectorat: item *herba coſtus* dicta.

Modos parandi *decocta* lignorum cum his vulnerariis præſuppono ex methodo præſcribendi formulas cognitas.

Parant quidam *Eſſentias Pectorales* ex his vegetabilibus, quo pertinet *Elixir Pectorale D. MICH. Eſſent. Helenii*, quibus addenda *Eſſent. Croci*, qui vocatur â plurimis anima pulmonum.

Expertum quorundam arcanum eſt *fungus ſ. ſpongia viridiuſcula in ſalice* interdum creſcens. Hæc exſiccanda & pulveriſanda eſt, *& cum conſerva majoranæ ac veronicæ ſub forma electuarii* uſurpanda, qui fungus ſalicis à quibuſdam ſingulariſſimè commendatur: in ſpecie colligendus in plenilunio Menſis Maji.

Naſturtium Indicum cum conſerva roſarum aſſumptum admodum commendatur, & dicitur fuiſſe remedium D. MOEBII Jenenſis.

Nam de *conſerva inveterata roſarum* res nota eſt, quod ab omnibus non ſatis potuerit laudari: vid. Authores. Saccharum aliàs vocatur roſarum.

Decoctum Pulegii à quibuſdam tanquam expertum contra Phthiſin commendatur.

Denique ex regno vegetabili ſupereſt *Terebinthina*, quâ tanquam balſamo quodam noſtros uti dixi: convenientiſſimè cum aliis aſſumitur, in ſpecie ubi adſunt ulcera partium internarum, quæ detergit ac purificat: Aſſumitur vel *in ovo ſorbili* jejuno ſtomacho, vel aſſumitur in *cerevisia calida*, detergit egregiè & purificat ulcus, ſubinde additur modicum flor. ſulphuris legitimè paratorum, ut ſit convenientior in ulcere. Sunt qui admiſcent *Terebinthinam ad ℥ß. cum melle roſato & cum Sirupo Hederæ terreſtr.* & Sirup. *Nicotianæ*, ſed eſt admodum ingrata ejus aſſumptio. *Optimè* aſſumitur *in ovo ſorbili*.

Balſamus Peruvianus etiam eſt expertum remedium in Phthiſi & Tabe, aut etiam ad quæcunque ulcera partium internarum: *Si gutt. ejus aliquot cum ſaccharo* in pilulas redactæ ſubinde aſſumantur. Vel etiam ſi miſceatur *cum balſamo lac ſulphuris aut flor. ſulphuris*, fiunt pilulæ admodum elegantes in phthiſi.

Hinc RIVERIUS admodum commendat has Pilulas contra phthiſin.

℞. Maſſ. Pilul. *Ruffi.* ℥j.
antim. diaphoret.
Gumm. Gvajac. ana ʒß.
Balſam. Peruv. c. q. ſ.
F. Maſſa.

de qua capiat ℈j. per menſem integrum.

Sperma Ceti ad gr. vj. vij. uſque ad ℈ß. in ovo ſorbili, omni manè aſſumptum, admodum convenit in temperanda acrimonia maſſ. ſang. & curanda Phthiſi.

Aliàs *ad acrimoniam maſſ. ſang. temperandam* egregius etiam eſt hic *pulvis* utut videatur ſimplex.

℞. Ocul. cancr. fluviatil. præpar.
rad. ari. præpar. ana ʒj.
Ireos flor.
Sem. papav. alb. ana ʒß.
Maſtich. ℈ij.
miſc. F. pulv.

Aſſumendus quotidie in *decocto heder. terreſtr. & Cherefolii*, cui additur ſimul *ſuccus heder. terreſtris*, *& infuſum Naſturt. aquatic.* manè & veſperi ſimul inſtituatur *ſuffitus ex ſuccino & thure* naribus hauriendus.

Pertinent huc *Pulveres Pectorales*, quorum variæ hinc inde proſtant deſcriptiones.

Sic *Pulvis Pectoralis D. MICH.* in Phthiſi & maſſa ſanguinea temperanda egregius: deſcriptio eſt hæc.

℞. Fecul. ari ℥iv. (potius radic. præpar.)
radic. Ir. flor. ℥ij.
Magiſt. ſ. flor. Benz. ℥iß.
flor. ſulphur. ℥j.
antihect. *Poter.* ℥ij.
ſacchar. parum pro ſapore.
miſc. doſ. ℈j.

Pulvis KONERDINGII *Archiatr. Brandeburgici* contra Phthiſin ſingularis eſt hic:

℞. Salis armoniac. puri.
nitri depurat. ana ℥ß.
Liquirit.
Ireos ana ℥j.
miſc.

doſ. omni mane quantum cuſpis cultelli.

Ubi Tuſſis ſicca in ſpecie *nocturna* in Phthiſi moleſta, *optime uſurpantur opiata*, legitimè per fermentationem parata: Hæc enim temperant lympham, tuſſim ſiſtunt ac Phthiſi medentur.

Pauca ſuperſunt quoad materiam medicam ad curam Phthiſeos aptam.

Et quidem poſt Vegetabilia ſe offerunt *Mineralia*, quæ inter notiſſimum eſt *ſulphur*, utpote quod aliàs balſamum eſt pulmonum, & ipſum appellari ſolet, & in pulmonum ac pectoris affectibus inſigniter conducit, ſicuti aliàs etiam ad quamcunque tabem, ex acrimonia ſanguinis enatam feliciter adhiberi poteſt. Cæterum *in ſulphure obſervandæ* ſubſtantiæ duæ. 1. *eſt pars ejus pinguis & oleoſa.* 2. *eſt pars ejus acida.* Ab oleoſa habet vim inflammabilem: per acidum obtinet ſpiritum acidum, qui in præparatione ol. ſulphuris per campanam colligitur.

Verum *ſulphuris balſamum* conſiſtit tantum in parte oleoſa & pingui, quæ temperat quamcunque acrimoniam, & detergit atque conſolidat quodcunque ulcus internum.

Pars è contra *acida* potius *nocet* quàm prodeſt. Verum ſeparare hæc duo hoc opus hic labor eſt. Nihilominus tamen qui artificioſè ſciunt ſublimare flor. ſulphuris, acquirunt Balſamum pingue abſque acido, ſed in pauca quantitate.

Cùm ergò tam difficilis ſit acquiſitio partis balſamicæ ex ſulphure: propterea inventum fuit balſamum ſulphuris. Quod cùm paretur per olea deſtillata, quæ ipſa tanquam ſalia volatilia concentrata, contraria ſunt acidis, ob id hæc olea deſtillata ſulphur ſolvunt, & ejus pinguedinem mineralem eo ipſo exaltant, quo ejus acorem mineralem corrigunt & deprimunt. Unde balſamum ſulphuris tam inſignis eſt commendationis in omni tabe, ſpecialiter ubi promanat ex corruptione viſceris cujuſdam interni v. gr. pulmonum aut aliarum quarumcunque partium.

Olea cum quibus præparatur hoc *balſamum ſulphuris*, ordinaria ſunt aut *oleum papaveris* expreſſum, aut *oleum therebinthinæ* balſamicum deſtillatum, aut *oleum aniſi* deſtillatum ceu ſingulariſſimum pectorale, aut *oleum deſtillatum juniperi* renibus exulceratis appropriatum.

Hæc

Hæc *Balſama ſulphuris ad gutt. vj. ad viij.x. ad ſummum xij.* in liquore appropriato *decocto Chinæ aut Saſſafras*, aut decocto *Pectorali*, aut ſimili aſſumuntur; vel miſcentur hæc balſama ſulphuris cum *Syrupo Iujubino*, qui temperat egregiè ejus ardorem.

Verùm cum ignea vis ſit in hoc balſamo, ob id in iis quibus gravior eſt Hectica, cautè uſurpandus, cum obſervatum fuerit, quoſdam *ex nimio balſami ſulphuris uſu Hecticam lethalem* contraxiſſe.

Hunc in finem cum hoc balſamo ſulphuris *optimo conſilio conjunguntur medicamenta ſaturnina*, quæ ipſa efferatum Balſami ſuphuris ardorem refrænant.

Nam in ipſo ſaturno ſingulare quid latet contra Hecticam Febrem, & contra internas viſcerum exulcerationes & corruptelas. Hinc vel *ſaccharum ſaturni*, vel *cryſtalli mineræ ſaturni* conjungantur cum balſamis ſulphuris, & ita aptius ac convenientius uſurpantur.

Unde occaſione ſaturni *ſpecies diaſaturni* MYNSICHTI à multis ſingulariter commendantur.

Cæterùm loco ſulphuris communis legitima *antimonialia ſulphurea* præferenda ſunt: Unde etiam *antimonium diaphoreticum* inſigniter laudatur à quamplurimis contra Phthiſin, ſi ſingulis diebus *cum conſerva roſarum* manè & veſperi uſurpetur.

Verum cum *antimon. diaphoreticum* vel ſolum ſit adeò ſalutare *ſalubrius longè erit*, ſi combinetur cum *ſulphure Iovis* in legitima præparatione *Antihectici Poterii*, quo ſc. Antihectico *gr. xij. ad ℈j. cum conſerva roſarum* miſto aliquot Phthiſicos & Hecticos feliciter curavit POTERIUS, uti videri poteſt in in ejuſdem *cent.* 3. *cur.* 20.

Pertinet huc *Tinctura Antiphthiſica* parata ſcil. ex ſaccharo ſaturni & vitriolo martis invicem miſtis cum ſpir. vini rectificato extractis, ſit eſſentia admodum egregia, in ſpecie *ubi adeſt corruptio viſcerum, ulcus pulmonum aut renum*, aut ſimilis cujuſdam partis. Sane multæ eſt laudis ac efficaciæ.

Poſt hanc eſt *Tinctura ſulphuris vitrioli* (cujus deſcriptionem dedi ſuperius) ſi & ipſa *à gt. xv. xx. xxv.* ſubinde uſurpetur, egregium erit remedium antiphthiſicum.

Denique *Phlegma roridum quod nihil participat de ſpiritu acido corroſivo*, quem ſupra rejeci cohobatum & digeſtum cum proprio capite mortuo, aliquoties expertum eſt ſingulare ad phthiſes & corruptiones viſcerum internorum: Uti hoc refert *Marcus* MARCI *in Philoſ. Veter. reſtituta pag.* 550. §. 1. Fuit experimentum HELMONTII *junioris* in quadam Comitiſſa.

Denique ipſe *Potus ordinarius Phthiſicorum & Hecticorum* commodiſſimè *conditum fumo ſulphuris* HELMONTII: qui potus ſulphurati ad curam phthiſeos ſunt ſingulares: Imò & *fumus ſulphuris* cum aliis per os attractus ſingulare eſt experimentum cujuſdam Medici Hyberni, quo aliquot deſperatos Phthiſicos curavit, uti refert BOYLE *in Philoſ. Experimental. pag.* 277.

Idem BOYLE *ſpiritum ſanguinis humani rectificatum* in phthiſi hæreditaria & deſperata, mira præſtitiſſe teſtatur.

Sicut Monſ. le FEBURE *in ſua Chymia part. j.* commendat *ſpiritum C. C. cum lacte ſulphuris* digeſtum.

Alii *ſpiritum formicarum*: alii *mercurium microcoſmicum*, uti vocant: id eſt *ſpiritum & ſal. vol. urinæ* contra phthiſin commendant: imprimis ſi moderatè acido in tertium armoniacale mutetur, & *ad gutt. vj. vel viij.* propinetur.

Ex his facile poſſunt combinari formulæ.

Verùm cùm præ cæteris in uſu ſint ſirupi & potiones longæ, ſaltim unam formulam, utut non magni æſtimem, proponam. Tria enim vel quatuor ſimplicia plus præſtant quàm centum. v. gr.

℞. Herbæ Heder. terreſtr.
veronic.
pulmonar.
ror. ſolis.
pyrolæ.
Alchymill. ana m. j.
radic. Helen. ℥ij.
vincetoxic.
Ireos, florent. ana ℥ß.
flor. ſcabioſ. p. vj.
farfaræ p. ij.
croc. orient. ℈j.
ſem. urticæ.
aniſi.
fœnicul. ana ʒiij.
paſſular. minor. ℥iß.
jujubar. ʒvj.
ficuum pinguium num. vj.
conciſ. & concuſ. miſc. ad chartam.
S. Species ad potion. Pectoral.

Poteſt ex his fieri *infuſum*, vel poteſt fieri *decoctum*, ex decocto *Sirupus*, vel poteſt fieri *Hydromel* pectorale & ſimilia alia.

Deinde in uſu ſunt ad curam Phtiſeos *lignorum & radicum ſudoriferorum decocta*, ſit ergo formula ex *radice Chinæ & ligne Saſſafras*, quæ cæteris, præfero v. gr.

℞. raſur. lign. Saſſafr. bene odorat. ℥ij.
radic. Chinæ conciſ. ℥j.
infundant in ſ. q. aq. ſtent in loco calido per diem & noctem, manè ebulliant ad caſum ſextæ partis.
Colat. add.
ſirup. de papav. rhead. Vel
jujub. q. ſ. pro grato ſapore miſc.
F. pot. pro phtiſ.

Quoad *Symptomata*, præſertim in phthiſi mitiganda, *Tuſſim* quod attinet, præſertim ferinam, hanc mitigant optimè ſupra laudata opiata, quæ ipſa etiam *ſudores nocturnos* cohibere ſolent.

Quoad Symptoma, in *ſcreatu*, equidem Nicotiana & quævis ex ea parata ſunt optima. *Heurnius in Praxi* ſolo ſyrupo, ex ſucco ritè parato, quoſdam tabidos phtiſicos reſtitutos fuiſſe memoriæ prodidit. Certè ad ulcus pulmonum abſtergendum, & ſordes acres plus minus viſcidas pectori inhærentes eliminandas optima ſunt ex Tabaco remedia. Pariter *ſi ſputum multum ac fœtidum* fuerit, mel & myrrha ſcreatum promoventibus ſemper addenda erunt.

Diarrhæa colliquativa, ſi quæ ſupervenerit utut ferè mali ſit ominis, abſorbentibus, terra ſigill. CC. uſt. & ſimil. inhibetur, vitando tunc, quantum poſſibile eſt, mellita, facile aliàs alvum moventia. De *ſuffitibus*, odoramentis & ſimilibus nil attinet dicere. Conferatur ſuprà laudatus *Bennetus*.

Hæc ſunt quæ dicta fuere de atrophia univerſali ſeu totius corporis.

Supereſt adhuc *atrophia particularis* cujuſdam membri determinati, quæ aliàs vocatur.

ARIDVRA
CAVSA

Hujus *aridura eſt*, vel *in nutrimento quod deficit in parte*, vel cauſa *eſt in parte affecta quæ nec recipit nec agglutinat nutrimentum.* *Aridura.*

Deficit ſanguis & cum eo advectum nutrimentum *in parte*, *propter impeditum ejus affluxum*, propter *arteriæ ad eam tendentem diſſectionem*, *compreſſionem*, *luxationem*, *fracturam*, *tumorem durum*, *vincula* aut ſimilia impedimenta.

Vitio partis non recipientis nec retinentis, nec agglutinantis fit Atrophia particularis, vel Aridura; quando nempe *ipſæ partes & membra à quacunque cauſa*

externa in ſpecie *caſu*, *vulnere*, *contuſione*, &c. ita *debilitantur & vaſa* ad ea tendentia *rumpuntur*, ut exinde pars non rectè recipere aut ſibi aſſimilare queat nutrimentum.

Conſiderandus hic imprimis eſt *fluxus* nimius *Synoviæ in vulneribus articulorum*, *aut* vulneribus *partium nervoſarum.*

Nam hæc Synovia nihil eſt aliud quàm liquor chyloſus nutritius, in parte vulnerata degenerans in liquorem ſanioſum & aquoſum, ſub qua degeneratione acorem occultum contrahit, & exinde vulnera iſtarum partium inſigniter contumacia ac ſimul periculoſa facit: partes verò iſtæ interea, dum deſtituuntur convenienti nutrimento, neceſſariò areſiunt. Unde fibræ exſiccatæ & contractæ poros partis internos anguſtant, eosque connivere ceu quaſi ſubſidere faciunt. Unde ſanato licet vulnere nihilominus tamen difficillimè & tardiſſimè pars denuò nutriri poteſt, quin potius ſæpius pertinax aut contumax aridura ſequatur. Quin & cum debilitata dicto modo pars minus robuſta ſit, atque alia ipſi reſpondens (id quod *robur inæquale* vocat *Helmont.*) propterea facilius ac ſenſibilius ferè externorum objectorum impreſſiones recipit, unde tales ægri reſtituti licet, tamen quasvis aëris mutationes in loco antea læſo mox præſentiunt. Spiritus deinde influus & debilitatur in aliis partium nervoſarum læſionibus, ſine aperta licet continui ſolutione, modò debitum motum Spiritus influi plus minus inhibere queant; hinc paralyſes, convulſiones articulorum & hinc compreſſiones & diſtorſiones nervorum ac tendinum, it. horum ipſorum diſlocationes, &c. à quibus ipſis, externis licet & apparenter parvi momenti læſionibus, propter Spiritus animalis influi impeditum plus minus radioſum influxum, pars in motu ſucceſſivè debilior, cum ſenſu quodam ſtuporis aut formicationis, ſucceſſivè flaccidior & plus minus tabida quaſi redditur. Pertinet huc denique defluxus catarrhalis, quando vid. ſine ulla causa manifeſtâ, ſaltem ob lymphæ catarrhalis decubitum in quandam partem ejusve articulationem & inde fibrarum ac tendinum paralyticam plus minus reſolutionem, cum ſenſu doloris obtuſo, præſertim veſpertino ac nocturno tempore ingraveſcente, pars ſucceſſivè in Atrophiam particulariter diſponitur. Quâ ratione non rarum eſt, in arthritide vaga ſcorbutica aut etiam in aliis arthritidis ſpeciebus, partem, quæ ſæpius aut gravius affligitur, debilitari ſucceſſivè, flacceſcere plus minus ac tabeſcere. Omnes hæ ariduræ *difficiles* ſunt *curatu*, idque eò magis, quò magis confirmatæ ac inveteratæ. Præ cæteris tamen optimè ſcripſit de hoc negotio *Felix in ſuo Tract. de ſymptomat. vulner. ſupervenient. cap. 29. 23. pag.* 580. Poſt hunc *vid. Agricola in Chirurg. parv. pag.*31.

SIGNA

Hujus Ariduræ particularis *perſe* ſatis *patent.*

CAVSÆ

Cum ſemper aut ut plurimum ſaltem ſint *externa*, *ex relatione ægri* expiſcandæ.

CVRAM

Quod attinet, in hac varia adhibeantur remedia.

Quæ interemineat imprimis *Arcanum Aluminis*, quod ſpecialiter commendat *Felix* WURZIUS *in Chirurg.* uti etiam AGRICOLA *in Chirurgia parva. Præparatio* hujus arcani aluminis eſt, ſi nempe alumen & ſal. fuſum ana fundantur forti igne in crucibulo, ut refrigerata condenſentur in lapidem, cui affunditur poſtmodum aq. fontana, à qua reſolvitur ſal. terra verò aluminis ad fundum ſubſiſtit. Hinc

℞. Ol. pinguedinis humanæ, vel urſinæ ex pinguedine cum cinere Sarmentor. vitis deſtillati ℥iv.
ol. laterini S. philoſoph. ℥iß.
deſtillent. una per retort. ol. deſt.
add.
terræ iſtius aluminis dulcis. ℥iij.
miſc.

Hoc unguento inungitur membrum areſcens: Cui unguento convenientiſſimè præmittatur *lotio partis* ejusque *fotus* per horæ dimidium, cum hoc decocto.

℞. Caput, pedes, pulmones & hepar ovis vel agni, coquantur in aqua, donec ab oſſibus abſcedunt, caro & omnia, quæ adhærent, quæ ſeparata ulterius in aq. ipſa coquantur, & cum hoc decocto membrum lavetur & foveatur, poſtmodum inungetur.

Convenit etiam *fricatio membri cum ſpirit. formicar. & lumbricor. terreſtr.*

Item convenit *ſuccus lumbricorum cum oleo Amygdalarum dulcium* miſtus, ſi membrum eodem fricetur.

Aqua articularis ad extra cum oleo ſaponis impræ gnata ſimiliter convenit.

Porrò *oleum Nervinum compoſ. cum oleo deſt. juniper. laur. cera ſapon.* item *oleum lumbricor. terreſtr. oleum Nardinum & Coſtinum* pro unguento.

Quæ inter unguenta, *unguentum Agrippæ*, it. ungu. *Nervinum Auguſtanorum* conveniunt.

Pinguedo hominis, *vulpis*, *urſi*, *canis*, *lupi & taxi* etiam commod uſurpantur.

Item *ubi eſt aridura ex defectu Synoviæ*, poſt ſupra dictum fotum decocti calidè inungitur parti *unguentum* factum *ex pinguedine ardeæ*, *ranarum & porcellorum* ana poſtmodum applicatur *emplaſtrum ex cera & pinguedine porcina.*

Antequam verò lotiones & inunctiones fiunt, conveniunt *frictiones partis fortes deorſum* inſtitutæ, donec probè incaleſcant.

Quibusdam tanquam ſecretum commendatur hæc aqua.

℞. Sem urtic. Roman. ℔. j.
Radic. armorat. contuſ. ℥iv.
Arin. ℥iv.
Piper. long. ℥iij.

Pulveriſata digere cum Vino albo per 14. dies, deſtillantur & acquiritur aqua acris, cum qua membrum cum panno calido benè fricandum & inungendum: convenit, ubi cum acidura membri ſenſus formicationis & ſtupor una adeſt.

Sin ariduræ partium ſint citra defectum Synoviæ, tunc convenit hoc unguentum.

℞. Pingued. Taxi. ℥ij.
Ol. Laur. ℥iv.
Junip. ℥j.
Spicæ ʒ j.
Pinguedin. porcin. ℥iv.
His ad ignem calefactis & liquefactis.
add.
Sem. urticæ ℥j.
Pulv. Sabin. ℥ij.
Aluminis plumoſ. ʒß.
miſc.
F. unguentum.

quo inungatur pars bene calefacta.

Hæc de ariduris & atrophiis univerſalibus & particularibus, & ita etiam de nutritione deficiente.

Pergo ad vitium Nutritionis depravatæ: quando nempe partes vitioſe ac depravatè nutriuntur.

Qualitate ergò *peccans corporis nutritio* in genere vocari ſolet.

CACHEXIA.

In quo nativus cutis color & imprimis faciei nitor languescit, mutaturque in varium, in pallidum, lividum, luteum, virideſcentem, &c. Cachexia.

Eſt

Eſt enim revera Cachexia fructus Cacochymiæ: Hæc verò eſt pediſſequa Cocochyliæ.

Dependet ſcilicet *ab affuſione ſanguinis vitioſi & depravati in habitum corporis:* Et *tumor* iſte, qui affunditur habitui corporis, *ſi eſt albus*, dicitur *Cachexia in ſpecie: ſi flavus*, dicitur *Icterus*, *ſi viridiuſculus* ſeu *luridus*, aut *lividus aut alio tetro colore tinctus*, *Icterus niger* ferè audit.

In genere ergò Cachexia ſeu malus habitus quamcunque corporis & partium ſubcutanearum mutationem à naturali ſtatu in deteriorem innuit, ex vitiatâ nutritione dependentem: Unde *variæ Cachexiarum* ſunt *ſpecies.* Nam *præter dictas* datur etiam *Cachexia ſcorbutica*, item Cachexia *hypochondriaca.*

In ſpecie tamen uſus obtinuit, ut iſtud vitium tantùm *Cachexia* appelletur, *quo corpus à nativo colore in pallidum & habitum ſubtumidum ac flaccidum degeneret.*

Ut verbo me explicem, ſicut bilioſitas dat Icterum; ita *Pituitoſitas dat cachexiam* in ſpecie ita dictam, utut omnes hos ſub generali cachexiæ nomine legitimo jure comprehendamus.

Ex dictis *cachexiæ in ſpecie* ſic dictæ, *cauſa* facilè *patet.* Nempe *eſt nimia cruditas maſſ. ſang. ſeu deficiens aut imminuta ejus fermentatio.*

Unde chylus ipſe non ritè aſſimilatur, ſed tota maſſa eodem crudo repleta turgida manet. Unde tali crudo ſanguine, vel ut vocant, pituitoſo per partes circulato, hæ, chylo iſto vel nutritio ſucco non ritè alterato nec volatiliſato infarciuntur potius, quàm debita appoſitione aut aliquali agglutinatione nutriuntur: ita ut rectè dicat FORESTUS, corpus non aliter inflatum eſſe, quàm paſtâ non ritè fermentatâ, in qua digiti impreſſi veſtigium hæreat.

CAUSA REMOTA.

Eſt deficiens chyloſis, dum nempe alimenta nec ritè fermentando volatiliſantur, nec in ſubdulcem aut ſubſalſum volatilem abeunt liquorem, ſed in paſtam viſcidam ac acidam, uno nomine in pituitam acidam degenerant.

Unde maſſ. ſang. particulæ ſalinæ fermentativæ iſto ſucco crudo obrutæ, debitam fermentationem ſanguinis, chyli alterationem ulteriorem, ejus volatiliſationem & aſſimilationem non ritè perficere poſſunt, quin exinde totus ſanguis crudus, viſcidus & ſubacidus remaneat.

Unde ſubſiſtens ſanguis in præcordiis, dum levi corporis motu celerius movetur ad pulmones & cor, dyſpnœam & anxietates infert. Quin & maſſ. ſanguineæ fermentatione debitâ vitiatâ & imminutâ, imminuitur per conſequens in fœminis *Menſtruata* ſanguinis *fermentatio.*

Unde *cachexiæ incipienti*, multò magis confirmatæ, ſupervenit etiam *Menſium ſuppreſſio*, quæ ipſa malum poſtmodum & gravius & contumacius reddit. Non enim Menſes ſuppreſſi Cachexiam inferunt, ſed vitio cachectico ſupprimuntur iſti.

Quod ſi ulterius incrementum capiat malum, ita ut habitus corporis tumidus inſigniter inflatus & ob fibrarum muſculoſarum & nervoſarum laxatum tonum flaccidus fiat, vocatur tunc *Leucophlegmatia*, quæ eſt ſummus Cachexiæ gradus.

Quod ſi ulterius tali ſucco crudo aut obſtruuntur glandulæ partium muſculoſarum, aut etiam vaſa lymphatica, ita ut lympha vel ſaltem ſeroſitates non commodè ex partibus per lymphatica reduci poſſunt, quin ſerum aut lympha ſtagnet, partemque ulterius infarciat, oritur vitium, quod vocatur *Anaſarca*, quæ vulgò pro tertia hydropis ſpecie nempe totius corporis hydrops habetur.

Unde BORELLUS *cent. 3. obſer. 66.* Exemplum habet de corpore cachectico inſtar cryſtalli tranſlucente.

Confunduntur ſæpius *Leucophlegmatia & Anaſarca*, *ſed non conveniunt* inter ſe, niſi ſubjecto nempe habitu corporis.

Nam in Leucophlegmatia eſt pituitoſitas: Anaſarca verò eſt ab Ichoroſo & crudo ſero in habitum corporis depoſito, idque forſan vitio uti dixi vaſorum lymphaticorum.

Diſtinguere autem facilè eſt Leucophlegmatiam ab Anaſarca.

In illa nempe Leucophlegmatia *minus eſt ſplendoris ac nitoris* quàm debet eſſe.

In hac nempe Anaſarca *plus juſto ſplendet ac nitet corpus.*

Deinde diſtinguuntur, *preſſa fovea cum digito. Veſtigia* namque *impreſſa diu durant in Leucophlegmatia: tandem ſucceſſivè pereunt. In Anaſarca* verò *facilè & breviſſimo tempore diſparent*, & *Anaſarca Leucophlegmatiam præcurſorem* ſæpius ſolet habere.

Et hæc Leucophlegmatia in illam Anaſarcam ſolet tandem degenerare.

Vulgò ſtatuitur, *Cachexiam* & ſimiles affectus *oriri ex hepate* nempe *ex Intemperie ejus frigida:* quæ ſententia cum ſuperſtructa ſit hypotheſi iſti, quod hepar ſignificet, idque mediante calore ſuo innato & ſpeciali facilè patet, quod cum hac hypotheſi ſponte corruat.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Seu procatarcticæ, tales præcipuè ſunt, quæ occaſionem præbent, ut cruditates ſtomachi generentur, & hinc ſanguinis fermentatio impediatur.

Interdum *in lue venerea*, vel *lui venereæ ſupervenit cachexia*, uti hoc refert SENNERTUS *lib. 3. prax. pag. 704. cap. de cachexia.*

Item *ſanguinis inſigniores excretiones* non raram ſequentem habent Cachexiam & Hydropem curatam refert FORESTUS *lib. 19. obſ. 25.*

Quin & *narium frequentes & copioſæ hæmorrhagiæ* ſæpiſſimè ad Cachexiam & hydropem diſponunt: Depauperant ſcilicet maſſ. ſanguineam, quæ exinde minus fermentari aut chylus aſſimilari poteſt.

Fœtus mortuus in utero diutius geſtatus aut etiam loco fœtus *mola concepta* non raram dant Cachexiam.

Sic Cachexiam *poſt fœtum mortuum* obſervat HORSTIUS *Tom. 2. lib. 1. obſ. 20.*

Item *ex mola* Cachexiam obſervat FORESTUS *lib. 19. obſ. 26.*

Mœror & cura protractæ aut diutius continuatæ, non rarò etiam inferunt cachexiam.

Somnus nimius & labor deficiens promptè ad Cachexiam diſponit: quò facit obſervatio PANAROLLI *pentec. 1. obſ. 30.* de muliere cachectica multis obſtructis parenchymatibus, magis exercitio quàm alio quocunque remedio curatâ. Unde vi oppoſitorum, exercitium & motus deficiens diſponunt ad Cachexiam. Dum PANAROLLUS inquit, fuiſſe obſtructiones parenchymatum, loquitur ex hypotheſi, quod Cachexia oriatur ex obſtructionibus viſcerum, de quibus alibi dixi, quod hæ ſint imaginariæ, aut ſi adſint, ſuperveniunt, & potius ſunt effectiva, quàm cauſa. Pergo ad

SIGNA.

Cachexiæ in ſpecie ſic dictæ, *per ſe facilè patent:* Nam præter *cutis mutatum colorem*, de quo antea dixi; concurrit in pleriſque Cachexiæ ſpeciebus. *Diſpnæa*, quæ magis urgetur, quoties corpus imprimis adſcenſu in altum, tantillum movetur, quin tunc ſæpius *cordis palpitatio arteriarumque circa jugulum temporaque pulſatio* producitur: accedit quoque *univerſi corporis* præ cæteris *crurum laſſitudo:* Urget non rarò *compreſſivus & anxius præcordiorum dolor*, qui poſt aſſumpta alimenta intendi ſolet.

Adeſt etiam ſæpe *Febris lenta*, vel *continua*, vel *intermittens*, vel etiam *ex utroque compoſita.*

Pulſus ſunt inæquales, parvi, frequentes, & debiles.

Vrinæ ſæpe ſunt *crudæ & aqueæ*, *rarius* prodeunt *craſſæ & turbidæ*. Obſervata tamen fuit *Cachexia cum urinis lacteis*, uti hoc habet SYLVATICUS *cent.* I. *conſil.* 29.

Tandem *Corpus turget & tumet*, *ſequitur leucophlegmatia* ac tandem *Anaſarca*, *interdum* & crurum & abdominis perfectus hydrops *Aſcites*.

Nullis ac nulli ætati parcet Cachexia, licet *fœminis ob vitam ſedentariam frequentius & ob* ſupervenientem *defectum menſtruorum contumacius* ac pejus afficiat, quin & ſæpius *Comitem* habet *affectionem Hypochondriacam* & affectionem *Scorbuticam*.

In principio morbi coctiones ciborum impediuntur manente appetitu: *Tandem* etiam *Anovexia* accedit, corpuſque ſummè imbecille redditur.

QVOAD PROGNOSIN.

Cachexia *malum eſt* admodum *Chronicum* & tardæ curationis, *quo magis inveteratum eo difficilius curatu, & ſæpiſſimè in Anaſarcam &* Hydropem *aſcitem* degenerat.

Sin concurrat *Scirrhus Epatis aut Lienis confirmatus*, aut *ſi ſequatur morbum acutum*, aut *febrem ardentem*, *difficilis admodum eſt imo ferè nullius curationis.*

Si Cachexia *ſuperveniat mulieribus*, *quibus* jam *ordine naturæ menſes deficiunt*, *iis difficulter &* admodum *lentè curantur.*

QVOD ATTINET CURAM.

In *Cura* eo attendendum, ut *corrigatur.* 1. *Stomachus &* emendetur *ejuſdem digeſtio.* 2. *Vt corrigatur maſſæ ſanguineæ cruditas*, & inde orta *ejuſdem diſcraſia* per ſimplicia Aromatica ac ſalina volatilia. 3 *Vt crudi ſucci ex primis viis vomitu & ſeceſſu ex maſſ. ſang. mediante urina evacuentur.*

Hoc ut obtineatur, rectè monet LINDANUS, quod Cachectici quo lenius tractentur, tantò citius curentur. Unde *non* ſtatim *ab initio purgantia adhibenda*, niſi ſint *vomitoria*, *ſed potius digeſtiva*, id eſt talia, quæ craſſos viſcidos humores incidunt & attenuant, acoremvitioſum corrigunt ac temperant, atque ita ſucceſſivè evacuationi aptiores reddunt.

Unde imprimis in uſu ſunt *Noduli ex aperientibus* ut vocant, id eſt *reſolventibus & incidentibus blandis purgantibus miſtis compoſiti*, quibus ſubinde *martialia* remedia ſunt interponenda. Et cum Cachexia habeatur initium Hydropis, commode medicamenta, quæ in principio Hydropis conveniunt, etiam Cachexiæ adhibentur & contra.

Supereſt nobis materia medica Cachexiæ conſideranda, uti etiam, quæ pertinet ad *Anaſarcam & Leucophlegmatiam.*

In his ergo *affectibus conveniunt omnia* ea, quæ vulgò vocantur *hepatica*, id eſt, quæ ſunt ſaporis amaricantis & acris plus minus, & omnia imprægnata ſunt ſale vol. urinoſo, nunc magis nunc minus temperata. Hinc *omnia Anti-ſcorbutica* locum inveniunt in curanda *Cachexia & Anaſarca.*

His ipſis tamen *alterantibus* dictis *permiſcentur purgantia & laxantia*, quæ inter in principio morbi conveniunt *vomitoria*, & præter *Aſarina* propinata *conſerva Gratiolæ ad* ʒj. *vel* ʒij. egregiè vomitus movet, & ſpecificè in Anaſarca commendatur, vel ſi *coquatur in vino ad* ℥ij. Gratiola, egregium etiam & blandum eſt vomitorium, *ſi propinetur decoctum.*

Inter *Purgantia per inferiora eſt radix Eſulæ*, legitimè præparata, vel *ejus Extractum*, quo ſæpiſſimè & frequentiſſimè uſus fuit RULANDUS *in curationibus*. RIVERIUS *cent.* 4. *obſ.* 82. In purganda Anaſarca utitur *ſucci Ireos* ℥ij. *cum Mannæ* ℥iß. quæ miſta propinantur ad ſeroſitates abundantes purgandos.

Pilulæ ex Extractis Panchymagogis cum mercurio dulci ſunt admodum utiles. v. gr.

℞. Extract. Panchym. *Croll.*
Mercurii dulc. vit. præp. ana gr. xv.
Extract. Trochiſc. alhand. gr. ij. vel iij.
c. ſ. q.
Rob Paſſularum.
vel
Sirup. d. Abſinth.
F. l. a. Pilulæ purg.
pro j. doſ.

Extractum martis commodè ſubſtituitur loco mercurii dulcis, utpote quod ipſum in Cachexia eſt egregium.

Sed pergo ad *Hepatica* ſeu appropriata in Cachexia remedia, quæ omnia ſunt *amara & acria*, quibus in Cachexia confirmata addenda erunt *martialia*, imprimis *in Cachexia*, *cui Menſium ſuppreſſio* ſupervenit.

In Genere *omnia* conveniunt remedia in *Anaſarca*, *Cachexia*, *Leucophlegmatia* & ſimilibus, *quæ* ſuperius *in Obſtructionibus* laudavimus.

In ſpecie *Radix Ari*, *Armoraciæ*, & *Helenii*: item *ex Cichorio* parata remedia, porrò *Centaur. minus Card. benedict. Abſinthium & Agrimonia*, cujus *Decoctum* inſigniter laudat POTERIUS, *Roſmarin. Hyſſop. Salvia, Mentha* & ſimilia. Item *Naſturtium & Cochlearia*, quæ laudantur à BACONE *de* VERULAMIO *in Hiſtor. Vit. & Mortis. Flor. Geniſtæ*, *Bellidis*, *Cent. minor*, *Hepaticæ nobilis*, porrò *Aromata omnia* quatenus ſunt ſtomachica & imprægnata ſale vol. oleoſo, *præ cæteris* tamen *Galanga*, *Zedoaria*, *Cinnamomum*, *Zingiber* conveniunt.

Ex his Vegetabilibus cum Hepaticis ordinario præſcribuntur *Noduli*, quibus & alteratur etiam ſanguinea diſcraſia: & reſolvuntur cruditates acidæ & ſimul leniter expurgantur.

Modus præſcribendi ſit hic:

℞. Herb. Naſturt.
Cochlear. recent.
Card. bened.
Abſinth. ana. mj.
Rad. Helen.
Armorac. recent. ana ℥j.
Fol. Senn. ſ. ſſ. ℥j.
Rad. Helleb. nigr. præparat. ʒvj.
Cortic. Eſulæ præparat. ʒiij. (Sic enim præſcribuntur.)
Paſſular. minor. ʒvj.
Baccar. Iuniper. contuſar. ℥j.
Tartari ʒij. vel ʒiij.
(quod acuit menſtruum pro extrahendis purgantibus)
inciſ. includant Nodul. D. S.

Pertinet huc *Elixir Anti-Cachecticum D.* REINESII. Compoſitio eſt magiſtralis, quam nemo facile imitabitur; nam tria ingredientia ſæpe plura præſtant: propter materiam tamen medicam hic apponere lubet.

℞. Radic. Armorac. ℥iv.
Helleb. nigr. ʒij.
Gentian.
Ari ana ʒiß.
quinque aperient. ana ʒvj.
Ireos.
Aſar.
Epithym.
Enulæ.
Cortic. radicum capparum.
Semin. Cartham. ana ℥j.
Amnicos.
Ebuli ana. ℥ß.
Card. benedict. m. iij.
Cochlear.
Naſturt. aquatic.
Flor. Sambuc.
Aſar. an. m. ij.

Salv.

Salv.
Betonic.
Hyſſop.
roriſmarin.
Chamædr.
Chamæpyth.
Abſinth.
Menth.
Centaur. min. ana mj.
Galang.
Cinnamom.
Macis.
Caryophyll. ana ℥ß.
Santal. alb.
Granor. Paradiſ. ana ʒiß.
Piper. alb.
Croc. an. ʒij.
Rob Iuniper. ℔j.
Vini Rhenan. ℔. xij.

macerentur in Balneo Mariæ per octiduum tunc exprime & deſtilla ad ſiccitatem cavendo Empyreuma. Aqua deſtillata reaffundatur fecibus & Tinctura eliciatur, poſt calcinentur fæces, & cum aqua pluvial. deſt. extrahatur ſal. qui purificatus Tincturæ admiſcendus.

Poſt hæc & ſimilia Vegetabilia imprimis *ex tartaro remedia* commendantur, quæ interſunt. *Digeſtivum tartari univerſale* ut vocant ſeu *Cremor tartari ſolutus & cum ſal. fixo conjunctus doſ. à* ℈j. *ad* ℥ß. Item *Spiritus Tartari volatilis* non cõmune iſtius phlegma. Sal. etiam *ejuſdem volat.* ex ipſo tartaro aut fæcibus vini paratum, quod fit facilius, ex ſale tartari fixo difficilius paratur.

Pertinet huc etiam *tartarus* martialis, ex affuſione ſolutionis tartari ſuper limaturam martis, ſic enim fiunt Cryſtalli tartari martiales.

Item *Tinctura tartari ſimplex*, quàm etiam *tinctura tartari antimoniata ſive etiam martiata.*

Porrò poſt tartarea conveniunt *martialia*:

Nam mars ordinariò eſt baſis pulverum & Medicamentorum anticachecticorum ut vocant.

Pertinet huc *Pulvis Cachecticus Quercetan.* qui tamen *nullius eſt pretii*, quoniam illius primarium ingrediens eſt Crocus martis ſacharinus, cujus tamen nullus eſt uſus: ratio quia ſaturatus mars acido ſulphuris inſtar ſcoriarum tantum in corpore jacet ſine effectu. Potius vel *Crocus martis cum ſalibus*, *& nudus Crocus* affuſione aquæ ſimplicis in loco calido paratus, vel *Limaturæ martis* minutiſſimè trita & pulveriſata conveniunt.

Omnes huc pertinent *Tinctur. martis aperitivæ*, imprimis *cum ſucco Pomorum Borsdorffianorum* paratæ. Item *Claretum martiale* MINSICHT: Ubi etiam *Vinum Malvaticum martiale* HARTMANN. quod habet *in Praxi Chymiatric. p.* 204. Loco Vini malvatici commodius aſſumitur Rhenanum, quod eſt acrius & potentius rodit martem.

Porrò *Tinctura vitrioli martis* ZVVOELFER. uti etiam *Extractum martis* MINSICHT.

Item *Bezoarticum martiale*, quod etiam in Anaſarca eſt egregium. Poſtmodum etiam conveniunt *Antihect.* POTERII, *Bezoartic. Iovial.* & ſimilia fixa Iovialia.

Hinc *Elixir Proprietatis* imprimis miſtum *cum ſpiritu vini.* Hic enim inſigniter convenit.

In Officinis proſtant *Species Diacurcumæ & DiaGalangæ.* Hinc RONDELETIUS ceu expertiſſimum remedium in omni Cachexia habet has *Pilulas.*

♃. Specier. Diacurcum ℈iv.
(eſt egregium in his affectibus Curcuma)
Rhabarb. elect. ʒij.
Specier. Diarrh. abbat.
Galang. an. ℈j.
c. ſ. q.
Sirup. d. Abſinth.
F. l. a. Pilulæ.
ex ʒj. No. 30. doſ. 20. vel 44.

Tandem *Paſſulæ* conveniunt, quæ vocantur optimum hepaticum, id eſt, quæ egregiè conveniunt in temperanda ſanguinis diſcraſia & renovanda fermentatione ejus naturali. Unde SOLENANDER *conſil.* 21. *ſect.* 3. Electuarium ex

Paſſular. Corinthiac. ℔j.
Rhabarb. elect. ℥ß. (hoc enim ſolum eſt inſons inter purgantia)
Sachar. ℥iv.

quæ miſcet invicem & ſervat.

Uſus interdum ante paſtum, *doſ. cochl. j.* Incredibile eſt inquit SOLENANDER, quantum emolumenti afferant ad ſanitatem conſervandam, dum alvum laxant, ventriculum & primas vias evacuant, & jecori conveniunt, i. e. ſanguinis craſin emendant.

Loco hujus poteſt præſcribi Electuarium molle.

♃. Pulp. Paſſular. Corinthiac. ℥vj.
Cremor. tartari ʒiij.
Sal tartari ʒiß.
Rhabarb. elect. ʒiij.
Cinnamom. acerrim. ʒj.
c. ſ. q.
Sirup. d. Pomis.
F. Electuar. molle.

de quo alternatim uſurpari poteſt: Si quis velit addere Extractum martis, remedium faciet eo magis conveniens.

Item ♃. Tinct. Tart. compoſ. ſ. hujus loco
Elix. propr. ſ. acido ℥j.
Eſſ. abſinth.
cent. min. an. ʒij. D. S. F. Electuar.
doſ. 40. vel 50. gutt.

bis vel ter in die manè in vehiculo calido hor. 5. pomerid. in cereviſ. & ſub introitu lecti.

Vel ♃. talia matutino tempore & à meridie.

♃. Spirit. ſal. ammoniac. ℥j vel hujus loco.
carminativ. de tribus, l. hujus loco.
Tinct. nephritic. l.
Liq. CC. ſuccin. de quibus à meridie & ſub introitu lecti capiantur 40. gt. It. cum aromaticis iſtis interdiu uſurpatis capiatur ſub introitu lecti *Elixir. menth. cochl.* parva doſis; aut hujus loco *ſpiritu baccar. juniper.* &c. & horum medio promoveatur digeſtio prima, acuatur bilis, & reſtauretur denuò ſanguis.

Hæc ipſa ſimiliter conveniunt in *Leucophlegmatia & Anaſarca*; in quibus tamen præterea *Sudorifera & Diuretica* ſpecialiter commendantur, quæ habitum totius corporis promptè evacuant.

Inter Sudorifera vulgaria ſunt *Decocta Lignorum, Rad. Chinæ, & Lign. Guajaci.*

Sic refert LINDANUS, ſe curaſſe *Anaſarcam* beneficio *Decocti Ligni Guajaci & Condito ſtomachico.*

Item *Eſſent. lign. Saſſafras*, it. *Tinctur. Corallarum Saſſafrata in Anaſarca* ſimiliter conveniunt.

Decoctum Vincetoxici in vino, ceu expertum Diureticum & ſudoriferum commendatur in *Anaſarca*; item *Decoctum Granorum Juniperi*, aut etiam *Malvaticum Iuniperinum*, quæ ſunt ſudorifera & diuretica, commendantur.

RIVERIUS *cent.* 4. *obſ.* 82. commendat *Vinum Iuniperinum*: *Spiritum Iuniperi* admodum commendat IOEL *in ſua Praxi.*

Semen Hyperici ad ʒj. in vino hauſtum potens eſt Diureticum

Species Diacurcumæ cum Decocto Cicerum rubrorum laudatur, imprimis *ubi* adſit ſimul *vitium Menſium ſuppreſſorum. In* quo caſu nempe *Anaſarca cum Menſium obſtructione*

obſtructione decoctum Aſari cum ſabina, & Baccis juniperi commendat FORESTUS *lib. 19. obſ.34.* Præſcriptio poſſet eſſe talis.

℞. Rad. Aſar. ℥iß.
rub. tinctor. ℥ß.
Herb. Sabin. m. j.
Baccar. Junip. ℥vj.
coq. in ſ.q.
Aq. ſimpl. ſub finem adde.
Cinam. acut. ℨij.
Cardamom. ℨj.
colatura edulcor. parum
F. pot. aper. pro uſu.

Pertinet huc *Pulvis Henric. ab* HEER. expertus ad virginum pallidos colores, ſive ad *Cachexiam virginum cum menſibus ſuppreſſis* quem ceu millies expertum commendat *in obſer. Oppidò rar. obſ.vj.*

℞. Rubiæ ℨiß.
Sabinæ
Muſcerdæ a. ℈j.
Croc. ℈ß.
Lumbr. terreſtr. præpar. vel loco hujus
Borrac. Venet. ℨj.
Macis.
Fol. lauriana ℨß.
Specier. aromatic. roſat. ℈j.
Limatur. chalybis. ℨiij.
Radic. enulæ ℨj.
Sacchar duplum omnium.
miſc.
doſ. ℨj. in vino albo.

Lumbricorum decoctum, vel ſpiritus eorundem per fermentationem ſeu putrefactionem paratus, eſt expertum diureticum *in Anaſarca*, imprimis ſi ſit complicata *cum ſcorbuto:* in quo ſcorbuto lumbrici ſunt admodum egregii.

Porrò *Corpus Anaſarca laborans immergendum* ſuadent *in arenam calidam*, ut eo promptius abſumantur humiditates. FERDINANDUS tanquam experimentum ſuum *hiſt. 30. p. 94.* refert.

Item *Potibus* eorum, qui laborant *Anaſarca applicanda ſunt folia Bardanæ viridia, leviter contuſa:* hæc enim valdè attrahunt aquas ex toto corpore, eaſque admodum copioſè per poros pedum & ſurarum eliciunt.

Pro potu uſitato in Anaſarca & Cachexia imprimis *vinum abſyntites*, aut etiam *vinum enulatum* ſeu infuſionis radicis heleni convenit.

Cachexiam modò explicatam frequenter ſequitur,

HYDROPS, &c.

Hydrops. NOn ſecus, ac reliquas ejus ſpecies, ut *Cachexiam ictericam, hypochondriacam, ſcorbuticam & febrilem*, tandem inſequi ſolet.

HYDROPIS nomine intelligitur aquarum ſeu humorum ſeroſorum præternaturalis collectio, quam neceſſariò tumor & diſtenſio partis c. ejus mollitie & non rarò fluctuatione comitantur. Hydropis vox convenienter Latinis *aqua intercus* redditur. Jam vero aqua hæc vel totum corpus tumefacit, vel determinatam ejus partem. Illud dat hydropem *univerſalem*, hoc *particularem*. Illa univerſalis, dicitur *Anaſarca*; hæc vero particularis, pro partium varietate, quas affligit, varia & ſpecialia ſortitur nomina. Sic quando aqu. colligitur in capite, dicitur *Hydrocephalus*: Quando in pectore *Hydrops pectoralis:* Si in pericardio præternaturalis abundet lympha, eſt *Hydrops pericardii:* Si in abdomine, dicitur *Hydrops Aſcites*, ab utre, quia abdomen inſtar utris repletum & tumefactum apparet. In utero eſt *Hydrops uteri*: In teſtibus eſt *Hydrocele:* In partibus externis, uno alterove membro; *tumores ſerosi aut aquoſi* generali nomine appellantur. Imò in omenti burſa copioſæ aquæ incluſæ, in inſignem tumorem abdomen attollunt, quale exempl. *vid. in horſt. obſer.* Item in peritonæi duplicatura concluſæ aquæ, hydropis abdominis ſpeciem præbent, *vid. Meeterens obſ. Chirurg.*

Ex his patet, hydropem non eſſe propriè alium, quàm ubi eſt aqu. Hinc *Tympanites* impropriè eſt hydrops, cum flatuum tantummodo, non verò aquarum collectio ſit. Unde ſaltem propter ſimilitudinem tumoris cum aſcite, ad hydropes refertur.

Saltem diviſio in UNIVERSALEM & PARTICULAREM notanda venit, præter quas tamen frequentiſſima hydropis ſpecies eſt iſta, quæ nec propriè *Anarſaca eſt*, cum ſaltim partes inferiores occupet, utut *VVilliſio Anaſarca particularis*, minus tamen appoſitè dicatur; neque tamen eſt *aſcites* propriè dictus, quia præter particularem abominis tumorem & univerſa crura ſubinde immenſum tument. Revera igitur frequentiſſimus hic hydrops eſt, quaſi Anaſarca partium inferiorum, cùm origine, fiendi modo, ac medicationis ratione inter ſe conveniant, accidentaliter verò differant, de quo infra.

CAUSA HYDROPIS

Non eſt hepar frigidum ob hæmatoſeos defectum, quæ veterum fuit ſententia, cùm à Modernis dejectum ſit ab imperio ſanguificationis, ipſique publicæ dictæ exequiæ. Deinde adverſantur huic ſententiæ omnes, qui per experientiam Anatomicam obſervarunt, ſæpiſſimè hepar inſons in hydropicis, in ſpecie aſciticis fuiſſet repertum, de quo vid. præter *Helmont. Tract. ignotus hydrops, §. 10. Sennert. lib. 3. prax. ubi de aſcite*, qui jam ſuo tempore aſſertum hoc rejecit. Unde in principio hujus ſæculi *Sylvius, Duncanus, Medicus Romanus*, peculiarem edidit libellum, cujus titulus: *Hydropem non ſemper à jecore fieri, excuſum Romæ anno 1601.* Non nego equidem hepatis & lienis ſcirrhos fuiſſe ſubinde inventos in hydrope demortuis, ſed hoc commune habent cum aliis viſceribus. Viſcerum enim quorumvis varia & multiplex obſervata in hydropicis conſtitutio præternaturalis, ita ut hactenus nil certi de parte ſolida primariò in hydrope affecta, colligi queat. Imò fieri poteſt, ut ſine vitio alicujus viſceris hydrops naſcatur, quando ab errore externo, à potu frigido conſertim ingeſto aqu. in abdomine colligitur; atque adeo non ſolius hepatis, ſed & aliorum viſcerum culpa, imò interdum viſceribus penitus illæſis, hydropem generari conſtat. Ut taceam obſcuram eſſe generationem & fiendi rationem hydropis, ſi ex hepate oriri ſupponatur.

Propius ergo ad CAUSAS accedamus: Eſt g. hydrops non ſecus ac ſupra memorata cachexia, nunc *morbus primarius*, qui per ſe ex vitio rerum naturalium aut nonnaturalium ſucceſſivè naſcitur; nunc *ſecundarius*, qui ex vitio quodam morboſo præternaturali præcedente originem ducit. Nempe oritur hydrops frequentiſſimè.

I. *Ex febribus intermittentibus* chronicis quibuſvis malè tractatis, ſpeciatim quartana diuturna, præſertim quando ægri in paroxyſmo nimis bibunt, frequenter hydrops oritur, adeò ut frequentiſſimus diuturnarum & malè tractatarum quartanarum pediſſequa ſit hydrops, pro qua præſervanda diebus intermiſſionis *amara* ex vegetabilibus febrifugis, præſertim *abſinthio* ſedulò uſurpanda ſunt, pro conſervanda bilis & ſanguinis craſi debitoque viſcerum tono.

II. *Ex aſtmate* (præſertim orthopnœa,) non ſolum humoroſo, ſed etiam convulſivo, cui ſi diutius duret, ordinario hic hydrops ſupervenit; item ex aliis pectoris pathematibus hydrops obſervatur, ſiquidem aliquando ad empyema, ad phthiſin & ſanguinis ſputum hydropem hunc inſecutum obſervatum fuit.

III. *Ex renum vitio* frequentiſſimus eſt hydrops, adeò ut renem ceu adæquatum artificem hydropis omnis aſſerat *Helmont. Tract. ignotus hydrops, §.16. & 20.* vel ex eo in primis, quod totus hydrops per uri-

næ

næ fluxum ſolvatur *citato loco* §. 3. ſanè ex renibus obſtructis & debilitatis, aut ab iiſdem ulceratis, crebrior hydrops obſervatus; ſicuti pariter nephritica pathemata & renes exulcerati frequenter hunc affectum inferunt: Mictus quoque ſanguinis diuturnus hydropem infert, teſte *Schenck. in obſervat.*

IV. *Ex vitio viſceris* cujuſdam nobilioris, aut uſus neceſſarii in abdomine, hepate, liene, meſenterii glandulis affectis, utero, &c. frequens hydrops obſervatus. *Rondeletius in prax. cap.* 35. *de ſcirro hepatis*, inquit, ſe ex frequenti corporum diſſectione obſervaſſe, omnes hydropicos, vel ſcirrhos, vel glandulas meſenterii induratas habere, aut pancreas ſimiliter conſtitutum. Sic lienem malè affectum, in ſpecie ſcirrhoſum factum, hydrops neceſſariò inſequitur. Par ratio eſt de hepate ſcirroſo hydropem inferente & ex vulnere hepatis, ſclopeto inflicto, ſuppurato hydropem natum, *vid. in M.A.N.C. ann.* 6. *p.* 145.

V. *Ex ictero* & aliis quibuſvis cachexiæ ſpeciebus confirmatis tandem naſcitur hydrops, in ſpecie ſcorbutum hydrops ſui generis inſequi ſolet, de quo vid. optimè diſſerentem *Eugalenum tr. de ſcorbuto.*

VI. *Aſcites à ſanguine, vel præternaturaliter excreto, vel retento*, frequenter admodum oritur. Sic ſuppreſſæ hæmorrhoides, aquæ intercutis metum injiciunt. Sic propter menſtrua conſueta ſuppreſſa hydrops non rarò ſupervenit; è contra poſt quamvis hæmorrhagiam aut nimiam, aut crebrius repetentem, ſemper hydropis metus imminet. Sic poſt vomitum ſanguinis, poſt immodicum ſanguinis ſputum, hydropem inſecutum obſervatum fuit. Videatur *Riverius in obſ. communic.*

VII. Imò ex aliis *nimiis excretionibus*, præſertim *per alvum*, crebrò genitus hydrops notatus, ſpeciatim ex nimiis alvi fluoribus, tam artificialibus (ſic enim leucophlegmatiam & aſcitem à variis catarcticis malè adhibitis, notat *Peter. cent.* 2. *cap.* 92.) & nonnaturalibus, quàm præternaturalibus; ſic ex alvi profluvio diuturno, obſervat *Ferdinandus* hydropem *hiſt.* 98. item hydropem gravem, ſuccedentem ptyaliſmo diuturno & pertinaci, obſervavit *Thonnerus in obſ.* item de dyſenter. ac ſimilibus excretionibus obſervatum.

VIII. *Crebrior* & copioſior aut intempeſtiva *potus*, præſertim frigidi, ingurgitatio hydropem infert. Sic ex hauſtu copioſo frigidæ, poſt nimium æſtum hydrops poſt tertianam genitus *in M. A. N. C. Dec.* 1. *ann.* 6. *p.* 85. Potus nocturnus in ſpecie ad hydropem diſponit. *Vid. Act. Med. Haffn. vol.* 2. *p.* 260. & 202. In paroxyſmo febrium, qui copioſius potant, præſertim frigida, facillimè hydropem incurrunt. Item ex copioſo frigidæ potu in æſtate hepatis ſcyrrhus & hydrops *vid. in Fonſec. l.* 2. *conſ.* 39. Item *Riverio cent.* 2. *obſer.* 65. Alius frigidam quotidie ante prandium bibens hydropicus factus, Authore *Panarolo pentec.* 3. *obſer.* 44. Quo facit ſpiritus vini nimius abuſus & ſimilium potuum aromaticorum aut generoſiorum ingurgitatio nimia.

Juxta has cauſas, magis particulares, obſervandum, *ſenſibilis urinæ excretionis*, & *inſenſibilis tranſpirationis defectum*, utplurimum, ſi non ſemper, adeſſe in hydropicis. URINAM quod attinet, ſanè hæc non uniuſmodi excernitur in hydropicis, quando utplurimum craſſa, intenſè tincta & perquam lixivialis, pauca tamen excernitur, quæ in aliis è contra, utut rarius, pallida, tenuis, cruda & pauca prodire ſolet. Sanè in omnibus parcior & longè minor, quàm aſſumptorum potulentorum fert ratio, prodire ſolet. Et ferè primam occaſionem ſuggerunt hydropi renes, imò frequenter ex ſolis renibus affectis, atque lotium non emittentibus hydrops ſupervenit. Hinc etiam eſt, quod optima & tutiſſima cura hydropiſeos in urinæ provocatione conſiſtat, qua denuò copioſius fluente, ſubitò evadunt. Hinc eſt, quod id ſerum, quod aliàs ſub forma urinæ emittendum erat, in abdomine verò coacervatum & exhauſtum arte, nullas tamen proprietates urinæ, nec ſapore, nec odore, nec colore exhibeat, ceſſante nempe renum functione. *Schenckius* in cive Altenburgenſi decollato & publicè diſſecto renalem adipem, maxima ex parte aqueam, defluere vidit, indeque hydropis initia viſceribus & teſtibus induta obſervavit, & *Bartholinus* omentum in hydropicis computruiſſe vidit.

Quoad inſenſibilem tranſpirationem, hujus penuria colligitur ex eo, quòd licet multum ſeri colligant hydropici, nihilominus tamen difficulter ſudent, ideoque & citra madorem illorum corpus eſt, nec in balneis facilè ſudore madeſcunt; quod ipſum cum aliis cachecticis commune habent, qui omnes difficulter ad ſudores cogi poſſunt. Hinc ſi ſudor hydropicis ſupervenerit, adeò ut æger alleviari ſe ſenſerit bonum. Forſan obſervationem hic meretur, quod *Smetius Miſcellan. lib.* 8. aſſerit, illos præcipuè difficulter ſudare, quibus jecur & lien ætate, morbove vel obſtructione magna, aut ſcirrho obduruerit.

Præmiſſis hiſce SYMPTOMATA neceſſe erit conſiderare, quæ præſentia ſui *hydropem* vel *præſentem*, vel plus minus *imminentem* deſignant. Incipiunt ferè pedes in inferioribus locis circa talos intumeſcere, tumore quidem œdematoſo, plus minus ſeroſo, impreſſa digiti veſtigia aliquamdiu retinente, qui noctu quidem imminuitur, itaut matutino tempore multò exilior videatur; interdiu augetur, adeoque veſpertino tempore major longè apparet. Idem tumor paulatim aſcendens tranſit ad ventrem, quem ſucceſſivè occupat; utplurimum in ſcrotum ſibi parat viam, & tunc ſimul quandoque intumeſcunt teſtes, præputium & colis; quandoque penitus occultatur, quandoque quadruplum major & tranſlucidus fit. Dum æger de latere in latus convertitur, murmur & fluctuationem aquæ quaſi ſentit, quin imò moto corpore, aqua ita movetur, ut impetus ejus conſpici poſſit, ut habet *Celſus*.

Intumeſcit autem abdomen plerumque ſenſim & vix animadvertentibus ægris & interdum quaſi ſubito & brevi temporis intervallo. Præterea nunc unum tantùm latus tumor occupat, nunc utrumque, ita ut venter quandoque in duas partes diviſus videatur, nunc verò æqualiter diſtenditur venter ab hypochondriis ad pubem uſque, erecto autem corpore, ſenſus ponderis procumbentis in regione inguinum percipitur. Plerumque quidem venter etiam poſt mortem tumidus manet, rarò vero detumeſcit, quod tamen obſervavit *VVallonius libr.* 2. *Epid. Eph. pag.* 270. in duabus mulieribus, quarum utraque cum hydropica foret, poſtquam extinctæ eſſent, ita reſedit venter, ac ſi nunquam intumuiſſet. Dum ſic inferiores corporis partes accreſcunt, ſuperiores decreſcunt & emaciantur, præcipuè jugulum, cervix & pectus, quibuſdam tamen & facies, præſertim matutino tempore à ſomno intumeſcunt, interdum & ad extremum manus inflantur, colore in facie utplurimum pallido plus minus ac livido. Multi pruritu admodum moleſto vexantur, quidam etiam ſcabie laborant. Abſceſſus quoque & maculæ in cruribus quibuſdam erumpunt, ſæpius tamen lethales. Plerumque febris comitari ſolet hydropicos, eſtque continua lenta, circa veſperam manifeſtior. Pulſus eſt parvus, crebrior, ſubdurus, cum quadam tenſione. Sitis imprimis ægros miſerè vexat, quæ indulgendo creſcit, *& quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.* Simul etiam cibi faſtidium adeſt inſigne; quod ſi, quod rariſſimum tamen eſt, ſitiant parum, è contra commodè plus minus appetant, melius omninò ſignum putandum eſt. Hinc magnam anguſtiam circa præcordia ſentiunt & ſpirandi difficultatem, maximè cum loca alta ſcandunt, vel decumbunt, eſtque unum ex præcipuis de quo conqueruntur, quæ etiam nondum apparente tumore incipit hydropemque præſagit, eoque emergente incrementum ſumit, adeò, ut ſæpius à

mediâ nocte orthopnoicorũ more erecti ſpiritum ducere cogantur; hinc diſpnœam nocturnam prænunciam hydropis aſcitis eſſe aſſerit *Platerus in obſerv.* & tum plerumque etiam tuſſis ſicca, ſeu inanis ad tuſſiendum irritatio, eaque mali ominis accedere ſolet. Alvus nunc clauſa eſt, nunc quibuſdam,idque non abſque εὐφορία, ſubitò liberior eſſe ſolet. Quandoque & epilepſia Aſciti ſupervenit, & grave periculum plerumque minatur; interdum eadem in apoplexiam lethalem convertitur:Refert enim *VVallon.lib.1. Epid. Eph.p.27.* piſcatorem quendam hydrope laborantem epilepticum factum, ſæpius convulſum, abſceſſu in teſticulos & femora facto, liberatum fuiſſe ab hydrope & epilepſia.

Obſervandum autem, ne obeſi nimis, habeantur interdum pro hydropicis, de quo *vid. Hochſtetteri decad. 10.p.* 418. Probè quoque obſervandum eſt, ne confundantur hydropicæ & gravidæ, *Diſcernuntur* autem invicem.

1. *Ex colore faciei vivido* & benè habito. 2. *Ex tumoris ſpecie: In gravidis* tumor abdominis ad præcordia ſurſum vergit, eſtque inæqualis: *In hydropicis* autem inferior pars abdominis intumeſcit, mammæ detumeſcunt & tumor undique æqualis & quaſi œdematoſus, ut nihil dicam de motu fœtus. 3. *Certum ſignum eſt fluctuatio*, nempe ad tactum ſenties fluctuationem in hydrope. 4. *Vivacitas & vigor oculorum* ſignificat geſtationem; ſed ubi hydrops eſt, perit oculorum nitor, fiunt lividi, &c. 5. *Urina in gravidis* non ſunt ita conſtitutæ, ut ſupra de hydrope dictum. 6. *Hydrops* valdè membrum gravat, in geſtatione autem non item. 7. *Quo ſe vertunt hydropici, eò labitur aqua*, id quod non fit in geſtatione. Sitis in hydrope juncta eſt, in geſtatione non. 8. *Denique ſub Hydrope menſes* ſæpè fluunt, in geſtatione non,&c.

Porrò AQUÆ iſtæ ſeroſæ, ſeu contenta fluida non ſemper unius generis obſervantur. Plerumque eſt pallida & citrina, & urinam ferè refert, interdum lutea, interdum viridis, interdum flava in nigrum vergens, interdum loturæ carnium ſimiles obſervatæ fuerunt aquæ. Exempla allegata *vid. in enn. l.3. prax. ubi de aſcite p.* 717. Eaſdem exemptas & leni igne tractatas, in gelatinam albam abire obſervavit *Boyle in Philoſ. experim. p.*83. ut & *VVillis Pharm. rat. P.2. p.*150. In gelatinam viridem abiiſſe obſervavit *Simſom in Hydrolog. p.*370.

Acre quoque eſt fluidum illud, *ſalſum* ferè aut *acido ſalſum*, quod alii aquæ permiſtum, ſpumam inſtar ſaponis excitat. Ita refert *Gabelchoverus*, civem quendam Auguſtanum hydropicum, alterius conſilio dolio inſidentem, aquæ ſalſæ ſe immerſiſſe quotidie, & poſt 15. lotionis diem ruptum eſſe umbilicum & aquam omnem,quæ in ventre continebatur,effuſam in aquam balnei, hanc verò inde ſpumoſam totam redditam fuiſſe, ut ſpeciem aquæ, multo ſapone agitatæ referret. Unde etiam acrimoniæ illius ratione, ſubinde interanea erodit & exulcerat.Sicuti & ſubinde *ulcera in externis partibus* præſertim cruribus excitat, difficulter curabilia; unde & quod per alvum excernitur,non ſine morſu inteſtinorum ac præſertim recti, evenit. *Speciatim* aceſcentiæ cujuſdam participem illam aquam eſſe collectam, non immeritò ſuſpicatur *VVillis Pharm. rat. P.2. p.164. Et confirmatur ulterius* ex eo,quod ſudor hydropici acidus lac coagulans obſervatus fuerit. *Vid. Act. Med. Haffn. vol.4.p.*174.& quod internè pariter, quàm in ſpecie externè diſcutiendo tumori dicata, ad *alcalinam* naturam accedant, v. gr. *aqua calc. vivæ, limaces ac cochleæ, lixivia ſtercorum* animalium, &c. Sanè ex acrimonia hac præſertim occultè acida, *duo* explicanda veniunt *phœnomena* ab Authoribus minus animadverſa. 1. *Quod intumeſcentia illa crurum*,ſcroti & abdominis ſit quidem à contento liquore,ſed tamen fortis iſta tenſio & juncta quaſi inflatio, non ab eo, qua tali, ſimpliciter proficiſci videatur, ſed arbitror potius, vim fermentativam habere hunc ipſum liquorem, ſeu ipſe in ſe fermentet, ſeu cum contentis cæteris liquoris, ſpeciatim nutritio ſucco ad partes iſtas diſtributo, motum turgeſcentiæ, proximum fermentationi, concipiat.

II. *Dum acre iſtud contentum acido ſalſum* undique à partibus membranoſis, v. gr. cute, peritonæo, &c. concluditur, vix fieri poterit, quin ab eodem *vellicentur & irritentur* plus minus *fibræ* illarum partium,qua occaſione illæ tendi, & quaſi ſpaſmo affectæ obrigeſcere plus minus incipiunt, quo ipſo occludi poros & anguſtari quoſvis cæteros meatus contingit, adeo ut non tantùm inſenſibilis tranſpiratio & ſenſibilis tranſudatio eò magis impediatur, ſed & tenſis hoc modo fibris & membranis renalibus, etiam uberior urinæ excretio eò magis ſiſtatur. Aliàs ſane non video, quare *tam parùm tranſpirent aut ſudent hydropici*, aut ſaltem guttarum forma non copioſius aliquid tranſmittant per cutim, niſi hæc prius in puſtulas eroſa fuerit, aut alio modo fibris læſis tranſitus aquis pateſiat. Adhæc *anguſtia* iſta *præcordiorum in hydropicis* & impedimenta illa reſpiratoria, quæ non ſolùm circa pectus, ſed ferè maximam partem circa hypochondria ſentiunt, *quaſi cingulo ibid. conſtringerentur*, non à ſolâ videntur eſſe repletione abdominis,ex eo,quod gravidæ femellæ geſtantes, utut ventre maximè tumido, de ſimili non conquerantur pathemate, quin mollia omnia & tactui cedentia in iiſdem ibidem deprehenduntur, cum *hydropici* tendi circa iſta loca & conſtringi ita ſoleant, ut ne digitus quidem infra coſtas nothas poſſit adigi.

His ita præmiſſis *AD CAUSAM PROXIMAM* collectionis nempe & extravaſationis illorum humorum eſt delabendum, in aſcite nempe, quæ ad Anaſarcam proximè accedit, ſeu in *Anaſarca* ſic dicta *particulari VVilliſii*, in qua pedes, ſcrotum & abdomen ad pectus uſque & diaphragma intumeſcunt, & ab *aſcite* propriè ſic dicto, ſeu *particulari* abdominis hydrope, multum differt (quæ differentia in hiſtoriarum & obſervationum monumentis probè attendatur.) *Præſuppono* autem hic humorem iſtum eſſe maximam partem ſerum, ſeu commune recrementi & alimenti vehiculum, utut pro contentorum ſeu miſtorum ratione nunc chiloſum, nunc pituitoſum, nunc cruentum, nunc alio modo affectum deprehendatur. *Coacervatur hæc in corpore* ad hydropem diſpoſitio ob deficientem inſenſibilem tranſpirationem & imminutam urinæ excretionem. *Generatur autem primitus* (adeoque hujus hydropis cauſa proxima erit) ex inſigni & notabili vitio in hæmatoſi contingente, ac plus minus deficiente, ratione cujus aſſumpta in chylum mutata cum juncto vehiculo ſeroſo aſſimilari debitè maximam partem nequeunt, quin hic ipſe ſucceſſivè in ſanguine, continuato hujus circulo, alteratus magis magiſque attenuatus & reſolutus tandem certis in locis decumbit,& extra vaſa cum vehiculo ſeroſo ſubſiſtens tumorem talem infert,quod pluribus explicatum, *vid. in VVillis. Pharm. rat. p.2.*

REMOTÆ CAUSÆ.

Omnes erunt eædem, quæ cachexiæ, cum ut ſupra monitum hæc frequentiſſimè in Anaſarcam, nunc univerſalem, nunc particularem cum aſcite junctam degeneret. Unde dum per ſe incipit hic hydrops, ferè vitium læſæ in primis viis digeſtionis ſubeſſe ſolet. Dum autem alios morbos inſequitur, pro horum læſione, corporis ejuſque partium ſolidarum & ſanguinis alteratione multiplici, etiam multipliciter ad hydropem diſponent, de quibus *remotioribus cauſis* ſuperius pluribus actum Unde pro cauſarum harum remotarum diverſitate humorumque in corpore alteratione multiplici, ſubinde tanta diverſitas humorum in corpore hydropico nata fuit.

Extravaſatur verò idem ſerum multiforme, non ex

vitio vaſorum lacteorum & lymphaticorum, niſi in partialibus hydropis ſpeciebus (de quibus infra ſuo loco) aut niſi ſaltem per accidens & ſecundariò; ſed reverà ex vaſis arterioſis oriri omnino probabiliſſimum eſt. Nempe pro hujus notitia tria hic *ſupponenda* erunt. I. *Sanguinis texturam & miſtionem* in hydropicis ita eſſe alteratam, ut minus exactè coacervata uberius colluvie seroſa, plus minus chyloſa miſcibilis ſit, adeoque ſeroſitates iſtas facilius ſeparari, & hinc inde extra ſe quaſi defluere permittere, cum aliàs ſerum à ſangnine facilius ſeparabile exiſtat, ut in ſanguine venâ ſectâ emiſſo manifeſtum evadit. II. *Contentos corporis humores, in ſpecie* ſanguinem & ſerum naturaliter non moveri proprio impetu, quia aliàs omnis motus fieret ad inferiora, nullus verò ad ſuperiora; ſed more mechanico à cordis impetu per vaſa pelli, adeoque ſe purè paſſivè habere, ac ſuperius & inferius neſcire: Simul verò ac vis iſta vitalis ſeu animalis movens in corde plus minus debilitatur, proprio impetu gravitatis ac ponderis eoſdem ferri, adeoque deorſum ruere. III. *Firmo ſtare talo experimenta iſta Lovveri de Corde cap. 2. pag.* 123. *& ſeqq.* quòd ligata vena cava canis infra cor, brevi poſt tanquam aſcite laborare, ut animalis abdomen aqua repleatur & ligatis jugularibus, tumor aquoſus, hydrocephali inſtar, ſuperveniat, utrumque ſaltem ex impedito ſanguinis per venas circulo; ſicut & eadem allegat *VVillis in Pharm. rat. vol. 2. pag.* 199. Adeoque ex impedito plus minus ſanguinis arterioſi in venas tranſitu ſeparationem & extravaſationem ſeri facillime contingere. Quâ ratione etiam videntur oriri *hydropes ſubitanei* à cauſa externa, ſine prægreſſo interno vitio, v.g. dum hydropem aſcitem ſubitaneum ex geſtatione oneris gravioris notat *Bartholinus cent. 2. hiſtor.* 74. vel dum ex compreſſione circa os ſtomachi hydropem notat *Borellus cent. 2. obſ.* 24.

His ita præmiſſis dicendum videtur in iis ægris, quibus quocunque ex vitio *hydrops* ſupervenit, v. g. in *cachecticis confirmatis*, ex virium aliquali defectu & maſſæ ſanguineæ ſeroſioris laborioſiori & difficiliori circulo, hanc ipſam proprio impetu ac mole magis deorſum ferri, ac hinc difficilius aſcendere, indeque impulſum in arterias factum, in venis haud leviter imminui, ut difficilior ex illis in has, ob id pleniores, reſpectivè fiat tranſitus, ſub quo tranſitu juxta oſculorum extremitates ſanguinis ſpiſſior, & qui impetum moventem à corde impreſſum & per arterias continuatum facilius, quàm fluidius ſerum ſuſcipit ac retinet, in venulas tandem ex arteriolis intruditur; ipſum vero fluidius ſerum, qua data porta ſuopte impetu fertur, à ſanguine ſecedit ad inferiora; præſertimque circa loca, ubi notabilius langueſcit à corde impreſſus impetus, congeritur, donec pedetentim magis magiſque coacervatus, ſuperiora verſus tandem vergat. *Hinc enim magis veſperi quàm manè*, magis ſtantibus aut ſedentibus, quàm jacentibus tumor increſcere ſolet; ad quod ipſum & ſupra inſinuata fibrarum ſtrictura haud parum facere poterit. Vivit hic aurifaber, qui ex quartana contumaci per annum malè tractata, anaſarcâ partim inferiorum. cum incipiente aſcite laborat, ex qua ipſa ſuo quoque tempore morietur. Hic quoties quavis ex cauſa, in ſpecie iracundia, vel *eryſipelate*, vel *pleuritide notha*, quod ſæpius evenit, corripitur, idque ſemper cum motu febrili, graviſſimo rigore, intenſiſſimo aliquot dierum æſtu & hinc ſudore uberrimo ſuperveniente accidit, toties mox primo hujus affectus die omnis tumor *hydropicus* evaneſcit, pedibus flaccidis & extenuatis apparentibus. Dum vero febrilis impetus poſt aliquot dies remittit, pedetentim, etiam decumbenti adhuc, *crurum & ſcroti tumor* redit. Nempe febrili ſub impetu cum alteratione ſanguinis in ſpecie rapidior ejus circulus & validior impulſus, quot retruduntur in vaſa evacuatæ ſeroſitates, conſiderandus venit.

Idem extravaſandi modus obtinet in *Anaſarca univerſali*, ſaltem cum differentia, quod in Anaſarca, virium, contenta corporis moventium, robur adhuc validum ſit, quod æqualiter ſurſum deorſum eadem qualitercunque conſtituta movet, In *Anaſarca* autem *particulari* partium inferiorum cum aſcite complicata, debilius, adeoque regendis iiſdem corporis contentis minus ſufficiens, hæc ex parte ſui motu ſpontaneo ferri permittit, quæ ob id deorſum magis ruunt, cùm aliàs undique æqualiter diſtribuenda foret, Sed dum ſub tranſvaſatione iſta ex capillaribus arteriolis in venoſa, ob pororum & meatuum anguſtiam, per quos trajectio fieri ſolet, difficilior ſuo modo, adeoque tardior fiat ſanguinis motus, hinc ſerum facile à reliqua ſanguinis maſſa recedere, partium vicinarum porulos ſubire, & ita undique plus minus ſtagnando, *Anaſarcam univerſalem* inferre poteſt. Forſan & à chylo, ſeu pituitoſo iſto ſeri contento, quædam venulæ capillares ut & vaſa lymphatica obſtrui, aut anguſtari plus minus poterunt, qua occaſione & difficilior ſanguinis circulus & facilior copioſiorque ſeri ſeceſſus ſeri poteſt.

Atque hæc quoad *theoriam* hydropis ordinarii ſufficiant. Nam obſervatur præterea quoque *hydrops* magis *extraordinarius*, à colliquatione natus, dum non tam coacervari, quàm ex contentis aliàs humoribus per colliquefactionem generari ſerum hydropicum obſervatum. Docet experientia in febribus acutis & hecticis, ut aliàs excretiones colliquativæ ſunt familiares, ita etiam his ſubitò aquâ abdomen intumeſcere, ita ut præter chylum & ſanguinem ipſa etiam pinguedo colliquefacta in ſerum abire videatur, uti hoc ipſum in diabeticis quoque fieri ſolet. Hinc in hydropicis ſubinde obſervatur, aquam heri evacuatam arte per paracenteſin, hodie æqualiter demum abdomen repleviſſe, de quo *vid. Helmont. Tract. ignotus hydrops.* §. 14. Sed in hoc hydrope colliquationis primaria ratio habenda eſt, utpote cujus affectus ceu productum ſaltem eſt hydropica iſta intumeſcentia.

PROGNOSIN noſtri hydropis egregiè tradit *Hippocrates lib. 2. prædiction.* quem locum *Celſus lib. 2. cap.* 7. ita vertit: Aqua inter cutem minimè terribilis eſt, quæ nullo antecedente morbo cœpit; dein „ quæ morbo longo ſupervenit. Utique ſi firma viſce- „ ra ſunt, ſi ſpiritus facilis, ſi nullus dolor, ſi ſine ca- „ lore corpus eſt, æqualiterque in extremis partibus „ macrum eſt, ſi venter mollis, ſi nulla tuſſis, nulla „ ſitis, ſi lingua ne per ſomnum quidem areſcit, ſi ci- „ bi cupiditas eſt, ſi venter medicamentis movetur, „ ſi per ſe excernit mollia & figurata, ſi non extenua- „ tur, ſi urina ex vini potatione & non potis aliqui- „ bus medicamentis mutatur, corpus ſine laſſitudine „ eſt, & morbum facilè ſuſtinet, ſiquidem in quo hæc „ omnia ſunt, is ex toto tutus eſt: In quo plura ex his „ ſunt, is in bona ſpe eſt.

In ſpecie tota *prognoſeos* ratio conſiſtit ſaltem in accurata conſideratione *cauſæ remotæ* & conſtitutionis viſcerum abdominis horumque collatione. Hinc ſi cum hydrope conjunctus eſt *ſcirrhus* viſceris cujuſdam inſignioris, v. gr. hepatis, lienis, &c. difficulter admodum ac ferè nunquam curatur, aut curatus licet, facilè renaſcitur, qui recidivans ordinariò lethalis eſt. Hydrops, qui poſt febrem oritur, non adeo eſt periculoſus, nec curatu difficilis, quàm qui à ſeipſo incipit. Et in hydrope, cachexia aliiſque morbis diuturnis ſimilibus, dejectio nigra quæ non eſt à medicamentis, lethalis. Hydrops ex perverſo purgantium abuſu admodum periculoſus. Quò lotium minus redditur, eò deterior eſt hydrops.

Tuſſis in hydropicis malum, authore *Hippocrate ſect.* 6. § 47. Abſceſſus vel maculæ in cruribus erumpentes lethales.

Quoad CURAM, in hac 1. *humorum colluvies removenda.* 2. *eorum ſcaturigo ſiſtenda.* Hoc principale, illud minus principale. Quoniam verò collecta colluvies impedit potiorem intentionem, propterea quantum poſſibile, removenda. Poſterius obtinet *in genere*, ſanguinis craſin & inde vitiatam hæmatoſin emendando, digeſtionem primam corrigendo, bilem acuendo & urinæ fluxum promovendo. *In ſpecie* pro antecedentium cauſarum varietate, & relicta noxa aliqualis varietas ſubinde obſervanda: Adeoque omnia ea, quæ *ſupra de cachexia* monita fuerunt, hîc repetenda.

Pro his ſcopis ritè obtinendis *obſervanda ſeqq.*

I. PURGANTIA in hoc hydrope bene conveniunt, cùm iiſdem ſæpe copioſa aqua ex abdominis cavô evacuari ſoleat; verùm purgatio crebra eſt nociva. Nam dum purgantia evacuant ſeroſitates, ſimul utiles ſuccos plus minus colliquant, & ita „ vires ac viſcera debilitant. Hinc rectè dicit *Lin*-“ *danus*, qui vult recte curare hydropem, rarò debet “ purgare, dare tamen tunc debet ea, quæ vehementer “ purgant: Intermedio verò tempore *appropriatis* ac “ maſſam ſanguineam debent inſiſtere. Confert hic ea, quæ habet *Bruno in Notis ad Ieſſenii judicium de ſanguine è vena ſectâ emiſſo. pag.* 147. Obſervandum etiam, ut purgans exhibitum operationem ſuam ritè aſſequatur, quod ſi fiat, bonum, ſin minus, malum, cum colliquando ſolum contenta corporis, aſt non evacuando, malum augeat. In principio vel *lenia* ſaltem, primas vias *abſtergentia* & *per epicraſin* blandè *evacuantia* conveniunt, ut ita diſponantur primæ viæ ad ſubſecuturas fortes purgationes. Commodius inſtituuntur *purgationes luna decreſcente*, creſcente enim malum accreſcit, decreſcente verò decreſcit, unde quo tempore habemus adjuvantem naturam, purgatio inſtituenda.

II. VOMITORIA rarius in uſum vocantur, ut ut interdum fructuoſus obſervatus fuerit eorundem uſus. Meminit *Celſus in ſuis ſcriptis Metrodori Philoſophi*, qui fuit diſcipulus *Epicuri*, qui hydropicus, cum plurimum biberet, ſed mox omnia revomeret, ſic convaluit; cujus exemplo, inquit *Celſus*, Medici vomitum probant & laudant in iis, qui facile vomunt. Facit huc, quod refert *Foreſtus obſerv.* 32. *lib.* 19. *in Scholio*, ubi quidam hydropicus pro deſperato habitus, aſcendit naviculam, & petiit mare, hinc provocato vomitu & poſt vomitum exercitio curatus. Interdum ergo ubi adeſt vomendi inclinatio, aut etiam, ubi gravior diſpnæa urget ægrum, commodè inſtitui poteſt vomitus. Sed neceſſe eſt, ut larga doſi propinentur *vomitoria*, cum in hydropicis, præſertim confirmatis rarius vomitum procreare ſoleant exhibita hemetica. Sic enim *mercurius vitæ gr. ij. l. iij.* quæ aliàs abundè ſufficiunt pro vomitorio, hydropicum non movebunt, idque aut ob ventriculi anatomiam, aut ob remediorum à contentis ſeroſitatibus acido ſalſis alterationem & quaſi fixationem.

III. DIURETICA ſunt optima. Hæc nempe vera ſunt hydragoga, cum naturæ ſit mos, per vias urinarias ſuperfluum ſerum naturaliter expurgare, unde præmiſſis neceſſariis univerſalibus his imprimis inſiſtendum, aliàs intempeſtivo eorundem abuſu impeditur urinæ fluxus potius, quàm ut promoveatur. Aliàs multis ſatisfaciunt ſcopis, præſertim quæ ſunt ex numero *volatilium*, v. g. quæ ex *urina, lumbricis, bufonibus*, &c. petuntur, quia ſalina virtute *incidunt, penetrant, abſtergunt, aperiunt, reſolvunt, &c.*

IV. OPIATA ac ſimilia NARCOTICA qua talia ac per ſe, hydropicis utplurimum ſunt lethalia, ut per experientiam confirmat *Mollenbroch de Arthrit. vag. pag.* 159. Quod verum arbitror, cum *opiata* in morbis chronicis ac propemodum ad extrema deductis, ut fit in hydrope, quando vigiliæ accedunt, minus proſint quàm in acutis, quin vires ulterius dejiciunt, & viſcerum tonum ulterius labefactant: Imò poſt chronicos aut acutos morbos, dum languent adhuc ægri, & quædam adhuc ſymptomata ſuperſunt, ſi iiſdem *opio* ſuccurrere velimus, periculum eſt, ne hydropici exinde fiant, quod fieri obſervatum. Saltem per accidens ſpirituum impetum nonnihil refrænando; & fibrarum irritatarum ſpaſmum demulcendo, ſicque ſudorum & urinarum fluxum promovendo prodeſſe obſervata fuerunt. *Conf. Bartholin. cent.* 3. *Ep.* 46. & 149. *pag.* 192. 201. Quò pertinet mirabilis obſervatio *VVilliſii Pharm. rat. part.* 1. *pag.* 302. Sed cùm effectus hîc ſit accidentarius, propterea non niſi ſedulâ circumſpectione adminiſtranda veniunt. *Vid. Bierling. cent.* 1. *adverſ.* 5. *p.* 16.

Auxilia igitur, quæ *priori ſcopo* conveniunt, ſunt *evacuantia*, tam *interna*, quàm *externa*. *Interna* ſunt *purgantia diuretica*, & interdum quoque *diaphoretica*. *Externa* ſunt *paracenteſis*, *veſicatoria*, *eſcharotica, &c.*

Quoad PURGANTIA plura hic paſſim in uſu eſſe obſervantur. Selectiora ſaltem proponere eſt animus, quæ inter eſt *ſambucus* eique cognatus *Ebulus*; in ſpecie horum *cortex medianus*, ex quo expreſſus *ſuccus* cum *oximel. ſquillit.* propinatus inſigniter aquas evacuare ſolet. Sed *authore Foreſto lib.* 19. *obſerv.* 37. *in ſcholiis*, ſi *cortex* iſte ſurſum à ligno abradatur, vomitus concitat, ſin verò deorſum verſus per inferiora purgat, de quo experientia conſulenda. Præ cæteris appropriatum purgans eſt *radix ireos noſtratis* flore cæruleo. Purgat ſanè validè, ſed in ſapore ejuſdem acerrimo ſimul vim hydropicam alterativam ſpecificam latere exiſtimo. Uſurpari poteſt *radix recens* inciſa & ad ℥iij. *infuſa* in vino vel ſero lactis; vel exprimatur *ſuccus*, & per reſidentiam ſpontaneam depuretur, qui abjecto ſedimento à ʒvj. ad ℥j. propinatus copioſè evacuat aquas. Nam ſi decoquatur, vim laxandi amittit. Ne verò acrimonia ſua noceat, cum *ſyr. viol.* miſtus propinetur, ac ne ventriculum labefactet, cum *aqu. cinamom.* addita exhibetur; vel *radix recens* inciſa blandè ebulliat in juſculo pulli, de quo ægro, præſertim debiliori exiſtenti, tantùm propinetur ſucceſſivè, donec ſufficiens ſubſequatur evacuatio. *Gialappa* à ℈j. ad ʒß. propinata, aut etiam ejus *reſina* ad gr. xv. cum vitello ovorum diſſoluta, & in forma *emulſionis* propinata, aut *eſſentia* ejuſdem *citrata* ad ʒß. l. ʒvj. exhibeatur,

Vel ℞. Tart. vitriolat. gr. xij.
reſin. jalap. ℈ß. ad gr. xij.
Extr. troch. alh. gr. vj.
ol. deſtillat. macis gr. ij. M.

Gummi gutta & his accenſetur, ſed cautus ſit ejus uſus, tum quod incognita ſit ejus progenies, tum quod authore *Lindano* ab eodem facilè exulcerentur pulmones; quin potius palmam præripit *elaterium*, quò vix datur præſtantius remedium, cujus *eſſent.* item *extr.* feliciter exhibuit *B. D. Michael.* v. gr.

℞. Extr. Elater. g. xv. l. ℈j.
reſin. jalap. gr. ij. *aut ubi evacuandum, ſerum pituitoſius.*
Extr. troch. alhand. gr. j.
c. ſ. q. eſſ. abſinth. F. pilul. purgant.

Sanè *Lindanus* dicit: *Elaterium* per ſe eſt nobi-“ liſſimum remedium. Credo meum parentem hoc “ loco centum hydropicos ſervaſſe. Nempe præ-“ ſcripſit aliquando ruſtico gr. viij. *Elaterii* in pilulis,

qui

qui eas Pharmacopœo perſolvens, ſtatim deglutiit, Sed domum tendens motu illo pilulæ cœperunt operari, detrahenſque caligas in via, ventrem ſuum amiſit. *Radix brioniæ* purgans eſt *Helmontii* in hydrope, ſed correcta nonnihil; ac ſanè *bryonia* hæc tanquam evacuans & alterans ſingulariter convenit; in ſpecie in *hydrope uteri bryonia* hæc *radix* ſingulare quid obtinere videtur.

Ex regno minerali excellunt pilulæ lunares, nempe *cryſtalli* ex *luna* puriſſima cum *ſpirit. vitrioli* parati, ſapore amariſſimi, ſed mirabiliter aquam evacuantes. Præparandi rationem, cum omnibus enchiriſibus, optimè deſcripſit *Boyle in uſu Philoſ. experim. Cryſtall.* talium *gr. ij. vel. iij.* cum mica panis in *pilulas* redacti, aquam copioſam evacuare ſolent. Alias *& mercurialia* decātata ſunt in cura hydropiſeos; unde *mercurius dulcis* miſtus *cum mercurio vitæ*, per quam conveniens laxativum eſt. Miſturæ proportionem docet *Hartmannus in prax. chym. p. 25. edit. à Cardiluc. in 4.* Si quidem ſub bene factâ iſtâ miſcelâ acidum *mercurii dulcis* figit *mercurium vitæ*, ut evadat remedium maximam partem per inferiora purgans.

♃. Conſerv. flor. perſic. ʒj.
Mercur. vitæ cum mercur. dul. miſt. gr. xv.
Extr. Elat. gr. j. ad j.
c. ſ. q. ſyr. flor. perſic. l.
ſyr. de ſpina cervin. F Bolus pro doſ. j.

DIURETICA inter excellunt in ſpecie *juniperina*, cujus *rob.* ſimul egregium alterativum exiſtit, hinc *malvaticum juniperinum* miſtum c. *tinctura nephritica* egregiè prodeſt, v. g.

♃. Malvatic. juniperin. ℥iv.
tinct. nephritic. a. hujus loco
ſpir. carminat. ʒj. M. pro doſ. cochl. j.
vel ij. pro lubitu.

Sanè *decoctum lign. juniper.* longè magis appropriatum ſudoriferum exiſtimo, præſertim in Anaſarca, quàm *decoctum lign. Guajac. & ſaſſafr.* Unde & *decoctum bacc. juniper.* in vino generoſo experimentum eſt *Rulandi*, quo ipſo per ſudorem & urinam hydropem curavit. In ſpecie *alcalia* ſunt, quæ pro uſu diuretico hydropicis propinantur, & quidem in hydrope anaſarca magis *fixa*, in ea v. quæ ad aſcitem propius accedit, aut, in qua urina craſſa, intensè tincta & lixivialis apparet, *volatilia*. Fixa iſta ſunt *ſalia lixivialia*, *ſarmentorum vitium*, *juniper. geniſtæ*, *ſtiptit. fabar. abſinth. fimi columbini*, *&c.* Hæc ipſa diluuntur in vino, & ita ſub forma *lixivii* propinantur, v. g.

♃. Sal. Sarmentorum vitium.
fimi columbin.
juniper. an. ʒj. infunde in
vini Rhenani ℥vj. M. de quo hauriatur.

Sed adduntur interdum *aromata*, ut firmetur melius tonus ſtomachi.

Vel ♃. Ciner. geniſt. ad albedin. calcinat. ℥iv. ponantur in vaſe vitreo ad digeſtionem c. ℔ij. vini alb. per aliquot hor. Colentur. doſ. ℥vi. ad ℥vij. bis in die.

Pertinet huc *lixivium benedictum Mynſ.* ab ℥ij. ad ℥iij. pro cura hydropis uſitatum, vel quod fuit experimentum *D. Ellenbergeri.*

♃. Ciner. tamaris.
juniper.
vitis,
ſalicis
geniſt. an. Mj.
Rad. Vincetox.
valerian. an. ʒij.
urtic. ℥ß.
angelic.
helen. an. ʒij.
ireos noſtr. ʒij.
liquirit. ʒj
bacc. juniper. ℥ß.
rhabarb. elect. ʒij.

M. hiſce infundatur vinum, vel ana aquæ & aceti, & de colatura poſt infuſionem crebrius bibatur. Modo laudatus practicus *lixivio ex cineribus ſtipitum fabarum*, *&c.* vetulam curavit hydropicam, quæ poſtea 4. adhuc liberos peperit; in ſpecie *ſal juniper.* item *ſal betul. arboris* in vino malvatico per urinam hydropem pellunt. *Volatilia diuretica* ſunt in ſpecie ſalia volatilia, ut *ſpirit. nitr. ammoniac. tartari, carminativus*, *tinctura nephritica.* in ſpecie remedia ex *lumbricis & bufonibus* parata, &c. Quo & *ſpir. urinæ* per putrefactionem, ejuſque *ſal. volat.* benè rectificata pertinent, iſque multum laudatur à *Poppio*, ſpiritum hunc *volatilem urinæ* conjungit cum ana *ſpir. vin. rectif.* addito pauco *ambræ & moſchi* digerit, circulat & ita unit. doſ. ℈j. ad ʒß.

In primis *lumbricalia* ſunt optima; nempe l. *decoctum lumbricorum* in vino propinatur. l. *ſpir. lumbric.* per putrefactionem paratus in hauſtu vini malvatici, aut *malvatico juniperino.*

Vel ♃. Spir. lumbric. terreſt. ʒij.
urinæ volatil. ʒj.

M. D. ʒß. bis vel ter in die in hauſtu vini *decoctionis rad. fœnicul. & bacc. juniperini*, item *liquor lumbric. terreſtr.* in clibano paratus ad imitationem *in Baſilica chym.* egregius eſt ad hydropis curam. Ead. de *Aſellis* valent. In ſpecie *bufones* ſingulare quid obtinent in hydropis cura, nempe ♃. *bufones* q. v. exſicca in umbra, poſt exſcinde capita & exime inteſtina; quod reliquum, redige in *pulverem ſubtiliſſimum*, & de hoc vel ſolo, vel cum *pulvere hepatis* proprii miſto, dentur gr. x. ad xv. uſque ad ℈j. quæ potes dare 3. l. 4. vicibus. ita tamen, 3. vel 4. dies, poſt aſſumptiones, interponantur, ne debilitetur æger. Caſu inventum hoc remedii genus; ut in *Hildani* ac *Solenandri* ſcriptis poteſt videri. Aliàs & *bufones* vivi lumborum regioni applicati, per copioſum urinæ profluvium hydropem ſolvere dicuntur. Differentia hæc inter *alcalia* hæc *diuretica fixa & volatilia* probè obſervanda. *Conf. VVedel. in Pharm. pag. 150. & VVillis in pharm. rat. p. 1. p. 316. & 363.* Pertinent quoque huc *opercula cochlearum*, quorum bene depuratorum & pulveriſatorum mane & veſperi larga doſis in liquore convenienti propinetur, pellunt enim potenter per urinas. Alii c. *ſpirit. ſalis* ſolvunt hæc opercula, & hinc eodem modo atque cum *tinct. l. liquore nephritico* procedunt, & ita liquorem diureticum antihydropicum acquirunt. Juxta hæc *diuretica* interdum etiam procedendum eſt AD DIAPHORETICA & SUDORIFERA, præmiſſis nempe præmittendis, in ſpecie diureticis, & quidem conveniunt magis in hydrope *ad anaſarca* accedente, quàm in aſcite. Pro quo uſu quælibet etiam aliàs diaphoretica conveniunt: In ſpecie dicta *juniperina* ſupra laudata, *decoctum lignorum, decoctum milii, &c.* Occaſionem primam, ut aliàs, caſus ſuggeſſit. Refert nempe *Langius ſupra cit. ut & Lipſius de hydrope*, de ruſtico hydrope laborante, clibanum pictorium, adhuc calidum, ingrediente & mediante ſudore ita curato.

Forſan ET SALIVATIO MERCURIALIS *interdum* ceu fructu inſtitui poterit, de qua conf. *Grembſius Tract. Arbor integra & ruinoſa hominis l. 2.*
„ c. 1. §. 6. Aliqui, *inquit*, in curatione hydropicis
„ utuntur *mercurialibus* præmiſſo digeſtivo. ♃. Ma-
„ giſt. Tartar. Vitr. ʒiß. fæcul. bryon. ʒj. ſal. card. b.
„ geniſt. an. ʒß. mag. corall. ℈ij. M. pro 8. partibus,
„ poſtea porrigunt mercurii dul. gr. xv. gumm. ga-
„ mandi. gr. v. conſerv. roſ. ʒß. cum ſyr. roſ q. ſ. Do-
„ ſin poſtea tribus granis augent, uſque dum Saliva-

„ tio oris ſuperveniat. Hæc ſunt *interna* ſatisfacientia *indicationibus*.

EXTERNORUM uſum ipſa docuit natura, quæ nunc per ſpontaneam in umbilico abdominis tumidi apertionem, nunc per veſicas in cruribus excitatas, nunc foramine in pollice pedis ſponte aperto, ſucceſſivè collectam colluviem evacuando, hydropicos curavit. Ad hujus imitationem inſtituta fuit primitus *paracenteſis*, h.e. abdominis artificialis apertio, idque nunc veterum methodo, pertundendo abdomen per lancettam, imponendo hinc cannulam; nunc, idque melius, recentiorum methodo, per acum argenteam perforatam. Locus convenientiſſimus eſt umbilici dilatati prominentia, hinc à latere umbilici aliquot digitorum tranſverſorum latitudine, notando ſimul membranam peritonæi in hydrope valde craſſeſcere. *Vid. Barbett. Anat. pr.* Item: *Obſervationes cultro anatomico Lyſeri annexus pag.* 283. Emittenda autem venit aqu. ſucceſſivè. Nam ex ſubitanea ejuſdem extractione mors ſubinde ſequitur. *Vid. Timæus p.* 31. *℥vj. vij. vel ℥x.* pro virium ægri ratione, evacuentur. *Conf. Tulpius l.* 3. *obſer.* 38. *item l.* 4. *obſ.* 42. *Hild. cent.* 1. *obſ.* 47. *cent.* 2. *obſ.* 58. *Panarolus pentec.* 2. *obſ.* 17. & in genere quoſvis Chirurgos. Operatio hæc in ſe eſt tutiſſima, & quæ aliis remediis internis præſertim alterantibus ritè adhibendis optimè inſerviet, modo in tempore adhibeatur. Nam in duobus imprimis fallit caſibus. 1. *Quãdo nimis tardè adhibetur.* Sic enim fit, ut profundè radicato malo & corruptis plus minus viſceribus internis, ob præterlapſam occaſionem malum non cedat. Et ſanè magis in aſcite ceu hydrope abdominis particulari, quàm Anaſarca locum habet. 2. *Quando cum hydrope noſtro conjunctus eſt ſcirrhus*, l. aliud quid ſingulare, aut incurabile viſceris cujuſdam nobilioris vitium, tunc evacuata aqua, reſtitante tamen ſcaturigine, palliativum ſaltem eſt levamen.

Juxta abdomen *& ſcroti* nimis tumidi, ad naturæ imitationem, fit *apertio* vel ferro, l. cauterio, atque ſic optimè ſpongia admota, ſucceſſivè evacuatur aqua. Sed probè hîc obſervandum, ne, quod facile evenit, in loco aperturæ gangrænam concipiat. Labefactatur nempe partium membranoſarum continentium tonus & ſpir. inſiti vigor à contentâ colluvie, quæ magis per loca aperturæ jugiter deſtillans facilè mortificationem inferre poteſt. Hæc ipſa igitur ſedulò præcavenda, defendendo partem, circa locum apertum, non communibus ſaturninis ac ſimilibus remediis, defenſivis dictis, ad inflammationem aliàs uſitatis, ſed additis in ſpecie *balſamicis*, reſinoſis, amaris, ad gangrænæ curam aliàs uſitatis. Hinc *emplaſtro de minio Paracelſi* adaptatur *empl. diaſulphuris Rulandi* ceu præſervativum gangrænam inhibens. Interim tamen ſi gangræna ſcroti invaleſcat, fit ſubinde, ut penitus decidat, ſed ſuccreſcente carne, teſtes involvente, defectus ejus ſponte naturæ reſarcitur. *Vid. Timæus in Caſ. p.* 269. Id quod pariter & in lue venerea, poſt ſcroti ſphacelum, evenire obſervavi.

Poſt ſcrotum *& crura* ſubinde ſcarificari ſolent; nempe circa loca carnoſa & circa ſuras inſtituendo ſcarificationem lenem, ita ut inciſiones à ſe invicem aliquantiſper diſtent, *defenſiva* ſupra & infra admovendo. Promptè enim levi facta cutis læſione, copioſum ſerum tranſudat, linteolo molli citra frictionem abſtergendum, vel appoſita ſpongia excipiendum, ac præterea loca vicina propter facilem gangrænæ metum, defendenda, nempe fovendo ſubinde cum *ſpirit. vini ſimplici, aut theriacali aut crocato*, & imponenda deſuper *empl. balſamica defenſiva*. Quin & ne vulnuſcula gangrænam concipiant, ſpir. vini *camphorato* ſubinde eluenda ſunt.

Præterea veſicæ ſpontaneæ ſubinde in cruribus ſe aperiunt, quibus diſruptis multa aqu. evacuatur, unde iiſdem *folium braſſicæ* eſt applicandum, utpote quod multum ſeri extrahit. Ad hujus imitationem quidam *veſicatoria* locis crurum carnoſis applicant, nempe vel prope ſuras, vel in parte carnoſa femorum. His enim apertis copioſa colluvies evacuatur, & loca iſta carnoſa minus facilè gangrænam concipiunt, quam nervoſa.

Cæterum quoniam confertim nimis per veſicatoria fit evacuatio & majus de gangræna periculum, potius *eſcharotica* ſeu *cauteria* vel *actualia* vel *potentialia* circa loca carnoſa applicant. His ipſis enim ſucceſſivè per parvum foramen, cum minori gangrenæ metu fit evacuatio. *Modum applicandi cauteria* unà cum defenſione crurum à gangræna, optimè refert *VVillis Pharm. rat. p.* 2. Nempe fotus aromaticus partem confortat debilem, cujus robur per balſamicam vim *picis Burgundiacæ* conſervatur, ſicque gangrænæ metus optimè præcavetur. Quin & *punctura cum acubus*, ob evacuandas aquas, optimè inſtitui poſſunt. *Vid. VVillis cit. loc.* Hiſce denique accedit profundior paululum unguium abſciſſio. Hâc enim occaſione ſucceſſivè aqu. deſtillans, hydropicos deſerit. *Vid. Schench. in obſer.*

His modis *primæ indicationi* ſatisfieri ſolet.

Quoad ſecundam indicationem, in uſu ſunt ALTERANTIA in genere ſic dicta, varianda quidem ſubinde pro cauſarum remotarum differentiis: Quæ tamen ordinariò fere locum habent, ſunt imprimis *martialia & amara*, aliàs *epatica & aperientia*, calefacientia dicta, quæ inter excellit *abſinthium*, adeò ut exiſtimem, potiſſimam hydropis curandi vim ſitam eſſe in *mart. & abſinthio.* Juxta hæc ſunt & *vincetoxicum, chelidonium majus, rhab. marrub. rubia tinctorum, allium, hedera terreſtr. Bellis minor, rob. junip. & ſambuc, Tartarea* quævis, *lap. ceraun.* ſeu *fulminaris*; quæ omnia eò nobilioris ſunt effectus, quo ipſorum uſu, ſed additorum aliorum ratione, copioſior urinæ fluxus ſupervenit. Hinc quælibet *martialia aperitiva, pulveres & extracta anticachectica*, præſertim cum *Tart.* præparata aut ſociata, ſunt convenientiſſima, iiſdem temporibus cum aliis alterantibus uſurpanda, quibus à purgantibus vacamus. Sic vinum *martiale hydropicum Cnophelii vid. in M. A. N. C. ann.* 6. *app. pag.* 107. Ubi ſimul integra hydropis cura tam per interna, quam per externa reperitur. Quo referenda quoque cura hydropis, quæ recenſetur in *Act. Haffn. vol.* 5. *obſ.* 119. his verbis: Salvis aliquo modo viſceribus & vaſis lymphaticis incorruptis, medela dabitur, non purgantibus, non ſudoriferis, non diureticis, quod fiet raro, (loquor enim de hydrope confirmato) non paracenteſi, quæ ultimam plerumque abſolvit lineam, vix centeſimo ſalutaris; ſed medicamentis exſiccantibus & diæta. Inter *exſiccantia* medicamenta laudem præ cæteris habet *chalybs*, ut ſæpius Deo benedicente expertus ſum, qui & aperiendi & viſcera roborandi vi pollet inſigni: *Limatura* in vino Canarienſi ſeu Rhenano ſeu Gallico cum *Zedoariæ rad.* infuſa, ubi tinctura ſenſim extrahitur, & ab eſſentia chalybis vinum fere inſipidum redditur. Formula hujus medicamenti talis mihi in uſu eſt. ℞. Limaturæ chalybis recentis ℥j. M. & innuantur ſacculo ex ſindone alba. S. *Sack. lein ju einer Pote Mein.* Hujus vini chalybeati manè & veſperi recipiuntur tria aut quatuor cochlearia, & fiat continuatio ad 4. aut plures ſeptimanas, ſenſim affundendo vini aliquid (prout tinctura ex chalybe efficacior appareat) uſque dum mitigetur malum, & ſanitatis ſpes affulgeat, obſervata diæta conveniente. *Abſinthium* nobiliſſimum ſimplex, cujus ſolius uſu plures hydropici curati fuerunt Vid. *Febrius de Abſinth. pag.* 116. *Vincetoxicum* à pluribus decantatum ſpecificum eſt, cujus *decoctum* per ſudorem & urinam ſpecificè hydropicis confert. Huc pertinet *deſtillatum Paracelſi*, quod ad ejus imitationem multi autores uſurparunt, & commendant.

℞. Tart.

℞. Tart. rubr. ℔. j.
hirundinar. ℔. ß.
colcothar. ℥viij.
vini ard. q. ſ. pro incorporatione, deſtillentur & dentur in vehiculo quodam appropriato, aut in vino malvatico. Pellit urinam & alterat ſpecifice, continuato tamen uſu opus eſt, cum poſt aliquot dies ſaltem operari ſoleat.

Rhabarbarum alterans quoque ſpecificum ad hydropem, ita ut exiſtimem Electuario facto ex *Rob juniperi* cum *rhabarb.* multùm præſtari poſſe in hydrope. Confirmat *Riverius in Obſ. Comm.* dum refert, poſt vomitum ſanguinis ortum aſcitem, per *infuſionem rhabarb.* pro potu ordinario curatum. *Chelidonium maj.* item *Marrubium* ſpecifica ſunt ad Hydropem, præſertim ſi icterum inſequatur. *Allium* quoque vi alterativa & diuretica hydropicis multum confert. Præter n. exemplum *Bartholini cent.*1. *hyſt.*74 hydropici per *decoctum allii* in lacte curati; facit huc quod refert *Foreſt l.*19. *obſ.*27. Hydropicum aliis irritis continuata *allii* commeſtione multum aquoſitatis per urinam reddendo, inſperato evaſiſſe: Sicut & mulier hydropica deplorata, potu *ſucci allii viridis* expreſſi cum jure vervecis curata, ut & alii.

De hedera terreſtri aliquot nova Exempla: Eſt vir maximè ad Anaſarcam proclivis, & cujus crura jam aliquoties inſigniter tumefacta, copioſum ſerum per aperta ulcuſcula emiſere; hic per *decoctum hederæ terreſtr. & abſinth.* ana in cereviſia ſecundaria quotidie aliquoties calide bibitum, hactenus pancraticè vixit, ſiquidem ſemper copioſum urinæ fluxum provocavit; ſicut ſimul quoque *abſinthii* familiaris erat uſus. Quoad *hed.* vero *terreſtr.* notabile eſt ſeq. Mulier quædam deſperato hydrope laborans, & à Medicis relicta, uſu *ſucci rad. ireos in vino malvatico* hauſti & interno & externo uſu *herb. hederæ terr.* convaluit; nempe aniculæ ſuaſu extra *hederam terr.* locis tumentibus impoſuit, unde notabiliter tumorem remittere obſervavit. Quo ipſo animata & ipſam herbam in aq. vel cereviſia decoctam calidè & copioſè hauſit, & tali hujus uſu cum *ſucco ireos* interdum repetito, convaluit.

Rob Iuniperi & Sambuci vi alterativa bilis & ſanguinis, diuretica ac diaphoretica multum valent in hydropicis, adeoque pro corpore electuariorum, familiarum formularum commode inſervire poſſunt. Ex *Tartaro*, *Tinct. Tart. acris*, *terr. fol. Tartari*, *Tinct. mars. Tartariſata Ludovic. Tinct. Vitriol. mars. Zuvelfferi*, *ſpiritus Tart. probe rectif.* ac ſimilia, *ſal. Tart.* &c. polychreſta ſunt, & tanquam digeſtiva purgantibus præmittenda, optimè conveniunt. Quoad *Ceraunium* præparatum, hunc ipſum cum aqua quadam appropriata in alcohol redact. part. iiij. cum *exuviis ſerpentum* part. 1. invicem miſtis dant *ſpecificum ad Hydropem & icterum. D. Hartm. & B. D. Michaelis*, qui his ipſis crebro uſi fuerunt.

Ex quibus variæ poſſunt fieri formulæ. v. g. In hydrope à vulnere hepatis, quo totum corpus valde intumuit, hic nodulus profuit:

℞. Rad. ireos N. ℥ij.
cich.
fœnic. aa. ℥j.
Herb. cham.
fum.
agrim.
cap. vener.
hep. aa. mß.
Flor. acat.
perſic. aa. ℈iß.
Spec. aperit.
Fol. ſen. SS. aa. ʒvj.
Rhab. ʒiß.
Turp. alb.
galang. aa. ℈ij.
cort. aur. ʒß.
ſal. Tart. ℈j. Inciſ. & contuſ. F. nod. inf. Vino; bibens quotidie reſtitutus eſt. *M. A. N. C. Ann. 6. p.* 143.

℞. Rad. vincetox. ℥iß.
Herb. chelidon. maj.
marrub.
abſinth. aa. Mj.
Cort. citri.
aurant. aa. ʒvj.
Sem. fraxini.
fœniculi an. ʒiij.
Galang.
caryophyll.
Zingib. aa. ʒj.
Sal. Tart. ʒvj. Inciſ. & contuſ. infund. vino, pro repetitis pro lubitu hauſtibus. Idem facile poteſt fieri purgans, addendo rad. rhabarb. hellebori nigri. Eſulæ non præp. &c.

Vir quidam hydropicus ſequenti nodulo fuit curatus, quem mirè per urinam evacuare dicebat:

℞. Rad. cichor. ℥iij.
gramin. ℥ij.
gentian.
helen.
Cort. capp. an. ℥j.
lign. ſaſſafr. ℈ij.
Comar. abſinth. vulg.
pontic.
Flor. card. bened.
ſummit. cent. min. an. p. j.
flaved. cort. citr. ℥ij.
Ex inciſ. fiat nodulus, cui affundatur dimidia menſura Vini malvat. ſeu alius Hiſpanic. ſtent in loco tepid. p. diem & noctem. Hinc bibatur manè hauſtulus unus, hor. j. ante uſum juſculi; continuentur autem tales potiones neceſſe eſt aliquandiu. Omni ſeptimana ſimul bis *clyſma emolliens & carminans* applicatum fuit, & ſimul *ſacculus ex aromaticis & carminantibus* in aqu. vel vino coctis, abdomini & ſcroto impoſitus fuit. Item:

℞. Rob Junip. ℥iß.
Extr. martis c. ſucco pom. ℥ß. l. ʒvj.
pulv. rhabarb. elect. ʒij. l. iij.
c. ſ. q. aq. cinnamom. F. elect.
It. ℞. Spirit. carminat. de tribus ʒß.
ſal. ammoniac. ſimpl. ʒij. M. doſ. ʒß.
aliquoties in die in vehic. conven.
It. ℞. ſalis fimi colum. ʒj.
pulv. bufon. ℈ij. M. divid. in 2. part. æq.
It. Fiat *vinum chalybeatum*, ad imit. *Hartm.* ubi de Cachexiis, in quo coq. *abſinth. Rubia tinct. card. bened. &c.* quod commodè pro potu ordinario uſurpari poteſt.

Aliàs quo magis abſtemii ſunt à potu hydropici, eò facilius curantur: Siquidem plura proſtant exempla hydropicorum ſolâ potus abſtinentia curatorum. Eſt enim unum ex graviſſimis *ſymptomatibus* hydropicis *ſitis clamoſa*, ad quam fallendam *grana maſtiches* in ore tenenda & ſedulo maſticanda. Vel imitemur Rulandum, qui ℞. bacc. junip. contus. Miij. decoq. in ſero lactis ℔. vj. propinat pro potu. *Nitrum* optimè purificatum continuo in ore detentum, proficuum eſt hydropicis, aut etiam potui eorundem cuique additum, ſitim temperat, urinam ciet & optimè iiſdem confert: Item: *Decoctum ex rad. liquirit. c. paſſulis &* ſimilibus temperando acre ſalſum, ſitim excitans, hanc mitigat. *Vinum ſeu ſuccus granatorum* aut Julepus cum ſucco granatorum temperatus, non immerito ab *Hartmanno* commendatur, *l. ſpirit. ſalis* parva in doſi ſubinde propinatus, ad ſitim egregius, ſimul diureticus.

Præter hæc interna etiam *clyſmata* multis uſibus hydropicis inſerviunt, præſertim cum pectoris ac

capitis urgent ſymptomata. v. g.
℞. Cortic. inter. frangul.
ſambuc. an. Mj.
rad. bryon. ℥j.
ireos noſtr. ʒvj.
baccar. junip. ℥ß.
ſem. cumin.
fœnicul. an. ʒij.
coq. in ſ. q. urinæ puerorum l. ſeri lactis.
Colaturæ ℞. ℔ij. in qua diſſolve.
Elect. hier. picr. c. agar. ℥ß.
vitell. ovorum. N. ij.
M. F. Clyſma pro 2. doſibus.

Sanè *clyſmata ex urin. pueri* in hydropicis perquàm ſunt egregia, idque in ſpecie, ubi flatus ſimul adfuerint. *Vid. Valeriol. l. 1. obſ. 2. M. A. N. C. anno 2. pag.* 320. quorum ad imitationem.
℞. Sem. Apii.
fœnic. an. ʒiij.
fermenti communis. ℥ß.
coq. in ſ. q. urin. pueri. Colaturæ adde
mellis deſpumat. ℥ß.
ol. deſtill. terebinth. ℈ß. M. pro clyſm.

Non immeritò terebinthina hic allegatur, cum clyſteres ex urinâ pueri c. terebinth. admodum laudentur à *VVilliſio Pharm. rat. part. 2. pag. 318. 321.*

Abdomini verò, ut & ſcroto tumefacto, vel labiis vulvæ nimis tumentibus varia *externa* applicanda. In leviori malo *herba chelidon. maj.* aut etiam *Geran. Robertian.* contuſa & plantis pedum alligata, ſingulari enim experimento multas ſeroſitates elicere dicuntur. *Petroſelinum recens* contuſum & ſcroto applicatum, etiam conducere obſervatum. In genere vel *aromatica attenuantia & diſcutientia*, vel *ſalina reſolventia* proficua ſunt. Parantur ferè ex *foliis ſambuc. ebul. chamom. fel lauri, rad. cucum. aſinin. bryon. abſinth. bacc. laur. & junip. ſem. carminat. & ſimilibus.* Omnium optima ſunt animalium *ſtercora*, in ſpecie *caprillum*, hinc *columbinum*. Nam *ſtercus humanum* quidem aliâs præferunt, ſed applicatum nimis ferit nares. Sanè *ſtercus caprillum c. urin. propria* ſubactum & catapl. inſtar abdomini inſtratum conducit. Hiſce ſuccedit aqu. *Calc. viv.* ſingularis in tumoribus ſeroſis, ſi ſpongia hac ipſa ebria abdomini applicetur; cum aqua præterea in Cataplaſmatis formam coqui & ita imponi poſſunt ſeqq.
℞. Fol. ſambuci.
flor. chamom. an. Mij.
ſtercor. caprill. ℔. iß. l. ℔. ij.
rad. bryon. ℥ij. coq. in ſ. q. aqu. vel urin. puer. ad conſiſt. Catapl. applicetur. abdomini.

Singulare quid obtinens *cochleæ c. ſuis teſtis* contuſæ, & verum hydropicorum ad modum Cataplaſmatis applicatæ: Quæ ſi ſiccæ fuerint, aliæ rurſus imponendæ. Singulariter conveniunt, tam in abdominis, quam teſtium tumore. Hinc plures *Catapl. ex cochleis c. teſtis contuſis* adſperſo *pulvere ſtercoris caprilli* & ſem. carvi ceu efficaciſſimum commendant Autores.
℞. Flor. chamom. Mij.
farin. fabar. ʒvj.
cochlear. cum teſtis contuſ. ℥iiij.
ſtercor. caprill. ʒij.
pulv. ſem. cumin. vel carvi ℥j. coq. in aqu. ſimpl. & aceto ana, aut etiam in aq. com. & applicentur pedibus, l. ſcroto tumenti.
Item ℞. Bacc. junip. part. iiij.
laur. part. ij. pulveriſata & melle excepta inſternantur abdomini; cujus loco Cataplaſma *ex fol. rutæ & abſinth. an. c. melle* ſubactis abdomini applicari poteſt.

Aliàs etiam locum invenit inunctio partium tumentium *c. ſpir. junip.* addendo parum *oleo carvi.* Alii *olea bufon. ſcorpion. junip. laurin.* ana, ſimiliter abdomini illiniunt.

Vel ℞. Ung. de arthanit. ℥j.
agripp.
dialth. an. ℥ß.
ol. ſcorpion. ſimpl. ʒij.
chamæm.
anethin. an. ℥ß. M. F. Ung. crebro tepide abdomini illinendum.

Quod ſi gangræna aut ulcera pedum vel ſcroti in hydropicis adſint, topica pro his ſelecta, vid. *in M. A. N. C. Ann. 6. App. pag.* 110.

De curis magneticis ad hydropem uſitatis, nempe dum veſica ſuilla urinâ ægri impletur, in fumo ſuſpendenda; vel dum ſanguis ægri putamini ovi includitur, &c. nil attinet dicere. Item, dum raſura unguium, manuum ac pedum cum ſindone rubra cancr. vivo in dorſo alligantur, & ita in aquam fluentem projiciuntur.

Aliquando in Anaſarca una cum aliis proficuum obſervavi ſequens decoctum.
℞. Rad. bryon. rec. ℥j.
aſari. ℥ß.
Sal. Tart. ʒiij. infund. in ſ. q.
aq. ſimpl. ſtent in loco tepid. per noct. manè adde
rad. vincetox. ʒvj.
comar. abſinth. Mj.
flor. bellid. Mß.
bacc. juniper. ʒiij.
Inciſ. & contuſ. infundantur & confundantur ſimul in aq. ſimpl.
Colatur. ℞. ℥xv. ad ℔. 1. ß. adde
Spirit. ſal. ammoniac.
Tinct. nephritic. an. ʒij.
Syr. de hyſop. ʒiij. M. de quo capiat ter in die bonum hauſtum.

Externa ut *veſicatoria*, *eſcharotica*, acuum puncturas, &c. pro Anaſarcæ cura, *vid. in VVillis Pharm. rat. P. 2. pag. 269. ſeq.*

Hæc de *Anaſarca*, *Cachexia & Hydrope.* Pergo ad alia vitia Nutritionis læſæ: & quidem ubi pallido colore ſuffuſum corpus vocatur Cachexia, ita ſi idem vel flaveſcat, vel nigreſcat, vel virideſcat, vel plumbeo ſit colore, vocatur in genere.

ICTERUS ſeu *CACHEXIA ICTERICA.*

Icterus ſeu Cachexia icterica.

Cujus tot ſunt Species, *quot colorum*, quibus corpus ſubinde tingitur, *varietates. Omnes tamen unus ſunt morbus*, *unam* agnoſcunt *cauſam*, *unamque* etiam eamdemque *medendi obtinent Methodum*: uti rectè inquit FABER *in Pathologia cap.* 344. §. 6.

Id quod confirmat Exemplum SCHENCK. *lib. 6. obſ. pag.* 423. qui obſervat Icterum prodigioſum cum Menſium obſtructione, in quo colores 4. ſucceſſivè fuerunt obſervati.

Sic *præter Icterum flavum vel nigrum* obſervavit etiam *Icterum viridem* cum graviſſimis Symptomatis *Petrus Iohannes* FABER, *in curationibus cur.* 71.

Item *colores plumbei* & alii ſimiles admodum varii, qui tamen omnes ex uno oriuntur fonte: *Omnes* ſcilicet ſequuntur *vitiatam Hæmatoſin*, ſeu deficientem ſanguificationem, & inſigniter vitiatam *Craſin maſſ. ſang.* Si enim hæc ipſa tandem ad debitum puritatis ſtatum redigatur, tunc curatis morbis ſanitas effloreſcit: Sin verò hæc ipſa tandem omninò in ſua Craſi depravetur, mors neceſſario ſequitur.

In intermedio ſtatu ſunt in morbi Icterici, uti eſt ſtatus neutralitatis, ſive ad convaleſcentiam ſeu decidentiam.

Vulgò omnis Icterus dividitur *in flavum*, & *nigrum*: Sed hoc tantùm ex præconcepta Hypotheſi de humorum nempe quaternione, ut ſicut ſanguis corpori habitum

bitum floridum & ſuaviter rubicundum. Pituita verò Cachecticum, ita neceſſariò *Bilis Icterum flavum*, *Melancholia* verò iſta fictitia Icterum *nigrum* inducat.

Hoc *præſuppoſitum falſum* præter alias quas dedit turbas: tanquam antecedens falſum etiam conſequentia falſa introduxit.

Nam quia Bilis in folliculo felleo ex hepate ceu excrementum colligitur. Ergò *folliculo* hoc *obſtructo & hepate* affecto omnes *Icteros flavos* oriri voluerunt; quoniam nempe uti dixi bilis tanquam excrementum per hepar tranſcolandum non ritè per vaſa Cholidocha expurgatur.

Porrò quoniam Lien ſtatutum fuit burſa in qua colligitur excrementum melancholicum, à quo dicatur & præſupponitur oriri Icterum nigrum, ob id neceſſario dictum fuit quòd *in Liene ſit ſedes Icteri nigri*, quod nempe hic ipſe non ſufficienter ſeparet ac expurget ſcorias ſic dictas melancholicas quin potius hæ ipſæ in maſſ. ſang. congeſtæ ab ejus facultate expultrice tanquam à vetula furioſe ad habitum corporis deponatur & detrudatur.

Ex his recenſitis facilè patet quid de tota hac Doctrina ſentiendum ſit.

Nam *ſæpius oriri Icterum* in ſpecie *flavum citra impeditum Bilis motum ad Inteſtina aut citra ſufficientem ſecretionem ex hepate* ex eo quia multi ſunt Icteri flavi in quibus tamen alvus non tantùm aperta. Sed etiam fæces flavo ordinario colore tinctæ conſpiciuntur.

Sic obſervat RIVER: *cent.2. obſer.9.* icterum in gravida ex nimia Ira,in qua fœces alvinæ erant flavæ, & ipſum corpus in lecto exiguam, extra lectum verò intenſam patiebatur flavedinem. Item tales Icteri in quibus fœces alvinæ colore ordinario à bile tinctæ, ſunt ut plurimum ii (non ſemper) qui ſuperveniunt ordinario Febribus: qui Icterus, ſuperveniens febribus eſt frequentiſſimus & ſæpiſſimus in Febribus intermittentibus Chronicis in declinatione morbi: Quin in Continuis citra imaginariam hepatis & folliculi fellei noxam non rarò ſupervenit Icterus ſive ſymptomaticè ſive Criticè in quibus nulla labes hepaticis conſpicitur & alvi excrementa ſunt flava.

Icterum lethalem à manducatione ſtaphiſagriæ notat *Loſſius in obſer. p. 259.* Vel denique quum affectus convulſivos inteſtinorum, præſertim tenuium ſequitur. Sic à partu laborioſo ſubinde obſervatur ſuperveniens icterus, paſſioni hyſtericæ quoque ſæpius in muliere quadam ſupervenire vidi; colicis torminibus ſubinde icterus ſupervenit. Quo pertinet, quod refert *Bartholinus cent.5. hiſt. 62.* Icterum provocatum per medicamentum ſudoriferum in colica aſſumptum. Sic icterum vulnerato capiti ſupervenientem die quarto notat *Hochſtetterus Decad. 8. pag. 198.* Nempe ſicuti vulneribus capitis gravioribus tertia die aut etiam quarta vomitus bilioſus ſupervenire ſolet, ita & conſenſus iſtius ratione etiam icterus, nempe ſecundarius.

Deinde notum eſt quod *poſt Animalium Venenatorum morſum*, aut etiam *poſt nonnulla venena aſſumpta* Icterici fiant ægri. Exempla nonnulla curioſa refert MARCELLUS DONATUS *in hiſtor. medic. mirabilib. lib. 1. cap.7.*

Et *poſt morſum aranearum* Icterum flavum obſervavit JOEL. *in praxi de Venenis p.126.*

Ex viperæ morſu ſuboriri ordinariò ferè Icterum jam veteres annotarunt. Sicut Z. LUSITANUS *lib. 5. medic. princip. hiſtor.29.* refert.

Sic *à morſu Canis rabidi* Icterum contumaciſſimum obſervavit BARTHOLINUS *cent.3. hiſt.4.*

Quoad *icterum primarium.*

CAUSÆ REMOTÆ SUNT VARIÆ:

Non ultimum locum obtinet triſtitia, quæ nunc inchoat, nunc fovet icterum, teſte HELMONT. *Tr. Sextuplex digeſt.* §. 56. Sic icterum curatum, à triſti nuntio recidivantem referunt *Acta medic.* HAFFN. *vol.3. p.82.* Iracundia etiam non rarò icterum provocat; nempe RIVER. *cent.2. obſ.9.* Icterum mirandum in gravida ex irâ refert, in qua fæces alvi erant bilioſæ & in lecto exiguam, extra illam intenſam patiebatur flavedinem. Obſtructiones ductus communis ſubinde in ictericis obſervatæ fuerunt. Ante aliquot annos hîc vixit quidam, qui pertinaciſſima alvi obſtructione cum colica intenſiſſima afflictabatur, cui icterus & febris continua, ſuperveniebant, hique lethales: Ab obitu diſſectione facta, adverterunt fellis veſiculam grandem & confertiſſimam, infimumque porum viſcida pituita penitus obſtructum, adeo ut poſt abſciſſionem hujus ductus bilarii ne gutta quidē bilis proflueret, quia bilis contenta craſſiſſima atque tenaciſſima erat. Ac ſane in pluribus ictericis vel bilis viſcida, amurcæ ſimilis, vel calculi plures, vel pauciores, majores vel minores in cyſti inventi fuerunt. *vid. act. medic.* HAFFN. *vol.3. p.59. Panarolus pentec.5. obſ.22. Deodatus in Valetud.p.250.* refert icterum lethalem cum pruriginoſa laſſitudine & vagis hic inde erumpentibus tuberculis: In cadavere 3 lapilli in veſicâ felleâ reperti fuerunt; pariter ac *Timæus in Caſ.* Ictericiam poſt arthritidem diuturnam, ſuperveniente hydrope lethalem, ex calculo magno in veſicâ felleâ, notat. Ac ſanè ad icterum proni ſunt calculoſi, ut obſervationes Practicorum teſtantur. *Vid. Miſc. A. N. C. Dec. 1. An. 2.* Non tamen hoc univerſale eſt, quin ſæpiſſimè in ictericis folliculum felleum aut ductus bilarios apertos eſſe; non ſaltim docet debita tinctorum excrementorum excretio, ſed etiam ſæpius in ictericis lethalibus diſſectis, ductus fellei aperti fuerunt, teſte HELMONT. *cit. loc.* Sicuti in febricantium ictero nulla hepatis aut ductuum bilariorum obſtructorum ſuſpicio adeſſe poteſt.

In his ipſis icteris aliud quidquàm vel hepatis obſtructionem, aut pori Cholidochi infarctionem ſubeſſe cuilibet facilè patet. Sæpiſſimè & frequentiſſimè ſunt *lapides in cyſtide fellea*, quos lapides *ordinariò* ferè, *non verò ſemper* ſequitur icterus: Hi ipſi lapides inferunt icterum citra obſtructionem: hærent enim ſæpiſſimè in fundo folliculi fellis qui deorſum vergit, ita ut meatus Ciſticus ſatis per ſe ſit patulus, & per eundem bilis ingreſſus & egreſſus ab his non impediatur.

Quæſtio ergò eſt, quomodo poſſint inferre icterum ſi præſupponatur illum oriri ab obſtructione pori cholidochi?

Verùm non ſemper ſequitur icterus hos lapides: Memini enim ante 5. vel 6. annos hic diſſectam fuiſſe mulierem capite mulctatam quæ in folliculo fellis copioſos lapides majores & minores continebat; nunquam tamen ictericum quid paſſa erat neque ullum ſignum icteri aderat: Econtra memini eodem tempore ferè nos diſſecuiſſe corpus maſculinum quod principium habebat Anaſarcæ, erat enim ſubtumidum,aperta cuticula cum cultello copioſum ſerum effluebat in hujus folliculo fellis vel guttula quidem bilis inveniebatur qui vel maxime debuiſſet eſſe icterus ſi vera eſſet communis Hypotheſis. Sic per literas mihi nuperrimè, communicatum fuit ab amico in Univerſitate Batav. Lugdun, quendam Medicinæ Candidatum ante 3.menſes Cani totum exſecuiſſe folliculum felleum & abdomen denuo conſuiſſe, qui ipſe adhuc vivens omnes operationes perficit ſine omni incommodo:

Egregium experimentum, quod adhuc poteſt dare occaſionem meditandi ulterius de uſu folliculi fellis: Sed moneo, porus cholidochus & reliqui fuerunt adhuc ſani & integri.

Deinde refert AMATUS *Luſitanus* obortum *icterum flavum ex occluſo ulcere inveterato in Tibiis cent.1. cur.83.* Ubi certè aliud quid neceſſum eſt ſubſit quàm ſolus defectus excretionis bilis. It. ex menſibus inſtantibus,

tibus

tibus, ſed non prodeuntibus idem pathema notat *Bartholinus cent. 5. diſt. 62.* Sicuti HENR. *ab* HEER *obſ. 6.* monialem ictericam ac cachecticam ex menſium ſuppreſſione obſervavit. Vulnus ſclopeti, ventriculum perforans, icterum produxit *vid.* BARTHOL. *cent. 6. hiſt. 58.* Denique & hepar induratum, aut inflammatum, aut ſcirrho obductum crebrò icterus ſolet inſequi.

Denique *ſi à copia & abundantiâ Bilis* propter defectum excretionis orirerur *icterus*, ſequeretur eundem debere curari per medicamenta bilem præcipitantia & corrigentia ut acida: Contrarium, tamen teſtatur Praxis, cum potius ſalina volat. acria & inſigniter amara in cura icteri primatum obtineant, quæ potius bilem augmentant & acriorem reddunt, quam quod imminuant, corrigant.

Tandem poſito bilem regurgitare ex folliculo felleo in maſſ. ſang. quis unquam perſuadebit eam corpus poſſe colorare adeò flavo, cum ea in centro ſuo elegantiſſimum abſconditum habeat ruborem cum ejus oleum ſit rubicundiſſimum, quo ipſo ſimiliter tingit Chylum, licet inſenſibiliter in inteſtinis ut exaltetur promptius in ſanguinem. Potius ergò exaltabit ſanguinis colorem rubrum quam quod flavedine eundem conſpurcat.

Denique *icterum nigrum non oriri ex obſtructione vel ex affecto Liene* patet inter alia ex eo, quod obſervatus ſit icterus niger in quo excrementa alvi omnino alba apparuerunt in quo potius bilis defectus quàm Lienis ſubeſſe videtur: Hoc exemplum ſubminiſtrat PLATERUS *lib. 3. obſer. pag. 575.* Hinc etiam rectè dicit LINDANUS ſe in Friſia multos curaſſe ſcirrhos ac ſimiles tumores duros lienis. in quibus tamen nunquam vel minimum obſervaſſet icteri nigri veſtigium.

Et certum eſt in Hollandia tales ſcirrhi & tumores ſunt frequentiſſimi non tamen icterus obſervatur niger, adeò ut Lien ſit inſons. Imò teſtatur SYLVIUS ſe multos diſſecaſſe etiam ictericos, in quibus Lien fuerit accuſatus & tamen hoc viſcus ſemper ſanum & vegetum inveniſſe.

Ut ergò propius adſcopum accedamus præſuppono *ſecretionem fœcum alvinarum in inteſtinis*, quod nempe fiat *per concurſum bilis & ſucci Pancreatici* qui duo ſucci per modum præcipitationis ſeparant à nutritio Chymo alvi excrementa & ſimul certo modo alterant chylum ad futuram promptiorem ſanguificationem.

Si rectè fiat hæc ſecretio, viget corpus dum utilis Chymus ſuggeritur maſſ. ſang. per quem eadem in continua flore conſervatur, cæteris tamen paribus.

Sin verò hæc ipſa ſecretio vitietur neceſſario maſſa ſanguinea variis excrementis onerabitur, quæ ipſæ particulæ excrementitiæ variis ſalibus imprægnata minus erunt unibiles cum toto liquore. Unde neceſſariò ſanguinis miſtura ejuſque craſis vitiabitur & in varias ac inſignes diſcraſias eadem degenerabit pro varietate læſæ ſeparationis fæcum à chylo & hinc natorum variorum excrementorum ſanguini permiſtorum. De vitiis ſecretionis & ſeparationis Chyli à fœcibus ſuperius dixi.

Jam verò ut Bilis ceu liquor Balſamicus naturaliter in Inteſtinis tingit Chylum (utut inviſibiliter propter acidum Pancreatis) ſulphure ſuo rubicundo ut promptius ſanguificari poſſit, & juxta hanc Tincturam ſanguinis ſimul chylum balſamico ſuo ſulphure tingit & præſervat quo minus corruptioni, verminationi, & putredini ſubſit, & tertiò cum ſucco Pancreatico eadem conjunctim chylum utilem ſeparat ab excrementis alvinis neceſſe erit ut his duobus ſuccis vitiatis in ſpecie bile inſigniter depravata excrementa heterogenea & copioſa in ſanguineam maſſam colligantur, & dum vitioſè à bile, depravata ſunt tincta exinde etiam maſſa ſanguinea varios colores acquirat, idque varietate concretionum, præcipitationum, ac ſeparationum cum & à particulis maſſ. ſang. componentibus quæ particulæ variæ tinctæ tandem ſepoſita in habitum corporis totum corpus inficiunt.

Hæc ut fiant magis clara conſulendus abſolutus *Tractat.* BOYLE *de Coloribus* in quo apertiſſimis experimentis demonſtrat, quod modo pervarias præcipitationes per ſalia modò acida modò urinoſa factus inſigniter ac in momento colores poſſint mutari, ſcilicet liquorum iſtorum in quibus fiunt variæ præcipitationes. Unde ſimili ratione Chylus excrementitius ſanguini permiſtus dum vitioſe à bile urinoſa & ſucco Pancreatico acido eſt alteratus neceſſariò maſſ. ſang. corrumpit & variis præcipitationibus & ſeparationibus demum iſtos colores & Tincturas acquirit.

Hoc ut clarius pareat & propius conſulendus BARTHOLINUS *cent. 3. Epiſtol. 97. p. 421.* ubi ſanguis calidus ex cane vivo emiſſus variis liquoribus ſalinis fuit immiſſus pro quorum liquorum ſalinorum varietate & ipſe ſanguis varios colores varias conſiſtentias & ſimiles proprietates acquiſivit.

In Genere omnes liquores ſalini urinoſi eidem colorem intenſiorem tribuerunt. v. gr. ſpirit. ſal. ammoniac. & ol. tartari per deliquium magis tamen hoc ceu alkali fixum quàm ille ceu alkali volatile: Omnes econtra liquores acidi obſcurum tetrum feculentum & ſimilem ipſi contribuerunt: Peſſimus omnium qui factus per ſolutionem aluminis, cui ſanguis calidus fuit miſtus, ex tali enim niger, fæculentus ac luridus apparuit.

Jam ergò ubi maſſ. ſang. in corpore vivo tàm variis ſcoriis excrementitiis & ſalibus ex vitiata ſeparatione imprægnata eſt turgida neceſſario facta iſta ſeparatione & præcipitatione excrementorum variæ tincturæ exinde emergunt.

CAUSA ERGO PROXIMA.

Omnis icteri erunt *vitioſæ degenerationes à naturali ſtatu Bilis & ſucci Pancreatici*, quæ & vitioſè ſeparare chylum, vitioſe eundem tingere & denique maſſ. ſang. totam vitioſam reddere valent.

Vitium iſtud *in Bile* eſt *quando* eadem *vel deficit*, ſic enim neque ſeparat Chylum neque eundem tingit. *Hic defectus ſæpius eſt quando non ſecernitur in hepate*, vel *quando obſtructio eſt meatus Cholidochi*, adeſſe enim hanc interdum loquitur experientia, cum feces tunc tẽporis albæ glutinoſæ, chiloſæ & viſcidæ excernantur, quin imo in talibus ſæpius lumbrici generantur propter defectum conditurae balſamicæ bilis: Item dolores rodentes in inteſtinis ſunt frequentes propter acidum non temperatum à bile: Et Anatome detexit fuiſſe in talibus omnem bilis tranſitum in inteſtina impeditum. 2. *bilis vitium eſt*, *quando eſt iners*, i. e. quando eſt *minus activa minuſque ſalina* à quacunque fiat cauſa: Sæpè oritur hæc *inertia ab acido vitioſa* in ejus folliculum tranſlato, quod ipſum acidum uti cum bilis ſal. volat. & urinoſo coagulatur, granulatur, ac tandem in calculos concreſcit, ita etiam ol. ejuſdem vitiat, iſtudque ineptum reddit pro Tincturâ Chylo legitimè communicandâ.

Quin & 3. aut *nimia bilis denſitas*, aut *nimia oleoſitas ejus vitioſa*, eam depravare poſſunt. Oleoſitas enim nimia, defectu ſal. volat. non ritè exaltata, nec ſufficienter in Tincturam convenientem erecta, minus tingit Chylum & præterea hac ipſa oleoſitate truditur ejuſdem ſal. volat. quo minus convenienter chylum ſeparare poſſit. Unde Chylus non ritè ſeparatus vitio bilis, nec ritè ab eadem tinctus neceſſario inquinabit maſſ. ſang. ejuſque conſiſtentiæ inducet craſin vitiatã.

Succi Pancreatici vitia quæ ſæpiſſimè etiam concurrunt in eo conſiſtunt: quod hic *vitioſè acidus ſæpius aluminoſus ac auſterus*, quin & interdũ *vitriolaceus*

deprehen

deprehendatur. Unde non tantùm vitioſa efferveſcentia in inteſtinis ſcyballarum à Chymo ſeparationem naturalem depravabit ſed præterea quoque Chylus vitioſus vitioſa *depravatione* præcipitatione maſſ. ſanguinem variis obſcuris ac tetris coloribus tinget & alterabit. Unde nunc plumbei nunc virides colores emergunt.

In his duobus ſuccis inquinatis inveſtiganda erit omnis cauſa icteri & quidem *prævalente bilis vitio vel quantitativè vel qualitativè ſequitur icterus flavus. Prævalente* verò *vitioſo ſucco Pancreatico* imprimis *icterus niger ejusque ſpecies oriri videntur.*

Imprægnatâ ita maſsâ ſanguineâ : loco Chyli vitioſis recrementis, hoc ipſo naturalis ejus fermentatio neceſſariò turbatur. Un de *anxietas in præcordiis*, *dolor cordis compreſſivus*, *lipothymiæ*, *virium dejectiones*, & ſimilia ſymptomata *in principio icteri* ſeu antequam erumpat icterus ſunt frequentia, donec ita excrementa aut fermentatione ſanguinis naturali aut efferveſcentia ejuſdem Febrili ſeparata & ſero involuta (præcipitata vocant Chymici) dum cum maſſ. ſang. circulari motu per partes ſolidas rapiuntur, in horum porulis tanquam filtris & colatoriis hæreant ibique loco ſucci nutritii ſubſiſtant ac ſucceſſivè denſius agglutinata partes ſolidas colore adeò peregrino inficiant vario prout varia excrementa varia præcipitatione in maſſ. ſanguinea varias acquirunt colorationes : quæ colorationes non tantùm habitum corporis externum, ſed etiam *interna Thoracis & Abdominis viſcera* conſpurcant.

Sic enim Z. LUSIT. *lib.* 3. *prax. admirand. obſer.* 156. refert, ictero mortuum qui *omnia interna viſcera imprimis hepar & inteſtina* colore flavo totaliter infecta habuit ſimul quoque excrementa iſta præcipitata & ſeparata à ſero imbibita per urinas excernuntur.

Unde *in principio morbi urinæ ſunt* claræ aut ſaltem *ſimul Opacæ*, ingruente ſcilicet ſanguinis fermentatione & excrementitiarum particularum ſeparatione. *Tandem* vero ubi præcipitata & ſeparata fuerunt excrementa, *urinæ ſaturatæ & copioſo ſedimento onuſtæ claræ evadunt ac naturales :* aperto ſigno fermentando ſeparari & ſegregari in maſſ.ſang. excrementa quæ aut per urin. excernuntur aut in habitu corporis defiguntur.

Hæc Tragœdia luditur tamdiu donec ſucci hi correcti, & correcta maſſ. ſang. hæc ad naturalem craſin redeat & quidquid in habitu corporis hæret, nunc per ſudorem nunc inſenſilem tranſpirationem diſſipetur.

Quòd ſi à fermento peregrino ſubitò totius maſſ. ſang. immutetur craſis & præternaturalis ac ſingularis fermentatio ac præcipitatio in eadem fiat v. gr. à *Venenis* vel etiam *fermento ulcerum occluſorum* quid mirum erit ſi tales inſignes ſanguinis alterationes variæ colores, & partium vitiatarum Tincturæ emergant, qua partes fermento peregrino inquinatæ & diverſimodè tinctæ fermentando à maſſ. ſang. ſeparatæ & hinc inde defixæ icterum ſubito emergentem inducunt.

Modus ergò *quo fit icterus* eſt hic : In maſſa ſanguinea congeſta recrementa varia inſtar fecum in muſto fermentante ſeparantur & ſeparata ac præcipitata acquirunt tàm diſtinctos ac tetros colores & dum præcipitata hinc inde hærent in partibus ſolidis aut cum urina excernuntur neceſſariò iiſdem partibus inferunt colorem.

Quæ omnia ut intelligantur exactam præſupponunt notitiam præcipitationis & inde enatorum colorum : aliàs non poſſunt intelligi.

QVOD ATTINET SIGNA.

Icterus ſe prodit ſponte vario colore in corpore efflorescente, in ſpecie vero *color varius in oculorum albo ſe* manifeſtat. Ratio quoniam hoc album oculi eſt quaſi rete mirabile variis minutiſſimis arteriolis intertextum id quod patet in inflammatione oculi ubi hæ ipſæ magis fiunt conſpicuæ : dum ergò per vaſa capillaria evacuatur & ſubſiſtit vitioſus ſuccus in oculo præcipitatus rete mirabile in oculi albo magìs ſenſibiliter tingit, cùm minùs ſit coloratum.

Adſunt præterea *laſſitudines* totius corporis & membrorum, *Cephalalgiæ* admodum *intenſæ*, *dolores in lumborum regione gravativi*, *vertigines* capitis & rotationes & denique *anxietates præcordiorum & difficiles admodum reſpirationes.* Hæc in genere demonſtrant icterum.

In ſpecie vero *icterus flavus* cognoſcitur *ex immiſſione lintei in urinam ægri. Vrina* enim icteri eorum apparet *paſſea*, uti vocat ZACUTUS *Luſitanus*, (*& eſt opaca immunda minimeque flava*,)ſi extrahatur linteum apparet tanquam croco tinctum, quod aliæ urinæ quæcunque colore licet intenſiſſimè flavo non faciunt.

Item *ſapor* imprimis *amaricans*, aut etiam *varius in ore* percipitur ut plurimum eſt nonnihil amarus ex lympha corrupta.

Signa folliculum felleum obſtructum eſſe ſunt *feces ſemper albicantes aut difficillimè & nullo labore ſolvi poteſt alvus* Ubi vero ſunt aperti prodeunt ultro.

Imò *ictero cum Febri conjuncto interdum Diarrhœa*, quam *bilioſam* vocant ſupervenit.

Febris interdum adeſt interdum abeſt. Nunc adeſt ante icterum & tunc ſupervenit Febri *ſymptomaticè vel criticè*. Nunc cum Febri ſimul advenit Febricula levis, orta ex Fermentatione ſanguinis aucta, qua præcipitantur feces maſſæ ſanguineæ.

Sin icterus eſt nimis contumax aut ſemel curatus recidivans ſæpius ſolent adeſſe Calculi in Veſica fellea : aliud nullum eſt ſignum Calculorum.

Signa Coctionis urinæ monſtrant *an icterus* Febri ſuperveniens *ſit Criticus an ſymptomaticus.* Si enim ſigna coctionis in urina apparent icterus eſt criticus ſi citra coctionis ſigna profecta ſuperveniet eſt icterus ſymptomaticus.

Vrinæ in principio ſunt tenues, *nonnihil lacteæ*, *in progreſſu* fiunt *turbidæ*, *obſcuræ & craſſæ*, *in ſtatu copioſa deponunt ſedimenta*, *& colore flavo naturali* plus tamen tinctæ apparent. Et quando urina fit craſſa turbida & nigra tunc ſignum eſt ſolutionis morbi cum victoriâ naturæ.

Sic namque huc facit Exemplum SCHENCK. *lib.* 3. *obſ.* de *poſt mictum cruentum ſ. ſanguinis aterrimi*, ſubitò curato icterico. Magis huc facit Exemplum HOFFERI *in Hercul. medic. p.*142. de ictero nigro in quo ex uſu lapidis Bezoar *urina nigra & inſtar atramenti* fuit excreta.

QVOD ATTINET SIGNA PROGNOSTICA.

Icterus Flavus omnis facilioris eſt curationis ictero nigro idque tunc temporis *imprimis quando icterus niger ſupervenit Quartanis* quale Exemplum ſingulare habet FORESTUS *lib.* 19. *obſ.* 22. de Quartana per 12. annos durante cui poſtmodum icterus niger contumax & diuturnus ſupervenit.

Ex flavo autem *ſecuriſſimus eſt is qui in febre eſt Criticus : poſt hunc* ſecurus & facilis curationis eſt, *is* qui *ex obſtructo meatu felleo* oritur : *periculoſus* ſeu ut vocat HIPPOCRATES *malus eſt icterus in febre ſymptomaticus,Calculi in folliculo felleo difficillimè curantur*, aut *curati recidivant & mortem* inferunt.

Superveniens icterus *ſcirrho hepatis aut lienis ſæpè incurabilis.* Nam *his ſuperveniens Hydrops lethalis.*

Qui *à Venenis* eſt Icterus pro qualitate veneni *nunc magis nunc minus eſt periculoſus.*

QUOD ATTINET CURAM.

1. *In icteri curâ* ante omnia *cauſæ remotæ eſt proſpiciendum*: Sed cum in ſpecie inter internas, ſit *vitium bilis & ſucci Pancreatici*, *horum concretioni & alterationi erit ſtudendum.*

2. *Deinde ſeparatio particularum excrementitiarum ex maſſ. ſang. ſeu earum præcipitatio per appropriata ſpecifica adjuvanda.*

3. *Eadem particulæ ſecretæ & in porulis partium continentium defixæ ſudoriferis ſunt diſcutiendæ.*

Jam verò *cùm bilis peccet* ſæpè *quia iners* eſt *nec ſatis ſalina ol. vitioſo juncta*, ob id *conveniunt* remedia *ſalina acria volatilia*, & hinc *aromatica* quæ acrimoniam bili conciliant naturalem, eamque debitè reſtaurant. *Pancreaticus* verò *ſuccus cùm vitioſo acore ſit impregnatus* eum *corrigere* valent imprimis *martialia* quæ iſtum vitioſum ſaporem abſorbere valent, ut vel ſponte ad naturalem ſtatum redeat. Unde illa *ſalia vol. oleoſa in ictero flavo*: Hæc vero *martialia in ictero nigro* magis uſurpanda. Utut utraque conjunctum ſæpius propinentur.

Pro his ergò ſcopis obtinendis *venæ ſectio nil juvat*, utpote quæ potius exaſperat malum quàm ut idem tollat.

Purgantia in principio morbi ſunt nociva niſi ſint abſterſiva lenia primatum viarum, aut *adſit tantummodo levis obſtructio meatus fellei in inteſtinis*, tunc enim talis obſtructio vel unica purgatione poteſt tolli. *In progreſſu morbi* vero imprimis *appropriata* medicamenta *purgantia conveniunt*: ſicuti *in declinatione* imprimis *ſudorifera.*

Alterantia ergo & *ſpecifica præcipitantia* utramque faciunt paginam.

Hæc ipſa ſpecifica Ex Regno quidem Vegetabili optimè ſunt juncta in *Eſſentia contra icterum* D. Michael. cujus ingredientia ſunt hæc.

♃. *Herb. Marub. Abrotan. Eupator. Agrimon. Anſerin. an. m. j.*
Radic. Chelidon. major. ℥iij.
Taraxac. Fragar. Gramin. Rhabarb. monach.
an. ℥ij. *Curcum.* ℥ß. (*egregium remedium.*)
Flor. Hyperic. Calendul. Cichor. Hepatic. nobil. Geniſt. an. p. iij.

Ex his cum Spirchelidon. major. fiat Eſſentia.

Hæc inter primatum obtinet *Chelidonium majus* Planta expertiſſima in ictero, de cujus uſu videndus FORESTUS *lib.* 19. *obſer.* 40. *l. etiam* 21. Modus adhibendi Chelidonium, eſt ut ex planta recente contuſa exprimatur ſuccus qui quocunque vehiculo miſtus quotidiè manè hauriatur. Hac ratione quandam ictericam inſigniter affectam paucis diebus reſtitui: cæterum cum nauſeabundus & ingratus ſit potus, potius fit ſecundum Methodum à CASTRO præſcriptum infuſio radicis Chelidoniæ majoris in Vino quod intenſo colore flavo tingitur & bibitum eſt ad icterum uti dicit CASTRO remedium infallibile. Pertinet huc decoctum *Lindani*, quo quemvis icterum curat, præſertim; quod probè notandum, præmiſſo vomitorio. Ut plurimum enim in principio curationis *vomitorium* propinandum venit: *decoctum* eſt tale.

♃. Rad. Cichor. aut Taraxac. ℥ij.
Chelidon. maj. ʒvj. ad ℥j.
Herb. endiv. a. cichor. Mj. l. ij.
fragar. Mß.
marrub. Mß.
Tart. alb. ℥ß. ad ʒvj.
Fol. ſen. ʒvj.

coq. in ſ. q. aq. aut aquæ & vini aa. q. ſ. in vaſe clauſo. Decocti. ♃. ℔ij. D. pro uſu, addendo, ſi præſtantius volueris ſingulo hauſtui ſpirit. Tart. rectif. ℈j. ad ʒß. ſumat 3. diebus, omni manè duos hauſtus, interpoſita horâ, donec malum ſit curatum. Attendite ſub uſu, ne ſint ſeceſſus plures quam 2. vel 3. in die; ſi contingat liberalius purgari prima die, aliis ſumatur tanto minus. Tali decocto curavi Amſtelodami Mercatorem ex ictero nigro. Tribus ſeptimanis nil profeci! Urinæ manebant craſſæ & ſplendidæ, poſt paucos dies, apparente coctionis ſigno aberat ſplendor & turbidæ erant urinæ; prædixi ergò ſolutionem morbi; continuari igitur medicamentum, non mutari oportet.

Poſt Chelidonium ſimiliter *Marrubium* eſt expertum remedium à FOREST. *cit. loco.* Et idem FORESTUS *lib.* 19. *obſ.* 19. *in Scholio* curavit mulierem diuturno Ictero laborantem quæ aliis omnibus irritis *ſolo uſu Syrupi Marrubii* curata fuit.

Anſerina & Abrotanum etiam inter appropriata numerantur.

Centaureum minus & ejus Decoctum uſitatum eſt RULANDO in cura Icteri. Immò ſunt qui dicunt quod *centaur. minus in calceos immiſſum ut pedibus nudis* ita teratur, hoc modo enim curari Icterum affirmant: fieri enim plantam omnino flavam & ſingulis diebus eſſe repetendam.

Fragaria eſt remedium RULANDI qui *Decoctum* propinat pro potu ordinario.

Quod *Decoctum Fragariæ* ſufficiens eſt *in cura icteri infantum.* Nam quod etiam infantes fiant icterici obſervat PANAROLL. *Pentecoſt.* 4. *obſerv.* 44. ubi refert de infante ex utero materno icterico.

Melius eſt ſi *fragaria cum paſſulis* ſimul coquatur & ita decoctum hauriatur. v. gr.

♃. Herb. Fragar. m. iij.
Paſſular. ℥iij.
coquant. in.
aqu. fontan.

Fit potus gratus ſæpius uſurpandus quem etiam commendat HARTMANNUS *in Prax. Chim.* Id quod confirmat FONSECA *lib.* 2. *obſerv.* 34. qui dicit fuiſſe ſecretum cujuſdam religioſi qui Ictericos curavit decocto Herbæ & Radicis Fragariæ quotidie hauſto.

Uſus *Hirundinariæ ſ. Vincetoxici* in progreſſu vel declinatione morbi eſt convenientiſſimus ſi Vinum iſtius decoctionis propinetur.

Inter Flores ſunt: *Flores Hyperici* quos commendat STOCKERUS *in praxi*: *ſi ſilicet flores cum Herba perforata* id eſt *Hyperici coquantur in vino vel aqua* & detur continuo manè bonus hauſtus: Prætereaque *herba & flores ponantur in calceos*: remedium enim dicit eſſe expertum.

De *Floribus Geniſtæ* res itidem certa eſt, id quod confirmat obſervatio BORELLI *cent.* 4. *obſer.* 31. *de ictero à fumo Tabaci* oborto, *curato per conſervam Geniſtæ & Calendulæ.*

Nec *abſinthium*, optimum hepaticum, hic negligendum eſt. Pertinet huc *decoctum* euporiſton *Camerarii* ad icterum, quod deſcribit *Fehr de abſinth. p.* 29.

♃. Comar. abſinth.
Flor. roſar.
prunor. ſylveſtr. an. par. viij.
croci part. ß. decoq. in vino diuretico & exprime pro uſu.

Aliàs *Semen Aquilegiæ* eſt Specificum expulſivum in ictero unde eſt baſis pulveris experti contra icterum TIMÆI, cujus Deſcriptio eſt hæc.

♃. Sem. Aquileg. ʒvj.
Croc. Orient. ʒj.
tartar. vitriolat. ℈j.
miſc. f. pulvis.
dividendus in vij. p. æ.

Sumendus ex Vino Rhenano calido vij. diebus continuis.

Teſtari poſſum, quod aliquando ſartorem ictero flavo laborantem contumaciter, aliis irritis præmiſſo vomitorio hoc pulvere reſtituerim, juxta cujus uſum imprimis

imprimis ſpirit. carminativus de tribus præ aliis proficuus erat.

Vel etiam fiat *Emulſio ex Semine Aquileg. cum aqua Chelidon. major.* cui addatur *Ebur ſ. igne* quod egregium aliàs eſt in Ictero & ita uſurpetur contra Icterum.

Ebur certè ceu appropriatum abſorbens à multis ad icterum commendatur; juxta hanc emulſionem pariter quoque experta eſt *emulſio ex ſem. frigid. maj.* quæ vid. in *Miſcell. A. N. C. Ann.* 4. *pag.* 43. & 44.

Ciceres & Baccæ Juniperi laudantur à PARACELSO, utpote quæ & ſecretionem maſſ. ſang. adjuvant & partes ſecretas per urinas excernunt. Unde JOEL tanquam expertum commendat & laudat *Decoctum Chelidon. maj.* cum *granis Iuniperi.*

Ulterius in uſu ſunt imprimis *lumbrici terreſtr.* quorum *decoctum* item *ſpiritus* per putrefactionem ſ. fermentationem paratus eſt egregius in Cura Icteri.

Quidam propinant *pulverem lumbricorum terreſtrium* ſed cùm hic ſæpius ſit orbatus ſuo ſal. vol. nitroſo, propterea potius eorum *decoctum aut ſuccus expreſſus cum ſero lactis* aut *ſpiritus,* per putrefactionem ſeu fermentationem paratus commendantur.

Deinde *omnium animalium ſtercora* ſunt experta; in Ictero imprimis quidem *ſtercus anſerculorum* maximè ſi nutriantur Chelidonia & Anſerina: Item *Stercus Canis* oſſa rodentis, item *ſtercus album pullorum pulveriſatum*: abundant enim omnia ſtercora ſale volat. de natura armoniacali quod ipſum egregiè vitia bilis & ſucci Pancreatici ſimul corrigit & emendat.

Huc pertinet *Tragea ſtercoraria* QUERCETANI, qui habet Trageam expertam ex ſolis animalium ſtercoribus.

Unde quidam commendant *ſuccum ſtercoris Capræ expreſſum cum lacte* ceu egregium in Ictero remedium.

Juxta ſtercora imprimis *urina humana* laudem meretur in Icteri cura.

Hinc fœtidum quidem ſed expertum eſt remedium, ſi *ſuccus Chelidonii & Marrubii* miſceatur *cum urina ægri*, de qua bibat bonum hauſtum, hinc in lecto ſudet: hoc enim aliquoties repetito ſubinde reſtituitur.

Loco hujus *ſpiritus urinæ* ad modum ZUVOELF. *in Mantiſſa Hermetica* traditum, paratus. Aut etiam *ſpiritus ſal. ammoniaci volat.* convenientiſſime uſurpatur: quibus *ſpirit. tartari volat.* commodiſſimè ſubſtituitur cum & ipſi ſint urinoſi.

Ulterius *Aſelli* præparati etiam ad Icterum commendantur non minus quam *Pediculi quorum* 3. *l.* 4. *vivi deglutiti* commendantur à quamplurimis: & experimento comprobavit ZACUT. *Luſitan. libr. ultimo medic. princip. cap.* 2. *numero* 7.

Porro *Lapides animalium*, in ſpecie *lapides in felle Tauri* reperti: *Bezoar* (de quo ſupra ex HOFFERO quod conveniant in Ictero nigro) & in genere *omnes conveniunt* in Ictero.

Specificum ſummum habetur *pulvis lapidis in felle tauri* repertus, utpote cum ſit nihil aliud quàm bilis naturalis coagulata ab acido.

Lapis Ceraunius præparatus, eſt expertum remedium contra Icterum.

In cujus defectu *lapis in folliculo felleo* tauri repertus commodè ſubſtitui poteſt.

Doſis pulveris lapid. Ceraun. eſt à ℈j. *ad* ʒß. quoniam eſt ponderoſus.

Specificum ad icterum *D. Michaelis*, quo ipſo aliquoties curavit, qui quotannis hoc morbo afficiebantur. Ex quibus variæ fieri poſſunt formulæ, v. g.

℞. *Extr. chelidon maj. gummoſ.* ʒj.
lap. bezoard. occid.
antimon. diaph. martial. Ludov. an. gr. xv.
M. F. bolus, diluatur in hauſtu vini, capiatur.

Item ℞. *aqu. taraxac.* ℥j.
extr. chelidon. maj. ʒß.
ſal. volatil. CC. gr. viiij.
ſyr. card. B. ʒj. M.

Denique *Ex regno* MINERALI ſunt in ſpecie *martialia*, quæ *in ictero nigro & plumbeo*, ut & in *ictero flavo* uſurpantur feliciſſimè.

Eſſentiæ martis liquidæ, & *Croci martis* pauco vel multo acido parati, & *omnia martialia* de quibus hinc inde in ſuperioribus injecta mentio. *Tinctura martis tartariſata* it. *tartari martialis. Extracta martis cum ſucco pomorum Borſdorffianorum* quod eſt optimum: it. *Vina martialia.*

Item *Vinum in quo ſæpius aurum extinctum* à POTERIO commendatur: rationem dat BURRHUS *in Epiſtol. ad* BARTHOLINUM, quoniam ſcilicet ramenta ſubtiliſſima auri communicantur iſtis liquoribus.

Unde GESNERUS in Ictero quocunque tanquam expertum commendat *Infuſum Chalybis cum carbonibus Quercinis in vino.*

In ſpecie ex menſium vitio ſi fuerit icterus, *martialia* laudantur, unde *pulverem compoſitum ad pallidos virginum colores*, ad icterum à ſuppreſſione menſium commendat *Heer in obſerv.* 6. *Acidulæ* huc pertinent, quæ deſperatos icteros interdum curant *Conf. VVillis Pharm. rat. P.* 2. *pag.* 284. cum hæ ipſæ poſt icterum relictam humorum dyſcraſiam & viſcerum atoniam, præſertim ſi diuturnior fuerit, optimè reſtituant.

Quod attinet *evacuantia* his aut ſubjungenda aut interdum permiſcenda; *ea ſemper ſint moderata & blanda*, præ cæteris commendantur *flores Prunorum Sylveſtrium*, qui blandiſſimè laxant per alvum ſi infundantur in potum ordinarium vel mj. flor. Acaciæ infundatur in vinum ſtent in loco calido & potetur, dicitur KAUFFINGERI experimentum laxat blandè & ad Craſin ſanguinis confert.

Huc facit etiam *infuſum Folior. Sennæ, cum ſal. tartari.* Nam tartarus hic convenit duplici ex fonte 1. quoniam eſt præcipitans 2. quia adjuvat extractionem mucilaginis purgantis ex Senna & ſtimulat quoque: ne adhæreſcendo plicis inteſtinorum hypercatharſes inferat: Semel enim pro ſemper moneo non debere propinari Infuſum Sennæ niſi adjecto ſtimulo ſal. tartari.

Rhabarbarum eſt efficaciſſimum remedium ad Icterum Paracelſi, ſi ʒj. pulveriſati in jure vel vino propinetur: Nam & blandè laxabit, & inſigniter ſudorem movebit.

Pulvis rhabarbari præferendus Extractis, utpote quæ nullius ſunt pretii: Unde *infuſum rhabarbari cum Marrubio* eſt egregium remedium ad curam Icteri.

In ictero nigro convenit *infuſum hellebori nigri cum ſero lactis*: *Pillulæ ex Extracto hellebori cum Extracto martis.*

Præcipitata mercurialia imprimis à Chymicis commendantur ad curam Icteri: Sic *mercurius præcipitatus rubeus cum tartari ad aliquot gr.* commendatur à FINCKIO *mercur. præcipitatus luteus ad gr.* v. l. viij. commendatur à SCHNEIDERO *in Pharmacopæa.*

Hæc fuerunt *interna.*

Inter remedia *externa* ſunt ea quæ plantis pedum ſupponuntur ut pote *Hypericum & Centaur. minus* de quibus ſuprà dictum. Idem dicitur de *radice Chelidonii majoris* ſi plantis pedum ſupponatur.

Pertinent huc etiam *frictiones in Balnea* ad colorem abigendum optime *fricatur* corpus *cum ſacculis impletis farina hordei & fabarum*, quibus aquæ calidæ intinctis fricandum corpus ut cutis color tollatur

Vel fiunt *Balnea ex Saponaria, Chamomilla, Beta, Parietaria, Anetho &* ſimilibus quibus Corpus abluatur.

Pertinent huc etiam *Curæ Magneticæ* in omnibus Morbis Chronicis & in ſpecie in Ictero proficuæ. Hinc expertum eſt ſi ex urina ægri & farina formentur placentæ quæ cani vel feli devorandæ projiciantur, ſic enim Icterus ceſſat: Innuit hoc HELMONT. *p. m.* 595. & expertum in *Anglia* in duabus perſonis uti refert hoc *Dn.* BOYLE *in Philoſoph. experimental.* Dicunt ſi æger quotidie *urticas vivas permingat*, exinde enim areſcere urticas, ægrum verò ſucceſſivè curari.

Vel infundatur ægri urina ſuper acervum formicarum, *vid. M. A. N. C. Ann.* 3. *pag.* 146. Vel permiſceatur urina cum cineribus fraxini, *Confer VVilliſ. cit. loc.* Vel, quod fuit expertum à *Caſtro.* ℞. Ovum gallinæ ſuo luteo & albumine per mediocre foramen orbatum, ita ut ſola teſta remaneat integra, quæ impleatur urinâ patientis & facta ſcorbicula in hypocauſto ſinatur ibi, donec lento calore exſiccetur urina; pari gradu & exſiccatur urina & tollitur icteritia. Poteſt fieri etiam citius indigeſtione cinerum: Si vero per incuriam contingat aduri teſtam, icteritia abit in nigram icteritiam immedicabilem. Vel ſanguine ex medianâ ægrotantis extracto & ovi gallinacei teſtæ artificioſè incluſo & ita ovo 14. dies gallinæ impoſito, poſtmodum ſui famelicæ expoſito, ut commendatur, icterum & morbos ex vitioſo ſanguine oriundos, tranſplantando averruncare ſatagunt. *vid. Burggravius in Boylichn*, it. ex urina ægri & lacte & addito pane ſimilagineo F. juſculum, propinetur cani, qui ſi non moritur, nec homo morietur, ſed convaleſcet.

Denique ad *Icterum* quamcumque *mulierum gravidarum* in quibus non ſemper æque tutum eſt propinare interna ne concitemus abortum.

Expertum eſt *Cataplaſma* JOELIS *ex foliis marrubii viridis radic. Chelidon. majoris & Viſci Quercini an. mii. quæ cum aceto vel vino ſubacta*, plantis pedum applicantur: aut ſi tutum videtur *ex his fiat Infuſum in vinum &* propinetur ad ſudorem provocandum.

FORESTUS *lib.* 19. *obſ.* 21. Gravidæ Ictero laboranti cum jam inſtaret partus tempus ſequens *Claretum* cum ſucceſſu propinavit.

℞. *Herb. Marrub.*
Puleg.
Artemiſ.
Capillor. veneris.
Verbenæ an. p. j.
Calam. aromatic. ℥iß.
Croc. ℈j.
Cinnamon. ℥ß.
Sachar. q. ſ.
cum Vino fiat.
Claretum.

quod profuit & cum v. vel vj. diebus aſſumpſiſſet, feliciter peperit & ſimul tunc ab Ictero liberata eſt.

Adhuc in genere moneo: In *Medicamentis antiictericis eſt inſiſtendum ad tempus* quia eſt morbus Chronicus & contumax: & quidem *quamdiu urina mingitur tenuis & ſplendida tamdiu illis inſiſtendum donec ſigna Coctionis* appareant ut *fiunt craſſæ & turbidæ & cum ſedimento* repletæ his enim apparentibus ſolutio imminet & ſpes ſalutis eſt in propinquo.

Hæc de Vitiis Nutritionis læſæ. Pergo ad.

CAPUT II.

DE SANGUINIS EX PARTIBUS Refluxo læſo & inde orta inflammatione tam in genere quam in ſpecie.

IN Superiori Capite dictum, quod ſanguis diſtributus ex Corde in totum Corpus & omnes ejus partes, illas nutriat & exinde ſeparentur ſucci ad integritatem œconomiæ animalis maximè requiſiti. Jam vero ſanguis non perpetuo ibi hæret, ſed uti per arterias influxit ita per partes cribratus per venas refluit idque denuò ad Cor, qui motus vocatur Circularis, propterea quoniam inſtar circuli ad idem terminat punctum à quo inchoavit.

Motus hic *Circularis ſanguinis* ex Corde per partes ad Cor *impeditur quoties* 1. *ſanguis in parte quadam hæret & ſtagnat* & in viis ſuis ſubſiſtit.

Impeditur 2. *quando extra partem effunditur* in ſingularem quandam Cavitatem Corporis.

Impeditur 3. *ſi ſanguis in totum extra corpus emanat & effluit.*

Sanguis ergò in motu ſuo impeditus in Vaſis Capillaribus venoſis & partium ſpatiolis hæret ac ſtagnat: unde collectus mox excandeſcit ac caloris ſenſum moleſtum in parte ſenſili producit, donec ſenſim corruptus in pus vel ſaniem abeat. Unde prior mutatio vocatur *inflammatio*: ſicuti poſterior *Abſceſſus* vel *Apoſtema.*

Quod ſi ſanguis in cavitatem aliquam humoribus naturaliter vacuam v. gr. in Cavum Pectoris vel abdominis effundatur ac ibidem collectus in pus corrumpatur tunc *Empyema* Conſtituit.

Denique ſi ſanguis extra Corpus erumpat in genere vocatur *Hæmorrhagia* quod nomen licet in ſpecie tribuatur ſanguinis ex naribus erumpenti: In genere tamen cuicunque ſanguinis extra Corpus fluxui attribui debet & etiam ſolet.

Refluxus ergò ſanguinis quicunque impeditus Cauſa eſt cum hic in parte, quam pertranſire nequit, hæreat: quia enim arteriarum motus & per has ſanguinis influxus eſt validus & impetuoſus ac propter canales arteriarum quin duplo craſſiores ipſis venis ſit interruptus & omnino perpetuus neceſſario fit, ut dum perpetuo influit, non tamen debitè poſſit refluere, ut exinde in parte hæreat hinc coacervetur & coacervatus det Tumores qui vocantur.

INFLAMMATIONES:

Ita ut *cauſa proxima omnis inflammationis ſit ſanguis ſtagnans ob impeditum ſanguinis refluxum.* *Inflammationes.*

Stagnatio hæc in loco eſt nomen Metaphoricum deſumptum ab aquis quæ plus ad partem fluunt quam refluere poſſunt.

Unde ſi qualibet pulſatione ℥ß. ſanguinis in particulam influat ſed ℈j. tantum refluat, remanet ℈ß. qui ſtagnat, & dum continuatis pulſibus ſemper major majorque ſanguinis hæret copia neceſſario oritur Inflammatio.

Quod ſi verò in parte inflammata nihilomino refluat ſupervenit tandem *Gangræna* dum ſanguis quaſi ſuffocatus corrumpitur & putreſcit indeque pars emoritur.

Jam verò cum ſanguis qui dat inflammationem ſit ruber & calidus ergo calefacit partes, & pars neceſſariò debet rubere quia verò plus influit ſanguinis quam debet neceſſariò pars diſtenditur & tumet, quæ diſtenſio dat *dolorem.*

Hæc ergò 4, *ſunt ſigna inflammationis Pathognomonica à* CELSO enarrata *Calor*, *rubor*, *tumor & dolor.*

Et

Et *dolor* iſte vocatur *pulſatilis* vel *pulſatorius*, quia ſanguis influens repercuſſionem patitur à cujus influxionis & repercuſſionis impetu fit pulſationis ſenſus. Quoniam autem pars diſtenta aut labefacta-ta non cedit id quod fit ab abundantia materiæ hærentis in parte ob id ſimul percipitur reniſus ad tactum.

Hæc ſunt ſymptomata & ſigna omnibus inflammationibus communia.

Quia autem omnis Inflammatio eſt in parte quadam determinata tanquam in ſubjecto impoſſibile non eſt quin etiam prodeant aut accedant nova quædam ſigna quæ prodeunt non ex morbo; ſed ex parte affecta in qua morbus hæret. Sic v.gr. deglutitio læſa in Anginâ, item reſpiratio difficilis in Pleuritide non dependent à morbo inflãmationis,ſed dependent à parte affectus cujus pars per inflammationem eſt læſa Ergo hæc ſupervenientia poſteriora ſigna innuunt partem quam inflammatio iſta obſideat.

CAUSA.

Quare ſanguis ſtagnat eſt *vel Interna* nempe ſanguinis ipſius ad motum per vaſa capillaria ineptitudo vel *Externa* vitium nempe quodcunque quod vias anguſtando eaſque ineptas reddit ut ſanguinem tranſmittant.

Sanguis ad motum ineptus eſt 1. *quando nimis eſt viſcidus ac craſſus* ob ſeri defectum ejuſque nimiam abſumptionem.

Vel 2. quando idem *ſanguis nonnihil congrumatus* aut *quaſi ſemicoagulatus hinc inde hæret ac ſubſiſtit.* Nam omne acidum nimium ac manifeſtum omnem ſanguinem coagulat: quod confirmatur non tantùm per experimentum dum ſanguis in liquorem acidum immittitur; ſeu etiam ex infuſione liquoris acidi in venam canis.

Congrumatur ſæpiſſimè *ſanguis ab acido occulto* nec nimis exceſſivè ſanguini permiſſo, ſive *lympha nimis acida*, *ſive res* quædam *externa* ſive aliud quid ipſi acorem imprimat

Hinc enim fiunt *Inflammationes Eryſipelaceæ ex grumeſcentia ſanguinis ab acido* & occulto inducente tales coagulationes. Item à *ſubitaneo frigore poſt corporis nimium motum* ac incaleſcentiam partibus internis ſubitò communicato: quod frigus ſubitaneum ſanguinem calidum nimis attenuatum ac reſolutum ſubitò ſpiſſat ac ſemicoagulat. Hinc *expoſitio corporis concalefacti aëri frigido* aut *immerſio ejus in aquam frigidam* aut *potus frigidi in nimio æſtu* ac corporis calore ſæpius dant pleuritidem ex ſanguine in præcordiis coagulato ac circa pulmones & pleuram ſubſiſtente ac inflammante.

Hæc duo, ſpiſſitudo ſanguinis & coagulatio ferè ſunt cauſæ univerſales Inflammationum ſponte ſeu ab internis cauſis enatarum.

Ubi obſervandum eſt *internas inflammationes omnes*, v. gr. pulmonum ventriculi, &c. *eſſe acutas*, *imò interdum peracutas*. (Nam pylori inflammatio vix ad 4.diem durat)*cùm omnes ſint de genere Eryſipelatum*.

Cauſæ externæ quæ vaſa anguſtando occaſionem præbent ſanguinis motui impedito *ſunt eæ*, *quod vel comprimunt vaſa* vel *eadem anguſtant* vel *adſtringunt*, &c. v. gr. *Vincula injecta*, *contuſiones* & ſæpiſſimè *fibrarum nervearum dolorificæ criſpationes* & contracturæ & hinc *venarum capillarium arctæ conſtrictiones*. Hinc enim eſt quod quibuſcunque ferè doloribus frequenter ſuperveniant inflammationes. Ut v. gr. *dolori dentium* ab acido radicem dentis morſicante ſupervenit inflammatio malæ. Quoniam fibræ nervoſæ & muſculoſæ vicinæ ex dolore per conſenſum affectæ ſe criſpant & quaſi levi ſpaſmo ſe contrahunt qua Criſpatura venæ capillares coarctatæ liberum ſanguini tranſitum denegant unde poſtmodum tumor.

Præterea *luxationes*, *fracturæ* item *repellentia* ac *adſtringentia* nunc inferunt nunc exacerbant inflammationes.

Sanguis ita extravaſatus ac in parte ſtagnans mox fermentando impenſè incaleſcit turgeſcit ac in pus corrumpitur quod ſuppurari dicunt. Ratio hujus eſt quod ſanguis extravaſatus ſuis partibus volatilibus depauperatus, mox corruptionis & aliqualis putredinis notam incurrit, cujus individuus comes ſemper eſt acor peregrinus vitioſus: quæ vitioſa aciditas in ſanguine extravaſato oborta, uti ſpiſſat ac coagulat ſanguinem primitus ita poſtmodum cum ſal. vol. abundante maſſ. ſang. fermentat imo interdum acriter effereſcit, unde calor & effervеſcendo turgeſcentia, hinc tumor auctus, quæ acris effervеſcentiæ pugna uti ſucceſſivè ſanguinem corrumpit, ita tamdiu durat donec ſalia effervеſcentiæ mutuo cõcurſu in ſtagnante ſanguine ſed alterato & corrupto tandem tertium pus nempè moderatè ſalſum conſtituant: ſalſum dico pus ſi nempe eſt laudabile ac naturale,ſi poteſt vocari naturale, factum nempe ex acido vitioſo concurrente cum ſal. volat. urinoſo, quæ duo ſemper ac neceſſariò dant ſalſum tertium.

Item *acor vitioſus* ſive ſanguinem purum coagulando ad inflammationem diſponat, ſive inflammationi ex alia cauſa obortæ ſuperveniat, effervеſcendo in tota maſſa ſanguinea cum ſale ejus volatili *cauſa* eſt *Febris conjunctæ inflammationibus aut acutæ* una *cum Inflammatione* à cauſa interna enatæ, v.gr.in *pleuritide* aut *lentæ* ſupervenientis nempè inflammationibus à cauſa externa obortis.

Inflammationes internas aboriri imprimis à *congrumeſcentia aliquali ſanguinis* ob ejus vitioſam ac peregrinam aceſcentiam probatur ex eo.

1. *Exemplo Pleuritidis*, quæ omnium frequentiſſima: In hac enim ſanguis vena ſecta extravaſatus dum ex vena aperta fluit ſemicongrumatus apparet: id quod non tantum HELMONTIUS *tract. Pleur. furens* it. VVILLISIUS *de Febribus* cum inflammationibus conjunctis teſtantur, ſed præterea exempla ſuggerit GABELHOU. *cent.* 4. *cur.* 70. & 79. ubi habet exempla Pleuriticorum in quibus ſecta vena ſanguis *gants flumpferig*, uti loquitur, exiret, ex aliquali ſanguinis coagulatione & grumeſcentia.

2.Probatur ſanguinem craſſeſcere & congrumeſcere, quia *Inflammationes internæ omnium optimè curantur per talia quæ ſanguinem congrumatum diſſolvere aut per ſudorem & urinam ejicere valent*, quia acidum vitioſum abſorbere videntur.Nam hæc eſt optima cura, v.gr. Oculis cancr. dentibus apri,flor. Bellid. Papav. rheoados & ſimilibus & in genere omnibus iis remediis quæ in caſu ab alto commendantur ad ſanguinis grumos extravaſatos diſſolvendos: Item Sperma ceti internè & externè & ſimilia. Nam &c.

3.*Externæ Inflammationes* in ſpecie *Eryſypelaceæ* per talia *tolluntur quæ acidum abſumere & corrigere valent*, v. gr. per farinam triticeam per cretam, per flor. Sambuc.ac chamomill. per myrrham per camphoram & ſimilia.

Reliqua quæ adhuc adhibentur quotidie in externis inflammationibus ad Chirurgiam pertinent ſpecialem item de ſuppuratione, &c.

Subſtitimus in cauſis inflammationum in genere: Et quidem enarravimus *cauſas inflammationis primarias duas*, nempè *externam* unam quæ impedit ſanguinis motum anguſtando vaſa: *& internam* quæ coagulat. inſpiſſat ſanguinem atque ſic inflammationem inducunt.

3. *Conſideranda* eſt *quædam aptitudo in quibuſdam partibus ut ex levi quacunque occaſione inflammentur:* Videmus enim quando ſemel in unâ parte facta inflammatio à cauſa interna ſubinde eadem in eadem parte recurrat.

Sic quidam quotannis laborant pleuritide alii ſæ-

pius laborant inflammatione tonſillarum: iis qui ſemel afflicti fuerunt Eryſipelate, niſi benè curentur recurrit malum idque in eadem parte: inquiunt ergo remanere in parte inflammatâ diſpoſitionem certam ſecundùm quam inflammatio fiat: Explicare conatur hoc HELMONT. qui inquit ſubeſſe robur partium in æquale iſtudque per ideas in Archæo depictas exponit. Non tamen ſatisfacit ſcrupuloſo: quin potius robur partium inæquale, conſiſtit partim in Atoniâ partis ſemel inflammatæ, partim in relicto fermento poſt inflammationem quod facillimè ſanguinem afficere & ad ſtagnationem diſponere poteſt.

Atoniam quod attinet certum eſt quod parte ſemel inflammatâ, ſive diſcuſſa fuerit inflammatio ſive ſuppurata, ejuſdem fibræ laxatæ & pori partis transformati remaneant. Unde facillimè ſanguis in legitimo motu impediri poteſt.

Accedit *fermentum* quod ſuo quaſi odore ſanguinem ſimul diſponit ad coagulationem hinc faciliorem ſubſiſtentiam.

Facit etiam huc *aliqualis* ſæpiùs concurrens *Plethora* non quidem ſimpliciter ſic dicta, ſed tantum ſecundum quid, nempe *quæ fit ex conſuetudine*.

Nam ii qui aſſueti ſunt *annuis Phlebotomiis*, *aut ſcarificationibus* ſæpiùs repetendis ſimul atque intermittunt hos, incidunt ſæpiùs in inflammationes recurrentes quas ipſas tamen præcavent ordinariis & adſuetis ſuis ſanguinis diminutionibus. Novi hic mulierem non ignobilem, quæ niſi ſingulis menſibus utatur cucurbitulis ſcarificatis ordinariò tonſillarum & faucium inflammationi eſt ſubjecta. Hic concurrit Plethora ſecundùm quid ſeu à conſuetudine contracta, in qua ſanguis è ſuo naturali puncto deflectit, in motu impeditur & ſic inflammationem, inducit.

Et hæc ſunt Eriſypelata & Pleuritides recurrentes in eodem loco. Sequuntur.

SIGNA. *Ad inflammationem* quatuor ſuperius dicta *pertinent*; *Tumor rubor*, *calor & dolor*: & quidem in parte viſibili hæc ſatis per ſe patent. *In inviſibili dolor pulſatorius ardor* & denique *partis ordinaria functio læſa* ſubinde inflammationem innuit: accedit præterea *dolor punctorius* & etiam dolor *gravativus*: dum pars à ſanguine diſtenditur, gravando diſtendit partes quibus eſt annexa. Denique *Febris ardens acuta* ferè eſt ſemper, conjuncta cum inflammationibus à cauſa interna excitatis.

His ſignis accedit etiam *ſignum partis læſæ proprium*, nempe *functio ipſius læſa*, quæ pro varietate ſubjectorum inflammatorum eſt *varia* & innuit ſemper quæ pars ſit inflammata. Sic v. gr. Ii qui in hypochondrio dextro percipiunt ſenſum ponderis cum inſigni ardore iſtius regionis, pars ad tactum, inſigniter calet, & ad renitentiam quandam tumet: interius pulſationes admodum moleſtæ percipiuntur: accedit febris acuta cum difficili nonnihil reſpiratione: Præterea levicula tuſſis inanis accedit. Hæc ſigna conjunctim innuunt inflammationem hepatis; adſunt enim 4. ſigna generalia calor, ardor, tumor & rubor, qui quidem propter partem affectam interius latentem videri nequit: adſunt præterea ſigna propria, ponderis gravioris, dolor gravativus, & ſimilia ſymptomata reſpiratio difficilis ratione diaphragmatis & tuſſicula inanis ex eadem cauſa!

QUOAD PROGNOSIN.

In genere *inflammatio* vel *diſcutitur* vel *ſuppuratur*, vel *ſcirrheſcit*, vel *gangræneſcit*. *Quando inflammatio diſcutitur eſt optimus finiendi modus: Hinc eſt iſte quando ſuppuratur* & abit in abſceſſum.

Quæ verò acido abundante & prædominante *coagulatur in ſcirrhum eſt mala*: propter tumorem contumaciſſimum: deinde propter tumorem curatu difficillimum: nî enim ſcirrhi cautè & legitimè tractentur facillimè efferveſcentiam concipiunt, & in cancrum exulceratum, degenerant: cùm cancer occultus & ſcirrhus in paucis differunt.

Inflammatio iſta quæ ex omnimodo ſanguinis in parte motu impedito *in gangrænam abiit, omnium eſt peſſima & periculoſa.*

Signa particularium inflammationum inferius ſuo loco habebimus.

Poſitis his fundamentis facilis eſt acceſſus ad

CURAM.

In quâ *omne id quod ſanguinis motum extrinſecus impedit, eſt removendum: Interius* verò *ſanguinis grumeſcentia & aceſcentia corrigenda*. ſive eadem fiens præcaveatur, ſive jam facta reſolvatur.

Ea ergo omnia quæ ſanguinem viſcidum attenuare ac reſolvere, acorem ejus corrigere, grumos incidere ac ita eundem mobiliorem, & fluxiorem denuò facere naturalemque motum ipſi reſtituere poſſunt, hic conveniunt.

Hinc *Sudorifera* reliquis *in curationibus omnium inflammationum* tam *internarum* quàm *externarum in ſpecie Eryſypelacearum præferuntur* idque in ſpecie ſi uſurpentur etiam vel admiſceantur ea, quæ experta ſunt quod ſanguinem congrummatum reſolvere valeant.

Dicuntur alias medicamenta contra caſum ab alto.

Cùm enim ſudor omnis fiat per talia cum acidum imminuunt ſanguinem tenuè ac fluidum reddunt. Unde in omni ſudore pulſus eſt frequentior ac robuſtior & percipitur ut vocant undoſus facilè patet quòd hic ſudorifera præ cæteris conveniant. Cùm hæc omnia teſtantur ſanguinis motum celeriorem ac rapidiorem.

Hæc autem *inter ſudorifera ſalia vol.* imprimis palmam obtinent, utpote cùm omnia hæc egregiam vim obtineant, coagulata & conglutinata omnia in corpore humano diſſolvendi eademque ad priſtinam fluiditatem deducendi ſimúlque ſudorem movendi. Hinc eſt quod exhibito tempeſtivè unico ſudorifero ex ſalibus volatilibus aut ſimilibus parato ſæpius pleuritides abſque ulla ven. ſect. cito ac tuto fuerint curatæ. Id quod ſimiliter de omnibus aliis inflammationibus intelligendum.

Quod ſi verò talibus internis non poteſt diſſolvi ſanguis: ſanguis enim in partibus diſcutitur ſudoriferis partim: partim in naturales alveos reducitur. Ubi hoc obtineri nequit tunc externis diſcutientibus ſal. volat. temperato conſtantibus diſſipanda inflammatio, aut ſuppurantibus & maturantibus ſanguis effuſus ac coagulatus in pus reſolvendus, & denique factus abſceſſus aperiendus mundificandus & conſolidandus. Quæ omnia hæc poſteriora cum ad Chirurgiam ſpectent, eadem eo remiſſa volo.

Interna ergò quod attinet remedia inflammationi in genere *convenientia*, eadem *nullo modo ſint purgantia* utpote quæ nihil proſunt, niſi ceu jurati ſervi ſemper ubi neque morbus neque ſymptoma urget præmittere velimus Univerſalia: Quin *potius ſudorifera blanda* quæ ſanguinem congrumatum reſolvunt utramque faciunt paginam.

Unde omnia illa quæ aliàs in ſpecie in pleuritide ceu frequentiſſima internæ inflammationis ſpecie commendantur ſimiliter in omni inflammatione in genere conveniunt.

Præterea eſſe utilia dixi imprimis *ſalia volatil.* quæ inter ſunt *Spirit. ſal. ammoniaci Spir. & ſal vol. CC. ſanguin. human. Oſſium human. &* ſimilia.

Ad hæc ipſa pertinent etiam, *ocul. cancr. mandibul. lucii piſc. dent. apri, CC. ſin igne ſ. præparatum, Ebur. ſ. igne, os de corde Cerv.* & ſimilia quæ omnia impregnata ſunt ſalibus volatil. temperatis.

Quin & *ſulphura metallica fixata* quæ acidum quodcunque in corpore deſtruunt hic in uſu ſunt, quæ inter

ter primatū obtinet *antimon. diaphoretic.* Item *Bezoartica* tam *ſimplicia* quàm *compoſita & ſimilia*.

Nec tantum animalium volatilia, ſed *omnia ex variis plantarum Antiſcorbutic.* aut *ſimilium acrium partibus* petita remedia *internè conveniunt*: qualia ſunt ex *Naſturtii ſpeciebus, cochlear. ex Eryſimo &* ſimilibus parata.

Quò pertinet etiam *ſpiritus theriacal.* tàm *ſimplex* quàm *compoſitus*, & ratione hujus in ſpecie *Miſtur. ſimpl. & tinctur. Bezoartic.* & ſimilia blanda ſudorifera.

Quin & adduntur ſimul his *Sperm. Ceti & ex vulnerariis* remedia ſanguinem congrumatum reſolventia, v.gr. ex *Chærefol. Bellid. minor. menth. papaver. rhœad.* & ſimilibus.

Spir. nitri dulcis ceu appropriatum contra inflammationes ſudoriferum & in ſpecie in *Angina & Pleuritide* admodum commendatum remedium, imprimis tamen in Angina.

Denique *omnia nitrata*, ratione febris conjunctæ conveniunt, tam *nitrum ſimplex depuratum* quàm *fixatum* in præparatione *antimonii* diaphoretic. & Bezoarticorum. Item *Trochiſci de nitro Mynſichti, ſpirit. nitr.* & ſimilia *ex nitro parata* remedia. Hæc ipſa propinantur internè provocato ſubinde blando ſudore.

Sic commendat SYLVIUS *prax. l. 1. c. 40. §. 28. duas miſturas* in inflammationibus quæ certè ſunt egregiæ & quibus ſæpius *pleuritides peripneumonias* & ſimiles affectus & præſervavit & curavit, v.g.

℞. Aqu. Petroſelin.
Hyſſop.
Fœnicul. an. ℥j.
Spirit. theriacal. ſimpl. ℥ß.
ſal ammoniac. ʒß. (prout fortis l. debitis)
Laudan. opiat gr. iv.
(ratione febris & inquietudinis.)
Syrup. papav. rhæad. ʒj.
miſc.

D. S.

Hæc ipſa miſtura ſubinde cochleatim brevi tempore eſt haurienda & æger benè contegendus, expectato blando ſudore.

Miſtura altera vid. *l. a.* §. 43. eſt quæ ſanguinem congrumatum reſolvit, & reſolutum partim diſſipat, partim in naturalem Craſin reducit.

℞. Aqu. Hyſſop.
Fœnicul. an. ℥ij.
acet. deſt. ʒvj.
Spirit. theriacal. ℥ß.
Ocul. cancr. præpar. ℥j.
Spermat. Cet.
Mumiæ Alexandr. an. ℈j.
Laudan. opiat. gr. iv.
Syrup. d. quinque radicib. ℥j. l. ℥iß.
miſc.

Hujus miſturæ aſſumat æger. ſubinde aliquod cochlearia & felicius non rarò diſſipavit inflammationes: qualis ſola in tempore uſurpata periculoſas inflammationes curaſſe gloriatur SYLVIUS.

Obſervetur in hac miſtura acet. deſt. & ocul. cancr. conjunguntur, utut enim ocul. cancr. diſſolvuntur ab acet. deſt. nihilominus tamen fit hoc ex eo ut potentius ſanguinem diſſolvant: Hoc enim modo uti loquitur HELMONT. odorem lixivii aſſumunt & potentius operantur uti SYLVIUS teſtatur ſe habere ex HELMONTIO: Et tales miſturæ ex fixis cum acidis ſunt ipſi in frequentiſſimo & ſatis felici uſu.

℞. Aqu. Scabioſ.
Flor. ſamb. aa. ℥iß.
ſpir. theriacal. ſimpl. l. camphor. ʒiij.
dent. apri præp. ʒj.
ſal. vol. CC. gr. xv. ad ℈j
Syr. ſcabioſ. ʒvj. M. p. 2. l. 3. doſ.

Quibus etiam pro circumſtantiarum ratione *opiata* addi poſſunt. Aut hujus loco.

℞. Unicorn. ver. præp.
maxill. luc. piſc.
CC. ſ. igne aa. ℈j.
ſal. vol. C.C. gr. xv.
laud. op. gr. ij. l. iij. M. p. 2. l. 3. doſ. in hauſtulo vini capiendis, expectando ſudorem.

In incremento inflammationum.

℞. Aqu. fl. ſambuc.
chærefol.
papav. rhæad. aa. ℥j.
aceti ſambucin. ʒiij. ad ℥ß.
lap. cancror. præp. ʒj.
mandib. lucii piſc. ℈j.
ſyr. papav. rhæad. ℥j. M. p. 2. l. 3. doſ.

Non rarò fiunt *Emulſiones ex Sem. Card. mar. & Card. benedict.* quibus adhuc adduntur appropriata, *antimon. diaphoretic. Sperma Ceti*, & ſimilia convenientia quæ admodum ſunt proficua in curandis inflammationibus.

Quin & *Miſtur. ſimpl.* ſeu *Tinct. Bezoart. a. ʒß. ad ʒi. in principio inflammationis* propinata imprimis ſi oriatur eadem *ex ſubitaneo corporis frigore* quocunque *poſt nimium ejus æſtum* ſecurè citò & potenter inflammationes diſſipant.

Quo etiam faciunt omnes *pulveres Bezoartici* SENNERT. & quicunque alii utpote quorum ingredientia non tantum acidum abſumunt ſed etiam ſanguinem diſſolvendo reſiſtunt inflammationi.

Spirit. nitri dulcis ad ʒß. in aqua chærefol. cum Sirupo papav. rhæados propinatus eſt egregius in inflammationibus internis, Pleuritide, Angina & ſimilibus.

His omnibus convenienter etiam *remedia ex ſambuco* adduntur: quia hic eſt egregius in *Eryſipelate.* Jam verò ut ſuperius monui omnes inflammationes internæ ſemper ſunt de natura Eryſipelatum.

Hinc *Flor. ſambuc. ſpiritus Eſſentia. rob. ſambuci per fermentationem* eſt eò magis uſitatus.

Dum febris urget, convenientiſſimum eſt *nitr. pulveriſatum* in potu ordinario diſſolvere, idque plus minus copioſè, prout neceſſarium fuerit Vel ſi in progreſſu morbi febris urgeat.

℞. Aqu. flor. ſambuc.
Card. Bened. aa. ℥ij.
Antimon. diaph. ʒj.
Syr. Card. Bened. aut.
papav. rhæad. ℥j.
ſpir. nitr. dulcis q. ſ. pro grato ſapore.

Capiatur ſubinde cochleatim, obſervando, ut, quantum poſſibile, corpus in madore conſervetur. Sub hujus defectu opiata non negligenda ſunt, quæ figendo ſpirituum impetum & hinc fibrarum nervoſarum ſolvendo ſtricturam, multùm promovent ſudorem. Loco potionis iſtius ſecundo loco poſitæ commodè etiam *miſtura theriacalis, ex theriaca & aceto*, ſupra, ubi *de febribus malignis*, inſinuata, uſurpari poteſt.

Solemne ferè eſt in omni inflammatione in genere *ingruente ſecare venam* idque uti dicunt *ſcopo revulſionis, averſionis & diverſionis.*

Jam verò ſtante ſanguinis circulo impoſſibile eſt rationem dare revulſionis & averſionis: quia impoſſibile eſt ſanguinem in aliquam partem fluentem ex corde per alium locum evacuandi revellere, v.gr. impoſſibile eſt ut ſanguis qui aſcendit ad oculum inflammatum per partes circulandus poſſit per ſectionem venæ pedis aut brachii revelli ut eò non luat. *Ex hypotheſi ergo Veterum explicare averſionem, revulſionem & derivationem eſt impoſſibile.*

Ut ergò pateat quid de his Hypotheſibus habendum, dicendum quòd ven. ſect. ſi fiat, fiat evacuando & ſanguinem imminuendo.

Imminuto ergò ſanguine in ſpecie ſi ſit plethora

tam

tam ſimpliciter talis, quàm ſecundum quid & ſecta vena movetur ſanguis omnis facilius, largius & promptius quoniam majus occupat ſpatium in depletis nonnihil vaſis: unde & ille qui ſtagnans ſubſiſtit in vaſis in loco inflammationis ſublata plethora nō adeo vehementer amplius ſiſtitur quin potius ad motum imminutum redintegrandum nonnihil diſponit. Sed parum eſt emolumenti niſi quod tantum nimium incrementum inflammationis aliquantiſper imminuatur.

Nihilominus *tamen neceſſum eſt, ut in loco convenienti inſtituatur. ven. ſect.*

Hoc ut pateat diſtinguendæ duæ corporis regiones ſuperior & inferior. Superior determinatur per truncum aortæ adſcendentem: Centrum eſt cor. Hoc eſt terminus à quo movetur ſanguis & iſtæ regiones ſuperior & inferior ſunt terminus ad quem movetur ſanguis.

Jam ergo *dum inflammatio* iſta *eſt in parte ſuperiori ſecamus venam in inferiore regione.* Et hæc poteſt vocari certo ſenſu *revulſio*, nempe quando ſanguis in parte ſuperioris regionis corporis in inferiori evacuatur dum hic ipſe in ſuperiori regione in quodam loco ſtagnat. Nam exinde hoc habemus commodi quod dum in regione inferiori evacuamus ſanguinem hic ipſe propter minus obſtaculum promptius movebitur inferiora verſus quam ſuperiora, dum ſcilicet ex corde erumpit in arteriam magnam: dum enim facta inflammatione in parte ſuperiore rami arteriæ magnæ adſcendentis ſunt infarcti, tunc in ramo arteriæ deſcendentis ob amplius ſpatium ſanguis è corde erumpens potius inferiora quàm ſuperiora verſus propellitur & ita revellitur, ſeu ad inferiora retrahitur.

Sed hoc fit tantùm tamdiu, quamdiu vena eſt aperta: ſimul enim atque eadem clauditur etiam ſanguis denuo æqualiter in ſuis canalibus circulatur: eo ipſo tamen quo imminutum, fuit ejus quantum, minus ſubſiſtit in loco inflammationis, quin etiam vaſis nonnihil inanis per ramos vicinos facilius movebitur quàm ut omninò in loco inflammationis ſtagnet. Unde quando revellimus primario quidem evacuamus ſanguinem 2 ſecundariò dum fluit adhuc ipſi promptiorem motum ad regionem contrariam conciliamus: & 3. dum denuò clauſum eſt vas propter inanita & imminuta vaſa nonnihil impedimus incrementum inflammationis.

Sed uti antea monui qui ingruente inflammatione ſudorifero eſt inſtructus poteſt his torturis ægrorum carere.

Porrò *quando ſanguis in quadam regione ſtagnando dat inflammationem ſi in eadem regione in loco vicino evacuetur, dicitur averſio* ſeu *revulſio particularis*, ſicut *ſi ſanguis evacuetur in contrario* dicitur *revulſio univerſalis.*

Sic v. gr. in Ophthalmia ſi ſanguis evacuatur in pede eſt univerſalis, dum evacuatur in brachio eſt particularis revulſio ſ. averſio: dum nempe ſanguis ſuperiora verſus facto foramine in loco vicino inferiore evacuatur eſtque nihil aliud quàm ſanguinis ſtagnantis per locum proximum evacuatio. Et hæc averſo ſeu revulſio particularis non habet, locum niſi jam prægreſſa fuerit revulſio univerſalis.

Tertium denique *quando ſanguis evacuatur in loco inflammationis proximo vocatur derivatio:* in qua derivatione debent incidi eæ venæ per quas aliàs ſanguis ſtagnans naturaliter ſolebat refluere. Hinc *in angina ſecantur venæ ſublinguales ſ. Raninæ* quoniam per has ſanguis in faucibus ſtagnans naturaliter deberet refluere, & hæc eſt derivatio.

Omnes hæ virium diminutiones per ven. Sectionem tantum operantur quantum evacuatur ſanguis, & quatenus imminuitur per ſe non ſunt neceſſariæ niſi in inſigni plethora aut iis qui conſuetudine ſe determinarunt ut ſtatuto tempore inanes inſtituant venæ ſectiones alias *omnes inflammationes citra ven. ſectionem tutò jucundè & citò ſanguinem congrumatum reſolventibus diſcutientibus & ſudoriferis poſſunt curari.*

In principio inflammationum tàm internarum quàm externarum ſuadent remedia *repellentia*, quibus volunt, ſanguinem ſtagnantem denuo repellere vel urgere ut retrocedat: id eſt volunt ſanguinem movere à termino ad quem ad terminum à quo quod ipſum impoſſibile eſt ſtante naturali ſanguinis circulatione: quoniam impoſſibile eſt ut ſanguis qui per arteriam influxit poſſit per eandem refluere.

Ergo *impoſſibile eſt omnis repulſio & omnia repellentia & intercipientia ſuſpecta.* Hinc fit ut repellentia iſta acida adſtringentia & ſimilia applicata ſæpiſſimè inflammationes reddant deteriores: id quod imprimis in Eryſipelatibus notum eſt in quibus curandis cautiores ſunt mulierculæ quàm Chirurgi qui omnia humida prohibent, quorum rigor eſt ſané inanis cum ſpir. vin. ſperma ranarum & ſimilia tutò applicentur Eryſipelati: Verùm quoniam experientia eas docuit quod humida quæ Chirurgi applicant ſæpius deteriora reddant & Eryſipelata & omnes inflammationes, quia ſemper habent adſtringentia quæ ſanguinem anteà ſtagnantem magis coagulant magiſque congrumant, & Eryſipelata in ulcera deterrima transmutant, quæ ſunt frequentiſſima in Gallia propter talem Chirurgorum, inertiam; Quare cautiores mulieres omnia prohibent aquoſa ceu repellentia aliàs vocantur Defenſiva: quæ ſive ſint ſicca ſive humida ſemper tamen ex adſtringentibus ſunt compoſita Flor. balauſtiori Cortic. Capparor. & ſimilia.

Certè natura morbi contrarium vult: Nam ubi ſtagnat ſanguis ibi partis tumor, ubi partis tumor, ibi anguſtia vaſorum ſanguinis, ubi major anguſtia ibi eadem non per repellentia aut ſimilia eſt augenda, quin potius quantum fieri poteſt eadem minuenda ut materia concreta poſſit promoveri & removeri.

Maximoperè *fugienda ſunt omnia repellentia & ſimilia* quæ vulgo utut perperam in inflammationibus applicantur.

Quod ſi

ERYSIPELACEÆ.

Fiunt *inflammationes*, imprimis adhibendum ſimul *Rob ſambuci*, quibuſvis formulis additum, aut pro vehiculo *pulv.* uſurpandum, ceu appropriatiſſimum Eryſipelatis remedium, præſertim quando motus naturæ excretorius deficit, nec debitè Eryſipelas effloreſcere poteſt, tunc loco ſtimuli uſurpatum *Rob* optimum eſt. *Eryſipelacea inflammatio.*

Quoad *externa* vel diſcutienda, vel ſuppurantia, hæc ad CHIRURGIAM pertinent. Sufficiat interim, quod omnium optimè de his agat SYLVIUS *l. 1. pr. c. 40. & Barbette Chirurg. p. 2. c. 3.* Ubi *Empl. diapalma in aceto* ſolutum in uſu eſſe ait: it. *folia braſſicæ, tabaci, hyoſciami* & ſimilia impoſita, calorem extrahere: Alios a recipere *ſtercus ovillum* in vino vel aceto coctum; nonnullos *flores ſambuci, meliloti, chamomillæ* & ſimilia *in lacte dulci: Cretam contuſam cum charta cærulea* impoſitam citò benè ſanare, refert. Fomentum ſequens commendat idem.

℞. Myrrh. rubr. pulv. ʒij.
ſacc. ſaturni ʒß.
camphor. ℈j.
opii gr. xxv.
vini albi Gallic. ℥vj.

Mixta calefiant, quo linteola madefacta imponantur parti affectæ, eaque toties renovanda, quoties frigefieri aut exſiccari incipiunt. Aliud ibidem ſubjungit maximè proficuum.

℞. Troch. alb. Rhaſis ʒj.
camphor. ℈j.
Sp. Vin. ℥v.
q. ſambuci ℥vj. M.

Pars

Pars etiam affecta, quinquies vel ſexies de die ſuffumigetur maſtiche & *thure*, præſertim ſi facies eryſipelate laborat, *vid. cit. loc.*

Quod jam attinet *Inflammationes in genere*, eas quidem internas ordine pertractabimus, externas Chirurgiæ relinquendo.

INTER INTERNAS Inflammationes ſe offerunt.

1. Quando interdum *Gula ac Fauces*, interdum *Tonſillæ* in faucium Iſthmo implantatæ interdum denique *Muſculi tam faucium & gulæ quam laryngis motui dicati*, vel *alii muſculi* his annexi *tam interni quàm externi* inflammantur:

Quæ poſteriores certam conſtituunt inflammationis ſpeciem: nempe.

Inflammatio muſculorum colli in ſpecie *laryngis & gulæ*, vocatur aliàs communi nomine.

ANGINA.

Angina. Præter cauſas omnibus inflammationibus communes: in ſpecie faucium ac gulæ ſummitatis inflammationes inducunt *res ineptæ deglutitæ*, quæ in faucibus hærent, aut fauces nimia mole anguſtant & ita vaſa comprimunt aut irritando aut acrimonia morſicando unde fibrarum contracturæ & ſpaſmi vel alio modo compreſſionem inferendo inflammationes inducunt.

Sic à *Spina piſcis* in faucibus hærente, & deglutiendo ibidem infixa inflammationem faucium & gulæ obſervavit SCHENCKIUS: Alii *ex partibus vitri devoratis*: faucibus infixis ibidem locorum inflammationem & tandem abſceſſum notarunt.

Ex potu aquæ fortis aut ſimilium liquorum corroſivorum inflammatas eſſe non rarò fauces ac Gulam res eſt nota.

Tonſillas inflammatas ac tumidas reddunt imprimis *lympha eorum nimis viſcida* eas infarciens ac ita ſanguinis naturalem motum ac tranſitum per glandulas impediens: unde ſucceſſivè earum tumor, quin & lympha per glandulas oris & vicinarum partium excreta nimis ſalſa acris vel acida, ut in affectibus contingit catarrhalibus, acrimonia ſua excoriando aut rodendo, iſtarum partium nunc graviorem, nunc leviorem infert inflammationem. Tonſillæ habent foramen amplum in ſuo capite ſeu tonſillarum tunica craſſa eſt foramine aperto perforata, quod hiat in fauces emulgens lympham nonnihil glutinoſam ſeu blandam ſalivalem in fauces ac gulam: quando ergo tonſillæ ſunt tumidæ ac inflammatæ hæc foramina inſigniter patent: unde ab imperitis interdum pro ulceribus tonſillarum in earum inflammatione habentur: obſervante SCHENCKIO jam olim *lib. 2. obſervat. ubi de Tonſillis.*

Denique *Angina* quæ aliàs dicitur *Squinantia* Germanis *die Braune* ſed malè ſic appellatur eſt potius ardor linguæ & actum fuit de hac ubi de febribus ardentibus.

Cujus præter cauſas omnibus inflammationibus aliis communes ſunt in ſpecie *omne ſubitaneum frigus inſpiratum* aut *potus nimis frgidus poſt nimiam ac intenſam corporis incaleſcentiam*: his omnia facillimè læduntur partes faucium & gulæ, ut ſanguis per eas tranſiens rareſcat ac ita à frigore ſubitaneo coaguletur ſtagnet & inflammationem inferat.

Fauces dico afficiuntur in Angina & ea pars colli imprimis, quæ conſtituitur à pharynge & ſummitate expanſionis ejus ſ. gulæ & larynge ſeu capite aſperæ arteriæ & his partibus nempe gulæ & aſperæ arteriæ annatis muſculis. Etſi enim utplurimum utraque pars tàm pharynx quàm larynx & ſæpiſſimè utriuſque partis muſculi tàm interni quàm externi afficiuntur, tamen interdum plus muſculi externi, interdum plus muſculi interni. Hinc enim nata eſt differentia quorundam qui *Anginam* diſtingunt *in quatuor ſpecies*, nempe *in Synāchen* quando interni faucium ſeu pharyngis muſculi inflammantur:

2. *Paraſynanchen* quando externi faucium ſeu pharyngis muſculi ſunt affecti.

3. *Synanchen* quando internæ laryngis partes ſunt inflammatæ, &c.

4. *Paracynanchen* quando exteriores laryngis ac gutturis muſculi ſunt inflammati.

Et quidem in *Synanche ſæpius ſunt affecti* PULMONES & *non ſolum muſculi interni laryngis*. Unde etiam tunc temporis tam inſignes reſpirandi difficultates quales in peripneumonia ſolent eſſe familiares.

Præter læſionem ab aëre ſeu *frigidæ potum externè*, ſæpiſſimè ad Anginam diſponunt *ordinariæ ſanguinis evacuationes ſuppreſſæ* imprimis *ſuppreſſio menſtruorum.*

Nam ubi jam ſemel quædam pars fuit afflicta ubi ſi ſanguis ſupprimatur propter robur partis læſum ſed inæquale denuo inflammatur. Unde mulieres Pleuritidi ſeu Anginæ ſunt obnoxiæ quando non ritè fluunt menſes aut aliæ ordinariæ evacuationes intermittuntur *in tali caſu* quod obiter noto, *tutius ven. ſectio fit in pedibus quàm in brachio.*

Obſervata fuit *Angina Epidemica* ſ. Angina Epidemica *conjuncta cum febre continua ardenti* à qua ita ſanguis fuit diſpoſitus ut facilè ſtagnando dederit inflammationes. Verùm cum miaſma morboſum inſpirando fuerit attractum, hæc in tranſitu affigendo ſe faucium & laryngis partibus, has ita affecit ut imprimis in iſtis locis facta ſit inflammatio iſta & ita Angina. Exempla habet VVIERUS *in ſuis Obſervationibus.*

Et ſingulare itidem exemplum refert PANAROLLUS *pentecoſt. 5. obſer. de Angina maligna Epidemica* ita contagioſa in puero ut parum mordendo digitos obſtetricis mox in parte commorſa carbunculus excitatus & obſtetrix ſimili Angina correpta fuerit.

Pertinent huc etiam *res faucibus infixæ* quæ & ipſæ & pharyngem & laryngem ſimul in inflammationem & ita in anginam cogunt.

Quò etiam pertinet *inunctio mercurialis pro cura luis venereæ ineptè inſtituta.* Uti enim copioſa ſalivatione curatur morbus ita hæc ſi non rectè fuit facit inflammationem faucium ex ſtagnante ſaliva & ſanguine influente; quale exemplum obſervat SCHENK. *lib. 6. obſervat.*

Dyſenteria pravè curata & ſuppreſſa in ſpecie *Dyſenteriæ Epidemicæ* interdum anginam inferunt: Sic exemplum tale habet LA MONIERE *Tract. de fluxu dyſenteric. Cap. V.* Ubi ex ſuppreſſa dyſenteria obſervat Anginam. Item hoc obſervat HILDANUS, *Tract. de dyſenteria*, quod dyſenteriis Epidemicis ſuppreſſis ſæpius ſequatur Angina.

Vulgò refertur *de luxatione vertebrarum colli* quod nempe hæc ipſa inferat anginam: verum cui nota eſt ſtructura vertebrarum colli videt quod hic tantum ſit Theſis nata ex falſa hypotheſi propter non rectè intellectum Aphoriſmum HPOCRATIS *ſect. 4. aphoriſm. 35. l. 15.* hic enim interpretatur de angina ex luxatione vertebrarum colli cùm tamen nihil aliud intelligatur quàm convulſio Emproſtotono ſimilis. Nam quòd non poſſit fieri angina ex luxatione vertebrarum colli & cervicis facilè patet, quin impoſſibile eſt ut luxentur: nam ſi luxarentur neceſſum eſſet ut ſumma viſieret, quo facto neceſſario ſpinalis medulla contorqueretur ſenſus & motus periret & ſequeretur potius apoplexia quàm angina. Proceſſus in ſpecie enim vertebrarum cervicis ita ſunt invicem connexi ut citra fracturam nullo modo luxari poſſint & ſi luxarentur potius præſentaneam mortem quam anginam ferrent.

Aliàs obſervetur præterea *quòd Angina ſit.*
Exacta & non exacta.

Angina exacta eſt ex ſolo ſanguine : Non exacta quando nō ſolus ſanguis eam infert,ſed *concurrit ſimul lympha ſtagnans* & vocatur *Inflammatio notha ſeu pituitoſa* , & poteſt talis conjungi cum vera , quoniam emulgent copioſam lympham glandulæ.

QVOD ATTINET SIGNA.

Præter Signa generalia omnis inflammationis, ruborem, calorem, tumorem, dolorem, quæ facile poſſunt conſpici, ſi os aperiatur in ſpecie, *addunt in Angina* quidem *incipiente difficilis colli motus non abſque dolore*; item *difficultas quadam reſpirandi* adeſt propter vias anguſtatas : *difficilis eſt deglutitio magis* tamen *ubi pharinx,minus ubi larynx inflammatus* : Et denique *dolor ardens* percipitur *in faucibus.*

In factâ verò *jam Angina* ſigna ſunt *reſpiratio ferè abolita,& nonniſi cum ſumma difficultate reiteranda*, ita ut quaſi immineat ſuffocatio : *Deglutitio impedita* ita ut liquor in ore detentus non poſſit intrare gulam, aut ſi aſſumi poteſt propter anguſtiam ſummam tamen denuo per nares regurgitat ſurſum : quam ſpeciem adeſſe dicit in hydrophobia JOSEPHUS *ab Aromatario*, utut pauci illi adſentiantur.

Denique *Febris adeſt acuta* , vel *parva* vel *nulla* , *lingua eſt ſæpius arida* vel *fiſſa* , interdum *tumet* , imò ſæpius materia viſcida ac glutinoſa linguam & fauces incruſtat,quæ nihil eſt aliud quàm lympha & ſaliva glandularum, tonſillarum inſpiſſata ac immunda reddita quæ incruſtando has partes,inſtar pelliculæ tenacis iiſdem adhæret.

„ *Pulſum* ita delineat *Pergamenus:* Anginæ pulſus
„ tenſione quadam præpeditus eſt & convulſo ſimilis,
„ magnus & undoſus, ut pulſus peripneumonicorum:
„ Quicunque vehementer ex illis ſuffocantur, habent
„ parvum & rarum ; ubi jam agunt, crebrum & inæqualem.

Hæc vel ſunt periculoſiora & majora in Angina,vel minora in inflammatione tonſillarum, minima in inflammatione capitis & gulæ.

QVOAD PROGNOSIN.

Hæ inflammationes aut *diſcutiuntur* aut *ſuppurantur* : & *ſi ſuppurantur* in ſpecie *inflammationes tonſillarum* , *abeunt in ulcera diuturna & difficulter ſanabilia : ſi* autem *iis intereat æger,ut plurimum ſuffocatus interit.*

Interdum per modum Criſeos terminantur. Sic refert FORESTUS.*lib.*15.*obſ.*14.deChināche vera quæ quarto die per fluxum menſium criticum fuit curata

Interdum *rupto abſceſſu pus ad pectus ruit*: undeinterdum *ſuffocantur* ægri : Exemplum ſimile ferè habet FOREST. *lib.*15.*obſer.*23. de Angina in pus mutata,quod ad pulmones & pectus ruens ferè ſuffocavit ægrum.

Fit interdum *ut Angina in principio evaneſcat,ſed in pleuritidem mutetur, quæ converſio* admodum *periculoſa* ubi habet AMATUS *Luſitanus cent.* 5. *cur.* 37.

Nam vel ad cerebrum transfertur,unde cephalalgia, deliria , phrenitis ; vel ad pulmones , unde peripneumonia, pleuritis; vel ad cor,unde syncope,vel ad alia loca, unde varia mala.

Pertinet huc *Aph.*10.*ſect.*5. *Hipocr.* quibus ex angina in pulmonem mali fit converſio , intra 7. diem moriuntur. Si verò hos effugiant , empyici evadunt. *Aphoriſmum* hunc optimè explicat *Lindanus* , nempe ea Angina, quæ eſt in arteria aſpera circa laryngem, ſi ſuppuretur , ut magna parte fit , ſi contingat eam membranam, quæ ſuccingit arteriam aſperam,per materiæ ſuppuratæ turgeſcentiam & pravitatem rumpi, ut metaſtaſis materiæ fiat in pulmones , intereunt intra 7. dies. Inflammatur enim ab hoc materiæ decubitu pulmo, hinc peripneumonia, aut ſuppuratur pulmo, unde empyema.

Febris cum Angina conjuncta ſæpius eſt continens, ſeu continuo ægrotos tenore affligens *interdum tertiana continua* , interdum *Hemitriteos* ; iſta *Angina* quæ *cum tertiana continua* producta ſeu cujus paroxyſmi 36. horarum fuit conjuncta , *eſt lethalis*, obſervante LINDANO *in* HARTMANNUM.

Denique *quo minus oculis ſe ſiſtit tumor,tàm in faucibus,quàm extra ſcilicet collum : eò majus imminet periculum* quoniam internæ laryngis & pharyngis partes ſunt obſeſſæ,*quò magis extra, eò magis tutum :* Internus certè paucis eſt tutus.

Ex ſpeciebus Anginæ, *graviſſima* omnium eſt *Chinanche levior, Paracinanche adhuc levior Synanche,leviſſima* eſt *Paraſynanche.*

Angina quæ facilè & ſubitò evaneſcit & quaſi ad interiora,ut ſic dicam,recurrit *periculum ſuffocationis*,vel alium gravem morbum minatur.

Denique ſi *Anginoſis ſicut ſtrangulatis* & ſuffocatis *ſpumæ circa os* apparent ſæpè *lethale ſignum* eſt.

Conſideravimus inflammationem faucium & colli, partiumque iſtarum tam internarum quam externarum.Supereſt ut conſideremus.

METHODVM MEDENDI.

Et quidem CURA in omnibus eſt eadem :

In ſpecie quod attinet *externa gargariſmata, cataplaſmata* , & ſimilia *applicantur uſitate in faucium, oris tonſillarum* , *uvulæ* , *laryngis & pharyngis, inflammationibus.* Unde & hæc ipſa ſub uno capite & uno ſermonis genere optimè poſſunt exprimi.

Interna in Angina ea quæ conveniunt , ſunt quæ aliàs in omni inflammatione , in ſpecie, in pleuritide ſunt in uſu , v. gr. *Miſtura ſimplex ſpirit. nitri dulcis, dens apri, antimonium diaphoretic.* & in ſpecie quæcunque *ſtercora animalium* , utpote quæ ipſa à PARACELSO & HARTMANNO inſigniter commendantur interno & externo uſu in principio Anginarum, quia imprægnata ſunt ſale nitroſo volatili de natura armoniacal. v. gr. *ſtercus canis* oſſa rodentis , ſtercora *ovium* , & *caprarum* , excrementa *hirundinum* & ſimilia : Hæc enim omnia egregiè in inflammationibus commendantur: In ſpecie in Angina interne conveniunt : quoniam febrim compeſcunt ſanguinem reſolvunt , & ita inflammationem tollunt.

Sic VALERIOLA *lib.*2. *obſer.*10. dicit,quod *raſura dentis apri ad* ʒj.*cum ol. amygdalar. dulcium* propinata ſit in Angina præſentaneum remedium , non minus quam in pleuritide.

Id quod etiam de *Stercoris canis ſ.alb. græc.* ʒj. ſimiliter affirmari debet.

In tonſillarum & oris inflammatione,præter ea quæ in genere in omnibus inflammationibus obſervantur ſemper ſimul *lymphæ habenda eſt ratio*,quæ nimis *craſſa* interdum ſimul *acida*,aut alio modo *vitiata per medicamēta interna anticatarrhalia,ſuccinata, myrrhata*, & ſimilia *corrigenda* & emendanda.

Convenient ergo in *omnibus inflammationibus à cauſa interna* enatis, imprimis ea *quæ ſanguinem reſolvunt & blando ſudore ventilant.* Talia enim tempeſtivè adhibita ſæpiſſimè ſunt ſalutaria.

Sin minus mox ad *venæ ſectionem* eſt accedendum & quidem in pede ſecando *ſaphænam* propter revulſionem univerſalem, *in brachio*,poſtmodum propter revulſionem particularem ſeu averſionem, ac denique *ſub lingua* in ſtatu propter derivationem.

Inter has *interdum* una interdum *plures requiruntur venæ ſectiones* & quidem *deficientibus vel menſibus* vel iiſdem *in fluxu ſuppreſſis*, itē in *hæmorrhoidibus inflammatis & ſimilibus vitiis cum Angina* conjunctis , neceſſario *ſempervena ſecanda in pede.*

Hæc

Hæc ipſa ven.ſect. juvare equidem interdum videtur. Cæterum ipſi ſoli minimè eſt fidendum quoniam ſæpius ægri quando videntur meliores ſubitò intereunt, cujus rei exemplum notatu dignum videbitis *in praxi* BARBETTIANA *lib.* 2. *capit.* 1. ubi poſt iteratas ven.ſectiones ægra videbatur ſanata quæ tamen ſubitò ſuffocata eſt.

Hæc ven.ſect.pro varietate ſubjectorum ac circumſtantiarum *interdum repetenda interdum una ſufficit, interdum plures* inſtituendæ *pro* ut *corpus* vel eſt *juvenile* vel *ſenile: prout ſanguinis abundantia* vel *major* vel *minor* prout *effervescentia febrilis impetuoſior* vel *remiſſior*, prout patiens *evacuationibus ſanguinis magis* vel *minus* aſſuetus &c. Idque eò magis quo minus interna remedia propinata ſperatum effectum obtinent.

Quidam ſuadent *ſectionem venarum jugularum* quam commendatam ac illuſtratam videbitis IN RIVERIO *p.* 398. item BARTHOLINO *Tractat. de Angina puerorum Epidemica.* Verum eſt periculoſa & nonniſi ab experto & erudito peragenda Chirurgo.

Quod attinet *ven. ſect. ſub lingua ſ. venarum raninarum*, vel caninatum. Hæc tantummodo in ſtatu morbi convenit quando jam inflammatio nullum capit amplius augmentum: Secantur enim tunc venæ raninæ quoniam per has naturaliter ſoleat refluere ſanguis qui in locis vicinis ſtagnat. Uti etiam ita impeditur ſtagnatio & revocatur in motum naturalem ſanguis ſectis venis raninis.

Interdum ſola hæc ſectio venarum raninarum præcavet Anginam. Sic enim ii, qui Anginam ſentiunt accedere protinus venas ſublinguas incidere jubent, præveniunt Anginam, eo ſcilicet in caſu; quo corpus non eſt nimis Plethoricum atque adeò quando non eſt conjuncta cum nimio fervore ac effervescentia febrili maſſæ ſanguineæ, ſed quando tantum oritur Angina ex impedimento aliquo ſanguinem in ſuo refluxu impediente. Si in tali caſu *mox in primo principio ſecentur ranina*, prævenitur malum: *Alias non niſi in perfecta Angina in ſtatu* præmiſſis reliquis remediis *utile eſt ſecare illas.*

Prognoſin ex modo, quo ſanguis ſectis venis raninis effluit, *vid. in M. A. N. C. ann.* 3. *p.* 376. Nempe ſi apertæ parùm vel nihil ſtillent ſanguinis, pro malo, imò lethali ſigno habetur.

Gargariſationes internas & externa emplaſtra, tàm *unguenta* quàm *cataplaſmata*, & ſimilia *eò in cura Anginæ directa ſint ut* 1. *reſolvant & diſcutiant ſanguinem ſtagnantem* 2. hoc ſi fieri nequeat *ejuſdem ſuppurationem* ſeu *maturationem adjuvent.* 3. *Tandem maturatum abſceſſum aperiant, apertum purificent & conſolident.*

(4.) Partem reſtitutam denuò firment, ac naturalem tonum ejus reſtituant, nempe adſtringentia. Equidem ratione vulgaris medendi methodi, in principio ferè adſtringentia uſurpantur, nunc ſola, nunc cum diſcutientibus miſta, ut nempè internè partibus oris & faucium nonnihil adſtrictis, nimium tumoris partium internarum incrementum præveniatur. Sed quam præpoſterè hoc fiat, ex doctrina *repellentium* manifeſtum, ac propterea periculum eſt, ne hujuſmodi adſtringentibus ſuperiora ſaltim loca proximè ſtringantur, inflammatio autem partium inferiorum & internarum ſic intendatur, ut rectè *Sylvius* monet *l.* 1. *prax. c.* 44. *th.* 58. *it. Deckerus in comment. in Barbett. p.* 57. Adeoque talia potius in fine mali conveniunt.

Verum *in principio interna reſolventia ſola rarò* uſurpantur, quin iis ſemper aliquid de adſtringentibus admiſcendum ut partibus oris ac faucium internis nonnihil adſtrictis & anguſtatis nimius tumor partium internarum præveniatur, ne deglutitio aboleri aut ſuffocatio inferri poſſit: Propterea *in principio ſæpè ſolis dſtringentibus utimur inter gargariſmata.*

Externè verò quæ applicantur *ſemper in principio emollientia & reſolventia* eſſe debent: quia tumor & inflammatio partis externè levior qam illa quæ partes internas occupat: cum ex interna inflammatione non rarò maxima imminent pericula.

Gargariſmi equidem *ſuſpecti eſſe poſſunt* quia partes inflammatas commovent, quæ tamen potius quietem poſtulant. *Unde* etiam *in Anginoſis melius eſt nullam inſtituere gargariſationem.* Nam propter luctam aëris ſeu halitus cum aqua gargariſata in anguſtiis faucium & propter laborem motus fit inflammatio potius major;

Propterea quidam omninò inhibent gargariſationes quin potius tantummodo de gargariſmo q. ſ. in ore tenere ac ita ſenſim ad fauces depellere, atque paulisper ſine inſigni agitatione retineri jubent ac ſic poſtmodum per cavum oris refundere. Id quod fit eò melius quando æger ſimul reſupino corpore jacet: ſic namque facilius ad poſteriora faucium delabitur gargariſmus.

In Angina febrium malignarum ſymptomatica ſeu quod ferè idem eſt ac Angina Epidemica, nihil attendendum prius quàm ut malignitas diſcutiatur ac expellatur quoniam curato morbo ſymptomata ferè ſponte ac facile acquieſcunt.

Et in tali caſu *locum non habent ven.ſect. neque purgatio niſi in ſummo principio* antequam malignitas debachari incipiat: tunc enim *potius ſolis ſudoriferis & alexipharmacis* eſt inſiſtendum quibus nempe ebullitio febrilis ſedatur ac malignitas rejiciatur.

Caveat etiam Medicus ſibi ab halitu tali Anginâ correptorum ægrotum ne ipſe ſimiliter ab hac malignitate corripiatur.

Vomitoria à multis inſigniter commendantur, v. gr. ab HARTMANN. *in ſua praxi* item à RULANDO qui ſæpius iiſdem, uſus fuit. Ultimo horum ſingulariſſimum uſum videri poteſtis in RIVER. *cent.* 2. *obſer.* 10. & 24. item in *cent.* 4. *obſ.* 60. & in aliis multis locis.

Verum & laudem & vituperium merentur. Legitima ergò occaſio quæ omnis Praxeos eſt anima obſervetur in vomitoriorum uſu. *Duo* enim ſunt *tempora in quibus conveniunt vomitoria aut principium aut periculoſiſſimus ſtatus.*

In principio morbi admodum *proficua ſunt vemitoria:* Nam fit interdum ut cauſa occaſionalis remota ſint vitioſa excrementa in ſtomacho & imprimis viis ſtabulantia in ſpecie humor quem vocant bilem æruginoſam in qua uti notū eſt, peccat acidum imprimis.

Quando ergò ægri teſtantur ſe in primo principio percipere vitioſos ſapores in lingua acrem, rancidum, ac quandam titillationem & quaſi eroſionem, id quod ſæpiſſimè fit in Angina ibi protinus opera danda vomitui qui vomitus non melius inſtituitur quam *per aquam bened.* RULAND. quæ non tantum quaſcunque vitioſos humores ex ventriculo tollit, ſed etiam interdum ſudorem movet. Sic ſæpius feliciter ſolitus fuit exercere praxin RULANDUS.

Præterea *in Angina maligna*, *& quæ per contagium* afficit ægrum cum iſtud contagium non minus quam peſtis, & febrium malignarum contagioſarum, per fauces hauriatur, *optimum conſilium* eſt in tali Angina *mox in primo principio ſuppeditare vomitorium*, utpote in quibus vomitoriorum uſus eſt maximè neceſſarius,

Poſt principium primum *conveniunt etiam vomitoria in ſtatu periculoſo quando* ſcil. *facta jam eſt ſuppuratio:* ſed propter anguſtiam & ineptitudinem loci abſceſſus ſuppuratus non poteſt aperiri quin potius ex tumore imminet ſuffocatio aut ſi aperiatur ſpontè, metus eſt ne in pulmones influat & ſuffocet ægrum, aut in ſtomachum irrumpat & eundem inſigniter vitiet, in talibus caſibus ubi alias arcta ſunt auxilia ut aperiatur abſceſſus, ultimum quaſi refugium eſt vomitus

qui potenter concutit abſceſſum jam maturatum rumpit, eoque rupto pus per ſuperiora evacuat.

Periculoſum equidem eſt remedium ſed tamen ſatis tutum, quod eſt unicum, inquit CELSUS: & licet medicamenta vomitoria non poſſunt deglutiri, nihilominus tamen vel *pluma ol. illita* ſubinde irritandæ fauces, vel *liquor vomitorius* iisdem ſubinde *inſtillandus* aut *Mercurius vitæ melle exceptus* faucibus applicandus: ſic enim ad vomitum ſtomachus proritatur, gula concutitur, abſceſſus rumpitur.

In tonſillarum inflammationibus, ſæpius ſubinde recurrentibus, præſertim illa, quæ ex lymphæ vitio, v. gr. ſcorbuto aliove ſimili habituali crebrius recidivat, præſertim ubi ætatis aut aliarum circumſtantiarum ratione à priori malum non bene curabile exiſtit, FONTICULUS brachio inuſtus convenientiſſimum eſt conſilium præſervativum. Sæpius enim evenit, ut qui ſemel in quadam parte inflammationem ſuppuratam fuerunt paſſi, & forſan fermenti ulceroſi aliquid reſiduum manſerit & facili occaſione ex irritatione undecunque factâ, præſertim in corpore cacochymico mox recidivet inflammatio, idque facile in locis glanduloſis; quibus in caſibus pro palliativâ curâ fonticulus videtur convenientiſſimus.

Non confundendæ ſunt inflammationes aliæquæ faucium partiumque vicinarum tumores, ſeu à ſanguine, ſeu ab aliis contentis excitentur, cum PRUNELLA, iſto nempe linguæ & faucium ſymptomate, quod in febribus acutis, ac in ſpecie caſtrenſibus ſeu Hungaricis familiare eſt. Ut plurimum hoc evenire ſolet, ut *de Angina* tractantes Practici, remedia contra prunellam uſitata ſimul conſignent, facilè cum legentis confuſione. Et talia *prunellæ* dicata, ſunt in ſpecie remedia *ex cancr. fluviatil. ſempervivo maj. prunella, mucilag. ſale ammoniac. nitro, butyro, lardo, &c.* quæ ipſa minus anginis, niſi aliis temperata, vel cautè applicata, convenire poſſunt.

Medicamenta ergò quæ aut gargariſando, aut illinendo, aut tanquam cataplaſmata applicanda, ſunt ferè ſequentia.

In Genere ferè *omnia conveniunt quæ in cura generali Chirurgica* locum inveniunt. Et quidem 1. *blanda adſtringentia, gargariſmis in principio admiſcendæ* ſunt talia, v. gr. *Roſæ, Myrtilli, Rhus ſ. Sumach. Balauſtia, Cortic: Granator, Prunella, Cortic. Juglandium, Flor. Malv. arboreæ, Fol. Rubi, & Myrthi, Vvulariæ, & Cervicariæ, Flor. Bellidis* item *aqua ſ. phlegm. aluminis, phlegm. vitriol. nitrum, ſimpl.* tàm *depurat,* quàm *nitr. fixum ſ. lap. prunell.* qui alias ab omnibus inſigniter commendatur: it. *ſpirit. vitrioli. aqua nucum jugland. deſtill. aqu. prunell. Plantagin. aqua fabrorum ſ.* ferrata aqu. *Solani, Burſæ paſtor,* &c.

1. *Rob. nucum, rob. diamor. rob. caricar. ſuccus acaciar, ſuccus malorum citrior. granator. ſirup. granator. ſirup. de roſis ſiccis, myrtillor. de ſucco cydonior.* &c. item *sacc. ſaturni, ceruſſa.*

2. *Reſolventia* verò & *Maturantia* quæ tam gargariſando, aut illinendo, aut tanquam cataplaſmata applicantur ſunt ſequentia.

Radic. Althææ, lilior. arbor. malv. plantag. (hanc certam ob cauſam huc refero) *Semperviv. majus* (annumeratur adſtringentibus vulgò ſed quâ ex ratione non video.)

Herb. menth. criſp. Salv. Veronic. Thymi, Origan. Puleg. Hyſſop. Melilot. chamomill. ſcabioſ. ſucciſ. ſ. morſ. diabol. ſem. lini, fœnugræc. aneth. cumin. farinæ horum, ſeminum in ſpecie *ſemin. ſinapi,* cujus ſal. volat. egregium eſt ad rumpendum & maturandum abſceſſum.

Radic. Glyzyrrhiz. Dactyli, Caricæ pingues, crocus, paſſul. major. & minor. jujubæ, cepa & omnia ex cepis.

Decoctum hordei aqu. verbenæ ſcabioſ. Hyſſop. lac tepidum, ſuccus cancr. fluviatil. ſuccus ſemperviv. major.

Sal. ammoniac. acetum (incidit, reſolvit) *acetum. ſambucin. Oxymel, caſſia* recenter extracta.

Mucilagines ſem. lini fœnugræc. &c.

Cinis, hirundin. cochlear. combuſtar. cancrorum fluviatil. cinis noctuæ, nidus hirundinum, ſtercora animalium in ſpecie *canis ſ. alb. græc.* it. *hirundin. gallinar. columbar.* ſterc. *humanum, equinum,* &c.

Porrò *Olea, amygdalar. dulc. lilior. alb. chamomelin. anethinum, violarum, butyrum recens, irinium, ol. ovorum, ol. decoction. Exuviar. Serpentum, ol. Heraclin.* RULAND.

Camphora, ſucc. cucumer. agreſtis, cum melle exceptus.

Pinguedo capon. gallinar. porcin. human. Anſerina, &c.

Cataplaſmata ex pane triticeo cum melle: ex nido hirundinis: ex albo græco.

Emplaſtra, de melilot. Diachylon: ex ſtercore anſeris, & melle coctis cum vino.

Vnguentum dialthææ, reſumptivum, &c.

Cataplaſma ex abſinth. contuſo cum *pinguedine porcina* miſtis in cataplaſma quod eſt egregium & quo ſolo graviſſimam anginam RULANDUS curavit.

Ex his variæ poſſunt fieri formulæ & quidem *in principio pro gargariſatione* optimum eſt *ſuccus cancr. fluviatil. cum ſemperv. majore expreſſus* & gargariſatus, qui admodum & ceu ſpecificum commendatur à PARACELSO & HARTMAN.

Item *Succus ſemperv. major.* in quo parum *ſal ammoniacum diſſolutum* ſit pro gargariſmate inſigniter convenit.

Porrò *aqua deſtillat. ex ſucc. ſemperviv.* in quo *ſal ammoniacum* diſſolutum eſt experimentum CONRADIN. probatum admodum *in principio anginæ.*

Aliàs in *decocto prunellæ,* diſſolutus *lapis prunellæ* vel ſolus incipientem anginam tollit.

Gargariſmi iſti fiunt, vel *ex decoctis,* partim ex *aquis deſtillat.*

Ex *decocto* habet HARTMANNUS *in prax. chymiatric. p. 85.* | *gargariſmum* ferè *catholicum,* quem commendat in omnibus ferè faucium, affectibus: ad ejus modum poteſt præſcribi talis gargariſmus qui in *principio* & adſtringit & potenter reſolvit.

℞. Flor. Malv. arbor. m. j.
rosar. rubr.
Herb. prunell.
Veronic.
Salviæ. an. m. ß.
Polypod. Quercin.
Sem. ſinap. contuſ. an. ʒij.

Coquantur in aqu. ſimplic. ℔iiß. vel aceti vini ℔ß. ad caſum tranſverſi pollicis, colatur. leviter expreſſ. add.

Sacchar ℥iij.
miſc. pro gargariſm.

D. S.

quod eſt egregium & incipiente & augmentante: Angina: Nam partim adſtringit partim reſolvit. Cùm ſinapi & reſolvat & maturatum abſceſſum rumpat.

Item. ℞. Herb. prunell.
Veronic.
Salv.
Scabioſ. an. m. j.
Radic. Polipod. Querc.
Glyzyrrh. an. ʒij.
Aluminis crudi ʒj.
Mell. roſac. ℥ij.
Aceti roſac. ℥iv.

Coqu. in ſ. q. aqu. ſimplicis, colatura cum leni expreſſione utatur pro gargariſmate in principio & incremento.

Vel ex aqu. deſtillat.

℞. Aqu. prunell.
Aceroſ.

Planta

Plantag.
roſar. an. ℔ß.
Rob. ſambuc.
Diamoron. an. ℥j.
deſtillent.
Liquori deſtillato adde ſingul. ℥iis. lap. prunell. ſ. nitr. fixi ℈j. adhibentur pro gargariſmate. aut.
℞. aqu. Morſ. diabol. ℥vj.
betonic.
Scabioſ. an. ℥iij.
Rob. Nuc.
Diamor. an. ℥iß.
Alb. græc. ℥ß.
miſc. pro gargariſm.
D. S.

Expertus admodum *Gargariſmus* eſt quem habet SCULTETUS *in armamentar. Chirurgic. obſ.* 32. qui in principio & incremento inhibet nimium tumoris incrementum, mucilaginem fauces obtinentem egregiè ſolvit & foras ejicit, & denique abſceſſum rumpit.

℞. Pulv. ſem. ſinap. ʒß.
Aceti vin. ℥j.
Aquæ plantagin. ℥iij.
Sachar. albiſſim. ʒij.
miſc.

Cujus gargariſmi inſignem ſucceſſum ſimiliter vidit RIVER. *cent.* 4. *obſ.* 76.

Ubi viſcidior mucus, præſertim in tonſillis inflammatis adfuerit, *ſem. ſinapi* contuſ. ʒj. ad ʒij. ſimil. decoqui poterit, ſicuti ubi acrior videatur talis *gargariſmus*, colaturæ *ſacch.* ℥j. vel ℥ij. aut *mellis* q. ſ. addi poteſt.

Moderni, ſpeciatim *Deckerus ſuper Barbette ſpirituum vini*, item *ſal. ammoniac.* ac ſimilia *volatilia* gargariſmis addere jubent. At ſanè exiſtimo, *ſpiritum vini uſtum* maximè conferre, ut & *ſalium volatilium* tantum, quantum partes affectæ, aliàs admodum dolentes, perferre poſſunt, idque confirmat hoc ipſum etiam, quòd in inflammatione & tumore tonſillarum urina, calida propria, modò emiſſa, gargariſationis loco adhibita, optimè prodeſſe dicatur. Et *Lindanus* refert, quod vulgus contra tonſillarum inflammationem familiare habeat remedium, ut caligas glandulis apponere ſoleat, *Die innere Sohlen der Schuche oder Strumpffe &c.* Sic reſolvunt tumorem. Ratio eſt, quia ſcatent ſudoribus & vaporibus pedum, in quibus eſt vis digerendi & reſolvendi, propter *ſal volatile*, quo abundant. Ex quibus clarum fit, *volatilia* pro inflammationum harum reſolutione eſſe optima, v. gr.

℞. Herb. hyſſopi.
flor. ſambuci.
chamomillæ.
herb. melilot. aa. M. j.
paſſul. min. ʒß. ad ʒvj. coq. in ſ. q. aquæ ſimpl.
Colat. ℞. ℔j. ad ℔iß. adde
ſpiritus vini ℥j. ad. ℥iß.
vel hujus loco, ſpirit. ſalis armoniaci ʒj. M. pro gargariſmo.

Vel in decocto quodam diluto diſſolvatur q. ſ. *ſal tart. & ſalis armoniaci*, ut ita ſui juris fiat ſal volatile, ac ita penetrare queat, addito pro temperanda volatilium acrimonia, aut *melle roſato*, aut *ſyrupo viol.* aliove ſimili temperante.

Sic pariter *externè* pro hoc ſcopo intervenire poterit *litus*, qui

℞. Ol. amygdal. dulc. ℥j.
ſpiritus ſalis armoniaci q. ſ. pro conſiſtentia linimenti extrinſecus locis tumentibus calidè crebrius illinendi; Vel ex *terebinth.* cum *ſale volatili urinæ aut ſal. ammoniaci malax.* & hinc cum *unguento dialth.* aut *emplaſtro de meliloto* miſta. Vel

℞. Ungu. dialth. compoſ. ℥ij.
ol. chamomill ʒß.
philoſoph. ʒij. M. fiat litus externè applicandus.

Vel ℞. Empl. de melilot. q. ſ. malax. c. oleo deſtillato ſuccini, aut ceræ & ita pro ſcopo diſſolvendi imponatur.

In progreſſu morbi minus acria minuſque ſalina *conveniunt*, ſed *tantummodo humida* quæ abſque acrimonia blandè detergunt atque dulcedine maturationem & etiam ſuppurationem adjuvant, v. gr.

In *progreſſu pro reſolvendo & maturando abſceſſu* convenit tale gargariſma.

℞. Rad. Glyzyrrhiz.
Ebuli.
Ireos an. ʒij
Flor. chamomill.
Roſar. rubr.
Hyſſop. an. p. ij.
Dactylor. num. iij.
Ficuum num. j.
Sem. fœnugræc. ʒij.
Alb. græc. ʒiij.
Coquant. in decoct. raparum.
Colatur. ℔iß. add.
Syrup. capill. veneris.
Jujubin. an. ℥j.
miſc. pro gargariſmat.

Nam propter dolorem & propter fauces excoriatas in progreſſu morbi vel minima acria ſunt admodum dolorifica. In progreſſu ergò morbi talia *dulcia ac blandè detergentia, & detergendo maturantia conveniunt.*

Sin dolor ſit nimius commodiſſimè coquuntur in *ſero lactis* vel *lacti recenti* & pro gargariſmo adhibentur. Nam ſerum lactis, & ipſum lac potenter detergunt & dolores leniunt.

Præterea gargariſmata etiam *externè* conveniunt *Emplaſtra, Vnguenta & Cataplaſmata.*

Inter *Vnguenta* uſitatum eſt. *Vnguentum dialthææ, cum ol. chamomill. vel amygdalar. dulc.*

Item Emplaſtra, *Emplaſtr. de Meliloto.*

Cataplaſmata, vel communiter ferè fiunt *ex pane triticeo cum radic. althææ* & ſimilibus v. gr. Cataplaſma tale commune eſt.

℞. Medull. panis triticei. ℔ß.
Rad. althææ.
lilior. albor. an. ℥j
Sem. lini. ʒvj.
fœnugræc. ℥ß.
Coquantur ex lacte dulci q. ſ. ad conſiſtentiam pultis trajiciantur per ſetaceum addatur.
Ol. Amygdalar. dulc.
lilior. albor. an. ℥ß.
Butyr. recent. non ſalit. ʒiii.
Croc. ʒß.
Vitell. ovor. no. j. miſc.
applicentur pro cataplaſmate.

Hujuſmodi enim temperata ac blanda temperant acrimoniam ſalium in inflammatione ſuppurando efferveſcentium: Dum ergo temperant acrimoniam eò magis minuunt dolorem & inflammationem & promovent concurſum & unionem in pus ſalſum.

Hoc fuit Cataplaſma commune, *Appropriata magis* ſunt ea quæ fiunt *ex nido hirundinum* (quo plus ſtercoris habet eo melius quod nitroſum. & armoniacale imprimis convenit in cura Anginæ.) Nempe nidus hirundinum cum ſtercore piſtetur cum melle, axungia porci & albo græco, & ſic fit cataplaſma ſimplex, ſed admodum egregium in curâ Anginæ.

Vel ℞. Nid. hirundin. no. i.
Alb. græc. m. i.

Hæc cum vino coquantur & applicentur inſtar cataplaſmatis quod admodum egregiè convenit.

Pertinent huc *Cataplaſmata officinalia compoſita:* item *Cataplaſma MYNSICHT. ex nido hirundin.*

din. vel poteſt fieri tale Cataplaſma compoſit.

℞. Nid. Hirundin. no. j.
cui adde.
Herb. Malv.
Althæ. an. m. j.
Flor. Chamomill.
Melilot. an. m. ij.
Farin. Hord. ℥iij.
Croc. ʒj.
Ol. roſar. ℥iiß.
Chamomill. ℥ß.

Coquantur & inſtar Cataplaſmatis applicentur.

His ipſis Cataplaſmatis *Cepæ ſub cineribus coctæ* vel etiam *ſuccus ceparum* convenientiſſimè additur: Cùm idem potenter maturet ſimulque abſceſſum rumpat. v. gr.

℞. Radic. althææ.
lilior. alb. an. ℥j.
Cepar. ſub cinerib. coctar. ʒvj.
Nidi Hirundin. no. j.
Ficuum.
Dactylor. an. no. iij.
Alb. græc. ℥ß.
coqu. in ſ. q.
Aqu. hord.
Colat. ℔j. adde
Farin. Tritic.
ſem. lini.
fœnugræc.
Althæ. an. ℥j.
Vitell. Ovor. no. ij.
Croc. Oriental. ʒij.
Ol. Chamomill. ℥iiß.
miſc. pro Cataplaſmat.

Quando applicantur hæc Cataplaſmata uſitatè prius *illinuntur externæ partes* cum *Vnguento* appropriato *de Althæa* vel alio molliente & tunc applicantur quod toties repetendum & reiterandum eſt quoties ſiccetur ſiccum enim nullius eſt uſus.

Præter hoc illinuntur etiam *fauces internè cum melle* cui permiſta ſunt in Angina convenientia. Hoc enim admodum maturat abſceſſum & ſuppurationem promovet. Cui ſi addatur tantillum ſal. ammoniaci eſt eò melius. Vel *illinatur cum melle Cinis hirundinum faucibus* quod etiam potenter maturat.

Quidam commendant tanquam ſpecificum, ad Anginam *filum purpureum cum quo ſtrangulata fuit Vipera* ſi collo circumdetur de quo experientia conſulenda, res videtur admodum dubia.

Facto jam abſceſſu, eoque bene maturato, neceſſe eſt ut aperiatur.

Si ſponte aperitur res eſt ſalva:

Verùm interdum fit ut non ſinè periculo fiat apertio, uſitatum eſt *ſemen lini cum* ℔j. *Hydromelit.* miſtum & ita Gargariſatum.

Alii *Spiritu vitrioli* attingunt abſceſſum, ſicque citò rumpitur.

Vel faciunt *Gargariſma* ad imitationem RULANDI *ex vini alb.* ℔ij. *& ol. vitrioli gt.* 30. Miſcent ac ſæpius gargariſando applicant: Sic enim cito ruptus fuit abſceſſus.

BARTHOLETUS ceu ſecretum ad rumpendum abſceſſum commendat *Cataplaſma* externè applicandum factum *ex Cremore radic. Ireos recent. cum butyro & ol. violaceo*, quod mirabili cum ſucceſſu abſceſſum rumpere aſſerit.

Aliàs *ſereatus*, *Tuſſis*, ac tandem *Vomitus* abſceſſum rumpunt.

Si *Scapello* internus poteſt attingi abſceſſus tutiſſimus eſt modus ut ita aperiatur.

Interim *Cinis noctuæ combuſtæ cum melle illitus* promptè abſceſſum, aperire aſſeritur.

Aperto Abſceſſu, *Vlcus in faucibus mundandum* ac denuo *conſolidandum* eſt.

Ad hoc ut mundetur & conſolidetur optimus eſt *Gargariſmus ex aqua mulſa* in qua aliquoties *ferrum ignitum extinctum fuit.*

Item *Decoctum Veronicæ cum melle acidulatum cum tantillo ſpirit. vitrioli* & purificat & conſolidat abſceſſum.

Quod etiam facit *Decoctum Plantaginis & folior. Quercus cum rob Diamor.* Hæc enim etiam & purificant & conſolidant.

Quod ſi propter latentem ſcorbutum *ulcera* talia *faucium* ſint contumaciora, optimum eſt, ſi *mel roſaceum* impraegnetur cum *ſpiritu ſalis bene rectificato q. ſ.* ad ſuavem aceſcentiam, quo ipſo multa præſtari poſſunt in faucium & oris exulcerationibus.

Quod ſi ſordidiora ſint ulcera, ad *æruginem* recurrendum eſt; nempe vel ad *aquam viridem Plateri*, aut *Hartmanni* quam *vid. in ejus praxi Chym. c.* 52. *hi.* 4. *&* 5. Quibus ipſis attingantur ulcera penicillo & hinc vel *gargariſmus*, *vel litus cum melle roſaceo* inſtituatur, vel horum loco recipiunt Chirurgi *ungu. Ægyptiacum*, ſubigunt *c. melle roſaceo*, ita ut acrimonia ejus ſic nonnihil temperetur. Hoc ipſo cum penicillo attingunt & mundificant ulcera, præſertim ſordida, aut jam ad gangrænam declinantia.

Denique *Linimentis* nonnulli aliquid *aluminis* addunt pro Conſolidando abſceſſu.

Quo facit *Miſtura* TIMÆI ad conſolidandum quæ eſt hæc.

℞. Radic. Ireos. flor. Angelic.
Caryophyllat. an. ʒj. aluminis uſti ℈ij.
Mell. roſar. ℥ij.
miſc. & loco abſceſſus illinantur.

Potus Ordinarius debet eſſe aut *Decoctum*.

Hordei blandum vel *ſolum*, vel cui *nitrum optimè depuratum* eſt admiſtum ita v. gr. Ut ad aqu. hord. ℔ij. miſceant. nitr. depur. ℥ß. Hæc enim internè optimè conveniunt.

Quod attinet Laryngotomiam ea ad Chirurgiam ſpectat: remedium aliàs ſatis tutum & abſque ullo periculo conjunctum.

Denique ſi neceſſarium fuerit, ad partes cum vino roborandas, fiat *decoctum ex herba prunell. plantag. & florum roſarum in vino decoctis*; quibus adde *dianucum* q. ſ. pro gargariſmate blande adſtringente. Interea toto morbi decurſu potui ſemper *nitrum depuratum*, aut *antimoniatum* addatur, ceu optimum febricitantium ac impenſe ſitientium ægrorum auxilium.

Quoad *Anginam nothum*, aliàs *albam*, optimè hanc pertractat *Mindererus in medic. militari p.* 109. *& ſeq.* Nempe ubi lentor viſcidus obſidet linguam, prodeſt abſterſio faucium, mediante linteo cum *aceto* & fiat poſtea gargariſatio cum *decocto florum liguſtri in aqua, cum pauco aceto* addita particula *ſalis armoniaci*; ſin verò *aphthæ* adſint, loco *ſalis armoniaci* addatur *alumen*; *ſuccus ſemper vivi recens*, *acuatus cum ſale armoniaco*, etiam loco *aceti* utilis eſt pro abſtergenda lingua. Purificato ore idem inungi poteſt cum *rob. nucum*, vel *diamor.* ſubactum cum pauco *melle roſat.*

Propter materiæ affinitatem conſideremus.

APHTHAS.

Aphthæ quas in infantibus vocant, *die Scroamme*, quæ nihil aliud ſunt, quam aliqualis excoriatio aut levis exulceratio omnium oris partium, ſubinde & œſophagi ac ventriculi, id quod patet tunc in rejectis excrementis, cum quibus ſæpius ſquamulæ rejiciuntur, ſeu leves quaſi cruſtulæ. *Aphthæ.*

Aphthæ ſuccedunt ferè febribus ingentibus & æſtuoſis ſuntque puſtulæ, quæ ſucceſſivè in ulcuſcula abeunt, & in febribus ingentibus his excitantur ex acrioribus humoribus, & ferè iſtis febribus ſuperveniunt, quæ homines crudi ventriculi, ſeu qui ſunt æruginoſis

ſis ſeu porraceis recrementis referti, corripiunt. Hanc ſi Medicus evacuare in tempore neglexerit, aphthæ neceſſario ſequuntur. Utut autem ventriculus purus ſit, nihilominus interdum aphthæ oriuntur, nempe à ſaliva corrupta, à ſalſo & acri humore. Quæ à ventriculo initium capiunt, in imis faucibus obſervantur; quæ vero ab acore ſalivali corrupto, plerumque incruſtare ſolent linguam, quæ tunc fit arida, pallida, viſcoſa & varia, prout peccant humores: Peſſimæ ſunt, quæ ex ventriculo non purgato veniunt. Totum enim ductum per gulam uſque ad fauces obſidere ſolent. Optimæ ſunt albæ, flavæ, candidæ, fungoſæ, molles, quando inſtar flocci videntur tumere. Sed quando ſunt glabræ, viſcidæ, ſubſidentes, compactæ, tales ſignificant morbum periculoſum & diuturnum; In inflammationibus diſcere poſſumus naturam aphtharum benignarum, quæ fiunt ex corruptione lactis; rarò namque non corripitur infans aphthis primis 7. diebus: Nihil autem melius, quam lac ipſum præbere, inde enim abſterguntur, modicè humectantur & molliuntur; ſunt & aphthæ rubræ & molles, prioribus deteriores, lividæ, virides & nigræ, omnium peſſimæ. Malum ſignum eſt, non facilè coqui, emolliri, humectari & longo tempore ſiccas, aridas, compactas, planas, æquales manere & quando diutius durant, tanto pejus eſt. Longum morbum ſignificant aphthæ, quæ intra triduum veniunt & abeunt: Has enim rurſus ſequuntur novæ, adeò ut ſæpius ſuccedere ſoleant & tantò futurus eſt longior morbus, quantò Medicus frequentius purgat. Nil enim pejus quam ſæpè purgare, eo tempore quo aphthæ ſunt. Aphthas futuras in morbo cognoſcimus ex ſapore & ſingultu; qui toto morbi decurſu non dormiverint, in ſoporem incidunt & tunc aphthæ prodeunt. Singultus accidit, ſi ſunt ex ventriculo & tunc plerumque ſunt deterioris notæ.

CURATIO tota conſiſtit in *humectatione*, quæ emolliat & leniter calefaciat. Cum vero aphthæ coctæ ſunt, abſtergere illas oportet vel ſpongiola alligata baccillo, vel linteaminibus; alterutrum intingi debet in *decocto* aliquo *emolliente*, *&c.* Quando igitur lingua incipit exaſperari, quod præcedit aphthas: ℞. *fol. ſedi majoris*, detrahatur pellicula ab utraque folii parte, hinc in aqu. *roſarum* imponantur, ut humida ſerventur, poſtea imponantur linguæ ad humectationem, pari ratione adhiberi poſſunt *folia portulacæ, aut mucilago ſem. cydoniorum cum aqua portulacæ extracta. Cum autem jam adſunt aphthæ*, optimum eſt *decoctum raparum*, ex quo expreſſus ſuccus imponatur linguæ, humectat & abſtergit. Si parum *ſalis prunellæ* vel *nitri* addatur, ardorem ſimul reſtinguit. Vel

℞. Herb. bellid. c. toto Mj.
ficuum pinguium no. ij.
coqu. in aqu. communi, adde ſalis prunellæ parum, quo humectentur fauces & lingua ſæpius.

In maxima ſiccitate. ℞. *butyrum recens inſulſum*, miſce cum *ſaccharo cando rubro*, ut fiat inſtar *boli*, teneatur in ore, emollit, abſtergit, addi poteſt pariter parum *ſalis prunellæ.* Quod ſi ulterius progrediantur in *ulcera oris* ſucceſſivè depaſcentia, quæ ipſa *oris ulcera* etiam ex aliis nata, frequentius ferè curantur *abſtergentibus* quæ inter eſt ſeq.

℞. Herb. veronic. Mij.
coqu. in ſ. q. aquæ ſimpl. adde mellis q. ſ. & adhibeatur; addi etiam poteſt.
herb. plantagin. effectu eo meliori.

Decoctum Saturejæ in vino à quibuſdam laudatur, ſed ſuſpecta, quia acris eſt, quaſi ignea, potius prædicta conducunt; item *phlegma vitriol.* cum *aqu. prunell. & plantag.* miſtum, egregium in ulceribus oris partiumque vicinarum. *Rob diamoron*, item *dianucum* detergunt & purificant ulcera, quibus in malo contumaciori parum *ſpir. vitriol.* aut *ſalis rectific.* pro ſuavitate acidâ addi poſſunt, præſertim ſi ſcorbuticum ſubſit vitium. In hujuſmodi *ulceribus gallicis* optimæ ſunt *aquæ virides Plateri* aut *Hartmanni*, de quibus ſuprà dictum; *confer & Hildan. cent.6. obſer.* 18. Par ratio eſt.

UVULÆ EXULCERATÆ

Undecunque etiam natæ, in qua etiam hæc ipſa remedia, in ſpecie *gargariſmus Hartmann. P. C. pag.* 264. *polychreſtus*, commodè uſurpari poteſt, qui in affectibus ori communibus & anginâ eſt præſtans: *Uvula exulcerata.*

℞. Herb. malv. hortenſ. mj. flor. roſar. rub.
prunell. veronic. ſalviæ aa. mß.
radic. polypod. quercin.
coqu. in aqu. portulacæ ℔iv. aceti vini ℥vj. uſque ad caſum tranſverſi pollicis, poſtea colentur & colatura leniter exprimatur.

Sicut de his & cognatis oris ejuſque partium malis vid. *cit. loc.*

UVULÆ VERO PROLAPSUM

Seu relaxationem optimè curare docet, & inſtrumentum ſingulare pro uvula nimis tumente abſcindenda deſcribit *Bartholin. cent.*2. *hiſt.*88. Aliàs recentem uvulæ prolapſum curat *fermentum cum ſpir. vin. humectatum* & vertici impoſitum, una cum gargariſmate *& decocto florum liguſtri cum nitro & ſale prunellæ*; item *ſal. decrepitatum cum pauco pipere* applicari poteſt uvulæ ita prolapſæ. Loco *ſalis communis* optimum eſt *ſal. armoniacum*, ſubinde uvulæ applicatum. *Spiritum aluminis* commendant Alii; quod ſi ſimul *Uvulæ prolapſus.*

UVULÆ INFLAMMATIO

Adſit, optimum eſt *decoctum herbæ aut radicis taraxici*; *ſuffitus ſuccini* ore exceptus ſpecificum eſt *Rulandi.* Vel *ſemen cannabis* in poſca parum coctum & colatum, pro gargariſmate adhibitum, eſt unum ex optimis remediis; vel *radix tormentillæ & uvulariæ herb. an.* coquantur in cereviſia ſecundaria & cum modico *mellis* edulcorata, exhibeantur pro gargariſmate. Nempe Uvula eſt parva glandula in imis faucibus à palato pendens, laxa quadam membrana tecta, in qua tanquam in ſacco pendet. Non enim hac tegitur, ſed præter hanc, propriam membranam ſuam, obtinet. Deſtillat ex illa glandula tenuis ſalivalis humor ſui generis, in membranam perforatam & per hanc in palatum; quoties autem materia eſt viſcida, membrana oppletur & impeditur influxus, ſicque fit laxitas & diſtenſio membranæ, modo dictis corrigenda. Quibus ſi dolor ex irritatione aut diſpoſitio inflammatoria exinde accedat, *diacodii Montani* parum modo dictis addi poteſt. *Uvulæ inflammatio.*

INFLAMMATIO VENTRICULI

Cauſas habet eaſdem quas reliquæ inflammationes in genere. *In ſpecie* interdum *aſſumpta acria* aut *vitioſa* inflammationem inducunt in Ventriculo. *Inflammatio ventriculi.*

Sic namque HILDAN. *cent.*1. *obſer.*54. obſervat inflammationem Ventriculi, cum Febre ardente & horrendis ſymptomatis obortam *ex deglutitione aciculæ.*

QUOAD SIGNA:

Eadem ſe facile manifeſtant. Ubi enim *cum febre ardente conjunctus eſt, tumor in præcordiis, ſub Coſtis nothis dolens inſigniter cum gravi æſtu ejuſdem loci* facilis eſt ſubſumptio de inflammatione Ventriculi.

Nonnunquam ſuccedunt *deliria*, nonnunquam *convulſiones* in ſpecie, ſi orificium unum fuerit inflammatum.

Non tamen confundenda Ventriculi inflammatio cum inflammatione lobi hepatis, vel cum inflammatione *muſculorum rectorum in regione ventriculi*, qui Ventriculo ſuperjacent. Nam inflammationes Ventriculi magis ſunt

ſunt in profundo: Inflammatio vero lobi Hepatis eſt magis circumſcripta & quaſi attactu poteſt perſentiſci. Denique mox externam obtinent regionem Thoracis muſculi abdominis recti.

Deinde in inflammatione Ventriculi ſæviſſima adſunt Symptomata, *malum ipſum eſt peracutum*, quod ipſum ſimiliter non erit in illarum partium inflammationibus.

Dum ergo dico eſſe malum admodum periculoſum facilè patet eſſe morbum admodum furioſum & inſigniter periculoſum ſæpiuſque deſperatum imprimis ubi in principio ſunt vires infractæ.

Quoad *ruptionem abſceſſus*;

Melius eſt quod *aperiatur infra Ventriculum* quam circa Peritonæum, in parte inferiori evacuatur, pus etiam Peritonæo Gangrænam infert.

QVOAD CVRAM.

In inflammatione Ventriculi *Cautio* eſt adhibenda, *in Sectione Venæ* ne plus ſanguinis evacuetur quam opus ſit.

Cùm enim affectum hunc ſoleant comitari Syncope & virium imbecillitas ob Ventriculi dolorem propterea in Ven. Sect. hic ſumma cautio eſt adhibenda.

Purgatio in principio nulla convenit, uti hoc confirmat Exemplo quodam ab alio petito FORESTUS *lib.* 18. *obſer.* 31. de puella quæ cum tertia die ab inflammatione Ventriculi ſumpſiſſet purgans, quinta die interiit.

Methodus medendi, inflammationis Ventriculi, eſt eadem cum inflammationibus reliquarum partium.

Nam *internè* conveniunt *medicamenta ex papavere rhœad. Card. benedict.*

Idem Convenit *nitrum antimoniat. vel nitr. cum ſulph. fixatum. Quo ſolo nitro tam fixato quàm ſolum purificato in Decocto Hordei*, ſæpius propinato curavit ſuam filiam inflammatione Pylori laborantem LINDANUS.

Aliàs *infuſum Liquiritiæ roſa in aqu. ſimplici* ſubinde hauſtum eſt medicamentum quo curavit inflammationem Ventriculi RULANDUS *in Theſaur.* Cui ſi *nitr. depurat.* additum fuiſſet, remedium fuiſſet eo efficacius.

Porrò *ſpiritus nitr. dulcis* item *Miſtur. ſimpl.* egregiè laudantur.

Sachar. ſaturni, item *Cryſtalli Miner. ſaturni cum ſpiritu nitr.* paratæ ſunt egregiæ item *nitrum depurat. cum Antihect.* POTERII miſtum & propinatum probè conducit. v. gr.

℞. *nitr. depurat.* gr. xv.
(melius eſt in hoc caſu depuratum quàm fixum.)
Antihect. Poter. ℈ß.
Sachar. ſaturni gr. v.
miſc. f. pulv.

Externè in principio adhibetur *ſuccus cancr. fluviatil. una cum aceto ſubactus*: quo pro fotu Ventriculo admotus eſt remedium commendatum à DEODATO *in Pantheo Hygiaſtico*.

Vel applicatur *aqua Plantaginis & ſolani cum Sacharo ſaturni*, quod inſigniter commendat PARACELSUS ad curam inflammationis ſtomachi.

Vbi verò inflammatio degenerat in Abſceſſum convenit egregiè *Terebinthina cum aqu. Abſinth. tota* ſi bis terve detur aut enim reſolvit, aut maturat Ventriculi abſceſſum.

Sicuti etiam omnia ex *Scabioſa* parata ſive *aqua*, ſive *Syrupus*, ſive *ſuccus Scabioſæ*, interne quodcunque Abſceſſus ventriculi, aut reſolvunt, aut maturant quibus *Spiritu tartari* addendum nonnulli ſuadent.

℞. Aqu. ſcabioſ. ℥ij.
Syr. de ſucco ſcabioſ. ℥iß.
ſpiritus tartari rectif. vel.
carminativ. de tribus. ʒj. M.

Quod ſi aperto abſceſſu jam genitum ſit ulcus, uſurpetur *decoctum hordei* vel *hyſſopi cum melle*, item *ſerum lactis* aut *lac chalybeathum*, mundificant & conſolidant, *decoctum radic. chinæ cum herba ſcabioſa* præparatum confert. it. *CC. uſt. terra ſigillata*, *bolus armena*, &c. *oleum ſeu balſamum maſtichis cum oleo hyperici* expertum fuit in *Cultrivoro Pruſſiaco*, de quo videatur *Beckerus de Cultrivoro Pruſſiaco p.* 182. ubi plura huc facientia reperiuntur; quod ſi ex acribus corroſivis aut ſimilibus aſſumptis, arroſus aut exulceratus fuerit ventriculus; præmiſſo in principio *vomitu*, *lacticinia*, it. *terra ſigillata* ſunt convenientiſſima, it. *tragacantum* in aqua florum roriſmarini ſolutum, *vid. Bartholin. cent.* 6. *hiſt.* 21.

Quoad EXTERNA inflammationi ventriculi convenientia, in principio fotus ex *chamomillâ* & *roſis rubris* imprimis convenit, in vino aut ſaltim aqua coctis & crebrius applicatis. Quod ſi ad ſuppurationem videatur vergere malum, fiat *fotus* vel *cataplaſma ex foliis brancæ urſinæ*, *radic. althææ*, *roſ. rubr.* aa. Mß. quibus ad putrilaginem coctis, adde *farin. hordei*, *flor. chamomill. ſem. fœnugr.* aa. ℥ß. c. *ol. roſar.* & *chamomelino* F. Cataplaſma quo tempore præter ſupra laudatam *ſcabioſam* & internè *paſſullæ c. ficubus*, *malva* & ſimilibus, in *ſero lactis* coctis adhiberi poſſunt.

BARTOLETUS *de reſpiratione* ad aperiendum abſceſſum ventriculi., pro expertiſſimo habet *pulverem Lapid. Pavoni* ſeu *Malachitidis*, cujus odor abſinthii odorem refert: Cujus lapidis *pulvis ad* ʒj. potatus fracta Ventriculi Vomica pus Vomitu expurgat.

Vel quod fortius eſt & ad apertionem abſceſſus diſponit.

℞. Sem. Fœnugræc. ℥iij.
Ferment. ʒj.
Stercor. Columbin. ℥ij.
ol. Chamomill. ℥iß.
Mell. ℥j.
miſc. pro Cataplaſmat.

quod applicetur regioni ſtomachi inflammati.

Aliàs rarum malum eſt inflammatio ſtomachi. Exempla *vid. in Amat. Luſitan. cent.* 3. *cur.* 39. *Foreſt. l.* 18. *obſerv.* 1. 30. it. *Zacut. Luſitan. Med. Princ. l.* 2. *hiſt.* 63.

Juxta ſtomachum inflammatum ſubinde etiam.

INFLAMMANTVR INTESTINA.

Quæ inteſtina inflammata præter *CAVSAS INTERNAS* communes omnibus reliquis inflammationibus, interdum etiam *Ileum* interdum *Herniam*, interdum *externam contuſionem* ut ſimilem læſionem præſupponunt, ut inflammentur. *Inteſtinor. inflammat.*

SIGNA inflammationis inteſtinorũ ſunt facilia: percipitur enim in loco inflammato *tumor quidam rotundus ac renitens*. Unde hunc tumorem in inteſtinorum inflammatione Veteres vocarunt *Chardapſum*, quoniam inſtar Chordæ convoluta aut indurata apparent inteſtina: Præterea in loco iſto percipitur *intenſus ardor ac vehemens dolor*: *alvus eſt occluſa & non raro contracta*, *excrementa per os rejiciuntur* ut fit in Ilei inſultu. *Febris adeſt acuta*, & *tormina* inteſtinorum, ſubinde ſuperiora verſus contorquentur.

Si afficiantur inteſtina Tenuia omnia hæc ſunt graviora & perículoſiora ac ſitus doloris & caloris medium ventrem imprimis occupat: *Vbi verò afficiuntur craſſa* Symptomata nonnihil ſunt remiſſiora, & ſitus periphæriæ inteſtinorum craſſorum demonſtrant eorum affectum.

Inflammato inteſtinorum periculoſum eſt *malum*, *periculoſiſſimum quæ ileon inteſtinorum occupat.*

Facilè & ſæpius cito in gangrænam ac ſpacelum inteſtina inflammata terminantur.

Unde *raro evadunt ægri quin potius* in malo hoc peracuto *cito moriuntur.*

IN

IN CVRA tractentur leniter, ne irritentur crabrones, adeoque aut mortificatio, aut ileus citius provocetur. Sanguis g. *ſecta* in brachio *vena* revellendus, idque interdum etiam repetitis vicibus. Hinc ſi alvus aperta non ſit, CLYSTERES injiciantur, iique tales, qui non requirunt longum tempus ad præparationem, quia morbus præceps, ſed ſit εὐπόριςον, v. gr. ſolum *decoctum hordei* cum *melle* aut *ſaccharo rubro*, aut *nitr. depur.* ʒj. ad ʒij. Vel *Clyſteres ex lacte cum ſaccharo violaceo* vel *melle rutaceo*, vel *ex lacte* cum *ſucco plantag.* item *clyſter ex ſucco* aut *decocto cancr. fluviatilium.* Hinc leniendi cauſâ *externè* applicetur *cataplaſma* diſcutiens in lacte ejuſve ſero coctum; præ cæteris commendatur hic à *Lindano omentum vervecinum*, animali vivo extractum & ventri calidiſſimè impoſitum. Oportet igitur in eodem conclavi animal diſcidere, omentum extrahere & leniter involutum immediatè abdomini imponere, pulvillis calidis ſuperimpoſitis. Si dolor non ceſſat, aliud omentum imponatur, imo tertium. Oportet ſimul *internè* dare *anodyna*, verbi gratia *laudanum*, quibus ſi dolor ſucceſſivè remittat & ſomnus ſuccedat, ſalva res eſt; ſi non & delirium ſequatur, mors certa. Sin dolor ſubitò ceſſaverit, ex gangræna æger brevi moritur.

Internè convenit talis miſtura qualem ſcilicet præſcribit BARBETTE *in praxi de ileo.*

℞. Aqu. prophylac. ℥iß.
rosac. ℥ß.
card. ben. ℥iiiß.
ſucc. ſemperv. maj.
depurat. ℥i.
bezoard. min. ℈i.
ſirup. de portul. ʒxii.
miſc.

hauriatur cochleatim ſubinde bene tecto corpore.

Item *ſacharum ſaturni* aut *ol. ſaturni per deliquium* paratum ſimiliter conveniunt *internè*: Item paratum *Balſamum ex ol. hoc ſaturni per d. miſtum cum ol. roſaceo* & *externè* inunctum remedium eſt commendatum ab HARTTMANNO.

Poſt Inteſtina ſubinde.

ANVS INFLAMMATVR.

Ani Inflammatio. Idque vel *ex violentæ cauſa externæ contuſionis* nempe *aut concuſſionis vehementis vitio*, item *ex irritatione*, *v. gr. per piperata* aut *chartas vitriolatas applicatas.* Vel ex *interna cauſa* imprimis *ex hæmorrhoïdibus ſuppreſſis* inflammationem in inteſtino recto ac externo ano excitantibus.

Signa Ani inflammati ſunt *dolor ejus pulſatilis*, propter arterias hæmorrhoidales ac ſanguinis impeditum motum iſtum pulſum ſenſilem excitantem: nonnunquam lenem & occultum ſi in interna parte, interdum tamen tangi poteſt digito externè applicato, vel ſi eodem prematur anus.

Denique *peculiare ſignum* eſt quod *foramen ſeu podex ipſe vel ejus circulus introrſum percipiatur retractus.*

Inflammatio ani *ſæpius niſi rectè tractetur degenerat in abſceſſum & hic in fiſtulam*, quæ fiſtula interdum penetrat in veſicam, hinc crepitus & ſtercora ſubinde per veſicam emittuntur.

In periculoſa ergo ani inflammatione quoad *CVRAM.*

Mox in principio detur opera ut *alvus aperta ſervetur*: alias enim dolor & reliqua ſymptomata omnia fiunt graviora, quando fœces retentæ & induratæ poſtmodum excernuntur.

Clyſter ergo *emolliens ex lacte ex decocto verbenæ ſ. Parietar. ex fol. Melitoti cum ſacharo* &c. *injiciendus.*

Quod ſi *indurata* jam fuerint *fœces* huic admiſcendum *ſal. gemmæ*, quod potenter fœces reſolvit.

Quod ſi unum Clyſma injectum & rejectum non videatur egiſſe ſufficienter, aliud injiciendum *cum ol. rapiſtri ſ. napi ſylveſtris* miſtum. Hoc enim eſt appropriatum. Injiciatur autem Clyſma, leviter & ſuſpenſa quaſi manu ne dolor & ardor augeatur.

Externè foveatur anus cum decoct. agrimoniæ & menth. ſaracenicæ, cum aqua, & *acet.* parato, applicetur *pro fotu*; quod eſt appropriatum diſcuſſivum in inflammatione ani.

Item *Verbaſcum in aqua decoctum* convenit *pro fotu* ſimiliter in inflammatione ani.

His *folia ſolani & portulacæ*, aut etiam ſi dolor urget *folia hyoſcyami* addi poſſunt.

Mucilago ſemin. pſyllii aut *ſemin. Cydoniorum cum aqua ſemperviv.* extractæ, addito *ſachar. ſaturni* applicatæ etiam ſunt utiles.

Item *lac cum albumine ovi agitato* miſtum & *pro fotu* applicatum convenit in podicis ardore & inflammatione *ex contactu piperatorum & rerum adurentium*, uti obſervavit hoc PLATERUS *in obſer.*

Quod ſi jam factus ſit abſceſſus hic promptè curandus eſt per *Balſamum ſulphuris*; quod optimum eſt remedium & hoc ipſum diligenter faciendum eſt, quoniam aliàs degenerat in fiſtulam, quæ interdum in veſicam hiat, ita ut tunc ſtercus ſæpius per veſicam urina per anum excernatur, it. præparetur *unguentum Nicodemi*, ut vocatur & deſcribitur in *antidot VVeckeri*; quod *balſ. ſulph.* permiſtum, optimum erit remedium, pro curando hujuſmodi abſceſſu. Sin abſceſſus in fiſtulam abierit hæc ſe facile non patitur curari; optimum tamen remedium eſſe dicitur, *ol. dulce mercurii*; quod videatur in *Agricolæ comment. in Poppium. Internè curatur* hæc inflammatio ſicut reliquæ omnes *per blanda & temperata ſudorifera.*

Subſiſtimus adhuc in ſpeciebus inflammationum & quidem pervenimus ad

INFLAMMATIONEM MESENTERII

Meſenterii abſceſſus ejuſdem *tumores* rarius & in ſpecie, *inflammationes ſæpius ſunt origo* & fons *latentium & pertinacium morborum*, ex eo quoniam difficillimè cognoſcuntur, cum meſenterium in profundo ſitum aliis partibus hinc inde circumſertū, & propter ſenſum obtuſum minus clara ſunt ſymptomata. Unde ſæpiſſimè & ægros & medicos fallunt. *Meſenterii Inflammatio.*

Adſunt præterea *glandulæ variæ*, quæ diverſimodè affectæ, varia abdominis ſymptomata inferunt. Accedit *textura nervorum* multiplex per meſenterium ſparſorum, unde partes aliæ per conſenſum ſimul afficiuntur, ut nequeamus ob id rectè diſtinguere MESENRII proprios AFFECTUS ab aliis. Frequentiſſimè *inflamationes* ac alios tumores & occultos abſceſſus patitur, hinc etiam *tumoribus* ſtrumoſis aut *ſcirrhoſis* glandularum afficitur; id quod exempli gratia non rarum in infantibus, c. atrophia & tumore quaſi tympanitico abdominis, ex iſta cauſa affectis. Affectus quos inferunt iſta *Meſenterii vitia*, tumores & abſceſſus, ſunt varii & vagi, nunc gravius affligentes, interdum indolentes, interdum frequentius, idque in paulo obeſioribus, plus minus doloroſi, nunc circa dorſum & lumbos dolorem, nunc in abdomine, ac præſertim circa umbilicum tormina inferentes, lenti tamen omnes & diuturni; ſubinde cum *febriculâ erratica* complicati, aut ſaltim vagis æſtuationibus & intercurrentibus interdum horroribus leviter comitati, quæ ſymptomata ferè ſunt propria membranoſis partibus affectis. Corpus ſimul ſucceſſivè utplurimum emaciatur; reſpiratio evadit difficilior & ſubinde aliquid moleſti, quod ipſi ægri ſatis explicare nequeunt, ſe in abdomine & circa præcordia ſentire affirmant. Venter nunc inflatur, nunc ad interiora dorſum verſus quaſi retrahitur; dolor aut lūborum aut abdominis ſubinde per intervalla recurrit & ſæpè multis annis affligit; flatulentiæ plures inſimul

ægros vexare ſolent. CURANTUR tamen ferè ut alii affectus chronici cachectici aut hypochondriaci, *interne* quidem per *ſalia ſalſa*, *tartarea*, *vitriolata*, *nitroſa*, *abſtergentia*, ut & per *volatilia*; hinc per *martialia*, ſubinde *aromatica*, *amara*, *aperientia*, aut *hepatica* vulgò dicta, interpoſitis blandis *purgantibus*; tractentur tamen cautè & ſine violentia, exaſperantur aliàs & deteriores evadunt, ob nervos tunc irritatos. *Externe Empl. ex gummatibus*, *de cicuta*, *de Nicotiana*, *Empl. Vigonis de ranis c. mercurio*, *vel ex gummatibus & mercurio*, deſcriptum *à Barbette in Anat. pract. p.57*.

Plura tumorum & abſceſſuum occultorum in *Meſenterio*, hinc inde proſtant obſervata, v. g. callum inter venas meſenterii natum lethalem. It. *Calculos* in meſenterio refert *Schenck. l.3. obſ.* Hydropem *à veſiculis* meſenterii refert *Tulpius l.2. obſ.34*. Meſenterium *lapidoſum*, hinc atrophiam lethalem *Panarollus pent. 5. obſ.19*. Abſceſſum meſenterii, ubi cum pure ſimul *vermiculi* excreti, *Thonerus l.1. obſ. p.173*. Tumor meſenterii durus circa medium pancreas per emollientia curatus à *Foreſt. l.21. obſ. 1*. Ex ſcirrhoſo meſenterii tumore hecticum incipientem, menſes albos, tormina, *Trincavellius l.3. conſ.22. p.372*. *Glandulas* meſenterii *induratas* & auctas, ventrem tumidum reddentes *Platerus l.3. obſ.464*.

De quibus *meſenterii affectibus* tàm *veris* quam *falſis* præ cæteris omnium optimè ſcripſerunt FERNELIUS *in Pathologia ſpeciali* & poſt hunc *Matthæus* MARTINI *de morbis meſenterii abſtruſioribus*. Hi uti vera falſis & bona malis miſcent, tamen de menſenterii affectibus pro temporis ratione ſatis eleganter tractarunt.

In præſentiarum conſideranda *meſenterii inflammatio* & hanc ſubſequens *abſceſſus*.

Et quidem longè *frequentior inflammatio meſenterii quam aliarum corporis partium* quoniam copioſiſſima habet vaſa ſanguiflua, atque præterea copioſis eſt prægnans glandulis: unde facile excitatur inflammatio in ſpecie accedente inteſtinorum affectu.

Inflammatur meſenterium nunc ſolum, nunc ſimul conjungitur inflammatio inteſtinorum: quod melius eſt pro Medico: quale exemplum habet CHIFLETIUS *obſ. 31*. de Meſenterii & inteſtinorum inflammatione cum umbilici dolore conjuncta.

Ex cauſis quæ inflammationem Meſenterii inducunt præter eas quæ omnibus inflammationibus ſunt communes: *duæ ſunt* imprimis quaſi *Speciales*: nempe *Dyſenteria & Hernia*.

Dyſenteria enim *prave curata ſæpiſſimè in inflammationem meſenterii lethalem* degenerat. obſervante hoc *Matthæo* MARTINI. *ſ. c. loco p.47*.

Hernia verò dum in eadem cum inteſtinis tenuibus ſimul meſenterium in ſcrotum deſcendit non poteſt non meſenterium contractum aut vitioſe compreſſum ſanguinis circulum impedire, & ita inflammationem pati.

QVOD ATTINET SIGNA.

Inflammatio non ſecus atque reliqui *Tumores & abſceſſus meſenterii difficulter cognoſcuntur* quia latet in profundo & ſæpius ſunt indolentes, aut dolentes licet pro uterinis, colicis aut nephriticis doloribus ſubinde habentur, cum nauſea & vomitus ſubinde accedant.

Nihilominus tamen *in inflammatione meſenterii* percipitur quaſi *pondus in abdomine* dum æger ſe volvit: *ardor* adeſt non raro *præcordiorum* aut *circa umbilicum*, *dolor pulſatorius in profundo abdominis* abſconditus: Cum quo etiam ardore percipitur *tenſionis quidam ſenſus ſub ventriculo* in profundo abdominis idque tamen *cura vehementem* & quæ non niſi preſſu animadvertitur, *duritiem*. Interdum, adſunt *egeſtiones chyloſæ citra* tamen *ventriculi vitium* excitata (ratio facilè patet.)

Adſunt *ſigna inflammationis reliquarum abdominis partium* quæ aliàs facilè confunduntur, *dolor* aliàs *vehemens* aut *acris adeſt nullus*.

Ubi ſimul *obſervandum ne confundatur inflammatio Umbilici cum inflammatione meſenterii*. Nam Umbilicus in parte ſui interna circa muſculos rectos non raro inflammatur atque etiam ſuppuratur. Hic ergò ſimus cauti ne inflammationem Umbilici confundamus cum inflammatione Meſenterii. Nam circa umbilicum 3. vel 4. ſunt digiti ubi locus imprimis eſt Meſenterii, in quo præ aliis tangi atque cognoſci poteſt ejus inflammatio aut abſceſſus. Nam ſi ibi non adeſt inflammatio non poteſt percipi tactu.

Si umbilicus inflammatus percipitur *propior*, *tumor* qui in *meſenterio eſt remotior*. *Febres* adjunguntur diverſæ pro diverſitate loci inflammati. *Sin profundum meſenterii inflammatum* utplurimum *Febres lentæ* quæ circa veſperam exacerbantur oriuntur.

Sin verò *circa exteriores partes*, ubi reliquis abdominis viſceribus conjungitur inflammatio Meſenterii: *Febres acutæ non* rarò *ſemitertianæ* conjunguntur innuente SENNERTO *cap. d. inflammat. meſenter. lib. 3. prax.*

QVOD ATTINET PROGNOSIN.

In genere, dum *ſuppuratio* fit, ut aliàs in quavis inflammatione, febris, dolor & ſymptomata reliqua fiunt graviora. Dum *apoſtema* rumpi incipit aut rumpitur horror inſignis, quæ puris, præſertim per alvum, excretio ſucceſſive comitatur. *Conf. Horſt. l. 14. obſ.25. & 26.* Item *Bartholin. cent. 4. Epiſt. p.491. & cent.4. hiſt.96. it. cent.2. Epiſt.27.*

Inflammationes Meſenterii aut ſuppurando in *abſceſſus* abeunt, aut diutius durando in *ſcirrhos* degenerant, qui Scirrhi tàm in meſenterio inflammato quam ejus glandulis obſervati ſunt ſatis frequentes.

Suppurationes meſenterii ſunt admodum lentæ nec niſi tarde ſuum abſolvunt curſum: Unde etiam ægros vix à conſuetis functionibus impediunt.

Diuturno hoc malo afflicti, aut *ad Tabem & Hecticam*, aut tandem ad *Cachexiam* deveniunt.

Erumpente alio quàm in alvum pure poſt ruptionem abſceſſus, neque locum aliquem excretioni idoneum reperiente affectus, *Colica*, ſimilis non raro obſervatur.

Sin verò in Abdominis Cavum effundatur tunc membra vicina vel inficit ut *gangrænam* concipiant, vel acredine corrodit & malorum quamplurimorum eſt Autor. Quin & non rarò abſceſſus ruptus nec convenienter per alvum quod ſæpius, nec per urinam quod rarius expurgatus, *Inteſtina* corrodit & *ſiderata ſeu ſphacelata* reddit. Exempl. ſuggerit. TULPIUS *lib. 2. obſ. 37.*

Ut autem diſcernatur *excretio purulenta facta ex meſenterio, ab exulceratione purulenta facta vitio exulcerationis inteſtinorum*, tunc obſervetur quod *ſi ſubito & copioſe & ſine dolore* per alvum, fluant purulenta & plerumque mixta cum ſanguine non poteſt non *à meſenterio eſſe*: *ſi verò pauciora, tardius cum magnis torminibus* ſenſim ac ſucceſſivè effluant, eſt *ab ulcere inteſtinorum*.

Exemplum ſingulare & præ aliis curioſum inflammationis Meſenterii & ſecuti abſceſſus cum graviſſimis ſymptomatis, ſecuta tamen excretione copioſè purulenta, habebitis in BARTHOLIN. *cent.4. Epiſtol. p.491.* item *in cent.4. hiſt. p.96.*

Sicut etiam *rarum eſt* quod refert RHODIUS *cent.2. obſ.96. de abſceſſibus meſenterii* interdum *ſine febribus* obſervatis, utut, uti dixi, ut plurimum adſit Febris lenta.

QVOD ATTINET CVRAM.

Ea cum reliquis inflammationibus eſt communis.

VENÆSECTIO

VENÆ SECTIO haud ita neceſſaria eſt, nec ipſo morbo, nec ſanguinis effervescentia febrili adeo acutis exiſtentibus. Præ cæteris tamen ſanguinis quibusvis evacuationibus, *vaſorum hæmorrhoidalium apertio*, præſertim per *hirudines*, applicatione facta, ſummo cum fructu *in meſenterii morbis* inſtitui ſolet, naturâ monſtrante viam & per dicta loca ſubinde felici cum ſucceſſu ſe ipſam exonerante.

Purgatio ex ſe & per ſe potius eſt *nociva*, *Clyſmata* verò *abſtergentia* ſubinde injecta imprimis quando jam per alvum purgatur abſceſſus, ſæpius ſunt *utiliſſima.*

Tota ergò *cura* conſiſtit *in reſolventibus & emollientibus* uti recte loquitur HARTTMANNUS *in prax. Chymiatr.*

Illis quidem *internis* nempè *reſolventibus*: his verò *externis* nempè *emollientibus.*

Quæ internè uſurpantur ſunt nota, in ſpecie *tartarea*, *tartar. vitriolatus*, *liquor terræ fol. tart.* rite paratus, *tinctura tartari*, *ſpir. tart. ſimplex*, aut *carminativus*, *tinctura antimon.* ZUVELFFERI, &c. Item *antimon. diaphor.* præſertim *martiale*, hinc etiam alia blanda *martialia*, *eſſentia martialis cum ſucco pomorum*, *tinctura tartariſata martialis Ludovic.* Item *Eſſentiæ amaræ* aperientes dictæ, ut *abſinthii*, *centaur. min. fumar. card. bened. chelidon. major.*

Externè applicatum *Emplaſtrum d. Cicuta* egregium in tali caſu. Hac tamen obſervata *cautela*, quod, *ſi citra dolorem* emolliat & diſcutiat inflammationem res bene habeat: *ſin* verò *dolorem exacerbet*, certum eſſe factam jam eſſe inflammationem ac abſceſſum.

Si *cum inflammationibus ac abſceſſibus meſenterii febris tanta* conjungatur, in tali caſu *interna martialia* reliquis remediis ſubinde admiſcentur.

Aliàs etiam *externè* conveniunt *fomenta* item *Cataplaſmata.*

Ex Betonica, *Solano*, *Agrimonia*, *Chamomilla*, *Verbaſco*, *Meliloto*, *liliis albis*, *Abſinthio &* ſimilibus *in vino coquendis* & cum ſpongia vel aliis appropriatis mediis applicanda.

Quòd ſi his vel *reſolvatur* inflammatio vel eadem *ſuppuretur*, ſequitur tandem ut rupto abſceſſu ſequatur puris per inteſtina excretio, eaque in principio confertim & poſtmodum ſucceſſivè continuatur ad perfectam abſceſſus expurgationem.

In his ſuppurationibus & abſceſſibus unum eſt adhuc *notatu dignum*, *quod* nempe *his* ipſis *ſuperveniat ſæpe copioſum urinæ profluvium* ſed *ſine alleviatione doloris ægri*, ubi ſedimentum ergo urinæ laudabile, nullam ſalutis ſpem concipere debet Medicus quoniam iſtud eſt colliquamentum, quoddam corporis contabeſcentis, non autem genuinum ſedimentum urinæ.

Factus ergò *Abſceſſus eſt detergendus*, ſeu *mundificandus* & *conſolidandus*. Eadem omnia hic conveniunt quæ aliàs in phthiſi ab exulceratione cujuſdam partis orta ſunt proficua.

Et quidem inter hæc ipſa purificantia & conſolidantia primatum obtinent ea quæ ſunt ex *Terebinthina & omnia Terebinthinata:*

Hinc *Vegetabilia dicta Vulneraria.*

Sic *Pilulæ de Terebinthina*: item *Terebinthina. Cypriana. in vitello ovi* vel *juſculo calido diſſoluta* (ſic enim fit liquor lacteus) omnibus præfertur meritò remediis à MARTINIO.

It. *Balſ. ſulph. terebinthin. aut ſuccinatus*, ni intenſior febris obſtiterit. It. *Balſ. Peruvianus* in juſculo calido vel ovo ſorbili ad guttas viij. x. xij. &c. aſſumptus.

Potiones vulnerariæ quæcunque hic conveniunt: quæ tamen in ſpecie ingrediatur *Perſicaria* ceu appropriatum abſceſſuum meſenterii remedium.

Hinc ex *Agrimonia & Hyperico* deſumpta remedia. Quibus ſubinde *ſaturnialia* ut *Eſſent. martis liquida*, *Extract. martis* addenda, quæ abceſſum & mundent & conſolidant.

Item *Tinctur. ſulphuris vitrioli.* item *Tinctur. Antiphtiſica, ex ſacharo ſaturni & vitriolo martis.*

Item *Decocta Ligni Sancti & Saſſafras* in principio ruptionis abſceſſus inſigniter conveniunt, quibus addenda ſunt *radix Glyzyrrhizæ*, *Scorzoneræ*, *Ficus & jujubæ*, & ſimilia quæ purulentias acres temperant & abſtergunt.

Item propinandus *hauſtus Decocti Hordei cum Glyzyrrhiza, ſcorzonera, Cariophyllata, paſſulis majoribus & minoribus, Cinnamomo* & ſimilibus.

Serum lactis eſt egregium abſterſivum & conſolidativum ulcerum internorum ratione nitroſitatis ſuæ.

Hoc vel ſolum propinatum vel *Decocta in hoc fumariæ* aut *radicis Glyzyrrhiz. vel Cichorei* inſigniter conveniunt.

Hinc *acidulis* cum fructu uſus fuit *Thonerus in ſuis obſ. p.* 173. *Rhabarbarum* tam ſcopo abſterſivo, quam ſcopo adſtrictorio & quaſi vulnerario non negligendum venit. Sed plura de his *vid.* in ſpecie in modo laudato *Martinio.*

Quæ hactenus de Meſenterio dicta fuerunt, etiam de PANCREATE fere monenda ſunt, cujus *morbi & affectus* ut per quam *occulti* ſunt, ita plurium difficilium & intricatorum morborum ſubinde origo ſunt. Ex pluribus pauca annotaſſe ſufficiat. *Tumorem ſcirrhoſum pancreatis*, cum affectione hypochondriaca, vel potius ſcorbuto eleganter curatum, vid. *in River. cent.* 3. *obſer.* 85. *Abſceſſum in pancreate* latentem, perpetuas vigilias, lipothymias aliaque graviſſima ſymptomata inducentem, refert *Schenckius l.* 3. *obſer. de Meſent. Pancreas ſuppuratum* lethale *Barthol. cent.* 2. *hiſt.* 39. Pancreas *lapidoſum*, vomitum lethalem continuum comitans *Panarollus Pentec.* 1. *obſer.* 44. Idem corruptum & *ſphacelatum* & vomitum continuum lethalem *Barbet. in prax.* Puellam per 8. annos miſerè vexatam, hectica febre mortuam, in qua *pancreas ſcirrhatum* & induratum, vid. ap. *Petr. Pav. obſ.* 14. Mortem repentinam ex pancreate ſphacelato vid. *M. A. N. C. Anno* 3. *pag.* 74. Et *pancreatis excreſcentia* maraſmum *M. A. N. C. Anno* 8. *pag.* 57. Interdum pancreatis morbi ſuperveniente ſalutari fluxu cruento curantur, autore *Bartholin. cent.* 6. *hiſtor.* 41.

Nec omittendum hic penitus OMENTUM in quo collecti, tanquam in burſa, *humores* vel *flatus*, item glandulæ ejus ſubinde *ſcirrhoſæ*, aut *ſteatomoſæ* factæ, varia pathemata inferunt Conf. *Barbett. in Anat. Pract.* & admirandos *omenti tumores*, vid. *in Marcell. Donat. hiſt. Med. lib.* 7. *de Horſtio* adjectos. Item in Horſtio *Decad.* 6. *probl. quæſt.* 10. *Hildan. cent.* 3. *obſ.* 62. quibus addatur *Schenckius in obſ. de Omento.*

INFLAMMATIONES PARTIUM AD THORACEM PERTINENTIUM.

Inflammationes partium ad thoracem pertinentium.

Et quidem hæ ipſæ omnium inflammationum ſunt frequentiſſimæ, iſtæ nempè quæ affligunt internas Thoracis partes.

Quæ ipſæ fiunt omnes ac ſingulæ ferè ab aliquali ſanguinis aceſcentia in præcordiis.

Et quidem frequentia horum inflammationum ex eo imprimis dependet, quod Thoracis interiora alterationi aëris vel maximè ſunt expoſita, ex cujus vitio vel ſimpliciter vel reſpectivè ſæpius inflammationes tales excitantur.

In Genere vocantur.

PLEUROPNEUMONIA.

Pleuropneumonia.

Quæ poſtmodum *in ſpecie* ſortitur varias appellationes:

Inflammatio enim Pulmonum nempè *utriuſque*

 Pulmonum

Pulmonum partis vocatur PERIPNEUMONIA.

Si *altera Pulmonum medietas* inflammetur, vocatur PLEURITIS, quia in hac ſemper ferè ſimul iſtius partis membrana *Pleura* eſt inflammata, ſicuti econtra inflammata pleura ſemper quoque pulmo iſtius partis fuit obſervatus inflammatus. Uti hoc non tantum ex PLATERO patet, ſed etiam ex JULIO I. *Fronte Conſil.* 91. ubi refert ſemper obſervatum fuiſſe in Pleuritide correptis, quod pulmo ſimiliter fuerit correptus & inflammatus. Quod etiam teſtantur obſervationes Modernorum Anatomicorum in Pleuritide demortuis.

Loco Pleuræ interdum cum Pulmonibus inflammatur *Mediaſtinum*, duplicatura nempe Pleuræ ſub parte Sterni anteriore.

Quin & *Diaphragma* interdum inflammatur cum Pulmonibus, cui ordinario ſupervenire ſolet *Delirium*; quod ſpeciali nomine *Paraphrenitidem* appellare ſolent.

Afficiuntur interdum ſimul etiam *membranæ humeri*, interdum membrana *juguli*, & ſimiles vicinæ membranæ.

Plura quoad hæc in Genere de *pleuritide peripneumonia*, &c. vid. *apud Vincentium* BARONIUM *Tr. de Pleuropneumonia* item SCHNEIDER *in accurata diſſert. de pleurepneumonia* qui hac in parte terit veſtigia *Baronii.*

CAUSA PROXIMA

Pleuropneumoniæ eſt *acidum* in ſanguine peccans, unde hic ad facilem ſui coagulationem & congrumeſcentiam diſponitur, & hinc vel in pulmone, & latere aliiſve vicinis locis hærendo, acido ſimul membranaceas partes vellicando & crebriores contracturas ſtimulando, hos affectus infert. *Conf. Helmont. Tr. pleura furens.* Hinc ſanguis, qui venâ ſectâ emittitur, ſubinde nunc ſemigrumoſus prodire obſervatur, teſte *Gabelchovero cent.* 4. *cur.* 74. nunc promptiſſimè coagulabilis exiſtit, ita ut ferè exeundo congrumeſcat, teſte *Helm. cit. loc.* ipſi verò extravaſato pellicula tenax ſubalbida viſcida ſupernatare obſervatur, teſte *VVillis in Pharm. p.*2. *p.*178. & 198. Relicta acidi hujus peccantis veſtigia in parte affecta, etiam curato abſceſſu, *recidivas* crebriores in eodem loco facere ſolent. Quod ſi ſanguis haud perfectè coagulatus minus firmiter intus fixus inhæreat, minorem quoque dolorem inferat, facile reſorberi & hinc per μετάςασιν *pleurepneumoniæ* ad diverſas partes *transferri* poſſunt.

CAUSÆ

Pleurepneumoniæ remotæ ſub qua omnes reliquas ſpecies contineo, ſæpiſſimè affligentes ſunt. *Frigus externe hauſtum poſt immoderatos calores* & corporis incaleſcentias ſive *ſit aër frigidus*, ſive *hauſtus potus frigidi*: aut ſimilis cauſa contingens ſubito poſt æſtum corporis:

Hæc enim coagulando ſanguinem in præcordiis hujus ſtagnationem & inflammationem in pulmonibus inducunt.

Sic HORSTIUS *lib.*3. *obſ.*10. habet *pleuritidem ex potu vini & corporis refrigeratione*: FORESTUS *lib.* 16. *obſ.* 28. obſervat juvenem *poſt exercitium ex aquæ frigidæ potu* in Pleuritidem incidentem. HORNUNGIUS *in Ciſta medica Epiſtol.*276. habet *peripneumoniam* excitatam in Clerico ex *eo quod bene potatus ſæpè in templo cantaſſet.*

HILDANUS *cent.*4. *obſ.*25. *ex indefeſſa ſaltatione & hanc excipiente potu frigidæ.*

Simile eſt exemplum RIVER. *obſ.*14. communicatur. *Dionyſ.* POMARET. poſt *nimium curſum & hauſtum frigidæ.*

Preterea *ſanguinis evacuationes ordinariæ ſuppreſſæ* non rarò dant Pleuritides *in ſpecie* tamen *menſes ſuppreſſi* in quibus ordinario abundat acor, inferunt pleuritidem.

Exemplum recenſet DEODATUS *in Valetudinario p.*219. *ex menſibus* nempe *emanſis hæmoptyſin & pleuritidem* obortam.

Uti aliàs notum quod menſes ſuppreſſi ſæpius inferant morbos pectoris.

Singulare obſervat TIMÆUS *in caſib. conſ.*90. quod etiam ſæpius uſu venit, quod ex *caſu in fluvium eo tempore quo fluxerunt menſes* ordinario *ex terrore* ſuppreſſi menſes ſimulque ſanguis coagulatus dederint, *pleuritidem*: quæ ipſa imprimis fuit curata quod obiter noto *Spermate Ceti* quoniam hoc ipſum ſanguinem coagulatum reſolvit.

Præterea *Dyſenteria ſuppreſſa* aut *malè curata* frequentes dat pleuritides: obſervantibus omnibus Autoribus in ſpecie SENNERTO *cap. de pleuritid.* item SCHNEIDER. *de pleuropneumonia.*

Unde rectè dicit HELM. quod benè obſervetur pro Praxi quod dyſenteriæ & Pleuritides non differant in radice ſed tantum quoad locum affectum. *Nec rarum* eſt *pleuritides graſſari Epidemico modo*, quo tempore pleuritides tales ut plurimum ſunt *malignæ ac contagioſæ.*

Exempla vide in FOREST. *lib.*16. *obſer.*34. item *in* VVIERO *obſ. de pleuritid. malign.* item in LÆLIO *à Fonte conſil.*3. ubi obſervat *Anginam, pleuritidem & peripneumoniam omnes tres ſimul Epidemico modo graſſantes*, in quibus ſecta Cadavera quæ catervatim mortuæ fuerunt, Pulmones ingetibus abſceſſibus correptas exhibuerunt & quibus apertis pus copioſum & fœtida materia effluxit: unde etiam eodem modo curantur, ac ſæpius denique unus in alterum tranſmutatur. Sic RHODIUS *cent.* 2. *obſerv.* 10. habet Exemplum de ægro qui ex Angina in Peripneumoniam & ex Peripneumonia in Pleuritidem incidit: Ita ut hi tres ſunt unus idemque morbus, unam eandemque habeant medendi methodum & differunt tantummodo loco affecto.

Scabies retropulſa etiam refert *pleuritidem præter Aſthma*: Exemplum habebitis in AMATO *Luſitan. cent.*2. *cur.*62. ubi ſcabies ſicca retropulſa pleuritidem intulit.

Quin & Periodica ſubinde eſt *Pleuritis*, idque uti rectè loquitur HELMONT. tunc temporis *ubi malè fuit curata*: Et quidem *interdum Periodum habet annuam*: Exemplum habebitis in Z. *Luſitan. lib.*3. *prax. admir. obſerv.*112. quo pertinet Exemplum BORELL. *Cent.*4. *obſ.* 83. de viro ſeptem vicibus pleuritide detento, qui tandem Hydrope periit. Denique *cauſæ externæ*, caſus, ictus, indeque natæ contuſiones aliaque pathemata ſimilia, quæ ſanguinis ordinarium motum per vaſa intercoſtalia plus minus remorantur, ad pleuritidem diſponunt. Sic ex riſu & ſternutatione ſimultaneis, pleuritidem natam. *vid. in Act. Medic. Haffn. vol.*2. *p.*239.

Hæ ferè *ordinariæ ſunt cauſæ pleuritidis ac peripneumoniæ* (perinde eſt) Obſervatum tamen fuit interdum oboriri *pleuritidem à vermibus inteſtinorum* de quibus imprimis conſulendus QUERCETANUS *in Pharmacop.* qui ſcribit obſervatam ſubinde à ſe eſſe, *pleuritidem notham*, id eſt illegitimam quam omnibus ſymptomatis veram & legitimam æmulata ſit pleuritidem, & nihilominus tamen à vermibus eorumque corruptione in inteſtinis nata fuerit. Simile exemplum reperietis apud BARTHOLETUM *tract. de reſpirat. lib.* 3. *cap.* 3. qui refert ſe curaſſe quandam virginem pleuriticam in qua omnia pleuritidis legitimæ ſigna ſe obtulerunt nihilominus tamen poſt primos dies eſſe à vermibus: adeoque pleuritis remediis quæ lumbricos enecant fuerit curata vid. etiam *lib.* 4 *cap.* 11. *ubi ſimilia habet.*

Et hæ pleuritides ſe manifeſtant quod præter pleuritidis ſigna ſimul adſint ſigna Inteſtinorum affectorũ.

vid.

vid. AMAT. *Luſitan. cent.*1. *Cur.* 52. it. ZACUT. *Luſitan. lib.*8. *prax. admir. hiſt. obſ.*7. *cap.*3.

Pleuritis aliàs *dividitur* in aſcendentem & *deſcendentem.*

Fundamentum hujus diviſionis conſiſtit in venis per quas ſanguinis recurſus impeditus dat inflammationem.

Aſcendens enim conſiſtit in duobus ſpatiis trium coſtarum ſuperiorum, quæ nempe ſunt inter ſecundam & tertiam vertebram, à jugulo numerando.

Deſcendens verò pleuritis dicitur, quæ conſiſtit in 4. ſpatiis quinque coſtarum inferiorum.

Dicuntur ita aſcendens & deſcendens, quia ſpatia priora habent venas intercoſtales ſuperiores ex ramo axilari trunci aſcendentis (ex veterum quidem hypotheſi) item arterias intercoſtales ex axilari ramo aſcendente. Poſterior pleuritis deſcendens habet venas & arterias. Venas ex pari trunci deſcendentis: Arterias verò ex arteriis intercoſtalibus ſimiliter trunci deſcendentis.

Dividitur etiam *pleuritis in Malignam & Benignam*, III. Eſt vel *primaria*, vel *ſecundaria*, ſive quæ alios morbos inſequitur. I V. Eſt vel *vera*, de qua ſaltem hactenus locuti ſumus, vel *notha*. Vera eſt inflammatio medietatis pulmonum & pleuræ illius lateris, juncta hinc cum febri acuta. *Notha* eſt varia, imprimis triplex.

(1) *Iſta*, quæ à *Sennerto* ita dicitur *l.* 2. *prax. ubi de pleuritide p.*225. & 230. quo loco intelligit *inflammationem muſculorum thoracis* externorum & internorum coſtalium, in quâ febris eſt nulla aut ſaltim lenta, tuſſis rara, pulſus minus durus, dolor ſaltim pulſans, non pungens, at qui extremo manus contractu exaſperatur, adeoque cum vera pleuritide parum, vel nil habet commercii, niſi cum vera graviori hæc ſimul juncta ſit.

(2) *Eſt iſta*, quæ uſitato magis *pleuritide notha* nomine venit, eſtque *dolor* inſignis *punctorius*, in uno alterove latere *ſine febri ac ſiti*, pulſu ferè laudabili, niſi in quantum doloris ratione ſubinde frequentior redditur, tuſſis aut nulla, aut ſi qua eſt, ſaltem catarrhalis, aut lymphæ vitio, unde & febris catarrhali ſimilis tunc ferè jungitur; oritur ex acido vitioſo, vehiculo lymphæ aut ſeri inter pleuram delato, ſine hujus inflammatione, ſine pulmonum alteratione & potius *dolor pleuriticus* quam *pleuritis* appellanda venit. Talis affectus in *ſcorbuticis* non rarò obſervatur; Item *Gallico morbo* affectis aliquando accidere ſolet. *Vid. Senn. loc. ſupra cit. p.*256 *quæſt.*11. it *VVilliſ. Pharmac. rat. p.*2 *p.*199. & hæc eſt iſta *pleuritis notha*, quàm à *flatu* oriri vulgo aſſerunt. Spuria hæc pleuritis præter febris acutæ defectum, aliaque ſimilia pathemata, à vera facilè dignoſcitur ex eo, quòd in *pleuritide notha* ſuper partem affectam difficilior fere ſit decubitus, ſecus ac in pleuritide vera. *Vid. Amat. Luſit. c.*3. *cur.* 67. *annot. cent.*7. *cur.*62. In hac *vera*, nempe cum æger decumbit in latus oppoſitum, pars inflammata pondere ſuo divellitur majoremque patitur diſtenſionem, minus in hac.

(3) *Ad hujuſmodi pleuritidem*, malè ſic dictam *notham*, ſeu potius *dolorem pleuriticum* etiam pertinet iſta, quæ à *vaporibus* ſubinde oriri dicitur. Sic *Quercetanus in Pharm.* ſcribit obſervatam à ſe notham pleuritidis ſpeciem, quæ in omnibus veram & legitimam æmuletur, ortam à malignis & acribus *vaporibus*, ab inferioribus ſurſum, in pectoris regionem delatis, ex quorum virulentia & acrimonia pleuræ inflammatio, nec non venarum eroſio excitatur, unde ſanguinis expuitio, ſpirandi difficultas, febris & alia ſymptomata, &c. ubi purgatio cum aqua *benedicta Rulandi* inſtituta ſanguinis detractioni & eccoprotici exhibitioni longè lateque præferenda; imprimis *vermes* & corruptionum incommoda tollere jubet, à quibus ſæpe numero hæc *ſpuria Pleuritis* oritur, id quod præſtarent martialia.

SIGNA DIAGNOSTICA.

Harum partium Thoracis inflammatarum.

Sunt vel communia omnibus his, vel m. *propria diſtinctiva.*

Signa communia pleuritidis pleuropneumoniæ, peripneumoniæ, inflammationis diaphragmatis membranarum humeri vel Juguli, &c. ſunt.

1. *Reſpiratio difficilis frequens* nempè & *parva*, *nec ſufficiens* neceſſitati naturæ.

2. *Adeſt febris continua acuta*, *cum inſigni ardore* ut plurimum conjuncta.

3. *Pulſus eſt admodum frequens Celer*, & *magnus ſed in progreſſu fit parvus. Serrinum* pulſum adeſſe ſubinde etiam plurimi Medici loquuntur quem tamen *pro figmento meritò ventitat* LINDANUS *in Collegio ſuper* HARTMANNUM.

4. *Facies* in omnibus his inflammationibus pectoris *inſigniter rubet oculi turgent*, *facies eſt inflata*, &c. Et quidem *rubor in malis reſpondent lateraliter parti pulmonis affectæ*. Ita ut ſi dextra pars pulmonum ſit affecta & inflammata, etiam pars de facie dextra plus rubet.

5. *Tuſſis adeſt frequens* admodum quæ tamen *in principio ſicca*: hinc *ſenſim rejicitur ſanies tenuis nonnihil ſpumoſa*, *mox variè tincta*: Hinc *ſputum totum* fit *cruentum*, *tandem* verò *albeſcit ſputum*, *craſſeſcit* & *ſpiſſeſcit*, *fitque mucilaginoſum*, & tunc vocatur *ſputum coctum.*

6. *Caput inſigniter dolet*, & adſunt ſimul *agrypniæ*, *ſitisque* intenſiſſima fatigat ægros, hæc ſunt ſigna communia. *Signa Diſtinctiva* horum affectuum à ſe invicem ſunt; quòd

In peripneumonia, major adſit ſpirandi difficultas, dolor in pectore percipiatur *gravativus* ac denique in Peripneumonia *primis diebus vomitiones familiares* ſecus ac puris pleuriticis. Obſervante PISONE *tract. de colluvie ſeroſa pag.*230. interdum nec bibere nec loqui commodè poſſunt; ob *reſpirationis anguſtiam*, qualem reſpirandi difficultatem *Hyppocrates* vocat *ſublimem.* Pectoris anguſtia adeſt, cum dolore ejus gravativo ſpinam quaſi attingente, qui dolor remiſſior eſt, niſi membrana ſuccingens pulmones ſimul inflammata fuerit. *febris* adeſt *continua*, ut plurimum acuta, utut febrem mollem ſeu *Epialam* ſubinde ſe obſervaſſe referat *Lindanus. In pleuritide.* Obſervatur *dolor lateris acutus, punctorius, auctus* quando ſpiramus. Cujus originem ab acido & fiendi modum per contracturam fibrarum pleuræ, eleganter explicat *Helmont. Tr. furens pleura.* Adeoque rarum eſt quod refert *Hildanus*, dolorem hujuſmodi punctorium non in omni eſſe pleuritide, utut & pleuritis ſine punctorio lateris dolore obſervata fuerit à *Zacut. Luſit. in hiſtor. Med. princip.* qualem & ipſe *Tulpius* obſervavit. *Pulſus* adeſt ſimul *durus*, ob tenſionem inſignem arteriæ quaſi convulſivam, affectui pleuræ quaſi ſpaſmodice conſentientem, quæ pulſus durities juncta cum ejus frequentia, celeritate & parvitate iſtum conſtituit pulſum, quem aliàs *ſerrinum* ſeu *ſerratum* appellant Medici, eumque pleuritidi fere proprium aſſerunt. Notabile eſt quod præterea adjungit BARBETTE quod nempe pleura in regione dorſi ubi adnaſcitur diaphragmati inflammata interdum ab incautis pro Nephritide habeatur licet hoc fiat cum ſummo detrimento ægri.

In inflammatione Diaphragmatis.

Signa ejuſdem ſunt quod *extrema Coſtarum circa finem ſterni* imprimis *doleant*; it. *ita ventris pars ubi diaphragma eſt* extenſum ac denique quod *cinguli inſtar ventrem ſupra lumbos ambiat dolor.*

Exemplum talis diaphragmatis inflammationis non inelegans vid. *in* PLATER, *obſ. lib.* 1. *p.*158. In ſpecie *delirium* facile ſupervenit. Solent etiam nonnunquam accedere convulſiones, reſpiratio eſt inæqualis, modò parva, modò magna, modò frequens, modò rara, &c.

In *inflammatione Mediaſtini.* Ut plurimum in *anteriore pectoris*, *dolor nonnihil gravativus* percipitur *citra puncturam, aut citra inſignem aliam moleſtiam.*

HEPAR inflammatum ſubinde paria ac pleuritis habet ſymptomata, in eo tamen *diſtinguuntur*, quod *dolor* ſit *in latere dextro* & circa dextrum hypochondrium gravativus; non punctorius, ut doloroſa quædam plus minus tenſiva moleſtia ad jugulum uſque adſcendere videatur. Pulſus undoſus, non durus, tuſſis ſicca, non adeò frequens, nec tanta reſpirandi difficultas. *Quod ſi progrediatur malum*, ita ut incipiant *ſuppurari* hæ inflammationes, adeſt certum indicium ex rigore, quod neceſſario omnes internarum partium, præſertim membranacearum, ſuppurationes comitatur; Sicuti & febris, dolor, vigiliæ ac ſimilia ſymptomata in ſuppuratione fiente ingraveſcunt. *Suppurationem jam factam* monſtrant dolor, qui imminuitur, febris remiſſior, reſpiratio liberior, vires non adeo debiles. Verùm licet confecto pure cætera miteſcant, tamen inſtante ruptionis tempore, ægri vehementius cum horrore denuo febricitant, ac difficilius ferè quàm antea reſpirant.

Quando pleuritis ſeu omnes iſtæ inflammationes ſ. pleuropneumoniæ degenerant in ſuppurationem, tunc hunc fientem quidem monſtrant exacerbatio doloris, exacerbatio febris & vigiliarum.

Factam verò jam ſuppurationem monſtrat dolor imminutus, febris remiſſior, reſpiratio liberior & virtus vitalis non adeò debilis.

Verùm licet confecto pure & febres & dolor mitiores fiant, tamen inſtante diſruptionis tempore vehementius cum horrore ægri denuò febricitant, ac difficius ferè quàm antea reſpirant.

QVOD ATTINET PROGNOSIN.

Ex his *pleuropneumoniæ* variis quaſi ſpeciebus, cæteris paribus, leviſſima omnium eſt *pleuritis*, etiamſi interdum pulſum intermittentem habere videatur, quod in ea minus periculoſum eſt. *vid. M. A. N. C. Ann.* 2. *p.*338. Vehementior autem & periculoſior eſt *peripneumonia*; adhuc periculoſior *diaphragmatis inflammatio*, quæ acutiſſimus morbus eſt, atque ægrum citò in ſummum diſcrimen deducit & ſæpe jugulat; ſicut etiam *Mediaſtini inflammatio* eſt periculoſior pleuritide. *Pleuropneumoniæ* & his conjuncti affectus *curantur & terminantur*; *vel diſcuſſione & reſolutione ſanguinis ſtagnantis facta vel per ſudorem vel per hæmorrhagias* excretione.

2. Terminantur *per copioſam ſputi excretionem.*

3. Terminantur *per ſuppurationem acri Empyema tranſmutationem.*

4. Terminantur *per raram ac ſingularem quandam Metaſtaſin*; nunc *in phrenitidem*, nunc in *morbos articulares*, nunc *in ulcera Tibiarum*: & ſi terminentur citra ſuppurationem, vel per *ſudores*, vel *hæmorrhagias*, vel alio modo imprimis obſervandus eſt motus naturæ Criticus.

Nam in diebus Criticis imprimis ſolennes tales inſtituuntur evacuationes.

Dabo exempla: AMAT. *Luſit. cent.*7. *cur.* 28. refert *pleuritidem* ſævam ſine *ven. ſect. die* 14. *per ſudorem criticum* curatam.

Porrò PISO TRACT. *de Colluvie ſeroſa pag.* 228. in *edition. in quarto* obſervat *pleuritidem die* 7. *per ſudorem* curatam.

VALERIOLA *lib.*4. *obſ.* 4. habet hiſtoriam curioſam *pleuritidis* gravis in gravida 8. menſium quæ ſolius naturæ ope ſine Ven. ſect. *die* 4. *per ſudorem* fuit curata: & citato loco aliam refert gravidam Pleuriticam quæ variis licet aliis adhibitis remediis tamen *die* 7. 11. & 14. robore naturæ *per copioſos ſudores* fuit curata: item *lib.*7. *obſ.*6. ſimile refert exemplum.

Quod attinet *hæmorrhagias* 7. *die hæmorrhagiam criticam in pleuritide ſalutarem* refert LOTICHIUS *l.* 3. *cap.*3. *obſ.*3.

Pleuritidem 7. *die per hæmorrhagiam criticam uteri* curatam refert FOREST. *lib.*16. *obſ.*36.

Et *citato loco obſ.*37. habet *pleuritidem per fluxum ſanguinis ex naribus die* 14. curatam.

Pleuriticæ mulieres per ſanguinis mictum curatæ *Ferdinand. conſil.* 5. & pleuritis magna in gravida, poſt partum ob uteri exinanitionem curata, *Ferdinand. hiſt.* 13.

Sic interdum ſuperveniunt *Diarrhææ criticæ* per quas Pleuritides feliciter ſolvuntur:

Ipſemet curavi ſuperiori anno mulierem, quæ ex Pleuritide fiebat ſuppurata in qua tamen ulceris omnis purulentiæ per *diarrhæam criticam* feliciter expurgebantur.

PANAROLLUS *pentecoſt.* 1. *obſ.* 36. obſervat ſenem ſeptuagenarium Pleuriticum ſuperveniente *diarrhæa ſanatum.*

Inflammatio diaphragmatis ſæpius eſt *lethalis*, HIPPOCRATES *ſect.* 1. *aphor.*12. prognoſin inſtituit talem, ſi ſputum ſtatim apparet in Pleureſi in initio intra tertium diem, brevem morbum indicat: ſin poſterius longum. Nam Pleuritis qua nihil exſpuitur eſt periculoſiſſima.

Qui Pleuritide laborant ſi intra 14. diem ſuperius per ſputum non repurgentur, iis in Empyema morbi fit mutatio habet idem HIPPOCRATES *ſect.*5. *aphor.* 8.

Qui verò ex pleuritide Empyematici fiunt ſi ſuppurantur, ſi in 40. diebus non repurgentur à die quo fit abſceſſus ruptio, ii in phthiſin tranſeunt uti habet HIPPOCRATES *ſect.*3. *aphor.*15.

Ut plurimum terminantur pleuritides 14. die, interdum tamen ubi corpus eſt juvenile & pleuritis magis acuta in quarto & primo fit terminus.

Diarrhæa moderata in principio Pleurepneumoniis ſuperveniens *eſt ſalutaris*, idque magis ſi ſupervenit die Critico cum ſalute ægri vid. VALERIOL. *lib.*1. *obſ.*5. item AMAT. *Luſit. diſt.*4. *cent.*7.

Verum *diarrhæa immoderata*, aut in principio aut incremento ſupervenientes cum debilitate ægri utplurimum *ſunt funeſtæ.*

Vomitus copioſus & bilioſus in principio Pleuritidis *ſalutem* prænunciat.

Pleuritici dolore levati, facie triſti facta oculiſque perturbatis ſignum eſt Metaſtaſeos Pleuriſeos in cerebrum, caſuſque ut plurimum eſt lethalis.

Pleuritis molliter incipiens & uſque ad 5. diem ſic prodiens 6. vero exacerbata interdum eſt lethalis, interdum verò difficilis ſolutionis.

Delirium quod in Pleuritide obſervatur aut ſequitur fortem Pleuritidem aut non: ſi ſequitur fortem Pleuritidem negligatur tanquam ordinarium ſymptoma: Si verò delirium mitiorem conjunctam habet Pleuritidem mitioremque dolorem Thoracis ac per intervalla infeſtantem, de metaſtaſi ejus in caput eſt metuendum.

Aliquando in Pleuriticis *urinæ* ſunt malæ cum ſputis bonis & tales ſubinde liberantur, natura Criticè exppellente materiam.

Contra verò eſt periculoſum ſi urina ſit bona cum ſputo malo.

Reliqua ſigna tàm Diagnoſtica quàm Prognoſtica imprimis vid. *in* SENNERT. *prax.* ubi eadem ſatis prolixe tractat.

QVOD ATTINET CVRAM.

Omnium horum Pleuropneumoniæ & cognatorum affectuum conſiſtit in his.

1. *Sanguis ſtagnans eſt reſolvendus* & blando ſudore in naturalem circulum revocandus; hoc ſi non fiat.

2. *Exſcreatio eſt promovenda*: aut.

3. *Suppuratio*

2. *Excreatio eſt promovenda*; aut.

3. *Suppuratio eſt expectanda & adjuvanda.*

Venæ ſectio ſæpiſſimè in *principio morbi* eſt inſtituenda, non tamen ſimpliciter & abſolutè eſt neceſſaria, quin appropriata remedia, quæ ſanguinis grumos reſolvunt & ſudorem movent citra ven. ſect. non rarò malum tollunt vid. HELMONT. *Tract. Pleur. furens* qui eſt egregius.

Helmont. tractat. pleura furens: Holterhoff. de err. Medic. 1. §. 2. Ac ſane per ſe nullum locum obtinet ven. ſect. ſaltim ubi copioſior adeſt ſanguis & nimis acutus, ſeu præceps morbi ad ſtatum motus: In tali urgentia per accidens interdum inſtituta & repetita ven. ſect. aliquale levamen adfert. Sic *Lindanus* neceſſitate coactus, *mulieri gravidæ* intra 24. horas, quinquies venam ſecavit, urgente nempe affectu. Propterea de tempore non multum deliberandum venit, ſive veſperi, ſive manè, ſive medio noctis fuerit, dum neceſſaria eſt (quod tamen in noſtro climate rarius evenit) inſtituenda eſt. Pluribus hanc *de ven. ſect. in pleuritide uſu, controverſiam*, ventilatam *vid. in Hochſtettero decad. 7. p.* 107.

Ubi verò *ſecanda vena* eadem *pro uſu revulſionis* inſtituatur *in pede ſi eſt Pleuritis aſcendens*, aut *in brachio ſi eſt Pleuritis deſcendens*; *Averſionis* verò *gratia* ſeu *revulſionis* particularis ſecetur vena *in pede ſi* pleuritis *eſt deſcendens, in brachio* verò *ſi eſt pleuritis aſcendens*, idque *ſemper in parte lateri affecto oppoſita*.

Quibus paucis prolixæ iſtæ controverſiæ de loco ven. ſect. quas agitarunt veteres inſigni fervore, decidi poſſunt. *Conf. VVilliſ. Pharm. rat. P. 2. p.* 204. Præſtat autem ut ven. ſect. fiat multis vicibus, nec longis intervallis, neque magna quantitate, ut loquitur rectè *Hildanus, in peripneumoniæ cura ven. ſect.* nec revulſoria, nec averſoria, nec derivatoria locum habet, quia pulmo cum nullis vaſis communicat, ſed ſua propria habet; Quod igitur à corde recipit, ei denique iterum remittit. Non igitur ulla hora præſtari poteſt, ſed ſanguinis tantum fervor mitigandus & ejus quantitas imminuenda, adeoque fiat in brachio.

Jam verò uti pleuritis benigna tutius & felicius ferè abſque ven. ſect. curari poteſt: ita hæc ipſa ven. ſect. nullo modo convenit in magna pleuritide, refert enim BARTOLETUS ſibi diuturna praxi eſſe compertum, omnes ferè quibus in pleuritide maligna ſecetur vena mori & vitæ periculo defungi eos qui fuerint curati abſque phlebotomia. Vid. etiam GESNER. *lib. 1. Epiſtol. p.* 19, ubi ſimiliter confirmat ineptam eſſe venæ ſectionem in pleuritude maligna. Item VVIERUS *in obſ.* de pleuritide maligna ubi hoc m. affirmat. Quod ſanè in malignâ verum arbitror, utut in Epidemica non adeò ſemper locum inveniat. *Dodonæus enim obſ. cap. 21. p.* 38. refert in pleuretide Epidemica adminiſtratam venæ ſectionem ſalutarem, neglectam lethalem.

Purgatio in pleuritide *non convenit*, niſi hæc ipſa omninò *ad declinationem* pervenerit. Præprimis verò bene procedente ſputo abſtinendum eſt à purgatione, firmante id experientia Z. LUSITAN. *lib. 1. prax. admirand. obſ.* 107.

Contrarium tamen videmus in quibuſdam Practicis in ſpecie in curationibus RULAND. tantùm non omnes pleuritides curavit inchoando à vomitu & propinando vomitorium.

Jam verò facilè patet & per ſe, *vomitorium per ſe* nihil conducere, potius *nocere*, adeoque ab hoc eſt abſtinendum: per accidens ubi vitioſa excrementa in ſpecie acidum abundans eſt in primis viis.

In tali caſu primo in principio prodeſt vomitus; deinde facto abſceſſu ad ejus ruptionem, vel hoc rupto ad ulteriorem puris evacuationem vomitus aliquid conducere poteſt. Benè hic diſſerit *Lindanus*, dum dicit ſe, in cura peripneumoniæ non audere vomitorium dare, nec video, quod poſſit, niſi ſtatuatur ventriculus onuſtus æruginoſa cruditate, à qua ſanguis vitiatus impetum faciat in pulmonem, ſed in tali caſu non reſpicerem ad peripneumoniam; ſed ejus radicem, nempe ventriculum malum. Ita nec in progreſſu vomitoria conveniunt, nil enim pulmonibus nocentius. Si enim intempeſtivè purgentur, diarrhæa accidit, cum alvus per ſe mollis ſit: illa autem accedente, ſputum non coquitur nec pus maturatur & pereunt ægri.

Porrò ex omnibus quod huic morbo mirificè opitulari poteſt eſt *Sudor*: & propterea hic omne ſtudium impendendum eſt, ut ſudor ex toto corpore imprimis ex Thorace provocetur. Vid. BARONIUS & *Schneider. citat. locis*; it. *Petr. Johan.* FABER *in curat.* 61. qui plurimas pleuriticas curavit per *ſudorem cum antimonio diaphoretico ad* ℈j. propinato *præmiſſo clyſtere*, interdum etiam *venæ ſectione*, applicando externè *Balſamum ſulphuris* cum *emplaſtro diaſulphuris* RULANDI in cura nempe 8. 10. 60. &c.

Confirmat hoc etiam HILLERUS *cent. 1. cur.* 52. item RENALMUS *in obſ.* 32. qui nempe pleuriticis aliquot ſecta vena; *flor. antimonii diaphoretic.* exhibuerat & ſtatim prodeunte ſudore omnes dolores punctorii abierunt.

Denique malé quidem mox in principio præſcribunt Practici *expectorantia* ſeu talia quæ tuſſiendo materiæ excretionem adjuvant: Nam talia dum tuſſim ſtimulant vel adjuvant, concuſſiones Pulmonum, thoracis, ac pleuræ inferunt, quibus in principio exaſperatur magis pleuropneumoniæ & ſimiles affectus quam ut minuantur uti rectè aſſerit GABELHOVER. *cent. obſ.* 93. Et hæc inter remedia, quæ *ſputi coctionem*, aut *ſuppurationem* inflammationis faciunt, malim, dicit *Lindanus*, *decocta pectoralia*, quam *ſyrupos & ſaccharum*. Nobiliſſimum pectorale habemus in *liquiritia & paſſulis*. Saccharum malè pectoralibus additur. Nam conſtat, omnia dulcia ſaccharata & mellita facilè aceſcere in ventriculo, cui nil inimicius, quam illud ſylveſtre acidum. Præſcribuntur ergo *radices & herbæ pectorales*, ſed omittantur ſemper iſta dulcia, nec credatis, gaudere pectus *dulcibus*; gaudet equidem inſipidis & quæ non habent qualitatem excedentem, non dulcibus extremè, ut ſaccharum, &c. *Liquiritia* igitur convenit, quæ tamen in pauca quantitate ſumenda, cavendo ne uratur, tunc enim prava & acris fit.

OPIATA non negligenda ſunt in *cura* harum inflammationum, ſed uſurpentur ſaltem in principio & incremento, ſaltim ad ſuffocandam nimiam morbi vim & ſiſtenda pathemata doloroſa, quæ ipſa quoque ad corrigendam materiæ expuendæ cruditatem, adeoque eandem coquendam ſeu incraſſandam multum præſtare ſolent. *In ſtatu verò* vitanda ſunt, ne impediatur *expectoratio*, atque materia cocta nimis pertinaciter ſic inhæreat, id quod ſine *ſuffocationis* periculo vix fieri poteſt. Solum *papaver rhæas* ejuſque *flores* ceu optimum *ſpecificum* in toto morbi decurſu locum habet.

Benè obſervandum eſt, ut omnia, quæcunque ægri BIBUNT, *calidè* aſſumant. Nil nocentius eſt in his affectibus, & quod magis exaſperare eoſdem ſolet, quam *frigidus potus*, qui coctionem impedit, excretionem remoratur, tuſſim provocat, inflammationem intendit & lædendo pulmones reſpirationem difficiliorem facit; quæ omnia in *calido potu* contrario modo ſe habent.

Præmiſsâ ergò vel etiam omiſsâ ven. ſect. progrediendum ſtatim ad *ſpecifica Antipleuritica*, quæ ſanguinem ſtagnantem reſolvere, & per ſudorem ejuſdem circulum naturalem reſtituere poſſunt; circa hæc ipſa ſpecifica obſervetur quod eadem ſint in *pleuritide & dyſenteria*, uti antea dixi ex HELM. & experientia comprobavit. Deinde quod omnia ea *ſpecifica* quæ conveniant *in pleuritide*, etiam convenientiſſimè in omnibus reliquis internarum partium inflammationibus à cauſa interna enatis: adhibeantur & proſint cùm omnes ejuſdem ſint naturæ nempe Eryſipelaceæ.

Appro

Appropriata talia *remedia in pleuritide* ſunt; *papaver eraticum ſ. rhœas*, *Bellis flor. rubr. Card. benedict. Carduus Mariæ*, *Taraxac. Scabioſ. Pimpinell. Vlmaria*, *Heder. terreſtr. Rad.Bardan.major. radix Eryng. Flor. Acac. noſtrat. Semin. Card. bened. Card.Mariæ*, *Papav.albi*, *&c. Chærefol. aquæ deſtill. iſtorum ſimplicium*; & in ſpecie *aqua flor. Acaciæ*, & *aqu. flor. papav.errat. chamomill. aqu.hyſſop.* & ſimiles.

Præ cæteris omnibus triga vegetabilium, *Papav. rhœas. Card. bened. & Mariæ*, conveniunt.

Ex his *papaver rhœas* eſt omnium optimum,ut *aqu. ſyrupus, tinctura, pulvis florum, ſuccus & conſerva* hujus ſunt convenientiſſima.

Uſum hujus decantatum habet VALERIOLA *lib.5. obſer.5.&* 10.

Item ex *ſeminibus Card. bened. & Card. mariæ* fiunt *Emulſiones*,cum aliis quæ in cura pleuritidis ſunt elegantiſſimæ,v.gr.

♃. Sem. Card. benedict.mariæ.
Papav. alb.an.ʒij, (ratione doloris.)
c. ſ. q.
Aqu. papav. rhæad.
Ulmar.
F. l. a. Emulſio.
cui adde
Dent. apri præp.
Mandibul.luc. picis. præp.
Antimonii diaphoretic. an.℈j.
edulcoret.Hæc emulſio eſt antipleuritica.

♃. Aqu. Ulmar. ℥iij.
Syrup. papav. rhæad. ℥j.
Bezoard.mineral. gr.xij. doſ.j.
Fpctio antipleuritica.

Item ♃. Aqu. chærefol.℥iij.
ſin. papav. rh.℥iß. ad ℥ii.
Bezoard. miner.gr.xvi. S.u. ſ.

Subſiſtimus adhuc in materiâ medicâ pleuritidi curandæ dicata: & præter papaver rhæas,Card.bened.& Mariæ.

Etiam prodeſt *Chærefolium* ejuſque *aqua deſtillata*, utpote alias ſatis decantatum ad ſanguinis grumos quoſcunque reſolvendos.

Item *Succus ſcabioſæ* & præ cæteris *ſuccus Taraxaci*, ſeu dentis Leonis, it. ſuccus *pimpinellæ ſ.ſanguiſorbæ*, cum quo egregiam & expertam præſcribit miſturam BARBETTE *prax.p.32.* Compoſitio eſt hæc.

♃. Succi taraxic. depurat. ℥j.
Aqu. Plantagin.
roſar. an.℥ij.
prophylacticæ. ℥ß.
vel loco hujus acet. deſt.
Ocul. cancr. fluviatil. crudor.contuſor.ʒß.
Sirup. papav. erratic.℥iß.
miſc.

Hac miſtura ſola mulierem periculoſa pleuritide laborantem,liberavit *doſ. cochl. aliquot* ſubinde haurienda.

Poſt hunc ſuccum eſt imprimis *decoctum Eryngii*, item *decoctum bardanæ*,ex *radice* bardanæ collectæ luna decreſcente in Autumno,aut luna creſcente inVere: eſt expertum remedium ad curandam pleuritidem. Imprimis ſi tunc temporis applicetur *externè ſperma ranarum* cum linteis duplicatis ſubinde reiterandum: Hoc enim eſt ſingulariſſimum remedium ad quaſcunque inflammationes cõpeſcendas ſi applicetur. Porrò *Priapi cervi & tauri* ſimliter egregiè commendantur ad curam pleuritidis, *præfertur* tamen *cervinus taurino.* Eorum *raſura* vel *pulvis ad* ʒj. aſſumitur: Vel eorum *decoctum* tanquam julepus cum aliis permiſcetur.

BARTHOLETUS etiam in pleuritide maligna commendat *raſuram priapi tauri*,in qua aliàs tantummodo alexipharmaca uſurpari debent.

Quidam his *priapum ceti præferunt*. Porrò *miſtura ſimplex*, ſ. *Tinctura Bez. Spiritus nitri compoſitus*, ſeu *dulcis cum vini ſpirit.* eſt expertum remedium in pleuropneumoniis ſi ad ʒj.propinetur in aqu. appropriata febrim ſedat,& blando ſudore morbum curat.

Magis accommodatum fit remedium ſi ſpiritus vini digeratur & cohobetur aliquoties à ſimplicibus antipleuriticis: & hic ſpiritus ita impræegnatus loco ſpiritus vini ſimplicis uniatur, & cohobando concentretur cum ſpiritu nitri,obſervando tamen debitam proportionem,& fiat ſpiritus antipleuriticus egregius cum ſpiritu nitri qui alias in omnibus inflammationibus internis ſatis commendatus.

Conveniunt ulterius *terreſtria ſ.ſalia volatilia* aliæ *imprimis ex animalibus* deſumpta, quatenus efferveſcentiam maſſ. ſang. corrigunt. & hoc ipſo ſudorem movent:qualia ſunt. *Oculi cancror.fluviatil.dens apri, dens Caſtoris, Mandibul. lucii piſcis,cruces ex capite lucii piſcis, lap. carpyon, percarum, tali leporis,corall.rubra, CC.* & *ebur ſ. igne.*

Ex his primatum obtinent *dens apri & maxill. lucii piſcis* utpote quæ per ſe à ℈j. *ad* ʒß. propinata inſigniter commendantur ad pleuritidem.Commodè etiam propinantur in *emulſionibus*.

Ex his & ſimilibus fiunt *pulveres antipleuritici* compoſiti: quo petinent *pulvis pleuriticus* MYNSICHTI *Pulvis pleuriticus Auguſtanor.pulvis pleuriticus ſecretus* MYNSICHT. &c.

Optimè his cum terreſtribus præprimis *antimonialia tartarea fixa* permiſcentur, v. gr. *antimonium diaph. Bezoartic. mineralia* tàm *ſimplicia* quam *compoſita*, cinnab.antimonii & ſimilia.

Pertinent huc *pilulæ antipleuriticæ* BARTOLETI, quibus nullum præſtantius remedium inveniri aſſerit *lib.5. de Dyſpnæa, cap.3. p.451.*compoſitio eſt hæc.

♃. Extract. flor. papav.rhæad.
malv. arbor rubr.
lign. Viſc. Quercin.
an.ʒiß.
raſur. dent. apri.
Cornu Rhinocerot. an.ʒij.
Maxillar. luc. piſcis. ʒi ß.
Cortic. intern. avellan. ʒj.
Anodyn.mineral. ʒß.
(i. e. nitri fixi)
Magiſt. corall. ʒiß.
cum
Tinctura vel ſucco denſato ſcabioſ.
Fiat. Paſtat.

doſ.℈j. cum aqua papav.erratic. vel m.cum *ol.Amygdal. dulcium* ℥ij.

Porrò *ſulphur ejuſque flores ad* ʒß. propinata inſigniter proſunt in pleuropneumoniis.

Hinc *pulvis pyrius* eſt ſingulare remedium in cura pleuritidis, ratione nitri & etiam ratione ſulphuris.

Ratione cujus ſulphuris & nitr. cum ſal. vol. conjuncti convenit etiam ſpecificè *fuligo furni ſ. Camini.* Nam pleuritidem ſævam *per* ʒß. *fuliginis camini in aqu. card. bened.* die 7. curatam videbitis *in* RIVER. *cent.2. obſ. 79.* & hæc fuligo eſt ſecretum antipleuriticum *D.* HORSTII.

Recepit nempe fuliginis bene triti, q.v.lavat ſæpius cum aqua flor. ſambuc. exſiccatum & ita pulveriſat. hujus *pulvis* ita præparati *doſis eſt à* ʒß.*ad* ʒj.

Porrò in *ſanguine hirci* legitimè parato, eſt expertum remedium contra pleuropneumonias.

Methodum parandi hunc legitimam beneficio abſciſſionis teſtium ex hirco vid. deſcriptum apud HELMONT. *tract.ſextuplex digeſtio* §.75.

Hoc eſt medicamentum quod te nunquam deſeret, ſi ſcilicet hujus cruoris ritè præparati ʒj. propinetu in aqua appropriata, ſi prima vice non ſequatur ſenſibile levamen poſt 2. vel 3. horas repetatur: idquſ faciendum mox in primo principio antequam facta ſic

ſuppuratio

ſuppuratio: facta n. ſuppuratione fruſtra adhibetur remedium.

Similes virtutes habet *ſanguis leporinus*: *ſi* Lepus in venatione à canibus captus (obſervetur bene hæc circumſtantia, cujus rationem dat HELMONT *in tr. de Dyſenteria*) vivus ſtranguletur laqueo ut ſanguis in unum confluat & grumeſcat, aperiatur poſtmodum & ſanguis in furno ſiccetur *doſ. eſt* ʒß.

Nec *Animalium ſtercora* hic ſunt relinquenda: nam & hæc ipſa mirificè conveniunt in cura pleuropneumoniæ; Præ cæteris expertum eſt *ſtercus equinum maſculinum.* (Anglorum experimentum) ſi ſcilicet pila una ſtercoris equini recenter excreti benè exprimatur & ſuccus expreſſus propinetur mox in principio quo citius eo melius: pruocato enim ſudore pleuritides brevi curat.

Aut maceretur *ſtercus equinum cum aqua papaveris rhœados* & ita ſuccus adhibeatur: vel facta prius expreſſione forti & colatura.

Stercus album GALLINÆ ſ. *album græcum*, *ad* ʒj. propinatum eſt egregium.

PANAROLLUS *pent.* 4. *obſ.* 14. ſecretum magnatum ad curandam pleuritidem vocat *pulverem ſtercoris columbini ad* ʒß. in liquore convenienti propinatum.

Alii recipiunt *ſtercoris ovilli pilulas x* ſubigunt in mortario cum *aqua papaveris erratici*, vel *card. benedict.* vel *ſcabioſæ*, &c. & ita exhibent ſtatim in initio: nobile eſſe remedium dicit LINDANUS idque ob ſal nitroſum volatil. & armoniacale, quo impprægnata ſunt animalium ſtercora.

Porrò convenit *Sperma ceti* ad curam pleuritidis & pleuropneumoniæ: id quod ipſum *vel ſolum vel caſtoreo* miſtum in pleuritide ſuppreſſioni menſium ſuperveniente egregiè convenit, imprimis *ſi ex terrore* ſubito menſes fluentes ſupprimuntur, & ita oritur pleuritis.

Pertinet huc *antimonium ſolari irradiatione calcinatum* (de Bezoarticis mineralibus ſuperius) ſub qua calcinatione & pondere augetur antimonium & ſingulariſſimam vim alexipharmacam acquirit: ſub qua operatione multum eſt reconditum.

Denique Experimentum QUERCETANI eſt *pomum excavatum & ʒj. thuris repletum*, & ita ad ignem coctũ quod deglutiendum & hinc ſudandum. Hoc enim multos reſtituiſſe refert RIUERIUS.

Item in pleuritide commendat BARTOLETUS *pomum* excavatum *olibano repletum* & ita coctum cum ℥iv. *aut* iij. *aquæ cardin. benedict.* propinatum, vid. etiam RIVERIUS *cent.* 1. *obſervat.* 56. & *cent.* 3. *obſer.* 63.

Quidam tamen intromittunt ʒß. *Thuris* & ſuperaddunt ſimul ʒß. *flor. ſulphuris* & ita coctum aſſumunt, & præſtantiſſimum remedium eſſe dicit FONSECA *lib.* 2. *conſil.* 85. &c.

Denique *oleum Lini* ſi quid aliud commendatiſſimum eſt remedium à multis ad ℥iii propinetur.

Loco cujus *ol. amygdalar. dulcium* eadem doſi à non paucis commendatur.

Sic PISO ceu expertum habet *ol. Lini ad* ℥iv. *cum* ʒi. *pulver. dentis* apri propinatum.

THONERO verò in uſu fuit *ol. amygdalar. dulcium ad* ℥iiß. *vel* ℥iii. quod etiam fecit PLATERUS quod mira præſtat in principio morbi aſſumptum: dum expectorat dolorem lenit & morbum ſenſibiliter levat.

Oleum lini etiam fuit experimentum GESNERI quo ſuos pleuriticos egregiè reſtituit plura qui cupit de oleo lini, vid. GABELHOVER. *cent.* 4. *cur.* 68.

Nempe ad coctionem hanc imprimis facit *ol. ſem. lini*, & hinc *oleum amygdal.* ſed recenter expreſſa, tam à Veteribus quam à Modernis Practicis experientia duce laudata, nempe *Tachen. Hippocrat. Chym. l.* 2. *p.* 101. *ſpiritum vini camph. & crocatum c. ol. lini*, datum rarò fallere aſſerit. Vel ℞. Olei lini rec. expreſſi ℥iii. ſyr. viol. ℥iß. aqu. hyſſop. ℥iiii. v. l. vi. &c. ℥ii. l. iii. pro doſi, aliquoties in die, vel ſaltem ol. lini rec. ſ. igne extractum, c. ſaccharo miſtum & ita exhibitum, egregiè confert. Aut ℞. Olei lini expr. ℥iii. propinentur in quocunque vehiculo.

His appropriatis vel præmiſſis ſi non ſuccedat legitima ſolutio morbi: *adjuvanda expectoratio*: cùm ad hoc inclinet natura, dum videmus conſtare & ægros.

Ad *promovendam ſputationem* proſunt *potius decocta pectoralia*, quàm *ſirupi aut linctus pectorales* quoniam minus perferunt tales ægri ſacharata.

Convenit ergò in principio *decoctum hordei cum radic. Glyzyrrhiz*, *Helenii*, *Scabioſæ cum ſirup. violarum*; ad materiæ ut vocant coctionem.

Poſtmodum convenit cum his *Syrupus de hyſſopo & mel roſatum* ad meliorem expectorationem *materiæ*.

Item *ſpiritus nitri dulcis* ad expectorationem egregiè facit.

Conveniunt etiam *flores aſæ dulcis* ſ. ipſa *aſa dulcis* probè pulveriſata & permiſta *cum ſirupo ſeu conſerva violarum*; *ſirupo de Tuſſilagine*, *de papav. rhœados*; & in ſpecie *de jujubis*, qui egregiè temperant acres ſuccos, & expectorationem blandè promovent.

Cæterum, præ cæteris urgens ſymptoma eſt *dolor* qui admodum excruciat ægros.

Pro leniendo iſto dolore *externe* varia applicantur: *in principio* uti dixi applicatur *ſperma ranarum* cum egregio ſucceſſu.

Vel applicari poteſt *Unguentum pleuriticum* MYNSICHTI: item *unguentum Dialthææ* ℥j. *cum* ʒß. *ol. amygdal. dulcium.* Simplex eſt hoc unguentum ſed expertiſſimum RULANDO *&z. Luſitano*, ſi ſingulis tribus horis illinatur lateri dolenti.

Item *Emplaſtrum de Meliloto*: *ol. ſeſaminum*, *ol. ſem. lini chamomelinum*, *hyperici*; *chamomillæ deſtillat*; *anethi*, *ol. aranearum*, *ſcorpionum*, it. *Verbaſci*, *Hyoſciani*, *ol. ceræ deſtillatum*, *ol. camphoræ* excellens, cum aliis, it. *ol. rubrum ex ſtercore animalium.*

Item *Pinguedo Muris montani*, eſt experimentum PARACELSI.

Item *Sevum hircinum*, *balſamus ſulph.* RUL. ſuperadditur *emplaſtrum diaſulphuris* RULANDI. *Unguentum Paracelſi* fuit hoc.

℞. *Pinguedin. mur. montan.* ʒj. *ol. amygdal. dulc.* ʒß *chamomill. roſar. an.* ʒj. *miſc.*

Succus caulium ſ. *braſſicæ*, & ex eo paratum *unguentum* à multis ſimiliter expertum. Sic factum *emplaſtrum ex ſucco caulium cum pulvere chamomillæ* inſigniter commendatum eſt à GABELHOVER *cent.* 4. *cur.* 68.

Sic etiam ex *pulvere caulium cum pulvere cumini*, *caryophyllorum & melle*, expertum emplaſtrum fit contra pleuritidem BARTHOLETI.

Quibuſdam ſecretum eſt hoc *emplaſtrum*, quod præmiſſa ven. ſect. ſi opus ſit, & ſudorifero applicandum.

℞. Picis naval. ℥iß.
Sulphuris trit. ℥ß.
Ceræ flavæ ʒvi.
Terebinth. claræ ℥ß.
Ole. chamomill. q. ſ. miſc. pro emplaſtro applicetur.

Præmiſſa ven. ſect. ſi opus eſt, uti dixi, in ſudorifero ſeu aliis.

Quòd attinet *fomenta*, & alia horum invenietis prolixam catervam apud Autores.

Quòd ſi neque per ſudorem, neque per ſputum expectorationẽ deſinat pleuritis neceſſe eſt, ut ſuppuretur inflãmatio, & abeat in perfectum abſceſſum; circa quem 1. *ſuppuratio* promovenda. 2. *Abſceſſus* perfecta ruptio adjuvanda.

adjuvāda. 3. Abſceſſu aperto, partis ulceroſæ *mundificatio & conſolidatio*, ac ſimul puris excretio inſtituenda.

SUPPURATIO hæc in pleuritide frequentius contingit, in quâ nunc ſaltim apoſtema colligitur *intra pleuram*, idque frequentius, nonnunquam ſimul ex parte *intra pulmones* iſtius lateris, idque rarius. Nam hoc revera ſputo ſolvitur, dum illud ſæpiùs ſuppuratur. Semper tamen in ſuppurationis hoc negotio ad utrumque reſpiciendum. *Pleuritis ſuppurata intra pleuram*, nunc rupto abſceſſu intra cavum thoracis fluit, nunc intra ſaccum ex dilatata pleura colligitur. Probè hoc obſervavit *Lindanus*, qui dicit: Autores ſemper crediderunt, ſuppuratione factâ pus ſemper infundi in cavitatem thoracis, atque *Empicma* fieri. Verùm ſæpè tantum eſt collectio puris, in parte ante affecta, quod vidi in filia *D. Piſonis*, quæ in pleuritidem incidit, quæ in ſuppurationem tranſiit. Locum Chirurgus candelâ certâ exploratoria exploravit altè, ſed inde nihil potuimus colligere. Nam puella mortua cùm diſſecta fuerit, invenimus membranam ſuccingentem pleuram dilatatam in immenſum ſaccum, in quo ſubſidebat omnis purulentia. Illud tamen magni Medici hâc de re conſulti, omnes eſſe putabant. Verùm hîc fruſtrà fuit paracenteſis facta & miſerè obiit.

Ad cujus *abſceſſus* ſive inflammationis *maturationem* optimus eſt. *Syrupus de Nicotiana*, item *ſyrupus heder. terreſtris*, *& ſymphyto* FERNEL.

Ubi etiam *Emplaſtrum ex lacte & cremore malvæ arboreæ*, quod maturat & rumpit abſceſſum. Vel etiam alia emplaſtra externè applicantur pro maturatione & ruptione abſceſſuum.

Quo etiam facit *ſtercus aſininum in aqua* appropriata *vel vino* diſſolutum pro potu additum. Nam & hoc non minùs quàm *ſtercus, caballinum* factâ jam ſuppuratione maturat & rumpit abſceſſum.

Ubi facta ſuppuratio, opera danda, ut ABSCESSUS *rumpatur* & pus evacuetur. *Apertionem* abſceſſus factam *cognoſcimus* ex ſpuitione puris, c. ichore plus minus cruento. Ut autem rumpatur, ſeu aperiatur abſceſſus in tempore, optimum remedium eſt, ſi *vomitus* aut *ſternutatio* excitetur & patiens altâ voce clamando, de latere in latus ſe volvat. Optimum eſſet, ut quoties certi eſſemus de maturato abſceſſu, *ſaltem perforentur ſpatia intercoſtalia*, cum hoc ſecurè fieri poſſit, modò locus, in quo abſceſſus continetur, certè & exactè cognoſci poſſit. Neque enim in eo loco, quo in empyemate & purè jam in thoracis cavitate collecto, ſectio fieri ſolet, apertio inſtituenda, ſed ex pondere, dolore & calore locus, in quo abſceſſus hæret inveſtigandus, & intra duas coſtas leniter aperiendus, &c. ſed *cautè* omninò procedatur. Quæ apertio, quoque ſaltim in abſceſſu intra pleuram locum habet? *Sin in pulmonum quodam lobo* ſimul ſuppuratio fiat, neceſſariò *empyema* expectandum venit.

Decoctum Tabaci & ex eo paratum *ſyrupum* non poteſt ſufficienter commendare FERDINANDUS *hiſt.* 32. & 45. ad rumpendum vomicam ſuppuratorum, & ad evacuandum pus: dicit, teſtor Deum me tantum non à morte ad vitam revocaſſe mulierem, quæ jam erat per tres menſes pleuritica & ſuppurata cum febri hectica: quæ ab iſtius decocti nempe Nicotianæ aſſumptione per tres dies, & ab hauſto nicotianæ fumo tribus vicibus plus 6. ℔. puris trium dierum ſpatio evomuit tuſſiendo atque nunc ſana eſt.

Decoctum eſt hoc: ℞. *fol. tabaci* ℥i. bulliant in aqu. dulcis ℔.ii. ad conſumptionem medietatis, addendo in in fine *fol. malv. branc. violarum* an. M.j. colentur, &c. *ſapa* miſceantur, & detur calidiuſculum pluries. *Fumus* verò eſt ℞. *fol. tabaci*, reponantur in cineribus adhuc ignitis & fumus per fiſtulam ſeu embolum aſſumatur, cum quibus & *terebinthinæ* uſum ſubinde adhibuit.

Factâ ergò *eruptione* puris in thoracem præter remedia *ex nicotiana*: *ex hederâ terreſtri* ſunt experta, Quam hederam terreſtrem & ejus *ſuccum* & *ſyrupum* omnibus aliis præfert remediis ad curandos ſuppuratos. Egregiè enim apoſtema mundificat, & denuò conſolidat, ne æger in empyema deſperatum tranſeat.

Aliàs etiam optimum ulceris pleuritici conſolidativum eſt *ſpiritus terebintinæ cum ſpir. ſulphuris vel vitrioli*, per debitam digeſtionem unitus, uti videre poteſtis in *Collegio* LANGII *ſupra* FABRUM *cap. de peripneumonia.*

Potus toto morbi decurſu ſit *decoctum hordei & liquiritiæ*, vel *decoctum papaveris rhœados, cum ſyrupo capill. veneris.* Convenit etiam *potus ſulphuratus* quicunque ſecundùm HELMONTII Hypotheſin præparatus.

QUOAD PLEURITIDEM NOTHAM, *prima* iſta, quæ eſt *ab inflammatione* partium externarum internis diaphoreticis ad quaſlibet inflãmationes ſupra laudatis, & externis *ſacculis* ac *fomentis diſcutiētibus* levatur.

Altera iſta *ab acido acri intra pleuram* ſolitariè collecto, per diaphoretica *ſalia volat. cum opiatis* mixta tollitur; in ſpecie ſpir. ſalis ammoniaci *aniſat.* cum dimid. *eſſent. opii* mixtus & propinatus, expectando ſudorem, benè confert.

In pleuritide verminoſa, ſeu ea, quam dixi oriri à vermibus. Experimentum eſt, ſi aqua card. benedict. affundatur ſuper mercur. vivum, & ita in loco calido contineatur: de qua aqua, quæ nihil de pondere & ſubſtantia imminuit mercurii, ſi aliquot cochlearia propinentur, omnes vermes certò ſanat eos interficiendo & ejiciendo: Convenit etiam phlegma vitrioli, quod etiam enecat eoſdem, cùm in ſe contineat mercurialẽ vol. ſpiritũ. Vel fiat hæc miſtura.

℞. Aqu. violar.
card. ſancti ana ℥iii.
ſyrup. Hyperic, ℥iß.
ſpirit. vitrioli dulc. gr. vi. Miſc.

Hujus miſturæ æger hauriat ſubinde aliquot cochlearia.

Ut omnia hæc fiant illuſtriora, EXEMPLO rem declarabo. *Vetula* 42. *annorum* pleuritide deſperata correpta, ſeptima die opem poſtulat, tuſſis gravis, excretio viſcida, nonnihil ſanguinolenta, dolor in latere dextro, qui prius fuerat in ſiniſtro, palpitatio cordis, ſudor frigidus in peripheria corporis, pulſus quinta qualibet vice intermittens, omni momento ſuffocanda videbatur, ſitis clamoſa, vox rauca, &c. Præſcribo

℞. Aqu. papav. rh.
card. benedict. ana ℥iß.
Mandib. luci piſcis præp. ʒi.
Sal. volat. mand. lucii piſc. præp. gr. xii.
laud. opiat. ferment. gr. ii.
ſyr. ſcabioſ. ℥iß. M. capiatur cochleatim; exinde mirabile levamen perceperat.

Jam igitur ut *expectorationem* melius promoverem

℞. Aqu. Scabioſ.
hyſop. an. ℥iß.
ſpir. ſal. ammoniaci aniſ. ʒiß.
ſyr. ſcabioſ. violar. a. ℥ß. m. capiatur cochleatim.

Cùm egregiè quidem & copioſè viſcida rejiceret, tamen de *anxietatibus* repetentibus, ut & *doloribus* intenſè recrudeſcentibus, denuò conqueri cæpit, cum *reſpirationis difficultate*, ob id

℞. Aqu. papav. rhæad.
card. benedict. ana ℥iß.
lap. cancr. fluviat. præp. ℥i.
ſal. vol. mandib. lucii piſc. gr. xv.
laud. opiat. ferment. g. ii.
ſyr. papav. rhæad.
ſcabioſ. an. ʒvi. M.

Ratione *doloris punctorii.*

℞. Ung. dialth. ℥i.
ol. amygd. d. ℥ß.
deſtil. cumin. ℈i.
camphor. gr. ix. M. profuit. His continuatis ſanata fuit.

Reliquias *ſuccus raphani cũ ſaccharo* per copioſã ſputi excretio

excretionem abſolvit. Sed cùm tuſſis & alia ſupereſſent ſymptomata, adeoque *metus imminentis phthiſeos*, ob id.

℞. Chærefol.& heder. terreſtr. an.q.v.inciſ. coquantur in cereviſ. capiat manè & veſperi hauſtum, continuetur aliquandiu, bene profuerunt. Supererant *ſudores nocturni* continui, emaciantes & debilitantes inſigniter.

℞. Antiheſt. Poter. ℈j.
laud. op. gr. iß. M. capiat ſub introitu lecti.

Unde & hæc ſymptomata evanuerunt.

Vir ætatis conſiſtentis gravi pleuritide correptus, cujus pulſus cùm ſemper poſt 3. pulſationes intermitteret, præſcripſi octava demum die vocatus

℞. Aqu. papav. rhæad.
ſcab. an.℥iß.
Antimon diaphoret. ʒß.
ſyr. Nicotian.
ſcabioſ. an.ʒvi.
ſpir. nitr. dulc. q.s.

Potiunculam hanc bis uſurpavit, prima vice ſenſile levamen exinde percepit; ſed altera vice mirè recruduit morbus (ſicut aliàs ſuperiores potiones cum ſalibus volatilibus magis proficuas obſervavi, quam has cum ſpiritu nitri dulci) ut moribundus videretur omnibus, & ſemper quidem circa veſperam morbus recrudeſcebat, præcedente *gravi rigore* inſequente vehementiſſimo, ſub quo & *delirus* & ſummè *imbecillis* evadebat, unde 10. die præter propter præſcribo.

℞. Sem. Card. bened. ʒiij
c. aqu. papav. rhæad. & ſcabioſ. an. q. s.
F. Emulſio, adde
mandib. lucii piſc. ℈ij.
ſal. volatil.mand. luc. piſc. gr.xii.
edulcorentur ſaccharo M. capiatur cochleatim; mirè profuit. Reliquias expurgendas juſſi, ſucco *raphani cum ſaccharo*, pro expectoratione; ſed hujus continuo & nimio uſu *diarrhœam*, & quaſi *lienteriam* incurrit. Hinc.

℞. Spir. ſal.dulc.ʒii. doſ.25. gut. bis in die; bene contulit. Sed propter *calorem* veſperi recurrentem, *ſudorem nocturnum* copioſum & *tuſſim continuam*.

℞. Antihectic. Poter.
flor. ſulphuris an. ʒß. M. pro 2. doſ. continuetur aliquoties.

Hiſce diebus occurrit *juvenis* INFLAMMATIONE *ſub axillis* inſigni correptus; facta poſt aliqualem ſuppurationem apertione, ſupervenit altero ab hinc die inflammatio, quæ medium pectus occupabat, cum dolore ad tactum ſenſili, reſpiratione difficili, ita ut ferè erectus in lecto ſubſiſtere cogeretur. Erat *pleuritis notha primi modi ex Sennerto*, quæ facilè curata fuit, per potiunculam ex *lap.cancror.fluviatil.* cũ *acet. deſt.* ſuprà de inflammationibus in genere uſitatam. *Vid. ſuprà*, quam bis uſurpavit cum blando ſudore.

Aliquando gravis *pleuritis notha ſecundi modi* occurrebat in alio, cum dolore graviſſimo punctorio.

℞. Aqu. ſcabioſ.
card. ben. an. ℥iß.
ſpir. ſalis ammoniaci. ʒiß.
Eſſent. opii ʒß.
corall. rubr præp.gr.xxiiii.
ſyr. ſcabioſ.ʒvi.M. capiatur cochleatim.

Porrò inter reliqua viſcera interdum etiam

INFLAMMATUR HEPAR.

Hepatis inflammatio. Quod ipſum inflammatum abit & degenerat in *abſceſſum*, totum ejus parenchyma devaſtantem.

Non enim tam in SCHENKIO leguntur exempla abſceſſuum in hepate poſt inflammationem, ubi totum Parenchyma ſuppuratum fuit: ſed etiam imprimis FORESTUS egregium habet caſum *lib.19.obſ.10.* de hepatis apoſtemate ſeu inflammatione in abſceſſum mutato, quod in *ulcus malignum* ut depaſcens, tandemque in *gangrænam læthalem* abiit.

Rariores equidem ſunt tales inflammationes.

CAUSAS tamen agnoſcunt eaſdem, quas omnes reliquæ inflammationes; in ſpecie tamen eſt *contuſio*, & *caſus ab alto*, in *latus dextrum*.

Ab *emplaſtris & unguentis nimis calidis hepatis regioni* admotis; uti etiam *à cucurbitulis* eidem regioni affixis hepatis inflammationem obortam obſervat HILDANUS *cent.7.obſ.46.& 47.*

SIGNA quod attinet, ſi ejus inflammatio eſt in parte gibba ſeu convexa poteſt faciliùs cognoſci malum: difficilius eſt, ubi eſt in parte ejus concava.

Ubi autem eſt inflammatio in *parte gibba*, magis urgent *ſymptomata pleuritica*, ſeu quæ aliàs ſolent obſervari in pleuritide vera: *ſi in parte concava* urgent *ſymptomata ſtomachica*, ſeu quæ ſtomachum affectum denuntiant.

Et quidem in *hepatis inflammatione* percipitur *dolor obſcurus & tenſivus circa regionem hepatis*, adeſt ſimul mox *febris* nunc quidem magis *acuta*, ubi major eſt inflammatio *utplurimum* verò *lenta*, analogiæ ſcilicet inflammationi factæ. Et cùm hepar inflammatum non poſſit non afficere diaphragma, cui per ligamentum latum eſt fortiter annexum ob id *tuſſis arida*, per intervalla ægros cruciat: item *difficultas reſpirandi* adeſt, *decubitus in lateribus* eſt *difficilis: pulſus eſt frequens, celer & inæqualis*: adeſt ſimul *ſitis intenſa*, *anorexia*, *dolor acris circa foveam cordis*; imprimis *ſi eſt in convexa*.

Sin verò *eſt in concavo ſingultus* frequens oboritur; & perpetuò verò ſingultiunt ægri. *Vomitus bilis* interdum ſupervenit, *inflammationi* ſcilicet *partis cavæ*. Verùm cùm hæc ſymptomata ſæpius etiam reperiantur in pleuritide ob id accurati ſimus in diſtinguenda pleuritide verâ ab inflammatione hepatis.

Proſtant enim non pauca exempla inflammationum hepatis pro pleuritide curatarum, aut ſaltim pleuritidi ſimilium: Exempla jam nota proſtant à GALENO, quæ videbitis *in Z. Luſit. lib.2. med.princip.hiſtor.101.* adeò ut refert A. LUSITANUS ſe obſervaſſe jecoris inflammationem cum tuſſi & ſanguinis ſcreatu conjunctam, idque *cent.4.obſ.1.*

Signa ergò *diſtinctiva* imprimis ſunt *dolor punctorius*, qui *in pleuritide* eſt longè *gravior & auctior*, *parvus* verò *vel nullus in hepatis inflammatione*: Item *inſpiratio in hepatis inflammatione eſt difficilis*, *exſpiratio* verò *facilis*, cum *utraque* ſit *difficilis in pleuritide*. adhæc *tuſſis* longè *vehementior & frequentior* eſt in *pleuritide*, eaque humida, quæ in *hepatis inflammatione* eſt *mitior & arida ſeu ſicca*.

Pulſus *pleuriticorum* eſt durus, ac ut vocant, ſerratus, qui in *hepatide* magis ad undoſum accedit.

Denique *pondus gravans* & quaſi deorſum trudens thoracem percipitur in latere dextro, *quando hepar eſt inflammatum*: ubi etiam non rarò *tumor aut reniſus*, quidam percipitur tactu, quando jecur in ſua parte convexa eſt inflammatum.

In genere: in *pleuritide vera omnia ſunt acerbiora & vehementiora*; In *abſceſſu* verò ſeu inflammatione *hepatis* omnia ſunt *remiſſiora*.

Ulterius fit interdum, ut cum hepate inflammato concurrant *dolores ventris*, unde contingere ſolet, ut à quibuſdam hepatis inflammatio habeatur *pro colica*. Exempla inter alia habet HILDANUS *cent.7. obſ.48.* *Diſtinguitur* facilè per adjuncta ſimptomata, per *febrim*, per *tuſſim*, per *difficultatem reſpirandi* & ſimilia, quæ in colica ſolent abeſſe.

Denique *muſculorum abdominis inflammationes* circa hepatis regionem fallunt interdum Medicos, ut illas habeant pro inflammatione hepatis: Exemplũ elegans & curioſum talis fallaciæ habet VALERIOLA *lib.4.obſ.5.* item BARTOLIN.*cent.2.epiſt.45.* ubi ſimile habet exẽplum ex contuſione ortæ inflammationis abdominis muſculorum, quam putarunt eſſe abſceſſum jecoris.

Diſtinctio eſt facilis, quòd imprimis in *inflammatione muſculorum* percipitur *dolor pulſatilis*, qui ferè eſt *nullus in inflammatione hepatis*, propter unicam ejus arteriolam: Præterea *pectoris ſymptomata abſunt* in *inflammatione muſculorum abdominis*, quæ tamen *adſunt in inflammatione jecoris*.

Denique *tactus* percipiens *tumorem* circumſcriptum, nec adeò nimis profundè ſitam & apertam extuberantiam percipiens in abdomine, certus poteſt eſſe judex, *an jecur, an muſculi* ſint inflammati.

Interim tamen, quod rectè monet *Sennertus*: cavendum ne fallamur, ſi tumor in medio ventre appareat, cum quibuſdam etiam hepar ad medium ventris extendatur. Sed quoad hæc confer imprimis *Sennertum l.3. pr. ubi de hepatis inflammatione*, ejuſque Epitomatorem *Riverium*.

Pro majore dictorum illuſtratione placet EXEMPLUM notabile *apoſtematis in jecore, ex Coitero ejúſque Obſervationibus Anatomicis* ſubjungere, qui ita dicit „p.120. Civis quidam Norimbergenſis natus ann.42. „totus cholericus, leni tuſſi correptus, de moleſto quo„dam hypochondrij dextri dolore, edendi appetitus „amiſſione totius corporis langore, æſtu, affatim & „plerumque poſt cibum faciem, manuum palmas pe„dumque plantas invadente & oris ariditate, conqueri „cepit. Vi morbi creſcente, decreſcentibus viribus, cor„pore extenuato, totius anni ſpatio poſt, coactus fuit „decumbere, tandem & me accerſiri juſſit. Inveni inter „cætera febrim quandam erraticam, atque tumorem „durum, tenſivumque in hepatis regione, ad medium „ventris & umbilicum uſque protenſum. Febris minimè „erat intenſa & periodica, ſed hecticæ ſimilis, quæ in„certo tempore ſubinde per totum corpus diffundebat „æſtum ſolitò majorem, qui interdum citius, interdum „tardius remiſit, magis potus quàm cibi deſiderio mo„leſtabatur, ut ferè ſemper hominibus, qui ſimilibus „affectibus urgentur, uſu venire ſolet. Tumor erat du„rus, cum magna tenſione & vehementi punctione do„loreque ulceroſo conjunctus, quamvis nulli lateri in„cumbere potuerit, tamen facilius dextro quam ſini„ſtro, ad quod aliquid ponderoſi, in corporis commo„tione, prolabi ſenſit. Alvus erat difficilis, urina ſubfa„va, tenuis, cum pauco ſedimento eoque divulſo. Pun„ctio, quæ ægro omnium moleſtiſſima erat, nullis un„ctionibus, emplaſtris &c. remitti potuit. Tandem bar„bitonſor quidam doloris mitigationem pollicitus eſt „& appoſuit cataplaſma anodynum, emolliens & ſup„purans. Inde tumor crevit, efferebaturque magis ad „umbilicum & dilatabatur, ita ut quidam ſuſpicati ſint, „hunc morbum in hydropem terminaturum. Aliquot „diebus poſt in ilio dextro in conſpectum venit tuber, „quod barbitonſor exiſtimavit ab apoſtemate intra „muſculos abdominis generato prodiiſſe, quare aper„tionem ſuaſit. Ego cum nec indicationem nec alia ſup„purationis ſigna manifeſta iſtic deprehendere potue„rim, conatui ejus reſtiti, æger verò permiſit ſibi lapi„dem cauſticum apponi. Hic lapis cauſticus triduo muſ„culos abdominis ad pæritonæum & inteſtina uſque „diſperſus eſt, tumor deſidit & durities evanuit. Eodem „die aliquot deliquiis animi correptus æger moritur. „Aperto corpore invenimus vomicam ſimæ hepatis „parti, cujus non parum putruerat, conatam, eamque „ſatis magnam & apertam, reliqua fuere ſana.

QVOAD PROGNOSIN.

Aut *diſcutitur* inflammatio hepatis, aut eadem ſuppurata *abit in abſceſſum*, qui abceſſus frequentiſſimè *per alvum* & urinam *excernitur*; interdum etiam ſed rarius *iis copioſum per vomitum* ejicitur. Quale exemplum videbitis in SALMUTH *cent.1. obſ.27.* & 28.

Rarius fit, ut hepar ſuppuratum (id quod fit per circulationem ſanguinis) ſub forma puris *tuſſi rejiciatur*. Exemplum tamen videbitis in SCHNEIDER, *l.4. de Catharrh. p.105.*

Rariſſimum denique eſt quod abſceſſus ferè *transferatur in ſuras*: quale exempl. vid. in SCHENCK *l.3. obſ.* de hepate, quod ex vomica transferatur materia purulenta ad ſuras, ubi per abſceſſum evacuatur.

Aliâs *periculoſum* malum eſt inflammatio hepatis, & quæ ſæpiùs ad mortem deducit ægrum.

Eæ quæ *in cavo hepatis* contingunt *periculoſiores* ferè ſunt propter graviora ventriculi ſymptomata, *propter inappetentiam, nauſeam, vomitum, ſitim*, &c. quæ verò *in parte gibba ſunt mitiores*.

Singultus admodùm contumax ſuperveniens hepatis phlegmoni ſeu inflammationi ſæpè eſt *lethale* ſignum: cujus ſubindè plurima proſtant exempla in ſpecie FOREST. *lib.19. obſ.8.*

In inflammatione hepatis, *ſi ex uſu nitri fixi* ſequatur *copioſa urinæ excretio res ſalva* eſt, & optimum indicium.

Hepatis inflammatio, ſi dies 21. excedat, & febris perduret, tumore non ſubſiſtente, in ſuppurationem fertur.

Quibus hepar aut lien ſuppuratus eſt, iis plerumque *hæmorrhagia narium* ſupervenit primis 7. diebus, paucis duodecimo. Certiſſima *ſigna inflammationis* ſunt, febris ardens, ſitis inexhauſta, lingua ſcabra, refrigeratio extremorum, dum interiora uruntur. Vomitus item niger & porraceus. *Morti proximis* venter intumeſcit, rupto abſceſſu & frigidum ſudant circa collum & faciem, atque animo linquunt. Cùm hepatis inflammationem febris ardens & continua comitatur, malum eſt, quia vehementer viſcus inflammatum ſignificatur.

QVOD ATTINET ERGO CVRAM:

Cura inflammationis hepatis eſt eadem cum omnibus reliquis inflammationibus internis, ſive pulmo, ſive fauces, ſive ventriculus, ſive renes inflammentur. Unde ea, quæ in *pleuritide* conveniunt, etiam hic erunt in uſu.

Nam *præmiſſa* vel *omiſſa Ven. Sect.* imprimis *diaphoretica*; *Miſtura ſimpl. ſpiritus nitri. dulcis antimonium diaphoreticum*, *Bezoartic. Joviale ſudorifer. magnum* FABRI, & ſimilia uſurpantur.

Purgantia, lenientia, vomitoria, omnia hîc exulent.

Vehiculum appropriatum ſunt *aqua hepaticæ*, *aqua Agrimon. cichor. endiv. Taraxac.*

Nitrum depurat. nitrum antimoniatum egregiè internè conveniunt. *Spir. nitr. dulcis* eſt admodùm commendatus. Item *Antihecticum* POTERII, ejuſque *magiſterium*, *ſacchar. ſaturni*, & ſimilia.

ZACUT. *lib.2. prax. admir. obſ.39. & 40:* ceu expertum commendat *Caſſiam fiſtulam*, recenter conditam: item *colum* fructum quendam peregrinum ex *Guinea* allatum.

Pro potu ſit decoctum hordei & graminis cum tantilla liquiritiæ; & ſyrupo violaceo.

In fine verò addantur ſimul *diuretica, radic. apii, petroſelini, agrimoniæ*, & ſimiles.

Fracto enim *abſceſſu optima ſunt diuretica*, quæ inſigniter excretionem puris per urinam promovent, quo tempore *Oxymel diureticum* eſt expertum, uti videre poteſtis in Obſervat. SALMUTH. antea *citatis*.

Externè in principio *epithemata* diſcutientia & odorem compeſcentia poſſunt applicari: quæ inter *vini ſpirit. camphoratus* externè cum linteis applicatus commendatur à KESLERO.

Item *nitrum in aceto roſaceo, & ſucco ſempervivi majoris ad Telephij* (*Jette Denne* Germanicè vocatur,) ſolutum & applicatum eſt egregium: vel præſcribatur tale Epithema:

℞ Aqu. hyoſcyam.
nymphεæ.
flor. lilior. albor.
plantag.
roſar. rubr. an. ℥iß.
ſacch. ſaturni.
camphor. in ſpirit. vini. ſolut. an. ℈j.

ſal.

ſal. prunell. ʒß. miſc.

Et hoc tepidè admoveatur regioni hepatis.

Vel imitemur *Foreſtum l.19. obſ.19. & 12.* qui mirè commendat in inflammatione hepatis, ad abſceſſum quoque tendente, diſcutienda hunc *fotum.*

℞ Flor. chamom. melilot. roſ. rubr. an. pug. 1.
ſem. aniſ. fænic. lini an. ʒiß.
ſantal. rubr. ʒj. coque in aqu. ſimplici, colaturæ adde.
acet. opt. ℥j.
aqu. endiv. ℥ß. M. F. Epithema pro Epate.

Quod ſi his adminiſtratis nihilominùs *ad ſuppurationem inflammatio* tendere videatur, id quod docet dolor, febris, aliaque ſymptomata ingraveſcentia, rigores nullo ordine accedentes, quos caloris exacerbatio ſequitur; *confecto vero pure*, omnia illa miteſcant, vires tamen debiliores relinquantur, pulſus frequens languidus, & interdum animi deliquium, tunc internè temperantibus *ſuppuratio eſt promovenda.* Propterea F. *cataplaſmata ex emollientibus* & blandè *diſcutientibus*, cum addito *croco & ſummitatibus abſinthii*, pro hepatis tono meliùs conſervando, in moderata licet quantitate. Suppurato abſceſſu ejus *apertio* promovenda. *Quod ſi verò ſit in parte gibba*, ac ſatis promineat tumor ſuppuratus, abdomen è jecoris regione *ſcapello* aperiendum, vomica perforanda, & ita pus evacuandum, de quo vide *Horſt. probl. p.29.* it. *Amatum Luſit. Cent.7. cur.76.77. Schenck. l.3. obſ.*

Quod ad inteſtina rejicitur pus, idque imprimis, dum cavum hepati, ſuppuratum fuerit, mediantibus vaſis cholidochis, *internè* attemperantibus acrimonia puris eſt mitiganda, ſimulque *hydromel* plus minùs medicatum exibendum. *Externè* verò blandis clyſteribus inteſtina abſtergenda & excretio promovenda. *Quodſi verò per renes evacuetur* purulenta materia, mediante ſanguinis circulo, imprimis dum hepatis gibba pars inflammata ſit, ſupra dictum *oxymel diureticum*, it. *ſerum lactis* plus minùs medicatum, *emulſionem ſem. violarum*, item *decoctum rad. apii, petroſelin. agrimoniæ, baccarum junip. c. hydromellite* factum, præſertim ſi juncta febris mitior fuerit, propinare convenit. *Si regurgitando ex inteſtinis, vomitu rejicitur* materia purulenta, promoveatur hic ipſe attemperantibus pinguibus, jure pinguidiuſculo, cereviſia butyrata, ol. amygd. dulci. *Quod ſi* verò fiat, ut ab acrimonia puris in facto abſceſſu *erodatur hepatis membrana*, adeoque pus in cavum abdominis excidat, periculum eſt, ne contentæ corporis partes, præſertim membranoſæ, & ipſæ erodantur, atque ad ſphacelum plus minus diſponantur. In tali caſu veteres ad *inciſionem abdominis* acceſſerunt, ne ſcilicet aliquid intentatum relinquerint, de quo intelligendus *Aph.45. ſect.7. Hipp.* Obſervatum tamen fuit, pus ita in cavum abdominus effuſum per alvum evacuatum fuiſſe, eroſa forſan in quòdam loco inteſtinorum ſubſtantia, & ita excreto pure. Adeò ſemper in puris, poſt ruptum abſceſſum, evacuatione naturæ ductum Medicus ſequatur & ducat, quò illa vergit. Sub tali puris evacuatione non tantùm naturæ ductum Medicus ſequatur, ſed & ſimul ex abſceſſu relictum *ulcus mudificet & conſolidet*; quo pertinent imprimis *decocta vulneraria*, item *decoctum chinæ vel ſarſaparillæ.* Inter *vulneraria* iſta, agrinominia & omnia ex hac parata, ſunt optima. *Serum lactis*, cui talia *vulneraria* incocta ſint, pro abſterſione & per urinas evacuatione eſt optimum: Quibus ſimul *terebinthinata, balſ. ſulph. terebinth.* pro reliquiis abſumendis, & reſtituenda partis ſubſtantia, ſubjungenda. Verum ex abſceſſu & ulcere hepatis niſi ſuperficiale aut leve fuerit, rari ſunt, qui evadere ſolent. Applicari aliàs poſſunt ea, quæ *in Meſenterii abſceſſibus & ulceribus* adhibet *Marzini loco. ſupra citatis.*

Curam hepatis ex nimia ſalacitate inflammati ſingularem præſcribit JOEL *in ſua prax. lib.5. ſect.4. artic.3. p.11.* dum dicit, ubi inflammatio hepatis ex immoderata venerea ſalacitate eſt oborta, niſi tempeſtivè curetur, ſubſequitur hepatis corruptio & reſolutio, quare ſtatim poſt ven. ſect. (quæ an conveniat dubito) & colluviei coacervatæ blandam expurgationem (quæ an conveniat etiam dubito) ſequens hauſtus eſt propinandus.

℞. Gallum nigrum viventem, per medium pectus diſſectum, jecurque ejus adhuc calens in aceti roſacei ℥iv. conjecit, & minutiſſimé conterit, ut tota ejus ſubſtantia in aceto reſolvatur: tandem colat & tepidè ægro propinat:

Deinde ſequentis potionis quotidie hauſtulum tepidum ſummo manè offert:

℞. Radic. glyzyrrh.
cichor. an. ℥ß.
rhabarb. ʒii.
flor. cent. minor.
hepatic. an. M.ß.
cortic. inter ſambuc. M.j.

Contuſa cum aquæ ℔. iii. in baln. mar. coquantur per 2. horas: cujus liquoris colati quotidie accipe ℥iv. in quibus diſſolve:

Spermat. ceti ℈i.
F. hauſtus.

hæc eſt ejus cura in inflammatione hepatis à nimia ſalacitate.

Poſt hepar interdum etiam.

INFLAMMATUR LIEN.

Sed *rariſſimè*; pauca enim inflammationis lienis proſtant exempla ſeu experimenta. *Inflammatio lienis.*

CAUSÆ ſunt eædem, quæ reliquarum inflammationum.

SIGNA, ejuſdem ſunt *calor & fervor, ac pondus gravans in profundo ſiniſtri hypochondrii.* Cùm verò ren ſiniſter ſit elatior reni dextro, adeò ut inflammatio renum valdè ſimilis ſit inflammationi lienis, ob id cauti ſimus in diſcernendis his duabus inflammationibus.

Quæ *diſtinctio* imprimis petenda *ex dolore pulſatorio qui in liene eſt ſatis ſenſilis*, propter arterias quas obtinet copioſiſſimas, adeò ut dicant, quòd appoſita manu regioni lienis pulſatio ferè ſenſilis percipi poſſit, quæ eſt *pauca vel nulla in renum inflammatione: Febris adeſt continua*, ſed non adeò intenſa: *reſpiratio eſt difficilis*, aliquantiſper propter diaphragma vicinum à liene, aut in ſuo motu impeditum aut compreſſum.

IN PROGNOSI.

Obſervandum imprimis, ne *malè curata* inflammatio lienis *degeneret in ejus ſcirrhum. Superveniens* lienis inflammatio *fluxus naris ſiniſtri*, aut etiam *fluxus alvi*, aut *hæmorrhoidum* die critico præcedentibus coctionis ſignis *eſt ſaluberrimus.*

Quo facit ſententia *Hippocratis*, inflammationem hepatis in lienem converti melius eſt, quàm ſi lienis ad hepar deferatur; vel hæmorrhogiâ narium, aut urinæ profluvio, vel alvi ſolutione ſanatur, vel ſuppuratur, vel ſcirrheſcit.

CURA eſt eadem, quæ reliquarum inflammationum. In ſpecie verò medicamenta *ſaturnina* primariò conveniunt in liene inflammato: qualia ſunt *ſacchar. ſaturni, cryſtalli mineræ ſaturni, bezoartic. ſaturninum*, & ſimilia, in aqu. *appropriata* propinata.

Externè applicari ſolet *Emplaſt. de cicuta cum ſacchar. ſaturni*: item *unguentum ex ſacch. ſaturni cum oleo roſaceo & vitell. ovorum.*

Poppius applicat *theriacam*, aut ejus loco, *rob. ſambuci*, cui *ſaccharum ſaturni* permiſcuit, & ſub forma ſpiſſi *linimenti* illinit, id quod pariter in renum quoque inflammatione locum habet.

Ulteriùs dixi jam interdum

INFLAMMARI RENES.

Inflamatio renum. Quæ inflammatio renum uti eaſdem agnoſcit *cauſas*, uti reliquæ omnes inflammationes: ita *in ſpecie* fit *ex nimia corporis ſucculſione*, v. gr. *equitatione*, dum corpus ſucculſum dat inflammationem renum. Interdum etiam ſupervenit inflammatio *calculo renum*, qui aut nimis magnus aut dolorificus occaſionem præbet, impediti ſanguinis circuli in renibus.

Inflammatio hæc renum propriè dicitur.

NEPHRITIS.

Nephritis. Sicut inflãmatio hepatis propriè dicitur hepatitis.

SIGNA renum inflammatorum ſunt *mictio ardens*, urina enim exeundo fervens, & fervendo quaſi partes adurens percipitur. Deinde adeſt *mictio frequens cum acerbo cruciatu*. Decubitus in dorſum exacerbat dolores.

Vrinæ paucæ & flammeæ, interdum etiam *aquoſæ & claræ*, & *ſemper ſine ullo impedimento excretæ*.

Dolor interdum *eſt pulſans*, ſi ſcil. ea renum pars afficiatur, ubi arteriæ ſunt magis inſertæ.

Dolor renum interdum *ſecundum ureterum ductum ad veſicam & dorſum* extenditur. *Stupor cruris* è regione renis inflammati percipitur.

Interdum ſupervenit *vomitus contumax*, ex conſenſu ſtomachi cum rene affecto.

Interdum licet rarò obſervat HIPPOCRATES, ut uno rene inflammato alter non inflammatus ceſſet agere officium, & fiat *urinæ ſuppreſſio*: Cauſa videtur, quòd ſanguis nimis copioſus ac univerſum ſerum ad renem ſanum promotum ſibi ipſi quodammodo viam præcludit, quò minùs ſeparari poſſit.

Præter hæc ſigna diagnoſtica inflammationis, conſideranda etiam ſunt *ſigna diſtinctiva* inflammationis renum, ſeu *nephritidis à calculo*, quæ ſunt quòd 1. *Inflammationi perpetua ſit conjuncta febris ſynochos, calculo* verò *non, aut* admodùm *rarò*.

2. *Quòd dolor in inflammatione ſit magis continuus, & pulſanti ſimilis*; in *calculo* verò ſit magis *interpolatus* ſeu *periodicus & gravativus*.

3. *Quòd interdum renes* ubi fuerint *inflammati: Comitem habeant urinam ardentem*, & interdum *urinæ difficultatem*: *Contrà* verò ſe habet res, *ubi renes calculo ſunt obſeſſi, ibi* enim *non ſemper Iſchuria ſe* offert, *ſed tum demum ubi calculus ipſis ureteribus firmiter fuerit impactus*.

QVOAD PROGNOSIN.

Inflammatio renum periculoſum eſt malum, & in *macilentis* ſeu *non adeò robuſtis ſæpius eſt lethale*, præſertim *ſi febris cum delirio* adſit. *Vrina alba, tenuis ac purulenta abſque febris*, & ſymptomatum *remiſſione*, & *crurum* ac *femorum extenuatione*, *mortem* portendit.

In renum inflammatione *ſuperveniens fluxus hæmorrhoidum eſt ſalutaris*,

Renum inflammatio ſuppurata dat ulcera renum, difficulter ſanabilia, quæ interdum in phthiſin tranſeunt, de quibus inferius.

QVOD ATTINET REMEDIA.]

Ferè ſunt eadem, quæ reliquarum inflammationum.

Pro *revulſione* fiat *ven. ſect.* in brachio: Pro *averſione* in pede. Forſan optimo cum ſucceſſu *hæmorrhoides*, per *hirudines* poſſent aperiri. *Nocent purgantia*; *clyſmata lactea* poſſint interdum commodè injici:

Nocent etiam *diuretica*, utpotè quæ promovent urinæ affluxum: unde dicunt quod minùs conveniant, niſi in declinatione: tunc enim temporis pro abſterſione reliquarum, ſive diſcuſſa, ſive ſuppurata fuerit inflammatio, commodè propinantur.

In ipſo ergò morbo *conveniunt nitrata, nitrum cryſtalliſatum*, ſeu depuratum item *cum antimonio fixatum*: item *ſacchar. ſaturni*.

Emulſiones ſeminum 4. *frigidor. major. lactuc. portulac. papav. alb.* fiant, *cum aqu. flor. Nymph. ſemperviv. aqu. lactuc.*

Item *ſyrup. de Nymphea*, *de papavere*, & ſimiles.

Succus Aſtacorum, ſeu cancror. fluviatilium exhibitus tanquam ſingulare remedium commendatur ab HELMONTIO: Et credo quod in his ipſis cancris lateat perfecta cura omnium inflammationum internarum.

Inter externa regioni renum applicanda ſunt *ſuccus Nymphææ*, *ſemperviv. plantaginis, portulacæ, cum ſucco cancrorum fluviatilium* applicanda: quibus interdum nunc parum *opii*, nunc *oleum ſeminis hyoſcyami, & papaveris expreſſum* addendum.

Item *oleum camphoræ*, ſive *camphora in oleo roſar. ſoluta* & inuncta eſt egregia.

Vnguentum renale MYNSICHT. item *Vng. ex ſucc. ſemperviv. cum oleo roſaceo*, agitatum mutuò in mortario plumbeo, & applicatum conducit.

Denique *unguentum ex alumine crudo pulveriſato & cum albumine ovi* miſto frigidè applicatum laudatur à LANGIO in FABRUM *cap. de renum inflam.*

His irritis, *& ſi inflammatio diſcuti nequeat*, *ſuppuratio promovenda*, INTERNE per temperata ex *decocto hordei, glyzyrrh. malvæ, parietar.* EXTERNE verò *cataplaſmata* ex *emollientibus*, in lacte coctis, applicanda. Suppuratione facta, fit interdum ut *muſculi dorſi circa ſpinam* ſimul afficiantur, atque ad ſuppurationem & abſceſſum vergant, in quo caſu *externè apertio* inſtitui poteſt, de quo vide *Horſtium in obſ. l.* 4. *p.* 260. Sin verò *internè* vergat *abſceſſus*, adeoque rumpatur, ac per urinam prodeat, ea exhibenda, quæ pus abſtergere, & ulcus conſolidare poſſunt. Nempe non rarum eſt.

VLCVS RENVM.

Vlcus renum. Cujus frequentiſſima *CAVSA* eſt abſceſſus & *inflammatio* renum, ut etiam *calculi* aſperiores, renes atterentes, ſucceſſivè eos ad ulcerationem diſponant. Sicut etiam quodvis *acre*, vehiculò ſeri per renes tranſcolatum, eoſdem erodere, & hinc exulcerare poteſt. Quò pertinet etiam *ſanies acris*, ex aliis locis ad renes fluens. Eoſdem *lues venerea* quoque ſubinde exulcerat renes teſte *Horſt. l.* 4. *obſ.* 43. ſicuti & *Gonorrhæam veneream* inconſultò ſuppreſſam, renum inſignis ardor, & hinc non rarò exulceratio inſequi ſolet. *Exulceratio renum* præter dolorem in lumbis rodentem, plus minus ſimul gravantem, urinæ purulenta excretio oſtendit. Hinc *ſect.* 4. *Aph.* 45. *Hipp.* ſi quis ſanguinem aut pus mejat, renum aut veſicæ exulceratio ſignificatur, ſic §. 76. Quibus cum urina craſſa exiguæ carunculæ, & veluti pili exeunt, ii à renibus excernunt r.

CAVSAS ANTECEDENTES antecedentia ferè oſtendunt. In ſpecie, *ſi ulcus eſt ex inflammatione*, multum puris apparet in lotio, & cùm mingitur, apparet album, ſed cùm ſteterit, deponitur pus, quod ſi bene eſt coctum, & urina ſanorum ſimilis, ſuppurare ſolet. Si verò eroſio eſt *à calculo*, mingitur urina alba inſtar lactis ebutyrati, ſtatim ſubſidet, & planè alius eſt conſiſtentiæ, inſtar cinerum, quos etiam colore refert, & minore gravitate excernitur. Præterea dolor morſicans & rodens in lumbis ſentitur, à ſero acri & nitroſo, quod in tranſitu irritat & rodit, unà cum caloris ſenſu.

QVOAD PROGNOSIN.

Ulcera renum ſunt difficulter ſanabilia, & ſatis periculoſa, ſæpiùs lethalia. *Quæ ſunt ab inflammatione* ſuppurata, minùs ſunt periculoſa, faciliora curatu: *Quæ verò ſunt à calculo* in renibus, periculoſiora ſunt, & non raro in totius renis conſumptionem degenerãt. *Sic quæ ab eroſione ſunt* ulcera, etiam ſunt periculoſiora iis, quæ ab inflammatione. Quò magis inveterata quoque fuerunt, eò difficilius curabilia exiſtunt. Alioquin ulcus renum lumbos perforaſſe, ibique in *fiſtulam* degene

degeneraſſe, curioſo exemplo notavit VVillis *de Vrinis pag.364.*

Quoad CURAM, mundificantia & ſolidantia utramque faciunt paginam, ubi prius univerſo corpori ejuſque contentis proſpectum fuerit, partim *evacuando*, partim *temperando* hæc ipſa, ne occaſione horum magis exaſperetur ulcus; in quem finem *vomitus* à pluribus laudatur, *vid.* Riverium *in praxi p.146. Augenius lib.12. Epiſt. p.693. Valeriol. lib.6. obſ.1. pag.483.* Hinc *mercurius dulcis*, pro mundificando renum ulcere, admodum laudatur ab *Hartmanno.* *Pilulas* in ulceribus & vulneribus renum proficuas, *vid. in Barbette Chirurg. part.2. c.7. l.3. p.336.* Hinc *ſerum lactis* vel *hydromel* copioſè potum, item *decoctum herb. & radic. fragar.* ſed imprimis *hypericon* proficuum eſt ad ulcera renum. *Timæus in caſib. pag.422. Decoctum rad. petroſel. chærefol.* Præmiſſis mundificantibus, pro conſolidatione *decoctum lignorum cum agrimonia, hyperic. chærefol.* ſunt optima. Quò etiam pertinet *Electuarium Hartmann. ex conſerva roſar. cum ſemin. hyperic.* Vel.

♃. Herb. agrimon.
flor. hyperic an. Mj.
rad. ſymphit. ℥ß.
lini maſtich. ℥iß.
ſem. hyperic ʒiij. inciſa & contuſa. D. pro infuſo. decoct. &c.

Pertinet huc *decoctum ad ulcera renum Quercet. Terebinthina cyprina* optimum eſt auxilium, detergit renes & per inferiora derivat. Doſ. à ʒij. ad ℥ß. In ſpecie convenit, *ſi ex abſceſſu*, exulceratio fuerit orta. Item *Pulv. cancrorum fluv.* ♃. *crancror. fluv.* plenilunio ponantur in vaſe terreo non vitreato ad os furni, ut exciccentur paulatim, ne cremantur, contunde in mortario lapideo, renum & veſicæ ulcera egregiè curant. Nullum efficacius autem remedium ad renes exulceratos dari, quàm *Troch. de Alkekengi* vid. *in Augen. l.12. epiſt. p.695. Syrupus magiſtralis* in ulcere renum expertus, vid. *in Hildan. C.6. obſ.44.* Denique *acidularum* uſus non penitus contemnendus in ulcere renum, de quibus vid. *Hildan. cit. loc.* Item *Heer obſ.1.* nempe mundificando optimè conveniunt, tùm conſolidando, *decocta vulneraria*, item *Electuaria ex abſorbentibus* cum *bol. armen. terra ſigill. C. C. uſt.* & ſimilibus, imprimis conducunt.

INFLAMMATIO VESICÆ VRINARIÆ.

Inflammatio Veſicæ.

Raro quidem idque rariſſimè fit *ex cauſa interna*, *ut plurimum* verò *ex cauſa externa*, ſcilicet in ſpecie *à contuſione*, aut *violento ictu in regione pubis* accepto: Deinde *ſupervenit* imprimis *ſectionem calculi ineptam:* quando ſcilicet calculo exciſſo veſica per medium diſſecta non rectè tractatur, ſed ſæpiùs die 4. supervenit inflammatio; quæ tunc temporis aut in *grangrænam lethalem*, aut ſi malum eſt mitius in *fiſtulam* perpetuam degenerat.

Hoc ergo eſt maximum periculum, quod imminet in Lithotomia, quod ſi præcaveatur, operatio eſt ſecuriſſima.

Cantharides denique acrimoniâ ſuâ rodendo veſicam ad inflammationem diſponunt, quod obſervatum ex *veſicatorio*, ex *cantharidibus*, extra appoſito. *Vid. M. A. N. C. Ann.2. p.186.*

SIGNA inflammationis veſicæ ſunt *ardor tumor ac dolor in regione pubis & veſicæ*, qui leviſſimo attactu exaſperatur: accedit *impotentia urinam reddendi*, ſeu potius *urinæ in veſica ſuppreſſio:* accedit propter connexionem cum ano *Teneſmus:* adeſt ſimul *febris acuta*, plus tamen aut minus prout major aut minor inflammatio, *vigiliæ*, delirium.

Unde rarum eſt, quod obſervat Hildanus *cent.3. obſ.66. abſceſſum veſicæ ex caſu ab alto ſine febri & ſine dolore.*

QUOAD PROGNOSIN.

Rariſſima eſt veſicæ inflammatio, quoniam minutâ admodum & exilia habet vaſa ſanguifera: *Vera* autem & perfecta *inflammatio periculoſiſſimus eſt morbus* ex omnibus viſicæ affectibus, quia ut plurimum *lethalis.* Intereunt ægri aut quarto aut ad ſummum ſeptimo die.

Abſceſſus & inflammatio, quæ fit *circa collum veſicæ*, interdum *ſuppuratur* & in pus mutatur, *ſucceditque* exinde *ulcus veſicæ difficillimum curatu.*

Mutatam verò jam *eſſe inflammatienem* in *ſuppurationem*, innuit imprimis *doloris, febris, & ardoris remiſſio*, Hippocrate aſſerente.

Facto poſtmodum *abſceſſu ad interiora pus cum urina effluit. Sin verò ad externa tendat in cavum pertitonæi*, ſupervenit interdum *abſceſſus in inguinibus.*

Methodus medendi omnibus nota.

Remedia omnia hic conveniunt, quæ in *inflammatione renum* ſunt utilia.

Et cum *urinæ aut alvi ſuppreſſio* ſæpius exaſperet malum, ob id optimus eſt *Clyſter anodynus ex ſolo lacte, aut ex lacte, in quo ſal depuratum* eſt diſſolutum injectus.

Internè convenit decoctum hordei cum nitro depurato, ubi interdum aliquid *ſacchari* addi poteſt.

Item *Emulſiones, ex ſeminibus portulacæ, lactucæ, papaver. albi, frigidis majoribus* & ſimilibus, in quibus *ſal prunellæ* diſſolutum.

Sacharum Saturni & omnia Saturnina internarum inflammationum optima remedia, denique *ſpirit. vitrioli Philoſoph.* (qui revera eſt ſpirit. ſalis rectificatus) *dulcificatus* interdum aſſumptus ad compeſcendam febrim conjunctam eſt optimus.

Externè conveniunt imprimis *balnea* ſeu *inſeſſus*, item *fomenta*, nempe *ex aqua, cui incoctæ ſunt radices & folia malvæ, althææ, parietariæ, folia ſalicis, capita papaverina & ſimilia.*

Huic inungatur *pecten cum oleo Anethino, Chamæmelino & papaverino*, addito *ſucco expreſſo cancr. fluviatilium*, item *ole. roſar. & Nymphææ*, cui *ſachar. ſaturni* vel ejus *ole. per* ol. addantur, & in aſperitate doloris additur ſimul aut *oleum papaveris:* aut *Hyoſcyami expreſſum.*

Denique *cùm interdum metus ſit gangrænæ*, in inflammatione veſicæ: hæc ut præcaveatur aut inhibeatur, in uſu ſunt *cataplaſmata roborantia in gangræna* applicanda, (de quibus in chirurgia) quæ fiunt *ex radic. ſcorzoner. ex farina fabarum & lupinorum ex Aloe, Myrrha &* ſimilibus in *vino coctis*, & poſtmodum adjectione *ſpir. vin. camphor. externè* applicantur.

Hiſce modis, ſi poſſibile, detur opera, ut *diſcutiatur* inflammatio. Sin minus, *ſuppuratio* & hinc abſceſſus & ulcus expectanda. *Illam* promovemus emollientibus & temperantibus, ſæpius hactenus recenſitis. Quoad *ulcus*, eò præter inflammationem ſuppuratam, etiam calculi aſperi veſicam lædentes, item *cantharides* interius propinati, interdum vel externè admoti, item acria acida ſub vehiculo urinæ ad veſicam delata, ejus nunc ſcabiem, nunc excoriationem & exulcerationem diſponunt *Vid. M. A. N. C. Ann.8. pag.148.* Comitatur ulceratam veſicam ſaniei purulentæ excretio, ita quidem, ut ſi veſica incipit exulcerari, primò ſanguis exit, ſi ſit perfecta, pus, ſi magis adhuc ſquamæ, & ramenta. *Si pravis & conſummata eſt exulceratio*, gravis fœtor in urina eſt. Dolor adeſt gravis in pectore & pede, quoties ægri mingunt, urinæ difficultas accedit, ſæpe & teneſmus, & membri virilis erectio.

Ne autem confundatur exulceratio veſicæ, cùm meatus urinarii exulceratione, obſervandum: Si pus & ſanies præcedant urinam, aut ſtatim in primo exitu appareant, aut etiam ſine urina effluant, in pene vitium eſt. *Si verò talia cum urina permiſta ſint*, in veſicâ malum eſt. Propterea ſi in pene vitium eſt, inter mejendum

dolor

dolor percipitur, id quod in veſicæ ulceribus non accedit, niſi juxta ejus collum ulcus conſiſtat. *Sunt autem omnia veſicæ ulcera difficilimè curabilia*, ut plurimùm incurabilia; periculoſiora quæ ex eroſione, graviſſima quæ à magno calculo, quæ ſine extracto calculo curari nequeunt.

IN CVRA præmiſſis *internis univerſalibus* conveniunt 1. acrimoniam humorum *temperantia*, propter urinam imprimis, exulcerationem ſubinde exaſperantem. 2. ulcus ſine morſu *abſtergentia* ſeu mundificantia, ob fermentum ulceris acidum, & hinc pus. 3. *Conſolidantia*, ob reſolutionem partis exeſæ. 4. *Anodyna*, propter dolorem imprimis urgentem. Talia tam *internè*, quàm *externè* adhiberi ſolent; & quidem acre temperant *lac, althæa, liquiritia, paſſulæ, violæ, violaria, ſem. 4. frig. maj.* hinc *decoct. chamæpyth in lacte* mirè laudatur à quibuſdam crebrius uſurpatum; ſic experta eſt *potio Thoneri in obſ. pag. 176.* quæ ut ipſe ait *Thonerus*, quaſi miraculoſum effectum præſtitit, & exulcerationem cum urina cruenta ſuſtulit. ♃. *Herb. agrimon. plantag. equiſeti an.* Mß. *liquirit. mund.* ʒij. decoq. *in aqua plantag. & beton.* ana q. ſ. ad conſumpt. tertiæ part. In colat. ℔. ß. diſſolv. *mel. roſar.* ℥iß. M. Ipſe æger ſingulis horis per ſyringam portionem in veſicam injecit. Mundificant *terebinthina, decocta vulneraria*, cum melle, *balſ. ſulph. terebinth. & ſuccin. Mercur. dulc. troch. de alkekengi, de Carab. Trochiſci Gordonii*, ſpecificè laudantur. Conſolidant *decoct. lignorum* cum vulnerariis, uti *agrimonia, hypericum, plantago*, quibus addantur *Corallia, terra ſigill. bol. armen. ſuccin. tinctura ſulphuris vitriol. tinctura antiphthiſica, &c.* Dolorem leniunt *opiata, papaverina, lacticinia*, in ſpecie, ſi à cantharidibus fuerit malum, &c. Ex quibus variæ fieri poſſunt formulæ;

♃. Rad. liquirit. ℥j.
alth. ℥ß.
ſaxifrag. ʒiij.
herb. agrimon.
plantag.
portulac.
heder. terr. an. Mj.
flor. malv. arbor.
nymph. ana Mß.
viol. pug. ij.
ſem. alth.
papav. alb.
portulac. ana ʒiij.
fruct. Alkekengi No. vj.
Cicer. rubr. ℥ij.
hordei mund. non excorticati Mß.
Coq. in aq. ſimpl. Colatur. ♃. ℔. iij. adde
ſyr. ex multiplici infuſ. violar.
ex ſucco agrimon.
capill. veneris.
mel. roſat. an. ℥j, M.

de quo bis vel ter quotidie, bonum hauſtum æger capiat. *Terebinthinata* imprimis conducunt, in ſpecie *Platero* uſitata.

♃. Terebinth. ʒvj.
mellis ℥j.
vini malvat. ℥iiij.
vitell. ovi. No. j.
diluta ſervanda ad uſum doſ. ʒvj.

Vel ♃. Terebinth. ℥ß.
vitell. ovi No. j.
mellis ℥ij.
agitentur in mortario, donec albeſcant, adde
vini albi.
aqu. parietar. flor. fabar. an. ℥iß.
ſyr. limon. ℥j. M.

Nec *acidulæ* ad ulcera veſicæ mundificanda rejiciendæ ſunt. *Vid. Tulp. l. 2. obſ. 53.* ubi refertur ulcus veſicæ deſperatum, per *fontis Spadani* uſum curatum.

Sic pro tertia indicatione

♃. Raſur. ligni ſanct. ℥iij.
rad. ſarſaparill.
liquirit.
cortic. rad. Eryng. an. ℥j.
flor. roſar.
viol. ana p. iij.
herb. agrim.
veron.
hed. terr. ana Mß.
paſſul. maj. ℥iß.
coq. ad ℔. ij. Capiatur crebriùs.

Nobilis eſt obſervatio *Thoneri p. 176.* ubi refert exulcerationem ingentem veſicæ cum urina retenta, & intenſiſſimis doloribus, poſt calculi per ſectionem extractionem, aliis omnibus fruſtra adhibitis, his curatam: Pro potu. ♃. Decocti liquirit. raſ. ℥j. &c. *vid. p. præced.* Deinde inter *externa* injicienda varia, vel per catheterem, vel per ſyringam, &c. ♃. *Lac recens, ſerum lactis, mulſam. ſucc. equiſet. vel plantag. aqu. ferrat.* in qua *rad. ſymphit.* modicè bullierint. *aqu. calc. viv. cum Sief. albo Rhaſis*, ſecundùm *Barbette in Chirurg.* vel injectiones *Platero* abſterſivæ uſitatæ.

♃. Radic. liquirit. ℥ij.
cicer rubr. p. j.
cortic. fabar. ℥j.
fol plantag. M. j.

F. decoctum in aqu. adde parum lixivij. & in decocti hujus ℔j. diſſolve Terebinth. in melle diſſol. ℥ij. M In graviori malo poteſt addi *Vng. Ægypt.* Tandem fieri poteſt.

Injectio conſolidativa

♃. Herb. equiſet.
plantag.
ſem. hyperici ana Man. j.
Rad. biſtort.
conſol.
lil. alb. ana ℥j.
Cort. gran. ʒiij.
Coq. in ℔. j. aqu. ferrat. & in ea diſſolve
Troch alb. Rhaſ.
ſ. opii ℥ß.
boli armeni ℥j. M.

Sic *ad ulcus in collo veſicæ*, & inde ſanguinis per penem egreſſum, præter *interna* convenit injectio.

♃. Vitriol. Rom. ʒij. aq. comm. ℔ j.
F. Decoctio. *Foreſt. l. 26. obſ. 1. ſchol. in fine.*

Nec *Thermarum* uſus ad exulcerationes veſicæ & renum negligendus, *vid. Conſ. Scholz. p. 383.* Sed de veſicæ exulceratione curanda vid. in ſpecie *Horſt. obſ. 478.* & hinc *Plater. in obſervat.*

Porrò INFLAMMANTUR interdum etiam partes Ventris ſupremi, id eſt.

MEMBRANÆ *utut rariſſime ipſumque*

CEREBRVM.

An Cerebrum inflammari poſſit dubitatur. De membranis res eſt extra dubium: Cum ſint copioſiſſimis arteriolis repletæ, quibus reſpondent venulæ, quæ in ſinus terminantur: impedito ergò motu ſanguinis in his arteriolis & venulis ſequitur inflammatio.

Inflammatio talis membranarum Cerebri modernis

PHRENITIS.

Sed perperam & perverſiſſimo vocabulorum abuſu: *Phrentis* enim HIPPOCRATI *& Græcis* Autoribus vocatur *Diaphragma*. Unde *Phrenitis* proprio ac genuino ſenſu erit *inflammatio Diaphragmatis* quam ordinario inſequitur *delirium*. *Phrenitis.*

Phrenis dicitur diaphragma, vel quoniam antiquis mentis ſedes fuit reputatum, vel quod in diaphragmate affecto & inflammato mens perturbetur. Iſtam Veterum opinionem, quod obiter moneo, renovavit BARTHOL. *in examine Paradoxor.* qui ſtatuit in centro diaphragmatis nervos eſſe ſedem fundamentalem animæ.

Phrenitis ergò proprio & genuino ſenſu erit *diaphragmatis inflammatio* apud veteres *Græcos* ſatis frequens, cum ejus in ſcriptis HIPPOCRATIS frequentiſſima fiat mentio.

Nam hoc obſervetur, quod *omnia vocabula in iis terminantia ſemper ſignificent inflammationem* ejus partis, cujus accepit denominationem, uti apparet in vocabulo Nephritis, Hepatitis, Pleuritis, & ſic per conſequens Phrenitis.

Antiqui verò *inflammationem Membranarum Cerebri* vocarunt *Sphaceliſmum ſeu ſphacelum.* Hoc apparet ex *aphoriſmo Hippocratis* 50. *Sect.* 7. ubi dicit, quibus Cerebrum eſt ſideratum intra tertium diem intereunt, quem ſi ſupervivant, evadunt. Hic per ſphacelum & ſideratum cerebrum intelligit inflammationem membranarum ejus.

Unde videmus quanta ſit confuſio vocabulorum ab HIPPOCRATIS tempore orta. Nam HIPPOCRATES vocat *ſphacelum inflammationem membranarum Cerebri*, qui *ſphacelus* hodie ſine ratione *pro mortificatione partis totali* intelligitur. *Antiquis* vero *pars mortua* vocabatur *necroſis*, quando ſcilicet pars omninò erat extincta. *Serpens* vero adhuc partis extinctio vocabatur *Gangræna*, quod vocabulum adhuc in uſu habemus.

Sphacelus ergò in genuino & proprio ſenſu eſt *inflammatio membranarum Cerebri,* utut idem adhuc ſignificet Necroſin ſeu mortificationem, via ad quam eſt Gangræna.

Phrenitis ergò *propriè eſt inflammatio diaphragmatis: ſicut Sphacelus eſt inflammatio Cerebri & membranarum ejus.*

In *Phrenitide* ſeu iſta inflammatione Cerebri membranarum (loquendum cum vulgo & multis, ſtatuendum cum paucis.) *Calor*, *rubor*, *dolor & pulſus*, tanquam *infallibilia & pathognomonica ſigna* omnis inflammationis ſunt obvia.

Dolor ex parte in qua eſt conſiderandus, *eſt vehementiſſimus*, quoniam inflammatæ meningeos intenſum dolent. Cum certum ſit nullam capitis partem eſſe ſenſibiliorem durâ matre, ob aggravatam enim ejus inflammationem phreniticam ſenſibiliſſimi dolores neceſſe eſt adſint. Et quidem propter ſtagnationem ſanguinis ſequitur *membranæ diſtenſio*, quam neceſſariò ſequitur *dolor acerbiſſimus lacerativus*.

Hinc videmus veros *Phreniticos* (ut plurimum enim confunditur phrenitis cum delirio in Febribus ardentibus) *avellere capillos* præ nimio dolore & immenſo quaſi furore *caput immaniter concutere* & hinc inde movere: propter acerbiſſimum hunc dolorem *malum* eſt adeò *acutum, ut tertia die ſit lethale*, quoniam propter ſenſibiliſſimum dolorem ſpiritus diſſipantur, leviſque partis inflammatæ ſequitur *gangræna* & tandem *necroſis*.

Præterea hi ægri mox *delirant*, adeò ut neque calorem neque dolorem ſufficienter exprimere poſſint: propter intenſam incaleſcentiam ſpirituum animalium eorumque inordinatum & impetuoſum motum.

Unde talibus inſigniter delirantibus *ſuperveniunt* tandem *graviſſima ſymptomata*: in ſpecie *convulſiones*, idque præcipue quando malum deſinit in *Grangrænam*.

Præterea *pulſatio* adeſt *vehementiſſima*, de qua in primo principio conqueruntur ægri: quanta talis ſit pulſatio & *capitis dolor pulſatorius* poteſt colligi, ſi attentè inſpiciatur collum, ibi enim apparebit, quod vehementiſſimè pulſet, arteria *Carotis*, idque propter impeditum legitimum ſanguinis tranſitum in ſuis extremitatibus. Ex quo colligi poteſt, quantum impetum & quantam pulſationem ſanguis affluens & in Cerebro ſtagnans inferre debeat.

Moderno ergò uſu, *Phrenitis erit delirium intenſiſſimum ex membranarum Cerebri inflammatione ortum, febri ardenti & peracutæ conjunctum* & hoc uti dixi erit Veterum Sphaceliſmus ſeu ſphacelus Cerebri.

Utut jam adhuc majori abuſu ferè quodcunque delirium grave febri ardente aut malignæ ſuperveniens appellari ſimiliter ſoleat Phrenitis: Videmus ex hoc, *Veram Phrenitidem eſſe rariſſimum affectum*, & quem ferè ſemper intra biduum vel triduum inſequitur *mors*.

CAUSÆ INTERNÆ ſunt raræ niſi forſan *præcedens ſanguinis* quædam *excretio ſuppreſſa*, occaſionem ſubminiſtret veræ phrenitidis ſeu ſphaceli.

Sic enim *in puerpera propter ſuppreſſa lochia phrenitidem* obſervavit *Horſtius lib.2.obſ.25.* uti etiam idem obſervavit phrenitidem *ex retentione Hæmorrhoidum cit. loco obſ.26.*

Fit interdum ut *Peripneumoniæ* ſeu *Pleuritides per metaſtaſin* ut vocant, transmutentur in *phrenitidem veram* tunc temporis ut plurimum *lethalem*: Exempla ſubminiſtrat *Schenck.l.1.obſ.* Et quidem *Curam Phrenitidis ſupervenientis Pleuritidi* elegantem deſcribit BARTOLETUS *in ſuo libro de reſpiratione læſa.* Ex his *ſigna* Phrenitidis per *ſe patent.*

QUOAD PROGNOSIN.

In *verâ Phrenitide* ſeu inflammatione membranarum Cerebri eſt ut plurimum affectus *lethalis*; qui *tertio die* hominem jugulare poteſt *ad ſummum die ſeptimo.*

Nam & *Proſper* ALPINUS *lib.1. de Medic. Ægyptior. cap.13.* refert ſe vidiſſe in Ægypto Phreniticos *3. vel 4. diebus* mortuos.

In *inflammatione cerebri*, *dejectiones alvi, albicantes & urinæ crudæ albæ, & pallidæ peſſimæ* ſunt, ut plurimum enim ægri intereunt: quod confirmat HIPPOCRATES *aphor. 70. ſect.4.*

Si quis in *Phrenitide vera dentibus ſtridet, delirium* grave imminet, *ſin verò jam adſit delirium*, *convulſio lethalis* eſt in procinctu.

In inflammationibus Cerebri, quibus ut loquitur HIPPOCRATES *tremulæ & obſcuræ ſunt deſipientiæ ſunt periculoſiores, quàm quibus ſunt deſipientiæ tumultuoſæ,* id eſt interdum phrenetici jacent quaſi dormiant, utut nihil minus faciant, quin variis inſomniis hinc indè conturbantur, adeò ut quæſiti ineptiſſimè reſpondeant; tales Phrenetici cum talibus variis inſomniis & tremula deſipientia periculoſiores ſunt iis, qui fiunt cum vociferationibus, artuum contorſionibus & ſimilibus: & hæc vocantur deſipientiæ tremulæ & obſcuræ ab HIPPOCRATE.

Supereſt *Cura*,

Quam tamen relegatam volo uſque ad *caput de Deliriis* cum eadem ferè ſit cum Cura in febribus acutis cum delirio conjunctis.

Interdum etiam

INFLAMMANTUR OCULI.

Malum ſatis frequens & ubivis cognitum, quod vocatur in ſpecie.

OPHTHALMIA.

Vitium diverſum à *Lippitudine*: utut enim in Ophthalmia copioſiſſima lympha lachrymalis tàm ex glandulis jugularibus, quàm etiam ex glandulis palpebrarum erumpat; nihilominus tamen hoc adjunctum tantummodo Symptoma eſt Ophthalmiæ, non verò vera. *Ophthalmia.*

LIPPITUDO.

Quæ eſt affectus per ſe oculos infeſtans. *Lippitudo.*

Ophthalmiæ ſive *lippitudinis* DUÆ ſunt SPECIES, SANGUINEA & SEROSA ſeu LYMPHATICA. *Illa* eſt inflammatio tunicæ annatæ, cum rubore, ardore, tumore & lacrymis profluentibus: *Hæc* verò, quæ propriè *Epiphora* dicitur, eſt continua lachrymarum deſtillatio & copioſa ex oculo, comitata plus minus cum ejus dolore, morſu, ardore, rubore, &c. *Epiphora.*

Ophthalmia eſt vel *vera*, vel *notha*. VERA eſt propriè dicta *inflammatio* modo deſcripta, quæ in *tres gradus dividitur*: Si enim phlegmones ſaltim initium adſit, cum ſcilicet oculus humidior reddi cum robore, calore

calore & nonnihil dolore incipiat, idque ferè à *cauſa externa*, vocatur ταραξις; quod ſi inflammatio ſupradicta inſignior præcipuè ex *cauſis internis* oriatur, eſt *ophthalmia* κατ' ἐξοχὴν ſic dicta. Si verò facta ſit inflammatio, ut & palpebræ afficiantur & quaſi invertantur, nec claudi poſſint, albumque ſupra nigrum oculi intumeſcat, ita ut nigro quaſi ſubſidente, hiatus veluti in oculo appareat, χήμωσις dicitur.

Afficitur *oculus quoad membranas*: in ſpecie quoad membranam *externam*, quam *adnatam* appellant: Iſtæ membranæ imprimis extimæ contextæ ſunt ex copioſiſſimorum vaſorum textura tàm venularum quàm arteriarum. Impedito ergò ſanguinis motu in his vaſculis ſequitur *inflammatio*.

Hæc ipſa vaſcula diſtenta, vel tunc facta à ſanguine ſtagnante fiunt manifeſta, adeò, ut totus oculi bulbus intenſiſſimè rubeat. Et cùm hæ ipſæ membranæ connexionem habeant cum cerebri membrana: hinc fit, quòd in *gravi ophthalmia* ſimul *capitis dolor*, ſi non *pulſatorius*, tamen *contractivus* percipitur. Item patet, quare contuſionibus cranii, & læſionibus membranarum cerebri interdum ſuperveniant ophthalmiæ, id quod ſæpius obſervatum fuit in Noſodochio Patavino. Ubi poſt *capitis contuſiones ſeptimo vel ij. die* ſupervenientes *ophthalmiæ*, vel *fluxus oculorum cum eorum rubedine*, ſigna imminentis *mortis* fuere, quoniam innuerunt jam factam *inflammationem cerebri* membranarum & exinde ſecutam ejus *Gangrænam & Necroſin*.

Certe ſi hæ ſponte ſequuntur, periculoſum eſt ſignum. Nam dum ſtagnat ſanguis in cerebro, per arterias carotides advectus fit, ut uberius effluat ad oculum, ubi impeditur in motu, & ophthalmiam infert.

CAUSAS quod attinet *Ophthalmiæ*, eæ ſunt vel *internæ*, vel *externæ*.

Externæ, *Contuſio*, *læſio*, *pulveres acres in oculos illapſi*, *fumi metallici* ſe inſinuantes in oculos, ſatis ſunt cognitæ.

Quoad *cauſas internas*, quodcunque poteſt occaſionem dare, ut *ſtagnet ſanguis in vaſis*, dat inflammationem: In ſpecie *variolæ* oculis ſunt infeſtæ, quæ ſæpiſſimè ophthalmias ſæpius recurrentes poſt ſe relinquunt: vid. imprimis LIPSIUS *in eleganti Tract. de variolis*. Ubi exemplum habet ſæpiſſimè recidivantis ophthalmiæ modò in uno, modò in altero oculo ex male curatis variolis.

Nam oculus ſemel inflammatus ex quacunque cauſa ſæpius poſtmodum inflammatur denuò, idque propter robur partis tunc læſum, ſeu præter ejuſdem tonum laxatum. Unde ubi ſimul nonnihil de purulento miaſmate poſt inflammationem eſt reliquum, facillimè ſequitur inflammatio: imprimis ſi aliàs in corpore *ſolemnes ſanguinis evacuationes* negligantur & ſupprimantur, unde fit, ut ſanguis reſpective abundans hæreat, & ſubſiſtere cogatur, ſicque inflammationem inducat. Exempla habet GABELHOU. *in cent.4.cur.*38. de inflammationibus oculorum *propter omiſſas ſolemnes ſcarificationes*. Item *Ophthalmiam* obſervat ex *retentis menſibus*, *cent.3. cur.61.*

Interdum obſervatæ ſunt *Ophthalmiæ Epidemicæ*: item *Ophthalmiæ contagioſæ*. *Epidemicam Ophthalmiam* obſervat AMATUS *Luſitanus cent.*8. *cur.* 80. Ophthalmiam verò *contagioſam & epidemicam* recenſet FOREST. *l.9. obſ.*4. de ophthalmia epidemica, & quaſi contagioſa, ut ſi quis ophthalmicos iſtos intueretur, ſimul quoque eodem malo corriperetur. Aliàs obſervavit RHODIUS *cent.1. obſ.p.51. Lippitudinem & ophthalmiam ex nimis frequenti perſicorum eſu.*

Quoad *differentias*. Imprimis obſervandæ ſunt *lacrymæ* propter curam legitime inſtituendam.

Nam interdum *lacrymæ* effluunt *acres, tenues & quaſi corroſivæ*, in inflammatione periculoſiore, utpote quæ tam magis dolet, ardet inſtar Eryſypelatis cujuſdam infeſtans, & tales lacrymæ acres, tenues, ac corroſivæ acrimonia ſunt infeſtæ, cùm nempe lympha lacrymalis fit nimis eris. Interdum lacrymæ *non ſunt corroſivæ*, ſed potius *ſubdulces*, & in talibus Ophthalmiis oculi palpebræ quaſi conglutinantur, & quaſi inviſcantur, & tunc lympha lacrymalis eſt magis craſſa & viſcida, quæ tamen melior, quàm tenuis & ſalina.

Ex qua lachrymarum differentia 4. *ophthalmiæ tempora* DISTINGUENDA, nempe *principium* eſt, quando humor tenuis ac plurimus defluit: *Augmentum* quando dolor augetur, humorque fit craſſior: *Status* cum magis coctus videtur humor, h. e. temperatus, adeoque craſſus, ut etiam palpebras conglutinet; *Declinatio* cum ſigna remittunt.

Denique ſanguinis inflammationem excitans nunc per *vaſa* oculi *exteriora* movetur, nunc per *interiora*. *Si per exteriora*, tumor, dolor, pulſus in fronte ac temporibus percipiuntur. *Si verò* à vaſis & membranis *interioribus*, dolor profundior & vehementior erit, plurimuſque in palato ac naribus ſentitur ac ſternutatio frequens erit.

Quoad OPHTHALMIAM NOTHAM, ſeu ut aliàs vocatur, SICCAM, hæc eſt iſta, in quâ lacrymæ ferè nullæ exſtillant, utut plus minus noctu palpebræ coagulari ſoleant; nihilominus tamen oculi rubent, plus minus tument, atque plus minus pruriunt, undè *tres* ejus ſunt *gradus*. 1. Quæ eſt *cum pruritu* & exiguam fluxionem ſalſam & acrem conjunctam habet, & dicitur ψωροφθαλμία. 2. *Quæ cum pruritu & dolore* levi & aliquali gravitate ſine fluxione eſt, adeoque ſaltem rubri & tumidi ſunt oculi, & dicitur ξηροφθαλμία. 3. Denique *ſine pruritu*, fluxione, & cum duritie ac aſperitate palpebrarum eſt, & dicitur σκληροφθαλμία ſeu dura lippitudo. Oriuntur ex ſubtili, ſalſa vel acri lympha, oculos naturaliter humectante, alterante, & ita oculos malè afficiente.

SIGNA per ſe manifeſta fiunt *ex dolore, ardore, tumore & rubore* quæ omnia ſunt ſigna inflammationum communia. Nec latere poteſt an ſit inflammatio ſeu *Ophthalmia interna an externa* ex relatione ægri.

QUOAD PROGNOSIN.

Taraxis ſeu minor gradus *minus eſt periculoſa Chemoſi* ſeu Ophthalmia perfecta & conſummata.

Ophthalmia per conſenſum à membranis Cerebri internis *periculoſiora* habet *Symptomata & difficilius curatur* quàm ea quæ eſt *per eſſentiam* affecto oculo.

Dolor diu in ophthalmia perſeverans peſſimum ſignum eſt: Materiam enim aut corrodentem, aut diſtendentem, aut ſuppurantem arguit. *Ophthalmiam diuturnam*, aut ſæpius *recurrentem* facilè viſus hebetudo inſequi poteſt, partim ob membranas incraſſatas, partim ob humores impuriores redditos.

In *Ophthalmia*, *ſi ea non poſſit ſuppurari* vel *digeri*, *ſæpius perit oculus*.

Quòd ſi eò devenerit malum, *melius eſt dimittere oculum*, *quàm certò mori propter Gangrænam* Cerebro communicatam.

Ophthalmia laborantem ſuperveniens *alvi profluvium* liberat *Hipp. ſect. 6. aph. 17. Notha Ophthalmia* non adeo periculoſa eſt, quàm vera, diuturna tamen eſt, & admodum chronica.

QUOAD CURAM.

1. *Cauſæ externæ* quæcunque ſunt *removendæ*.

2. *Sanguis in oculo ſtagnans reſolvendus* eſt in naturalem ſtatum & circulum reſtituendus.

Quod ut fiat in *inflammatione parvâ*, ubi non eſt tantum periculum ægri, ut in rubore aut moderato dolore vel *externa* ſufficiunt remedia: Ubi verò *tumor & inflammatio eſt magna* iſti oculorum inflammationi *per interna* ſuccurratur.

In quo caſu poſteriori conveniens etiam eſt *Venæ ſectio*, *revulſoria* quidem *in pede*, *averſoria in brachio*, *derivatoria* ſi fieri poteſt *in fronte*.

Hoc ipſum confirmat & illuſtrat egregium exemplum LINDANI *ſuper* HARTMANNUM: dum dixit

dixit ſe vidiſſe quantum valeat ven. ſect. legitima in Ophthalmia in Chirurgo Amſtelodamenſi, cui dexter oculus erat inflammatus: Medicus ſenex vocatus ſecat venam in brachio ejuſdem lateris: unde magis magisque inflammatus oculus: ratio quia ſanguis in motu ſurſum jam erat impeditus: unde facta apertione in parte ſuperiore promptius adhuc ſuperiora verſus movetur ſanguis propter metum vacui, adeoque inflammatio augetur, ſunt enim duo rami, unus diſtribuitur in brachium alter aſcendit in Caput.

Videns hoc Medicus aperit Venam in ſiniſtro brachio, & exinde oculus alter antea illæſus ſimiliter inflammatur, hoc videns ipſe aperit iterum Venam in brachio dextro, & tunc æger omninò fuit in oculo iſto cæcus factus. Unde denuò ſecat Venam in brachio ſiniſtro, & exinde iſtius oculi auget inflammationem. His ita factis vocatur, TULPIUS qui ſtatim Venam in pede ſecat; quo facto ſtatim inflammatio utriuſque oculi maniſeſtiſſimè ceſſat.

Unde rectè dicit LINDANUS, quod in principio & *gravi Ophthalmia* primo Venæ ſectio ſit inſtituenda *in pede pro revulſione*, hinc *in brachio* loco contrario oculo inflammato *pro averſione*. *In pede* ſecatur vel *Vena Saphena*. vel *quod melius eſt*, *Vena Poplitea*, utpote quæ ſatis conſpicua & ſatis manifeſta eſt. *Ad derivationem* dixi incidendam eſſe *Venam frontis* optimo quidem conſilio, ſed hoc habet incommodi, quod pro ſecanda vena frontis neceſſe eſt, ut injiciatur laqueus collo, ut conſtrictis jugularibus Venis, Vena frontis magis intumeſcat, quo autem inſigniter augetur inflammatio oculi, propterea niſi Vena frontis citra injectionem laquei, in collum poſſit ſecari, potius omninò eadem eſt relinquenda. Non tamen niſi præmiſſis præmittendis hæc vena frontis incidatur, ſiquidem poſt eam intempeſtivè ſectam *ophthalmiam* graviſſimam, viſus & loquelæ perditionem obſervavit *Hildanus cent.* 5. *obſ.* 18. vel loco ejuſdem applicanda ſunt *Veſicatoria Nuchæ*, quæ Veſicatoria in Nucha applicata, mirum eſt quantum juvent in inflammatione oculorum; quia Arteria ſe dividit ibidem in partem interiorem ad oculum progredientem & in exteriorem circa Nucham hinc inde diſſeminatam. Unde Veſicatoria dum in Nucha faciunt dolorem, eò auctiorem promovent ſanguinis fluxum, ut mitius ad oculum affluat. Poſt nucham etiam *pone aures* feliciter applicantur *veſicatoria*, ſicut *cucurbitulis* pone aures applicatis inflammationem curatam notat *Rhodius cent.* 1. *obſ.* 79. In contumaciſſima Ophthalmia, ubi non ſufficiunt Veſicatoria, *Setaceum* applicatur Nuchæ. Remedium moleſtum, ſed inſigniter proficuum.

Exemplum hujus egregii uſus habet HILDANUS *cent.* 1. *obſ.* 41. item in GABELHOVER. *cent.* 4. *obſ.* 38. *in Scholio*. Pro tali uſu elegans eſt *ſacculus* HARTM. *ex ſemine vel farina Erucæ Nuchæ applicatus.*

Locus hujus ſetacei in nucha eſt remedium quaſi vicarium, *auriculare* quaſi *ſetaceum*, ex rad. *Timelææ arboreſcentis* (eſt iſta *Timelæa* in ſpecie, quam *Tabernæmont. l.* 3. non ſine *Timeleæ grangnidii* deſcribit, loco cujus & *chamelæa vulgaris*; ſeu *Mezereon* poteſt ſubſtitui) de qua vid. *Riv. Cent.* 4. *obſ.* 100. it. *M. A. N. C. Ann.* 4. *Append.* 39. olim in ſecretis habitam. Nempe radicula diſſecatur in fibrillas, quæ lobo auris perforatæ immittuntur; Nempe exſiccata in orbiculos dividitur; poſtea maceratur in lixivio ex vitium cineribus facto, vel in aqua in qua nitr. ſolutum ſit, ſine præparatione enim aures corrodit & inflammat, quæ acrimonia etiam acidis obtundi poterit. Perforatâ aure, filo butyro pingui trajecto, promota ſuppuratione, ſecunda vel tertia die, fibula radicis vel orbiculorum imponitur, quæ humores potenter ex capite elicit. Singulis diebus recens immittitur; prior tamen exſiccata & purgata ſecunda & tertia vice uſum eundem præſtat. *Confert* non ſaltim *in Ophthalmia*, ſed & *in ſuffuſione* incipiente, aliiſque malis viſum hebetantibus.

Hujus loco *rad. hellebori* recipit *Timæus l.* 1. *Ep.* 22.

Loco *ſetacei in continuis Ophthalmiis fonticuli* non rarò *in brachio* excitandi, quin & interdum fit, ut pro curæ Ophthalmiæ *Arteriotomia temporalis* inſtituatur: vid. *Nicol.* FONTANUS *in reſponſionibus & curationibus pag.* 50. ubi habet exemplum *Ophthalmiæ* per intervalla ſæpius recurrentis, idque cum periculo viſus, quæ tamen *inciſione arteriæ temporalis* curata *& fonticulo in brachio* præſervata fuit.

Præter hæc & INTERNE ex FONTE PHARMACEUTICO ophthalmiæ contumaciores, aut ex lymphæ diſcraſia ſæpius recidivantes curandæ veniunt, adeoque præter PURGATIONEM cum *Jalappâ* factam, *decoctum lignorum*, præſertim *Iuniperi* & omnia *Iuniperina* ſunt optima. Sic *Horſt. l.* 2. *obſ.* 32. obſervat ophthalmiam contumacem y aliis irritis *decocto ſaſſafras & lignorum* curatam. *Rulandus* quoque in *Theſauro practico p.* 61. refert de muliere 40. annorum, oculi rubore, dolore, lachrymis & cæcitate diu affectâ, poſt alia plurima tentata 10. dierum ſpatio hiſce convaluit: *Purgata* fuit prius *pilulis*; hinc *decocto ligni ſancti* per 10. dies uſa, poſt *ſudorem* impoſuit aquam *ophthalmicam ex antimonio*, & ſic convaluit.

Ac ſanè *cauſarum ophthalmiam antecedentium* magna habenda eſt ratio. Nam *Ophthalmia* ex fumis metallicis, fruſtraneis externis, per interna mineralia curata fuit ab *Horſtio l.* 7. *obſ.* 27. Sic *Bartholinus* ophthalmiam in prægnante, quoties uterum gerit, pertinaciter recurrentem *ſternutatoriis* & Ven. Sect. curavit *Cent.* 6. *hiſt.* 31. Ophthalmiam Gallicam *mercurii* ope curatam vid. *in Zacut. Luſit. l.* 1. *pr. ob.* 45. Denique *cinnamomum* jejuno ſtomacho comeſtum fluxiones in oculum promovet, teſte *Panarollo pentec.* 2. *obſ.* 28.

Quod attinet *remedia externa*. Eadem applicanda varia: in uſu ſæpius eſt ut applicetur etiam *lac* cum aliis ſed peſſimo Conſilio.

Item interdum applicatur propter dolorem *Opium* ſimiliter *ſæpiſſimè periculoſiſſimo eventu*.

Nam *lacticinia & Opiata*, oculis applicata ſunt *nocentiſſima*, ratio, quoniam ſic oritur neceſſario *cæcitas*: nam Opium demulcet quidem dolorem, ſed ſimul in Ophthalmia *Gangrænam* infert. *Lac* verò *muliebre* aut quodcunque, aliud ſi *recens* inſtillatur unctuoſitate ſua incruſtat oculos, & quaſi ſordibus inficit, unde impedita inſenſibili tranſpiratione ejus tunc maximè neceſſaria *inflammationem* potius *auget*. Sin verò *lac non applicetur recens nocet ſubtili ſuo acore*, quoniam lac muliebre ſicuti omnia alia lacticinia facillimè acorem contrahit. Unde rectè dicit LINDANUS, ſe ſæpiſſimè vidiſſe *lac & Opium* applicatum, nunquam tamen felicem uſum obſervaſſe.

Quæ *conveniunt in Ophthalmia*, ſunt: *aqua ſpermat. ranar. aqua cancr. fluviat.* in ſpecie *cum ſucco Chelidon. majoris*, *deſtillata* modus videt. apud CROLLIUM & *Mynſicht. aqu. flor, Cyani & Calcatrippæ, Euphraſiæ Fœnicul.*

His aquis commodiſſimè infunditur *tinct. antimonii*, aut quod melius *caput mort. Butyr. antimonii pulveriſat.* vel his infunditur *Crocus metallor vulgar.*

Nam ſimili ratione *aqua Ophthalmica* RULAND. præparatur; & tales inſigniter conveniunt in Ophthalmia.

Ubi major eſt ardor, *ſacchar. ſaturni* aut aliquot *gran. Camphoræ* ſimul adduntur, dabo exemplum.

℞ Vitri antimonii pulveriſat. ℈ß.
infund. in
aqua. Flor. Cyan.
Euphraſ.
Spermat. ranar. än. ℥i.
Stent in loco calido per noctem manè filtrentur adde
Sacchar. ſaturni ʒß.
Camphor. gr. v. miſceant.
& cum linteis duplicatis tepidè applicentur.

Phlegma aluminis primò prodiens inſigniter commendatur à POTERIO & etiam aliis.

 Oleum

Oleum ſive potius *liquor. flor. Cichorei & liquor. flor. ciani* eſt egregium remedium, quod omnes Autores unanimiter commendant: præparationem vid. *in Hartmann. de Ophthalmia.*

Albumen Ovi cum aqua ſpermat. ranar. benè conquaſſatum & applicatum in principio egregiè convenit. Quidam albumini ovi nonnihil *aluminis* addunt, atque ceu ſingulare experimentum laudant. *Vid.* BORELL. *cent.* 1. *obſer.* 31. ubi refert quod Ophthalmia tandem poſt multa tentata fuerit curata cum *albumine Ovi cum fruſtulo aluminis* bene ſubacto & palpebris cum linteis impoſito.

Porrò SOLENANDRI remedium eſt, quod etiam exſcripſit RIVERIUS *decoctum foliorum cydoniorum.* Nempe recipit folia primo vere collecta integra & illæſa, & diligenter aſſervat ne corrumpantur: Horum florum recipit, mj. coquit cum aqua puriſſima & Decocto ſubinde fovet oculos: Inſigniter commendat hoc ipſum ad diſcutiendum ruborem & etiam curandam Ophthalmiam.

Mucilagines Seminis Pſyllii, Cydoniorum, fœnugræci, Altheæ, cum aqua appropriata extractæ addito *Sacchari* ſaturni vel tantillo *Camphoræ* ſimiliter ſunt utiles.

Saccharum joviale, ſi ſaccharum in vaſe ſtanneo probè contritum mirificè commendat LINDANUS tanquam ſingulariſſimum Ophthalmicum: ſcilicet præcipit ut Saccharum candi teratur in ſcutella ſtannea cum cochleari ſtanneo, idque tamdiu donec ſacharum bene tritum & agitatum inſtar ſaturni fiat lividum, quo magis liveat eo eſſe melius: & iſtud ſaccharum joviale ita præparatum eſſe optimũ Ophthalmicum quod vel ſub forma pulveris poſſit oculis inſuflari, vel etiam cum aliis appropriatis miſceri verb. gr.

℞. plantag.
fœnicul.
ſpermat. ranar. an. ℥ß.
ſacchar. cand. jovial. ʒij. l.iij.
tutiæ præparatæ ℈ ß.
croc. gr. iv. miſc.
& exinde fiat collyrium.

Cujus aliquot guttæ in die inſtillentur, dicit eſſe anodynum optimum, refrigerare & diſcutere dolores.

Vel ℞. aqu. fœnicul.
Euphraſ.
cyani. an. ℥ß.
vitrioli alb. à gr. iv. ad gr. viij.

Vitriolo in aquis ſoluto, fiat filtratio per chartam emporeticam, addatur
ſacchar. jovial. ʒii.
miſc. & fiat collyrium.

Nam ipſum *vitriolum album* eſt egregium remedium in ophthalmia: ſi ſcil. albumini ovi indurato & excavato indatur, & hinc exprimatur, ſic enim fit collyrium ophthalmicum magnæ commendationis, v. gr.

℞. Ovum gallinarum integrum ad duritiem coctum, & dempto vitello excavatum.
Cui immitte:
ſacchar. ſaturni gr. vi.
vitrioli alb. gr. viii.
camphor. gr. ii.
mell. roſat. ʒß.

Hæc indantur ovo, & fiat expreſſio fortis, expreſſus liquor inſtilletur ſubinde oculo:

Ubi obſervetur, quòd tale collyrium imprimis conveniat, ubi *lacrymæ nonnihil ſunt craſſæ*, & ubi *inviſcantur palpebræ* oculorum:

Ubi ſunt *acriores & corroſivæ*, in tali caſu conveniunt potius *metallica fixa*, v. gr. *Tutia præparata ceruſſa, ſacchar. ſaturni, ocul. cancr. lapis calaminaris, margaritæ: Flores cyani*, & quidem hos flores *cyani* inſigniter commendat in corroſivis & acribus lachrymis, & inde ortis ophthalmiis, BARBETTE *in ſuâ Praxi*, ubi de catarrh.

℞. Aqu. cyani.
euphr.
verben. an. ℥ß.
tut. præp. ʒi.
mat. perl. præp. ʒ iß. M.

de quâ miſturâ inſtilla aliquantulum oculis, & ſimul madentes petias impone.

THONERUS admodum commendat hoc collyrium, quod in opthalmiis aliis plurimis irritis multum præſtare dicit in *obſ. p.* 116.

℞. Aquæ roſarum.
(de hoc vide: TACHENIUS in HIPPOCRAT. *Chym.* quam ego non laudo, potiùs aſſumerem.
Aqu. flor. cyan. vel ſpermat. ranar.)
plantag. an. ℥ii.
ſolan. ʒi.
vitrioli alb. ℈i.
ſolutioni filtratæ adde
tutiæ præp. ℈i.

Hoc *collyrium* benè agitatum cum linteolo imbibito, & expreſſo applicatur oculis, quod egregiè profuit, interdum aliquot *gr. camphoræ* addita fuere.

Antea monui, quòd poſt *variolas* ſubinde ſoleant recurrere ophthalmiæ.

Has verò poſt *variolas* ſæpius recurrentes ophthalmias curat LIPSIUS hoc collyrio.

℞. Tutiæ præpar. ʒi.
vitrioli albi.
ſarcocoll.
Nihil. albi.
aloës lot. an. ℈i.
camphor. gr. xv.
Aqu. fœnicul.
roſar.
chelidon.
pimpinell.
nymphæ an. ℥ij.
album. ovor. No. j.
oſſ. ſepiæ ʒi.

Quo ipſo poſt variolas ſecutam oculi ungulam ſeu unguem etiam feliciter ſuſtulit.

Aliàs quando *eſt rubor & tumor oculi ex rebus & pulveribus incidentibus in* oculum, tunc elegans remedium eſt *fruſtum carnis vitulinæ vel bovinæ crudæ* magnitudine & craſſitiei thaleti tempore decubitus admotum: hoc enim ardorem & ruborem egregiè diſcutit.

Aliàs *ſempervivum cum foliis fœniculi contuſum &* applicatum etiam elegans ophthalmicum in incipiente ophthalmia.

Porrò ſæpiùs urget in ophthalmia *intenſius dolor oculi:* pro hoc *compeſcendo* nihil melius eſt *cataplaſmate ex pomis dulcibus* & benè *odoratis ſub cineribus coctis*, donec probè molleſcant, pulpæ per ſetaceum trajectæ addatur. *Tutia præparata*, vel *crocus* aut *ſacchar. joviale* cum tantillo *croci:* Experimentum eſt TIMÆI *contra* dolorem partium in ſpecie *ophthalmiam.* Item SCULTETI *in armamentar. Chirurgic. obſ.* 22.

Quod ſi *ophthalmia* ſit *ex ictu apis*, curatur optimè *collyrio* ex *alum.* & *alb. ovi* ſupradict. Quoad *Ophthalmias Nothas* ſeu *ſiccas*, eadem ferè conveniunt; præcipuè tamen *aqua cancr. fluviatil. mucilagines, alum.* cum *album. ovi* ſuprà laudatum. Item ℞. *Litharg. auri pulv.* q. v. coq. in aq. deſt. q. ſ. evadet decoctum dulce, filtretur per chartam, & applicetur cum linteo, egregium eſt.

Quoad EPIPHORAM, ſeu à quibuſdam ſic dictam *inflammationem ſeroſam*, conſiſtit hæc in continuo *lachrymarum* ſtillicidio, quæ *nunc acres* ſunt, adeoque ruborem, ardorem, morſum, &c. junctum habent, & vulgò dicitur *humor* ſeu *catarrhus calidus. Nunc mitiores* ſunt, & ſine ſymptomatum taliũ ſyndrome affligũt, diciturque *humor* ſeu *catarrhus frigidus.* Eſt affectus ſuo modo catarrhalis, adeoque ad glandulas, ex quibus tale ſtillicidium oritur, imprimis reſpiciendum, ſive ſint

in oculorum angulis, ſive palpebris, de quibus vid. STENO *in obſervat. de glandulis oculorum & narium.*

EPIPHORÆ CAVSA nunc eſt externa, eaque ſaltim irritans continuò oculum; quò ſuo modo pertinet obſervatio *Rhodii, cent. 1. obſerv.* 8. frequentioris illchrymationis, ex perſicorum eſu; nunc *interna*, eaque triplex: Nempe I. *vel lymphæ vitium* quaſi habituale, acrioris ac acido ſaltioris, rodens & vellicans oculos, & tali occaſione magis magiſque ſanguinis ac lymphæ affluxum promovens. II. *Vel vitium glandularum* oculorum, relaxatarum, & undecunque, præſertim ſub nutritione propria vitiatarum, aut aliàs irritatarum, copioſam lympham continuo plorantium. Quo III. denique facit *carunculæ lachrymalis defectus*, in affectu Græcis ῥύας dicto, qui nihil aliud eſt, quam glandula illa in majori oculi cantho ſita, ſeu à cauſis externis *eroſa* fuerit, *ſive* ſub cura externa *abſciſſa*, aut reſoluta fuerit, unde ſordium, puris, &c. proventus, quæ oculus & vicinæ glandulæ irritatæ continuò plorant, de qua oculi glandula majore, vulgò caruncula lachrymali, dicta vid. *VVarthoni Adenograph. c.26.p.160.*

QVOAD PROGNOSIN.

In infantibus, ut frequens eſt hic affectus, ita diæta & ætatis curſu vel ſpontè curatur. *Inveteratus* autem aut *natu majoribus* accidens, contumacior, facilè fiſtulam lachrymalem poteſt inferre. *Epiphora* uti eſt peſſima, quæ à caruncula deficiente oritur, ita facilior eſt curatu, quæ eſt ab illius eroſione quam exciſione.

IN CVRA 1. *Cauſa externa removenda.* 2. *Lymphæ* interdum vitium; ejus ſcil. *acrimonia* eſt corrigenda *internis & externis.* 3. *Glandularum tonus adſtringentibus eſt firmandus.* Convenit igitur *aqu. Timæi in Epiphora* experta.

℞. Tormentill. groſſo mod. pulveriſat. ʒi.
Alumin. gr. v.
Aqu. roſac.
Plantag. ana ℥i. Stent in loco calido per diem & noctem filtrentur & ſerventur uſui. *It. liquor. flor. cichor. & cyani* ſunt egregii. It. valdè prodeſt *decoctum cort. granat. Hartman. in prax. chym. c. 36.* It. ℞. *foliorum cydon.* primo vere collectorum integrorum, illæſorum, & à corruptione præſervatorum, M. j. coq. in aqu. puriſſima, & eâ oculi humectentur ac irrorentur. Humorem arcent, ruborem diſcutiunt, &c. Vel *album. ovi conquaſſat.* cum *ſucco ſemperviv. & flor. fabar.* impoſitum confert. Alia ut *lap. hæmatit. calamin. aqu. ſigill. Salom. aqu. roſ.* infuſio *ſumach.* ex Practicis ſpontè innoteſcunt.

AVRIVM INFLAMMATIO.

INFLAMMANTUR etiam AURES, nempe auris interna, ejuſque membrana meatum auditorium ſuccingens eidem ſubjectæ eſſe ſolent. Præter EXTERNA occaſionaliter hæc inferentia ſubinde etiam ſpontè ſua ex CAUSA INTERNA eadem concitatur. *Adeſt* inſignis *ardor* in aure, *dolor* continuus *pulſatilis* vehementiſſimus; obſervatur interdum *rubor* quidam auris externæ, quo magis nempe ad exteriora vergit *inflammatio*, quæ ſi gravior eſt, ad malas & tempora ſe extendit, ſicuti ubi magis interiora inflammantur, *pulſatorius dolor* gravior eſſe ſolet, in quo caſu & *febris*, & ſubinde delirium, imò & interdum *motus convulſivi* ſuperveniunt. *Inflammatio* autem hæc aut *diſcutitur*, aut in *abſceſſum* abit, qui ulcus aurium poſt ſe relinquit. *Dum ſuppuratur*, res non caret periculo propter febrem & conjunctum dolorem, quo interdum cerebrum ejuſque membranæ periculoſiſſimè afficiuntur, ſicque delirium inducitur. Sic *Ferdinand. hiſt.* 14 l. 1. refert *inflammationem aurium*, & dolorem intenſum cum febre acuta, delirio, &c. per excretionem copioſam puris die morbi nono, inflammationis ſeptimo, criticè curatam. Curioſum eſt, quod *Bartholinus cent. 3. ep. 67.* refert in abſceſſu aurium erumpens pus & vehens ſimul dentem, ſine defectu dentis ullius in maxillis. Si *interiora* magis *occupaverit* pus ab aurium abſceſſibus natum, tympanum interdum putredine abſumitur, citra tamen auditus læſionem. Vid. *Horſt. l. 9. obſ. 8.* qui itidem refert abſceſſum auris hemicraniam inferentem.

Denique, interdum etiam.

INFLAMMANTVR AVRES.

Nempe *Auris interna* & ferè *meatus auditorius* patitur inflammationem admodùm difficilem.

CAVSA EST INTERNA. Nam in Parotidibus dolor auris inflammatorius percipitur, qui tamen mox tranſit.

SIGNA, Cognoſcitur ex *ardore in aure*, ex *dolore pulſatorio in aure*, & cernitur interdum *rubor quidam auris externæ*, qui ubi inflammatio fuerit gravior *ad malas & tempora* ſe extendit. Imò in inflammatione auris & *febris*, & *delirium*, imò interdum etiam *motus convulſivi* ſuperveniunt.

QVOAD CVRAM.

Inflammatio hæc curatur: quando aut *diſcutitur* aut quando *ſuppuratur*, aut *degenerat in abſceſſum.*

Dum *ſuppuratur res non caret periculo* propter *febrim & dolorem* conjunctum, quoniam interdum cerebrum periculoſè afficitur, ſicque inducitur delirium. Exemplum periculoſæ inflammationis habebitis in *Epiphanio* FERDINANDO, *lib. 1. hiſtor. medic.* 14. qui obſervat *auris inflammationem* cum intenſo *dolore, febricula & delirio gravi* conjunctam, quæ per excretionem copioſam puris, die morbi nono inflammationis vero ſeptimo criticè fuit curata.

Cœterum mirabile exemplum adhuc habet BARTHOLIN. *cent. 3. epiſt. p. 67.* ubi in abſceſſu aurium eripuit pus, & ſimul ſecum dentem quendam evexit, utut nullus dens in maxillis deficeret.

Interdum *auri inflammatæ & ſuppuratæ* ſuperveniunt *ulcera diuturna*, quæ tympanum erodunt, citra tamen auditus læſionem. Exemplum tamen habebitis in HORSTIO *in obſ. p. 444.*

In CURA, UNIVERSALIA aliaque probè præmittenda ſunt, & EXTERNA quoque nonniſi cautè & conſideratis probè omnibus circumſtantiis applicanda. Nam talia plus interdum nocent, quam proſunt. Uid. *M. A. N. C. ann. 6. p. 117.* id quod in ſpecie de actu frigidis aut repellentibus intelligendum venit.

QVOD ATTINET ERGO REMEDIA.

I. Quidem inſtillantur: *Oleum chamomelinum* vel *oleum roſaceum*, in quo *millepedes vel lumbrici* bullierint.

Vel *oleum roſaceum cum mucilagine ſeminis cydoniorum* applicatur, & nonnihil cum bombace immittitur.

Oleum vitellorum ovorum egregium eſt remedium ad inflammationem aurium, quod in principio inflammationem diſcutit, factam verò jam ſuppurationem ſubitò excernere facit, ſive abſceſſum aperit, de quo vid. *Petrus Joann. Faber curat. 53. & 54* vid. etiam *Z. Luſitan. hiſtor. medic. princip. hiſtor. 59.* tanquam Anodynum diſcutiens & abſceſſus certò aperiens laudatur.

Præterea *cancri fluviatiles contuſi*, ac in oleo cocti inſigniter proſunt.

Decoctum abſinth. cent. min. abrotan. & alia *aromatica* auribus immiſſa, vel ſpir. vini, vel ſpir. ſalis ammoniaci cum mica panis calida auribus applicetur. Vid. *Sylv. de morb. infant. c. 9. §. 87.* it. *balſ. ſulph.* ad extra, cum *oleo camamelin.* miſtus conducit.

Item *ſuccus ſempervivi majoris* auribus inſtillatus

egregiè convenit in inflammatione. Nam etiam abſceſſum aperit, v. gr.

℞. Succ. ſemperviv. major. ℥iß.
Ole. roſar.
lumbricor. terreſtr.
chamomelin. an. ℥i. miſc.

applicentur cum bombace auribus, vel inſtillentur.

Fomenta aurium ex *decocto plantarum emollientium & diſcutientium* externè applicata egregiè conducunt.

Item *cataplaſma ex medulla panis cum lacte* paratum, v. gr.

℞. Medull. panis ℔ß. coquatur in
lacte caprino ad conſiſtentiam pultis, add.
vitell. ovor. No j.
ole. roſac. ℥i.
croc. ℈i. miſc. pro cataplaſmate.

Denique *cepacea & capita alliorum* ſub cineribus cocta, benè contuſa, & auribus applicata, admodum promovent maturationem & ruptionem abſceſſus. De quo vid. AMAT. *Luſitan. cent. 7. cur. 92.* Item HOFER. *i Hercul. medic. p. 62.*

Poſt inflammationem aurium, ſequitur ſubinde *abſceſſus*, adeoque

ULCUS AURIUM.

Ulcus aurium. ULCERA AURIUM aliàs ſunt vel VERA, vel APPARENTIA. VERA vel *ex abſceſſu* poſt inflammationem nato, vel *ex acriori lympha* eò delata, meatum interius exulcerante. APPARENTIA ulcera ſunt, quando ſanies, ſubinde multiformis ex auribus effluit, nunc cum, nunc ſine præcedente earundem dolore, qui effluxus ſubinde diu durat, & quo ceſſante varia capitis, & cerebri ſuperveniunt ſymptomata, quæ levantur ſub fluxus continuatione, ubi *in infantibus* ſubinde obſervatum eſt, qui per hujuſmodi aurium fluxus plus minus ſordidos à pluribus malis tam *externis*, quàm *internis* levari ſolent.

Vera Aurium ulcera, ſi diuturna aut *inveterata* ſunt, facilè *in fiſtulam* degenerare ſolent, vel erodendo occaſionem membranis ſuggerunt, ut *hyperſarcoma* (*wild Fleiſch*) ſuccreſcat, quod auditum obturet. Pus quod effluit, ſi ſit album, æquale, ſubſtantiæ mediocris, melius eſt, quàm ſi inæquale, fœtens, ſanioſum, &c. fuerit.

IN CURA obſervandum eſt, ne *apparentia* hujuſmodi *ulcera* aurium, ſeu effluxus eorundem plus minus ſanioſi citò nimis ſanentur, præſertim in ſubjectis, vel humidioribus, vel excretionibus capitis cutaneis, vel affectibus cerebri, & capitis internis obnoxiis, idque in infantibus imprimis obſervandum, ne major noxa inde oriatur; ſufficit ſi modo mundus ſervetur meatus auditorius, id quod optimè mediante *urina humana* aſſequimur. *Quoad ulcera vera* præmiſſis præmittendis *internis*, v. gr. PURGANTIBUS aut SUDORIFERIS, aut *eſſentia lignorum*, *&c.* Ulcus mundificandum, & hinc conſolidandum venit. *Mundificat* optimè *urina infuſa*, aut *urina* in qua *raſura ligni Guajaci* maduerit. Item phlegma ſpir. urinæ, vel

℞. Vini albi ſubtilis dulcis
urinæ puerorum an. ℥i. ebulliant leviter

cum ℥ß mellis M. Quibus tepidè meatui auditorio inſtillatis, aut cum turundula iiſdem ebria immiſſis, ac manè ac veſperi repetitis, ulcus mundificabitur. *it. ſuccus, vel ſyrup. vel eſſentia abſinth. aut marrub.* cum pauco *melle roſat.* it. *ſyrup. Nicotian.* egregiè conveniunt. Nonnemo refert ulcus periodicum auris curatum per inſtillationem *ſucci marrubii* miſti cum *melle*. Si *alumen uſtum* cum vino miſtum, in aurem infundatur, potentiſſimè ulcus exſiccat. Puer 10. annorum ſurdus ex variolis permanens, & cui per tot annos ſanies ex aure fluebat, liberatus fuit *ſucco cepæ & rhodomelite* inſtillato, teſte *Foreſto l. 11. obſer. 7.* Denique *ſi antiquum & ſordidum ulcus* fuerit, applicanda venit *urina pueri* cum pauco *unguento Ægyptiaco* imprægnata. Hiſce ſi mundificatum & abſterſum fuerit ulcus, id quod ex eo patet, ſi minor ſordium ac puris quantitas effluxerit, *pro conſolidatione* iſtis modo dictis, *tutia & pompholix* addenda ſunt, pro ejuſmodi perfecta conſolidatione.

Abſolvimus doctrinam inflammationum in genere, & etiam in ſpecie. Jam notatum fuit in principio hujus capitis, quòd *præter ſanguinis impeditum refluxum, impediatur* etiam ſubinde ejuſdem *circulus*, quando *is in inſigniores corporis cavitates effunditur*, ubi *extra ſua vaſa* conſtitutus mox corruptionis notam incurrit, quàm cùm comitetur acor corruptivus, ſanguis ab hoc *coagulatur & congrumatur*, & poſtmodùm ſucceſſivè fermentando abit in pus.

Quæ *collectio puris in cavitate corporis inſigniori* vocatur tunc temporis,

EMPYEMA.

Quoniam autem fit, ut frequentiſſimè *poſt pleuritidem* ſequatur puris collectio in thorace, ob id ferè abuſus obtinuit, ut *Empyema* tantùm *de puris collectione in thorace poſt pleuritidem* intelligatur, quod tamen non æquè obtinet. *Empyema.*

Nam in genere *empyema* propriè loquendo, & *prout ab apoſtemate ſeu vomica diſtinguitur, eſt ſanguinis extra ſua vaſa effuſio, & in pus mutati collectio in cavitate aliqua*, ſeu ventre *corporis*. Dico prout à vomica diſtinguitur. *Vomica* enim, ſeu *apoſtema eſt collectio puris in quadam* parte: dum pus colligitur in pulmone, eſt *vomica pulmonum*, dum in renibus, eſt *vomica renum*. Verum *Empyema eſt collectio puris in cavitate*. Unde *non rarò ex abſceſſu fit empyema, quando* ſcilicet *is rumpitur* non foras, ſed *introrſum in cavitatem quandam corporis ſingularem*

Utplurimùm dixi, quòd poſt *pleuritidem ſuppuratam* ſequatur tale empyema, quoniam pus in cavitatem thoracis tandem effunditur. Verùm ſingulare eſt exemplum, quod refert LINDANUS *ſuper Hartmannum*, ſe nempe obſervaſſe in quodam puerulo, pleuritide ſuppurata affecto facta thoracis apertione pro extractione, & facta exploratione cum candela (ſecundùm leges paracentheſis thoracis) cerea nihil tamen puris excernebatur. Mortuo tandem puerulo thorax pro ſcrutinio viſcerum fuit apertus, & inventum fuit, quòd ſcil. membrana coſtas ſuccingens, ſeu pleura dilatata fuerit in immenſum ſaccum, in quo omnis purulenta materia tanquam in ſuo receptaculo fuerit comprehenſa, ita ut aperto thorace nihil potuerit puris evacuari: id quod ſæpiſſimè fieri arbitror.

QUOD ATTINET CAUSAS: quòd ſanguis in cavitates effundatur, congrumetur & ſuppuretur, ſunt imprimis *externæ*, nempe *vulnera punctim facta*, item *caſus ab alto*, in quo vel *ruptione*, vel *partium violenta contorſione*, aut earundem *nimis valida contuſione*, vel alia *ratione ſanguis per aperta vaſa effunditur: inque corporis cavitates influit.*

Sanguis influxus ex vitali conſortio præſcriptus ſubitò *corrumpitur*, & aliquam putredinis incurrit notam, quam *corruptionem* inſequens *acor* ſanguinem effuſum coagulat, atque in grumas inſpiſſat; Sanguis acore grumefactus ſucceſſivè incipit fermentare quatenus acidum coagulans concurrit cum ſal. volatil. ſanguinis ſatis copioſo, quæ duo mutuò concurrendo & fermentando, corrumpendo ſanguinem ſe uniunt tandem in tertium ſalſum, nempe in corpus craſſum, album, ſalſum quod vocamus pus.

Dixi quòd in caſu ab alto ſanguis in cavitatem corporis ſingularem effundatur. Niſi enim hoc fiat, ſed ſanguis in partium ſpatiolis ex harum contuſione hæreat *Echymoma ſeu ſanguinis effuſio* oritur, quæ ad tractationem Chirurgicam pertinet.

His

His modis generatur ſanguinis effuſio in cavitates corporis.

Jam verò *Empyema duobus* generatur *modis*; *vel* modo dicta ratione *ex ſanguine in cavum effuſo & ſuppurato*: *vel* 2. ex *ſanguine in quadam parte inflammationem pariente & apoſtema faciente*, cujus apoſtematis pus tandem ex parte in cavum corporis influit, & ita empyema conſtituit.

Prioris empyematis exemplum dat. v g. *Vulnus thoracis penetrans*, cum ſanguinis copioſo in ipſum influxu, hinc in pus corruptione. Poſterioris empyematis exemplum dat *pleuritis in pulmone ſuppurato* ac tandem *rupto abſceſſu in thoracis cavitatem effuſo*. Sic enim etiam ſequitur Empyema.

QVOD ATTINET SIGNA.

Hæc per ſe patent: *Signa* nempe *cauſarum*, imprimis ſi attendantur *cauſæ externæ* in ſpecie *caſus ab alto*, ſanguinem congrumatum eſſe in cavitate corporis & ibi collectum monſtrant, & quidem *ſanguinem congrumatum in abdomine præter vulnus penetrans imprimis abdominis tumor*: Hinc inde ſparſus *livor* & quaſi *plumbea nigredo*, poſt congrumeſcentiam *durities & reniſus abdominis* ad tactum, ubi locus eſt ſanguinis congrumati: ac denique accedunt *lypothymiæ*, *virium defectiones* nonnihil *impeditæ*, & ſimilia ſymptomata.

In pectore eſſe collectum ſanguinem ibique *congrumatum*, monſtrant inſigniores *reſpirationis læſiones*, *tuſſes*, *dolores pectoris*, *gravitas* ac pondus *circa coſtas nothas*, extremorum *frigus*, *febris* plus minus acuta, quæ omninò comprobantur per *modum læſionis*, *ſi enim quis cadit ab alto & perfringit coſtam*, propter rupta vaſa coſtis ſubſtrata neceſſariò ſequitur ſanguinis in pectus effuſio: Item *ſi quis fuerit punctim læſus* mox infra coſtas, ubi ſunt venæ & arteriæ, tunc eſt ſignum effuſionis ſanguinis in thoracem: & factæ ejuſdem congrumationis, corruptionis, & ſic Empyematis.

Denique *in capite & ejuſdem calvaria* eſſe *collectum ſanguinem congrumatum*, monſtrat *dolor ejuſdem gravativus*, *ſenſus inſignis pulſationis*, *oculi* nonnihil *lacrymantes*, *rubor faciei*, ſuperveniunt *ſymptomata ſtomachi*, *vomitus*, *nauſea*, & ſimilia: ac denique *cauſæ antecedentes*, *valida contuſione cranium effringentes*, aut *forti inciſione cranium dividentes*: ſanguinem inter calvariam effuſum & congrumatum dicunt.

Sanguinem in his locis effuſum & grumefactum *ſuppurari* teſtantur, *febris ſuperveniens* plus minus *acuta* pro varietate circumſtantiarum, item *ardor in iſta parte*, in *qua fit ſuppuratio*: accedunt *inſignes præcordiorum anxietates*, accedunt *vigiliæ* interdum *deliria*. In ſpecie ex *febri* cognoſcitur quòd fiat ſuppuratio, quin & interdum *in loco quodam externo*: v. gr. ſi ſanguis *ſit coagulatus in abdomine circa inguina oritur abſceſſus*, in quo & per quem ſanguis congrumatus & ſuppuratus poſtmodum feliciter evacuatur.

Empyema ita factum facilè *cognoſcitur* ex eo, *quòd remittat febris æſtus*, & reliqua ſymptomata, quin *potius fluctuatio quædam percipitur puris*.

Specialiter *Empyema thoracis* benè eſt cognoſcendum.

Signa ejuſdem *ſive à pleuritide* ſive *à vulnere* ſunt, quòd adeſt *tuſſis continua & frequens*, item *obſcura* (*hohl*) & quaſi è profundo cavo producta. *Sonus* eſt *obſcurus* (*dunckel*) quia tota hæc actio eſt à diaphragmate, non verò à pulmonibus: illud enim à materia gravatur. Porrò *inter tuſſiendum* ſentiunt in *cavo pectoris concuſſionem* aliquam, quia materia diaphragmati incumbens per tuſſim ſublata recedit, adeò ut ſæpè nihil excernatur. *In progreſſu* verò poſt multos conatus *purulenti quid* excernitur, & tandem etiam aliquid *ſanioſi*. *Febris* adeſt, quæ in principio magis *acuta* eſſe videtur, *in progreſſu* verò mitior & *lenta* magis redditur, ad hecticarum ferè naturam accedens, quæ veſperi præſertim exacerbatur, & circa noctem vehementior eſt. *Reſpiratio eſt gravis cum ſenſu gravitatis*, quando ſtant aut ſedent. Si *decumbunt*, *aliqualem ſentiunt fluctuationem*, & *decumbendo ſine moleſtia ferè reſpirant*: ſic quando calceos ſolvere, vel ligare volunt, videntur ſuffocari, tunc enim à pondere incumbente introrſum verſus diaphragmatis motus ferè impeditur. Supervenit interdum *palpitatio cordis*: ſentiunt frequentiſſimè *evaporationes ad os inſtar aquæ calidæ*. *In progreſſu* percipiunt *ſaporem cinereum & putridum continuò in ore*; In *pulſu* hoc eſt ſingulare, quòd *creberrimis vicibus intermittat unum vel alterum pulſum*, ac denique ſi *in dextro latere eſt empyema*, tunc *decumbentes in eodem benè habent*, ſin autem decumbant *in ſiniſtro*, *malè habent*, & contra.

QVOD ATTINET PROGNOSIN.

Pro *quantitate ſanguinis effuſi* & pro *qualitate loci*, in quem effuſus eſt, *prognoſis variat*. Item pro *ratione ſucceſſus* etiam variat prognoſis.

Nam *ſanguinem congrumatum ſubitò evacuari*, aut ſi hoc non fiat, *ſuppuratum facilè excerni optimum* eſt.

Febres interdum *periculoſæ ſuperveniunt* ſupparatum ſanguinem, interdum *ulcera*, ac non rarò *gangræna* partium internarum.

In pectore Empyema, utplurimùm phthiſin cauſatur & *tabem*.

In capite utplurimùm *mortem infert*.

QVOD ATTINET CVRAM.

In ſanguine congrumato, ſive ſit *à vulnere*, ſive *à caſu ab alto*, eò eſt incumbendum, ut *ſanguis congrumatus reſolvatur*, & hinc 2. *per vias convenientes evacuetur*. *Viæ* iſtæ *convenientes* ſunt eæ, ad quas vel ſponte vergit *natura*, & monſtrantur imprimis per locum, in quo ſanguis eſt congrumatus, *ſive evacuetur per ſudorem*, ſive per *urinam*, ſive per *alvum*. Iſte ſanguis qui ita evacuari nequit, ejus *adjuvanda eſt ſuppuratio*. *Febris* tunc *accenſa* nonnihil *mitiganda*; ac tandem *enatum pus evacuandum*.

Tàm ſanguinem congrumatum, quàm purulentias omnes in cavitatibus collectas optime evacuat ejus *perforatio*. In his enim, v. gr. *ſi vulnus eſt in abdomine*, abdominis vulneris *apertio major*, *ſi eſt punctim factum* vulnus, *Paracentheſis* debita inſtituenda; *Thoracis apertio*, & *inter coſtas ſectio optimum eſt remedium* pro curando empyemate ejus, ut etiam pro evacuando ſanguine.

Ac denique *in capite expertum remedium* eſt ejus *Trepanatio* ſeu cranii perterebratio. Hæc ſanè ſunt *optima & promptiſſima* remedia, quia citò & legitimo uſu tutò ſatis operantur: Modo quoad legitimum uſum temporis habeatur ratio & non perverſiſſimo noſtro more, aut nunquam aut tardè nimis inſtituatur: quia potius quò celerius inſtituuntur tales operationes & perforationes, eò promptior & eò magis optatus eſt ſucceſſus, de quibus tamen ſuo tempore in Chirurgia.

Poſt *Caſum* ergò *ab alto*, vel alium *caſum*, ſanguine in corpore congrumato in *primo principio* neceſſe eſt, ut *venæ ſectio* inſtituatur in *corpore Plethorico*, *ne* ſanguis nimis confertim aut nimis copioſè in cavitatem corporis irrumpat: Habenda tamen ſemper eſt ratio regularum revulſionis ratione loci, in quem influat ſanguis, ut nempe in contraria regione vena aperiatur. Dum nempe ſanguis influit in *Abdomen* vel per inferiora *Thoracis* vaſa in thoracem, ſecatur in *brachio*: Sin fluat ex *ſuperioribus thoracis vaſis aut circa* caput ſecetur *in pede*.

Sectâ venâ ſubitò *ſanguis omnis congrumatus reſolvendus* eſt, & uti dixi *quâ datâ convenienti viâ evacuandus*.

Sanguinem congrumatum reſolvunt; *rubia tinctorum*,

rum, ſymphytum totum, ſcabioſa, abſinthium, abrotanum, hypericum, bellis minor, quam ſingulariter tanquam ſecretum commendat HARTMANNUS Chærefolium, Hyſſopus, card. benedictus, fœniculum.

Semen. card. benedict. card. Mariæ, chærefol. hyperici.

Aquæ horum ſimplicium, in ſpecie *chærefol. ſcabioſæ, alkekengi, & cinnamomi. ſyrupus acetoſitat. citri, ſcabioſæ, hyſſopi.*

Item *acetum vini* in quo ſoluti ſunt. *Ocul. cancror. fluviatil.* hæc enim ſolutio eſt admodum egregia.

Item conveniunt *Rhabarbar. radix angelic. vincetoxic. ariſtoloch. rotund. tormentill. & pimpinellæ. Item terra ſigillata, bolus armena, ſperma ceti* eſt expertiſſimum; *caryophylli, ſangu. hirci legitimè paratus ad modum* HELMONTII *de pleuritide. Caſtoreum, lap. percar. Bezoar. Oriental ocul. cancror. fluviatil. corall. rubra, os de cord. cervi, mumia, ſuccinum album præparatum, carbones Tiliæ ad* ℈j. *vel alteram in aqua chærefolii* propinati multum commendantur ab HARTMANNO.

Vel *pulvis* factus ex *carbonibus Tiliæ, oculorum cancrorum fluviatil. & herba chærefol.* cujus ℈j. *datur in aceto.*

Pulvis AUGUSTANORUM *contra caſum, ſpecies diamumiæ* MYNSICHT. *Stercus paſſeris in aceto diſſolutum* & propinatum in ſanguine concreto eſt ſingulare. *Pinguedo humana ad* ʒß. *in potu cereviſiæ* eſt expertum remedium in *caſu ab alto.*

Eſſent. flor. Hyperici, chærefol. mumiæ, in ſpecie *eſſentiæ quæcunque vulnerariæ: tinctura & ſuccus florum bellidis, tinctura corallorum* MYNSICHT. *antimonium diaphoreticum* & omnia *antimonialia fixa* acidum abſorbentia, *miſtura ſimpl.* ſeu *tinctura Bezoartica, ſpiritus theriacalis camphorat. ſpiritus tartari & ſimilia.*

In *propinandis* his remediis *contra caſum ab alto* ſeu contra ſanguinem congrumatum *obſervetur* neceſſaria *cautela*, quòd *ſemper* his ipſis *addenda* ſint talia, *quæ ſanguinem congrumatum reſolutum ſimul* per *convenientes vias evacuare poſſunt.* Quid enim juvat reſolvere ſanguinem, ſi non debeat evacuari? Ob id, *ſi ſanguis congrumatus hæreat in abdomine* vel *locis alvo vicinis, ſimul folia ſennæ*, vel quod melius, *rhabarbarum* additur. Nam & ipſum rhabarbarum ſimul ſanguinem reſolvit: Sin verò *in pectore aut aliis locis remotioribus*, in ſpecie *Diuretica ſunt addenda: Sin remotioribus exterioribus partibus* tunc præ cæteris *ſudorifera* ſunt ſimul addenda.

Res ut pateat dabo exemplum.

℞. Herb. chærefol. m. j.
Rhabarb. elect. ʒii.
Folior. Senn. ʒiß.
Salis tartari ℈i.
coquant. in ſ. q.
Aqu. ſimplic.
colatur. add.
Ocul. cancror. fluviatil. præparat. ʒj.
Spermat. cet. ℈ii.
Pulv. contr. caſum Auguſt. ʒß.
Syrup. ſcabioſ. q ſ. pro edulcoratione.
miſc.

D. S. pro aliquot doſibus.

Idque quando ſimul blandè evacuandum eſt per inferiora.

LINDANUS egregium habet exemplum curati *Caſus ab alto*, in quodam Fabro Lignario, ipſi ædes ædificante, qui cadens ab alto coſtas aliquot perfregit, & exinde in periculoſum ſanguinis ſputum ex ſanguine in thoracis cavum effuſione incidit. Curavit eundem hoc modo: propinavit *decoctum ex braſſica rubra, artemiſia, conſolida ſaracenica & bellide minore.* Huic decocto juſſit infundi aliquid *rhabarbari*, poſt infuſionem addebat *ſperma ceti:* Hinc ſeorſim ſumpſit *Oculorum cancror. fluviatil.* & illis affudi ad eminentiam digiti tranſverſi *acetum vini*, & remittente fervore (cum ocul. cancr. fluviatil. aceti) dedit *aceti hujus impragnati ita cochlear.* cum prioris *decocti* ℥iv. *vel* ℥v. Unde factum fuit ut ſanguis congrumatus anteà poſt reſolutus copioſiſſimè *per urinam* fuit excretus, & exinde hic faber lignarius egregiè curatus. Ac ſane potius præſtat à *diureticis* incipere, in fine autem non incommodum aliquod *ſudoriferum* ſubnectere. Adeoque convenit in dictis caſibus, *mixtura polycreſta ex lap. cancror fluviatil. cum aq. deſt.* &c.

Vel ℞. Ocul. cancr. fluviatil. præparat. ʒi.
(cum aceto fiunt magis diuretici.)
Spermat. cet.
Mumiæ.
Rhabarb.
ſangv. hirc. legitim. præparati an. ʒß.
miſc. doſ. à ℈i. ad ℈ii.

in decocto chærefolii vel *fœniculi* vel aliis ſimilibus.

Quoad *curam empyematis*, ſeu *quando pus factum in cavitate fluctuans, & ſtagnat eſt evacuandum.*

2. *Acrimonia ejus noxia corrigenda.* 3. *Læſio partis inducta reſtituenda.*

Quoad puris evacuationem, hæc per convenientes vias inſtituenda venit. *viæ convenientes* ſunt vel *naturales* vel *artificiales*: *Illæ* quibus *natura* molitur evacuationes, & quæ ſubinde per varia loca inimitabili arte purulentias evacuat, ut dum v. gr. pleuriticorum, vel alias in thorace ſuppuratorum purulentias, nunc per *urinas*, nunc per *alvum*, nunc frequentiſſimè per *ſputum* evacuat, imò per *purulentam*, in toto corpore *ſcabiem*, quo de *vid. M. A. N. C. ann. 2. p. 230.* ſolvi obſervatum fuit. Sanè *pus empyici* per *urinam* excretum c. dolore quaſi nephriticó & ſtranguria refert, *Horſt. l. 3. obſ. 10.* Simile *vid. ap. Panarolum*, it. *Borellum cent. 1. obſ. 17.* Ipſemet *curavi mulierem* gravi pleuritide correptam, ſuppuratam, cui ſupervenit fœtidiſſima materiæ purulentæ urina, qua per 10. vel plures dies continuante cum ſenſibili alleviatione ipſa ſanabatur. *Præcavebam ſimul phthiſin ac tabem* per pulveres & antihectic. Poterii, myrrh. l. ocul. cancror. antimon. diaph. balſ. ſulphuris therebinthinat. &c. Elix. Prop. rarò propinabam, quia hoc ſemper alvi fluxum ſiſtebat, ut neceſſe eſſet, eam denuo provocare clyſmate. Sicut jam *ſuprà* hujuſmodi variæ excretiones *circa hepatis & lienis abſceſſus* inſinuatæ fuerunt. Facit huc quod refert *Hildan. cent. 3. hiſt. 39.* Nempe ulcus diuturnum in brachio ex ictu ſclopeti, quod, quia *per urinam* pus excernebatur, ulcus ſiccabatur: Quamprimùm verò ulcus recenter fluebat, tum patiens rurſus urinas laudabiles nullo pure permiſtas reddebat. *Per quas vias materia empyematis in pectore*, v. gr. *deferatur ad urinam* aut alvum, *aut etiam ad os* pro expuitione, plures Autores litigant. *Conf. Senn. l. 2. prax. ubi de pleurit. quæſt. 3. VVillis Pharm. rat. P. 2. p. 150. 201. M. A. N. C. ann. 3. p. 393. & ann. 6. p. 75.* His in caſibus ſi moliatur aliquid natura, ſemper miniſter ejus eſt Medicus, dum, quo illam vergere videt, eò ſimul motum illius promoveat. *Si vero rupto abſceſſu & collecto jam empyemate* pectoris, eam nil moliri obſervat, pro copia puris dum vires adhuc conſtant, evacuanda, imprimis *vomitus* convenit, cujus inſignes utilitates pluribus *Piſo de colluvie ſeroſa* declarat. Hinc *ſputum* imprimis promovendum, ut hujus medio ceu per proximas vias, modumque magis ordinarium puris fiat evacuatio. *Pro quo ſcopo Nicotiana* eſt egregia cujus uſum ſupra ex *Ferdinando* declaravimus.

In ſputo hoc promovendo habenda ſimul ratio qualitatum materiæ purulentæ evacuandæ, quæ *quo acriar* fuerit, ac tenuior, eò magis *temperantia* ſimul uſurpanda ſunt: *Quod ſi vero non acre ſed craſſius* ſit pus evacuandum, *incidentia & abſtergentia* magis in uſum vocanda. In ſpecie *mel* & ex eo paratum *hydromel* ſeu

aqu-

aqu. mulſa, oxymel ſquilliticum, inter expectorantia primatum ducunt; in qua *mulſa hyſſopus, ſcabioſa, parietaria, helenium, iris, marrubiū, liquiritia, jujub. paſſulæ* pro indicantium varietate ſimul incoqui & propinari poſſunt. Vel fiat *miſtura* expectorans.

℞. Aqu. hyſop. ℥iii.
asthmat. ℥iii.
oxymel ſquillitic. ℥vi.
ſyr. Nicotian. ℥ß.
emet. ℥iß.
M. capiatur pro lubitu.

Artificiales viæ pro evacuando purè ſunt PARACENTESIS, quæ ubi *priores* illæ *naturales* vel non ſuffecerint, vel non ſuffecturas ſuſpicio eſt, *in tempore* inſtitui poteſt. *In tempore dico*, ut quando natura *empyema* non expurgat per *urinam*, ſtatim inſtituenda *Paracenteſis*, ne pus in ſaniem convertatur, ne vires frangantur, ac pulmo à ſanie corrumpatur.

2. *Acrimoniam puris & ejus noxam corrigunt*, hoc eſt ut aliàs dicunt, ulcus *abſtergunt* & *mundificant* optimè remedia *ſulphurea*, quodcunque acre temperantia & *balſamica*, quaſi vi ulteriorem progreſſum *apoſtematis* & *puris* inhibentia, uti ſunt *ſulphur* & *antimonialia fixa*, &c.

3. *Ea verò*, *quæ læſionem partis* poſt abſceſſum ſuppuratum *reſtituunt*, ſunt *vulneraria*, præ cæteris *hedera terreſtris, ſcabioſa, chærefolium*, item *lignorum* & *radicum decoctum*, *&c.* Optimè hæc duo junguntur, ſed ſemper habenda eſt ratio 1. *puris*, ut hoc vel prius, vel ſimul evacuetur. 2. *Febris adjunctæ*, ne hæc plus majus intenſa augmentetur. Ad hoc, *ut evacuetur pus* præter evacuationem per vomitum ſi eſt in thorace, vel in alio loco convenientiſſima ſunt: Omnia *antimonialia fixa*, v. gr. *antimonium diaphoretic.* quod ipſum *cum decocto chærefolii*, vel cum *hedera terreſtri*, vel quod melius cum *decocto radicis Chinæ* propinetur, propinando ſæpius cum hauſtu iſtius decocti ℈i. *antimonii diaphoretic.* Hoc enim mirabiliter ſuppurationes quaſcunque curat ſanguinem congrumatum & empyema imprimis pectoris.

Et tunc cum *radice Chinæ* ſimul coquenda ſunt *tuſſilago, hyſſopus, conſolida major, capill. veneris* & ſimiles: Non opus eſt multa addere, ſimplex enim ſufficiat decoctum cum quo propinetur *antimonium diaphoreticū*.

Poſt antimonium diaphoreticum imprimis eſt *Balſamus ſulphuris*; qui quancunque ſuppurationem ac ac internarum partium & viſcerum corruptionem, citò, tutò & jucundè curat. Vel *ſimplex vulgaris*, *cum ſpiritu terebinthinæ*, vel *aniſatus* cum oleo aniſi pectoralis, vel *ſuccinatus* cum oleo ſuccini; vel *juniperinus* cum oleo juniperino. Loco balſami ſulphuris ſimplicis ſumatur *balſamus ſulphuris auratus antimonii ex* POLEMANNO, erit balſamus eò magis laudatus.

Denique ARCÆUS *tract. de capitis vulneribus*: Egregium modum docet curandi empyemata beneficio *decocti ligni Guajaci*, cujus methodus eſt optima, & quâ obſervatâ aliquot empyematici reſtituti fuere.

Nec incommodè *ligna ſantala* hîc recipiuntur, verbi gratiâ:

℞. Raſur. ligni Guajaci ℥i.
ſaſſafr. ℥ß.
Macera per 2. horas in aquæ comm. ℔.vii. coque ad conſumptionem ℔iß. adde.
heder. terreſtr.
comar. fl. hyperici.
herb. veronic. aa. mi. ad mii.
rad. glycyrrhiz ℥ß.
ſem. fœnic. ℨvi.
paſſul. minor. conquaſſatar. ℥iii.

Coqu ad remanentiam ℔.iv. M.S. *decoctum*, de quo æger ad minimum ter in die capiat, ſubjungendo & alia remedia.

Hedera denique *terreſtris* omnibus præferenda eſt ſpeciebus ſimplicium quæ ſuppuratas ex fundamento, ut ſic dicam curat: *Ejus decoctum* ſeu *Eſſentia* ſi aſſumatur, aut quod meliùs cum *eodem antimonium diaphoret.* propinetur, aut denique ſi *ejus ſuccus* ſemper cum *decocto Guajaci* permiſceatur.

Certum eſt quod hedera terreſtris ſit inæſtimabilis in hoc caſu.

Hinc ſunt qui maximè æſtimant.

℞. Succ. hederæ terreſtr. ℥iiii.
praſſii (id eſt marrubii) ℥ii.
thuris myrrhæ aa. ℈i.
Sacchari parùm; redigantur ad conſiſtentiam *ſyrupi*, & ſubinde uſurpentur.

Denique *decoctum braſſicæ capitatæ rubræ, cum tantillo ſacchari* temperatum eſt egregium, quia materiam purulentam educit per urinam. Poteſt etiam dari *cum decocto Chinæ, antimon. diaphoret.* & ſimilia.

Lac quoque *caprillum* cum *ſaccharo roſato* uſurpatum, pro ultimo hoc ſcopo eſt egregium, vid. *M. A. N. C an. 1. p. 78.* Conf. cum his *VVillis. Pharm. ration. p. 2. ubi de phthiſi & empyem.*

Balſami ſulphuris feci mentionem: *Si* hujus *igneus calor* pertimeſcatur, optimè permiſcetur *ſaccharum Saturni* vel *Antihecticum* POTERII, qui in his caſibus ſunt egregia.

Item *Balſamus Peruvianus* non incommodè poteſt ſubſtitui balſamo ſulphuris. Sed pergo ad alia.

Læditur denique *etiam ſanguinis circulus*, *quando ſanguis ex ſuis vaſis & receptaculis omninò extrà corpus effunditur*, vitium quòd ſatis eſt cognitum ſub nomine.

HÆMORRHAGIÆ.

Nam Hæmorrhagiæ vox eſt generalis, quamcunque ſanguinis effuſionem ex corpore innuens. *Hæmorrhagia.*

Hæc *Hæmorrhagiæ vox generalis* poſtmodum *ratione loci* per quem fluit, aut *ratione modi* quo effluit, *diſtinctas ſortitur appellationes.*

Nam *ex naribus Hæmorrhagia narium*: *Ex ano* dicitur *Hæmorrhoidum fluxus*: *ex utero* dicitur *Menſes*: *ex veſicæ* dicitur *mictus cruentus*, item *vomitus ſanguinis*, *ſputum ſanguinis*, ſive *hæmoptyſis, &c.*

CAUSA, quæ ſanguinis effluxionem excitat, *eſt vel ipſorum extimorum oſculorum* in venulis & arteriolis *apertio ſpontanea* & vocatur *Anaſtomoſis*.

Vel eſt ipſorum vaſorum læſio & ſoluta unitas, quæ fit aut per *inſtrumenta acuta*, ſeu *punctim*, ſive *cæſim*, vel per *humores acres* corrodentes, & rodendo aut extremitates oſculorum vaſorum conniventes, aut ipſas tunicas tenuiores perforantes, quæ poſterior ſpecies vocatur *diæreſis*, item διάβρωσις; διαπήδησις autem ſeu *ſanguinis talis tenuitas, quâ per vaſorum tunicas tranſſudare poſſit citra vulnus*, quòd tamen vix credibile. Sunt enim ſatis denſæ, ſatiſque validæ & tenaces venarum multò magis arteriarum tunicæ, ut impoſſibile ſit quod per eaſdem tantillum tranſſudare poſſit.

Locus ſeu *vaſa* per quæ ſanguis effluit, ſunt imprimis *arteriolæ*. Nam ex venis vix effluit ſanguis niſi inciſis aut eroſis ut in vulneribus.

Sanguinem extillare ex arteriolis patet ex eo, quod, v. gr. *omnis hæmorrhagia narium fiat ſtillatim*, & ſubinde notabile ſpatium intercedat inter unam alterâmve guttulam cadentem. *Hinc* liquidiſſimè *patet venire ex arteriis non* autem *ex venis*; *quando enim cor ſanguinem in arteriam pellit*, jam quoque idem ex arteria aperta tollitur: *Quando verò arteria ſubſidet*, non amplius effluit, & ita ſucceſſivè ſtillatim ſanguis erumpit: Id quod patet etiam *in Arteriotomia*: in hac etiam ſtillatim tantùm & ſecundum pulſum ſanguis erumpit.

Quòd attinet *Cauſas remotas* ἀναςομώσεως.

Vaſorum oſculorum apertio fit, 1. *Propter abundantiam*, ſive *plethoram ſanguinis* aut *abſolutam rariorem*, aut propter *plethoram reſpectivam*, ſeu *ſecundùm quid frequentiorem*. Dum *majori* aut *minori motu*, aut *exercitio*, aut *corporis incaleſcentia*, aut etiam *efferveſcentia febrili*, v.gr. in *principio variolarum*, turgeſcens & quodammodo ebulliens ſanguis incolè auctus, ordinariis vaſis & receptaculis contineri ampliùs nequit, quin per capillarium orificia diſtendens eadem & aperturam faciendo erumpat.

Hinc *obeſi*, item *vini potatores* frequentiùs *hæmorrhagiis* obnoxii ſunt; quò multùm facit ſimul *ſuppreſſio ordinariæ* cujuſdam, quodam in loco, *ſanguinis excretionis*: Simul tamen in his & ad *ſtatum vaſorum* à ſanguine pertranſeunte plus minùs irritatorum, hinc *ſanguinis motus variationem* reſpectus habendus.

2. Fit Anaſtomoſis *à nimia ſanguinis tenuitate & fluxilitate ob abundantiam ſeri nimiam* ſeu *aquoſitatem* unde fit, ut & fibrarum & partium tonus laxetur, & ipſe ſanguis ſua tenuitate facilè orificia venarum permeet eademque ita aperiat: unde tunc hæmorrhagia talis ſequitur. *Scorbutici* imprimis variis & frequentibus obnoxii ſunt hæmorrhagiis per quæcunque loca fiant: quia in his partium tonus admodum laxatur, fibræque debilitantur ut vaſorum oſtiis nimis conſtrictis hæc hiſcant. Accedit ſimul *ſanguinis ſcorbuticorum tenuitas* & *ſeroſitas* qui ſæpius ſimul eſt *ſalſus, acidus & acris*, adeoque faciliore apertioni occaſionem præbens.

3. Denique fit anaſtomoſis *quando in uno alterove ſurculo cujuſdam arteriæ fit obſtructio* & quaſi motus impeditus, unde ſurculus vicinus majori ſanguinis mole diſtentus, neceſſariò in extremitate aperitur, & facta ita anaſtomoſi ſanguis effunditur. *Spleneticis* hoc videtur familiare quibus interdum ſuperveniunt ſanguinis vomitus, ita tamen ut percipiant prius fortes pulſationes circa ſplenem locoſque vicinos, quæ pulſationes innuunt motum nonnihil impeditum in arteriis: Unde ſi ſunt turgidæ aperiuntur in ſtomachum, & ita vomitum ſanguinis inferunt.

Pertinent ad anaſtomoſes ſcorbuticorum hæmorrhagiæ, inſignes admodum & crebrius ingruentes, non tam ob ſanguinis craſin plus minus vitiatam, & ad diatheſin acidam plus minus declinantem, ſed quòd horum nervoſum ſyſtema pathematis convulſivis obnoxium admodum ſit, unde irritatum quodam in loco à ſpinis ſalinis ſcorbuticis alicubi infixis mox tendi fibræ, pulſationis, aut tenſionis ſenſus, hinc *hæmorrhagiæ* oriri ſolent. Comprobat hoc notabili obſervatione *VVillis pharm. rat. p. 2.*

In hiſce anaſtomoſeos cauſis tàm *ad ſanguinem*, quàm *vaſa* utplurimum reſpiciendum venit, ita quidem ut frequentiſſimè *acidum* conſuetum ſanguinis motum ad orgaſmum præternaturalem concitans, aut itidem *acidum plus minus ſalſum*, vaſa eorumque ac partium vicinarum fibras vellicans conſiderandum veniat.

Hæc de Anaſtomoſi.

Diæreſin & Diabroſin inducunt *quando aut inciſione aut punctura aperiuntur vaſa* uno verbo *omnia externa*, de quibus in Chirurgia. Vel interdum *quando à cauſis internis* fit apertio vaſorum quas intereſt imprimis *lympha nimis acris*, vel lympha *nimis acida* vaſculorum orificia corrodens: item *inſpirata quæcunque nimis acria*, nam & hæc aut *narium* vaſa irritare, aut *pulmonum* vaſcula corrodere valent: unde *narium hæmorrhagia & ſputum ſanguinis ſequatur*.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

Ex his ſunt facilia: *ſanguis* enim qui *poſt vulnera* effluit, ex ſe patet. *Sanguis* verò qui effluit *floridus, rubicundus & copioſus* innuit *anaſtomoſin* propter aliqualem ejus abundantiam & turgeſcentiam.

Obſervandæ tamen ſunt *cauſæ antecedentes*, *Motus fortes & ſimiles*.

Sanguis qui effluit *tenuis, aquoſus inſtar loturæ carnium* uti loquuntur, *ſignum eſt nimiæ ſeroſitatis & aquoſitatis ſanguinis: hincque ortæ hæmorrhagiæ*.

Sanguis in loco affluens cum forti regionis vicinæ pulſatione innuit *impeditum ſanguinis motum* per unum alterum vel alteriolæ ſucculum.

Denique ubi *humores acres excedentes* præceſſerunt, cauſæ non poſſunt latere attentis, ſimul aliis concurrentibus ſignis.

Differentia eſt adhuc notatu digna hæmorrhagiæ in genere: *Eſt* enim *hæmorrhagia vel ſpontanea vel non ſpontanea*.

Spontanea eſt opus naturæ exonerantis corpus: *Non ſpontanea eſt* vel *critica* vel *ſymptomatica*: *Critica* quam natura in morbo facit ut una per illam curet.

Hæ duæ ſpecies *ſpontanea & non ſpontanea criticæ nunquam ſunt curandæ, niſi ſint immodicæ* juxta aphoriſmum HIPPOCR. *ſect. 1. aphor. 2.*

Tertia verò *ſeu ſymptomatica* aut *non ſpontanea ſymptomatica* cùm morbus ſit, aut procedat ex habitu corporis morbòſo *neceſſariò debet curari & præcaveri*.

Deinde hæmorrhagia eſt vel HABITUALIS, vel ACCIDENTALIS. *Habitualis* crebrius & vel brevi vel nulla præcedente occaſione redit & affligit. *Accidentalis* verò raro, nec niſi magna data occaſione contingit & affligit. *Accidentalis* eſt vel *cum febre*, vel *ſine febre*; *ibi* ad turgeſcentem & ebullientem ſanguiguinem ſimul plus minus reſpiciendum: item an *critica* magis, an *ſymptomatica* fuerit.

Abſoluta fuit Theoria hæmorrhagiæ in genere una cum ſignis Diagnoſticis. Superſunt.

SIGNA PROGNOSTICA.

Quæ hæmorrhagiam in genere attinent ſunt.

Nimiæ hæmorrhagiæ quæcunque uti mox *animi deliquia & aſphyxia* inferunt, ita paulo etiam poſt *cachexias & hydropes*. In ſpecie *ubi ſanguinis fluxui ſupervenit extremorum refrigeratio* in propinquo eſt *ſyncope*.

Moderata & conſueta & plus minus *periodica hæmorrhagia* quocunque in loco fiat, ſi ſubjecti conditio reſpondeat, & hoc facile ferat, *ſalubris*, cum deficientem varia mala, ut & excedentem inſequi ſoleant. Moderata igitur talis non ſiſtenda eſt.

Porrò *Diæreſis* arteriæ inſignis uti & ejus *diabroſis periculoſæ* ſunt & *vix curabiles*. *Hæmorrhagiæ* quæcunque à *cauſa interna* cæteris paribus & *periculoſiores & cautius tractandæ quàm quæ ab externis*. *Quæ ab anaſtomoſi vitio ſanguinis* vel abſolutè vel reſpectivè *abundantis* naſcitur, curatur facillimè. *Quæ verò vitio ſanguinis ſereſcentis*, tardè & quaſi medio modo ſe habet. Ita quæ *vitio vaſorum* contingit, pro ratione morbi primarii plus minus curabilis eſſe ſolet.

QVOD ERGO ATTINET CVRAM.

In ea ante omnia conſiderandum eſt, *an curanda ſit hæmorragia*, an verò *ſinenda*? *Deinde in habituali* diſtinguenda eſt cura in eam, quæ fit *tempore paroxyſmi*, adeoque eſt curatoria, & eam quæ eſt extrà paroxyſmum, adeoque præſervatoria. *Tertiò probè* conſiderandum, an ipſa *hæmorrhagia* ſit morbus *ſolitarius* & primarius, an verò *ſecundarius*, & ſi hoc, an ſit *cum febri*, an *ſine febri*. Nam omnis *hæmorrhagia criticæ* modò non ſit exceſſiva: item omnis *hæmorrhagia ſpontanea* per quæcunque loca quæ naturæ eſt ſolemnis, & cui natura eſt adſuéta, ea *vix curari poteſt*, niſi ipſi evacuatio quaſi ſuccedanea inſtituatur.

Symptomaticæ verò *hæmorrhagiæ* quæcunque *ſiſtendæ*. *Sanguis* ergò *nimius* vaſorum ora aperiens *minuendus*, nunc *venæ ſectione*, nunc *ſcarificatione*. Idem *turgeſcens compeſcendus*, *præcipitandus & acidis blandè*

coagulan

coagulantibus, qualia ſunt, v. gr. *tinctur. flor. bellidis ſpirit. vitrioli*, *Pulvis hepaticus rubeus*, *terra lapid. hæmatidis. Opiata* huc etiam pertinent.

Idem *aquoſus & nimis ſeroſus corrigendus evacuando ſerum per alvum*, vel *veſicam*, vel *per habitum corporis*.

Si quæ in morbis *arteriolarum* occurrant *obſtructiones* eædem *reſerandæ per* vulgò nota *aperientia* de quibus alio loco dictum in ſpecie *per martialia*: Nam hæc *martialia in vomitu ſanguinis ſplenetico* ſæpiùs recurrente, (ſive ſit reverà talis, ſive non, loquamur cum vulgò) item in *hæmorrhagiis ſcorbuticorum*, & ſimilium *ſunt optima*, imprimis quidem ad præcavendum recurſum. Hujus rei ſingulare exemplum habet LOUVERUS *contra* MEARAM *p.19.* ubi habet *hæmorrhagiam ſtupendam chalybeatorum* uſu curatam.

Denique *Anaſtomoſes vaſorum* uſurpatis *internis adſtringentibus & incraſſantibus*, & applicatis iiſdem *externè ſunt occludendæ*; *Eroſiones* verò *vaſorum* per ſimilia *conſolidandæ & acres ſucci contemperandi*.

Quoad cauſas remotas diæreſeos, ſi hæc fiat *vitio ſanguinis acrioris*, acre ſalſum temperantia, & ſanguinis craſin corrigentia ſunt optima, ut *paſſulata*, *vulneraria*, *lacticinia*, *&c. ſi vitio vaſorum eroſorum*, *vulneraria adſtringentia* ſunt convenientiſſima.

Pro his obtinendis ſcopis *interdum convenit*, uti dixi, *Venæſectio*.

Dico interdum: Nam *Chirurgorum* eſt conſuetudo, ut in *omni hæmorrhagia* ſanguinem mittere velint. Verùm *hoc ſtultum eſt*, quoties ſanguis non abundat, eundem jam effluentem velle ulterius evacuare. Una ſanguinis abundantia ſive *Plethora tàm vera quàm reſpectiva excipitur ubi convenit*, *venæſectio*.

Nam *ubi hæmorrhagia à fluxilitate* aut *acrimonia* corrodente ſanguinis oriuntur *vana eſt venæſectio*.

Ulterius PURGATIONES ipſæ etiam *ſunt ridiculæ*; *niſi nimia abundantia laticis aquoſi* nimis fluxilem faciens ſanguinem ſui *excretionem urgeat. In tali* enim *caſu* utique *purgantia per inferiora conveniunt.* Uti in tali caſu eadem rectè commendat RIVERIUS *in ſua praxi*; & confirmatur hoc ipſum per experientiam RONDELETII: qui curavit quendam ſingulis diebus 2. vel 3. ℔. ſanguinis rejicientem ſolis ſyrupis ſeroſos humores evacuantibus: Serum enim eſt vehiculum ſanguinis.

Quin & *per ſudores* commodè poteſt fieri tunc evacuatio: Utut enim *ſudor* dum actu erumpit, diſſolvit & fluidiorem facit. maſſ. ſang. poſtmodum tamen ubi ceſſavit ſanguis ſerò depauperatus craſſeſcit, ſpiſſeſcit & ſic *hæmorrhagiam* compeſcit.

OPIATA generalia ſunt hæmorrhagiarum remedia, dum & *irritationis* ſenſum in hac vel illâ parte undecunque excitatum ſopiunt; *& ſpirituum* moventium, *impetum* plus minùs refrænant adeoque quoſvis ſanguinis inde concitatos motus quietiores reddunt, quo ipſum *catholicum* ἴσχαιμα, id eſt, ſiſtens, meritò habentur. Experimenta hujus noviſſimè retulit Medicus quidam Haſſiacus, *Mich. Bernh. Valentini*, *in epiſt. ad D. D. VVIditium, Archidiatrum Spirenſem, de Nova Matricis & Morbonæ Muliebris Anatome*, ubi, fusè oſtendit, quantum *opiata in narium* æquè ac *uteri hæmorrhagiâ* valeant.

Portulaca, *plantago*, *polygonum*, *millefolium*, *folia tenera quercus*, *roſæ rubræ*, *ſumach*, *cortices granatorum*, *balauſtia*, *lyſimackia*, *burſa paſtoris*, *ſanicula*, *pyrola*, *acacia noſtras*, *bellis minor*, *vinca per vinca*, *hedera terreſtr.*

Radix urticæ, *ſymphyt. major. torment. pimpinellæ*, *biſtortæ.*

Fructus rubi & myrtillorum: Semen portulacæ, *lactucæ*, *papaveris*, *hyoſcyami*, *urticæ.*

Aquæ & decocta horum ſimplicium: item *eorundem ſyrupi*, v. gr. *aqua & ſyrup. portulacæ*, *plantaginis*, *ſyrupus de ſymphyto*, *ſyrupus coralliorum*, *myrtillorum*, *de hedera terreſtri*, &c.

Pertinet huc *radix acori aquatici*, ſive *radix acori adulterini*, & ex eadem paratus *Nectar adſtringens* D. LANGII, quod egregium eſt remedium in quocunquè fluxu tàm ſanguinis quàm aliorum humorum.

Porrò *Muſcus cranii humani*, ſeu *uſnea*: item *muſcus prunorum ſylveſtrium*, *ſanguis draconis*, *maſtiche*, *thus*, *myrrha*, *aloë*, *gummi arabicum*, *mumia*, ſcil. adſtringentia contra eroſiones:) Item *lapis hematitis tàm in ſubſtantia* præparatus, *quàm ejus tinctura*, *bolus armena*, *corallia eorumque tinctura*, *terra ſigillata*: *colcotar vitrioli*, *ſuccinum.*

Ex his patent facilè *remediorum* FORMULÆ, v. gr. *in hæmorrhagiis turgeſcente nimis ſanguine cum impetu febrili & phlogoſi vaga.*

♃. Aqua plantag.
ſemperviv. maj. ana ℥ iß.
Syrupi papav. alb. ℥ i.
Tinctur. flor. bellid. cum
ſpiritu vitrioli q. ſ. ad gratam aciditatem. M.
Capiatur cochleatim.

In hæmorrhagia habitualis ex eodem ſanguine turgeſcete ex acido volatili, v. gr. *in vini potatoribus*, *&c.* adeoque in iis, qui vulgò ex ſanguine bilioſo & hepate nimis calido hæmorrhagias pati dicuntur.

♃. Dentis hippopot. præp. ʒ iß.
corall. rubr. præp. ʒ i.
lapid. hæmatit. ʒß.
ſacchari ſaturni ℈ ii.
laudani opiat. ℈ß. M. S.
F. pulv. adſtring.
Capiatur ſubinde mane quantitas cultelli cuſpidis.

Item ♃. Extr. flor. ʒ iii.
ebor. ſ. igne.
dent. hippopot. ana ʒß.
corall. rubr. præp. ℥ i.
lapid. hæmatit. præp. rubr. ℈ ii.
c. ſ. q. ſyrup. roſ.
& papav. rhæad. f. electuar. M.

Extractum paratur *ex flor. roſarum part.* ii. *fl. papav. rhæad. bellidis rubr. ana part. j.*
per multiplicem infuſionem in aqu. ſimplici, expreſſionem & inſpiſſationem. Sic parabitis *extractum* ſuccoſum ad imitationem *Ang. Salæ, ubi de extractis vegetabilium.*

In hæmorrhagiis habitualibus ex ſanguinis tenuitate ſeroſa.

♃. Paſſul. minor. aut earundem pulpæ ℔ß.
rhabarb. el. ʒ iii.
tartari vitriolati Tachenii ʒ i. c. ſ. q.
ſyrupi pomorum fiat electuarium.

Utile & eſt *per ſudorem* occurrere tali hæmorrhagiæ.

♃. C. C. uſti ʒ i.
terræ ſigill. ʒß.
laudani opiat. gr. iii. Pro duabus doſibus cum ſudore uſurpandis.

In hæmorrhagiâ ab acriori ſanguine à lymphâ aut eroſione, aliiſve modis concitata, ſanè polychreſta eſt *miſtura Sylvii l.* 1. *prax. c.* 9. §. 2c. ad cujus imitationem.

♃. Aqu. plantag. ℥ iii.
cinamom. ʒ ii. ad ʒ iii.
acet. ſtillatitii ʒ iii.
corall. rubr. præp. ℈ ii.
terræ ſigill. ℈ i.
laud. opiat. gr. iii.
ſyrup. myrtin. ʒ iii. capiat cochleatim.

Huc pertinet *tinctura ſulphuris vitrioli* ad omnes & quaſcunque ſanguinis hæmorrhagias expertiſſima;

 ma;

ma: Paratur ex cap. mort. benè edulcorato ſoluto cum ſpiritu ſalis compoſito, qui abſtrahitur ad ſiccitatem, maſſa remanens poſtmodum, cum ſpiritu vini dephlegmato extrahitur in tincturam.

Porrò *Spiritus vitrioli* coagulando ſanguinem & ipſe hæmorrhagiam ſiſtit: Hinc *Liquor ſtypticus ex ſpiritu vitrioli & terra ſigillata* paratus etiam eſt egregius.

Martialia in ſpecie quidem *adſtringentia*, uti præ cæteris eſt *extractum martis adſtringens* HARTMANN. quod habet in *Praxi Chymiatrica cap.* 50. *de Hæmorrhagia*: *Extractum croci martis adſtringens* eſt experimentum LINDANI: cui inſtar omnium remediorum eſt; utpote quo puerum deſperata hæmorrhagia narium laborantem curavit, datur *ad gr.* V. *vel* IX. *cum conſerva quadam adſtringente* in forma Boli.

Item *ſaccharum Saturni* & ipſum hæmorrhagias compeſcit. Hinc *tinctura antiphthiſica ex vitriolo martis & ſacchar. Saturni* etiam eſt conveniens.

Porrò *nitrum depuratum*, ac *ſal prunellæ*, *interno & externo uſu*, in ſpecie *interno* ſingulariter compeſcit hæmorrhagias, & *à Felici* VVÜRTS tanquam ſpeciale arcanum contra hæmorrhagias commendatur.

Omnia papaverina Hyoſciamus & ſimilia opiata certo experimento hæmorrhagias ſiſtunt.

EX REGNO ANIMALI ſunt *cornu cervi uſtum*, *Bufo transfixus & ſiccatus*: *Rana viridis*, & *omnia ex ranis*, *eorumque ſperma*, item *ſtercus aſininum*, *ſuillum*, & *ſtercus canis* oſſa rodentis. Hæc tria utut fœtida tamen ſunt expertiſſima & probatiſſima.

Denique *ſanguis qui effluxit proprius toſtus & applicatus*,

Ex his recenſitis primaria ferè ſunt.

1. *Succus urticæ majoris*, cujus aliquot unciæ *internè* aſſumpta quamcunque *hæmorrhagiam narium*, *ſputum ſanguinis*, *vomitum ſanguinis* ab omnibus commendato experimento ſiſtit; In ſpecie RIVERIUS & ZAC. *Luſitanus* non poſſunt ſatis commendare hanc ipſam utpote quo ZACUT. aliquando deſperatam *hæmoptyſin* curavit; datur *ad* ℥iß. *aut* ℥ii. *vel* iii. Unde quidam in promptu habent *ſyrupum ex ſucco urticæ*, quem ad recurrentes hæmorrhagias ſolent ſubinde propinare.

Poſt ſuccum urticæ eſt *ſperma ranarum*, cujus *aqua* deſtillata interius hauſta: Specialiter verò ex ea parata *ſperniola* CROLL. eſt optimum remedium, datur *à gr.* iv. *ad* viii. *uſque ad* ℈ß. permiſcetur cum aliis in quacunque forma. Dabo exemplum.

℞. Lapid. hæmatid. præp. ʒß.
ſperniol. Croll. gr. xv.
laudan. opiat. gr. iii.
miſc. f. pulvis adſtring.
divid. in p. 2. æqual.
Vehiculum poteſt eſſe
℞. Aqu. portulac.
ſemperv. major.
impræg. cum
Syrup. plantaginis.

F. potio in qua diluatur pulv. ſupr. præſcriptus.

De Uſnea cranii humani per mumiam microcoſmi imprægnatam notum eſt quod ſedet periculoſiſſimas hæmorrhagias, *ad gr.* VI. *ad gr.* XII. *in aqu. Burſæ paſtoris cum ſyrupo corallorum*, &c. & divinum vocatur remedium à LANGIO.

Experimenta vide in BECHERI *Medico Microcoſmico*. Sic refert LINDANUS ſe Comitiſſam, quæ tali hæmorrhagia laborabat ut nullis remediis ſedari poterat reſtituiſſe ſolùm *per uſneam cranii humani*. Unde & HYLLERUS in *cent.* 1. *cur.* 20. periculoſiſſimam narium hæmorrhagiam ex potu vini excitatam *per* ʒß. *cranii humani uſneæ ſedavit*.

Porrò *Bufo* menſe Julio ſeu ſole in leone exiſtente captus & transfoſſus, & in *ſyndone appenſus* quamcunque hæmorrhagiam ſiſtit. Vel etiam *ſi tantummodò ſub axillis lateris iſtius ex quo fluit ſanguis applicatus Bufo* inſigniter conducit: Vel etiam *ſi* tantummodò *Bufo exſiccatus ita manu comprehenſus claudatur, donec incaleſcat*.

Specificè convenit *Bufo in hæmorrhagiis Febrium malignarum* in principio ſymptomaticis periculoſiſſimis in ſpecie in *variolis*: in his Bufo ſub axillis applicatus eſt egregius ratione malignitatis, & adjuncti ſymptomatis nempe hæmorrhagiæ.

Loco Bufonis etiam *ranæ* in ſpecie *virides exſiccatæ*, & earundem *pulvis in vino rubro* propinari poteſt, qui ranarum pulvis admodum commendatur ad quamcunque tàm virilem quàm muliebrem hæmorrhagiam compeſcendam.

Porrò *ſtercora animalium*, imprimis *aſininum & ſuillum*, poſthæc ſtercus *caninum*, ſunt ſingularia experimenta contra quaſcunque hæmorrhagias externo & interno uſu. Jam de interno: *Ex ſtercoribus his expreſſus ſuccus, & ad* ℥i. *vel* ℥iß. in convenienti vehiculo propinatus efficaciſſimus eſt. Ex his parant quidam *ſyrupos cum ſaccharo*, *ſyrupum de ſtercore aſinino & ſuillo, vid. in* PRÆVOTIO & JOELE.

Hi ipſi ſyrupi admodum egregii ſunt in compeſcenda hæmorrhagia: item *permiſcentur hi ſucci ſtercorum cum ſucco urticæ*, & ita internè propinantur. Quidam recipiunt

Succi ſtercor. aſinini.
ſyrup. myrtillor. an. ℥ß.
Aqu. plantag. ℥i. miſc. pro hauſtu ſing.

Porrò facit huc *ſanguis proprius*, *excretus* per quæcunque loca excernatur: Hoc enim quidam pro ſecretiſſimo habent, ſi ſcilicet ſanguis proprius excretus ſiccetur & ita poſtmodum ad ʒi. ægroto denuo propinetur in liquore appropriato, vel quocunque vehiculo mirificè enim ſanguinem effluentem compeſcere dicunt, & quidem propinatur ad ʒi. in tali caſu per quæcunque loca effluat ſanguis. vid. SCHMUCK *in curationibus Magico, magnet.*

Denique res nota eſt *de pulvere ſympathetico* ſeu *vitriolo veneris* benè depurato, & ſol in leone verſante calcinato juxta radices ſolis. Hic pulvis ſympatheticus, ſi in eum ejiciatur ſanguis quicunque ſive ex *utero*, ſive *è naribus*, ſive *pectore* (de omnibus enim habeo experientiam) aut ſaltem ſi *linteum ſanguine* iſto adhuc *madidum eodem* aſpergatur, certo & mirabili experimento fluxum ſanguinis ſiſtit.

Et hæc ita in genere de hæmorhagia quacunque dicta ſunt.

Jam *in ſpecie*: loca ſpecialia per quæ ſanguis effluat, ſunt quidem

I. NARES.

In has ipſas *Arteriolæ* terminantes *Hæmorrhagias* iſtas excitant. *Narium Hæmorrhagia*

Nullo verò *modo* ſanguinis interdum ſatis copioſus & ſatis abundans erumpens ex naribus *ex ſinu cerebri falciformi*, aut *ex ejuſdem vaſis* ad nares provenit utut multi aſſerant. Sufficienter tamen rejicit hoc dogma SCHNEIDERUS *de oſſe crebriformi p.* 411. *& ſeq.* ubi ſufficienter demonſtrat nullo modo ex ſinu falciformi decidere quamcunque ſanguinis guttulam.

Quin potiùs *vaſa ex quibus* effluit, ſunt *propagines rami arterialis à carotide interna*, qui juxta proceſſus mammillares plures interſurculos quoſdam per foramina oſſis cribroſi tranſmittit ad membranam narium ſuperiorem glanduloſam, per quæ vaſa, ſeu per quas arteriolas & lymphæ ſimul affertur materia, per glanduloſam iſtam texturam excernenda, ita ut ex orificiis iſtis apertis, & propter continuam à lympha

humectationem naturaliter laxioribus, *narium hæmorrhagiæ* accidant. *Confer VVilliſ. pharm. rat. part. 2. pag.40.* Præter CAUSAS INTERNAS cum aliis hæmorrhagiis communes, EXTERNAS inter, *pulveres ſternutatorii* fortiores inſpirati, aut alia quævis *inſpirata acriora hæmorrhagiam* hanc excitant.

SIGNA DIAGNOSTICA de Cauſis ex ſuperiùs dictis per ſe patent.

QVOD ATTINET SIGNA PROGNOSTICA.

Hæmorrhagiam narium imminere præcognoſcitur ex *motu ſanguinis* ſurſum verſus, cujus *ſigna* ſunt, *capitis, colli & temporum dolor gravativus, oculorum caligo* vel *ſplendor, lachrymæ involuntariæ, rubor malarum, oculorum pruritus & titillatio narium*, quin & interdum aliqualis *manuum tremor* accedit.

Hæc enim ſigna tàm in quàm extra morbum hæmorrhagiam narium prænunciant.

Porrò quibus in *febribus acutis & ardentibus lachrymæ involuntariæ* profluunt, his ſanguinis ex naribus eruptionem expectare convenit; loquitur HIPPOCRATES.

Tam largiores ſanguinis *evacuationes*, quàm ejuſdem plus minùs, aut etiam planè non conſuetæ ſaltim intempeſtivæ *ſuppreſſiones* morbum excitant: *Hæ* quidem pathemata cerebri & nervoſi generis epileptica, ſoporoſa, &c. *Illæ* ſyncopes; cachexias, ſingultum & convulſionem.

Stillicidium ſanguinis, id eſt, exigua ſanguinis & ſtillatim facta ex naribus eruptio, & fluxio ſanguinis ſi *in morbo acuto* contingat, in ſpecie *die 4. malum* eſt ſignum *niſi quædam externa cauſa*, vel *humor* ſanguinem elicuerit, vel ejuſdem incipientem fluxum inſpiſſando vel retinendo impedierit.

Notabile eſt quod *Hippocrates* jam olim monuit, in affectibus hepatis & lienis fluxus ſanguinis è naribus non è directo factus, id eſt, qui in nare diverſa eſt, hoc eſt in dextra, ſi lien laborat, & è ſiniſtra, ſi hepar, malum. Nam tales hæmorrhagiæ, ſi debent eſſe proficuæ, κατ' ἴξιν, id eſt, rectitudinem fieri debent. *Quibus in febribus ardentibus aures obſurduerunt*, his non ſoluta febri, delirare neceſſe eſt. Solvit autem inter alia & *ſanguinis è naribus eruptio.*

Eruptiones ſanguinis ex naribus ſæpiùs ſunt admodum *copioſæ ad aliquot* ℔*ra. pondus* accedentes, adeò ut etiam ad ℔ jv. ſanguis effluxerit hoc tamen *citra ægri virium lapſum.* Item obſervatum fuit ad ℔ viij. vel x. excretum fuiſſe ſanguinem *non citra periculum utut abſque vitæ jacturâ.*

IN CURA HÆMORRHAGIÆ NARIUM, præter hactenùs enarrata INTERNA, eaque reſpectu cauſarum varia, *in paroxyſmo* ſanguinis impetus ad nares, quantum poſſibile avocandus, vel *ſpirituum impetum ſopiendo*, vel *ſanguinis ὀργασμὸν* aut *turgeſcentiam refrænando*, & deinde *orificia vaſorum* aperta *occludendo.*

Quoad priorem ſcopum ligaturæ extremorum *doloriſicæ*, ſanguinis in brachio vel in pede detractiones, frigidorum & *adſtringentium, nuchæ, fronti*, item *ſcroto, manibus, mammis* in mulieribus, interdum & *hepati* applicationes; item *terror* quovis modo inductus, *dolores* graviores circa remotiora loca excitati, aut *lipothymiæ* inductæ conveniunt.

De *Bufone* appenſo jam nihil dico, ſufficiat, quod *pulvis Bufonum naribus inſperſus* conducat ad compeſcendum fluxum narium: item quod *Bufo ſub dio ſuſpenſus donec caro univerſa ſit abſumpta.* Hinc *ſi os femoris denudatum* nari indatur hæmorrhagiam ſubitò & continuò compeſcere aſſerunt.

De *Pulvere ſympathetico* dixi.

Pertinet huc *lignum ſympatheticum ex Fraxino*, ſive *lignum Fraxini* certo tempore cæſum; certum h. e. Experimentum, vidi ego hujus aliquoties felicem ſucceſſum, modò externè naribus applicetur, mirabiliter ſiſtit hæmorrhagiam narium.

Quoad ſecundum ſcopum, ea quæ naribus, eorumque apertis vaſis applicantur, ſunt *alumen, vitriolum, ſtercora, fuligo*, ac quælibet *adſtringentia, &c.* de quibus omnibus in ſpecie jam agendum. Confer tamen *VVilliſ. pharm. rat. p.2.* Ven. ſect. ſubinde locum habent, utut rarò, non ſecus ac *cucurbitulæ.* Obſervandæ tamen ubique *revulſionis & derivationis leges.* Horum loco frigida & *adſtergentia* ſanguinem plus minùs coagulantia, ejuſque nimium motum inteſtinum fermentativum tàm naturalem, quàm præternaturalem refrænantia, adeoque ab effectu *refrigerantia* dicta, *externè* applicantur.

Aliàs applicatur etiam *Cataplaſma* GALENI *ex Aloe, Myrrha, pilis leporinis combuſtis, & albumi è ovorum*; quod oſcula vaſorum aperta reſtringendo occludit.

Imò ſolum *cataplaſma ex aceto cum argilla* combuſta, vel *cataplaſma ex aceto cum bolo armeno* fronti & naribus applicatum, unde & ſine interpoſitione lintei hæmorrhagias egregie cohibet. Nam omnia ex aceto externe conveniunt. Imò *cataplaſma ex argilla cum aceto teſtibus applicatum in viris* potenter cohibet hæmorrhagiam narium.

Item *Epithema ex aceto ſucco ſempervivi major. & nitro teſtibus applicatum* mirabiliter hæmorrhagias narium ſiſtit.

Epithemata ex aqua Portulacæ, plantaginis, ſpermat. ranarum, camphora, & ſimilibus, *regioni hepatis* applicata, etiam in hæmorrhagiâ narium deſperata conveniunt. Quòd videre poteſtis per experientiam confirmatam ab HORSTIO *l.4. obſ.46.* ita tamen ut tali Epithemate hepati applicato ſuppreſſa fuerit excretio per diarrhæam bilioſam ſubſequentem.

Stercora animalium naribus impoſita, vel *eorum ſucci cum turunda immiſſi:* item ſoli *pulveres ſtercoris ſuilli & aſini naribus inſperſi* & inſufflati ſanguinem ſiſtunt.

Et ut JOEL refert *ſtercus ſuillum recens excretum*, & naribus applicatum ſolo odore ſanguinem ſiſtit. Unde quidam in capſula gerunt pulverem ſtercoris ſuilli, ut in caſu neceſſitatis eundem olfaciant, aut naribus intrudendo ſanguinem ſiſtant, & compeſcant.

Succus Urticæ, etiam cum linteis naribus inditus ſanguinem fluentem ſiſtit.

Linteum ſpermate ranarum imprægnatum aliquoties, & denique exſiccatum *aqua ſpermatis ranarum* humectatum & naribus admotum, ſubitò hæmorrhagiam narium ſiſtit.

Iaſpis genuinus legitimus, cujus rubedo venulis herbaceis eſt diſtincta in argento cinctus, inſigniter ſiſtit hæmorrhagias, ſi ſcilicet in iſta detineatur manu ſub pollice ex cujus lateris foramine narium ſanguis fluit. Hunc lapidem ceu expertum à ſe in caſu trium Medicorum deſperato refert SCHMUCK *in cur. Magic. magneticis p. 16.*

Videbitis hoc confirmatum à BOOTIO *tr. de lapid. & gem. p.102.* item in HILDANI *cent.3. obſ.2.*

Loco Jaſpidis lapis *Umbilicus marinus* dictus, eſt ſpecificus in cohibenda narium hæmorrhagia, ſi ſcilicet ex parte ejus planâ & averſâ cum ſaliva leviter humectatus fronti applicetur. Sic enim ſubitò ſanguinem ſiſtere dicitur. Id quod aliquoties obſervavit BACCIUS *de gemm. & lapidibus.* Vide etiam BOOTIUM *de gemm. & lapid. l.2. cap.177.*

Proprio & egregio experimento confirmat GABELCHOVERUS *cent.4. curat.3.*

Denique *ad revellendum*, uti dicunt *ſanguinem*, non pauci applicant *cucurbitulas non ſacrificatas hypochondriis. Hepatis* nempè & *Lienis regioni*; Sic AUTHOR *Luſitanus cent.2. curat.100.* ingentem ſedavit hæmorrhagiam narium *per cucurbitulam ſplenis regioni* admotam & *frigidam aquam teſtibus* admotam; Verùm hîc rectè cautos nos eſſe debere monuit RIVERIUS:

cùm interdum cucurbitulas tales admotas ſequatur *inflammatio viſcerum* ſub cucurbitulis ſitorum: quale exempl. videbitis in HILDANO: adeò ut ob id cauti ſimus in applicandis his ipſis.

Potiùs *nuchæ ventoſæ magnæ* impoſitæ locum interdum inveniunt. *Conf. M. A. N. C. Ann.6. pag.*130. Quo pertinent *cucurbitulæ ſupra pedes* admotæ, quæ miraculi inſtar hæmorrhagiam narium ſiſtunt, AUTHORE *Foreſto lib.*13.*obſ.*14. ad iſta epithemata pertinet *frontale* POTERII *cent.* 1. *cur.* 67. *ex croco Martis bol. armen. & opio cum oleo roſarum* miſtis & temporibus applicatis, quo ipſo contumacem hæmorrhagiam curavit. *Terrores*, *lipothymiæ*, excitati *dolores*, ſpirituum & hinc ſanguinis motum partim ſiſtendo, partim aliunde derivando ſubinde proficuæ exiſtunt. Sic ſunt qui ceu remedium revulſorium proponunt *incurvationem minimi digiti*; Cùm enim vehemens illa compreſſio intenſum dolorem pariat, hujus occaſione forſan hæmorrhagiæ medela erit. Nec alia ratio videtur, quare contumax hæmorrhagiâ per *cauteria actualia plantis pedum* admotâ curata fuerit à ZACUTO *Luſitano l.*1. *prax. admir. obſ.*66.

Quoad auxilia & remedia tertii ſcopi eminet *alumen.* Hoc vel ita integrè naribus intruſum, vel cum *lacca pictorum* in formam *pulveris* rédactum, & ita cum turunda in aqua humectata applicatum, vel *ſolutio ejus* dicto modo naribus intruſa, nobile eſt ſtypticum ſanguinem ſiſtens *vid. M. A. N. C. Annot.* 1. *pag.* 90. item *Borellum cent.* 4. *obſerv.* 7. & 50. Par ratio eſt *vitrioli.* Hujus *ſolutio* vel ad albedinem calcinati *pulvis* dictis modis applicatus, coagulando ſanguinem & adſtringendo orificia vaſorum egregium eſt. Et ſanè ex hoc ipſo ceu baſi decantatus iſte *liquor ſtypticus Galli* revera oritur, utpote, qui quocunque loco *externè* uſurpatus ſanguinem undecunque erumpentem ſiſtit. *Conf. VVilliſ. cit. loco.* Item *Act. Medic. Haffnienſ. volum.* 2. *p.* 353. Par ratio, ſi à quibuſdam *atramentum* laudatur, quod quocunque modò naribus applicatum & intruſum, præſertim *goſſypium atramento* infectum, aliquantulum expreſſum, & in turundæ formam formatum naribus confert, vi nempè *ſtyptica vitriolacea.* Sic *tinctura ſulphuris vitrioli* naribus immiſſa eundem effectum ſortitur, ſic *phlegma ſpiritus vitrioli acidulum*, cum potentiſſime ſanguinem inſpiſſet & coagulet, naribus immiſſum, fluxum reprimit *Fuligo furni* cum *albumine ovi* miſta turundæ illita & naribus intruſa, hæmorrhagiam ſiſtit, aut etiam *albumen ovi cùm alumine ſubactum* dicto modo applicatum nempe eſt in *fuligine* acidum, *cum terreis particulis* admiſtum, à quibus vis adſtrictoria. Præſtantiſſima *fuligo eſt iſta*, quæ è fundo vaſorum & caccaborum æneorum, quæ in culina uſurpantur, colligitur, quæ fuligo cultello ſeparata ac naribus intruſa, vel pulveriſata cum ſanguine patientis miſta & turundarum forma naribus immiſſa ſanguinem ſiſtit, remedium etiam à *VVilliſ. cit. loco*, tanquam expertum commendatum.

Denique *quæ* dixi *in Viris applicanda ſcroto & teſtibus* ad fervorem & ebullitionem ſanguinis ſedandam applicentur in *mulieribus mammis* cum eundem ſortientur effectum tàm in Hæmorrhagia narium quàm uteri.

Gingivar. hæmorrhagia.

2. *EX GINGIVIS.*

Effluit interdum ſanguis idque ſatis copioſe adeo ut obſervavit SCHENCKIUS *lib.* 1. *obſ. lethalem ſanguinis ex Gingivis fluxum.*

Itē interdū *Criticè* interdum *Periodicè* ſanguis effluit.

Exemplum *fluxus ſanguinis ex Gingivis periodici* habet *Schenck. lib.* 1. *obſerv.* & ſanguinis ex Gingivis *fluxus Critici* exemplum habet ZACUT. LUSITANUS *lib.* 1. *prax. admirand. obſ.*86.

CAUSA hujus *Gingivarum hæmorrhagiæ* præter generales hæmorrhagiis omnibus communes *in ſpecie eſt vel Gingivarum laxitas ſcorbutica* conjuncta *cum corroſione vaſculorum à ſaliva nimis corrodente* facta de qua aliquando ubi de ſcorbuto: *Vel eſt naturæ conſuetudo* quæ certo & ſtatuto tempore per iſtas vias ſolet ſe exonerare. *Vel* quod eſt frequentiſſimum ſequitur Hæmorrhagia ex Gingivis *poſt ineptam dentis evulſionem.*

Si hæc hæmorrhagia *ex ſcorbuto Antiſcorbutica conveniunt*; In quibus primarum attinet *Tinctura Laccæ* MYNSICHT.

Quæ eſt à natura non curanda ſed ceu ſalutaris relinquenda.

Quæ eſt propter dentem evulſum: curatur vel *cum bombace intincto Tincturæ ſulphuris vitrioli* & admoto: hinc enim ſubito ceſſabit ſanguinis fluxus, habeo hujus rei experientiam in amico quin & ego B. G. in Fratre meo ejus efficaciam probavi anno 675.

Vel imponitur *Gummi arabicum* quod glutinoſitate ſua ſanguinem ex arteriis ob dentem evulſum emanantem extinguit.

Experimentum habebitis in Z. *Luſitano lib.* 1. *prax. admir. obſ.* 84. ſicuti ſimilem ingentem ſanguinis ex Gingivis eruptionem curatam *Emplaſtro* GALENI conf. citat. Z. *Luſitanus dict. loco obſ.*85. vel fiat *decoctum ad gargariſandum.*

♃. Rad. tormentill.
bistort. aa. ʒiij.
gallar. contuſar. ℥ß.
ſemin. papaver. alb. ʒij.
coq. in ſ. q, aqu. ſimpl. Colaturæ adde
boli Armeni vel vulg. ʒij.
opii parum. M.

Confer *M. A. N. C. Ann.* 3. *p.* 534, aliis irritis *cauterium actuale* admoveri poteſt *Conf. M. A. N. C. Ann.* 2. *p.*87.

Non raro etiam *ſanguis.*

3. *PER OS REIICITUR.*

Sputum ſanguinis ſive hæmoptyſis.

Quod SPUTUM SANGUINIS ſ. HÆMOPTYSIS appellatur.

Idque ad differentiam *ſanguinis Vomitus* de quo ſuperius ubi de Vomitu actum fuit.

Sanguis ergo iſte qui ſpuendo ſeu αἱμοπτύειν rejicitur *ex variis locis* promanare & in Os derivari ſolet: *ex ſummitate narium palato*, *gingivis*; *faucibus*, *Oeſophago & omnibus his* vicinis locis.

In ſpecie autem iſtud ſanguinis ſputum in conſiderationem medicam venit & plurimum *Hæmoptyſis* nomine in ſpecie quaſi appellatur.

Quando ſanguis cum Tuſſi ex reſpirationis organis rejicitur & ita tuſſiendo per os excernitur.

Manat ſanguis tunc ex arteriis in pulmonibus, vel ex arteriis trachealibus, ex arteria nempe aortæ oriundis, ut recte & accuratè has diſtinguit *VVillis Pharmacop. ration. P.* 2. *pag.*151.

PARS AFFECTA in Hæmoptyſi nunc eſt ſuperior larynx ejuſque cavitas, *nunc* intermedii ductus tracheales, *nunc* eorum ultimæ extremitates orbiculares, adeoque ipſe pulmo. Quod *partis affectæ differentiæ* probè attendendæ ſunt ad explicandos diverſos hæmoptoſeos modos. Nam ordinariò quidem *cum tuſſi* fit *hæmoptyſis*, nempe quando pulmo affectus eſt, aut profundiores tracheæ rami; interdum vero *ſine tuſſi* etiam gravis *hæmoptyſis* contingere poteſt, quando nempe ſaltim ſuperior tracheæ pars affecta eſt, in quo caſu plus minus aliquali *ſcreatu* prævio ſanguis erumpit. *Conf. M. A. N. C. Ann.*2. *p.*83. & *VVillis cit. loc. p.*153. Sicuti è contra non omnis ſanguis, qui tuſſi rejicitur, præciſè ex thorace eſt.

CAUSÆ hujus Hæmoptyſis ex generali Hæmorrhagiarum Theoria patent.

In ſpecie tres ſunt cauſæ frequentiores: Nempe *ruptio cujuſdam vaſis in pulmonibus ex clamore*, *ex facto corporis niſu & tenſione in geſtatione cujuſdam neris, ex caſu ab alto, ex tuſſi nimis concitata*, item *ex copioſo & nimio riſu.*

Nam

Nam tale exemplum *ex nimio riſu* ſputum ſanguinis habet Z. *Luſit. lib. 7. prax. hiſtor. cap. 6.* quæ ſunt ſimiles cauſæ quæ nimio pulmonum motu inferre poſſunt ſanguinis ſputum.

2. *Cauſa eſt Vaſorum eroſio in pulmonibus* facta aut ab *externis inſpiratis*, *ſpiritu aquarum fortium* vel *ab internis lympha nimis acida ſalſa erodente* quam ſubinde ſolet prægredi *Tuſſis ferina* imprimis *tempore nocturno*: hæc eſt *Hæmoptyſis* iſta quæ relinquit *Vomicam* & *Phtiſin* ſeu Ulcus Pulmonum pediſſequam.

3. *Cauſa eſt Solemnis cujuſdam evacuationis ſuppreſſio*: imprimis in partibus corporis inferioribus. Sic nihil frequentius eſt quam quod *ſuppreſſionem menſium & hæmorrhoidum* ſequatur ſputum ſanguinis, ex ſanguine coacervato ſtagnante in pulmonibus & vaſcula rumpente.

Hæ ſunt ordinariæ ſputi ſanguinis Cauſæ; *rarum* eſt quòd *cum potu hauriantur hirudines* quæ in faucibus hærentes & ſanguinem emulgentes ſputum ſanguinis inducunt. Exemplum hujus rei habet SCHENKIUS *lib. 2. obſer.* & BORELLUS *cent. 1. obſ. 24.*

Sic etiam *rarum eſt* quod *poſt Sanatum Ulcus pedum ſuperveniat ſanguinis ſputum* dubio procul ex retropulſo fermento ulceris acri & corroſivo, ſicuti tale exemplum ſubminiſtrat RHODIUS *cent. 2. obſ. 84.*

In ſputo ſanguinis obſervandæ ſunt hæ *differentiæ*:

Quod nempe 1. *ſanguis* vel *floridus* vel *ſemigrumoſus* rejiciatur.

2. *quod ſit* vel *paucus* vel *copioſus*.

3. *quod facile* vel *difficulter rejiciatur*.

Hæmoptyſis nunc eſt recens, nunc *inveterata* & hæc vel *periodica* vel *non periodica*. *Sanè Hæmoptiſeum inveteratarum periodicarum* innocuarum, quin potius cum euphoria ægrorum contingentium, plura hinc inde proſtant exempla *Conſ. Bartholin. Acta Medic. Haffn. vol. 1. p. 146.*

Sic *anniverſariam ſpuitionem ſanguinis* obſervat RHODIUS *cit. loc.*

Item *diurnam periodicam ſanguinis ſpuitionem* obſervat AMAT. *Luſit. cent. 6. cur. 49.* ſingularis eſt caſus: ſcilicet æger ſingulis horis ſemel exſpuit ſanguinem ſed hoc tantum interdiu, noctu enim licet vigilaret nihil omninò excrevit.

Indolens ſubinde eſt *hæmoptyſis*; nunc vero *cum dolore* plus minus conjuncta, vel conſtrictivo pulmonum, vel gravativo obtuſo eorundem, vel rodente & plus minus irritante in aſpera arteria, &c. pro cauſarum nempe varietate.

QUOD ATTINET SIGNA.

Imprimis cognoſcendum eſt *ex quo loco* vas læſum ſanguinem fundat. Hoc ut cognoſcatur examinandæ imprimis *cauſæ antecedentes*: item *examinandus eſt modus*.

Quoad *Cauſas antecedentes* ubi fit *ex ſupreſſione conſueta inferiorum* partium in ſpecie, vel *ex prægreſſo clamore*, vel *Tuſſi ferina ſemper ſuſpicio ſit ruptionis vaſorum in pulmonibus*: ſecus ſi aliæ præceſſerint cauſæ.

Quoad modum excernendi: Sanguis *qui ex ſpuitione levi ex ore* rejicitur, eſt ex *partibus palatinis*. *Qui* verò *leni ſcreatu exſpuitur* hic ſanguis eſt *ex faucibus & vicinis locis* iis ſcilicet qui ad thoracē nō ſpectāt: *Qui verò Tuſſi* rejicitur ſanguis ſæpe eſt *ex Thorace* nō ſemper quia & alia concurrentia ſigna ſunt perpendenda. Nam ſanguis confertim ex faucibus erumpens & laryngem affligens ſputum ſanguinis cum Tuſſi inferre poteſt utut malum non ſit in aſpera arteria vel Thorace, ergo alia ſigna ſimul ſunt perpendenda.

Unde ſpuma in ſanguine excreto apparens utplurimum ſanguinis ex pectore & ſpecialiter ex pulmonibus erumpentis ſignum eſt ſi cum Tuſſi evacuetur: idque imprimis ſi ſimul dolor pectoris in ejus excretione concurrat.

QUOD ATTINET SIGNA PROGNOSTICA.

Ex læſis Pulmonum venis *ſputum ſanguinis* ſæpius *tabem & Phthiſin* poſt ſe trahit.

Porro ſputum ſanguinis quod eſt *ex vaſis pectoris læſis*, *minus periculoſum eſt eo quod* eſt *ex vaſis pulmonum* vitiatis.

Denique *ſputum ſanguinis ceu primarius morbus magis eſt periculoſus*, quam ſi eſt *morbus ſecundarius*, quale eſt in *pleuritide & peripneumonia*.

QUOD ATTINET CURAM.

Conſiſtit in eo 1. *Cauſa hæmorrhagiam in pectore vel vicinis locis excitans eſt removenda.*

2. *Sanguinis fluxus* & hinc dependens *ſputum reprimendum.*

3. *Sputo deſinente*, *ſi quid reſtitat ſanguinis grumoſi reſolvendum*: Quæ tria ſemper probè ſunt obſervanda.

Interdum neceſſum eſt ut *ſecetur vena in principio Curæ*: ubi ſcilicet ſanguis nonnihil abundat, obſervatis tamen ſimul regulis revulſionis ſanguinis. *Ubi* eſt *ſanguinis ſputum ex Menſibus ſuppreſſis* ſecetur *vena in pede*: ubi ex *hæmorrhagia narium ſolemni ſuppreſſa*; ſecetur *vena in brachio*.

In iſta autem *hæmoptyſi*, quæ eſt *ex corroſione* ab acrimonia contentorum, inepta penitus & fruſtranea eſt venæ ſectio.

2. PURGANTIA vitentur, DIURETICA potius ſunt optima. Nam *hæmoptyci* minus ferunt catharſin, utpotè à qua facilè in tabem conjiciuntur. Ac ſanè ipſi, uti & alii, cognatis pectoris affectibus *ad phthiſin* facilè terminabilibus affecti, copioſiſſimè, etiam à levi purgante, adeoque non ſine noxa purgantur.

Remedia verò quæ *internè* conveniunt ſunt omnia ea quæ de Hæmorrhagia in Genere dicta ſunt.

Præ cæteris *Portulaca & Plantago* ſunt inſignis commendationis!

Nam *Portulaca* quocunque modo uſurpata ſanguinis fluxum ſiſtit & ſimul acrimoniam corroſivam ſi quæ ſubeſt, temperat: unde *ejus ſuccus & ſyrupus* ad aliquot ℥ias propinatus inſigniter commendatur, imprimis ſi admiſceatur iiſdem ſimul aliquid *de Opio*.

Quidam inſigniter commendant *decoctum portulacæ, cum Symphito & Herba Prunell.* ſi in *vino rubro* decoctum propinetur.

Loco Syrupi vel ſucci Portulacæ uſurpandus eſt *Syrupus* vel *ſuccus Plantaginis* de quo ſuperius *capit. de Vomit. ſanguinis*; ubi dixi quod *ſuccus Symphyti majoris & Plantaginis* ſint remedium egregium in fluxibus ſanguinis.

Poſt hæc eſt imprimis *Hedera terreſtris* quæ in ſputo ſanguinis eſt mirabilis. Nam conſolidat rupta, conſolidat exeſa & ſimul diſſolvit congrumata.

Ejus *conſerva* cum aliis in *forma electuarii* commodè datur, aut etiam ejus *decoctum* v. gr.

℞. *Conſerv. heder. terreſtr.* ℥j. *roſar.* ℥ß. *terræ ſigillat. ſpiritu vitrioli irrorat.* ʒß. *Lapid. Hæmatid. præp.* ℈j. *Trochiſc. d. Carab.* ℈ß. *Laudan. Opiat.* gr. vj. *c. ſ. q. ſyrup. d ſymphit. Fernel. F. l. a. elect. adſtring.*

Doſis ſubinde in die ad *magnitudinem nucis juglandis vel caſtaneæ.*

Hyoſcyamus & in ſpecie ejus *Semen* ab omnibus decantatum eſt remedium contra ſputum ſanguinis, idque jam ab HIPPOCRATIS temporibus commendatum fuit ſemen Hyoſcyami.

Unde *ſpecificum* HEURNII contra ſputum ſanguinis eſt *electuarium ex conſerva roſarum cum ſemine hyoſcyami, coralliis, bolo & lapid. hæmatid. pulvere*: uti videre poteſtis *in commentario ſuper Hyppocrat. aphor. 13. ſect. V.*

Alii recipiunt.

℞. Sem. hyoſciam. alb.

Papav.

Papav. alb. an. ʒx.
terr. ſigillat.
Corall. rubr. an. ʒv.
Conſerv. roſar. veter. q. ſ.
(quia eſt magis adſtringens quam recens)
miſc. F. elect.

Quod fuit ſecretum *Helidæi* PADUANI *Medici Bononienſis*, qui omnes tales affectus hoc ipſo feliciter curavit.

Sed *cauti* ſimus in *uſu hyoſcyami*, quoniam nimia narcoſi interdum dolores reddit: ergo aliis prius temperandum.

Hinc pariter *conſerva roſarum antiqua*, item *pulvis ſummitatum & piloſarum excreſcentiarum cynosbati*, egregia *ſpecifica* ſunt in hoc malo, non ſecus ac *oleum lini* cochleatim uſurpatum mira præſtat. *Conf. M. A. N. C. Ann.6. p.308.*

De *ſucco urticæ* ſuperius locuti ſumus. *Spiritus vitrioli* à CASTELLO commendatur tanquam expertus in ſputo ſanguinis in *Epiſtol.* ratio quia coagulando ſanguinem eundem inſpiſſat & ita eruptionem ejus inhibet. Scilicet.

℞. Aqu. Plantag. ʒvj.
Syrup. d. roſis ſicc. ℥j.
Spirit. vitrioli ℈j.
miſc.

de his aliquot ſubinde cochlearia hauriantur.

Hanc Miſturam in ſputo ſanguinis & vomitu ſanguinis admodum commendat CASTELLUS. Confirmante hoc BRUNERO *conſil.37.* qui tantùm *gutt.* vj. *ſpirit. vitrioli cum aqua plantag.* ʒv. miſcet & ita propinat.

De *ſyrupo ex ſtercore Aſinino* etiam dictum fuit.

In ſpecie *ſtercus maris* commendatur in ſputo ſanguinis, ſi ſcilicet ʒß. *vel* ℈ij. cum *ſucco plantaginis* propinentur addito *pauco ſaccharo* pro gratia ſaporis, ſubinde mane & veſperi propinando contra ſputum ſanguinis.

LINDANI experimentum contra Hæmoptyſin eſt *Pomum Cotoneum*, dicit eſſe ſimplex quidem ſed optimum remedium contra ſputum ſanguinis.

Recipit *Poma Cotonea* licet *immatura* & diſcindit minutim in tenues lamellas quæ coquit in diplomate in aqua communi donec penitus molleſcant, quo facto ſeparat aqu. decoctionis ſeorſim & laminas pomorum: benè mollitas fortiter exprimit: Cujus ſucci expreſſi *Cochlearia 2. vel 3.* ter quaterve in die propinat: & hoc egregie conduci in *Hæmoptoë* ait; utut etiam corroſi fuerint Pulmones. Aquæ vero iſtæ in qua decocta poma addit tantillum ſachari candi vel decoctum hordei in quo paſſulæ corinthiacæ coctæ fuerint, & propinat potui quo ſe nunquam ſine ſucceſſu uſum fuiſſe adſerit.

Denique GESNERUS *in Epiſtol. p.105.* commendat *malum cydoniorum* excavatum ʒj. *Thuris* impletum aſſatum & propinatum, quo ipſo egregie aliquot hæmoptoicos reſtituiſſe aſſerit.

Quæ dixi applicanda eſſe *teſtibus in hæmorrhagia narium* commodè poſſunt applicari *iiſdem in hæmorrhagia pulmonum ſeu ſputo ſanguinis.*

(Obiter moneo aquas ex Plantis adſtringentibus non adhiberi ut adſtringant quia nullam vim adſtringentem obtinent ſed alium in finem.)

℞. Aqu. Plantag.
Portulac.
Chærefol. an. ℥j.
Tinctur. ſulphuris vitrioli. ʒj.
Trochiſc. d. Carab. ℈ij
Sperniol. Croll. gr. xv.
Laudan. Opiat. gr. v.
Syrup. de ſymphit. Fernel.
Portulac. an. ℥ß.
miſc. ſ. Potio. adſtring. pro pluribus doſib.

Vel ſola Tinctura ſulph. vitrioli præſcribitur uſitatâ ad gr.25. vel 30. in vehiculo appropriato uſurpanda.

In malo graviore autem ex cauſis externis ſæpè *recidivante decocta pectoralia ex lignis* ſunt egregia, de quibus conf. *VVillis Pharm. rat. prax.2.p.167. & 171.* Ex quibus facilè variæ poſſunt fieri formulæ v.g.

℞. Conſerv. roſar.
heder. terr. an. ℥j.
lap. hæmatit. præp. ʒij.
corall. rubr. præp. ʒj.
terr. ſigill. ℈ij. e. ſ. q.
ſyr. papav. alb. F. Electuar. capiatur pro lubitu.

Curavi aliquando ſtudioſum gravi hæmoptoë laborantem in magna copia, cui in paroxyſmo propinavi *miſturam* iſtam *polychreſtam ſupra p.460.* laudatam, cujus uſu & ſputum ceſſavit. Hinc pro reliquiis grumoſis reſolvendis.

℞. Aqu. chærefol. ℥iij.
acet. vin. ʒiij.
lap. cancr. fluviatil. præp. ʒj.
antimon. diaph. gr. xv.
ſyr. ſcabioſ. ℥ß. M.

His præmiſſis *ad imitationem Sylvii* præſcripſi *decoctum pectorale*:

℞. Raſ. ſantal. rubr. ℥j.
lign. ſaſſafr. ℥ß. macerentur per 12. horas in aqu. comm. ℔ viij. coq. ad conſumpt: ℔iß. adde.
Herb. heder. terreſtris.
comar. hyperic.
veronic. an. mij.
ſem. fœnic. ʒvj.
rad. liquirit. ʒiij.
paſſul. min. conquaſſ. ℥ij. coq. ad remanentiam ℔jv. Colat. D. & capiatur bonus hauſtus manè, meridie & ſub introitu lecti. Interea ad demulcendum calorem hecticum.

℞. Lap. cancr. fluviatil. præp.
antihectic. Poter. an. ʒß.
corall. rub. præp. ℈j. M. pro 2. doſ. vel 3.

It. ob ſudores nocturnos debilitantes & emaciantes.

℞. Lap. cancr. fluviatil. præp.
antihectic. Poter. an. ʒß.
arcan. duplic.
laud. op. ferment. gr. iv. M. pro 4. l. 5 doſ. veſpertinis, horâ præter propter à meridie aſſumendis.

CAPUT III.

DE URINÆ SECRETIONE IN Renibus læſa.

De Urinæ ſecretione in renibus læſa.

S*Anguis in totum corpus diſtribuitur ex corde* ut iſtud nutriat & beneficio ſpiritus vitalis in eſſe vitali conſervet. Verum præter hunc uſum generalem etiam in ſingulis partibus & viſceribus internis idem ſanguis aliquid patitur, non tantummodo quatenus in quibuſdam ſingularem & determinatam patitur alterationem, ſed etiam quatenus fit ſeparatio quædam cujuſdam liquoris ſingularis ab eodem, utpote cum videmus in hepate & folliculo felleo bilem ſeparari, cum videmus in renibus urinam ſecerni, cum videmus in glandulis partem materiæ lymphaticæ ex ſanguine una expurgari & ſic in reliquis partibus.

Quæ functiones & ſecretiones quomodo ſecundum fundamenta mechanica fiant naturaliter, ex phyſiologicis hîc præſuppono.

Primum ergo viſcus cui ſanguis poſt effluxum ex corde occurrit eſt LIEN, cujus actio nempe aliqualis ſanguinis ad bene eſſe corporis perfectio læditur, quando

quando ejus fermentum tollitur vitio imprimis ſpirituũ animalium copioſiſſimè ad Lienem diſtributorum:vel læditur officium Lienis ex ejuſdem infarctu & obſtructionibus indeque nato tumore & tandem ſcirrheſcentia: quæ duo Lienis vitia ſæpius superveniunt aliis morbis, quam quod iiſdem occaſionem præbeant. Reſtaurationem fermenti lienaris ex vitio ſpirituum animalium imprimis corrigunt omnia *volatilia* aſſumpta, de quibus plura ubi de ſpirituum animalium vitiis. Ejuſdem vero infarctum tumores & ſcirrhos emendant omnia dicta *aperientia*, de quibus alio in loco locuti ſumus, adjunctis iis quæ ſtomachum rectificant & ſimul adjunctio martialibus ac ultimis ſpiritibus ſalinis volatilibus,de quibus hinc inde uberius locutus ſum.

SECUNDUM viſcus cui occurrit ſanguis eſt HEPAR & FOLLICULUS FELLEUS: Hæc duo viſcera invicem ſibi intertexta & connexa in unum circa bilis balſamicum liquorem conſpirant uſum, ſive bilem conficiant, ſive eandem ſeparent, ſive eandem diſtribuant: verum de hoc videantur Theoretici.

LÆDITUR hoc officium hepatis & folliculi fellei vel læsâ conformatione harum partium organicâ in obſtructionibus, tumoribus & ſcirrhis: vel læditur vitio maſſæ ſanguineæ quæ inepta eſt, ut ex eadem aut generetur aut ſeparetur bilis ſalina volat. oleoſa. Unde bilis aut nimis ſalſa aut nimis pinguis aut nimis aquoſa, aut iners aut plane non generatur.

EMENDANTUR hæc vitia reſerando obſtructionem Hepatis per aperientia hinc martialia & tandem ſalina volatilia deinde corrigendo ipſam bilem nempe per aromatica ſ. ſalina volatilia oleoſa nunc plus nunc nimis acria prout vitium bilis requiſiverit, de quibus hinc inde locuti ſumus ubi de *vitiis ſeparationis fecium in inteſtinis* item ubi de *Ictero*.

TERTIUM viſcus cui occurrit maſſa ſanguinea ſunt RENES, in quibus ab eodem ſecernitur lixivium volatile ſ. latex aquoſus ſal. volat. ſalſo ſ. compoſitio ex acido & urinoſo imprægnatus. Medium ſeparationis ſ. ſecretionis Mechanicum ſufficienter docet BELLINUS, quomodo nempe per fibras excavatas certo modo conformatas tanq. per minutiſſima filtra aut ſpongiolas anguſtas trajicitur ſerum pro materia urin.

LÆDITUR hæc ſecretio urinæ in renibus.

1. Quando nulla fit & eſt ABOLITA URINÆ SECRETIO. 2. Quando eadem nimia fit & eſt AUCTA URINÆ EXCRETIO. 3. Quando EADEM IMMINUITUR & non eſt ſufficiens pro neceſſitate naturali. 4. Quando EADEM DEPRAVATUR ſ. dum aliud quid ſecernitur cum urin. quæ naturaliter ſecerni debet, ut fit in urin. purulenta: in urin. ſanguinolenta, in urina nimis pingui. Urinæ Lixivium conſtituentes partes dixi eſſe duas, nempe aqu. ſ. laticem aquoſum imprægnatum ſalibus ſuperfluis ſalſis ſ. compoſitis ex acido volatili & ex urinoſo aut alcali volatili.

Hi duo ſapores in urinis omnium inveniuntur & mutuâ unione ſal.vol. ſalſum conſtituunt. Et quidem hæc de urina ſanguinis: Nam de urina potus hic nihil nobis negotii.

Juxta utramque conſtituentem partem poteſt lædi urinæ ſecretio: Interdum enim v.g.vitium eſt in latice aquoſo qui nimis copioſus paucis contentis ſalinis ſaturatus & tunc utplurimum urina eſt pallida & tenuis, & alio nomine vocatur cruda: qualis urin. excerni ſolet in ſcirris hepatis & lienis, in morbis Chronicis, uti etiam in principio febrium. Econtra interdum contenta ſalina ſunt nimis copioſa ſive propter defectum laticis aquoſi exhauſti propter inediam aut abſumpti propter ſudores ſive ipſa maſſ. ſanguinea ſalibus vitioſis turgida hæc ipſa copioſè cum urinis excernat, ut fit in Hypochondriacis in Scorbuticis & ſimilibus ubi urinæ rutilæ & rutilantes copioſiſſimis contentis ſunt imprægnatæ.

Hæc in genere de læsâ ſecretione urinæ. Jam in ſpecie URINÆ EXCRETIO IMMINUTA eſt quando minus ejus tranſcolatur, quam decet ratione nempe proportioni ad ſerum in maſſ.ſanguinea,quando enim parum ineſt ſeri uti fit v. g. in aſcite,ubi ſerum potius in alio loco hæret quam maſſ. ſang. in tali caſu etiam parum debet excerni urinæ. Item quando crebrioribus ſudoribus exhauritur, vel parco potu imminuitur ſerum: in tali caſu non poteſt dici imminuta ſeri ſecretio quoniam reſpondet proportionaliter ſero in ſanguine reſiduo. Tunc ergo eſt imminuta ſeri ſecretio & urinæ excretio, qn. proportione non reſpondet ſero in maſſa ſanguinea, ſicuti ABOLITA vocari debet, quando nihil excernitur,vocatur alio nomine.

ISCHURIA ſ. URINÆ SUPPRESSIO.

Quæ urinæ ſuppreſſio in genere ita conſiderata oritur,vel *vitio renum non ſecernentium*, vel *vitio veſicæ non excernentis.*

Nos hac vice conſiderabimus ISCHURIAM, quæ *fit vitio renum non ſecernentium.*

CAUSA propter quam non ſecernant renes urinas,eſt vel in ipſo ſanguine vel in ipſis renibus ineptis ſecretioni.

In ipſo ſanguine vitium hæret, qu. maſſ. ſanguinea & ejus ſerum ita ſunt diſpoſita & inter ſe contexta, ut commodè per anguſtos porulos renum tranſire & in iis legitimè urina ſecerni nequeat: Id quod videmus imprimis in morbis Chronicis cum ſcirrho Hepatis & Lienis conjunctis. In talibus enim urinæ pauca utplurimum eſt ſecretio ejuſque crudæ ſ. paucis contentis urinis ſaturatæ utut tales ægri copioſi ſint ſalivatores & ſimiles habeant affectus Cachecticos in quibus ſeri abundatia apertè conſpicitur. Verum poſt medicamenta ſalina appropriata ſanguinis vitioſam Craſin alterantia & ſcirrhos viſcerum reſolventia ubi antea pauca aut cruda fuit excreta, fit ut copioſior & urinæ diverſimodè affectæ, craſſæ turbidæ interdum nigræ ſequatur effluxus.

Hoc fieri videtur ex eo, quod ex læsâ viſcerum functione & vitiata ſanguinis craſi talis hujus fit miſtura & compoſitio, ut nihil aut parum per poros renum fibroſos ſecerni aut ſeparari poſſit. Unde poſtmodum alterata iſta ſanguinis & renovata ejuſdem miſcela naturali particulæ ejus heterogeneæ ab aliis ſeparatæ & præcipitatæ à latice aquoſo imbibito ita diſponuntur & conformantur ut facillimè renum meatus ingredi & ita ſub forma urinæ excerni poſſint.

Pertinent huc ea ſanguinis vitia,quando propter abundantiam aut propter ejus craſſitiem aut quamcunque aliam rationem; legitimè licet circulatus, nihil tamen in renibus ex ſe dimittit:ſimul vero atque *ſecta brachii vena* ejus quantum imminuitur copioſus ſequitur urinæ effluxus.

Exempla talia notatu digniſſima in hoc paſſu habet RIVERIUS *cent.* 1. *obſ.* 1. & *cent.* 1. *obſ.* 89. ubi obſervat urinas ſuppreſſas in toto vitio maſſæ ſanguineæ tali ut aliis omnibus medicamentis irritis, ſecta ſolummodo brachii venâ copioſus & ſubitaneus urinæ ſecutus ſit effluxus. Simile exemplum admodum curioſum habet TULPIUS de Perſicaria Lunatica *l.* 2. *obſ.c.*43. ubi quidam Eccleſiaſtes ſingulo in plenilunio patiebatur urinæ ſuppreſſionem, quæ non excernebatur niſi vel declinante luna vel ſecta brachii vena:quoties n. vena brachii ſecabatur toties urina liberè mittebatur. In anatome poſtmodum defuncti reperta fuit pelvis renis ſiniſtri admodum diſtenta, ut ferè veſicæ vicem & magnitudinem expleverit. Ratio ex qua factum fuit ut ſecta venâ flueret ſanguis vid.apud TULPIUM, qui egregium habet de hoc caſu diſcurſum.

Verum rariores ſunt hæ ſuppreſſiones urinæ vitio ſanguinis: frequentiores ſunt, quæ fiunt vitio renum Carunculæ (vid. BELLINUS:) ſ. meatus anguſti admodum ſunt obſtructi aut infarcti vel alio modo ſunt inepti redditi, quo minus ſecerni poſſit urina.

Interea quæ *obſtruunt* ſunt 1. *ſanguis congrumatus* vel ex caſu ab alto vel ex aliis partibus derivatus per ſanguinis circulum & ibi collectus.

Inter *obſtruentia* 2. eſt etiam *pus* vel ex ulcere renum vel ex aliis partibus ad renes derivatum! quod hoc ipſum ſæpe urinam ſupprimat inter alia vid. in FRANC. SANCHES *in obſer. pag.*374. de quodam qui Iſchuriâ laboravit, qui poſt obitum diſſectus altero rene caruit, alterum v. prægrandem & pure refertum monſtravit.

3. Obſtruunt renes *humores craſſi* ac *viſcidi*, imprimis cum urin. potus ad renes delati vel etiam cum ſanguine eò diſtributi qui oblinentes porulos eoſque obturantes ineptos reddunt renes pro urin. ſecretione: ac denique notiſſimum eſt, quod renum calculus eorum tubulos obſtruens frequentiſſimè urin. ſupprimat. Sic LOTICHIUS refert omnimodam urin. per 12. dies ſuppreſſionem eamque lethalem in quo ren dexter ex ulcere omnino abſumptus, ſiniſter v. copioſiſſimis calculis fuit refertus. De calculo res notâ eſt quod inferat ſuppreſſionem urinæ. Sic BARTHOLINUS *cent.*4. *Epiſtol. pag.*92. obſervat urin. ſuppreſſionem ex calculo renum lethalem 11. dierum.

Verum non ſolæ obſtructiones aut infarctus meatuum in renibus cauſæ ſunt quo minus ſecernatur urin. in renibus, d. huc quam maximè pertinet etiam *atonia renum*, quam vulgò vocant *imbecillitatem renum* ex facultate attractrice læſâ: linquimus nos facultatem attractricem iis qui attrahere poſſunt, & dicimus ſemper eſſe atoniam renum ſ. tale nervorum renalium vitium, ut renum fibroſos canaliculos non ſuſtineant in debita tenſione, quin potius & nervi & ipſi canaliculi poſtmodum reſoluti ac relaxati concidant ac conniveant, unde propter eorundem flacciditatem ac conniventiam parum vel nihil tranſmeare & ex ſanguine ſecerni poteſt. Exemplum ſi quid aliud illuſtre videbitis in BARTHOLIN. *cent. Epiſtol.* 4. *Epiſt.* 18. 38. *&* 39. ubi obſervata fuit lethalis urinæ ſuppreſſio vitio renum ex paralyſi omnium partium corporis inferiorum ſ. infra diaphragma ubi omnes paralyſi affectæ, ipſi etiam renes paralytici redditi fuerunt & hinc atoniâ contraxerunt & hinc iidem flaccidi & molles redditi eorundemque canaliculi emolliti & concidentes nullam urinam reddere potuerunt: Plura videbitis *cit. in locis* ex BARTHOLINO. Nec deſunt alia exempla: ſic refert HECHSTETERUS *in obſerv. decad.* 5. *caſ.* 10. Iſchuriam lethalem ex renum refrigeratione propter applicatum marmor frigefactum, ubi quidam applicato hoc marmore in omnimodam Iſchuriam incidit, quoniam ortus fuit affectus paralyticus renum, ubi renes reſoluti nihil potuerunt ſecernere per canaliculos & meatus. Facit huc etiam obſervatio HORSTII *lib.* 4. *obſerv.* 44. ubi refert urinam ſuppreſſam vitio renum citra omnem dolorem; quam urinæ ſuppreſſionem ſæpius mortis eſſe ſignum propter reſolutam facultatem attractricem ſ. atoniam renum idem AUCTOR *cit. loco* peritè aſſerit. Sic etiam in SCHENCKIO in ejuſdem *obſervat. lib.*4. *pag.*446. & ſeqq. aliquot talia ſunt exempla Iſchuriarum lethalium, vitio renum non potentium tranſcolare ſerum utut nulla adfuit obſtructio quia potius molles & reſoluti apparuerunt. Hæ ſunt cauſæ propter quas fit Iſchuria renum vitio: ſequuntur

SIGNA urinam eſſe ſuppreſſam vitio renum patet ex eo, quando nulla urina eſt in veſica, adeo ut licet immiſſo Cathethere & factâ etiam ſuctione nihil excernatur, urinæ: accedit, quod nullus veſicæ tumor nullus in pube dolor, nulla gravitas perinæi vel ſimilia alia ſymptomata veſicæ ſuppreſſionem urinæ aliàs monſtrantia. Quod ſi ſigna renum calculi adſunt, res eſt eò clarior, ortam tunc eſſe ex calculis ex obſeſſis renibus obſtructionem urinæ. Quod ſi præter calculi ſuſpicionem, gravitas circa lumbos variaque ſymptomata corporis ex regreſſo ſero & retropulſo contingant, res eſt eò clarior. Iſta ſymptomata ſunt *anguſtiæ & anxietas præcordiorum*, *ſudor fœtidus urinoſus*, item *halitus fœtidus*, *torpor ſenſuum* ac *omnium facultatum internarum animalium*, & quæ ſunt ſimilia ſymptomata in variis ſubjectis varia.

Quod ſi ſit *vitium obſtructionis renum* facilè cognoſci poſſunt cauſæ obſtruentes: ſi n. adſint craſſi & viſcidi humores obſtruentes apparet ex ſimilibus vitiis, nempe quæ monſtrant craſſos humores, ſi nempe inteſtina & primas vias obſideant: item quando urin. antea fuit ſoluta excerni turbida ac craſſa cum ſedimento copioſo mucilaginoſo adeſt tunc gravitas in lumbis quia tunc renes utplurimum ſunt turgidi & humidi, Sin v. ſanguinis Grumus obſtruat renes, monſtrant illud imprimis antecedentes cauſæ vel caſus ab alto vel qui præceſſit ſanguinis mictus aut equitatio aut fortis circa renes percuſſio aut ſimilia ſigna & cauſæ.

Pus denique *infarcire renes* colligitur ex abſceſſibus aut ulcere renum aliàs conſuetis: Item quando eſt Empyema aut vomica ex viſcere nobiliore ubi per ſanguinis circulum eò defertur pus, vel quando aliàs obſervata fuit purulentia cum urin. excreta.

CALCULI SIGNA.

Suo loco habebimus. Quod atrinet

PROGNOSIN.

Periculoſum eſt malum urinæ ſuppreſſio & certè hæc eſt, quæ vitio renum perïculoſior iſta quæ eſt vitio veſicæ urinariæ & niſi ante 7. diem mingunt intereunt, quod tamen non ſemper contingit, ſed tantum ut plurimum: quidam n. diutius quidam minus diu poſſunt ſupervivere ſuppreſſa urinâ. Sic RIVERIUS *cent.*4. *obſervat.* 45. obſervat urin. ad 11. dies ſuppreſſam curatam, item HORSTIUS *lib.*4. *obſervat.* 45. Urinam 14. dies omnino ſuppreſſam obſervat ex calculo renum, & nihilominus tamen tandem curatam. Sic CORNARIUS *obſervat.* 21. urinam etiam ad 14. diem ſuppreſſam obſervat. Et quidem ſi cum urina ita ſuppreſſa ſudor copioſus per alium locum uberior ſeri effluxus concurrat, diutius ſupervivere poſſunt ægri & minus periculoſum eſt. Sic PISO in *tract. de colluvie ſeroſa* obſervavit Iſchuriam in Moniali 19. dierum, d. tamen conjunctam cum ſudore perpetuo, adeò ut poſtmodum etiam curata fuerit.

Pertinet huc exemplum FONSECÆ *lib.*2. *conſ.* 96. de Moniali Patavina, cui licet per 6. menſes urin. ſuppreſſa fuit, tamen ſupervixit, quia quotidie circa ventrem & umbilicum ſudavit. Verum tamen eſt fere iſtud FORESTI quod nempe ſuppreſſio urinæ ad 10. vel 11. diem uſque perdurans plerumque mortem inferat.

Si *urinæ ſuppreſſio* eſt à *calculis* renum majoribus, hæc utplurimum eſt lethalis quia non poteſt penetrari.

Si à reſolutione ſ. atoniâ renum contingat, urinæ ſuppreſſio ſemper ferè obſervata fuit Lethalis, aſſerente HORSTIO, SCHENCKIO & ſimilibus autoribus.

Quod ergo attinet

CURAM.

Ut ſuppreſſa urin. revocetur removenda eſt cauſa vel renes obſtruens, vel corrigenda reſolutio renum aut

aut atonia aut corrigendum ſanguinis vitium. Et quibus cauſis tribus infarctio renum eſt frequentiſſima, reliquæ duæ ſunt rariores.

Hoc ut fiat *remedia ſalina diuretica* quæ excretionem urinæ & promovent & adjuvant propinanda quæ ipſa imprimis ſale vol. acriori ac penetrantiori ſunt imprægnata plus minus prout plus vel minus ſunt affecti renes.

Hoc ut obtineamus ſæpius neceſſum & ſæpè fructuoſum eſt *promittere lenem alvi ſolutionem*, ut pote qua ipſa ſæpe ſimul ſtimulatur uberior urin. fluxus. Exemplum elegans habet BARBETTE *in prax.* ubi viro ulcere renum laboranti cum ſuperveniente per biduum urinæ ſuppreſſione, præſcripſit hunc hauſtum.

♃. Syrupi de Cichorio c. Rhabarbaro
Roſarum ſolutivi.
de Cnico ſ. de Carthamo ana ℥j.
oculor. cancr. præp. ℈j.
aqu. graminis q. ſ.

Vulgatiſſima hæc eſt miſtura & tamen blande alvum & copioſam urinam provocavit: Et alios in genere præmiſſo Laxativo in ſpecie *Therebinthinata* optima ſunt quæ incipiant curam urin. ſuppreſſæ: aliàs etiam commode fit Emulſio ex ſemine violarum purpurearum cum aqua appropriata quæ ipſa & blandè urin. movet & alvum laxat. Fuit ſecretum HARTMANNI contra urinam ſuppreſſam, paratur ex ʒiij. Seminis violarum. Aliàs conveniunt internè ex vegetabilibus quidam fructus Alkekengi qui ſunt egregium diureticum radix rubiæ tinctorum quæ eſt admodum efficax: Herba *parietaria*, ſed non omnis, verum ea, quæ in ruderibus parietum antiquorum creſcit: ratio quia attrahit ſerum ſal. nitroſum in parietibus latitans ratione cujus ſalis nitroſi parietariam his locis creſcens eſt inſigne diureticum adeò ut quidam in ſecretis habeant hanc in curandâ aſcite per urinam. Porrò *Juniperus* & in ſpecie ejuſdem baccæ ſunt elegantiſſimum diureticum: Pertinet huc *malvaticum Iuniperinum* quod eſt egregium ac ſuave remedium idque imprimis ſi ſimul concurrat aliquid atoniæ renum ſimile. *Flores Tunicæ* & in ſpecie *Flor. Cyani*, *Calcatrippæ* inſigniter conducunt in vino cocti & propinati, remedium AGRICOLÆ uſitatum: *Semen violarum* & inde parata emulſio, *ſemen geniſtæ*, *nuclei perſicorum* item *hedera arborea* ejuſque *baccæ* ſunt uſitatæ: *Glomi Cynosbati* & eorum pulvis, & ex his paratus ſpiritus HARTMANNI ſunt ſatis decantati. *Herba Ononidis* & *hederæ terreſtris* ſunt ſatis utiles.

Radix raphani in ſpecie ejus ſuccus. Item *armoraciæ radix* vino infuſa & pota potenter urin. ſtimulat: Id quod etiam faciunt *capita allii ſal.* vol. acri inſigniter diuretico turgida, quæ ipſa aſſumpta cum vino proritabunt urinam.

De *Ciceribus rubris* eorumque decocto diuretico res eſt nota cum hoc ſit vehiculum *millepedum præparatorum*, de quo poſtmodum. *Semen Hyoſcyami* eſt ſalinum acre ad ʒj. hauſtum ſingulare ad retentionem urinæ eſt experimentum auctore FONSECA *lib.1. conſil.*100. & *lib.2. conſil.* 96. De *aqua ex Betulâ* inciſa profluente cras Deo volente ubi de calculo renum pluribus agetur. Pertinent huc imprimis omnia *Terebinthinata* ſingulariter renibus & affectibus urinariis dicata. Nam Terebinthina eſt ſingulare remedium ad urin. ſuppreſſam ad detergendos & abſtergendos renes eorumque corrigenda vitia ſive in ſubſtantia propinetur, aſſumendo cum ovo ſorbili, ſive redigatur cum vitello ovi & ſucco Limonum cum aqu. appropriata in emulſionem ſuavem v. g.

♃, Terebinthinæ venetæ ℥ß.
Mellis ℥ß vel ʒ.vj.
Succi Limonum ℥j.
aqu. graminis q. ſ. redigatur in.
Mortario in Emulſionem. diuretic. Iterand.

eſt egregium & ſuave remedium. Nam ſuccus Limonum per ſe eſt egregius ubi renes ſunt infarcti à craſſa materia & humoribus ſi ℥iij. vel iv. aſſumantur admodum laudatur ab AMATO LUSITANO *cent.5. obſerv.* 71. In quo caſu etiam *ſuccus parietariæ* cum *oxymelite* ſumptus eſt experimentum HELIDÆI Paduani, Porro remedia ſalina dixi quod imprimis conveniant, quæ inter primatum obtinet *ſal. volat. ſuccini* excellentiſſimum diureticum ſi à gr. vj. ad xij. in aqu. appropriatâ uſurpetur. Verum ipſa carabe ſ. ſuccinum à multis ſingulariter commendatur in retentione urinæ. (Jam vero omnis vis diuretica à ſal. volat. ſuccini cum HELMONTIO derivanda quod inde merito ipſi audit apex diureticorum) ſive ſit à craſſis humoribus ſive ſanguine congrumato ſive pure. Tale ſal. volat. eſt etiam *ſpiritus urinæ ſ. ſal. ejus vol.* item *ſal. vol. ammoniacale* & ſimilis generis remedia. Unde eſt quod *ſtercus equinum* vino infuſum & benè expreſſum præſentaneum dicatur experimentum ad retentionem ſuppreſſæ urinæ ratione Salis ammoniacalis quo eſt imprægnatum. Faciunt huc inſecta in ſpecie *lumbrici*, *aſelli*, *ſcarabæi Lucanici* & qui inſtar omnium ſunt *cantharides*.

Hæc inſecta ſale vol. ſubtiliſſimo turgent adeoque promptiſſimè urin. provocant: *ſpiritus lumbricorum* per fermentationem ſ. putredinem paratus & rectè rectificatus potenter urinam expellit. *Aſelli* vino infuſi expreſſi & potati promptè urinam eliciunt. *Cantharides* multis videntur ſuſpecti, vino tamen infuſi & macerati ita corriguntur, ut promptiſſimum diureticum ſubminiſtrent ſi vinum filtretur & aliquot cochlearia propinentur. Modum infundendi & præparandi vid. in BARTHOLINO *cent.5. hiſt.* 85. Uſum verò felicem videbitis *cent.*4. *Epiſt. pag.*93.143. & 400. promptum & potens eſt remedium infuſum hoc Cantharidum. Loco ſpiritus lumbricorum vel ipſi lumbrici v. vel vi. numero benè loti & cum vino triti & ſubacti inſigniter urinas provocant; id quod etiam de Aſellis verum eſt.

De *hirco* res non eſt quod ſicut cervus totus eſt alexipharmacus ita *hircus* eſt *diureticus*; Unde *urina hirci calida* pota Omento & inteſtinis hircinis adventrem applicatis in deſperatis caſibus admodum laudatur. VOLATILIA hæc fuerunt, ſequuntur

FIXIORA.

Quæ inter ſunt *oculi cancr. fluviatil.* qui (egregium temperatiſſimum in ſe habent ſal. alxali) vino infuſi aut aceto & ita ſimul potati promptè urinas eliciuntur. Nam cum acido fiunt egregii diuretici.

Teſtæ ovorum in ſpecie ex quibus jam excluſus pullus admodum laudantur, ſive hæ teſtæ ipſæ crudæ ſive prius calcinatæ ut quibuſdam placet, ad ʒj. aſſumantur quas teſtas calcinatas aſſumptas omnia reliqua ſuperare dicuntur à BARBETTE.

Potentiores ſunt *teſtæ ovorum Struthio Cameli*, quæ in ſpiritu ſalis diſſolutæ & ſub nomine liquoris Nephritici propinatæ potenter urinas pellunt: Item teſtæ ovorum calcinatæ vino infuſæ & ita hauſtæ egregiè urin. provocant.

Inter fixa ulterius ſunt *ſalia fixa cineritia*, quæ inter primatum obtinet *ſal. fimi columbini*: potentior tamen eſt ipſe fimus columbinus vino infuſus ſolutus expreſſus & propinatus liquor. Obiter noto propinatus cum vino, ut aciditas blanda vini concurrens cum alkali ſtercoris dat tertium ſalſum, cum aliàs vix eſſet diureticum. Item *ſal. ſtipitum fabarum*, *ſal. geniſtæ*, *ſal. prunellæ* & omnia ſalia plantarum diureticarum. Hæc ipſa ſi debentur eſſe diuretica ita ſunt præparanda in calcinatione ut non fiant alkalia, ſed maneant

 ſalſa.

ſalſa. Nam omnia vulneraria & omnia diuretica in ſe habent ſal ſalſum & etiam iſtud in cineribus relinquunt. Verum ſi nimis calcinentur, abeunt, in ſal. alcal de quo vide TACHENIUM. Unde etiam tartarus, vitriolatus potentius eſt diureticum quam ipſum ſal tartari fixum. In ſpecie hic in renibus infarctis & mucilagine craſsâ utiliter adhibetur. Hinc tartarea, cremor tartari cum ſale junctus. Etiam ſpiritus tartari vol. eſt egregius. Si hic ſpiritus tartari eò uſque volatiſetur arte, ut fiat inſtar ſpiritus ſal. ammoniaci habetur potentiſſimum diureticum in ſpecie calculorum præſervativum. In *ſilicibus calcinatis* & ſubinde in vino extinctis later etiam vis diuretica non vulgaris. Nam vinum iſtud extinctionis ſilicum urinam remoratam provocat. Unde fiunt Clyſſi ex antimon. nitr. tartaro & ſilicibus ſolaribus in vicem miſtis qualis eſt Tinctura diuretica Ammelungii propter iſtos ſilices certos (*ſieſehen roth imvedig.*) quos putat imprægnatos occulto auri ſemine. Si fiat ſuppreſſio urin. ex ſanguinis grumo, propinanda quæ ſanguinem reſolvunt in ſpecie ex Chærofolio & hedera terreſtri, quæ per ſe ſunt diuretica, item Hypericum quod potenter urinam movet. Unde etiam internè cum ſit vulnerarium in purulentiis & ſanguinis grumis convenit, quod etiam dictum volo de oculis cancr. fluviatil. & ſimilibus quæ ſuperius de ſanguine congrumato habuimus. In ſimilibus caſibus externè regioni renum & lumborum inungitur ol. ſcorpionum quod ipſum eſt egregium remedium uti dico externè tantum illitum: loco hujus etiam ol. ceræ commodè inungi poteſt. Inter CAUSAS quæ meatum urinarium obſtruendo remoram ſubinde injiciunt ſecretioni urinæ, eſt imprimis calculus qui præterea etiam urin. excretionem per veſicam non rarò tollit: in renibus quidem quando hæret, ſecretionem & diſtributionem urinæ impedit: quando verò in veſica ſubſiſtit, aut ejus collum & meatum obſtruit, urinæ excretionem impedit.

Calculus ſ. lapis ipſe eſt productum tantummodo morboſum: Effectus ſcilicet iſtius dicti affectus renalis, qui morbus aliàs Lithiaſis vocatur, & ſignificat diſpoſitionem renum & veſicæ calculoſam. Dicitur hoc productum morboſum à PARACELSO doctè *Duelech* nomine lapidis humani proprio. Calculi nomen eſt tantum metaphoricum.

DUELECH vocatur quaſi concrementum quoddam ex duobus contrariis mutuò coagulatis & arctè junctis.

Calculus generari in omnibus partibus corporis notiſſimum eſt: frequentiſſimus tamen eorundem nidus ſunt renes & hinc veſicula fellea. Nam in nullis corporis partibus tam frequentes & ingentes reperiuntur calculi, quàm in renibus & veſica fellea: Et ſi in aliis partibus inveniantur, rari tamen ſunt.

Iſti calculi qui veſicæ incumbunt, ſæpiſſimè ex renibus, arenularum majuſcularum forma ſucceſſivè in veſicam illapſi compacti ibidem & ſucceſſivè augmentati, generantur. Adeò ut credam rariſſimum eſſe veſicæ calculum, qui in eadem prima concretionis rudimenta ponat, utut omnes majores calculi, qui amplitudinem ureterum tam naturalem quàm morboſè auctam ſuperant, omne ſuum incrementum in veſica acquiſiverint. Dico morboſè auctam: in his n. qui ſæpius calculo laborant, ex diſtenſione ureteres interdum ad digiti amplitudinem diſtinti reperiuntur: quando ergo in veſica hærent calculi majores his ureteribus infallibile eſt acquiſiviſſe illos augmentum in veſica. Quod attinet modum generandi ſ. Cauſam Efficientem.

Quæ cum materiali ferè coincidit 1. non confundendus eſt modus quo generantur lapides veri in macrocoſmo cum hujuſmodi concretione arenoſâ Calculi in Microcoſmo: Diſpar enim ubicunque eſt ratio. Unde dum quidam vel ſpiritus vel aquas petrificantes quæ vel ſpontè in petras abeunt, vel alias res in petras transſmutant, accuſant, eas minimè audiendas exiſtimo, quin potius per modum coagulationis duorum ſalium contrariorum Calculos generari puto, dum nempe acidum vitioſum digeſtionis primæ errore ex ſtomacho elapſum occurrit ſibi contrario alcali volatili ſ. urinoſo cum quo alcali promptiſſimè & neceſſitate naturæ concurrendo, coagulantur mutuo in concrementum arenoſum: Hoc ipſo in concurſu quidquid coagulationi aptum ſimul apprehenderint, id cum his duobus una coagulum ſuſcipit adeoque arenulas, ut majores ita & firmiores conſtituit. Quam arenularum firmitudinem ſ. duritiem mirandam in poliendo & corrodendo vitro exploratam vide in PANAROLLO *part.* 4. *obſerv.* 25. Item arenarum & albarum & rubrarum diverſitas cum microſcopio examinata videri poteſt in eodem PANAROLLO *cent.* 1. *obſer.* 35.

Qui calculi albi aut rubri fiunt quandoque, & albi quidem ex coagulata Mucilagine viſcida ex vitio Chyloſeos oriunda. Qualis mucilago concurrens cum ſalibus iſtis promptè coagulatur. Calculi verò rubri vel flaveſcentes ut plurimum rubeſcentes exminutiſſimis ſanguinis guttulis ex vaſculo quodam aut eroſo aut lacerato transſudantibus facilè coagulantur & concreſcunt. Hæc duo elementa ſalina Calculum componentia examinata vid. à TACHENIO *in Hippocrate Chymico.*

Nec aliud quoad rem aſſerunt qui coagulum fieri volunt à ſpiritu quodam vinoſo concurrente cum ſpiritu urinæ. Nam dum ſpiritus vini rectificatiſſimus coagulatur in offam cum permiſto ſpir. urinæ vol. eaque per fermentationem parata (aliis non procedit) hoc fit quatenus ſubtile iſtud alcali ut ſpiritu urinæ volatili occurrit cum ſubtili acido in ſpiritu vini præſente, quæ duo volatilia in ſe tamen contraria mutuâ unione & neceſſariâ coagulatione ſe uniunt in craſſamentum pultaceum ſ. offam craſſam.

Hæc duo elementa Calculi ut exactius conſideremus obſervo, quod ordinario ferè *arthritici ſint etiam calculoſi* & contra calculoſi, utplurimum aut ſint aut evadant etiam arthritici.

Ad utrumque malum quaſi Endemicum videmus expoſitos eos qui vina bibunt copioſiora & acidiora uti fit v. g. in Franconia, Moravia, Auſtria & ſimilibus locis.

Ratio harum eſt, quia idem utrobique eſt efficiens nempe acidum vitioſum, quod aut artuum nervoſas partes pungens & radens in iiſdem ſynoviam coagulans in nodos, arthritidem perduxit, aut in renibus ſimilibusque locis alcali occurrens iſtud in calculum cogit: acidum hoc oritur ex primis viis ex vino copioſius ingurgitato indeque citra vomitum retento, hinc vitioſè digeſto, quod vitioſo ſuo & ſubtili acore dum ex ſtomacho elabitur, uti iſte acor eſt toti hoſtilis & ubique dolores & punctiones infert, ita reperiens alcali quoddam volatile ab acido debito non ritè ſaturatum ſubito hoc aggreditur, & in Calculum cum hoc conjungitur propter hoc acidum vini vitioſum, imprimis viis non ritè correctum tales incolæ etiam affecti ſunt imprimis Pareſi ex colica ſ. artuum contractura ex Colica affectu apud nos rariſſimo: Et quæ colica contumaciſſima tota ferè eſt aliena à noſtra Colica, idque per acidum ſubtile & hoſtile inteſtinis terminans & artus in contracturas cogens. Hinc eſt quod THONERUS in *obſervationibus* dicat *Melancholicos eſſe diſpoſitos ad calculum*, minus bilioſos quia in Melancholicis abundet fermentum ſ. ſuccus calculoſus. Ratio quæ confirmat hoc eſt, quod in bilioſis prædominatur ſal. vol. alcali. In Melancholicis verò dominium obtinet acidum. Facilè ergo videmus THONERUM eſſe in noſtra ſententiâ.

Verum hæc non ſufficiunt.

Nam acidum vitioſum in viis primis productum, ſi in renibus ſal urinæ debet in calculum coagulare, neceſſe eſt ut ibidem alcali volatile purum & ſal quaſi ſolutum inveniat: Si enim naturaliter conſtituta eſt urina, ſal ejus vol. contentum eſt ſalſum compoſitum, nempe ex acido & alcali volatili debita proportione & unione ſive coagulatione unitis in ſaporem ſalſum, acidum & urinoſum, tàm cum alcali quàm acido permiſtum ſ. qui de utroque participat. Dum ergo alcali urinæ ſaturatum eſt ſufficienter ex debito ſuo acido tunc quodcũque acidum ſi urinæ permiſceas iſtud nullo modo coagulabit. Apparet hoc in Stranguria in quâ urina ſenſibili acido guſtui linguæ & tactui veſicæ & ureterum ſufficienter eſt imprægnata: ſal vol. urinæ tunc temporis quàm naturaliter conſtitutum & proprio acido ſaturatum non poteſt coagulari ab acido vitioſo: unde pallida quidem & turbida nonnihil, non verò in arenulas ſpiſſata, excernitur urina.

Ut ergo coaguletur ſal urinæ alcali, ab acido vitioſo in lapidem neceſſe eſt ut iſtud alcali ſeparatum nonnihil, & quaſi ab acido proprio ſolutum exiſtat: ut ita liberius ab acido vitioſo corripi, & ita conſtringi in calculum poſſit.

Fit hoc quando in renibus urin. aliqualem putredinis aut fermentationis præternaturalis notam incurrit, qua levi putredine vel fermentatione ſolvitur nonnihil ejuſdem miſtura, & ita ſapor ejus ſalſus dividitur iſta alteratione, ut abundans ſal alcali proprio acido prædominans nonnihil ſeparetur, donec à peregrino acido vitioſo denuo ſub coagulationis jugum mittatur.

Videmus quod urina clara & perſpicua excreta ſi ad tempus in matulâ ſteterit (imprimis ſi fuerit ſtannea) & corrumpi & leviter putreſcere inchoet, quod hinc arenulæ & ſucceſſivè cruſta calculoſa ejus parietibus ſeſe affligat. Quod fit dum proprium urinæ acidum debile, licet & paucum ſal tamen vol. proprium aliquali putredine ſeparatum, denuò novo coagulo ſpiſſat, & ita in arenas cogit.

Quod multò magis eveniet, ubi vitioſum acidum in renibus hanc coagulationem inducere poterit. Quo pertinet imprimis Hiſtoria HELMONTII de Juriſperito qui ex *eſu aſparagi* Lithiaſin contraxit. *Aſparagus* enim eo ipſo quo fœtidam reddit urinam, eam ad aliqualem putredinem, & ita ſalini diviſionem diſponit. Unde huc uti dictum occurrente vitioſo acido facilè fit calculus: quod acidum in folliculo felleo ſtringens ſal vol. urinoſum ſ. Bilem, idem concreſcit in calculum.

Vitium hoc in quorundam renibus, qui cum facilè ad putredinem aliqualem diſponitur urin. ſ. lotium arbitror hærere in quodam vitioſo fermento renibus inhærente, quod præterlabentem urinam quaſi inficiat, & ita ad concretionem calculoſam diſponat.

Quod fermentum vitioſum interdum eſt acquiſitum, vitio diætæ contractum: Hinc poſtmodum à parentibus in liberos tranſplantatum, aut etiam cum lacte nutricis ſimul hauſtum: quale exemplum Lithiaſeos ex nutrice Lithiaſi affecta reperitur in HELMONTIO *tr. de Lithiaſi.* Quod aliàs ſit affectus hæreditarius Lithiaſis, res notiſſima eſt.

Ex dictis videmus quod imprimis in ſtomachi culinâ cudatur primus calculi artifex, quatenus acidum vitioſum ex ſtomacho haurit ſuos natales: Unde fit quod poſt lacticinia & caſeoſa ſimiliaque aſſumpta ſæpius renaſcantur calculi: quoniam hæc acido vitioſo in primis viis facilè corrumpuntur, & poſtmodum ad renes devehuntur cum urina potus. Sic enim SALMUTH exemplum habet ex *nimio eſu caſei* lapidis veſicæ lethalis ad magnitudinem ovi gallinacei excreti, *cent.2. obſ.92.*

Producuntur hoc modo parvulæ tantum modo arenulæ in renibus, quæ acceſſione novarum conglutinatæ adhæſione & coagulatione tandem in majores lapillos compinguntur, quando & non rarò totum renum parenchyma his ipſis in lapidem ſpiſſatur & coagulatur, vel ſaltim tota pelvis omneſque hinc producti tubuli, lapideo tali concremento infarcti & repleti reperiuntur: notatu dignum talis rei exemplum ſubminiſtrat idem SALMUTH, *cent.3.obſ.30.* de *calculo totam renum amborum cavitatem replente*, & urinam per orbitam quandam in lateribus calculi excavatam prodeunte: Arenulæ iſtæ calculi minores in veſicam delapſi velociter augmentum capiunt; læſa n. ureterum tunica nervoſa; item ipſa etiam veſica attritu calculi nonnihil lacerata plorant hæ partes læſæ alimentum proprium ſub formâ mucilaginis craſſæ ac ſpiſſæ, quæ mucilago unà cum urina calculoſorum excreta admodum copioſa habetur vulgo pro pituita, ex qua per calorem areſacta generetur calculus, cum tamen uti dico, revera ſit alimentum proprium veſicæ & ureterum, ex eorum læſione in veſicæ cavum diſtillans, & ita excretum.

Hæc ipſa tamen mucilago ubi aliquantulum ejus ſubinde adhæret, calculum veſicæ intendit, incedentibus pluribus arenulis aut advenientibus ſalibus coagulabilibus ſimul in coaguli conſortium rapitur, & exinde calculi veſicæ augmentum oritur. Nam iſti veſicæ calculi majores lamellatim concreti reperiuntur ſ. inſtar ceparum cortices uno ſupra alterum enato, & facilè ſeparabiles: Si quis unquam vidit *lapidem Bezoar.* vel *lapidem ex folliculo Bovis felleo*, is facilè reperit tales lamellas ſ. cortices ſibi invicem ſuper impoſitas. Sic n. calculus humanus diffractus inſtar copioſarum lamellarum requiritur contextus in ambitu relicto notabili diſtinctionis ſpatio, cujus in centro quaſi parvus lapillus vel arenula reperitur, id quod eleganter declarat BOILE *in Philoſophia experimentali part. 2. p.39.* ſimile reperietis in BORELLO, *cent. 2. obſ. 62.* qui etiam obſervavit calculum veſicæ in quo diſtracto nucleus lapideus inventus eſt qui arenulæ inſtar ex renibus deſcendens in veſicam exinde augmenta lamellatim acquiſivit. Quod attinet.

SIGNA CALCULI RENUM aut etiam VESICÆ.

Hæc ipſa ututplurima vix tamen ſunt Patognomonica, ita ut calculus renum ab aliis affectibus perfectè diſcernatur, quando ſæpiſſimè affectus calculi vitioſè cum colicâ paſſione confundatur, adeo ut non pauca præſtent exempla calculoſorum pro colicis perverſo modo curatorum, ut inde cauti & accurati ſimus in ſignis. DOLOR ISTORUM EST ACUTUS in regione lumbari iſque modò ſiniſtrorſum, modò dextrorſum vergens, prout ren vel ſiniſter vel dexter, eſt affectus: dolorem punctorium inſequitur ſenſus ponderis gravantis & prementis: ubi verò movetur calculus ex renibus in ureteres, dolor lancinans pungens, diſtendens, & admodum vehemens excitatur. Ubi notabile ſimul eſt illud BARTHOLINI, *cent 4. epiſt. 6.* quod nempe in Nephritide ſ. calculo (nam *Nephritis* propriè ſignificat inflammationem renum) interdum adſit hemicrania iſtius lateris cujus ren eſt affectus.

SECUNDUM SIGNUM CALCULI

Præbet urin. quæ ſæpius apparet ſub cruenta, & & quidem interdum revera eſt ex permiſto pauco cruore ex laceratis vaſculis à calculi aſperitate emanante: Verum non ſemper eſt à ſanguine, quia interdum urin. talis ſub rubra ac quaſi ſanguinea ſæpè ſunt ſalia copioſa reſoluta, & cum urina excreta ſ. ut alii vocant eſt tartar. reſolutus ex quibus vitioſâ coagulatione ſubnaſcuntur interdum calculi.

Subinde, imprimis ubi calculus eſt in motu, aut etiam in calculo veſicæ urina excernitur pallida aut

ſaltim parum tincta cum copioſâ materia viſcida in fundo matulæ hærente, quæ eſt nutrimentum proprium ureterum & veſicæ diſtillans in veſicam, & ita excretum.

Verum *ſubinde etiam excernuntur arenulæ etiam in non calculoſis*. Ubi obſervandum quod iſtæ arenulæ excretæ cujuſcunque fuerint coloris, ſi ſint facilè friabiles non ſint arenulæ renales, ſed ſint arenulæ hypochondriacæ ſ. ſcorbuticæ, ubi v. non ſunt friabiles d. duræ, ibi ſunt arenulæ renales, & ad calculum diſponentes. Porrò in paroxyſmo calculoſo *ſtupor crurum* ex regione affecti renis eſt perceptibilis cujus ſtuporis vera ratio mihi nondum eſt cognita.

Porrò *dolor* percipitur *deſcendens ex regione lumborum* per longitudinem oſſis ſacri deorſum uſque, in pubem ſecundum ductum ureterum, & in viris teſticulus iſtius lateris cujus ren eſt affectus ſpaſmo quodam correptus retrahitur & ſurſum contrahitur. Interdum Teneſmus ſimul corripit ægros, id quod obſervavi in fœmina, & annotat etiam TIMÆUS *in Epiſtolis p.* 242.

Porrò ſuperveniunt *tormina colica* ſatis acerba cum *nauſea, vomitu* & ſimilibus conſuetis ſymptomatis in Colicis, idque propter ſpaſmodicas convulſiones nervorum ex plexu Meſaraico in renes inteſtina & ſtomachum tranſplantatorum. Nervo enim renali ex dolore ſpaſmo affecto continuatur ejuſdem ſpaſmus ad plexus meſenterii nervoſos (ſunt enim plures plexus) qui ipſi ſimili ſpaſmo affecti ſpaſmodicâ contracturâ, inteſtinorum tormina colica, vomitum, nauſeam & ſimilia ſymptomata inferunt. Ob id *exactè diſtinguenda eſt* COLICA à CALCULO.

SIGNA

DISTINCTIVA habebitis in SENNERTO de CALCULO, Optima ſigna ſunt, quod in colica nullus adſit ſtupor in cruribus; item quod in colica ægri ſe poſſint erigere: Cum ii qui calculo renum laborant, utplurimum incurvati ſint, & non ſine doloris exacerbatione poſſint ſpinam erigere, & in rectam lineam flectere.

Colicus dolor fit ſubitò, d. contra nephriticus; quia & colicus dolor modò remittit, modò accedit, cum calculoſus dolor utplurimùm ſit continuus: & quidem imprimis locus doloris manifeſtat an ex calculo an aliâ ex cauſa ſit. Nam fixus dolor in dorſo calculum innuit, licet alia ſimul concurrant ſymptomata: dolor vagus in abdomine modò antrorſum, modò introrſum, modò ad dextrum, modò ad ſiniſtrum latus colicam innuit.

SIGNA DIAGNOSTICA CALCULI VESICÆ.

ſunt ferè faciliora cognitu. Nam percipitur impedimentum urinæ in veſica, ita ut ſentiant ægri quaſi aliquod obſtaculum, quod ſe opponit meatui urinario: Item anus in conſenſum trahitur & unà affligitur Teneſmo. In penis glande ſ. balano eſt dolor & pruritus adeo ut putent ægri calculum hærere in balano: Penis interdum intenditur & erigitur, idque propter continuitatem membranæ penis ſ. meatus urinarii cum membrana veſicæ interna. HELIDÆUS tandem ceu expertiſſima ſigna calculi præſentiam innuentia habet: ſi poſt mingendi deſiderium etiam adſit deſiderium excernendi feces inteſtinorum: Et ſi ægri dum aliquem palum aut quid ſimile humi tollere volunt, dum ſe inclinant, in parte veſicæ ſentiunt puncturam. Præterea ſaltu vehementiori motum calculi in veſica percipiunt ægri, modò non ſit adnatus: nam interdum per membranulam poſt laceratam veſicam ita ei adnaſcitur, ut tq. in capſula videatur contentus calculus veſicæ: in quo caſu difficillimus eſt cognitu. Porrò immiſſo Cathetere in veſicam, aut immiſſo digito in podicem ab experto facilè poteſt cognoſci calculus veſicæ.

Deinde ſi inter mingendum ſupprimatur urina, æger verò pedibus in altum ſublatis poſtmodum liberè mingat, ſignum eſt ſatis clarum, eſſe ſuppreſſam urinam à calculo veſicæ. Et diuturno malo iſta mucilago, cujus ante feci mentionem, copioſiſſimè unà cum urina excerni ſolet. Quod attinet

PROGNOSIN.

Calculus renum eſt morbus admodum periculoſus, non tantùm moleſtus ratione doloris & ratione ſymptomatum urin. excernentium, ſed in ſpecie quoniam inflammationes & exulcerationes renum non rarò ſuperveniant. Et fœminæ calculo renum laborantes ſi gravidæ reddantur, facillimè moriuntur, obſervante hoc PANAROLLO *Pent.* 3. *obſ.* 8. Calculus quo major aut quo aſperior, eo eſt difficilior & periculoſior, quo minor & glabrior, eo minus periculoſus. Dolori Nephritico ſupervenientes frigus extremorum aut ſudores frigidi, id quod imprimis cum omnimoda urin. ſuppreſſione, mortem in propinquo innuit. Si urinæ antea tenues, excernantur craſſæ cum arenulis, & qſ. fruſtulis lapidis bonum ſignum eſt, confractum enim lapidem innuit.

Lapis renum certam qſ. obſervat periodum, ita ut ſi motus ſit circa renes, die 4. in die ſeptimo utplurimum ſolet prodire, cæteris paribus: ſi enim ſit magnus non valet. Obſervante HELIDÆO PADUANO *in obſerv. p.* 156.

Calculus veſicæ malum eſt difficillimum curatu: facilius tamen in fœminis propter brevitatem, ſimul verò amplitudinem colli veſicæ in matrice, difficilius in viris, quoniam Urethra eſt nimis longa & anguſta.

Calculus veſicæ qui non niſi ſectione tollitur periculoſus eſt quoniam ſectus licet & extractus ſæpius aut inflāmatione veſicæ moriuntur ægri, aut ſuperveniente fiſtula tædioſiſſimam vitam agunt. Calculus veſicæ qui propriæ membranæ incluſus ipſi adhæret, ferè incurabilis eſt.

SEQUITUR ERGO CURA,

Quæ vel inſtituitur *in paroxyſmo* vel *extra paroxyſmum*. (Per paroxyſmum intelligo dolorem ſævum excitatum à calculo vel in veſica vel renibus.)

In paroxyſmo reſpicitur ad calculum præſentem, ubi incumbendum ut calculus præſens aut ex renibus aut ex veſica expellatur, quo citius eo melius, ne incremento lapidis malum augeatur: *Extra paroxyſmum* vel ſi abſint calculi reſpiciendum ut præcaveantur, ne denuo regenerentur.

Calculus præſens ejiciendus ſi eſt parvus ut reſpondeat viis; per quas debeat ferri: ſedato dolore per blanda diuretica eſt promovendus. Hæc ipſa tamen diuretica ſint moderata, quia aliàs viæ attritu Calculi irritatæ dolorifica criſpatione & contractione ſe anguſtant, & ita malum exaſperant, idque eo magis quo acerbior ſimul dolor eſt in paroxyſmo. Sin verò Calculus eſt major viis ordinariis, ita ut expellere eundem vix ſit poſſibile aut impoſſibile, tunc aut lapis confringendus, per medicamenta ſic dicta Lithontriptica ſ. calculum frangentia aut eidem per ferrum via eſt aperienda, de quâ apertione per ferrum ſuo loco in Chirurgia agetur.

Verùm cum non ſemper poſſit Medicus conjecturando aſſequi an parvus ſit an magnus, aut ſi parvus cum non raro variis formis & aſperitatibus inſignitus reperiatur, ob id tutiſſimum eſt, ut præſente calculo hic ipſe quantum poſſibile promoveatur, aut ſaltim dolor leniatur tam per externa quàm per interna. Et quoniam præſente calculo & in dolore calculi urina acrior obſervatur à qua dolores exaſperantur, ob id ſimul adminiſtranda talia, quæ iſtam acrimoniam urinæ tollere, & ita dolorem nonnihil imminuere poſſunt; Id quod faciunt omnia ea, quæ vulgo dicuntur vias laxare in calculo. Nam hoc ipſum per ſe eſt ridiculum;

ridiculum : ſi enim talia aſſumpta deberent laxare renes ac meatus urinarios, neceſſum eſſet, ut prius laxarent ſtomachum & inteſtina, utpote quæ ipſa prius pertranſeunt : Talia ergo ex althea, ol. amygdalarum dulcium & ſimilium remedia conveniunt non quatenus laxant vias d. quatenus acrimoniam tollunt & dolores leniunt, quo lenito criſpationes & dolorificè contractiones meatuum tolluntur, & ita vel ſpontè ad debitam amplitudinem viæ antea arctatæ redeunt

Verùm cum ſymptomata colica & ſimilia in paroxyſmo ægros inſigniter cruciant, ob id opera danda ut primæ viæ à ſordibus quibuſcunque ſint liberæ, ne hæ ipſæ coacervatæ malum exaſperent.

Mediis placato dolore & excreto calculo *præcavendum eſt, ne regeneretur novus.* Ea quæ præcavent imprimis ſunt talia, quæ aut acidum urinarum viarum vitioſum corrigunt, aut abſorbent aut provocant, aut etiam talia quæ renes abſtergunt, & ita fermentum iſtud vitioſum ad Lithiaſin renes diſponens, & urinam inquinans tollatur.

Prius quæ faciunt, nempe quæ acidum in primis viis tollunt, imprimis conducunt *vomitoria*, quæ ipſa ad præſervandum à calculo ab HILDANO ſingulariter commendantur *in cent. 5. obſer. 61.* Ea quæ acidum abſorbent, vel renes abſtergunt poſtmodum habebimus.

Præſente ergo dolore nephritico nihil æque convenit quam *blandus Clyſter*, aut *emolliens*, aut *anodynus* injectus, qui certè tempeſtivè adhibitus multum valet & dolorem ac acrimoniam lenit: Clyſteribus hiſce emollientibus convenienter additur *terebinthina* aut *ſal vol. ſuccini*, aut etiam nudus clyſter ex *urin. pueri* injicitur qui lenit dolorem, & calculi motum blandè promovet. Exemplum talis clyſmatis ſit, v. gr.

℞. Herbæ violariæ.
malvæ aa. Mß.
parietariæ Mi.
Radicis altheæ ℥iß.
Flor. Chamomill. p. iii.

Coquantur in ſ. q. urin. pueri colaturam ℞. cui adde Caſſiæ pro Clyſteribus. Vel potius cui adde terebinth. cum vitello ovi diſſolutæ ʒii. vel iii.
ol. liliorum alborum ℥ß.
ſcorpiorum ʒi.
M. pro Clyſmate.

Poſt Clyſmata dolorem etiam inſigniter leniunt *Balnea*, ſi nempe iiſdem inſideat æger, ex vegetabilibus & ſimplicibus aut emollientibus aut carminantibus, aut etiam ſic dictis Lithontripticis parata.

Modum præſcribendi ex materia medica præſuppono. Item *externæ inunctiones* factæ cum ol. amygdalarum dulcium ol. ſpicæ, petrolei, chamomillæ, liliorum alborum cum ol. ſcorpionum & egregiè conveniunt: Inungatur locus dolens in lumbis & regione lumbari.

His ipſis ſubſtituitur unguentum dialtheæ, unguentum anodynum Mynſichthi, unguentum nephriticum ejuſdem. Item unguentum hoc quod commendat CRATO.

℞. Unguenti roſacei ℥iß.
Ol. amygdalarum amararum.
ſcorpionum ſimplicis aa. ʒvi.
amygdalarum dulcium ℥ß.
M. F. Vnguentum.

Item *Emplaſtrum* de Meliloto cum ol. chamomillæ & anethi malaxatum à quibuſdam ſimiliter applicatur. Item *Cataplaſma* ex medulla panis cum lacte, vel Cataplaſma ex ſucco cancrorum fluviatilium Cratonis qui nempe.

Recipit ocul. cancr. fluviatil. No. X. quos contuſos coquit in lacte, & ſuccum fortiter exprimit. addit: Medullæ panis alb. ℥iii.
Vitellorum ovorum No. iii.
Butyri recentis.
Ol. chamomillæ aa. ℥i.
Croci ℈ß. M. pro Cataplaſmate.

applicando. BRUNNERUS applicat Cataplaſma ex cancris contuſis, cum parietaria pro leniendo dolore & eodem nonnihil moderando. Porrò præter hæc externa balnea, fomenta, unguenta, &c. imprimis internè totum corpus eſt reſpiciendum.

Et quidem in principio *diuretica* aut *Lithontriptica* quocumque modo pellentia fugienda : quoniam malum exaſperant; ubi v. dolor nonnihil eſt placatus, primæ viæ repurgatæ, & acrimonia humorum nonnihil temperata, tum demum blandè diuretica conveniunt.

Interdum ergo in principio blanda convenit alvi laxatio reſpiciendo tunc nonnihil renes & ad excretionem calculi irritando.

In quo uſu imprimis *Terebinthinata* conveniunt in principio, quæ alvum moderatè laxant, & ſimul renibus calculoſis inſigniter conducunt. Unde terebinthina cum rhabarbaro miſta uſitatiſſimè in principio affectus calculoſi præſcribitur. Item fiunt Emulſiones ex terebinthina de quibus heri dixi. Item fiunt pilulæ ex terebinthina cum rhabarbaro & aliis appropriatis, v. gr.

℞. Terebinthinæ puræ ℈i.
Rhabarbari pulveriſ. ℈ii.
Succini ʒß.
Cinnamomi ℈ß.
c. ſ. q. ol. terebinthinæ F. pilulæ.

pro aliquot doſibus. Nam purgantia fortiora nullo modo conveniunt in principio affectus calculoſi. Item uſurpari poſſunt pilulæ de terebinthina Mynſicht. præſcribendo à ʒß. ad ℈ii. pro doſi item catharcti cum terebinthinatum Mynſicht. Nam certum eſt quod terebinthinata inſigniter conveniant in Nephritide. Sic enim FORESTUS *lib. 24. obſer. 20.* obſervat Matronam calculo renum & morbo articulari affectam, quæ imprimis terebinthinæ uſu fuit curata. Item FONTANUS *in conſiliis & Reſponſis p. 116.* refert ſeptuagenarium dolore Nephritico diu excruciatum, qui tandem uſu terebinthinæ Venetæ ejectione 4. lapidum fuit curatus.

Convenit etiam *ſemen violarum*, & ex hoc facta Emulſio cum aqu. Veronicæ vel cum aliâ aqu. appropriata in ſpecie hederæ terreſtris præſcribitur ad ʒiii. & ſic fit emulſio laxans alvum & ſimul blandè pellens urinam.

Evacuatis ita primis viis & ſublatis impedimentis dum adhuc urget dolor & hæret calculus, propinanda talia quæ quantum poſſibile eſt dolorem tollere poſſunt.

In uſu Opiatorum ſimus cauti; ne iiſdem abutamur Poſſunt in hunc uſum præſcribi, v. gr.

℞. Radicis altheæ ℥i.
liquiritiæ ʒii.
Foliorum Malv. Mi.
Seminis violarum. ℥ß.
Coquantur in ſ. q. aqu hordei colaturæ. ℞. ℔ii.
additur Syrupi papaveris Erratici ℥ii.
oculor. cancror. præparatorum ʒi.
M. ita propinentur.

Item fiunt Emulſiones ex ſeminibus ſic dictis 4. frigidis majoribus : ex ſemine violarum ex nucleis perſicorum & ſimilibus, quæ ſubinde hauriuntur ad dolorem ſiſtendum : Convenit, hic imprimis expertiſſimum decoctum FORESTI quod præſcribit *lib. 24 obſervat. 26.* quo decocto curavit virum deſperata ſuppreſſione urin. ex calculo renis ſiniſtri Ureteri impacto laborantem cum intenſiſſimis doloribus ſummâ virium proſtratione, & cum jam per 6 dies, ne guttulam quidem urinæ emiſiſſet, uſurpato hoc decocto FORESTI urin. confeſtim emanavit, lapilli cum impetu protruſi & æger curatus fuit. vid. m. *obſ. 28. & 29. citati libri.*

Præſcriptio

Præſcriptio eſt hæc:
℞. Seminis malvæ.
altheæ aa. ʒiii. vel ʒii.
Cicerum rubrorum ℥iii.
4. frigidorum aa. ʒii.
Hordei ℥ii.
Caricarum pinguium. no. VIII.
Sebeſten. no. VII.
Glycyrrizæ raſæ ʒVI.

Coquantur in aqu. ℔. iii. ad dimidiæ partis conſumptionem, miſceatur: Detur potui. Huic ipſi decocto ſingulis hauſtibus, TIMÆUS monet eſſe addendas aliquot guttas ſpiritus ſalis dulcis ſ. communis ſpecies has correctas videbitis in ZVVOELFFERI *Pharmacopœa regia*, ubi eas inſigniter commendat. Nec eſſet incongruum ſi hîc certa proportione addatur ſemen hyperici aut ſemen Dauci aut non nihil de baccis Juniperinis.

Hiſce ita peractis ſi ſedatur dolor & calculus promoveatur res bene eſt. Ubi verò dolor ſedatur & calculus adhuc hæret, acceſſus fiat ad ea quæ diureſi blanda urin. promovere poſſunt aut propinanda ea quæ calculum diffringere valent.

Subſtitimus heri in *Cura* quæ pertinet ad calculum & dictum fuit in paroxyſmo eſſe efficiendum, ut calculus promoveatur minimâ tamen moleſtiâ, unde tàm internis quàm externis dolor demulcendus: Et his factis propinanda, quæ vi diureticâ pollent, & ſimul cum urina pellunt calculum, aut loco horum dentur ſimul Lithontriptica ſ. calculum frangentia.

Hoc tamen obſervetur in horùm uſu, ut ubi ad tempus fruſtra fuerint adhibita ſubſiſtatur, & q. ſ. feriæ relinquantur naturæ. Monitum hoc per experientiam confirmat EPIPHANIVS FERDINANDUS *hiſt.* 54. ubi dicit inviolabili lege obſervandum eſſe, ut quandoque à remediis abſtineamus: Sic refert exemplum doloris nephritici in quo poſt 9. dies plura applicata & propinata remedia abſque ullo uſu & abſque ullo effectu, ſed cum poſtmodum per dies 10. & 11. quietem permiſiſſet naturæ, liberavit ægrum plures calculos ejiciendo.

His omnibus præferenda eſſe *Lithontriptica* ſ. *calculum frangentia*.

De his an ſint multi dubitant adeò ut cum PANAROLLO & SYLVATICO aliiſque magni nominis Medicis adhuc hæreant, an lapidem concretum & firmiter compactum denuo diſſolvere, & q. ſ. conterere vel ſaltim in minimas particulas diffringere poſſint? Quod attinet hanc controverſiam certum eſt negotium eſſe difficillimum calculum jam concretum diffringere: Ratio eſt, qnia heri dixi, quod calculus ſit concrementum ſalinum ſalſum ex acido & alcali conſtans, adeoque iſtud neque acida, neque alcalia diſſolvere valent, propterea quoniam jam utriſque eſt ſaturatum, & tq. ex ambobus compoſitum, nullo modo ab iis diſſolvetur.

Neceſſe eſt ergo ſi debeat eſſe remedium quod calculum frangat, ut ita ſit conſtitutum, ut ferè de utraque nempe de acido & alcali participet: adeò ut porulos calculi coagulati ſubintrare iiſdem ſeſe inſinuare, atque ita particulas ſalinas concretas denuo blandè reſolvere poſſit.

Ubi ante omnia removendum eſt ingens præjudicium, ſcil. faciunt experimentum & calculum humanum injiciunt certis liquoribus experimentaturi, qui liquor citius & felicius calculum frangat, ut ſcil. invento liquore tali frangat calculum, eundem internè propinare ut in renibus & veſicâ calculum diffringere poſſint.

Hæc præconcepta hypotheſis eſt removenda. Nam eſt falſiſſima; utut enim ſit, v. gr. ſpiritus nitri qui ferè utplurimum calculum humanum externè frangit, interius tamen aſſumptus idem non facit. Ratio quoniam in ſtomacho ex alteratione à fermento ſtomachali, item in inteſtinis ex alteratione à ſale vol. Bilis & alteratione à ſucco pancreatico ſubſalſo vel acido, ac denique in renibus ex alteratione ab urin. planè novam efficaciam aliamque naturam acquirit; & ita etiam vim calculum frangendi omninò exuit.

REMEDIA ERGO,

quæ calculum frangunt, potius fieri videntur in corpore humano, ex admiſtione variorum ſuccorum noſtri corporis, quam quod extra corpus talia ſint.

Unde neque ad corroſivitatem in ſpecie reſpiciendum eſt in remediis calculum frangentibus: Multos inde audiatis dicentes remedia corrodentia non poſſe ad calculum pervenire immutata: quaſi verò calculum frangentia debeant eſſe acria corroſiva: falſiſſimum eſt hoc, nam dantur etiam menſtrua inſipida quæ validiſſima corpora diffringunt. Nihil dicam de *rore Majali* menſtruo verè inſipido, quod tamen magnam vim reſolvendi habet & infringendi. Et Dn. BOYLE *in Philoſophia experimentali* refert ſe habere tale menſtruum inſipidum, & quod ipſum tam cum acidis liquoribus quàm cum liquoribus alcalibus ſine efferveſcentia & ſine ulla alteratione ac immutatione facillimè permiſceatur, id quod innuit quod de utroque participet, quod ipſum menſtruum inſipidum etiam aquas fortes virtute ſolvendi ſuperet; adeò ut non corroſivitas definiat menſtruum: Quid ergo eſt quod in menſtruis diſſolventibus eſt conſiderandum?

Reſpondeo, proportio iſta eſt conſideranda, quæ eſt jam particulas menſtrui ſolventis ad poros corporis ſolvendi: ſi enim particulæ iſtæ menſtrui ita ſunt figuratæ ſ. conformatæ, ut exactè reſpondeant porulis corporis ſolvendi prompta & cita fit ſolutio: ſin v. hæc duo nullo modo conveniunt aut nullam habeant convenientiam aut proportionem requiſitam, fruſtra eſt ſpes ſolutionis.

Rem per exempla declarabo.

aqu. ſolvit omnia ſaccharata, uti notum eſt: è contra ſevum, ceram, bitumen, ſuccinum terebinthinam & ſimilia ſubjecta licet molliora quam vel alum. vel vitriolum & ſimilia non diſſolvit.

Spiritus vini probè rectificatus diſſolvit ſuccinum omniaque corpora reſinoſa utut duriſſima, nihilominus tamen hîc ſpiritus vini probè rectificatus non attingit ſaccharum neque ſal commune.

Porrò aqua fortis ſ. ſpiritus nitri rectificatus ſolvit lunam, ſed non attingit aurum. Huic aquæ forti injiciatur aliquid ſal. armoniac. & tunc promptè ſolvet aurum, ſed non attingit amplius lunam.

Hic videmus quod aqu. v. gr. quoniam ejus particulæ promptè ſeſe inſinuant, in porulos corporum ſalinorum, etiam promptè eadem corpora ſalina diſſolvat: jam v. quoniam pinguium poruli rotundi & cavernoſi in cera, bitumine, ſuccino, &c. ita ſunt conformati, ut particulæ aqueæ extrinſecus quidem corpus lambere, d. ipſos poros ſubintrare nequeant; propterea, etiam talia corpora oleoſa pingui non diſſolvuntur ab aqueis.

Minutiſſimæ è contra ſpiritus vini particulæ etiam durum ſuccinum intrare, ac in iſtud ſe inſinuare poſſunt, adeoque in elegantiſſimam tincturam diſſolvere, quæ particulæ ſpiritus vini improportionatæ ſaccharo molli, idem relinquunt.

Hinc eſt quod ſolius ſalis communis miſtura cum aqua forti, fiat menſtruum pro ſolvendo auro, ita ut non amplius attingat lunam. Iſta enim adjectione ſalis, particulæ menſtrui ita fuerunt immutatæ, & ex adhæſione & conjunctione mutua taliter redditæ figuratæ ut promptè aurum ingredi, nullo v. modo lun. ſubintrare poſſint.

Jam ergo quod attinet *menſtrua inſipida*.

Si talia poſſunt parari, uti actu parantur, quæ citra guſtus acerbitatem promptè calculos noſtros aggredi

iiſdem

iiſdem ſe inſinuare & permeare poſſint. Hi certè inſtar ſalis diſſolverentur & excernerentur adeo ut non neceſſe ſit ut ſint in ſpecie corroſiva quæ calculum frangant: ſicuti videmus quod *Perſicaria* item *ſemen Dauci* quibuſdam ſint experimenta ad calculum frangendum deſtinata. Et Dn. *Boyle* refert in *Philoſophia experimentali* aliquot exempla per ſolum ſemen Dauci fractum renum calculum. *Perſicaria* eſt ſecretum Anglorum (AUGENII & LAURENBERGII) Experimentum contra calculum veſicæ eſt etiam pulveris *millepedum*; quæ nullo modo ſunt corroſiva, tantùm acria volatilia.

Unde dico non eſſe impoſſibile frangere calculum in corpore humano, neque opus eſſe corroſivis, modò præparare ſtudeamus tales liquores vel talia menſtrua, quæ aſſumpta citra violentiam calculi poris ſe inſinuare, eoſdem permeare, & ita coagulum ejus ſubtiliter ſolvere poſſint. Quod fieri poſſe nullum eſt dubium, cum habeamus jam aliquot exempla calculorum fractorum ex renibus.

Eſt mihi amicus Medic. Doctor, qui habet ſpiritum ex tartaro inſtar ſpiritus ſalis ammoniaci, quem guſtavi, qui ipſe aliquoties calculum renum felici experimento diſſolutum expulit.

Sal ſimi columbini benè præparatum uti poſtmodum habebimus, & ipſum obſervatum fuit aliquando diſſolviſſe calculum & fruſtulatim eundem ejeciſſe: ita ut adhuc demum nullum ſit dubium dari remedia certo frangentia calculos. Sed hæc ſunt pauca & non niſi arte paranda: nam in materia erunt admodum dura.

Communiter habentur præ cæteris Lithontriptica, quæ tamen ſunt tantùm diuretica.

Hæc ipſa ſedato dolore poſſunt propinari & ſunt ferè ſequentia.

Radix ſaxifragiæ, pimpinellæ, lapati majoris, rubiæ tinctorum, radix apii, Ononidis, Eryngii, Bardanæ. In genere omnia Raphanorum genera. Nam Raphanacea non tantùm præſervant à calculo, & diuretica ſunt, d. etiam eundem promovent, & excretionem adjuvant. Inter talia raphanacea primatum ferè obtinet radix armoraciæ, quæ radix armoraciæ vino infuſa & aliquoties hauſta renes abſtergit volatili ſuo ſale & à calculo præſervat, eundem v. præſentem promptè expellit.

Obiter moneo hujuſmodi calculum pellentia commodè propinatur in paroxyſmo calculoſo ſub introitum balnei contra dolores, & quod blandè debet diſponere calculum admotum, item præmiſſis externis calculum pellentibus nonnihil. Alii recipiunt radicem armoraciæ quam inciſam vino infundunt, & 14. diebus in cella relinquunt. Hinc per alembicum deſtillant quam aquam deſtillatam ad calculum pellendum & promovendum inſigniter commendant. Porrò hedera terreſtris item capilli veneris, chærefolium, parietaria, veronica, fragaria, folia quercus tenella, agrimonia, quibus imprimis etiam addenda capita allii: Hæc ipſa capita allii ſale ſuo volat. acri acidum calculi coagulatorem corrigunt & potenter fermentum renum ad calculos diſponens abſtergunt. Unde quibuſdam in uſu eſt ſingulis noviluniis capitulum allii accipere minutim conſcindere, & in aqu. ſ. ſpiritu juniperino iſtud haurire ad præſervationem à calculo.

Unde cuidam ceu experimentum certiſſimum ad calculum fuit hoc.

℞. Hederæ terreſtris ſiccatæ M.i.
Capitulorum allii Numero ii. vel iii.

diſcerpſit in fruſtula & affudit ſpiritum vini ad ℥xii. ſtent per dies aliquot probè clauſa, deinde agitato & probè colato liquore detur cochlear. I. pro præſervatione ſingulis pleniluniis, hoc n. certiſſimè præſervare & continuato uſu calculum curare aſſerit. Cortices avellanarum interiores item cortices fraxini interiores. Huic cortici multa tribuuntur, ſunt qui tq. ſecretum in calculo renum commendant.

℞. Corticem fraxini interiorem ℔.ii.
Baccharum juniperi ℔.iii.
Terebinthinæ ℔.iß.

Terenda terantur & cum Terebinthina miſceantur & in ℔. xii. aquæ in vaſe obdurato in digeſtionem vel putredinem ponantur per tres menſes, poſt deſtillantur & extillet ol. potentiſſimum: cujus gutt. 8. vel x. mira facere dicuntur in præſervando & pellendo calculo. Flores geniſtæ flor. virgæ aureæ item flor. cyani & calcatrippæ, ſemen Milii ſolis quidam admodum commendant. Semen urticæ eſt egregium lithontripticon ſi quod aliud ex regno vegetabili. Semen violarum, geniſtæ, Bardanæ, Hyperici, Dauci; omnibus his palmam præripiunt ſemen hyperici & ſemen dauci. In ſemine hyperici res eſt clara, quod contritum manu aut contuſum terebinthinam ſpiret & ſapiat: jam nota eſt vis terebinthinæ contra calculum: Ex hoc quidam præparant conſervam ad præſervationem calculi probatiſſimam h.m.

℞unt pulverem hypericonis ex ſemine in Julio vel autumno collecto, exſiccato & contuſo ℥iii.
Sacchari roſati vel violati ℔.i.I.ii.

Miſceantur & per 2. dies tribus ante prandium horis ℥ß. Comedatur prima ſeptimana: ſequenti ſeptimana etiam per 2. dies, tertia & quarta ſeptimana ſemel tantùm poſtmodum per duos menſes ſingulis 15. diebus ſemel & ita certo præcaveri & interdum curari calculum aſſerit ZAPATA *in ſecretis medicis* tq. à ſeipſo probatum, & confirmat etiam FERDINANDUS EPIPHAN. tq. expertiſſimum, *hiſt.* 54. De ſemine dauci vid. ſcripta HELMONTII *de lithiaſi*, ubi experimentis & rationibus comprobat ejus vim antinephriticam: Angli utuntur ſemine hoc frequentiſſimè & expertum aſſerunt; ſive in ſubſtantia aſſumatur, ſive ut moris eſt addunt ſemen dauci cereviſiæ fermentandæ, ita ut iſta cereviſia fermentando daucum recludat, & vim lithontripticam imbibat, & hoc potu multa faciunt in curando & præſervando calculo, vid. etiam BOYLE *in Philoſophia experimentali.*

Porrò baccæ hederæ terreſtris, Ciceres rubri, fructus Cynoſbati & alkekengi, glomi Cynoſbati, avellanæ, quarum egregiam efficaciam expertus eſt. A. LUSITANUS *in Centur.* Baccæ juniperinæ imo totus juniperus. De *ligno nephritico* res nota eſt, cujus decoctum vel infuſum potenter calculoſos reſtituit, uti videre poteſtis in SENNERTO ubi de calculo: item in ſcriptoribus iis qui ſcripſerunt de Exoticis in ſpecie in BAUHINO.

Gummi ceraſorum ſolutum in vino vel ſub forma pilularum inſtar terebinthinæ propinatum egregiè præſervat & pellit calculum. In *Perſicaria* multa latitant contra calculum cujus aqua deſtillata & aliquoties cohobando à recentis plantis abſtracta, quorundam Anglorum experimentum eſt contra renum calculum, cujus potu ſe præſervant, ſicuti etiam eodem afflicti ſe curant, vid. etiam BOYLE *in Philoſoph experimentali*, quod egregiè proſit contra calculum.

Porrò conveniunt *ſuccus citri, ſuccus limonum, ſuccus parietariæ & veronicæ*, Item rob. Juniperi, rob. Cynoſbati, & ex his paratum Malvaticum Juniperinum aut Cynoſbatinum. Succus betulæ eſt elegantiſſimus. Videatis eundem recommendatum & expertum in HELMONTIO *tr. de Lithiaſi*, ubi videbitis egregia de ſucco betulæ & egregiam cereviſiam medicatam contra calculum.

Poſt *Helmontium* eum etiam commendat CHARLETON in ſpiritu Gorgonio ſ. *de calculo tr. p.* 179. Ex his vegetabilibus fiunt vulgò *Eſſentiæ* compoſitæ ſub nomine eſſentiarum nephriticarum.

Item Eſſ. hyperici, pertinet huc Eſſ. Baccarum alkekengi Eſſ. Reguli avis Gollizenſium quam videbitis

 in

in diſpenſator. quæ valdè commendatur in calculo. Nam *regulus* avis ſingulariter convenit in affectibus urinariis in ſpecie in promovenda urina & pellendo calculo; Item ſpiritus glomorum Cynosbati & ſimilia.

Denique ſalia iſtorum vegetabilium in ſpecie ſal geniſtæ, ſal ſtipitum fabarum, ſal ononidis, ſal ſtercoris columbini. ſal prunellæ, & denique omnibus his meliora ſalia volatilia ſuccini & ſal vol. urinæ.

Dixi de ſale ex fimo columbino, obſervatur enim quod nitrum & omnia ſpiritu nitroſo impraegnata eximias habeant virtutes in ſolvendo aut ſaltem promovendo calculo: unde etiam ſtercus columbinum nitro pleniſſimum. Item lac caprinum, lotium capræ & ſimilia propter ſalem nitroſum in iis contentum calculos potenter aut pellunt, aut quantum poſſibile imminuunt. Quam ſtercoris columbini efficaciam præter communem conſenſum auctorum ſpecificè laudat FORESTUS *lib.* 24. *obſervat.* 25. Quidam ℞. ſtercus columbinum iſtudque macerant in aceto per diem & noctem filtrant & addunt partem j. mellis depurati & part. ij. aceti impraegnati: Hoc ipſum ſubminiſtrant tanquam expertiſſimum contra calculum. Unde etiam omnia nitrata, tartarus nitratus ſ. arcanum duplicatum Mynſichti commendatur contra calculum doſis à ℈j. ad ʒß.

Sal Lithontripticon POLEMANNI etiam recipit nitrum: præſcriptio ejus eſt hæc.

℞. Nitri puriſſimi ℔ i. fundit in igne huic ſuperimponit particulas ſulphur. communis magnitudinis fabarum, ubi deflagrarunt denuò injicienda ſunt talia fruſtula donec ℥ß. ſulphur. abſumpta fuerit maſſa refrigerata denuo fundenda & eadem modo injectione ſulphuris procedendum, idque tertiâ vice.

Tunc ℞. hujus nitri &
ſal abſinthii ana ℥i.
ſal ſuccini vol. ʒß.
ſacchari albi ℥vi.
ol. deſtillati ſuccini ℈iv Miſceantur.

Hujus pulveris tantum quantum tres cultelli cuſpides capiunt, propinetur bis vel ter in die pro varietate circumſtantiarum. Nam non tantum præcavet calculum, d. eundem jam coagulatum diſſolvit, concretum imminuit, & in difficultatibus urinæ inſigniter convenit.

Porrò commendantur communiter lapides ad frangendos lapides: Sic lapis Judaicus, lapis Lyncis, lapis ſpongiæ, lapis nephriticus, lapides ſ. oculi cancror. lapis in veſicâ apri vel bovis repertus, lapis aquilæ. Mandibuli lucii piſcis, dentes Truttæ & ſimiles lapides commendantur. Verum hi ipſi lapides aut ex lapidibus præparata remedia, non alio modo videntur proficua, quam quod acidum calculi coagulatorem abſorbent, & in ſe recipiunt exindeque vim diureticam mutatione in ſalſum acquirunt. Unde proſtat ex his lapidibus paratus liquor nephriticus pro varietate autorum varius.

℞. Ocul. cancror. lapid. Judaici lapides.
Lyncis, ſpongiæ, aquilæ, glaciei.

Mariæ ana q. V. ſolvantur in ſpiritu ſalis decrepitati, ſolutio decantatur, coagulatur leni calore in vitro ad ſiccitatem, materia hæc iterum pulveriſanda, & hinc in cella per deliquium diſſolvenda, filtranda, & ita pro uſu aſſervanda. Datur in vino, & pellit calculum per urin. inſtar maſſæ coagulatæ ſ. maſſæ craſſioris.

Aliàs calculus ex felle bovis deſumptus & pulveriſatus ad gr. V. aſſumptus admodum probatum contra calculum dicitur remedium. In cancris fluviatilibus vis ſingularis eſt antinephritica. Unde decoctum cancror. fluviatilium ovulis prægnantium egregiè ad præſervandum & curandum calculum commendatur. Item ſi recipiuntur cancr. fluviat. & coquuntur in vino in olla probè obturata tamdiu donec pulveriſari poſſint, hujus pulvis ℥i. propinata aliquot deſperatè calculo laborantes & incredibiliter ejulantes curavit, atque certum hoc eſt.

Lapidibus his vicinæ ſunt teſtæ ovorum & quidem teſtis ovorum communibus meliores ſunt teſtæ ovorum ex quibus excluſi pulli, omnium optima ſunt ova. ſtruthionum. Unde etiã teſtæ ovorum ſtruthionum ingredi ſimul ſolent liquorem nephriticum: Aliàs etiam teſtæ ovorum calcinatæ à multis ſolent recommendari. In ſpecie BARTHOLINUS multa habet de virtute teſtarum ovorum calcinatarum contra calculum in ſuis hiſtoriis anatomicis: inprimis certis in Epiſtolis commendat aquam nephriticam ſimplicem cum calce ovorum bene excocta & infusâ. Nam hæ calces non tantum calx viva communis d. in ſpecie calces oſtrearum admodum commendantur in calculo, vel ſi fiat aqu. ex calce viva oſtrearum, calculum enim in mucilaginem diſſolvere auctor eſt idem BARTHOLINUS *Cent. Epiſtol.* 4. *p.* 451. Unde ex calce vivâ fiunt Tincturæ nephriticæ non inelegantes: Sic famoſus aliquando Medicus tincturam nephriticam habuit talem.

℞. Calcis vivæ p. IV.
tartari crudi optimi part. ii.

Coquantur in olla cum aqu. fontana filtrentur, coagulentur & calcinentur. Hinc extrahantur cum ſpiritu vini & eſt egregium remedium in calculo ſimilibus quibus morbis tartareis. Elegantius eſt Doctor HELVETIUS, qui ſcripſit de vitriolo aureo ex calce viva. ℞. calcis vivæ, q. v. affunde acet. deſt. optimum ad eminentiam trium digitorum: cape, frigefac & decanta acet. & reſide in fundo calx, acet. ſeparatum inſpiſſa candefac in crucibulo ad ſiccitatem. Hoc ipſum extrahitur cum ſpiritu vini, vel cum vino Hiſpanico, & propinetur ad gutt. VII. vel x. contra calculum. Hujus verò ℥i. infunditur urinæ propriæ & eadem lavantur partes podagra affectæ.

Denique lumbrici & eorum ſpiritus, aſelli eorumque præparata, ac denique ſcarabæi Majales præ cæteris inſigniter conveniunt. De lumbricis res nota, uti etiam de millepedibus habebimus poſtmodum, ubi de calculo veſicæ.

In ſpecie alæ ſuperiores duræ ſcarabæorum Majalium pulveriſatæ & propinatæ aut cum vino uſurpatæ egregium ſubminiſtrãt antinephriticum; id quod etiam verum eſt de ſcorpionibus ſi ſcil. pulvis factus ex 4. vel VI. ſcorpionibus lavatis & vivis per diem naturalem in vino malvatico relictis, poſtmodum in olla ſupra folia ſalviæ poſitis exſiccatis & pulveriſatis: hujus pulvis gr. iii. vel v. in ovo ſorbili aut vino ptopinata calculum promovent.

Hæc ipſa quæ uſurpantur contra calculum renum, uſurpanda etiam veniunt contra CALCULUM VESICÆ, in ſpecie quidem *interna*, quæ ipſa tamen in calculo veſicæ diutius ſunt continuanda, quia longiore mora eorum vis infringitur nonnihil.

Præ cæteris internè agrimonia commendatur à FORESTO *Lib.* 5 *obſervat. Chirurg. obſervat.* 3. & omnia reliqua quæ ſuperius habuimus de calculo renum. Item aqu. Perſicariæ eſt experimentum Anglorum in calculo renum. Sanguis & urin. hirci vel etiam urin. hirci recenter mactati pota admodum commendatur in calculo.

Herniaria & Betonica in juſculo carnium cocta & quotidie bibita experta eſt in calculo à POTERIO *in cent.* 3. *cap.* 72. De millepedibus eorumque uſu & efficacia in calculo veſicæ vid. ea quæ habet SENNERTUS *Lib.* III. *prax. cap. de calculo veſicæ* ex LAUREBERGIO & AUGENIO. Et præter iſta experimenta etiam ſimilia experimenta habet BOYLE, ubi calculus veſicæ curatus fuit per uſum millepedum, qualem deſcribit ipſe AUGENIUS.

Interdum ubi malum eſt deſperatum & non poteſt propelli

propelli calculus ex veſicâ *vomitus* convenit, in ſpecie in mulieribus, quarum partes ſunt laxæ.

Egregium ſubminiſtrat exemplum, POTERIUS *Cent. 3. cap. 74.* ubi in caſu deſperato calculi veſicæ propinavit *ſal vitrioli depuratum* in juſculo carnium, & ita excitato vomitu cum impetu calculus veſicæ prorupit.

Hæc de internis.

EXTERNA.

In *veſica calculo* primariò ſunt ea, quæ injiciuntur in veſicam, ut ab iis atteratur & conſumatur calculus. Hæc tamen ſunt rara, imò pauca: ſunt tamen qui ſolutionem ſtercoris columbini decoctam cum parietaria commendant. Aliàs etiam *balnea* ex emollientibus, item fomenta & cataplaſmata ex anodynis & pellentibus & ſimilibus uſurpantur. Fomentorum & balneorum præſcribendi formulas ex materia medica præſuppono: Item fiunt *Inunctiones* cum oleo ſcorpionum oleo amygdalarum amararum, pinguedine cuniculorum & caprarum in ſpecie cum *petroleo* quod quidem eſt rarum) Nam hoc ipſum etiam renibus externè inunctum eorum calculum imminuit & frangit, & ob id maximum remedium vocatur à PANAROLLO *pent. 2. obſervat. 2.* Unde etiam externè & regioni pubis commodè poteſt inungi. Singulariſſimum eſt cataplaſma, factum ex *cepa alba* cocta in vino decoctionis parietariæ & oleo ſcorpion. quod ipſum admovendum pubi quàm calidè fieri poteſt.

Hoc cataplaſmate quidam uſus fuit duabus vicibus, quo uſu ſe curavit à calculo veſicæ, quem jam exſcindendum ſibi decreverat, videantur nonnulla de hoc cataplaſmate in HOEFERI *Hercul. Medico p. 157.* Item in HORSTIO *in obſ. p. 460.* In calculo veſicæ primatum obtinent *millepedes* quorum uſum vid. in SENNERTO ubi de calculo veſicæ ex AUGENIO & LAURENBERGIO.

Hactenus de calculo occaſione ſupreſſionis urinæ. Contrarium vitium excretioni abolitæ & imminutæ urin. eſt IMMODICA & NIMIA URINÆ SECRETIO, dum nempe plus effluit ex corpore urina, quam aut aſſumpta potulenta materia, aut etiam proportionaliter in maſſa ſanguinea exiſtat.

Exemplum hujuſmodi immodici urinæ fluxus ſi quid aliud notatu dignum ſuppeditat DIGBII *tr. de pulvere ſympathetico*: Sicuti etiam SCHENCKIUS *in obſ. l. 3.* aliquot profuſi hujus urinæ profluvii habet exempla: inter alia cujuſdam qui quotidie ſupra 4. cantharos minxit, utut vix quadrantem biberit: uti etiam TULPIUS *obſ. 46. lib. 2.* Diabetem refert cujuſdam qui quotidie 6. ℔as mingeret, utut parum vel nihil biberet.

SCHENCKIUS habet exemplum puellæ plus mingentis quam ex toto ponderabat, v. ACTA ANGLIC. *Vol. 1. p. 868.* referunt virum, qui per aliquot ſeptimanas quotidie ad ℔. XII. urinæ emiſit.

Malum hoc nimii urinæ profluvii vocatur aliàs DIABETES, quo nomine tamen duo vitia vulgò inſigniuntur idque promiſcuè, nec abſque confuſione nempe modo dicta copioſæ nimis urinæ excretio quâ intenſiſſima ſitis, debilitas virium, macies totius corporis ſymptomata inſtar hecticæ confirmatæ, aut inſtar Tabis dorſalis aut tandem utplurimum mors inſequitur: alio ſenſu etiam Diabetes appellatur nimis cita potulentorum & liquidorum, aut planè non aut parum admodum immutatorum per vias urinarias excretio, ita ut non rarò color, odor & ſapor aſſumptorum liquidorum in excretis per urinam adhuc ſint ſenſiles. Exempla hujus rei non ſunt pauca. BARTHOLINUS *cent. 1. hiſtor. 68.* habet Diabetem calculoſi vinum aſſumptum eodem colore, odore & ſapore reddentis. Sic HOEFERUS *in Herc. Medico p. 171.* obſervat vinum ſicut aſſumptum fuit per urinam excretum. Unde etiam decepti Medici qui habuerunt iſtud vinum pro urina ſanguinolenta. Sic HILDANUS *cent. 5. obſ. 53.* obſervat Diabetem ex uſu acidularum, in qua lac amygdalarum aſſumptum non immutatum tamen cum urina excerneretur. Et tandem HORSTIUS *in obſer. p. 397.* obſervat Diabetem miram in qua vinum & emulſio ſeminum uſitatorum eodem modo atque aſſumpta fuerat, per urinam excernebatur. Imò obſervata etiam fuerunt grana aniſi, ſemina Coriandri integra ſemen ficuum comeſtorum. Et denique radiculæ inciſæ apii unà cum urina redditæ quoad ſemen aniſi & radiculas apii vid. SENNERT. *de Diabete*: quoad ſemen coriandri legi in Chirurgo Gallo PIGRAY, qui dicit quod viderit grana coriandri poſt paſtum aſſumpta pro ſtomacho roborando, poſtmodum cum urina reddita: De ſemine ficuum ipſe vidi exemplum, quod poſt decoctum ficuum in quo ſemina inerant potum unà ſemina cum urina reddebantur.

Diabetes. Hi duo affectus diſtinctiſſimi uno nomine *Diabetes* vocantur, quæ vox tamen diabetes propriè poſteriori affectui convenit nempe non immutatæ urinæ excretioni: Diabetes n. dicitur à Διαβαίνω quod ſignificat *citò tranſeo*: quaſi dicere velis *Diabetes eſt affectus in quo potulenta citò tranſeunt per corpus*, adeoque impropriè prior etiam ſpecies nempe urinæ copioſæ excretio diabetes audiat. Et propterea melioris doctrinæ, ergo diſtinguendum *Diabetem in verum & nothum.*

Verus erit non immutatæ urinæ excretio, Nothus copioſæ urinæ excretio. Quod attinet ergo.

DIABETEM NOTHUM ſ. nimiam & copioſiſſimam urinæ excretionem: Hujus cauſa inveſtigatu videtur difficilis: aliquid tamen lucis afferunt exempla ea, quæ ſupra habuimus de corpulentia nimia nempe eorum qui inſigniter licet corpulenti, per uſum tamen diureticorum admodum emaciati fuerunt, mediante nempe copioſo per diuretica prolecto urin. profluvio.

Hoc poſito arbitror maſſ. ſanguineam & ipſam partem ejuſdem chyloſam nutritivam, item ipſum rorem & ſuccum corporis nutritium, ipſamque tandem adeò pinguedinem reſolvi & colliquefieri atque ita fatiſcere in formam laticis aquoſi, & ita ſub ejus formâ excerni.

Hujus colliqueſcentiæ *CAUSA* & inde copioſæ urinæ, eſt acrimonia ſalſa ſeri ſanguinis, cujus acrimonia & aſperitas reſolvit, attenuat & colliquat nutrimentum corporis chyloſum, & ex eo producta pinguia: id quod patet ex eo, quod in diabete incipiente urina acris, & ob ejus roſionem cum ardoris ſenſu excernatur. Item quod hic diabetes nothus curetur ferè eodem modo atque febris hectica, per ea nempe, quæ acrimoniam ſeri temperare poſſint, qualia ſunt lacticinia & denique quod hæc diabetis ſpecies notha inter alias cauſas remotas ex abuſu diureticorum excitari ſoleat: uti exemplum eſt iſtud TULPII allegatum. Item Z. LUSITANUS refert *Cent. 2. obſervat. 94.* hunc diabetem contractum ex uſu vini Meracioris & muria fœniculi marini (quæ potens eſt Diureticum) IDEM *cit. loc.* refert diabetem ex largiore uſu farciminis piperati item SCHENCKIUS ex abuſu diureticorum diabetem eſſe ortum memorat. Nam diuretica hæc alcali ſubtili prædita acriorem reddunt maſſam ſanguineam & liquefactum humorem nutritium ſub formâ urinæ excernere faciunt.

Alteram Diabetis ſpeciem ſ. *DIABETEM PROPRIE SIC DICTUM.*

Quod attinet, oritur hic ex nimia laxitate & aperturâ viarum per quas urin. potus ex primis viis ad renes vel loca urinaria mandatur, concurrente forſan ſimul pyloro nimis laxo elabi ſinente potulenta ceu fluidiora

antequam perfectè ſint alterata. Viæ equidem tales adhuc dum ſunt incognitæ, nihilominus tamen aliter eſſe nequit; Cum ſemina Coriandri & Aniſi excreta cum ſanguine rapi, & hinc inde circulari nequeant, item quia vinum rubrum aut Emulſio amygdalar. dulc. & ſanguini permiſceri & circulari cum eadem ſine inſigni alteratione nequeant, adeoque quâ datâ proximâ viâ & occaſione ex ſtomacho ad vias urinarias excernantur. Confirmatur hoc ex eo, quod inter cauſas remotas ad hunc Diabetem verum ſ. viarum laxitatem diſponant imprimis *acidulæ*: jam v. uti rectè aſſerit HELMONT. acidulæ vix deſcendunt ſuper diaphragma.

Nam hæ ipſæ vix hauſtæ, imprimis continuato earum uſu (in principio res difficilis eſt) ſubitò per urin. denuò tranſeunt limpidæ & claræ in eadem ferè forma qua fuerunt aſſumptæ: ab hoc ergo ſubito & ſæpius repetito acidularum tranſitu laxatæ iſtæ viæ etiam potulentis celeriorem concedunt tranſitum. Sic HILDANUS ex acidulis obſervat Diabetem & PIGRAY Chirurgus Gallus quem dixi ſimile allegat. Unde etiam eſt quod *Petrus* PAUV. *in obſerv. p.* 5. in Diabete mortuo renes admodum flaccidos invenit: quoniam earum parenchyma à copioſo & frequenti liquorum tranſitu flaccidum redditum fuit: Verum non flacciditate reſolutionis, aliàs enim potius ſupprimeretur urina, d. Flacciditate nimia apertionis, qua renes inſtar ſpongiæ poroſæ molles, flaccidi & fibræ permeabiles redditæ fuerunt.

Poſt acidulas etiam frequens *calculus* diſponit ad hunc Diabetem. Denique rarum eſt quod SALMUTH. *cent.* 2. *obſer.* 53. obſervavit talem Diabetem in *febri maligna*, in qua potus omninò non immutatus pertranſivit.

QUOD ATTINET SIGNA.

SIGNA PROGNOSTICA

Diabetis veri ſ. non immutati potus tranſitus facilè patent, modo conferantur aſſumpta potulenta cum excreta urina: Verum *Diabetis nothi* ſ. copioſi urinæ profluvii cum paulatim & ſucceſſivè inſenſibiliter creſcat, in principio vix percipitur: interdum equidem fit, ut copioſæ urinæ excretio ſit naturæ opus conjunctum cum aperto ægri levamine, verum ubi copioſam mictionem continuatam debilitas virium, corporis macies cum pinguedine urinæ ſupernatante, oris ſiccitas & ſitis ardor ac calor in dorſo & ſimilia ſymptomata ſequuntur ſignum eſt Diabetis nothi periculoſi. Interdum urina talis eſt tenuis aquoſa & pallida uno nomine admodum cruda.

QUOAD PROGNOSIN.

Diabetes verus parum habet periculi quoniam interdum ſponte ceſſat. Diabetes v. nothus ſ. copioſum urinæ profluvium eſt periculoſum & ſæpius lethale, imprimis niſi mox in principio cognitum curetur: deducit n. homines ad tabem lethalem. Hic nothus Diabetes imprimis poſt immoderatum laborem, poſt exercitium venereum nimium, & denique poſt febres chronicas ingruens, plerumque incurabilis eſt.

QUOD ATTINET MEDENDI METHODUM.

In Diabete notho attemperandum eſt ſerum nimis acre, 2. alimenta ſucculenta ſubminiſtranda, & 3. narcoticorum interpolato uſu nimia colliquefactio & ſecretio impedienda additis ſimul blandis adſtringentibus, & renes ac partes corroborantibus.

In genere uti rectè dicit ZACUTUS LUSITANUS in pluribus convenit hujus affectus curatio cum hectica febri, quoniam tam in 6. rebus non naturalibus quam etiam in medendi ratione idem ordo & eadem methodus obſervanda.

Sed Diabetes propriè ſic dictus ſ. potulentorum minimum immutatorum tranſitus curatur per *adſtringentia* talia quæ ſtomachum & primas vias *adſtringendo roborant*: in quem finem etiam conſuetum eſt in potu acidularum ſubinde uſurpare quæ ſtomachum & viſcera firmant blanda adſtrictoria, & aromatica ſuavitate.

QUOAD NOTHUM DIABETEM

Vomitus commendatur: apertè n. dicit BRENDELIUS *Conſ.* 83. uti etiam FERDINANDUS EPIPHANIUS *Conſ.* 37. principium curationis debet eſſe vomitus idque imprimis tunc temporis quando ſalſa vel viſcida pituita in ventriculo abundat: dehinc ad ea quæ temperant, imprimis *lacticinia* accedendum eſt, in ſpecie *lac aſininum* Chalybeatum cum philonio permiſtum, quâ ratione curavit Z. LUSITANUS Diabetem, *lib.* 2. *prax. admir. obſer.* 71. Loco lactis caprini aut aſinini lac bubulum commodè uſurpatur: aut etiam *Emulſiones* factæ ex amygdalis dulcibus, & cum ſemine papaveris albi, cum ſeminibus 4. frigidis majoribus & minoribus & ſimilibus: quibus ſyrupus de nymphea, & ſyrupus de papavere eſt intermiſcendus. Tinct. Coralliorum cum ſucco citri aut Limonum parata, aut alio modo legitimè elaborata inſigniter convenit. Item ſuccinata, Trochiſci de Carabe & de terra ſigillata: ſimulque uſurpanda.

Lac Chalybeatum cibis ſemper eſt adjungendum ſ. permiſcendum, & tempore nocturno ſ. veſperitino *Opiata* non negligenda.

QUOD VERO ATTINET DIABETEM VERUM

ſ. urinæ tranſitum, is per *adſtringentia* convenienter curandus. Ubi *Cydonia* ſunt fugienda utut ſint adſtringentia. Nam admodum ſunt Diuretica, uti non tantùm obſervat, BARTHOLINUS *in hiſtor.* ſed etiam SCHENCKIUS *in obſerv. de diabete* obſervat ex uſu cydoniorum ortum diabetem. Ergo *martialia & adſtringentia* item talia quæ in plantagine, tormentilla, ex conſolida majore parant; Item decoctum prunorum Sylveſtrium, decoctum corticum aurantiorum, quercuum & ſimilia uſurpanda. Tinct. ſulphuris, vitrioli, Bolus armena, terrea. Uſurpanda etiam conſerva roſarum vitriolata, & conſerva radicis ſymphyt. &c. *Potus* ſit plantago in aqua chalybeata cocta. Tandem ceu ſingulare experimentum dicitur, ſi recipiatur *criſta galli*, comburatur, & manè ac veſperi ægro propria in urina propinetur, quod ceu probabile ſecretum contra Diabetem venditant: quod an verum ſit, experientia conſulenda.

Verſamur adhuc in vitiis urinæ ſecretionis, & ſupereſt DEPRAVATA URINÆ SECRETIO IN RENIBUS.

Depravandi modi ſunt variis, dum ſcil. diverſimodè affecta urin. in colore, conſiſtentia, & contentis excernitur.

Specialiter ſub praxi currit urin. nimis pinguis aut nimis ſanguinolenta.

PINGUIS URINA ſ. ut aliàs vocatur *OLEAGINEA.*

An ita exactè tota urinæ maſſa excreta in urina repræſentetur vix credo, niſi forſan in Diabete pinguia & oleoſa aſſumpta ſub forma propria denuò excernantur: quod tamen unquam me legiſſe non memini. Aliàs etiam urina talis perfectè ſcil. oleaginoſa fieri nequit propter incompatibilitatem aquæ cum ol. quæ nullo modo poſſunt conjungi niſi mediante alcali fixo ut videmus in ſaponibus. In urina verò cum tantùm inſit ſal vol. idque ſalſum, nullo modo urin. oleaginoſa reddi poteſt. Pinguis ergo ſæpe excernitur urina quando in ſuperficie ejus quaſi cruſta pinguis aut pellicula pinguis ſupernatat, **Urina oleaginea.**

quæ

quæ ipſa tamen cruſta probe diſtinguenda, ne cruſta pinguis confundatur cum ſimili cruſta ſalina pinguedinem ſæpius repræſentante, uti in ſcorbuticis & Hypochondriacis uſu venire ſolet, differentiæ ratio conſiſtit in eo, quod talis cruſta ſi ſunt concrementa ſalina inſpiſſata, quæ urinæ ſupernatant, quod tunc ad latus juxta lucem adſpecta urin. varios colores inſtar pavonis caudæ vel inſtar Iridis in ſua ſuperficie repræſentat, Id quod infallibile ſignum eſt cruſtæ ſalinæ & mali hypochondriaci aut ſcorbutici.

Ubi verò vera eſt pinguedo quæ urinæ ſupernatat, tunc iſta ſine colore ullo eſt conſpicua & etiam ſubinde guttulas quaſi repræſentat, quæ & ipſæ deficiunt in cruſta urinæ ſalina. Pinguis fit urina ex colliquatione partis pinguioris maſſ. ſanguineæ in ſpecie pinguedinis corporis. Unde talis pinguis urina frequenter apparet in urinis febri ardente aut etiam febri Hectica aut ſimilibus Afflictorum. Hæc ipſa colliquatio oritur utplurimum ex defectu acidi debiti in maſſ. ſanguinea, quod ipſum aliàs ſpiſſit blandè & coagulat pinguedinem nutritiam, qua ceſſante ipſa pinguedo denuò liqueſcit & ita cum urina denuò excernitur.

Curatur hoc malum facilè modo prius primarius morbus ſublatus ſit item ſubiniſtrando ſubtilia & moderatè acida.

PORRO CRUENTA.

Urina cruenta. Secernitur & tandem excernitur URINA quando ipſi ſanguis permiſcetur nunc copioſius nunc verò parcius: Unde interdum loturæ carnium ſimilis apparet, interdum v. intenſius rubet vel potius ex opaco nigreſcit, ita ut etiam linteum immerſum ſuo rubore intenſo ſanguineo Inficiat.

Sanguis iſte qui tingit urinam, utplurimum ex renibus emanat ſ. in renibus ipſi permiſcetur, interdum in ureteribus, interdum etiam in veſicâ: rarius v. ex aliis partibus eò defertur, ut cum urina ibidem excernatur v. g. in caſu ab alto dum congrumatus ſanguis in quodam loco hæret, fit interdum ut hic per urin. excernatur. Id quod tamen fit rarius & citra ullum viarum urinariarum vitium & tabem, & ex cauſis intercedentibus facilè cognoſcitur. Malum hoc ipſum oritur interdum ex *Anaſtomoſi vaſculorum viarum urinariarum* interdum ab earum *diæreſi* vel *diabroſi.*

QUOD ATTINET ANASTOMOSIN.

Sequitur interdum mictus cruentus poſt agitationem, item poſt nimium motum corporis item poſt ſaltum & ſimiles rationes, interdum ſequitur ſolemnes ſanguinis evacuationes ſuppreſſas ut quando menſibus ſuppreſſis ſupervenit cruentus Mictus aut etiam quando ex ſuppreſſione Hæmorrhoidum ſanguinis mictus periodicus contingit; quale exemplum ſubminiſtrat FORESTUS *lib.* 24. *obſ.* 7. & *lib.* 24. *obſ.* 9. Quin & *periodica* quibuſdam urinæ cruentæ mictio obſervatur, quale exemplum refert SALMUTH *cent.* 3. *hiſt.* 47. d. Mictu ſanguinem periodico & quaſi menſtruo qui cohibitus mortem intulit. Item *Criticus* interdum obſervatur ſanguinis mictus, dum morbi ſolvuntur urin. ſanguinolentæ excretione. Exemplum ſubminiſtrat ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *prax. admirand. obſ.* 69. de Mictu ſanguineo Critico in febre ardente. Sicuti etiam pleuritides interdum per ſanguinis mictum curatæ obſervatæ fuerunt. Id quod obſervavit HILDANUS *cent,* 2. *obſ.* 31. item SCHENCKIUS *lib.* 2. *obſ.* 20. ex BENIVENIO, Interdum caſum ab alto in dorſum aut lumbos ſubſequitur mictus ſanguinis ex anaſtomoſi vaſorum per iſtum caſum. Pertinet huc quam vocant IMBECILLITAS RENUM, quorum poruli nimis aperti ſanguinem una tranſmittunt cum lotio. Tandem abuſus veneris anaſtomoſin vaſorum & ſic etiam urinam cruentam inferunt, dum in actu venereo nimis vaſa ſanguifera circa partes genitales turgida aperiuntur, contra aperta ſanguinem fundunt.

Talia exempla non ſunt rara. Inter alia obſervat tale exemplum FORESTUS *lib.* 24. *obſ.* 9.

Mictus ſanguinei ex nimia venere qui tamen optime uti dicit curantur: ſpongia aceto calido imbutâ & partibus genitalibus circumpoſita: acetum enim penetrando temperat æſtum & blandè vaſculorum ruptorum oſcula adſtringit.

Hæc de Anaſtomoſi.

2. *EST DIÆRESIS ET DIABROSIS.*

Eaque ferè frequentiores, dum nempe aut à ſero acri vaſcula eroduntur, quo etiam pertinent exulcerationes renum & veſicæ, quas ipſas exulcerationes, propter eroſiones vaſculorum non rarò comitatur Mictus ſanguineus.

Porrò in Diabroſi ex laceratione renum, Ureterum aut veſicæ ab aſperitate calculi ſubinde etiam mictus cruentus obſervatur.

Faciunt huc imprimis *Cantharides*, de quibus notiſſimum eſt quod aut ineptè aſſumpti (excludo ſolam infuſionem in vinum ſic enim corriguntur) aut etiam extrinſecus in veſicatoriis applicati, in ſpecie abſque acidis, mictum cruentum admodum doloroſum inferunt. Dico ſi applicantur abſque acidis: Communis enim mos eſt ut cum aceto aut fermento cantharides applicentur pro veſicatoriis: ubi tamen obſervandum eſt, quod talia vim veſicatoriam imminuant & eorum corroſivitatem & alcali volatile temperent: unde non adeò corrodant. Abſque acido vero applicati cantharides mictum cruentum inferunt, quod quotidiana loquitur experientia. Sic obſervatus etiam fuit mictus cruentus ex abuſu allii quale exemplum refert SCHENCKIUS *in obſ.*

Porrò in morbis malignis, interdum ſupervenit mictus cruentus in ſpecie in variolis quan. ex eroſione vaſculorum renalium hic ipſe oritur. Mictus cruentus talis eſt admodum funeſtus cum ordinariò interimat ægros. Exempla in SCHENKII HOECHSTETTERO item SALMUTH. aliiſque ſimilibus invenietis quod ſanguinis mictus in variolis ferè ſemper mortem intulerit ægris. Quin & in peſtilentia obſervata fuit ſanguinolenta urina quæ inter peſſima tunc temporis recenſetur ſigna. Hæ ſunt cauſæ mictus cruenti.

SEQUUNTUR SIGNA.

Quæ ſatis ſunt clara, quoad DIAGNOSIN. Nam facilè per ſe patet urinam eſſe cruore tinctam, modò diſtinguatur rubor ſanguineus à rubore ſ. rubicatione, ſalina, qn. ſcil. contentis probè urinis cum liquore continente rubeum repræſentant colorem. Differentia facilè cognoſcitur; quod nempe rubedo ex ſalibus fit perſpicua; clara & tenuis: econtra v. quan. oritur à ſanguine eſt opaca turbida & craſſiuſcula plus minus prout plus minus ſanguinis eſt permiſtum.

Unde à ſalibus orta ſplendet qſ. quæ verò eſt à ſanguine, abſque ſplendore obſervatur. Verum ex qua cauſa ſanguis effluat probè diſcernendum.

Si caſus ab alto præceſſerit loca ſanguinis extravaſati non poſſunt eſſe incognita in quibus ſuſpicatur ſanguinem devehi ex aliis locis ad renes ſi eſt à renum ulcere ſuſpicari eſt de renibus: Si alias ſigna ſuſpicantur calculi, & ſimilia ſigna præceſſerint ſemper de renibus affectis debet eſſe cogitatio. Obſervandum ſimul motus naturæ ſive periodicus, qui ferè citra ullius partis urinariæ affectum contingit; ne impediatur & pro morboſo habeatur qui tamen ſalutaris. Si adſint ſigna aut pubis aut veſicæ ejus ulcus aut ſigna urin. acrioris in ſtranguria & ſimilibus affectus eſt veſicæ ex læſis vaſculis. Si à cauſis externis à cantharidibus, à radice rubiæ tinctorum (quæ colore rubro inficit urinas,) item ſi ab eſu fructus Indici majoris ſ. Opuntiæ oriatur (quæ ipſa etiam tingit urinas.)

SIGNA CAUSÆ ex relatione ægri cognoſcenda. Si eſt affectus renum & veſicæ ſemper dolor aut gravativus in anaſtomoſi aut acutus rodens in diæreſi & diabroſi percipitur, ita ut ſymptomata conjuncta partem affectam repræſentent.

Denique ſi ſit à Cantharidibus, adeſt ſimul intenſus ſtimulus vener. ita ut Penis ſit intenſus & rigidus & ægri ad venerem inſigniter ſtimulentur.

QUOAD PROGNOSIN.

Mictus cruentus copioſus aut ſæpius recurrens periculoſum malum eſt, invehens eadem ſymptomata quæ hæmorrhagias nimias inſequi ſolent. Minus periculoſus eſt ſanguinis mictus ex pudendis, magis periculoſus eſt ex veſica, omnium maximè qui ex renibus.

QUOD ERGO ATTINET CURAM.

In cura primario cauſa eſt removenda, quas inter in ſpecie eſt ut acrimonia ſeri ardens aut exulcerans temperetur.

Hinc vas apertum eroſum vulnerariis conſolidandum & poſtmodum adſtringentibus ipſis partes læſæ roborandæ: adeò ut ad mictum cruentum qua talem remedia imprimis omnia ea conveniant, quæ ſuperius de Hæmorrhagia in genere dicta fuerunt. In ſpecie cap. de vomitu ſanguinis habebitis miſturam SYLVII iu quacunque hæmorrhagia expertam. Hæc ipſa etiam miſtura eſt egregia in mictu cruento & experta à GRÆFF. *tr. de organis virorum generationi inſervientibus pag.* 154. ubi exemplum habet mictus cruenti periculoſiſſimi ex læſis penis arteriis propter caſum, quem aliis irritis iſta miſtura ſylviana egregie curavit.

Alias convenit uti ad omnes hæmorrhagia ita in ſpecie ad mictum cruentum præter reliqua, quæ in hæmorrhagiis uſurpantur.

Portulaca, hæc enim quovis modo uſurpata confert. Poſt hanc eſt *Equiſetum*, quod & ipſum egregiè conducit. Hinc *conſolida major*: *Milleſolium* flore albo, ejus decoctum quod admodum commendatur ad conſolidationem.

Item *Agrimonia vulgaris*, quæ aliis omnibus remediis præfertur eſt expertum remedium contra mictum cruentum quocunque modo uſurpetur tam externè quàm internè, adeò ut etiam in ipſa renum exulceratione conveniat. In mictu enim cruento, exulceratione renum & veſicæ, Agrimonia cum Hyperico miſta totam abſolvit paginam LINDANUS cum agrimonia miſcet potentillam, anſerinam & milleſolium ad ſedandum mictum cruentum.

Unde ſunt egregiæ ſpecies pro decocto ad compeſcendum miſtum cruentum expertæ.

℞. Herbæ agrimoniæ,
millefoliis.
Flor. Hyperici.
Muſci prunorum ſylveſtrium aa. Mj.
Radicis Symphyti majoris ℥ij.
ſeminis Hyperici. ʒij.
inciſa & contuſa d. ad Chartam.

F. Species. Decoquantur in vino, ſi aſſumatur decoctum cum pauxillo oculorum *cancrorum*, *Chamæpythis*, *Iva arthetica* & ipſa ſingulariter laudatur in mictu ſanguinis, ejuſque decoctum eſt ſpecificum SULTZBERGERI. *Bellis minor* & tota ejus planta inſigniter conducit. *Hypericon* ſuccus plantaginis ad ℥iv. aſſumptus eſt optimum remedium ex RIVERIO. decoctum auriculæ muris & pimpinellæ Italicæ in lacte caprino commendatur ab HORSTIO *lib.* 4. *obſ.* 52. Item pertinet huc decoctum ad mictum cruentum MYNSICHTI *in ſuo armamentario* quod eſt egregium. Porrò lac ovillum ad ℥iv. cum ʒj. boli Armenæ aſſumptum eſt experimentum aliquoties probatum uti hoc videbitis in FORESTO *lib.* 24. *obſer.* 10. *it. obſ.*13. quod etiam expertum cum ſucceſſu TIMÆUS *in caſibus* ejuſdem *caſu* 40. ſive ſit ab acrimonia nimia ſeri erodente, ſive etiam ſit poſt caſum ab alto.

Porro reliqua quæ in quacunque hæmorrhagia conveniunt, etiam hic ſunt in uſu.

In ſpecie *Lapis Hæmatites* & ex eo parata remedia conveniunt, ſi ſint à cantharidibus in quo optimè uſurpatur cum lacte, quod temperat acrimoniam loco hujus commode uſurpantur terra ſigillata & bolus Armena.

In ſuccino & ipſo egregium habes remedium contra mictum ſanguinis. Unde etiam Trochiſci de Carabe à multis valdè laudantur, in ſpecie ſi miſceantur cum bolo armena & in aqua plantaginis uſurpantur, id quod dicit TIMÆUS, ſe aliquoties feliciter expertum fuiſſe *Epiſt.*23. *p.*241.

His ipſis in malo contumaciore *Opiata* aut ſimilia addita adhuc magis ſunt efficacia. Unde Electuarium HELIDÆI PADUANI ad ſputum ſanguinis ex conſerva violatum cum ſemine Hyoſcyami: Hic etiam eſt expertum. Continuatus uſus Terebinthinæ & ipſa abſtergendo & conſolidando multum conducit in mictu cruento. Unde ſingulariter commendantur pilulæ ex Therebinthina cum Rhabarbaro: aut etiam Rhabarbarum parum torrefactum cum Terebinthina, permiſceatur, aſſumatur; ſicuti ad acrimoniam ſanguinis & ſeri, & inde mictum cruentum ſuccus plantaginis cum Rhabarbaro aſſumptus commendari ſolet. Quæ dicta ſunt aliàs de Hæmorrhagiis; hic etiam valent. Ubi eſt mictus cruentus ex vitio veſicæ, ibi convenit injectio ex ℥ij. aquæ plantaginis cum ʒj. Trochiſcorum de Carabe. Fortior injectio eſt ſi ſuccus plantaginis cum pulvere hæmatitis per Syringam injiciatur. Alii etiam emulſionem papaveris cum eadem lapide hæmatite injiciunt. Fit interdum ut ſedato mictu cruento ſanguis congrumatus hæreat in veſica. Hic ergo ne ſuppreſſionem urinæ inferat neceſſum eſt, ut diſſolvatur, in quo caſu ſuccinum & omnia ſuccinata præ cæteris commendantur, quæ ſanguinem reſolvunt & eundem fluentem ſiſtunt. Alias de tinct. ſulph. vitrioli ſpirit. diaplantag. Mynſichti & martialibus adſtringentibus ſuperius dictum.

CAPUT IV.

DE URINÆ EXCRETIONE LÆSA.

URina ex renibus per ureteres in veſicam diſtillans tamdiu ibidem continetur, donec vel nimiâ copiâ veſicam diſtendens, vel acrimoniâ ſuâ eandem irritans ſui excretionem urgeat. Unde aperto ſphynctere veſicæ in ejus collo, veſica ſui conſtrictione urinam expellit, idque ſecundum liberum voluntatis arbitrium. *Urina excretio læſa.*

Vitiatur hæc urinæ excretio quãdo eadem aut ABOLETUR ita ut omnino *ſupprimatur* id quod fit in ISCHURIA vitio veſicæ contracta: vel quando eadem IMMINUITUR: id quod fit quando parum & tantum guttatim idque non abſque ægri niſu & conatu excernitur urina ut fit in *urinæ* STILLICIDIO 3. vitiatur urinæ excretio, quando eadem AUGETUR in ejuſdem INCONTINENTIA, quando aut dormientibus aut vigilantibus urina involuntariè effluit. 4. denique depravatur urinæ excretio quando hæc ipſa *cum dolore* cum *labore* ut in *ſtranguria* & *dyſuria* & ſimilibus affectibus excernitur.

Quod attinet 1. ad ſuppreſſam urinæ excretionem ſ. ad ISCHURIAM ea (quæ fit vitio veſicæ (de illa quæ fit vitio renum ſuperius dictum) contingit vel quando ſenſus veſicæ torpidus non ſentit ſtimulum; Vel quãdo veſica ſe contrahere & ita urinam expellere nequit, vel denique quia meatus urinarius quem tranſire debet urin. eſt anguſtatus nimis & quaſi occluſus. *Iſchuria.*

Senſus

Senſus veſicæ torpet affectis nervis aut paralyſi aut ſtupore, iis nervis ſcil. à quibus veſica habet ſuum ſenſum. Sic enim A. LUSITANUS *cent.* 4. *obſer.* 10. obſervat ſuppreſſionem urinæ propter reſolutionem veſicæ ſ. paralyſin ex diuturna morâ in aqua frigida: Et ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 2. *Med. Princip. hiſtoriar.* 146. ſimiliter ſuppreſſam urinam ex torpido veſicæ ſenſu obſervat. Deinde non contrahitur veſica ob læſum fibrarum tonum propter quas ipſas eadem ſe amplius contrahere nequit. Dum enim ita laxatur ex nimia diſtenſione, ipſæ fibræ ſe non amplius contrahere poſſunt: id quod fit imprimis ex nimia urinæ retentione & hinc veſicæ nimia diſtenſione in fibrarum extenſione. Præterea fibræ ipſæ ſe amplius conſtringere nequeunt, & quamvis tota repleatur veſica, nihil tamen omnino excernere valet.

Sic SCHENCKIUS *in obſ. p.* 484. obſervat Iſchuriam periculoſam ob urinam nimis diu in veſica cohibitam, non minus quam FORESTUS *lib.* 25. *obſ.* 34. & ipſe obſervavit Iſchuriam ex nimia veſicæ diſtenſione. Unde æger quoties volebat urinam emittere, toties manibus Calefactis abdomen comprimebat & ita urinam exprimebat.

Quo etiam facit læſio nervorum veſicæ conſtrictioni inſervientium qui ex inepta teſtis extractione læſi doloroſam mictionem & fere urinæ ſuppreſſionem induxerunt uti obſervat HILDANUS *cent.* 4. *obſer.* 61. 3. *Anguſtatur* meatus urinarius vel propter tumores in ejuſdem radice obortos; quos inter tumores ſunt tumores proſtatarum in collo veſicæ ſitarum; Fit n. nonnunquam, ut poſt nimium exercitium venereum ſupprimatur urina quale exemplum obſervat.

PLATERUS *in obſ. pag.* 261. urinam ſuppreſſam ex intemperantia venerea in novo nupto. Nam tumefactæ proſtatæ ſpongioſæ ſ. glanduloſæ non poſſunt non comprimere Urethram & ita impedire urinæ tranſitum: ſic aliud ex tumore proſtatarum urin. ſuppreſſionis exemplum. Cum eſſem Romæ mortuus fuit princeps ex tantâ urinæ ſuppreſſione, adeo ut neque Cathetere, neque candelâ cereâ, aliâve re ex veſicâ poſſit prolici urina: aperto poſt mortem corpore nihil mali ſ. labis in meatu urinario inventum fuit niſi quod proſtatæ ſpongioſæ ad radicem penis ſitæ tumefactæ fuerint, à quo tumore ſuppreſſio urinæ lethalis exorta fuit. Inflammatio colli veſicæ vel inflammatio perinæi quatenus anguſtat meatum urinarium etiam ſuppreſſionem urinæ infert. Exemplum tale ſuggerit Z. LUSITANUS *lib.* 7. *Med. princip. hiſt.* 149. & 150.

Porrò anguſtatur meatus urinarius quãdo ejus orificiũ obſtruitur, nempe quod in veſicam hiat. obſtructio hæc fit ſæpiſſime à *calculo veſicæ*, uti notiſſimum eſt. Poſt hunc obſtruitur etiam à Pituita viſcida & glutinoſa, ſic n. urinæ ſuppreſſionem à filamentis craſſis inſtar calami ſcriptorii lethalem obſervavit Z. LUSITANUS *lib.* 2. *prax. admir. obſ.* 64. Item ex nimiâ craſſitie lactis nutricis Iſchuriam in puero quodam obſervavit. A. LUSITANUS *cent.* 6. *cur.* 12. Et ſane quicunque humor viſcidus in veſicam delapſus anguſtans meatum obſtructionem infert. Præterea ſanguinis grumi in veſica reſtitantes urinarium meatum obſtruentes & anguſtantes, hoc malum inferunt.

Denique pus craſſum aut ex ulcere renum aut veſicæ aut ex aliarum corporis partium ulceribus eò delatum & circa collum veſicæ collectum, ſuppreſſionem urinæ periculoſam infert. Quin & quæcunque comeſta quæ promptè ad urinam moventur & alia ſecum rapiunt, etiam urinam ſupprimere valent. Sic enim ex potu vini recentis nec ritè defæcati urinæ ſuppreſſionem obſervavit HILDANUS *Cent.* 4. *obſerv.* 52. Sicut idem HILDANUS obſervat periculoſiſſimam urinæ ſuppreſſionem ex uſu Terebinthinæ poſt cibos crudos & viſcidos aſſumptos, idque *Cent.* 5. *obſerv.* 59. Denique anguſtatur meatus urinarius in ſuo progreſſu, unde non poteſt tranſmittere urinam. Hæc anguſtia in progreſſu fit vel ex calculo in eadem pertinaciter impacto in ſpecie circa glandem: vel fit ex Caruncula poſt exceſionem ejuſque in eo enatum ulcus: quæ caruncula ex toto ſupprimit urinam. Hæc de cauſis.

QUOD ATTINET SIGNA.

ISCHURIA ex vitio veſicæ malum per ſe eſt notum. Verùm cauſarum ipſarum perſcrutatio neceſſaria. Vitium veſicæ latere nequit ex indolentia & inſenſibilitate. Vitium fibrarum diſtenſarum latere nequit ex eo quod urina fuit nimis diu retenta & quod admota licet Syringa, nihil effluxit, poſtmodum vero admota abdomini manu urin. profluxit.

CAUSAM verò veram eſſe in obſtructione meatus urinarii ſ. urethæ, patet ex eo, quod ingens tumor in pube ubi ſita eſt veſica apparet: item quod doloríficiſſimus ſenſus in veſica percipiatur. Item quod ex levi veſicæ contrectatione hic dolor inſigniter exaſperetur. Eſſe verò obſtructam veſicam à calculo, ſigna Calculi præſentis & ipſa manifeſtant.

Sin Calculus hæreat in meatu urinario etiam per ſe patere ſolet. Obſtructionem v. eſſe à grumis ſanguinis, monſtrant prægreſſus urinæ mictus, prægreſſus caſus ab alto, vulnus, ruptura aut ſimilium partium urinariarum mala, quæ ſuſpicionem de ſanguine congrumato & extravaſato inferre poſſunt. Materiam viſcidam obſtruere ductum patet ex eo, quod æger ſolitus ſit cum urin. ſubinde talem materiam rejicere, quod malum hoc ſubinde ſoleat recurrere: ſi ſit anguſtia ex tumore partium producta ex doloris ſenſu & ſitu tumoris patet.

SIGNA.

QUOD ATTINET PROGNOSTICA.

Suppreſſio urinæ malum eſt periculoſum quod intra 11. dies utplurimum enecat.

Retentio urinæ totalis in morbo ſine dolore, inſtantis mortis ſolet eſſe ſignum.

Quæ fit ex paralyſi, Iſchuria cotumaciſſima & ſæpius periculoſiſſima eſſe ſolet.

QUOD ERGO ATTINET CURAM.

Cauſa impediens tranſitum urinæ eſt removenda. Hinc interna diuretica ſ. urin. promoventia propinanda ac denique externis veſica ſubinde ſtimulanda. Sin ergo malum eſt à vitio nervorum, injiciendi ſunt Clyſteres acres & ſuppoſitoria cauta: ſicuti alias ferè in omni urinæ ſuppreſſione Clyſteres aut etiam blandè purgantia, quæ alvum ſtimulare valent per conſenſum ſimul ſtimulant veſicam, urinam promovent & etiam urin. excretionem adjuvant. vid. locus elegans in *Miſcellaniis* LANGII *curioſis.* Si ex aliis verò cauſis, Clyſteres emollientes ſufficere poſſunt. Item injiciendus eſt veſicæ liquor decoctionis Pulegii, Calaminthæ, rutæ, Caſtorei & ſimilium nervinorum.

Item applicanda ſunt fomenta ex decocto iſtarum plantarum nervinarum cum anetho, Chamomilla, abrotano: vel applicandum & etiam injiciendum eſt decoctum ex.

Semine aniſi & petroſelini ana ℥j.
Filipendulæ rubeæ Mj.
Zedoariæ ʒij. &
Baccis Lauri. ʒj.

Miſta decoquantur & applicentur vel etiam infundantur. Vel apponitur cataplaſma ex parietaria cum ol. ſcorpion. quod ipſum aliàs eſt egregium in quacunque

cunque urin. ſuppreſſione. Item fit inunctio circa os ſacrum, pubis & perinæum cum ol. ſcorp. Coſtino, Nardino, ol. Hyperici & Juniperi & ſimilibus.

Porro fiunt *inſeſſus* ſ. *ſemicupia* ex emollientibus vel ipſis etiam appropriatis nervinis ex materia medicâ notis ita tamen ut paulò ante inſeſſum exhibeantur diuretica cum aliquot guttis olei deſtillati ſuccini miſta vel aliquot guttæ olei deſtillati ſuccini exhibentur in aqua ſ. ſpiritu Juniperino.

Si fiat ſuppreſſio urinæ ex *extenſione veſicæ nimiâ* tunc conveniunt externè fotus ex parietaria, anetho, flor. chamomill. Melilot. ſemine Lini, fœnu græci. Origano, pulegio & ſimilibus. Item cataplaſma ex parietaria cum ol. ſcorp. Ex cepa & parietaria & ſimilibus.

Porrò ſi vitium ſit ex *obſtructione Vrethræ* tunc pro diverſitate materiæ effluentis varianda medicamenta: ſi ſit à grummo ſanguinis dantur internè ſanguinem congrumatum reſolventia v. g. ſolutio cancr. in aceto cum decocto radicis rubiæ Tinctorum.

Item dandum decoctum artemiſiæ cum decocto Chærefolii, dandi Trochiſci de Carabe, dandum ſperma Ceti it. Eſſ. Chærefolii Eſſ. Hyperici, Eſſentiæ Traumaticæ, &c. Item externè expertum remedium eſt in grumis ſanguinis ſtercus Bovinum quàm recentiſſime adhuc excretum quo pecten pudendum & partes intra anum perungendæ, ſic n. ſubitò reſoluto ſanguine emanabit urin. Si deficiat ſtercus bovinum recentiſſimum convenienter uti poſſumus ſtercore ſiccato ad ignem oleis appropriatis perunctо, videbitis hoc expertum à Z. LUSITANO *lib.* 2. *prax. admir. obſer.* 65. Aliàs etiam inſeſſus ex emollientibus inſigniter conducunt ad reſolvendos ſanguinis grumos ſicuti propriâ experientiâ docet TIMÆUS *lib.* 3. *conſil.* 41. Si malum ſit à materia viſcida & mucilaginoſa, conveniunt internè raphanacea ex armoracia, raphano communi & ſimilibus, contra mucilaginem craſſam potenter incidunt. Conveniunt tart. vitriolatus, tart. nitratus ſal tartari & ſimilia incidentia. Item ſpiritus Gummi ammoniaci compoſitus qui eſt optimus aut etiam ſpiritus ſalis dulcis qui etiam eſt egregius nam ſimul urinam ſtimulat.

Denique ſi malum ſit in pene aut collo veſicæ intumeſcentibus prodeſt Beccabunga cum flor. Chamomillæ inſtar fomenti aut Cataplaſmatis applicata. Item in Purulentia nimiâ ſuccinum cum vino propinatum eſt egregium remedium. Item in materia viſcida præ cæteris convenit ſuccus Limonum ad ℥iij. vel iv. aſſumptus quod probatiſſimum remedium AMATI LUSITANI *cent.* 3. *cur.* 71. Vel obſervatur miſtura communicata, RIVERIO à FORMIO *obſer.* 42. quæ fit ex.

Succi Limonum ℥ij.
Spiritus Terebinthinæ ʒij. &
Vin. albi ℥iv.
M. & aſſumatur.

FORESTUS ceu ſingulare experimentum commendat folia ribes nigræ, ut nempe decoctis urinam cientibus debeat addi: Hæc n. folia adeò pellere urinam, ut etiam ſanguinem proliciant. Res eſt probabilis. Nam ipſa folia odorem urinæ fætidiſſimum obtinent ita ut nulla matula ſit adeò fœtida quam hæc folia.

Et quidem internè ſemper propinanda quæ urin. promovent. *Externè* porro in quacunque Iſchuria iſte fotus quem dixi ex ſemine aniſi petroſelini & ſimilibus in vino coctus inſigniter convenit.

Aliàs etiam folia Tiliæ in vino cocta & ſuper pectinem appoſita ſubitò urin. proliciunt.

Porro externè remedia ex alliis & cepis præ cæteris conducunt: ſi ſcil. allia & cepæ cum oleis cocta aut frixa pubi applicentur aut pectini, potenter etiam pellere urinam dicunt, vel cepæ ſub cineribus coctæ addatur ℥ß. pinguedinis anſerinæ, illinetur hoc ipſum umbilico & pubi: hoc n. ſubito pellit urinam: Expertum hoc eſt cataplaſma in multis caſibus & aliis nil juvantibus.

Item convenit ſingulariter ſi urina ſuppreſſa fuerit à nimio coitu in tali caſu applicavit HILLERIUS *cent.* 1. *obſ.* 17. vel etiam parietaria (intelligo ſemper eam, quæ creſcit in parietibus antiquis propter rationes ſupra dictas) Contuſa & cocta & inde factum cataplaſma cum ol. ſcorp. pectini impoſitum prodeſt inſigniter & eſt experimentum ſingulare HELIDÆI & etiam dicit FORESTUS ſe nunquam fefelliſſe. Idem FORESTUS *lib.* 25. *obſ.* 8. Commendat hoc cataplaſma ad Iſchuriam perperæ deſperatam ex frigore ſubitaneo contractam: Eſt cataplaſma elegans: compoſitio ejus eſt talis.

℞. Herb. parietariæ m. ij.
Chærefolii m. ß.

Inciſa coquantur ad conſiſtentiam cataplaſmatis addantur.

Butyri recentis ℥ij.
ol. ſcorpion. ℥iß.
M. & applicetur calidè &.

hoc modo egregie curavit iſtam puerperam:
(Notabilis eſt caſus)

Aliàs externè fit inunctio cum ol. amygdalarum amararum item cum ol. nucleorum perſicorum: item fit inunctio cum unguento dialthea cum ol. ſcorpion. & ſimilibus. Denique ol. maſtichis deſtillatum inunctum umbilico remorantem urinam egregiè pellit. Tandem quorundam dicitur experimentum, ut ægro inſcio immittantur pedes in aquam fervidam ſ. benè calentem: ſic n. perterrefactum ægrum ſubitò urinam reddere aſſerunt. Quod etiam prodeſſe dicunt in Tuſſi.

In affectibus qui in urinæ excretione læſa conveniunt adhuc verſamur, & abſolvimus ſuperius *imminutam* vitio veſicæ: contrarium huic vitium eſt *urinæ excretio aucta* ſ. nimis cita, quando hæc nimis frequens redditur, in eo nempe caſu quando urin. ad voluntatis imperium & arbitrium ſatis diu retineri nequit, quando præter voluntatem effluit & hoc ipſum vitium communiter aliàs vocari ſolet

URINÆ INCONTINENTIA ſ.

Involuntarium urinæ fluvium. Vitium hoc urinæ incontinentiæ duplici modo affligit ægros aut enim dormientes ſolum modo urin. continere nequeunt, ut in lectimingis ſ. iis, qui ſtragula permingunt ſ. hoc vitium & diurno & nocturno tempore infeſtum eſt, ita ut à vigilantibus & dormientibus urin. nunquam ſufficienter retineri queat. *Vrinæ incontinentia.*

CAUSA hujus PROXIMA

Eſt deficiens conſtrictio ſphyncteris veſicæ: ſphyncter n. muſculus veſicæ fibris ſuis circularibus inveſtiendo collum veſicæ hoc fortiter adſtringit & arctè claudit ita ut præter ejus apertionem nihil poſſit effluere. Subito vero atque hujus vis conſtrictoria in fibrarum legitimo tono reſidens tollitur vel vitiatur eò ipſo etiam, urin. incontinentia adeſt. *Cauſa* ergo *proxima* erit *deficiens ſphincteris veſicæ conſtrictio.*

Deficit a. hæc ſphincteris conſtrictio 1. *ob paralyſin* ſ. reſolutionem, dum nervi ejuſdem reſoluti ſpirituum animalium tranſmigrationi vel advectioni inſervire nequeunt.

Sic enim ſphincter & ipſe reſolutus flacciditate ſua non poteſt conſtringere veſicam. Fit hæc ſphincteris reſolutio interdum à caſu ab alto in regionem lumborum & oſſis ſacri, ubi nempe nervi ad veſicam derivati ferè oriuntur.

Item luxatio vertebrarum in iſtis locis ſubinde urinæ incontinentiam infert. Sic n. 2. LUSITANUS

lib. 2. princip. Medic. inſtit. 143. refert incontinentiam urinæ ex luxatione extremarum vertebrarum dorſi ſ. lumborum per curam ſpinali medullæ applicatum curatum ſimilem obſervationem refert SCHENCK *lib.* 3. *obſer.* ex BENIORNIO. Item AMATUS LUSITANUS *Cent.* 2. *cur.* 11. de quodam qui ex lapſu in dorſum urinam retinere non potuit ex ultima vertebra affecta. Item diuturnior mora in aqua frigida & ipſa reſolvere veſicæ ſphyncterem & ſic incontinentiam urinæ inferre poteſt.

2. *Sphincteris veſicæ conſtrictio* deficit ob fibrarum ejus nimiam relaxationem ſ. tonum omninò læſum idque ſæpius propter nimiam diſtenſionem.

Cauſa hæc imprimis frequens mulieribus in partu difficili facto propter nimiam fœtus magnitudinem: ſic enim dum fœtus eluctari nititur per iſtas vulvæ anguſtias vaginam uteri diſtendendo & ſimul collum veſicæ ejuſque ſphincterem vaginæ uteri implantatum dilatando, in cauſa eſt, ut ſæpius poſtmodum urina retineri nequeat: Tale exemplum obſervat PLATERUS, in *obſ.p.*256. de mictu involuntario ob cervicis veſicæ partu dilacerationem & q. ſ. ſciſſionem.

3. Denique cauſa eſt retentionis urinæ læſæ quando *fibræ ſphincteris Conſtrictoriæ omnino lacerantur*, hoc ipſum fit non tantùm in vulneribus iſtarum partium d. imprimis etiam in lithotomia ſ. ſectione Calculi veſicæ.

In hac n. ineptè inſtituta ſubinde diſcinduntur fibræ ſphincteris, ut ob id poſtmodum urina retineri nequeat. Quale exemplum habet SCULTETUS *obſer.* 63. *armamentar. Chirurg.* de incontinentia urinæ ex laceratione Cervicis veſicæ poſt ineptam Lithotomiam. Pertinet huc etiam obſtetricum ineptia in partu mulierum, quæ dilacerantes veſicam urinæ incontinentiam inferunt. Exemplum habet HENRICUS AB HEER *in obſer.* 14. qui obſervat mulierem, quæ ob veſicæ ab obſtetrice dilacerationem non potuit retinere urinam: quæ & partu difficili rumpitur ſubinde ſphincter veſicæ, quam ruptionem ſequitur neceſſariò incontinentia urinæ. Quale exemplum habet SALMUTH *cent.* 1. *hiſtor.* 39. de ſphinctere veſicæ in partu difficili rupto. De obſtetricibus dixi, quod veſicam dilacerent. Ubi obſervetur quod in mulieribus propter collum veſicæ amplum, eo in loco ubi hiat in vaginam uteri, quod ibidem ex caruncülis Myrtiformibus una inſignior & grandior iſtud orificium veſicæ in vaginam implantatum firmat aut obdurat ut eò facilius in collo veſicæ ampliori urin. firmari & retineri poſſit.

Obſtetrices ergò ineptæ ineptè tractantes fœminas parturientes ſubinde lacerant digitis aut unguibus iſtam carunculam Myrtiformem majorem orificio veſicæ præpoſitam ex qua laceratione non rarò etiam pertinax urin. oritur in continentia.

Imò urinæ interdum incontinentia tandem oritur in mulieribus etiam propter prolapſum ſinus pudoris (non uteri) dum nempe fibris iſtis rugoſis nimis dilatatis & laxatis, ſimul etiam aut laxatus ſphincter veſicæ aut propter prolapſum ſinus pudoris hic nonnihil dilaceratur.

In tali caſu frequentius contingit ut oriatur aut ſequatur demum urin. incontinentia. Exemplum ſubminiſtrat BARTHOLINUS *cent.*4. *hiſt.*2. *p.*213. qui habet prolapſum uteri ſ. ſinus pudoris, inducentem urinæ incontinentiam.

Hæc eſt *vera & propriè* ſic *dicta incontinentia urinæ.* Pertinet huc vitium iſtud quando urin. ſatis diu retineri nequit, cum quidem poteſt retineri urin. d. non ſatis diu, idque propter continuum ſtimulum ita ut & ſæpe & parum excernatur abſque tamen dolore in excretione aut abſque ullâ moleſtiâ ſin v. retineri debeat diutius urin. tunc veſica doleat aut irritata excretionem ſtimulat. *Notha* quando quidem hæc eſt urinæ incontinentia. Nam ſphincter per ſe ineptus eſt ut contineat & retineat, d. propter continuum ſtimulum non præter diu ſatis ſe continere, quando aperiendo ſe emittat urinam.

Vitium hoc veſicæ interdum *in calculo veſicæ* contingit: dum nempe calculus incumbens orificio veſicæ ſuâ mole aut aſperitate aut aliâ ratione continuò irritando mictionem urget; Idem vitium obvenit interdum gravidis in ultimis menſibus, dum moles uteri aut premit veſicam aut dum uterum diſtendit ſimul etiam in partui vicinis diſtendit vaginam & ſic per conſequens etiam orificium veſicæ & ſic etiam percipitur continuus ſtimulus. Denique facit huc etiam vitium in ulcere veſicæ aut excoriatio ejus orificii ſ. cervicis. Sic namque ab excoriatione veſica ad excretionem ſtimulata excernit urinam, & frequentius & ſæpius mingitur. Denique *Tuſſis diuturnior & gravior* hoc vitium infert ut ægri tuſſientes ſimul urin. emittant. Quale exemplum obſervat SALMUTH. *Cent.* 2. *obſer.*30. Item PLATERUS *lib.* 2. *ſuarum obſervation.* SALMUTH quidem de quodam, qui quoties tuſſivit minxit: PLATETUS de quodam qui diutius tuſſiendo urinam tandem reddidit. Ratio quoniam in Tuſſi concutiuntur cum Diaphragmate omnes partes abdominis internæ, quibus concuſſis concutitur etiam veſica ut effluat urina. Tandem hoc malum etiam oritur quando veſica ob ſui anguſtiam ſ. nativam parvitatem urinæ multum retinere nequit: aut etiam quando propter tumorem aut proprium aut vicinarum partium ex compreſſione eadem anguſtatur, ut urinam ſatis diu retinere nequeat: id quod fit in inflammatione muſculorum abdominis in pubis regione veſicæ ſuperjacentium. Et quidem hæc urinæ incontinentia & cauſæ modò enarratæ communes ſunt tam vigilantibus quam dormientibus. Verum quando dormientes tantum ſtragula permingunt iſtud vitium eſt aut ex debilitate facultatis animalis ſ. ex torpore ſpirituum animalium, aut eorundem defectu, dum ſcil. hi aut deficientes aut torpidi non ſatis confirmant tonum veſicæ Cervicis adſtrictorium. Unde videmus, quod imprimis in tenellis aut infantibus propter ſpirituum torporem aut ſegnitiem hoc vitium frequentius ſit: interdum etiam *ſenibus in ultimo ſenio* obvenit, quia & interdum *morbis acutis* ſupervenit, ex proſtratione ſcil. facultatis ut vocant animalis ſ. ex defectu ſpirituum animalium. Interdum etiam *conſuetudo* hîc ſupervenit ita ut pueri interdum etiam adulti ex pravâ conſuetudine ſtragula largiter permingant.

QVOAD SIGNA DIAGNOSTICA

Affectus hic facillimus eſt cognitu. Nam ſi ægri tacent, loquuntur ſtragula & veſtimenta. Quæ ex relatione ægri facilè patebunt.

QVOD ATTINET PROGNOSIN

Urinæ profluvium dormientium eſt levius, quam vigilantibus etiam contingit.

Deinde ſi adſit talis urinæ incontinentia ex vitio cerebri ſ. ſpinalis medullæ periculoſus eſt affectus, nempe ex vitio ſphincteris exortus.

In *febribus acutis* aut morbis aliis acutis ſuperveniens incontinentia urinæ periculoſiſſima eſt. In *ſenibus* urinæ incontinentia ſæpè eſt *immedicabilis.* In pueris v. interdum per acrementum annorum curatur ſponte ſcil. intra annum 25. Nam ubi tunc non ceſſat, metus eſt ne ſit immedicabile malum.

Obſervat tale exemplum TIMÆUS *in Caſ. p.* 258. de puero incontinentia urinæ laborante incompeſcibili, quæ ipſa tamen ſuccedente ætate ſponte naturæ curata fuit.

QVOD ATTINET CVRAM.

In incontinentia urinæ imprimis cauſa eſt removenda. Hinc *adſtringentibus* & *nervinis* ipſum malum eſt tollendum. Conveniunt ergo in genere omnia ſimplicia *adſtringentia* & *nervina antiparalytica.* Et ſane ſi adſit malum à paralyſi ſ. reſolutione, medicamenta non ſolum veſicæ, d. imprimis applicanda ſunt lumbis, ubi ſcil. nervorum veſicæ eſt exortus.

Incontinentiam ergo urinæ etiam vigilantium ſanant Calamintha & Mentha cum vino ante paſtum pota. Deinde Alchimillæ uſus imprimis utilis eſt. Ulterius adhuc agrimonia utilior, quæ ſpecificè hic commendatur. Item plantago, Equiſetum, Hypericum ejuſque flores Semen agrimoniæ: glandes & medulla glandium: caſtoreum imprimis in affectu nervino. Galanga, Lignum Maſtiches & lignum aloës. Nam ligni aloës ſubtiliſſimi pulveriſati ʒj. exhibeatur cum cyatho dimidio) hauſtu vini albi generoſi aut etiam exhibeatur in ovo ſorbili manè & noctu cubitum ituris reiteretur ſubinde & malum curabitur. Sic etiam pulvis Maſtiches ad ʒj. datus in vini hauſtu ſimiliter commendatur. Myrrha & ipſa commendatur in ſpecie quidem ſi myrrha propinetur in vino decoctionis vel infuſionis Calaminthæ. Ulterius Thus ejuſque pulvis aut etiam pulvis gummi arabici ad ʒj. in vino aſſumptus commendatur. Hinc commendat JOEL ſequentem pulverem ad incontinentiam urinæ paralyticam.

℞. Calaminthæ.
Myrrhæ.
Caſtorei ana ʒiij.
glandium ʒ. v.

Pulveriſata ſubtiliſſimè propinentur ad ʒj. cum vino Enulato. Porrò *guttur galli* eſt unum ex decantatiſſimis ſpecificis ſi ſcil. toſtum & tritum cum vino potetur; de hoc vid. SENNERTUS ubi de incontinentia urinæ qui refert notatu dignam incontinentiæ urinæ curam cum gutture galli toſto ex SOLENANDRO *Conſ.* 11. *ſect.* 4. Et quidem hoc guttur galli ab HARTMANNO & LINDANO commendatur tam ad nocturnam quàm diurnam urinæ incontinentiam. Sic ab HOEFERO *in Hercule Medico pag.* 343. etiam ad Urinæ incontinentiam ex partu difficili laudatur. Porrò pulvis *cineris Erinacei* & ipſe eſt ſpecificum ſummum, & certiſſimum in urinæ incontinentia: quo ipſo frequentiſſimè uſus fuit D. MICHAEL eumque felici aliquoties cum ſucceſſu adhibuit: qui retulit etiam de Medico quodam qui per 20. annos hoc affectu laboravit & poſtmodum ſolo pulvere cineris erinacei curatus fuit. Unde BARTHOLETUS in *Encyclopædia pag.* 164. pulverem habet compoſitum ex Cinere Erinacei & interiori ſtomachi Gallinarum tunicâ, quæ duo pulveriſata inſigniter commendantur ab eodem. Unde etiam Erinaceus eſt Baſis pulveris experti MONTAGNANÆ pro iis qui lectum permingunt. Compoſitio eſt hæc:

℞. Erinacei combuſti ℥iij.
agrimoniæ ℥j.
ſtomachi gallinæ præparati ℥ß.

Fiat ex omnibus pulvis hujus ʒj. propinetur vel in vino vel in jure. Porrò *veſica ſuis* vel *apri* toſta item veſica capræ exſiccata & pulveriſata ad ʒj. data valdopere commendatur, præ cæteris *veſica capræ* præ veſica ſuis & apri commendatur. *Medulla lapidis das* (*Steinmarck*) quod apud *Jenenſes* & *Rochlizenſes* invenitur eſt etiam expertum remedium contra incontinentiam urinæ;

Nam hoc ipſo pulvere ad ℈j. propinato in vino generoſo D. TACKENIUS nobilem quendam 48. annorum urinæ incontinentiâ laborantem citra ſpem & expectationem curavit. Unde quidam admodum commendant hunc pulv. compoſitum in urinæ incontinentia.

℞. Pulveris medullæ lapidum ʒiij.
granorum Maſtiches ʒij.
Ligni aloës ʒiß.
M. D. ad ʒj.

Piſcis in ventre lucii inventus & propinatus commendatur, ab HARTMANNO ſicuti etiam ſunt alii qui hunc ipſum pro ſingulari venditant arcano. Porro *vulva ſuilla* ſ. pudendum ſuis admodum etiam laudatur: ſive propinetur in pulvere ſive ex eadem fiat farcimen qui propinetur ægro. Quod farcimen ex vulva ſuilla expertiſſimum dicitur eſſe ſpecificum: Hoc magis declarat. SCHENCK qui Theſauro *Medic. cap.* 1. *ſecret.* itidem dicit quod farcimen ex vulva ſuilla ſit expertum remedium contra incontinentiam urinæ tam vigilantium quàm dormientium.

Hoc tamen obſervat quod farcimen ex pudendo maſculi ſit pro maſculo faciendum, ex fæmelli pro fœmina. Aliàs cinis pudendi ſuilli loco farciminis ſubſtituitur. Nam hoc cinere pudendi ſuilli puer 18. annorum qui à nativitate urinæ incontinentiâ laboraverat perfectè curatus fuit. Quidam loco vulvæ ſuillæ ungulas porci caſtrati ſiccatas & ſubtiliſſimè pulveriſatas in potu communi propinant ad ſiſtendam urinæ incontinentiam. Porrò laudantur ſpecies diacumini & ſpecies diaplantaginis MYNSICHTI: quæ ſpecies diaplantag. MYNSICHTI in ſpecie mulieribus poſt partum Urinæ incontinentia correptis conducunt. Aliàs ad mulieres ex partu incontinentia urinæ laborantes ſingulare remedium eſt *pulveris bufonis vini* in nova ollâ uſti, & in ſacculo collo appenſi, quod eſt verum experimentum contra incontinentiam urinæ *in obſer.* 14. HEINRICI AB HEERS. Putabam primitus eſſe falſam hanc relationem: quid enim juvaret pulvis bufonis collo appenſus in incontinentiâ urinæ? poſtmodum tamen vidi confirmatum ab BOYLE, *in Philoſophia Experimentali p.* 217. ubi refert in Anglia fuiſſe reiteratum hoc experimentum idque felici cum ſucceſſu, quod ſcil. pulvis bufonis ſolus collo appenſus curavit incontinentiam urinæ ex læſione veſicæ in partu difficili. Inter EXTERNA imprimis *Fomenta* & *Balnea* laudantur facta ex abſinthio ex mentha flor. roſar. Balauſtior. Tormentillæ, foliis quercus radic. Biſtortæ & Symphiti (NB. qua ipſa mulieres redduntur virgines) corticibus & floribus granatorum, Gallis, Baccis Myrti & ſimilibus. Item hæc balnea poſſunt fieri ex aqua ferrariorum ferrata ſ. adſtringente. Item inunctio cum ol. abſinthii, Maſtichis, Menthæ, Myrtino, Cydoniorum & in paralyſi cum ol. Nardino, Coſtino, Caſtorei, cum ol. unguento nervino Auguſtanorum, item ſtyrac: liquidæ Balſamo Peruviano. Item unguento Comitiſſæ cum ol. Maſtichis malaxatum: Item unguentum martiatum cum pulvere Maſtichis, Cyperi, Myrtillorum, &c. Item Emplaſtrum Oxycroceum vertebris lumborum applicatum laudatur à JOELE.

TIMÆUS etiam hoc ſuadet in ſuis caſibus *p.* 258. Quidam hoc ceu unguentum ſingulare commendant contra profluvium urinæ muliebre ſeu potius contra urinæ ſtillicidium, quo ſubinde mulieres poſt partum difficilem affici ſolent.

℞. Lapidis Calaminaris in aceto deſt. & aqu. roſar. bis vel ter loti & ſubtiliſſimè pulveriſati ℥iv.
Lithargyrii argentei ℥ij.
Ceruſſæ præparatæ ℥j.
ol. roſarum
Chamomillæ aa. ℥v.

Agitentur ſimul per horas duas & cum axungiæ hircinæ ℥iij.

Fiat

Fiat unguentum benè agitando donec perfectam conſiſtentiam acquirat. Hoc unguento pars affecta, inungenda & linteo cooperienda miræ dicitur efficaciæ, vidique ſæpius comprobatum. Sin verò urinæ incontinentia obveniat tantùm dormienti. (Hactenus enim habuimus quæ in genere tam incontinentiæ urinæ nocturnæ quàm etiam quæ diurnæ medentur; ex iiſdem enim cauſis etiam nocturna oriri poteſt) tunc convenit, & quidem ex HELIDÆI PADUANI experientia, pulvis Cupularum glandium. Item pulvis caſtorei adultis ad ʒj. junioribus ad ℈j. propinatus.

Item pulvis pulmonis hædi toſti & ad ʒj. exhibiti ceu ſpecificum commendatur, alii ʒj. cerebelli leporis exſiccati commendant. Item teſticulorum leporis exſiccatorum pulverem laudant: terra ſigillata ad ʒj. cum aqu. parietariæ propinatur pulvis Auguſtanorum pro lectimingiis quem commendat HECHSTETERUS *Decad. 6. caſ. 2.* in Scholio eſt hic:

℞. Stomachi Gallinarum.
Maſtichis.
Galangæ aa. ʒj.
agrimoniæ.
oculorum cancror.
alchimillæ aa. ℈ij.
Cupularum glandium. ʒij
Nucis myriſticæ ʒj.
Erinacei combuſti ℥j.
ſacchari ℥ij.
M. D. ʒj. ad ʒij. in aqu. plantaginis.

Muribus elixis in potu datis certo experimento ſupprimi urinam dormientibus emanantem, Dicit FORESTUS *lib. 25. obſ. 22.*

Denique cuidam ſingulare experimentum venditur *Rana viridis* per medium ſciſſa & renibus applicata. Nutrices & mulieres interdum pueris penes conſtringunt cum quodam vinculo, lectulos permingant, ſed fit hoc cum ſummo periculo. Exemplum vide in BARTHOLINO *lib. 3. hiſtor. 52. pag. 103.* ubi ex penis conſtrictione periculoſa ſecuta notat ſymptomata.

Habuimus ita imminutam & auctam etiam excretionem urin. ex veſica. Sequitur

DEPRAVATA URINÆ EX VESICA EXCRETIO.

Quando nempe urina cum dolore, cum calore, inſigni difficultate vel alio modo p. n. excernitur, quæ inter vitia communiſſimum fere eſt

STRANGURIA.

Stranguria. STRANGURIA dicitur ἀπὸ τȣ͂ ϛράγγος ᾶ gutta; Latinis quibuſdam *urinæ ſtillicidium* redditur; quia in, eadem urina guttatim excernitur cum acerbo dolore tam in quàm poſt mictionem remanente una cum continuâ ad mingendum irritatione: Et ſane ſimillimus eſt affectus ſtranguriæ cum Teneſmo. Nam ſicuti ſe habet Teneſmus in podice ejuſque ſphinctere, ita ſe habet ſtranguria in veſica ejuſque muſculo conſtrictorio, dum uterque continuò irritatur: podex quidem à materia viſcida & corroſiva: veſica vero ab urin. acidâ & admodum morſicante, qui affectus dicitur in podice Teneſmus, etiam in veſica eſt ſtranguria. Communiter malum hoc oriri volunt ex refrigeratione abdominis & in ſpecie veſicæ: & hæc ratio appellationis eſt vulgaris, quâ vocatur *die kalte Seich*, quod ſcil. oriatur ex refrigeratione præſuppoſitâ.

CAUSA

PROXIMA ſtranguriæ eſt vitioſa aciditas urinæ quæ acore ſuo ſtimulando veſicam & rodendo meatum urinarium, continuum ferè mingendi conatum acerbumque dolorem diu permanentem infert.

Et tandem etiam dum vellicatus ſphincter ſe contrahit, ſimul adjunctam habet guttularum ſ. guttatam urinæ excretionem.

Dolor iſte primariò percipitur in Urethra, idque poſt mictionem: vel ſaltim iſte dolor, qui eſt in Urethra acerbior eſt illo, qui in veſica & ejus collo.

Ratio eſt: Licet enim Urethra & interior veſicæ membrana ſit continuata & una eademque ſubſtantia: tamen veſica interius obſita eſt muco craſſo nonnihil viſcido, qui craſſus mucus eam oblinens defendit eandem ab acrimonia urinæ acida roſiva, ita ut minor ex acido in veſicâ oriatur dolor.

Verum cum Urethra hoc unguento naturæ careat, eò acerbius cruciatur à tranſeunte urina acidâ. Hunc urinæ acorem confirmat, quod in noſocomio Lugdunenſi taliter affecti urina guſtata acorem manifeſtum linguæ impreſſerit.

Et huc optimè facit experimentum HELMONTII *in Tr. Pleura furens*, qui demonſtraturus in urin. ſtrangurioſorum peccare acidum, juſſit ſumere urinam naturalem & huic addere tantillum vini aciduli & injicere in veſicam. Hinc enim percipitur ſubitò dolor ſtranguriæ ſimillimus.

Id quod ulterius confirmatur per curam, quæ per talia quæ acidum præcipitant aut obtundendo demulcent, curatur, & quoniam iſta vitioſa aciditas facta qſ. quadam præcipatione in veſica præcipitatur; Hinc præprimis urinæ albicantes pallidæ lacteæque excernuntur.

Acor hic ſtranguriæ autor natales ſuas habet in primis viis, ſeu in ſtomachi digeſtione. Dum nempe potulenta aſſumpta non ritè digeſtat ſed acore aut ſtomacho aut proprio adhuc tincta & inquinata è ſtomacho dilapſa rapiuntur, per inteſtina ad vias urinarias tq. urin. potus: unde collecta poſtmodum in veſica hanc ſuo acore ſtimulant & ita ſtranguriam inferunt. Hoc loquitur quotidiana experientia. Dum unuſquiſque obſervare poteſt quod vel vinum meracum, vel muſtum, vel cereviſia non rite defecata aut copioſius aut intempeſtive aſſumpta ſequatur ſtranguria.

Hæc enim ſunt talia quæ facillimè creſcunt & acorem ſuum pertinaciter retinent. Unde nec adeò facilè neque in ſtomacho neque à bilis ſal. vol. oleoſo hic acor temperari poteſt, quin ulterius pergat & hoſtilitate ſuâ in veſica ſtranguriam inferat, interdum, d. rarius ulcus veſicæ dat ſtranguriam purulentam ex pure acri & acido unà cum urina excreto. Dico rarius. Nam potius dyſuriam infert ſ. ardorem urinæ.

Præter hanc ordinariam ſtranguriam datur etiam STRANGURIA VIRULENTA iis frequens qui laborant lue venerea, quæ difficillima eſt curatu & ſubinde in ulcus penis & proſtatarum ejus terminatur, quin & hæc ſtranguria virulenta quibuſdam conſeneſcit & commoritur: ut obſervat SCHENCKIUS *lib. 3. obſerv.*

Rarum eſt quod oriatur ſtranguria admodum pertinax & torminoſa ex incantatione, quale, exemplum ſtranguriæ incantatoriæ ſingulare refert HELMONT. *tr. de lithiaſi*, quam curatam dicit per ſuccum Betulæ ſ. cereviſiam betulinam; cum ipſa betula ad incantationes ſit ſingularis.

Malum ſtranguriæ per ſe patet, de quo conqueruntur ægri, quibus eſt inſigniter moleſtum.

Cæterum quoad cauſas interrogandus eſt æger de uſu externorum aſſumptorum, cum ſæpiſſimè ex cauſis externis oriatur.

QVOAD PROGNOSIN.

Malum periculoſum non eſt, utut admodum moleſtum & in ſpecie in ſenibus difficillimum curatu propter debilitatem digeſtionis & Chylificationis in ventriculo.

Interdum ſtranguriam aut diuturniorem aut contumaciorem ulcus veſicæ ſequitur.

QVOD ATTINET CVRAM.

In hac imprimis ventriculus eſt rectificandus & hinc acidum urinæ præcipitandum aut temperandum.

Inter ea quæ pro rectificatione ventriculi conveniunt, primatum obtinent *vomitoria*, quorum utilitatem in ſtranguria & aliis urinariis affectibus multis commendat RIVERIUS in *prax.* & per experientiam confirmat HILDANUS *cent. 6. cap. 52.*

Porro ad rectificandum ſtomachum ſubinde etiam *purgantia* interdum propinentur, quæ inter ſunt pilulæ ex Terebinthina cum pulvere Jalapæ: Cùm in ſpecie renibus conducat item ſpecies diaturbith cum Rhabarbaro ac denique cum extracto Panchymagogo mercur. dulcis propinatur, qui in ſpecie utilis eſt in ſtranguria virulenta. Aliàs convenit radix Glycyrrhizæ item Portulaca ſonchus levis, glandes pulveriſatæ aut etiam gallæ: Nam omnia abſorbent acidum. Flor. violarum, Nymphææ, Chamomillæ, Fructus alkekengi ſingulariter conveniunt: Eorum Eſſ. aut etiam extractum alkekengi commendatur. Porrò ſemina 4. frigida majora ex iiſque cum papavere albo paratæ emulſiones. Nam hujuſmodi oleoſa ſemina acrimoniam urinæ obtundunt.

Præ cæteris cortices aurantiorum ſunt egregium ſtranguriæ experimentum ſive exſiccati uſurpentur ſive earum Tinct. ſ. Eſſ. aut quod optimum omnium eſt ol. deſtillatum corticum aurantiorum ad aliquot gutt. aſſumptum. Nam hoc ol. corticum aurantiorum expertum eſt in ſtranguriâ ex cauſa externè aſſumptorum oborta: hujus n. ſal. vol. egregiè præcipitat acidum.

Ex eadem ratione: nempe ſal. vol. oleoſ. conducit nux myriſtica. Hæc in ſtranguriam curat ab uſu cereviſiæ crudæ contractam.

Porrò ex vegetabilibus foliorum ribes, nigræ odor & eorundem decoctum à FORESTO ſingulariter commendatur *lib. 23. obſer. 2.* Quin & gemmæ ribes nigræ ad ℥ß. cum ſemine Dauci in vino nigro ſ. rubro decoctæ ab eodem FORESTO laudantur. Porrò decoctum raparum ſpecificum eſt GABELCHOVERI *cent. 3. pag. 9.* ubi hoc decoctum raparum in affectibus urinariis in ſtranguria & dyſuria ſingulariter commendat. Item decoctum herbæ & baccarum Alkekengi cum paſſulis inſigniter laudat. A. LUSITANUS *cent. 6. cur. 92.* miras vires dicit obtinere Balſamum Peruvianum, ſi ejuſdem ʒj. interius propinatur. Loco ejuſdem ſpecificè commendat LINDANUS Balſamum Copaiba in decocto Petroſelini aſſumptum, qui experimentum etiam aliàs eſt in Gonorrhæa.

Porrò ſi à cruditatibus ſit ſtranguria potus vini Hiſpanici aut Malvatici aut Malvaticum Juniperinum uſurpantur. Vel etiam convenit vinum, in quo ſilices candefacti aliquoties ſunt extincti fit enim vinum diuretium omne acidum abſorbens. Propter hanc vim abſorbendi acidum in ſtranguria, præ cæteris in uſu ſunt ſubjecta alcaliſata v. gr. ocul. cancror. lixivium ex teſtis ovorum cum vino paratum. ſal ſilicum: ſal ſtipitum fabarum, C. C. uſtum, ſal tart. Tinct. tartari, &c. Item Borracis ℈j. ubi alia ſunt incaſſum adhibita prodeſt. Item ſpiritus tartari, ſpiritus Carminativus ex ſale tartaro & ſpiritu vini inſigniter laudatur.

Imprimis in cancris abſoluta eſt cura ſtranguriæ, dum eorum alcali vol. quodcunque acidum abſorbet.

Hinc ſunt qui commendant ut 2. cancri fluviatiles contundantur in mortario. Cancris contuſis affundatur aquæ vel cereviſiæ parum & ita ſuccus exprimatur, qui ſuccus propinatus in ſtranguria certiſſimè juvat.

Faciunt huc etiam Pilulæ QUERCETANI quibus utitur in omni ſtranguria, in omni Dyſuria, Item in exulceratione renum. Eorum compoſitio eſt hæc:

℞. Thuris.
Myrrhæ.
Maſtichis aa. ʒij.
Succini (bona eſt compoſitio.)
Croci aa. ʒß.
Camphoræ ℈j.
Antimonii Diaphoretici ad pondus omnium.
(quia eſt ſubjectum alcaliſatum)

c. ſ. q. Terebinthinæ in ſpiritu vini tartariſato diſſolutæ fiant pilulæ doſ. ℈j. quæ ſubinde eſt repetenda.

Porro ſal vol. Cepæ, & ipſum eſt quod ſtranguriam tollit: unde recipe cepam minutim inciſam, quam infunde aquæ ſimplici per 24. horas aqu. infuſionis bibe & te liberabis à ſtranguria; Nam ſal. vol. cepæ eſt egregium diureticum, quoniam abſorbet acidum.

Inter *externa* in ſtranguria imprimis in uſu ſunt 1. quidem *Cataplaſmata* ex parietaria & rutâ cum ol. ſcorpion. cocta & applicata. Alii umbilico inungunt ſevum commune ſ. candelæ & hoc etiam juvat. Ratio eſt continuitas veſicæ & umbilici imprimis Urachi.

Loco ſevi communis eſt ſevum ſ. axungia hirci cum aliquot guttulis ol. ceræ & corticum aurantiorum deſtillati. RULANDUS *in ſuo Theſauro Pract. ſ. cur. Empiricis* commendat tq. expertum in ſtranguria in ſe ipſo ſuffimigium hocce: Raphanum conciſum decoquit in vino benè vaſe clauſo & obturato, his probè ebullientibus ſupponere jubet ſellam perforatam, cui æger inſideat & veſicæ regionem ſuffimiget, hoc enim meatus reſervare, lotium provocare & temperare idem RULANDUS aſſerit.

Aliàs uſitatum eſt quaſi ſympatheticè & magneticè curari ſtranguriam ſcil. adſcendunt focum cineribus calidis adhuc repletum.

Hinc abſtergunt iſtos Cineres & largiter permingunt focum adhuc calidum, ſic enim exſuſcitatur vel elicitur fumus, qui largiter excipiendus eſt circa locum veſicæ ſ. à partibus genitalibus ſicque curari ſtranguriam aſſerunt (*melius præſtaret cieri urinam ſcopula adoleſcentis quo plus dilatata grandior excitaretur vapor.*)

Aliàs in malo pertinaciori uſitati ſunt *Clyſteres* emollientes & anodyni in ſpecie ex lacte injecti: quia & ipſa injectio lactis in veſicam imprimis Chalybeati eſt egregia in ſtranguria. Vel ol. amygdalarum dulcium recenter expreſſum injicitur & hoc ipſum temperat acrimoniam acidam urinæ. Sicuti aliàs quod obiter moneo etiam per os uſiatum ol. amygd. dulcium cum ſyrup. de althea additis oculis cancror. ita aſſumptum.

ſumptum. Quod ſupra dixi de ol. aurantiorum internè contra ſtranguriam, valet etiam de ol. ſuccini, quod eſt egregium.

Habuimus ſtranguriam tq. affectum concernentem vitia urinæ Excretionis: ſed præter ſtanguriam vitiatur etiam urin. Excretio in affectu ſtranguriæ admodum cognito nempe in

Dyſuria. DYSURIA ſ. *urinæ difficultate* quando nempe cum conatu & labore ægri accedente non levi dolore urina effluit. Dolor iſte concurrens, cum inter mingendum quaſi ardoris ſenſum inducat ſ. exprimat ob id hoc malum *ardor urinæ* etiam communiter vocatur.

Conqueruntur enim ægri in tali affectu (*es brenne ols menn heiſt Maſſer durchlieffe,*) ita ſolent exprimere urinæ hoc malum.

Cognatus eſt affectus cum ſtranguria. Differunt tamen ſtranguria & dyſuria.

1. In eo quod in dyſuria urina guttatim ſed ſine interruptione & ſæpius in debitâ quantitate effluit.

2. Quod dolor tantùm inter mingendum percipitur, non vero ante aut poſt mictionem, ut in ſtranguria.

3. Quod rarius urinæ acrimonia, ſæpius v. veſicæ aut vicinarum partium affectus in ſpecie quidem læſio meatus urinarii dyſuriam inferant: ſtranguria v. tantummodo à ſola urinæ acrimonia oriri.

QUOD ATTINET CAUSAS.

Dyſuriæ ſ. urinæ ardoris eadem eſt aut in urin. quæ excernitur aut in partibus, per quas eadem excernitur.

Hæ ipſæ enim præternaturaliter affectæ etiam ab urin. naturaliter conſtituta præterfluente læduntur, & hinc doloris ſenſum concipiunt.

Primo ergo urin. licet rarius, dyſuriam infert, qn. nempe eadem acris nimiſque ſalſa exiſtit, ſive fiat à copioſis ſalibus imbibitus, ut fit in hypochondriacis, & ſcorbuticis, ſic dyſuriam lethalem ex acrimonia ſeri ſcorbutici cum mira penis retractione obſervarunt *M. A. N C. ann. 4. p. 159.* ſive fiat à pure acri & ſalſo permiſto, quod pus aut exulcerationem renum, aut exulceratarum partium aliarum ſolet cum urin. permiſceri, aut qn. urina à cantharidum aut applicatarum externè, aut perperam propinatarum internè, corroſivo veneno eſt imprægnata: tunc enim etiam dyſuriam inferre ſolet.

Facit huc mercur. præcipitatus, nec ritè præparatus, de hoc ipſo n. mercurio obſervat FORESTUS *lib. 25. obſervat.* 37. de quodam nauta, qui gonorrhæa laborans, & mingendi difficultate cum uſurpaſſet pilulas præcipitatas ſ. ex mercurio præcipitato paratas, exinde urinæ ardorem duplo majorem incurrit.

Obſervatur ſubinde in dyſuria quod ſimul excernatur materia craſſa mucilaginoſa & pituitoſa, quæ ipſa nihil aliud eſt quam nutrimentum veſicæ, aut partium iſtarum urinariarum proximum, quod ex iſtis partibus læſis & nonnihil excoriatis continuò extillans, unà cum urina ſub formâ mucilaginis craſſæ excernitur, quæ ipſa mucilago urinæ ardorem augere ſolet, quatenus meatum urinarium nonnihil obſtruendo difficultatem infert in mejendo, ut non abſque conatu & non abſque labore fiat urinæ excretio.

Unde eſt quod refert VESLINGIUS *in obſervat. anatomicis* a BARTHOLINO *editis p.* 146. de mortuis ex dyſuria qui exhibent veſicam mucoſa & lenta albicante materia plenam. Sed rarum eſt uti dixi quod urina affecta inferat dyſuriam. Frequentius eſt quando aut partes urinariæ aut partes vicinæ inferunt dyſuriam.

Partes urinariæ malè conſtitutæ inferunt dyſuriam imprimis, quando *veſicæ* aut *ejus collum* aut etiam meatus urinarius ſunt excoriata aut exulcerata: Frequentiſſima hæc eſt cauſa.

Hæ n. partes excoriatæ & exulceratæ à præterfluente urina naturaliter licet conſtituta ingentem & acerbum dolorem concipiunt: Et ſi quæ alia eſt cauſa hæc eſt frequentiſſima. Utut non rarò *Calculus veſicā* eandem nonnihil excorians, aut alio modo lædens dyſurias pertinaces cauſari ſoleat.

Pertinent huc *proſtatæ affectæ ſ. glandulæ iſtæ* quæ in radice penis juxta collum veſicæ ſunt ſitæ: (Hæ ſunt imprimis *Gonorrhææ virulentæ* ſubjectum) quæ imprimis afficiuntur à contagio venereo per congreſſum impurum concepto: unde eædem exulcerantur. Exulceratæ verò dum urin. præterfluit & eas abluit immensè dolent, quia & ita affectæ loco lymphæ blandè oblinentis urethram elaborant ſuccum acrem & virulentia corroſiva venerea infectum, qui ipſe ſuccus dum urethram, per quam fluit, excoriat & lædit, hoc ipſo dyſuriam admodum crudelem inferre ſolet.

Difficillima tunc eſt cura, quippe interdum in *ulcus penis* terminatur, immò hæc virulentia cum quibuſdam cōſeneſcit & moritur, uti obſervat J. SCHENCK. *l. 3. obſer.*

Verum hæ partes urinariæ & per conſenſum vicinarum partium affectarum etiam dyſuriam interdum inferunt.

Sic *affecto utero*, aut *affecto inteſtino recto*, nil frequentius eſt quam ut ſuperveniat dyſuria. Propter *inflammationem inteſtini recti* & *Teneſmum* & dyſuriam obſervavit A. LUSITANUS *Cent. 6. cur.* 84.

Item ex conſenſu cum hæmorrhoidibus dolentibus, ſtillicidium & ardorem urin. curatum poſtmodum per clyſma ex oleo violarum, annotat SCHENCK *lib. 3. obſer. de hæmorrhoidibus.*

SIGNA HUIUS DYSURIÆ,

per ſe & ex ſe facilè patent cum ab ægro referente & de dolore conquerente cognoſcantur. Imprimis a. cauſæ antecedentes facilè alia ſigna ſubminiſtrāt Medico: an ſit ex ulcere, an reliquis partibus affectis, &c.

QUOD ATTINET PROGNOSIN.

Dyſuria malum quidem per ſe non eſt lethale, tamen admodum moleſtum, & ſæpius admodum contumax & diuturnum, in qua diuturnitate, ex quacunque ſit cauſa interdum veſicam exulcerat, aut ejus factam jam exulcerationem inſigniter exaſperat.

In ſenibus difficulter curatur niſi forſan *potus vini Malvatici* aut pulv. ſtomach. Querc. eandem tollat. Si à mucilagine craſſa quæ interdum in dyſuria effluit, oriatur ſuppreſſio urinæ ex obſtructione canalis per quem fluit, malum eſt periculoſum aut ſaltim moleſtum.

QUOD ATTINET CURAM.

In hac attendatur imprimis, ut urinæ acrimonia temperetur, aut ut urinariæ partes læſæ, in ſpecie veſica exulcerata aut excoriata conſolidetur, aut denique ut vicinarum partium affectus tollantur.

In ſpecie ergo quod attinet remedia uſitata: conveniunt hîc ferè omnia ea quæ heri de ſtranguria commendata fuerunt. In ſpecie *Malva* & omnia ex Malva parata admodum commendantur, quatenus egregiè temperant urinam acrem & ſenſum obtundunt. In ſpecie *conſerva florum Malvæ* inſigniter per experientiam comprobata fuit A. LUSITANO *cent. 6. cur.* 58. ubi ardorem urinæ cum carunculatum mictione beneficio conſervæ ex floribus Malvæ curavit; Conf. HÆCHSTETTER. *decad. 6. caſu 2. ſchol.* ut ſirup. de Malva, Exemplum vid. in HORST. Junior. Epiſt. & Obſ. p. 50. Item mucilagines ſeminum cum decocto altheæ paratæ, & cum hoc ipſo propinatæ ſunt euporiſton HARTMAN. *in prax. Chimic.* Potius ex his fiat decoctum, quod vel ita addendo lap. can-

 cror.

eror. uſurpetur, vel addatur *nitrum*, & potus erit gratus. Aliàs etiam *decoctum flor. Malvæ* cum *jujubis & ſebeſten* commendari ſolet pro uſu interno.

Nam ſiquid aliud, *grana ſebeſten* in ardore urinæ ſunt commendatiſſima ſcil. ℞. grana x. & infunduntur in aqua ſempervivi majoris: Hinc aſſumuntur iſta grana, & ſuperbibitur iſtud infuſum quod inſigniter dolorem lenit, Uti hoc commendat GABELCHOV. *Cent.*1. *cur.*21. Alii recipiunt omni manè ℥v. decocti granarum ſebeſten, quod inſigniter ardorem urinæ & dolorem lenit, idque imprimis ſi tantillum decocto fuerit additum. STOCKERUS *in praxi* laudat *decoctum hordei*, *Sebeſten* & *Glycyrrizæ* manè veſperique hauſtum unà cum ſyrupo papaveris. Porrò *lac* ejuſque *ſerum* & omnia *lacticinia* ſingulariter commendantur tam in omni dyſuriâ quam in ſpecie ſi orta fuerit eadem à *Cantharidibus* quarum corroſivi veneni appropriata medicina eſt in lacte. Hauriatur iſtud aut crudum aut potius ſerum lactis in quo decocti flores chamomillæ: ſic enim fit anodynum & abſterſivum, aut in quo decocti ſunt flores (cyani & calcatrippæ qui egregiè ſunt diuretici:) Et quidem copioſè ſumendum eſt lac & omnia ex lacte parata, quoniam ſunt admodum proficua.

De *fructibus alkekengi* dixi quod conveniant ſingulariter contra ſtranguriam, quod etiam verum eſt de dyſuria ſi maritentur cum *paſſulis* & propinentur conjunctim, egregium præbent remedium contra dyſuriam. Ulterius *terebinthina* & omnia *terebinthinata* uti aliis affectibus urinariis medentur, ita etiam hic conveniunt: imprimis ſub forma, pilularum terebintina uſurpatur, quare per os, v. gr. olibani, myrrhæ, maſtichis, ſuccini, boli armenæ, ſanguinis draconis, & præ omnibus *antimonium diaphoreticum* in pilulas cum terebinthina conjunguntur, & certus earum numerus aſſumitur. Pertinent huc pilulæ d. ELLENBERGERI ad ardorem urinæ. Compoſitio hæc eſt.

℞. Succi Liquiritiæ depurati.
Succini.
Thuris ana q.ſ.

incorporantur cum terebinthina Cyprina & uſurpantur manè jejuno ventriculo, plus minus, prout majores vel minores ſunt pilulæ.

JOELIS pulvis admodum commendatus ad dyſuriam, eſt factus ex teſtis ovorum, ſemine urticæ & ſuccino. Nam ſuccinata omnia admodum commendantur. Unde etiam trochiſci de carabe, item trochiſci de terra ſigillata uti etiam trochiſci de alkekengi in officinis, uſurpantur ad dyſuriam in ſpecie ubi adeſt exulceratio aut excoriatio in partibus urinariis, ol. ſtillat. Carvi expertum fuit à THONERO *in obſervat.* gutt. v. ol. deſtillati Carvi dyſuriam dolorificam ſubitò ſedavit.

Veſica capræ præparata, item *veſica apri* ſylveſtris maſculi ſiccata & pulveriſata ad ſtranguriam & dyſuriam præſentiſſima dicuntur remedia, ita ut ægri miraculi inſtar levamen ſentiant uti loquitur HÆCHSTERUS *Decad.*6. *caſ.*2. ubi etiam habet quædam de Malva. Item *ſerpillum* calefactum, & partibus urinariis applicatum dolorem ſedat, & urinam promovet, quod expertum ſe eſſe ait, *Conſ.*187. Hinc etiam *Pulegium*, ſerpillo cognata planta, quovis modo aſſumptum ad dyſuriam commendari ſolet. Pulvis *nucleorum perſicorum* cum calicibus lapid. &c. inſigniter conducit in dyſuria pertinaci etiam ſenili, uti hoc per experientiam refert GABELHOV. *Cent.*1. *p.*39. Loco hujus *Dactyli* ſunt ferè ſalubriores, ex his enim expertum tale præparatur εὐπόριστον.

℞. Dactylorum q.v. aſſa limâ redigantur in tenuiſſimum pulverem, caro vero ſcindatur in particulas & ſiccetur in clibano pulveriſetur in mortario, & miſceatur cum pulvere oſſium addendo æquale pondus ſacchari: cujus pulveris manè & veſperi tantum ſumatur, quantum cultellis cuſpis ter capere poteſt, idque aſſumatur in hac miſtura.

℞. Syrupi de althea Fernelii ℥iii.
de Cichorio cum rhabarbaro ℥i.
aqu. Nympheæ.
Lactucæ.
Chamomillæ ana ℥iv.
Cinnamomi ʒß.
M. pro vehiculo iſtius pulvis.

Hoc ceu expertum commendatur in dyſuria. Antea commendavi lacticinia, internè ſunt quia ad dyſuriam ceu ſingulare remedium commendant cui ſint commixti aliquot vivi *pediculi* per catheterem in veſicam immiſſi, & quidem hoc expertum dicit SANCHES *in obſer.* Sic etiam laudari aliquando hoc ipſum audivi à doct. MICHAEL.

Porrò clyſteres ex lacte aut ſimiles clyſteres anodyni infuſi dolorem & calorem mingendi admodum levant: Unde uſitatiſſimus eſt eorum uſus. In dyſuriis quidam hoc unguentum ad urinæ difficultatem commendant.

℞. Unguenti martiati.
agrippæ.
ol. Laurini ana ℥i. Miſceantur.

& inungatur iis calidè regio pubis & ſubitò urinam reddet æger idque abſque dolore.

Hæc de Affectibus urinariis, & qui ad illas pertinent. Pergo ad

CAPUT V.

DE LYMPHÆ SEPARATIONE in glandulis vitiata, indeque ortis catharrhis in genere & in ſpecie.

UT pateat connexio cum ſuperioribus: Nota, quod ſanguis (de quo jam ſuperius etiam dictum) ad omnes partes moveatur (æquali circulo, in quarum quibuſdam uti etiam dixi) aliquid patitur, imprimis quidem in viſceribus internis, quo pertinent ſolennes quædam ſecretiones ab eadem factæ: quo etiam facit dum præter alia interna viſcera etiam *ad glandulas movetur*, ut in iiſdem aliquid ſeparetur, quod ad lymphæ conſtitutionem & elaborationem requiritur; idque *tàm in conglobatis glandulis quàm in glandulis conglomeratis:* In utriſque enim perfici aut elaborari lympham notum eſt, quæ ipſa tamen ex glandulis *conglomeratis* cavitati cuidam infunditur, qualis eſt *lympha pancreatica* lympha *ſalivalis*, lympha *oculorum* ſ. *Lacrymalis* & ſimilis lympha ex glandulis conglomeratis in cavitates certas ad ſingulares uſus effuſa: ſicut è contra eadem lympha ex glandulis conglobatis per communem truncum thoracicum infunditur ſanguini circa venam axillarem ſiniſtram.

Theoria lymphæ, quomodo fiat, quæ ſit natura & uſus, exacta cognitio ex phyſiologicis hic præſupponitur: quæ ipſa præſupponitur ſic: quod ſit naturaliter liquor aquoſus & tenuis ſpirituoſus tamen & ſubacidus ſ. acore quodam temperato naturaliter impræegnatus, qui liquor ſ. quæ lympha aut in certas cavitates corporis ad uſus quoſdam particulares, aut in totam maſſam ſanguineam circa axillarem ſiniſtram ad uſum quendam univerſalem infundit.

Vitiatur hæc *lymphæ ſecretio* vel *in partes infuſio ac præparatio à glandulis*, *duobus* imprimis *modis*: 1. *Dum ipſa vitioſè generatur* ſ. aut *nimis copioſa* aut *nimis acida* aut *nimis ſalſa* aut *alia vitioſa proprietate inſignita*. 2. *Dum eadem* tàm naturaliter quàm præternaturaliter conſtituta *impeditur in ſuo motu per vaſa lymphatica*.

à priori vitio oriuntur *catharri*.
à poſteriori v. vitio naſcuntur *hydropes*.

VITIATUR

VITIATUR LYMPHÆ GENERATIO tam in quanto quam in quali, vel *objecti* vel *ſubjecti* vitio. *Objecti* ſeu materiæ ex qua (maximam partem eſt ſerum ſanguinis) *vitio*, vitiata generatur lympha, *quando hoc ſerum parcius*, vel *copioſius*, *tenuius*, vel à contento chyloſo rore *craſſius*, *dulcius*, & vitioſè *acrius* fuerit, nam & hinc neceſſariò lympha varia vitia contrahit. *Subjecti denique vel glandularum vitio* vitiatur lymphæ generatio, quando earundem tonus & textura ſecretoria, & alia requiſita ad lymphæ geneſin neceſſaria non ritè ſe habent.

Frequentiſſimum vitium eſt, quando obſtruuntur, hincque plus minus intumeſcunt, utplurimum à materia lymphæ generandæ viſcidiore, vel gelatina chyloſa magis turgida, quæ undecunque coagulata aut inſpiſſata, tam à frigore aliave cauſa externa quam interna, ſicque in pituitam abiens, *tumores glandularum* majores aut minores, molliores aut duriores benigniores aut cum ſenſu punctorio maligniores conſtituit. *Circa quorum affectuum theoriam & praxin* conſulendus venit *Sylvius lib. 1. prax. cap. 49. 50. 51 52. 53. 54.* Ubi ſaltim hoc ſimul addidero, pro his affectibus *curandis*, illis præſertim, qui *ex obſtructis glandulis* originem ducunt, præter *mercurium dulcem* pro expurgatione, optima remedia eſſe *ſudorifera ex lignis*, præſertim *junipero*, parata, v. gr.

℞. Raſur. lign. juniper. ℥ii.
ſaſſafras ℥iß.
cort. ligni Guajac. ℥i.
herb. roriſmar. M. iii.
bacc. junip. ℥iß.

Infunde in ſ. q. aquæ & vini ana ℔. ii. macerentur per 24. horas, coq. in mar. baln. in cucurb. cum ſuo alembico juncto ad medias, colatum & deſtillatum M. adde ſpir. ſal. ammoniaci ʒiii. ſyr. flor. Calend. ℥iß ad iii. M. Hoc ipſo *præmiſſa purgatione mercuriali* nuperè fœminam cum menſium ſuppreſſione, tumores parotidum & glandularum in collo habentem, cum capitis gravedine, narium obſtructione, oris ſiccitate & difficili anhelitu, & pectoris ac pulmonum quaſi repletione, interdum ſuffocationem quandam minante reſtitui, capiendo omni manè bonum hauſtum calidè & expectando hinc in lecto ſudorem.

CATARRHUS.

Catarrhus. CATARRHI *vocem* quod attinet in ſenſu *Hippocratico*, quicunque *decubitus alicujus humoris* dicitur ab eadem *catarrhus*, adeo ut etiam *Diarrhea*, *Diabetes* & ſimiles morbi HIPPOCRATI *catharrhi* audiant.

Verum genuino & proprio ſenſu catarrhorum voce innuitur *decubitus ſ. depoſitio* ſeri aut *Ichoris tenuis*, ſive ſerum hocce ſit mite ſive acre, in aliquam certam determinatam partem. Et hoc eſt propriè *Catarrhus*, nempe *Decubitus ſ. depoſitio materiæ aquoſæ in quandam partem.*

Quæ ſit *veterum hypotheſis* de ortu catarrhorum ſatis eſt nota eadem. Aſſeruerunt nempe ſerum in capite cumulatum ex eadem per foramen oſſis cuneiformis, & cribriformis depluere & deſtillare in partes inferiores, nares, fauces, aſperam arteriam, gulam & ſimiles in *catarrho interno*. In *catarrho v. externo* deſtillare idem ſerum inter membranas cranii extimas in totam corporis peripheriam etiam in ultimos uſque artus, à quibus deſtillationibus, ut vocant ſ. defluxionibus tantùm non omnes morbos in ſpecie arthriticos affectus deducunt.

Serum iſtud in capite colligi voluerunt aut ex *intemperie ejuſdem frigida humida* aut ex vitio partium inferiorum in ſpecie *ſtomachi & jecoris*. Nam *ſtomachus ex intemperie frigida* copioſum phlegma generat: *Jecur v. ex intemperie calida* incumbens ſtomacho iſtud phlegma in vapores & fumos reſolvit, qui copioſè ex ſtomacho exhalantes & evaporantes in cerebro tanquam in cucurbita vel tanquam in alembico collecti à loci frigiditate denuo ſpiſſentur in liquores ſ. aquas ſeroſas & exinde denuo deſtillando inferant catarrhos. Et hæc eſt *veterum hypotheſis* admodum decantata, & à multis adhuc recepta.

Sed ſufficienter etiam diſcuſſerunt tam HELMONT. *tr. de Lirament. catarrh.* quàm etiã SCHNEIDERUS *in operoſis ſuis & prolixis* de *catarrhis operibus*: cujus SCHNEIDERI omnis doctrina eorum, quam in 6. *Libris* ſatis prolixis habet, in hoc conſiſtit, ut aſſerat & defendat, *non à capite ſ. Cerebro depluere ſerum pro catarrhis, ſed* iſtud *ex arteriarum vaſculis* à facultate ſanguinis ex pultrice apertis *ſeponi & per membranas tranſſudando excerni*: Unde pro *varietate membranarum* per quas fiat iſta tranſſudatio, & pro *varietate ſeri* ex ſanguine per arterias excluſi & hinc inde ſepoſiti *varii* etiam oriantur *catarrhi*: Et totum hoc eſt quod habet SCHNEIDERUS *in omnibus ſuis libris.*

Sed ut propius ad rem accedamus: Eo nomine culpandi non ſunt Veteres, quod *ſerum* ſtatuerunt *materiam catarrhorum*, utut *lymphæ vitioſæ* propriè hoc competat. *Serum* enim *veterum*, quod HELMONTIO dicitur *Latex ſ. humor neglectus* propriè loquendo eſt modernorum *lympha*, utut in explicandâ ejuſdem conſtitutione & natura errarint, utpote quod in vaſis propriis, nondum cognitis lymphaticis, nunquam viderunt.

Lympha ergo quæ aut *quantitate peccans* nimia aut *qualitate tincta vitioſa*, imprimis *acore*, aut poſt hunc *nimia ſalſedine materia eſt catarrhorum.*

Hujus verò *lymphæ ſcaturigines* cùm ſint *glandulæ*, quia teſte STENONE *in obſervat. de glandulis & muſculis* nullum datur in corpore lymphaticum vas, quod vel non oriatur à glandula vel in glandulam non inferatur, ob id *glandulæ* rectè *catharrhorum fontes* ab eodem appellantur.

Cum ergò frequentiſſima *glandularum conglobatarum & conglomeratarum* textura in *cerebro* cohæreat: (Nam totus ejus cortex ſ. ſubſtantia cerebri corticalis minutiſſimarum glandularum eſt textura, demonſtrante MALPIGHIO *in ſcrutinio viſcerum*) vel etiam *in locis cerebro vicinis* copioſæ & inſigniores ſint glandulæ ac denique *collo & aſperæ arteriæ* eædem glandulæ copioſè adhæreant, quid mirum erit ſi *catarrhales affectus* frequentius *capiti* ipſique vicinis partibus, Hinc *aſperæ arteriæ* ac conſequenter *pulmonibus ſint moleſti* idque eò magis quò magis externis injuriis in ſpecie aëris modo dictæ partes ſunt expoſitæ

Dixi modo *membranas* ex ſententia SCHNEIDERI *eſſe catarrhorum fontes* per quas nempe materia tranſſudando in catarrhum cumuletur.

Unde hic ipſe SCHNEIDERUS *membranas ſuas pituitarias* dictas, *anteriores & poſteriores* accuratè delineat & deſcribit *lib. 3. de Catarrhis* per quas ipſe catarrhos tranſſudare vult, utut in *ultimo Tomo* de catarrhis addat his ipſis etiam *glandulas* tanquam opercula vaſorum.

Rectius ergò alii his *glandulis ſ.* cribris aut tranſcolatoriis originem catarrhorum adſcribunt: imprimis cum iſtis membranis pituitariis SCHNEIDERI textura copioſiſſimarum minutarum glandularum adhæreat, ex quibus ceu fontibus Catarrhi per vaſa minuta excretoria iſtas membranas perforantia excernuntur, ſicuti naturaliter per hæc vaſa lympha fauces & nares oblinens hoc modo excernitur.

Per has ergò *glandulas lympha* aut *nimis abundanter excluſa* aut *vitioſè præparata excreta* catarrhos conſtituit, i. e. defluxus *lymphæ* aut *copioſæ* aut *vitiatæ ex glandulis* imprimis *conglomeratis circa caput*; *collum laryngem & aſperam arteriam* aliaſque ſimiles vicinas partes. Unde non tantummodo functionum iſtarum partium læſiones, ſed pro vario lymphæ vitio varia etiam ſimul ſymptomata concurrunt.

Lympha hæc catarrhalis aut eſt *mitior* ſ. *inſipida*: *ſed hoc rarius*: *frequentius* enim eadem eſt *acris*, in ſpecie *acida* interdum *ſalſa & corroſiva*, à quâ acrimonia partes læſæ & nonnihil arroſæ, mox *dolent*, inſigniter *rubent* & *inflammantur* ac *tument* uti v. gr. in *Coryza narium* eſt manifeſtum. Immò interdum perfectè *exulcerarentur*; unde aut *narium ozanæ* aut *oris exulcerationes* catarrhis aut diuturnioribus aut frequentioribus ſuccedunt.

Ab his ergò adjunctis ſymptomatis nempe à *dolore, rubore & inflammatione. Differentia inter catarrhum* vulgò appellatum *calidum & frigidum* dilucidanda.

Nam in *Catarrho & lympha inſipida* ſæpius ſimul præternaturaliter *craſſa catharrus frigidus*. A *lymph.* v. *acri corroſiva catarrhus* ob excitatam partium affectarum flogoſin, *calidus* dicitur.

Porrò pro *varietate partium affectarum*, etiam catarrhus variis ſpecialibus nominibus inſigniri ſolet. Nam qui *per nares* erumpit dicitur *coryza*, qui infeſtat *oculos Lippitudinis & Epiphoræ* nomine venit qui *caput laryngis* ipſique annexam *aſperam arteriam* infeſtat *bronchus* ſ. *raucedo* appellatur, quam ſæpiſſimè comitatur *Tuſſis*, quæ verò in alias partes ſubinde decumbit vitioſa lympha, *generali catarrhorum* nomine appellari ſolet.

Vidimus *catarrhorum materiam* nempe *lympham vitiatam*. Vidimus *fontes nempe glãdulas* ſub membranarum tegmine reconditas.

PERGO AD CAUSAS à quibus aut movetur vitioſè aut *generatur vitiata lympha*.
Equidem ipſa ceu humor ſui generis ſpontaneo impetu nonniſi fluidi gravis ratione deorſum movebitur, adeoque purè paſſivè ſeſe habebit ad hoc, ut *copioſior* aut plus minus *vitiata* per glandulas conglomeratas moveatur, & ita ſpirituum influxum moventem, & organorum ſeu inſtrumentorum diſpoſitionem *catarrhalis influxio* imitabitur. Ut igitur per glandulas quaſvis conglomeratas catarrhalis lymphæ fiat excretio, *cauſa præcedens* ſemper eſt *læſio* quædam, in parte quadam plus minus ſenſili, in cujus vicinia ſunt glandulæ, cujus læſionis occaſione lympha, ob fibrarum ſtricturam uberius ex glandulis vicinis exprimitur, & ita ſemper reſtaurata continuus quaſi rivus eò derivatur; quæ ipſa lympha, quò plus vel minus à ſtatu naturali receſſerit, eò magis vel minus gravem *affectum catarrhalem* conſtituit, v.gr. ſicut ſpina digito infixa cauſa eſt ſanguinis effuſionis & inflammationis in loco, ubi plura ſunt vaſa ſanguifera, ita ſimilis ſpina, v.gr. *acidum* inſpiratum laryngi, ſi infixum fuerit, ibidem lymphæ uberiorem effuſionem, indeque *raucedinem*, *tuſſim*, materiæ mucoſæ copioſam ejectionem faciet. *Læſio iſta* prout *nunc magis ſuperficialis*, adeoque irritatio ſaltem quædam partis fuerit, vel prout *nunc gravior*, quæque non ſenſum ſaltem partis afficiat, ſed etiam texturam ejus & ſpiritum inſitum ſimul alterare valeat, etiam *catarrhum nunc leviorem*, *nunc graviorem* infert. *In quo poſteriori* loco laudabilis alimenti, vitio ſpiritus inſiti, ex propriæ digeſtionis & coctionis læſione, vitioſum continuò excreſcit excrementum, quod ſimiliter novum alimentum corrumpendo, partem magis magiſque lædet, unde *catarrhus habitualis* ſeu perennis catarrhi ſcaturigo, aut in *phthiſi* manifeſtum eſt, *de quo infra.*

CAUSA ADEOQUE MATERIALIS PROXIMA irritans & *nunc* ſaltem ſenſum, *nunc* ſpiritum inſitum magis afficiens, ſpeciatim eſt *acre acidum*, quod dictæ catarrhali defluxioni ceu *cauſa proxima* ſubſternitur ſive inſervit. Non eſt excludenda hîc *CAUSA EFFICIENS PROXIMA FORMALIS*, quæ eſt ſpiritus impetum faciens, & occaſione iſtius irritationis catarrhalem lymphæ excretionem efficiens.

CAUSA REMOTA eſt vel *EXTERNA* vel *INTERNA.*

EXTERNAS inter *CAUSAS* primatum obtinent *inſpirata* ſeu aëris vitia, ratione cujus interdum ſunt *Epidemici catarrhi*, cum frequenter obſervati fuerint catarrhi epidemicè graſſantes, *idque ſæpè nõ abſque malignitate*, aut etiam *febres malignæ epidemicæ* cum catarrhis crebrius obſervata fuerunt: Sæpius tamen ſine vitio aëris epidemico, etiam ex alia ratione, hic ipſe vitioſus catarrhi occaſionem præbet. Quò pertinent ii, qui cum aëre *fumos acres*, *metallicos & mercuriales* inſpirant in laboratoriis Chymicorum & aurifabrorum, quorum ipſum acidum Gas membranas narium, faucium, laryngis & ſub his reconditas glandulas copioſas continua irritatione ad copioſam lymphæ excretionem ſtimulant; quando & ipſam lympham non rarò vitiant, quoniam acrem aut viſcidam aut ſpiſſam, aut alio vitio inquinatam reddunt. *Frigus externum vehementius* aut *diutius* hauſtum ſimiliter has partes lædit, & ad catarrhales defluxiones diſponit.

Non ſecus atque in ſternutatione acrimonia inſpiratorum irritantur narium membranæ & vaſa lymphatica excretoria, ut exinde lympha copioſa craſſa ſeu muco craſſiori imprægnata effluat. Imò ſi nares vel vicina loca ab alia præternaturali cauſa irritentur, idem omninò evenire ſolet. Imò interdum irritatio hæc & læſio eò uſque procedit, ut etiam alimentum ſeu nutrimentum partis læſæ proximum, exinde vitioſè alteratum appoſitioni fiat ineptum, adeo ut ſub forma muci craſſi, ſpiſſi, varii coloris & conſiſtentiæ unà non rarò excernatur.

Porrò *frigus externum etiam poſt corporis æſtum & motum nimium nudo capite exceptum aut pleno ore hauſtum* promptiſſimè ad catarrhos diſponit: tunc enim ſubitò clauſis poris corporis id quod inſenſibiliter aliàs exhalare deberet, in lympham quodammodo ſpiſſatur, & cum ſalibus acribus ſit prædictum omne id, quod tranſpirare debet (uti patet ex ſudore) lympha hæc fit ſimulacris & inſigniter ſalita. Unde hæc copioſius per glandulas capitis emulcta & depoſita largos catarrhos hinc ſuggerit.

Hæc de cauſis externis.

CAUSÆ INTERNÆ IRRITANTES, & ita occaſionem catarrho ſubminiſtrantes dictæ fuerunt, quod ſint *vel in ipſa parte*, *vel in ſero*, ſeu lympha effuſa. *Ibi* eſt aliquid præternaturale, utplurimum acre, ex digeſtione privata enatum, quaſi fermentum, hoſtilis irritationis occaſione, lymphæ ex loco vicino effuſionem inducens. *Hujus exemplum ſit caracter phthiſeos hæreditarius*, ſucceſſivè *phthiſin catarrhalem* inferens; vel acidum iſtud fermentum circa dentium vitiatorum radices hærens, dolori, tumori ac ſimilibus pathematibus catarrhalibus occaſionem præbens. Hinc etiam ipſa *lympha* præternaturali *acrimonia acido ſalſa* affecta, dum per partes diſtribuitur, eas irritat, ac dolorem commovet, & ita ad uberiorem ſui excretionem ſtimulat.

INTER INTERNAS CAUSAS, quæ & copioſæ & vitioſæ lymphæ ſuppeditant materiam, imprimis conſideranda *ſtomachi digeſtio*, dum nempe ventriculus impotens non ſufficiens eſt digerendis & concoquendis ingeſtis, ſive quod ejus *fermentum ſit nimis iners* & debilitatum, ſive *quod ipſa aſſumpta* imprimis *potulenta nimis copioſa* ejus vim infringant: unde locum hic invenit vulgatum iſtud (profuſio generat fluxionem) idque tunc imprimis quando accedit *pauca urinæ excretio*, aut *imminuta ſudatio*, aut *inſenſibilis tranſpiratio*. Hinc enim etiam *propter frigus aëris ambientis ex imminuta inſenſibili tranſpiratione frequentiores in hyeme* ſunt catarrhi quàm aliis anni temporibus. *Ventriculus* ergo tunc colliquat potius quàm reverà cõcoquat aſſumpta, chylum facit aquoſum nimis hinc etiam ſalſum, unde ſanguis & ipſe aut aquoſior

aut

aut acrior generatur: Unde & neceſſariò etiam tandem lympha in glandulis elaborata ſimul vitiatur. Unde & *Tabem* ex acrimonia ſanguinis, *raucedines, tuſſes, coryzæ* & ſimiles ex acrimonia lymphæ orti affectus ordinariò aut procedunt aut comitantur. Unde veteres erroneè *Tabes* iſtas à deſtillationibus à capite oriri voluerunt ob falſum fundamentum, *raucedinem, tuſſim, coryzam ex capite* habere originem. Sed ſi quæ alia ſubjecta in ſpecie *ſcorbutici obnoxii ſunt acribus* & corroſivis ſubinde *catarrhis, vitio ſtomachi* & ſimul *inquinatione totius maſſæ ſanguineæ*, *acore rancido* ortis; unde etiam lympha ſalinaris adeo acris eſt in ſcorbuticis, ut *gingivarum fibras*, rodendo eas *flaccidas reddat*, hinc omninò *exedat*: unde & aliarum glandularum lympha ſimiliter vitioſè affecta neceſſariò non raros dabit catarrhos.

Denique conjuncta ſubinde eſt cum catarrhis *febricula catarrhalis*, ob id dicta non tantum in catarrhis Epidemicis, ſed etiam in catarrhis communibus inter unam alteramve perſonam, obſervabitis, *nunc magis nunc minus intenſa*, prout majus vel minus vitium lymphæ ſanguini in axillari infuſæ; Unde etiam effervescentia febrilis aut major aut minor excitatur: *Veſpertino* imprimis aut *nocturno tempore*, hæ ipſæ *febriculæ exaſperantur*, & incrementum capiunt, & leviſſimis horroribus & refrigerationibus dorſi momentaneis ſubinde ſunt moleſtæ. Per catarrhales tales defluxiones ipſæ glandulæ, per quas fit lymphæ vitiatæ tranſitus, non leviter læduntur, quia earum tonus interdum inſigniter laxatur, ipſæque exinde promptiores fiunt, ut ſæpius & copioſius lympham vitioſam tranſmittant. Unde ex robore glandularum læſarum ad alias glandulas inæquali facilius & ſæpius ex interna cauſa nati catarrhi unam eandemque partem poſtmodum afficiunt, adeo ut ſæpius recurrere, & unam eandemque partem afficere deprehendantur, unde vulgus per experientiam edoctus dicit: *Ubi jam fluxio facile fit defluxus*: ut dixi propter partis robur læſum inæquale.

Porrò *tempora paroxyſmi catarrhalis* probè *diſtinguenda* ſunt, pro quorum ratione catarrhus nunc *tenuis*, nunc *craſſus* dicitur, nempe *in principio*, dum lympha ſincera fluxerit, *catarrhum tenuem ſeu crudum* conſtituit. Dum verò copioſiori lymphæ irritatione laxatur pars, ſucceſſivè exaſperatur, & ſuperficie tenus excoriatur, & nutrimentum partis proprium ſe aſſociat, *lympham* antea tenuem, *ſpiſſiorem*, antea acrem, *temperatam* reddit, id quod fit *in incremento & ſtatu paroxiſmi*, & hoc *materiam* tenuem incraſſatam & *coctam* vocant, cujus excretione & partis læſæ ſpontanea reſtitutione *declinatio paroxiſmi* abſolvitur. Hæc ipſa tantum non omnia mutatis paucis mutandis applicari etiam poſſunt *ad catarrhum minus propriè dictum*, ex ſeri cum ſanguine infuſione per arterias, nunc *immediatè*, nunc *mediatè* in *lympham* mutati, ſed ob fibrarum aliqualem, ob irritationem undecunque factam, ſtricturam, aliquali remora & in parte plus minus coacervatione natum, hincque partis variam tam ex læſione plus minus ſenſili, quàm ſeri plus minus inſipidi aut acris, parcioris vel copioſioris effuſi alterationem & functionem læſam.

Abſolvimus ſuperius *Theoriam catarrhorum*, dicendo, quod *materia* ſit *lympha*: *fontes* ſint *glandulæ*, *Cauſa* modò *interna ſtomachi* & *maſſæ ſanguineæ*, modò *externæ læſiones*.

PERGIMVS AD SIGNA ET QVIDEM SIGNA DIAGNOSTICA

Sunt facillima, & tantùm non omnibus obvia: *præcedunt* enim *catarrhos* utplurimum *gravitas capitis, ſenſuum torpor, artuum laſſitudo, refrigeratio & horripilatio dorſi levis*, quin & *urina ſpumoſa circulum faciens ſignum imminentis catarrhi* perhibetur ab HOEFERO *in Hercule Medico p.* 30. ſicuti aliàs *corona in urinis* apparens ex BARTHOLINO *in hiſtoriis ſignum affecti capitis* habetur, quod tamen verò minus conſentaneum: accedit *febricula*, eaque imprimis, quæ *exacerbatur veſpertino & nocturno tempore*: Poſtea *corpus* inſigniter *incaleſcit*, *tuſſis*, *raucedo*, *ſputum copioſum* & ſimilia ſymptomata cum febricula augmentum capiunt, &c. *Quæ* antecedentes & ipſæ *imminere catarrhum* ferè perſuadent, quibus nempe *frigus exterius ſuſceptum*, *tempus autumnale*, aut *hyemale*, item *refrigeratio corporis poſt exercitia*, & ſimiles cauſæ antecedentes appropinquantem catarrhum Medico curioſo perſuadent.

Denique ipſe catarrhus facile ſenſibus obvius eſt, idque imprimis, *dum in variis excretis per nares*, *os*, *fauces* & ſimilia loca ſecretis ſe prodit. Accedunt ſimul

Signa in omni catarrho *ſpecialia* ex varietate partis affectæ determinatæ. De quibus, ubi de ſpeciebus catarrhorum.

Huc pertinent *Signa tuſſis, raucedinis, &c.*

Imprimis autem cognoſcendum eſt, *an lympha tenuis & acris*, *an* verò *inſipida & craſſa* in catarrhis profluat. *Tenuis & acris veſpertino & nocturno tempore*, dum pori corporis magis connivent, *affligit*, qui verò catarrhus eſt *ex lympha craſſa & impura*, aut *cui nutrimentum proximum* in *mucum degenerans ſimul* permiſtum eſt, *æqualiter* ferè omni tempore *affligit*; *accedunt* adjuncta partis læſæ ſymptomata, ut *rubor, ardor, tumor & dolor*, quin & *excoriatio*, aut tandem etiam ſuperveniens *exulceratio*. *Hæc* enim & ſimilia catarrhum tenuem & corroſivum aliàs *catarrhum calidum* innuunt: *abſentia verò hæc ſymptomata*, quando ſimul excernuntur mucoſa viſcida & craſſa, *catarrhum contrarium* monſtrant.

Catarrhi ſcorbutici contumaces ſunt, & præ cæteris crudeles, & licet correcti in uno loco, ſuperſtite tamen fomite in maſſa ſanguinea & ventriculo ſubinde in alio loco denuo ſcaturiunt.

Cognoſcendum eſt ulterius, *an ex interna ſit cauſa catarrhus*, *an* verò *ab externa partis læſione* originem malum duxerit.

Externa læſio facilè patet, & ab ipſo ægro obſervari poteſt, ſive enim verſetur in *aëre frigido*, ſive hauriat *copioſa frigida*, ſive hauriat *fumos metallicos* in laboratoriis, ſive ex alia ſit cauſa.

Hæc enim non latent ægrum, nec poſtmodum Medicum. *Internè* verò *ventriculi cruditas præcedens*, & hanc *inſequens ſanguinis & lymphæ vitium* ferè *ex eo cognoſcitur*, *quod catarrhi ſæpius recurrunt*, idque aut in eodem loco, ubi pars læſa ob vitiatum tonum ſeu robur inæquale facilius recipit, & receptum promptius tranſmittit lympham vitiatam; aut certè ſi non in eodem ſemper recurrunt loco, ſaltem ex uno remoti catarrhi promptè in vicino aut in loco priori connexo denuo ſe manifeſtant, & ita ſubinde repetitim accedunt. *Digeſtionis ventriculi vitiatæ Signa* non tantùm *ex urinis*, *quæ pallidæ ac tenues* ſubinde apparent, cognoſcuntur, ſed etiam *quod tales ægri ſint frequentes ſputatores*, id quod etiam obſervat HOEFERUS *in Hercule Medico p.* 30. & etiam *non rarò crebrius & facilius ſudant*, ipſi etiam *conqueruntur de indigeſtione & vitiis ſtomachi*, & quæ ſunt ſimilia ſigna antecedentia quoad cauſas.

Catarrhi ſpeciales ſuo loco ſpecialiter cognoſcuntur.

QVOAD PROGNOSIN.

Catarrhus à cauſâ & læſione externâ proveniens *minus periculoſus eſt*, quàm qui internum habet fomitem, *peſſimi iſti ſunt*, qui *à ſcorbuto*. Deinde *catarrhus ſæpius recurrens haud contemnendum malum eſt* imprimis *ſi affligat laryngem & aſperam arteriam*, quoniam ex eodem

eodem varii pectoris morbi, ſubinde etiam *phtiſis* ex lympha acri in catarrhoſis in pulmones derivata infertur. Deſtillationes ſeu *catarrhos & raucedines. Senibus* imprimis *peculiares* ſtatuit HIPPOCRATES *ſect.* 3. *aphor.* 12. item *ſect.* 2. *aphor.* 40. idque partim quod digeſtio prima in ſtomacho ſenum non ritè perficiatur, partim verò etiam quod eorum glandulæ laxiores admodum diſpoſitæ ſint ad copioſas catarrhorum recidivas? Tum etiam quod in ſenibus abundet acidum, quod lympham etiam ſuo acore inficit. *Catarrhi, qui ex lympha motu nonnihil impedito* vel aliâ ratione cerebrum inundant, *periculoſi ſunt,& ut ſenibus ſunt familiares*, ita *periculoſa ſymptomata lethargica* aut *paralytica* inferunt. Nam *glandulas minutas cerebri* in ſpecie *plexum choroideum* circa lympham eſſe occupatas, & eorum ſtructura & locus ſeu ſitus demonſtrat: quando & reliquæ cerebri *glandulæ pinealis & pituitoria* ſimile omninò obire officium videntur: ab his ergo lympha non rectè mota aut copioſius ſecreta & in cerebrum tranſpoſita iſtud inundat, indeque ſupra dicta pericuſoſa ſymptomata infert.

Porrò *minus periculoſus eſt catarrhus, qui fluit per nares vel patulum os, magis ſuſpectus* verò *qui aſperam arteriam* aut *laryngem* infeſtat. Denique ſi *facilè excernatur materia catarrhalis, res periculo ferè vacat.* Hæc verò ſubſiſtens & acrimoniâ ſuâ partes corrodens aut exulcerans, prava ſubinde infert ſymptomata.

HIS ITA PRÆMONITIS pergo ad *CURAM.*

In hac ipſa obſervandum, *ut lympha aut nimis copioſa evacuetur, aut eadem vitioſa corrigatur: ſerum ſalſum & acidum* per contraria *temperando*, (id quod vulgò vocant catarrhum tenuem eſſe incraſſandum) Eadem *verò lympham craſſam vel nutrimento partis in mucilaginem degenerato imprægnatam*, tandem *attenuando, incidendo & reſolvendo* (ubi tamen obſervetur, modò pars affecta ſit reſtituta, ſponte hæc rejicitur.)

Porrò ſi quid ſubeſt *partis & glandularum* aut *obſtructarum* aut alio modo *læſarum*, vitium iſtud *corrigatur*, & quidem imprimis, ſi ſit à *læſione externâ*, *pro convenientia externa iſtud corrigatur* & reſtituatur: *Si* autem ſit à *cauſa interna ſtomachi* nempe *vitio & huic ſequente totius maſſæ ſanguineæ corruptela* in ſpecie *ab acrimonia ſalſa hæc ipſa emendetur.* Nimirum uti rectè monet SCHNEIDERUS materiæ cauſæ & loci ratio ſedulò in cura catarrhorum habenda.

REMEDIA ea, quæ hîc conveniant videntur.

I. Eſſe *evacuantia*: Verum *evacuantia, quæ per alvum evacuant, minus commoda ſunt*, quando potius feliciori & promptiori ſucceſſu lymphæ augmentum per urinam, & etiam hinc per *ſudorem* evertitur. Talia ergo *ex ſalibus volatilibus*, v. gr. *ſuccini, cervini*, item *ex lignis ſudoriferis*, in ſpecie *ex ligno ſaſſafras* erunt optima. Interim tamen, *ubi catarrhus* fuerit *contumacior*, *aut* idem *ex ſtomachi vitio* dependeat, *vel* etiam *corpus impurum* offendat, ſubinde neceſſe eſt, ad *purgantia* progredi, imò ubi contumacior fuerit catarrhus, etiam ad vomitoria properandum ſuadet RIVERIUS *in ſua praxi*, id quod confirmat per experientiam in *cent.* 2. *obſer.* 90. Ibi enim refert catarrhum in pulmones cum aſpera tuſſi defluentem, cum inſequenti gravi dolore capitis, qui tandem curatus fuit per *vomitum, per maſticationem foliorum tabaci procuratum.*

2. *In catarrhis* ſæpius *recurrentibus*, v. g. *in ſenibus* aut ſimilibus ſemper *ante novilunia* aut *evacuantia* appropriata, aut à catarrhis alias *præſervantia* uſurpanda, quæ inter eminent *ſuccinata*, & poſt hæc *myrrha & ſperma ceti*, de quo poſtmodum.

3. Si quæ alia *in catarrhis à lymphæ nimia acrimonia* conveniunt, ſanè *opiata erunt optima.* Unde à Veteribus in tali caſu, nempe uti vocant, *in catarrho tenui pilulæ de Cynogloſſa* ex narcoticis diſpoſitæ fuerunt in uſu.

Hæ ipſæ tamen pilulæ, quia ex crudis nimis minuſque præparatis narcoticis ſunt compoſitæ, v. gr. ex opio Hyoſcyamo crudo & ſimilibus, ob id in deſuetudinem ferè abierunt, utut in Belgio adhuc uſurpentur.

His *opiatis optimè catarrhus nocturnus evertitur & præcavetur*: Sed tamen ſola vix uſurpanda, verùm uti jam aliàs monui, *appropriatis ſemper miſta*, v. gr. *ſuccinatis, cephalicis &* ſimilibus, quæ lympham corrigere, & blanda diaphoreſi & diureſi ejus augmentum avertere poſſunt.

Decantat admodum horum Opiatorum uſum HELMONT. in catarrhis & ſimilibus affectibus *in tr. jus duumviratus*, §. 62. 64. & 65. & inter alia felicem prædicat ægrum, cujus auxiliator Medicus ſciat lethalia à papavere ſeparare, retento auxilio excitatore poteſtatis in duumviratu. *Salutarem* præterea *opiatorum uſum* confirmat quotidiana experientia. Imprimis ex modernorum conſuetudine frequenter iis fuit uſus RIVERIUS, *qui cent.* 3. *obſer.* 15. obſervat catarrhum contumacem cum raucedine curatum *per iii. grana Laudani opiati* aſſumpta, item in eadem *cent.* 3. *obſervat.* 69. refert, catarrhum diuturnum cum tuſſi per duplicem uſum *granorum trium Laudani opiati* curatum. Et eadem *cent. obſervat.* 74. Catarrhum ferinum cum variis febrium complicationibus, præſertim per *Laudanum opiatum* curatum obſervat. *Aſſumuntur talia opiata* imprimis *tempore veſpertino ſub introitum lecti*, uti aliàs eſt conſuetum.

4. *Chirurgia* in catarrhorum cura ſilet, niſi in iis corporibus, ubi catarrhi ferè ſunt incorrigibiles, uti ſunt admodum contumaces, aut ſæpius recidivantes, aut ubi ſunt ſimiles affectus vitio lymphæ exorti admodum contumaces: Tunc enim deceptivum & palliativum *fonticulorum* remedium interdum eſt adhibendum: Hæc enim voluntaria ulcera palliativè tantùm his affectibus medentur, productum nempe morboſum aliquantiſper eliminant, cauſas verò ipſas relinquunt, & cum vitioſo latice utilem alimentitium ſuccum in pus corruptum ſimul emungunt: ubi tamen à priori catarrhorum contumacia ſemper occurrere nequit Medicus, per fonticulum, à poſteriori ejus ferociam nonnihil mitigare intendat, ſubtrahendo ſcilicet laticem & cruorem in parva quidem ſed continuâ quantitate, & ita imminuendo naturam catarrhalem, horum inſultus mitiores reddit: per ſe enim totum cauterium, & facti inde fonticuli excitatio tantummodo in cruoris & laticis minutata quidem, ſed continuâ exhauſtione conſiſtit, adeoque *palliativè* tantum *propriè* convenit, per accidens verò & à poſteriori ac palliativè etiam iis confert affectibus, qui à ſordibus quibuſdam vitio primæ digeſtionis aut vitio læſæ in ſanguine fermentationis, aut vitio corrupti ſeri in maſſa ſanguinea enaſcuntur, ita ut labes illæ à priori propter ſubjecti ineptitudinem, v. gr. vel ob *ſenium*, aut in mulieribus *propter menſes deficientes*, aut propter *characterem hæreditarium* ſunt incorrigibiles.

In talibus ergo caſibus unà cum ſanguine laudabili evacuatur ſimul id, quod eſt nocivum, & etiam, quia excrementitium omne per ſe naturæ hoſtile ab œconomia vitali eſt præſcriptum, propterea iſtud facilè, imò facilius quàm utiles ſucci ſeparatur, & ita per fonticulos excernitur: ſicut fit interdum ab ipſa natura, dum eadem hinc inde ſpontanea excitat ulcera, quæ ſanata per artem corpori non leve inferunt incommodum: Sin vero denuò aperiatur, corporis œconomia denuo fit quieta. Egregium hujus rei exemplum habet SCULTETUS *in obſervationibus Chirurgicis, obſervat.* 55. & 57 Et ſanè id, quod SCULTETUS hic obſervavit in ulceribus ſpontaneis, interdum etiam in fonticulis intempeſtivè occluſis obſervatum fuit.

IV. Quoad

IV. Quoad *venæ ſectionem* negotium hoc per ſe locum non invenit. *Sin verò ſubjectum ſit plethoricum*,&c conſueta ſanguinis evacuatio ſuppreſſa,&c. quibus & aliis ſimilibus occaſionibus intenduntur ſymptomata catarrhum vel conſtituentia, vel conſequentia, conſulta eſt ven. ſect. obſervando *revulſionum* & *averſionum Regulas*. Quin etiam cum cõfeſtim nimis fit decubitus catarrhalis in quadam parte, ad impetum iſtum refrænandum ven.ſect. in loco oppoſito ſecundùm *revulſionem* & *averſionem* inſtituta, ſubindè ſolet *in praxi* admodum eſſe proficua.

V. *Poſt opiata*, remedia vel *ſudorifera*, quæ partes eluunt, earundem ſordes mediante ſero commodò abſtergunt, ac ſerum ipſum ſimul minuunt: vel *aromatica*, vel *balſamica*, quæ tam ipſum corrigunt & emendant, quàm partes ſolidas roborant, ſunt utiliſſima in paroxyſmis catharralibus. Hæc ipſa enim indicationibus ſupra factis maximam partem ſatisfaciunt.

Quod ergò attinet *Remedia* in affectibus catarrhalibus uſitata iiſque *appropriata*, ea ſunt primariò *Serpillum*, quod eſt ſingulare catarrhale, quodque, ut dicit LINDANUS, ſimul corrigit ſtomachum, & ita antecedentes cauſas removet. *Satureja, Thymus, Majoranum, Mentha, Hyſſopus.* Item *flor. Betonicæ, flor. Salviæ, flor. anthos, lavendulæ, liliorum convallium, radices caryophyllatæ, ariſtolochiæ rotundæ: Helenix, lignum ſaſſafras*: Lignum *lentiſcinum*, lignum *juniperinum*, lignum *Guajacicum* & ſimilia ligna, quæ communia decocta ſudorifera ingrediuntur. Quin & *Baccæ juniperi, macis, acorus verus & adulterinus, zedoaria, cinnamomum*,& ſimilia uſitatiſſimè uſurpantur.

Hæc inter primatum obtinet *lignum ſaſſafras* nobiliſſimum, præ omnibus ad catarrhos remedium, adeò ut etiam à BRUNERO *in ſuis conſiliis* proprium catarrhorum vocatur alexipharmacum: odorem & ſaporem habet aromaticum: adeoque vim monſtrat corrigendi & alterandi acrimoniam lymphæ, tàm acidam quàm ſalſam, prætereaque eandem nimis copioſam unà per urinam aut per ſudores evacuandi. Unde *decoctum ligni ſaſſafras* egregium eſt remedium ad ſiſtendos & curandos catarrhos: vel etiam exinde fit *Eſſ. vel tinct. ſaſſafras* ſuaviſſimum ad catarrhos remedium. Pertinet huc *tinct. ſaſſafras* MYNSICHTI, quam habet *in armamentario* ad omnes affectus catarrhales convenientiſſima. Pertinet huc etiam *Eſſ. ligni ſaſſafras* D. MICHAEL. quam aliàs etiam vocavit *Eſſ. catarrhalem*, quæ extrahitur *cum ſpiritu ſerpilli*. Nam *ſerpillum* & ipſum eſt commendatiſſima planta ad catarrhos, & ab omnibus laudatur. *Modus præparandi ſpiritum ſerpilli pro extrahendo ligni ſaſſafras eſt hic*: Nempe recipiuntur ſummitates ſerpilli campeſtris recentes, eæque collectæ ante ſolis ortum, ita ut rore nocturno adhuc madeant, his affunditur vinum Malvaticum q. ſ. ut 3. præter propter digitos emineat: Digeruntur in arena per 14. dies & noctes, hinc deſtillantur per balneum: Liquor deſtillatus affunditur recentibus ſerpilli ſummitatibus eodem modo collectis, denuoque ut antea digeruntur & deſtillantur, idque quò fit ſæpius, eò aqua fit efficacior & magis ſpirituoſa evadit. Tandem hæc aqua ſpirituoſa ſeu ſpiritus ſerpilli affunditur raſuræ ligni ſaſſafras: Digeruntur in loco calido, donec menſtruum à ſaſſafras imprægnatum egregiè rubeſcat: Hinc decantatur & ad uſum reſervatur: *Doſis* prout vel magis vel minus ſpirituoſa fiat aqua ſerpilli, *ad gutt. 50. vel 60.* aut ſi debilius fuerit menſtruum *cochlear. j.* poteſt propinari, idque manè in meridie & veſperi, vel etiam urgente neceſſitate quocunque tempore. Valet admodum in omni catarrho, præſervat ab apoplexia, & inſigniter conducit affectibus ſimilibus. In *catarrho ſcorbutico* miſcetur hæc *tinct. ſive eſſent. ligni ſaſſafras cum eſſent. Pini* Balſamica, & ſic fit egregium remedium contra catarrhum ſcorbuticum, imprimis ſi ſimul immineat paralyſis notha ſcorbutica.

Loco decocti ligni ſaſſafras ſubinde etiam *aliorum lignorum decocta* fructuosè uſurpantur, ſicuti videre eſt *in obſervationibus* LOTICHII, admodum fructuoſus decoctorum lignorum uſus in affectibus catarrhalibus. Item GABELCHOO *in obſ.* ſingulis catarrhoſis *decoctum Chinæ* ſummo cum fructu præſcribit.

Alii non ſine ratione commendant *decoctum ligni lentiſcini*, ex quo deſtillat *maſtiche*. Cùm ergo *maſtiche* ſit ſingulare anti-catarrhale, non dubium eſt lignum lentiſcinum & ipſum æque eſſe appropriatum, atque lignum ſaſſafras ad curandos catarrhos. Pertinet huc *decoctum catarrhale* MYNSICTI, quod ex ſimilibus paratur. Item *vina medicata* ex infuſione aut decoctione iſtarum ſimplicium vegetabilium, quæ inter primarium eſt *vinum* PARACELSI, quod pro baſi agnoſcit *radicem Caryophyllatæ & acori aquatici*: cujus deſcriptionem habet HARTMANNUS *in praxi Chymiatrica cap. 21. §. 2.* Nam PARACELSUS *radicem acori aquatici & caryophyllatæ* ſingulariter commendat ad roborandum caput, & ad præſervandum à quibuſcunque defluxionibus catarrhalibus. LINDANUS inſigniter commendat hoc *vinum catarrhale*, quod ipſum etiam non eſt inelegans.

℞. Ligni Saſſafras raſi. ℥ii.
Radic. Caryophyllatæ. ℥i.
Herb. roriſmarini recentis. ℥ß.

infundantur in menſuras ii. vini, coquantur vaſe clauſo in balneo maris horis 8. deinde removeatur ab igne, ut refrigeſcat, & vinum hoc colatum bibendum. Dicit LINDANUS, ſibi expertiſſimum eſſe hoc vinum, & magnarum virtutum in curandis catarrhis, cum & ventriculo ſuccurrat, ſanguinem emendet, & in ſpecie lymphæ vitia egregiè corrigat. Aliàs non minus quàm lignum ſaſſafras *Cortex Tamariſci* ad curam catarrhorum laudari ſolet: Si ſcilicet hujus ℥vi. coquuntur in aquæ ſimplicis menſuris vi. ad abſumptionem dimidiæ partis: Hoc enim decoctum potum admodum laudatur ad quamcunque lymphæ abundantiam, indeque ortos affectus catarrhales quoſcunque. Unde ferè poſſet *vinum medicatum* ex formula LINDANI præſcribi hoc modo:

℞. Ligni Guajaci
Cortices Tamariſci ana ℥iii.
Ligni Rhodii.
Saſſafras Gummoſi ana. ℥ii.
Herbæ abſinth. vulgaris. Mj.
Scolopend.
Eupator.
Menthæ.
Hyſſopi ana. Mß.
Radicis Holanii.
Centaurei majoris.
Zedoariæ.
Cinnamomi ana. ʒi.

affundantur menſuræ 4. vini, ſtent in infuſione: & de infuſo ſumatur ſemper hauſtus per horam 1. vel 2. ante paſtum. Hujuſmodi *vina medicata* uſurpãtur imprimis in catarrhis *ex vitio interno* enatis, imprimis *ſtomachi & maſſæ ſanguineæ*, qui fiunt à cauſis externis, facilius ab externis curantur. Facit huc etiam *vinum* ADRIANI *Papæ ad catarrhos* aliàs commendatiſſimum.

℞. Myrobalanorum omnium ſiccatorum ana. ʒiiß.
Cinnamomi. ʒi.
Caryophyllorum.
Galangæ.
Cubebarum.
Cardamom.
Granorum paradiſſ.
Nucis Moſchatæ ana. ℈ß.
Roſarum rubrarum ſiccatarum ʒiß.
Flor. anthos.

Lavendulæ ana ℥ß.
Contuſa miſceantur ad aliquot menſuras vini & infuſum exinde bibatur.

Præter dicta vegetabilia & hactenus recenſita etiam aliàs ſunt egregiæ *Eſſ. lignorum compoſitæ*, item *Tinct. Corall. Saſſafrata* ſive *cum ſpiritu ligni ſaſſafras* parata, item *Eſſ. florum anthos Eſſ. ſalviæ Eſſ. ſerpilli*, præ cæteris Eſſ. *ſuccini*, de qua poſtmodum. *Species ſerpilli, liliorum, convallium ceraſorum, nigrorum & ſimilium.*

De ſuccino modo dixi: Si quid aliud certè *ſuccinum* eſt appropriatiſſimum pro catarrhis remedium, ſive *præparatum* ſolito modo uſurpetur, ſive *cum aqua ſpirituoſa ſerpilli* præparetur: Sic enim fit ſuccinum catarrhale. Imprimis à *ſal. vol. ejus* eſt expertiſſimum catarrhale, qua vix reperitur melius & *omnia ex ſuccino* parata.

Quò facit *liquor cornu cervi ſuccinatus* factus, v. gr. ex ℔ß ſpirit. C. C. benè rectificati, & proprio ſale volat. impraegnati, cui adduntur ſal. volat. ſuccini probè ab oleo proprio liberati ℥iii. Hæc miſta pro reiterata conobia uniuntur in liquorem, qui vocatur liquor C. C. ſuccinatus, qui eſt egregium catarrhale, cujus *gutt. 20. vel 30.* aſſumi poſſunt: aliàs egregium eſt antipilepticum, imprimis infantibus exhibitus.

Quin imò *Eſſ. ſuccini* parata *cum ſpiritu vini rectificatiſſimo* (niſi enim probè fuerit rectificatus, extrahit nihil ex ſuccino) eſt appropriatum remedium ad quæcunque vitia lymphæ ad *gutt. 20. vel 25.* plus minus prout magis vel minus eſt ſpirituoſa, propinata.

Poſt ſuccinum eſt *Myrrha parata ex myrrha Eſſ. ſalutis. Myrrha* ad aliquot grana data internè conducit ad catarrhos: ſive *eſſ. cum ſpiritu vini tartariſato* parata, miro uſu eſt proficua. Loco ſuccini ſunt, qui & *Maſtichen, Olibanum & Thus* uſurpant internè & externè felici cum ſucceſſu: quin & *olea deſtillata* vel pura vel cum ſaccharo in *Elæo-ſacchara* redacta, v. g. *ol. majorani, ol. ſuccini, ol. roriſmarini*, quin & *Balſamus ſulphuris aniſatus* ad aliquot gr. ſi fuerit Elæo ſaccharum: vel guttas aliquot, ſi adhuc olea uſurpata internè admodum conducunt in catarrhis. Poſt hæc eſt *ſperma ceti*, & ipſum ſingulariſſimum remedium contra catarrhos, modò habeatur *recens* & non rancidum. Hoc namque & corrigit acrimoniam lymphæ catarrhalis, & ſimul lympham craſſam & viſcidam incidit, reſolvit & ad expectorationem diſponit: Et ſic utrique ſcopo mirè convenit. *Formulas* dedi ubi *de tuſſi, ex Olibano, Thure, ſuccino, laud. opiato*, &c. Nam his ſulphureis ſubjectis optimè permiſcetur *laudanum opiatum*.

Faciunt huc *pilulæ MONTAGNANÆ ad catarrhos* curandos & ſiſtendos egregiæ, compoſitio eſt hæc:

♃. Myrrhæ,
Storacis calamitæ,
Croci ana ℈i.
Opii gr. xiv.

Cum ſyrupo roſarum. Fiant pilulæ majores, de quibus 3. aut 5. accipiantur duabus horis poſt aſſumptam cœnam. Quin & ipſum *ſulphur* ex eoque præparati *flores* non ſunt ultimi in curandis catarrhis: ſi vel ſoli *flores* uſurpentur ad ℈i. vel cum aliis miſceantur, imprimis *cum ſuccino*: aut ſi ex his *cum extracto enulæ campanæ*. Fiant pilulæ catarrhales, quas inſigniter commendat RHUMELIUS *in Iatro-chymia. Benzoe* etiam convenit: Ratione opii ſæpius decantari interdum aſſumitur *Theriaca recens*; Recens dico, in qua vis opii fermentando non eſt nimis infracta: aſſumitur vel *ſola*, vel additur ipſi aliquid de *bolo armena*.

Dixi ſuperius, interdum opus eſſe pergere ad *purgantia*, quæ ſemper admiſcenda appropriatis catarrhalibus. Unde (*maſſ. pilul.*) de *ſuccino* CRATONIS ferè primatum obtinet: Sunt blandæ aromaticæ, & ſenibus poſſunt præſcribi commodè. Modus præſcribendi eſt hic:

♃. Maſſ. pilul. de ſuccino CRATONIS ℈i.
Extract. abſynthii ℈ß.
Scammonii ſulphurati gr. I.
Reſinæ Jalapæ gr. IV. vel V.

(in catarrho à lympha acri & tenui ſi ſit craſſus, potius detur, extracti trochiſc. alhand. gr. 2. cum ſ. q. ol. ſuccini F. pilulæ. (*Catarrhales pro 1. doſ.*)

In affectibus ſenum etiam valent imminuta doſi ſtimuli. Aliàs etiam *Jalapa* ordinario uſu præſcribitur ad ℈i. Hac utitur RIVERIUS miſta *cum mercurio dulci*, ita ut ad purgandos catarrhoſos recipiat *mercurii dulcis gr. xx. Radicis jalap. gr. 8. vel 10.* uti videre poteſtis *cent. 3. obſer. 28. 41. 46.* Ubi utitur hoc pulvere pro purgante catarrhali, idque imprimis, uti dixi, *in catharrho tenui: in catharrho* verò *ſpiſſo* ſeu ubi adeſt mucilago, craſſa *colocynthis* convenit, ſive *extractum ex trochiſcis ſive correcta.* Correctio optima fit, quod obiter moneo, per terram foliatam tartari vel ſal. tartari.

Porrò *Miſtum gummi de Peru ſive reſina gummi guttæ ad gr. VII. ad. x.* ſpecificum dicitur purgans catarrhoſorum.

POTERIUS *in ſuis curationibus* in uſu habet propinare *decoctum Melanagogam cum ligno Saſſafras*: Confirmare hoc videtur PENOTUS *de medicamentis*, qui dicit, quod perfecta cura catarrhorum conſiſtat *in helleboro nigro menſe octobri collecto.* Et credo, quòd *Helleborina* multum valeant, modo virulentia laxativa corrigatur. *Pilulæ aloëphanginæ* & aliàs notæ ſunt in his caſibus.

Hæc *de internis*.

Quod attinet *medicamenta externa* applicanda locis & glandulis catarrhos fundentibus vicinis; Hæ ipſæ glandulæ, quoniam nempe in capite aut circa caput parteſque ipſi vicinas ſunt conſitæ aut locatæ: Hinc fit, ut remedia contra catarrhos *capiti aut vicicinis locis* applicantur, nunc *naribus*, nunc *vertici*, nunc *temporibus*, &c. nunc ut melius penetrent, *ſub forma ſuffitus*, imprimis ubi aſpera arteria & fauces nimis laborant. Hæc inter externa primatum obtinet *oleum ſuccini*, *ſi aliquot ejus guttæ vertici* illinantur (M B.) Mirum, eſt quantum faciat ad præſervandum & curandum catarrhum, imprimis *ſi adſit* ſimul *gravitas capitis*, aut *lethargus*, aut *torpor ſenſuum.* Juxta oleum ſuccini *oleum maſtichis*, item *oleum majoranæ* uſurpantur. *Oleum deſtillatum C. C.* eſt potentiſſimũ *vertici & temporibus illitum*; modò ejuſdem fœtor non ſit adeò gravis: aliàs cum hoc ol. ſit turgida ſal. vol. eſſet ſummum remedium.

Ulterius applicatur *emplaſtrum de betonica*, *emplaſtrum pro bregmate* uſitatum, item *emplaſtrum de Tacamachaca*, quæ omnia ſua laxantur commodè *cum oleo ſuccini deſtillato*, v. gr.

♃. Emplaſtri de Betonica uſitati.
Gumma Tacamachacæ ana q. ſ.

malaxatur C. S. Q. olei deſtillati ſuccini inducatur ſuper alutam, & obducatur ſyndone rubra in forma orbis medii. *F. Emplaſt. capit. applicand.*

Pertinet ad externa etiam *fumus tabaci ſive nicotianæ hauſtus*, qui ſanè eſt egregium experimentum contra catarrhos, quod omnibus hunc in finem debet eſſe commendatum: omnibus ſcopis ſatisfacit *fumus tabaci* hauſtus. Nam ſal ejus vol. admodum acre corrigit aciditatem lymphæ catarrhalis: eodem ſale vol. lymphã craſſam & vicidam incidit & fluxilem facit, quin & læſiones partium à cauſa externa vitio aëris vitioſã factã lymphã corrigit, & imprimis ratione ſui ol. Narcotici, quo opiatorum vires æmulatur, inſigniter conducit ad motus catarrhales feroces ſiſtendos, prætereaque ſalivam copioſam eliciendo augmẽtum lymphæ nimium corrigit. Si huic nicotianæ uſitatæ aliàs admiſceatur *ſemẽ aniſi* in catarrho ad bronchia & pulmones defluo,

vel

vel addantur *pulveres ſuccini* aut *pulvis Cardamomi*, fit remedium eò magis appropriatum. Certi ſitis quod in affectibus catarrhalibus vix habeatur par remedium *fumo Tabaci*, omnibus enim ſatisfacit ſcopis. Nec metus eſt, quod denigret cerebrum, hoc enim vana eſt perſuaſio. Utut hoc verum ſit, quod ejus nimius uſus vitiat pulmones, eos aridas, ſqualidas & flaccidas reddat, ſimulque variis maculis tingat. Vid. experimentum hujus rei etiam *obſervationibus* THONERI.

Hæc de Catarrhis veris.

Monenda adhuc ſunt, quæ habet LINDANUS *de catarrhis quaſi nothis*, dum dicit: Noctu ſæpe evenit, (ſunt verba LINDANI) ut ſurgentes manè homines ſentiant dolores, præſertim in ſcapulis, in lumbis, aliisve locis. Statim inquit, hoc refertur ad Catarrhos, ubi tamen duo ſunt conſideranda. Primum non eſſe ſemper in Catarrho vitium, ſed *ſæpiſſimè à flatu* (de hoc tamen dubito) præſertim iis in locis, ubi muſculi ſe invicem contingunt. Nam noctu corpus noſtrum valdè perſpirabile fit ſub lecto, adeò, ut natura tunc ſoleat liberaliter per habitum corporis ſe evacuare. Jam ſi manus vel alia pars extra lectum jaceat denudata, concluditur iſte inſenſilis exſpiratus qui exiturus erat, & ſic dolorem ibidem facit: Interdum etiam fit, ut ſolummodò ſub forma flatulentiæ ibidem hæreat. Uterque dolor ſatis moleſtus eſt, is qui à flatu eſt vagus, qui agitari ac ſubinde remittere ac denuò recrudeſcere videtur. Si ibi hæreat liquor, fixus eſt dolor & continuus interdum per aliquot dies.

In his *Catarrhis* quaſi *nothis* quoad *Curam cavendum eſt ab omnibus oleoſis.*

Hæc enim inuncta cruſtam quaſi inducunt cuti, poroſque adſtringunt ſive implent. *Emplaſtra* itidem hic *nocent.* In tali cauſa nihil poteſtis habere melius quàm *Gummi Tacamachacæ. mar. baln. ſolutum in vino*, atque extenſum ſuper alutam & applicatum parti dolenti: ſi non benè hæreat, addi debet tantillum *Terebinthinæ*, hæc enim conciliat firmam adhæſionem.

Hoc emplaſtrum applicatum egregiè reſolvit iſtas humiditates, id quod patet ex eo, quod utplurimum membra ſub Emplaſtro ſudent: Cùm hoc Gumm. Tacamach. interdum conjungere licet *Gummi Carannæ*, hujus recipiendo partem unam ad alias partes, ij. dum duo iſta gummata ita impoſita optimè reſolvunt flatus etiam craſſos aut etiam materiam tenuem. Quòd ſi eveniat, *ut* applicatis hiſce *cutis tollatur in puſtulas*, eæque factæ ejuſmodi *applicatione gummatum*, (Hoc enim interdum quibuſdam contingit;) tunc potius præſtanda eſt cura per *Tincturas ſive Eſſentias ſpiritu vini extractas* & ita inunctas: Infundimus ſcilicet ea, quæ habent potentem facultatem incidendi, attenuandi, calefaciendi & coquendi, ita utin in eam rem ſumantur, v. gr. *Semina* 4. *calida minora*, item *Semen Erucæ, allii, ſinapi albi, piper longum*, & ſimilia, quæ ſpiritui vini infuſa externè fricando illita calidè ſuperimpoſitis linteis calidis. Sed rarum eſt, quod cutis non ferat Gummatum impoſitionem, quæ omnium ſunt optima.

Superius, ubi de Catarrhis in genere, injecta fuit mentio *febris Catarrhalis*, ſicuti etiam in doctrina febrium febres Catarrhales ex lympha deduximus: Adhuc quædam dicenda de *Cura*, quæ in multis cum cura Catarrhorum vulgarium convenit. *In ſpecie* omnis *cura eò dirigenda eſt, ut lympha vitium corrigatur*, & ipſa *pro blanda ſudorifera, & Diaphoretica imminuatur*, idque eò magis, *quoniam* tales *febres Catarrhales Epidemicæ non carent malignitate*, id quod ex *debilitate virium*; ex *facili contagio*, ex *vigiliis*, interdum *levibus deliriis ſupervenientibus apparet. Medicamenta* hìc imprimis ſint *ſudorifera volatilia*. quæ inter eminent etiam *ſuccinata*, item conveniunt hic *antimonialia fixa* ſubinde volatilibus miſta.

Rem exemplo declarabo; ſuperiori anno graſſabatur hic *catarrhus epidemicus* tempore vernali circa feſtum Pentecoſtes, iiſque *malignus* & inſigniter *contagioſus.* Vix erat domus, in qua non aliquis ægrotaret, utut non omnes in lectis decumberent. *Symptomata* erant *tuſſis admodùm gravis cum copioſo ſputo, Coryza contumaciſſima, Caphalalgia, dolores dorſi & artuum*, mox ingens *virium proſtratio* citra manifeſtam cauſam, quibuſdam ſuperveniebat *hæmorrhagia narium*, quidam ſuperveniebat *diarrhæa ſeroſa. Curatio*, quæ tunc temporis inſtituebatur, optimè fiebat *per ſudorifera.* Vocatus enim mox in principio præſcripſi

℞. Aqu. ſambuci
Cardui benedicti ana ℥j.
Species C. C. Eſſentificati (vel ſal. vol. proprio acuati) ʒß.
ſal. vol. ſuccini gr. iv.
ſyrupi papaveris Rhæados ℥ß.
M. pro potione ſudorifera.

Quam capiebat æger, & expectabat ſudorem, iſque ſemper cum levamine profluebat. Repetebatur hic potus pro varietate circumſtantiarum.

Interdum præſcribebam hunc *pulverem ſudoriferum.*

℞. Succini præparati gr. vx.
Specifici Cephalici ℈ß.
Bezoardici jovialis gr. iv.
M. pro doſi.

Pro compeſcenda tuſſi & juvanda excretione præſcribebam iſtam formulam, quam habebitis in *cap. de tuſſi* (prima forſan eſt) *cum ſpiritu ſalis dulcis* pro inciſione materiæ craſſæ ejus expectoratione ſimulque lymphæ correctione. *Pro Coryza & capitis affectibus* optimè conveniebat *inunctio verticis cum oleo ſuccini*, aut applicabatur *Emplaſtrum Cephalicum ex Emplaſtro de Betonica & emplaſtro de bregmate* ana malaxatis *cum oleo ſuccini. Pro reliquiis morbi expellendis. pro artuum debilitate* & eorundem *dolore*, Conveniebat hæc miſtura, quæ utplurimum morbum curabat, præmiſſis modò dictis. *Miſtura* erat hæc:

℞. Aqu. Cordis Cervi
Menthæ
antiſcorbuticæ DORNCREIL ana ℥ij.
Eſſ. ligni ſaſſafras.
ſpecies lumbricorum terreſtrium (propter dolores vagos) ana ʒij.
ceraſorum nigrorum
Aqu. Aſthmaticæ RUDOLPHI (eſt ſpecies compoſitus ʒj.) ana
ſal. vol. ſuccini ʒj.
ſpecifici Cephalici ʒß.
ſyrupi flor. tunicæ ℥iß.
M. pro aliquot doſibus, de qua ſumantur quater in die 3. vel 4. cochlearia.

Speciales inter *Catarrhos* frequentiſſimus eſt

CATARRHUS NARIUM.

Qui vulgo etiam CORYZA græco vocabulo, ſive quia caput gravat, Latinis *Gravedo* vocatur: *Coryza.*

Eſt, quando copioſa lympha acris vel tenuis in principio quidem per nares defluit, donec adjungente ſe nutrimento iſtarum partium ex earum læſione corrupto liquor emanans craſſus, ſpiſſus, tenax varieque coloratus appareat.

Naturaliter equidem à lympha inſipida moderatè craſsâ intus oblinuntur nares, vaſa & fontes hujus lymphæ, vid. in STENONE *de vaſis & glandulis oculorum, narium & oris.* Hæc ipſa lympha humectat blandè internam membranam narium pro facilitando & adjuvando odoratu: Et hæc ipſa lympha moderatè craſſa continuo aëris inſpiratu attenuata craſſiores partes relinquit, quas nos ſub forma muci emungimus. Sin verò *præternaturalis* fiat lymphæ effluxus, ita

ita ut *lympha* iſtiusmodi *acris* inſigniter & *ſæpe acida* effluat, idque in abundanti copia, vocatur catarrhus narium ſeu *Coryza*. Lympha iſta acida rodendo & irritando membranam narium primitus *ſternutationes* frequentes infert (modum habuimus ubi de ſternutatione) deinde ex roſione *dolorem* hinc *ruborem narium*, interdum etiam eorundem *excoriationem* aut *exulcerationem* infert, id quod jam ſuo tempore obſervavit FORESTUS *lib.* 13. *obſ.* 15. Ex Coryza interdum exulcerari nares, *cujus exulcerationis remedium ſit pomada ſive unguentum de ceruſſa*.

CAUSA hujus *Coryzæ præter cauſas generales* communes omnibus Catarrhis in ſpecie præter *vitium lymphæ & maſſæ ſanguineæ* internum ſæpiſſimè oriri ſolet *ex errore externo*, in ſpecie quidem *ex aëris inclementia hyberna* aut *autumnali*. *Aër* enim *hybernus* acido acuto videtur impræegnatus. Unde partes ſibi expoſitas *labia* imprimis *faciem & manus* in fiſſuras & ſciſſuras diffindit & quaſi corrodit, *quæ fiſſuræ & ſciſſuræ* etiam *optimè per lotionem cum urina humana ſeu propria ſal. vol. contrario* acido turgida curantur. A tali ergò *aëre inclementi* aut etiam *acido* læſa interiora narium & ſimul faucium & laryngis ex irritatione mox copioſam fundunt lympham, ex læſione partium inſigniter acidam, à qua *in naribus Coryza*, *in faucibus aſperitas & dolor*, *in Larynge raucedo & tuſſis* (utplurimum hæc concurrunt in Coryza tempore hyberno) quo tempore profluunt omnia ſeroſa & aquoſa tamen acria, donec ab aëris & ſimul à lymphæ vitio læſæ & nonnihil excoriatæ partes ploret nutrimentum proprium ſub forma mucilaginis craſſæ, quod narium ſuprema obſtruendo inſpirationem tollit, in faucibus hærens copioſum ſcreatum infert, Laryngem incruſtans tuſſi frequenti rejicitur. Quin & non rarò in ſaxeam duritiem in naribus concreſcit, quale exemplum obſervat *Heinricus ab* HEER *in obſ.* 28. Muci talis naſi ad ſaxeam duritiem concreti.

Præter aërem inclementem inſpiratum ſubinde etiam alia externa poſſunt Coryzam inferre. Nam *ſternutatoria acriora nimiſque frequenter uſurpata* continuo ſtimulo narium membranam irritando copioſam lympham effluere faciunt, imò Coryzam producunt, ſi continuentur. Hinc etiam *fumi minerales inſpirando attracti* Coryzam producunt pertinacem. Mihi enim hoc ipſum evenit tempore æſtivo (quo aliàs non ſunt frequentes Coryzæ) præparanti Clyſſum antimonii: neſcio autem quo fato frangebatur retorta tubulata: quo facto copioſos attraxi fumos adeò ut poſtmodum per aliquot ſeptimanas in Coryzam & Tuſſim moleſtiſſimam inciderem. Quod noto contra eos, qui dicunt. *Illud remedium eſſe morborum catarrhalium præſervatorium.* Quando eſt Coryza à *cauſa externa*, utplurimum frequentem *ſputationem Tuſſim* ſupervenire videmus, partibus ſcil. iſtis, per quas aër rigidus tranſit copioſis glandulis obſitis, omnibus tamen læſis & irritatis, hinc lympham copioſam ſub forma Catarrhi plorantibus. Imò ex partibus iſtis læſis exhalantia miaſmata fermenti quaſi obtinent naturam. Unde & *Contagioſa* percipitur Coryza, ita ut iſta effluvia aliorum naribus inſpirando attracta ſive per *lintea* communia, ſive per *pocula* communia, irritativa ſua acrimonia ſimulque lymphæ corruptela, ſimilem Coryzam in altero ſano inferant. Hinc falſum eſt, Coryzam ſemper eſſe à cauſa interna, & per Coryzam purificari maſſam ſanguineam, quaſi exiſtat in maſſa ſanguinea. Nam iſte mucus, qui emungitur, non eſt in maſſa ſanguinea, ſed tantùm fit in interioribus narium & faucium. Nam à ſola cauſa externa utplurimum proficiſcitur Coryza, utut non negem etiam à cauſa interna illam interdum oriri. Qui vult hæc magis dilucidata, vid. HELMONT. *tr. Tuſſis & aſthma* item *Catarrhi delirament.* ubi reperit ſatisfactionem ſuorum dubiorum.

DIAGNOSIS.

Coryzæ eſt facilis, etiam aniculis & mulierculis patet.

IN PROGNOSI

Res caret periculo, modò non lympha nimis acris exulceret interiora narium, & ita *ozænas ſive narium ulcera* producat. De quibus ozænis alio tempore.

QUOD ATTINET CURAM.

Cura communis cum omnibus catarrhis inſtituitur, ſcilicet conveniunt ea, quæ ſuperius de catarrhis dicta fuerunt: *In ſpecie ſi oriatur à cauſa interna.* Maximè tamen conveniunt *externa naribus applicanda*, *vertici inungenda*, *maſticanda*, *inſpiranda*, &c. Sic conveniens eſt, ut naribus admoveatur *nodulus ex ſemine nigellæ* concluſo, qui nodulus ſubinde olfactus admodum corrigit & emendat coryzam in ſpecie nares obſtruentem, eſt remedium TABERNÆ MONTANI, quod inſigniter commendat: poſſunt addi *folia Majoranæ*, aut *parata ex Majorano* in ſpecie *ol. Majorani:* Nam & hoc ipſam curat Coryzam, v. g.

℞. Fol. Majorani P. iij.
Seminis nigellæ contuſi ℥iij.
Ol. ſtill: Majoran. gutt. iij.
ſtill. ſuccini
Aniſi ana gutt. j.
F. l. a. Nodulus cum ſtylo narib. admovendus.

Ulterius *pulveres ſternutatorii* appropriati inſigniter Coryzam emendant, quatenus lympham proritando abſterſione membranam narium abluunt, quin & materiam craſſam & nimis obduratam eliciunt.

Fiunt ordinariò ex *pulvere Tabaci*, ex *Floribus*, item ex *radice liliorum convallium*, ex *Euphorbio*, ex *Majorana* & ſimilibus.

His in ditioribus ſubinde adduntur aliquot *grana Moſchi vel ambræ* pro gratia odoris v. g.

℞. Pulvis Tabaci Indici ℥ß.
Majoranæ
Flor. Lilior. Convall. ana ℥j.
Ol. Salviæ, Roriſmarini ana ℈ß.
Moſchi gr. x.
Ambræ gr. v.
M. F. pulvis ſternutator.

Vel etiam fit elegans *pulvis ſternutatorius ex pulvere radicis Ireos Florentinæ*, cui tantummodo *aliquot granula Euphorbii pulveriſati* adduntur: Hoc enim potenter materiam ſuâ forti irritatione, rivuli inſtar profluere facit. *Pulvis expertus ſternutatorius* HELMONTII fit ex anima ſacchari & Hellebori nigri pulveriſatis & naribus attractis, quam inſigniter commendat, ſicut etiam eundem laudat RIVERIUS *in ſua praxi.* Item *folia Nicotianæ* irrorantur aliquot *guttis olei deſtillati Majorani* & ita odorantur. Vel *exſiccata pulveriſantur*, blanda, ſed egregia ſunt ſternutatoria. Optima ſternutatoria fiunt ex vitriolo. Mitiora ſi tantummodo ad albedinem calcinetur: potentiora ſi ad aliqualem rubedinem uratur ſeu comburatur, quæ inſpirata potenter penetrant, omneſque narium latebras emungunt. Cæterum ne nimis acre ſit, ſolvatur tantillum *vitrioli albi* ſive ad albedinem calcinati *in aqua majoranæ*, *ſ. aqu. liliorum Convallium*, *aut in aqua ſalviæ* & aqu. iſta ſolutionis vitrioli inſpirando in nares attrahatur, eſt egregium ſternutatorium, & inſigniter conveniens Coryzæ. Quidam uſurpant *ol. Nicotianæ & ol. nigellæ* ana cum aliquot guttis *olei deſtillati Majoranæ*. Hæc *olea* naribus illinunt, quibus inſigniter obſtructionem narium tollunt, & Coryza ſedatur. Melius eſt *oleum Aniſi*, ſi interiora narium eodem illinentur, reſerit enim nares impeditas, & ſi ſit ab effluviis inſpiratis, lympham temperat, ne fauces & Laryngem feriat attenuata. *Oleum*

ſuccini

ſuccini has ſuperat, in ſpecie, ſi *illinatur vertici* mirum quantum levet Coryzam, quia & naribus poteſt illini, idque eò præſentiore effectu, ſi aliquot *guttulæ olei deſtillati Caryophyllorum* ipſi addantur, ſed quoniam eſt acriuſculum hoc oleum, ob id tantillum bombacis ipſi intingatur, & inde ſubinde per olfactum naribus admoveatur. Nam & ſic Coryza tollitur. Quibuſdam arcanum eſt in Coryza *oleum amygdalarum dulcium, in quo Camphora* eſt ſoluta, naribus extrinſecus inunctum, (perhibetur eſſe ſecretum TAKII) Tandem Coryza ſubitò ſiſtitur *ſolo odore* percepto *ex cornubus raſpatis*, v. g. in præparatione pectinum, vel etiam ſi alia cornua raſpata ſæpius per olfactum naribus admoveantur. Præ reliquis verò conveniunt *ſuffimigia* pro Coryza narium: ſicuti enim in Catarrhis aër attractus inſpirando infert aſperitatem narium, faucium & Laryngis. ſimiliter inſpirati ſuffitus has partes denuò reſtituunt & impreſſas læſiones tollunt, & quaſi abſtergunt. Sunt iſti *ſuffitus* imprimis *ex Gummatibus*, quorum accenſorum ſalia volatilia oleoſa interiora narium & faucium penetrando acrimoniam lymphæ & nimiam corruptelam tollunt, læſionem ab extra inductam ſedant, & etiam promptiſſimè hos affectus curant.

Fiunt *ſuffitus* optimè *ex ſuccino*. Poſt ſuccinum ſuffitus *ex maſtiche* eſt expertus: experimentum videbitis in BARBETTE *praxi ubi de Catarrhis*. Denique ſuffitus *ex gummate Animæ* experimentum eſt HARTMANNI inſigniter commendatum à LINDANO. Vel etiam præſcribuntur *ſuffitus Compoſiti* hâc formulâ:

℞. Succini
Gumm. animæ ana ℥ij.
Thuris
Maſtichis ana ℥j.
Benzoës ℈ij. (in affectibus faucium & Laryngis & hinc pulmonum, eſt enim anima pulmonum.)
M F. Pulvis catharal. pro ſuffit.

Pertinet huc *ſuffitus Tabaci* impræghnati prius aliquot *guttis olei deſtillati aniſi*, ſi ſcilicet ita præparatum Tabacum per fiſtulam conſuetè attrahatur, & fumus inſpiretur. Ubi nimis craſſa & nimis viſcida eſt materia quæ nares obſtruit, tunc optimus eſt *ſuffitus aceti ſuper ferrum candens effuſi*. Hic enim ſuffitus potenter incidit & materiam reſolutam fluxilem facit.

Porrò *Maſticatoria* hic non ſunt negligenda. Nam ſic *pilulæ* ſeu *Trochiſci parvi* factæ ex *Mithridato & Olibano*, in ore retentæ ſiſtere catarrhos dicuntur, & dolorem oculorum, dentium, fœtorem gingivarum & corruptelam, &c. tollere perhibentur. Aliàs *extractum Nicotianæ* cum aliis miſtum tanquam egregium maſticatorium laudatur.

Ex his quæ modò dicta ſunt, etiam *raucedo & Tuſſis* ſimileſque oris & faucium affectus Catarrhales facilè poſſunt deduci ex læſione ſcilicet, facta etiam per cauſam externam, cum imprimis iſti affectus mutuò invicem concurrant.

In ſpecie tamen quoad *curam* obſervetur, quod *præter ſuffitus* hic etiam convenientiſſimos, ſpecialiter *tempore veſpertino opiata* adhibita multum conducant, idque ex methodo HELMONTII. Deinde ubi *lympha Catarrhalis* eſt *nimis acris*, aut *nimis acida*, aut *corroſiva*, ſubinde acrimoniam *temperantia & demulcentia* uſurpanda; qualia ſunt v. g. quæ fiunt ex *Jujubis*, *ex Glycyrrhiza*, *ex ficubus & paſſulis* & ſimilibus, *ſin* verò concurrat *mucus craſſus & viſcidus* ſubinde hunc *incidentia*, *attenuantia & expectorantia ex hyſſopo*, *Nicotiana*, *Oxymellibus*: *ſpiritu ſalis dulcis*, *ſpiritu nitri dulcis*, & ſimilibus uſurpanda. De quibus jam ſuperius, ubi *de Tuſſi* item *de raucedine* actum fuit. Mulierculis noſtratibus *præſervativum raucedinis & Tuſſis ab aëre frigido* præbent *paſſulæ majores maceratæ in ſpiritu aniſi*, quarum una alterave manè jejuno ſtomacho maſticata & deglutita præſervat fauces & aſperam arteriam ab inſultu aëris hyberno; *Inductos* verò jam *Catarrhos* faucium & Laryngis fere curant *per fruſtula ficuum*. Quibus *affundunt aqu. vitæ ſ. ſpiritum vini*, & hunc deſuper incendunt & ita deflagrare ſinunt: Fruſtula ſemi-aſſata veſpertino tempore comedunt, & ſic aſperitatem faucium egregiè corrigunt, ſimulque lympham acrem & acidam temperant & demulcent.

Tandem præter nares *oculos* ſubinde affligunt *Catarrhi ex lympha diluvio præternaturali orti*. Naturaliter equidem humectantur oculi à lympha ſubtili eâque tenui moderatiſſimè ſalſa, ut facilitetur eorum motus, & à ſalſedine lymphæ continuata abſterſione eorum nitor ac claritas ad viſum ſummè neceſſaria conſervetur.

Hinc ſi *nimia frequentia & copia* excernatur hæc lympha oculorum, *lacrymarum* nomine venit, quæ largiter manantes ſubinde in os influunt, ubi ſenſibili ſed ſubtili ſalſedine impræghnatæ guſtantur.

Lacrymæ hæ aut *naturaliter* effluunt ſolo quanto excedentes in animi pathematibus, aut *præternaturaliter* emanant in ſtatu morboſo vitioque catarrhali.

Fontes hujus lymphæ tàm *naturalis* quàm *præternaturalis* ſatis manifeſti ſunt, *glandulæ* tum iſtæ quæ *in utroque Cantho ſive angulo*, ſunt conſpicuæ tùm etiam eæ, quæ *in interiore palpebrarum facie* ſunt ſitæ, de quibus imprimis conſulendus eſt STENO *tr. ſupra citato de vaſis oculorum*. Ubi etiam habet nonnulla egregia de naturali lacrymarum fluxu.

Lacrymarum iſte *nimius effluxus morboſus abuſivè* aliàs vocatur

EPIPHORA.

Abuſivè dico, legitimo enim uſu Epiphoræ vox *in genere humoris in quamcunque partem influentis impetum ſignificat*; quâ ratione & *uteri & ventriculi Epiphoræ* apud veteres obſervantur. *In ſpecie* tamen ex modernorum abuſu *Epiphora nimium lacrymarum fluxum* innuit, *Lippitudo* aliàs Latinis appellatur. Epiphoræ.

EPIPHORA HÆC TRIPLICEM AGNOSCIT CAUSAM.

1. *Eſt nimia glandularum laxitas*. Quando eædem flaccidæ & nimis ſpongioſæ redditæ per patula nimis ac patentia foramina lympham copioſam effluere aut potius elabi ſinunt, ipſâ lympha aliàs naturaliter tunc conſtitutâ: Unde hic affectus nullo inſigniori ſymptomati eſt adjunctus, niſi aliquali *oculorum rubedini* ex ſanguineis vaſis ob copioſiorem quàm faciliorem ejus effluxum ob inanita ſemper vaſa majorem turgeſcentiam. *Malum hoc ſenibus eſt familiare item morientibus*. Hinc *ſpontè illacrymari in acutis morbis periculoſum* ex HIPPOCRATE. Iſtud (*in ſenibus*) *ob nativam ratione ætatis imbecillitatem*, dum flaccidæ & quaſi detritæ ſunt glandulæ. Hoc verò (*in morientibus*) propter *morboſam ſummam proſtrationem virium*, & hinc *ſpirituum animalium defectum & glandularum flacciditatem*.

Facit huc *ablatio Carunculæ Lacrymalis*. Hæc enim caruncula aut *ferro ablata*, aut à *lympha acri exeſa* ſui abſentia continuum & involuntarium lacrymarum fluxum infert. Hæc eſt *prima cauſa Epiphoræ*.

2. *Cauſa Epiphoræ eſt læſio & irritatio oculi ſenſibiliſſimi ab externa cauſa*. Quo pertinent *pulveres in oculos illapſi*, item *Effluvia acria* v.gr. *Cepacea*, *alliata & piperata*, quæ ſalibus volatilibus turgida oculos pungunt & mordent, etiam *aër externus nimis frigidus aut aſper*, qui oculum lædit, ex quarum rerum læſione & irritatione copioſus & continuus lacrymarum contingit effluxus. Durante effectu diutius ex copioſè effluente ſanguine & ob exhauſtum laticem ejus pro impendio lacrymarum, hinc ſanguis nonnihil

nihil ſpiſſeſcit, ut in anguſtiſſimis iſtis vaſculis ſtagnans *ophthalmiam* tandem ſive oculi inflammationem inferat, *modò majorem, modò minorem, &c. cum ejus rubore, dolore & tumore, &c.* de quibus ubi de Inflammationibus.

3. *Epiphoræ cauſa propriè Catarrhum* conſtituit, *quando nempe ex vitio Lymphæ ab interna cauſa profecto per modum Catarrhi præternaturalis lacrymarum fit effluxio*; proprieque Epiphoram conſtituit.

Vitium Lymphæ eſt, quando eadem *nimis acida* utplurimum, interdum *nimis acris & ſalſa* exiſtit. Unde hæc lympha *acida* aut ſaltim *ſalſa* continuò oculos rodit & vellicat, unde eorum *pruritus*, quando & interdum *palpebrarum exulceratio*: Ex *pruritu* & irritatione *major ſanguinis & lymphæ effluxus*. Hinc *dolor, tumor, inflammatio oculi periculoſa*, non rarò ſuperveniunt, quin & in *cœcitatem* interdum terminantur hæ Epiphoræ Catarrhales, quatenus ab acrimonia lymphæ nonnihil corroſæ membranæ oculorum fiunt aſperæ, ex aſperitate craſſæ, ex craſſitie tandem opacæ minusque perſpicuæ, ita ut exinde neceſſariò ſequatur *cæcitas*.

Cauſæ hujus Epiphoræ ſunt omnes eæ *internæ*, de quibus in Catarrhis locuti ſumus: interdum ſpecialiter concurrit *potus nimius vini aciduli* oculis nocentis. In ſpecie *externa oculi læſio aut irritatio* ſubinde occaſionem præbet, ut lymphæ vitioſæ uberior ad oculum fiat affluxio & ſic Epiphora Catarrhalis: quin & *robur oculi læſum* ſeu quando glandulæ oculorum ſemel laborarunt Epiphora, & ſæpius poſtmodum ex imbecillitate hinc contractâ idem patiuntur malum. Interdum etiam *parentum* concurrit *vitium*, *cum hæreditate materna aut paterna* oculi infantum diſponuntur, ut accedente interno lymphæ vitio ſimilem in Epiphoram incidant.

Fluens hæc lympha catarrhalis, ubi *mitior* fuerit, nec adeò acida, ſed *potius ſalſa*, neque etiam adeò tenuis, ſed *potius nonnihil ſpiſſa* concreſcere ſolet circa glandulas & palpebras virtute proprii ſalis in ſordes, quas *Lemas* ordinariè vocant.

SIGNA DIAGNOSTICA

Epiphoræ per ſe patent: *Cauſæ* tantùm *diſtinguendæ* ſunt partim ex relatione ægri, partim ex ſcientia Medici.

QVOAD PROGNOSIN

Infantes interdum lacrymari ſolent, & quidem *ſine inſigni periculo*, quoniam præcedente ætate ſponte hoc vitium corrigitur.

Epiphora propter ablatam quæcunque ex ratione carunculam lacrymalem ferè eſt incurabilis. Qui *in febribus* aut aliis morbis *voluntariè illacrymantur*, *inconveniens non eſt*: qui verò *citra & præter voluntatem* hoc faciunt, in iis *pravum eſt ſignum.* Nam eſt reſolutio facultatis, ut vocant, teſte Hippocrate *ſect.4. aphor 52.*

QVOAD CVRAM EPIPHORÆ

Cauſarum habenda eſt ratio: *Si adeſt Glandularum laxitas, blandè adſtringentia* adhibenda, *ſi adeſt læſio & irritatio à cauſa externa*, hæc ipſa *removenda & inducta læſio corrigenda. Sin 3. vitium lymphæ* ſubſit *internis catarrhalibus generalibus*, ſuccurrendum: *Exterius verò acrimoniam ejus temperantibus & blandè adſtringendo humorum excretionē impedientibus* ſuccurrendum. Ubi ferè in genere ea conveniunt, quæ ſupra in *Ophthalmia* commendata fuerunt. Quæ ergo in genere de Catarrhorum cura monita fuerunt hic obſervanda.

De ſternutatoriis res eſt dubia, an in affectibus oculorum lacrymalibus aut in quibuſdam aliis conveniant?

Et ſanè unumquemque terrere debent exempla ab experto Hildano adducta *cent.1. obſ. 24.* item *cent.2. obſ.13.* item *cent.4. obſ.12. & 13.* Ubi inter alia *ſternutatoriis*, aut *nimiis*, aut *in affectibus oculorum* aliàs adhibitis *cœcitatem* inductam refert. Econtra ſuadere eadem poſſint ea, quæ habet Bartholinus *cent.3. epiſt. pag.267. & cent.4. pag.4. pag.11. & pag.523.* Et hæc ipſa roborari poſſunt ex Stenone, qui obſervat vaſculum quoddam excretorium ex utroque oculo ad nares tendere & ſub ejuſdem membrana intima per longum ejus protendi & tandem in narium cavum aperiri: ratione cujus vaſculi non rarò *collyria* ſeu medicamenta ophthalmica externè oculis applicata ſubinde in ore paulo poſt guſtata fuerint, ratione iſtius ductus quo in nares, hinc in os medicamenta ophthalmica fuere tranſlata. Sed quicquid horum ſit, fateor me admodum eſſe timidum in applicandis ſternutatoriis in oculorum affectibus. Nam Hildani veſtigia me terrent. Si tamen interdum eadem *uſurpanda*: applicanda ſunt eadem *non in principio, ſed in declinatione 2. ſedata* jam maximâ ex parte *inflammatione*, quæ utplurimum accedere ſolet. 3. *Moderata* applicanda ſunt *ſternutatoria*, nullo verò modo acriora aut fortiora. Quæ ergò conveniunt remedia in *Epiphora*, blandè adſtringentia ſunt *decoctum corticum granatorum* Hartmanni, quod commendat *cap.36 ſuæ praxeos Chymiatricæ*: quod etiam decoctum corticum granatorum commendatur *ad præſervandos oculos in variolis.* Alii inſigniter commendant *Cortices Myrobalanorum Citrinorum*, ad reſtringendas oculorum lacrymas. Recipiunt Cortices Myrobalanorum Citrinorum: hos infundunt in aquam Roſarum per 3. dies, deinde exſiccant ac pulveriſant: iterum infundunt, idque ter vel quater: Pulvis ita præparatus mirabiliter oculorum lacrymas conſumere & oculos eleganter adſtringere prædicatur. Porrò verno tempore cum floret *ſalix*, inciſo cortice effluit *liquor* vel detracto cortice hic abſtergitur, qui oculis inſtillatus aut illitus, mirabiliter ſuperfluam humiditatem abſumere, lacrymas oculorum ſiſtere, & hebetem viſum confortare dicitur à Solenandro *conſ.8. ſect. 2.* Quidam commendant etiam ad lacrymas involuntarias *rutam ſiccam*, quam miſcent *cum melle & aceto* coquunt; Colant per pannum lineum & Colaturam oculis inungunt, & certò lacrymas ſiſtere dicunt.

Thus alii cremare, & ſepties *in aqua Roſarum* extinguere jubent, & aquam iſtam poſtmodum oculis inſtillant pro ſiſtenda Epiphora. Forestus *lib. 11. obſ.14.* commendat hoc *Collyrium*, quod multis M. lacrymis emanantibus cum oculorum rubedine, ita ut etiam œgylops impenderet, profuit, & convenit etiam *in Epiphora Catarrhali.*

℞. Tutiæ præparatæ
Sarcocollæ ana ℈j.
vitrioli Romani
Sumach. ana ℈ß.
Ligentur in nodulo, & huic aquæ injiciantur:
℞. Aqu. Euphraſiæ
Roſarum
Fœniculi ana ℥j.
F. Collyrium.

Denique *miſtura* experta Timæi *in Epiphora* non inelegans eſt hæc:

℞. Radicis Tormentillæ groſſo modo
pulveriſatæ ʒj.
aluminis gr. v.
aqu. Roſarum
Plantaginis ana ℥j.
ſtent in loco calido per diem noctemve filtrentur & reſerventur ad uſum.

Decoctum oſſium bubulorum & palearum tritici eſt ſecretum Burrhi in Epiphora, uti hoc videbitis *in ejuſdem Epiſtolis de humoribus oculorum ſituendis pag. 54.*

quodſi

Quodſi *pulveres in oculos incidentes* vel aliæ res *inducant Epiphoras*, tunc *optimè retrahuntur* hi ipſi beneficio *lapillorum vel ocul. cancr.* ſi ſcil. hi ipſi imponuntur oculis ita, ut pars cava oculi bulbum tangat, & ita clauſis palpebris agitetur hinc in oculis, & ita ſubito illapſa extrahuntur, vidi hoc probatum.

Semen Sclareæ oculis intruſum, etiam ad extrahendas res alienas ex oculis admodum laudatur.

Si incidat in oculum *feſtuca vel palea, extrahitur cum fruſtulo ſuccini*, prius panno benè affricti.

Si *ſcobs ferri vel chalybis* in oculos inciderit, manus oculo aperto applicandus ſecundum experimentum HILDANI *cent.5. obſ.21. Modum Chirurgicum* illapſum extrahendi per inſtrumentum vos docebit HILDANUS *cent.2. obſ.13.* item *cent.4. obſ.18.*

Denique ſi *Lymphæ concurrat vitium vel nimia acrimonia*, ea quæ in ophthalmia fuere laudata conveniunt: In ſpecie opera danda, ut *acrimonia ſalſa temperetur & acida corrigatur.* Conveniunt ergo *aqua ſpermatis ranarum. Liquor ſeu oleum Cyani & flor. Cichorii. Liquor fœniculi ſaccharatus ex* BARTHOLETO: deſcriptionem habuimus ubi de Ophthalmiis. *aqu. fragorum.* In ſpecie ſi ſimul concurrant *pulveres in oculum illapſi, fruſtum carni vitulinæ impoſitum* convenit: Quin *Tutia præparata cum aqua fœniculi* oculis inſtillata admodum temperat aciditatem. Item *ſaccharum ſaturni, Ceruſſa, Mucilago ſeminis Cydoniorum cum ſaccharo ſaturnini: flor. Cyani: oculi cancrorum* minutiſſimè pulveriſati. *Succinum pulveriſatum, Hæmatitis præparata*, & denique *Lapis Calaminaris* præparatus, qui ſingulare remedium dicitur fuiſſe PARACELSI in talibus caſibus. Modus præparandi eſt, ut recipiatur lapidis Calaminaris ℥j. pulveriſetur ſubtiliſſimè, & ſuperfundatur ſpiritus vini optimi ʒß. hinc incendatur & conſumatur ſpiritus. Remanentia iterum pulveriſentur & ſuperfundantur vini albi clari ℥ij. aut aqu. roſarum loco vini, & ita fiat collyrium manè & veſperi applicandum.

Hæc de Lymphæ vitiis, indeque ortis Catarrhis. Pergo ad

CAPUT VI.

DE LYMPHÆ MOTU IMPEDITO,
Indeque Orto Hydrope in Genere & in Specie.

Hydrops. HYDROPIS nomine nihil aliud intelligitur, quàm aquarum, ſeu, ut alii loquuntur, humorum ſeroſorum præternaturalis collectio, quam neceſſariò *tumor & diſtenſio* partis *cum ejus* tamen *mollitie &* non raro *fluctuatione* comitantur.

Hydropis vox græca, Latinis convenienter *aqua intercus* ſeu *aqua intra cutem* redditur. Jã verò *aqua* hæc vel *totum corpus* impregnat & tumefacit, vel ſaltem *determinatam ejusdem partem*; illud dat *hydropem univerſalem*, hoc verò dat hydropem *particularem*. Illa univerſalis vocatur ANASARCA, *de qua jam ſuperius*, ubi de cachexia & leucophlegmatia. *Hydrops* verò *particularis* pro varietate partium, quas affligit, varia etiam & *ſpecialia ſortitur nomina*. Si *caput* ſit hydropicum, ſeu quando colliguntur aquæ, in capite dicitur *hydrocephalos*: Si in *pectore*, vocatur *hydrops pectoris*: Si in *pericardio* præternaturaliter lympha abundet, eſt *hydrops pericardii*. Si in *abdomine*, dicitur *hydrops aſcites* ab utre, quia abdomen inſtar utris repletum, tumefactum & diſtentum apparet. Si in *utero*, *eſt hydrops uteri*: Si in *teſtibus* eſt *hydrocele*. Si in *partibus* vel *membris externis* particulariter oriatur, in uno alterove membro vulgo *tumoris aquoſi* ſeu *ſeroſi* generali nomine appellatur. Imò in *omenti burſa* copioſæ aquæ concluſæ in inſignem humorem abdomen attollunt, quale exemplum habet HORSTIUS *in obſ.* & hic eſt mulier, quæ videtur gravidiſſima, & tamen tantùm eſt aqua collecta in *omento*. Item in *duplicatura peritonæi* concluſæ aquæ hypropis abdominis ſpeciem mentiuntur. Quale exemplum eſt *in obſervationibus Chirurgicis Iob. à* MECKREN *c.52.* Ex modo dictis patet, hydropem ab aqua dictum non eſſe alium, quàm ubi eſt aqua. Hinc TYMPANITES *impropriiſſimè eſt hydrops*, cum flatuum tantummodò, non verò ſit, aquæ eſt collectio; (Certum eſt *vulgò diſtingui hydropem in aſcitem, anaſarcam* & *Tympanitidem*, ſed impropriiſſimè,) niſi propter aliqualem cum aſcite, ratione tumoris ſimilitudinem, aut quia raro abſque aliquali aquarum colluvie contingit, Tympanitidem eandem etiam ad hydropes referre velis.

Superiori Septimanâ incepi diſcurrere de hydrope tàm in genere quàm in ſpecie, & quidem tantùm præliminaria præmiſi: pergo in his, & præmoneo, quòd cùm aſcites ſit frequentiſſima hydropis ſpecies & omnium maximè occurrat in praxi, quæ dicuntur de aſcite, etiam de hydrope in genere intelligenda ſint.

CAUSA hydropis ſeu collectionis aquæ aliter à *veteribus*, aliter à *modernis* definitur.

Veteres hepar affectum accuſant, quòd nempe, uti notum eſt, recenter advectum ſanguinem non ritè conficiat, quia eundem aquoſum & admodum ſeroſum generet, unde fiat, ut tandem ſerum in abdomen deſtillans hydropem inferat.

Sed *his adverſatur modernorum de ſanguificationis organo hypotheſis*, cùm, uti notum eſt, dejectum ſit ab imperio cruento hepar, ipſique publicæ ductæ exequiæ.

2. *Adverſantur huic ſententiæ* omnes, qui obſervationes anatomico-practicas ſcripſerunt v. g. BARTHOLIN. TULPIUS *& ſimiles*. Hi enim omnes aperto ore clamitant, ſæpiſſimè *hepar inſons in Hydropicis* in ſpecie *aſciticis fuiſſe repertum.* Hinc refert LINDANUS *ſuper* HARTMANNUM, ſe aliquando vidiſſe Enchuſæ virginem hydropicam, cujus ventre diſſecto ingens aquarum colluvies profluxit, internè nulla labes viſcerum abdominis fuit inventa, donec ſiniſter teſticulus totus putridus, corruptus & liquore inſtar atramenti fœtidiſſimè plenus fuerit inventus, unde origo iſtius mali. Unde etiam jam SENNERTUS ſuo tempore rejecit, quod ex hepate ſemper oriatur hydrops, imprimis aſcites, quia potius ex quacunque cauſa viſcera debilitata in genere, modò ſanguificationem impediat, eſſe hydropis aſcitis originem: immo impugnat omnes, qui hepar affectum defendunt *l.3. prax. c. de aſcite*. Unde in principio hujus ſeculi SYLVIUS LANCEANUS *Medicus Romanus* peculiarem edidit libellum, cujus eſt *titulus*, *hydropem non ſemper à jecore, fieri*, Excuſus hic tractatus eſt *Romæ Anno* 1603.

Non nego equidem *hepatis & lienis ſcirrhos* fuiſſe ſubinde inventos in hydrope demortuis, qualia exempla vid. in FORESTO *l.19. obſ.29.* item in SCHENCKIO *in obſ. pag.* 433. & etiam ſubinde reperiuntur exempla aſciticorum, in quibus poſt mortem aut *hepatis* aut *lienis* aut *alius viſceris ſcirrhus* fuit inventus.

Sed *quæſtio* ſupereſt, *an hi tumores ſint cauſa hydropis, an verò eum tantum antecedant, aut ex labe ſanguinis eum comitentur?* Sicut videmus v. gr. *quartanas, tertianas, diuturnas*, ſæpe habere comites *ſcirrhos lienis*, qui ſcirrhi lienis aut hepatis ſuperveniunt iſtis morbis, adeoque ad morboſa producta potius referendi, quàm quod ſint radicales eorum cauſæ. Id quod etiam de hydrope aſcite, qui ſuccedit poſt morbos chronicos in ſpecie quartanas & Icteras obſervandum eſt.

Tertium, quod eſt contrarium huic, opinio eſt, quod *explicandus* reſtet *modus, quo fiat collectio & deſtillatio materiæ aquoſæ in abdominis cavum*, aut alias *partes* v. gr. *in caput, pectus, &c.* Nam hæc eſt conſueta naturæ lex per experientiam quotidianam comprobata, ſimulque per inſignia experimenta, quod nihil excernatur ex maſſa ſanguinea purum, niſi per cribra certa ſeu per certos & determinatos poros ac meatus.

Quæritur ergo, *per quæ loca, quo modo, per quas vias deſtillentur aquæ, & colligantur* nunc *in capite*, nunc in *pectore*, nunc in *abdomine*; *Tranſudatio eſt leve effugium*, ex vaſis nempe ſanguifluis.

Tunicæ enim venarum, ut taceam de arteriis, tenaces admodum ac denſæ non permittunt hos ſuccos per loca determinata. Anaſtomoſis ſi adeſſet, neceſſariò tantillum ſanguinis adeſſet, ut ob id ſerum inſtar loturæ carnium & quaſi ſanguineum obſervaretur in hydropicis: quod tamen non eſt.

Neceſſe eſt ergo, ut *aliter explicetur hydropis generatio.* His & ſimilibus extricis, ut ſe extricent moderni, commodè inventa ſunt *vaſa lymphatica*, ex quibus commodiſſimè aquarum collectio hydrcpica deduci poteſt. Impedito enim lymphæ motu per hæc vaſa, quid aliud niſi hujus in partibus ſtagnantis collectio, indeque hydropica intumeſcentia ſequitur: quod ſi *per totam corporis peripheriam*, ut in *leucophlegmatia* infarctis lymphaticis & obſtructis glandulis, lymphæ per glandulas tranſcolatio & ejus per vaſa ad maſſ. ſang. motio impediatur, *anaſarca* ſequitur, & ſic etiam in *hydrope particulari.* Primus qui mentem huc direxit, eſt BARTHOLINUS *in tr. de vaſis lymphaticis c.7.p.245.* ſequitur Præceptorem ejus diſcipulus Jacobus Henricus Pauli in *anatome anatomiæ* Bilsianæ *pag.85.* qui in ſpecie *cauſam hydrocephali* ſtatuit eſſe lympham, quæ ex obſtructis vaſis lymphaticis jugularibus aliiſque cephalicis inter cutim & pericranium, vel inter cranium & meninges colligatur.

Terit hæc veſtigia ſimiliter SYLVIUS tàm in *ſcriptis Theoreticis* quàm *practicis*, qui in ſpecie *aſcitem* ex hoc fonte derivat. Sanè ubique per corpus diſperſæ ſunt lymphaticæ, in his ergò lympha contenta, ſi impediatur moveri, cùm interim continuus ſit ejuſdem proventus, non poteſt non in iſtâ parte, ubi fit lymphæ impeditus motus, *Tumor aquoſus* ſeu *hydrops particularis* excitari, & tum etiam *partibus internis* v. gr. ex *lymphaticis pulmonum*, aut ex *lymphaticis glandularum in pectore imo* ſeu intimo conditarũ, *hydrops pectoris*, ex *lymphaticis* læſis *hepatis aut lienis*, aut *teſtium* tã *viriliũ* quàm *muliebrium* etiam hydrops *Aſcites*: quàm in *partibus externis ex lymphaticis artuum tumores ſeroſi particulares*; in locis, ut dixi, externis, &c. conſequi.

CAVSA verò, *propter quam non movetur lympha*, in ordinariis vaſis eſt *aut ruptio aut corroſio vaſorum lymphaticorum.* Si enim in quodam loco glandulæ aut ex his derivata lymphatica obſtruantur, ubi & lymphæ collectio in glandula, aut ejus curſus in vaſe ita impediatur, neceſſariò lympha in parte colligitur. (Præſuppono hic exactam lymphaticorum notitiam) ita quidem *obſtructo vaſe* à materia viſcida, ſeu ut vocant, pituita, hoc ipſum vas obſtructum *à lympha* per iſtud mota inſigniter diſtenditur, tandem *rumpitur*, & ita lympha ſucceſſivè *effunditur*: aut etiam ſi ipſa *lympha acrior* aut alius quicunque humor corroſivus corrodendo *lymphatica tenella exeſerit*, etiam lymphæ motus naturalis in iſtâ parte ſic impeditur, ut hæc effuſa hydropem inferat.

Hinc eſt, quod *Hydatides* viſcerum in ſpecie *hepatis & lienis* ſubinde obſervatæ ſint aut prodromi aut comites hydropis particularis, uti hoc obſervat Schenckius *l.III.obſ.* Item Platerus *in obſ.p.596.* qui obſervat *hydropem ex lienis & hepatis veſiculis. Hydatides* hæ tã *in pulmone* quàm *hepate* frequenter obſervantur.

Hydatides inſigniores pulmonum obſervavit PISO *in tract. de colluvie ſeroſa p.214. Hydatides* inſigniores *hepatis* obſervavit Panarolius *obſer. 16.* Præ aliis autem partibus in *hepate & pulmone* obſervatæ ſunt hydatides, quoniam horum viſcerum vaſa lymphatica exteriora magis ambiunt, & hinc humoris horum ſeu aquarum contentarum collectione fiunt magis conſpicua. Sunt enim hæ *hydatides* ſeu veſiculæ aquæ turgidæ nihil aliud quàm *lymphatica vaſa, in quibus lymphæ motus eſt impeditus.* Hæc ergo lympha in iis hæret, eaque diſtendit ſenſim, & dum intercepta eſt lympha inter valvulas, quibus pluribus vaſa lymphatica ſunt inſtructa, ſpatiola intermedia diſtendendo tumefacit, ut ita veſicularum aquoſarum faciem repræſentent: quod ſi rumpatur una alterave harum veſicularum minutarum, lympha à membrana tenui, viſcus ipſius ſubſtrata vaſa lymphatica inveſtiente coercetur, ut ita veſicæ ſenſim majores & grandiores oriantur, (nam obſervatæ fuerunt tales Hydatides æquantes nucem avellanam) donec hæ in membrana ruptæ veſicæ aquoſæ, & ſe effundant in cavitatem, & ita hydropem poſtmodum quendam inducant. Illuſtrem hoc magis *hydropes abdominis veſiculares*, in quibus aqua tumorem faciens, non in cavo ejus fluctuavit, ſed potius veſiculis copioſis & numeroſis incluſa obſervata fuit. *Exempla* aliquot enarrat hujuſmodi *hydropis veſicalis* SENNERTUS *cit. loco lib.3. praxi cap. de hydrope.* Item in TULPIO, qui obſervat hydropem *aſcitem ex copioſis veſicis Meſenterii lib. 2. obſer. cap. 34. Item vid.* HOEFERUS *in Hercule Medico pag.143.* ubi ſimiles hydropes veſicales refert. Item HORSTIUS *l.10.obſ.p.513.& 529.* Item BARTHOLINUS *cent.4. Epiſt.570.* obſervat aſcitem ex glandulis vel veſiculis in omento ſero repletis.

Hæ *ipſæ veſiculæ aut lymphaticæ ſunt vaſa* lympha contenta in motu impedita, & ita expanſa, ut ratione valvularum veſicas repræſentent, aut ſaltem veſicæ hæ ſunt *ex ruptis lymphaticis*, ita tamen, ut lympha effluens in membranis ambientibus coercita, ita in veſiculas coacervatur & colligatur.

Cæterùm *frequentior* præ cæteris hydropis ſpeciebus eſt HYDROPS ABDOMINIS, idque *duplici ratione.* 1. *quia copioſa & inſignia continet viſcera, eaque omnia copioſè peculiaribus ſuis lymphaticis inſtructa* v. gr. *hepatis, lienis, renum, teſtium utriusque ſexus*, item lymphatica ab inferioribus partibus ad receptaculum commune adſcendentia.

2. Cauſa eſt, *quia meſenterium inſtructum eſt vaſis lacteis* chylum vehentibus, quibus *ruptis* aut *exeſis* ſimiliter *aſcites* ſequitur.

Hoc ut pateat, exactius obſervetur, hæc ipſa *vaſa lactea* ratione compoſitionis & ratione ſtructuræ reverâ eſſe *eadem cum vaſis lymphaticis*, tantummodò liquoris contenti ratione à ſe invicem differunt; Hinc eſt, quod truncus lacteorum & lymphaticorum communis nempe ductus Thoracicus, utrique liquori vehendo tam chylo quàm lymphæ ſit deſtinatus.

Lacteæ ergo hæ, quæ chylum tenuem & aquoſum vehunt, ſi aut ipſæ in meſenterio obſtruantur, aut glandulæ meſenterii, per quas chylus mediàtibus vaſis lymphaticis primi generis trajicitur, in lacteas ſecundi generis (de quibus imprimis videndus VVARTHONUS) ſi, inquam, *glandulæ aut vaſa lymphatica obſtruantur*, neceſſariò ſequitur exinde *tumor aſciticus*.

Neceſſum

Neceſſum enim eſt, ut chylus, qui per ſe eſt admodum tenuis & aquoſus, utpote per anguſtos inteſtinorum poros percolatus, ſubſiſtat, aut circa glandulas infarctas, aut in lacteis obſtructis. Hinc ſubſiſtendo chylus iſte neceſſario vaſa diſtendet, eaque tandem rumpet, ex ruptis in abdomen influet, quod continuatâ congeſtione tandem diſtendit, & ita in hydropem aſcitem elevat.

Hanc chyli in abdomen per nonnulla lactea vel quaſdam glandulas pauciores vel plures ex obſtructione deſtillationem in abdomen unam ex *communiſſimis cauſis Aſcitis* arbitratur SYLVIUS *in praxi l.* 1. *c.* 17. & in *collegio practico* cum tract. HOFFMANNI *de uſu cerebri edito*. Hoc ipſum illuſtrari poteſt per experientiam BOYLEI *in Philoſophia experimentali parte* 2. *pag.*38. qui aliquando aqu. cujuſdam hydropici per paracentheſin evacuatam mediante Vulcano ſeu igne examinavit. Hinc guſtu nonnihil dulcem, colore vero turbidam obſervavit.

Et cum ſuper ignem aquoſitas tenuis ſucceſſivè exhalaſſet, primo liquor craſſiuſculus inſtar albuminis ovi remanſit, qui ipſe ulteriori exhalatione in Gelatinam tandem ſpiſſatus fuit, donec tandem hæc gelatina tota in craſſamentum viſcidum omnino excreſceret: hydropem hunc ex chylo in abdomen effuſo ortum fuiſſe, Chylus iſte craſſiuſculus probare videtur. Quæ dico de vaſis lacteis & glandularum meſenterii, confirmant exempla aſciticorum, in quibus reliquis viſceribus ſalvis *meſenterii* tantummodo *glandulæ obſtructæ* aut *ſcirrhoſæ* inventæ fuerunt: Item quoniam *ex ulcere meſenterii*, in quo neceſſario exeſa fuerunt lactea, obſervatus fuit hydrops. Sic RONDELETIUS *in ſuâ praxi cap.*35. inquit, id notatu dignum eſſe, quod ex frequenti diſſectione corporum obſervaverit omnes hydropicos *glandulas meſenterii induratas* vel *ſcirrhoſas* habere; Sic TULPIUS *lib.* 2. *obſ. cap.* 33. obſervat hydropem abdominis propter *Glandulas meſenterii œtomatoſas*, ubi etiam HOEFERUS *in Hercule Medico pag.*143. ſic ex *ulcere meſenterii* quinquies obſervavit hydropem TULPIUS *citato loco cap.* 37. uti etiam HOCHSTETERUS *decad.* 6. *conſil.* 6. obſervat *extuberantiam glandularum meſenterii œtomatoſam cum veſicis* hinc natis puſtuloſis ſerum elegans continentibus.

Et ubique proſtant obſervationes *hydropis* nati ex *affectis meſenterii glandulis*: His enim ita affectis, deſtillat ſerum in abdomen ruptis lymphaticis.

Ex hac cauſa ſcilicet *ruptis lymphaticis* eſt, quod *frigidæ hauſtum* aut *in æſtu febrili* aut *nimio calore* aut *exercitio corporis* interdû ſubitaneus ſequatur hydrops *Aſcites*: Sic enim PISO *tr. de Colluvie ſeroſa* refert *Aſcitem* natum *ex hauſtu frigidæ in declinatione Tertianæ*: Simile etiam exemplum refert SENNERTUS *de hydrope aſcite p.* 411. dicit nempe, ſe obſervaſſe in puella, quod cum *in tertianâ* vehementer ſitiens totam menſuram Cereviſiæ ſecundariæ ebibiſſet, inde in aſcitem inciderit. Item FONSECA *l.*7. *curat.*29. obſervat *aſcitem ex potu frigidi vini* poſt longum iter, dum bibens admodum eſſet exæſtuatus. Sic RIVERIUS *cent.* 2. *obſ.*65. refert hydropem *aſcitem ex ingurgitatione aquæ in acceſſionibus Tertianæ,&c. Rationem* hujus rei, *quod* nempe *ex potu frigido ſequatur hydrops*, reddit SYLVIUS hanc, quod mucus ſeu pituita naturalis inteſtinorum à calore ſoluta, hinc attenuata & fluidior reddita, ex inteſtinis in vaſa lactea penetret, quæ poſtmodum à ſuperveniente frigore aut externo aut ex frigore potus ſeu potu frigido denuò ſpiſſata & incraſſata vaſa lactea & glandulas hinc obſtruat & infarciat, quæ lactea ex infarctu diſtenta & rupta poſtmodum *hydropem* inducunt *magis vel minus ſubitaneum*, prout plures vel pauciores lacteæ hoc modo fuerint affectæ.

Quæ modò dixi de lacteis & lymphaticis, probabiliſſima equidem & maximè perſpicua videntur eſſe, ratio, quomodo nempe generentur *hydropes* tam *univerſales* quàm *particulares*. Nihilominus tamen, ut ingenue fateor, ingentem adhuc ſcrupulum movet contra hanc opinionem experimentum LOVVERI *tr. de corde c.*2. *p.*124. & 125. ubi aliquot experimenta habet ſatis manifeſta & facilia, quibus potius probare nititur, *hydropem quemcunque particularem oriri* potius ex *impedito tranſitu ſanguinis ex arteriis in venas*. Hæc in genere de *Hydrope*.

IN SPECIE ASCITEM

Quod attinet, Hydrops *aſcites* duobus ferè modis inchoat, au ſcilicet *abdomen primò diſtenditur*, hinc *ſcrotum & pedes*, quando vitium hæret in ruptis lymphaticis vel lacteis abdominis, aut verò id frequentiſſimè inchoat *aſcites*, ita ut *ſucceſſivè intumeſcant pedes*, hinc *tumor ſenſim aſcendat*; *abdomen occupet*, & tandem *perfectam Aſcitem* inducat. *Hydrops aſcites.*

Et quidem, quando pedes intumeſcunt, utplurimum non ſola aqua, ſed ſimul materia quædam craſſior ac ſpiſſior concurrit, adeò ut *non ſolum tumor ſeroſus & aquoſus*, *ſed ſimul* ſit tumor *œdematoſus*, uti fit, quando in cachecticis vel diuturnis morbis ſequitur hydrops: & ita adſcendit ſenſim tumor talis œdematoſus, donec abdomen occupet. In his Aſcitis ſpeciebus *cauſa remota* (*proxima* eſt *ruptio vaſis vel lactei vel lymphatici*) eſt notabile *vitium* occurrens, aut in *chyloſi* aut *hæmatoſi*. Nam materia iſta, quæ cum lympha ſimul colligitur, & ſtagnando tumorem ex œdematoſo ſeroſum infert, nihil eſt aliud, quàm Chylus crudus nec ſanguini aſſimilandus vitio, aut digeſtionis primæ, aut vitio depravatæ hæmatoſeos collectus. Hic ergo chilus aut vitioſus aut ſanguinis non aſſimilatus ſero dilutus, in inferioribus locis ſucceſſivè ſubſiſtit, ac dum ſimul lympham inquinat, glandulas ac vaſa lymphatica ubique obſtruit: Unde neceſſario & lymphæ ſtagnatio & perfectus tandem hydrops ſupervenit, progrediente ſucceſſivè malo ulterius, & abdominis ſuperiora petente. Hinc eſt, quod *nimias hæmorrhagias* talis *inſequatur hydrops*. Sic obſervat MEARA *in examine febrium VVilliſiano pag.*20. *Hydropem ex hæmorrhagia nimia*. Sic SCHENCK *lib.*3. *obſ.* aliquot obſervat hydropes *ex diuturna & copioſa narium Hæmorrhagia*. Item ex *nimio fluxu hæmorrhoidum* & ſimilibus aliis nimiis hæmorrhagiis, quia ſcilicet Maſſa ſanguinea nimia excretione depauperatur, aut etiam, quando hic hydrops ſuccurrit morbis chronicis, per curſum morbi effoeta, eadem reddita deſinit in naturali fermentatione. Unde inepta eſt chylum ut aſſimilet, idque eò magis, quando hic ipſe vitio ſtomachi ſuggeritur vitiatus. Hæc eſt Aſcites ordinaria ex lympha, & ſæpius etiam ex chylo crudo collecto orta. Verùm præter aquas aut aquoſos & ſeroſos humores collectos etiam extraordinario naturæ curſu interdum liquores alii hydropes aſcites inferre poſſunt. Unde in una cauſa univerſali, quoad Aſcitem vix ſubſiſtendum, ſed omnes circumſtantiæ probè expendendæ, v. g. *ex renibus affectis* ſæpiſſimè hydropes generantur, adeò ut ex hoc ſolo fonte hydropicorum aquas deducat, HELMONT. *tract. Hydrops ignotus*, qui ſcilicet renes non ſecernentes ſerum, ab ejus in abdomen ex renibus deſtillatione tandem ſupervenit hydrops. Unde notum eſt, non tantummodo *parcam & imminutam urinæ in quamplurimis Hydropicis eſſe excretionem*; & etiam *non raro diſſectis hydropicis* ipſos *renis tumidos & vitioſè turgidos eſſe* inventos: Sic à *renibus turgidis & perforatis*, item à *renibus exulceratis* abortam *aſcitem* obſervat PLATERUS *in obſ. p.*608. Porro alia etiam viſcera abdominis non raro etiam dant tumores ejus & aſcites, utut non ſemper puras, quando potius aquoſo purulentas: Sic ſuperius ex LINDANO habuimus exemplum *Hydropis Aſcitis* producti *ex uno teſticulo læſo*, &c. Sic & hydropem ex

 teſtibus

teſtibus mulieribus tumefactis oriri retulit RIVERIUS *in praxi de hydrope.* BARBETTE *in anatomia practica p.* 154. dicit, quod *menſibus ſuppreſſis* interdum ſuperveniat hydrops *aſcites*, quatenus materia vitioſa & aquoſa ex tubis uterinis in talibus ſubjectis in duplicaturam peritonæi influit, cujus rei ſe teſtem oculatum eſſe affirmat. Quò etiam facit exemplum proſtans *in obſer. cultro anatomico* LYSERI *annexis pag.* 284. *de hydrope* ex collectione amnueæ fœtidæ intra cutem & abdominis muſculos *ob menſes ſuppreſſos.*

Ab affectis renibus fit hydrops, quatenus ex renibus his tunc pura copioſa aqua deſtillat in abdomen, ubi coacervata dat hydropem.

Cæterùm præter dictas interdum extraordinariæ & planè ſingulares aſcitis reperiuntur cauſæ. Sic mirum quod refert BARTHOLINUS *cent.* 2. *hiſt.* 74. *de hydrope aſcite ſubitaneo ex geſtatione diuturna oneris gravioris* aborto. Item BORELLUS *cent.* 2. *obſ.* 24. obſervat *hydropem ex compreſſione nimia circa os ſtomachi*, ſed, ut dixi, hæ ſunt cauſæ extraordinariæ: utplurimum tamen ut quæ prolixè dicta ſunt, contraham, *hydrops oritur vitio vaſorum lacteorum, aut lymphaticorum exeſorum, aut ruptorum*, & quidem ſi hydrops oriatur adſcendendo, ſuccedit ei œdæmatoſis: quòd Chylus non rectè aſſimiletur, cujus cauſa ſæpius ſunt hæmorrhagiæ nimiæ. Ex dictis facilè cognoſcitur *differentia Aſcitis pro cauſarum antecedentium differentia.* Præ cæteris notatu digna eſt *differentia* LINDANI *ſuper Hartmannum.* Hydrops, inquit, eſt duplex,
“ unus à cauſa frigida, alter à cauſa calida. (Linqui-
“ mus LINDANO has delicias, illumque ſuo ſenſu
“ abundare permittimus.) Ille, inquit, eſt ab aquoſitate
“ & nimia ſanguinis dilutione, quia nempe Chylus
“ nimis aquoſus ſuppeditatur ſanguini, qui in ſan-
“ guinem bonum converti nequit. Altera ſpecies, in-
“ quit, eſt ab intemperie calida, quando ſanguis col-
“ liquatur & uritur in Ichorem acrem, qualis eſt, qui
“ immediatè poſt febres ardentes ſequitur. Hic poſte-
“ rior, inquit LINDANUS, vocatur *hydrops ſiccus*
“ (videtur quidem contradictio, ſed ab explicatione
“ ſuppeditata tollitur) prior verò vocatur *hydrops*
“ *humidus.* Quæris hic, inquit, quid ſit *hydrops ſiccus*
“ HIPPOCRATIS *in ſect.*4. *aphor.*12. Quibus tu-
“ mores adſunt & circa lumbos, &c. Omnes autores
“ dicunt hic intelligendum eſſe hydropem Tympani-
“ tidem, & ſic ſequuntur GALENUM. Verùm ut ipſe
“ LINDANUS dicit falſo, Hydropem non intelligit
“ Tympanitidem HIPPOCRATES, ſed alium, qua-
“ lis eſt, quando omnia macreſcunt præter abdomen.
“ Nam, inquit, ſunt duæ aſcitis ſpecies, una eſt, in
“ qua ab aquis collectis non tantùm venter tumet, ſed
“ etiam ſcrotum & pedes, interdum aperiuntur pu-
“ ſtulæ, & effluit humor, & hæc eſt ordinaria ſpe-
“ cies: Sed præter hanc eſt adhuc ſpecies alia, ubi
“ nullus nempe in ſcroto tumor neque etiam in pede,
“ ſed omnis humor in abdomine colligitur, pedes au-
“ tem & reliqua membra contabeſcunt & macreſcunt,
“ hinc ſquamas concipiunt, ut vix oſſibus hæreant,
“ facies fit arida & ſqualida, & hæc eſt *hydrops ſiccus*
“ *Hippocratis.* Dicitur *ſiccus* ab illa ariditate, ſqua-
“ lore & macie totius. In Hydrope ſicco urinæ ſunt
“ ſplendidæ inſtar ignis planè croceæ, inſtar Icteri-
“ corum, ſed non habent hanc craſſitiem, pauciſſi-
“ mum ejus vix 2. vel 3. coclearia effluit. In Aſcite
“ vero humida urinæ ſunt albæ, pallidæ & crudæ,
“ interdum ubi renes non ſunt affecti ſatis copioſæ.
Hæc ita *Lindanus*; ex quibus patet, *Hydropem ſiccum* eum appellari, qui fit *ex vitio meſenterii*, & imprimis *vaſis lacteis*, *Hydrops* verò *humidus* qui fit *ex inſigniori antecedente hæmorrhagia vitio maſſæ ſanguineæ depravatæ.*

Hæc *de cauſis & origine* Hydropis *Aſcitis.*

SEQVUNTUR SIGNA.

Hydrops *Aſcites* non adeò difficulter cognoſcitur. Nam aut *abdomen ſucceſſivè intumeſcit, hinc pedes & ſcrotum, aut prius pedes tumeſcunt, & hinc ſucceſſivè abdomen. Æger* dum ſe in latus movet, *fluctuationē quandam aquæ* inſtar interdum etiam *murmur ſentit, tumorque latus*, in quod volvitur, *ſequitur, & quò magis intumeſcit abdomen in aſcite, eò magis contabeſcunt partes ſuperiores*, niſi quod interdum ad extremum etiam *manus inflentur* & tumefiant. Supervenit tandem *dyſpnœa* admodum moleſta, propter Diaphragmatis liberum impeditum motum, imò interdum *orthopnœa.* PLATERUS *in obſervationibus* dicit, quòd *dyſpnœa nocturna* prænuncius ſoleat eſſe Hydropis Aſcitis. In *ipſa verò aſcite* fit *Dyſpnœa continua. Interdum & ſitis* admodum *eſt intenſa*, idque tunc imprimis, quando *vitio meſenterii ruptis lacteis fit* hydrops *Aſcites: Interdum ſitis eſt parva, quando maſſ. ſang. ex vitiata hæmatoſi eſt gravata copioſis crudis ſuccis.* (Non enim omnes hydropici ſitiunt.)

Obſervetur imprimis, *ne hydrops Aſcites confundatur cum graviditate.* Nam quòd interdum confundatur cū graviditate, patet ex exemplis, ſicuti hic novi Medicum & etiam Hallæ, qui gravidas pro hydropicis curarunt. Ne ergò famæ & arti infamia & detrimentum concilietur, probè obſerventur *Signa diſtinctiva optima*, quæ proponit LINDANUS, qui dicit, hydrops diſcernitur à graviditate. 1. *Ex colore faciei vivido* & benè habito, qui eſt *in gravidis* ſæpius *floridus, in hydropicis* verò *pallidus & dejectus.* 2. *Ex tumoris ſpecie, in gravidis enim tumor abdominis ad præcordia & ſurſum vergit, eſtque inæqualis, in hydropicis autem inferiores partes abdominis intumeſcunt, & mammæ detumeſcunt, & tumor undique æqualis* protenditur. 3. *Certum ſignum eſt fluctuatio*, ſi enim tangimus abdomen, ſentimus fluctuationem *in hydrope*, qui deeſt in graviditate. *Vivacitas* imprimis *& fulgor oculorum* ſignificat *geſtationem fœtus: ſed ubi eſt hydrops, perit oculorum nitor, & ſunt lividi*: Vel *ſi hydrops eſt ſiccus, oculi* interdum apparent *ignei ſ. fulgidi.* Porro *urinæ in gravidis non ſunt* ut *aqueæ in hydrope.* Item *hydrops admodum* naturam ſive *membrum genitale mulierum premit*, quod *non fit in geſtatione fœtus.* Item *in hydrope quò ſe convertunt, eò labitur aqu. & tumor, quod non fit* æque *in graviditate. In hydrope menſes interdum aquoſè fluunt, in gravidis vero non. In hydrope languet appetitus, in geſtatione verò non* eſt proſtratus appetitus, ſed optimè vorant non rarò. Quibus probè obſervatis, vix fallere poteſt Medicum hydrops.

QUOD ATTINET PROGNOSIN.

In ſpecie *quoad Aſcitem* obſervetur, quod *omnis aſcites poſt morbum acutum exortus malus & admodum periculoſus* exiſtat. Item *ſi* cum hydrope *conjunctus eſt ſcirrhus cujuſdam inſignioris viſceris*, v. gr. *Hepatis* aut *Lienis.* Et talis hydrops *difficulter* admodum aut *ferè nunquam curatur*, aut licet curatus ſemel, tamen *ſubinde denuò renaſcitur*, & talis hydrops curatus denuò renaſcens *eſt lethalis*, uti habet HIPPOCRATES *in obſer. Coacis.* item DEODATUS *in valetudinario p.*160. *In hydrope poſt Cachexiam & ſimiles morbos diuturnos dejectionem nigram lethalem* pronuntiat PLATERUS *lib.*13. *obſer. p.*670. Hydrops *ex perverſo purgantium* uſu admodum *periculoſus*, quia hæc admodum inquinant maſſ. ſanguineam. Uti hoc habet POTERIUS *cent.*2. *cap.*29. ex nimio purgantium uſu ſeu potius abuſu hydropis. Hydrops *poſt febrem leviorem* ortus *non eſt adeò periculoſus*, *nec adeò curatu difficilis*, quàm qui *à ſe ipſo* invadit. HIPPOCRATES *aphor.*43. *ſect.*6. hanc habet obſervationem: qui *lienoſi Dyſenteria* corripiuntur, iis dyſenteria diutius durante *hydrops* aut *Lienteria ſupervenit, & moriuntur.* Expoſitionem hujus aphoriſmi habet SENNERTUS *cap. de hydrope*, quæ ſatis eſt accurata.

Porrò

Porrò *quantò lotium minus redditur, tantò deterior eſt hydrops*, quia ſerum copioſum augmentatur. Unde etiam dicit CELSUS, tunc demùm in hydrope ſecundam valetudinem ſperandam eſſe, cùm plus per urinam excernitur, quam fuit aſſumptum per os. Nam *optimè hydropici curantur per Diuretica. Hydropi ſuperveniens tuſſis malum* inquit HIPPOCRATES *ſect. 6. aphor. 35. & ſect. 7. aphor. 47. abſceſſus vel maculæ in cruribus erumpentes lethales*, obſervante etiam hoc HYPPOCRATE *in Epidemicis.*

Hæc *de ſignis Diagnoſticis & Prognoſticis* in genere & in ſpecie. Ubi adhuc obſervetur in cognitione Aſcitis, maximam habendam eſſe rationem cauſarum antecedentium, in quibus legitimè cognoſcendis cardo totius curæ conſiſtit. Et hoc eſt quod reddit Medicum eruditum nempe judicii vis in cognoſcendo affectu & cauſis, & hinc in Medico præſertim judicium memoriæ.

Habuimus Theoriam hydropis in genere & in ſpecie, ſupereſt praxis:

ET QVIDEM IN CVRA

Hydropis, quantum fieri poteſt, *evacuandæ ſunt aquæ*, idque nunc ſenſibiliter *per alvum & urinam, raro* vero per *ſudorem.* Hic enim nempe *ſudor* vix in alio hydrope quam *in hydrope univerſali ſeu anaſarca convenit*, Simul tamen etiam cauſarum antecedentium habenda ratio, eaque varia, prout ſcilicet eædem ſunt diverſæ, utplurimum tamen ſolvendæ, & attenuanda eſt pituita viſcida lymphatica obſtruens, & lympham incraſſans. Hinc imprimis *ſtomachus roborandus digeſtio prima promovenda*, & ſanguificatione læſa ex effœta aut depauperata maſſ. ſang. per *ſalia vol. oleoſa reſtauranda.* Hos ſcopos ut obtineamus.

1. *Purgantia* ſanè *interdum conveniunt*, cum iiſdem ſæpius copioſa aqu. ex abdominis cavo evacuari ſoleat. Verùm *purgatio crebra eſt admodum nociva*, accuratioribus hoc teſtantibus practicis. Nam dum evacuant aquas; ſimul utiles ſuccos colliquant, & ita vires ac viſcera debilitant, plus nocent quàm proſunt.

„ Hinc *rectè* dicit LINDANUS, qui vult rectè curare hydropem, raro debet purgare, dare tamen tunc debet ea, quæ certò & vehementer purgant, ſed raro, ut dixi, intermedio vero tempore appropriatis & apperientibus, & maſſ. ſang. vitia ex cruditatibus orta corrigentibus debet inſiſtere.

Conferantur hic ea, quæ habet BRUNO *in notis in* JESSENII *judicium de ſanguine ven. ſecta emiſſio, idque pag. 141. & ſeqq.* aut ſi vires non ferant fortes purgationes, tunc *lenia* interdum & per ἐπικρατιν ſucceſſivè *evacuātia conveniunt.* Id quod etiam in principio ſeper faciendum, ut ſcilicet lenia permittantur laxantia, & ſic viæ præparentur, ut ad ſubſecuturas fortiores purgationes melius diſponantur.

Purgatio iſta *inſtituenda* imprimis *decreſcente lunâ*;

Luna enim creſcente & ipſum malum accreſcit, decreſcente verò eâdem etiam malum decreſcit. Unde quo tempore habemus adjuvandam naturam, quando ſcil. luna per aliquot dies decreſcere incepit, purgatio inſtituenda, idque imprimis *ante novilunium*, & quidem eo magis, *quando luna exiſtit* ut vocant *in ſigno aqueo.* Verùm *hæc ipſa purgatio tunc* tantummodò *convenit, quando in cavo abdominis fluctuat aqu.* ſi enim hæc ipſa aut *in omenti burſa* concluſa, aut in *peritonæi duplicatura*, aut in *veſiculis Meſaraicis* incluſa fuerit *omnis* omnino *purgatio* ſolet eſſe *fruſtranea. Vomitoria rarius* in uſum vocantur, utut interdum fructuoſus obſervatus fuerit eorundem uſus. Meminit enim CELSUS *in ſuis ſcriptis Philoſophi Medritani de ſecta Epicurea*, qui hydropicus, cùm plurimum biberet, ſed mox omnia revomeret, ſic convaluit, cujus exemplo, inquit CELSUS, Medici vomitum probant & laudant in iis, qui facilè & ſine moleſtia vomunt. Facit huc hiſtoria, quam refert FORESTUS *lib. 19. obſer. 32. in ſcholio* de quodam hydropico deſperato, qui naviculam adſcendit & mare petiit, unde provocato vomitu & poſt vomitum exercitio creberrimo utens ſic fuit curatus.

Interdum ergo, *ubi adeſt vomendi inclinatio*, aut etiam ubi *Dyſpnæa gravior urget* ægrum, *commodè inſtitui poteſt vomitus.* Sic enim ſubitò liberius reſpirare ſolent.

2. *Diuretica* remedia *omnium ſunt optima. Hæc* enim *ſunt vera hydragoga*, ſive aquas evacuantia, cum naturæ ſit mos & conſuetudo, per vias urinarias ſuperfluum laticem naturaliter expurgare. Unde *præmiſſis univerſalibus* his imprimis eſt inſiſtendum. Dico præmiſſis univerſalibus. Hoc enim omnes præcipiunt Practici, ut diuretica non prius exhibeantur, quàm univerſalia aperientia & laxantia fuerint præmiſſa. Nam intempeſtivo eorundem uſu potius impeditur urinæ fluxus, quàm ut hîc promoveatur & adjuvetur.

Alias multis ſatisfaciunt ſcopis: Nam ſalina virtute incidunt, penetrant, & vias abſtergunt, viſcera aperiunt, & ſcirrhos induratos reſolvunt, idque ea imprimis, quæ ſunt ex numero volatilium, qualia ſunt quæ *ex urina lumbricis & bufonibus* petuntur.

3. *Opiata* ac ſimilia *narcotica hydropicis* utplurimum *ſunt necrotica & lethalia*, uti hoc per experientiam confirmat MOELLENBROCK *tr. de Varis cap. 15. pag. 158.* Id quod verum arbitror, cum opiata in morbis Chronicis & propemodum ad extrema adductis, uti fit in hydrope, quando vigiliæ accedunt, minus proſint quàm in acutis, quando & omnes excretiones ſiſtendo præter ſudorem aquarum collectiones potius promovent, & viſcerum tonum ulterius nimis labefactant & laxant. *Rara* ergo & ſingularia *ſunt exempla*, quæ inveniuntur in BARTHOLINO *cent. 3. epiſt. 46. & 49.* Ubi referuntur *hydropes*, *in quibus poſt uſum Laudani opiati* copioſæ aquæ *par alvum & urinas evacuatæ* fuerunt, idque *felicissimo cum ſucceſſu.* Sed hæc exempla, uti eadem admirantur BARTHOLINUS ſcribens & LANGELOTTUS reſpondens, ita iis minus audacter credendum, quia ſedula cura & non niſi ſumma circumſpectione adminiſtranda.

Purgantia ergo, quæ in cura hydropis *conveniunt, ſunt varia & multa.*

1. Eſt *gratiola*, cujus *infuſum ad ʒiii.* aut etiam ſi *ad ʒii.* decoquatur, vel etiam *conſerva ad ʒii.* uſurpetur, vel eleganter ſolet evacuare aquas hydropicorum.

Poſt gratiolam in uſu eſt *ſambucus*, & quidem in ſpecie *cortex ejuſdem medianus*, ex quo *expreſſus ſuccus cum oxymelite* propinatus inſigniter aquas evacuare ſolet, ſed ita, ut ſi cortex iſte ſurſum verſus à ligno abradatur, vomitus concitet, ſi vero deorſum verſus per inferiora abradatur, etiam per inferiora purgat, uti hoc refert FORESTUS *lib. 19. obſ. 37. ſcholio.* Alias *folia ſambuci* decoctis addita egregiè etiam ſolent aquas evacuare.

Radix Ireos noſtratis ſemper uſitatiſſimum & ſimul violentum purgans aqua hydropicorum. Ex hac ipſa enim *expreſſus ſuccus & per reſidentiam depuratus* à ʒvi. ad ℥i. propinatus, copioſè & violenter ſolet evacuare aquam, vel fit *ſyrupus ex ſucco*, qui *ad ℥ii.* propinatur. Dico per reſidentiam depuratus propinari debet ſuccus Ireos abjecto ſedimento. Nam ſi decoquatur ſuccus, omni ferè virtute purgandi ſpoliatur propter acrimoniam, quâ corrodere ſolet, etiam uſurpatur ordinario *cum aqua ſyrupi violarum*, & additur ſimul *aqua Cinnamomi*, ne nimis labefactet ſtomachum. *Infundi* etiam nonnunquam ſolet *radix in taleolas inciſa in vinum vel ſerum lactis cum cinnamomo*: fitque ſic potio vel infuſum catarcticum hydropicorum. Quidam propinant *ſucci hujus ℥ß. cum ℈j. pulvis ſoldanellæ marinæ*, idque uti dicunt, cum ſummo commodo. Nam &

ipſa ſoldanella Marina planta ex ſpeciebus convolvulorum in oris maritimis Galliæ creſcens eſt decantata ad hydropicos purgandos: imprimis gaudet conſortio *rhabarbari*, cum quo convenientiſſimè conjungitur. *Doſis pro decocto eſt a Mi. ad Miß. In ſubſtantia datur pulvis à ʒß. ad ʒi. ſummum ad ʒiß.* admiſto ſimul *℈i. pulvis rhabarbari,* cum quo, ut dixi, lubentiſſimè jungitur.

Aliàs *flor. acaciæ*, item *flor. Perſicorum* ex benignioribus ſunt purgantibus in hydrope uſitatis. In ſpecie *flor. acaciæ noſtratis vino infuſi*, vel quod melius, *ad Mi. in ſero lactis decocti* blandiſſimè & copioſè tamen aquas evacuant.

Quidam parant *ſyrupum flor. acaciæ*, qui tamen pro uſu purgationis debet eſſe recens, aliàs enim virtute purgante privatur. *Flores etiam perſicorum, & ex iis* paratus *ſyrupus ad ℥ii.* propinatus ſuaviter evacuat hydropicorum aquas, quo etiam facit *ſyrupus de ſpina cervina ad ℥i.* uſurpatus, item *ſyrupus Hydragogus* MYNISCHTI, *qui ad ℥iß.* præſcribi ſolet. *Radix jalapæ*, quæ eſt radix jaſmini Peruviani, apud nos in hortis creſcentis *ad ℈i.* propinatur commodiſſimè ad evacuationem aqu. hydropicorum, vel etiam parata *Eſſent. ex radice jalapæ cum ſpiritu vini ad ʒiß. vel ʒii. Cum ſtimulo leni colocynthidos* commodè præſcribitur, aut etiam *reſina jalapæ*, in qua vis purgandi reſidet, præſcribitur, v.gr.

♃. Tart. vitriolati gr.XII.
Myſtur. reſinæ jalap.gr.VII. ad ℈ß.
Trochiſc. alhandal. gr.i. vel ii.
Ol. deſtill. cinnamomi gutt.i. (ſemper eſt habenda ratio ſtomachi in purgatione hydropicorum.)
M. F. Pulvis purg.

Magis adhuc celebre eſt *Gummi gottæ ſ. ſuccus inſpiſſatus radicis Ricini Americani.* Hoc ipſum *gumm.* ſeu *Myſt. ejus* aut *reſina* ſolet præſcribi in ſpecie etiam cum ſalibus digeſtivis: potenter ſuccurrit hydropicis, *Doſis eſt in ſubſtantia ad gr.xvi. Myſt.gr.xii.* Miſcetur *cum ſalibus digeſtivis*, ut facilius & ſecurius operetur. Eſt ſanè hoc *Gummi gottæ* ſeu *Chitta Chemu* expertum remedium ad educendas aquas. Sed *obſervetur cautela* LINDANI, qui dicit, ab hoc gummi gottæ facilius exulcerari pulmones, ob id cauti ſimus in ejus uſu. Omnibus his palmam præripit *Elaterium* ſive ſuccus inſpiſſatus cucumeris aſinini, quo non datur præſtantius & tutius remedium. Cujus *Eſſ.* item *Extractum* frequentiſſimo fuit in uſu D. MICHAEL. & etiam ſemper propinavit felici cum ſucceſſu. *Modum præparandi Eſſ.* docet MORELLUS *in materia Medica, ubi de elaterio extract.* poteſt propinari *à gr.XII. ad gr. XV.* pro varietate præparationis *adjuncto*, imprimis *mercurio dulci*, utpote qui non ſecus atque omnia mercurialia potenter aquas ſolet evacuare. Dabo exemplum formulæ:

♃. Extract. Elaterii à gr.XII. ad XV.
Reſinæ jalappæ (pro ſtimulo) gr.ii.

Vel ubi aqua evacuanda craſſa & pituitoſa addatur pro ſtimulo extract. trochiſcorum alhandal. m. gr.ii. c.ſ.q. Eſſ. abſynthii. F.l.a. pilulæ purg.

Mirificè ſanè laudat Elaterii uſum ad purgandos hydropicos LINDANUS, qui dicit ſuum parentem eodem *Elaterio* ferè centum hydropicos curaſſe: aliquando dicit ſuum parentem præſcripſiſſe ruſtico *gr. VII. elaterii in ſubſtantia in forma pilulari*, qui ruſticus has pilulas in præſentia pharmacopæi ſubitò deglutivit, ſed poſtmodum domum tendens, motu promovit vim elaterii purgantem, unde in via adhuc dejecit, & per ſuperiora aquam rejecit, & liberatus depoſito ventre tumido domum petiit, &c. Unde *Helidæus Paduanus decocto radicis cucumeris aſinini* curavit aliquando hydropicum.

Radix Bryoniæ eſt purgans HELMONTII in hydrope, ſed, ut dicit, *correcto* primò *ejus veneno corroſivo.* Certum enim eſt, purgantia eſſe maligna: unde egent correctione. Sed eſt res non æquè facilis. *Optimus purgantia corrigendi modus eſt per ſal. tartari fixum, vel per fermentationem.* Aliàs *radicis Bryoniæ infuſum vel decoctum* ad evacuandas aquas commendari ſolet: *in ſpecie in hydrope uteri*, cùm Bryonia præ cæteris uterinis evacuare ſoleat. *Colocynthis* denique & ipſa ubi craſſiores ſive viſcidiores ſunt aquæ commodiſſimè uſurpantur. Aliàs *ſpecies vitæ aureus Rulandi* ſeu *Eſſ. trochiſcor. alhandal.* eſt ordinarium purgans hydropicorum: Sic loco iſtius *Trochiſci* iſti *alhandal. decoquendi ſunt in vino* ſcilicet *ad ℈i.* bulliant *in ℥iii. vini*, & ſic fit decoctum uſitatiſſimum ad purgandos hydropicos, ubi non ſolùm aqua ſed etiam humor ædematoſus in abdomine continetur: Experimentum eſt RULANDI, qui deſperatam hydropicam cum fœtu mortuo hoc modo curavit: nempe propinato hoc decocto per ſuperiora & inferiora aqu. rejecit, & fœtus expulſus eſt. Ex REGNO MINERALI imprimis luna inſignem vim habet purgandi hydropicos. Unde eſt luna hydragoga ſive *cryſtalli ex luna puriſſima* præparati: Dico ex puriſſima luna, ſi enim tantillum, quod facile & ſæpe fit, veneris fuerit permiſtum, vomitus movet.

Accuratiſſimum modum præparandi hos cryſtallos præſcribit BOYLE *in Philoſ. experimentali:* quorum gr.ii. vel iii. copioſam aquam ſine ullo tamen ſymptomate evacuant in hydrope. Adeo ut his ipſis aliquot hydropici curati fuerint. *Præparatur beneficio aquæ fortis.*

Aliàs *mercurialia* & ipſa ſunt decantata in cura hydropis, quo uſu imprimis *mercur. dulcis* miſtus *cum mercurio vitæ* convenit: miſtura enim iſta mercurii vitæ à ſalibus mercurii dulcis corrigitur, ut vim vomitoriam amittat: Sicuti aliàs etiam *mercurius vitæ* vel ſolus hydropicis propinatus rarò ſolet vomitum ciere. Præſcribitur tunc temporis imprimis *cum conſerva flor. perſicor. ſub forma boli*, v.gr.

♃. Conſervæ flor. Perſicor. ʒi.
Mercurii dulcis cum mercurio vitæ præparati gr.XII.
(Sic enim ſunt præter propt. gr.ii. mercurii vitæ.)
Extract. Trochiſc. alhandal. gr.i.
c.ſ.q. Syrupi flor. perſicorum vel
Syrupi de ſpina cervina.
F. Boli S.

Nam *mercurialia fixa* à Chymiatricis in ſpecie HELMONTIO multum commendantur (dico fixa.)

Denique *ſegmenta unguium humanorum vino infuſa* fortiter etiam purgant. HARTMANNUS præcipit, *ut imprimantur umbilico hydropicorum* pro iiſdem purgandis: Quod an reſpondeat experientiæ, neſcio.

Sed his *purgantibus ſemper appropriata ſunt intermiſcenda*, cùm in his maximè cura hydropis conſiſtat. Appropriata ſunt ea, quæ vulgò *vi aperiendi prædita* dicuntur, & ferè ſunt *omnia amara, acria* & quodammodo *ſalina*, quæ & ſanguinis craſin corrigunt, obſtructiones & infarctus reſerunt, & imprimis urinam ſtimulant. Hæc interſunt *ex aſaro & Helenio ex gentiana* petita remedia. Præ cæteris *radix vincetoxici* ſpecificum ad hydropem eſt remedium: ſi ſcilicet *ejuſdem decoctum cum vino* crebrius & ſæpius uſurpetur: hoc ipſum enim & per urinas & per ſudores eleganter curat hydropem.

Alii parant *Eſſent. vel extract. ejus*, & hoc ipſum cum ſucceſſu propinant hydropicis. Hinc eſt *deſtillatum* PARACELSI commendatiſſimum contra hydropem, quod multi auctores commendant, quod ipſum fit

ex Tart. rubri ℔j.
Hirundinaria ſive vincetoxici ℔ß.
Colcotaris ℥VIII.
Vini ardentis q. ſ. pro incorporatione ſive miſtura. Deſtillent per alembicum & probè rectificentur

tur, *Doſis eſt ad ʒß. uſque ad ʒj.* manè vel veſperi ſumendus eſt hic ſpiritus, pellit urinam, eamque fœtidam reddere facit. Datur *in vino Malvatico* : Continuandus eſt ejuſdem uſus per aliquot dies, nam tunc demùm ſolet operari, & ceu certum remedium ſolet commendari, & credo, quod imprimis, ubi vitium eſt ex meſenterii glandulis ſtrumoſis, conveniat *vincetoxicum*, cum in hoc ſingularis lateat vis contra ſtrumos: *Radix acori veri, Caryophyllatæ, item curcumæ, Eryngii, rubiæ tinctorum* & ſimiles. In ſpecie *capitula alliorum*, ut vocant, ſingulariter conducunt in cura hydropis, cùm elegantiſſimum diureticum ſit *allium:* Superius retuli exemplum ex BARTHOLINO *cent. 2. hiſtor.* 74. de quodam, qui ex geſtatione oneris gravioris redditus fuit hydropicus, curato *decocto allii in lacte,* quo aſſumpto ſubitò curatus fuit hydropicus.

Faciunt huc, quæ refert FORESTUS *lib. 19. obſervat.* 17. de quodam hydropico, qui aliis irritis ex continuâ *allii comeſtione* multum aquoſitatis per urinas profundendo inſperatò evaſit: ſicuti & mulier hydropica deplorata *potu ſucci allii viridis expreſſi cum jure galli* curata fuit. Hinc optimè infuſa diuretica ingreditur *radix allii in vino infuſa*, quia optimè convenit in hydrope. Porrò *cortices capparum & tamaraſci*, item *cortices citri* aut *aurantiorum* aliis convenienter adduntur. *Abſinthium* etiam convenit admodum in hydrope, quocunque uſu: *Cereviſia, vinum Eſſent. extractum abſinthii* ſingulariter hydropicis conducunt, & obſervata fuit hydrops ſolo *abſinthii* uſu curata. Unde quidam coagulant *ſpiritum ſalis cum ſale abſinthii*, & hoc tanquam ſal ſalſum tertium ceu expertum ad hydropem commendant, cum potenter aperiat.

Poſt abſinthium *Marrubuna* ſolet commendari. Nam hoc eſt ſpecificum, *ubi Ictero ſupervenit hydrops.* Hunc enim radicitus curat referente FORESTO *in lib. 19. obſervat.* 40. *ſchol. chelidonium majus ejuſque radix* ſpecificum dicitur HELMONTII in hydrope. Quidquid ſit, credo, quod *chelidonium majus* ſingulariter conveniat in curando hydrope, ſive *in infuſo in vino*, ſive *ſuccus expreſſus* uſurpetur. *Eupatorium* admodum commendatur à LINDANO ad curam hydropis. Uſurpatur ſemper tempore intermiſſionis à purgantibus. Item *anſerina*, item *flor. cyani & flor. caclatrippæ*, *quorum tincturæ* ſolent laudari ab AGRICOLA ad curam hydropis.

Verùm præ cæteris *Juniperus* & ſpecialiter *ejuſdem baccæ* aromaticæ multum conducunt contra hydropem. Unde conducunt in vino vel *Rob. baccharum juniperi*, aut ex his vel ex hoc cum ſpiritu proprio parata *Eſſentia* ſeu *Malvaticum juniperinum* multum laudatur ad curam hydropis. Sicuti etiam *decoctum ligni juniperini* non minus eſt ſudoriferum in hydrope quàm *decoctum ligni guajac. & ligni ſaſſafras. Decoctum baccarum juniperi in vino generoſo* eſt experimentum RULANDI ad curandum hydropem per ſudorem & per urinam. *Herba Kali*, plantula, quæ non ubique creſcit, ſed tantùm Seebergæ & in ſpecie Staſfurthi, ſaporis admodum ſalſi inſtar muriæ.

Hæc ipſa plantula colligitur, contunditur, & aliquantulum cinnamomi admiſcetur plantæ ita ſiccatæ & contuſæ, *pulvis ad* ʒß. propinatus tribus matutinis horis ſucceſſivè in hauſtu cereviſiæ calidæ copioſè urinam pellit, & deſperatum hydropem curat, idque ſingulare quorundam experimentum dicitur: Singulis ſeptimanis tribus tantùm diebus uſurpatur, aliàs nimis urinam pellit: reliqua aperientia ubivis ſunt obvia. Ex modò dictis *variæ eſſentiæ & tincturæ* præparari ſolent.

Eſſentia abſinthii, eſſentia Vincetoxici, eſſentia roriſmarini, admodum hæc laudatur à FERDINANDO, qui eam miraculoſam dicit ad curam hydropis, item *Vinum chalybeatum*, *in quo decoctum abſinthium, ruſcus & Card. benedict.* eſt egregium medicamentum HARTMANNI, quod uſurpatur tempore, quo vacamus à purgatione. Porrò *Lumbrici terreſtres* ſingulariter conducunt in hydrope: Unde vel craſſo modo coquuntur in vino, & *decoctum* hauritur: vel quod melius eſt, *eorum aqua deſtillata*, vel in ſpecie *ſpiritus eorum per putrefactionem* ſeu *fermentationem* paratus multum conducit in cura hydropis. In ſpecie, *ſi miſceatur cum ſpiritu juniperi, vel Malvatico juniperino aqu. lumbricorum terreſtrium*, vel *ſpiritus lumbricorum terreſtrium*, aut etiam aſſumitur *decoctum lumbricorum terreſtrium cum radice fœniculi.* Vel *lumbricorum terreſtrium in clibano paratus liquorum flavus*, qui expertus eſt in cura hydropis. Quidam etiam propinant *pulverem lūbricorum terreſtrium.* Poſt lumbricos ſunt *Aſelli*, qui *præparati* admodum laudantur ad purgandos hydropicos, vel etiam *pulvis ſcarabæorum unctuoſorum* laudatur à GLAUBERO *in ejuſdem ſcriptis.*

Præ cæteris *bufones* inſigniter conveniunt, & ſpecificè curant hydropem. Non enim tantummodò *bufo vivus lumborum regioni applicatus* copioſiſſimum urinæ profluvium excitat, ſed etiam in ſpecie *bufo in umbra exſiccatus* exemptis interioribus pulveriſandus, & *hujus pulveris gr. x.* vel *ad ſummum xv.* propinanda mirabiliter aquas hydropicorum educit per urinam, idque cum ſummo levamine tribus vel 4. vicibus poteſt propinari hic pulvis, ita tamen, ut aliquot dies ſemper interponantur, aliàs nimis debilitaretur æger. Caſu inventum eſt hoc experimentum, uti videre eſt in *ſcriptis* HILDANI & SOLENANDRI, quod ipſum tamen poſtmodum uberior experientia comprobavit. Dicitur tamen fuiſſe ſecretum KYPERI experimentum. *Si deſtilletur bufo*, dat *ſal vol.* potentiſſimum *diureticum*, ſicut *pulvis bufonum calcinatorum* eſt ſtrenuum *diaphoreticum.* Porrò *tinctura tartari* ſeu *ſpiritus tartari vol. cum ſpiritu ſambuci miſtus*, item *elixir proprietatis cum ſpiritu ſal. armoniaci* miſtum, uti etiam *ſpiritus carminativus ex ſal. tartari & ſpiritu vini* eſt egregium ad hydropem remedium. ELLENBERGERI arcanum fuit *ſpiritus apperitivus* PENOTI, quia aperit infarctus, probè *præparatus cum ſpiritu juniperi* admiſtus *ad gutt 40. vel 50. Medicamenta ſalina* per ſe ſunt nota, quæ imprimis *ſub forma lixiviorum* propinantur ad curandos hydropes, v. gr. *ſal ſarmentorum vitium*, *ſal fimi columbini*, *ſal juniperi*, *geniſtæ*, *ſtipitum fabarum*, *ſal cardui fullonum*, *ſal tartari*, *ſal abſinthii*, item *cardui benedict.* &c. Hæc ipſa ſalia diluuntur in vino, & ita ſub forma lixivii propinantur ægris; admodum commendantur ad evacuandas aquas per urinas, & propter fortem penetrationem, v.g.

♃. Sal. ſarmentorum vitium.
Fimi columbini.
Juniperi ana ʒi.

infundantur in vin. ℥vi. M. S. ſubinde hauriatur, ratione ſaporis interdum adduntur quædam aromata, ut firmetur etiam ſtomachus.

Facit huc etiam ſal *Eſſent.* tartari, item *flor. ammoniaci* vel *lixivium benedictum* MYNSICHTI *ab* ℥ii. *uſque ad* ℥iii. propinatum commendatur. Loco horum fixorum ſalium, *ſalia volat. urinæ* præ cæteris laudantur, quæ inter primatum ferè obtinet ſpiritus urinæ humanæ, iſque per *putrefactionem* paratus; item *ſal vol. urinæ*, hoc enim inſigniter laudatur in cura hydropis: Nam ita per fermentationẽ parata urina dat ſpiritum admodum volatilem & acrem; qui rectificatus ceu ſummum arcanum commendatur à POPPIO. Hunc ſpiritum volat. urinæ conjungit cum aa. ſpiritus vini rectificati addito pauco ambræ & moſchi digerit, circulat, & ita probè unit, ſummumque dicit eſſe arcanum ad hydropem *ad gutt. x. vel xv.*

vel xv. manè & veſperi propinatur. Quidam in ſpecie D. ELLEMBERGERUS præſcripſit hunc *nodulum vino infundendum* in hydrope, vel *loco vini* recepit *aqu. cum aceto vel vino miſtam*, Hoc modo:

♃. Cinerum Tamariſci.
Juniperi.
Sarmentorum vitium
Salicis.
Geniſtæ ana Mj.
Radicis Vincetoxici.
Valerianæ ana ʒij.
Urticæ ℥ß.
Angelicæ.
Enulæ campanæ ana ʒj.
Ireos ʒij.
Liquiritæ ʒj.
Baccarum juniperi ℥ß.
Rhabarbari electi ʒij

M. F. nodulus vino infundendus, de quo hauriatur ſubinde bonus hauſtus. *Urina capræ & urina vituli deſtillata*, & aliquoties uſurpatæ, non ſecus atque *urina humana* pellunt aquam hydropicorum promptè per urinam. Imò *lotium ovis* aliquot dies potum multos externè tumidos reſtituit, id quod in pauperibus aliquot opilionibus expertus eſt PETRÆUS *in Diſſertationibus Harmonicis*.

Item hydropicos *potu urinæ humanæ* promptè fuiſſe reſtitutos. Vel *ſtercus anſerinum viridiuſculum ad ʒj. cum cochleari j. urinæ deſtillatæ* uſurpatum, & ſubinde repetitum admodum laudatur ad curandum hydropem. Interdum imprimis *poſt morbos chronicos martialia* uſurpanda. Ut *pulveres cachectici tartari martiales croc. martis aperitivi*, *Eſſ. mart. liquida* & ſimilia cum aliis commodè uſurpantur.

Lapis fulminaris legitimo modo *præparatus* admodum commendatur in cura hydropis, & *ex hoc ipſo cum exuviis ſerpentum* fit pulvis expertus ad curam hydropis; Secretum famoſi cujuſdam Medici. Nam ſecundùm HELMONTIUM alligatus ſenex ſerpens per ventriculum & renes hydropem curat; porrò *opercula cochlearum benè purgata & pulveriſata in vino* propinata manè & veſpertino tempore ceu probatum contra hydropem remedium laudantur, vel quidam.

♃. Hæc opercula, eaque pulveriſata reſolvunt, in ſpiritu ſalis coagulant, & denuò per deſtillationem reſolvunt, ſicut fit in præparatione liquoris nephritici,& hunc liquorem propinat tanquam egregium diureticum hydropicis.

Interdum etiam progrediendum eſt *ad ſudorifera* (*interdum non ſemper*) teſtatur enim experientia, quoſdam largo ſudore fuiſſe curatos: Sic LANGIUS *ſuper* FABRUM, & LIPSIUS *de hydrope* referunt exemplum ruſtici hydrope laborantis, qui ingreſſus in clibanum piſtorium adhuc calidum, largo ſudore curatus fuit.

Unde *in ſpecie in anaſarca ad ſudorifera eſt confugiendum*, in quo caſu *decoctum Vincetoxici* decoctum *juniperi*, item decocta *lignorum ſudoriferorum* uſurpantur, *Eſſent. ſambuci*, vel *Eſſent. rob. ſambuci*, *ſpiritus theriacalis camphoratus*, *ſpiritus Tartari vel* ſummè conducunt. Item *ſal vol. urinæ* vel *ſal volat. viperarum* hauſtum per ſudorem hydropes curat: Sed ſudorifera non ſunt pauca & ubivis proſtant. Unum adhuc ex LINDANO noto: in hydrope, ubi tantum abdomen intumeſcit, cæteræ verò partes emaciantur, ſeu *in hydrope ſicco*, ibi *nullum aliud remedium præter nitr. probè depuratum*, LINDANUS recommendat.

In tali hydrope ſicco nulla purgatio convenit, ſed *ſolum nitrum in vino Rhenano* propinandum *quotidie* ℥ß. *nitr. repetitis vini hauſtibus* uſurpando, idque, uti dico, repetitis hauſtibus. Nam hoc ipſum & *temperat maſſam ſanguineam*, & *ſitim ſedat*, & urinam *promovet*: adeò ut in tali hydrope, quando poſt uſum nitri urinæ antea ſplendentes denuò fiunt turbidæ vel opacæ, malum propemodum ſuperatum, & æger in declinatione morbi eſt conſtitutus. Ex his facilè patet, quod variæ fiant formulæ contra hydropem. *In principio* imprimis *nodulus cum nitro tartari convenit*, v. gr.

♃. Radic. Vincetoxici ℥ii.
Herbæ Chelidonii.
Marrubii.
abſinthii ana Mi.
Corticum Citri.
aurantiorum ana ʒvi.
Seminis Cumini.
Fraxini.
Fœniculi.
Aniſi ana ʒii.
Baccarum juniperi contuſarum ℥iß.
Galangæ.
Caryophyllor.
Zingiberis ana ʒi.
Nitr. tartar.
abſinthii
Geniſtæ ana ʒi.

incisa & contuſa infundantur vino pro repetitis hauſtibus, item

♃. Malvatici juniperini
Spiritus aperitivi *Penoti* ana ʒii.
M. D.S. apetitiv. Eſſent.
Doſ. *à gutt*.40. *ad* 50.

Item ♃. Spiritus urinæ vol.
Lumbricor. terreſt. per fermentat.
parati. ana ʒii.
D.S. Spirit. diuretic. à gutt.xv. ad 25. (NB. eſt egregium remedium.)

Item ♃. Spiritus Carminativi ʒii.
Sal. ammoniaci vol. ʒi.
M. F. Spiritus aper.

Item ♃. ſal. Sarmentorum vitium ʒi.
pulvis bufonum ʒß. dividatur in 4. partes æquales pulvis. D.S. Ille ſpecificus eſt contra hydropem.

Hæc tantùm pro formulis; uſus & experientia majora docebit.

Subinde etiam *Clyſmata* infunduntur ad curam hydropis; quæ inter primatum obtinent illa *ex urina humana*, in ſpecie *pueri*, *virginis*: Præſcribendi modus eſt hic: (Fiunt ferè ex appropriatis.)

♃. Cortic. internorum Frangulæ
interni ſambuci aa. Mi.
Herbæ abſinthii Mii.
Radic. Bryoniæ ℥i.
Ireos noſtrat. ℥ß.
Baccarum Lauri
Juniperi ana ʒiii.

Coquantur in ſ. q. urinæ pueri colaturæ ♃.℥viii. vel ix. in quibus diſſolv. Elect. Hier. picræ.
De baccis lauri ana ℥ß.
Vitell. ovor. No. 1.
M. pro clyſmate applicando tepidè.

Facit huc *Clyſma* VALERIOLÆ, quod deſcribit SENNERTUS *cap. de hydrope*. *In ſpecie* convenit *clyſter ex urina pueri*, *ubi ſunt flatus copioſi*, quos depellit urina. Verùm, ſi quod aliud ſymptoma, eſt *ſitis*, quæ cruciat ægros in hydrope.

Ad hanc ſitim compeſcendam optima eſt Maſtiche in ore tenenda & *maſticanda*. RULANDUS meliori inventione decoquit *Mij. baccarum juniperi in* ℔.vi.

ſeri

ſeri lactis, & hoc decoctum propinat ad ſiſtendam hydropicorum ſitim. *Vinum granatorum* vel potus *ordinarius acidulatus cum ſucco granatorum* etiam egregiè ſitim tollit. *Radix Glycyrrizæ maſticata*, quatenus temperat acrimoniam ſalinam ſalivæ, & ſitim ſedat, loco radicis maſticatæ *decoctum Rad. Glycyrrhizæ* in ore tenetur, & eodem modo ſitim fallit.

Nitrum optimè purificatum in ore detentum & cum ſaliva permiſta deglutitum ſitim fallit, & urinam pellit. *Acet. aqua chalybeata dilutum* abluendo os, uſurpatum etiam ſitim fallit: Subinde etiam *tinctura flor. Bellidis* potui additur ad mitigandam ferociam ſitis.

Hæc fuerunt *interna*.

Abdomini Aſciticorum, *ſcroto* tumefacto, *membro muliebri* inſigniter tumenti & *pedibus* ipſis inflatis & tumentibus *applicantur externa*. Nunc *fomenta*, nunc *cataplaſmata*, nunc *ſacculi interpeſſati cum vino vel lixivio* ſcroto & abdomini, &c. applicantur.

Parantur hæc ipſa: (Sacculi, fomenta, cataplaſmata, &c.) ex ſequentibus, ex *fol. ſambuci*, *ebuli*, ex *chamomilla*, *foliis lauri*, *ſucco cucumeris aſinini*, ex *mentha*, *origano*, *abſinthio*, ex *radice Bryoniæ*, *aſari*, *cucumeris agreſtis*, item ex *ſemine milii*, *ſeminibus calidis minoribus*, ex *baccis lauri*, ex *baccis juniperi*. Item *furfures*, & ex *furfuribus decoctis parati ſacculi* unà cum *pulvere cumini* ventri applicati admodum commendantur *à* STOCKERO *in praxi*. *Geranium Zobertianum & Chelidonium majus* contuſa & plantis pedum applicata, eorum tumores inſigniter minuunt. Præ cæteris *ſtercora* ratione ſalis nitroſi mirâ vim obtinent diſcutiendi inſenſibiliter hydropicorum colluviem. Nam *ſtercus caprillum & ſtercus columbinum in aqua bullita* & inſtar cataplaſmatis admodum laudantur.

Item *ſtercus equinum cum farina hordei ſubactum cum aceto deſtillato* & applicatum, tanquam probatum commendatur. *Stercus humanum* præcedit, ſequitur hoc *vaccinum & columbinum*, item *ſtercus bubulum ſubactum cum pulvere cumini*, cum ſucceſſu applicantur. Fortius eſt *ſtercus caprillum ſubactum cum urina humana*, & applicatum pedibus aut ſcroto, aut etiam abdomini mirificè tumorem diſcutit. *Cum urinis puerorum* facta *ex vegetabilibus cataplaſmata* inſigniter commendantur. *Spongia madida cum aqua calcis vivæ* abdomini applicata admodùm conducit. Nam aqua calcis vivæ eſt ſingularis ad diſcutiendos hydropicorum tumores, v.gr. *ex urina pueri*.

℞. Foliorum ſambuci.
Flor. Chamomillæ ana Mii.
Stercoris Caprilli. ℔iiß.
Radicis Bryoniæ ℥iß. Coquantur in ſ. q. urin. pueri ad conſiſtentiam cataplaſmatis, applic. abdomini.

Aliàs etiam illinitur *ol. juniperi*, *ol. ſambuci*, *anethi*, *oleum limacum*, in ſpecie *buſonum*: quibuſdam etiam placet inunctio *aqua vitæ*, addendo parum *ol. carvi*, *cataplaſma ex radice cucumeris aſinini cum pulvere cumini* laudatur, *à* RIVERIO expertus eſt, uti habet *in cent. 4. obſerv.* 80. Facit huc *cataplaſma hydropicorum Auguſtanorum*. Item *Emplaſtrum de baccis lauri* & ſimilia abdomini inſtrata, vel

℞. Unguenti de Artanita ℥i.
Agrippæ.
de altheæ ana ℥ß.
ol. ſcorp. ſimplicis.
Chamomillæ.
anethi ana ℥iß.
Succi Raphani ℥ii.
M. pro unguento crebrius abdomini illinendo. *Cataplaſma ex Baccarum juniperi p.* IV. & *baccarum lauri p.* II. *contuſis & melle exceptis* abdomini inſtratum curavit hydropicum, qui ex nimio ſpiritus vini abuſu hydropem contraxerat.

Cæterùm *ad tumorem ſcroti & pedum* nihil melius eſt *cataplaſmate ex cochleis cum teſtibus contuſis*. His nempe aſpergitur *pulvis ſtercoris caprilli & ſeminis carvi*, & ex his cataplaſma ab omnibus commendatur ad tumorem ſcroti & tumores pedum potenter reſolvendum: aut

℞. Flor. Chamomillæ Romanæ. Mii.
Farinæ fabarum ʒVI.
Cochlearum cum teſtis contuſarum ℥IV.
Stercoris Caprilli. ℥ii.
Pulvis cumini vel ſeminis carvi ʒi.

Coquantur in aqua ſimplici & acet. deſtillati ana, & applicentur pedibus vel ſcroto tumenti. Et ſanè hujuſmodi *cochleas* vel *limaces cum teſtis contritas* & applicatas, abdomini ſeu ſecretum ſingulare commendat PETRUS à CASTRO, quo ipſe etiam uſus fuit in *cura hydrocephali*. Verùm ſi quid aliud *curæ magneticæ conveniunt ex urina vel ſanguine ægri*, quas tamen propter temporis anguſtiam ritè abſolvere non poſſum.

Quando his modis urina & aqua hydropicorum evacuari nequeunt, ſubinde uſu venit, ut per varios modos Chirurgicos expertos extrahatur aqua. Modi ſunt varii. De ſingulis pauca. *Paracentheſis* ſeu *perforatio eſt tutiſſima operatio*, *modò in tempore adhibeatur*. Nam *in duobus* imprimis *caſibus fallit paracentheſis*. I. *Quando nimis tardè* adhibetur: Sic enim fit, ut prius corruptis viſceribus malum non cedat ob delapſam occaſionem. 2. *quando cum hydrope conjunctus eſt ſcirrhus vel vitium ſingulare notabilis cujuſdam viſceris*; in tali cauſa evacuatur quidem aqua ſed reſtitante fomite tantùm palliativè curatur. *Modum procedendi* habuimus *in Chirurgia*. Interdum aperitur *Umbilicus*, nonnunquam apertus eſt Umbilicus cum ſucceſſu. Et non pauca proſtant exempla ita reſtitutorum. *Exempla per apertionem Umbilici curatorum* videatis in SCHENCKIO, item AMATO *Luſitano cent. 5. cur.* 37. De aſcite ex ſpontanea umbilici apertione curato: Tutiſſimum ergò eſt, ut *aperiatur umbilicus*, *quando tumor eminere incipit*, ſic enim jucundè & citra incommodum ſolet evacuari materia. *Interdum ſcrotum* nimis tumidum *aperitur*, vocatur perforatio ſcroti. Verùm *ſi natura ipſa aperiat*, *eſt optimum*. *Si Chirurgi faciunt*, non ſemper operatio eſt æquè tuta, quia interdum *gangræneſcit*, *& totum corruptum decidit*; citra tamen *periculum ægri*. Nam evacuatis aquis ſucceſſivè poſtmodum caro quædam teſtes involvit, & inſtar pilæ teſtes continet, vidi enim in hydropico tale ſcrotum ex ulcere gallico gangrænoſo corruptum: & tali carne inveſtitos teſticulos. Propter periculum hocce hydropicis *rarò* perforatur ſcrotum. Quibuſdam in uſu eſt inſtituere *ſcarificationes pedum*: item inurunt *fonticulos*, & excitant *veſicas*, ex eo, quia ſæpius obſervatum fuit, quod per veſiculas apertas natura facillimè evacuaverit aquas. Verùm duo cùm faciunt idem, non eſt idem, ſed ſæpiſſimè obſervatum fuit, tales *veſicas excitaſſe gangrænam*. Ita ut nunquam citra inſigne ægri periculum arte inſtitui poſſint tales operationes. Quod ſi *ſpontè fiat*, *optimum eſt*. *Tutior* videtur *modus*, *ut abſcindantur ungues* in ſpecie *in digitis*, *pedum admodum profundè*: Sic enim fit ſpontanea excretio & quaſi tranſudatio ſeri hydropicorum, idque *ſine periculo*, potius cum emolumento. Abſolvimus *praxin hydropis in genere & Aſcitis in ſpecie*. Dixi in principio *frequentiſſimam hydropis ſpeciem* eſſe quæ abdomen occupat, & dicitur *Aſcites*, *rarior eſt*, *quæ caput affligit*, & *Hydrocephalus* appellatur. *Rariſſimus eſt hydrops pectoris*.

HYDROCEPHALUM.

Hydrocephalos. Seu *collectionem aquarum circa caput & in capite*, quod attinet: Hic ipſe ratione ſubjecti ordinariò ſolet eſſe *triplex:* nam in genere tumor à collectione aquarum in capite vocatur hydrocephalus ſeu hydrops capitis: ratione partis affectæ verò eſt triplex.

1. *Species eſt*, quando aqua colligitur *intra partes cutaneas, & cranium.*
2. Species eſt, quando aqua colligitur *intra cranium & ipſum cerebrum, ſive ſupra ſive infra Meninges.*
3. Species eſt, quando aqua colligitur *in ventriculis cerebri nimiâ copiâ cerebrum & ipſam calvariam diſtendens*, & ita *hydrocephalum* inferens.

Priorum exempla ſunt frequentiora. *Poſterioris* mentionem primus facit VESALIUS de *ſtructura corporis humani lib.*1. *cap.*5. de puella, in qua cerebrum à collectis intus aquis omnimodè excavatum, & ſingulariter diſtentum fuit. Præter VESALIUM ſimile exemplum legitur in TULPIO *lib.*1. *obſer. cap.*24. qui refert de puella quinquenni hydrocephalo mortua, in quâ diſſectâ ℔.v. aquæ in capite inventæ fuerunt: Cerebrum verò amiſsâ figurâ globoſâ induxit figuram connexam fornicis, & ab aqua ita diſtenta fuit ejus medulla, ut inſtar membranæ craſſioris cranio adhæreret, quod factum fuit ab aquis, &c.

Id quod fit, *ſive in utroque ventriculo* colligantur aquæ, *ſive in alterutro* tantummodò, lymphæ motu impedito hæc ſtagnando, *hydrocephalum* inferat. *Poſterioris hujus hydrocephali* TULPIUS etiam exemplum refert *lib.*1. *obſer.*25. *Hydrocephali* nempe *dimidiati capitis, in cujus cerebri altero ventriculo ultra* ℔.*ij. aquarum tam ſtrictè incluſæ fuerunt*, ut altera cerebri pars planè illæſa & integra perſiſteret.

QVOD ATTINET CAVSAS.

Frequens imprimis malum *eſt hydrocephalus in infantibus, rarius in adultis. In infantibus* propter vitiatum in utero materno ſitum.

Infantes enim diutius inclinati ſunt cum capite in pube, in quo poſito interdum ad aliquot ſeptimanas obſervantur.

In hoc facilè fieri poteſt, ut *collectæ aquæ* inferant *hydrocephalum ruptis lymphaticis*, & talis infantum hydrocephalus fit interdum *in utero materno*, adeò ut *propter molem capitis* poſtmodum difficilem inferat partum, qualia *exempla duo* obſervata fuerunt *Vratislaviæ.* Cæterùm *præter poſitum infantum*, non rarò *imaginatio materna* ſignando fœtum poteſt inferre hydrocephalum; *Exemplum talis hydrocephali* obſervat HILDANUS *cent.* 5. *obſer.* 3. Uti etiam MARCELLUS DONATUS *hiſtor. medic. mirabil. lib.* 2. *cap.*1. *hydrocephalorum* in infantibus contentorum *ex imaginatione* maternâ; *promptiores* verò ſeu habiliores *ad hydrocephalum ſunt infantes propter oſſa capitis teneriora*, & quæ nondum ſuturis firmiter juncta facilè hiſcunt, & dehiſcendo aquarum collectionem promovent, aut ſaltem non impediunt. *Contrarium* fit *in adultis*, in quibus *propter oſſium cranii compagem firmam* ſuturæ diſcedere nequeunt, ita, ut aqua in cerebro collecta, potius morbos inferat. Refert tamen PANAROLLUS *Pent.*5. *obſervat.*47. Puellam hydrocephalo laborantem 7. annorum ſive ſeptennem, in qua aquæ per quaſdam partim dilatatas ſuturas, partim verò per copioſa foramina egreſſæ fuerunt.

Sic PISO *in eleganti ſcripto de* COLLUV. *ſeroſ.* notat hydrocephalum in puella 22. annorum qui ſemel hinc recurrebat, ſcil. lentè ſubſidens vix dum menſe à decubitu peracto brevi poſt periodicè repetens. *Zacut. Luſit. lib.*3.*prax.admir.obſerv.*12. ſtupendum refert hydrocephalum curatum in viro, cujus caput bovis æquavit.

Aliàs eandem habet cauſam, quam hydrops in genere, vitia nempe vaſorum lymphaticorum. *Interdum per artem agyrtæ* inducunt *hydrocephalum infantibus*; ſicuti exemplum tale habet HILDANUS *cent.* 3. *obſervat.* 18. ubi refert *hydrocephalum artificioſum* per inſufflationem aquæ juxta Nucham intra cranium & cutim capitis. *Interdum* præter ſolas aquas obſervantur *flatus* ſimul collecti qui ipſi *hydrocephali tumorem.* inſigniter *augent. Sed rarò* oriuntur tales hydrocephali.

SIGNA.

Hydrocephali ſatis *ſunt aperta*, cum vel *viſui* vel *tactui* malum pateat. Imprimis autem *diſcernendum* eſt *an flatus an humor ſolus* tumorem hydrocephali inferant: *Si flatulentiæ* ſeu *flatus* tumorem faciunt, *cognoſcitur* hoc ex eo, *quòd caput leviter pulſatum inſtar tympani* cujuſdam *reſonet.*

Deinde *ſi digito prematur tumor, tumor aut non recedit, aut* ſi recedat nonnihil, *ad priſtinum illicò redeat ſtatum. Si* verò fuit *ab humore*, & quidem *extra cranium collecto*, hoc *cognoſcitur ex luciditate tumoris:* Videtur enim caput quaſi ſplendeſcens: *Nullum* ſi percutiatur *edit ſonum, facilè digito prementi cedit, & non ſtatim ad priſtinum ſtatum revertitur.*

Sin verò *inter cranium & cerebrum* contineatur aqua, *tumor non eſt ad tactum adeò mollis* niſi valida fiat compreſſio, obſtantibus nempè oſſibus. Item *frons ipſis quaſi extra projectus eſt, oculique tumidi*, quando *extra orbitas prominere vid. ntur*, ſeu vix intra orbitas retinentur: Simul etiam *frequenter lachrymantur*, & concurrit *inſignis omnium ſenſuum hebetudo. His ſignis abſentibus* tumente nihilominùs inſigniter capite, *ſuſpicio* eſt in *cerebri ventriculis radicem egiſſe hydrocephalum.*

QVOAD ATTINET PROGNOSIN.

Hydrocephalus externus ſeu *ſupra cranium facilè* curatur, *internus* ſeu *in ventriculis difficillimè*, quia ſuperveniente *lethargo* aut *apoplexia moriantur* ægri. *Inter cranium & cerebrum* collectæ aquæ *difficulter & rarò* curari ſolent.

QVOD ERGO ATTINET CVRAM.

I. *Aquæ ſunt evacuandæ* tàm *ſenſibiliter evacuantibus* quàm *inſenſibiliter diſcutientibus.*

Hinc *cerebrum appropriatis eſt roborandum.* Ea *quæ evacuant blanda eſſe debent*, quoniam infantibus familiare eſt malum. Uſurpantur propterea his *mel roſarum ſolutivum* aut *ſyrupus roſarum ſolutivus.*

Item *Manna tantillo ſucci Ireos* vel *ſucci corticis ſambuci* miſta.

Item *Mercurius dulcis ad gr.* VI. *cum iſtis ſyrupis* propinatus. *In adultis eadem* ferè conveniunt, *quæ in hydrope pro purgantibus* uſurpantur, quæ inter ut dixi, *Elaterium* eminet & poſt hoc *ſuccus radicis Ireos. Clyſteres* infantibus inſigniter conducunt. In tali caſu ſcilicet D. MICHAEL *curavit* aliquando Juvenem *mercatorem Hydrocephalo correptum, per fortes clyſteres* factos *ex ſoldanella & gratiola, ex cortice ſambuci ex radicis Bryoniæ & Ireos*, & ſimilibus aliis potenter aquas evacuantibus. *In infantibus Clyſtere, blandiores injiciendi ſunt*; aliàs etiam *tinctura tartari ad gutt.* x. ad promovendam urinam infantibus propinari poteſt.

Verùm his ipſis præferenda ferè *externè diſcutientia & inſenſibiliter reſolventia tumorem*, quæ interſunt 1. *Cataplaſmata & fomento* facta ex *Chamomilla*, *Meliloto*,

Meliloto, *Artemiſia*, *Stæchade Arabica* ex *Calamintha montana* ex *roremarino*, *abſinthio*, *origano*, *pulegio*, *cumino*, *ſerpillo*, & ſimilibus quibus *farina fabarum*, *farina lupinorum*, *ſemen aniſi* vel *cumini* & ſimilia commodè adduntur. Convenit etiam *ol. Chamomillæ*, *oleum anethinum*, *oleum laurinum* & ſimilia.

Præ cæteris præſtans eſt *unguentum* FORESTI *lib. 3. Chirurg. obſervat.*61. quod fit

℞. Olei chamomelini ℥iv.
Sulphuris pulveriſati ℥i.
M. F. Unguentum diu continuandum.

Hoc ipſo unguento feliciter uſus eſt. Cui *ſi addantur aliquot guttæ olei deſtillati ſuccini* erit unguentum eò penetrantiùs, vel ipſum *balſamum ſulphuris* aut *vulgare terebintinatum*, aut nobilius *aniſatum*, erit potens diſcuſſivum *hydrocephali*. AVICENNÆ remedium ſunt *Cochleæ in decocto cephalico*, *Stœchade Arabica*, *calamintha montana*, *contuſæ & capiti applicatæ*. Inſigniter conducunt diſcutiendo aquas, & conveniunt etiam in *Hydrocele*.

Paratur *Fotus cum lixivio calcis vivæ*, & externè applicatur in *hydrocephalo puerorum*, quo remedio AQUAPENDENS felici cum ſucceſſu uſus fuit. Quibuſdam placet inungere tumorem *cum Eſſent. roriſmarini*, item *Eſſent. Salviæ* ad reſolvendum eundem promptiùs.

Alii recipiunt *decoctum calcis vivæ, ſulphuris & vitrioli*, quo decocto percolato fovent caput, ut diſpareat tumor. POTERIUS *in cent.*1. *cur.* 2. ad hydrocephalum commendat *deſtillatum Paracelſi*, quod ſupra habuimus. Hujus *internum uſum* maximè ad *hydrocephalum* curandum commendat. His non conferentibus ſubinde *neceſſum eſt confugere ad ſectionem Chyrurgicam*, *quæ* quidem *tolerari poteſt* aliquo modo *in hydrocephalo externo*, *utut non* ſemper ſit *ſine periculo*, quod vid. in HILDANO *cent.* 3. *obſervat.* 17. ubi obſervat & experimentis teſtatur, non ſemper ſine periculo iſtam hydrocephali ſectionem, quia *metus gangrænæ* aut etiam *mors* ſuperveniat.

Qui verò eſt intra cranium & cerebrum, non niſi cautè & per quam circumſpectâ ſectione tractandus venit, obſervando cautelam, ne unica vice nimium exhauriatur. Conf. *hic Marc. Aurel. Severinus in lib. de efficaci Medicinâ.* Unum adhuc moneo: *In infantibus* recens-natis, *Hydrocephalo laborantibus* ſola, ſed *continua inunctio olei Hyperici addito pulvere myrtillorum* ſolet curare *hydrocephalum*: obſervante hoc FORESTO *in loco ſupra cit.* in aliquot Pueris.

Hydrops pectoris. *Præter caput*, ut dixi, *interdum ſed rariſſimè*, HYDROPS IN PECTORE ſi *ſtagnatio aquæ in cavo pectoris obſervatur*. Sed *rarus eſt affectus*, cujus *tamen duo* egregia & elegantia *exempla* recenſet PISO *tr. de colluvie ſeroſâ.* Conf. VVILLIS *pharm. rat. part.* 2. *ſect.* 1. *c.* 13.

CAUSÆ.

Sunt eædem quæ ſunt aliarum hydropis, ſpecierum. Nempe *nunc vitium eſt in maſſ. ſanguin.* quando, v. gr. ſimul cum hydrope univerſali, vel cum hydrope omnium partium inferiorum ſimul etiam conjungitur ſuperveniens hydrops pectoris: *vel vitium eſt in vaſis lymphaticis & lacteis*, per quæ impedito lymphæ motu hujus ex vaſis ruptis effuſio, & hinc in pectore collectio ſupervenerit, unde frequenter *ex hydatitibus in pulmone* obſervatis *hydrops pectoris* natus fuit. Vid. BARTHOL. *cent.* 2. *hiſtor.* 66. Nam & hic *lactea* pariter & *lymphatica* ſubinde primariò conſideranda eſſe, non ſaltim confirmatur BARTHOL. *cent.* 3. *ep. pag.* 327. ſed etiam imprimis à VVILLIS. *pharm. rat. volum.* 2. *pag.* 261. in ſpecie MEARA *in ſuis hiſtoriis Medicis rarioribus* obſervat *hydropem pectoris* obortum *ex diſcuſſa hydrocele.*

Obſervatio notatu digna. Nam jam LAURENTIUS *in ſuâ anatomiâ* obſervat ſingularem conſenſum pectoris cum teſtibus, adeò ut ipſe obſervavit *à tuſſi vehementi* oriri *hydrocelem.*

Ita MEARA hydrocele diſcuſſa obſervat ſuperveniſſe *hydropem pectoris. Aqua hæc in hydrope pectoris nunc in utraque Thoracis parte nunc* rarius *in alterâ ejus medietate* hærere obſervatur.

QUOD ATTINET SIGNA

Hydropis pectoris: *Percipitur* utplurimum in *Thorace dolor gravans* ob materiæ aquoſæ abundantiam, & plerumque *aqua fluctuantis ſonitus* dum æger corpus movet. *Tuſſis eſt ſicca*, *reſpiratio difficilis & frequens*, ſubinde urget *orthopnœa*, ita ut ægri non poſſint decumbendo reſpirare, quin & dum in ſomnum inclinant ſubitaneo quaſi *terrore correpti evigilant denuò.* Et imprimis veſperi ac noctu intendi admodum difficultas reſpirationis obſervatur. Vid. *Act. Med. Häffn. volum.* 2. *pag.* 298. *Appetitus proſternitur*, interim *tumor pedum & palpitatio cordis* ſupervenit, ſubinde *febricula* accedit. Vid. hîc imprimis PISO *cit. loco*.

IN PROGNOSI

Rarò eſt felicis & fauſti *ominis* Hydrops pectoris quin ſæpius ad *mortem* deducit ægros: Et licet idem ſive *medicamentis* quibuſdam *curatus* fuerit, ſive poſt *apertionem thoracis*, æger levamen ſentiat, non tamen eſt adeò diuturna alleviatio, quin *recidivante malo intereant ægri.* Vid. TULP. *lib.* 2. *obſerv.* 16. RIVER. *cent.* 1. *obſervat.* 38. SALMUTH. *cent.* 2. *obſervat.* 4. & 16.

IN CURA.

Evacuandæ & reſolvendæ ſunt aquæ. Pro evacuatione conveniunt quæ in Aſcite, imprimis *ſuccus Bryoniæ ab* HARTMANNO laudatur, & hinc *ſuccus Ireos noſtratis.* RIVERIUS *Chalomelano ſuo* curavit aliquos *hydropes pectoris obſerv.*3.*cent.*4. poſtmodum etiam per *ſudorem* & per *urinam* quantum fieri poteſt *evacuandæ aquæ.* Sic *beneficio decocti ſudoriferi* in ſene Aſcitem pectoris curavit RIVERIUS *cent.* 4. *obſervat.*71.

Quoad media CHIRURGICA, omnium optima *paracentheſis thoracis quæ* maximè ſalutaris. De quâ vid. VVILLIS *pharm. rat. vol.*2. *p.*163. *ubi de ſanguinis ſputo.* Sed cùm rarus ſit affectus pauca de hoc ſunt monenda.

Et hæc de hydropis ſpeciebus. Hydrocele & hydrops uteri ad ſexuum affectus pertinent. *Tumores partium externarum ad Chirurgiam.* Pergo ad

CAPUT VII.

DE SPIRITTVVM ANIMALIVM Generatione vitiatâ, indeque ſenſus motûsque læſionibus, & 1. De vigiliis & ſommo nimiis.

Spirituum animalium generatio vitiata.

M*OVETVR*, uti notum eſt, *ſanguis ad omnes partes* imprimis *internas*, in quibus præter hoc, *quod eaſdem ſuſtentet* nutriendo & vegetet *ſpiritu vitali* profundendo: Ita in quampluri mis ſingulare quid patitur, id quod præter reliqua viſcera, quæ hactenùs habuimus, *in ſpecie* etiam contingit *in cerebro*, in quo *ſpiritus ejusdem*, nempe *maſſ. ſang. ſpiritus vitalis* ſeparatus à conſortio reliquæ maſſæ *exaltatur in ſpiritum*, ſic dictum *animalem*, à quo, uti *ſentiendi* habemus poteſtatem ſimulque *motionis* activitatem, *cum ratiocinationis ſublimiori actione* in qua *ſpiritus animalis*, *animæ veræ & ſoli rationali* tanquam principaliori agenti inſtrumentaliter inſervit, ita *pro ejus ſpiritus animalis variâ conſtitutione* non tantùm in latitudine ſanitatis, *diverſitas operationum animalium in ſingulis individuis* obſervatur, ſed etiam in aliis *morboſis*, variæ *in ſenſu & motu*, quin & in *divini intellectus operationibus læſiones* oriuntur.

Naturalis ſpirituum animalium, hinc *operationum animalium*, & inde dependens *ingeniorum diverſitas ex varia craſi & miſturâ ſanguinis*, hinc diversâ *conſtitutione cerebri*, *ratione compoſitionis naturalis*, ratione *pororum & meatuum*, &c. dependent.

Prout enim variat Maſſa ſanguinea, ipſumque cerebrum, diverſi ſpiritus animales ſeparantur, ſeparati diverſimodè in cerebro moventur & agitantur, indeque *vis ingeniorum variat*, *quoad ſexus*, *regiones*, *climata*, & quoad ipſa *individua & ætates* dependet.

De quâ *ingeniorum varietate* videndi ſunt imprimis, qui ex profeſſo de ingeniis ſcripſerunt, quos inter tres primatum obtinent *Janus* HUARDUS *Medicus hiſpanus*, qui ſcripſit *ſcrutinium ingeniorum.* Item *Iohannes* BARCLAJUS *Politicus Gallus*, qui ſcripſit *Iconem ingeniorum.* Et NEUHUSIUS *Philoſophus Belga*, qui ſcripſit *Theatrum ingenii humani.* Omnes tres per diverſas vias unam materiam tractant, & ad unum ſcopum collimant. *Ianus* HUARDUS *in ſcrutinio ingeniorum*, in genere *varietatem ad ſtudia varia inclinantium ex fundamentis phyſicis Ariſtotelico-Galenicis* ſcrutatus fuit.

AUTHOR eſt, ſi quis alius, elegans, tantummodo *hoc obſervetur*, ut ſcilicet ea, quæ is tribuit cerebro ratione caliditatis, humiditatis & ſiccitatis, potiùs certo modo applicanda ſint ſpiritibus animalibus eorundemque variæ conſtitutioni, ſubtilitati, agilitati, torpori & aliis ſimilibus proprietatibus.

Nam quod attinet *temperaturam cerebri*, *Temperatura* iſta tàm *Capitis* (uti etiam aliàs monui) quàm *omnium partium à maſſ. ſang. dependet*, quæ quando eſt calida, vel quando eſt humida etiam omnes partes, per quas tranſit, ſimiles proprietates acquirunt, quæ ipſæ tamen parùm ad actiones faciunt, quia tantummodò leviter eaſdem modificant: Sicut videmus in *Cholericis* ita dictis, in quibus maſſ. ſang. turget ſalibus volatilibus oleoſis, eos videmus promptos in actionibus, videmus agiles & quadam cum ferocia & audacia conjunctos.

In his enim partes ſubtiliores, & facilè mobiles blanda in orbem circulatione in ſpiritus animales volatiliſantur, qui in cerebro promptè moti & agitati, & à maſsâ ſanguineâ calidiore nonnihil fervidi in iſtam audacem actionem erumpunt, ex mente HUARDI; ergo caliditas & ſiccitas hîc accuſatur potiùs agilitas & ſubtilitas ſpirituum.

BARCLAJUS *in Icone animarum* ſcribit *politica & hiſtorica magis quàm phyſica*, lectio tamen ejus hoc habet commodi, ut videamus, *quantum varient ingenia* pro *climatum diverſitate* pro *vario regionum ſitu*, & pro *conſuetudinis diverſâ ratione.*

Denique NEUHUSIUS *Philoſophus* ſcripſit *in ſuo Theatro ingeniorum* ſimul *Politica & Phyſica*, ſed minùs profunde rem ſcrutatus fuit, quin potiùs generaliter, nonnihil fusè tamen ea tractat. Hi tres ſimul conjungendi ſunt & præmeditatè legendi, ſic enim magna lux in hac materiâ effulgebit.

Sed his & ſimilibus phyſiologis omiſſis ad pathologos revertor & practicos, qui conſiderant *vitia*, imprimis *ſpirituum animalium* morboſa. *Spiritus* enim iſti *animales vitiosè geniti & præternaturaliter alterati læſiones in ſenſu & motu* inducunt.

GENERANTUR *vitiosè* 1. *Quando deficiunt & nimis pauci ſunt*, unde *hebetudo ſenſuum*, *imbecillitas corporis & debilitas in motu* apparet, uti videre eſt, verbi gratiâ, in *ſenibus*, aut in iis, qui ex *gravi morbo* ſenſim *convaleſcunt.* In his enim talis debilitas & impotentia actionum omnium adeſt, propter defectum ſpirituum animalium.

Deficiunt hi ſpiritus vel propter *deficientem ſanguinis ſpirituaſcentiam*, vel propter *vitium cerebri*, quòd non poteſt ſeparare ſpiritus, verbi gratiâ, in ejus *contuſione*, aut ejus *concuſſione in caſu ab alto*, his enim in caſibus *poruli* ac inſenſiles *meatus cerebri* aut *ſubſidentes*, aut *contriti* aut omninò *aboliti* impediunt ſpirituum animalium ſeparationem. *His* ergo *deficientibus ſenſus & motus deficit* minùs vel plus, prout ii vel magis vel minùs deficiunt. *Vitium* hoc optimè *curatur*, *per medicamenta ſpirituoſa* aſſumpta, vel *vinum generoſum*, *ſpiritum lil. convall. Ceraſorum nigrorum*, *aquas apoplecticas* uſitatas V. Eſſent. MATTHIOLI *Eſſ. ambræ cum ſpiritu roſarum* paratam, *per ſpiritum lil. convall. cùm ſale volatili C. C.* circulatum aut *ſale volatili ſuccini* miſtum. Item cum *aquis ſpirituoſis*; *aromaticis* & ſimilibus.

GENERANTUR èontra *vitiosè ſpiritus animales quando iidem abundant*, ac in nimia copia in cerebro generantur, hinc enim impetum quendam actionibus animalibus, & ex nimiâ eorum agilitate inſignem promptitudinem actionum tàm in *ſenſibus* quàm *motibus* conciliant.

Id quod videmus in iis, *qui alimenta laudabilia* uſurpant *potuique vini generoſi moderatè indulgent*, *aliis agiliores & hilariores* fiunt, accedente ſimul *blando corporis motu & vitâ curis vacuâ*, *vitium* quod *raró curationi offertur*, quia vel *ſponté* aut per *inediam* aut per *ſomnum* natura aut arte provocatum, aut denique per *motum vehementiorem corporis* æque atque *animi*, *in ſtudiis ſeverioribus curatur.*

Vitiosè

Vitiosè denique GENERANTUR *ſpiritus animales* quando *depravantur* variis & multiplicibus modis. Unde iidem aut *torpidi* aut *ſtupidi* aut *fixi*, imò quaſi *immobiles* aut èc ontra *nimis agiles*, aut *confusè & inordinatè mobiles*, aut alio vix intelligibili modo vitioſi & depravati. Unde varii in *ſenſibus* defectus, & in *motu* exorbitantiæ & anomaliæ dependent, quæ cùm in ſpecie & ſingulæ hinc ortæ læſiones explicentur, poſtmodum: Hæc in genere præmonuiſſe ſufficiant.

Unum adhuc moneo: Nihil dixi de animâ ſenſitivâ aut de ejuſdem operationibus: Ratio, quia *non credo eſſe animam ſenſitivam, neque in brutis neque in homine*, quia hoc, quod aliàs vocatur anima ſenſitiva, ſeu ſentiens ac omnes hujus operationes, commodiſſimè per ſyſtema nervorum ex cerebro pertruſorum & ſpirituum animalium in ſyſtemate iſto contentorum explicari, & modo mechanico dilucidari poteſt: Quâ in parte tero veſtigia CARTHESIANORUM & *Anglorum*, uti obiter in Scriptis CARTHESII *de homine*, item in VVILLISII *Anatomia cerebri*, & aliis in locis videri poteſt.

Spiritus animales in naturali ſubtilitate ordinatè moti, uti omnium ſubjectorum ſenſibilium promptè recipiunt impreſſiones, & ſic ſenſuum paſſionem ſuſtinent, ita promptè *varios motus excitant* & obeunt, quo in ſtatu animal *vigilare* dicitur, *cujus privatio eſt ſomnus*, quæ duo neceſſariâ viciſſitudine ſe mutuò inſequuntur naturaliter.

Hæc viciſſitudo mutua *ſi tollatur*, ita ut deficiat ſomnus *& continuæ ſint vigiliæ* vitium fit, quod vulgò vocatur

AGRYPNIA GRÆCIS,

Latinis

VIGILIÆ NIMIÆ.

Agrypnia ſive vigiliæ nimiæ.

AGRYPNIÆ omnis *cauſa eſt motus ſpirituum animalium nimius & continuus in organa* machanicæ corporeæ, vel *interna*, vel *externa*, ratione cujus influxus, ut vocant, ſive motus promptè ſenſilium objectorum impreſſiones recipiunt, & poſtmodum pro motionis ratione in organo impreſſæ, ſimiliter in cerebro moti varias animæ rationali diſcurſuum occaſiones ſubminiſtrant.

Nam ècontra, ubi nihil de ſenſibus externis percipitur, neceſſariò animal dormit. *Cauſa hujus ſpirituum continui & nimii influxus eſt:* 1. *Objectum ſenſibile fortiùs organum quoddam afficiens.* Vel 2. *eſt ipſum vitium ſpirituum animalium* quo iidem *mobiliores fiunt*.

PRIMAM QUOD ATTINET CAUSAM, quando objectum quoddam fortius organum ſenſus afficit, neceſſariò ſpiritus agitantur & fortius moventur, quæ motiones per nervos ad cerebrum uſque continuatæ, reliquos ſpiritus in cerebro ſimiliter movent & agitant, unde neceſſariò vigilat animal. Hinc videmus quòd *clamor fortior*, *dolor* quicunque, *dolor capitis ſomnum tollant* & vigilantes nos reddant.

Pertinent huc *tormina*, quæ & ipſa agrypniam inferunt. Item *Tuſſes* quæ cum fiant à ſtimulo forti in aſpera arteria, & hunc ſtimulum inſequatur fortis motus, neceſſariò in vigilias deducit. Quin & *Dyſpnæa* vigilias infert. Nam totum ſyſtema nervorum, & in eo contentorum ſpirituum concutitur.

Pertinet huc ipſa *anima rationalis in curis vel meditationibus occupata:* Cum namque hæc ipſa utatur miniſterio ſpirituum animalium, neceſſariò *graves curæ* aut *anxiæ meditationes*, quibus agitantur ſpiritus animales, vigilias nimias inferunt.

Quo etiam *Melancholicorum pertinaciſſimæ Agrypniæ* pertinent. Cùm obſervatum fuerit ad 14. *dies* interdum *ad* 3. *vel* 4. *ſeptimanas*, & etiam *ultra* ne momentum quidem ſomnum capere eos potuiſſe.

In his enim eſt anima rationalis in objecti Melancholici continuâ conſideratione, in quo continuo motu, ſpiritus animales ne fortiſſimis etiam opiatis auſcultant, & ſomnum capiunt. *Hæc de prima cauſa*, ſeu objecto quod inducit vigilias.

SECUNDA CAUSA eſt ipſum ſpirituum vitium varium, *à quo iidem ad concitatiores aut pertinaciores diſponuntur motus:* Quò pertinet imprimis *eorum* uti etiam *totius cerebri fervor*, & incaleſcentia *in febribus ardentibus* & ſimilibus, qui in fervidiore cerebro velociùs moti neceſſariò inducunt vigilias.

Unde etiam in *æſtate*, item in *juventute*, in genere in *Cholericis* dictis promptiores ſunt agrypniæ & ſomni minùs profundi.

In ſpecie *miaſma malignum* ſpiritus animales corrumpendo pertinaciſſimas vigilias inducit, *in febribus malignis* qui ipſi propter confuſum motum à miaſmate maligno, tunc ſimul *deliria* inferre & varias *phreneſes* inducere ſolent.

Pertinent huc *affectus animi*, qui & ipſi variè alterant ſpiritus, eoſque ad velociores vel ſaltim in continuos motus diſponunt, uti ſunt *amor*, *metus*, *terror*, imò & *ira*, imprimis in quibus nimis agitati ſpiritus, continuato motu vigilias inducunt.

Pertinet huc etiam *inedia*. Nam alimentis imprimis ſucculentioribus aut humectatur cerebrum aut ipſi ſpiritus aquoſi fiunt. Unde eidem placidè moti, aut in cerebro humido, aut ipſi humidi, uti ſomnum inferunt; ita defectu alimentorum in inedia ipſi ſpiritus ſubtiliſati magis & cerebro magis arido reddito, neceſſario ex motu continuo vigilias inducunt.

Quò etiam faciunt *ipſa alimenta*, ſed *nimis ſpirituoſa* aſſumpta, & *oleoſa volatilia* vel *piperata*. Ex *cinnamomo*, *&c.* Hæc enim ipſa ſal. volat. oleoſa, Aromatica, fermentata abeunt in ſpiritus inſigniter volatiles, à quibus acuti & quaſi acres fiunt ſpiritus animales, velociùs moventur, & ex velociori motu continuas Agrypnias inferunt.

Denique *in ætate ſenili* imprimis *frequens* ſymptoma eſt *Agrypnia*, quòd nempe ſenes non poſſint amplius dormire; Hi in quibus hoc vitium eſt, imprimis acidi & ſqualidi ſolent eſſe, quoad tactum & alias proprietates. Unde has *vigilias ſenum* non tàm ex ſpirituum vitio quàm *ex cerebri texturâ alteratâ* dependere puto.

Nam poris cerebri per tot annos continuum ſpirituum motum, & tranſitum nimis apertis ac nimis patulis liberrimè ſpiritus meant ac remeant, indeque placidè quidem, ſed tamen continuâ motione vix ſomnum concedunt.

Accedit hic *ſenum ad rem attentio.* Senum enim *continua ſedulitas*, *& continuæ curæ circa rem familiarem*, quibus ſenilis ætas eſt expoſita, calcar addunt ſpirituum animalium contumaci & magis continuo motui: *Unde Vigiliæ.*

SIGNA DIAGNOSTICA AGRYPNIÆ

Per ſe ſunt nota, æger enim, ſi non dormit, ſatis manifeſtat ſe vigilare.

Præ cæteris tamen *cognoſcendæ cauſæ vigiliæ*, quæ ſunt faciles quando æger fatetur ſe affligi curis, affectibus indulgere. In febribus ardentibus & malignis facilè patet, unde ſint vigiliæ.

QUOAD PROGNOSIN.

Vigiliæ nimiæ non ſunt contemnendum malum, cùm *virium debilitatem* inferant, quæ in ſomno reficiuntur, ſæpiùs *deliria* quin & *motus convulſivi* ſuperveniunt.

Hinc HIPPOCRATES *ſect.* 7. *aphor.* 18. *à vigiliis convulſio aut delirium malum* pronuntiat.

Deinde *vigiliæ in ætate conſiſtente*, aut in *ſexu muliebri*

liebri plus offendunt quàm in ætate juvenili aut in *ſexu virili*.

Denique *vigiliæ in morbis acutis* diu durare nequeunt quin *aut in melius* aut *deterius* abeant.

In *morbis* verò *Chronicis* ſpecialiter in *affectibus Melancholicis*, interdum *ſatis diu citra noxam* continuari poſſunt vigiliæ. Sic enim obſervatæ ſunt *vigiliæ* 45. *noctium continuæ*: Sic SCHENCK refert *l.* 1. *obſ.* de quodam 14. *menſibus* ſomno propter *melancholiam* deſtituto.

Tamen tales *vigiliæ in Chronicis citra periculum continuatæ* nonnunquam *in fatuitatem* terminantur: Quale exemplum habet PANAROLLUS *Pentecoſt.* 5. *obſ.* 40. *de puero biennii* 6. *menſibus inſomni*, qui poſtmodum *fatuus* redditus fuit.

QVOD ATTINET CVRAM.

In cura Vigiliarum ſive *Agrypniæ* ante omnia *cauſa eſt removenda*. Hinc *ſpiritus animales blandè ad motum torpidiorem invitandi* ſunt, aut *eos humectando*, aut *eos narcoticis medicamentis moderate figendo*. Ex his patet quod hic *univerſalia* nempè *Venæ ſectio* & *purgatio nihil conferant*, utut referat DEODATUS *in valetudinario pag.* 25. *Vigilias pertinaces*, aliis irritis *per catharthicum cholagogum* fuiſſe *curatas*.

Medicamenta ergo quæ vel *humectando*, *vel alia ratione in ſpecie virtute narcotica ſomnum inducunt*, *ſunt* ſequentia. Primatum obtinet LACTUCA ejus *folia & ſemen*. Hæc ipſa enim jam à GALENI tempore eſt in uſu contra vigilias nimias. Vid. *Z. L. l.* 1. *Med. princip. hiſt.* 14.

Ubi refert *vigilias ex nimiis Meditationibus* aliis fruſtra adhibitis per *eſum lactucarum* & per *oleum Nymphææ naribus inunctum curatas* fuiſſe. Ubi etiam refert de GALENO, quòd ipſi fuit *lactuca* alexipharmacum vigiliarum, &c. Item *Nymphæa*, ejus *folia & flores* imprimis *externo uſu*. *Papaver Rhœas* & ipſum hîc convenit item *portulaca & flores verbaſci*.

Imprimis etiam *interno uſu Emulſiones* fiunt uſitatè *ex ſeminibus frigidis* tàm *majoribus* quàm *minoribus ex Amygdal. dulc.* ex *nucleis Perſicorum*, *papavere albo*, ex *portulaca*, & in ſpecie ex *ſemine Strammonii* hujus enim *gr. j. vel duo* addita mira faciunt de quo poſtmodum.

His *Emulſionibus*, quæ humectant blandè & temperant acrimoniam efferveſcentium humorum, ſemper imprimis, in *acutis morbis addenda* alia morbis *appropriata*. v. gr. Ponam *Agrypniam in febri maligna*. Tunc

℞. Amygdalarum dulcium amboſiarum ℥ij.
Seminum 4. frigid. major. aa. ʒj.
papaveris albi ʒij.
C. ſ. q. aquæ ſcorzoneræ & Nympheæ F. l. a.
Emulſio cui adde
Aqu. Cinnamom. ℥ß.
(ratione virium)
Bezoardici mineralis ℈j.
Edulcoretur rotulis Manus Chriſti perlatis.

D.S. Hauriatur ſubinde. Hic enim *Bezoardicum minerale* reſiſtit malignitati in febri, quàm ſuppono, obviæ.

Decoctum hordei factum *cum papavere & cum radice Glyzyrrhizæ* commendatur à LINDANO *in Agrypnia* propter defectum roris nutritii humectantis cerebrum. Simile habet BORELLUS *cent.* 4. *obſ.* 89. ubi *Agrypniam*, *tuſſim & maciem hordeatorum uſu curatos* refert.

Sed præ cæteris omnibus ea *quæ narcoſi* quadam, utut malignâ, *figere ſolent ſpiritus* potenter, & promptè *vigilias ſiſtunt*. Nam utut ſunt maligna, tamen interdum coactus medicus iiſdem utitur.

Hæc ipſa *Narcotica ſunt* 1. *Papaver*, & hinc paratus *ſuccus ejuſdem* aut *expreſſione elicitus*, *dictus Maconium*, quod eſt *noſtrum opium*, aut *ſuccus inciſione ſponte exſtillans* & eſt *genuinum opium*, *Mandragora ejuſque radix*; Item *radix*, *fol.* & *ſemen hyoſcyami*, item *Strammonium ejuſque ſemen*, & ſpecies ejus nobilior *datura Indorum*, pertinet ad hæc ipſa etiam *Crocus ejuſque præparata*. Ex his ipſis varia ſunt præparata & veterum & modernorum. *Veteribus* in uſu ſunt *Philonium Romanum*, *Philonium Perſicum*, *requies Nicolai*, *pilulæ de Cynogloſſa*, quæ tamen ipſa remedia cùm cruda narcotica recipiunt, jam propemodum in deſuetudinem abierunt: *Loco eorundem opiata correcta*, & ſimilia imprimis uſurpari ſolent.

De quo tamen *opiatorum in Agrypnia uſu* benè *obſervandum*, *quod monet* VVINCKLERUS *tract. de opio*, " *pag.* 244. Nempe quòd *opiata* licèt *in vigiliis* ſin- " gulariter utilia ſint, tamen his ipſis *non ſemper* & " *in omnibus* eſſe utendum. Eſt enim quando vigiliæ " ſunt inſtantis criſeos ſignum, ubi planè ſunt omit- " tenda opiata, nec naturæ labor impediendus. Eſt " etiam ubi ſenes diuturnis vigiliis torquentur, ubi " potiùs alia commendantur, quæ in confortantium " ſunt numero, ut ſpecies diamoſchi, item ſpecies " diambræ & ſimilia. Eſt tandem etiam ubi vigiliæ " ſunt in anguſtiâ pectoris, in Dyſpnæa, in hydrope, " &c. ubi etiam opiata vix tutè adhibentur, metus enim " eſt, ne ſomno fortiori provocato ſuffocentur ægri. " *Hæc* VVINCKLERUS.

Denique *rectè* monet SEPTALIUS *pueris parcè* admodum eſſe *papaverina* ſimiliave per *os exhibenda*, quoniam eorum animam labefactet, & eos ſtupidi ingenii reddat.

De *Laudano opiato* res nota eſt, quòd ſit *egregium*, *ſi rectè præparetur*; *præparatio optimè fit per acida*: Poſt per *ſal Tartari fixum*, denique per *fermentationem*, ubi ſuperiùs aliquando dixi. *Permiſcetur cum pulveribus*, v. gr. *cum alexipharmacis mistum fit pulvis anodynus alexiterius*: *Cum confortantibus fit pulv. anodynus confortans*. Item cum *alexipharmacis liquidis fit Eſſent. Theriacalis anodyna*. Nam raro opium adhibetur quin appropriatis addatur.

Poſt opium *Strammonium* à BARTHOLETO commendatur, tanquam ſingulare Narcoticum, & quod ſimul hilaritatem inducat. Hic uſurpat *extractum & pilulas de Strammonio*, quæ eaſdem habent virtutes cum opio. Idem BARTHOLETUS *liquorem ſomniferum* quendam præparat h. m.

℞. Sem. papaveris.
cucumeris.
Strammonii Noſtratis aa.

Inciſa in ſ. v. aquæ ponit in digeſtionem fimi equini per 4. hor. poſtmodum filtrat, & ex retort. deſtillat lento igne cujus doſis eſt ℥ß. ad ℥j. tanquam blandum ſomniferum. *Pilulas* verò *ejuſdem ex Strammonio h. m.* præparat.

℞. Fructuum Strammonii ℔vi. Contundit & bullit in aquæ lactucæ ℔xii. ad tertiæ partis conſumptionem, decoctum exprimit & digerit in ſole, poſtmodùm imbibit cum aqua ardente ſeu ſpiritu vini & exſiccat. Iterum ſpiritu vini humectat & denuò ſiccat: Hinc ſucci ſiccati vel inſpiſſati ℥j. addit croci ʒß. olei Corticum citri ℈ij. Miſcet pro paſta pilularia: Doſis à gr. j. ad gr. ij. quæ Pilulæ *præter ſomnum blandum* etiam *quoſcunque fluxus ſiſtunt*.

Loco hujus *Strammonii* etiam BARTHOLETUS uſurpat *Datorum* Strammonii nobiliorem ſpeciem ſive *Daturam Indorum*, ex cujus pomis ſuccum expreſſum inſpiſſatum cum ſpiritu vini in Tincturam extractum poſtmodum cum Eſſentia croci irrorat & miſcet, & ita pro uſu reſervat.

Hæc de internis & opiatis.

Externa etiam non rarò contra Agrypniam uſurpantur, *Lotiones* 1. elegantes *manuum* & *pedum* quæ fiunt, *ex foliis lactucæ*, *Nympheæ*, *ſolani*, *vitis*, *violariæ*, *capitibus papaveris contuſ. ſummitatibus anethi*, *flor. chamomill.* & ſimilibus. v. gr.

℞. Foliorum vitis.

ſalicis.

ſalicis.
Nympheæ.
florum Chamomillæ aa. Mj.
Capitum papaveris albi, cum ſeminibus contuſorum N. iv.

Coq. in ſ. q. aquæ ſimplicis, *decocto iſto* primo benè *foveantur tempora* hinc *laventur manus & pedes*, & linteis involutis ſpontè exſiccatis blandum ſomnum provocant.

Poſt lotiones ſunt *inunctiones*, quæ fiunt cum *oleo Nymphea*, cum *oleo anethino*, cum *oleo papaveris albi*, cum *oleo Hyoſcyami*, *oleo nucis Moſchatæ expreſſo* & ſimilibus.

His ipſis interdum aliquantulum *croci* additur interdum aliquantulum *opii*.

Verbi gratia:

℞. ole. Nympheæ ʒj.
Anethini ʒß.
Papaveris expreſſi ℈j.
miſc. F. ungnent Temporib. applicand.

Quò etiam pertinet *unguentum populeum recens*, item *unguentum ſomniferum uſitatum*, cui aliquot *gutt. olei Hyoſcyami* addendæ. Item *Vnguentum Alabaſtrinum* cum aliquot *gr. Opii* miſtum adhiberi poteſt *ubi cum vigiliis* infeſtant *dolores capitis*.

Denique pertinet huc *Balſamus Hypnoticus* MINSICHTI, *Cataplaſma* factum *ex nucleis Perſicorum, & ſemine papaveris albi cum lacte mulicbri* inſigniter convenit. *Medulla crurum vituli recens temporibus illita* blandum ſomnum inducit. Item *medulla crurum cervi recens*. *Axungia pedum bovis* cocta in ſole, vel alio blando calore digeſta & depurata *temporibus inuncta* ſomnum inducit.

In *glomis Cynosbati diſſectis* reperiuntur *vermiculi*, hi, inter duos lapides conterendi, & ex contritis *liquor in vitro colligendus & aſſervandus eſt*, non enim facilè corrumpitur. Hic *liquor inunctus temporibus*, ſuavem ſomnum citra periculum inducit. A quibuſdam etiam *decoctum glomorum Cynosbati* propter hunc finem internè uſurpatur.

Porro *Turunda ex Laudano opiato cum aliis miſto naribus indita*, uſurpatur interdum à TIMÆO ad inducendum ſomnum.

Sicuti etiam in *Clyſteribus* magno interdum cum fructu *gr. v. vel vi. Opii adduntur in morbis*, in quibus eſt *Agrypnia*, ubi tutò internè uſurpari nequit opium. Quibuſdam placet applicare *ſuppoſitoria opio miſta* pro ſomno. ZACUT. *Luſitanus* tamen habet aliquot *exempla mortuorum* ex talibus *ſuppoſitoriis opiatis*.

Porro paratur *pomum ex opio*, *ſemine papaveris albi*, *lactucæ*, *papaveris nigri*, *corticæ Mandragoræ*, *ſemine ſolani*, *anethi*, *cum mucilagine Tragacanthi*, quibus pro gratia odoris *lignum Aloes*, *Rhodii* & ſimilia addi poſſunt. Tale pomum naribus admotum & attractum ad ſomnum diſponit.

Denique parant quidam *ſpongiam Hypnoticam ex ſucco*

Hyoſcyami.
Papaveris albi.
Mandragoræ.
Mororum celſi immaturorum.
Coriandri.
Lactucæ aa. ℥j.
Opii ʒj.

Spongia ita humida facta vel imprægnata his ſuccis poſtmodum leni calore exſiccatur & naribus admovetur pro conciliando ſomno.

RULANDUS in uſu habet *Epithema* in *nimiâ Agrypniâ*, imprimis quando ſimul *adſunt deliria*: parat *h. m.*

℞. Aqu. Roſar. ℥viij.
Opii ʒj.
Croci ℈ij.

Hoc Epithemate lintea imbuta tepidè temporibus applicabat, & ita ſomnum inducebat.

Denique *ſordes aurium aſini quantitate piſi*, *temporibus illitæ in Agrypnia febrium ardentium* probatæ ſunt. Sed *obſervetur*, *ne augeatur doſis*, aliàs nimis profundum & diuturnum ſomnum inducit.

De Clyſtere modo dixi.

Probatum Clyſterem habet SCHMUCK *ex cortic. rad. mandragoræ, & capit. papaver. cum ſemine in lacte coctis & applicatis.*

Sed, uti dixi, imprimis eſt *habenda ratio cauſarum*; in ſpecie *ex inedia vel deficiente rore nutritio & ſiccitate*, *conveniunt humectantia*, *hordeum*, *Paſſulæ & Glyzyrrhiza*. Item *Emulſiones In Senum vigiliis* non niſi *raro opium convenit*, quin potius *confortantia*, *potus vini*, *aqua vitæ & aromata*, *Eſſentia abſynthii* & ſimilia ſomnum inducentia.

Exemplum hic elegans habet *Henricus ab* HEER *obſer. 5.* ubi habet diſcurſum elegantem *Vigilias ſenum non per narcotica*, *ſed per vinoſa confortantia curandas eſſe*. Sicut etiam SCHENCK. *lib. 1. obſer.* refert *mulierem* Patavinam 15. *diebus inſomnem* tandem *uſu panis cum vino Malvatico* ſomnum recuperaſſe.

Item remedia *ambrata* & *moſchata*. Vid. VVEDELII *Opiolog. p. 38.* Sic pariter agrypniæ in affectibus ſic dictis frigidis, v. gr. in catarrhis per uſum *piperis albi*, item per *Electuaria ex aromat. & calidis* optimè ſopiuntur. Alii in vigiliis nimiis à cruditate ventriculi ſpirit. vin. uſum poſt cœnam commendare ſolent. Sic pariter in agrypnis cum virium exhauſtione ſpirituumque abſumptione *analeptica* talia ex *vino dulci* ſunt optima, aut ſi propinanda *papaverina*, eadem *aromaticis* ſocianda ſunt, quem morem Veteres in *Philoniorum* compoſitione obſervarunt. Ictus quidam ex diuturno literarum ſtudio, 4. menſes ſine ſomno fuit, ita ut jam putaretur fatuus, nullis præſidiis proficientibus *Philonii Perſici* ʒj. cum *Malvatico* exhibitâ bis vel ter, ad ſomnum rediit, Autore ZACUTO *Luſit. l. 1. Med. princ. hiſt. 13.*

SOMNUS NIMIUS.

Abſolvimus vigilias nimias, quibus ipſis contrarium vitium eſt *ſomnus & ſopor nimius*, *dum ægri nimium aut in ſomnum ſunt propenſi aut actu nimis dormiunt*. Somnus nimius.

Affectus multi huc pertinent variis nominibus iiſque promiſcuè, ſed admodum confuſè & eroneè ab auctoribus inſigniti: Iis nempe qui HIPPOCRATICIS relictis fontibus alios AUCTORES promiſcuè ſcrutantur, indeque in confuſos errores promiſcuè lapſi fuerunt: Quo non parum facit garrulitas GALENI ejuſque fallax autoritas, cujus veſtigiis alii inſiſtentes confuſè admodum de affectibus ſoporoſis egerunt.

Verùm qui *genuinam affectuum ſoporoſorum cupit explicationem* in legitimo ſenſu, videat imprimis LINDANUM *in Meletematibus phyſicis & Medicis* imprimis *pag. 282. ſeqq.*

Ante omnia autem *diſtinguendus eſt ſomnus præternaturalis & nimius ab impotentia vigilandi*; dum ſcil. ægri *ex nimia virium proſtratione & operationum animalium imbecillitate* oculos apertos tenere aut membra alia movere nequeunt, ſed inſtar dormientium jacent, utut revera vigilent nec perfectum ſomnum capiant. Id quod patet ex eo quòd acceſſu perſonæ cujuſdam inconſuetæ, aut ad ejus loquelam, oculos aperiant, ſed mox denuo collabi ſinant: Item quòd interrogati reſpondere conentur legitimè, ſed præ imbecillitate vix poſſint.

Hic nullo modo uſurpanda talia, quæ alias in affectibus ſoporoſis *conveniunt*, ſed potiùs *reſtaurantia*, *confortantia ſpirituoſa* in ſpecie *ambrata ſunt optima*.

Diſtinguendus eſt porro *ſomnus nimius præternaturalis*

ralis

-ralis à ſomno nimio nonnaturali *poſt laſſitudines* aut *poſt laborem graviorem* oborto. Sic enim refert SALMUTH *cent.* 3. *obſer.* 66.

De virgine quadam ſaltationibus defatigata, adeo ut per biduum ſine ſomno eſſet, poſtmodum 4. dies & noctes integras ſomno conſumpſit. Sic refert alium ex itinere feſſum qui 18. horas profundiſſimè dormivit. Sic PLATERUS *in obſ. ſuis mox in princ. l.* 1. itidem refert ſomnum per 3. dies & noct. tantùm contingentem propter prægreſſam laſſitudinem. Hic & ſimiles ſomni naturales ſunt, minusque ad affectus præternaturales ſunt referendi. Quò etiam facit, quando poſt ſanguinis excretiones, alvi profluvia, dolores magnos, animi pathemata graviora aliquandiu continuata, adeoque in genere in omni ſpirituum, præſertim ſubito exhauſtorum defectu ſomnus nonnaturalis imminet. *Obſervandum* quoque quod *imminentes lipothymiæ ſub ſpecie ſomnolentiæ* ſive propenſionis in ſomnum interdum imponant, ex ſpirituum animalium defectu oriundæ, v. gr. *Hyſtericæ* in graviori paroxyſmo ſubinde admodum *ſomnolentæ* ſunt, quibus tamen lipothymiæ imminent. *Mulieres* quædam *poſt partum* debiliores *ſomnolentæ* fiunt, ſed revera lipothymiæ imminent. *Poſt largiores Venæ ſectiones* aliasque ſanguinis effuſiones ſomnolentia obſervatur, ſed quæ revera lipothymiam minatur.

In genere autem, *ut ſomnus naturalis ex imminuto ſpirituum in organa externa influxu dependet, ex aliquali eorundem torpore*, dum minùs volatiles minusque ſubtiles, ſed potiùs phlegmatici redditi minùs prompti ſunt, ad obeundas animales functiones per ſolitas expanſiones & excurſiones; *ita in præternaturali ſomno* ibidem *nimius torpor ſpirituum* eſt conſiderandus.

Dico autem quòd in ſomno naturali ſit imminutus ſpirituum influxus in organa externa, ſcilicet reſpectu motus eorum in vigiliis, non tamen eſt abolitus, id quod patet etiam, quod in ſomno moveri poſſint partes externæ. 2. Imprimis dico ad organa externa. Nam in ſomno ſpiritus interni copioſiùs ad cerebrum moventur, quâ ratione in ſomno occaſiones variis in ſomniis animæ rationali ſubminiſtrant.

Hos inter affectus ſoporoſos ſunt ſequentes.

I. SIT CARUS.

Carus. *SOMNUS adeo profundus, ut æger excitari vix poſſit*, quin ſtertendo profundè admodum dormiat, *ſalvâ* tamen manente & integrâ *reſpiratione*, proprieque *CARUS eſt ſopor à vino*, & hinc dicuntur *Carotici*, qui *profundè poſt vinum dormiunt*: Propriè ergo *Carus non eſt morbus*, *ſed* ex illo ſymptomatum genere, quæ *ex errore externo* fiunt, verbi gratia, à *nimia Ebrietate*: Spiritus enim vini ſulphureus non ritè cum ſpiritibus corporis humani junctus iis tam confuſè permiſtus continuum ſomnum infert. Item *abuſus opii* & ipſe carum infert quacunque ratione applicatur. Sic SALMUTH. *cent.* 2. *obſerv.* 97. refert talem *carum ex* ℨj. *opii per clyſterem injecta*, qui ipſe carus per alium clyſterem ex vino Malvatico fuit curatus, pertinent huc *fumi carbonum imprudenter hauſti*. Nam Carbones ſulphure minerali ſunt impregnati, quod ipſum figendi ſpiritus Carum infert. FORESTUS *lib.* 10. *obſerv.* 39. ubi refert *Carum à fumo Carbonum* ad expugnandum frigus in paroxyſmo quartanæ.

Pertinet huc *Gas potuum nimis fermenteſcentium, vinorum, cereviſiarum* & ſimilium: Nam & hæc ipſa ut ſuffocationis inferunt metum, ita ad profundiſſimum ſomnum illi inclinant, qui tales ſpiritus inſpirando hauſerunt.

Item *halitus calcis vivæ parietibus incruſtatæ* in cubiculis clauſis dormientes ſimiliter *Carcoticas reddit.* Facit huc etiam *odor nimius croci.* Obſervat enim BORELLUS, quòd ii, qui jacent ſuper ſacculum, in quo antea aſſervatus fuit croceus, fiant aut carotici aut lethaliter dormiant.

Pertinet huc *fumus Nicotianæ*, cujus oleum & ipſum eſt inſigniter Narcoticum. Hic enim nimio abuſu hauſtus, ad contumacem & profundum ſomnum tales diſponit. Item *Nux Iuglans* vel ii qui *dormiunt ſub nuce Iuglante* ſolent in carum & ſomnum incidere, Hinc enim à Græcis dictæ ſunt nuces καρία, quod ii qui ſub hac arbore dormiunt caro corripiantur.

Denique *Hydrargyri ſeu Mercurii vapor*, uti varia infert ſymptomata, ita interdum carum infert: Refert enim PALMARIUS *de Hydrargyro cap.* 4. quod faber aurarius hydrargyri vapore naribus excepto ſtatim veterno, ſive caro correptus conciderit & difficillimè poſtmodum curari potuerit. Hi ſunt ergo *propriè Carotici, qui ex errore quodam externo* in tàm profundum ſomnum incidunt. Quo etiam referuntur ii, qui *poſt convulſiones capitis*, aut poſt *contuſiones cerebri à caſu ab alto* inſtar caroticorum ſomno ſepulti jacent. Et tales *carotici ex contuſione vel concuſſione proximi* ſunt *ad Apoplexiam.*

Succedit inter ſoporoſos affectus. 2. COMA VIGIL *Coma vigil.* ab aliis dicitur CATAPHORA. Hæc enim duo *Hippocrati* ſunt unum idemque *Coma* hoc *propriè non eſt morbus*, ſed eſt *ſymptoma* tantum *morbi*. Nam *Coma eſt ſopor præternaturalis, qui febrientibus* interdum accidit. Sopor enim accidit *tum in febribus continuis quam* etiam in febribus *intermittentibus*, ubi ægri admodum in ſomnum inclinant, imò etiam ſæpè profundè dormiunt. In *intermittentibus* quidem *rarius in principio paroxiſmi ſæpius* tn. in ejus fine, *interdum* tn. etiam obſervatur *in principio ſomnus graviſſimus. In continuis febribus* obſervatur communiter: Si *vigiliæ* adſunt, ut plurimum *eſt coma vigil.* in quo ægri habitu corporis externo & aliis organis ſenſuum externis perfectè dormiunt, ſed adſunt, quoad internas animales operationes revera vigiliæ ſ. potius fortia inſomnia, dum tales ſomniantes delirant faucibus apertis clamitant ſubinde membra inordinatè movent aut exſuſcitati ineptè & delirè reſpondent. Tale *coma vigil.* quod aliàs etiam vocatur *Typhomania*, imprimis in *febrib. malignis* ſolet eſſe obvium, in quibus tn. potiſſimum *eſt ſignum*, ſubinde *imminentium phrenitidum & convulſionum*, uti rectè obſervat FORESTUS *lib.* 6. *obſer.* 38. ſequitur 3. LETHARGUS ſ. VETERNUS, *Lethargus* qui eſt propriè *ſopor profundus cum febre lenta, in quo ægri dormiunt, & excitati licet ſubito tamen in ſomnum recidivant, ſtupidi ſimul ſunt & obliviosi*, ita ut *Lethargici* matulam petentes, dum eam adhuc in manu tenent, mictionis tamen aut actionis, quam obire debent obliviſcantur. Præterea adeſt *delirium*, excitati n. reſpondent quidem, d. inconditè & inconvenienter. Non ſecus ac ii qui naturaliter ex ſomno excitati profundo, non adeò ſubitò & appoſite reſpondere valent, ſ. inordinate & ridicule loquuntur. Pertinent ad hos affectus NOCTAMBULONES, utut revera non ſit affectus morboſus: Eſt enim revera res ſimpliciter naturalis, ſcil. eſt *ſomnus vigilans & vigilia ſomnians*, dum clauſis organis ſenſuum externorum dormiunt, validâ v. animæ rationalis imaginativâ actione, per ſpiritus paulò fixiores agitatos vigilant, ab hoc enim poſteriori moventur neſcientes tamen quorſum. Uno nomine *eſt validum ſomnium*, quod non ſecus atque nos ipſi interdum in ſomnio ea loquimur, quæ ſomniamur, movendo linguam, laryngem & maxillam inferiorem: ita hi noctambulones moventur ad actiones iſtas, ad quas ſomnians dirigit & etiam eo quo ſomnium ducit idque *interdum clauſis* interdum *ſemiconniventibus oculis*; *Clauſis* oculis *in locis quos aliàs ſæpius peragrare ſolent*, *conniventibus* aut ſubinde de *victitantibus in locis* aliàs *inconſuetis*, idque *interdum cum damno* dum cadunt ab alto, *interdum ſine nocumento.*

De

Catalepſis. De CATALEPSI, ſeu ut aliàs vocatur CATOCHE, quid dicam ferè neſcio. Dum *ægri inſtar ſtatuæ in ſua poſiturâ pertinaces perſiſtunt, impulſi tantum moventur, ſed tamen denuò in iſta per motum acquiſita figura fixi proſtant. Non dormiunt* tales ægri, ſed *videntur dormire & tn. moventur*, non autem eſt *ab intrinſeco, ſed* tantum *extrinſeco, ab impulſu*, inſtar cujuſdam machinæ. In his quomodo verè ſpiritus animales ſint conſtituti, vel quodnam eorum ſpeciale vitium ferè neſcio. *Fixatos* eos eſſe, *minusque mobiles*, quàm naturaliter eſſe debent certum eſt, ſimul tamen etiam eos continuo motu membra agitare & animare, ex eo confirmatur, quod tales ſtent, ſedeant. impulſi progrediantur, & ſemper antiquam figuram retineant, utut ipſi etiam hoc neſciant, hoc fateor & me neſcire, affectus aliàs *eſt rariſſimus* & ejus pauca occurrunt exempla. Recenſet enim FORESTUS *lib.* 2. *obſ.*41. *in Scholio* de puella, quæ fuit Catalepſi correpta, dum nubere cogeretur. Item FONSECA *l.* 2. *conſultat.* Obſervat catalepſin ſingulis hebdomadibus recurrentem 6. horis tantùm morantem, in muliere poſt menſium ſuppreſſionem obortam. TULPIUS jucundum hujus Catalepſeos refert exemplum *lib.*1. *cap.* 22. de Juvene Britannico, impenſius Amori indulgente, ex inopinato matrimonii repudio Cataleptico facto: cum v. illi acclamaretur cupitam eum habiturum amicam, ex profundo quaſi excitatus ſomno ad ſe rediit. Duo exempla Catalepticorum ſingularia habet etiam *Heinricus ab Heer. obſer.* 3. HILDEHEIM *in ſpicilegio affectuum capitis, pag.*224. meminit cujuſdam Hypochondriaci catalepſi correpti, idque, uti ipſe affirmat, *ex vaporibus ex liene adſcendentibus*. PLATERUS *lib.*1. *obſ.pag.*18. Obſervat *catalepſin* aut certè affectum ipſi ſimilem *ex fumo & vapore carbonum accenſorum.* Interdum talis catalepſis obſervatur etiam oriri *à vermibus*, qualia exempla refert SCHENCK. *obſer. & Marcellus* DONATUS *l.*2. *hiſt. med. mirabil. cap.*7.

Ex his affectibus primariam conſiderationem mere-
Lethargus. tur LETHARGUS (nam reliqui ſæpius fiunt à cauſis externis, aut cum Lethargo coincidunt) qui revera eſt morbus primarius, *nec adeò rarus* ſimulque *periculoſus. CAVSA* hujus, ſicut & aliorum *affectuum ſoporoſorum, eſt ſpirituum animalium nimius torpor*; quo inepti fiunt motionibus & expanſionibus debitis, ad obeundas ſenſuum & motus functiones neceſſariis: *Cauſa remota hujus torporis eſt nimia eorundem aquoſitas* ſ. nimium phlegma ipſis permiſtum dum inſtar ſpir. vini (liquor per ſimilitudines quæ claudicant quidem, ſed tamen ſimul illuſtrant) non rite dephlegmati, minus ſubtiles minusque volatiles exiſtunt. Cum enim in cerebro ſpiritus animales ſeparentur ex ſanguine & depurentur ab omni phlegmate, aquoſo ſ. ab omni latice. Unde non tantummodo cerebri ſubſtantia medullaris, pinguis & qſ. Oleoſa percipitur, nihil aut parum admittens aquoſitatis, d. etiam ob id receptacula in cerebro hinc inde pro recipiendo ſero ſunt excavata, (nempe ventriculi) præterea conſitæ etiam hinc inde reperiuntur Glandulæ, quæ quicquid ſuperfluæ aquoſitatis reperitur abſorbent & alíorſum derivant. Unde etiam tota corticalis cerebri ſubſtantia, per quam imprimis fit ſpiritus animalis filtratio & qſ. deſtillatio tota, conſtat minutis glandulis, lympham & laticem uberius abſorbentibus & volatiles exinde generantur ſpiritus animales. Quod *ſi ergò fiat, ut humectetur nimis*, aut *irrigetur præternaturaliter cerebrum* à tali lympha vel latice, ſive in iſtud influente ſive in ventriculis ejus & per conſequens etiam ſubſtantia ſtagnante *fit ut ſpir. animales vol. ab aqua admixta impuri*, hinc *torpidi & ſegniores* redduntur: Unde *minus mobiles* neceſſario ſomnum inferunt. Accedit & hoc, quod irrigatum nimis ac humectatum cerebrum porulisque ejus lymphâ nimiâ repletis, *debita ſpirituum expanſio & excurſio*, & *in organa per nervos debita diſtributio fieri nequeat. Vnde* neceſſario *ſymptomata iſta lethargica* oriuntur. Confirmante hoc ipſum VVILLISIO qui *in anatomia cerebri* affirmat, ſemper in affectibus ſoporoſis demortuis, cerebri ventriculos inventos fuiſſe ſero copioſo repletos. His ergo repletis, id quod ſupereſt Laticis aquoſi neceſſario cerebrum inundat, & ita neceſſario occaſionem Lethargo præbet. Hinc eſt *quod ex Hydrocephalo* ſubinde oriatur *Lethargus*, uti videre poteſtis in HILDANI *cent.*1. *obſ.*10. Item *cent.*4. *obſ.*10. Sicuti etiam SEVERINUS *tract. de recondita abſceſſuum natura* obſervat, *Lethargum* in infante *ex hydrocephalo.* Imò *infantes* ob id *naturaliter ad ſomnum inclinant*; propter eorum *cerebrum fluidius, mollius & humidius, ſpiritus animales* è contra *torpidiores* minusque ſubtiles. Non ſecus ac in *Catarrho* & aliis *affectibus capitis* dum præter copioſam lympham, vitiatâ per Glandulas excretione latex hujus aquoſus ſimul nonnihil humectat cerebrum, nos extraordinariam quandam in ſomnum propenſionem percipimus. Unde etiam eſt, quòd in *Lethargicis facies pallida & tumida*, *oculique tumidi* apparere ſoleant. Ut fit in iis qni crapulam nondum edormiverunt. Item Lethargici in facie videntur qſ. leucocophlegmatici.

Febris iſta lenta quæ lethargum ſemper comitatur, *eſt ex genere* earum, quas *lymphaticas* ſeu vitio lymphæ oriri ſupra diximus, ubi de febribus.

In Comate ſ. ſopore febrili eædem ferè cauſæ obtinere ſolent. Refert enim SANCHEZ *in obſ. p.* 380. De quodam, qui cum laboraſſet *Comate vigili in febre continuâ* diſſecto, quòd in ejus capite, inventi fuerint ejuſdem cerebri ventriculi copiosâ aquâ repleti. Simile ferè exemplum refert *Piſo tract. de Colluvie ſeroſâ p.*78. Verum in *Comate vigili malignitatis* imprimis *habenda ratio*, dum nihil eſt quod impediat, quò minùs etiam malignitas ſit conjuncta, à quâ & ſomnus & delirium, ſicut omnia narcotica ſolent inferre.

Præter modo dictos affectus ſoporoſos, ſubinde obſervantur adhuc *alii ſopores præternaturales*, qui ad *Comata* in genere referri ſolent, ſed confusè. Sic HILLERIUS *cent.* 1. *cur.* 35. obſervat *ſoporem* quendam *certum Lethargo ſimilem* cum præcedente *dolore circa tempora & auditus gravitate ſingulis menſib.* circa diem lunæ recurrentem à *Lumbricis* oriundum; ſic familiare *Hyſtericis* ut admodum in ſomnum propendeant, & ſi relinquerentur dormientes denuò nunquam evigilarent. Mirandum hujus rei exemplum habet RIVERIUS *cent.*2. *obſ.* 26. *de ſopore gravi* excitato in *paſſione Hyſterica* ſubinde recurrente, cujus paroxyſmum inhibuit propinando *laudanum opiatum.* Sic refert *PISO de colluvie ſeroſa p.*93. affectum Lethargicum *periodicè*, repetentem cum *artrithide* idque probabiliter à ſero. Sic BORELLUS *cent.* 4. *obſ.* 67. obſervat ſoporem talem *periodicum ſingulis annis eadem die* recurrentem.

PERGENDUM EST AD SIGNA.

Signa ſoporoſorum affectuum facilè patent per ſe. Imprimis tamen *ſigna Lethargi* ſunt *cognoſcenda & diſtinctiva* ab aliis affectibus ſoporoſis *addiſcenda. Qui lethargo laborant, obliviſcuntur omnium, delirant cum perpetuâ in ſomnum propenſione, Excitati rurſum feruntur in ſomnum: interrogati vix reſpondent*; videantur quæ antea dixi. *Febricula lenta* adeſt, cujus calor lentus, acris & mordax eſt, eaque *continua, habens* tamen continuò *veſpertino & nocturno tempore ſuas exacerbationes: alvi excrementa* plerumque *ſunt liquida: Vrina* redditur ut jumentorum *turbida: Pulſus* ſunt *varii ac inordinati. Facies ac oculi tumidi & pallidi* apparent & quæ ſunt ſimilia ſigna.

A Caro diſtinguitur Lethargus quod *non oriatur à cauſa externa* item quod *non adſit febris lenta*, aut *ſi adeſt febris* in Caro, hæc *ſolet præcedere*, aut ſaltim eſt *febris vehementior* aut ex *genere intermittentium* aut *continuarum ardentium*.

A Catalepſi facile *diſtinguitur cùm ægri non contineant membra in ſitu*, ſed inſtar dormientium omnia collapſa tenentur. A *Typhomania ſ. Comate Vigili* diſtinguitur in hoc, quod in *Comate vigili* adſit quædam *febris gravis* ſæpe *ardens maligna*. Item quòd quidem *ægri facilè expergeſiant in Comate vigili non tamen facilè denuò dormiant*, *ſecus ac fit in Lethargicis*.

QVOAD PROGNOSIN.

In genere *rectè* dicit HIPPOCRATES, *ſomnus & vigiliæ ſi modum exceſſerint malum ſect. 2. aphor. 6.* Porro in *quo morbo ſomnus Laborem facit malum* idem dicit *ſect. 2. aph. 1. Coma* quod oritur *in febribus ardentibus exitioſum* eſſe ſolet, cum uti ſuperius monui, utplurimum ſubſit malignitas.

Lethargus malum eſt acutum 7. diebus ſæpius interficiens, cùm *utplurimum Lethargus ſit lethalis. Sanantur* autem *Lethargici evacuatâ*, aut *ſponte & criticè*, aut *artificialiter materia vitioſa per alvum* aut *erumpentibus parotidibus die Critico*, aut ſi fiat ejus *copioſa per nares emunctio*. His *ſi adjungatur febris*, & reliquorum ſymptomatum *remiſſio ſpes* eſt ægrum reconvaliturum. Item *Lethargo accreſcentibus ſymptomatibus* ſi erumpat *ſudor frigidus* imprimis *in capite lethale eſt. Tremor lethargo ſuperveniens eſt periculoſus. Lethargus* ex *phrenitide eſt lethalis* ècontra *ſuperveniens lethargo phrenitis ſalutare.*

QVOD ATTINET CVRAM.

Nimium phlegma cerebrum inundans eſt *evacuandum*, nunc *per alvum* nunc *per ſudorem* nunc *per ſternutatoria*. Hinc *ſpiritus torpidi* primò *acidis excitandi*, & *volatilibus ſpirituoſis* denuò *reſtaurandi*. Interea *acribus aut ſenſuum organa vellicantibus nimius ſomnus impediendus*.

Inter evacuantia primatum obtinet *vomitus*, qui ſe commodè poteſt inſtitui, admodum eſt proficuus. Hæc inter uti notum eſt, eminent *Emetica antimonialia ſ. vina Emetica*. Item *Tinctura Nicotianæ cum ſpiritu vini* extracta *ad* ʒij. propinata. *Purgatio* inſtitui debet *citò* neglecta temporum electione, neque enim timidus aut cunctabundus in purgandis Lethargicis debet eſſe Medicus, & quidem forti medicamento fiat, alias enim fruſtra laboratur. *Inter purgantia* imprimis eſt purgans *ex ſcammonio cum Caſtoreo*, id quod jam à TRALLIANI ætate fuit celebratum v. g.

℞. Caſtorei ℈j.
Scammonii præparati ℈j.

M. Divid. in 2. partes æquales. Datur in vehiculo oxymelitis ſcillitici, jam hoc ipſum à *Tralliani* ætate, ut dixi eſt celebratum & curavit eadem Virum 55. annorum BORELLUS uti videre eſt *in cent. 2. obſ. 52.* Aliàs *extractum phlegmagogum Quercetani à* ℈j. *ad* ʒß. propinatur. Item *Extractum Trochiſcorum alhandal à gr. 6. ad xii.* uſurpatur. Item *extractum Eſulæ* aliis loco ſtimuli additum laudatur. Ex officinalibus ſunt *pilulæ Cochiæ ad* ʒj. propinatæ, quas ceu expertus in Lethargo commendat FORESTUS *lib. 10. obſ. 33.* ſi *cum Caſtoreo* miſceantur v. g.

℞. Extracti phlegmagogi *Quercetani*
Caſtorei ana ℈ß.
Extracti Trochiſcor. alhandal. gr. ij.
Reſinæ Jalapæ gr. v.
c. ſ. q. Eſſ. Caſtorei F. v. Pilulæ purg.

Credo quod pilulis additus mercur. *dulcis*, non futurus ſit fruſtraneus, cum hic in ſimilibus affectib. aliàs ſit egregius.

Loco purgantium per os aſſumendorum ſi non poſſint convenienter adhiberi, conveniunt *Clyſteres acres & fortiter ſtimulantes*, quibus imprimis addenda *ſalia. volat.* v. gr. Fiunt tales *Clyſteres ex cent. minor. Majoran. Salvia, Origano, abſinthio, ſerpillo, Ruta, pyretheo, felle tauri inſpiſſato. Pulpæ Colochynthidos in petia ligatâ cum electuario de Hiera picra, cum agarico cum electuario Indo* & ſimilibus v. g.

℞. Herbæ abſinthii
Centaur. minor.
Folior. rutæ ana mj.
radicis pyreth. ʒiij.
pulpæ calocynth. in petia
ligat. ʒiß. (aliàs enim exulcerat inteſtina)

Coquuntur in ſ. q. aqu. communis colaturæ. ℞. ℥ix.
cui adde Electuarii cum agarico ℥j.
Fell. tauri inſpiſſati ʒj.
ſal vol. ſuccini ʒß.
vitell. ovor. Num. 1.
M. pro Clyſmate, quod eſt ſatis acre.

Item ſubinde applicantur *ſuppoſitoria* eaque etiam *acutiora*: Nunc ſcil. *ſuppoſitoria* acuta *uſitata illita cum felle tauri*, aut illita *cum ol. Colocynth.* QUERCETANI; vel præparantur de novo, *ex melle inſpiſſato cum ſal. gemm. taur.* aut *ex felle tauri inſpiſſato cum ſpecieb. Hieræ picr.* & ſimilibus, quæ cum melle conjunguntur, in formam ſuppoſitoriorum applicanda.

Præmiſſis hiſce dantur *appropriata* quibus tamen etiam intermiſcentur *ſternutatoria*. Hæc *ſternutatoria* ſunt *fortiora ex rad. Helleb. albi, rad. liliorum Convall. cum granis aliquot Euphorbii.* Item *ex pulvere Nicotianæ cum Euphorbio & aliquot granis ſal. volat. Vrinæ, ſpirit. vin. vol.* Nam hæc ſalia vol. optimè permiſcentur cum talibus ſternutatoriis acrioribus cùm fortiter penetrent, dum interea alia acria ſternutatoria vellicant. *Vitriolum ad albedinem calcinatum ad* ʒj. *ſolutum aqu. Majoranæ* ℥j. qui liquor naribus attrahendus ſubinde pro ſternutatorio ſatis eleganti. Juxta hujuſmodi *evacuantia* & ſubinde *Ven. ſect.* vel ſaltim pro ſcopo *averſorio* aut *derivatorio* locum habet, in caſu nempe quo à colluvie recrementorum mediante ſanguine & ſero cerebrum inundante malum ortum fuerit. Tali in caſu *venarum jugularium apertionem* ſuadet *VVillis loc. cit.* Quibus non ſufficientibus, altero die *cucurbitulæ ſcarificatæ* intra ſcapulas aut *hirudines* propè aures applicari poſſunt. Quod ſi nec ſic reſuſcitari videatur æger, præmiſſis talibus ad *veſicatoria*, item ad *ſternutatoria* accedendum venit: ad iſta quidem *pro ſcopo averſorio*; ad hæc *pro ſcopo excitatorio* ac ſimul *evacuatorio*, ſed nonniſi iſtis præmiſſis v. g.

℞. Pulv. cantharidum ℈j.
euphorb. gr. xij.
caſtor. gr. xv.
fermenti acerrim. ℥ß. pro veſicatorio.

Nam acria ac dolentia in talibus ægris omninò requiruntur. Applicari nunc poſſunt vertici, *nunc ſyncipiti*, pro ſcopo derivatorio, *nunc cruribus*, pro ſcopo revulſorio. *Sternutatoria* per pennam inſufflanda ſunt naribus.

℞. Pulv. Nicotian.
lil. convall. an. ʒj.
rad. hellebor. albi ℈j.
ol. deſtillat. majoran. gr. iv.
caſtor. gr. xij. ad xv. M.

vel *ſternutatorium Timæi* in affectibus ſoporoſis expertum, quod habet *in caſibus p. 20.*

℞. Ellebor. albi
caſtor.
piperis albi an. ℈j.
ol. deſtillat. rutæ, majoran.
ſalviæ, an. gr. ij. M.

Hiſce etiam *ſalia vol.* v. g. *ſal. vol. ſalis ammoniac. aut ſp. ſalis ammoniaci cum calc. viv.* paratus commodè permiſcentur, cum fortiter penetrent, cæteris addita, vellicando; *ſternutatorium ex turbit. cum pulvere glyzyrrh.* vid. *in Barbett. praxi cum comment. Decker. p. 76.*

Poſt hæc ſunt *appropriata quæ aut ſpiritus excitant* aut *eos reſtituunt*. Hæc inter primatum obtinet *Caſtoreum* quod eſt omnium optimum, ſive *ipſum caſtoreum* ſive *Eſſ.* ſive *extractum* quocunque modo uſurpatur: poſt caſtoreum eſt imprimis *Ruta*, *ſerpillum*,

pulegium

pulegium & origanum. In ſpecie tn. *acida omnia externe & interne* ad excitandos & curandos Lethargicos mirè conveniunt. Hæc inter *præter acetum & oxymel ſcilliticum* eſt imprimis *ſpirit. vitriol. vol.* cujus legitimum ſignum eſt quod non guttatim ſed ſtriatim in alembico appareat; paratus ex vitriolo artificioſè calcinato, ita ut phlegma ſaltim evaporet, remanente ſpir. vol. qui poſtmodum per rectificationem à ſpiritu fixiore ſeparandus; Sic n. fit *ſpir. vitriol. vol.* excellens in cura Lethargi, loco hujus *ſpir. vitriol.* ſeu acetum iſtud ſingulare vol. poteſt commodè uſurpari ad *guttas aliquot in aqu. appropriata rutæ, liliorum Convall. Majoran.* &c. aqua quadam *apoplectica* & ſimili. *Spir. vitrioli regeneratus* ſ. ex capit. mort. aëri expoſito denuò deſtillatus, (qui non tam eſt vitriolaceus quam potius nitroſus) & ipſe commendatur ad curam Lethargi, vel adhibetur *ſpir. vitrioli cephalicus* factus ex eodem capite mortuo ab aëre imprægnato, quod irroratur largiter ſpecieb. cephalicis vegetabilib. *Ceraſorum Nigrorum flor. tiliæ lil. convall. majoranæ, ſalviæ.* Hoc deſtillatum more ſolito & poſt rectificationem dat *ſpir.* cephalicum admodum penetrantem & volatilem, qui in *cura Lethargi in aquis appropriatis* propinatus *in aqua rutæ*, in *aqua roriſmarini* & ſimilib. admodum convenit & egregiè reſtituit ægros. Pertinet huc etiam *acetum Hyſtericum* MYNSICHTI, præ cæteris verò *acetum vitriolatum benedictum*, remedium quoddam ſingulare in affectib. catarrhoſis & etiam in affectibus ſoporoſis *Modus præparandi* eſt hic: vitriolum in crucibulo leniter calcinatur ad abſumptionem phlegmatis: exhauſto omni phlegmate crucibulum contegitur operculo & hoc contegitur carbonib. vivis, ita ut per quadrantem horæ calcinatum exactè rubeſcat: h. m. calcinatum pulveriſatum per ſetaceum ſubtile trajiciatur. Poſtmodum ℞. carbonum faginorum durorum benè pulveriſatorum ac per ſetaceum trajectorum & vitrioli iſtius præparati ℥ij. benè miſta indantur vaſi plano & ſatis patulo Terreo, quodque igni tn. reſiſtere valeat, imponatur carbonibus in furno venti, benè calcinentur, continuò agitando cum rutibulo ferreo, tamdiu donec nulla amplus ſcintilla in miſtura appareat. Hinc ℞. h. m. vitriolum præparatum affunde aceti deſtillati acerrimi ponantur in digeſtionem in loco calido aut ſaltim vaſe benè contecto, exponantur radiis ſolarib id; per 14. dies, hinc filtretur acetum per chartam, eritque ſic paratum vitriolatum benedictum. *Doſis à gutt. x. ad xii. in aqua appropriata* aſſumendum. In *omnib. catarrhis frigidis* ut vocant, item *in affectib. ſoporoſis* admodum commendatum, & ab accurato & celebri Medico in ſecretis habitum remedium. Hæc & ſimilia *acida vitriolica vol.* exſuſcitant & ſedant lethargum. His ſubjungenda ea, *quæ ſpiritus torpidos volatiliſare & agiles reddere valent*, qualia ſunt *Eſſ. & ſpiritus vegetabiles Eſſ. lil. convall. Eſſ. rutæ, croci, ſpir. & Elixyr. Citri, Eſſ. ambræ, cum ſpir. roſarum vel ſpir. lil. convall.*. Item *ſemen ſinapi & ſemen Naſturtii*, quæ ipſa inſigniter laudantur ad curandum lethargum, quin & *ſal. vol. in Lethargo, Apoplexia & Caro* ſingulariter laudantur. Item herba *Theé Modernis* uſitata, in tali caſu admodum convenit. Eſt plantula Sinenſis & Japonenſis foliis Myrtinis hæc collecta coquantur in aqua iſtiusque decocti, quod ſaporem acquirit aromaticum, hauſtus interius aſſumptus, mirum eſt quàm arceat omnem ſomnum, ita ut quis etiam per triduum ſine ſomno continuo perſiſtere poſſet: hinc etiam acuit admodùm ingenium. *Præparandi modum & deſcriptionem* vid. *in* BORELLO *cent.* 3. *obſ.* 39 item in VVORMII *Muſæo*, uti etiam in TULPIO *lib.* 4. *obſ. cap. ult.* Item DEODATI *valetudinario p.* 169. Denique eſt *radix Indica* quæ vocatur *radix Cuſei*, quam mirificè *externo uſu* eſſe ad curandum Lethargum refert KIRCHERUS *in regno naturæ Magnetico p.* 45. &c. Dico *externo uſu*. Nam *præter interna* etiam *externa in Lethargo conveniunt*, quæ inter ſunt 1. *ſpir. ſalis ammoniaci vol. narib. ſubinde admotus*, qui potès eſt ad *Lethargum & Apoplexiam*, imò etiam *hyſtericas* mulieres excitandas. Aliàs *acetum Caſtoreo impragnatum* cum *linteis* vel *ſpongia narib. admotum* eſt egregium. Experimentum HARTMANNI eſt *Spongia cum ſucco apii & aceto Rutaceo* impregnata *adſperſo pulv. Caſtorei.* Nam acetum admodum convenit ad arcendum ſomnum & adducendas vigilias. Item *ſuccus fœniculi* aut etiam *ſuccus rutæ* miſtus *cum aceto narib. applicatus* aut *cum linteis temporibus & fronti alligatus* admodum laudatur. *Semen ſinapi aceto ſubactum* ſi eodem fricentur plantæ pedum commendatur ad excitandos Lethargicos. *Comata febrilia* quæcunque optimè curat *acetum narib. applicatum*, quo validius eò eſt melius. Unde *ſpir. vitriol. omnib.* præfertur *Carus ex opiatorum & narcotitorum externo abuſu* aut *vaporib. venenatis mercurialib.* aut *ſub nuce juglande* contractus, aut ex ebrietate aut ex *inſpiratione halituum ex liquorib. fermentantibus* ortus *curatur*, quando *vomitus* maturè inſtituitur: Hinc *acetum narib. eſt applicandum* & poſtmodum *ſpirituoſis internis ſpiritus animales* denuò *volatiliſandi. Ex opio* ſ. *croco ſi ſit Carus acetum eſt optimum.* Hoc etiam figit opium & opii ſal. vol. oleoſum omninò deſtruit. Unde etiam acetum aſſumitur à quibuſdam in præparationem Laudani Opiati. *Ex Ebrietate ſi oriatur Carus præmiſſo vomitorio acetum capiti applicandum, & Epithema ex ſucco ſemper vivi majoris Acet. & nitr. teſtib. applicandum* & ſubinde *renovandum*, potenter n. Ebrietatem diſcutit. Imprimis *ſpiritus ſalis ammoniaci vol.* non erit inconveniens, propterea quoniam hic ſpiritum vini rectificatum (unde ebrietas) promptè coagulat in offam craſſam, ratione cujus coagulationis eſt præſervativum ab ebrietate: ſicuti etiam curat ebrietatem coagulando ſpiritum vini, eumque aut per ſudorem, aut per urinam expellendo.

Caſtoreum & Acetum ſufficiunt in omnibus affectibus ſoporoſis.

Locuti ſumus ſuperius de *vitiis ſpirituum animalium* ac eorum generatione, à quorum legitimo motu & expanſione, aut aucta, aut imminuta ſequuntur vel *vigiliæ* vel *ſomnus. Quod ſi fiat ut hi ſpiritus à motu naturali devient & inordinatè moventur in organis motus convulſiones* inferunt. Sit ergò

CAPUT VIII.

DE SPIRITUUM IN SENSUUM organis agitatione inordinata ſeu præternaturali, indeque orta vertigine.

Vertigo. *VERTIGO.*

PRæſuppono hic ante omnia exactam notitiam cerebri, & ejus vaſorum, indeque producti ſenſus & motus, aliàs me nunquam intelligetis. *Vertigo* ita à *vertendo* dicta *eſt* iſte affectus *cum omnia circumagi atque in circulum rotari & gyrari videntur* tam *ipſum caput & corpus ægri* quàm *omnia reliqua foris adſtantia & oculis apparentia*, utut hæc omnia ſint firmiſſima nulloque pacto gyrentur. *Per artem* imitari poſſumus hunc affectum clauſis oculis corpus celeriter circumgyrando: Sic enim ſubitâ quiete & oculorum apertione tq. vertiginoſis omnia circumagi & rotari videntur.

Ratione graduum(non ſpecierum) *triplex eſt Vertigo* 1. *Quando tantummodò corpus & exteriora circumgyrari videntur* ſubitò denuò evaneſcente gyro, & *eſt vertigo ſimplex.* Quando verò

2. *Oculi velut affuſa Caligine obſcurantur, ita ut viſus omninò pereat*, aut etiam *varii colores, flavi, coerulei, virides, &c. ante oculos verſari videntur ſubſequente caligine, ſcotomia ſ. vertigo tenebricoſa*, appellatur. *Quod ſi* 3. hæc oculorum caligo in tantum invaleſcat ut *æger protinus prehenſis adminiculis ſe fulciat vertigo caduca* appellatur: Vertigo caduca, *quia* ceu *proximus gradus eſt ad malum caducum ſ. Epilepſiam*, cum interdum leves convulſiones & tandem vera Epileptica affectio huic ultimo gradui ſuperveniat. Hinc eſt quod ab omnib. dogmaticis *vertigines parvæ* vocentur *Epilepſiæ*: cum econtra Epilepſiæ leviorib. comitatæ convulſionib. vertigines graviores interdum appellantur. Nam vix eſt inſultus Epilepticus à quacunque oriatur cauſa, quem non aut antecedat aut comitetur proximè vertigo gravior. Unde dicunt quando, inſultus Epilepticus ingruit objecta quæ conſpiciunt eſſe nigra virida & flava. *A gyratione* ergo & *rotatione* ceu nobiliore ſymptomate *vertiginis ratio*, imprimis *deſumitur*. Nihilominus tn. & *alii ſenſus præter oculos* ſimul *afficiuntur*, imprimis in *2do & 3tio vertiginis gradu.* Nam *ſibilus & tinnitus*, quin & *raucus* interdum & *obtuſus ſonus in aurib. percipitur*, & *licet apprehendant ægri adminicula nonnulla*, quibus ſe fulciant, tn. ſæpius eadem minus firmiter comprehendere valent, ita *ut tandem concidant. Cauſam vertiginis* vulgò *rotationem ſpirituum animalium in cerebro* exiſtimant, *quod* tn. *falſum* eſt, *in oculis n. fit iſta rotatio*, ſ. motus iſte inordinatus, qui vertiginem infert. Nam viſui res gyrari apparent. In *organo* ergo *viſionis* neceſſario *erit vitium*, cùm in cerebro non videamus. Nemo ſanè concipere poterit quomodo ſpiritus in cerebro gyratus vel rotatus apparere faciat res rotari extra oculum. *Vertigo* ſcil. *fit in organo videndi* non in vidente ipſo, uti neque in objecto viſo, ſed tantum in medio. Organum verò hoc eſt *oculus*. Porro *quando oculis videntur obverſari nubeculæ & flocculi, Muſcæ, &c.* Hæ ipſæ res videntur eſſe in aëre, cum tamen *revera ſint in oculo* in ſpecie *in ejuſdem humore aqueo.* Unde *dum res extragyrari videntur* hoc *fit in oculo*, non extra oculum, vel in cerebro vel objecto externo. Nemo eſt cui non *igniculi* vel *flammulæ* noctu *in Tuſſi* vel *oculorum percuſſione* in aëre verſari videntur & extrinſecus moveri, quæ omnia tamen revera ſunt in oculo: ita etiam dum externa objecta gyrari videntur, hoc eſt quod talis motus fiat in oculo.

Quod ſi quis vulgari Scholaſticæ Philoſophiæ addictus *dicere velit* revera *viſionem elici in ſenſu communi, non v. in oculo*, cùm oculus non videat, ſed ſenſus communis tantum: Unde gyrati ſpiritus in ſenſu communi vertiginem inferunt.

Reſpondeo ergo ipſi ex iſtius hypotheſib. quas tn. nullo modo facio meas, *diſtinguendo inter circumgyrationem, ipſam & ipſius apparentiam.* Concedo ex eorum hypotheſi, ipſam apparentiam quidem ſ. repræſentationẽ ipſius circumgyrationis fieri in ſenſu communi, non verò actualem circumgyrationem, quæ ipſa dat vertiginem. Totum hoc negotium appoſito ſimili illuſtrat P. I. FABER *in ſua Pathologia* deſumpto à ſpeculo, quod ſpeculum, dum commovetur, univerſa objecta ſimul moveri videntur, & ſi in gyrum rotatur ſpeculum, etiam ipſa objecta circumvoluta apparent. Simili ratione ſi & in oculo in ſpecie poſt humorem aqueum in humore vitreo prope retinam fiat talis gyratio, quid mirum ſi etiam vertiginis affectio in corpore apparere videatur.

CAUSA ergo *vertiginis* ex dictis facilè patet. *Eſt* ſcilicet *motus inordinatus ſpirituum animalium in oculo*; qui in oculo rotundo & concamerato agitari, neceſſario hinc rotundo motui in gyrum agitantur & moventur. *Verum non in ſolo oculo, ſed ſimul in reliquis ſenſuum organis* ſimilis fit inordinata agitatio; *unde & aurium Tinnitus & minus firma objectorum apprehenſio* ſolet ſimul adeſſe. Imo *ſi nimis impetuoſus & maximè confuſus ſpirituum viſoriorum*, & ipſorum etiam *oculi humorum motus*, in tantum viſus exinde perturbatur, ut etiã *obſcuratio oculi & Caligo*(deficientis viſionis ſymptoma) ſuperveniat. Imo *ſpirituum iſtorum animalium inordinato motu ad muſculos* uſque continuato, etiam *leves convulſiones* imo interdum *graves Epileptici inſultus* ſuperveniunt; Unde non *ſoli ſpiritus viſorii in oculo immediatè moveri* videntur, in vertiginis affectu, quando *totum ſpirituum animalium ſyſtema in cerebro* impetuoſius *agitari* in *graviori vertigine videtur*: ut & *reliquorum ſenſuum organa* ſimul afficiuntur: Qui affectus v. quia imprimis in oculo eſt notabilis beneficio gyri ob id à principaliori fit denominatio & *vertigo* appellatur.

Hæc ita probabilia quidem, & ſatis manifeſta videntur, ſi tamen exactius admodum ſenſus externi applicantur, vix omne ferre punctum videntur. Ut ergo hæc clarius pateant præſuppono ex phyſiologicis omnem ſentiendi actum ſ. potius paſſionem fieri per modum cujuſdam contactus: Unde *contactus radiorum viſualium*, quos præſuppono materiales, ad *Tunicam retinam* per modum percuſſionis *viſum* afficiant, ſicut *contactus* ſ. appulſus *aëris moti, ad tunicam Cochleæ nerveam auditum* excitat. Unde etiam *non* tam *gyratio ſpirituum* aut *humorum in oculis* aut in *cavo aëris*, ibi *vertiginem*, hic *tinnitum* inferant, quàm *potius eorum in gyratione* aut quacunque inordinatâ motione *gyratio objectorum viſorum apparens contingit*: ſicuti appulſus ad tunicam cochleæ *ſonitus* iſtos apparere; facit. Et hinc eſt quòd etiam in *vertiginoſis*, item in

Epilepticis,

Epilepticis, tàm *varii colores* ſubinde ante oculos verſari videantur, *flavi cœrulei, virides* & ſimiles, imò & *ſplendores* non rarò iiſdem apparent, quia ſcil. ab inordinato motu ſpirituum in oculo in inſultu Epileptico talis impulſus ſ. contactus ab iis fit in tunica retina, qualis aliàs fit à radiis viſualibus ab objectis luteis aut cœruleis aut ſplendentibus in oculum illabentib. & tunicam retinam determinato motu ferientibus, ſed hæc Theoreticis relinquo. Quicquid horum ſit *quæſtio eſt de cauſa remotâ, unde ſc. iſte ſpirituum inordinatus motus in cerebro & hinc in organis ſenſuum*, pro quâ motus varietate, variæ fiunt apparitiones in organis ſenſuum.

Hujus *remotæ naturæ* ratione notum eſt, quod *vertigo* vulgò *dividatur* in eam quæ eſt *per eſſentiam* ex propriè & primariò affecto cerebro, & eam quæ *eſt per conſenſum* & affectis partibus inferioribus corporis contingit. Sed, verum ut fateor *rariſſima eſt vertigo per eſſentiam*, quando quotidiana practicis & practicorum obſervationes monſtrant, *vertiginem ferè omnem eſſe vitio partium inferiorum*, utut diutius affligens & crebrius recurrens, uſque eo ſpirit. animales & cerebri texturam alterare & immutare valeat, ut tandem ex vitio cerebri proximo affligere videntur.

Partes iſtæ quarum conſenſu fit vertigo primariò eſt ventriculus, qui utplurimum, utut variis modis peccet, imprimis *in quibuſdam jejunium ferre* nequit, unde fit *ut* tales interdum *Juvenes*, *in ſpecie* autem *ſenes ſæpius fiant vertiginoſi*, tamdiu *quamdiu vacuus eſt ſtomachus*, ſubitò verò atque unam atque alteram tantùm panis buccellam comederint, omne malum ceſſat; unde etiam matutinis horis tantillum comedendo vertiginem talem ſæpius præcavent. Hinc etiam *qui laborant affectu hypochondriaco*, de quo ſuo loco, cujus radices figuntur in ſtomacho, *vertiginoſi ſunt ſæpius*, ſpecialiter *ſi ſint jejuni*. Porrò *hyſtericæ mulieres* admodum *vertiginoſæ* ſunt, imò utplurimum præcedentibus ſcotomiis *ſuffocatio* uti vocatur *uterina*, inchoat, aut etiam durante paroxyſmo hyſterico vertigine ſubinde gravi corripiuntur. In hâc v. paſſione Uterus eſt inſons. quin potius revera certa quædam mali hypochondiaci eſt ſpecies ſuffocatio Uterina. *Senes* etiam ſæpiſſimè *vertigine corripiuntur, vitio ſtomachi* quidem remoto, concurrentibus hîc ſimul proximè *ſpiritibus animalibus debilioribus cum vitiatâ* ſimul *cerebri texturâ*, ita ut iidem vel levi occaſione nempe *capitis refrigeratione*, *attenta meditatione* aut *levi corporis agitatione*, paroxyſmo vertiginis corripiuntur ſenes. *Ebrietas* quoque ad *vertiginem* diſponit. Unde *ebrioſi omnes vertiginoſi* ſunt *objecta atque dupla vident: vitio agitationis ſpirituum animalium à ſpir. vini volatili ipſis ineptè permiſto & confuſo, nec ſufficienter à naturâ ſua ſulphureâ in ſalinam commutato*. Quin & *flatulenti Cibi* dicti (non enim ſunt flatus in cibis ſed fiunt in ſtomacho) ut *cæpæ, allia, rapæ, raphani, braſſicæ, & ſimilia olera*, etiam dum adhuc in ſtomacho commorantur vertiginoſos nonnullos reddunt, imprimis antea ad vertiginem diſpoſitos. *Vermes inteſtinorum* ſubinde *graves* inferunt *vertigines*, ſicuti etiam *Epilepticas convulſiones*. Denique *calculus renum ex pelvi in uteres commotus*, in quibuſdam graves ſolet inferre ſcotomias. Sed *quomodo fiat talis vertigo per conſenſum? Quæſtio eſt*. Vulgò ad *vapores & exhalationes* aut *effumationes ex inferioribus partibus elevatis in caput* confugiunt. *Sed impoſſibilis eſt horum vaporum tranſitus* viis omnibus ſufficientiſſimè munitis, imprimis cum etiam HELMONT. *in ſuis ſcriptis*, & præter hunc SCHNEIDERUS *tract. de catarrhis libris* 369. *primis*, ſufficientiſſimè hos ipſos vapores vel halitus tales qui è membris aut è cavitatibus corporis exhalare finguntur, diſcuſſerint: utplurimum leviores partium internarum ſpaſmi, indeque ſpirituum in cerebro inordinatus motus productus adeſſe ſolent, de quibus imprimis VVILLISII *ſcripta* videantur, v. gr.

Exemplum *vertiginis per conſenſum ex utero* (loquor cum autore) deſcribit FONSECA *lib.* 2. *conſultat.* 30. Mulier, inquiens incepit pati per intervalla hebitudinem quandam repentinam circa oculos, cum quadam ventris perturbatione, quo tempore corpus regere non poterat, imò caderet, *tempore acceſſionis* ſe ſentire dicit *fumum* quendam ex *partibus ventris inferioribus ſurſum adſcendentem*, parum tn. durare hoc ſymptoma ſimul admodum prona eſt *ad vomitum*. Fumus hic, quem ſentit mulier revera ſunt ſpaſmi, qui inchoati in plexibus meſentericis & continuato nervorum tractu ſupra dorſum ſurſum prorepentes, talis progreſſus fumoſi ſpeciem referunt, donec iſti ſpaſmi ad cerebrum uſque fibrati ibidem ſpiritus in confuſiones agant, quibus confuſis conſequenter in ſenſum organis motus vertigo oritur.

Sic BARTHOLINUS *cent.* 5. *hiſt.* 74. refert, *vertigineus* in quo æger percepit *adſcenſum ex pede ſiniſtro*, accedente ſimul *vago corporis dolore*. Hic *adſcenſus* revera nihil eſt aliud niſi *ſpaſmus nervorum ad pedes protenſorum*, qui nervi ſucceſſivè ſpaſmo correpti, talem motum adſcenſionis apparere faciunt, utut vulgò in his caſibus vapores & fumi adſcendentes accuſentur. Sunt ergo utplurimum ubi accuſantur tales fumi, ſpaſmi nervorum, ut ubi non adſunt tales ſpaſmi, adeſt ſaltim maſſa ſanguinea halituoſa aut nonnihil vaporoſa, id quod videmus in *hypochondriacis*, ubi ſubitò venæ turgent & etiam ſubitò iterum concidunt ſine manifeſta cauſa. Unde poſtmodum, utut rarò, à tali ſanguine ad cerebrum delato & ſpiritus Animales inquinante, & inordinatè agitante, talis modi affectus vertiginoſi oriri ſolent: adeò ut LINDANUS *omnem vertiginis rationem ex tali ſanguine halituoſo deducat*. Revera autem utplurimum *ipſarum partium inferiorum ſpaſmi adſunt*, dum nempe percipiuntur *in hypochondriacis, hyſtericis, in ſplencticis, in vomiturientibus* & ſimilibus, quarum partium ſpaſmi ſucceſſivè in cerebrum fibrati & ſpirit. ibidem in motiones agentes vertiginem inferunt. Vid. VVILLISIUS *in Anatomia Cerebri*, &c. Hæc eſt *vertigo per conſenſum* frequentiſſima. Quod ſi *ſæpius repetat talis per conſenſum vertigo, fit tandem*, ut alterata cerebri textura à crebrioribus & inordinatis ſpirituum animalium excurſionibus, tandem vel levi data occaſione in ſimiles inordinatos motus ſpiritus animales erumpant, & ita tandem *per eſſentiam ſeu proprio cerebri vitio vertigines per eſſentiam* etiam *à cauſis externis*, v. gr. *contuſione & plagis it. à concuſſione & caſu ab alto* & ſimilibus cauſis, quæ poros cerebri canales ejuſdem minutulos adeoque ipſam texturam ita immutant, ut ſpirituum naturalibus curſibus impeditis, hi ipſi vitioſo & inordinato moveantur motu, unde vertigines & *Epilepſiæ*. Imprimis ſi talibus manifeſtis cauſis, *læſio cerebri interna*, indeque *collectio excrementorum* contingat; à quibus ceu cauſis occaſionalibus facillimè vertigo infertur. Sic *Zacut. Luſit. l.* 7. *Med. Pr. hiſt. obſer.* 12. obſervat paroxyſmum vertiginis per abſceſſum materiæ purulentæ ex aure aliquoties curatum. Sic *VVepferus de parte affecta in Apoplex. p.* 67. *&* 70. obſervavit vertiginem in juvene, in cujus capite in cerebri ſiniſtra parte veſica aqua limpida plena inventa fuit. Sic *Schenck. in obſervat. ubi de vertig.* vertiginem miram refert ingenti purulentæ materiæ per dentium alveolos & os excretione curatam. Faciunt huc etiam *fumi metallici*, in ſpecie *mercuriales* qui frequentius hauſti per nares imprimis cerebrum affligunt, & ita *vertigines per eſſentiam* inferunt. Quale exemplum refert FRAMBESARIUS *lib.* 2. *Conſultat.* 3. qui refert vertiginem tenebroſam ſine ullâ intermiſſione perpetuam, in Chirurgo, qui crebrius lue gallicâ infectos curavit, beneficio inunctionis mercurialis; unde à venenata mercuriali aurâ hoc malum oriri putatum fuit.

SEQVVNTVR SIGNA.

Signa vertiginis ex antedictis *per ſe patent*, tantummodo *obſervanda* ſunt *ſigna diſtinctiva vertiginis per eſſentiam & per conſenſum*, *per eſſentiam fieri vertiginem* ſuſpicio tunc *eſt*, *quando morbi capitis præceſſerint graviores*, aut etiam *ſi externæ quædam læſiones* ſ. moleſtiæ antea fuerunt receptæ à capite. *Per conſenſum* fieri vertiginem ſuſpicio eſt, quando non propriè affligit cerebrum, ſed *effectum alium ſequitur*, quando ægri *de affectu hypochondriaco* aut *hyſterico* conqueruntur. Item quando *per vomitum vertigo* aut *levatur* aut *inſigniter curatur*, aut etiam *ſi alia partium abdominis affectorum ſigna* adſint.

QUOAD PROGNOSIN OBSERVETUR,

Quod *vertigo gravior* præcipuè *& diuturnior* imprimis *citra manifeſtam cauſam externam* inchoans *in junioribus epilepſiam, in ſenibus apoplexiam* certiſſimè prænunciet. *In ſenibus* vertigo rarò fallit, quin Comitem ſecum ducat *apoplexiam*. Unde etiam *vertigo in ſenibus* longè *perículoſior*, *cum difficilius curetur quam in junioribus*. Hinc pro ratione graduum, *periculoſa eſt vertigo*, in *qua tantummodo externa circumagi videntur*, *non* tamen *caput aut totum corpus*, *periculoſior quando ſimul caput & corpus gyratur*, *periculoſiſſima ſcotomica & vertigo caduca*.

QUOD ATTINET CURAM.

Imprimis *cauſa vertiginis* perſcrutanda & *removenda*, ubi *in ſpecie viſcerum abdominis ratio habenda*. Hinc *ſpiritus animales appropriatis & roborandi*, & *impetuoſus eorum motus ſiſtendus*: denique pro *præſervatione* imprimis *ſtomachus eſt roborandus*. In genere cum ſupra dictum ſit, vertiginem eſſe quaſi quandam parvam epilepſiam; Hinc *vertiginem* in ſpecie *ſiſtunt* omnia iſta appropriata, *quæ epilepſiæ ſuccurrunt*, ſicuti è contra omnia antivertiginoſa etiam epilepſiæ medentur. Imprimis ergò *Vomitoria in vertigine per conſenſum* ſunt *optima*. Vomitus ſæpiſſimè utilis: habemus in hoc paſſu præeuntem naturam. Refert n. PISO *tr. de colluvie ſeroſâ p.69.* de quodam qui vertigine v. annorum laboravit & inſigniter commotus fuit, curato per ſpontaneum naturæ motum, *per vomitum frequentem & copioſum aquæ puræ & limpidæ*: Sequamur ergo in vertigine naturam & imprimis *à vomitoriis curam inchoëmus*, in ſpecie cum frequentiſſimè vertigini radix hæreat in ſtomacho. Poſt vomitoria conveniunt *purgantia* uti notum eſt.

Quoad *ſternutatoria*; *à ſternutatoriis omninò abſtinendum*, utpote quæ genus nervoſum nimis commovent. (Eſt, enim ſternutatio motus convulſionis) indeque facile ſpiritus animales in inordinatos motus excitat, & quamvis nonnulla vitioſæ materiæ pars evacuetur (poſito eſſe per eſſentiam) ſymptoma tn. ſic potius concitatur magis, quia ad epilepſiam magis ſic diſponitur, ut taceam *ſternutationem oculis minus eſſe convenientem*. Quod attinet *venæ ſectionem*, hæc *per ſe vix convenit*, *interdum* tn *ubi ſanguis*, *eſt copioſus*, *cum vita ſedentaria* aut *facilè ebulliens* fiat, aliis audit flatuoſus, tunc *ven.ſect. convenit*, de quo videatur imprimis HORSTIUS *in ſuis Problematib. decad. 2. quæſt. 3.* ubi habet exemplum vertiginoſi plethorici, qui aliis irritis per ven.ſect. optimè fuit curatus. Quòd ergo attinet *methodum medendi* de vomitoriis nihil addam: ſolum *purgantia*. Hæc inter eminet *maſſ. pilul. de ſuccino Cratonis*, qui egregiè convenit, adjecto ſtimulo, *extracto Colocynthidos*. Item *pilulæ maſtichinæ* conveniunt, præ cæteris *in vertigine per conſenſum ſtomachi*, uti etiam per conſenſum *uteri*, ut vult FORESTUS. *Pilulæ Cochiæ* commendantur ubi vitium non in ipſo cerebro, ſunt enim ſatis vehementes & validæ. *Extractum Helleb. nigri cum mercurio dulci* uti eſt egregium purgans Epilepticorum, ita etiam convenit in vertiginoſis. Dabo exemplum.

℞. Maſſ. pilul. Maſtichinarum. ℈i.
Extract. agaric. gr. v
Scammonii ſulphurati. gr. ii.
c. ſ. q. olei deſtillati ſuccini.
F. Pilulæ pro capite.

Utut potius conveniant ſtomacho ratione vertiginis per conſenſum: In ſignatura ſimus faciles. Hujuſmodi purgationes ſubinde inſtituuntur ad præcavendum ne revertatur malum: ob id præſcribuntur pilulæ & dicuntur *Pilulæ uſuales* quæ blandè primas vias evacuant per 3. ſedes præter propter, & ſingulis noviluniis uno vel altero die ante novilunium uſurpantur: Fiunt *ex Gumm. ammon. aloë*, *myrrha*, *maſtiche* & ſimilibus: ex *aloë* non *lotâ* adjecto ſtimulo leni, ut ſingulis menſibus una alterâve evacuatione ſubtrahatur fomes ex abdomine, & ſubtrahatur vertiginis malum.

Appropriata aliàs *in vertigine* ſunt *doronicum* imprimis: *chærefolium*, *calendula*, *ſalvia*, *roſmarinus*, *buxus*, *cubebæ*, &c. & in genere reliqua *omnia cephalica*. Imprimis *Doronicum ejuſque radix* admodum commendatur ad curam vertiginis. Nam hujus radicis uſu *funambuli* ſe ſolent præſervare contra vertiginem ſaltando in funibus, quod ipſi ſibi tanquam ſingulare ſecretum reſervant. Unde *Rupicapræ*, eſu Doronici ſunt adeò apti ad ſcandendum montium ſummitates: Unde etiam *lapis in eorum ſtomachis* repertus ſ. ut alii vocant *ægagropila*, *pulveriſatus* aſſumptus commendatur *à* WORMIO contra vertiginem: quidam parant *ex Doronico Eſſ.* eamque ſingulariter ad vertiginem commendant. *Hepate rupricaprarum* vertiginem curatam refert *Velſchius Hecat. 2. p.36.* Dubium tamen an non additum *Elæoſaccharum citri* paris cum *hepate* fuerit virtutis. Poſt Doronicum eſt *Chærefolium* admodum laudatum, quocunque modo uſurpetur, ſive *cum juſculo* aſſumatur, ſive *Eſſ.* aut *extractum* paratum *cum ſpiritu* proprio uſurpetur, *in ſpecie* quando eſt *vertigo ex vitio ſtomachi*. Hinc eſt *ſalvia*: hujus *decoctum in vino* ſingulariter commendatur, in cura vertiginis *internè* & etiam *externè à* STOCKERO, *internè* ſi ſumatur *vinum decoctionis ſalviæ*, *externè ſi applicetur capiti & temporibus Eſſ. ſalviæ*, cum *ſpiritu proprio* parata non eſſet inconveniens. *Roſmarinus* & ipſe admodum commendatur à FERDINANDO: cujus *Eſſ.* *ceu* ultimum remedium etiam in contumaciſſimâ vertigine laudatur: In ſpecie *ſi exaſperatur malum à frigore hyberno*, tunc *Eſſentia* modò dicta *ex roremarino* admodum convenit. *Conſerva florum calendulæ* ad curam vertiginis ſeu experta commendatur à RIVERIO. *Buxus* in ſpecie *Ol. Buxi* uti in epilepſia, ita in vertigine intus & extra ſingulare habetur remedium. Unde admodum laudat FONSECA *Conſ.6.* externè quidem inungendo Ol. temporibus vel poſt aures: item in caſu neceſſitatis etiam pulſibus manuum & pedum. Intus propinat ita.

℞. Conſervæ florum anthos ℥iii.
Ol. Buxi.
Nucis Moſchatæ.
Menthæ ana ʒß.
C. Syrupo de Corticibus Citri.
Fiat Electuarium doſis eſt ʒß.

Imò *gutt.* VIII. *ad ſummum* X. hujus *olei de buxo* cum ℥iibus *aqu. pæoniæ* ſi exhibeantur multum præſtantius habere remedium aſſerit. Denique *Cubebæ maſticatæ* ſtomacho jejuno aut vino infuſæ & ita bibitæ, admodum conveniunt ad curam vertiginis.

Præter dicta hæc vegetabilia etiam *Meliſſa*, *Majorana*, *Euphraſia*, *fœniculum*, *ſemina calida minora*, item ferè *omnia aromata*, in ſpecie *Zingiber & galanga* commendantur contra vertiginem, item *caſtoreum*, *ambra gryſea* & ex his vegetabilibus paratæ *eſſentiæ ſpiritus & olea*.

v. gr. ℞. Eſſ. Chærefolii.

Salviæ.

Ol. Salviæ.
Zingib. Baſilic. ana ʒj.
Caſtorei ʒiß.
Ambræ ʒß.
M. F. Eſſent. pro vertig. Sumend. *gutt.40. vel 50.* bis in die per bihorium ante paſtum.

EX REGNO ANIMALI *pavo* imprimis commendatur, cujus *caro comeſta* laudatur admodum à BARTHOLETO contra vertiginem. Cæterum omnibus præfertur *ſtercus pavonis*, quod ab omnibus qui ejus fecerunt periculum maximè commendatur. *Modus præparandi* eſt varius, quidam ℞. mj. fimi pavonis, ſubigunt cum ſ. q. vini, dividunt in 3. partes, cujus duæ partes poſt duos paroxyſmos vertiginoſi propinant, provocato ſudore, & tertia doſis per bihorium, poſt tertium paroxyſmum propinant, & ſic certo inquiunt curari vertigines.

LINDANUS dicit ſe felici cum ſucceſſu expertum eſſe *ſtercus pavonis*, præcipuè *præmiſſis univerſalibus*, propinat *in forma ſicca*, ex ſiccando ſtercus & hujus *ſtercoris ſiccati ʒj.* propinat in *℥ij. aquæ appropriatæ*: vel etiam permiſcet *cum conſerva florum anthos*, vel *cum conſerva Majoranæ*, & ita uſurpat aut permiſcet *cum ſacchar.* ratione ſaporis felici cum ſucceſſu. Sic in QUERCETAN. *Diæt.polyhiſt.* illuſtre eſt exemplum curatæ vertiginis, beneficio ſtercoris pavonis idque *ſect.2.cap.1.*

Verùm *obſervetur differentia ſexus* ratione ægrorum. Nam pro *maſculo vertiginoſo* ſumendum *ſtercus pavonis maris*, pro *femellâ* vertiginoſa *ſtercus pavonis fœminæ*, id quod imprimis monet obſervandum eſſe, *Petrus à Caſtro Medicus Veronenſis*, qui jubet ut colligatur hoc ſtercus imprimis menſe Majo, hujus ʒj. macerat in vino per noctem, omnia poſtmodum per linteum trajicit & exhibet vertiginoſo, continuanda à novilunio uſque ad plenilunium, idque ut dicit felici cum ſucceſſu. Loco ſtercoris pavonis, *Catti maſculi pro mare, fœmellæ pro fœminâ pulveriſatum* exſiccatum commendatur. BARTHOLETUS *in Encyclopædia p.166.* habet *electuarium* ex cerebris animalium, quod vocat electuar. præſentaneum contra vertiginem. Compoſitio ejuſdem eſt hæc:

℞. Cerebra paſſerum num.50.
Cerebri vituli in vino loti & in fumo exſiccati ℥i.
avellanarum ℥i.
Mitridatii optimi ʒiii.
M & cum ſyrupo de corticibus citri. Fiat electuarium.

Idem BARTHOLETUS etiam *cerebrum pavonis* ad vertiginem laudare ſolet.

Porrò ex REGNO MINERALI præ cæteris convenit *cinnabaris* tam *nativa* ſublimando depurata quàm *artificialis*, ex antimonio præparata, inſigne remedium CRATONIS *trium Imperatorum Archiatri* qui cinnabaris uti magnetem epilepſiæ ita vertiginis appellat. Unde ſuper baſin antimonii extructi *pulveres cephalici ſpecifici* erunt in omni vertigine convenientiſſimi.

Hinc fiunt *pulveres compoſiti*, v.gr.

℞. Stercoris pavonis præparati ʒiii.
Cinnab. antimonii ʒii.
Cubebarum.
Galangæ.
Sal.vol. ſuccini ana ʒß.
Elæoſacchari aniſi q.ſ. pro gratia ſaporis & odoris.
M.F. pulvis pro vertigine in plur.doſ.dividend.

Vehiculum hujus pulveris contra vertiginem poſſit eſſe tale:

℞. Aqu. Chærofolii ℥iii.
Salviæ ℥iß.
Cinnamomi ℥vi.
Spiritus liliorum Convall.
Salviæ ana ℥iß.
M.F.aqu. in qu. diluat. pulv. ſupr. perſcript. ſal vol. ſuccini. Nam & ipſum *ſuccinum* eſt egregium remedium in vertigine: ſive *internè* ſumatur ſuccinum præparatum, cum aqua appropriatâ in ſpecie *cum ſpiritu* vel *aqua ſalviæ*: ſive etiam ejus *ſal. vol.* aſſumatur aut etiam *Ol.* aut ex *Ol.* ſuccini paratum *Elæoſaccharum*, ut facilius aſſumatur, eſt admodum conveniens. Memini enim me aliquando juveni ſtudioſo hypochondriaco crebrâ vertigine, ſeu jejunus ſeu paſtus eſſet, affecto, præmiſſis præmittendis, & etiam aliis adhibitis convenientibus, fruſtra tamen omnibus, conſuluiſſe, ut in fine ſinguli paſtus 6. 7. ad 8. gutt. in ultimo hauſtu capiat, eoque leviter præcordia inungat, id quod optimè profuit. Sic alii juveni præmiſſo vomitu dedi:

℞. Conſerv. menth. ℥i.
flor. anth. ʒvi.
petrol. alb. ʒiß.
ſal. volatil. ſuccin. gr.xv.
c. ſ.q. ſyr.menth. F.Elect. de quo manè doſin caſtaneæ capiat, bono cum ſucceſſu accepit. Aliis nil juvantibus ſacra anchora erit *Laudanum opiatum* imprimis *cum ſuccinatis miſtum*, hoc ipſum enim quoſcunque ſpirituum inordinatos motus compeſcit, eoſdemque figendo promptè ſedat.

Verùm ne revertatur vertigo, imprimis cura eſſe debet; Unde *ſi ſit vertigo ſtomachi vitio* imprimis uſurpandum *elyxir proprietatis* miſtum cum *ſpiritu maſtichis*, ſicut in genere *omnia maſtichica* præſervant à vertigine & ſtomacho ſunt optima. Item *elyxir menthæ cum ſpiritu maſtichis* miſtum præſervat à vertigine. LINDANUS ſequentem commendat pulverem ad præſervandum, ne revertatur vertigo, v.gr.

℞. Sem. Coriandri præparati.
N. Moſchatæ.
Viſci quercini.
Galangæ ana ʒii.
Piperis longi.
Zingiberis.
Tormentillæ.
Roriſmarini ana ʒi.
M. pro pulvere compoſito.

Cujus *doſis* ſit manè & veſperi ʒß. Imò vel *ſola Galanga* miſta *cum ſuccino*, ab eodem commendatur, ad curam vertiginis. *In ſenibus ad præcavendam vertiginem* ſimulque *apoplexiam* convenit imprimis *electuarium* crebrius uſurpatum:

Præſcribi poteſt Electuarium tale:

℞. Conſervæ anthos.
Salviæ
Majoran. ana ℥ß.
Zingiberis in Indiâ conditi.
N. Moſchatæ condit. ana ʒiii.
Seminis Sinapi.
Erucæ ana ʒiß.
Succini præparati ʒii.
Cardamomi.
Cubebarum.
Galangæ ana ℈i.
Spiritus ceraſorum nigrorum ʒj.
Sal. vol. ſuccini ʒß.
c. ſ. q. Syrupi flor. Tunicæ.
F. Electuarium.
D.S.pro capit.& ſtomac. in plur. doſ.dividend.

Ditioribus poteſt addi *confect. alkermes*; quæ ratione ambræ & moſchi admodum convenit ſenibus. *In ipſo paroxyſmo vertiginis graviori* dum ægri corruunt, & ad tempus jacent, antequam ſe erigere queant, præ cæteris *conveniunt vomitoria*; quæ optimè eos exſuſcitant, aut loco horum *acres clyſteres*, uſitati aliàs in apoplexia & epilepſia applicantur. Sed *vomitoria ſunt meliora*. Hinc applicantur *pulveres Cephalici in aquis appropriatis*, item *ſpirit. vitrioli cephalicus*, item *ſpiritus*

ritus ceraſorum nigrorum & liliorum convallium.in aqu. majoranæ, ſalviæ & ceraſorum nigrorum. His commodè adduntur *ſal volat.ſuccini. Salvol.* C. C.& ſimilia. Item *Caſtoreum,* tam ipſum quàm ejus *Eſſentia* in ſpecie, in mulieribus commodè permiſcetur. Item *ol. ſuccini* ad *aliquot guttas in aqua appropriatâ* aſſumptum propinatum imprimis convenit. *Externè vertici* inungitur. *Ol.ſuccini* aut etiam *balſamus Peruvianus : Naribus* illinitur *balſamus apoplecticus,* aut objicitur *naribus Nigella Romana*, ſeu ejus *ſemen aceto irroratum*, &c. Uno verbo ſimili ferè modo curantur in paroxyſmo atque aliàs curari ſolent Epileptici in paroxyſmo.

Ponam *exemplum mulieris hiſtericæ* vertiginoſæ, ipſi præſcribi debet talis miſtura in paroxyſmo cochleatin aſſumenda.

℞. Aqu. hirundinum C. Caſtoreo.
Meliſſæ cum vino ana ℥iß.
Spiritus ſal. ammoniaci ʒß.
Sal. vol. ſuccini gr.xv.
Spiritus ceraſorum nigrorum.
liliorum Convalli. ana ʒi.
Landani opiati gr. ii. vel iii.
Syrupi Corticum aurantiorum
℥ß. & ʒvi. quantum placet.
M. exhibentur ſubinde Cochleatin.

Abſolvimus ſuperius doctrinam vertiginis, & ea quæ eò pertinent. Pergo jam ad

CAPUT IX.

DE SPIRITUUM ANIMALIUM INORDINATO & vitioſo Motu in organa motus, indeque orta Convulſione & Epilepſiâ.

Convulſio & Epilepſia.

DICTUM fuit ſuperius, quod ex inordinato motu ſyſtematis ſpirituum animalium in cerebro, ſequatur ſenſuum varia perturbatio, quorum iſtud vocavimus *vertiginem,* quæ iſta interdum eò procedat, ut etiam concidant ægri, quæ *vertigo* ſit *proximus gradus ad epilepſiam,* ita ut continuato poſt caſum, iſto ſpirituum animalium inordinato motu, ad partes motui deſtinatas extra cerebrum, exinde *Convulſiones* & tandem *Epilepſiæ* ſuperveniant. Rectè ergo vertigini ſubjungimus tractationem de

CONVULSIONIBUS & EPILEPSIA.

Motum omnem corporis *fieri per fibras,* quibus tanquam funiculis aut partes moveantur aut contrahantur, quas fibras per ſpiritum animalem moveri, concurrente adjumento ſanguinis, ex parte Medicinæ Phiſiologicâ *præſuppono, ſive* conjunctæ ſint iſtæ fibræ in unum ſyſtema quod *muſculus* vocatur, *ſive* ſeparatæ eædem circulari aliave diverſâ texturâ partes ambiant, ut v. gr. in inteſtinis, veſicâ & ſimilibus obvium eſt : *ſive* hæ partes fibroſæ ex cerebro nervos accipiant ſive ex cerebello : Unde ex priori ferè *motus voluntarius,* ex poſteriori v. *involuntarius*, quem *naturalem* aliàs perperam vocant, proficiſcatur. Quod *ſi* ergo *ſecundum voluntatis imperium moveantur muſculi,* aut citra hoc placidè & *abſque inſigni moleſtiâ, in internis partibus* per fibras diſperſus contingat motus, *motus eſt legitimus ſ. naturalis : ſin v. præter voluntatis imperium moveantur muſculi,* idque *non abſque inſigni dolore*, aut *cum inſigni violentia contrahantur* & agitentur *partes* ſive *internæ* ſive *externæ, convulſio* appellatur. Σπασμὸς Græcis dicitur à σπάω ſ. σπάν, quod eſt *trahere,* propterea quod quaſi ſummâ vi & inſigni violentia trahantur potius partes & quaſi lacerentur quàm ut legitimè moveantur.

Convulſio hæc ſ. *ſpaſmus* 1. *eſt duplex*, vel *conductio* vel eſt *concuſſio.* Alii *malè diſtinguunt* has duas ſpecies *in convulſionem & motum convulſivum,* intelligendo per *convulſionem conductionem in ſpecie* ſic dictam, *per motum v.convulſivum concuſſionem,* de quibus tamen optimè ſcripſit LINDANUS & ex *Hippocratis* ſenſu rectè deduxit.

Conductio eſt convulſio Tonica. Convulſio v. eſt convulſio clonica. Nam *clonos* ſignificat præcipuè *inæqualem membri motum* (unde vocatur motus convulſivus(*ultra citraque ſeu*, quod idem eſt, *invitam membri contractionem & extenſionem*, à quo κλόνω etiam dicitur σφυγμός κλονώδης, ſive *pulſus vibrans*, quando ſcil. arteria quaſi in motu retracta vibrando pulſum edit.

Τόνος verò eſt quem CELSUS vocat, *immobilitas & rigor membri,* quod membrum contractum ſit immobile : ita ut *conductio ſeu convulſio Tonica,* membri rigidi contractionem, & in uno ſitu ſ. figurâ permanentiam innuat. *Concuſſio* v. ſ. *convulſio clonica* innuat membri variam agitationem & vibrationem, modo extenſionem, modo contractionem, &c. *Conductionis ſpecies ſunt* famoſæ iſtæ *tres,* nempe τέτανος, ἐμπροσώτονος, & ὀπισθότονος, quo tamẽ ſimul aliæ ſpecies pertinent. Nam *huc* (nempe *ad conductionem*) pertinent etiam *priapiſmus & ſatyriaſis.* Item pertinet huc *ſpaſmus cynicus* cui conjunctum ſymptoma quod vocatur *riſus ſardonicus.* Huc pertinet vitium *quando contrahitur brachium, & obrigeſcit ex ineptâ ven. ſectione, læſo nervo* ſ. quando nervus pungitur. Pertinet huc *ille affectus* innominatus *cum genua contrahuntur & rigida manent* propter contractum nervum & tendinem quæ per cavum genu tranſeunt. *In ſpecie tres*, iſtæ famoſæ *ſpecies.* Ἐμπροσώτονος *eſt conductio muſculorum Maſtoideorum.* Hinc eſt quod his mentum pectori affigatur. contrarium vitium ὀπισθότονος *eſt conductio muſculorum occipitis :* His occiput retrahitur verſus dorſum & poſteriora. Τέτανος denique eſt *conductio & anteriorum & poſteriorum capitis muſculorum.* Hinc enim non poſſunt caput ad ullum latus vertere, ſed caput rigidum & immobile manet.

Ad Ἐμπροσώτονον *referendus eſt caſus* quem deſcribit HIPPOCRATES *ſect.* 4. *aphor.* 35. quem aphoriſmum vulgo equidem *de Anginâ* interpretantur, *ſed malè.* Nam revera intelligit HIPPOCRATES ſpeciem ἐμπροσώτονον Nam iſte caſus comprehendit morbum, quem nos *colli torſionem nuncupamus:* quoniam nimirum tunc muſculus Maſtoideus convellitur & rigidus manet: ſic enim caput circumducitur, aſperâ arteria comprimitur, & tales ægri tandem ſuffocantur.

Hæc *de conductione ſeu convulſione Tonica.*

Quod attinet *concuſſionem ſ.convulſionem clonicam,* aut uti vulgò appellatur, *motum concuſſivum*, huc debet referri, *quando unum vel plura membra moventur inæqualiter*, qualis eſt *Epileptica convulſio* corporis. Pertinet huc experimento autorum *concuſſio iſta parva quæ in emiſ*

in emiſſione ſeminis venerea accidit; Unde quibuſdam *Philoſophis & Medicis*, in ſpecie DEMOCRITO *epilepſia parva* vocari ſolet *coitus*.

Pertinet ad has concuſſiones etiam *Cramba* ſ. ut vocant *ſpaſmus flatulentus*, cui imprimis *ebrioſi*, item qui *ad arthritidem* nonnihil *inclinant* ſunt obnoxii. Dixi quod ad *concuſſiones* pertineat etiam *epilepſia*: *Eſt* enim *epilepſia* revera talis *motus convulſivus*, *in quo membra corporis variè contrahuntur vibrantur & agitantur*: Cujus tamen *tres* ſunt *modi ſ. gradus*, (voco ut lubet.)

I. GRADVS iſque *abuſivè epilepſiæ tributus* eſt quando ægri ſubitò concidunt & corruunt, aut ſaltim, ſive ſedeant, ſive ſtent, omnibus ſenſibus ſubitò privantur, & quaſi ſomno altiſſimo ſepulti circa ullam animalem functionem ita perſiſtunt, utut nullus ſpaſmus ſenſatus ſ. externarum partium convulſio accedat: Licet ſi *per conſenſum* fiat partium abdominis, v. gr. in *hyſtericis* aut *ſplenticis*, ſæpius interni ſpaſmi partium nervoſarum concurrant. Hic epilepſiæ modus eſt potius tertius vertiginis gradus, nempe pertinet *ad vertiginem caducam*, quam epilepſiæ diximus proximam, cùm facillimè epilepſiam veram ſibi comitem adſciſcat.

II. GRADVS epilepſiæ ſ. ſecundus affligendi modus eſt: quando variis motibus & agitationibus corpus percutitur, ſenſu aut ratione, aut integrè perſtantibus aut in delirium abreptis, dum ſaltant & cantant, interdum rident, nunc lacrymas fundunt, interdum ridicula narrant, & poſt paroxyſmum omnium ſecum actorum, ſive delirent, ſive non delirent, in paroxyſmo recordantur, eaque optimè ſciunt. *Exempla talia* videbitis in WILLISIO *in pathologiâ cerebri*: item in RIVERII *praxi* ubi de epilepſia, qui refert talem epilepſiam in Moniali, in qua ſenſus interni & externi viguerunt, tantummodo epilepticæ variæque partium convulſiones adfuerunt. NEUCRANZIUS *tract. de purpura cap.* 33. ſimile habet exemplum. Sic TIMÆUS miram etiam hujus rei refert hiſtoriam *epiſtol. 9. p.* 22. Ubi puer epilepticus adſcendit in altum ſenſibus integris. Sic BARTHOLINUS *cent.* 2. *hiſtor.* 90. miras deſcribit geſticulationes & actiones epilepticorum. Nam certè tàm ſtupendæ & tàm variæ earum ſunt geſticulationes, motus, actiones, gyrationes, ut vix abſque ſtupore legi nedum aſpici poſſint. Quo pertinet *epilepſia curſiva* BOETII *tract. de Affectibus omiſſis cap.* 6. de puero 12. annorum, qui paroxyſmo epileptico vexatur ſemper recta percurrebat per aquam, ignem, per montes, per omnia loca, idque tamdiu donec invento obſtaculo longius currere non poſſit. Ob id vocatur à BOETIO *epilepſia curſiva*. Similem caſum habet *Valentinus tract. de convulſ.* qui & *epilepſiam rotatoriam* obſervavit. Sic *epilepſia*, in cujus paroxiſmo diu & multum ægra *ridet* vid. in *M. A. N. C. Ann.* 3. *pag.* 526. item epilepſiæ mirandæ, in quibus ſenſus omnes & intellectus ſunt illæſi vid. in *Febr. de Scorzoner. pag.* 96. Et ſæpius in epilepſia talia ſunt ſymptomata, ut vix enarrari omnia poſſint. SALMUTH. *cent.* 2. *hiſtor.* 42 habet epilepſiam in cujus paroxyſmo oculus extra cavum inſtar pugni protendebatur, & tn poſt paroxyſmum in naturalem ſtatum redeunte. Idem SALMUTH. *cent.* 2. *hiſtor.* 41. viſiones & ſpectra apparentia obſervavit, tàm ante, quàm poſt epilepticum paroxyſmum.

III. GRADVS epilepſiæ, ſ. modus eſt, qui ex utriſque modo dictis gradibus eſt conflatus, ita ut omnis tàm ſenſus quàm rationis uſus pereat, ſimulque variis motibus corpus agitetur & concutiatur, dentibus ſtrideant, brachia jactitent, pollices arctè in manum claudant, pedibus tremant, corpus inſigniter attollant, & denuo deprimant, incurrent, ſpuma per os rejiciatur, lingua morſu lædatur, interdum fruſtulatim decerpta rejiciatur, & quæ multa ſimilia ſunt ſymptomata, quibus omnibus ſucceſſivè remittentibus æger tanquam ſomnolentus jacet, & ad ſe rediens nihil omninò ſcit, tantùm de torpore & gravitate quadam capitis, item de omnium artuum gravi laſſitudine conqueritur. Hic *tertius gradus eſt vulgariſſimus & notiſſimus: primus gradus nonnihil eſt rarus, ſecundus gradus eſt rariſſimus*, d. vulgo ignoranti id: gradus ſecundus eſt terribiliſſimus: Nam *tales* ſubinde *pro obſeſſis à dæmonibus* habentur, niſi Medicus prudentiâ & experientiâ innocentiam ægri defendat. *Convulſio* ergo *& epilepſia prima in motu depravato, violento & involuntario ſæpè doloroſo conſiſtunt.* Illud ergo quod ſubjectum eſt motus naturalis, id ipſum etiam neceſſariò ſubjectum erit motus præternaturalis, & id quod efficitur in naturali brachii contractione aut in voluntariâ fœcum alvi excluſione, iſtud ipſum etiam afficietur in his motionibus præternaturalibus. Cùm ergo *fibræ nervoſæ* ſint *ſubjectum omnis motus naturalis* in corpore humano, tùm *voluntarii* in maſculis, quàm *non voluntarii* in partibus corporis internis, v. gr. in inteſtinis. Item *ubicunque fit motus, ibi fiat per fibras, & ubicunque ſint fibræ, ibi* neceſſariò *fiat quidam motus*, ob id etiam neceſſariò *in convulſione & epilepſiâ proprium contractionum morboſarum ſubjectum* erunt *fibræ iſtæ nerveæ*. *Nerveæ* dico, nam ipſi nervi, nihil ſunt aliud, quàm congeries talium fibrarum juxta ſe variato tamen nonnihil nexu diſpoſitarum, quæ tunicâ duplici à meningibus cerebri continuata inveſtitæ ita corpus nervi conſtituunt: ſimiles fibræ alio modo ſyſtematicè diſpoſitæ conſtituunt muſculum, demonſtrante hoc STENONE. Similes fibræ partibus circulariter vel alio modo intertextæ motus internos involuntarios excitant. *Fibræ ergò & partes per fibras motæ*, ratione fibrarum, erunt *ſubjectum convulſionis & epilepſiæ*. Ex quibus fluit *differentia*, cum *epilepſiæ & ſpaſmi* dividuntur *in internas & externas*. *Externæ* ſunt quæ membra externa cruciant, v. gr. *convulſiones brachiorum, capitis, oculorum, Thoracis* in Aſthmate convulſivo, &c. *Internæ* verò convulſiones ſunt quæ viſcera interna membranoſa mirè torquent, v. gr. in *Colicis ſcorbuticis convulſivis*. Item in *paſſionibus hyſtericis*, dum inteſtina, meſenterium, & annexæ partes convulſionibus ſpaſmodicis affliguntur; Hinc appellatur Germanis mulierculis (in nullo ſcriptore Latino tale quid invenietis) appoſitè magnum in corpore malum. *Talis* etiam *affectus eſt, quando in Nephritide convulſus ſtomachus vomit*, & *convulſa* itidem *inteſtina tormina colica* patiuntur in affectu nephritico. Item quando *cor palpitat & convellitur* (omnis enim palpitatio eſt convulſio) *& quæ ſimiles* frequentiſſimæ *in hypochondriacis & ſcorbuticis*, & in *hyſtericis* ſunt partium internarum *convulſiones*: cùm in his ſubjectis quàm plurima varia & vaga hinc inde oberrantia ſymptomata ex talibus ſpaſmis internis oriantur: *In ſpecie quando plexus nervei in Meſenterio* afficiuntur. Cùm enim ex his deriventur nervi in reliquas abdominis partes, facillimè totum abdomen, affectis his plexibus, convulſiones patitur, & cum hi plexus conjuncti ſint nervis intercoſtalibus & nervis vagis, ob id ſæpè affectos iſtos plexus & pectoris & capitis partium convulſiones tandem inſequuntur, adeò ut iſtarum partium internæ convulſiones ſuperius in cerebrum uſque Fibratæ, ibique ſyſtema ſpirituum in confuſos motus agitantes, terminentur tandem in convulſiones partium externarum: quâ ratione *paſſionibus hyſtericis* non rarò ſupervenit *Epilepſia* ſive convulſio partium externarum: Ut & *partui difficili* non rarò ſupervenit, Epilepſia, toties repetens, quoties ad conatum parturiendi gravida ſe accingit: Nam iſti *dolores in parturientibus* obvii (nempe dolor abdominis & dolores poſt partum) *nihil aliud ſunt quàm partium abdominis in ſpecie uteri, meſenterii & inteſtinorum convulſiones*.

VT AD CAVSAS PERGAM. Præſuppoſito ſpiritu *animali* tanquam motore univerſali ex cerebro pro motibus voluntariis, ex cerebello pro motibus involuntariis per nervos diſtributo. (Hoc tamen adhuc patitur ſuas limitationes vid. WILLISIUS) qui quacunque ratione fiat, fibras ad eorum contractionem diſponat, neceſſario idem ſpiritus movebit etiam in contractione partium morboſâ, v. gr. Uti ſpiritus per nervum brachii influens movet digitos & brachium, ex meo arbitrio, ita ſi fiat punctura nervi & inde convulſio brachii (cum hic motus convulſivus ſive hæc convulſio ſit idem motus cum priore brachii contractione voluntaria, differens tantùm in eo, quòd convulſio in invito convulſo contingat, & non abſque inſigni violentiâ concurrente ſimul interdum dolore) *ſequitur* neceſſariò ſpiritum *animalem*, qui ſecundum arbitrium movet brachium, etiam in brachio convulſo ex rapidiore & impetuoſiore ejus propter irritationem influxu, iſtius *convulſionis brachii eſſe auctorem.* Sic *idem omninò eſt motus* ſive *ſponte* & per jocum rideo, ſive *epilepticus inſultus cum viſu involuntario* & riſu *Sardonico* contingat: eadem eſt muſculorum in utroque riſu actio, &c. *idem motus*, ergò etiam *idem movens*, nempe ſpiritus *animalis. Hæc tantum intereſt differentia*, quod *ordinatè* placideque moti ſpiritus, idque dictante prius ſæpè voluntate humanâ, dent motum naturalem partium & riſum naturalem. Ita iidem ſpiritus *inordinatè*, confusè & rapidè in ſtimulo morboſo adacti, & quaſi cum impetu per nervum in partem Vibrati; convulſiones & motus convulſivos & uſum convulſivum inferunt.

Cauſa ergò *proxima convulſionis & epilepſiæ erit impetuoſus, rapidus, & admodum inordinatus ſpirituum animalium motus.*

Cauſæ rapidi & inordinati iſtius *motus ſpiritus animalis*, unde fiant convulſiones, in generali conſideratione ad duo refero capita (ſeu in *genere eſt duplex cauſa.*

I. *Cauſa* eſt *irritatio* quædam, in *parte nervea*, qua ſpiritus impetuoſius & velocius moti convulſionem nunc leviorem, nunc graviorem inferunt.

Sic *puncto nervo*, ob *irritationem* in loco puncturæ, quæ punctura conſiſtit in ſubtili & celeriore fibrillarum ejus vibratione & vellicatione, (& hoc confirmat ſenſus puncturæ) *commoventur ſimul ſpiritus per eum* (nempe *nervum*) *blandè influentes*, quorum tremulo & celerrimo motu ad cerebrum uſque continuato, ſimul commoventur reliqui ſpiritus, ita ut hi ipſi aperto quaſi tramite cum impetu, per iſtum nervum ferantur, & ita convulſionem iſtorum muſculorum ad quos terminatur nervus, inducunt, ſic *ex irritatione ſtomachi à medicamento antimoniali* aut *ex penna in gulam immiſſa* hujus fit *vomitus*: Ex *irritatione cordis* hujus *fit palpitatio*, & qui ſunt ſimiles motus convulſivi.

II. *Cauſa eſt aliquod externum vitioſum, aut in cerebro hærens ſpirituum motum turbans, aut ipſis ſpiritibus ibidem permiſtum.* Uterque modus, ſi eos in motus perturbatos, inordinatos, vagos & confuſos cogat, non tantum ſenſuum hebetudines, ſed etiam ex inordinato motu varii motus convulſivi, tam internarum quàm externarum partium contingunt. Quò imprimis *affectus animi* pertinent: *Terror*, *Ira* & ſimiles affectus: Hi ipſi enim ſæpius epilepſias & convulſivos motus graves inducunt propter nimis inordinatum & impetuoſum motum ſpirituum. Exemplum notatu dignum habet GABELCHOVERUS *in cent.* 4. *cur.* 23. de quodam qui ex *facillima iracundia* in gravem epilepſiam incidebat, qui ſuper affuſa aqua frigida confeſtim in ipſo paroxyſmo ſubitò levatus & curatus fuit.

Ex his duabus cauſis fluit *diviſio epilepſiæ* in eam, quæ eſt per *eſſentiam*, ut vocant, & in eam quæ eſt per *conſenſum.*

Per conſenſum eſt frequentiſſima ſpecies, & fit imprimis *ex irritatione* cujuſdam *nervi*: *per eſſentiam* verò *eſt rarior.* Quod attinet iſtam *irritationem*, quam dixi *frequentiſſimam epilepſiæ cauſam. Irritatio* hæc, *fit variis modis & varias occupat regiones*: nunc enim circa principium, nunc circa medium, nunc circa inſertionem cujuſdam nervi contingit. Unde dum in loco irritationis exaucto & ſimul nimis rapido & inordinato ſpirituum ad locum irritationis motu, dum, inquam in iſto loco ſenſim inchoat convulſio, primo eſt tantum fibrarum levis contractura, quæ ipſa tamen ſenſim continuata, ſucceſſivè ſecundum ductum nervi ipſique annexarum fibrarum ſurſum pergit, indeque pars tantùm immobilis redditur, donec principio nervorum continuato convulſionis motu, affecto cerebro ſpiritus animales ibidem violentius agitati, facto quaſi agmine & impetu per eundem & etiam per vicinos nervos explodi & expandi incipiunt: Unde non tantum omnium ſenſuum perturbatio, ſed etiam convulſiones tàm partis iſtius, & primariò affectæ, quàm etiam aliarum partium non affectarum, & dum ſucceſſivè inchoat convulſio ſurſum pergit & urget iſtam fibrarum contracturam, unde membrum fit immobile, percipiunt ipſi aut imaginantur ſibi, quod materia quædam ſubtilis ſive aura quædam, ut vocant, aut ſpiritus quaſi vol. ex uno vel altero membro ita ſurſum repat, & ubi ad cerebrum pervenerit, ibidem convulſiones epilepticas inferat.

Confirmat hanc eorum mentem, quod ligaturæ ſupra partem, ubi iſta aura reſidere creditur, injecta paroxyſmum incipientem præcaveat, quaſi auræ adſcenſus inhibeatur. Illuſtria exempla ſuppeditat LINDANUS quæ poſtmodum habebimus, v. gr. quando ex pollice percipitur quaſi adſcenſus auræ & hinc epilepſia, ligatura circa pollicem epilepſiam præcavet; Item quando in hyſterica paſſione ligaturâ forti hypochondriorum nimium incrementum præcavetur: Hoc ipſum tamen fit non propter auras adſcendentes, d. propter inchoatam fibrarum ſpaſmodicam convulſionem: Et ipſa ligatura non convenit impediendo adſcendentem auram vol. d. tantum quia iſtâ ligaturâ parti ſtupor infertur. Unde irritationis ſenſus, & ſpirituum motus & tandem fibrarum convulſio aut omninò tolluntur aut ſaltim quò minus vehementes ſint, impediuntur & ſuſpenduntur. Exempla talium epilepticorum non ſunt pauca, unum tantum atque alterum curioſum quod habet LINDANUS referam. Refert LINDANUS de quadam muliere, quæ quoties paroxyſmus epilepticus in procinctu erat, dicebat intra pubem à regione pubis ſentire ſe levem quandam morſiunculam (quod non potuit eſſe niſi in utero, quoniam laborabat vitio uteri & menſium defectu & nunquam reddita fuerat gravida) poſt morſiunculam ſentiebat ſibi aliquid ſurgere, & deſignabat accuratè locum: inde à medio corpore infra & ſupra umbilicum ad ſuperiora, & iſta aura ut vocabat, non ſurgebat celeriter, ſed paulatim & cum appropinquaret circa cor, incipiebat illi cor palpitare, & tunc poſt unum vel alterum pulſum animi deliquio afficiebatur: poſtmodum, cùm pulſus denuò inciperet tota citò convellebatur & ſuperatâ illâ convulſione ad ſe redibat, donec novus ſuccederet paroxyſmus. Porrò dicit idem LINDANUS curavi puellam 18. annorum, quæ laborabat *epileptica obſtructione lienis ſcorbutica* (morbi enim lienis utplurimum convulſi ſunt) Hæc à me examinata retulit ſe ſentire tempus invaſionis paroxyſmi, ſe enim ſentire ex ſiniſtro hypochondrio tranſverſum quid, & cùm ad medium pervenerit corpus retrogredi & deinde ſurſum tendere, & quoad cor pervenerit, animi deliquio corripi & hinc epilepſiam ſubitò ſupervenire. Fui præſens aliquando, & exactè deſignavit locum quo modo movetur iſta aura.

III. In

III. Inquit LINDANUS habui Franeckeræ juvenem, qui habebat *cariem oſſis in pollice pedis*, ex qua ſenſit ſerpere auram quandam inſtar aquæ fervidæ, dicebat ſe poſſe præſagire paroxyſmum, & quamprimum ille in pede ſentiebat morſiunculam, ſtatim faciis cruralibus ex funibus crus conſtringebat, ſi hoc fecerat impediebatur paroxyſmus, ſi v. non, ſtatim epilepſiâ corripiebatur, quæſitum fuit an in capite aliquid ſentiret, reſpondit nihil niſi vertiginem. Sic refert HELIDÆUS *in ſuis Conſil. p. 29.* de epileptico qui ante paroxyſmum *frigiditatem & dolorem pungentem in manu ſiniſtra* percipiebat, cujus annullaris digitus antea ex vulnere ſenſum motumque amiſerat. Sic BORELLUS *cent. 2. obſervat. 95.* refert epilepſiam *à pollice* ortam, quæ per cauterium in pollice applicatum fuit curata. Sic *Heinricus ab* HEER *in obſervat. 24.* refert epilepſiam ex *ſubitâ animi conſternatione & terrore* ob ſolicitudinem ſtupri: In hujus paroxiſmo convulſivo ægra continuò fricabatur *pollicem pedis*, in quo pollice facto cauterio cum butyro antimonii epilepſia fuit curata. Sic BARTHOLINUS *centur. 1. obſervat.* 82. obſervat epilepſiam *ſingulis noviluniis cum tumore digiti pedum* immani recurrentem quæ ipſa cauterio pedi inflicto fuit curata. Hæc & ſimilia exempla ex irritatione ortarum epilepſiarum ſunt creberrima. Unum adhuc referam notabile quod eſt HILDANI *cent. 6. obſervat. 25. de muliere epileptica ex aurâ* quâdam è *ſiniſtræ manus medio digito* adſcendente. Paroxyſmus quoties redibat, de ſummo digiti dolore queritabat, hinc manus contrahitur, brachium convellitur, & tandem motu convulſivo totum corpus concutitur, cum nullis uti vellet medicamentis ex corio humano facto circa carpum ligaturâ forti evanuere omnes inſultus, nec ab eo tempore quicquam eorum percepit. Hæ ſunt *Epilepſiæ per irritationem* idque per *conſenſum*: *raræ* ſunt quæ *fiunt per eſſentiam* cerebro affecto, utut non ſemper percipiantur tales nervorum ſpaſmi. Quod attinet *alteram cauſam vitium ſpirituum & cerebri* in multis obſervatur *epilepſia poſt cerebrum vulneratum non ritè ſanatum* propter fermentum malignum relictum. Item *poſt caſum ab alto*, ubi ſanguis hæret ſub cranio, qui putredine correptus epilepſiam infert. Hæ enim cauſæ quibus cerebrum lædi contingit etiam ſpirituum ordinatum motum in conſenſum permutare valet, aut eos inficiendo aut iis ſe permiſcendo: Superiori anno cum quidam gravi vulnere læderetur in latere capitis dextro, quod os bregmatis penetraverat cum meningibus & cerebro, obſervavi paucis poſt diebus ſuperveniſſe convulſionem, ſed levem lateris læſi ſeu vulnerati: E contra perfectam paralyſin, ac reſolutionem totius lateris ſani. Sed cum paroxyſmi epileptici ſubinde ſupervenerint, utrumque latus, ejuſque partes promiſcuè convellebantur. Sed extra talem paroxyſmum paralyſi pars ſana, ſpaſmo pars ægra laborabat. Pertinent huc *fumi mercuriales* item *fumi joviales*. Sic enim *unguenta mercurialia capiti in Ichoribus infantum illita epilepſiam* non raro inferunt, quale exemplum videri poteſt in TIMÆO *in ejus reſponſis p.106.* Sic *ex fumis jovialibus* ſ. ex *fumo jovis*, ſ. ſtanni fuſi *per nares attracto convulſiones & epilepſiam* abortos obſervat SALMUTH *cent. 3. hiſtor. 39. Lympha vitioſa* in cerebri ventriculis collecta ſubinde *epilepſiæ per eſſentiam* eſt cauſa. Vid. SCHNEIDERUS *in ſuo de catarrhis lib. 2. p. 103.* qui aliquot habet exempla epilepticorum poſt mortem diſſectorum, in quibus ſeroſitates vitioſæ in ventriculis cerebri fuerunt repertæ. Similia exempla refert SCHENCKIUS *in ſuis obſervat.* item BORELLUS *cent. 2. obſervat. 78.* habet exemplum epileptici mortui, cujus in cranio aperto inter cerebri ventriculos magnam materiæ adipis æmulæ copiam reperit, & quæ ſunt ſimiles cauſæ quæ inferunt epilepſiam per eſſentiam? *crebrior* iſta *quæ fit per conſenſum* ſ. irritationem quandam, *variæ* ſunt *hujus cauſæ*. De *affectibus animi* antea locutus ſum; Hic dico quod *ſuppreſſio menſium* aut *ſuppreſſio hæmorhoidum* non raro inferant epilepſiam: quin & *ſuppreſſa excretio ſeminis* non raro *in mulieribus epilepſiam per conſenſum* infert; irritando partes nervoſas circa uterum, &c. quale exemplum habet HILDANUS *cent. 6. obſer. 25.* ubi obſervat mulierem *epilepticam ex utero* cum convulſionibus ad eum modum, quo cum viro coïre conſuevit idque *propter abſentiam viri*, quod epilepſia poſt reditum mariti per coïtum fuit curata, nec amplius, cùm hoc remedio maritali uteretur, reverſa fuit. *Ex ulcere in crure* ſanato epilepſia, quo rurſus aperto ea ceſſavit, vid. in *Amat. cent. 2. hiſt. 6.* Item *ab occluſo ulcere in crure*, ex quo aſcendens aura epilepſiam infert, *vid. in Barthol. cent. 3. Hiſtor. 20. Horſt. l. 2. obſervat.* 10. HILDAN. *cent. 2. obſervat.* 10. *Variolæ & morbilli* ante ſui eruptionem, vel etiam poſt non ſuffi ientem excretionem familiariſſimè epilepſiam inferunt. Sic *melancholia* ſubinde in epilepſiam abit, vid. SALMUTH *cent. 2. obſer. 42.* Sicuti è contra *epilepſia* ſubinde *in melancholiam* tranſit. *Colica* non rara eſt, nempe *convulſiva* iſta, quæ epilepſiam infert, non ſecus ac *purgantia acriora, helleborina* ac ſimilia notoriè convulſiones inducunt. *Nixu pariendi* in diſpoſitis epilepſiam excitari ſupra inſinuatum eſt. *Arthritis* deſinens in epilepſiam terminabatur, quæ ceſſavit revertente arthritide autore RIVERIO *cent. 3. obſerv. 85. Ex vitio ſtomachi* frequenter fit epilepſia. Item *lumbrici* tàm in infantibus quàm in adultis creberrimè epilepſias inducunt. *Mulieres gravidæ* item mulieres *parturientes* aut etiam *quibus ſuppreſſa ſint lochia* facillimè in epilepſias incidunt. Sed multi ſunt modi, quibus fit epilepſia; Verum in genere, utut varii ſint modi irritationis, *frequenter* tamen *acidum vitioſum* irritando *infert epilepſiam*, cum nihil magis ſit inimicum nervis quàm ipſum acidum. Jam ergò ſive ſit humor acidus, ſive fermentum tàm odore acido ſe inſinuans facillimè Epilepſias inferre poteſt. Talis humor acidus ſubinde inſinuat ſe in partes muſculorum fibroſas & tendinoſas inficit, eaſdem rigidas duras & intractabiles reddit, imò ibidem nutrimentum earundem ſpermaticum ſeu chyloſum coagulans in materiam gypſeam & Tartaream, ut vocant, interdum tranſit. Unde omni penitus motu ſublato pars iſta poſtmodum contracta & immobilis manet; propter hujuſmodi vitioſas aciditates etiam in aliis locis reſidentes (non præciſè in muſculo contracto) *ſcorbutici, hypochondriaci, hyſterici*, in quibus manifeſtiora acoris ſunt indicia, adeò crebris obnoxii ſunt convulſionibus, in quibus circa glandulas meſenterii collectum vitioſum acidum aut ex pancreate in inteſtina effuſum, & hinc in meſenterium per motum ſubinde ſpaſmodicas convulſiones cum rugitu ventris cum globi in abdomine ſenſu, cum umbilici ad interiora Verſus Retractione & ſimilibus affectibus infert. In ſpecie *arthritidem* quod attinet, cùm notum ſit hujus paſſiones eſſe ab acido, ob id iis quibus acceſſura eſt primum *podagra* vel *chiragra.* in illis plerumque antecedunt convulſiones aut ſaltim afficiuntur crampis. In ſpecie in *podagricis* ſæpius ante ambulones ſunt convulſiones. Et vitiū iſtud quod *contracturam* appellant, fit ab acido ob omnino rigidum redditum nervum, quo acido corripitur nutrimentum proximum, indurantur partes & continuò contractæ manent & rigidæ. Abſolvimus ferè ea, quæ ad Theoriam convulſionum & epilepticarum pertinent. Plura qui cupit, adeat VVILLISIUM *in Pathologia cerebri*, ubi *ex profeſſo* tractat *de morbis convulſivis*, & quidem jure meritoque, nulli enim affectus poſt febres ſunt frequentiores, quàm iſti morbi convulſivi, *utut*, quod obiter noto, *interdum* aliquantiſper *confuſè* interdum *dubiè* loquatur: Dubiè quidem quando infert ſuam copulam exploſivam, quam ex Maſſa ſanguinea derivat conjun

Conjungendum cum ſpiritu animali, quæ quid aut qualis ſit fateor me ignorare: confusè loquitur quia non exactè ad origines convulſionum progreditur d. potius datâ quacunque occaſione convulſiones modo huc modo illuc determinat. His miſſis pergo ad

SIGNA

Convulſionum & epilepſiarum. Quæ inter I. ſunt DIAGNOSTICA. Et quidem *imminere* convulſionis paroxyſmum, prænoſcitur ex eo, quando *in febribus ardentibus & malignis attactu carpi manus* pro noſcendo pulſu, *percipitur quædam tractatio* aut quidam *ſubſultus*, aut quædam *vibratio tendinum*, qui frequenter ſupra carpum repunt: Ibi certus ſit Medicus imminere proximâ occaſione convulſiones easque lethales. *Ipſa convulſio per ſe eſt* aperta & facillimè cognoſcitur *ſive ſit convulſio Tonica*, dum membrum convulſum in ſuo ſitu permanet, *ſive* ſit convulſio *clonica*, dum membrum convulſum variè agitatur. *Dolor* ſatis etiam *frequenter adeſt*, in convulſione, *verum non ſemper*, ſed tantùm interdum ſupervenit. Convulſivus motus *tremori* equidem *in pluribus eſt cognatus*, in hoc tn. *facillimè diſcernuntur*, quod tremor ſemper conjungatur cum motu voluntario, v.gr. manus nunquam tremet, pes nunquam tremet, niſi ad curſum adigatur, ita ut ſemper motui voluntario conjungatur tremoris ſymptoma: In motu convulſivo ipſo ægro inſcio aut præter voluntatem ejus fiunt motus convulſivi. Denique tàm in *paralyſi* quàm *ſpaſmo motus membri voluntarius poſſit*. Hæc tamen eſt *differentia* quòd in paralyſi membrum reſolutum ſine omni difficultate trahi flecti & tractari poſſit: Contrarium fit in convulſione, in qua membrum eſt rigidum, & quod non ſine acerbo dolore extendi poteſt. Ipſa v. *Epilepſia. ſ. ſuperior*, ut ſic dicam convulſionum gradus *cognoſcitur*, & quidem *quod epilepſia immineat*, ferè fit manifeſtum, quando *ſplendores* & quaſi corruſcationes *ante oculos* verſantur; Hæ n. ſæpius Epilepſiæ futuræ ſunt prænuncii teſte BARTHOLINO *cent. 3. hiſt. 45. Vertigo* citra manifeſtam cauſam *Juniores* aut frequentius aut fortius *affligens epilepſiæ eſt prodromus.* Denique *Ephialtis ſ. incubis crebrior* ſub ſomnum *invaſio, ſignum eſt imminentis epilepſiæ* teſtibus ferè omnibus practicis. Ipſam epilepſiam accedere aut eſſe præſentem, ex iis quæ de gradibus dicta ſunt per ſe patent: nihilominus tn. homo *ſubitò corruit*, aut ſi non corruit, tn. *variè membra agitantur: animales functiones* aut *abolentur* aut *depravantur* in epilepſia *cum deliriis, riſu, geſticulatione* & ſimilibus conjuncta. *In ſpecie* conſiderandum venit *an epilepſia ſit interna an externa. Externa* facilè *ex motu convulſivo membrorum* patet. *Interna* v. ferè cognoſcitur *ex motu convulſivo, murmuris & borborigmis abdominis*, ex *ſubitanea abdominis* aut *contractione* aut *intumeſcentiâ*: Ex *umbilici interiora verſus retractione*, ex *acerbis contorſionibus partium abdominis internarum* in ſpecie *inteſtinorum & meſenterii*. Supervenit *ſubitanea reſpiratio difficilis ſenſus* interdum *ſuffocationis* aut *quaſi laquei collo injecti*, &c. Ex modo dictis ſignis de epilepſia internâ *patet, quanta ſit connexio epilepſiæ internæ cum ſuffocatione* ſic dicta *uterinâ* cùm reverâ in radice ſint unus idemque affectus, tantum circùmſtantiis quibuſdam variant. Unde omnia anti-epileptica hyſtericam paſſionem, & omnia antihyſterica epilepticum inſultum curant internum.

Cognoſcendum ulterius eſt *an per eſſentiam* ſit epilepſia *an* verò eadem ſit per *conſenſum*. *Si eſt per eſſentiam ferè nulla paroxyſmi invaſuri præcognitio præcedit, d.* dictum factum *ex improviſo corripitur.* Ubi verò eſt per *conſenſum, ibi* utplurimum *alteratio* quædam, *dolor aut motus quidam ſingularis* in parte quadam præcedit, ex qua poſtmodum epilepſia ſupervenire percipitur: In ſpecie hoc fit quando focus epilepſiæ eſt in partibus remotioribus, ibi n. imminens paroxyſmus percipitur ex motu, qui ut vocant auræ, quâ percepta epilepſiam eſſe in prõptu facilè patet. Præprimis *in epilepſia per eſſentiâ capitis affecti ſigna adſunt, torpor* quidã *in actionibus animalibus*, aut ſaltim quædam *depravatio* adeſt, ſi præceſſerunt cauſæ externæ, quæ cerebrum aut partes capitis lædere potuerunt: Imprimis *lunæ motibus auſcultat epilepſia per eſſentiam*, & nonnunquam ad lunæ varias periodos diverſimodè afficit: Id quod non æque obſervari poteſt, quando eſt epilepſia per conſenſum, in quâ utplurimum adſunt ſigna viſceris cujuſdam vitiati & ejuſdem operationis labefactatæ.

QVOD ATTINET PROGNOSIN.

Convulſio quæ fit *ex conſenſu* cerebri *nimis periculoſa* eſt, *& facilius curatur*, quam ea, quæ eſt ex cerebro per *eſſentiam. In febribus malignis ſupervenientes convulſiones* ſæpius *mortem* portendunt. Si *toto corpore à convulſionibus immuni* aut *labrum convellatur* aut *palpebra* aut *lingua*, &c. *pravum* ſymptoma putandum eſt, & quod meritò timorem incutere debet ægro. Nam aut mors portenditur, aut epileptica convulſio. Pertinent huc *Aphoriſmi* HIPPOCRATIS *Sect. 5. aphor. 3. A copioſo ſanguinis fluxu ſingultus aut convulſio malum.* Nam ſingultus eſt ſpecies convulſionis. Item *aphor. 9. ſect. 7. A ſanguinis profluvio deſipientia & convulſio malum.* Item *aphor. 4. ſect. 5. ab Hypercatharſi convulſio aut ſingultus malum.* Item *aphor. 1. ſect. 5. Convulſio ab Helleboro lethalis*; & denique *aphor. 25. ſect. 7. A medicamenti purgantis potione convulſio mortifera.* Poſt purgantia talia fortiora rarò ſunt qui evadunt ægri, utut non ſit deſperandum, quin *opiatis & theriacalibus alexipharmacis* denuo convaleſcant. Huc facit ulterius *aphor. 66. ſect. 4.* Ubi inquit in *acutis febribus convulſio* & circa viſcera dolores vehementiores *malum.* Item *aphor. 13. ſect. 7. propter ardores vehementes convulſio* aut *Tetanos malum.* Item *aphor. 18. ſect. 7. à vigiliis convulſio* aut *deſipientia malum.* Quoad *febrim cum convulſione* conjunctam notus *eſt aphor. 26. ſect. 2.* Ubi dicit *febrim convulſioni ſupervenire, melius eſſe quam febri convulſionem*, de quo vid. TULPIUS *lib. 3. obſer. cap. 24.* Ubi eleganti diſcurſu hoc declarat. Unde è contrario *aphoriſm. 57. ſect. 4.* eſt talis. *Spaſmo aut Tetano ſi febris acceſſerit morbum ſolvit.* Denique *aphor. 6. ſect. 5.* eſt talis *quicunque Tetano, corripiuntur, ii 4. diebus pereunt, ſi hos effugiunt ſani fiunt. Epilepſia hæreditaria* vel *omnino nunquam* vel *rariſſimè* curatur. (Nam ſæpius dantur epilepſiæ hæreditariæ) *Epilepſia ante pubertatem* eveniens *curabilis* eſt, *poſt annum 25. ferè uſque ad mortem durat*, inquit HIPPOCRATES *ſect. 5. aphoriſm. 7.* Dicit quod ferè uſque ad mortem duret, non tamen ſemper, quia proſtant exempla *in obſer.* RHODII etiam *epilepſiarum poſt 25. annum curatarum.*

Facit huc *Aphor. 45. ſect. 2. epilepſia laborantes juniores cum ætatis mutatio, tum loci & victus liberat:* Et quandoque in *pueris venus*, ſ. pubertas, item in *puellis menſtruorum initium* epilepſiam tollere ſolet, obſervante hoc FORESTO *lib. 10. obſer. 55. in ſcholio. Si mulierem utero gerentem* fortis epilepſia invadat, magnum periculum minatur, ſaltim periculum abortus imminet, id quod tamen non ſemper abſolutè verum deprehenditur, ſiquidem *Rhodius cent. 1. obſer. 60.* refert matronam prægnantem, quæ dum utero gereret, poſt ſex ſeptemve menſes epilepticis inſultibus affligebatur, partum vero enixa, optimè convaluit. Sic etiam *Schenkius in obſer.* non omnes prægnantes epilepticas abortum pati annotavit. In paroxyſmo epileptico *ſi ad uſum ſternutatoriorum* æger *non ſternutet*, *malum* indicium eſt atque argumentum naturam tantùm non ſuccumbere & proſtratam eſſe. Quartanâ correpti non admodum convulſionem patiuntur: Si vero prius tentati ſint, ſuperveniente quartanâ liberantur *ſect. 5.*

§. 70.

§.70. Exemplum quartanæ ſolventis epilepſiam vid. *in Salmuth. cent.2. hiſt.*84. Hiſce præmiſſis pergo ad ipſam *curam Epilepſiæ*: Et quidem ad *curam*, imprimis *in genere adultorum.* Nam Epilepſia infantum & mulierum ad morbos infantum & mulierum pertinent. Quod attinet *curam Epilepſiæ*: In *cura* ante omnia attendendum eſt, *ut cauſa remota removeatur* (nempe ea unde oritur inordinatus ſpirituum motus) *ſive per eſſentiam* ſive per *conſenſum fuerit* Epilepſia. Unde etiam pro varietate hujus cauſæ, varianda ſubinde nonnihil curatio.

Dum *alio modo curatur Epilepſia*, quæ eſt in *febrib. malignis*: *alio*, quæ dicitur *ex Vtero*, & eſt in *mulieribus Hyſtericis*; *alio* quæ ex *ſcorbuto*, *alio, ſi in quodam membro particulari*. In tali enim caſu aut *membri ligatura* fortis, aut ibidem ubi reſidere percipitur materia ſtimulans, & convulſiones excitans, inuſtum *cauterium* vel excitatus *fonticulus præſervat* paroxyſmum, interdum omninò Epilepſiam *curat*. Exempla hujus rei nonnulla recenſui. Ita ad hujus imitationem ſimilia *auxilia Chirurgica, ſetacea, fonticuli, veſicatoria & cranii apertiones*, juvare obſervantur, ad naturæ nempe imitationem, quæ referente *Tulpio l.1. c.*8. duo infantes per ulcera capitis ſpontanea ab Epilepſia curavit, qui citato loco refert Epilepſiam ſponte à natura per lenem in fauces influxionem curatam, in *Hild. cent.1. obſ.*41. Sicuti ex ſcabie retropulſa aut ſimilibus occaſionibus nata Epilepſia per *veſicatoria* curanda venit, teſte *Hildano cent.*3. *obſ.*10. Imò *cranii apertio* interdum proficua obſervatur, nempe ut refert *Schenck in obſ.* quidam vulneribus capiti inflictis ab antiqua Epilepſia fuerunt curati. Item *Rhodius cent.1. obſ. 66.* refert epilepticum juvenem ob lapſum à ſcalis apertione cranii curatum. Sic quando ex calvaria, ex lue venerea carioſa facta oriatur epilepſia, præſertim mediante *uſtione* eradicanda venit. *Vide Schenck l.6. obſ.* Hæc ipſa pariter ad *fonticulos* quoque, item ad *veſicatoria* certis locis admovenda acommodari poſſunt. Nam *Panarolus Pentec.*4. *obſ.*30. narrat puerum epilepticum, aphonum, ſtolidum, *veſicatorio* in ſutura coronali ſanatum. Obſervandum: *Quod ſi ex fomite in humorib. à nativa craſi degenerantibus*, non adeò exactè à priori cognito oriantur convulſiones, pro iſtis emendandis *diæta ſudorifera ex decoctis lignorum* obſervantur proficuæ *Vid. Senn. l.1. prax. ubi de epilepſ.* item *Hofer. Hercul. Med. p.*10. Commode his *decoctis lignorum*, *viſcus corylinus, quercinus, tiliaceus*, ac ſimiles tanquam appropriati addi poſſunt. Sic de *ligni guajaci* uſu in epilepſia, conf. *Scholz conſ.*40. & 41. *Thonerus* Epilepſiam à colica per *decoctum lignorum* curavit *l. 2. obſ. p.*92. Non ſecus ac *Schenck in obſ.* vertiginem difficilem per *decoctum lignorum* cum appropriatis curatam refert. Sed bene prius præmiſſa debent eſſe *univerſalia* ac *primas vias evacuantia*. Certè continuato uſu & evocato pro virium ratione *ſudore* multum valent in quibusvis affectib. chronicis *decocta* iſta *lignorum* diaphoretica. Alterant ſimul humorum dyſcraſiam & ſucceſſivè vitioſum quod eſt, evacuant, id quod vel lues venerea perſuadet, continuato talium *decoctorum* uſu curabilis. Obſervandum, *quod ſi cum Epilepſia juncta ſit ſanguinis conſueti ſuppreſſio*, vel hujus occaſione excitatur plus minus epilepſia, *Venæſectio* aut alia quævis ſanguinis miſſio erit proficua locis in variis pro circumſtantiarum varietate. Sic enim Epilepſiam *apertis hæmorrhoidibus* curatam refert *Rhodius cent.1. obſ.*61. Idem *obſer.* 64. epilepſiam in puero octenni ob ſanguinis abundantiam venæſectione curatam refert. Item *Zacut. Luſit. lib.1. prax. adm. obſ.*26. refert epilepſiam ſævam poſt partum *hirudinib.* internæ uteri parti applicatis curatam. *Idem obſ.*27. gravidam 7mo menſe epilepticam Ven. Sect. in talo tuto curatam memorat. Item gravida nonimeſtris ex ſuppreſſione hæmorrhoidum epileptica, *ſectis in talo venis & hirudinib.* ano applicatis curata fuit *obſ.* 28. Imprimis notabile videtur, quod idem *Zacutus Luſit. l.1. Med. Princ. hiſt. 26.* notat, gravidas epilepſia ab utero correptas, *ſectâ* in brachio *venâ*, periiſſe, in talo vero non. *In genere* ſemper *obſervandum* ut *appropriata ſ. ſpecifica aut epileptica* cum iſtorum membrorum appropriatis quib. jungitur Epilepſia, *miſceantur* & ſimul contineantur. Porro *appropriata aut Epileptica* non niſi *præmiſſis univerſalib. conveniunt*: In ſpecie ubi Epilepſia non eſt per eſſentiam aut ubi ejuſdem focus non hæret in membro quodam externo. Nam *in* his *epilepſiis per conſenſum partium internarum* mirè *convenit vomitus Antim.* provocatus ſicut inter purgantia, cum aliis permiſtus *mercurius dulcis* primatum obtinet, ſed neceſſum eſt ut rectè præparetur mercurius & quinquies ſexies vel octies ſublimetur, ut totus tandem fiat Cryſtallinus, & nihil de volatilitate arſenicali mercuriali retineat.

3. *Opiata* magna ſunt remedia Epilepſiarum, inquit rectè FONSECA *l.2. conſ.* 80. Nam ferociores ſpirituum motus compeſcunt, indeque ſenſuum perturbationes & motus inordinatos tollunt. Hinc ad præcavendum paroxyſmum Epilepticum imminentem tàm Epilepſiæ internæ, quàm externæ mirè conveniunt *opiata appropriatis miſta*: Quâ ratione *pilulæ ex Laudano opiato cum oleo Camphoræ* paratæ ad imitationem HARTMANNI ſunt egregiæ. Et externè *ſupr. c. l.* FONSECA inunctionem *cum oleo buxi* tq. inſigni narcotico, in temporib. narib. & pulſib. optimè convenire dicit. Quod ergò attinet *remedia univerſalia* de *vomitoriis* & ſimilib. cum ſæpius locutus ſim, taceo. *Inter purgantia* primatum obtinet *mercurius dulcis*, d. cùm parum purget, quin tantùm modò laxat, ob id *optimè permiſcetur* cum aliis, & quidem *cum extracto Hellebori nigri* ſub hac formâ:

℞. Extract. Helleb. nigr. gr. xv.
vel Catholic: *Audernaci* gr. 15.
vel Panchymagogi *Crollii* gr. 15.
(quodcunque lubet)
Mercur. dulcis ritè præparati gr. xv. ad ℈j.
Extr. Trochiſ. alhandal. gr. ij. ad iij.
c. ſ. q. Ol. deſtillati ſuccini fiant pilulæ.

vel ad imitationem RIVERII præſcribantur:

Scammonii Sulphurati ℈ß. cum Mercur. dulcis gr. xv. propinando ſub formâ pulv. ſub formâ Galomelani torquati: Item ſub forma Boli.

℞. Conſervæ flor. anthos ʒj.
Pulv. radicis Jalap. ℈ß.
Mercurii dulcis gr. xv.
Scammonii roſati gr. iij.
c. ſ. q. Syrupi de pomis fiat Bolus.
purg. pro j. doſ.

Hujuſmodi purgantia & laxantia *convenientiſſimè ante novilunia* uſurpari ſolent; ſicuti etiam aliàs *appropriata* Epilepſiæ *remedia ante lunæ mutationes* aut *novi & plenilunia aut ejuſdem quadraturas* ſ. tempore harum mutationum optimè uſurpantur.

In vulgari uſu ſunt *pilulæ Cochiæ, Arabicæ, fœtidæ*, imprimis in convulſionibus partium internarum, ſuffocatione Uterinâ & ſimilibus optime conducunt *ad gr. xv.* præſcribuntur cū ſtimulo appropriato addito *mercurio dulci* aut quod convenientius eſt *mercurius dulcis cum mercurio vitæ* paratus: cum quo *aliquot gr. mercurii vitæ* forti ac longa trituratione probe ſunt unitæ: Amittit enim ſic Mercur. vitæ vim vomitoriam, quibus corrigitur à ſpiritu ſalis in Mercur. ſublimato præſente, & ſic fit pulv. purgans antimonialis Mercurialis optimus, qui ſubinde cum aliis miſcetur. Quod ergò attinet remedia ex toto acervo & cumulo omnium Antepilepticorum (cum nullus ſit medicus practicus, qui non habeat ſuum ſpecificum Ant-epilepticum) tantum pauca & magis probata referam.

EX REGNO VEGETABILI, I. ſe offert *Pœonia*, jam à GALENI tempore commendata, eaque *mas* ſeu quæ conſpicitur *foliis latioribus & magis rotundis.*

(Nam *fœmina* habet *folia longiora & magis acuta.*) *Radicis ejuſdem* ſole in leone exiſtente effoſſæ pulv. optimè convenit internè ad curam Epilepſiæ & poſt radicem *grana pœoniæ* ſ. *ipſum ſemen pœoniæ nigrum pulveriſatum*, aut ex eo paratæ *emulſiones*, contra Epilepſiam ſunt egregiæ. Nota etiam *eſt vis hujus Amuretica*, dum radix hæc appenſa mirè commendatur ad Epilepſiam præcavendam. Ad hoc ut appendatur colligenda venit luna decreſcente, menſe Martio vel Aprili quando nempe verſatur in vere. Expertum eſt hanc *vim Amuleticam* jam ſuo tempore GALENUS, cujus experientiam confirmat FORESTUS *l.* 10. *obſ.* 59. Sicuti etiam videndus eſt BARTROLINUS *cent.*4. *hiſt.*69. Et experimentum hujus rei, de vi amuletica Pœoniæ habetur etiam *in obſ. communicat.* RIVERIO. *à D. Des* GRANDS-PRETZ. *obſer.* 7. Poſt Pœoniam eſt imprimis *Lilium Convallium* elegans ad Epilepſiam remedium, *ejusque ſpiritus & Eſſ. flor.* Ut legitime præparetur lilium convall. præcipit LINDANUS ut colligendi ſint flores benè maturi idque ante ortum ſolis, quando rore majali adhuc madent. (In hoc enim rore ſingularis vis menſtrualis virtutum extractiva reſidet;) collecti ita flores abſcindendi à pediculis, & immittendi in vas benè clauſum & ita deſtillandi: aqua ſpirituoſa ſemel deſtillata reaffundenda novis floribus ſimiliter collectis, idque aliquoties ita repetendum, ut ſic habeatur ſpiritus Liliorum Convallium concentratus cui immacerandum venit poſtmodum *Caſtoreum* & ſic deſtillatur. Habetur ſic, inquit LINDANUS egregium remedium aut-Epilepticum *ad* ʒß. *vel* ʒj. poteſt dari adulto prout fortior vel debilior fuerit. Poſt lilium convallium eſt *Viſcus Quercinus* admodum commendatus ad Epilepſiam *pulveriſatus*, nempe aſſumptus *in aqua appropriata*, admodum convenit. De ejus virtute celebre experimentum allegat BOYLE *p.*185. *in Philoſophia experimentali* de Epilepſia inveterata beneficio pulv. viſci quercini propinati curatâ. Quin & *inſtar Amuleti appenſus* item *viſcus*, *quercinus* ſimiliter eſt admodum laudatus. Quod dicitur de viſco quercino, multo magis intelligendum eſt *de viſco Corylino*, qui ipſe potentior adhuc eſt quercino, & cujus pulv. ſi in Martio legitimo tempore colligatur admodum eſt egregius in cura Epilepſiæ, quin etſi *appendatur iſte viſcus corylinus inſtar Amuleti*, ad Epilepſiam commendatur. Nam in Corylo multa latent, unde etiam ex *ligno Coryli deſtillatum Ol.* (certo etiam tempore colligendum eſt lignum) eſt famoſum iſtud *Ol. Heraclinum* RULANDI, ſingulariſſimum Anti Epilepticum, uti videre poteſtis in *ejus curationibus & Theſauro practico.* Nihilominus vix cedit ligno Coryli *lignum Buxi*, adeò ut etiam *Ol. Buxi* habeatur ſuccedaneum Ol. Heraclini; quod in defectu Ol. Heraclini, commodè poteſt ſubſtitui ſive *ad gutt. IV. in aqua flor. Tiliæ* ad aliquot dies *propinetur*, *ſive* ut ante monui, *imminente paroxyſmo externè illinatur*, mira convenit ad Epilepſiam. De *Sulphure vegetabili* ex *lycopodio* ſeu *muſco terreſtri clavellato* nobile eſt antepilepticum, præſertim pro infantibus; nobilius tamen eſt *ſulphur* ſimile *ex julis coryli.*

Carbo artemiſiæ rubræ, ſ. *carbo circa feſtum Ioannis* ſ. ipſo potius *Ioannis die* ante ſolis ortum, ſ. circa meridiem *ſub artemiſia rubra effoſſus* mirè morbo comitiali ſ. Epilepſiæ medetur, experientiam in Illuſtri perſona factam allegat PETRÆUS *in Diſſertat. Harmonic. l.*1. *Diſſert.*6. §.53. Uti etiam JOEL *in praxi de Epilepſia*, *p.*85. idem refert de Carbonibus ſub artemiſia effoſſis, & quidem dicit tantùm modo reperiri die feſti Joannis, alio tempore non: Putavi prius eſſe fabulam, nihilominus novi mulierem, quæ fodiendo ſub artemiſia rubea invenit carbones & mihi monſtravit, quibus aliquot pueros Epilepticos reſtituit egregiè.

De *floribus Tiliæ* res nota eſt, quòd ſint optimum ad Epilepſiam remedium. Unde *aqua & ſpiritus flor. Tiliæ* ſunt in vulgariſſimo uſu. *Syrupus Nicotianæ* mirificè commendatur à ZACUTO, *Luſitano l.*1. *prax. admir. obſ.* 23. *&* 24. paratus nempe ex ſucco foliorum viridium cum melle. Hoc Syrupo aliis omnibus irritis remediis pertinaciſſimam Epilepſiam, quotidie 40. dierum ſpatio aſſumpto curavit. Hæc ſunt *primaria ex regno vegetabili*, quibus ſubinde adduntur alia *remedia cephalica* quæcunque: In ſpecie etiam *aromatica:* Hæc in varias compoſitiones combinant. Hinc *aqua Epileptica* LANGII, *aqua Epilept.* KOLREUTERI, *aqua Epileptica* DORNKREILLII & ſimiles aliæ.

Modus præparandi pro varietate auctorum *variat.* Quibus Medicus ſibi hanc præparat aquam Cephalicam Epilepticam. (ſaltim pro formula:)

♃. Fol. & flor. ſalviæ ℥viij.
Flor. lil. convall. ℥iij.
Lavendul odoratæ ℥j.
Radicis Pœoniæ veræ ℥ij.
fol. & flor. Majoranæ.
Cubebarum optimarum ana ʒß.
Cinnamomi electi ʒij.
Caryophyllor. ʒiij.
Macis ʒij.

Infundantur cum Vini Rhenani Optimi lib. 14. Macerentur per dies 14. Hinc deſtillantur in baln. mar. Qui novit materiam Medicam, facilè poteſt combinare tales aquas. EX REGNO ANIMALI ad Epilepſiam, commendantur imprimis *remedia humana* ſ. *ab homine deſumpta*, quæ inter eminet *ſanguis humanus* & ex hoc paratus *ſpir.* & *ſal vol. & Ol.* Singulariſſima hic ſunt remedia *ſpirit. ſanguinis humani, ſal vol. Acuatus*, qui & ad *Epilepſiam hæreditariam*, ſi quid aliud conferre ſolet; d. obſervetur, quod dicit LINDANUS: cum ſanguine humano & ex illo elicito ſpiritu certò curari poſſe Epilepſiam: Sanguis v. debeat peti ab homine Recenter Decollato. Nam ſi hauriatur ſanguis ex homine ſano nihil efficitur. *E decollato recenter eſt petendus, & in vaſe cum pauxillo ſpirit. vini circulandus.* Ipſe reddit rationem hanc, quod ſcil. in homine decollato præ metu mortis ſpirit. ejus quaſi coaguletur & concentretur. Quicquid ſit hoc certum eſt, quod *ſpirit. & ſal vol. ſanguinis humani* ſint decantata ad Epilepſiam remedia B. D. MICHAEL miſcebat *ſpiritum ſanguinis humani cum ſpiritu vitrioli cephalico* (de quo poſtmodum) emergit exinde miſtura ſubviridis & ſub cœrulea, quà ipsâ etiam Hæreditarios Epilepticos ſe curaſſe idem teſtabatur.

Poſt ſanguinem humanum eſt imprimis *ſecundina humana, quæ putrefacta dat ſpiritū volatilem*, qui præter ſingulariſſimos uſus in affectib. mulierum, Epilepſiam potenter ſanat, Secretum quo aliquando REX POLONIÆ fuit curatus, datur ſpiritus *à gutt. xv. ad xxx. pulv. v. ex ſecundina præparata ad* ʒß. *luna decreſcente* propinandus. Sequitur *cranium humanum ex homine violentâ morte interempto* deſumptum, *in ſpecie* quidem *os ejus triangulare vel triquetrum* factum ex concurſu ſuturæ ſagittalis & Lambdoideæ vel *ſolum præparatum* aut *philoſophicè calcinatum* ſ. igne aut quod omnium optimum *ſal. vol. & ſpir. urinoſus ſal. vol. concentrato turgidus*, mirè convenit ad curandam Epilepſiam; *calcinatum ſine igne* aut *ſolum præparatum datur à* ℈j. *ad* ℈ij. *ſpiritus* v. prout fortis vel debilis *à gutt. xv. ad xxx. ſal vol. à* ℈ß. *ad gr. xv.* Quin & *oleum cranii humani* quod ſimul prodit per deſtillationem rectificatum, & *vertici inunctum* præſentiſſimum dicitur remedium ad arcendū paroxyſmum Epilepticum: (quod credo, eſt enim ſal vol. concentratum) quin & *oleum ſuccini permiſtum cum cranio humano pulveriſato* denuo deſtillatum forti igne gradatim: & ſic habebitur *Ol. Ant-Epilepticum* excellentiſſimum: ſi fœtor eſt inimicus circulandum prius venit cum ſpiritu vini.

Juxta cranium pergo *ad cerebrum humanum* cujus *ſpiritus & oleum* ad imitationem HARTMANNI præpa

præparatum, admodum convenit Epilepſia. Quæ dixi de Cranio & Cerebro, magis adhuc intelligenda de *Uſnea cranii humani ex patibulo ſ. capite rota fracti collecta*. Hæc Uſnea in quâ confermentata eſt mumia capitis microcoſmi ſingulare eſt anti-epilepticum. Quin & *oſſa humana* reliqua *ex homine violenter occiſo* deſumpta deſtillata aut præparata ad affectus convulſivos ſunt egregia.

Juxta oſſa humana *Dens Hippopotami* eſt ſingulare ſpecificum in convulſione quacunque quæ *præparatus ſine igne* aut ex eodem deſtillatum *ſal vol.* mirè conducunt ad Epilepſias, item ad convulſiones quaſcunque internas & externas. Externè enim fiunt ex hoc dente *annuli*, qui annuli membro convulſo inſerti aut etiam digitis pedum in ſpaſmo flatulento applicati, mirè conveniunt ad membra convulſa aut ſpaſmo correpta. NB. Ulterius *è regno animali eſt Caſtoreum* excellens anti-epilepticum: in ſpecie quidem ſi ad imitationem Barbeti infundatur *cum ſalibus volatilibus in ſpiritum vini*.

ſcil. ℞. Sal. vol. ſuccini.
Cranii humani ana ℈j.
Caſtorei ʒij.

Quæ infunduntur in ſpiritum vini, circulantur & digeruntur, fit exinde Tinctura Epileptica elegans; imprimis a. convenit *Caſtoreum* in convulſionibus internis ſeu in ſpaſmaticis convulſionibus partium internarum quales ſunt paſſio hyſterica, item Colica convulſiva. Sicut etiam in quacunque partium convulſione Tonica ab omnibus autorib. mirè commendatur: quin & *applicatum Caſtoreum cum Clyſteribus* in Epilepſiis interdum admodum conducit.

Quæ ſupra dicta fuerunt in vertigine de *ſtercore pavonis*, & ipſa ſimiliter valent in Epilepſia. Videatis egregiè de hoc diſſerentem Borellum *cent. 3. obſ. 13.* qui habet experientiam de cura epilepſiæ per ſtercus pavonis: Quacunque ratione applicetur, *ſive in ſubſtantia ſub forma pulv. cum appropriatis: ſive infundatur in vinum*, maceretur & propinetur.

De *Hirundine & Alce* nihil dico, quoniam de illis res eſt ſatis nota, quod conveniant ſingulariter in Epilepſia.

Adhuc *ova Coturnicis* huc pertinent, quæ *exſiccata & pulveriſata ad ʒß.* propinata ſunt expertum ſpecificum Hoferi *in Hercule Medico p. 12.*

Pergo ad REGNUM MINERALE, in quo primatum obtinent *ſulphura antimonii fixa* imprimis denudata, ſive ut ſub forma ſulph. appareant, quippe quæ participant de natura auri. Hæc inter eminet 1. quidem *cinnabaris antimonii* quæ ipſa ſolet vocari *Magnes Epilepſiæ*: propter inſignes virtutes curandi epilepſiam. Sed neceſſum eſt ut ſit legitimè præparata & octies ſublimando deputata. Qui norunt ex hac cinnabar. antimonii parare (cum ſpiritu quodam vegetabili) Tincturam habebunt egregiè Anti-epilepticam. Hoc facit *remedium* quod vocatur quibuſdam *Aſtrum mercurii ſecretum*, factum ex cinnabari antimonii, beneficio menſtrui ex nitro & ſale gemm. parati, quod tandem præcipitatur in Cryſtallos auratos inſtar croci qui mirificè conveniunt in Epilepſia. Verum præter vulgarem cinnabar. antimonii adhuc eſt ſubtiliſſimum *antimonii ſulphur*. potentius quàm ipſa cinnabaris: paratur ex liquore in quo præcipitatum fuit Sulph. auratum antimonii ex ſcoriis reguli antimonii: iſte liquor ex quo & per quem præcipitatum fuit Sulph. antimonii auratum ex ſcoriis reguli antimonii, ita ut omninò appareat limpidus, ex ea inſtillatione ſpiritus Salis Ammoniaci adhuc præcipitatur Sulph. antimonii coloris aurantiorum ſubtiliſſimum & admodum elegans, cujus virtutes ſi non ſuperant, certè æquant virtutes cinnabaris antimonii in cura Epilepſiæ.

Poſt Antim. eſt *vitriolum* admodùm commendatum Paracelso ad curam Epilepſiæ. In ſpecie *ſpiritus vitrioli*; verùm non intelligendus eſt ſpiritus vulgaris ſed *ſpiritus vitrioli vol.* & qui per nouum alembicum eſt prolectus uti loquitur Paracelsus: cum hoc ſpiritu vitrioli fit *arcanum Caduci* Paracelsi ex ſpiritu ſcil. *vitrioli vol. ſpiritu Tartari vel. & ſpiritu Theriacali camphorata*: vocatur etiam alias *miſtura ſimplex*: quam & nos habemus, ſed illam ingreditur ſpiritus Vitrioli non volatilis, ſed corroſivus item *phlegma ex Tartaro* unde eſt impoſtoria compoſitio; item vocatur ſpecificum in peracutis. *ſpiritus Vitr. vol. ita debet præparari*, ut Vitriolo ipſo quidem phlegma præcedat ſpiritum vol. quando verò ſemel eſt prolectus ex vitriolo, tunc eſt ita vol. ut ſub forma ſtriarum phlegma antecedat, quod guttatim denuò ſequitur. In hunc finem calcinandum eſt Vitriolum in ſole quo ſenſim exhalet ejuſdem phlegma aquoſum, blandâ v. iſta digeſtione ſimulque aliquali in aëre fermentatione facilitetur ſpir. Vitrioli vol. egreſſus. Loco hujus ſpiritus Vitrioli vol. veri ſaltim imitantur volatiliſationes Vitrioli beneficio nempe urinæ humanæ & beneficio ſpirituum vegetabilium vid. Cum *urina humana* notus eſt *ſpiritus Vitr. vol. Epilepticus* Quercetani, qui parandus eſt ita ut nempe calcinetur Vitriolum in ſole, donec perfectè albeſcat, (id quod fit optimè in diebus canicularibus Menſe Julio & Auguſto, quo etiam paratur pulv. ſympatheticus) Deinde ſpiritus urinæ qui abſque fermentatione paratur ipſi commiſceatur, ut ex miſturâ Vitriol. inſtar pultis evadat. Et hoc tunc deſtillatur ordine ſpiritus ex aren. igne tamen paulò fortiori. Hic poſtmodum 5ies benè eſt rectificandus & fit ſpiritus Vitrioli anti-epilepticus non inelegans.

Dixi etiam quòd volatiliſetur ſpiritus Vitrioli beneficio ſpirituum vegetabilium, qua ratione ſpiritus Epileptici & cephalici noſtrates fiunt, quin ſpiritu Cephalici vegetabiles compoſiti affunduntur capit. mort. Vitrioli per regenerationem denuò impragnato: ſic enim poſtmodum imbibitum ita Vitriol. per ſpiritum vol. & deſtillatum, dat *ſpirit. Vitrioli cephalicum ſ. Epilepticum* admodum egregium, qui eſt ipſe qui miſcendus eſt *cum ſpiritu ſanguinis humani ad curam Epilepſiæ hæreditariæ*; uti antea monui. Denique inter mineralia adhuc eſt *ſuccinum* elegantiſſimum Epilepſiæ & convulſionum remedium, cujuſque *ſal. vol.* admodum potens eſt in curandis convulſionibus in ſpecie in febrib. malignis ſupervenientibus. Hinc *liquor C. C. ſuccinatus* aut *ſal vol. ſuccini cum ſpiritu ſanguinis humani* miſtum, ſunt compoſitiones efficaces in Epilepſia & convulſionibus. Nam in cura Epilepſiæ neceſſe ſunt quæ cum impetu quodam penetrant. His ipſis interdum *Camphora* additur, quæ figit quodammodo ſpiritus animales & ad naturalem motum reducit. Unde etiam *Camphora* vim habet ſomniferam. *Ex* his & ſimilibus variæ immò innumeræ poſſunt fieri *formulæ* v. gr.

℞. Cinnab. antimonii.
Succini præparati ana ℈j.
Caſtorei gr. xij.
ſal. vol. ſuccini.
Cranii humani ana ℈ß.
Camphoræ gr. iij.
M. Fiat pulv. pro tribus doſibus.

Cujus vehiculum ſit:
℞. Aqu. lil. convall.
Ceraſorum nigrorum
florum Tiliæ ana ℥j.
Eſſ. florum anthos ʒij.
ſpiritus cranii humanii ʒj.
ſyrupi Flor. Tunicæ ℥j.
M. pro vehiculo.

Vel: ℞. Aqu. flor. Tiliæ.
Ceraſorum nigrorum.
Salviæ ana ℥j.
Liquor C. C. ſuccinati ʒiij.

Spiritus

Spiritus Theriacalis camphorati ʒj.
ſyrupi de pœonia ℥j.
M. F. pot. anti-epilept.
ter vel quater in die 3. vel 4.
Cochlearia pro doſi.
Item ♃. Aqu. ex Typhis cervinis ℥ij.
Cerebri humani ſpirituoſi ʒj.
ſpiritus ſanguinis humani ʒiß.
ſal. vol. cranii humani gr. xv.
ſuccini ℈ß.
Laudani opiati gr. v.
ſyrupi ſtachados Arabicæ ℥j.
M.

Quod attinet *externa* ad Epilepſiam commendantur, *præter Amuleta* de quibus ſuperius dixi, quæ inter primatum obtinet *Sambucus creſcens ſuper ſalicem*, de quo experimentum egregium vid; in BARTHOLINO *cent.4. obſ.69.* Præter hæc Amuleta, imprimis *inunctiones cum Ol. deſtill. ſuccini, Balſamo Peruviano cum Ol. Majoranæ* & ſimilibus conveniunt. Item *Cingulum ex corio humano* admodum convenit, ſi lumbis ſpaſmo correptis ſ. convulſis circumligetur, aut etiam toti corpori in regione hypochondriorum circumducatur. Hoc ipſo efficacior dicitur *nervus crurum inſignior parti convulſæ circumligatus.* De *annulo ex dente Hypopotami ex Vngula alcis, ex cornu buxali* item ex *electro majori* PARACELSUS, notum eſt, quod etiam commendentur à quàm plurimis in Cura Epilepſiæ & convulſionum. Hæc ita ſe habent *extra paroxyſmum: In ipſo paroxyſmo*, ſi ſit gravior, ad *Excitandum Epilepticum* mirè *conducit vomitus*: quoniam autem propter arctè clauſa labra & propter convulſionem muſculi temporalis maxillæ arctius ſervantur, ob id ad manuductionem BORELLI, aperiendum eſt os admovendo pollicem & digitum minimum ad oris latera, fortiter comprimendo: ſic enim, licet cum dolore, os aperitur; quo facto inſtillandum ori blandum vomitorium, quod admodum conducit ad ſuſcitandum Epilepticum. *Loco vomitorii Clyſteres acres* admodum ſunt egregii, quibus admiſcetur ℈j. *ſal. vol. C. C. vel ſal. vol. ſuccini*: Mirum quantum conveniant hæc ſalia vol. cum clyſteribus injecta: in ſpecie ſi adſit ſimul Epilepſia interna. Ulterius *ſternutatoria ex radice pyrethri. Helleboro albo, Caſtoreo, Vitrioli calcinato vel ſal. Vitrioli* narib. inſuflatum excitant etiam Epilepticos, aut ſolus *ſpir. ſalis ammoniaci fortior* in vitro longi colli naribus admotus Apoplecticos & Epilepticos exſuſcitat. *Suffitus ſuccini* admodum convenit in exſuſcitandis Epilepticis aut etiam *Ol. ſuccini gut. 3. vel 4. in aqua appropriata* intus propinata in paroxyſmo mirè conducunt. Quin & ſimilia ſpirituoſa & volatilia per os injicienda in paroxyſmo, ut facilius & citius ad ſe redeant ægri.

Lingua, in paroxyſmo vehementius ſauciata à dentibus curatur inſperſione *pulveris lap. cancr. fluviatil.* & illinitione *extr.* cujuſdam *vulnerarii ſaccharati.* Vid. *MAN. C. Ann.4. p. 295.* Hæc quæ modo dicta ſunt, omni in genere convulſioni & in ſpecie convulſioni Clonicæ ſeu Epilepſiæ conveniunt. *Cauſa* hujus convulſionis in ſpecie ſic dictæ eſt *irritatio partis nerveæ*, admodum ſenſilis continua, in eodem loco, & eodem ferè modo. Cujus occaſione continuata nec interrupta, raro copioſè influunt ſpiritus animales & ita in continuata contracturæ fibras & conſequenter partem ipſam retinent. *Irritatio hæc* nunc eſt *manifeſta*, ſeu ab agente qui ſenſibus patet, inducta, nunc eſt *occulta*, ſeu ab agente minus ſenſili nata. *Ex manifeſta* irritatione fit *convulſio in Ven. ſect.* ſi nervus lædatur punctim. It. *in purgationib.* nimiis, qua ratione ex aſſumptione *gillæ vomitivæ* convulſionem 30. horarum lethalem refert HEER *obſer. 26.* Pariter *antimonialia & mercurialia* non ritè præparata & intempeſtivè adhibita eandem dant calamitatem. De *Euphorbio* ſimile exemplum habet TULPIUS *lib. 1. obſ.15.* Item *læſiones* partium *externæ*, ut cum ex fractura tibiæ, ex ictu ſclopeti ſpaſmum opiſthotonum, tandem tetanum & ſic mortem notavit *Hochſtetterus, Decad. 5. caſ.6.* Sic ex clavo pedis digito infixo opiſthotonum refert SCHENCK. *in obſ. ubi de convulſion.* Per venæſectionem læſo nervo convulſio lethalis oborta, referente SCHENCK. *l. c.* Ex læſionibus nervorum in cruribus ſpaſmum cynicum idem notat. Et in genere quævis *læſiones nervorum*, membranarum, tendinum præcipuè in articulis, convulſiones inferre ſolent. *Vulnera* quoque capitis huc pertinent. Si quidem ex cutis vulnere in latere ſiniſtro capitis, ſpaſmum ingentem cynicum & univerſi corporis tetanum obſervavit HILDANUS *cent.5. obſerv.9. Mercurialia unguenta* huc pertinent, ex quorum uſu convulſionem capitis ad latus ſiniſtrum ut naſus & humerus rectâ lineâ copularentur, &c. refert BARTHOLINUS *cent.4. hiſt.48.* Denique ex epota aqu. fort. membrorum inſignem contractionem vid. in Act. Med. Haffn. vol.1. p.210.

Quoad irritationem occultam, non rarum eſt, *febres* quasvis præſertim *acutas & malignas* malè judicatas terminari in convulſiones. Sic *convulſionem à tertiana* per metaſtaſin, febrim ſolviſſe, teſtatur *Bartholinus, cent.2. hiſt.93. Ex eryſipelate* & febri ſpaſmum opiſthotonum refert *Schenck in obſer.* Hinc *podagra* laborantibus ſupervenit interdum convulſio, contra *Galeni* aſſertum, de qua vid. *Hofer. Hercul. Med. pag.14.* Nec rarum eſt in *arthriticis*: it. *hypochondriacis* & ſimilibus, ſi acidum illud volatile peccans ſe inſinuet profundius in partes muſculorum fibroſas & tendinoſas, easdem rigidas duras & intractabiles reddat, ibid. nutrimentum earum ſpermaticum chyloſum coagulari & in materiam tartaream qs. gypſeam tranſire. Unde omni penitus motu ſublato pars iſta poſtmodum contracta & immobilis manet. Pertinent huc *varia recrementa inter cerebrum depoſita*, ſpaſmos inferentia. Sic *Rhodius cent. 2. obſer 94.* refert de muliere convulſa, in qua omnes cerebri ventriculi *ſero limpido bilioſo* referti fuerunt, ex quibus etiam in ſpinalem medullam profluxit. Et *Schenckius* in opiſthotono mortuo capite duo cochlearia *aquæ acris* intra membranam duram & cerebellum invenit. Facit huc obſervatio *Tulpii cent. 1. cap. 32.* Ubi convulſiones corporis cum dolore capitis expulſo *pure* ex naribus curatæ. Denique in India Orientali *epidemicum malum* eſt varii generis *convulſio*, de quo eleganter ſcribit *Bontius de Medicin. Indor. cap.2.* Pertinet huc *ſpaſmus flatulentus*, vulgò dictus *der Krampf*, non cura ſaltem, ſed etiam alia muſculoſa loca ſubinde affligens, ex ſubtili acri humore ſeroſo, muſculos ſubindè affligente, oriundus. Ex dictis patet, quodnam ſit *ſubjectum convulſionis*, ita quidem ut nunc in ipſo *ſubjecto inhæſionis* ſeu parte contracta ſimul ſit fomes ſeu radix mali, ſeu *ſubjectum radicationis*, nunc vero differant, unde *convulſio* partis nunc *per eſſentiam*, nunc per *conſenſum* eſſe dicitur.

Quoad *curam*: In hac imprimis *cauſa removenda*, partes nerveæ leniendæ ac *irritatio* earum *ſopienda*; hinc eædem roborandæ, adeoque ſemper *univerſalia* præmittenda ſunt, quæ inter *clyſmatum* injectio perquam proficua obſervatur, ſicuti urgente interdum graviore dolore ſimul ad *opiata*, ſed *appropriatis* miſta, accedendum.

Remedia interna ſunt quælibet *carminativa, cephalica & antepileptica*, in ſpecie *caſtoreum* & omnia ex hoc ipſo præparata, *Salvia, lavendula, ſuccinum, roſmarinum*, ejuſque *decoctum, ſpir. vin. theriacalis, ſpir. vin. camph.* item pertinaciori in malo, *decoctum lignorum* præſertim *Guajaci & juniperi* ſunt optima; hinc *cinnabaris* & quælibet alia epileptica præſertim *volatilia* conducunt.

Sed præter dicta in convulſione partium Tonica, dum pars convulſa rigida manet, & metus eſt ne

omnino

omnino contracta permaneat, *externa* nonnulla ſub *forma inunctionis Oleoſa & ſpirituoſa* applicantur, quæ ipſa tamen in genere, quo minus ſunt unctuoſa minuſque oblinunt aut infarciunt poros, ècontra quo ſunt potentiora magiſque ſpirituoſa, eo melius conducunt. Præ cæteris *lumbricalia* hic conveniunt nempe aut *Ol. lumbricorum Terreſtrium*, aut *ſpiritus lumbricorum Terreſtrium*: aut hocce *linimentum* quod expertum eſt in convulſione à Cholerâ *à* FORESTO *lib.* 10. *obſer.* 110. cum intenſo dolore; Præſcriptio eſt hæc:

♃. Ol. Irini
Vermium Terreſtrium ana ℥ij.
Caſtorei pulveriſati ℈iiij.

Miſceatur bene & inungatur membrum ſpaſmo correptum calidè. Aliàs præter Ol. vermium Terreſtrium, item præter ſpiritum lumbricorum Terreſtrium, conducunt *Oleum vulpinum*, *oleum de Caſtoreo*, *oleum philoſophorum*, *oleum petroleum*, *oleum ſuccini Ol. deſtillatum Terebinthinæ*, *Balſamum ſpaſmaticum* MYNSICHTI. *Pinguedo humana*, imprimis tamen *axungia ſ. pinguedo anſeris* aſſando deſtillata, quando prius anſer repletus fuit ſpecificis plantis nervinis. *Methodum* videbitis in RIVERII *praxi*, item *in obſ.* 8. *à* PASCHEQUO *communicatâ. Ol. ſuccini cum Ol. petroleo miſtum* in contractura rigidâ & à cauſa frigida occaſionali ortâ, inunctum admodum commendatur. It. *ſpiritus Theriacalis camphoratus*, cum *Caſtoreo* miſtus, *aqua hirundinum cum Caſtoreo* & ſimilia commendantur valdoperè. Sunt qui convulſos & membrorum contracturâ laborantes ſic ſanant. ♃. Urinam Veterem coquunt cum micâ panis ſiliginei addendo parum aſæ fœtidæ, & ita inungunt parti affectæ. *In unctione Ol. lini* duos Tetano affectos curavit RULANDUS *in Curationibus Empiricis pag.* 53. *olea item deſtillata juniperi*, *ſuccini*, *ſpica galbani* & hinc *galbanetum Paracelſi*, quibus etiam ſubinde *oleum de euphorbio* additur, quod optimum, ſed quia nimis fortè, cautè adhibendum. Hinc

♃. Ol. tereb.
lumbric. terreſt. an. ℥ß.
pingu. human. ℥j.
canis ℥ß. M. F. litus.

Penotus ſequens *linimentum* mirè prædicat ad convulſionem brevi tempore diſſolvendam.

♃. Ol. terebinth. ʒß.
caryophyllor, gut. vj.
mucilag. bryon. q. ſ. pro conſiſtent. M. & inunge locum affectum.

Denique *unguentum nervinum*, *dialth. ſpaſmodic. Mynſich.* commodè applicari poſſunt imponendo deſuper *emplaſtrum nervinum* uſitatum. Hæc in genere.

Quod ſi in ſpecie fiat convulſio ex punctura nervi in inepta Ven. ſect. optimum eſt inſtillare vulneri *ol. deſtillat. therebinth.* ſeu *ol. laterin.* vel *ol. ceræ*, & imponatur emplaſtrum.

♃. Euphorb. ℈j.
terebinth. ℥ß.
ceræ parum. M. pro emplaſtro quod deſuper imponatur, vel vulnus dilatetur, imponatur *ol. terebinth.* ſed conferatur in ſpecie hic SYLVIUS *l.* 2. *c.* 23. §. 84. it. SCULTETUS *in armament. Chirurg. obſ.* 64. Aliàs contra partem dolentem nimiſque tumidam ex Ven. Sect.

♃. Pingu. vulp.
taxi an. ℥iij.
ol. deſtill. ſpic. ℥ß.
maſtich. ʒij.
vini ʒiij. M. ad ignem illinatur calidè; ſicut in dolore, tumore, ac livore partis *Cataplaſma* ſequens egregium

♃. Herb. agrimon.
chærefol.
Flor. chamomill. an. Mj.
Rad. ſymphyt. maj. ℥ij.
ſigill. Salomon. ℥iß.
Sem. lini, fœnugræc. an. ℥ß.
coq. in ſ. q. aqu. ad conſiſtentiam cataplaſm. & ſubinde applicentur.

Quod ſi fiat convulſio ex articuli luxati reſtitutione, curandi rationem docet SCULTETUS *in armament. Chirurg. obſ.* 28.

Quod ſi ex vulnere partis fiat convulſio, illinatur pars *ol.* ſeu potius *liquore oleoſo lumbric. terreſtrium*, *ol. deſtill. terebinth.* vel vulneri inſtilletur *balſ. ſulph. terebinth.*

Quod ſi fiat convulſio ex ictu venenati animalis, vel in leviore malo *ol. ſcorpion.* illitum convenit; vel in graviore *cucurbitulæ ſcarificatæ*, vel *cauterium actuale* ſupra partem læſam imponatur. Aut etiam *emplaſtrum magneticum arſenicale*, malaxatum cum *ol. bufonum* aut *ſcorpionum* imponatur. Internè *Theriaca* cum *Gentiana* miſta propinetur, imperando ſubindè ſudorem. Si *ex hypercatharſi*, vel violentiore purgante oriatur convulſio, internè *opiata* & *theriacalia* ſufficiunt.

In ſpaſmo flatulento ſufficiat levis fricatio partis aut panno aſpero aut manu calida, aut illinatus *ſpir. baccarum juniperi*, aut *ſpiritus theriacalis.* Ad hujuſmodi ſpaſmum flatulentum expertum dicitur *unguentum Cratonis.*

♃. Axung. Anſer. rec. ℥iv.
ol. deſtillat. caryoph. ℈ß.
cinnam. gt. v. M.

In ſpaſmo gravidarum præſertim flatulento euporiſton eſt *matricaria.* Herba illa contundatur, ut fiat ſucculenta, imponatur cervici, nunc ſola, nunc cum *verbena* miſta.

In *Contractura*, à cauſa interna *volatilia* acidum corrigentia & hinc *temperata*, iſtud obtundentia, & ſuccum nutritium laudabilem ſuggerentia ſunt optima. Sic *contracturam* totalem *ex arthride* relictam, continuato *lactis uſu* curavit TACKIUS *in Phaſ. Soph.* 2. *pag.* 128. Locuti ſumus hactenus de convulſione motibuſque convulſivis & morbis, qui huc faciunt. Quibus ratione cujuſdam affinitatis meritò annectitur.

TREMOR.

Nam in hoc cum motu naturali & voluntario ſimul aliquid convulſivi concurrit: dum in motu membri v. g. ſurſum directi, membrum ſubinde remittit & in contrariam partem nonnihil abducitur prævalente tandem motu intento primario. Unde prout *ratione graduum major vel minor eſt partium Tremor.* Hic etiam *vel ſimplex* eſt *vel convulſivus. Ille* (nempe tremor ſimplex) *eſt minor & vulgaris* tremor, qualis *poſt crapulam* aut poſt *affectus animi graviores*, in ſpecie *iracundiam* ſubinde apparet. *Hic* verò (nempe Tremor convulſivus *eſt major* qui interdum *in remiſſione paroxyſmorum Epilepticorum* accidit, donec omninò ceſſet cum paroxyſmo ipſe tremor.) Dicitur ergo hic *tremor convulſivus*, σπασμὸς τρομώδης, adeò ut tremor ad motus corporis depravatos omninò revocandus ſit. Tremor.

Nam qui *tremore laborant, membra liberè movere & protenſa aut ſuſpenſa continere nequeunt*, quin vibretur iſtud & modo ſubſultando modo declinando vitioſe agitetur, *ſive totum corpus* omneſque artus, *ſive unum tantum alterumve particulare membrum* ita ſit affectum, *vulgò cauſa Tremoris* dicitur *lucta inter facultatem motricem debilitatem & gravitatem membri*, ita ut illa ſufficienter movere membrum nequeat, quia hujus (nempe membri gravitas) collata cum illius (nempe facultatis motricis ut vocant) imbecillitate, præponderat ita ut ſufficienter membrum moveri nequeat. *Sed* quacunque ratione explicetur, *hac ſententia*, & quicquid

quid etiam intelligatur per facultatem motricem, tamen *inſufficiens eſt.* Ratio quia in tremore omninò ſufficienter movetur membrum: extenditur pes, arripitur aliquid brachio & manu & etiam retinetur, ſed depravatè: vitium nempe cujuſdam inquietudinis & præterea inordinati membri motus, adjunctum. Unde non imminutè, ſed depravatè membrum movetur. Facultas enim motrix debilitata præſupponit motum imminutum non depravatum. 2. Si oriretur tremor à facultatis motricis imbecillitate, ut dicunt, tunc non fieret tremor, ſ. tantum fieret tardior & difficilis membri motus, non vero depravatus.

CAVSA ERGO GENVINA TREMORIS, *eſt actio duorum muſculorum ſimultanea* ſive eodem tempore inſtituta, ſive ſint antagoniſtæ muſculi, ſive non, ſed tantum tales, qui aliquo modo ad membri motum concurrere ſolent vel adjuvant.

Inter actiones tales muſculorum alia eſt principalis & intenta, *altera v. eſt minus principalis* & præternaturaliter adjuncta, ita ut dum unus muſculus, brachium extendit, alter ſimul agens eundem nonnihil torquet, aut flectit, vel alio modo vitioſè movet. Unde *prior* actio dat motum voluntarium intentum, *poſterior* v. dat motum præternaturalem & quaſi convulſivum ſupervenientem. *Vnde* iſte affectus nempe *Tremor. Cauſæ* hujus *duplicatæ muſculorum præternaturalis actionis ſunt*, ſicut in ipſo naturali motu, *ſpiritus animales*, qui ut naturali motu influentes movent membra naturaliter, ita etiam præternaturali motu depravatè eadem agitant, & quidem ſpirituum in Tremore vitium eſt talis motus inordinatus, ut cum in unum muſculum agilius & copioſius influere debeant, motu uniformi, in geminos ſeu binos diſtinctos diſtribuantur ac ita difformem motum inducant: Idque vel *ex proprio vitio*, vel *ex vitio ipſius partis recipientis. Proprium vitium* eſt *cum iidem ſpiritus confuſe admodum & erroneè moventur in affectibus animi* gravioribus v. gr. *Terrore*, *metu*, *irâ* & ſimilibus aut cum iidem *narcoticâ facultate*, *nonnihil fixiores depravatè & inordinatè per nervos feruntur.* Quâ ratione *poſt Potum vini generoſi nimium* (ex vi ejus narcoticâ) membra ſubinde trement. Item *poſt incontinuum narcoticorum uſum* v. gr. *Opiatorum*, *Hyoſcyami*, &c. ſubinde membra trement ſic FONSECA *lib.* I. *conſ.* 38. obſervat *Tremorem ex largo vini*, ejuſque *ſemicorrupti potu. Partis recipientis vitio* fit tremor, quando vel *nervus* per quem influere, vel *muſculus*, in quem evibrari debet ſpiritus animalis, *ita ſunt vitiati*, *ut ob poros aut meatus difformatos* ſ. non legitimè conformatos, aut *fibras non legitimè ſitas* aut diſpoſitas, aut etiam *nonnullos meatulos* omninò *interceptos* vel *obſtructos*, *legitimus motus ſpirituum animalium nonnihil pervertitur*, ita ut & in muſculum primariò motui intento deſtinatum, & ſimul quaſi quadam deviatione ſimul in vicinum ferantur.

Faciunt huc imprimis *venena Mercurialia.* Nam notum eſt, quod ii qui talia tractant v. gr. *auri*, *fabri*, ſubinde trementes fiant, item quod ii qui incauti, *cingulo ſapientiæ* ſ. *Mercuriali in propellendâ ſcabie* utuntur, & his ipſis interdum tremor ſuperveniat.

Facit huc etiam *nimia refrigeratio partis:* Sic namque BORELLUS *cent.* I. *obſer.* 84. *Tremorem à nimio aëris frigore* venæ ſectione curatam obſervat. Hinc etiam *potus nimis frigidorum* v. gr. *copioſæ aquæ frigidæ in febribus*, aut *potus nive & glacie immoderatè refrigeratus*, auctore SENNERTO interdum tremores inferunt. *Sanguinis ſolemnes excretiones ſuppreſſæ* & ipſæ ſuo modo Tremorem inducunt aut ſaltim mala Tremori vicina, quæ inter ſunt primariò *menſium & lochiorum ſuppreſſio*, item *Secundinæ Fœtusque mortui retentio.* Sic LANGIUS *lib.* 3. *Epiſt.* 2. refert tremorem brachiorum & cordis, ob defectum evacuationis *lochiorum* in puerperâ. Facit huc etiam obſervatio FORESTI *in lib.* 10. *obſ.* 110. de muliere quæ fluentibus menſibus, menſe Majo venam ſecavit, unde menſes ſtatim retracti ad ſuperiora & reſtricti fuerunt: poſt ſingulis menſibus minus profluebant, & ſemper eodem tempore ſimul experiebatur palpitationem tremulam in brachio eodem, in ſpecie in loco ubi vena prius ſecta fuerat, non ſine moleſto ac magno dolore, atque hæc ſingulis periodis lunaribus patiebatur. Tandem ad ciendos menſes ſecta Saphena fuit (fuit hic affectus ſimilis tantum tremori) denique notum eſt, quod *tremor in febribus malignis* non ſecus atque convulſio, *non raro ſupervenire* ſoleat.

QVOD ATTINET SIGNA DIAGNOSTICA.

Tremor ſeipſum oculis prodit tàm univerſalis quàm particularis, tam magnus quàm parvus. Et ab aliis *affectibus diſtinguitur*, quod ſemper ſit *conjunctus cum motu voluntario*, quem ſupervenit. Niſi enim membrum moveatur, voluntario motu aut extendatur, nunquam tremor oritur. Quâ ratione *à paralyſi & convulſione* diſtingui poteſt.

Signa Diagnoſtica Cauſarum ex antecedentibus & adjunctis circumſtantiis facillimè cognoſci poſſunt. Si enim ſit vitium ſpirituum animalium reliqua ſigna facultatis ut vocant animalis læſæ ſimul notantur. Sin verò in ipſis membris reſideat vitium ferè particulare eſt ſymptoma, præceſſerunt cauſæ ſpeciales membrum unum alterumve lædentes.

QVOAD PROGNOSIN.

Tremor ſi ſuperveniat aut ſuccedat paralyſi non eſt malum: indicium enim eſt paralyſeos remittentis & motus naturalis nonnihil redeuntis. *Tremor* ipſe à *cauſis internis* pendens, utut minimè ſit pericoloſus per ſe, tamen quoniam facilè degenerat in alios graviores affectus v. gr. in *paraliſin*, *Apoplexiam* in *lethargum*, in *ſpaſmum*, &c. ob id ratione horum conſequentium *non eſt negligendus. Tremor qui corripit ſenes*, *vix curari poteſt*, quia ut plurimum hos ad mortem comitatur. *Tremor hæreditarius* ſeu cujus parentes ſimili affectu laborarunt. Item qui *ex vitioſa diæta* ſucceſſivè, ſed tn. confirmatè fuit, in his *rarò* etiam *perfectè curatur.*

Tremor ſi permutetur in convulſionem pericoloſam. Si in *febri ardenti tremoribus ſuccedat delirium*, ex metaſtaſi materiæ morbificæ, res eſt *periculoſa*, cum delirium periculoſius ſit ſymptoma quàm Tremor, imprimis ſi ex metaſtaſi oriatur materia. Item HIPPOCRATIS eſt prænotio, *qui Tremores*, inquit, *ad manum reſiliunt*, *mali ſunt*: aliquando enim ſi ægri manus attentè conſideretur aut attingatur, contremiſcentem illam quaſi revelli ſubitò animadvertimus; Eſt ſpaſmus tromodes ſeu motus convulſivus & tremor compoſitus & periculum non leve portendit imminentem ſcil. convulſionem & ſimilia ſymptomata, in ſpecie in morbis ardentibus. *Tremor qui ſupervenit mulieribus poſt partum ex retentis* quibuſcunque, *in utero periculoſus* eſt affectus, ſubinde enim *Epilepſias lethales* inducit: Et denique *tremor in apoplexia* aut *lethargo* accidens *malum*, ſignum eſt proſtratæ omninò facultatis animalis ejuſque functionum.

Si *tremor eſt in labio inferiore*, notum eſt *ſequi vomitum*, qui tamen tremor in labio eſt potius motus convulſivus, quàm revera Tremor.

QVOD ATTINET CVRAM

Imprimis *removendæ ſunt cauſæ* quæcunque: Hinc *appropriatis nervinis & Cephalicis* tàm *internis* quàm *externis tremori ſuccurrendum. In genere* ea quæ in *paralyticis* laudantur, etiam in *tremore* convenire dicuntur. *Pro varietate* ergò *cauſarum*, *varianda cura. In malignis* danda *alexipharmaca*: in *reten-*

tis

tis uterinis vitioſis dentur *expellentia ex ſecundina*: ſi *ex fumis metallicis & Mercurialibus*, imprimis *mineralia conducunt*. Nam morbi à mineralibus inducti optimè mineralibus curantur. *In genere ad evacuandum corpus*, ubi neceſſarium fuerit in Tremore, conveniunt *pilulæ arthetica officinales*, miſcendæ *cum Mercur. dulci*. Item *Extracta Catholica cum* eodé *Mercurio*.

Aliàs *remedia appropriata ſunt*, ut dixi, *nervina* imprimis, tàm *interna* quam *externa*. Hæc inter primatum ferè obtinet *ſalvia*, ſic enim inter plura *ex ſalvia parata* quæcunque *Eſſent. ſalviæ ſpiritus ſalviæ*, &c. laudat FORESTUS *Cereviſiam ſalviatam lib.* 10. *obſ.* 99. dicit enim ſe noviſſe artificem valdè trementem, qui continuè hac Cereviſia Salviata utebatur & etiam *ſalvia cruda cum Pane butyraceo*, aut *ſalvia præparata cum cibis*, unde ſic tandem beneficio ſalviæ à Tremore liberatus fuit: idque *uſu interno*.

Aliàs pro *uſu externo aqua ſalviæ* & ſimilia laudantur; ſi nempe quotidie his laventur manus aliquoties & per ſe ſiccari permittantur. Aut etiam *cum Eſſent. ſalviæ, miſta cum Caſtoreo fricatio ſ. inunctio membri* inſtituatur, pro cura tremoris. Poſt ſalviam ſint *Stochas Arabica, anthos, primula veris, Meliſſa, Majorana* Præ cæteris ex *Meliſſa* parata remedia ſpirituoſa, ejus *ſpiritus & Eſſent.* item *folia Meliſſæ in vino generoſo* vel *ſpiritu vini infuſa*, præ cæteris conveniunt in cura Tremoris.

Porro *Radix acori veri*, uti etiam *ipſe acorus conditus. Radix pœoniæ & Helenii*, *ſemenque pœoniæ* laudantur. *In Baccis Iuniperi* ſingularis eſt vis nervina. Unde etiam *Eſſ. baccarum Iuniperi per ſpir. vini tantum parata*, aut *ipſæ baccæ ſpir. vini infuſæ*, ita ut quotidie tantillum hujus infuſi bibatur, ſimulque quotidie 10. *grana baccarum infuſarum devorentur*: Sic enim & nervi roborantur & tremor tollitur.

Aromata ceu egregia ad affectus nervinos, per ſe ſunt nota, in ſpecie *Nux Moſchat. Caryophyll. & Cinnamomum. Caſtoreum & omnia ex Caſtoreo parata, Eſſent. olei, extractum, interno & externo uſu* ſingulariter laudantur ad Curam tremoris: quò etiam facit *Eſſ. flor. anthos, Eſſent. Chamædryos, aqu. Theriacalis ſtapediana*.

Cerebrum Leporis aſſatum & comeſtum ab antiquis admodum laudatur. De hoc ipſo refert FORESTUS *lib.* 10. *obſer.* 99. ſibi eſſe relatum à Pharmacopœo fide digno, Artificem Bruxellenſem *eſu continuo cerebri leporis aſſati*, ſolum à Tremore liberarum fuiſſe. Aliàs notum eſt quod *uſus Ciconiarum*, *uſus palumbarum in cibis*, item *ſolum cerebrum palumbarum aſſatum* & devoratum, conducant contra Tremores. *In Tremoribus ſenum nimiis*, præ cæteris laudatur *fimus pavonis c.ſ.q. aqu. vitæ ſubactus & in potu* uſurpatus doſis ℨj. fimi una vicè ſufficit. Continuandus aliquandiu hujus uſus: de quo vidend. BORELLUS *in obſervat.*

Aliàs etiam *ſpecificum cephalicum* & ſimilia *Sulphurata Antimonialia*, *miſta cum oſſibus microcoſmi* præparatis, ſolent laudari in ſpecie quidem, *ubi ex veneno Mercuriali* eſt Tremor, inſigniter conducunt talia mineralia, ad hoc nempe, ut beneficio eorum eliciatur foras Mercurius, quo ſublata cauſa tollatur affectus. Aliàs *ad expellendum Mercurium & delendum ejus malignitatem*, in corpore tanquam ſummum ſecretum eſt *potio* iſta HOCHSTETTERI quæ

♃. Rad. Helenii ℥ij.
Rad. fœniculi ℥iß.

Quæ coquenda in liquoris cujuſdam ℔ijß. ad conſumptionem tertiæ partis, & ita ſubinde Bonus Hauſtus ſumendus, exſpectato Sudore, ſic enim partim expellitur, partim corrigitur Mercurius. ZACUTUS inungit unguentum ex auro quia Mercur. ſe ſubitò jungit auro. Ut ergo hic ipſe eliciatur ex corpore, tale unguentum erit admodùm conveniens.

Inter externa ad tremorem quemcunque, ex quacunque oriatur cauſa, tanquam indubitatum experimentum habet FORESTUS *frictionem & lotionem membri cum Vrina propriâ* recens excretâ. Poſt hanc lotionem *Spiritus Formicarum*. Item *ſpiritus lumbricorum Terreſtrium*, & cum his parata *Aqua articularis ad extra* conducunt, pro frictione membri in loco benè calido, v. gr.

♃. Aqua articularis ad extra ℥iij.
Spiritus lumbricorum terreſtrium ℥iß.
Formicarum ℥j.
Eſſ. Caſtorei ℥ß.
M. F. aq. exter. aplicand.

Aliàs partibus trementibus utiliter PETRUS à CASTRO illinit *aqua deſtillatam ex urticis minoribus*, menſe Majo collectis & deſtillatis. Tempore ſomni hac ipſâ. Aqua benè perfricandæ ſunt partes trementes, idque ſæpius repetendum & continuandum.

Fraxinus, cum ejuſdem ſemen ſit in continuo tremulo motu, ob id commendatur à quibuſdam *Lixivium impragnatum* ſeu *ſuperfuſum foliis fraxini*, quo lixivio partes trementes lavandæ & ſpontè exſiccandæ, ſic enim curari Tremorem aſſerunt. Præter dicta *Ol. Nardinum & Coſtinum*, *Ol. Caſtorei Ol. lumbricorum Terreſtrium*, item *Ol. lauri*, *Ol. deſtillatum Iuniperi*, *ſalviæ*, *Majoranæ*, & ex his *Oleis parata balſama* pro inunctione membrorum Trementium. Præ cæteris palmam præfert *Spiritus lumbricorum Terreſtrium*, ob id etiam imprimis uſurpatur. His ita pertractatis, de morbis convulſivis & convulſionibus, pergo ad

CAPUT X.
DE SPIRITUUM MOTU ET INFLUXU abolito, indeque orta Apoplexia.

D*Um omnes animales in ſenſu & motu conſtitutæ functiones ſubitò ceſſant*, ita ut taliter affectus non ſecus ac Fulmine percuſſus & attonitus jaceat, *ſine ſenſu & motu reſpiratione* ipſa plus minus *imminuta*, *cum* aut *ſine ſtertore*, pulſu, niſi in ſtatu ſeu caſu admodum periculoſo adhuc nonnihil vegeto, dicitur *Apoplexia der Schlagk*. Quando ergo *motus & ſenſus totius corporis* ita *perit*, eſt, ut dixi

APOPLEXIA.

Apoplexia. *Hemiplexia eſt Ictus ſ. affectus dimidii corporis* quando homo, quoad omnes vel dextras vel ſiniſtras tantum partes ita afficitur, inde à Sagittali ſutura uſque ad perinæum; & hoc ſanè eſt mirum, quod inde ad ſagittalem uſque Suturam medietas una privetur ſenſu & motu, altera v. & ſentiat & moveatur. Sic in talibus dimidia lingua nihil ſentit & movetur altera v. medietas utrumque præſtat. Denique eſt *Species Apoplexiæ innominata* ſeu quæ Nomine Proprio caret; quando nempe *toti corpori perit ſenſus & motus*, *excepto tantum capite*, ubi quicquid infra collum eſt, manus, pedes, &c. omnia reſoluta ſunt, excepto ſolummodo capite, dum lingua loquitur, aures audiunt, &c. quæ ipſa ſpecies rarò quidem, interdum tamen obſervanda fuit.

Denique & quaſi *ultima Apoplexiæ ſpecies eſt paraplegia*, *quæ tantum in uno alterove membro* majore vel minore *contingit*, *ut ſenſus & motus in totum pereat* & privetur iiſdem. Has ipſas *tres ſpecies* ultimas, Autores ſolent paſſim referre ad paralyſin, ſed ut rectè demonſtrat & aſſerit etiam LINDANUS, HIPPOCRATES, ARETÆUS (qui etiam fuit Græcus) & alii Auctores, immo omnes Antiqui, diſtinguebant accuratè *Paralyſin ab Apoplexia:* Et quos affectus hodie ad paralyſin referimus, illi ad apoplexiam retulerunt, quod niſi faciatis, nemo explicare poterit, quid ſit *Apoplexia levis & apoplexia vehemens*, apud HIPPOCRATEM *ſect.* 2. *aphor.* 42. Apoplexia levis facilè ſolvitur: Apoplexia vehemens nunquam ſine febre: Commentatores ſuper hunc aphoriſmum ſe torquent, GALENUS obiter tranſcurrit, & ipſe CARDANUS, qui explicat, tantummodo grammaticum agit, non Medicum. *Vehemens* verò *apoplexia eſt illa totius corporis univerſalis*, & de illa nemo curatur niſi ſuperveniat febris. *Apoplexia v. levis eſt* vel *hemiplegia* vel *innominata* vel *alia*: levis dicta reſpectu nempe totalis & univerſalis, & videmus quod tales hemiplectici diu ſupervivant, cùm omnes affectus Apoplectici & paralytici ſint difficulter curabiles.

Quando ergo *ſenſus & motus corporis* ita perit, vel *in toto* vel *in parte*, *quæſtio eſt de cauſa:* quæ hujus ceſſationis ſubitaneæ actionum omnium animalium, per motum enim æquabilem in cerebro & ex eo in organa, ſenſus & motus, fit omnis animalis functio, uti ſuperius aliquando præſuppoſui ex Phyſiologicis: Ceſſante ergo hoc motu ſpirituum animalium æquabili & naturali, etiam ceſſat ſubitò omnis animalis actio.

Ceſſat ſpirituum animalium motus, vel ob *poros & meatus cerebri vitiatos*, ita ut ſpiritibus denegetur tranſitus, vel *ob motum ſanguinis in & ad cerebrum ſublatum*, quo ſanguinis circulo ſublato, ſubitò omnis animalium ſenſus & motus & ſubitò omnis ſpirituum animalium motus, ex ſanguine in cerebro ſcaturientium ceſſat & tollitur. Id quod videmus v. gr. in ligatione forti collo injecta: Hanc enim ligaturam colli, ſi fortius ſtringas tanquam hominem ſuſpenſurus, eo momento quo arteriæ Carotides & venæ jugulares in collo conſtrictæ ſanguinis motum tollunt ad cerebrum, eo ipſo quoque momento omnis motus ſenſusque perit in talibus, utut adhuc ad tempus, etiam aliquot horas ſupervivant: Unde poſtmodum remoto vinculo dicunt ſe nihil vidiſſe, nec ſenſiſſe amplius. Hoc etiam patet in canibus, in his ſi facta cutis colli apertione ligentur fortiter arteriæ carotides, ita tamen ut parvæ arteriæ cervicales adhuc liberæ relinquantur, canis exinde ſomnolentus & torpidus jacet, & tamen ferè ad biduum ſupervivit actionibus tamen animalibus inſigniter imminutis, de quibus quicquid ſupereſt, id obtinet beneficio arteriolarum Cervicalium adhuc liberarum tandem tamen moritur. *Cauſa*, ergò ut loquitur HIPPOCRATES *eſt obſtructio venæ*. Per venam hoc loco intellige tàm arteriam quàm venam propriè dictam. Hic enim mos fuit veterum non diſtinguere hæc duo vaſa, ſed uno venæ nomine ambo nominabantur. Hoc non tantummodo eſt apud HIPPOCRATEM, ſed etiam patet hoc ex CELSO, qui inquit vanæ credimus rei incertiſſimæ, ubi arteriæ pulſus innuitur.

Communis ſententia eſt *in Apoplexia cerebri ventriculos repleri & exinde ſpirituum animalium motum tolli*. Sed experientia teſtatur ſæpius aliis morbis, mortuos exhibuiſſe ventriculos cerebri repletos & obſtructos, nulla autem ſecuta ſit Apoplexia. Sic refert LINDANUS Amſtelodami diſſectum fuiſſe caput viri, qui per tres annos dolore capitis acerbiſſimo laboraverat, cujus ventriculi ita repleti fuere humore ſeroſo aut limpido, ut integra Pintha Hollandica exinde potuerit eximi, nunquam tamen fuerat Apoplecticus. Sic FERNELIUS exemplum habet inter alia aperti cujuſdam capitis apoplectici, in cujus cerebro nihil noxæ inventum fuit, ſed tantummodò in venâ jugulari repertos eſſe ſanguinis grumos, quod incidit cum NISMANNI ſententia de Apoplexia, qui *ſedem Apoplexiæ* ſtatuit *in Torculari* HEROPHILI ſeu loco concurſus quatuor ſinuum duræ Meningi, & dicit ſanguinem abire in grumos & grumoſitates ibidem ſtagnantes impediendo motum humorumm apoplexiam inferre, quò etiam videbitis accedere HOFFMANNUM *in inſtitutionibus*. Sic aliàs notum eſt *ex concuſſo aut depreſſo cranio* ſecutam Apoplexiam ex porulis ac meatibus cerebri nimium depreſſis, & invicem conniventibus: Unde & ſanguinis & ſpirituum animalium motus omninò fuit interceptus. Verùm *quare ſanguinis impediatur in cerebrum influxus*, *Cauſæ ſunt*, vel *in viis* vel *in ſanguine ipſo*.

In

in viis quando *hæ anguſtatæ* aut *ex obſtructione* aut ex *contuſione*, aut *aliâ* ratione obſeſſæ, impediunt humorum motum, aut etiam, ſi *ipſa vaſa ſanguifera* in capite lacerata, aut anaſtomoſi aperta vitioſè & præternaturaliter ſanguinem in caput effundunt. *In ſanguine* v. hæret vitium ſ. cauſa quando hic *craſſus*, *grumoſus* aut nonnihil *coagulatus* exiſtit, & ita in vaſis ſtagnat & hæret, *ſive in vaſculis Meningum*, ſive in *ſinubus cerebri*, ſive in *ramis carotidum* aut *jugularum*, ſive denique in *ramis pulmonialibus*. Nam & in his ſi coagulatus ſubſiſtat *ſyncopen Cardiacam* aliis dictam, aliis v. *catarrhum ſuffocativum* dictum infert. Nam hic affectus Apoplexiæ eſt finitimus & ſimillimus, adeò ut *catarrhus ſuffocativus* & *Apoplexia loco* tantummodo *differant*. *Stagnante* enim *ſanguine in vaſis pulmonialibus ipſoque corde eſt catarrhus ſuffocativus*. In *cerebro* verò *& ejus vaſis ſi idem contingat, eſt Apoplexia*. Nec ullum eſt dubium tales ægros ſive ſuffocatos ſive apoplecticos eodem modo interfici. Unde etiam teſte FRACASSATO *in epiſt. de cerebro ad* MALPIGHIUM, in pulmonibus apoplecticorum, vaſa ſanguifera, interdum diſrupta aut admodum turgida, inventa fuerunt.

Facit huc etiam exemplum PANAROLLI de quodam morbo apoplectico inſultui ſimillimo orto ex ſanguinis copia & unâ ſtagnatione. Sed de his ipſis qui plura cupit videat VVEPFERUM *in tract. de loco affecto apoplexiæ.* vid. etiam SCHNEIDER. *tract. de catarrhis* in ſpecie, ubi de catarrho ſuffocativo, item de catarrho ſanguinis.

Verſamur adhuc in puncto apoplexiæ, & quidem dictum fuit, quod *apoplexiæ cauſæ proximæ* ſint, vel *impeditus ſpirituum animalium motus in cerebro* vel *impeditus ſanguinis circulus & per cerebrum*. His cauſis proximis adjungendæ *cauſæ remotæ*, quæ quacunque ratione proximos inferunt, & per conſequens apoplexiam. Hæ v. omnes eo conducunt, aut quatenus ſpirituum animalium influxum, & motum & ſanguinis circulum tollunt.

Priori modo nempe *ſpirituum animalium motum impediendo* inferunt apoplexias, omnes *convulſiones*, omnes *concuſſiones capitis*: Commotum enim & concuſſum cerebrum ſubſidet, quaſi, ita ut poris ejus ſic collabantibus & anguſtatis aut diſtortis & vitioſè difformatis ſpirituum meatus viæque deleantur.

Sic *ob caſum ab alto ex cerebri concuſſione apoplexiam lethalem* obſervavit HORSTIUS *lib. 2. obſer. 13.* Sicut etiam DEODATUS *in valetudinario p. 121. ex caſu ab equo* vertiginem, quæ tandem *in apoplexiam lethalem* deſiit, obſervavit.

Sic notum eſt *ex alapa inflicta*, apoplexiam fuiſſe obortam. Exempla talia habet SCHENCK *ex* BENIVERIO *in obſervat.* uti etiam HILDANUS *cent. 6. obſer. 11.*

Sic *ex ictu oculi nimio*, apoplexiam in puero obſervavit FERNELIUS *lib. 2. de abditis rerum cauſis, cap. 15.* Non ſecus atque ipſe FERNELIUS *eodem loco* refert, virum quendam *ex vulnerato oculo* apoplecticum, in quo diſſecto ſanguis grumoſus copioſus circa cerebri baſin decubuerit.

Sic *ex percuſſione oculi cum Raphano*, Apoplexiam vidit obortam SCULTETUS, *in armamentar. Chirurg. obſer. 21.* Sic *ob ictum bombardæ* apoplexiam obortam notat AMAT. *Luſitan. cent 2. cur. 22.* (Nam à ſonitu graviore fit quaſi percuſſio cerebri) Et *ex nimio ſonitu* apoplexiam obortam etiam notat FONTANUS, *in cur. & reſponſ. lib. 1. p. 49.*

Pertinent huc etiam *vitia ſeri vel lymphæ*, quatenus inundando cerebrum & omnes ejuſdem poros replendo, apoplexiam non rarò periculoſam inducere poſſunt. Refert enim MARCELLUS DONATUS *lib. 2. hiſtor. medic. mirab. cap. 6.* de quodam forti apoplexia perempto, in cujus aperto cranio tota cerebri ſubſtantia aquoſo humore perfuſa fuit reperta: qui ipſe humor etiam in cerebri ventriculis redundavit. Diſſectis Carotidibus ingens ſanguinis craſſi emanavit copia.

Sic COLUMBUS *in ſua anatomia cap. 15.* affirmat, quòd apoplecticorum capita diſſecta, exhibeant cerebrum magna, aquæ glutinoſæ copiâ diſtentum. Facit huc obſervatio *Joh. Daniel.* HORSTII *in obſervat. anatom.* III. De Principe Apoplectico mortuo, in quo præter alia obſervatum fuit cerebrum magnum & grande ſero & pituita plus quàm refertum, maximè in ventriculis, arteria autem venoſa & arteria attrita nigro humore attramento ſimili fuit repleta, qualem Princeps ante apoplexiam, ad aliquod tempus in linguâ habuerat. Adeò ut probabile videatur interdum *à lympha & ſero copioſo cerebrum inundante & replente, oriri poſſe apoplexiam*. Ad alteram *cauſam proximam* nempe *impeditum ſanguinis circulum* diſponunt *cauſæ remotæ*: *Frigus repentinum* aut *frigus nimium*, congelando quaſi ſanguinem & ita inſpiſſandi ejus motum impediendo. Hinc enim eſt, quod dicit HIPPOCRATES *ſect. 3. aphor. 23.* quod *aër frigidus & humidus, hyems, autumnus, item aër aquilonius continuus* imbribus irrigat; ad apoplexiam diſponat: quæ ipſa confirmantur *à* FORESTO *lib. 10. obſer. 70.* E contra v. *æſtus* aliquando nimis maſſ. ſang. aut *calor ambiens nimius* & ipſe inferre poteſt apoplexiam uti hoc ipſum obſervat SCHENCH *lib. 1. obſer. de apoplex. obſerv. 1.* In ſpecie *potus vini nimius* multos & quidem ætatis conſiſtentis, & aliàs optimi habitus ad apoplexiam transfert, ut & *Ebrietas inordinata*.

Nam ex *ebrietate* ortam apoplexiam refert FONSECA *lib. 2. conſ. 89.* ut etiam FORESTUS *lib. 10. obſer. 69.* Quin etiam *poſt nimium potum vini* apoplexiam *in patrus ſin* (quæ potius eſt paraplegia) *linguæ & lateris dextri* deſinentem, obſervat PISO *tract. de colluvie ſeroſa p. 88.* Et rectè dicit *Heinricus ab* HEER *obſ. 18.* quod nos ſeptentrionales imprimis ex ingluvie & commeſſationibus corripiamur apoplexia.

Facit huc *lotio capitis illegitima*, *ſi ſcil. ſubitò caput exponatur aëri frigido*. Exemplũ tale obſervavit A. LUSITANUS *cent. 1. cur. 36.* in puella quæ ex lotione capitis in apoplexiam incidit, quæ ipſa apoplexia poſtmodum in paralyſin lateris ſiniſtri deſiit, (unde dicitur paralyſis, ſed eſt potius paraplegia.) In ſpecie *ſuppreſſa* quædam *ſolemnis ſanguinis evacuationis per hæmorrhoides*, aut *uterum* aut *hæmorrhagiam narium*, &c. frequenter admodum ad apoplexiam diſponunt, & hanc etiam inferunt.

Sic *ex ſuppreſſione narium hæmorrhagia*, apoplexiam obſervat HILDANUS *cent. 3. obſerv. 11.* quia ſanguis ſuppreſſus coacervatus facilius ſic ſtagnat hinc inde, aut per anaſtomaſin vaſorum, aut earundem ruptionem in cerebro & vicinis locis extravaſatione apoplexiam infert. Sic in ZACUTO *Luſitano lib. 7. hiſtor. Medic. princip. cap. 7.* Obſervatio eſt de Juvene florente ætate, per ſcalas altè decidente. Unde ingẽs ſanguinis hæmorrhagia per nares ſecuta eſt. Et ſanguine rectè fluente optimè ſe habuit æger: hac ipſa v. hæmorrhagiâ ſuppreſsâ æger in apoplexiam incidit, quæ non prius ſublata fuit quàm copioſa inſtitueretur ven. ſectio. Similiter *in puerpera ex non ritè fluentibus lochiis apoplexiam* obortam venæ ſectione in brachio curatam refert FONTANUS *lib. 1. cur. & reſponſ. p. 25.*

Et hinc eſt, propter talem ſanguinem extravaſatum aut ex anaſtomaſi effuſum, quod tàm ſæpè in apoplexia mortuis ſanguis congrumatus in cerebro ejuſque ventriculis fuerit repertus.

Sic BARTHOLINUS *cent. 2. hiſt. 60.* ex ſanguine congrumato & extravaſato ventriculos cerebri replente, ex plexibus Choroideis eò effuſo apoplexiam lethalem obſervat.

Sic HILDANUS *cent. 3. obſervat. 12.* obſervat mulierem, *quæ menſtrua ſuppreſſa* ſæpius per os & nares excrevit, quæ tandem *& hac ſuppreſſa excretione*

 apoplexia

Apoplexia lethali correpta fuit, & poſt mortem poſt 36. horas ſanguinem adhuc per dicta loca excrevit: Sicuti etiam *in obſer.* II. *cit. centur.* idem HILDANUS tale refert.

Pertinent huc imprimis *affectus animi graviores*, quas inter imprimis eſt *Ira*, quæ cùm inducat ſanguinis ebullitionem ejuſque inſignem fervorem, in prædiſpoſito cerebro facilè ſtagnationem ſanguinis & apoplexiam infert.

Et imprimis *homines* εὐοργοι, ſubinde *apoplexia correpti*, obſervantur *ex iracundiâ*. Uti monet etiam FORESTUS *lib.* 10. *obſervat.* 70. Pertinet huc etiam *ſcabies retro pulſa*, ex qua apoplexiam in viro ætatis conſiſtentis obſervavit MOEBIUS *in Inſtitut. p.* 265.

Quò etiam pertinent *Variolæ nonnihil repulſæ*. Refert enim FORESTUS *lib.* 10. *obſerv.* 70. de puella, quæ poſt expulſas variolas, cùm ſe citius aëri pluvioſo expoſuiſſet, & ad foſſam aqueam decubuiſſet intra biduum apoplexia tacta interiit. *Fumi Narcotici carbonum & vinorum effervescentium*, etiam referuntur à quamplurimis ad cauſas apoplexiæ remotas. Verùm *hi ipſi potius earum inferunt quam perfectam apoplexiam*, & inferunt quidem interdum carum ſæpius ſatis profundum & apoplexiæ finitimum, non tamen, ut dixi, apoplexiam perfectam.

In talibus Caroticis & Narcoticis fumis obortis, probabile eſt admodum præter ſpirituum animalium fixationem à narcoſi, ſimul etiam accedere aliqualem ſanguinis coagulationem, quatenus tales affectus ſæpius in Pleuritides & peripneumonias (poſt fumos tales hauſtos) & ſimiles affectus, à ſanguinis coagulo ortos deſinunt. Unde rectè quibuſdam talis carus ſimilis apoplexiæ aut proximus ſaltim ejus gradus habetur.

Hæc quæ dicta hactenus ſunt *de cauſis proximis ſpirituum* nempe *animalium motu & ſanguinis circulo impedito*, ſatis quidem *probabilia ſunt*. Nihilominus tamen vix ubique ſcrupuloſo ſatisfaciunt: Utut cauſa melior vel manifeſtior commodè reddi nequeat.

Nam ut quædam tantùm moneam: Vertigo diuturna ſæpius in ſenibus apoplexiam præcedit: Dico in ſenibus. Nam homines conſiſtentis ætatis ſine ulla tali præcedente, Apoplectici fiunt, quæ ipſa vertigo cum his cauſis proximis ſpirituum motu impedito & ſanguinis ſtaſi nihil habet commercii.

Deinde vomitus aut hujus loco clyſteres acres in paroxyſmo uſurpati optima ſunt remedia. Jam v. quid vomitus præſtat ad ſanguinis motum impeditum reſtaurandum, aut etiam clyſteres per anum injecti. 3. Non poteſt commodè explicari ex iſtis cauſis, quomodo aut Hemiplexia aut paraplegia quædam apoplexiæ univerſali ſuccedat, v. gr. ut brachium poſt univerſalem apoplexiam maneat tantum paraplecticum reliquis partibus omnibus ſenſum & motum recuperantibus. Et quæ ſunt ſimilia dubia, quæ iſtam opinionem admodum premunt. Adeò ut videatur *veriſimile interdum etiam ex partibus internis oboriri apoplexiam*, quâ ratione imprimis *ex ſtomacho affecto* apoplexiam deducere conatur HELMONT utut non poſſit dici modus aut ratio fiendi. Immò fieri interdum apoplexiam à *materia admodum mobili aut lymphâ ſubtiliori*, ſubita ejus mutatio in paraplegiam & hemiplegiam perſuadere videtur. Ut taceam de *charactere hæreditario* à parentibus apoplecticis in liberos delato. Nam ſi quid aliud, *apoplexia eſt malum admodum hæreditarium*; notatu dignum hujus rei exemplum refert FORESTUS *lib.* 10. *obſer.* 70. de ſene ſexagenario craſſo & obeſo, cujus frater apoplexiâ interierat, cui cum inter ambulandum nunciatum fuiſſet, quendam octuagenarium virum ſibi familiarem ſubitò extinctum eſſe, ſubitò pes ſiniſter ipſi tremere cœpit, & domum reverſus apoplexiâ correptus fuit, quâ ſublatâ, ſequente anno denuò ab apoplexia tactus interiit, non ſecus ac pater ac ejus frater. Talis character apoplecticus, qui à parentibus transfertur in liberos, antequam ipſi apoplexia correpti fuerint, quo modo poſſit conciliari cum ſupradictis cauſis proximis non video.

In ſpecie cum videamus corripere apoplexiam tam *homines mediæ ſ. conſiſtentis ætatis*, *corpulentos obeſos crapulæ deditos*, & alias apparenter ſaniſſimos, non *ſecus atque ſeniores decrepitos* ſæpius apoplexiâ corripi videmus ob id vix una & generalis cauſa apoplexiæ poteſt determinari, quin potius pro *faciliore praxi apoplexiam* in tantâ rerum obſcuritate *in ſanguineam & ſeroſam ſ. lymphaticam* diſcernendam putem (dico pro meliori praxi; Nam in Theoria vix omne ferre poterit punctum) quarum iſta hominibus conſiſtentis ætatis, iracundis & ebrioſis contingere, poſterior verò ſenibus decrepitis Catarrhoſis & ſimilibus obvenire ſoleat.

QUOD ATTINET SIGNA.

Apoplexiâ tactum eſſe hominem facilè patet, *ſi ſubitò omnis ſenſus & motus pereat*, & ſimul *vox repentè auferatur, ſolâ reſpiratione nunc libera, nunc ſatis difficili* remanente: *æger quaſi dormiens aut ſemimortuus, niſi adhuc aliquis facici color & pulſus* animadvertatur, jacet, Nam *quidam Apoplectici pulſum* adhuc *habent naturalem, quidam puſillum, quidam omninò nullum*, uti rectè obſervat LINDANUS, prout plus vel minus ſanguis præcordiorum ſtagnet, aut prout etiam nervus cor movens ſimul afficiatur. *Color faciei & oculorum interdum rubet, tumidus eſt & ſimul corpus calet*, in illa ipſa apoplexia quæ eſt ex ſanguinis ſtaſi ſ. impedito circulo: E contra verò *interdum facies pallet, flaccidáque eſt*, & *corpus ſenſim infrigeſcit*, ubi aliud vitium quàm ſanguinis ſtaſis apoplexiam infert. *Membra omnia* in apoplexia *ſunt laxa*, & ſi brachium vel pes levetur pondere ſuo ſtatim denuò concidit. *Æger tactus irritatus, acclamatus*, nec ſentit nec loquitur ore hiante & *ſtertente* quaſi *profundum dormit*: *reſolvitur interdum ſimul ani ſphincter, inde alvi fæces* aut injecta *clyſmata* denuò inſcio ægro *ejiciuntur & rejiciuntur*. Dixi quod viciniſſimus affectus ſit apoplexia cum catarrho ſuffocativo & differant tantùm loco affecto adeo ut quidam etiam apoplexiam ad affectus cordis referant, & eodem modo curent.

Signa quæ obſerventur *pro diſtinctione* ſunt hæc. Quod in *Syncope Cardiacâ ſ. ſuffocativo catarrho* æger difficilius ſpiret, & ſigna adſunt graviſſimæ in pectore anguſtiæ: qui autem apoplexiâ graviore corripitur, is vix manifeſta vitæ habet ſigna, neque tamen ſpirandi difficultate vexari ſolet: Nam in catarrho ſuffocativo difficillimè reſpirant, *in apoplexiâ* parum, aut tardè aut ſaltim naturaliter ſpiritum ducunt.

A *paſſione hyſtericâ* cum qua confunditur apoplexia interdum facilè diſtinguitur, quòd in ſuffocatione uterina præceſſerint ſymptomata affecti abdominis. Item quod in ſuffocatione uterina interdum vis ſentiendi perſiſtat, nec reſpiratio tàm facilè impediatur: Et quod in ſuffocatione uterina pulſus fiat obſcuratus & debilis aut parvus. Et in ſpecie cum ſubinde *in apoplexiâ* color faciei proſtet, hic in ſuffocatione uterina omninò perit, quin facies pallet.

A caro facilè diſtinguitur apoplexia in eo, quod ſenſim invadat, non adeo ſubitò ac apoplexia: Item caro etiam laborantibus eſt reſpiratio facilis ſine omni ſtertore: aut ſi adſit ſtertor, adeſt cum ſomno eaque ſatis profundo.

QVOAD PROGNOSIN.

Notum eſt quod *Apoplexia ſit acutiſſimus & periculoſiſſimus affectus.* De hoc dicit HIPPOCRATES *ſect.* VI. *aphor.* 5. & *ſect.* 5. *aphor.* 5. quod quicunque ſani repentè doloribus capitis, tenentur, ſtatim obtumeſcant & ſtertent in 7. diebus pereant, niſi febris eoſdem prehendet. Dicit etiam in ſuis *Aphoriſmis* HIPPOCRATES

ſect. 5.

ſect. 5. aphor. 42. Quòd *apoplexiam fortem ſolvere impoſſibile ſit, debilem v. non adeò facilè* (quid per debilem & fortem intelligatur, ſupra dixi.) Denique vehementia & periculum apoplexiæ ex noxa quam reſpiratio affert imprimis cognoſcitur. Nam ægri *Apoplectici omnes ſuffocati intereunt.* Unde *quò liberior eſt reſpiratio, eò minor eſt apoplexia, & major ſalutis ſpes,* quo magis impeditur reſpiratio eò majus periculum ſolet imminere Apoplectico. In ſpecie quidem ubi apoplexia in tantum lædit reſpirationem, ut *præter ſtertorem, & ſpuma circa os* apparere incipiat, ferè *lethale* apoplexiæ eſt ſignum. Unde rectè dicit FORESTUS *in Scholio obſer.*74. *lib.*10. quòd ſpuma circa os apparens ſit unum è præcipuis ſignis lethalibus, cùm ſit extremum ſignum à quo rarò evadunt. Unde etiam TULPIUS *lib.* 1. *obſervat. cap.*51. refert, quod in iis qui apoplexiâ moriuntur, aſpera arteria reperiri ſoleat poſt obitum ſpumoſo ſanguine repleta. Spuma iſta, uti ſuperius de catarrho ſuffocativo monui, certum & infallibile ſignum eſt, ſanguinis motus omninò per pulmones impediti, ex quo ſanguine in pulmonibus & tandem in ipſo corde ſtagnante per reciprocationem validam, ſed fruſtraneam elevantur ſpumæ, quæ ipſæ etiam nonniſi in ultimo ferè articulo apparere ſolent. Vnde dicit etiam HIPPOCRATES *ſect.*2.*aphor.*43. quod ſtrangulati & ſuffocati nondum tamen mortui ad ſe non redeant, quorum circa os ſpuma collecta appareat. *Obſervandum* tamen eſt hic, *ne confundatur ſpuma vera cum viſcoſo quodam liquore ſ. ſaliva viſcida effluente.* Fit enim nonnunquam tam in catarrho ſuffocativo, quàm apoplexia, ut ægri ita jacentes, humorem viſcidum copioſè per os rejiciant, qui nihil habet confinitatis cum ſpuma, ſed ex membranis pituitariis SCHNEIDERI, vel potius ex glandulis ſub illis latentibus emungitur. Spuma autem vera, non niſi eſt parva nec adeò copioſa, ex imo pectore ſenſim ſcatet, & ſurſum fertur ſenſim, ſenſimque augmentata. Adeò ut obſervati ſint Apoplectici, quibus etiamnum poſt mortem talis copioſa ſpuma per nares & os fuit excreta. Denique Apoplecticis, ſi *in difficillimâ reſpiratione ſupervenit ſudor lethale eſt.* Eſt enim ſudor ſymptomaticus, ut vocant, non verò naturalis ſudatio.

In *Apoplexiâ correptis* imprimis *habenda diſtinctio ætatis, &* hinc dependentis *corporis ſtatus:* Cùm *apoplexia juvenum*, aut *mediæ ætatis ſanguineum* corripiens, vix ſit ejuſdem rationis *cum* apoplexia, quæ *ſenem* aut *debilem* aut *emaciatum*, aut ſimilem affligit.

Solvitur apoplexia, quando *evacuationibus per inferiora* aut *per ſudorem* tota diſcutitur, *aut ſi eadem* in *paraplegiam* quandam, aut etiam *hemiplexiam deſinit:* Aut ſi apoplexia finiatur *fluxu auris lymphatico*, qualis laborantibus lue Venereâ poſt inunctionem mercurialem accidit. Unde etiam BARBETTE in curanda apoplexia, inunctionem mercurialem commendat. Aut etiam ipſa *apoplexia facie ſomni* admodum *profundi, ægrum interimit.*

QVOD ERGO ATTINET CVRAM.

Hæc aut *inſtituenda eſt in ipſo paroxyſmo* in quo reſuſcitandus quaſi eſt æger: *aut* eadem inſtituenda *extra paroxyſmum*, quo tempore obſervatis debitis evacuationibus, & caput & ventriculum roborantibus & confortantibus, reditus paroxyſmi eſt præcavendus. Neque cùm æger apertè reconvaleſcit, ſcopi curationis ſunt negligendi. Nam tales ſæpius diu ſtupidi manent,variaque accidentia eos vexant,adeò ut ſi ſit Medicus negligens in cura,facilè eveniat ut revertatur paroxyſmus,unde ægri poſtmodum moriuntur.

In ipſo paroxyſmo duo imprimis *præſidia generoſiora* ſunt, quæ aut liberant ægros rectè adminiſtrata, aut eos trucidant malè uſurpata, & hæc ſunt *vomitus* & *venæ ſectio*,quarum unum utplurimum neceſſariò adhibendum eſt. Nam *de clyſteribus eorumdemque uſu*, item de *ſuppoſitoriis*, quæ *acriora & fortiora* ſemper ſunt applicanda, omnes concordant Practici,quod in omni paroxyſmo apoplectico, & poſt eundem etiam tutiſſimè & etiam neceſſariò uſurpentur. *Clyſteres* tales *acres* in minore copia ſubinde injiciuntur, à ℔ ß. *ad* ℥*viii.* quia ſic diutius retinetur & melius operari ſolet. Quod ſi non retinentur aut non ſatis diu (propter ſphincterem ani reſolutum) repetendus eſt eorum uſus, idque eo frequentius, quo magis urget morbus, Si nullo modo poſſit in actum traduci Clyſter, tunc remanentia clyſmatis ſ. materia decocti inſtar pultis eſt coquenda, ſuper pannum extendenda, & ſuper totum abdomen inſtar cataplaſmatis imponenda; Hoc enim ſtratagemate, ut ſic dicam, feliciter uſus eſt D. MOEBIUS in curando SLEVOIGTIO Apoplectico. Sed, ut revertar ad *vomitum & venæ ſectionem. In vomitu* metus eſt, ne ſuffocationis imminentis acceleretur periculum, qui accuratos etiam Medicos deterret. Et ſanè poſito quod ex impedito ſanguinis motu fiat apoplexia, *vix* tamen *videtur vomitus conveniens & neceſſarius.*E contra de *ven.ſectione* ipſum CELSI eſt pronunciatum, quòd ſanguinis detractio aut occidat aut liberet ægrum. Hanc ven. ſectionem rejicit omnino BARBETTE *in ſua praxi cap.* 2. tanquam fruſtraneam, ſæpiuſque nocivam. Res ut aliquantiſper fiat clarior pro deciſione: *obſervanda eſt differentia apoplexiarum*, quam ſupra innui. Si enim *ſigna* adſint,vel *ſuſpicio* quædam ſaltim probabilior, *ſanguinem* imprimis *peccare* & ſui ſtagnatione inducere apoplexiam,ut in iis qui ſunt *corpore εὐσαρκα*, & ſucciplenó, qui *Vitam agunt ſedentariam*, quibus *conſueta ſanguinis* per *uterum, nares, &c. evacuatio fit ſuppreſſa, &c.* in talibus *ven.ſectio eſt inſtituenda*, idque quanto citius tanto melius, aliàs enim apoplectici quatenus tales ſunt, non poſtulant venæ ſectionem. Sed in *ſenibus* aut in *debilibus ante paroxyſmum* aut in *ebrioſis*, aut quibus jam *alia ſigna quædam capitis affecti* præceſſerint, uti potius videtur ſubeſſe lymphæ vitium, aut ſaltim ubi nullum primarium ſanguinis deprehenditur peccatum, *his prodeſt potius vomitus & nociva eſt venæ ſectio.*

Obſervandum etiam eſt imprimis illud quod habet HEINRICUS *ab Heer, obſer.* 18.quod nempe noſtrates qui ingluvie & commeſſationibus ferè apoplexiam incurrant phlebotomia vix curentur, ob id etiam vocat dubium remedium ven. ſectionem in apoplexia, adeo ut centeſimus ægrè, educto ſanguine evadat. Quæ etiam cauſa eſt cur prudentiores Medici (verba ſunt *Heinrici ab* HEER) noſtro cœlo ferè ab illa abſtineant. *In genere v.& utplurimum tutius* ſimul *& potentius remedium eſt vomitus* quam *ven. ſectio*, quam etiam ſuadet imprimis LINDANUS *in ſuis ſcriptis*, adeo ut *vomitus ex mercurio vitæ* admodum commendetur, ad Apoplecticos curandos,in tempore ubi non opus eſt ven.ſectione,quam ipſam tamen rariſſimè adhibendam ſuadet.

Et quidem quantum valeat *vomitus* in apoplexia, duo egregia habebitis exempla *in* LANGII *Miſcellaneis curioſis p.*11.& 12. ubi ſunt duo curæ notatu dignæ propter uſum vomitoriorum.

Horum ergo adminiſtrato uno vel altero,aut etiam his planè omiſſis, *Clyſterium uſus* ſemper eſt commendatus,uti his præmiſſis applicantur ſubinde *ſternutatoria*, quippe & *aquarum* ut vocant *Apoplecticarum ſpirituoſarum infuſionum cum volatilibus* aut *oleoſis,item oleorum penetrantium capitis inunctio,* imprimis *in vertice linguæ & palati penetrantibus fricatio*, *extremorum vellicatio*, *punctura* & ſimilia *in paroxyſmo* apoplectico ſunt inſtituenda, donec exſuſcitetur æger & ad ſe redire videatur, quo facto *præmiſſis digeſtivis & præparantibus* convenientibus, *purgatio* conveniens inſtituenda: ſed poſtmodum *ſudori* præ cæteris opera danda; Cum *ſudorifera* aliàs *maximoperè ſint apta*,ad

curandos

curandos apoplecticos, & hæc ipſa ſudorifera mirificè commendat LINDANUS, quod nempe eadem ipſa admodum conveniant in cura apoplexiæ. *Remedia* ergo quæ *in paroxyſmo excitant ægros*, aut eos *exſuſcitatos præſervant*, ſunt ſequentia, & generali cephalicorum nomine comprehenduntur. *Salvia, Ruta, origanum, chamædrys, chamæpytis, calamyntha, pulegium. Semen carvi, fœniculi, aniſi, ſinapi, erucæ, ceraſa nigra, radix Angelicæ, Ariſtolochiæ rotundæ, caryophyllata, Valerianæ, Vincetoxici, Flor. Stœchad. Arabic. Lavendulæ, anthos, primularum veris, lil. convall.* Præ cæteris *ſalvia* hic eſt in uſu, cujus ſalviæ continuatum uſum, item *vinum ſalviatum* mirificè commendat KYPERUS *in Collegio practico, & omnia ex ſalvia remedia*; *In ſemine ſinapi & Erucæ*, ſingularia latent arcana, *ad præcavendam apoplexiam ſenum*, cùm nihil potentius eoſdem præſervet, inprimis ſi *internè ſemen ſinapi, erucæ & cumini*, crebrius uſurpetur.

Quidam ♃. grana VI. vel VII. Sinapi, eaque manè jejunè deglutiunt ad præcavendam apoplexiam. Quibuſdam placet *ſub formâ Electuarii* hoc ſemen internè uſurpare, v. gr.

♃. Tres caricas pingues, minutim conciſis adde 2. Cochlearia ſinapi albi & erucæ, miſceantur in mortario, addendo aquæ lavendulæ ſpirituoſæ cochl. I. ſucci violarum ℥ß. doſis omni manè eſt magnitudo juglandis, certò præſervat ab apoplexia, teſte SCHENCK. *Theſ. 2. ſecret. Med.* 16. STOCKERUS expertum remedium contra apoplexiam hoc dicit eſſe.

♃. Cardamomi ʒß.
Coriandri præparati ʒii.
Sinapi albi ℥ß.

Pulveriſentur & ſumantur circa introitum lecti pro aliquot doſibus. In genere omnes auctores commendant *ſemen ſinapi & erucæ*, quorum *ſal vol.* optimè præſervat, ab apoplexia.

Alias notum eſt de omnibus remediis, ex *ceraſis nigris* paratis, quod nempe hæc ipſa ſingulariter conveniant: adeo ut KESLERUS mirificè commendat *ſpiritum ceraſorum nigrorum* ad reſuſcitandos apoplecticos in paroxyſmo, & curandos extra paroxyſmum, *in 500. Chymiſchen Proceſſen, p.* 370. ubi aſſerit ſe quandam Nobilem, quæ per 3. dies jacuerat deſperatè apoplectica, beneficio *ſpiritus ceraſorum nigrorum* denuo curaſſe vel reſtituiſſe.

Quidam non malè affundunt *ſpiritum ceraſorum nigrorum vitriolo in ſole probè calcinato*, aliquot cohobiis abſtrahunt, & ita ſpiritum vitrioli vol. contra apoplexiam egregium acquirunt.

Ex his & ſimilibus fiunt *aquæ apoplecticæ ſpirituoſæ*, cujus unum dabo exemplum, quod fuit *ſpiritus apoplecticus* D. MOEBII, *compoſitio eſt hæc:*

♃. Flor. Lil. convall. ℔. VI.
Cinnamomi ℔. j.
Zedoariæ ℔. ß.
Croci ℥j.
Macis.
Caryophyllorum ana ℥iß.

Digere in vini Hiſpanici q. ſ. per menſ. deſtillata per veſicam, ſpiritum, quem ſerva.

Hinc ♃. Radicis Valerianæ,
Vincetoxici.
Poeoniæ ana ℥ij.
Foliorum Meliſſæ.
Botryos.
Roriſmarini ana miij.
Flor. Tiliæ M. VI.
Lavendulæ.
Spicæ.
Salviæ.
Thymi ana Mj.

M. Macerentur in ſpiritu ſuperiore per menſ. clauſo vaſe, & benè munito. Tunc deſtillata per veſicam, addendo iterum vini Hiſpanici q. ſ. Tandem rectificantur in balneo ſuper ambra, moſcho & camphora, & habebitur ſpiritus mirandarum virtutum & egregiè apoplecticus.

Hic poteſt inſervire pro ſpiritu vitrioli cephalico vel apoplectico, pro ſpiritu vitrioli volatiliſando, de quibus ſuperius monui.

Porrò *caſtoreum & omnia ex caſtoreo* remedia, *ſpirituoſis miſta*. ſpecificè commendantur & inſigniter conducunt.

Pertinet huc *aqua apoplectica* KOLREUTERI, *aqua apoplectica* MYNSICHTI: *ſpiritus vegetabiles lil. convall. ſpiritus Baccarum juniperi & ceraſorum. Spiritus vini camphoratus, aliis admiſtus*, vel etiam ori infuſus, eſt ſatis penetrans. *Aqua magnanimitatis*, ſ. *ſpiritus formicarum* LAURENBERGII admodum conducit in apoplexia. *De eſſentiis vegetabilium* nihil addo.

Spiritus ſecundinæ arcanum fuit KNÖPHELII in curandâ *epilepſiâ & apoplexiâ*.

Præ cæteris *ſpiritus ſanguinis humani*, eſt commendatum remedium GRASECCII, & quem etiam admodum commendat HARTMANNUS *in praxi chymiatricâ*. Spiritus cranii humani & poſt hunc ſpiritus ſ. aqua ſpirituoſa cerebri humani, etiam ſunt egregia remedia in apoplexiis.

Porrò ſpiritus *fuliginis* à quibuſdam ſpecificè laudatur. Item *ſpiritus ſalis ammoniaci*, cum camphorâ junctus & legitimè unitus, fit ſpiritus vol. penetrantiſſimus Ulterius volat. cranii humani, ſanguinis humani & ſanguinis cervi, viperarum ſuccini ſunt egregia, ad excitandos apoplecticos. Pertinet huc arcanum contra epilepſiam & apoplexiam TIMÆI. Item contra omnes ſaporoſos affectus, uti etiam contra ſuffocationes uterinas. Miſtura ejus eſt hæc:

♃. Sal. vol. ſuccini ʒß.
Theriacæ Andromachi ʒiß.
pulv. Caſtorei ℈ii.
Olei ſtill. rutæ.
Succini.
Roriſmarini ana gutt. 3.

M. Fiat opiata, de quâ tantum quantum cuſpis cultelli capere poteſt, diſſolvatur in aqua apoplecticâ vel epilepticâ *Langii*, ve in aqua hirundinum, & ægro in ol. infundatur, & deglutiat, ſimulque linguam frica hoc ipſo electuario: ſi poſt horæ quadrantem non redeat ad ſe æger, repete & naribus ſequens *ſternutatorium inſla*.

♃. Helleb. albi.
Majoranæ.
Flor. lil. convall.
Pyrethri.
Caſtorei ana ℈i.

M. Fiat pulvis ſternutatorius:

Nam *ſuccinum & omnia ſuccinata*, elegantiſſima ſunt in apoplexia præſervanda & curanda. In apoplexia curanda ol. & ſal vol. præcellit: In præſervanda v. ſuccinum præparatum vel etiam ſuccinata quæcunque. Guttæ iii. vel IV. ol. deſtill. ſuccini cum aqua appropriata in paroxyſmo infuſa, mirificè commendantur in paroxyſmo apoplectico, Hinc RHUMELIUS *in ſuo antidotario p.* 167. parat ol. quod vocat apoplecticum, dum ol. non rectificatum miſcet cum dimidiâ parte ol. roriſmarini, ſuper affundit aquam fontanam, & ita per veſicam deſtillat, ſicque olea rectificat, quorum doſis gutt. VI. ad XII. internè in aqua appropriatâ. Externè inungendus vertex hoc ol. nucha & ſpina dorſi. Similiter digerendo ſuccinum cum ol. *fuliginis* inſigne aliquod apoplecticum fieri poteſt. Hinc ſolum ſuccinum in ſpiritu ceraſorum nigrorum diſſolutum, aut in ſpiritu vini Malvatici, à ſpiritu lil. convall. abſtractum ori ita inditum, loquelam reſtituit apoplecticis. Hæc quidem tam intra quàm extra paroxyſmum conveniunt.

EXTERNE in paroxyſmo impri mis reſtituunt

ſuffitus

ſuffitus ſuccinatus : item *ſuffitus caſtorei* admodum laudatur ad ſuſcitandos apoplecticos : Item fiunt *frictiones linguæ* imprimis & *palati* cum ſpiritu theriacali ſpiritu lil. convall. ſpiritu ceraſorum nigrorum. Item à quibuſdam inſtillantur auribus aquæ apoplecticæ. Nam PETRUS JOHANNES FABER apoplecticis propinat VOMITORIUM internè, auribus & naſo inſtillat Eſſ.Caryophyllorum, Eſſ. Thymi cum tantillo olei Cinnamom. vid. *in cur.*40. CAMPHORATA his ipſis inſtillandis vel affricandis commodiſſimè adduntur. Porrò theriaca & extract.theriacale, aut extract. Salviæ cui aliquantulum ſal. vol.ſuccini & camphoræ additum fuit, pro fricandâ linguâ & palato admodum laudantur.

Pro INUNCTIONE VERTICIS aut NUCHÆ *ol.ſuccini, Majoranæ, Lavendulæ, Spicæ, roriſmarini, Cynnamomi, Caryophyllorum* & ſimilia conducunt.Item *Unguentum nervinum* malaxatum cum ol. deſtillato lavendulæ & ſuccini vertici imponitur. Hinc ſternutatoria uſurpantur quale jam ante dedi. Quod attinet evacuantia, primatum obtinent *vomitoria*, in formâ liquida ſemper infundenda ſunt admiſtis ſcil. ſimul ſpirituoſis remediis quæ valent excitare apoplecticos. Et quidem augenda nonnihil vomitorii doſis cum torpor ægri inſignis ejus efficaciam alias eludat. Augeatur ergo doſis & propinetur in aqua ſpirituoſa Cinnamomi ſicut facit FABER. Et quidem non differantur *vomitoria*, uti & ea quæ revellunt & ſtimulant optimè, in tempore injiciuntur & applicantur.

Clyſteres, qui infunduntur, ſunt acriores & fortiter ſtimulantes facti, ex radice cyclaminis, Herba ſalviæ, origani, calaminth.centaur.minor.radice pyrethri,quibus incoquatur culpa colocynthidos aut addatur infuſum croci metallorum ad ℥i.vel ℥ii.uſque ad ℥iv. item adduntur commodè ſal gemmæ aut ſal ammoniacum. Oleoſa omittenda ſunt, quoniam temperando & oblinendo acrimoniam, ſtimulum tollunt, non ſecus quam mellita.His ipſis clyſteribus commodè etiam addi poſſunt ſalia vol.ut penetrent & exuſcitent ægros.Modus præſcribendi eſt notus. Inter aſſumpta purgantia uſitatæ ſunt in officinis *pilulæ fœtidæ, pilulæ cochiæ, pilulæ proprietatis Mynſichti*, *pilulæ polychreſtæ ejuſdem*. His ipſis pro ſtimulo ſemper addendum *extractum colocynthidos* legitimè paratum.

Denique in ſenibus vel decrepitis ubi affectus Catarrhales ſunt frequentes, adhiberi ſolent pro præſervatione *Fonticuli*: Et quidem veteres *ſetaceum in nucha* uſurparunt; cujus ſetacei ad præſervandam apoplexiam in nucha uſum, vid. in HORST. *lib.* I.*obſer.* 14.Sed eſt remedium admodum moleſtum, potius *fonticulus in nucha inuſtus*, aut etiam fonticulus in brachio paratus eſt egregius. Veteres etiam *fonticulum* inuſſerunt *in vertice*, ſed eſt ridiculum remedium ſæpius propter inflammationem plerumque periculoſam. Ad præſervationem aliàs uſurpantur *Electuaria* quò pertinet D.KOLBII miſtura præſervativa ab apoplexiis compoſitio eſt hæc:

℞. Specierum diambræ
Diamoſch. ana ℨi.
Margaritarum præparatarum.
Coralliorum præparatorũ ana ℈i.
Succini albi præparati ℈iv.
Confectionis Alkermes ʒii.
Extract. Helenii ℈ii.
Ireos ℈ß.
Calami aromat. ℈i.
Pæoniæ.
Ligni aloës ana ℈ß.
Ol. ſtill. Salviæ.
Roriſmarini.
Succini ana gutt.XVI.
Lavendulæ gutt.XX.
Spicæ.
Aniſi.
Fœniculi.
Macis.
Moſchat. ana gutt.XII.
Cubebarum.
Caryophyllorum ana gutt.8.
Rutæ gutt.VI.
Sacchari optimi ℥VII.
M. F.Condit. ſervand.contra apoplex.

Sed obſervetur quod ſemen *ſinapi* & *erucæ* imprimis his addenda ſint.

PARAPLEGIÆ.

Paraplegia

Hæ nunc *Apoplexiam* ſequuntur, ſicque *morbus ſecundarius* ſunt,nunc vero *per ſe* inchoant, ſine præcedente apoplexia,utut plus minus alios morbos ſequantur, ſuntque *apoplexiæ particulares*. Notabilis eſt permutatio iſta *Foreſii l.*I. *obſ.* 80. de apoplexia mutatâ in paralyſin(rectius in paraplegiam)deinde in epilepſiam, & ex ea denuò in apoplexiam lethalem.Sanè *apoplexiæ* & hinc natæ *paraplegiæ* ac epilepſiæ ſingularem habẽt & mutuam convenientiam & quaſi in radice identitatem. *In modo fiendi* ſaltem aut affligendi *differunt*; hinc & permutatio mutua eorum & quoque in cura remediorũ identitas.Hinc certè *Gorræus in defin. Med.* inquit, paraplegiam ſignare *Hippocrati* paralyſin, quæ apoplexiæ vel epilepſiæ ſuccedit.Non enim rarum eſt, epilepſias in paraplegias mutari & contra. Sic epilepſiam,quæ in paralyſin totius ferè corporis excepto brachio dextro abiit,in qua ſenſus,ablato motu,perierunt, notat *Hildesheim in ſpicileg.de offect.cap.*7. Item *Schenckius in obſ.*refert epilepſiam ex terrore contractam poſt biennium in paraplegiam alterius lateris tranſiſſe,nihilominus ſingulis menſibus circa novilunium affligens. It.*Fontan. Reſp. & curat.l.*I.*p.*32.Paraplegiam oculi ſiniſtri,poſt epilepſiam in gravida obſervat,quæ poſt partum gemellorum mortuorum apoplectica interiit.*Horſtius l.*2. *obſ.*41. notat ex epilepſia paraplegiam lateris dextri,& hinc denuò inſultus epilepticos. Pertinet huc notabilis obſervatio *Ann.*6.*M.A.N.C.*ubi mutuo paralyſis & epilepſia ſe exceperunt. Item confirmat hæc *Bartholin.cent.*4.*obſ.*3. dum paraplegiam lateris ſiniſtri & convulſionem lateris dextri in febre petechiali annotat.Sanè non ſecus in *apopexia & paraplegia*; quam epilepſia ſimul *aliquid convulſivi* ſubeſſe videtur.Notabilis hîc eſt *Hildani obſer.*4.*cent.*I. ubi ex ſolâ nervuli in aure irritatione,ob immiſſum globulũ,ſtupores quaſi paralytici, dolores & atrophia brachii iſtius lateris ac tãdem epilepticæ convulſiones. *Ex irritatione iſta*,quid aliud quam *ſpaſmus* fieri potuit? Similem obſervationem de dolore & ſtupore cum ejuſdem atrophia ex corallina ſphærula in aurem illapſa,refert SCHENK.*in obſ. ubi de aurium morbis.* Hujuſmodi *paraplegiæ*, quæ apoplexiam, epilepſiam, alioſque morbos immediatè ſequuntur,vulgò *paralyſes* vocantur & hoc nomine tractant Theoriam earum ac praxin Practici:Omnium loco ſufficiat WIL.*de anim.brutor.part.*2.*c.*9. cum tamẽ propriè loquendo paralyſis longè alius affectus ſit ab his apoplexiis particularibus ſeu paraplegiis, ut infra monebitur. *Probè hoc obſervetur in Autorum lectione*, qui ordinariè paralyſes & paraplegiam confundunt, unaque methodo theoriam & praxin tractant. *In paraplegia*, ſeu apoplexiam, ſeu alium ſimilem ſequatur affectum, 3. *gradus* ſunt *diſtinguendi*. I. *Motus ſolum deficit*, ſuperſtite ſenſu. *Senſus & motus deficiunt*, reſtitante tamen adhuc partis calore. 3. *Iſtis deficientibus* pars ſimul continuò frigida percipitur, quam inſequi ſolet ejuſdem *flacciditas* notabilis, & hinc *maraſmus*.

QUOAD CAUSAS PARAPLEGIÆ communiter *obſtructionem nervorum* accuſant, quæ tamen nec cum modo fiendi,nec cum cura bene convenit,

Saltim non *univerſalis cauſa* hæc eſſe videtur, ſiquidem & *per conſenſum* aliarum partium remotarum paraplegiam fieri obſervatum fuit. Nempe ſicut notum eſt, quod graviores *paſſiones hyſtericas* ſubinde epilepticæ convulſiones ſuperveniant, ita iiſdem *paralyſes* & *hemiplexias* ſuperveniſſe obſervatum fuit, in ſpecie à *Quercetano in Tetrade graviſſimorum affectuum*. Item *Lumbrici* uti convulſiones & epilepſias excitant, ita etiam ad paralyſes terminantur, teſte SALMUTH, *cent. 2. obſ. 45.* Hinc etiam apoplexiam paraplegia lateris ſiniſtri & convulſio dextræ inſecutæ fuerunt. *Vid.* SCHENCK. *in obſ.* Ut taceam paraplecticos deſperatos quoſdam ſubinde *ex graviori animi pathemate*, irâ vel terrore, ex improviſo curatos fuiſſe, autore HORSTIO *l. 11. obſ. 15.*

Paraplegiæ iſtæ pro fiendi ratione nunc *privativæ*, nunc *poſitivæ* eſſe videntur, & in his poſitivis *aliquid convulſivi* omnino intercedere, dicta modo ratio, & cum affectibus cõvulſivis facilè permutationes omnino perſuadent. Sed cum in ſpecie apoplexias non lethales ferè ordinariò inſequantur paraplegiæ, hujus *permutationis ratio* eſt inquirenda: Equidem *apoplexiam ſanguineam univerſalem*, quæ ex ſanguinis extravaſatione evenit, utplurimum lethalem eſſe exiſtimo. Alia *ſanguinea privativa*, quæ tantum ex motu ſanguinis intercepto in vaſis cerebri oritur, ſi univerſalis ſit, quomodo in paraplegiam tranſeat, ſanè obſcuriſſimum, niſi forſan ven. ſect. largior ſanguinis motum promovendo, ſaltim alterius cerebri lateris affectum *particulare* reddat, qui antè *univerſalis* erat, ita ut ſaltem in altera cerebri medietate, aut ſaltim circa nervorum exortum & ſanguinis conſiſtentis & turgeſcentium inde vaſorum vitio paraplegiæ, oriantur: Imò *ſi apoplexiæ privativæ ſanguineæ paraplegia ſupervenerit*, probabile eſt ex ſanguine congrumato aut ſubſiſtente plus minus laticem aquoſum feciſſe ſeceſſum, & vel interius profundius penetraſſe per cerebum in caudicem medullarem, vel exterius defluiſſe, ſecundum ſituationem ſpinalis medullæ, & ita unius aleriuſve nervi læſione vel oppreſſione, paraplegiam intuliſſe in *privativa & lymphatica*, aut huic cognata, ſi unquam obſervetur, *pituitoſa apoplexia*; unde lymphæ materiæve peccantis in caudicem medullarem interiora verſus progreſſus, adeoque obſtructiones, vel ejus ſecundum radicem ſpinalis medullæ defluxus & certis in locis compreſſio paraplegiam inferre poteſt, ut ſatis plauſibile videtur. *Imò forſan aliqualis irritatio* contractioni fibrarum & membranarum circa principiũ nervorum originem ſubminiſtrare & hinc ſufficientem ſpirituum influxum impedire poterit.

Poſitivam apoplexiam etiam excipere paraplegiam, res nota eſt, ſed *modus* eſt admodum obſcurus. Eſſe tunc paraplegiam *contracturam partium nervoſarum* circa radicem ſpinalis medullæ, qua impediuntur ſpirituum pro motu tranſitus, ut HELMONT. aſſerit, non improbabile eſt; *ſed quomodo fiat*, revera intricatum; interim tamen *ſicut* calculus in rene ſubinde crus iſtius lateris ſtupidum & ſemiparalyticum reddit, aut quando colicam inteſtinorum convulſivam ex improviſo, vel crurum paralyſis, aut hemiplegia inſequuntur, ſi cauſa materialis communicetur ex ſimplici partium nervoſarum concurſu; *ita* ſimiliter probabile eſt, *per conſenſum nervorum*, eorumque fibras circa ſui radicem in caudice medullari, aut in hujus progreſſu contractas ſpirituum ſufficientem pro motu inpediri influxum, ſic partes, ad quas iſti nervi diſtribuuntur, ſenſu & motu plus minus privari. Ex hoc enim *permutationis ratio effectuum paralyticorum & convulſivorum* & earum *identitas* optimè explicari poſſunt.

QVOAD PROGNOSIN.

Paraplegia quævis malum difficile eſt curatu. *Levior* tamen & curatu difficilior eſt *primus gradus*, *graviſſimus* & contumaciſſimus eſt *ultimus*. *Si parti paralyticæ vel tremor ſuperveniat*, aut fornicationis ſenſus, aut doloris moleſtia, bonum ſignum eſt pro reſtitutione. *Quò magis calor* membri paralytici *deficit*, eò minor ſpes ſupereſt.

QVOAD CVRAM

Eadem ferè quæ in apoplexia univerſali curanda monita fuerunt, etiam in paraplegia obſervanda. *Remedia* verò ipſa *appropriata* ſunt eadem, quæ *epilepſiæ* aut *apoplexiæ* medentur. *Vomitus* in quavis paraplegia eſt optimus, & quidem forte neceſſe eſt *vomitorium*, quem in finem *Mercurium vitæ* cum *ſcammon.* adhibet HARTM. ſicuti inter *purgantia* pro ſtimulo *colocynthis* uſurpanda. Subinde ven. ſect. ſed in latere oppoſito inſtituenda venit, non tamen ſemper æquè neceſſaria eſt. LIND. verba ſunt: "ven. ſect. inſtituere, niſi plethora adſit, magis jugulat, & puto ideo multas curationes malè ſuccedere, quod in principio ſanguinem mittimus, ſtatim vomitorium propinandum, idque ab initio. Adeoque *vomitoria* imprimis in paraplegia, quæ ſequitur apoplexiam poſitivam conveniunt. Sicuti ven. ſect. magis locum habet in eâ," quæ ſequitur privativam, ubi etiam *fonticuli* item *veſicatoria*, nuchæ admota, & *cucurbitulæ* intra ſcapulas conveniunt. Utrobique vero *ven. ſect. adhibenda in plethoricis*, aut in quibus ſolemnis quædam ſanguinis excretio ſuppreſſa fuerit.

His & ſimilibus præmiſſis, inter *Remedia interna* præ cæteris laudantur *ſudorifera*, tam generalia illa *ex lignis*, quam in ſpecie *aurum diaphoret. Poter. cinnab. antimonii, coralliata, cranium hum. it. ſalia volatilia, ſp. ſangu. hum. liquor CC. ſuccin.* hæc omnia ſunt præſtantia. *Aurum diaphor.* certè frequentiſſimo uſu habuit *Poterius* & elegantes curas in paralyticis præſtitit: Paravit ex *auro fulminante* cum *dupl. flor. ſulphur. fixat.* & cum *ſpir. aniſato* digeſto. Sicuti aliàs idem cum *mercurio antimonii* præparavit nobiliori modo & effectu, *vid. pharm. ſpagyr.* in fine & in ſpecie *cent. 2. obſer. cap. 66. 78.* & *cent. 3. cap. 14. cent. 1. cap. 73.* Aliquando viro adulto affectu quaſi paralitico correpto dedi *conſerv. flor. tunicar.* ʒj. *aurum diaph.* ℈j. M. pro 2. doſ. Prima doſis cum blando ſudore tormina abdominis & mirabilia excreta excitavit, altera vice vero copioſum ſudorem emanare fecit cum euphoria. Aliàs *decocta ſudorifera ex lignis*, interpoſitis hujuſmodi *appropriatis* ſunt optima. Speciatim *decoctum lign. ſaſſafras* eſt egregium, ex quo & *baccis lauri* paratum *decoctum* efficaciter paralyticum reſtituit *Vid.* POTER. *cent. 2. obſer. 26.* it. *decoctum ſaſſafr. cum roſmarin.* imprimis convenit, quod ſingulare quid obtinet, in hujuſmodi nervorum affectibus. Item *Helenium*, ejuſque rad. dictis *decoctis* additum, bene convenit, v. gr.

℞. Raſur. lign. ſaſſafr. ʒii.
Herb. roſmar. recent. Mi.
Baccar lauri ʒii.
coq. in aqua & vino an ℔iß. in cucurbita ſuo alembico munita, decoctum & deſtillatum M. adde
ſpir. juniper. ʒiv.
ſal. ammoniaci ʒiii. M.
Syr. flor. tunic. ʒiii. M.

Cũ his internis optimè *externa* vertici, aut regioni ſpinæ dorſi, aut in paraplegia in ſpecie ſic dicta, ſaltim loco, unde exoritur nervus partis affectæ illinenda conveniunt: *ol. deſtill. ſuccini, lavend. ſpicæ. Galbanet. Paracelſ.* optimum eſt. Item *ſpirit. vini camphoratus* ter quotidie in loco calido bene affricando parti paraplecticæ. Conveniunt item *eſſentiæ* ex infuſis nervinorum, vel *aqu. articularis ad extra* cum *eſſent. caſtorei*, extracta cum *aqua ſpirit. lil. convall. cum vino*, pro frictione ſpinæ dorſi eſt egregia. His ipſis ſpirituoſis aquis & *ſal. volatilia*, in ſpecie *ſpiritus* & *ſal. volatil. lumbric. terreſtr.* ac *formicarum* addi poſſent. Quod ſi ſpina dorſi probè his ipſis perfricata fuerit, applicandum deſuper *linteum cum gumm. animæ* probè ſuffumigatum atque calidum; vel præmiſſis cum *aqu. ſpirituoſis* frictionibus iſtis, *olea* ſupra laudata deſuper illinenda

illinenda ſunt, ut apertis his mediis poris penetrantioris efficaciæ ſint hæc ipſa, quibus etiam *Ol. Tartari* vel *ex pinguedinibus* aut partibus animalium deſtillata & rectificando ſuper *oſſa calcinata* à fœtore liberata addi poſſunt. Illinuntur hæc *Olea* nunc ita ſimpliciter; nunc ubi nimis acria fuerint, parvaſque puſtulas excitent, ſubigenda ſunt vel cum *pinguedine humana* vel miſcenda cum *ol. lumbric. terr.* per decoctionem & ita illinenda. *Ipſa membra paralytica ita illinire ſuperfluum videtur*, cùm malum in illis non hæreat, ſed ipſa ſaltim paſſivè ſe habeant. Nihilominus tamen cum hujuſmodi frictionibus & litibus aſperis, calidis ac penetrantibus irritentur partes ſenſiles, & hujus medio provocetur plus minus ſpirituum impetus; propterea & ipſas partes ita reſolutas his modis tractare conſuetum eſt, & propter hunc finem ſolent *alumen plumeum* tam *crudum*, quàm, quod præſtat, ſecundum *VVürzium præparatum* dictis litibus addere. *Balnea* denique *ex Formicis*, ſeu *Stuffa ſicca*, revera ſingulare quid obtinent in paraplegiis curandis. Conf. *M. A. N. C. ann.* 4. *pag.* 137. e, gr.

℞. Spir. vin. Camph. ℥iii.
ſpir. lumbric. terreſtr. ℥iß.
Eſſent. caſtor. ʒvi. M.

℞. Liquor. lumbr. terreſtr. in cliban. parat. ℥iii.
ol. deſtil. ſpicæ.
junip. an. ʒiß.
lavend.
majoran. an. ʒß.
ſuccin. ℈ii. addi etiam poteſt
aluminis plumei ℈i. M.

Partibus affricetur, hinc *balſ.* ſeu *ol.* inungatur, quibus & deſuper ſubinde circa locum affectum *emplaſtrum ex nervinis & aromaticis* imponi poteſt. Pro *aquis circularibus ad extra*, quidam

℞. Sem. ſinap. p. i.
Bacc. junip. ʒii. contuſa infundantur in ſpir. vin. eundemque imprægnatum partibus affricant, pro quo ſcopo & ipſum magma ſimpliciter adhiberi poteſt. Alia plura remedia contra paraplegiam vid. in *M. A. N. C ann.* 6. *Append.* 44.

Cognatum *Paraplegiæ* malum eſt.

Apoplexiæ, quam nuperrime abſolvimus, in ſpecie particulari, ſ. ut alii vocant *Paraplegiæ*, proximus affectus eſt

PARALYSIS.

Paralyſis. adeò ut propter ſummam quam habent cognationem vulgo ſoleant confundi & non abſque errore promiſcuè uſurpari.

Nam quod attinet paralyſin, vulgò referunt etiam ad HEMIPLEXIAM item SPECIEM INNOMINATAM & PARAPLEGIAM, cum tamen revera ſint ſpecies apoplexiæ, nempe apoplexiæ particulares.

Apud priſcos vero paralyſis propriè ſignificabat reſolutionem nervorum, *παραλύω reſolvo*, idque imprimis, Interprete CELSO, qui in hoc puncto eſt ſatis accuratus.

Nervus vero Græcis dictus *νεῦρος* ab ipſo dicitur, vel tendo muſculorum, vel ipſum ligamentum quo nectuntur artus: Et id quod hodie vocamus nervum, priſci generali nomine *venarum* complexi fuerunt.

Paralyſis ergo in genuino ſenſu, erit reſolutio & relaxatio iſtius adſtrictionis quam debet habere nervus ſive tendo & ligamentum, quibus mediantibus connectuntur & proximè moventur artus; quæ ipſa inſtrumenta, tendines, fibræ, & ligamenta, quando ſunt laxiora vel humidiora, tunc non poſſunt movere iſtas partes.

Talis affectus eſt quem deſcribit BONTIUS *in ſuâ Medicinâ Indorum cap.* 1. ſub verbo Indica BERIBERI. Eſt ſcilicet talis reſolutio muſculorum & nervorũ ut totum corpus moveri nequeat. Hic enim affectus eſt genuina veterum paralyſis, quando tendines & ligamenta, & fibræ artuum ita humectantur & laxantur, ut reſoluta & laxata non poſſint movere membra.

Ex quo facilè patet, quod *paraplegia & hemiplexia*, &c. ſint ſpecies apoplexiæ non verò ſpecies paralyſeos, & propter neglectum hujus diſtinctionis auctores neſciunt quo modo fiat, quod pereat motus ſuperſtite ſenſu (quod tamen facilè cognoſceretur modò fieret diſtinctio hujus ab apoplexiæ ſpeciebus.) Quomodo ſenſus ſupereſſe poſſit motu deficiente, licet uterque ab eodem prodeat proprio, optimè declarare videtur VVILLIS *de Anim. Brut. part.* 2. *pag.* 280.

Si iſta paralyſis, quæ fit læſo motu eſt levior, ita ut remaneat ſenſus, vocatur PARESIS, qualis eſt in Cholicâ, & qualis eſt ſæpius in ſcorbuto: Quando vero ſenſus & motus unà pereunt dicitur paralyſis, gravior ſcil. ſpecies.

Ex hoc patet quod propriè paralyſis ſit atonia fibrarum ac muſculorum, præcipuè autem in tendinibus & ligamentis, quod partes propter atoniam reſolutæ ineptæ fiunt, ut trahere aut convenienti robore firmare non poſſint membrum. Levior affectus dicitur pareſis, ſicut fortior paralyſis.

Vulgò equidem pareſis dicitur paralyſis nota, ſed hoc ex falſa hypotheſi: Putant nempe paralyſin oriri ex obſtructione nervorum (id quod tamen dat paraplegiam) qualis obſtructio non ſit obvia in pareſi, propterea rari paralyſin notham indigitant. Cum tamen pareſis reverà ſit ſpecies paralyſis, ſed levior, in qua nervi non primario, ſed tantum conſecutivè affectis fibris & tendinibus laxatis & ipſis afficiuntur.

Facilis aliàs eſt diſtinctio inter *paraplegiam & paralyſin.* Nam differunt 1. *origine*, paraplegia imprimis ſequitur cerebri & ſpinæ morbos, & frequentiſſimè comitatur apoplexiam epilepticam, convulſiones, &c. quæ deſinit in paraplegiam. Paralyſis verò ſequitur alios affectus corporis, aut etiam oritur à cauſis externis, in ſpecie poſt ſcorbutum aut colicam in regionibus ubi copioſum hauriunt vinum, ſequitur. Differunt 2. *Subjecto*; nam in paraplegia primariò afficiuntur nervi, in paralyſi verò imprimis muſculi & ſpecialiter tendines & artus afficiuntur. Hinc medicamentorum topicorum diverſa in utroque affectu applicandi ratio, quæ in paraplegia magis origini nervorum partis affectæ in paralyſi ipſi parti affectæ applicanda. Differunt 3. *Symptomatis.* Nam in legitima paraplegia ſenſus tactus utplurimum cum motu voluntario ſimul perit & tollitur, in paralyſi verò plerumque ſenſus tactus ſuperſtes eſt, quandoque etiam cum ſenſu doloroſo tantummodo motus tollitur & labaſcit. Quibus 4. addatur quod genuina Nervorum reſolutio ſeu paraplegia à principio ad finem eodem ferè habitu ſit conſtans, ac quodammodo perpetua, & utplurimum Medicorum manus fallat: (nam paraplegiæ poſt apoplexiam ſunt difficillimæ curationis) E contra paralyſes & pareſes ſæpius per intervalla ægros magis & minus labefactant, ceſſant & redeunt quandoque, cum arthriticis doloribus complicantur: quin & interdum in convulſiones abeunt, nec tamen adeò rebelles ſunt exercitatis Medicis ut paraplegiæ: id quod quotidie evenit in pareſi ſcorbutica.

Hæc eſt genuina paralyſis. Verum communiter in genere & abuſivè, omnis depravatio ſenſus & motus in parte à quacunque oriatur cauſa dicitur paralyſis.

Sic etiam quando ex diſſecto, v. g. per medium nervo, pereunt ſenſus & motus ia partium vulneribus, dicitur etiam paralyſis, ex quo patet in paralyſi vera motum perire remanente ſenſu: rarò etiam ſenſus ſimul perit: in paraplegia verò ſenſum & motum ſimul perire: rarò fit ut pereunte ſenſu remaneat motus: ſunt qui hoc negant, poſſe remanere motum ceſſante ſenſu,

uti videre eſt in QUERCETANO REDIVIVO & aliis: Nihilominus tamen practicorum experientia aliud docet: Narrabo exemplum, quod recenſet BOYLE *in Philoſophia experiment. pag.73.part.2.* qui refert de quadam puella 18. annorum, quæ integro motu ita perdiderat omnem tactus ſenſum in toto corpore, ut licet acicula per totam manum trajiceretur, ipſa nihilominus ſine omni ſenſu eam ita circumferret. HARVÆUS ergo videns hanc puellam quæ erat valida, & omnia negotia peragebat, ſuſpicatus fuit hunc affectum oriri ex vitio Uterino, ob id conſuluit parentibus ejus, ut ipſi perſpicerent de ſtrenuo marito, qui parentes obſecundantes conſilio Harvæi id fecerunt, unde ex ſtrenuo exercitio venereo, ipſa tactum in toto corpore recuperavit.

In his caſibus ubi remanet motus & perit ſenſus, vitium non tam in partibus nervoſis quam quidem in ſpiritibus animalibus conſiſtere videtur, qui ſcilicet minus agiles & minus mobiles aperti equidem ſunt, ut moveant ſuo influxu partes, propter aliqualem videl. ſtuporem aut propter imminutam eorum activitatem & mobilitatem, inepti ſunt, ut objectorum externorum impreſſiones recipiant & percipiant.

In genere paraplegias & Paralyſeos cauſas ſcrutabimur, & quidem conjungam hæc, ne in lectione auctorum confundamini. Apoplexiam ſequitur ſæpius ſic dicta paraplegia, & tunc imprimis nervi, ad membrum quoddam amandati afficiuntur, qui nervi à ſubtili materia aut ſunt infarcti, aut etiam eorum tunicæ ita impletæ ut ſpirituum nequeat fieri tranſitus. Sed genuine ut loquar ignotum eſt, quo modo poſt apoplexiam ſequatur paraplegia ſeu paralyſis, propterea quia per anatomen non potuit huc uſque aliquid detegi.

Aliàs ſequitur paralyſis vitium nervorum, quando aut hi ſunt diſſecti, in vulneribus ſunt, aut quando diſtorti aut compreſſi in luxationibus, aut caſibus ab alto, aut ſimilibus cauſis: His enim modis vitiati nervi denegant ſenſum & motum partibus iſtis, in quas derivantur; Sic Hæferus in Hercule Medico p. 9. obſervat paralyſin partium omnium inferiorum ex luxatâ vertebra coxæ proximâ: Ita poſt caſum ex ſcala lapidea, paralyſin brachii & ſiniſtri cruris ſecutam fuiſſe, inunctione appropriata curatam refert AMATUS LUSITANUS.

Ita alius ex arbore decidens, in os ſacrum ex hujus contuſione, in paralyſin pedum inciderat, ut hoc obſervat BARTHOLINUS *cent.5.obſ.8.* Similiter paralyſin ſiniſtri lateris, convulſionem & mortem, ex contuſione muſculi temporalis à lapſu notavit GLANDORP. *Specul.Chir. obſ.10.* Quo pertinet gibbus paralyſin ſenſim inducens, cujus cura vid. in *M.A.N.C. ann.2. pag.333.* Sed hæc ipſa modo allegata potius paraplegiam, quam paralyſin inducunt, non ſecus ac quādo à varis faciei repulſis, primo arthritis, poſt paralyſis, & brevi mors ſecuta fuit, notante SALMUTH. *cent.2. obſ.35.*

Præterea nimia *humectatio*, ac nimia *refrigeratio*, indeque facta reſolutio fibrarum ac tendinum, infert paralyſin eamque propriam. Sic enim GALENUS jam ſuo tempore, ex mora diuturnâ in aqua frigida, & ex balneo aquæ frigidæ, paralyſin obſervavit non minus quam Z. LUSITANUS *lib.1. prax.admir.obſer. 37. & 34.* paralyſes ex natatione in aqua frigida obſervavit.

Hinc etiam *ſenes*, item *infantes* ſunt quaſi ſemiparalytici: quoniam in infantibus fibræ & tendines copioſo rore nutritio irroratæ, laxæ & flaccidæ ſunt & propter deficiens robur vix valent membris movendis. In ſenibus vero exhauſto rore nutritio, ſuccedit ſæpius aquoſitas ſeroſa aut alia, quæ laxando fibras & tendines, eos ſemiparalyticos reddit.

Unde etiam ii qui diutius in pluvia verſantur & veſtimenta madida in corpore exſiccari permittunt, fiunt in uno alterove membro paralytici, uti hoc refert HORSTIUS *in obſer.*

Sæpiſſimè vero à cauſa interna paralyſis fit ex *acore*, ſeu ex materia quadam vitioſè acidâ, lymphæ cognata, quæ ad quoddam membrum delata, nervoſas partes iſtius loci irrorans, (cùm aliàs omne acidum nervis ſit inimiciſſimum) earum tonum ſucceſſivè corrumpit, ut ineptæ fiant iſtæ partes nervoſæ movēdis oſſibus & membris.

Hac ratione *potatores vini*, ſubinde fiunt paralytici, & quidem cum tali paralyſi ex acore contracta, etiam ſubinde ſenſus quidam moleſtus ſi non doloroſus, ſaltim formicans aut tantummodo titillans aut lancinans conjunctus eſt. Et tales paralyſes frequentes ſunt in Auſtria & Moravia, ubi copioſum potatur vinum acore inſigni turgidum, qui acor vitioſus ex abuſu vini in ſtomacho, non ritè correctus pergit ad membra, ad partes, & defixus circa nervoſas partes tendines fibras & ligamenta non tantum arthritidem, ſed etiam paralyſin iſtis infert, in quibus pereunte motu, ſenſus imminutus aut vitiatus remanet, quando & ſucceſſu temporis ſenſus perit. Quâ ratione *ſcorbutici* ex vitiato acido, item *Colici* ex ſimili ratione paralyſin ſeu pareſin incurrunt. Nam iſta colica quæ fit ita ex ſubtili acido, non tam inteſtina afficit quàm meſenterium: ſunt enim uti dixi colicæ ſpaſmodicæ, non verò propriè ſic dictæ aut flatulentæ. Ex tranſlatione ergo materiæ vitioſæ in membra ſunt pareſes.

Porrò ſunt quædam corpora ſpecialia, quæ ſingulari virtute membris torporem inferunt: quo pertinet TORPEDO piſcis, non tantum (de quo notum eſt quod piſcatoribus inferat ſtuporem & torpedinem unde etiam nomen accepit) ſed præter hanc in India Occidentali, reperta eſt ſpecies quædam conchyliorum, quæ ipſa ſimiliter vel ſolo contactu ſtuporem manibus & brachiis cæteriſque membris infert, de quibus videatur KIRCHERUS *in Regno naturæ magneticæ ſect.4.c.4.p.182.*

Ulterius mercur. & omnia mercurialia uti nervoſis partibus ſunt infenſiſſima (hujus rationem deſumit ex acore TACHERINUS) ita etiam ii qui tractant mercurialia, ſæpius paralyſin partium incurrunt, uti obſervat SENNERTUS *cap. de paralyſi.* Item FORESTUS *lib. 8. obſer. 5.* Ulterius fit interdum ut ſolemnes ſanguinis ſuppreſſæ evacuationes, ſicuti apoplexiam ita etiam paralyſin inferant. Sic enim mulier propter *ſuppreſſa poſt partum lochia* paralyſi crurum cum febre ardente correpta fuit, quæ ſectâ venâ in talo fuit curata. Uti refert Z. LUS. *lib. 1. prax. admir. obſer. 37.* Item DEODATUS *in Valetudinario pag. 212.* Sic ex *ſuppreſſâ hæmorrhagiâ narium*, paralyſin lateris dextri, notat BARTHOLINUS.

Porrò *affectus animi* & ipſi graviores in ſpecie *tremores*, *mœrores* & *pavores* inducunt paralyſin, qualia exempla habet CORNARIUS & Z. LUSIT. & nihilominus tandem pertinaces paralyſes & à Medicis pro deſperatis habitæ obſervatæ, ſunt curatæ per ſubitos animi motus ex ira, excandeſcentia & ſimilibus. Qualia exempla curioſa paralyſeos curatæ per tales animi conſternationes habet HORSTIUS *lib. 10. obſervat. 15.* Item SCHENCK. *in obſerv. de paralyſi*, ubi duo habet exempla ex VALLERIOLA per terrorem & iram curatorum. Interdum *variolis retropulſis* aut *malè curatis* ſupervenit paralyſis, uti habet LOTICHIUS *lib. 2. obſervat. cap. 1. obſervat. 15.* qui obſervat paralyſin linguæ in infante à variolis malè curatis. Item ob *Eryſipelas faciei retropulſum* paraplegiam linguæ, notat SALMUTH. *Centur. 2. obſervat. 43.* Ita *variis faciei repropulſis* arthritidem poſt etiam paralyſin & tandem mortem, obſervavit idem SALMUTH. *centur. 2. obſervat. 25.* Interdum *ſuffocationi matricis* paralyſin ſupervenire notat QUERCETANUS, ſicuti *epilepſia* &

ipſa

ipſa interdum paralyſin poſt ſe relinquit, uti etiam ex *vermibus inteſtinorum* interdum paralyſin oriri, obſervavit SALMUTH. *cent.*2. *obſ.*45.

QVOD ATTINET PARALYSEOS SIGNA.

Ea ipſa per ſe ſunt nota, ceſſante enim aut ſenſu aut ceſſante motu aut pereunte utroque, unicuique notum eſt membrum affici paralyſi, ſequitur utplurimum atrophia membri ejuſque contabeſcentia. Quando & pars paraplectica frigida & minus calida parte ſanâ percipitur. In ſpecie vero cum à tam variis cauſis oriatur paralyſis & paraplegia, imprimis ſedulus ſit Medicus in cognoſcenda cauſa hujus in loco affecto: an muſculus an tendines an ligamenta & artus primario afficiantur: an vero primarium peccatum ſit in nervis: Nam hoc obſervandum pro praxi, ubi enim eſt vitium in nervo, medicamenta ejus principio applicantur: uti eſt in parte totâ, pars externa eſt medicanda.

QVOAD CAVSAS, ſemper relinquitur Medici judicio, in expiſcandis iis quæ præceſſerunt, &c.

Quod attinet locum affectum, ſi oriatur paraplegia poſt apoplexiam, res clara eſt, quod applicentur medicamenta principio nervorum. Si oriatur à læſione externa à caſu, vulneratione, &c. Res etiam palam eſt, quod nervus ſit affectus & quod eo ſit inſpiciendum in cura. Si nullæ tales præceſſerint cauſæ, ſenſus eſt perſcrutandus, quo n. plus reſtituit tactus, eo minus afficitur ſenſus, quo v. plus de tactu periit, eo magis ſenſus ſeu nervus affectus. Interdum ubi ceſſat motus reſtitante Tactu, nervus eſt inſons & ligamenta & tendines ſunt in culpâ. Ulterius quod paralyſin ſpectat, benè diſtinguenda eſt *convulſio faciei Canina*; ab ejuſdem paralyſi: ſive enim medietas faciei ſit convulſa, ſive ſit paralytica, ſemper contractio oris canina ſequitur, quæ tamen facilè hoc modo diſtinguuntur. Nam ſi diſtorſio oris oritur à paralyſi, pars iſta quæ trahitur & paralytica eſt, mollis & flaccida percipitur & ad partem ſuam trahitur, & hæc ipſa pars poteſt facilè in naturalem ſitum per manuum operam deduci, quia mollis & flaccida eſt. Contrarium fit in convulſione. Nam in convulſione pars convulſa trahit ſanam, & pars convulſa dura & firmiter contracta percipitur, ac denique ſi volumus partem convulſam retrahere, Dolor oritur, quod non fit in paralyſi.

PERGO AD PROGNOSIN.

In genere jam ante monui, quod paralyſis ſive pareſis facilè curentur: Paraplegia v. omnem Medici operam eludat, niſi fortiorib. & generoſis inſtructus ſit remediis 2. Paralyſis, in qua ſaltim motus læditur, ſuperſtite ſenſu ſecura eſt & facilè curabilis.

Paralyſis ex Luxatione valida & ſubitanea vertebrarum dorſi aut in ſpecie cervicis, ut plurimum eſt lethalis: quo magis calor membrorum reſolvitur, eo minus ſpei pro ſalute recuperanda affulget: ſi ſuperveniat tremor partis, bonum eſt ſignum recuperandi motus. In ſenibus paralyſis rarò curatur, quando ad mortem eos comitatur.

Apoplexiæ ſ. paralyſi ſ. paraplegiæ ſuperveniens febris, uti ſimilibus affectibus nervoſis ita & hic admodum conducit, quia ſæpius morbum tollit.

QVOD ATTINET CVRAM.

In cura obſervanda eſt diverſitas affectuum, quæ generali paralyſeos nomine appellantur & pro affectuum horum eorumque cauſarum diverſitate etiam ſubinde varianda eſt cura. In ſpecie in paralyſi propriâ ſic dicta, & à paraplegia à cauſis internis ſ. poſt Apoplexiam cauſa ſ. materia peccans, & nervos aut tendines fibraſque infeſtans, medicamentis ſudoriferis blandis ſubinde reſolvenda & diſcutienda. 2. Verum cum non raro tam in paraplegia quam paralyſi imprimis internè hæreat fomes tam in maſſ. ſang. & lympha, quàm etiam ſpecialibus in primis viis, ob id hic ipſe digeſtivis 1. nonnihil reſolutus & abſterſus convenientibus evacuantibus eſt expurgandus; quæ inter præter *Clyſmata* acriora & purgantia per inferiora in ſpecie *vomitoria* ſunt, quæ præ aliis evacuantibus parum, aut in his promoventibus à RIVERIO commendantur & à LINDANO mox in principio inſtituenda præſcribuntur. Dixi quod præmittenda ſint *digeſtiva* ſalina reſolventia & abſtergentia. Nam multi in uno latere reſoluti ſ. paraplectici, ſi in principio fortiora exhibeantur purgantia etiam in altero latere paralyſi tentati & tandem extincti fuerunt, uti obſervat SOLENANDER & ex eo THONERUS.

3. Ubi à *Colica* fuerit pareſis, cautus ſit Medicus in purgantibus fortioribus, metus enim eſt, ne ſequantur convulſiones & ſimilia mala. Id quod etiam in *ſcorbuticis* obtinet, qui ipſi etiam fortiores purgationes vix aut rarò ferunt: ſicuti in genere omnis fortis purgatio eſt nociva. Hinc potius frequentes conveniunt *Clyſteres* quibus Oleoſa carminativa & nervina adduntur v. gr. *ol. Angelicæ*, *ſalviæ, ſuccini, Cumini* & *Carvi*; ſuntque in principio ſaltim emollientes & lubricitantes, in progreſſu vero ſi patiens nullum percipiat levamen; tunc acriores interdum nonnihil Clyſteres adhiberi poſſunt. Quod 4. attinet externa vel imprimis uſurpanda ſunt poſt provocatos ſudores, eorumque abſterſionem: pori enim tunc aperti facilius remedii externi admittunt ingreſſum. In ſpecie tamen obſervanda cautela QUERCETANI, qui monet in adminiſtratione Topicorum Remediorum, quæ ut plurimum calefaciant & attenuent, quod accuratè debeat expendere Medicus, ut ſi paralyſis ſit ab humore Aquoſo aut pituitoſo: à lympha vitiata & nimis acida, & Æger ſit ſimilis ferè conſtitutionis, parſque paralytica intumuerit, quod medicamenta tunc adhibenda ſint ſubtilia & penetrantia: ſin vero pars affecta jam marceſcat in atrophiam labatur, & æger ipſe Conſtitutionis quodammodo ſit bilioſæ (facili negotio hæc corrigi poſſunt) ab iis abſtinere debet. Si paralyſis ſequitur ſolemnem ſanguinis ſuppreſſionem idque in corpore ἐυσάρκῳ & juvenibus, eam ſolet curare *Venaſectio* ſubinde repetita. Refert namque VALLERIOLA *lib.* 4. *obſ.* 4. de paralyſi Dextræ partis in ſene optimi habitus, & magnarum adhuc virium quæ ſola purgatione & ſanguinis miſſione fuit curata.

Quod attinet medicamenta in genere omnia ſunt *Apoplectica* & *Ant-Epileptica*; commendantur & applicantur in omnibus paralyſeos ſpeciebus, tam in vera quàm paraplegia.

Inter ea quod attinet I. *Vomitoria*. Hæc ſunt ſatis nota quæ inter *flor. Antimonii* commendat HARTMANNUS cum extracto Scamonii *in praxi Chymiatricâ*.

Inter *purgantia* quæ aliàs nota commendatur *Turbith.* à ℨß. ad ℨiß. item Hermodactyli ana ℨß. ad ℨiß. in infuſo ad ℥ß. utut parum infuſo tribuant. Item *ſpecies dia-Turbith. cum Rhabarbaro* à ℈j. ad ℨß. propinandæ quæ inſigniter admodum conducunt ad evacuandum. Item Maſſ. Pilul. *de Hermodactylis* à ℈j. ad ℈ij. uſurpanda. Item *pilulæ arthriticæ*, *pilulæ fœtidæ*, & ſimiles, uti & *pilulæ de Hierâ & agarico* acuatæ cum extracto Trochiſcorum alhandal. ſeu Colocynthidos. Nam in paralyticis affectib. utplurimum ſtimulus debet eſſe Colocynthides. Inter *appropriata* remedia eſſe dixi & *Apoplectica* & *Epileptica*.

Præ cæteris in uſu ſunt *ſalvia*, *Chamædrys*, & *chamæpytis* & *roſmarinus*. Multum certè tribuitur decocto Roſmarini ab omnibus autoribus in ſpecie tamen à LINDANO, qui *Roſmarinum* nobiliſſimum vocat ad curandos paralyticos, ſi ejus decoctum factum lento igne in baln. mar. propinetur ægro jejuno ventriculo liberaliter ſ. bonus hauſtus, movet enim ſic blandum ſudorem & egregiè deſtruit paralyſin: Quidam addunt

doſin extracti ſeu Eſſ. *Caſtorei* cum ſucceſſu magis felici.

De *primula veris* res nota eſt quod vocetur herba paralyſis, propter inſignem vim quam obtinet in paralyticis curandis quocunque uſu adhibeatur.

Schoechas Arabica & ipſa interno uſu ſingularis: item omnia *aromata* uti & ex his & ſimilibus parata Eſſ. Extracta, Ol. deſtillata v. gr. Ol. flor. anthos ſ. Roriſmarini, Oleum deſtillatum ſuccini, Ol. deſtillatum flor. Lavendulæ & ſimilia ad aliquot guttas interno uſu propinata admodum laudantur. Ex *Formicis* parati ſpiritus, item *aqua Magnanimitatis*, & ſimiles non tam externè, ſed etiam in ſpecie internè ſolent laudari, in ſpecie ſi ſpiritus quidam vegetabilis affundatur formicis, digerantur ad tempus & poſtmodum aliquoties cohobentur, ſic enim fit ſpiritus antiparalyticus internè egregius. Nam in *formicis* multa latent in affectibus nervorum. Notum eſt quod *decocta lignorum* commendat Bontius in Beriberi Indorum, & ab aliis admodum commendantur ligna ad paralyſin curandam interne: Hæc inter *ſaſſafras* primatum obtinet poſt hoc eſt lignum *Guajacum*. His decoctis in ſpecie *Baccæ Iuniperinæ* & *Laurinæ* ſunt addendæ, ſic enim fiunt meliora. Poterius *cent.2. cur.26.* hoc habet decoctum, qui paralyſin cum graviſſimis ſymptomatis ſtipatam curavit: ex

Raſurarum ligni ſaſſafras ℥j. &
Baccarum in ℔. vj. vini ad medias decoxit, & ita ægris propinando & ſudorem provocando curavit. Loco horum decoctorum Eſſ. lignorum cum ſpiritu Sambuci parata cum Eſſentia Catarrhalis ligni ſaſſafras, cum ſuccino miſta. Hinc ſpiritus lignorum, cum ſpiritibus ſimplicium nervinorum miſti & conjuncti erunt egregii. Modernis imprimis Lindano in uſu eſt lignum ex India noviter allatum dictum PAVANA, de qua vid. *Theatr. Botanic.* Bauhini, qui vocat, *l. 3. c.151. lignum Moluccenſe*. Hoc fuit in frequenti & felici uſu Lindano: Eſt lignum album admodum leve, dedit hujus ligni raſi & in pulv. ſubtilem triti ʒß. ad ℈j. in Cochleari ſpir. vini, quod remedium ipſi tres inſignes effectus præſtitit: nam *vomitum*, *purgationem* & etiam *ſudationem* ſine virium proſtratione provocavit, quo ipſo feliciter poſt tres doſes repetitas Aliquam Mulierem inſigniter paralyticam reſtituit. Hoc ipſum cum reliquis lignis in ſpecie ſaſſafras poteſt conjungi in eundem uſum, idque ut ſpero egregio cum fructu.

Ulterius eſt *Syrupus Divi Ambroſii* ſ. ex milio, qui decoctum milii ſ. ejus Syrupum omnibus aliis præfert remediis in cura pareſeos ex Colica: vid. Schenckius *in obſ.* de pareſi ex colica qui omnibus ſudoriferis in pareſi ex colica iſta longè præfert. Aliàs *Helenium* & omnia ex Helenio in pareſi ex colica ſunt ſingularis commendationis, Eſſ. Extract. ejus item decoctum. In ſpecie decoctum Rad. Enulæ & fœniculi Hechsteteri, ad pareſin ex colica admodum commendatur. Porro Tartar. qui admodum ſe commendat, in curandis paralyticis ſequitur. In ſpecie ejus ſp. vel ſal volat. in quacunque pareſi, à quacunque cauſa, in ſpecie in Colicis paralyticis, quas ſpir. Tartar. vol. optimè curat, qui non habent ſpir. vol. loco ejus vol. aſſumunt Tinctur. Tartari legitimè paratam aut ſaltim ſp. Tartari vulgaris optimè rectificatus cohabatur cum ſpir. vini optimè dephlegmato. Nam ſic fit ſp. vini Tartariſatus qui à Lindano commendatur. Loco hujus ſp. Tartari vol. etiam ſpir. ſal aut ſp. ſalis ammoniaci eſt expertus, ſal vol. urinæ ad gr. vj. vel viij. eſt remedium D: Sylvii, quo ſolent curare pareſes ex Colica obortas ſal ammoniac. vol. & ſpir. ſunt ejuſdem uſus. Porrò laudari ſolent inſigniter medicamenta viperarum quæcunque exterius Ol. internè verò ſal vol. & paralyſis ab omnibus ceu deſperata relicta fuerit, curata dicitur decocto viperarum. Poſt ſal vol. viperarum non minus laudatur ſal vol. ſuccini ſi conjungatur cum pulv. paralytico Hartmanni ex cinnabar. antimonii & Magiſterii Perlarum, &c. vid. *praxis Chymiatrica*. B. D. Michæl ſemper combinavit oſſa microcoſmi præparata cum cinnabar. antimonii quo ipſo pulv. aliquoties reſtituit paralyticos, & ego aliquoties præſcripſi cum felici ſucceſſu in Paralyſi ſcorbutica h. m.

℞. Oſſa microcoſmi præparat. ℈j.
Cinnab. Antimonii gr. xij. vel xv.
ſal vol. ſuccini ℈ß.

Miſ. pro duabus doſibus tempore veſpertino aſſumendis, & egregiè conveniet. Poterius in frequentiſſimo habuit uſu ſuum aurum Diaphoreticum, quod nihil eſt aliud quàm aurum fulminans cum duplo flor. ſulphuris calcinando fixatum ut obmuteſcat & hinc cum ſpir. vini alcualiſata probè digeſtum. Hoc ipſo ad paralyſin ferè ſemper & utiliter uſus fuit. Præſcriptionem videbitis admodum obſcuram *in appendice ad pharmacopœiam* doſis gr. vj. Effectus videbitis *cent. 2. cap. 67. & 81.* item *cent. 3. cap. 14.* it. *cent. 1. cap. 73.* in hac ultima obſervat paralyſin 15. annorum curatam beneficio ſui auri diaphoretici. Helmontius tradat imprimis Tincturam Coralliorum vol. Sed hæc eſt rara avis. Vidi ego illam in laboratorio Regio Londinenſi ubi *Dn.* Febure beneficio ſpir. Tart. vol. Tincturam hanc parabat, ita quidem ut beneficio hujus ſpir. vol. Tinctura per Retortam deſtillaretur: coloris erat rubri obſcuri odoris admodum penetrantis, & ſaporis urinacei: quæ eſſet remedium egregium ad paralyticos curandos ſi eſſet divulgata. Aliàs ad pareſin ex ſcorbuto medicamenta ex Pino Eſſ. cum ſpir. antiſcorbutico parata: item decoctum *Strobilorum Pinus* it. Eſſ. aut decoctum *Cimarum abietis*, &c. Sunt appropriatiſſima remedia in paralyſi ſcorbutica: ſicuti etiam eſſentia contra Arthritidem vagam parata cum ſpir. lumbricorum per fermentationem & cum ſpiritu C. C. eſt expertum medicamentum in pareſi ſcorbuticâ, quam & ipſe probatam habeo. Hæc ſunt interna quib. addenda ea, quæ hinc inde in practicis ſunt obvia. Inter externa ſunt aquæ articulares ad extra. Recipiuntur nempe ſpecies antiparalyticæ appropriatæ iiſque affunditur ſpir. vini qui digeſtus inde deſtillatur: pro uſu externo etiam ſolus ſpir. ſine deſtillatione digeſtione imprægnatus pro fricatione & inunctione externa adhibetur, imprimis quando ſudor provocatus fuit. Dabo exemplum talis aquæ articularis ad extra.

℞. Fol. Nicotianæ.
Origani.
Flor. Sambuci ana Mj.
Rad. Angelicæ.
Pyrethri.
Aronis ana ℥j.
Euphorbii.
Caſtorei.
Myrrhæ rubeæ ana ʒß.
Piperis utriusque ʒiij.
Flor. Stæchad. Arab.
Lavendul.
Liliorum Convall. ana ʒß.
Seminis Erucæ.
Sileris montani ana ʒiß.

Conciſis & contuſis affunditur ſpir. vini, digerantur in mar. baln. & filtrentur: liquore filtrato fricetur aut inungatur pars paralytica, poſt abſterſionem ſudoris, linteis Suffumigatis Thure & ſuccino, quæ ſunt optima: poſt hunc deterſum benè fricanda hæc ipſa aqua, aut ita digeſtæ ſpecies deſtillantur, & ſpir. vini qui prodit tq. aqua articularis ad extra applicandus. Cum his aquis articularib. ad extra optimè permiſcentur ſp. lumbric. terreſtr. aut ſpir. formicarum: Exemplum dedi ſuperius. Quin & in his aquis externis diſſolutus Balſam. Peruvianus in parva quantitate eſt optimus, aut ſaltim hic Balſamus Peruvianus in ſpir. lumbricorum diſſolutus,

diſſolutus, pro externo remedio convenientiſſimè admovetur. Hinc etiam notus eſt ſp. ſ. Eſſ. Fol. Tabaci, cum vino Malvatico parata, de quib. vid. HARTMANN. *in praxi Chymiatrica* §.4. *cap.* 11. *Frictio* membrorum cum urina pueri commendari ſolet vulgariter medius eſt ſi urtica major coquatur in urina propria ægri, vel urina pueri & cum hac pars paralytica ſubinde lavetur, benè fricando. Loco ſolius urinæ ſp. urinæ phlegmaticus etiam non eſt inelegans, vel ad imitationem STOCKERI qui dicit eſſe remedium expertum ſui patris, fit h. m.

℞. Urticæ majoris Miij.
Chamomillæ Mj.
Cumini ℥j.
Salis ℥iij.

Piſtentur probè omnia in mortario & decoquantur in urinæ pinthis duab. ad conſumptionem 4tæ partis, & tali decocto balneetur membrum, manè & ſero: poſtea pannis ex decoctione madefactis involvatur, cum quo etiam de nocte & die continuetur per tres vel 4. dies. Hincque poſtea membrum cum oleo vulpino inungatur, donec ſanetur. Membrum poſt Apoplexiam paralyticam ſ. paraplecticum factum fricandum eſt ter in die cum ſpir. vini Camphorato in loco calido, brevi enim poſt reſtituitur membrum, quod mihi egregius quidam practicus ex propria experientia confirmavit. Urticæ qq. & Urticationes, vetus jam ſunt remedium, conveniens tamen imprimis in paraplegiis. Vide omnino, EPIPHAN. FERDIN. *hiſt* 46. qui multoties feliciter expertus eſt. Porro etiam in uſu ſunt Ol. deſtillata Juniperi, ſuccini, ſpicæ, ſalviæ, Menthæ, item oleum de ligno fraxini: præ cæteris petroleum quod potenter penetrat & paralyticos reſtituit; item Ol. viperinum, Ol. ſerpentis, quod admodum commendatur ad hos & ſimiles affectus nervinos: Ol. ſerpentis, Ciconiarum, item in ſpecie anſerinum: Hoc fit quando anſer deplumatus & exenteratus repletur ſpeciebus vegetabilibus antiparalyticis & ita aſſatur. Pinguedo aſſando deſtillans ad ungendos paralyticos multum laudatur. Modi ubique ſunt obvii.

℞. Anſerem eviſceratum quam infarciunt
Fol. Salviæ.
Roriſmarini.
Spicæ.
Caryophyll. his addunt
Pinguedinis fel. Sylveſtris ℥iß.
Thuris, Maſtich.
Succin. ana ℥ß.
Caſtorei, Euphorbii ana ʒij.

Inſuantur omnia & aſſetur anſer in veru & pinguedo deſtillans cautè colligatur & pro uſu ſervetur. HILDESHEIM hoc Ol. anſeris commendat, quo quendam Medicum in Duce Pruſſiæ uſum fuiſſe aſſerit.

℞. Anſer: maſculum deplumatum & exenteratum lavat probe vino intus & extra;
Poſt ℞. Thuris albi.
Myrrhæ
Maſtichis ana ℥ij.
Unguenti Martial. ℥vj.

Aſſa, liquorem aſſatum prolectum & pro ejus qualibet ℥j. addit ℥ij. pulv. vermium terreſtrium quem poſtmodum deſtillat, per retortam & ſic acquirit Ol. pro inungendis paralyticis.

Hujuſmodi tamen pinguia & oleoſa non adeò ſemper conveniunt in paralyſi, quoniam poros infarciunt & oblinunt: aliàs imprimis in uſu eſt *Galbanetum Paracelſi* & olim cum eadem parata. Modos parandi varios vid. in SCHRODERO ubi de galbano & de balſamis in parte anteriore vid. etiam HARTMANNUS *in praxi Chymiatricâ*, ſpecialiſſimè convenit in pareſi ex Colica, ſi nempe illinatur umbilico, & parti pareſi laboranti & ab omnibus ceu optimum remedium laudatur. Sunt qui hoc modo præparatum reddunt admodum conveniens.

℞. Galbani ℔ß. & miſcent cum Ol. Terebinth. q. ſ. deſtillant Ol. cui affundunt Ol. Lavendulæ ℥j. repetunt deſtillationem, unde evadit balſamus generoſus qui affuſo ſpir. vini aliquandiu circulatus fit penetrantiſſimus & utiliſſimus ad dolores colicos ſi miſceatur cum Ol. Saponis Venet. & paucis granis Camphoræ, ſicque umbilico illinatur, it. parti affectæ in pareſi. Aliàs Emplaſtrum, Nervinum ex Tacamachaca inſigniter commendatur idque tunc imprimis, quando eſt paralyſis ex obſtructione aut à luxatione fibrarum, Tendinum & ligamentorum ex humore quodam aquoſo aut vitioſo: In tali caſu commendat hoc Emplaſtrum BARBETTE.

℞. Gummi Carannæ ℥ß.
Galbani ℥j.
Ol. Euphorbii ʒiß.
Miſ. F. Emplaſtrum.

Loco hujus Emplaſtrum ex Tacamachaca etiam optimè convenit.

Vel ℞. Axungiæ humanæ
anſeris ana ℥j.
Ol. Terræ ʒiij.
M. F. linimentum.

Hæc ipſa unguenta Oleoſa & ſimilia remedia, applicantur toti membro, ubi ligamenta & tendines laborant, ubi vero vitium eſt in nervo, in membrum delato, tunc talia remedia ſpinæ dorſi aut nuchæ aut vertici commodè applicantur. In hoc neceſſum eſt ſit Medicus anatomicus & ſciat originem & progreſſum nervorum. Ubi non conveniunt ſubtilia & penetrantia, ibi animalium pinguedines ſolent uſurpari v.g. humana, vulpina, muris montani, Caſtoris, viperarum & ſimiles, item unguentum nervinum martiatum, paralyticum Mynſichti, balſamus paralyticus Mynſichti. Item cataplaſma ex radice Symphyti majoris, cujus uſum videatis in HARTMANNO & ſimilia. In paralyſi v. imprimis ex vitioſo acido, balneum ex *Vinaceis* eſt expertum, quod etiam deſperatos Iſchiadicos ex Iſchiade redditos paralyticos curat, ſi iiſdem immergatur membrum affectum. Non minoris uſus ſunt balnea ex *formicis* parata, ſi integer acervus vel ſolus, vel cum ſpeciebus appropriatis antiparalyticis minus coquatur, & in decoctionem immergantur membra. Species videantur in Balneo paralytico MYNSICHTI: STOCKERUS *in praxi* hoc habet balneum non inelegans

℞. Sulph. vivi
Baccarum Lauri ana ℔ß.
Rad. Gentianæ Miij.
Enulæ.
Ariſtoloch. long. ana Mij.

Incidantur F. balneum. Tandem aliqui commendant Thermas, ſed cautela opus eſt Conf. WILLIS. Abſolvimus heri paralyſin & paraplegiam, pergo ulterius ad

CAPUT X

CAPUT XI.

DE LÆSIONIBUS SENSUUM Externorum imprimis de Læſo Tactu indeque orto Dolore in genere & in ſpecie.

CONſideravimus hactenus affectus qui homini quoad ſenſus ſuos internos & etiam quoad motum tanquam actionis ipſi ut animali competentis contingunt. Pergo ad paſſiones animales ſ. ad ſenſus externos, & ad impreſſiones in iisdem factas, prout hi ipſi (nempe ſenſus) ex impreſſione objectorum ſenſibilium in organis particularibus machinæ corporeæ variè alterantur & læduntur. Senſuum omnium communiſſimus eſt

TACTUS

Per totum omnino corpus diffuſus & omnes reliqui ſenſus, non niſi quidam Tactus ſpecialis ſunt & certè per medium contactus fiunt.

Præter abolitionem & imminutionem ſenſus Tactus Apoplecticam & interdum paralyticam, hic ipſe interdum depravatur ſ. potius augetur & exacerbatur in affectu dicto dolore. Nam de ſtupore qui & ipſe eſt affectus Tactui obveniens, nihil addo, cum rariſſimè ejus cura incumbat Medico. Nam particularis ſtupor citra manifeſtam cauſam obveniens ſubinde prodromus eſſe ſolet, aut paralyſeos ſcorbuticæ aut ſi plura occupat membra Hemiplegiæ aut etiam Univerſalis Apoplexiæ. Et ſtupor qui maximam corporis partem aut etiam totum corpus quod tamen rariſſimè evenit, invadere ſolet, optimè per lignum ſaſſafras & medicamenta Saſſafrata quocunque modo adhibita, curatur & propellitur.

Sed pergo ad dolorem: Ineſt omnibus ſenſibus communis affectio dolorifica. Nam ut omnes ſenſus fiunt per tactum vel per contactum, ſ. per impreſſionem quandam objecti ſenſilis in organum proximum, quam impreſſionem ſequitur talis ſpirituum animalium motus, in organis qui vocatur ſenſus, ita ſi in organum tam vehemens fiat impreſſio, ut iſtud nimis moveatur & vibretur & exinde nimis rapidè & vehementer in eo ſpiritus agitetur, ſequitur ſenſim adjuncta moleſtia ex præternaturali & nimis vehementi objecti, in organum impreſſione reſultans, quæ ipſa moleſtia communi nomine dolor appellari ſolet. v. g. Ex vehementi & præternaturali motione membranæ retinæ, ex aſpectu lucis fulgidæ poſt tenebras ſequitur Viſio Dolorifica. Ex nimis forti motione membranæ auditoriæ ex ſonitu graviori & vehementiori, contingit auditus moleſtus ſ. doloroſus & tædioſus: quod ipſum etiam facit inæqualis motus membranæ in ſono non harmonico & inæquali. Idem fit etiam ſimiliter in guſtu & odoratu. In ſpecie ſi fibrillis nerveis objectum quoddam tactile occurrat, quod eas nimis fortiter & non abſque quadam vehementia moveat, ſequitur Tactui conjuncta moleſtia ſ. in ſpecie ſic dictus Dolor.

Præſuppono ex phyſiologicis, fibras omnes eſſe organum tactus, in ſtatu quidem naturali tantummodo, & quæ extra cutim ſub cuticula in pupillas protuberans; præternaturali v. in ſtatu etiam reliquum fibrarum ſyſtema & ipſum tangendo afficitur, & in ſpecie Dolor ſentitur.

Hæc fibræ earumque ſubtiliſſimæ fibrillæ; ubi ex fortiori & vehementiori objecti actione & motu quaſi divelluntur aut lacerantur, aut quacunque ratione à ſe invicem violenter ſeparantur, ſequitur in iis adeò vehemens & ſubtiliſſima motio & vibratio, cujus occaſione ſpiritus animales rapidius moti ad cerebrum, nobis idquod nos dolorem appellamus repræſentant. Unde fit ut non rarò dolores ſequantur convulſiones, ſi ſcilicet aut diuturniores, aut graviores, ex inordinatâ ſc. & veloci ſpirituum animalium motione, ut quando v. gr. ex punctura nervi dolorificâ in membro convulſio huic ſuccedit.

Hic eſt primus actus doloris.

Conf. Sylv. *l.2. c.27. §.168.* & VVillis. *Pharmaceut. Rat. p.1. ſect. 7.* Quod ſi jam fibrillis læſis & nonnihil laceratis, objecti, naturali licet impreſſione agentis, fiat Contactus, tunc fibrillæ antea nonnihil laceratæ aut divulſæ, vel tantillo objecti contactu vibratæ nimis & agitatæ, novam doloris impreſſionem repræſentare faciunt. Unde vel leviſſimus ſpecilli contactus in partibus vulneratis intolerabilem dolorem concitat; magis tn. in partibus nervoſis ob fibrillas copioſiores, quam in partibus ſanguineis, ob fibrillas pauciores vel etiam diſperſiores.

Ex his cauſa doloris proxima per ſe patet. Remota eſt omne id, quod dolorem inferre valet, quod ipſum prout eſt varium, etiam varii doloris modi exinde exſurgunt, indeque etiam poſtmodum varias appellationes dolores acquirunt; quorum ſanè innumerabiles ſunt ſpecies, cum unum quodque objectum peculiari modo agatur, & unaquæque pars alio & diſtincto ab aliis modo impreſſionem recipiat. Communiter equidem 6. doloris ſpecies recenſentur. Cardanus 6. enumerat. Sed ut dixi innumerabiles ſunt doloris ſpecies ſi exacte velimus eos ſcrutari. Ex cauſis remotis internis dolorem inferentibus imprimis eſt *acor vitioſus*, qui acerbiſſimos dolores & roſiones in puncturas infert. In omni enim acido ſunt particulæ admodum acutæ ſimulque duræ, quæ & ſe inſinuant in fibras easque pungunt, lacerant & divellunt, & ita acerbum iſtius dolorem inferunt: quin & ſæpius ſimul ardoris & uſtuationis cujuſdam ſenſus conjungitur v. g. Si quis vel guttulam ſpiritus nitri cuti affundat, ab ejuſdem acore exceſſivo, intenſiſſimus dolor unà cum ſenſu ignis qſ. ardentis infertur, & talis dolor etiam in arthritide & dolore Iſchiatico, in Eryſipelate & pleuritide & ſimilib. dolorib. ab acido ortis, eſt obvius.

Dolor hic prout in ſubjecto tumoroſo hæret, facilius vel difficilius mobili, nunc eſt vagus nunc verò fixus. Illius (nempe vagi) exemplum habemus in arthritide vaga ſcorbutica. Hujus verò nempe fixi, exemplum habemus in arthritide ordinaria in articulis hoſpitante. Item in Colica à mucilagine viſcidâ acidâ in Cellulis coli ſtagnante & pertinaciſſimum dolorem inferente.

Inter cauſas externas uti notum eſt ſunt ea quæ contundunt in ſpecie omnes contuſiones, pertuſiones partium nervoſarum, quæ contuſæ immenſum dolent,

vulnera

vulnerationes, lacerationes, &c. quæ per ſe patet. Antea dixi quod ſpecies doloris numerentur vj. utut ſint plures, & ab aliis x. numerentur. Has inter ſpecies

Dolor Gravativus.

1. DOLOR GRAVATIVUS, quo ſenſus quaſi ponderis gravantis percipitur. Oritur in parte, ſenſu aut pauco aut nullo prædita, quæ ipſa pars infarcta & tumefacta, imprimis à materia craſſa & viſcida ponderis ſenſum repræſentat, v.gr. in hepate tumido aut ſcirrhoſo, in calculo renum ingenti, ſed quieto. Tunc materia modo eſt craſſa & minus acris, modo fluida, ſed ferè inſipida vel dulcis, uti pituita, ſanguis, ſerum, lympha.

Dolor Punctorius.

2. Eſt ſenſus ſ. DOLOR PUNCTORIUS membranis proprius, percipitur enim tunc ſenſus doloris, quaſi Aciculis & Inſtrumentis acutis membranæ pungantur, qualis dolor eſt in pleuritide & ſimilibus locis membranoſis; ab acido membranam pungente, quæ hinc convulſivo ſpaſmo criſpatur, unde doloris intenſio.

Dolor Acutus.

3tius Dolor, eſt DOLOR ACUTUS dolori punctorio cognatus, ſimul tamen terebrationis aut perforationis ſenſum conjunctum habens, qualis in arthritide, in Eryſipelate & ſimilibus affectibus eſt ſatis cognitus; it, in dolore colico, cephalæa, à viſcido plus minus acido, parti cuidam impacto, ut quaſi terebra aut palo pars videatur tranſfixa.

Dolor Pulſatorius.

4tus eſt DOLOR PULSATORIUS ita dictus quoniam in eodem arteriæ pulſatio exactè percipitur, ita ut quoties pulſat arteria, toties etiam exacerbetur dolor, pervenit hic quando in parte quadam doloroſa ſimul ſanguinis per arterias motus impeditur, idque imprimis in ſtagnationibus humorum indeque ortis tumoribus, qua ratione dolor talis pulſatorius eſt proprius inflammationibus, e. g. in digiti à ſpina infixa inflammatione.

Dolor ὀστοκόπος aliàs frangitivus, item contundens.

5tus Dolor eſt dolor ὀστοκόπος aliàs *frangitivus*, item *contundens*. Ita dictus quia in eodem oſſa quaſi frangi aut malleo contundi videntur. Dolor talis in lue venerea affectis imprimis nocturno tempore ægros affligit, item ſcorbuticis non eſt rarus, quos etiam non rarò mirabiliter torquet, afficitur tantum membrana ſ. perioſtium oſſa involvens, quod ab acido in ſucco viſcido punctum vellicatum iſtos profundos dolores, quaſi oſſa frangantur l. malleo contundantur repræſentat.

Dolor Tenſivus.

6. Eſt DOLOR TENSIVUS, quando pars diſtenta videtur & quaſi diſrupta alias Diſtendens. Proprius hic dolor, in partibus membranoſis, aut membrana quadam denſa involutis per ſe nullo ſenſu Tactus aut admodum pauco, & hebeti præditis: In his partibus ſi fiat infarctus, exinde membrana cingens diſtenta dolorem Tenſivum repræſentat: e. g. dum in odontalgia dimidium caput tendi videtur, aut in Colica flatulenta abdomen diſtenditur: item in Tympanite & Aſcite.

Dolor rodens ſive mordax.

7. Eſt DOLOR RODENS ſ. MORDAX, quo & pruriginoſus pertinet, quaſi vermiculi continuo fodicarent & roderent. Ab acri ſalſo, membranoſa loca rodente & vellicante.

Dolor Lacerãs ſive lancinans.

8. DOLOR LACERANS. ſ. LANCINANS, quaſi quis unguibus laceraretur, qualis ſæpe in cruribus percipitur. Membranis eſt proprius, ab acido acri, puro, ſeu auſtero oriundo, ſcorbuticis non rarus, qui utut uno ſaltim in puncto affligat ſubinde, per conſenſum tamen membranarum aut nervorum ſubinde integrum membrum quoddam afficit.

Dolor Ardens.

9. DOLOR ARDENS, quaſi ignis ſcintillulæ hinc inde urerent, ab acido ſubtili acri fere volatili, partes fibroſas & membranoſas afficiente, v. gr. in Eryſipelate, in qua pars membranoſa ſolida afficitur, tanquam ſi ſpiritus nitri rectif. aliquot guttulæ fuerint inſperſæ, ſubinde vero in partibus dolor ardens talis percipitur ab humoribus contentis efferveſcentibus & à dominante acido volatili producitur.

Dolor Algens.

10. Denique eſt DOLOR ALGENS, ab acido minus acri, ſed ſingulariter fibras alterante, & quaſi ſtupore afficiente.

Sed variæ ſunt dolorum ſpecies pro varietate objectorum & partium affectorum, pergimus ad Signa.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS.

Res clara eſt & ſatis conqueruntur ægri de dolore. Optimè monet HILDANUS quoad prognoſin *cent. 5. obſ. 7.* dolorem in quacunque corporis parte, non eſſe negligendum, ſemper enim aliquid mali prænunciare ſolet. Hinc & HIPPOCRATES inquit: *Ubi dolor ibi morbus.* Fit interdum ut cum gravioribus doloribus conjungatur pulſus intermittens, qui tamen non debet terrere Medicum, cum hoc frequentius eveniat. Nam ſedato dolore, ſtatim pulſus ad ordinarium rythmum pervenit & accedit. Obſervante hoc BARTHOLINO *in Obſervat. Anatomicis.*

QUOD ATTINET CURAM.

Dolor omnis tollitur aut *cauſam removendo*, aut eam *demulcendo*, aut ſenſum partis *ſtupefaciendo*. Quæ ſecundum faciunt *anodyna*, quæ v. tertium *narcotica* dicuntur: quæ ipſa narcotica operantur, quibus fixiores minuſque mobiles reddunt ſpiritus animales, unde etiam dolorifica objecti impreſſio membrive irritatio non percipitur. De uſu horum narcoticorum optimè diſſerit JOH. CHICOTIUS *in Diſſertationibus & Epiſtolis Medicis in dialogo de dolore*, dum dicit ſi rodens humor excruciet te, &c. Narcotica tuto exhibentur, utpote quæ minus hos affectus quàm alios lædunt, quippe & tenues vel acres & calidi hujuſmodi dolores ſunt. Unde Narcotica non ſolum ſalutaria ſunt, quod ſenſuum torporem, inducant, ſed etiam ut humores iſti optimè corrigantur. Ubi v. craſſi & glutinoſi humores, cum acore conjuncti: In ſpecie ſimul acor infeſtat ex irritatione, alieniſſima ſunt quæ torporem inducunt, nempe interdum quidem dolorem leniunt ſed deteriorem reddunt partium affectarum diſpoſitionem, ut in colicis doloribus v. gr. quæ ex opio, hyoſcyamo & ſimilibus curantur: Hæc enim membra ad patiendum reddunt idonea, & in pleuritide talia ſenſum non tollunt, ſed partem enecant & ad gangrænam diſponunt. In his ergo caſibus talis cura deceptio eſt. Cautè ergo obſervetur uſus Narcoticorum, iiſque rarò ſolus quin ſemper appropriatis miſtus adhibeatur. Ad removendam cauſam ſi eadem obſervatur quod ſit acidum vitioſum, præter ejus omnimodam per quaſcunque vias evacuationem, conveniunt omnia tam interna quam externa alcalia; acidum quodcunque corrigentia & in tertium aut inſipidum aut in ſalſum minus dolorificum tranſmutantia.

Remedia ergo tam anodyna quàm Narcotica ferè ſunt ſequentia: Anethum, Chamomilla, Malvia, Althea, ſambucus in ſpecie ejuſdem flores, Mentha, verbaſcum, in ſpecie ejuſdem flores abſinthium & parietaria. Nam abſinthium contuſum cum parietaria coctum, inſtarque cataplaſmatis applicatum, ad ſedandos dolores corporis à multis commendatur. Sic A. LUSITANUS *Cent. 7. cur. 51.* refert, dolorem ſpinæ ad os ſacrum intenſum, per tale cataplaſma ex abſinthio & parietaria cum Oleis frixis applicatis curatum. Porro folia lauri, radic. Altheæ, lil. convall. crocus, baccæ lauri & Juniperi, ſemen Cumini, anethi, Carvi, lini fœnugræci, aniſi, fœniculi. Lac & omnia lacticinia, vel ſola vel cum aliis ſub formâ fomenti aut ſub formâ cataplaſmatis applicata; Sic Lac caprinum cum pauco melle bullitum, loco dolenti appoſitum calidè ad ſedandos dolores à RULANDO commendatur, qui ipſe etiam aliàs ♃.

Lactis ℥v.
Ol. Roſarum ℥ij.
Nymphea ℥iij.

Quæ invicem calefacta cum linteis duplicatis, admovet partibus dolentibus ad leniendum dolorem: hoc enim linimento dolorem bracchii ingentem brevi tempore curavit. Huc facit *cataplaſma anodynum*, ex mica panis in lacte coctâ. Item ex plantis appropriatis narcoticis & anodynis, quæ in lacte coctæ applicantur. Inter *Narcotica* ſunt omnia papaverina, & omnia ex papavere parata internè & externè. In ſpecie opium & omnia opiata. Item Hyoſcyamus in ſpecie ejuſdem ſemen, item Stramonium ejuſque ſemen & exinde paratum extractum. Solanum furioſum & ipſum vi ſtupefactivâ inſigni pollet, uti etiam Mandragora ejuſque radix & radicis cortex. Hinc ex ſemine Hyoſcyami, ſunt qui parant Ol. catholicum ad quoſcunque dolores compeſcendos. ℞iunt ſemen Hyoſcyami, ex eoque inſtar ſeminis lini Ol. exprimunt, cui addunt Camphoram, crocum & ſpiritum vini. Hæc omnia ſimul miſta claudantur in vaſe vitreo, quod obducitur maſſâ farinaceâ fermentatâ, & ita ſimul cum pane immittitur in furnum piſtorium, quo facto liquorem exprimunt & ad longum tempus pro uſu aſſervant; Conducit hoc Ol. in doloribus Tibiarum ſæpius atrocioribus. Porrò præter ex his dictis præparata, contra dolores ab acido ortos, imprimis conducunt ex animalibus petita remedia, in ſpecie ex inſectis quæ inter ſunt imprimis *lumbrici* & ex his parati ſpiritus lumbricorum Terreſtriũ, *formicæ* & ex his parata remedia: ſicuti *ſcarabæus cornutis* & liquori ex his parato ſingularem vim attribuit Glauberus. Item urina humana & omnia ex urina parata remedia, præ cæteris conveniunt. Nam talia abſorbent omnem acorem. Quo etiam pertinet Sapo Venetus in Aquavitæ diſſolutus, & ita inſtar aquæ cujuſdam inunctus. Hic enim dolores ex acido ortos, etiam arthriticos compeſcit. Melius eſt ſi diſſolvatur in ſpiritu lumbricorum terreſtr. vel ſpiritu urinæ, & ita cum pluma ſubinde illinatur. Notum aliàs etiam eſt, quod ex floribus Verbaſci & ex flor. Sambuci per deliquium ſ. potius per decoctionem & digeſtionem in Clibano fiat Ol. quod Ol. eſt inſigniter & egregiè anodynum. His addenda eſt Camphora, quæ penetrando dolores ab acido ortos potenter compeſcit; Hinc ſpiritus vini Camphoratus ad ſopiendos dolores etiam Eryſipelaceos eſt optimus. Unde etiam ſolutioni ſaponis Venetæ nonnunquam camphora additur, idque egregiè cum ſucceſſu. Sic ex ſucco Ebuli ſingulare fit Ol. p. d. ad dolorem & contractionem nervorum: nempe ſuccus Ebuli reconditur in vaſe vitreo & involvitur cum paſta panis fermentati, immittitur in furnum piſtorium, donec ſuccus benè ſit coctus: Dein excipe vas vitreum, & ſuccus ita liquefactus à craſſamento ſeparatus aſſervatur pro uſu. (Simili modo proceditur cum flor. verbaſci & chamomillæ) qui eſt res optima in doloribus & contractionibus nervorum, adduntur interdum pro meliori efficacia Ol. ranarũ partes iv. v. vel vj. quod mirabiliter operari ſolet. Dixi Ol. Ranarum. Fit enimetiam Ol. ex Bufonibus Catholicum anodynum in omnibus doloribus, dum ſcil. bufones macerantur in aqua ſalſa ſ. aqua marina, poſtmodum decoquatur & ign. inſpiſſatur ad remanentiam ſalis, quod ſal diſſolutum cum ol. Amygd. dulcium, dat ol. anodynum ad compeſcendos dolores quoſcunque poſt Ol. Bufonum etiam ſunt Ol. Lumbricorum terreſtr. Lil. Alborum Ol. 7. flor. ſ. anodynum *Mynſichti* & Ol. anethinum Chamomelinum, Ol. papaveris & Hyoſcyami expreſſum, ol. urin. deſtillatum, item ol. oſſium humanorum deſtillatum. Fœtida quidem, in doloribus tamen nervorum ab acido ortis, item in doloribus artuum ab acido ortis, mirificè conducunt. Ulterius Ol. ceræ cum ana ſpiritus vini circulatum & probe digeſtum ac inunctum, in dolore partium nervoſorum ex contuſione ſingulariter conducit. Aliàs Galbanetum *Paracelſi* ſ. Ol. iſtud deſtillatum de quo heri, eſt egregium ad dolores partium nervoſarum, in ſpecie in doloribas Chronicis & ſæpe repetentibus. Porrò in uſu etiam ſunt pinguedines animalium, ad oblinendam acrimoniã cauſæ dolorificæ, quod facit Pinguedo Anatis, humana, Taxi, Cuniculi & vulpis. Facit huc Balſamus Peruvianus, qui in nervorum & articulorum doloribus, nulli cedit remedio, in ſpecie ſi diſſolvatur in ſpiritu vini. Sic Timæus in doloribus partium muſculoſarum & defluxionibus ut vocat frigidis, commendat hanc miſturam.

℞. Balſam. Peruviani ℥j. diſſolve cum vitello ovi, adde ſpiritum baccarum Juniperi ℥iij.

M. & utere externè, egregiè dolorem compeſcit. Ad dolorem ex ſcarificatione in ſcapula expertum fuit hoc unguentum.

℞. Ol. Lumbricorum terreſtr. ℥ß.
Pinguedinis Taxi. vulpis ana ℥ij.

M. & illinatur pars affecta: brachium v. ſimili dolens illinatur aqu. hirundinum cum Caſtoreo. Porro Unguentum Dialtheæ: Unguentum Alabaſtrium, it. Unguentum Anodynum & hypnoticum uſitatè ſubinde adhibentur. Emplaſtrum de Meliloto, ad dolores à contuſione vel ex caſu ab alto eſt efficaciſſimum remedium, autore Thonero. Emplaſtrum ex Thacamachaca vel ſola vel cum Gummi Carannæ applicatum in doloribus artuum vel partium muſculoſarum à putatis catarrhis eſt optimum. In doloribus artuum venereis nocturno tempore graviſſimè affligentibus, Emplaſtrum de Vigo de Ranis cum mercurio omnib. reliquis meritò præfertur: In ſpecie in doloribus Capitis venereis. Stercus vaccinum vel recens applicatum vel cum ol. roſarum miſtum, ſub formâ Cataplaſmatis in dolore brachiorum & pedum, mirabiliter conducere ſolet: uti hoc expertus eſt ſæpius ipſe Thonerus. Verum imprimis obſervandi ſunt dolores ſcorbutici artuum & alii ſimiles, his ipſis, qui omnium ſunt inſenſiſſimi & pertinaciſſimi dolores vagi, ſcorbutici ſunt noti: loquor tantum de fixis, qui ex ſubtili acido fibris & tendinib. ſe inſinuante oriuntur, ita utut ne minima quidem partis dolentis percipiatur alteratio. Tales dolores in partibus muſculoſis & nervoſis fixi, diurno tempore acquieſcunt, d. nocturno tantum tempore per 2. vel 3. horas, ante mediam noctem, exacerbantur & poſt hanc per horas binas vel ternas denuò remittunt. In hoc ipſo ſimillimi ſunt hi dolores. Doloribus venereis & ipſis nocturnis. Hi ipſi dolores, qui ipſi ſunt fixi, adeò ſæpius pro fomite agnoſcũt ſcorbutum, interdum tamen etiã citra ſcorbutum manifeſtum, ægri ſunt contumaciſſimi tales dolores, in quibus interna remedia parum ferè operantur, externa v. applicata malum potius exaſperant, quam quod iſtud corrigant: Narcotica v. applicata, ſi iſtud aliquantiſper mitigant, tamen contumacius reddunt. Præ cæteris curioſa de hoc dolore, & quid in receſſu habent, exempla vid. *in* Horſtio *l.8. obſ.13.14.15.ſeqq.* Pro curandis his doloribus, conveniunt omnia antiſcorbutica arthriticis miſta, in ſpecie lumbricalia & ex tartaro & urina parata vol. quin & decocta lignorum ſaſſafras, in ſpecie ſubinde in his dolorib. contumacioribus in uſum vocanda ſunt. Sicuti videre eſt in Horſtio, ubi talis dolor decocto lignorum fuit curatus; Loco decocti lignorum Poterius *Cent.1.c.83.* contra inſignem dolorem Coſtarum aliis fruſtra tentatis hoc adhibet decoctum:

℞. Radic. Vincetoxici ℥iß.
Foliorum Myrti Mj.
Seminis Hyperici.
Rhabarbari electi ana ʒiß.

decoquantur in ſ. q. aquæ communis colatur:

℞. ℥vj. diſſolve ℥iß. Syrupi Capillorum veneris & propinetur per alvum, & per ſudorem dolorem curavit. Externa uti dixi non ſemper leniunt, quin potius interdum dolorem exaſperant. Conveniunt tamen ſpir. vini Camphoratus, item ſpir. Theriacalis Camphoratus aqua hirundinum c. Caſtoreo, ſapo Venetus in aqua vitæ diſſolutus, cum Spir. Ceraſorum Nigrorum, & lil. convall. miſtus, & externè illitus, item ſpiritus Salis Ammoniaci, cum ſpiritu lil. convall. ſubactus & illitus:

ſpiritus

ſpiritus Tart. volat. reliquis præfertur pro externo uſu. Galbanetum PARACELSI cum ſpiritu vol. temperatum, ne ſit nimis craſſum etiam interdum utiliter uſurpatur. Thermarum, item lapides prope Thermas in aqua decocti & inſtar balnei uſurpati, hic præ cæteris conducunt. Ante paucos annos (vix eſt biennium) vir quidam hic tali enormi dolore pedum affligebatur, idque ſine ulla manifeſta cauſa, & etiam ſine ullo externo apparente læſionis ſigno, ultra dimidium annum miſerabiliter cruciabatur. Tandem omnibus medicamentis in caſſum adhibitis, ſuaſu cujuſdam amici apportandos curat lapides, qui in Thermis reperiuntur, eosque contuſos probe coquit in aqua ſimplici, in decocto ſubinde balneavit pedes, hos immittendo, & per longum tempus ita retinendo, quo fit ut pedes ipſi intumeſcere incipiunt. Patiens nihilominus dolorum & vitæ pertæſus pergit & balneum hoc diutius continuat, quo facto non tantummodo tumor, ſed etiam omnis dolor omninò evanuit ægerque perfectè curatus fuit. Similia balnea Thermis ſuccedanea artificialia fieri poſſunt ex calce viva & Sulph. in aqua decoctis, idque ſecundum manuductionem ZVVOLFERI in ſua *Mantiſſa ſpagyrica pag. 401. ult. Editionis.*

Odontalgia. Verum præ cæteris omnibus doloribus in ſpecie acerbiſſimus & frequentiſſimus eſſe ſolet, DENTIUM DOLOR ſeu ODONTALGIA: *CVIVS CAVSA* ſæpiſſimè eſt acor vitioſus ex vitioſa dentium nutritione, ſeu alimenti eorum proximi corruptione proveniens.

Subinde etiam lympha quædam acida per errorem, ex vicinis glandulis eò derivata videtur, in cauſa, quæ tamen eſt rariſſima. Corruptio iſta ad alimenti proximi in acorem adeò roſivum interdum uſque eò procedit, ut etiam exinde vermiculi in alveolis dentium generentur, qui ipſi dolorem iſtum intenſum dentium exaſperant. Imò ab iſto acore corroſivo Compages Oſſea dentium ſæpiſſimè corroditur, ut dentes excavati fruſtulatim tandem excidant. Ipſi equidem dentes non dolent, ſed membrana eorum intima inveſtiens ex expanſione nervi orta, & cujus fibræ hinc inde per porulos ac meatus in Dentium ſubſtantiam penetrando ſe inſinuant, iſtam doloris paſſionem acerbam inferunt.

Hinc dolorem vicinarum partium & fibrarum nervearum criſpationes & leves contracturæ propter conſenſum continuitatis inſequuntur: Unde quo uſque hæc fibrarum criſpatio dolorifica continuatur, iſte dolor ſe extendere videtur, & tum ab iſta contractura fibrillarum anguſtantur poruli & meatus, per quos ſanguis aut alii humores meando circulantur, nunc ſanguis nunc verò lympha in motu impedita ſtagnat: Unde dolori iſti dentium ſupervenit tandem aut inflammatio maxillæ, aut etiam tumor ſeroſus aut œdematoſus.

CAVSAS REMOTAS quod attinet, iſtæ, *quæ nutritionem dentium privatim lædunt*, ſunt imprimis aſſumpta, *ſaccharata, dulcia, fervida*, nimis *frigida*, imprimis *acida*, ſpiritum inſitum dentium labefactantia & hinc hujus materialem texturam vitiantia. *Remotæ cauſæ, quæ nutrimentum vitioſum, acore* peregrino infeſtum *ſeri vehiculo* denti communicant, ſunt imprimis *cacochymia ſanguinis* & humorum Venerea & ſcorbutica. Sanè ſæpius *in ſcorbutico* acerbiſſimi ſunt *dolores dentium*, ſicuti in *lue Venerea* hi ipſi ſunt crudeliſſimi. *Vitioſum* enim *acidum*, in talibus, dum dentes antea non bene ſe habent facilè iis ſe inſinuat, indeque rodendo dolorem excitat: Vel ſi alius dens per ſe dolere incipit, facilè ejus occaſione acidum p. n. ſuperveniens dolorem iſtum & vicinorum locorum pathemata inducere poteſt

SIGNA ODONTALGIÆ

Per ſe patent & æger eſt ſatis canorus & ſonorus in tali caſu. Obſervetur ſaltim quoad cauſas remotas, quod ſæpius in ſcorbuto acerbiſſimi ſint dolores dentium, item quod in lue venerea hi ipſi ſint crudeliſſimi, id quod à Medico cognoſcendum, pro faciliore inſtituenda cura.

QVOAD PROGNOSIN

Certum eſt, quod dolor dentium per ſe nullum habeat periculum: Contumacior v. aut diuturnior etiam convulſiones, vigilias pertinaces & ſimilia ſymptomata gravia ſecum adferat: ob id ergo maturè, compeſcendus eſt dolor.

QVOD VT FIAT IN CVRA,

Acidum in dentibus eſt corrigendum, dens carioſus evellendus & tandem vermiculi enecandi. Imprimis tamen quantocius fieri poteſt, dolor ſopiendus, quibus ipſis tamen ſemper addenda ſimul, quæ appropriata ſunt morbo primario, à quo odontalgia etiam dependet. Sic in dolore dentium ſcorbutico: Item in dolore eorum, qui malo hypochondriaco laborant, vulgaribus odontalgicis, miſcenda ſimul ſunt appropriata antiſcorbutica, inter quæ vel ſola ſufficit herba Cochleariæ, vel in hujus penuria naſturtium aquaticum, aut etiam Naſturtium Indicum, ſi nempe hæ ipſæ plantæ cum ſalvia (quæ eſt appropriata in affectib. gingivarum & dentium) cum roſmarino, cum roſis & plantagine, &c. Pro oris collutione ſubinde miſceantur. Sic dolor iſte, qui in lue Venerea obvenit appropriatius non habet remedium, quàm quod malignum iſtum acorem evincere valet, ex quo genere decoctum Guajaci, cum aqua communi ejuſque Eſſ. optimum eſt remedium. Sed de his & ſimilibus, vide plura in STROBBELERGERI *tr. eleganti de Podagra dentium*. Remedia ergo quæ ad dolorem dentium compeſcendum uſurpantur, tot ſunt, quot ſunt ægri qui patiuntur dolores.

Ordine progrediar in uſu ſunt. 1. Decocta plantarum quarundam, in ore tenenda & ſubinde pro gargariſando uſurpanda, quò pertinet. 1. Decoctum origani Cretici, Foliorum Tabaci, Herbæ perſicariæ, rad. pyrethr. lign. ſanct. Buxi ſabinæ, ſerpilli rad. hyoſcyami, it. tenera germina quercus & ſimilia; Hæc ipſa decoquantur aut in vino aut in aceto in vino, ubi dolor eſt à cauſa frigida ut vocant: quando conjunctus eſt tumor ſeroſus & œdematoſus, in Aceto vero ubi dolor dentium eſt à cauſa calida, ubi ſimul eſt tumor ſanguinis, utut hæc parum referant: ſed potius ſint producta morboſa. Gummi Juniperinum ſeu Sandaracka Arabicum, in omnibus doloribus dentium admodum laudatur: ſi ſcil. Gummat. Juniperini ℥j. coquatur aut in vini: aut in Aceti ℔j. quo ipſo bullito, os colluatur: Hoc enim egregiè confert, ad compeſcendum dolorem dentium, etiam in morbo gallico obortum: de quo vid. Experientia A. LUSITANI. Cent. 5. cur. 21. Aliàs experimentum hocce etiam commendatur:

♃. *Flores ſpicænardi*, coquunt in vino & decoctum ſæpius in ore tenent, nam & hoc multis prodeſſe dicitur. Vel *decoctum Sabinæ* cum decocto baccarum Juniperi in ore detentum commendatur à BRENDELIO. *Perſicaria* eſt planta à PARACELSO commendata, uti ad multos alios uſus, ita etiam ad curam Odontalgiæ. Ex ejuſdem manuductione Perſicaria in aqua macerata, imponitur loco dolenti malæ, donec probè incaleſcat: hinc ſepelitur in fimo ut citò putreſcat: ſic enim fit ut dolor ceſſet. Ex hujus manuductione alii Medici decoquunt herbam Perſicariæ, cum corticibus hyoſchyami, vel in vino l. aceto & decocto os colluendo dolorem ſedant. Hyoſcyamus enim potenter dolorem dentium ſiſtit, ſi ejus namque decoctû aceto vel aqua uſurpetur, vel ſaltim ſi ramentum radicis hyoſcyami ſuper dentem dolentem admoveatur: Sic enim acerbus dolor inter horæ ſpatium fuit aliquando curatus. Loco hyoſcyami uſurpatur commodè *Nicotiana*. Unde

decoctum Nicotianæ & flor. Chamomillæ remedium fuit HEURNII contra dolorem dentium, Sicut vel ſola maſticatione Foliorum Tabaci in loco dentis dolentis, ſopit dolorem dentium uti hoc expertus fuit RIVERIUS. Inter ſimilia Narcotica eſt pilula ex Laudano Opiato, quæ ipſa denti dolenti vel cavitati appoſita vel intruſa ſubitò dolorem ſiſtit. Pertinet huc Sotirella Parva Auguſtanorum: Deſcriptio Vid. in Auguſt: ex quo pilula una vel altera vel denti cavo intruſa, vel extrinſecus admota denti dolenti etiam dolorem ſiſtit: virtute Opii etiam Theriaca recens applicatur denti dolenti, aut ex Theriaca recenti, paratum eſt Emplaſtrum malæ dolenti applicatum. De *Camphora* res nota eſt, quod ſingulariter conveniat in dentium dolore, ſi ſcil. camphoræ tantillum intrudatur denti dolenti: vel ſi camphora in ſpiritu vini diſſolvatur, & ſpiritus vini Camphoratus denti dolenti applicetur: quod etiam facit, ſi camphora in aceto ſoluta applicetur. Aut denique Camphora in oleo Amygdalarum dulcium diſſoluta uſitatiſſimè applicatur. Sed olea ſunt imprimis deſtillata quæ commendantur in cura Odontalgiæ. Nam cum Olea deſtillata ſunt ſal. vol. concentrata, quid mirum ſi & eadem dolorem dentium abſumant, & curent. Hæc inter primatum obtinet *Ol. deſtillatum Origani Cretici* poſt hoc eſt *Ol. Caryophyllorum*, cui tantillum Camphoræ additum idem reddit tanto præſtantius. RULANDI experimentum certiſſimum fuit *Ol. Heraclinum* ex Corylo paratum. Loco ejus *Ol. Buxi* & ipſum anodynum, non minoris eſt efficaciæ. His oleis deſtillatis in acerbiſſimo dolore tantillum de Ol. Hyoſciami expreſſo convenienter addi poteſt. CLAUDINI remedium fuit *Ol. Terebinthinæ*, cum tantillo pulv. Camphoræ. Aut ipſemet etiam balſamus ſulphuris cum bombace dentibus inditus confert, cum quo poteſt ut dixi miſceri Camphora. Præter dictam, etiam *Ol. deſtillatum roſmarini, oleum Salviæ, Juniperi* deſtillatum. Tandem *oleum ſuccini* admodum commendatur. Porrò præter dicta Ol. eſſentiæ quædam vegetabilium miræ ſunt commendationis. FABER commendat Eſſ. Thymi, Saturejæ, Eſſ. calaminthæ & Zingiberis, &c. quibus gingivæ fricantur aut etiam cum bombace in dentem dolentem immiſſæ admodum conveniunt. Sed his omnibus palmam præripit Eſſ. Guajaci cum ſpiritu Vini parata, aut loco hujus Eſſ. Ligni ſaſſafras admodum commendatur. Ego vidi aliquando dolorem dentium curatum, per Eſſent. Catarrhalem ſentiarum etiam Elixyr proprietatis cum bombace Ligni ſaſſafras, denti applicatum. Loco harum Eſſ. vel alio modo denti dolenti applicatum certò juvat.

Plumbaginis radicem, ceu verum experimentum laudat PANAROLLI *pent.* 4. *obſ.* 10. Radix hujus plumbaginis contuſa, & carpo manus impoſita, per noctem relicta, manè maculam plumbeam relinquit, & dentium dolorem evaneſcere facit: id quod à multis fuit probatum, ratione hujus effectus etiam à quibuſdam *Denticaria* vocatur.

Sulph. aurati antimonii tantillum ejus cum bombace in dentem immiſtum, aut denti dolenti applicatum attractione & imbibitione acidi corroſivi citò ſopit dolorem, cujus aliquot ſcio experimenta. *Oſſiculum brachii bufonis*: eſt experimentum HELMONTII: quin & ſecretum etiam eſt HEURNII. Hic recipit bufonem & os femoris dextrum ab omni carne denudat, eoque gingivas dentis dolentis ſubinde & fortiter fricat, ſic enim ſubito ceſſat dolor. HELMONTIUS recipit oſſiculum brachii dextri bufonis. Antiquus Alius Medicus commendat oſſiculum in dextro brachio bufonis carne probè abſciſsâ. Non tamen ſemper hoc juvat, utut ſæpius: vidi enim etiam ſine ſucceſſu applicatum. Interdum etiam applicantur imprimis à Chirurgis *Emplaſtra* ſecreta temporibus nempe ex Gummi Tacamachacæ aut Galbani, quod eſt melius, aut Carannæ ſuper linteum in forma thaleri extenſi, & applicant temporibus, & id inquiunt, ut Catarrhus ſiſtatur: quicquid ſit, certum eſt quod hæc emplaſtra in dolore dentium gravidarum non ſint inutilia. Quidam faciunt & Gummat. Elemi & Maſtich. Alii ex Maſtiche & cerâ, quidam etiam ammoniacum aceto diſſolutum, inſtar emplaſtri admovent. Quod ſi tumor maxillæ ſit magnus, Chirurgi applicant Emplaſtrum de Meliloto: & ſic faciunt abſceſſum cura peſſima. Nam modo ſedetur dolor, ſymptomata omnia evaneſcunt ſponte.

Dens cavus aut eroſus dixi, quod ſit evellendus aut extrahendus. Concedo quidem quod evulſio dentis non ſit vera odontalgiæ Cura: Nihilominus tamen quia in dente corroſo adhuc hæret fermentum corroſivum, quod interdum revivificare facit dolorem, item quia facta ſic fovea ſubinde liquor limpidus extillat, quo quaſi abluitur caverna loci, ubi fuit evulſus dens, ne malum poſſit recrudeſcere, optimè juvat Evulſio dentis. Nam obſervatum eſt quod odontalgiæ ſæpius evulſo dente fuerint curatæ. Adhuc ergo ut evellantur facilius cum non careat periculo, optimum eſt applicare nonnulla, quæ dentis caſum promovere valent.

Quæ hoc faciunt ſunt
Gummi Ammoniacum.
Sem. hyoſcyami &
Succus hyoſcyami an. ʒiß.

Quæ cum pinguedine Ranæ Viridis & ceræ parum in unguentum compinguntur, quod denti illitum ejuſdem Caſum & facilem extractionem promovet, Succus Ranarum dentib. illitus ita eos labefactat ut ſine dolore ſequantur trahentem, inquit GESNERUS *in ſuis Epiſtolis*. Succus Chelidonii majoris dentibus cavis inditus eos frangit & ejicit: ulterius lac Tithymalli cum farina triticea ſubactum, dat paſtâ, quæ in pinguedine ranæ frixa denti evellendo applicata promovet ejuſdem Caſum, vel Lac Cataputiæ miſcetur cum farinâ ſiliginis, ut fiat inſtar pultis, quæ puls denti cavo indita, brevi ejuſdem, caſum promovet. Denique *vermiculi* in dentibus morſicantes, ſunt enecandi: quod optimè facit decoctum ſabinæ in vino applicatum denti dolenti & cavo. Item ſuffitus ex ſemine hyoſcyami & cerâ dentibus receptus vermiculos egredi facit. Loco hujus fiat ex fructibus Hallicacabi contuſis cum cerâ paſta, quæ injecta in laminam ferream ignitam ut fumus ore excipiatur, catervatim vermes egredi facit. Aliàs etiam vermes optimè enecat oleum & ſpiritus Vitrioli ſi in aqua vel decocto appropriato denti, ubi ſunt vermiculi, applicetur. Porrò *pulvis Gallarum* cum ſucco Radicis pyrethri imprægnatus & cum fermento in pilulam redactus, optimè promovet vermium egreſſum, ſi denti ubi ſunt vermiculi immittatur. Decoctum Radicis vel Corticis *fraxini* etiam vermes in dentibus ſtabulantes enecat. Abſolvimus dolores in genere cum Odontalgia. Verùm præter odontalgiam ſive dentium torturas, vix alius dolor eſt frequentior & crebrius occurrit quam

CAPITIS DOLOR ſeu CEPHALALGIA. *Capitis dolor ſeu Cephalalgia.*

In genere ita dicta, non quod caput integrum doleat, ſed tantummodo iſta capitis medietas ſuprema quæ oſſibus cranii circumſcribitur. Nam reliquæ partes in capite dolentes peculiari vocantur nomine; & quidem in hac parte capitis, quæ circumſcribitur oſſibus cranii, ſolummodo ſunt membranæ, ex fibris cruciatim ſitis contextæ, quæ cruciantur in dolore, ſive quæ affectæ inferunt dolorem: Idque tam membranæ internæ quàm externæ.

Internæ ſunt v. gr. dura & tenuis Meninx, quamvis de hac propter ejus tenuitatem dubitet LINDANUS. Nam dura Mater ſive dura meninx duplici conſtat tunicâ, per quam vaſa ſanguifera multis anfractibus imprimis ex venâ jugulari tranſeunt, donec perveniant ad vaſa capitis, & tunc ad cerebrum perveniunt: ſi ergo dilatentur ex ſanguine, neceſſariò dilatatur tunica & divellitur ejus duplicatura. Unde neceſſariò

ſic inſequitur dolor capitis. In pia matre ex parte tamen poſſunt fieri dolores, propter ejuſdem nimiam ſubtilitatem. Jam vero cum internæ oculorum tunicæ continuæ ſint, his tunicis cerebri ſive meningibus: Hinc fit ut ſubinde in capitis dolore & ipſi oculi intenſè doleant. Hinc eſt dolor capitis internus. Interdum tamen etiam capitis dolor eſt externus quando nempe membranæ cranii inſpecie pericranium in contuſionibus nempe & concuſſionibus capitis aut ſimilibus cauſis externis: item ex materia collecta ſupra cranium in lue venereâ, tales externi capitis dolores ſatis ſunt acerbi. Dolet autem nunc caput univerſum, iſte ſcilicet ab oſſibus cranii circumſcriptus tractus, atque tunc in genere Cephalalgia appellari ſolet: quæ Cephalalgia eſt iſte dolor qui communiter homines poſt crapulam item in febribus ardentibus, item in mutatione aëris affligit, quique facilè tranſit ſive ſyncipūt ſive occiput (quod tamen rariſſimè contingit) occupet.

Cephalæa. Quod ſi vero talis cap. dol. ſit diuturnus & contumax, mutato nomine CEPHALÆA appellari ſolet, & cauſam utplurimum agnoſcit fixam in ipſo capite, in certo ejuſdem loco radicatam.

Hemicrania. Quod ſi dimidium tantummodo caput ratione ſuturæ ſagittalis, quæ caput in partem dextram & ſiniſtram dirimit, doleat, ita ut altera medietas ſit indolens, eſt HEMICRANIA, quæ utplurimum eſt diuturna & valdè contumax.

Ovum. Quod ſi unica tantummodo pars capitis, inter ſuturam ſagittalem & temporalē afficiatur, dicitur OVUM, à magnitudine nempe loci dolentis, quæ ovum non excedit.

Clavus. Quod ſi dolor porrò in uno parvo ſit loco, contumax tamen & fixus quaſi Clavus ibidem eſſet infixus, dicitur CLAVUS; Differens ab ovo ſola ratione magnitudinis, partis affectæ, quæ in ovo eſt major in clavo minor, ovum itidem per vices ſolet intendi & remittere; Clavus verò non item: eſt enim ferè continuus eodem modo durans & affligens, etſi à cauſa externa forſan intendantur.

Fit interdum ut ſolum occiput doleat, idque frequentius in mulieribus, qui dolor muliebris conjunctus eſt cum ſenſu frigoris iſtius loci, quaſi glacies intra calvariam eſſet recondita. Talis dolor imprimis fit per conſenſum Uteri, & rarò fallit quando ſemper ex utero oriatur. In ſenibus quidem tam maſculis quàm vetulis, etiam interdum talis dolor ſynciput occupat, qui tamen ex alio eſt fonte. In ſcrutinio cauſarum Cephalalgiæ cum à quàmplurimis cauſis dolor capitis oriatur, ante omnia diſtinguenda eſt Cephalalgia per eſſentiam, ubi vitium & origo mali hæret in capite ipſo, v.gr. Dum caput dolet ex vulnere, &c. ab eâ quæ eſt per conſenſum, dum nempe vitio aut maſſ. ſang. aut quarundam partium inferiorum caput dolet & compatitur. Per conſenſum partium inferiorum fit Cephalalgia abſque ullâ vaporis vel humoris tranſmiſſione, ex ſola communicatione membranarum cum aliis partibus membranoſis incedente ſimul certo nervorum conjugio. Nam ſicuti ex contuſione vel vulneratione membranarum cerebri concitatur vomitus, ſolo conſenſu, & ſicuti ex jejunio concitatur vertigo in cerebro ſolo conſenſu, ita etiam ex ſolo conſenſu ventriculi, capitis dolor intenſus excitari poteſt: quo facit obſ. FORESTI *lib.19. obſer.46.* de Juvene bilioſo qui cum jejunus ambularet dolore capitis tentabatur aſſumpto vero pauxillo cibo ſubito omnis dolor capitis evaneſcebat. Eadem ratio eſt quando per conſenſum uteri fit. Nam cum utero aut partibus ipſi connexis, nervoſumque totius corporis genus conſentit, uti patet in nixu parturienſium, in quo ſæpe ob conſenſum membranarum & reliquarum partium nervoſarum convulſio ſuperveniat, ita etiam ex vitio uteri quocunque ſenſiles membranæ graviter affici per conſenſum & hinc dolere poſſunt. (Quomodo fiat per conſenſum l. contiguitatis vel continuitatis dolor: Hic ex pathalogia generali præſuppono cognitum.) Hæc in genere. In ſpecie per conſenſum laborat caput vitio maſſ. ſang. dum ſanguis aut nimiâ copiâ abundans, aut ex ſuppreſſa ſolemni evacuatione coacervatus, aut turgeſcentiâ quâdam præternaturali agitatus vaſcula meningum diſtendens Cephalalgiam inducit, eamque ſatis frequentem. In ſpecie is dolor capitis qui ex turgeſcentia & aucta ſanguinis efferveſcentia oritur, ſemper conjunctus eſt cum ſenſu pulſationis in capite, & prout aut intenſior aut remiſſior eſt iſta ſanguinis turgeſcentia, etiam vel major vel minor percipitur Cephalalgia. Hinc eſt quod tempore æſtivo, in nimiis æſtibus canicularibus aut diuturniore ſub Sole morâ ex ſanguine turgeſcente oriatur Cephalalgia. Item quod ex exercitio corporis aucto, & ex motu ſanguinis rapidiore, ejuſque efferveſcentia nimia oriatur eadem. Hinc eſt quod poſt crapulam, poſt nimium vini & cereviſiæ potum, turgidus ſanguis poſtero die Cephalalgiam inferat, niſi ſudore præveniatur. Hinc quod refrigeratio capitis adeoque impedita ſanguinis tranſpiratio eam inferant, dum retenta effluvia tranſpirabilia turgeſcentia ſanguini permiſta manent. Hinc eſt quod menſibus obſtructis ſæpe contumaciſſimæ oriantur Cephalalgiæ obſervātibus hoc omnibus practicis, in ſpecie FORESTO, aut quod quibuſdam uno alterove die antequam erumpant, menſes eæ intenſæ oriantur, ex turgeſcentia nempe ſanguinis, ſingulis menſtruis ſpatiis occurrente. In ſpecie febres quæcunque tertianæ: continuæ: item etiam malignæ intenſiſſimas conjunctas habent Cephalalgias: uti quotidie experimur: ex turgeſcentia nempe & fermentatione ſanguinis aucta.

Pertinet huc etiam acrimonia maſſ. ſang. ſcorbutica, cum in ſcorbuticis Cephalalgiæ contumaciſſimæ & intenſiſſimæ ſubinde oriantur, non capitis proprio vitio, ſed utplurimum vitio maſſ. ſang. quæ ſale acri ſcorbutico turgida membranas cerebri vellicat, & ita dolorem acerbum infert. Porrò per conſenſum ex ventriculo, ſæpiſſimè oritur Cephalalgia, quæ eſt una ex frequentiſſimis ſpeciebus: ſic dolorem immanem capitis à phlegmate acido in ſtomacho cum vomitu conjunctum obſervat THONERUS *in obſer. p.141.* item ex bile præternaturali in ſtomachi cavitate Hemicraniam obortam, refert BORELLUS *cent. 2. obſerv. 1.* In ſpecie in iis qui laborant Bradypepſia ſtomachi: item in hypochondriacis & ſimilibus frequentiſſimi ſunt capitis dolores ex ſtomachi vitio, qui imprimis mucilagine acidâ eſt infarctus. Interdum *philtra* inepta Cephalalgias crudeles inferunt: Duo exempla hujus rei refert LOTICHIUS *in obſ.p.152.* & *154.* Cephalalgias crudeles & inordinatas obortas ex ſuſpicione philtri. Porrò de utero autem dixi, quod frequentiſſimè inferat Cephalalgias in ſpecie quæ occiput occupent, & ſenſum glaciei repræſentent. Præter uterum, & renes inferunt eaſdem. Sic n. ex calculo in rene moto hemicraniam iſtius lateris obſervat BARTHOLINUS *Cent.4. Epiſt.6.* ſic ex dolore nephritico, ſimiles Cephalalgias obſervat FOREST. *lib.9. obſerv. 51.* in ſcholio. Denique *inteſtinorum vermes* ſubinde inducunt Cephalal. contumaces. Hæ ſunt *Cephalalgiæ* & *Cephaleæ* per conſenſum. Per eſſentiam v. fit quando malum & radix doloris ipſum caput occupat: qualis eſt, v. gr. in *clavo* & *ovo*, dum materia quædam viſcida, acida vulgò vocatur tartarea (aut ſanguis congrumatus) ſub cranio aut quodam alio loco congeſta eſt, quæ ibidem hærens pertinacem & iſtum circumſcriptum dolorem infert. Talis dolor capitis per eſſentiam eſt frequentiſſimus in hemicrania, non tn ſemper, ubi ſæpius adeſt ſtagnatio, ſanguinis impeditus motus in uno alterove vaſorum ramulo alterius medietatis. Nam dura mater ipſumque cerebrum in duas dirimitur partes; Hinc altera tantum in Hemicrania afficitur, quod ex anatomicis obiter noto. Per eſſentiam ergo, caput

ſubinde dolet contumaciter ex *vermibus* in cerebro genitis, qualis dolor ſubinde occurrit in febri Hungarica, quæ ipſa propter capitis dolorem *vermicularis capitis dolor* vocari ſolet, cum obſervatum ſit, non rarò vermes per nares fuiſſe rejectos cum levamine, vid. SCHENCK *in obſerv. de febri Hungaricâ*, & RULANDUS *tr. de morbo Caſtrenſi*: & HILDESHEIM in *ſpicilegio* aliquot refert exempla, Cephalalgiarum continuarum ex Vermibus in cerebro genitis ortarum. Sic BARTHOLINUS *cent.6. obſer.3.* Cephalalgiam habet contumaciſſimam ſedatam poſt vermes per nares excretos: ſimilia exempla contumaciſſimarum Cephalalgiarum reperietis in SCHENCKIO *obſer. de Cephalalgia*: Sic FOREST. *lib. 21. obſer.28.* notat Cephalalgiam admodum intenſam, quæ poſtmodum excreto per nares verme, fuit ſedata. Poſt vermes ſubinde geniti in *cerebro calculi* pertinaciſſimos dolores inferunt, qui poſtmodum per nares excreti, Cephalalgiæ levamen attulerunt, exempla vid. in SCHENCK. ſuo loco & etiam BARTHOLINUS *cent.1. obſer. 33. refert* dolorem capitis ſedatum, poſt lapillos per nares excretos. Fit interdum ut humor quidam lentus & viſcidus, ſæpius ex vitio digeſtionis ultimæ ſ. propriæ generetur ſe inſinuans intra ſuturas cranii, quos ſenſim à ſe invicem ſeparare & mutuò diſcedere facit, cum intenſiſſimo dolore: Imprimis videatur de hac ſuturarum cranii diſceſſione BOOTIUS *in tr. parvo d. eleganti de affectibus omiſſis cap. 4.* Exempla etiam nonnulla refert HILDAN. *in obſ.* it. SCHENCK. *in obſerv.* mentionem etiam illius facit MINDERUS *in Medicinâ militari.* Aliquando D. MICHAEL, in Principiſſa Iſenacenſi vetula, obſervavit talem acerbum capitis dolorem, in quo manifeſtè ſuturæ Cranii à ſe invicem diſceſſerant, idque cum ſonitu, ut adſtantes percipere potuerint, quem tamen feliciter curavit: & tales dolores ſunt pertinaciſſimi & intenſiſſimi. Porrò *lues venerea dolores* capitis horrendos & implacabiles, in ſpecie nocturno tempore affligentes infert. Modus eſt hic: acor malignus, qui excedit in lue venerea alimentum cranii proximum ita corripit, ut in materiam viſcidam & acidam ſenſim degeneret, quæ coacervata ſupra cranium aut etiam ſub cranio tumores iſtos infert, qui etiam in aliis oſſibus reperiuntur & *gummata Gallica* vocantur, à quibus poſtmodum corroduntur, ipſa oſſa, & per conſequens ipſum cranium: Unde caries cranii & implacabilis dolor oritur. Exemplum funeſtum habet MEARA *in hiſtor. Med. pag. 136.* Ubi habet Cephalalgiam cum totius cranii carie, ortam à lue venerea. Simile exemplum habet SCHENCK *in obſerv. p. 51.* qui ex cranii carie internâ ſimiliter implacabilem capitis dolorem notat: Sed tamen non tantum in ipſa lue venerea fit dolor, ſed etiam poſt inunctiones mercuriales, quibus curantur Gallici, ſubinde remanent pertinaciſſimi capitis dolores ex mercurio ſcilicet nervis membranoſiſque partibus inimiciſſimo, hinc inde in capite collecto. De quo vid. POTERIUS *cent.3. cur.6.* qui habet dolorem capitis contumacem concitatum ab uſu hydrargyri quem curavit per decoctum China; cum china & ol. ſulphuris ſub acido. Talia exempla ex mercurio poſt curatam luem veneream obſervat RIVERIUS *cent. 2. obſer. 21.* item in *obſer. communicatis*, quas Cephalalgias mercuriales curavit per nummum aureum in ore detentum, ut ſcil. Mercurius præceps ad aurum accurrat & ita extra corpus eliminetur. Interdum abſceſſus interiores partes capitis occupant, qui ipſi contumaciſſimas Cephalalgias inferunt. Sic BORELLUS *cent.1. obſer.73.* refert Cephalalgiam inſignem, in quâ tandem rupta interne vomica, pus per os, nares & oculos prodiit. Similia exempla hinc inde etiam reperiuntur in BARTHOLINO Cephalalgiarum per eruptionem puris, per nares imprimis ſedatarum. Vid. etiam BOOTIUS *de affectibus omiſſis cap.1.* de abſceſſu Hypocranio, ex quo graviſſimi & continui dolores capitis ſubinde inducuntur.

Poſt abſceſſum ſub cranio, & in cerebro ſubinde læſiones capitis externæ contuſiones, vulnera, caſus, geſtationes ponderis ſive oneris gravioris in capite, & ſimiles cauſæ diuturnas cephaleas aut hemicranias relinquunt, quatenus aut cranium lædunt aut pericranium, aut fiſſuram quandam in cranio inferunt. Unde humor ſive ſuccus nutritius extra duplicem lancellam per fiſſuram, ſucceſſivè deſtillat in tunicas & dolorem infert, aut qn. aliqualis ſanguinis fit extravaſatio circa membranas: & ſimiles cauſæ pertinaciſſimos inferunt dolores capitis, ſic namque poſt curatum vulnus capitis Cephalalgia diuturna oborta fuit, aperto tandẽ cranio, in vulnere fuit os nonnihil corruptum, quod exemptum etiam dolorem curavit, obſervante hoc FORESTO *lib.9. obſer.34.* Sic ex geſtatione gravioris ponderis in capite, laminæ cranii internæ nonnihil infractæ Cephalalgiam 12. annorum intulerunt, donec excretis per nares oſſiculis tribus, ex lamina cerebri interna, dolor remiſit, referente hoc SCHENCK. *lib.1. obſer. p.51.* Denique lympha vitiata aut ſtagnans in quodam loco in capite, aut quod ſæpius fit, humor nonnihil viſcidus aut acidus, in quodam interno capitis loco coacervatus aut ex nutritione membranarum vitioſâ collectus, aut ex quacunque ratione in capite depoſitus, infert Cephallagias & dolores graviſſimos, in ſenibus imprimis, diuturnos, appellant hoc vulgò materiam tartaream. Hæc materia ſi in altera medietate in capite hæreat ut ſanguinis motum aliquantiſper impediat, Hemicrania vocatur in qua mercurialia ſunt optima, quoniam diſſolvunt & attenuant materiam caput occupantem. Unde ſubinde ſenes decrepiti contumaciſſimis cephaleis ſunt obnoxii. Imò ex tali vitio *Clavus* & *ovum* primariò oriri videntur, & vulgò vocantur Cephalalgiæ ſeu Cephaleæ à cauſa frigida, & in tali manifeſta conjuncta eſt gravedo capitis ſ. dolor capitis gravativus, imò caput minus calet, quin potius friget; dolor eſt contumax, & qui ægros die nocteque affligit. Lympham v. quod attinet & hanc ipſam inferre dolorem capitis patet ex catarrho, in ſpecie ex coryzâ incipiente, in quâ notum eſt quod dolor capitis gravativus ſubinde tenſivus vitio lymphæ circa glandulas collectæ excernendæ oriatur. Unum adhuc eſt mirabile & notatu dignum in Cephalalgiis nempe periodus ſingulariſſima, dum ſtatam periodum obſervant: ſic in SCHENCKIO proſtat exemplum doloris capitis, qui cum ſole oriente inchoabat, circa meridiem maximè intenſus erat, quo magis v. ſol inclinabat ad caſum, eò magis remittebat. In eodem SCHENCKIO. *lib. 1. obſ. p. 48.* eſt Hemicrania, quæ certis lunæ periodis tantum ægros infeſtat. Sic notabile exemplum eſt PLATERI *lib.2. obſer. p.346.* De Hemicraniâ periodicâ, ſingula hyeme certis noctis horis recurrente & miſerabiliter torquente, curata tandem per emplaſtr. Vigonis de ranis c. mercurio. Sic idem PLATERUS *cit loc.* de Hemicraniâ forti & continuos 15. annos durante à partu naturali, quæ poſtmodum poſt 15. annos per fœtus maſculi excluſionem ſtatim ſine ullo medicamento fuit curata. Huc pertinet exemplum BALLONII *conſ. 40.* in *ſchol.* de muliere quæ c. hemicrania conflictabatur, dum non eſſet gravida, quamprimum autem concepit, omnis hemicrania ceſſat. Sic FONSECA *lib. 7. conſil 87.* obſervat hemicraniam lateris dextri periodicam, quæ ſingulis 8. diebus, die lunæ tantum in eadem hora repetiit, & per 30. horas acerbiſſimè affligit, poſtmodum v. ſine ullo ſymptomate æger eſt ſanus uſque 8. dies fuerint præterlapſi. Talia exempla ubivis plura proſtant, hæc adduxiſſe ſufficiat.

PERGO AD SIGNA.

Cephalalgiæ per ſe patent, cum ægri ſint ſatis querulı de iis. Saltim SIGNA DISTINCTIVA cauſarum

rum præ primis ſunt obſervanda. Et quidem per conſenſum eſſe dolorem capitis cognoſcitur, ubi nulla cauſa caput præceſſerit. Aut ubi nulla læſio functionum animalium ſimul eſt conjuncta. Dolor itidem ſubinde eſt varius, nunc eſt intenſior, nunc eſt remiſſior, qui verò capite primariò affecto accidit ſæpiſſimè eſt continuus, ſigna adſunt maſſæ ſanguineæ non legitimè conſtitutæ, aut etiam vitiatæ functionis in quadam parte inferiore, ſimulque prout iſta pars ſe habet, etiam dolor capitis aut remittitur aut intenditur, & quæ ſunt ſimilia ſigna ex quibus prudens Medicus hariolari poteſt, an ſit per conſenſum Cepalalgia? Quod ſi v. per eſſentiam ſit Cephalalgia difficillimum eſt cognitu à qua cauſa oriatur. Nam vermes, calculi, abſceſſus capitis & ſimiles obſcuriſſima aut ferè nulla certa habent ſigna. A lympha aut ſimili ſeroſâ materia, aut etiam à materia viſcida aut acida collecta fieri Cephalalgiam monſtrat gravamen capitis, ſomnolentia, frigus, ætas ſenilis & ſimilia, quæ perſuadent à tali cauſa oriri hemicraniam, imprimis ubi reliqua conſenſerint ſigna.

QVOD ATTINET PROGNOSIN.

In vehementi capitis dolore cum febri acuta, ſi Urinæ conſpiciantur crudæ, ſ. albæ & claræ peſſimum ſignum eſt. Dolor capitis fortis ſubitò deſinens non ſequente alteratione, per criſin eſt lethalis, quoniam ſubinde ſignum eſt gangrænæ cerebri, aut omnimodæ ſenſus in membranis cerebri proſtrationis, Ubi frigent externa in dolore capitis peſſimum eſt ſignum; Si dolor capitis circa frontem & tempora ſit continuus & admodum vehemens cum febri acutâ apparente die 4. ſigno pernicioſo 7. ferè die mors ingruit. Si dolori capitis ſuperveniat manifeſta quædam excretio aut aqua, aut ſanguinis, aut puris, ſ. ſit per os, ſive per nares ſ. per aures (qualia exempla proſtant quamplurima) ſignum eſt ſolutionis morbi. Pertinet huc APHORISMUS 32. *ſect.* 4. quibus nempe ex morbis partium inferiorum convaleſcentibus, dolor capitis vehemens ſupervenit, ſine excretione manifeſta, iis in cerebro futurus eſt abſceſſus. Quicunque in febre cum capitis dolore conqueruntur de Cardialgia ſ. de morſu & anguſtiâ præcordiorum; iis ſubinde vomitus bilioſi ſupervenire ſolent: In gravidis dolores capitis ſoporoſi cum gravitate quadam obvenientes ſunt mali.

QVOD ERGO ATTINET CVRAM.

Cum Cephalalgiæ tam variæ ſint cauſæ; facilè patet, quod etiam pro varietate cauſarum ipſa cura ſit varianda: niſi quod opiatis & narcoticis, in genere obſervatis obſervandis, ut omnes dolores ita etiam Cephalalgia compeſcatur. In his autem opiatis & narcoticis uſurpandis ſimus cauti. Metus enim eſt, quando poſt narcotica non poſſimus denuò expergefacere ægrum. Uti rectè hoc monet CELSUS: ſæpè quippe accidit, ut in gravioribus doloribus parva doſis opii aliquoties licet repetita nihil adjuvet: Unde poſtmodum fortiori uſurpatâ doſi, ſubitò tunc lethargicus oritur ſomnus, ut vix ac ne vix ægri poſſint denuò ſuſcitari, ſi ergo tale quid eveniat per acetum ſuccurrendum eſt. Anodyna ergo quin & narcotica quando uſurpanda, primum adhibeantur in parva doſi, & lenia aſcendendo ſucceſſivè ad fortiora & majorem doſin.

Quod ſi externis in locis applicanda narcotica, nullo modo ſuturis admovenda, d. tantum fronti, aliàs metus eſt, ne ſoporoſus ſequatur affectus: Nec inſtante criſi, quia periculum eſt, ne motus materiæ impediatur, & æger tandem interimatur. Dolor capitis ſcorbuticus eſt contumaciſſimus, nec niſi appropriatis ſcorbuticis tollitur, & ſicuti lac aliàs ſolet inferre dolorem capitis, ita lac in ſcorbuticis eſt optimum remedium demulcendo acrimoniam ſalis ſcorbutici. In memoria ſemper obſervandum ſ. tenendum ut in Cephalalgiis alvus ſemper ſit laxior & aperta, cum hæc obſtructa dolorem exaſperet, aperta v. dolorem ſoleat ſedare aut ſaltim alleviare. In genere in quocunque capitis dolore obſervetur, ne præter ordinaria evacuantia ſ. per vomitum ſ. per conſenſum ſit ventriculi ſ. per alvum, ubi alio in loco hæret materia, non omittantur ſudorifera; quæ interdum valdè conducunt. In ſpecie in Cephalæis antiquis aut etiam in hemicraniis inveteratis, neceſſum eſt, interdum ad decocta ſudorifera lignorum accedere, quæ ipſa etiam talibus in caſibus ſolent optimum habere ſucceſſum. Modum præſcribendi & uſurpandi notum præſuppono ex materia Medica l. MORELLO loco iſtorum vel Eſſ. lignorum, l. ligni ſaſſafras interdum uſurpari poſſunt in majori doſi. Inter evacuantia præter vomitoria aliàs nota, cognitæ ſunt imprimis *pilulæ maſtichinæ*, quæ in Cephalalgia per conſenſum ſtomachi vel uteri ſint optimæ, v.gr.

♃. Pil. Maſtichinarum ℈i.
Extract. Helleb. nigr.
Caſtorei an. gr. V.
Trochiſcorum Alhandal. gr. ij. c.
ſ. q. Elixyr proprietatis pilulæ.
D. S.

POTERIUS eleganter uſurpat pilulas ſuas catholicas, ad ℈i. quibus addit gr. IV. Laudani opiati, ſic enim dolorem ſedat & fomitem tollit. Id quod & nos facere poſſumus præſcribendo, v.gr.

♃. Extract. Panchymagog. Crollii. gr. xv.
Verbenæ gr. vii.
Mercurii dulcis ℈ß.
Laudani Opiati gr. ii.
Scammonii Sulphurati gr. iii.
C. Eſſ. croci. F. pilulæ. D. S.

Aliàs in quacunque Cephalalgia APPROPRIATA remedia ſunt *I. Verbena*, quæ eſt celeberrimum remedium ad quemcunque dolorem capitis ſive internè uſu ejuſdem aqu. aut Eſſ. uſurpetur, ſ. externè eadem inſtar Amuleti appendatur: De qua virtute contra Cephalalgias Verbenæ amuletica ſingulariſſima vid. FOREST. *lib.* 9. *obſervat.* 52. aut etiam ipſa Verbena viridis contuſa cum linteis duplicatis fronti & temporibus admota; admodum commendatur. Poſt Verbenam eſt *Betonica*, quæ & ipſa inſigniter capit. dolorib. ſuccurrit, v.gr.

♃. Betonicæ Mi.
Abſinthii p. ii.
Cubebarum ℥i.
Vini ℔i. vel q.ſ.

Decoquantur & decoctum inſtar Epithematis applicetur capiti removet egregiè dolorem. Aut etiam ſola Betonica in vino decocta capiti applicata ſolet tollere dolorem: Porrò *ſuccinum* & ipſum egregium eſt in Cephalalgiis in ſpecie ejuſdem ſal. vol. ſive per eſſentiam fiat, ſive per conſenſum ventriculi aut uteri, permiſcetur commodè cum ſpecifico cephalico aut cum bezoardico joviali aut lunari, aut etiam his additur aliquantulum de laudano opiato. Item *Camphora* iſtis convenienter permiſcetur, & ſic fit pulv. compoſitus ad Cephalalgiam. Nam camphora in Cephalalgia calida mirabilis eſt, ſive unum alterumve ejus granum internè uſurpetur, ſ. externè ſpirit. vini camphoratus aut ol. camphoræ illinatur à PARACELSO admodum commendatur. *Radix Rhodia* experimentum eſt PETRI à CASTRO Medici Veronenſis, qui in contumaciſſimis capitis doloribus recipit radicem rhodiam recentem eamque cum piſtillo lapideo contritam irrorat aqu. verbenæ & flor. ſambuci ana & inſtar cataplaſmatis, fronti applicat. Alii loco rad. rhod. pulv. Zedoariæ recipiunt cum aquis appropriatis & applicant capiti, v.gr.

♃. Aqu. Verbenæ
flor. ſambuci.

Betonicæ

Betonicæ ana ℥i.
pulv. Zedoariæ ℥ß.
M. & ita applicant capiti.

De ſeminibus papaveris, anethide, de nucleis perſicorum l. ſemine Hyoſcyami & ſimilibus notum eſt, quod ex iis fiant emulſiones quæ nunc intrinſecus propinatæ, aut quod ferè frequentius extrinſecus ſub forma Epithematis applicatæ admodum conveniunt, v. gr.

℞. Nucleorum perſicorum ℥ß.
Seminis papaveris albi ʒii.
c. ſ. q. Aqu. verbenæ betonicæ & ſolani.

Fiat emulſio, quæ emulſio tepidè cum linteis duplicatis admovetur fronti & temporibus ad ſiſtendam nimiam Cephalalgiam. It. fiunt tales Emulſiones loco liquoris cum decocto verbenæ, aut dec. rad. rodii, quibus cum decoctis, ex iſtis ſeminibus emulſiones efficaciores componuntur. *Vnguentum de Alabaſtro* ſi quid aliud maximè commendatur à Foresto in quacunque Cephalalgia à quacunque etiam oriatur cauſa, ſive ſit per eſſentiam ſ. per conſenſum, ſ. ex contuſione, ſ. ex alia cauſa, etiam in febribus, unguentum de alabaſtro illitum, admodum commendat *lib. 9. obſerv.* 33. Cui interdum pro ratione circumſtantiarum aliquid de ol. papaveris expreſſo, l. hyoſcyami expreſſo, l. de laudano opiato, poteſt aliquid addi. Porrò in *hyoſcyamo* imprimis ſingularis eſt vis ad Cephalalgiam, uti quamcunque ita in ſpecie ſcorbuticam: Quidam ceu certiſſimum remedium laudant.

℞. Sem. Hyoſcyami ℥i.
Aceti roſacei ℥v.
Miſce in phiala benè obturata ponatur in digeſtionem baln. mar. ita tu ne bulliat: poſtmodum faſciam lineam capiti circumligant, & cum ſpongia hoc aceto madido iſtam faſciam humectant, ſicque ſubitò dolorem capitis tolli aſſerunt.

Item ℞. Ol. papaveris expreſſ. ℥i.
Nucleorum perſicorum ʒii.
Hyoſcyami ℈i.
ſtill. aneti
Chamomillæ an. ℈ß.
c. ſ. q. Ol. Moſchat. expreſſ.
F. Linimentum.

Item Experimentum D. Mich. fiat hoc:
℞. Extracti vel ſucci inſpiſſati.
Verbenæ ʒii.
Ol Hyoſcyami Expreſſi ℈ß.
Plus minus prout requirit occaſio l. Dolor. M. & F. unguentum contra capitis dolorem.. Timæo in uſu fuit tale Epithema.

℞. Aqu. Verbenæ ℥i.
Betonicæ
Sambuci an. ℥ß.
pulv. Rad. Rhod. aut ligni Rhodii ʒii.
Aceti roſacei ʒvi.
M. pro Epithemate cephalico.

Denique inter interna imprimis *Decoctum herbæ Theel* eſt, quod ad dolores capitis quoſcunque internè commendatur: ſi ſcil. ℥i. ſumatur & decoquatur in vino aut in aqu. decoctum aſſumatur, & aliquantulum ſacchari addatur, & ita potetur ſubitò quemcunque dolorem capitis ſedare dicitur. Sed hæc ſunt generalia pro varietate cauſarum varianda eſt cura.

Applicemus hæc ipſa: In *Cephalalgia in febribus* præter interna imprimis ſub acida, quæ effervescentiam ſanguinis compeſcunt externè convenit ſuccus ſempervi vicum aceto roſaceo. It. ſuccus portulacæ fronti admotus, d. tepidè nam omnia Epithemata tepidè admovenda. Convenit etiam emulſio ſeminis papaveris albi, cum aliquantulo camphoræ, vel convenit epithema cephalicum Hartmanni quod habet in *praxi Chymiatrica* §. 18. *cap. de Cephalalgia.* Imprimis epithemata ex *Gammaris fluviatilibus* contuſis & applicatis aut ex ſucco cancror. fluviatil. expreſſo inſtar epithematis capiti applicato: Eſt ſingulare remedium contra Cephalalgiam febrilem, his ipſis ſub contuſione additur acetum roſaceum, aut alia aqua appropriata & optima facit. Item in febribus *unguentum populeum* l. *alabaſtrinum* cum oleo papaveris expreſſo non ſine fructu inungitur. Quod attinet *Cephalalgiam frigidam* ſ. potius cephaleam continuam in ſpecie *ſenum*, præter *ſudorifera* dicta lignorum, aut ſimilia medicamenta ſudorifera, de quibus jam ante dixi, imprimis conducit oleum deſtillatum *ſuccini* vertici illitum, convenit item emplaſtrũ vigonis de ranis cum mercurio, quo ipſo Cephalalgias antiquas deſperatas curavit Platerus *in obſ. p.* 348. aſſumpſit emplaſtr. de R. V. c. mercur. parat. Ceroti de Betonica part. 1. quæ malaxata cum unguento alabaſtrino tanquam emplaſtrum applicavit Capiti: *cit. loc.* habet exempla ſingularia hoc modo curatorum. Ego etiam aliquando in vetula octogenaria quæ aliquot annos, graviſſima occipitis laboraverat cephalea, hoc emplaſtrum ſimiliter præſcripſi, d. malaxatum cum oleo ſuccini & multum contulit. In genere ubi ſuſpicio eſt materiæ craſſæ aut viſcidæ, ibi non habetur melius emplaſtrum quam hoc propter mercurium qui attenuat reſolvit & fluxilem facit materiam iſtam, ſic quæcunque ſit & vocetur ut lubet. Aliàs in Cephalalgia ex cauſa frigida, ſacculi ex milio & ſale communi mirè commendantur à Lindano, ſumendo ſcil. milii leviter toſti p. iv. ſalis communis ſimiliter leviter toſti, part. 1. Ex his fiunt ſacculi, qui ſuffumigantur gumm. animæ & ita applicantur capiti: Poſſunt addi pro varietate circumſtantiarum alia quæcunque appropriata: Sic ego præſcripſi aliquando ita

℞. Milii toſti Mii.
Sal. communis parum toſti Mi.
Herbæ Verbenæ
Flor. Chamomillæ an. Mß.
pulv. Rad. Rhodiæ ℥ß.

M. F. Sacculi interpaſſati qui egregiè conferunt capiti applicati & ita geſtati: In ſpecie in dolore adeo continuo ſenum, ſacculi reliquis præferuntur remediis. In diſceptione ſuturarum affectu periculoſo & difficili Minderus præcipit ut caput fortiter ligetur & poſtmodum deraſis capillis applicetur cerotum ex pelle arietina cum gumm. elemi & pauco ceroti de betonica. Hoc ipſum ita applicetur loco affecto, & ita egregiè confert. Iſtius principiſſæ diſceſſionem ſuturarum curavit D. Michael beneficio clyſmatis acribus & uſitatis tantummodo, in quibus tamen præſcripſit diſſolvenda ſequentia.

℞. Electuarii hieræ picr. c. agar. ℥iv.
de bacc. lauri ʒii.
Pulv. Rad. Helleb. præparati ℥iß.
Fellis ſal. gemm. inſpiſſati ʒiii.

M. cujus ℥ii addantur clyſmati quæ clyſmata ſubinde fuerunt repetita, capiti vero ad imitationem Plateri (ut ipſe D. Michael profeſſus eſt) applicavit hoc emplaſtrum:

℞. Emplaſtr. de Ranis Vigon c. Mercurio.
Ceroti de Betonica an. ℥iß.
Pro bregmate uſitati ʒvi.

Malaxentur cum unguento alabaſtrino, inducantur ſuper alutam & applicentur capiti, in forma emplaſtri. Idem Empl. de Ranis Vigonis c. Mercurio. Convenit etiam in doloribus capitis Gallicis ſ. venereis, in quibus optimè confert. Quod ſi dolor capitis ſit ex vulnere vel caſu ab alto, aut ex contuſione, & ibi optimum eſt cerotum Alexandri Benedicti quod curavit ſenem, qui ex percuſſione trabis obmutuerat 15. dies: Compoſitio eſt hæc:

℞. Gummat. Hederæ ℥iii.
Reſinæ firmæ ſ. purgatæ ℥ß.
Ceræ ℥iii.
Ol. Roſarum ℥iiß.
Gumm. ammon. ʒii.
Therebinthinæ ℥iii.

Sicc

Succi corymborum Hederæ ℥iv.
Farinæ fabarum q. ſ.
F. Emplaſtrum.

Quod egregium eſt in dolo ibus capitis, ex contuſione, caſu, &c. de quo vid. *obſ. r.* 21. HEINRICI *ab* HEER. Si Cephalalgia ſit à *vermibus*, poſſumus forſan imitari HILDESHEIM *in Spicilegio p.* 45. qui pertinaciſſimam Cephalalgiam à vermibus ita curavit: cum præmiſſis univerſalibus & copioſis vermibus per alvum rejectis, nihilominus perſiſteret capitis dolor, ipſe vero haberet ſuſpicionem vermium in ſyncipite, propterea applicavit ſyncipiti tale emplaſtrum.

♃. Pulv. aloës.
Lumbricor ana ℈ii.
fellis ſal. gemm. ʒj.
Ol. abſinthii q. ſ.
Ceræ q. ſ.

Extendatur ſuper alutam, & applicetur ſyncipiti: Hinc pro faciendo fumo hunc pulv. ordinavit.

♃. Pulv. Centaur. minor.
Marrubii,
Betonicæ an. ʒii.
Zedoariæ ʒß.
Angelicæ ʒii.
Succini ʒj.
Antimonii crudi ℥j.
Minii ʒiß.
Boli Armeniæ ʒj.
Ariſtoloch. rotund. ʒij
Abſinthii ʒij.
M. F. pulv. pro fumo.

Patiens ergo cum emplaſtro iſto eſſet uſus & fumum ter quaterve admiſiſſet, tandem 13. oblongi vermes villoſi ſcil. lanuginoſi vivi, inſtar erucarum ſ. oniicorum per fauces, & nares & aures prodierunt, quos ipſos digitis apprehendens extraxit, & tantos dolores non amplius ſenſit, interim tn. continuavit medicamenta, dum non omnes amotos dicebat, unde poſt aliquot menſes 2. adhuc prodiere Minores, & curatus fuit. In Hemicrania experimentum ſingulare eſt cataplaſma factum, ex radice cucumeris aſinini cum verbena & abſinthio. Vel loco talium cataplaſmatum quæ ſunt difficilia, fiat decoctum h. m.

♃. Rad. cucumeris aſinini ℥i.
Fol. abſinthii Mß.
Flor. violarum p. I. Coquantur in an. vini & aquæ, & decoctum ſubinde applicetur loco dolenti in Hemicrania, quod egregiè confert. Loco radicis cucumeris aſinini convenienter etiam uſurpari poteſt, radix bryoniæ, ſi nempe

Rad. bryoniæ, ℥j. cum
fol. abſinthii Mij.

Coquatur in aqu. & in decocto ſpongia nova ſubinde immergatur, & calidè loco dolenti applicetur, ac poſtmodum unguento alabaſtrino inungatur. Sunt qui ceu ſingulare commendant ad hemicraniam hoc linimentum.

♃. Euphorbii ʒij.
Ceræ ℥iij.
Ol. Communis ℔j.

Hoc ipſo linimento dimidium frontis & temporis iſtius loci, ubi dolor eſt hemicranicus inungatur, & admodum convenit ad hemicraniam imprimis frigidam ut vocant. Aliàs Euphorbium aceto dilutum, applicant lateri dextro, dolente ſiniſtro, aut contra: Nam & ſic conferre dicunt. In dolore capitis mulierc ularum ſ. dolore occipitis frigido, ſpecificus eſt ſacculus HARTMANNI ex ſuccino pulveriſato cui ſpiritus vini piperatus in quo piper fuit infuſum adſpergitur & ita applicatur. Vel etiam emplaſtrum ex Tecamachaca & ſuccini conveniens eſt in talibus muliebribus doloribus.

Cæterum hæc ſunt remedia, quæ tamen non omiſſis reliquis vel ven. ſect. vel arteriotomia vel veſicatoriis ſunt applicanda: ſemper circumſpectione opus eſt.

De ARTERIOTOMIA noto, quod eadem ſubinde in hemicrania deſperata mirabilem habeat ſucceſſum, ejuſque uſum ipſa monſtravit natura, *M. A. N. C. Ann. VIII. p.* 130. Et jam olim GESNERUS *lib.* 3. *Epiſt.* 96. dolorem hemicranii quotannis redeuntem, ſecta arteria in tempore affecto curavit. Refert namque LINDANUS, ſibi uſitatam eſſe arteriotomiam temporalem celebrare in hemicrania inveterata, emittendo interdum in eodem latere largiter ℥xx. vel xxx. ſanguinis.

Operatio non eſt difficilis nec periculoſa, modo artificioſus adſit Chirurgus; nec eſt metuendum *anevriſma*. Nam ſi tantùm terra vitrioli dulcis cum terra ſigillata applicetur intra triduum, arteria coaleſcit. Sic RIVERIUS *in obſervat. communicatis* habet hemicraniam lateris dextri intolerabilem, quæ per arteriotomiam ad ℥x. intra dimidiam horam omnino fuit ſanata. Aliàs poſt arteriotomiam ſive loco arteriotomiæ INCISIO VENÆ FRONTIS in contumacioribus doloribus capitis commendatur. Sic FORESTUS *lib* 9. *obſerv.* 54. obſervat Cephalalgiam ſive Cephalæam antiquam & diuturnam per ſectionem venæ in fronte aliis non juvantibus curatam: ſimilem ferè hiſtoriam habet *obſer.* 21. *lib. cit. in ſcholio*, de viro 40. annorum aliis irritis per ven. ſect. frontis à pertinaci cephalea curato. Aliàs refert RHODIUS in ejuſdem *cent.* I. *obſerv.* 76. quod inciſio venæ inter indicem & pollicem manus ſit præſentaneum hemicraniæ remedium: aliquot de hoc habet exempla. Id quod confirmare poteſt ſententiam RIVERII, qui ad Cephalalgias contumaces fonticulum inter pollicem & indicem manus excitatum commendat in ſua *praxi*, ubi de Cephalalgia. Nam in diuturnis capitis doloribus *fonticuli* aut in brachio aut in nucha excitati ſunt optimum remedium (palliativum nimirum, non enim radicitus curant.) Quin imò interdum *veſicatoria* toti capiti raſo ſunt applicanda pro cura pertinacium Cephalalgiarum. Vid. MEARA *in hiſt. Med. pag.* 128. qui hoc modo curavit Cephalalgiam antiquam applicando veſicatorium ingens totum occiput & ſyncipput obtegens. Simile exemplum reperietis in RIVERIO *cent.* I. *obſer.* 37. ubi etiam obſervat capitis diuturnum dolorem per veſicatorium inſtar cucuphæ capiti applicatum curatum.

Apud veteres ſubinde occurrit mentio *fonticuli in capite, in concurſu ſuturæ coronalis & ſagittalis* facti ad graviora capitis & nervoſi generis pathemata uſurpati, qui jam ferè in deſuetudinem abiit, cujus tamen medio cephalalgia inveterara ſcorbutica curata refertur in *M. A. N. C. ann.* 3. *pag.* 138. *Mulier graviſſima laborabat cephalalgia frontis ac temporum. & tunc patiebatur tenſiones in temporibus, gutture, humeris & genis, adeoque violentas, ut difficulter ſe contineret*, idque imprimis nocte à 9. hora uſque ad tertiam ſeu quartam matutin. Cauſa occaſionalis, ut ipſa referebat, fuerat excretio & emunctio materiæ variæ, viridis & viſcidæ quaſi purulentæ per nares, quia deficiente & ſuppreſſa, ita ut nares penitus exſuccæ eſſent, ille dolor ſupervenit. Accepit *pilulas mercuriales*, item *ſpirit. carm. de tribus*, qui bene contulit aliquamdiu, ſed ſine perfecta ſanatione. Naribus *ol. Nicot.* cum pauca *camphora* applicavit, ſed fruſtra. Aliis ergo irritis, juſſi applicari ſibi curaret *veſicatoria* bina, utrinque juxta aures, quorum beneficio curata fuit.

Juvenis nobilis cephalalgia graviſſima affectus cum intenſo oculorum dolore, nullo licet p. n. in oculis apparente, quæ præſertim veſperi erat graviſſima; malum ægro aliàs ſubinde familiare. Præmiſſis primas vias *abſtergentibus & ſpirit. carmin. de tribus*, ordinavi *cataplaſma ex fermento*

acerrimo miſto cum *ſemin. ſinapi* contuſo, pauco *ſpirit. vin.* addito, nuchæ applicando, idque eò magis, quia oculi ſimul tumerent. Hujus uſum per quam dolorificum, bonum tamen cephalalgiæ remedium expertus eſt. Denique & *cauſticum potentiale* ſubinde uſurpandum venit. Sic *Poter. lib.3.cap.3.* dolorem capitis periodicum in vertice, præciſè ad ciceris tantum quantitatem ſe extendente, ſine ullo ſigno ſenſibus obvio, poſt paucam materiam purulentam loco affecto per *potentiale cauſticum* aperto curavit. *Trepanum* denique quod attinet, dolorem capitis hujus medio curatum vid. *in Rhod. cent.1. obſerv.69. &* 70. In ſpecie *Amat. Luſit. cent.1. cur.2.* refert capitis dolorem intenſiſſimum à lue Gallica jam curata, ortum & incurabilem, ſed *trepano* aperto cranio curatum.

Verſamur adhuc in puncto dolorum, & quidem poſt dolorem capitis non rarò etiam *dolent oculi* non tantummodo *in Ophthalmia* ſive eorundem inflammatione, ſed etiam ſi lacrymæ eorum ſive lympha humectans eſt nimis acris, nimis ſalina: Unde OCULORUM RASIO, MORSICATIO & RUBEDO.

Oculorum raſio, morſicatio & rubedo.

QVO ETIAM PERTINENT CAVSÆ externæ quæcunque in oculos incidentes, & oculorum dolorem inferentes. Malum per ſe patet in Diagnoſi & Prognoſi, nihil eſt quod addam, niſi id quod ſuperius monui *in Ophthalmia*.

CVRAM quod attinet, ſublatâ cauſa tollitur effectus. Curata Ophthalmia ceſſat dolor. Præter remedia ſuperius notata in Ophthalmia ſingulare eſt experimentum *radix morſus diaboli*, ſi ſcil. 5. tales radices luna decreſcente collectæ appendantur in filo de collo patientis: tunc enim fit, ut tollatur mirabiliter omnis dolor, & omnes exacerbationes oculorum affectuum impedit & aufert; Experimentum hoc eſt quorundam in caſibus, ubi alia incaſſum ſunt adhibita. HILDANUS utitur collyrio craſſo ex mucilagine ſeminis Cydoniorum & mucilagine ſeminis plantaginis, quibus additur tantillum lactis muliebris cum camphora & croco. Hæc miſta applicat oculis contra dolorem. *Folia Nicotianæ* contuſa leviter & recentia oculis impoſita: Vel ſi non poſſunt haberi recentia: irrorantur modico ſpiritu vini & imponuntur, ſicque oculorum dolorem tollunt. *Aqu. fœniculi* cum ſaccharo ſaturni ardores in oculorum dolore tollit: Si addatur parum camphoræ, erit magis potens. Denique *ſaccharum Joviale* (de quo ſuperius ubi de ophthalmia dictum) cum aqua roſarum miſtum & inſtillatum mirè commendatur à LINDANO. Omnium optimum tamẽ contra dolorem oculorum remedium eſt *pulpa pomorum dulcium* aſſatorum, quam omnes auctores unanimi conſenſu prædicant & attollunt: Si ſcilicet ipſa pulpa per ſetaceum trajecta recipiatur, ipſique addatur parum camphoræ & ita inſtar cataplaſmatis applicetur, in quocunque oculorum dolore & ex quacunque cauſa mirificè commendatur. Experimentum fuit TIMÆI uti & SCULTETI *in armamentario Chirurgico in obſervat.* egregias de hoc Cataplaſmate ex pomis dulcibus habet obſervationes, eſt nempe *obſer.22.* & BARBETT. *in Chirurg.* Cæterum præparationes variant. Inflammatione propriè ſic dicta à cauſa interna applicatur ſolummodo pulpa: Si ſit à cauſa externa, cum pulpa ſimul applicatur albumen ovi, quæ benè invicem miſta & agitata imponuntur oculo, dolenti. Si adſit limpha corroſiva in oculo addatur tutia præparata, quæ abſorbendo acrimoniam lymphæ temperat, & corrigit: quâ ratione etiam in epiphora doloroſa applicari poteſt.

Poſt oculos fit etiam ſubinde, ut aures graviter doleant in

OTALGIA.

Otalgia.

Idque ratione membranæ internæ meatum aurium inveſtiente.

CAVSA quæ dolorem aurium infert, eſt vel *inflammatio*, de qua jam ſuperius ſuo loco dictum fuit, cum qua aurium inflammatione conjunctus eſt ſenſus ardoris & ſenſus pulſationis. Præter inflammationem verò etiam cauſa otalgiæ eſt *humor acris & ſalſoſus* membranam internam pungens & nonnunquam corrodens. item lympha vitioſa & acore nimio imprægnata in catarrhalibus affectibus. Imò etiam iſte humor, ex quo naturaliter concreſcunt cerumina, ſi fuerit nimis acris, aut in ſuo motu impeditus, aurium dolores infert. Dixi humor ex quo naturaliter concreſcunt cerumina. Nam utut hæc ipſa ſint ſub forma ſpiſſiori flaveſcente, & in adultis amareſcant (unde egregium adeò ſunt vulnerarium & ulcerarium) in infantibus verò dulceſcant, tamen eorum geneſis eſt ex quodam humore: id quod patet ex eo, ſi quis cerumina aurium expurgans cum ſtylo altius intruſo vellicet membranam, hinc digitum immittat, illum humore tenui humectatum extrahet. Imò ſi copioſius fluant in aures, apertè percipitur ſenſus fluxionis. Hinc ad exteriora auris effuſus per aërem reſolutus tandem inſpiſſatur in ſordes craſſas, quas nos *cerumina* vocamus.

Ab his cauſis ſi oriatur dolor aurium, is percipi ſolet ſine ullo ardore, item ſine ulla pulſatione, quin tantùm dolor acutus & quaſi perforans & pungens in auribus percipi ſolet.

3. Sunt *vermes* vel in aures irrepentes, vel etiam interdum in ipſis auribus geniti, qui non rarò atroces dolores aurium inferre ſolent.

EX MODO DICTIS FACILIA SVNT SIGNA.

Nam uti videre eſt dolor aurium patet ex relatione ægri. Quoad cauſas: ſc. ſi ſit ab inflammatione, adeſt dolor pulſatorius, ſubinde etiam auris externa rubet. In reliquis cauſis ſi ſit ex affectibus catarrhalibus ſimul concurrunt ſigna catarrhi ſive lymphæ vitiatæ, adeſt capitis gravitas, ſi ſit alia ex cauſa per modum doloris, qui nunc eſt acerbior & gravior, nunc remiſſior, &c. item per diuturnitatem ſe manifeſtat.

QVOD ATTINET PROGNOSIN

Aurium, dolor imprimis inflammatorius admodum periculoſum malum eſt: Nam deliria, cerebri affectus interdum etiam mortem infert, idque eo magis, ſi in profundo hæreat dolor, & magis afficiat nervum acuſticum. Juniores ſæpius aurium inflammatione: Senes verò aliis eorundem affectibus laborant, & in iis majus periculum imminet quàm in ſenibus.

QVOAD CVRAM

imprimis diſtinguendus eſt dolor inflammatorius aurium ab aliis eorundem doloribus. De inflammationibus ſuperius dixi.

In genere dolorem aurium ſiſtunt fomenta facta ex radice althææ, ex ſemine fœni græci, ex flor. chamomill. melilot. ex Betonica applicata. Conveniunt etiam ol. ovorum, chamomillæ. rutaceum, item cancri fluviatiles in ol. incocti. Item in dolore inflammatorio ol. roſarum cum pauco camphoræ, fol. Nicotianæ vel recentia parum contuſa applicata vel ſpiritu vini humectata, aurium dolorem promptè ſedant; ol. Aſellorum ſeu aſelli bulliti in ol. Nympheæ præſtans faciunt medicamentum in quocunque aurium dolore etiam inflammatorio. Loco ol. aſellorum vix inferius eſt ol. Scarabæorum, ſi ſcilicet ſcarabæi injiciantur in ol. roſarum, coquantur, & cum expreſſione percolentur: optimè convenit

convenit in quocunque aurium dolore in ſpecie inflammatorio. Expertum etiam eſt remedium ol. ſcorp. ſi ℥j. miſceatur cum ℥ß. ol. amygdalarum dulcium vel amararum. Hæc enim duo olea auribus decumbente ægro ſuper aurem ſanam mirificè conferunt. NB. probatum. In dolore aurium ubi aut adeſt inflammatio aut metus eſt, ne inflammatio ſuperveniat, optimè præſcribitur hocce:

℞. Succi ſempervivi majoris ℥ij.
Ol. Scorpion.
Lumbricor. terreſtr.
Chamomillæ ana ℥j.

M. & inſtilletur, aut ſaltim cum bombace his oleis intincto auris obturetur, egregiè confert ejuſmodi dolori. Porrò oleum amygdalarum & ipſum egregiè convenit. Quidam ſingulariter commendant, non tantum ad dolorem aurium, ſed etiam ſimul ad ſurditatem bulbum, ſeu cepam radicis, panis porci ſeu cyclaminis: Hanc excavant & implent oleo lil. alborum aliove appropriato, relinquunt ad ignem, uſque dum fuerit benè cocta, poſt coctionem integram radicem benè exprimunt, & de liquore expreſſo aliquot guttas auri dolenti cum goſſypio immittunt, quod mirè commendant. Ubi verò vel nulla adeſt ſuſpicio inflammationis, vel nullum ejuſdem ſignum apparet, præter dicta (nam hæc conveniunt in omni aurium dolore) imprimis ol. deſtill. vegetabilium conveniunt, quæ inter ſunt ol. deſtill. origani: convenit itidem ol. Caſtorei, item decoctum Caryophyllorum in vino auri inſtillatum commendari ſolet, quando & urina pueri aut ejuſdem ſpiritus in aurem inſtillatus: In tali caſu egregiè convenit liquor, item ſpiritus otalgicus MYNSICHTI, qui eſt egregius ſpiritus & optima compoſitio: aut ſpiritus otalgicus BARBETTE in *anatome practica*, cujus hæc eſt elegans compoſitio:

℞. Ovorum formicarum majorum No. C.
Caſtorei
pulpæ colocynthidos.
Majoranæ,
Sabinæ,
Abſinthii,
Rutæ ana Mj.
Seminis Cumini,
aniſi,
Carvi,
Fœniculi ana ℥iij.
Baccarum Lauri excortiſcatarum
Juniperi ana ℥ß.
Corticis mali punici ℥vi.
rad. helleb. nigri,
Cyperi rotundi,
Raphani minoris,
Cyclaminis ana ℥j
Ceparum mediocrium Nō. vii.
amygdalarum amararum ℥ij.

Infundantur in ſpiritu vin. q. ſ. & hinc extracta Eſſentia auribus inſtilletur, vel ſpiritus vini prius per balneum abſtrahatur. Hic ipſe non tam in obauditione à quacunque cauſa ſine inflammatione, ſed etiam in tinnitu aurium, item in ſurditate eſt egregius, ſi 2. vel 3. guttæ inſtillentur, & poſtmodum auris obturetur cum bombace moſchato aut ambrato (nam & hæc admodum commendantur in aurium affectibus, de quo poſtmodum.)

Ubi dolor eſt nimis acutus, cum ſpiritu hujuſmodi otalgico aut alio tantillum Laudani opiati diſſolvendum & inſtillandum eſt. Interdum fumus Tabaci auribus inflatus antiquos & inveteratos dolores promptè ſedare ſolet. Denique oleum è ligno Coryli deſtillatum: item oleum ligni buxi acerbiſſimos aurium dolores ſubitò ſiſtit.

Ad dolorem aurium intenſum affligentem ſubinde unà cum odontalgia ceu expertum hoc commendat *Emplaſtrum* FORESTUS *lib. 12. obſ. 1.*

℞. Cepam j. ſub cineribus calentibus coctam.
Ol. Chamomelini ℥ß.
Butyri recentis.
Ol. anethini ana ℥ß.

Croci ℈j. M. & imponantur contuſa auri affectæ, quo cataplaſmate aliquot tales acerbiſſimos aurium dolores conjunctos cum odontalgia feliciter curavit. Sed olea ſcorpionum & aſellorum inſtar omnium ſufficere poſſunt.

Sin dolor aurium ſit à vermibus, opera danda eſt, ut iidem aut extrahantur, aut intus enecentur, & ita propellantur.

Extrahuntur vermes per lac tepidum auribus cum ſpongia aut linteis applicatum, dulcedine enim lactis allecti vermes ſubinde prodeunt: quâ ratione etiam pomum aſſatum dulce iſtis applicatum vermes allicit: aut etiam lac infundatur in aurem, nam & ſic vermes provocantur, uti refert PANAROLLUS *pent. 4. obſervat. 27.* Si hoc non ſufficiat, inſtilletur in aurem ſuccus abſinthii, ſuccus Centaur. minoris, ſuccus cucumeris aſinini, ſuccus foliorum perſicorum. Item ole. nucleorum perſicorum, item ole. amygdalarum amararum, item ole. diacolocynthidos QUERCETANI & ſimilia, quibus nonnunquam tuto aliquantulum de mercurio dulci addi poteſt, v. gr.

℞. Olei nucleorum perſicorum expreſſ. ℥j.
Diacolocyntidos Quercetani ℥ß.
Mercur. dulcis gr. vi.

M. Probè inſtillentur auribus contra vermes. Elixyr proprietatis ratione myrrhæ & croci, ſi 2. vel 3. guttæ inſtillentur auribus, etiam conducit ad evacuandos vermes. Vel

℞. Aloës,
Myrrhæ ana ℥ij.
Colocynthidos ℥ß.
Summitatum abſinthii Mß.

Coquantur in vino pro injectione in aurem.

Suffitus myrrhæ auribus receptus, & ipſe vermes evocat: Item infuſum ſeminis Nigellæ in aqua vitæ ſeu ſpiritu vini cum bombace auribus applicatum, multos vermes eduxit, uti hoc obſervat SCHENCKIUS. Pro vermibus aurium commendat AGRICOLA ſequens unguentum.

℞. Sal Jovis (ſal ſaturni)
Cerumina aurium & cum oleo nucis coryli expreſſo ana,

cujus felicem uſum expertus eſt contra dolorem aurium. Aliàs etiam ol. deſtillatum corylinum omnes vermes aut enecat aut expellit ex auribus.

Suffimigia amara conjuncta cum antimonio ore & naribus excepta expulſerunt 11. vermes per aures, obſervante SALMUTH. *cent. 2. obſervat. 39.* Quo facit etiam unguentum HARTMANNI ex pinguedine capi, olei corylini gr. ij. & ex mercurio præcipitato aut dulci. Nam & hoc egregiè aut enecat aut expellit vermiculos: Item fieri poteſt ſuffitus ex ſemine hyoſcyami formati cum cerâ in candelas parvas, quæ candelæ carbonibus injectæ ſpirant fumum, qui auribus exceptus mox vermes expellit.

Quod ſi fortè in aurem irrepſerit *hirudo*, tunc ſubitò perfundatur auris externa ſanguine recenti: Sic enim ad ſanguinem properant hirudines, & ita egrediuntur, qualem hiſtoriam habet BARTHOLINUS *cent. 4. hiſtor. 74.* Quod ſi *pulex* ſe in aurem inſinuaverit, commendat RIVERIUS globulum ex pilis caninis compoſitum, cum ſtylo in aurem immittendum: pulices enim ſubitò pilis ſeſe jungunt & extrahuntur.

Dolent præthereà frequenter *articulationes* quælibet in affectu

Arthritis. ARTHRITIS dicto in genere, quæ in ſpecie, pro articulorum varietate, *in pedibus podagra, in genubus gonagra, in manibus chiragra, in dentibus à Strobelbergero odontalgia, in coxendicis articulis iſchiadicus morbus* ſeu *dolor* appellatur. Præter quas partes tamen & *ſcapulas & vertebras colli* & interdum *ſternum* occupat; imò obſervavi in ſene admodum podagrico, & *alteram naſi* quaſi *medietatem* fuiſſe affectam. *Arthritis ferè per paroxyſmos affligere ſolet*, extra quos, niſi in inveterato malo ſatis commodè habent ægri. *Quoties imminet paroxyſmus*, alvus ferè ſegnior evadit, ægri *moleſtiam* quandam haud benè explicabilem *circa præcordia* ſentiunt, conſuetum *excrementum* intra pedum digitos *non reperitur*, & circa articulos *tenſio* percipitur. Hinc ſupervenit *dolor circa articulos*, qui in incipiente podagra, utplurimum pollicem pedis majorem unius, hinc & alterius pedis ſucceſſivè occupat, hinc repetente aut procedente crebrius malo, alia etiam loca ſucceſſivè, *genua*, hinc *brachia*, occupare ſolet. *Dolor*, quem percipiunt ægri, ferè *triplex eſt, pungens, lacerans* & *pulſans*, plus minus tamen intenſus & interdum ſimul accedit cum *tumore* ſimul *eryſipelaceo* in *Arthritide calida*, in qua etiam arthritide omnia ſymptomata ſunt atrociora, ſed ſimul paroxyſmi ſunt breviores quàm in *podagra* dicta communiter *frigida*, in qua dolores remiſſiores, & *tumor* plus minus *œdematoſus* cum nullo vel levi ſaltem robore affligit, diutius tamen perſiſtente paroxyſmo, nec tam facilè evaneſcente tumore. Ægri utplurimum *anxii* ſunt *circa præcordia* in paroxyſmo, præſertim in incremento ejus, minus in ſtatu; conqueruntur ægri de *ardore ſeu æſtu* circa regionem ſtomachi, hinc frigida appetunt, item de graviſſima ſiti & anxietatibus præcordiorum, ſtomachi monſtrando regionem, quæ fiunt eò graviores, quo minus potu ſe onerant. *Appetitus* penitus eſt *proſtratus*, *clyſmata* autem & blandè *laxantia* optimè *anxietates has leniunt*. Subinde accidit, ut cum crebrius repetito, ſed inani *vomendi conatu* affligat, ſicque anxietates inſigniter exacerbet; imò obſervavi, quod cum *lipothymiis* gravibus ſubinde repetentibus paroxyſmus in principio & incremento ægros, præſertim inveterato malo laborantes vexaverit, quæ pathemata tamen in ejus ſtatu, dum dolores & tumores increverunt, & plures partes occupatæ fuerunt, penitus remiſerunt. Accedit ferè ſemper *febris ſymptomatica continua*, non adeo quidem acuta, minus tamen in principio paroxyſmi affligens, mitius in ſtatu, quàm ad febrium catarrhalium naturam accedere aſſerit *Sylvius lib.4.*

Hæc ipſa *ſymptomata* etiam *in dolore iſchiadico* ferè occurrunt, ubi *dolor* præter hos, & in articulo, ubi femoris caput inſeritur *coxendici*, imprimis percipitur, etiam *clunes ſeu nates* hinc intra oſſis ſacri & lumborum regionem plus minus occupans; quin nervorum & membranarum connexarum & deorſum protenſarum ratione, inferius verſus *ſuram & pedem* uſque & ad extremum malleolum tandem extenditur, *nectoque* ferè *gravius affligit*, & quia partes primario dolentes in profundo, ſub tegmine copioſorum muſculorum deliteſcunt, ferè nulla intrinſecus mutatio facta conſpicitur.

Sæpius equidem *dolores* alii iſtam *ſuperiorem cruris & coxarum regionem occupant*, & ſubinde pertinaciter affligunt, non tamen præciſè dolorem iſchiadicum conſtituunt. Conf. *Senn. Tr. de Arthrit. cap.6. p. 45.* Quod ſi crebrius redeant paroxyſmi, ac pro more vehementius affligant, inſigniter *debilitantur articuli*, ac *motus* eorum multum imminuitur, adeò ut tandem ad *paralyticam* quaſi *conſtitutionem* redigantur, flaceſcant ſimul, & in nutritione deficiant, ſubinde laxentur. Interdum circa articulos contrahuntur & *rigida* manent *membra*, aut ſaltem intra articulos cõtracturæ ſeu *tophi & nodi* colliguntur, qui motum articulorum impediunt.

Iſchiadicus dolor ſpeciatim ad *claudicationem*, nonnunquam *coxæ laxationem*, aliquando cruris *atrophiam* diſponit. Imò ſi inveteratum fuerit malum, præſertim ſi in paroxyſmi declinatione ſudores neglexerint ægri, pertinacia in articulis veſtigia relinquit arthritis, adeò ut levi occaſione & vel fortiore ſaltem articuli motu & agitatione mox nonnihil recrudeſcat, aut ſaltem punctionibus ſupervenientibus ſe manifeſtet.

Pars affecta erit pars admodum ſenſilis circa articulos ſaltem ſituata, adeoque nihil aliud, quàm *membranea ligamenta*, ipſos articulos vincientia & colligantia. Quin imò his affectis ipſum *perioſtium* in locis oſſium articulationi proximis pati ſimul, probabile videtur ex acerbitate lacerante doloris, in profundo imprimis ſiti & apparenter oſſium capita immediatè iafficientis. *Sed quod articulos in ſpecie afficiat*, videtur eſſe ex *ſynovia*, ſeu *aqu. glareoli, das Sliedermaſſer*, quæ eſt ros dulcis chyloſus ſeu alkali temperato turgidus, qui ceu nutrimentum ligamentorum & membranarum, ipſorumque forſan oſſium, abundans intra articulos collectus pro motu facilitando & inſtar axungiæ oblinens oſſium articulationes Hoc ceu appropriatum ſpecifici arthriticorum acidi objectum inquinari imprimis ſolet, quo facto mox varia circa articulos pathemata ſuperveniunt, dum *partes vicinæ membranaceæ* neceſſariò *rodi* incipiunt, hinc ſucceſſivè ſynovia iſta ab acido peccante inſtar albuminis ovis ſpiſſari, & tandem in *cretaceam* ſeu *gypſeam ſubſtantiam* coagulari ſolet, ut patet ex *tophorum* ſeu *nodorum* intra articulos collectione, qui inciſionis via exempti *calceum & gypſeum tophum* omnino repræſentarunt, & effectum, non cauſam arthritidis conſtituunt, quorum tophorum examen chymicum vid. in *Kerkring. Spicileg. obſer.28.*

QVOAD CAVSAM EFFICIENTEM omnium optimè eadem *in Tachen. Morborum Principe* expreſſa & explicata videtur; nempe *acidum vol. ſpirituoſum*, ſui tamen generis ſeu ſpecifici ſaporis, ſpiritui influo maritatum ſynoviam imprimis & partes vicinas membranaceas inquinans & affligens, primarius tortor eſt. *Prima acidi ſpirituoſi origo* eſt ex primis viis, quam potius ex depravata digeſtione prima cum *Tachenio*, quam ex Pancreate aut glandulis cum *Sylvio* derivare placet, adeoque non in pedum articulis ipſam podagram eſſe rectè dicitur, ſed ejus ſolum fructum, cujus radix habitat in ſtomahi fermento vitali, ita ut licet dolentem pedem abſcideris, podagram proinde non ſanaveris. *Quod ſi maturè non occurratur malo*, acidum illud ſpirituoſum furtivè & ſucceſſivè acido ſtomachi fermentativo ſe aſſociat, donec *fermenti* more pedetentim hoc ſuperet, ita ut impoſterum nec naturali nec artificiali ſeparationi obediat, adeoque inveteratum incurabile ſit, ut eleganter loquitur *Tachenius c. l. p. 438.*

Hinc nempe 1. *hæraditaria* obſervatur *podagra*, cum ſpiritu influo genitali odore acido podagrico communicato fœtui. *Nobilem curavi juvenem*, qui ab ineunte 8. ætatis anno ſæpius podagra correptus fuerat, quod parens ejus & ipſe inſigniter podagricus in ipſo paroxyſmo eum genuerat. *Hinc* 2. *etiam animi pathematibus gravioribus* aut *diuturnioribus* curata obſervatur podagra, ut *ſubitanea conſternatione*, aut *ira* inſigni aut *mœrore* diuturno, ut in divitibus vel pauperioribus factum. Conf. *Barthol. cent.6.hiſt.28. Lotich. obſerv.p.489. Salmuth. cent.1. obſ.48. Tachen. Morbor. princip. p. 356.* quò etiam pertinet *textura ex Hildan. cent.1. obſ. 79.* Nempe perturbatio animi & ſpirituum peculiaris motus ac alteratio extinxit *fermentum podagricum*, aut ſaltem plus minus alteravit illud, principaliter quidem in ſtomacho primariò, qui cum reliquis præſideat digeſtionibus, & has exinde alterari neceſſe eſt, vid. *Tachen. c.1.p.357. 360.* quantum nempe animi pathemata fermenti digeſtivi & hinc digeſtionis primæ negotium alterent; quo etiam *confidentiam ægri erga Medicum* vel remedia pertinere per ſe notum eſt. *Hinc*

3. *utpluri*

utplurimum etiam arthritici nephritici eſſe ſolent, eodem acido ſpirituoſo utrobique authore. *Hinc* 4. *lacticinia*, modernorum methodo, ſed continuato uſu, ut invertantur quaſi humores corporis ſpir. & fermentum digeſtivum, curant arthritidem. 5. *Vini abuſus* vol. acidi ratione ſpir. imprimis afficiens plures in hoc malum præcipitat. *Obſervanda tamen differentia inter vina*, dum ea quæ plus de Tartaro vel acido facilè fermentante in nobis continent, nocentiora ſunt. Quo alia vegetabilia plus minus tartarea pertinent, ut rectè aſſerit *Glauberus*. *Hinc* 6. *abſtinentia vini* èontra quoſdam ab arthritide deliberaſſe obſervata eſt. Vid. *Sennert. c.l. pag.* 15. Sic *Lotio. in obſ. p.* 88. refert. podagram ex abſtinentia per integrum annum ceſſantem, ſed hujus copioſa ingurgitatione recidivantem.

Ex eo eſt, quod in arthritide producenda *tria iſta* vulgo nota ceu *cauſæ remotæ principaliores* conſpirare videantur, dum *Bacchus* ceu *Pater* vini, quo innuitur nocivum acidum, ex nimio abuſu à fermento ſtomachico minus debitè ſuperabile ac corrigibile: *Venus* ceu *Mater*, quatenus repetito congreſſu poſt copioſos ſpiritus influos, chylo temperato alkalino prædives ſub genituræ forma ſuccus nutritius excernitur, & hinc nervoſum ſyſtema inſigniter debilitatur: & *ira* ceu *obſtetrix*, commovendo contenta corporis & ſpir. & acidum volat. in nobis augendo, adeoque & ſpir. influos aſperiores reddendo, in producendo arthritidis fœtu occupata rectè dicuntur. *Dictis ex cauſis & viri magis, quàm fœminæ arthritidi obnoxiæ* dicuntur, cum ex *Hipp. ſect.* 6. *aph.* 26. mulieres non laborent podagra, niſi menſes deficiant: Utut hodie contrarium experiri liceat, cum ſecundùm *Senecam* non natura, ſed vita mulierum mutata ſit.

Par ratio eſt *Eunuchorum* quos nec podagra laborare, nec calvos fieri olim *Hippocrates* pronunciavit. It. *puerorum*, quos ante veneris uſum non laborare podagra aſſeruit. Quæ ita quidem ſub priſci ævi innocentiâ & temperantia obtinuerunt; hodie verò ex parentum & avorum vitiis ipſa progenies adhuc vitioſior nata, & ulterius exorbitans dictorum veritatem eludit. Non ſecus ac *Ciconia* inter podagræ remedia relata, tamen & ipſa podagrica obſervata in *Actis Haffn. vol.* 4. *p.* 154.

Scorbutici quoque admodum obnoxii ſunt podagræ, quæ ſubinde eos atrocius affligit. Curioſum eſt, quod *contagioſa* interdum obſervata fuerit à *Bartholino Hiſt. Med.* 9. idque mediantibus veſtibus in *M. A. N. C. Ann.* 6. *pag.* 205.

Acido igitur arthritico ſpirituoſo cum ſpiritibus quavis occaſione inſignius commoto, quod v. g. in motu corporis aut animi, aëre frigido, humido, pororum aperturam debitam prohibendo, poſt efferveſcentiam in ſanguine febrilem imprimis ſe inſinuat ſynoviæ, & hujus medio articulorum loca affligit, & cum hac ipſa ſimul aliqualem probabiliter efferveſcentiam facit; donec acido ſpirituoſo maximam partem ab eadem intra articulos ſuſcepto, ulterius illa ſpirituum & humorum ceſſet agitatio, ſed in articulis malum adhuc hæreat, non citius ceſſans, quàm acido ſpirituoſo ſaturato ab alkali & in ſalſum volatile mutato; hinc dolore ceſſante fibrarum contractura ceſſat, & pori aperti magis liberiorem tranſpirationem permittunt, quo facto omnia reliqua ſymptomata abſunt.

Sed obſervandum crebrius vel recurrentes paroxyſmos vel diutius articulos affligentes relinquere ſui *veſtigia*, h. e. ultra partis dolentis debilitatem, ex ſpirit. inſiti aliquali deficientia; obruti plus minus à ſpirituoſo acido peregrino & fibrarum nervearum relaxato tono, ipſis partibus membraneis ſolidis antea dolentibus infixa permanere de acido peccante occulta ſpicula, quavis & facili occaſione ac motu in actum doloroſum excitabilia & ſpirituum reliquorum hinc facta commotione paroxyſmum novum provocantia. Nempe ex acido iſto podagrico, imprimis in fermento digeſtivo ſtomachi commoto, & hinc totum corpus penetrante anxia iſta præcordiorum pathemata originem ducunt. *Patet autem ex dictis*, utut in quovis paroxyſmo *debilitentur* plus minus articuli ſeu *partes ſolidæ*, fluidas tamen tam *humoroſas* quàm ſpirituoſas eo ipſo quaſi *depurari*, ſi quidem non tantùm acidum illud ſpirituoſum ſpiritibus ſatiatum, dum ſynoviam inquinat, illorum ſpirituum conſortium plus minus deſerit, ſed etiam ſubinde alia maſſ. ſang. heterogenea fermenta, febrili efferveſcentia ſecreta, nunc unà circa loca dolentia colliguntur, ex fibrarum partium dolentium contractura; nunc per ſudorem excernuntur *in declinatione*, ſicut *in incremento* hi ipſi moderatè proliciti maturant articulorum ab acido podagrico invaſionem, & hinc abbreviant inſigniter paroxyſmi tempora.

Hæc ipſa etiam patefaciunt, quare tam varia & mirabilia pathemata ſubinde accidant, acido podagrico alias partes ac frequentiſſimè nervoſos plexus occupante extra articulos, quæ omnia ſuperveniente paroxyſmo ceſſant, vid. *M. A. N. C. Ann.* 6. *pag.* 307. Sic Arthritidem in *Colicam* & contra mutabilem refert *Caſtro*; *Epilepſiam* gravem notat *Lotichius*; ſicut paroxyſmo non ritè procedente, nec acido volatili ſufficienter excluſo, vel ob internarum partium defectum ſpiritibus iſtis languentibus & acido podagrico nimis in contentis corporis dominante, vel ob externorum ineptam applicationem; tam diuturna *virium proſtratio* & languor & *appetitus dejectus* ſuperſunt: Interdum *palpitationes cordis*, ſæpiſſimè *tuſſes ſiccæ*, aut ſæpius adhuc *aſthmata occulta convulſiva*, ſubinde ipſa mors ſuperveniunt.

Quoties arthritici, quibus plures articuli alias occupari ſolent, paroxyſmo corripiuntur, qui non more conſueto ſucceſſivè articulationes iſtas quoque occupet (niſi per curam præſervatoriam malum plus minus in radice mitigatum fuerit) ii l. diutius languidi permanent, vel brevi poſt novo paroxyſmo corripiuntur, vel alius gravioris morbi, aut etiam mortis ipſius periculum ſubeunt: Id quod notavit etiam *Sennertus de arthritide cap.* 4. ut & *Hœferus Hercul. Med. p.* 222. Hinc *in podagricorum* vel leviter confirmatorum, & *aliis morbis* correptorum cura *ad acidum podagricum ſimul reſpiciendum* venit, quod in omnibus aliis morbis ſymptomata intendere & morbum vel graviorem aut contumaciorem reddere ſolet, idque tamdiu ferè, donec vel ipſum vi naturæ aut artis correctum fuerit, aut artus occuparit, quo facto omnia remiſſiora & leviora mox apparere ſolent.

EX HACTENUS ENARRATIS PROGNOSEOS maxima dependebit ratio. Nam 1. *Arthritis morbus lethalis non eſt*. Sæpe enim arthritici *diu vivunt*, ſeneſque fiunt, unde quibuſdam (*eine geſunde Kranckheit*) dicitur, & potius ex podagra deficiente, quam eadem ordinaria ratione ſuperveniente moriuntur.

2. *Curatio ejus* perquam *difficilis eſt*, tam *in* quàm *extra paroxyſmum*, idque eò magis, quo magis *inveterata fuerit*. Hinc quoniam ſæpius in primis paroxyſmis negligitur, facilè ſucceſſivè incurabilis evadit. *Rhumelius* eleganter diſtinguit inter *podagram hæreditariam*, *nodoſam* & *ſolutam*: & *hanc* curabilem, *illam* incurabilem ait. Sed tamen in *ſoluta*, niſi recens, ſubinde inter incurabiles refertur. Inter omnes arthritidis ſpecies *Iſchiadicus dolor* graviſſimus eſt, nihilominus tamen *in principio* facilius, quàm cæteri curari ſolet, ſicut *in progreſſu* æque rebellis eſſe ſolet.

3. *Si in arthritide contingat luxatio*, difficulter ſanatur, aut prorſus inſanabilis eſt, membranis & ligamentis nimis laxatis, repoſitum membrum *membranis & ligamentis* non firmantibus; ut taceam intra articulos ex ſynovia coagulata collectam materiam curam impedire. Hinc *Hippocr. ſect.* 6. § 59. quibus diutur

diuturno coxendicum dolore infeſtatis coxa excidit, "
rurſumque incidit, iis mucores ſuperveniunt. "

4. *Si dolores* ſenſim ingraveſcentes *ad jugulum* & ſuperiores partes tranſeunt, perniciem minantur. Item *quò plura* & frequentiora conveniunt *ſymptomata*, eò difficilius curatur, ut fit quando ab externis repellentibus aut ſtupefacientibus ægri in anxietates, lypothymias aut alia mala incidunt.

5. *Solvitur arthritis* ferè 4. *modis*. (1.) Ordinario ferè in totum finito paroxyſmo *diſcutitur* morbus in articulo, ut nullum ſui relinquat veſtigium, niſi ſucceſſu temporis superveniant tophi. (2.) Rarum eſt, quando tumor podagricus *in materiam iſchoroſam* aut ſaniem purulentam *mutatur*, quæ partibus intercutaneis eroſis foras exſudat. (3.) Quando *tophi* poſt paroxyſmos *relinquuntur*. (4.) *Quando incipiens paroxyſmus* ſua tempora non abſolvit, aut planè deficit, acido podagrico *alias partes extra articulos occupante*, id quod peſſimum eſt, & mille mala poſt ſe trahit.

QVOAD CVRAM DVO reſpicienda ſunt *tempora*. 1. *Tempus paroxyſmi*, ut curetur. 2. *Tempus extra paroxyſmum*, ut præſervetur.

Quoad paroxyſmi tempus, cum in hoc imprimis *motus naturæ* vigeat, cujus impetu excitatur, unde ex deficiente naturæ robore deficientibus paroxyſmis ægri in periculoſo ſunt ſtatu, ob id non ſiſtendus, ſed *promovendus*, impedimenta removendo, acidi ſpecifici vim maturè infringendo, urgentia nimis *ſymptomata* mitigando, ſemper ſimul pro legitima mediorum adminiſtratione 4. particularia membrorum tempora attendendo, adeoque

I. *Ingruente podagra vomitus* convenit, ſed præmiſſo uſu *lap. cancr. præp.* Nam acidum ejus oritur in ſtomacho, hinc imminente podagra appetitus ſine manifeſta cauſa eſt proſtratus, & ſudores conſueti aliàs ſpontè ſupprimuntur. De quo *vomitus* uſu vid. *Sylv. l.* 4. *cap.* 8. §. 152. & 156. *Sin minus vomitus inſtitui queat*, *purgantia blanda*, ſed miſtis temperantibus acida, v. g. *oſſibus hum. præp. vel calcinatis*, &c. conducunt, aut *pilulæ aloëticæ appropriatis* propinentur, ad imitationem *Tachenii p.* 439.

II. *Opiata ſolùm nunquam proficua* nec *internè*, nec *externè*. Sic enim malum contumacius reddunt, utut dolores emittant, motumque naturæ impediunt, & ut vocant: *Arthritis denuo in corpus introducitur*. Imò *abuſus opiatorum* ad paralyſin arthriticos diſponit, vid. *M. A. N. C. ann.* 4. *p.* 335. adeoque cautè uſurpentur, nec niſi præmiſſis univerſalibus, nec niſi adjunctis *purgantibus*, aut *ſudoriferis*, aut *ſpecificis*. Suſpicor tamen commodè propinari poſſe eadem ingruente paroxyſmo, præmiſſo vomitu cum ſpecifico ſudorifero. *Quoad miſtionem cum purgantibus* illuſtrant hoc *pilulæ antipodagricæ Rhumelii*, quas vocat: *Veni amice*, *ſurge & ambula*. ℞. Maſſ. pilul. aloephang. ℥ij. laud. op. ʒß. M. F. Pilul. divid. in partes 4. æquales, cujus una pars in vino aſſumenda, & 3. vel 4. horis jejunium imperandum. *Conf.* etiam quoad opiatorum uſum *Velſchium Hecat.* 2. *obſ.* 27. *Miſtio verò cum diaphoreticis* etiam vulgo nota eſt.

III. Sicut ergo *diaphoretica opiatis* maritata *intra paroxyſmum*, ſic *diuretica extra paroxyſmum* in *cura præſervatoria* ſunt optima, quæ duo in plurimis conſpirant, ita ut unum alterum ſublevet; *Vtrobique* ergò poſſunt *alkalia* tam *fixa* quàm *volatilia*, acidum podagricum & corrigentia & correctum eliminantia. Imprimis verò *diuretica* tam *in præſervando* quàm *curando* ſunt optima, magis tamen in *præſervando*, & ſpeciatim nulla *purgantia*, nulla violenta *ſudorifera* tantùm valent, quantum *appropriata diuretica*, imprimis *volatilia*, qualia ſunt *ſpir. ſal. ammoniaci*, *ſpir. carminativus de tribus*, qui aliquoties multum præſtitit in abuſu vini, ad præcautionem variorum malorum, quatenus urinam movet. Sic egregia *lumbricalia* in *podagra* ad *diureſin*, item *arcanum duplicatum Mynſ.* præmiſſis fixis eſt nobile. Hinc *ſcarabæi*, ſpeciatim unctuoſi, nobile ſuggerunt remedium ad *podagram* per urinam, utut cum doloroſâ ſtranguriâ operentur. Vid. *Borelli cent.* 4. *obſ.* 24.

IV. *Extra paroxyſmum* porrò *diæta* exactiſſimè eſt obſervanda arthriticis, quam præ aliis commendant maximoperè Recentiores. Sicut enim hæc neglecta fœcunda podagræ mater eſt, ita obſervata eadem hunc ſuum fœtum abortivum rurſus abolet. In ſpecie verò *diæta ſudorifera* & *diæta lactea* hìc remedii vim obtinent, cum funditus iiſdem podagra eradicata ſit. Antiquis *illa* magis in uſu fuit, *hæc* verò Modernis, ſicut de hac poſteriori vid. *Greiſelius*, qui integrum Tractatum edidit *de cura lactis in arthritide.* Cui ſociari poterit *diſputatio* lectu digniſſima *de cura lactis podagricorum ſolatio*, à D.D. *VValdſchmidio* Marpurgi nuper habita, ubi aliquot hujus rei experimenta videbitis.

Remedia quod concernit, eadem prorſus hìc conveniunt, quæ ſupra de doloribus in genere ſunt laudata, varia nempe *nervina*, *aromatica* & *volatilia*, *calefacientia* vulgò dicta, quæ *ſale* ſuo *volatili* acidum podagricum invertere & per tranſpirationem inſenſibilem eliminare ſolent; quibus in ſpecie ſemper adjungantur *ſpecifica* & *appropriata*, *chamædris*, *chamæpythis*, *iva arthretica*, *ſpir. ſal. ammoniac. ſpir.* & *ſal vol. lumbricorum*, &c. quæ vid. in *Sennerto*, *Riverio*, *VVilliſio* & aliis, ubi & plures inde concinnatæ *formulæ* occurrunt.

Quoad *externa* fugiantur nimis *unctuoſa pinguia*, quæ poros oblinendo malum ſæpiuſculè potius exaſperant, & inſenſibilem tranſpirationem inhibendo tandem contumaces *contracturas* inferunt, unde loco *unguentorum* potius *emplaſtra* varia *nervinis* conſtantia, & *cataplaſmata calida* ſunt adhibenda, quæ ipſa tamen ſæpius renovanda, ne actuali ſuo frigore poſtmodum ſtricturam pororum inferendo malum exaſperent. Excellunt hìc *ſaponacea* & ex iis paratus *balſamus antipodagricus Rhumelii*, item *Sapo Venetus in ſpirit. vin.* diſſolutus & applicatus, ſi quidem *in forma liquida* quæ adhibentur, majorem ſæpe & tutiorem effectum relinquunt; hinc *aqu. artic. ad extra*, *aqu. calc. viv. ſpir. lumbric. ſpir. ſal. ammoniaci* & alia *ſupra* laudata, ſunt optima.

Ex *Chirurgico fonte veſicatoria ex cantharidibus* imprimis conveniunt, tam *præſervativè*, quàm *curativè*. Quin & *fonticuli* ſæpius non ſine fructu excitantur, qui ut in affectibus ſeroſis præprimis conveniunt, ita paroxyſmos arthriticos quoque egregiè præſervare ſolent. Quo & *cauteria* tam *potentialia* quàm *actualia* referenda, & hæc inter *moxæ Siniticæ* inuſtio, quæ haud ita pridem ſpecificè ad hunc affectum innotuit, cui tamen & *moxam Germanicam* ſubſtitui poſſe, rectè aſſerit Dn. D. *VVedelius in M. A. N. C. Dec.* 2. *Anno* 2.

CAP. XII.

CAPUT XII.

DE LÆSIONIBUS AUDITUS.

NAm poſt tactum communiſſimus omnium ſenſus eſt auditus nocte dieque æquè vigens, modò adſit objectum, quod moveat aërem pro ſonitu

Læditur hic auditus. quando imminuitur in *obauditione* ſeu in *auditus difficultate:* Item quando omninò aboletur in *ſurditate*, ac denique quando depravatur, ita & ſoni, qui non ſunt, audiri æſtimentur in affectu, *Tinnitu* aut ſonitu aurium appellato.

SURDITAS.

Surditas. Imminuitur aut aboletur AUDITUS

1. Vitio auris externæ, ſi ſcilicet hæc ſit abſciſſa vel alio modo læſa: nam ſonus tunc tantum obſcurus & raucus percipitur. Unde taliter affecti manibus cavis auribus admotis defectum iſtum reſarcire coguntur.

2. Imminuitur aut aboletur vitio Meatus auditorii obſtructi ſcil. & infarcti, quod fit non tantùm à rebus extrinſecus illapſis à piſcis, nucleis ceraſorum, &c. ſed etiam ipſa cerumina diutius retenta in auribus & indurata, ſubinde etiam imminuere & tollere valent.

3. Imminuitur & aboletur auditus vitio membranæ, Tympani vel ruptæ vel exeſæ aut exulceratæ. Credo, ſanè, & etiam probabiliſſimum eſt, quod vitiata hac membrana tympani lædatur auditus: cum certum ſit, ipſam non eſſe fruſtra conditam in meatu aurium. Nihilominus tamen HORSTIUS *in obſ. pag.* 145. obſervat Tympani membranam per abſceſſum putredine abſumptam ſine ulla tamen auditus læſione. Sicuti etiam SCHNEIDERUS *lib.* 3. *de Catarrhis p.* 402. & ipſe eandem membranam ruptam aut totam ferè excretam, nullam tamen noxam auditus attuliſſe obſervat.

4. Denique vitio nervi auditorii ſeu acuſtici læditur auditus, ſi ſcilicet hic nervus vitioſè ſit conformatus, ita ut non ad aurem internam, ſed ad alium locum derivetur, in quo ipſo ægri ab ortu ſunt ſurdi, & utplurimum etiam muti, aut etiam hic nervus eſt obſtructus, & ita ſpirituum animalium motus impeditur, à quacunque fuit cauſa, in affectibus catarrhalibus à lymphâ ſubtili ſe inſinuante, aut etiam ſubinde in morbis acutis ad ſtatum properantibus, & per hæmorrhagiam criticam finituris: aut denique ipſa membrana ſeu nervus iſte cum in membranam in cochlea & labyrintho ſe expandit, læſa auditum vitiatum infert: ſi ſcilicet fibræ ejus aut ruptæ divulſæ & laxatæ, aut alio modo vitiatæ à naturali tono remittunt. Sic enim fit, ut poſtmodum membranæ iſtius atonia inepta ſit, ut moveatur ab impellente aëre, & ita neceſſariò auditus tollitur. Sic fit interdùm, ut poſt nimis acutos ſonos homines fiant ſurdaſtri v. gr. in inſuetis ex exploſione ſclopetorum auditus ad tempus tollitur & debilitatur: quia membrana auditoria in cochleam egreſſa à forti ſonitu ita fortiter movetur, ut aut fibris laceratis aut nonnullis fibrilis ruptis, vel aliâ ratione malè affectis auditus læſionem inferat unde ſoni non percipiuntur. Hoc etiam fit, ſi membrana nimis laxetur & humectetur, ſic enim & ipſa à tono remittit, & minus fortiter à ſono poteſt moveri & percuti, & ita auditum difficilem & obſcurum infert: Id quod etiam fit in catarrhalibus affectibus.

SIGNA vel aurium obſtructarum vel vitio membranæ tympani, vel etiam malæ conformationis oborta medico per ſe patent.

Sin verò vitium obſtructi nervi vel aliud adſit; id ſola conjectura admodum difficulter à Medico deprehenditur & percipitur. Item affectum eſſe catarrhalem, ſignum ſunt alii affectus catarrhales præſentes. Item prægreſſus ſenſus, Tinnitus aurium aut etiam aurium ſonitus, item ſi ſenſus fuerit ex aliquali obſtructione. Item difficultas ſucceſſivè & inchoat & ſucceſſivè incrementum capit. In *morbis acutis* ſubitò fit ſurditas, ex quacunque etiam oriatur cauſa. Si ſit à cauſâ externâ, à caſu ſuper aurem à ſonitu gravi ex relatione ægri cognoſcitur.

SURDI *ab ortu* raro curantur, nihilominus tamen iiſdem loco aurium inſerviunt *oculi*, nam poſſunt aſſuefieri, ut ſolo adſpectu intelligant omnes loquentes, ex adſpectione nempe labiorum & linguæ, & ipſi etiam ſic poſſunt fieri loquentes.

Sic D. VVALLIS Mathematicus Oxonienſis duos nobiles Anglos ab ortu ſurdos inſtituit ſolo labiorum motu, ut loquentes intelligant, & accuratè reſpondeant. Simile exemplum habet DIGBY *in tract. de immortalitate animæ humanæ*, de nobili quodam à nativitate muto ita inſtructo, ut quoſcunque loquentes perciperet ex ſolo adſpectu etiam linguam ignotam loquentes. De hoc tractatum Anglicum conſcripſit D. BRAUN dictum Philocophos, ubi prolixè diſſerit, quomodo ſurdi poſſint inſtitui, ut voces audiant & accuratè loquantur. *Surditas in febribus* ſuperveniens urinâ exiſtente crudâ delirium grave portendit: Sin verò ſurditas in accutis & malignis febribus cum ſignis coctionis aut ſimilibus bonis ſignis conjungatur, ſæpius bonum ſignum eſt, & ipſi interdum aut hæmorrhagiæ narium aut dejectiones bilioſæ ſuperveniunt. Si ſurditati ſuperveniat delirium, pejus eſt, quàm ſi ſurditas ſuperveniat delirio. Et ſi tale delirium ſurditati ſuperveniens cum anxietate cum vigiliis aut etiam cum vomitu conjungatur, periculoſum morbum innuit. Quibus ſurditas cum gravitate capitis & hypochondriorum tenſione & oculorum ad ſplendorem perturbatione adeſt, iis hæmorrhagia narium indicatur.

QUOD ATTINET CURAM.

Hæc ipſa pro varietate cauſarum varianda. Et quidem ſi adſit ſurditas in morbis acutis, attendendus eſt motus naturæ, & quorſum eadem vergat, & talis ſurditas raro curatur à Medico, quando ſpontè ceſſat ſalutari cum eventu.

Si ſit à morbo non acuto pro varietate cauſarum varianda cura. In obturatione à cerumine: hoc emollientibus & liquefacientibus attenuatur & educitur per ſuccum abſinthii inſtillatum, & per urinam aut ſpiritum urinæ phlegmaticum infuſum: His enim liquantur cerumina indurata & fluxilia facta educuntur.

Ubi ex aliis cauſis fuerit vitiatus & imminutus auditus vel abolitus, tunc conveniunt imprimis aqu. origani cum vino deſtillata, item aqu. cardui benedict. aliquoteis à nova planta cohobando deſtillata

quod

quod fuit experimentum CRATONIS, item *aqu. fraxini*, ſcilicet iſta aqu. quæ ex ligno fraxini una medietate igni admota, in altera medietate exſtillat ſponte, & tranſudat. Talis aqua fraxini deſtillata optimè convenit in ſurditate, cum nimia aurium caliditate conjuncta, aut ſi ſurditas oriatur à cauſa calida, *aqu. picarum* cum caſtoreo, *aqu. formicarum*, *aqu. muſcarum* per alembicum deſtillata ſimiliter inſigniter conducit. *Succus Raphani*, *ſuccus cepæ* cum oleo ſuccini & amygdalarum amararum conjunctus, auribus inſtillatus inſigniter conducit. Conducit etiam *Eſſ. Abſinthii*, *Eſſ. Cardui benedict.* *Eſſ. Caſtorei*, *Thymi*, *Caryophyllorum*, item ſpiritus acuſticus MYNSICHTI, ſpiritus acuſticus MINDERERI (proſtat deſcriptio in fine *Aloëdarii*) quando & *Eſſentia ex fellibus animalium* cum ſpiritu vini paratæ, præ cæteris omnibus commendari ſolent. Sic enim *fel humanum* cum ſpirit. vini miſtum aut etiam *fel leporis*, *fel anguillæ* ſpiritui vini infuſa & filtrata, ut fiant Eſſentiæ, quarum Eſſentiarum guttæ 2. vel 3. auribus inſtillatæ, optimè conducunt: Oleum ſuccini cum oleo nucleorum perſicorum permiſtum inſigniter laudatur à LINDANO. Commendatur etiam oleum ſuccini cum felle perdicum deſtillatum.

Porrò *balſamus Peruvianus* cum ſpiritu vini dilutus, & cum goſſypio auribus applicatus, admodum laudatur. Liquor ex ovis formicarum expreſſus: ſi quid aliud mirè commendatur, aut etiam ova formicarum contrita, cum ſucco cepæ permiſta, & in aurem deſtillata, quam vetuſtiſſimam ſurditatem ſanant, auctore ZECHIO: Unde etiam *aqua Magnanimitatis* dicta, item *ſpiritus formicarum* admodum laudantur in gravi auditu.

Quidam recipiunt ovorum formicarum ℥j. fel leporis no. vj. cum duplo mellis in mortario benè trita & ſubacta auri inſtillant, & ita ſurditatem curant. Vel etiam ſola aqua ex ovis formicarum per alembicum deſtillata, in uſu eſt convenientiſſimo. Aliàs recipiunt *fel bovinum*, & *vinum Malvaticum* ana, deſtillant per alembicum: liquor, qui prodit cum goſſypio auribus imponitur. Item hoc commendatur ſimiliter contra ſurditatem, oleum ſecretum quorundam, quo ſurditas confirmata fuit, curata eſt, quod fit ex *vermiculis iſtis albicantibus*, qui in quercu intra corticem & lignum gignuntur. Horum vermiculorum diſtill. No. xx. bulliant in oleo olivarum ℥iiß. deinde excavatur radix cyclaminis, eaque repleatur vermiculis dictis cum pulv. pyrethri & coſti ana ℈j. denique oleo rutaceo, q. ſ. occludatur denuò radix cyclaminis, & ſub cineribus coquatur, cocta contundatur in mortario marmoreo, & exprimatur ſuccus fortiter. Hujus liquoris guttæ aliquot 8. vel 10. diebus aut etiam pluribus continuis inſtillentur in aurem, & eſt mirabile remedium, quod multi admodum commendant.

Verùm obſervetur, quod, quoties talia quæcunque medicamenta auribus ſunt inſtillanda, ſemper obturandam eſſe aurem, poſt modum cum bombace Moſchato aut ambrato, cum bombace, cui unum alterumve Moſchi vel ambræ granum eſt impoſitum: Solus namque talis bombax Moſchatus per ſe conducit in ſurditate. Alii miſcent ambram cum bombace, & ita auribus imponunt, quæ *ambra* per ſe eſt ſingulare remedium contra ſurditatem, & interne uſurpata & externe cum bombace auribus intruſa. Hujus enim ambræ modico Medicus Hamburgenſis aliquem reſtituit ſurditate à veneno læſum. Sic paſtor quidam ſurdus Zibetho auribus indito fuit denuò reſtitutus.

Verùm quoad hæc remedia, quæ intendnntur & inſtillantur, obſervetur. quod medicamenta oleoſa recentia non ſint immittenda, niſi prius bene abſterſa & purificata bene ſit auris. Deinde quæ ſub formâ liquorum tenuium Eſſent. aut ſpirituum auribus applicantur, fere eſſe meliora quàm oleoſa.

Denique ea, quæ immittuntur in aurem, nunquam ſint intenſe calida aut frigida, ſed tantùm tepida.

4. Poſt applicationem medicamenti æger dormiat ſuper aure ſanâ, ut ita medicamentum aurem ægram melius ingrediatur.

Præter dicta fit interdum, ut à nimio ſonitu, uti dixi, lædatur auditus, in tali caſu recipiendæ ſunt baccæ lauri, ſubigendæ, contuſæ C. pane fermentato, & ita ut reliquus panis eſt coquendus vel pinſendus, poſtmodum calidiſſime è furno eſt extrahendus, iſte panis aperiendus; & ita in loco aperto naribus admovendus, ſic enim denuò reſtituitur auditus. Sicuti etiam aliàs contra auditum læſum probatum eſt remedium, ſi panis calidus è furno extrahatur, irroretur ſpiritu vini, & ita auribus admoveatur. Quidam præparant panem cum ſemine cumini, & cum ſemine fœniculi, & iſtos panes recenter præparatos auribus admovent.

Eſſentia acuſtica & in multis probata, celebris cujusdam Medici eſt hæc:

℞. Rad. helleb. nigri ʒß.
Calam. aromatic. ℈ij.
Pulpæ colocynthidos ℈j.
Baccarum lauri excorticatarum ʒj.
Seminis cumini ʒijß.
Spiritus vini ℥iv.

Infundantur in vaſe vitreo bene clauſo, ſtent in infuſo per biduum, poſtmodum filtretur cum expreſſione factâ, cujus Eſſentiæ aliquot guttæ auribus inſtillatæ à multis expertæ contra auditum gravem.

Porrò *axungia ſerpentum* pro ſingulari arcano à quibusdam habetur, ſi ſcil. ſerpentes coquuntur in aquâ, cui ſupernatans pinguedo ſeparata cum ſpiritu vini rectificato juncta dat liquorem ſeu oleum ad deperditum auditum excellentiſſimum.

Huic non cedit pinguedo anguillæ collecta, dum anguilla pinguis in veru aſſatur; Excipitur iſta pinguedo extillans foliis lauri & colligitur, & poſtmodum in aurem inſtillatur contra ſurditatem.

Spiritus Cephalicus Anhaltinus ſeu *aqua Anhaltina* (deſcriptio vid. in SCROEDERO) fuit experimentum THONERI, cujus ſalutarem uſum idem ſæpius expertus eſt in ſurditate, idem in aurium tinnitu & ſimilibus affectibus.

Præter dicta remedia etiam ſubinde inſtituuntur *ſuffitus* aurium. Tales ſuffitus fiunt ex aſaro, ex origano, ex abſinthio & verbena, ex colocynthide & ſerpillo, ex baccis lauri & juniperi, item ex ſabina & ſimilibus. Quidam ceu ſingularem commendant ſuffitum ex decocto limaturæ ferri cum acet. deſtill. adjectis herbis cephalicis, quod decoctum inſtar ſuffitus in aures excipiatur, ſunt etiam, qui ſuffitum *florum ſulphuris* ſingulariter commendant ad ſurditatem: ſcilicet recipiunt in fundibulum, & hoc immittunt carbonibus, quibus ſulphur vivum fuit injectum, & per foramen fumum ſulphuris facie benè obvelata excipiunt in aurem, quod aliquoties reiteratum admodum commendant.

Facit hujus mentionem FONSECA *lib. 1. conſil. 15. & lib. 2. conſil. 58.* Denique fit interdum ſurditas ex *caſu* aut *percuſſione capitis*: In tali caſu *aqu. Cyclaminis* per alembicum deſtillata reliquis præfertur.

Hæc de auditu abolito & imminuto: Sequitur AUDITUS DEPRAVATUS in affectibus, quando ſoni, qui non ſunt, audiuntur in SONITU & TINNITU AURIUM. *Sonitus & Tinnitus Aurium.*

CAUSA hujus quærenda eſt in aëre iſto, qui in auris Tympano & hinc in cochlea & labyrintho continetur. Hinc naturaliter quidem non aut parum admodum movetur, ſin verò ab aëre extrinſecus moto, & hic internus aër moveatur, ut expanſionem nervi membranaceam in cochlea & labyrintho pulſet, auditus fit, quod præſuppono ex phyſiologicis. Quod ſi fiat, ut citra externi aëris motum à cauſa interna præternaturaliter hic aër moveatur, ſonitus præternaturalis, & ita vitiata auditio contingit. Quod ſi motus iſte

iſte aëris velox ſit & celer, qualis fit v. gr. quando à nervis vel chordis teſtudinis fortiter tenſis aër externus movetur: Tunc fit ſonus acutus ſeu tinnitus; ſin verò tardius & confuſè moveatur iſte aër internus, ut fit in chordâ nimis fortiter tensâ, fit ſonus gravis, obſcurus & raucus.

CAUSA, quæ movet hunc aërem, dicitur communiter ſpiritus flatulentus, vel ſunt flatulentiæ quædam aut halitus ſubtiles ex maſſ. ſang. eò delati, & aëri iſti permiſti, hi ipſi halitus in concameratis iſtis locis incluſi motu ſuo iſtum præternaturalem ſonitum & auditum excitant. Præter hanc cauſam & arteriolarum interiora aurium ſubeuntium fortior pulſatio aërem movere, & ita ſonitum peregrinum repræſentare poteſt.

Hinc enim eſt, quod in dolore capitis ex ſanguinis turgeſcentiâ febrili ſubinde aurium tinnitus adſit ex mota velocius & vehementius arteriola.

Unde etiam eſt, quod in talibus morbis acutis hæmorrhagiam narium interdum præcedat tinnitus ſeu ſonitus aurium ex ſanguine turgeſcente & efferveſcente, in locis iſtis vicinis ſtagnante & fortiter pulſante aurem interiorem & ita tinnitum inducente. Quò pertinet, quod TULPIUS *lib.* 1. *obſ. cap.* 35. obſervat tinnitum aurium ex incremento nimio glandularum, propè quas excurrit meatus auditorius. Imò ſi ex aliâ quacunque cauſa aut ex ſanguinis motu nonnihil impedita, circa loca auribus vicina, tunc fit, ut ſæpius continua & diuturna auditus fiat depravatio. Interdum etiam percuſſionem auris externæ tinnitus ſubſequi ſolet. In quo caſu vitium ſolet eſſe potius in expanſione nervi membranacei cochleam inveſtiente, dum laceratæ aut transcolatæ quædam fibrillæ poſtmodum ſua continua motione ſonum repræſentant ingentem & malè affectum.

Sonitus & ipſe Tinnitus ab ægro refertur. *Cauſæ* ſi ſint *externæ*, etiam patent ægro. Ubi ſunt *internæ*: in morbis acutis, in febribus ardentibus & ſimilibus facilè poſſumus cognoſcere eſſe à ſanguine: ſi ſint ex aliâ quacumque cauſa rarò poſſunt hæ ipſæ cognoſci in adeò profunde ſitis locis. Si in febri ardente ſonitus aurium cum oculorum caligine contingit cum gravitate narium, hæmorrhagia narium eſt expectanda.

In febribus quibuſcunque Tinnitus & ſonitus aurium ferè ſponte curatur ſine uſu medicamentorum. Inveteratus aurium Tinnitus raro ſolet perfectè curari, qui ſcilicet per biennium duravit. Uti etiam Tinnitus ex frequenti percuſſione in caput & tempora propter internam lacerationem membranæ non adeò facile curari poteſt.

Remedia, quæ juvant in Tinnitu & ſonitu aurium, ferè ſunt ſimilia iis, quæ fuerunt commendata in ſurditate.

In ſpecie *ſuffitus* ſeu vapor ex abſinthio & verbena laudatur ab HARTMANNO. Loco hujus ſemina 4. calida minora, Baccæ Lauri, Gummi animæ, Olibanum, aut etiam ſuccinum poteſt aſſumi, ſi ſcilicet fumus ſeu vapor excipiatur auribus; ol. vermiculorum quercinorum, item ol. formicarum & aſellorum, item ol. nucleorum perſicorum cum Caſtoreo miſtum, omnia conducunt; Spiritus urinæ cum bombace in aurem immiſſus in diuturno aurium ſonitu mirificè commendatur, & tanquam ſingulare laudatur à LINDANO. Eſſentia flor. anthos, Eſſentia ligni ſaſſafras, Eſſentia Caſtoris. Eſſentiæ fellium hominis. Lucis piſcis, perdicis, &c. Præ cæteris in uſu Zibethum auribus inditum mirè prodeſt, ſi nempe cum bombace applicetur, uti etiam Moſchus ſimili ratione applicatus. Ad Tinnitum aurium antiquum ceu præſtantiſſimum commendatur ſequens remedium.

℞. Helleb. albi
Caſtorei ana ʒij.
Coſti ʒiß.
Rutæ ℈ij.
Euphorbii ʒß.
Amygdalarum amarar. ℥j.

Coquantur in oleo rutino in duplo vaſe per horam; poſtmodum oleum iſtud tepidè inſtilletur auri.

RONDELETII experimentum eſt hoc ad Tinnitum aurium & hinc ortam ſurditatem.

℞. Rad. helleb. albi ʒiij.
fol. Lauri
rutæ ana Mß.
fraxini Mj.

Fiat decoctio in oleo amygdalarum amararum, vel in oleo nucum cum vino albo vel Malvatico ad conſumptionem vini, coquantur, exprimantur & in aurem injiciciantur.

In Tinnitu aurium ex caſu, ita ut nihil ferè audiret, ægro cum ſonitu adhibuit PLATERUS *lib.* 1. *obſer. pag.* 115. præmiſſis univerſalibus hocce remedium.

℞. Aqu. Vitæ cochl. j.
Succi ceparum cochl. ß.
Olei ſpicæ deſtillati gutt. iv.

Miſceantur & in aures inſtillentur, & ita fuit curatus. Denique *decoctio ſinapi* in vino loco ſuffitus auribus excepta admodum commendari ſolet. Interdum in affectibus aurium diuturnis ſternutatoria uſurpata admodum conducunt. Fit non rarò tinnitus & ſonitus, item ſurditas, ut nunc remittat, nunc denuò accedat in affectibus catarrhalibus. In tali caſu, ubi percipit æger redire malum, optimum eſt applicare vertici cum linteis duplicatis aquam Apoplecticam ſpirituoſam, ſeu ſpiritum urinæ. Si ulterius revertatur, loco ejus ol. ſuccini deſtillatum vertici illinatur.

Hoc ipſum enim uti catarrhos curat, ita etiam hos affectibus feliciter præcavet. Quæ ſint *interna* in his affectibus, nota ſunt ex iis, quæ dicta de catarrhis: qualia ſunt ſaſſafrata, ſuccinata & ſimilia in ipſis catarrhis uſitata.

Abſolvimus ea, quæ auditum vel lædere vel vitiare ſolent. Pergimus ulterius ad

CAPUT XIII.
DE VISUS LÆSIONIBUS.

POſt auditum communiſſimus ſenſus eſt Viſus: Nobiliſſimus tamen præ omnibus reliquis. Organum ejus eſt *oculus*. Cujus fabrica aut ad modum cameræ obſcuræ artificioſiſſima fabrifactio omnibus eſt nota.

Modus viſionis fit, quando ſpecies luminis ſeu radii viſivi, qui ſunt ſubtiliſſima & tenuiſſima quædam materia, impingunt in corpora opaca, in quorum porulis & meatulis diverſimodè refracti, dum permeare nequeunt, reflectuntur, & per pupillam incidunt in oculum. Tandem impingentes iſti radii in tunicam retinam, eamque moventes, objectum inde reflectitur, coloratum diverſimodè aliiſque proprietatibus præditum nobis repræſentatur.

Neceſſe ergò eſt ad viſionem, ut 1. pupilla pateat. Deinde ut cornea pupillæ foramen obducens perſpicua & clariſſima ſit. 3. ut poſt hanc humores reliqui ſint abſque impedimento perſpicui & puri. 4. Ut expanſo nervi optici tunicam retinam efformans tenſa & fortiter expanſa, ſpiritibus uſque animalibus ſubtilibus perfuſa ſit, quo vel leviſſimo luminis aut puri aut colorati appulſu & impulſu moveri, & ſic per ſpirituum animalium iſta, quæ viſio dicitur, fieri poſſit.

Vitiatur hæc nobiliſſima viſus actio

1. *Quando aboletur in* COECITATE.
2. *Quando imminuitur in* VISUS HEBETUDINE *variâ.*

Hebetudo viſus propriè eſt, quando objecta longa obſcurè & etiam objecta minuta propinqua obſcurè & non niſi magna objecta clarè videntur. Huc pertinet etiam vitium, quando homines inter diu rectè, veſperi parum, noctu nihil cernere poſſunt. Quod vitium vocatur NYCTALOPIA.

3. *Depravatur viſio*, ita ut res unæ appareant duplices, vel res integræ appareant perforatæ, item res integræ appareant dimidiatæ, item quando videntur res, quæ non ſunt, v. gr. quando ſplendores videntur obſervari ante oculos, quando muſcæ, filamenta, pulviſculi & ſimilia ante oculos verſari videntur: pertinet huc, quando objecta remota benè, proxima omnia non videntur; ècontra verò fit, ut interdum propinqua ſeu proprius admota vel minutiſſima acutè & benè, paulò remotiora verò minus commodè aſſequamur, quæ vitia poſteriora ex diverſo ſitu humoris cryſtallini dependent.

4. Denique vitiatur viſio, quando eadem augetur, ita ut objecta vel nimis colorata vel nimis ſplendida vel nimis lucida appareant, ita ut oculi non abſque dolore aut difficultate eadem adſpicere poſſint, v. gr. quando oculus inflammatione laborat, aut quando oculi ex percuſſione nonnihil tument, tunc enim levis candelæ ſplendor inſtar luminis Solis intenſus ac nimis lucidus apparet. Quin & huc pertinet vitium, quando quidam noctu cernunt: Exempla ſunt rara, nihilominus tamen hinc inde leguntur, quæ tamen viſio nocturna non eſt continua, ſed quando evigilant, vident, ſucceſſivè verò imminuitur viſio & tollitur. Ex quamplurimis oculorum affectibus conſiderabimus tantum eos, prout ratione partium oculi radiorum admiſſionem lædunt. (Nam ab hoc primariò dependet viſio) 1. Ergo ingreſſus radiorum per pupillam impeditur ob corneæ perſpicuitatem ablatam, idque propter tunicam quandam præternaturalem ab oculi angulo utplurimum majore enatum, quæ ipſa tunica ſenſim accreſcendo tandem corneam obtegit, & ita pupillæ foramen omnino occludit. Vocatur hæc membrana Cræcis πτερύγιον, quaſi dicere velint alam, quoniam inſtar alæ obtegit pupillam, Latinis UNGUIS appellatur. Hæc ipſa tunica non eſt ſemper uniformis, interdum enim eſt tenuis colore albicante prædita: interdum verò eſt craſſior carnoſa & venulis etiam cruentis nonnihil reſperſa, tuncque alio nomine nempe PANNUS vocatur. *Unguis & Pannus.*

CAUSA hujus excreſcentiæ membranæ eſt eadem cum aliorum locorum excreſcentiis (quod ad Chirurgiam ad peculiare caput de excreſcentiis pertinet.) Præcedit ſemper aliqualis læſio carnis iſtius in angulo oculi majore ſitæ, unà cum aliquali læſione membranæ adnatæ iſtius loci: ſive fiat per ophthalmiam, dum lachrymæ ſalſæ & acres eam nonnihil corrodunt, aut poſt variolas ex ſimili ratione aut etiam poſt ſimilia nocumenta: Nam ubi talis præcedit ſubtiliſſima ſaltem eroſio, tunc fit, ut nutrimentum carnis iſtius in angulo majore, item nutrimentum iſtud membranæ adnatæ proprium per porulos, ubi fit ſubtiliſſima corroſio, ſucceſſivè tranſſudet, & tranſſudando agglutinetur, & ſic ſucceſſive parti adhæreat, & ita continuatâ agglutinatione ſenſim augeatur, & juxta oculi extenſionem, ubicunque ſpatium invenerit, ſe explicet, & ita ſucceſſivè augmentatum tandem totum oculum obtegat. Jam verò prout nutrimentum iſtud, ex quo tranſudante concreſcit, iſta membranula fuerit conſtitutum, exinde variat iſte unguis: qui nunc eſt *ſimplex* nunc *cancroſus*, quando nonnihil lividus eſt & doloroſus. Item prout antecedens læſio carnis in angulo majore fuerit vel major vel minor, ita ut etiam minutiſsimas venulas & arteriolas ſimul læſerit, ut huic & ſanguis cum nutrimento tranſudans ſeſe admiſceat, ut ſuo motu vaſcula nova antiquis continua efformet pannus vaſis ſanguiferis reſperſis generari ſolet.

QUOD ATTINET SIGNA.

Malum hoc per ſe oculis patet. Conditione unguis vel tunicæ adnatæ ejus naturam repræſentant. Tunica enim alba indolens & tenſa eſt naturaliſsima. Sin verò ſit craſſa dura, nigricans & nonnihil doloroſa, unguis eſt periculoſus, nempe cancroſus, prout nutrimentum fuerit magis vel minus corruptum.

QUOD ATTINET PROGNOSIN.

Malum hoc aggraveſcens tandem cœcitatem inducit: quatenus tandem pupillam obtegit.

Malum recens facilè poteſt medicamentis curari, inveteratum verò non niſi per Chirurgiam: Neque hoc fit facilè, quando nimis pertinaciter adhæret. Sin ſit ulcus cancroſum, ne attingatur quidem, quoniam curato minore malo, majus ſuccedit & cancroſum, tunc ſæpius exulceratur. Ulterius pterygion, cum

quo

quo eſt principium ſuffuſionis, attingi non debet, ſublato enim ungue ſuffuſio tollitur.

QVOD ATTINET CVRAM,

Tunicula hæc adnata removenda eſt aut medicamentis extergentibus, attenuantibus & reſolventibus, aut removenda manuum opera, de qua in *Chirurgia*. Hinc blandè adſtringentibus poruli circa radices claudendi & firmandi, ne revertatur ulterius malum.

Medicamenta ergo, quæ huc faciunt, ſunt ſaccharum candum, mel, vinum album, oſſa ſepiæ C. C. uſtum, teſtæ ovorum calcinatæ, &c item collyrium ex ſal.gemmæ ad ʒj. cum.

Aqu. Roſarum &
Fœniculi ana ℥j. permiſto.

Aqua ophthalmica QUERCETANI blandè detergens hic admodum eſt conveniens. Fit nempe ex infuſione croci Metallorum, in aqua Euphraſiæ, chelidonii, fœniculi,& ſic convenit ad tunicam oculi. Sin verò addatur ſimul parum camphoræ & croci,ut melius penetret, convenit etiam in ſuffuſione ſeu cataracta. Singulare ſpecificum eſt *aqua deſtillata fellis, luſcii piſcis*: Præparandi rationem videbitis in HARTMANNI *praxi Chymiatrica cap.39*. Loco hujus deſtillati dum non ſemper poteſt eſſe ad manus, accipitur aqua Leucoii bulboſi ℥iß.cui additur fellis luſcii piſcis ʒj.M. & inſtar collyrii oculo inſtilletur.

Obſervetur de his collyriis oculis inſtillandis,quod modus applicandi ſit, ut æger jaceat ſupinus in dorſo, & ita guttatim in oculum apertum immittantur, oculus tegatur & benè moveatur: ſic enim paucæ guttæ plus præſtant, quàm ſi ʒj. corpore erecto adhibeatur. Loco fellis luſcii piſcis, ſecretum BURRHI eſt fel humanum deſtillatum ex cucurbita vitrea per alembicum æneum, uti vid. poteſtis *in Epiſt. ad Bartholinum* de humoribus oculorum reſtituendis. Aliàs deſtillatur aqua ex ſtercore anſerulorum juniorum in Aprili collecto, quæ fuit ſecretum *Imperatoris* MAXIMILIANI ad tunicas oculorum: Utilis imprimis eſt ad vitia oculorum poſt Variolas enata.

Sin contumacior fuerit pannus ad *aquam Sapphirinam* Chirurgorum progrediendum eſt, quam aquam Sapphirinam acriorem videbitis deſcriptam in SCROEDERI *Parte Anteriore Pharmacopœia*, ubi de aquis compoſitis: Si nimis actis eſt, diluatur cum aqua Chelidonii deſtillata. Quin *ſuccus Chelidonii* expreſſus, dilutus cum rore fœniculo inſidente, & matutino tempore collecto, eſt ſingulare collyrium ad abſumendas tunicas oculorum & pannos. POTERII experimentum ad abſumendos pannos & tunicas eſt hic pulvis:

℞. Oſſis ſepiæ ℈j
Sacchari candi ʒj.
Vitrioli albi ℈ß.
Tutiæ præparatæ ʒß.
M. Fiat pulvis.

Quo ipſo pulvere curavit POTERIUS ungulam poſt gravem inflammationem in oculo enatam. vid. *cent.1. cap.8*. Et pulvere hoc optimè deterſit iſtam, eamque abſumpſit. Nam vitriolum album aliis permiſtum, blandiſſimè detergit & abſumit excreſcentias iſtas præternaturales.

Facit huc collyrium LOTICHII, quo curavit pterygion ſeu unguem ſecundùm motum lunæ nunc accreſcentem, nunc decreſcentem.

℞. Lap. hæmatit. ℈ß.
Vitrioli albi uſti gr. xv.
Myrrhæ C.
Croci ana gr. v.
Sacchari Candi ℈j.

M.F.Pulvis miſcendus cum aqua appropriata, qui cum pluma pterygio illinatur, cavendo pupillam.

Facit huc etiam aqua ophthalmica familiaris HARTMANNI,utilis ad ungues,maculas & albugines oculorum,ad Cicatrices & ſimilia vitia.

℞. Aqu fœniculi &
aniſi ana ℔j in his ſolvit
Vitrioli albi purificati ʒß. Huic addit rad. Enulæ Campanæ pulveriſatam,hæc invicem digerit,& tandem Colaturam adſervat: Hac ipſa Colatura pro Collyrio in ungue,albugine, cicatrice, macula item in rubedine & caligine,& ſimilibus oculorum vitiis utitur.

In pertinaciori malo ad mercurium ſublimatum tutò fit progreſſus, imitando hac in parte PLEMPIUM *in Ophthalmographia*, qui tanquam ſecretum mirabile & expertum in puella,quæ pluribus annis fuerat cœca, commendat hoc Collyrium:

℞. Aq. Roſarum.
Euphraſiæ
Fœniculi ana ℥ij.
Mercur. ſublimati ſubtiliſſime pulveriſati gr. v. uſque ad ℈ß.

De hoc ponatur omni mane gutta 1. in oculum & etiam omni veſperi: & ſic ſenſim abſumitur ungula; quin etiam curabuntur hoc pacto ſuffuſiones de quibus poſtmodum.

Si tn. aliquid eſt quod confert ad delendas oculorum membranas & tunicas, hoc eſt *liquor ex formicis rubeis* in arboribus habitantibus expreſſus, per pannos colatus, & ita vel crudus vel cum aqua appropriata dilutus, oculo inſtillatus.

Notum eſt quod RULANDUS 1. habeat celebratiſſimas aquas Ophthalmicas: Una fit ex vitro antimonii: altera fit ex his formicis, & quidem ſingulariter præparatis;quæ ipſa aqua ophthalmica RULANDI eſt ſtupenda in quibuſcunque ferè oculorum vitiis.

Superius locutus ſum de felle luſcii piſcis:Ceu experimentum commendantur omnia excremeta lucii piſcis, cum felle, jecore & omnibus reliquis viſceribus,quæ diſſecta in minutas partes, adjecto Mj. fol. fœniculi & ſeminis ejuſdem contuſi & conquaſſati, & ita deſtillatur, liquor qui prodit utilis eſt ad abſumendos pannos & oculorum Tunicas.

In pueris, qui fortia ferre nequeunt remedia,ſaltim mel illinatur pelvi æneæ, & ſuppoſitis carbonibus lente calefiat pelvis, donec mel lenem viriditatem accipiat (corraditur enim pelvis à melle) & iſto liquore abſterſo oculi in loco Tunicæ abſtergendi ſunt blande: Sic enim abſtergitur Tunica. Fuit experimentum FORESTI *l.2. obſ. in Scholio*.

Hæc de *Tunica & Panno*.

Iam præter ingreſſum denegatum radiorum viſualium in Oculum etiam pars Corneæ perſpicua pupillæ foramini obtruſa viſum obſcurat, quando craſſeſcit aut vitioſum colorem contrahit, qui color vel craſſities aut impedit radios aut vitioſe ſaltim coloratos tranſmittit.

Nubecula oculi.

Fit hoc vitium 1. quando in nutritione Corneæ perſpicuæ vitiatâ alimentum nonnihil craſſius & viſcidius ſuggeritur: Unde fit ut obſcurata nonnihil Cornea ægris omnia obſcura & quaſi per nubeculam appareant, quod vitium etiam tunc NUBECULA OCULI appellatur.

Albugo ſeu Leucoma.

Fit hoc 2. quando Cicatricula ab eroſione Tunicæ Corneæ, v. gr. in variolis, aut in ejus ulcuſculis, aut poſt ejus ulnuſculum remanet. Talis enim Cicatricula non ſecus ac reliquæ omnes cicatrices, cum craſſior ſit ac ſpiſſior reliqua corneæ parte, albedinem repræſentat, & tunc ALBUGO ſeu LEUCOMA ſpecialiter appellatur.

Oculorum Suggillatio.

Fit hoc 3. quando poſt ictum vel caſum item poſt plagas oculo illatas ſanguis effuſus & congrumatus in albo oculi & etiam in cornea hæret, & ita vitioſos colores rubrum, cœruleum, lividum, &c. inducit in vitio, quod SUGGILLATIO oculorum vocatur.

SIGNA hujus mali non ſecus atque antecedens malum oculis patent. Nam cicatrix inſtar maculæ cujuſdem albæ apparere ſolet: (unde etiam vocatur MACULA.) In Nubecula verò cornea nonnihil albicans

& ſpiſſa cernitur, & in ſuggillatione color cœruleus, lividus, &c. etiam ſpontè patent.

Cauſæ antecedentes, item contuſiones, plagæ,&c. ex relatione ægri pateſcunt.

QVOD ATTINET PROGNOSIN.

Vitium hoc eſt difficillimum curatu propter ſummam ſubtilitatem & ſimul exquiſitiſſimum ſenſum corneæ oculi Tunicæ: idque eò magis, quo craſſior vel diuturnior fuerit vel nubecula vel cicatricula.

Suggillatio verò facilè removeri poteſt.

In pueris tenellis adhuc facilius poteſt abſtergi macula & ipſa tenuis quam in ætate conſiſtente, ubi ſpiſſior & contumacior eſſe ſolet. Poſt variolas oculos infeſtantes imprimis obſervetur, ut inſequens cicatricula vel macula citò admoveatur, antequam in perfectam abeat ſpiſſitudinem.

QVOD ATTINET CVRAM.

In *Nubecula* materia craſſa attenuanda & diſcutienda. *In Leucomate* macula & cicatricula abſtergenda & detergenda. *In ſuggillatione* ſanguis congrumatus reſolvendus & diſcutiendus.

Faciunt huc remedia ſequentia. *Semen Hormini ſylveſtris* impoſitum oculo: Hoc enim ſemen maculas & albugines abſtergere ſolet: Vid. de hoc RIVERIUS *in praxi* & etiam in obſervationibus: Unde etiam POTERIUS folia Hormini ſylveſtris in oculorum fomentis præſcribit.

Albuginem potenter diſcutit *ſuccus fœniculi* recenter extractus, cui una alterave gutta balſami Peruviani ſit admiſta. Item convenit huc aqua fœniculi ſaccharata, de qua locutus ſum ſub Ophthalmia, quæ colligitur ex ſaccharo caulibus fœniculi excavatis indito & relicto ut liqueſcat. Item convenit ol. panni ſive linteorum combuſtorum cum aqua appropriata miſtum & cum penna illitum. *Aqu. mellis* ad delendas maculas oculorum & Cicatrices imprimis commendatur. Hinc convenit *aqu. mellis* compoſita AMATI LUSITANI *cent.6. cur.53.*

℞. Mellis qui in ipſo favo ℔ij.
Summitatum florum Sambuci
Euphraſiæ
Fœniculi ana p. ij.
Sacchari Candi ℥iv.

Deſtillentur in balneo Mar. & aqu. oculis inſtilletur. *Succus anagallidis* flore cœruleo imprimis floris ejus expreſſus, & vel ſolus oculo inſtillatus vel cum melle roſaceo miſtus & applicatus, laudatur ad tollendas maculas: Unde & hic commendari ſolet aqu. Anagallidis cœrulea deſtillata non minus quàm aqu. Leucoii Bulboſi deſtillata. (hoc enim gerit ſignaturam oculi) experimentum etiam eſt aqu. *Sapphirea* Chirurgorum, ſed omiſſa calce viva, qualiter ſolet eam præſcribere RIVERIUS *cent.3. obſ.45.*

Detur aqua appropriata, in qua diſſolvitur ſal. ammoniaci tantillum, ut leniſſimè linguam feriat. Hæc aqua retineatur per biduum vel triduum in pelvi ænea vel vaſe orichalceo donec cœruleum acquirat colorem: Hac enim ſublatæ ſunt maculæ denſiſſimæ in oculo ex diuturna ophthalmia progenitæ. Aliàs ſuccus rutæ & ipſe inſtillatus maculam Corneæ blandè detergit.

Porrò experimentum PLATERI, quo omnes albugines curat, eſt ſequens Cataplaſma, quod fit ex pulpa pomi cocti, miſta cum mucilagine Fœnugræci, lapide Hæmatite & corticibus granatorum. Hoc ipſum cataplaſma etiam feliciter adhibet HORSTIUS ad maculas poſt variolas relictas applicatis ſimul in tali caſu veſicatoriis in Nucha vid. HORSTIUS *lib.2. obſerv.39.* Ubi habet integram compoſitionem.

Liquor ex flor. Cichorei cœruleis per deliquium ſive colliquationem in furno piſtorio paratus (deſcriptio vid. in SENNERTO *cap. de Ophthalmia*) ſimiliter ſpecificus, eſt ad detergendas maculas & albugines: Porrò curavit aliquando FORESTUS puerum, qui ex variolis in Phlycteras incidit, qui exulcerati in oculorum cicatrices abierunt, cum Collyrio ex aqua fœniculi adjecto felle anguillæ vel pauco ſaccharo. Denique pulvis ex exuviis ſerpentum pulveriſatis cum oculis cancrorum vel cum melle illitus, vel cum aqua appropriatus applicatus etiam delet maculas & albugines: ſicuti aliàs hic pulvis experimentum eſt ſingulare in vulneribus & ulceribus, item in cancro oculorum. In quibus oculorum vulneribus etiam experta eſt aqua Chelidonii cum cancro deſtillata ſecundum methodum MYNSICHTI. Aqua ſuperius allegata cum mercurio ſublimato & ipſa applicata prodeſt in macula & leucomate: Caſu fuit hoc inventum. PLATERUS enim *lib.1. obſer.* refert, Cicatricem in Corneæ medio obortam omninò impedientem viſum curatam caſu per mercurium ſublimatum loco ſacchari in oculum inſufflatum: oborta quidem eſt inflammatio, nihilominus tamen hac ſopita macula reperta fuit deleta, unde legitimè applicatus omninò erit proficuus.

In infantibus tenellis, in quibus apparet macula & nubecula: Iis efficax remedium eſt, ſi mater vel nutrix fœniculum maſticet, & mox halitum in oculos infantis inſpiret: fortius erit ſi poſt maſticationem etiam lingua tangat albuginem, aut ipſa ſaliva fœniculo tincta blandè inungat eandem.

Sin verò fuerit ſanguis congrumatus ſive *ſuggillatio*: Tunc optimus eſt fotus cum aqua Chæreſolii & cum aqua flor. Cyani. Hic enim oculis inſtillatus & etiam cum linteis duplicatis admotus mirè ſanguinem congrumatum reſolvit. Aqu. flor. Cyani, aqu. Chæreſolii, aqu. hyſſopi & ſimiles ſunt expertiſſimæ. Item cuminum teratur intra dentes & probè maſticetur, & hinc halitus oris in oculum immittatur ſugillatum, mirè confert, & eſt remedium BURRHI *cit. loco* videndum. In pertinaciori malo ſumatur coma hyſſopi, eaque contuſa coquatur & ebulliat in aqu. calida & fotu iſto poſtmodum tepidè foveatur oculus. Nam apertè ſanguinem extrahere congrumatum aſſerunt, & confirmat hoc Riolanus in tr. de affectibus oculorum. *Decoctum radicis ſymphyti* cum dimidio *Radicis ſigilli Salomonis*, certiſſimum eſt remedium in ſuggillationibus oculorum tollendis. Pergo:

Per pupillam tranſiens radius viſivus penetrat per humorem aqueum. Hic ergo tenuis, purus, & exactè limpidus eſſe debet: Sin ergo in hac inter pupillam uveæ & inter humorem cryſtallinum aliquod impedimentum ſe offerat, quod tranſitum neget & viſionem, ita lædat, omninò viſio non poteſt naturaliter fieri. *Suffuſio oculi.*

Fit hoc, quando materia quædam reliquo humore aqueo craſſior ſenſim in eodem colligitur, quæ primò minutiſſimorum pulviſculorum formâ ſenſim in filamenta tenuiſſima texturæ aranearum ſimillima concreſcunt, donec hæc ipſa textura araneacea ſeu aranea in tantum augeatur, ut perfectè craſſeſcat & ſpiſſeſcat, & ita in membranam conglutinetur & coaleſcat. Membrana hæc vulgò CATARACTA OCULI; malum verò ipſum SUFFUSIO OCULI, Germanis appellatur. Eſt ſcilicet membrana ſive concrementum membranaceum, interius in humore aqueo intra pupillam & humorem cryſtallinum enata.

CAUSA eſt materia iſta, unde in ſuo eſſe conſervatur humor aqueus, ſive ex arteriolis derivetur ſive ex quibuſdam lymphaticis, ſive ſint tantummodo ſpiritus animales viſivi in aquam congelati: (hanc enim controverſiam linquimus phyſiologis & anatomicis.) Hæc ipſa materia reddita impura & partibus inquinata craſſioribus, uti puritatem humoris aquei tollit,

tollit, ita ſi hæ particulæ vitioſæ ſucceſſivè invicem connectantur & ſibi adhæreant, tandem tamen cataractam efformant.

Hinc ſi membrana cataractæ totam pupillam obtegat, viſus oboletur: ſi v. tantummodo dimidiam pupillam obtegat, omnia dimidia ſui pacto apparent. Sin verò parva cataracta vel ſaltim incipiens cataracta exactè medium pupillæ occupet, omnia quaſi perforata apparent.

Hæc eſt *ſuffuſio vera.*

Eſt adhuc alia quam vocant SUFFUSIONEM NOTHAM. Qualis interdum in jejunis aut iis qui ſtomacho laborant vitioſo, item in ſtatu febrium nonnunquam adeſſe ſolet, dum aut pulviſculi floſculi aut muſcæ & ſimilia ante oculos verſari videntur.

Malum hoc ſubitò tranſit, interdum redit & ſic porrò: ſæpiſſimè ſtomachum vitiatum pro fomite agnoſcit: quocunque etiam modo huc deveniat tale quid.

Et hæc ſuffuſio notha quod obiter moneo, optimè aloëticis, ventriculum purgantibus in ſpecie pilulis aloephanynio & hinc per uſum zingiberis manè jejuno ſtomacho maſticati aut uſitati curatur.

QVOD ATTINET SVFFVSIONEM VERAM, EJVS SIGNA facilè ſe manifeſtant. Nam in incipiente conqueruntur ægri de variis ante oculos verſantibus. Hinc viſus ſenſim obſcuratur, & color pupillæ nonnihil glaucus, ſeu ut vocant marinus apparet: Denique cataractâ perfectâ tollitur omninò viſus, & pupilla ſimilis apparet vitro contaminato, aut ſaltim vitro obſcuro aut minus perſpicuo: tandem perfectè color albus aut etiam alii in pupilla ſe manifeſtant, quod perfectiſſimam & jam concretam ſuffuſionem innuit.

QVOAD PROGNOSIN

ſuffuſio ea in qua oculis convenientibus alterius pupilla dilatatur, curari poteſt per Chirurgiam, quando verò pupilla non dilatatur, ea eſt incurabilis. Denique confirmata cataracta, in qua æger lumen etiam non videt medicamentis nunquam, Chirurgia difficulter curatur, licet etiam oculo ſano clauſo pupilla ægra dilatetur.

Quò magis recens ſuffuſio ſive in fieri ſive in facto eſſe, eò facilius curatur, quò magis diuturna & inveterata, eò difficilius, quo magis alba ſuffuſio, eo major ſpes ſalutis, quæ magis eſt nigra aut coloris expers, ea ferè nunquam curatur.

In ætate ſenili ſponte aborta ſuffuſio unius oculi, interdum etiam ſucceſſivè, alterum oculum infeſtat, & ita tandem ægrum perfectè obcæcat.

QVOD ERGO ATTINET CVRAM:

ſubſtantia iſta heterogenea in humore aqueo fluctuans ante concretionem diſcutienda, concreta jam reſolvenda & diſſipanda, aut ſaltim acu deorſum verſus ex ſuo ſitu eſt movenda.

Præſtant hoc 1. quidem aquæ ophthalmicæ antimoniatæ. Nam ſi quid aliud antimonium eſt certiſſimum experimentum in oculorum affectibus. Fit nempe infuſio vitri antimonii pulveriſati in aqua fœniculi chelidonii euphraſiæ ana & in loco calido aſſervatur, huic filtratæ adduntur aliquot grana camphoræ & croci. Loco vitri antimonii, uti antea monui, *crocus metallorum* eſt ſumendus. Optimum eſt, ſi ſumatur caput mortuum butyri antimonii, quod pulveriſatum & aquis ophthalmicis infuſum optimas aquas ophthalmicas præbet contra ſuffuſiones.

Sunt qui parant aquam ophthalmicam ex ovis formicarum cum felle muſtelæ piſcis admodum ſingularem. Nam hepar muſtelæ piſcis dirigendo in calore ſolis in vitro clauſo fatiſcit in liquorem oleoſum experimentum ſingulare FORESTI contra ſuffuſiones etiam confirmatas. *Aqua deſtillata ex ſtercore humano* in quod immiſſum ſit fel muſtulæ piſcis, aut etiam fel leporis cum tantillo ſacchari candi commendatur à FERDINANDO *in ſuis hiſtoriis Medicis.*

Pertinent huc etiam aquæ iſtæ deſtillatæ ad modum QUERCETANI ex urina puerorum & vitriolo. Phlegma hinc elicitum eſt ſubtiliſſimum, & quod penetrando fortiter diſcutit ſuffuſiones, v. gr.

♃. Urina puerorum ℔ß.
vitrioli albi ℥iv.
ſucci chelidonii ℔j. Stent per aliquot dies in digeſtione, & poſtmodum deſtilletur aqua ophthalmica, quæ oculis inſtilletur. Facit huc dum fit collyrium, ſi albumen ovi ad duritiem coquatur hoc poſtmodum ſaccharo cando & vitriolo albo impleatur, & ita in loco frigido ſuſpendatur: Liquor enim deſtillans exinde in aquam euphraſiæ collectus, egregiam dat aquam ophthalmicam.

Denique HARTMANNUS habet aquam ophthalmicam Zingiberatam, quam vid. *in prax. chym. cap.* 43. quam non poteſt ſufficienter laudare LINDANUS ad affectus oculorum, inter alios ad ſuffuſiones. Refert enim, quod hac ipſa aqua ophthalmica Zingiberata fuit curatus quidam, qui in utroque oculo habuerat ſuffuſionem. Vid. præparatio in ipſo HARTMANNO.

In ſuffuſionibus his curandis obſervetur, quod ſubinde etiam cum fructu adhibentur *veſicatoria in nucha vel fontanellæ*: Nam his ſolis ſubinde contumaciſſimæ & confirmatæ ſuffuſiones fuerunt curatæ. Loco horum quæ ſuam merentur laudem, uſurpandum eſt remedium ſecretum SCHLEGELII ex radice Thymelææ arboreſcentis ſive *laureolæ*, vocatur aliàs *Mezereum* ſcil. radicula Mezerei diſſecta in fibrulas lobo auris perforato immittitur. Nempe radix exſiccata dividitur in articulos, poſtmodum maceratur in lixivio facto ex cineribus vitium, vel in aqua in qua nitrum ſit ſolutum. (Aliàs enim nimia acrimonia corrodit aures. Hi orbiculi poſtmodum immittuntur in lobum auris prius acu perforatum, quæ radicula immiſſa potenter ſed ſucceſſivè copioſos humores evocat, & in affectibus oculorum, in affectibus capitis catarrhalibus, in incipiente ſuffuſione eſt ſingulariſſimum remedium.

Hujus Thymelææ radicis vidi mentionem factam à RIVERIO *cent.* 4. *obſer.* 100. Item in TIMÆO *Epiſt.* de perforatione aurium (vid. etiam BARTHOLINUS in oculorum affectibus.

Denique ſi radii viſuales extrinſecus illapſi pertingant, rectè quidem ad tunicam retinam eamque feriant, non verò ſequatur viſio, utut nulla & aperta ac ſenſibilis in oculo appareat læſio vel noxa, tunc vitium hoc GUTTA SERENA appellatur, & eſt omnimoda cœcitas. *Gutta ſerena.*

CAVSA hujus vulgò in ſalinis ſpirituum opticorum in oculum impeditum influxum refertur, ſive obſtructi ſive compreſſi nervi, ſive alio modo iidem læſi fuerint, quod ipſum ſatis per ſe clarum eſt; Nam hinc fit, quod interdum poſt alium morbum curatum ſuperveniat talis gutta ſerena: ex obſtructo vel vitiato nervo optico.

Sic ex ſcabie retropulſa cœcitatem obſervat SENNERTUS *lib.* 3. *prax.* Item ex ſublata aphta in nucta cœcitatem obortam refert HORSTIUS in *obſer. pag.* 243. Sic ex ulcere pedis intempeſtivè occluſo etiam ſimilem guttam notat TIMÆUS in *conſil. p.* 60.

Ridiculum eſt exemplum BARTHOLINI, quod habet in *cent.* 3. *Epiſt.* 275. de Monacho qui quoties barbam radit, cœcus evadit, quâ tamen denuò creſcente, viſum recuperat. Tamen præter nervum opticum vitiatum interdum etiam ipſum expanſionis membranæ nervi optici ſeu ipſius tunicæ retinæ vitium in gutta ſerena concurrere, nullum eſt dubium, ſi ſcilicet hujus tonus & legitima tenſio, quâ fortiter expanſa in oculo turgido quemcunque vel leviſſimum radiorum

opticorum illapſum percipit: & exinde movetur. Unde ſi hæc ipſa membrana à debita & naturali tenſione remittat, relaxetur, & ita flaccida vel molliuſcula evadat, & ita nonniſi à forti aut etiam à nullo radio viſivo moveatur, fit, ut exinde etiam omninò pereat viſio. Quo etiam facit, ſi ex percuſſione oculi, item ex caſu in occiput, item in forti ſternutatione quaſi laceratur, aut etiam aliâ ratione vitiatur, vel etiam nimis diuturnus adſpectus Solis, aut etiam nimis continua lunæ plenæ inſpectio, quale exemplum habet HENRICUS *ab* HEER, dum talia fortia objecta nimis commovent tunicam retinam ejuſdem tonum lædunt & vitiant, aut nonniſi ab objecto fortiori moventur, & ita cœcitatem inferre poſſunt.

QUOD ATTINET SIGNA.

Guttam ſerenam adeſſe tunc patet, quando nullo vitio in oculo præſente tamen homo cœcus evadit. Et quidem ſi iſta cœcitas paulatim fiat, ſuſpicio eſt, quod partium quarundarum parvularum in oculo vitio non apparente fiat cœcitas, quæ verò confeſtim ſeu in momento fit gutta ſerena ex vitio nervi optici, quod fiat probabiliſſimum.

Deinde ſi fricando oculum unum vel alterum comprimendo, in pupillo ejus, qui fricatur: appareat dilatatio, ſignum eſt, nervos opticos eſſe illæſos, & ſpiritus liberum commeatum habere: vitium verò vel in tunica retina vel in alio loco hærere in oculo. Si nulla eſt dilatatio, ſignum eſt, vitiatos eſſe nervos opticos.

QUOD ATTINET PROGNOSIN.

Senes naturaliter quoad viſum hebeſcunt interdum ex relaxata tunica retina omninò occœcantur. In genere omnis gutta ſerena difficulter curatur. NYCTALOPIA, dum interdiu rectè, veſperi parum, noctu omninò nihil videri poteſt, obſervata fuit, curata rariſſimè.

QUOAD CURAM.

Conveniunt omnia, quæ certo experimento viſum confortare dicuntur, tam interna quàm externa. Quod attinet interna, *Pilulas aloëphangina* ſingulis noviluniis ad ʒß. aſſumptæ ad oculos roborandos mirè commendantur. Aliàs pro purgante in oculorum affectibus uſurpantur *pilulæ lucis*, ut vocant, & quidem *pilulæ lucis majores* in ſenibus, pilulæ verò lucis minores in juvenibus. Aliàs etiam fiunt infuſa ſennæ & agarici cum ſal. tartar. in aqu. euphraſiæ & fœniculi pro purgandis oculis, aut fiunt pilulæ extracto Panchymagogo cum oleo fœniculi. Pulverem hermodactylorum etiam ſingulariter in affectibus oculorum commendat DEODATUS *in valetudinario pag.* 153. Ulterius internè, uti notum eſt, convenit *Euphraſia*, quæ omnibus ophthalmicis meritò palmam præfert. Vinum euphraſiatum, Eſſent. euphraſiæ & ſimilia, &c. GABELCHOVERUS *cent.* 3. *cur.* 100. non ſufficienter commendare poteſt hanc ipſam. Poſt euphraſiam eſt *Valeriana*, ejuſque radix, de quâ radice vid. experimentum TABERNÆ MONTANI, ubi de Valeriana, & quantum valeat pro roborando viſu. Poſt hanc *Chelidonium majus* eſt ſingulariſſimum ophthalmicum. Item *radix Leviſtici*, & præter eam *fœniculum*, quod ſingulare eſt ophthalmicum.

Etiam ex *formicis* parata remedia internè ad roborandum viſum mirificè conducunt. Item *lignum ſaſſafras* & medicamenta ſaſſafrata admodum commendantur in oculorum affectibus à FERDINANDO *hiſtor. Med.* 51. Cum enim fœniculum redolent conjecturatum fuit etiam ſimiles cum fœniculo habere vires ophthalmicas. Unde lignum ſaſſafras ad Nyctalopiam commendat idem FERDINANDUS. *Roſmarinus*, *bacca juniperina*, *ruta* & ſimilia etiam ad ophthalmica referuntur. *De cute anguillæ* ſuper carbones aſſatum, & aliquoties ante cibum aſſumptum ſpecificum eſt ad Nyctalopiam, uti expertus fuit PANAROLLUS *pent.* 3. *obſervat.* 45. aliàs GABELCHOVERUS refert Nyctalopiam per pulverem ex ſemine fœniculi, aniſi & coriandri curatam.

Quidam mirificè commendant ad oculorum hebetudinem hoc unguentum.

℞. Mellis anthoſati deſpumati, aut fiat fluxile.
Zingiberis pulveriſati &
Caryophyllorum pulveriſatorum
Salis aa. ʒß.

Hæc omnia incorporantur cum melle cujus unguenti fruſtulum, quantum ſemen ſinapis eſt indatur in oculum: vellicat quidem ſed ſtatim deſinit, & plurimam humiditatem ex oculo effluere facit; quo unguento fœmina quædam per 14. annos altero oculo cæca curata fuit à BRENDELIO *in conſ.* 55. Hinc etiam adhibuit. Nodulus vino infundendus pro uſu interno vid. in HARTMANNI *praxi chymiatricæ cap.* 25. Ubi vinum medicatum egregium, cujus uſum admodum in hebetudine viſus commendat.

Simili ratione parantur etiam *Eſſentiæ ophthalmicæ* ad intra, qualis fuit D. MICHAEL: ſimilibus ex ſpeciebus parata. *Vinum enulatum* & *vinum roriſmarini* etiam oculos confortare dicuntur.

Ad oculos ſanos confirmandos & ſervandos vegetos convenit *ros fœniculo inſidens*, qui collectus & illitus viſum confortat. Aliàs infuſa antimonialia, item aquæ deſtillatæ ex fellibus piſcium, in ſpecie Lucii. Item aqua ſtercoris anſerculorum deſtillata commendatur ad conſervandum viſum in oculis.

Denique *ſuccus* ex *magnis formicis* expreſſus & oculis bis de die inſtillatus omnes cœcos curare certum dicitur. Quin etiam liquor ſeu ole. jecoris muſtelæ piſcis palpebris ſaltem illitus ad cœcitatem perfectam vitio nervorum obortam commendatur à FORESTO *lib.* 11. *obſervat.* 38. Quin etiam *aqua iſta*, *quæ verno tempore ex pampinis vitis inciſis deſtillata* ad oculorum vitia ſimiliter commendari ſolet. Præ cæteris miram vim ſuffuſiones curandi & viſum reſtituendi habent *millepedes*, ſi vino infuſi ſingulis matutinis horis uſurpentur.

Tria hujus rei ſingularia experimenta habet BOYLE *in Philoſophia experimentali pag.* 154. & 155. ubi obſervat quod mulier cataracta confirmata unius oculi detenta per uſum millepedum adſcendendo à pauco numero ad numerum majorem uſque ad 60. cum vino albo aſſumendo ſingulis manè, perfectè curata fuit à ſuffuſione: ſicuti etiam alia curata fuit à ſuffuſione utriuſque oculi; qui ipſi etiam millepedes interno uſu ad alia oculorum vitia erunt proficui.

Abſolvimus læſiones viſus & vitia ad viſum pertinentia. Pergimus in examine ſenſuum externorum ad

CAPUT XV.

DE OLFACTUS ET GUSTUS LÆSIONIBUS.

Olfactus abolitio & imminutio.

OLFACTUM quod attinet, hic læditur, quando *imminuitur* & odoratus eſt nimis hebes. Item quando omninò *aboletur*, ita ut parum aut nihil odorare queamus.

2. Læditur odoratus quando *depravatur*, dum odores alieni in ſpecie putridi & fœtidi qui non ſunt in rebus continuò odorari videntur: id quod fit ex ulceribus narium, ex vitio dentium ſcorbutico & ſimilibus vitiis: de quo odore depravato nihil amplius monendum eſt.

Quod attinet *IMMINUTUM* ſeu *ABOLITUM ODORATUM* hic oritur

1. Ex defectu ſpirituum animalium, in organis odoratus in apoplexia ſenum & ſimilibus affectibus paralyticis: uti etiam quando hi ipſi ſpiritus rapido nimis & impetuoſo motu commoti, ut fit in Epilepticis motibus ubi impreſſiones objectorum percipere nequeunt, unde & hoc modo odoratus aboletur.

2. *IMMINUITUR* vel *ABOLETUR ODORATUS* ob membranam narium ſummitatem ſuccingentem internam, quæ membrana nimis humectata, & à copioſa nimis lympha relaxata, frequentiſſimè eſt cauſa aboliti aut imminuti odoratus. Uti namque hæc membrana naturaliter blando humore madet pro facilitatione odoratus; ita ſi hæc ipſa nimis humectetur, exinde inepta fit ut impreſſiones vaporum odoratorum recipiat, quin potiùs ejuſdem fibræ laxæ & nimis humectatæ ad impulſum vel attactum rerum odoriferarum immobiles remanent: & ipſi etiam animales ſpiritus eò delati, à copioſo humore imbuti ſegnes & torpidi redduntur: id quod non tantummodo in humida nimis & aquilonia aëris conſtitutione patet, quo tempore etiam venaticarum odore canum vis (uti referunt venatores) hebetatur, ſed imprimis hoc patet in coryza, gravedine & ſimilibus affectibus catarrhalibus, in quibus humectata nimis nares ſuccingens membrana, odoratus omninò aboletur.

3. Cauſa aboliti & imminuti odoratus eſt continuus aut nimis fortiter odoratorum olfactus, aut ſternutatoriorum abuſus: Nam hæc duo interdum ſunt cauſæ aboliti odoratus: ab his enim fortiter odorantibus & ſtimulantibus narium membranam ex forti impreſſione & hinc ſpirituum animalium nimia motione fit, ut poſtmodum leviora objecta vel omninò non aut ſaltim parum ſentiantur, quo facit quod in ſternutationibus criſpato & quaſi convulſivo motu affecta narium tunica, exinde in tono ſuo ita vitietur, ut non niſi fortiſſimorum objectorum impreſſiones & contactus, eam & tunc ea ſpiritus animales moveant. Vitium hoc familiare eſt Italis, quibus in uſu eſt continuò ſecum geſtare *pulveres Tabaci ſternutatorias*, quo etiam continuò tam in æſtivo quàm hyberno tempore utuntur: ex horum pulverum fortiter odorantium abuſu fit ut hi ipſi ſæpiùs odoratum omninò perdant: adeo ut nos Germani ex ſolo odore pulveris Tabici ſternutamus, ipſi Itali, ipſo pulvere hauſto non ſternutent, & graviter odores percipiant. (Conveniunt ergo ſternutatoria in quibuſdam affectibus, ſed nonniſi moderato uſu.)

QUOD ATTINET SIGNA.

Odoratum eſſe deperditum ex ægri relatione per ſe patet. Tantum quoad ſigna diſtinctiva cauſarum obſervandum, & à quâ causâ oriatur; quæ & ipſæ latere nequeunt. Affectus apoplectici & paralytici per ſe noti membranam narium eſſe humectatam aut ex excretione aut ex affectibus catarrhalibus patet, imprimis quando lympha eſt deſtillata, copioſa lympha tenuis uti fit in catharris.

Denique abuſus odoratorum & pulverum ſternutatoriorum etiam ab ægro inquirendum eſt.

QUOD ATTINET PROGNOSIN

Odoratus læſio ex vitio catarrhali facilè curatur. Nam curato catarrho & ipſa odoratus læſio ceſſat: Sin verò odoratus læſio ſit antiqua & ſæpius ex cauſis externis, v. gr. odorantibus nimis, &c. profecta: Talis odoratus læſio, aut rarò aut nunquam curari poteſt. Quando æger in morbis acutis odores non conſuetos ſentit, utut non abſint objecta talia odorifera, v. gr. quando percipit odorem piſcium, luti, butyri, &c. Mala ſigna ſunt & lethum portendunt.

QUOD ATTINET CURAM.

In hac ipſa cauſa removenda: in ſpecie affectus catarrhalis eſt curandus, & hinc membrana narium nervinis eſt exſiccanda, & in tonum naturalem reſtituenda.

Ad hoc obtinendum primatum obtinet *majorana* & omnia ex majorana parata remedia tam interna quàm externa. Sic namque extractum majoranæ ceu expertum laudatur remedium ab HARTMANNO: ſi manè & veſperi quotidie uſurpetur ad gr. VI. vel VIII. Item ſi miſceatur cum Eſſ. Pulegii, & ſic vel ſub forma humida vel cum ſaccharo miſta ſub forma rotularum uſurpetur.

Balſamus majoranæ ex oleo deſtillato factus naribus illitus præ reliquis confert. Vel uſurpetur ole. quod

℞. Ole. Nigellæ.
Ireos aa. ℨß.
Ole. ſtill. majoranæ ℈j.
F. Ole. narib. admovend.

Hoc ipſum oleum in deperdito odoratu eſt egregium, & in ſpecie ſi ſint ſimul obſtructæ ſummitates narium: in tali obſtructione vix habetur melius remedium hoc ipſo oleo: Si volumus acrius hoc ipſum aliquot gutt. olei deſtillati ſuccini addantur: Nam & ipſe ſuffitus ſuccini dum catarrhos ſiſtit, etiam odoratum reſtituit.

Fiunt aliàs etiam *Noduli Olfactorii* ex majoranâ & ſemine nigellæ, v. gr.

℞. Majoranæ.
ſeminis nigellæ contuſi aa. p. ij.
irrorentur aliquot guttis olei deſtillati
Majoranæ.
F. l. a. Nodulus cum ſtylo. narib. admovend.

Sic novi mulieres, quæ laborantes coryza, gravedine, &c. & hinc abolito odoratu & guſtu, internè in vehiculo calido aſſumunt majoranam idque ſummo cum effectu & levamine. Aliàs *Nigella* poſt majoranam & ipſa eſt commendata, ſi nempe nigellæ pulvis permiſceatur cum oleo olivarum & ita attrahatur per nares PETRI à CASTRO remedium in abolito odoratu eſt hoc:

℞. Nigellam in aceto fortiſſimo infuſam & poſtea exſiccatam.
Rutam.
Fumariam.
Caſtoreum. aa. ad ʒj.

Terantur ſubtiliſſimè & incorporentur cum urina pueri, ut acquirant conſiſtentiam mellis tenuis : cujus quolibet manè ſtomacho jejuno v. vel vj. guttæ per nares attrahantur fortiter & poſtea patiens caput ad poſteriora inclinatum teneat ore aquâ impleto, idque fiat tribus vel quatuor diebus donec patiens odoratum denuò acquirat.

Plura qui vult de nigella in uſu contra hoc olfactum abolitum vid. TABERNÆ MONTANUM *de nigella.*

Aliàs in abolitione olfactus etiam *Menthaſtrum* foliis acutis & floribus albis ſub forma extracti cum decocto rutæ, majoranæ, abrotoni & nigellæ interno uſu laudatur. Sicuti externè eodem decocto Menthaſtri caput eſt lavandum.

Poſt odoratum ſe offert GUSTUS ultimus ſenſuum.

Guſtus imminutio & abolitio. GUSTUS ceu propria linguæ actio læditur, quando vel *imminuitur* vel *aboletur*, ut nil guſtetur, vel quando *depravatur*, ita ut res alium ſaporem videatur habere quam revera habet.

Imminuitur & aboletur guſtus 1. vitio ſpirituum animalium ad linguam derivandorum : qui vel vitio conformationis nervorum in lingua deficiunt, quale exemplum habet COLUMBUS *in ſua anatome*, de quodam *vitri vorace* vel *carbonum vorace*, & qui omnia vorabat ſine guſtu, in cujus anatome nervi naturaliter ad linguam pertinentes juxta ſpinam dorſi reflexi fuerunt : aut quando præter hoc in paralyticis affectibus linguæ guſtus læditur, in quibus caſibus cum ſenſu guſtus & tactus (eſt enim guſtus tactus linguæ ſpecialis) etiam motus linguæ ſimul perit, quo ablato cum voces articulari nequeunt : *Loquela amiſſa* appellatur.

2. Læditur guſtus, quando lingua ejuſque fibræ nerveæ, & ſpecialiter harum extremitates papillares; *à nimiâ eaque vitiatâ lympha ita inundantur, & laxatæ quaſi ob atoniam ita hebetantur* quò minùs objectis ſapidis moveri adeoque horum impreſſio percipi poſſit eadem ratione atque modo atque de olfactus læſione dictum.

Unde etiam in gravedine & coryza puriore dum os continuò tenui ſalſáve lymphâ ſcatet, cum coryza tali utplurimum etiam guſtus aut imminuitur aut abolitus eſſe ſolet.

Guſtus depravatio. DEPRAVATIONEM GUSTUS quod attinet, ita ut objecta peregrino videantur affecta ſapore, hic imprimis fit *vitio ſalivæ*, quæ ipſa guſtabilibus maſticando permixta, & organum guſtus ſimul afficiens, ſaporem inde depravatum & vitioſum guſtabilibus imprimit. Hinc eſt quod in *Ictero* omnia videntur amaricare : In ſcorbuto & malo hypochondriaco videntur aceſcere : Interdum in catarrhis omnia minùs ſalinoſa apparent : Interdum ſapore putido & quaſi cinereo objecta infecta videntur. Id quod fit imprimis quando unum alterúmve viſcerum minorum ulcere & apoſtemate laborat. In his enim à purulentia ejus infeſta ſaliva ſaporem cinereum & putidum dum repræſentare facit : uti fit in phthiſi ſimilibuſque morbis.

SIGNA

Facilè patent ex ægri relatione : *Cauſæ* etiam dignoſcuntur, ubi enim adſunt ſimul aliæ operationum animalium labefactationes, de affectu paralytico non eſt dubium : Sin adſit ſimul vitium catarrhale, v.gr. Coryza vel raucedo & ſimiles defectus res eſt facilis. Quod attinet guſtum depravatum, ejus cauſa quæ ſalivam inquinat ex affectu adjuncto per ſe patet. Sic in Ictero, ſcorbuto, putredine oris, &c. facilè patet affectus primarius unde afficitur ſaliva.

Aliàs guſtus læſiones nullum periculum portendunt.

QUOD ATTINET CURAM.

Cauſæ removendæ, & linguæ tonus nervinis reſtituendus.

In ſpecie *Raphanus* ante paſtum uſurpatus guſtum acuare ſolet. HARTMANNUS habet limentum, & etiam gargariſma ad ſaporem depravatum & abolitum, quod vid. in *praxi Chymiatrica cap.* 85. §. 3. & 4.

Succus acetoſæ ad læſionem guſtus commendari ſolet : aut etiam ex ſucco acetoſæ, & ſucco portulacæ cum ſaccaro fieri ſolet ſyrupus ad abolitum ſaporem auctore ZACUTO *Luſitano*, expertus, quo linguæ & os ſubinde colluendum & abſtergendum, quin & ſi deglutiatur nihil incommodi affert. Sin guſtus ſit Ictericus, ita ut omnia videantur amara, convenit *radix Cichorei condita*, item *radix Zedoariæ, & radix Gentianæ.*

Sed optimè curatur curato primario morbo.

Hinc poſtmodum nervinis appropriatis linguæ tonus & imprimis partium nervoſarum reſtituendus & corrigendus. Hæc ipſa quæ linguam roborant, & ejus ſenſum & motum reſtituunt, ſunt ea, quæ aliàs etiam ordinariò in loquela amiſſa ſeu aphonia commodè applicantur. Quæ antequam recenſeam monendum eſt propriè loquendo diſtinguendum eſſe *Aphoniam* ab *amiſsâ loquelâ.*

Aphonia eſt, dum vox nulla editur, id quod vitio laryngis aut paralytici aut convulſi contingit.

Hâc namque ratione in paſſione hyſterica mulieres loqui nequeunt propter convulſionem muſculorum laryngis Cartilagines moventium, quàm convulſionem percipientes, quaſi laqueo fauces conſtringantur affirmant : quibus in caſibus aphoniæ remedia topica collo & imprimis regioni, ubi ſitus eſt larynx, ſunt applicanda ſpirituoſa, appropriata nervina, &c.

Sic ergo curavi aliquando in febri ardente laborante talem aphoniam per infuſum majoranæ chamomillæ & flor. ſalviæ.

Loquelæ amiſſio eſt, quando equidem ſonus & vox formatur à larynge, ſed ob motum linguæ aut amiſſum aut non ſufficienter vox formare, & in loquelam articulare nequit : Et hoc vitium loquelæ amiſſæ imprimis paralyticis & apoplecticis eſt familiare cum linguæ motu læſo indeque loquelæ amiſſione.

Succurrimus jam his remediis iiſque variis : Nempe convenit decoctum Galli trichi, ſalviæ, hyſſopi, pyrethri, zingiberis & ſimilium : quo decocto lingua & fauces eluendæ, aut etiam inſtar Gargariſmatis hoc decoctum ipſum applicandum.

Porro decoctum ſalviæ & erucæ à quibuſdam tanquam arcanum commendatur : item decoctum ſalviæ, erucæ & ſinapi : propter horum ſal. volat acerrimum : item decoctum pulegii & naſturtii.

Præ cæteris ſalviæ ſuccus in linguæ paralyſi & loquela amiſſa commendatur, ſi eo fricetur lingua frequenter : cui tantum pulvis Caſtorei aut ſemen ſinapi contuſum commodè addi poſſunt. Nam ſic etiam quibuſdam frictio linguæ cum theriaca & ſemine erucæ commendatur utiliter : Pro Gargariſmate hoc commendat STOCKERUS cum ſequenti miſtura.

℞. Salviæ.
hyſſopi.
acori. aa. Mj.
Coquit in ſ. q. aquæ colaturæ addit
Oxymell. ſcillit. ℥j.
M. pro gargariſmate.
Hinc
℞. Seminis erucæ.
ſquillæ.
ceparum.
apii. aa. ʒß.
zingiberis.

triam

trium piperum.
cinnamomi.
Nuc. Moſchatæ. aa. ʒj.
ſpecierum diambræ.
diamoſch. dulcis.
dianthos. aa. ℈ij.
C. ſ. q. aqu. vitæ Fiat miſtura craſſiuſcula pro illinitione linguæ & palati.

Porrò efficaciores ferè ſunt ſpiritus aut aquæ ſpirituoſæ, imprimis olea. deſtillata penetrantibus acuta quò pertinet Eſſent. flor. anthos, Eſſent. caſtorei cum penna ſub lingua illita: (hæc eſſent. caſtorei eſt expertum remedium in aliquot apoplecticis) loco ejus caſtoreum ipſum ſub linguâ detentum ut in loquela amiſſa, ita in aliis etiam locutionis vitiis in ſpecie in balbutie infantum & puerorum corrigenda admodum convenit.

Fortius eſt ſi ſcilicet eſſent. fiat cum ſpiritu vini ex caſtoreo cui ſimul ſint addita ſalia volatilia ſuccini & C.C. Talis enim eſſentia vel linguæ illita vel ſub lingua applicata, ad reſtituendam loquelam & paralyticos linguæ affectus eſt penetrantiſſima.

In ſpecie ſpiritus cerasorum nigrorum cum aliquot guttis olei. caryophyllorum ori infuſus eſt admodum efficax. Aliàs etiam oleum deſtillatum aniſi tanquam ſingulare ſpecificum ad paralyſin linguæ & loquelam amiſſam ab HARTMANNO laudatur.

Item oleum ſuccini in vehiculo aquæ majoranæ vel lil. convallium vel cum aqua lavendulæ & ſalviæ linguæ infuſum eſt admodum efficax. Spiritus theriacalis camphoratus miſtus cum ſpiritu juniperi aut ſpiritus lil. convall. maximè prodeſt. Ulterius ſpiritus vitrioli cephalicus miſtus cum ſpiritu ceraſorum nigrorum & ori inſtillatus egregiè conducit.

Denique cataplaſma factum ex fermento addito ſimul pulvere ſuccini aut etiam additis aliis nervinis appropriatis vertici appoſitum experimentum eſt RULANDI in loquelâ amiſſâ. Sicuti etiam ole. ſuccini vertici aut nuchæ illitum commendatur inſigniter ad reſtaurandam antea amiſſam loquelam. Singulare electuarium ad paralyſin linguæ & cujus crebrior facta eſt experientia eſt hoc:

℞. Mithridatii ℥iij.
rad. acori condit & ſubtiliter trit. ℥j.
zingiberis.
Nuc Moſchatæ. aa. ʒij
ſal. communis ʒj.
M. omnia in mortario quibus adde ſucc. ſalviæ depurati ℥j.

Mellis q. ſ. ad conſiſtentiam debitam: irroretur oleo deſtillato majoranæ, ſalviæ, aniſi & ſuccini, & benè miſceantur: Feratur ſub lingua & ſenſim ac ſenſim deglutiatur eſt expertum remedium contra defectus loquelæ.

Aliàs RULANDUS infuſo flor. lavendulæ in ſpiritum vini curavit aliquando paralyſin linguæ in viro 86. ann. propinando manè & ſub introitum lecti ſemper ℥j. iſtius infuſi.

Hæc de Læſionibus ſenſuum externorum. Subjungo.

CAPUT XIII.

DE OPERATIONUM RATIONALIUM DEFECTU: ET IN SPECIE DE LÆSIONE MEMORIÆ.

HABUIMUS hactenus omnes affectus qui homini ut animali tàm ad eſſe animale quàm ad eſſe vitale conveniunt.

Pergimus ad læſiones earum actionum quæ ipſi ſunt propriæ, & à quibus in eſſe humano conſtituitur, ita ut iis abolitis brutum animal fiat homo.

Talis operatio eſt *intellectus* ſive *ratiocinatio*, operatio propria animæ rationali, quæ ſola vera eſt forma & vera anima. Hæc ipſa anima rationalis cum ſit immaterialis, ipſi tamen inſerviunt ſpiritus animales in cerebro rectè diſpoſito convenienter moti, utut nemini adhuc à priori ſit cognitum, quomodo ſubſtantia iſta immaterialis animæ rationalis, aut ſpiritus noſtros gubernet in cogitando aut quomodo ipſi ſpiritus in operatione animæ inſerviant. Anima ergò ceu ſubſtantia immaterialis à cauſis naturalibus lædi aut ejus actiones vitiari nequeunt: Unde quicquid defectuum in ejus operationibus occurrit, id totum cerebro & ſpiritibus animalibus vitiatis eſt adſcribendum: Nam his læſis & animæ rationalis functiones læduntur: ipſis verò reſtitutis etiam ratiocinatio redit. Anima infantis non minùs apta eſt ut ratiocinetur aut anima ſenis denuò pueraſcentis, ac junioris anima, ſubtiliſſimi ingenii. Niſi ſpirituum animalium aut cerebri alius ſtatus & conditio in cauſa eſſet.

Vitiatur ratiocinatio

1. Quando IMMINUITUR aut ABOLETUR, idque in ſenibus ex naturali naturæ curſu.

2. DEPRAVATUR RATIOCINATIO: ut fit in omnibus DELIRIIS tàm in genere quàm vario modo in diverſis deliriorum ſpeciebus. Abolita ratiocinatio STULTITIA, item AMENTIA aut DESIPIENTIA appellatur: *imminuta* verò ratiocinatio vulgò STUPIDITAS ſive TARDITAS *ingenii* nominari ſolet.

Ratiocinatio nunquam imminuitur aut aboletur, niſi etiam in memoria ſimile adſit aut etiam præcurrat. Hinc enim ſenes fiunt ſtolidi, quia eorum memoria deficit: Nam qui nullam habet memoriam, ſemper manet puer, dum nihil addiſcit: Et qui licet ſapientiſſimi ex morbo vel cauſa quadam externa memoriam amittunt, ii ſtolidiſſimi fiunt, recuperatâ verò memoriâ denuò ſanantur.

Hujus ergo nempe memoriæ læſiones imprimis ſunt conſiderandæ, quæ ipſa aut *imminuitur* aut *aboletur*, nam depravari nequit, quia memoria non rectè aut vitioſè retinens eſt memoria imminuta. Hujus ergò (nempe memoriæ) aut imminutæ aut abolitæ *cauſam proximam* & *univerſalem* certò determinare impoſſibile eſt (loquor ſincerè) partim quoniam nondum à priori cognitum, quo modo memorationis fiunt actus: partim verò quoniam tam multæ remotæ cauſæ cæque tam variæ memoriam lædunt & eam deficientem reddunt. *Memoria læſio.*

Quarum cauſarum variarum omnium ad unam proximam reſtrictio vix poſſibilis eſt: ſaltim ergò probè ſemper attendantur cauſæ remotæ vitiatæ memoriæ, ut iiſdem

GG g

ut iiſdem quaſi manuducamur ad feliciorem praxim: Sic notum eſt quod venus imprimis multum faciat ad memoriam abolendam: Sic refert SALMUTH *cent.* 1. *obſervat.* 61. quod vir doctus ut conjugi placeret uſu ſtimulantium vener. ſine memoria redditus eſt ſfatuus. Eodem loco refert de quodam qui ex nimio veneris abuſu adeò exſiccatum habuit cerebrum ut intra cranium hinc inde ferri perciperetur. In quibuſdam à natura memoria & rationacio eſt deficiens. In aliis verò per naturam percipitur admodum ſubtilis memoria, & acriter ratiocinantur. Quibus poſt diuturnam & tantùm non miraculoſam inediam cum denuò inciperent comedere ſtultitiam ſucceſſiſſe HORSTIUS refert *lib.* 2. *obſerv.* 15. PHILTRA uti non raras manias ita etiam fatuitatem & memoriæ læſionem inducere ſolent; Exemplum refert *Henricus ab* HEER *obſerv.* 13. De quodam juvene 14. annorum ſtupendi ingenii, qui 4. condiſcipulis diverſa dictabat carmina, ipſe verò quintum conſcribebat, & nihilominus tamen poſtmodum per *philtrum* omnium rerum imò etiam proprii nominis oblitus fuit. Sic etiam VENENA nonnulla aſſumpta omnis memoriæ perditionem dare ſolent. Exempla habebitis in SCHENCKIO *in obſervat.* Vitio conformationis cerebri ex cranio depreſſo, item ex ictu in caput memoria interdum aboletur. HILDANUS *cent.* 3. *obſervat.* 1. refert puerum admodum ingenioſum in quo ex depreſſione cranii omnimoda memoriæ abolitio fuit ſecuta. Sic LINDANUS ſuper HARTMANNUM ex ſubitanea capitis percuſſione omnium rerum oblivionem obortam refert: Similia etiam exempla videbitis in SCHENCKIO *in obſervat.* ſicut ex vulnere occipitis à ſclopeto ratiocinationis & memoriæ ablationem obſervat obortam HORSTIUS *lib.* 2. *obſervat.* 7. ſuppreſſa ſanguinis evacuatio & ſimilis, & ipſa memoriam hebetare poteſt: Exemplum habet ZACUTUS *Luſitanus lib.* 1. *prax admir. obſervat.* 47. de inſania orta ex ſuppreſſis *hæmorrhoidibus* poſtmodum tamen ſponte curata, ex diuturna *hæmorrhagia* facta in interfemineo per porum quendam inſenſibilem: Sic ex *lochiis* puerperæ ſuppreſſis oblivionem cum melancholia obſervat SALMUTH. *cent.* 1. *obſervat.* 72. Affectus animi & ipſi huc multum faciunt. Nam ex *terrore* & *metu* repentino quoſdam memoriæ privatos refert SCHENCKIUS *in ejus obſervat.* ſicuti etiam interdum ex *febri acuta* reſurgentes omninò oblivioſi redditi obſervati fuerunt in eodem loco. Denique *Heinricus ab* HEER *in obſervat.* 3. refert exemplum de quodam 40. annorum fatuo facto (non nato) qui mortuus cum cranium fuiſſet apertum cerebrum ſicciſſimum durum, & in ſummâ parte digitis friabile repertum fuit unà cum flavedine citri æmula undiquaque ad altitudinem digiti imbutum: Circa ventriculos tantùm & baſin mollius tamen inventum fuit. Hæ & ſimiles cauſæ remotæ ſubinde benè perpendendæ & præcognoſcendæ ſunt in praxi, ut pro varietate earum variemus curam.

In genere in memoriæ læſione obſervetur (ſi eſt à cauſâ internâ) an ſit in corpore *Senili*, an verò in corpore *Juvenili*. Nam juvenes imprimis malo hypochondriaco obnoxii, item juvenes qui interdum epilepſia corripiuntur debilem habent memoriam: (qualia ego hic jam habeo exempla) ſi iſta memoriæ læſio eſt in corpore ſenili utplurimum etiam reliquarum actionum animalium torpor quidam conjunctus eſſe ſolet propter ſpirituum torporem, idque ferè ob cerebrum lymphæ parte copioſiore inundatum: id quod fit imprimis in *ſenibus*, quorum ante acta vita multis curis aut ſtudiis ſubtilioribus non fuit fatigata. Nam in ſenibus doctis (quod probè obſervetur) cerebrum aridum, ſiccum & quaſi poroſum exiſtit.

In junioribus corporibus cum memoria nonnihil læsâ judicium & ſimiles animales operationes ſunt utplurimum vegetæ & firmæ, debilitata ſaltim memoriâ id quod fit ob ſpiritus animales, ſubtiles, agiles & fervidos ac ferè igneos. (Unde videntur tales agiles.) Unde cerebrum ſimiliter aridum, exſuccum minuſque nutritio ſucco irroratum: Hinc judicium quidem ad tempus habile, ſed memoria nonnihil debilis, & tales in ſenili ætate omninò & memoriam & judicium amittunt: Imprimis ſi ſint ſtudiis dediti. Hæ duæ circumſtantiæ in praxi memoriæ læſæ benè perpendendæ, his enim neglectis & cauſis remotis non probè ponderatis faciliùs deſtruitur quàm promovetur memoria.

QUOD ATTINET SIGNA

Ex relatione ægri patent: Cauſæ remotæ ex vitæ genere, actionibus & ſimilibus partim hariolantur, partim ab ægro confirmantur. Cerebri ſtatus ex adjunctis ratione actionum conſiderandus venit: Ubi enim eſt juvenis ſtudiis addictus & diæta non admodum lautâ in cibis utens, in talibus aridura & ſiccitas cum ſpirituum animalium agilitate in cauſa.

Ubi verò eſt ſomnolentus, ut quando poſt *affectus ſoporoſos* aut *lethargicos* fit memoriæ læſio: aut in actionibus turbidus aut copioſè excernit per nares & os: aut quando eſt ſenex non adeò ſtudiis deditus in juventute, &c. In his memoriæ læſionem ex ſpiritibus torpidis & nimiâ cerebri humectatione oriri ſuſpicio eſt.

QUOD ATTINET PROGNOSIN.

Certum eſt, quòd memoriæ læſio in iis qui nimis ſtudiis ſunt dediti, idque ex fervore ſpirituum & ſiccitate cerebri difficillimè curetur. E contra facilius & etiam melius in iis quibus cerebrum lymphâ copioſâ madidum. Memoriæ ſubitanea læſio abſque cauſa externa imminentis *apoplexiæ*, & *paralyſeos* quin & interdum *epilepſiæ* eſt indicium. *Naturalis ſtupiditas* eſt *incurabilis*: ſuperveniens pro cauſis remotis variis, nunc facilius nunc difficilius curatur. Quæ eſt ex *philtris* difficillimè, quoniam aliàs in *maniam* degenerat. Quæ à morbis malignis & morbis acutis & *venenis* oritur memoriæ læſio, indeque ſtupiditas ferè incurabilis eſt.

QUOD ATTINET CURAM

In hac ipſa cauſarum remotarum activitas & conditio benè penſitandæ, quomodo noceant maturè perpendatur, & iis obviam eatur, & inducta labes emendetur. Hinc conſtitutio cerebri & ſpirituum animalium ratio eſt conſideranda & ubi ſunt nimis ignei & fervidi ad ſtatum blandum ſunt reducendi, ubi torpidi volatilibus ſunt exſuſcitandi & ſubtiliſandi; denique pro varietate cauſarum tantùm ſubinde *ſpecificis* utendum eſt.

Remedia quod attinet in genere omnia dicta *cephalica*, *ſpirituoſa*, *odorata* & *aromatica* ad roborandam memoriam & acuendum ingenium multum laudantur, qualia ſunt *Roſmarinus*, *Meliſſa*, *Ozymum*, *Lilium convall. Stœcha Arab. & Zingiber*, *Cubebæ*, *Caryophylli*, *Cardamomum* ſive grana paradiſi; &c. aliquot cubebæ jejuno ſtomacho comeſtæ acuunt inſigniter ingenium. Quod etiam faciunt grana cardamomi, ſed in juvene ſtudioſo cautè applicentur propter nimiam volatilitatem aromaticam, in ſenibus tutiora ſunt.

Thus, *caſtoreum* & *ſuccinum* etiam ad memoriam commendantur. In ſpecie *Thus album* pulveriſatum circa plenilunium & circa novilunium aſſumptum laudatur ad roborandam memoriam: Pulvis TRITHEMII admodum laudatur ad robur memoriæ conciliandum vid. in HARTMANN. *prax. chymiat. cap. de memor. Læſione. Pulvis Analepticus* MINDERERI, *ſpecies aromaticæ roſatæ*, *ſpecies diambræ & diamoſch.* & ſimiles ſunt admodum convenientes.

tes. De *Ambra* noto quod omnium ſit optima, & quod Ambra non habet par remedium in fulciendis viribus animalibus, & roborandâ memoriâ adeò, ut nihil æquè fulciat ſenes labaſcentes quàm ambrâ ſive ſub formâ pulveris cum ana ſacchari adhibeatur, ſive ſub formâ eſſentiæ vel tincturæ parandæ, vel cum ſpiritu roſarum vel ceraſorum nigrorum, vel cum ſpiritu Meliſſæ. Item elegantiſſima fit tinctura cephalica ex granis Kermes & Ambra cum ſpirit.lil. convallium extractis.

Sed obſervetur de his ambratis quod admodum cautè internè ſint præſcribenda, in ſpecie in juvenibus ubi eſt ex aridura cerebri memoriæ læſio. Verum eſt ad tempus, fulcit memoriam & reddit mirabilem: ſed poſtmodum plus nocet quàm profuit cum ſubitaneam ſtupiditatem poſt ſe relinquat: vim enim aliqualem inebriativo-narcoticam Ambra habet conjunctam: Ratio hujus eſt, quia ſpiritus admodum refocillat & fulcit, ſed poſtmodum ſenſim ſenſimque virtute inebriativa ſtuporem, & omnimodam fatuitatem & ſtultitiam infert.

Cauti ergò ſimus in uſu Ambræ & interdum ejus uſus concedendus, ſed abuſus fugiendus, quoniam certum eſt, quod ſtupiditatem inferat totalem in ſenibus.

Ubi ſimul moneo eſſe rem conſideratione dignam, quod imprimis venerem ſtimulantia aromatica, ſpirituoſa, ſatyracea & ſimilia, omnia etiam ad roborandam memoriam conducant, hac tamen noxâ, ut, ſi ſtimulum venereum velimus perſequi, memoria in totum abeat: Sin verò compeſcatur ſtimulus venereus iſta confirmatur. Unde SUCCOLATA cum vino hauſta vener. ſtimulat, hac ſuppreſsâ memoriam potentiſſime confirmat.

Hinc etiam *Satyrium* à PARACELSO ad memoriam confirmandam mirificè commendatur, ſed etiam ſimul ſtimulat venerem, neceſſe eſt ergo ut frenum injiciatur venerei.

Porrò *confectio alkermes* conducit: Loco ejus *confectio anacardina* ad memoriam commendatur: quæ tamē ex vegetabilibus acribus ac aromatis conficitur: Unde inſanos reddit, adeò ut vel rariſſimè vel nunquam ſit uſurpanda. De *Formicis* res nota eſt quod paretur *aqua magnanimitatis* LAUREMBERGII, quæ vel ipſa egregiè ſtimulat venerem v. Compoſitioin colleg. JONSTON. D. MICHAEL. Cum hac *aqu. magnanimitatis* LAUREMBERGII quidam faciunt Eſſ. anacardinam & ſic tutius ferè uſurpantur remedia anacardina. Proſtat etiam *aqua ſophorum* DORNCRELLII. Item *aqua cephalica* MYNSICHTI *Eſſent.* MATTHIOLI & ſimiles aquæ, aqua & *ſpirit. cerebri humani* ad robur memoriæ admodū commendantur à BARTHOLETO. *Myrobalani* conditæ in ſpecie mirobalani, *Chebulæ* conditæ laudantur inſigniter à MONTAGNANA ad conciliandam memoriam firmam ſi ſubinde æger unum alterúmve comedat.

Idem MONTAGNANA commendat has pilulas quas bonum ſecretum vocat ad memoriam qui virum ante doctum reſtituit.

℞. Cubebarum.
calaminthæ.
maſtichis.
nucis moſchat.
caryophyllarum. aa. ℥j.
ambræ ʒß.
moſchi gr. v.
M. cum ſucc. majoran. ℥vj.
F. Pilulæ.

De quibus omni ſero dum vadit ad lectum deglutiat 1. manè recipiat. 2. hinc jejunet ad aliquot horas. De *Herba* THEE ejuſque decocto notum eſt ſufficienter, quod facultates animales confortat, & ingenium acuet, magis tamen ſenum quàm juvenum.

Hæc ſunt interna, quibus addi poſſunt *Eſſent. ſalviæ roriſmarini, meliſſæ, ligni aloës*, item aqu. magnanimitatis C.Eſſ. Ambræ & ſimiles. Externè ſolet commendari inſigniter ole. *Myrrhæ* p. d. quod divinum remedium vocat HILDESHEIM *in Spicilegiis* ad memoriam: oleum hoc myrrhæ p. d. quo tempora & occiput inungantur mirificè enim ſic memoriam reſtituere affirmat. Sic ZAPATA curavit memoriam imminutam ob abundantiam humorum frigidorum in capite per ſpiritum vini cui piperis parum infuſum fuit inungendo hoc ipſo ſubinde futuram coronalem & ſagittalem. Aliàs HILDESHEIM commendat hoc oleum quo nares & tempora inungit ad robur memoriæ conciliandum:

℞. Fol. betonicæ.
ſalviæ.
lavendulæ,
roriſmarini.
roſarum rubrarum. aa. Mj.
N. Moſchatæ.
piperis longi.
galangæ.
cyperi. aa. ℈iv.
caſtorei ʒii.
nucis indicæ ℥ß.
myrrhæ.
thuris. aa. ʒiij.
croci ℈ij.
M. infundantur in ſpititum vini, digerantur in M. B. & filtrentur, hoc ipſo ſpiritu ſive ut vocat ole. inungit nares, item tempora & verticem.

Aliàs etiam *pinguedo Urſina.* temporibus & fronti illita ad roborandam memoriam commendatur. Præparatio vid. in SENNERTO ubi *de memoriæ læſionibus.*

CAPUT XIV.

DE DELIRIIS IN GENERE ET IN SPECIE.

QUANDO depravatur ratiocinatio, ita ut à conſueta lege & ordine aberret, dicitur DELIRIUM.

Aberratio hæc fit ſecundum omnes tres mentis operationes. Nam 1. in ſimplicium objectorum indeque formatorum conceptuum apprehenſione, v. gr. dum delirans quid pro quo vel aliud pro alio concipit, ut dum quendam vulgarem hominem Regem Hiſpaniæ appellat. 2. & 3. in conceptuum apprehenſorum compoſitione & diviſione indeque factâ concluſione & ratiocinatione, v. gr. dum aliquis exiſtimans ſeſe conflatum eſſe ex butyro, ob id nolebat accedere ignem, quia metuebat, ne exinde incaleſcens colliqueſceret. Omnes hæ aberrationes

à recta ratione uno nomine DELIRIUM appellantur, Græcis παραφροσύνη, depravatio nempe rationis & aberratio ejuſdem ab ordinaria cogitationis lege, quâ deliria varia, ſubinde ridicula, ſubinde etiam ſeria, ſed abſque nexu & ordine, & ſine fundamento confusè utplurimum proferuntur.

CAUSA

Horum in genere conſiſtit *in ſpiritu animali*; Mens enim immutabilis eadem ſemper non poteſt mutari, aut ab ulla alia cauſa externa lædi & inquinari.

In ſpiritu ergo hæret vitium idque varium & diverſum. Unde etiam varia deliria, variæque eorumdem ſpecies. Rem exemplo declarabo: Quemadmodum enim in *ebriis* idem vinum diverſa tamen ſubebrietatis exorbitantia parit deliria, eaque diverſa in diverſis ſubjectis, dum unus fit furioſus, alius fit amoroſus, tertius fit canorus & cantans. 4 fit ſomnolentus. 5. ſe æſtimat maximè divitem. 6. omnium evadit ſapientiſſimus, &c. In his utut unum ſit vinum, quod omnes inebriat, indeque omnes etiam delirantes reddit, nihilominus tamen pro diverſa conſtitutione ſubjectorum eorumque aliâ habitudine diverſâ, ex maſſ. ſang. craſi naturali & ſeminali diſtincta & inde pro varietate ſpirituum animalium varia & diſtincta fiunt deliria.

In genere deliria omnia vel ex internâ oriuntur cauſa, ſive habent fomitem quendam internum in corpore ſtabulantem, vel ab externa oriuntur cauſa ſive ad aſſumpta, ſive ad extrinſecus admota pertineant, ſive ex animali ſive vegetabili regno oriantur.

Ex REGNO VEGETABILI 1. *omnia narcotica* ſimul cum virtute fixativa ſeu quaſi ligativa ſpirituum animalium certam vim obtinent determinandi certo modo ſpiritus animales, ut pro dictâ eorundem determinatione, diverſi conceptus in mente formentur indeque deliria oriantur: verbi gratia refert KIRCHERUS *de Peſte* quod 2. Monachi ex eſu cicutæ fuerint redditi amentes, & quidem ita ut cicuta iiſdem impreſſerit talem imaginationem quaſi transmutati eſſent in anates & anſeres, unde iſti monachi piſcinas petière (creſcit enim propè flumina) in iiſdem ſe ſubmergere & natare cœperunt.

Pertinet huc *pharmacum phantaſticum* BARTHOLETI (de quo ſuo loco plura) ex ſcammonio paratum, quo vult determinare imaginationem ad certum conceptum & determinatam imaginationis ſpeciem.

Sic *opium* copioſius & frequentius aſſumptum uti mos eſt in provinciis Orientalibus, in India, Perſia, & ſimilibus, inducit ſomnia jucunda quaſi verſentur in viridariis, in paradiſo, ibique hilariter & jucundiſſimè vivant.

Contrarium fit in nobis Occidentalioribus & Septentionalioribus, in his enim opiata frequentius uſurpata, ſimiliave Narcotica inducunt ſomnia horrenda, quaſi vexarentur à dæmone, quaſi vulnerentur & verſentur in jurgiis.

Hinc etiam *Hyoſcyamus* ridiculum infert delirium.

Sic BORELLUS *cent*. 3. *obſer*. 45. refert quendam ruſticum cum ſua familia ex eſu radicis Hyoſcyami totum fuiſſe lamentatum, ita ut quaſi ſimia varias geſticulas & ridiculas actiones perageret.

Pertinet huc vis Narcotica NUCIS METELLÆ de qua BARTHOLETUS *tract. elegant. de reſpirat. lib*. 4. *cap*. 3. *pag*. 405. Quod nempe nucis metellæ ſemen ad certum pondus datum lætam afferat ſtultitiam, cum riſu, cum jucunda animi hilaritate, & cum inſigni liberalitate, ita ut qui ſumpſerit iſtud ſemen liberali manu omnia ſua daret & offerat, omnia occulta promulgeat & omnia delicta profiteatur, & omnibus juſſis obſecundet: E contra ſemen & cortex hyoſcyami Peruviani eodem auctore referente delirium facit Ecſtaticum, quo delirantes putant ſe verſare in viridariis in converſatione Angelorum: E contra ſemen hyoſcyami nigri infert delirium cum jurgiis & contumeliis: & *ſemen ſolatri majoris* dat delirium, quo ſe à dæmonibus vexari & à ſerpentibus ac ſatellitibus malè tractari exiſtimant.

Similia verò non inelegantia leguntur in DORINGII *tract. de opio* ejuſque virtute, ubi inter alia *pag*. 72. obſervat artificialem dementiam quandam, qua ægri putant ſe naufragium pati.

Sicuti idem DORING. *cit. loc. pag*. 79. obſervat dementiam ſimiliter ex medicamento, quô ægri primò hilares, hinc iracundi, tandem admodum mœſti fiunt: adeò determinata deliria vegetabilia inferre ſolent, determinando certo modo ſpiritus.

Præter vegetabilia etiam *animalia* certa & determinata inferunt deliria, imprimis animalia nobis dicta *venenata*, & hinc etiam animalia *rabida*: Notum enim eſt, quod in *cane rabido* demorſi ex delirio in mores caninos transformentur: ſicuti iidem ſemper hydrophobia ſive inſigni omnium liquidorum & aquarum metu corripiuntur.

Præterea notus eſt TARANTISMUS quando à *Tarantulis* demorſi ad Tarantularum geſtus & ad *muſicam* determinantur, & telarum texturam & ſimilia exactè imitantur, ut ut in delirio. Nota etiam eſt *rabies felina*, dum quidam eſitantes de felibus, rabioſi exinde & delirantes fiant, ut inſtar felium unguibus ſe lacerent & morſicando invicem congrediantur. Huc ſimiliter *lupina* & *ſuilla rabies* pertinet, quorum eſu homines ſimiliter in talia deliria feruntur.

Pertinent huc PHILTRA tàm *vera* quàm *falſa*. *Falſa*, hæc enim ipſa ſæpiùs maniam inferunt & furorem. *Vera* habent ſimul vim determinandi ſpiritus animales, ut ferantur in determinatam perſonam ſuâ inclinatione. De quo veri filtri parandi modo per mumiæ naturalis *confermentationem* cum certo ſubjecto, & hinc *tranſplantationem* ſuo loco plura. Ab his ergo externis certo modo determinantur ſpiritus animales, ut exinde anima rationalis tum deliros formet conceptus, ut antea dixi.

Quod quomodo fiat certo nondum conſtat: Cum nulla adhuc conſtet opinio, quæ animum ſcrupuloſum ſimulque veritatis avidum poſſit exſatiare.

Præ cæteris equidem ideæ ab HELMONTIO aut MARCO MARCI *tr. de Ideis operatricibus*, item *tr. de Philoſoph. veterum reſtituta*; Hæ inquam, ideæ rem equidem illuſtrant, & prima fronte maxima probabilitate nobis imponere ſolent: ſed tamen ſi exactè paulò ad rectæ rationis trutinam examinentur, & ad primarios uſus fundamentales vera fiat inquiſitio, ſi etiam paulatim in noſmetipſos faciamus reflexionem, ut poſſimus concipere quid & quale ſit, & quomodo operari poſſit talis Entitas idealis ſeu intentionalis & immaterialis ſub compage materiæ, & quomodo hæc ipſa aut involvi aut evolvi poſſit: Certus ſum, quod tunc omnis iſta Idealis imaginatio inſtar fumi ſeu vanæ cujuſdam ideæ ſubitò ſit tranſparitura & evanitura.

Hinc eſt quod multi curioſi & exercitati naturæ ſcrutatores, quos inter meritò refero nonnullos Anglos, & hos inter Dn. BOYLE, non ſine nominis honore nominandum maximi æſtimat & admiratur HELMONTIUM, ubi in praxeos & philoſophiæ materialis terminis ſe continet: Ubi verò in extravagantias ideales prorumpit, ejuſdem ſomniis quidem indulgendum, non verò inhærendum arbitrantur. Et quidem fundamentum iſtius opinionis & quo ſubinde probat exiſtentiam ſuam idealem HELMONT. deſumptum eſt à formatione fœtus in utero ejuſque per imaginationem maternam transformatione; hoc ipſo tamen obſcurum peræquè obſcurum declarare nititur, obſcurum enim

magis

magis formationis & transformationis fœtus per maternam imaginationem eſt negotium, quàm tota ſuperſtructura Idearum doctrina, adeò ut obſcuri peræque obſcurum declaratio non ſatisfacere poſſit nobis. Hæc de Delirio à cauſâ externâ in genere.

Ea deliria quæ fiunt à cauſa interna, & ipſa pro fomitis interni varietate ſunt varia & diverſa prout diverſimodè ſpiritus afficiuntur. Quomodo autem talia vitia interna poſſint determinare ſpiritus ad certum quoddam delirium, declarabo itidem per exemplum.

Nam conſideretis ſemen turgeſcens in vaſculis & veſiculis ſeminalibus ibique titillationem ſuavem excitans, determinat iſtud ſemen ſpiritus ut exinde fiant ſomnia venerea, quibus ſomniando imaginamur nos venerem cum formoſis puellis exercere, indeque etiam ſeminis excretio ſeu pollutio nocturna ordinario ſuccedit.

Optime huc facit hoc exemplum: Ut enim ſemen turgeſcens titillando infert ſomnium venereum, ita etiam ſimili fere modo ſordes vitioſæ vel alia quæcunque cauſa interna determinando ſpiritus infert deliria certa.

Nam rectè in ſomniantibus *inſomnia dicuntur dormientium deliria:* Sicuti contra *vigilantium deliria* rectè dicuntur *vigilantium inſomnia*, cum tale quid patiantur delirantes, quod patiuntur ſomniantes.

Unde etiam delirantes interdum recordantur eorum, interdum non recordantur, quæ ſub delirio fecerunt, non ſecus atque fit interdum cum ſomniis paulò profundioribus. Qui rectè novit declarare naturam & fiendi modum ſomniorum, hic ipſe etiam manifeſtatam habebit Theoriam deliriorum: Iſtud exemplum de pollutione nocturnâ curioſo poteſt adminiſtrare anſam altiùs meditandi inſomniorum & deliriorum naturam.

Quo etiam pertinet Delirium dictum Furor Uterinus, cum aliàs notum ſit quod ſomnia naturali ordine ſoleant inſequi temperaturam ut vocant ſive naturalem corporis craſin.

Phrenitis.

Hæc quoad generalia. Deliria, quæ ab interna oriuntur cauſa ſunt varia. Et 1 quidem ſunt vel CUM FEBRE vel SINE FEBRE. DELIRIUM CUM FEBRE aut eſt *levius* aut eſt *gravius*. Illud delirium ſimplex alias etiam PARAPHRENITIS appellatur: hoc vero nempe gravius ordinariâ appellatione, nomine PHRENITIS audit, eamque phrenitidem ex inflammatione membranarum cerebri oriri vulgo æſtimant. De hac phrenitide ita explicata jam ſuperius monui, quod nempe proprie ſecundum primos auctores medicinæ diaphragmatis inflammationem innuat: 2. Quod iiſdem inflammatio cerebri ejuſque membranarum vocata fuerit *ſphacelus*, malum ut rarum, ita utplurimum funeſtum & lethale. Verum cum loquendum ſit cum vulgo, ſentiendum autem cum paucis, ob id & nos non neglectâ veritate phrenitidis vulgari modo acceptum nomen uſurpabimus, idque imprimis quia ratione medendi methodi, & in diaphragmatis inflammatione, & in ſphacelo cerebri eadem ſit curandi ratio, quæ in vulgo ſic dicta phrenitide.

CAUSA ergo tàm levioris quàm gravioris univerſalis delirii ſive phrenitidis eſt ſpirituum varius & confuſus in cerebro motus, cujus occaſione (dico occaſione) varia & inanis cohærentia & diverſa phantaſmata ab anima efformantur, quorum index & nuncius ſunt inconditi ſermones, riſus aut fletus, floſculorum, qui nuſpiam ſunt, collectiones, vigiliæ, jectigationes, muſcarum inſolitæ venationes, & variæ artuum motiones, donec aucto & nimis impetuoſo ſpirituum reddito motu, tandem convulſiones ſæpe lethales ſuperveniant, aut donec ſpiritibus tantùm non abſumptis vel incondito narcoticorum uſu fixatis phrenitis in lethargum mutetur, vel in affectum Caroticum potiùs.

CAUSA REMOTA inconditæ iſtius ſpirituum agitationis in cerebro eſt nimia cerebri incaleſcentia ob efferveſcentiam inſignem maſſ. ſang. Unde ſubtiliores & fervidiores redditi ſpiritus, agilius quidem, ſed ſimul confuſius & perturbatius in cerebro moventur, unde primo vigiliæ pertinaces hinc *phrenitides*, tandem *convulſiones* oriuntur.

Unde etiam in incremento febrium continuarum aut in principio ſtatim ipſius ſtatus, febrium ardentium & continuarum imprimis delirium affligere ſolet, ubi nempe maxima eſt ſanguinis efferveſcentia.

Ubi enim in principio morbi abſque inſigniori febrili ſanguinis efferveſcentia, vigiliæ pertinaces cum leviori delirio ſe manifeſtare volunt, malignitatis anguis latet ſub herba & cauſa maligna perturbationis ſpirituum motus ſolet eſſe origo: Uti fit in peſte & aliis morbis malignis, quod probe obſervetur pro praxi. Interdum verò iſtud inflammationi cerebri; vel membranarum inflammationi vel ſaltim cum inflammatione corticis cerebri eſt conjunctum.

Exempla talia ſubinde proſtant & reperta ſunt poſt apertionem cadaverum phrenitide mortuorum: Sic enim refert RHODIUS *cent.* 1. *obſ.* 39. phreniticum cum biduo extinctum, in cujus capite aperto cerebrum & membranæ ejus cum intenſo rubore adeò tumebant, ut facile venæ ab ipſius ſubſtantia potuerint ſeparari. Sic etiam *Nicolaus* FONTANUS *in Analectis cap.* 2. Ubi nempe phrenitide mortuum refert, in cujus reſecto cranio cerebrum ubique maculis ſanguineis conſperſum & meninges in ſpecie pia mater tumida admodum & ſanguine nigriuſculo turgido viſa fuit & inſigniores ejuſdem rami per cranium diſperſi ſanguine congrumato tumidi reperti fuerunt.

Et tales inflammationes membranarum cerebri imprimis corticis ejus tunc adſunt, quando per metaſtaſin materiæ fit phrenitis, i. e. quando poſt Eryſipelas externum aut poſt pleuritidem ſive peripneumoniam aut poſt anginam ſubitò curatam ſequitur phrenitis: Signum enim tunc eſt ſanguinem coagulatum in iſtis partium inflammationibus ſolutum denuo hærere in membranis cerebri aut ipſo cerebro, & ibidem novam inducere inflammationem. Unde interdum in phrenitide adeſt inflammatio cerebri & membranarum, non tamen ſemper.

CAUSAS quod attinet remotiores, certum eſt quod *ætas Iuvenilis*, *aër æſtivus* & *uſus potuum generoſorum* in ſpecie *vini* admodum promptos nos reddat ad phrenitides, uti videmus in ebrioſis.

Exempla ſanè proſtant ubivis ex abuſu vini Juvenum correptorum phrenitide: quin & excretiones, ſanguinis ſuppreſſæ, uti febres ita etiam ſtagnationem ſanguinis poſtmodum in cerebro inducunt: Qua ratione ex inſufficienti puerperii ſeu lochiorum purgatione phrenitidem obortam in puerpera refert HORSTIUS *lib.* 2. *obſerv.* 25. *& cit. loc. obſerv.* 26. *ex retentione hæmorrhoidum* obortam phrenitidem recenſet. *Affectus animi graviores*, quos inter primatum obtinet *Ira* admodum nos diſponit ad febres, & hinc ad phrenitidem: Nam ipſa ira quaſi eſt parva febris naturalis, dum in ira ſanguis efferveſcit circa præcordia, unde corpus calet, facies rubore tincta perſpicuo, pulſus eſt frequentior & major ex aucta ſanguinis fermentatione. Unde non mirum ſi ſuperveniat febris & phrenitis.

Febres malignæ etiam uti monui, ſæpius conjunctas habent phrenitides; Et quidem hæ phrenitides in febribus malignis ſuperveniunt citra inſignem ſanguinis efferveſcentiam & corporis incaleſcentiam: Unde & ſæpius in principio Medicus talia deliria obſervat ne perditos reddat ægros.

Differentias quod attinet, omne delirium in febribus, quo etiam fuerit phrenitis, eſt vel *ridiculum* vel eſt *ſerium*. *Ridiculum* eſt, quando ægri varia abſurda incondita & minùs cohærentia cum quadam hilaritate interdum cum riſu, &c. proferunt. *Serium*

verò delirium eſt, quando ægri quaſi aliquantiſper irati cum impetu & quodam furore proferunt varia & incondita, & interdum tàm inſcii quàm excogitando varios ſermones proruunt.

Quæ differentia obſervatur propter HIPPOCRATEM, qui dicit, quòd deliria ridicula ſint tutiora & minùs mala. quàm deliria ſeria aut cum jurgiis.

QVOAD SIGNA.

1. Quidem in febribus neceſſe eſt ut delirium imminens præcognoſcatur, ut poſſimus præcavere. Et quidem imminens delirium ferè ſolet facile cognoſci ex quadam garrulitate & nimiâ loquendi promptitudine, item ex mutatione morum, ſi nempe is qui aliàs mitis eſt facilis in reſpirando, fit nonnihil ferax & temerarius: item fiunt nonnihil proclives ad iram: Item ſi is, qui aliàs eſt taciturnus, fiat loquax, ſi corpus indecorè moveat, aut etiam corpus denudet, ſi eorum quæ legit vel locutus fuit, ſubitò obliviſcatur: ſi eundem ſermonem ſæpiùs citra rationem repetat. Item ſi vigiliæ pertinaces adſint aut ſaltim ſomnus admodum turbulentus præceſſerit. In talibus caſibus delirium imminere patet; id quod imprimis confirmant oculi: ſic enim ſi fiant aliquantiſper mobiliores ſolito, ſi fiant ſplendidiores & quaſi fulgidi, ſi ſint inſtabiles, de tunc metus eſt non leve imminere Delirium. Ipſum delirium præſens facilè cognoſcitur ex inconditis ſermonibus, variis actionibus ex quibus facilè præſens vel adſtans deliramentum vel delirium agnoſcitur.

Porrò an in verâ phrenitide revera adſit inflammatio Diaphragmatis aut inflammatio cerebri & membranarum, an verò tantummodo incaleſcentia indeque natus fervor ſpirituum ex ſequentibus agnoſcitur: quod nempe imminens dolor adſit in phrenitide in qua eſt inflammatio cerebri: nam ex natura partis facilè patet, quod dolor ſit vehementiſſimus, cum durâ mater cerebri ſimul ſit affecta, quæ eſt ſenſibiliſſima. Unde eſt quod tales phrenetici ſoleant avellere capillos, inſcii tamen propter immanem & acutiſſimum dolorem, quem percipiunt. Item perpetuò tamen capiti admovent, & vario aut quaſi furioſo motu caput agitant.

Dolores ergo adſunt acerbiſſimi in inflammatione cerebri & membranarum: Unde eſt adeò brevis affectus cum non poſſit durare propter inſignem diſſipationem ſpirituum. Accedunt præterea interdum convulſiones, idque quando inflammatio cerebri incipit in gangrænam abire, nam omnis inflammationis finis eſt *gangræna*. Deinde in tali caſu pulſatio adeſt vehementiſſima, de quâ ante delirium conqueruntur ægri, quæ quanta ſit percipitur, ſi attentè conſpiciatur collum, ibi enim arteriæ carotides quàm impetuoſiſſimè pulſant propter ſanguinem influentem & ob inflammationem in cerebro ſtagnantem: Unde etiam HIPPOCRATES arteriam pulſantem in temporibus prænuncium æſtimat phrenitidis imminentis.

QVOD ATTINET PROGNOSIN.

Phrenitis omnis malum eſt periculoſum & acutum. Majus tamen periculoſum: in qua inflammatæ ſunt membranæ & ipſum cerebrum, minùs periculoſum, quando eſt ſpirituum tantum fervor & ſanguinis incaleſcentia. Si vires ſint languidæ in phrenitide utplurimum moriuntur ægri.

Quod ſi accedant phrenitidi convulſiones, linguæ aphonia, aut ſingultus aut dentium ſtridor aut vox tremula, item fecum & urinæ inſcia dejectio, hæc phrenitidem lethalem innuunt. Phrenitis ſi vertatur in lethargum aut affectum comatoſum utplurimum eſt lethalis.

Obſervetur autem quod quædam deliria in febribus phreniticis vel paraphreniticis ſint interdum *Critica*. Probè ergò ſunt diſtinguenda deliria febrium Critica à ſymptomaticis, propterea quoniam ſymptomatica neceſſe eſt curet Medicus: Criticum verò delirium omnino intactum eſt ſinendum.

SIGNA ERGO DELIRII CRITICI.

Quod Delirium Criticum utplurimum ſequitur Hæmorragia narium ſunt ſequentia. Si coctionis ſigna appareant in urina & pulſus ſit inæqualis, ſit nonnihil magnus, & nonnihil validus: item ſi tranquillitas quædam in ſymptomatibus ſit in ægro: ſi ex oculis ſplendores videantur elici, ſi delirium ſuperveniat à ſubitò nata Cephalalgia, ſi nares pruriant, ſi facies rubeat & adſit tenſio mollis hypochondriorum, ætas ſit Juvenilis & forſan aliàs æger conſuetus ſit excernere per nares ſanguinem: In tali delirio caveat Medicus, ne iſtud ſolvere conetur, quia eſt Criticum ſalutare, adeoque naturæ motus: Quod delirium Criticum uti dixi hæmorrhagia narium utplurimum ſuccedit: & tale delirium eſt ſalutare & ſaluberrimum, reliqua ſymptomatica ſemper ſunt ſuſpecta.

QVOD ATTINET CVRAM.

In Cura ſanguinis & hinc ſpirituum fervor temperandus, imprimis ſanguinem evacuando; 2. Efferveſcentia ſanguinis febrilis eſt compeſcenda, & 3. Spirituum turbatus motus figentibus nonnihil tàm internis quàm externis eſt ſiſtendus. Hoc ut fiat obſervetur, quod ſibi debeat cavere Medicus imprimis Junior ne ad ebrium vocatus, ceu morbi deliroſi curationem inſtituat, uti aliquando obſervatum fuit factum fuiſſe ab incautis Medicis, ne hac occaſione ſe riſui exponant ignavo popello.

Deinde cum iis adjunctus ſit ſæpius ſomnus deficiens ſive Agrypnia, qui, malum delirii admodum favet, ſubinde Hypnoticis blandè & etiam *Narcoticis* agemus, idque tàm in Medicamentis internis quàm externis. Cautè autem uſurpentur internè omnia talia in ſpecie *opiata*.

Nam ſi opiata non ſiſtant ſpiritus & eorum motum compeſcant potiùs delirium gravius reddunt, cum ipſum opium ſomnia inducat turbulenta & truculenta.

Sin vero *Narcoticis* ſpiritus nimium figas, metus eſt ne ægrum ſopiendo, tandem non poſſis amplius exſuſcitare, aut metus eſt ne per opiata phrenitidem in lethargum mutes. Cum enim ſpiritus in phrenitide ſint admodum volatiles & ſubtiles, & ſimul propter motum continuum auctum pauci, ob id facilè ex Narcoticorum doſi auctâ permutari in lethargum ſive càrum poteſt, quæ mutatio eſt periculoſiſſima.

Certum eſt, quod narcotica & opiata legitimè adhibita ſint magna remedia & optimè in phrenitide febrili commendantur. Verum ſi tempore non opportuno aut non legitimè parata adhibentur plus nocent quàm proſunt.

In eorum ergo uſu obſervetur. 1. Quod ſint legitimè præparanda, in febribus quidem imprimis per acida ut acetum. 2. Ratione temporis adhibeantur opiata non nimis tardè, ſed imprimis in incremento morbi, ubi incipit æger vigilare: Melius enim eſt tempore vigiliarum quàm delirii adhibere Narcotica. 3. Ut his opiatis ſemper adjungantur *Bezoardica & Diaphoretica*.

Non tantum, quod in phrenitide ſæpiùs ſubſit malignitas, ſed etiam quia blanda Diaphoreſi concitata efferveſcentia ſanguinis febrilis inſigniter placatur & mitigatur. Unde etiam per conſequens talibus ipſa phrenitis non raro tollitur. Ante omnia mox Ven. Sect. inſtituenda, quò citius eò melius. Nam ſi erit febris ardens phrenetica abſque malignitate, optimè convenit hæc ipſa, aut licet adſit malignitas, tamen in principio primo ſine tanto periculo poteſt *ſecari vena*.

Larga

Larga autem ſit Ven. ſect. AUCTORE LINDANO, qui refert ſuum parentem cum D. TULPIO Viro cuidam phrenetico uno die ℥xxxvj. ſanguinis emiſiſſe, tertio die totidem, & quarto die ℥xxv.

Sic enim inquit: Medicus, ſive adeſt furor morbi, Medicum ſe præſtare debet. Verum in ipſa Ven. ſect. quoad locum eſt notandum, quodſi forſan præceſſerit ſuppreſſa quædam ſanguinis evacuatio, ut in puerperis, in partibus inferioribus in talo, & poſtmodum in brachio ſecanda Vena.

2. Quòd tempore Ven. ſect. Medicus mittat manum ſuper caput ægri, ut ex pulſu agnoſcatur, quando forſan ſufficiens ſit ſanguinis evacuatio: item ut ex pulſu cognoſcat an æger ſit animo defecturus.

3. Ubi æger minùs fert ſanguinis evacuationem, in ipsâ evacuatione ſubinde digito obturandum eſt foramen denuo aperiendum, & denuò obturandum, donec ſufficiens ſanguinis quantitas ſit extravaſata, ſic enim cum meliori Euphoriâ, & minori ægri debilitate ſanguis evacuatur.

In *topicis* ſive *externis* utut aliquantiſper aceti addere ſit conveniens, tamen multum ejus non addendum quoniam vigilias & Agrypnias auget. Unde etiam nimis gravia odorata in externis ſunt vitanda, ne talibus volatilibus augeatur phrenitis propter continuam ſpiritus incitationem.

Medicamenta ergo quæ conveniunt in cura deliriorum, ſive etiam ipſa phrenitide, prætereà quæ in febribus ardentibus externè & internè conveniunt, ſpeciale ſpecificum eſt *Anagallis* flore Phœniceo de qua vid. GABELCHOV. *cent.6. cur.* 13. qui in febribus phreneticis & paraphreneticis experientia frequenti compertum habet decoctum Anagallidis flore rubeo: Præcipit ut Mij. Anagallidis hujus decoquantur in vino & *aqu. aa.* menſurâ ß. ad conſumptionem tertiæ partis: de quo decocto manè & veſperi detur bonus hauſtus, ſimulque fiat ex iſta planta ſacculus ſimiliter in prædicto decocto humectandus, & ita ſuturæ coronali extrinſecus applicandus.

Confirmat hoc HILDESHEIM *in ſuo ſpicilegio*, qui ad deliria febrilia & phrenetica commendat hoc decoctum,

℞. Herbæ Anagallidis (fol. & flor.) Mij.
Coronarum capit. papav. alb
No. xx.
Hæc invicem coquenda dicit in ℥xvj.
vini Malvatici & Rhenani ad caſum ℥vj.

Colaturam forti expreſſione trajicit, & pro duabus vicibus hauriendam propinat in *Spicileg. 2. pag.* 190. Poſt Anagallidem eſt *lactuca, Nymphea, ſedum majus,* item *ſemina 4. frigid. major. & exinde parata emulſiones:* Succi ſubacidi *granatorum, ribium & berberum.* Porrò *ſerum lactis*, & cum eodem parati *Iulepi.* Item aqu. Anagallidis, aqu. verbenæ, aqu. Nympheæ, papaver erraticum, & omnia ex eodem remedia. Item ſpiritus acidi Minerales, in ſpecie ſpiritus nitr. dulcis & ſpiritus ſal. dulcis. *Camphora* internè cum aliis commode propinatur.

Hæc enim licet ſit ſubtiliſſimum, & penetrantiſſimum remedium, tamen virtute quadam occulta ſpirituum fixativa & narcotica pollet, & tamen hæc camphora, mirum eſt, quantum ad curandam phrenitidem cum aliis externe & interne conveniat. Externe in Epithematis: interne in potibus ſomniferis (MB. obſervetur, quod non præſcribenda ſit integra opii doſis, quando ſimul præſcribitur Camphora, quod ergo ita ſemper obſervo) Saccharum Saturni & Medicamenta ſimilia ſaturnina ſimiliter commendantur ad phrenitidem.

Item miſtura ſimplex: Tinctura Bezoardica: uti etiam nitrum antimoniatum potui ordinario injectum. Verum primatum obtinent legitime applicata opiata, v. gr. Syrupus de papavere albo, qui eſt magis uſitatus quàm de *papavere nigro*; *Emulſio ſem. papav. albi*, *cum aliis opium & Laudanum opiatum.*

BARTHOLETUS non immerito commendat *Eſſent. opii* cum ſpiritu vitriol. vol. paratam. Veteres in uſu habuerunt *Philonium Romanum*, *Diacodia*, *requiem* NICOLAI, & ſimiles: HORSTIUS aliquando curavit phreneticum poſt vini generoſioris abuſum per potionem Narcoticam die 6. uti refert *lib.2. obſ.12.*

Item FONTANUS *in cur. & Reſponſ. lib.* 1. *pag.*20. refert juventem 22. annorum ex Gonorrhæa virulenta phrenitide correptum, qui poſt univerſalia remedia per ʒj. Philonii Romani fuit curatus. Inter externa commendatur admodum *Cataplaſma* ex portulaca, ſempervivo & roſis capiti circumligatum, cui etiam nonnulli addunt Nympheam, Chamomillam & Melilotum.

BARTHOLETUS commendat in phrenitide, carnem *Cucurbitæ* tuſam & raſo capiti impoſitam. Quæ præter omnem ſpem deſperatus Phreneticus fuit curatus: quo etiam facit obſervatio BORELLI *cent.4. obſer* 94. de ruſtico, qui alterum phreneticum per taleolas cucurbitæ capiti impoſitas curavit: Confirmant etiam hæc quæ habet GABELCHOVERUS *ſupra cit. loco cent.3. cur.23. in Scholio*, quod ſcilicet ſi excavetur cucurbita per medium diſſecta, & in eandem immittantur pedes ægri ad tempus, idque ſubinde repetatur, tollat inſigniter & fervorem febrilem, & etiam ipſum delirium phreneticum. *Sedum majus* contuſum & inſtar Cataplaſmatis cum aceto plantis pedum applicatum etiam conducit, quin etiam ſolum ſyncipiti admotum blande demulcet delirium, ſed detrahendum eſt Cataplaſma, quando incipit dormire æger. *Epithema* fronti admovendum conducit ex maſtiche & myrrha cum Tinctur. Santali vide Deſcriptionem *in praxi* RIVERIANA, *pag.*117.

Decoctum radicis Mandragoræ & Hyoſcyami cum ſimilibus externe applicatum tepide fronti, commendatur ceu expertum à ZACUTO *Luſitano.*

Egregius eſt *ſuccus cancr. fluv.* vivorum expreſſus qui ad imitationem RULANDI fronti applicatus mirificè confert: Sicuti idem RULANDUS ſequens Epithema cum linteis duplicatis utiliter admovet:

℞. Aqu. Roſarum ℥x.
opii ʒj.
croci ℈ß.

Hoc ipſum cum linteis duplicatis admovet tepide fronti. Nam ſic blando conciliato ſomno mens redit.

BARTHOLETUS commendat uſum *aqu. ſpermatis ranarum* extrinſecus applicatum (& credo quod ſit potens remedium.) Potentius eſt ſi miſceatur *cum ſucco cancror. fluv.* & fiat tale Epithema ad imitationem RULANDI, quod credo non futurum inelegans

℞. Aqu. Spermatis ranarum ℥viij.
ſucci cancr. fluv. contuſor. expreſſi ℥ij.
opii acet. correcti ʒ ß. ad ℈ij.
camphoræ ℈ß.
croci ℈ß.
M. pro Epithemate.

Veteribus in uſu fuerunt animalcula viva, *anates & palumbes* per medium diſſecta & calentia ſincipiti aut toti capiti raſo applicata Nihilominus tamen apud nos in deſuetudinem abierunt. LINDANUS interim dicit hoc remedium eſſe inæſtimabile ad curandos phreneticos: qui curat phreneticos ſanguinem primùm mittendo, hinc propinando ſub noctem ℥ij. *ſyrup. papav.* & hinc adhibet columbam viventem, vel gallum viventem, vel catellum viventem, quæ animalcula ſecat per pectus, & ſtatim cum omnibus interraneis ita applicat capiti ſi fieri poteſt raſo.

Et ita applicato animalculo imponuntur lintea vel calcitra, ne ſubitò ceſſet omnis calor, mirum dicit quantum juvent hæc animalcula: remoto uno poſt hoc ſubitò applicetur aliud, idque aliquoties.

Nam

Nam ſic ſtatim & dolor remittit, & ipſum delirium nonnihil imminuitur. Dicit ſi per horam relinquatur, & poſtmodum removeatur, ſit horrendus fetor in animali applicato, ut neceſſe ſit ſubitò immergere in aquas propter fetorem intenſiſſimum.

Præter hæc & ſimilia obſervanda ſunt ea, quæ conveniunt in febribus ardentibus. Fit interdum ut phrenetici non percipientes urinæ ſtimulum continuò eandem retineant non abſque nocumento.

In tali caſu impoſitæ *perinæo cepæ* coctæ cum pinguedine anſerina urin. provocant. Aut

℞. Fol. parietariæ Mij.
herb. petroſelini cum rad. Mj.
Fiat decoctio: decocto addatur
ole. ſcorpion. ℥ij. & ita Fiat
Fotus pro pube.

Dabo exemplum pulveris propinandi in phrenitide malignâ.

℞. Cinnab. antimonii gr. xij.
bezoard. lunaris gr. vj.
laudani opiati.
& camphoræ aa. gr. j. vel
Laudani opiati gr. ij.
camphoræ gr. j.
M. dentur in duplo S.

Quod propinari poteſt in decocto Anagallidis vel in aqu. Anagallidis aut in Emulſione Tenui ſeminis papaveris albi, paratæ cum aqu. Anagallidis, Nymphææ, Hyperidi & ſimilibus. Præterea nunc conveniunt *julepi aciduli*, dum efferveſcentiam ſanguinis compeſcunt, quibus adduntur pro alvo reſeranda, ſi adſit ejus obſtructio, *pulpa Tamarindorum*, quæ laxat blandè, & ſimul ſanguinis efferveſcentiam compeſcit.

Abſolvimus phrenitidem, & quæ ad eam pertinent, pergimus jam ad reliquas deliriorum ſpecies, & imprimis quidem à cauſa interna oriundas. Nam de externis alio tempore.

Deliria Melancholica. Præter deliria febrilia & febribus conjuncta, & ab interna cauſa oriunda, etiam alia adhuc ab interno fomite proveniunt, quæ vulgò generali nomine

DELIRIA MELANCHOLICA

appellantur, & per ſe abſque febre affligere ſolent. De his

1. Obſervetur aliud eſſe Melancholicum affectum, & aliud eſſe Delirium Melancholicum. Recte enim hæc duo diſtinguit STEPHANUS *in Operibus Medicis, Commentar. de morbis virginum pag.* 41. & exactè obſervandum monet.

Nam hoc eſt Melancholia, quando homo fit nonnihil moroſus, quin ſubinde facile iraſcitur ſine manifeſta cauſa, ſi ipſi nihil arridet, ſi triſtis & cogitabundus eſt ſine occaſione externa: Item quando interdum facile terretur, quando citra manifeſtam cauſam anxietates quaſdam, & quaſi ſibi non benè conſcius eſſet & ſimiles cogitationes ſubinde oriuntur: hi ſunt propriè Melancholici.

Poſtmodum verò ubi talibus ſubjectis ſupervenit delirium hoc ſuperveniens tandem eſt delirium melancholicum & dat delirantem ex Melancholia. Scil. aliud eſt ipſe affectus, & aliud eſt ipſi adjunctum ſive ſuperveniens delirium.

Videmus in nobis ipſis *ex tempeſtatum mutatione*, ubi ſentimus gravamen quoddam, facilè iraſcimur ex mutatione tempeſtatum: & eſt affectus melancholicus naturalis: Unde quidam morboſè fiunt melancholici: poſtmodum verò delirium ſupervenit, quod melancholicum delirium pro varietate phantaſmatum ac ſymptomatum alia acquirit nomina: aliud eſt *delirium amaroſum ſeu eroticum*, aliud eſt *delirium ridiculum, aliud rabioſum, &c.*

MELANCHOLIA ſine delirio ſolet vocari apud practicos perturbatio mentis quæ perturbationes mentis Melancholicæ ſunt frequentes, ita ut adhuc recta ratio conſtet. Sic PLATERUS obſervat talem animi perturbationem in muliere, quæ ſubinde ſtimulabatur, ut interficeret infantem: erat tamen adhuc compos rectæ rationis & reſiſtebat iſtis cogitationibus.

Et hoc eſt perturbatio Melancholica, non verò perfectum delirium: ſicuti talis animi perturbatio eſt quod idem refert PLATERUS de quadam muliere, quæ ſubinde impellebatur ad maledicendum DEO, ipſa vero ſana rectâ ratione reſiſtebat his cogitationibus malis, adeoque erat tantùm perturbatio animi non verò delirium melancholicum. His ergò taliter conſtitutis citra manifeſtam cauſam ſi interdum tandem ſuperveniat Delirium, hi ipſi rectè delirio melancholico dicuntur affligi.

Dicitur Melancholicum delirium, non quod ſemper cum mœrore & triſtitia conjunctum ſit, vulgò equidem volunt, ſed falſo. Nam etiam dantur deliria ridicula, in quibus admodum ſunt læti & hilares ægrotantes: ſed propterea dicitur Melancholicum, quod oriri dicatur ab humore Melancholico: Unde dicuntur deliria Melancholica: quâ ratione apud omnes practicos, & oriri à Melancholia & derivari ſolet.

Verum varia admodum Melancholicorum delirantium ſunt exempla, admodum inter ſe diverſè omnes tantùm inter ſe conveniunt, in eo, quoad Theoriam quidem, quod in omnibus delirantibus & Melancholicis talibus obſervetur cogitatio & meditatio intenſa defixa in uno ſubjecto, utut interdum aliquot objecta ordine ſibi invicem ſuccedunt. à quibus unum delirium diverſimodè variatur tamen circa unum continuo fixa meditatio hæret.

2. Omnes tales ægri anxioſi nonnihil & quaſi in anguſtiis conſtituti videntur, & licet interdum videantur eſſe hilares & læti, nihilominus tamen non eſt vera hilaritas non verum gaudium, ſed potius eſt aliquid conjunctum cum *riſu Sardonico*: Unde eſt hæc hilaritas tantùm tranſitoria, & facilè ſuccedit novus mœror & anxietas, ſine cauſa iterum torvum vident & parum aut nihilominus dormiunt.

3. In hoc conveniunt ferè omnes quod deliria ſubinde remittant, ita ut recta ratio reſtituta denuo videatur, ſubinde tamen vel ſub mutationibus tempeſtatum inſignioribus: vel ex lunæ motibus, vel etiam idque ſæpiſſimè ex gravioribus animi pathematis ſubinde recurrant & recidivant.

QUOAD PRAXIN

In hâc conveniunt Melancholici inter ſe, quòd malum ſit contumaciſſimum & nulli ferè cedat arti, quin interdum citra adjumentum Medici, & quidem in ejuſdem dedecus ſponte non rarò remittunt.

2. Quod in iis non tàm ad caput quàm ad Maſſam ſanguineam, & imprimis ad viſcera abdominis in Hypochondriis ſita ſit reſpiciendum, quoad curationis fundamentum. Unde à *vomitoriis* imprimis curatio & inchoanda & proſequenda.

3. Stultis ſtulta interdum conveniunt remedia, adeò ut ridicula deliria ridiculo modo fuerunt curata: ut ſcil. ſemel impreſſum phantaſma per aliud contrarium quaſi deleatur & extinguatur.

Conſiderabimus ſaltim aliquot exempla eorum qui his deliriis Melancholicis fuerunt correpti.

Nonnulli in ſpecie pauperes vel ſervili conditioni addicti, putant ſe eſſe Monarchas totius mundi: quale exemplum habet SENNERTUS de Melancholia, item THONERUS *lib.* 2. *obſ.* 1. Quidam melancholici ſe ſine capite eſſe imaginantur, quale exemplum habet FORESTUS *lib.* 1. *obſer.* 12.

Quidam butyrum comedens, ſe ex butyro totum conſtare arbitrabatur, indeque ignem accedere nolebat ne liqueſceret; ſicut ſtrenuus potator mingere nolebat metuens ne quando mingeret, mundus diluvio interiret, qualia exempla refert LANGIUS *in Comment. in Fabrum.* Quidam ſe ranam vivam in corpore geſtare

geſtare putabat referente PLATERO *lib.* I. *obſerv. pag.* 40. Alius putavit ſe *Biblia* in capite geſtare. Exemplum hoc refert FORESTUS *lib.* I. *obſ.* 13.

Alius ſuum naſum inſtar pedis bubuli extare putabat, qui curatus eſt inteſtino alicujus animalis appenſo, quod Medicus abſcindebat, & ita ſe naſum abſcidiſſe dicebat referente FORESTO *lib.* 10. *obſ.* 13. *cit. loc.* Idem refert quod quidam ſerpentes ſe in corpore habere putantes, fuerint curati excrementis alvinis injectis, ut ita perſuaſus fuerit æger ſe excreviſſe.

Sic puer lapide ictus in capite incidit in delirium melancholicum, & ſemper ſyllogiſmos optimos in linguâ Germanicâ confecit, quos ipſe poſtmodum componere neſciebat, quando curatus fuit. Sic ruſticus ſemper in novilunio carmina componebat, ſed poſt novilunium ne verbum quidem Latinè proferre poterat. Fuit Melancholicus, qui putavit ſe ſemper frigere, ſeu ſeſe ſummo frigore eſſe affectum: hic fuit curatus poſtmodum: dum ipſi applicata fuit veſtis pellea ſpiritu vini ſive aqu. vitæ imbuta, quâ accenſâ æger non amplius ſe frigere dixit, & ita curatus fuit uti habet ZACUTUS *Luſitanus lib.* I. *prax. admir. obſ.* 44.

RULANDUS refert exemplum piſcatoris, qui cantabat, ridebat, concionabatur, diſputabat cum adſtantibus, uno nomine ſe omnium doctiſſimum eſſe putabat.

Rarum eſt exemplum, quod habet *Heinricus ab* HEER *obſer.* 27. de quodam Melancholico, qui ſingulos menſes in 3. dividebat partes: in primâ parte erat ſolus & meditabundus, in ſecunda venationi operam dabat, in tertia cantationibus Muſicis ſe delectabat & mirè hilaris erat.

TULPIUS *lib.* I. *obſ. cap.* 20. refert quendam melancholicum putaſſe ſe carere ſuris, qui fuit curatus poſtmodum percuſſione forti ſurarum.

BARTHOLINUS *cent.* 2, *hiſt. anatom.* 26. refert melancholicum Nobilem Venetum, qui quotannis diebus canicularibus ſub lecto ſedens ſe teſtam eſſe putabat, finito verò tempore caniculari ſanus evaſit, & per totum annum ita manſit, donec redirent altero anno dies caniculares.

Refert denique SALMUTH *cent.* I. *obſer.* 63. Delirium Melancholicum ſingulis ſeptem annis recurrens periodice ſemper durans integrum annum in Chyrurgo, finito anno iterum ceſſat, & poſt exactum ſeptennium redit.

Denique mulier quædam ſe regi cuidam eſſe deſponſatam imaginabatur: Unde vitra perforata quaſi gemmas à ſponſo datas diligenter adſervabat. Ut refert SENNERTUS *de Melancholia pag.* 339. BRENDELIUS *in conſil.* 34. refert Concionatorem ſibi imaginatum fuiſſe, ſe audire vocem DEI & Angelorum. Et quæ ſunt ſimilia varia Melancholicorum phantaſmata.

Ex his modò allatis exemplis hoc perſpicuum eſt, utut varia ſint delirantium phantaſmata, nihilominùs tamen ea utplurimum pro determinatione phantaſmatum habent cauſas externas ſive objectum quoddam, quod aut fortiùs placet, aut quod ſæpiùs occurrit, aut ſuper quod certam reflexionem faciunt Melancholici: quod objectum per ſenſus externos ſpiritibus animalibus impreſſum eos ſubinde ad eoſdem motus in cerebro diſponit: ratione hujus occaſionis anima rationalis idem phantaſma ſecundum Ideam ſive conceptum ſive ſpeciem intelligibilem & intentionalem (voca ut lubet) format & elicit.

Idem ſcilicet fit in Melancholicis, quod fit in iis qui gravi quodam negotio aut curâ preſſi, eidem ſedulò incumbentes tempore nocturno ob negotium continuò mentem occupans dormire nequeunt, aut licet dormiant per actionem tamen & tractationem diurnam ſpiritus animales motionibus iiſdem adſueti in cerebro, licet parcius in organa externa influunt eodem tamen modo in ſomno objectum circa quod verſata fuit mens repræſentant, & ita delirium Melancholicum ſive ſomnium Melancholicum excitatur: Unde id quod interdiu anxiè tractamus, continuò & fortiter in ſomnio impreſſum habemus.

Unde etiam ſubinde contingit, ut ex talibus curis & negotiis cum ſummâ intentione tractatis, interdum tales fiunt delirantes melancholicè, verbi gratiâ, ſi quis operam dat ſedulò concionibus, ut evadat egregius concionator, tandem evadit delirans, ut putet ſe eſſe ſummum Concionatorem.

Nam Melancholia ſive delirium melancholicum primò & in ſe indeterminatum, ſed paulò poſt, quando objectum excellentius aut gravius in ſenſus incurrit, certo modo determinatur & figitur; verbi gratiâ, ſi Melancholicum nondum tamen delirans, ſed tantùm mœſtus, meditabundus & moroſus: Hic ipſe tranſiens per locum, ubi videt peponem putridum, huic ſtatim ſubit cogitatio, quid ſi tu quoque putreſceres: Unde ſupervenit delirium quod putet ſe eſſe putridum. Vel audiens talis Melancholicus frangi vitra, ſtatim poteſt venire in mentem, quid ſi tu etiam tali ratione frangaris: Unde oritur delirium, quod putet ſe eſſe vitrum, & metuat ne frangatur.

Si ſit hypochondriacus in Melancholiam inclinans: Hic percipit murmura & ructus in abdomine, & quaſi coaxationes in ventre: his ſonitibus territus Melancholicus, & circa eoſdem fixis cogitationibus inhærens facilè poteſt exinde invadere in iſtud delirium, quod putet ſe habere ranas viventes ſeu ſerpentes in ventre.

Denique ut res fiat clarior, ponamus Juvenem amatorem, qui licet per ſe ſit ſaniſſimus: Hic primò admodum ſibi placet circa præſentiam amaſiæ: poſtmodum abſens meditatur ſubinde de ejuſdem pulchritudine, cogitat, quomodo denuò poſſit acquirere ejuſdem præſentiam: Hinc meditatur confabulationes, &c.

Unde fit, ut ſubinde in ſomno poſtmodum ſpecies amaſiæ & actiones cum eadem occurrant: tandem ita determinantur ſpiritus, ut non niſi Amaſiam repræſentent. Hinc tale ſequitur delirium, quod æger continuò putet ſe habere præſentem Amaſiam, unde incipit cum eadem confabulari, adulari, &c. utut neminem præſentem habeat.

Hæc & ſimilia tali modo ſe inſequuntur: Quo etiam pertinet, qui poſt terrores, triſtitiam, mœrorem vel ſimiles affectus animi graviores ſubinde deliria melancholica ſuccedunt: quâ ratione mulier perterrita ex viro ſuſpenſo graviſſimâ Melancholiâ correpta fuit, teſte PLATERO.

Hæc ergo deliria quæ ab externa occaſione vel graviori animi affectu oriuntur, quare non æque omnes affligunt? aut quare non omnibus ex animi affectibus gravioribus oriuntur deliria Melancholica?

Hic conſideranda eſt certa ſubjecti conditio. Nam certum eſt unum eſſe magis promptum ad delirium, alterum minus. Cauſa hujus promptitudinis remota habitat in maſſa ſanguinea: proxima verò hæret in ſpiritu animali.

Remota dixi eſt in maſſa ſanguinea: Notum enim eſt, prout variat maſſæ ſanguineæ naturalis craſis ex ſemine oriunda, etiam hinc hominum mores ſubinde variare, & hinc eſt quod jam ſuo tempore ſuo idiotiſmo dixit GALENUS, quod mores animi ſequantur temperaturam corporis. Unde totâ die experimur, quoſdam naturâ eſſe lætos & hilares, quoſdam naturâ eſſe iracundos, nonnihil triſtes & meditabundos, idque pro varietate ſanguineæ craſeos, unde variæ ſpirituum animalium conſtitutiones: unde etiam iſta ingeniorum eſt diverſitas. In his verò in quibus adſunt deliria Melancholica, illi utplurimum ſunt hypochondriaci. Ut

etiam malum hypochondriacum confirmatum ſæpiſſimè delirium melancholicum poſt ſe trahit, aut ſi non ſunt hypochondriaci apertè, ſimile tamen vitium malo hypochondriaco in ſtomacho tales patiuntur: Unde ſubinde acida eructant, nimium appetitum habent, alvo ſunt obſtructa & ſimilia.

Et tale delirium quando non apertè fomitem in hypochondriis habet, vulgò dicitur oriri ex conſenſu cordis & totius.

Denique tales delirantes ſubinde fiunt poſt ſuppreſſionem hæmorrhoidum, aut mulieres poſt menſium vel præternaturalem ſuppreſſionem vel naturalem emanſionem ſive ratione ætatis, ſive ratione gravitationis emaneant. Et tales *mulieres* ſubinde *Melancholia ex utero* vocari ſolent.

Communiter melancholiam oriri ex *ſplene* volunt: & *ſpleneticos* obnoxios dicunt melancholiæ, *ſplenis* tamen *viſcus eſt inſons* in tali caſu, & ſi interdum tumidum aut infarctum reperiatur, unde pulſationes ſuccedunt in arteriis ob ſanguinis ſtagnationem: hæc ſuperveniunt potiùs melancholicis affectibus, quàm ut radicalis ſint melancholiæ ſedes: ſed potiùs ſubinde ſunt hypochondriaci & ſimilibus malis obnoxii.

In his ergo ſubjectis melancholicis imprimis *acidum* vitioſum abundare, indeque coctionem primam vitiare, quin etiam maſſ. ſang. exinde craſſiorem & viſcidiorem, minuſque ſpirituoſam eſſe multa adjuncta ſymptomata perſuadent non minùs quàm cura, quæ ad hoc eſt directa ut imprimis acidum vitioſè corrigatur & emendetur: In taliter enim conſtituta maſſ. ſang. non tantùm fermentatio ejus vitalis in præcordiis lentè procedit; Unde anxietates imò non rarò graves cordis palpitationes, ſed etiam ſpirituaſcentia maſſ. ſang. ejuſque in ſpiritus ſubtiles volatiliſatio minùs convenienter perficitur, idque eò magis ſi in aëre craſſo aut cœnoſo aut paludoſo verſentur ægri, non aër multa tribuit ad volatiliſationem ſpirituum: Sic enim ex ſola aëris mutatione in claram, tenuem & ſubtilem melancholia curata fuit.

In maſſa ergo ſanguinea ſpiritus minùs volatiles minuſque ſubtiles aut minus mobiles, ſed quodammodo fixiores fiunt, imò iidem minùs apti ſunt ad varias motiones & expanſiones pro multitudine objectorum varia in cerebro perficiendas: ſed potius fixiores ab uno objecto fortius affecti, hujus potiùs quàm aliorum impreſſiones & ſubſequentes motiones recipiunt, & in ſemel inchoato tramite continuato curſu & recurſu continuò pergunt. Unde ſubminiſtratur occaſio animæ rationali unum tantùm phantaſma formandi & ſubinde repetendi.

Hinc tale continuum circa idem ſubjectum, ſive objectum delirium poſtmodum ſupervenit. Sed circa iſtud objectum, & circa quod delirant taliter Melancholici, ſubinde ſatis ſunt prudentes: Legimus etiam in A. Lusitano (nî fallor) exemplum cujuſdam pueri, qui ſe putabat eſſe regem ingentem, ſub quo delirio tàm ſubtilia & acuta rempublicam gubernandi promebat conſilia, ut omnes in admirationem raperet: curato poſtmodum delirio, puer de talibus politicis nihil ſciebat, unde ſatis ſunt prodentes circa objectum delirantes.

Id quod non minùs eſt mirum, quàm quod obſſ. practicorum docent *ſomnambulones* noctu ſurrexiſſe & verſus admodum concinnos ſcripſiſſe, manè tamen eorum quæ noctu egerint, nihil ſciviſſe.

Nam circa idem objectum ſemper occupatur anima rationalis, quia tota ejus eſſentia, prout equidem à nobis cognoſcibilis eſt, conſiſtit in eo, quod ſit ſubſtantia immaterialis quæ ſemper ratiocinatur & aliquid cogitat.

Hinc anima rationalis indefeſsè ſemper ratiocinando circa idem objectum ſubinde occupata, neceſſariò elegantes & naturales formabit diſcurſus, quoniam à nullo alio objecto interturbatur & impeditur.

Cum verò temporis mutationes in alteranda maſſ. ſang. & afficiendis ſpiritibus magna ſit poteſtas, ut in brutis quotidie videmus, non mirum eſt pro varietate temporis mutationis, etiam hinc nunc acrius nunc remiſſius affligere deliria.

Item cum ſub ipſo delirio per victum mutatum, per vigilias continuas & alias res nonnaturales, ſubinde mutetur inſigniter craſis maſſæ ſanguineæ, & conſequantur ſpiritus animales (unde videmus quod tales melancholici fiant ſubitò pingues, fit ſubinde ut interdum ſpontè ceſſent deliria, quæ tamen novâ alteratione per graviora objecta inducta denuò recurrunt, quin & ex tali varietate craſeos ſanguinis & ſpirituum fit nonnunquam, ut delirantes ex uno ſubjecto in aliud ſucceſſivè dilabantur, quâ ratione videmus quoſdam ex vini potu primò fieri hilares hinc admodum loquaces, tandem rixoſos & quaſi maniacos, denique ſomnolentos, altero vero die ſubinde fiunt mœſti, Melancholici, triſtes & quaſi turbulenti. Unde ſicut hoc facit externum vinum, & ad talem craſin maſſam ſanguineam & ſpiritus redigit, ſimili ratione hoc præſtabit vitium ex cauſis internis pronatum.

Verum quod tales ſtulti ſtultis interdum curentur remediis.

Sic verbi gratia, quidam putans ſe habere paſſeres in capite, fuit curatus per medicum qui paſſeres vivos applicavit naribus quorum morſiunculam perſentiſcens æger quaſi fuiſſet extractus, perſuaſus ad ſe rediit: alius putavit ſe geſtaſſe cornua, qui fuit curatus cornuum cervinorum alligatione, & poſtmodum per ſerram abſciſſione: alius putavit ſe carere capite, qui fuit curatus per impoſitum pileum plumbeum, cujus gravitate fuit perſuaſus ſe habere caput.

Quoad talia ridicicula curent ridulos ægros, ex eo ferè eſt quod anima rationalis occupata circa unum tantummodò objectum, ſi poſtmodum objectum morboſum remotum videt æger, vel ſi ex ſuperveniente contrario ſeu fortiori objecto alio modo moventur ſpiritus, fit ut tale fortius objectum, & quidem aliud ac novum animæ rationali præbeat occaſionem variandi ſpeculationem, & ita omnes priores ridiculos conceptus ſuperant novi conceptus, imò quaſi omninò in momento cum manu deleatur & extinguatur.

Sic Melancholia curata fuit per *gaudium nimium*, & perfuſum ex improviſo concitatum, quoniam fortius iſtud objectum delevit prius.

QVOAD DIFFERENTIAS:

Deliria ſunt varia & pro adjunctorum ſymptomatum varietate variis ſubinde inſigniuntur nominibus. Hinc eſt *Melancholia Errabunda*, *Melancholia Attonita*, *Erotica*, *&c.* quæ omnes tamen ex eodem fonte oriuntur.

SIGNA QVOD ATTINET,

1. *Imminentis Melancholiæ* ſigna ſunt quando æger gravioribus ſubinde inſomniis terretur, quando ſomnum habet turbulentum, & inſomniis intermiſtum, quando præter ſolitum fit mœſtior & triſtior etiam invitus, quando metuit ſine manifeſta cauſa, quando vel leviſſimo ſubjecto ſubitò terretur: item ſi in unâ cogitatione ſubinde fixior hæret, ſi meditabundus & cogitabundus fuerit, &c. Hæc enim & ſimilia ſunt revera Melancholiæ ſive affectus Melancholici ſigna.

Quod ſi poſtmodum æger incipiat fabulari ridiculè de uno alterovè ſubjecto quando putat ſe eſſe ſapientiſſimum & ſi porrò, tunc eſt delirans melancholicè.

Verum

Verum ipſa melancholia per ſe patet facile: ſaltim fomes & cauſæ remotæ diligenter conſiderandæ pro felici inſtituenda cura. Ideo cognoſcendum eſt an animi affectus gravior dederit occaſionem melancholiæ, an vero ex vitio maſſæ ſanguinæ melancholico (loquor vulgo) primum ortum duxerit melancholia.

Signa hæc inculcat LINDANUS dum inquit: ſi ſit ex aliquo affectu melancholia neceſſe cognoſcatur, aliàs remediis internis fruſtra agitis: Didici ex pulſu cognoſcere an ſit melancholia ex animi affectibus, an ſit ex ſanguine melancholico. Nam ſi eſt ab animi affectibus *pulſus* eſt valde obſcurus & contractus & inconſtans quandoque æqualior ſæpius inæqualis, & deinde qui habet interdum ſpeciem deficientis vermiculans eſt interdum, interdum non: Talis inæqualitas & inconſtantia pulſus certum ſignum eſt melancholiæ ex animi affectibus, quoties enim animus parum laxatur, ſtatim etiam mutatur pulſus: Unde facile animi affectus exinde pateſcunt.

Si cauſa remota ſint ſuppreſſiones Hæmorrhoidum vel menſium ex ægro cognoſcitur. Si cauſa remota ſit malum hypochondriacum ſigna hujus affectus propria erunt præſentia. In ſpecie tales ægri conqueruntur de ructibus acidis, de borborygmis & murmuribus inteſtinorum, de alvo adſtricta, dolore in hypochondrio ſiniſtro, qui eſt colicus, item de ſenſu pulſationis in dorſo, ſin vero ſit citra tamen affectum melancholia, ſpecialius ex vitiata tantùm maſſa ſanguinea, tunc imprimis ſolet habere tale delirium ſuas exacerbationes & remiſſiones item ægri admodum ſunt anxioſi & queruli admodum, palpitatio cordis ſubinde eſt frequens item præ aliis ſunt triſtes & mœrentes & quæ ſunt ſimilia ſigna affectæ maſſæ ſanguineæ. Metus tamen & triſtitia præ cæteris etiam ſunt penſitandæ in melancholicis, quidam interdum ſingulares, puſillamines & deſperati fiunt: Nam enim rarum inquit PETRÆUS *in diſſertat. harmonicis*, eſt quod gaudere & ridere videantur: minimè tamen gaudium eſt gaudens & verus riſus, ſed quaſi cynicus & ſarcaſticus, quia paulò poſt mœſti & triſtes evadunt.

Unde etiam ſolitudines amant & converſationes hominum pertimeſcunt.

QUOAD PROGNOSIN.

Malum recens & cui nondum ſupervenit delirium facilè curatur, ſubinde etiam à ſola convenienti victus ratione, quia laudabilis tenuis & ſpirituoſus generatur ſanguis tales ægri curantur. Inveterata verò melancholia, in ſpecie cui pertinax delirium acceſſit, aut quæ ſubinde repetit, rarò curatur, quin utplurimum ægros ad mortem comitatur. Melancholia quæ poſt morbum acutum eſt, ut poſt febres diuturnas aut acutas, aut poſt phrenitidem, facilius aliis & ſæpè per ſolam diætam curatur.

In viris familiarior & frequentior eſt melancholia ſed minus difficilis curatu: in *fœminis* quidem rarior ſed diuturnior & pertinacior.

Melancholia quæ eſt cum riſu ſive gaudio tutior eſt & tractabilior quàm iſta melancholia, quæ eſt cum furore, ſtudio & ſeria. Melancholia quæ à Charactere ſeminali per parentes in liberos fuit tranſplantata, rarò poteſt curari. Si melancholicus præter ſolitum in riſum, vel fletum vel lachrymas ſolvatur, metuendum eſt ne in maniam tranſeat. Ad ſalutem monſtratur via ſi mitiora fiunt deliria: ſi ſuperveniat hæmorrhoidum fluxus aut etiam uteri, ſi ſuperveniant varices quos ipſos commendat HIPPOCRATES *ſect.6. aphor. 21.* item ſi in ſcabiem aut ſimilia cutanea vitia fiat tranſmutatio. His enim interdum ferè terminatur melancholia. Ad interitum verò inclinant ægri ſi tandem vires reſolvantur, vel ſi ægri cibum & potum pertinaciter averſentur, quin etiam quando nihil dormiunt ac tandem vires fatiſcunt.

Nam obſervatum fuit melancholicos interdum ad aliquot menſes ne momentum quidem dormiviſſe, & ita tandem collapſis viribus intereunt. Rarius fit ut ſuperveniant convulſiones aut Epilepſiæ quæ cerebrum afficiant.

Quod attinet METHODUM MEDENDI ad curandam melancholiam & deliria melancholica obſervetur totam curam conſiſtere in rectificatione maſſ. ſanguineæ: in correctione ejuſdem vitiorum & regeneratione maſſæ ſanguineæ ſpirituoſa & volatili. Sed hoc etiam non caret difficultate, partim quod malum per ſe ſit contumax, partim etiam quod melancholici ſtatim omnium remediorum ſint pertæſi & aliàs etiam per ſe ſatis immorigeri.

Hinc obſervandum, ut cauſa remota removeatur; quæ ſi ſit affectus animi gravior removenda eſt non tantùm per medicum quàm Ethicum ſive moraliſtam; ſin vero ſint cauſæ internæ, menſes ſuppreſſi, malum hypochondriacum, &c. tunc hæ primitus curandæ. In genere tamen poſt ablationem cauſæ remotæ omnes melancholiæ & omnes ejuſdem ſpecies curantur; in ſpecie per omnia ea remedia quæ in affectu hypochondriaco uſurpantur tàm digeſtiva quàm laxativa, quibus addenda poſtmodum appropriata confortantia dicta quæ ſpiritus animales volatiliores ſubtiliores & agiliores reddere & fermentationem ſanguinis naturalem reſtituere valent. Inter priora iſta ad maſſ. ſanguineam corrigendam primatum obtinent *Tartarea & martialia.* Inter poſteriora vero *confortantia* ſunt imprimis *vinum crocus, meliſſa, ambrata* & omnia *cephalica* ſpirituoſa.

Ut ergo hos ſcopos obtineamus, obſervandum

1. Rectè monere auctores, omnia incaſſum circa melancholiarum & maniarum curam tentari, niſi quàm ſtudioſiſſimè *Emeticorum* uſus obſervetur. Nam in vomitoriis conſiſtit radix curæ omnis melancholiæ & maniæ, quæ pro ratione cauſarum ſubinde repetenda, & non una vice iis inſiſtendum.

2. Rectè monet RIVERIUS, ad hypochondria ſemper præcipuam dirigendam eſſe curam, undecunque malum etiam primitus traxerit originem: Unde curatio pro malo hypochondriaco ad reliquarum melancholiarum curationem ſufficit: Unde etiam BARTHOLETUS *de reſpiratione*: dicit, quod melancholia, quæ ex conſenſu totius cum corde derivatur, reſpondent quartanæ exquiſitæ, adeoque etiam eſſe tractandos melancholicos atque Quartanarios.

3. Caveat ſibi diligenter medicus, ne ſolus melancholicos adeat, aut iiſdem propius accedat. Nam hi ipſi admodum infenſi ſunt medicis, eoſque ſubinde malè tractant, verberibuſque miſerè onerant. Exempla talia habet HILDANUS *cent.4. obſ.9.* & FORESTUS *lib.10. obſ.22. Scholio.*

4. Summatim totius curationis ſcopus ſimul ſemper eò dirigendus, ut melancholicos acuto quodam ſtratagemate decipiamus, eoſque à ſemel concepta opinione etiam ridiculis mediis nonnunquam deducamus. Talia enim ſtratagemata minus ſunt aliena à medico.

5. Alvus ſemper mollis & lubrica ſervanda. Nihil enim eſt; quod magis hypochondriacos & melancholicos infeſtet quàm alvus obſtructa. Unde ſemper alvus reſpondere debet aut natura aut arte.

6. Cum melancholici, qui ſemel delirantes fuere; ſubinde recidivare ſoleant, ob id oportunè & tempeſtivè Vere & Autumno cura prophylactica per alterantia & laxantia & appropriata ſpirituoſa inſtituenda.

7. *Purgantia* minus commoda ſunt, quàm *Diaretica*: in principio equidem ſemel & iterum purgare licet, monente LINDANO, ſed in progreſſu mali plus nocebitis, quã proficietis, quia optimè per urinas & interdum per ſudores tollitur malum, uti diſſerit LINDANUS. Nã (α) melancholici plus mingunt quàm alii: qu a

(ß) rarò ſudant, & à conſtipatione pororum corporis materia urinæ ſubinde augetur.

8. Et in genere hic monendum, omnes affectus, qui dicuntur *Splenetici*, aut qui dicuntur oriri ab humore melancholico, optimè per diuretica ſalſa curantur. Nam obſervatum fuit, quod in talibus urina turbida & craſſa interdum etiam nigra reddita copioſis contentis ſaturata ſignum ſit declinantis morbi & imminentis ſanitatis.

9. Quantum fieri poteſt, opera danda, ut agrypnia coërceatur, & ſomnus aut conſervetur, aut reſtituatur. Id quod interdum poſt vomitorium facile acquirere vel obtinere poſſumus. Quia tunc imprimis laſſati ægri facilè in ſomnum properant: & ad ſomnum ut provocemus, in ſpecie alimenta quæ ſunt humida ac bono nutrimento rorido turgida, qualia ſunt lacticiñia, &c. optimè conducunt. Nam

10. In diæta ſemper obſervetur, ut dentur *potulenta* & *eſculenta*, quæ blando humore nutritio ſunt turgida & impragnata.

11. *Opiata* ſola nunquam danda. Nam parum operantur, & ſubinde duplicata & triplicata doſi nihil faciunt, idque eò magis, quò diutius ſomnum non viderit æger, & tunc narcotica & opiata potius aggravant malum, cum talia narcotica per ſe ſomnia nonnihil turbulenta, ſæpius aut in majori doſi inferunt. Internè ſemper appropriatis miſcenda opiata in ſpecie humectantibus, & etiam externè Epithematis capiti & fronti applicandis, item pediluviis & ſimilibus ſomnum provocantibus & lenientibus.

Quod attinet *Materiam medicam*. 1. Radix extirpandæ melancholiæ rectè à PARACELSO dicitur conſiſtere in antimonio. *Præparata* ſunt varia, tam quæ ſupra, quàm quæ infra operantur. Et in ſpecie flores antimonii commendat PARACELSUS, quorum florum præparationem elegantem videatis in FINCKIO *in Enchiridio Dogmatico Hermetico* de Melancholia, appropriatiſſimum ad curandos Melancholicos. Aliàs etiam mercur. *vitæ* per inferiora purgans multis modis parabilis, & ipſe eſt admodum conveniens, aliàs pro vomitoriis ſint *aurum vitæ* ſeu *præcipitatum mercurii* cum *auro* (imprimis KEGLERI) item pro vomitorio eſt *Tartarus Emeticus* MYNSICHTI à gr. vj. ad viij. in forma ſicca uſurpandus. Infuſum mercurii vitæ repetitum interdum confert. *Sapa vomitoria* SYLVII ex muſto & mercur. vitæ eſt etiam egregia. Poſt hæc imprimis ſunt *Helleborus* & *Helleborata*, quæ in affectibus melancholicis & in deliriis melancholicis obtinent primatum. In Mania quidem helleborus albus (de quo cras) in Melancholia vero helleborus niger, ejuſque extractum cum phlegmate vitrioli ſpirituoſo paratum, & exinde paratæ pilulæ cum antimon. per inferiora purgante. h. m.

℞. Extract. helleb. nigr. ℈j.
antimonii per inferiora purgantis gr. v.
(pro varietate tamen præparationis variat doſis)
Extracti Trochiſcor. Alhandal. gr. ij.

Hinc vel fiant pilulæ cum Syrupo de pomis v. gr. vel quod melius cum aqua anagallidis & aqua flor. Hyperici fiat potiuncula edulcoranda (ſyrupo de pomis laxativo & ita propinanda. Quin & infuſum rad. hellebori nigri cum fol. ſenn. &c. ſal. Tartar. in aqua appropriata eſt admodum conveniens purgans in Melancholiis. Poteſt etiam fieri *Vinum helleboratum Quercetani* (quod vid. *in Pharmacop.*) quod eſt convenientiſſimum laxativum Melancholicorum. Item Tartarus vitriolatus antimoniatus ad gr. iv. vel v. propinatus eſt etiam conveniens. Præparandi modus proſtat in SCHROEDERO. Poſt hellebarata ſunt imprimis *Sennata*, eadem tamen nunquam ſine ſtimulo Tartareo præſcribenda. Convenit maſſ. pilul. *de Ammoniaco. maſſ. pilul. de Tartaro Quercetani. Extractum Melagogum* QUERCETANI *maſſ.* pilul. de Fumaria, item *de lapide Lazuli.*

Quod attinet remedia, & 1. quidem ad corrigendam maſſ. ſang. & quaſi curandum malum hypochondriacũ ex ſimplicibus ſunt omnia ea, quæ vocantur *Splenetica*, in ſpecie tamen *fumaria* præ cæteris eſt utilis, & omnia ex fumaria parata remedia. Unde *Eſſent. Fumariæ compoſita noſtra* optimè convenit, ſi miſceatur cum eſſentia ſeu Tinctura martis liquida v. gr.

℞. Eſſ. fumariæ compoſitæ ℥iij.
Tinct. martis liquidæ ℥ij.
Eſſ. Croci ʒj. M.
Doſis ter in die gt. 50.

Poſt fumariam *ſuccus pomorum Borſdorffianorum*, vel etiam omnia ex pomis parata remedia, v. gr. Syrupus de pomis extractum martis cum ſucco pomorum; Extractum granorum Chermes cum ſucco pomorum ex HARTMANNO & ſimilia. Item *ſyrupus de ſucco Borraginis*, item *bugloſſæ*: medicamenta quæcunquæ ex *lupalo* & ſimilia.

Sed hæc ſunt clara ex cura Mali hypochondriaci.

Præ cæteris Tartar. commendatur. Hic Tartar. datur cum ſalibus aliis lixivialibus in ſpecie e. ſale abſinthii cum ſale fraxini: item cremor Tartari miſtus cum ana ſal. Tartari eſt egregium digeſtivum in affectibus melancholicis, quando & Tinct. Tart. aut etiam ſpiritus vini tartariſatus, ſpiritus tartari vol. Item ſpiritus carminativus ex nitr. Tart. ſpir. vini eſt convenientiſſimus in paroxyſmo hypochondriaco & melancholia. Facit huc *liquor Tart. diaphoreticus* cũ ſuccis D. RHEFELDII.

℞. Succi expreſſi Piperitidis ℥iv.
Succ. Cochleariæ.
Raphani marini
Naſturtii aquatici.
Hortenſis ana ℥j.
Spiritus tartari probè rectificati ℔j.

Hæc omnia miſcet & deſtillat aliquoties in B. M. doſis à ʒij. ad ʒß. In Melancholia imprimis hypochondriaca non minus quàm in aliis melancholiæ ſpeciebus.

Porro omnes Croci mart. aperitivi ſive cum ſalibus ſive cum aliis ſimplicibus menſtruis parati. Item Tinct. mart. MYNSICHTI, eſſentia mart. *liquida*, Tinct. vitrioli martis. ZWELFERI & ſimilia optime conveniunt in melancholia. Quo pertinent omnia etiam *antiſcorbutica*, quæ & ipſa in malo hypochondriaco & melancholia hypochondriaca ſunt optima in corrigenda maſſa ſanguinea. His medicamentis ſpleneticis tartareis, martialibus, *antiſcorbuticis*, &c. ſubinde interponentia *appropriata*, quæ inter ex *vegetabilibus* ſunt:

1. *Anagallis* flore phœniceo, & hinc *hypericum*, hæc enim duo mirè conferunt contra phantaſmata melancholica, ſive tantùm coquantur in aqua appropriata, & propinentur, ſive fiat Eſſent. & Tinctura compoſita: quo pertinet Tinct. hyperici MYNSICHTI, item *Eſſ. anagallidis compoſita* D. MICHAELIS, quæ ad 50. vel 60. guttas bis in die ſumatur, *Tinct. hyperici* MINSICHTI datur pro doſi aliquot cochlearia. Hæc duo ſunt appropriatiſſima, poſt hæc eſt *ſaturnus* & ejus imprimis *Saccharum.* Loco hujus etiam cryſtalli Minervæ ſaturni cum ſpiritu nitri præparati, qui acuatur cum acet. deſtillat. & ita ex minera ſaturni fiunt cryſtalli ſpecifici in Mania & reliquis melancholiis. Loco horum vel ſolum ſaccharũ ſaturni ſingulariter, quo ipſo MONACHUS *Italiæ* maniacos & melancholicos curavit, propinando quotidie. Et ſcio juvenem, qui melancholia hypochondriaca affectus curatus fuit per ſaccharũ ſaturni, metus, quod ſteriles reddat, eſt inanis. In *lapide Lazuli* ſingulare eſt remedium ad affectus melancholicos, ſive in forma pulvis ad imitationem HARMANNI propinatus: ſive quod melius fit TINCT. SMARAGDINA cum ſpiritu vini & ſpiritu urinæ doſis à gutt. xij. ad xx.

Miſcetur commodè cum Eſſentia anagallidis compoſita h. m.

℞. Eſſ. anagallidis compoſita ʒiij.
Tinct. lapidis Lazuli ʒj.
M. D. 40. vel 50. tr.

Hinc etiam *confectio Alkermes* ratione lapidis lazuli & ambræ optimè convenit ad melancholiam præmiſſis medicamentis hypochondriacis; quæ confortat melancholicos: aut etiam internè uſurpari poteſt eſſ. ambræ. Tinct. *Coralliorum* cum ſpiritu cordis cervi eſt egregium remedium in anxietatibus & anguſtiis melancholicis: ſimul etiam egregiè ad phantaſmata melancholica diſpellenda confert. *Crocus* denique vegetabilis & ipſe optimum remedium melancholicum. Nam inſigniter convenit ad volatiliſandos & ſubtiliſandos ſpiritus, utut occulta narcoticâ vi eos figat. Hinc commendat meritò HARTMANNUS *eſſ. croci* cum aqua vitis deſtillatâ: Cui tamen præfert LINDANUS eandem eſſent. paratam cum aqua betulæ, quæ admodum eſt egregia cum croco miſta, ſive ſit aqua deſtillata betulæ, ſive per fermentationem purificata & ita propinata. Idem LINDANUS commendat ſingulariter ſyrupum ſucci boraginis, cui croci pauxillum poſtmodum addit. Sic BORELLUS *cent.2. obſer.99.* refert de quadam muliere ex mœſtitia in melancholiam incidente, curatâ ſolummodo per nodulum ſeu ſacculum ex croco in ſcrobiculo cordis geſtatum. Denique *Camphora* ſingulariſſima eſt in mania, uti etiam in melancholicis deliriis, ſi parum ejus uſurpetur cum aliis, aut ſi tantillum ejus cum nodulo iſto appendatur. Expertum hoc habeo in quodam amico, qui terroribus ſubinde affligebatur. Quin etiam internè camphora præmiſſis præmittendis admodum convenit, v.gr.

℞. aqu. Anagallidis.
Flor. hyperici.
Cordial. Hercul. Saxoniæ ana ℥j.
Eſſ. Helenij ʒij.
Croci. ʒj.
Tinct. Coralli cum ſpiritu cord. cervi ʒiß.
Eſſ. ambræ gutt.xv. ad ℈j.
Camphoræ gr.vi.
Syrupi de Canella ʒj.
M.F.pot. confort.& refrig.pro plur. doſib.

Subinde uſurpanda cochl.1. vel etiam 2. Interdum pro *ſudorifero* convenit præter *M. ſimplicem*, imprimis ſpiritus ſal. ammoniaci vol. qui ad curam mali hypochondriaci, & hinc melancholiæ hypochondriacæ eſt optimus imprimis, ſi miſceatur cum ſpiritu carminativo ana. *Elixyr proprietatis* SENNERTI cum ſuccis paratum, Tinct. coralliorum legitimè parata, imprimis ſi reducatur ad ſtatum volatilitatis mirè confert in his affectibus. Unde *Eſſ. fumariæ compoſita miſta* Tinct. coralliorum antiſcorbuticæ eſt egregia. *Satyrium* ejuſque *conſerva*, item *Eſſ. Satyrii* magnam vim habet ad mœrores & triſtitias pellendas, inquiunt Auctores: Sed obſervetur in uſu, ne ſit *Melancholia Erotica*, ſeu ex amore, utpote quam potius aggravat. Eſſent.& conſerva cum aliis miſta conducit. STOECKERUS inſigniter commendat in affectibus melancholicis hanc aquam deſtillatam.

℞. Flor. anthos Borraginis
Bugloſſæ ana ℥iv.
Croci ʒj.
Malorum Cotoneorum ℥iv.
Vini albi generoſi ℔ij.

Miſta digerantur per 15. dies, & deſtillentur, aqu. propinetur ad ℥j. quam jubet aſſervandam tanquam pupillam oculi: an tantæ ſit efficaciæ, neſcio. Datur, uti dico, in affectibus melancholicis ad ℥j. ſubinde repetendo. Externè præcipiunt quidam hoc *Emplaſtrum* capiti raſo applicandum.

℞. Tacamahac.
Gumm. Carannæ.
animæ ana q. ſ.
Ex his faciunt Emplaſtrum.

Præter dicta etiam eſt in uſu convenienti *Eſſ. Meliſſæ, Eſſ.corticum citri & corticum Aurantiorum.* Interdum aliquot guttæ *nitri potabilis* cum *oleo cinnamomi: Tinct. coralliorum. Eſſ.Helenii* & ſimiles. In ſpecie *Vinum* mirificè convenit melancholicis, præmiſſis præmittendis ad conciliandam quandam lætitiam, & exhilarandum animum. Egregium vini uſum in affectibus melancholicis vid. approbatum à GABELCHOVERO *Cent.3.cur.8. in ſcholio.* Et THONERUS *lib. 2. obſerv. 3.* refert, quod quidam melancholicus in ſummo gradu hauſtu vini tandem revocatus & ita curatus fuit.

In diæta ſerum lactis & alia cum ſero lactis parata. Item remedia ex *pomis* imprimis *Borsdorffianis* & denique omnia alimenta rore nutritio turgida minus ſqualida & minus arida conveniunt. Tandem in paroxyſmo melancholico uſurpari poteſt *Opiata antimelancholica* TIMÆI, quam mirè commendat: Compoſitio eſt hæc non inelegans:

℞. Confect. de hyacinth. ℥j.
alkermes ʒß.
Lapid. Bezoard. ℈j.
Smaragd. præparat. ℈ij.
Calcis ſeu ign. ʒj.
Mynſicta ſuccini albi (potius præparata)
perlarum.
Coralliorum rubr. ana ℈j.
Spiritus roſarum
rubri Idæi
lil. convall. ana gutt.XIII.
Syrup. flor. Pœoniæ q. ſ.
M. Fiat Electuarium.

Aſſumatur in aqua appropriata à ʒß. ad ʒj.

Abſolvimus deliria melancholica; jam verò reſtat gravior delirii melancholici & magis crudelis ſpecies, ex eo, quia homines omninò quaſi in bruta transmutantur, eſtque iſta melancholia, quæ aliàs MANIA dicitur Græcis, Latinis INSANIA. *Mania ſive Inſania.*

Eſt nempe tale abſque febre delirium, quo correpti cum inſigni furore & audaciâ omni ferè ratione depoſita quæcunque objecta aggrediuntur, eadem diffringunt & lacerant, homines verberibus malè mulctant, & impediti contumeliis & convitiis gravibus eoſdem laceſſant; ita ut ob furorem & quæcunque perpetrandi audaciam catenis ſubinde devinciendi & arctè incarcerandi ſunt ægri.

In his maniacis imprimis conſiderabilis eſt furor iſte, quo quæcunque audent & peragere tentant: ſed tamen hic furor inſignis & hæc apparens audacia non eſt abſque meticuloſitate & abſque timore interno. Nam ſi furioſi & maniaci aliquem metuentem vident, in eum promptè irruunt, ſed audacem quem vident, eundem ſinunt: quando & ſi ab aliquo aliquando verberibus exempti fuerint maniaci, eundem admodum metuunt, & quaqua ratione poſſunt, fugiunt. Audaciæ huic vel potius temeritati conjunctum eſt inſigne & tantum non ſtupendum in maniacis robur. Nam validiſſima ferramenta diffringunt, & quæcunque obvia ſubitò conterunt & vaſtant. Sic BENIVENIUS obſervat Nutricem maniacam, quæ quæcunque obvia dentibus corripuit, & etiam validiſſima diffregit. Hoc ipſum tamen non adeo proprium eſt ſolis maniacis, quando & interdum etiam in phrenitide obſervatur. Nam PANAROLLUS *pent. 4. obſer. 49.* refert tale exemplum cujuſdam phrenetici, qui in vigore febris cancellos ferreos, ac ſi cerei eſſent, tractavit, & pondera ingentia facillimè elevavit, qui tamen tranſacto morbi (nempe febris & phrenetidis) vigore adeo imbecillis fuit, ut vix ſurgere potuiſſet. Aliàs tamen ordinariò in Mania obſervatur.

Huic accedit tertium notatu & conſideratu dignum in maniacis inſignis frigoris etiam intenſiſſimi tolerantia. Nam maniaci utplurimum omnes veſtes lacerant, & inde etiam in gelu hyberno ita jacent, idque ſæpe membris nudis, ſine ulla corporis exinde contracta læſione. Sic refert LINDANUS, ſe vidiſſe Amſtelodami quendam Gallum mania correptum, qui nudus in intenſiſſimo frigore hyberno incedebat, & qui

accedente paroxyſmo caput antliis ſubmittens aquam frigidiſſimam capite excepit, & inde levamen ſenſit. Quò etiam facit exemplum FORESTI *lib.* 10. *obſer.* 22. de muliere maniaca, quæ in hyeme nuda in lecto jacens, corpus tamen habuit admodum calidum, ubique rorido ſudore perfuſum: Hoc ipſum fit partim ex ſtatu maſſ. ſang. quæ intus vitioſè exæſtuat, partim verò ex eo, quod maniaci in furore conſtituti, vim frigoris minus ſentiunt atque percipiunt. Hoc ipſum tamen nempe tolerantia frigoris utplurimum equidem adeſt in maniacis, non tamen ſemper. Nam interdum obſervati fuerunt maniaci veſtibus contecti, aut veſtes hyberno gelu poſtulantes: quò facit hiſtoria PLATERI *in obſ. lib.*1. *p.* 82. qui refert quendam Maniacum, qui frigore intenſiſſimo congelatus periit.

His ita de mania affectis prælibatis, accedo *AD CAVSAS*, & dico maniam non differre radice à reliquis melancholiis & deleriorum melancholicorum ſpeciebus, cum videamus ſæpius melãcholicos fieri, qui antea fuerunt maniaci, quò pertinet obſervatu digniſſima obſervatio RIVERII 32. commendat.

De mania contumaciſſima poſt externa remedia nempe *arteriotomiam* perſiſtente, quæ tamen tandem fuit curata in juvene *Caſtratione*, ita quidem, ut per caſtrationem ceſſarit iſta mania, remanſit vero delirium melancholicum: Sicuti è contra non rarò melancholici mœſti & triſtes interdum in maniacos exacerbantur, & tranſeunt. Unde etiam & melancholiæ reliquæ & ejus ſpecies mania iiſdem omninò remediis, eademque medendi methodo curari ſolent.

Eſt ſcilicet *mania talis ſpecies melancholiæ, quæ cum iracundia quadam intenſa conjuncta eſt*: Uti enim obſervantur melancholiæ cum triſtitia, uti dantur melancholiæ cum riſu, dantur melancholiæ cum cantilenio, dantur melancholiæ cum amore, ita ſimili ratione datur melancholia cum intenſa iracundia ſeu furore, quæ eſt noſtra *Mania*.

Hoc ut fiat, clarius conſideremus ſaltem ſanum & rectâ ratione utentem, ſummè tamen & admodum iracundum: aut ſaltem conſideramus ebrium ad iram provocatum (nam quibuſdam ebriis in more poſitum eſt, ut inſigniter incandeſcant.) In tali caſu vel ſobrii vel ebrii, in ſpecie ebrii conſiderate actiones, & videbitis in his ipſis maniam quandam naturalem: quæ enim non aggrediuntur, & quæ non perpetrant tales ebrii: mirandum, quam caleat corpus eorum, & quâ non audacia omnia tentant. Simili rationali in melancholia ex quacunque cauſa, ſubinde ex irritatione externa, ſubinde ex poſitu aſtrorum, ſubinde etiam ex interna maſſ. ſang. auctâ nonnihil efferveſcentia aſſurgat affectus iracundiæ, perfectum habebitis maniacum.

Ipſi Melancholici ordinariò ſunt moroſi, facileque ad iram provocari poſſunt: Unde facilè etiam melancholici ad verbera prorumpunt. Unde facilè fit, ut in iis aucta iracundia in maniam degeneret.

Verùm ſicut in omni irato & iracundo eſt quædam exæſtuantia P. naturalis in maſſ. ſang. unde calore totum eorum corpus percipitur perfuſum, ita in maniacis & ipſa maſſ. ſanguinea craſſa equidem & ſpiſſa, ebulliens tamen vehementiorem plus ſolito concipit æſtum, id quod manifeſtatur partim per pulſum, partim per reſpirationem. Nam pulſus in maniacis eſt plenus, frequens & ſatis magnus: reſpiratio eſt frequens, alta & magna. Ipſe verò ſanguis ven. ſect. emiſſus obſervatus fuit à LINDANO craſſus, ſpiſſus & intensè calidus, ita tamen ater, ut atramenti ſpeciem retulerit. Et ita in maniacis maſſ. ſang. acido quidem vitioſo abundante inſpiſſata, ebulliens tamen plus ſolito vehementiorem concipit calorem, indeque corpus calidum & frigus tolerans reddit: ſimiliter ut iracundis contingit, audaciam ex ſpiritibus nonnihil velocius motis intenſam conciliat. Vulgò ab atra bile derivant maniam: quam ipſam atram bilem ex pathologicis præſuppono, nihil eſſe aliud, niſi acidum vitioſum efferveſcendo exaſperatum, & ita quodammodo volatiliſatum. Ab hoc enim vitioſo ſed admodum acuto acore humor atrabilarius in aquam & terram injectus efferveſcit & ebullit, vel uti dixerunt veteres, *fermentat*. Unde etiã in melancholicis & maniacis eorũ vitioſus acor inductâ efferveſcentiâ quadam exaſperari & volatiliſari poteſt, ita ut majorem & intenſiorem gradum acquirat, quàm etiam *bilem* vocant. Aliàs *cauſæ remotæ* ſunt eædem ferè, quæ in reliquis melancholicis affectibus: In ſpecie tamen aſſumpta nonnulla venena vim habent inducendi ſpecialiter maniam: Nam radix ſolum furioſi vino infuſa ſi potetur, vinum tantummodo inducit delirium, ut potans neceſſariò ſe per feneſtram velit trajicere, ut refert BARTHOLINUS *lib. V. de reſpir. cap.* 3. qui idem vidit hyoſcyami nigri ſemen certâ doſi datum jurgioſam & contumelioſam efficere ſtultitiam. Sic *cerebrum felis* comeſtum & ipſum inſaniam inducere dicitur.

In ſpecie PHILTRA potentes ſunt auctores maniæ, idque ſi filtra ſunt parata cum *menſtruo muliebri*. Refert enim PETRÆUS, quod hauſto menſtrui muliebris primum certo inducat maniam, id quod confirmat BORELLUS *Cent.* 1. *obſerv.* 65. uti dicit Theologum prope Caſtrenſem, à philtro menſtruorum mulierium cum leporis ſanguine in condimento ſumpto, in maniam tantam incidit, ut patrem proprium occiderit.

Sæpè autem à puellis tale philtrum propinatum fuit, cum eodem ſucceſſu, nam Mania vel dementia ſecuta ſunt. Quare ab iis cavendum. 1. Veneni illius remedium ſunt margaritæ præparatæ: hactenus BORELLUS. Aliàs excretio ſolennis ſanguini ſuppreſſa, hæmorrhoïdum, menſtruorum, &c. uti melancholiam, ita interdum maniam inducit. Sic etiam ex ulceribus intempeſtivè clauſis orta mania obſervata fuit: in ſpecie ulcerum antiquorum & varicum occluſione.

Nam hoc jam ſatis de Manio antiquo Romano conſtat, quod ex occluſione varicum fuerit redditus maniacus: ſicuti è contra HIPPOCRATES *Sect.* VI. *aphor.* 21. inquit, ſi inſanis varicos & hæmorrhoides ſuperveniant ſolutionem fieri maniæ. Facit huc, quod refert FORESTUS *lib.* 10. *obſer.* 24. de puella, quæ poſt ulcus in crure nimis cito curato, & propter menſtruum purgationem longè ſuppreſſam in maniam incidit: quæ poſtmodum curata fuit, & reſtituta ſecta ſaphœna menſtruis fluentibus. Sic HEINRICUS *ab* HEER *obſ.* 14. recenſet furorem in puerpera ob malè tractatas mammas, in quibus mammis, apertis puſtulis & evacueto pure omnis mania omninò ceſſavit. Subinde etiam poſt febres ardentes, aut poſt pleuritidem, interdum etiam poſt epilepſiam maniam oriri ſolet. Sic HEINRICUS *ab* HEER *obſ.* 3. recenſet inſaniam poſt febrem acutam, ex melancholia contractam.

QVOD ATTINET SIGNA MANIARVM.

Mania levi admodum negotio cognoſci poteſt: cum nempe ægri multa abſurda loquantur, & faciunt cum quodam furore & temeritate ſæviunt in alios, & etiam in ſeipſos, adeo ut quoſcunque obvios unguibus, & morſu inſtar beſtiarum aggrediuntur, quin & interdum, niſi defendantur, ſeipſos interimunt, aut ſuſpendunt, aut jugulum abſcindunt: præterea & pertinaciſſimè vigilant maniaci. Auctore enim FERNELIO quidam maniacus per 14. menſes inſomnis fuit: accedit robur, tolerantia frigoris, &c. Oculi nonnullis ſanguinolenti, item torvi & truculenti adſpiciuntur, hæc ſunt ſigna maniæ.

Porrò cognoſcendum, quomodo *diſtinguatur* ab affinibus quibuſdam affectibus, & quidem à phrenitide differt in eo, qnod nulla adſit febris, nullum ſignum graviter affecti cerebri, uti fit in phrenitide. A *dæmoniacis* diſtinguuntur maniaci, cum quibus etiam interdum confunduntur, quod ſubinde Dæmoniaci ea, quæ

ſuperant

ſuperant humanam poteſtatem, agunt, & in ſpecie, quod ſæpius per vomitum, ferramenta, fruſta lignorum, animalcula viva, & ſimilia inconſueta & non ingeſta ſolent rejicere, quod ſemper à veneficiis & incantationibus oriri ſolet.

QVOAD PROGNOSIN.

Mania eſt malum admodum diuturnum & difficillimum curatu, quod licet interdum per menſes aut annos quoſdam remittat & intermittat, poſtmodum tamen antiqua atrocitate recurrit, & ſæpè ad mortem uſque ægros comitatur. Imò tam firmas radices agit, ut hæreditate paterna in proles transplantetur: quæ *mania hæreditaria ſemper eſt incurabilis*: mania tamen, quæ eſt cum riſu & actionibus ridiculis, mitior eſt, & tutior quam iſta, quæ eſt cum temeritate & quadam ſævitia. In maniacis, ſi alvus ſit ritè aperta, & in ſpecie, ſi menſes & hæmorrhoides fluunt, ordinario naturæ curſu bonum eſt ſignum. Maniæ ſuperveniens dyſenteria aut hydrops aut tertiana aut quartana maniam terminat, ſed dyſenteria ſæpius eſt funeſta, propter acerrimam acrimoniam humoris corradentis inteſtina.

QVOAD CVRAM.

In Cura opera danda eſt, ut furor mitigetur, quod tam fit per ven. ſect. quam per valida vomitoria, quibus ſubjungenda ſunt appropriata, in ſpecie ſomniferis maritata, obſervanda ſimul ea, quæ heri in melancholia obſervanda dixi.

Radix curationis conſiſtit in *vomitoriis*: Veteres in hoc caſu, & jam noſter primus auctor HIPPOCRATES *Helleboriſmo albo* uſi fuerunt felici cum ſucceſſu & optato cum eventu, quia iſti melius norunt modum præparandi & propinandi Helleborum album. Quamvis hoc tempore terrere quidem nos poſſit GEIGERUS *in tr. Microcoſmo hypochondriaco cap.* 23. qui refert, quendam maniacum ex uſu decocti hellebori albi convulſum interiiſſe, id quod etiam obſervat HIPPOCRATES, qui in quodam aphoriſmo dicit: convulſio ab helleboro lethalis: Nihilominus tamen felicem ſuadet uſum hellebori albi, propria experientia confirmatus LINDANUS: Hìc enim refert curam melancholici per helleborum album per ſe inſtitutam. Dicit enim, quod non cognoſcat generoſius remedium quam helleborum album & oxymel helleboratum, cum impetu ſurſum & deorſum evacuat, & maniacos inſigniter curat: Referam curam ejus, quam enarrat *in Coll. ſupra Hartmannum*, dicit; Habui virum juvenem 25. annorum, qui adeo eſſet inſanus, ut nonniſi cubiculo includi poſſit, & cum eſſet craſſo palo humo affixo alligatus, catenis ex manibus & pedibus pendentibus, in furore totum ferè pavimentum attollebat, hunc primâ vice cum adirem, nihil potui efficere: ſecunda effeci, ut ignarus hauriret decoctum aut infuſum helleboratum in vino ad ℥j. ubi purgabatur ſupra & infra: prima hæc purgatio illum laſſabat, ut planè mitis redderetur: Sic conſtituto ven. ſect. adhibui, & magnam ſanguinis quantitatem ferè ℥xxx. eduxi, qui fœculentus uter & horrendus erat, unde laſſatus quidem non amplius inſaniebat, tamen animus nondum conſtabat, ſequenti (nempe 4.) die vomitorium ex helleboro iterum dedi, vomuit multa & varia, ex quo planè ſedatus, querebatur de frigore, unde cubitum abiit, quo viſo altero die v. ſectione denuò inſtitui: Hinc bonum cibum præparare juſſi gallinas cum endivia. Hinc tertiâ vice dedi vomitorium helleboratum ad ℨß. iterum copioſè vomuit, nondum tamen mens conſtitit. Ob id dedi decoctum in vino factum in balneo Mari. vaſe clauſo ex rad. polypodii ſilicis ſcorzoneræ, & herb. endiviæ, & borraginis, magna quantitate: Cui decocto ſub finem addidi ſ. q. ſeminis papaveris albi, item helleborum album ad ℨiii. (pro alteratione) Hoc decocto quotidie ter vel quater fuit expurgatus, & ſic illum curavit, & omnes etiam alios maniacos, inter alia inquit matronam Leidenſem ſaltim bis iterato vomitorio helleborino curavi.

Præparatio iſta hellebori eſt hæc: ♃. *radic. hellebori albi* à ℨß. ad ℨj. coquitur in vino, donec molleſcat: radix ubi cocta eſt, eximitur, & vinum iſtud abjicitur (non poteſt hanc præparationem ſatis laudare) radix verò ita præparata in aliud vinum novum injicitur, & ita per noctem relinquitur, (nam hæc ſecunda vice non debet coqui) ſed tantùm relinquitur in vino calido, tunc manè iſtud vinum vel ſine expreſſione vel cum expreſſione, aut levi aut fortiori, ſi magis vel minus poſtulatur, violentum exhibetur, & doſis ſumma hujus viri eſt ℨj. quæ ſufficienter operabitur.

Aliàs loco hujus helleboriſmi in uſu ſunt *vomitoria antimonialia*, ſed dicit LINDANUS, quod aqua BENEDICTA antimonialis ipſi eſt ſucceſſoria: propterea quia ſint nimis debiles: Et certè credo eſſe optimam præparationem hellebori albi, ad imitandos veteres in affectibus maniacis eradicandis, ſi antimonialia non ſufficiunt, *infuſum raſuræ unguium humanorum* eſt etiam validum, & omnia vomitoria antimonialia ſuperat. Si per *inferiora* debeat fieri purgatio ſive evacuatio, in uſum vocandus eſt *helleborus niger*, & inde paratum *extractum melanagogum* QUERCETANI; Item *ſyrupus de helleboro nigro*: His ſemper addendus eſt ſtimulus ex antimonio per inferiora purgante, aut ex mercurio vitæ laxativo, cum appropriatum melancholicorum purgans ſit antimonium, uti heri dixi.

Poſt purgationem validam ven. ſect. inſtituitur, uti antea dictum ex LINDANO. Nam interdum Empirici per ſolam ven. ſect. curant maniacos: refert enim PLATERUS *Obſſ. lib.* 1. *pag.* 80. de muliere maniaca, quæ ab Empirico in una ſeptimana 70. vicibus repetitâ ven. ſect. fuit curata. Verum una cum his in principio inſaniæ unum maximè eſt obſervabile, ut nempe ferax ſpirituum motus & effervescentia ſanguinis aucta compeſcantur, idque ſi fieri poteſt, mox in principio per *Opiata*. Nam quò diuturnior fuerit affectus, eò minus opiata juvant. Propinanda imprimis ſunt in forma liquida. Nam ſi hoc obtinemus, ut obdormiſcant ſtatim, poſt ad validum vomitorium propinandum, ſic enim feliciter operatur. Nam dicit LINDANUS, quoties potui ſomnum conciliare feliciter curavi, aliàs enim propter moroſitatem parum vel nihil admittunt. In principio mox excedendus eſt modus ſolitus in medicamentis exhibendis generoſis, propterea quoniam ſpiritus animales occupati, in alio vix adjuvant in actum deducere medicamenta, ob id valida ſunt propinanda, quæ fortius movent & ſtimulant. Quod attinet reliqua appropriata, ea etiam hìc conveniunt, quæ in omni melancholia conducunt, quæ inter ſunt, v. gr. *tartarea & martialia.* Facit huc etiam *nitrum* & omnia *nitrata*, in ſpecie quidem *nitrum antimoniatum* cereviſiæ injectum; aut etiam nitrum ſaltim purificatum, vel potu ordinario propinatum, nam egregiè etiam conducit. In ſpecie tamen unum ex appropriatiſſimis remediis *eſt ſanguis aſini arterioſus* propè aures verno tempore collectus, linteo mundato & nullo uſu attrito exceptus & ita exſiccatus. Nam linteum tale latitudinis duorum digitorũ & longitudinis digiti unius cereviſiæ vel vino infuſum, ut exinde liquor contrahat calorem, & propinatum largo ſudore præmiſſis reliquis maniacos curat, quando etiam pulvis iſtius ſanguinis ad ℨj. uſurpatus, ſimili ſudoris effectu maniacos curat. Poſt aſini ſanguinem vix melius eſt remedium *anagallide* flor. phœniceo. QUERCETANUS certè mirè præſtitiſſe ſe gloriatur decocto hujus Anagallidis, & etiam D. MICH. aliquando ſutoris filium catenis ligatum beneficio Eſſ. ſuæ anagallidis compoſitæ reſtituit. Hinc eſt quod anagallis vocetur quibuſdam ſalus fatuorum, quia contra maniam & etiam veneficia ſive maleficia eſt adeo commendata.

Poſt

Poſt Anagallidem eſt imprimis *hypericum* quod convenit. Unde hic uſurpatur *Tinctura hyperici* compoſita MYNSICHTI, quæ experta eſt in mania. Porrò *fumaria, Nymphea, Borrago, Meliſſa Cæterach.* & ſimilia ſimplicia,& ex his parata remedia: Pulvis baccarum fol. & radic.ſolani tetraphylli, vel herbæ Paris 20. diebus continuis ad dimidii cochlearis quantitatem, ſumptas ad curam maniæ laudatur. Succus polypodii quercini in Mariæ balneo digeſtus & clarificatus ad ℥iv. vel v. propinatus laudatur à BATHOLETO *de reſpirat.læſ.pag.*412. folia buxi eorumque aquoſum in mania videbitis in HARTMANNI *prax.chymiatr. cap.*4. §.4. De *opiatis* res clara eſt, quod ſemper cum aliis miſcenda,in ſpecie quidem cum medicamentis ex anagallide & ex hyperico, item pilulæ factæ ex laudano opiato cum oleo camphoræ ſunt ſingulariſſimæ ad curam melancholiæ. Aqua anagallis, aqua bugloſſæ, aqua ſpermatis ranarum internè. Serum lactis & ſimilia lacticinia Eſſent.anagallidis, Eſſ. fumariæ ſive infuſum fumariæ cum ſero lactis,Eſſ. croci, Eſſ. hyperici, & ex his parata varia compoſita tinct.coral. C. ſpiritu cordis, C. & aliæ coraliorum tincturæ hic admodum commendantur. RIVERIUS ceu *ſpecificum* in illuſtri quadam familia ſecretum hoc dicit eſſe *in ſua praxi.*

℞. Fol. Meliſſæ Mj. quæ minutim inciſa infundantur in ſpirit. vini ℥iv. & adduntur margaritarum præparat. ʒß. Doſis eſt cochlearia duo quotidie repetendo.

Si quid aliud, *camphora* eſt admodum laudata in cura maniæ, hinc ex PARACELSO jam laudatur hujuſmodi miſtura tanquam remedium PARACELSI expertum maniacum.

℞. Ol. Camphoræ ℥j.
Ol. Muſci ʒß. vel ʒj.

Miſc. & adminiſtra qualibet vice ʒß. mirabiliter conferre ad manias dicit PARACELSUS:Confirmant hoc alii auctores. Nam PRÆVATIUS dicit, oleum camphoræ cum bolo deſtillatum (non eſt verum oleum, ſed affuſa aqua ſtatim removeatur camphorâ) ad gr. x. propinatum furorem melancholicum intra aliquot horas feliciter ſedare affirmat. Quo etiam facit miſtura FABRI ad maniam in *ſua Pathologia*, quam ceu potentiſſimam ad maniam commendat. Quæ fit

ex Ol. Camphoræ ʒß.
Eſſ. ſaturni gr.x. &
martis guttis VI.

M. cum aqua communi velut vult LANGIUS cum aqua ſpermatis ranarum. Huc tandem pertinent pilulæ factæ ex laudano opiato cum oleo camphoræ, quæ etiam multum commendantur ad maniam curandam. Nec tantùm internè ſed etiam externè quantum tolerant maniaci, capiti applicata camphora eſt egregia. Hinc etiam HOLLERIUS ad maniam præcipit ablutionem temporum hoc liquore.

℞. Spiritus vini ℥iiß. in quo diſſolve camphoræ ʒß. imponatur nodulus ex opii Iibus, ex moſchi gr.IV. Hoc liquore tempora illinenda, & ſubinde nodulum odorandum ſuadet, ad ſedandum furorem & ſomnum conciliandum. Facit & huc miſtura PENOTI contra maniam & phreneſin, quam etiam commendat CRUSIUS,quæ applicanda eſt præmiſſis univerſalibus.

℞. Moſchi gr.XII.
Camphoræ gr.XX.
Aqu. roſarum rubrarum cum
R. Santali rubri.

Miſcet probè, & capite deraſo linteum duplicatum in hoc liquore tepido immerſum per omnes capitis ſuturas applicat, ubi reſiccatum fuerit linteum, iterum imbibit, & ita continuò per 24. horas applicat, & ita maniacos curat. Aliàs etiam in mania commendatum eſt externé epithema RULANDI, quod idem commendat THONERUS tanquam à ſe etiam expertum.

℞. Aqu. roſarum ℥v.
Opii ʒß.
Croci ℈ß.
M. Pro Epithemate.

Aqu. ſpermatis ranarum erit melior loco aqu. roſarum. Quin & ſolus ſuccus cancror. fluv. expreſſus inſtar epithematis applicatus: aut ipſi cancri viventes contuſi inſtar cataplaſmatis appoſiti fronti expertum eſſe remedium, unà cum aliis in mania dicitur: Modo perferant ægri. Non minus quam decoctum muſci tectorum fronti applicatum admodum commendatur ad curam maniæ, ſed obſervetur, quod cautè applicandum ſit, & nonniſi urgente ſumma neceſſitate. Porrò *cerebrum canum* imprimis juniorum commendatur à quibuſdam inſigniter. Exempla maniarum curatarum per cerebrum canis coctum videbitis in SENNERTO *lib.* 1. *prax. cap. de mania pag.* 421. Alii tale præparant remedium. Recipiunt parvos canes adhuc lactantes ætatis 7. vel 8. dierum; ex his capiunt cerebrum iſtud, deſtillant per ſe. Aquam deſtillatam ſpirituoſam imbibunt cum vitriolo, & ita per retortam deſtillant & poſtmodum reſtificant, doſis eſt ℈j. quo 4. Maniaci curati dicuntur. Loco liquoris cerebri canis quidam commendant *liquorem cerebri humani.* Denique immerſio ſubitanea in aquam frigidam maniacos interdum reſtituit. Nam eadem eſt ferè cura atque cum hydrophobia. Uti HELMONT. refert hoc §. 29. *tract. demens Idea.* Hæc fuerunt ferè deliria, quæ ab internis oriuntur cauſis: ſequuntur jam ea, quæ externis utplurimum ferè ſemper oriuntur ab occaſionibus, quæ ipſæ cauſæ externæ ſingulari virtute ſpiritus animales determinant, adeo, ut ex iis adeo lædatur imaginatio ut ſtupenda & miranda inducantur deliria. Hæc inter eminet MORSUS ANIMALIUM RABIDORUM in ſpecie MORSUS CANIS, unde oritur delirium rabioſum ſive RABIES, in qua ipſa homo omninò in mores brutales tranſmutatur, & nihil ferè humani apud ſeſe retinet: adeo ut homo rabioſus exactè referat illius bruti ſpeciem, à quo rabido demorſus fuit. Datur imprimis canina rabies. Nam præter *canes*, qui frequentiſſimè rabidi fiunt, etiam *feles, galli, equi, lupi, muli* & ſimilia animalia fiunt rabida: Sic enim de MULO refert SCHENCK. *lib.* 7. *obſervat.* quod mulus rabidus flumen tranans ac affatim potans fuit curatus. Sic etiam BOVES interdum rabidi fiunt, iique imprimis à cane rabido demorſi, uti refert BARTHOLINUS *cent.*2. *hiſtor.* 89. ſicuti idem BARTHOLINUS *cent.*5. *hiſtor.* 5. multa habet exempla variorum animalium rabidorum, in ſpecie rabiei humanæ ex morſu *galli gallinacei.* Item rabiem *equinam* qui natando in mari fuerunt curati, *cent.*3. *Epiſt.* Nec ſolummodo ab animalibus rabidis reddimur nos homines rabidi: ſed etiam ipſe *homo* aut jam rabioſus, aut ſine rabie *morſicando* alios poteſt reddere rabidos. Nam uti rectè refert HILDANUS *cent.* 1. *obſerv.*84. MORSUS AB HOMINE RABIDO malignus eſt ſummè, & noxius & non ſecus ac morſus à cane rabido curandus. Sic BECKERUS *in Microcoſmo Medico* obſervat hydrophobiam ex morſu humano obortam. Hinc notabile eſt exemplum, quod habet BARTHOLINUS *cent.* 2. *hiſtor.* 89. de muliere hydrophobica in Rheno abluta; quæ cum in curru in civitatem reverſura vomeret ſocia à vomitus adſpectu quinto die exſpiravit. Nam *omnium animalium iratorum morſus* etiam *adeò hominis eſt venenatus & malignus.* Rectè hoc ſuo tempore obſervavit CELSUS ex Icto factus Medicus, omnes feræ morſus habere quoddam venenum: id quod confirmat HILDANUS *cent.* 1. *obſ.*86.ubi præter morſum feræ,etiam hominum iratorum morſum lethalem vel ſaltim venenatũ pronunciat.

Rabies.

ciat. Ex hoc tamen non ſequitur, ſolum venenũ conſiſtere in idea furoris ſive in furore animalis. Nam contrarium teſtantur viperæ: ſed hæc obiter. In his rabidis notabile occurrit, quod 1. leviſſima læſio vel etiam tantillus ſalivæ contactus ſuo tempore nihilominus rabiem inferat. Sic HILDANUS refert *cent.* 1. *obſerv.* 86. quod quidam à fele rabido ſculptura per unguem in dextro pollice læſus vix Epidermide læſa ſ. affecta, nihilominus tamen hydrophobicus factus eſt, & omnia ſymptomata morſum canis inſequentia perpeſſus fuit. *Loco cit.* idem refert HILDANUS, quod veſtis mulieris à cane rabido laceratæ, cum veſtis filo dentibus abſciſſo reſarciretur poſt tres menſes hydrophobica ſimiliter facta fuit: Quin & infuſio ſilicis à cane rabido demorſi poteſt hominem furioſum & rabidum reddere, referente hoc BORELLO *cent.* 4. *obſerv.* 22. Sic ZACUTUS LUTITANUS *lib.* 3. *prax. admir. obſervat.* 86. ex oſculatione demortui canis rabidi rabiem contractam refert. Mirabilius eſt, quod *cit. loco obſerv.* 83. narrat, quod nempe quidam ulnerati cum gladio, quo ante 8. annos canis rabidus occiſus erat, poſt triennium rabidi interierunt. Adeo penetrans & adeo malignum eſt iſtud ſeminium, quod rabiem infert. Præter hoc notabile, nempe inficiendi modum.

Hydrophobia. Secundum in morſu rabioſorum notabile ſymptoma eſt HYDROPHOBIA ſive liquidorum omnium fuga & motus, quæ omnia rabiei à quocunque malo ortæ ſolet eſſe conjuncta. Nihilominus tamen an ſolum morſum animalium rabidorum ſeu canum rabidorum ſequatur hydrophobia, res adhuc dubia videtur, ex eo, quoniam proſtant auctorum obſervationes citra animalium morſus ortas hydrophobias. Exemplum talis hydrophobiæ citra animalis morſum refert BORELLUS *cent.* 3. *obſerv.* 38. Sic hydrophobiam in febri maligna citra morſum obortam refert SALMUTH *cent.* 2. *obſerv.* 52. de quo etiam videndus CODRONCHIUS *cap.* 10. *de hydrophobia.* Duo exempla admodum notatu digna refert SANCHES *in ſuis operibus obſ. pag.* 378. Hydrophobiæ enatæ citra morſum alicujus animalis rabidi ſeu rabidi canis. Refert hydrophobiam cum febre continua citra ullum morſum ab animali rabido, in qua non poterat ferre adſpectum aquæ neque potus cujuſdam aut vini, aut juſculorum, ſubinde enim collo convellebatur: agnoſcebat ſe non poſſe vivere ſine potu, ſed ubi ſcyphum admovit, & horror, & tanta concuſſio apprehendebat eum, ut totus pertremiſceret, ut ſudaret & convelleretur. Hinc quinto die periit. Alterum eſt ſimillimum huic. Verum in his ipſis hydrophobiis citra morſum animalis rabidi enatis adhuc hæreo dubius, an non morſus quidam à cane rabido præceſſerit? Nam notum eſt, quod tantillum ex rabido animali contactum inferat hydrophobiam, utut ſæpius per 10. vel plures annos lateat in corpore ſine eo, ut virtutem ſuam exſerat: ob id quæſtio eſt, annon in talibus præceſſerit aliquando infectio utut incognita? adeo ut determinari certo non poſſit, hydrophobiam non eſſe ſignum rabidi pathognomonicum.

Tertium notabile eſt, quod ſeminium rabiei ſubinde per multos annos abſcondatur in corpore donec evigilet. Sic LINDANUS *ſuper Hartmannum* refert exemplum hydrophobiæ lethalis 13. annos poſt morſum canis eveniens: Sic interdum ad biennium, ad triennium, item ad plures annos ſubinde ſolet latere in corpore ſeminium iſtud malignum hydrophobiæ.

4. Denique ſubinde animalcula generantur & conſpiciuntur in ſaliva vel lotio rabidorum, ſimilia iis animalibus, in quibus fuit inducta rabies: Obſervarunt hoc jam ſuo tempore veteres Arabes in ſpecie AVICENNA & ABENZOAR: ſunt tamen ex modernis nonnulli, qui negant: non verò in totum eſt negandum. Nam certum eſt, reperta fuiſſe talia animalcula, non tamen ſemper, ſic notabile eſt illud SALMUTHI *cent.* 2. *obſ.* 83. de muliere, quæ fuit in fimbria veſtis morſa ſive lacerata à cane rabido, & ita fimbria ſaliva aſperſa, unde mulier ſuſpendit veſtem laceratam aëri, ut exſiccaret, & pauco tempore interjecto, in loco ubi fuit ſaliva, percepit parva animalcula, quorum capita ſimillima fuerunt capiti canino.

Denique 5. animalia rabida, quæ fiunt ab alio rabido, v.gr. homo rabidus, qui per morſum canis vel felis fit rabidus, exactè imitatur iſtorum animalium rabidorum actiones, latrando & ringendo inſtar canis, item morſicando & lacerando inſtar felis, quam notabiliſſimum exemplum habet BORELLUS *cent.* 3. *obſ.* 68. de quodam à cane rabido demorſo, qui non tantummodo ſubitò factus eſt rabidus, ſed ſimul etiam inſtar canum adeo ſagax, ut accedentes amicos etiam è longinquo odorare potuerit.

Hæ ſunt rabies & ejus ſymptomata. *QVOD ATTINET CAVSAS* hujus rabiei & factæ inde tranſplantationis morum animalis lædentis in animal læſum, iſtud à nemine adhuc perſpicuè explicatum fuit.

Præ reliquis tamen propius rem attigiſſe videntur Idearum ſcriptores, nempe HELMONT. & MARCUS MARCI, qui ipſi tamen iis qui intelligibilem & ſenſatam amant philpſophiam, nullo modo ſatisfaciunt. Nam quid de Ideis habendum ſit, nudius tertius explicatum fuit.

Pergo propius ad ea, quæ potiùs praxin ſpectant, inter quæ

1. SVNT SIGNA

& 1. quidem ſigna, an canis fuerit rabidus, qui momorderit, vel an animal à quo quis demorſus, fuerit rabioſum, ut cognoſcatur, præcipiunt, ut nuces juglandes contritæ imponantur vulneri facto, & aliquot horas ſuper vulnere relinquantur, quæ poſtmodum devorandæ abjiciuntur gallo gallinaceo vel gallinæ: quod ſi canis non fuerit rabidus, gallina non moritur: ſi vero fuerit rabidus, poſtero die interit. Alii ſanguinem ex vulnere detrahunt, & cum farina paſtum formant, & gallinæ objiciunt, quæ ſi moriatur, canis fuit rabidus. Simili ratione AVICENNA præcipit *medullam panis vulneri facto affricare*, & poſtmodũ cani devorandum objicere: Nam ſi illam medullam non comedere, neque olfacere voluerit, ſignum eſt fuiſſe rabidum. Ipſum canem eſſe rabidum eſt cognitu facillimum. Nam tales canes rabidi omnem cibum & potum averſantur. Multam materiam viſcidam ſputumque ex ore & naribus emittunt, torvum vident, oculos habent rubentes & igneos, quoſcunque obvios invadunt, ignotum pariter & notum ſimiliter lædunt. Ulterius canes rapidi ſunt macilenti, caudam demiſſam ſub ventre reflexam geſtant: linguam emittunt, eamque rubram ſæpius croceam interdum nigram velociter currunt, & in iſto curſu in obvia quæcunque impingunt: omnes canes hos metuunt. Facto jam vulnere ſive mox ſive per plures poſtmodum annos demorſi afficiuntur rabie & hyrdophobia.

Rabiei incipientis & etiam jam *factæ ſigna* ſunt, ſi ſe offerat anxietas & iracundia citra cauſam manifeſtam: ſi quæratur æger de moleſtia aëris ambientis, de corporis gravitate & ineptitudine in actionibus & variis impedimentis, aut de inquietudine ægri ſunt ſolitarii, ſemper murmurant, ſubinde lucem fugiunt. In parte olim vulneratâ ſolet adeſſe, aut incipit ſentiri morſicatio & titillatio, aut etiam quidam dolor. Quod ſi jam perfecta rabies ingruet, adeſt membrorum diſtenſio, & quaſi convulſiva explicatio corporis, facies rubet, ægri ſunt anxii, ſudant, oculos horribiles habent, quidam latrant inſtar canum, collum & fauces ringunt, & ſi à cane ſit, obviam factos invadunt, & dentibus impetunt ſi à fele, unguibus lacerare tentant, & denique omnibus commune eſt, ut liquida & in. aquoſa abhorreant,

quorum præſentiâ admodum anxioſi interdum etiam convulſi fiunt.

Febris rabioſis interdum adeſt, interdum abeſt. Utut PALMARIUS exiſtimet, perpetuam comitem eſſe febrem.

QVOAD PROGNOSIN.

Rabioſi rarò perfectè curantur: quando ſæpiſſimè ſi diutius in corpore lateat ſeminium rabioſum, homines jugulat, idque ſæpius tertio vel quarto die ab eo tempore nempe quo hydrophobia corripuit. In principio, ubi ſanguis copioſè è loco vulneris evacuatus fuerit, aut ipſum vulnus ritè tractatum ſit, præſervari poteſt hydrophobia: ſed poſt factum ejus conſolidationem ineptam neceſſariò metuenda *eadem. SVBSISTIMVS ADHVC* in rabie & affectibus rabioſis & quidem ſupereſt tantùm CURA, quomodo rabies aut jam incipiens aut morſus à rabido inflictus debeat curari. Hanc quod attinet in hac venenum rabioſum quacunque ratione communicatum, ſive jam adhuc recens ſive jam inveteratum, rabiem inducere incipiat, per ſudorifera appropriata eſt expellendum, & ex vulnere forſan facto quantocyus fieri poteſt, extrahendum, hujuſque ſanatio non adeo citò procuranda. Ea ergo, quæ venenum expellunt, ſunt interna *Alexipharmaca*. Qualia ſunt radix Gentianæ, radix vincetoxici, Alyſſum, ruta, hypericum, ſalvia, betonica, card. benedict. & ſimilia: Ex his ferè primatum obtinet *Alyſſum* verum GALENI, cujus deſcriptionem reſtauratam videbitis in TABERNÆMONTANO: Et hoc alyſſum GALENI eſt optimum experimentum contra morſum canis rabidi, quocunque modo uſurpetur.

RENEALMUS *in obſ.* habet Eſſent. alyſſi, quâ ipſâ curavit aliquot à cane rabido demorſos. Ex his & ſimilibus vegetabilibus conflatus eſt pulvis PALMARII contra morſum canis rabidi. Deſcriptio eſt ſatis nota, & ubique proſtat apud Auctores. Doſis à ℨj. ad ℨiß. uſque ad ℨij. quam ſubinde demorſo exhibet in hauſtu vini expectato ſudore. Præter PALMARIUM felicem hujus pulveris uſum expertus eſt TIMÆUS *in Epiſt. p.* 376.

Aliàs *Semen cardui lactei* ſeu *cardui Mariæ* ad ℨij. aliquoties aſſumptum expectato ſudore tanquam ſpecificum experimentum commendatur à LINDANO *ſuper Hartmannum*.

Aliàs *Radix vincetoxici* ad ℨiß. cum aqua card. benedicti ad 40. dies propinata laudatur à quibuſdam contra morſum canis rabidi. Vehicula, in quibus aſſumuntur hujuſmodi pulveres, ſunt aqua ſcordii, aqua card. benedict. uti aqu. tormentill. aqu. theriacalis. aqu. rutæ caprariæ & ſimiles. Porrò *terra ſigillata*, item *terra lemnia*, & magis adhuc *terra S. Pauli* ſeu *terra melitea*: hæ ipſæ internè contra morſum canis rabidi conducunt. *Theriaca & Theriacalia* in frequenti ſunt uſu à ℨj. ad ℨii. aſſumpta. Sed præ his magiſtralibus compoſitionibus *Theriaca Diateſſaron* reliquis eſt præferenda, quoniam ejus ingredientia ſunt ſpecifica contra morſum canis radidi.

Aliàs *Tinctura Bezoardica* ſeu *miſta ſimplex* laudatur inſigniter ab HARTMANNO tanquam remedium à ſe expertum. D. MICHAEL miſcuit tali in caſu tincturam Bezoardicam aqu. vel ſpir. cancror. fluv. & ita non abſque ſucceſſu expulit per ſudorem venenum canis rabidi. Nam ſi quid aliud in cancris fluviatilibus ineſt vis certa & ſpecifica contra morſum canis rabidi. Jam à GALENI tempore remedium hoc eſt commendatum contra rabiem.

Receperunt nempe cancros fluviatiles, quos collegerunt poſt hortum canis tempore caniculari, quando ſol leonem tranſit, & ita eos vivos calcinarunt, hujus cineris cancrorum fluviatilium aſſumpſerunt cochl. ij. vel ℨij. & pulveris gentianæ ℨj. & in cyatho vini boni propinarunt ægro. Noſtri cancri fluviat. non ſunt iſti, quibus uſi fuerunt veteres: nihilominus tamen ob id non privandi ſunt virtute contra morſum canis rabidi. Potius verò uſurpandi ſunt gammari dicti ſeu cancri rotundi Marini. Nam hi ipſi ſunt cancri, quibus uſi fuerunt veteres. Aliàs etiam decoctum cancr. ut & ſuccus aut aqua deſtillata, ſi quæ alia ſunt experta contra hydrophobiam. Hac in parte ſequitur veſtigia HEURNIUS, qui expertum hunc habet pulverem contra rabiem.

℞. Rad. Gentianæ ℥ij.
cancror. fluv. calcinat. ℨiij.
Terr. ſigillat. ℨß.

Hujus pulveris ℨj. præbet in decocto cancrorum fluv. ſubinde repetendo, alii

℞. Pulveris Gentianæ &
Myrrhæ ana ℨj.
cancr. fluviat. ℨij.
M. cum vino, & propinant.

Præter dicta *radix roſæ ſylveſtris* ſeu *Cynorrhodi* jam ab antiquiſſimis temporibus eſt commendata. Sunt tamen, qui præferunt huic radici *ſpiritum* ſeu *Eſſent. vermiculorum Synosbati*, de quibus alio tempore dictum.

Aliàs medicamenta, quæ ipſe canis ſuggerit, præ cæteris laudantur, qua ratione *ſanguinem canis rabidi* pulveriſatum & per triduum uſurpatum certò juvare hydrophobicos dicit PALMARIUS. Experimentum STOECKERI, quod nunquam eum decipit, uti aſſerit, eſt ſequens, idque contra quoſcunque animalium venenatorum morſus.

℞. Gentianæ pulveriſatæ ℥j. cum
Theriacæ ℨj. tribus diebus.

omni manè propinavit, jejunando deſuper per 5. vel 6. horas: Hinc præcipit vel imperat ſudorem, quem ſemper expectare debet: Super morſuſſo cum verò allium, rutam & ſal. contuſa in forma cataplaſmatis apponit.

Verùm præ cæteris optima cura eſt *immerſio ægri in aquam frigidam*, & hoc quidem ceu expertum commendat HELMONTIUS *in tractatu Demens Idæa pag.* 278. §. 47. 48. & 49. Confirmatum hoc videbitur per experientiam FORESTI *lib.* 10. *obſerv.* 27. & 28. Item in TULPIO *lib.* 1. *obſervat.* 20. Similiter in SCHENCKIO *lib.* 7. *obſer.* ubi plura ſunt exempla curatarum rabierum per immerſionem in aquam frigidam: & quidem ita ſunt immergendi, ut ad tempus hæreant ſub aquis, ut iis metus ſuffocationis & pavor mortis inducatur, ſic enim felicius curantur. Controverſia eſt inter Auctores, *an conveniant purgantia* in cura rabiei? Per ſe quidem nihil conducunt, aut per ſe nihil adjumenti afferunt: quia ſola appropriata alexipharmaca ſudorifera utramque abſolvunt paginam. Nihilominus tamen ſi ſit longum tempus, ex quo æger fuit commorſus, & tamen nondum perfectè ſit rabioſus, utut ſigna imminentis rabiei ſe manifeſtant, in his & ſimilibus caſibus utilem commendant Catharſin per inferiora. Nam teſtatus eſt jam ſuo tempore DIOSCORIDES catharrhaſin his tantùm operam ferre, qui jam incipientem tantummodo conqueruntur hydrophobiam ſeu aquæ metum. Et ſumpto *Helleboro* ſimul ac primum morbi impetum ſuſtinuerint, cum impetu expurgati multi certa experientia fuêre ſanati: Addunt multos canes rabidos helleboro cum polenta aſſumpto evomuiſſe, & ſtatim ad ſe rediiſſe à rabie liberatos. Hinc poſt helleborum etiam *Hiera*, quæ colocynthidem recipit, non parum commendatur. PALMARIUS refert, ſe multos noſſe ruſticos, qui propinato pharmaco vehementi, quo una eademque opera vomitione & dejectione ſupervacanea omnis generis è corpore excluderentur, demorſos ab hydrophobia evaſiſſe.

Quod ipſum vulnus à rabido animali inflictum attinet, hoc ipſum, dum recens eſt, non ſtatim ſanandum, ſed apertum ſervandum, quantum fieri poteſt, aut

aut id, quod de ſaliva adhæret corpori non vulnerato, diligentiſſimè & magna cura eſt removendum. Et quidem *auxilia Chirurgica*, quando primis diebus in vulnere fuerint intermiſſa, poſtmodum incaſſum adhibentur, quando ſcil. virus quia ad interiora penetravit, ob id ſtatim eſt properandum, & *imponendi* ſunt 1. *Pili canis* ipſius rabidi, qui tanquam ſingulare experimentum vulneri à cane rabido inflicto apponuntur ex PARÆO, id quod etiam confirmat SCHMUCK. *in Curationibus magicomagneticis p.*38. Aliàs *Theriaca* cum *ſucco rutæ* etiam utiliter imponitur morſui canis rabidi.

Præ cæteris *cepa* & *cepacea* vulneri impoſita multum conducunt. Nam AMATUS LUSITANUS puerum duodecim annorum in crure ab rabido animali demorſum ita reſtituit: accerſito Chirurgo locum læſum profundioribus inciſuris *ſcarificare*, & calido vino lavare juſſit, deinde loco optimè abſterſo hoc admovit emplaſtrum:

℞. Cepam acrem nō. 1.
Alliorum caput ſeu radicem mediam.
Theriacæ optimæ ℥ß.
Fermenti ℥ß.

Omnia piſtentur, & loco affecto ſuperimponantur. His enim brevi puer eſt ſanatus. HELIDÆUS PADUANUS præmiſsâ loci ſcarificatione applicat cepam cum melle contuſam & benè miſtam: vel loco mellis cepam cum theriaca miſtam, & ita morſui applicat.

Inſigniter etiam conducit *emplaſtrum magnetic.* ANGELISALÆ ex Magnete arſericali paratum loco demorſus applicatum & impoſitum poſt ſcarificationem vulneris ſanguiniſque per cucurbitulam extractionem. Præ cæteris etiam *aquâ ſcordii*, cui ſalis parum admiſtum ſit, locus ſcarificatus poteſt elui, & hinc emplaſtrum magneticum applicari. Huic etiam ℥j. vel ℥ij. cancror. fluv. calcinatorum poteſt admiſceri. Quod ſi velit hoc emplaſtrum dolorem vel inflammationem excitare, tunc:

℞. Ol. Cepæ, adde parum
Sacchari ſaturni & ita illine.

Verùm optimum remedium eſt & promptiſſimum *uſtio loci affecti* cum ferro candente ſeu *Cauterio actuali*: Hoc enim optimum & ferè promptiſſimum remedium eſt curandi morſus animalium rabidorum, de quo præter alios videatis HILDANUM *cent.*1. *obſ.*97. & quidam empiricus omnes cane rabido demorſos ſolo hoc cauterio actuali feliciter reſtituit: modò conditio loci affecti id permittat.

Hæc de morſu canis rabidi.

Tarantiſmus. De TARANTULÆ VENENO, indeque orto delirio Muſico addenda quædam forent. Verùm cum jam hoc ab aliis ſufficienter factum ſit, qui de Tarantiſmo ſcripſerunt, exactè, non eſt, ut actum agam. Hos inter ſunt KIRCHERUS *in Muſurgia magna*. It. in ejus *arte magnetica*, item SCHOTTUS *in magia naturali part.*2. ubi de auditu. Item FERDINANDUS *in hiſtor. med.* SENGUVERTUS *de Tarantula* & alii ſimiles Auctores. Omiſſis ergo hiſce ad alia deliria ab externa cauſa inducta pergo.

Ad hæc ergo, quæ extrinſecus adveniunt, pertinent etiam PHILTRA ineptè ſubminiſtrata. Diſtinguo enim philtra ab amore inſano. Nam AMOR INSANUS eſt ſpecies quædam Melancholiæ, quam ex nimio ſed vero amore nonnulli contrahunt, non ſecus ac alii ex mœſtitia nimiâ melancholici evadunt: ita etiam tales ex nimio amore in maniam dilabuntur, & amentes fiunt ut ſuperius aliquando monui.

Hic amor inſanus emovendus eſt *remediis* partim *Ethicis* partim *Medicis*. Remediis ethicis perſuaſionibus rationalibus nempe ut amor iſte inſanus & nimius removeatur, & impetus iſte cœcus amoroſus corrigatur & emendetur.

Remediis Medicis ſimilibus ferè, quæ aliàs in melancholiis ſolent præſcribi: Mitiora tamen utplurimum uſurpanda, aut pro circumſtantiarum diverſitate diverſimodè immutanda, cum affectus animi hic prævaleant, qui imprimis curandi ſunt.

Saltem quoad SIGNA cognoſcendi amorem inſanum; ex primariis ſignis eſt pulſus, ſicut ſuperius monui, quod affectus animi ex pulſu cognoſcantur. Controverſia aliàs eſt, *an detur pulſus amatorius*, ſeu qui proprius ſit intensè amantibus. De qua controverſia eſt elegantiſſima diſſertatio HORSTII *Tom.*1. ubi tres ſunt diſſert. inaugurales annexæ. Negatur: Non datur pulſus amatorius ab aliis pulſibus ſpecie diſtinctus: Saltem hoc obtinet, ut ſit admodum varius & inſigniter inæqualis, turbulentus & inordinatus, ſed ſimul, atque fit mentio perſonæ amatæ, ſubitò mutatur pulſus, qui fit major, celerior & vehementior. Poſtmodum verò, ubi mentio iſtius perſonæ amatæ ceſſat, pulſus obſcurus, turbulentus & inordinatus denuò fit, & ita tandem ſubinde repetendo mentionem iſtius perſonæ amatæ ex pulſus tali mutatione facile pervenire poſſumus in cognitionem hujus affectus. Exempla vid. in FOREST. *lib.* 10. *obſervat.* 30. Sicuti etiam jam GALENUS tale exemplum annotavit.

PERGO POTIUS AD PHILTRA vel ad media, quibus amor & affectio unius perſonæ circa aliam perſonam determinatam conciliatur.

Hæc ipſa philtra ſunt vel *vera* vel ſunt *falſa*. Philtra falſa à vetulis & mulieribus aut etiam proſtibulis ſubinde propinantur. Sed aut ipſa ſunt *præternaturalia* aut *magica*, aut ſi non ſunt magica, ſaltem virtute verorum philtrorum carent, & ordinariò ferè ex eorum *menſtruo* ſanguine adjecto ſanguine leporino tanquam animali fœcundo & ſalaci componuntur. Alii ex parte umbilici decidui amorem conciliare volunt. Sunt, qui beneficio *ſeminis* humani philtra magnetica ſeu amorem conciliare volunt. Alii *teſticulis* animalium ſalacium *ſudore* certi hominis irrigatis homines in amorem cogere volunt. Sed hæc & ſimilia ſunt ludicra & falſa, ut & magica & præternaturalia. Nam loco cupidi amoris ſæpiſſimè in inſaniam & dementiam cogunt eos, qui acceperunt.

Philtra hæc ſubinde etiam alia periculoſa & crudelia inferunt ſymptomata, quale exemplum videbitis in HEINRICO *ab* HEER *obſ.*13. ſtupendorum ſymptomatum ex philtro tali falſo datorum.

Vera quod attinet *philtra*, ea ſunt talia, ut iis verus amor & naturalis quædam inclinatio unius perſonæ in aliam excitetur, idque medio quodam naturali interpoſito tanquam magnete tranſplantatorio perficitur, ut exinde ſequatur mutuus affectus. Quæſtio hic primò eſt, an dentur talia philtra, quæ in determinata perſona amorem excitare & conciliare valeant? Communiter equidem negant: ſed contra experientiam, Nam notum eſt, quod legitimè inſtituta & uſurpata philtra omninò hanc vim obtineant.

De cane notum eſt, quod ſi quis recipiat fruſtum panis, & ſub axillis applicet, ut inſenſibili tranſpiratione & ſudore benè imprægnetur, & poſtmodum cani propinetur, tunc canis talem hominem nunquam deſerit.

HARTMANNUS habuit paſſerem, cui ſimiliter tale philtrum proprium propinavit ex medio vegetabili, qui paſſer eum nunquam deſeruit, ſed in muſeo ſemper adſtitit: viſitans ægros, cum eodem volavit, & nunquam eum deſeruit.

Notum eſt exemplum HELMONTII, quod refert in ſuo *de magnetica vulnerum curatione*, quod nempe receperit herbam, quam ad tempus detinuerit in manu, & poſtmodum pedem cujuſdam catuli ad tempus detundit in manu iſta, unde factum fuit, ut poſtmodum catulus eum ſecutus fuerit, relicto antiquo hero, §.7.

Sic ſunt duæ plantæ ubique obviæ, quæ ſi in manu detineantur, quæcunque ex illis ſit, ut benè intepeſcant (nam hoc eſt conditio ſine quâ non) & hinc manus abjectâ herba porrigatur virgini, ita ut & illius manus probè detineatur, ut ſimiliter incaleſcat, hinc amor mutuus conciliatur certus, non tamen diu durans, ſed tantùm per 4. aut 5. dies.

His & ſimilibus exemplis certis nullum dubium eſt, quod poſſit fieri amoris certa conciliatio. Confirmant hoc ipſum ſimilia exempla in natura obvia ſympathiarum mutuarum inter quædam animalia, imprimis quantum valeant curæ magneticæ in morbis, ita ut certo experimento morbus poſſit transferre ex uno animali in alterum, ita tamen, ut morbus curetur affecto altero.

Solum in *Ictero* fiunt placentæ ex urina ægri cum farina, quæ placentæ propinantur cani vel feli, & exinde Icterus ſanabitur, quod veriſſimum eſt: Nihil dico de Atrophiæ *per ovum* curatione: De podagræ curatione per tranſplantationem in quercum, &c. Hæc & ſimilia omnia innuunt correſpondentiam totius cum partibus à toto ſecretis. Quin & nota eſt ſympathia inter conſanguineos: dum frater in Germania corripitur variolis, ſimiliter & alter frater, qui in Gallia eſt, corripitur iiſdem: aut ſi gemelli unus lipſiæ, alter VVittebergæ ſimul eodem tempore variolis corripiuntur. Quia & talia exempla ſingularia ſunt, quæ recenſet BORELLUS *Cent.* 2. *obſervat.* 47. de puella, quæ nimiis torturis & artuum lancinationibus torquebatur tunc temporis, cum ejuſdem pater in loco ſatis diſſito rotâ frangeretur. Simile exemplum habet de muliere, quæ ſenſit dolorem exquiſitum in fronte, cujus maritus ſclopeto in capite vulnus accepit: Sic BARTHOLINUS habet ſimile exemplum, *cent.* 6. *obſer.* de marito toties & cruciatus & tormina inteſtinorum perferente, quoties uxor eſt in labore partus. Hæc & ſimilia exempla ſatis confirmant dari vera philtra & determinata.

Quæſtio eſt, quomodo fieri vel operari debeant talia philtra. Optimus magiſter eſt HELMONT. qui citato §. dicit, quod philtra requirant mumialem confermentationem, ut ad certum objectum trahatur dilectio. Reddit ita rationem, quare contactu herbæ ejuſque benè tepeſcentis in brutum vel hominem fiat amoris tranſplantatio, quia dicit calor prius herbam calefaciens, calor, inquam, non ſolitarius, ſed effluvie quadam ſpirituum naturalium concitatus, herbam ad ſe determinat individuatque ſibi & aſſumpto hoc fermento per magnetiſmum alterius ſpiritum trahit & ſubigit in amorem.

In his eſt nervus omnis actionis tranſplantatoriæ & curationis magneticæ, & etiam in his conſiſtit fundamentum philtrorum genuinum.

Dicit fieri debere per confermentationem mumiæ: per mumiam primariò intelligitur ſpiritus inſitus, idque imprimis in cadaveribus, in quibus influi evanuêre ſpiritus: ſecundariò tamen etiam in viventibus influus mumiæ ſpiritualis nomine ſubinde venit, & hic ipſe ſufficiens eſt pro tali tranſplantatione inſtituenda, modò medio quodam tertio, v. gr. planta quadam ſpiritus iſte mumialis ex uno ſubjecto hauſtus & certo modo determinatus, conferatur in alterum ſubjectum, cujus ſpiritui mumiali tam influo, quàm inſito arctè nubat, eique ſe jungat, ex quâ conjunctione poſtmodum inter hæc duo ſubjecta mutua inclinatio conciliatur Magnetiſmo mumiali in diſtans mutuo agente. Ex hoc fonte curationes Magneticæ & ſimilia naturæ mirabilia ſunt derivanda & deducenda.

Hæc philtra vera tum tantùm honeſtatis & amoris gratiâ inſtituantur, nullo modo ſunt impedienda. Verùm cum ſæpiſſimè fiat, ut loco philtri veri propinetur philtrum falſum, aut per magiam illicitam & incantationem concilietur amor, ob id neceſſe eſt, ut peſſimis inde oriundis ſymptomatis non ratò maniacis ſedula cura à Medico adhibeatur.

SIGNA, quibus philtra falſa à veris cognoſcuntur, certa ſunt nulla. Nulla enim nocumenta inferunt, ideoque varia exhibent ſigna. Ob id omnes circumſtantiæ morbum antecedentes probè perpendendæ: Subinde etiam ægri mox poſt aſſumptionem cujuſdam vel eſculentæ vel potulentæ rei ſe malè habent: quando & ipſi interdum ſubinde ſuſpicionem habent à tali vel tali perſona propinatum fuiſſe philtrum, in ſpecie tamen de ſtomachi habitu peſſimo & hinc de mentis perturbatione tales conqueruntur ægri.

Mirum eſt, quod interdum periodicè impetus amatorius ex philtro cauſatus repetat: Sic namque refert AGRICOLA de antimonio *Commentario in Poppium* de amore per philtrum inducto, cujus paroxyſmum ſingulis pleniluniis repetebat, & per 6. dies continuos durabat. Sic B. D. LANGIUS curavit hic juvenem, qui poſtquam à levioris notæ fœmina pomum citrium dimidium hora 4. pomeridiana acceptum comediſſet, quotidie poſtmodum ſub eadem hora per horæ ſpatium tanto deſiderio & anxio penitus amore in eam fœminam flagravit, ut hinc inde curreret, & inquieto animo eam amplecti deſiderare conſueverat. Cum verò voti ſui compos fieri nequiret, propter abſentem tunc mulierem, malum in dies ſuccrevit eadem hora, ut exinde in peſſimum habitum degenerârit: donec curatus fuit (curam poſtmodum.)

QUOD ATTINET CURAM

1. Ante omnia laborandum eſt Medico, ut poſſit invenire materialem cauſam, quæ uſurpata fuit in philtro, an ſcilicet ſolum ſit inductus amor per media magica illicita ſeu ſignum magicum, an verò ſanguine menſtruo, aut ſemine, aut urina, aut alvi excrementis aut ſimilibus amor ſit inductus. Si de priori habet ſuſpicionem, adhibentur remedia contra incantationem directa, aut contra morbos à veneficiis appropriata. Sin verò de poſteriori ſit ſuſpicio, tunc præmiſſis univerſalibus & vomitoriis philtris aliis appropriata remedia, addendo tamen ſpecifica iſti rei, à quâ inductæ ſunt, uſurpanda.

2. Deinde exhibenda ſunt imprimis univerſalia, & quidem *vomitoria antimonialia*, eaque ſubinde ſunt repetenda, & his ſubjungenda ſpecifica, tam ſpecifica antimoniaca quàm ſpecifica contra philtra invicem miſta. Ut v. gr. remediis contra philtra ſubinde addenda eſt *Tinctura Lazuli* vel *ſanguis aſini* vel ſimilia.

3. Denique propinatis univerſalibus ſudoris provocatio per appropriata imprimis erit conducibilis & neceſſaria.

Quod attinet univerſalia. Infuſum vitri antimonii aquæ benedictæ. Aurum vitæ KEGLERI antimon. vitæ in ſubſtantia & ſimilia præ reliquis conveniunt. Sic n. D. LANGIUS ſupra dictum juvenem curavit propinando vomitorium fabrefactum ex butyro antimonii cum ſole lun. ſeu mercurius vitæ cum ſole lun. Hic ex propinata prima doſi multum evomuit quidem, ſed abſque levamine, tertia die idem vomitorium antimoniale mox ante ingruentis paroxyſmi tempus iterato ipſi dedit, ita ut ſupra & infra materiæ fœtidiſſimæ & nigerrimæ ejecerit ſaburram, quibus duobus vomitoriis antiquam recuperavit ſanitatem. Sic fuit *Halæ Saxonum* adoleſcens certus, qui certis horarum intervallis adeò ſæviit, ut ex ædibus aufugeret, ut ſi maniacus eſſet. Unde cum in hoc eſſet ſuſpicio philtri propinati, propinati ſunt ipſi, gr. v. mercur. vitæ, quibus ſupra & infra multum evacuatus fuit, non tamen perfectè reſtitutus: alterâ die data fuit theriaca cum ʒj. pulveris ſerpentum ex aqu. card. benedicti: Unde ſucceſſit copioſus ſudor, quo malum omninò evanuit. Aliàs *ol. ſambuci ex arillis* à ʒj. ad ʒiß. tanquam appropriatum vomitorium contra philtra laudatur. Urina equina pota evacuat etiam ſubinde philtra, per ſuperiora & inferiora.

inferiora. Hiſtoriam elegantem recenſet SALMUTH *cent.1. obſ.70.* ubi de philtro generatæ ſunt ranæ & ſerpentes, vid. *cit. loc.* Unde in talibus caſibus urina equina propinata non erit inconveniens remedium.

His præmiſſis univerſalibus appropriata magis remedia ſunt. 1. *Naſturtium aquaticum*; Hujus enim ſuccus admodum laudatur contra philtra, uti etiam aqua Naſturtii aquatici ceu conveniens vehiculum uſurpatur pro medicamentis contra philtra. Hinc miſt. ſimpl. interdum uſurpatur ſive Tinctura Bezoardica. Nam hanc admodum commendat HARTMANNUS tanquam appropriatum contra philtra ſudoriferum.

Aliàs etiam *Spiritus ſecundinæ*, pulvis ſecundinæ, & omnia ex ſecundina parata remedia, ſi quæ alia ſunt expertiſſima, & quidem datur pulvis ſecundinæ à ʒj. ad ʒiß. unà cum ſpiritu Theriacali: item ſpiritus ſecundinæ à ʒß. ad ʒj. non abſque felici ſucceſſu propinari ſolet: ſed obſervetur, quod parata ex ſecundina, imprimis pulvis ultra annum non duret, ſed copioſiſſimos vermiculos generet, ſpiritus verò per fermentationem ſeu putrefactionem paratus diu durat, adeoque pulveres ſingulis annis renovandi.

Spiritus Theriacalis Camphoratus, *Extractum Theriacale*, item *Hypericum*, *Anagallis* & omnia ex hoc parata. *Baccæ herbæ paridis* & ipſæ pulveriſatæ ad ʒj. commendantur, uti etiam Corall. & ex his paratæ tincturæ. Terra *ſigillata ſtrigenſis*, vel etiam uti vocant axungia auri philtra provocat, nempe in principio adhibita: Ubi verò ſe ſanè diffudit philtrum, per ſudorem diſpellendum. Decoctum Corticis mediani ſambuci in ſero caprillo manè & veſperi aliquoties datum, etiam ante triennium propinatam materiam noxiam pro philtro expellit, auctore BLOCHWIZIO *in Anatomia ſambuci*: *Eſſ. mumiæ humanæ*, *Eſſ. ſerpentum*, & omnia reliqua *ex microcoſmo & ſerpentibus* parata admodum laudantur contra philtra. Sic etiam *calculus microcoſmi* pulveriſatus in aqua naſturtii exhibitus contra philtra, & Melancholiam Eroticam plurimum confert expellendo urinam plurimam. Vid. Exemplum *in* HEINRICO *ab* HEER *obſ.13*

Electuarium HARTMANNI, quod habet *in praxi cap.7. §.13.* experimentum eſt ſingulare contra philtra præmiſſis univerſalibus: Nam hujus uſum aliquoties vidit felicem D. MICH. & hujus uſu quendam ſtudioſum graviter afflictum feliciter reſtituit. PRAEVOTIUS commendat *Corymbos hederæ* albicantes per 8. dies ex vino vel decocto Cicerum exhibitos ad ʒj.

Quod ſi jam philtrum ad maniam procedat, tunc optimum experimentum habetur *naſturtium aquaticum*, de quo ante a monui. Sunt qui dicunt, quod etiam confirmat SCHMUCK *in cur. Magico Magnet. pag.* 72. quod contra maniam ex philtro ſit admodum certum, ſi quis recipiat *calceos novos*, in illis probè curat, donec incaleſcant ſudore pedum, hinc potum infundat & hauriat.

Sin philtrum ſit factum ex ſanguine menſtruo mulicbri cum ſanguine leporino, remedium ſunt *Margaritæ præparatæ*, uti notum eſt *ex* BORELL. *cent.1. obſer.63.*

Unum adhuc referam, mihi à quodam fide digno narratum. Vir quidam loco philtri ab uxore aliquid de ſanguine menſtruo accepit inſcius, unde fit, ut triduo ſpatio mirum quantum totum corpus intumeſcat, omneſque partes influentur mirabiliter: pro cura propinantur illi pulvis Card. Bened. & Theriac. ana in aqu. card. bened. Umbilico verò apponitur dimidium panis recentis, ſeu recenter ex furno extracti, parum excavati & impleti ſimiliter theriaca & pulvere card. benedict. ſicque provocatur ſudor: Unde tumor ceſſat, & remoto pane dimidio, livido & ſub cæruleo ſequitur levis Diarrhæa, à qua ipſa tandem æger fuit perfectè curatus.

Superius audiſtis ex SALMUTH. quod philtra inducant ranas & lacertas, id quod non rarum eſt, nam ſæpius fit, ut propinatis philtris exinde generentur copioſi vermiculi in hominibus, quibus iſta fuerunt propinata.

Exemplum tale præ cæteris habet SALMUTH. *lib.2. obſ.* qui refert de quodam, qui philtrum acceperat, poſt aliquoties in anno varios per vomitum vermes rejecit, etiam animalia viva.

Abſolvimus jam morbos iſtos, qui omnes tres ventres affligunt, pergo propterea ad

CAPUT ULTIMUM

QUOD IPSUM EST QUASI APPENDIX practicus, exhibens duos affectus complicatiſſimos, nempe

MALUM HYPOCHONDRIACUM ET SCORBUTUM.

Affectio Hypochondriaca.

AFFECTIO ſive MALUM HYPOCHONDRIACUM, utut ſit communiſſimum, ob variam tamen ſymptomatum Syndromen proprio nomine caret, ejus verò ſuperior & quaſi eminentior gradus vocari ſolet *Scorbutus*, quia verò ſymptomata frequentiſſima, quibus hoc malum torquet ægros, in regione hypochondriorum utraque & in eorum regione Epigaſtrica imprimis percipiuntur, ob id mali hypochondriaci nomine vulgo venire ſolet: Sicut Chymicis cauſam morbificam nonnihil reſpicientibus ſimul *tartarus hypochondriorum* vocari ſolet: Perfectior ejuſdem gradus ut dixi SCORBUTI nomine venit, appellatione originaliter Germanicâ inferioris Saxoniæ, quæ tamen in forum medicum tranſlata & ita retenta fuit, & ob id imprimis hæc vox ſcorbuti eſt recepta, quia adhuc multi admodum auctores inter ſe digladiantur, an morbus his veteribus fuerit cognitus.

Multi enim eum ab HIPPOCRATE ſub nomine *Lienis magni* exactè deſcriptum aſſerunt: alii *ſtomacacen & ſcelotyrben* PLINII eum exiſtimant, qui affectus PLINII ætate in exercitu Imperatoris Germaniæ graſſatus fuit.

Sed lis hæc eſt admodum inanis, cum parum referat, an veteribus fuerit cognitus ſcorbutus an ſecus.

Arbitror tamen, eundem omninò iiſdem fuiſſe admodum cognitum, utut non adeò atrocibus ſtipatus fuerit ſymptomatis. Nam ut creſcentibus delictis creſcunt pœnæ, ſic etiam creſcentibus luxuriæ & diætæ erroribus, quod mirum atrociore furore etiam nos aggredi morbos, veteribus non adeo graves, ita ut

nec eorum deſcriptiones tanquam nonnihil mitiores exactè cum noſtris conveniant.

Sed cum ut dixi ſupra adeo complicatus fuit affectus *malum hypochondriacum*, ejuſque non degener filius *ſcorbutus*, ita ut tantùm non omnes actiones diverſimodè pro ſubjectorum varietate lædantur, ob id factum eſt, ut tot ſint litigia de *Loco* in malo Hypochondriaco *primariò affecto*, ſive de radicali ſede & radicali foco ipſius morbi.

Hinc alii nullam determinatam partem ſemper affici exiſtimant: alii vaſa meſaraica primarium eſſe focum. Alii intemperiem inteſtinorum calidam & ſiccam: alii lienem vitiatum ejuſque aut intemperiem, aut obſtructionem eſſe nidum hypochondriaci mali, & hinc dependentis ſcorbuti aſſerunt. Præ cæteris Phantaſiæ mirè indulgent iis, qui ſpatium iſtud vacuum inter ſtomachum & diaphragma pro ſede primaria mali hypochondriaci, aut ſaltim pro nido, ubi tot ſtabulentur flatulentiæ exiſtimant. Hos inter fuit HENRICUS LAEVINUS FISCHERUS, qui edidit peculiarem tractatulum *de Loco foco affectus hypochondriaci*: Nam permotus *aphoriſm.54. ſect.7.* ſtatuit foveam ſive cavitatem iſtam juxta ſtomachum ſub diaphragmate inter ſtomachum, & inter lienem eſſe focum, quæ cavitas multis adimpleatur ſubinde fœditatibus, ſive permanent ab hepate, ſive à liene, ſive ab alio abdominis viſcere.

Unde etiam in iſto loco imprimis ſymptomata à flatulentiis orta, item rugitus & murmura ac ſimilia ſoleant percipi. Hinc etiam ex ejuſdem hypotheſi aſſerta veram mali hujus curam in Diureticorum legitimo uſu conſiſtere ait. Verum conſideratis, vel obiter variis hypochondriacorum ſymptomatis ſponte ſuâ hæc opinio vacillare & corruere videtur: quomodo enim tam pertinaciter iſtæ ſordes in eodem cavo hærere, totum corpus afficere, & diverſimodè excruciare valeant? Vid. etiam SENNERTUS *lib.3. prax. de malo Hypochondr. pag.518. & 520.* qui etiam huc inclinat.

Sed miror in re adeò clara tam varios eſſe auctores. Nam qui unquam hypochondriacum vel incipientem, vel confirmatum examinavit, ejuſque ſymptomata conſideravit, aut qui aliquando curationi cujuſdam hypochondriaci præfuit, is tantum non manu palpare poteſt, radicem morbi veram & unicam hærere ſemper in ſtomacho, & quidem in vitio ſucci ejuſdem fermentativi, non ritè ſcilicet digerentis alimenta. Unde & chylus & maſſa ſanguinea, & lympha, reliquique actuantes corporis Machinam humores vitiantur & depravantur. Quam ipſam de foco hujus mali primario ſententiam acriter defendit HOCHSTETERUS *in tota Decad. V. obſ.* id quod etiam HIGHMORUS *in tr. de malo hypochondriaco & paſſione hyſterica* ſimiliter ſtatuit, quod etiam primario afficiatur ſtomachus, utut aliis principiis ſuam opinionem ſuperſtruat. Idem diſertis verbis dicit LINDANUS, qui aſſerit, quod primario peccet *cruditas ventriculi acida*, à qua originem ſuam habeat & malum, hypochondriacum & huic ſuperveniens Melancholia hypochondriaca, quæ paſſiones nunquam oriantur, quin præceſſerit prius talis ſtomachi cruditas: id quod ſimiliter de ſcorbuto verum eſt, qui tamen præter radicem iſtam primario ſuam noxam in ſanguine, & ſpecialiter in lympha vitiata explicat. Sed hæc ut pateant clarius, ſaltim examinemus ſymptomata, quorum ſyndrome malum hoc conſtituit.

In omnibus ventriculus primario malè ſe habet: Apepſia ſubinde laborat, utut avide tales ægri appetant & non raro, nimia & quaſi canina appetentia laborent: tales poſt comeſtionem dolores ſtomachi compreſſivos ſubinde percipiuntur: & aſſumpta acida imprimis eos lædunt: ſtomachi frequentes inflationes adſunt, tam jejuni quàm paſti ructus copioſos, aut utplurimum ſaltim admodum acidos experiuntur, abdomen ſæpe inflatur: Murmura & borborygmi frequentiſſimè ſentiuntur in eodem, & copioſiſſimus nec unquam deficiens flatuum eſt proventus, quorum activitas in ſpecie in hypochondrio ſiniſtro ſe explicat: ibi enim facilè manus compreſſione fluctuationes & murmurationes percipiuntur, ex flatibus in colo ibidem locorum partim anguſtato partim incurvato concluſis, ubi ſimul dolorificæ lancinationes, diſtenſiones & punctiones admodum perſæpe percipiuntur, *Lieni* equidem vulgo, ſed *falsò* adſcriptæ quibuſdam & fluctuationes in cavo abdominis in meſenterio & ſimilibus locis ſe conjungunt: accedit alvi pertinax occluſio, ita ut centum videas hypochondriacos, quorum vix duobus alvus quotidie ſit aperta, quin intra 3, vel 4. dies demum aut ſtimulo quodam irritata, aut ſpontè interdum ſuum officium faciat, in quo ipſo dura, parva, nigra, & non abſque inſigni conatu, interdum etiam non abſque dolore excernuntur, ſin forſan vomitus contingat, qui non ſunt rari vel ſponte, vel arte, rejiciuntur aut aquoſa, aut ſæpiſſimè viſcida pituitoſa, ſed ſemper acida: ita ut etiam dentibus ſubinde ſtuporem inferant, aut orichalcea vaſa in æruginem corrodant, niſi interdum in forti conatu aliquid debile ex folliculo felleo ſe admiſceat, quæ acorem temperet, & aliqualem amarorem guſtui repræſentet. Interdum etiam adſunt ventriculi dolores, qui ad dorſum uſque ſe extendunt, juxta ſitum gulæ, & ignotis pro nephriticis doloribus imponuntur: Et hi ſæpius poſt cibos ingeſtos ſe exſerunt, idque pertinaciter ſubinde, ut vix niſi poſt ingeſtorum revomitionem remittant Phlogoſes & æſtuationes hypochondriorum: hinc rubor faciei & malarum, item calores vagi modo remittentes modo accedentes vexant ægros: In ſpecie poſt dimidiam à paſtu horam ſubinde elegantes habent malas, qualis rubor etiam interdum unico vini hauſtulo ſupervenit. Dolores Colici Iliaci ſunt frequentiſſimi, iique ſæpius acerbiſſimi, in quibus interdum abdomen contrahi, & umbilicus interiora verſus velut revelli ſolet: anxietates citra cauſam manifeſtam, palpitationes cordis graves, difficiles reſpirationes, torquent etiam hos ægros, & quidem in difficili reſpiratione, imprimis difficultatem reſpirationis infert diaphragmatis impedita contractio, & deorſum verſus explicatio: Nam ſic per conſequens etiam Thoracis dilatatio impeditur: Nam quando volunt reſpirare in abdomine & hypochondriis, impedimenta percipiunt, adeò ut dolorem gravativum & tenſivum ſentiant: & quando Thoracem volunt dilatare, propter iſta in hypochondriis impedimenta ipſis quaſi cingulo abdomen cinctum videtur, idque imprimis nocturno tempore, quando ſupini jacentes dormiunt & hinc ita evigilant. Tumores lienis non ſunt rari, qui confirmato huic malo imprimis ſuperveniunt, ſuntque producta morboſa, utut falſò à quibuſdam pro radice morbi habeantur. Nam & malum hypochondriacum, & etiam ſcorbutus inſonte omninò liene obſervata fuerunt, teſte HORSTIO *lib.9. obſ.4.* Sicuti etiam hepatis infarctus ejuſque pertinaces ſcirrhi interdum ſuperveniunt: Percipiunt præterea tales ægri moleſtas pulſationes in hypochondriis, uti etiam in regione dorſi, quæ nempe pancreati reſpondet, vel etiam tales pulſationes percipiuntur, interdum in iis partibus, ubi aliàs naturaliter nullus percipi ſolet pulſus. Malo ulteriùs procedente vertigines frequentes ſuperveniunt, eæque præſertim ſtomacho jejuno, quæ ipſæ vertigines etiam aſſumpta v.g. panis buccellâ, brevi poſt denuo ſiſtuntur: Cephalalgiæ ſubinde affligunt, anxietates frequentiores, faciles terrores triſtitiæ & mœrores citra manifeſtam cauſam, atque ſic tandem ipſa melancholia, à foco, hypochōdriaca ſpecialiter dicta ſupervenit, quam ſomnia varia & turbulenta, & terrifica aut præcedunt, aut etiam comitantur. Pulſus ſunt varii, & interdum inæquales, ſubinde intermittere videntur, & in malo confirmato, in ſpecie in ejus paroxyſmo ferè

fere omni momento mutatur. Nam ubi confirmatum fuerit malum hypochondriacum, utut ſymptomata ſtomachi, & hypochondriorum ſive potius inteſtinorum nunquam omnino remittant, tamen ſubinde per paroxyſmos affligit, & ſuas exacerbationes habet rarius certas frequenter vagas, ac ipſæ paſſiones cordis & capitis & ſenſuum ſymptomata atrociter interdum affligunt, quin & interdum viri perfectè ea patiuntur, quæ evenire ſolent, aliàs mulieribus in paſſione ſic dicta hyſterica, & ipſi ægri dicunt ſe percipere aſcendere fumos ex abdomine ad cor vel caput, (de quibus ubi de *Epilepſia*) item ex liene ſubinde adſcendentes, & poſtmodum ita tales paroxyſmos inferentes.

Urina interdum effluit cruda & tenuis, interdum etiam turbida, pallida & craſſa, ſedimentum habet ſubinde inſtar farinæ laterum, imprimis ubi jam degenerat malum in ſcorbutum. Quod ſi urinæ antea claræ & tenues, uſu medicamentorum fiunt craſſæ & turbidæ, & ſubnigricantes cum copioſo ſedimento, ſignum eſſe ſolet bonæ medicamentorum operationis.

Hæc & ſimilia ſymptomata complicata, quorum quædam in hoc, quædam in alio ſubjecto ſe manifeſtant, facillimè ex ſtomachi vitiata digeſtione ejuſque cruditate acida deduci poſſunt, modo ea quæ alio tempore & alia occaſione de ſimilibus affectibus dicta fuerunt, ruminentur.

Jus enim ventriculi eſt univerſale in totum corpus, adeoque in Theoria morborum maximam ſemper ſui poſtulat conſiderationem, uti non minus in praxi legitima ſemper quoque ad eum reſpiciendum eſt.

Hujus ergo actio nempe digeſtio læſa, vitio ſucci ejuſdem fermentativi nimis acidi nec ritè volatilis, ratione cujus avidius appetit quam concoquit, eſt primaria cauſa totius mali hypochondriaci.

Quod ipſum fermentum nimis acidum promptè quidem aſſumpta diſſolvit, ratione nempe acoris in virtute diſſolutiva aucti, ſed eadem diſſoluta minus fermentat minuſque volatiliſat: Unde aſſumpta inſtar paſtæ flatulentæ acidæ in ſtomacho hærent, quæ aliàs in chylum ſalſum volatilem tranſmutari debuiſſent: Hinc ructus acidi & ſtomachi inflationes, & ex maſſa viſcida acida ejuſdem graves dolores aut vomitus maſſæ viſcidæ inſigniter acidæ: Ex ſtomacho delapſa tandem hæc acida maſſa occurrens fermento felleo vitioſè effervescit, & hinc in copioſos flatus exſurgit: Nam ut alibi oſtenſum, flatus fiunt ab acido vitioſè in materia viſcida effervescente, quin & ſi paulo obeſior & pinguior fuerit bilis incaleſcentiæ ſive ſubitaneæ phlogoſes, ſub dextro hypochondrio ſubitò in totum corpus ſe diſpergunt, quod vulgo quidem ſed falſo hepati calido adſcribere ſolent.

Hic flatuum proventus continuus, continua murmura, & nunquam intermittentes borborygmos abdominis infert. Et cum fœces tales ſecretæ viſcidæ in cellulis coli imprimis hæreant, hinc acore infertæ pertinaces dolores, & lancinationes pituitæ vitreæ aliàs adſcriptas generant. Hinc eſt quod ſubinde conquerantur ægri, ſe ſubinde ſentire infarctus in abdomine, & monſtrando locum iſtius infarctus ſitum coli ſub ſtomacho exactè delineant (ubi ſcil. colon ſub ventriculo ſiniſtrorſum verſus porrigitur.) Hæc ipſa materia viſcida ſimulque acida in cellulis coli contenta alvum contumacem, & difficillimæ ſolutionis reddit: iſtud verò quod de vitioſo hoc chylo tranſcolatum fuerit per inteſtina, & delatum ad maſſam ſanguineam hujus craſin acore ſuo vitioſo & præternaturali inquinat. Et cum hic acor in ſubjecto nonnihil viſcido hæreat, ipſam maſſam ſanguineam craſſam & ſpiſſam, & difficulter fermenteſcibilem reddit; Unde anxietates, cordis palpitationes, & ſimilia cordis ſymptomata: ſin verò in colatura ſanguinis per viſcera in ſpecie per lienem & hepar de tali vitioſo chylo ſanguini infuſo nonnihil in iis hæreat, & vitioſo ſuo acido inſpiſſatum coaguletur, tumores & infarctus viſcerum & huic denique ſcirrhi ſuperveniunt. Conſtitutâ taliter maſsâ ſanguineâ, ac vitiata partim, partim etiam depravata ejus fermentatione, minus ſpirituaſcit, adeoque ſpiritus minus volatiles minuſque ſubtiles producet, quin hi facilè in anomalias motuum & exorbitantias erumpant, adeoque affecto ſtomacho vertiginis item Cephalalgiæ dolorem inferant, donec ſanguine minus ſpirituaſcente, triſtitia, mœror, cogitationes fixæ, & tandem Melancholica ſymptomata superveniunt.

DISPONUNT AD HOC MALUM EX REMOTIORUM CAUSARUM genere imprimis errata in victu, deficiens motus & denique vita curis & ſtudiis occupata.

Errata in diæta vitioſum chylum ſuppeditant: nam alimenta aut nimis acida, aut fumo indurata, aut ſale condita, difficulter digeſtibilia & ſale vol. deſtituta ad hoc malum diſponunt; deficiens motus, qui aliàs & chyloſin & hæmatoſin adjuvat, (nempe motus naturalis) omnino diſtributionem & digeſtionem impedit, & excrementorum ſeparationem tam per urinas quàm per ſudores minus promovet. Curæ denique & ſtudia imprimis nocturna ſpiritus abſumunt, & vires ita exhauriunt, indeque maſſam ſanguineam minus ſpirituoſam minuſque volatilem relinquunt. Inquinatus ita ſanguis, & conſequenter etiam lympha ipſa, tam glandularum conglobatarum, quam etiam conglomeratarum v. gr. Pancreatis, quæ ipſa Pancreatis lympha vitiata vitioſo ſuo acore ſymptomata abdominis, & inteſtinorum multum aggravat, tam tetra ſubinde inferunt ſymptomata, (nempe lympha & ſanguis) & totum corporis habitum tantum adeò immutant, ut malum exinde naſcens SCORBUTUS appellari ſoleat. Ob id ſunt rectè qui dicunt, quod malum hypochondriacum exaltatum, & quaſi malignius redditum inferat ſcorbutum, quem multi in ſpecie PETRÆUS non malè inter ſpecies cachexias referunt; dum ſcil. à vitiato ſanguine, aut atrophia, aut cacotrophia tandem neceſſariò ſequatur; quin tandem volatiliſatum nonnihil iſtud vitioſum acidum hypochondriacorum in maſſa ſanguinea & lympha, tandem miaſmata fermentativa & contagioſa de ſe ſpargit, adeò ut ſcorbutus confirmatus per oſcula, per halitum, item per pocula communia, uno nomine per contagium ſe multiplicet, in quo contagio præ cæteris efficaciſſima eſt ſaliva, in ſcorbuticis inſigniter inquinata: qualia contagia aëre attracta in ſanguinem, aut cum ſaliva hauſta & ſtomachi fermentum, hincque chyloſin & hæmatoſin tandem inquinant, adeoque ſubinde ſe multiplicant, & ita tam firmo charactere ſeſe ubique inſinuant, ut etiam medio ſeminali à parentibus traducatur in liberos. *Scorbutus.*

SYMPTOMATA quæ ſcorbutum comitantur præter ea, quæ modo de malo hypochondriaco fuerunt explicata, ſunt gingivarum laxationes, (nam *omnia mala hypochondriaci ſymptomata ſunt etiam in ſcorbuto*) exeſiones & exulcerationes, & frequentes cruentationes, imprimis in corpore, in cruribus, in brachiis, maculæ erumpunt, nunc minores pulicum morſibus ſimiles, nunc majores magnitudine interdum thaleri, (uti ipſe vidi) nunc rubicundæ, nunc flaveſcentes, nunc atropurpureæ & lividæ.

Urinæ ſcorbuticorum ſubinde intenſè ſunt tinctæ, & rutilant inſtar ſpiritus nitri (quando prodit) cum ſedimento farinæ laterum ſimili, ita tamen, ut exterius inſpectus matulæ fundus ſubcruentum quid repræſentet: interdum ſine tali ſedimento, copioſæ arenulæ rubræ facilè friabiles incruſtant matulæ fundum & latera: interdum urinæ talis flammeæ elegans cruſta ſupernatat, quæ ad latus adſpecta pavonis caudam aut eleganter coloratam iridem repræſentat.

In ſpecie dolorum variorum torturis crudelis eſt ſcorbutus crurum & ſurarum, præ cæteris ventriculi & abdominis, qui abdominis dolores ſcorbutici omnium

nium ſunt crudeliſſimi, & ſubinde in regione lumbari incipiunt, & graviſſimo contorſionis ſenſu hinc inde in abdomine oberrant, & ita anteriora verſus contorquentur. Non raro in variis corporis partibus rumores œdematoſi varii erumpunt & denuò diſparent; hinc alio in loco ſe manifeſtant, & iterum concidunt: interdum dolores tales vagi & vagabundi artus excruciant, dum acerbus dolor nunc crus, nunc brachium, nunc aliam partem ſucceſſivè affligit, nulla tamen ſenſibili in parte inducta alteratione, quod ſymptoma in ſpecie ARTHRITIS VAGA SCORBUTICA ſeu VARI appellari ſolet. Hanc arthritidem vagam interdum præcedere ſolet ſenſus formicationis in artubus. Unde affectus hic à quibuſdam vocari ſolet morbus Titillationis.

Sæpius membra fiunt paralytica, idque imprimis poſt colicas ſeu poſt tormina & dolores abdominis: in quâ pareſi ſcorbutica motus perit ſenſu integro aut ſaltem doloroſo: interdum membra ex tali paralyſi fiunt rigida, contracta & tantùm non immobilia.

Loco paralyſeos èc ontra frequentes admodum convulſiones & motus convulſivi ſcorbuticos vexant: ſive tales motus convulſivi internas occupent regiones ſive externos agitent artus. Nam ſæpiſſimè Epilepſis & ſimiles convulſivi morbi, quin & hyſterica paſſio, &c. ex fomite ſcorbuto ſuam malitiam obtinent, & morboſam virtutem.

Præter vagos hos dolores etiam fixos infert ſcorbutus imprimis in *capite*, ubi Cephaleas contumaces: dolores dentium ferè intolerabiles inducit: Interdum ſtomachum affligit pertinaciter: Unde *vomitus* admodum contumaces nonniſi antiſcorbuticis curandi oriuntur.

Interdum d jectiones cruentas & doloroſas, falſo à quibuſdam dyſenteriæ ab aliis hæmorrhoidibus apertis tributas inducit.

SIGNA TAMEN, quibus hujuſmodi cruentæ dejectiones ſcorbuticorum diſcernantur à dyſenteria & fluxu hæmorrhoidum manifeſta, deſcripta vid. in HORSTIO *lib.7. obſ.25. pag.393. & 394.*

Nec ſolùm per alvum ſed etiam per alia loca pertinaces hæmorrhagias inducere ſolet ſcorbutus: interdum infert Eryſipelata cautiſſimè tractanda, nam facilè gangrænеſcunt, aut in ulcera admodum Cacœthea degenerant.

Tandem atrophia, utplurimum corpus tabeſcit, aut ſuperveniente phthiſi emaciatur. Quin & catarrhis & catarrhoſis affectibus utplurimum & ſæpiſſimè ſcorbuticorum corpus eſt expoſitum.

Pulſus eſt admodum varius inæqualis, interdum formicans, interdum planè intermittens: adeò ut qui ſcorbuti naturam ignorant, ſæpiſſimè à tali pulſu inſigniter terreantur, utut ſcorbuti ſit mos, ut interdum pulſus tetros vegeto adhuc corpore ſoleat inducere.

Hæc & ſimilia ſymptomata ſcorbutica ex corrupto acore hypochondriorum ſeu ex tartaro hypochondriorum in acidum rancidum degenerante, interdum vitioſa ſalſedine conjuncta deduci optimè poſſunt, qui depravatus acor ab acido hypochondriorum exaltatur, & fermentatione in maſſ.ſang. vitioſè corrupta & variè degenerante originem trahit.

Corruptus ita hic acor maſſ. ſanguineam & hinc etiam lympham inquinans, hæmorrhagias, deficientem nutritionem, partium exulcerationem & vitiata fermentatione variformes pulſus, item crudeles dolores infert. In partibus nempe nervoſis, in ſpecie lympha inquinata variis in locis varias torturas excitat: oris exulcerationes & gingivarum corroſiones *ſtomacace* dictas, contumaces catarrhorum acrium paſſiones, vagos partium dolores & lancinationes. In meſenterii glandulis coacervata & acore ſuo iſtud in ſpaſmos convellens atrociſſimos in abdomine cruciatus infert. Item motus convulſivos, etiam paralyſes & ſimilia ſymptomata.

Sale tali acido ſed præcipitato & à contrario alkali in ſalſum commutato turgido & imprægnata urina intenſè rutilat, quin ſalia hæc coagulata ſub arenarum forma in fundo ſubinde ſubſiſtere permittit, aut in ſuperficie in cruſtam iſtam ſalinam concreſcere ſolet. *Maculæ* denique quæ hinc inde corpus tingunt, ſunt partes maſſ. ſanguineæ, corruptæ & quaſi gangrænatæ, ut ſic dicam, quæ à reliqua maſſa ſeparatæ per ſanguinis circulum hinc inde defiguntur ſub cute, & ita ſucceſſivè inſenſibiliter exhalant: Unde earum eruptio bonum eſt ſignum, depurantis ſcilicet maſſ. ſanguineæ.

Proteus interea etiam eſt ſcorbutus, dum ordinariò aliis quibuſcunque morbis ſeſe aſſociat, & omnes iſtas graviores & contumaciores ſimul reddit, adeò ut tales morbi nunquam citra recidivæ metum ſint curabiles, niſi ſimiliter ſcorbuti vis infringatur: Imprimis his in oris inter 10. ægros vix reperiuntur 9. quibus non ſubſit aliquid de ſcorbuto ſubinde per contagium hauſto.

REMOTAS INTER CAUSAS ad ſcorbutum diſponentes magna vis eſt in *aëre* atque *victu*. Nam ratione horum *Endemius* in *inferiori Saxonia*, in *Belgio* & in *Angliâ* ſolet eſſe ſcorbutus: & in ratione talis aëris navigantes in *Indias O ientales* ordinariò conflictantur ſcorbuto, dum aër marinus effluviis acido-ſalſis ex mari elevatis inquinatus reſpirando attrahitur. Unde maſſ. ſanguinea ſaliva & conſequenter fermentum ſtomachi vitiata, tandem ſcorbuticam corruptelam inducunt.

His ita prælibatis pergo ad

SIGNA,

Quæ ipſa ex ſuperius recenſitis & enarratis ſymptomatis per ſe ſunt clara & manifeſta: Nam illa apertè declarant, qualis ſint materiæ.

Magis tamen ſpecialiter, ubi ſtomachi non ritè digerentis adſunt ſymptomata cum torminibus & flatibus inteſtinorum, alvi obſtructione & hinc capitis perturbatione nullum dubium eſt; adeſſe tunc malum hypochondriacum: Nam hæc ſigna primaria ſunt mali hypochondriaci, quæ ferè ſemper adeſſe ſolent in hoc affectu: Et his ipſis etiam vel ſpontè ſe manifeſtare.

Quod ſi his tanquam primariis alia etiam ſupra enumerata ſuperveniant ſymptomata, Diagnoſis mali hypochondriaci eſt eo certior.

SIGNA Scorbuti primaria, & quibus tantùm non infallibiliter cognoſci poteſt ſcorbutus, recenſet ſequentia LINDANUS, nempe

1. Ardorem & titillationem in gingivis cum ſubſequenti cruentatione, adeò ut ſi parum fricentur, cruententur, ubi ſanguis aquoſus & ſalſus effluere ſolet, qui poſtea fit fœtidus.

2. Sub concavo oculorum apparet color purpureus, qui eſt quaſi ſemiluna, inquit LINDANUS: Et hoc unum ſignum ſi adeſt, ſatis arguit tunc adeſſe ſcorbutum: Cui ſi accedat cruentatio gingivarum, res eſt ferè infallibilis.

3. Maculæ inſtar morſiuncularum pulicum, præſertim in femoribus & inferioribus tibiarum partibus ſubinde apparent.

4. Signum admodum ſingulare & multum conducens ad cognitionem ſcorbuti eſt vacillatio genuum, ita ut eorum robur corpus fulciens pereat, & ægri ſint quaſi lapſuri.

5. Adeſt intenſus & inſignis fœtor oris, iſque præſertim jejuno ventriculo.

6. Sentiunt crebram phlogoſin & exæſtuationem per totum corpus.

Hæc ceu ſigna primaria recenſet LINDANUS per cognitionem ſcorbuti.

His addo Ego

7. Arenulas rubras & facilè friabiles, ſi nempe hæ ipſæ

ipſæ fundo & lateribus matulæ adhærere videantur. Hæc quoad Diagnoſin.

SEQUITUR PROGNOSIS.

Difficilis admodum *perfecta curatio* eſt mali hypochondriaci & ſcorbuti, idque eò magis, quò magis inveteratum fuerit malum, & niſi exacta & ſimul cauta obſervetur diæta, impoſſibile eſt perfectè curari ægrum: accedit & hoc, quod hujuſmodi Chronici affectus, continuatum remediorum poſtulent uſum, ne denuò ſemel mitigati recrudeſcant, donec perfectè eradicentur. In quo ipſo vel maxime inobedientes ſunt ægri, ſubitò enim, ubi paulò melius ſe ſentiunt à remediis deſiſtunt.

Porrò hæmorrhoidum & menſium fluxus, uti hæc mala leniunt, ita horum ſuppreſſio vel naturalis emanſio non parum iſta aggravant.

Pulſus in ſcorbuto parvus, languidus & inæqualis minus periculoſus eſt, quàm in aliis morbis eſſe ſolet. Scorbutus interdum in *Cachexiam* interdum in *Hydropem* terminatur, ſæpiſſime verò in *Atrophiam* & *Tabem* tranſit, lentaque morte hominem jugulat.

Maxime obſervatu dignum eſt prognoſticon SENNERTI, quod habet *lib.3. prax. c. de ſcorbut. p.604.* reſpirationis, inquit, difficultas & pectoris anguſtia periculoſum malum eſt, ob quam ſi Medicus & adſtantes ſuum officium non faciunt, ſæpe ægri ſyncope præter expectationem intereunt: Sin verò fortior natura morbum diutius tolerare poſſit, plerumque in hydropem ægri incidunt, præcipue ii, qui catarthicis fortioribus ſubinde uti ſolent.

Maculæ ſcorbuticæ non ſecus ac febrium malignarum petechiæ, quo magis ad lividum & atrum colorem tendunt, eo ſunt pejores, & ſi in ulcera abeant, aperta difficulter ſanantur.

Porrò mira ſymptomatum ſcorbuticorum inter ſe eſt metamorphoſis: Nam Colica ſubinde mutatur in paralyſin: item convulſiones ſcorbuticæ ſubinde etiam in paralyſin terminantur, aut etiam in cataphoram: Nunc tranſeunt in tumorem modò evaneſcentem, modò denuò emergentem, &c. Gingivarum cruentationi & exulcerationi interdum gangræna ſupervenit, interdum etiam livor & putredo palatum occupat & corrumpit, quod vitium quibuſdam erroris anſam dedit, ut putarint eſſe luem veneream, cum tamen tantùm fuerit ſcorbutus: aliàs certum eſt, nullum affectum magis cognatum eſſe ſcorbuto quàm luem veneream.

Sed de his & ſimilibus ad ſcorbutum & malum hypochondriacum attinentibus, vid. auctores, qui in ſpecie de ſcorbuto ſcripſerunt, qui ſunt SEVERINUS EUGALENUS: qui eſt omnium optimus, DRAVVIZIUS de ſcorbuto, item REUSNERUS de ſcorbuto: SENNERTUS in peculiari tr. de ſcorbuto: HORSTIUS in tr. parvo ſed accurato de ſcorbuto: & MOELLENBR. qui quidem ſcripſit de arthritide vaga ſcorbutica: ſed tamen etiam multa habet, quæ ad ſcorbuti naturam declarandam optime faciunt tam quoad Theoriam quàm quoad praxin.

QUOD ATTINET CURAM

Mali hypochondriaci & ſcorbuti. In hac curâ ad mali ſcaturiginem nempe ſtomachum præſertim eſt reſpiciendum.

Hic ergo & evacuandus & ejus fermentativus liquor volatilibus temperandus & volatiliſandus, & digeſtio naturalis, quantum fieri poteſt, reſtituenda. Hinc vitioſæ obortæ aciditates in ſuccis corporis ſunt corrigendæ & emendandæ.

Propinanda ergo ſunt aut acidum abſorbentia martialia, ſaturnina & terrea. Hinc quæ de ſalium alkalium ſunt natura acidum omne deſtruentia tam fixa quàm volatilia imprimis oleoſa (nempe ſalia vol. oleoſa) craſin maſſ. ſang. ſenſim alterantia, & ita nunc per ſudorem, nunc per urinas heterogenea excludentia.

Hæc vulgò *hepatica*, item *ſplenetica* & *ſtomachica* appellari ſolent.

In quibus ſcopis ſimul ſunt obſervanda ſemper ſymptomata varia, ut additis convenientibus remediis & horum ferocia mitigetur. Pro obtinendis his ſcopis obſervandum.

1. Quod baſis horum affectuum curandorum in ſpecie mali hypochondriaci ſit *vomitus*, iſque interdum repetitus; firmum enim fundamentum parat pro proſpera futura curatione.

2. *Purgantia* valida quæcunque & nocent hypochondriacis, & deteriorem reddunt ſcorbutum, quin & peſſima inteſtinorum atque etiam abdominis inferunt ſymptomata, diſponuntque ad dyſenterias, ad tormina & diarrhæas.

3. *Vena Sectio* per ſe nullius eſt uſus, neque in malo hypochondriaco, neque in ſcorbuto, utut ſint, qui in adjuncto ſplenis affectu *Salvatellæ* ſectionem mirè commendant, & certum eſt, quod multi inſignes practici aliquot obſervationibus hujus ſalvatellæ ſectionem in manibus mirificè commendant: ſed tamen res ipſa certa eſt, quod hæc ipſa vena præ aliis venis nullam habeat prærogativam in brachio: Unde mirari ſubit, quomodo ſecutæ ſint tam proſperæ curationes poſt hujus ſectionem. Nam per ſe nunquam hoc factum fuit.

4. Notabile eſt, quod habet HARTMANNUS *prax. Chymiatr. cap.* 184. §.9. ubi dicit: Nota verò ſubinde uſu evenire, ut ab exhibitione aperientium & ſimilium ſolutis jam viſcerum obſtructionibus ita alvus proritetur, ut quaſi dyſenteria ſubſequi videatur: Tunc prævidendum erit corroborantibus appropriatis: in ſpecie Elixyr. proprietatis, Tinct. Coralliorum & ſimilibus viſcerum Tonum conſervantibus.

5. Inter præcipua curationis imprimis in malo hypochondriaco hoc ſervandum eſt, ut *alvus ſemper ſervetur aperta.* Ideò æger ſubinde habere debet aliquot medicamenta familiaria, quibus crebro utatur modò hoc, modò illo: ne aut unius ſuperveniat faſtidium, aut ne natura uni adſueſcendo ſine alteratione idem accipiat.

6. Compertum eſt, quod in malo hypochondriaco medicamentorum *antiſcorbuticorum* optimus ſit uſus, quando aliis remediis refractarum ſe exhibet. Quod ſi malum altius provectum ſit, antiſcorbutica vel ſola conveniunt: non ſolum in ſcorbuto propriè ſic dicto, ſed etiam in malo hypochondriaco paulò moleſtiore.

7. Verùm antiſcorbuticorum iſtorum, cum magna ſit varietas, utut propriè ſic dicta antiſcobutica omnia de ſal. vol. acri participent, ob id ſemper delectus quidam inter eadem eſt habendus, cauteque obſervandum eſt, quæ imprimis uni alterive ſubjecto ſint magis familiaria.

8. Nam hæc ipſa antiſcorbutica acriora ſubinde magnam ſcorbuticis inferunt noxam, ſive in bilioſis ſubjectis, ſive etiam in ſubjectis, in quibus acidum nonnihil volatile peccet. In his enim efferveſcentias acres & phlogoſes non rarò inducunt. Tali in caſu antiſcorbutica acriora temperatis aliis vulgò refrigerantibus appellatis v. gr. Cichorio, Endivia, acetoſella, item acidis blandis, ſucco citri, ribium, berberum, ſpiritu ſalis dulci & ſimilibus temperanda & emendanda. Quò etiam *ſerum lactis* pertinet, optimum antiſcorbuticorum nimis acrium correctivum.

9. *Lac* & omnia *lacticinia* præmiſſis univerſalibus ſunt optima: nam omne acidum vitioſum temperant, ſalſedinem acrem emendant, partes ſolidas nutritio rore humectant, & atrophiæ ac phthiſeos metum tollunt, in ſpecie ſi legitimo modo cum antiſcorbuticis appropriatis miſceantur.

10. *Diuretica* & hinc *ſudorifera blanda* ſunt optima & naturaliſſima ſcorbuti & mali hypochondriaci evacuantia: In ſpecie ſudorifera rariora & blandiora ſint, cum ſubinde talia ſubjecta ſcorbutica plus debito ad ſudores inclinare ſoleant.

11. In cura ſcorbuti à *mercurialibus* quibuſcunque *abſtinendum* eſt omnino, metus enim eſt, ne mercurius ad ſalivationes diſponens peſſima ac periculoſiſſima oris inferat ſymptomata, quin quod etiam mercurius phlogoſes excitare dicatur in corpore.

His ita præmiſſis pergo ad

MATERIAM MEDICAM.

Quæ inter prima ſunt, uti monui, *laxantia* & *vomitoria. Vomitoria* antimonialia, uti notum eſt, omnibus reliquis præferuntur in infuſo propinanda: quibus tamen ſemper appropriata ſcorbutica vel antihypochondriaca miſceantur, v. gr. ſi fiat infuſio croci metallorum in vino, tunc colaturæ addendus ſpiritus cochleariæ vel alius compoſitus aut ſimplex antiſcorbuticus, ut magis approprietur vomitorium. Quo modo fiunt infuſa talia, ex ſuperioribus notum eſt.

Inter ea, quæ per *inferiora laxant*, imprimis appropriata ſunt evacuantia miſta alterantibus, ita ut blandè & ſucceſſivè per continuatum uſum evacuentur & alterentur viſcoſitates acidæ, quod faciunt imprimis noduli vino infuſi, qui in omnibus morbis chronicis in ſpecie malo hypochondriaco & ſcorbuto ſunt optimi. Et quidem ingredientia laxativa ſunt imprimis omnia *Sennata* tam infuſum Sennæ quàm pulveres ſennati compoſiti, quorum tot ſunt deſcriptiones, quot capita.

Poſt Sennata ſunt *Helleborata* ex Helleboro nigro deſumpta remedia ſive extractum ejus ſive Eſſ. rad. hellebori nigri, ſive alia ex eodem remedia. Hinc ſunt remedia ex Gumm. ammonico, quod laxat, & promptè abſtergit quaſcunque ſordes in primis viis ſtabulantes.

Rhabarbarum ipſum ad curam mali hypochondriaci à nonnullis laudatur tanquam aptiſſimum alterans & evacuans vid. imprimis RHODIUS *cent. 2. obſ. 11.* qui ad obſtructionem inveteratam commendat decoctum vel infuſum Rhabarbari.

Denique his ipſis ſtimuli loco aliquid de colocynthide, ejus ſcilicet extracto poteſt addi, quod non eſt inconveniens remedium.

Dabo exemplum *noduli* in malo hypochondriaco alterantis ſimul & etiam evacuantis blandè v. gr.

℞. Rad. helenii-
raphani ruſticani recentis
polypodii. ana ʒvj.
Herb. abſinthii
agrimoniæ
Centaur. minoris ana Mj.
Flor. anthos
geniſtæ ana p. iij.
Corticum Tamariſci
Fraxini ana ℥ß.
Fol. Sennæ ſ. ſt. ℥j.
rad. helleb. nigr. præp. ʒvj.
Rhabarbari electi
agarici albiſſimi ana ℥ß.
ſal. Tart. (quod eſt quaſi ſtimulus menſtruus ad reſolvenda iſta ſimplicia.) ℥ß.
aut loco hujus cremoris Tartari ʒvj. (ſed
ſal. Tartari eſt melius.)
Zedoariæ
Zingiberis
Cinnamomi ana ʒj.
paſſularum minorum ℥iß.
(Hæ enim tanquam blandiſſimè temperatæ his nodulis adduntur.)
Inciſa & contuſa.
F. nodul. laxans vino infundend.

Facit huc infuſum etiam ſeu ſimilis nodulus contra malum hypochondriacum uſitatus KNOEPHELII, aliàs in hoc caſu, qui fit ex ſequentibus:

℞. Herb. abſynthii Miij.
Centaur. min. Mij.
Rad. helleb. nigr. ℥iij.
(Nam hæc eſt ipſius arcanum ſingulare ubique commendatum.)
Polypodii quercini ℥iß.
Corticum fraxini.
Tartari albiſſimi an. ℥ß.
Limaturæ ferr. ʒiij.
Inciſa & contuſa inſperge
Spiritus ſalis gutt. ix.
Infunde in Cantharum vini 1. & ß. & more uſitato adhibe.

Aliàs etiam in uſu ſunt M. Tartareorum QUERCETANI, item pilulæ de Ammoniaco ejuſdem auctoris. Item pilulæ de fumaria. Claretum abſinthiacum MYNSICHTI: Syrupus de ſpina cervina ſeu ſyrupus domeſticus eſt etiam conveniens. Syrupus florum acaciæ maximè conducit. Item ſyrupus de carthamo, qui & ipſe eſt blandus.

Faciunt huc pilulæ antiſcorbuticæ TIMÆI, quarum hæc eſt compoſitio:

℞. Maſſ. pilul. Melanogogorum QUERCETANI ʒiß.
Extracti foliorum Sennæ ʒß.
reſinæ Jalapæ ʒj. & gr. vj.
Tartari vitriolati gr. xiij.
ſal. vol. Succini ℈j.
Semin. Naſturtii
Cochleariæ
Sinapi ana ʒß.
M. & cum aqu. antiſcorbutica. F. M. quarum doſis eſt à ℈j. ad ʒß.

Verùm ut alvus obſtructa laxa ſervetur, etiam remedia quædam domeſtica, ſubinde in uſum vocanda ſunt. Hæc inter primatum obtinent paſſulæ, & ipſæ admodum convenientes in malo hypochondriaco & in ſcorbuto etiam. Nam utut dulcia omnia, ſaccharata & mellita admodum noceant in affectibus hypochondriacis & ſcorbuto, cum facillimè effervescendo & aceſcendo tetra inferant ſymptomata; paſſulæ tamen temperatæ potius quamcunque acrimoniam in corpore temperant & blandâ ac naturali fermentatione (ſunt enim inſtar muſti concentrati) vitioſam ſanguinis fermentationem reſtituunt & renovant.

Huc faciunt Electuaria aut etiam potiones ad ſervandum alvum hypochondriacorum apertam v. g. Tale *Electuarium* ſit hoc:

℞. Pulpæ paſſularum minorum ℥ij.
arcani duplicati Mynſichti
ſal. ammoniaci depurati. ana ℈ij. (ratione ſtomachi)
ſpecies diatr. Piperon.
ſyrupi de pomis regis Sabor. q. ſ.
Fiat Electuarium pro 9. vel 12. doſibus.

Hoc ipſum blandè ſolet apertam ſervare alvum. Quod ſi nimis contumax ſit, hoc ipſum aliquot granis extracti Trochiſcorum alhandal poteſt acui.

Faciunt huc etiam *paſſula laxativa*, item *pruna laxativa*, quæ in officinis ſolent proſtare: quarum vis laxativa eſt imprimis à Senna cum extractione & paſſularum vel prunarum in Sennæ coctione vel maceratione. In forma decocti convenit hæc potio:

℞ Paſſularum minorum ℥ij.
Coquantur in aqu. lib. iij. Colaturæ ferventi infunde
fol. Senn. ſ. ſt. ℥ß.
Cremoris Tartari ʒj.
Florum violarum p. ij.
Stent ita & Colatura poſtmodum f. pot. purg.

De hoc ipſo decocto tantum hauſtus vitri unius aſſumptus blandè ſervat alvum apertam.

Item *vinum infuſionis florum acaciæ* blandiſſimè alvum

alvum ſervat apertam in hypochondriacis.

Aloëtica multis ſunt in uſu, quò etiam *Pilulæ Francofurtenſes* pertinent.

Verùm omnia aloëtica hypochondriacis plus nocent quàm proſunt propter virtutem adſtrictivam, quam poſt ſe relinquunt ordinariò.

Clyſteres aliàs & clyſmata in malo hypochondriaco & ſcorbuto magnæ ſunt efficaciæ: ſaltem emollientes blandè aut abſtergentes ſufficiunt: Modus præſcribendi notus eſt ex MORELLO. Multum ſanè commodi afferunt: quin etiam Clyſteres nocturni injecti vel ſub introitum lecti, ita ut tempore nocturno hæreant in abdomine, admodum commendantur in *obſer.* HORSTII.

His de evacuantibus præmiſſis ipſa etiam ſpecialia alterantia appropriata ſunt conſideranda In genere in malo hypochondriaco conveniunt omnia ea, quæ vulgo dicuntur *aperientia*, omnia *hepatica*, omnia *ſplenetica* & omnia *ſtomachica*; vel omnia *amara*, & virtute in ſpecie *diuretica* inſignita: Talia ſunt v. gr. radix graminis, armocaciæ, aronis, polypodii, filicis, helenii, fœniculi, Herba abſinthii, chamædrys, & chamæpytis, agrimonia, Cichorium, præ cæteris fumaria, Cent. minus & ſimilia, quæ vulgò dicuntur aperientia; *Poma Borsdorffiana* eorumque ſuccus eſt egregium remedium in malo hypochondriaco. Hinc ſucco depurato commodè laxativa infundi, & ita propinari poſſunt: admodum enim conducit in malo hypochondriaco.

Faciunt huc etiam vegetabilium Eſſentiæ; nempe fumariæ & omnia ex fumaria parata remedia, quæ egregia in malo hypochondriaco.

Eſſ. ſplenis bovis. item Eſſ. aperitiva D. MICH. Cujus propter materiæ medicæ cognitionem hæc eſt compoſitio:

♃. Herbæ agrimoniæ
Scolopendriæ
Cuſcutæ ana Miij.
Meliſſæ
Ceterach
Fumariæ
Cichorii
Taraxaci
Marrubii
Capilllorum veneris ana Mij.
Rad. Rhabarbari. Monachorum.
Filicis
Cichorii
Taraxaci
Fragariæ
Rad. graminis ana ℥ij.
Curcumæ ℥j.
Flor. Cichorii
Bellidis minoris
Tamariſci
Hepaticæ nobilis.
Geniſtæ ana P. iij.
Cortic. Cappatum
Tamariſci
Fraxini ana ℥ij.
Seminis Aſparagi
Fraxini ana ℥ß.
Aniſi
Fœniculi ana ʒij.
Gummi Laccæ ℥j.

M. & fiat cum ſpiritu vini vel ſimplici, vel appropriato Eſſ. aperitiva.

Porrò ex his ipſis vegetabilibus ſalia parata quæcunque ſalia fixa lixivialia inſigniter conveniunt in malo hypochondriaco: ſal abſinthii, Cichorii, Cent. minoris, ſtomachale MYNSICHTI. Item ſal iſtud compoſitum quod remanet in deſtillatione ſal. ammoniaci. Hoc enim ſal eſt egregium *Diureticum* & vulgò vocatur *digeſtivum hypochondriacum.* Item pertinent huc omnia tartarea ſalina; uti ſunt ſpiritus tartari vol. item tartarus vitriolatus; tartarus chalybeatus. Item arcanum duplicatum MYNSICHTI tinct. tartari. Item tinct. tartari antimoniata, quæ & ipſa eſt egregia. Miſtura ſimplex & ipſa conveniens eſt remedium in malo hypochondriaco non minus quam in ſcorbuto. Pertinet huc imprimis ſpirit. carminativus ex tart. nitr. & ſpir. vini, qui miſtus cum ana ſpiritus ſal. ammoniaci potens præbet remedium ad malum hypochondriacum. Doſis ſunt gutt. xx. ad xxx. melius non habebitis remedium in malo hypochondriaco quod nunquam me deſeruit. Nam ſpiritus ſal. ammoniaci per ſe egregius eſt ad curam mali hypochondriaci.

Unde etiam liquor ex terra fol. tartari cum ſpiritu ſal. ammoniaci miſtus tanquam quoddam ſecretum à quibuſdam habetur in cura mali hypochondriaci: aut etiam hic ipſe ſpiritus ſal. ammoniaci miſcetur cum ſpiritibus antiſcorbuticis, cum ſpiritu cochleariæ, aut cum ſpiritu antiſcorbutico compoſito, & ſingulariter confert in cura mali hypochondriaci.

Occaſione ſalium & ipſum nitrum depuratum ſolummodo egregium eſt conveniens remedium in cura mali hypochondriaci: & hinc etiam *Diaſpoliticon* GALENI in malo hypochondriaco cum cruditate ventriculi ſingulare eſt præſidium, cujus uſu deſperatos hypochondriacos ad extremam fere maciem deductos aliquando feliciter curavi, inquit BARTHOLETUS *de dyſpnæa l. 5. c. 4.* Et certum eſt quod quidam etiam famoſus Medicus aſſerit, quod nulla ſit compoſitio in tota pharmacopœa uſitata, quæ magis conveniat in cura mali hypochondriaci, Ubi non proſtat, poteſt ex tempore præſcribi ita

♃. Specier. Diacumin. ʒj.
nitr. depurati ℈j.
ol. deſtillati Cumini gutt. iij.
M. F. Pulvis pro 3bus doſibus.

Elixyr proprietatis vel commune, vel miſtum cum ſpiritu ſal. ammoniaci, aut etiam Elixyr proprietatis miſtum cum ſpiritu cochleariæ, vel ſolum ſufficere dicit LINDANUS ad curam mali hypochondriaci rectè paratum. Sic etiam *Elixyr ſtomachale* D. MICH. miſtum cum dimidia parte, ſpiritus cochleariæ mirè conducit hypochondriacis. Cæterum poſt ſalina & tartarea maximam partem obtinent in cura mali hypochondriaci martialia, quæ & ipſa in ſcorbuto ſunt egregia, quo pertinent omnes croci martis aperitivi, qui quo ſunt ſimpliciori & acido minus concentrato parati, eo ſunt meliores. Croci martis cum ſalibus, item Limatura martis ſubtiliſſimè trita. Item extractum martis cum ſucco Tamarindorum, vel ſucco pomorum Borſdorffianorum: Hoc extractum martis cum ſucco pomorum Borſdorffianorum extrahitur cum ſpiritu cochleariæ in tinct. & fit egregria tinctura antihypochondriaca.

Facit huc etiam terra martis præparata, quæ in ferrifodinis reperitur laudata inſigniter à ZACUTO.

Huc faciunt omnes pulveres Cachectici, quorum baſis ſolet eſſe mars adjectis tamen etiam aliis, item pulvis ſtomachalis QUERCETANI & ſimiles, item antimonium Diaphoreticum, Bezoardicum minerale & denique lapis Bezoar, qui expertus eſt in malo hypochondriaco, ex eo quoniam quodcunque acidum promptè abſorbet.

Ratione martis adeò utiles ſunt *acidulæ* earumque potus, de quarum virtute & efficacia vid. HELMONT. *in paradoxis* & TACHENIUS *in Hypp. Chimico:* Uſū vid. in LANGIO *de uſu Thermarū Carolin: & Acidul. Egranarū.*

In uſu medicamentorum antihypochondriacorum etiam ſtomachi habenda ratio: Unde externè Emplaſtrum è Ladano CRATONIS: Item Emplaſtrum de baccis lauri malaxatum cum ol. Chamomillæ in forma ſcuti ſtomachalis applicantur: Item corium Cervinum cum oleo deſtillato Chamomillæ & Menthæ illitum commodè adhibetur.

In ſpecie quod attinet *antiſcorbutica*, quæ in malo hypochondriaco tam incipiente quàm confirmato conveniunt, ſunt ferè ſequentia. Cochlearia, naſturtium aquaticum, vel in genere omnia naſturtiorum genera & ſpecies, Chelidonium minus, ſedum vermiculare, trifolium aquaticum, Barbarea, perſicaria piperitis, ruta muraria, ſummitates abietis, imò tota abies, quæ vocatur propterea arbor antiſcorbutica in ſpecie cani ſive ſtrobili teneriores.

Radix raphani ruſticani ſeu armoraciæ, helenii, chelidonii majoris, Gentianæ Scorzoneræ, ſunt admodum convenientes in ſcorbuto: ſemen ſinapis, ſemen naſturtii, ſemen Erucæ, ſemen Cochleariæ, ſemen Aquilegiæ; ſunt ſimiliter convenientes fructus Chamæmori Norvvegici: de quibus vid. SENNERT. ex aliis *tr. de Scorbuto*.

Item *mala Citria*, *mala aurantia acida* mirè conducunt in præſervando ſcorbuto imprimis navigantium. Hinc etiam optimè ſolet cum ſucco Citri, item acetoſellæ & ſimilium temperari acrimonia nimia vegetabilium iſtorum antiſcorbuticorum.

Porro flores geniſtæ, aquilegiæ, ſambuci & Croci: flor. Hyperici huc pertinent.

Baccæ Iuniperi ſunt admodum egregiæ: Nam multa latent in Iunipero pro hoc uſu.

Ex his fiunt varia compoſita, quo pertinet ſyrupus ſcelotyrbicus FORESTI: Syrupus Eſſentificatus Cochleariæ & fumariæ: Syrupus ſcelotyrbicus MYNSICHTI. Item *decoctum herba The* in cura Scorbuti à modernis admodum commendatur. Cui tamen ſunt, qui præferunt *decoctum granorum Coffæ* in Anglia admodum uſitatum. Decoctum ſtrobilorum Pini, aut etiam aqua deſtillata ex his præparata. Item decoctum Corticum abietis admodum confert. Vel fit ſpiritus a tiſcorbuticus compoſitus ex his ſimplicibus nempe

♃. Herbæ Cochleariæ
Naſturtii
piperitidis
raphani ruſticani

rad. aronis ana q.v. & quidem hæc omnia recentia: Leviter conciſa & contuſa cum ſpiritu baccarum ſambuci per fermentationem parato, ad eminentiam aliquot digitorum infunde, digerendo ad aliquot dies in vaſe clauſo, & hinc deſtillando in Balneo Mariæ, cohobando & rectificando ſubinde eundem ſpiritum à novis ſpeciebus, ut eo magis acuetur ſale ſcorbuticorum volatili.

Hoc ipſo ſpiritu antiſcorbutico compoſito ex ſucco Citri inſpiſſato, ſive ad extracti formam redacto, fit egregia *Eſſ. antiſcorbutica*. Spiritus Cochleariæ omnibus notus eſt, cum quo interdum commode ſpiritus lumbricorum terreſtrium permiſcetur. Vel etiam his antiſcorbuticis ſpiritibus aliquid ſpiritus ſalis dulcis interdum additur.

Pertinet huc etiam Eſſ. martis cum ſpiritu cochleariæ extracta: Item Elixyr proprietatis antiſcorbuticum cum ſpiritu antiſcorbutico compoſito, acuato tamen cum ſpiritu aperitivo PENOTI. Item Tinct. Coraliorum ſcorbutica, quæ paratur cum ſpiritu antiſcorbutico compoſito, & acuatur cum ſpiritu aperitivo PENOTI, convenit quando corpus eſt tinctum cum maculis, cum puſtulis, & ſimilibus affectibus, ubi opus eſt expulſione: in tali caſu eſt miræ efficaciæ Eſſ. abſinthii, Eſſ. Cochleariæ, & Eſſentiæ ſimiles ſcorbuticæ conveniunt, ſed parandi modus eſt obſervandus. Nempe iſtorum antiſcorbuticorum ſuccus per reſidentiam fœcum optimè depuratus, ad extracti conſiſtentiam eſt inſpiſſandus: Hæc ipſa ita Extracta ſpiritu antiſcorbutico cochleariæ ſimplici vel alio compoſito in Eſſentias admodum efficaces præparantur.

Cæterum in his ipſis antiſcorbuticis a modernis imprimis commendatur *flammula Iovis* uti vocant vel Clematis ſurgens erecta: Hæc ſaporis eſt acerrimi, nihilominus tamen ceu ſingulare & expertum remedium, & ſolum ſufficiens laudatur à LINDANO, qui

♃it Flammulam, quam cum vino rubeo contundit in mortario ligneo, & ita ad tempus infundit & digerit? Unde poſtmodum blandè deſtillat, & ſuccum qui prodit, adſervat tanquam egregium remedium ad curam ſcorbuti.

Extractum granorum Iuniperi reſolvendum cum ſpiritu cochleariæ eſt egregia Medicina in cura Scorbuti.

Eſſ. pini ſeu ſtrobilorum abietis tenellorum eſt egregia medicina in cura Scorbuti, dum ♃iuntur, coquuntur tamdiu in aqua ſimplici, donec eorum virtus & omnis eorum vis aquam imprægnet: decoctum inſpiſſatur ad conſiſtentiam mellis, quod extractum vel cum ſpiritu proprio, vel cum ſpiritu cochleariæ extrahitur in Eſſ. pini potentiſſimam in ſcorbuto, in ſpecie in paralyticis & etiam catarrhoſis ſcorbuticis affectibus.

Ex lumbricis parata remedia quæcunque mire conveniunt in cura ſcorbuti. Unde eorum ſpiritus & cum eo parata Eſſ. contra arthritidem vagam (de qua cras) magnæ eſt laudis in cura ſcorbuti.

De *martialibus* item de *ſaturninis* nihil dico: Nam ex ſupra dictis clarum eſt, quod etiam conveniant in ſcorbuto.

Dum dixi *lac* & omnia *lacticinia* eſſe optima in cura ſcorbuti. Unde his ipſis ſubinde utimur lacticiniis, ut ſint vehicula Medicamentorum antiſcorbuticorum. Sic v. g. *Diæta lactea* ſive potus lactis quotidianus ad curam ſcorbuti fit optime, ſi ſingulis hauſtibus inſtilletur ſpiritus ſal. ammoniaci & Cochlear. ana miſtorum gutt. xx. ad xxx, quotidie manè. Alii recipiunt lac aut ſerum lactis, in eoque decoquunt vegetabilia antiſcorbutica, decoctum hauriunt & bibunt cum egregio ſucceſſu in cura ſcorbuti: ſic enim valde commendantur Fol. naſturtii aquatici Mij.
acetoſellæ Mij.

Contuſi & in ſero lactis decocti, & ita uſurpati. Præ cæteris verò Lactis generibus *lac caprinum & ejus ſerum* eſt optimum & convenientiſſimum. Nam teſtatur FORISTUS, ſe plurimos ſcorbuticos ſolo uſu lactis dulcis cum cochlearia & Beccabungia decocti curaſſe.

Et hoc vehiculum lactis imprimis tempore verno & æſtivo convenit. Tempore verò autumnali frequentius cum vino propinantur talia remedia, ſive ſub forma infuſi, ſive decocti, ſive alia ſub ratione. v. gr. Tale vinum eſt, quod fit ex

Rad. Helenii &
armoraciæ ſeu raphani ruſticani
ana ℥j.
Herba Cochleariæ
Fumariæ ana Mj.
Paſſulis minoribus ʒvj.

quæ inciſa & contuſa infunduntur vino, de quo quotidie 4. vel 5. vicibus capiatur hauſtus: quod ſi metuatur aciditas Hypochondriacis & Scorbuticis nociva, ſemper poſt unumquemque hauſtum aſſumantur ocul. cancror. præparat. à ℈j. ad ʒß. Hi enim vini omnem acerbitatem abſorbent, & in ſalſum diureticum abſterſivum egregiè ita tranſmutantur, quâ ratione etiam *arcanum duplicatum* MINSICHTI eſt optimum antiſcorbuticum quin & diureticum.

Subinde etiam miſturæ variæ præſcribuntur in cura ſcorbuti, quando decocta aut infuſa ſunt nauſeoſa, v. gr.

♃. Aqu. antiſcorbuticæ Dorncrellii.
flor. Sambuci ana ℥iß.
Spiritus Cochleariæ ʒij.
Lumbricorum terreſtrium ʒj.
arcani duplicati Mynſichti ʒß.
Syrup. Scelotyrb. Foreſti ʒvj. M.

In

In *Epilepſia Scorbutica* aliquando egregio cum ſucceſſu præſcripſi hanc miſturam:

℞. Aqu. Epilept. Langii.
antiſcorbut. Dorncrell. ana ℥ij.
Spiritus Cochleariæ ʒj.
C. C. ʒß.
arcani duplicati Mynſichti ℈ij.
Cinnabaris antimonii. ℈j.
Syrupi Eſſentificat. Cochlear. ℥j.
M. F. pot. contra partium titillationem pro plurib. doſibus.

Item ſub forma Eſſ. miſtura

℞. Eſſ. pini
citri cum ſpiritu Cochleariæ extractæ ana ʒj.
Elixir. proprietat antiſcorbut. ʒij.
M. D. S. ex hac miſtur. 20 vel 30. gt. pro doſi bis vel ter in die capiat æger.

Interdum convenienter parantur in diæta *cereviſiæ antiſcorbuticæ*, qualis eſt v.gr. cereviſia antiſcorbutica TIMAEI, cujus ingredientia ſunt hæc:

℞. Cochleariæ recentis Mij.
Fumariæ Mj.
Corticum Fraxini ʒvj.
Baccarum Juniperi ℥j.
Comarum abſinthii Miß.
Rad. Cichorei ℥iß.
Enulæ ℥ß.
Corticum interiorum abietis Mj.

Inciſa & conquaſſata indantur ſacculo linteo ſeu ex linteo parato, immitte ſacculum in dimidium doliolum cereviſiæ recenter paratæ & nondum fermentatæ, ſed potius ſimul fermentare permittantur: Sic enim optimè conducit ad curam Scorbuti. Imò vel ſolus ſpir. ſal. ammoniaci tanquam ſufficiens ad curam ſcorbuti laudatur à BARBETTE *in ſua praxi*: ſicuti hic ipſe aliquando paralyſin ſcorbuticam ingentem curavit ſolo decocto radicis armoraciæ in ſero lactis: coquit ℥iij. in ſero lactis, & colaturæ propinat. ℥iß.

De tinct. vitrioli martis ZVVOELFFERI & ſimilibus quæ ſunt Antiſcorbutica, non eſt ut multa quia eſt res ſatis clara. Item de tinct. martis cum Eſſ. pini vel ſpiritu cochleariæ: quò etiam pertinet extractum martis DRAVVIZII & exinde parata tinct. elegans antiſcorbutica, cum ſucco acetoſæ vel cochleariæ, vel naſturtii, vid. *Tract. de ſcorbuto p.*334. His ipſis interdum commodiſſimè adduntur etiam ligna & medicamenta ex lignis parata, in ſpecie medicamenta *Saſſafrata* & ex *rad. Chinæ*. Nam hæc etiam ſingulares habet virtutes antiſcorbuticas; Unde etiam ſunt qui in uſu

℞. unt lactis menſuram dimidiam, & ipſi addunt
Raſuræ rad. Chinæ ℥ß.
Herb. fumariæ recentis contuſæ Mß.

Hæc ipſa ebullire permittunt, per linteum poſtmodum trajiciunt, & ſingulo hauſtu tantillum ſacchari & gutt. 12. vel 15. ſpiritus cochleariæ addunt, & ita quotidie manè uſurpant. Quin & ſoli ſucci ſimplicium antiſcorbuticorum expreſſi & depurati vehiculo lacto optimè uſurpantur.

Locuti ſumus heri de praxi ſcorbuti & mali hypochondriaci; reſtant conſideranda SYMPTOMATA VARIA. Et iſta congeries ſymptomatum, quæ adeò longè ſe per ſcorbutum diffundit, etiam hypochondriacos infeſtat.

Hæc ſymptomata utut ſint variis, in genere tamen hoc habent commune, ut in eorum medela ſemper habeatur reſpectus ad acidum corruptum primario peccans, cui poſtmodum remedia addenda ea, quæ ſymptomati ſunt proficua. v. gr. quando adeſt Diarrhæa, tunc primario uſurpantur talia, quæ vini acidum ſcorbuticum infringunt, & hinc quæ ſtomachum roborant, & inteſtinorum tonum reſtaurant.

Hoc certum eſt, niſi addantur appropriata morbo, quod nunquam ſymptomata ceſſent, ſed eadem deteriora fiant, vel in alia ſymptomata degenerant: quâ ratione Colicæ male curatæ ſuperveniunt paralyſes, hinc convulſiones.

Inter ſymptomata ut ordine progrediar, maximè conſpicua ſunt illa in gingivis, quæ ſunt cruentæ, ſunt tumidæ, molles & flaccidæ, denteſque in ſuis alveolis laxis contenti vacillant, quin interdum digitis vacillantes poſſunt extrahi.

Ad hos gingivarum affectus remedia appropriata ſunt *flores aquilegiæ*, & ex his parata conſerva aquilegiæ: nam conſerva hæc irrorata cum ſpiritu cochleariæ, tanquam quoddam linimentum gingivis illinitur, bene fricando commendatur contra hoc malum.

Salvia eſt ſpecificum, ſi quid aliud *roſmarinus*, *hyſſopus*, *quercus*, *Cochlearia*, *Naſturtium*, *vermicularis*, *Nicotiana*. Item *radix Biſtortæ*, *Ariſtolochiæ*, *Tormentil. Ireos Florentinæ & Bolauſtior. roſæ hortenſes arboreſcentes rubeæ*; *Malva arboreſcens rubea*. Nam pulvis florum Malvæ arboreſcentis rubeæ eſt ſecretum HORSTII in his gingivarum affectibus, & quidem cum pauco aluminie permiſtus. Nam alumen item phlegma aluminis, & aluminoſa linimenta convenientiſſime adhibentur cum aliis remediis in gingivarum ſcorbuticis affectibus.

Item *ſuccus Cochleariæ*, vel aliorum antiſcorbuticorum. Item ſuccus ſalviæ & cochleariæ: Hinc decoctum ſalviæ & cochleariæ, quæ duo reliquis palmam præripiunt: pro collutione oris & abſterſione gingivarum imprimis ſunt commendata. Decoquantur ſalvia & cochlearia, item naſturtium vel in aqua, vel quod melius eſt in lacte, vel ſero lactis: Hoc decocto gargariſatur os, & purificantur & abluuntur gingivæ. Quin & *decoctum ſummitatum pini* in dentium morbis præ cæteris eſt in uſu: Imò ſi exulcerantur gingivæ, hoc *Decoctum pini* eaſdem conſolidat.

Decoctum pini & naſturtii in vino mirabiliter prodeſſe dicitur, gargariſmatis forma ſubinde uſurpatum.

Decoctum liguſtri vel flor. liguſtri, in aqua addito pauco aluminis tanquam expertum gargariſma commendatur à MINDERERO *in Medicina militari pag.*376. Quibuſdam placet pro gingivis ſcorbuticis hæc miſtura.

℞. Spiritus Cochlear. ʒij.
Vitrioli
ſalis ana ℈j.
Aqu. roſarum, prunellæ, plantaginis ana ℥iv.
Tinct. Roſarum ʒij. M.

quâ miſtura fricentur dentes. Vel etiam fiunt gargariſmata ex tempore, ex aqu. Cochlear. Naſturtii, Beccabungæ, ſedi minoris, &c addendo iiſdem rob diamoron, ſyrupum aqu. Aquilegiæ, ſyrupum Nicotianæ cum melle roſato, aut etiam cum melle rutaceo aut ſimilibus.

Nam mel roſatum cui aliquot guttæ ſpiritus ſalis fuerint additæ, ad conſummatam gingivarum exulcerationem, & ad ſummum corruptionis gradum eſt egregium. Dico cum aliquot guttis ſpiritus ſalis: nam quidam etiam miſcent cum ſpiritu vitrioli. Verum ſpiritus vitrioli reddit dentes nigros, ratio eſt hæc. In omni ſpiritu vitrioli ſemper adeſt liquamen metallicum, quod in ign. tortura ſpiritus ſecum rapit: per retortam probo, quod ſpiritus vitrioli, licet clariſſimus, ſi ad tempus ſteterit, fit obſcurus & turbidus: quia ſe ipſum præcipitat metallum. Quod ſi jam dentibus affricetur ſpiritus vitrioli, vel aliis corporis partibus pars metallica præcipitatur ab effluviis ſalinis volatilibus, & ita præcipitata pars metallica nigredinem poſt ſe relinquit: Ergo commodius ſpiritus ſal. uſurpatur.

Nota eſt vis *Tinctura Laccæ* MINSICHTI. Hæc

omnibus reliquis præfertur remediis etiam in gingivis ſcorbuticis gangrænoſis: In his iſta tinctura mirabilia facit, & infallibile eſt medicamentum. Vel applicatur ſolùm, vel miſcetur cum dimidio tincturæ florum aquilegiæ.

Loco hujus ex tempore poteſt præſcribi (quando non poteſt haberi) miſtura quæ eſt ſimilis *Tinctura Laccæ*. Dum nempe lapidis medicamentoſi CROLLII q. ſ. vel ℥j. infundatur, & leni digeſtione & ebullitione diſſolvitur in aqua ſedi minoris & aqua coclearíæ ana q. ſ. colaturæ infunditur gũmi laccæ ʒ iß. Alum. uſti ʒj vel ℈ii. flor. aquilegiæ p. iij. ſtent in infuſione donec tingantur: & hæc præſcriptio idem valet atque tinct. laccæ. Vidi aliquoties adhibitum, quibuſdam etiam in uſu eſt, ut præſcribant pulveres: quo pertinet pulvis BARTHOLINI expertus in ſcorbuto dentium & gingivarum: Cujus deſcriptio proſtat *cent. 6. hiſtor. 54.* quæ eſt hæc:

℞. Fol. aquilegiæ.
Cort. rad. capparum.
Semin. cochleariæ ana ℥ß.
Rad. Ireos.
Aluminis uſti ana ʒiij.
Mandibularum lucii piſcis.
Coraliorum alborum.
C.C. uſti ana ʒ ij.

Pulveriſentur ſubtiliſſimè & irrorentur parum cum ol. caryophyll. deſtillato. Ego potius dicerem, imbibatur hic pulvis ſpiritu cochoclariæ, & ita imbibitus adſervetur cautè, & uſurpetur ſæpius.

Quod ſi ulcera maligna aut etiam gangrænoſa occupent gingivas & fauces, iiſque minus videatur ſufficiens tinct. laccæ, tum quæ viridis HARTMANNI & PLATERI. Item *aqu. mercuriales* (ex mercurio dulci) cautè tamen uſurpandæ: aut etiam unguentum Ægyptiacum, aut unguentum aquilegiæ cum ſucco ſalviæ & pauco ſpiritu ſalis illinitur.

Quibuſdam ſingularis eſt miſtura ſequens in cura ſcorbuti oris: Nempe ſuperfundunt aqu. ferventem calci uivæ cum maſſæ ſubſidentia filtrant lixivium, abſtrahunt aquam ad remanentiam ſalis (quod parum eſt). hujus ℞. ʒ iij.

Gummi laccæ ʒij.
Vitrioli Cyprii gr. VI.
Aqu. Roriſmarini.
Salviæ ana ℥iß.

ſolve calore leni, & hoc lava dentes ſcorbuticos.

Denique *Curatione Magnetico-Sympatheticâ* poteſt fieri curatio ſcorbuti dentium: Si planta *Senecionis* effodiatur illæſa radice: planta hæc & radix laventur & cum radice fricentur dentes & gingivæ ut ſanguinem emittant. Radicem ita ſanguine adſperſam iterum in terram ſuffodiunt, obſervant ut probè creſcat, quantum enim planta creſcit, in tantum decreſcit malum ſcorbuticum in gingivis.

Elegans denique *linimentum* in ſcorbuto dentium videbitis in SENNERTO *lib. 3. prax.* ubi de ſcorbuto oris *pag. 633.* Compoſitio ejus eſt hæc:

℞. Pulveris fol. aquilegiæ.
Menthæ criſpæ.
Salviæ.
N. Moſchatæ.
Myrrhæ ana ʒij.
Aluminis uſti ℥ß.
Mellis virginei ℥iiiß.
vel q. ſ. M. fiat linimentum.

Juxta vacillationem dentium & gingivarum: affectus frequens in ſcorbuto eſt

DOLOR DENTIUM iſque contumaciſſimus & ſubitò dentes corroſos relinquens & etiam gingivas exulcerans.

Conveniunt in tali ſcorbutico dentium dolore radix filicis & biſtortæ, fol. ſalviæ & flores, flores roſmarini: fol. rutæ, plantaginis & hyoſcyami: decoquantur hæc in aqu. vel aceto (vel addatur parum aceti) poſt ubi decoctum colatum adhuc è calidum additur ſuccus cochleariæ vel Beccabungæ & ita uſurpantur pro collutione oris.

Sedum minus ſeu vermicularis admodum prodeſt: Nam habet qs ſignaturam dentis & gingivarum. Unde ſuccus expreſſus in ſtomacace ſeu in dolore dentium & oris multum valet.

Decoctum foliorum pini acuatum cum ſpiritu cochleariæ egregiè confert. Quod ſi dolor ſimul malas torqueat, tempora & reliquas vicinas partes afficiat, illinitur commodè his partibus ſpiritus cochleariæ ſecundarius ſeu phlegmaticus cum ſpiritu lumbricorum terreſtrium ana.

Subinde etiam ORIS ULCERA non minus quàm in lue venerea infeſtant fauces, palatum & os. Contra hæc ſingulare eſt gargariſma elegans RULANDI qui

℞. Aqu. communis &
hydromelitis ana ℔j his addit aluminis ℥ß.

bullire permittit & hoc decocto mane, à meridie poſt paſtum veſperique os colluit & ita ulcera oris ſanat. Summitates pini huic adjectæ erunt proficuæ, quia hæ virtute balſamica terebintinata ad ulcera multum conducunt.

Dixi quod MACULÆ SCORBUTICÆ erumpant coloris varii & quod earum eruptio ſit proficua, ex eo quia ſint bonum ſignum malæ cauſæ foras erumpentis.

Ad has maculas expellendas internè conveniunt Eſſ. fumariæ, Eſſ. helenii Eſſ. perſicariæ cum ſpiritu cochleariæ permiſtæ.

Tinct. florum aquilegiæ expellens hic etiam convenit non minus quàm emulſio ſeminis aquilegiæ.

Tinct. corall. antiſcorbutica reliquis præfertur. Curavi aliquando puerperam purpura ſcorbutica afflictam.

Signa erant quod purpura rubicunda ſe exhibebat & erumpebant puſtulæ copioſiſſimæ aquoſæ, &c.

Hanc inquam, curavi

Tinct. coraliorum antiſcorbuticâ, quæ expulit puſtulas & purpuram copioſam: adeoque & hic erit egregia.

Aliàs nota differentia macularum ſcorbuticarum. In rubres internis remediis addendus ſuccus acetoſæ acetoſellæ & ſuccus citri: In cœruleis & lividis cochleariæ remedia conveniunt.

Quod ſi pertinaces reſiſtant antequam evaneſcant, tunc optimum eſt linimentem, quod fit ex pulvere ſinapis cum aceto in linimenti formam redacto. Hoc enim poſt ſudorem illinitæ maculæ ſubitò diſparent.

Vel ad modum TIMÆI.

℞. Pulveris ſinapis ſubtiliſſimi ℥ß.
Ol. amygdalarum amararum ℥ß.
Succi citri recentis q. ſ.
M. F. linimentum, contra maculas ſcorbuticas.

Præ cæteris notum eſt, quod doloribus frequentiſſimis ſtipatus ſit ſcorbutus, qui dolores nunc ſunt fixi nunc vagi.

Dolores fixi ſæpiſſimè abdomen ſæpe etiam crura infeſtant.

AD DOLOREM CRURUM qui magis ſentitur tempore veſpertino & nocturno ſudorifera appropiata ſunt optima, ſicuti etiam omnia ea conveniunt, quæ poſtmodum de arthritide vaga explicabuntur.

Præ cæteris interni uſus eſt *Spiritus theriacalis camphoratus* cum ſpiritu naſturtii cum ſpiritu ebuli aut ſambuci.

Eſſ. ſaſſafras miſta cum ſpiritu ſcorbutico quocunque & aſſumpta ad ʒj. ſpiritus ʒß. pro ſudore leni. His adduntur grana aliquot laudani opiati ad compeſcendam doloris ferociam.

Externè conveniunt fomenta tam humida quàm ſicca

ſicca ex decocto altheæ, abrotani, fumariæ, beccabungæ, pulegii, hyſſopi, cochleariæ, ſalviæ, naſturtii, floribus chamomillæ & baccis juniperi, v. gr.

℞. Flor. chamomillæ
Salviæ
Sambuci ana Mß.
Herbæ naſturtii aquatici. Mj.
Baccarum juniperi Miß.

Coquantur in ſ. q. vel lactis vel aquæ communis pro fotu aut etiam pro applicatione inſtar cataplaſmatis.

Flores ſambuci in lacte cocti, quibus adduntur aliquot folia hyoſcyami admodum commendantur ad crurum ſcorbuticum dolorem.

Spiritus baccarum juniperi camphoratus externè illitus à TIMÆO laudatur contra hos dolores.

Galbanum PARACELSI cum ſpiritu tartari miſtum & circulatum externè dolores crurum fixos ſedat,

Facit huc *pediluvium* MYNSICHTI contra dolores crurum.

Denique *vinacea* ſingulare quid valent in corrigendis doloribus artuum: quando ſcil. contenta & repoſita ſpontè incipiunt fermentare & inſigniter incaleſcere: In has imponitur membrum doloroſum: Unde fit ut largus ſudor evacuetur: abſterſo ſudore æger ſe in locum calidum conferat, & ſi opus ulterius ſudet, & ſic mirificè hi dolores compeſcuntur.

Denique *Thermarum aquæ* aut balnea ex *luto Thermarum* aut *Thermæ artificiales* ex ſulphure & calce viva paratæ pro lotione dolentium membrorum ſunt convenientiſſimæ.

Ventris quod attinet dolorem. Hic eſt acerbiſſimus totum abdomen crucians & ſpaſmodicis convulſionibus ad dorſum imprimis ubi annectitur meſenterium ſe manifeſtans: Subinde umbilicus ad interiora retrahitur, & ægri jacent incurvati.

Pro hoc internè convenit ſerum lactis caprini: Aut lac caprinum cum ſaccharo & ſpiritu ſal. ammoniaci miſtum ad demulcendam acrimoniam ſalis ſcorbutici: iſtas convulſiones ſpaſmodicas in abdomine excitantis, ol. amygdalarum dulcium ad ℥ij. vel ℥iij. in decocto radicis altheæ hauſtum etiam egregiè temperat acrimoniam ſalium. Ex corticibus aurantiorum etiam parata remedia ſyrupus aqu. præ cæteris Eſſ. cortic. aurant. miſta cum Eſſ. caſtorei & ſpiritu cochleariæ eſt elegans. Spiritus ſal. ammoniaci miſtus cum ſpiritu cochleariæ & benè circulatus ac unitus etiam convenit. Spiritus cocleariæ cum ſpiritu nitr. unitus dat ſpiritum nitri dulcem contra dolores ventris ſcorbuticos. Denique ſpiritus carminativus cum ſpiritu cochleariæ miſtus etiam eſt egregius in tali caſu.

Item *Elixyr. proprietatis antiſcorbuticum* non incommodè uſurpatur. In his ipſis etiam *ſpiritus lumbricorum terreſtrium* & cum hoc parata Eſſ. contra arthitridem vagam eſt egregia in doloribus ventriculi colicis & ſcorbuticis.

Præ cæteris externè *clyſteres lactei*: *Fomenta* ex lacte cum anodynis & ſcorbuticis ventri applicatis admodum conveniunt: Si ſcil. in lacte coquatur chamomilla, ſummitates abſinthii, rad. Helenii, baccæ lauri, flor. ſambuci, herba hyoſcyami.

Hæc & ſimilia miſta præ clyſteribus lacteis aut fomentis lacteis coquantur & applicentur. Vel fiunt clyſmata ſolùm ex ſero lactis cum ſaccharo & vitello ovorum quibus additur caſtorei ʒß. vel ℈ij. cum ſyrupo papaveris ad ℥j. vel cum requie Nicolai ad ʒij.

Sic enim fit clyſma appropriatum & admodum dolores leniens.

Junguntur ulterius oleum lumbricorum terreſtr. oleum cochleariæ, oleum chamomillæ, quæ ipſa olea etiam externè in dolore hypochondriorum in circonſcripto conveniunt & conducunt.

Præ cæteris tamen conveniunt *fotus* ex fol. hyoſcyami in lacte coctis vid. de hoc DRAVVIZ. *tr. de ſcorbuto p. 315.*

Dixi quod dolores vagi arthritici imprimis ſint moleſti in ſcorbuto.

Differt hæc arthritis vaga ab arthritide vulgari ſeu podagra. Nam ut certum ſit etiam ſcorbutum ſe complicare cum podagra ſ. arthritide vulgari: adeò ut etiam in podagra medicamenta ſcorbutica applicentur cum ſucceſſu, nihilominus tamen arthritis vaga proprium eſt ſymptoma ſcorbuti.

Differunt ulterius in hoc, quod arthritis vulgaris ſit conſtans & in quâ tandem oriantur nodi: In arthritide verò vaga utut obſervetur etiam interdum oriri *nodos* (Nam fuerunt obſervati inſtar ovi gallinacei:) Nihilominus tamen facillimè hi nodi diſcutiuntur: & ipſa arthritis vaga modò in hanc modò in illam partem irruit jam in pedes jam in brachium: in ſpecie ſi forſan per externa frigida admota loco pellitur.

Contra hanc arthritidem vagam ſpecificum expertiſſimum ſunt *lumbrici terreſtres* qui par ſibi non habent remedium in hoc malo. Nam ſi lumbricus vivus applicetur loco in quo eſt arthritis vaga hic ipſe ſtatim exſilit mirè circumgyratur & tandem moritur.

Id quod VVIERUS, HORSTIUS, FORSTERUS, TIMÆUS aliique unanimi conſenſu affirmant. Omnia ergo remedia ex lumbricis parata externè & internè erunt optima.

Sic decoctum lumbricorum terreſtr. in vino cum plantis aliis appropriatis laudatur à LOTICHIO. Vel quod melius eſt fit vinum infuſionis lumbricorum terreſtrium contuſorum cum aliis quibuſdam plantis appropriatis quod infuſum colatum hauritur ſubinde & eſt ſingulare remedium contra arthritidem vagam.

Lumbrici terreſtres putreſcendo reſolvuntur in liquorem, qui deſtillatus & rectificatus dat ſpiritum penetrantiſſimum & qui mira facit in arthritide vaga & cum hoc ſpiritu fit Eſſ. contra arthritidem vagam D. MICHAEL dum nempe recipit ana ſpiritus hujus lumbricorum terreſtr. & ſpiritus C.C. ſal. vol. probè acuati. Hi ſpiritus affunduntur ſpeciebus arthriticis, digeruntur & denique filtrantur & ita dant eſſ. egregiam contra arthritidem vagam.

Non incongrua eſt compoſitio TIMÆI, nempe ejuſdem miſturæ contra arthritidem vagam ſcorbuticam: compoſitio eſt hæc.

℞. Rad. Vincetoxici
Enulæ
Ariſtolochiæ rotundæ
Zedoariæ.
Caryophyllatæ.
Pœoniæ ana ʒij.
Summitatum ſalviæ.
Betonicæ.
Serpilli.
Abrotani.
rutæ.
Chamædrios.
Chamæpitios ana ʒj.
Flor. anthos ℥iß.
Specier. diamoſch. dulc.
Dianthos
Lætitiæ Galeni ana ʒj.
Seminis citri ℈iv.
Theriaca Andromachi ʒß.
Fæculæ ari ℈iv.

Pulveriſatis affunde ſpiritus vini, vel vini malvatici tantùm ut emineant 4. digiti bene clauſo vaſe ſtent in digeſtione per aliquot tempus: poſtea abſtrahe ſpiritum ad conſiſtentiam mellis: reaffunde

Spiritus vini modo abſtracti ℔ß.
Cochleariæ ℥ij.
Naſturtij aquatici ℥j.
Rubi Idæi ʒß.
Eſſ. Lumbricor. terreſtr. ʒvj.

Digerantur per tres dies filtrentur & ſerventur pro uſu. Doſis hujus miſturæ ſeu Elixyris eſt à ʒß. ad ʒj. videbitis

bitis hanc etiam in MOLLENBROCK, qui ex TIMÆO excripſit.

Porrò convenit imprimis abſinthium & omnia ex abſinthio remedia, quæ laudantur à GALENO in arthritide vaga.

Item ſuccus corticum citri & corticum aurantiorum. Præterea card.benedict.radix armoraciæ, Caryophillatæ, Veronicæ & amaræ dulcis,pinus cum antiſcorbuticis miſta convenientia dant remedia.

Sic Eſſ. pini miſta cum Eſſ. lumbricorum terreſtr. aut cum Eſſ. contra arthritidem vagam fit egregium remedium.

Decoctum baccarum juniperi & radicis helenii laudatur à MOLLENBROCK contra arthritidem vagam.

Neceſſe eſt ſubinde ut etiam præſcribantur noduli vino infundendi ex antiſcorbuticis.

Aqu. Anhaltina compoſita (deſcriptio vid. in SCHROEDERO ubi de aquis) eſt magnæ commendationis contra arthritidem vagam.

Denique miſtura ſimplex cum ſpiritu cochleariæ permiſta: aut etiam decoctum Chinæ & ſaſſafras inſigniter conducit in his ipſis morbis.

Pulvis *aſellorum* eſt probatus: pulvis lumbricorum terreſtr. & pulvis *ſcarabæorum unctuoſorum* ſimiliter commendatur contra arthritidem vagam quibus non immeritò adduntur *oſſa microcoſmi* præparata & ipſa egregia.

QVOD ATTINET EXTERNA contra arthritidem vagam.

1. Eſt *Fotus* ſiccus ſeu halitus ex deſtillato lumbricorum & formicarum calidè exceptus fortiter membra exteriora verſus fricando: v.gr. ſi in brachio ad manum verſus: fortiter ſudant membra:& iſtâ abſterſione verſus digitos mirè lenitur dolor.

Item halitus ſeu fotus ſiccus ex ſevo hircino ſimiliter commendatur.

Radix Raphani comminuta cum lacte utiliter apponitur loco dolenti non minus quàm *radices bryoniæ* recentes quæ & ipſæ contuſæ convenienter applicantur.

Sic v. gr. fiunt fotus vel cataſplamata ex floribus chamomillæ cum rad. ſymphit. majoris & cum radic. bryoniæ, decoquuntur in lacte, & ita applicantur loco dolenti.

Ulterius conveniunt aquæ articulares ad extra (de quibus ſoluta ſit camphora ſpiritus lumbricorum tam ſimplex quàm compoſitus ſeu ab herbis artheticis abſtractus.

Item ſpiritus vini lumbricatus externè inunctus eſt egregius.

Vel fit miſtura:

♃. Spiritus formicarum.
Lumbicor. terreſtr.
Urinæ phlegmatic. ana ℥j.
Juniperi camphorati vel
Ceraſorum nigrorum camphorat.
℥iß.
M. F. Spirit. extern. applicand. contra dolor.

Non inconcinna eſt compoſitio DRAVVIZII externè uſurpanda contra arthritidem vagam:

♃. Flor. lil. convall. Mij.
Roſmarini
Caſtorei.
Seminis Cochleariæ ana ʒvj.
Erucæ ʒß.

Hæc omnia infundit in ſpiritum vini optimè rectificat. ℥viij. digerendo per triduum; Hinc exprimit fortiter & addit

Spiritus lumbricor. terreſtr ℥iiß.

M. exactè pro externa illinitione.

Interdum convenit etiam *balſamus antipodagricus* RULANDI factus ex diſſolutione ſaponis venetæ in ſpiritu vini addito pauco.

Denique *Cataplaſmata* ex floribus camomill. Verbaſci fol. hyoſcyami & ex lumbricis terreſtribus in lacte coctis externè applicanda vagos dolores ſiſtunt.

Stercus vaccinum recens contuſum & miſtum cum lumbricis terreſtribus & inſtar cataplaſmatis applicatum à multis commendatur.

Denique præter dolores vagos ſubinde in ſcorbuticis membra evadunt paralytica.

Quæ PARALYSIS SCORBUTICA non adeo confeſtim ſed ſenſim invadit, & pereunte motu ſenſus ſuperſtes eſt utplurimum, qui interdum eſt ſenſus formicationis cujuſdam, qui ſenſus ſæpius præcedit paralyſin ſcorbuticam ſubinde etiam eandem comitatur.

REMEDIA ergo quæ imprimis conveniunt huic paralyſi, ſunt imprimis remedia ex *pino*: quæ pinus ſ. abies alba eſt appropriatum remedium paralyſeos ſcorbuticæ.

Hinc Eſſ. pini crebrius uſurpanda. It: decoct. pini ſ. ſummitatum pini etiam optimè conducit.

Sic miſceri poteſt Eſſ. pini cum Eſſ. catarrhali & ita propinari ana gutt. 40. vel 50. aliquoties bis vel ter in die.

Spiritus carminativus item ſpiritus tart. rectificatus miſtus cum ſpiritu cochleariæ conveniunt in hac ipſa.

Remedia juniperina eſſentia juniperi,ſpiritus juniperi & ſimilia etiam hic conveniunt.

Ulterius Eſſ. abſinthii roſmarini & caſtorei, miſtæ ſunt etiam convenientiſſimæ.

Interdum etiam decocta lignorum uſurpanda ſunt ad ſedandam paralyſin per ſudorem.

Heri dixi ex BARBETTE quod curavit paralyſin ſcorbuticam conſummatam per rad. armoraciæ decoctam in ſero lactis & ſæpius hauſtam.

Ulterius *aurum fulminans* miſtum cum cinnab. antimonii: aurum diaphoreticum POTERII in vehiculo antiſcorbutico poſſunt uſurpari.

Inter ea quæ externè conveniunt ad paralyſin ſcorbuticam ferè ea ſunt in uſu, quæ externè in arthritide vaga dixi applicanda. Rad. ſymphit. majoris & bryoniæ contuſæ coctæ & impoſitæ: Item ſpiritus baccarum juniperi & lauri pro externâ fricatione conveniunt: pulvis lumbricorum terreſtrium,item pulvis caſtorei egregiè conducunt.

Quando ita fricatæ ſunt partes, adſpergitur commodè ſpiritus tartari. Hic enim adſperſus inſinuat ſe ſenſim & paralyſin ſolvit.

Galbanetum PARACELSI etiam in hac paralyſi eſt egregium.

Quibuſdam admodum commendatur fotus ſiccus ſeu halitus ex pinguedine anſerina: ſi ſcil. pinguedine ſuper carbones benè calefactâ aliquoties inde ſuffimigetur q. ſ. & foveatur membrum: eſt enim penetrans & in paralyſi ſcorbutica apud VVeſtphalos uſitatum remedium

Quibuſdam in uſu eſt illinire membrum paralyticum ol.lumbricorum terreſtr. & cochleariæ addendo aliquot gutt. ol.ſtill.ſalviæ roſmarini & ſuccini.

Quidam uſurpant pinguedines taxi, vulpis, gallinæ, caſtoris, ſerpentin, &c.

Sed hæ ipſæ ablinendo poros minus conveniunt in ſcorbuticis.

Denique ſubinde *convelluntur* & tandem *contrahuntur membra* ſcorbuto affecta.

Hæ ipſæ *convulſiones ſcorbuticorum* ſunt tam miræ & tam ſtupendæ ut adſtantes ignari ſubinde habeant tales pro obſeſſis à dæmone. Vid. Exempla in *Pathol. cerebri* VVILLISI,qui in his motibus convulſivis non eſt inelegans.

Hujuſmodi contracturæ ſcorbuticæ & convulſiones curantur optimè præmiſſis vomitoriis per antiſcorbutica anticonvulſivis miſta. Sic. v. gr. in decocto Helenii cum baccis juniperi commodè propinatur ſpecificum cephalicum, ſal.vol. ſuccini cum camphorâ.

Contra

Contra *epilepſiam ſcorbuticam* propinavit alioquin cum ſucceſſu hunc pulverem:

℞. Cinnab. antimonii gr. xv.
Sal. vol. ſuccini ℈ß.
Camphoræ gr. iij.
Laudani opiati gr. j.
M. F. Pulvis.

Vehiculum pro hoc pulvere erat aqu. antiſcorbutica DORNCRELLII cum ſpiritu cochleariæ & ſpiritu lumbricorum terreſtrium.

Item miſtura ex ſpiritu tartari benè rectificato ſ. volatiliſato ex ſpiritu cochleariæ, ſpiritu theriacali Champhorato cum caſtoreo eſt conveniẽs in his affectibus.

Item Eſſ. pini cum ſpiritu cranii humani miſta addito ſpiritu cochleariæ etiam convenit in contracturis & convulſionibus ſcorbuticis.

Eſſ. ligni ſaſſafras miſta cum Eſſ. fumariæ addito ſpiritu naſturtii aquatici commendatur etiam contra contracturas & convulſiones.

In genere uſurpantur quæ ad convulſiones adhibentur miſta cum ſcorbuticis.

Externè uſurpantur aqu. hirundinum, c. caſtoreo item aqua apoplectica cum caſtoreo.

Item ſpiritus vini infuſ. appropriat: lil. convall. primul. veris, lavendulæ, ſalviæ, & ſimilium unà c. caſtoreo. Sunt qui recipiunt calcem vivam cui affundunt ol. lini deſtillant, & ol. deſtillatum contra contracturas ſcorbuticas commendant. Aliàs ol. cochleariæ, ol. lumbricorum ol. Rutaceum cum ol. lauri, angelicæ & cumini etiam externè uſurpantur.

Balnea etiam in contracturis ſcorbuticis item in doloribus ſcorbuticis imprimis abdominis ſunt egregia.

Tale balneum contra contracturas ſcorbuticas eſt hoc:

℞. Herbæ gentianæ cum radicibus ℔ß.
granorum juniperi cum ramis herbæ rutæ montanæ ℔i.
agrimoniæ Mj.

Hæc omnia in nodulo collecta coquuntur pro balneo: hoc balneum tepidum quotidie per 8. horas repetatur, idque tamdiu donec 40. horæ balneando fuerint conſumptæ: ſic n. contracturas & convulſiones ſcorbuticas ceſſare dicunt. Obſervetur tamen quod renovandæ ſint ſpecies & non debeat mingi in balneum.

Præterea infeſtant ſcorbuticos vomitus pertinaces aut ſaltim adeò pertinax vomendi conatus ex irritatione ſtomachi ab acrimoniâ ſalis ſtomachi vitiati. In tali caſu præcipitantia acrimoniam & demulcentia imprimis conducunt, quæ inter lac hauſtum & lac ventriculo impoſitum conducit: item oculi cancrorum. Ebur vel C. C. uſtum & ſimilia etiam ſunt proficua.

Ulterius tinct. tartari, nitrum vitriolatum & ſimilia interius aſſumpta laudantur

Miſtura ex
Aqu. Menthæ &
cinnamomi ana ℥j.
Spiritus conclear. ʒij.
Nitr. dulcis ʒj.
Syrup. cydonior. ℥ß.

Conducit in vomitu ſcorbutico.

Quod ſi adſit DIARRHÆA forſan SCORBUTICA: in tali Diarrhæa medicamenta ex abſinthio & maſtiche imprimis conveniunt. Ut v. gr. Eſſ. abſinthii cum Eſſ. lignor. ſpiritus cochleariæ miſtus cum ſpiritu maſtiches.

Decoctorum lignorum cum appropriatis antiſcorbuticis provocando ſudorem diarrhæam etiam ſopit.

Fit ſubinde ut ſcorbuticos eryſipelata invadant, quæ ſatis ſunt periculoſa, quia facilè in gangrænas item in ulcera maligna abeunt.

Internè conveniunt remedia ex ſambucco: Sic Eſſ. rob. ſambuci cum ſpiritu cochleariæ item decoctum flor. ſambuci in lacte bibitum: Item Eſſ. rob. ſambuci cum Eſſ. perſicariæ aut Eſſ. fumariæ.

Item ſudorifera ex bezoardico minerali aut joviali terra ſigillat. in vehiculo antiſcorbutico uſurpanda:

Externè pulveres ad eryſipelata conveniunt. Ulcera denique periculoſa cruciant ſcorbuticos: quod ſi fiat ut partes ulceratæ non ſentiant, periculoſum eſt, quia metus ſubeſt ne immineat gangræna. Contra hæc ulcera imprimis uſitatum eſt unguentum Nicotianæ cum ſaccharo ſaturni, item unguentum diaphoreticum cum ſucco inſpiſſato Beccabungæ miſtum & malaxatum cum ol. Nicotianæ. HORSTIUS commendat unguentum de apio mundificativum. Cujus hæc eſt compoſitio:

℞. Succi apii
Melyſſophylli
Cochleariæ ana ℥ß.
Chelidonii ʒvj
Mellis rutacei. q. ſ.

coquantur ad juſtam conſiſtentiam adjecto thure aloë & myrrha & ſimilibus: quando opus videtur decoctum luis venereæ pro iſtorum ulcerum ablutione eſt egregium remedium.

Quod ſi ulcera ſint pejora, ibi ſuccedaneum ſunt decoctum ſedi minoris cui additur aliquantulum de ſpiritu vitrioli (aliquot guttæ) ſic n. partes exulceratæ mundificabuntur adſperſis pulveribus ex ſaccharo ſaturni, lacte lunæ, olibano, myrrha & ſimilibus: Internè fomitem horum ulcerum ſubtrahunt Eſſ. lignor. Eſſ. fumariæ, Traumatica, Item Tinc. Corall. antiſcorbutica.

Hæc ſufficiant pro hoc Collegio.

SOLI DEO GLORIA.

COLLEG. PRACTICUM SPECIALE,

DE MORBIS VIRORUM, MULIERUM ET INFANTUM.

B. C. D.

CUM lubitum fuerit vobis adhuc continuare ea, in quibus ſubſtitimus hactenùs in praxi! ſcil. poſt pertractatos morbos totius corporis in genere, etiam in ſpecie conſiderare *affectus appropriatos ſexui & ætati*: exorato prius Numine divino ad illos nos accingimus. Et quidem, quod attinet.

I. AFFECTUS VIRORUM.

Præſuppono hîc *officium virorum*, qua talium conſiſtere in eo, *ut & ſemen generent in teſtibus fœcundum: Idem ad debitum tempus retineant*, & denique *retentum ſub coitus fervore & certo membro excernant.*

CAPUT I.

DE SEMININIS GENERATIONE LÆSA.

Seminis Generatio læſa. LÆditur *generatio ſeminis* ſeu præternaturalis redditur, 1. *Quando deficit, aut imminuitur*: 2. *Quando eadem abundat*. 3. *Quando vitioſum* nempe aut *acre nimis*, aut *aquoſum* aut *purulentum*; aut alio peregrino Caractere eſt inſignitum.

QUOD ATTINET

Seminis defectum. 1. (& quidem imprimis in hoc capite) *Defectum ſeminis. Deficit ſemen*, & non ſufficienter generatur 1. *Vitio ſeu defectu materiæ*, ex quâ ſemen elaborandum eſt; vel 2. deficit ſemen *vitio teſtium* à quibus idem elaborari debet.

Quod attinet *materiam ſeminalem* ſeu ex *quâ ſemen elaborandum venit*; præſuppono, quòd materiam ſeminis conſtituat pars ſanguinis chyloſa, ſubdulcis & pinguis, quæ ut naturaliter in alimentum partium nervoſarum ſeu ut alii vocant, partium ſpermaticarum (quæ loquendi ratio certo modo explicata ſtare cum priori optimè poteſt) impenditur:

Etenim eadem ipſa pars chyloſa hinc inde ſecreta varios liquores in ſpecie lac in mammis, nutrimentum fœtus in utero; & denique materiam ſeminis largitur.

Nam quòd talis materia, ſeu ſubſtantia chyloſa ſit materia ex quâ ſemen, confirmant omnia ſeminis attributa, nempe ejus color lacteus, ejus conſiſtentia mucilaginoſa, naturaque ſubpinguis: Unde etiam ad morem pinguium ſpiritibus inflatum ſpumeſcit, & in bullas attollitur.

Quicquid ergò *hanc materiam ſanguinis chyloſam abſumere poteſt*, ſive ſit *defectus alimentorum benè nutrientium*, ſive ſit *vita nimis laborioſa*, ſive ſint *vehementiores animi paſſiones*, in ſpecie *ira & iracundia*, &c. ea omnia, quatenùs abſumunt hanc materiam, *ſeminis defectum inducunt*: in ſpecie *vita laborioſa: exercitia & alii graviores animi affectus*, qui ſanguinis fermentationem magis citam & magis acrem reddunt, eo ipſo chili faciliorem adſimilationem, indeque materiæ pro ſeminis generatione defectum inducunt.

Hinc etiam eſt, quod *pingues & corpulenti non abundent ſemine*, ſed defectum ſæpe illius patiantur.

Ratio eſt hæc; *quia iſte chylus ſubdulcis nondum ſanguini aſſimilatus in pinguedinem faceſſit.*

Unde dum in pinguedinem abit, non poteſt ſuggerere materiam ſemini: Sed hæc, ceu nota relinquo. Hinc etiam notum eſt, quid de illo habendum: *Sine cerere & baccho friget Venus.*

Confirmat nempe, quantum ad venerea faciat diæta laudabilis:

Pergo *ad alteram cauſam* dum *vitio teſticulorum non ritè elaboratur ſemen.*

Hoc eſt multiplex 1. eſt quod impedit ſeminis generationem, *fermentum teſtium ſeminis generativum nimis torpidum aut minùs activum.* Utut enim parenchyma teſtium ſit tantummodo congeries minutiſſimorum vaſculorum: nihilominùs tamen in his ipſis certum quoddam inſitum eſſe fermentum ſub dierum curſui annorum circiter 14. evigilans, ſatis confirmatur ex eo, quòd tam inſignes in toto corpore ſub annis pubertatis contingant alterationes, quæ ſolum modò fiunt, quatenùs iſtud fermentum ſeminale, ut ſic dicam, ſucceſſivè maſſam ſanguineam alterat, & q. ſ. fermento inſpirato, volatiliorem eundem ſimúlque ſpirituoſiorem reddit: Unde & rôbur corporis & virium vigor, barbæ & pubis eruptio, & ſimilia alia accidentia tàm in fœminis, quàm in viris.

Unde etiam fit, ut teſte HIPPOCRATE *Epilepſiæ juniorum*, licet deſperatæ ſub 14. annum ſpontè curentur: quatenus ſcil. à fermento iſto teſtium tam inſignis maſſ. ſanguineæ ac totius corporis fit alteratio.

Fermentum hoc *Teſtium* dico eſſe *materiæ Salino-ſpirituoſæ* ſeu eſſe *Salinum ſpirituoſum.* Unde *quando iſtud torpet, minúſque eſt volatile*, tunc eſt *cauſa deficientis ſeminis*: Hinc enim eſt quod *acida veneri ſint inimica*, quatenùs omnia acida deſtruunt volatile ſpirituoſum. Hinc eſt quod è contra quævis *acria volatilia aromatica & ſpirituoſa venerem excitent*: uti notum eſt, *de piperatis*: it. *de ſpiritu ex ſanguine galli*, de *cantarrhidibus* ipſis, & ſimilibus, quæ ſtimulant fermentum teſtium. *Quod verò acida deſtruant venerem*, confirmat hiſtoria notabilis, quam refert B. noſter LANGIUS, *in diſcurſibus ſuper* FABRUM, dum refert quendam *ex nimio abuſu ſpiritus vitrioli*, adeò imminutos acquiſiviſſe teſticulos, ut tandem ad piſorum quantitatem redacti fuerint: poſtmodum verò intermiſſo ſpiritus vitrioli abuſu ſenſim ſenſimque eoſdem recuperaverit.

Hinc etiam eſt quòd nitrum proprio acido turgidum veneris impetus cohibeat, dum ſemen inſigniter imminuit: Hujus rei imprimis habet notabilem caſum TIMÆUS *lib.* 3. *caſ.* 52. de quodam muſico inſigniter in venerem hiante, adeò ut nullo modo ſaturari poſſet,

idque

idque ex acriore vener. ſtimulo; qui tamen fuit curatus *continuo uſu nitri crudi* ſeu nitri. tantummodo depurati, in quo ſemen ita extinctum eſt fermento teſtium deſtructo, (hinc enim tantâ copiâ ſemen generari non potuit) ut vix propriæ uxori poſtmodum ſatisfecerit.

Ad torpidum reddendum vel *extinguendum fermentum teſtium* multum etiam facit *refrigeratio*, aut *frigus externum*, à quo ipſo & teſtes & totum denique corpus inſigniter alterantur.

Hinc eſt quod SALMUTH refert *Centur.* 3. *obſervat.* 91. quod milites qui ducuntur per flumina, ſi iiſdem nimis refrigerentur & humectentur teſtes, effœminati reddantur. Id quod illuſtratur ex eo, quòd *acetum teſtibus applicatum ebrietatem ſubitò diſcutiat*: Item: quòd *nitrum cum ſucco ſempervivi* miſtum *ſcroto applicatum* ſimiliter *ebrietatem* ſubitò diſſipet: Item ſimili ratione *ſuccus* idem *ſempervivo: c. acet. & nitr.* miſtus, & *applicatus ſcroto* ſedat *hæmorrhagiam narium*, à nimiâ ſanguinis efferveſcentia & turgeſcentia, ex cauſa interna obortam: Immò & *Maniaci* Vinculis conſtringendi furibundi *optimè curantur*, *caſtratione*: Sic enim impetus furoris inſigniter ceſſat. Obſervat: hujus rei habet RIVERIUS *in obſervat.* 32. *communicat: à Sam.* FORMIO.

Pertinent huc *mercurialia* ſeu *mercurius vivus*; Nam & hic ipſe teſtium fermentum deſtruit, & virtutem ſeminalem evertendi vim inſignem habet.

Hinc SCHENCK. *lib.* 4. *obſervat.* refert quendam ad fugandos pediculos pubis uſum fuiſſe *linimento mercuriali*: Unde factum fuit, ut non tantùm ineptitudinem ad venerem inde contraxerit, ſeu etiam omnis ſtimulus ſeminalis fuit poſtmodum omninò ablatus: Unde omiſſo hoc linimento mercuriali, uſus eſt ol. *ſpica* aromatico, quo & pediculos enecavit & virtutem ſeminalem & genitalem reparavit.

Ad hoc punctum etiam pertinet *nimius veneris abuſus*, ſivè *nimis citò & in primâ juventute* frequenter ineatur, ſive etiam ſi *nimis crebrò* inſtituatur. Nam in nimio veneris abuſu & hinc continuatê ſeminis elaboratione ſucceſſivè tandem vis fermenti teſticulorum deficit, & continuò uſu quaſi attritum torpeſcit & minùs volatile evadit. Accedit & hoc, quòd *Teſtes nimis laxi & flaccidi fiant*, *eorumque tonus omninò deſtruatur*, cùm à copioſo & continuo materiæ tranſitu viæ ita laxæ & patulæ fiant, ut poſtmodum nihil ampliùs legitimè ſecerni & elaborari poſſit. Item ex hoc tono teſtium læſo *fit*, *ut apertis & ſanguinis vaſculis loco ſeminis tandem ſanguis purus in coitu effundatur*.

Cujus non pauca proſtant exempla, imprimis *quando præceſſerit illegitimus cantharidum uſus*, qui acrius ſtimulando, ſanguinem loco ſeminis effundere acit.

2. *In teſtibus vitium deficientis ſeminis eſt*, *quando alijs laborant affectibus teſtes*; Quos inter imprimis ſunt *Teſtium tumores varii*. Nam in tumidis & infarctis teſtibus nihil materiæ ſeminalis aut colligi aut elaborari poteſt, quin neceſſariò ſemen deficiat. Hos inter tumores imprimis eſt *Inflammatio teſtium*, ob ſanguinis per teſtium canales motum impeditum, indeque obortam ſanguinis ſtagnationem, qui ſtagnans ſanguis, cùm continuo afluxu ſanguinis augeatur, tandem in tumorem inflammatorium, ſeu ut alij vocant, *phlegmonem* convertitur.

Inflammatio Teſtium.

CAUSA INFLAMMATIONIS TESTIUM ſæpiſſimè ſolet eſſe *externa*: *Contuſio & concuſſio in equitatione plaga & crebra verberum inflictio*, *ſcroti compreſſio* & quæ ſunt aliæ, quæ ſanguinis motum in teſtibus inhibere & ita inflammationem excitare poſſunt.

Gonorrhæis interdum in ſpecie *virulentis* etiam ſupervenire ſolet periculoſa *teſtium inflammatio*:

Teſtium tumores rubri.

Poſt hos tumores à ſanguine patiuntur 2. *Teſticuli* etiam *tumores duros* in ſpecie *ex inflammatione malè curatâ* obortos, qui tumores duri & indolentes *ſcirrhi* vocari ſolent: *oriuntur* imprimis & *ſæpiſſimè ex vitioſa inflammationis curatione*, quatenus acidum in omni inflammatione præſens per modum coagulationis materias inſpiſſat & indurat. Unde tales tumores duri indolentes ſeu ſcirrhi oriuntur: *rarius ex aliis cauſis* oriri ſolent.

3. Patiuntur teſtes *tumores ex impedito lymphæ motu*. Nam & teſtes habent ſua vaſa lymphatica, quæ lympham ex teſtibus ad receptaculum commune, uti natum eſt revehunt. Quòd ſi ergò fiat ut impediatur hic lymphæ motus, oboritur ex ruptis vaſis lymphaticis tandem collectio iſtius lymphæ, indeque Tumor qui vulgo vel peſſimo more vocatur *Hydrocele* ſeu *Hernia* aquoſa, nihil enim minus eſt, quàm Hernia.

Teſtium tumores carnoſi.

Diſtinguenda eſt hic *Hydrocele*, *ex vitio teſtium proprio ab hydrocele hydropica*. Nam hydropica contingit, quando aquæ in abdomine hydropicorum collectæ per proceſſus peritonæi ſucceſſivè in ſcrotum deſtillant, cum quâ hîc loci nobis nihil eſt negotii: Hæc *hydrocele* ſeu tumor teſtium *fit*, *quando lymphatica teſtium vaſa obſtruuntur*, ita ut lymphæ contentæ impediatur motus, ut obſtructa vaſa ſenſim intumeſcant, & ita ſtagnando lympha ſucceſſivè coacervata, dat tumorem iſtum: *Vaſa lymphatica tandem rumpuntur*, quibus ruptis horum lympha intra externas teſtium membranas coacervatur & fit *tumor teſtium aquoſus*: aut etiam ruptis & laxatis his membranis: lympha in ſcrotum deſtillat, & inde tumorem ſcroti aquoſum infert, quem etiam peſſimo more vocant *Hydrocelem*.

Teſtium tumores aquoſi.

Præter hos tumores etiam 4. patiuntur teſtes *tumores duros carnoſos*. Præter ſcirrum ſubinde in teſtibus adnaſcitur *caro quædam ſuperflua*, quæ exinde teſtem & tumorem attollit, ut vocatur affectus *Sarcocele* ſeu *hernia carnoſa*. Hæc ipſa Sarcocele communis eſt ambobus teſtibus: Utut enim HILDANUS *in obſervat. Chirurgicis cent.* 4. *obſervat.* 64. referat. *dextrum* teſticulum imprimis *Sarcocele*, *ſiniſtrum* verò teſticulum *Hydrocele* laborare. Hoc ipſum tamen HILDANI effatum non eſt verum nec univerſale: Refert enim RIOLANUS *in anthropologia lib.* 1. *cap.* 31. ſe ter in dextro teſticulo hydrocelem vidiſſe, & etiam aliquando ſarcocelem in ſiniſtro teſte: quin & talis caro accreſcere ſolet non ſolummodo teſtibus, ſed etiam interdum membranæ ſcroti internæ citra teſtium affectum. *Cauſa* hujus *ſuccreſcentis carnis ſuperfluæ* utplurimum ſolet eſſe *externa*, imprimis *læſio teſtium externa*, *Ictus*, *contuſio*, *laceratio*, &c. Nam uti talia inflammationem interdum inducunt, ita tamen interdum ex laceratis fibris & vaſculis teſtium ruptis & laceratis ſanguis alimentitius affluens ex laxatis poris nonnihil in motu ſiſtitur, uberius colligitur, & tandem in formam carnoſam aſſimilatur ac tranſmutatur; Unde *ſucceſſivè talis caro ſylveſtris ſuccreſcens* ſive *in teſtibus* ſeu *ſub membrana ſcroti ſarcocelem* conſtituit, quæ & *Dartos* dicitur.

Obſervandum tamen hic quoque *Sarcocelem* eandem *non eſſe confundendam cum tumore Epididymidum*, ſubinde enim fit ut Epididymides nimio tumore ſpeciem Sarcoceles repræſentent, aut quando *teſticuli ſunt ſcirrhoſi*, unde in Epididymides copioſius ſanguis influit, aut etiam *quando copia talis adeſt ſucci ſeminalis*, ut copioſius collectus in Epididymidibus & tandem promotus per vaſa deferentia Epididymides tumere faciat, adeò ut ex tali cauſa obſervatum fuerit Epididymides mole interdum ipſos teſtes æquaſſe: Sed hi duo poſteriores ſtatus non ſunt confundendi cum ſarcocele verâ.

Denique 5. loco ad tumores teſtium pertinet

Κιρσοκήλη ſeu *Hernia Varicoſa* quam vocant, *pars affecta* in hac hernia ſunt *venæ ſpermaticæ* ad teſtes protenſæ: Nam hæ ipſæ ſuper teſtes in varios anfractus, in varias inter ſe anaſtomoſes invicem intexuntur, & contorquentur, ut inde vaſa pampiniformia dicantur: *quòd ſi fiat, ut ſanguis craſſior in his anfractibus* ſeu amplexibus *hæreat*, fit ut *vaſa hinc inde diſtendantur*, & *venæ diſtentæ laxentur* & *laxatæ in uno loco plus in altero minùs* tandem *tales tumores interruptos* ſeu *inæquales* & *varices conſtituant*. Hi ſunt tumores Teſtium.

Denique *Vitio Teſtium* 3. *læditur ſeminis generatio* quando *teſtes omninò deficiunt* uti fit in *Caſtratis* aut alio modo vitiatis. Hic tamen *non confundendus ſitus teſtium mutatus cum eorum defectu*. Fit enim ut *teſtes* ſubinde *in abdomine lateant*, neque in ſcroto contineantur: nec tamen proinde tales pro impotentibus habendi ſunt.

Exempla non ſunt pauca: Sic SALMUTH. *Centur.* 1. *Obſ.* 91. obſervat *teſticulum per* 13. *annos in abdomine latentem*, qui 14. poſtmodum ſpontè in ſcrotum prorupit.

Imò interdum fit etiam, ut unus alterve teſticulus *ex ſcroto ſurſum in abdomen retrahatur*: Sic ſcil. idem SALMUTH. *Obſer.* 99. *Centur.* 1. obſervat *retractionem teſticuli in paroxyſmo Epileptico*, ex convulſione ſcil. muſculi Cremaſteris. Item *Cent.* 3. *obſer.* 63. obſervat *Teſticulum in abdomen retractum ex nimio veneris uſu*. Hæ ſunt *cauſæ quæ ſeminis defectum* imprimis inducunt.

QVOD ATTINET SIGNA

Hujus affectus, ubi eſt defectus materiæ ſeminalis res per ſe clara eſt. *In genere* defectus ſeminis *ex relatione* patet ægri.

DIAGNOSIN

Seu cauſarum cognitionem quod ſpectat, *ſi ex defectu materiæ Chyloſæ* ſit *ex vitæ genere, diæta exercitiis*, &c. pateſcit. *Si vitio Teſtium* vel *ex defectu fermenti teſtium* contingat: tunc *vel nullus vel exiguus* ſolet eſſe *veneris appetitus*: *Corporis* ſimiliter quædam *gravitas* ac *pigrities* adeſt: Item quando *in coitu* ſeminis aliquantulum emittitur, *hoc tenue & aquoſum minuſque calidum* ſeu *fervidum* emitti percipitur. Quod ſi præceſſerit cauſa, quæ teſtes labefactare potuerit, ſuſpiciones hæ ſunt eo clariores:

1. *Inflammatio* facillimè cognoſcitur *ex tumore teſtium* conjuncto *cum dolore pulſatorio*, orto *ex ſanguinis impedito motu*, & impedito ejus Circulo, *ex calore ardente*, & denique ex *partium vicinarum* ſæpiſſimè *ſcroti rubore & incaleſcentia*: Nam *tumor*, *dolor pulſatilis*, *calor & rubor* monſtrant Teſtes inflammatos.

Scirrhos teſtium facillimè cognoſcimus *tactu*: imprimis *ubi teſtes* tangentur *duri*, *renitentes tactui*, & *indolentes*, *eſt ſcirrhus*, idque imprimis ſi præceſſerit *inflammatio*, eaque *minus* concinnè fuerit *tractata*.

Tumores aquoſos teſtium cognoſcimus ſimiliter *præter tumorem ex contactu* dum teſtes tanguntur *molliuſculi*, itèm *admota candela tumor transparens & tranſlucens* apparet, modò minor eſſe ſolet: & ægri *de pondere* quodam, interdum etiam *de fluctuatione in ſcroto* ſeu *locis vicinis conqueruntur*.

Quod ſi ſolummodò teſtes ſint affecti, *ſcrotum rugoſum* remanet: *Sin* verò præter teſtes *lympha coacervata in ſcrotum exſtillet*, hoc ipſum *expanſum & ſine rugis* conſpicitur.

Hernia Carnoſa cognoſcitur *ex tactu*, & ex eo, *quòd ſucceſſivè* ſenſim ſenſimque *excreverit*. *Tumor eſt durus & ſine dolore*: *Sin* verò *ſimul dolet*, periculum eſt, ne ſit *caro cancroſa*, quæ mox ad cancrum declinat: Succeſſivè ad molem talem ſuccreſcit caro hæc, & ex inſenſibili principio ſenſim augetur, ſecus ac in aliis teſtium tumoribus.

Hernia varicoſa ſeu Κιρσοκήλη *ex contactu* etiam agnoſcitur. Nam *tumor*, qui tunc percipitur eſt *inæqualis*, & in *ſummitate teſticuli*, ubi annectuntur vaſa ſpermatica eſt *indolens*, & ad *ductum ferè venarum diſpergitur*.

Defectus denique *teſtium* per ſe ſponte patet:

QVOAD PROGNOSIN

Facilè quidem, quòd *non ſit læthalis* affectus, *defectus ſeminis*, patet: admodum tamen *eſt moleſtus*, quia impedit opus generationis. *In ſenibus eſt incurabilis ferè*: uti etiam in iis, *qui in juventute ex nimio veneris uſu* fermentum teſtium labefactarunt, eſt *difficillimæ curationis*: cùm ſemel deſtructum fermentum teſtium non poſſit reſtitui.

Inflammatio teſtium ubi eſt *inveterata*, & ad ſtatum perductum *periculoſa* eſt ſæpiſſimè propter abſceſſum qui *rarò degenerat in gangrænam ſcroti* (qualem aliquoties vidi in Italia, imprimis *ubi cauſa remota eſt venenum venereum, Scirrhus teſtium eſt ſine periculo ubi eſt legitimus: Sin* verò interdum *dolor punctorius* acceſſerit tunc *cancrum latentem* innuit, ac non ſecùs ac *Hernia carnoſa ad cancrum declinans* periculoſiſſimum malum innuit.

QVOD ATTINET CVRAM

Ad tollendum defectum ſeminis & augendum ſemen debent dari *alimenta temperata*, & *copioſum & abundans nutrimentum & quæ copioſum ſuccum Chyloſum & ſubdulcem ſuppeditant*: Hiſce ſimul *intermiſcenda ſunt ſpirituoſa volatilia*, imprimis *aromatica* quæ fermentum teſtium acuunt, iſtique ſtimulum quaſi addunt. *Tumores teſtium* aut ſunt *diſcutiendi*, aut *reſolvendi & emolliendi*, aut *ad abſceſſum perducendi*, aut aliis irritis *chirurgica methodo* ſunt *tollendi*.

His ſcopis ut ſatisfaciamus *inter alimenta pro augendo ſemine* (nam ſemel pro ſemper moneo, ubi venus eſt ſtimulanda, ibi non tantùm aromaticis ſtimulum augentibus, ſed etiam temperatis quantitatem ſeminis majorem ſuppeditantibus eſſe ſtudendum: Vix enim citra damnum ægri ſola ſtimulantia uſurpantur (de quo ubi de *erectione penis*; &c. *læſa*) talia ſunt imprimis *amygdal. pinei*, *piſtaceor.* it: *oſtreæ*, *Soccolada Indica*, *Lac & omnia ex lacte* parata. Unde in tempore æſtivo ad augmentandum ſemen commendat SOLENANDER pro uſu quotidiano.

Lactis ℥iij. cum
Sacchari ℥j. &
Piperis ʒß.

Quæ miſta ita hauriantur: præ cæteris conferunt *vitelli ovorum hauſti* ſed *ovum recens crudum totum conquaſſatum cum vino Hiſpanico*, mixtum & ita bibitum: Huic miſturæ ſi addantur *aliquot grana ambræ* aut quædam *aromata* ut ſunt *Cubebæ*: *Nux Moſchat.* aut etiam *ſpecies diatrion pipereon*, erit miſtura, quæ mirè armat in venerem & ſemen augendo, & ſimul membrum genitale ſtimulando.

De *Teſticulo Galli* res nota eſt ex *A. Luſitano*, quòd mirè ſtimulent venerem: unde quidam *farcimina ex criſtis & teſticulis Gallorum* parata mirè commendant.

Præter teſticulos & Criſtas galli non minùs celebris eſt *ſanguis galli & ſpiritus ex eodem deſtillatus*. Nam hoc certum eſt, quod *ſpiritus ſanguinis galli* mirè venerem ſtimulet & etiam teſtes torpentes inſigniter excitet; Non ſecus atque *ſpiritus formicarum cum aromaticis* miſtus, uti fit in *aqua magnanimitatis* LAUREMBERGII egregiè conducit ad augmentandam vim ſeminis genitalem. Hinc non inconveniens eſt *miſtura* TIMÆI *contra impotentiam ex ſeminis defectu*.

℞. Aqu. Magnanimitatis ℥viij.
Cinnamoni ℥iv.
Eſſ. Satyrionis ℥ij.
ambræ ʒj. M. Doſis quantitas
Cochlearis.

Juxta

Juxta gallum *cervus* eſt, qui & ipſe ut & *ejus ſanguis* inſigniter venerem ſtimulare ſolet, ſi colligatur *ex cervo dum hiat in actum venereum transfoſſo.*

Fuit *princeps*, qui *ſanguinem & teſticulos Cervi tunc temporis interfecti* pro ſingulari arcano venereo habuit. Alii potius commendant *priapum Cervinum exciſſum ex cervo interfecto, dum in amore eſt.* Nam ℨj. *pulveris* talis *priapi Cervini cum ovo ſorbili* miſta, aſſumpta, & pauco vino generoſo ſuperbibito egregiè profuit.

De *Ambro* res nota eſt, quòd quacunque ratione uſurpata mirè ſpiritus reficiat & inſigniter venerem concitet.

De *Satyrione* etiam res nota eſt, ſcil. iſta ſpecie quæ *Cynoſorchis* vocatur. Hæc duos habet bulbos, unum turgidum alterum flaccidum: quorum is qui hoc anno fuit turgidus, altero fit flaccidus, & qui fuit flaccidus, turgidus: Jam *bulbus iſte Cynoſorchidos turgidus* inſigniter *commendatur ad venerem ſtimulandam*, & augendum ſemen: ſicuti è contra alter *bulbus flaccidus venerem imminuit.* Unde *ex hac radice ſatyrii* paratur *Eſſ. Satyr.* Crollii, quæ miræ commendationis eſt ad ſtimulandam venerem: ſi miſceatur *c. aqua magnanimitatis ſeu ſpiritu formicarum*, ſimulque addatur *ſpiritus ſanguinis galli.*

Præter rad. ſatyrii etiam *rad. Eryngii condita*; it. *rad. Zingiberis condita* laudantur in hoc affectu non minùs; quàm *aromata* aut *aromatica*, quæ ſale ſuo Vol. acri fermentum teſtium acuunt: & talia ſunt in ſpecie *cubebæ*, *Cariophyll. Galanga: Zingiber, Cinnamomum*; pertinet huc etiam *Caſtoreum.*

Poſt hæc aromata verò ſunt *ſemen fraxini* ſeu *lingua avis*, *ſemen ſinapis*, *aniſi*, *naſturtii*, item *ſemen Erucæ.*

Huc facit *Electuarium* Rulandi, quo multos reſtituit: *Compoſitio ejus eſt hæc:*

℞. Specier. Diaſatyr. ℥ij. (compoſit. officinal.)
Diagalang. ʒij.
Diambr.
Diamoſch. d. ana ℈ij.
Ramentor priapi Cervi juſto tempore interfecti ℥ß.
Pinear.
Piſtaciar.
Amygdal. d. ana ℥ß. (hic ſemen augentia admiſcentur ſtimulantibus)
Carnis ſtinci marini ʒij.
(ex vanâ perſuaſione)
Sem. Erucæ
Naſturtii:
Urticæ ana ℈j.
Miſceantur & cum melle.

Fiat *conditum* ſeu *Electuarium.* Vel aliud contra perfectum ſeminis uſurpandum

℞. Conſer. rad. eryngii
ſatyr. ana ℥iij.
zing. virid. condit.
cortic. citri condit. an. ℥ß.
amygdal. dulc.
nucl. pin.
piſtac.
dactil.
pulp. nuc. Myriſt. ana ℥j.
priapi tauri ʒij.
ſem. paſtinac. erucæ
ſinapis ana ʒij.
pip. alb.
galang. aba ℥ß. M.
Fiat Electuarium.

De *priapo Cervi* dixi juſto tempore interficiendi. Notabile eſt & hoc, quòd *raſura Cornu tauri in ipſo coïtu abraſa* mirè conducat venerem conciliando & excitando. Et hæc fuit *ſecretum* COMITIS SOLMENSIS.

Borrax & ipſa uſurpata teſtes inſigniter excitat, ſi *permiſta ſaccharo cum pane aſſato* aſſumatur.

De *paſſeribus*, eorum nempe *ſanguine & cerebro* res nota eſt, quod imprimis *cerebrum & ſanguis paſſerum in actu venereo transfoſſorum*, fuerit ſtimulus venereus COMITIS à PAPPENHEIM, in re venerea & martis excellentiſſimi.

Hæc ſunt *interna*: *Externa* etiam ſunt nonnulla, quæ & ipſa *teſtibus applicata* in hoc puncto deficientis ſeminis conveniunt, quæ inter imprimis eſt *Balſamus apoplecticus ſcroto illitus*: item *ſpiritus formicarum* externè illuatus valdè prodeſt, ſic fit *linimentum ex Ol. Nuc. Moſchat. expreſſo* cui adduntur aliquot *guttæ ol. Caryophill.* hinc aliquot *grana Zibeth.& Moſchat.* admiſcentur & *teſtibus illinuntur.*

Verùm *obſervandum*, quòd ubi talia *ſuaveolentia* inungantur teſtibus pro excitanda eorum vi, aut inunguntur peni pro augenda voluptate in actu venereo, *ne odor nimis feriat nares*; *aut ſimul inungantur talibus nares*; nimis enim ſpiritus tunc afficiuntur, ut minus poſſint ſufficere actui ipſo ſeu exercitio venereo. Subſtitimus in *Cap.* I. & poſtquam conſideravimus *ſtimulantia venerem*, materiam ſubminiſtrando ſeminalem, & acredine *Confortantia* fermentum teſtium ſuperſunt nunc ea quæ curant *Tumores teſtium*, à quibus non rarò periculosè ſeminis impeditur generatio.

Quod I. attinet, *Tumores inflammatorios* ſeu *phlegmones teſtium*: Hæ ipſæ inflammationes *curantur præmiſſis univerſalibus internis*, imprimis *diaphoreticis*, & quæ blando ſudore ſanguinis circuitum promovent, & quæ alias in omnibus inflammationibus in uſu ſunt: item *admiſſa*, ubi opus eſt *Ven. Sectione.*

Externe primatum obtinent *Cataplaſmata* ex *herba pari contuſa*, ita *teſtibus applicata.*

Sic *agrimonia contuſa in aqua calida cocta*; & inſtar Cataplaſmatis applicata inſigniter conducit in *inflammatione teſtium & ſcroti*, *ubi* malum *eſt à contuſione externa.* Vel poſſunt fieri ſimilia *Cataplaſmata ex rad. Cucumeris aſinini, cum foliis rutæ, & flor. Chamomillæ*, coctis in vino & partim tanquam fomentum partim tanquam cataplaſma ſic applicentur. Certè *ubi inflammatio eſt cum Gonorrhæa virulenta* conjuncta, *Cataplaſma ex fol. rutæ & Ebuli in aceto coctis* applicatum eſt optimum.

Melius eſt adhuc *fomentum ad inflammationem teſtium à Gonorrhæa virulenta* factum *ex decocto rad. Chinæ* cum *floribus ſambuci* in Cereviſiâ generoſâ aut loco hujus in vino. Hoc enim decocto ſi fomententur ſcrotum & teſtes, diſcutit & reſolvit inflammationem cum Gonorrhæâ malignâ conjunctam.

Subinde fit, ut *acerbus dolor conjungatur cum inflammatis teſtibus*: Hic ut ſedetur, modò dictis externis optimè adduntur *folia hyoſcyami*: aut adduntur his ipſis *mucilagines ſeminis pſyllii cum aqua ſpermat. ranar.* extractæ.

Præ cæteris tamen expertiſſimum eſt *Cataplaſma* factum *ex farinâ fabarum* cocta aut ſubacta *cum poſcâ ſ. aquâ & aceto.* Tale cataplaſma expertiſſimum dico ad *quamcunque teſtium inflammationem*: Cujus rei aliquot experientias videbitis in *Riverii obſer.* adeò ut hoc ipſum cataplaſma non tantùm in ſimplici inflammatione Teſtium: d. etiam quæ interdum ſuppreſſis intempeſtivè Gonorrhæis ſupervenit, commodè poſſit applicari.

Potentius ferè eſt ſi.

℞. Farinæ fabarum.
Cumini ana q. ſ.

Quæ c. aceto vini albi ſubacta miſceantur in formam Cataplaſmatis & ita calidè applicentur: potentiſſimè reſolvit quaſcunque teſtium inflammationes. Quod ſi acetum paulò ſit acrius prius commode mitigatur addito *Lithargyrio* aut additâ *ceruſſa*: Hæc n. ſaturnina acorem aceti nimium temperant & in dulcedinem adſtringentem mutant.

Quod ſi fiat, ut modo dictis remediis non poſſit diſcuti inflammatio, neceſſe eſt ut *adjuvemus naturam in ſuppuratione & ſuppuratæ inflammationis apertione*. Ad *ſuppurationem* E. adjuvandam præ aliis conducit *Emplaſtrum Filii Zachariæ*, cujus deſcriptio habetur in *pharmacopœia Auguſtana*: Item *ubi dolor ſimul urget* in ſuppuratione & inflammatione, qui ſemper eſt præſens, tunc ♃. fol. hyoſcyam. ſub Cineribus cocta & contuſa: hæc uti dixi, excipiuntur axungiâ porcinâ & reducuntur ad formam Cataplaſmatis: Nam & hac & dolorem ſiſtit, & ſimul inflammationem maturat: quo etiam pertinet *Vnguent. dialthea*, *populeum*, *unguent. diachylon* & ſimilia, qua aliàs ſolent maturare tales inflammationes. Præ cæteris commendavi *cataplaſma ex farinu fabarum c. aceto* factum.

Nam & ſimul *Cataplaſmate* facto *ex farina hordei*, *fabarum ſem. cumini flor. Chamomill. & Meliloti ex oxymell. coctis* & applicatis periculoſus ſcroti tumor percuratus fuit & diſcuſſus. Subinde accidit in *hydrope Aſcite* ut ſuperveniat *tumor teſtium doloroſiſſimus* qui aliis irritis optime curant *per Cataplaſma ex naſturtio, aquatico & Nymphea*, ſi ana coquantur *in aceto roſaceo & vino*, & cocta ita ac ſubacta permiſceantur *cum pauxillo ol. roſacei* & ita applicentur, Ceſſabit ſic tumor hydropicus doloroſus teſtium.

Quod ſi his nihil juvantibus aut ſi potius ex perverſa cura *in ſcirrhum degenerent teſtes inflammati*: fiatque *tumor ſcirrhoſus*, tunc præ cæteris conveniunt *gummata in aceto ſoluta* & ſunt primario *ammoniac*. Hinc *Galbanum Bdellium* & ſimilia. Item *Emplaſtr. officinal. de ammoniac*. cujus deſcriptio eſt in *pharmacopœia Auguſtana*. Nam hoc ipſo FORESTUS curavit Teſtem inſigniter ſcirrhoſum, poſt inflammationem, idque omnibus remediis aliis irritis: *in lib. 27. obſ. 5*. Convenienter etiam *cum Emplaſt. de ammoniaco* miſceatur *Empl. de Cicuta*, ſi ambo malaxentur *cum ol. Chamomill.* ac ita applicentur: reſolvunt namque teſtium ſcirrhos. Facit huc *Emplaſtrum* à TIMÆO *l. 6. caſ. 12. expertum*, quod *præmiſſo fotu emolliente & ſuffitu vaporis aceti ex lapide Laterico ſ. ſilice candente* excitati applicavit, & quo ipſo diſcuſſit ſcirrhum.

Compoſitio eſt hæc:

♃. Mucilag. rad. altheæ.
Sem. fœnugræc. ana ℥iij.
Ficuum pinguium coctarum ℥iij.
Gumm. ammon.
Galban.
Bdell. in aceto ſolutorum ana ℥j.
Medull. cruris vitul.
adipis anſerinæ &
gallinæ.
Sevi hircini.
Therebinthinæ. ana ʒvj.
ol. lil. Alborum &
Ceræ ana q. ſ.
Ex quibus F. Emplaſtrum.

Obſervandum tamen in *Scirrho teſtium ſi ſimul ſit doloroſus cautè eſſe procedendum* ne in cancrum degenerare faciamus eundem. Unde *oleoſa mucilaginoſa* & quæ aliàs proprie *emollientia* dicuntur *ſunt omittenda*, & in ſolis gummatis & ſimilibus perſiſtendum.

Quod ſi verò tumor teſtiū ſit aquoſus qui vulgò dicitur *hydrocele*: tunc imprimis *diſcutientia ac reſolventia* validè applicata conducunt *præmiſſis & annexis internè lympham copioſam purgantibus*, ut ſunt *Eſſ. & Extract. Elaterii*, *rad. Ialap. Gumm.* de *Peru.* & ſimilia: quin & *præmiſſis diureticis* ſpecialiter *ſuccinatis*: *Externè*, uti dico, *diſcutientia & reſolventia* conducunt: quæ inter primatum obtinent *Cochleæ cap. teſtis contuſa & applicat*: & poſt hæc *ſtercora* in ſpecie *animalium* imprimis *caprinum*: Nam talia potenter diſcutiunt & reſolvunt hydroceles.

Item *Emplaſt. hydropicum Auguſtanor.* applicari poteſt: vel illinatur *balſamus ſulphur.* RULANDI *vel ſolus l. cum unguento altheæ* miſtus: aut applicetur tale cataplaſma.

♃. Flor. Chamomill. Roman. Miij.
farin. fabarum ʒvj.
ſtercoris Caprill. ℥iij.
Pulveris Teſtar. Cochlear. ℥iß.

Conciſa & contuſa coquantur in vino, decocto prius fomentetur ſcrotum & poſtmodum deſuper applicetur Cataplaſma ad reſolvendam hydrocelen vel tale poteſt fieri Cataplaſma craſſum ſ. Emplaſtrum.

℔. Empl. de baccis lauri.
Stercor. Caprill. ana ℥iß.
Seminis Cumini.
ſulphuris pulveriſati ana ʒij.

Malaxentur c. ſ. q. *Ol. rutæ & Chamomillæ* ana F. Emplaſtrum applicandum.

Quod ſi forſan *ex Aſcitè* immineat *hydrocele*, tunc *petroſelinum viride contuſum ſcroto impoſitum* domeſticum, ſed laudandum eſt remedium. Sed nihil nobis negotii eſt cum tumore ſcroti hydropici: potius ad *hydrocelen peregimus* quæ non poteſt reſolvi aut diſcuti, quin *pertinacius interdum reſiſtit*; adeò ut ad manus etiam Chirurgi interdum perveniendum ſit: quæ duplici modo operatur: ſcil. aut *perforatur ſcrotum*: aut perforato ſcroto ſimul per *tunditur membrana teſtium extima*, in quâ ſolet eſſe concluſus humor ſ. lympha.

Hæc *apertio in hydrocele* ſimplici *nullum* habet conjunctum *periculum*, utut *apertio ſcroti & teſtium in tumore ejus aquoſo hydropico* ſit *perículoſiſſima*. Nam in tumore teſtium ſcrotique hydropico aperto ſupervenire ſolet utplurimum *gangrana*, ſive per cauterium potentiale quod minus tutum, ſive cum ferro tutius eſt apertio inſtituatur. Sed uti dico *nullum periculum* eſt in hydrocele propriè dicta.

Verùm utut aperiatur & extrahatur ſ. evacuetur liquor nihilominus tamen *periculum* eſt ne *ſubinde currat*. Unde ſæpè neceſſe eſt ad tollendam hydrocelem *amputatio teſtis* ut inſtituatur: *Operatio tuta* & extra periculum modò cum dexteritate obeatur ſuperiori anno adſui tali operationi: ſcil. in iſto latere, ubi nempe eſt tumor teſtium aquoſus inſtituitur apertio ſcroti inferius & celeri manu extrahitur & tumor accumbens.

Hinc ſuper tumorem vaſa præparantia filo interjecto conſtringuntur & ligantur, quod celeri manu fit & doloroſum eſt, poſtmodum infrà ligaturam abſcinditur Teſtis, unà cum tumore: vulnus ſcroti lentè curatur ut filum, quod extra ſcrotum propendet, ſponte ſeparetur, & tunc citra periculum vulnus ſcroti coit.

Sunt etiam qui *ad hydrocelem* laudant *punctum aureum*, quo ipſo & ſolent curare *Herniam inteſtinalem*, ſed *minus tutum*, minuſque certum hoc eſt auxilii genus.

Poſt hydrocelem pergo ad *Tumorem teſtium carnoſum* vel *Sarcocelen quæ difficillime* omnium *curatur per medicamenta* ſi tamen curanda eſt, *inter interna rad. ononidis* meretur laudem, cujus continuus uſus *ad* ʒj. non tantum modò à MATTHIOLO, ſed etiam à SCULTETO *in armamentario Chirurgico* ſubinde item ab aliis commendatur. Item *pulvis contra ſtrumas Arnoldi de* VILLA NOVA in uſum adhibetur: Loco hujus internè *pulvis* LOTICHII *ex ſpongiis combuſtis ex lapide ſpongiæ*, *ex rad. Conſolidæ majoris*, *Herniaria*, *per foliata*, *terra ſigillat.* &c. conflatus. *Spiritus ſalis dulcis internè* aſſumptus item Tumori *externè* illitus ab AGRICOLA commendatur *in Commentar. in* POPPIUM.

Verùm *interna parum præſtant*, cùm *externa* non ſemper ſatisfaciant ſcopo. Antequam E. *ad exſciſſionem* Teſtis ſarcocele affecti perveniamus, applicanda ſunt *externe* potenter *emollientia & reſolventia*, quæ inter ſunt imprimis *fotus ex cinere Sarmentorum vitis c. nitro & aceto miſto* applicatus.

Item

Item *luta Thermarum in ipſis Thermis applicata ſcroto* uſurpantur. *Gumm. ammoniac. & ex eodem* paratum *Cerotum & Emplaſtrũ* & hic ſuam merentur commendationem. Sic *in* SCULTET. *armamentario Chirurgico obſ.*74. habetur emplaſtr. ex ammon. expertum contra Sarcocelen. Vel uſurpari poteſt hoc *emplaſtrum* quod præſcribit LOTICHIUS, & ipſi tanquam ſecretum communicatum fuit à quodam Lithotomo. *Compoſitio* non eſt inelegans:

℞. Gumm. ammon. ℥iß.
Bdellii ℥j.
Farin ſem. ſinapi
Urticæ.
Lapidis ſpongiæ aa. ℥j.
ariſtoloch. rotund. ʒvj.
ſulphuris ℥iß.
Terebinth. ℥j.
Spir. vin. ℥iß.
Ol. Olivarum. ℥iv.
Ceræ ℥vj.

M. & ſubinde applicetur, Simile ferè eſt *emplaſtr. Paracelſi*, quod in *ſuis ſcriptis* commendat *contra Herniam Carnoſam*:

℞. nempe Ammoniac.
ſerapin. ſ. ſagapen.
Oppopanac. &
Galbani aa. ℥j.

Hæc diſſoluta *in aceto roſaceo* denuoque nonnihil inſpiſſata M. *c. ol. philoſophor.* redigantur in formam Emplaſtri & ita ſuper locum Herniæ integræ applicetur, continuetur ad aliquot ſeptimanas hoc Emplaſtrum, ſic enim maturabitur Tumor & ſponte facta apertione foras prorumpet: facta aperturâ ſpontaneâ imponendum eſt *emplaſtrum ex gummis & colophonia*, donec materia reſoluta evacuetur, & apoſtema fuerit curatum. Ubi talia non juvant, *ſectio inſtituenda & cum tumore teſticulus amputandus*: apertio facienda eſt ubi tumor fuerit minor in ſcroto à latere.

Ubi vero altius in vaſa præparantia adſcenderit tumor, facienda apertio in inguine ſ. ſuprà os pubis, ubi vaſa ſpermatica deſcendunt in ſcrotum, & ibi extracto teſte amputatio & ligatio, uti artis eſt facienda. Κιρσοκήλη ſ. *variciformis Hernia* curatur imprimis applicato *unguento Baſiliconis*, imprimis ſi miſceatur *cum pinguedinibus emollientibus & medullis animalium.* Aliàs applicari poteſt *emplaſtr. de mucilaginibus*, & *de ammon. Thermarum* etiam *externus uſus* eſt proficuus.

Quod attinet *defectum teſtium*, *ſi ſcil. lateant teſtes in abdomine*, uti interdum fit: tunc ad reſtituendos teſtes in naturalem locum, ut ſcil. in ſcrotum deſcendant *optimus eſt motus corporis*, *ſaltatio* ac ſimilia exercitia. RULANDUS *in Theſauro Practico curavit duos adoleſcentes* quorum ſcrotum erat vacuum & qui ſuper os pubis jam à nativitate uſque retracti fuerant: pellendo teſtes ad ſcrotum *beneficio balnei emollientis*, poſt quem inſeſſum *inunxit locum*, ubi erant Teſticuli *cum balſamo ſulphur.* hinc ſucceſſivè detruſit Teſtes in ſcrotum infrà & hinc ſub virgâ laxiore injectâ ligaturâ eorum retractionem impedivit.

Hi ſunt affectus quibus ſeminis, generatio impeditur. Dicendum jam eſſet ulterius de *ſeminis generatione aucta* item *vitiata*: ſed cum eandem ad *Gonorrhæam* referre poſſimus, ubi dabitur occaſio de his dicendi; pergo ad

CAPUT II.

DE LÆSA SEMINIS RETENTIONE & Excretione.

NAm præſuppono (uti antea monui) quòd ſemen genitum & per vaſa deferentia in veſiculas ſeminales delatum debeat retineri eo uſque, donec ſub coitus ardore ſpiritibus turgidum & ſpumoſum cum impetu ejaculetur.

Læditur E. naturalis hæc ſeminis retentio & excretio,

1. *Quando citra coitum effluit.*
2. *Quando in coitu nimis cito ejaculatur.*
3. *Quando in coitu nimis tarde prorumpit*; &
4. *Quando nullum ſemen, neque in neque extra copulam veneream excerni poteſt.*

Quando *extra coitum* ſemen effluit tunc hoc fit interdum *nocturno tempore cum ſomniis junctaque voluptate venerea* & tunc vocatur POLLUTIO NOCTURNA res omnino naturalis & quæ, qua talis, ſub caſum medicum non cadit. Verùm *quando ſemen ſæpius effluit ſive* ſit *noctu ſive* etiam *interdiu*, idque imprimis *citra ſenſum venereum* aut *inſigniorem tentiginem* aut etiam *cum dolore*, &c. tunc vocatur talis ſeminis fluxus

GONORRHÆA.

Gonorrhæam hanc melioris doctrinæ ergò facio *duplicem veram & notham.* VERA eſt, quando *vera materia ſeminalis* aut *ipſi ſaltim proximè ſimilis in teſtibus tamen elaborata crebro nimis excernitur.* NOTHA Gonorrhæa verò *eſt quando alia materia vitioſa loco ſeminis excernitur.* Gonorrhæa.

Gonorrhæa vera eſt triplex. Fit nempe 1. *à nimia copia & abundantia ſeminis*: unde non tantum uberior veneris ſtimulus: d. etiam ubi ſemen paulatim turgeſcere incipit impetu facto ex veſiculis ſeminalibus prorumpit, id quod contingit in talibus imprimis *nocturno tempore*, *dum ſupini jacent*, ubi propter ſanguinis circa partes dorſi inferiores & poſteriores confluxum uberiorem & iſtarum partiũ inferiorum incaleſcentiam ſemen abundans calefactum turgere & erumpere ſolet; id quod fit non tantùm *in juvenibus*, ſed etiam *in viduis*, qui *à venere ſolita abſtinere coguntur*: dico fieri imprimis *nocturno tempore*: Sin vero cum hac ſeminis abundantiâ ſimul conjuncta ſit *laxatio quædam veſicularum ſeminalium*, aut certè quòd harum ipſarum meatus in Urethram ſint paulò patentiores facti: in talibus etiam *interdiu* ſeminis fit effluxus, *accedente membri tenſione*, & *aliquali venereo pruritu*: quod excernitur *ſemen*, *eſt copioſum*, *craſſum*, *ſpiſſum & naturaliter coctum.*

2dò fit *Gonorrhæa vera à ſeminis acrimonia præternaturali.* Unde & irritantur partes continuo pruritu venereo & præterea iſta irritatione veſiculæ ſtimulatæ vicinæque muſculoſæ partes ſe contrahere & ita ſemen ſtimulans exprimere incipiunt. Præceſſerunt imprimis *cauſæ quæ ſemen acrius generare valent*, ut ſunt *aromata copioſius aſſumpta* in ſpecie *piperata*: Sic enim SCHENCK. *lib.4. obſerv.* refert de quodam qui ſemper quoties voluit *ſiſimbrio* ſeu *naſturtio* comeſto Gonorrhæam provocare voluit: ex acrimonia *ſal. volat.* aſſumpti naſturtii, quæ ſtimulando ſemen copioſum genitum talem producit *Gonorrhæam*: Imò & *purgantia acria aſſumpta* venerem ſtimulare & interdum *Gonorrhæam* provocare ſolent: Exempla vid. in PLATERO & TIMÆO: quin & *cantharidum abuſus* hoc ipſum malum acuendo ſemen inducit.

Facit & huc *Conſtitutio maſſ. ſanguineæ*, *paulo acrior* aut *ſero ſalſiore temperata*: quod ipſum ſerum acrius imminuens Chyloſam materiam ſemen reddit acrius & ſtimulans: & tales continuo ſtimulo venereo ac tentigine

tigine ſæpius urgente fortiori titillatione excernere ſolent idque *non abſque voluptate venerea*, die & nocte.

3tiò fit Gonorrhœa ex nimia tenuitate & flacciditate ſeminis, concurrente tunc ſimul *laxitate nimia veſicularum ſeminalium* non ſecus *ac proſtatarum glanduloſar.* Unde & *aquoſum ſemen effluit* & hinc laxatis ac atoniâ ſ. nimiâ relaxatione affectis veſiculis iſtud continere aut retinere nequeunt: unde *ſine voluptatis inſignioris & tentiginis acutioris ſenſu* interdum non advertentibus effluit tale ſemen aut ſtatim ad *levem imaginationem veneream*, vel *ad levem fœminæ contactum* hoc ipſum ſpontè quaſi prolabitur, & eſt *tenue* admodum & *fluidum plus ſolito. Vitium* imprimis hæret *in teſtibus* in hoc caſu, *eorumque fermento debilitato*, quod ineptum eſt elaborando ſemini, & hinc *vitium eſt in veſiculis ſeminalibus nimis laxatis*; ſi nempe illud citò elaboratum & hinc non convenientem naturam ſeminis induxerit.

Hæc poſterior *Gonorrhœæ ſpecies ſæpiſſimè à* damnatâ oritur *maſtupratione* quâ ſæpius reiteratâ & teſtes laxantur, & fermentum eorum debilitatur. Exemplum hujus rei habet TIMÆUS *Caſ. 49. lib. 3.* de ſtudioſo Juris qui tali damnato modo Gonorrhæam ſibi contraxit.

SIGNA

Species Gouorrhœæ veræ, ſunt variæ, ſed ex modò dictis facilè poſſunt dignoſci. Hoc tantùm addo, quod dum loco ſeminis effluentis continui novum ſupplementum ex maſſ. ſanguinea ſuppeditatur, *oriatur* denique *ut* defraudata maſſa ſanguinea ſucco ſuo Chyloſo nutritio *corpus tabeſcat*, & imprimis tales ægri *debiles & pallidi fiunt*, *oculorum orbitæ excavatæ* apparent, & *fulgor oculorum deficit*, quin *potiùs oculi cornei & minùs lucidi* videri videntur, cum ſemper cum ſemine aliquid ſpiritus animalis ſimul effluere ſoleat.

QVOD ATTINET PROGNOSIN

Talium Gonorrhæarum: *Ex ſe* quidem non *adeò inſignis ſunt momenti*: verum ſi *diutius continuentur*, hominem *contabeſcere & ſuccumbere lethaliter* cogunt. Supervenit imprimis *febris hectica* ſimilis cum tali atrophiæ ſpecie qualis eſt *tabes dorſalis noviter nuptorum*: qualis hectica tunc difficillimæ eſt curationis. Ulteriùs *Gonorrhœa diuturna ſubitò nimis non eſt ſupprimenda*, imprimis *ubi nonnihil inclinat ad virulentiam veneream*: metus n. eſt ne ſuppreſſa ſubito materia antea copioſius affluente, hæc ipſa ſtagnando in Teſtibus occaſionem *tumori* ſuppeditet: unde poſtmodum periculoſius malum superveniat.

QVOD ATTINET CVRAM:

In hâc imprimis ſunt *cauſæ removendæ* & ita *ſemen aut imminuendum, aut ejus fervor temperandus* aut denique Teſtium fermento roborato *partium tonus legitimus reſtituendus, laxuſque nimis adſtringentibus firmandus.*

His ſcopis, quæ ſatisfaciunt *remedia* imprimis quæ ſemen aut copioſum turgeſcens aut acrius ſtimulans compeſcunt, ſunt præ cæteris *rad. Nymphææ alb. & flor. Nymphææ it. ſemen agni caſti* ſ. *viticis*, uti etiam *ſemen melonum, papaveris albi, Lactucæ, plantaginis*, in ſpecie *ſemen cannabis ad inveteratas* etiam & tantum non deſperatas *Gonorrhœas* commendatur, ſi ex eadem non ſecùs ac ex reliquis ſeminibus fiant *Emulſiones* quæ tamen *emulſiones cum Cautela uſurpandæ* propter admiſtam vim narcoticam. Convenit præterea *Vrtica mortua* ſ. *Galeopſis flore albo* quæ ex ſignatura commendatur à CARRICHTERO egregio in hoc puncto botanico *ſi decoctum propinetur in vino.* Præterea res nota eſt, de *Mentha* item *de ruta*, de *portulaca* & ſimilibus. Item *millefolium* laudatur, ſi nempe *ſuccus millefolii ad* ℥iij. exhibeatur *cum lacte dulci* Gonorrhæam totaliter ſiſtere referunt imprimis ubi ſimul *ſuccus lactucæ cum Camphora externè teſtibus* applicetur. Præterea *ſuccus limonum & ſuccus citri* præ cæteris ſunt remedia licet ſimplicia, ad *Gonorrhœas* ſiſtendas *ſive ſint ex acri ſemine* ſive ex *abundante*, quæ ab omnibus auctoribus mirè laudantur. Unde experimentum SYLVATICI *cent. 4. Conſil.* 1. eſt hæc non inefficax compoſitio: nempe.

♃. Aqu. Roſarum ℥iij.
ſucci limonum ℥j.
albuminis ovi crudi No. 1.

Et hanc miſturam quartâ qualibet die propinat non ſine ſperato ſucceſſu. *Petrus Ioh.* FABER ad curandam Gonorrhæam propinat *ſuccum limonum*, cui inſtillavit *ſpirit. Terebinthinæ*, unà *cum tantillo Camphoræ.*

Porrò *de Eſſ. Caſtitatis, de Eſſ. abſinthii*, de ejus *Vino*, & *Eſſent. Menthæ*, &c. nihil dico, quia ſunt ſatis clara & cognita. *Terebinthina* imprimis conducit in ſpecie *ſpirit. Terebinthinæ* ſi ipſi addatur *ſacchar. ſaturni*: hinc n. evadit miſtura elegantiſſimè rubicunda, quæ crebriùs uſurpata mirè compeſcit Gonorrhæas.

Deinde etiam *ſuccinata* ſunt commendata ad Gonorrhæam ſcil. *pulvis ſuccini albi*, quotidie propinatus in juſculo calido jejuno ſtomacho mirè ad Gonorrhæam valet, quin & *ol. ſuccini* in tali caſu uſurpari poteſt quod tamen eſt paulo fortius, ita ut tutiùs ſolus pulvis uſurpetur. *Trochiſci* etiam *de Carabe* poſſunt uſurpari. Ulterius *oſſa ſapiæ piſcis* admodum conducunt præparata ſpecificum fuerunt HARTMANNI etiam D. MICHAEL, qui ſæpiſſimè ad Gonorrhæas compeſcendas adhibuit *pulverem oſſis ſepiæ præparati* unà cum *antimonio diaphoretico*, quæ miſta *à* ʒß. *ad* ʒj, propinavit. Nam & *antimon. Diaphoreticum aqu. plantaginis* hauſtum Gonorrhæas ſiſtit, ſicuti etiam *Bezoardium martiale*, item *Bezoardium venereum* uſurpari ſoleat.

Pertinet huc *Electuarium* ſequens, quod à quibuſdam laudatur.

♃. Conſer. roſar.
Menth. Criſpæ ana ℥j. l. ℥iß.
Oſſis ſepiæ præp. ʒij.
Borrac. calcinat. ʒj.
Nuc Moſchat. ʒß.
Syrup. de roſ. ſiccis q. ſ.

M. F. Electuarium, de quo quotidiè bis vel ter uſurpetur. Obiter nota de *borrace* calcinata, quod inſtar aluminis adſtringat, præcipitet, ſiſtat Gonorrhæas, coërceat venerem, d. crudus inſigniter ſtimulat venerem, uti monui. Ulteriùs *Cryſtalli montani* præpar. & ipſi compeſcunt Gonorrhæas nimias. Quidam præſcribunt *pilulas contra Gonorrhæam* hoc modo:

♃. Extract. Rad. Tormentill. ℈ij.
Sperniolæ Crollii ℈j.
(hoc etiam admodum laudatur ad Gonorrhæam.)
Pulveris ſeminis agni Caſti.
plantaginis ana ℈ß.
Terebinthinæ Coctæ.
Camphoræ ana gr. xij.
M. F. Pilulæ.

Vel.

♃. Extract. Tormentill. ℥j.
ſacch. ſaturni.
Camphoræ ana ℥ß.
M. F. Pilulæ, quæ ſubinde uſurpentur.

Coralia, imprimis earundem *Tinct. c. ſpiritu lignorum* aut etiam *Tinct. Coral. ſaſſafrata* egregii eſt uſus in Gonorrhæis. Sic etiam *martialia, tinct. mart. adſtringentem* laudare ſolent.

Modernorum experimentum eſt *balſamus de Cobaiva*

ex

ex Indiis allatus, cujus 4. *aut* 5. *guttæ* hauſtæ mirum ſunt experimentum ad gonorrhæas ſiſtendas, propinatur *cum vino Hiſpanico*, vel alio liquore appropriato & pro mirabili habetur remedio. Ex modo dictis *miſturæ*, *Emulſiones* & aliæ *formulæ* pro uſu prædeſtinato fieri poſſunt.

Subſiſtimus adhuc in remediis, quibus gonorrhæam à turgeſcentia ac fervore ſeminis oriundam compeſcere ſtudemus.

Hæc ad remedia pertinent *quædam aquæ & Eſſ.* quas vocant *Caſtitatis*, quarum compoſitio eſt varia: præ cæteris efficax eſt, idque *propter admiſtam Terebinthinam aqu. ad gonorrhæam* RIVERII cujus deſcriptionem videbitis *in ejuſdem Cent. 1. obſer. 25.* it. *in Cent. 2. obſ. 30.* Proſtat etiam *aqua Caſtitatis* MYNSICHT, d. admodum inepta, multa enim continet quæ nihil per alembicum tranſmittunt: potiùs loco ejuſdem è ſeminibus ingredientibus fiat *Emulſio*, cui poſtmodum adduntur pulveres reliqui appropriati. v. gr. Dabo exemplum talis Emulſionis contra gonorrhæam in ſpecie ſi ſimul fervor quidam adjunctus ſit in inguine circa perinæum & hinc uſque ad lumborum principium

℞. Sem. melon.
agni Caſti ana ℥ij.
papav. albi.
Cannabis ana ℥iß.
c. ſ. q. aqu. Nymphææ & portulacæ
F. l. a. Emulſio. cui add.
oſſ. ſep. præp. ℨj.
antimonii diaphoret.
ſuccini alb. præp. ana ℨß.
ſperniol. CROLLII ℨj.
edulcoretur c. ſ. q. Rotular. man.
Chr. perlat. D. S.

Præterea ſunt etiam qui inſigniter ad has gonorrhæas commendant ſequentem pulverem ſcil.

℞. Fol. rutæ ſiccæ.
Sem. agni Caſti.
Menthæ.
gallar. pulveriſatar. ana q. v.

Cujus pulveris ℨij. hauriantur in vino Chalybeato repetenda quotidie εὐπόριστον hoc eſt HELIDÆI *Paduani*, qui non tantummodo ad *gonorrhæam*, ſed præterea quoque *ad fluorem album mulierum* commendat; ubi ſimul tanquam expertum ſpecificum extollit *ſuccum Ceterath. ſ. ſcolopendrii*, *ſi ad cochlear.* 1. repetitis vicibus adſumatur: Hoc ipſo enim ſingulariter Gonorrhæas ſiſti notat idem HELIDÆUS *in obſ. pag. 170. & 171.* *Quod ſi* verò præter dictas cauſas *ſemen aquoſum ac veſicularum laxitas* inducat Gonorrhæam: in tali caſu *interne ex mentha*, *& abſinthio*, *ſuccino*, *Thure*, *Maſtiche* & ſimilibus conferunt: In ſpecie *Coral. alb. & Thus Eſſ. it. lignor. & Eſſ. ligni ſaſſafras tinct. Coral. c. ſpiritu lignor. item tinct. mart. adſtringens* admodum laudantur.

In ſpecie ſuccus menthæ cum melle coctus & ad conſiſtentiam ſyrupi inſpiſſatus *ſi ad* ℥iß. uſurpetur, commendatur à FORESTO.

Item *thus pulveriſatum aqu. plantaginis* propinatum feliciter has gonorrhæas ſiſtit: ſed non eſt adeò ſæpè hoc ipſum repetendum, quoniam aliàs etiam urinæ fluxum cohibet.

In genere conveniunt *interne omnia* ea quæ *inſpiſſant & fluxilia coagulant*, ut ſunt *martialia adſtringentia*, *Coralia & ſimilia*. *Externe* fiunt fomenta, *adſtringentia cum vino auſteriore* in quo decoquuntur *cortices granator. balauſtia & roſæ* it. *rad. conſolid. major. plantago* & ſimilia: aut fiat *inunctio perinæi ac radicis penis cum ol. Myrtillorum ſcil.*

℞. ol. Myrtillor. ℥iij.
Maſtich. deſtillati ℨj.
Caryophyll. deſtillati.
Nuc. Moſchati. ana ℨß.
c. pauca cera F. linimentum quod veſiculas ſeminales nimis laxas nonnihil roborabit atque adſtringet.

Quod ſi neceſſum fuerit, ut etiam interdum *purgationes* inſtituantur, præ cæteris in uſu erunt *terebinthinata*, v. gr. *pilul. de terebinth.* MYNSICHTI vel etiam *pilulæ* factæ ex *ſola terebinth. c. Rhabarb. pulveriſato*; Item *pilulæ* factæ *ex maſſ. pilul. de fumar. & terebinth. c. mercur. dulci*, ubi ſuſpicio ſubeſt luis venereæ. Sic namque D. MICHAEL curavit aliquando militem quendam diuturnâ gonorrhæa afflictum per *ſolas pilulas de terebinth. Cypria c. croco mart. adſtringente* nullis aliis adhibitis remediis. In genere *terebinthinata*, cum laxent blandè & ſimul vias urinarias ac ſpermaticas detergant, hic ſunt convenientiſſima.

Hæ fuerunt *ſpecies gonorrhææ veræ*. Quod attinet GONORRHÆAS NOTHAS, *in quibus loco ſeminis aliud quoddam liquamen vitioſum excernatur*. Hæc ipſa denuò *eſt duplex* vel BENIGNA vel MALIGNA, ſ. ut aliàs vocatur VIRULENTA, *Benigna eſt quando citra cauſam manifeſtam* v. gr. *citra prægreſſum actum venereum ſuſpectum effluit continuo liquamen ſ. materia tenuis aquoſa & copioſa*, idque *citra pruritum venereum*: aut citra *membri tentiginem*: fluxus talis die nocteque diu ſatis continuatur: adeò ut obſervatum fuerit, etiam *ad aliquot annos* duraſſe citra ullam intermiſſionem, & *abſque inſigniori* & tali fluxui (ſi ſemen verum eſſet:) proportionatâ *virium proſtratione*.

Fluxus talis *gonorrhææ nothæ virorum* reſpondet *fluori albo Mulierum*: alias à quibuſdam, utut pauci fuerint auctores, qui ejuſdem fecerunt mentionem, *gonorrhæa catarrhalis* appellari ſolet: auctores pauci, uti dico qui de tali gonorrhæa agunt ſunt LANGIUS *in ſuis epiſtolis l. 2. epiſt. 5.* Item LAURENTIUS *in ſuis conſil.* 10. *pag.* 60. Ac denique *Marcellus* DONATUS: *Hiſtor. Medicin. mirabil. lib. 4. c. 18.*

Si preſſius examinemus hanc gonorrhæam notham, inveniemus quòd *ſubjectum* ſeu *pars affecta* in eadem ſint *Proſtatæ glanduloſæ* ſeu *ſpongioſæ* in radice Urethræ circa cervicem veſicæ ſitæ, quas ipſas eſſe ſubjectum talis gonorrhææ ſufficienter declarat & confirmat GRAFIUS *in noviſſimo ſuo tractatu de organis virorum generationi inſervient.* Sicuti hæ ipſæ proſtratæ glanduloſæ mirabilium morborum proinde ſunt ſubjectum: Scio enim ex *iiſdem inſtructis & inſigniter tumefactis Iſchuriam* ſeu ſuppreſſionem *urin. lethalem* Romæ in quodam principe fuiſſe inductam, ſicuti èccontra hæ ipſæ *proſtratæ glanduloſæ nimis laxæ* aut alio modo *vitiatæ* ſunt ſubjectum hujus *gonorrhææ nothæ* dicendum: naturaliter enim præparant & ſecernunt quandam lympham tenuem & lubricantem, quæ inſervit pro vehiculo ſeminis ex veſiculis in urethram expreſſi, quod ſemen cùm fuerit glutinoſum hujus Lymphæ indiget vehiculo ad fortiorem ejaculationem.

Quod ſi E. fiat, ut laxatis his ipſis ſubſtantiis glanduloſis, nimium copioſius & frequentius talis lympha excernatur in urethram, quæ tunc ſimul à naturali ſtatu ad quandam viſcoſitatem inclinat, exinde oritur hæc *gonorrhæa notha*.

Fit hoc *quando ipſa maſſ. ſang. tali humore aquoſo ſuperfluo ſaturata*, quâ datâ porta ſeſe exonerat. Ubi E. hæc ipſa *Corpuſcula* aut ex *equitatione nimiâ* aut ex *lapſu*, aut ex aliâ quacunque ratione erunt *lacerata* aut *diſtenta* aut alio modo *vitiata*, tunc talis latex maſſ. ſang. ſuperfluus per has ipſas proſtratas glanduloſas tanquam colaterium excernitur, & ita gonorrhæam talem notham conſtituit.

Remotior cauſa hæret imprimis *in ſtomacho*, qui non ritè digerẽs alimenta, ſed hæc ipſa *in cremorem aquoſum* pervertes exinde vitioſum ſanguinem etiam generare facit: Unde & talia ſubjecta ad *Cachexiam* ſunt diſpoſita: Aut ſi non mox in principio reſolvatur talis gonorrhæa, poſtmodum *Cachexia* ſupervenit.

Ex modò dictis *ſigna* tàm *diagnoſtica*, quàm *prognoſtica* per ſe patent.

QVOD ATTINET CVRAM;

In hoc affectu ad hanc Gonorrhæam ceu ſuperveniens quoddam ſymptoma minùs eſt dirigenda cura, ſed *potiùs primaria ratio habenda eſt ſtomachi*, *rectificanda ejuſdem digeſtio*, *& maſſ. ſanguineæ cruditates emendandæ & corrigendæ*, & id quod ſupereſt laticis aquoſi *per vias urinarias eſt* expurgandum: Hinc tandem *externis adſtringentibus proſtratæ glanduloſæ firmandæ & in tonum naturalem ſunt reſtituendæ. Remedia* quæ his ſatisfaciunt ſcopis, ex illis quæ ſuperius de *Cachexia* diximus, petenda: præ cæteris conducunt *ex ligno ſaſſafras* parata *remedia* ejuſque *Eſſ. cum ſpiritu ſerpilli* parata crebriùs & in majori doſi aſſumpta. Huc & ea quæ *ex mentha & abſinthio* parantur, quæ & ſtomacho & Gonorrhææ ſatisfaciunt. Item *ſuccinata* in ſpecie *ſal. vol.* quod Cachexiam imminentem, ſubinde prævertit ciendo potenter urinam.

Immò obſervatum fuit *acidularum potum* uti in aliis morbis Chronicis, ita & in hac Gonorrhæâ diuturnâ contuliſſe, imprimis ſi poſt bibitas acidulas *Thermarum externus uſus* circa partes genitales exhibeatur pro reſtaurando tono proſtratarum læſarum: aut etiam *balnea aluminoſa artificialia* aut ſimilia *adſtringentia externè* erunt commodè in uſum vocanda.

Non citò nimis ſupprimenda eſt hæc Gonorrhæa, quoniam natura abutitur his viis ad exvacuandam maſſ. ſanguineam: emendetur ſaltim prius imminens Cachexia & vitium ſtomachi & ferè ſemper ſponte ceſſabit Gonorrhæa.

Hæc de *Gonorrhæa benigna*.

Quod attinet

GONORRHÆAM NOTHAM MALIGNAM.

Hæc eſt ea *quæ ex coitu cum fœminâ impurâ ac Lue Gallicâ infectâ contrahitur*? *effluit* in hâc ipſâ *liquamen aquoſum*, *liquidum abſque dolore*, hinc *ſucceſſive flaveſcit* tandem *virideſcit*, inſigniter *aceſcit*, adeò ut tandem, cum *acerbiſſimo dolore* effluat, imò non raró *pus ac purulenta ſanies* ſimul excernitur, & *ipſum ſemen odore fœtido & ſingulari fœtet*; nonnunquam; *talis gonorrhæa* accidit *iis qui viſitant galliam & Italiam*: Interdum fit, ut *nimia aciditate ſeminis* ſ. *materiæ profluentis corrodatur ac exulceretur meatus urinarius*, *ex quibus* ulcuſculis tandem excreſcunt *carnes ſylveſtres*, ut ſic dicam, ſ. *verrucæ*, quæ hinc canalem urinarium obſtruunt & vulgò *carunculæ meatus urinarii* appellantur. *Affligit hæc gonorrhæa continuò*, imprimis ſecundum indolem vinis venereæ *veſpertino aut nocturno tempore* cruciat, adeò ut eodem tempore *acerbiſſimi dolores* crucient penem, iique *eò acerbiores*, *ſi forſan ſe extendat & erigat membrum*: ſin malum ulterius procedat ſuperveniunt *crudeles ardores nocturni lumborum* & ſunt ſimilia ſymptomata Gonorrhææ virulentæ.

CAUSA hujus gonorrhææ eſt contagium gallicum fermentativum per coitum ex muliere infecta attractum: ex tali ſcil. quæ *ulcuſcula gallica in vagina uterina* habet. *Malum* enim *prolificum eſt* hæc ipſa *gonorrhæa gallica*, adeò ut referat BALLONIUS *in lib.* 1. *conſil.* 92. de quodam viro, qui *ex coitu impuro gonorrhæam virulentam* contraxit. Unde poſtmodum non tantummodò *propriam uxorem inquinavit*, ſed cum eadem *filium* quoque *generavit*, *mox à primo ortu eodem malo affectum*.

Subjectum hujus gonorrhææ *ſunt eadem proſtratæ glanduloſæ* quas modò nominavimus: Id quod experientia anatomica confirmatum dedit BARTHOLINUS *centur.* 2. *hiſtor. anatom.* 36. ubi aliquot memorantur affectos ex gonorrhæa tali mortuos, in quibus *proſtratæ* glanduloſæ fuerunt repertæ *exulceratæ*.

Nam dum in coitu partium Calefactarum affectæ, hæ ipſæ intenſius incaleſcunt: tunc ulcera gallica vaginæ uteri exhalant & exſpirant *Miaſmata fermentativa* quæ poſt excretionem ſeminis virilis ſe inſinuant in Urethram penis, ibique ſe affigunt & per meatus à modo excreto ſemine patentes ſe inſinuant *in proſtratas glanduloſas* & ſuâ *fermentativa* vi corrumpunt ſucceſſivè lympham in iſtis proſtratis elaborandam, ut degeneret in aciditatem corroſivam & virulentam ſeu malignam; ſicuti notum eſt quòd *in lue venerea* abundet *acidum virulentum corroſivum*: Unde poſtmodum exinde talis ſuccus acris & acidus profluens non tantùm corrodit proprias proſtratas, eaſque exulcerat, ſed etiam meatum urinarium excoriat, & exinde tàm dira & atrocia & dolorifica ſymptomata poſt ſe trahit.

Promotum ulterius & altius ſerpens contagium ita ut per vaſa deferentia teſtes ingrediatur, horum tumorem & dolorificam inflammationem infert.

DIAGNOSIS

Hujus gonorrhææ ex primo dictis ſymptomatis *patet*.

QVOAD PROGNOSIN:

Quò citiùs ipſi occurritur, *eò facilius curatur*, *In ſenibus* ut plurimum ad *mortem terminantur*.

Niſi *brevi ipſi occuratur*, in *perfectam luem gallicam* inquinata maſſ. ſanguinea *degenerat*.

Et hic eſt modus communiſſimus, quo lues venerea contrahitur.

QVOD ATTINET SIGNA:

In hac *virus gallicum acidum appropriatis* partim *mercurialibus* partim *acidum deſtruentibus corrigendum & qua data porta evacuandum*. Quòd ſi cui lubeat *præſervare* ſe ab hac gonorrhæa, quem nempe venereus vexat, interim tamen non certus eſſe poteſt *an cum infecta coëat*? is *præſervationis loco mox ante aut poſt coitum aſſumat ſpir.* ſeu *ol. Terebinth. Vol. gutt. vj. vij. vel viij. in hauſtu vini generoſi*: hujus enim abſterſoria vis meatum urinarium ejuſque ſal volat. oleoſum abſtergit ac corrigit contagium virulentum forſitan hauſtum.

Quod ſi verò quis *jam infectus ſit* hoc malo & laboret gonorrhæa, ante omnia *præmittendo univerſalia purgantia mercurialibus miſta*, ſuccurrendum v. gr.

Fiant *pilulæ ex extract. Helleb. nigri* aut ex *extracto Catholico* ANDERNACI *cum ana mercurii dulcis*: his pro ſtimulo addantur *aliquot gr. extract. Trochiſc. alhandal. Colocynthidis* enim efficacia mirè commendata eſt ab HELMONTIO in cura luis venereæ prælata uſibus lignorum loco *mercurii dulcis* etiam *mercur. præcipitatus viridis venereus* cujus *deſcriptio* vid. in SCHROEDERO, *cap. de mercurio* commodè uſurpantur: aut *pilulis de Terebinth.* miſceatur mercur. vel fiat *Bolus ex Terebinthina Cypria*, *c. Rhabarb. ac mercuriali remedio dulci vel alio*.

Nam licet *mercurialia* talia in principio videantur augere malum, iiſdem tamen audacter inſiſtendum: cùm non detur *appropriatum magis remedium contra virulentiam gallicam*, *quam mercurialia*. His ipſis commodè ſubjungatur *aqua*. QUERCETANI *contra gonorrhæam virulentam*, quam ſe centies expertum eſſe gloriatur. Vid. etiam SCULTETUS *in armamentario Chirurgico obſ.* 79. qui ipſe etiam jactitat hujus aquæ experientiam.

Loco hujus aquæ etiam ſpir. *Terebinthinæ miſtus cum ſacchar. ſaturni egregiè conducit* in hac gonorrhæa, non abſumendo ſemen, ut vulgò putatur, ſed *abſorbendo acidum vitioſum* in hac gonorrhæa peccans qua ratione etiam *Camphora* conducit, non quod caſtret per nares, ut putant, ſed tanquam ſal vol. oleoſum detergit & corrigit acidum venereum.

Ex hoc ipſo fonte *infuſum Cantharidum in vino* expertum eſt remedium cujuſdam Medici Belgæ: quatenus Cantharides acerrimo ſal. vol. abundant. vid. BARTHOL. *cent.* 4. *epiſt. pag.* 343.

Decocta Lignorum, Eſſentias lignor. ceu per ſe notas & ad luem veneream & ejus prodromum gonorrhæam commendatiſſimas ſicco pede prætereo. *Tinct. Corall. c. ſpiritu lignor.* parata eſt egregia ſed crebrius uſurpanda. *Gummi Guajacum* appropriatiſſimum eſt remedium ad hanc Gonorrhæam: Commendatur ſal. ammoniac. *Eſſ.* aut *Extract. Gumm. Guajac.* paratum *cum Spirit. Vin. tartariſat.* in *aqu. plantaginis* propinat. Nam in Gumm. Guajac. hoc perfecta conſiſtit cura Gonorrhææ malignæ. Aliàs etiam *Balſamum de Cobayva* ex fidâ Belgarum experientia ad *gutt.* 5. *vel* 6. propinatum ſingulariter laudatur. *antimon. diaphoreticum, Bezoard. minerale* ac ſimilia laudantur, item *ſuccum limonum c. ſpir. Terebinthinæ & Camphorâ ex* FABRO jam propoſui: Uti hujus experimentum videre eſt in SCULTETO *obſ.* 79. *armamentar. Chirurg. cit. loc.* BARHOLIN. refertur cura Gonorrheæ virulentæ per pulverem *ſympatheticũ*, id quod eatenus verum eſt, quatenùs eò proceſſit exulceratio proſtatarum, ut corroſis vaſis ſanguis quoque effluat: Unde talis ſanguis purulentus effluens *pulvere ſympathetico* ſatis noto, exceptus in diſtans curavit Gonorrhæam.

Quod ſi fiat, ut ſæpius etiam fit, *exulceratio meatus urinarii*, tunc conducunt *injectiones in penem*, quæ fiunt ex *ſucco plantaginis c. melle roſato*, quæ diluuntur *c. aqu. appropriat.* ipſiſque pro re nata additur *mercur. dulcis & aloe roſata*: aut ſi altius proceſſerit malum, *injectiones aloeticæ c. modico mercur. præcipitati*: aut etiam ubi ferocius fuerit malum *c. mercur. ſublimato* erunt inſtituendæ. Singulare experimentum cujuſdam Medici eſt *aqu. mercurialis Hermetica*, ſ. accipit mercur. vivum, coquit in aqu. communi per 6. horas, decantat aquam & remanet mercurius in eodem planè pondere, quo fuerat ante ebullitionem & aquæ hujus ſingulo manè propinat bonum hauſtum unde ſucceſſivè ſedatur Gonorrhæa virulenta.

Nimis cita ſeminis ejaculatio.

Hæc de Gonorrhæa ſ. iſto vitio ſeminis in excretione & retentione quando: *citra coitum & nimis copioſe effunditur. Secundum vitium* excretionis & retentionis erat, *quando cito nimis in coitu effunditur.* NIMIS CITA SEMINIS EJACULATIO. *Cauſa eſt* duplex: aut etiam *laxatæ nimis ſunt veſiculæ ſeminales* eorumque *meatus nimis aperti*. Unde ad primam ſeminis turgeſcentiam hoc elabi potius ſinunt, quàm reverâ excernunt. *Secunda cauſa eſt ſemen nimis ſpirituoſum ac fervidum* indeque *nimis turgidum* ut fit in adoleſcentibus veneri rarius, d. tamen acrius operam dantibus. Nam tale ſemen ſubitò turgefactum primo impetu à ſpirituum agilitate ac ſanguinis fervore prorumpit foras, ut fit in Italis.

Prius vitium adſtringentibus curatur, talibus nempe quæ *in Gonorrhæa à nimia ſeminis fluiditate* item in *Gonorrhæa notha benigna externe* uſurpanda diximus.

Poſterius vero *vitium ubi nimius ſpirituum impetus ſemen ejicit, opio eſt corrigendum.* Hoc ipſum enim nimium ſpirituum impetum & hinc ſubito naturalem ſeminis turgeſcentiam cohibet.

Certum enim eſt, quòd *Opium* tàm à *Turcis* quàm etiam ab *Indis Orientalibus expetitur pro ſtimulanda venere*, ut ſcil. hanc voluptuoſiorem reddant: id quod fit quatenus opium refrænando ſpirituum animalium impetum per modum fixationis, ejaculationem ſeminis ſubitaneam nonnihil removeatur, & ſic per conſequens ipſum coitus exercitium lõgius protrahit. *Mulieres* ſanè *Indæ* ſunt, admodum voluptuoſæ, & quæ non tam ſæpius repetitum, quàm unâ vice longius continuatum optant actum venereum. Qui deſiderio ut melius ſatisfiat, *opio* prius ſe muniunt mariti, utpote quorum impetus aliàs in citâ ſeminis ſpirituoſi & fervidi in calidioribus iſtis Climatibus, eruptione præcurritur ſ. retardatur. Verùm ne opium ſpiritus figendo nimis noceat, & cum in actu ipſo ſpiritus copioſè excernantur, reliqui autem reſtitantes torpidiores ab opio tandem ſtuporem inducant. Item cum ſpiritus genitales conjugum in actu coitus fœcundo tranſplantentur in fœtum; metus eſt ne à talibus opiatis ſtulti & fatui progignantur fœtus, quod non ſine cauſa metuendum eſt: ob id *conſultius eſt cum opio præparato* in his caſibus miſcere *ambram*; nam & ſic potens confortativum ſpirituum additur egregium veneris incitativum idque innocuum exhibebunt, quod & veneris actum ratione opii protrahendo & ratione ambræ ſpiritus confortando, minus nocivum reddit. Hinc *c. ambra* in præparatione *Eſſ. ejus c. ſpiritu roſarum* miſcendum *eſt opium*, ut ita paretur *Eſſ. ambræ anodyna*, quæ *in aqua Cinnamomi c. hauſtu vin. Malvatici* propinata ſingulare erit remedium venereum.

Aliàs in tali caſu ceu ſingularis commendatur *Globulus* factus ex *ſanguine cervino cum venerem ſtimulantibus miſto, ac coitus tempore in manu detentus.*

Pertinet ad modò dictos affectus ſingularis *obſervatio* notatu digniſſima *Heinrici ab* HEERS *obſ.* 10. *de cita nimis & ex primo quoque penis contactu ſeminis excretione*, excitata *ab ulcere in inteſtino recto* latente, à quo ipſo irritatæ veſiculæ ſeminales, quovis dato *ſtimulo* ſemen effundunt.

Nimis tarda ſeminis excretio.

3*tium vitium* huc pertinens mox in principio capitis dixi eſſe *quando tardè nimis ſemen in coitu excernitur*; *à defectu ſpirituum animalium & turgeſcentiæ hinc oriundæ debita dependens*: NIMIS TARDA SEMINIS EXCRETIO concurrit ſimul *veſicular. ſeminalium & muſculor. penis vicinor. languor* & hinc ad expreſſionem *ſeminis minus turgeſcentis ineptitudo*.

Huc etiam pertinet iſtud *vitium* per *quando in coitu erecto & agitato membro, nullum tamen effluit, quod poſtmodum tamen flacceſcente in ſomno invitò* etiam *effluit*. quale exemplum habet ZACUT. *Luſitanus lib.* 3. *Medic. princip. hiſt.* 29. Sic VESLINGIUS *in ſuis epiſtolis & obſervationibus à Bartholino editis epiſt.* 38. p. m. 150. ſimilem refert hiſtoriam de viro, qui pene licet erecto ſemen in coitu effundere non potuit: pene autem jam flaccido iſtud ſponte & ad l.viſſimum genitalium muliebrium contactum excrevit: *Ratio* modò dictis patet & etiam à VESLINGIO concinne cit. loc. redditur: nempe *in defectu ſpirituum* (nam penis à ſanguine intumeſcit) ſemen ad turgeſcentiam non imprægnantium & poſtmodum in laxitate & flacciditate tàm veſicularum ſeminalium, quàm in ſpecie muſculorum penis ratio ſita eſt. Muſculis enim flaccidis ac veſiculis laxatis non poteſt ſemen minùs turgeſcens per porulos ac meatus anguſtos in pene erecto & turgido quodammodò occluſos cum impetu ac robore ſolito excerni & exprimi à muſculis, quin potius remittente penis rigore & patentibus quaſique apertis penis meatibus, tam ſemen aliquantiſper turgidum ſpontè poſtmodum elabitur. Unde etiam in tali caſu tenſio penis ſolita circa radicem ejus à muſculis non percipitur propter earum flacciditatem:

Unde etiam rectè *talis affectus per calida, nervina, & aromatica*, tàm *internè*, quàm *externè* adhibita *curatur*. Nam & ſimilibus in ſpecie *caſtorei uſu* præfatum ſuum ægrum curavit Z. *Luſitanus*. Fiat E: *præmiſſis internis & ſtimulantibus inunctio radicis penis & perinæi ex ol. Nuc. Moſchat. expreſſ. c. ol. Macis deſtillato: Caryophyll.* & ſimilibus quibus vel *Zibeth.* vel *Moſchus*, it. *ol. formicar.* aut etiam *ſpiritus formicarum vol.* addi poteſt.

Subſiſtimus adhuc in Capite de Læſa ſeminis retentione & excretione: ſupereſt adhuc, *quando omninò non poteſt excerni ſemen*: id quod præter dictos

caſus fit imprimis *quando meatus urinarius ſ. urether eſt obſeſſus caruncula.* ſ. carne quâdam parvâ excreſcente in ipſo canali. *Origo* mali imprimis *ex Gonorrhæa gallica, quando* nempe *acrimonia acida corroſiva liquaminis effluentis corrodit iſtud membranaceum*, & nonnihil *exulcerat*: Unde ſequitur tandem ut in loco corroſo ex alimento naturali affluente ſuccreſcat *ſubſtantia* quædam *carnoſa inſtar* cujuſdam *verrucæ. Rariſſimè ex alia cauſa* progreſſa malum hoc oritur.

Obſtructo ita *canali & virga & urinæ & ſeminis tollitur* tandem *extretio.*

Malum facilè cognoſcitur ex eo quando non poſſunt permeare dicti humores, ſed ſe ſiſtit impedimentum: Unde *cathetere* vel *parva candela cerea immiſſa* in canalem penis, *mox ſe offert iſtud obſtaculum carnoſum, modo anterius, modo* idque utplurimum *poſterius* circa radicem penis non longè à proſtatis glanduloſis, ubi enim utplurimum ſolet excreſcere hæc ipſa caruncula.

Malum ipſum *eſt periculoſum & curatu ſatis difficile. Curatur* tamen per talia quæ *ſubſtantiam* iſtam *excreſcentem abſumere & exedere* poſſunt: quibus ſecundo talia ſuccedunt, quæ *ulcus factum exeſione & corroſione carunculæ purificant & conſolidant.*

Præmiſſis E. *internis univerſalibus purgantibus tam mercurialibus* contagio Gallico dicatis, quàm *appropriatis ex lignis* (de quibus dictum) uſurpatis imprimis *externè* applicanda conducunt.

Curam hujus carunculæ per externa admodum eleganter docet HARTMANNUS *in praxi chymiatr. cap.* 205. quæ eſt tuta & elegans. Juxta hanc curam probatiſſima eſt ea, quam ex *A. Luſitano* deſcribit SENNERTUS *lib.* 3. *prax. p.* 867. quæ curæ quoniam ſatis ſunt clarè ab auctoribus deſcriptæ, non eſt ut recenſeam. Cui deeſt SENNERTUS, is vid. BORELL. *cent.* I. *obſer.* 79. ubi hæc cura SENNERTI admodum decantatur & per experientiam approbatur. Scil. dixi eſſe *abſumendam per corroſiva blanda carunculam.*

Modus applicandi talia eſt imprimis *per parvas candelas cereas*, quarum cuſpis ſ. acumen iungitur remedio, & ita in canalem virgæ immittitur ut remedium cuſpidi illitum ſuo attactu ad carunculam hanc abſumat ſenſimque exedat.

Candelæ tales poſſunt fieri *ex cera alba, cui antimonium crudum pulveriſatum* admiſcetur: Talis nempe candela ſucceſſivè abſumit carunculam: vel potius *Candelæ tales* in virgam immittendæ *non fiant ex ſola cera. Ratio* quia ſic facilè nimis franguntur, & fruſta in virga permanent hærentia. E. *Ceræ* addatur *terebinthina*: ſic enim tenacius cohærebit candela. *Recipiendo ad* ℔j. *Ceræ albæ terebinthinæ* ℥j. quæ ceræ liquefactæ immittatur, & hac miſturâ tingantur elychnia ſicque fiunt ex iis candelæ parvæ.

In *corſivis candelis his applicandis ſimus cauti*: periculum namque eſt, ne *ex nimia corroſione gangræna* tandem oriatur: quale exemplum infauſtum proſtat *in Henr. à* MOINICHEN *obſerv.* 17. *ad cultrum anatomicum* LYSERI, *à Bartholino annexæ.* Talia E. quæ applicantur hiſce candelis, ſunt *Unguent.* VIGONIS *de ran. c. mercurio*, quod blandum eſt, & tutum, alii

℞. Mercur. præcipit. ʒij.
Unguent. de ceruſſ. ℥iß.

Miſcent. quibus pro magnitudine affectus aliquid *ol. vitrioli* additur & ſuprà ceream candelam ponitur. Hoc modo *Alphonſus* FERREUS *Chirurgus Neapolitanus* feliciter curare ſolitus fuit carunculas. Alii ℞. Turbith minerale, præcipitat. dulcificat. ſ. mercur. præcipitatum & miſcent cum emplaſtro triapharmaco, quod ipſum poſtmodum candelæ cereæ inducunt. BARTHOLINUS *in encyclopæd.* commendat *ſal. mellis*, quod poſt deſtillationem aquæ & ol. ejus ex cap. mort. extrahitur: hoc *cum cera viridi ad formam linimenti redactum* carunculam penis curare aſſerit. Quidam parant *candelas* tales *ex melle roſato cum unguento fuſco Felicis* VVURZII; quo ipſo blandè abſumitur caruncula. Denique

℞. Ol. Roſati Completi.
Ceruſæ. aa. ʒj.
Tutiæ præparat. ℥ß.
Camphor. ʒij.
aloës.
olibani.
Myrrhæ aa. ℈ij.
Sief. alb. ſ. opio ℥ß.

M. F. Unguentum ſ. igne (propter camphoram) agitando in mortario plumbeo (ne oriatur inflammatio) & tali unguento inungantur candelæ abſumentes tandem carunculam.

Abſumpta caruncula locus exeſionis eſt detergendus & conſolidandus, quod faciunt *injectiones ex vulnerariis*: quibus poſtmodum ſuperaddatur *candela unguento camphorato inuncta*, hæc namque conſolidat.

Hæc ſufficiant de læſa ſeminis retentione & excretione. Pergo ad

---

CAPUT III.

DE LÆSA PENIS ERECTIONE.

Vitium hoc vulgò *impotentiæ nomine* venit: *Impotens* enim *eſt is, qui non poteſt id, quod maritum decet.* *Impotentia.*

In duobus E. conſiſtit impotentia propriè ſic dicta, nempe *in debita membri erectione*: *& convenienti per iſtud, ſeminis ejaculatione læſis. Prior* tamen defectus utplurimum hoc nomine venit nempe *deficiens erectio*, & hinc *congreſſus debitus.*

Læditur autem erectio penis & hinc *copula maritatis debita tribus modis*:

1. *Quando deficit & eſt imminuta.*
2. *Quando excedit, & eſt nimium extenſa.*
3. *Quando depravatur*: *dum penis non convenienti modo & figurâ turgeſcit & erigitur.* Præſuppono hic ex Phyſiologico anatomicis *diſtenſionem & turgeſcentiam* membri fieri primariò *à ſanguine arterioſo*, quando corpuſcula ejus duo nervoſa inſtar ſpongiæ excavata & perforaminata replet, & ita hæc repleta corpuſcula fortiter diſtendit. Hæc de diſtenſione & inflatione penis.

Erectio v. inflati penis & motus ejus tonicus (ut in tali figura & ſtatu perſiſtat) *dependet* imprimis *à duobus muſculorum paribus circa ejuſdem radicem implantatis*, à quorum muſculorum actione, nempe contractione verſus ſuam originem, indeque in eorum medio intumeſcentiâ: non tantum comprimitur & anguſtatur vena per penis dorſum excurrens, ut ita ſanguis per arterias in corpora penis nervoſa effuſus eademque diſtendens non poſſit refluere, ſed præterea quoque horum muſculorum contractione iis alligatus prius diſtentus ſurſum verſus retrahitur: quæ ipſum ſemen ſpiritibus tempore congreſſus turgidum (dico tempore congreſſus aliàs non) inflans veſiculas ſeminales ab horum muſculorum contractorum veſiculas ſimul comprimentium robore, in ſuâ eruptione in meatum urinarium non leviter juvatur. Hinc ſimul atque muſculorum contractio ac tonus ceſſatur ſanguis ex pene refluus per venâ in denuo apertum corpus ejus flaccidum, rugoſum, & tandem pendulam relinquit.

Læſiones E. hujus erectionis imprimis *fundatæ* erunt *in iſtis muſculis ſanguinem penem diſtendentem, aut ſiſtentibus aut linquentibus.*

Deficit E. diſtenſio penis triplici imprimis *ex cauſa.*

1. *Quando muſculi paralyſi laborant*: (aut in alio affectu) ſeque exinde debitè contrahere nequeunt, id

quod

quod ſit in quacunque & à quacunque cauſa ortâ paralyſi eorundem.

Item *ex nervorum affectorum vitiis.* Hinc v. gr. *ex nimiâ equitatione* (pauca potius juvat erectionem) compreſſis nimis & in ſe coactis his muſculis nonnunquam erectio penis impeditur. Tale exemplum recenſet *Jacobus* FONTANUS *Conſ.* 2. de Nobili qui ab exercitio violento, & qui equitatione nimia incidit in privationem erectionis penis, ob vias ejus & meatus à motu obſtructos, qui ad muſculos derivantur. Sic *caſus ſuper dorſum & os ſacrum aut vicinas partes* ut *paralyſin* aliorum locorum, ita & *penis* inferre ſolet. Tale vero exemplum recenſet HILDANUS *cent. 6. obſer. 59.* Ubi *ex caſu in dorſum* erectio penis omninò fuit ſublata, manente etiamnum forti ad venerem ſtimulo, quatenus nervi ad penem ejuſque muſculos tendentes, aut compreſſione, aut laceratione, aut aliâ ratione affecti fuerunt. Citato in loco ſimiliter *ex gravi capitis percuſſione*, talem membri erigendi impotentiam ob ſimilem cauſam ortam refert.

Hæc eſt *prima cauſa.*

2. *Cauſa* propter quam deficit penis erectio eſt *abſentia ſpirituum animalium in muſculis iſtis ad penem erigendum & diſtendendum neceſſariis. Deficiunt ſpiritus* in muſculis iſtis, vel in genere *ex earum defectu univerſali*, ut fit *in languidis, in morbidis* & ſimilibus: Unde *in morborum acutorum ſtatu & declinatione, erectio membri naturalis* (naturalis dico: nam interdum eſt præternaturalis, & convulſiva quæ mala) *rediens fauſtum* ſolet eſſe *ſignum* ſpirituum animalium regeneratorum & in debitas motiones diſpoſitorum: vel *in ſpecie deficiunt* ſpecialiter *in his muſculis* vel *in pene: quando animus aut imaginatio* (loquor cum vulgo,) *circa aliud objectum occupata ſpiritus animales eò evocat*, vel *in aliis partibus detinet ac minus ad penem mittit.*

Hac ratione & *pudor*, interdum, imò ſæpius, *penis erectionem impedit*, aut etiam *jam factam denuò tollit*, quatenus aliò vocantur ſicuti è contrariò *meditatio rerum venerearum ad penis erectionem diſponit*, quibus ſpirituum motus eò dirigitur.

Ex hac cauſa nempe *pudore nimio & intempeſtivo* ſubinde fit ut *noviter nupti ſe maleficiatos* putent, cum tamen potius ex inconſulto pudore membri erectio impediatur, quo tandem diſcuſſo, negotium alacriter ſuccedit.

Pertinent huc ii, qui *melancholiâ hypochondriaca* laborant, qui ut variis ſubinde conflictantur phantaſmatibus, ita & ſubinde imaginatione propriâ decepti ſe *impotes* exiſtimant.

Aliquot exempla talia *vid.* in SALMUTH. *cent. 2. obſerv.* 78. qui tales curato malo hypochondriaco poſtmodum ſponte ad rem redeunt. Simile exemplum eſt, quod habet SYLVATICUS *cent.* 4. *conſil.* 4. ubi refert *impotentiam* ad coitum *ex malo hypochondriaco*, in quo diſtenditur penis, ſed dum accingitur ad opus flacceſcit. *Ad* hanc cauſam nempe *ſpirituum abſentiam* revocandus eſt etiam *deficiens veneris ſtimulus, à ſemine deficiente* ortus, cùm notum ſit, quòd ex turgeſcentiâ aut copiâ hujus indeque factâ partium iſtarum irritatione & hinc dependente determinato ſpirituum motu ad iſtas partes tam pollutiones nocturnæ, quàm interdum etiam diurnæ oriantur.

Huc faciunt *flagra natibus infligenda*: quorum flagrorum ad rem veneream *magnus eſt uſus*, De quo *vid. elegans tr.* MEIBOMII *de uſu flagrorum ad rem veneream*, quem nuperrimè notis illuſtratum edidit BARTHOLINUS: Ubi refertur exemplum cujuſdam, qui nunquam potuit amaſiæ ſatisfacere, niſi prius virgis cæderetur ab hâc: unde poſtmodum ita cæſus egregiè officio præſtando functus eſt.

Tertia cauſa propter quam deficit ſubinde membri erectio & huic ſuccedens negotium, eſt *faſcina* ſeu *maleficium noviter nuptorum*, dum ſcil. ſub ipſo ſacerdotalis copulationis puncto, per *ſeram clauſam*, aut per *lingulam conſtructam*, aut aliis ultrà 50. modis, quos taceo, ita *ligatur ſponſus*, ut poſtmodùm ſtimulante licet naturâ & erigente ſe membro, tamen *cum ſponſa gaudia optata peragere nequeat*, quia, ubi propius acceſſum parat, ſubito membrum flacceſcit, adeò etiam, ut cum quacunque alia facilè & optimè coire poſſit; ſin verò ad ſponſam vel noviter nuptam propius accedit, mox mentula torpida, rugata cornua contrahit.

Exiſtimant equidem multi, quos intereſt, VVIERUS *de præſtigiis dæmonum* item BORELLUS *cent.* 4. *obſer.* 65. Talia eſſe *vana*; & omnem hanc *ligaturam eſſe fictam*, quia proveniat ſolummodò *ex affectibus animi*, aut *nimio gaudio*, aut *pudore*, aut *metu*, aut alia quacunque vel etiam ex *falſa imaginatione ſpirituumque animalium hinc avocatione*: Cujus tamen veriùs *contrarium* videbitis aſſertum in BARTHOLIN. *cent.* 3. *hiſtor. anatom.* 71. Cauſa, ſi non omninò perſcrutabilis eſt hujus faſcini: aut ſi nō præcisè ad dæmonem referendum ſit, (quod non temerè facjendum in rebus naturalibus quippe quæ DEO potius acceptæ ferendæ) *forſan à ſola imaginatione ligantis* ſ. ejus qui hanc vexationem facit, ſita eſt: qua non tantum inclinat VERULAMIUS *in ſylva ſylvarum*, ſed præterea etiam HELMONT & *Marcus Marci in ſcriptis*, qui omnes ubi hoc *faſcinum*, ita & reliquos affectus ab incantatione inductos, *ſoli imaginationi ſagæ vel incantatoris.*

SIGNA

horum affectuum de erectione membri læſa, quod attinet: *Facilè patet malum ex relatione ægri ſ. potius uxoris ejus. Cauſæ perſcrutandæ & cognoſcendæ à medico:* Et quidem *ſi defectus ſpirituum animalium* adſit, *languor ac imbecillitas in corpore, & actionibus reliquis animalibus* adeſt: Sin autem *iſti alio avocantur in hypochondriacis variæ cogitationes*, varia *phantaſmata* & ſimilia ſubjecta actu ſe repræſentabunt. *Sin* adſit *paralyſis membri id flaccidum manet*, & à nullo unquam objecto moveri aut evigilari poterit. *Sin deficiat ſtimulus venereus*, hoc ipſum facilè patet, quod ipſe *patiens nullum appetitum habeat ad tales actiones.* Denique *ſi ab incantatione* malum ſit, *homo aut anteà ad venerem fuit aptus, aut etiam, cum alia quacunque ſe commiſcere poteſt, excepta ſola ſponſa.*

PROGNOSIS eſt, quod tales ſint *infœcundi* tamdiu ſcil. *quamdiu debitè coïre nequeunt.*

In CURA *uſurpanda venerem ſtimulantia*, tàm *internè* quàm *externè: applicanda* vel *inungenda nervina, ol. penetrantia*, & ſimilia. *Animus omni cura eſt ſolvendus*, & *Faſcinum* Empyricis, ſ. expertis aliàs eſt *ſolvendum.*

Internè E. conveniunt omnia ea, quæ ſuprà diximus ſeminis generationem promovere, dicitur ex *formicis*, ex *ambra* ex *ſanguine galli*, & denique *aromatibus parata ſunt* optima. Sic namque *Eſſ. ſatyrionis c. ſpiritu formicarum parata in hauſtu vini Malvatici* ſub introitum lecti aſſumenda.

Cinnamom. & *Cubebæ* ſ. *grana paradiſi* cibis permiſta, aut *vinum cinnamomo maceratum*, egregiè conducunt, ſed de his internis ad nauſeam uſque ubi de ſeminis generatione & læſa. *Externè balnea* vel *inunctiones* ad paralyſes uſitata aliàs ſunt inſtituenda *c. cubebis in vino generoſo* bulliant, & ita applicentur teſtibus & locis vicinis. *Inunguntur teſtes ipſumque membrum virile cum ſucco ex ovis formicarum expreſſo*, cui parum *Zibeth.* additum ſit aut loco hujus c. *præparat. ſucco ol. de caſtor.* & *ol. de piperibus* in ſpecie *ol. caryophyll.* permiſcenda, & ita partes blandè fovendæ & inungendæ: aliàs *ol. coſtinum, ol. macis, ol. euphorb.* ac ſimilia in uſu ſunt. *Balſamum venereum* MYNSICTI hic eſt egregium: hoc namque ad erectionem, ad voluptatem facit, perinæo & radici penis inunctum: addi poteſt *ol. formicarum. Fel apri peni inunctum* magnam

& erectionem & delectationem facere MONTAGNANA aſſerit. In uſu etiam aliis eſt *Balſamum apoplecticum radici penis* ad firmam erectionem *inungere*, ſicuti *glans eodem illita* utrique ſexui voluptatem auget. Unde etiam præcipitur ut in *paſſione hyſterica* & ejus paroxyſmo deſperato ferè vir glande ita inuncto uxorem comprimat, pro ſolvendo paroxyſmo. *Angelus* SALA tale habet *linimentum*:

♃. Zibeth gr. VIII.
Ambræ. gr. VI.
Moſchi gr. V.
Ol. cinnamomi gutt. VII.
Nuciſtæ. gutt. IV.
balſam. Peruvian. q. ſ. ut incorporentur omnia: hoc inungatur glans ante congreſſum, vel poſt balneum ex nervinis eodem inungatur perinæum.

Singulariſſimum eſt ſi recipiatur *pulvis rad. pyrethri*, qui miſcetur *cum pinguedine coturnicis*, & hoc ipſo linimento inungendum eſt membrum: hoc enim non tantummodo validam facit erectionem: Sed & hoc præſtare dicitur, (ſit fides penes experientiam) ut & mulier virgo & ipſe maritis magis haſtatus appareat.

Quòd ſi *ab incantatione* fuerit malum, aliis opus eſt remediis. *Mictus per ſcopas bitulinas*, experimentum eſt CARRICHTERI, exercitatiſſimi; ſi quis alius in morbis ab incantatione oriundis. Confirmat hoc HELMONT. *tr. de Lithiaſi c.* 8. §. 25. Ubi *potum Cereviſiæ betulinæ* ſ. in quâ decocti ſunt ſurculi betulæ, commendat tanquam experimentum contra maritorum ſ. ſponſorum faſcinationem.

HARTMANNI experimentum certum & aliquoties probatum eſt quod ipſe recenſet *in praxi chymiatrica lotio pudendorum utriuſque ſexus c. decocto aquilegiæ:* (hoc n. eſt ſingulare,) poſt lotionem fiat *ſuffitus ex dente hominis mortui* ſuper carbones ponendo, qui ſuffitus excipitur membris læſis.

Modus ſuffitus eſt hic: Recipiuntur tres dentes ex capite mortui viri qui minutè pulveriſentur: Hinc recipiuntur duo lateres novi, qui candefacti per crucem diſponantur in terram, hinc affundatur ſpir. vin. rhenani optimi & ſuperimponatur pulvis dentium iſtor. contuſor. fumo imponatur membrum incantatum & ita excipiatur fumus, donec membrum incipiat ſudare: Hinc hic ſudor cum linteo mundo deorſum verſus abſtergatur: quo facto inungatur membrum c. *aſa fœtida* (quæ eſt baſis *Empl.* MYNSICHT. *contra incantat.*) hinc linteis involvatur & ita cubitum ſe conferat: quidam addunt dentibus hominis mortui *corallia ſemenque antirrhini: compoſitionem hujus pulveris* videbitis in *Ganſii tr. de coraliis:* Hic pulvis ſæpius repetitus probatus fuit aliquoties in his ipſis ligaturis virorum.

Mercurius vivus in nuce vellana vel in calamo ſcriptorio collo appenſus præſervativum eſt certum *ſponſorum, ne ligentur* in copula ſacerdotali, quibuſdam placet unà c. *hoc mercurio* calamo ſcriptorio incluſo facere *nodulum c. hoc mercurio*, *c. floribus hyperic. capill. veneris, ſem. antirrhin. baccis paridis & ſimilibus*: quæ omnia nodulo incluſa ſuſpenduntur ex collo, & præſervativum ſunt hic aliquoties expertum. Fuit experimentum D. MICHAEL. Item expertum fuit aliquando, *ſi quis emat lucium piſcem ſexus maſculini*, huic *per vim aperiatur os, & in os ejus immittatur urin. maleficiati:* Hinc *Lucius ita vivus immittatur in fluvium*, idque *contra ejuſdem curſum*, & ita ſinatur, *ſubitò* namque *tollitur maleficium: ſi non ſit nimis inveteratum* ſ. in maleficio novo, probatum etiam fuit *ſi ſponſus ante copulationem* & etiam *poſt eam mittat ſuam urinam per annulum ſponſalitium*, quem accepit à ſponſâ: ubi hoc non ſufficit, accipiatur *raſura annuli ſponſalitii*, quæ raſura interius in *potu vini aſſumpta* ſingulare eſt experimentum in tali caſu. Aliàs tanquam ſecretum habetur quorundam *raſura campanæ, ex eo loco deraſa, ubi piſtillum eam ferit*. Raſura hæc miſcetur *c. pauco croco*, & *pauco pulveris priapi cervini* & ita uſurpatur *internè*. Fuit aliquando curatus quidam ſimiliter incantatus conſilio ipſi à vetula ſuppeditato, dum ſcil. *in cœmeterio* quodam *miſit urin. per annulum cujuſdam lapidis ſepulchro incumbentis*.

Denique ſi quid aliud ſingulare eſt ſi quis accipiat *ovum recens*, hoc coquat *cum urin. propria* ad aſſumptionem medietatis, quo facto *urin. ſuperſtes projiciatur in flumen ſecundum ejuſdem curſum*, *ovum* v. ita coctum *leviter apertum immittatur in acervum formicar.* Unde quando formicæ aſſumpſerunt ovum, ſolutum erit faſcinum.

Plura, quia pertinent ad morbos ab incantationibus ortos, non addo.

Verſamur adhuc in morbis viror. in puncto erectionis penis. NIMIA SALACITAS.

Habuimus I. vitium nempe *deficientem penis erectionem* à quacunque cauſa oriatur. 2. *Vitium in penis erectione eſt*, *quando erectio eſt aucta*, quando nempe *nimium* aut *ſæpius*, aut *diutius*, quàm naturaliter fieri ſolet, immò *tantùm non continuo erectum ac turgidum eſt membrum. Duobus modis* imprimis hæc *nimia membri* fieri ſolet *erectio*.

I. Quando ægri ex *ſtimulo veneris*, cui acriter inhiant, *ſæpiùs & diutius membri tenſionem cum prurigine in venerem patiuntur*, & tunc dicitur *ſalacitas ſ. nimia in venerem propenſio*. *Nimia ſalacitas.*

Malum quod uſque eo interdum excedit, ut etiam *delirium* aut *furorem* quendam *venereum* inducat ex nimia ſeminis turgeſcentia & orgaſmo: qui ipſe furor vix niſi uberiori ſeminis excretione ſedari poteſt. Dumque eſt affectus ſimillimus brutor. omninò æſtro venereo, dum certo tempore & certis anni temporibus ex liquoris genitalis turgeſcentia & hinc acriore ſanguinis efferveſcentia cum ſpirituum inſigniori fervore in venerem impetuoſius ruunt.

Exceſſivus hic *ſalacitatis gradus* coitu vix ſatiabilis, interdum uſitato vocabulo SATYRIASIS appellatur, affectus in *quo poſt coitum venereum membrum adhuc rigidum & tenſum perſiſtit cum tanta prurigine in venerem ut coëundo vix ſatiari poſſit*. *Satyriaſis.*

Dicitur *Satyriaſis* à *ſatyris*, qui membro erecto adque venerem prono ſemper finguntur & pinguntur. Monſtris ſcil. talibus quæ & ipſa ex nefando hominum viror. cum capris congreſſu pronata fuerunt.

Exemplum talis ſalacitatis & *ſatyriaſeos* ſi quid aliud inſigne recenſet TIMÆUS *lib.* 3. *conſ.* 52. *cauſa* hujus ſalacitatis *eſt ſeminis naturalis* aut *uberius collecti*, ſimulque *volatilioris ac acrioris turgeſcentia* à quacunque etiam inducatur cauſa, ſive ab *aſſumptis*, v. gr. *medicamentis venereis*, ab *aſſumptis & propinatis purgantibus* ab *uſu aromaticor.* vel ex alia quacunque cauſa excitata fuerit.

Hoc eſt *primus modus* nimiæ penis erectionis.

Secundus modus nimiæ penis erectionis *eſt*, *dum penis ita rigidus & ita diſtentus eſt in omnem dimenſionem, ut exinde graviter doleat*, in qua ipſa diſtenſione *nullum veneris eſt deſiderium*, unde & coëundo *nullum* aut *pauciſſimum emittunt ſperma*; *coitu* nullo levantur, quin potiùs *malum* inſigniter *exaſperatur*, adeò ut ſi ſæpius tentare volunt tales coitum, incidant ſubinde in *convulſionem totius corporis*.

Morbus hic uſitate PRIAPISMUS vocatur, *à Priapo* apud gentiles ſcortarum patrono, qui tali membro ſemper erecto & turgido fingitur.

CAUSA PROXIMA hujus *priapiſmi* eſt *convulſio muſculorum penis*, quorum continua & ſpaſmodica contractio venam penis occludit, unde ſanguis eum diſtendens in ſuo refluxu omninò impeditur & ſiſtitur ac ſimul dolorifica tenſio in radice penis ſentitur. Unde dum ſanguis copioſius in penis corporibus ſpongioſis coërcetur, coacervatus hic tandem membrorum dolorifico diſtenſionis ſenſu cruciat. *A* tali nempe *muſculorum*

lorum *penis convulſione* eſt quod quibuſdam in *epileptico paroxyſmo inſciis*, & *invitis membrum erigatur*, immò quod & iiſdem in paroxyſmo epileptico *interdum ſemen excernatur* à tali ſcil. muſculorum penis vicinarumque partium membranoſarum convulſione. Hinc etiam eſt quod interdum quibuſdam *ſuſpenſis membrum tendatur*, referente hoc SCHENCKIO *in obſ. de ſpaſmo*, quale etiam exemplum recenſet SALMUTH. *cent.* 3. *obſ.* 40. ex ſimili ſcil. membri convulſione.

Verum ne fiat confuſio dum ſuperius dixi, *inflammationem teſtium*, *ſcroti ac penis* fieri ex *impedito ſanguinis refluxu & motu*: hic verò dicam *priapiſmum* oriri *ex impedito ſanguinis motu* propter *convulſionem muſculorum. Ne*, inquam, circa hæc *fiat confuſio*, *obſervandum* moneo, quod ſanguis in corporibus penis membranoſis excavatis coërcitus & in refluxu impeditus det membri pertinacem erectionem & tenſionem ubi verò ſanguis in ipſâ ſubſtantiâ penis, quam irrigat, pro uſu nutritionis in motu impediatur, ut ibidem ſtagnet, tunc in procinctu eſſe ſolet periculoſa ejus inflammatio.

Convulſionis hujus muſculorum penis & inde oriundi *priapiſmi cauſa eſt*, *irritatio* quæcunque aut *muſculos penis* aut *nervos eor. afficiens*. Unde continuato ſpirituum animalium influxu, hi contracti ac convulſi manent, non ſecùs ſcil. atque punctura nervi quædam per irritationem partes ad quas nervus tendit, convellit.

Irritatio hæc rarius eſt, *à causâ internâ ſubinde* fit à *cauſa externa* quas inter primatum obtinet *intempeſtivus ac incautus cantharidum uſus*.

Hinc. *Cantharides* ut tam *externâ applicatione* quàm *interna aſſumptione urinam cruentam* aut *ulcus veſicæ* inducunt: ita à quibuſdam loco ſtimuli venerei (Itali præſertim hoc faciunt;) uſurpati malè, omninò *priapiſmum* inferunt, dum eorundem acre & ſalinum virus ad muſculos penis delatum continuâ irritatione pertinacis priapiſmi cauſa evadit. Præter cantharides etiam alia *aphrodiſiaca acriora* aut *frequentius uſurpata* interdum *Priapiſmum* inferunt. Hinc enim SALMUTH. *cent.* 3. *obſerv.* 28. refert *de Sene* defuncto, *qui poſt mortem* pertinacem *penis obtinuit erectionem ex nimio abuſu medicamentorum venereor.* quibus uſus fuerat ut noviter nuptæ juvenculæ meliùs placeret. Unde in ipſa morte muſculi penis convulſi poſtmodum etiam rigidi manſerunt: facilè enim fibræ eorundem poſt mortem in eodem tono, ſed modo mechanico proſtare, & ita ex ſanguinis in pene morâ priapiſmus & tentigo induci potuit. *Sed malum hoc priapiſmi* ſatis eſt *rarum* ut plura addere verear.

SIGNA

Ex *relatione ægri* & ſuprà dictis per ſe *patent*. Quoad

PROGNOSIN.

Ex ſalacitate & ſatyriaſi debilitas corporis ejuſque *tabes* in ſpecie *actionum animalium inſignis læſio* ac labefactatio oriri ſolent. *Priapiſmus cum* ſit interdum ſatis dolorificus ac *dolorem* ferè inferre ſoleat *ſimilem tetano* ſeu membris tetano correptis, propterea *interdum convulſio univerſalis ſupervenit*, ægerque ſic *moritur* aut *periculoſum apoſtema membri* poſt ſe trahere ſolet. Quoad

CURAM.

In ſalacitate ac ſatyriaſi ſemen genitale ac *ſpiritus animales fervidiores ac alacriores ſunt abſumendi ac diſſipandi*. Unde *præter animum curis occupatum*, *vigiliæ nimiæ*, *victus tenuis*, *labores & motus* hic *conducunt*: *venæ ſectio* itidem *convenit*, ac omnia ea, quæ ſuprà de *Gonorrhæa* ad ſeminis turgeſcentiam & copiam corrigendam commendavimus. In ſpecie *acida* hic conducunt: ut *ſpiritus vitrioli* crebrò ac diu uſurpandus item *Tinct. papaveris Rhœados ac flor. cyani & tunicæ*. Hinc *nitrata* ſunt optima, aliis namque omnibus irritis per nitrum bis in die uſurpatum TIMÆUS curavit ſuprà dictum ſalaciſſimum ſocium, manè nempe & veſperi. Unde etiam ſpiritus nitri & omnia *ex* nitro acido ſpiritu adhuc turgida ſunt uſurpanda.

Succedunt his *citrata*: *ſuccus mali citrei*, *ſuccus limonum*, quibus & *ſuccus menthæ* eſt permiſcendus.

Nec minus conveniunt alia per experientiam cognita, quæ inter eſt *Nymphæa flore albo* quæ hic ſpecificè commendatur: item *lactuca ejuſque ſuccus*, *portulaca*, *milleſolium*, *ruta* & quæ ex citatis internè uſurpari poſſunt remedia: imprimis *mentha* his addita mirè laudari ſolet. De *Vitice ſ. agno Caſto*, cujus *folia flor.* & *ſemen* ſunt uſitatiſſima, res ſatis eſt nota.

Poſt viticis ſemen, *ſemen cannabis* etiam eſt inſignis laudis, item *ſemen lactucæ*, *portulacæ* ac ſimilia.

Folia ſalicis cocta item *cum his folia verbenæ miſta* cocta & diutius continuata mirè ſtimulum venereum interimunt: his optimo cum conſilio *nitrata* adduntur. *Camphora* hic non eſt negligenda, non quod abſumat, ut volunt ſemen, aut vim genitalem imminuat; Sed *quod certa quadam virtute ſpirituum* fixativa *ſit prædita*, quâ ratione & deliriis febrium malignarum adeò potenter reſiſtit. Ratione cujus virtutis ſpirituum fixativæ & *opiata* conveniunt, quæ per ſe uſurpata ſpirituum ferociam & agilitatem compeſcendo impetum venereum retundunt, ſpiritus figendo & eorum impetum cohibendo.

Sic, ut FORMULAS quaſdam annectamus, egregia hic eſt *emulſio Mynſichti cannabina*:

℞. Sem. cannab. ℥iß.
4. frigid. maj. aa. ʒj.
c. ſ. q. aqu. flor. Nymphεæ
roſar. aa. q. ſ. F. Emulſio.
Hujus
℞. ℥xiij.
Syrup. è ſuc. viol. ℥ij.
Aqu. cinnamom. bugl. ℥j. M.

Hæc in *pollutione nocturna*, *ſatyriaſi*, *priapiſmo* & omnibus aliis, à nimia ſeminis quantitate vel acrimonia provenientibus affectibus eſt nobiliſſima.

Notandum quod aqua *cinnam. bugloſſata* omittatur commodius, niſi ob nimiam ſeminis projectionem inſimul vires defecerunt; aliàs enim, cum ſpirituoſa ſit & aromatica, malum nonnihil exaſperare poſſet. Aliàs & ita præſcribere ſoleo:

℞. Sem. cannab.
melon. aa. ʒij.
4. frig. maj. aa. ʒj.
Aqu. lactuc.
acetos.
fl. Nymph. aa. ℥iij.
F. Emulſio, edulc. c. ſ. q. ſyr. pap. alb.

Sic & mixturæ præſcribi poſſunt:

℞. Aqu. fol. vitis.
ſalicis aa. ℥iß.
ſpir. nitri dulc. vel
vitrioli ʒß.
edulc. c. ſ. q. manus Chriſti ſimpl.
Vel ℞. Mart. vitrioli ʒii.
Tinct. flor. bellid.
roſ. aa. ʒß.
M. F. Tinct. adſtring. doſ. gt. à 7. ad 9.

Vel in forma *pulveris*:

℞. Pulv. agn. caſti
nitr. depurati aa. ʒij.
camphoræ ℈ß.
laud. opiat. gr. vj.
M. F. pulvis adſtring. ſumend. ad ʒj. *in aq. ſeq.*
℞. Aqu. acetos.
Flor. Nymph. aa. ℥ij.

liq.

liq. ſalicis ℥iß.
ſyr. de Nymph. q. ſ.
M. F. aqu. uſ. dicat.

Externè commodè *applicantur genitalibus* in ſpecie *ſcroto ſucci plantaginis, ſolani, cicutæ, hyoſcyami, ſempervivi c. aceto miſti:* Hi inquam applicantur ſcroto ad compeſcendum ſemen & impediendum ſeminis vim fermentativam: aut fiant ex his *cataplaſmata aceto impregnanda.*

His ſuccis v. gr. *lactucæ* convenienter additur *nitrum vulgare ſ. ſal petræ purgatum:* & ita *applicatur teſtibus* cum mirè hinc eorum impetum refrenatur quin & poſteà *regio lumbaris ſ. renes ipſumque ſcrotum humectetur*, ſubinde aut *epithemate irroretur* facto *ex aqua Nymphææ* cui additum ſit *opium*, ſin ob penetrationem ad aliqualem opii correctionem acet. admiſceas eò melius agis.

Quod attinet PRIAPISMUM in hoc ipſo imprimis *cohibenda eſt muſculorum convulſio*, *removenda cauſa irritans* Nam ſic ſponte flacceſcet penis.

In priapiſmo E. commendant auctores *vomitorium.* Nam ubi ſimul cauſa occaſionalis excrementitia latet in corpore, utut purgantia per inferiora eandem removere videantur, eorum tamen vis minùs eſt valida: prætereaque notum eſt, quòd *purgantia ſubinde tentiginem inducant, & venerem ſtimulent:* Exemplum habet de viduo PLATERUS qui *ex uſu pilularum Aromaticarum & Maſtichinarum* tale quid percepit. *Potius* E. *vomitoria* laudantur in *Priapiſmo* ad revulſionem uti dicunt, cauſæ irritantis vid. FORESTUS *lib. 26. obſervat. 6.* Idem habet *Epiphanius* FERDINANDUS *hiſtor. Medic. 26.*

Juxta hæc vomitoria *commendant auctores* imprimis *medicamenta carminativa cum rebus venerem imminuentibus* miſta, ut eſt, v.gr. *aqua carminativa cõmunis* miſta *c. aqu. caſtitatis* QUERCETANI aut *aqu. caſtitatis* RIVERII miſta c. *ſpiritu nitri dulcis:* Dico commendant auctores, *quibus* tamen *minimè poſſum conſentire.* Hypotheſis enim eorum eſt, quod oriatur Priapiſmus ex liquore flatuoſo ſ. ex flatibus penem diſtendentibus quod tamen minus philoſophicè aut ſcientificè locutum videtur: Unde ex hac hypotheſi carminativa commendant. Unde m. ZACUTUS *Luſit. lib. 2. prax. admirab. obſ. 105. aquam ex caryophyllis viridibus deſtillatam* laudat.

Potius acida vitriolacea commendo & juxta hæc *nitrata* quæ & ipſa Priapiſmum curare valent. Refert LINDANUS ſe aliquando curaſſe ſenem Septuagenarium priapiſmo laborantem, in quo *externè & internè ol. rutæ*, aliàs inſigniter commendatum fruſtrà adhibuerit, poſtmodum v. reſtituit eundem *decocto lactucæ & ſemine agni caſti* crebriùs ac diutiùs uſurpato. Unde & *externè cataplaſmata ex ſemine agni caſti, ex foliis Nymphææ, & ex ruta c. aceto deſt. & aqu. Nymphææ* facta applicantur & commendantur.

JOEL *in ſua praxi* in uſu habet *epithema ex vino* in quo coctum ſit *cuminum & ruta.*

POTERIUS qui non habuit nec habebit parem inter Italos *cent. 1. cap. 54.* refert, quendam 30. annor. diu pravâ tentigine tentatum, tandem *per uſum auri diaphoretici* fuiſſe curatum.

Hæc eſt aucta penis erectio. 3. Denique facit huc DEPRAVATA PENIS ERECTIO, *quando* ſcil. *nec in debita figura nec debito modo hæc contingit.* Nam naturaliter penis tenſus in figura recta abſque dolore ſolet extendi. *Læditur* ergò & *depravatur hæc ejus erectio, quando contorquetur* ſ. *quando curvam figuram acquirit* dum erigi debet, de qua nihil eſt, quod addam, niſi quod conſulas *Henricum ab* HEER *obſ. 7.*

Ubi aliquot habet rara exempla contorſionum penis, ubi ex AURANTIO refert modum depravatam hujus erectionem & contorſionem penis corrigendi. *Depravatur penis erectio* etiam ſubinde *vitio præputii, quando* ſcil. *adeò eſt anguſtum & ſtrictum,* ut *glans commodè detegi nequeat:* ſic enim coërcitus penis reipsâ ſe explanare nequit: vitium hoc vocatur aliàs *phymoſis*, quod nonniſi *ſectione Chirurgica*, licet facili, curari poteſt & removeri: ſcil. *cum inciſura in præputium* inciditur: interdum etiam per *crucem* fieri ſolet, *obſervando* hoc, *ut vitetur vena pudendi* ſ. iſtud vas, quod circa latus præputii ſe manifeſtat.

Vitium huic contrarium eſt paraphymoſis, quando ſcil. *ita retrahitur præputium poſt glandem, ut glandem retegere nequeat,* ſ. quando poſt glandem ſtrictum præputium ſubinde in tantum retrahitur, ut etiam glandis periculoſam inflammationem inducat: vocatur *Paraphymoſis, & oritur* imprimis, *ex violento nimis coitu, eoque ſæpiſſimè primo*, dum ex ruptione fræni in tantum ex impetuoſo coitu præputium retrahitur, ut tumefactum nonnihil infrà glandem ſubſiſtat, & ita paraphymoſin inducat. Fit *cura* præprimis *per emollentia & diſcutientia.* Hinc uſurpatur *cataplaſma ex floribus chamomillæ parietariæ, roſar. rubr. cum lacte* coctis paratum, & applicatum.

FORESTUS applicat. *Fotum ex decocto malvæ, violariæ & hyoſcyami* propter dolorem: aut etiam applicat *decoctum roſar. & meliloti cum farina fabar. & fol. hyoſcyami.*

Quidam commendant *ad talem præputii dolorem,* ſi recipiatur *cortex ſambuci medius*, qui coquatur *in lacte*, quo calidè ſuffumigetur priapus, & poſtmodum panno linteo in iſto decocto intincto fomentetur. v.gr.

℞. Herb. mal.
parietar.
alth. aa. Mj.
Rad. alth.
lil. alb. aa. ℥j.
Flor. roſ. rubr.
chamom. aa. p. ij.
coq. in lacte ad conſiſt. pultis & applic.

Quod ſi inſigniter ſimul doleat, addi poſſet *croci* momentum, & multum præſtat commune Chirurgorum cataplaſma, ex *pane triticeo cum lacte*, ſit exemplum:

℞. Medull. pan. ſimilag. in lacte infuſ. ℔iß.
vit. ovor. n. iij.
ol. roſ. ℥ij.
croci ℈j. M. F. cataplaſma.

Pertinet huc ferè *inflammatio penis*, iis fermè quæ dixi de inflammatione teſtium curanda: Unum tantùm recenſebo exemplum: fuit aliquando puer qui ad hoc ut membrum acquireret paulò generoſius & majus, inunxit cum lacte eſulæ ſ. tithymalli, & hoc ipſo non tantum inunxit membrum, ſed etiam ſcrotum: unde facta fuit inſignis harum partium inflammatio cum non levi dolore conjuncta facilè tamen fuit diſcuſſa & curata, *per fomenta ex lacte tepido in quo flores ſambuci* fuerunt incocti.

Ultimo denique *impeditur* interdum ſ. *depravatur debita membri erectio ex dolore* dum ſcil. impenſius dolet membrum. Sic *ex forti labore in coitu* ſubinde fit ut doleat, ac etiam intumeſcat glans, *quod vitium* inſigniter *corrigunt cicutæ folia trita & per* patentem præputii hiatum immiſſa, commendat hoc remedium etiam *Henricus ab* HEER *in obſervat. 7.* contra inflammationem glandis cryſtallinam in qua glans tumida & quaſi perſpicua inſtar cryſtalli erat c. gravi dolore, dum ſcil. ſumptâ cicutâ eaque immiſſa per patentem præputii hiatum ſedatus dolor & tumor diſcuſſus fuit. Aliàs *ſi dolor ſit ex Gonorrhæa*, tunc optimum eſt *balſamum Peruvianum, dum* ſcil. hoc ipſum *excipiatur filo craſſo albumine ovi durato*, & hoc ipſo

Balſamus

Balſamus Peruvianus inſigatur & applicetur: ſic n. dolor in virgæ initio à Gonorrhæa facilè ſedatur.

Denique *dolet penis* non rarò *ex calculo veſicæ*, in quo nihil præſtantius eſt quàm *aqua albuminis ovor. c. lacte muliebri & camphora modico*, quæ omnia calice excepta frigida actu vel tepida admoveantur peni ita ut membrum huic immittatur: ſic namque ſtatim omnem dolorem ſedari auctor eſt ZACHIUS *Conſil.* Et hi fuerunt *morbi virorum*, de quibus hæc dixiſſe ſufficiat.

Abſolvimus ea, quæ pertinent ad morbos virorum, pergimus nunc II ad MORBOS MULIERUM de quibus ſit.

CAPUT I.

DE MENSTRUI FLUXUS Vitiis.

UT *virilis ſexus*, ſimul atque ſemen generat, ſingulares ſuas patitur alterationes: *ita & ſexus muliebris*, dum ad generationem fit aptus, ſive ſemen ſive aliud quid in eorum teſtibus ac utero generetur, *ſingulares* quoque *patitur ſuas alterationes*, nec minores viris corporis mutationes incurrit.

Nam præterquam quod *Mulieres* fiant *puberes* ſ. quod *lanugo* iſta *in monte veneris* effloreſcit propterea quoque quod *mammæ luxuriare* ſ. ut vocant *ſororiare* incipiant, *vox gravior* fiat, &c. in *ſpecie patiuntur ſibi propriam mutationem*, nempe *ſibi propriam ſanguinis per genitalia excretionem*: quæ ſanguinis excretio à *periodo*, quà repetere ſolet ordinatè, *menſium* nomine Latinis. Dixi *propriam* hanc *fœminis eſſe purgationem*.

Nam *inter animalia nullum præter fœminam & ſimiam* hunc patitur fluxum. Sunt tamen *exempla*, licet pauca, *virorum* qui & ipſi ſimilem *fluxum menſtrum per penem* paſſi fuerunt exemplum tale præter ZAC. *Luſitan. lib.* 2. *prax. admir. obſerv.* 102. etiam annotavit BARTHOLINUS *cent.* 5. *hiſtor.* 32. item FEHR. *tr. de abſinth. pag.* 138. ſicuti aliàs *in quibuſdam viris periodicus & menſtruus hæmorrhoidum fluxus loco menſtruationis fœmininæ* eſſe ſolet. Cum & in ſucculentioribus & laudabilioris habitus mulieribus finientibus menſibus poſt *annum ætatis* 49. interdum *hæmorrhoidum fluxus menſtruus periodicus* ſimiliter ſuccedere ſoleat, quin & interdum *loco menſtruorum ſuppreſſorum hæmorrhoidalis fluxus* iiſdem contingere ſoleat.

Quale exemplum recenſet HORSTIUS *in ſuis obſer. & problematibus*. Dixi, quòd repetat hic fluxus ſingulis menſibus, utut *in quibuſdam anticipet* per binos dies, *in quibuſdam* vero per tot dies *poſtponat*: Unde illæ priores ſingulis annis tredecies, poſteriores tantummodo undecies purgabuntur per menſes. *Rarum* namque eſt quod refert PANAROLLUS *pentec.* 2. *obſer.* 41. *de muliere quolibet menſe bis menſtruatâ* ſine ſanitatis noxâ.

Cui affinis eſt hiſtoria, quam recenſet SENNERTUS *lib.* 3. *prax. p.* 418. *de muliere quæ cum menſium ordinario fluxu*; ſimul *ordinatam hæmorrhoidum* habuit *excretionem* quæ ipſi ſingulo *die* 14. poſt menſium fluxum ſupervenerit.

Incipit ut dixi, *hic fluxus menſtruorum tempore pubertatis*, dum potentes fiunt ad generationem mulieres, id quod fit ordinariò 14. *ætatis anno*. *Incipit* nempe quaſi motu Naturæ critico *ſecundo ſeptenario*, & *deſinit* ſimiliter *in ſeptimo ſeptenario* nempe *anno* 49. Utut *interdum cir.* 12. *annum quædam mulieres & puberes & menſtruatæ fiant*. *Rara E.* ſunt, & quæ ob id ordinario naturæ curſui nil derogant quando refert SCHENCK. *in obſervat. de puellâ novenni menſtruatâ*: item quando refert TULPIUS *lib.* 3. *obſervat. cap.* 36. *de puella* 4. *annorum menſtruata*. Sicuti è contra nil derogat, quando iiſdem *menſes ulterius producuntur*: qua ratione HILDANUS *in cent.* 4. *obſer.* 63. refert menſes cuidam fluxiſſe *ultra* 70. *annos*. Non minus *rara* etiam ſunt, quando in viraginibus ſ. virilis habitus, mulieribus *nulli omninò fluunt menſes*, *utut omninò fœcundæ exiſtant*. Sic præter SCHENCK. PANAROLL. *Cent.* 1. *obſervat.* 15. refert mulierem *quinta vice prægnantem nunquam* tamen *menſtruatam*.

Aliàs mirabile eſt, quod refert PLATERUS *in ejuſdem obſervat.* de muliere, *cui ante matrimonium legitimè menſes fluxerint*, *poſt matrimonium* verò ipſi *omninò ſuppreſſi* fuerint citrà ullam tamen *ſanitatis noxam* ſeu diſpendium. Non minus obſervatu dignum eſt, quod idem PLATERUS *in obſer.* refert, de aliâ muliere *quæ ſemper ſuppreſſionem menſium naturalem* paſſa fuerat *quoties lactarit puerum quoties vero lactarit puellam*, *toties* ordinario periodo *redierit menſium fluxus ſolitus*.

Fit menſtruatio hæc ſ. ſanguinis fluxus *per fermentationem quandam extraordinariam in maſſa ſanguinea* fermento ſpirituoſo à teſtibus vel utero inſpirato & ad turgeſcentiam uſque congeſto: Unde uberius turgeſcens ſanguis & rapidius per vaſa circulatus diſtendit hæc ipſa: Unde ſubinde *dolores lumborum tenſivi* item *pulſationes arteriarum in lumbis & circà os ſacrum*, *phlogoſes* quædam tunc temporis ſe exhibent donec iſta ſanguinis turgeſcentia apertis tandem vaſis lymphaticis in vaginam uteri inſertis (nam per uterum nihil fluit) ſanguis erumpat, quo denique ſufficienter evacuatio & turgeſcentia ac fermentatio ſanguinis omninò ceſſat, & vaſa denuò ſubſident ac connivent, donec novo ſanguinis orgaſmo denuò aperiantur.

Adeſſe talem *fermentationem extraordinariam ſanguinis* non naturalis *tempore menſtruationis*, præter alia omnibus obvia teſtatur hoc quòd *odor fermenti communis naribus* erectius *hauſtus menſium fluxum promoveat*. Item quòd *fruſtulum fermenti* quantitate Nucis caſtaneæ *cum pauco Nuc. Moſchat.* aſſumptum eundem fluxum concitare dicatur.

Item quod *febrile quid* tunc temporis *patiantur fœmellæ*: Unde & *febrim menſtruam* obſervavit. LINDANUS ſ. talem quæ ſingulis menſibus per biduum menſtruorum eruptione duravit.

Confirmant denique talem ſanguinis fermentationem etiam omnia ea *quæ hanc menſtruationem impedire valent*, quæ hoc ipſum faciunt, quatenus imprimis iſtam ſanguinis turgeſcentiam fermentativam, aut impediunt aut ſubitò ſiſtunt.

His pro fundamento totius praxeos pro menſium vitiis præmiſſis; *Læditur* hæc *menſtrua evacuatio tribus modis*.

1. *Quando imminuta* eſt ut *aut parcius aut planè non fluat*.
2. Quando *eadem aucta* eſt, ut uberiori rivo ſcateat.
3. *Quando eadem depravata* eſt & non naturali modo variis ſymptomatis comitata ſe manifeſtat.

MENSIUM EMANSIO.

1. *Quando imminuta aut planè abeſt menſtruatio* hæc vulgò dicitur *Menſium emanſio vulgo dicta ſuppreſſio.*

MENSIUM SUPPRESSIO:

potius tamen foret dicenda c. LINDANO *in meletemat.*

MENSIUM EMANSIO;

ſicut quando actu fluentes cohibentur, tunc optimè menſium ſuppreſſionem vocare poſſumus. Sed in verbis ſimus faciles, modo conſtet de re *Emanſio hæc menſium eſt* vel *naturalis ratione ætatis poſt* 50. *annum*; vel *ratione ſtatus vitæ in gravidis* item *nonnullis lactantibus* quibus utplurimum emanet ſanguinis fluxus menſtruus: item in *convaleſcentibus ex gravi morbo*: In his enim depauperata aut ſpiritibus volatilibus orbata maſſa ſanguinea minùs apta eſt pro fermentatione menſtruâ. Item *naturaliter deficiunt menſes in iis*, in quibus alia quædam *inſigniter evacuatio* aut *ſanguinis immediata*, *aut mediata ſub forma* nempe *ſaniei* aut *ichoris*, quæ *in ulceribus inveteratis fit*, aut facta eſt abſumptio. Sic namque refert BARTHOLINUS *centur.* 2. *hiſtor.* 87. de fluxu menſium ſuppreſſo qui poſtmodum apertis & conſolidatis quibuſdam abſceſſibus denuò fuerat revocatus. Hæc & ſimiles mulieres relinquendæ ſunt naturæ, nec præpoſterè medicamentis fatigandæ.

Hoc interim notabile eſt in iis, quæ vel *vulnera* habent, vel *ulcera inſigniora*, & quibus ob id fluxus ordinarius eſt ſuppreſſus quod ſcil. hæ *eodem tempore*, quo alias ordinariò fluere ſolent menſes *ſingularem quandam in vulnere* aut *ulcere patiantur alterationem*, idque *in pejus ſemper*: ſcil. aut percipiunt *dolorem*, aut *ruborem*, aut ſupervenit *inflammatio* aut ſimile aliquid idque *cum copioſiore & abundantiore ſaniei effluxu*, quæ ubi aliquot dies ita duraverint tandem ſponte ceſſant, donec menſtrua exacto tempore denuò quaſi recidivent.

QUOD ERGO ATTINET CAUSAS propter quas præternaturaliter ſupprimitur menſtruatio, ſunt hæ ipſæ vel *ex vitio ſanguinis* vel *ex vitio uteri*.

Ex uteri quidem *labe quando ejus vaſa* in vaginam terminantia aut *obſtruuntur*, aut *anguſta ſunt*, *ex ulcere per coalitum* aut alia quadam ratione ſunt vitiata.

Ex ſanguinis vero *vitio* ſupprimuntur menſes *ex ejuſdem cruditate*, *viſciditate* ac ſimilibus quibuſdam cauſis, quibus hic ipſe nempe ſanguis, ad fermentationem aut turgeſcentiam uberiorem ineptus fieri poteſt.

Has *inter cauſas quoad res non naturales* 1. *eſt refrigeratio nimia* à quacunque cauſa introducta. Pertinet huc *aëris frigidi ſuſceptio in uterum ſub tempore menſium*: Unde ſubita ſanguinis in vaſis uteri coagulatio, & ita ſanguinis fluxus reſtrictio ſequitur. *Immerſio* itidem *corporis in frigidam* multum hic conducit. Sic namque obſervat FORESTUS *lib.* 18. *obſervat.* 2. Menſes ex *terrore*, *& ſaltu in aquam frigidam* ſubito reſtrictos. Unde *ſummus angor circa præcordia* conſecutus fuit, quæ ipſa tamen fuit curata per ſudorifera ita ut ſponte poſtmodum redierint menſes. Sic etiam *ſubita refrigeratio pedum* eo tempore quo menſes fluunt. Item *ſubitanea refrigeratio ventriculi* multùm huc facit. Sic namque multa *ex hauſtu frigido* menſes actu fluentes ſiſtere ſ. ſupprimere ſolent.

Simile exemplum recenſet FORESTUS *cent.* 1. *obſervat.* 3. *ſchol.* de puella cujus menſes cum purgarentur tempore inſignioris æſtus, *bibita copioſa aqua frigida* lethaliter ſibi menſes ſuppreſſit: Hæc enim omnia refrigerando ſubitaneam ſanguinis inducunt coagulationem. Unde ceſſante ejuſdem fermentativa turgeſcentia & menſtruus ceſſat fluxus. Porrò *aſſumpta* hic imprimis etiam ſunt penſitanda: Nam *cruda* aut *viſcida* item *difficulter coquibilia*, ut ita dicam, ſ. *digeſtibilia*, multùm conducunt ad ſuppreſſionem menſium.

Hinc *panis recens furno extractus* aut *calens* admodum nocivus eſt puellis, cum viſcido ſuo lentore ſanguinis fermentationem inſigniter impediunt. Hinc etiam *à lacte* tempore menſtruationis abſtinent mulierculæ, quoniam lac aſtringere menſes aptum natum eſt.

Sic *acida* quæcunque imprimis *mineralia fixa. vitriol. ſal nitrum*, &c. admodum impediunt menſium fluxum, quatenus ſanguinem inſpiſſant, & ejuſdem fermentationem à volatilibus oriundam omnino tollunt:

In ſpecie ubi *aſſumptis digeſtio ſtomachi vitiatur*, ita ut exinde fiat *cacochylia*, quam ſubſequitur *cacochymia*, & hinc denique *cachexia*, ordinario ſubſequitur menſium ſuppreſſio & morbus, quem vocant *febrim virgineam*, vel *febrim albam*, adeo ut ex hac cauſa BARBETTE *in ſua praxi p.* 83. non citrà rationem *cauſam ſuppreſſionis menſium in ſtomacho* radicatam dicat.

Unde etiam eæ quibus ex menſibus ſuppreſſis ſupervenit *pica*, ſi veſcantur rebus inſolitis aut inconſuetis, malum ſuum inſigniter exaſperare ſolent. Sic namque ZAC. *Luſitanus li.* 2, *prax. admir. obſer.* 99. refert quandam *carbonum* voracem quæ tandem cum per 10. annos menſes fuiſſent ſuppreſſi, curata fuit per conſervam artemiſiæ.

Denique & *animi affectus* multum habent in receſſu, quoad menſium fluxum. Nam *uti gaudium*, *uti moderata ira*, per auctam ſanguinis fermentationem *menſtruum fluxum promovent*, *ita* contra *terror*, *triſtitia*, *pavor*, ac *metus inſigniores* periculosè *menſes reſtringunt*: ſicuti notum etiam eſt quod *hæmorrhagia narium* ſubito *incuſſo terrore* ſubinde ſoleat compeſci. Inter *cauſas internas* imprimis *in vitio menſium ſuppreſſorum* adeſſe ſolet *cachexia* maſſæ ſang. cruditas *ex vitio digeſtionis primæ* orta. Dum chylus crudus nec ritè volatiliſatus ſanguini ingeſtus hanc fermentationi ineptam reddit. Quin & *ſcorbutus* non raro hic ſuam ludit tragœdiam, dum *fœminæ ſcorbuticæ* ſæpiſſimè ſi non totali menſium ſuppreſſione torquentur, *parcè* tamen admodum non *ſine difficultate* expurgari ſolent, quin & his ipſis citrà debitum ordinem *inordinatè* menſes fluere ſoleant. Quod attinet

SIGNA DIAGNOSTICA.

Menſium ſuppreſſorum patet vitium imprimis *ex relatione ægræ*, 2. ex *ſymptomatis concomitantibus*. In *virginibus* enim ſanguis ſuppreſſus per venas hinc inde vagans *per inconſueta nonnunquam & aliena loca expurgari ſolet*: imò non rarò *febres* infert: Item *color corporis* in talibus inſigniter ſolet eſſe *mutabilis*, dum *pallidæ* fiunt, *ſubtumidæ*, *& colore ad livorem* inclinante, ſupervenit tandem *febris*, quam vocant *albam* ſ. *febrim virgineam*.

In mulieribus vero ſupervenire ſolent *ſtomachi affectus*, *cibi faſtidium*, *nauſea*, *pica*, *vomitus*, *&c.* quæ utut interdum etiam in virginibus obſerventur, rarius tamen id fieri ſolet, cùm eæ è contra cachexiâ infeſtentur.

Sed hæc facilè patent. Hoc tantùm incumbit Medico, ut ſciat; ne fallatur. ſ. ne talem cui ex joco venereo obſtructi fuerunt menſes, curet tanquam ſi ex cauſa alia fuerunt ſuppreſſi: Magnum ſanè penſum hic incumbit Medico.

HIPPOCRATES *equidem ſect.* 5. *aphor.* 39. hanc ſuggerit cautelam, *quod* nempe *mulier ſi nec prægnans ſit*, *neque puerpera*, *habeat verò lac*, *quod eidem deficiant menſes*, nihilominus tamen hoc ipſum vel *τεκμήριον eſt fallax*: proſtant enim *exempla virginum*, quibus illibatis, menſibus etiam fluentibus lac tamen genitum fuit.

Imò BARTHOLINUS *in ſua anatomia* refert exemplum cujuſdam familiæ, cui hoc fuit *hæreditarium*, ut omnes virgines, ſimul ac puberes fiunt, lac gererent. Potius ex hoc colligitur, ſ. concluditur ex *graviditate* menſium ſuppreſſio quando

do ex noſtro HIPPOCRATE *aphoriſm.* 61. *ſi mulieri purgationes non prodeant , neque horrore, neque febri ſuperveniente ubique faſtidium accidat, tum prægnantem eſſe putato.* Certum eſt quod *cibi faſtidium* aut etiam *pica* ſit admodum *ſuſpectum ſignum gravidationis*, ita ut ubi concurrit cum menſium ſuppreſſione ferè , tanquam virgo quæ fuit , tractanda ſit fœmina.

Aliàs *ſigna quæ præternaturalem ſuppreſſionem menſium ſequuntur* ; ſunt ferè ejuſdem conditionis quàm quæ ſequuntur graviditatem. Hæc tantùm eſt *differentia* in paucis quibuſdam , quod nempe *quibus præternaturaliter ſuppreſſi ſunt menſes* , iis *pallor non tantummodò in facie* ſed etiam in *toto corpore* ſe exhibeat.

2. Quòd *appetitus in gravidis ſe ultra tertium menſem non* ſoleat eſſe *proſtratus : ſin verò faſtidium ſit perpetuum,* magna eſt ſuſpicio ſuppreſſionis *præternaturalis.*

3. *Capitis continui dolores* & ipſi ſuppreſſionem *præternaturalem* arguunt.

4. *Perpetuæ in lumbis gravitates & pulſationes* ; aut etiam *in aliis corporis partibus inſoliti arteriarum motus* , ſimiliter *præternaturalem* ſuppreſſionem arguunt.

5. *Crebriores viciſſitudines* ſ. mutationes *coloris & frigoris per totum* corpus etiam *præternaturalem* ſuppreſſionem menſium innuunt.

6. *Reſpiratio anhela & admodum difficilis ad levem etiam corporis motum* ſimiliter non ex poſtremis eſt ſignis , quæ *præternaturalem* innuunt ſuppreſſionem.

7. *Pulſus ibidem frequens , inæqualis , obſcurus interdum* quodammodò *deficiens* etiam *præternaturalem* innuit ſuppreſſionem.

Denique *ſi cum tempore non ſuccreſcat abdomen infantes eſſe puellas certum eſt.*

De hoc imprimis ſunt ſolliciti Medici *an per urinas poſſit cognoſci* etiam *gravidatio.* Mulieres enim ſimul ac in virgine menſium ſuppreſſionem animadvertunt ſtatim urinas Medicis inſpiciendas afferunt.

Veteres imprimis *ſecundum* AVICENNAM *affirmant* ex urinis hoc poſſe videri. AVICENNÆ *dogma* eſt , quod certum imprægnationis ſignum ſit, *ſi ineunte impragnatione , excernuntur urinæ ſubalbidæ tenues* & cui *grana innatent quædam inſtar cottæ carminatæ* , *quod* tamen ab omnibus Medicis etiam expertiſſimis *tanquam vanum rejicitur. Probabilius* procedit in hoc puncto GABELCHOVERUS *cent.* 1. *cur.* 55. *in annotat.*

,, Ubi dicit : ſi urinæ in iis quibus ſuppreſſi fue-
,, runt menſes omni ferè labe vacârunt , & ferè ex
,, toto naturales fuerunt , tunc conceptus ſpem has
,, ipſas urinas feciſſe , ſin vero præternaturaliter ſup-
,, preſſi fuerint menſes , hoc ipſo vix fieri poſſe ; quin
,, metuentur ac ſubinde tenuiores ac pallidiores
,, interdum ſimul craſſæ ac turbidæ fiant uri-
,, næ. Hæc de ſignis menſium ſuppreſſionis diagnoſticis.

QUOAD PROGNOSIN.

Notum eſt quod *menſium ſuppreſſio ſit lerna malorum* adeò , un inde tantùm non omnes muliebres affectus excitentur & oriantur. Unde quilibet Medicus ſimul ac vocatus fuerit ad mulierem , quærere debet de ſtatu menſium eorumque fluxu.

Nam ex ſuppreſſis menſibus cachexiæ, hydropes, ulcera partium varia , aſthmata , & anhelationis difficultas, imò tandem *ipſa mors ingruit.*

Sin in ipſo fluxu ſubitò reſtringantur menſes ; ſubinde *ſanguinis ſputum , graviſſimos capitis dolores,* imò etiam *periculoſas vaginæ uteri inflammationes* inferunt.

Quod E. attinet

CURAM.

Menſium ſuppreſſionis: Ventriculi chyloſis imprimis *eſt rectificanda* ; *ſanguinis cruditas, aromaticis volatilibus ſalinis corrigenda* ; & his adjunctis *appropriatis fermentatio menſtrua ſtimulanda* ; quod *ſi a cauſa externa* de ſubitò reſtringantur menſes tunc *labes inducta emendanda* , in ſpecie *ſanguinem reſolventibus & attenuantibus fluxus debitus revocandus : In tali E. cura,* imprimis ubi diutius ſuppreſſi fuerint menſes , *præmittenda* ſunt *univerſalia* antequam ſcil. menſes moventia applicentur: nam fruſtrà adhibentur omnia menſes cientia, niſi correcta fuerit maſſa ſanguinea.

Vomitoria E. imprimis *internè conveniunt*, ad evacuandam ventriculi ſaburram ſive ſint deſumpta *ex antimonialibus* ſive *ex aſarinis*, (de quibus alio loco & tempore plura.)

Hinc ſubminiſtrantur *purgantia.* Nam *purgationes ſimul quoque menſes ſtimulare ac uterum irritare ſolent:* Propterea etiam purgantia iis quibus nimium fluunt menſes aut etiam in mulieribus gravidis nonniſi cum ſummâ cautelâ ſunt adminiſtranda, ne ſcil. in his menſes nimis moveantur.

Hæc *purgantia* ſunt *aloë & aloëtica* , item *colocynthidis* & omnia *ex colocynthide parata.* HELIDÆUS mirè commendat *turbethum & ex hoc parata purgantia.* Unde *ſpecies diaturbith. c. Rhabarbar.* à ℈ß. *ad* ℈j. commendantur. Aliàs *Helleborus niger* eſt in uſu non ſine ſucceſſu, in ſpecie ejus *extract.* per miſtum *c. mercurio dulc.* item *pilulæ de tribus ſ. Ruffi*, ex aloë, croco , myrrhæ , c. Gumm. ammoniac.) Item *pilulæ fœtidæ , pilulæ , de Hier. c. agaric.* BARTHOLINUS tanquam expertus commendat *pilulas* factas *ex Hierâ ſimplici c. Extractis agarici : caſtor. Ariſtoloch. long. ſabinæ : myrrhæ rubr. & ol. deſt. ſuccini ac cinnamomi :* quarum ſalutarem effectum ſæpè ſe expertum fuiſſe aſſerit *cent.* 5. *hiſtor.* 100. *anatomica.* His purgantibus commodè præmittuntur *pulveres digeſtivi ſalini*, v. gr.

℞. Arcan. duplicat. Mynſichti ʒß.
(quod eſt egregium)
Croci mart. aperitiv. ℈ij.
Sal. tartari ℈ß. M.F. pulvis.
Dividatur in 2. part. æqual.
D. S. Digeſtiv. pulv.

His ſubnectuntur purgantia, v.gr.

℞. Maſſ. pil. fœtidar. ʒj. (nam hæ ſunt appropriatæ.)
Gumm. ammon. in aceto ſcillitico ſolut. ʒß.
(egregiè incidit viſcida)
Extract. trochiſc. alhandal. gr. iij.
c. ſ. q. ol. deſtillat. ſuccini, F. Pilulæ purgant.

Vel

℞. Maſſ. pilul. de hier. c. agarico :
Mercur. dulcis ritè præpar. aa. gr. xv.
Extr. trochiſc. alhandal. gr. ij. & iij.
c. ſ. q. Eſſ. caſtorei, F. Pilulæ. D. S.

LINDANUS commendat *Oxymell. helleboratum* à ʒj. *ad* ʒij. in potionibus convenientibus ac decoctis uſurpatum. BARBETTE *in ſua prax. ubi de menſium ſuppreſſione* habet elegantes *pilulas ex gummat. ammoniac. paratas c. aliis*, quæ ſunt admodum egregiæ in menſium ſuppreſſione , quas videatis.

Facta hac corporis præparatione & purgatione *Venæ ſectio eſt ſalutaris* , verùm *diſquiſitio eſt in quo loco* ſit inſtituenda. Utplurimum in hoc ejuſdem conveniunt practici ſecandam eſſe imprimis *venam ſaphænam* , quam ob id etiam *Uterinam* vocare ſolent: ſed præ cæteris omnibus hac in parte accurata eſt doctrina LINDANI *quæ diſtinguit tempora* in quibus vena ſecanda ſit : Nam *ubi menſes in-*

ſtant nondum tamen fluunt ; venam ſecandam ſuadet *in brachio* , optimo conſilio, *Vbi* v. *jam fluunt & non ſufficienter* fluunt aut *caſu ſubito reſtringuntur* , tunc *venam ſaphænam* aperiendam monet.

Refert exemplum cujuſdam fœminæ , quæ ex gravi febri decubuit : hanc viſitavit ejus parens cum D. TULPIO & interrogabant an menſes inſtarent , reſpondit ægra adhuc abeſſe 6. dies ob id noluerat ſaphænam incidere,ſed potius aperierunt venā brachii : redeuntibus altero die Medicis,narrat mulier mēſes ejus refluxiſſe , ob id dicit LINDANUS , ſecavimus venam ante tempus ordinarium , & intra 24. horas ſequebatur menſtruatio. Fundamentum deſumit ab efferveſcentia ſanguinis, dum ſcil. menſes fluxuros præſentiunt fœminæ , imprimis ſi laborent ſimul febri , unde tunc venam brachii ſecandam monui ut brevi poſt ſequatur menſtruatio : *In pede v. nunquam ſecandam eſſe venam , niſi aut menſtruatio actu fluat* aut *ipſe fluxus ſuppreſſus fuerit.* Ratio autem eſt,quòd inſtātibus menſibus dum turgeſcit & rareſcit ſanguis , tunc in eo omnis eſt naturæ conatus , ut deorſum verſus deducat ſanguinem: itaque viæ cum ſint exiles non ſtatim aperiri poſſunt, quin potius diſtentæ ſanguinis fluxum quodammodò ſiſtunt : Quando itaque per ſaphænam apertam inferius ſanguinis promovetur impetus plus ad uterum ducis & ita malum auges , ſin v. apertâ brachii venâ ſurſum nonnihil revellitur , liberantur viæ ab oppreſſione & ſanguis faciliùs fluet. *Nunquam* certè *ſaphænæ ſectio menſes provocavit* , *niſi* aut *actu fluentes ex frigore* vel *pavore fuerint reſtricti.*

Si in puerpera ſint ſuppreſſa lochia , tunc *ſaphænæ ſectio* aliquid valet ad revocandum illud , quod fluebat. Hæc quæ dicit LINDANUS confirmata videbitis , exemplo admodum notabili à RIVERIO *cent.*1. *obſ.*2. It. A. LUSIT. *cent.*6.*obſ.*28. Inclinat huc etiam FEHR " *tr. de abſinth. p.*138. qui dicit ubi magna adeſt dif-" ficultas reſpirandi cum Cephalalgiâ ac cordis palpi-" tatione audacter medianam vel Cephalicam brachii tundendam.

Hoc ipſum non vulgariter illuſtratur ex eo , quod *per venam in brachio ſectam curetur Iſchuria* ſeu urin. ſuppreſſio in tali caſu in quo uberior ſanguinis copia ejuſdem impedit ſecretionem per renes : Cujus rei notatu dignum refert exemplum idem RIVERIUS *cent.* 1.*obſ.*1. & *obſ.*89 *ejuſd. cent.*1. Unde etiam fit , ut *in plethoricis dolores nephritici* à calculo renali *per ſcarificationem dorſi & lumborum* non leviter mitigentur.

Verſamur adhuc in curâ menſium præternaturaliter ſuppreſſorum ſ. muliercularum quibus curari debent menſes ſuppreſſi ſ. emanantes : Dictum fuit *ubi diutius fuerint ipſi ſuppreſſi præmittendam eſſe venæ ſectionem & purgationem* : Hac vice *monendum* eſt , *quando* nempe *inſtituenda ſit cura* mulierculārum id ſcilicet obſervarunt practici & promptiorem & feliciorem remediorum eſſe ſucceſſum , ſi propinentur eo tempore , plus aliàs fluere ordinariò deberent menſes : adeoque *probè facienda eſt computatio quando iidem naturaliter redire debeant* , *ut tunc propinentur remedia.* Quod ſi vero ipſæ mulierculæ propter diuturnitatem temporis oblitæ fuerint iſtius puncti ſ. temporis quo redire deberent , *interroganda* ſaltim ſunt , *annon percipiant interdum ſingularem ſanguinis in corpore motionem & agitationem* v. gr. *annon percipiant certo tempore in menſe dolorem* quendam *gravitatis acerbiorem* ; aut annon certo quodam tempore percipiant *inſolitos tenſivos dolores lumbor.* aut etiam *pulſationes in locis vicinis* : aut annon interdum *extra ordinarias phlogoſes* aut *febriles efferveſcentias* aut *corporis incaleſcentias* aut efferveſcentias percipiant.

Quod enim certis quibuſdam temporibus talia eveniunt, certum eſt eadem provenire à turgeſcentia ſanguinis menſtrua , quæ urget quidem excretionem , ſed non ſufficiens eſt,adeoque tunc temporis imprimis *ſtimulantia ſunt propinanda.*

Quod ſi vero ob *confirmatum malum nec talia percipiantur* , ab iis *convenientiſſimum* eſt *inſtituere curam circa novilunium* mox ſcil. poſt peractum ſol. & lun. ſ. Luminarium diem Hoc enim ipſum obſervavit optimo c. ſucceſſu RULANDUS *in ſua praxi* : & tunc ſimul temporis *ſub luna incremento* dilatari & quaſi ſpumefacti humores facilius medicamentis obſecundant.

Hoc E. tempore dum in ſpecie expellendi ſunt menſes , *danda* ſunt aut *purgantia acriora* aut *Menſes ſtimulantia fortiora* : *prægreſſis* vero *diebus Venæ ſectio in brachio* , item *vomitoria ac digeſtiva* & ſanguinis ac ſtomachi vitioſas craſes reſtituentia ſunt *præmittenda.* Ea E. quæ faciunt ſunt.

*Radix Angelicæ.*cujus aromatica vis ſingularis eſt uterina & menſibus ciendis dicata. *Rad.* item *fœniculi, Eryngii* , *bryoniæ* , *aſari* in aqua communi bullita : ſic namque miteſcit ejuſdem vis vomitiva , ac fit aromatica diuretica. *Rad.*item *rubiæ tinct.ariſtoloch.rot. gentianæ* , *helenii* , *Curcumæ ac pyrethri.* Ex vegetabilibus *reliquis marrubium album* vino infuſum ſpecificum eſt BORELLI *cent.*4.*obſ.*14. item *Artemiſia.*

Decoctum namque *artemiſiæ c. ol. fœniculi deſtillato* propinatum mirè à CROLLIO commendatur : ſicut dixi , *conſerva artemiſiæ ex* ZAC: *Luſit.* Item *Calamintha* , *Pulegium* quod admodum elegans eſt pro mulierculis remedium : *Chærefolium* , *Leviſticum* , *ſabina* fortiſſimum Emmenagogum ſpecialiter ejus *ol. deſtillatum* , quod ſtupendæ eſt potentiæ ; quam ob cauſam adhibetur etiam ad pellendum fœtum ſed tamen fruſtraneo ſæpe cum ſucceſſu reluctante ſcil. ipſa natura. *Roſmarinus.*Nam *decoctum roſmarini cum floribus Cheiri in vino Chalybeato* , mire laudatur ab auctoribus.

Matricaria , *Centaur. min. ſpica Celtica*, ac denique *viſcus* quercin. qui ſingulare quid obtinet in hoc caſu. Conducunt ulterius *flor. Cheiri* ut modò monui , *flor.* item *Lavendulæ.*

Nam *decoctum rad.angelicæ c. flor. Lavendulæ in vino* eximiæ eſt commendationis : *Flor. Calendulæ ex hiſque parata conſerva*; refert namque RIVERIUS *in obſer. communicatis* , quod ipſi menſes naturaliter conſtituti odorem floris Calendulæ ſpirent : quod an bonum ſit , experientia conſulatur : Unde concludit ex ſignatura auctor etiam ipſos *Calendulæ flores* non eſſe inutiles : quod etiam credo. *Flores Croci ſ. crocus* potentiſſimè menſes ciet , adeò ut *ejus abuſu* etiam *lethalis hæmorrhagia* fuerit excitata. *Semina* prætereà *ſale volatili vel acri aromatico prædita* hic conducunt *v. gr. Erucæ* , *Naſturtii* , *fœniculi* , *aniſi* , *Dauci* , *Baccæ* itidem *Lauri ac Iuniperi ſemen Milii ſolis* , ſemen *ammeos* conducunt.

Denique *aromata* , *ſal. vol. oleoſa* ad ſtomachi robur & ſanguinis vitiatam emendandam craſin & acuendam fermentationem menſtruam mirè conducunt. Præter crocum de quo modò dixi , *Cinnamonum* eſt elegantiſſimum : Hinc *Galanga* , *Nux Moſchat. Caryophyll. cardamomum* , *piperata* aliaque ſimilia. Certum Quorundam Empyricum ſ. eſt hoc nempe.

℞. N. Moſchat. ℥iv.
Sacchari fin. ℔j.

Hæc probè miſcent,exhibent quantitate nucis avellanæ manè & veſperi præmiſſis univerſalibus : & hoc mirè conducere experientiam certam dicunt.

De *ſemine cicerum rubrorum* notum eſt , quod hujus diuretica vis inſigniter *menſes* ſtimulet & *lochia.* Sunt E. qui ℞. horum cicerum rubrorum Miij.macerant eos in aqua pluviali tepefacta per 2. vel 3. dies addunt deinde nonnihil croci ut & parum fermenti , quo panis aliàs fermentari ſolet , miſcent , tranſcolant & colaturam ægræ ſubinde bibendam propinant.

Ex modo dictis vegetabilibus varia alia parari poſſunt remedia. Sic v. gr. uſitatè ex iis fiunt *Noduli vino infundendi* : Cujus rei ſit tale exemplum :

℞. Rad. angelic.

Leviſtici

Leviſtici ana ℥ß.
galangæ ʒij.
Fol. roſmarini.
Matricariæ.
Herb. ſabin. ana Mj.
Baccar. Juniperi ʒvj.
Cinnamomi acut. ʒij.
Macis ʒj.
Croci ʒß.
(eſt n. potens & levis in pondere)
ſal. tartari ℥iß. ad ʒij.
(loco ſtimuli pro extrahendis vegetabilibus)

inciſa & contuſa includantur nodulo qui infundatur in vinum & de quo ipſo quotidiè manè jejuno ſtomacho & à meridiè per bihorium ante cœnam hauriatur bonus hauſtus.

Convenientius eſt *ſi omiſſo ſale tartari nodulus infundatur in vinum Chalybeatum* ſ. in quo *Limatura Chalybis candefacta aliquoties fuit extincta*: Sic namque mars ipſorum vegetabilium activitatem egregiè adjuvat.

Sin opus ſit, ut ſimul *laxativus* ſit hic *nodulus* addi poſſunt.

Rad. helleb. nigr. præparat. ℥ß. ad ℥iß.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥ß. ad ℥vj.
ſem. denique carthami contuſi ℥ß.

quæ ſuperioribus addita c. ſal. tartari ad corrigenda extrahendaque purgantia, infundantur ut dixi, in vinum.

Præter talia & alia ſimilia modo dicta imprimis efficaciſſimum eſt *Caſtoreum*, ſive in *ſubſtantiâ aſſumptum* ſive ex *eadem parata Eſſ. ſpiritu vini tartariſato.*

Facit huc *infuſum & miſtura* BARBETTE *in ſua praxi*, ubi Caſtoreum extrahit per ſalia volatilia c. Spir. Vin. diluta adque imitationem ejus poteſt fieri hoc modo: (Nam in *Barbettianam* ingreditur aqua prophylactica, quam rejicio, quia deſtruit ſalia volatilia)

℞. Caſtorei ʒij.
ſal. vol. ſuccini &
C. C. ana ʒj.

hic affundatur q. ſ. Spir. Vin. non adeò rectificati & diluatur c. aqua Cinnamomi: ſtent in infuſo in vaſe clauſo in loco tepido, donec extrahatur Tinct. quæ poſtmodum prout plus vel minùs menſtrui aſſumptum fuerit, ad ʒj. vel *Cochlear.* 1. poterit propinari Propius fit ſi *liquor. C. C. ſuccinatus affundatur Caſtoreo*: extrahit enim potenter ejus oleoſum vol. ſal ſibique unit, & ſic erit eſſentia ad menſes admodum potens: *ad gutt.* 30. *vel* 40. tempore ſolitæ vel debitæ ſaltim menſtruationis aſſumenda.

Quidam etiam *tutò Caſtoreum* uſurpant, in *gravidis*, aut in talibus *in quibus ſuſpecta ſit graviditas cum menſium ſuppreſſione.* Sic namque CORBEGIN *Cynecæo ſuo* ſcribit: ſi cum ſuppreſſione menſium ſuſpecta ſit conceptio:

℞. Caſtorei.
Seminis aniſi.
apii ana ʒj.

Trita cum vino diluta dentur: *ſi gravida* fuerit, *fœtum roborabit*: *ſi non* fuerit gravida, *menſes movebit.*

Caſtareo non cedit *Myrrha* egregium balſamicum uterinum, quæ cum aliis miſta mire menſes ſtimulat. Hinc *Eſſ. ſalutis Dris* LANGII *parata ex Myrrha* c. ſpir. vin. tartariſato (d. quis eſt genuinus ?) eſt egregia medicina. *Myrrha* aliàs per ſpir. vin. ſimplicem ſolvi nequit, quin aliquid acidi in ſpecie ſpiritus ſalis ingrediatur: ſed acida mulieribus inimica & menſibus potius promovendis nocent: ob id è contra Myrrha etiam ſolvi poteſt per alcalia tam volatilia (quod probè notandum:) quam etiam alcalia fixa imprimis lixivialia & ſic erit eò promptioris effectus ad ſtimulandos menſes. Aliàs in officinis proſtant *Trochiſci de myrrha* qui *ad* ʒj. ad ſummum propinati potentis ſunt efficaciæ ad menſes movendos. *Succinum* & ipſum eſt egregium in hoc caſu imprimis ſi à Cinnamomo aut Croco propinetur *ſal ejus vol.* inſigniter conducit & ad multa prodeſt ſymptomata ex menſium ſuppreſſione pronata *de aloë* res nota eſt. Unde facilè patet quòd *Elixyr proprietatis* ut vulgò vocant, inſigniter conducat ad ſtimulandos menſes. Unde pro uſu muliebri ſunt qui parant loco ſpirituum acidorum addendo ſpiritum vini ſal tartari fixum quod egregie extrahit aloen, crocum, & myrrham: Alii parant c. ſpiritu ſal. Armon. pro uſu muliebri, tàm menſtruatarum, quàm etiam pro uſu puerperarum.

Hæc manu nos ducunt *ad ſalia vegetabilium* ad *ſal Meliſſæ, ad ſal artemiſiæ, ſal ſabinæ*, quibus omnibus palmam præripit *arcanum duplicatum* MYNSICHTI ſingularis medicina pro mulierculis & quæ mirè conducit ad menſes ciendos.

Huic palmam præripit *borrax* qui c. *decocto pulegii* propinatus addito *pulvere cinnamomi* potentiſſimum eſt Emmenagogum.

Quæ ſupra dicta fuerunt de Caſtoreo intelligi quoque ſimiliter poſſunt de *aſa fœtidâ* non minùs efficaci in morbis muliercularum. *Tartar. ejuſque flores* adjuvant multum ad promovendos menſes, in ſpecie ubi tormina forſan conjuncta fuerint. *antimonium* etiam *Diaphoreticum cum Eſſ. myrrhæ irroratum ac imprægnatum* laudatur ab HARTMANNO: & credo, eſt enim de natura alcalium quod abſorbet acida quæ menſes remorantur.

Sed his non cedunt *martialia quæcunque* adeò ne de his referat LINDANUS quod in *marte* ſit quicquid ad ciendos menſes deſideratur: Propinetur vel *ſola ejus Limatura probè pulveriſata c. pauco cinnamomo* miſta *in vino Malvatico* aut *vino Rhenano* pota: Sic namque natura ipſa in ſtomacho extractum martis egregium facit.

Et certum eſt, in iis quibus ſtomachus robuſtus potentiori abundat acido aut etiam in quibus validum acidum inteſtina occupat, his meliùs propinatur *limatura ferri, cruda præparata & pulveriſata* quàm ſalibus alcalibus vel acidis extra ſtomachum ſubacta & in Crocum corroſa.

Vina etiam medicata extinctionis vel *infuſionis mart.* non ſunt contemnenda ZAC. LUSIT. laudat *terram Martialem in ferrifodinis inventam* ad ſtimulandos menſes egregiam.

Poſt hæc *Crocus mart. Vterinus ſ. cum ſale abſinthii & artemiſiæ in lixivium ſolutis paratus* eſt egregius.

Hinc in forma liquida *Eſſ. mart. cum ſucco pomor. Borſdorff.* parata aut *tinct. vitrioli martis* ZVVOELFERI ad pallidum virginum colorem experta It. *Claretum Chalybeatum* MYNSICHTI *& ſimilia martialia. Martialia liquida* me ducunt ad *eſſentias varias* quas inter excellit *Eſſ. ſplenis bovis.* Eſt enim ſplen bovis remediũ PARACELSI quod expreſsè laudat in ſuis ſcriptis ad menſes remoratos: ſive decoctum ex eo paretur *cum* QUERCETANO: ſive *cum ſpiritu vini myrrhato paretur Eſſentia*: de qua vid. CROLLIUS. HARTMANNUS, aliique. Hæc *Eſſent. ſ. extractum ſplenis bovis* mirè confert ad menſes promovendos. Hinc *Eſſ. artemiſiæ, ſabinæ, croci, caſtorei* cui & *Eſſ. ambræ* in virginibus: quibus minùs odorata commodè admiſceri poteſt. Propinantur tales commodè in vehiculo *aqu. Cinnamomi, aqu. pulegii, ſabinæ & ſimilibus.*

Ol. denique deſtillata *cinnamomi* aut *Caryophyll.* aut *ſuccini* aut quod optimum *ſabinæ* ſimiliter pellunt egregiè menſes.

Ex his variæ ac diverſæ poſſunt fieri præſcriptiones facillimè v. gr.

℞. Tinct. vitriol. mart. Zvvolferi. ʒij.
Eſſ. Caſtorei.
Croci ana ʒj.

M. doſis 40. vel 30. gutt. bis vel ter in die.

NNn iij Itera

Item ♃. ſpir. ſal. Armon.
ſecundinæ primiparæ ana ʒj.
(Nam & hæc egregiè conducit uti & ſpiritus C. C. c. ſal. vol. acuatus.)
Liguoris C. C. ſuccinati. ʒiß.
M. detur eadem doſis ut ſuprà.
In *forma pulveris.*
♃. Arcani duplicati Mynſichti ℈iv.
Caſtorei. ʒß.
Myrrhæ. ℈j.
Croci. ℈ß.
M. F. pulvis dividatur in 4 p. æ. d.
Pro vehiculo hujus pulveris inſerviat:
♃. Aqu. artemiſ. compoſit. ℥iij.
Cinnamomi ℥j.
Eſſ. ſplen. bovis ℥ß.
Syrup. de Canell. ʒvj.
M. F. aq. pro pulver. vehicul.

Hæc ferè ſunt iſta quæ ad menſium conducunt ſtimulum internè.

Externa quod attinet 1. *Balnea ac ſemicupia* quæ præmiſsâ in brachio Ven. ſectione quando menſes erumpere debent, inſtituuntur *parata ex emollientibus vulgaribus c. ſalina, Matricaria, artemiſia, Calamentha, pulegio & ſimilibus.*

De *inunctionibus externis c. ol. cheirino, diacolocynthid. ſabinæ*, &c. nihil dico. *Odorem fermenti* hic commendat: *odorem moſchi* menſes promovere probabiliter admodum refert BARTHOLINUS *Cent. 2. hiſt.* 87. aliàs etiam conducit *ſuffitus per infundibulum membro genitali intruſum* vel *admotum ſuſcepti* qui vel *ex colocynthide ſola* quocunque modo parati inſigniter conducunt ad menſes ciendos.

Item *Trochiſci pro fumo* poſſunt, fieri tales egregii.
♃. Myrrhæ. ℥iß.
aſphalti ʒj.
Trochiſcorum alhandal. ℈ij.
c. ſ. q. Balſam ſulphur. F. Trochiſci pro fumo excipiendo per infundibulum.

Notiſſimum aliàs eſt *decoctum ſcoriar. reguli antimonii* quod expertiſſimum eſt & ab omnibus unanimi conſenſu laudatur: ſi ſcil. lixivium iſtud decocti ſcoriar. reguli antimonii. quantitate 2. vel 3. Cochlearium immittatur ſilicibus ignitis & ita excipiatur fumus vel recipiatur ſcoria hæc antimonialis irrorata c. urin. fœtida & ita c. iis inſtituatur ſuffitus. Loco hujus laudant non pauci *ſuffitum* factum *ex ſcoriis martis ignitis cum urin. antiqua & fœtida irroratis, qui utero exceptus* mirè conducit. Porrò uſurpantur etiam *peſſi*, quas inter non inutilis eſt peſſus factus *ex felle tauri c. ſucco mercurial.* in quo cocta ſit *Colocynthis.* Hæc invicem miſta dant peſſum ſatis potentem. Item *allium ejuſque capita c. ol. ſpicæ* trita in ſacculum indita tanquam peſſus commodè applicantur.

Extr. Helleb. nigr. melle exceptum ſub formâ peſſi applicatum inſigniter prodeſt ad proritandos menſes. HELVETIUS ad hos pellendos commendat, ſi *immittantur pedes in ſecundinam calidam recenter extractam. Inſtrumentum* GLAUBERI omnibus ſatis eſt notum per quod ſpiritum urin. aut ſal. ammoniac. bombace exceptum in uterum derivat & ita menſes inſigniter ſtimulat.

Mihi aliquando curanda fuit *virgo* 18. *annor.* quæ nunquam adhuc menſes viderat, ad *ſcorbutum* inclinabat, & *tuſſis phthiſica* eam ſubinde concutiebat: Mater ejus & ipſa 20. demum anno primâ vice menſium fluxum paſſa fuerat: Huic E. ut ſtimulum adderem primò ordinavi *vinum medicatum*, factum ex,
Herbar. recentibus Cochleariæ.
Chelidonii.
Fumariæ.
abſinthii ana Mj.
c. paſſularum ℥j.
Croci &
Cinnamomi ana ʒj.

Hauſto hoc vino propinavi *vomitorium ex Syrupo Emetico Angel.* SALÆ: Hinc adjunxi *tinct. corall. antiſcorbuticam* in ſuprà dicto vino hauriendam.

Denique *ſpiritum ſal. Armon. c. ſpiritu Carminativo* quotidie bis uſurpandum juſſi. Unde poſtmodum menſes ſpontè eruperunt, cum jam in eo eſſem ut ordinarem has pilulas, non tamen uſurpavit, quia jam aderant menſes.
♃. Gumm. ammon. in aceto ſolut. gr. xv.
Extract. agaric. ℈ß.
Croci gr. v.
Throchiſcorum alhandal. gr. iij.
Caſtorei gr. v.
c. ſ. q. Eſſ. ſuccini. F. Pilulæ.

Sed his uti dixi, opus non fuit.

Quod ſi fiat, ut à *ſubitaneo frigore* menſes actu fluentes reſtringantur, tunc ad reſolvendum ſanguinem congrumatum & eundem denuò in naturalem motum reducendum *præter ſpir. ſal. armon.* in tali caſu non ſatis laudandum, conducit *ſperma Ceti ad* ʒj *c. pauco Caſtoreo in Cereviſia calida* exhibitum experimentum namque hoc eſt TIMÆI *lib. 2. caſ. 7.* in muliere, cui *refrigeratione* menſes reſtrictos ſubitò, pleuritidem intuliſſe refert. Convenit etiam hic *venæ ſaphanæ ſectio*, quia actu fluentes menſes fuerunt reſtricti: Tunc enim non ſecandæ ſunt venæ ſuperiores: Id quod eleganti obſervatione docet FORESTUS *lib. 28. obſ. 3.* in qua refert mulierem cui ob menſes ſuppreſſos ſubitò vena fuit ſecta in brachio. Unde ſingulis menſibus moleſtam palpitationem in brachio recurrentem habuit, donec vena in talo ſecta ſtatis temporibus redierint.

Sic etiam GABELCHOVERUS *cent. 4. cent. 92.* varia ſymptomata & inſignem dorſi dolorem obſervavit, in muliere cui menſtruatæ ſcarificationes in dorſo factæ fuerunt.

Quod ſi fiat ut *ex gravi affectu terrore* aut ſimili ſubito reſtringantur menſes: tunc ſimiliter *volatilia blanda ſudorifera* primatum obtinent. FORESTUS utitur felici ſucceſſu *decocto flor. Chamomill, ad* ℥iij. cui additur *oxymell.* ℥j. His exhauſtis ſudor ſecutus: unde menſes à terrore reſtricti denuò fluxerunt. In tali caſu ſimiliter *Myrrha & caſtoreum c. ſalibus quibuſdam volatilibus oleoſis in aqua cinnamomi* propinata conducerent.

Conſideravimus & abſolvimus ea, quæ menſium ſuppreſſionem ſpectant:

MENSIUM FLUXUS NIMIUS.

Contrarium ſuppreſſioni vitium in menſtruatione eſt, quando nimia copia fluunt, adeoque nimia eſt excretio menſium, *Variat* equidem *quantitas menſium* excernendor. *pro varietate ſubjector.* quæ enim *conſtitutionis* ſunt *ſucculentæ*, quæ ſunt *juvenculæ* & utuntur *εὐχύμῳ paſtu*, in iis *copioſius fluunt, ac diutius durant menſes: Contrarium* fit *in aliis*: ita ut *nimius fluxus penſitandus* fit *ex virium imminente debilitate*, non verò ex certâ quadam quantitate. *Menſium fluxus nimius.*

CAUSA NIMIÆ MENSTRUATIONIS utplurimum inveſtiganda eſt *in ſanguine: rarius* admodum *in utero, niſi ex violentia quadam externa rupta ſint vaſa* aut *ab applicatione acrium eadem ſint eroſa*; aut etiam in *abortu* aut *partu laborioſo nimium fuerint dilatata*, aut denique ſi *ex motu inordinato corporis*, in ſpecie *ex ſternutatione* ex *nimio vomitu* aut ſimilibus aliis cauſis aperta nimis fuerint uteri vaſa & propterea ſequatur *nimia* ejuſdem *hæmorrhagia.*

Sic namque refert FORESTUS *in lib. 28. obſ. 16.* Menſium profluvium nimium *ex uteri venis perruptis ex gravi pondere ſublato.* Sic contra HILDANUS *cent. 3. obſ. 58.* obſervat profluvium menſium graviſſimum & periculoſiſſimum provocatum *ex violenta & immoderatâ ſternutatione.*

Sic

Sic etiam VARANDÆUS *de morbis mulierum* refert exitialem uteri hæmorrhagiam *ex peſſario nimis acri* ad aliquod tempus in utero relicto. Sed *hæ cauſæ* quæ uteri vitio profluvium menſium excitare ſolent, uti dixi, *ſunt raræ. Vtplurimum* inveſtigandæ cauſæ *in maſſ. ſanguinea* & quidem 3*plices*.

Sanguis nempe dat nimium profluvium menſium vel *quando* aut *fermentatione nimia cietur*: Unde immodicè turgeſcens uberius etiam per uteri vaſa prorumpit.

Pertinet huc *effrænis coeundi libido* quæ in *juvenili ætate* in iis *quæ venere abſtinent*, contumax non rarò profluvium uteri cauſatur.

2. *Crebrior* etiam profluvii uterini *cauſa eſt ſanguis aquoſus nimis tenuis, & fluxilis*. Nam imprimis *mulieres habitus ſucculentioris ſimul tamen ſeroſi*, obnoxiæ ſunt huic uterino profluvio. Unde etiam ſanguis quem excernunt ut plurimum ſeroſus & aquoſus loturæ carnium ſimilis eſſe ſolet.

Cauſa hæc, *ſanguis* nempe *fluidior* imprimis in iis reperitur, quando *ſtomachus minus commode alimenta digerit* & quæ *potulenti ſimul variis & inepta utuntur diæta*: Ob id BARBETTE *in ſua praxi p.91* in nimio menſium fluxu primario *ſtomachum* hinc & *renes* tanquam *radicem ſ. morbi* focum *conſiderandas monet*, quatenus ſtomachus Chylum gignit aquoſiorem. Unde conſequenter ſimilis ſanguis, & quatenus renes poſtmodum minùs evacuant laticem aquoſum ſuperfluum.

Tertia denique *cauſa* nimii ſanguinis profluvii *eſt ſerum maſſæ ſanguineæ acrius & ſalſius*, unde quædam *ſcorbuticæ* uberius ſolent per uterum purgari, vel etiam ipſius ſanguinis acrimonia irritans eundem aut etiam ipſa erodens vias multum hic contribuere poteſt.

Nimium ſanguinis profluvium ex eo *cognoſcitur*, *quod fæminæ eodem debilitentur. Nimium* enim *eſt illud quod quantitatem excedit*, quantitas vero ut anteà monui in fæminis eſt incerta, nec ſemper adeo determinata: Tunc ergò *τὸ nimium æſtimandum eſt ex virium proſtratione* quæ certiſſima eſt regula æſtimandi illud quod nimium eſt, quando nempe manifeſtè vires debilitantur: evacuantur namque menſes ut levetur fœmina, non gravetur.

Unde quando: nimius eſt fluxus citra tamen virium proſtrationem tunc ſignum eſt ipſam naturam abuti hoc fluxu pro ſui levatione *ſive ſit fluxus Vterinus criticus ſive alio* etiam tempore *extra criſin* ſe manifeſtet: *Ubi vero debilitatur fœmina* hoc fluxu, tunc ſignum eſt quod ſit *nimius*.

Cauſæ patent ex eo: *quando* enim eſt *ex nimio ſanguinis orgaſmo* & turgeſcentiâ tunc *phlogoſes* ſimul & efferveſcentiæ ſanguinis *conjunguntur*, *genæ rubent*, *venæ turgent*, *pulſus eſt magnus*, *celer & frequens* & quæ ſunt ſimilia ſigna ſanguinis orgaſmi.

Sin nimia ſanguinis fluiditas ſit cauſa ſanguinis fluxus, tunc *ipſa excretio & excreti conditio hoc monſtrat. Sanguis* enim *tenuis & fluidus & qui minus aptus* eſt *ut in grumos concreſcat*, tunc *excerni ſolet, & lintea* quibus capiuntur hæc catamenia *pallidè tinguntur nec adeò intenſe rubent*. Vix dixi in grumos concreſcere talem ſanguinem: *interdum* tamen *ubi ex arcta vulvæ clauſura coercetur nimium in grumos tandem convertitur*: quod proinde neminem fallere debet.

Acrior ſanguis ex adjuncto *dolore rodente & morſicatione quadam in genitalibus* cognoſcitur.

QVOAD PROGNOSIN:

Si continuetur nimis talis fluxus tandem: *Cachexia, pedum tumor* ipſeque *hydrops* ſupervenit. *Quò diuturnior* eſt fluxus eo *difficilius curatur*: obſervatum a. fuit quod interdum *ad trienium* continuo continuaverit.

In ſeneſcente muliere ſuperveniens nimia menſtruatio plerumque *incurabilis ad mortem eam comitatur*.

His ita præmiſſis conſideranda eſt

CURA

Ad curam hujus fluxus 1. opera danda eſt, *ut ſanguis nimium turgeſcens ac nimium ebulliens compeſcatur, & blanda coagulatione ſiſtatur.* 2. *Sanguis fluidus nimis inſpiſſandus, incraſſandus, & quodammodo coagulandus.*

3. Viæ nimis laxæ coarctandæ & adſtringentibus firmandæ.

Ad hos ſcopos aſſequendos *ſunt qui laudant venæ ſectionem*, *ſed*, quocunque in loco inſtituatur *peſſimo* adhibetur *conſilio*, ut pote quæ ſemper plus promovere atque augere ſolet uterinum fluxum. *Sunt qui præcipiunt purgantia ac ſerum nimium evacuantia*, ut ita ſubſtracto ſanguinem diluente latice hic ſpiſſior redditus minus effluat: *ſed & hic erratur* & errant, *ſi in ipſo fluxu* nempe *propinanda ſuadent purgantia.* Omnia namque purgantia ſtimulant potius & fluxum promovent. *Potius ubi iiſdem utendum eſt*, ad præcautionem nimii fluxus veniunt *uſurpanda ante fluxum, non in ipſo fluxu.*

Atque in præcautione ipſâ talia ſunt uſurpanda, quæ adſtrictionem aliquam pòſt ſe relinquunt. v. gr.

℞. Pulver. Rhabarb. Elect. ʒj.
Mivæ Cydonior. ſimplicis. ℥vj.
aqu. plantaginis ʒiß.
M. F. potiuncula laxativa;

quæ poſt ſe adſtrictionem relinquunt.

Vanum E. in nimio menſium fluxu *præmittenda* eſſe *Vniverſalia*: qui canon multos prodit ineptè intellectus.

His E. rejectis *ſudorifera* tamen aliquid *valent*, quatenus his ipſis copioſum ſerum unà cum acrioribus ſalibus per cutim extravaſatur. Unde reliqua maſſa ſanguinea neceſſario craſſior ac ſpiſſior fieri debet: Utut namque ſub ipſâ ſudatione fluidior reddita maſſa ſanguinea uberius excerni videatur, poſt peractam tamen ſudationem ſanguis ſpiſſior melius ſiſtitur.

Præter hæc tamen imprimis alia remedia ſunt uſurpanda: Et quidem *ubi æſtus ac orgaſmus ſanguinis eſt nimius* ibi *oleoſ. ſpiritus vitrioli in aqua plantaginis* propinatum & ſubinde libatum ſanguinem ſiſtit, idque imprimis ubi calor & ardor ſimul affuerint. *Quando minor adeſt æſtus*, ſolum *nitrum præparatum* aut ex ipſo paratus *Lapis prunellæ* ſufficere poteſt: quin & tunc alia *blanda acida adſtringentia Coralinis Cydoniatis* ac ſimilibus miſta utiliter uſurpantur; v. gr. *ſuccus granatorum, ſuccus berberum cum Coraliis præparatis cum ſyrupo Coraliorum* QUERCETANI ac ſimilibus. *In ſpecie* tamen *appropriata* ſanguinem incraſſantia & adſtringentia & fluiditatem corrigentia ſunt ſequentia.

Plantago, quæ ipſa quacunque ratione uſurpata mirè conducit.

Succus Plantaginis ad ℥*ias* aliquot *interne hauſtus*, multum conducit: addunt huic quidam *Colophoniæ* ʒj. & infallibile prædicant.

Idem ſuccus extrinſecus in uterum injectus, vaſa adſtringit, aut etiam c. *pauco aceto & bolo vulgari externè impoſitum genitalibus* inſigniter ſiſtit fluxum.

Poſt plantaginem eſt *Portulaca*, item *burſa paſtoris, millefolium flore albo*, & imprimis *horum ſucci* menſium profluvium ſiſtunt: it. *Muſcus prunor. ſylveſtrium*: Porrò ſingularis eſt *Lyſimachia flore purpureo* & ſimilia. Item *radix ſymphyt*: *maj. rad. biſtortæ* imprimis *acori paluſtris ſ. acori adulterini & ex eodem paratus ſyrupus adſtringens* D. LANGII.

Sic etiam *cortices aurantior. acidor.* eorumque *decoctum* commendatur à quibuſdam, it: *cortices rad. mori*: *Cortic. granator. de flor. balauſt.* res nota eſt, *ſemen papaveris & hyoſciami* modo dictis convenienter additur. *Pyra Cydonia Meſpila*, & ſimilia adſtringentia ſunt nota.

Lignum

Lignum Lentiſcinum, ubi proſtat, & ex eodem paratum *decoctum* experimentum eſt FONSECÆ qui iſtud inſigniter commendat & laudat. Ex hoc ligno Lentiſcino deſumpta *maſtiche* etiam egregiæ virtutis: Unde pro potu ordinario *decoctum maſtichis in vino auſtero* uſurpandum venit.

De *aquis deſtillatis* ex his ſimplicioribus *de ſyrupis*, &c. ſponte taceo.

EX REGNO ANIMALI ſicuti alias *hæmorrhagias* ita ſpecialiter *uterinas* ſiſtunt *ſtercora*. Quæ inter primatum obtinet *ſtercus aſininum* ſi ex eodem exprimatur *ſuccus cujus* ℥ß. *miſceatur c. tantundem ſyrupi Myrtillor. & diſſolvatur* ℨj. *aqu. plantaginis* eſt miſtura, quæ certò juvare dicitur. Vel ex hoc *ſtercore vino infuſo addito ſacharo fit ſyrupus* mirè conducens *ad uteri hæmorrhagiam*: Nam *ſtercus aſininum eſt potentius porcino*.

Externe etiam *ſtercus aſininum & ſuillum ſub forma peſſi applicatum genitalibus* fluxum potenter compeſcit: vel *ſuccus ſtercoris aſinini cum aqua appropriata injectus in uterum* tanquam Clyſter uterinus etiam egregiè conducit: In defectu *ſtercus caninum* eſt certum experimentum.

Novi mulierem jam Vetulam quæ adhuc in mediâ ætate ſ. flore ætatis, aliquando *deſperata* VTERI *hæmorrhagia* laborabat, quæ aliis omnibus irritis, arrepto *ſtercore canino* ex platea, *pulveriſato & in vino acidulo propinato* ſublevata & ſic *curata fuit*.

Sic jam dimidius annus eſt, cum mulieri ruſticæ ruſticum remedium ſuaſi ſcilicet, *ſtercus caninum* quo aſſumpto convaluit: aderant adhuc tormina ex ſanguinis grumis reſtitantibus quæ propinato ſudorifero ſpontè ſedabantur. Aliàs etiam *Vſnea cranii humani interius uſurpata* aliis nihil juvantibus ultimum ſit remedium. Nam vera uſnea mirè confert ad ſedandam quamcunque in ſpecie uteri hæmorrhagiam.

Vitellum ovi in vino rubro diſſolutum ac ſæpius repetitum experimentum eſt HARTMANNI, quod didicit ex A M. *luſit. Cent.*4. *cur.*12. ubi refert, menſes diuturno tempore fluentes aliis irritis per *vitellum ovi in aqua roſarum diſſolutum* reſtrictos.

Alii *viſcum Quercinum in ovo ſorbili* propinant & ita menſes reſtringunt. Præter dicta inter ſimplicia ſunt adhuc *Coralia & omnia ex coraliis parata* eorum *ſyrupus Quercetani*: *Tinct. eorum cum ſpiritu lignor.* parata & alia ex coraliis parari poſſunt. Nam POTERIUS in *cent.*3. *cap.*95. curavit immodicum & inordinatum menſium fluorem aliis irritis pulv. *Eſſ. mart. adſtringente ac tinct. coral.* Item *Bolus armena*, *terra ſigillata*, *ſpir. vitrioli irrorata*? Nam ſic potentius adſtringit terra vitrioli dulcis. *Succinum album*: *Trochiſci de Carabe*, *oſſa ſepiæ præparata*, *ſanguis Draconis*, *oſſa humana Calcinata ad* ℨj. ſubinde aſſumpta etiam egregiè conducunt: *Raſura dentis Hippopotami in aqua ſanguiſorbæ* propinata ab HOCHSTETERO inſigniter laudatur: quidam ſimiliter uſurpant *Sperniolam* CROLLII quæ tamen præparata myrrham & crocum ingredientia minus commodè applicari poteſt.

Pulvis turturis certo modo præparatus eſt experimentum FORESTI, quod deſcribit *lib.*28. *obſ.* 10. & quod poſtmodum in uſu comprobavit LINDANUS, qui hoc ipſo *pulvere turturis* aliquando in deſperato caſu ægram ſublevavit. vid. præparatio in FORESTO, HARTMANNO & aliis.

Martialia adſtringentia huc pertinent: imò quæcunque *martialia* ubi Cachexia nempe imminet: per ſe namque *omnia ex marte remedia* adſtringunt: Unde *terra martis adſtringens* vel *terra ſulphuris vitrioli*, quæ eſt *martialis*, vel *terra antiphthiſica ex vitriolo martis*, *ſaccharo* ſaturni parata: pertinent huc alia ſubjecta *martialia*, ut *tinct. lapid. hæmatit.* item *liquor ſtipticus ex terra martiali* quæ in fodinis martis reperitur *cum ſpiritu vitrioli* paratus, & ſimilia alia martialia adſtringentia. Quin & *Eſſ. Mumiæ*, aut *ipſa mumia quantitate avellanæ in vino rubro* aut *in aqua plantaginis vitriolata*, aſſumpta cuidam in ſecretis fuit habita.

Denique *ex opio parata anodyna* etiam conducunt ad ſanguinis excretionem ſiſtendam. Sic namque *laudan. opiat. theriaca* ſic *pilulæ* POTERII *laudianæ* ex laudano opiato paratæ inſigniter proſunt: Refert namque POTERIUS *cent.*3. *c.*49. ſe aliquando *continuum ſanguinis ex utero fluxum* duobus annis perdurantem *curaſſe per vitriolum martis & pilulas laudianas* cum jam Cachexia & leucophlegmatia immineret.

Denique *alumen & aluminis uſus* etiam eſt expertus, *alumen* enim *crudum ad* ℨß. quotidie aſſumptum remedium ſummum eſt ZVVOELFFERI. Unde etiam à quibuſdam *balneum aquæ in qua decoctum alumen pulveriſatum* ceu infaillibile experimentum commendatur.

LINDANUS habet *pulverem compoſitum*, quo aliquando fluxum qui jam per triennium duraverat, compeſcuit. *Compoſitio eſt hæc*:

℞. Coral. rubror. pulveriſator.
ſuccini flav.
boli armen.
ſanguin. Dracon. ana ℨij.
ſem. plantag.
Borrac. calcinat. ana ℨj.
Laudani opiati gr. iv.
Extract. Croc. martis ℈j.
ſyrup. de roſ. ſiccis q. ſ. pro Conſiſt.

Electuarii: Hoc ipſo innumeras ſe reſtituiſſe affirmat, in ſpecie mulierem, quæ per triennium nimium hunc fluxum paſſa fuerat. *Doſis eſt ter in die*, manè ante prandium & ante cænam *ad* ℨj. ad imitationem hujus pulveris præſcripſi aliquando *in contumaci uteri hæmorrhagia poſt abortum* & quæ aliis cedere nolebat remediis, hoc *electuarium*:

℞. Conſerv. roſar. antiquæ ℥vj.
Diacydoniat. ſ. ſpeciebus, ℨiij.
Coralior. rubr.
ſanguin. Dracon.
Oſſium hum. calcinat. ana ℨj.
Trochiſc. de carab.
alumin. crud.
ſem. Plantagin. ana ℈ij.
laudan. opiati gr. vj.
ſyrup. coral. q. ſ. M. F. electuarium.

Quod ipſum primò quidem turgeſcit tanquam fermentans, nihilominus ſponte ſedatur poſtea & ter quotidie uſurpatur egregiè conducit ad ſiſtendam nimiam uteri hæmorrhagiam.

Hæc ſunt *interna* ſubinde tamen etiam *externa* ſunt applicanda: *Jaſpidem collo appendendum* ſunt qui laudant. Ego v. commendo *bufonem exſiccatum collo appenſum & ſic geſtatum*: Alii *bufones exſiccatos circa os ſacrum* applicant non abſque ratione aut ſucceſſu. MINDERERUS *in medicina militari* producit *nodulum appendendum in quo rana viridis lentè exſiccata* fuit.

Item *interdum injiciuntur clyſteres uterini ex adſtringentibus* parati, quibus in dolore nimio convenienter *hyoſciamus* it. *papaverina* poſſunt incoqui. *Cingulum ex helleboraſtro ſ. ex helleboro albo*, cujus folia ſunt inſtar plantaginis ſed majores, experimentum etiam RENCALINI ut etiam HARTMANNI, quo etiam felici c. ſucceſſu uſus fuit LINDANUS in puerperâ, cui fluitarunt nimis lochia, ſed æſtate tantum poſſunt haberi hæc folia recentia: *In horum defectu* commendatur *cingulum ex burſa paſtoris & mille-folio*, quod lumbis circumdari poteſt.

PANAROLLUS *in faſciculo arcanorum commendat linteum ſanguine imbutum ſub cineribus calidis poſitum & fumus utero inſpiratus ac ſuſceptus*: Hoc

succedit

ſuccedit *ubi eſt ab orgaſmo* & turgeſcentia *ſanguinis*. Sed *ubi* eſt à *nimia ſanguinis fluiditate fruſtra* adhibetur. De *pulvere ſympathetico* res nota eſt: affirmavit mihi hujus efficaciam quidam amicus qui aliquando felicem hujus percepit uſum: ſcilicet

℞. Hujus pulveris pugillum j. quem diſſolvit in aqua tepida: ſolutioni immiſit linteum ſanguine fluente tinctum: Et hoc ipſum prodeſt non tantum in vulgari hæmorrhagia uteri nimia, ſed etiam ſi eadem poſt abortum ſequatur. Aliud experimentum refert HELVETIUS *in Diribitorio medico p.* 117. quod nempe menſes ſiſtat, *ſi mulier induat induſium per octiduum à viro geſtatum, ſed metuendum* dicit *ne exinde in tantum ſupprimantur menſes, ut nunquam amplius imposterum fluant.*

Progredior in *externis*: commodè *applicatur genitalibus ſpongia aceto roſaceo impragnata vel aqu. ſpermatis ranar.* in quâ diſſoluta ſit *ſperniola crollii externè c. ſpongia vel linteis duplicatis admovetur vulvæ* & ſic ſiſtitur affectus.

Succus plantaginis etiam vel *ipſa plantago contuſa & cum aceto irrorata mammis applicari* debet: ſic enim etiam uteri hæmorrhagia ſiſtitur.

Id quod etiam fit ubi *aqua ſpermatis ranar. aceto permiſta* iiſdem *mammis imponitur* vel applicatur.

Vnguenta ſunt v. gr. *Comitiſſæ* quæ *applicantur oſſi ſacro* vel *ſpinæ dorſi. Sed*, verum ut fateor, hæc ipſa *parum* aut *nihil juvant.*

Salviæ ſuccus cum farina triticea extra pubi tanquam cataplaſma *applicatus*, etiam compeſcit adſtringendo hunc fluxum.

Vapor aceti ſuper ſcorias ferri ignitas effuſi exceptus genitalibus etiam adſtringit. Denique nihil æque menſes ſiſtere dicitur, quàm *fumus ſeminis ſinapi per inferiora exceptus.*

Superſunt adhuc nobis vitia quæ in depravatione fluxus menſtrui ſuperveniunt, quando ſcil. menſes vitioſè ſ. variis comitati ſymptomatibus procedunt, ad quod ipſum caput quamplurima pertinent accidentia & vitia.

Menſium difficultas. I. Quidem eſt *MENSIVM DIFFICVLTAS.*

Utut enim citra ullum gravius ſymptoma ſ. accidens naturaliter menſes fluant; *fit tamen* in quibuſdam imprimis, quæ ſunt *corpore impuro* ſ. quarum ſucci à naturali ac debita Craſi in varios ſapores degenerant, *Vt* eædem *uno alterove die ante menſium proventum*, aut etiam dum actu erumpere incipiunt, *dolores inſigniter gravativos, pulſatorios ac tenſivos in lumbis* percipiant, qui ſubinde ad pubem uſque ſeſe extendunt.

Præterea *dolores atrociſſimi tanquam colici abdomen excruciant* & variè fœmellas torquent, qui dolores *ab umbilico abdomen percurrentes ad genitalia* continuantur & *hinc ad poſteriora ad lumbos* ſurſum reflectuntur. Ulterius *imminentes* quaſi *ſuffocationes* aut ſaltim *inſignes in præcordiis anguſtias*: Item *cordis palpitationes, reſpirationes anhelas* ac ſimilia alia pathemata *perſentiunt*; donec ſcil. *menſium fiat fluxus*, quibus erumpentibus ſymptomata hæc aut remittunt, aut ſaltim non adeò atrociter continuant, donec ceſſante fluxu omnia denique fiant pacata. *Affectus eſt ſatis frequens in mulieribus quæ vitam* agunt *ſedentariam*, aut iis, quæ *numquam pepererunt.*

CAVSA hujus ſymptomatis *eſt orgaſmus* ſ. *fermentatio ſanguinis menſtrui ordinaria* equidem, ſed *quæ ob vaſa vaginæ uteri nimis conſtricta*, aut *à prægreſſa menſtruatione infarcta* impediunt ſanguinis egreſſum: *Vnde iſti lumbor. dolores* iſtæque *pulſationes, Imò ex ſanguine in præcordiis turgeſcente & ſtagnante anxietates* iſtæ, *palpitationes cordis* & *difficultates reſpirationis* obveniunt.

Quod ſi in Cacochymia vitiata bilis vitiatuſque *ſuccus pancreaticus* ſub iſta ſanguinis fermentatione *copioſius in inteſtina effundantur*; id quod utplurimum contingit: Hi vitioſâ effervescentia cum acidum pancreaticum vitioſum in talibus ad Cachexiam inclinantibus utplurimum præpolleat: *Hi* inquam *ſucci vitioſa effervescentia copioſos generant flatus.*

Præterea *acor iſte vitioſus per inteſtina delatus* indeque etiam *ad meſenterium penetrans* tam *inteſtinor.* quam etiam *meſenterii* ex nervis ac nervoſis plexibus, *ſpaſmodicas & convulſivas contractiones* indeque *lancinantes, vagos* ac mirè *contorquentes dolores* excitant, donec facta ſanguinis evacuatione & ceſſante ejus fermentatione menſtrua, talia ceſſent omnibus in ſtatum naturalem redeuntibus.

Sed hæc ex iis quæ aliquando de ſuffocatione uterinâ dicentur, erunt clariora.

SIGNA.

Hujus *menſium difficultatis ex ægra* facillimè *patent.*

QVOAD PROGNOSIN.

Difficiles menſes ſæpius *in omnimodam ſuppreſſionem* deſinunt: Imò *ubi virgines* tales difficiles patiuntur menſes, eæ *mulieres factæ graves pati ſolent uteri ſuffocationes*: Aliquot novi exempla.

QVOD ATTINET CVRAM.

In paroxyſmo fermentatio ſanguinis menſtrua promovenda, ut promptius erumpant: Hinc *vitiati ſucci bilis ſ. folliculi fellei & pancreatis corrigendi eorumque effervescentia coercenda.*

Denique natæ exinde *ſpaſmodicæ convulſiones ſupprimendæ, extra paroxyſmum vitiata ſanguinis craſis anticachecticis aromaticis & martialibus* adjunctis *blandè laxantibus eſt emendanda.*

Imitandus hac in parte eſt HORSTIUS: qui in *lib. v. obſer.* 22. habet exemplum fæminæ juvenculæ, quæ ſingulis menſibus paulò ante fluxum vehementiſſimos dolores quaſi colicos paſſa fuerit, cum ſubſequente Diarrhæa ſæpius etiam vomitu laborioſo, maximaque tenſione verſus pubem. Hanc ipſam *curavit præmiſſo* per 8. duum ante fluxum *nodulo alterante & laxativo in vino*, propinando *in ipſo menſium fluxu pilulas ſuas hyſtericas* ex menſes blandè ſtimulantibus compoſitas; *quar. hæc fuit compoſitio.*

℞. Aloës ſucco trinæ. ℥iij.
Myrrhæ optim. ℈j.
Extract. calam. aromat.
Card. benedict. ana ℈ß.
Crocii gr. iij.
Ext. rad. gentianæ.
aristolochiæ longæ.
dictamni ana gr. v.

c. Rob. ſambucino F. Pilulæ quar. ʒß. dies aliquot continuandæ ſunt, ut citra moleſtiam fluant menſes.

Præter dicta etiam *Clyſteres Carminantes blandeque laxantes* difficiles menſes facilius promovent. Item ſi

℞. Eſſ. ad menſes. ʒj.
c. mart. liquid. ʒij. & additur

Eſſ. Croci ʒß. evadit miſtura compoſita, 40. *vel* 50. *gutta ter vel quater in die* menſes difficiles blandè promovent. Ipſum *Elixyr proprietatis vulgare, vel*, quod melius eſt, *antiſcorbuticum* inſigniter conducit ad promovendos menſes difficiles: ratione Aloës Croci & myrrhæ. *Ol. deſtillatum aniſi* ad aliquot guttas propinatum convenientiſſimum eſt in doloribus abdominis cum menſtruor. eruptione conjunctis: Id quod didici ex *Riverii cent.* 4. *obſer.* 89. & hujus etiam felicem uſum aliquoties vidi: aut poteſt fieri talis miſtura:

℞. Aqu. fœnicul. ℥iß.
Carminativ. ʒvj.
flor. ſulphuris ʒß.

qui in doloribus abdominis colicis & hyſtericis egregiè conveniunt.

Caſtorei gr xv.
Myrrhæ gr. viij.
Sal. vol. ſuccini ℈ß.
ſyrup. de Canella ʒvj.

M. de quâ miſturâ ſucceſſivè aliquot hauriantur cochlearia, & egregiè conducit ad levanda ſymptomata in menſium eruptione.

Item ℞. Aqu. pulegii. ℥ij.
Cinnamomi ℥ß.
ſpiritus ſal. ammoniaci ʒß.
ol. deſtillat. ſuccini gutt. v.
ſyrup. de artemiſ. compoſ. ʒvj.

Miſceantur. *Dulcia cavenda* ſunt in tali caſu, quin malum exaſperant, fermentando.

Ubi graviora adſunt *ſymptomata*, ad ipſum *Laudanum Opiatum* poteſt fieri acceſſus.

Hac tantum *obſervatâ cautelâ ut miſceatur idem cum menſes cientibus*: Notum enim eſt quòd Laudanum opianum ſiſtat omnes omninò fluxus in ſpecie verò hæmorrhagias: Hoc ut ne fiat, ſed potius caveantur ab eodem ſymptomata, *Opium cum menſes cientibus aromaticis* ſalubertimo miſcetur conſilio, idque ad imitationem HOEFERI *in Hercule Medico lib. 7. pag. 306.* qui in his caſibus commendat *pilulas* factas *ex extractis Calami aromatici, helenii, Zedoariæ, rad. Gentian. Card. benedict. & aloës* cui *Laudanum opiatum* admiſcendum ſit, *quin granum & unum & alterumve extract. Trochiſci alhandal* commodiſſimè talibus pilulis admiſceri poteſt.

Fui aliquando vocatus ad mulierem, quæ ex læſa diæta cum inſtarent menſes graves abdominis patiebatur dolores & ſubinde recurrentes leves hyſtericos paroxyſmos.

Clyſter hic fuiſſet optimus ſine dubio quem tamen reſpuebat: præſcripſi E. ſequentem *potiunculam*

℞. Aqu. hirundin. c. caſtoreo ℥iß.
Carminativ. ℥j.
Pulegii ℥ß.
ſpermatis ceti ʒj.
ocul. cancr. præp. ℈j. propter acidum
antimonii Diaphoretici ℈ß.
ſal. vol. ſuccini gr. viij.
ſyrup. de Canell. ʒvj. M.

Fiat potio: quæ aliquoties cochleatim hauſta ſymptomata levavit & menſes promovit: *Hac* ipſa etiam *potio conveniret, ſi ex ſubito frigore externo* ſuppreſſi eſſent menſes *propter ſperma ceti* & coagulationem: modo *aliquid Caſtorei in ſubſtantia* addatur.

2dum vitium in depravato menſium fluxu *eſt*.

MENSIUM PAUCITAS.

Menſium paucitas.

Dum fluunt equidem menſes, ſed *non ſufficienter*: *CAUSÆ* ferè ſunt *eædem*, quæ menſes nimium inducunt ſuppreſſos: præprimis in hac culpanda eſt *viſciditas & lentor ſanguinis*, qui exinde *fermentationi menſtruæ debita ciendæ ineptus eſt*.

Oritur autem hoc vitium ut ſuperius monui *ex Chyloſi læſa*: Unde in tali caſu *obſervatur*, ſimul *cum ſanguine quòd exeant cruda, viſcida & ſimul mucilaginoſa excrementa*.

In CURA addendus eſt ſtimulus menſibus fluentibus propinando *in aqu. pulegii* aut *Cinnamomi Borraceam venetam ā* ℈ß. *ad* ʒß. *c. aliquot guttis Eſſ. Croci*: aut etiam *ex ſabina* paratum *decoctum* ejuſque *extractum* aut *guttulæ ejus ol.* ſunt egregia. *Myrrha c. Caſtoreo cui ſal vol. ſuccini* addatur ſimiliter hic ſuccurrit: non minus quàm *ſpiritus ſal. armoniac.* aut alius quicunque *ſpiritus vol. urinoſus. Cucurbitæ perinæo* aut etiam *inguinibus applicatæ* promovent ſanguinis fluxum. Sic etiam CASTRO in hoc caſu *peſſos ex aloë* mirè ad ſanguinem proliciendum deficientem commendat. Quod ſi forſan contingat, ut vaſa vaginæ uteri citò nimis conniveant ac anguſtentur, in tali caſu *externæ fomentationes ex emollientibus & ſtimulantibus: Ex althea, malva, meliloto, ſabina, pulegio, majorana* & ſimilibus applicatæ conducunt: vel excipiatur *vapor ex horum decocto* & hinc *cum ol. Cheirino illinuntur inguina*.

Cauti tamen ſimus in hoc paſſu *ubi curandæ ſunt maritatæ*, quæ conqueruntur de menſium paucitate, utut enim poſt conceptum ordinario menſes ſubſiſtant: nihilominus tamen in quibuſdam uſque ad medium geſtationis tempus ſive menſem quartum ordinariam periodum obſervant, aut ſaltim primis menſibus pauciori quantitate effluere videntur. Ubi ergò eſt ſuſpicio gravidationis, cautus ſit medicus, ne intempeſtivè menſes proritet

Paucitati huic menſium
3tio loco oppoſitum eſt vitium

MENSIUM STILLICIDIUM

Affectus *menſium fluxui nimio cognatus* nec niſi *minoris ratione ab hoc differens*. Eſt ſcil. *continuus* aut ſaltim *unaquaque periodo diutius durans fluxus*: Sed qui non confeſtim more naturali: verum *tantummodò ſucceſſivè atque guttatim prodit*. Menſium ſtillicidium.

CAUSA hujus menſium ſtillicidii eſt *acrimonia ſanguinis* conjuncta *cum ejus lentore*, *quod* tamen *rarius* eſt, *frequentius* concurrit ſimul *viarum vaſorumque anguſtia*: Unde irritatione quidem continua, continuata etiam ſed guttata fit menſium excretio. Unde etiam FORESTUS *lib.* 28. *obſ.* 37. obſervat ſtillicidium menſium diuturnum, quod tandem in exulcerationem uteri deſiit, in muliere inſigniter Cachecticâ.

Affectus ex relatione ægræ patet. Præter Univerſalia anticachectica martialia ſunt imprimis quæ huic medentur vitio & cachexiam corrigendo & acrimoniam acidam abſorbendo, & ſimul tonum partium conſtringendo firmant.

Unde *pulv. cachecticus* item *crocus mart. aperitivus* & *tinctura mart.* blandè adſtringentes conducunt. Quarum ventriculo adhuc ſuus conſtat tonus, hæ capiant *limaturam ferri præparatam in hauſtu vini c. Cinnamon.* vel recipiant *vinum infuſionis Baccarum Iuniperi* in eoque aut *crocum mart.* aut *ferrum crudum* petant. Fit enim blanda tunc in ſtomacho mart. ſolutio, cuivis mart. tinct. artificiali præferenda.

FORESTUS *cit. loco Caſtorei* uſum inſigniter commendat.

4tò huc pertinet vitium *quando* FOEDIS COLORIBUS TINCTUS SANGUIS ſe manifeſtat. In ſpecie quidem *mucus viſcidus & albicans* ſimul prodire ſolet. Menſium color vitioſus.

Effectus hic eſt *cacochymiæ & cachexiæ*, quæ ſunt *filiæ cacochyliæ* uti ſuperius monui.

Præter *nodulos alterantes* & *purgantes* hic *præmittendos*, in hoc caſu auctores laudant *ſcordium*.

Item *Elyxir Uterinum* CROLLII conducit uti etiam *Elixyr proprietatis* miſtum *c. Eſſ. croci* ut fiat validius. Item, *inter purgantia aloëtica c. mercur. dulci* ſunt conjungenda.

Denique *Bezoardicum martiale* aut *Bezoardicum Ioviale*, it. *antihecticum* POTERII eſt quod hic inſigniter conducit.

5. *Naturaliter* equidem *ſanguis qui profluit nullo odore eſt impragnatus, niſi ipſi Calendulæ odorem* tribuere velis uti ſuperius monui ex RIVERII *obſ.* Tamen *interdum* ex ſanguinis ſtagnatione & morâ in iis, *fœtorem contrahit*, & fœtidus excernitur. Menſium odor fætidus

Odor iſte fætidus interdum eſt *Hircinus* ſ. hircum olet certo tempore, *interdum* enim *alius* quidam vel *ipſis mulieribus deteſtabilis*.

Ut

Vt corrigatur hoc vitium opera danda eſt, ut per *aromatica* promovendo fluxum omnis *ſanguinis remora tollatur*. Quin & *elyxyr proprietatis*.

Item *Myrrhata*: *Eſſ. Myrrhæ*: uti etiam quælibet *ſuccinata* in ſpecie *volatilia* huic ſcopo egregie ſatisfaciunt.

Menſium inordinatus fluxus.

6tò Fit ſæpius *ut non certam ſuam periodum obſervent menſes, ſed inordinato fluxu recurrant poſtponendo quidem interdum anticipando.*

Sequitur hoc ipſum vitium *vitiatam ſanguinis craſin: unde vitiata* & *inordinata* interrupta ſcil. & impedita adeoque ſubinde *reſurgens* aut interdum deficiens oritur *menſtruatio* aut *fermentatio*.

Malum quod tandem *in omnimodam ſupreſſionem* aut *Leucophlegmatiam* terminatur.

FACIUNT PRO CURA menſium inordinatorum utramque paginam *martialia* & *corallia* & quæ ex his duobus ſubjectis parantur egregia remedia.

Verum neceſſe eſt *uſus eorum ſit continuatus* admiſcenda ſubinde quæ aut promovent aut ſiſtunt nonnihil fluxum. Ex *marte præter Crocos & Eſſas, Clyſſi ſ. acidulæ artificiales* conducunt.

Item *vitriolum martis artificiale purum* aut etiam *vitriolum Hermaphroditicum* HARTMANNI ex Connubio *veneris & martis* natum in ſpecie confert. Ex *coralliis*: *Corallia c. ſal. armon. ſublimata* & ab eodem *præcipitata* conveniunt. Item inſigniter proſunt *tinct. coral. c. ſpiritu cord. cervi* eadem methodo atque præparatur à D. MICH. Item *tinct. coral. c. ſpiritu lignor.* aut in ſpecie *ſaſſafrata* in hoc caſu eſt egregia.

MENSIUM NON DEBITO LOCO EFFLUXUS.

Menſium non debito loco effluxus.

Denique & quidem ultimo loco

Per aliena loca ſubinde contingit, ut excernantur menſtrua.

Loca ſunt *varia*: obſervatæ ſcil. fuerunt mulieres, *quibus per gingivas*, aliæ quibus per *umbilicum*: aliæ *quibus uterum* aut *vaginæ ſ. vulvæ labia*, quibus per *pollicem ſiniſtri pedis* emanarunt menſes, ſicut ex modò dictis exempla refert ZAC. *Luſitanus in prax. admir.* Imò utplurimum *per os* aut *vomitum*, aut quod periculoſius *ſanguinis ſputo* menſes ejiciuntur. Refert ſanè PANAROLLUS *pent.* 1. *obſer.* 6. de vetulâ ſeptua genariâ cui ab adoleſcentiâ ſemper menſes *per os* citrâ ullam jacturam ſ. noxam fuerunt excreti. Immò *in lib.* 4. *obſer.* SCHENKII proſtant notata exempla menſium *per vulnera mulieribus inflicta* erumpentium.

CAUSA hujus perverſæ menſium excretionis eſt, *in vaſis uteri hypogaſtricis* ad vaginam terminantibus(non enim fluit per uterum ſanguis niſi *poſt partum*) idque ex *harum conformatione nativa vitiatâ* vel ex horum *anguſtiâ & obſtructione adventitiâ*.

CURA E. habitâ ſimul ratione corporis aut ſani aut Cachectici eo eſt dirigenda non ut ſupprimatur fluxus ſed *ut revertatur ſaltem in locum naturalem*.

Quod facilius fit ubi aliàs per uterum fluxerunt menſes, difficilius hoc evenit, ubi nunquam veſtigia iſta legerunt.

Faciunt huc imprimis *ſaphænæ ſectio*, dum actu fluere debent menſes item *cucurbitulæ inguinibus applicatæ* uti hoc ipſum ſalubriter monet TULPIUS *lib* 3. *obſ. cap.* 23. qui ſuadet, ut quando ſanguis menſtruus *per os* rejicitur Cucurbitulæ inguinibus applicentur.

Deinque *externa utero admota* aut *ſuffimigium ex Colocynthide* aut *peſſi ex belleborinis aloëticis* & ſimilibus, menſes in ſtatum naturalem reducere debent. Sic namque FORESTUS *lib.* 26. *obſ.* 25. refert menſtruam purgationem *per vomitum* rejectam cum dolore circa lumbos & pecten;

Affectus hic injecto *clyſtere emolliente* omnino fuit curatus, dum obalvum ſolutam menſes ordinario per uterum fluere cœperunt: donec tandem tempore inſtantium menſium *ſaphænæ ſectione* hi ipſi naturalem & ordinarium locum ſemper repetierunt. Sic A. *Luſitan. Cent.* 2. *cur.* 21. refert mulierem per *mammas* ſanguinem menſtruum emittentem, *curatam* tamen per *ſaphænam ſectam*. Idem *A. luſit. cent.* 2. *cur.* 17. refert mulierem enixam quæ ſanguinem *per nares & os* excernebat, quæ *Saphænæ ſectione & cucurbitulis fœmoribus admotis fuit curata*.

Sed quid de gravidis? *Gravidis interdum* primis menſibus geſtationis per *loca inſueta erupit ſanguis menſtruo ſuccedaneus*: Sic namque SALMUTH *cent.* 3. *hiſt.* 36. refert mulierem quandam gravidam, cui ſtatis temporibus & quantitate ſufficiente *per urinas* fuerunt excreti menſes. Immò interdum gravidis *per mammas* ſanguis erumpere ſolet: *Signum* ab HIPPOCRATE *habitum peſſimum inſignioris* ſcil. *fœtus debilitatis*, quod tamen *non eſt univerſale*.

In talibus E. ne periculum ſubſequatur *corrigatur perverſus fluxus*, aut *ubi* in benè habitis *ex redundante ſanguinis quantitate* oriatur: tunc in ſpecie *ſi ex ſuperioribus locis v. gr. mammis* effluat, *ven. ſectione in brachiis* inſtitutâ, commodè iſte ſanguinis motus & effluxus corrigi poteſt.

Hæc ſufficiant de vitiis menſium. Locuti ſumus hactenus de affectibus qui vitio menſium mulieribus contingunt, & abſolvimus etiam ea, quæ huc ſpectant: ſupereſt nobis adhuc cognatus affectus:

FLUOR ALBUS MULIERUM.

Fluor albus mulierum.

Præter ſanguinem etiam quem naturaliter genitalia muliebria plorant etiam interdum *liquor ſeroſus* it: *pituitoſus* ut vocant, excerni ſolet in affectu, qui vocatur FLUOR ALBUS, A. quibuſdam appellatur *Gonorrhæa muliebris*: à quibuſdam tamen etiam hæc duo tanquam diſtinctiſſima à ſe invicem ſeparantur.

Eſt ſcil. *excretio colluviei variæ per genitalia, dum* ſcil. *nunc humor pituitoſus ſ. craſſus & mucoſus*, nunc *aquoſus & ſeroſus* effluit, iſque interdum *paucior interdum copioſior, interdū acris eſt ſalinus & mordax, interdum verò benignus mitis & blandus. Albus quidem* utplurimum interdum tamen etiam *flaveſcit* interdum *virideſcit*, interdum *alio vitioſo tinctus eſt colore*.

Inodorus eſt utplurimum, *rarius* ſolet eſſe *graveolens* aut *fœtidus*, nec ſolet eſſe ferè talis niſi ſimul exulceratio quædam conjuncta ſit ex quâ purulentia fœtida tunc ſimul excernatur.

Occupat hic fluxus *omnis ætatis & omnis ſtatus fæmellas* tam *virgines* quam *maritatas*: *virgines* inquam illibatas adhuc & innocentes.

Falſum namque eſt quod quidam putant *hunc fluxum iis non convenire, niſi quæ jam virum paſſæ* fuerint: Falſum hoc eſt. Teſtantur namque *obſ.* etiam *puellas octennes* item *puellas novennes* item puellas 13. *annorum* quæ nunquam nec menſtruum fluxum nec virum paſſæ fuerunt, huic ipſi *fluori albo fuiſſe obnoxias*.

Unde etiam hic *fluor albus* longè *aliud vitium eſt* à *menſium decoloratione*, cum æqualiter & *menſtruatas* & non *menſtruatas affligat*, tam *quæ nunquam adhuc menſtrua viderunt*, quam etiam quibus jam lege naturæ *menſtrua non amplius fluunt*: Et quidem has poſteriores, quibus mènſtrua ceſſant, familiariſſimè affligit hic fluxus: *Rarius* vero *virgines* aut *puellas innocentes* polluit: quin & *gravidas* afflixiſſe obſervatum fuit.

Typum aut periodum certam hic fluxus obſervat *nullum*: ſed *nunc continuis*, nunc interruptis quidem ſed *variis vicibus* recurrit: *Circa menſtruationis*

legitimum tempus tamen *copioſius & uberius ſcaturit.*

De hoc affectu ejuſque *materia & cauſis* liberè quæ ſentiam, proponam: nam à nemine adhuc ejus natura legitimè producta fuit & explicata.

Dico E. hunc fluxum album nihil eſſe aliud quàm gonorrhæam muliebrem nunc *veram* nunc *notham*; *analogam* ſcil. *gonorrhææ virili* dico analogam non verò eandem.

Hoc negotium per ſe pateret ſi ex veterum hypotheſi mulieres in teſtibus ſemen elaborare, illudque in uterum & tandem in vaginam effundere, ſtatuere velim: Sic enim qualis eſſet gonorrhæa per ſe pateret.

Sed quoniam huic ſententiæ minorem fidem tribuo (ſcil. ſeminis generationi in teſtibus muliebribus) quàm vulgò fieri ſolet: Cum *teſtes muliebres* potius *ovarium muliebre* dicam: ob id *hic fluor albus* ſ. gonorrhæa *alio modo explicanda venit.*

Hoc ut pateat, *certum eſt fœminas in coitu ſenſibiliter* idque *cum inſigni voluptate* aliquam *materiam excernere*; Hanc hac vice *materiam ſeminalem* vocabimus, (dabitur enim occaſio ulterius de hoc diſſerendi,) teſtantur hanc excretionem ipſæ *mulieres quamplurimæ ſi* ſcil. *viri voluptuoſo gaudeant amplexu. Unde* autem excernatur & *qualis* ſit hic quæſtio eſt.

Reſpondet hîc HORNIUS *Batavus* iſte *Anatomicus* jam defunctus, in *prodromo epiſtolico de partibus mulierum generationi inſervientibus ad* ROLFINCKIUM miſſo, qui ſatis eſt notus; In hoc aſſerit, quòd *mulieres* quanquam *talem materiam* voluptuoſè in congreſſu *excernant*, hæc ipſa tamen *non ex teſtibus* effluat, *ſed* quòd *ex glandulosa oſculi uteri interni ſubſtantia* per multos minutoſque meatus exprimatur & eliciatur, idque *beneficio ſpirituum per arteriolas & nervos effluentium.* Hanc HORNII aſſertionem, utut anatomen nondum omnibus oculariter demonſtratam, admodum tamen probabilem arbitror.

Nam *maxima voluptas muliebris venerea* partim in *ear. Clitoride* ex dulci ejus à membro virili fricatorio motu, partim *circa iſtud orificium uteri internum* ab iſtius liquoris modò dicti excretione percipitur. Unde glanduloſam iſtam orificii uteri internam ſubſtantiam proſtratis glanduloſis & ſpongioſis virorum in radice penis quodammodo analogam æſtimo. *Præter* hanc *materiam ſ. lympham veneream* (ut ſic dicam) cum ex glandulis excernatur, circa orificium uteri internum circa vaginam excretam adhuc eſt *alius ſalivalis humor*, ut appoſitè eum vocat RHODIUS *in mantiſſa obſ. anatom. obſ.* 53. quæ mantiſſa obſ. anatom. RHODII eſt annexa *Cent.* 6. *obſ. et hiſtoriar. anatomicar.* BARTHOLINI: Hic RHODIUS appoſite refert *humorem* quendam ut vocat, *ſalivalem*, qui in congreſſu maris pubem irrigat & per *binas lacunas juxta muliebris pudendi labia ſitas* exſilit, quæ *lacunæ obſervabiles* ſunt imprimis *in vivis* mox poſt congreſſum: *in defunctis* verò *cum arctè conniveant vix obſervabiles.*

His præmiſſis dico *liquor* iſte qui *in fluore albo* emanat, *excernitur per orificium uteri internum glanduloſum*, & eſt vel iſta materia ſeminalis turgeſcens quam mulieres in coitu excernunt, vel eſt alius quicunque ichor, qui per iſta loca tranſſudans aut tranſcolatus ex univerſa maſſ. ſanguinea ejiciatur. *Prius ſi fiat eſt gonorrhæa muliebris vera, virili analoga: Poſterius* v. ſi contingat *eſt gonorrhæa muliebris notha, ſed benigna.*

Obſervanda enim eſt *differentia* in hoc fluore muliebri, *dum alius eſt levior*, in quo *lympha pauca* idque *non adeò frequenter albicans & non nihil glutinoſa* excernitur, ſine eo ut corporis gravius vitium aut labes ejus inſignior ſit adjuncta; Eſtque *gonorrhæa vera in qua ſolummodo iſtud orificium uteri interius eſt affectum.*

Aliàs *fluxus eſt copioſus continuus, ubi multa varia, seroſa varie colorata* & ſimilia uberiori rivo excernuntur, concurritque tunc ſimul *cachexia* ſ. *Leucophlegmatia totius corporis*: interdum accedit *tumor pedum*, *torpor actionum*, *flacciditas membrorum* & quæ ſunt hujuſmodi alia concurrentia ſymptomata: Et *hic poſterior fluxus eſt gonorrhæa notha vitio maſſ. ſang. totius cachectico* pronata, orta imprimis *remote ex vitio ſtomachi aberrante circa chylificationem.* Accuratè præ cæteris *differentiam nimiorum fluorum* horum obſervat HEURNIUS, dum *priorem fluorem* vocat *fluorem uterinum* tanquam qui ſolummodo ex uteri orificii vitio accidat: *poſteriorem* v. vocat *profluvium muliebre* ceu tale, quod ex totâ muliere effluat.

Plura, quæ ad cognitionem hujus affectus, de quo uti dixi pauci fecerunt apud auctores mentionem, faciant, qui cupit, is videat HOCHSTETER, *decad.* 4. *obſer.* 1. *in ſcholio*: Poſt HOCSTETER. videat SCHNEIDERUM *lib.* 3. *de catarrhis*, ubi fuſè & prolixè hiſtoriam hujus affectus cum primis ex aliis autoribus declarat *in integro cap.* 8.

CAUSAM E. quod attinet, *fluoris primi* ſ. *gonorrhææ vera* eſt *materiæ iſtius ſeminalis copia & ubertas* aut ejus *ſpirituoſior turgeſcentia* conjuncta *cum aliqua laxitate orificii* iſtius *uteri interni*: Unde hoc dilabi ex ſe facilè permittit, *accedente* imprimis *coitu*, conſueti ad tempus intermiſſione aut ingenti coeundi tam *in maritatis* quàm *virginibus* deſiderio, imprimis ubi adeſt ſimul *laudabilis victus ratio*, *vita ſedentaria*, & *curis ac meditationibus vacua* & quæ minus gravibus animi turbata eſt affectibus.

Poſterioris verò *fluoris* ſ. *gonorrhææ nothæ cauſa proxima eſt laxatio iſtius orificii glanduloſi ejuſque flacciditas* ſ. *tonus iſtar. glandular.* ita *læſus & laxatus ut per eas tanquam* per emunctorium quoddam univerſale excernatur *mucus* ſ. *Chylus crudus copioſo ſero acri dilutus*, idque *cruditatibus* ut dico, *maſſ. ſanguineæ vitio ſtomachi* pronatis: tunc enim tranſcolata hujuſmodi liquamina per iſtud orificium nimis laxatum & glandulas reſolutas quaſi, continuo madore plorant iſtæ Nymphæ, quæ aliàs potius aridis gaudent.

Unde in talibus eſt habitus perfectè *Cachecticus* ac potius perfecta quædam *Leucophlegmatia*: Hinc *tumores pedum*, *appetitus venereus dejectus* & ſimilia concurrentia ſymptomata manifeſtè ſe exhibent in talibus fæmellis.

Quod autem *in ſpecie per hunc locum effluat* tale ſanguinis liquamen in *cauſa eſt laxatio* & quaſi *reſolutio iſtius orificii interni.* Unde præter alias cauſas remotas etiam *partus difficilis* aut *abortus* in cauſa interdum eſt, ut oriatur talis fluxus ex *nimiâ diſtenſione* aut *laceratione* aut aliâ *læſione iſtius orificii uterini interni glanduloſi.*

Hæc quoad Theoriam hujus affectus.

QUOD ATTINET SIGNA.

Fluor albus ab iſta *fæmellâ ægrâ ſponte manifeſtatur*: & *quidem* imprimis *diſtinguendus eſt fluor* hic, *qualis* ſcil. *ſit gonorrhæa an vera an verò notha.* Nam *ubi fluor eſt gonorrhæa vera* tunc *fluunt pauca moderatè citra ullum acrimoniæ ſenſum*, & talis gonorrhæa vera ſ. fluor diu *citra inſigne incommodum* perdurare poteſt ſin v. *copioſa* aut *acria* aut *decolorata* etiam aut ſimilia effluant cum *cachexia corporis, virium proſtratione*, *omnium actionum torpore*, &c. *Gonorrhæa notha* talis fluor albus eſſe ſolet, qui & ubi acrior ſimul concurrat lympha tam *febris nocturna* ſ. *veſpertina* qs *catarrhalis* tales fœminas affligere ſolet ſ. *febricula* quædam *lenta* imprimis *veſpertino tempore acerbans* ſolet ſimul concurrere.

PROGNO

PROGNOSIS: præter alia mala *infœcundas & ſteriles* ſolet reddere fœminas hic fluxus. Denique præter *cachexiam* quam potius auget *hydropem*, item *Uterinum prolapſum*, *Vaginæ Vteri exulcerationem* & tandem *mortem* inferre ſolet.

Rarum interim eſt quod refert BALLONIUS *lib.1.conſil.59.de fluore muliebri continuo ſuppreſſo*, qui exinde *mutatus* fuit in *diabetem lethalem*.

In juvenculis facilius curationem admitit hic fluxus: *In vetulis* vero utplurimum *via* eſt ad *mortem*: utut in genere difficilius curari ſoleat & imprimis ſedulâ medicamentorum continuatione opus habent.

Ubi E. *fluxus hic eſt de natura gonorrhææ veræ* tunc quoad

CURAM

abſumenda eſt materia ſeminalis & *adſtringendæ* ſunt *partes uterinæ nonnihil laxiores.*

Una ex optimis curis eſt *copula c. viro*: quâ *in viduis & fœmellis virginibus deficiente ſequentia* ſunt uſurpanda, aliàs in gonorrhæa virili ex turgeſcentia aut acrimonia nimia ſeminis ſunt in uſu, v. gr. *ſucci citri* ℥iij. ſingulo manè ſunt uſurpanda: ſicuti etiam *mala citria & limonia* crebrius uſurpata conducunt, imprimis ubi cum ipſo fluxu titillatio quædam aut pruritus ad venerem fuerit conjunctus, ſed continuanda ſunt hæc.

Folia & flores ſ. Cimæ ſalicis decocta in vino & potata crebrius etiam hic conducunt; *mentha & urtica mortua flore albo injicienda cereviſiæ*, & ita potus hauriendus. Nam hæc *urtica mortua ſ. galeopſis flore albo* præ aliis in gonorrhæa muliebri tam vera quàm notha convenit.

Terebinthina in ovo ſorbili vel in aqua *flor. ſalicis* omni manè aſſumpta conducit. Tanquam efficax & expertum commendatur ſequens *decoctum*.

℞. Raſur. rad. glycyrrhiz. ʒvj.
ſemin. myrtillor.
Coriand. præparati.
plantaginis, viticis ſ. agni caſti ana ʒj.
Papav. alb. ℈ij.
Hyoſcyam. ℈ß.
hordei mundati mj.
acaciæ.
ſumach. ana ℈j.

contuſa coquantur in aqua chalybeata pro ℔iß. addendo poſtmodum *Trochiſc. de Alkekengi.* ℈j.

Præter dicta *pulv. mãdibularum Lucii piſcis* à ʒß. ad ʒj. uſurpatus & continuatus itidem conducere ſolet. *Trochiſci* etiam *de terra ſigillata*, item *de ſuccino: ipſum ſuccinum præparatum* & ſimilia etiam ſunt uſus laudati. *Externè balnea ac fomenta adſtringentia pubis regioni* ſunt *admovenda*, quæ inter imprimis eſt *balneum* aut *fomentum* factum *ex cortic. rad. prunor. ſylveſtrium*; *cortic. ligni guajac. c. alumine in aqua chalybeata, adjecto pauco aceto cocta.*

Quod vero attinet *gonorrhœam notham ſ. fluorem album poſteriorem & deteriorem* in hâc curandâ.

1. *Stomachi chylificatio emendanda per vomitoria*, adminiſtrando tunc *experta ſtomachica*.

2. *Sanguinis cruditas & cachexia corrigenda per ſalina vol. oleoſa & aromatica.*

3. *Ipſi fluori ſpecificis reſiſtendum partibuſque læſis adſtringentibus & nervinis eſt ſuccurrendum.*

Vomitoria imprimis ſunt egregia, repetenda etiam ubi neceſſitas poſtularit. *Purgantia circumſpectè* ſunt *uſurpanda*, ne augeant potius fluxum, quàm fomitem ſubtrahendo eundem imminuunt. Auctore enim PLATERO obſervatum fuit, quòd purgantibus fluxus talis interdum fuit excitatus, in iis quæ aliàs eundem nunquam paſſæ fuerunt. *Cautè* E. *uſurpanda hic purgantia* per inferiora *aut omninò omittenda*. Ubi verò neceſſitas poſtulat eadem, *maritanda* ſunt imprimis *rhabarbaro*, ut hujus adſtrictione relictâ emendetur à purgante inducta noxa. Unde *ſpecies diaturbith in rhabarbaro* inſigniter commendantur ab *Helidæo Paduano. Juxta pulverem jalapæ* etiam ejus *reſina* quatenus cachexiam ſanguinis emendat, conducit. Sic ex *Helleboro nigro ejuſque extracto c. mercur. dulci* conveniunt laxativa.

Item *Bryonia* appropriatum ubi neceſſitas poſtularit eſt purgans, quæ omnia laxativa *colocynthide ſunt acuenda*, *extracto Trochiſcor. alhandal. Potiora* ſunt *ſudorifera*, quæ tutò uſurpantur non minus quàm *diuretica* in ſpecie *terebinthina*. Sic namque FONSECA *lib.1. conſ.21.* pro derivatione ad urinas commendat & laudat hoc:

℞. Terebinth. ℥ß.
Pulveris Coral. rubror.
boli armen. ana. ʒß.

M. ſumat jejunè bis in ſeptimana in convenienti vehiculo. Unde etiam RIVERIUS tanquam utiles commendat *pilulas ex therebintinâ c. Rhabarbaro* efformatas.

in ſpecie verò ad *corrigendam cachexiam* ſimulque inde oriundum *fluorem album*, ſi quid aliud *expertum* ſpecificum eſt *roſmarinus ejuſque decoctum* quod expertum eſt ad ſanandum fluorem album. Hoc namque *decocto roſmarini ſolo* ſemper feliciſſimè ſe fluxum muliebrem album reſtituiſſe refert LINDANUS *in ſuis practicis*: & credo, quòd verum ſit, eſt namque elegantiſſima plantula uterina roſmarinus. Sunt qui adjungunt *fol. meliſſæ & menthæ*: ex quo ternario medicamenta quæcunque continuato uſu adminiſtranda moneo.

Conveniunt etiam alia ad cachexiam appropriata ut ſunt, v. gr. *radix galangæ, cyperi, caryophillat.* item *majoran. menth.* etiam *vulneraria* ut *alchymilla agrimonia, veronica, baccæ lauri* quibus adjungenda *adſtringentia* & ſimilia in ſpecie *viſcus quercinus* eſt commendatus pro hoc uſu. Hinc PANAROLLUS *in pentec.2. obſer.* 48. Laudat *decoctum nucis pineæ cum ligno viſci quercini* quo decocto ſæpius hauſto tanquam mirabili & experto remedio in hoc morbo curando ſe uſum fuiſſe aſſerit.

Hinc *Rad. filipendulæ, tormentill. ſigill. Salomon. Angelicæ* & ſimiles conducunt. *Sclarea* quam vulgò *horminum odoratum* item *gallitrichon* vocant, eſt ſingulare ſpecificum in fluore albo quacunque ratione uſurpata in ſpecie *ſi infundatur vino* & crebrius hauriatur. Sic etiam CORBEIUS *de morbis mulierum it.* STECKERUS in ſua praxi recenſent quandam mulierem aliaſque albo fluore affectas per hoc *unguentum* curaſſe. ℞ Sclaream: contundatur, & aliquantiſper putrefiat, in butyro poſtmodum coquatur aliquantulum, coletur & ſervetur pro uſu: quo unguento mulier ab umbilico ad inferiora uſque ſedulò perungatur & etiam ipſum unguentum per peſſos vulvæ applicetur; Commendatur etiam de hac ipſa herba ut facilius ſuccedat experimentum: Experimentum etiam commendatur ad compeſcendos omnes poſt partum dolores. Poſt Sclaream optimum eſt Lamium album ſ. *galeopſis flore albo*, ſpecies urticæ mortuæ: *Cujus aqua conſerva, decoctum in vino* uſurpatum mirè conferunt.

Vidi certè aliquando, cùm eſſem adhuc ſub informatione *Dn.* D. MICHAEL. quod generoſa fœmina diu & contumaciter hoc albo laboravit fluxu, ita ut aliis quàm plurimis remediis incaſſum adhibitis fuerit, tandem acceſſa ad *decoctũ* hujus *galeopſis*, quo ipſo decocto hæc fœmina fuit curata.

Poſt hanc etiam Melilotus *albus, it. plantago: Cimæ rub. Idei. Equiſetum, hyſſopus & majorana*, laudantur.

Horum ſimplicium flores & ſpecialiter *Nymphææ albæ*, item *bellis flor. albo: conſerva bellidis flore albo* diutius continuata certò album fluxum ſiſtere prædicatur.

Lignum lentiſcinum, guajacinum, in ſpecie *ſaſſafras* commodè, ubi placet ſimul movere ſudores uſurpatur.

Modus utendi eſt ſatis cognitus. De *aromatis* nihil dico, quoniam ratione cachexiæ per ſe commendantur: quæ inter in ſpecie eſt *galanga*, item *anthophylli*; Porrò *vinum in quo extractum eſt aurum* tanquam experimentum laudatur tàm à FORESTO quàm CORBEJO. *Lac chalybeatum cum bolo armenâ* miſtum crebrius uſurpatum in laſcivioribus in uſu eſſe ſolet. *Eſſ. lignor. tinctur. coral. ſaſſafras* & ſimilia per ſe ſunt nota. Hiſce porrò etiam adjungendæ ſunt *maxillæ lucii piſcis calcinat. cranium ſ. caput caponis exſiccatum & pulveriſatum.* Item *ſuber uſtum ad* ℈j. fuit experimentum HELIDÆI Paduani. Præ cæteris *ſuccinum album, oſſa ſepiæ præparata, Trochiſci de carabe, cryſtallus præparatus, Oſtiocolla, alumen plumoſum*, item *lapis amianthus, putamina ovorum calcinata* poſt excluſos pullos: item *Ebur ſine igne* præparatum ſunt commendati uſus. TIMÆI namque experimentum *ad fluorem album* componitur ex *Magiſterio Oſtiocollæ ad* ℥ß. miſto *cum carneolo præparat.* ʒiß. quæ à ℈j. ad ʒß. *in aqua roriſmarini l. conſervâ roriſmarini* propinanda ſunt: aliam paululùm deſcriptionem his ipſis tamen primariò ingredientibus habet idem TIMÆUS *in caſibus p.*214. quid autem per Magiſterium Oſtiocollæ intelligat, ut verum fatear, neſcio, niſi oſtiocollam præparatam intellectam velit: Eſt enim Oſtiocolla ſubſtantia adeò ſingulariter dura, ut neque in igne calcinari, neque per quodcunque menſtruum corroſivum diſſolvi, & in magiſterium redigi poſſit. Erit E. intelligenda Oſtiocolla præparata. Ex qua etiam TACHENIUS Venetiis, ut obiter moneam, præparat remedium ſingulare contra caſum ab alto: item contra febres quaſcunque. *Lapidis amianthi ſ. aluminis plumoſi pulverem* BOETIUS miſcet *cum aqua vitæ & ſaccharo*, & ita patienti propinat eundem: *tract. de gemmis.* Alia per ſe cognita lubens omitto. *Vitellum ovi in aqua roſar. dilutum* propinatum & iteratum ſuperius ex AMATO *Luſitano* commendavi in fluxu rubro ſ. menſtruis nimis fluentibus. Idem *A. Luſitanus* ad fluorem album commendat *albumen ovi. aqua roſar. concuſſatum*, & ita repetitis vicibus uſurpatum: Hoc ipſo enim ſe & fluorem album & etiam gonorrhæam curaſſe aſſerit. *vid. centur.* 4. *cur.* 12. *Efficacius* erit ſi *aliquot maſtichis grana huic albumini ovi* adſumendo *adjungantur. Externa* quod attinet remedia conducunt imprimis *thermæ artificiales ex ſulphure & alumine, cum adſtringentibus & uterinis* parandæ, v. gr. *cum plantagine*, c. *ſalviâ, matricariâ, artemiſiâ* & ſimilibus: Item *cinis nucleor. juglandium c. vino* miſtus in Uterum injectus mirificè fluxum hunc ſiſtere aſſeritur. Aliàs *ſuffitus ex thure & maſtiche*, item ex *gumm. juniperin. nuc. moſchat. ſuccino & Bdellio* eſt egregius.

Suffitus ſalviæ per infundibulum exceptus eſt ſecretum CORBEII. *Fotus ventris inferioris & pubis c. decocto vincæ pervincæ* adſtringente cui additum ſit *alumen*, laudatur à FORESTO.

Gonorrhæa, notha, maligna ſive virulenta.

Præter has gonorrhæas ſ. uteri fluores eſt adhuc muliebris *gonorrhæa notha, maligna ſ. virulenta.* Hoc *eſt fluor muliebris gallicus à contagio maligno venereo oriundus, & exulcerationem cujuſdam partis internæ* aut *in vaginâ* aut *in orificio uteri*, quin etiam *exulcerationem ipſorum teſtium muliebrium inſequens.* PANAROLLUS namque *Pentecoſt.* 1. *obſ.* 14. obſervavit vomicam ſ. Ulcus clauſum in unoquoque teſte muliebri, in muliere, quæ ex Gonorrhæa gallica cum gravibus doloribus mortua fuerat. Hæc ipſa tamen *gonorrhæa maligna, minus confundenda eſt cum noſtra gonorrhæa ſ. fluore albo*, de quibus modo locuti ſumus. Ea quæ huc pertinent ſunt videnda de gonorrhæa virorum maligna cùm earundem ſit una eademque ratio & quoad cauſas & quoad curam.

Abſolvimus *affectus* qui obveniunt fœmellis, *quando nubiles fiunt, menſtruationem* nempe & *fluorem album muliebrem.* Pergimus ad

CAPUT II.

DE VIRGINITATE LÆSA ET APPETITU *Veneris vitiato.*

FÆmellæ ſimul atque *puberes fiunt anno ætatis decimoquarto* & dum menſtruus flos primitus erumpere incipit *ſimul* quoque *appetitu venereo tentantur.* Hinc appetitu quamdiu ſatisfactionem denegant tamdiu virgines dicuntur vel mulieres ſ. fœminæ nondum virum paſſæ, ſin verò ad explendam famem iſtam à viro ſe ſatiari permittant, mutato nomine defloratæ appellantur.

Congreſſus ergo *verus* diſtinguit virgines à non virginibus, non verò *conceptio.* Poteſt enim concipere virgo, ut talis ſcilicet virgo maneat, non autem poteſt congredi citra læſam virginitatem. (Iſtud de conceptione ſequentibus patebit, *quod nempe virgo concipere queat, ſine eo, ut lædatur virginitatis nota.*) In congreſſu verò nulla alia in fœminarum genitalibus fit mutatio, niſi quòd eadem à virili membro dilatentur & ita ampliores fiant, quæ antea anguſtioribus circumſcribebantur terminis, idque eo magis, quo crebrius repetitur congreſſus, ſive effundatur ſanguis in primo congreſſu quod fit interdum, ſive non fundatur perinde eſt. Hæc enim tanquam Eſſentialia ad virgines non pertinent. In hac ergo minore, nempe vel majore orificii uteri externi, & ipſi continuatæ vaginæ anguſtia, vel in majori aut minori amplitudine *naturalis & phyſica conſiſtit virginitas.* Nam non aliud deflorationis indicium deprehendere potui, dicit PLATERUS *lib.* 3. *obſer.* quam quòd introitus orificii ex dilatatione illa amplior fiat, & quod maturæ virgines ex venis frictione venereâ in coitu reſeratis ſanguinem interdum profundant (non ſemper.) Ad hanc ipſam genitalium adſtrictionem & anguſtiam præ cæteris pertinet *carunculorum myrtiformium*, poſt orificium Uteri in introitu ſitarum *cohæſio* & nexus mutuus per membranam ſuis vaſculis minutulis inſtructam. Hæc enim membrana ex iſtis carunculis unitis nata, reverà eſt decantatum iſtud virginitatis & infallibile, ubi adeſt, ſignum, quod aliàs *hymen* appellatur. Non autem converſim ubi abeſt virginitas læſa ſtatim exinde concludi poteſt: cùm mille caſibus vitiari & lædi hæc ipſa membrana poſſit.

Hæc ergo membrana tranſverſa collo ſ. vagina uteri poſt inſertionem cervicis veſicæ urinariæ ſitæ aliquando tenuior aliquando craſſior, ſi divaricatis pedibus & diductis pudendi labiis introſpiciatur ipſa extenſa figurâ lunari ſ. lunæ creſcentis in latere quodam ſuperiore perforata conſpicitur. Quòd ſi verò adductis cruribus labia denuò concidant aut & ipſa iſta membrana corrugata carunculas quaſdam repræſentat, ut exactè hanc hymenis ſic dicti conſtitutionem & obſervavit & deſcripſit PANAROLL. *Pent.* 5. *obſerv.* 50. ſ. ult.

Membrana ergo hæc anguſtior in coitu primo ſtricturam orificii & impedimentum auget: unde ejus violentiore laxatione & diſtenſione aliquantulum ſanguinis in tenuioribus nonnihil aut quæ nimis mentulato ſubſternuntur, erumpere ſolet. Præter hanc etiam carunculam (à cujus coarctatione conſtrictio meatus) non eſt alia membrana poſt carunculas iſtas obtruſa, niſi errore forſan naturæ id contingat nonnunquam, quâ ratione etiam *imperforatæ* tales reperiuntur, quibus pudendi labia membrana obducta concluſa reperiuntur. Sed de hoc & aliis virginitatis ſignis præter PINÆUM *tract. de virginitatis ſignis* in ſpecie conſulendus eſt PAULUS ZACHIAS *in ſuis erudittiſſimis quæſtionibus medico-legalibus lib.* 4. *ſect. tit.* 2.

Poſt amiſſam per congreſſum virginitatem & inde

ſæpius

ſæpius factum conceptum, inter alias corporis mutationes etiam una inſignior *in mammis* contingit: dum non tantùm in defloratis *color papillarum lividus* reddatur, ſed etiam ipſæ mammæ, quæ in virginibus rotundæ, erectæ, duriuſculæ & minores contrectantur; in defloratis molliores, majores & flaccidiores magisque pendulæ ſucceſſivè fieri ſolent, quin & *lac* in iis ſucceſſivè ſe monſtrare ſolet. Hæc tamen *lactis præſentia non ſtatim eſt infallibile deflorationis ſignum*, cum ex menſium ſuppreſſione ac in mammis coacervari in innocentibus queat, ut jam ſuo tempore docuit HIPPOCR. *ſect.* 5. *aphoriſm.* 39. ubi ſcribit, mulieri, quæ nec prægnans nec puerpera eſt, habeat tamen lac, menſes ſuppreſſi ſunt. Sed etiam in tenellis infantibus & puellis brevi poſt egreſſum ex utero matris interdum obſervatum fuit lac ex mammis ſtillans. Id quod obſervationes medicæ teſtantur: Ut taceam viris lac interdum ex mammis emulgeri paulò carnoſioribus. Quin & BARTHOLINUS *in ſua Anatome* recenſet de familia quadam nobili in Norvvegiâ, cui hæreditarium fuit, ut etiam intemeratæ virgines ſimul ac puberes fierent, lac in mammis generârint. *Semel amiſſa virginitas denuò in integrum reſtitui nequit* (factum enim infectum fieri nequit,) Nihilominus adſtrictio genitalium artificioſa virginitatis veræ æmula, quin progenerari poſſit, nullum eſt dubium: quæ ipſa artificialis adſtrictio præter hunc uſum ut diſſimuletur commiſſum ſcelus, etiam interdum hûc in finem neceſſaria eſt, ut poſt partum dum nimis dilatata ſunt genitalia, eadem denuò adſtricta ad naturalem tonum redeant, ut viris poſtmodum gratiores fiant denuò puerperæ. Conducunt ergo hîc imprimis balnea, fomenta, inſeſſus & ſimilia ex adſtringentibus parata, quæ inter primatum obtinet *rad. ſymphyti majoris*, de qua obſervationem habet non inelegantem HECHSTETERUS *decad.* 3. *conſil.* 5. *in ſcholio*: ubi obſervat balneum ex decoctâ rad. ſymphyti majoris factum mirè anguſtari virginalia, præter hanc radicem aluminoſa imprimis conducunt in decoctis adſtringentibus diſſoluta vaginæ uteri injecta, v. gr. diſſolvitur alumen in decocto plantaginis, quod injicitur in vaginam uteri & etiam tanquam fomentum externè applicatur.

Alii ℞. fol. quercus.
fol. plantaginis ana mj.
rad. conſolid. majoris ℥iij.
Gallar. contuſar. ʒj.
Aluminis contuſi ℥ß.
Coquantur in ſ. q. aquæ ſimplicis.

Decoctum per ſyringam injiciatur in vaginam uteri aut eodem decocto imprægnata ſpongia aut linteolum externè applicatur: aut ipſi intinctus peſſus minor immittatur: In talibus decoctis commodè etiam *rob. acaciæ noſtratis immaturæ* diſſolvi poteſt ad q. ſ. Hoc etiam miram adſtringendi facultatem partes membranoſas obtinet. Conducit hic etiam *Alchimilla*, cujus decoctum vapore tenus in vaginam ſuſceptum inſigniter virginalia anguſtat. *Mammas* quod attinet ut & hæ denuò fiant virgines, conducit imprimis fotus cum aqua *pini viridis* per alembicum deſtillata, qua aquâ veſperi laventur mammæ & ſpontè exſiccentur & mirè laudatur. Item decoctum alchimillæ pro fotu applicatum mirè conducit. In ſpecie mammillas flaccidas duriores reddit, ſi fomententur calidè per 50. dies decocto matricariæ & alchimillæ. Denique pendulas mammas erigit pannus lineus in decocto *Gallitrichi ſ. Sclareæ*, de qua ſupra, madefactus, mammiſque ſuper impoſitus. Dixi ſuperius amittere virginem virginitatis coronam per congreſſum cum viro. Cauſa hujus congreſſus impellens & ſtimulus eſt APPETITUS VENEREUS NATURALIS: Cujus vitia ſunt: quando vel *eſt imminutus* in quibuſdam aut planè nullus, vel quando eſt *nimis auctus* adeò ut omninò in FUROREM ſic dictum UTERINUM degeneret. Quos appetitus antequam dilucidemus, removenda ſunt imprimis duo vitia, quæ ſi non ſubinde ſimul ad venerem ſtimulant, ſaltem ad ſcalpenda genitalia continuò impellunt & ſunt PRURITUS & PUSTULÆ PUDENDORUM & UTERI. PRURITUM quod attinet PUDENDORUM ſ. ſinus pudoris quid ſit per ſe patet, Eſt ſcil. pertalis titillatio, in labiis pudendorum & vaginâ uteri, quæ continuum ſcalpendi & vellicandi deſiderium excitat. Hoc præterquam quòd à fæminis ſpontè manifeſtatur, ipſæ vix poſſunt celare cum ſæpiſſimè manus genitalibus admovere ſoleant, aut pedes ſucceſſivè mutuò attollere, aut ſimiles motiones exercere ſoleant. *Pruritus pudendorum.*

CAUSAM hujus pruritus credo eſſe humorem illum ſalivalem, qui per lacunas labiorum in coitu excerni ſolet, qui ipſe retentus diutius, cùm ſit reverâ quædam lympha, ſi evadat acrior aut ſalſior aut nonnihil acidior, talem pruritum in locis excretionis ſuæ vicinis inducere ſolet. Unde & interdum eſt ut adſit pruritus uteri cum ſupervenienti ſeminis ejectione, quale exemplum refert MANARDUS *lib* 13. *Epiſt.* 5. Hinc & vetulis frequentior contingit pruritus talis quàm junioribus: adeſt interdum ſimul coëundi libido, utut hæc ipſa ſæpius abſit, interdum diu durat hoc malum ac difficilius curatur. Refert namque ZAC. LUSIT. *lib.* 2. *prax. admir. obſ.* 83. talem pruritum uterinum diuturnum & ferè incurabilem factum, tandem cauſticis ſ. fontanellis duabus in femoribus excitatis fuiſſe curatum. Malum hoc interdum eſt adeo moleſtum, ut continuo pruritu ſomnum etiam impediat, aliàs per ſe periculo vacat.

Quod attinet

CURAM.

Præmiſſis ubi opus fuerit *laxativis* aut *ſudoriferis*. Item alterata nonnihil ubi opus fuerit lymphæ acrimonia per ſerum lactis cum infuſione fumariæ, cichorii, rad. polypod. & ſimilium ad externa *Topica* faciendus eſt acceſſus, quæ inter imprimis convenit linimentum factum ex lythargirio auri, quod per diem & noctem in aceto acerrimo maceratum fuit, ſi hujus recipiatur ʒj. & miſceatur cum olei violacei ℥ß. vel ℥j.

Exinde enim imprimis ſi ducantur in mortario plumbeo fit linimentum molle, ſecretum expertum HELIDÆI. In tali uterino pruritu conducit etiam acetum in quo ſolutus ſit ſaturnus calcinatus: Tale enim acetum edulcoratum pro lotione pudendorum applicatum inſigniter conducit. Alii uſurpant acetum per alembicum plumbeum deſtillatum pro ſimili pruritum curandi ſcopo. Sin contumacius fuerit malum, tunc fiat unguentum ex part. j. unguenti de tutia & parte dimidia olei hyoſcyami: Hæc duo ſubacta in mortario plumbeo illinuntur labiis pudendi ad ſedandum pruritum. Ubi contumacius adhuc fuerit malum.

Recipiatur *unguentum enulatum* & miſceatur c. mercurio dulci addendo oleum nicotianæ, ſicque fiat linimentum contra nimium uteri pruritum.

PARÆUS refert in *ſuis ſcriptis Chirurgicis* ſe aliquando talem uteri pruritum curaſſe beneficio *unguenti Ægyptiaci*, quod tamen per ſe ſatis acre eſt. Poſt pruritum uteri ſimplicem ex ſimili forſan vitioſa ac nimis acida reddita lympha CORROSIO IN LABIO PUDENDI AC SINU PUDORIS, HINC FURFURES, PUSTULÆ, AC DENIQUE PUDENDORUM SCABRITIES interdum oriri ſolet, adeſt ſimul intenſus pruritus, interdum ſimul coëundi deſiderium. *Pudendorum ſcabrities.*

Quod ſi poſt contactum venereum cum perſona ſuſpecta ſuperveniant tales puſtulæ ac ſcabrities, eæ à contagio gallico acido maligno originem ducunt, quæ ipſæ inſignem non rarò dolorem adjunctum habent: quæ ipſæ puſtulæ malignæ quandam habent ſpeciem,

quæ

quæ vocatur EPINYCTIDES, quarum dolor admodum urens eſt,& inſigniter intenſus & qui longè excedit proportionem magnitudinis puſtulæ, neque enim faba majores nunquam viſuntur hæ Epinyctides, ſæpius ſunt minores ſcabræ ſ. furfuraceæ. Malum hoc ſ. puſtula tam tactu ægrarum quam adſpectu Chirurgi facillimè per ſe cognoſcitur.

Præter univerſalia interna *noduli laxantes* c. rad. bryon. & eſulæ parati. Item præter *mercurialia* & quæ ex lignis ad impugnandam luem veneream uſurpantur remedia: præter inquam talia imprimis conducunt externa *Topica*, quæ inter in ſpecie eſt decoctum calcis vivæ, cui additum ſit ſacchar. ſaturni, aut ubi contagium malignum eſt ſuſpectum, loco ſaturni addatur mercurius dulcis. Item SENNERTUS habet miſturam compoſitam,quæ mirè commendatur; Compoſitio eſt hæc:

℞. Aloës,
Myrrhæ ana pondere quantitatis ciceris, viridis æris ſ. ut vocat,floris æris dimidii ciceris: his adde
Vini albi.
Aqua roſar.
Plantaginis ana ℥j. Miſceantur.

Hæc miſtura injiciatur, aut eadem abluantur puſtulæ. Remedium hoc inſigniter commendat CASTRO in ſuo tractatu *de morbis mulierum*, utpote quod ipſum etiam ſine omni nocumento præter puſtulas omnia ulcera partium pudendorum ſanet & emendet, ſi per ſiphonem injiciatur. Sequitur poſt hanc *lib. 4. prax.* alia injectio, quæ conducit, ubi malum eſt à lue venerea. Alias ad furfures & puſtulas conducit etiam unguentum factum ex melle cum myrrha, cui alumen ſit additum. Denique unguentum album camphoratum c. oleo tartari p. d. in benignis c.mercurio dulci in malignis imprimis conducit, ſi poſt iſtas lotiones inungatur. Denique ſi contumaciores ſæpius verè pullulantes fuerunt hæ puſtulæ, tunc ad eas eradicandas commendat CASTRO, ut aperiantur fonticuli tum remedium utut ſit palliativum forſan etiam impoſtorium, nihilominus tamen interdum contuliſſe obſervatum fuit. Superius egimus de pruritu ac puſtulis pudendorum uteri, à quibus ipſis interdum per accidens excitatur appetitus venereus. Pergimus jam ad

APPETITUM VENEREUM LÆSUM. Sive AUCTUS fuerit ſive omninò quod rarius fit, ABOLITUS. Et quidem præſupponendum eſt ante omnia,in quonam conſiſtat venereus mulierum appetitus? ſ. quomodo fiat? Id quod coincidit cum conſtitutione ſcil. in quo conſiſtat delectatio mulierum, quam in congreſſu experiuntur.

Teſtes hic eſſe *inſontes* certum eſt,qualecunque etiam teſtium ſit officium, hi ipſi, ut dico, ſunt inſontes in appetitu venereo. Nam hi ipſi ſunt inſenſiles non ſecus ac in viris: unde iidem ad venerem minus laceſſere poterunt. Nec *uterus membranoſus* hîc incuſandus eſt, utpote cujus ſenſum nullum negante neque in coitu percipiunt fœminæ, niſi nimius dolor in quibuſdam affectibus eundem corripiat.Potius id quod in congreſſu voluptate afficitur eſt etiam id cujus titillationis quodam ſtimulo in appetitum ruunt fæminæ & hoc ipſum eſt uteri orificium internum ac clitoris; hujus enim tenſi ad inſtar penis parvi erecti frictione in actu venereo mirè delectantur fæminæ, adeo ut affluentibus hinc cum ſanguine per arterias & nervos ſpiritibus liquor ſeminalis in uteri orificio interno turgeſcens erumpat. Cujus orgaſmo & eruptione, ut venerea voluptas ſummè augetur,ita non ſecus ac in viris etiam poſtmodum ceſſat. Forſan huc ſimul etiam aliquid facit ſaliva iſta ex labiorum pudendi lacunis unà effluens.

Appetitus ergò & deſiderium veneris fit, quando materia iſta ſeminalis in orificio uteri interno turgeſcens impenſius efficit, ut clitoris exinde tendatur & erigatur. Unde ſingularis iſtarum partium ſenſus & quaſi obſcura titillatio emergit, quæ non ſecus ac in ſexu maſculino coitum urget, in ſalacibus etiam *ſatyriaſin* efficit. Læditur hic appetitus venereus, ſine quo aliàs nemo hominum facilè ad tam fœdam actionem ſe accingeret vel

1. Quando eſt IMMINUTUS AUT IN TOTUM ABOLITUS. Qualia exempla per totum aboliti appetitus venerei ac deficientis omnis in coitu voluptatis recenſentur à PLATERO *lib. 1. obſerv. p. 260.* Ubi habet fæminas nunquam à natura ad venerem ſtimulatas nec unquam in coitu cum maritis celebrato delectatas.

CAUSÆ VARIÆ equidem eſſe poſſunt: In genere tamen referendæ eò, quòd vel omnimodum defectum vel paucitatem ſaltim liquoris ſeminalis minus ſpirituoſi inſequantur.Unde & tales fæminæ *ſteriles* deprehenduntur.

Deinde ſcorbuticæ quædam confirmatæ & ipſæ minus ad venerem inclinant (ſcio aliquot exempla.)Item in gonorrhæâ nothâ ſ.fluore albo mulierum etiam pauca & nulla in venerem eſt propenſio.Denique ubi nulla eſt in venerem voluptas, utut rariſſima ſint talia exempla, ea tamen ex vitio conformationis oriri arbitror, quo etiam pertinet CASTRATIO: Cùm certum ſit fœminas brutorum factâ in latere inciſione caſtrari extractis teſtibus in extremitate cornuum uterinorum ſitis: Hanc in fœminis etiam poſſibilem eſſe arbitratur PLATERUS in *cit. ſupra loc.* Factam eandem ex aliis refert SENN. *lib. 3. prax. cap. de Appet. veneris læſo.* Quæ ipſa tamen caſtratio fœmellarum an appetitum venereum ex toto poſſit delere,ferè dubito: Nam & EUNUCHI viriles infœcundi licet, voluptate tamen non carent venereâ aut ſtimulo, dum liquor proſtatarum loco virilis ſeminis ipſis quodammodo ſatisfacere poſſit,cui analogum puto liquorem iſtum ſeminalem fœmellarum ex uteri orificio interno glanduloſo emanantem,hunc ipſum adhuc ſufficientem puto,qui eas ſtimulet ad excretionem veneream.

SIGNA.

DIAGNOSTICA recenſentur ab ipſis fœmellis:PROGNOSTICA ſunt nullius momenti,niſi quod ſteriles eſſe ſolent fæminæ, quæ nullam perſentiunt in coitu voluptatem aut appetitum venereum.

CURA.

Niſi vitium ſit à conformatione nativâ inſtituenda per aromatica volatilia, quæ acrimoniâ ſuâ volatili turgeſcentiam quandam in liquore ſeminali excitare valent, ſuppeditando ſimul alimenta euchyma illius copiam præbentia. Tertio ſi adſit morbus primarius, ſcorbutus, fluor albus, &c. hic ipſe ante omnia erit removendus.

Inter remedia ſunt eadem atque ſuperius de viris laudavimus.

Inter alia RIVERIUS *obſ. 19. communicata à* PACCHEQUO habet electuarium non inelegans,cujus experientiam ipſe fecit ad ſtimulandam in fæminis venerem.

Externa imprimis ex *formicis* ſunt petenda: ſcil.fiat balneum ex formicis cum earum cubili collectis, cui balneo inſideat fæmina,& ſacculo iſto formicarum cubili repletum pudendis admoveat. Item fiat inunctio, pubis & pudendorum regioniſque uteri cum oleo formicarum volantium(ſunt enim formicæ,quæ alas tandem acquirunt & avolant) id quod commendatur à RIVERIO *l. c. ſuprà.*

Item olea aromatica zibetho & moſcho miſta, aut balſamus apoplecticus inungatur genitalibus in ſpecie Clitoridi.

Appetitus veneris nimius ſalacitas dictus.

Contrarium abſtinentiæ venereæ in appetitu læſo vitium eſt NIMIA APPETENTIA VENERIS, quæ aliàs SALACITAS, item SATYRIASIS appellari ſolet: Non ſecus enim ac in viris

penis

penis ita in talibus fæminis Clitoris tenſus turgidusque eſſe ſolet: affectus talis, in quo continuo veneri inhiant & inſtar Meſſalinæ laſſari potius, quàm ſatiari volunt. Extremus hujus gradus UTERINUS FUROR appellatur, dum malum nimirum eò usque exſurgit, ut delirium tandem inferat ad maniam blandiorem & mitiorem accedens, idque oriundum ut dixi, ex nimio veneris deſiderio.

Affectus hic furoris Uterini tàm virginibus, quàm maritatis accidit, quarum ſcil. mariti aut ægrotant aut peregrè abſunt: item viduis, magis tamen iis, quæ jam guſtarunt aliquoties veneris delicias, quàm virginibus.

In hoc affectu furoris Uterini fæminæ fiunt garrulæ, loquaces, interdum vociferantur & jubilos edunt, inquietæ ſunt & vix intra domus ſe continere poſſunt, quin foras ſe proripiant & interdum per plateas vagantur, iracundæ ſunt & non rarò obviam venientes in ſpecie viros aggrediuntur, quos ad venerem interdum ſollicitant, renuentes v. verbis interdum, interdum verberibus malè puniunt: In ſpecie inconditis ſermonibus ſuis multa & varia de rebus veneris interſerunt & cuicunque argumento ſemper aliquid de concubitu intermiſcere ſolent: interdum frequenter contrectant genitalia: Imò laſcivius interdum in præſentia virorum ſe denudant.

Congreſſus ſæpiùs repetitus nervosè citra ullum aliud remedium tales fæminas optimè curat. Inter alia SCHENCKIUS *in obſ.* de Maniâ refert, quandam mulierem furore uterino percitam hinc inde per plateas oberraſſe & mares ad concubitum ſollicitaſſe, idque diutius donec tandem in Taberna maritoria unâ nocte à 15. viris fuerit compreſſa, unde optimè ſanata manè domum rediit. Simile exemplum habet BARTHOLINUS *cent. 2. hiſt. 69.* Et hinc inde talia apud auctores leguntur.

In perſcrutanda furoris Uterini natura duo ſunt conſideranda:

1. Quidem ipſa veneris exercendæ appetentia ſ. *ſalacitas.*

2. Adjunctum inſigne *delirium*, quod mitior quædam maniæ videtur ſpecies

In genere affectus hic ſimillimus eſt œſtro iſti venereo, quo bruta certis anni temporibus percita ſimili furore in venerem ruunt. Nam reverà brutalis quidam impetus eſt in his fæminis, quæ ita contra honeſtæ rationis dictamen ex præternaturali ſtimulo in venerem ruunt, ſicut bruta ex vehementi ſed naturali certis anni temporibus accurrente ſtimulo in eam feruntur. Sicuti autem hic brutorum furor eſt ex turgeſcentiâ quâdam ſeminis, quâ partes genitales fervidiores redditæ veneream titillationem concipiunt, unde etiam quædam bruta, v. gr. canes luxuriantes materiam aquoſam & nonnihil mucilaginoſam ſpontè & continuò per genitalia effundunt: Et talibus per ſanguinem & lympham à genitalibus refluum ſimili fermentatione maſſa ſanguinea reliqua turgeſcit & efferveſcit uberius: Unde ſucceſſivè ſpiritus animales concitatiores & volatiliores fiunt, à quibus velociùs in cerebro ſimul ferveſacto agitatis, accedente iſto pruritu venereo, tàm inſignis in venerem impetus conſequitur: ſimiliter ſe res habet in mulieribus, quæ materiâ propriâ ſeminali quaſi turgidæ aut gravidæ Ciſtâ ſcil. quæ per orificium Uteri internum & per lacunas excernitur, quocunque etiam in loco generetur aut coacervetur, ſive in teſtibus (quod vix credo) ſive in Utero hujus materiæ excitato orgaſmo & fermentativa turgeſcentia accedente ſimul forſan acrimonia ejus volatili, ex quodam blando in genitalibus vellicationis aut titillationis ſenſu fæminæ prius in veneris deſiderium auctum incidunt, idque imprimis ſi anteà conſuetæ fuerint congreſſui, aut habuerint pollutiones ordinarias, quæ utraque ubi deficiunt, tunc Clitoris ſimul in iſto orgaſmo tenditur, & turgidum veneris deſiderium magis magiſque incendit. Nam hanc Clitoridem manifeſtè tumere & in furore uterino phlogoſin quaſi quandam concipere aſſeritur in *Epiſtolis* BARTHOLINIANIS *Cent. 3. Epiſt. 94.* Jam verò occaſione venereæ hujus titillationis ſpirituum animalium in cerebro excitatur motus, cujus occaſione anima concipit actum venereum; quo motu diutius & vehementius continuato, tandem inordinatio quædam ſupervenit, unde delirium, ſed venereum excitatur.

Effectum hunc obſcurum nonnihil declarant pollutiones nocturnæ virorum: In his enim turgeſcente ſemine in genitalibus, excitatur talis ſpirituum animalium motus, unde exinde referatur ſomnium exercitii venerei vel aliud ſimile, unde ſeminis tandem fit excretio. Jam verò *deliria ſunt vigilantium ſomnia, & ſomnia ſunt dormientium deliria.* Unde ſicut ſe habet ſomnium in pollutione nocturna virorum; ita ſe habebit delirium diurnum in furore muliebri uterino. Cæterùm non dubium eſt ex turgeſcente iſto & fermentante ſeminali liquore per ſanguinem & lympham refluis, alterari ſimul maſſ. ſanguineam & ejus actiorem fieri efferveſcentiam ut ex volatilioribus hinc ſpirituum animalium agitationibus talis audacia, aggrediendi conatus & ſimiles exorbitantiæ in fæminis ſequantur, Imò inſolita corporis incaleſcentia exinde ſequi ſolet.

QVOAD CAVSAS externas quicquid iſtum ſeminalem liquorem vel augere, vel inturgeſcentiam inſolitam concitare poteſt huc facit: qualia præter aſſumpta varia ſunt vita curis vacua, &c. SENNERTUS refert de morbis mulierum obſervatum fuiſſe quandam fœminam ex hauſtu vini hypocratici, in quo aliquantulum *Borracis* diſſolutum fuit, hoc malum incurriſſe: aliis idem acciddiſſe poſt congreſſum cum viris, qui ad augendam voluptatem virile membrum Moſcho & oleis calidioribus inunxerunt. Præ cæteris moniales obnoxiæ ſunt huic paſſioni, cum ordinaria remedia non admittantur iis. Et ſanè ſi quod aliud mirabilis Uterini furoris in moniali exemplum *Cent. 3. Epiſt. 39.* BARTHOLINUS ex literis HORSTII refert: Quo referenda etiam ſimilis ferè hiſtoria A. LUSITAN *Centur. 6. Cur. 97.* Furoris Uterini in moniali.

SIGNA

DIAGNOSTICA ex modò dictis ſuprà de habitu mulierum mutato facilè patent.

QVOAD PROGNOSIN periculum eſt ne malum diutius durans (nam per paroxyſmos interdum recurrere ſolet) in perfectam tandem maniam degeneret.

Quoad

CVRAM

iſta, quæ fit per congreſſum, eſt optima; quæ ipſa tamen, cum interdum nolentibus volentibus denegetur, opera danda eſt.

1. Ut ſeminis turgeſcentia inhibeatur, quo ea omnia faciunt; quæ ſingulariter ſemen abſumere dicuntur, & ſuprà in gonorrhæa tàm virili quàm muliebri fuerunt recenſita.

2. Efferveſcentia ſanguinis eſt domanda per venæ ſectionem per blanda præcipitantia & lenia diaphoretica, &

3. Spirituum animalium impetuoſus motus eſt corrigendus & rectificandus, id quod faciunt imprimis *opiata & camphorata.*

Faciunt ergo huc quæ ſuperius dicta ſunt rad. nymphææ albæ ex agno caſto parata remedia. In ſpecie ſalices juniores. Nam dum tempore verno amputantur ſalices teneriores, effluere ſolet ex iis liquor limpidus & aquoſus, qui propinatus aut cum eadem parata quædã maſſa fæminæ data, omnem ad venerem propenſionem

extinguit: quod etiam facit *decoctum ſalicis junioris* aliquoties epotum jejuno ſtomacho: Nam & hoc omnem apetitum venereum cohibet: quin & interdum mulieres omninò ſteriles facit. Hinc ſemen cannabis, viticis & papaveris laudatur. A quibuſdam propterea hæc laudatur Emulſio:

℞. Sem. cannabis ℥ij.
Lactucæ
Portulacæ ana ℥ij.
c. ſ. q. aqu. Nympheæ vel portulacæ.
F. l. a. Emulſio.

Cautè tamen uſurpanda propter cannabim edulcoranda ſyrupo de Nymphæa pro âliquot doſibus. Si addatur aliquid de camphora potentiorem ejus putarem effectum.

℞. Sem. Agni caſt. ℥ß.
c. ſ. q. aq. nymph. F. Emulſio, adde
Sacch. ſaturni ℈j.
camphoræ ℈ß.
M. F. Emulſ. refriger.

De acidis de ſucco citri & limonum granator. & ſimilibus res eſt nota quòd conferant.

Camphora eſt ſpecificum, ſi quod aliud ad hanc paſſionem, & omnia ex camphora parata: Confirmat hoc HORSTIUS *Epiſtol. ad Bartholin. p.* 147. ubi dicit ſe ſæpius expertum fuiſſe in virginibus hoc malo correptis, quod ferè nihil melius contulerit, quàm camphora incenſa & ſæpius in potu ordinario extincta & ita pro potu propinata. Credo hoc ipſum: Nam notum aliàs eſt, quòd camphora in maniâ ipsâ ſit ſingulare remedium: Imò quòd etiam deliria febri malignâ aut febri ardente correptorum egregiè domare ſoleat. Unde camphora tum his omnibus remediis miſcenda, imò præferenda: cùm ſimul habeat vim narcoticam & ſpirituum fixativam.

De *opio* & ejus *Laudano* itidem conſtat, quod conducat in furore uterino, & ſeminis compeſcendo turgeſcentiam & ſpirituum cohibendo motum impetuoſum: Exemplum hujus rei clarum refert BARTHOLINUS *cent. 5. hiſtor.* 85. de muliere, quæ ſubitò furore uterino gravi fuit correpta, curata poſtmodùm per grana ii. Laudani opiati. Alia ut ſacchar. ſaturni, corallia & ſimilia, quæ ſanguinis efferveſcentiam ſimul compeſcunt non ſunt omittenda, ſed diligenter uſurpanda: quin & bolum ex therebintina ad evacuandam materiam ſeminalem commendat RIVERIUS.

Externè conducunt balnea ex Mandragorâ, Solano, portulaca, ruta & ſimilibus uſurpata. Cicuta quacunque ratione applicata genitalibus vel folia vel ſuccus, imprimis commendatur. Alii laudant *mercurialem* cum *lenticulâ paluſtri* ſub forma cataplaſmatis pectini & lumbis impoſitum. Denique ſuccus agni caſti, ſalicis, lactucæ c. aceto & camphora genitalibus & lumbis utiliter applicantur.

Hæc de virginitate & appetitu, pergo ad

CAPUT III.

DE AFFECTIBUS TOTIUS, QUI FÆMINIS ex vitio uteri contingere dicuntur.

(NAm modò dictum caput huc manu nos ducit.)

Cùm videamus, quàm ſeminalis liquor, & ſub pubertatis annis naturaliter conſtitutus, & in quibus abundat & præternaturaliter turgeſcit, totum corpus immutet, meritò accedimus ad iſtos affectus, qui uteri vitio fœminis accidere putantur.

Putantur dico, reverà enim non ſunt ex utero, ſed fiunt aut vitio liquoris ſeminalis corrupti, vel alio modo alterati, aut vitio menſium ſuppreſſorum nec ritè fluentium. Uterus enim ceu vaſculum membranaceum raris nec adeò crebris affligitur paſſionibus iiſque ſaltim communibus cum aliis aliarum partium particularibus affectibus, uti ſunt inflammatio, ſcirrhus, tumor aquoſus, dolor, & ſic porrò, à quibus non major ſequitur corporis alteratio, quam ſi eædem paſſiones alias partes occuparent. Nec habet uterus commercium cum aliis partibus, niſi beneficio nervorum ex plexibus meſenterii oriundorum. Unde ſi qui per conſenſum ex utero ſunt affectus, hi ſolum erunt ſpaſmodicæ convulſiones in abdomine. Unde dolores oriuntur, quales gravidis ante, in aut poſt partum frequentes eſſe ſolent.

Quando ergo uterus accuſatur à practicis in morbis mulierum abſtruſioribus aut contumacioribus, & infertur eundem eſſe infarctum variis humoribus, unde tam prava exſurgant miaſmata: aut quando in temperiebus quàmplurimis laborare dicitur, tunc profectò cauſam non cauſam proferunt, & ſaltim pallium affectui quærunt.

Unde etiam *regimen* iſtud, *quod ex utero ſingularis Monarchiæ in totum corpus* ſtatuit HELMONT. inter ſuaves ejuſdem proprio arbitrio efficτas hypotheſes referri debet.

I. Ergo quod ſeminalem attinet materiam (ubi ſemper intelligendum volo non liquorem quendam in teſtibus contentum aut elaboratum (hoc enim quàmmaximè dubium eſt imprimis, ſi aſſeramus *teſtes eſſe ovarium*) ſed potius intelligo talem humorem, qui in coitu excernitur, & imprimis in orificio uteri interno glanduloſo elaboratur, ibique aut generatur aut coacervatur,) ſi inquam talis materia retineatur aut coacervetur, ſicuti turgeſcendo aut ſtimulando dat ſatyriaſin ipſumque uterinum furorem: ita non dubium eſt, ſi & hæc ipſa materia diutius ſupprimatur, quò minus conſuetis aut pollutionibus aut congreſſibus excernatur, quod ex retentione diuturna inſigniter alteretur, quin & mutata tandem omninò depravetur, ita ut poſtmodum inſignes totius corporis mutationes inferre poſſit.

Has inter corporis mutationes 1. eſt COLOR PALLIDUS VIRGINUM ſeu CHLOROSIS, quæ alio nomine etiam FEBRIS ALBA virginum item ICTERITIA ALBA appellari ſolet, & malè ab auctoribus ferè omnibus cum cachexia muliebri, quæ menſium ſecum trahit ſuppreſſionem confunditur. In qua poſteriori cachexia, quæ nihil habet peculiare, mulieres non ſecus ac viri cachectici etiam pallidæ & decolores fieri ſolent. Nam hæc cachexia poſterior ex equo omnibus mulieribus competit, quocunque in ſtatu fuerint, tam virginibus quàm maritatis, tam junioribus quàm vetulis; Et hanc cachexiam, quam mulieres cum viris habent communem, inſequitur tandem menſium ſuppreſſio. Sed hæc ipſa cachexia non eſt chloroſis ſ. febris alba virginum, nam & nominis appellatio monſtrat eſſe hunc affectum proprium aut virginibus aut viduis aut ſimilibus extra viri conſortium viventibus. Tales pallent aut ſub livido potius colore tincti apparent, imprimis ſub oculis coronam quaſi ſub cœruleam habere ſolent, anxiæ ſunt, & non rarò triſtes citrà manifeſtam cauſam, menſes non ſemper ſuppreſſi ſunt, ſed fluunt ſæpius ſtatis temporibus, donec malo ulterius procedente, tandem & illi emaneant. *Chloroſis.*

Febricula ſæpe adeſt lenta, & quodammodo inordinata, obſcura tamen & ægris ipſis vix ſenſilis. *Pulſus* ſunt inæquales. Tales vulgò putantur laborare vitio uteri tali, quod contrahitur ex menſibus ſuppreſſis: ſed ſi hoc (ſi inquam menſium ſuppreſſio ſit cauſa hujus affectus) quare tales juvat & feliciſsimè reſtituit congreſſus cum viro, idque eò certius quò crebrius hic ipſe reiteretur, habitâ ſimul circumſtantiarum ratione, ſanè congreſſus quà talis ad ſanguinis cachexiâ in genere & hinc menſium ſuppreſſionem curandam

parùm

parùm aut nihil facit. Dico potius cum LINDANO non ſtatim cachexia vulgari laborant fœmellæ quæ pallent; Nam ſæpius virgines admodum pallent, & tamen non laborant menſium ſuppreſſione, ſed potius volunt tales cohabitare viro: ſcil. vitium eſt in liquore ſeminali ſuppreſſo, indeque alterato & nonnihil corrupto.

Locuti ſumus ſupra de morbo iſto, qui vocatur FEBRIS ALBA VIRGINEA, & dictum fuit non confundendum eſſe illum cum cachexia vulgari utrique ſexui communi, &c. ſed potius vitium eſſe in liquore ſeminali alterato & nonnihil corrupto: pergo jam:

Cujus corrupti vitium ſucceſſivè maſſ. ſanguineæ communicatur, quod ipſum inſtar fermenti & hanc corrumpit, unde & reliqui hinc ſecernendi ſucci uti & lympha corrumpuntur: Hinc ſucceſſivè majores calamitates & citrà ullum diætæ vitium talis puellæ tandem ſequitur malus habitus, cui tandem neceſſariò menſes ſuppreſſi ſuperveniunt. Nam uti ſeminalis liquor naturaliter conſtitutus ſub pubertatis annis ſingulariter corpus fœmineum alterat, & alacritatem, robur, venuſtatem & ſimilia cum menſtrua fermentatione & mammarum ſororiatione conciliat: Item ſicut idem ſemen luxurians, impetum quendam plus quàm humanum, furioſum & quaſi brutalem conciliat, idque per auctas ſanguinis ſpirituaſcentias: Ita è contrario retentum idem & corruptum ac alteratum ſimili fermentativa virtute & totum ſanguinem nectat & conſequenter ſpiritus inquinat, alterat & vitiat. Per venerem ergo excretò iſto liquore, & à ſpiritu genitali virili novo quaſi fermento genitalibus mulieribus inſpirato, denuò ſpirituaſcit, & impetuoſius fermentare incipit maſſ. ſanguinea & ſpiritus alacriores motuique aptiores totam corporis machinam pererrant. Hinc poſtmodum tales fæminæ per conjugium tandem tam eleganter & formoſæ fieri ſolent, quæ anteà erant pallidæ & decolores ut tantùm non omnibus ſint admirationi. Multum ſanè ad venuſtatem muliebrem juvat moderata venus ſicut nimia hanc ipſam (venuſtatem nempe) ſucceſſivè abſumit. Hæc ergo propriè dicta eſt *febris virginea alba*, iis tantùm fœminis quæ marium conſortio deſtitutæ ſunt propriè competens, quæ minus eſt confundenda cum iſta cachexia, quæ utrique ſexui eſt communis, & à perverſa oritur diæta. Quæ dixi refert etiam PANAROLLUS *pent.* 3. *obſer.* 14. ubi eleganter confirmat, quod talis febris alba ex amore puellarum nubilium oriatur: Unde & per conjugium iiſdem medicandum ſuadet. A liquore ergo ſpermatico retento & diuturniore morâ corrupto etiam vitiari dixi maſſ. ſanguineam & lympham, donec ſucceſſivè ipſi quoque ſpiritus ac reliqui corporis ſucci inquinentur. Hinc ex retento iſto liquore horrendos hyſtericos cruciatus cum tetano totius corporis ac oris torturâ obortas obſervavit PANAROLLUS *pentecoſt.* 4. *obſerv.* 1. qui omnes tamen morbi fuere curati ſuperveniente uberiore liquoris ſeminalis ex utero effluxu: Eſt obſervatio notatu digna, quæ vid. in auctore. Id quod etiam LEMNIUS *de occultis naturæ miraculis* confirmat *cap.* 6. *lib.* 1. qui ex iſtius liquoris retentione fluentibus, etiamnum menſibus virgines adultiores item viduas variis hyſtericis paſſionibus item hac ipſa febri alba conflictari graphicè deſcribit. Facit huc id quod refert DEODATUS *in ſuo valetudinar. p.* 171. qui obſervavit juvenculam mulierem cui poſt obitum mariti cum vidua eſſet reddita, ex retentione excernendorum per coitum vomitus horrendi, omni aurorâ repetentes cum gravi tetano totius corporis per integrum annum fuère moleſti, donec tandem adhibitis appropriatis fuerit reſtituta. Facit huc etiam quod in ſuperioribus diſcurſibus ex Dn. BOYLE monui: *ex phil. experimentali part.* 2. *p.* 73. de virgine quæ ſenſu tactus per totum corpus fuit ſpoliata, retento tantùm motu in omnibus partibus, quæ ipſa poſtmodum fuit curata per alacrem congreſſum. Nec rarum eſt convulſiones graves, varios & epilepticos membrorum cruciatus virginibus, nubilibus, viduis ſupervenire, quatenus irritatis nervis uterinis plexibus convulſis, hi ulterius ſpaſmodicas ſuas convulſiones continuant, & ita ad membra ſuperiora quoque evibrant. Sed rari ſunt tales ex liquore ſeminali affectus imprimis apud nos: nam aut conjugio præveniuntur aut pollutionibus ordinariis ſpontaneis aut nocturno tempore ſupervenientibus aut cum menſium fluxu excretione, tales affectus ferè ſupprimuntur.

COGNITIO horum affectuum & quod ex ſemine oriantur difficillima eſt, & quæ prudentem ac ſolertem præſupponit medicum. Febris alba quidem virginea ex eo ferè cognoſcitur, quòd citra ullum in diæta ſ. ſex rebus non naturalibus errorem & ſucceſſivè inchoaverit, & citrà manifeſtam cauſam ac citrà menſium ſuppreſſionem ita proceſſerit.

Confirmatur tunc conjectura ſimul ex eo, ſi virgo ipſa jam nubilis ſit aut diu talis fuerit: item ſi eadem antea procax & nonnihil liberalior, poſtea ita ſucceſſivè immutata fuerit: Item ſi ſit vidua, quæ viro cum eſſet juncta optimè ſemper ſe habuit jam verò viro privata pedetentim in hanc calamitatem incidit, imprimis ubi aliæ cauſæ vitæ ſedentariæ, curis vacua, converſatio cũ juvenibus & ſimilia alia acceſſerint. Reliqua vitia præter febrim albam virgineam ex liquore ſpermatico oriri præter dictas rationes ex eo imprimis confirmatur, ſi alia nulla adſit vel manifeſta vel ſaltim probabilis cauſa talium affectuum idque imprimis ſ. menſes ſimul ritè fluxerint.

PROGNOSIS talium affectuum eſt facillima: Nam quò diutius durant, eò deteriora inſequuntur ſymptomata & ſic porrò.

CVRAM.

Quod attinet, quid melius quàm jucundo amplexu tàm moleſta exterminare mala? Quod ſi hoc ipſum non liceat ad remedia alia accedẽdum. Verùm pauca admodum ut horum affectuum, ita & remediorum ap. practicos eſt mentio: Eò tamen imprimis quoad judicationes eſt collimandum ut liquoris genitalis ſ. ſeminalis vitium corrigatur, & maſſ. ſanguineæ hinc derivata vitiata craſis emẽdetur, ac denique variis inde ortis ſymptomatis remediis appropriatis obviam eatur. Ut à poſteriori incipiam: ſymptomata horumque truculentiam optimè removent *opiata* ſpecificis miſta. Sed hæc ipſa opiata non curant morbum radicitus, ſed ſaltem ferocitatem ejus palliando occultant.

Quæ ergo ſeminalis liquoris corruptelam corrigere valent, erunt imprimis *camphora* & *camphorata*, quæ non tam abſumunt quantitatem, quàm corrigunt virulentiam hujus ipſius liquoris, hinc & maſſ. ſanguineæ & ſpirituum animalium vitia mirè emendant: Nam ſingulare aliquid in his affectibus latet in camphora; Unde & peſtifera miaſmata tam potenter corrigit, eorumque violentiſſimam ferociam mitigat & obtundit. His adjuncta *ſuccinata* erunt proficua: Nam præter vim corrigendi malignitatem ſeminalem ſal ejus vol. oleoſum ad hyſtericas aliaſque convulſival paſſiones mirum eſt auxilium. *Myrrham* etiam non contemnendi uſus putarim non minus quàm *Caſtoreum*. Denique ex ſaturno parata remedia tam ejus ſal ſ. Saccharum quàm c. ſpiritu nitr. aut ſolo aut c. aceto diſtillato acuato, tam ex nimio quàm ex minerâ ſaturni parati cryſtalli: Hi enim & vitioſos ſapores ſuccorum corporis corrigere & præternaturales ſanguinis efferveſcentias potenter compeſcere valent. Moderata acida ex *citro* imprimis petita, item ex *granatis* aut *cydoniis* erunt proficua. His intermiſcenda ſemen extinguentia dicta ut ex vitice, ſalice, cannabi ac ſimilibus elicita medicamina. Forſan & *Balſamica*, *Terebinthinæ* vis genitalibus locis imprimis dicata erit non inutilis.

Ven.ſectio denique ubi opus fuerit interdum cum prudentia inſtituenda: imò habita circumſtantiarum ratione repetenda erit. Verùm cum raro occurrant tales affectus eorum, medelam vel primariam innuiſſe ſufficiat.

Altera ſpecies affectuum utero vulgò adſcriptorum oritur ex menſium impeditâ excretione: Exinde enim mirabilium malorum procella fæminis imminere ſolet. Hos inter 1. refertur

Cachexia muliebris. *CACHEXIA MULIEBRIS* eadem omninò cum cachexia in genere ſic dicta, de quâ alio loco & tempore jam actum fuit: niſi quod in muliebri ſexu ſimul adſit ſemper menſium ſuppreſſio. Hæc ipſa menſium ſuppreſſio vulgo quidem iſtius cachexiæ habetur cauſa cum potius ſit iſtius effectus. Habitus enim ſanguinis cachecticus & cacochymicus à naturali ſalina volatili craſi deficiens & in maſſam crudam ex cacochylia degenerans eſt origo, quod deficiat ſanguinis fermentatio menſtrua, & hanc ſubſequens debita excretio: Rectè enim inquit RENEATINUS *in obſer.* 59. In fœdis mulierum coloribus ſupprimuntur menſes utplurimum à cruditatum copia, quæ ſanguificationem pervertens myriadem ſymptomatum invehit. Curate E. cachexiam communi more per vomitoria, & hinc alterantia, primariò martialia deinde aromatica, & leves hinc addite menſibus ſtimulos, tum promptè hi ipſi & ſponte quaſi erumpent. Certum interim eſt, quòd menſes ex quacunque tandem cauſa ſupprimantur, mille malis mulctare ſoleant fœmellas in ſpecie ſi actu fluentes ex terrore vel alia quadam ſubitanea cauſa ſupprimantur. Sic enim non tantùm pleuritides, anginas, uteri inflammationes, epilepſias & ſimilia inducunt mala, ſed omni menſtruâ periodo, dum turgeſcere ſolet ſanguis & tamen per loca conſueta erumpere nequit, miras ludere ſolet tragœdias: ſuperveniunt picæ & inſolitæ appetentiæ, diſponuntur mulieres ad periculoſas paſſiones hyſtericas, ſuperveniunt epilepſiæ ac ſtupendæ interdum convulſiones, tandem melancholiæ ex utero dictæ, ſimiles omnino melancholiis hypochondriacis: ſuperveniunt ſcirrhi & tumores viſcerum in ſpecie lienis: Tunc mala omnia ex ſplene eſſe dicuntur, cum potius ex morbo primario alio tanquam productum dependeat lien affectus.

Cephalalgiæ inſanæ & contumaciſſimæ, item pulſationes ac palpitationes tam in corde, quàm in aliis corporis locis ſunt frequentiſſimæ, in ſpecie quidem in dorſo & lumbis & hinc in hypochondriis: Et quæ alia ſimilia quamplurima mala hinc ſequuntur, donec tandem corrupto ventriculi fermento digeſtivo & vitiato bilis balſamo, ac denique degenerante ſucci pancreatici præcipitante virtute, variformes Cachexiæ, Icteri, Leucophlegmatia, hydropes & neſcio quæ non mala menſium ſuppreſſioni tandem ſuperveniunt.

CAUSAM horum ſymptomatum omnium modo dixi eſſe ſuppreſſionem menſtruam: Nam hinc eſt quod mala hæc exaſperari ſoleant, omni menſtruâ periodo, eaque atrocius affligere, quo diutius ſuppreſſa fuerit, donec obliterato omninò typo continuam paſſionem aut erraticas & inordinatas exaſperationes inferant. Utut autem ex omni menſium ſuppreſſione talia ſequantur ſymptomata, in ſpecie tamen hæc oriuntur, ſi ex improviſo fluentes menſes ſupprimantur: Hæcque mala exinde eveniunt ex duplici ratione: 1. Ex ſanguinis excernendi retenti gravitate. Nimius enim ſanguis ineptus eſt æquabili per vaſa circulatione & debitæ fermentationi: unde hic ipſe ſanguis à debita turgeſcentia ac fermentatione cohibitus inſtar muſti vaſis arctè & ſtrictè obſeratis, incluſi minus ſpirituoſus minuſque volatilis, ſed potius craſſus, viſcidus, & à debitâ craſi omnino degener evadit: unde anguſtiæ præcordiorum, pulſationes & palpitationes variæ, capitis aliarumque partium dolores, quin & viſcerum in ſpecie ſplenis infarctus & ſimilia mala. 2. Eveniunt talia ex ſanguinis retenti vitioſa qualitate, licet enim ſanguis excernendus ſingulis menſibus ſit ejuſdem naturæ ac conditionis cum ſanguine retento citra noxam in corpore, eo ipſo tamen quo tanquam ſecernendus ſeparatur per fermentationem iſtam à reliqua maſſa, alterationem ſingularem induit & proprietatem acrem eroſioni aptam ſ. aluminoſam tinctoriam acquirit, ut ſcitè loquitur HELMONT. & demonſtrat in *tract. Lunare tributum.* Unde ſanguis tali charactere inſignitus & vitioſo acore inquinatus reliquæ maſſæ permiſtus, inſigniter ejus craſin alterare & à naturæ ſtatu degenerare facit, quin & inquinando ſimul reliquos corporis ſuccos, vitioſum appetitum & picam, abdominis cruciatus ac tormina tam à mucilagine acida, quàm hinc oriundis flatibus nata deliria melancholica, paſſiones hypochondriacas & ſimilia mala inducit.

Nam in fæminis quibus ſuppreſſi ſunt menſes, in his inprimis acidum vitioſum, idque primariò in primis abdominis viis redundans deprehenditur, id quod & affectus inde nati, methoduſque medendi ſufficienter declarat.

COGNITIO affectuum horum eſt aperta, cognita ſcil. cauſa ab ægris quæ ſubitò referunt ſibi menſes eſſe obſtructos. PROGNOSIS facillimè inſtituitur. Nam reſtituto fluxu, omnia ceſſant, de quo ſuperius dictum, quò verò diutius ſuppreſſi ſunt, tandem poſt varias calamitates intereunt. In

CURA.

Ergo talium paſſionum duo ſunt attendenda. 1. *Corrigenda* eſt ſanguinis & reliquorum ſuccorum inde dependentium vitiata craſis. 2. *Stimulanda* eſt fermentatio ſanguinis menſtrua: Conjunctim, utplurimum præmiſſis debitis evacuantibus talia veniunt uſurpanda. Nam fruſtra debitam menſtruationem ſtimulabis, niſi craſim ac fermentationem debitam ſanguinis reſtituas: Et denique hanc ipſam vix plenariè reſtitues niſi menſes denuò apparere incipiant.

Pro primario Ergo ſcopo inſerviunt *martialia* & ſimul vitioſos ſapores *abſorbentia*, hinc *aromatica* naturalem fermentationem ac volatilitatem ſanguini reſtituentia. Pro ſecundo ſcopo ea conducunt quæ aliàs menſes ciere ſolent. In genere omnes hi affectus curantur iſta methodo, qua alias cachexia vulgaris & poſtmodum menſium ſuppreſſio ſolent curari.

Paucis curam percurremus. Radicem curæ conſtituit *vomitus* qui interdum ſæpius repetitus mirè confert, ſive per *antimonialia* quæ ſunt optima, ſive per *aſarina*, ſive denique in robuſtioribus per *Helleboriſmum album* inſtituatur. Formulæ omnibus ſunt notæ. Sic v. gt. Oxymel Helleboratum GESNERI ad ℥ii. propinatum promptè vomitum ciet. Ex purgantibus pilulæ tartareæ & de ammoniaco QUERCETANI hîc mirè conducunt, ſimiliter etiam pilulæ de Hiera, it. de agarico.

Nodulis diligenter admiſcendæ ſunt radices Bryoniæ ac Hellebori nigri, imprimis affectibus menſtruorum muliebrium dicatæ, quibus omnia pro ſtimulo ratione menſium inſerviunt ex Colocynthide & Trochiſcis alhandal. parata medicamenta. Hinc martialia & alterantia, quæ vulgò vocantur aperientia, ſunt uſurpanda. Ex martialibus nota eſt tinctura vitrioli martis ZWELFERI quæ inſigniter eſt experta in talibus affectibus cum menſtruorum ſuppreſſione conjunctis: poteſt etiam fieri aptiſſima martis tinctura beneficio ſpiritus ſal. armoniac. juncti c. ſpirit. vitrioli. Hæc duo enim parva Enchireſi conjunguntur & præbent menſtruum; quod Limaturæ ferri affuſum promptiſſimè tincturam elegantem educit., optimam in his caſibus: ſicuti etiam (quod incidenter moneo) ſpirit. ſal. armoniac affuſus ſali

Eſſentiali

Eſſentiali tartari Zvvelferi promptè hoc imbibit & dat tertium ſalſum vol. egregium remedium in morbis mulierum Chronicis. Alii croci martis aperitivi ſalini cum ſalibus fixis parat item aliæ tincturæ martis jam notæ ſunt.

Item vina martialia infuſionis nempe martis v. gr. vinum malvaticum cum limatura ferri. infuſa cum Cinnamomo. Item Rhenanum extinctione Chalybis imprægnatum & ſimilia ſunt proficua. Pertinet huc vinum medicatum Knoefelii ad Cachexiam virginum: Deſcriptio ejus eſt hæc:

℞. *Limatur. ferri rubiginoſa* (ſic enim jam facta eſt corraſio) per ablutionem cum aqua à ſordibus purgatæ. ℥vj.

Rad. Eryngii.
helenii ana ʒvj.
Cinnamomi. ʒiij.
Caryophyllorum. ʒij.
Spicæ nardi. ʒiij.
Raſuræ Eboris.
C. C. philoſophicè præparati.
Macis ana ʒv.
Ceterach.
Flor. anthos.
Geniſtæ.
Epithymi ana. p.j.
Specierum diatrion. Santalon. ʒß.
Granorum Juniperi ʒij.
vini albi ℔. vij.
Sacchar. ℥vj.

Miſta digerantur abſque igne per 8duum bis agitando in die, poſt bibatur vinum tranſcolatum, quotidie bis, in phialis probè obturatis adſervatum.

Pulverem cachecticum Quercetani, it. pulverem ad pallidos virginum colores Heinrici ab Heer in *obſ.* 6. lubens prætereo, cum aliàs ſit notus. Remedia hæc martialia ubi non habent pro vehiculo vinum, optimè aſſumatur in decocto vel infuſo roriſmarini. Nam *roſmarinus* aliquid ſingulare habet in morbis mulierum, à menſibus obſtructis ortis.

Poſt martialia ſunt *aromatica* dicta, quæ inter ſunt vulgaria omnia aperientia imprimis lignum ſaſſafras, Galanga, ſemina Calida majora, Baccæ lauri & Juniperi (quæ ſimul ſunt diureticæ) it. ſpiritus tartari vol. Elixyr proprietatis: ſed ſine acido paratum: Modus abſque acido parandi eſt: ſi tartarum & nitrum per detonationem paretur alcali ſ. quod fere melius ex nitro fuſo injecto Carbonum pulvere fiat alcali. Hoc alcali per deliquiũ ſolvatur, lixivium affundatur ſpeciebus, aloë, Croco & Myrrhæ. Hoc ipſum iſtas ſpecies ſolvit & extrahit promptè, imprimis myrrha, quæ aliàs difficillimè ſolvitur. Extractio ita nonnihil inſpiſſata conjungitur ſpiritui vini ſicque fit *Elixyr proprietatis ſine acido* appropriatiſſimum morbis mulierum & non eſt adeò nauſeoſum atque vulgare Elixyr proprietatis. Aliàs elegantiori modo c. ſpiritu ſal. armon. parari poteſt paucis accedentibus Enchireſibus & eſt remedium admodum nobile. Symptomatis c. his morbis conjunctis ſimul nonnihil eſt reſiſtendum. Sic v. gr. cum Cephalalgia ſit uterina, ut vocant ſ. cum menſium ſuppreſſione conjuncta, tunc habita ratione primarii morbi, ad tollendam Cephalalgiam convenit Sacculus ex ſuccino pulveriſato c. eſſentia piperis irrorato capitis vertici impoſitus: Loco hujus ipſum oleum ſuccini deſtillatum etiam convenit c. balſamo peruviano miſtum paucis guttis vertici illitum: quin & ipſum ſal vol. ſuccini internè uſurpatum eſt conveniens.

Ubi palpitationes cordis & ſimiles apparenter periculoſi affectus conjunguntur, imprimis conducit tinctura coral. c. ſpiritu cord. cervi, item ipſe ſpiritus C. C. maritatus c. Camphora aut liquor C. C. ſuccinatus. In pauperculis convenit pulvis Zedoariæ c. coral. rubeis pulveriſatis propinatus.

Quod ſi melancholica deliria menſibus ſuperveniant ſuppreſſis antimonialia vomitoria ſæpius repetenda, hinc appropriatis miſcendi ſpiritus item pulvis ſecundinæ humanæ; Hæc enim ipſa in delirio quod vocant ex utero egregia ſunt remedia: reliqua medendi ratio ex cura cachexiæ per ſe eſt nota. Abſolvimus ferè ſuperius affectus, qui uteri vitio muliebri ſexui obvenire dicuntur: verum hos inter affectus mulierum, uteri culpa, qui dicuntur evenire, vix alius frequentior aut vix alius atrocior eſt ea, quæ vulgò.

Paſſio hyſterica.

SUFFOCATIO UTERINA ſ. PASSIO HYSTERICA: à primario ſymptomate & quod maximè urgere ſolet nempe ab anguſtia præcordiorum & ſummâ reſpirationis difficultate ita appellatus. Nam hæc ipſa reſpirationis difficultas ſubinde tanta eſt, ut ſuffocari ſe ſingulis momentis putent, imò interdum ſuffocatæ quaſi ſine ſenſu ac motu ullo ad tempus jacent. Obſervavit namque Lindanus aliquando mulierem per 6. horas ſine ullo ſenſu ac motu ac reſpiratione & pulſu ſenſili inſtar mortuæ quæ jacuerat: imò interdum ad aliquot dies ita jacent, ut jam ſepeliendæ denuò interdum reviviſcant. Exempla præter Schenckium, de tali caſu videbitis in Salmuth. *cent.* 2. *hiſt.* 86. & 87. Alias etiam hic morbus, STRANGULATUS UTERI item ASCENSIO UTERI, quod ab Helmontio verò UTERI ASTHMA muliebre appellari ſolet. A modernis quibuſdam SUFFOCATIO HYPOCHONDRIACA dicitur. Hujus affectus cùm ſit varia forma & hic ipſe diverſis ſymptomatis, nec ſemper iiſdem ſe manifeſtet, & ſi quis alius frequentiſſimus ſit mulieribus; ob id ejus naturam paulò prolixius prout quidem temporis ratio permittit conſiderabimus. Ante omnia *hiſtoria* perpendenda: Nempe mulieres quibus imminet paroxyſmus ſ. jam adeſt, in ventriculo & abdomine ſubinde rugitus & borborygmos percipiunt, hinc ſentitur motus quidam in eodem (nempe abdomine) veluti globi cujuſdam ex imo adſcendentis, adeſt hypochondriorum tenſio & murmur, cum flatuum copioſâ imprimis per os eructatione: horum copioſiſſimorum ructuum notatu dignum exemplum habet Bartolinus *Cent.* 2. *hiſt. anatom.* 21. cum his ructibus ſubinde oſcitationes crebræ pandiculationes ac ſimilia ſymptomata junguntur. Specialiter dolores crebri & atroces in abdomine nunc lancinantes, nunc diſtendentes, utplurimum contorquentes, nunc fixi, nunc hinc inde vagi ſunt conjuncti: appetitus utplurimum eſt proſtratus & omnia quæ aſſumunt vitioſo & quaſi corrupto ſapore imprægnata videntur, alvus utplurimum eſt conſtipata, qua aperta ſive ſponte ſive beneficio clyſmatum levamen egregium exinde percipiunt, imprimis ſi copioſi ſimul erumpant flatus: quin imò miri interdum ſonitus & quaſi horrendæ voces ex imis viſceribus exaudiri videtur. Exempla talia videbitis in Schenckio. Vomitus ſuperveniunt in quibuſdam materiæ viridis flavæ ſæpius acidæ, interdum alieni ac peregrini ſaporis accedunt his inſignes anxietates & anguſtiæ præcordiorum. Item palpitatio cordis tremula cum pulſu raro, parvo & debili ſubinde intermittente, ſuperveniente aliquando ſyncope cum ſenſu omnino abolito: reſpiratio imprimis eſt difficillima, inæqualis, impedita, ita ut ſuffocatio immineat: in malo graviori ad ſenſum eſt abolita, percipiuntque mulieres tales ſimul in faucibus in collo anguſtiam ſimulque conſtrictionis quendam ſenſum non ſecus ac ſi laqueo injecto fauces præcluderentur. Vertigo capitis & viſus obſcuratio imminentem paroxyſmum innuunt, in iis ſcil. quæ ſæpius hoc malo affligi ſolent: In ipſo paroxyſmo ſubinde perfecta adeſt ſcotomia cum oculorum rotatione & inverſione. Interdum in copioſum riſum ægris licet invitum & inſcium terminatur, qui etiam aliquandiu continuatur, quin & delirium adeſt, & varia loquuntur & diſſerunt delirando: Subinde in

paroxyſmis gravioribus, convulſiones artuum & graviſſimi Epileptici inſultus ſuperveniunt, & tunc mutato nomine EPILEPSIA UTERINA vocatur & ſuperveniunt interdum miræ artuum ac corporis geſticulationes, interdum omnium ſenſuum tam internorum quàm externorum eſt abolitio: interdum ſenſibus omnibus integris talia fiunt, ita ut ægræ aphoniâ correptæ ita paroxyſmo nihil poſſint loqui, quæ poſtmodum poſt paroxyſmum omnium actionum recordantur, eademque etiam enarrant. Rarius verò in *Epilepticas* has *terminatur convulſiones*: ſæpius thoracis tantummodo & abdominis adſunt ſymptomata: interdum in graviori paroxyſmo ad tactum frigent, utplurimum verò præternaturaliter calent, qui calor etiam poſt paroxyſmum aliquandiu durare ſolet.

Infeſtant hæc ſymptomata omnis ætatis omniſque conditionis fœmellas, etiam virgines, imò interdum etiam ante menſium eruptionem, ſicuti etiam vetulæ ab hoc malo non ſunt immunes. Symptomata hæc non ſunt in omnibus ſimul, nec in omnibus eadem: in quibuſdam pauciora, in quibuſdam plura & atrociora. Ordinario dolores & perturbationes primo in abdomine, hinc anxietates in præcordiis cū difficili reſpiratione patiuntur. Eſt affectus ſi quis alius cōplicatiſſimus. *INTER CAUSAS REMOTAS*, quæ tales paroxyſmos in conſuetis excitare aut inſuetas ad eas diſponere ſolent, imprimis ſunt graviores animi affectus in ſpecie ira; Novi enim aliquot mulieres, quæ quoties iræ nimium indulgent, toties dictæ uterinæ paſſiones ſuperveniunt: Unde & rectè PRIMEROSIUS ab irâ, mœrore, it.à malo nuncio ſuffocationes uterinas obortas ſe obſervaſſe narrat. Deinde *odores fortes* naribus admoti aut nares ferientes hic admodum potentes & mirabilium ſunt effectuum, tunc in excitando hoc affectu in iis quæ eodem ſæpius corripiantur quàm etiam in compeſcendo paroxyſmo utplurimum equidem (utplurimum dico non ſemper) *ſuaveolentia* naribus eum ſuſcitant, quem graveolentia ſubtilia denuò compeſcunt: ſicut è contra ſuaveolentia genitali antro applicata paroxyſmum levant: imò eæ quibus maximè infeſta ſunt ſuaveolentia odoretenus hauſta, iis eadem in paroxyſmo ad eum curandum aut extra paroxyſmum ad eum præſervandum interius propinata, modò nares non feriant, optimè conducunt: Hoc quod nempe ſuaveolentia ſuſcitent, graveolentia verò compeſcant paroxyſmum utplurimum dixi contingere. Nam contrariæ etiam proſtant obſervationes ſcil. mulierum; quibus ſuaveolentia in paroxyſmo naribus admota eundem levent, graveolentia verò potius malum exaſperent: adeò ut hac in parte Idioſyncraſiæ muliebris inſignis habenda ſit ratio. Videatur HORSTIUS *lib. 5. obſ. 26.* Ubi tale habet exemplum de muliere, cui ſuaveolentia naribus admota paroxyſmum ſedatum: ſimiliter BARTHOLINUS *cent. 3. hiſt. anat.* 28. ſuaveolentia à ſe obſervatum, quibuſdam ſimiliter paroxyſmos ſedaſſe aut ſaltim conduxiſſe. Unde etiam HORATIUS AUGENIUS *lib. 12. Epiſt. 7.* ceu expertum experimentum interius hyſtericis propinandum, & quod ipſum nunquam fefellit, commendat:

℞. Moſchi optimi gr. v.
Cinnamomi.
Caryophyllor.
Nuc. Moſchatæ ana ℈j.

quæ in vino odorato ſoluto propinentur: ſicuti etiam *cit. loc.* pilulas de Moſcho tanquam efficaciſſimum præſidium commendat. Mira hæc res eſt, quoad odores in paroxyſmo hoc hyſterico; Obſervantur enim quædam, quæ maximum ſolamen percipiunt in paroxyſmo à graveolentibus v. gr. *Caſtoreo* quæ poſtmodum paroxyſmo diſcuſſo & affectu percurato, dum denuò reſtitutæ ſunt, non ſine amotione & inſigni alteratione odorem Caſtorei poſtmodum perferre poſſunt. Ad cauſas remotas tertio ſubinde etiam multum facit, mutatio ſtatus virginitatis ſ. virginalis in muliebrem, in ſpecie ſi mox fiant gravidæ. Obſervare licet toto die virgines quæ optimè quæque odoratiſſima perferre poſſunt, factæ poſtmodum mulieres tales, poſtmodum citra paſſionis hyſtericæ periculum tales amplius perferre non poſſunt: aut etiam ſi tanquam mulieres eadem proferant, gravidæ tamen factæ eadem inſigniter averſantur idque ita continuatur toto geſtationis & puerperii tempore, quo tranſacto, dum denuò ventre ſunt vacuo eadem odorata optimè perferunt, donec denuò gravidæ fiant, utplurimum hoc fit, non ſemper. Dum de odoribus loquor, obſervandum venit, quod *odor roſarum* quibuſdam mulieribus ſit admodum nocivus propter imminentes hyſtericas paſſiones. HOEFERUS certè *in Hercule medico p. 311.* refert ſuffocationem hyſtericam lethalem in muliere puerpera ex odore roſarum, ſicuti in virgine ex eadem cauſa odore roſarum ſcil. ſimilem paſſionem annotavit LONGIUS *in Miſcellaneis Curioſis p. 46.* & ex eadem cauſa periculoſam uteri ſuffocationem etiam annotavit TIMÆUS *in ſuis caſibus p. 216.* Denique inter cauſas remotas inter aſſumpta imprimis ſunt *dulcia*, quæ exacerbant paroxyſmos aut eoſdem excitant v. gr. omnia ſaccharata, omnia Syrupiſata, mellita & ſimilia dulcia facilè fermentabilia & fermentando aceſcentia flatuſque generantia nociva ſunt his mulieribus. Novi vetulam ferè 60. jam annorum, quæ vel ſolo unius paſſulæ eſu graves paſſiones hyſtericas incurrit: aliam novi juvenculam quæ ſpiritum cochleariæ non abſque paſſione hyſterica aſſumpſit: adeò ut & in aſſumptis Idioſyncraſiæ muliebris inſignis habenda ſit ratio. Imprimis dulcia ſi excitarint paroxyſmum optimè tunc curantur per amara in ſpecie abſinthium, amarorum enim ſal nitroſum dulcem ſaporem & inde ortam aceſcentiam fermentando, optimè corrigit & tranſmutat: Docet hoc FORESTUS *lib. 28. obſ. 28.* dum refert, quod talibus mulieribus, quæ ex dulcibus paroxyſmos incurrunt, decoctum abſinthii optimè conferat: Refert idem mulierem, quæ ex ira frequenter ſuffocationem uterinam paſſa fuerat, in ſpecie ſi aliquid dulcium ſimul aſſument, cui conſuluit, ut extra paroxyſmum biberet cereviſiam abſynthitem, quâ ipſâ poſtmodum à paroxyſmo præſervata fuit: Plura de ſyrupo abſinthii vid. *in obſ. 30. cit. lib. 28.*

His ita præmiſſis accedendum eſt ut complicati hujus affectus *CAUSAM PROXIMAM*. De quâ notum eſt, quod vulgò incuſetur *uterus*, qui ſanguine & ſemine aliiſque vitiatis humoribus repletus hanc excitet tragœdiam, quatenus ipſe quidem commoveatur ſurſum, unde ex commota retenta Camarina tàm tetra & maligna exſpirent miaſmata, quæ ſuperiora verſus effumantia per corpus noſtrum ubique perſpirabile, nervoſum genus & cor afficiant, indeque tam varia ſymptomata excitent, dum uterus ipſe ſurſum commotus formam globi in abdomine commoti tactui repræſentat, donec tandem diaphragma comprimendo & ſic reſpirationem impediendo ſuffocationis periculum Inferat. Hæc eſt vulgaris Theoria. Sed hanc Theoriam communem ſufficienter refellunt, 1. Uteri ſitus firmiſſimaque ejuſdem cum inteſtino recto connexio, & etiam per ligamenta teretia oſſi pubis firma agglutinatio, ita ut non niſi ſumma vi ex hoc ſitu divelli poſſit. Nam & id quod de *prolapſi uteri* proferunt falſum ſuo loco demonſtrabo. 2. Anatome fraudem ſimiliter detexit; ſæpiſſimè enim in mulieribus tali paſſione mortuis uterus parvus contractus, in naturali ſitu & conſtitutione citra excrementorum præſentiam fuit repertus; Denique viri qui omnium conſenſu utero carent, ſimili omnino paſſione, ut eſt mulierum hyſterica ſuffocatio, afficiuntur, & tales viri ſemper malo hypochondriaco graviter affligi ſolent, & non tantummodo eundem globi in abdomine motum percipiunt, ſed in ſuffocationis

præſen

præſentiſſimæ & faucium conſtrictionis ſenſu apertè afficiuntur. Exemplum apprimè huc faciens viri ſuffocatione uterina correpti refert VVILLISIUS *in ſua pathologia Cerebr. cap.5. p.77.* Facit huc etiam hiſtoria BARTHOLINI *cent. 1. hiſt. anatom.* 44. Cujus aurigæ affectus ſi mulierē corripuiſſet hyſterica ſuffocatio lethalis fuiſſet. Pertinet huc etiam contractiva gulæ affectio cum variis ſymptomatis hypochondriacis cujus mentionem facit HECHSTETERUS *decad. 5. caſ. 2.* Nihil ſanè eſt frequentius quàm quòd viri, qui gravioribus affectus hypochondriaci aut ſcorbutici obnoxii ſunt ſymptomatis, quod tales de imminente ſuffocatione cum abdominis variis paſſionibus conquerantur. Exactè jam tranſactum eſt annuum ſpatium, cum ſtudioſus quidam, qui & jam hic vivit, me conſuluit in quodam affectu: hic ipſe erat inſignis hypochondriacus cui omni nocte evigilanti circa mediam noctem moleſtus erat rugitus & murmur in abdomine: jam verò alias continuò eum torquebant copioſiſſimæ flatulentiæ. Hinc poſt hæc murmura abdomen interiora verſus retrahebatur, quod ipſum inſequebatur reſpiratio difficilis, ita ut omni momento ſuffocandus videretur, cum miſera cordis anxietate violentaque palpitatione. Referebat mihi anguſtiam pectoris ſub iſta reſpirationis difficultate eſſe tantam, & ſe percipere talem ſenſum ac ſi intra torcular vel intra duos aſſeres maximâ vi comprimeretur & conſtringeretur: tanta violentia thorax comprimebatur ut putabat, ut nullâ vi pro reſpiratione eundem dilatare poſſet: accedebant ſimul ſub iſtis anxietatibus perturbationes ſenſuum internorum, donec poſt horam circiter cum dimidia peractam modico tandem erumpente ſudore paroxyſmus ceſſaret, qui tamen omni nocte ſtato tempore revertebatur. Hæc paſſio ſi corripuiſſet mulierem ab omnibus vocata fuiſſet hyſterica, cum tamen revera in hoc ſubjecto erat affectio hypochondriaca dicta, quæ iſtis ſymptomatis erat ſtipata, quam etiam curavi per ſpiritum Carminativum de tribus & ſpiritum ſali armoniacis per vegetabilia Carminativa & acidum abſorbentia. Aderat in hoc ſubjecto, quod obiter moneo, ſimul pertinax alvi obſtructio & mira acidi præternaturalis in primis viis præprimis ſtomacho abundantia, unde continuo inſigni apetitu ſtimulabatur. His ita conſideratis moderni alio modo affectum hunc tot ſymptomatis complicatum explicant.

SYLVIUS & qui eum ſequuntur ex *acido pancreatis nimis auſtero* vitiosè in inteſtinis *efferveſcente* originem hujus paſſionis deducunt: Ex quâ efferveſcentia copioſi generentur flatus torquentes ſ. dolorifici, item ex iſta efferveſcentiâ gignantur copioſi vapores, qui hinc inde diſperſi tam varia excitent ſymptomata, dum acidum vitioſum ad maſſam ſanguineam delatum hanc nonnihil coagulet: unde etiam per remedia ſalina vol. oleoſa hanc paſſionem curandam optimo conſilio ſuſcipiunt eamque adeò ad paſſiones hypochondriacas referunt.

Alii ècontra imprimis VVILLISIUS ad *morbos convulſivos* ac *ſpaſmodicos* affectus paſſionem hanc hyſtericam referunt, quales imprimis in affectibus ſcorbuticis & hypochondriacis frequentes obſervari ſolent. Quo jam ante VVILLISIUM collimavit HECHSTETERUS *decad. 4. caſ. 3. pag. 125.* qui apertè aſſerit ſibi videri ad ſpaſmodicam affectionem accedere uteri errorem, quæ ſi reliquis connatis partibus nervoſis communicetur, & hæ in hoſtem aſſurgant maximè ſi vellicatio major acceſſerit. Mihi media incedere placet via & utramque certo modo combinare opinionem. Nam quod in tali paſſione *acidum peccet*, primario idque vitioſum & à naturali ſtatu tam in quanto quàm in quali degenerans, multa in hoc affectu occurrentia demonſtrant. 1. Quod ſcorbutica & hypochondriaca ſubjecta cujuſcunque ſexus imprimis obnoxia ſint huic affectui: Unde & ſcorbuticæ mulieres, licet lenia ipſis propines purgantia, ex malo tamen ad inteſtina copioſius acido pancreatico præter acerba tormina facillimè incurrant hyſtericas paſſiones. 2. Quod ſanguis in talibus quodammodo coagulatus deprehendatur & cujus incraſſati ſtagnatione in præcordiis anxietates, aſphyxia & ſyncope non leviter acerbentur, de quo vid. VVILLIS. *cit. loc. p.78.* qui viro iſti hyſterico, de quo ſuperius, cum ipſi detraxiſſet vena ſecta ſanguinem, hic ſemicongrumatus & in guttulas concretus fuit evacuatus. Unde 3. vomitus à natura ſponte aut arte provocati æruginoſa, porracea, acerba ac ſimilia evacuare ſolent: Unde & 4. Dulcia quæ facili fermentatione aceſcunt, & hinc copioſos generant flatus, paroxyſmos excitant, & à quacunque oriatur cauſa externa, præfertur eidem in paroxyſmo acidum Pancreatis vitioſum ſemper præſens. Hinc 5. etiam remedia ſalina vol. ſpirituoſa & oleoſa præ cæteris ſuccurrunt, quatenus acidum vitioſum præcipitando corrigunt. Hinc BARBETTE *in ſua praxi p.81.* medicamenta antiſcorbutica applicanda ſuadet. Et LANGIUS *Comment. ſuper Fabri Pathol. cap.61. p.10.* omnia nobiliora anticolica & ea quæ ardorem ſtomachi nec non quæ ſtranguria compeſcunt in hyſterica paſſione quam maximè appropriata remedia affirmat. Qui affectus modo recenſiti omnes ab acido vitioſo primarum viarum dependent.

Quod verò præter tale imprimis viis acidum etiam convulſio ſpaſmodica tam partium abdominis membranoſarum, quàm partium Thoracis & Colli muſculoſarum ſimul concurrat tantùm non manu palpari poteſt. Ut autem primo taceam convulſiones iſtas Epilepticas quæ in medio paroxyſmi interdum in fine ſuperveniunt, & interdum ridiculis ſubinde horrendis ab ignaro vulgò dæmoniacis putatis geſticulationibus obſervantur. 2. Certè globus iſte in abdomine ſurſum motus dependet à plexibus meſenterii nervinis, quibus inferioribus quidem imprimis, (non enim ſemper perſentiſcitur globus iſte) convulſis ſimul imæ hypochondrii partes convelli & quaſi attolli videntur. Unde molis iſtius adſcendentis ſpecies tactui repræſentetur. 3. Dolores iſti in abdomine lancinantes & varie contorquentes oriuntur à violenta contorſione & ſpaſmodicis inteſtinorum convulſionibus. Quales dolores inteſtinorum etiam in ſcorbuto, it. ſexui fœminino in & poſt partum ſolent eſſe frequentiſſimi: Nam & hinc eſt quod fœminis nephriticis cum dolore Calculi ſimul cum vomitibus paſſiones hyſtericæ ſatis doloroſæ ſuperveniant: in viris autem tantummodo *Colica Nephritica* nuncupantur. Unde dicunt communiter, (*calcul. uter. irritaſſe*) dum ſcil. nervis renum continuato ſpaſmo convulſivo ad plexus Meſenterii à nervis exinde continuatis ad inteſtina etiam hæc ipſa convulſivis ſpaſmis contrahuntur. Talem dolorem in infantibus, it. in viris mulieres appoſitè vocant (*magn. in corpore dol.*) Convulſiones ſcil. quaſi Epilepticas partium abdominis internarum: quod ſi tandem manifeſtæ artuum externonum ſuperveniant convulſiones Epilepticæ, hinc dicunt (*magn. intern. dolor. fieri extern.*) & dum ita inteſtina convelluntur flatus ab acido copioſo efferveſcente enati concluſi & varie agitati tumultuoſe oberrantes iſtos borborygmos murmura ac ſimiles ſonitus varios repræſentant. 4. Denique huc ſub fine paroxyſmi interdum riſus obſervatur; qui revera eſt *riſus* quidam *Sardonicus* ex convulſione tonica (de qua alio loco ubi de convulſionibus) diaphragmatis primario dependens ſicut diaphragma tonice convulſum difficillimam iſtam reſpirationem infert: id quod haud obſcure teſtantur fæminæ, quæ poſt graviorem paroxyſmum conqueruntur ſibi dolere Zonam ſcil. monſtrant iſtam regionem in Coſtis ubi diaphragma iſtis annectitur: Convulſo autem diaphragmate & reliqui thoracis motui dicati muſculi ſimul convelluntur, cum hos inter muſculos cum diaphragmate

phragmate

phragmate ex communitate nervi intercoſtalis perpetua motus ſit proportio. Dixi, conſiderandam eſſe in ſuffocatione Uterinâ effervefcentiam iſtam in inteſtinis ab acido: item convulſiones ſpaſmodicas in abdomine ab eodem acido oriundas.

Quod Ergo attinet *modum fiendi* paſſionis hyſtericæ, complicatiſſimus ſanè eſt affectus, compoſitus nempe ex vitioſâ in inteſtinis ab acido pancreatico cum ſucco bilioſo effervefcentia, unde copioſi admodum flatus & eructationes proveniunt: à quo vitioſo acido ulterius promoto etiam ſanguinis coagulationes & in præcordiis ſtagnationes oriuntur: His ſimul conjungitur depravatus & perturbatus ſpirituum animalium motus, primariò quidem in truncos Nervorum intercoſtalis, & vagi, hinc conſequenter etiam in reliquos nervos: Unde vertigines & ſcotomiæ, varia deliria ſpaſmique inſignes in partibus abdominis membranoſis inteſtinis meſenterio & ſimilibus. Item ſimul in partibus thoracis muſculoſis & ipſo adeò cordis muſculo: Unde hujus palpitatio aut ex ejus continuata ferè ſyſtole iſte compreſſionis in corde ſenſus. Talis eſt ordo hæc inter ſymptomata utut plurimum quidem præcedant abdominis accidentia ſ. ſymptomata ex effervefcentia & acido vitioſo nata: Unde ex irritatione partium nervoſarum & ſurculorum nervorum ſpaſmi interni, hinc conſequenter Capitis perturbatio ac denique externorum membrorum periculoſæ convulſiones ſuperveniunt: v. gr. hoc contingit in ira, in eſu dulcium, in nephritide & dolore abdominis ſcorbutici, &c. Interdum tamen fit, ut præcedant ſpirituum exploſiones inordinatæ ex cerebro eorumque agitationes vitioſæ per nervos: Unde ſcotomiæ, varii apparentes Colores, ſenſus & motus deficiens primitus corripiunt ægros, & dum ab his inordinatè motis conſtringuntur & quaſi concutiuntur abdominis viſcera & ductus, effuſa tandem uberius Pancreatica lympha tandem abdominis ſuperveniunt ſymptomata.

Evenit hoc quoties à terrore ab odoratis nimium ſenſuum organa afficientibus malum procedit: Et prout plures vel pauciores nervorum afficiuntur ſurculi, variant etiam ſubinde ſymptomata. Sic v. gr. interdum tantummodò plexus nervei lienares & ſtomachales primariò ſunt affecti, & tunc paroxyſmus à ſiniſtro hypochondrio incipiens, non uteri ſed lienis vitio oboriri dicitur.

Sed hæc imprimis quoad adjuncta ſymptomata convulſiva & uberius & elegantius etiam explicata videantur à VVILLISIO *in Pathologia Cerebri*, qui ſanè primus eſt, qui motus convulſivos in ſpecie internos aliquantiſper exactius explicavit, & ad praxin medicam applicavit: Hujus doctrinâ bene obſervatâ varii affectus in praxi occurrentes facilius patebunt. Nam frequentiſſimi ſunt tales affectus interni, qui optimè per convulſionem nervorum explicari poſſunt. Quod verò attinet effervefcentiam vitioſam inteſtinalem & inde originaliter dependentia abdominis accidentia, quæ primario in paſſione hyſterica conſideranda de his conſulendus SYLVIUS *in ſuâ praxi*, qui ſalium doctrinæ Theoriam & praxin ſatis accuratè ſuperſtruxit.

Eſt ergo revera paſſio hyſterica dicta ſ. Uterina *ſpecies mali hypochondriaci* gravioris oriundi tam ex vitio ſtomachi, quod ſæpius adjunctum eſt, quam in ſpecie ex vitiata lympha pancreatica, affligens potius mulieres quam ſexum maſculinum ex debiliore, imbecilliore & teneriore ſyſtematis nervoſi textura, & ſpirituum animalium eorundem majori raritate & faciliori promptitudine in varias motuum exorbitantias & ἀταξίας. Aut ſaltim quibus non placet Affectio hypochondriaca, eſt Certa ſpecies Colicæ convulſivæ gravioris, dum ſcil. inteſtinorum ſpaſmi in plexus meſenterii continuati ad alias ſuperiores partes ex connexione & crebriore concurſu nervi intercoſtalis & nervi vagi evibrantur; id quod anatome nervorum, quæ hîc exactè debet eſſe cognita ſufficienter docet.

Odor Ergo ſpiritus animales prompte afficit eoſque ad varios & ſubinde diſtinctos motus diſponit: Et prout variè conſtituti ſunt ſpiritus animales ipſi, aut prout variat eorum intrinſeca ſpecialis conſtitutio, eatenus etiam diſtincti odores in diſtinctas motuum anomalias eos adigunt: Fit hoc non tantùm in Concamerationibus narium, ſed etiam circa ipſa loca genitalia; dum nempe effluvia odorata prompte ſpiritus iſtius loci afficiunt & hos alliciendo ad determinatum minuſque erroneum ſ. convulſivum motum diſponunt. Patet hoc quando augetur venerea voluptas ſi odoratis inungatur membrum.

Præterea tamen & odores naribus applicati vel hauſti, prout variè alterant maſſ. ſanguineam in pulmonibus fermentando æſtuantem ſimiliter non parum contribuunt ad levanda aut exaſperanda hyſterica ſymptomata. Nam hinc fumus cornuum aut pennarum incenſarum, item Caſtorei olfactus & ſimilia anguſtias præcordiorum lenire & quaſi amplius in thorace ſpatium efficere videtur: quatenus ſal. vol. iſtorum ſubjectorum incenſione ſeparatum cum aëre inſpirato interius tractum ſanguinem diſſolvendo, & ejus acidum deſtruendo ſicque fermentationem ejus accelerando, diuturniorem in pulmonibus moram & ſtagnationem tollit. Cæterum inter *Cauſas remotiores internas*, quæ fomitem huic malo ſubminiſtrant ac ad iſtud diſponunt, præter alia multa, ut ſuperius monui, non ſemper eximendæ ſunt partes genitales, non quaſi Uterus aut teſtes cum vulgo accuſandi ſint non: ſed quatenus menſes ſuppreſſi occaſionem huic malo ſubminiſtrant, aut etiam quatenus liquor ſeminalis retentus & corruptus, ut ſuccos corporis quoſcunque: ita in ſpecie ſpiritus animales vitiando hos ad varias motuum anomalias diſponit, ita ut & Epilepticos paroxyſmos ac ſuffocativos affectus inducat: refert namque FORESTUS *lib.28.obſ.25.* ſe obſervaſſe ſuffocationem Uterinam in viduâ ex retentione excernendorum per coitum, it. *c.1. obſ.29.* lethalem Uteri ſuffocationem annotavit, in muliere ex ſemine, ut inquit, retento ortam. Quorſum etiam facit exemplum FONSECA *lib.2. conſil.33.* qui obſervavit ſuffocationem hyſtericam in virgine, quæ ſemper antequam paroxyſmus incenderet inexplicablli coëundi libidine tenebatur. Præ cæteris elegans eſt hiſtoriola, quam recenſet GABELCHOVERUS *Cent.4. Cur.95.* ubi mulier hyſterica fuit exſuſcitata fricatione forti genitalium c. oleo ſpicæ, unde copioſus liquor ſeminalis fuit excretus: verba ejus ſunt hæc. Ego aliquando unà cum alio Medico vocatus eram ad nobilem mulierem, &c. Confirmat hoc, quod nempè modo dictæ alterationes circa partes genitales aliquid conferant interdum, quòd videmus mulieres quaſdam dum virgines ſunt nihil perpeti ab odoribus aut de hoc malo, maritatæ autem poſtquam fuerint aut gravidæ redditæ malo huic inſigniter obnoxiæ deprehenduntur, quatenus per ſpiritum genitalem virilem & in gravidatione per retenta menſtrua variè alteratur & craſis maſſ. ſanguineæ & conſequenter etiam ſpirituum animalium.

QUOD ATTINET SIGNA.

Suffocatio uterina ceu affectus complicatiſſimus Pathognomonicum ſignum vix habet, cognoſci tamen facilè poteſt ex iis ſymptomatis quæ ſuprà in hiſtoriâ hujus affectus fuerunt recenſita, & ut aliàs monui interdum ſuffocatio uterina interdum *Epilepſia uterina* vocatur: Hæc tamen eſt differentia ſuffocationis ab Epilepſia vera, quòd in Epilepſia vera ſoleat deprehendi ſpuma circa os, id quod non æque, aut non niſi in deſperata ferè paſſione hyſterica contingit. Præterea in Epilepticis pulſus cũ valido niſu ferit manum tangentis, cujus contrarium evenit in hyſterica paſſione. Et Epilepticæ veræ (nempe in 2. aut 3. claſſe,) poſt

paroxyſmum

paroxyſmum vix reminiſcuntur eorum , quæ circa ipſas dicta geſtave fuerunt. Hyſtericæ verò non rarò iſtarum rerum firmam habent memoriam : interdum ubi gravior eſt paroxyſmus mortuæ apparent : ſigna quibus à verè mortuis diſcerni poſſunt ſunt vulgo ſpecula & plumæ : Optimum eſt ſternutatorium, ſi nempe fortè in nares inſufflatum nihil operari velit. Item ſi vomitorium generoſum infuſum citra effectus deprehendatur : tunc eſt ſuſpicio eſſe mortuam. Item veſicatorium coxis applicatum , ſi citra veſicationis effectum admoveatur res eſt periculi plena ne ſint mortuæ : Aliàs & D. PRÆVOTIUS Patavinus (quod obiter moneo) nullum remedium efficacius obſervavit , quàm veſicantia coxis applicata : Ubi veſicas excitant ſpes eſt clara de vita, ſi fruſtra applicentur res eſt deſperata.

QVOAD PROGNOSIN

Mulieri graviori ſuffocatione uterinâ laboranti ſi ſuperveniat ſternutatio,res ſalva eſt, ſignum enim eſt, ut ſic dicam , naturæ ſeipſam reſuſcitantis. In juvenibus utplurimùm ceſſat hoc malum partu aut ſaltem temporè puerperii cum lochiorum fluxu : In ſenibus verò quibus Catomenia fiunt ſuppreſſa, in iiſdem rarò perfectè curatur,quin ſæpius recurrat.In prægnantibus & puerperis malum eſt periculoſum : in prægnantibus quidem propter metum abortus , in puerperis propter metum ſuppreſſionis lochiorum ac propter inſignem debilitatem virium : Interim tamen utut pulſus reſpiratio omneſque animales actiones quoad ſenſum ceſſant non ſtatim deſperandum eſt,quin potius generoſis remediis ſuccurrendum : Cum uti ſuperius monui per 24. mortuæ habitæ denuo revixerint.

IN CURA

Ergo eo eſt attendendum , ut acidum vitioſum in inteſtinis corrigatur & alteretur indeque flatuum proventus inhibeatur. 2.Ut efferi ſpirituum motus ſopiantur & placentur,indeque natæ convulſiones ſopiantur. Utrique ſcopo optimè ſatisfaciunt ſalina vol.ſpirituoſa & oleoſa : Nam ſpiritus ſunt olea diſſoluta opiatis & Camphoratis permiſta.Verum cum per paroxyſmos utplurimum ſæviat malum : Hi ipſi verò ſubiteneam poſtulent opem, ut ob id in paroxyſmo & extra eundem obſervanda ſit certa curandi ratio.In paroxyſmo quod attinet odorata,imprimis conducunt tam naribus applicanda utplurimùm graveolentia , quàm ſinu muliebri intrudenda utplurimum ſuaveolentia. Naribus optimo Conſilio applicatur ſpir.ſal. amoniac. in vitro anguſti ſed longiuſculi colli contentus , qui etiam in Apoplexia & Epilepſia mira facit. Loco hujus etiam ſpiritus C.C. aut alius ſpiritus urinoſus volatilis naribus applicari poteſt Hic ſpiritus ſi ſit maritatus ac imprægnatus c. caſtoreo eò magis præſentaneam affert opem. Hinc oleum ſuccini deſtillatum, oleum Gagatis oleum tartari fœtidum oleum C.C.deſtillatum & ſimilia naribus admota valdè conducunt : obſervando tamen quod hujuſmodi oleoſa nimis fortia. (Nam ſalinorum alia ratio eſt) cautius ſint uſurpanda ubi in apertas convulſiones Epilepticas malum deſinit. Naribus etiam commodè admoventur ſuffitus : quos inter primatum obtinet ſuffitus *ſuccini* , qui & Epilepticos mirè ſuſcitat : it. ſuffitus *nuc. Moſchata*. In uſu ſunt *plumæ avium* imprimis perdicum combuſtæ , *pili* item & *Cornua* animalium combuſta , quorum ſal.vol. acre oleoſum nares potenter ferit. In uſu aliàs communi eſt *Caſtoreum*, il. *aſa fœtida* naribus admota. Ubi gravior ſyncope urget caſtoreum immittitur in vinum generoſum & ſpirituoſum & ita naribus applicatur : Nam ſic refectivum magiſque penetrativum evadit remedium. *Lignum Agallochum* incenſum eti m dat egregium fumum naribus admovendum in hyſtericis. RIVERIUS dicit , quòd *fumus Tabaci* citiſſimè excitet hyſtericas , quòd tamen mihi videtur adhuc paradoxon, Non minus quàm qui fumum ſulphuris accenſi naribus admovent : Nam hoc ipſum omnino rejicio , quia periculum eſt , ne acidum ſulphuris ſtagna, quod aliàs in ſanis anguſtias præcordiorum infert,ne idem in ægris malum exaſperet.Utero utplurimum admoventur *ſuaveolentia* : ſcil. immittitur peſſus inunctus c. balſamo apoplectico aut peſſus inunctus cum oleo Nuc. Moſchatæ, in quo ſolutum eſt parum Zibethi. Sic ſuffitus fiunt per uterum recipiendi quos inter experimentum PARACELSI eſt ſuffitus paratus eſt *Verrucis equorum* , de quo etiam affirmat FONSECA nullam eſſe ab utero ſuffocationem, quæ ab hoc excitetur fumo. Compoſitio eſt hæc :

℞. Verrucar. equor. ℥j.
aſæ fœtidæ.
Ungulæ capræ. ana ʒij.

F. pulvis : cujus ℈j. incenſus dat fumum per infundibulum in uterum ſuſcipiendum. Aliàs *vellicatio pilor. in pube* à multis ceu expertum laudatur remedium ; quin & fortis ligatura in regione Hypochondriorum admodum levat paroxyſmos & ſymptomata abdominis : ſufficit hic quodcunque cingulum : in ſpecie etiam laudatur cingulum factum ex corio humano fœminino : de cujus uſu vid. BARTHOLINUS *cent.3. hiſt. anatom. p.* 17. Loco corii humani fœminini etiam ſunt qui commendant cingulum ex corio cervi in coitu transfoſſi ſ. interempti. Umbilico inunguntur varia & imponuntur etiam diſtincta : Ratione inunctionis inungitur oleum rutaceum , anethinum , Laurinum, Caſtorei , ſuccini oleum tartari fœtidum oleum Ligni Guajaci , Spicæ , &c. Unguentum factum ex ſclarea in butyro cocta cum Gumm. Tacamachac. abdomini illitum : mirè à quibuſdam laudatur Camphora itidem cum oleo Amygdalarum dulcium ſoluta umbilico admovenda. Uſitatiſſimæ Galbanum ſolutum corio rotundo inductum inſtar emplaſtri applicatur regioni umbilicali , quod egregiè conducit , addunt alii Gumm. Tacamachac. alii Caſtoreum : picem : In medio hujus Emplaſtri recondunt aliquot grana Zibethi , ita ut Zibethum exactè umbilico imponatur & hinc forti ligatura Emplaſtrum ſupra umbilicum firmetur v. gr. inunctio regionis umbilicalis in tali caſu fit ſi

℞. Ole. Caſtor. ʒij.
ſuccini deſtillati ʒj.
ſpicæ. ʒß.
Camphora vel hujus olei gr. ſ. gutt. v.

M. Inungatur his ipſis regio umbilicalis & ponatur deſuper emplaſtrum. Vel

℞. Axung. Caſtoris. ʒiij.
Olei deſtillati Chamomill.
Cumini &
Spicæ ana ℈j.

M.F. *Linimentum Umbilicale*. Emplaſtrum quod commodè deſuper applicatur ſit tale.

℞. Gumm.Galban. in aceto ad pultis conſiſtentiam ſoluti v. gr. ℥iij. (non vero pro una vice)
Caſtorei.
Extracti croci ana ʒiij.
ole. deſtillati ſuccini
ſpicæ ana ʒiß.

M. pro emplaſtro adſervando in vaſculo clauſo , de quo ℞. q.ſ. inducatur ſuper alutam in formâ rotunda & agglutinetur abdomini & regioni umbilicali.Externis his ita adminiſtratis optimo c. ſucceſſu injiciuntur Clyſmata ex carminantibus & nonnihil penetrantibus parata , quæ certè tempore certo applicata & retenta mirè levant paroxyſmos : ſi flatus impediunt partitis vicibus injiciuntur. Fiunt talia Clyſmata ex carminantibus imprimis v. gr. compoſitio poteſt eſſe talis :

℞. Rad. angelicæ ℥vj.
fœniculi ℥ß.
Herb. matricar.
Leviſtici ana mj.

Flor. Chamomill. roman. mij.
Baccarum lauri. ℥ß.
Semin. 4. Calidor. major. ana ℥j.
Coquantur in ſ. q. aqu. communis Colatur
℞. ℥ix. addi
Electuar de baccis lauri ℥vj.
Caſtorei ℥ß. ad ℥j.
olei deſtillati Cumini.
Carvi.
Succini ana ℈ß.
M. F. Clyſma.

Hujusmodi Clyſmatis ubi omittuntur olea deſtillata ex ſe ſatis penetrantia optimo conſilio à quodam moderno adduntur ſalia vol. ad ℈j. v. gr. ſal vol. urinæ C. C. ſuccini, &c. & mirè proſunt in affectibus ipſis etiam Epilepticis & doloribus abdominis convulſivis, utut ultra colon adſcendere nequeant Clyſmata. Alii tanquam ſingulare laudant Clyſmata parata ex decocto hederæ terreſtris ad ℔j. ℥j. Mithridatii quæ injecta ad paſſionem hyſtericam commendant. Clyſteres Terebinthinati (de quibus ubi de dyſenteria) ſ. in quibus Terebinthina c. vitello ovi diſſoluta à ℥ij. ad ℥ß. unà immittitur ſingulariter proſunt in hyſterica paſſione. Nam egregium balſamicum & oleoſum ſal eſt in Terebinthina inteſtinis & matrici gratiſſimum. His ipſis externis ſimul adjungenda interna in paroxyſmo eaque omnia penetrantia & vol. oleoſa ſpirituoſa & quidem primatum obtinent ſpiritus ſalini vol. ſpiritus ſal. armoniac. C.C. Liquor C. C. ſuccinatus & ſimilia à gutt. xv. ad xxx. ſ. ℥ß. c. appropriato vehiculo infuſi. Item conveniunt omnia ſuccinata ſal ſcil. vol. ſuccini à gr. v. ad vj vel viij. uſque ad xij. in aqua hirundinum cum caſtoreo per os propinatum ſ. infuſum. Eſſ. etiam ſuccini c. ſpiritu vini rectificatiſſimo parata à ℥ß. ad ℥j. in adulta muliere inſigniter prodeſt. Alias aliquot ſaltim guttulæ 3. 4. 5. olei ſuccini diſtillati, utut ingrati, inſigniter tamen conferunt in paroxyſmo. De caſtoreo & aſa fœtida res eſt notiſſima, quod ſingulariter conducũt in hoc affectu, quatenus ſua oleoſitate ſalina acidum vitioſum ejuſque effervescentiam promptiſſimè compeſcunt: propinantur in forma pulveris. Pertinet huc pulv. hyſtericus Tim. quem ſe nunquam fefelliſſe aſſerit. Deſcriptio eſt hæc:

℞. fecul. bryoniæ. ℈ij. (nihil valet)
Margaritar. præparat. ℈j. (quatenus acidum abſorbent, quod melius præſtant oculi cancrorum)
Caſtorei gr. xxj.
ole. deſt. Rutæ.
ſuccini ana gutt. v.

M. F. pulvis dividatur in 3. p. aq. doſ. 1. propinetur in vino in quo Macis & Croci parum bullierint. Fecula hic nihil facit: Margaritæ ſaltem præcipitant, caſtoreũ & olea deſtillata optimè præſtant. Pertinet huc etiam Eſſ. caſtorei quæ communiter c. ſpiritu vini paratur: Meliori ratione paratur c. ſpiritu vini maritato c. ſale vol. ſ. ſpiritu ſalino vol. oleoſo, qui promptè penetrat caſtoreum, iſtudque diſſolvit, & elegantem ac penetrantiſſimam ſuggerit eſſentiam: quin & liquor C.C. ſuccinatus caſtoreo affuſus elegantem tincturã ſ. eſſentiam elicit, proficuum ſanè in paroxyſmo etiam graviori hyſterico. Item infuſum caſtorei c. ſalibus vol. de quo ſuperius ubi de menſium ſuppreſſione ex Barbette & hoc eſt egregium. Item tinctura anonyma D. Langii, ſpecificum hyſtericum ex caſtoreo, aſa fœtida, Myrrha, & pauco croco per ſpir. vini tartariſatum parata commodiſſimè his ipſis ſpeciebus Baccæ ſambuci exſiccatæ. Item Zedoaria & Galanga addi potuiſſent. Baccæ n. ſambuci exſiccatæ, item Baccæ Chamæactes ſ. Ebuli ſimiliter exſiccatæ in ſpiritu vini dant tinctura cujus cochlear. j. vel ij. imprimis granorum actes ſ. ſambuci (ſicut Chamæactes dicitur Ebulus) propinata in paroxyſmo eundem mirè levant provocando brevi poſt ſudorem. Tinctura hæc tanquam expertiſſima commendatur à Lindano. Loco horum Baccæ hederæ arboreæ ſ. potius extract. baccar. heder. mixtum cum Tryphera magna eſt experimentũ Prævotii. Loco horum *gran. Kermec.* alii baccas Juniperi eodem ſucceſſu in tinctura ſ. eſſ. præparati in hyſterica paſſione aſſerunt. Occaſione caſtorei dicti mentio facienda Myrrhæ balſamici remedii in quam plurimis affectibus in ſpecie ſuffocatione hyſterica: Nam Trochiſci Myrrhæ vulgo ad ℈j. propinati paroxyſmum ſedant. Potentior eſt eſſ. Myrrhæ abſque acido cum alcali tàm fixo quàm volatili c. ſpir. maritato v. gr. c. ſpir. ſal. armon. ſic n. dat eſſentiam admodùm elegantem. Pertinet huc etiam *Elixyr proprietatis muliebre ſine acido* per alcalia paratum, de quo ſuperius, quod in paroxyſmo erit admodum proficuum. Item *Elixyr uterinum* Crollii à ℈j. ad ℥iß. Hoc enim præter quàm quòd paroxyſmum levet ſi ſingulis menſibus appropinquante menſtruo fluxu propinetur, præſervare hunc morbum dicitur, ut nunquam revertatur. In ſtercore equino vulgari licet ſubjecto tamen ſingulare eſt experimentum contra hyſtericam paſſionem: Nam ſicut ſuccus ejus expreſſus eſt præſentaneum remedium contra colicam virorum, ita idem ſuccus ſubitò ſiſtit ſuffocationem hyſtericam. Loco ſucci ſunt qui extractum ſtercoris equini commendant. Theriaca aliaque Theriacalia ſimiliter conducunt. Theriacæ parùm in vino diſſolutum ſi propinetur hyſtericæ paroxyſmum mirè levat. Eſt remedium pro pauperculis. Potentius hoc facit, ſi addatur ℈ß. caſtorei vel ſpiritus Theriacalis Camphoratus: nam *Camphora* eſt egregium antihyſtericum, in quo extract. vel pulvis caſtorei diſſolutus cochleatim propinetur in paroxyſmo. Vel poſſunt ex tempore præſcribi miſturæ, quæ in hoc conſpirent, ut ſint ſalinæ volatiles oleoſæ. Modus præſcribendi poſſet eſſe talis.

℞. Aquæ Meliſſæ c. vino ℥ij.
Carminativæ. ℥j.
Eſſ. caſtorei ℥iß.
Spir. ſal. armon. ℥ß.
Salis vol. ſuccini ℈ß.
Olei deſtillati ſuccini gutt. iij.
Syrup. de artemiſ. ℥vj.

M. propinetur cochleatim in paroxyſmo. Paroxyſmo ſedato ne ſubitò revertatur novus his ipſis *Opiata* & *Canphorata* ſunt immiſcenda, quæ in paroxyſmo minus conducunt v. gr.

℞. pulegii ℥ij.
Hirundin. c. caſtoreo ℥j.
(ſimpliciſſima ſi quæ alia hujus eſt compoſitio & tamen efficaciſſima, ſæpius expertus ſum)
Tincturæ granorum actes ſ. ſambuci ℥iij.
ſpir. ſal. armoniac. ℥j.
Laudani Opiati.
Camphoræ ana gr. iij.
Syrup. Cortic. aurant. ℥vj.

M. F. potiuncula iteratis vicibus propinanda. Nam certum eſt, quòd *Laudanum Opiatum* mirè conducat ad avertendum paroxyſmum hyſtericum imminentem tam intra aſſumptum quàm ſolum naribus odoratum, de quo vid. Riverius *Cent.* 4. *obſ.* 85.

Quòd ſi nec hæc ſufficiant ad excitandas & refocillandas ægras præſcribenda ſunt *ſternutatoria*, quæ aliàs egregii ſunt uſus. Modus præſcribendi eſt ſatis notus v. gr.

℞. Caſtorei ℈j.
piperis longi gr. xv.
Hellebor. albi ℈ß.
pyrethri gr. v.

M. F. pulvis cujus tantillum ſubinde per calamum naribus inſufflatur. Quòd ſi nec ſternutando ad ſe redeant hyſtericæ, duro nodo durus apponendus eſt cuneus nempe vomitus utpote qui deſperatas & tantum non pro mortuis habitas potentes exſuſcitar. Inſignes videbitis de hoc obſervationes P. J. Fabri in ejuſdem *curationibus* imprimis *in Cur.* 12.

&

& *in Cur. 39.* ubi hyſtericas jam deſperatas & pro mortuis habitas per ʒij. ſal. vitrioli (eſt duplex doſis) in ʒ jbus aquæ ſalv. c. aqua imperiali propinatas reſtituit. Sed vitriolacea ſunt ſuſpecta : Loco horum ergo antimonialia ſunt tutiora. Videbitis etiam de virtute vomitoriorum in paroxyſmo ad reſuſcitandas deſperatas RIVERIUM *cent.4 obſ.85.* Denique interdum uſu venit, ut in ipſo paroxyſmo vena aperienda ſit, cautè tamen & circumſpectè : Præ cæteris obſervationem notabilem de hoc habet PANAROLLUS *Pent. 3. obſ. 32.* dum hyſtericam virginem ex nimiâ ſanguinis copiâ & circa cor ſtagnatione ad mortem uſq e deductam in ipſa lipothymia per inſtitutam phlebotomiam liberavit. Subſtitimus in *Cap. de ſuffocatione Vterina* in quo ultimo propoſuimus modum tractandi mulieres in paroxyſmo : Et ea ipſa quæ in paroxyſmo ceu appropriata internè aſſumuntur itidem poſt paroxyſmum ad curam ipſius mali commodè adhiberi & uſurpari poſſunt, imprimis adjunctis interdum blandis laxativis ; propterea communiter præſcribuntur noduli vino infundendi alterantes, parati ex Carminativis & nervinis uterinis, qualia ſunt nota v. gr. ex rad. angelicæ, petaſitidis, Zedoariæ, Bryoniæ, quæ præ cæteris laudatur, Leviſtici, Gentianæ & ſimilibus in ſpecie Sclarea eſt experimentum ſingulare paucis notum in ſuffocatione uterina ſ. decoctum ejus ſive alia ex eodem parata remedia uſurpentur. Hinc Meliſſa, roſmarinus, artemiſia, ſalvia, matricaria & Tanacetum : hinc ſemina Carminativa quæ vocantur calida cum omnibus aromatis. Pro laxatione conducit infuſum agarici, it. rad. bryoniæ c. reliquis uſurpata. HELVETIUS *in Diribitorio Medico pag.116.* laudat infuſum Sennæ & Rhabarbari cui addenda ſit ʒß. pulveris ſecundinæ humanæ, ex quo laxativo appropriato multum utilitatis ſe hauſiſſe affirmat in ſuffocationie uterina: Nam *ſecundina* ipſa eſt experta uti poſtmodum habebimus. Alias pilulæ aggregativæ c. Myrrha & Caſtoreo acuatæ, it. Pilulæ fœtidæ communes ad ℈j. addito mercur. dulci pro expurgandis talibus mulieribus conducunt. Præter hæc dicta tam in, quàm extra paroxyſmum ulterius conducunt tinctura uterina MYNSICHTI, it. ejuſdem extract. ſpecificum uterinum : RIVERII pilulæ præſervativæ à paroxyſmo ſimiliter conveniunt factæ ex Caſtoreo, aſa fœtida & Laudano Opiato. (ſunt alterativæ non laxativæ.) De Camphora ſupra monui, quod ſingulariter conducat in ſpecie ſi ſublimetur c. ſal. vol. ſpir. ſal. arm. aut ſi paretur ſal. armoniac. c. Camphora, ſic n. efficaciſſimum acquiritur remedium multis affectibus in ſpecie hyſtericæ paſſioni dicatum. Quin & Camphora accenſa in potu ordinario extincta non eſt fruſtranea, de quo ſupra ubi de furore uterino dictum fuit. Spiritus ſecundinæ imprimis primiparæ per fermentationem ſ. putredinem paratus, it. pulvis ſecundinæ à ʒß. ad ʒj. uſurpatus inſigniter conveniunt. *Panacea Holſteinienſis* ſ. arcanum duplicatum MYNSICHTI & ipſum eſt egregium pro affectu uterino mulierum. Vulgò notum eſt quòd jovialia remedia uſurpentur, ſunt namque qui raſuram ſtanni in aqua appropriata propinatam admodum laudant : Loco hujus Magiſter. jovis MYNSICHTI, it. antihecticum POTERII, it. Bezoardicum joviale aut ſudoriferum magnum FABRI ſunt uſurpanda. Remedium domeſticum ſed ſatis proficuum eſt fuligo ſplendens, ad ʒj. uſurpata. Item ſulphuris crudi part. ij. miſtæ c. part. j. Nuc. Moſch. à ℈j. ad ℈ij. uſurpatum ſingulare experimentum eſt ad curandam & præſervandam hyſtericam ſuffocationem. Colophonis loco addam caſum qui mihi videre contigit ſuperiore æſtate : vocabar ad mulierem juvenculam, quæ in partu aliquando fuerat malè tractata ; tempore tamen puerperii & lactationis fœtus commodè ſatis ſe geſſit : cum ablactaſſet fœtum & redirent menſes, incidit in hæmorrhagiam uteri nimiam, non quidem continuam, ſed ita ut menſes interdum per integras 6. hebdomadas fluerent : tandem ſuperveniunt tormina abdominis vehementiſſima, quæ principium capiunt in hypochondrio ſiniſtro, hinc extenduntur in totum abdomen, & tandem in ſpecie in regionem dorſi lumbarem crudeliter lacerant : ſuperveniebat hinc difficilis reſpiratio & graves anxietates cordis, ita ut etiam ſyncope interveniret : tandem Crampus quaſi ſ. convulſio quædam tonica totius dimidii corporis ſiniſtri ſuperveniebat, ita ut dimidium caput ac dimidius truncus cum brachio & pede totaliter rigerent & quaſi tetano afficerentur ; parte dextra tota ſana : pulſus erat parvus, celer, imò interdum ferè nullus : revera erat affectus quem vocant Hyſtericum. Vocatus ego in paroxyſmo cum ex teſtatione adſtantium mulier per 5. dies habebat alvum ſuppreſſam præſcribo Clyſterem Carminantem & emollientem.

℞. Rad. Angelic.
Leviſtic. ana ʒvj.
herb. Malvæ.
Chamomillæ. ana mj.
Flor. Chamomillæ.
Sambuci ana ʒij.
Coquantur in ſ. q. aqu. ſimpl. in vaſe clauſo: Colaturæ
℞. ℥ix. adde Electuar. de bacc. laur. ʒvj.
Caſtorei ʒß.
ole. deſt. ſuccini.
Cumini ana ℈ß.
vitell. ovi n. j.
injiciuntur pro clyſmate qui egregiè proderat.

Pro uſu interno præſcribebam hanc miſturam.

℞. Aqu. Hirund. c. Caſtoreo ℥ij.
Meliſſæ c. vino ℥j.
Spir. ſal. armoniac. ʒj.
Cochleariæ. ʒß.
Sal. vol. ſuccini ℈ß. (eſt oleoſum)
Laudani opiati gr. iij.
Syrupi Cortic. aurant. ʒvj.
M. F. potio finito paroxyſmo ſubinde cocleatim haurienda. Pauca hæc remedia ex toto levarunt malum, ita ut etiam hæmorrhagia uteri ſiſteretur.

Pro confirmatione autem imprimis abdominis præſcripſi inunctionem ſaltim externam.

℞. Ole. Chamomillæ. ʒij.
deſtillati ſuccini ℈ij.
Carvi.
fœniculi ana gutt. x.
M. pro inunctione hypochondrii ſiniſtri & regionis umbilicalis applicato deſuper latere calente. Hæc de ſuffocatione ſic dicta uterina & etiam de morbis qui uteri vitio adſcribuntur muliebri ſexui ſufficiant, pergo ad

CAPUT IV.

De viri admiſſione læſâ.

Fœmina quæ cum menſium fluxu ad generationem quaſi ſe habilitat & cui prutitu venereo titillantur genitalia, à viro ſatisfactionem recipit per debitum congreſſum ſeu potius per debitam in congreſſu admiſſionem. Læditur hæc viri admiſſio vario vaginæ uterinæ vitio : vel nimis clauſæ aut nimis anguſtæ vel nimis patulæ, ſive denique impedita eſt admiſſio hæc in affectu qui vocatur vulgo PROCIDENTIA UTERI ſ. EJUS PROLAPSUS. Vocatur ita propterea quia putant, quod uterus extra ſitum ſuum naturalem fermè progrediatur, exeat, & ita per pudenda propendat : ita ut interdum ad medias Coxas procidere talem molem quam uterum vocant, contingat. Quòd ſi jam conſideramus firmam uteri connexionem circa os ſacrum c. inteſtino recto & ſuperius paulo per ligamenti lati alas veſpertilionum

Procidentia uteri ſive ejus prolapſus.

connexionem firmam cum oſſe item circa os ſacrum, ſanè per ſe patet eſſe omnino impoſſibile, ut talis fiat uteri prolapſus, à cauſa interna, ſed neceſſe eſt,ut ſemper concurrat violentia externa, ita ut ſit potius uterus protractus quàm uterus prolapſus. Evenit hoc in partu difficili, dum obſtetrices malè tractant parturientes & puerperas: Fit itidem hoc à nimis valida & violenta ſecundinarum utero interdum adnatarum extractione cum quibus ſimul & uterus tandem neceſſariò cum ſumma vi foras extrahitur & violenter à ſitu naturali divellitur. Id quod tamen fieri nequit citra ingens vitæ periculum, ita ut tales vix ac ne vix quidem ſalvari poſſint. Exemplum tale recenſet BARTHOLINUS *Cent.2. hiſt.anatom. 91.* ubi habet uteri extractionem cum ſecundina lethalem; videatur itidem HILDAN. *Cent.4. obſ. 60.* ubi etiam habetur talis uteri extractio, propter ineptam violentam ſecundinæ tractionem.

Verum cum talis extractio ſ. protractio ſit omnino periculoſa & ſubinde lethalis,patet quid habendum ſit de traditione iſta ſatis communi, quâ uterus aut exſectus aut ulcere abſumptus ſtatuitur remanente interim vitæ aut ſanitatis integritate.

Hic eſt uterus extractus ſed rarus. Affectus autem iſte, qui vulgò nomine procidentiæ ſ. prolapſus uterini venit minimè utero propriè ſic dicto competit, ſed tantum vaginam uterinam afficit, utero ſemper in ſitu ac conſtitutione naturali permanente ac ob id à modernis genuino nomine PROLAPSUS SINUS PUDORIS vocatur:

Eſtque nil aliud quam 1. quando vagina uteri tota nimis relaxata aut extenſa propendet foras quod interdum fit in partu difficiliori, in quo nimis laxatur, extenditur & diſtenditur vagina uteri ejuſque imprimis membrana interna rugoſa: Poſt talem enim difficilem partum evenit; ut digitos duos latos globosè extra genitalia propendeat,ac in medio ſui foramen exhibeat, quod falſo pro orificio interno uteri veteres habuerunt: quòd ſi etiam ob alia quacunque cauſa interna vel externa relaxata aut nimis extenſa & in naturali tono vitiata fuerit iſta vaginæ interna membrana, facilè citra uteri affectionem vel in ſitu mutationem foras propendere & vel in labiis pudendi hærere vel ulterius plus minus procidere poteſt.

2o fit prolapſus ſ. procidentia vulgò ſed, falsò ſic dicti uteri quando rugæ vaginæ uterinæ in quadam ſui parte laxatæ aut exeſæ ſanguine l. aliis humoribus repletæ ſucceſſivè in tantum à naturali tono relaxantur ut pedetentim extra vulvæ labia propendere incipiant, ita ut tandem repræſentent corpus amplum rotundum anguſto collo annexum, quod collum intus in ſinum pudoris ſe abſcondit.

Corpus propendens iſtud interdum in tantum augetur ut tandem ad capitis magnitudinem accedat & ad medium prope uſque & ultra propendeat, imò tandem ulceratur & graveolentem fœtorem exſpirat & pondere ſuo ac ſitu moleſtiam pariter & impedimentum in progreſſione mulieribus affert.

CAUSÆ HUIUS SUNT ſæpius internæ utplurimum poſt hæmorrhagiam uteri nimiam à ſanguine ſeroſiore aut poſt diutius continuatum fluxum album oritur,dum laxatis fibris aut membrana rugas vaginæ conſtituentibus: Hæ ſucceſſivè ſanguinem alioſque humores colligunt coacervant tandemque in tale corpus ſucceſſive augentur.

Humores iſti concluſi corrupti putredinalem tandem acorem contrahunt, ſicque in ulcera fœtida tandem corpus proprium exedunt.

Quòd ſi tandem ſuperveniente interdum Gangræna propendens moles abſcindatur tum uterum prolapſum vel integrum l. ulceratum citra vitæ periculum abſciſſum eſſe & abſcindi poſſe veteres jactitarunt: Et cum tactu intus inæqualitatem quandam repræſentet propendens tumor, teſticulos vel ſimilia corpora in utero inverſo latere putarunt: quæ tamen veterum aſſerta de utero propendente ſufficienter refellit modernor. experientia Chirurgico Anatomica in ſpecie JOBI *von* MECKERN, qui in *obſervationibus ſuis medico Chirurgicis* Belgico idiomate conſcriptis ſed mox Germanico prodituris *Cap.51.* elegantibus obſervationibus poſt mortem mulierum quæ cum aliis affectibus lethalibus & procidentia ſic dictâ uterinâ laborarunt, docet ſemper poſt factam corporis apertionem in talibus uterum naturali loco & ſitu conſtitutum fuiſſe, & id quod propenderit ſolum in vagina uterina relaxata, aut ejus aliquot rugis nimis protenſis fuiſſe, adeò ut cum aliquando ingentem talem procidentiam, poſt convenientem in parte ſui anguſtiore ſ. collo ligaturam abſciderint, & relicto filo in loco abſciſſionis intus repoſuerint, poſt mortem mulieris aliquot dies poſtmodum evenientem repererunt filum parti cuidam laterali in collo ſ. vagina uteri fuiſſe annexum, utero in ſitu naturali laudabiliter conſtituto.

Unde manifeſtè talis experientia docuit, id quod propenderit & abſciſſum fuerit, ſolum à vagina relaxata & propendente ortum fuiſſe.

QUOD ERGO ATTINET DIAGNOSIN.

Hujus procidentiæ ſic dictæ uterinæ, tunc moles foras propendens vel adhuc eſt in labiis vel circa labia uterina, & hoc ſolum deſcenſus uteri appellatur, tumque apparet exiguus tumor labia pudendor. occupans item ſimul pondus quoddam inſtar cujuſdam ovi circa labia pudendi hærentis.

Quod ſi ulterius tumor pergat, ut etiam foras propendeat, propriè prolapſus ſ. procidentia dicitur, atque tunc apparet tumor modò major modò minor, interdum habet in medio ſui foramen, ut antea monui, & tunc eſt vagina tota relaxata quæ foras prominet: interdum citra tale foramen, tumor eſt rotundus globoſus, & tunc aliquot vaginæ uteri rugæ affectæ eſſe ſolent.

Adeſt in principio imprimis dolor quidam tenſivus circa lumbos & hypogaſtrium, à partibus vicinis annexis ex tumore propendente violenter tractis & tenſis. Interdum ſupervenit febris: interdum etiam convulſiones & ſubſtantia propendens corrupta ulceratur non rarò imò gangræneſcit.

QUOAD PROGNOSIN

Prolapſus ſ. protractus uteri verus à cauſa violenta, ut in principio monui, affectum pronunciat incurabilem, utut cura palliativa, ſi non ſit lethalis, intus retineri poſſit. Fit enim talis protractio uteri violenta, non niſi ruptis & avulſis ligamentis latis quorum conſolidatio aut repetita connexio vix per artem poteſt perſuaderi aut perfici.

Quòd verò attinet prolapſum ſinus pudoris, ut modò monui, dum recens eſt ac ſaltim deſcenſus, facilè poteſt curari, idque imprimis in junioribus.Quod ſi verò malum fuerit inveteratum & ab ambiente aëre non leviter alteretur moles aut ipſum corpus ſit ſenile difficilius admodum ad ſcopum optatum cura omnis pervenire poteſt.

Talis ſinus pudoris prolapſus per ſe rarò eſt lethalis, moleſtus tamen admodum ſupervenientibus ulceribus tædioſiſſimis propter fœtorem.

Quod ſi tandem febris, dolor, convulſio aliaque ſymptomata graviora ſuperveniant mortis cauſa eſt.

QUOD ERGO ATTINET CURAM.

Prolapſum ſinus pudoris ex vaginæ vitio quocunque curare qui vult partem prolapſam convenienter in ſitum naturalem reponere, repoſitum adſtringentibus commodis, verè aut aliis mediis palliativè in debito ſitu firmare, alteratam verò aut jam corruptam & ulceroſam

ulceroſam aut etiam jam gangrænoſam abſciſſione totaliter extirpare debent.

Repoſitio fit ut mulier ſupinè jaceat clunibus capite elatioribus, hinc conſtrictis naribus & pedibus divaricatis admotâ manu blandè tumor prœminens intrudatur, atque in ſitum naturalem reponatur. Quodſi verò alteratus jam ſit tumor propendens ab aëre commodè fotus appropriati prius uſurpandi ſunt, v. gr. fotus ex roremarino, ſalviâ, abſinthio, coctis etiam vini & aquæ partibus æqualibus aut Coquantur folia & baccæ lauri, menth. flor. ſambuci ac ſummitates artemiſiæ in vino adſtringente, quo fomento humido tepidè cum linteis applicato alteretur labes tumoris propendentis contracta.

JOEL commendat fotum decocti capitum allii in lacte. Hinc conveniunt omnia alia remedia quæ in ano prolapſo, it. quæ in herniâ inteſtinali ſolent uſurpari: qui & in ſpecie pulveris adſtringentis, aut applicatio fotus adſtringentis, ante repoſitionem non eſt inutilis, ut eò melius repoſitus firmetur prolapſus. Communiter ſuaveolentia naribus fœtida tumori propendenti applicant, perſuaſi de antiquatâ opinione, uterum ut talem delectari ſuaveolentibus quibus ut vicinior ſit ſurſum repat, ſed de his alio tempore.

Aliàs ubi repoſitio eſt difficilior ſingulare experimentum eſt HELIDÆI ſuffitus inſtitutus ex ſtercore bubulo aliàs ab omnibus decantatum experimentum eſt ſuffitus pellis anguillæ ſalitæ, quæ pellis carbonibus impoſita ſuffitum præbet excellentiſſimum ad repoſitionem Uteri. In defectu hujus experimentum eſt ovum gallinæ putridum quod panno ſubtili vel lanâ exceptum immediatè tumori perpendenti applicatur & mirè confert ad reponendum Uterum eſt experimentum FORESTI, STOCKERI & aliorum.

Repoſitus dictus ſic uterus ſ. prolapſus ſinus pudoris firmandus eſt convenientibus adſtringentibus imprimis externis.

Nam & internè vulneraria adſtringentia à quibuſdam uſurpantur, parata ex herniaria piloſella, polygono, rad. Simphyt. Nuce Cypreſſ. & ſimilibus.

POTERIUS cum ſucceſſu intus uſurpat decoctum ſequens poſt repoſitionem & firmationem uteri:

♃. Nuc. Cupreſſ. (loco hær. poſſunt accipi gallæ) No. XII.
Rad. ſymphyt. major. ℥ij.
Fol. ſ. herb. polygon.
herniariæ.
betonicæ.
Piloſellæ. ana mj.

It. decoctum in vino & aqua cujus dabantur pro doſi aliquot unciæ c. Syrupo limonum, Cum etiam flatus inteſtinorum turgeſcentia ſua poſſint exaſperare aut ad recidivam diſponere malum: propterea crebriorem uſum ſem. aniſi & fœniculi convenienter idem ſuadet POTERIUS.

Sed imprimis firmandus eſt prolapſus ſinus pudoris per externa fomenta parata ex adſtringentibus aliàs cognitis: v. gr. ex fol. quercus, Myrti, prunor. ſylveſtrium, ex Equiſet. & millefolio ex Cort. granatorum ſumach & ſimilibus.

POTERIUS ſupra dicto loco *Cent. 3. cap. 91.* hoc fotu felici cum ſucceſſu uſus fuit:

♃. Nucum Cupreſſi.
Gallarum.
Cortic. granator,
balauſtior.
ſumach. ana ℥ij.
fol. Myrti.
Olivæ ſ. oleæ.
quercus.
Polygeni. ana Mj.
Flor. roſar. p. I.

bulliant in vino rubro, quo fotu pars affecta bis vel ter in die foveatur muliere interdum quieta jacente.

Præterea decoctum aluminis aut muſci quercini pro fotu aut etiam pro injectione in vaginam uterinam commodè uſurpantur. Decoctum etiam Gallar. in aqua ferrata (ſ. in qua ferrum aliquoties extinctum fuit) Utero injectum ceu admodum proficuum laudatur.

Rad. & folia Urticæ contuſa & inſtar cataplaſmatis impoſita confert. Continuentur præterea ſuffitus ex ſtercore Vaccino aut equino: it. ex pelle anguillæ aliiſque ſimiliter fœtentibus.

Hinc pinguedine urſi inungatur regio oſſis ſacri it. regio pubis. Quidam ceu ſingulare laudant ſi recipiatur *Chryſanth. Peruvianum* quod vulgò vocatur flos ſolis quod coquatur, & decocto pars benè fomentetur, quo facto regio dorſi lumbaris cum axungia ſ. pinguedine urſi inungenda, ut firmetur tumor uteri prolabens.

Emplaſtrum ex Tacamahaca aut etiam ceratum ex Galbano regioni pubis ſ. ut alii volunt circa os ſacrum admotum neſcio an tantum valeant quantum dicunt: alii præſcribunt tale emplaſtrum

♃. Olibani.
Maſtichis.
Opopanacis.
Galbani.
Serapini.
Terebinthinæ.
Styracis liquidæ.
Picis ſiccæ. ana partes æquales.
Ceræ parum.

F. Emplaſtrum, & poſterius circa lumbos & anterius circa pubem imponendum. His ſi nequeat firmari propendens tumor, intrudatur in vaginam Uteri globulus factus ex ſubere imprægnatus c. maſſa emplaſtri facta ex cera, colophonia gummi elemi & ſimilibus: qualium globorum aut rotundorum aut pyriformium optimam deſcriptionem & delineationem videbitis in HILDAN. *cent. 4. obſer. 61.* Et ex eadem habet SENNERTUS *de procidentiâ uteri.* Hi globuli exactè reſpondent amplitudini vaginæ, ne nimis parvi procidentiam non impediant, nimis verò magni vaginam non nimis dilatent inſtructi ſint filo, ut pro lubitu poſſint extrahi, in ſpecie ſi forſan maritus ingreſſum moliatur.

Putant vulgo hos globulos intrudi in uterina quod impoſſibile, ſed hærent tantum in vaginæ ſummitate, quam replendo exactè laxitatem & hinc propendentem tumorem impediunt & fulciunt. Cavitas enim uteri tam parva eſt ut per impoſſibile non poſſit capere, aut ſi capiat, non poſſent tam facile extrahi & reponi hi globuli. Loco globulor. SENNERTUS facit mentionem annulorum ſinui pudoris intrudentorũ, quibus ſimiliter prolabens tumor ſuperius retinetur ne propendeat: hi ſimiliter nullo modo ad uterum pertingunt, ſed rugas ſaltim vaginæ nimis diſtentas & laxatas inde egreſſum molientes firmant & fulciunt, & ita malum palliativè curant.

Locuti ſumus de admiſſione viri læſa, & occaſione hujus de procidentia dicta uterina. Pergo jam ad

CAPUT V.

DE CONCEPTIONE LÆSA.

Dum admittit fæmina virum ſubinde accidit, ut ab eodem fœcundata impregnetur vocaturque tunc CONCEPTIO.

SIGNA concepiſſe mulierem certa ac pathognomonica rarius deprehenduntur: imò univerſalia pathognomonica planè non dantur, niſi in quibuſdam

 ſubjectis

ſubjectis particularibus ſpecialia quædam ſigna ſe prodant ſed ipſis ſolummodo propria. Qua ratione A. LUSITANUS refert de muliere quæ ſemper quadam melancholia uterina laboravit: ſimul verò atque concepit etiam iſta melancholia ceſſavit. Sic PANAROLLUS *Pent.5. obſerv.* 46. obſervavit aliquando tale ſignum infallibile conceptionis in quadam muliere in qua cum concepiſſet ſtatim primis menſibus vena tumens in femoris interna parte circa genu apparuit: aliæ quædam uno alterove poſt conceptionem die crebris vomitibus infeſtari ſolent.

Sed hæc ut dixi ſunt ſigna quibuſdam individuis ſaltem propria.

Commune conceptionis ſignum pathognomonicum non datur, aut ſaltim infallibile.

Probabilia ergo & ex quorum ſyndrome ſatis apparenter concludi poteſt conceptio ſunt ferè ſequentia. Nempe

1. ab HIPPOCRATE prædicta indicatio ſ. ſignum eſt *Interioris orificii Uteri clauſura* qua de re vid. *ſect.5. aphor.* 51. dum refert quod ita claudatur Uterus, ut ne ſpicillum quidem admittat: Hoc ipſum ſignum pluribus evehit, & tanquam unum ex certiſſimis commendat PANAROLLUS *pent.3.obſ.*20. dum dicit hoc ipſum immiſſo digito poſſe cognoſci. Nam uterus non clauſus & qui non concepit juxta orificium foveam quandam parvam repræſentat; quod ſi v. conceperit, firmiterque clauſus fuerit, quod tunc nulla fovea nulluſque ſinus tangi poſſit. Vid. etiam CASTRO *de morbis Mulier.* qui eſt in hac opinione.

2. Succedit *menſtruor. retentio*, idque ordinario contingit ut poſt conceptionem ſupprimantur menſes. Ordinariò dico & utplurimum propterea quoniam pauca ſubinde obſervantur exempla mulierum quibus etiam menſibus primis fluxere ordinariò Catamenia: in talibus ſcil. quæ aut ſanguine copioſiore abundarunt & ſpirituoſiore, quin & quibuſdam toto geſtationis tempore fluxiſſe obſervatum fuit. Imò hoc ſignum etiam fallit in iis, quæ aliàs viragines appellantur, & quibus fœcundis licet nunquam tamen fluxêre menſes.

3. Primis poſt conceptionem diebus ſubinde *horror* aut *horripilatio* quædam aut vagus frigoris ſenſus corpus ſ. potius corporis peripheriam pererrare percipitur, aut ſaltem ipſæ mulieres dicunt ſe ſentire neſcio quid in corpore, utplurimum tamen uti dico, ille frigoris ſenſus & horror. ſ. horripilatio percipitur.

4. Succedunt ſucceſſivè ſymptomata circa ſtomachum, *faſtidium alimentorum* in ſpecie carnis & nauſea ingens eſculentorum aliàs conſuetorum, ita ut nequidem odorem carnis imprimis coctæ ſubinde perferre poſſint. In locum hujus appetitus ordinarii deperditi ſuccedere ſolet pica & appetitus planè inſolitus aut intenſior circa eſculenta ordinaria aut ſaltem planè inſolitus circa eſculenta extraordinaria: Prioris eſt exemplum, v. gr. quod habet FORESTUS de gravida uno menſe, quod unâ vice 12. haleces recenter ſalitos abſque noxa cum egregio appetitu devoravit: poſterioris exemplum eſt quod refert SALMUTH de gravida carbones avidè comedente. Et quidem non ſit rigoroſus Medicus in prohibendis talibus quæ appetunt modo non nimis excedant quantitatem, vix enim aliquod incommodum exinde perſentiunt mulieres.

5. Superveniunt ſæpius hyſterici affectus in talibus, quæ aliàs nunquam fuere obnoxiæ huic paſſioni, adeò ut gravia abdominis tormina cum reſpiratione nonnihil impeditâ ac ſuperveniente vomitu patiantur. idque primo ſaltem menſe interdum tamen ſecundo, quæ tamen ſpontè poſtmodum ceſſant.

6. Venter ſenſim attollitur ex utero diſtento ſucceſſivè ab imo ad ſummum: Tumor quidem eſt talis, ut imprimis ad lineam abdominis albam promineat, regiones verò laterales lumbares quodammodo æquales & quaſi depreſſæ ſint, id quod probè obſervandum eſt, ut facilius imprægnatio vera ab aliis congeneribus tumoribus uteri vel abdominis diſtingui poſſit.

7. Circa tertium menſem ad ſummum circa medium geſtationis tempus percipitur motus fœtus iſque modo in hoc modo in iſta parte, ſed obſcurus ſucceſſivè tamen magis fit manifeſtus. Sed nec hoc ſemper contingit: ſunt enim mulieres quæ vel decimo ſaltem menſe motum percipiunt & nihilominus tamen brevi poſt feliciter pariunt. Id quod fit imprimis ex abundantia aquarum ut vocant ſ. liquorum quibus fœtus ambitur, quarum abundantia & copia uterus in tantum diſtendi poteſt ut mulier fœtus motum non percipiat: imprimis ſi hic ipſe paulò debilior ſimul fuerit. Tardatur aliàs etiam fœtus motus à matre febriente auctore BARTHOLINO. *cent.* 1. *hiſt. anatom.* 96. Ubi obſervavit in muliere febriente motum fœtus demum poſt 27. ſeptimanam.

Item talis defectus ſenſus motus fœtus fit etiam in fœminis pinguiuſculis quæ talem percipere nequeunt, ut annotavit BARTHOLINUS. *cent* 5. *hiſt.* 78.

8. Denique ſæpius primis menſibus capitis gravitas & vagæ vertigines imò ſæpius etiam dolor dentium moleſtiſſimus ſupervenit.

Hæc ſunt ſigna quibus poteſt concludi probabiliter mulierem eſſe gravidam.

Vulgo tanquam primarium ſignum recenſent retentionem ſpermatis ſ. genituræ virilis in utero, ita quidem ut per actum complexum mulier non ſentiat denuò excerni maris genituram: Hoc an verum ſit & an unquam contingat vehementer dubito: Cum admodum dubium ſit an tantillum de genitura maris propriè ſic dicto; ad conſtitutionem fœtus concurrat, aut an guttula ejus in uterum recipiatur. Sanè cum conſideramus ovipara animalia, v. gr. gallum gallinaceum, de hujus genitura nihil materialiter (diſtinguo materiale à ſpiritu genitali) permiſcetur ovis fœcundis. Sic etiam piſces ovipari, generant ova quæ tantum reſperguntur aut quaſi irrorantur à genitura piſcis maris. Ova iſta quæ irrorantur fœcunda ſunt & dant piſciculos, quæ non irrorantur fatiſcunt & non ſunt fœcunda.

Idem poteſt obſervari in papilionum genere in ſpecie in bombyce. Hujus fœmella copioſiſſima generat ova, poſtmodum in coitu fœmella ova hæc excludit, quæ à tenui ſubrubicundo aut nonnihil flaveſcente liquore ſ. genitura maris reſperguntur & quæ ita reſperſa ſunt, ſunt fœcunda & dant novas erucas, hinc papiliones: quæ non aſperguntur remanent infœcunda.

Stante ergo hypotheſi mulieres generare ova (de quo poſtmodum) quæ fæcundantur tantummodo à ſpiritu genitali maris tanquam ova gallinæ à gallo, citra materialem genituræ propriè ſic dictæ contactum: Certè iſtud ſignum ſi mulier retineat genituram ſ. ſemen virile tanquam falſiſſimum ſpontè corruet.

Unum ſaltem habent argumentum contra hanc opinionem quod etiam ſemen maris neceſſariò ſimul concurrat: Nempe ſimilitudinem fœtus ſæpius patrem non minus quàm matrem referat, ex quo materialem genituræ maris commiſtionem concurrere putant: Sed plumbeum eſt & elumbe hoc argumentum.

Nam gallinæ non minus referunt patrem gallum quam alia animalia vivipara & nihilominus tamen ex obſervationibus HARVEANIS certum eſt quod ex genitura galli nihil ingrediatur & ovum & ovarium gallinæ.

Secundò, Imaginatio materna ſignat fœtum ut nunc fraga, nunc mora, nunc mures incertis corporis locis depicta aut congenita reperiantur.

Imaginatio

Imaginatio quacunque ratione hoc faciat citra commiſtionem materialem hic operatur, ita ut nihil materiei pro talibus excreſcentiis communicetur fœtui.

Unde etiam fœtus poteſt eſſe ſimilis patri utut nihil de genitura ejuſdem ad conſtitutionem illius concurrat.

CONCEPTIO hæc læditur,

1. Quando eſt IMMINUTA ita ut ſit nulla vel admodum rara.

2. Quando eſt AUCTA copioſuſque generatur fœtus una vice.

3. Quando eſt DEPRAVATA ſ. FALSA ita mulier quidem ſe æſtimet fœcundam cum tamen non ſit talis.

Has falſas conceptiones primò removebimus, antequam ad veras acceſſum faciamus.

Has inter conceptiones falſas quæ ſæpiſſimè mulieres fallunt.

Uteri inflatio ſive mola ventoſa. 1. Eſt UTERI INFLATIO ſ. inſignis ejuſdem intumeſcentia à flatibus in cavitate uteri collectis: unde tantummodo tumor abdominis ſenſim augetur, ſed menſes etiam ſimul ſupprimuntur aut parcius ſaltim nonnihil fluere ſolent, quin & *lac* in talium mammis genitum obſervatum fuit: unde tandem tales mulierculæ ſe gravidas firmiter credunt: Fit tamen interdum ut ultra ſolitum partus tempus ad annum integrum imò ad biennium ſe utero concepiſſe ita ſibi videantur: poſtmodum ſupervenientibus doloribus parturientium, aut etiam ſine his excludunt ex utero ſolummodo aliquos bombos & flatulentias ſubſiderque denuò venter & patet tunc ſpontè falſitas putatæ conceptionis: Unde hic affectus à quibuſdam etiam MOLA VENTOSA ſ. FLATUOSA appellari ſolet: interdum accidit ut inſenſibiliter ſenſim ſenſimque ſucceſſivè flatus erumpant, adeò ut tunc temporis mulieres neſciant quid cum fœtu & conceptione factum ſit. vid. SENNERTUS *de Inflatione uteri*.

INTER CAUSAS hujus inflationis ſubinde mulieres decipientis frequentiſſima eſt ſuſceptio aëris externi in uterum, idque imprimis poſt partum aut abortum: dum enim citò nimis aëri externo ſe exponunt mulieres tales non benè circa genitalia munitæ aut etiam ubi in ipſo abortu vel partu aër frigidiuſculus ſe inſinuat in uterum ſubinde in tantum inflatur uterus ut quaſi denuò fœtum gerere videantur. Quod ſi fiat ut ſimul ſupprimantur lochia, dolores acerbi & crudeliſſimi totum abdomen cruciantes conjuncti. Imò etiam ſi poſt peractum debitum lochiorum fluxum mulier audacius paulò aëri libero ſe expo nat ventus contractus in utero nondum perfectè clauſo ſed. adhuc connivente ſuſceptus ſucceſſivè in loco iſto calido uberiori dilatatione turgeſcit & tandem talem uteri & abdominis diſtenſionem ſucceſſivè infert.

Rarius enim à cauſa interna citra talem cauſam manifeſtam externam accidit talis uteri inflatio, niſi forſan parvus quidam uteri hydrops conjunctus flatuum copiam ſimul inducat, cum aliàs pura talis inflatio citra ullum materiæ concurſum aut collectionem rarius reperiatur.

Quod ergo attinet

SIGNA

Hujus inflationis uterinæ, tunc intumeſcit quidem ſucceſſivè uterus: verum non præciſè prominet in medio abdominis, ſed. potius in omnes dimenſiones abdominis ſe expandit & cum contenta flatulentia nunc augetur nunc imminuitur, nunc magis ſeſe expandit nunc minus, etiam uterus nunc plus nunc minus turgidus & extenſus apparet: adeſt præterea ſimul vitium quoddam in hypochondriis & ſtomachi digeſtione: dum circa iſta loca flatus & borborygmi copioſiores non rarò perſentiuntur. Præterea inſignis tenſio dolorque tenſivus uterum occupat, adeò ut dum tumor premitur exinde doleant mulierculæ propter nimiam diſtenſionem: Quin & nullus motus fœtus aut ſimilis in talibus percipitur ſubjectis, & quando fæmina ſe volvit in hoc vel iſtud latus, uterus eò non volvitur, ſed. manet in loco; Ad hæc in uteri inflatione diſtenſio eſt multo major quàm in legitima gravidatione: E contrà pondus eſt minus quàm in legitima conceptione, & vulva minus gravata minuſque preſſa ſentitur: interdum ſed rarius percuſſus venter ſonitum edere videtur.

Quod attinet *PROGNOSIN*;

Inflatio uteri per ſe rarò aliquid periculi infert cum interdum vel ſpontè ceſſet: ſin verò mox à puerperio ſit uteri inflatio cum impediat lochiorum fluxum & etiam in inflammationem uteri tranſire poſſit, res ſatis eſt periculoſa.

Quod ergo attinet *CURAM*;

Flatus uterum diſtendentes ejiciendi aperto uteri orificio interno & diſcutiendi: ſi ſimul adſint ſigna vitiatæ in ſtomacho digeſtionis & copioſorum flatuum, debitis alterantibus & laxantibus eſt corrigenda.

Remedia quæ huc conducunt, ſunt ordinaria carminativa: primatum obtinet chamomilla tam vulgaris quàm etiam Romana: hæc enim quacunque ratione uſurpata internè & externè mirè conducit in hoc affectu: decoctum ſcil. aut Eſſ. ex his parata interius uſurpanda. Nam conducit hæc chamomilla etiam in inflatione uteri mox poſt partum & ubi lochia ſuppreſſa crudeles minantur dolores, in hac egregiè conducit. Addi huic chamomillæ in ſpecie Romanæ, poteſt pro varietate circumſtantiarum etiam roſmarinus, matricaria, pulegium, ſalvia, &c. it. rad. Helenii aut Zedoariæ: ſemina item calida majora ſ. carminativa c. galanga & Zingibere ex quibus conveniens vinum medicatum infuſum aut hydromel medicatum ad imitationem TIMÆI confici poteſt ſpiritus aut Eſſ. Zedoariæ it. Spiritus & Eſſ. rob. juniperi, c. Eſſ. caſtorei crebrius uſurpata ſunt egregia. TIMÆUS c. fructu uſurpat decoctum ligni ſaſſafras & ligni ſancti c. ſeminibus aniſi fœniculi & ſimilibus, per integrum menſem exhibendo ſub introitum lecti Eſſ. Zedoariæ.

Sed hæc & ſimilia carminativa interna per ſe patent.

Externè conducunt fotus & ſacculi ex chamomilla parati: in ſpecie ſi fiant ex milio & ſale toſto cui addantur poſtmodum chamomilla, matricaria & ſemina carminativa; Coquantur hæc in vino vel aqua, & ita ſacculus admoveatur regioni pubis ſ. uteri extenſi. Sunt qui cataplaſma ex ſtercore caprino c. ſeminibus carminantibus in vino coctis paratum, ceu ſingulare non citra rationem laudant: Expertiſſimum eſt & quod tam à SOLENANDRO quàm HARTMANNO, quàm LINDANO & aliis commendatur ſuffitus Nuc. Moſchatæ per infundibulum Uteri exceptus. Modus utendi videatur in HARTMANNI *praxi chymiatrica, cap de inflatione Uteri*.

Purgantia & ſimilia interna quia de his alibi ſufficienter dictum prætereo.

Poſt inflationem Uteri non rarò etiam HYDROPS ſ. tumor ejus aquoſus fœminas decipit ut ſe gravidas æſtiment. Verùm de hoc HYDROPE UTERI confuſè admodum loquuntur auctores Practici. *Hydrops uteri.*

Doctrinæ melioris gratia diſtingo hydropem uteri propriè ſic dictum à mola uteri aquoſa.

Ille nempe hydrops uteri eſt rarior: Hæc ſcilicet mola aquoſa eſt frequentior In illo copioſæ aquæ limpidæ rarius croceæ in utero collectæ cum tu-

mentem reddunt, Hic verò in mola liquor utplurimum nonnihil viſcidus aquoſus, membrana incluſus propria, nunc una nunc pluribus diſtinctis, ita ut tot veſiculas modò majores modò minores repræſentet foras excluditur. Unde etiam à quibuſdam HYDROPS UTERI VESICALIS appellatur. Talis molæ periculoſæ ſ. Hydropis veſicalis illuſtre exemplum habet TULPIUS *lib.3. obſ. cap.32.* it. SCHENCK *lib.4.obſ. de mola.*

Hæc poſterior ſpecies molæ aquoſæ ad doctrinam de molis pertinet: eſtque ut obiter moneam, facta quidem conceptio ovique uterini generatio, ſed in quo poſtmodum fuit læſa & deſtructa debita conformatio affluentis adhuc humoris nutritivi pro formatione & nutritione fœtus qui ſenſim membrana vel una vel hac diſrupta & diviſa pluribus diſtinctis membranis collectus molem veſicalem vel aliam molam aquoſam repræſentat: de quo plura ubi de molis.

Verum autem ſ. proprium HYDROPEM UTERINUM quod attinet ſ. copioſam aquarum in utero collectionem & ſtagnationem CAUSÆ hujus ſunt variæ.

Interdum conjunctus eſt cum conceptione & gravidatione vera quale exemplum videbitis in HILDAN. *cent.2. obſ.56.* ubi mulieri gravidæ parturienti primo ℔. 18. aquæ limpidiſſimæ ante partum effluxere ultra quam copiam aquæ fœtum comitantis ordinariò ad 9.℔. qui paulò poſt ſubſecutæ fuerunt, donec tandem ipſe fœtus supervenitet. vid. etiam SALMUTH. *cent.1.obſ.59.* quod notabilius adhuc eſt ubi mulieri gravidæ aquæ ad ℔.iv. effluxêre qui fluxus aliquot diebus continuavit, donec refocillatâ matre ipſa ſexto menſe poſt filiolum vivum & ſanum pareret.

Talis hydropis cum gravidatione conjunctæ origo eſt abundantia liquoris iſtius limpidi & albi antis ſ. chyloſi ſed in talibus ſubjectis nimis aquoſi qui pro nutrimento & augmento fœtus ad uterum ſecernitur, donec tandem uberius congeſtus eſt tantummodo cauſa ſit quò minus motum fœtus mater perſentiat; ſed præterea quoque rupta membrana extima eum cingente, aut in ipſo partu aut aliquot menſes ante partum ſalvo fœtu erumpat.

Si ante partum erumpat lentus vel maximè ſit vocatus Medicus, ne ſtatim abortum inſtare, aut ut mulierculæ clamant, molam adeſſe exiſtimet, qui omnia prius benè perpendat, ut analepticis matremque roborantibus inſiſtat, quàm temerè quicquam inchoet.

Deinde hydropem uterinum inferunt lochia ſuppreſſa & planè non aut parcè admodum fluentia ita ut ſanguis licet fluxerit materia tamen iſta ſeroſa & quaſi lactea quæ hinc ſuccedit remaneat, & cum tali hydrope ſubinde ſimul ex fermentatione retenti liquoris flatus conjuncti eſſe ſolent, adeoque c. hydrope inflatio uteri eſt conjuncta.

In talibus ordinariò fluunt menſes, & tamen uteri tumor & abdominis remanet, quin & concipiunt denuo & pariunt, & ſecundo demum partu copioſè effluunt lochia: imò non rarò fit ut ſuppreſſa talis evacuanda materia aliò ruat & per metaſtaſin materiæ in loco quodam alio congeratur & colligatur.

Exemplum hujus eſt in quadam muliere hujus urbis, in qua lochia poſt binos partus ex toto ſuppreſſa fuerunt per metaſtaſin in cavitatem omenti ita ut exactè ad peripheriam omenti tumor immenſus in abdomine ſentiatur, ſed fluctuans, & qui in erecta ad genua ferè propendet. Hinc neque purgantia neque ſudorifera conducunt & nihil ſupereſt quàm ut fiat paracentheſis ad quam tamen admodum eſt obſtinata.

Tertiò denique rarius licet in utero colliguntur aquæ ſponte quaſi, eumque tumentem & inflatum reddunt quod utplurimum ob menſium ſuppreſſionem contumacem, aut impeditum lymphæ ex utero refluxum (vaſa lymphatica ex utero vidit MECKERN) aut ſimile vitium internum quoddam præſupponit.

Facit huc imprimis *hydrops abdominis* obſervatus ex menſibus ſuppreſſis in quo collecta fuit materia in duplicatura peritonæi: vid. ſæpius cit. *in cap.49.*

Item facit huc HYDROPS CORNUUM ſ. TUBARUM (in brutis dicuntur cornua in hominibus Tubæ) UTERINARUM qualem ſingulariſſimum obſervat TULPIUS *lib.4.obſ.cap.44.*

Quod attinet

SIGNA.

Signa hydropis Uterini accuratè percenſet HIPPOCRATES *de morbis mulierum*, dum inquit, ſi hydrops uteri adnaſcatur, menſes pauciores & parvi fiunt & ante tempus deficiunt, imus venter intumeſcit mammæ ſolidæ alias molliores fiunt: lac nullum habet, utut putet ſe in ventre habere: ſcil. cognoſcitur imprimis hydrops uteri ex tumore qui primariò hypogaſtrium occupat. (2) ex fluctuatione quando tumor tangitur aut quando ſe movet mulier (3) ex indolentia loci preſſi quod nullus adſit dolor. ſ. tenſio (4) ex inſigni gravitate vulvæ ſ. ſinus pudoris à pondere materiæ incumbentis (5) à delapſu in latus ſecundum motum mulieris decumbentis.

Malum eſt difficillimum curatu hydrops uteri & quod per multos annos durans tandem ad mortem uſque deducit mulieres.

QVOAD CVRAM;

Ubi conſtat eſſe collectionem copioſarum aquar. in utero conſiderandum eſt an ſit cum fœtu an abſque eo: ſi cum fœtu parum aut nihil tentandum eſt, ſed blandis hydragogis ſic dictis blandè & quaſi per epicraſin evacuandum eſt ſerum copioſum: ſin verò nulla ſuſpicio ſit de fœtu ſed vel molam vel pura liquamina adeſſe: tunc audacter fortiora purgantia ſudorifera & ſimilia uſurpanda. In genere eadem remedia & eadem medendi methodus abhibenda, quæ aliàs in hydrope aſcite ſunt laudata, v. gr. fiat purgatio per pilulas:

℞ Extract. Elaterii.
Mercur. dulcis ana gr. xv.
Extract. Trochiſc. Alhandal. gr. iij.
c. Spiritu lumbricor. terreſtr. F. Pilulæ.

Item reſina Jalapæ & reſina gummat. de peru conducunt.

Vomitoria ferè ab omnibus commendantur: in quorum locum acres ſaltem clyſteres etiam injiciuntur commodè quin & clyſteres uterini purgantes ex foliis Mezerei & rad. Ireos noſtrat. ana mj. in ſ.q. aqu. decoctis in uterum injiciendi. Cataplaſma imponendum tumori ex foliis & rad. ebul. c. ſtercore caprillo: Internè carminantia & præterea aliàs in hydrope uſitata uſurpantur, v. gr. decocta lignorum vina medicata ex rad. bryoniæ, angelicæ, Ireos noſtratis cum calamintha, roremarino, marrubio, ſatureia, additis floribus croci & calendulæ.

Bolus ex Terebinthina paratus: it. bolus factus ex Borracea. Croco & ſucco ſabinæ commendatur à RIVERIO. Sed hæc & ſimilia ex cura hydropis aſcitis antea ſunt cognita.

Occaſione læſæ conceptionis dixi de inflatione uteri & de hydrope uteri. His præmiſſis pergendum eſt ad læſiones conceptionis ordinariæ, modò prius certi eſſe queamus *quo modo fiat & in quo conſiſtat Conceptio ordinaria* ſ. naturalis ac legitima: niſi enim prius conceptionem naturalem bene pernoſcamus, etiam præternaturalis conceptionis læſio nobis erit incognita. aliàs per ſe nota eſt veterum ab HIPPOCRATIS ætate ad nos derivata ſententia per miſcelam nempe genituræ utriuſque ſexus, quàm vulgò ſemen appellant, in utero retentam fotam, & exſuſcitatam fieri naturalem conceptionem.

Hanc

Hanc opinionem in omnibus auctoribus Practicis, & defenſam & ipſi ſuperſtructos caſus practicos ubertim invenietis.

Primus autem qui hanc opinionem concuſſit & ejus fundamentum nempe ingreſſum & miſturam genituræ utriuſque ſexus funditus diruit, fuit HARVEUS cujus obſervationes experimentales meritò magnæ ſunt æſtimandæ, dum in oviparis ova ſive perfecta, ſive ſaltim eorundem vitellum à ſpiritu genitali maris galli ſ. cujuſcunque ovipari tanquam contagio quodam ſpirituoſo afflari & ita fœcundari aſſerit. In viviparis, v. uterum hoc ipſo vel eodem contagio ſpirituoſo infici, & ita fœminam imprægnari ſ. concipere aſſerit, unde ſucceſſivè ex materia albugineâ in uterum deſtillante virtute iſtius contagii ſpirituoſi generetur tandem fœtus perfectus.

Doctrina hæc in oviparis non eſt adeo obſcura cum hanc ipſam crebriores experientiæ in quibuſcunque oviparis ſufficienter declarent: verum in viviparis nonnihil difficilior eſt, in quibus poſito hoc nihil de genitura maris craſſa materialiter in uterum recipi, neque etiam de genitura fœminæ, cum hæc ipſa extra uterum per orificium ejus exterius in vaginam effundat, obſcuriſſimum tamen eſt in quo conceptio iſta conſiſtat, & quomodo fiat, imprimis cum non præciſè in utero ſed etiam in tubis uterinis obſervata fuerit facta conceptio fœtuſque concepti generatio idque extraordinariè quidem in genere humano ordinariè fit in brutis, nempe eorum cornibus uterinis, ut nihil dico de eo quod refert SALMUTH in ſtomacho nempe mulieris ex nefando congreſſu factam conceptionem fœtuſque digitalis poſtmodum per os excluſionem.

His difficultatibus & dubiis occurrunt appoſitè modernorum inventa anatomica in ſpecie STENONIS & HARVEI, ſtatuunt quod id, quod eſt ovarium in oviparis hoc ſunt teſtes in viviparis & in ſpecie in genere humano, utpote qui teſtes perfecta parva ovula in ſe contineant, humore ſcatentia & propria pellicula circumdata, quæ ovula in aqua ferventi immiſſa coagulentur in formam albuminis ovi in aqua fervente cocti.

Tale ergo *ovulum* inſtar ovi in ovario oviparorum à ſpiritu genitali tanquam per quoddam contagium hujus attactu *fœcundatur*, ut ex eodem tandem generetur *fœtus perfectus, ſive* talis *ovuli fœcundatio fiat in utero ordinariâ viâ, ſive* fiat talis fœcũdatio *extra uterum in tubis Uterinis:* ſic enim fit *Conceptio tubaria, de qua* parvus ſed non inelegans eſt *tractatus* ELSHOLZII *de conceptione tubaria,* non ita pridem obſervata Pariſiis: *Extraordinariè fit* talis *conceptio tubaria ordinariè* verò fit tantummodo *in utero.*

Ovulo ita fœcundato in Utero tandem huic adhæreſcit *humor limpidus albugineus, ex arteriis in uterum deſtillans* (ex arteriis dico de quo vid. NEEDHAM.) & ita ambo concreſcunt in conceptum ſ. ovum uterinum HARVEANUM, non ſecus ac vitellum ex ovario dilapſum in uterum gallinæ: ibidem tandem albumine inveſtitur. HARVEUM, STENONEM *& alios* etiam tale ovulum ſ. formam veſicalem in teſticulis muliebribus obſervatam notat BARTHOLINUS *cent. 1. hiſtor. anatom. 92.*

Ova ergo hæc fœcundata, dum ita in utero foventur & retinentur, donec fœtus ex iiſdem emergat perfectus, dant *animalia vivipara:* ſin verò excluduntur prius & poſtmodum ſolo ovipari externo incubatu foveantur, donec perfecti pulli egrediantur, dant *animalia ovipara:* Nam *& obſervatum fuit gallinam ova intrà ſe foviſſe* & loco ovorum *pullos vivos no. 6. excluſiſſe*, unâ vice, utut hoc ipſum cum morte gallinæ matris fuerit conjunctum: quæ obſervatio videatur in *obſerv.* quas BARTHOLINUS *cultro anatomico lyſer.* adjunxit eſt ſexta communicata BARTHOLINO à LYSERO.

Ex hac modernorum doctrina, ſpinoſæ quamplurimæ *controverſiæ de conceptione & generatione prolium nummoratâ* facilius poſſunt expediri, *dum* nempe ſæpius *gemelli* interdum *trimelli* imò 4. etiam 8. *fœtus* ſani & vegeti *unâ* vice à muliere *excluduntur* teſte BORELLO *cent. 2. obſer. 44.* pro numero ſcilicet ovulorum, in uno aut pluribus ſe invicem ſubſequentibus congreſſibus à ſpiritu maris genitali tanquam à gallo fœcundatorum & in utero retentorum quin & *ſuperfœtationis* obſcura aliàs doctrina hiſce fœneratur lucem: dum ovulum unum repetito denuò congreſſu poſt aliud interjecto aliquot ſeptimanarum etiam menſium ſpatio fœcundatur, unde poſtmodum partus ſecundarius *ſuperfœtationem* conceptus ſupervenit.

Spiritum genitalem maris imprimis obſervandum monui, qui ſcilicet ſub craſſioris ſeminis tegmine excretus utero ſuſceptus fœcunda reddit fœminæ ova ipſo craſſiore genituræ corpore unà cum fœminæ liquore ſic dicto ſeminali denuò ex vagina effluente: *Unde patet verum eſſe poſſe concipere* etiam *virginem* ſ. *cui penis non adeò profundè intrudatur, & cui clauſtra,* quæ vocantur *virginalia minus* in tali caſu *aperiuntur* modo tam artificioſè ejaculetur genitura maris, ne ab aëris externi ingreſſu vitiari aut ſpiritus genitalis diſſipari poſſit, quin potius hic ipſe promptè ſe in uterum inſinuet & ita virginem imprægnet. Exempla quæ hoc confirmantur habet BORELLUS *cent. 4. obſ. 26.* non tantummdo *de puellâ*, quæ citra perfectam penis immiſſionem fuit imprægnata ſed. in ſpecie de equâ cui fibulis & annulis ferreis vulva fuit occluſa, quæ nihilominus tamen concepit.

Curioſa etiam eſt *obſervatio de puellâ imperforatâ* & cui tantummodo eſſet foramen exiguum magnitudine piſi, quæ tamen ex ſola amaſii externa fricatione & genituræ facta excretione concepit, ita ut medio geſtationis tempore membrana foramen obvelans reſcindenda, & virgo aperienda fuerit, ne majus periculum in partu incurreret: Eſt *obſervatio* 13. communicata BARTHOLINO à MOINICHEN, quæ etiam *annexa eſt cultro anatomico* LYSERI.

His ita præmiſſis ad conceptionem læſam propius accedimus: Et quidem ita læſa conceptio, ut nulla ſequatur, repetito etiam coitu vocatur vulgò

STERILITAS.

Cujus *ſterilitatis* CAVSÆ tantum non ſunt innumeræ & ſubinde imperſcrutabiles. Nam *ex parte viri poteſt eſſe vitium in ſeminis generatione & excretione: ex parte fœminæ* poteſt eſſe vitium *in ejuſdem ovulis* item *in utero ipſique annexa vagina.* Hinc eſt quod ſæpius, imò ordinariò ferè *poſt abortum laborioſiorem* fœminæ poſtmodum fiant ſteriles. Item *vitium* poteſt eſſe *ex parte utriuſque reſpectivè:* Hinc eſt ut mas cum hâc fœminâ generare nequeat, qui tamen cum alia optimè generat: & contrà poteſt eſſe ut fœmina c. hoc mare ſit infœcunda, quæ poſtmodum aliis ſociata liberos gignat: Nam in hoc omnes conſentiunt Practici, tam veteres quàm moderni requiri certam maris & fœminæ, quoad generationis negotium proportionem ſ. harmoniam, ſed qualis ſit, & in quo conſiſtat hæc proportio & harmonia, nullus adhuc explicavit: nec explicare ego illud mihi præſumo: *in ſpecie magis in ſexu fœminino quàm maſculino in ſexu cauſam ſterilitatis* latere ex eo patet, quod *vitium, in viro* ſit primariò *unicum* nempe in *ſemine*, ex quo vitiato generationi eſt ineptus: Nam membri vitia aut parum obſunt, aut facilè corrigi & emendari poſſunt: *Unicum* ergo *vitium* eſt *in ſemine maris.* Et quidem hoc ipſum ſemen maris *ſi* aut *deficiat* aut *minus ſpirituoſum*, facilè hoc ex congreſſu cognoſci poteſt, qui ſi ſit languidus & diutius cum tædio protractus, ſemen minus ſpirituoſum & ob id defectuoſum innuit: *Fœmina* è contra, quæ & concipere,

Sterilitas.

conceptum fovere, & tandem excludere debet, *variis ac multiformibus vitiis, teſtium, uteri vaginæ*, imò *totius corporis* laborare poteſt & per conſequens conceptionem fruſtrare, utut mas optimè ſe habeat.

Et quidem *præ cæteris internis & latentibus ferè cauſis* in fœminis accuſari ſolet *defectus ſeminis* (ex modernorum hypotheſi,) *defectus ovulorum non genitorum* vel *in uterum non rejectorum* vel *eorumdem ad conceptionem ineptorum* : item pertinet huc *defectus materiæ chyloſæ, ex qua albumen*, ut ſic dicam, ſ. incrementum ovi uterini & tandem *materia nutrimenti fœtus* in utero ſuppeditatur : Hinc enim eſt, quòd *nutrices & ea quæ lactant rarius* ſoleant *concipere* aut *conceptum fovere*: item *macriores* fæminæ & *aridiores minus fœcundæ* eſſe ſolent, *pingues & exceſſivè tales*, cum materia albuminis iſtius in ſupplementum pinguedinis ſuppeditetur, & ipſæ etiam minus fœcundæ obſervantur. Denique *Fontanellæ, quæ uberius fluunt* & ſpoliant corpus, aut *ulcera inveterata* aut *fiſtulæ* cum maſſ. ſanguineam exhauriant, inſigniter obſervatur quòd *cauſæ ad ſterilitatem* ſint fœmellis : Imprimis hoc *de fontanellis* obſervatur.

Denique *Vteri membranoſi vitiata conſtitutio, nimis laxa* ſcilicet *& flaccida*, & cujus imprimis *orificium internum nimis patulum* eſt, etiam inſigniter ad ſterilitatem diſponit, & hoc obſervare datur *in mulieribus cachecticis fluxu albo laborantibus, hæmorrhagiâ uteri nimiâ* ex ſanguine ſeroſiore *afflictis*, & ſimilibus : In his vulgo dicitur quòd laboret *uterus intemperie frigidâ & humidâ*, aut quòd ſit *inundatus ab excrementis pituitoſis*. Unde imprimis quæ *albo fluxu* diutius laborârunt *ſteriles* eſſe ſolent, aut *ſteriles fiunt*.

Denique *externa* quædam ceu conceptum impedientia, aut eundem jam factum prodentia allegantur: Hæc inter eſt aqua ſ. *liquor limpidus ex ſalicibus tenellis inciſis effluens* aut etiam *decoctum ſalicis junioris* jejuno ventriculo hauriatur: nam hoc ad ſterilitatem fœmellas diſponere aſſerunt. Denique ſtatim *à congreſſu crocus* aut *mentha criſpa vaginæ uteri immiſſa* conceptum impedire affirmant: Item *lapidis ſpecularis* ſ. *glaciei Mariæ* ʒj. *in decocto ſalicis* vel *vino ſtatim à coitu hauſta* ceu ſingulare experimentum contra conceptionem commendatur. *Borax ante* vel *brevi poſt congreſſum* intrà *aſſumptus* ſimiliter ad ſterilitatem ſ. conceptus impedimentum diſponere dicitur.

Item *mox poſt congreſſum peſſus ex helleboro albo cum caſtoreo intruſus* etiam conceptionem tollere aiunt.

Hæc de cauſis conceptionis læſæ : quas inter tamen adhuc ſunt quædam latentes & nobis à priori imperſcrutabiles.

QVOD ATTINET SIGNA

ſterilitatis fœminæ ſ. an fœmina talis ſit ut concipere nequeat non æquè patet. Equidem *ſi a vitio fœminæ & uteri manifeſto* dependeat malum, v. gr à *ſcirrho uteri, ulcere*, &c. res ſatis eſt certa & clara : verum *cauſas* iſtas *internas* latentes expiſcari in ſpecie *an fœmina abſolutè an* verò *reſpectivè* ſolum cum hoc vel iſto viro *ſit ſterilis*, hoc à priori perſcrutari eſt *impoſſibile*.

Nam quod quidam ex HIPPOCRATE *de ſuffitu* proponunt item *de peſſo ex Melantio utero intrudendo* hoc ceu minus certum ceu omninò fabuloſum tantum inſtitutum muliercularum arbitror.

PROGNOSIS an ſterilitas poſſit corrigi & emendari : Certè *ſi* dependet malum *à vitiis & cauſis manifeſtis*, prognoſis facilè inſtitui poteſt : *ſi v. vitia ſint latentia* aut *incognita harmonia & proportio in utroque ſexu* cautus ſit Medicus in prognoſi quia nihil certi poteſt determinari.

PRO CVRA.

Ergo ut fiat prægnans mulier *præmiſſis* ubi opus ſit, *univerſalibus danda* ſunt talia, quæ ceu *venerem ſtimulantia* aliàs commendantur, & quæ etiam viris propinari ſolent ; hinc *ſubjicienda & ea* quæ per experientiam ceu cognita *contra ſterilitatem remedia* commendantur : *habitâ* tamen ſimul *ratione conſtitutionis & craſeos ſubjecti propriæ*, imprimis *an macra* vel *pinguis*, an *ſana* vel *cachectica* fuerit mulier.

Inſtituenda eſt *cura* imprimis *circa tempus menſium* ita quidem ut *ante tempus præmittantur univerſalia* totum corpus reſpicientia, *poſt menſes* verò continuentur *ſpecifica* utero appropriata & eadem vulgò dicuntur *roborantia* tam *interna* quàm *externa*.

Quod attinet remedia hic ſatis facientia, de *venerem ſtimulantibus Satyrio & Eryngio*, item *de aromatibus, de ſeminibus acribus, Eruca, ſinapi, &* ſimilibus tanquam abundè cognitis nihil dico : ſaltim *lignum ſaſſafras* eſt unum, quod præ cæteris ad ſterilitatem muliebrem emendandam & corrigendam commendatur : in ſpecie ſi aut ad cachexiam nonnihil inclinet, aut ſanguine nimis ſeroſo turgeat *ex hoc parata decocta* aut ſecundum HOEFERUM *in Hercule Medico vina medicata* : item *Eſſ. ſ. tinct. ligni ſaſſafras* copioſius & crebrius uſurpata egregiè confert. Unde etiam *tinct. coral. ſaſſafrata* admodum laudari ſolet. *Ambra, moſchus*, & *internè* uſurpata & *externè* poſt menſium fluxum *cum peſſis vaginæ uteri intruſa* multa obtinent contra ſterilitatem : imprimis *paranda Eſſ. ambræ* pro uſu muliebri *c. ſpiritu meliſſæ*, hinc propinanda *c. Eſſ. roriſmarini*.

HARTMANNUS commendat tanquam experimentum *ſal. ſatyrii*, ſi à ℈ß. ad ℈j. *in aqua vitæ mulierum albâ*, vel *vino Hiſpanico* aſſumatur : ſed aliud ſibi proprium experimentum reticet HARTMANNUS & hoc ſunt *teſticuli Cervæ ex quibus teſtic. Cervæ* Celſo HARTMANNUS paret ſuam *eſſentiam contra ſterilitatem*, quam tanquam ſingularisſimam ſibi propriam reſervavit : aliàs notum eſt quòd *matrix cervæ pulveriſata* mulieribus commendetur. Porrò *formicæ* egregium ſubminiſtrant remedium, uti ad temperandam impotentiam virilem ita & ſterilitatem muliebrem : *Spiritus formicarum* & ex his parata *eſſentia uterina additis* aliis *ſpecificis appropriatis uterinis* inſigniter confert. Sic etiam *ol. formicarum volantium externè* utero illitum ad conceptionem diſponit, non minùs quàm *balneum* poſt menſium fluxum reiterandum.

Paratur *ex formicis* ſeu tale balneum *cui integrum formicarum cubile ſit incoctum*, hic commendatur à *Conrado* CONRADI *in medulla deſtillatoriâ*, ubi habet egregia de formicis. Unde & *ſpiritus formicarum* vel *cum hoc parata eſſ. teſticulorum cervæ*. Vel *eſſ. horum teſticulorum* propinata unà *cum eſſ. ambræ* poſt menſium fluxum & continuata eſt remedium non contemnendum : quo etiam pertinet *eſſ. ſatyrionis* CROLLII *floranthos*.

Quidam commendant *electuarium* factum *ex priapo tauri & cervi cum floribus ſtœchadis arabicæ & melle*. Cui ipſi electuario convenientiſſimè *ex formicis, parata remedia* addi aut his hoc electuarium largiter irrorari poteſt.

Ulterius in *viperis* ſingulare quid latet ad conciliandam fœcunditatem. Præ cæteris obſervationem notatu dignam habet *Helidæus* PADUANUS *in obſerv. p.* 294. Ubi obſervat quod *brodio in quo carnes viperinæ decoctæ* fuerunt unà *cum columbo juveni, myrobolanis* & ſimilibus mulier lepra fuit curata, quæ cum eſſet jam quadragenaria & antea ſemper ſterilis : hoc ipſo decocto tamen & ſanata à lepra & ſimul fœcunda fuit reddita. Unde *viperarum uſus, earundem eſſ.* aut in ſpecie *ejus ſal. vol.* non erunt fruſtranea ad conciliandam fœcunditatem cùm notum ſit quòd *viperarum eſus mares* reddat *fœcundos*, aut quod *eſus pullorum viperis nutritorum* fuerit remedium, quo ſe fœcundam reddidit defunctus *Dux Bavariæ*.

Aliàs

Aliàs ſunt etiam qui *pulverem ſecundinæ humanæ ad ℥j.* uſurpatæ, contra ſterilitatem inſigniter laudant, LINDANUS duobus, ut ſic dicam, verbis, ſterilitatis internæ curam complectitur, dum dicit, *ſi ſterilitas eſt à nimia caliditate & ſiccitate ſanguinis*, hæc *uſu lactis* optimè corrigi poteſt: *ſin vero* ſit *à nimia frigiditate & humiditate ſanguinis* nullo remedio meliùs curari poſſit quàm *per rorem marinum.*

Quod attinet *externa præter balneum ex formicis* antea monitum in ſpecie *Thermæ frequentiarum Thermarum uſus* ſæpius obſervatus fuit proficuus: it. poſt menſium fluxum *ſuffitus* appropriatur *ex ſuaveolentibus*, v. gr, *Gumm. juniperi, ſuccini, thure, benzoe, maſtiche*, & ſimilibus; *poſt menſium fluxum* inſtitutus admodum confert: poſt quem ſuffitum applicantur *peſſi ex foliis matricariæ & mercurialis contuſis & pauco ol. ſpicæ irroratus* qui peſſi poſt ſuffitum veſpertinum applicati per noctem poſtmodum retineantur. *Externè* ulterius ſunt qui *inungunt regionem uterinam* ſ. *pubis c. ol. cheirino & ol. nuc. moſchat. deſtillato, majoran. & caryophyllar.* & ſimilibus quibus deſuper applicant *emplaſtr. de Maſtiche cum gummat. tacamahac*: quod alutæ ſuperinductum ſupra uncturam imponitur.

Habuimus in ſuperioribus *de conceptione læſa* in ſpecie *deficiente*, ex quâ etiam facilè poſſumus judicare, quando *rarius* contingit conceptio. De *aucta* non opus eſt ut multa addam, quia *ordinariò* aut *gemelli* aut *tremelli*, *rariùs plures una vice excluduntur fœtus*: Pergo potius ad

---

CAPUT VI.

DE FORMATIONE FOETUS LÆSA indeque orta mola.

POſtquam concepit mulier, ſucceſſivè in ovo uterino genito *formatur fœtus*, qui aut *ſimilis* eſt corpore *ſpecie parentum* in *naturali conformatione* nempe *humana* aut eſt *diſſimilis*: Et quidem *ſi eſt diſſimilis* ad certam quandam viventium ſpeciem accedit, à qua etiam primariò denominationem habet, ſed vitioſè conformatam, vocaturque *monſtrum*, ſic v. gr. eſt *monſtrum humanum*, monſtrum, *Caninum*, &c. *vel* ita *vitioſè conformatus eſt fœtus* ſ. id quod ejicitur & *quod loco fœtus ex utero prodit*, ut ad nullam certam ſpeciem corporum viventium propriè referri poſſit, & tunc *mola* appellari conſuevit, *à pondere* ſcilicet, dum quaſi moles quædam fœminæ uterum premit ac pondere afficit. *Eſt* nempe *mola maſſa quædam in utero ex conceptu loco fœtus ordinarii genita* & ita *malè formata, ut ad nullam certam animalium ſpeciem referri poſſit.* Unde *excludo* hic *animalia perfecta ex utero* à mulieribus *excluſa*, eaque non tam ad molas, quàm ad monſtroſos partus revoco: dum nempe imaginatione ſeductæ mulieres alia animalia in utero formant ut quando *mures* pariunt, qualia exempla obſervat SALMUTH. *centur.* 1. *obſervat.* 62. item BORELLUS *cent.* 3. *obſervat.* 73. Sic *molas inſtar ranarum*, ejectas notat *A. Luſitanus cent.* 1. *cur.* 27. Item *avem mordentem vivum* cum fœtu editum, *fœtus partem abſumpſerat*; obſervat SALMUTH. *cent.* 1. *obſervat.* 66. Sed *hæ impropriè ſunt molæ potius ſunt monſtra. Si enim ex imaginatione materna* poſſunt generari *fœtus capite canino* aut *felino*, aut *pede equino*, qualia non rarò proſtant exempla: *quidni etiam totius corporis formatio* ita transformari, & *in animalia* alia *monſtroſa* compingi poteſt.

Ex conceptu molas fieri dico: Excludo, E. *hic virgines* it. *viduas*, quas inſontes licet, tamen etiam molas ferre ex ſanguine menſtruo & ſemine proprio inſtar gallinarum ova hypemenia parientium citrà gallum multi aſſerunt, quod tamen falſum eſt: Nam utut ovipara generent ova ſuo tempore citrà galli benedictionem; nihilominus tamen hoc in nullo viviparorum genere ita obtinet, ut ſcil. tale quid in ſe generent citrà progreſſum maris congreſſum: Unde nec homini ſoli tribuendum eſt, quod nulli viviparorum convenit: & ob id etiam *raræ* ſunt adeo *inter virgines & viduas*, *licet annoſas* & *viro maturas* obſervatæ *molæ, quæ ſi naturaliter citrà viri contactum generentur, quare* quæſo *non frequentius* obſervantur ſaltim *in brutis* aliàs ordinariò *multiparis*, uti in *canibus, felibus, ovibus* & ſimilibus.

Denique eſt & *differentia inter molas*, dum *quædam* quæ ejiciuntur *ſunt animatæ* ſ. potius *vitales*, & motu animalitatem, ac vitalitatem teſtentur: *quædam* verò ſunt *non vitales*: jam verò *ſi citrà viri conſortium generaretur mola, unde* quæſo *vitalitas?*

Nam ova ſubventanea ſeu ova hypemenia, quæ citrà fœcundantis galli contactum excluduntur, omni vitalitate ſunt ſpoliata, quin gallinæ ſubjecta brevi putreſcunt & corripiuntur. Ergò ſolæ ſaltim erunt vitales molæ quæ à melioribus maritatis excluduntur. Virgines verò ſuppoſitæ ſaltim non vitales excludent molas: Jam verò falſum eſt ullam eſſe molam non vitalem, licet vel ante excluſionem vel in excluſione ex utero vitalitatem exuat & moriatur.

Cum enim ſæpè diutiùs informes molæ in utero geſtentur quæ poſtmodum citrà ullum vitalitatis ſignum excluduntur: Certè talis ſubſtantia non vitalis citrà corruptionem & putrefactionem tamdiu in utero retineri non potuiſſet, cum infans verus, quamdiu vivit citrà corruptionem in utero hæreat: ſimul vero atque in utero moriatur corrumpi ac putrefieri incipiat.

Id etiam clarum eſt ex ſecundina uterinaque placenta, quæ quamdiu fruitur vita ipſi à fœtu communicata, tamdiu ſana & ſalva hæret: ſimul vero atque poſt excluſionem fœtus in utero retinetur corrumpi & putrefieri incipit: Ut taceam molas omnes à parvo principio per veram nutritionem & augmentationem accreſcere quæ operatio vitalis citrà vitæ poſſeſſionem exequi nequit.

Ex quibus dictis *concludo molas quaſcunque nullo modo neque à virginibus neque viduis citrà viri conſortium excludi aut generari poſſe.*

Quoad hanc controverſiam *vid.* SENNERTUS *de morbis mulierum de molâ*, *ubi*, quod ſanè miror, *negat virgines poſſe generare molas citrà congreſſum viri.*

Hoc tamen beneficii *concedit viduis, quod ſcil. citrà viri contactum generare & excludere poſſint eaſdem*, cùm tamen cum virginibus pari paſſu ambulent. Item *vid. Paulus* ZACHIAS *in eruditis* propter copiam rerum, *quæſtionibus medico-legalibus lib.* 1. *quæſt.* 3. & 4. qui rigoroſus pro mea ſententia concludit.

Germanis vocatur *ein Sonnen Rind* item *ein Mond Rind*, ordinario vero vocatur *ein Semachſe*, ut ut quidam rigoroſiùs inter has tres molas tanquam tres ſpecies diſtractas diſtinguere velint, quod tamen ſuperfluum.

Conjunguntur molæ ſæpiùs cum fœtu vivo & vero, non tamen ſemper & interdum *unà c. fœtu* interdum *brevi poſt*, interdum etiam *aliquot menſes ante fœtus excluſionem* ejiciuntur *ipſo fœtu* adhuc in *utero ſubſiſtente* ſuo tempore generando: id quod fit imprimis *ſi ex quocunque accidente mola moriatur* tunc enim ceu excrementitium à conſortio vitalitatis proſcriptum ex utero ejicitur vivo ſubſiſtente, *interdum diu* admodum *in utero hærent ipſique firmiter adnaſcuntur ac cum mulieribus tandem conſeneſcunt.*

QVOD ERGO ATTINET CAVSAS *& generandi modum* in mola. Quia *veterum* veſtigia de generatione fœtus ex *ſeminibus utriuſque ſexus miſſis* terere & inde *molam ex ſanguine fœminæ copioſo ſemine* vero *utriuſque ſexus* in ſpecie *virili debili* deducere vult, ipſi per me liceat: Sin vero ex HARVEANIS aut HORNIANIS *principiis generationem molæ* explicare velitis videat *Claudium de la* COURVE *Medicum Regium Regis Poloniæ, de nutritione fœtus in utero*:

Hic ipſe ſingulari *capite* ſcil. *cap.* 3. *part.* 3. *de mola* optimè explicat generationem & originem molarum ſcil. *quoad rationem conceptus nulla eſt differentia inter fœtum vivum verum* & inter *molam*: Nam idem conceptus qui dat fœtum vivum perfectum depravatus poteſt dare molam. Accidit autem, ut genuinus veruſque conceptus ſub formatione in utero degeneret tandem in molam, ſive in principio ſive in progreſſu formationis hoc ipſum fiat, ſcilicet in duplici membrana in amnio & chorio continetur fœtus: Amnium tenuior eſt membrana, quæ tanquam munimentum eſt in quo & fœtus formatur & etiam cuſtoditur, ne humor albugineus nutritius affatim ex chorio irruat in colliquamentum & inchoatam Tenelli Embryonis delineationem & formationem omnino interturbet.

Sin igitur fiat ut lædatur iſta intima amnii membrana, indeque fiat liquorum amborum inordinata confuſio, exinde turbatur formationis negotium, & loco fœtus perfecti generantur moles carneæ ſubinde informes & inconcinnæ, quas *molas* vocamus, quæ tamen interdum à *ſuperveniente imaginatione materna* ejuſque *forti impreſſione* ſub iſta incondita forma certo quodam charactere interdum inſigniri ſolent: Sic enim refert FORESTUS *lib.* 28. *obſerv.* 67. de muliere quæ *molam carneam c. capite & quaſi roſtro cujuſdam aquilæ* conformatam ejecit *ex imaginatione*, ſcil. cùm antea monſtra vel picturas ſimilibus capitibus depictas adſpexiſſet.

Quod ſi ergo talis humorum confuſio & formationis interturbatio contingat primis geſtationis menſibus, tunc humores iſti confuſi, vel una chorii membrana communi vel ex rupto amnio quaſi pluribus tot diſtinctis membranis muniti dant *molam* iſtam *aquoſam veſicularem*, de qua ſupelius ubi de hydrope uteri. Quod ſi *tardius hoc fiat*, cùm jam ſanguis in puncto ſaliente, & ipſo corde fuerit genitus tunc naſcuntur *molæ carneæ* ſ. *ſanguineæ* quaſi parenchymata viſcerum repræſentantes, *quòd ſi adhuc longiùs protrahatur* talis confuſio, in tali ſcil. caſu, ubi jam ſtamina nervorum fuerint deducta ac ſpiritus animales generati ac diſtributi, tunc *mola rejecta* ſimul *motum quendam* interdum *ordinatum* interdum ſoluminodo *palpitationis* habere ſolet: Imò in *tali mola* interdum etiam *unum alterumve membrum perfectè* quodammodo *formatum*, v. gr. *os*, *naſus*, *oculus*, aut ſimile quid perfectè formatum deprehenditur. Sunt ſanè membra & viſcera fœtus tenella equidem inter ſe connexa, ſed minùs firmiter & quæ nonniſi ultimo geſtationis tempore cute ac tegumentis membranaceis firmiter inveſtiuntur: Unde confuſo humore chorii craſſiore c. liquamine amnii tenuiore facillimè formatarum partium tenellarum tranſlocatio, confuſio & extenſis jam firmiter vaſorum ſanguifluorum canalibus aliqualis ſanguinis circulatio & ſic molæ inconditæ nutritio & augmentatio contingere poteſt.

Negotium hoc ulterius declarant ova fœcunda, quæ ipſa ante incubatum, vel dum jam aliquandiu fuerint incubatu fota, ſi talia, inquam, ova fortiter concutiantur vel agitentur fiunt infœcunda, confuſis invicem vitelli & albuminis liquoribus & tranſlocatis ex toto partibus tenellis jam nonnihil formatis. Hinc etiam quod tonitru incubationem impediat ac ova licet fœcunda tamen ut corripiantur efficiat à ſimili ovorum ſcilicet in eorum teſtis concuſſione & confuſione. Unde etiam ſub fervido æſtatis tempore minùs ſolent excludi pulli, propterea quia ab aëre ſubtili & calore ambiente, liquefacti humores facilè confunduntur & ita formationem turbant: Idem ſi fiat in conceptu ſ. ovo humano facilè hinc fruſtratur formatio, & hinc molæ vel aquoſæ vel carnoſæ vel denique ruditer licet in varias figuras formatæ generatio ſequitur.

Cauſæ remotæ quòd generetur mola ſæpè ſunt *in matre* quæ *in concinno motu* aut *ventris percuſſione* aut *viâ* aut *aliis gravioribus animi paſſionibus* formationem conceptus impedire, membranam amnii diſſolvere & humorum confuſioni occaſionem præbere poteſt. Allegatur etiam hic à quibuſdam *fervidior maſſæ ſanguineæ conſtitutio*: Unde fiant ut colliqueſcant & colliquefacti ovi uterini humores diſtincti inordinatè confundantur.

QVOD ATTINET SIGNA.

Cognoſcere molam eſt res accurato ſcrutinio digna, cum difficulter hoc fiat & vix primis menſibus rarò ante quartum vel minima ejus præbetur ſuſpicio: tunc enim imprimis *motus* eſt qui latentem molam nonnihil manifeſtat: ſcil. *dum ſe movet mater ab uno latere in alterum*, ſimul *moles* quædam *incondita ponderoſa ab uno latere in alterum impetuoſè ferri percipitur*: Cum è contra *in legitima gravidatione* fœtus citrà talem ponderis motum in utero firmiter expanſo, quocunque ſe moveat mulier ferè eundem ſitum obtineat. Hinc etiam *ponderis major ſenſus* percipitur in utero dum geſtatur mola quam quando geſtatur fœtus perfectus & *iſtud pondus deorſum verſus vulvam* premitur *quod non æquè fit in fœtu perfecto*, qui potiùs in ventre ſine moleſtia geſtatur niſi ultimo menſe circa tempus partus ubi magis ad inferiora declinat. Hinc etiam *in mola venter non antrorſum verſus apparet turgidus*, *ut* fit *in fœtu perfecto*: ſed potiùs ubique tàm ad latera quàm anteriora circa hypogaſtrii imprimis regionem intumeſcit: hinc *dolor* quidam in *utero punctorium ſenſum* inferens ſubſequitur: *quæ punctiones dolorificæ* ſubinde moleſtæ tanquam *peculiares notæ molæ carneæ* habentur quibus hæc ipſa à vero conceptu diſtinguitur obſervante hoc SCHOLZIO *conſ.* 355. Ad hæc dum medio geſtationis tempore in gravidis *ſymptoma graviora* remittere ſoleant, hæc *in molam geſtantibus ſubinde exacerbantur*: Unde etiam quæ *geſtant molas minùs coloratæ* & *pallidiores* & *decolores* apparere ſolent. Quòd ſi aliàs gravidæ conſuetæ ut *medio geſtationis tempore lac incipiat in mammis turgeſcere*, hoc *non æquè fit in molam geſtantibus*. Sed potiùs, ut ut aliquantiſper intumeſcant mammæ, tamen non lac verum, ſed crudior quædam materia & liquamen ſeroſo-excrementitium ex iiſdem effluere ſolet; & *dum gravidis menſtrua purgatio omninò ceſſat*, plerúmque *molam geſtantibus ex intervallis, tertio quovis menſe*, vel etiam *longiore tempore ſolent ſupervenire inſignis uterinis fluores ſanguinei*, ſubinde tamen *vitioſo colore tincti*.

Et dum *gravidæ menſium conſueto tempore* neque *dolores* neque *tenſiones* percipiunt, ſed potius tantùm *fortiorem motum fœtus*, *contrarium* omninò fieri ſolet *in mola*.

Hæc *ſigna faciliùs* apparent. Ubi *mola eſt ſola* & citra adjunctum fœtum perfectum: *quòd ſi fœtus verus & vivus* ſit *conjunctus*, quod interdum fit, hoc *difficilius* omninò cognoſcitur: niſi ventris moles major diſtincta ſingularis quoad motum ab uno latere in alterum & ſimilia alia ſupervenientia ſigna diſtinctionem aliquam repræſentant.

QVOAD PROGNOSIN.

Mola ſemper *periculoſus affectus*: Nam ſi *conjungatur* *cum*

cum fœtu, aut *fœtum interimit*, aut *ſi cum eodem excluditur partum laborioſum* facit: Si eſt *citra fœtum*, *corrumpatur antequam ejiciatur* putreſcendo uterum inquinat ac ad ſimilem putredinem diſponit: *ſi non corrumpatur*, & in alterata perſiſtat, ſubinde *ad biennium ad 3. & etiam ad 10. annos in utero geſtari*, immò *matrem*, *uſque ad mortem* comitari poteſt.

Si *excludatur tandem ſponte*, quod rarius eſt, vel *medicamentorum vi* per artem, *cruciatus inſignes* & imprimis *periculoſa hæmorrhagia uteri* ſupervenire ſolent.

QUOD ERGO ATTINET CURAM.

Obſervandum eſt maximè antequam ad indicationes procedatur, *an mola ſit conjuncta c. fœtu perfecto*, *an vero ſit ſine eo. Si eſt cum fœtu perfecto*, nihil temerè agendum eſt, ſed *hujus naturalis excluſio expectanda*, quoniam tunc ſimul utplurimum ejicitur mola, aut *ſi præter ſpem retineatur*, tunc demum vel *manu Chirurgica* vel *ope pharmaceutica extrahenda* aut *expellenda* erit.

Quod *ſi ſine ulla fœtus ſuſpicione* adſit, id quod imprimis fit, *ſi ſcil. ultra 10. menſes* aut ultra *annum integrum* in utero perſiſtat tunc opera danda ut *quantocyus ejiciatur*.

In quem ſcopum omnia *fortiora menſes moventia* & *partum difficilem promoventia* & denique omnia *fœtum mortuum ejicientia* in uſum vocanda.

His *præmittenda* ſubinde *balnea*, *fomenta*, *inunctiones*, *injectiones Clyſmaticæ* & ſimiles *ex emollientibus* paratæ, & quæ ſunt alia ſatis cognita, & de partu alibi recenſebuntur: quæ vias laxent, uterum ejuſque fibras ac ambientes membranas tractabiliores & diſtenſioni aptiores reddant.

Præparatis ſic viis conveniunt *fortiora purgantia*, quæ uti notum eſt, ſimul potenter uterum ſtimulant, qualia ſunt pilulæ fœtidæ: pil. de hier. c. colocynthide aut ejus extract. ſpecies diaturbith c. Rhabarbar. it. decoctum Sennæ, Pulegii Sabinæ, aa. Mß. in ſero lactis ad aliquot dies hauſtum, quo ipſo RULANDUS aliquot molas ejecit: it. extract. Helleb. extract. ex Trochiſcis alhandal & ſimilia draſticoreta internè uſurpanda: His interdum per *vomitoria* feruntur ſuppetiæ: Cum vomitoria potentia ſint ad excludenda in utero contenta. Sive ſint antimonialia, quæ ſunt optima, ſive vitriolata, ſal vitrioli vomitivum quæ minus commoda; His ſubinde addenda pellentia menſes fœtum & ſimilia, imprimis ex ſabina, Bryoniâ, gentianâ, aſaro, anetho & ſimilibus: ex baccis itidem Junip ri ex ſem. nigellæ ciceribus & ſimilibus quibus commodè cinnamomum ejuſdem aqua ſpirituoſa ſ. tinct. & ſimilia ex cinnamomo ac canella remedia adduntur. Nam hæc potentia ſunt ad promovendam ex utero excretionem: ol. deſtillatum ſabinæ c. ol. deſtillato Caryophyllor. c. ſaccharo in Elæaſacchar. reducta diutiùs continuata ſtimulum potentem inferunt: vel fiat pulvis ex Borrace, Myrrha, caſtoreo ana pulverem ſal. vol. ſuccini de quo pulvere ʒß. in aqua cinnamomi quotidie ſ mel aut bis repetitis vicibus aſſumatur. Præ reliquis experimentum eſt pulvis ſecundinæ blando igne exſiccatæ ad ʒj. in aqua cinnamomi propinatus, qui eſt experimentum HARTMANNI commendatum inſigniter à LINDANO & adhuc uſitatum SYLVIO. Eſt ſingularis hæc ſecundina ad præternaturalia ex utero pellenda. Aut fiant pilulæ ex Trochiſcorum de Myrrh. ʒj. Euphorbii gr. iij. c. ſyrup. de arteminſ. quæ pro tribus doſibus 3. dies ſucceſſivè hauriantur. Nam & hæ potenter expellunt.

Hiſce internis ſimul addantur externa: quorum operationem non mediocriter juvat, ſi mulier ſimul motu aut ſaltu ſimilive exercitio corpus agitet. Externè ergo præter clyſteres, emollientes in principio præmittendos, clyſteres acres & fortiter ſtimulantes, injiciendi imprimis ex pulegio, matricaria, ſabina, pulpa Colocynthid. in nodulo ligata ac ſimilibus. Item fiant injectiones uterinæ ex decocto artemiſiæ & ſabin. aa. ʒix. in quibus addantur Myrrhæ & ſagapeni aa. ℈ii. ad ʒi. Cum caſtorei ℈i. quæ miſta per metienchytam, ut vocant, injiciantur in vaginam uteri.

Condantur item peſſi acuti ex Galbani ℥ii. c. Helleb. alb. ʒii. qui violenter ſtimulant.

Fiat item ſuffitus ex ſcoriis reguli antimonialis, martialibus it. ex decocto ſabinæ & colocynthidis c. cinnamomo, Galanga & mare: ſuffitus ex anetho & cumino ad deſperatam molam commendatur à CORBEJO.

Super pubem & uteri regionem præmiſſis in unctionibus & emollientibus fiunt inunctionines c. ol. diacolocynthidos vel Cheirino & anethino additis paucis guttis ol. deſtillati ſuccini.

Emplaſtrum denique ex fimo bovillo pectini impoſitum, ceu proficuum remedium commendatur à FORESTO *lib.* 28. *obſ.* 61. His ipſis opera danda ut ſtimulata natura ejiciatur mola.

Quod ſi non fiat, ad naturalem Chirurgi operam confugiendum erit: *ſpeculum uterinum* applicandum vaginæ uteri & orificium internum dilatandum & vel manu vel inſtrumentis mola extrahenda. Enchiriſes pro tali operatione videatis in HILDANI *cent.* 2. *obſ.* 52. item in ejuſdem *Epiſtolis*.

Extracta mola quacunque ratione ſubſequens Hæmorrhagia more conſueto de hæmorrhagiis uteri nimiis erit compeſcenda de quibus ſuperius.

Abſolvimus occaſione vitiatæ formationis doctrinam de molis: Reliqua formationis vitia, quæ vel imaginatione maternâ vel terrore vel alia quacunque cauſa externa contingunt, cum ſub caſum practicum non cadant, meritò omittimus & pergimus ad

---

CAPUT VII.

De Regimine Gravidarum.

DUm concepit mulier in eaque generatur & formatur fœtus dicitur gravida quaſi in ventre à fœtu gravata: Unde tàm ratione hygienes quàm ratione Therapias ſemper in iis ad fœtum ſimul eſt reſpiciendum, ne hinc vel noxa inferatur, vel etiam ad præmaturam ſui excluſionem diſponatur.

Quoad DIÆTAM *ſi regimen ſex rerum nonnaturalium*, conſuetudinis uti in aliis, ita etiam in gravidis imprimis habenda eſt ratio, idque jam olim nos docuit, HIPPOCRATES: Hic enim in ſuis *aphoriſmis* inter alia aſſerit, quod conſueta licet deteriora inſuetis tamen licet melioribus meritò ſint præferenda. Item quod ſanitatis ſtudium ſit non ſatiari cibis ſed impigrum eſſe ad labores, in gravidis quidem moderatos. Denique idem aſſerit Diæta & abſtinentia multos magnos morbos curari poſſe.

Quoad ergo res nonnaturales ad conſervandam gravidæ ſanitatem ordinandas imprimis vitandi ſunt ratione aëris *Odores* croci & aliorum graviores tam ſuaveolentes propter metum affectus hyſterici quàm etiam graveolenter propter metum abortus: notum namque eſt, quod fœtores Candelarum accenſarum in quibuſdam abortum provocare aut ſaltim irritare ſoleant.

Quoad aſſumpta utplurimùm appetitus audiatur modo ſub moderata doſi ejuſdem deſiderio ſatisfiat: ſobrietas enim teſte HELMONTIO cardo eſt totius diætæ in ratione victus.

In ſpecie tamen. *Uſus fructuum horæorum* non ſit nimius propterea quoniam facillimè fermentant & fermentatione iſtâ ſubinde diarrhæas aut Dyſenterias gravidis imprimis funeſtas inducere ſolent.

Præterea etiam & ob hanc rationem quæcunque

fermentativa & flatulenta ſedulo ac ſtudioſè ſunt gravidis vitanda, cum gravidæ abdomen uberiùs diſtendant, & diſtendendo difficilem reſpirationem matri & anguſtiam fœtui inferre ſoleant.

Acida etiam nociva: Uterum enim ceu membranoſum & nervoſum inſigniter irritant: cum *membraneſis & nervoſis partibus, vel æque ſit hoſtile ac inimicum, quam acidum* Ne ergo ab acido irritatus uterus ad abortum commoveatur ab iis exceſſivis ſedulò eſt cavendum.

Aromata denique & ipſa in moderata ſunt adhibenda doſi, quia ſunt ſpirituoſa ac volatilia, indeque facillime maſſ. ſanguineam commovere & vel uteri hæmorragias vel ſimiles periculoſas ſanguinis excretiones excitare poſſunt.

Quoad *motum omnis motus violentus caveatur, in ſpecie manuum extenſio ſurſum*, extenſo enim ſic abdomine ſubinde concitantur dolores uterini & diſtenta & extenta vagina dilatatur nimis orificium uteri & ſæpiùs à tali manuum ſurſum verſus extenſione præmaturus aquarum excitatur effluxus. Item *omnis geſtatio aut ſublatio oneris gravioris* propter retentionem habitus ac depreſſionem diaphragmatis inferiora verſus eſt *nociva* quia ſic premitur uterus & deorſum movetur.

Saltus etiam quilibet *immoderatus in ſpecie primis geſtationis menſibus vitandus:* movetur enim ſic ovum uterinum inferiora verſus, ut exinde ejuſdem fiat effluxus, uti quidem abortus primis menſibus vocatur. Ultimis deniq, mẽſibus *moderatus* imprimis *motus juvat* ut *ſaltatio blanda* quia motione uterus nonnihil ſubſidet, fœtus magis deorſũ inclinat: hinc ſucceſſive diſtẽduntur & dehiſcunt viæ anguſtiores orificii uteri, & vaginæ, & iſtâ ſubſidentiâ ac motu deorſum nonnihil incipit laxari os pubis: Unde poſt moderatum motum ultimis menſibus facilior ſequitur partus.

Quoad *veneris exercitium* hoc ipſum *ſi cautum*, propterea quia metus eſt, *ne* in fœcundioribus ex repetitâ venere aut *fiat ſuperfœtatio* aut etiam *periculoſæ molæ generatio*.

Quoad *animi pathemata graviora* in ſpecie *ira* & *terror*, *fugienda* ſunt. *Ira* enim cùm inſigniter moveat maſſ. ſanguineam, ad abortum diſponere ſolet: *Terror* verò infanti ad. ò eſt *nocivus*, ut interdum exinde interimatur fœtus aut exinde ad *Epilepſiam* jam in utero materno diſponatur: *Gaudium* in ſpecie *ultimis menſibus eſt ſalul errimum*, & quod ſæpius feliciorem ſolet præcedere partum.

Alvus imprimis *quotidie ſit aperta* cùm retenta ſcybala & ſuppreſſi flatus graves alias dent turbas in ſpecie ultimis menſibus.

Quod ſi ſit clauſa, tamen ſedulò *vitanda* ſunt *ſuppoſitoria* in ſpecie *acriora*, omni geſtationis tempore, idque ob *metum abortus* ex irritatione uteri c. inteſtino recto arctè connexi. Item *videntur*, *clyſteres quicunque*, niſi interdum, ſed raro iiſdem utendum ſit, *idque cautè fiat*, in minori præſcribuntur doſi & *non niſi ex emollientibus & blandis carminantibus* conficiantur: Sin ergo adſtricta fuerit alvus *potus uberior aſſumendus eſt*, quia hic ſolet emollire & derivare ulterius feces: aut *juſcula pinguiora* aut *copioſiora* deglutiantur: *Cremor* item *tartari* vel *ſolus* vel quod melius *c. dimidio ſal. tartari* miſtus ſubinde uſurpatus alvum retinet laxam. Hinc ex *paſſulis & Tamarindis laxativa*, *leniora* vel *ſola* vel *cum tartareis* miſta imprimis ſunt conducibilia.

Aloëtica vitentur omnia, etiam *pilulæ* quas vocant *Francofurtenſes*, propterea quia omnia aloëtica menſes ſtimulant: præterea *aloë* poſt ſe adſtrictionem relinquit, & ita quantum juvat, tantùm nocet; Nec ex veris purgantibus aliud quam *rhabarbarum tutò eſt uſurpandum*, neque id ſolum propter adſtrictionem, ſed ſemper *cum paſſulato vehiculo* guſtatum. *Caſſia* quæ à quibuſdam propinatur prægnantibus, eſt *nociva*, quia turminoſa & flatulenta. *Manna* etiam *nocet*, quia dulcedine fermentativâ periculum eſt ne ſuffocationem hyſtericam inducat, *ol.* denique *amygdalar. dulcium ad* ℥ß. *ad* ℥j. *in juſculo calido* jejuno ſtomacho hauſtum blandè *alvum ſubducit*, eamque emollit ſi imprimis à fecibus induratis fuerit adſtricta.

Ova etiam *tremula* ſ. *ſorbilia c. pauco ſaccharo* uſurpata optimè proſunt ad emolliendam alvum. Res ut pateat clarius v. gr.

℞. Cremor. tartari ℈j.
ſal. tartari. gr. viij. ad x. m. f. pulv. aper.
Capiendum manè in juſculo bene calido.

Vel ℞. Pulp. paſſular. ℥j.
Cremor. tartari. ʒij.
ſem. aniſi. ℈iv.
Syrup. roſar. ſolut. ſine ſcammon. parand.
F. Electuarium, purg. cujus *quantitas* 2, *Caſtancar.* uſurpanda manè jejuno ſtomacho, quoties alvus fuerit adſtricta. Sin paulo acrius eadem ſit ſtimulanda.

℞. Pulpæ paſſular. ʒij.
Rhabarb. Elect. gr. xv.
ſal. tartari gr. vij.
ol. deſtillati aniſi. gutt. ij.
Syrup. de Cichor. c. Rhabarb.
q. ſ. F. Bolus. purg. pro j. doſ.

Quod ſi in forma liquida potius uſurpanda ſunt *paſſulata*, tunc *vinum Rhenanum infuſionis paſſularum contuſarum* hauſtum interdum conducit: vel quæ elegans & admodum proficua eſt *potio:*

℞. paſſular. minor. ℥j.
Contundantur in mortario, fiat exinde paſta quæ coquatur in ℔iß. aquæ communis: Colaturæ ferventi infundantur
fol. ſenn. ſ. ſt. ʒij.
Cremoris tartari. ʒj.
ſemin. aniſi. ʒiß.
flor. violar. p. ij.
Stent in loco calido per noctem: manè detur colatura purg. cujus hauſtulus quoties opus eſt aſſumptus ſuavis ſaporis facillimo modo alvum laxat.

Quod ſi forſan dulcia ex paſſulis ſint nonnihil adverſa *ad acidula ex Tamarindis* commodè poteſt fieri acceſſus v. gr.

℞. Pulp. Tamarindor. ʒij. ad ℥ß.
Cremor. tartari gr. xv.
ſal. tart. gr. viij.
ſyrup. de Cichor. c. Rhabarb. q. ſ. F. Bolus.
aut etiam *Tamarindi contuſi & nodulo incluſi* infundantur in *vinum vel Cereviſiam* & macerati hauriantur pro potu ſ. coquantur vel ebulliant leniter in vino: Colatura vel ſimplex vel tantillo *ſyrup. rub. Idæi & roſar. ſolutivo* edulcorata datur pro laxativo gravidarum blando.

In hujuſmodi laxativis *flatuum proventus vitandus:* ob id *ſemen aniſi* aut *fœniculi* aut *ol. hor. deſtillata* commodiſſimè adduntur: cum hæc ipſa flatus egregiè diſcutiunt & proventum flatulentiarum inſigniter impediant.

Fœtus ratione etiam *de Caryophyllis* aut *Cinnamomo*, aut parum de *Nuc. Moſchata* interm iſceri poteſt.

Hæc de gravidâ.

Pro fœtu roborando & cuſtediendo ratione gravidæ nempe conducit aqua *Cinnamomi Cydoniata* ritè parata. Nam vulgaris eſt phlegma: it. *ſuccus & Miva Cydoniorum*: *Aromata* etiam proſunt gravidis pro conſervando fœtu quibus de *Caryophyllis* & *Nuc. Moſchata* ſubinde aliquid admiſceatur.

PANAROLLUS præ cæteris laudat *ova ſorbilia*, *recentia*, jejuno ventriculo aſſumpta.

Item *amygdalatum* factum more conſueto *ex amygdalis ambroſinis c. ſemine fœniculi & pauco Syrupo Cydoniorum* ſubactis, in gravidis debilibus ad roborandum fœtum conducit.

In

In iis *quæ ſunt adſueta*, item in *debilioribus hauſtulus vini non eſt nocivus*: in *robuſtioribus* verò aut *ſpirituoſis* ut ſic dicam, *non ſemper eſt tutum vinum*, ſed tales *ad abortum diſponit*.

Externè pro hoc ſcopo commendatur *fruſtum panis aquavitæ mulierum* aut *balſamo Embryonum* dicto *irroratum applicetur umbilico* aut *ſuper regionem pubis*: Item *panis mellitus & piperatus*, *vino Malvatico irroratus & pulvere Caryophyllorum & Nuc. Moſchat.* adſperſus ſimiliter egregiè fœtum tenellum roborat: vel fiat *ſacculus interpaſſatus ex mentha*, *Meliſſa*, *ſemine aniſi & fœnicul. Zingiber. Galang. anthophyll.* & ſimilibus, qui calidè ſub introitum lecti imponatur ventri tumido aut ita calidus irroretur prius vino & ita imponatur.

Hæc de *Diæta*.

Quod jam attinet *Therapiam ſ. regimen gravidar. in morbis* tàm *acutis* quam *Chronicis*, eadem ſanè in his curandi ratio quæ in aliis ſubjectis, niſi quod *ad fœtum ſemper* ſimul *habendus ſit reſpectus*, ne aut aliquid noxæ temerè contrahat aut ad præmaturam excluſionem diſponatur.

Quod ergò attinet 1. ſic dicta *remedia univerſalia* utut minus jam habeatur eor. ratio: 1. de *venæ ſectione* quæritur *an gravidis conveniat*. Quoad *gravidas ſanas*, in iis ſanè *quæ ſunt habitus laudabilioris quæ vitam agunt ſedentariam*, *quæ corpore ſunt ſucculento*, & denique *lauto utuntur victu*, in his *neceſſaria interdum eſt v. ſectio medio geſtationis tempore menſe* ſcil. 3. vel 4. inſtituta in hunc finem: *ut præcaveatur abortus* cui aliàs eſſent obnoxiæ. Refert namque PANAROLLUS *pent.* 1. *obſ.* 10. ſe noviſſe mulierem 5to menſe ſemper abortientem, quæ tamen inſtituta phlebotomia fuit præſervata. Unde in *pent* 2. *obſ.* 23. tanquam optimum eſt præſervativum gravidar. plethoricarum: ubi audacter *primis menſibus venæ ſectionem* inſtituendam ſuadet: Et quidem *ſecanda eſt vena imprimis brachii* quæcunque & potius *repetita vice*, quàm ſemel nimium ſanguinis detrahatur: Nam in talibus interdum etiam in partu ad facilitandum hunc ipſum laborioſiorem, neceſſaria eſt venæ ſectio: qualia non pauca proſtant exempla, ita ut aperta vena facillima ſucceſſerit excluſio fœtus.

In morbo verò *acuto cautius* procedendum eſt *cum Venæ ſectione* in ſpecie in his noſtris regionibus temperatis: Nec eadem niſi obſervatis ſuperioribus cautionibus inſtituenda venit.

Hæc de *Venæ ſectione*.

Quod attinet *purgationem Vomitoria* in iis quæ *facilè vomunt* item quæ *continuo nauſeant*: *picant*, *ſtomachi dolore* aut *ſymptomatis ſimilibus laborant*, in iis *leniora & blandiora vomitoria primis menſibus* propinare *ſæpè proficuum* eſt. Nam ipſa natura in hoc paſſu nobis viam præmonſtrat, quæ in primis menſibus crebriores, interdum continuo provocat vomitus quidni ergò hanc ipſam imitari liceat? Immò hoc tempore *vomitoria tutiora longè ſunt purgantibus fortioribus per inferiora*.

Quod verò *purgantia per inferiora* attinet: *præter iſta emollientia* & blande *abſtergentia omnino ſunt damnanda*: utut exempla non pauca teſtentur, gravidas citra ullam noxam etiam fortiora ſuſtuliſſe purgantia: Cum aliàs difficillimum ſanè ſit arte & inſtituto provocare abortum: nihilominus tamen in talibus quæ accidentariò ſaltim contingunt nullus cordatus medicus temerè ſibi imitanda proponit. Nam *purgantia* propriè ſic dicta 1. *propter malignitatem venenatam* fœtui ſunt nocentiſſima 2. *ex torminibus ac inteſtinorum ſpaſmis* ſi non *hyſtericam* in gravidis *paſſionem* excitant, ſaltim per conſenſum *uterum* ad ſui *contractionem & fœtus præmaturam excluſionem* irritant: Unde *purgantia propinanda cautiſſimè*: quæ tamen ſi interdum invito etiam medico ſint præſcribenda, ea *in minima doſi ex lenioribus* 4. *vel* 5*to*, *menſe* præſcribuntur omnibus probè ſimul obſervatis circumſtantiis.

Symptomata denique quod attinet *urgentia*, certè pro his ipſis facillimè ſatisfieri poteſt per *opium ejuſque laudanum opiatum*, *vix* tamen *tuto* hoc uſurpare licet in *gravidis*, obſervatum namque eſt, ſæpiſſimè *omnia opiata* in ſpecie *utero ac gravidis eſſe infenſa* & omni geſtationis menſe etiam circa ultima tempora utplurimum tamen *abortum & fœtus ejectionem* induxiſſe, adeò ut in ejus uſu cautiſſimus eſſe debeat Medicus: *interdum* tamen *ubi metus eſt uteri irritationis gravioris* aut *nimiæ ſpirituum animalium agitationis*, conſideratis prius bene omnibus circumſtantiis *opium* una cum aliis adhiberi poteſt. Item aliis irritis *in affectibus Catarrhalibus nocturnis contumacioribus* neceſſitate urgente interdum ad *laudanum opiatum* confugere licet: de quo ſucceſſu opiatorum in Catarrhalibus affectibus *vid.* HORSTIUS *lib.* 10. *obſ.* 3.

Quod ergò hæc attinet *ſymptomata*, *quæ gravidis* ſubinde ſunt moleſta *ſtomachi pathemata* ſunt frequentiſſima: hinc enim mox poſt conceptionem ſe offerre ſolet.

NAUSEA quæ *nauſea cibique faſtidium* non rarò ad 3*tium uſque* protrahitur *menſem*, quo tranſacto ſponte ceſſare ſolet omne hujuſmodi faſtidium. *Nauſea.*

Hoc *faſtidium* tanquam *gravidationis ſignum* proponit HIPPOCRATES *ſect.* 5. *aphor.* 45. dum inquit: " Si mulieri ceſſent purgationes (nempe menſtruæ) " neque horror neque febris ſuperveniat, & cibi fa- " ſtidia accedant, judica ipſam in utero habere. *Ne* E. ex faſtidio graviore *corpus contabeſcat*, aut etiam *generatio ovi uterini & albumini veſtimentum*, ut ſic dicam ſ. *albumini generando materia deficiat*, propterea ad tollendum faſtidium quædam à Medico ſunt ordinanda.

1. *Lene vomitorium* propinatum imprimis in *nonnihil cacochymicis* ſæpius *utile eſt*: præter hoc *pilulæ aloephanginæ ſine purgantibus parata* convenienter propinantur. Aromaticæ enim cum ſint, ſtomachum detergent, eumque roborant. Hinc *ſyrupus conſervativus radicis Zingiberis*: aut ipſum *Zingiber in India Conditum* vel etiam *Nux Moſchat. in India Condita vino acidulo irrorata* & parum ejuſdem matutino tempore hauſtum faſtidium ciborum delet: *Mala Cydonia condita*, *Miva*, *ſuccus & omnia ex cydoniis* parata ad gravidarũ faſtidium tollendum conducunt. *Fœniculum aceto conditum*, it. *Cappares aceto ſubacti*: *Elixyr* item *ſtomachale*. (Nam *ab Elixyr proprietatis abſtinendum* propter aloën, Crocum & Myrrham;) ac ſimilia commode uſurpantur. Præ cæteris *ſpiritus Maſtichis* item *parum ſpiritus ſalis dulcis* convenientiſſimè faſtidium gravidarum tollit ſi aſſumatur *in vino Malvatico* vel *pauco vino generoſo* vel propinetur *miſtura*.

℞. Aqu. Menthæ. ʒiß.
Cinnamomi. ʒvj.
Spir. Maſtichis. ʒiij.
Theriacal. Camphor. ʒj.
Sal. dulcis gutt. xij.
Syrup. de ſucco Cydonior. ℥ß.

M. fiat Miſtura de quâ interdum Cochlear. j. exhauriat gravida primis menſibus; quæ ipſa in ſtomachi affectibus earundem inſigniter conducit. *Externè* commode *ol. Maſtichinum*, *ol. Menthæ*: *Cydon. c. pauco ol. ſtomac.* CRATON (propter copioſam Nuc. Moſchat.) *regioni ſtomachi* inungitur & *later calidus* de ſuper applicari poteſt.

Aut etiam *Cerotum ſ. Emplaſtr. de cruſta panis malaxatum c. ol. Maſtichino* commode imponitur *regioni ſtomachi*.

Oppoſitum faſtidio vitium eſt *appetitus inſignior rerum inſolitarum* qui vocatur.

PICA ſuperveniens fere circa ſecundum menſem, dum menſtruus ſanguis in ſuo motu fuit impeditus: *differentia* eſt hæc *in pica*, quod *appetantur* vel *conſueta acrius*, vel *alias eſui inſolita*: *ſi appetantur eſui inſolita*, *vix tutò* concedi poteſt: Nam, utut talia comeſta *Pica.*

meſta non ſemper noceant; ſi non nimia quantitate aſſumantur, tamen vix tuto ſemper imprimis ſi ſint res abſurdiores, concedi poſſunt. *Sin* verò appetantur alias *res eſui aptæ*, tunc ſanè *concedendæ ſunt*: nam res appetitæ facilius digeruntur & concoquuntur & ſæpè tales gravidæ citra Noxam hujuſmodi cibos aſſumunt, quæ non gravidis ipſis vix eſſent abſque noxa.

Quod ſi verò *talia appetunt*, *quæ haberi nequeunt*: *ne fœtus* imprimatur *ſignum* aliquod aut ne *fœtui accidat nocumentum* exhibendum eſt gravidæ aliquid de *Nuc. Moſchata c. pauco melle*: hoc enim ceu probatum in tali caſu laudatur. Præter aquam *corticum aurantior. Syrupus de Corticibus aurantior. & Citri*: it. *Syrup. de abſinthio* laudantur, *ſuccus* etiam *expreſſus ex foliis vitis tenellis vel ſolus* vel *cum ſucco a. ſyrupo Cydonior.* hauſtus it. Aqua vitis quæ *Majo menſe* ſponte ex pampinis inciſis extillat aut *aqua acidula tenellorum vitis folior. deſtillata*, ceu appropriata gravidar. picantium habentur remedia *Eſſ. Cortic. aurantior.* etiam utiliter propinatur. *Panis maceratus in ſucco pomorum granator.* vel *ſucco Cydonior.* comeſtus etiam picam tollere ſolet: *Quod ſi appetantur res inſolitæ*, quæ apparenter ſunt *difficilis concoctionis ut creta*, *calx*, *carbones*, &c. tunc *fixa* acidum abſorbentia conveniunt ut ſunt *Coral. præpar. mater perlar. ocul. cancr. C.C. ſ. igne, Ebur ſ. igne* quæ vel *cruda* vel *c. tantillo aceti irrorata* aut *c. vino pauco* aſſumantur interius.

Subſtitimus in ſymptomatibus quæ gravidis geſtationis tempore ſubinde obvenire ſolent: Hæc inter ſymptomata etiam ſæpius moleſtus eſt

VOMITUS;

Vomitus.

Et hic ipſe imprimis *ſi primo ſecundo* aut *tertio* menſe adſit non ſemper *eſt ſiſtendus*, ſin vero *ultimis menſibus* ſuperveniat propter gravem abdominis concuſſionem eſt *periculoſus* adeoque *ſiſtendus*: In *primo menſe* & poſt hunc *ipſum* vel *ſponte ceſſat*, *in ſecundo* verò & *tertio menſe*, potius *vena ſecta* propter menſes ſuppreſſos, quam in ani purgatione *erit curandus*.

His ipſis, ſi adhuc pertinacior inhæreat *vomitus* tàm 2. 3. quam *ultimis menſibus*: tunc *appropriata ſtomachica* ſunt uſurpanda quæ inter imprimis eſt ſpir. *Maſtichis cum aqua Cinnamom.* propinatus. Item *conſerv. roſar.* aut *conſerv. Menthæ* parumper *c. ſpir. vitrioli martis acidulata*. It. *ex Cydoniis* quæcunque parata remedia: it. *Syrupus de Citro & acetoſitatis Citri*. Ex his poſſunt fieri *miſturæ* quar. deſcriptiones ſ. Compoſitiones ſunt facillimæ.

Externè imponendum eſt *emplaſtrum ſtomachale* CRATONIS miſtum c. *Tacamachac.* aut imponatur *Cataplaſma ex fermento c. pulveribus ſtomachicis* in ſpecie *aromaticis*: it. fiat *inunctio ſtomachi c. ol. Maſtichino, abſynthii, ol. deſtillato Menthæ & ol. Nuc. Moſchat.* tam *expreſſo* quam *deſtillato*.

Præterea *cruſta panis vino generoſo intincta & aromatibus adſperſa ventriculo impoſita* mirè conducit.

TORMINA GRAVIDARUM.

Tormina gravidarum.

Ulterius imprimis menſibus gravidationis ſæpe *tormina ventris doloroſa* moleſta ſunt gravidis. *Ortus* eorundem eſt *vitioſum acidum in inteſtinis* à quo per fermentationem partim ſuſcitantur *flatus*: partim verò ſi *mucilago acida* adhæreat inteſtinis, contumacia & acerba oriuntur *tormina*.

Pro his curandis aromata moderata imprimis ſunt in uſum vocanda: non tantummodò *ſemina* 4. *calida majora in vino bullita*: ſed præterea etiam *cortices Citri & cortices aurantiorum* Item *vina aromatica* ſ. *Clareta Hippocratica*; aqua etiam & ſpiritus *Zedoariæ*, *ubi à flatibus* eſt malum, præ reliquis convenit *aqua vitæ mulierum c. ol. fœnicul. deſtillata* aut *c. ol. Corticum aurantior deſtillata* inſigniter juvat poteſt hinc fieri talis *miſtura*.

℞. Aqu. fœniculi. ℥ij.
Cinnamomi ℥j.
Carminativæ. ʒvj.
ſpiritus Zedoariæ ℈iij.
nitri ad ʒß. ad ʒj.
Syrup. de Corticibus aurantior. ℥ß.

M.F. potio cujus aliquot cochlearia ſubinde delibantur: quæ efficaciter diſcutient flatus.

Externè inungatur abdomen *ol. Laurino acuato c. ol. deſtillato Chamomillæ*: it. applicentur *ſacculi*, ſacculus *ex carminantibus* v.gr. ex *ſale & milio toſto c. ſeminibus iſtis calidis majoribus*, qui ſacculi interpaſſati *ſpir. Vin. irrorati* applicentur abdomini ad ſiſtendos dolores: aut quod eſt experimentum à CASTRO: fiat *Placenta mollis ex vitellor. ovi no.* 17. quibus fortiter agitatis addatur *pulveris aniſi*, *Cumini*, *fœniculi* ana ʒj & c.ſ.q. *ol. Laurini*: Miſceatur & fiat placenta mollis inſternenda abdomini. DIARRHÆA GRAVIDARUM.

Ulterius tàm primis quam etiam ſubinde ultimis menſibus *diarrhæa ſ. alvi fluxus* eſt moleſtus mulieribus: *in primis menſibus non eſt adeò ſuſpectus*: *in ultimis* verò menſibus eſt *periculoſus*, uti jam ſuo tempore monuit HIPPOCRATES *ſect. V. aphor.* 34. adeoque in ultimis menſibus utut ſit ſuſpectus, *Cauti* tamen *ſimus in eodem ſiſtendo*: auctore enim SCHOLZIO *Conſil.* 340. nonnunquam prægnantes c. Euphoria perferunt talem abdominis ſ. alvi fluxum ultimis menbus uſque ad tempus partus. Diarrhæa gravidarum.

Sin ergò *fiat ſine virium proſtratione nec* ſit adeo *copioſus* nec *interturbet vigilias* (potius Somnum) & quæ ſunt ſimiles circumſtantiæ, *non adeo facile debet ſiſti*: *Sin* verò ſit *nimius* aut *vires dejiciat*, aut *metum abortus* injiciat, tunc *purgantia* omnino *exulent*, aut ſaltim *rhabarbarum* uſurpandum eſt, potius *blanda adſtringentia acidula* uſurpanda qualia ſunt ex *Cydoniis ſpiritus Maſtichis*: *ſolutiones* etiam *Syrupi & Tinct. Carol. Conſerv. roſar. vitriolata c. Coraliis rubris* præparatas & *ſyrup.* aut *ſucco Cydonior* inſtar electuarii repetitim comeſta conducit: *Tormentill. radicis extractum* aliis permiſtum eſt egregium it. *Gelatin. C. C. ad* ʒß. in potu ordinario diſſoluta quotidie bibita diarrhæam ſiſtere ſolet. Denique *electuar. diaſcord.* FRACASTOR. aliis irritis in vehiculo appropriato *admiſto quodam acido* uſurpatum eſt efficax. *Cautus* tamen *ſit ejus uſus propter opium* ſimul ingrediens: Unde ut opium corrigatur & ipſum electuarium melius operetur *c. acidis temperandum* eſt; Nam acida corrigunt opium. In tali ergò caſu poteſt fieri talis *miſtura*.

℞. Aqu. Menthæ ℥iß.
Succi cydonior. ʒvj.
ſpir. Maſtichis rite parati ℈iij.
Diaſcord. Fracaſtor. ʒj.
Extract. Tormentill. ʒß.
Syrup. Corall. ℥ß.

M. F. Potio. ſubinde haurienda.

Externè commendatur *emplaſtrum* factum *ex Maſtiche ſubacta c. ol. roſar.* quæ c. ſ q. ceræ in forma emplaſtri inducatur linteo & *applicetur abdomini*: vel fiat *Cataplaſma ex Cydoniis Coctis*: *c. cujus pulpa* miſceantur *pulveres Macis Caryophyllor. Nuc. Moſchat. Maſtichis* & ſimilium, quod ipſum imprimis ſtomacho eſt applicandum. ODONTALGIA GRAVIDARUM.

Communis ferè etiam querela eſt gravidar. ut moleſtias doloroſas percipiant ex *dentium dolore*: quem dentium dolorem primis menſibus moleſtum optimè ſiſtunt decocta *appropriata in ore detenta* v. gr. *ex abſinthio*, *quinque folio*; *oxylapatho*: *urtic. majore & ligno ſancto* quæ *in aqua cocta* pauco addito aceto, detineatur decoctum in ore & ſubinde exſpuatur. *Quod ſi dolores dentium* forſitan ſint *ex ſcorbuto*, loco aqu. & aceti Odontalgia gravidarum.

aceti fiat *decoctio in lacte* vel *ſero lactis* quod magis appropriatum eſt in dolore dentium ſcorbutico. Aliàs etiam *decoctum Nicotianæ* in ore detentum (*hac cautela, ne aliquid deglutiatur*: nam vomitus movet) etiam potenter dolorem dentium ſiſtit: vel *ol. Camphoræ* aut *ol. origan. cretici* aut *ol. deſtillatum Caryophyll. bombace exceptum* immittatur aut imponatur interius denti: Nam & hæc dolorem ſiſtunt. it. *Eſſ. ligni Guajaci* aut *ſaſſafras cum ſpir. vini* parata eſt admodum elegans & efficax in dolore dentium: ſi in hac diſſolvantur *aliquot grana Laudani Opiati* dant *tincturam odontalgicam cum bombace* ſalubriter *applicandam*: Nam veteres *Philonium Romanum* non ſine ſucceſſu denti dolenti impoſuerunt ratione papaveris: *Externè temporibus applicatur emplaſtrum* in forma thaleri *ex Maſtiche & Tacamachac.* quæ diu ſubacta temporibus impoſita non rarò conducunt.

PALPITATIO CORDIS ET SYNCOPE GRAVIDARUM.

Palpitatio cordis & ſyncope gravidarum.

Procedente tempore ſuper venit gravidis etiam moleſta *palpitatio cordis* cui interdum *ſyncope* ſupervenit. Hæc *palpitatio ſi ſit vehementior, ſi ſuperveniat circa medium geſtationis tempus*, ſi ſit in *conſtitutione corporis laudabiliore* aut *ſucculentâ* optimè tollitur *per venam ſectam* quæ ſi non poſſit admitti vel non proſit: ad alia appropriata contra cordis palpitationem eſt accedendum: quæ inter eminent *ex Coralliis* ritè parata. *In ſpecie tinct. Coral. c. ſpiritu Corn. Cerv.* Hæc eſt remedium admodum elegans in gravidar. palpitatione cordis ſi *ad 30. ad 40. vel 50. gutt. bis quotidie* uſurpetur, aut ſaltim loco hujus in pauperculis *ſolutio Coral. c. ſucco Citri ſaccharo edulcorata*, eſt propinanda eſt & ipſa conducit. Hinc *ſpiritus roſar. & Meliſſæ & cum his parata eſſ. ambræ*: nam internè non abhorrent gravidæ ambram: in *palpitatione cordis ubi metus* imminet *ſyncopes* commodè ad *paucas guttas in vino generoſo* propinatur. *Elixyr* etiam *citri acidulatum c. modico proprii ſucci in* paroxyſmo commodè propinatur. De cœtero *aqu. cordis cervi compoſita, aqu. cordial. Hercul.* SAXON. *confect. alkermes c. ſucco Citri diluta* & ſimilia per ſe ſunt nota.

Externè fiat inunctio pulſuum & regionis Cordis c. ol. deſtillato Meliſſæ, Citri: Cinnamomi, quæ cum corpore pro balſamo inunguntur contra lipothymiam & cordis palpitationem.

TUSSIS GRAVIDARUM.

Tuſſis gravidarum.

Ulterius *Tuſſis* ſupervenit his ipſis mulieribus quæ *quò major & grandior eſt fœtus, eò eſt periculoſior* propter concuſſionem abdominis & hinc abortus metum.

Facienda tamen eſt *differentia* inter *Tuſſim*: quædam *Tuſſis eſt nocturna ex lympha acri* imprimis oriunda in qua pauca & modica ejiciuntur: quædam vero *Tuſſis eſt continua* in ſpecie *diurna* quæ utplurimum *ex vitio ſtomachi* oritur, & in qua rejecta viſcida ac mucilaginoſa malum leniunt.

Quoad ergò *Tuſſim continuam ſ. diurnam* eam optimè leniunt aqu. *aſthmatica* RUDOLPHI tq. ſpirituoſa aromatica, *miſta c. dimidio ſpiritus Gumm. ammon. c. virid. æris ritè parati*, quæ ad *40. vel 50. gutt.* uſurpata, ſolvendo mucilaginem viſcidam, & excretionem adjuvant & Tuſſim leniunt it. *miſtura ex oxymelle ſcillitico c. aqu. Hyſſopi & Cinnamom.* cui parum *ſpir. ſal. dulcis vel nitri dulcis* ſit additum, etiam lenit contumaciorem Tuſſis excernendo materiam: *ſemen fœniculi & aniſi* ſæpius comeſtum & Tuſſim ſedare & ſimul fœtum roborare, immo *ſemen fœniculi* fœtui elegantes oculos conciliare aſſeritur.

Item *paſſulæ ſæpius deglutitæ* vel etiam *decoctum Helenii c. paſſulis in vino* ſubinde delibatum blandum & elegans eſt remedium ad Tuſſim gravidarum.

Quòd ſi Tuſſis ſit nocturna conveniunt imprimis *rotulæ* paratæ ex *ſpeciebus diaireos c. ol. deſtillato foeniculi & aniſi*, quæ rotulæ ſub introitum lecti in ore detentæ ac deglutitæ faucium aſperitatem leniunt & Tuſſis ferociam mitigant. Quod melius adhuc faciunt *Pilulæ de ſtyrace, moderata doſi* ingredientis *opii*, quæ ipſæ poſt moderatam cœnam ſub introitum lecti degluttiantur: *vid. compoſitio* in SYLVII *praxi*, & SCHROEDERI *pharmacop.* ubi de *pilulis*: Nam interdum *in tuſſi vehementiori cum Cephalalgia continua* & ſupervenientibus *vigiliis ad laudanum opiatum aliis permiſtum* contingere neceſſe eſt de cujus efficacia locum ex HORSTIO allegavi: aliàs *ſyrup. de jujubis, de hyſſop. & Tuſſilag.* ac ſimiles etiam temperant acriorem lympham Tuſſim nocturnam inferentem.

HÆMORRHAGIÆ GRAVIDARUM.

Hæmorrhagia gravidarum.

Ulterius *mediis & ultimis menſibus* non raro *terribiles & periculoſæ* gravidis imminent *hæmorrhagiæ* quæ nunc ſunt *per uterum*, nunc vero *ſunt per alia* quædam *ſingularia loca*. In his *cautus ſit Medicus*, ne utiles ſupprimat, ſuperfluas vero relinquat.

Certum eſt fœminis quibuſdam junioribus & habitus laudabilioris gravidis licet, ordinata tamen periodo adhuc fluere menſes, item obſervatum eſt in aliis quod ſi menſes non fluant per ordinaria loca, hi geſtationis tempore toto per alia ſubinde erumpant loca: Nunc quidem *per nares*: obſervata namque fuit talis *hæmorrhagia narium ſatis contumax, in gravida*, tamen *innoxia* vid. *in lib. 4. obſ. Schenckii de gravidis.*

Sic SALMUTH. *Cent. 2. hiſt. 54.* obſervat *vomitum ſanguinis in prægnante crebriorem*, nihilominus tamen *ſine noxa*; imo quibuſdam gravidis *loco menſium hæmorrhoidum ſupervenit fluxus* admodum *ſalubris* ſi *ſupprimantur* forſan per *hirudines ſunt revocandi*: ſingularem hujus rei obſervationem habet ZACUT. *Luſit. lib. 1. Medic. princip. obſ. 27.* ubi refert gravidam nonimeſtrem Epilepſia correptam ob ſuppreſſas hæmorrhoides quæ poſtmodum per applicatas ano hirudines fuit curata.

His & ſimilibus conſideratis benè omnes perpendat circunſtantias Medicus, *an* potius *opus naturæ* talis hæmorrhagia quocunque in loco erumpens, *an v. ſit* quoddam *ſymptoma* quod in gravidis quare fœtus eſt debilior ſupervenit: Nam ex HIPPOCRATE jam ſcimus quod *ſanguis ex utero* „ aut *ex mammis effluens fœtus debilitatem & im*„*minentem abortum* innuat: Hoc ipſum tamen ut præcaveatur, omnia benè ſunt penſitanda: *ſi mulieri conſuetus ſit ſanguinis fluxus: ſi citra virium debilitatem* contingat: ſi *cum Euphoria* hoc fiat, *ſi mulier alias abortum fecerit ex ſanguine abundantiore* & quæ ſunt ſimiles circumſtantiæ: in talibus caſibus *ſinendus eſt fluxus* & ſaltim ejus *copia eſt moderanda*: non verò citra neceſſitatem ex toto ſupprimendus eſt in ſpecie ſi ſimul certam aliquam periodum obſervare videatur.

Quod ſi non fiat & mater percipiat debiliorem fœtus motum, ipſa *fiat laſſa & debilis*, ipſa *ſentiat gravius ſolito pondus in utero, appetitus* ipſi dejiciatur; ſuperveniant *dolores vagi in dorſo & regione lumbari*: in tali caſu quæcunque ſit hæmorrhagia *coërcenda* eſt ne *abortus* tandem ſuperveniat, & primario per *externa impoſita fœtus eſt roborandus*, de quibus jam ſupra *interna v. hæmorrhagia eſt compeſcenda.*

Inter interna eſt *ſyrupus* paratus *ex ſucco ſymphyt. & portulac.* cui neceſſitate urgente *parum ſyrup. papaveris albi* admiſceatur: propinetur in *aqua Tormentill. portulac. ſyrupus* it. *Coralior. ribium, Myrtillor. Cydon.* & ſimiles uſurpantur *Tinct. ſulphur. vitrioli Tinct. mart. adſtring. Tinct. Coral. c. ſpiritu lignor.* ad plures guttas bis vel ter quotidie *uſurpatæ* optime conveniunt. Aut fiat

Electuar. ex conſerv. roſar. antiqua vitriolata. Cui *coral. rubr.* & *terra ſigill.* intermiſceantur *c. ſyrup. Cydonior. Fiat electuar.* irrorandum *tinct. ſulphur. vitrioli* vel *liquore ſtiptico*: de quo electuario bis vel ter quotidie *quantitate nucis juglandis* vel *Caſtaneæ* accipiatur.

Conveniunt præter alia, quæ alias in nimia narium, menſium & uteri hæmorrhagia ſuperius fuerunt commendata.

SUPPRESSIO URINÆ IN GRAVIDIS.

Suppreſſio urinæ in gravidis.

Ultimis menſibus ſupprimitur interdum in gravidis *urin. ex utero diſtento veſicam comprimente*: Et hinc imprimis urina eſt ſuppreſſa *quando fœmina ſtat erecta: eadem* vero *jacente facilius prodit*: *Internè à diureticis abſtinendum*, aut *leniora* ſaltim eadem ſunt propinanda. *Externe* potius *regio veſicæ in pube illinenda* eſt *ol. ſcorp.* vel *balnea & fomenta* inſtituantur *ex althaa*, *Malva*, *Meliloto*, *parietaria* & ſimilibus pro laxandis viis & promovendâ urinâ, optimum eſt *Cataplaſma* factum ex *parietaria c. pinguedine anſerina & ol. ſcorp.* quod *pubis regioni impoſitum* promovet urinam remorantem.

DOLOR TENSIVUS, FISSURÆ ET RIMÆ ABDOMINIS IN GRAVIDIS.

Dolor tenſivus, fiſſuræ & rima abdominis in gravidis.

Fit interdum ut mulierculæ *ultimis menſibus*, quando nempe primâ vice utero gerunt, ex diſtenſione pellis abdominis *gravem dolorem tenſivum & lacerantem* percipiant. Imo ſi fortè cutis ſit tenerior *fiſſuras agit ac rimas*: Huic malo partim *dolori*, partim imminentibus *rimis* ut ſuccurratur optima ſunt *unguenta & linimenta laxantia & emollientia*, quæ fiunt v. gr. *Ex mucilag. ſem. lini, ſem. fœnugræc. rad. altheæ c. medulla Crurum vituli* addito ſimul *ol. Amygdalar. dulcium ac lil. albor.* it. *pinguedo gallin. & anſerum* ac ſimilia: vel ſolum *unguentum pomatum calide* abdomini dolenti illitum convenit.

AQUARUM EX UTERO EFFLUXUS IMMATURUS IN GRAVIDIS.

Aquarum ex utero effluxus immaturus in gravidis.

Ulterius *interdum per menſem*, *interdum per aliquot ſeptimanas ante partum* fit *aquarum ex utero effluxus immaturus*, quod eſt *ſymptoma periculoſum.*

1. *Quia metus eſt ne fœtus moriatur.*
2. *Quia hæ aquæ in partu ſunt neceſſariæ ad laxandas & lubricandas vias*: Si ergò hæ aquæ ante partum effluant viæ aridiores, ſqualidiores, & denuò exſuccæ laborioſum faciunt partum. *Obſervanda* tamen eſt *diſtinctio*: *interdum poſt talem aquarum effluxum fœtui* imminet *noxa*, *interdum citra ullam noxam* fœtus hoc evenit. *Noxa* imminet fœtui *pericula*, *quando tam ex amnio* quam *Chorio ruptis & læſis* effluit humor ſ. liquor: deficit enim ſic fœtui nutrimentum per os hauriendum: *ſin. v. ex ſolo Chorio læſo* aut *rupto* effluit *minus periculi* ſubeſt. *An* verò *ex ambobus, an ex una* tantum effluat perfectè *cognoſci nequit*, *niſi ex effectu*:

Quod *ſi* ergò *fiat effluxus harum aquarum ante partum* & poſtmodum in partu viæ aridæ & exſuccæ laborioſum eundem efficiant, *optimum eſt linimentis & unguentis emollientibus* (de quibus paulò ante ubi de fiſſuris & rimis abdominis ſufficienter dictum) *inungere vaginam uteri ac loca vicina*, it. *injiciendum eſt ol. amygdal. dulc.* aut *ol. lil. albor. in vaginam uterinam* ac ſimilia, ut ab his ipſis laxentur viæ & ſuppleatur defectus aquarum effluentium.

INFLATIO CRURUM IN GRAVIDIS.

Inflatio crurum in gravidis.

Paucis ante partum diebus, rarò ſeptimanis *crura inflantur mulieribus* & fiunt *tumida ac quaſi œdematoſa* qui tumor ſubſequente partu & hinc lochior. fluxu *ſponte diſparet*: *ſin* verò *nimiam in ingreſſu mulieri concilient moleſtiam*, aut etiam *ſi ſitis nimius & exceſſivus*, *inungantur crura* tumida veſpertino tempore *c. ol. anethino*, *Chamomelino*, *Hyperici* & ſimilibus: aut *foveantur c. lixivio ſarmentorum vitis, cum vino* in quo ſimul incoqui poſſunt *origanum*, *Chamomilla*, *pulegium*, *Calamintha* & ſimilia. *Cataplaſma* it. *ex Chamomilla ejuſque foliis* paratum Impoſitum diſſipant tumorem.

VARICES GRAVIDARUM.

Varices gravidarum.

Notum etiam eſt quod *varices ſ. venarum in cruribus intumeſcentia* ſæpius ſuperveniat ultimis menſibus gravidis, quæ etiam in & *poſt partum diſparent.* Verum cum *interdum adeò ſint magnæ & tumidæ varices* ut periculoſam *ruptionem venarum* inferant, tunc *optimum conſilium eſt inungere venas tumidas c. ol. lauri & unguento de baccis lauri* aut cum *ol. de ranis* aut cum *ol. lumbricor. terreſtrium*: it. *involvantur pedes*, ubi ſunt varices *pannis lotioribus vino intinctis* aut decocto quodam *modicè adſtringente humectatis.*

HÆMORRHOIDUM TUMOR IN GRAVIDIS.

Hæmorrhoidum tumor in gravidis.

Denique tædioſum ſymptoma quod *ultimo geſtationis tempore* ſupervenit gravidis eſt *hæmorrhoidum tumor* nunc *doloroſus*, nunc *indolens* pro quo reſolvendo applicanda eſt *ſpongia decocto adſtringente mitiore in vino imbuta*: vel inungatur tumor hæmorrhoidum *c. ol. ovorum c. ol. Maſtichino*: in ſpecie *ol. momordicæ per infuſionem* eſt experimentum optimum.

Unguentum linariæ applicatum etiam confert: ac denique ſi gravius videatur malum, applicanda eſt *pulpa pomor. coctorum*, cui intermiſti ſint *millepedes*, aut ſaltim additum *ol. millepedum.*

Hæc ſunt *ſymptomata*, *quæ gravidis* accidunt.

Unum adhuc monebo, nempe *Caſum ſingularem* quem obſervat RIVERIUS: Nempe obſervavit *fluxum ſanguinis in gravida immodicum* evenientem *ex fœtu mortuo*, qui alio modo nec potuit nec debuit *curari* quàm *fœtus mortui expulſione*: rationem habebimus ubi de fœtus extractione eſt obſervatio notatu digna in *Cent.* 3. *obſer.* 24. Abſolvimus ea, quæ ad gravidas, quà tales pertinent, earumque ſymptomata & affectus frequentiores, paulò luſtravimus pergo jam ad.

CAPUT VIII.

De Læſione Partus.

Formatus *fœtus* anguſtiis uteri incluſus tandem *calcitrando & ſe fortiter movendo egredi nititur*: *Unde* tunc *graves dolores* prehendunt Gravidam, à quibus ipſa impellitur, ut adjuvando fœtus conatum hunc tandem expellat vel excludat.

Uterus ſcil. motu fœtus incluſi diſtentus, ultimis menſibus geſtationis ſucceſſivè ſubſidere incipit, & magis ad os pubis deorſum vergere: Hinc tandem fœtus grandior & robuſtior factus, cum iſtas anguſtias amplius perferre nequeat, ſe validè movet, agitat artus ac invertendo ſeſe *capite deorſum* proruit, ita ut caput tandem aut oſſi pubis aut orificio uteri interno inſiſtat: Si oſſi pubis eſt terminus technicus mulierum. Hinc uterus membranoſus

branoſus ac fibroſus irritatus, ſe validè ſpaſmodico ac convulſivo quodam motu ſucceſſivè & partitis vicibus contrahere nititur: *Unde* nunc graves iſti *dolores lancinantes* & *torquentes* mulieres prehendunt:

Qui ſi ſunt *legitimi* quod probè obſervandum, inchoant *propè regionem umbilicalem*, hinc *deorſum verſus pubem* extenduntur, & ex *ſinu pudoris* denuo *poſterius ſurſum verſus adlumbos* torquentur ibique ingentem *lancinationis ſenſum* inferunt: Hinc orificium uteri internum ſe pandere incipit: Nam in hujuſmodi cavitatum contractionibus & conſtrictionibus ſemper orificii accedit ampliatio: unde etiam tunc quando uterus ſe contrahit, orificium uteri internum ſe aperit: id quod obſtetrices facile immiſſo digito in ſinum pudoris explorare ſolent: & debent: Percipiunt enim tunc foraminulum & ſupra foraminulum rotunditatem quandam tenſe expanſam: Nec prius mulieres facilè ad labores partus admonent, aut reluctantes cogunt mulieres, niſi uterus ſit apertus & dolores iſti parturientium veri ſimul acceſſerint: neutrum ubi deficit, non ſunt ad partum cogendæ.

Continuato verò *fœtus motu & repetitis uteri ſpaſmis rumpuntur* tandem *membranæ fœtum cingentes effluuntque liquores in eis contenti*, qui liquor ſ. aquarum effluxus laxat, ut eo facilius hæ diſtendi fœtuſque per eaſdem alias ſatis anguſtas promoveri poſſit. Hæc dum fiunt, mulier ſ. mater ſellæ appropriatæ impoſita, aut aliàs commode ſituata pedibus circa genua inflexis, hinc à ſe invicem divaricatis, ſuppoſitis infra lumbos Calcitris, ut eo altius emineat venter, doloribus abdominis convulſivis ſtimulata forti inſpiratione expulſioni fœtus multum adjumenti adfert.

Quod ſi debilitetur in labore pauco vino generoſo aut *aqua Cinnamomi ſpirituoſâ* aut *aqua vitæ mulierum* aut *aqua hirundinum c. Caſtoreo*, ſi forſan *hyſtericæ* immineant *paſſiones* refocillanda eſt, ut ſtrenue pergat in incepto labore: dum inter ea temporis *obſtetrix* ante & intra pedes parturientis locata & ſituata, *manus*, *& digitos ol. lil. albor.* aut *amygdalar. dulc.* aut *ol. Cheirino* aut ſimilibus illitos in vaginam uteri immittit, *fœtum* approximantem *digitis blandè arripit*, *ordinat*, *locat*, & tandem *capite* prius ita *protrahit*, arreptoque poſtmodum *umbilicali fune* ſimul *placentam uterinam* cum conjunctis *membranis ſ. ſecundinis* una *extrahit*, ſtudioſe *obſervando ne tantillum aëris externi* aut *frigidiuſculi in uterum parturientis in*, *ante aut poſt partum* irrumpere poſſit: Hinc omnia linteis ſtragulis & ſimilibus benè munita eſſe ſolent circa partum, ut aëris impediatur acceſſus, quia alias *metus* eſt *ne lochior. ſuppreſſio* hincque *uteri inflammatio*, aut *uteri inflatio* aut ſimilia ſexcenta mala exinde ſupperveniant.

Hi parturientium dolores veri cautè & accuratè *diſcernendi* ſunt *à doloribus parturientium nothis*: (pauci quidem de illis faciunt mentionem: tamen probe ſunt obſervandi.) Fit n. ſubinde ut graves dolores abdominis circa umbilicum interdum per menſem, interdum per aliquot ſeptimanas aut dies antequam partus inſtet, fœminas mirè torqueant, qui non tantummodo totum abdomen inſtar torminum Colicorum & Iliacorum occupant ſed interdum etiam ad pubem uſque deſcendunt, & incautis tanquam veri partus dolores imponunt: Quod ſi tunc mulieres cogantur ad laborem partus, id cum ſumma difficultate, labore & anxietate contingit: immo fit interdum, ut dum maxime eniti in talibus doloribus volunt fœminæ, dolores denuo remittant & evaneſcant, & interdum adhuc per 8. interdum per 14. dies, interdum ultra integrum menſem fœtum adhuc retineant: Dicuntur tales dolores, *dolores nothi.*

Oriuntur hi ipſi *dolores nothi à convulſionibus ſpaſmodicis inteſtinor. ac Meſenterii*: unde etiam vicinæ utero partes ſimul nonnihil convulſæ talem ſimilem dolorem inſtar parturientium repræſentant. Uno verbo: *ſunt nihil aliud quam dolores inteſtinorum iliaci*: *& colici graviores*, *quia ab eorum* fiunt *dolorificis ſpaſmis* aut qui *interdum hyſtericam paſſionem* aut *antecedunt* aut *comitantur*, & non tantum *ab aſſumptis flatulentis* aut ab ingeſtis *acidis* aut ſimilibus: ſed etiam interdum *ex efferveſcentia vitioſa ſucci Pancreatici corrupti c. bile* oriuntur: id quod imprimis fit ubi *paſſiones hyſteri. æ* his doloribus ſunt conjunctæ: Fiunt item tales *dolores nothi a mucilagine pontica acida* tenacius inteſtinis affixa commota: Unde dum hanc criſpationibus dolorificis excutere nituntur inteſtina, tunc tales nothi parturientium dolores ſuccedunt.

Sæpiſſimè *veris in partu doloribus* hi ipſi *dolores nothi conjunguntur*, & non rarò *poſt partum* etiam ad tempus *durant.*

Fit hoc dum uterus ſpaſmo contractus pro excludendo fœtu motus iſtos *convulſivos* ratione ſuor. nervor. ex *meſenterii plexibus* derivator. ad hos plexus nempe continuat: unde & reliqui nervi ex iis derivati & his conjunctæ partes ſimilibus ſpaſmis & contracturis corripiuntur, adeo ut tali in caſu ſubinde *Epileptici inſultus in partu imprimis laborioſiore* ſuperveniant iiſque *eò atrociores quo propius fœtus inſtat*, qui excluſo fœtu ſponte fere denuo ceſſant.

Non ergo apparentibus doloribus abdominis quibuſcunque ſtatim ad enixum cogendæ mulieres: Nam in hoc peccatur quotidie ab obſtetricibus, quod cito nimis ſellæ imponant gravidas & ad enixum eaſdem cogant, hoc ipſo ſatisfeciſſe ſuo officio putantes, ſi infantem modo habeant ex matre ſive cum parturientis fiat commodo, ſive cum ejuſdem detrimento. Verum *expectetur ſaltem legitimum partus tempus & dolores partus veri* tunc enim hi ſponte & ſufficienter mulieres ad partum cogunt, & tunc etiam uterus ſimul ſe aperit, aquæ effluunt & omnia ſpontè & ordinate NB. longeque facilius omnia ſuccedunt. *Sin* ècontra *nimis intempeſtive & ob dolores iſtos nothos ad partum cogantur mulieres* inſigniter exinde *debilitantur*, adeò ut poſtmodum dum verum parturiendi tempus ſupervenit ipſæ non ſufficiant labori, & omnia difficiliora, laborioſiora & cum ſummo matris periculo fiunt.

Ea quæ hactenus dixi quod nempe dolores parturientium veri à nothis accuratè ſunt diſtinguendi, & diſcriminandi à doloribus partium vicinar. per conſenſum utplurimum evenientibus: item quod hi dolores veri & nothi oriantur à ſpaſmodicis contracturis, uteri ſi ſint veri, reliquarum partium vicinarum ſint falſi, confirmat obſervatio egregia & notatu digna HOEFERI *Hercule Medico pag.* 327. ubi refert de muliere nephriticis doloribus correpta quæ ab adſtantibus indoctaque obſtetrice tanquam parturiens fuit tractata, dum ſcil. hæ ipſæ mulieres abdominis dolores ex contracturis ſpaſmodicis per conſenſum cum renibus calculoſis non potuerunt diſtinguere à veris partus doloribus: Unde etiam cum omnis excludendi fœtum labor eſſet irritus matre inſigniter ſed fruſtra debilitata, hæc ipſa poſtmodum poſt duos elapſos menſes verum denique ac vegetum peperit filium, cum ante applicatis renum regione anodinis ac aliis appropriatis, dolores iſti nephritici fuiſſent ſedati. E contrario l. c. proſtat hiſtoria Mulieris parturientis ſed ignaræ proprii negotii quæ tantum nephriti-

cis doloribus ſe corripi putavit, dum ſuperveniens fœtus robuſtus ipſum affectum melius patefeciſſet.

Dolores iſti nothi à doloribus veris parturientium non adeò facilè diſtinguuntur, niſi à mulieribus quæ ſæpius pepererunt, aut *ab expertis obſtetricibus*: Cognoſcuntur tamen.

1. *Si nimis intempeſtivè* mulierem prehendant, antequam nempe verum partus tempus inſtet.

2. Quando alia *ſigna ad partum naturalem requiſita adſunt* ſ. *deficiunt* v. gr. quando *orificium uteri adhuc connivet, & eſt clauſum*: quando *aquæ effluere nolunt* & ſic porrò.

3. *Si* in his doloribus nothis *mulier lectis calidis & ſtragulis*, item *linteaminibus Calefactis* ac *fomentationibus ſiccis* probè *abdomen foveat pedeſque incurvos ad corpus attrahat, ceſſant ferè dolores nothi*, cum èontra dolores partus veri talibus calidis fomentationibus potius exaſperentur & promoveantur, obſervante hoc *Ludovica* BOURGEOISA *tractatu de obſtetrice*.

4. *Si conjuncti ſint dolores partus veri cum doloribus nothis*, id quod ſæpius accidit: *cognoſcitur ex eo*, *quod* non ſolum ad *regionem pubis & uteri gravius & acerbius torqueant*: ſed *etiam quod ſuperiores abdominis partes* ſimul *cruciant & vagis modo* ſimul *diſtinctis vicibus* mulierem *prehendant*: *Dolores* iſtius modi *nothi* hoc incommodi habent, quod interdum *primariæ ſint cauſæ*, *quod tandem abortivus generetur fœtus*: item *quod juncti cum doloribus partus veris hos impediant* & imminuant ſ. *contractionem uteri &* ex hac *fœtus excluſionem tollant*, adeoque *parturientem debilitent* ac partum *protrahant*. Non opus eſt ſemper ut curentur hujuſmodi dolores nothi: nam ſubinde ſponte diſparent denuo: *ſin* verò *nimis diuturni* ſint ea quæ ſuperius de torminibus gravidar. dicta ſunt *applicari poſſunt imprimis aqu. & ſpir. Zedoariæ*: *Externe fomenta ex Chamomilla, imprimis Romana* it. *Cataplaſma ex melle cum Zingibere Cinnamomo* & ſimilibus. *Interne* ſi ita loqui liceat, *Clyſteres* inter alia *abſtergentes* aut blande *Carminantes*.

Ad hoc *ut partus ſit naturalis tria imprimis requiruntur*.

1. *Vt fiat legitimo tempore* nempe fœtu perfecto.

2 *Vt fiat legitimo modo c. debito* ſcil. *ſitu & poſitu* infantis.

3. *Vt nullis gravioribus aut inſolitis comitetur ſymptomatibus*.

RATIONE TEMPORIS fœtus excludendus eſt *naturaliter menſe 9no* in hujus imprimis *fine aut circa principium* 10. Unde qui *eo tempore naſcuntur dicuntur legitimi per ſe ſemper vitales*, qui verò *excluduntur abortivi & non legitimi ſubinde non vitales*, *idque eò magis* (ſcil. ſunt abortivi & non vitales) *quo longius à legitimo abſunt termino*. *Nam 7mo & 8vo menſe* etiam *vitales naſci fœtus* interdum *obſervatum* eſt, utut ſæpius moriantur, quia ſunt abortivi: nec *minus lethalis eſt 7timeſtris partus quam 8timetris* aut *minus vitalis 8timeſtris quam 7timeſtris*: Sed *ambo* ut *plurimum* ſunt *lethales*, *quia ſunt*, uti dico, *abortivi fœtuum 9. menſe excludendorum*.

Quod ſi *7meſtres* aut *8meſtres ſint vitales*, *hoc fit* quando vel *falſo calculum* ſuum *ſupputavit mulier* ſ. fœmina *vel* quando *computavit falſum conceptionis principium*: aut *quoniam eſt partus primus in juvencula* ſeu robuſtis & vegetis parentibus genitus, in quibus equidem generatur fœtus robuſtus ſed quia uterus eſt anguſtus nimis eundem retinere nequit. *De partu 8meſtri an ſit vitalis vel non* elegantem *diſſertationem conſcripſit Drellincourt* (*ſcriptor Gallicus*, *Profeſſor Lugdunenſis*) ubi ſtatuit quod per ſe *8meſtris non ſit lethalis*, *qua 8meſtris ſed* ſit lethalis, *qua abortivus menſis noni*.

Vt autem *cognoſcatur an revera* 7. *menſe natus ſit fœtus*, cum non *raro partus 7meſtris* ſit *pallium impudicitiæ noviter nuptor.* ut, inquam cognoſcatur *obſervandum eſt*, quod *7menſe nati*, utplurimum *habeant imperfectionis* quaſdam *notas in auriculis in labio oris ſuperiore*, *in digitis pedum & ſimilibus* ſcil. iſtis *partibus* quæ *ultimo* omnium *perficiuntur*, quæ poſtmodum 9. *demum menſe* apparent *perfecta*, *obſervante* BORELLO *Cent.* 1. *obſer.* 71. Interim tamen ſin uti dixi, *juvenculæ ſint aut primiparæ rarò* 9. *menſes abſolutè complent* ſicuti quæ ſæpius pepererunt aut ætati conſiſtenti ſunt vicinæ, *utplurimum ad medium* 10. *menſis utero geſtare ſolent*.

Hæc *ratione temporis*.

2. RATIONE MODI *partus eſt vel naturalis vel præternaturalis*. Ille *quando partus* accidit *fœtu in caput prono* ita ut *capite prono prodeat*. *Præternaturalis vero partus* eſt quando alio *ſitu aliove membro* v. gr. *manu*; *pede*; *podice*, &c. *ad orificium uteri internum primitus ſe ſiſtat*; hujus 15. modi ab auctoribus annotati reperiuntur.

Capite prono & primitus apparente *fœtum prodire naturaliter* dixi. Nam *brevi ante partum* dum *violentius ſe movet fœtus*, *hic ſe invertit*, ut ita prono capite ſe offerat.

Rariſſimum eſt & ſingulare quando per 7manam unam vel *alteram* imò per *menſem ita in utero inverſo ſitu obſervati* fuerunt *fœtus*: nec facilè hoc *crederem niſi Ludovica Bourgeoiſa*, *lib.* 1. *cap.* 46. *de obſtetrice narraret tale exemplum mulieris quæ fœtum per* 2. *menſes &* 8. *dies ita geſtavit inverſo ſitu & poſitu* ita *ut capite oſſe pubis immineret*. Sed præter hoc exemplum ipſa de ſe teſtatur, quod 6. ſeptimanas aliquando ante partum fœtum ita geſtarit inverſum *& pluries hoc ſe obſervaſſe* ſimiliter *aſſeverat*.

Hoc ipſum etiam nupperrimè mihi confirmavit & faſſa eſt *noſtra obſtetrix* paucis abhinc ſeptimanis defuncta, quæ *ultra* 4000. *infantes ad lucem produxit*, ſanctè aſſeverans ſe certam eſſe quod aliquando ultra 3. ſeptimanas fœtus ſuper os pubis inverſus ita à quadam muliere fuerit geſtatus. Hoc eſt difficillimum *creditu*, *dum penſitamus quomodo fœtus tali inverſo ſitu in utero vivere poſſit*, cum notiſſimum ſit adultos pedibus ſuſpenſos ex impedimento ſanguinis per caput circulo non ita multo poſt quaſi apoplecticos interire, quod idem de fœtu ſubſumi poſſit, niſi tales obſervationes, quas omnes ceu falſas traducere nequeo, aliud imperent & loquerentur.

3. *Denique læditur partus quando graviora accedunt ſymptomata ita ut aut laborioſior aut difficilior* fiat quàm naturaliter eſſe debeat, quò facit imprimis, *ubi fœtus in utero fuit mortuus*.

De his læſionibus *in ſpecie fœtus* ergò *nondum perfectus immaturè ejectus*, & ob id non niſi *raro vitalis* lato ſenſu *abortus dicitur dicunt* de hominibus, *de brutis*. *Græci accuratius rem diſtinguunt*, dum ſcil. *ejectionem ovi ababortu & fœtu mortuo accurate diſtinguunt*: Nam *Græci* habent ἐκβολὴν & ἔκτρωμα, ἐκβολὴ *propriè eſt ovi abortus* ſ. *rejectio conceptus ſub forma ovi*: *quale* exemplum *in Hippocratis ſcriptis reperitur*; ἔκτρωμα verò eſt *ejectio fœtus jam conſtituti*, ἐκβολὴ *fit intra* 6. *primas à conceptione ſeptimanas*: ἔκτρωμα verò *fit intra quartum menſem*. Nam *poſt quartum* menſem dicitur *fœtus mortuus*.

Ergò *abortus ordinarius eſt qui venit ante tempus motus*, prout quidem fœminæ motum æſtimare ſolent: *poſt motum* verò *perceptum à fœmina dicitur fœtus mortuus* quæ *ipſa* tamen *à latinis ſub generali abortus nomine comprehendi ſolent*.

CAVSA

CAUSA autem *propter quam fœtus & conceptus non retineatur ad abſolutum geſtationis & partus tempus, proxima cauſa eſt in utero*, *cujus vel præternaturalis coarctatio ex irritatione conceptum fœtum excludit*, vel ejus *præternaturalis relaxatio* eundem ad tempus debitum retinere nequit. Membranoſus enim uterus & hinc fibroſus eſt, unde ex fibrar. tono naturali dependet ut retineatur fœtus.

Sive ergo vel *relaxando* vel *contrahendo* fibrarum & membranarum ejus lædatur tonus, læditur etiam *debita fœtus retentio: ut* vel *excludatur intempeſtivè* vel *non debitè retineatur* quin potius quaſi elabatur.

Inter cauſas remotas primario ſunt tres, quæ abortum excitant, ſcil.

1. *Cauſa externa, imprimis commotio animi.*

2. *Cauſa violenta, aut nimius motus aut ſaltus & ſimilia &c.*

3. *Rarius à vitio ipſius matris* non conveniens fœtui ſuggerentis nutrimentum: *accedit* etiam *interdum ut nimia cura præcavendi abortum*, abortum *provocemus multis* ſcil. citra neceſſitatem *medicamentis adhibitis*: Fœminæ certè gravidæ vix melius habent quam quando nil medicamentorum aſſumunt.

Sed ut hæc legitimè & decenter expediam: ad contractionem nimiam & hinc præmaturam fœtus excluſionem ex utero irritatur vel ſtimulatur uterus.

1. *Ex fœtu admodum debili aut ægroto aut* etiam *moriente: Hinc* enim *ex vitioſo contento læſus uterus* affluentibus ſpiritibus animalibus *ſe contrahit &* exinde *excluditur fœtus: id quod etiam fit, ſi fœtui debitum deficiat nutrimentum.*

Deinde affectus animi nonnulli graviores, qui ſanguineam maſſam inſigniter commovent & ſpiritus animales *in vagos & inordinatos motus cogere ſolent* ſæpiſſimè *abortum* inducunt, v. gr. *gaudium nimium, iracundia & ſimilia commotis* enim ſic *ſpiritibus maſſaque ſanguinea & uterus* hinc *commotus contrahitur, ſicque fœtum expellit. Et quidem frequentiſſimè ex talibus affectibus oritur abortus; de terrore poſtmodum.*

Porrò *ex alimento generoſiore & potu ſpirituoſiore* aſſumpto verbi gratiâ, ex *aromatibus ex uſu vini generoſi* ſubinde ſequitur *abortus: vinum* enim *pellit fœtum* in iis *quæ ſunt ſaniores & ſpirituoſiores* ſ. ut vulgò dicuntur *calidiores*, id quod imprimis ab initio conceptionis *primis menſibus* obſervandum eſt: Nam *tribus ultimis menſibus hauſtulus vini generoſi* ſub introitum lecti eſt *proficuus interdum: vitetur* tamen *vinum Hiſpanicum* aut *Malvaticum* quod nimis eſt ſpirituoſum ac fermentativum. Unde etiam ſanguinis abundantia & uberior ſpirituum proventus, dum imprimis hic in gravidis ex ſuppreſſis menſibus coacervatus, circa uterum occaſionem præbet non raro abortui qui *abortus præcavendus* eſt *ſecta vena medio geſtationis tempore*, aut etiam repetitur *bis vel ter* hæc ipſa phlebotomia, *in* regionibus imprimis *calidioribus: imò Z. Luſitanus* refert de venæ ſectione ſingulis menſibus inſtituenda ad præcavendum abortum.

Faciunt etiam ad *uteri irritationem ejuſque contractionem* & hinc *abortum partium vicinar. læſiones & irritationes* à quibus per conſenſum etiam uterus irritatur, verbi gratia, *ſi dyſenteria* corripiantur *inteſtina* aut *anus teneſmo* aut etiam ſi *acria clyſmata & ſuppoſitoria* inconſideratè admoveantur: Hinc etiam eſt quod *mulieres nephriticæ* aut *gravidæ nephritico dolore correptæ ſæpius abortiant*: & hinc etiam PANAROLLUS *pentec.* 3. *obſerv.* 28. refert ſe frequentiſſimè obſervaſſe abortus cauſam in fœmellis quibuſdam fuiſſe *nimiam renum debilitatem.*

Faciunt huc *tormina colica ex fructibus horæis fermentantibus* interdum in gravidis oborta item *tormina* quæ conjunguntur *c. paſſione hyſterica*: Nam & hæc ſimiliter interdum abortum provocant.

Ipſe denique *uterus vitioſè conſtitutus nimis anguſtus* aut *tumore affectus*, verbi gratiâ, *ſcirrho, qualem ſcirrhum abortus cauſam* obſervavit HILDANUS: *aut* laborans *ulcere occulto*, facilè dum debet diſtendi ex dolore irritatus, hincque fœtus conceptus ejicitur.

Motus denique *nimius & exercitatio corporis incondita* imprimis *mediis geſtationis menſibus* ſi ſit *nimia noxia* eſt: Hinc etiam *rerum ponderoſarum ſublatio*, item *fortis extenſio brachiorum & manuum ſupra caput* ſubinde eſt *remota abortus cauſa*. A *ſublatione* enim *ponderis gravioris* propter retentionem halitus & depreſſionem diaphragmatis inferiora verſus premitur uterus & deorſum movetur: *ab extenſione manus ſupra caput* verò uteri orificium ampliatur, uterus diſlocatur & interdum membranæ fœtus rumpuntur.

Facit huc etiam *ſternutatio*, *Tuſſis* item, imprimis *vomitus* qui ſi ſint contumaciores aut graviores facillimè abortum fœminæ provocant.

Verſamur adhuc in conſideratione abortus ſ. partus immaturi: Conſideravimus ejus *cauſas remotas* quibus diſponitur uterus ad abortivam ſui contractionem adeoque fœtus præproperam excluſionem: pergimus jam ad *cauſas remotas quæ uterum nimis laxant*, *eumque laxatum ita diſponunt*, quo minus commodè fœtum retinere poſſit. *Talis cauſa* adeſt in *fœminis fluore albo correptis ante vel etiam poſt conceptionem*: item in iiſdem quæ *cachexia seroſa* ſunt *afflictæ* in his enim fibræ & membranæ uteri nimis laxatæ & uteri orificium internum nimis patulum convenienter detinere nequit fœtum.

Præterea facit huc imprimis etiam *defectus ſanguinis &* ſpirituum ab his enim ita relaxatur uterus ejuſque tonus ut hinc tandem elabatur fœtus.

Hinc *hæmorrhagiæ inſignes* aut etiam *venæ ſectiones intempeſtivæ* ac ſimiles cauſæ ſanguinem & ſpiritus malè afficientes aut pauperantes *ad abortum* diſponunt.

Denique *pavor & terror ſubitaneus*, uti *fœtui* non rarò *necem*, ita & *utero relaxationem nimiam* inducunt, ut ob id fœtum minus commodè retineat. Notum enim eſt quod in terrore & pavore omnes partes exteriores ſubito ſpirituum ſentiant defectum: Hinc in terrore ſubitaneo firmiter apprehendere res apprehenſas retinere non poſſumus.

Et ſimili ergo *terrore & pavore* ſimiliter diſponitur uterus ut brevi poſt elabatur fœtus: *unde & ſyncopes & ſimiles* aliæ contingentes *cauſæ lipothymiæ*, &c. ſubitò abortum provocare poſſunt, qua ratione etiam *timor* ac *mœſtitia diuturna* ſæpius *abortum inducunt.*

Denique ut jam ſuo loco ſuperius monui, *opiata* ſæpius *abortus ſunt cauſæ* quibus ſpiritus animales figendo eorum volatilitatem ac debitam in motu agilitatem impediunt, unde etiam membranarum ac fibrarum uteri tonus relaxatus abortum infert.

Hæ ferè ſunt *cauſæ* à quibus *ordinariè & utplurimum* ſupervenire ſolet *abortus.*

QUOD JAM ATTINET SIGNA.

Signa abortus præſentis nempe excluſionis fœtus imminentis per *ſe patent*. Potius ergo præcognoſcendus eſt abortus ut commodè præſervari poſſit à medico. *Hæc inter ſigna* ſunt *gravitas*

quædam inſolita lumborum & coxarum cum qua concurrit *ſegnities* quædam *ad motum*: Ad hæc *conqueruntur* tales gravidæ, quibus imminet abortus, *de ſenſu quodam inſolito ponderis imminentis ſinus pudoris ac prementis vulvam.*

Nam aliàs gravidæ nunquam tales patiuntur dolores, niſi ultimis menſibus quando imminet partus: quando uterus denuo ſubſidet.

Quando ergo alio tẽpore conqueruntur de ſimilibus gravationis doloribus in ſinu pudoris: periculoſum eſt ſignum imminentis abortus.

Quod præterea accedant *vagi dolores crebrius recurrentes in abdomine & ad ſinum pudoris uſque deorſum ſeſe extendentes periculoſum* admodum eſt *ſignum* imprimis ſi ſimul adſit quidam *involuntarius conatus* quaſi *egerendi ex utero.*

Certè *hæc duo ſola ſigna* nempe *gravitas inſolita à regione lumbari deorſum tendens* & ſupervenientes *vagi dolores deorſum ad ſinum pudoris protenſi ſæpè ſoli* ſunt *certum ſignum imminentis abortus* cujus aliquot vidi exempla.

His denique, ubi jam in ſtatu ſupervenit *eruptio ſanguinis aquoſi* aut etiam *liquorum ſ. aquarum*, qualis eruptio ferè oriri ſolet in partu. Innuit enim per hoc ipſum jam factam eſſe membranarum rupturam & hiare inſigniter orificium uteri internum adeoque inſtare proximè abortum.

Accedit in tali modo & hoc, quod *ſitus uteri* obſervetur *mutatus* ſ. quod is qui ante, ſurſum, ſupra regionem pubis blandè eminebat, & protuberabat, deorſum inclinet, & oſſi pubis nimis approperet. Accedunt etiam interdum *rigores* quidam & *horrores*, quas ſubinde comitantur *ſubitaneæ phlogoſes*, hicque *vago ordine ſe invicem ſubſequentes* una *cum abdominis doloribus.*

Hæc & ſimilia ſigna partim antecedunt, partim *comitantur abortum.*

Ex antiqua HIPPOCRTIS doctrina etiam *ex mammis* ſolet deſumi *ſignum futuri abortus*: vidi hoc *ſect. 5. aphor. 35. dum ex flacciditate & extenuatione mammar.* aut etiam ex *fluxu lactis* aut *ſanguinis ex iiſdem, metum futuri abortus* præſagit: innuit enim hoc ipſum corruptionem ac depravationem nutrimenti fœtus in utero: cum quo eadem eſt materia quæ mammas reddit turgidas & conſequenter mammarum lac conſtituit: vitiata ergo iſta materia, ita ut aut omnino deficiat, aut in mammis corripiatur forſan motum fœtus deorſum & per conſequens futurum abortum innuit.

Hæc inter ſigna diagnoſtica etiam hoc *obſervandum, fieri ſcil. interdum*, ut ex fœtu adhuc in matre mortuo & ad aliquot dies geſtato irritetur uterus ad excluſionem; Unde ſigna & ſymptomata abortientium ſuperveniunt.

Apparentibus ergo *ſignis excretionis & abortus cavendum eſt ne fœtum mortuum excernendum* tanquam fœtum vivum abortientem *retinere ſtudeamus.*

Fœtum eſſe mortuum cognoſcitur ex ſignis infra memorandis: ſufficiant hoc loco *ſigna ab* HIPPO„CRATE *in lib. de ſuperfœtatione* recenſita qua„lia ſunt dum dicit: cum mortuus fœtus fuerit, dila„bitur in utero quocunque ſe mulier vertat tanquam „ſaxum aut aliud quidpiam & pectinem frigidum or„dinario habet talis mulier.

Certè *ex ſubito pavore* qui *tertio menſe*, v. gr. corripit mulierem, facillimè fit, ut moriatur fœtus matre ferè nil ſentiente, ſolo pavore

Habent quidem aliqua *mortui fœtus ſigna* ſed hæc *dubia* quoniam mulieres ſemper bona de ſe ſperare ſolent: tamen rebus in dubiis, ubi hoc ſolum adeſt ſignum, *gravari plus ſolito naturam muliebrem ſ. genitalia*, hoc ipſum ſufficit imminere abortum: Et quidem ſi obſervârit fœmina, ſe *leviter* aliquando *ex repentina cauſa terrore & ſimili inhorruiſſe*, tunc talis *horror* eſt *ſignum morituri ſ. potius morientis fœtus.* Ubi ergo poſt talem horrorem, brevi poſt ſequitur *gravamen genitalium*, certum eſt imminere excluſionem fœtus mortui.

In tali ergo caſu *abſtinendum* eſt *ab omnibus adſtringentibus quin potius promovenda eſt excluſio quanto citius tanto melius*, quia aliàs *periculum* infert *corruptionis uteri* ejuſque *periculoſæ inflammationis.*

QVOAD PROGNOSIN.

Semper & in omni abortu magis periclitantur fœminæ *quam in partu genuino & naturali*: deinde *eò magis* periclitantur, *quò grandior eſt fœtus, eò minus quò minor & imbecillior* eſt idem.

Porrò *abortum graviorem* ſequitur interdum *ſterilitas ex læſione uteri ac vaginæ*; imprimis periculoſum, ominoſum potius, *ſi prima conceptio per abortum rejiciatur, quia periculum* eſt ne poſtmodum mulier aut *ſterilis* maneat aut *nunquam amplius ſufficiat gerendo* ad debitum tempus *fœtui.*

Ex caſu ab alto ovi uterini primæ conceptionis rejectionem novi in juvencula ſine ominoſo aut abortus ulterioris aut omnimodæ ſterilitatis periculo: quin jam 35. annos nata 12. liberorum fœcunda mater ſupereſt ſemel tamen poſt ſextum partum *ex terrore* ferè circa medium geſtationis tempus idem ſe paſſam eſſe mihi retulit.

QVOAD CVRAM.

Hæc eſt *nulla ubi jam fit abortus* potius adjuvet Medicus ut eò citius ac cum minoribus ſymptomatibus eveniat. Nam ſi nimis adſtringentibus aliiſque ſimilibus mediis jam imminentem indubitatò aut incipientem aut fientem abortum retinere velit Medicus: periculum eſt ne *fœtus mortui* (nam interdum in egreſſu moritur) *retentionem*, *ſecundinæ putredinem* ac tandem periculoſiſſimam *uteri inflammationem* inferat: ut taceam alia mille hinc metuenda ſymptomata.

Aliàs cautiſſimus ſit Medicus ne tantillum quod ad abortum diſponere poſſit propinet mulieri, ſic tenetur ad juramentum *Hippocratis.*

Cura ergo imprimis conſiſtit in *præſervatione* inſtituenda, dum adhuc in ſuo ſitu naturali fœtus eſt in utero & ſaltim eſt metus imminentis abortus: Et hæc ipſa *præſervatio* pro varietate cauſarum remotarum ſubinde *varianda* eſt, prout hæ ipſæ aut uteri conſtrictioni aut irritationi aut ejus relaxationi occaſionem præbere valent.

In genere ad omnem abortum præſervandum commendatur *ex vegetabilibus* primariò *verbena* cujus uſus, ſive ſit *internus aquæ Eſſ. Extracti* aut *ſucci ſive* etiam *externus* eſt præſtantiſſimum Ἐυπόριςον muliercularum ad præſervandum abortum.

Poſt verbenam ſunt *grana chermes*, modò poſſint haberi ſincera & quantum fieri poteſt *recentia*, quorum vel pulvis vel elicita tinct. item *confectio alkermes*, ſi gravida perferre poſſit *dulcia mellita* mirè conveniunt ad ſiſtendum abortum.

In primis *ex regno animali* contra abortum conducit *Ebur & omnia ex Ebore* parata remedia, *Ebur ſ. igne, gelatina Eboris in potu diſſoluta*, ac ſimilia.

Ulterius ex hoc regno ſunt imprimis *Aſtaci ſ. cancri fluviatiles* qui ſingulare ſunt experimentum ad præcavendum abortum, quacunque ratione adhibeantur, v. gr. pulv. *cancror. fluviatilium in furno exſiccatorum* eſt ſpecificum POTERII ad præcavendum abortum. Item *ſuccus cancrorum fluviatilium contuſor. cum vino bono expreſſus*, & repetitis vicibus à gravidâ hauſtus experimentum eſt ſingulare HARTMANNI contra abortum imminentem.

Alii *ſuccum Aſtacorum* aut etiam *cancrorum fluviatilium cum juſculo pulli contuſor.* aut præparator. commendant.

Denique ad omnem abortum *ex regno minerali*, ſi

ita

ita loqui liceat, conveniunt *corallia & ex coralliis paratæ* convenientes *tinct.* in ſpecie *tinct. coral. c. Spiritu cord. cervi* legitimè parata inſigniter confert ad præcavendum abortum, ſi à fœminis aliquoties per ſeptimanam in *liquore conveniente* hauriatur.

Externè in genere ad præcavendum abortum conducit *panis piperatus* in forma rotunda, *illinendus* eſt *melle & inſpergendus* benè *pulvere caryophillorum contuſorum*, & ita admoveatur regioni pubis, dum nimis ſubſidet uterus. Hinc enim fit interdum ut denuò ſurſum verſus in naturalem ſitum ſe diſponat ac redeat.

Hæc *in genere.*

In ſpecie pro varietate cauſarum remotarum *varianda* etiam eſt *cura, cum* ſæpiſſimè *cauſæ ſint graviores animi affectus*, primariò *terror & pavor* qui inſigniter hoſtilis eſt gravidis & mortem ſ. necem minatur fœtui. *Ubi à terrore & pavore*, conveniunt *medicamenta ex ebore, pulvis Marchionis ſpecificum cephalicum, præparata ex dente Hippopotami, ex dente caſtoris* & ſimilibus: item *coralliorum tinct.*&c. quæ à *terrore* imminentem *abortum* præſervant. Aliquando juvenculam quarto menſe gravidam per ſcalas deciderat in cellam & exinde inſigniter terrefacta, ita ut ferè per dimidiam noctem non ſentiret motum fœtus aliàs alacris, præſcripſi ſequentem *miſturam:*

℞. Aqu. flor. lil. convall.
Ceraſor. nigror.
Epilept. langii ana ℥j.
Ebor. ſ. ign. ʒß.
Specific. Cephal. ℈j.
Pulveris Marchion. ℈ß.
Thur.
Maſtich. ana gr. v.
Syrup. coral. Quercet. ʒvj.

de quâ miſturâ non ingratâ capiat ſubinde bene agitatâ aliquot cochlearia: unde factum eſt, ut bene poſtmodum ceſſaret alteratio à pavore inducta, & fœtus inde roboratus denuo ſe alacriter moveret: *applicatâ* ſimul *externè cruſtâ panis c. vino Malvatico abdomini*, de quo ſuperius.

Quodſi *a frigore externo* ut interdum fit, immineat abortus, ita ut fœtus quaſi torpidus & nonnihil ſtupefactus hæreat: Convenit *internè aqu. vitæ mulierum: balſamus embryonum* & ſimiles *aquæ ſpirituoſæ. Externè* conveniunt *inunctiones c. ol. maſtichino* cui additum ſit *ol. deſtillatum macis, Caryophillor.* aliquot guttæ *ol. deſtillati cinamomic. balſamo peruviano.*

Sin ab irâ immineat abortus convenit *ebar ſ. igne* propinatum *in vino acidulo* vel in *aceto roſaceo*; convenit etiam *gelatina eboris acida* reddita *in vehiculo appropriato* hauſta vel *in potu ordinario* diſſoluta.

Ubi ex torminibus ſ. doloribus abdominis nothis imminet periculum abortus convenit *panis* iſte *piperatus c. melle abdomini applicatus* ac ſuperimpoſitus: internè verò convenit *pulvis Zedoariæ* vel per ſe vel cum *pane* cui illitum ſit butyrum, aſſumptus.

Hæc ſunt *primaria remedia* quæ contra abortum ad ejus præſervationem ſolent uſurpari.

De *adſtringentibus biſtorta, tormentill. mille-fol. &* hujus *decocto, de plantagine* ejuſque *ſucco*: de *remediis maſtichinis & ex cydoniis* & ſimilibus adſtringentibus: it. de *pulvere contra abortum Auguſtanorum* ceu remediis per ſe notis nihil addere volo.

Externè ubi imminet abortus ex relaxatione uteri conducunt *bdellium & maſtiche aceto diſſoluta*, linteis inducta & inſtar cataplaſmatis ſ. emplaſtri regioni abdominis hypogaſtricæ applicata.

HEURNIUS in tali caſu commendat *balnea aluminoſa*, quæ tamen *in ultimis geſtationis menſibus minus ſunt tuta*, quoniam notum quod vaginam aliàs reddant anguſtam *unde* ſequitur *partus laborioſus.*

Sunt etiam qui laudant in imminente abortu *fermentum* ſub umbilicum ſ. ad lumbos applicatum,

Ubi jam factus eſt abortus præ cæteris *periculum eſt à nimia uteri hæmorrhagia*, quæ tantum non in omni abortu imminet periculoſiſſima: Hic ſimilibus opus eſt remediis, quæ infra de fluxu lochiorum habebimus.

In ſpecie mox poſt abortum fœmina in lectum benè calefactum ponatur extenſis probè ſimulque invicem ſuperimpoſitis cruribus immotè jaceat, & omne *frigus* imprimis *extremorum, manuum & pedum caveatur* nec manus etiam ſi tempus ſit frigidiuſculum extra lectum exſerat: Nam frigefactis externis vel modicè vehementiſſima fieri ſolet *hæmorrhagia.*

Hæc de partu immaturo.

QUOD ATTINET PARTUM RATIONE SITUS PRÆTER NATURALEM: hujus correptio imprimis incumbit obſtetrici expertæ quæ manibus oleis appropriatis inunctis fœtus vitioſum ſitum quantum poſſibile in naturalem figuram reponere debet. Modi videantur in iis qui ſcripſerunt ex profeſſo de hac materia imprimis *Ludovica* BURGEOIS. Item *Scipionis Mercurialis tr.* quem in noſtra vernacula edidit ſpectabilis Decanus noſter D. Melſch.

Unum adhuc moneo circa partum difficilem: Præ cæteris *caſus eſt periculoſiſſimus quando pedibus primo prodit infans* ita ut etiam *manus deorſum verſus* inclinent: Nam ſic fit ut egreſſo corpore orificium uteri internum circa collum ſe ſtringat, ita ut fœtus extra uterum, caput adhuc in utero hæreat. Caſus eſt periculoſiſſimus & tales fœtus dicuntur *Agrippæ.*

Ubi non poteſt emendari talis poſitura infantis, hoc faciat obſtetrix, ut ſaltim alterutrum infantis brachium ſurſum verſus dirigat, ut ſurſum verſus c. capite vergat: ſic enim fit ut propter brachii extenſionem ſurſum, uterus non poſſit ſe contrahere circa collum: quo brachio retracto ſe vel ultrò fœtus ad ſui exitum accingit eumque inſigniter adjuvat, utut non ſine graviſſimis cruciatibus matris: vid. interea qui de hoc ſcripſerunt ex Profeſſo.

3. DENIQUE LÆDITUR PARTUS *quando* eſt *nimis laborioſus. Laborioſior fit* & gravibus ſymptomatibus conſtipatus partus imprimis *quando ſimul nimis tardè procedit*, ita ut diutius quàm par eſt, & gravioribus doloribus laboret fæmina.

Interdum etiam *graviſſimæ anxietates* adſunt *in & cum* hujuſmodi *partu laborioſo, quæ anxietates* non rarò *augentur à flatibus copioſioribus in inteſtinis* parturientis hærentibus. Hi enim non tantum totum abdomen extendunt, ſed etiam diaphragmatis & muſculorum abdominis debitam contractionem impediunt, & ita excluſionem fœtus inſigniter imminuunt.

CAUSÆ *quæ difficilem reddunt partum* ſunt vel *in matre* vel *in fœtu*, vel *in viis*, quas tranſire debet fœtus.

In fœtu & matre primariò eſt *languor & virium defectus. In viis eſt nimia* earundem *anguſtia.*

In ſpecie *mater* ſolet eſſe *debilis* & minus ſufficiens pro labore partus *quando eſt morboſa* aut *tempore geſtationis graviori laboravit affectu.*

2. Si *graviores dolores nothi præceſſerint* aut *conjuncti fuerint*, à quibus doloribus nothis graviter ſubinde debilitantur fæminæ.

3. *Si ſudet fœmina* etiam *periculoſum* eſt: nam quò plus ſudat in partu, eò magis decreſcunt vires ac debilitatur.

4. Si *dolores partus ſunt interrupti, & vagi*, nunc *ceſſantes* nunc *recurrentes* ita ut ſubinde irritus ſuperveniat conatus, hoc ipſo mirè etiam debilitatur fœmina.

5. Inſigniter etiam his conducunt *animi pathemata* ſpirituum animalium maximè neceſſarium influxum in partes uterinas. Impedientia talia ſunt, verbi gratiâ, *Verecundia*, imprimis *primipararum*, aut *nimius timor in timidis* aut etiam in *delicatulis metus dolorum.*

In fœtu

In fœtu denique *Cauſa* eſſe ſolet 1. *Laborioſi partus ſi* etiam hic *ſit infirmus & æger* aut *defectuoſus*.

2. Si *fuerint gemelli*, quorum uterque æquali nixu egredi tentant.

3. Si *membranæ fœtum cingentes non rumpantur*, ſed *tenaciores* hæreant, ita ut interdum neceſſe ſit ut obſtetrix unguibus digitorum aut ſingulari quodam ſcalpello ſuperius obtuſo rumpat & ſeparet membranas, quo aquarum effluxus promoveatur, & fœtus egresſus adjuvetur. *Rarum* enim *eſt, niſi in fœtibus* admodum *parvis, & quorum matres habent loca patentiora paulò* ut unà cum ſecundinis prodeat fœtus.

4. *Ex parte fœtus* fit laborioſus partus, *ſi vaſa umbilicalia variè ſunt contorta* imprimis *circa collum fœtus* ita ut quaſi laqueo ſuffocandus prodeat fœtus: Caſus ſanè periculoſiſſimus: quò etiam facit *fœtus mortuus*, qui & ipſe partum facit difficilem, de quo ſuo tempore.

5. *Ratione viarum* partus eſt laborioſus ſ. difficilis *quando ſunt nimis anguſtæ* ut *in primiparis*.

2. *Quando* ſunt *minus lubricæ* ut in iis *in quibus citò nimis & præmaturè effluxerint aquæ*.

3. *Si os pubis fortiter nimis ſit junctum:* Certum enim eſt, quod ſæpiſſimè os pubis laxetur, & hiſcat pro facilitando egreſſu fœtus.

4. Facit huc etiam *ſi ipſe fœtus capite prono inſiſtat oſſi pubis*; caſus à paucis notatus. Tunc enim maximo conatu & omnibus fœtum pellentibus nihil juvatur, quin potius datis ſtimulantibus malum deterioratur: *nil præſtabitur* tunc quibuſcunque remediis *niſi à manu obſtetricis fœtus blandè ſurſum adigatur*, ita ut poſtmodum ab oſſe pubis remotus in naturalem vaginæ tranſitum ſ. orificium uteri internum inſiſtat & iſtud ingrediatur.

5. Pertinet huc etiam *oſſis coccygis durities & firmitas ſ. firma punctura*. Nam hoc os Coccygis incurvatum in partu extrorſum verſus flectitur, unde propè anum intenſos admodum dolores percipiunt mulieres. Si ergo os coccygis durius & tenacius cohæreat, etiam cauſa eſt difficilis partus. E contra interdum fit *ut luxetur os coccygis, nec redeant denuò in locum & ſitum naturalem*, tunc obſtetrices habent egregiam enchiriſin, ſumunt enim monachorum mantelium, quo ægræ corpus ſuccingunt, ſuccincto vero corpore mantelii extremitates infra femora diducunt, & os coccigis in ſitum naturalem tali auxilio reſtituunt.

6. Pertinent huc etiam *tumores* aut *in utero* aut *in vagina uteri, ſcirrhi, excreſcentiæ* aut ſimiles: Nam & hi impediunt viarum uteri tenſionem. Exemplum habet HILDANUS *partus omninò lethalis ex ſcirrho orificii uteri*.

Facit etiam.

7. Ad anguſtiam viarum *infans qui interdum laborat hydrocephalo in utero*, caſus admodum periculoſus: Nam tunc caput aqua inflatum ineptum eſt ut tranſeat per iſta loca: & in tali caſu deſperato interdum neceſſe eſt ſcalpello aperire tumorem ut evacuentur aquæ & fœtus eximatur, ne unà cum fœtu mater intereat.

8. *In viis vitium eſt nimia laxitas rugarum vaginæ uteri*. Hæ enim rugæ contrahendo ſeſe multum faciunt ad excluſionem fœtus.

Sin E. hæ rugæ ſint nimis laxæ aut *flaccidæ*, ut *minus ſe contrahere valeant*, partus laborioſior fieri ſolet, & quem obſtetrices interdum manu juvare neceſſum habent.

QVOD ATTINET SIGNA

Partus difficilis per ſe patet: de cauſis quæſtio eſt quomodo cognoſcendæ.

In matre hærere vitium eamque minus eſſe promptam ad partum ex eo cognoſcitur, *ſi dolores partus ſint remiſſiores*, *ſi* ſint *interrupti*. Item ſi *mater aliàs per ſe debilis* aut debilitata *fuerit*.

In infante hæret vitium *ſi partus*, licet doloribus continuantibus hic tamen *tardius* aut *imbecillius moveatur*, qui aliàs ſtrenuè ſe gerit, *imò interdum omninò à motu ceſſat*, ut quibuſdam fœtus putetur mortuus: quod quo modo cognoſcendum infra habebimus.

Scil. (ut obiter moneam obſtetrix inúgit manum aqua vitæ mulierum l. aliâ ſpirituoſâ, & ita eadem in uterum immiſſa fœtum tangit, qui ſi vivus adhuc eſt, ſubitò ſe movere incipit, ſin minus eſt.

Denique *in viis* eſſe vitium obſtetrix imprimis cognoſcit *ſi & ſtrenuè laborante matre & ſtrenuè ſe movente fœtu & continuantibus partus doloribus nihilominus tamen viæ anguſtæ* maneant id quod tangendo experitur obſtetrix aut *orificium uteri pertinacius clauſum fuerit*: in quo caſu *emollientia & laxantia injicienda*.

QVOAD PROGNOSIN.

Non raro quin *utplurimum in primiparis* partus ſolet eſſe *paulò laborioſior*. Verum ibi talem ſolum eſſe talem ſperandum eſt. Nam crebriores proſtant obſervationes, quòd *fœminæ quæ primum partum facilius abſolvunt, eas poſtmodum de partu in partum difficilius habere* & tales ſæpius *in partu* aut etiam *ſæpius in puerperio mori*: E contra *quo laborioſius pariunt primiparæ eò levius habent ſucceſſivè de partu in partum*.

Virginibus etiam imprimis *periculoſior & difficilior imminet partus*, quæ ſunt *virgines adultiores* imprimis quando ſunt *ultra* 30. *vel* 35. *annum*. Nam quò propius tales *virgines appropinquant* 40. eò *difficilius* in partu habent, *ex forti juncturâ & firmitate partium uteri membranacearum*. *In juvenculis* è contra, dum viæ ſunt teneriores, *facilius patet exitus*.

Porrò *partui difficili ſuperveniunt non rarò convulſiones & paroxyſmi epileptici, funeſti & lethales, niſi brevi poſt ſequatur fœtus*; nam ubi ſequitur fœtus tunc ceſſant vel ſponte.

Interdum in *partu laborioſo, rumpitur vagina uteri in pudendo*, ita ut ſinus pudoris cum podice in unum abeant foramen: de quo inferius plura.

Mulier ſi quatuor diebus laboret in partu impoſſibile eſt ferè, fœtum permanere vivum quin tandem moriatur.

Pervenimus uſque ad

CVRAM

Partus difficilis tam quod attinet ejus *præcautionem*, dum metuitur, quam etiam quod attinet ejus *facilitationem* ut fiat minus laborioſè. *Vſurpantur* ergò *ad præcautionem & curationem partus difficilis medicamenta* tam *interna* quàm *externa*.

Aliquot ſcil. diebus *ante partum* utantur mulieres *balneis emollientibus & laxantibus*, *ex althea*, *malva*, *meliloto*, *chamomill.* & ſimilibus, quibus *poma momord.* ſ. *fructus momord.* quidam addendos ſuadent *propter ſignaturam*: Nam ſi hæc poma contineantur in manu crepitu edito per medium diſrumpuntur & ſua ſemina ita effundunt, unde per ſimilem ſignaturam *clyſteribus incocta* etiam in partu facilitando à quibuſdam laudantur. Loco balneorum uti poſſunt *fomentis ex his ipſis ſimplicibus paratis*, quæ ſedulo *extra regioni pubis & abdominis* imponant *ſacculo* nempe *inſuta & probè cocta* admoveant abdomini.

Poſt balnea vel tales fotus *illinatur regio pubis hypogaſtrica* item *regio lumbaris* c. hoc aut ſimili linimento:

♃. Sem. lini.
Fœnugræc. ana ℥j.
ol. lil. albor.
Cheirini ana ʒvj.
balſam. peruv. ʒiij.
M. pro linimento.

Dum jam inſtat partus & dolores prehedunt mulierem, optimum eſt *alvo exiſtente clauſa*, aut etiam *diſtento à flatibus*

flatibus abdomine præmittatur *Enema Carminativo-emolliens.*

Imò ubi *dolores partus nothi* aut etiam *colici graviores* ſimul infeſtant, perneceſſarium eſt ad facilitandum partum in tali caſu *præmittere* aut ſimul *infundere Enema*: Imò in *ipſo partu difficili* aliis ferè fruſtraneis ſe aliquoties felicem ſucceſſum ex hoc Enemate obſervaſſe, ſcribit TIMÆUS *epiſt.* 16. *lib.* 6. Enema ab ipſo inſigniter commendatum in ipſo labore partus infundendum eſt hoc ſatis magnum:

℞. Herb. parietar.
branc. urſin. ana Mj.
Flor. chamomill.
Melilot. ana p.iij.
Rad. altheæ ʒvj.
lil. albor. ℥ß.
Sem. aniſ.
fœnicul. ana ʒij.
agaric. trochiſcat. in pet. ligat ʒiij.

inciſa & conquaſſata coquantur in ſ.q. aqua ſimplicis Colaturæ.

℞. ℔j. add. Electuar. Hier. picr. ℥j.
Catholic. ℥ß.
ol. lil. albor. ℥ij.
Sal. gemm. ʒiij.

M. F. Enema infundendum: idque ut dicit ſæpius felici c. ſucceſſu.

His ita factis aut adhuc faciendis, *dum partus inſtat, obſtetrix ante mulierem collocata manibus inunctis ol. lil. albor. Cheirino* aut *pingued. galli* vel *anſeris blandè vaginam dilatat, abdomen mulieris ſubinde deorſum verſus premit:* aut etiam *abdominis partem tumidã & lateralem lumbarem regionẽ* ſequentibus illinit, v. gr. *ol. cheirino, pingued. anſerina: ol. ſuccini, lil. albor.* & ſimilibus: it. ſubigatur *ſuccus ſabinæ: pinguedine anſerina & moderato igne redigantur in formam linimenti,* quod illinitum abdomini fœtum promovet: alii commendant *Zibethum humanum ſ. pinguedinem circa teſticulos virorum,* quam *vulvæ & umbilico illitam* fœtum pellere affirmant. Præ cæteris laudatur *axungia ſerpentum ſ. viperar.* quæ regioni *umbilicali illita* promptiſſimè fœtum promovere aſſeritur. Verum quoniam eſt ſingulare remedium, mox poſt partum ſedulò abſtergẽdum monent: quidam *axungiæ ſerpentum* addunt aliquantulum *ol. ſuccini,* quo etiam *vaginam uterinam illinendam* ſuadent ut feliciter ſuccedat partus.

Quòd *ſi in longum partus protrahatur & dolores non ſint continui,* d. per longa intervalla *interrupti,* ut in tali caſu uterus & abdominis muſculi fiant validiores, tale uſurpandum eſt linimentum abdominis:

℞. Unguenti nervini,
ol. laurini ana ʒß.
ſuccini deſtillati ʒß. ad ʒj.

M. & abdomini illinantur.

Quod *ſi anxia ſit mulier,* ut ſubinde fit, ita ut modò *ſtare,* modò *ſedere,* modò *ambulare,* modò *decumbere* velit: in tali caſu etiam *ſuffitus appropriati,* item *peſſi appropriati* utero applicari poſſunt, v. gr.

Suffitus uterini fiunt ex *Benzoë,* ex *Ladano, ſuccino, thure & maſtiche: Peſſi* intruduntur *ex galbano in aceto diſſoluto,* cui *myrrha & crocus* addita ſint.

Alia *externa* nempe *cingulum ex corio humano, lapis Ætites coxæ alligatus* per ſe ſunt nota. Præ cœteris *exuviæ ſerpentum* ſingulare quid obtinent ad promovendum partum: Nam *unguentum* ſecretiſſimum ad partum facilitandum fit *ex exuviis ſerpentum, quas ſpontè deponunt, axungiâ vulpis & ſucco cancrorum fluviatilium*: quod *abdomini illitum* potentiſſimè partum promovet, d. mox abſtergendum propter nimiam pellendi *virtutem.*

Quoad *oculos leporis exſiccatos vertici applicatos* laudat eos HARTMANNUS ad pellendum fœtum: Res mihi ſubinde fuit viſa ridicula, nihilominus tamen MACASIUS *in Promptuario Medico*: it. MAJOR *in tr. de inunctione Verticis per experientiam factam* Hoc iſtum experimentum comprobant.

Hæc dum ita fiunt quoad *externa* interea temporis *ad roborandam matrem & fœtum,* & ita *promovendos partus labores, Medicus* vocatus *internè varia propinat* miſcendo tamen quæ ab experientia partum promovere dicuntur c. ſpirituoſis volatilibus & aromaticis ſpiritus animales alacriores reddentibus, & ita partum promoventibus *quæ ipſa tamen non ſunt danda, niſi omnia ad partum ſint parata ſ. niſi aquæ effluxerint, orificium uteri hiet, dolores parturientem prehendant, & ipſe fœtus in convenienti poſitus ſit ſitu, & appareat, niſi hæc omnia adſint ab internis pellentibus ſ.* partum promoventibus omninò eſt *abſtinendum,* quia ſatis analepticis ſpirituoſis matrem fœtumque ſimul roborantibus inſiſtendum.

Ubi verò *omnia ſunt parata ad partum* his ipſis tanquam vehiculis *appropriata pellentia ſunt intermiſcenda.*

Conveniunt E. imprimis *dictamnus cretica vera, ſabina & omnia ex hac parata, ſalvia, artemiſia, flores cyani & calcatrippæ,* quæ *in vino cocta* à quibuſdam ſingulariter laudantur: ingrediuntur etiam, *Eſſ. ad partum* D. MICH. *antheræ lilior. albor. flor. calendul.* in ſpecie *flos aromatic. croci* qui crocus eſt unum ex fortiſſimis fœtum pellentibus & tantum non omnibus permiſcetur aliis remediis, de quo poſtmodum, it. *Sem. lavendulæ, ſem. violar. milii ſolis, aromata omnia* in ſpecie *cinnamomum.*

Nam rectè monet LINDANUS *nulla remedia abſque cinnamomo* eſſe propinanda parturientibus *antophyll.* & ſupra laudatur *crocus* qui miraculoſus à quibuſdam ad partum difficilem dicitur.

Hinc pro vehiculo inſerviunt *aqua cinnamomi ſpirituoſa, aqua puleg. meliſſæ c. ſyrup. de canell. de artemiſ. c. ſyrup. de cortic. aurantior.* ut pauca tantum de appropriatis moneam: Sic v. gr.

BARBETTE ut & SYLVIUS inſigniter commendant hanc potiunculam.

℞. Aqu. puleg. ℥ij.
Meliſſ. c. vino ℥j.
vit. Matthiol. ʒi.
Syrup. de artemiſ. ℥ß. M.

De hac miſtura aliquot cochlearia ſubinde propinata, mirè matrem roborare & partum promovere dicuntur: ſi non fuerit ſufficiens, reliquis pro vehiculo inſervire poteſt.

Pauperculis in uſu eſt *hauſtus urin. mariti,* ut dicit HARTMANNUS, & ſane ſcio hac feliciter quibuſdam ceſſiſſe, dum ſcil. hauſtu urin. maritorum liberatæ fuerunt ab ipſo labore partus. Loco hujus iiſdem pauperculis *ſtercus equinum cum vino expreſſum* & ita potatum mirè conducit ad promovendum, partum, quod etiam ceu εὐπόριστον, fœdum licet tamen efficax commendat LINDANUS. Ex ſupradictis *Eſſentiæ fiunt,* &c.

Præ cæteris ceu ſummum ſpecificum vobis commendo *ſpiritum ſecundinæ humanæ* primariò *primiparæ. Modus præparandi* eſt hic:

Secundina c. membranis conciſa minutim in vaſe amplo benè clauſo in baln. mar. digeratur per menſem & plus: ſic enim reſolvitur tota ſecundina in liquorem, d. horrendè fœtentem paucis tantummodo veſtigiis craſſiuſculis relictis: Hic liquor rectificandus eſt par balneum, ut ſolus prodeat ſpiritus, qui *ſpiritus ad gutt. 30. vel 40.* uſurpatus non habet ſibi per remedium *in morbis qui partum* attinent, & *poſt partum* ſuccedunt: *in fluxu lochiorum doloribus poſt partum, & fœtu mortuo pellendo* eſt ſingulariſſimum remedium. Hoc ipſo ſuperiori anno in quadam medio geſtationis tempore abortiente cum relictæ eſſent ſecundinæ & per 3. dies retentæ, fruſtulatim licet, expuli ſed hæc obiter.

Cum hoc ipſo *ſpiritu ſecundinæ* ceu menſtruo parantur

rantur *Eſſ. ad partum.* D. MICHAEL. cujus ingredientia ſunt præter *aromata anthophylli & cinnamom. flor. Cyani: Calcatripp. Cheiri, antheræ lil. albor.* ex his beneficio ſpiritus ſecundinæ fit eſſent. ad partum admodum efficax : qui non habent *ſpiritum ſecundinæ* aſſumunt *ſecundinam* eamque *blandè exſiccant in clibano & pulvis hujus ʒß. ad ʒj.* propinant æquali ferè effectu. Loco *ſpiritus ſecundinæ* etiam *ſpiritus fuliginis benè rectificatus* eſt egregius in ſpecie *ubi vires deficiunt mulieri doloreſque parturientium deſinunt* (periculatur tunc partus) tunc promptè propinatur *ſpiritus fuliginis.* Sic enim promptè denuò redeunt dolores ad laborem : item *applicatur fuligo furni ſplendens ſubacta c. aceto deſt. pulſibus :* Sic enim facilè denuò partus & labor inchoatur & repetitur : *quia fuligo in ſubſtantia ad ʒj.* propinata inſigniter conducit pro promovendo partu.

Porrò *Caſtoreum, aſa fœtida, myrrha* ac ſimilia ſunt expertiſſima. Hinc *pilulæ fœtidæ ad ʒj. c. decocto ſabinæ* propinatæ mirè ſtimulant partum.

Myrrha imprimis eſt ſingulariſſima. *Trochiſci ejus* propinati *à ʒß. ad ʒj.* Hinc pertinet huc *miſtura* TIMÆI expertiſſima, cujus efficaciam vel centies in difficili partu ſe expertum fuiſſe affirmat *lib. IV. Caſ. 25. Deſcriptio* eſt hæc :

♃. Aqu. Meliſſ.
artemiſ.
Cinnamom.
Hyſteric. aa. ℥j.
Myrrhæ Elect. ℈iß.
Succini albi præparat. ℈j.
Croci ℈ß.

M. F. potio haurienda calidè quæ ſubitò partum promovet.

Merito addit *ſuccinum album.* Nam hoc *præparatum ſolum ad ℈ij. vel ʒj.* propinatum promptè promovet partum : Et *Eſſ. ſuccini* ſ. potius *ol. ſuccini* (*falſo* vocatur à BORELLO *Eſſ.*) eſt experimentum BORELLI *cent. 3. obſ. 52.* Sicuti *ſal vol. ſuccini* fuit ſecretum SULZBERGERI olim *archiatri Saxonici* ad promovendum partum difficilem : imprimis *borax mineralis* eſt potentiſſima ad promovendum partum ſi *à ℈j. ad ʒß* propinetur. Hinc *ſpecies diaborraxis,* MYNSICHTI *c. decocto matricariæ* aut *ſabinæ* propinatæ mirificè fœtum pellunt : & *in curationibus* HYLLERI curavit hic fœminam triduano partu laborantem propinando tandem *boracis ℈j. c. unicorn. animal. ℈j & ſic* tandem peperit filium mortuum.

Pertinet huc *pulvis expertus* LINDANI, quem ſe ſemper felici c. ſucceſſu etiam aliquoties in propriâ uxore adhibuiſſe teſtatur.

♃. Cinamom. acerrim.
oſſ. dactylor.
Borrac. Venet. aa. ℈j.

M. detur in hauſtu vini generoſi vel Hippocratici.

Si potentius debeat eſſe remedium loco dactylorum ſumatur *Trochiſcorum de myrrha.* ℈j. Mirè laudat hunc pulverem, *ubi vires deficiunt & dolores in parturientibus remittunt:* ab aſſumpto enim hoc pulvere ſubitò rediiſſe dolores ſe aliquoties obſervaſſe affirmat.

Similis ferè *pulv.* SYLVII ad promovendum partum.

♃. Borrac. Venet. ʒß.
Myrrhæ rubr. ℈j.
Croci optimi ℈ß.
Cinnamom. acut. gr. VIII.

M. F. pulvis pro duabus doſibus quæ ex miſtura ſpirituoſa propinetur.

Porrò *Teſticuli equini exſiccati* ſunt ſpecificum ſingulare cujus efficaciam vel *ſi ſoli* propinentur, vel *ſi cum tantillo Borracis in aqua lil. albor.* hauriantur mirè commendat *Henricus ab* HEER *in obſ. 14. & baſis* ſunt *pulveris ad partum difficilem* HELIDÆI *Paduani* qui ſatis eſt efficax & cujus *hæc eſt compoſitio.*

♃. Cinnamom.
Croci aa. ℈ß.
Borrac. Venet. ℈ij.
Teſtic. Equinor. exſiccat. & pulveriſat. ʒj.

M. F. pulvis pro duabus doſibus.

Cujus doſis vel propinetur *c. ℥tribus aqu. artemiſiæ.*

Dum jam facio mentionem *Croci*, hoc ipſo memoratu digna eſt obſervatio *A. Luſitani in cent. 5. cur. 34.* cujus compoſitio eſt hæc :

♃. Cinnamom. optimi.
Trochiſcor. de Myrrha.
Croci optimi aa. ʒß.

M. F. pulvis, à quo poſtmodum infantes enixi luteo colore apparuere tincti ratione nempe croci.

Dum de borrace ſuperius locutus ſum in mentem venit quod ſcribit CORNARIUS *in ſuis obſervationibus,* quòd *ſi* ſcil. *pariendi conatus ex longa mora infantis & orificii uterini anguſtia deficere* videatur, tunc exhibendus ſit *pulvis ex borracis* ℈IV.
Croci.
Cinnamomi aa. ℈j. pro duabus doſibus :

Obſtetrix verò *parturientis loca inungat adipe coturnicum liquefacto,* unde ſubitò & brevi poſt nova tormina ſint ſuperventura.

Secretum HELMONTII ad promovendum partum eſt, *jecur anguillæ c. ſuo folliculo fellis exſiccatum & pulveriſatum :* Cujus miram efficaciam ad promovendum partum etiam inſigniter extollit PANAROLLUS ceu expertiſſimum *pent. 3. obſ. 21.* Loco hepatis anguillæ etiam poteſt uſurpari æquali c. ſucceſſu *Epar ſerpentis ſ.* VIPERÆ *c. ſuo folliculo fellis exſiccatum & pulveriſatum.*

Porrò *mercurius vivus* propinatus expertum eſt remedium à BARTHOLINO *cent. 4. epiſt. 492.* ſicuti ab aliis mirè commendatur *aurum fulminans*, ita ut aliis quamplurimis fruſtra adhibitis hoc ſolum ſit ſingulare & ceu anchora ſacra & ultimum remedium.

De *ol. ſuccini* antea monui quod *ad gutt.* VIII. X. vel XII. *in aqua meliſſæ c. vino l. aqua puleg. ſpirituoſa* intus propinatum ſit ſingulariſſimum remedium, ſi acuatur aliquot *gutt. ol. deſtillati cinnamomi* erit eò magis præſentaneum remedium.

Loco hujus efficacius longè experimentum eſt RULANDO in uſu poſitum ejuſdem RULANDI *ol. Heraclinum ex corylo* certo tempore diſſecto præparatum, quod tam *internè* aſſumptum *ad gutt. 12. & externè umbilico illitum* mirè partum promovet. Hæc equidem ſunt talia quæ partum promovent & dolores imprimis reiterare faciunt. *Quod ſi tamen nimii ſint dolores,* ita ut ab his ipſis fatigetur nimis ac debilitetur fœmina, tunc SYLVIUS *hiſce fœtum pellentibus aliquot gr. Laudani Opiati tutò* addenda ſuadet: Conſilium quod apud neminem practicorum unquam invenietis, ſi propinentur *imprimis in aqua appropriata c. tinct. caſtorei.*

His ubi non ſperatur ſuccedit effectus & fœtus adhuc in partus hæreat anguſtiis aliquantiſper *fortiora adhibenda ſunt* remedia.

His E. vel *omiſſis* vel *iteratis* ad *ſternutatoria* properandum dum ſternutationis niſu per vices quaſi irritantur fœminæ. Fiant E. iſta *ſternutatoria ex Helleboro albo, Majorana, caſtoreo, caryophillis* & ſimilibus.

Quin *ubi res nonnihil difficilior* aut *deſperata quodammodo* videatur interdum neceſſarium eſt propinare *vomitoria,* quæ inter *mercurius vitæ* mirificis extollitur laudibus à BILLICHIO *in ſuis paradoxis & obſervationibus chymicis* ubi de mercurio. Certum eſt quod *inter vomitoria quoad partum difficilem* hic *mercur. vitæ ſit* ſingulariſſimus, & in iſto vomitus conatu aliis deſperatis tandè excludunt fœminæ fœtum. Sunt qui *ſuccum Nicotianæ inſpiſſatum* pro vomitorio hic laudant, *ſed eſt nimis violentus nimiſque malignus:* potius E. *infuſum antimoniale ex mercurio vitæ* eſt uſurpādum.

Moderno

Modernorum audacia etiam *venæ ſectioni* locum interdum conceſſit & aliquot novi exempla in aliis locis (non hic) mulierum quæ cum aliàs laborarent ordinariò partu difficili, dum inciperent dolores partus ſibi venam aperire in brachio curarunt, unde facilè poſtmodum fuerunt liberat: Et ipſe MARTINIUS Pariſiis mihi retulit ſe plus quàm ter in partu difficili ſecaſſe venam in cubito: unde brevi poſt liberatæ fuerunt fœminæ à fœtu. Nec *res eſt impoſſibilis* aut *abſurda in paulo* ſcil. *habilioribus* & in iis *quæ ſanguine ſpirituoſiore & magis turgeſcente* abundant: id quod antea etiam docuit *Claudius de la* COURVE *in paradoxis de nutritione fœtus in* utero, qui *cap. ultimo circa finem*, uti in aliis gravidarum affectibus: ita in ſpecie *ven. ſectionem* commendat ad facilitandum partum.

Apud nos non videtur neceſſaria hæc *ven. ſectio*, *in climatibus Calidioribus*, & in *habitu fœmellarum ſucculentiori* paulò aut quæ *utuntur pro potu ordinario vino*: in his admodum *neceſſaria & proficua ven. ſect.* pro facilitando partu.

Abſolvimus quæ pertinent ad partum difficilem promovendum. Verum ſupereſt adhuc unus *caſus* qui præ cæteris *partum admodum difficilem & periculoſum* conſtituit nempe *ſi*

FOETVS EST MORTVVS,

Fœtus mortuus. quia ejus conatus tunc ceſſat & totum negotium matri ſæpiſſimè tunc debili unicè incumbit: Unde vel poſtmodum *matre debilitata & ipſa moritur*, vel *non ſine labore fœtum tandem enititur.* Imò in tali caſu evenit non raró, ut *mortuo fœtu, in matre debilitatâ ceſſante fœtus motu & conamine, omninò dolores partus ceſſent, & evaneſcant nec unquam redeant*, quicquid etiam adhibueris ad provocandos eoſdem, aut *ſi redeant*, *non tamen ſufficiunt* ad excludendum fœtum imprimis *ſi vitioſè ſimul ſituatus fuerit in utero materno.*

Moritur E. *fœtus* aut *in partu* aut *aliquot menſibus ante partum. In partu* moritur ex iiſdem ferè cauſis ex quibus aliàs difficilis contingere ſolet partus, v. gr. aut ex *propria fœtus debilitate*, ut ex *matris languore* non ſecundante fœtus conatum aut ex *viarum anguſtiâ*, ex quibus eniti fœtus nequit, quando *capite vehementer compreſſo* intereat. Imò *perverſus ejus ſitus* multum etiam ſimul tribuere poteſt ad ejuſdem internecionem, ſi ſcil. accedat ſimul *fortis matris conatus*, quatenus aut *collum ejus invertendo* aut *laxando mors hinc fœtui acceleratur.*

Ante debitum v. *partus tempus* utplurimum interimitur fœtus *à cauſis externis*, v. gr. *ex nimio matris terrore* aut *ejus pavore*, *à quo* etiam adhuc in *utero conſtitutus infans epilepticis convulſionibus* corripi ſolet. Interim etiam perit fœtus *ex percuſſione gravi abdominis*, aut *lapſu matris in abdomen.*

Ex cauſis internis ſæpius *febres acutæ* aliique *morbi periculoſi* internecioni fœtus occaſionem præbent:

Opus hic *incumbit Medico* arduum *ut cognoſcat an reverà mortuus ſit fœtus* aut ſaltim *an ſit debilitatus quidem, ſed adhuc vivus.*

Et quidem *ſi tempore partus legitimo* hoc eveniat: *ne in fœtu adhuc vivo Media Chirurgica tentet* ſive *pro extrahendo* ſive pro *diſſecando fœtu: Si* v. *partus tempore non legitimo* fiat hoc neceſſe eſt ut *cognoſcatur hoc, ne fœtus mortuus tanquam vivus retentus, detrimentum matri inſigne* & tandem ejuſdem *uteri corruptionem ac putredinem adferat.*

Signa infallibilia & certò demonſtrantia fœtum mortuum vix dantur, quia potius aliquantò accuratius inter ſe collata certiorem tandem Medicum reddere va-
„lent. Nam fit ſubinde ut à doloribus nothis irritatus
„eſt uterus & fœtus egreſſum moliantur menſe 7. & 8.
„ſub quo molimine adeò interdum debilitatur fœtus,
„ut non amplius ſe moveat, adeoque interdum tan-
„quam mortuus in utero hæreat.

In tali caſu ne fiat deceptio, omnes omnino cir- “
cumſtantiæ probè ſunt penſitandæ.

SIGNA E. *quæ manifeſtant fœtum vel in partu vel aliàs eſſe mortuum ſunt ferè ſequentia.*

1. *Mater & obſtetrix, ſi eſt in partu, motum fœtus amplius non percipiunt etiamſi roborantia*, aut aliàs confortativa *ſpirituoſa exhibeantur* ſive *interna* ſive *externa.*

2. Quando *mater ſe de latere in latus movet ac volvit, fœtum ſimul ex una parte in alteram tanquam molem quandam inconditam moveri & ferri percipit.*

3. *Facies & imprimis labia puerperæ pallent.*

4. *Partes extremæ ad tactum frigidæ, interdum* ſimul colore *ſublividæ* apparent.

5. *Vteri regio & pecten ejuſque cervix frigida* percipiuntur.

6. *Mammæ quæ antea blandè turgebant & ſurgebant, flacceſcere, emolliri ac pendulæ fieri* incipiunt.

7. *Progreſſu temporis anhelitum fœtidum gravidæ contrahunt*: Hinc.

8. *Aqua ac ſanies tandem fœtida ex utero* effluit.

9. *Superveniunt* ſubinde *febres admodum graves periculoſis lipothymiis; cordis palpitatione & deliriis conjunctæ.*

10. *Dum infans moritur, ſubitò horror* invadit matrem: Unde ſi *poſt gravem terrorem*: vel ſi *in ipſo partu matrem ingens horripilatio* prehendat, *ſignum eſt unum ex certiſſimis fœtum eſſe mortuum*: Sunt qui hoc ſignum tanquam infallibile putant, nihilominus tamen ab experto quodam practico mihi relatum fuit ſe obſervaſſe frigus cum tali horripilatione, fœtum tamen adhuc ſuperſtitem fuiſſe vivum.

11. *Animi deliquia* ſuperveniunt.

12. *Stomachi & capitis dolores* imò etiam *convulſiones* nonnunquam *horrendæ* ſuperveniunt.

13. *Si ante fœtus exitum* ſ. proventum *ſecundinæ excernantur* ſignum eſt admodum certum & RIVERIO *eſt ſignum certiſſimum extincti & mortui fœtus.*

14. *Dolores parturientium ſubito ex toto intermiſſi*, noxam fœtui illatam teſtantur, id quod adhuc validius eſt ſignum, *ſi ſuperveniat* adhuc *horripilatio.*

15. *Si prægnans manum in calentem aquam imponat* in eaque *aliquandiu teneat fœtumque moveri non ſentiat ſignum* etiam eſt ultimum *fœtum eſſe mortuum*: ubi etiam.

16. *Manus aqua frigida madida* cujuſdam adſtantis, *ventri matris impoſita* manifeſtat *ex ſubſequente motu fœtus, eum eſſe vivum ſi* enim *hinc non moveatur fœtum mortuum* eſſe ſignum eſt.

17. *Majorana viridis digitis trita umbilico inponenda eſt fœtus* enim *ſe movebit ſi adhuc in vivis ſit.*

18. *Panis malvatico intinctus applicetur ventri*, *in pede* vero ſimul *fiat parva venæ ſectio*, *ſic* enim *ſi fœtus vivit, ſe movebit.*

19. *Caput infantis in partus loco ſituatus, ſi membrana iſta*, (id eſt *vaſa umbilic.*) *in interſtitiis oſſium cranii deprehendatur flaccida nec fortiter tenſa*; tunc ex tali flacciditate ejus *arguitur certò fœtum eſſe mortuum.*

Vltimo denique unum ex certiſſimis *fœtus mortui ſignum* eſt, *ſi meconium* ſeu *excrementa alvi emittantur antequam fœtus ipſe prodeat*: nihilominus tamen RULANDDUS hujus rei habet *contrariam experientiam in ſuis curationibus*, ibi enim refert fœminam quæ cum biduum parere non potuiſſet, etiam fœtus meconium excluſiſſet: nihilominus tamen poſtmodum fœtum vivum expulit, beneficio *ol. ſuccini cujus gutt.* 30. *cum vino* propinavit *ol. ligni Heraclini umbilico illito*; ſic enim poſt dimidiam horam fœminam eſſe enixam ſanum & ſalvum filium.

Ex his ipſis ſignis primatum obtinet deficiens motus fœtus: horripilatio matris, ſecundinarum aut *meconii prægreſſus* & denique *membrana fœtus flaccida.*

His *ſignis diagnoſticis adjungatur* notatu tamen digna

obſervatio HORSTII *lib.5.Obſ.obſ.*37. ubi fœtus ante medium geſtationis tempus,& adeo ante motum inſcia matre mortuus relictus fuit, qui poſtmodum ex ſupervenientibus variis ſymptomatis cachecticis & gravioribus lipothymiis à poſteriori ceu mortuus cognitus ac feliciter expulſus fuit.

QVOAD PROGNOSIN.

Fœtus mortuus retentus, præter hoc quod *difficilem reddat partum periculum vitæ matris* variis modis *afferre ſolet*,interdum autem *putrefactus fruſtulatim per uterum ejuſque vaginam excernitur* interdum *partes molles ſub forma ſaniei corruptæ profluūt durioribus oſſibus relictis, ita ut mater ſceleton in utero* geſtet:interdum *ex putredine fœtus uterus corruptus* & ipſe ac *putrefactus,vicina loca* ſimili putrilagine *inficit*, unde poſtmodum *fœtus partes corruptæ* aut *per umbilicum* aut per *alvum* aut per *inguina* aut per *alia ſimilia loca putrefacta ac corrupta* ejiciuntur.

His ſuperveniunt *febres peſſimæ, lipothymiæ ac varia ſymptomata*, tandem ſæpiſſimè *ipſa mors : rariſſimum* enim eſt *fœtum mortuum ad tempus citra corruptionem putredinalem* aut *citra ſenſibile matris incommodum fuiſſe in utero retentum.*

Aliàs *miræ hiſtoriæ* aut *retentorum* aut *diverſimodè ſub putrefactionis forma excretorum fœtuum mortuorum* legantur in SENNERTO *ubi de fœtu mortuo.* Item in SCHENCKII *obſervationibus* item BARTHOLINI *tr.de inſolitis partus humani viis.*

QVOAD CVRAM.

Opera danda eſt ut *quantocyus fœtus mortuus promoveatur & expellatur*,omnia ergo *validiora partum difficilem promoventia fœtumque pellentia ſunt adhibenda* modo *præmiſſa* ſint prius,*quæ vias emollire,laxare & lubricare* valeant , idque imprimis *ſi fœtus mortuus ante legitimum partus tempus ſit excludendus.*

Convenit E. tunc *uſus balneorum* ut monui , cujuſmodi *balneum* præſcribit JOEL *in ſua praxi h.m.*

℞. Flor. Chamomill.
Abrotan.
Parietariæ.
Puleg.
Artemiſ.
Malv. c. rad.
Betonic.
Sabin. aa. Mij.
Rad. Bryon.
Ariſtoloch.long.
Filicis aa. ℥ij.
Sem. lini.
fœnugræci aa.Miij.

conciſa & contuſa coquantur in aqua cui inſideat loco balnei uſque ad umbilicum mulier:*ipſæ ſpecies ſacculo* poſtmodum *incluſæ pro fomento externo crebrius applicentur abdomini.*

Poſt tale balneum, uſurpantur *unguenta*,ut dixi, aut applicantur abdomini *cataplaſmata expellentia* in ſpecie *ex colocynthide* poſt quem cataplaſmatum pellentium uſum *inunctio c.ol.ſuccini* inſtituitur, aut *unguentum de artanita c.ol.ſuccini* ſubactum largiter regionibus umbilicalibus & hypogaſtricis inungatur.

Peſſi item *ſtimulantes* applicandi ſunt, qualem ceu validiſſimum ſequentem commendant :

℞. Gumm. ammon.
Opopanacis.
aſphalti aa.ʒj
Ellebor. nigr.
ſtaphid. agriæ.
ariſtoloch. long.
pulp.colocynth.aa.ʒiß.
Scammonii ʒj.

ex quibus c.ſ q.fellis auri conformetur maſſa quæ lanæ nvoluta & ſyndone abducta inſtar peſſi applicetur.

i Quin & *ſuffitus* inſtituatur *orificio pudendorum per infundibulum excipiendi.* Quos inter experimentum eſt ſingulare *ſuffitus ex decocto uvarum putridarum paratus*, v.gr.

„ ℞. ℥iv. Uvarum putridarum ſuſpenſatum , cu-
„ juſcunque ſortis fuerint , projiciantur in aquam fer-
„ ventem per horæ dimidium:hinc imponantur ſupra
„ ardentes prunas & ſuffimigium excipiat fœmina per
„ vulvam quadrantis ſpatio ſepties in die: ceu experi-
„ mentum ſingulare fuit communicatum,cujus tamen mentionē factam invenietis c.felici ſucceſſu *in* SCULTETI *obſervationibus Chirurgicis obſ.* 77. uti etiam *in* ZAC. *Luſit.in ejuſdem praxi hiſtoriar.*

Loco hujus *ex ſequentibus trochiſcis à* JOELE *commendatis* non immeritò poteſt fieri *ſuffitus utero excipiendus.*

℞. Uernationum ſ. Exuviarum ſerpent.j.
Myrrhæ.
Caſtorei aa.ʒj.
Rubia tinctorum.
Stercoris columbini aa.℈ij.

contuſa omnia c.felle bubulo redigantur in trochiſcos qui carbonibus ignitis impoſiti dant fumum ad proritandum fœtum aliàs etiam *ſuffitus ex ungula aſini ſ. aſinæ c.galbano* ac *myrrha* inſtitutus ad promovendum fœtum inſigniter commendatur.

Hiſce *externis* ſimul dixi *interna eſſe* addenda quæ fortiter fœtum pellunt : quæ inter primatum obtinet *pulvis ſecundinæ ad ʒj.in vino malvatico aut aqua cinnamomi* propinatus. Loco hujus(nam rarò habetur ſecundina) ſeu æqualis efficaciæ *ſequens* laudatur *pulvis compoſitus.*

℞. Borracis Venetæ.
Trochiſc. de myrrha aa.ʒß.
Cinnamom. acut.℈j.

M.F.pulvis pro una doſi in hauſtu vini vel aquæ cinnamom.aſſumendus.

Quin & *ſuccinata* in ſpecie *ol.ſuccini ad gutt.* XII. XX.*uſque ad* XXX.(duro enim nodo durus quærendus eſt cuneus) *in hauſtu vini internè* propinatū *& externè* ſimul *umbilico ac muſculis abdminis illitu* mirè conducit. *Vomitoria* itidem *ex aquis benedictis infuſionis antimonii* aut etiam *gr.*IV.*mercurii vitæ internè propinata.* vomitu forti fœtum pellunt.

Denique *ubi res eſt* admodum *periculoſa* imitandum eſt experimentum BARTHOLINI quod recenſet *in cent.6.hiſt.anatom.hiſt.*83. nempe imponitur orbis li- "
gneus ſ. ſtanneus abdomini tumido matris , in caſu "
ſcil.quando fœtus eſt in ſitu ad partum naturali , ſed
tamen mortuus:imponitur in tali caſu orbis ligneus "
ſ.ſtanneus abdomini tumido & validâ manu à Medi- "
co percutitur hac omni forti percuſſione q.ſ.c. im- "
petu ejicitur fœtus:Obſervetur hoc,refert enim cit. "
loc.BARTHOLINUS hoc modo expulſum fœtum mortuum ubi omnia fuēre deſperata.

Hæc non ſuffecerint *ad Chirurgiam* eſt deveniendum ſicque *inſtrumētis* in ſpecie *uncis* aut *hamulis* aut *ſub mento* aut *circa claviculas infixis fœtus totus extrahendus*,aut *ſi vitioſè nimis ſit ſituatus ſcalpello artificioſè adhibito fœtus in fruſtulis ciſſus fruſtulatim eximendus*, utut caſus ſit periculoſiſſimus in ſpecie ap. nos, ubi vix niſi in deſperatiſſimo caſu tale admittere ſolent. *De hac operatione vid.* BARBETTE *in ſua Chirurgia*, PARÆUS, SCULTETUS & SENNERTUS *ubi de fœtu mortuo lib* IV.*praxeos.*

Contrarium vitium ſed etiam *in partu difficili eſt quando mortua matre ſupervivit fœtus*, ubi vix aliud ſalvandi fœtum medium eſt quàm *ſectio abdominis facienda in regione laterali hypogaſtrica & ex eo fœtus vivus*, extrahendus qui poſtmodum uti notum eſt *Cæſares* appellari ſolent.

Hæc ſufficiant de partus læſionibus. Pergo à partu ad

CAPUT IX.

De Regimine Puerperarum.

Ubi peperit mulier ipſa *circa coſtas cingulo* vel *linteo*, probè *cincta* (in ſpecie *c. cingulo ex corio humano*) *in lectum transferatur* ubi *pedibus probè extenſis*, aut ſaltim in media figura poſitis (imprimis extenſis) *labiiſque vulvæ ſpongiis* aut *linteis probè inunctis* pro excipiendo ſanguine effluente, *quieta jaceat*, & ab omni *corporis jectigatione* aut etiam *extremorum aëri frigido expoſitione ſtudioſè caveat*, aliàs enim *tormina hæmorrhagiam uteri nimiam* & ſimilia ſymptomata infert.

Cum vero *ex labore partus* utpl. inſigniter incaleſcant, ſubinde etiam non parum debilitatæ ſint & in ſpecie utpl. *ſiti gravi* premantur. Vulgò receptum eſt, *poſt partum* propinare *juſculum gallinaceum*, idque *calidum* pro refocillandis viribus & fallenda ſiti *quod* ipſum *tamen minus commode fieri arbitror*: Nam talia juſcula nutrientia poſtulant prius ſtomachum qui eadem digerendo concoquat; jam vero periculum eſt ne loco legitimæ concoctionis talia juſcula cadaveriſentur, & corrumpantur in ſtomacho in muliere noviter à partu liberata, non ſecus atque aliàs fieri ſolet, in febrientibus.

Nam *poſt partum* tales *puerperæ ſemper ſolito plus calent*, & qſ. *febrile* quid patiuntur: nam *pulſus earum eſt frequens, celer, mollis, magnus*, aut ſaltim *in magnitudine & vehementia moderatus* prout plus vel minus in partu debilitatæ fuere.

Eſt ſcil. tunc aucta inſigniter ſanguinis turgeſcentia & fermentatio, mediante quâ & *lochiorum* promovetur *fluxus* & ſimul quicquid excrementi eſt in ejus maſſa foras ejici ſolet. Unde non tantum *ſuperveniunt interdum hyſtericæ paſſiones*, ratione inordinati motus ſpirituum animalium & copioſius effuſorum ſuccorum, bilioſi & pancreatici ſed etiam *febres ardentes* aut *malignæ petechiales*, it. *purpuratæ* utplurimum ſuperveniunt, quæ tamen ſanguinis ebullitio in partu nullo modo impedienda eſt, quia maximè convenit mulieribus ſucceſſivè ſponte denuò remittunt.

Quibus E. *minus conveniunt talia juſcula nutritiva*, ut in ſpecie *debilitatis*, in iis *hauſtulus parvus vini generoſi* eſt concedendus, aut *mica panis albi vino intincta* eſt propinanda: hinc enim mirè denuò refocillatur mulier, nec putata iſta vini caliditas, aut febris inde metuenda eſt: nam *lochiorum* potius ſimul *promovet fluxum*, quibus fluentibus vix febris intenſa ſupervenire poteſt.

Hoc modo *obſervetur ne frigidum vinum potetur*: *ſi enim hoc fiat ut frigida potentur, quæcunque ſint, ſubito ſupprimuntur lochia & dolores abdominis graves* concitari ſolent. *Tepide* E. *propinetur* ſic enim nullo modo nocebit vinum: *refocillatæ ita poſt horas aliquot poſſunt abſumere ovum ſorbile c. panno Cinnamomi ac tantillo Nuc. Moſchat.*

„ Superiori æſtate vocabat ad *parturientem*, quæ „ poſt partum felicem inſigniter licet debilitata gravi „ premebatur *ſiti* ſuperveniebant *ſuffocationes hyſtericæ* „ *leves* & in ſpecie *immenſus lochiorum fluxus*, erat „ enim juvencula & ſucci plena. Veniebam ad ipſam, „ mulieres adferebant *juſculum gallinaceum*, quibus „ reſtiti, interim ſuadebam *vinum*, omnes ridebant, „ utut, tamen propinato tandem hauſtulo vini egre„ giè refocillabatur fœmina: Ergò in tali caſu maxi„ mè obſervanda eſt virium ratio & propinandus loco „ Juſculi Gallinacei potius hauſtulus vini tepidi, utut „ lochiorum fluxus hoc in tali caſu potuiſſet inhiberi: ſed hæc obiter.

Mox à partu puerpera, non indulgeat ſomno, ſed *aliquot horas ad minimum vigilet*: *interdum* enim *poſt partum hyſterica ſuffocationes, ſub formâ ſoporis imminent, in quibus niſi cauti ſint adſtantes, puerpera ita obdormit, ut nunquam poſtmodum evigilet.*

Odorata omnia ſtudioſe vitanda cum non tantum promptiſſimè *hyſtericas paſſiones* excitent, ſed etiam *affectus capitis* in ſpecie *lethargicos & agrypnias* inducunt: *niſi in imminente hyſterica paſſione interdum odor Caſtorei* aut ſimilis olfactus appropriatus præter voluntatem *ſit concedendus.*

Præ cæteris omnibus *Ira ac terror* puerperis affectus ſunt nocentiſſimi. nam *ex ira perículoſæ febres ex terrore* ferè *incoercibiles uteri hæmorrhagiæ* ſupervenire ſolent.

Utplurimum *ex lochiorum fluxu poſt partum alvus eſt ſuppreſſa* ac obſtructa *quam validiori remedio* aut *acriori clyſmate ſtimulare* longiſſimè *abſit*; *Potius 3. aut 4. die à partu*, niſi ſponte ſoluta, vel *blando ſuppoſitorio* procitetur vel obſervatis circumſtantiis aliquot *granis à vj, viij. x. pilularum peſtilentialium Ruffi* (ex aloe, Myrrha, Croco & ammoniaco, quæ hic ſunt, in felici uſu) propinatis *alvus denuo aptatur*: *habitâ* tamen ſemper uti dico *ratione* attentâ *an adſit febris maligna ex genere petechialium* aut *purpuratarum*: Nam *in his alvum* vel *ſuppoſitorio ſtimulare* non caret *periculo*, imprimis ſi fuerit *febris purpurata alba* in quâ vel minimus error eſt lethalis.

Abſolvimus ſuperius ea, *quæ ad regimen puerperarum ſecundum leges diætæ* requiri videbantur: pergo *ad alios affectus* qui & ipſi *puerperis* non raro ſolent eſſe familiares & quidem, *ſimul atque foetus excluſus eſt per funiculum umbilicalem*, continuatæ ipſi ſequitur SECUNDINÆ PLACENTA ſcil. *cum membranis foetum involventibus.*

Hæ ipſæ in naturali partu ſponte qſ. ſequuntur & citra vim facillime *ex utero per funiculum umbilicalem extrahuntur. Præter naturam* E. *quando eædem* aut *cum difficultate ſeparantur*, aut *quando omnino non prodeunt*; *ſed rupto umbilicali fune intra uterum ſubſiſtant*, aut denique *quando non integræ ſed fruſtulatim & per particulas ſucceſſive excernuntur.* Tota enim ſecundina ejici debet, quia vel tantillum relictum fruſtulum non vulgares dare ſolet turbas.

CAUSA quare retineatur nec debite excernatur ſecundina ſunt 1. *quando firmiter nimis eadem agglutinata eſt qſ. utero*, id *quod fit* imprimis quando *præmature excluditur fœtus* & aliquid *abortivi* ſubeſt: hinc enim tenacius adhærentes ſecundinæ non ſine difficultate ſolent divelli.

Item *ſi funiculus umbilicalis tenerior* in labore partus *rumpatur* aut *ineptè ab obſtetrice tractatus* ſimiliter *lædatur*, tunc fit ut inſtar Chordæ contortæ, funiculus umbilicalis ſeparatus in ſe invicem retrocedat: ac uterum introeat: Unde Cervix uteri ſ. orificium internum denuò clauſum ſecundinam ſimiliter firmat. *Caveant* E. *obſtetrices ſeparare umbilicum à fœtu antequam ſimul prodierit ſecundina*; aut ſi forſan ſimul non prodeat, tunc *funiculus ſeparatus filo alligandus eſt femori* ne denuò intro recipi ac ſecundinæ excluſionem impedire poſſit.

Quod *ſi violentius & ineptius retentam ſecundinam tractaverit obſtetrix*, quod ſæpius fit, ſubinde *fit*, ut *rupta ſecundina fruſtulatim foras non ſine incommodo prodeat.*

Gemellos quod attinet, hi ipſi interdum *ſimplicem*; interdum *duplicem* habent *ſecundinam*: *Ubi ſecundina* fuerit *duplex* poſt fœtum *ſua ſecundina prodit*: *Sin vero ſecundinæ ſimplici involuti fuerint gemelli*, tunc cum primus infans in lucem prodiit *obſtetrices prudentiores ſolent reſecare umbilicum eumque alligare femori*: poſtmodum *alterum excipere gemellum & cum eadem ſecundinam ambobus communem, & tunc denique funiculum à femore ſeparare*, ſic enim facillimè ſuccedit negotium.

SIGNA retentæ ſecundinæ ſunt *dolores poſt partum* TTt iij *acerbi*,

acerbi, quaſi ſecundus generandus eſſet fœtus, *ſæpius ſupprimuntur ſimul nonnihil lochia* ſicuti ècontra *ſin fruſtulatim prodeat ſecundina retentum fruſtulum* irritando uterum, ſubinde *crudelem uteri hæmorrhagiam* excitat accedunt *fœtida* ſeu *ea quæ excernuntur poſt aliquot dies* ſunt *fœtida ac horrende olentia*: id quod unum ex primariis ſignum eſt retentum eſſe aliquid in utero de quo vid. RIVERIUS *Cent.*1. *obſ.* 61. Ut taceam ipſum *viſum notificare* ſufficienter, *an ſufficienter an non prodierit ſecundina.*

QVOAD PROGNOSIN,

Omnia eadem mala *quæ fœtum ſequuntur mortuum* comitari etiam ſolent *ſecundinam retentam*, *ſed mitius nonnihil ac lentius.* Nam aut *retenta putreſcit* indeque *febrem malignam, uteri corruptelam* & tandem *mortem* infert: aut *putrefacta* tandem *ſub forma*, *ſaniei putridæ foras excluditur* idque *rarò citra notabile uteri damnum.*

QVOAD CVRAM.

Omnia ea conveniunt, *quæ partum difficilem aut molam aut fœtum mortuum promovere valent*, de quibus ſuperius jam ſufficienter dictum fuit. *In ſpecie* TULPIUS *in lib.*4.*obſ.*41. Ceu experta ſæpius multumque proficua commendat ſequentia remedia.

℞. Borrac. Venet.
Succin. alb. ana. ℈j.
Croci.
Caſſiæ ligneæ.
Caſtorei ana ℈ß.
M. F. pulvis.

cui tanquam vehiculum inſerviat ſequens *decoctum.*

℞. Rad. Graminis.
Pœoniæ.
Scorzoneræ.
Cichorei ana. ℥j.
Herb. acetoſ.
Endiu.
Borraginis.
Meliſſæ ana Mj.
artemiſ.
Card. benedict. ana Mß.
Borrac. venet. ʒiij.
Coqu. ex aqua hord. ana ℔ij. quibus adde
Syrup. artemiſ.
Limonum ana ℥ij.

M. & ſubinde exhibeatur: Cujus felicem experientiam ſe aliquoties feciſſe idem auctor memorat.

Alia quæ vulgò exhibentur ad pellendam hujuſmodi ſecundinam retentam ſatis nota ſunt: *in ſpecie decoctum artemiſiæ rubræ & ſabinæ cum antheris lil. albor.* admodum laudatur à CORBEO: ſicut *fimus equinus vino infuſus & expreſſus* propinatus admodum laudatur à FORESTO.

Omnibus palmam præferunt *ſecundina parata remedia primario* quidem *ex humana*, *ſecundario* etiam *ex ſecundina ovis* vel *capræ*: Nam & hanc ceu infaillibilem commendat CORBEUS. *Singulare* certè *quod latet in ſecundina humana*: Nam non tantummodo *parturientium* & *puerperarum* quam plurimis *ſuccurrit affectibus*, ſed præterea *Epilepſiam* etiam ut quidam aſſerunt *hæreditariam* ſingulari virtute *paratus ex eadem ſpiritus pellit* & domat: Hinc & *bruta omnia devorant ſecundinas poſt partum*, id quod haud abſque ſingulari naturæ inſtinctu fieri admodum probabile eſt: Imò experientia ſtultorum magiſtra docuit, per *ſecundinam Magica naturalia*, *per magnetiſmum in damnum primario fœtus ſecundariò ipſius puerperæ non leve inferri poſſe.* De *Ol. Heraclino* ex RULANDO res nota eſt; Loco ejus *Ol. Ligni Iuniperini gutt.* 30. *aut ol. ſuccini: deſtillat. gutt.* 18. propinatæ non vulgares poſſident vires. *De remediis ex ſuccino*, *Barroce*, *Myrrha*, *Caſtoreo*, ſtudio taceo.

Quod ſi incipiat putreſcere ſecundina retenta, vel *tota* vel *fruſtulata*, *ne nimis ſerpat corruptio*, *Elix. proprietatis* aut vulgari modo acidulatum aut *quod melius* (in omni enim ulcere ſ. putredine eſt acidum) *cum alcali fixo* paratum, egregriè progreſſum putredinis præcavet, idque imprimis ſi conjungatur *c. ſpiritu Theriacali Camphorato.* De *ſternutatoriis* hinc & *vomitoriis* res ex partu difficili nota eſt. *Externè* inſtituuntur *ſuffitus per vulvam excipiendi*, quos inter ſequentem *ſuffitum* tanquam expertum *ad extrahendam ſecundinam*, *fœtum*, *molam*, ipſumque *ſanguinem* in Matrice *coagulatum* commendat STOCKERUS *in ſua praxi.*

℞. Myrrhæ ℥ß.
Cinnamomi.
Galbani.
Caſtorei an. ʒß.
Opopanacis ʒj.
Helleb. nigr. ʒiß.

Ex his ceu felle Vaccino F. Trochiſci, qui ſuper carbones projecti dant fumum, genitalibus excipiendum. Quod *ſi ſecundina non exierit*, dicit *citatus auctor*, non amplius eſt quid tentandum, d. *injiciendum eſt unguentum Baſiliconis*, quia putrefacit eam.

Alii *externè* uſurpant *exuvias ſerpentum ad Coxam alligatas*: Nam has ut aliquoties monui, etiam ſecundinas pellere dicunt, *mox tamen removendæ* ſunt *ubi prodierint. De Clyſmatibus Vterinis & Peſſis* ſtimulantibus nihil addo. Sin fiat *ut Vterus denuò conniveat ac ſe claudat* tunc *injectiones emollientes* denuò ſunt *injiciendæ in Vaginam Vteri*, *& inungendus uterus laxantibus* & *emollientibus* ut apertus, facilius prodeat ſecundina. Ubi prodierit ſecundina, imprimis *Vberior ſanguinis fluxus* conſequi ſolet, qui ipſe ſanguinis fluxus, etiam in ipſo partu eſt ſatis abundans. Vocatur hic *ſanguinis fluxus poſt partum* Græcis.

LOCHIA.

Quibuſdam *ſanguis puerperalis* aut *purgamenta Vterina.* Hic *ſanguis non ſolus* eſt, ſed *poſt triduum* imprimis *c. ſanguine liquamen ſeroſum* effluere conſpicitur adeoque tunc ſanguis *aquoſus inſtar loturæ carnium craſſioris ejicitur*, donec progreſſu temporis *materia viſcida* & quodammodo *mucilaginoſa pauco aut nullo ſanguine permiſta* ejicitur.

Tria hæc nempe *ſanguis purus*, *ſanguis loturæ Carnium ſimilis*, ac denique *ſordes mucilaginoſæ conſtituunt Lochiorum fluxum*, qui *durat* pro circumſtantiarum ratione, nunc *diutius* nunc *citius* finitur: *ordinariò* ferè per *triduum* fluit *ſanguis copioſus purus*, *hinc per* 4 præter propter *dies*, nam variant circumſtantiæ, *ſanguis loturæ carnium ſimilis*, hinc poſtmodum prodit, *per* v. *aut* vij. *dies ſanguis mucilaginoſus* & ſic porrò *rariſſimum* eſt quod *ciera noxam puerpere paucus* aut *nullus* excernatur ſanguis.

Paucus aut *nullus* excernitur, quando *in partu copioſior* effluxerit *ſanguis*: Fit enim interdum ut aut *mox ante partum*, vel *in ipſo partu* uberior ſanguinis proſiliat copia, quod obſervandum eſt ut annumeretur lochiorum quantitati. *Rariſſimum* eſt ut *paucus* l. *nullus* fluat ſanguis, in iis *quæ non habent menſtrua*, *utut ſint fœcundæ*; aut etiam quæ ſint *minus ſucculentæ*, & alias dicuntur *naturæ ſiccioris*, quale exemplum refertur à SALMUTH. *Cent.*3. *obſ.*89.

LOCHIA RETENTA.

Fluxus hic ſanguinis ſ. *lochiorum excretio præternaturalis eſt*, vel *quando deficit* omninò aut ſaltim *imminuta* eſt, vel quando *eſt nimis copioſa* ac *abundans*, aut denique quando *per aliena loca ejiciuntur* dicta *ſic lochia*. Si quidem ubi impeditur eorum excretio, non mirum eſt ut regurgitantes in maſſ. ſanguineam fermentativâ turgeſcentiâ per alium quendam locum moliantur egreſſum, quâ ratione BARTHOLINUS *Lochia retenta.*

refert

refert *Cent. 3. hiſt. anatom. 19.* ſe obſervaſſe aliquoties *lochia* ſalutariter non rarò per *alvum expurgata*: Sic SALMUTH refert *Cent. 1. obſ 89.* quod à *retentis lochiis febris acutiſſima doloreſque abdomimis* fuerint Oborti, donec *lochiis per nares* erumpentibus hæc omnia ceſſarint, quin & obſervatum fuit aliquando per *mammas ſuppreſſa lochia ſalutariter fuiſſe evacuata*: In tali caſu *cautus ſit medicus*, ne turbet motum naturæ, quem facilius eſt impedire quàm corrigere, & niſi notabile damnum adferat, excretio lochiorum per aliena loca, ſemel cœpta veſtigia ne turbet, ſed naturæ motum permittat; ſin. v. malum aliquod immineat v. g. ſi *Tuſſi* aut *hæmoptyſi rejiciatur*, tunc per *externa* lochia ſuppreſſa revocantia ad uterum perverſe excretorum lochiorum corrigat fluxum.

CAUSÆ E. propter *quas ſupprimũtur lochia* ſæpiſſimè ſunt *frigus externum in partu, aut brevi poſt partum utero exceptum*, hoc enim ſubitò coagulat ſanguinem ejuſque ſtagnatione lochiorumque impeditæ excretioni aptiſſimam exhibet occaſionem: quin & ſæpius fit, ut aut *territæ mulierculæ*, aut *pavidæ*, aut *nimis verecundæ*, ipſæmet exhibeant occaſionem quod ſiſtantur lochia: Item *ſi in ſucculentioribus* primo poſt partum impetu, *uberius proruant excrementa uterina*, à quibuſdam *inſulsè ſedulis internè propinata* aut *externè applicata adſtringentia pernicioſe ſiſtantur lochia*. Unde in *ſiſtendis lochiis mox poſt partum* ſimus *cautiſſimi*.

QVOAD SIGNA.

Suppreſſa lochia imprimis *dolorem uteri Gravativum & Tenſivum*, item *pulſationis & ardoris*, *moleſtum ſenſum in utero* inferunt: Hinc accedunt *anguſtiæ præcordiorum*, *difficilis reſpiratio*, *anhelitus*, ſuperveniunt *ſudores frigidi*, accedunt *febres*, fiunt *deliræ* Mulieres, & interdum *ipſa mors* ſupervenit: in ſpecie ubi ex relatione ægræ aut non aut parum de lochiis effluxiſſe notum ſit Medico, *imprimis* ubi *in partu parum* vel *nihil ſanguinis evacuatum* fuerit ſubinde præter dicta mala *paralyſis* etiã ſupervenit lochiis ſuppreſſis, imprimis in partibus inferioribus, quale exemplum habet DEODATUS *in Valetudinario p. 112.* Sicuti etiam *ex lochiis ſuppreſſis Epilepſiam* obſervavit TIMÆUS.

PROGNOSIS ex dictis *facilè & per ſe patet.*

QVOAD CVRAM.

Ea *quæ menſes promovere* aliàs *utilia ſunt*, & *hic conveniunt*: imprimis danda ſunt *interna aromatica ſudorifera*, ſimulque *blande menſes ſtimulantia*, ut ab his aut coagulatus ſanguis à frigore aut ceſſans ſanguinis turgeſcentia poſt partum reſtituatur & corrigatur, ſanguiſque fluxilis magiſque fermentativus redditus per convenientia loca evacuetur. Hinc *injiciendum eſt Enema aromatico emolliens Carminativum*, quod tanquam fomentum ſanguinem circa uterum ſtagnantem incidat, fluxilem & excretioni aptum reddat, *fomentando & inungendo ſimul partes abdominis inferiores Oleis penetrantibus laxantibus & aromaticis*.

Pro dictis ſcopis εὐπόριστον muliebre ſunt, *Ciceres rubri* quorum *decoctum c. croco* exhibitum eleganter lochia ciet & uterum purgat: aliàs *decoctum Pulegii* propinatum: vel quod melius eſt, eſtque experimentum LOTICHII *decoctum* paratum *ex flor: Chamomill. Noſtratis* Miß. c. *Corticibus aurantiorum ſiccorum ad* ℥j. dicta hæc *in ſ. q. aqua vel Cereviſia* & propinata egregiè conveniunt. *In lochiis ſuppreſſis* mihi, cum frequentiſſimus ſit hîc, hic affectus in more poſitum, cum dicto *decocto ex Chamomilla* propinare *ſequentem pulverem*, qui admodum convenit nec unquam me fefellit.

℞. Antimonii diaphoretic. ℈j.
Rad. Zedoar. ℈ß.
Myrrh. elect. gr. viij.
Cinnamomi gr. vx.
Croci gr. v.

M. F. pulv. pro duabus doſibus, in modo dicto decocto, qui pulvis & lochia promovet, & dolores poſt partum cum lochiis ſuppreſſis frequentiſſimos ſimul ſopit: *Externè* ſimul *florum Chamomillæ*, modo decocti *Regioni pubis adhuc tumenti*, imponi poſſunt. Nam egregiè etiam convenit.

Pulvis aliàs *Radic: Zedoariæ ad* ℥j. uſurpatus egregiè lochia ciet, uti etiam dolores poſt partum mitigat, *Myrrha*, *Caſtoreum*, *ſuccinum album* etiam hic conveniunt.

Hinc etiam eſt *miſtura experta* TIMÆI quæ multis profuit, cujus hæc eſt deſcriptio l. 4. caſ. 28.

℞. Aquæ artemiſæ
hyſteric. *Mynſichti* ℥iß.
Cinnamomi ℥ß.
pulvis Myrrhæ electæ ℈j.
Succini albi præparati
Caſtorei an. ℈ß.

M. pro unâ doſi quam admodum laudat neque ſine cauſa.

Quod à frigore imprimis coagulatus ſubſiſtat ſanguis, his ipſis appropriatis, commodiſſimè *ſperma Ceti* addi poteſt, quod multum conducit ad ſolvendos ſanguinis grumos: quin & *Elixyr proprietatis abſque acido c. alcali paratum*: (quod magis accedit ad præparationem *Paracelſi* quàm vulgare) Item loco hujus *pilulæ peſtilentiales* RUFFI ſtimulant lochia ſimulque ventrem laxant: Nam *mox poſt partum non convenit purgatio*, ad promovenda lochia *niſi 7. aut 9. dies effluxerint* quo tempore *blandum infuſum ex Rhabarbaro*, *agarico & ſuccino*, propinari poteſt: Cautè tamen in noſtris regionibus propter latentes ſæpius febres malignas purpuratas, quæ interdum vix ante Nonum aut undecimum diem à partu ſe manifeſtant.

Quod ſi cum lochiis ſuppreſſis inſignis perturbatio in capite conjuncta ſit, in ſpecie ubi aut adeſt *Crudelis Cephalalgia*, aut *periculoſum* imminet *delirium* commode dictis ſtimulantibus ac lochia pellentibus *Opiata Laudan.* addi poſſunt, monente hoc non incongruenter WILLIS *tr. de febribus p. 284.* His non ſufficientibus *ubi aut ſanguinis abundantia* abſolutè, aut hujus *turgeſcentia fermentativa*, *febris nimia* magis ſubitaneum poſtulant auxilium, tandem ad *apertionem venæ* eſt accedendum. *Male* enim communiter *à Saphanæ ſectione* initium promovendorum lochiorum faciunt, quin *potius internis ſtimulantibus præmiſſis & non ſufficientibus*, aut his adjunctis *vena aperienda* eſt, *ſin ſanguinis minor* adſit *abundantia ſufficit*, *Saphænæ ſectio*.

Quod ſi in juvencula aut *ſucculento corpore major hujus ſit abundantis turgeſcentia*, *præmittenda interdum eſt venæ ſectio in brachio moderata*, & hinc *ſubjungenda ſufficiens Saphænæ evacuatio*: rationem hujus ſæpius ubi de menſibus ſuppreſſis, dedi.

Hiſce *internis* imprimis *Clyſmata* appropriata *externe* ſimul ſunt addenda, quorum proficuum uſum & BARTHOLINUS *in Obſervationibus* & TIMÆUS inſigniter commendant. Sic v. gr. TIMÆUS, *lib. 4. caſ. 28.* tale præſcribit Enema:

℞. Rad. Leviſtic.
Altheæ.
Lil. alb. an. ℥ß.
Ariſtoloch. utriuſque an. ʒij.
Herb. Malvæ.
Puleg.
Artemiſ.
Sabinæ.
Calaminthæ an. Mß.
Florum Chamomill.
Sambuci
Meliloti an. p. j.
Sem. Lini

Anethi,

Anethi.
Fœnugræci an. ℥ij.
Baccarum Lauri ℥ß.
Inciſa & conquaſſata coquantur in ſ. q. aqu. ſimpl. Colaturæ
℞. ℥x. adde
Specierum Hier. ſimpl. ℈iv.
Ol. Chamomill.
Anethi an. ℥j.
Unguent. de arthanit.
ſal. gemmæ an. ʒj.
M. injiciantur pro Enemate.

Externè ſimiliter *fomenta ex Chamomilla c. Sabinâ & ſerpillo*, commodè applicari poſſunt : quin & *ſuffitus* inſtituti ex *Bdellio*, *Myrrha*, *Gallia*, *Moſchata*, & ſimilibus ſunt admodùm proficui, præ cæteris optimi ſunt *ſuffitus* parati ex *Colocynthide*, qui potentiſſimè reſtitantes purgationes, poſt partum promovent & eliciunt.

Hæremus adhuc in affectibus qui poſt partum ſolent ſupervenire puerperis, *abſolvimus*, & ex iis *retentionem ſecundinæ & remoratam expulſionem lochiorum*:

LOCHIORVM FLVXVS NIMIVS.

Lochiorum fluxus nimius.

Pergimus jam *ad nimium lochiorum* ſ. poſt partum ſanguinis *fluxum*: Nam *ſæpius* etiam uſu venit imprimis *poſt abortum* it: poſt *rejectam molam*, aut etiam poſt *excluſionem fœtus mortui*, item *rarius licet*, poſt *legitimum partum*, *ut graves ſubſequantur ſanguinis fluxus ex utero* ſ. *nimiæ lochiorum excretiones*.

CAVSÆ quare tunc nimium *fluat ſanguis*, *eſt* interdum quidem *ſanguis copioſior in juvenculis ſucci plenis coacervatus geſtationis tempore*, qui turgeſcentia febrili in partu motus uberius effluere incipit. It: Evenit *ubi ſeroſior* paulò & *aquoſior* adeoque *fluxilior* reperiatur in corpore *ſanguis*: it. evenit non rarò, ut *in ipſo pariendi conatu*, ubi paulo fuerit difficilior, *propinata copioſius ſpirituoſa & ſalina fœtum pellentia* hæc poſtmodum exagitata & fermantatâ ſanguineâ Maſſâ, *copioſius & uberius ſanguinis profluvium inducant*; Sanè mulierculatum plebejarum mos eſt, aut *vino generoſo* tantum non inebriare fœminas parturientes aut loco hujus *Apoplecticæ* aut aqu. *ſpirituoſas* ſ. *ſpiritum Juniperi* aut ſimilia copioſius propinare, à quibus volatiliſata partim, partimque fluxilior & magis fermentativa reddita maſſa ſanguinea, uberius poſt partum evacuatur.

3. Accidit interdum *nimius lochiorum poſt partum fluxus*, *ex diſrupta* aut *avulſa violentius ſecundina*, id quod imprimis *in abortivis* aut *intempeſtivis* fit *partubus*: aut etiam *quando alio quocunque tempore firmius ſecundina*, *c. utero adhæſerit*, tunc hæc *abrupta* gravius ſubinde profluvium ſanguinis excitat.

4. Denique *periculoſus eſt uteri fluxus*, *qui fit quando placenta tota non extrahitur*, *d. quando una alterave ejus ſupermanet in utero particula*, cujus cadaveris præſentia irritat uterum ad copioſam ſanguinis profuſionem: interdum non tàm placentæ fruſtulum eſt, quàm *mola quadam à partu in utero retenta*, cujus moleſta præſentia uterus irritatus, copioſum plorat ſanguinem, quò etiam facit obſervatio elegans RIVERII *in cent.* 3. *obſ.* 24. Ubi gravis uteri fuit exorta hæmorrhagia cum fœtus mortuus in eodem contineretur. Hæ ſunt *cauſæ quæ inferunt nimium lochiorum fluxum*.

QVOD ATTINET SIGNA.

Quantitas ſanguinis excreti nimia, facilè & ſponte per ſe *patet* & cognoſcitur, idque eò magis ſi in ipſo partu non pauca hujus effluxerit copia: *primario* tamen *vires puerperæ innuunt*, *an nimium ſit quod effluxerit*, *an ſecus*: *Ubi* enim *dejiciuntur vires* ac *pulſus debilis*, ac *frequens* ſupervenit, *viſus* etiam accedit *obtenebratio*, & quodammodo *animi deliquium*, tandem imminere videtur, tunc ſatis *patet nimium eſſe id quod effluit*.

Periculo non vacat nimius lochiorum fluxus, ex eo, quoniam *ſummam virium debilitatem* enervatarum, uti etiam interdum *mortem* ipſam inferre ſolet.

Opera E. danda eſt in

CVRA.

Ut nimius ſanguinis fluxus coërceatur, aut *demendo* ipſi *ſuperfluum ſerum*, aut *temperando ejuſdem efferveſcentiam*, *à ſpirituoſis excitatam* aut *corrigendo utero inductam læſionem*, *ab avulſa placenta*, aut denique *expellendo fruſta ſecundinæ* ſ. *molas retentas*: Nam ubi hæc fuerint ſecreta, vel ſponte ſubinde ſiſtitur ſanguis: Nam ipſa ſanguinis Copia fluxum faciens uberiorem, ſpontè ſiſtitur, ubi tandem quod ſuperfluum eſt, fuerit evacuatum.

Quod E. attinet, *Remedia pro varietate cauſarum varia*; Conveniunt imprimis *adſtringentia & ſanguinis fervorem compeſcentia*, qualia ſunt *portulaca*, *plantago*, *Lyſimachia flore purpureo*, quæ ceu ſpecifica hic commendatur à quibuſdam, *Cydonia* itidem & *omnia Cydoniata* primario hic conveniunt.

Conducunt itidem *ex Coraliis parata* remedia, in ſpecie *tinctur. Coraliorum ſaſſafrata*: *pulvis dentis Hyppopotami* ceu ſpecificum experimentum, laudatur à MINDERERO, *in Medicin. Milit.* Obſervandum tamen de dente Hippopotami miras eſſe ejus facultates ad quaſcunque ſiſtendas hæmorrhagias: differentia tamen quædam intercedit inter ipſos dentes, cum non omnes ſunt ejuſdem efficaciæ, ſed certo tempore ejecti ab ipſis brutis hic conveniunt. *Lapis Hæmatites*: *Crocus martis adſtringens*: in ſpecie *tinctura martis. adſtrictiva*, aut quæ ejuſdem eſt naturæ *tinctura Sulph. Vitrioli*, hic mirificè conveniunt.

Sunt qui laudant *ſperniolam* CROLLII: Sed *hæc* propter Myrrham & additum crocum, *minus laudanda*, minuſque conveniens videtur: Potius *Trochiſci de Carabe* it: *Terra ſigillata*, uti etiam *antihecticum* POTERII imprimis *Bezoardicum Ioviale* ad compeſcendum uteri fluxum conveniunt.

Sudorifera certè ex omnibus evacuandi rationibus, ſola conducunt, & interdum maximè proſunt, in nimio lochiorum fluxu: Nam utut in ipſa ſudatione ex fluidiore maſſa ſanguinea & rapidiore ejuſdem circulo incrementum contingat ipſius fluxus, tamen hic ubi ſufficienter ſudavit, corpus aut ſponte imminuitur, aut etiam *in ipſa ſudatione ſpongia aceto Roſaceo imbuta*, *genitalibus ac Regioni Pubis applicanda* eſt, ſic enim præcavetur quod metuendum eſt, ſanguinis profluvium.

Conveniunt aliàs hic omnia ea, quæ ſuperius de nimio menſium fluxu commendavimus, imprimis LAUDANUM *Opiatum*, & *ex eo parata Remedia*, deſperatam enim uteri hæmorrhagiam poſt partum, hoc ipſo *Laudano Opiato*, curavit TIMÆUS *in ſuis Caſibus*.

Pro vehiculo Remediorum aſſumendorum, conducunt *aquæ Tormentillæ*, *fragorum*, *plantag.* it: *vinum granatorum*, *aqua martialis ſeu ferrata* & ſimilia.

Aliis deſperatis *alumen crudum in Conſerv. appropriata à* ʒß. *ad* ℈ij. aſſumptum ceu optimum laudatur experimentum: *in ſpecie ſin ſanguis arterioſus fluere percipiatur*, id quod ex tenuitate, Colore florido & uberiori ſcaturigine cognoſcitur; vix melius habebitis Remedium, quàm *Aquam tenellorum cornuum Cervi ritè præparata*, & *c. ſpiritu C. C.* nonnihil *acuata*, cui additur ſimul *pulvis de Corde Oſſis Cervi*, quod fuit remedium CRATONIS, *trium imperatorum Archiatri*.

Sin uterus læſus ab avulsâ placenta inferat, nimium lochiorum fluxum *adſtringentia*, *conſolidantia interius* conveniunt: Fiat E. talis miſtura:

℞. Aqu. Plantag.
Portulac. an. ℥j.
Cinnamomi ʒvj.

Acet.

Acet. deſtillat. ℥ß.
Coral. Rubr.
Terr. ſigillat.
Lapid. hæmatit. an. ℈j.
Laudani opiati gr. ij.
Syrupi Cydoniorum vel
Coraliorum ℥j.
M.

Quæ miſtura ſubinde cochleatim hauſta, blandè fluxum adſtringit, & uterum denuò conſolidat.

Quod ſi retentum Placentæ fruſtulum, aut *retenta mola*, inferat nimium uteri profluvium, periculoſum imminet Medico negotium: *Neceſſe* enim eſt ut *expellat retenta*, quo facto augetur ſimul uteri fluxus, nihilominus tamen cum iſta retenta fuit cauſa profluvii, ob id quacunque ratione eadem pellat, *applicando externè peſſ.s aut irritando uterum*, *interne* vero quæ poſſunt nonnihil *adſtringere*, ſimul tamen *ſecundinam* aut *molam promovere*: ad imitationem E. Sylvii in tali caſu fiat talis miſtura.

℞. Rad. biſtort. ℥iß.
Tormentill. ʒvj.
herb. ſ. ſummit: Majoran.
pulegii
Comarum hyperici an. Mj.
Coquantur in ſ. q. aqu. & Vini: Colaturæ.
℞. ℥viij. Cui adde
Aqu. Cinnamom. ℥ß.
Syrup. artemiſ. ℥iß.
M. F. Potio adſtringens nonnihil, ſimul tamen pellens.

Succinata imprimis conveniunt in hoc caſu: *ſuccinum præparatum, Trochiſci de Carabe*, quæ ſanguinis fluxum cohibent, ſimul tamen pellunt contenta uterina.

Quòd ſi debilius promoveant, acuenda ſunt aut *ſale vol. ſuccini*, aut *aliquot guttulis ejus ole. deſtillati*, aut *granis ſufficientibus borracis venetæ*.

Quoad *externa* ad ſiſtendum nimium fluxum, commendat Valleriola *injectionem in uterum*, factam *ex ſucco Plantaginis*, *ubi* neceſſitate urgente, *unguentum comitiſſæ adſtringens*, *addendum* monet: vel fiunt *decocta adſtringentia c. aqua ferrariorum*, in quibus *ſuccus acaciæ noſtratis*, item *ſanguis Draconis* aut *bolus armena* diſſoluta ſint: quæ injiciantur per *Metrenchytem* in uterum, *applicetur externe cataplaſma ex fuligine c. aceto roſaceo*, id quod etiam *lumbis applicandum*, ſuadet Riverius, aut *aqua ſpermat. Ranarum*, aut *ipſum ſperma c. aceto roſaceo*, *c. ſpongia nova*, *pubi ac genitalibus admoveatur*.

Denique ſingulare experimentum eſt *cingulum*, factum *ex fol.* Helleb *Alb.* (folia ſcil. nonnihil contuſa, ut partes nerveæ ſubſideant, aſſuantur linteo, & ita Cinguli forma applicantur nudæ pubi circa lumbos:)

Eſt experimentum Hartmanni, quod ceu expertum à ſe commendat Lindanus: *in nimio lochiorum fluxu*. Hæc ſunt lochia nimis fluentia.

DOLORES POST PARTUM.

olores poſt tum.

Præter hos affectus circa lochiorum fluxum, etiam mirè torquent *puerperas* varii *dolores*, qui ipſi *nunc ſimiles* ſunt *doloribus partus*, *nunc verò* ſunt *diſſimiles*: ſi ſint ſimiles vocantur (*dolores poſt partum*) & qui ſunt frequentiſſimi, vix enim eſt partus cui non ſuperveniant: *ſuperſtitio eſt inutilis* Mulierum, *eſſe ſalutares eoſdem* & admodum proficuos *ad feliciorem lochiorum fluxum*, quod tamen *falſiſſimum* eſt, cum ab his ipſis doloribus *interdum impediantur* potius *lochia*, *interdum* occaſione horum exſuſcitatur *febris c. delirio*, imò interdum adeo debilitatur mulier, ut in ipſo partu non adeo fuerit debilitata. Nam & hi ipſi *dolores poſt partum*, *interdum atrociores*, & crudeliores *ſunt*, *quàm ipſi dolores partus*.

Si E. ſunt *ſimiles partus veris doloribus*, tunc oriuntur ſimul *ab utero*, ſubinde *ſpaſmo violento ſe contrahente & convellente*: dum ſcil. irritatus lochia expellere nititur, aut etiam fit hoc, ſi ſanguis congrumatus eundem continuo irritando graviſſimos dolores ſubinde infert. Id quod *multò magis fit*, *ſi mulier frigidum ſuſceperit aërem in uterum*: Nam & hinc atrociſſimi ſuperveniunt dolores, cum graviſſimâ regionis hypogaſtricæ diſtenſione. Id quod ſimiliter fit quando *extrema manus vel pedes nonnihil refrigerati ſunt*.

Hi ſunt *poſt partum dolores*, ſimiles fere partus doloribus. Præterea etiam dantur *dolores poſt partum nothi*, *tormina* ſcilicet, *colica & hypochondriaca*, quæ & ipſa graviter interdum excruciant mulieres, *vagæ ſunt* & modo *atrocius* modo *remiſſius cruciant*, quin & *ad ſuperiora magis recurrunt*, cùm *veri dolores poſt partum deſcendant deorſum ad pubem*, *& hinc reflectantur* ad *lumbos*; *quæ differentiæ* probè ſunt *obſervandæ*, cùm facilitent maximè praxin.

QUOAD SIGNA.

Puerperæ ipſæ hos dolores facillimè diſcernere valent. Nam *veri poſt partum dolores*, *eadem ratione* ac modo *affligunt ac veri labores & dolores parturientium*: Reliqui verò *dolores vagi* & *ad ſuperiores excurrentes*, & ſpecialiter in *ſiniſtro hypochondrio* nonnunquam *fixi*, *tormina notha ſunt* poſt partum, interdum tamen ſimul concurrunt.

Cauſa an ſanguis congrumatus, an *aër ſuſceptus* ex circumſtantiis & relatione ægræ patent.

QUOAD PROGNOSIN.

Moleſtiſſimi puerperis ſunt hi *dolores*, qui *graviores* ſi fuerint, *periculoſa ſymptomata*, in ſpecie *ſummam virium proſtrationem* poſt ſe trahunt.

CURA.

Opera E. danda eſt, ut *removeantur & ſiſtantur dolores*, tàm per *interna aromatica Carminantia* & *ſanguinis fluxum nonnihil promoventia*, quàm per *externa fomenta uterina aromatica*, *uterum* ut vocant *roborantia*, ſuccurrendo tamen in ſpecie cauſis variis.

Conveniunt E. *internè*, imprimis *ſemina calida* iſta, *Cumini fœniculi, aniſi, Carvi*, &c Hæc enim *in vino Bullita* ac propinata, optimè conducunt in doloribus poſt partum. *Obſtetrices* noſtræ laudabili conſilio, ad *præcavendos nimios tales dolores*, propinant poſt partum *Panem Butyratum*. Ad præcavendos æque atque ſopiêdos poſt partum dolores, εὐπόριστον muliercularum plebejarum eſt *aqua ſ. lotura butyri* quantitate ʒ. *Cochlear.* hauſta, *admoto naribus pane toſto*, ne excitetur vomitus: quod etiam Iacies ſe expertum habere, Dixit mihi Hoſpita mea, cui nec ignotum eſt *vinum poſt partum tepidè hauſtum*, mirè refocillare dolores itidem partus veros à nothis, diſcernere novit, dum dicit (*noth. dol. ſublimes eſſe nec fœtum attingere quem ad med. ver. dolor.*)

Cui aſperſus *pulv. Rad. Zedoar.* qui optimè convenit. Nam *Zedoaria pulveris* à ʒß. ad ʒj. uſurpatus, eſt egregium remedium ad nimios poſt partum dolores. Par tamen ſibi remedium non habet *Chamomilla* ad ſopiendos poſt partum dolores. *Decoctum* ſanè *florum Chamomillæ vulgaris internè hauſtum*, tanquam arcanum, quo ſemper feliciſſimo uſus ſit ſucceſſu, laudat Foreſtus *lib. 28. obſ. 75. & 81.* Confirmant hoc alii in ſpecie, Am. Luſit. item Roſencreuzerus *in ſua Aſtronom. inferiorum*, qui omnes ſingulariſſimè hanc *Chamomillam* ejus *decoctum*, aliaque remedia contra poſt partum nimios dolores laudant: ſi accipiatur *Chamomilla Romana* magis aromatica & volatili, eſſet remedium eò magis præſentaneum: Unde etiam *eſſ. florum Chamomill. Romanæ c. ſpiritu proprio parata* erit egregia, non minus quàm *ole. Chamomillæ*

Romanæ deſtillatum Saphirium ad aliquot guttas hauſtum, vix deferet ægram aut Medicum. Ego aliquando cuidam Plebeculæ, quæ graviſſimos poſt patiebatur dolores cum imminuto lochiorum fluxu, conſului hoc decoctum *Chamomillæ*, in quo ratione lochiorum ſimul aſſumeret aliquantulum *Elix. proprietatis: Magma à decocto reſiduum imponi jubebam regioni pubis*, & his ipſis omnis poſtmodum dolor brevi evanuit.

Præter dicta *interna*, etiam conveniunt *ex artemiſia*, item *ex matricaria* parata remedia, uti etiam *Cinnamomum*, *Zingiber*, *Cardamomum* ac ſimilia. *Caſtoreum & omnia ex eodem parata*, *eſſ. ejus*, item *tinctura hyſterica ſ. Anonyma* D. LANGII.

In his doloribus ſunt ſingulares *pulv. ſecundinæ*, & *ejus ſpiritus eſt* experimentum infallibile, ſi exhibeantur *in juſculo Gallinæ*. Externè conveniunt imprimis *fomenta*, quæ inter primatum obtinet *fomentum ex decocto artemiſiæ*. Hoc ipſo enim RULANDUS, curavit difficillimum dolorem matricis in orificio, c. omnimoda urinæ ſuppreſſione per multos dies durante: ſolam ſcil. herbam coxit in aqua ſimplici, quo decocto fomentando uterum externè malum curavit.

Ulterius ſimul poſſunt adhiberi *pro fomentationibus*, *matricaria*, *pulegium*, *Chamomilla*, *Roſmarinus*, *fol. lauri & ſimilia* aromatica *carminantia* dicta, item *cataplaſma* factum *ex rad. lil. Albor. c. cepis coctis* ad imitationem CORBEI ſcil.

℞. Ceparum in aqua coctarum 3. vel 4. his comminutis adde, Cumini contuſi,
Seminis Lini ana Mj.
Flor. Chamomill. Mj.
Farinæ hord. q. ſ.
c. ſ. q. aqu. iſtius decoctionis ceparum.

F. Cataplaſma applicandum regioni abdominis, infra umbilicum, aut *inungatur abdomen c. ol. Cheirino Chamæmelino*. Item.

℞. Axung. Caſtoris ʒij.
Ol. deſtillati ſpicæ,
Succini.
Cumini,
Angelicæ ana ℈ß.
vel gutt. xv.
M. F. Linimentum.

Quo inungatur umbilicus & regio hypogaſtrica ſub eodem. Item applicari poteſt *ſequens Cataplaſma*, quod & ipſum ceu ſingulare laudatur.

℞. Baccar. Lauri pulveriſatarum ℥iß.
Rad. Altheæ ℥j.
Calami aromatici ʒij.

Coquantur ad ſpiſſitudinem pulticulæ in aqua fontana, adde
Pingued. anſeris ℥iß.

Bulliant denuò ad conſiſtentiam cataplaſmatis ſpiſſioris, quod inductum linteo, applicetur regioni pubis, ac ubi refrixerit ſubinde repetatur.

Quod *ſi dolor ſit à ſanguine congrumato*, nil melius *eſt ſpermate ceti à* ʒß. *ad* ʒj. *in aqua Card. benedict.* exhibitum: nam & hoc talem dolorem ex ſanguine congrumato curavit, TIMÆUS: aut ad diſſolvendum ſanguinem grumoſum, tale paratur decoctum, quod etiam eſt experimentum.

℞. Rad. Graminis ℥ß.
Herb. Cerefol. Mj.

Coquantur in aqua fontana, addito croco & macere libitum. *Quòd ſi ventus ſit hauſtus utero*, *Clyſteres Carminantes injecti per anum & ſuffitus Moſchata externè*, inſtitutus eſt optimus.

His ipſis non ſufficientibus *internè ad opiata* neceſſitate coacti confugimus *addendo* tamen ſimul *quæ nonnihil ſtimulant*, ne lochiorum impediatur fluxus.

℞. Aqu. Puleg.
Chamomill. Roman. ana ℥j.
Carminativ. ℥ß.
Tinctur. Caſtor. ʒj.
Laudan. Opiat. gr. ij.
Syrup. artemiſ. ℥vj.
M. F. Potiuncula.

Interdum cochleatim haurienda. *Quod ſi febricula ſimul adſit*, aut *ſuperveniat*, his commodè *parum de ſpiritu nitri dulcis* addi poteſt.

Sin dolores poſt partum ſint nothi, *tormina* nempe *abdominis & hypochondriaca*, optimo cum conſilio applicantur *Clyſmata*, *ex Carminantibus & aromaticis* conflata, quæ iſtiusmodi dolorem brevi ſopiunt, aut propinetur interdum *ſpiritus Carminativus ex tartaro & nitro* ut & *ſpiritus armoniaci* & ſic etiam ſubinde evaneſcunt dolores.

RUPTURA VULVÆ.

Verſamur adhuc in ſymptomatibus, quæ poſt partum tàm naturalem quàm præternaturalem difficilem ſolent ſubſequi ſubinde: quæ inter etiam ſunt *quando ex partu difficiliore*, *à grandiore fœtu contingit ruptura vulvæ ad Anum*, ita ut hi duo ſinus efficiant unum idemque foramen. *Ruptura Vulvæ*

Affectus ſi quis alius & *moleſtus* & *doloroſus*, *cui curandi* imprimis convenit *rad. conſolidæ majoris*, ſi ſcil. *pulveriſata* aut ſaltim *probè contuſa miſceatur c. albumine ovi*, & ita rimæ in vulva factæ illinatur: Sic enim breviter fit conſolidatio foraminis: affirmant quidam intra 24. horas fieri: ſed vix credo, eſſet nimis cita curatio. Alii faciunt *Cataplaſma*, *ex decocto*, *rad. conſolidæ Majoris c. herba verbaſci*, quo Cataplaſmate applicato curare volunt hoc ipſum vulnus, ſituando ita puerperam, ut clunibus elevatis, cruribus & pedibus probè anguſtatis ſupina continuò jaceat ad 8. vel 9. dies, vitando omnem motum Tuſſis, ſternutationis & ſimilem. Item *conducit*, *ſi prius vulnus recens eluatur c. decocto muſci prunorum ſylveſtrium*, in quo diſſolutum ſit *rob. acatiæ* hoc ipſum lavamentum adſtringens calidum adſtringit, & partes nonnihil unit; hinc deſuper applicandum eſt *gluten adſtringens*, *utrinque labiis ruptis applicandum*, quod ubi probè cohæſerit per anſulas ſ. fila mutuò colligandum, & labia vulneris, ita unienda, *inſtillando* ſubinde aut *deſuper illinendo balſamum* quoddam *vulnerarium*, ſive ſit *ſolus balſamus Peruvianus c. Ol. hyperici*, aut *momordicæ*, ſive *alius quicunque aliàs expertus balſamus in vulneribus recentibus: Solo tali glutine utrinque labiis rimæ ruptæ applicato*, curavit talem rupturam TIMÆUS citra balſamum vulnerarium *lib.* 4. *caſ.* 31. deſcriptio eſt hæc:

℞. Pulv. Rad. Conſolid. Major. ʒij.
Boli armeni.
Maſtichis.
Sanguinis Draconis,
Sarcocollæ,
Farin. volatil. pompholygos ana ʒj.
M. c. reſina pini & albumine ovi q. ſ. pro glutine.

TUMOR PUDENDORUM.

Porrò juxta hanc uteri rupturam, evenit *interdum* ut, ex *dilatatione nimia & quaſi fibrillarum & membranarum laceratione*, oriatur *tumor pudendi nonnihil inflammatorius*, aut ſaltim *ædematoſus poſt partum*, in tali pudendorum tumore convenit imprimis *fotus ex floribus Chamomillæ & Sambuci in vino & aqua* coctis, & c. linteis calidè applicatis. Applicanda etiam eſt *Beccabunga viridis contuſa* (eſt enim ſucculenta) *c. floribus Chamomillæ*, quæ invicem miſta, calidè *inſtar cataplaſmatis* imponantur, ſic enim etiam ceſſare ſolet pudendorum tumor. *Tumor pudendorum.*

UTERI SUFFOCATIO.

Porrò *interdum mox poſt partum*, *interdum aliquot diebus* ſupervenit. *Uteri ſuffocatio ſ. ſtrangulatio* quam vocant, quæ ipſa imprimis ſe manifeſtat, *Uteri ſuffocatio.*

maximis

maximis cordis anxietatibus , *& inſigni compreſſione præcordiorum* , *c. difficili reſpiratione* adjuncta ſymptomata abdominis vel pauca ſunt vel nulla, niſi poſtmodum tandem ſuperveniant : adeò ut ipſæ interdum puerperæ non æſtiment ſe laborare hyſtericâ paſſione. Imprimis *excitatur hoc ſymptoma* , *ſi* pro cura aliàs affectus, *propinantur remedia* aut *dulcia* , aut aliàs *ingrata & faſtidioſa* , tunc enim ſubitò ſolet excitari hoc ipſum πάθημα & ſupervenire iſtæ anguſtiæ : In ſpecie apud noſtrates mulierculas c. purpura erumpente, ſe ſolet conjungere, adeò ut neſcias ſæpè an febris & purpura, an hyſterica paſſio magis excruciet puerperam.

In tali E. caſu, *utut optima eſſent Clyſmata*, quæ ipſa etiam talem hyſtericam paſſionem ſubitò tollunt, *tamen ubi purpura incipit erumpere, cavendum ſtudioſè ab omni evacuante* , aut alvum ſtimulante, idque *eò magis, ſi purpura fuerit alba:* Nam *Rubra minus eſt periculoſa.*

Conducunt E. in hac paſſione hyſterica, cum ſemper ſimul habenda ſit reflexio, ad lochiorum fluxum, conducunt inquam, imprimis *remedia ex Caſtoreo* ; hinc ex *Myrrha* ac denique ex *ſuccino* , quibus ſemper ſimul aut *Antimonialia diaphoretica fixa* ; *juncta ſalibus volatilibus C. C. & ſuccini* ſunt addenda. Propinanda ſunt *in aqua hirundinum c. caſtoreo*, ut ita utrique affectui urgenti ſimul occurras : *Vmbilico v. inungas ol. ſuccini* , c. quo probè ſubactum ſit *parum Caſtorei.*

" Res mira in tali caſu, dum in hyſterico paroxyſ-
" mo probè contectæ tales mulieres ſudant; ſi illis
" propines ſubinde quod neceſſe eſt fiat, Cochlearæ,
" 1. vel alterum *aquæ hirundinum c. caſtoreo* ſubitò ſti-
" mulatur urina & inſciæ ſubinde ſtragula permingunt. In tali caſu *ubi eſt hyſterica paſſio c. erumpente purpura* præſcribi poteſt talis pulvis : nam *Potulenta Dulcia*, inſtar Diaboli *fugienda* ſunt, v. gr.

℞. Ebor. ſ. igne.
Antimon. Diaphoret.
Cinnab. Antimonii ana ℈j.
Myrrhæ electæ ℈ß.

(Ratione lochiorum & ratione purpuræ : Nam *myrrha* eſt appropriatum remedium febrium purpuratarum)

Caſtorei gr. vj;
ſal. vol. C. C.
Succini ana gr. ix.
M. F. pulv. pro 3bus doſibus.

Propinandus in *aqua hirundinum c. caſtoreo acuata* ; *c. tantillo de Eſſ. caſtorei*. Eſt pulv. nauſeoſus ſed bonus. Nam & purpuram promovet, & hyſtericam paſſionem ſiſtit, & lochia ſtimulat. Aliàs *ubi nullus metus eſt purpuræ* , *volatilia Oleoſa Caſtoreata vel ſola ſufficiunt* : modo obſervetur quod vel ſolæ anxietates præcordiorum, citra ſenſibile abdominis ſymptoma ſufficiant, pro paſſione hyſterica : Item *vitentur omnia dulcia in puerperis.*

INSULTUS EPILEPTICI PUERPERARUM.

Inſultus epileptici puerperarum.

Porrò interdum *mox poſt partum* , an *ſuppreſſis lochiis* , aut interdum *etiam ritè fluentibus lochiis* , ſed *c. ſuffocatione* quaſi *hyſterica* , ſuperveniunt *inſultus Epileptici* ; qui ubi adſunt ; niſi ſubſit ſingularis malignitas, *ordinariò* aut *in lochiis* aut *in hyſtericâ paſſione* eſt *origo mali.* Conducunt E. imprimis *liquor C. C. ſuccinatus* , qui utrique ſcopo ſatisfacit ; *c. caſtoreatis* propinatus. Conducit etiam *Eſſ. hyſterica D.* Langii, quæ hic eſt commendata : aut *ex Myrrha & caſtoreo parata Eſſ. c. ſpiritu ſalis armoniaci oleoſi* hic etiam eſt experta; aut ſaltim uſurpentur *antimonialia fixa c. ſuccinatis volatilibus* , ſic namque ex utriuſque connubio, aptiſſimum Epilepticis, pro puerperis habetur remedium.

ALVUS SUBPRESSA PUERPERARUM.

Alvus ſubpreſſa puerperarum.

Porrò ſuperius dixi, *alvum puerperis* eſſe ſæpius *ſuppreſſam* , quæ tamen *nullo modo acrioribus eſt irritanda : Sufficiunt* ut monui, *pilulæ peſtilentiales* Ruffi, aut *paſſulæ laxativæ* , ſi eas propter dulcorem ferunt puerperæ, ad *ſummum ſuppoſitorio uſitato leniore* ſtimulanda eſt alvus : *Fortiora ante 9. aut 14. à partu diem* , *vix tutò* uſurpari poſſunt.

DIARRHÆA PUERPERARUM.

Diarrhæa puerperarum.

Contrarium vitium eſt quando puerperis ſupervenit *Diarrhæa* utpl. *niſi* fuerit *à cauſa externa funeſta & lethalis* , *niſi* , inquam fuerit *à cauſa externa* : Nam *interdum puerperæ* ſunt *nimis ſiticuloſæ* , & *bibunt* quidem *parum unâ vice* , *d. crebrius* , unde ſupervenit tandem *diarrhæa* , quæ à tali manifeſta cauſa *non eſt adeo periculoſa* , *niſi* forſan in *adjuncta purpura & petechiali febri* ſimilive caſu retroceſſum excretorum inducit : Nam in hoc caſu eſſet admodum periculoſa. *Siſtitur* hæc *Diarrhæa à potu copioſo* orta, in ſpecie ſi *frigidiuſculus hauriatur* ; in *ungendo Umbilico & regioni ſtomachi, ol. deſtill. Macis c. ol. deſtill. ſuccini* : (poſterius additur, ne odor gratus macis Hyſtericam paſſionem excitet.) Item propinantur *Ova Sorbilia* , quib. parum *pulv. Moſchat.* recentis inditur. Nam hæc denuò diarrhæam ſuppriment. *A frigido potu oriri* imprimis dixi hanc *Diarrhæam* : Nam *puerperis* imprimis *febrientibus malignè* , *primis poſt partum dieb. frigidus potus* ceu peſtilentiſſimus eſt *fugiendus. Hauriatur potus* uſitatus & ordinarius, ſed quantum fieri poteſt, *tepide* aut nullo modo frigide, & ſimul *diſſolvatur in eodem Gelatina C. C. ſimplex* ; *ubi nullus* adeſt *æſtus corporis* ; *gelatina* v. *C. C. acida* , *ubi æſtuatio febrilis* ſimul adſit : Nam potus tepidè hauſtus non ſiſtit, ſed potius promovet lochia : addita Gelatina C. C. malignitati ſæpius latenti obviam venit, & corpus in blandâ diaphoreſi ſervat. Interdum fit ut *Diarrhæa oriatur* aut *potius ſuperveniat lochiis ſuppreſſis* ; *naturæ conatu* admodum *ſalubri* , quæ interdum, ut ſe ipſam liberet, diarrhæam inſtituit loco lochiorum ſuppreſſionis : Quale exemplum videbitis in Bartholino *in cent. 3. hiſt. 19.* Talis *Diarrhæa niſi ſit nimia*, aut *niſi nimis debilitet ægram, nullo modo eſt ſupprimenda:* potius propinando lochia ſtimulantia, horum fluxus aut revocandus, aut ſaltim ut promptior per alvum fiat ſimilis excretio, ſtimulandus. *Sin v. febri malignæ à cauſa internâ* ſuperveniat *Diarrhæa* , etiam puerperis *res eſt periculo pleniſſima*, atque tunc *externe aromaticis*, *interne præcipitantibus ſudoriferis* malo obviam eundum eſt, ſubinde intermiſcendo *Cydoniata blanda* , ſtomachum & inteſtina modicè adſtringentia.

INCONTINENTIA URINÆ PUERPERARUM.

Incontinentia urinæ puerperarum.

Porrò *fit interdum* in laborioſo partu, *ut fœtus grandior* , *nimis diſtendendo vaginam uterinam, adeò diſtentet collum veſicæ Vrinariæ* , *vaginæ inſertum, ut ex hujus diſtenſione puerperæ continere nequeant Vrinam:* id quod *præter talem diſtenſionem*, accedit etiam interdum *vitio Obſtetricum.* Malè Digitis genitalia tractantium in ſpecie caruncülam iſtam Mirtiformem, majorem iſto veſicæ orificio, in vulva inſtar peſſuli oppoſitam lacerantium, vel alio modo lædentium : Talis *Vrinæ incontinentia ex fibrillarum laceratione* aut *nimia diſtenſione* orta, curatur imprimis per fotus *aromaticos*, *nervinos* fibras læſas in naturalem tonum reſtituentes. Fiunt ſcil. *decocta* aut *ſacculi decoquendi ex foliis lauri, roriſmarini* , *pulegii* , *origani* & ſimilibus, quæ *in vino cocta* inſtar fotuum l. ſacculorum, applicantur, *pubi* item *lientea humectata* intruduntur vaginæ inſtar parvorum peſſorum, ut ita fibris nerveis læſis in paginâ & orificio veſicæ redeat ſuus tonus.

Alii auctores *inſeſſus & balnea ex nervinis*, additis *adſtringentibus* inſtituunt.

Singulariſſimum experimentum eſt in tali caſu, quod *Bufo* legitimo tempore occiſus *appenſus* ſiſtat hanc urinæ incontinentiam: cujus rei experientiam habet non tantum *Heinricus ab* HEER *obſer.* 14. ſed præterea etiam BOYLE *in ſua Philoſophia experimentali* ſimilem in Anglia factam experientiam notat *p. m.*216. Jam v. BOYLE eſt auctor fide digniſſimus de quo nullum eſt dubium.

SVPPRESSIO VRINÆ PVERPERARVM.

Suppreſſio urinæ puerperarum.

Contrarium vitium Urinæ læſa retentio eſt, quando interdum *ſupprimitur urina in puerperis*, *quando*, quod rarius eſt, *tumet nonnihil vagina uteri* aut *collum veſicæ poſt partum laborioſum*: aut, quod frequentius fit, fit talis ſuppreſſio aliquot à partu diebus, *dum ſanguinis quidam grumi circa veſicam* in *vagina uteri hærent*, aut etiam in *vicinis locis in vaſis ſanguis ſtagnat & grumeſcit*, à quibus grumis impeditur urinæ excretio, ut non fiat aut fieri poſſit, niſi cum ſummo excernendi conatu, poſt modum verò ſin reſoluti ſint tandem grumi iſti, ſpontè denuo urin. fluit.

Remedium pro tali urinæ ſuppreſſione eſt *Ol. ſcorpionis, pubi & veſicæ regioni illitum*, aut *applicata fomenta, ex ſimplicibus ſanguinis grumos reſolventibus & urinam ſtimulantibus*, v. gr. ex *chærefolio* ex *chamomillæ c. rad. rubiæ tinctorum* quibus ſi addantur *lumbrici contuſi* aut *ol. lumbricorum*, erit eò melius. Conveniunt etiam *clyſmata alvum laxantia*; Nam ab his ſtimulatur etiam ſanguis ſtagnans, non minus quàm urin. reſtitans. Reliqua ad *ſanguinis grumos diſſolvendos*, *de ſpermate ceti*, &c. Nota ſunt ex ſupradictis, de lochiorum fluxu imminuto poſt partum ex ſanguinis grumis.

FEBRES PVERPERARVM.

Febres puerperarum.

Verùm præ aliis affectibus poſt partum, ſpecialiter periculoſæ ſunt *puerperarum febres*, utplurimum *continuæ & acutæ*, rariſſimè abſque malignitate. Nam *febrim* quod attinet *lacteam* circa 4. à partu diem ſupervenientem & circa quæ interdum citius, blando ſudore finientem: de hac nihil addo, cùm rarò, aut nunquam cadat ſub praxin Medicam, & quæ de eadem notatu ſunt digna, eadem annotata videbitis *in* VVILLISIO *tract. de febribus*: ſicuti etiam hic VVILLISIUS ſolus ferè eſt qui aliquid laudatu dignum conſcripſit *de febribus puerperarum*. Miſſa E. Theoria & praxi harum febrium puerperarum, quæ *ſive benignæ* ſint ſive *malignæ*, quoad principaliora capita c. aliis conveniunt febribus, de quibus alio tempore pluribus actum: ea ſaltim monebo quæ circa puerperarum febres, tanquam ipſis peculiaria & propria, imprimis ſunt conſideranda.

Febres hæ ſuperveniunt puerperis, aut *tùm non rectè fluunt lochia*, & præternaturaliter ſunt *imminuta* aut *ſuppreſſa*, aut *dum hæc non amplius fluunt*: Lochiorum enim excernendorum in his febribus habenda eſt ſumma ratio: Et quidem ſi *ſupprimantur lochia immediatè febrilia, ſymptomata* ac *ipſa* denique *febris* ſupervenit: Unde primum quod tunc agendum eſt, ut *revocetur lochiorum fluxus: Si v. non amplius fluant, rectè autem antea fluxerint, ut aliæ febres* ferè *curandæ* ſunt.

Verum cùm hæ *puerperarum febres* utplurimum ſint *malignæ*, in quibus in ſudoris legitimâ provocatione primum curationis punctum conſiſtit: tunc *cautus ſit Medicus*, *ne ſudorem provocando lochiorum ſiſtat fluxum*, quod ſæpius accidit, aut caveat ſibi, ne dum lochia fluunt adeò ordinatè, malignitati hac ratione pandatur acceſſus: cum notum ſit, quàm periculoſæ ſint quæcunque in malignis evacuationes, tàm ſanguinis quàm aliorum humorum, excepta ſolùm ea, quæ eſt per ſudorem: & imprimis *cùm tales febres interdum per excretiones cutaneas*, ſ. *petechiales*, ſ. *puſtulares*, ſ. *miliares ſalubri naturæ conatu mitigentur*, *obſervet probè Medicus ne lochiorum fluxum* hunc quem vocant naturæ conatum, *impediat*: ob id inter remedia, has febres curantia primatum obtinent *ea, alexipharmaca*, quæ & blandâ diaphoreſi maligna ferméta removent, naturæque conatum adjuvant, & ſimul nonnihil ſtimulando æquabilem lochiorum fluxum conſervant: ut ita cum diaphoreſi & leni madore lochiorum fluxus ſubinde naturali modo continuetur.

Fortiora tamen *pellentia ſunt addenda*, *ubi ſupprimi incipiunt*, aut *omninò* jam *ſuppreſſa ſunt*: quæ ſi revocari nullâ arte poſſint fortius excitati & profuſi ſudores lochiorum defectui & inde ortis malis mederi nonnihil valent.

In genere E. in *febribus puerperarum malignis ex C.C.* ex *Antimonio fixato*, item *myrrhata & ſuccinnata* remedia primatum obtinent.

Purgationes quæcunque *cautiſſimè inſtituendæ*, quin *potius* omninò ſunt *vitandæ*, cum & *clyſterum applicatio* in his febribus c. excretione ad partes intercutaneas conjunctis ſit *periculoſiſſima*: Imò *purpuram albam*, vel *ſuppoſitorium applicatum retrocedere facit*.

Venæ ſectio, *ubi ritè fluunt* aut *fluxere lochia*, *nulla* (ſcilicet venæ ſectio) *locum habet*: *Suppreſſis v. lochiis* uti urget malignitas, nemo cogitet de aperienda venâ, ſin verò *in minus periculoſis malignis* aut etiam, in *ſimplici febri*, neceſſe ſit inſtitui: tunc applicatis prius utero convenientibus ſanguinem ibidem hærentem reſolventibus & meatus laxantibus *ſecanda eſt vena ſaphæna in talo*, ut motus conciliẽtur ſanguini inferiora verſus: *Sin v. corpus ſit ſucculentum & ſanguinis inſignis copia*, interdum *præmittenda eſt ven. ſect. in brachio*, cui *ſubjungenda* iſta eſt poſtmodum *in cruribus*: nihilominus tamen *rariſſimè* aperiatur vena.

Quod *ſi lochia ſuppreſſa dent febrim inflammatoriam*, v. gr. *pleuritidem*, *anginam*, *uteri inflammationem*, tunc *præmiſſa* aut etiam *omiſſa venæ ſectione*, imprimis in noſtro climate, *ſudoriferis ex ſalibus volatilibus*, aut *antimonialibus fixis* ſimilibuſque acidum corrigentibus, & ſanguinis coagulationem ac ſtagnationem & hinc lochiorum ſuppreſſionem corrigentibus, eſt inſiſtendum. *Ac ſic ad fallendum & temperandum ſanguinis efferveſcentis æſtum*, *acida nimis non benè conveniunt*, in puerperarum febribus, ne fluxus lochiorum ſiſtatur, propter coagulationem, *cùm & acida utero* membranoſo & à progreſſu partu facilè adhuc irritabili, indeque doloroſo *ſunt inimica*. Potius *temperata & ſubacida temperatis permiſta* ſunt convenientia, quales ſunt *tincturæ vegetabilium*: *gelatina C.C. acidulata, ſpiritus ſalis aut nitri dulcis, ſuccus citri, granatorum*, aut *berberum* & ſimilia blandiora.

Res ut pateat, ad *febres puerperarum malignas* præſcribi poſſit talis pulvis.

℞. Antimonii diaphoret.
Cinnabaris antimonii ana ℈j.
Sal. vol. ſanguinis humani ℈ß.
ſuccini gr. VI.

M. F. pulv. probè cuſtodiendus, addi poſſunt etiam myrrhæ, gr. IV. vel VI.

F. pulv. pro duobus doſibus hauriendus *in aqua tenellorum C.C.* aut *aqua Scorzoneræ*, *Vlmariæ* & ſimilibus, pauco vel nullo ſyrupo dulci admiſto propter metum hyſtericæ paſſionis, aut propinetur *in aqua hirundin. c. caſtoreo* vel ſimili, *In pleuritide à partu ſuperveniente* & quidem imprimis *c. lochiis ſuppreſſis:*

℞. Aqu. pulegii
papav. Rhœados ana ℥j.
Antimonii diaphoretici ℈j.
Sal. volatil. fuliginis aut loco hujus
Urinæ aut
Salis armoniaci loco hujus gr. VI.
Succini gr. iii.
Myrrh. Electæ gr. IV.

Caſtorei

Caſtorei gr. ij (ratione lochiorum)
Syrup. Card. Benedict. ʒiij. vel ℥ß.
M. F. pot. diaphoret. pro 1. doſ.

Hæc & pellunt per ſudorem, & lochia ſimul ſtimulant & promovent.

Julepus pro potu in febribus malignis puerperarum.
♃. Aquæ ulmariæ.
Pulegii ana ℥iv.
Hirundinum c. caſtoreo ℥ii.
Gelatini C. C. acidæ ℥ß.
Aceti theriacalis ʒiii. aut loco hujus
tinctur. flor. aquileg.
Cyani ana ʒi.
Syrup. Ribium.
Coralliorum ana ℥vi.
Spiritus nitri dulcis parum
M. F. potio.

Potius inſipida acida, quàm dulcacida ſit, vel
♃. Flor. violar.
Cyani
Aquilegiæ ana p. j
irrorentur parum c. ſpiritu ſulphuris: infundantur in aqua chærefol. ulmariæ, meliſſæ, ana q. ſ. ſtent in loco tepido, donec liquor probè tinctus ſit: colatur.
♃. Adde ſucci berberum.
Scordii.
M. F. Julepus corrobor. & refriger.

Abſolvimus ferè ea, quæ mulieribus poſt partum, ſunt vel nociva aut ſaltim moleſta: pergimus ad

CAPUT X.

DE LACTIS ET LACTANTIIS VITIIS.

VTi *infans* ſeu fœtus *in utero nutritur lacte, ita & & extra uterum*, quamdiu Tenellus eſt, nec ſolidiora alimenta commodè digerere poteſt, *lacte ex mammis hauſto* nutritur.

Materia enim *lactis*, ex quâ, *eſt chylus*, aut per incognitas hactenus vias, quæ multorum eſt opinio ad Mammas vel uterum delatas, vel, quæ probabilior videtur ſententia, *per arterias c. ſanguine, nondum huic aſſimilatus per totum corpus diſtributus*, ac in *locis appropriatis* tanquam cribris *tranſcolatus & ſeparatus, qui in mammis ſervatus*, vocatur LAC. ſpeciali nomine. Nam *ſecundo* aut *tertio poſt partum die*, mox turgeſcere incipiunt mammæ & *generari* in iiſdem *lac aquoſum & ſeroſum* quod vocant *coloſtrum*, donec 4. die *c. febri, lacteâ* dicta, *verum lac ſpiſſum, ac ſub naturali conſiſtentia in mammis generetur.*

Modus, ut dixi, *generationis eſt per tranſcolationem*, dum nempe *in glandulis conglomeratis mammarum* tanquam lympha quædam ſpiſſior, aut ſaltim ſub vehiculo ſeri, lac ſequeſtratur ex ſanguine, & hinc per tubulos lacteos ex glandulis ad pupillas uſque derivatur.

Lactis E. vitia ſunt.

1. *Quando deficit.*
2. *Quando abundat.*
3. Denique *quando præternaturaliter depravatum eſt.*

DEFECTVS LACTIS.

Defectus lactis. *Deficit lac* vel *vitio materiæ*, ſ. *defectu materiæ*, ex quâ lac generandum eſt. Vel deficit lac *vitio mammarum*, chylum non ſequeſtrantium. *Deficit materia*, licet *rarius in juvenculis tenerioribus*, ac iis, *quibus immenſius fluxerunt lochia in febrientibus*, item in iis *quæ nimium ſudant*, item quæ parum vel nihil comedunt: *ſed hoc rarius eſt.*

Utplurimum *mammarum* ſubeſt *vitium*, *quando* nempe *harum glandulæ* vel *induratæ* vel *obſtructæ*, vel *anguſtatæ* ſunt, aut *quando viæ ad mammas aut per glandulas ſunt nimis obſtructæ.*

Fit hoc *in ſpecie quando mulieres* adhuc *virgines, nimis adſtringunt veſtimenta thoracis*: *Unde comprimunt mammas & vaſa ac meatus* ad has tendentes: Et hæc eſt *cauſa, quare noſtrates puerperæ, tam rarò poſſint lactare proprios fœtus* ſ. infantes, *quoniam in juventute nimis adſtringendo & comprimendo mammas impediunt lactis proventum.* Præterea huc etiam facit *quando exterius admotis, mammarum augmentum & turgeſcentiam* ſub pubertatis annis *impediunt*, aut etiam *quando mediis geſtationis menſibus*, dum mammæ itidem augeri incipiunt, *ſimilibus earundem augmentum coercent.*

Accedit huc etiam indirectè licet, *Infans debilis, nec ſufficienter ſugens* aut attrahens *lac ex mammis*: Nam hoc, quò magis aliàs attrahitur, eò magis influit eoque magis ampliantur vaſa: unde interdum ex nimio infantum ſuctu ſanguis purus loco lactis emanare obſervatus fuit; *Hinc* tales puerperæ interdum *prius catellos* aut alios *infantes robuſtiores* admovent mammis, ut horum ſuctu promoveatur lactis affluxus.

SIGNA defectus materiæ per ſe manifeſta ſunt, idque *imprimis*, *ſi ſimul acceſſerint mammæ flaccidæ* aut *pendulæ minuſque turgentes*, ex quibus parum vel nihil lactis effluere poſſit. *Cauſæ antecedentes* facillimè poſſunt cognoſci.

QVOAD PROGNOSIN.

Puerperis equidem parum aut nihil nocumenti exinde contingit: utut infantes interdum nutricibus admovendi pœnas luant. Quod E. attinet

CVRAM.

In hac aut *internis appropriatis lactis proventus accelerandus*, *ſubminiſtrando* ſimul *victum euchymum &* laudabilem, & denique *viis externis admotis reſervandæ*: *mammæ laxandæ & quaſi ſpongioſiores & molliores reddendæ.* Quæ E. hic conducunt; *interna appropriata* ſunt *fœniculum*, cujus *ſummitates recentes comeſtæ*, laudabile & copioſum generant lac. Unde aliæ *decoquunt ſummitates fœniculi* utplurimum vel *c. potu ordinario*, vel *in lacte* & ita hauriunt: unde *m. ol. deſtillat. fœniculi* in uſu eſſe ſolet ad lac augmentandum. Poſt fœniculum imprimis conducit *aniſum ejuſque ſemen.* Hoc enim *ſemen aniſi* egregium eſt remedium copioſius comeſtum, ad generandum lac, ſive *in ſubſtantia* aſſumatur, ſive *ejus ol. deſtillatum* ſubinde guſtetur: quod *ol.* etiam *internè mammis illitum* inſigniter confert, in ſpecie *ſi miſceatur c. ol. lumbricorum, terreſtrium* & ita inungatur.

Poſt hæc *ſemen Dauci*, *ſemen Cardui Mariæ*: *ſemen Erucæ*, *ſemen Nigellæ* optimè conveniunt: *Flores ſambuci* ſingulare ſunt remedium, *ſi Mj. eorum coquatur in lacte*, quod decoctum ita hauriatur, ad augmentandum lac, *hac tamen* ſimul obſervatâ *cautelâ*, *ne horum florum exſiccatorum ultra Mj. coquatur*, vidi enim aliquando, quod hi flores copioſius in lacte cocti, & à muliere aſſumpti, lac equidem ejus augmentarint, ſed & nutricem & fœtum inſigniter purgant, id quod cum interdum ſit minus conſultum: propterea in minori ſumantur quantitate. In uſu etiam eſt, ut *oryza* aut *hordeum excorticatum contuſum in lacte* coquatur, & capiatur inſtar pultis, quæ puls condienda eſt *c. cinnamomo, galanga, caryophyllis* ac ſimilibus. Porrò *lumbrici terreſtres pulveriſati, ad ʒj. hauſti*, etiam conveniunt, aut quod melius *eſt decoctum lumbricorum terreſtrium in brodio fœniculi*, experimentum eſt HELIDÆI Paduani ad generandum lac.

Hinc *cryſtallus præparata ad ℈j. aſſumpta, lac* item *Lunæ ad ʒj.* propinatum lac augmentant.

Hinc ♃. Semen aniſi ʒij.
Lactis Lunæ ʒj.
Cryſtall. præparat. ʒß.

Ol. deſtillati aniſi gutt. VIII.

M. F. pulvis pro 4. doſibus aſſumendis in decocto fœniculi.

Quoad *externa* conveniunt *applicata mammis fomenta, ex decoctis ſimplicium appropriatorum cum emollientibus miſtorum*, v. gr. *Ex fœniculo ex malva ex floribus ſambuci & meliloti* & ſimilibus: ſunt etiam qui commendant *fermentum c. farina hordei mammis applicatum*. it. *herba pimpinellæ mammis appoſita*, aut *vinca per vinca contuſa* iiſdem circundata lac augmentat, quin & poſt paſtum & abſolutam concoctionem *frictio mammarum c. pannis aſperis* ut incaleſcant nonnihil ac turgeſcant non eſt inconveniens auxilium. Hic eſt defectus lactis.

LACTIS REDUNDANTIA.

Lactis redundantia. *Contrarium vitium* eſt *nimia lactis Redundantia*, ita ut plus debito luxuriet lac, dum non tantummodo ſufficit nutriendo fœtui, ſed præterea etiam vel ſponte effluit. *Origo* ejus eſt I, *materiæ copia in ſubjectis ſanis & ſalubribus*, vel *mammarum laxitas mollitieſque* ac *ſpongioſitas glandularum in mammis*, à quibus uberior, lactis copia emulgetur & transcolatur, quò & accedit ipſe *fœtus robuſtior & famelicus fortius exſugens lac*, ac proinde *ejus redundantiam* per accidens *procurans*.

QVOAD SIGNA.

Venit interdum, ut *mulieres lactantes* percipiant *intenſum dolorem compreſſivum in regione dorſi*, id quod maximum eſt moleſtum, (*ſomnumque impedit*.) & hoc ſæpiſſimè evenit *ex redundantia lactis*, au quando *ſimpliciter abundat*, aut quando *non ſufficienter emulgetur ex mammis*. *Mulieribus habilioribus* & *ſucculentioribus* hoc *interdum evenit*, *mediis geſtationis menſibus*, dum ſcil. lac in mammis ſuboriri in quibuſdam ſolet.

Et *talis*, ut dico, *dorſi compreſſivus dolor*, *oritur ex redundantia lactis ſtagnantis*, quaſi in locis & vaſis, per quæ aliàs eſſet deferendum ad mammas.

Præterea *lactis abundantia* patet, *ex copioſiore excretione eius*, quæ imprimis *tunc eſt curanda*, *quando tam copioſè abundat* lac ac ſimul *ſponte effluit*, *ut exinde emacietur fœmina*, aut etiam *nonnihil debilitetur*.

QVOAD PROGNOSIN.

Moderata abundantia minus mala eſt, cum fœtus ſucceſſivè grandior ac robuſtior plus ejus in ſui nutrimentum abſumat: Verùm *ſi nimis abundet*, *ut atrophia ſequatur* aut *virium debilitas* curationem omninò poſtulat.

QVOAD CVRAM.

E. *Poſt moderatam diætam*, *interna* quædam appropriata, *in ſpecie* autem *externa* vel *adſtringentia* vel *reſolventia* vel *appropriata*, *lactis abundantiam* tàm *præſervant* quàm *curant*.

Opera ſimul danda eſt *ut* aut *uberius fluant lochia*, aut ut *revocentur in ordinarium curſum menſes*, qui ut plurimum ſunt *ſuppreſſi lactantibus*: aut *inſtituatur venæ ſectio in brachio*.

Quoad *remedia interna omnia ea quæ ſemen extinguere dicuntur in viris*, etiam *lac muliebre imminuunt*. Et hac ipsâ ratione etiam curandæ ſunt iſtæ mulieres, quæ lactare nolunt, nec ex lactis præſentia, in mammis aliquid nocumenti ipſis tandem ſuperveniat. *Remedia* E. imprimis *interna* ſunt *mentha*, cujus *decoctum* eſt unum ex optimis lac abſumentibus: ſicuti enim ipſa *mentha contuſa inſtar Cataplaſmatis mammis circumpoſita*, lac diſcutit & diſſolvit, in iis quæ lactare nolunt, uti & *calamintha*: Hinc *vitex* ſ. *agnus caſtus ejuſque ſemen* & *ex eodem parata* remedia. *Roſmarinus* etiam & *chærefolium* ad lactis copiam imminuendam laudantur, *Nicotianæ* uſus. Lac potenter abſumit, auctore SANDIEZ *in Obſervationibus*. *Ex apio* etiam & *anetho*, *chærefolio* item *cumino* & *coriandro* quæcunque aſſumpta, lac imminuunt. Imprimis tn. *externis* hic inſiſtendum eſt, quæ ſunt imprimis *fotus ex ſemine cumini in aceto & aqua decocto*. Aut paratum *cataplaſma ex ſemine cumini contuſo*, *c. aceto ſimplici*, & ita applicatum, cui etiam interdum *aliquid aluminis*, cautè tn. addi poteſt: Hinc fiat etiam *fomentum ex decocto cicutæ*, *menthas cum ſemine cumini & coriandri*, quæ *in aqua vel vino decocta* linteis multiplicatis applicantur mammis calidè, aut ex decoctis fiat *cataplaſma c. farin. fabar. c. oxycrato ſ. aqua & aceto* quod cataplaſma etiam egregiè conducit. *Succus plantaginis mammis illitus* confert ad imminuendum lac, uti etiam *emplaſtrum de cicuta mammis impoſitum* quod præterea etiam lactis coagulationem & glandularum indurationem præcavet. *Papyrus gryſeus*, *melle virgineo illitus*, *mammis impoſitus* lac imminuit: ac denique *cancri fluviatiles calcinati* ſacculo lineo incluſi & *mammis applicati*, uſurpantur ad lac imminuendum.

Quod ſi mulieres lactare nolunt, ut evaneſcat lac denuò, *externè* convenit imprimis *cataplaſma ex mica panis*, *pulvere menthæ aceto & ſale*, quo uſus ſubinde TIMÆUS: nec inconveniens eſt *emplaſtrum* HOEFERI, *in Hercule Medico p.* 340. Cujus hæc eſt *compoſitio*:

℞. Ceræ albæ,
flavæ,
Pingued. gallinæ,
Axungiæ cervinæ an. ℥ß.
M. & liquatis adde
Camphoræ,
Myrrhæ,
Aſæ fœtidæ an. ʒß.
Croci ℈j.

F. Emplaſtrum: quo tingantur lintea in formam mammarum concinnata, & ita perforata ut papillæ exeant, ſicque geſtentur per 6. ſeptimanas. *Noſtratibus* in uſu eſt, ut *mox poſt partum*, aut quando *lac ſe manifeſtat*, aut etiam *dum jam influere incipit*, ut imponant mammis *herbam alſines*, *viridem contuſam*: hæc enim ſæpius applicatur nonnihil calidè contuſa, & ita lactis proventus in mammis ſiſtitur.

Obſervatum aliàs eſt mulierculis, *quòd mus ſi lac nutricis geſtaverit*, hinc *ſtatim lac è mammis abſumatur* & evaneſcat, ſicuti *experimentum magneticum* eſt ad lac abſumendum: *ſi mulier de ſuo lacte aliquid ſuper carbones ignitos* aut *in ignem excernat*, ſic enim fit ut lac abſumatur ſucceſſivè, notat hoc HELMONT. *in ſuis ſcriptis* per experientiam, certum expertum fuit à PETRO à CASTRO *Medico Veronenſi*. *Si poſt fœtus ablactationem lac adhuc reſitans mammis dolorem* conciliet, tunc conſultum eſt ut *mulier in ſacculo ſuſpendat cryſtallum*, & *ſuccinum in regione dorſi* mammis oppoſita, ſic enim abſumitur interdum lac, interdum etiam ſenſibiliter, per alvum educitur.

COAGVLATIO LACTIS.

Tertium vitium eſt, quando *lac depravatur ac vitioſum* fit, id quod variis modis *in ſapore*, in *calore* & *conſiſtentia* fieri poteſt: quâ ratione MEARA *contra* VVILLISIUM obſervavit, *lac cæruleum ex mammis excretum*. Præ cæteris tamen *vitium eſt in lacte*, *ſi concreſcat ac coaguletur in grumos*, quod fit *ab omni acido ſive aliunde allato ſive in ipſo lacte in mammis genito*: (nam in lacte eſt copioſum acidum.) Hinc enim acorem & per conſequens coagulationem lacti inducunt omnia ea, quæ ejus alterationi l. aliquali corruptioni occaſionem præbent: Hinc namque ſubitò aceſcit lac, unde ejuſdem congrumeſcentia. *Coagulatio lactis.*

Fit hoc *à mœrore*, *à terrore gravi*: it. *ab acido quocunque* inconſultè & intempeſtivè *extra mammis applicato*: Quâ ratione *fomenta nimis acida* & quæ recipiunt

cipiunt *acetum*, ab aliis admiſtis non ritè temperatum (*cuminum* temperat *acetum*) facilè lacti coagulationem inducere poteſt. Facit hoc etiam *ſi poſt ſudorem, mammæ ſubitò exponantur aëri frigido*, ſic enim ſubitò induci ſolet, ſicuti ſanguinis ita etiam lactis ab acore ſuborto coagulatio: quin & *ipſum lac diutius in mammis retentum, nec excretum*, occulta fermentatione ſponte aceſcit, grumeſcit, & hinc mammarum ſupervenit tandem inflammatio.

CAUSÆ hæ *ſi fuerint graviores*, *lac totum coagulant mammaſque induratas* reddunt: *Leviores ſi fuerint*, lac tantummodo *in una alterave glandula grumefaciunt*, aut exinde ſaltim aliquot *lumborum infarctum* inducunt, unde tunc fit ut permaneat adhuc lactis per papillas effluxus, tamen grumoſa & caſeoſa in mammis deprehendantur tactu.

QVOAD SIGNA: *ſubitò* hoc *percipiunt fœminæ*: *compreſſionem* n. quandam *doloroſam* d. *levem in mammis* percipiunt. Item *tactu* ſubitò hoc deprehendunt, *dum duritiem & renitentiam* quandam percipiunt, modò *majorem* modò *minorem* modò *continuam* modò *interruptam*, prout plus vel minus continuæ vel ſecretæ aut diſcretæ affectæ fuerint glandulæ. Malo procedente *mamma rubeſcit*, *pulſare incipit*, *febris ſupervenit*, ac *tumor durus*, aut *in ſcirrhum induratur*, aut *doloroſiſſimâ effervescentiâ ſuppuratur*.

EX QVO PROGNOSIS facilè patet, ſcil. *metuendum* erit *de febre*, aut de *inflammatione*, *abſceſſu mammarum*, aut *de ſcirrho facilè* tandem *in cancrum degenerante*.

QVOAD CURAM coagulum erit *ſolvendum*, & lac *reſolutum emulgendum*. Faciunt hoc *ex internis* primariò *ſpiritus ſalis armoniaci* acidum deſtruens quodcunque & hinc lactis grumos diſſolvens: ſi ejus uſus ſit nauſeoſus, *commodè diſſolvitur vel aſſumitur c. lacte*, ſic enim ſapor & odor ejus fit inſenſilis.

Pòſt hunc *ſperma ceti* grumos quoſcunque reſolvit à ℈ß. ad ℈j. uſurpatum. Hinc etiam *emplaſtrum de ſpermate ceti* MYNSICTI *internè impoſitum*, & ad præcavendum & reſolvendum lactis grumos, non habet æquale remedium mammis applicatum. Hinc *oculi căcrorum* vulnerarii acido abſorpto, lac reſolvunt, imprimis ſi *myrrhæ* paululum iis addatur. *Pulvis millepedum ſ. aſellorum*, mira præſtat in Chirurgicis caſibus, ita etiam in ſpecie, in reſolvendo lacte coagulato, ſi *à* ℈*ß. ad* ℈*j.* crebrius hauriatur, idque experientia RIVERII *Cent.* 4. *obſer.* 89. Sicuti *vel millepedes* crebrius *internè* uſurpati, *ulcera mammarum cavernoſa* mirabiliter curant. Porrò *ſemen fœniculi*, *cumini*, *Crocus*, *ſalvia*, *mentha*, *cherefolium* ac ſimilia *internè* uſurpata, etiam lactis reſolvunt grumos. Quoad *externa* jam monui *emplaſtrum de ſpermate ceti*, tanquam optimum, aliàs etiam *mentha contuſa & tanquam cataplaſma mammis impoſita*, per 8duum quotidie novam recipiendo optimè reſolvit lactis grumos, imprimis ſi ſimul propinetur *internè*, omni manè ℈j. *ſeminis anethi*: Hinc *cicuta contuſa & impoſita*, etiam lac grumoſum reſolvit, id quod etiam facit *decoctum chelidonii majoris*, *inſtar fotus* applicatum & impoſitum. Aliàs etiam ſimul *fomenta ex decoctis fœniculi*, *anethi*, *abrotani*, *chamomillæ*, *cherefolii*, *cicutæ*, *menthæ* & ſimilibus.

Vbi jam *incipit c. dolore rubere mamma & intenſius indurari*, ita *ut metus* adſit *ſupervenientis Eryſipelatis*, optimum eſt ſi recipiatur *rob. ſambuci*, hinc inducatur linteo, & poſtmodum probè calefactum tam calidè, quàm mulier perferre poteſt, imponatur, & hoc omni horâ repetatur tàm calidè quàm perferre poteſt mulier (in hoc enim conſiſtit arcanum) ſic & reſolvitur lac & diſcutitur imminens eryſipelas.

INFLAMMATIO MAMMARUM. *Inflammatio mammarum.*

Habuimus ſuperius ſymptomata, quæ circa lactis generationem ſuperveniunt: verùm hæc ipſa ſymptomata, in ſpecie coagulum lactis, ſæpiſſimè cauſa eſt multorum malorum, quibus multantur fœminæ in mammis: quæ mala propius ad Chirurgiam ſpectant, quoniam autem periculoſiſſima ſunt & ſingulare quid obtinent, paucis percurram: ſcil. *ſæpè fit*, *ut lactis coagulum in mammis* aut quòd aliàs ſtagnat, aceſcentiâ vitioſâ *inflammationem à ſanguinis ſtagnatione inducat*, Utplurimum quidem *eryſipelaceam*: ſæpè hoc fieri dixi, *interdum* tamen etiam, & quidem *ſæpiſſimè terrori puerperarum* ſupervenit ſimilis *eryſipelacea inflammatio*, una *cum lactis coagulo*: Exinde enim *intenſus rubor auctus*, *tumor æſtuans*, *calor & vehemens pulſatio* in *mammis* percipitur, qui *tumor* eſt quidem *minor in eryſipelate*, *ardor* verò & *dolor in hoc* eſt *major*. *Rarius* oriuntur inflammationes mammarum *ex contuſione externâ*, aut etiam ex *anguſta nimis mammarum conſtrictione*.

Hæ ferè ſunt cauſæ quæ inducunt *inflammationes mammarum*, quas inter *terror* imprimis & *lactis coagulum* & *inflammationes eryſipelaceas* inferunt.

SIGNA ex dictis patent: nempe *ex tumore*, *dolore*, *ardore & pulſationis ſenſu*, ratione arteriarum in ſanguinis diſtributione impeditarum.

QVOAD PROGNOSIN.

Inflammationes omnes mammarum ſunt *periculoſæ*; quia utplurimum *abeunt in abſceſſus* & hinc in *ulcera ſinuoſa*, interdum etiam in *fiſtulas*: ſi non abeunt in abſceſſus, *indurantur in ſcirrhos*, qui levi errore abeunt in *cancros*. Rariſſimè n. inflammationes mammarum in ſpecie ex lactis coagulo diſcuti poſſunt.

QVOAD CURAM.

Ergo *in genere* in omnibus mammillarum affectibus, ſtudioſè obſervandum eſt, quòd mammilla affecta rarò ad ſanitatem perducatur niſi altera mamma ſuo lacte ſit exhauſta. " " "

In ſpecie E. quoad *inflammationem mammæ*, opera danda eſt, ut *ſanguis* aut *lactis* etiam *grumi*, ex acido coagulati & ſtagnantes *reſolvantur ac diſcutiantur*: aut, ſi hoc fieri nequeat, ut *per ſuppurantia maturentur*, *& in abſceſſum tranſmutentur*. *Internè* quæ his ſatisfaciunt ſcopis, ſunt imprimis *remedia ex mentha & cherefolio*: Nam horum *decocta*, *ſucci*, *aqua*, &c. & inflammationem ſiſtunt aut ſuppurationem fientem adjuvant: vel *ſola aqua ex mentha & cherefolio deſtillata* artificioſè, ſi potetur, mirificè in inflammatione mammarum conducit. Hinc *ex cardno benedicto* blandè & moderatè uſurpata, ſudorifera ſanguinis ſtagnationem egregiè tollunt, hiſce *Sperma ceti* primariò eſt addendum, ſi parum ejus miſceatur c. *myrrha* prius, nempe *ſperma ceti* coagulum tam lactis quàm ſanguinis diſſolvit: poſterius *myrrha* acorem corruptivum ſub ſuppuratione arcet.

De ſambucinis in eryſipelate tàm *internè* quàm *externè* uſitatis, lubens taceo, uti & *de C. C. de Bezoard. antimonialibus* vel *ſudoriferis moderatis ac acidum abſorbentibus fixis cum oculis cancr.* ſtudio nihil dico. *Vulgò* & quidem non à vulgo Medicorum, ſed à ſingularibus chymiatris commendantur *ſpecula pavonum* ſ. *orbicula lucida*, quæ *in pennis pavonum* ſunt conſpicua, idque *ex ſignatura* quam habere dicuntur c. mammis, quas quodammodo repræſentant: ſed profectò neſcio an non ex falsâ quadam hypotheſi ſeducti ſint hi autores, de ſpeculis pavonum, & vereor, ne ut ſoli imaginationi ſatisfaciant, fruſtra uſurpentur. Præ cæteris tamen, *Externis* imprimis inſiſtendum, quæ inter ad inflammationem mammarum, eſt optimum *phlegma vitrioli purum ſine acido aliquoties à proprio vitrioli cohobatum*, quia ſingulares habet vires, à ſulphure vitrioli. Item *aqua cicutæ*, *aqua plantaginis*, in ſpecie *ſpermatis ranarum*, Remedium ſingulariſſimum ad quæcunque eryſipelata: Convenit

itidem

itidem *decoctum thuris & myrrhæ in aceto & vino tepidè applicatum* In *eryſipelate mammæ* quidem, *ubi dolor eſt intenſior*, aut *folia hyoſcyami* aut *laudani opiati tantillum* aut ſimilia commodè addi poſſunt: Ulterius unum ex expertiſſimis ad mammarum inflammationes remediis *eſt cataplaſma* factum, *ex farina fabar.* [illegible]*â & ſubactâ, c. Oxycrato ſ. aqua & aceto.* Hoc cataplaſma uti ad *inflammationes teſtium*, ſuperius ceu ſingulariſſimum commendavi: ita & hoc ipſum eſt experimentum RIVERII *&* AMATI *Luſitani*, *contra mammarum inflammationes*: ſicuti loco hujus alii uſurpant *linimentum ex farina ſeminis lini, c. melle ſubacta illitum.*

Porrò *lixivium ſarmentorum vitis, c. ol. ſambuci expreſſo ex arillis* temperatum *c. panno ſcarlatino, & eryſipelati mammæ applicatum*, egregium eſt, ſicut etiam *cancri fluviatiles triti crudi* tumentibus mammillis illiti mirè proſunt. Nam in cancris fluviatilibus ad rem Chirurgicam pertinentia, multa latent arcana. Denique *emplaſtrum de ſpermate ceti* MYSINCHTI, *emplaſtr. de cicuta* HILDANI & ſimilia, inflammationes ſimiliter reſolvunt. Præ cæteris obſervatu dignum eſt, quod *manus in quâ talpa viva tamdiu fuit detenta donec moriatur, ſi imponatur mammæ*, in principio ſtatim *inflammationes* egregiè ſiſtuntur: quæ ipſa *manus* etiam *cancrum mammæ occultum*, ſingulariter curat. Porrò *pinguedo ſerpentum, in tumore mammarum ex lacte abundante, c. metu inflammationis* mirificè confert, ſi illinatur, uti etiam in prædicto caſu ſingulariter utile eſt, ſi recipiatur *medulla panis*, imbibatur *c. ſucco opii & imponatur mammæ*, ſic enim ſanabitur. Quod ſi verò fiat, ut hiſce nihilominus irritis, *ad ſuppurationem* & *abſceſſum tendat*? *Inflammatio mammarum*, quod *rarius* fit in *eryſipelate recenti*, *frequentius* in *inflammatione.*

Hinc ad *maturandam ſuppurationem* accipitur *ſuccus fimi ovilli*, qui miſtus *c. aqua agrimoniæ* imponitur, aut *ipſa herba agrimoniæ c. radice contuſa*, addito *butyro & melle*, ſuppurat. & maturatæ ſuppurationis abſceſſum adjuvat. Sicuti etiam ad *maturandum & rumpendum tumorem* ſequens *cataplaſma* eſt egregium:

♃. Rad. Ireos Noſtratis,
Cepar. ſub Cineribus coctarum an. ℥iij.
Fermenti ℥ij.
Vitell. ovor. an. iij.
Axung. porcin. recentis non ſalitæ ℥ß.
Ol. Roſarum,
Farin. fœnugræc.
Sem. lini an. ℥ij.

Contundantur & miſceantur pro cataplaſmate mammis imponendo.

Facto abſceſſu aperiendus eſt & evacuandum pus, & pro purificando abſceſſu facto, optimum eſt *ol. nucis juglandis* quod c. turundis applicatum, abſceſſum mammarum egregiè mundificat: loco hujus præſtantius longè eſt *ol. ſtercoris humani*, *quod ulcera & abſceſſus mammarum periculoſos*, quia acriores facti gangrænescunt, egregiè *mundificat* & purificat. Præterea *balſamus ſulphuris* RULANDI *cum ol. papaveris expreſſo*, applicato deſuper *emplaſtro diaſulphuris* RULANDI eſt optimus. Quod ſi fiat ut *abſceſſus apertus degeneret in fiſtulam* (in hujuſmodi locis glandulosis admodum contumaces) tunc *eluenda eſt quotidie fiſtula bis, c. decocto agrimoniæ*, in quo parum *aluminis & myrrhæ ſunt contenta.*

Hinc tale applicetur *Vnguentum.*

♃. Succi agrimoniæ ℥j.
Aloës,
Myrrhæ,
Sarcocollæ,
Aluminis plumei an. ʒj.

& incorporentur c. melle pro unguento ad fiſtulas mammarum.

Alia *remedia fiſtulis dicata pro mammis*, vid. *in* SCULTETI *armamentar. Chirurgico Obſ. 75.* Verùm hi ipſi *tumores ſive ſint ex ſanguinis coagulo*, ſive *ex lactis coagulo*, non ſemper reſolvuntur neque etiam ſuppurantur, ſed *ſæpiſſimè ab acido proprio contracta, in materia coagulata indurantur in tumores duros & indolentes*, & quidem *ſi ſint ex ſanguinis grumis*, *ex inflammatione indurata & coagulata* oriuntur imprimis *ſcirrhi*, ſin verò ſint *ex lacte in glandulis mammis coagulato & indurato* oriuntur *Scrophulæ ſ. ſtrumæ*: alias cauſas vix habent ſcirrhi & ſcrophulæ, niſi *interdum* in mulieribus *ex menſium* aut *emanſione naturali* aut *ſuppreſſione ſupernaturali* ſuperveniat *ſcirrhus in mamma, &c. tumor* talis *durus tactui renitens indolens*, & qui inſtar lapidis in parte infixus ponderoſus hæret.

Indolentem dixi tàm *ſcirrhum* quàm *ſtrumam*: *ſi* enim *incaleſcere*, *pulſare* & hinc *dolere* incipiunt, ſignum ſunt *ſcirrhi & ſcrophulæ ad ſuppurationem tendentis*, aut etiam in *cancrum degenerantis*: Ex quibus facilè patet quomodo cognoſcantur ſcirrhi & ſcrophulæ mammarum.

QVOAD PROGNOSIN eorum, *cautè* & circumſpectè admodum *curari* debent, nam *facili errore in cancros degenerant*, idque imprimis *in mulieribus quibus jam naturalia deficiunt menſtrua.* Imò qui *ex menſium vitiis* ſuperveniunt *ſcirrhi* aut *ſcrophulæ*, *ſcirrhi* imprimis, non niſi *cautè* attingi debent, quia *utplurimum* ſi non ſemper *aliquid cancroſi* ſubeſt.

IN CURA E. *durum coagulum ſive ſanguinis* ſit *in ſcirrho* ſive *lactis in ſcrophula*, *reſolvendum eſt*: Nam ut ſuppurantia applicentur, niſi ipſa natura eò tendat, nemini auctor ero.

Nam *ſuppurantia & emollientia* propriè ſic dicta; *& humectantia* promptiſſimè hos *tumores*, *in cancros degenerare faciunt. Acria* E. *reſolventia penetrantia & potenter emollientia* ſunt *applicanda*: *Internè ex fumaria & vulnerariis* parata remedia & ſimilia ſunt uſitata, quæ tamen facillima. *Externè* primatum obtinet *ad ſcirrhum & ſcrophulas mammarum Gumm. ammoniacum in aceto ſolutum & inſtar emplaſtri mammis inductum*, eaſdem vires cum ammon. obtinet etiam *Galbanum*: Semper autem antequam applicentur *præmittendus ſuffitus ex vino & aceto ſilici ſ. lateri candenti affuſo*: Convenit itidem *unguentum de cicuta* HILDANI miſtum *cum ana gum. ammoniaci.* Item *Emplaſtr. de ranis* VIGONIS *c. mercurio* potenter reſolvit ſcrophulas & ſcirrhos mammarum. Vel fiat *linimentum tenue ex ſucco ſolani* ſubacto *c. lithargyrio* in mortario plumbeo. Talia enim quæ acidum abſorbent atra, metum cancri, hos tumores curant, uti ſunt *ſaturnina & plumbea.*

THONERUS in tali *mammarum ſchirroſo tumore* uſurpat tale *emplaſtrum*, felici cum ſucceſſu.

♃. Emplaſtr. diachyli Magni.
de meliloto.
Ceronei an. ℥j.
Gumm. ammon. in aceto diſſolut. ʒvi.

M. & inſtar emplaſtri tumori indurato applicentur.

Habetur etiam *cataplaſma* excellens in *tumoribus mammarum duris in cancrum degenerantibus* curandis, in *methodo medendi* HOFFMANNI *p. 417.* factum *ex pulpa pomorum* BORSDORFF. c. aliis. Hoc cataplaſma poteſt adhuc meliorari *ſi lumbrici contuſi*, aut horum *ſuccus* ſimul applicetur: Hæc enim *remedia ex lumbricis* parata, in hujuſmodi *mammarum ſcirrhoſis tumoribus, in cancrum vergentibus* ſunt optima.

Verùm hoc ipſum *acidum in ſcirrhis mammarum*, aut etiam earundem *cancris* interdum vel ſpontè adeo *eſt exceſſivum* vel *remediis nonnullis* fermentando *ita exaſperatur, ut corroſivitatem arſenicalem acquirat*, ac in *cancrum degeneret*, qui cancer frequentiſſimè glandulas ac primariò in mammis infeſtat: *Vtplurimum enim cancer ex progreſſo mammæ ſcirrho* aut *ſcrophulâ*, in ſpecie

ſpecie ſi adjūgatur his *menſium vitium, rariſſimè per ſe* incipit, *ex contuſione* aut *læſione quadam mammæ externa* : Et quidem ſi *ex contuſione mammæ externa* oriatur *cancer*, tunc primitus ſe manifeſtat ſub *forma tuberculi parvi, inſtar ciceris* primum *rubicundi*, hinc *liveſcentis*, & nonnihil *nigricantis* : *Tuberculum* hoc *ſucceſſivè augmentum capit*, donec *pulſatione & punctura* in eodem ſe manifeſtet, & *tumor* evadat *magnus* & *cum venis circa circum tumentibus & liventibus inſtar pedum cancrinorum*, unde etiam nomen habet, ſe prodat. *Scirrho* vel *ſcrophulæ ſi ſupervenit*, vel *hi degenerent in cancrum*, tunc *hi tumores duri* aut aliàs *indolentes continuis puncturis acerbū dolorem, ardorem & æſtum* concipiunt, citra hoc ut inflammatio quædam ſuppuratoria ſuperveniat : Huic accedit *partis tumor*, *color tumoris livſ ens, venæ tumidæ, &c.* Hujuſmodi cancer eſt vel *occultus* vel eſt *manifeſtus*. *Occultus eſt cujus acidum nondum fermentando uſque eò exaltatum eſt, ut poſſit mammarum corroſionem, conſtituere*, d. quod adhuc à propria materia concentratur & ſaturatur.

Quòd ſi vero *acidum hoc per fermentationem exaſperetur* & etiam *partes vicinas aggrediatur & acore putrefactivo corripiat, degenerat in cancrum manifeſtum* ſ. *in cancrum exulceratum*.

QVOAD PROGNOSIN obſervandum eſt authore HIPPOCRATE *ſect. 3. aphor. 38.* quòd nempe *cancri occulti, non ſint attingendi*, quia *ſic diutius ſupervivant* : è contra *ſi attingantur facillimè* abeant *in cancros exulceratos* : quare & HIPPOCRATES & GALENUS *incurabilem, niſi ferro & igne* extirpentur, cenſuere.

IN CVRA occultus palliativè eſt *curandus*, ita *ut acredo ejuſdem* quantum poſſibile *temperetur* & hac temperata, *tumor ſucceſſivè inſenſibiliter reſolvatur*. Faciunt huc *ex* REGNO MINERALI imprimis *ſaturnina*, de quibus notum eſt, quod omnia acida ſaturni attactu dulceſcant, in dulcedinem adſtrictivam aluminoſam.

Ex REGNO VEGETABILI huc faciunt *vulneraria*, alcali temperato & quodammodo occulto prædita, quæ aliàs *fri ida* appellantur.

Ex REGNO ANIMALI imprimis conducunt canceri, & *ex his quæcunque parata remedia*, ſimiliter alcali occulto ſed copioſo prædita, loco quorum etiam *Ranæ in aquis puris viventes* commodè uſurpari poſſunt. *Internè* E. præter *ex cancris* parata, etiam internè *ex Geranio, Robertiano, agrimonia & perſicaria* & ſimilibus uſurpata ſunt optima *externè* dixi quod imprimis *ſaturnina* conveniant : Unde *ad cancrum occultum omnia linimenta & unguenta*, omnia *emplaſtra ſubigenda ſunt in mortario plumbeo* ut ramenta plumbi, ſucceſſivè commiſceantur cum iiſdem : Præter *Ceruſſam & ſaccharum ſaturni in cancro* imprimis *emplaſtrum ſaturninum* MYNSICTI eſt uſitatum, *pro extirpando cancro occulto, dum impedit ne fiat manifeſtus*. Hinc *unguentum de ceruſſa, album. diapompholyg.* & ſimilia conducunt.

Ex vegetabilibus ſuccus plantaginis conducit *extra, impoſitus* : Subigendus hic ſuccus in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo, ut ſic fiat magis appropriatus. Præter dictum hoc *Geran. Robert. ſonchus, ſcabioſa, agrimon. perſicaria & ex his parata externa* ſunt optima non minus, quàm *ſuccus* aut *aqu. pomorum putridor.* imprimis *Borsdorffianorum* : in quibus pomis putridis ſingularia latent ad Chirurgiam pertinentia. Quoad vulneraria alia *quomodo* etiam *pro mammis appropriata vulneraria cancer occultus ſit conſervandus, ne fiat manifeſtus* vid. TIMÆUS *in lib. 4. conſ. 39. &* 40. ubi habet egregia remedia.

Quod ſi verò fiat *ut nihilominus cancer occultus fiat manifeſtus & exulceratus*, talem *incurabilem* judicant HIPPOCRATES & GALENUS *niſi ferro & igne eradicetur*, niſi ferro cancer exſcindatur & hinc *ferro ignito hemorrhagia ſiſtatur* & ſic radices extirpentur. Sententia hæc ſtetit hactenus inconcuſſa in ſcholis Medicorum, donec *ante 6.* & quod excurrit *annos* D. ALLIOTH. *Lotharingicus*, *Archiater Ducis Lotharingici, novum modum* invenit *curandi cancrum exulceratum, citra ferrum & ignem*, cujus curationis aliquot ſingularia & illuſtria exempla fecit *Pariſiis*, in mulieribus infectis, ut exinde etiam ad Regiam matrem licet tardius fuerit vocatus. Arcanum curæ fundatum eſt eleganter, ſuper hypotheſes has dictas de *acido cancri* arſenicali, quod curandum præcipit *per alcalia* tanquam acidis omnibus contraria : *alcalia* vero jubet ſumenda *non pura* : quoniam alcalia illa pura concurrentia acidis nimiis efferveſcentiam inducunt periculoſam, unde poſtmodum *tumor & dolor mammæ* major conciliatur. Propterea *temperare* jubet *alcalia per* ſ lph. ut ſulphuribus temperata alcalia promptè poſtmodum acidum cancrum corroſivum jugulent citra ſupervenientia periculoſa ſymptomata. Proſtat ejus ſcriptum de hoc ante 7. præter propter annos editum, in quo tribus Theſibus totum hoc comprehendit negotium. Verùm cùm non omnibus liceat adire corinthum, *ubi exulceratus eſt cancer, neque torturam ferri* aut *ignis velit ſubire fœmina ejus* ſaltim *uberior progreſſus eſt inhibendus, per palliativam curam*, ne uberius ſerpere poſſit : præ cæteris ſingulare quod obtinet *cancer vivus, cui colligatæ ſunt chelæ, cancro exulcerato impoſitus* : dum enim ad tempus geritur, moritur, *renovanda eſt impoſitio cum novo cancro*, idque *toties quoque moritur*, donec in vita permaneat, tunc enim ſignum eſt virulentiam fermenti cancroſi eſſe jam temperatam : Hinc *conveniunt pro temperando acido* ferè *ſupradicta, quæ cancrum occultum ſiſtunt*, v. gr. *imponenda eſt cancro lamina plumbea*, quæ acidum abſorbet, aut etiam *pulveres parati ex bufonibus ſ. ranis, cancri unguentis & emplaſtris appropriatis inſpergendi*. Aqua item *pomorum putridorum aqua calc. vivæ ſunt* egregiæ ad eluendum cancrum exulceratum. Notus etiam eſt *Pulvis benedictus* hinc inde proſtans apud Autores, cujus circumſpectus uſus admodum eſt proficuus. *Fuligo furni* etiam ſingulare eſt remedium in cancro exulcerato, *ſive ipſa fuligo inſpergatur*, ſive liquor *ex ſale fuliginis p. d. paratus inungatur*, ſive *cremor calc. vivæ*, de natura temperatorum alcalium, *illinatur*. Aliàs nota ſunt *emplaſtra & unguenta* parata, *ex ſuccis ſcrophulariæ, Urticæ, Geran. Robert. Virg. aureæ, ſolani* & ſimilibus c. *Pompholyg. miſtis* & in *mortario plumbeo ſubactis* : quâ ratione *linimentum ad cancrum mammarum* SPIGELII impediens ejus nimium progreſſum, eſt *ſequens* :

℞. Succi Virgæ Aureæ,
Solani,
Sonchi ana ℥j.
Ole. violarum,
Roſarum ana ℥iß.

Hæc in mortario plumbeo c. Piſtillo plumbeo ſubigantur, & redigantur in formam unguenti ſ. linimenti quod eſt optimum. Huic *ſi addatur* (quod non habet SPIGELIUS) *ſal. calc. viv.* aut *ejus cremor* quod ſal. calc. viv. quibuſdam eſt non Ens) eſt remedium ſatis potens ad abſumendam virulentiam cancri exulcerati.

LACTATIO LÆSA.

Lactatio læſa.

Hæc de *lactis vitiis in mammis*; præter hæc lactis vitia in. *vitiatur lactatio*, *vitio* nempe *papillarum*, v. gr. *quando papillæ* aut ſunt *nimis parvæ* aut *omninò deficiunt*, aut quando *papillæ agunt fiſſuras* ſ. *rimas* propter *quarum d lorem* non poſſunt admovere nutrices infantes, aut denique *quando ulcuſculis corripiuntur papillæ*. *Papillæ* aut *parvæ nimis*, aut *nimis prominentes*, *facilè extr huntur beneficio cucurbitulæ ſuperimpoſitæ* : vel habetur *vulgò inſtrumentum* quoddam *vitreum*, quo applicato oris ſuctu facilè extrahitur papilla latens. Verùm *licet papillæ pateant*, non tn. *ſatis ſunt perforatæ*, tunc *foraminula earum* fiunt

ampliora, imprimis *per ſuctum* inſtitutum aut *per catellos admotos*, aut ſi *mulier quadam fortius ſugat*, ſic enim aperitur meatus in papillâ.

FISSVRÆ PAPILLARVM.

Fiſſura papillarum.

Porrò *frequenter rimas agit & fiſſuras papillarum* quod fit interdum, *ſi ſerum lactis acrius ſit paulò*, quod corrodendo nonnihil valet *exulcerare* ipſas papillas, unde agunt *fiſſuras & rimas*: fit m. qn. *infantes lactantes papillas lacte humidas relinquunt*: unde ab *aëre ambiente* alteratum lac aceſcens teneriorem papillarum ſubſtantiam ſubtiliter evadit, ut rimas & fiſſuras agant. *Curantur facilè papillæ hæ rimoſæ ſ. fiſſuræ c. balſamo Peruviano* expertum. quoque eſt *ol. Momordicæ*, quod eſt optimum. Potentius fit hoc ſi *miſceatur ol. ovorum*: Nam & hoc eſt egregium remedium ad papillarum fiſſuras. *ol. ſ. liquor ſacchari* m eſt egregium remedium: *Pinguedo cochlearum* eſt uſitatiſſimum remedium & experimentum HARTMANNI.

Quòd ſi v. *altius ſerpat malum*, ita ut potentiora requirantur remedia, tunc faciendum eſt *Vnguentum*.

Lithargyri ℥ß.
Myrrhæ ʒij. &
Aluminis ʒj.

Quæ cum ol. roſaceo ſubacta, in formam linimenti inungantur papillis.

Quòd ſi ulcera contrahant papillæ, quæ utplurimum gravem ſimul habent dolorem, tunc præter remedium ultimo loco poſitum convenientiſſima eſt aqu. ſ. *decoctum calcis vivæ*, ſi eadem applicatâ laventur papillæ.

Graviora ſi fuerint ulcera papillarum, huic *aquæ calc. vivæ*, parum *mercurii dulcis* additum, eſt optimũ remedium. Hæc de morbis mulierum ſufficiant. Abſolvimus B.C.Deo, *morbos mulierum*. Pergimus ergò recto tramite, ex conjunctione & connexione ad

MORBOS INFANTVM.

Morbi infantum.

Scilicet *infans*, ſimul atque utero materno egreditur *excipitur c. ſequente* & ſimul annexa *ſecundinâ*, *ab obſtetrice balneo aqu. dulcis* tepidè *abluitur* & probè *mundificatur*, ac *ſordes* iſtæ mucilaginoſæ, quæ in *auribus*, *naribus*, *ano* & ſimilibus locis reperiuntur, probè *eluuntur*, & ita infans purificatur: antequam autem balneo eum imponant, *umbilicalem placentæ funem ligatum*, *ab umbilicis reſecant*, *per 3. vel 4. tranſverſos digitos ſupra umbilicum*, linteaque tepidiuſcula ſupra imponunt, & ita *linteolis involutum lectulo imponunt*.

Subinde tamen recens natis, parum *ſacchari penidii*, aut *ol. amygdalarum dulc. recens expreſſum*, *cum tantillo ſacchari*: aut quod optimum, parum *de ſyrup. cichorii*, *c. rhabarb.* vel *de ſyrup. roſar. ſolutivo*, aut *de melle roſato ſolutivo*: *in os imponunt & inſerunt*, ut lentè deglutiatur, eum in finem *ut abſtergatur lentè & evacuetur ſtomachus & inteſtina* ab excrementis & ſordibus, quas ſub digeſtione in utero materno acquiſiverunt: *Imprimis* quidem *ut liberentur infantes à Meconio* ſeu nigricanti illo & ſpiſſo excremento quod coacervant infantes geſtationis tempore, in inteſtinis, quod aliàs retentum mille malis mulctat infantes.

Curati ita infantes *ante 10. vel 12. vel. 14. horas*, *non admovendi ſunt mammis*, donec interea in mammis maternis *ſe colligat coloſtrum*, ſeu lactis primum rudimentum: *Lac* nempe *tenuius*, *aquoſius & ſeroſius*.

Hoc ipſum equidem *tanquam nocivum*, *ſunt*, *qui præbere prohibent infantibus*, id quod tamen fit *peſſimo conſilio*, cum blandum ſit infantum laxativum, abſtergens optimè ſordes & purificans inteſtina, & cum minus negotium faceſſat ſtomacho, pro digeſtione, hoc ipſo facilius tranſit, minuſque lacte ipſo, in ſtomacho corrumpitur, dum interea ipſe ſtomachus vero lacti coquẽdo, die 4to ſupervenienti, cum febri lactea fœtus aſſueſcat.

De quo imprimis egregiè diſſerit VESLINGIUS *in ſuis Epiſtolis & Obſer. p. 123.* in quo etiam totus eſt SPIGELIUS, qui valdè *peccare matres*, ait, quod non admoveant recens natos mammis, *dum* ſcil. *habent adhuc coloſtrum*: Et ferè ab ipſa natura, tanquam tenellorum purgans, hoc fuit ordinatum, donec vis abſtergens purgans ſucceſſivè mutetur in vim perfectè nutritivam: Nam *meconium retentum* ſæpiſſimè *eſt cauſa*, *quare recens-natis* interdum *quarto die efflorescat Icterus*: Item *meconium retentum* ſæpiſſimè cauſa eſt, quod infantes afficiantur *aphthis ſ. ulcuſculis oris*, de quibus poſtea, quatenus hoc meconium lac hauſtum coagulat, ſpiſſat & aceſcere facit. Unde ſi meconium tempeſtivè vel per aſſumpta vel per coloſtrum evacuetur, ab omnibus his malis poſſunt præſervari. *Ab ipſa matre lactetur infans* ſi fieri poſſit, imprimis ſi *ſana ſit & habeat lac negotio ſufficiens*, *aliàs* in ejus locum, utut deteriorem, *eligenda eſt nutrix*, quæ mammas infanti præbeat; Vulgò examinant *nutricis lac*, an ſcil. *craſſum*, *tenue*, *dulce*, *&c* ſit, ſed *ridiculo* planè *conſilio*. Non enim hæ & ſimiles proprietates lac vel bonum vel malum reddunt, cùm occulti ſæpius defectus maximi momenti, hoc ipſo cognoſci & videri nequeant, qui tamen ſæpius longè majoris ſunt conditionis, quin potius, ut rectè loquitur HELMONT, *æſtimanda* eſt *lactis conditio ex ſanitate nutricis*, *vita & cibis*. *Modò* E. *ſana* ſit nutrix, *bonis utatur alimentis*, ſ. ſaltim *talibus quibus aliàs conſueta* ſit & *quæ facilè ferat*, atque denique *ab affectibus animi gravioribus ſe temperet & abſtineat*. *Laudabile* enim *erit lac*, ſive *craſſum* ſive *tenue*, ſive *album* ſive *flaveſcens* nonnihil fuerit depreheſum: Nam conditiones lactis etiam ſani ſunt variæ: Cùm, ut digeſtio prima in unaquaque ſpecie, imò etiam in unoquoque individuo eſt varia ac diverſa, ita etiam variant conditiones oriundorum exinde corporis ſuccorum, & per conſequens etiam lactis.

Eſtque *lac in mammis pro nutrimento fœtus extra uterum*, *ejuſdem* ferè *conditionis* & rationis ſeu ejuſdem *naturæ cum alimento fœtus chyloſo intra uterum*, ut ob id minus audiendus ſit, ſupra laudatus HELMONT, interdicens lactis uſum tenellis.

Nam, quod obiter moneo, *omnia ea mala*, quæ infantibus incumbunt *ex hauſto lacte ex mammis*, & recenſentur ab HELMONTIO, *eadem ipſa mala impendent* & adhærent *iiſdem in utero ab eorundem alimento chyloſo* ſimul deglutito. Uti autem nihilominus providiſſimo conſilio natura infantes nutrit in utero materia lactea: Ita ſimili ratione extra uterum eodem nutrimento naturaliſſimè ſuſtentandus eſt.

Lactet autem *mater ſ. nutrix infantem promiſcuè*, ſi fieri poteſt, *utraque mamma*, *quoniam aliàs luſcioſi fiunt infantes*, ſ. *ſtrabiſmo* laborant, ſi uni tantummodo admoveantur mammæ, continuò oculos ad hanc conferunt, & ita tandem ex conſuetudine luſcioſi fiunt.

Utrique E. Mammæ admoveantur, ne ita ex conſuetudine oculorum perverſum acquirant motum.

Obſervandum & hoc eſt, *in poſitu infantum in cunis*, *ne ex altera tantummodo parte feneſtram* aut *candelas adſpiciant*, ſed *ita ſituati ſint*, ut vel *promiſcuè*, *modò dextrum*, modò *ſiniſtrum latus illuminetur*, & etiam *candelæ utrique parti admoveantur* & ſituentur, *propter vitandum ſtrabiſmum* infantum. *Lactet* autem *nutrix fœtum*: *quantum ſufficit*, *cavendo* imprimis *ne ſæpius ac copioſius* eundem lactet. Nam impendent exinde inſignes lactis corruptiones, ſi crebrius & copioſius lactentur infantes: Scilicet *obnoxium exinde fit lac acori* ſeu *cruditati acidæ* aut *nidori* ſeu *corruptioni nidoroſæ*, in quem lac ceu ſubſtantia pinguis facilè inclinat. Unde *ſi ſæpius præbeatur mamma* infanti, & *copioſius lactetur*, antequam prius lac hauſtum ex toto digeſtum, è ſtomacho fuit tranſlatum, *à ſuperventu novi lactis*, *hoc à lacte ſe incocto acidulo grumeſcit & caſeatur in ſtomacho*: unde infanti mille impendent mala.

Nam tantùm non *omnes infantum affectus. primariam originem* habent *ex corruptela lactis*, ſive *aceſcat & coaguletur*, ſive *alio modo corrumpatur*, idque vel *vitio ſtomachi infantis*, vel *vitio nutricis*, inſuetis aut incommodis

commodis utentis alimentis, & animi affectibus nimium indulgentis.

Aceſcit lac in ſtomacho fœtus, quando acida aſſumunt nutrices, aut *facilè aceſcentia*, v.gr. ſi hauriant *vinum* aut veſcatur *fructibus horæis* aut ſimilibus, item quando *mamma præbetur infanti, priore lacte in ſtomacho nondum digeſto.*

Aceſcentiam talem *lactis, ejus coagulatio & congrumeſcentia* & ſubſequens *corruptio* inſequitur. Unde rejiciuntur *excrementa viridia & acria*, manifeſtè *acorem ſpirantia:* Unde tunc temporis *tormina* infantibus ſunt moleſtiſſima, *ab acido* inteſtina torquente. Item *ex tali lacte acido, convulſiones infantum & epilepſiæ* ſunt ſatis frequentes: acor peregrinus ſanguini infuſus *efferveſcentias ardentes & inſultus febriles* infantibus conciliat, & *potius variolas ex lacte aceſcente*, quam menſtruo ſanguine derivare vellem: Nam & *achores & favi & tineæ* ſuperveniunt infantibus poſt ablactationem, *ex relicto acore à lacte vitiato & aceſcente:* Hæc mala infantibus ſunt frequentiſſima, ſicuti etiam *corruptio lactis acida* pſis eſt familiariſſima. Unde etiam in affectibus infantibus conducunt, vel *cancri, antimon. diaphoret. corall.* & ſimilia quæ promptè quæcunque acida abſorbent: Convenit itidem *Sperma ceti*, quemcunque grumum, lactiſque quodcunque coagulum promptè diſſolvens: Convenit etiam *ſemen aniſi pulveriſatum*, quod aromaticâ vi vitioſas aceſcentias corrigit, & inde productionem flatuum impedit, blandeque inteſtina abſtergendo tenellos laxat. Conveniunt etiam *aliquot guttæ ſpiritus C.C.* aut *liquoris C. C. ſuccinati*, quorum ſalia volatilia, hoſtiles acores altius in corpus tenellum penetrantes, & inde ortas convulſiones & epilepticas paſſiones corrigunt & ſedant. Hinc etiam *ſpiritus C.C. ſuccinatus*, eſt expertum remedium in epilepſia infantum.

Juxta hanc acidam corruptionem, & hinc ortam lactis fœdiſſimam corruptionem & depravationem, etiã *aliis modis corrumpitur lac in ſtomacho fœtus*, imprimis *dum nutrix* affectuum agitata fluctibus, nempe nunc *ira* nunc quando æſtuat *libidine*, nunc quando perculſa *eſt terrore*, &c.

Ex his enim *variis modis lac vitiatur:* Unde etiam *imprimis ex terrore*, & hinc *ex ira* ſubinde *epileptici inſultus* infantibus ſuperveniunt.

Hinc in varia liquaminia cadaveriſatur lac: Unde *excrementa*, nunc *intenſè flava dulcia*, nũc *fœculenta fœtida* inſtar fœcum cereviſiæ: nunc *ex nigro putrida* aut *alio modo corrupta*, imprimis in *diarrhæa infantum* rejiciuntur: quin & *atrophia* tandem, aut ſaltim *varii cutanei affectus* ſuperveniunt. *Imprimis inſigniter alteratur lac ſi furtiva venere utatur nutrix*, & *clanculum* denuo *impregnetur:* inficitur hinc lac, & iſtud nauſeare incipit fœtus, & iſtud horret ejus ſtomachus, ut ſubinde ſpontè ſe ablactare incipiant infantes: ſicut ſi *recipiatur in ſtomachum*, tanquam hoſtile, aut in *exoticum caſei coagulum* abit: Unde *caſei averſatio*, per totam vitã durabilis, aut *alia ratione in liquamina varia alteratũ*, modo *dicta mala inducit.* Unde in infantũ curis, *vel maximè nutricum habenda eſt ratio*, quorum peccatorũ pœnas inſontes infantes luunt. Et quidem *quòd lac ex impragnatione vel coitu alteretur*, ut infantes exinde iſtud nauſeant, præter communem experientiam, elegantem hiſtoriam, habet GRAFF *tract. de organ. viror. generat. inſervient.* De cane felem lactante, qui videatur, *quod verò ex alteratione lactis, poſt impragnationem & inde in ſtomacho ejus facta caſeatione*, oriatur *averſatio caſei*, poſtmodum *per totam vitam durabilis*, præ cæteris eleganter deducit M. SCHOOCK. *tr. de averſatione Caſei*, item DIGBEUS *tr.* ſatis accurato & eleganti *phyſico, de immortalitate animæ humanæ*, ubi & *de natura corporum:* & denique SCHOTTUS *in phyſica curioſa, cap. peculiari prolixo de averſatione caſei.*

Quod E. attinet in *ſpecie affectus infantum* 1. ſe offerunt.

APHTHÆ.

Sunt ſcilicet tubercula parva, ſeu veſiculæ quæ hinc inde in linguâ, carne gingivarum, palato & vicinis locis elevantur & ſucceſſivè exulcerãtur, in medio ſui utplurimum albicant, in circumferentia intensè rubent. Inſignis autem ardor & dolor, infantibus non leve impedimentum in lactis ſuctione inferunt. Hæ *ipſæ veſiculæ* ſucceſſivè, *niſi curentur, in perfecta* abeunt *ulcuſcula*, exesâ ſcilicet ſuperiori tunica ſeu pellicula, quæ tamen poſtmodum facilè curantur: *interdum ſerpunt & in ulcera ſerpentia* abeunt, & aliqualem imprimis *gingivarum putredinem* inducunt, *interdum* tamen acriori ſi conſtat materia, adjunctum ſimul habet *fœtorem & putredinem*, & ſerpendo latius vicina depaſcunt. *Primariò* dixi ab iis affligi *fauces, linguam, hinc gingivas* ac *palatum: interdum* tamen etiam *oeſophagum* occupant, imò etiam *ventriculum* ipſaque *inteſtina*, id quod tunc temporis imprimis teſtantur excreta alvi, parvis ſquamulis hinc inde conſpicua ſeu conſperſa. Aphthæ.

CAUSA harum *aphtharum*, ſæpiſſimè eſt *aceſcentia lactis in ſtomacho*, imprimis *ſi lac tenuius* paulo *ac acrius* fuerit: Unde ſucceſſivè aut *ſaliva ipſa* inficitur, aut ſaltim tàm *acres halitus ſurſum adſcendunt*, qui quodammodo *os inflammant* aut *leviter excoriant*, & hinc talia *ulcuſcula* generari faciunt.

DIAGNOSIS ex dictis patet in principio.

QUOAD PROGNOSIN.

Per ſe nihil periculi habent aphthæ, *niſi ſint nigricantes* aut *ſublividæ: Tales* enim *ſæpè abeunt, in ulcera depaſcentia & perículoſa:* ſicuti etiam aphthæ reliquæ, *ſi perfectè exulcerentur, & in ulcuſcula abeant ſerpentia*, non ſunt adeò contemnendæ.

Conducit E. ad curandas aphthas, *ablutio earundem cum urina*, aut *collutio oris & aphtharum cum aqua ferrariorum:* item *ſuccus ſempervivi & portulacæ* permiſtus *c. aqua roſarum*, ſi illinatur ori & aphthis, etiam eaſdem ſubitò corrigunt & emendant, aut

♃. Aqu. roſarum ℥ij.

Quibus miſcentur vitellum ovi probè conquaſſatum, & ſacchari tantillo permiſtum, quâ miſtura aphthis admotâ eluitur os ut ſic diſpareant.

Ubi nimis æſtuaverint tunc loco aquæ roſarum, cõmodè *aqu. ſpermat. ranarum* aut *aqu. fragor. c. tantillo aluminis* poteſt adhiberi. *Mucilag.* etiã *ſeminis cydoniorum c. aqu. ſpermat. ranarum extracta*, etiam *c. ſucco ſempervivi majoris* ſubacta, linimentum præbet non inconveniens pro illinendis aphthis: item *fungi ſambuci in lacte cocti*, pro ablutione oris optimè conducunt.

Quod ſi in ulcera abeant perfecta optimum eſt pro lotione oris *decoctum ſalviæ in vino* vel *hydromelite:* hoc enim fricatæ aphthæ & benè os ablutum aphthas ſanat, aut etiam *decoctum fol. & flor. liguſtri in aqu. communi cum pauco melle* aphthas perfectè exulceratas ſanat. Melius adhuc eſt *decoctum veronicæ* in *aqu.* cui *parum mellis* fuerit additum, aut loco veronicæ poteſt ſumi *Satureja*, quæ ſimili ratione adhibita convenit. Facit huc GINGIVARUM PUTREDO, curanda *per decoctum herb. chærefolii Mj. ſalviæ Mß.* Gingivarum putredo.

Quæ in aqua ſimplici decocta cui *parum aceti* additum ſit, & in fine *paululum mellis* addatur, dat quaſi gargariſma, ſeu miſturam admodum convenientem in hac putredine gingivarum.

Vel *ubi adhuc plus exulcerantur*, convenit *linimentum ex myrrha, thure, gallis & melle*, quæ invicem miſta exulceratis locis illinuntur.

Porrò *ubi* alia non juvant, & *ulcera ſerpentia fieri incipiunt* ex aphthis, conducit *mel roſatum*, cui *tantillum ſpiritus ſulphuris* vel *ſpiritus vitrioli* fuerit admiſtum, quo illinantur aphthæ exulceratæ ſic enim curãtur: aut denique *ulcera oris ſerpentia* in ore infantum, *curat linimentum ex melle deſpumato*, cui *album Græcum* eſt immiſtum: Hoc enim illitũ loco exulcerato eundem ſanat.

Colluatur poſtmodùm *os c. aqu. vincæ pervincæ*, *c. aqu. ſalviæ, plantaginis* & ſimilibus.

Hæ ſunt aphthæ.

Poſt Aphthas imprimis malum eſt infantibus frequens, nempe.

DENTITIO DIFFICILIS.

Dentitio difficilis. Nam dentium pulpa radicalis in formatione fœtus inſeritur gingivis in forma mucilaginis mollis: poſtmodum dum 5. vel 6. menſium ſunt infantes, circa 7. iſta pulpa dentium ſucceſſivè indurata & augmentata penetrare incipit, per gingivarum carnem ſpongioſam: Si E. facilè penetrat & hanc carnem perforat, eſt dentitio facilis: Qòd ſi *propter tenacitatem* aut *duritiem gingivarum* difficilius erumpat, propter concurrentia gravia ſymptomata, eſt *dentitio difficilis*. *Erumpunt* primò *dentes inciſores* ſ. *anteriores*: hinc *canini* ac tandem *molares*. Dixi quod imprimis *durities gingivarum* ſit cauſa: Unde dum non poſſint ſatis penetrare, *intenſus dolor gingivas* cruciat, *incaleſcunt* exinde & *rubeſcunt*, & inſigniter *tument*, & exinde *ſenſus calori, per os egreditur ex dente*: *continua ſaliva madet os*, quæ *ſaliva* continuo etiam deglutita *laxat ſtomachum & inteſtina*, *ut* ſucceſſivè *ſuperveniat diarrhœa*. *Inflammantur* ſubinde *in tantum gingivæ, ut ardor febrilis* ſuperveniat, qui exacerbatur *ex vigiliis continuis* propter dolorem: quin & *dolor interdum tantus* eſt, ut *epilepticæ convulſiones* frequentiſſimè ſuperveniant: donec erumpentibus tandem dentibus iſta ſymptomata ſucceſſivè ceſſent. Et quidem *diarrhœa* dentitioni ſuperveniens *eſt ſalubris, nec adeò facilè ſiſtenda*. Obſervatus fuit interdum in infantibus ſub dentitionis tempore, *genuum tumor*, *qui linquendus eſt*, nam ſuperveniens *diarrhœa*, interdum eundem *ſolvere* ſolet.

QVOAD SIGNA iſta patent ex allatis, *ex dolore, ſalivâ, tumore, caloris ſenſu, tempore* & ſic porrò. Imprimis *quando incipit infans gingivis acrius & fortius terere papillas dum ſugunt*, tunc ſignum eſt *imminentium dentium*.

QVOAD SIGNA PROGNOSTICA: *Convulſiones epilepticæ* imprimis *periculoſæ* ſunt, ſi ſuperveniant dentitioni difficili, quæ tamen & *leviores* ſunt, & *minus periculoſæ, ſi adjuncta ſit diarrhœa*: alias ſæpius ſunt *funeſtæ*: In ſpecie autem *ex caninis dentibus* graviter laborare ſolent infantes, *propter eorum duritiem & majorem acutiem*.

QVOAD CVRAM E. omnis intentio eò dirigatur, *ut gingivæ ſucceſſivè emollitæ facilius tranſmittant erumpentes dentes*. Pro quo ſcopo miſceatur *mucilago ſeminis cydoniorum & ſem. altheæ* paratæ *c. aqu. ſpermat. ranar. c. butyro recenti inſalito* recipiendo utriuſque ana ℥ß. quibus addatur *vitell. ovi dimidium*, ſubigantur mutuo in formam linimenti, quo illinendæ ſunt gingivæ. *Mel* etiam *vel ſolum, vel c. medulla crurum vituli* ſubactum & gingivis dolentibus illitum dolorem ſiſtit. Hæc ſi non juvant *ſanguis ex criſta galli inciſâ ſtillans*, gingivis illitus, dentium eruptionem promovet: vel recipiatur *ipſa criſta galli*, imprimis *à gallo nigro* deciſa, eaque manducanda quaſi vel gingivis conterenda præbeatur infanti: Hoc n. modo etiam promovetur dentium eruptio. *Cerebrum leporum* eſt unum ex ultimis remediis, quoniam potentiſſimè dentes qſ. protrahit: in cujus locum tn. poteſt ſubſtitui *cerebrum agni vel hirci*. Mitigatur ejuſdem vis nimia, *ſi coquatur*, prius *c. melle* & ita linimenti ſpecie illinatur. *Externè fomentationes* fiunt *maxillarum, cum oleis chamomill. & lil. albor. c. unguent. dialtheæ, cum decoctis & cataplaſmatibus emollientibus diſcutientibus* & ſimilibus. Quidam faciunt *linimentum ex axungia leporis, c. melle deſpumato*, ana ex quibus paratum linimentum poſt aures vel ante aures illinunt, ut facilitetur & dentium eruptio & præcaveatur vicinarum partium tumor. *Intra os* ſupradicta *emollientia, ex mucilaginibus & axungiis non adeò nimis copioſè* aut *frequenter uſurpanda* ſunt, quando nempe *adeſt diarrhœa*, quia periculum eſt ne talibus laxantibus & lubricantibus ſucceſſivè deglutitis exaſperetur potius quam leniatur diarrhæa, utut dentibus conducat. Hæc eſt *dentitio vera*. Reperitur præterea etiam *dentitio notha, quando* ſcil. *erumpunt tubercula in gingivis*, iiſque *inſigniter dolentia, ex quibus tn. nulli dentes erumpunt*, quin potius lactationem impediunt & lactando infantes ſuctum ſonorum edunt: Imprimis hujuſmodi *dentitio notha cognoſcitur, ſi infantes juxta aures digitis premãtur*, tunc n. incipiunt ejulare. *Malum* quod *propter dolorem* aut ſubſequentem *inflammationem eſt ſatis periculoſum non rarò*. CURA hujus *dentitionis nothæ* conſiſtit in eo ut *inungantur infantes circa & pene aures, axungiâ leporina*: ipſi v. *tumores illinendi* ſunt & *fovendi ol. amygdalarum dulc. recenti*; Sic n. ſucceſſivè evaneſcunt. Hæremus adhuc in affectibus infantum, & quidem poſt difficilem dentitionem ſe offert ulterius.

VOMITUS.

Vomitus. *Fit* ſc. ſæpe ut *infantes continuò vomant*, eaque *varia*, nunc *albicantia viſcida*, nunc *tenuia flaveſcentia*, nunc *viridia acria*, quæ vulgò vocatur *æruginoſa*, nunc ſimilia. *Cauſa vomitus* quærenda eſt *in lacte* imprimis, quod vel *per ſe vitiatum* vel *in ſtomacho fœtus corruptum* irritando vomitum infert: imprimis equidem *copia lactis ſola* ſæpe eſt cauſa vomitus, imprimis *ſi ingeratur lac novum, priori nondum concocto*. Hinc n. fit ut *lac recens* ſuper infuſum *congrumeſcat* aut *coaguletur*, aut ſaltim tranſeat in *liquamen viſcidum* aut *mucilaginoſum*, quod obſtruendo pylorum eumque oppilando, cauſa eſt ſuccedentis vomitus, & quandiu tales grumi, aut talia liquamina viſcida pylorum infarciunt, tamdiu vomitus etiam continuat ac præterea inquieti ſunt infantes, & interruptis clamoribus in ſomno perturbantur. *Nec tantummodo lactis copia* & *inde orti grumi ac viſcida* in pyloro hærentia, *d. m.* quæcunque *ejuſdem corruptiones in ventriculo* vomitum inducunt.

Unde *ſi nidore corripiatur* lac, *flaveſcentia ſubfœtida* excernuntur.

Sin *vitioſis ſuccis* ex inteſtinis in ſtomachum regurgitantibus, in ſpecie *acore peregrino in ſtomacho inficiatur lac*, hoc *virideſcens & æruginoſum* per vomitum rejicitur.

Affectus per ſe patet: Cognitio ſaltim circa cauſas verſatur.

Copiam lactis adeſſe vomitus materiæ albicantis & viſcidæ teſtantur. *Nidore corrumpi lac fœtida flaveſcentia* rejecta loquuntur.

Viridia & ſimilia per ſe patent.

QVOAD PROGNOSIN. *Vtilis eſt vomitus in infantibus*: ex quacunque cauſa oriatur, *ſi non ſit nimius*: innuit enim robuſtum ſtomachum (vulgò dicitur ſtomachus flaccidus, quod tamen falſum eſt) id eſt, ſatis ſenſilem & validè ſe contrahentem moleſta rejicientem, quin & *interdum promovendus eſt vomitus*, ſi ſignum adſit ventriculi malè digerentis ingurgitatum lac: Et quidem *minimum periculum habet vomitus*: *ſi ſit a copia lactis*, *ſuſpectus* autem eſt nonnihil *quod varicolore, crocea, viridiuſcula ac nigricantia* rejiciuntur.

Pravus eſt & non abſque cautela conſiderandus qui eſt *fœtidus*, cùm putredinem lactis inſignem ſubeſſe connotet.

QVOAD CVRAM ubi ſufficienter eſt evacuatus ſtomachus, pro quo ſcopo *ſyrupus de cichorio c. Rhabarbaro* interdum conducit. Ubi, inquam, ſufficienter evacuatus, tunc *ad quemcunque infantum vomitum* inſigniter commendat JOEL *in ſua praxi dictum* non ſine ratione, quod fit ex

Caryophyllorum ʒß &
Granorum Maſtichis ʒiij. quæ ſimul conciſa in ℥vj.

Vini rubri, bulliant, cujus liquoris ſubinde cochlear. j. vel alterum infanti propinandum eſt.

Imò commendat hic ipſe etiam *in abſentia febris*,

Quod

quod in infantum vomitu commodè propinetur *gutt. ij. olei deſtillati Caryophyllorum in pauxillo vini*, quod mirè conducit contra infantum vomitus. Loco olei Caryophyllorum, quod tamen ferè eſt optimum, ſunt qui *oleum Menthæ deſtillatum* it: *oleum deſtillatum Zedoariæ*, imprimis *ubi ſimul ſunt tormina*, commendant; hinc talem potiunculam præſcribere poſſumus.

♃. Aqu. Menthæ ℥iß.
Syrup. Cydoniorum ʒvj.
Coral. rubr. præparat. gr. xv.
ole. deſtillati Zedoariæ gutt. iv.
Menthæ gutt. ij.

Subacta invicem miſceantur: *in abſentia febris*, & propinetur cochlear j. vel alterum contra vomitum infantum. Ex *Cydoniis* aliàs *quæcunque parata & aromatica condita*, ut acor temperetur, conducunt contra vomitum infantum, & talia *ſubacida tutius* uſurpari poſſunt, quando *ablactati ſunt infantes*, quoniam tunc abeſt metus ex lacte coagulato.

Conveniunt itidem *gr. Maſtichis c. pulvere Galangæ & Caryophyllorum* infanti propinata; it: *Moſchata pulveriſata pulticulæ inſtrata*, aceſcentiam lactis prohibet, concoctionem adjuvat, & in ſpecie vomitum ſiſtit.

Quòd ſi *variegata* ejiciuntur ſeu *diverſicolora* & ſuſpicio eſt, non ritè fieri ſeparationem Chyli à fæcibus in inteſtinis, imprimis *clyſmata* conducunt, quæ ſtimulando inferiora inteſtina ex ſuperioribus materiã deorſum verſus proliciunt. Componenda tunc ſunt *ex carminantibus* imprimis *aromaticis*, quibus pro ſtimulo *parum ſalis gemmæ* addatur: aliàs *externis* inungatur *ſtomachi regio c. oleo Maſtichis & Cydoniorum*, quibus *aliquot gutt. olei deſtillati Caryophyllorum & Menthæ* ſimul adduntur. Aut ♃. *cruſta panis madefacta vino Malvatico* aut *irrorata acet. deſtill.* cui inſpergatur ulterius *pulvis Caryophyllorum* & *Moſchatæ*, & hoc Epithema imponatur *externè regioni ſtomachi & hypochondriorum* ad nimium ſiſtendum vomitum. Vel ♃. *parum fermenti* & miſceatur *c. pulvere Menthæ Moſchat. & Caryophyllorum*, quæ invicem ſubacta, calefacta apponantur ſtomacho.

Cerotum ſtomachale ex Ladano & ipſum convenit infantibus, non minus quàm adultis.

Porrò poſt vomitum frequentiſſimum malum infantibus eſt, *quando torminibus* cruciantur: Faciunt E. huc

TORMINA VENTRIS

Tormina ventris

Orta ſemper ab acido tenellis infantum inteſtinis admodum nocivo.

Acor iſte eſt à lacte corrupto, quod *aceſcens* aut *in ſtomacho* aut poſtmodum *in inteſtinis*, & rodit inteſtina ac *tormina excitat*, quin & ex acido per vitioſam cum bile fermentationem excitantur *flatus*, *à quibus* ſimul & *hypochondria infantum*, uti vocant, & præterea *totum abdomen interdum mire diſtenditur* (NB. vidi ego aliquando tantam *à flatibus* abdominis diſtenſionem, ut etiam *hernia ſcrotalis* ſequeretur.)

Tales *infantes qui torminibus ex acido* infeſtantur, habent *excrementa* utplurimum *viridia*, quæ vulgo vocantur *porracea*, plus minus prout magis vel minus peccat acidum: Talia *rejecta manifeſte acidum ſpirant*, & *colorem habent viridem* quaſi *ex lacte ab acido corrupta* c. bile concurrente & efferveſcente, talis *color* tertius *vireſcens ſ. æruginoſus* exſurgit.

Vulgo *refrigeratio corporis* non immerito hic accuſatur: Nam *frigidum* facilè lædit tenellum infantis ſtomachum, ut exinde non ritè digeratur lac, ſed acore corrupto inquinatum ad inteſtina deſcendat.

SIGNA

Torminum præter iſta *rejecta viridia & æruginoſa facilia* ſunt, dum *inquieti ſunt* infantes, & hinc inde ſe jactant: *Mammas recuſant*: Præterea utplurimum ſimul *inflatio abdominis* adeſt, ac ſubinde *ventris crepitus* emittere obſervantur. *Alvus rarius eſt apta nimium* utplurimùm *naturaliter ſe habet* quoad excretionem *niſi in colore*.

QUOAD PROGNOSIN.

Si acidum corruptum ſit nimium, *tormina interdum in Epilepſias degenerant convulſivas.*

QUOAD CURAM.

Primatum ferè obtinent injecta *clyſmata ex decocto* imprimis *Chamomillæ & aniſi*, in quo decocto *olei deſtillati rutæ aliquot gutt.* poſſunt diſſolvi quod eſt egregium in torminibus infantum. Loco *olei rutæ aliquot gutt. olei deſtillati aniſi* commode diſſolvantur: nam & hujus aromatica vis inteſtina ſolatur, ut utar verbis HELMONTII. *Baccæ Lauri & Juniperi*, it: *parietaria* commode permiſcentur dictis Clyſmatibus vel etiam *electuarium de baccis Lauri* commode diſſoluitur.

Præter iſta Clyſmata *interne* conducunt primo *lenia abſtergentia*, quæ ſunt, uti dixi, *ſyrupus roſarum ſolutivus*, it: *pulvis ſeminis aniſi ad* ℈j. propinatus, qui maxime conducit tenellis, dum non tantummodo corruptionem lactis acidam corrigit, ſed etiam aromaticã vi flatuum generationem impedit, & ut ſupra monui, blande infantes laxat: In ſpecie *ubi viridia & porracea rejiciuntur*, convenit *pulvis comitis de VVarvvick ad* ℈ß. propinatus: Commendatur à RIVERIO *cent.1. obſ.17.* Porro *aqua carminativa* DORNCREILLII, in quâ *cum ſyrupo de chamomilla* qui experiſſimus eſt, aliquot gutt. *olei deſtillati aniſi* ſunt permiſtæ optime conducit. Quin & *ſyrupus de Corticibus aurantiorum* non inconvenienter præbetur tenellis. *Vulgò* uſurpant *Theriacam* contra tormina magnitudine piſorum ſ. quantum cultelli parvi cuſpide capi poteſt: *habita* tamen *ratione ætatis.* Nam non niſi *cautè* propinatur *propter Opium*: *laudani* tamen *Opiati* gr.ß. *cum aliquot granis confect. alkermes* aliis irritis optime confert.

Aurum fulminans à quibuſdam habetur in ſecretò contra infantum tormina, ſi ad *gr. ij. vel iij.* propinetur, idque imprimis *ubi ſimul contumacior ac obſtructa alvus* fuerit.

Sed ex his optimum eſt *ſemen aniſi c. ocul. cancror.* & unâ alterave *guttulâ olei deſtillati aniſi.*

Externe inungitur abdomen & umbilicus infantis *c. oleo 7. florum* MYNSICHTI, cui pro ſtimulo aliquantulum *olei Caryophyllorum & olei rutacei deſtillat.* additur: ita *oleum Chamomillæ* acuatum *c. oleo deſtillato cumini* aut *corticum aurantiorum* etiam tantùm utiliter inungitur umbilico.

Quibuſdam commendatur *cimmentum ſ. unguentum* factum *ex ſpolio ſ. exuviis ſerpentum coctis in pinguedine propriâ c. oleo anethi*: ex quibus paratum unguentum abdomini illitum confert contra tormina infantum.

Fotus parati *ex aniſo & chamomill. cum ſummitatibus anethi & foliis lauri* etiam commode imprimuntur abdomini.

Quod ſi tormina oriantur *à mucilagine acidâ viſcidâ* pertinaciter inteſtinis adhærente, & quæ per Cliſmata convenienter abſtergi nequeat, convenienter paratur *unguentum* ex

Gumm. ammon in aceto ſolut. ʒj.
Terebinthin. ʒß.
Aloës hepat. ℈ij.
Sevi Cervini &
Butyri non ſaliti ana q. ſ.
quæ miſta dant unguentum; Cui
olei deſtillati aniſi ℈ß.
convenienter additur: Hoc unguento illinatur abdomen, reſolvit & liquefacit mucilaginem acidam, eamque per inferius guttur evacuare juvat.

Dixi modò, quòd *lac acidum* aut *aciditate corruptum in inteſtinis c. bile concurrendo* per *fermentationem generet flatus*, *qui collecti* in inteſtino colo *ſub hypochondriis* inferunt affectum, qui vocatur

DOLOR SEV TVMOR ET INFLATIO HYPOCHONDRIORVM.

Dolor ſeu tumor & inflatio hypochondriorum. Per ſe patet hoc malum: nam apparet, quia *infantes tales difficilius reſpirant*, *inquieti ſunt*, ac *ſi continguntur circa hypochondria, ejulare* ſolent; quin & *ſolo viſu malum* facilè *patet*.

In tali caſu *corruptio lactis acida emendanda* & *flatus producti per anum ejiciendi* & *reſolvendi*.

Pro hoc ſcopo imprimis *Rad. angelicæ pulvis* convenit *c. pulticula* propinatus l. *aliquot guttulæ olei deſtillati* ſimul interius infantibus porrectæ ad inflationem hypochondriorum optimè conducunt.

Poſt angelicam *ſemen cumini & aniſi* eorumque oleum conveniunt.

Herba Botryos, à quibus tanquam experimentum ſingulare laudatur, *ſi aqua ejus deſtillata* ſæpius propinetur infantibus imprimis ſæpius cohobata à nova planta, mirè enim conducere ad inflationem hypochondriorum prædicant. *Huic aquæ* commode *Syrupus corticum aurantiorum* addi poterit.

Externe conducit *oleum rutaceum & laurinum*, cui aliquot *gutt. olei deſtillati angelicæ* ſunt additæ. It: *Extractum angelicæ* umbilico illinendum ſuadent. Sunt qui *ſemen botryos contuſum in oleo communi* & digeſtum tanquam expertiſſimum laudant, *ſi externe inungatur hypochondriis inflatis*.

Vulgò notum eſt, quòd uſurpetur ordinario *butyrum rubrum*.

Malis modò dictis vicinus eſt

ALVI FLVXVS.

Alvi fluxus. *Dum* nempe *infantes copioſiſſimè ejiciunt per anum*, cum quo *conjuncta* eſſe ſolet eorundem *imbecillitas*, ſæpius adeſt *dejectus appetitus*, & tandem nonnihil *atrophiâ* corripi incipiunt infantes.

QVOAD CAVSAS,

Dentitionis tempore, uti notum eſt, *ordinario ſupervenit Diarrhœa*: *Dum continuo os madet ſalivâ*, quæ *copioſius deglutita* lactis digeſtionem prohibet, & inteſtina nimis laxat, cum ſimul propter *dolorem & inquietudinem* lac minus commode concoqui poſſit, qui ſponte ex pyloro delapſum denuò egeratur. Aliàs etiam ſæpius *lac nimis aquoſum*, *tenue & ſeroſum ex nutrice* tale *hauſtum* alvi fluxum infert, id quod fit imprimis, *quando nutrices crebrius uſurpant potum frigidum*, aut etiam *quando mammas libero veneri exponunt*: tunc enim lac crudius & ſeroſius generari ſolet, à quo hauſto ſæpiſſimè alvi fluxus ſupervenit.

Malum per *ſe patet*: *an cauſa ſit dentitio*, etiam non latet: *vitium nutricis ex ejus diæta* cognoſcitur.

Alvi fluxus in dentitione, uti monui, *potius conducit*, *quam eſt nocivus*, *ſin verò ſit nimius*, imprimis *ſi ad 7. uſque* porrigatur *diem*, *funeſtus* eſſe ſolet.

Mitior tamen eſt *alvi fluxus*, *ubi albicantia* aut *flaveſcentia* rejiciuntur: *deterior*, *ubi variegata* in ſpecie *fœtida* excernuntur: *ſi appetitus adhuc conſtat*, *res bene habet*, hoc nimis dejecto res non caret periculo.

In febri ardente aut *acutâ* ſi *nigra* rejiciantur, infantibus ferè *periculum mortis* imminet.

QVOAD CVRAM.

Imprimis *nutrix* operam, det, ut *calidis & nonnihil aromaticis veſcatur alimentis*, *potus omnes calidos bibat*, ut ita lac ejus nonnihil alteretur.

Ulterius *mumia c. ſpermate ceti* permiſta *ad ℈j.* optimè ſiſtit alvum infantum, etiam ubi laborant Dyſenteriâ. *Gummi Arabicum ad ʒj. in juſculo gallinæ* aut *carnis* exhibitum inſigniter conducit ad ſiſtendam infantum alvum: *Ubi nulla urget febris parum Theriacæ c. Cryſtallis* aut *Coral. præparatis* commodè poteſt propinari infantibus. Item, *pilulæ ex extracto Tormentillæ* cui *granulum ß. aut etiam* adhuc *minus laudani opiati* ſit additum, offerri etiam poſſunt infantibus, vel

℞. Aquæ plantag.
Cinnamom. Cydon. ana ℥j.
Extract. Tormentill. ʒß.
Thariacæ gr. viij.
Syrup. Coral. ℥ß.
M.

De qua miſturâ cochlear unum alterumve interdum, ſed rarius propinetur infanti ad ſiſtendam alvum.

Grana Maſtiches deglutita c. pauco Moſchat. permiſta etiam ſtomachum roborant & alvi fluxum ſiſtunt, vel ſubigatur *Maſtiche c. pauco ſyrupo de roſis ſiccis & Cydoniorum*, aut etiam *c. Syrupo Maſtichino* & ſubiude lambendum offeratur infanti. *Tincturæ coral.* imprimis commendantur à modernis, ſi nimio acore non ſint inquinatæ.

Unde *tinctura coral. c. ſpiritu cordis cervi* in parvâ doſi propinari poteſt infanti, *in ſpecie ſi cum febri malignâ vel torminibus conjunctus* ſit alvi fluxus. Hiſce, *ſi dyſentericus ſit fluxus*, *Bolus Armenæ Cryſtall. præparat. ubi viridia* ſcil. *rejiciuntur & acria*, *mandibulæ lucii piſcis* ac ſimilia acidum abſorbentia addi poſſunt.

Externe Theriaca umbilico inungenda aut etiam *oleum Maſtichinum & Nardinum c. aliquot gutt. olei ſpicæ* umbilico illinendum eſt.

Item, *fotus* factus *ex mentha*, *plantagine c. Rad. Tormentill. in vino rubeo*, cui ſimul *Moſchat.* & *caryophyll.* ſunt addita: Fotus ita applicetur calidè abdomini, ut nimius impediatur fluxus.

Locuti ſumus de alvi fluxibus, quibus oppoſitum vitium eſt *nimia*

ALVI ADSTRICTIO.

Familiaris & periculoſa ſimul infantibus, ita quidem *ut infantes qui naturaliter bis quotidie ad minimum* egerunt, interdum *ad biduum & ultra* nil excernant. *Alvi adſtrictio.*

CAVSA ſæpiſſimè eſt *mucilago viſcida*, *craſſa & tenax ex lacte minus debite cocto in inteſtinis congeſta & hinc inde in eorundem anfractibus agglutinata*: quæ cum ſit tenax & viſcida, difficulter mobilis, hinc inde *obſtructioni alvi* occaſionem præbet, idque eò *magis ſi ipſum lac* quod hauriunt infantes, *craſſum* aut *alimentis adſtringentibus adſtrictorium fuerit redditum*, *ſi* nempe *nutrices veſcantur alimentis adſtringentibus*, fit interdum ut infantibus obſtruatur alvus: Exemplum tale clariſſimum habet TIMÆUS *in ſuis caſibus p.282.* ubi obſervatur pertinax *alvi obſtructio in infante*, cujus mater lactans *caſtaneas* in nimiâ aſſumpſerit copiâ.

Denique accedit his ſimul *bilis defectus in inteſtinis*, cujus vis ſalina attenuat & liquefacit fæces alvinas eaſque mobiles reddit ac fluidas.

Unde *ſi* vel *mox poſt partum infarctus ſit ductus Choledochus à meconio* (*Unde* tunc fit *Icterus* interdum *in infantibus*) aut ſi *mucilago ſimilis tenax eundem ductum oppleverit* utplurimum infans ſolet eſſe obſtructæ & adſtrictæ alvi.

Ipſum vitium per ſe eſt manifeſtum. *Cauſæ ipſæ latere nequeunt* imprimis *ſi eſt à matre* vel *nutrice*. *Sin viſcida & tenax mucilago* ſit cauſa: *excreta ſunt craſſa & tenaciora.*

Bilis denique *defectus in inteſtinis* ſi fuerit, ea quæ *rejiciuntur*, *alba* ſunt *cineritia minuſque ordinarie tincta.*

Periculo equidem *vacat* hoc malum, *niſi ſit nimis diutur*

diuturnum, naturale eſt enim infantibus, ut alvus eorundem ſit ordinario laxa.

Ut E. curetur alvus obſtructa, conducunt ea, quæ *leniter laxant* infantes, uti ſunt *ſyrup. de Cichor. c. Rhabarbaro.*

Item, *Syrupus de pomis Regis ſabor.* it: *Syrup. flor. perſicorum recentium deceptorum* non ſponte decidentium: Item, *paſſulæ laxativæ officinales* propinatæ: aut ſaltim *brodium paſſularum laxativum* ſubinde infuſum cochleatim.

Manna pro ratione ætatis *à* ʒß. *ad* ʒj. *vel* ℥ij. diſſolvitur *in lacte* & ita propinatur infanti, vel *admiſcetur* hæc manna eorundem *pulti*, nam dulcedine ſuâ blandiente non rejicitur ab infantibus.

Si mucilago tenax ſit in cauſa primario convenit *Mechoacanna* blanda & inſons laxativa quæ *à* ℈ß. *ad* ℈j. infanti *c. pulte. v. c. pane Martio* propinari poteſt, quamvis ſit citra ſaporem & odorem.

Muſcerda una vel duæ pulveriſatæ pro ratione ætatis, *c. pulticula uſitata* ſimul miſcetur & infanti propinetur, exinde enim ſalubriter admodum laxantur infantes. Medium hoc eſt RULANDI expertum, qui ſuo proprio filio trium menſium nato ex alvo obſtructa inſignibus alvi torminibus correpto propinavit *Muſcerdæ no. j.* in pulticula ſolita, unde ſoluta fuit alvus & dolor omnis ceſſavit. Vel propinatur tenello *ſpermatis Ceti* tantum, quantum cuſpis cultelli poteſt capere *in cereviſia calida.* Nam hæc etiam blande viſcidam mucilaginem abſtergunt & alvum laxant.

Denique ubi magis adultus fuerit infans ♃. *Cremor. tartari* ℈j. cui admiſceatur *Diagrydii* gr. v. *pulveris datur à* ℈ß. *ad* ℈j. *pro conditione* nempe *ætatis.*

His internis commode etiam *externa* quædam ſimul adduntur: quâ ratione non tantùm *ſuppoſitoria domeſtica ex ſapone Veneto* parata, &, *ubi fortius ſtimulandum oleum Diacolocynthidos* QUERCETANI illita conducunt vel fiant *ſuppoſitoria ex* ʒß. *ſtercoris muris c. melle ad duritiem cocto*: nam & hoc alvum blande proritat. Aut infundantur *Clyſmata emollientia ad* ℥iij. *vel* ℥iv. *pro ratione ætatis.* Convenientiſſimum eſt *Clyſma ex brodio* ſ. *decocto piſorum* in quo diſſolutum ſit *ſaccharum nigrum.* Nam hoc abſtergendo ſordes mucilaginoſas alvum aperit. Sin *meconium* ſ. *excrementa indurata ſint in colo ejuſque cellulis Clyſma* ſolum *ex oleo raparum & lini* paratum commode eadem educit.

In ſpecie in uſu ſunt *Epomphalia* ſ. *unguenta laxativa umbilico illita*, quæ fiunt, v. g.

Ex aloës ʒj.
fell. tauri ʒij.
Scammonii ℈j,

quæ cum butyro & melle rediguntur in formam linimenti & illinuntur, circa umbilicum abdominis, ſic enim aperitur alvus. His ipſis Epomphalibus etiam *oleum Nicotianæ*, *unguentum de althea*, ubi fortius agendum, *unguentum de arthanita* commodè permiſcetur. Vel fit *linimentum ex ſucco Cyclaminis* ſubacto *c. adipe gallinæ*, quæ blando calore decoquantur ad conſiſtentiam linimenti umbilico illinendi.

Item, *pomum Boſdorffianum putridum c. pinguedine anſerinâ* ſubactum abdomini illitum prompte alvum infantum reſerat:

Denique ſi
♃. ſpecierum Hier. pier. ℥j. Scammonii gr. v.
Hæc *in Cortice nucis juglandis umbilico appoſitæ* contumacem alvum proritant.

Præter dictos affectus, qui infantes in inteſtinis cruciant, imprimis etiam ſunt

LUMBRICI

Lumbrici. Frequentes hoſpites infantum *primario* quidem *Lumbrici longi*: *rarius* infeſtantur *lumbricis latis* ſ. *tineis*, quorum ſpecies eſt qui vocantur *Lumbrici Cucurbitini*; *rariſſimè* omnium infantes affligunt *Aſcardes* quæ ſcil. *incolunt inteſtinum rectum. Lumbrici* frequentiſſimi ſunt infantibus, & ex iiſdem vel mille ſymptomata infantibus ordinario impendunt, adeò ut etiam *horrendas Epilepticas convulſiones* in iiſdem excitent. Ob id *accuratiores Practici* ſtudioſè *monent*, *in omnibus affectibus infantum* curandis, imprimis *abſtruſioribus*, ſemper *ad lumbricos eſſe attendendum*, quorum latentia ſigna peſſima inferunt ſymptomata.

GENESIS lumbricorum eſt in inteſtinis imprimis *tenuibus* & ſæpius originem præbet ἀδηφαγία ſ. *copioſiori ingurgitationi lactis aliorumque alimentorum.* Hæc enim copioſius ingurgitata, dum non ritè digeri poſſunt, in putredinem degenerant, *in ſpecie pultes farinaceæ* aliàs *facile verminantes.* Dum ergò in inteſtinis ita putreſcendo corrumpuntur, in lumbricos abeunt, idque *eò citius*, *ſi infantes paulo robuſtiores* l. c. *lacte* l. c. *pulte fructus horæos ſimul aſſumant*: quorum fermentativa vis, uti corrumpit lacticinia & pultacea, ita promptiſſimè lumbricos generat.

Faciunt huc etiam *dulcia* fermentando facillimè animalia ſubminiſtrantia eaque varia: Unde talia *dulcia ſaccharata*, imprimis in infantibus lumbricos frequentiſſimè generant. Et hinc eſt quod etiam *Lumbrici per dulcia ex lacte*, *ſaccharo*, *melle* parata, imprimis alliciantur & ineſcentur.

REMOTIOR CAUSA quòd ex his proximis generentur lumbrici, quærenda eſt *in conditura bilis balſamicâ debiliore*: Uti namque ſal vol. oleoſum bilis inſtar balſami condit Chylum, eumque præſervat ab omni corruptione, idque eò magis, quò acrior magiſque ſalina volatilis fuerit; uti eſt in juvenibus adultis; ita cùm in infantibus ſit magis temperata & minus ſalina ob id minus condire poteſt Chylum minuſque defendere eundem à putredine & verminatione. Unde *rectè* dicit *Helmont. Ubi bilis deficit fermentum, ibi lumbricorum eſt cubile. Unde* etiam talia quæ *amaricantia* ſunt, & bilis balſamo cognata, uti ſunt *Myrrhata*, *abſinthiaca*, *aloëtica*, *colocynthidea* & denique ipſum *fel bubulum promptè lumbricos fugant & pellunt.*

SIGNA lumbricorum præſentium ſæpiſſimè *latent in* obſcuro, *niſi interdum unus alterve mortuus per alvum ejiciatur.* In ſpecie tamen *infantes quibus adſunt lumbrici*, iis *ferè ſemper jejuno ſtomacho os copioſa madet ſaliva*: item *ſubinde attrectant nares*, *ſomnia habent turbulenta & interrupta & in ſomno dentibus ſubinde ſtrident.*

Hæc ſunt fere *primaria ſigna* quæ in lumbricorum præſentia ſe ſolent manifeſtare. His accedunt quod *Tuſſis* ſæpius adſit *ſicca*, *mox ubi evigilant*, *gravi torquentur ſiti*: interdum etiam *nimium* habent *appetitum*, cum quo *nihilominus corpore deficiunt* ſ. minus nutriuntur, interdum *ſimul inflatur venter ac turget.* Item, *dum ventre adhuc ſunt vacuo*, *tormina* patiuntur *roſiva*, quæ tormina fere ceſſare ſolent, ubi *aliquid* alimenti aſſumpſerint: *Color faciei eſt inconſtans*, *rubent interdũ*, *interdum ſubitò*, *denuò pallent* ut plurimũ tamen *præternaturali ſuffunduntur pallore.* Superveniunt tandem *febres* eæque ſæpius *malignæ* aut ſaltim *varii typi inconſtantis*, quæ mire infantes excruciant. *Diu ſæpe* his ipſis infantes *laborant lumbricis*, citra hoc quod gravius patiantur incommodum: tamen quoniam præter dicta ſymptomata interdum *periculoſas* inferunt *convulſiones*, *lethalia* imò *interdum ſymptomata*, ob id opera danda, ut quantocyus fugentur.

IN CURA eorundem obſervandum, ut *per inferius guttur* ſ. *alvum* ſemper *injiciantur dulcia*, quæ ipſis ſint amica, & lumbricos deorſum verſus ad ſe alliciant; qualis ſunt *Clyſmata ex lacte* aut *ex decocto paſſularum c. ſaccharo*, aut *ex decocto Caricarum* aut ſimilibus. Hæc namque dulcia deorſum verſus proliciunt lumbricos, dum interea *per os* propinanda ſunt talia, *quæ eos aut enecant* aut ceu *ipſis adverſa fugant.* Si propinentur *enecantia*, *ſimul vel brevi poſt ſubjungenda*

genda ſunt purgantia eos expellentia. Nam licet ſemel enecati ſint, ſi tamen adhuc hoſpitentur in corpore, ex eorum corruptione novi exſurgunt lumbrici.

Conveniunt E. *interne Me hoacanna*: it: *paululum de Ialapa*: it: *Syr.flor.perſicorum* admodum infenſus lumbrici: ſi *paulò robuſtior fuerit fœtus*, non eſt melius interficiens aut enecans lumbricos quàm *Species diaturbith c. Rhabarbaro à gr. VIII. X. uſque ad XV.* propinatæ. Imprimis *mercurius eſt* juratus lumbricorum hoſtis, ſive *vivus* propinetur ſive *c. ſaccharo*, quod ſuccum ſingularem vocat SCHROEDERUS *in pharmacopœja*, *mercurius vivus* ſubigatur in formam pulveris plumbei, qui pulvis aliàs notus eſt ſub nomine *pulveris ad vermes* D. MICHAELI qui eſt certum experimentum & promptiſſimè vermes enecat & expellit. Si non habetur, aſſumendus eſt *mercurius dulcis* qui commodiſſimè *ſub formâ boli* propinatur: (Nam ſi in liquore diſſolvatur in forma pulveris, ſub antiqua facie cochleari adhæret) v. gr.

♃. Conſerv.flor. Roſarum, vel (quod melius)
Conſerv. flor.perſicorum ʒß. (qui tamen amaricat) ad ʒj. (pro ratione ætatis infantis.)
Mercur. dulcis ℈ß. vel gr.xv. vel xviij.
(pro ratione fœtus)
C. ſ. q. Syrup. flor. perſicorum F. l. à Bol.
contr. verm.

Ubi *infans* fuerit jam *aliquot annorum*, commodè pro ſtimulo *aliquot grana Ialapæ* addi poſſunt. Nam *Ialapa* etiam promptè pellit lumbricos: Ulterius *aqua Hermetica* quam vocant, ſ. quæ *fit ex infuſione mercurii vivi* ejuſque agitatione, certum eſt experimentum ad lumbricos.

" ♃. v. gr. aqu. Hyperici q. v. (Nam hoc etiam eſt
" inimicum lumbricis) huic immittere *mercurii vivi*
" bene purgati, aut quod melius eſt ex laboribus mer-
" curialibus reſuſcitati (vocatur alias revivicatus)
" infundantur in aquam, probe agitentur invicem in
" lagena vitrea & agitatione exacte permiſcentur,
" reponitur hæc miſtura, ut mercurius omnis fundum
" petat & aqua ſuperſtans clara fiat: quæ aqua eſt
" certiſſimum experimentum ad enecandos & fugan-
" dos lumbricos, vocatur ab *Horatio* AUGENIO
" *aqua Hermetica.*

Præter dicta ulterius lumbricos pellunt *C. C. uſtione ſ. ſ.* igne propinatum in ſpecie quidem *ſpiritus C. C. eſſentificatus* ſ. ſale vol. proprio acuatus: Hic enim promptè lumbricos pellit & commode uſurpatur, *ubi ſimul imminent Epileptica convulſiones* cum lumbricis. Conveniunt etiam *Corallina* ejuſque *pulvis*; *pulvis* item *ſummitatum* & *ſeminis Tanaceti*, *Myrrha* etiam, *aloë* & ſimilia amaricantia. Certiſſimum experimentum etiam pro adultis eſt *præcipitatum veneris* quod & TIMÆUS tanquam arcanum, & ZUVOELFERUS tanquam expertum ad lumbricos commen-
" dat. Nempe vitriolo veneris affundit, phlegma vi-
" trioli veneris acuatum c. pauco ſpiritu proprio,
" ut in hoc liquore ſolvatur, vitrioli ſolutio filtrata
" præcipitatur c. oleo tartari p. d. ſic acquiritur pul-
" vis vel cœruleus vel exacte viridis qui optime edul-
" coratus ad gr. v. vel vj. pro ratione ætatis in vehi-
" culo convenienti propinatus in infantibus prom-
" ptiſſime pellit lumbricos, qui & in adultis eoſdem
" certò fugat.

Aliàs *decoctum rad. filicis in lacte* infantibus propinatum tanquam certiſſimum commendatur contra vermes.

Vbi non amplius lactantur infantes, optima ſunt remedia ſpirit.ſulphur.ſ.quod melius *eſt ſpiritus* vitrioli utut in radice conveniant, ſi nempe *quicunque potus & aqua* appropriata *Hyperici*, *Portulacæ*, *Rad. Graminis*, aut etiam ſaltim *aqua communis acidulata* præſcriptis *ſpiritibus ſulphur. vel vitrioli* modice, de qua interdum pro lubitu, hauriat infans: mirum eſt quàm prompte pellat lumbricos eoſque fuget: quibus *externa* ſimul *Epomphalia* applicanda ſunt, quæ inter domeſticum, ſed certum eſt remedium, cujus aliquoties felicem vidi ſucceſſum, *ſi ſola aloë Epatica* ſubigatur *c. felle bubulo*, *& ſub formâ linimenti illinatur fruſtulo veſicæ ſuillæ quantitate palmæ* ſ. parvæ manus, & ita linimentum hoc applicetur umbilico, quod ſi adſint lumbrici, fortiter adhæret, nec prius cadere ſolet, quod certiſſimum eſt & ipſe vidi, niſi enecati & fugati fuerint lumbrici, quo tempore ſponte cadit: quòd ſi vero applicatum non adhæreat, firmiter ſignum eſt & non improbabile non adeſſe lumbricos.

Præterea etiam *linimenta* ſimilia *ex oleo Colocynthidos*, *oleo abſinthite*, *oleo nucleorum perſicorum expreſſo* & ſimilibus applicare etiam *Theriacam c. ſucco vel oleo abſinthii* aut *rutæ.*

Præter dicta mala fit interdum, ut *nimiæ in inteſtinis flatulentiæ* in tantum *diſtendant peritonæum*, *ut idem laxetur*, aut *in ſuis proceſſibus in ſcrotum*, *unde* fiunt ſucceſſive.

ENTEROCELÆ,

Vel etiam *laxetur ſub umbilico*, adeoque *tunc fiant* — *Enterocelæ.*

HERNIÆ VMBILICALES,
ſ. OMPHALOCELÆ

Quas aliàs vocant

VMBILICI PROMINENTIAS.

Herniæ umbilicales ſive omphalocelæ. Seu umbilici prominentiæ.

Præter hos *flatus* inteſtina loco ſuo deturbantes etiam *intenſus clamor*, aut *continuus ejulatus* in cauſa eſt non rarò, ut ſimiles Herniæ ex laxato aut rupto peritonæo graves ſint infantibus. Denique *Tuſſis continua & violenta*, aut etiam *vehementior egerendi per alvum conatus* ſimiliter *Hernias* aut *Vmbilicales* aut *ſcrota* inducere poteſt. Nihilominus tamen non omnes tumores ſcroti ſunt herniæ inteſtinorum. Nam *interdum ex copioſo liquore turget ſcrotum*, & intenſe *tumet*, & quaſi *ſpecies* eſt *hydroceles*, Sicuti etiam *Vmbilicus interdum laxior* eſt aut *magis prominens*, *ſi negligenter ſit ligatus funiculus Vmbilicalis*: aut etiam ſi *longior ſit relicta particula ipſius funiculi* corpori *continua*: Nam ex his cauſis ſimiliter laxatur umbilicus, & fit ejuſdem prominentia.

SIGNA herniarum ſcroti per ſe patent, *dum* imprimis *violenta talis cauſa præceſſerit*, v.gr. *ejulatus*, *clamor*, *tuſſis*, *vehemens egerendi conatus*, &c. ſicuti etiam quod altera tantummodo ſcroti medietas ordinario fere ſit affecta & tumida; *quod ſi* v. *hydrocele* ſit quæ ſcroti tumorem infert, *utraque ſcroti pars tumet* & *turget*, item *non tam facilè recedit tumor atque recedit* iſte qui eſt ab inteſtinis, atque denique *admotâ candelâ*, quaſi *limpidus & perſpicuus iſte tumor* apparere ſolet, *ſi eſt hydrocele.*

Vmbilicales vero *herniæ & prominentiæ* etiam per ſe manifeſtæ ſunt, dum *foras prominet & tumet citra colorem citra* omnem *ad tactum dolorem. Cauſæ antecedentes* facile patent per ſe.

PROGNOSIS.

Enterocele omnis *& Omphalocele facile curatur* in infantibus, cùm eorundem tractabiles membranæ & ſucciplenum corpus facilem conſolidationem & conglutinationem admittant.

CVRA.

Si E. fieri poſſit, *in Herniis ſcroti communibus* propinentur *internè* quædam *vulneraria*, imprimis *ex decocto herniariæ edulcorato c. ſyrupo ſymphyti*, aut *ex*

decocto

decocto perfoliatæ c. ſanicula : aut *detur pulvis ex ſemine perfoliatæ.*

Externe ſingulare experimentum eſt in *Herniis infantum*, *ſi admoveatur fruſtum pellis ſ. cutis anguillæ* ſolummodo *oblinitæ c. albumine ovi* : Hæc enim applicata mirè conſolidat rupturam peritonæi, cum quo remedio *interne* ſimul propinandum eſt *ſemen naſturtii vino infuſum*, (certum eſt experimentum.)

Quod ſi ipſa cutis anguillæ hoc modo applicata non ſit ſufficiens, accipiatur *pellis anguillæ ſalita quæ coquatur in lixivio forti*, ad conſiſtentiam Emplaſtri alutæ inducendi, quod Emplaſtrum loco rupturæ applicatum brevi conſolidat eandem. Aliàs *externe* ulterius, *ubi malum eſt à flatibus nimiis*, applicantur *fomenta ex foliis lauri*, *floribus chamomillæ & ſambuci c.4. ſeminibus calidis majoribus vino incoctis* & inſtar fomenti applicatis. Hiſce poſtmodum *ubi repoſita fuerint inteſtina* ſuperimponunt *fomenta adſtringentia ex vulnerariis perfoliata, Herniaria, plantagine, myrtill. Rob. acaciæ & alumine in aqu. & aceto nonnihil coctis* & ita applicatis. Hiſce ſuperimponendum eſt loco rupturæ aut laxaturæ *emp. ex gum. elemi in aceto macerato denuò inſpiſſato c. ole. ovorum* in formam emplaſtri ſubacto. Vel fiat *emplaſtrum* adſtringens & quaſi corrugans *ex Maſtiche*, *Ichtyocollâ*, *Tacamahac. & Gumm. Arabico ana* ℥j. *Thuris*, *picis Græcæ ac picis nigræ ana* ℥ij. quæ ſubacta alutæ (vel linteo potius, quod tractabilius eſt) inducta imponantur loco rupturæ. Aut *illinatur* frequenter *locus rupturæ c. oleo hyperici* & *oleo ovorum* & ſuperimponatur poſtmodum *emplaſtrum de pelle arietina.*

Quòd ſi tumor ſcroti ſit ab alio liquore ſ. *humore aqueo in hydrocele cataplaſma ex ſtercore caprillo* eſt optimum, aut ſolus *fotus ex ſucco ſtercoris caprilli*, *admotus* eſt expertus.

Sin promineat nimis umbilicus, *diſcuſſis*, ſi adſint, *flatibus*, imprimis ſi ruptura adeſt peritonæi, convenit *herba perfoliatæ contuſa cocta*, *umbilico impoſita* : it: *Rob acaciæ noſtratis* diſſolutum in liquore appropriato ad conſiſtentiam unguenti ſ. linimenti, illinatur umbilico relaxato, donec denuò coëat. Vel quod optimum eſt, *Gumm. Maſtiches* ſubactum in mortario calido, inducatur linteo & imponatur umbilico. Optimum eſt ſi formentur *Globuli ex corio*, *rotundi magnitudine groſſi præter propter ſ. quanta eſt prominentia umbilici*, *qui globuli linteo obvoluti obducendi ſunt emplaſtro oxycroceo* aut *Gum. Maſtichis* & ita imponendi ſunt cum firma ligatura umbilico prominenti.

Optimum etiam eſt, ſi *ole. ovorum* illinatur umbilicus prominens toties quoties ligatur infans novis faſciis, & poſt inunctionem hanc imponitur *globulus latus* factus *ex cera flavâ c. Maſtiche* permiſta, qui globulus convenienti faſciam firmandus eſt, ut firmiter hæreat, donec denuò coëat ſucceſſivè umbilicus.

VNCTIO VMBILICI

Fit interdum ut etiam

INFLAMMETVR VMBILICVS,

Quod fit vel *ex inepta ejus ligatura*, vel ex *alteratione ejus ab aëre externo*, vel etiam interdum *ex nimio clamore & tenſione abdominis*, *quod* tamen *rarum eſt.* *Vmbilici inflammatio.*

Facile patet malum, dum *pars rubet plus ſolito & non nihil dolet*, *calet* etiam *ad tactum* & ſi attingantur infantes *ejulatu dolorem produnt.*

Facilè curari poteſt ſi mature fiat, *ſin tardius* venias, donec factus ſit abſceſſus, *periculum eſt prolapſus inteſtinorum* infantis per *umbilicum.*

Ob id *inflammatio ſubito* & quantocyus fieri poteſt, *diſcutienda & reſolvenda eſt.* In quem finem optime conducit *emplaſtrum de ſpermate Ceti Mynſichti*, it: *emplaſtr. de ſpermat. ranarum officinarum.* It: *Emplaſtr. album* ſ. *de ceruſſa camphoratum*, ac denique *ole. lumbricorum terreſtrium c. ceruſſa l. ſaccharo ſaturni* permiſtum umbilico illitum, *ſedatâ* denique *inflammatione* illinendum eſt *ole. Chamomill.* vel *anethinum* ad reliquas omnino diſcutiendas.

Abſolvimus fere ea, quæ ad inteſtinales affectus pertinent. Cognatus tamen his ipſis affectus adhuc eſt, frequens tamen in pueris, eorundem nempè

ANI PROCIDENTIA,

Eoque frequentior, ut dico, in plenis, *quò laxior magiſque flaccida exiſtit ſubſtantia inteſtini recti & muſculorum ejus.* *Ani procidentia.*

CAVSA E. quare interdum foras promineat anus ſ. inteſtinum, *eſt ſæpius.*

TENESMVS,

S. *continuus tamen fruſtraneus egerendi infantum conatus*, qui Teneſmus oritur *ex mucilagine acidâ & viſcida inteſtinum rectum obſidente*, à qua continuo irritatum, continuo egerere nititur, unde tandem foras protruditur inteſtinum rectum. Præter talem Teneſmum etiam *nimia laxitas ac nimia flacciditas muſculorum inteſtini recti*, ſubinde cauſa eſt hujus procidentiæ, *in ſpecie quando nimis frequenter ſuppoſitoriis moleſtantur tenelli.* *Teneſmus.*

Affectus ipſe per ſe patet, *facilis* etiam *eſt reſtitutionis*, *ſi tempeſtive* fiat : aliàs *periculum eſt ne ab aëre ambiente alteratum inteſtinum in gangrænam dilabatur.*

Vt E. denuò *reſtituatur anus prolapſus ſi eſt ex laxitate*, ſufficit *ſola cum linteo calido repoſitio*, *aptaque* infantis *faſciatio*, ut pedibus extenſis ita permaneat.

Sin verò cauſa prolapſus hujus ſit *Teneſmus* : Tunc ad corrigendum & tollendum Teneſmum *conducit* imprimis *ſacculus*, aut etiam *inſeſſus*, balneum voca ut lubet, paratus *ex*

Flor. Verbaſci miij.
furfur. triticei mij.
Sem. Cumini ℥j. &
Bacc. Laur. ℥ſs.

quæ miſta ſacculo inſuta coquantur in ſ. q. aquæ ſacculus expreſſus calidus ſupponatur, ita ut eidem inſideat infans: Nam hic tollit Teneſmum.

Utilis etiam eſt ad Teneſmum *ſuffitus ex Terebinthina prunis injecta ſ. impoſitâ.*

Vel Suffitus ex Colophoniæ ℥ſs.
Sarcocollæ ʒij.
Bacc. Lauri &
Sem fœniculi ʒj.

quæ pulveriſata prunis injiciantur & inde exiens fumus excipiatur ano.

Curato Teneſmo facilè poſtmodum reſtitui poteſt anus prolapſus.

Quòd ſi citra Teneſmum anus ſit prolapſus, *ſi ab aëre alteratus* nonnihil *intumuerit*, ante repoſitionem *fovendus eſt decocto Malvæ & ſeminis Cumini in aqu. & vino* : foveatur hoc decocto linteis.

Fotus ita anus denuò *blandè reponendus*, *qui repoſitus ut in loco ſuo maneat*, optimum eſt, *ſi infans inſideat aſſeri plano calido* cui *Maſtiche* ſit illita, aut etiam loco Maſtichis *ſevum hircinum* aut *cervinum*; ſufficit ſi aſſeri dicto calido illinentur. Vel etiam *fovendus eſt anus hoc ipſo ſevo hircino vel cervino liquefacto & ita reponendus*, non enim adeò facile poſtmodum denuò excidit.

Conducit etiam *inſeſſus ad umbilicum uſque in decocto adſtringentium*, *gallarum* nempe, *glandium*, *corticum granatorum*, *foliis Myrt.* & ſimilibus, adjecto ſi opus ſit, *pauco alumine.* Aut etiam intrudatur vel applicetur ano *parum bombacis impregnatæ ſanguinis Draconis*, *Maſtich. pulveriſat. Balauſtiorum Thuris* & ſimilium. Nam his facile anus repoſitus in loco ſuo firmabitur.

SVPPRESSIO VRINÆ

Fit interdum, ut infantibus

SVPPRIMATVR VRINA,

Suppreſſio urinæ. Ita ut *vel plane non* eandem excernere queant, *vel non abſque difficultate* aut *dolore* eandem ejiciant.

CAVSÆ poſſunt eſſe *variæ: Primaria eſt* autem *Calculus in Veſica Vrethram vel meatum urinarium obſtruens.*

Frequentior cauſa eſt *mucilago tenax & viſcida c. urina eò delata*, quæ in Cervice Veſicæ denuò quaſi inſpiſſata aut concreta orificium veſicæ obſtruit: *Vnde* talium *urina craſſa & fæculenta* quaſi excernitur.

Origo hujus mucilaginis eſt ab aſſumptis imprimis *pultaceis viſcidioribus*: dum propinantur *pultes ex pane ſimilagineo non ritè fermentato*, quo viſcidum in ſtomacho difficulter digeritur, & viſcida copioſa inde in primis viis generantur, quæ ad veſicam urinariam c. urinâ derivata retentionem & difficultatem urinæ inferunt.

ALIÆ CAVSÆ quæ ſubinde occurrunt, ſunt *rariores* ferè.

Malum per ſe patet, dum nihil vel *parum* ab infantibus excerni conſpicitur: Item, *ejulatus & aliqualis tumor circa regionem veſicæ* ſufficienter malum declarant.

Calculus præſens vix aliâ ratione, quàm per *catheterem in infante* jam non nihil *robuſtiore cognoſci poteſt.*

QVOAD PROGNOSIN

Malum non contemnendum eſt, propter ſymptomata interdum comcomitantia, nempe *dolorem*, *ejulatum*, *vigilias* & ſimilia.

Imò ſi diutius pertrahatur malum, periculum eſt, ne exinde *mors* immineat infantibus.

QVOAD CVRAM

E. *Primò* quidem *mucilago tenax & viſcida eſt evacuanda*: quod præſtat imprimis *Mechoacanna* propinata *c. ſyrup. roſarum ſolutivo.* Item, *pilulæ* factæ ex *Terebinthina* propinatæ etiam inſigniter conducunt.

Evacuato corpore promovenda eſt blandè urina. Conveniunt imprimis *flores Cyani & Calcatrippæ* ſive propinetur horum aqua deſtillata minoris tamen efficaciæ, ſive *decoquantur in aqua ſimplici* vel *potu ordinario Cereviſia*, & propinetur decoctum infanti, aut quod melius eſt, ſi in iis qui jam ſunt ablactati, fiat *infuſio horum florum Cyani & Calcatrippæ, in aqua polygani & ononidos c. ſpiritu ſalis dulci acidulatis*: ſic enim extrahitur elegans tinctura cui gratia ſaporis concilianda c. *ſyrupo Capillorum veneris* aut c. *ſyrupo artemiſiæ.*

Aliàs *emulſio ſeminis Violarum* facta c. *dictis aquis* appropriatis in *ſpecie ononidos*: Item *decoctum Cicerum nigror. decoctum* etiam *ſummitatum fœniculi* ſufficiunt in infantibus ad promovendam urinam.

Terebinthinata omnia in ſpecie ſpiritus *Terebinthinæ* egregius eſt ad promovendam infantum urinam.

Externè conducunt *balnea uſitata, quæ emolliunt & reſolvunt* non nihil ſordes iſtas mucilaginoſas.

Poſt balneationem *inungatur regio Veſicæ & perinæi c. oleo lil. alborum, oleo Chamomill.* ana ℥j. cui addi poteſt *oleum ſcorpion. pulveriſat.* ʒiß. quod linimentum poſt balneum aut fotum inungatur regioni, ubi ſupprimitur urina, aut etiam *unguentum dialtheæ cum oleo ſcorpion.* permiſtum iiſdem in locis illinendum eſt: *Si fortius agendum eſt oleum ſcorpion. c. pauco oleo ceræ* illinatur regioni veſicæ ad promovendam urinam.

Cataplaſma etiam *ex paritariâ & pinguedine anſerina.* It: Cataplaſma ex *Chamomill. vulgari* applicata regioni veſicæ ſunt optima.

Optimum autem eſt, ſi dicto modo *Cataplaſmatis ex parietaria* ſimul *addantur cepæ ſub cineribus coctæ*, ſic enim optimè & promptiſſimè promovetur urinæ fluxus.

Contrarium vitium eſt, quando infantes retinere nequeunt urinam & eſt

INCONTINENTIA VRINÆ.

Malum quod in ætate tenellâ vix poteſt judicari, quoniam imprimis infantes in ſomno excernunt neſcientes & nolentes. Incontinentia urinæ.

Poſtmodum verò *ubi talia intelligere incipiunt, ſi urinam retinere nequeant, vitioſum eſt*, ſive fiat *ex conſuetudine*, ſive fiat interdum *ex vitio partium veſicæ*, in ſpecie *ex reſolutione ejuſdem ſphincteris*, aut *ex læſione ejuſdem à calculo*, aut *ex quacunque aliâ ſphincteris veſicæ læſione.*

An ſit ex conſuetudine vel non, non poteſt cognoſci niſi in infantibus nonnihil robuſtioribus: in quo caſu & tempore etiam cura inſtituenda eſt.

Talis *urinæ incontinentia ex conſuetudine nihil mali* ſub ſe habet, *ſin verò vitium ſit in ſphinctere*, hoc ipſum maturè *corrigendum eſt*, imprimis *per balnea ex nervinis & adſtringentibus* parata: uti ſunt *in ſpecie ex fol. quercus, ex ſalvia, ex ſatureja, fœniculo* & ſimilibus. Inungi etiam poteſt *oleum Maſtichinum*, quod valde adſtringit. Uti etiam *unguentum Comitiſſæ c. oleo Irino* & etiam *C. oleo Coſtino.*

Interne pulverem ex Caſtoreo & Myrrha c. oxymelite propinandum commendat JOEL ſi ſubſit affectus quodammodo paralyticus ſ. ex laxatione ſphincteris veſicæ.

Commode etiam propinatur *internè pulvis ex erinaceo uſto, herb. & ſem. agrimoniæ, Maſtiche, medulla ſaxorum* & ſimilibus ſupra, ubi de urinæ ſuppreſſione actum fuit propoſitis.

MACIES ET ATROPHIA INFANTVM.

Frequens & ſæpe difficillimum curatu, ſimulque periculoſum malum infantum eſt, quando Macies & atrophia infantum.

MACIE ET ATROPHIA.

Corripiuntur, ita *ut eorum corpus ſucco nutritio privetur*, & ejus *partes muſculoſæ flaccidæ & molles* fiant: Uno verbo, *quando non nutritur & augetur corpus*, *ſed ſucceſſivè*, utut alimenta capiat infans, *decreſcit & emaciatur.*

CAVSÆ hujus *macici ſunt variæ, in genere* eſt vel *ſymptomatica* vel *morboſa. Symptomatica* eſt, *quando alium morbum, febrem, diarrhœam*, vel ſimilem affectum ſequitur, *Morboſa* eſt, quando *citra talem prægreſſam cauſam*, vel *citra prægreſſum alium morbum* ex ſe ipſo radices egerit, vel ex ſe ipſo inceperit.

Talis *maciei cauſæ* ſunt *plurimæ*, quas ordine pertractabimus.

Prima quidem *cauſa eſt in vitio lactis nutricis*, quod minus proportionatum eſt ad craſin fœtus ſ. infantis nutriendi, quin potius ineptum eſt ut nutriat infantem. Id quod fit imprimis *in nutricibus Cholericis*, ut ſic dicam, ſeu *habitus minus ſucculenti & quæ quodammodo* ad phthiſin aut *Hecticam inclinant: in ſpecie, ſi jam diutius lactaverint alios infantes*: Nam talium lac aſperum nonnihil eſt & minus aptum ad nutriendum infantem, qui nutrimentum temperatum roſcidum & quaſi oleoſum requirit.

Cognoſcitur hoc ipſum vitium, *ſi ipſa nutrix talis ſit, & infantes* citra manifeſtam aliam quamcunque cauſam *ſucceſſivè emacientur & parum* vel *nihil proficiant.*

AFFECTVS eſt non contemnendus, pro cujus CURA imprimis *mutanda eſt nutrix* & poſt mutationem nutricis, aut etiam *ſi infans* quodammodo *ſponte minus aptus ſit nutritioni*, aut *ſi contabeſcat & minus nutriatur propter vitium nutricis* poſt nutricis remotionem, commodè *balneatur infans in lacte bovino vel caprino*, quo ipſo ſubinde *blande fricanda* ſunt ejuſdem *membra*, & poſtmodum capiatur *hedera arborea creſcens in quercu*, ex quâ hederâ arboreâ

deſtillatur aqua quæ mirè commendatur in tali infantum macie ſicuti etiam *ipſa folia hujus hederæ pulveriſata ad ℈j. cum pauco ſyrupo violarum* ſunt propinanda.

Præter hoc etiam *aqua filicis deſtillata* mirè laudatur, *ex qua filice* etiam *culcitras ſub dorſum ponendas* parandas ſuadent. Sunt etiam qui in tali caſu poſt balneum lactis commendant *unguentum ex butyro non ſalito* quo ſubinde membra tenella fricanda ſunt.

Cæterùm præter tale lactis vitium etiam ſubinde *cauſa eſt maciei infantum in lumbricis*, qui ubi ſunt *copioſiores*, aut etiam *diutius retenti* fuerint in infantibus, tandem maciem inducunt.

SIGNA ET CVRA horum fuit explicata. Ad hos lumbricos pertinet etiam

VERMIS VMBILICALIS.

Vermis umbilicalis. *Affectus rariſſimus.* In tali caſu *infantes* cum nutrice optima, *optime ſugentes* tamen *ſucceſſivè emaciantur, labia pallent*, & *deficiunt à nativo colore, inquieti ſunt* & quaſi *tormina ventris* patiuntur, interdum *ſe jactitant.*

SIGNA manifeſta ſunt nulla hujus vermis, *niſi quod*, ubi adeſt ſuſpicio talis vermis, *imponatur fundulus umbilico*: quando infans in lectum reponitur, fundulus alligatur umbilico, & altero manè medietas ejuſdem exeſa & quaſi à verme abſumpta apparet: *repetendum hoc aliquoties* imponendo novum fundulum, ut ſimus certi de præſentia hujus vermis umbilicalis.

Hoc facto imponatur cortex nucis juglandis internus, excavatus, repletus cum pulvere vitri Veneti contuſi, cui *parum herbæ ſabinæ pulveriſata* ſit admiſtum, *pulveres hi* excipiuntur *melle*, & ita his repletur *cortex nucis juglandis* qui ita imponatur umbilico, *altero mane remotus cortex* manifeſtabit, *an aliquid ſit abſumptum aut exeſum.*

Nam *dulcedine mellis* allectus vermis etiam comedit, ſed *cum ſabinâ & pulvere vitri* poſtmodum *interficitur.* Dum E. apparet nil abſumi ex miſtura nuci juglandi inſita, tunc propinentur *interne abſterſiva, ut vermis enecatus* quacunque viâ *evacuetur. De tali verme umbilicali* nullus auctorum aliquid habet, niſi pauca ea, quæ refert SENNERTUS *lib 3. prax. de morbis abdominis cap. ult. totius libri.* Veritas tamen horum vermium etiam obſervata fuit à D. MICHAEL, qui etiam methodo recenſita eoſdem fugavit.

Porrò *inter cauſas atrophiæ & maciei infantum* hactenus ferè incognitus primum ferè locum obtinet *infarctus & oppilatio vaſorum lacteorum in inteſtinis* & conſequenter *glandularum meſenterii* per quas vias naturaliter Chylus deberet moveri ad officinam ſanguificationis. Certum enim eſt, quod his ipſis locis obſtructis & oppilatis, tandem deficiat neceſſario corpori nutrimentum, & *in talibus infantibus ſucceſſivè abdomen intumeſcit*, nihilominus tamen *partes ſubcutaneæ & extimæ nutriendæ flaccidæ* ſunt & *molles*, & minus nutriuntur, quin potius decreſcunt.

CAVSÆ ſæpiſſimè ſunt *pulmenta viſcidiora & tenaciora uberius ingeſta.* Nutrices enim interdum vix deſiſtunt, ut infarciant talia pulmenta, ut tantùm non digitis attingere ferè poſſint. Hinc fit, ut talia pulmenta ſæpiſſimè degenerent in mucilaginem craſſam ac tenacem, quæ ſucceſſivè orificia lactearum, etiam ipſas glandulas meſenterii obſtruendo debitum nutrimentum corpori deficere facit.

SIGNA ex modò dictis facilè patent, imprimis *ex cauſa prægreſſa, ex tumore abdominis*, item *ex aliquali ejus ad tactum duritie quæ excernuntur*, ſolent eſſe *viſcida, albicantia* & quæ ſunt ſimilia indicia.

Periculoſum eſt hoc malum; nam *atrophia lethalis* tandem neceſſario ſequitur.

PRO CVRA hujus mali *internè* conveniunt *reſolventia & abſtergentia* hujuſmodi *mucilaginoſas ſordes.* Convenit E. *tartarus vitriolatus in brodio ſ. dicto paſſularum* propinatus quotidie reiterandus. Convenit itidem *liquor tartari ſeu ſal eſſentiale tartari* reſolutum in liquorem infanti ſubinde *guttulatim* propinatum.

Commodè etiam uſurpantur *martialia, crocus martis aperitivus c. tartareis permiſtus.* Hinc tanquam mulieris remedium expertum in tali caſu commendat HOEFFERUS *in Hercule Medico p. 349. pulmentum iſtud quod vertex ferreus rotæ in molendinis colligit*, quod nihil aliud eſt, niſi ſubtilliſſimus quidam *Crocus martis* iſta agitatione à ferreo vertice abraſus. Unde HORSTIUS propinat in tali caſu infantum *aquam iſtam quæ in acuandis inſtrumentis ferreis ſub cute colligitur.* Commodius eſt ut uſurpentur *tincturæ martiales* imprimis permiſtæ *c. remediis tinctureis.*

Externe commode fiunt *unguenta & linimenta abdominis* pro reſolvenda & attenuanda iſta mucilagine; quæ *attenuata* poſtmodum inteſtinis blandè *per laxantia moderata eſt evacuanda.*

Sequens *unguentum Barbetti* quod habet in *anatomia practica* Belgico idiomate conſcripta, eſt egregium; quod etiam ſingulariter commendat.

Aliud habet *in ſua praxi* ſcil.

♃. Unguenti altheæ compoſit. ℥j.
arthanit.
mart. ana ʒij.
ole. lil. alborum
Chamomill. ana ʒiij.
M. F. linimentum,

quo inungitur abdomen.

Conveniens etiam eſt, ſi fiat ſimile *linimentum acuatum c. oleo latericio ſ. Philoſophorum.* Nam & hoc in tali caſu magis penetrans & magis appropriatum evadit.

♃. Unguent. dialth. vel ſimplic. vel Compoſiti.
ole. lil. alborum ana ℥ß.
ole. latericii ſ. philoſophorum ʒij.
M. F. linimentum.

Quod commendat SYLVIUS inſigniter, ut eodem inungatur abdomen infantis, dum lectulo imponitur, reſolvit potenter viſciditates inteſtinorum & glandularum Meſenterii, ut poſtmodum felicius blandis evacuantibus poſſint evacuari.

Porro ad *Cauſas Maciei* apud mulieres non incommodè etiam referuntur *Vermiculi ſubcutanei* vocati *Crinones ſ. Dracunculi*, qui revera ſunt *vermiculi forma ſingulari, oculis grandibus: cinericii c. caudis oblongis*: uti *per miſcroſcopia* nuperrimè fuit detectum. Hi.

CRINONES ſ. DRACVNCVLI.

Quando ſub cute hærent, ſolent inferre maciem corporis. *Infantes optime ſe habent, bene ſugunt, bene comedunt, bene dormiunt, & tamen deficiens eſt eorum nutritio*: Ubi E. deeſt alia manifeſta Maciei cauſa, *mulieres ſtatim dicunt aut ſubeſſe faſcinationem aut adeſſe Crinones.* *Crinones ſ. dracunculi.*

Crinones hi *cognoſcuntur & curantur ſimul*: *ſi infans deducatur in balneum, in quo bene fricetur cum melle ſubacto.*

Sic enim *cum ſudore* erumpunt iſti Crinones *ſub forma capillorum nigrorum craſſorum*, qui tamen poſtmodum, dum ita emittunt capita, vel *c. novacula* vel *cum cruſta panis acuta* abraduntur, & ita tolluntur. Quidam loco talis Unguenti ex melle imponunt infantes *in lixivium*, in quo *ſtercus pullorum gallinarum* bullivit: *Huic ipſi lixivio ad collum uſque immergunt infantes*, & ita nonnihil *ad ſudorem* diſponunt; poſtmodum *levi manu melle illitâ* Crinones proritant, quod

poſtmodum dicto modo vel *novacula* l. *cruſta panis acuta* abradunt: *repetitur toties* (*ad biduum, triduum*) quandiu præſentia talium hoſpitum ſe manifeſtat.

Quod ſi *copioſiores* ſint, *aut* ſubinde *regenerentur*, radicitus evellendi ſunt ſecundùm modum TIMÆI, quem habet *in ſuis caſibus de morbis infantum*, nempe ut propinentur *interne tincturæ antimoniales* (loco quarum tamen *remedia viperina* non erunt minoris pretii) *externe* verò *in balneis* talibus & poſt talem frictionem, *abſtergendi* ſunt infantes *cum aqua ſuâ aloëtica* parata *ex aqua abſinthii* ℔. ij. in qua diſſolutæ ſint *aloës Epaticæ* ℥ij. hac ipſa aqua fricati ita infantes omnino amittunt & curantur ab iſtis crinonibus.

Ulterius *Cauſa maciei puerorum* ſæpius eſt aut ſaltim dicitur

FASCINUM.

Faſcinum.

Vim talis faſcini c. PARACELSO multi moderni *ex impreſſione imaginativa* deducunt, quæ per *ſolum viſum* poteſt nocere: Alii hoc ipſum negant, & totum negotium veneficio attribuunt: de quibus hic non eſt dicendi locus. Sufficiat ſubſumptionem eſſe faſcini & veneficii, vel in tali, ubi nulla adeſt ſufficiens cauſa, quæ monſtret affectum alium: item, quando *c. macie* ſimul præter ſpem *nimis imbecilles & debiles fiunt infantes*.

Item, quando *ſubſumptio eſt* aut *ſuſpicio de vetula quadam*, quæ familiarius aliquando c. infante fuit converſata.

CURA.

Ad *tollendum hoc faſcinum* & *veneficium* partim *ſuperſtitioſa* quamplurima, partim *naturalia* revocantur *remedia*.

Internè quidem *viſcus Coryli pulveriſatus* aut enim *pulvis baccarum uvæ inverſæ ſ. herbæ paridis*.

Item, *pulvis* GANSII *in ſuo de Coralliis tract. ex Sem. antirrhin: Coralliorum rubrorum & alborum* & *dente hominis mortui*.

Nam *Corallis* ſingularis adſcribitur efficacia. Unde *Tincturæ Coralliorum* quacunque ratione paratæ, in ſpecie *in vehiculo ex hyperico* propinatæ inſigniter laudantur.

Secundina Primiparæ, uti aliàs ad quæcunque veneficia, ita *in ſpecie ad faſcinum ſ. maciem ex faſcino* inſigniter commendatur, ſi *remedio ex ſecundina* parata *interius* propinentur fœtui. *Externe* conducunt *ſacculi appenſi ex floribus ſ. ſummitatibus hypericorum*, *baccis uvæ inverſæ*, quibus commodè etiam *herba & ſemen antirrhini* addi poſſunt.

Item, *ſuffumigia* inſtitui ſolent *ex ſimplicibus contra veneficia decantatis*, v. gr. ex *hyperico*, ex *conyza* fl. cœruleo, ex *antirrhino*, *dentibus hominis mortui*, *viſc. Corylino & quercino* ac ſimilibus: quibus adjungenda etiam ſunt *balnea*, quæ inter præſervat à macie balneum *cui cortices & folia ſalicis ſunt incocta*; quod inſigniter commendatur ab HARTMANNO & GABELCHOVERO: tàm curat quàm præſervat à macie.

In ipſa mâcie *c. foliis & Corticibus ſalicum* poſſunt ſimul incoqui *flores aquilegiæ & antirrhin: fol. & baccæ paridis*, *adianthum*, *hypericum* & ſimilia.

Convenit etiam *inunctio ex unguento Corylino ad veneficia Heinrici ab* HEERS quod videatur *in ejus obſervationibus*; aut imponatur regioni ſtomachi *Emplaſtrum Mynſichti contra veneficia malaxatum c. hoc ipſo unguento ſ. oleo Corylino Henrici ab* HEERS. Ex ſolâ *aſa fœtida* etiam poteſt fieri *emplaſtrum contra maciem ex veneficio ſ. faſcino* oriundam, ventriculo imponendum.

CASTRO *in ſuis M. SS.* commendat ſequens *unguentum* pro pueris faſcinatis;

℞. Ole. roſati,
Nardini,
Maſtichini ana ℥ij.
Succi menthæ,
abſynthii,
Cydoniorum &
Pomorum redolentium ana ℥ij.
Coraliorum rubrorum,
Scobis Eboris,
Xyloaloës ana ʒß.

c. pauca quantitate ceræ fiat unguentum, quod bis aut ter applicetur ſtomacho in die.

Refert idem, quod Hiſpanicæ mulieres ſoleant *ſuffumigare faſcinatos pueros Gumm. Ammon.* cui commodè *aſa fœtida* poteſt addi. Obſervavit idem à CASTRO proficuum ſæpè ad maciem ex faſcino *ſuffitum ex calceo ferreo equi candente, in aceto ter extincto*, quo ſuffumigandus eſt puer.

TUSSIS INFANTUM.

Superſunt adhuc in morbis infantum imprimis affectus, qui vulgò tribuuntur eorundem catarrhis, ubi ſunt *Tuſſis*, *aſthma*, *difficilis reſpiratio*, & his cognata ſymptomata. Tuſſis infantum.

Melioris Doctrinæ gratiâ *dividemus* primùm *Tuſſim* (nam hæc eſt frequentiſſima inter affectus infantum aſthmaticos dictos.) *in ſiccam & humidam*.

SICCA *eſt, quando ſolummodò eſt abſque materiæ excretione*: & hæc eſt *apud infantes rarior*, niſi quòd ſæpius ſolent eſſe prodromus variolarum.

Tuſſis v. humida ſ. cum materiæ excretione eſt, quando rejiciuntur aut ſaltim *rejectibilia deglutiuntur*, poſtmodum *viſcida*, *mucilaginoſa & pituitoſa*, ut vocant.

Hoc præſuppoſito *tuſſis iſta ſicca eſt à Lympha nimis acida vellicante fauces & membranam eas ſubcingentem, in ſpecie* iſtam quæ *cingit interius aſperam arteriam*; de qua lympha jam alio loco plura dicta fuere.

Frequentior eſt tuſſis humida ſ. craſſa & cujus natales ſ. *ſubjectum eſt in ſtomacho* infantis.

Tuſſis hæc ſæpiſſimè *eſt adeò vehemens, ut continuo tuſſiant infantes*, donec tandem *vomitus* ſequatur: poſt quem vomitum ceſſat tuſſis ad tempus, donec revertatur poſt dimidium diem præter propter ſimilis ferè tuſſiendi paroxyſmus: ſimiliter vomitu claudendus.

Originem habet, uti dico, *ex ſtomacho*, & ferè ſolet ſequi *adephagiam* infantum ſeu *copioſiorem pultaceorum ingeſtionem*, & *lactis ſimul crebriorem hauſtum*, quæ duo nimiâ copiâ cum imparia fiant, fermento ſtomachi digeſtivo, ex defectu concoctionis, degenerant in liquamina viſcida, craſſa & mucilaginoſa, quæ ipſa nunc *flatuum* ſubminiſtrant materiam, unde *difficilis reſpiratio*, quamdiu *ſupini jacent* infantes, aut etiam irritando orificium ſtomachi ſiniſtrum, & cum hoc diaphragma *tuſſim pertinacem* inferunt.

Imò *ſi* forſan *uberius materia turgeſcat*, & *in flatus abeat* fermentando in tantum diaphragmatis deorſum verſus impeditur contractio, ut *aſthmaticus paroxyſmus* immineat.

Unde in tali infantum tuſſi ſemper ad *ſtomachum erit reſpiciendum*. Affectus per ſe patent: *an ſit ſicca vel humida*, etiam eſt in propatulo.

In ſpecie quando eſt ſicca tuſſis, conjuncta ſolet eſſe *ſternutatio*: conjuncta ſolet eſſe *involuntaria oculorum illachrymatio*, & qui ſunt ſimiles affectus ex lymphâ paulò acidiori oriundi.

Tuſſis humida ex eo luculenta eſt, quod *c. ſtertore* quodam *reſpirare* ſoleant infantes: it: quod *tuſſiendo materiam rejiciant* aut *reſolutam* denuò *deglutiant*.

Subinde etiam *inflatio* quædam in *præcordiis* & quædam ibidem locorum *intumeſcentia* adeſſe ſolet,

&

& quæ ſunt ſimilia tuſſim ſatis manifeſtantia ſigna.

QVOAD CVRAM.

Si prodromus eſt variolarum tuſſis vix curari ſolet, cùm ſpontè poſtmodum ceſſet: imprimis enim *tuſſis humida* ſub curam Medici cadit. *In cujus cura* uti etiam in *cura aſthmatis* infantilis *vomitus eſt pernecessarius*, & ſæpius eodem ſolo curatur omne malum.

Provocatur facilè in infantibus, *ſi digito oleo illito irritentur fauces*, aut etiam *ſi penna* ſimiliter *oleo tincta faucibus intrudatur*: ſic namque infantes aliàs facile vomiturientes ad vomitum ſtimulantur, & ſubvenit vomitus tam in tuſſi, quàm in aſthmate infantum admodum utilis. Ubi *per inferiora* volumus evacuare, *Mechoacannæ pulvis* adhibetur utiliſſimè, *habitâ ratione ætatis* pro ratione *doſeos*.

Ad reſolvendam mucilaginem viſcidam in Tuſſientibus *convenit* imprimis *Syrupus de Nicotiana*, qui omnium eſt optimus: hinc *ſyrupus de hyſſopo*: it. de *ſcabioſâ* quæ propinari poſſunt *in aqua hyſſopi, in aqua ſcabioſa* ac ſimilibus.

Item, *ſuccus fœniculi* miſtus *c. lacte* & propinatus, non parum levat infantum tuſſim. Optimum eſſe remedium *decoctum rad. helenii c. uvis corinthiacis in vino*, ſi invicem tamdiu coquantur, donec craſſiuſculam acquirant conſiſtentiam: unde colatura facilè in tenuem ſyrupum c. ſaccharo poteſt redigi qui ſyrupus ad levandam infantum tuſſim mirè conducit.

Convenit etiam ad *mucilagines ſtomachi reſolvendas ſperma ceti*; ſi hoc in pauca quantitate pro *ratione ætatis in lacte calido* propinetur infanti, reſolvit enim inſigniter mucilagines ſtomachi.

Elæoſacchara fœniculi, aniſi optimè conducunt, ſi lambenda præbeantur infantibus: uti etiam in infante paulò adultiore optimus eſt *liquor ſacchari defluens ex raphano in taleolos inciſo ſaccharo conſperſo & intra duos orbes ſtanneos expreſſo*. Hic mirè conducit ad reſolvendos mucos ſtomachi, tuſſim & aſthmata inferentes.

In tuſſi ſiccâ convenit imprimis *ſuccinum & ſuccinata: ſuccinum catarrhale, ſpecies diatragacanth: pulvis contra tuſſim infantum* MYNSICHTI.

Item, *Flor. ſulphuris c. ſaccharo pauco* miſti. Temperant etiam acrimoniam lymphæ: *ſyrup. de jujubis*, ſyrup. *de glyzyrrhiza*, *de ſcabioſa* & ſimiles.

Pinguedo itidem *caponis in jure Piſorum liquefacta &* propinata mirè commendatur.

Quoad *externa* præ cæteris in uſu eſt *lotio pedum in cereviſia calida*, qua peractâ optimè *inunguntur* cum *pinguedine Lucii piſcis* vel loco hujus *ſevum hircinum* aut *medulla cervina* liquefiunt in cochleari, & commodè inunguntur pedum plantis, *in ſpecie* ſi miſceantur *c. oleo laurino. Linimentum ex pinguedine caponis c. capitibus alliorum* factum ceu notum hic præſuppono.

OBSTRVCTIO NARIVM IN INFANTIBVS.

Obſtructio narium in infantibus.

Hâc occaſione etiam moneo fieri non rarò, ut *nares infantum in ſummitate narium ſint obſtructæ ac infarctæ muco craſſo*, quem ut reſolvamus, optimum eſt auxilium *oleum amygdalarum dulc. E. aliquot gutt. olei majoran. deſtillati* miſtum: Hoc enim aut *externè illitum ſummitati narium* aut *labris narium externè applicatum* reſolvit ſordes, & denuò reſpirationem per nares liberam reddit.

Porrò FEBRES etiam ſunt non rarò quæ infeſtant infantes, & quidem *variæ*, *rarius intermittentes*, niſi in infantibus paulò adultioribus, aliquot nempe annorum: *ordinariò continuæ*, & hæ ipſæ *ſæpius c. puſtulis & exanthematis conjunctæ*, quæ vulgò vocantur

VARIOLÆ ET MORBILLI, pro varietate exanthematum.

Variolæ & Morbilli.

CAUSÆ ordinariò ferè hærent *in lacte*, *quod diverſimodè corruptum* diverſas vitioſas in ſanguine infert efferveſcentias & quidem *ſi cruditate nidoroſâ*, ex oleoſa parte lactis corrupta fuerit inquinatum lac, tunc *febrim ardentem gravem* infert *c inſigni virium imbecillitate* conjunctam, idque *eò magis ſi vel vigiliæ præceſſerint*, vel *nutrix iracunda* fuerit, vel *alio quoque latente vitio fuerit correpta*. Nam quæ dentitionem infantum ſuperveniunt febres, cùm ferè tantum non ſint ſymptomaticæ, huc non pertinent.

Patent facilè *febres infantum, dum inquieti ſunt, facies rubet, artus infantis inſigniter æſtuant*, infantes *ſiticuloſi* ſunt.

PROGNOSIS.

Vacant autem utplurimum *periculo hæ febres*, utut niſi in tempore occurratur corruptioni lactis, etiam *lethales* tandem fieri poſſint hæ *febres*.

Si ſuperveniat diarrhœa non nimis violenta, optimè *curantur* infantum *febres ſpontè natura* quaſi *per motum criticum*.

PRO CURA. E. harum febrium *nutrici blanda laxativa* ſunt propinanda: Hinc ſæpius propinetur ipſum *C.C.c. Rob. ſambuci* aut *juniperi*, idque imprimis dum cubitum eſt itura.

Infanti optimè ſuccurrit *nitrum fixum antimoniatum* cui parum *C. C. ſ. igne præparati* eſt adjungendum: quia & *nitrum præparatum in juſculis* aut *cum pulticula* commodè permiſcetur & propinatur.

Si non amplius lactatur infans, aut ablactatus fuerit modò *blanda acidula tinctura*, nempe *roſarum c. nitro* parata: it. *ſyrupus granatorum acidorum: Syrupus de citro* & ſimilia commodè propinantur infanti.

Externè convenit imprimis *oleum roſarum* cui *Camphora* ſit permiſta, quod *oleum roſarum camphoratum* ſpinæ dorſi illitum mirâ confert ad ardentes infantum febres.

Item, *ruta viridis contuſa aceto* miſta optimo conſilio plantis pedum alligatur. *Lutum* etiam *fornacum cum ſucco rutæ* miſtum & *aceto irroratum* ad temperandum æſtum febrilem commodè applicatur infantum plantis pedum.

Optimum eſt, ſi ℞. *herb. anſerinæ* M. V. planta *contuſa* & probè *conciſa* miſcetur *cum pauco olei*: additur his *ſuccus ex rad. armoraciæ* minutim raſâ expreſſus, pulticula vel cataplaſma ex his confectum excipitur linteis & applicatur plantis pedum. Mirè conducit ad febres infantum.

Quod ſi etiam, quod interdum evenit, ſimul *c. febribus infantum conjuncti* ſint *pedum tumores*, hi ipſi hoc ipſo remedio promptè diſcutiuntur & reſolvuntur.

Quòd ſi *febres infantum conjunctæ* ſint c. *exanthematibus*, quales ſunt *in ſpecie variolæ & morbilli.* Hæ ipſæ *originem* habent *ex corruptione lactis acidâ*, dum lac peregrino acore inquinatum ad maſſ. ſanguineam perfertur, ubi acor iſte aut mox c. ſal. vol. oleoſo maſſ. ſang. efferveſcendo præcipitatur aut diu latens occultè tandem quaſi maturatus efferveſcentiam febrilem infert. Quocunque tempore hoc evenit. Acor lactis corruptus permiſtus ſanguini efferveſcit, efferveſcendo in morbo ſalubri à contrario ſal. vol. oleoſo præcipitatus, vitioſus à maſſ. ſanguinea hinc inde defigitur; ubi defixum dum hæret, acidum iſtud præcipitatum alimentum partis proximum corrumpit in ſordes acres: Unde cuticulæ in ſquamas eroſio, & partium cutanearum ſuperficialis corroſio, hinc conſequuntur parva ulcuſcula, uti in variolis hæc ſunt ſatis clara.

Quæ omnia ſunt *mitiora in reliquis febribus* vel *cum*

morbillis vel *cum petechiis* conjuncti. *Vtplurimum* tamen *ſunt variolæ.*

Præter dicta ut ſunt *eroſio*, *corroſio*, *ulcuſcula* & ſimilia, quæ confirmant acorem in variolis, etiam *confirmatur acor ex eo quòd imprimis ſoleat præcedere tuſſis ſicca*, *rubor & illacrimatio oculorum*, quæ omnia loquuntur acrimoniam nimiam in lympha, item, quòd *in variolis* ſæpius ſit conjunctus *ardor urinæ & exulceratio veſicæ* effectus acidi.

Item, quod iſtud acidum, antequam perfectè ſit præcipitatum efferveſcendo & in ſalſum transmutatum, in quo tamen adhuc præpollet acidum, ubi læſerit & irritaverit partes nervoſas, quibus omnia acida imprimis ſunt inimiciſſima, hæ ipſæ ante eruptionem variolarum ſæpiſſimè *epilepticas convulſiones* inferunt.

Ac denique quòd *variolæ* & ſimiles *febres cum exanthematibus* in infantibus *conjunctæ optimè curentur* per remedia acidum ſubtile in maſſ. ſanguinea corrigentia ſive præcipitando ſive abſorbendo: *præcipitando per ſal vol. C. C. myrrham, caſtoreum* & ſimilia *abſorbendo C. C. ſ. igne antimon. diaphoretic. cinnabari antimonii, coralliis* & ſimilibus.

Imminentes E. variolas in infantibus *innuunt æſtus inſignis corporis*, *dolor pulſatorius in ſpina dorſi*, *tuſſis ſicca quatiens pulmones*, *oculorum tumor & illacrymatio*, *Pruritus in naribus*, *anguſtia* quædam & *occultus dolor in faucibus*, donec hinc inde *die* imprimis *tertio vel quarto* incipiunt emergere *monticuli parvi rubicundi*, *acutiores in variolis*, *plani* ferè *& depreſſi in morbillis.*

Hi *monticuli in variolis rubicundi*, interdum etiam *purpurei*, interdum peſſimo omine *lividi* ſucceſſivè turgidiores facti tandem *ſuppurantur & abeunt in pus*, à quo pure tandem correpta cuticula abit *in ſquamam*, quæ tandem ſponte decidit, *relicto* poſt ſe *foramine* modò *majore* modò *minore* in ipsâ cute.

Variolæ quæ quarto die erumpunt, 7. *ſuppurantur* (nam *criticus motus* in variolis imprimis eſt obſervandus) & 11 *incipiunt exſiccari & decidere* ſunt *ſalubres* & facilè curantur: *Sin v. Variolæ erumpentes non ſint plenæ ſ. turgidæ*, *ſed depreſſæ* & *in medio* ſui habeant quaſi *foveam*, innuit deficientem expulſionem variolarum adeoque *latens periculum.*

Variolæ quæ jam *ſuppurantur*, *ubi* in ſuppuratione *concidunt*, & *in medio ſui foveam* quodammodo acquirunt, *periculoſum* eſt.

Hoc tamen hic obſervandum eſt: Fit ordinariò, ut dum ſuppurantur, ex motu iſto ſuppurationis fermentativo & turgeſcentiâ materiæ ſuppurandæ, quod ſemper *puſtulæ ſint plenæ & turgidæ*, quæ ubi factum eſt jam pus, nonnihil *concidere* videntur: ſed hæc *concidentia & depreſſio matura*, *non confundenda cum concidentia immatura & ſubitanea, quæ* dum fit, eſt *periculoſa.*

Rumpentes variolæ quò mais rubicundæ, *eò meliores*, benigniores & ſalubriores, *quò magis lividæ*, *eò maligniores* & ſæpiſſimè *lethales.*

QVOAD CVRAM.

(eadem poteſt adhiberi in purpura infantum, quàm ex utero materno habent) *utatur nutrix in potu gelatina C. C.* diſſoluta: it. hauriat ſubinde *decoctum rad. Scorzoneræ*, quod eſt optimum, id quod etiam infanti poteſt propinari felici c. ſucceſſu.

Item, *decoctum C. C. c. ficubus* commodiſſimè etiam propinatur infantibus: cùm *ficus*, temperando acrimoniam ſalinam quamcunque efferveſcentiæ motum nonnihil minuant, & nimium impetum variolarum imprimis in faucibus & collo aliiſque partibus internis corrigant: Unde etiam quibuſdam in uſu eſt *decoctum Milii c. ficubus* ſalubri cum ſucceſſu.

Hoc tamen *obſervandum eſt*, *ne ficuum nimia ſumatur quantitas.* Nam *ficus laxant alvum* infantum, quæ alvi laxatio in variolis & morbillis ſæpiſſimè eſt lethalis, etiam ſi per 8. vel 10. dies in his obſtructa ſit alvus, nihil periculi infert, ſed spontè aperitur denuò: Cautiſſimus E. ſit Medicus, ne aperiat alvum infantum, dum laborant variolis.

Fimus equinus eſt optimum remedium in variolis infantum *recens c. cereviſia* vel *potu ordinario* permiſcetur & ſubigitur & exprimitur. Optimum eſt remedium, promovet expulſionem & febrim potenter ſiſtit, & in ſpecie certiſſimè præſervat ab angina, & ne variolæ partes internas in ſpecie fauces infeſtent, quod periculoſum eſt.

Porrò *emulſiones* factæ *ex ſem. aquileg. rapi*, *card. benedict.* & ſimilibus optimæ ſunt, factæ *c. aqua flor. ſambuci, ſcabioſæ, fœniculi, veronicæ* & ſimilibus.

His *ſi adſit epilepſia vel immineat, grana pœoniæ* ſimul poſſunt addi, uti etiam ſi *inquieti ſint nimis* infantes, ſeſe jactitent & ſtragula non ferant, id quod fit imprimis prioribus duobus diebus, tunc optimè aliquantulum *ſemen papaveris albi* addi poteſt in his emulſionibus, v.gr.

℞. Sem. aquileg.
rapi ana ℥j.
papav. alb. ℈ij.
c. ſ. q. aquæ fœnicul. & flor. ſambuci,
F. Emulſio (quæ eſt optima)

Huic poſſunt addi vel *antimonium diaphoreticum vel C. C. ſ. igne* vel *pulvis marchionum* & ſimilia appropriata.

In ſpecie inter interna & variolas expellentia, ac ſimul *epilepſiæ* potenter *reſiſtentia* eſt *cinnabaris antimonii* quæ mirè confert in infantum epilepticis affectibus in variolis.

Nam malignitati potentiſſimè reſiſtit plus quàm omnia *antimonialia*, it. *Bezoard. ſolare C. C. ſ. igne*, *antimonium diaphoreticum* & ſimilia ſunt nota.

Hiſce Jixis commodè tantilla *ſalia volatilia*, *ſal vol. viperarum vel C. C.* vel in epilepticis convulſionibus *ſal vol. ſucini*, commodiſſimè adduntur.

Caſtoreum ſingulare eſt in expellendis & curandis infantum variolis: Miras habet virtutes in expellendo, cui non cedit *myrrha*, & in expulſione variolarum & in promovenda ſuppuratione & in impediendis cicatricibus eſt mirabilis.

Vnde *butyrum rubrum ſ. potabile* eſt ſingulare remedium, ſi *liquefactum* propinetur infantibus contra variolas, quoniam ingrediens habet caſtoreum.

Hoc *caſtoreum c. antimonialibus* commodè permiſcetur, v.gr.

℞. C. C. ſ. igne.
Antimonii diaphoretici ana gr. vij.
Caſtorei gr. ij. vel iij.
M. D. infanti 3. vel 4. annorum potenter expellit.

Mihi aliquando evenit talis caſus, erat puella 10. annorum, cujus variolæ jam erumpebant & eruptæ incipiebant ſine ſuppuratione evaneſcere cum ſuperveniente gravi diarrhæa, & cujus pedes jam omnino uſque ad genua cum intenſo calore liveſcebant, quæ omnia ſymptomata veniebant ex variolis retrocedentibus.

Ut ergò eaſdem denuò promoverem extrorſum verſus, præſcripſi ſeq.

℞. Antimonii diaphoret. gr. xij.
Caſtorei,
Myrrhæ ana gr. iv.
Camphoræ gr. j.
M. D. in duplo.

Capiatur doſis 1. manè, altera veſperi, & his ipſis denuò puella fuit reſtituta erumpentibus denuò & ſuppuratis variolis. Certum eſt, *ſi jam eruperint variolæ & ſuppurari incipiant, ut facilitetur ſuppuratio & præcaveantur cicatrices* in ſpecie *in puellis.* Optimum eſt propinare *ocul. cancrorum c. myrrha:* hæc duo enim temperant acrimoniam, & corroſionem impediunt.

Vt

Vt à variolis *præſerventur nares*, odor *aceti* imprimis conducit.

Vt præſerventur oculi aqua plantaginis c. pauca ceruſſa & camphora interdum inſtillanda.

Vt angina præcaveatur, fimus equinus conducit, aut *ſi collum jam obſeſſum ſit*, variolis *decoctum ficuum moderatâ doſi: ſyrup. violarum* interdum lente deglutitus maturat ſuppurationem.

Dictum fuit jam, quòd imprimis in principio variolarum, antequam perfectè eruperint, frequens ſoleat eſſe.

EPILEPSIA.

Epilepſia.

De hac ergò epilepſiâ jam pergendum eſt; *Epilepſia* ſeu *convulſiones infantum* frequentiſſime *ex duabus oriuntur cauſis*, aut *ex affectu nutricum immoderato*, aut *ex lactis in infantibus corruptione acidâ*.

Quoad *nutricem ſi perterrita* vel *iracundia percita lac præbeat infanti* vel *paulò poſt*, ordinariò ferè infantes fiunt epileptici.

Item, *ſi ex quacunque cauſa acrius lac in ſtomacho infantis aceſcat*, ſæpiſſimè infert epilepſiam, atque tunc *excreta infantum* ſolent eſſe *viridia* aut *nigricantia*.

Epilepſiam ab hac cauſâ ortam *progredi ſolent ejulatus* infantum *ferè continui*, *tormina & dolores abdominis & jectigationes* infantum, id quod vulgò mulieres magnum morbum appoſitiſſimè vocant.

Nam convulſio eſt partium abdominis nervoſarum & membranoſarum incipiens, excitata in infantibus ex acore lactis corrupti: quod ſi ulterius continuentur convulſiones iſtæ etiam partium externarum ſuperveniunt *convulſiones epilepticæ*.

Tertiò denique *dentitio difficilis* eſt, quæ ſæpiſſimè epilepſiam infert propter dolorem & propter fibras nervoſas in gingivis à dentibus erumpentibus punctas.

Nam *hæ tres cauſæ* aut *immoderatus animi affectus nutricis* aut *acor lactis vitioſus*, aut *dentitio difficilis* facillimè inordinatum ſpirituum animalium in infante concitant motum.

Vnde conſequenter *epilepſia, eò facilior in infantibus, quò debilior adhuc textura partium nervoſarum*, & *quò poroſius & ſpongioſius* adhuc minuſque ſolidum aut poris anguſtioribus pertuſum eorundem eſt *cerebrum*: unde facilè hinc inde diſpergi & inordinatè moveri poſſunt ſpiritus.

SIGNA

Epilepſiæ *per ſe* patent,

Cauſæ etiam latere non poſſunt. *Prior ex relatione nutricis, ſi vult: poſterior ex aceſcentiâ lactis. Tertia ex difficili dentitione infantum.*

QVOAD PROGNOSIN.

Eſt peſſimus ſanè *affectus*, qui tamen *in infantibus minus periculi* habet *quàm in adultis*, in ſpecie *in variolis*, nam ubi erumpunt variolæ, ceſſat ſponte epilepſia.

QVOAD CVRAM.

Notum eſt, quod *radix pœoniæ & internè & externè juſto tempore collecta* mirè commendetur. Majoris pretii tamen eſt *viſcus corylinus*, & poſt hunc *viſcus quercinus* optimus ad curam epilepſiæ infantum: præ cæteris tamen omnibus eſt expertum remedium in epilepſia infantum *ſuccinum* & quidem *ejus ſal volatile*, quod ſibi par non habet remedium in infantum curandâ epilepſiâ quacunque: Unde *liquor C.C. ſuccinatus* optimè curat epilepſiam infantum, ita ut vix quenquam relinquat hic liquor: Loco hujus vel *ſolus ſpiritus C. C. ſal volat.* it. *ſal volat. & ſpiritus cranii humani* ad epilepſiam infantum ſunt optima auxilia.

Hinc *pulvis & ſpiritus ſecundinæ primiparæ* etiam conveniunt, *cinnabaris antimonii* & ſuper ejus baſin compoſitum *ſpecificum cephalicum* optimum etiam eſt remedium in epilepſia infantum.

Nam & *cinnabaris mineralis* vel *collo tantùm appenſa* optimè juvat & præſervat ab infantum epilepſia: ſicuti *gr. j. camphoræ in aqua florum cheiri poſt paroxyſmum aſſumptum* præſervat, ne tàm facilè recurrere poſſit.

Si à terrore ſit malum, *Smaragdus* laudatur.

Si excernantur per alvum viridia in epilepſia *cryſtallus præparata* acidum interimens *c. appropriatis* imprimis permiſcenda.

Vehicula horum ſunt ſatis nota. *Externè oleum ſuccini, ſi paulò robuſtior* fuerit infans, commodè *vertici illinitur*: dico, ſi fuerit robuſtior: nam eſt penetrans remedium: aut *balſamus ſuccini cum pauco caſtoreo* temperatus *temporibus* commodè *illiniri* poteſt, quin & *oleum caſtorei pedum plantis* utiliter *admovetur*.

Abſolvimus punctum epilepſiæ. Cognatum epilepſiæ malum, adeoque ipſius ordinarius quaſi prodromus eſt.

PAVOR NOCTVRNVS INFANTVM.

Pavor nocturnus infantum.

Dum infantes noctes agunt inquietas, & hinc inde ſubſultant, cognatum malum

VIGILIIS NIMIIS.

Vigiliæ nimiæ.

Dum nimis vigilant & parum dormiunt. Ut E. primò à vigiliis incipiam, *Vigiliæ nimiæ* utplurimum *alios ſequuntur affectus* & *adſunt non per πρωτοπαθειαν*, *ſed per δευτεροπαθειαν*, v. gr. nunc *à dentitione difficili*, nunc *à vermibus*, nunc *à torminibus* ſunt vigiliæ: *ſi non ab his cauſis* ſæpiſſimè *adſunt cruditates ſtomachi* quæ noctem inquietam & ſomnum interruptum efficiunt, in ſpecie ubi cruditates vitioſæ fermentando ſimul *inflationes hypochondriorum* effecerint.

Affectus per ſe manifeſtus & periculoſus propterea quoniam vires infantum notabiliter dejicit atque anſam dat epilepticis inſultibus.

Eædem cruditates ſtomachi ordinariò ferè ſunt *cauſa pavorum nocturnorum* & quidem imprimis *cruditas acida*, unde ſubinde etiam *plorant*, ſæpius etiam *torminibus* infeſtantur infantes pavore nocturno correpti, unde in ſomno ſubſultunt.

Pavor eſt periculoſus, non per ſe, ſed *quod prodromus* ut plurimum ſit *epilepſiæ*.

Vigilias E. *nimias* quod attinet, ſæpius *obſtetrices ſomnolenta propinant* infantibus *papaverina* nempe *ſyrupum de papavere. Emulſiones ex ſem. papav* & ſimilia *quæ tamen papaverina* remedia in infantibus tenellis ſunt admodùm *periculoſa*, qui ſtuporem ac torporem inſignem inducunt ſpiritibus animalibus ut poſtmodum talia ſemper habere ſoleant ingenia ſtupida.

Non E. *niſi in adultioribus* ſ. adultis *ad papaverina eſt accedendum*: aut quod tolerabilius eſt, *ſufficit pulmentum ex lacte*, *in quo cortices capitis papaveris cocti* fuêre, in his enim mitior eſt vis hypnotica, vel etiam loco ſyrupi papaverini ſimplicis, *ſyrupus papaveris Rhœados* tanquam minus malignus eſt uſurpandus: interdum *1. alterumve parvum cochlear. c. aquâ hypnotica* DORNCREILLII propinari poteſt.

Externè temporibus commodè applicatur *lac muliebre c. pauco croco* temporibus illitum vel fiat *emulſio ex nucleis perſic. c. lacte muliebri*, quæ inſtar epithematis tepidè *fronti* admovenda eſt. *Medulla* etiam *cruris vituli liquefacta temporibus illita*, aut quod tutius eſt, *plantis pedum* inuncta commodè uſurpantur. *Olei moſchat. expreſſum c. aliquot gutt. olei anethi deſtillati* commodiſſimè illinitur *temporibus*.

Quòd ſi *pavores* adſint *in ſomno*, *præter clyſmata* paulò

paulò

paulò *acriora* conducit *Mechoacanna* ad expurgandum lac corruptum.

Hinc *pulvis ex ſem. aniſi aquileg. & ſuccino præparato* commodiſſimè propinatur infanti c.pulte : quando & *ſpecificum cephalicum c.ſemine aniſi* permiſtum commodè propinatur.

Eſt enim *oleum aniſi* optimum ſpecificum etiam contra pavorem nocturnum : Unde *aliquot gutt. olei deſtillati aniſi c. oleo moſchat. expreſſo* temperatæ inunguntur *temporibus*, ſed *in parva doſi.* Sicuti *oleum ſtomachale* CRATONIS miſtum *c. oleo deſtillato aniſi ſtomacho & umbilico* commodè *inungi* poſſunt. Vel *ſacculus ex aniſo contuſo vertici capitis impoſitus* unà c.reliquis commode uſurpari poteſt.

Hi fere fuerunt *affectus interni.*

Externos porrò *inter affectus* uſitatiſſima ſunt imprimis *Exanthemata faciei & capitis ſ. puſtulæ & ulcuſcula*, quæ *cutim faciei* hinc *ſuperficiem capitis piloſam*, interdum etiam quodammodo *univerſam cutim* incruſtant.

Vocantur aliàs hæc ipſa ulcuſcula & puſtulæ.

Cruſta lactea, it. Acores & Favi.

CRUSTA LACTEA. it. ACHORES & FAVI

dum ſunt *in facie.*

Tinea.

TINEA v. vocantur dum occupant *capitis partem piloſam.*

Cruſta lactea ſ. acores aliàs, etiam dicuntur Germanis *der Anſprungt*, ſicuti *Tinea* vocatur *der boſe Brind*, interdum tamen *acores* etiam *reliquas corporis partes infra caput ſitas* occupare ſolent.

CAUSA horum affectuum *ſive infantes lactantes* infeſtent, ſive *poſt lactationem* denuò ſe manifeſtent, quærendæ ſunt *in lacte aceſcente , & acore vitioſo inquinato*, qui acor ſucceſſivè fermentando in maſſ.ſanguinea præcipitatus foras ad partes intercutaneas beneficio ſanguinis circuli defigitur, ubi defixus hæret & *primò puſtulas*, hinc *ulcuſcula ſanioſa* tandem, ſi profundius corroſerit, *Cruſtas* infert.

Nam tinea capitis & ejus acor vitioſus interdum uſque eò ſerpit, ut etiam *oſſa cranii* lædat, eaque *carioſa reddat*, id quod fit imprimis , *quando nutrix contagio gallico* nonnihil *inquinata* lactaverit infantem.

SIGNA horum *acorum tineæ & favorum* ſunt *manifeſta per ſe.*

QUOAD PROGNOSIN.

Sunt equidem *bonum ſignum* , *malæ cauſæ. Bonum ſignum* quòd non tàm inquinent maſſ. ſanguineam, ſed potius in partibus intercutaneis defixa hæreant.

Malæ cauſæ innuunt enim *acidum vitioſum* , quod maſſ. ſanguineam inquinavit , & hinc expulſione ſua iſta ulcuſcula interdum periculoſa excitat.

Spontè naturæ ſubinde ſanantur , interim tamen *ſi diuturniora* ſeu *contumaciora* fuerint hæc ulcera ſanioſa, interdum in *ulcera maligna & depaſcentia degenerant.*

QUOAD CURAM.

E. imprimis *internis præcipitandum* eſt *corporis acidum nimium, & blanda diaphoreſi* ad partes ambientes beneficio ſudoris eſt *promovendum.*

Conveniunt E. *internè* imprimis *aqu.ſpiritus & Eſſ. ex floribus & rob. ſambuci* parata : it. remedia *ex fumaria & card.benedict.* In ſpecie *Viperina ſal.vol. viperarum earundem Eſſ.* ſunt optima.

In adultioribus infantibus *una alterave gutt. olei deſtillati viperarum fœtidi* , miram vim ſudorem pellendi & hujus medio hos affectus curandi obtinet ; juxta hæc *ex cervo* parata *diaphoretica* imprimis utilia ſunt: Hinc *myrrha cum oculis cancrorum* propinata & ſæpius repetita , curationem horum ulcuſculorum mirè facilitat.

Purgantia præmittenda ſtudio reticeo.

Externè conveniunt imprimis *lotiones* factæ *ex decocto radicis Oxylapathi, chelidon.major. betonicæ, ſaponariæ* , & ſimilibus , quibus commodè *furfures* addi ſolent.

Acores equidem *per ſe ferè curantur*, ſed *tinea capitis his lotionibus* imprimis *indiget.* Convenit etiam *decoctum rad. altheæ c. urina infantis* pro lotione capitis uſurpatum.

Vulgò etiam *decocto Nicotianæ* utuntur *ad capitis tineam* abluendam , quidam etiam *pulvere nicotianæ* utuntur, ſed *pravo* ſæpiſſimè *cum ſucceſſu* : Obſervavit enim *Dn.* BOYLE *in ſua Philoſophia experimentali*, quod *lotio capitis* facta *c. Nicotiana* in infante *tineâ* correpto , eundem reddiderit *ægrum & ebrium* : ſicuti ſimilem *ebrietatem* obſervavit FEHR. *tr. de abſinth. pag.90. ex pulvere nicotianæ ulceribus capitis manantibus inſperſo.*

Duo præter propter ſunt menſes , quod hic etiam infanti cuidam aliquot annorum propter ubertatem pediculorum *inunctum fuit caput unguento ex nicotiana* parato, quo facto *brevi poſt infans fuit* admodum *anxius* , *vomitus copioſi* , *diarrhœa* ingens & tantùm non *lipothymiæ* ſuperveniunt , cauſa omnibus latet: tandem deveniunt in ſuſpicionem unguenti : Hoc E. abluunt,& eo abluto ſpontè poſtmodum ceſſant ſupradicta ſymptomata.

Propterea *cauti ſimus in uſurpandis remediis ex nicotiana.*

Potius decoctum malvæ c. piſis pro lotione capitis optimè conducit ad *tineam* ; Sicuti etiam *unguentum c. butyro non ſalito* paratum, *addita* tamen *pauca camphora* , quin & ulterius conducunt *balſamus ſulphuris* temperatus *c. axungia porcina* & illitus , quæ *axungia porcina c. ſola camphora ſubacta* in mortario plumbeo dat unguentum admodum conveniens ad *capitis tineam* , ſicuti etiam *unguentum diapompholygos* aut *unguentum enulatum* , *miſtum c. floribus ſulphuris & malaxatum c. oleo nicotianæ* , ſunt remedia ſatis efficacia in *tinea capitis. Unguentum ex amiantho* paratum experimentum eſt BOOTII *in tract. ſuo de gemm.* quo etiam non ſine ſucceſſu uſus fuit SCULTETUS *in Obſer. Chirurg.96.* quo ipſo *capitis tineam contumacem* curavit.

Vulgò his ipſis remediis etiam addunt *mercurialia*, nunc *ex mercurio crudo*, nunc *vario modo præparato* conſtantia, id quod tamen *non citra cautelam* fieri debet, periculum enim eſt imprimis in tenerioribus, ne capitis periculoſiorem affectum , v. gr. *epilepſiam* inducant. Sic namque TIMÆUS *in ſuis reſponſis p.* 106. refert infantem acoribus laborantem *ex inunctione capitis mercuriali epilepſiam lethalem* contraxiſſe. *In robuſtioribus* etiam infantibus *mercurialia* cautè ſunt *uſurpanda propter metum ſalivationis* quæ ſuperveniens tam ſpontè & facile ſiſti nequit.

Ob id *mercurius vivus* neceſſitate cogente in *pauca quantitate* eſt permiſcendus remediis ; *Tutius* adhuc quàm mercurius vivus uſurpatur *mercurius præparatus*, imprimis *c. ſpiritu nitri præcipitatus* : communiter appellatur *arcanum corallinum.*

Item conducit etiam *mercurius dulcis* qui non inconvenienter unguentis & linimentis permiſceri poteſt. Notum aliàs eſt , quod *cingula mercurialia ſ.* ut vocant, *cingula ſapientiæ lumbis circumdata* optima & experta ſunt remedia *præmiſſis univerſalibus* , *contra tineam capitis*, uti etiam *contra phthiriaſin* : paratur " ex Cingulo ex panno parato bene inſuccato , ut ſic " dicam c. mercurio vivo , vel ſubigatur mercurius vivus c.axungiâ porcina & bene illinatur in cingulum " ex panno paratum: Tutò uſurpatur *in adulto* tale cingulum, *ſi præmiſſa* fuerint *univerſalia*, *ſi continuò ſimul uſurpentur corpus in blanda diaphoreſi conſervantia*, & *tertiò ſi ipſum corpus nimis exponatur frigori* , quin calidum & probè munitum continuò conſervetur. Aliàs ad *tineam capitis contumacem præmiſſa* convenienti

nienti *c. decocto malvæ lotione* commendatur hoc *unguentum :*

℞. Lithargyrii,
Ceruſſæ ana ℥ij.
Flor. ſulphuris.
Mercurii vivi ſalivâ jejuni extincti ana ℥j.

c.ſ.q. olei roſacei ſubigantur probè in mortario plumbeo, & fiat unguentum contra tineam non inelegans. PANAROLLUS *in pent.5. obſerv.* 31 ceu expertiſſimum & à ſe crebrius uſurpatum, laudat *unguentum* paratum *ex ſulphure, axungiâ porcina & ſucco limonum*, quo ipſo unguento abraſis capillis tineam inungendam ſuadet veſperi, tribus vicibus alternis diebus, quo facto per 5. dies nihil agendum eſt, quibus transactis fiat *ablutio capitis c. decoctione malvæ*. & ſic brevi curabitur tinea. Oleum non contemnendum *contra capitis tineam*, eſt & hoc :

℞. Vitellorum ovi ad duritiem elixatorum
N XVI.
Myrrhæ ℥ß.
Rad. ari,
Serpentariæ ana ℥ß.
Helleb. nigr. IV.

M. probè & coquantur ſuper carbonibus ignitis abſque flammâ, donec ſpumeſcere incipiant, tuncque exprimatur oleum uſui reſervandum. *In ſpecie decreſcente lunâ* commodè inſtituitur *cura tineæ :* Nam *acores & favi ſponte naturâ ceſſant. Ubi pertinaciora* aut *perículoſiora* fuerint *ulcera, lapis medicamentoſus* CROLLII (deſcriptio proſtat in BEGUINO & aliis) diſſolvatur in *aqua nicotianæ* & ita levi manu inungatur ; valdè enim juvat.

Quod ſi verò *ex malo increſcente cranium fuerit læſum, præmiſſâ ablutione ulcerum cranio læſo inungendum eſt mel roſaceum c. ſpiritu vini*, hinc applicetur *pulvis ariſtoloch.* ſubactus *c. balſamo Peruviano*, ſic enim ſucceſſivè deletur caries, & os denuò ſaneſcit.

Sit etiam ſubinde, ut in aliis locis inferioribus fiat *excoriatio*, quæ vocatur

INTERTRIGO,

oritur imprimis *in parte femoris internâ* : it. *in natibus, quando urina acrior erodit cuticulam* iſtarum partium, aut *quando lintea humectata minus ſedulò permutantur & exſiccantur.* Intertrigo.

Malum *per ſe* patet, & *facilè curatur*, quia alias *vigilias* & *dolorem* infert.

Curatur facilè, *ſi inſpergatur pulvis nihili albi :* it. fiat *nodulus ex pampholyge*, quo ipſo adſpergatur locus intertrigine affectus.

Optimus eſt *lapis calaminaris pulveriſatus* & *nodulo inſperſus*, aut loco hujus *lac lunæ* etiam convenit.

Hiſce *ubi rubor & calor adjunctus eſt intenſior, ſacchar. ſaturni* commodè additur l. loco hujus *ceruſſa* l. *unguentum album* ſ. *de ceruſſa camphoratum :* it. *unguentum diapampholygos*, aut etiam *de lithargyrio* hiſce commodè locis inungitur.

Ultimo loco eſt,

AFFECTUS PEDICULARIS ſ. PROHTHIRIASIS,

qui ſæpiſſimè mirè torquet infantes, etiam interdum adultos. *Affectus pedicularis ſ. prohthiriaſis.*

CAUSA hujus eſt in ſingulari ſeminio, ex quo generantur pediculi, quod *imprimis in corpore infantili* ſe exſerit & fœtus ſuos excludit.

Ex internis cauſis ficus ſunt qui inferre dicuntur prohthiriaſin, uti hoc obſervavit *Heinricus ab* HEER *in obſervationibus oppidò raris.*

Mala ex moleſtia quæ inde oriuntur, per ſe patent.

IN CURA conveniunt *lotiones capitis c. ſtaphiſagria :* item *c. ſcordio, abſinthio, colocynth. cent. minor. rad. helleb. nigr.* & ſimilibus in *aqua appropriata coctis :* item *aqua lavendulæ* aut *ſpicæ nardi*, ſi his abluantur loca pediculis infeſtata mirè conducit : vel *ſuccus abſinthii depuratus, in quo probè agitatus* fuerit *mercurius vivus* & hic denuò ſubſederit, optimus eſt ſi illinantur loca pediculis infeſtata. *Aloë* etiam &c. hac parata *aqua aloëtica* TIMÆI imprimis conducit ad effectus pediculares, ſi hac aqua abluantur loca pediculis inquinata. *Oleum ſpicæ* eſt unum ex optimis : hoc ipſo inungatur caput veſperi, aperiendo poſt inunctionem iſtud vittâ, ſic enim pediculi interea noctis omnes interficiuntur, qui ſubſequente manè *c. lixivio decoctionis ſpicæ* ſunt abluendi, caputque purgandum : Etiam ſi *inquinant loca pudenda pediculi ole. ſpicæ* eſt tutiſſimum. Juxta hæc *lintea* iſta *quibus aurifabri detegere ſolent vaſa aurea poſt deaurationem.* Hiſce pannis ſi fricetur caput, eſt experimentum certum, quo omnes fugantur & interimuntur pediculi, quæ vis eſt *ratione mercurii.* Unde etiam ad unguenta contra pediculos commodè *mercurius c. ſpiritu nitri præcipitatus* uſurpatur, aut etiam *ex pinguedine porcina, ſucco abſinthii, farina lupinorum* & *pulvere ſtaphyſagriæ* paratur linimentum mercurii ſed *pauco addito* acuendum, quo etiam interimuntur pediculi.

Denique *Cingulum* iſtud *ſapientiæ*, de quo ſuperius locutus ſum, etiam certum eſt contra pediculos remedium, ſaltim *ſi lumbis circumgeſtetur* ; vel *mercurius vivus in burſula ſecum geſtatus in veſtimentis pediculos fugat*, eoſque interficit. Hæc ſufficiant de morbis infantum.

MICHAELIS ETTMULLERI CHIRURGIA MEDICA.

PROOEMIUM.

PERGIMUS nunc ad CHIRURGIAM & quidem MEDICAM: Non enim omnia ea quæ Chirurgo propria ſunt pertractanda, ſuſcipimus, ſ. quantum ſpectat ad Medicum, ut curationes Chirurgicas, aut corrigere aut dirigere, aut prompto conſilio adeſſe poſſit. Ob id quæ ad *operationes* Chirurgicas in ſpecie pertinent, omnia miſſa faciemus, eaque alii tempori reſervabimus, & potius ſynopſin Theorico-Medico practicam pertractabimus.

CHIRURGIA E. eſt iſta pars Medicinæ quæ manuum operâ externâ mederi docet affectibus corporis humani externis.

Affectus huic Medicinæ parti ſubjecti, *quinario numero* commodè comprehenduntur *ſuntque*

TUMORES, VULNERA, ULCERA, LUXATIONES & FRACTURÆ,

Quorum priores tres partibus mollibus, poſteriores duo partibus duris ſunt proprii.

Artifex Chirurgiæ dicitur *Chirurgus*, cujus deſcriptionem exactam præ cæteris docet CELSUS in procemio in ſeptimam ſuæ medicinæ partem.

Harum partium affectarum, nempe aut durarum aut mollium exacta notitia perneceſſaria eſt.

In duris ſciendum eſt

1. *Confortatio ſitus & Connexio.*

2. Earundem *uſus* &

3. Quod omnia *mucida*, omnia *unctuoſa & pinguia ac oleoſa vulgaria* maximè nociva ſint iiſdem niſi antea artificioſe volatiliſata & deſtillata fuerint.

Eſt enim in omnibus iſtis, occultum acidum quod pertinaciter adhærendo oſſibus facilè m. carnem corrodit, Hinc potius ſicca & *amariuſcula* it. remedia ſale paulo acriori *alcalino* prædita, in oſſium affectibus ſunt convenientiſſima.

Hæc de partibus duris.

In partibus MOLLIORIBUS præ cæteris accuratè *notanda eſt differentia inter partes ſanguineas & ſpermaticas* ſ. nervoſas: quarum *hæ* ex colliquamento uterino ortæ immediatè poſtmodum ſucco chyloſo nutriuntur & ſuſtentantur: *ſanguineæ* è contra productæ prius & ortæ ex ſanguine, *ſanguine* m. poſtmodum *augmentantur & conſervantur.*

Diſtinctio E. inter has duas partes vel maximè eſt *obſervanda*: tam propter prognoſin de affectibus Chirurgicis ferendam, quàm m. propter curam & medicamentorum convenientium applicationem, quæ pro partium harum varietate, variat: Nam *ſanguinearum partium affectus* Chirurgici, *tumores, vulnera & ulcera* ſunt.

1. *Tutiores* quam *nervoſarum* nec tantis ſymptomatis, in ſpecie *Gangrænæ* & morbis convulſivis adeò non ſunt obnoxii, neque m. ſunt adeò ſenſiles nec adeò facilè irritabiles: Unde *vulnera articulorum*, v. gr. longè perículoſiora ſunt & citius *Gangrænam* contrahunt, item periculoſiora obtinent ſymptomata, atque vulnera partium *muſculoſarum* ſ. carnoſarum,

2. Affectiones hæ in partibus ſanguineis curatu ſunt longè faciliores quàm in partibus nerveis: hinc

3. Non ſunt adeò dolorificæ ſ. doloroſæ ſanguineas ſi occupaverint partes, quàm ſi afflixerint nervoſas.

4. Etiam ſi quod ſuperveniat *fermentum ſupernaturale corruptivum*, ut in vulneribus & ulceribus ordinariò fieri ſolet, hoc *in ſanguineis non adeò* eſt acre & vitioſum nec adeò malignum, id eſt mitius longè & correctu facilius, *quam in nervoſis*: Unde in *gangrænoſa ulcera* promptius longè ſerpunt in nerveis partibus quam in ſanguineis.

5. *Sanguineæ* partes ablatæ aut detruncatæ facilius reſtituuntur aut ſaltim quodam analogo reſarciuntur *ſecus ac fit in nerveis*, quarum jactura ſolet eſſe immedicabilis hinc:

6. *Sanguineæ* partes læſæ debilioribus m. medicamentis facilius auſcultant & imprimis *temperata balſamica* ſ. *ſale vol. oleoſo* temperato prædita, naturæ amica poſtulant.

Ex errore v. applicata forſan paulò acriora melius perferunt. *Nervoſæ v. utut* his balſamica temperata ſint acceptiſſima, tamen debilia ſubinde contemnunt, acria v. & fortiora eas irritant earumque affectus longè deteriores reddunt.

7. Denique quomodocunque curatæ læſiones partium ſanguinearum nec læſionem tantam in corporis actionibus, neque m. tantam membris deformitatem afferunt (contracturam incurvationem & ſic porrò) quàm fit in partibus nervoſis læſis.

Juxta partes has tanquam primariò ſubjectas læſionibus & curationibus Chirurgicis, etiã qui eas abluunt exactè conſiderandi ſunt liquores, primariò quidem *ſanguis*: hinc etiam *chylus* nutritivus, cujus vehiculum ſeparatum ex parte conſtituit *lympham.*

Sanguis ſalinus *volatilis oleoſus* & balſamicus, *ſpiritu ſalino* ſimiliter *volatili balſamico* turgidus partium conſervationi dicatur, ubi corruptionem incurrit, *acorem* quidem facilè contrahit ſ. hunc aut arte facilè corrigibilem aut ſpontè *efferveſcendo ſale vol. oleoſo in pus ſalſum temperatum* transmutatur.

Chylus verò laticè aquoſo dilutus & hinc poſtmodum lympha, vitiati inſigniter aceſcunt, & in mucilagines varias ſæpius, in ſpecie in locis glanduloſis in liquamem corroſivum corrumpuntur.

In partium externa læſione & earundem curatione Chirurgicâ TRIA imprimis obſervanda in genere.

I. *NATURALE conſervandum*: & hoc eſt imprimis naturalis humorum motus tam univerſalis ſanguinis & lymphæ, quàm particularis ſucci uniuſcujuſque partis nutritii balſamici. Nam hi humores facilè delent omnes affectiones.

II. PRÆTERNATURALE *tollendum* ſ. delendum: & hoc eſt imprimis *acor vitioſus* ſæpius putrefactivus, tam interdum in maſſa ſanguinea quàm in ſpecie in ſtomacho & primis viis primariò. a. in parte læſa tq. fermentum corruptivum præternaturaliter enatum.

Delete

Delete hoc acidum & ſic vel ſpontè curabuntur vulnera & ulcera.

III. SYMPTOMA *mulcendum* & ſupræ aliis eſt *dolor* qui ſæpiſſimè eſt vel tenſivus vel morſicans & pungens ſ. corroſivus.

Hæc tria probè obſervata in omni caſu Chirurgico *facilitant* curam, neglecta v. eandem difficiliorem reddunt: Nam

Primum ſi abſit corporis totius in ſpecie partis læſæ œconomiam naturalem turbat.

Secundum læſionem morboſam ſuſtentat & auget.

Tertium corpus partemque debilitat & mille accidentia advocat: Et hoc ipſum tertium exprimis duobus primario dependet: Nam *dolor* tenſivus ex impedito motu liquoris tranſeuntis indeque partis dilatatione oritur, uti fit in tumoribus: Corroſivus v. & pungens dolor ex acido habet originem præternaturaliter partem rodente & vellicante.

AUXILIA in genere quæ his conveniunt affectibus *ex tribus petuntur fontibus* imprimis ex *diæta*, *pharmacia* & *Chirurgia*.

Manus artificioſa Chirurgi eſt activa, partim removendo impedimenta ſ. impedientia, partim applicando conducentia *remedia* nempe deſumpta imprimis *ex regno vegetabili*, remedia nempe quæ *ſale vol. oleoſo* balſamico conſtant, ut ſunt dicta *vulneraria reſinoſa* & ſimilia quæ ferè utramque paginam faciunt in Chirurgiâ.

Nam hæc non tantummodo tribus ſuperius monitis requiſitis, quocunque uſu interno & externo, optimè ſatisfaciunt ꝗ. etiam aliis ſcopis hinc inde intervenientibus optimè una ſuccurrunt.

Imprimis autem, dum impedimenta removet Chirurgus, ea ſcil. quæ naturam tq. primariam Medicatricem in ſuis actionibus morantur, verè artificioſum ſe exhibet, dum nempe

1. Separata jungit.
2. A ſitu naturali dilapſa ordinat.
3. Id quod inutile aut vitioſum eſt à toto ſeparat.
4. Deficiens quantum poſſibile reſtituit &
5. Solvendo continuum & meatus aperiendo promptè ſuccurrit.

Hæ ſunt operationes primariæ quæ Chirurgo incumbunt in operatione manuali: quæ optimè deſcripta videatis tq. in ſynopſi in *Microtechne* HORNII it. *in armentatorio Chirurg.* SCULTETI: ſicuti etiam videnda ſunt in efficaci Medicinâ MARCI AURELII SEVERINI *Medici* Neapolitani: quæ tamen vix melius quàm per autopſiam ocularem addiſci & ad praxin deduci poſſunt. Jam ergò pro remediorum varietate *Chirurgia eſt duplex, vel* Medica *vel* manualis. *Medica* conſiſtit in recta *cognitione affectuum ſupernaturalium*, per manum chirurgicam tractandarum, & legitima *inventione remediorum* ex pharmacia & diæta convenientium; *Manualis* verò verſatur ſaltem circa *operationes chirurgicas*, quæ nos non tangunt.

Hæc in genere de Chirurgiâ monuiſſe ſufficiant.

In ſpecie cum 5. dixerim eſſe affectus qui Chirurgi manui ſubſunt, hi inchoandi à

TUMORIBUS *in* GENERE.

Tumores in genere. TUMOR eſt magnitudo partis præternaturaliter in longitudine & latitudine aucta.

EXCRESCENTIÆ *E. præternaturales* quibus non tam major fit pars, quam quod nova moles quaſi adnaſcatur ipſi *propriè non ſunt tumores*, utut reductivè harum pertractatio ad tumores pertineat & etiam pertractentur ſimul.

CAUSA in genere omnium *Tumorum* ſ. auctæ magnitudinis eſt vel *pars quædam ex naturali ſitu dilapſa* & in proximam partem propulſa ſ. diſlocata *uti apparet in herniis* it. in *luxationibus*, quibus ſemper conjuncti ſunt tumores.

Vel ſecundò eſt. *Humor quidam replens* indequè partis magnitudinem augens vel tertiò eſt *flatus diſtendens*: unde etiam non rarò ſunt tumores flatuoſi, qui interdum antequam aperiantur abſceſſum mentiuntur, & hi imprimis in genubus ſolent eſſe frequentes.

Ex quibus cauſis tamen cauſa media nempe *humor ſolet eſſe frequentiſſima*. Nam licet interdum etiam *lapides* it. *vermiculi, pediculi, copioſa parva qſ. ovula* it. *crines* & ſimilia varia in tumoribus & inde natis abſceſſibus reperti fuerint, eaque in ipſis tumoribus genita (*unde excludo hic ea quæ extrorſum per incantationem intenduntur*) tamen c. hæc ſint rariora, ad inſolita naturæ opera merito referenda, quæ iſti quod ſit utplurimum nihil derogare poſſunt.

Tumor E. qui partem replendo tumorem producit in eadem colligitur de novo qui antea non aderat: *vel ob motum humoris* cujuſdam trans partem impeditum, unde oritur humoris ſtagnatio: *vel propter novam humoris* in parte generationem.

Stagnatione fiunt tumores ſi humorum motus per partium meatus & vaſa ſubtilia impeditur & eſt vel ſtagnatio ſimpliciter vel paulatina congeſtio: *Illa* fit in tumoribus alias vulgò notis.

HÆC fit etiam imprimis in tumoribus criticis hiſque aliis analogis tumoribus.

Ibi promiſcuè hæret humor tranſiens hîc v. qſ. ſecretione quadam factâ partes quædam hærent, quibuſdam adhuc tranſmiſſis.

Stagnatione ſimpliciter dictâ fiunt omnes *inflammationes*, omnes *contuſiones*, *ereſypelata* & ſimiles tumores, & hoc quidem ex ſanguine: Ex LYMPHA v. ſtagnante fiunt *tumores œdematoſi & ſeroſi* quicunque: it. *hydropes* tam univerſales quam particulares: Pertinet huc lac in mammis concretum lochia circa uterum contenta.

CONGESTIONE *v. paulatina* ſ. ſucceſſivâ fiunt abſceſſus & tumores *critici*. Excrementis ſcil. febrilibus, ob craſſitiem aut coagulationem ſ. coacervationem reſtitantibus, ipſo ſanguine aut lymphâ ſenſim tranſeunte: Huc pertinent *bubones peſtilentiales: furunculi, parotides, carbunculi* & his ſimiles tumores: faciunt huc etiam viſcerum *ſcirrhi & ſtrumæ* circa glandulas enatæ. Hi enim tumores ſenſim generantur viſcidiore humore ex ſanguine & lymphâ relicto tenuiore promoto.

Hoc modo fiunt tumores per ſtagnationem.

Per NOVI HUMORIS *in parte generationem & collectionem* fiunt tumores reliqui, *quando alimentum partis proximum* coacervatur & colligitur in parte præternaturaliter: idque *vel corruptum*, vel *plus* aut minus *alteratum*.

Corruptum quidem qn. fermentum vitioſum quoddam in parte latens alimentum affluens degenerare facit in varios vitiatos ſuccos, qui collecti ſucceſſivè dant tumorem. Hinc enim fit ut abſceſſus aut ulcera ritè mundificata dant tumores & abſceſſus recidivantes, quæ vulgò malè fluxionibus corporis ad certam partem decumbentibus adſcribuntur. Hinc caries oſſium non ritè curata poſt ulceris conſolidationem denuò novum infert tumorem novumque exinde natum abſceſſum.

Pertinet huc bubo venereus ex contactu ſcorti ſucceſſivè in inguine enatus: it. pertinent huc *tophi, cancri mammar. argummata* Gallica ex acido maligno nutrimentum oſſium corrumpente, & hinc iſtos tumores excitante, unde poſtmodum gummata ac tophi enaſcuntur.

Ex alimento v. uberius affluente, minus v. in parte alterato, *oriuntur* tumores ipſis partibus quodammodo ſimiles, quales ſunt *tumores oſſium fractorum calloſi*: it. *Carnis in ulceribus* mundificatis *luxuria & excreſcentia*, aucta

aucta viſcerum inſignes magnitudines NODI it. & GANGLIA. Ex alimento v. Congeſto d. magis alterato & coacervato naſcuntur *tumores partibus* quibus adhærent *nonnihil diſſimiles*, quo quidem pertinent *omnes excreſcentiæ* ut ſunt VERRUCÆ, POLYPI it. CORNUA quæ ipſa commodè ad Verrucas referuntur it. FUNGI *& omnes iſti tumores, qui in propria tunica obſervantur contineri* quales ſunt MELICERIDES, ATEROMATA STEATOMATA vel ſimilia de quibus pluribus infra.

Hæ ſunt *cauſæ* tumorum generales *proximæ*.

QUOAD CAUSAS REMOTAS ſtagnatio humorum quæcunque *contingit aut vitio viarum* tranſmiſſioni repugnantium ob earundem anguſtiam *aut* propter humoris ipſius ad tranſeundum ineptitudinem *vel* propter ſui craſſitiem vel propter ineptitudinem particularum ejus reſpectu figurationis ad poros partium.

Viæ porique ſunt anguſti vel propter *compreſſionem* ab incumbentibus quibuſcunque it. propter *conſtrictionem* à vinculis & ſic porrò: aut propter *obſtructionem* à materia viſcida mucilaginoſave efficiente frigore imprimis inſpiſſatâ: aut ab acido coagulata, aut denique propter fibrarum partis contractionem ac criſpationem indeque natam porulorum partis anguſtiam quæ oritur imprimis ex dolore ſ. doloroſâ partis affectione.

Humoris craſſities & inde ejus orta ſtagnatio accidit vel propter pituitam quam vocant, chylum crudiorem & viſcidiorem, in prima, ſecunda vel tertiâ coctione non ritè ſubactum vel propter frigus *aut* acidum humorem coagulans & inſpiſſans, *aut* denique propter remedium externum malè adhibitum tranſeuntes humores incraſſans, quo ipſo *rejiciuntur omnia repellentia & adſtringentia in fracturis & luxationibus ineptè applicata.*

Denique *humoris particulæ malè figuratæ per poros tranſire nequeunt*, quin hæ per præcipitationem ſeparatæ ex maſſa ſanguinea & hinc denſius agglomeratæ in liquore fluctuant, quo vehiculo ſ. liquore vehente tranſeunte per poros ipſæ reſtitant, ut in abſceſſibus criticis uſu venire ſolet.

Ex alimento coacervato & collecto præter naturaliter, aut etiam alterato oriuntur *tumores qn. fermentum quoddam corruptivum*, utplurimum vitioſè acidum in parte latet, quod ipſum alimentum partis effluens degenerare facit iſtudque tranſmutat in varios vitioſos ſuccos qui collecti ſenſim dant tumores atque abſceſſus.

Alimentum minus alteratum dat tumorem qn. *utplurimum ex cauſa externa* ſubinde propter *labores* ob *poros* partis *dilatatos* fibraſque nonnihil *laceratas*: it. propter *membranas diſtinctas alimentum copioſius recipitur*, retinetur & ita uberius colligitur quâ ratione *ex tendinis* cujuſdam in manu *ex labore diſtenſione* circa articulos ſupervenit ſucceſſivè *Ganglion*: aut qn. ex compreſſione aut dilatatione ejus *ex calceo* ſupervenit *clavus*, & ſimiles tumores pro partis læſæ conſtitutione.

Alimentum denique *plus alteratum* à ſtatu naturali non tamen corruptum *dat excreſcentias membranis propriis incluſas* & pro alimenti alteratione ex varia membrana colligente tranſcolatione *nunc* ſevum, *nunc* pultem, *nunc* aliam ſimilem materiam c. radice tamen ex qua enaſcitur aliqualem analogiam obtinentem referentes tumores: quin & *polypi & verrucæ hoc modo naſcuntur* ut *raro citra externam* quandam *violentiam*, aut *citra impetum* quendam *externum*: it. ſi abſit hoc externa violentia *raro citra* interdum levem ab acido vitioſo præcedentem *corroſionem*, ſubnaſcitur talis tumor. Sic enim v. gr. *ex ulcuſculis narium* ſubinde propullulant *polypi*.

UT E. CURENTUR TUMORES in genere neceſſe eſt ut *evacuetur* continens eorum cauſa ſ. potius in tumore *contenta materia* quacunque id fiat ratione, u fibræ partium porique diſtenti denuò ſ. contrahant & ita naturalis parti redeat figura, & hanc poſtmodû inſequens actio & functio naturalis antea in parte læſa.

A ſtagnantibus humoribus pars liberatur vel I. reſtituendo ipſis motum naturalem ſi fieri poteſt *vel* II. Evacuando ipſos immediatè ex parte aut reſolvendo inſenſibiliter diſcutiendo, aut novam viam aperiendo, ſecando vel urendo. Illud (nempe diſcuſſio) ſtagnantibus humoribus ſimpliciter: Hoc (nempe apertio) humoribus congeſtis magis convenit.

Ut his duobus ſatisfiat: MOTUS ſtagnantibus *reſtituitur* I. vel vias anguſtas dilatãdo ſ. *removendo externa anguſtantia*: ut ſunt vincula, ligamenta, id quod in fracturis & luxationibus conſiderandum.

2. *Humoris coagulationem* obſtruentem *ſolvendo*.

3. *Dolorem tenſivum mulcendo vel* denique *craſſitiem humoris tollendo*.

1. *Removendo externa incraſſantia.*

2. *Temperando frigus & in ſpecie acidum* coagulans.

Diſcutiuntur ſtagnantes *humores inſenſibiliter*.

1. *Acidum* coagulans *temperando & humores* per medicamenta partibus ſubtilibus conſtantia & penetrantibus prædita ſenſim ſenſimque *attenuatione diſſipando.*

Apertione denique *novi foraminis evacuantur humores vel demulciti* & temperati per ſuppurationem, ſi nempe mutationis in pus ſunt capaces: *aut* ſaltim ſi à cruditate ſua nonnihil ſunt mitigati aut q. ſ. alterati, ſi ſuppurationis ſunt incapaces.

Illud (ſuppuratio nempe) ſanguineis, aut c. ſanguine permiſtis liquoribus tantummodo convenit: *hoc* reliquis ſaltim humoribus & tumoribus eſt proprium. Terenda tamen ubivis veſtigia à natura præmonſtrata.

SUPPURATIO fit q. n. in ſanguine ſtagnante evaneſcunt & diſſipantur partes ejus ſpirituoſæ ſubtiles ac tenues: Unde id quod remanet, ſpiſſeſcit ſenſim & grumeſcit. (Hinc omnis ſanguis extravaſatus in grumos tandem concreſcit) & ex corruptione ſucceſſivè acorem contrahit putredinalem, à quo acido fit efferveſcentia acris c. ſalibus volatilibus oleoſis ipſius ſanguinis ex qua efferveſcentia aucta, non tãtum calor in parte affecta ſentitur major & ipſa tumoris magnitudo ſucceſſivè in medio ſui turgeſcendo augetur, & inflammatur. Unde *dolor* & *tenſivus* (ratione partium diſtenſarum & *pulſatorius*) ratione arteriarum in motu impeditarum) intenditur & tandem *ſanguis in pus corrumpitur acido ferè prædominante*: Unde *pus* album apparet: omnia enim *alcalia oleoſa ſ. ſulphurea ab acido præcipitantur in album colorem*, uti ſic Chymicis ex lacte ſulphuris patet.

In hoc ſuppurationis negotio *acidum* imprimis eſt conſiderandum: Nam *hoc nimis excedente* nulla fit ſuppuratio, *d. aut* partis in ulcus corroſio, *aut* tumoris in ſcirrhum induratio: *deficiente v. acido*, non opus eſt ſuppuratione cum liquor fluxilis tunc temporis alia ratione facilè removeri poſſit, aut tum exacta temperatura opus non habent. *Hoc E. acidum c. ſale vol. oleoſo* ſanguinis concurrendo dat inflammationis ac ſimilium tumorum ſuppurationem.

Ex *dictis facilè* patet *qualia medicamenta* in genere ad tumores curandos *ſint applicanda*: Nam *motum* materialem *humoribus reſtituunt omnia ea quæ reſolvunt attenuant & alcali ſ. ſale vol.* plus minus temperato factum coagulum tollunt ac mobile reddunt.

Per diaphoreſin v. tumores diſcutiunt primariò *ea materia quæ participant de ſale vol. ſ. alcali* nunc acri nunc fixo tam minus quàm magis temperato, acidum temperante, & ita corroſionalem cauſam ſtagnationis tollente.

Suppurationem v. ſi fiat legitimo modo *adjuvet Chirurgus non applicando diaphoretica* alcali acri cõſtantia quia horum operatio diſſiparet magis tenuia & volatilia, reliqua v. ſpiſſiora in. duraret in ſcirrhum: *Nec applicet etiam his contraria acida*, quia acida ſuppurationem

nem impedirent, & facile occaſionem gravem & ſic ulcus inducerent.

Applicet E. Chirurgus temperata humectantia & blandè laxantia alcali occulto, ut vocat Helmont. & temperato conſtantia, plus tamen minus acriora, pro ratione nempe materiæ ſuppurandæ.

Imprimis *ſuppurantia debent eſſe nonnihil mucilaginoſa, & ſuaviter humore qſ. roſcido laxantia:* Nam talia acrimoniam humoris ſuppurandi imprimis acidum ſuaviter temperant: Unde *ſalia* in liquore ſuppurando minus impetuoſè effervescunt & per conſequens C. minore dolore & ardore ſuppurationis negotium abſolvitur, dum interea per iſta remedia applicata ſimul laxantur fibræ antea tenſæ: Unde dolor ſucceſſivè mitigatur & pus facilius exteriora verſus viam invenire poteſt.

Temperata E. nonnihil mucilaginoſa dixi ſuppurantia eſſe.

Quod *ſi v. tumor ſuppurandus conſtat materia craſſiore & viſcidiore aut acidiore* qualis v. gr. ſit lac in mammis coagulatum ad ſuppurationem tendens, qui tumor ob id minus fermentationi ſeſe accinget d. potius ad ſcirrhum degenerare velit: tunc *C. ordinariis ſuppurantibus applicanda ſunt paulo acriora ſale vol. magis acri imprægnata*, qualia ſunt *cepacea: alliata* & ſimilia de quibus inferius, prout conditio nempe tumoris & humoris ſuppurandi requiſiverit.

APERTIO TUMORIS (quæ eſt 3tius modus curandi) *aut* ſuppurati *aut* aliquantiſper alterati, ſi ineptus ſit ad ſuppurationem: *fit vel ſponte natura* dum ſupertenſa cutis ob acrimoniam contenti humoris ſucceſſivè eroditur: *vel apertio iſta fit arte*, idque nunc *ferro id eſt lancettâ*, qui modus eſt optimus Gallis uſitatus: *vel apertio fit igne* qui modus fere eſt Italorum & hoc *aut actuali* per ferramenta ignita quod tamen rarius eſt: *vel potentiali ſ. Cauſtico* quod conſtat *ex ſale* quodam acerrimo: Nunc quidem *ex alcali fixo acri* idque uſitatiſſimè: Hinc parantur *Cauteria ex lixivio ſaponario* inſpiſſato vel fiunt cauteria *ex calce viva c. Cinere fraxini:* vel fiunt *ex ſale tartari & cineribus Clavellatis*, & quæ ſunt ſimilia alia ſubjecta alcalia fixa: Nunc v. conſtant *cauteria ex acido* nempe *butyro antimonii* quod ſingulariſſimum eſt cauterium pro parandis v. gr. *fontanellis*: it. quod *bubones & carbunculos* quoſcunque optime aperit. It. parantur talia *ex Magnete arſenicali* qui legitime adhibitus eſt cauterium arcaniſſimum quia indolens: ſapienti ſat. vel parantur *ex lapide infernali ex ſpiritu nitri concentrato* cum lunâ (quod uſitatum eſt Italis & ſatis conveniens:) Vel fiunt talia ex opio in ſpiritu nitri diſſoluto, quod tamen ſingulare eſt.

His viis vel ferro vel igne potentiali *apertus tumor*, ubi materia jam erit evacuata tunc *vocatur* relicta cavitas *abſceſſus* qui ubi per occultos qſ. cuniculos hinc inde ſerpit alio nomine *vocatur* SINUS: Et eſt talis abſceſſus revera nihil aliud quam Ulcus poſt ſuppurationem relictum, curandum ut alia ulcera, de quibus inferius plura, mundificando & hinc conſolidando.

Hæc eſt Curatio tumorum ex humoribus ſtagnantibus ortorum:

Quod attinet *tumores ortos à materia per novam generationem introducta liberatur* pars tumens: *aut materiam collectam inſenſibiliter diſcutiendo*, quod rarius contingit: *aut per factam aperturam materiam evacuando*, quod fit frequentius, materiam ipſam evacuandam emollientibus aut ſuppurantibus plus minus antea alterando & mitigando cavendo recidivam per fermenti ulceroſi & peregrini totalem deſtructionem: *Nam alias* v. gr. dabo exemplum ſi in mammarum ex lacte coagulato ſuppuratione (quod frequentiſſimè fit) non rite curetur abſceſſus & mundificetur per fermenti peregrini extinctionem, demum, licet conſolidata fuerit mamma *recurrit tumor & novus* fit *abſceſſus*, qui poſtmodum per balſamica oleoſa) uti habebimus.) probe mundificatus eſt curandus.

Excreſcentia v. tolluntur utpl. imprimis inſigniores, omnimodâ earum ferro aut igne extirpatione: *igne imprimis potentiali:* rarius niſi more Italorum actuali præcavendo hic recidivam talium excreſcentiarum per radicis membranoſæ omnimodam deletionem.

Hiſce manuali artificio *externe applicatis remediis* commode etiam ſimul *adduntur medicamenta interna*, nunc quæ laxando primas purificant vias, aut quæ maſſ. ſang. quæcunque expurgant, *imprimis quidem ſudorifera:* Unde *quæ acidum vitioſum* tam in primis viis quam in toto corpore oberrans ſubinde *abſorbent & deſtruunt*, nunc *quæ labem maſſ. ſang.* peculiarem *corrigunt:* v. gr. *Cachecticam, veneream, ſcorbuticam*, aut ſimilem: nunc v. quæ blandum *ſudorem per ſubjecta de natura alcalium provocando*, omnes liquorum ſtagnationes & coagulationes ſucceſſive ſolvendo æqualem *humoribus motum reſtituunt & reſiſtantes inſenſibiliter reſolvunt*, & talia ſunt v. gr. *antimonium diaphoreticum: ocul. cancr.* qui *Chirurgorum* debent eſſe *arcanum* quorum internum uſum, *Myrrha, Caſtoreum, viperina* quæcunque & hinc *ſuccinata* balſamica interne uſurpata: Nam talia in omni Chirurgico caſu commode poſſunt applicari.

Quod ſi febricula aut æſtus adſit *nitrata* ſunt uſitata, ut ſunt *nitrum antimoniatum* imprimis. Hinc *nitrum per alcali purificatum*, & tandem quod viliſſimum omnium eſt, (utut vulgo contrarium ſtatuatur) *lapis prunellæ*, commode interne uſurpantur, ſicuti *milites ordinario uſurpant pulverem pyrium* cujus internus uſus *ratione nitri ſulphuris & alcali fixi in carbonibus lilii* in Chirurgicis caſibus debet eſſe frequentiſſimus nec ſine ratione.

Hæc de Cura tumorum in genere.

Quod attinet E. *Remedia Tumoribus* in genere *applicanda* ſunt ea.

1. *Reſolventia* quæ imprimis ſtagnationi humorum ſunt oppoſita, quos reſolutos in naturalem motum revocare debent.

Sub hunc titulum revocanda ſunt omnia ea externe applicanda, quæ craſſum attenuant, coagulata ſolvunt, grumos & viſciditates incidunt & rarefaciunt, concreta fundunt, & ex his ortas durities varias emolliunt; omnia hæc ſub nomine attenuantium & reſolventium comprehenduntur. Operandi rationes facile patent.

In corpore humano dixi humores ſtagnare, incraſſari & indurari l. ob frigus externum coagulans vel ob propriam viſciditatem & craſſitiem:

Qui Coagulantur humores ſunt vel *ſanguis ſolus* qui imprimis ab acore congrumatus hæret: *l. eſt pituita ſ. chylus craſſior* & crudior nondum in ſanguinem perfectum aſſimilatus, tam in ſanguine quam in lymphâ tam ob frigus externum, quàm ob acidum internum inſpiſſatus: Nunc v. concurrit ſimul *uterque humor* ſanguis nempe craſſus & viſcidus ob Chyli portiones crudas ipſi permiſtas ex cacochylia natas, *qui 3tius modus eſt Communiſſimus, & dat tumores obſtinatiſſimos* ad ſcirrhorum naturam inclinantes.

MEDICAMENTA E. quæ has humorum affectiones Curare valent, *Emollientia* ratione duritiei & *attenuantia ſ. reſolventia* ratione Coaguli *dicta* haud habent virtutem, ut *acidum temperent*, partes Coagulatas *penetrent* eaſque attenuent, & ita *humores molles* tractabiles ac mobiles *reddunt*. Nam quæ à frigore fit coagulatio, admoto externo calore poteſt reſolvi.

Medicamenta quæ huc valent ſunt 1. *pinguia & nonnihil mucilaginoſa*, quæ acidum temperant & qſ. obtundunt, fibras & membranas laxant & emolliunt, vulgo *Emollientia* in ſpecie dicta.

Deinde *valent* huc m. paulo *acriora de ſale vol.* penetrantiori participantia, quæ acidum omnino abſu-

 munt,

munt, partibus volatilibus in poros penetrant & coagulo iſto abſumpto humores tenues mobiles ac fluidos reddunt, & *hæc ſunt propriè attenuantia* dicta.

Et quidem prout nunc coagulum & inde orta *ſtagnatio eſt magis vel minus* forte & contumax, ratione aut acidi aut humoris craſſi & viſcidi, *m. remedia*, nunc *acriora*, nunc *temperatiora* adhibenda, *unde* 3. *ſunt gradus* horum remediorum.

1. *EMOLLIENTIA*.
2. *ATTENUANTIA mediocria*.
3. *ATTENUANTIA fortiora* diaphoreticis ſ. diſcutientibus cognata.

Dicis, reperiuntur etiam acida, quæ attenuant & reſolvunt, *ſed hæc* quatenus ſunt acida, hoc non præſtant, ſed ſalinarum partium volatilitate, unde vix ſola uſurpantur, ſed pro vehiculo aliis adduntur.

Primi gradus ſunt ſequētia emollientia & reſolventia.

Rad. & h. Malv. alth. atriplic. mercurial. branc. urſin. violariæ lil. albor. parietar. flor. melilot. Malv. ſem. fenugræc. lin. altheæ lupin. & ex his paratis mucilagines atque farinæ it. Caric. pingu. Uvæ paſſæ & ſimilia: adipes & axung. capon. vaccin. porcin. human. *pinguedines recentes* magis emolliunt, *Veteres* attenuant, & illud magis, ſi ſint pinguedines ex *fœmellis*, quàm ſi ex maribus, medullæ animalium recentes lac butyr. ol. amygd. dulc. violarum lil alborum, unguentum reſumptiv. dialth. de mucilaginibus & ſimilia.

Attenuantia & emollientia 2di gradus ſunt rad. & h. apii helenii imprimis *cepæ* coctæ quæ ſunt egregiæ: Ebul. hyperic. Chærefol. veronic. verbaſc. ſambuc. rut. Menth. artemiſ. ſaturejæ cicut. ſcabioſ. flor. hyperic. croci ſambuc. ſcabioſæ Chamomill. it. adipes anſerin. Vulpin. urſin. cervina: ſevum Hircinum Medulla Cervin. Gumm. Tacamahac: NB. ſtyrax liquid. reſina Terebinth Cera. mumia. &c. Farina fabarum c. aceto applicata: ſperma cet. ſpiritus tartari, oxymel ſcillit. ol. Chamomill. amyd. amararum Hyperic. Nucum, anethin. laurix. & nicotian. Unguenta & Emplaſtra: de Cicut. de betonic. diachylon ſimpl. de ſperm ceti Mynſicht. de Melilot.

IN 3tio GRADU *emollientia & attenuantia* ſunt: rad. & h. bryon. cucum. agreſt. Ceparum Crudarum antea dixi de coctis: Nam in Coctione avolat. ſal vol.) vincetox. cyclam. ſigill. ſalomon. aſari, ſcill. ſabinæ, abſinth. centaur. minor. nicotian. ſem. ſinap. erucæ. cumin. c. aceto cocti raphan. *Gumm. ammon.* quod eſt optimum, Galban. Bdellium ſagapen opopanax Myrrha, elemi, ladanum, reſina pini, ſtercora & urinæ animalium nidus hirund. c. excrementis; ſpir. vini, crocatus: acet. ſcillitic. fermentum: ol. Irin. laterin. ſcorpionum Terebinth. ceræ deſtillati lumbricorum, petroleum ol. tartari deſtillatum: ol. Nicotianæ Balſamus ſulphuris: unguentum martiatum Empl. diachylon c. Gummis, Oxycroceum diaſulphuris de Cicut. de ammon. & vigon. de ran. c. mercurio mercurius laminæ plumbeæ illitus & applicatus.

Ex his modo dictis ſimplicibus varia poſſunt fieri 1. Fomenta 2. Cataplaſmata 3. Linimenta & unguenta 4. Emplaſtra.

Formula E. fomenti emollientis ſit hæc.

♃. Rad. alth.
lil. alborum ana ℥iß.
h. Malv.
Melilot.
flor. ſambuc. ana Mj.
Caricarum pingu. paria iij.

Coqu. in ſ. q. ſeri lactis l. in lacte caprino: Colatura *D. S. fomentum* applicandum ſcalidè c. linteis duplicatis vel triplicatis idque ſæpius repetendo: vel loco lactis coquatur in ſ. q. aquæ ſimpl. Colatur

♃. ℔iß. adde ſucc. cepar. recent. ℥iij.

Cataplaſmata emollientia & reſolventia fiunt h. m.

♃. Rad. alth. ℥iij. Cucum. aſinin. l. loco hujus Ireos recent. ℥j. fol. braſſic. Malv. h. abſinth. a. Mj.
flor. Chamom.
Melilot. ana Mß.
ſem. lin. ℥iß.

Contuſ. coqu. in ſ. q. aquæ ſimpl. trajiciuntur per ſetaceum pulpam trajectam ♃. adde ſtercoris caballini ℥iij.
ol. Chomom. ℥iß.
ceparum ſubcineribus lene Coctarum ℥iß. l. ℥ij.
M. pro Cataplaſmate.

aliud & quidem ſub forma linimenti.

♃. Mucilag. ſem. alth.
fœnugrec. c. decocto.
ficuum extract. ana ℥j.
adip. anſerin. ʒvj.
ol. Ghamom.
lil. alborum ana ʒiij. l. ℥ß.

M ſuper ignem ad Conſiſtentiam linimenti: ſub finem adde.
ol. Therebinth. deſtillati ʒj.
tartari fœtid. ℈j.
(niſi fœtor ſit horribilis eſt tamen potens)
M. pro linimento.

Denique ſub forma Emplaſtri.

♃. Empl. de Melilot.
Gumm. ammon. in aceto ſolut. & inſpiſſat. ana ℥iß.

Liquefacta malaxentur c. ſ. q. ol. Irini & nicotian. induc. ſuper alut. in forma debita.

Conveniens in emolliendis tumoribus duris ad ſcirthos quodammodo inclinantibus.

Poſt reſolventia ſ. emollientia proxima ſunt *remedia diſcutientia* ea ſcil. quæ inſenſibiliter materiam tumoris ex parte expellunt: alias m. *diaphoretica appellantur*, quæ ſi ſint leniora dicuntur *rarefacientia: pertinent huc* ea quæ alias interno uſu etiam *Carminativa* appellantur.

Pori partis cujuſdam, dum ſunt occupati humore retento, non poſſunt liberari, niſi ut reſolutus humor iſte vaporis aut halitus ſpecie diſſipetur & inſenſibiliter evacuetur.

Ad hoc ipſum requiritur ut humor ſit fluidus & tenuis reſolubilis in halitus, expers ob id omnis craſſitiei aut coagulationis, quæ ſi adſint prius corrigendæ.

Quæ E. tumorem ita reſolvere debent, neceſſe eſt habeant partes ſubtiles, tenues & facilè penetrantes ſimulque valeant in parte producere quendam calorem, quo ipſo liquefacti & reſoluti humores, partim in meatus ordinarios remeent partim v. per poros cutis exhalent.

Vitanda E. frigida quæcunque quæ pororum occluſioni occaſionem præbent *vitanda quoque qualibet acida* quæ coagulando humorem magis inſpiſſant & parti nocivum inducunt, niſi ſint acida quæ habeant partes admodum ſubtiles & penetrantes, quales in vino item in aceto ſunt conſpicuæ.

MEDICAMENTA E. quæ huc convenient erunt imprimis *aromatica ſale vol. oleoſo prædita* quæ penetrant & attenuant inſigniter & uti omnem humoris craſſitiem ita omnem ab acido inductam coagulationem tollunt ac ſimul partis calorem ſuaviter fovent: poſt hæc m. *ſalia alcalia*, nunc *Volatilia* nunc, *fixa* lixivii forma applicata ſunt utilia.

Vicina E. admodum ſunt diaphoretica reſolventibus ſ. attenuantibus gradu auctiori tantummodo diſtando. Nam quæ reſolvunt continuato uſu tandem m. diſcutiunt, & quæ in corpore denſiore ſ. in duriore, materiæ compage ſunt attenuantia reſolventia ea in corpore molliori & in leviori materiæ concretione ſimul erunt diaphoretica.

Dum a. Diaphoretica ſemper præſupponunt humorem facilè reſolubilem, eò ipſo etiam poſtulant aut

præce

præcedentem aut conjunctum attenuantium & reſolventium uſum, ne dũ pars humoris incraſſata diaphoreſi reſiſtat, ita ut ſubtilioribus & tenuioribus partibus diſſipatis reliquæ craſſiores magiſq; coagulatæ & hinc contumaciores remaneant, ob id diaphoreticis commodiſſimè ſemper ſimul attenuantia permiſcentur.

Externis hiſce commodiſſimè ſimul adduntur *interna diaphoretica* ex alcalium republica deſumpta: hæc n. attenuando & liquefaciendo ſuccos, naturalem eorum motum concitatiorem reddunt & præter naturalem eorundem ſtagnationem reſolvunt. Unde liquefacti humores partim per poros diſcutiuntur partim c. aliis in vaſa reſorbentur.

REMEDIA E. *diſcutientia* ſunt ſequentia.

RAD. fœnic. Ireos, Helen. ariſtoch. rotund. ſigill. ſalomon. cucum. aſinin. pyrethr. Zingiberis *fol. & h.* aneth. ſambuc. Ebul. laur. plantæ Cæteræ aromaticæ ut origan. puleg. cerefol. thymus, Calamintha, Majoran: roſmar. abſinth. Centaur. min. ſalv. rut. ſabin. lavendul. hyſſopus: abrotan. Chamæpyt. ſaturei: *flor.* Chamom. imprimis *roman.* quæ eſt elegantiſſima & efficaciſſima: melilot. ſambuc. lavendul. aneth. Salv. anthos croc. *Bacc.* juniper. laur. N. Moſchat. Macis ac alia aromata *ſemen* aneth. Cumin. Carv. aniſ. fœnic. rut. ſinap. petroſelin. farin. fabarum c. aceto applicata, benzoë, Caſtoreum, ſtyrax, calamit. Camphor. Sp. vini Camphorat. Sp. Terebinth. Camphoratus: Eſſæ. plantarum cephalicæ & aromaticæ.

Ol. lumbric. terreſtr. Chamom. Roman. anethin. Cumin. Cary. fœnicul. aniſ. Laurin. Juniperi nardin. laterin. Menthæ, Irin. Coſtin. ſpicæ, petroleum, ceræ, terebinth. tartari, ſuccini, quæ inter primatum obtinent ol. deſtillata, *Adipes* & pinguedines animalium ſylveſtrium canis, vulpis, urſi, cervi, m. ſtercora & urinæ animalium, imprimis caprillum hinc equinum Balſam. ſulphuris, decoctum ſulphuris c. ſtercoribus: lixiv. ſarmentorum vitis aqu. calcis vivæ ſuffitus aceto deſt. ſuper ſilicem candentem: Empl. diachylon. ireatum, Empl. martiatum, diaſulphuris, Empl. Auguſt. ad hydropem.

MODUS applicandi hæc diaphoretica eſt 1. in ſuffitu 2. in fotu 3. in Cataplaſmate 4. in linimento vel unguento 5. Emplaſtra nimis *unctuoſa & Emplaſtica* qui poros oblinunt & infarciunt ſunt vitanda.

Exemplum fomenti aut ſuffitus diſcutientis.

℞. Rad. helen. Ebul. Baccarum Juniper. ana, ʒj. h. origan. Calamenth. puleg. Roſmarin. fol. lauri. florum. ſambuci ana Mj. ſem. aniſ. fœnic. Cumin. ana ℥ß. ſtercor. Caprill. ℥iß. coqu. modicè in ſ. q. aquæ ſimpl. ſub finem adde vini Rhenani ℥iv.

Colatura D. pro fotu c. linteis multiplicatis vel ſpongiis novis repetitis vicibus applicando: aut ex decocto ſuffitus excipiatur membro tumente.

Exemplum Cataplaſmatis diſcutientis.

℞. fol. lauri.
roſmarin.
rut. ana Mj.
flor. Chamomill. roman.
ſambuc.
ſummit. aneth. ana Mß.

bulliant in ſ. q. aqu. & vini ad mollitiem, pulpæ trajectæ adde:

Farin. fabar.
furfur.
ſtercor. Vaccin. ana ℥iij.
Mell. optim. ℥iv.
M. pro Cataplaſmate.

Exemp. Linimenti diaphoretici ſit hoc?

℞. balſam. ſulphuris Terebinthi nat. ʒiij.
Peruviani ʒiß.
ol. deſtillat fœnic. Cumin. ana ʒß.
Camphora gr. vj.
M. pro linimento c. l. ſine cera.

Denique Empl. diaphoreticum.

℞. Empl. dia ſulphuris Ruland. ℥ij.
diachyl. c. Gummis ℥j.

Malaxantur c. ſ. q. ol. Chamomill. inducantur ſuper alut. pro Empl.

irrorandum ol. deſtillato ſuccini.

III. REMEDIA tumorum in genere ſunt SUPPURANTIA: dicuntur ea quæ pus generant: it. vocantur *maturantia*, & ob ſanguinis in pus alterationem, quam à calore fieri exiſtimarunt veteres quibuſdam dicuntur *concoquentia* dum ſanguinis pars Coagulata aliique humores, ſanguine tamen permiſti aut cui ſanguinis ſuffuſio td. ſupervenit, *ex acido præternaturali* incipit efferveſcere; tunc ex acido iſto in ſanguine congrumato orto c. ſal vol. maſſ. ſang. concurrente & efferveſcente, fit ſanguinis totalis mutatio in aliam planè ſubſtantiam quæ vocatur PUS.

Salſum hoc eſt natum ſcil. ex concurſu acidi & urinoſi: præponderare tamen in pure adhuc videtur acidum, ob id albet: cum acida, oleoſa & ſulphureo ſalina in colorem album cogere ſoleant.

Medicamenta E. quæ ad promovendam hanc alterationem applicantur à Chirurgo dicuntur ſuppurantia, ob id adhibenda ut ſuppurationem reddant promptiorem, faciliorem & jucundiorem aut breviori tempore abſolvatur & c. minori ægri incommodo ſ. moleſtia.

FACILITANT ſuppurationem ea 1. quæ leviter humectando ſalia iſta duo reſolvunt, quæ reſoluta promptius & citius in ſe invicem agunt.

2. Quæ acidum Modice temperando æquabilem ejus c. urinoſo fermentationem adjuvent.

3. Quæ moderatè penetrando Coagulatum ſanguinem non nihil reſolvunt & ita ſuppurationem promovent: quamdiu n. coagulum durat, aut quamdiu acidum præponderat, perfecta aut abſoluta ſuppuratio fieri nequit.

Monſtrant hæc quod medicamenta ſuppurationem facilitantia debeant eſſe leniter humectantia & alcali occulto & blando prædita pro acido temperando ſimulque non nihil emollitiva & reſolutiva nunc magis nunc minus talia pro acidi & humoris coagulati ratione varia.

Ubi n. fortius eſt acidum acriora: ubi contumacius eſt coagulum magis reſolventia requiruntur remedia.

JUCUNDIOREM ſ. minus moleſtam ſuppurationem reddunt.

1. Quæ ſalium acrimoniam temperant: ſic enim majori impetu inter ſe agunt: unde & acor & etiam punctiones tolluntur & m. ſalium mutua actio Cohibetur ne adeò impetuoſè efferveſcant.

2. Quæ partem affectam laxant & ita fibrarum contractionem doloroſam tollunt: unde dolor tenſivus longè redditur mitior & præterea eruptio & apertio apoſtematis facilitatur.

Quæ huc faciunt medicamenta ſunt *quæ mucilaginoſa & oleoſa ſubſtantia conſtant*: Nam hæc ambo ſalia 1. temperant 2. partem tumentem laxant: & hæc inter *lac* primum locum meritò habere dicitur.

SUPPURANTIA E. *remedia fere ſunt ſequentia.*

Rad. alth. lil. albor. tuſſilaginis, bryon: cucum: ſylveſt. cepæ coctæ, Cyclamin. ſigill. Salomon. allium ſub prunis coctum & c. fol. & h. alth. Malv. branc. urſin: parietar: melilot: Chamom. ſambuc. Ebul. tuſſilag. mercurial. flor. chamom. violat. ſambuc. melilot. croci ſem. lini frenugræc. hordei tritic. orobi mica panis albi c. lacte, fructus caricarum pinguium, paſſul. dactylorum pinguium, Gumm. ammon, imprimis ubi opus eſt ſimul tumoris duri reſolutione: reſina Terebinthinæ, Thus, pix; Adeps Gallin. anſer. axung. porc. medull. vituli. butyr. pingued. human. Vitullin. Cervin. vitell. ovi, cera flava, propolis, mel, lac ol. dulce, ol. amygdalarum dulc. lil. alborum, Chamomill.

mill. vulpinum aqua calida hydroleum aqua vitæ minus rectificata, unguentum altheæ reſumptivum, baſilicon. aregon. Agripp. Empl. diachyl. ſimpl. & c. Gummi. Empl. de Melilot. de mucilagin. baſilicon. fermentum, ſapo venetus, ſtercus bubulum, nidus hirundinum, lumbrici & c. his parata externa.

FORMA utendi eſt 1. in Cataplaſmate 2. unguento 3. Emplaſtro 4. interdum in fomentis.

Cataplaſma ſuppurans ſit hoc:

℞. Rad. altheæ,
lil. albor. ana ℥ij.
fol. Malv.
Violariæ,
Senecion.
mercurialis an. Mj.
Nidi hirund. n. j.

Miſta coquantur in ſ. q. aqu. ſimpl. lactis pulpæ trajectæ per ſetaceum adde axung. porcini.
butyr. recent. non ſaliti ana ℥ij.
ol. lil. alborum.
violarum ana ℥iß.
farin. ſem. lini ℥j. Vitell. ovor. no. ij.
M. f. Cataplaſma.

Aliud & quidem fortius.

℞. Ceparum ſub cineribus coctarum ℥ij.
ficuum pingu. numero vj.

Contund. in mortar. calid. addendo.
axung. anat. ℥j. unguenti baſilicon. ʒvj. Mellis virgin. Farin. ſem. lini ana q. ſ.
pro conſiſtentia Cataplaſmatis.

Denique fit Empl. maturans.

℞. Empl. de Melitot.
diachyl. c. gumm. ana ℥iß.
diaſulphur. Ruland. ʒvj.

Malaxentur c. ol. lil. albor inducantur ſuper alut. & applicentur.

Hæc eſt Theoria & praxis.
Tumorum in genere.
Quoad Tumores in ſpecie communiſſima eſt.

INFLAMMATIO.

Inflammatio. Loquor de inflammationibus *partium externarum*: Nam de internis ſuperius ubi de inflammationibus, actum fuit.

Inflammationes ſ. *phlegmones* omnes fiunt per motum ſanguinis impeditum & inde ortam ſanguinis ſtagnationem unde fit ut oriatur tumor, ex tumore tenſio, ex tenſione partiſque repletione ad tactum renitentia: propter ſanguinem ſtagnantem rubor, propter ſanguinis in arteriis impeditum motum dolor pulſatorius & tandem propter ſanguinem calidum efferveſcentem inſignis ardor.

Jam v. prout variat ſanguinis craſis & conſtitutio varia eſt m. inflammatio, nunc quidem genuina ex ſanguine puro, nunc v. ſpuria ad Eriſypelata vel œdem. vel ſcirrhos propius accedens.

CAUSA inflammationum externarum ſunt *vel* læſiones externæ, *vel* ſpina quædam interna: *læſiones externæ* ſunt contuſiones, fracturæ & reliquæ. *Per ſpinam* vero *internam*, *ejuſmodi parti infixam* intelligitur ſimilitudo, quia, quamdiu ſpina extrinſecus digito infixa infert inflammationem, ſic in partibus internis aliquod heterogeneum in vel ſub digeſtione prima enatum, vel digeſtione publica obortum, inflammationes infert. *Omnes inflammationes vel* inſenſibiliter diſcutiuntur *vel* ſuppurantur, *vel* malè tractatæ in gangrænam tranſmigrant.

PRO CURA E. uſurpanda ſunt *interne ſudorifera moderata de natura alkalium* tam fixa quam ex ſalibus vol. conſtantia, qu ſanguinis coagulationem ſolvunt, & eum in debitum motum denuo revocant.

Unde omnia ea quæ alias in pleuritide ſunt uſitata in quacunque inflammatione interne commodè poſſunt uſurpari v. gr. ſperma cet. c. antimonio diaphoretic. additis quibuſdam ſalibus vol. it. ſpiritus nitri probè dulcificatus: Nam hic ſudorem movet.

Ratione *febris* in omni ferè inflammatione adjunctæ ſ. acuta magis eadem fuerit internè conducunt nitrata primario ſal antimoniatum: hinc trochiſci de nitro Mynſicht. &c.

Externe v. applicantur quæ ſanguinem ſtagnantem reſolvunt denuo fluxilem reddunt, quæ inter primario ſunt *decoctum ſulphuris cum urina* decantatum à *Paracelſo*, quod crebrius calidè applicatur, convenit etiam *ſuccus cancrorum fluviat. rec. calide applic.* & revocatus, *Empl.* de ſperm. cet. Balſam. ſulphur. Empl. dia ſulphur. Ruland. it. *fomenta & fotus* ex Vegetabilibus diaphoreticis & diſcutientibus aromaticis it. *inunctio* c. Sp. vini imprimis ubi aliquid Eriſypelacei ſubeſt: *decoctum calc. vivæ ſolum*, vel cum *ſaccharo ſaturni*, loco cujus etiam *epithema* convenit *ad diſcutiendos tumores inflammatorios.*

℞. lixiv. ciner. ſarmentor. vitis, vitriol. ℥iß. ſal. ʒj. aceti vini opt. ℥j. M. Confert non ſolum ad ſimplices *inflammationes eryſipelaceas, vel œdematoſas nothas*, ſed etiam *imminentem gangrænam* præſervat. Quibus ubi adhuc perſiſtit Tumor, *maturantia* ſunt ſubjungenda temperata quidem ubi eſt inflammatio legitima, acriora paulo ex cepis & ſimilibus, ubi inflammatio ſit ut vocant pituitoſa, ubi ſanguis chylo crudo & viſcido eſt permiſtus.

In æſtu inflammationis & ardore magno *vitanda ſunt pinguia & oleoſa* fiantque fotus & Cataplaſmata c. ſero lactis benè depurato coct. & applic. vel ℞. Empl. de melilotho, malaxetur ol. lil. alb. cum M. ℞. Empl. de melilotho ℥j. diachyl. compoſ. M. cum unguento altheæ.

Præ reliquis egregium eſt ſuppurans *lac*, in quo coctus ſapo Venetus, plus minus, prout magis vel minus genuina eſt inflammatio, hoc appoſitum cum linteis multipl. mirè maturat & aperit abſceſſum, cum maturatus eſt *tumor aperiendus* eſt primariò *ferro*, hinc abſceſſus purificandus & conſolidandus pro quo ſcopo *balſamus ſulphuris terebinthinatus vel balſ. Peruv. c. melle & vitello ovi permiſtus* inſtillatus & applicatus eſt optimus: Hæc n. omnibus ſatisfaciunt indicationibus reſolvunt, maturant & factum jam abſceſſum purificant & conſolidant.

Veriſſimum eſt effatum *Lindani*, quod balſ. ſulph. & empl. dia-ſulphuris hic ſufficiant.

VULGO in uſu eſt in principio inflammationum admovere intercipientia & repellentia Cataplaſmata adſtringentia ex bolo armena, terra ſigillata, ſanguine dracon. albumine ovi, Maſtiche c. aceto vini & ſimilibus, eum in finem dicunt, ut hiſce humoribus affluentibus intercipiatur via, & qui jam effluxerint retro in ſua vaſa pellantur, & ita factus tumor ac inflammatio mox in prima radice curetur.

Sed omnibus patet quod hæc ſententia c. circulatione ſanguinis ſit incompatibilis, quoniam intercipientia motui & regreſſui ſanguinis per venas, repellentia motui & regreſſui ſanguinis per arterias ſunt contraria, adeoque impoſſibiliter poſſunt Conciliari cum ſanguinis circulatione.

Potius quæ adſtringendo vias anguſtant poroſque occludunt, aut quæ humores hac ratione & ſanguinem inſpiſſant, ſtagnationem ſanguinis indeque ortam inflammationem, augebunt, periculoſè & ita malum deterius reddent: propterea in hæc & ſimilia repellentia & intercipientia (vulgo vocantur etiam defenſiva) talia ex adſtringentibus parata ferè *in deſuetudinem abierunt*: quia in metu inflammationis refrigerantia dicta nempe aqu. ſperm. ranarum, ſuccus ſemperviv. plantagin. aqu. calcis vivæ & aqua ſolutionis ſacchari ſaturni & ſimilia *commodius applicantur*, non quod repellunt talia, d. potius quatenus hæc & ſimilia alcali occulto ſunt inſtructa, (quod imprimis ex aqua ſperm. ranarum patet) ratione cujus alcali

subtilis

ſubtilis acorem occultum in incipiente inflammatione delent & ita radicem inflammationis exſtirpant, ut ita inflammat o ſedetur

Pertinet huc etiam decoctum ſulphuris in aqua ſimplici commendatum à Poterio, aut quod melius eſt *decoctum ſulphuris in aqua calcis vivæ.*

Hoc n. in principio impoſitum non repellendo d. reſolvendo & abſorbendo acidum, inflammationem curabit.

Præter inflammationes ſubinde etiam ex ſanguine oriuntur *tumores* poſt contuſionem partium violentam dum nempe ex contuſione, ex ruptis vaſculis & poris transformatis naturalis ſanguinis circulus inhibetur: Unde in loco contuſo ſanguis neceſſario ſtagnare incipit: vocantur tunc

ECCHYMOMATA it. *SUFFUSIONES SANGUINIS.*

Ecchymomata it. ſuffuſiones ſanguinis.

Quæ habent eandem materiam c. inflammatione ſtagnans hic ſanguis primò corrumpitur, coagulatur & grumeſcit, unde ex colore primitus quidem rubeo ſucceſſivè contuſiones cæruleſcunt, liveſcunt & tandem flaveſcunt, donec ſanguis reſolutus inſenſibiliter diſcutiatur: vel ſi hoc fieri nequeat fermentando in pus mutetur apertoque abſceſſu evacuetur vel putrefactus gangrænam infert. Prius fit in contuſione leviori, poſterius in graviori, ultimum in graviſſima, cum laceratione partium carnoſarum & nervoſarum.

De ſanguinis extravaſatione in partes internas alio tempore locuti ſumus: Hac vice de ſuffuſione ſ. ecchymomata in partibus externis *à cauſa externa* enata.

Facta jam contuſione & hinc ſanguinis ſuffuſione ſive fiat à caſu ſ. percuſſione, ſive lapidibus ſive fuſtibus, &c. imprimis opera danda eſt ut ſanguis congrumatus reſolvatur.

Conveniunt E. interna *ſanguinem congrumatum reſolventia*, ſimul blande nonnihil *diaphoretica* quæ inter ſunt imprimis ſperma ceti c. ocul. cancr. it. ſuccin. albo præparato aut ocul cancr. Coral. rubris in aceto vini diſſoluti propinentur: vel etiam Carbones tiliæ in vino hauriantur: Cerefolium & omnia ex eo parata liquida etiam conducunt interne ad ſanguinem congrumatum in Ecchymomatis: alia interna vulneraria mitto

EXTERNE ſimul imprimis reſolventia & ſanguinem congrumatum diſſipantia inſenſibiliter ſunt uſurpanda.

Communiter vinum calefactum applicant, quo adhuc potentior eſt ſpiritus vini camphoratus it. ſpir. vini crocatus, vinum, & cum vino factum lixivium, *ſpirit. aceti cum ſpir. vini paratus*, ſanguinem congrumatum in ſuffuſionibus potenter diſcutiens it. *balſamus Peruvianus* diſſolutus in ſpir. vini eſt egregium remedium, imprimis in contuſionibus partium nervoſarum (de quibus infra plura) it. *Chelidonia major* recens contuſa ſuffuſioni ſ. Ecchymomati applicata tantum egregiè conducit.

In Ecchymomate non adeò ingenti, applicatio *Carnis crudæ* præſertim bubulæ *vel vitulinæ*, in tenues lamellas ſectæ optimè conducit, ſubinde repecatur.

Empl. de ſperm. cet. eſt admodum egregium. It. Ungentum Mynſ. ad livorem eſt expertum. Inſigniter etiam conducit Empl. in Ecchymomate à caſu factum, *ex Theriaca* & rob ſambuci cui parum ſacchar. ſaturni fuerit additum: ſi fortiora requirantur melius non habetur remedium quàm *rad. ſigill. Salomon.* quæ contuſa, cocta & tq. catapl. applicata mirè confert ad Ecchymomata. Melius adhuc eſt ſi applicetur ſimul *rad. ſymphyt. Major.* quæ duo ſunt expertiſſima ad Ecchymomata v. gr.

℞. Rad. ſymph. major. ℔ß.
ſigill. ſalom. ℥iij.
flor. Chamom.
Melilot. aa. Mj.
Coqu. in ſ. q. vini albi ad conſiſtentiam Cataplaſmatis: Cui adde
Croci parum.

Applicetur Ecchymomati: *probatiſſimum* etiam in gravioribus contuſionibus.

Quod *ſi partes nervoſæ ſint contuſæ* & Ecchymomate affectæ, id quod imprimis patet ex loco affecto circa articulos it. ex intenſiſſimo dolore, quia alias talis eſſe non poſſet: tunc opera danda eſt, ut omne id quod ex contuſione fuit extravaſatum maturè diſcutiatur & reſolvatur, quia periculum eſt alias, ne materia corrumpatur, putreſcat & ita tendines parteſque nervoſæ ſimiliter putreſcant & in Gangrænam abeant: Hoc ut præcaveatur pro reſolutione materiæ extravaſatæ poſt iſtam contuſionem inungatur locus affectus c. balſamo Peruviano & ſpir. vini (ut antea monui) It. c. ol. Caſtorei c. ol. lumbric. terreſtr. c. ol. Chamomill. & roſmarin. vel foveatur pars affecta nervoſa ſequenti decocto.

℞. Rad. Ireos noſtrat. ℥iß.
fol. roſmarin.
Menth.
Majoran. aa. Mß.
Coqu. in ſ. q. vini albi: decoctum inſtar fomenti ſæpius calidè applicetur.

Internè in tali caſu optimè propinantur aliquot gutt. ol. deſtillati lavendulæ imprimis ubi ſimul tenſiones nervorum obſervantur: Hoc n. ol. eſt expertum ad tales partium nervoſarum contuſiones & ſubſequentes tenſiones metumque convulſionis.

Quod ſi his & ſimilibus nequeat diſſipari Ecchymoma ſ. materia extravaſata tunc opera danda eſt, ut ſanguis iſte extravaſatus *maturetur & ſuppuretur in pus* ut tandem facto *abſceſſu ita aperiatur* & ulcus reſtitans convenienti modo conſolidetur. Verum *non ſemper æque tutum eſt* ut diſcutiatur ſuffuſus ſanguis & reſolvatur non minus quam expectare ſemper maturationem. Nam interdum imprimis *in partibus carnoſioribus* contuſio adeò magna eſt, ut pars brevi poſt livorem contrahat atque *Gangrænam* minetur.

In tali caſu *ubi metus adeſt Gangrænæ* mox pus contuſa profunde ſcarificetur & ſanguis extravaſatus congrumatur, quantum fieri poteſt extrahatur: Hinc decocta aromatica c. vino applicentur: vel aqua calcis vivæ acuata c. vin. ſpiritu & mercurio dulci imponatur, ut ita Gangræneſcens pars ſalvetur & conſervetur. It. præter dictum caſum *non tutum eſt expectare maturationem* quando contuſiones non ſunt præciſè in partibus intercutaneis c. ſunt ſitæ paulo profundius ita ut periculum ſit ne facta maturatione antequam pus per partes ſuperjacentes egreſſum inveniat, quandam partem vicinam v. gr. os corrumpat & corrodat: vel, ne partes vicinas perforando in cavitatem corporis nobiliorem irrumpat: v. gr. *in contuſione muſculorum abdominis*, ne per peritonæum perforatum pus irrumpat in abdomen. In his caſibus non expectanda perfecta maturatio d. maturè aperiendus eſt tumor mollefactus ſcalpello, & materia hærens extrahenda hinc immittenda *Turunda* unguento Ægyptiaco vel ſimili illita & factum ita ulcus ſolito modo conſolidantibus & mundificantibus curandum.

Porro quod ſi fiat ut ſubitò *c. febrilibus ſymptomatis* nempe c. præcedente rigore & ſubſequente ardore erumpat tumor inflammatorius non adeò inſigniter protuberans intenſe tamen coloratus & qſ. igneus latè diffuſus ac ſubinde latius ſerpens c. intenſo partis ardore & æſtu ac ſenſu acutarum punctionum qui tumor quidem digito preſſus maculam albam oſtendit ſubito tamen denuò rubeſcentem: Talis tumor appellatur.

ERISYPELAS ſeu *ROSA.*

Eriſypelas ſeu Roſa.

Tumor ſcil. ortus: non à bile ut vulgo exiſtimatur, d. potius occaſionaliter *à ſubtili ac volatili acido*, quod *c. ſale vol. maſſ. ſang. febriliter efferveſcit* & in parte quadam Cutanea diffuſum ibidem ſanguinem in vaſculis extimis coagulat & ad ſtagnationem diſponit, hinc magis circa nervoſa & ſanguinea loca ſimul, non circa ſanguinea ſolùm oritur eryſipelas.

Tales inflammationes Ereſypelaceæ in genere in partibus externis ita dictæ, ſi ſint in partibus internis peculiaria obtinent nomina: Nam tale *Eriſypelas in pectore* dicitur pleuritis & peripneumonia: *in renibus* dicitur nephritis, *in hepate* hepatitis & ſic porro.

Subinde qſ. *malignitas* quædam ſubeſt ita ut in vitæ periculum conjiciat ægrum aut ſi non procedat eò uſque *ſi inconcinne tractetur* facillimè exulceratur, & degenerat in *ulcera cacoethea* maligna ac ſæpius longè lateque *ſerpentia*: qualia *in Italia* ſunt frequentiſſima.

Apud nos *ſcorbutici* imprimis obnoxii ſunt Eriſypelati, & ſæpius in ſcorbuto *c. Euphoria tamen ægri* talia Eriſypelata erumpunt, *periculoſa* tunc, cum in ſcorbuticis interdum degenerent in Gangrænam: *aut* ſi exulcerentur, ulcera dant peſſima & quibus vix niſi generoſioribus occurri poteſt.

Præ cæteris locis *periculoſum eſt Eriſypelas in capite*, ſi partes capitis externas faciem imprimis occupat præ reliquis enim hujus ſpeciebus hoc Eriſypelas ſæpius lethale eſſe ſolet.

CURATUR aliàs facile ſi recte procedatur: Modo ſcil. acidum iſtud vitioſum *internis ſudoriferis* c. remediis ex baccis ſambuci paratis jungendis tollatur & externis etiam temperatis alcalibus volatilibus, acidum ſubtile diſcutientibus, aut metallicis ſaturninis iſtud prompte abſorbentibus corrigatur.

Purgatio omnis eſt *ſumme vitanda*. Venæ ſectio eſt *periculoſiſſima*. INTERNE E. dixi quod primatum obtineant ex baccis ſambuci parata diaphoretica: Convenit E. aqua flor. ſambuci in quâ diſſolvatur rob ſambuc. ad ʒj. c. gr. xv. vel ℈j. ſal. vol. C. C. ſi aliquantulum de camphora adderetur eſſet eo potentius ſudoriferum.

Eſſ. rob ſambuci à ʒß. ad ʒj. vel ʒij. propinata per ſudorem optime curat Eriſypelas. Paratur ſcil. hæc Eſſ. ex rob ſambuc. mediante ſpiritu ex flor. & bacc. ſambuc. per fermentationem parato. Aliàs *ubi caput occupaverit* Eriſypelas ex cinnab. antimonii, parata remedia & hinc ſpecificum cephalicum ſunt optima. Præterea antimonium diaphoret. c. Bezoard. Minerali & c. C. C. ſ. igne & ſimilibus propinata, per ſudorem optime curant Eriſypelas.

EXTERNE omnia *unctuoſa* omnia *oleoſa*, omnia *pinguia* omnia quæ ſunt actu frigida, it. omnia adſtringentia magis quam ipſum malum ſunt *fugienda*: Hæc n. ex Eriſypelate aut Ulcus depaſcens faciunt aut Eriſypelas in Gangrænam tranſmutant.

Potius applicentur folia raphani ſylveſtris contuſa leniter: Nam horum ſal vol. optime corrigit acidum Eriſypelatis: It. optima eſt aqua ſpermat. ranarum impoſita: It. aqua ſtercoris bubuli menſe Majo collecti & deſtillati.

Convenit m. decoctum ex Myrrha thure ſ. olibano in vino paratum, cui aliquantulum camphoræ ſimul in fine additur: Hoc ♃. decoctum impoſitum mire confert ad reſolvenda Eriſypelata.

♃. Myrrh. olibani ana ʒß. camph. ʒj. croci ʒß. coq. in aqua & vino.

Etiam ſpirit. vini ſolus aut camphoratus aut crocatus Eriſypelati illitus, hinc ſperma ranarum, & lintea hoc ſperm te probe impregnata, pannus linteus crocatus MYNSICHTI & fel carpionum illitum optime reſolvunt tumorem.

Ubi intenſus eſt *ardor & dolor* opii nonnihil huic decocto addendum eſt v. gr. alio modo.

♃. Myrrha ʒij ſacchar. ſaturni ʒß. Camphor. ℈j. opii gr. x. Vini albi ℥vj.

Quæ invicem miſta leviter bulliant hinc confuſa c. linteis duplicatis applicantur & egregriè conducunt in eriſypelate. Nobile etiam eſt epithema ZUUELFERI.

In uſu autem ſunt pulveres eriſypelacei qualis egregius eſt pulvis Mynſych. ad eriſypelas: Fieri m. poſſunt ex flor. ſambuc. Sacch. ſaturni, thure, minio, Myrrh. creta, ceruſſa & camphora quæ invicem pulveriſata inſpergantur tumori vel cum papyro gryſeo melle illito vel impregnato ſpir. vini crocato applicantur, abſorbent enim acidum ereſypelatis.

Singulariſſimum eſt *linteum tinctum cruore leporino*, ex lepore quidem in venatione interempto, ex quo ipſo ſanguis collectus aſſervatur cui lintea immerguntur poſtmodum exſiccanda, quæ ita ſanguine leporino tincta ſicca applicata eriſypelati, probatiſſimum ſunt remedium.

Non minoris eſt efficaciæ quod certum eſt, *linteum ſanguine primo menſtruo virginis tinctum* hoc linteum exſiccatum citra loturam applicatur eriſypelati & miros habet effectus.

Unum etiam ex optimis remediis eſt *Theriaca linteo illita probe calida* eriſypelati impoſita: Melius eſt remedium ſi ipſi *addatur parum ſalis* abſinthij: hoc enim ſubinde repetitum probe calidum optime confert ad ſiſtenda & reſolvenda eriſypelata: ſicuti etiam empl. ſ. unguentum ex rob ſambuc. c. ſacch. ſaturni impoſitum probe calide eſt optimum.

Quod ſi fiat ut nihilominus exulceretur eriſypelas, ad curam hujus *optima eſt aqua calc. vivâ* c. linteis duplicatis calide appoſita: *it. ſuccus naſturtii* inſpiſſatus cui ſacchar. ſaturni vel ceruſſ. lithargyr. lact. lunæ ſit additum imponatur eriſypelati exulcerato eſtque optimum remedium, *aut* fiat ſaltim tale unguentum ſaturninum, quod eſt Euporiſton FORESTI.

♃. Lithargyr. ℥iij unguenti populeon. de ceruſſ. infrigidant. Galen. aa. ℥ß. ol. roſat. camphorat. ℥j. M.

Et ducantur probe in mortario plumbeo. F. unguentum applicandum uſque ad eriſypelatis exulcerati conſolidationem.

Porro ad hos tumores ſanguineos pertinent etiam

TUMORES ET ABSCESSUS CRITICI

Vel qui his ſimiles interdum ſymptomatici in morbis acutis in ſpecie malignis oriuntur, & fiunt per congeſtionem nunc celerius nunc tardius, dum nempe fermentum morboſum malignum una c. partibus maſſ. ſang. corruptis præcipitatum & correctum in locis extimis circa vaſa capillaria in quodam loco hæret ſenſimque coacervantur & ſtagnant; unde ſanguini tranſitu præcluſo tandem ſupervenit phlegmone & & inflammatio ſuppuranda. *Tumores critici.*

Oriuntur tales tumores nunc promiſcuè in partibus *carnoſis* nunc ſpecialiter in locis *glanduloſis*, & iſti qui in glandulis emergunt ſi in *inguinibus*, aut *ſub axillis* ſe manifeſtant, ordinario

BUBONES

Appellantur: ſin v. prope aures appareant *Bubo.*

PAROTIDES

Vocari ſolent: aliis in locis ubi glandulæ ſunt minores ſi propullulent ſpeciali nomine carere ſolent. *Parotid.*

Bubonis vox utut propriè inguina tantùm ſignificet, tamen etiam propter ſimilitudinem partis affectæ & ipſius affectus ſub axillis tumoribus enatis tribuitur.

Ad hos ipſos tumores petinent etiam

FURUNCULI

it.

PHYMATA ac *PHYGETLI*

Inflammationes parvæ in locis extimis tamen glanduloſis, applicandum eſt *empl. citrinum ut maturetur* & ſuppuretur *Furunculi phymata it. phygetli.*

ſuppuretur *furunculus*, apertus ſponte coaleſcit, ſi hoc non ſit tantillo *balſamo Peruviano* conſolidari ſolet, vel imponatur *empl. de meliloto*; Si verò ſint BUBONES, aut PAROTIDES, & ſint *benigni*, maturationi opera danda, & remediis, quibus alias inflammationes ſolent ſuppurari v. gr. cum *unguento de alth.* & ſimil. utend. ſi verò *maligni*, pro malignitatis ratione cura variat, nempe ſunt *vel* in febrib. malignis, *vel* in lue venerea.

BUBO per ſe facile patet: dum in locis glanduloſis, ſub axillis aut inguinibus aut etiam juxta aures in parotide apparet tumor, rubor, dolor pulſans & ardens: Nunc *critici* in ſtatu morbi c. levamine ægri, nunc *ſymptomatici* in principio c. virium dejectione: nunc *tutus* quando circumſcriptus prominulus & qſ. in acumen deſinens: nunc *minus tutus* l. infidus qſ. depreſſus occultus ſ. in profundo ſitus.

Bubones hi aut *benigni* ſunt aut *maligni*. BENIGNI, qui in febribus ardentibus in ſtatu & declinatione ſuperveniunt. MALIGNI qui etiam contagioſi; qui imprimis in peſtilentialibus febribus ſolent eſſe frequentes.

Benignus bubo, ut aliæ inflammationes præmiſſo ſudorifero aut *diſcutiendus aut ſuppurandus.*

In bubone v. *maligno*, *interne danda ſunt diaphoretica* imprimis ſulphurea antimonialia, ut alio loco de morbis peſtilentialibus monui. Poſt ſudorem Julepi moderate aciduli propinandi eum in finem, ut *malignum fermentum de natura alcalium acrium* participans, his ipſis corrigatur & emendatur, ſimul tamen cujus quantum fieri poteſt in diaphoreſi blandâ conſervetur & retineatur.

Præterea malignus bubo ita tractandus, ut quamprimum maturetur & aperiatur, aut ſi profundus ſit aut minus prominens foras qſ. attrahatur. Nam *quando retrocedunt* tales bubones factum eſt de vitâ.

Ad hoc E. ut melius promineat & citius ſuppuretur quod neceſſarium eſt, applicandæ *cepæ* ſunt cineribus coctæ quibus permiſcetur *Theriaca & fuligo furni*, aut etiam *bufo* certo tempore captus & interemptus vel exſiccatus & in aceto maceratus calidè imponitur, ut melius temperetur malignitas & promptius poſtmodum ſuppuretur tumor. Alias etiam catapl. ex ſcabioſâ contritâ c. fermento acri & ſapone Veneto applicatum tumorem maturat.

Vel fiat empl. ſ. catapl. ex foliis ſambuc. contuſis c. pulvere ſinapi contuſo ſubactis: Hæc duo applicata maturant & promptè rumpunt abſceſſum ſ. bubonem.

Optimum tamen eſt & optima methodus, ut nempe mox in principio applicetur *veſicatorium*: hinc facta veſica promptè incidatur per tranſverſim quo facto applicetur empl. quod vocant tractivum tale.

℞. Empl. diachyl. c. Gumm. de mucilaginibus aa. ℔ß. unguenti Baſilicon. ℥iv. ſem. ſinap. contuſ. ℥iij. Miſta ſub formâ empl. imponantur veſicæ apertæ: hoc enim maturat promptè & ſuppurat tumorem: *Loco* hujus empl. melius longè eſt empl. ex magnete Arſenicali Angeli Salæ, Veſicæ apertæ ſuperimpoſitum: Hoc namque mox malignitatem ita elicit ut denſa cruſta oriatur quæ facilè & ſpontè ferè ſeparari poteſt.

Cruſta ſeparata *ubi non fuerit ſufficienter* malignitas extracta, denuò imponendum erit idem empl. & hinc denuò facta cruſtra removenda: Poſtmodum ulcus factum c. balſamo ſulphuris mundificandum aut c. empl. diapampholygos c. ol. Nicotianæ detergendum, &c. empl. diaſulphuris Rulandi conſolidandum. Præter bubones autem peſtilentiales etiam obſervandus eſt bubo venereus. Hic oritur ex acido viſcido maligno, in dicto loco ſucceſſive coacervato, idque laudabili naturæ conatu, nam ſic præſervantur à lue venerea, ut non eadem corripiantur.

IN CURA opera danda eſt, ut mature aperiatur & virulentia eliciatur; Pro primo ſcopo imponatur *empl. Vigonis cum mercurio, malaxatum* cum *oleo deſtillato ligni guajaci* vel *empl. diachyl. compoſ. malaxatū cum ol. deſtil. ligni ſancti*, vel *empl. diachyl. malaxat. c. oleo tartari volatili*, ut horum remedio emolliatur bubo; perfecta enim ſuppuratio hoc in loco rarò aut nunquam accidit. Maturatus aperiatur, apertione larga, & materia evacuetur; mundificetur ulcus cum *balſamo hyperici*, mixt. cum *oleo deſtillato ligni ſancti & tartari*, & mundificetur cum *unguento de apio*, cui additum ſit parū de *mercurio præcipitato* vel *arcano corallino*, ſuperponatur dictum empl. exterius: *Internè* uſurpentur primo *lignorum decocta*, poſtea *purgantia*, in fine *ſal & ſpiritu viperarum* curam bubonum abſolvunt.

PAROTIDES ſi & ipſi oriantur in febribus malignis ſudoriferis naturæ conatus erit adjuvandus & ſi à materia ſpontè reſolvantur quod rarius fit, reſolventia blanda uſurpanda. Parotides.

Conſultiſſimum potius erit *maturatione ſuccurrere*, eidem imponendo cepam ſub cineribus coctam cui ol. ſcorp. fuerit additum empl. etiam diachylon commodè imponitur.

Quod *ſi durior & pertinacior* fuerit Parotis empl. diachylon ireatum c. ammoniaco in aceto diſſolutum imponendum: quibus omnibus *ſi ol. deſtillati fœtidi Guajaci aut tartari parum* addatur. multo promptius facilitatur ſuppuratio: poſt maturationem promptè aperiendus abſceſſus & inſtar ulceris ſimplicis curandus.

Ad hos ipſos tumores malignos primariò etiam pertinet.

CARBUNCULUS.

Cum non raro *in febribus peſtilentialibus ipſaque peſte* & bubones & Carbunculi ſimul oriantur atque etiam ex eadem proveniant cauſa. Carbunculus.

Nam *rariſſimus obſervatur Carbunculus benignus*, quia utpl. ſi non ſemper in Carbunculo adeſt malignitas, quæ tamen in bubonibus magis eſt correcta magiſque ſubacta: in Carbunculis v. minus eſt cicurata adeoque inſigniter maligna.

Malignitas iſta videtur conſiſtere in fermento ſalino acri & qſ. cauſtico inſtar cauteriorum potentialium, quod efferveſcentia *febrili* præcipitatum & non nihil ſeparatum ex maſſ. ſang. in extima cute & carne hæret: ibique cauſtica ſua acrimonia *& doloriſſimum ardorem* & ſubitam partis *mortificationem* in *livorem* hinc omnimodam *nigredinem* infert: Propter talem enim partis in nigrum livorem corruptionem vocatur CARBO it. Carbunculus, cū inferat Cruſtam in parte corrupta nigram inſtar Carbonis: unde quibuſdam etiam Pruna appellatur: Græcis v. eadem ratione vocatur ἄνθραξ.

Corruptio iſta in Carbunculo obvia dico quod oriatur *ex ſale acri, & cauſtico maligno*, in Carbunculo exiſtente, quo inducitur parti omnimoda nigredo, inſtar cauteriorum potentialium ex ſalibus lixivialibus paratorum: Nam hæc ipſa eundem planè habente effectum. Nam *acida corroſiva* non inducunt nigredinem mortificantem: d. primo intenſam rubedinem hinc conſequentem albedinem inſenſilem in partibus mollibus inducunt: *acria v. lixivialia* omnimodam partis mortificationem & nigredinem inducunt, quæ ſubinde ulterius proſerpit c. dolore ardente: id quod ſimiliter fit in Carbunculo, ubi etiam talis ſubitanea nigredo & mortificatio c. diffuſione in longum & latum mox ſub primo conſpectu ſe manifeſtat.

Carbunculus quidem quando in febre vel morbo maligno oboritur (in ſpecie *in peſte*) manifeſtat ſe primò exigua quadam *puſtulâ* aut albicante aut liveſcente, interdum ſimul plures tales exſurgunt puſtulæ à quibus brevi mora ſubſequente c. ardore & dolore acerbo excitatur *Vlcus cruſtoſum* ſimile ipſi quod ferro ignito vel candente ſolet excitari: *interdum citra ullam puſtulam* mox talis cruſta in carbunculo incipere ſolet, excitaturque Ulcus cruſtoſum in *cruſta* modo *livida* modo *cinerea*, modo omnino *nigricante*.

Cruſta tandem emortua decidente *Vlcus putridum*, in carnem profundum & hinc inde putreſcendo latius ſerpens ſubſequitur.

Circa anthracem ſ. carbunculum ſimul adeſt *circulus* ex efferveſcentia admodum doloroſus *rubens* quidem inſtar Eriſypelatis interdum *cæruleus*, aut *lividus* aut *nigricans*. Quo magis hic circulus eſt rubeus eò ſalubrior eſt carbunculus: quo vero lividus magis fuerit circulus aut magis nigricans eò pericoloſior eſt anthrax ſicuti etiam quo magis rubet aut minus livet carbo eò etiam ſecurior eſt: quo vero magis liveſcit aut nigreſcit eo eſt periculoſior: ſicuti etiam periculoſus eſt qui *in locis nobilioribus* erumpit, cum optimus ſit qui in artubus carnoſis ſe manifeſtat, minus enim periculi tunc ſubeſt.

MALIGNITAS E. Carbunculi cauſtica & acris, de lixivialium acerrimorum natura optimè mortificatur & CURATUR *per ſuum contrarium* nempe per *acidum*: Hinc enim eſt quod nihil magis reſiſtat carbunculo, aut quod potentius enecet ejus malignitatem quàm butyrum iſtud antimonii acidiſſimum quod ipſum ſicuti in ſphacelo (quod obiter moneo) ubi pars eſt emortua, ſi cum eodem *circumducatur circulus*, in termino ubi pars mortua attingit ſanam ſeparat promptè partem mortuam à ſana & ſiſtit ulteriorem mortificationis ſphaceloſæ progreſſum: Ita hoc ipſum butyrum antimonii in carbunculo eandem habet efficaciam ſi ſcil. in centro carbunculi c. pluma illinatur butyrum antimonii ad quantitatem nummi, *vel aſſis*, vel quod *melius* eſt ducatur circulus beneficio plumæ huic butyro intinctæ circa anthracem in confinio nempe c. parte ſana; ſic namque his rebus modis optimè virulentia carbunculi cauſtica extinguitur, & ulterior mortificans progreſſus potenter inhibetur: Et hinc ſeparatur pars mortua carbunculi à parte vicina ſana in ulterius ſerpere nequeat, quia intra circulum contenta pars à carbunculo mortificata ſpontè excidat: & poſtmodum ulcus mundificandum ac more conſueto conſolidandum relinquitur.

Notum eſt aliàs quod ſympathetico modo circulus circa anthracem ductus à *ſapphiro* annulo incluſo, etiam inhibeatur progreſſus ulterior carbunculi quin carbunculus excidat & ulcus cavum relinquat.

Loco Butyri antimonii commodè etiam poteſt adhiberi *Empl. magneticum* Arſen. Angeli Salæ, quod ipſum applicatum etiam brevi inducit cruſtam, qua ſeparata, ſi adhuc malignitatem carbunculi quandam ſubeſſe ſuſpicio ſit, denuò applicandum eſt Empl. donec virulentia ejus fuerit extincta. Hinc enim ulcus facilè conſolidatur. Hoc ipſum tamen Empl. ut in corpore robuſto cutique denſiori melius & promptius operetur, commodiſſimè prius imponitur *veſicatorium* v. gr.

♃. Sem. ſinapi.
piperis. aa. ʒß.
pulveris Cantharid. præparat. ℈ij.
ferment. Acerrimi ℥ß.
l. q. ſ.

F. veſicatorium imponendum Carbunculo.

Ubi veſica poſt aliquot horas fuerit excitata hæc incidenda eſt, & modo dictum Empl. applicandum. Vel loco veſicatorii *Scarificetur* Carbunculus & poſt ſcarificationem dictum Empl. applicandum.

In defectu hujus Empl. poſt diſciſſam veſicam, vel poſt factam ſcarificationem communiter *Vnguentum Ægyptiacum* illinunt, quod ipſum m. non contemnendum eſt.

Notum aliàs eſt quod *in vulgari* Carbunculos *Curandi ratione* ſoleant poſt factas ſcarificationes imponi Cataplaſmata ex ſcabioſa, ſuccina uva inverſa, Calendula c. cepis ſub cineribus Coctis c. ficubus c. fuligine, c. fermento, bufonibus pulveriſatis & ſimilibus: it. imponi ſolet poſt ſcarificationem Empl. de fuligine Empl. diachylon c. Gumm. & ſimilia.

VALERIOLA inſigniter Commendat in ſuis obſervationibus ſequentia duo remedia poſt ſcarificationem tam Carbunculis quam etiam bubonibus peſtilentialibus applicanda:

♃. ſucc. ſemperviv. maj. ſcabioſ. Calendulæ a. ℥j. Theriac. veter. ℈iv. ſalis communis ʒj. vitell. ovor no. ij.

Incorporentur ſimul. Hoc ipſo illinatur Carbo poſt ſcarificationem factam. Hoc n. tanquam ſecretò ejuſdem progreſſus inhibetur & cruſta ac Eſchara facta promptè ſeparatur qua ſeparata, ulceris modificativum optimum eſt ſequens,

♃. ſucc. Calendul. abſinth. ſcabioſ. apii ana ℥j. Myrrh. rad. Ir. flor. aloës. ſarcocollæ ana ʒj. Mellis roſacei ℥ij.

Quæ miſta ſub forma unguenti ulceri illinantur ad mundificandum & conſolidandum illud.

Loco cujus poſterioris tamen, *balſamus ſulphuris* eſt optimus ad mundificandos & curandos, bubones & Carbunculos.

De internis alexipharmacis ſudoriferis acidulis blandis temperatis nihil addo, cum de iis, ubi de febribus malignis & peſtilentialibus, actum jam ſit.

DE PARONYCHIA.

Hoc quod attinet, ſunt tumores ordinario obvenientes in extremitatibus digitorum, ultimis nempe articulis digitorum, ita tamen ut non excludantur reliqui articuli; PARONYCHIA tumor eſt doloroſus, ut ſubinde univerſum brachium conſenſu afficiatur. ORITUR ex humore acri, admodum corroſivo, immediatè perioſtium, & ipſi adhærentes tendines occupante, & quidem mediatè. Supervenit *inflammatio*, eaque in *apoſtema* vergit, imò interdum ante factam apoſtemationem paronychia ad *gangrænam* vergit. *Occaſio* hujus acidi eſt ut plurimum ex læſione oſſis articulos conſtituentis, tunc enim ex oſſe tranſudat nutrimentum proximum, unde acorem contrahit & partes afficit, unde dolor; pro hoc ſiſtendo nil melius eſt remediis ex *lumbricis*, nempe *liquore lumbricorum* in clibano facto *ſpiritu lumbricorum* & ſimilibus, digitis illitis: Item *balſam. ſulphuris. Externè* diſcutit dolorem & tumorem, ſi fieri etiam poteſt, maximè ad ſuppurationem producit *Linimentum ex ſordibus aurium cum ſaccharo ſaturni* commixtum cum *pauco ol. avellanarum expreſſo* optima ſunt; convenit etiam, ſi *digitus intrudatur in ſterquilinium*, vel ♃. *linteum*, quod *humectetur cum ſterquilinio*, *& calidè digito dolenti applicetur*, ſic optimè diſcutitur & ſiſtitur dolor & tumor. Paronychia.

DE PERNIONIBUS.

His ſubinde inflammationes ſuperveniunt, affligunt imprimis partes extimas nerveas, tales n. partes ſi affectæ tument, & ex albedine ad aliquam cœruleſcentiam inclinant, dolent, ita ut nunc cum, nunc ſine exulceratione evaneſcant, ut tamen ſemper, quoties inclementia aëris, & frigus inſtat, dolor increſcat. Ut præſerventur perniones, nil melius eſt, quàm *petroleum* illitum, quod & præſervat & factos jam curat. Item *terebinthina* loco refrigerato, dum imminet frigus, denuo *veſica bubulâ* impoſita, juxta hoc *oleum pini* deſtillatum præcellens, quod eſt nobile præſervativum & curativum. Si vero gravius læſæ ſint partes à frigore, tunc ad eliciendum frigus optimum eſt cataplaſma liquidum calide applicatum; Sic omne frigus & dolor diſcutitur & reſolvitur. Alias notum eſt, quod contra hos nihil melius ſit *rapis in ſpecie exſiccatis*, *decoctum horum* eſt egregium, unde etiam *unguentum de rapis Mynſ.* eſt elegans ad perniones curandas, convenit etiam ſi jam exulceratæ fuerint, contra quas egregium eſt, ſi Perniones.

♃. Rapa & mediocriter excavetur infund. ol. roſar. & aſſetur ſub cineribus calidis, quo facto ſi poſt expreſſionem linimentum applicatur pernionibus, eaſdem ſolet reſtituere & conſolidare; alias expertum eſt *linimentum Sculteti* in obſervationibus. Item *mucilagines ſemin. cydon. cum aqua ſolani* extractæ, adde parum *tutiæ prap.* convenit, ſi cum linteis multiplicatis applicetur *pernionibus exulceratis*.

Hic

Hic ferè ſunt tumores ſanguinei, aut ſanguineis cognati.

Quod ſi fiat ut *ex impedito* LYMPHÆ *motu*, propter vaſa lymphatica aut obſtructa aut rupta, aut ex utraque cauſa, lymphæ fuit præternaturalis collectio & ſtagnatio in parte quadam oriuntur tumores qui vocantur,

SEROSI ſ. AQVOSI,

Tumores aquoſi ſ. ſeroſi. molles nempe ad tactum *laxi*, *indolentes*, in quibus impreſſionis à digito nullum veſtigium remanet, & qui ad lucem l. candelam lateraliter conſiderati ferè *pellucidi* apparent. Nam hæc ipſa lympha in cavitate quadam corporis collecta *dat* HYDROPES, uti notum eſt *particulares*, quæ in totius corporis peripheria congeſta *dat ANASARCAM*.

Scopus pro *CVRA* horum tumorum eſt, ut valenter diſcutiatur & reſolvatur lympha ſtagnans quibus ipſis ſimul imprimis obſtruentes humores craſſiores in vaſis lymphaticis liquefiunt & reſolvuntur.

Conveniunt E. imprimis aqua calcis vivæ l. per ſe l. cum ſpirit. vini ebria ſæpius calidè c. ſpongiis l. linteis applicata ac ſubinde renovata. Conveniunt imprimis *ſtercora* animalium, primariò quidem caprillum hinc ſtercus bubulum: ſcil. fiat cataplaſma, ex ſtercore bubuli cui permiſceatur ſemen cumini pulveriſatum: Hæc duo excipiantur linteo l. ſpongia lixivio acri humectata & imponantur ita (præmiſſis internis univerſalibus de quibus poſtmodum) parti in qua tumor ſeroſus ſ. aqua collecta.

Inſignis vis latet in ſtercore bubulo, ſic enim quando hoc applicant pedibus, qui podagra laborant, cum levamine id faciunt: vel convenit *empl. de baccis lauri*, vel *hydropic. Auguſtanor.* imprimis tamen *de baccis lauri, mixtum cum ol. & ſtercore caprillo*, quæ cum *melle* rediguntur empl. ♃. empl. de baccis lauri cum ſtercore caprill. ℥ij. melilot. ℥vj. M. applicetur calidè ſicuti conveniens etiam empl. paratum ex empl. de Baccis laur.

Stercore caprill. ana ℥ij.
Empl. de melilot. ʒvj.

hæc tria in forma empl. applicata tumores aquoſos & ſeroſos potenter reſolvunt.

Convenit m. ubi fortius agendum eſt tale Cataplaſma.

♃. *ſterc. vaccini* ℥ß. *columbini* ʒij. *ſulphuris vivi* ℥ß. *nitri* ʒij. *mellis, aceti* ana ℥iß. *farin. fabarum* ℥ij. *baccar. laur. ſem. cumin.* ana ℥ß. *ol. anethin. nardin.* ana ℥j. *vini albi gallic. q. ſ. promiſcendo cataplaſmate.* quo applicato promptè diſcutiuntur tumores ſeroſi, idque eò magis ſi *internis decoctis ſudoriferis* in ſpecie ex vino juniperino & ſaſſafras paratis opem feramus externis appoſitis.

Eadem lympha, d. vitiata imprimis craſſa nimis ex pituita, ut vocant, viſcida, hoc eſt ex chylo crudo maſſ. ſang. permiſto & hinc inde diſtributo, ſi ſtagnet, id quod fit imprimis in extremitate manuum & pedum dat tumorem qui vocatur

OEDEMA.

Oedema. Oedemata ſunt tumores molles laxi & qui promptè cedunt digito prementi, preſſionis m. veſtigium ad tempus retinent, imprimis foveam, indolentes ſunt & albicantes ſæpius in *cruribus* rarius in brachiis ſe manifeſtant.

In *Leucophlegmatia* totum corpus ædemate laborare videtur.

Interdum ſuperveniunt morbis, imprimis *chronicis*, & ferè inchoamentum habentur *hydropis*: interdum ſuccedunt morbis, & his *in declinatione* ſuperveniunt in ſpecie *acutis* & tunc fieri ſolent imprimis qu. ægri plus alimenti aſſumunt, quàm commodè perferre poſſunt.

Si per ſe apparent, malum ſignum eſt, quia metus eſt, ne morbi chronici ſuperveniant.

In genere in junioribus minus periculi habent ædemata quæ *in ſenibus* debent eſſe ſuſpectiſſima cum ſæpius *mortem imminentem portendant* ſicuti m. *in phthiſi* contumaci ſ. confirmata ædemata pedum mortem fores pulſare indubitato innuunt.

IN CVRA præmiſſis internis *ſtomachicis & aromaticis* cum originem ducant ex vitiata chyloſi, *Elixir proprietat. antiſcorbuticum*, *eſſentia catarrhalis* nodulis laxantibus alterantibus vino infundendis & intermiſtis interdum etiam ſimul *ſudoriferis* optimè applicantur externa ſudorifera & potenter reſolventia, nunc ſalinis alcalibus acrioribus, nunc v. aromaticis temperatioribus conſtantia.

Nam reſolvendo & diſcutiendo curantur ædemata *rariſſimè* aut nunquam *ſuppurantur*.

INTERNE E. conveniunt remedia ex roſmarin. lign. ſaſſafr. & quæ ex eodem paratur Eſſ. dicta catarrhalis it. remedia ex ſeminibus calidis major. aniſ. fœnicul. & ſimilibus: in genere omnia ea quæ alias ad cachexias uſurpari ſolent.

EXTERNE ſ. in declinatione morborum dum ægri denuò ſtrenuè edunt, oriuntur ædemata imprimis *veſpertina* (Nam matutino tempore ſolent ceſſare & evaneſcere, optimè applicatur *Geran. Rupert.* c. abſinthio contuſum inſtar cataplaſmatis; Ejuſdem efficaciæ & probatæ experientiæ eſt quoque *chelidon. maj.* recens contuſum plantis pedum impoſitum.

Præter dicta decocta catapl. abſinthio, chamomill. ex origano puleg. roſmarin. ſalv. rad. cucum. aſinin. in lixiv. coctis l. in vino optimè diſcutiunt ædemata, quibus convenientiſſimè ſtercora animalium adduntur ceu optima ad reſolvenda ædemata remedia: v. gr.

♃. fol. tamariſc. roſmarin. rutt. ana Mj.
Bulliant in aqua & vino ad mollitiem, adde farin. cicerum.
furfur frument. ana ʒij. ſterc. vaccin. ℥iij. axung. anat. ℥iß. mellis optim. ℥iv.
quæ inſtar cataplaſmatis applicantur ædemati & partibus ex ædemate tumentibus.

Vel ♃. herb. roriſm. bacc. junip. ana q. v. ebulliant in aqua ſimpl. & lixivii ſ. q. fiat pediluvium.

In pedibus ædematoſis eſt egregium. *Lixivia* in dictis caſibus ſunt optima, vide *Hartm. & Platerum* Convenit etiam *empl. de baccis lauri*, malaxatum cum *petrol.* vel *ol. deſtill. ſuccini*, quotidie bis repetitum, vel etiam præparetur *ſuffitus acet.* ſuper lapides candefactos.

♃. ſuccini pulveriſat. ℥viii. aceti deſtill. ℔j. in lapid. candefact. & excipiatur fumus pedibus aut partibus ædematoſis, poſtmodum applicetur dictum empl.

Aqu. benedict. Chirurgorum ſ. aqu. calcis vivæ & lixivium ex ciner. ſarment. vit. etiam hic optima ſunt applicatur c. ſpongia nova, ubi prius pars fuerit illita c. adipe porcina.

Meliorem ſucceſſum habet hæc aqua applicata ſi c. eadem bulliat ſulphur. vivum aut bacc. lauri contuſæ. Ubi durius ac pertinacius ſit ædema recipiendum eſt ſtercus caprillum & hoc benè ſubigendum c. urin. ægri; Coquuntur invicem ad craſſitudinem pultis ſ. cataplaſmatis, quod calidè imponendum ædemati contumaciori vel fimus equinus miſceatur cum farina hordei & aceto promptiſſimè enim ſolet diſcutere tumorem.

Empl. hydropicum Auguſtanorum notum eſt in vulgus: it. inunctio c. ol. laterino ſ. philoſophorum c. ol. Hyperici in ſpecie c. petroleo aut c. ol. tartari fœtido quod mirum eſt. Non inferius eſt ol. guajac. deſt. probè rectificatum. Commodiſsimè m. diſcutiunt ædemata.

Similis lympha viſcida ſimulque ſapore nonnihil adſtringente prædita ac acido occulto imprægnata ſi in

in poris & meatibus glandularum colligatur, coagulatur & ab acido proprio ſenſim inſpiſſetur, ac indureſcat, dat tumores glandularum quas vocant STRUMAS ſ. SCROPHULAS, quæ frequentius equidem *collum*, rarius alias partes occupant.

Struma ſ. ſcrophula.

In genere tamen *glandularum* ſunt *vitium* commune internis & externis: ob id ſunt qui aſſerunt auctores, neque in aliis partibus obſervari ſtrumas à cauſa interna enata, *niſi prius glandulæ meſenterii ſtrumoſæ* fuerint: nunc plures, nunc pauciores.

Ipſæ *ſtrumæ* imprimis in collo interdum ſunt *pendulæ* foras prominentes, interdum v. magis aliis partibus vicinis intertextæ: ad tactum ſtrumæ ſunt *duræ*, colore *albicantes aut* vicinis partibus ſimiles, ſuntque *indolentes*, & tales ſunt ſtrumæ *legitimæ*: *dolentes* v. ſponte & punctionibus ſpontaneis interdum moleſtæ, aut quæ colorem ſubcæruleum l. ſublividum repræſentant, ſunt non legitimæ, d. ex acidi vitioſi & corrupti abundantia ſunt cancroſæ, legitimæ ſunt benignæ, illegitimæ verò malignæ pro cura nunquam attingendæ.

In CURA E. Emolliendæ ſunt ſtrumæ & reſolvendæ ſucceſſivè per remedia *potenter reſolventia* & ſtrumas *emollientia ac diſcutientia* quæ inter eſt gumm. ammon. ac reliqua gumm. in aceto ſoluta inſpiſſata emplaſtri forma loco ſtrumoſo impoſita.

Loco hujus *empl.* Mynſ. de galbano crocatum it. empl. de cicut hildani commodè imponuntur. It. *fotus* c. ſpongia aquæ calcis vivæ ebria & hic eſt convenientiſſimus.

Catapl. m. ex fol. & rad. cucum. aſinin. emollit & reſolvit glandulas ſtrumoſas quod potentius eſt adhuc ſi c. ſtercore caprillo fuerit ſubactum.

Hæc ſi non ſufficiunt ad potentiora accedendum eſt: quæ inter præ cæteris eminent *mercurialia* ſub viva forma addita: imprimis mercurius vivus potenter penetrans & reſolvens ſtrumas.

Hinc expertum eſt empl. de ran. vigon. c. mercurio vel ex *gummi caranna cum mercurio & terebinth.* ſubact. fiat empl. ad imitationem *Barbette*; Habetur amalgama mercuriale, ex quo & cum quo emplaſtra parata forſan ſunt egregia; *emplaſtrum diachyl. cum mucilaginibus v. gr. ℥j. adde mercurii vivi ſaliva extincti* ʒj. vel

♃. Unguenti martiati, ℥j.
ol. Myrtini,
Laurini ana ℥ß.
Mercurii vivi floribus ſulphuris extincti ʒij.
F. Unguentum.

Scrophulis ſeu ſtrumis imponendum quotidie renovandum: Hoc promptiſſimè reſolvit & emollit ſcrophulas. In quibus tamen mercurialibus ſemper *inſpiciendæ ſunt fauces & gingivæ*, an forſan ex earum uſu immineat ſalivatio.

Præ cæteris excellens eſt ol. deſtillatum HELMONTII *in ſcriptis in tract. tartar. non eſt in potu*, §. 15. quod ol. deſtillatum m. invenitur jàm olim deſcriptum *in Epiſt. Medicinal.* LANGII ol. iſtud illitum potenter reſolvit & inſenſibiliter diſcutit ſcrophulas.

Quod ſi emolliri aut reſolvi nequeant ſcrophulæ ſ. ſtrumæ *ſuppurandæ* ſunt, quo interdum ſponte tendunt. Ad ſuppurationem præſtat imprimis empl. de melilot. c. ol. amygd. dulc. & pinguedine ſerpentum ſubactum.

Item ad ſuppurationem diſponit cataplaſma ex rad. alth. lil. alborum herb. cicut. & cucum. aſinin. c. ol. lacertarum ſubactum.

Aut unguentum diachyl. c. mucilaginibus commodè ſuppurat & maturat ſcrophulas vel *cataplaſma ex cucum. aſinin. emplaſtr. magnetic. A. ſalæ* cum empl. *diaſulphuris mixt.* ad imitationem *Tab.* In CURA cancri. ♃. empl. de nicotiana *Plat.* quem vid. *c. 1. obſervat. 28.*

Dum *ſuppuratæ* ſunt non ſtatim aperiendæ, d. quamdiu fieri poteſt clauſus linquendus eſt abſceſſus, propterea, ut eò major glandulæ ſtrumoſæ pars per maturationem in pus abeat.

Nam *aperto abſceſſu* tota glandula affecta per ſuppurationem eſt abſumenda.

Aperto E. abſceſſu, ut hoc fiat, imprimis ut *totta ſtrumoſa glandula abſumatur* ſufficit l. ſolum commune digeſtivum ex terebinth. vitel. ovi & melle illitum (de quo alio loco plura) vel quod melius eſt permiſceatur hiſce mercurius præcipitatus probè ablutus: Hic n. blandè & ferè abſque dolore abſumit glandulam ſtrumoſam. *Abſumpta* in totum *ſtruma ulcus relictum mundificandum* & ſolito modo conſolidandum, pro mundificando ſufficit balſamus ſulphuris.

Si verò glandulæ ſint *pendulæ*, commodè filo ſeu ſera equina pedetentim conſtringendæ ſunt, ut ſenſim marcidæ ſponte ſeparentur; Si verò *propriis tunicis* ſint *incluſæ*, ſubinde neceſſe eſt, ut cùm diſcutientia & ſuppurantia ſint fruſtranea, Chirurgi manu curentur, proſpiciendo ut membrana tota tollatur, quod alteri fieri poteſt, ubi non magna vaſa aut nervi ad glandulas tendunt.

Hiſce internis commodè ſubjungenda ſunt *interna* utplurimum fixa, *acidum iſtud vitioſum* lympham ſcrophularum inquinans, *abſumentia*, qualia fiunt ex ſpongiis combuſtis, ex oſſibus ſepiæ ex pumice c. Zingibere, pipere & ſimilibus remedia *viperina*, *arcanum duplicatum*, *pumex* præparatus, *pulvis ſternutator.* cui accedunt *purgantia appropriata.*

Facit E. huc *pulvis* HELMONTII contra ſtrumas, qui vid. in cit. loco it. *pulvis* ARNOLDI VILLANOVANI *contra ſtrumas qui vid. in Auguſt.* vel fiat talis pulvis in quo ferè ſunt omnia ingredientia contra ſcrophulas.

♃. *ſpong. marinarum combuſt.* ℥iij. *oſſ. ſepiæ. Mandibularum luc. piſc. ocul. cancrorum, piperis long. zingib. alb. pyrethri, gallarum teſtium ovorum calcinatorum*: ana ℥j.

M. F. pulvis doſis a ʒß. quotidie decreſcente luna uſurpandus.

In potu commodè infunduntur vel decoquuntur ad ſcrophular. filipend, & harum herbæ ruſcus, geniſt. & ſimilia.

Lacertæ dant electuarium pro interno uſu it. ol. pro uſu externo contra ſcrophulas admodum expertum deſcript. *vid. in* SCULTET. *armament. Chirurgic. obſ. 31.*

Denique hauſtus potus ordinarius ex *cranio hominis ſepulti* ad tempus continuatus, ſingulariter conducit ad ſtrumas, in ſpecie colli.

Talis m. tumor durus tactui renitens ſenſim genitus utpote indolens, ſi præter glandulas occupet alias partes imprimis carnoſas ſive internas nempe viſcera, ſive externas quaſcunque vocatur *SCHIRRHUS*, Tumor imprimis talis durus & indolens & loco immobilis, natus *ex coagulatione aut ſanguinis*: unde interdum *inflammationibus malè tractatis* imprimis per repellentia, dicta adſtringentia, ſupervenit: *aut* præter ſanguinem m. *chylus crudus* & viſcidus c. ſanguine hinc inde diſtributus l. m. c. alieno vehiculo, ſi ſimiliter in talem tumorem durum coagulando coëat ſcirrhum generat, qua ratione *œdemata* interdum in ſcirrhum degenerare ſolent: quo pertinet m. *Tumor mammarum* ex lacte qui & ipſe interdum ſchirrheſcit, & tam ſchirrhum quàm ſcrophulam generat: interdum ſimul & ſanguis & talis *chylus viſcidus* per poros partium transeundo, in ſpecie viſcerum, ſucceſſivè hæret congeritur & coacervatur idque *coagulatur in talem ſchirrhum auctore acido præternaturali*, *aut* nimio *aut* fixo *aut* auſtero *aut* alio ſimili modo vitiato.

Schirrhus

Facile *patet* ſchirrhus ex *duritie* & *indolentia*, quæ ſemper ſunt in ſchirrho legitimo: dolens n. & præterea

nonnihil liveſcens eſt ſcirrhus illegitimus, quia ſubeſt nonnihil cancroſi.

Opera danda eſt ut ſcirrhus emollitus ſucceſſivè *inſenſibiliter reſolvatur & evaneſcat idque maturè:* aliàs enim facile incurabiles fiunt ſcirrhi.

Curantur imprimis *maturè*, aut uti dico, inſenſibiliter reſoluti, aut quod rarius & m. periculoſius, ſi tandem ſuppurentur & degenerent in abſceſſum.

In CURA E. acidum coagulans temperandum eſt, durities facta emollienda.

Faciunt huc *reſolventia fortiora* diſcutientibus moderatis nec adeo acribus permiſta: aut reſolvatur tumor ſucceſſive.

Id quod faciunt imprimis ex cicuta, mandragora, nicotiana, ſcrophular. cucum. aſinin. ac ſimilia applicata imprimis ſub forma cataplaſmatis impoſita.

Stercus bubulum aceto incoctum & illitum ſcirrho, tumores ſcirrhoſos quamplurimos mirificè diſſipat.

Ol. lumbricorum terreſtr. ol. tartar. deſtillato pauco miſtum, & hæc duo ſpiritu vini diluta & illita optimè curant ſcirrhum. Nam certum eſt quod ol. tartari rectificatum, fœtidum licet mirè reſolvat, & tumores duros potenter diſcutiat & emolliat.

Hæc juxta cataplaſmata ex rad. bryon. c. ſtercore caprillo impoſita ſimiliter egregia ſunt ad diſcutiendum & emolliendum ſcirrhum.

Vel fiat tale cataplaſma quod expertus eſt feliciter Thonnerus.

℞. Farin furfurum,
Hordei ana ℥ij.
furfur. Mj.
ſterc. caprill. ℥iij
Melilot.
Chamomill. ana Mß.

c. lixivio & ſapa fiat cataplaſma addito pauco ol. anethino.

Præ cæteris tamen gummata ſunt quæ potentiſſimè ſchirrhos reſolvunt: nempe bdellium, galban. opopanax & hæc inter *ammon.* primatum obtinet: ſi ſcil. vel ſolum gumm. ammon. in aceto ſolutum inducatur alutæ & applicetur ſub forma empl. optimè reſolvit ſchirrhum.

Melius adhuc eſt ſi *empl. de cicut.* vulgare miſceatur c. gumm. ammon. in aceto: Nam cicuta per ſ. mirè laudatur ad quoſcunque ſcirrhos curandos.

Hinc empl. ſpleneticum AQUAPENDENTIS paratum ex gumm. ammon. & ſucco cicutæ expertum eſt remedium ad percurandos ſcirrhos.

Elegans m. eſt ſequens empl. efficax ſatis ad ſcirrhos curandos nempe:

℞. Succ. cicut. expreſſ.
Mandragor. ana ℥iv.
Gumm. galban.
ammoniac. ana ℥ii.
(in aceto ſolut.)
ſalis ammoniaci ℥j.
Coquantur in tigillo aſſiduè movendo ad evaporationem ſuccorum lentè: huic adde.
Terebinth. ℥ij.
ol. tartari ℥iß.
Croc. oriantal. ʒiij
Empl. de melilot.
diachyl. ſimpl. ana ℥ij.
Cera q. ſ.
F. Emplaſtrum.

applicandum ſcirrho: Hocce applicatum *dolorem equidem primitus movet, ſed propterea non eſt ceſſandum*, d. tertia quacunque die novum eſt reiterandum.

Aliàs etiam empl. HILDANI tq. ſingulare experimentum laudatur ab auctoribus cujus deſcriptionem vid. in *Cent. 6. obſer. 75.*

Loco hujus empl. diaſulphur. Ruland. it. empl. diachylon. c. gumm. commodè etiam applicantur.

Quin & mercurialia ex mercurio vivo parata commodè in ſchirrho legitimo imponuntur. Hinc empl. de ran. vigon. c. mercurio applicari poteſt.

Vel ℞. Empl. diachylon. pinguedinibus ipſique adde mercurium vivum ſaliva extinctum addendo ad ʒvj. empl. ʒiß. iſtius mercurij vivi.

Interiori ſcirrho, ſolùm *lamina plumbea hydrargyro illita* impoſita, vel empl. magiſtrale quod habet AGRICOLA *in Chirurgia parva p. 689.* ſufficit ad tollendum & percurandum ſcirrhum.

Quod ſi his ipſis non poſſit legitimè diſcuti aut reſolvi ſchirrhus tunc neceſſitate urgente ad maturationem in pus quantum poſſibile deducendus eſt, temperatis tamen, d. nonnihil acrioribus quàm in inflammationibus fieri ſolet, non tamen nimis oleoſis nec mucilaginoſis remediis: d. talia imponenda ſunt quæ alcali quidem, d. tamen temperato conſtant, quæ imprimis acidum blandè reſolvunt, alterant & ſucceſſivè materiam in pus transmutant, id quod ipſum tamen cautè ſimiliter admodum faciendum eſt, quia *ſchirrhus quicunque ſub maturatione facillimè abit in cancrum*, cumque exulceratum: idque imprimis in ſcirrho dolente, & colore nonnihil liveſcente: In ſcirrho n. indolente hoc non ſemper eſt metuendum.

Hildanus c. 6. obſ. 75. habet unguentum in tumore ſcirrhoſo ad cancrum inclinante, quod etiam in ſcirrho mammæ mulieris, ubi metus ſuberat *cancri*, optimum fuit.

Dolens E. ſchirrhus puncturis occultis moleſtus, ad tactum dolens, colore liveſcens, in ſubjecto vel jam *ad ſenectutem* vergente vel cui ordinarius alias *hæmorrhoidum* aut *menſium fluxus* eſt ſuppreſſus, talis, inquam, ſchirrhus ſi non poteſt enſim reſolvi & ſucceſſivè abſumi inſenſibiliter, aut intactus omninò eſt relinquendus, aut *applicatione nitri in aceto deſt. diſſoluti* in lapideam duritiem indurandus nitrum n. hoc modo diſſolutum c. linteis l. ſpongia applicatum, indurat ſchirrhum & in lapideam concretionem ferè tranſmutat.

Scirrhos hos dolentes, ſicuti etiam ſtrumas doloroſas, in ſubjectis modo citatis facilè in cancros degenerare dixi.

CANCER

aliàs eſt tumor planè ſingularis ac omninò ſui generis: primo quidem *vix ciceris aut fabæ* magnitudinem adæquat, ſucceſſivè tamen modo citius modo tardius incrementum capit, *& ſub iſto parvo initio*, tuberculum iſtud durum nigricans interdum lividum punctionibus quibuſdam moleſtum eſſe ſolet: *ubi vid. cancer augmentum acceperit*, apparet *tumor* durus *coloris* plumbei aut lividi, *dolens* in principio *moderatè*, in augmento *vehementius:* ubi v. eſt EXULCERATUS jam, dolor eſt acerbiſſimus inſtar aquæ fortis corrodens & depaſcens partes vicinas molliores c. inſigni in ulcere *putrilagine ac fætore:* adeſt in incremento cancri, aut ubi jam ad exulcerationem vergere incipit *fervidus ardor*, pulſatio *punctoria* moleſta & ambiunt tumorem *venæ* hinc inde turgidæ & nigro ſanguine diſtentæ tq. pedes cancrini hinc inde extenſi donec *exulceratus tandem cancer*, *niſi ferro aut igne deleatur* miſera morte ægros occidat. Cancer.

Rarius equidem per ſe inchoat niſi forſan in mammis c. ſæpius v. *alios tumores in ſpecie ſchirrhos*, & quæ his ſunt cognatæ, *ſtrumas* ſubſequi ſolet ſi malè tractentur.

Nam creberrimè occupat *mammas* in quibus quamplurimi oriri ſolent cancri, poſt mammas *etiam loca glanduloſa alia:* ſic namque in locis glanduloſis ulcera deteriora fiunt quæ ſubinde ad cancri malignitatem accedunt.

Poſt has glandulas occupat cancer, frequentius ſi per ſe incipiat faciei *partes externas*, nempe os, naſum, labia & ſimilia. SI NASUM, os, vel labia

labia occupat, dicitur *noli me tangere*, item *lupus*.

EXTERNE harum partium LÆSIO, *contuſio*, v.gr. *mammæ*, ſubinde occaſionem præbet cancer ut naſcatur, ubi principium ejus diu latere poteſt, donec ſuâ ſub dierum maturitate *ſupervenientibus cauſis internis*, in ſpecie *fluxus hæmorrhoidum* vel *menſium ſuppreſſis* tandem ſe manifeſtet & augmentum capiat.

CAUSA cancri communiter ſtatuitur humor melancholicus aduſtus ſ. ut alio nomine venit atra bilis ſi intelligibili ſenſu explices, *acidum volatile, inſigniter corroſivum, de natura qſ.* (ſi per ſimile explicandum eſt,) *arſenicali*, in quo ipſo, in ſpecie *ſi exuberet duplex venenum* eſſe, non ineptè aſſerit HILDANUS, nempe putrefactivum & corroſivum.

Hoc ipſum acidum eſt *occultum* in cancro incipiente increſcente & nondum exulcerato, *manifeſtum* v. eſt in cancro exulcerato.

Latet autem iſtud acidum quamdiu novo acido vitioſo nullum augmentum capit, aut quamdiu per applicata externa non irritatur ſeu in efferveſcentias cogitur: aliàs enim levi irritatione efferveſcit, unde novo malignus ſic explicans ulcus conſtituit cancroſum, ſ. *cancrum exulceratum*, qui veteribus, HIPPOCRATI & GALENO citra totalem partis cancroſæ extirpationem ferro & igne *fuit* incurabilis, *Modernis* autem licet pauciſſimis per certum quoddam alcali ſulphureum citra partis jacturam curabilis.

Cancer iſte qui adhuc latet ſeu nondum in ulcus degenerat dicitur CANCER OCCULTUS: qui v. jam prodidit ſeſe exulceratione dicitur *Cancer manifeſtus*.

Occultum fieri manifeſtum ſ. exulcerari ferè patet ex ſuperveniente dolore, intenſiore pulſatione punctoriâ moleſtiore, ardore & cancri inſolitâ intumeſcentiâ donec perfectum prodeat ulcus.

Cancros hos occultos ſ. nondum exulceratos non atingere melius eſt monente HIPPOCRATE, cum attacti facilius exaſperentur & alterentur.

Unde poſtmodum ægri citius intereant: aut ſi attingi debet hic ipſe cancer occultus *palliativè ſaltim* tractetur incrementum ejus præcavendo, & exceſſivum gradum acidi temperando & qſ. edulcerando per medicamenta imprimis *ſaturnina* acidum quodcunque edulcorantia, ut nempe eſt in aceto & ſpiritu nitri, *aut per vegetabilia tempreatia alcali occulto* & ferè inſenſili prædicta, *vulgò refrigerantia dicta*, nempe plantag. ſolan. cicut. quibus cancri fluviat. ſtercus human. ranæ fluv. & ſimilia animalia accedunt, propinando ſumunt *internè* acidum nimium in corpore abſorbentia ejuſque proventum impedientia.

INTER EXTERNA E. quæ applicentur in cancro occulto palliativè conſervando, ne exulceretur ex vegetabilibus eſt cataplaſma ex cicutâ recenter impoſitum: hoc namque potenter mitigat cancrum.

Hinc omnes ſpecies intyborum atque etiam decoctum Solani aut ſimilia aut ſucci horum vegetabilium, item ſuccus ſcabioſæ, Geranii Robertiani, Herniar. Plantagin. & ſimilia mitigant cancrum incipientem.

Præ cæteris *poma putrida* applicata aut aqua pomorum putridorum, &c. hâc parata aqua calc. vivæ, applicata eſt optima: quia & *cancri fluv. contuſ.* in mortario plumbeo, & ſuccus eorumdem in ſimili mortario probè agitatus, optimè applicatur partibus cancro occulto laborantibus.

Fiunt etiam unguenta ex cancris fluv. huic uſui deſtinata.

Hinc *ſtercus humanum* impoſitum, aut aqua human. deſtillata applicata optimè conducit ad palliandum cancrum occultum.

Ranæ etiam virides dant unguent. & ol. quod deſcribit Sennertus, & valdè etiam commendatur ab aliis auctoribus pro cancro occulto.

Saturnina imprimis dixi eſſe utilia & his cognata: Hinc ſaturnus calcinat. lithygr. ceruſſ. ſach. ſaturni & ſimilia optima ſunt, *unde uſurpetur emplaſtrum de ſaturno*, nempe *ex oleo roſarum*, diutius in mortario plumbeo cum ſaturno calcinat. terendo oleum roſarum inter duas laminas plumbeas tamdiu, donec fiat linimentum craſſum & lividum. Unde etiam unguenta & liquida cancro occulto applicanda omnia ſubigenda ſunt in mortariis ſ. vaſis plumbeis.

℞. Saturni uſti ℥j. olei roſatum ℥iiß. croci ʒvi. M. ducatur in mortario plumbeo calidè cum piſtillo plumbeo.

Hinc empl. ſaturni Mynſ. It. empl. de carne bubulâ ejuſdem optimè conducunt in hoc caſu.

Convenit etiam cancro occulto *amalgama mercurii cum ſaturno*.

TULPIUS lib. 4. cap. 51. etiam habet unguentum de ſaturno ad hujuſmodi cancrum occultum palliandum convenientiſſimum.

INTERNE his ipſis ſuccurrendum eſt appropriatis: unde imprimis uſurpantur purgantia ex helleb. nigr. quæ etiam in ſcirrhis conveniunt c. mercurio dulc. propinanda.

It. conveniunt in ſpecie remedia ex fumaria quæcunque hinc ſaturnina: ſacch. ſaturni cryſtalli ſaturni c. ſpiritu nitri & quæcunque ex ſaturno interna parantur remedia, tartarea etiam volatilia ſpir. tartar. vol. per fermentationem parandus optimè ad præcavendum cancri progreſſum uſurpatur.

Præ cæteris *pulveris millepedum* præparator. à ℈j. ad ʒß. uſurpatur ſingularem habet virtutem contra cancros occultos *in ſpecie ſi mammas occupaverint*: propinatur c. dimidio ocul. cancrorum ut acidum occulti cancri temperent ne exulcerationem inducat.

De *cura exulcerati inferius* habebimus ubi de ulceribus cancroſis quæ vix niſi arſenico cedunt.

In talem cancrum *ſcirrhi* & *ſcorphulæ dolentes*, uti etiam *excreſcentiæ* quædam lividæ, & dolentes v. gr. *polypi*, quædam *verrucæ*, & ſimiles facilè degenerant, ſi ſcil. ſint liveſcentes, aut dolentes, aut malè tractentur.

Nam *dolor eorum punctorius* oritur ex eo quod acidum iſtud vitioſum morſicat obſcurè vicinas partes vel ob ſui exceſſum, dum non ſatis habet à quo imbibatur, vel quia infeſtat partes ſenſiles, nerveas facile irritabiles, vel ob occultam quam jam concipit efferveſcentiam ad exulcerationem diſpoſitivam c. qua ſemper ſimul ardor qſ. & exæſtuatio in loco dolente concurrere ſolet: quicquid in his caſibus feceris irritando crabrones facile in perfectum exulceratum cancrum mutabis, idque imprimis ſi ducatur ineptè ad ſuppurationem per maturantia aut mollientia, aut illegitimo aut inconvenienti modo adhibita. Nam ſi talia adhibeas acriora acidum in fermentationis exſuſcitabis motum ſin mucilaginoſa nimis & oleoſa tunc *poros partis agglutinabis & incruſtabis*: Unde exhalatio particularum acrium ſubtilium impedietur, quæ retrogreſſæ acidum corroſivum augebunt, & ita promptius exulcerationem inferent. Sin humectantia, tunc reſolvendo acidum occultum iſtud in actum deduces, quo ſoluto ſupervenit corroſio & exulceratio, hinc dicunt, in ſcirrho dolenti fotus humidi ſunt nocivi, item fotus cum aqua ſunt rejiciendi.

Scrophulæ E. & ſcirrhi & ſimiles tumores dolentes, *aut* non ſunt attingendi: *aut* tentandum, ut iis quibus cancri occulti ad tempus palliantur ſucceſſivè diſcuti ac removeri poſſint: id quod tamen niſi *appropriatis internis* ſuccurramus vix fit citra metum recidivæ, aut orientis cancri occulti in corporis parte.

Hæc de tumoribus ex congeſtione & ſtagnatione enatis.

Hæ

Hæc de tumoribus ex congeſtione & ſtagnatione enatis.

Quod attinet alteram tumorum ſpeciem *ex alimento partis proprio corrupto* aut alterato coacervato oriundorum pertinent ad hos.

GUMMATA GALLICA.

Gummata Gallica. in oſſium medio enata & iis incumbentia, *dolorem nocturnum* ferè *intolerabilem oſteocopon inferentia.*

Originem ducunt *ex acido maligno venereo*, quod aggreditur, oſſa eorum alimentum corrumpit, quod corruptum acore inquinatum, ſucceſſivè in medio oſſium coacervatur & iſta Gummata conſtituit, donec *acidum vicina loca corrodendo ulcera* peſſima excitet.

Præter *interna* lui venereæ appropriata *ſudorifera* ex lignis aut *ſalivationem* mercurialem, quibus etiam ſemper viperina & mercurialia fixa remedia ſunt intermiſcenda, in cura luis venereæ ordinaria applicanda ſunt hîc gummata emollientia & reſolventia, antequam ulcera oſſium & partium mollium inferant. Conveniunt ergo *emplaſtra ex gummis* fortiter penetrantibus, in ſpecie *ol. deſtillato ligni guajaci* malaxando, quod oleum imprimis *cariem* præſervat & curat, iiſdem tamen ſemper *mercurialia* addenda, tanquam ſpecifica alexipharmaca.

Præter hæc gummata talia *reſolvuntur laminorum* plumbea impoſita mercurio vivo illitâ, ſi ſcil. ſunt ac huc *in* principio, vel etiam imponendus eſt mercurius vivus fumo ſaturni coagulatus & hinc qſ. in laminam ductus: aut etiam empl. de ran. vig. c. mercurio: vel miſcendum eſt ol. terebinth. c. ol. guajac. & ipſi addendum eſt opii q. ſ. una c. mercurio vivo & inſtar linimenti illinenda ſunt gummatibus doloroſis. Optimè convenit in tumoribus ſanguineis opium, dolorem enim ſiſtit & ſimul reſolvit.

Pertinent huc, ex alimenti corrupti vitio nati nempe tumores

ABSCESSUS RECIDIVANTES

Abſceſſus recidivantes. ſi ſcil. *poſt ulcera non ritè mundificata* aliquid de fermento corruptivo remanet, aut ſi occulta oſſis ſubeſt *caries.*

In his & ſimilibus caſibus alimentum in iſto loco diſtributum corrumpitur, alteratur, & in materiam acrem ſubacidam mutatur. Unde ſucceſſivè dolor oritur. Hinc inflammatio ſupervenit, & tandem per ſuppurationem abſceſſus renovatio, idque toties (decies v. gr. quoties occulta caries in oſſe non fuerit præfectè curata.

CURA eſt eadem quæ ulcerum: propinando internè potiones vulnerarias in ſpec. ſalia vol. quibus maſſa ſanguinea purificetur, & fermentum ſtomachale in naturali vigore conſervetur, & acidi proventus prohibeatur, externè probè mundificando abſceſſum, vel communi digeſtivo vel balſamo ſulphuris vel balſamo Peruviano c. ol. nicotianæ aut ſimili.

Quod ſi malignitas venerea ſubeſt præter interna mundificantibus ſemper de mercurio aut dulci aut præcipitato parum addendum erit.

Caries occulta inquirenda & ut alio loco dicetur curanda.

Quod ſi pars quæcunque tam carnoſa quàm nervea, *imprimis tamen nervea* ex quacunque *cauſa* imprimis *externa* ita *lædatur*, ut ejus nimia extenſio, aliqualis laceratio, pororum & meatuum confuſio & inordinatio fiat tunc *fit ut alimentum proximum partis uberius recipiatur* retineatur, & quoniam nulla adeſt cauſa cui iſtud copioſius aſſimiletur, & ſic fiunt tumores congeneres ſ. ejuſdem naturæ c. partibus quibus adhærent, v. gr. ſic fiunt.

CALLI.

Calli. Circa oſſa fracta: fiunt ſic.

NODULI ſ. GANGLIA.

Noduli ſive ganglia. *In crurib. noduli ſ. Ganglia.* in tendinibus: Sic etiam fiunt

SARCOMATA ſ. EXCRESCENTIÆ CARNOSÆ variarum partium.

Sarcomata ſ. excreſcentia carnoſa. Curantur facilè *emolliendo & reſolvendo tumorem inſenſibiliter* id quod locum habet *in callo* nimis excreſcente in oſſe fracto: cujus curationem vid. in SCHENCK. *& obſ.* HILDANI.

Idem locum habet *in gangliis & nodis*, ut nempe emolliantur & inſenſibiliter reſolvantur: *Vel curantur* tumorem *aperiendo & omnimodè exſcindendo*, id quod imprimis *in ſarcomatis* ſ. exſcreſcentiis carnoſis faciendum.

GANGLIA & NODI RESOLVUNTUR

per fol. ſemperviv. maj. detracta pellicula interna impoſitum arctè alligatum & quotidie mane & veſperi renovatum.

Item nodos & ganglia diſcutit vel reſolvit lamina plumbea mercurio vivo illita & ſuperimpoſita: aut loco mercurii lamina plumbea ol. juniperino illita imponenda: ſic enim facilè etiam diſparet.

Conveniens etiam eſt ſi applicetur gumm. ammon. in aceto ſolutum, ac poſtmodum empl. figens ſuperimponatur.

Curantur denique etiam ganglia ſi illinantur c. aqua vitæ, temperatâ c. ſucc. rutæ: Hæc enim applicata ſæpius optimè diſcutiunt & reſolvunt ganglia. Interdum ſolum gumm. ammon. ſatisfacit. Pertinaciori malo convenit *empl. de ranis vigonis c. mercurio.* Vel ♃. lamin. ſaturni infuſa ſpir. vini & acet. deſtil. & adſperſo euphorbio, hoc applicatum gangliis ſucceſſivè illa evaneſcere cogit: SARCOMATA v. ſi exſcindantur exſcindenda ſunt, in caſu, quando nempe commodè exſcindi poſſunt; Si nempe non adhæreant nervis; vel quando ſarcomata non conſpirant cum vaſis inſignioribus arterioſis & nervoſis ſedatâ hæmorrhagia partis radix & membrana ejus radicaliter eſt tollenda per ſuppurantia vel blandè exedentia, alias enim revertitur tumor: hinc per conſolidantia vulneraria adſtringentibus miſta.

Dixi fieri excreſcentias alimenti proximi receptione, retentione & adhæſione, ob poros partis laceratos, confuſos & inordinatos.

Simili: ratione ferè generantur alii tumores, qui ex eo quod foras adnaſcantur.

EXCRESCENTIÆ vocari ſolent, & in membranis propriis peculiarem & ſingularem humorem retinent: pro cujus humoris varietate diſtinctâ hi tumores acquirunt nomina, ita ut nunc

Meliceris. Ateroma. Steatoma.

MELICERIDES.
nunc ATEROMATA.
nunc STEATOMATA

apellari ſoleant.

MELICERIS equidem dicitur qn. materia contenta eſt ſimilis quodammodo melli.

ATEROMA verò dicitur ſi materia contenta eſt inſtar pultis.

STEATOMA v. dicitur qn. materia contenta eſt inſtar ſevi vel adipis.

Reperiuntur equidem etiam alia contenta varia, dum interdum *ſub forma farinæ* contineri ſoleant, interdum etiam unà *lapides* in iiſdem contineantur, interdum *filamenta* oblonga ex iiſdem extrahantur, & quæ ſunt hujuſmodi contenta alia varia, quæ omnia *propria tunica ſeparatim* ab ambiente cute ſunt incluſa & ita retenta.

ORIUNTUR hæ excreſcentiæ ex nutrimento partis cujuſdam nerveæ in ſpecie membranæ aut tendinis, utplurimum membranæ copioſius retento d. non-

nihil alterato & hinc in aliam ſubſtantiam quàm præciſè eſt pars alenda tranſmutato.

CAUSA autem quod colligatur tale nutrimentum & alteretur eſt, quod *membranæ* & partes membranoſæ aut *a cauſa externa violenta diſtendantur, dilatentur & dilacerentur quod utplurimum fit* vel qn. *à cauſa interna* nonnihil *eroduntur*. Unde fibris quarum texturâ membranæ conſtituuntur à ſe invicem ſeparatis, poris dilatatis & ampliatis, alimentum eorum proximum diſtributum uberius recipitur, retinetur & ita ſenſim extrorſum verſus protuberans tumor generatur: Nam introrſum non patet ſpatium, ut eò vergere poſſit.

Utplurimum dixi præcedere cauſam externam: Hinc enim eſt quod *Moniales & Monachi ex crebrioribus genuflexibus* adeoque dilatatione membranarum iſtius loci ſæpius patiantur tales tumores, *in ſpecie Melicerides* in genubus. Sic etiam ex equitatione violentâ & concuſſione, ingens *ſteatoma* cuidam militi ſucceſſivè *in perinæo* fuit enatum, de quo ſcripſit ELZHOLZ *in quadam Epiſtola: obſervetur* hoc quod ſi non ſemper tamen utplurimum tales tumores à cauſa externa violenta occaſionaliter oriantur.

Fibrillæ E. iſtæ membranarum eroſæ, aut laceratæ, aut à ſe invicem ſeparatæ, cum ſponte non redeant in naturalem ſitum & unionem, à nutrimento collecto & coacervato, ſucceſſivè & ipſæ longius prætenduntur, & hinc inde alias emittentes fibrillas tandem ſe uniunt & concurrunt in perfectam membranam, talem tumoris materiam ex parvo initio propullulantem comprehendentem eſt ipſa membrana aliarum membranarum inſtar c. incremento tumoris & ipſa acreſcit ſenſimque augetur. Quoniam v. ſuccus alimentitius per membranas læſas ſucceſſivè tranſſudans, non naturali ritu & ſitu diſponitur & ordinatur d. ſaltim conglomeratus coacervatur, ob id nudam maſſam aut ſevi aut pultis, aut mellis repræſentat, prout ſimul, ſub iſta tranſudatione & collectione plus minus alteratur.

Obſervatum etiam fuit, quod hi tumores propriis folliculis incluſi, ſubinde lunæ phaſes imitentur, quod videtur commune quibuſdam tumoribus in partibus nerveis radicatis: item quòd hi tumores ſæpè & frequentius circa caput, collum, nucham & ſimil. reperiantur, rarius in aliis locis, etiam carneis ſarcomata protuberant. Facilè patet, an ſint proprio folliculo incluſi, qualis autem materia contineatur, vix poteſt cognoſci, ſed hoc parum refert.

Tumores tales per ſe præter moleſtiam ferè nihil habent incommodi.

IN CURA E. materia contenta tumorem conſtituens eſt omninò tollenda, *ſive inſenſibiliter* reſolvatur & diſcutiatur, quod fieri poteſt in his tumoribus incipientibus aut minus inveteratis quorum cyſtis ſ. membrana, nondum tam firmiter coaluit, aut nondum adeo tenax fuit reddita.

Si hoc non poſſit fieri tunc *materia alteranda* & quodammodo in materiam puri ſimilem tranſmutanda & hinc aperto tumore exhaurienda: quod fieri poteſt tantummodo in *Meliceride*. Nam alii tumores alterationem quamcunque reſpuunt. Interdum *ſpontè aperiuntur* tumores & materiâ contentam largiter effundunt. Interdum & quidem optimâ curandi ratione inſtitutâ *ſectione* extirpandi ſunt hi tumores qui modus eſt optimus: *obſervando* in omnibus curandi modis, ut mẽbrana cyſtim conſtituens radicitus tollatur, ne tantillum ejus ſuperſit aliàs namque à paucis ejus fibrillis relictis novi tumoris regeneratio ſupervenit.

Reſolvunt hos tumores balſam. peruv. balſam. ſurphuris vel gummi ammoniacum item lamina ſaturnina mercurio illita ſuperimpoſita. Item empl. oxycroceum applicatum. Item empl. de Ran. Vigon. c. mercurio.

Quidam parant *empl. utile* ex ammon. pyrethro & ol. ſuccini quod impoſitum tumorem maturare & ad ſuppurationem deducere ſolet, vide *Barbetti Chirurgiam*. ℞. picis navalis ℥ij. gummi ammoniaci, ſulphuris ana ℥ß. m. f. empl. quod imponatur, potens ſatis eſt hoc empl. ad reſolvendos & diſcutiendos hos tumores non inveteratos.

℞. Gumm. Sagapen.
ammon. an. ℥ß.
Rad. pyrethr.
Euphorb. aa. ʒß.
ſulphuris ʒiij.
ol. ſuccini ʒj.
M. F. empl.

Facit huc etiam empl. diaſinapios deſcriptum à SCULTETO in tabula ultima quo ipſo curavit Melicerides *uti patet ex obſer. 66.*

Quod ſi reſolvi nequeat tumor & ſuppurari poſſit, *ſuppurandus* venit per ſuppurantia paulo fortiora & acriora impoſita, id quod tamen rarò fit: *poſtmodum aperiendus eſt* tumor nonnihil mitigatus & hinc evacuatâ materiâ membrana eam continens ſ. pellicula cathereticis ſ. exedentibus eſt abſumenda.

Id quod etiam faciendum eſt qn. talis tumor ſpontè rumpitur, tunc enim & materia tumoris & membrana continens blandis corroſivis eſt tollenda: quia aliàs aut recidivam parit aut relicto tantillo membranæ in *fiſtulam* abit, aut *ulcus* diuturnum ac fœtidum conſtituit: abſumunt materiam & folliculum unguentum Ægyptiacum, unguenta c. mercurio præcipitato edulcorato applicata aut:

℞. Vitrioli optimè dulcificat. ʒj.
æruginis ſ. virid. æris ℈j.
Unguenti Ægyptiac. ℥ß.
M. F. Unguentum.

applicandum pro exedendo folliculo.

Optimus tamen curandi hos tumores modus eſt per exſciſſionem ſ. abſciſſionem: in ſpecie ſi inveteratus & contumacior fuerit.

Fit *ſectio cutis per crucẽ* quæ ita facienda eſt ne lædatur folliculus his in cutis ſeparanda à folliculo, (quod facilè fit) & ipſe folliculus ac c. eodem tumor juxta radicem quæ ſemper eſt parva & anguſta, abſcindendus & ſi quæ ſuperveniat hæmorrhagia, applicatis debitis, ſiſtenda: Hinc exempto folliculo factum ulcus mundificantibus & conſolidantibus; ut moris eſt curandum.

Talis tumor excreſcit ſubinde *in pericranio*, qui ob denſam capitis cutim non tam extrorſum prominet quàm quod latius expandatur & ob id

TESTUDO it. *TALPA* ſ. *LUPINARIA*

vocari ſolet: In hac talpa ſi materia contenta (ſimilis eſſe ſolet materiæ in modo dictis excreſcentiis contentæ) fuerit acrior, tunc ipſum cranium rodere incipit. *Teſtudo it. Talpa ſ. Lupinaria.*

Talis talpa ſ. *tumor ſi fuerit immediatè ſuper ſuturas cerebri*, ita ut ex fibris membranæ cerebri duræ per ſuturas tranſmiſſis oriri videatur ferè *relinquendus eſt, propter affectus capitis lethales* ſupervenientes: ſin v. alio in loco ſit, *aut* reſolvenda eſt materia, *aut* aliqualiter ſuppuranda *aut* ipſe tumor aperiendus more conſueto, & membrana tollenda, facta capitis caries probè rodenda, hinc pulvis ex rad. Ireos flor. c. pauco euphorbio cranio affecto inſpergendus, & cutis aperta denuò conſolidanda, ut fit in aliis hujuſmodi excreſcentiis.

Quod ſi fibrillæ nerveæ quæ copioſæ extremitatibus vaſorum capillarium intertextæ cutis rectè conſtituunt ſimiliter aut laceratæ aut nonnihil eroſæ nutrimentum ſuumforas emittant hac ſucceſſivè coaguletur in

VERRUCAS.

Verruca. Quæ ſi ex attritione hinc laceratione fibrillarum ex calore fiant in digitis pedum vocantur

CLAVI

Clavi. qui clavi interdum profundius radicati ſunt,& ex ipſis tendinibus articulos digitorum pedum moventibus attritis inſtar gangliorum oriri ſolent.

VERRUCÆ v.pro ratione radicum quibus inhærent nunc ſunt *planæ*,nunc ſunt *penſiles*.

Iſtæ quæ ſunt planæ vocantur *Verrucæ foſſiles* in ſpecie vocantur *Myrmereæ*.Hæ v.verrucæ penſiles dicuntur *acrochordones* ſicuti tales verrucæ ſi ulterius proveniant & latius ſe expandant & ſingularem habeant duritiem,

CORNUA

Cornua. appellantur, qualia utplurimum ſubjectum habent os à cujus alimento ſimul in verrucam tranſudante, ſtructuram peculiarem ſingularemque duritiem obtinere videntur.

Quoad verrucas in genere nihil habent periculi niſi *in ten inibus* ſint radicatæ, tunc enim vix radicitus extirpari poſſunt, citra ingentia ſupervenientia pericula dolorem,inflammationem,convulſionem, &c. *id quod imprimis obſervandum eſt in clavis pedum profundius* radicatis, qui etiam ſuperficialiter equidem poſſunt tolli d.ex ipſo tendine vix poſſunt extirpari,quia gangrenæ metus interdum ſupervenit.

VERRUCAS E. in genere *delent* ſuccus chelidonii maj. recens illitus qui ſucceſſivè abſumit verrucam donec in totum diſpareat & evaneſcat, quod probatum eſt imprimis ſi prius nonnihil incidantur verrucæ duriores ut leviter ſanguinem fundant item eſt planta, quæ vocatur *Cieporum* verrucis ſimilis propter figuram, quæ contuſa verrucis impoſita eas evaneſcere facit.

Succus lacteus dentis leonis etiam applicatus conveniens eſt admodum.

Folia ſempervivæ detentâ pelliculâ tenui internâ applicata ſæpiuſque repetita ſucceſſivè verrucas tollunt.

Succum pomorum borsdorffianorum & alia ſeu nota taceo aqua quæ ſupernatat truncis quercus ex pluviis collecta probatum eſt remedium ſi illinatur ad delendas verrucas.

Aqua in qua ſolutum eſt ſal armoniacum ſi aliquoties ea tangantur verrucæ certiſſimum eſt experimentum *Borelli c.2. obſ.46.*

Convenit etiam egregiè unguentum ex melle c.tantillo ol. vitrioli, quod experimentum eſt Timæi ad tollendas verrucas.

Limaces ſunt egregiæ, quæ abſtergendæ ſunt ſale communi, ſic produnt ſalivalem humorem, quo illitæ verrucæ crebrius inſenſibiliter evaneſcunt; item fiat unguentum ex unguenti alb. camphorat.℥ij. cui addo ol.tart.p.d.℥j.aut loco hujus ſalis tartari ʒß.

Si enim hoc linimento ſ. unguento illinantur verrucæ evaneſcunt & diſparent. Empl. oxyeroc. cui parum arſen. albi fuit admiſtum abſumit etiam & exedit verrucas.

Clavi pedum. CLAVOS PEDUM quod attinet præ cæteris expertum eſt empl.Mynſ.de galban. cum ſale armoniaco, quod ſeu expertiſſimum prædicat TIMÆUS.Nam ſolum ammon.in aceto diſſolut. inſpiſſat. impoſitum optimè curat verrucas pedum ſ.clavos: ſuccus it.tithymali plumâ illitus eoſdem delet.

It. empl.de ran.vig.c.mercurio admodum commendatur.

Loco cujus empl. de cicut. c. mercurio dulci permiſtum eſt illinendum, quod etiam verrucas pedum tollit.

It. ♃oxatur *caro bubula* recens, & ejus fruſtulum tantum quanta eſt magnitudo clavorum inſtar empl. iis alligetur & ſæpius renovetur, ſic enim citò omninò & qſ.ſpontè dilabi clavi dicuntur.

Sunt qui etiam corroſioni aqu.fortem,butyr.antimonii commendant ſeu probatiſſima, quod verum eſt in ſpecie ſi c.melle unguenti formam redigantur: In horum tamen applicatione, hæ conditiones ſunt obſervandæ:ut circa clavum imponatur empl. quodcunque fortiter adhærens, quod præmuniat partes vicinas, ne linimentum eaſdem corrodere poſſit,in medio ſit perforatum ut emineat verruca ſ.clavus.Hinc ſi radices habeat clavus intendine ſ. extendine oriatur cavendum eſt ne corroſio ad tendinem uſque perveniat, ne dolorem,inflammationem,ulcus & ſimilia excitemus.

Empl. Mynſich.bonum uti etiam mel c. ſpiritu ſulphuris.

Præ cæteris tamen iſtæ *verrucæ* merentur conſiderationem, quæ *in locis pudendorum ex congreſſu venereo* ſunt natæ, ad has Itali utuntur *aqua forti*, ſed melius eſt *pulvis mercur. præcipitati ſoluti in aqua plantaginis cum alumine*, v.gr.♃. aqu. plantagin.℔ß.mercur.præcipita.i ℈iv.aluminis ʒß.diſſolvantur invicem, & cum penna huic liquori intincta tangantur dictæ verrucæ, ſic emarcitæ pedetentim decidunt, vel ſi ſint ſitæ ad modum thymiet condylomatum in pudendis curantur, ſc. ♃. aqu. calcis vivæ & miſceatur cum mercur. præcipitato, hac aqua fluida vel linteaminib. huic aquæ intinctis ſolent exſiccari,& curari.

QVOAD CORNVA.

Curantur cornua abſciſſione radicali niſi immediatè ex ſuturis cranii evergant, tum enim abſcind. equidem poſſunt, ita tamen ut radix maneat,ex qua radice denuò cornu novum creſcit ferè ſingulis menſibus aut ſingulo bimeſtri ſpatio denuò abſcidendum, quale cornu vid. Pariſiis.

Fit ſubinde ut *circa articulos*, ex dilatatis aut laceratis membranis & tendinibus ibidem expanſis, aut ſimilibus partibus nervoſis, ex caſu vel contuſione vel violentiâ luxatione in ſaltu, &c. læſis, excreſcat tumor mollis ſucceſſivè incrementum capiens, qui ſi apertâ cute amplius ſpatium nanciſcatur ſubitò incrementum capit enorme, & *inſtar fungorum* velociter excreſcit, in ſubſtantiam carnoſam, mollem, pallidam & indolentem, quæ ob id

FUNGUS ARTICULI.

appellatur: *Rarius* præter articulos *in alia loca infeſtare ſolet* ſemper tamen membranis aut tendinibus ſimilibuſque partibus adhærere & affigi obſervatur: Hiſtorias aliquot notatu digniſſimas refert SENNERTUS *lib.V.prax.de morb. externis in Chirurgia part.1.cap.39.*Item HILD. *cent.2.obſ.19.& cent.3.obſ.1.cent.5.obſ.62.* ſunt enim rariores. *Fungus articuli.*

CAVSA horum fungorum eſt humor nutritius, retentus & collectus. Cui cum ſe jungat *ſynovia* ſ. axungia illa glutinoſa, quæ naturaliter oblinit articulos pro facilitando motu, exinde ſubſtantia mollis, rara,ac inſigniter luxurians generatur *interdum tamen corruptionem quandam* & hinc occultam aceſcentiam concipit materia ex qua fungus generatur: Unde facillimè ſi malè tractetur fungus *malignitatem cancroſam* acquirit.

Præ cæteris m.ex membranis cerebri læſis,*in vulneribus capitis* ubi non benè præſervantur ab aëre ambiente, tales fungi qui tamen quaſdam proprietates adhuc ſpeciales habent enaſci & oriri ſolent.

CVRA eſt difficilis,ſæpiſſimè nulla, qui ſucceſſivè ad tabem perducatur corpus ægri: eoque difficilior eſt cura,quo magis in profundo articuli vel ſimili imprimis nervoſis originem trahant fungi.

Nam *auferendus eſt totus* fungus ex toto ſi ſcil.radix ejus ſit manifeſta ac *ſi commodè fieri poſſit*, quod ſi non fiat, *exedentibus & abſumentibus* blandis erit tollendus aut nimium ſaltem incrementum impediendum, quæ ipſa tamen exedentia cum *ſæpius ſint periculoſa*,& iſtis fungus malignus ſæpius in cancrum exacerbatur: ob id valida exſiccantia & acidum occultum tempe-

rantia & mitigantia fungo ſunt inſpergenda & applicanda v. gr. ex rad. ariſtoloc. rotund. Ireos florent. fol. ſabin. roſmarini, rut. myrrhæ, thur. lapide calaminar. ciner. cancrorum fluv. ſacch. ſaturni, vitriol. calc. viv. & ſimilibus. Fungus mox in principio ſupprimendus eſt, ergo mox adſpergatur C.C. uſtum pulveriſatum, myrrha, pomphol. & ſimilia. Si *præcipitata* nec hæc ſuffecerint, maturè uſurpetur mercur. *præcip.* ſi hic non ſuffecerit, lethale eſt malum, vid. *Hildan. in centur. 1. obſ. & Scultet, obſ. chirurg. obſer* 17.

Quod ſi v. vel ferro vel arcta ligatura abſcindi poſſit fungus poſt abſciſſionem ſimiles pulveres inſperſi locum adſtringendo claudunt & recidivam prohibent.

Singulares quidam & qſ. anomali tumores ſunt qui ſanguiflua vaſa interdum occupant &

ANEVRISMATIS & VARICIS

nomine vulgò noti ſunt: ILLUD anevriſma nempe eſt dum arteria eſt tumefacta, aut ſaltim tumor eſt ex & circa arteriam natus: HOC v. nempe varix eſt dum vena turgida diſtenta & tumefacta cernitur & contrectatur.

Anevriſma. ANEVRISMA eſt collectio ſanguinis arterioſi, fit, dum *arteria aut exoſa aut laxata* nimis aut *rupta* ex quacunque violentia aut *vulnerata* in inepta ejus loco venæ ſectione, aut in arteriæ per venam pertuſam vulneratione, dum, inquam his modis læſa arteria ſanguinem ſpirituoſum quem vehit, in loco læſionis colligit, & hinc ex iſta collectione in talem tumorem ſucceſſivè attollitur.

Exeſam dixi arteriam interdum, dum nempe ab interna ſucceſſivè oritur cauſa, hinc enim interiore arteriæ tunica exeſa aut eroſa, externa ambiens ſucceſſivè dilatatur & ampliatur, etiam ulterius interdum exeditur ſimulque vicina loca huic affliguntur quale exempl. vid. in praxi Barbet.

Laxata ſæpius reperitur arteria aut rupta *ex nimio conatu* in vociferatione, in partu, in firma ſpiritus retentione, ex his enim cauſis anevriſmata in collo ſunt frequentia. Nam frequentiſſimè collum occupant anevriſmata: Hinc m. interdum in brachiis & cruribus rarius licet obſervata fuerunt.

Frequentiſſimè fiunt ex *ven. ſectione inepta*: Exempla talia ſunt præſentia in regionibus ubi crebrius celebrantur ven. ſectiones: tumor ſucceſſivè aſſurgit, colore partibus vicinis ſimilis, interdum ubi immediatè ſub cute eſt, ut à venæ ſectione, nonnihil rubicundior, pulſatilis eſt & tactui recedens: dum niſi nimis inveteratum ſit anevriſma, digito compreſſus tumor ſucceſſivè ſubſidet & intromeat: digitis remotis denuò redit, augetur ſucceſſivè ad magnitudinem interdum ovi anſerini.

Sanguis in eo utplurimum eſt incorruptus, nonnihil tamen ſpiſſior & paulo obſcurior eſt reliquo ſanguine & quo magis inveteratum eſt anevriſma eò magis talis conſpicitur contentus ſanguis, uti m. in tali inveterato anevriſmate, minus pulſans, minuſque tactui cedens tumor eſſe ſolet.

In partibus externis facilè patent, in partibus verò internis ſubinde imperſcrutibilia ſunt, & rupto anevriſmate ad mortem perducitur æger: *Horſtius in obſer. anatom.* quòd interdum *anevriſmata* oriantur *in partibus internis*, lethalia in iis, qui morbo gallico curari volunt.

Tumor hic anevriſmaticus externus nihil periculi habet, niſi quod interdum ab *imperitis Chirurgis* habeatur pro abſceſſu ſuppurato: unde ſi aperiatur tunc temporis tumor, ſubitò ſub manibus, ægri c. ſanguine animam emittunt: rarius eſt ut in gangrænam ex ſanguine corrupto detento tumore abeat: quod tamen rariſſimum eſt.

Si E. fiat anevriſma v. ſi ſit in principio fortiter adſtringentibus applicatis ex terra ſigill. bolo armen. terra vitrioli dulci, coloph. thure ſangu. dracon. ſperniol. crollii c. laudan. opiat. ſub forma empl. c. forti ligatura applicatis tumoris progreſſus tolli & ipſe tumor hinc facile curari poteſt.

Curioſum eſt, quod obſervat *Horſtius & ex eo Hæferus*, quando arteriæ applicaverit *laudanum opiatum*, mox hæmorrhagia ſteterit, videantur.

Quibuſdam expertum eſt hoc empl.

℞. Pulvis Sumach.
Hypocyſt.
acac.
ſangu. dracon.
aloës,
Thur. ana ℥j.

ex his c. albumine ovi ſubactis.

F. empl. addito loco ceræ emplaſtro contra rupturas: applicandum eſt hoc empl. ſtatim in principio, ut tangere ferè poſſit arteriam, & ſic conſolidetur locus læſus ubi verò grumus ſanguinis in loco eſt collectus, fruſtra applicatur, alias notum eſt emplaſtrum Galeni ex thure, aloës, pilis leporinis & albumine ovi.

Etiam *lamina plumbea* vel ſola applicata, vel c. ſucco plantag. prius illita c. forti ligatura m. anevriſma tollit, aut ex toto iſtud curat, ſi mox in principio applicetur v. gr. poſt ineptam venæ ſectionem.

Vel m. iſtud palliativè ad multos annos ſuſtinet, ſi continuò alligata loco arteriæ læſæ circumgeſtetur.

Quod ſi jam factum ſit anevriſma & ſanguis contentus in tumore jam ſpiſſior nonnihil factus fuerit ad imitationem HILDANI *in cent.* 3. *obſ.* 44. *corrigendus eſt* prius ſanguis impoſito emplaſtro de cicuta hinc correcto ſanguine & eodem intropulſo empl. fortiter adſtringens ex ſupradictis eſt imponendum.

Quod ſi v. jam factum ſit anevriſma, idque his remediis cedere nolit, *neceſſe eſt ut aperiatur tumor* evacuetur ſanguis contentus & ſuper locum læſionis arteriæ injicienda eſt fortis ligatura & infra ligaturam per tranſverſum diſſecanda arteria: Hinc vulnus factum digeſtivis ac conſolidantibus conſolidetur.

Galli moderni anevriſmata poſt ineptas venæ ſectiones enata vitriolicis blandè erodentibus optimè curant: quale exemplum ipſemet vidi *Pariſiis*: ſcil. tumorem ſ. anevriſma factum (erat ad dimidium ovum) v. gr. in flexura cubiti, aperiunt, & in ſuperiore brachii parte adſtantes digitis ita comprimunt arteriam ut poſt aperturam nihil emittere poſſit: coagulato ſanguine ex tumore imponunt foramini arteriæ per venæ ſectionem ineptam relicto, globulos parvos magnitudine ipſi paratos ex vitriolo Cyprio ad albedinem calcinato probè bombace involutos, talem globulum imponunt foramini arteriæ hinc inſpergunt vulneri ſ. tumori aperto pulverem ex thure & colophonia, replent cavitatem plumaceolis, digeſtivo ordinario illitis & ita convenienter faſciant & ligant vulnus quotidie removent plumaceolos ſuperficiales, ut in labiis tumoris aperti enatum pus evacuari poſſit, ipſum v. globulum, & immediatè ſuper injectos plumaceolos non removent niſi ſponte cadant, ſic enim fit, ut reſolutum ſucceſſivè vitriolum & liquefactum rodat nonnihil labia arteriæ apertæ quæ corroſa ſimul blandè adſtringuntur ab iſto vitriolo, & ita ut ſucceſſivè labia arteriæ quaſi renovato vulnere ſauciata per nutrimentum proximum denuo conglutinentur.

Si ceciderit globulus & nondum ſufficienter conglutinata ſit arteria novus imponitur, donec habeatur ſcopus, hinc caro muſculorum vicinorum facile ſupercreſcit, & tandem tumor ulcuſque ex toto conſolidatur.

Hæc de anevriſmate.

Quod ſi v. venæ laxetur tunica, & fibris ejus mollioribus valdè diſtentis ſanguis in eadem hæreat, & hærens ita tumorem inferat, ex vena diſtenta & ſanguine collecto vocatur.

VARIX.

VARIX

Varix. Cujus *CAUSA INTERNA* ſæpius eſt ſanguis craſſior qualis melancholicus eſt, qui ab acido nimio, craſſiorem nonnihil habet conſiſtentiam. Talis E. ſanguis in motu ſuo in quodam venæ ramo inſigniori impeditus nonnihil vas continens ex ſuccedente ſemper ſanguine impulſus ita diſtendit ut atoniam ejus nimiamque laxationem tunicæ venoſæ inferat, ut in iſto loco laxato uberius collectus & tanquam alveo ampliori contentus talem tumorem inferat.

Præter hanc tamen cauſam internam m. ipſe *ſanguis, naturaliter Conſtitutus*, in trunco tamen venoſo ex hujus compreſſione vel ſimili cauſa impeditus in iſtius trunci ramis patentioribus extrorſum adeoque minus à partibus vicinis anguſtatus hærens nonnihil, eos (propter vaſa iliaca venoſa ab utero tumido compreſſa) diſtendere & ita varicem inferre poteſt: quâ ratione *ultimis geſtationis menſibus* (propter vaſa iliaca venoſa ab utero tumido compreſſa) varices crurum *gravidis familiares eſſe ſolent*.

Sequuntur hi tumores venarum ductum & tanquam venæ ampliores & inſigniter turgidæ colore ex cæruleo liveſcente aut nigreſcente conſpiciuntur, idque imprimis in cruribus circa genua.

Tumor hic preſſus retrocedit non nihil, d. tamen qui mox denuò redire ſolet.

Malum hoc cum minus ſit moleſtum, quin potius non parum proficuum ad conſervandam corporis ſanitatem in ſpecie in melancholia hypochondriaca *minus curationi ſubjicitur, niſi aut* nimis diſtenta vaſa td. rumpantur *aut* ſanguine aceſcente corrupto & hinc inflammationis modo ſuppurando efferveſcente ulcus pravum inducat, aut etiam partis gangrænam minetur: aut denique inſignis earum valdeque moleſtus dolor adſit.

Hæc & *ſimilia ubi immineant* qualis cura tentanda eſt: nempe varix acu aurea vel argentea pungatur ſanguiſque centratus exprimatur, quo facto applicanda remedia adſtringentia & lamella plumbea deſuper alliganda: aut etiam citra talem puncturam.

℞. Alumin. rochæ.
ſal. Commun. &
granata acida.

Hæc coquantur in aceto acerrimo poſtmodum ſpongia hoc aceto ebria pro fomento applicetur manè & veſperi loco varicoſo, & hinc arctiſſimè deſuper alligetur, & hoc continuandum eſt per menſem integrum, poſtmodum ubi exſiccatæ apparent varices removenda eſt ſpongia, & ſolum ſtrictè per 5. l. 6. menſes locus varicoſus eſt ligandus donec omnino diſpareat. Vel

Fiat unguentum ex butyro majali c. duplo ſucci cancror. fluv. expreſſo, quæ invicem miſta leni ebullitione coquantur ad conſiſtentiam unguenti: Laudatur ab HARTMANNO *in praxi Chymiatr.* ad curandas varices pro illitu. Vel ℞. farinæ lupinor. ℔j. ſterc. caprar. exſiccat. ℔iij. aceti non valde fortis, in quo mars ignitus quinquies fuit extinctus, q. ſ. M. & vel in forma empl. ſpiſſi applicetur, vel fortiter ligetur aliquandiu continuando.

Denique pro varicibus dolentibus & tumentibus.

℞. Unguenti popul. ℥ij.
Mucilag. Sem. Pſyll.
lini,
fœnugræc.
aa. ℥iß.
ol. Chamomill.
Farin. fabarum aa. ℥ij.
Ceræ, q. ſ.

F. Cerat. ſ. emplaſtrum imponendum varicibus.

His *internè* ſubveniendum eſt appropriatis ſanguinis dyſcraſiam corrigentibus, in communi uſu decocta lignorum Guajaci rad. Chin. & ſarſaparill. c. herb. appropriat. uſurpari ſolent, idque non infeliciter uti apparet ex FORESTO *lib. 29. obſ. 25.*

Hi ſunt tumores tanquam prima pars affectuum qui ſubſunt Curæ Chirurgi.

Pergo à tumoribus ad

VULNERA.

Vulnus quod eſt *diviſio unionis* naturalis *in parte molli* facta ab impetu & vi externa, ſecante, pungente, mordente aut fortiter contundente. Vulnera.

Infeſtant promiſcue nunc partes *nervoſas*, nunc partes *ſanguineas* quarum tamen diverſitas vel maximè eſt obſervanda in Cura.

DIFFERENTIAS accidentales habet varias atque diverſas, dum *nunc* eſt ſimplex *tunc complicatum*, adjunctione aliorum affectuum, imprimis aut c. *inflamm. tione*, aut *contuſione* aut *venenata virulentia*, aut aliis ſimilibus.

PROGNOSIS vulneris: primariò inquiritur iſta an vulnus ſit LETHALE an vero NON LETHALE quod non confundendum c. eo an ſit SANABILE an INSANABILE?

Multa n. vulnera ſunt inſanabilia & perfectè ſanari nequeunt ad longum tempus quæ tamen non ſunt lethalia qua ratione v. gr. lue Gallica affectis ſi infligantur Vulnera, hæc difficulter ſunt ſanabilia ſæpius inſanabilia degenerant in Ulcera contumacia maligna quæ tamen uti dixi, vulnera non ſunt lethalia.

LETHALE enim *VULNUS* iſtud eſt quod neceſſario mortem infert: id quod fit vel quatenus *ſanguinis nimius* & incoercibilis oritur *effluxus* v. quando *viſcus* tale quod ad vitam ſimpliciter *neceſſarium* eſt enormiter *læditur*. Obſervatur etiam, non ſimpliciter *quàm graviter* pars læſa ſit, ſed quem cum alia parte habeat *conſenſum*, v. g. ſi *ex vulnere* apparenter levi, nervo tamen læſo, ſuperveniat *convulſio lethalis*, tale vulnus lethale eſt; In genere ergo in vulnere lethali neceſſe eſt, ut l. *ſpirituum animalium* motus l. diſtributio deleatur; Si enim hoc fit, animal interit.

Hi ferè ſunt caſus in quibus vulnera ſolent eſſe lethalia.

Sic v. gr. illa punctura gladii qua læditur ramus iliacus cruralis eſt vulnus lethale: quare? quia Hæmorrhagia iſta eſt incoercibilis: Hac ratione m. vulnera hepatis profundiora ſunt lethalia, quatenus vaſa majora (imprimis in centro ejus) læſa incoercibilem hæmorrhagiam inferunt.

VULNERA CORDIS non ſemper ſunt lethalia, niſi ſint majora ac penetrent uſque in ejus ſinus in ſpecie uſque in ventriculum ſiniſtrum: ſuperficiales cordis læſiones, quæ ſaltim tangunt ejus parenchyma muſculoſum non ſunt lethales, utut forſan propter læſa majora pulmonum vaſa in tranſitu inſtrumenti ſequatur mors.

Vidi ego ROMÆ apud egregium Chirurgum, cor canis in cujus Parenchymate tres globuli ferrei erant & ita quidem ut iſti globuli omnino coaluerint in parenchymate cordis: Nam canis erat mortuus ſub cultro anatomico:

Sic etiam in SCHENCK. PAREO, SCHNEIDERO, &c. habentur obſ. talium vulnerum cordis ſuperficialium non lethalium.

VENTRICULI vulnera quæ lædunt orificia primario ſiniſtrum hinc dextrum, ordinario ſunt lethalia minus quæ reliquas lædunt partes imprimis ſuperiores non vero circa fundum.

VULNERA DIAPHRAGMATIS ſemper fere ſunt lethalia, nam ſuffocati intereunt ægri.

Mirabile eſt in diaphragmatis vulneribus, quod ſcil. per vulnus factum ſtomachus ex abdomine penetrat in cavum thoracis, quale exemplum vidi *VVittemberg*æ

tenberg: c. d. SCHNEIDERO in ruſtico, cui ab alio c. cultro diaphragma erat perforatum, ita ut ventriculus in thoracem retractus continuos vomitus, ſingultus & tertia die mortem inferret.

CEREBRI vulnera ſunt varia ſi cortex ſolum lædatur & rectè tractentur, imprimis ſi non adſit gravis contuſio, minus ſolent habere periculi ſin v. medulla profundius vulneretur lethalia eſſe ſolent:

Tamen uti fiunt interdum miracula in medicina obſervationem quandam habet SCHENCK. de vulnere cerebri ad ventriculum uſque ſanato: an obſervatio rectè ſit facta neſcio ſit fides penes auctorem.

Specialia de vulnerum prognoſi vid. in SEBIZ. *de Vulnerum* lethalitate: Hinc m. VVELSCHIODE rationali vulnerum judicio & Medicina Critic. Amman. In ſpecie etiam videri poteſt SENNERTUS ubi de vulneribus qui ſatis prolixus eſt, quam prognoſin vulnerum.

Nunquam poteſt generaliter *prognoſis* inſtitui, propter varietatem ſubjectorum & circumſtantiarum.

CVRA vulneris conſiſtit in unione partium ſeparatarum earumque conglutinatione, quod opus eſt ſolius naturæ quæ beneficio ſucci nutritii cuicunque parti diſtributi appoſiti & agglutinati tq: balſamo quodam ſalino oleoſo temperato ſenſim ſenſimque eaſdem reunit & reducit: cui cum vix reperiatur ad æquatè ſimile quoddam in rerum natura, ſequitur ſolius hoc eſſe naturæ opus ac laborem.

Chirurgi a. hic *opus eſt adjuvare* eum in hoc bono opere ſequendo ejuſdem ductum, *removendo* imprimis impedimenta externa, *adducendo* diviſa labia *applicandoque* medicamenta ſuccum partis nutritium tanquam balſamum ejus naturale quæ conſervant, ejuſdem corruptionem impediant, factam jam denuo emendant adeoque parti familiaria ac amica ſint, quæ medicamenta *aliàs vulneraria agglutinantia* it. *balſamica* vocantur.

Pro his à Chirurgo ſcopis attingendis notandum eſt, quod *balſamus* hic *naturalis* ſ. alimentum partis proximum ſit in naturaliter conſtitutis *ſalinus vol. oleoſus* ſ. eſt humor roſcidus tenuis imprægnatus *ſal. vol. oleoſo temperato*, inveſtito ſubſtantia humida nonnihil glutinoſa & pinguiuſcula: variat tamen inſigniter pro conſtitutione ætatum, ſexuum, vitæ generis & in ſpecie pro varietate ipſarum partium varia, prout hæ ipſæ nunc ſanguineæ ſunt, nunc nervoſæ, prout m. variant ſubjecta in latitudine ſanitatis, etiam hic balſamus variat: & quo vitiatæ magis ſunt corporis digeſtiones, indeque plus minus alterata maſſ. ſang. eo etiam vitioſior & magis degener eſt hic balſamus: unde etiam nunc facilius nunc difficilius conſolidabit partem læſam: Nam & hinc *mulieribus* inflicta vulnera ſemper deteriorantur & in pejus ruunt ſub tempore Menſtruali, & qui vel *ſcorbuto* vel *lue venerea* ſunt inquinati, iis leves in ſpecie in nervoſis locis acceptæ læſiones & vulnerationes in gravia ſubinde ac pericuLoſa abeunt Ulcera.

AB INTERNIS n. *CAVSIS diſpoſitio balſami naturalis corruptibilis* ut de ſe ipſo vulnus non aut difficulter glutinet, ita facillimè quaſvis externas impreſſiones recipit, quæ leves licet, in malè tamen conſtitutis gravem inferunt noxam cum in benè conſtitutis graviores licet impreſſiones facilè corrigantur & eluantur.

Ab internis cauſis & morbis oriundas *balſami naturalis corruptiones Medicus curet tollendo* earum radices, *rectificando* digeſtiones & fermentationes: unde conſequenter balſamus facilè naturalem reinduit ſtatum: quod eo facilius fiet ſi *præmiſſis* aut purgantibus temperatioribus: aut *ſudoriferis* ſalinis blandis c. *confortantibus* eum *ſ. ſal. vol. oleoſo temperato* & ſpiritu vel mediocri imprægnatis remediis ipſi ſuccurratur: nempe *vulnerariis internis dictis & balſamicis*, ut ex Myrrha viperis antimonialibus & ſimilibus paratis remediis.

EXTERNA a. *injuria* præprimis ab aëris impreſſione illatos defectus, omnibus ferè vulneribus communes, & qui in ſaniſſimis m. contingunt ſubjectis *Chirurgus* applicatis debitis externis emendare debet. Nam *vulnera ſponte coeunt* niſi impediantur.

Hujuſmodi *defectus à Chirurgo emendandi* alii non ſunt, quam balſam. naturalis partis vulneratæ & ſanguinis una in labris hærentis, *corruptio & putredo*, quam primario infert alteratio & impreſſio aëris ambientis: hujus putredinis indiviſibilis comes eſt *acor vitioſus* & peregrinus, qui uti alias exceſſivus omnibus partibus inſigniter eſt hoſtilis ita in ſpecie partibus vulneratis eſt auctor omnium ſymptomatum ſupervenientium. Nam tanquam vitioſum fermentum, labia vulneris inquinet, nutrimentum balſamicum & ſanguinem affluentem corrumpit & fermentando in pus mutat niſi violentior magiſque corrupta aciditas loco puris *ichorem* aut *ſaniem* manare cogat. Unde ſi VULNUS RECENS apto Balſamo à corruptione & acore putredinali defendatur citra puris generationem facilè iſtud conglutinabitur: Et hoc eſt quod qſ. per tranſennam obſervarunt MAJATUS & SEPTALIUS *in nova ratione curandi vulnera*: unde & ordinariam Vulneribus Medendi Methodum nonnihil immutarunt. Nam eleganter MAJATUS *improbat* Galeno, quod ſolummodo fuerit occupatus circa ſordes, vulnerum & Ulcerum circa pus, ſaniem & Ichores abſtergendas, non v. conſideraverit cauſam à qua iſtæ ſordes producantur: Hac in parte accurate reſpondet c. HELMONT. qui & ipſe *Scholis & Medicorum & Chirurgorum*, in ſpecie hoc in loco chirurgorum *exprobrat*, eas magis eſſe ſollicitas circa producta morboſa quam circa eorundem cauſas radicales; unde *fermenta* iſta *vitioſa* à quibus producuntur per tranſmutationem iſtæ ſordes penſitanda eſſe ſedulò & ſtudioſè, inculcat. Id quod m. SEPTALIUS & MAJATUS ſtudioſè Monuerunt, nempe in vulnerata parte, temperamentum partis eſſe conſervandum, quoniam hoc ab aëre ambiente læſo, generantur iſta excrementa: Unde *vulnera raro religanda* ſuadent, iiſque ſola medicamenta balſamica applicanda, quæ ex horum hypotheſi temperamentum partis vulneratæ eique calorem nativum conſervent.

Ex *principiis v.* HELMONTIANIS applicanda ſunt balſamica quæ corruptionem balſami naturalis in acorem vitioſum inhibeant, ulterioremque progreſſum coërceant: His enim obſervatis ſtudioſè vel ſponte coire vulnera, quod veriſſimum eſt.

Acor E. vitioſus, eſt qui in vulnere enatus conſolidationem ejus à natura inſtituendam impedit, qui ſæpiſſimè *inducitur* ab alteratione *per contactum aëris* ambientis: Nam & in culinis ſi carnes putreſcere incipiant earum *juſcula aceſcunt* & ex hac ratione vulnera degenerant facilè in ulcera, ex acore iſto magis intenſo, magiſque roſivo & corruptivo: Hinc etiam eſt quod *omnia acida* adeò, etiam vini uſus *interdicantur vulneratis*, ne ſcil. hujus aciditas accendatur ac pervertat vulnera: quæ tamen vini aciditas ubi mitigata fuerit ab alcali oculorum cancrorum, ut in ſaporem lixivialem abeat, utile potius & conveniens vulneratis eſt remedium: ſicuti etiam hac ratione lapſos ab alto reſtituit.

Et hoc ipſum in remedia aliis vulnerariis, tàm internis ſub potionum formâ uſurpatis, quam externis ſub balſamorum ratione applicatis eſt obvium: quorum *balſamica vis*, ratione cujus conducunt ad curanda vulnera *fundatur primario* in ſale vol. temperato plus minus oleoſo prout ipſa variant vulneraria: ſicuti poſtmodum nata ulcera ex vulneribus *ſaturnus & ſaturnina* remedia curant, *non quatenus* refrigerant *non quatenus* exſiccant, *non quatenus* detergent, *ã. quatenus* acidum nimium abſorbent, ſicuti alias *acida quæcunque ſaturni* tranſmutantur in dulcedinem aluminoſam adſtringentẽ id quod patet omnibus in aceto deſt.

hoc

hoc ſane unico ſ. ſaturno calcinato affuſum dulceſcit manifeſte inſtar ſacchari: Unde & exinde paratum unguentum ſapore dulci ſaccharum ſaturni appellari conſuevit.

Acorem hunc vulneratis partibus & vulneribus adeò nocivum ex corruptione & putredine oriri dixi, nutrimenti puta & balſami naturalis in parte hærentis quæ inducitur primario ab aëre ambiente aliavè quadam concurrente cauſâ externa: v. gr. *halitus Chirurgi* ſi attingat labia vulneris eſt nocivus: unde etiam accuratiores Chirurgi halitum ſemper aliorſum efflant, & quæ ſunt hujuſmodi externa alia.

Nam ab his alteratus ſuccus alimentitius in putredinem ruit. Unde *acor* ſemper *intenſior in partibus nervoſis* quam ſanguineis: alteratus etiam *ſanguis* circa labia vulneris effuſus congrumatus hæret, & ſimiliter *aceſcit*, *corrumpuntur in ſuccis plus minus* prout aut externa impreſſio, aut alteratio plus vel minus intenſa fuerit, aut ſi ipſi facilius vel difficilius corruptibiles exiſtunt.

Hic acor peregrinus omnium ferè accidentium & ſymptomatum vulneri ſupervenientium primarius eſt auctor: Nam proximum alimentum & ſanguinem ſalſum vol. fermentando calorem, æſtum & dolorem infert, hinc vicinos ſuccos coagulando tumorem & inflammationem excitat: fermentando hinc ſeipſum multiplicat & ulcus generat, cum ſalſo alimentario concurrendo ſub efferveſcentiâ iſtud in pus transmutat.

Hæc vitioſa *aciditas* putredinalis, *nunc ſimplex* eſt corruptiva tantum per fermentationem: *nunc v. combinata eſt c. aliis* extraneis qualitatibus, *aut* à cauſa lædente *aut* ab aëre ambiente, *aut* à ſanguine & humoribus affluentibus oriundis.

Ratione *cauſæ lædentis* quidem combinatus erit hic acor c. aliis qualitatibus, ſi inſtrumentum veneno tinctum ſit, & ſic *plagæ* inſerantur *venenatæ*, ad quod & *animalium* omnium *morſus* pertinent: Nam omnis feræ morſus uti rectè loquitur celſus habet quoddam virus, adeò ut etiam *hominis irati morſus* ſub iræ fervore impreſſus vel inflexus non minus periculoſus ſit quàm aliàs cujuſdam beſtiæ virulentæ morſicatio: Cum hominis irati morſum, ſi non graviora ſymptomata ſæpiſſimè gangræna partis morſæ, putredo ac corruptio ſequatur.

Pertinet huc etiam quod *inſtrumentum lædens* aut vulnerans, nunc ſolùm *ſecando* vel *pungendo*, interdum etiam imprimis *contundendo* partem læſerit, ut in peſſimis ſclopetorum vulneribus uſu venit.

Hæc ratione cauſæ lædentis.

Ratione *aëris ambientis* etiam variat acidum vulnerum peregrinum, prout aër pro climatum ratione variat: Hinc enim in uno loco facilius vulnera curari ſolent: ſic in uno loco capitis, ut *Bononiæ*, in alio loco crurum vulnera ut *Romæ* citius curantur: It. ſi aër *frigidus nebuloſus*, aut abditâ ratione loci Endemicâ inquinatus aut adſtantium halitibus & occultis aporrhæis infectus fuerit, hinc enim eſt quod *Chirurgi* non promiſcuè omnes admittunt ut inſpiciant ligationes vulnerum, in ſpecie *in nervoſis* partibus, ut *mulieres* propter menſtrua, it. *potui deditos* & inebriatos.

Pertinent huc etiam *Lunares radii* vulnera illuſtrantes d. ſimul deteriorantes, quod quâ ratione fiat illuſtrare poteſt obſ. iſtius *Medici Galli* qui vocatur GUIDO *de la* BROSSE *de natura Planetarum*; Hic obſervavit quod radii lunares, luna exiſtente plenâ, ſi concentrentur *materiam lacteam* ſ. albicantem intenſiſſimè frigidam ſicuti aliàs *radii ſolares* collecti dant flammulam ſ. ignem, &c. obſervationes ſunt ſatis curioſæ.

Ratione *ſucci nutritii & ſanguinis affluentis* combinatus eſt acor fermentativus vulnerum ſi magis vel minus balſamus nutritius à ſtatu naturali declinaverit: v. gr. ſi ſanguis affluens veneno venereo aut cruditate cachectica inquinatus fuerit: it. ſi hæmorrhoidibus ſuppreſſis, & menſibus ſtagnantibus fuerit repletus: nam talium vulnera difficillimè ſanantur, quia ſæpius in ulcera cacoethea degenerant. Nam hæc omnia modo dicta acidum vulneris corruptivum pejus plus minus reddendo variorum ſymptomatum vulneri ſupervenientium ſunt cauſæ.

Hanc balſami naturalis corruptionem acidam impedire, aut jam factam leviorem corrigere & balſamum naturale per ſibi amica & familiaria conſervare debet *Chirurgus*, idque per medicamenta dicta balſamica, mox in principio adhibenda, quæ debent eſſe *ſalina volatilia temperata oleoſa*, ad inſtar balſami iſtius naturalis: Nam talia & acidum corrigunt & naturale balſamicum conſervant, ulteriorem corruptionem ejus præcavendo, unde brevi ſanitas ſperata & deſiderata ſuccedit. *Talia* v. gr. ſunt balſamus Peruvianus ol. Momordic. v. c. Hypici ſuccus ſ. liquor folliculorum Ulmi NB. *Theriaca* in vini ſpiritu diſſoluta NB. ol. Terebinth. c. balſamo Peruviano temperatum, Balſamus ſulphur. aliaque balſama & unguenta infinita; quorum apex eſt balſamus *Samech* Paracelſi paratur ex *ſale tartari* volatiliſato à ſp. vini ut ambo Coeant in dulcedinem aluminoſam blandè adſtrictoriam, quando balſamus ſamech omnium vulnerum corruptorem enecando, brevi conſolidationem & ſanitatem optatam adjuvat.

Dixi quod debeant eſſe applicanda ſalſa vol. temperata, dicta aliàs balſamica, *non v. ſalſa exceſſiva* ſ. acria: Nam *acria* tam acida quam ſalſa ſunt noxia: acida quidem malum augerent, & omne balſamum naturale deſtruerent, ut nil dicam de horrendo dolore quam inferrent.

Hinc & *olea communia* ſola expreſſione facta citra aliqualem præparationem tuto adhiberi non poſſunt ſ. *applicari nequeant vulneribus* non tantum *ob unctuoſitatem* viſcidam, ratione cujus partibus nerveis ſunt inimica, d. præterea etiam *quia in ſe habent acidum occultũ* ſatis potens quod luna & mars corrodit: quod corruptionem balſam. naturalis inſigniter promoveret.

Nec applicanda ſunt *nimis acria urinoſa ſale vol. acriori* Conſtantia, aliàs *deterſiva*, *abſtergentia* ſeu *mundificantia* dicta: quia hæc experientia teſtè vulnus diu nimis apertum detinent ejuſque coagulationem impediunt: Ratio quia colliquefaciunt, fundunt & conſumunt nutrimentum balſamicum partis, carnem ejus & ſanguinem: E. acrimonia ſua & facultate deterſiva fluxiones, dolores, aliaque ſymptomata inferunt.

Talia E. acriora ſolis *ulceribus* conveniunt, ubi potentius acidum corruptivum potentiora poſtulat corrigentia, & ubi productæ in labiis ulceris ſordes potentiora urgent deterſiva.

Applicanda eſſe *temperata balſamica*, notandum & obſervandum eſt tùm in vulneribus partium ſanguinearum quam nervoſarum ſ. articulorum vulneribus. Licet enim nerveæ balſama requirant paulo fortiora, quibus nempe lenia retroſiva ſimul ſint admiſta, dum in his ſemper reperitur acor major & ſubtilior quam in ſanguineis, & præterea copioſior ſordium in partibus nerveis fiat generatio, tamen acriora vix ferunt quin potius exinde irritatæ nulla inferunt ſymptomata. *Temperata* ergo *acriuſcula* & *amaricantia* conducunt.

His ipſis externis admotis ſimul adminiſtranda ſunt *interna* & ita *vulneraria qua alcali occulto* mercurii revivificatio tamen temperato conſtant, & aciditatem quamcunque aut in ſtomacho & primis vitiis aut etiam conſequenter in vulnerata parte enatam aut auctam mitigant & corrigunt. Obſervavit enim *Felix VVurtzius*, quòd ſi Chirurgi ſimul exhibeant vulneraria internè, non opus ſit tanta copia balſamorum exter-

norum.

norum. Talia interna ſunt plantæ vulnerariæ potionum forma uſurpatæ, quales fiunt achymill.heder.terreſtr. veronic. hyperic. Cherefol. & ſimilibus quibus & album Græcum meritò annumerandum eſt, non minus quam *ex lumbricis* parata remedia partibus nervoſis læſis appropriata, interno, & externo uſu, uti & *oculi cancrorum* in vino bulliti & ita aſſumpti: ſicuti totus cancer fluv.interno pariter & externo uſu inſigniter eſt vulnerarius.

Dixi quod hæc remedia m. vulneraria contineant in ſe occultum alcali ratione cujus revivificent mercurium,eumque tam præcipitatum quam ſublimatum, transfiguratur enim mercurius in varias larvas beneficio nempe ſalium & ſpirituum acidorum: Revivificatur autem denuò ex iſtis variis quas aſſumpſit formis beneficio ſucci plantarum vulnerariarum, ſi in his bullierit: quare? quia acidum quod antea induerat mercurium in formam præcipitati aut ſublimati deſtruitur in vulnerariis unde deſtructo acido mercurius denuò ſub nativa forma emergit.

Unde v. *deſtruitur acidum.* Nihil aliud eſt quod magis vel potentius & à priori qſ. acidum deſtruit quam *alcali*: Neceſſario E. hoc erit in vulnerariis: Iam v. temperatum eſt, & minus acriter linguam ferit, unde Occultum vocatur ab HELMONTIO vel blandum & minus apertum:

A ſimili alcali lapis cancrorum, & totus cancer fluv. vim obtinet vulnerariam: Nam hinc eſt quod aceto injecti *efferveſcant* ex concurſu acidi c. alcali: Hinc eſt quod *Vino infuſi* oculi cancrorum omnem aciditatem ejus interimant præcedente blanda quadam & obſcura efferveſcentia alcali cancrorum in acidum vini operante.

Per talia E. interna & balſamica dicta externa vulneraria *curanda* ſunt mox in principio vulnera recentia. Non E. imitanda eſt *vulgaris Chirurgorum conſuetudo*, qui neglectis vulnerariis balſamicis, vulneribus recentibus imponunt digeſtiva & ſuppurantia: hinc dum genitum fuerit pus mundificantia & denique ſarcotica & conglutinantia: Nam *hæc curam in longum protrahunt* partim *inflammant*, & ſuccum nutritium parum *alterant* ut exinde interdum facta plaga, degeneret in *ulcus ſordidum.*

Sed potius *ubi repreſſa eſt hæmorrhagia* & nil extraneum ex vulnere eximendum eſt, aut multa conjuncta ſit contuſio *optime vulneribus talibus recentibus* applicantur *balſami vulnerarii* qui c. pauco interdum nullo (uti aliquoties viridi etiam in periculoſiſſimis vulneribus) puris proventu citò vulnus conglutinant etiam ſi aliquid de partis ſubſtantia ſecando ablatum fuerat: Unde hoc poſtremo caſu *c. vulnerariis blandè adſtringentia* & humiditates ſuperfluas imbibentia, vulgo *ſarcotica* ſimul admiſceantur, *niſi* contrarium ſuadeat, & digeſtiva præmittenda poſtulet *ſi vulnus* ſtudio ad aliquod tempus apertum ſervandum ſit: in vulneribus v. gr. *Capitis*; interdum neceſſe eſt fieri: *aut ubi* conjuncta eſt c. vulnere *contuſio*, uti in ſpecie in diabolicis *ſclopetorum vulneribus* evenit: *aut* ubi vulnus jam degenerare incipit in *ulcus* ita ut balſamica ſola huic corrigendo non ſufficiant, *aut* etiam ſi quid heterogenei continetur in vulnere, quod eximendum & ſeparandum eſt, & quæ ſunt ſimiles quidam caſus.

In his neceſſe eſt ex methodo communi prius applicare *digeſtiva* ſ. ſuppurativa quæ pus in vulnere producant, & ſucceſſivâ ſuppuratione. *aut* id quod contuſcendet extravaſatum fuerit removeant, *aut* id quod contentum eſt peregrinum tandem excludant *aut* lentâ ſanatione aliis circa vulnus agendis occaſionem ſubminiſtrent. *Digeſtiva* ſ. ſuppurantia talia ordinario conſtant ex terebinth. & virell. ovi tq. baſi, quibus pro renata nunc mellis parum cum Myrrha, aut balſ. Peruv. aut Gumm. elemi aut ſimile quid addendum: aliàs partes nerveæ facile putreſcerent talia oleoſa temperata vulnerariis balſamicis cognata, acidum vitioſum in vulnere inveterato etiam mitigant, ne à mundificativis veris tq. paulo acrioribus in principio irritatum efferveſcendo ulcus pejus reddat, quia à digeſtivis alteratum facilius mundificantibus cedat: deinde & talia ulteriorem acoris in vulnere progreſſum inhibent & interna quod vitioſum eſt ſponte materia efferveſcendo ſuppuratum ſeparari & excludi poſſit: Ubi per digeſtiva pus genitum laudabile profluat tq. ulcus quoddam benignum per mundificantia hinc incarnantia & cicatriſantia tentandum erit, de quo plura ubi de ulceribus.

Ex his patet, omnia *balſamica* vulneribus recentibus dicata, ut *mundificantia & digeſtiva* cognatæ eſſe naturæ inter ſe, quatenus alcali conſtant, & acidum deſtruunt vulnerum & ulcerum, ſi nempe temperata ſunt balſamica: Si non ſunt temperata, ſed acriora digerentia ſunt, & *mundificativa* ulcerum: ſi verò nimis ſunt oleoſa temperata,ſunt *digeſtiva* ſeu *pus promoventia.* Unde unum idemque horum medicamentorum pro ratione ſubjecti, nunc mundificativi, nunc digeſtivi, nunc conſolidativi nomen habet, v. gr. *Terebinthina* Hiſce tamen alia ſalia ſubinde addenda erunt, quæ abſorbendo acida vitioſa privata vulnerum & ulcerum conducunt, ut *terra vitriol. dulcis*, remed. *ſaturnina*, item quæ ex *venere* adhibentur ad curam vulnerum.

Naturæ Conatui E. in conſolidando vulnere ſuccurrit *Chirurgus primario* quidem per modo dicta remedia applicanda balſamica,*ſecundario* etiam mechanice non *removendo* tantùm ex vulnere omnia *heterogenea*, quacunque etiam ratione illa extrahere aut eximere poſſit, d. *etiam conjungenda vulneris labia*, ut interveniente naturali balſamo tq. glutine promptius cohæreant :id quod facit, nunc *faſciis* commodè ad ſe invicem adducendo, nunc *ſuturis* eadem fortius uniendo.

Heterogenea extrahenda monui: Cum certum ſit, omne peregrinum & non vitale, naturæ eſſe inimicum, idque eò plus, quo facilius & ipſum heterogeneum eſt alterabile aut corruptibile: Hinc namque *globuli ſclopetarum* præ aliis externis commodius relinqui poſſunt in corpore ſive oſſi hæreant infixi, ſive ſaltim in partibus muſculoſis lateant. Hi inquam globuli facilius poſſunt retineri in corpore ex eo quoniam nullam alterationem inferunt parti niſi quod *pondere* iſtam gravent: aliàs v. ipſi globuli, nec alteratur nec ullo modo corrumpuntur, utut tandem ipſi globuli, proprio pondere ſucceſſivè deorſum & extrorſum ferantur atque ita à provida natura excludantur. Res quoque extraneæ ſunt *grumi ſanguinis*, &c. qui tamen non penitus removendi ſunt, ſed cruſta ſanguinis grumoſi circa labia vulneris relinquenda eſt, hæc enim defendit labia vulneris ab impreſſione aëris externi, defendit item balſamum nativum, quo minus alteretur, item promovet ſuppurationem.

Alia heterogenea v. gr. fruſtula vitri, feſtucæ,oſſium fruſtula, ſurculi lignorum & ſimilia *nunc arte* extrahuntur variis inſtrumentis, roſtro corvino, cruino, ciconiæ & ſimil *nunc v.* obſcure & profunde ſituata beneficio ſuppurationis ſucceſſivè foras ejiciuntur c. pure.

Imprimis à: ad extrahenda heterogenea conducit *pinguedo leporis* quæ quorundam Chirurgorum eſt arcaniſſimum ſi vel ſola illinatur l. c. unguento ex betonica applicetur vel etiam ex pinguedine leporina c. Gumm. arabico ſ. Emplaſtr. vulneri imponendum pro extractione peregrinorum.

Alii pro extrahendis vitioſis infixis commendant admodum *picem ſutoriam* quæ fortiſſimè res alienas ex vulneribus eliciat: Uti & hoc à quibuſdam laudatur.

♃. Fer

℞. Fermenti.
Mell. optim. aut propolis ana. ℔ß.
Viſci quercin. quartar. 1.

Quæ invicem combinantur in formam emplaſtri applicandi ubi res externæ ſunt eliciendæ. Quin & *raphanum* fortiter: c. axungia ſubactum & vulneri impoſitum peregrina fortiter elicere affirmant. Dictamnus Creticus c. pinguedine leporina applic. Vel ℞. *Ocul. cancror. viv. pingued. leporin.* ana ℥ß. *ſuccin. alb.* ʒiij. M. applica ad extrahendas res alienas. Juxta hæc convenit *lingua vulpis*: Evellitur nempe menſe *martio*, ex vulpe violenter mortua, exſiccatur & uſurpatur ſuo tempore, in vino ſcil. macerata vulneribus applicatur. Compoſita quibus placent. ℞. Ceræ alb. ℔.1. coloph. theriac. ana ℥vj. liqueſcant ſuper ignem add. gummi ammon. ʒj. bdellii ʒij. add. axung. lepor. & aprugn. an. q. ſ. f empl.

Hiſce externis ſuccurrendum eſt per interna, in ſpecie quidem per ſabin. vinc. pervinc. & ocul. cancrorum præ primario tunc debent ingredi potiones vulnerarias, ubi extrudenda ſint heterogenea infixa.

Juxta hanc extractionem etiam *faſciis* ſuccurrat Chirurgus: *Faſciarum* variæ ſunt & ſpecies & modi.

In vulneribus præ cæteris in uſu eſt *faſciatio* ſ. *ligatura incarnativa* ſ. *agglutinativa dicta*, quæ nempe fit c. faſcia duorum capitum: applicatur ita ut medium ejus imponatur in membro à parte plagæ oppoſita & ducatur hinc ſupra plagam ipſam cruciatim, repetendo hanc viam aliquoties, ut labia plagæ ita ad ſe invicem adducuntur: ſic enim beneficio faſciationis ſ. faſcia adducuntur labia vulneris.

Et hæc faſciatio vel ſola ſufficit *in vulneribus non adeò inſignioribus* it. in iis quæ ſecundum longitudinem membri & ſecundum fibrarum protenſarum ductum inflicta fuerunt: Sed in vulneribus & ſectionibus gravioribus, quando partes quædam *fero abſciſſa* ſunt, ut in narium, aurium, & digitorum tali ſeparatione ut tantùm adhuc pendeant, aut etiam *quando in articulis* graviores infliguntur plagæ, aut quando *ampla vulnera per tranſverſum* membri & fibrarum muſculoſarum ſunt illata, *aut quando fruſtra integra* carnoſa, ferè ſunt deciſa. In his & ſimilibus caſibus *non ſufficit* faſciatio ſola, ut adducantur labia vulneris ad ſe invicem, & ita adducta maneant, d. in talibus caſibus *ſuturæ* labiorum vulneris ſunt inſtituendæ.

Suturæ hæ fiunt *nunc per acus* & fila illarum medio traducta: *nunc* vero fiunt *per gluten* applicatum, *illud* in ſubjectis durioribus & fortioribus in partibus à viſu remotis minuſque ſenſibilibus: *hoc* v. nempe ſutura per gluten in partibus contrariis, applicando nempe utrinque labris linteum ſuis anſulis ſ. filamentis inſtructum ut horum medio ipſa emplaſtra & per conſequens vulneris labia ad ſe invicem adduci poſſint poſtquam ipſa lintea hoc linimento tq. glutine prius fuerint illita.

℞. Gumm. tragacanth.
arabic.
Maſtichis,
Thuris,
Sarcocollæ aa. ʒj.

pulveriſata ſubigantur probè c. albumine ovi agitato optimè c. ſpatulâ donec in ſpumam hinc in liquorem reſolutum fuerit, & ita lintea hoc linimento illita applicanda ſunt *obſervando* in ambabus ſuturis tam quæ fiunt c. acu, quam c. glutine (variant enim ſubinde pro circumſtantiarum ratione partis affectæ varietate) hoc imprimis ne.

1. Applicentur niſi ubi neceſſitas urget, in ſupra dictis caſibus.

2. Ne nimis arctè adducantur labia qui in omni vulnere hæc ipſa aliquantulum intumeſcunt:

3. Ne nimis probè ſint ad ſe invicem, ne puri & ſordibus è vulnere egreſſus, balſamis v. & unguentis applicandis ingreſſus impediatur.

4. Ne nervus ſimul acu attingatur: *quæ quatuor requiſita* in ſuturis legitimè inſtituendis vel *maxime ſunt obſervanda*, aliàs enim plus nocent ſuturæ quam proſunt, imprimis quidem *ſi nimis arcte labia* vulneris adducantur, *aut ipſæ ſuturæ* ſive per acus ſive per anſulas ſint nimis prope ad ſe invicem ſitæ: tunc imprimis nigens *dolor* ex impedito tumore labiorum vulneris urorit ur & inducitur: & præterea *pus factum* in fundo vulneris non rectè egreditur: unde poſtmodum fundus vulneris non probe mundificatur, ipſa v. labia interna coaleſcunt fit tandem, ut ex remanentiis puris & fermenti vitioſi in parte vulneratâ & conſolidatâ oriatur *abſceſſus occultus*, ſucceſſivè non abſque periculo ſe manifeſtaturus, quod antequam fit, pus acre retentum ſubinde cuniculos agit in partibus ſubcutaneis, eaſdem hinc inde erodit & ita *poſtmodum abſceſſum ſinuoſum* producit, imò *interdum ipſa oſſa aggreditur* eaque carioſa reddit, interdum alia incommoda poſt ſe ducit, à vitiatis applicatis ſuturis oriunda: Imprimis autem *in locis nervoſis cautè* applicentur ſuturæ per acum propter dolorem aut etiam propter metum puncturæ tendinis aut nervi: Nam à priori nempe dolore partes nervoſæ irritatæ plorant *ſynoviam* ſin v. poſterius fiat, ſi ſcil. pungatur nervus vel tendo, metus eſt ſupervenientium *convulſionum*: ob id E. quam paucæ applicentur ſuturæ imprimis per acum propter nervos, &c.

Jam v. ut *ſuturæ* inſigniter *conducunt in vulneribus* gravioribus *cæſim* factis, ita etiam *in vulneribus puncta inflictis Turundarum* rectè adminiſtratarum egregius eſt uſus (quod certum eſt, dico rectè adminiſtratarum) quæ ipſæ tamen turundæ nec *in abſceſſibus ſinuoſis* uti nec *in ulceribus & fiſtulis* minoris ſunt utilitatis, quin in his poſterioribus caſibus etiam inſigniter conducunt.

In ſpecie *uſus earum eſt quoad vulnera*, ut nempe per has turundas applicatas *vulnus* tamdiu in ſuperficie *apertum ſervetur*, donec ex fundo probè purificato ſuccreſcens caro ſummitatem labiorum ſucceſſivè attigerit, cum aliàs in ſuperficie citius caro ipſa ipſaque cutis promptè coaleſcens pus & ſordes in fundo occludant, unde dolores, inflammationes, abſceſſus recidivi, fiſtulæ & ſinus profundi ſimiliaque superveniunt mala: cum è contra ipſæ *turundæ rectè fabricatæ ſi illitæ* fuerint unguento & balſamo convenienti vehiculi ſunt, ut ubique aptius diſtribuatur & ad fundum vulneris uſque derivetur vis medica balſami vulnerarii.

Parantur turundæ, aut ex lino contorto, *aut* ex linteo teneriore convoluto & filo colligato in forma qſ. piramidali, ita ut baſis turundæ ſ. latior & amplior pars dividitur in 4. lacinias, quæ impediant ne nimis profunde turunda in vulnus intrudatur: Nam *hoc eſſet doloroſum*, quod in uſu turundarum.

1. Eſt *obſervandum*, idque primario *ſi partes nervoſæ* in latere vel fundo vulneris reperiantur: Nam in talibus longiores aut craſſiores turundæ dolorem excitant, qui partium nervoſarum læſiones inſigniter axaſperat & ſynoviam & conſequenter partis ariduram tandem producit.

2. *Obſervandum* eſt in uſu turundarum: ne nimis ſit craſſa: nempe *circa medium ſui ſit craſſiſſima*, ita quidem ut modice repleat vulnus cum ordinario turundæ non nihil intumeſcere ſoleant. *In apice* ſit turunda *tenera & mollis* ne durior apex & acutus partes ſenſiles lædat & irritet nec carnem teneram ex fundo ſuccreſcentem lædat ejuſque augmentum impediat: quin potius ipſa *turunda non nimis craſſa facile cedat genito puri*, nec hujus retentionem indeque ortam majorem acrimoniam inferat: quin & *craſſæ nimis turundæ hoc habent periculi*, ut labia vaſorum ſanguisfluorum coaleſcentia, & à ſanguine grumoſo nonnihil conſtipata, denuò reſerent, novaſque hæmorrhagias inducant: ne

3. Frequenter nimis aut ubi nimis neceſſarium eſt applicentur *in ſpecie ubi partes nervoſæ* fuerint ſimul læſæ: Nam nimis frequenter aut diu uſurpatæ *conſolidationem impediunt*, it. *partes cutaneas* circa labia. *occalleſcere* ſucceſſivè *faciunt* ſ. ad occalleſcentiam diſponere ſolent.

His ita probè obſervatis coaleſcunt tandem vulneris labia & nutriuntur denuò partes antea ſeparatæ, nihilominus tamen inæqualitas, aſperitas duritieſque in loco conſolidationis remanere ſolent, id quod *cicatricem* appellant. Nam dum *balſamus nutritius* ſucceſſivè denuò utut labia, tamen *fibræ* cutaneæ nerveæ, anteâ ſeparatæ vix adeò exactè ſibi denuò circa extremitates junguntur, *pori* quoque & meatus æquali tractu aliàs juxta ſe invicem ſituati pervertuntur & minùs aptâ ſerie collocati ita inter ſe confunduntur: unde glutinans ſuccus nutritius in iſtis locis detentus & implicatus, in oſſibus *callum* in partibus mollioribus cutaneis *cicatricem* talem Conſtituit: idque eò magis quo adſtringentia magis & exſiccantia, *Cicatriſantia* vulgo appellata fuerint: Nam hæc poros anguſtando, fibraſque duriores & minus tractabiles reddendo tandem inſigniori cicatrici occaſionem præbent, idque eo magis quo aſperior minuſque roſcidus fuerit nutritius balſamus: Nam propter hanc ultimam cauſam *in adultis* majores, magiſque deformes cicatrices naſcuntur, quæ in junioribus minus tales exiſtunt, quia potius hi ipſi rectè tractati vix cicatricis veſtigium relinquere ſolent.

REMEDIA E. *vulnerum in genere* glutinantia ſ. vulneraria appellata, ſunt iſta quæ partes molles naturaliter quidem unitas præter naturaliter v. diviſas denuò conjungere juvant, ut qſ. conglutinatæ videantur: unde *glutinantia* dicuntur.

Pertinent *huc* ea quæ tàm ad vulnera recentia conſolidanda adhibentur, ut *vulneraria*, unde balſami vulnerarii præparantur, tàm ad ulcera cava replenda, ut *ſarcotica* dicta, tàm ad Cicatricem inducendam, ut *Epulotica*.

Superius monitum fuit, quod *natura interpoſitione* & agglutinatione ſui balſami ſ. *ſucci nutritii partes diviſas uniat*, aut imminutas *reſtituat*, modo non impediatur per hujus balſami aut alterationem aut corruptionem. Non E. *medicamenta* generant carnem d. naturæ tantum *adjumentum præſtant*, *conſervando balſami integritatem* naturalem, quod ea faciunt quæ ſale vol. occulto ſ. oleoſo temperato conſtant, *vulneraria* communiter dicta & quæ ſimul imprimis adjunctam habent moderatam quandam adſtrictionem.

Prout a. jam alimentum partis balſamicum alterationem quandam & corruptionem acidam ſuſcipit majorem aut minorem eligenda m. ſunt *medicamenta*, quorum ſal vol. *nunc* magis *nunc* minus erit acre, aut *addenda* erunt temperatis Metallica ſaturnina acidum quodcunque abſorbentia.

Dum a. ſemper c. ſucco partis nutritio, *tenuis quidam & ſeroſus humor*, iſtius ſcil. Vehiculum in partem læſam tranſudat, qui *aut impedit* partis reunionem & alimenti agglutinationem, *aut* ſaltim partem regenitam humectando nimis *flaccidam & mollem reddit* indeque nimiæ carnis *luxuriei & excreſcentiæ* occaſionem præbet: ob id interdum ſunt *addenda remedia l. exſiccantia* dicta quæ nempe nimiam humiditatem in ſe obſorbent *Vel* adſtringentia moderata, quæ laxitatem corrigunt & debitum tonum ac conſiſtentiam carni regenitæ tribuunt: quod imprimis obſervandum ubi pars carnis l. cutis l. alia quæcunque ablata regenerari debet: tunc n. modo dicta remedia pro neceſſitate partis regenerandæ l. augenda l. minuenda ſunt: Nam talia debilia *ſarcotica* fortiora *Epulotica* dicuntur, quoniam in partis ſola per vulnus diviſione non tanta imminet neceſſitas, atque in partis ab ulcere eroſione.

REMEDIA E. VULNERARIA SUNT.

HERB. ET FOL. ſanicul. pyrol. pyloſell. Herniar. cynogloſſ. plantag. hyperic. Equiſet. verben. ſcabioſ. chamæpyt. centaur. min. Mille folii, betonic. bugul. prunell. nicotian. pimpinell. Myrti, nummulariæ, vincæ pervinc. bellid. Minor. Cherefol. telephii, veronic.

RAD. ariſtotoloch. utriuſque, tormentill. Symphyt. Major. Cyperi, Ireos Florent. Galang. valerian. vincetoxici. ſigill. ſalomon.

CORTICES granatorum, Flores roſarum, balauſtiorum, Hyperic. bellid. verbaſci, croci.

FRUCTUS Momordic. N. Moſch. Caryophyll. Cypreſſ. Gallæ immaturæ.

GUMMATA ſarcocoll. ſanguis dracon. Tacamahac. tragacanthi, Elemi, hederæ, Galban. oliban. Bdell. Gumm. Juniper. reſina pini, Terebinth. Colophon. Myrrha, pix, Maſtich.

SUCCI hypocyſt. acaciæ, aloë, liquor veſicularius ulmi.

FARINÆ hordei, fabarum, orobi, fœnugræc. &c.

Ex ANIMALIBUS lumbrici & omnia lumbricalia.

Cerumnia Aurium ſunt ſingularia:

Cera, Mel. C. C. uſt. os ſepiæ, Ebur uſt. oculi cancrorum, ſuccus cancrorum fluv. telæ aranearum:

Uſnea cranii humani ex *mineral.* lithargyr. plumb. calcinat. ceruſſa, minium, cadmia, lapis calaminaris tutia, bolus armena, terra ſigillata, pompholyx, creta alba, lac lunæ, lap. hæmatit. Gypſum, alumen, ſulphur. calx viva lota, terra vitrioli dulcis balſamica, crocus martis, &c.

Hinc ſp. vini ol. hyperic. momordic. Nuciſtæ expreſſū.

Ol. Maſtichis, nicotian. lumbricorum terreſtr.

Balſamum Peruvianum, balſamus ſulphur. balſamus ſaturni terebinthinatus: Theriaca.

Unguentum delithargyr. de betonic. pompholyge, de nicotiana, de ceruſſa: Unguentum VVurtzii fuſcum, unguentum album Rhaſis unguentum de ceruſſa, de tutia, de Minio.

Emplaſtrum diaſulphur. Ruland. Empl. ſticticum Crollii, Empl. oppodeldoch paracelſ. Empl. diapalma dè Betonic. de Gratia DEI, &c.

Uſus horum ſimplicium & Compoſitorum eſt.

1. Internè in potionibus vulnerariis:
2. Externè in injectionibus ſub forma decoctorum.
3. Tanquam ol. & balſama.
4. Tanquam Unguenta c. turundis & filamentis ſiccis applicanda.
5. Tanquam emplaſtra ſit E.

I. POTIO VULNERARIA.

♃. Cancror. fluv. no. 12.
Rad. ſymphyt. maj. ℥j.
fol. bugul. NB.
alchymill.
heder. terreſtr.
ſummit. Hyperic. ana Mj.

Conciſa & contuſa bulliant in ſ. q. aqu. & vini (vinum propter cancros) Colaturam.

♃. adde.
Syrup. Capillorum veneris &
heder. terreſtr. ana q. ſ.

Sin *ſitis* urgeat, m. de ſyrupo, de ſucco citri addatur *& f. pot. vulnerar. pro plur. doſib.*
bis in die hauriendo ſemper ℥iv. ad vj. tribus l. 4. horis ante paſtum in utroque hauſtu aliquot. gutt. *balſ. ſulph. terebinth.* l. in nervorum affectibus, *ſuccinati* aſſumi poſſunt. In forma ſicca.

♃. Mumiæ patibul. ℥ß. Spermat. Cet. ʒij. ocul. cancror. ʒiij. Rhabarbar. elect. ʒj. Cinnamom. ʒß, M. F. pulv. doſ. ʒj.

II. INIECTIO in vulnera profunda in ſinus it. ulcera cavernoſa, &c.

♃. Herb. Veronic.
pyrol.

Sanicul.

Sanicul.
Conſolid. ſaracen.
fol. nicotian. ana Mij.
alb. græc. ℥iij. l. iv.
Coquantur in ſ. q. aquæ ſimpl. colaturæ q. ſ. adde vel ſpirit. vini l. mellis pro lubitu. *F. Iniect.*

SEQVITVR III. ol. ſeu *BALSAMVS vulnerarius.*

♃. Balſam. Peruv.
ol. Hyperic.
Momordic. (ritè parat. ana ʒij.)
(vidi hoc ſolo ol. Momordicæ mirabiles peractas curas)
balſam. ſulphuris ʒj.
Gumm. Elem. q. ſ.
pro conſiſtentia balſami liquidioris vulnerarii: M. blando calore, aſſerv. uſui, inſtilletur vulneri.

alius.

♃. flor. ſulphur. ℥ij.
bulliant l. a. in ol. hyperic. expreſſ. q. ſ. (Nam infuſum hic nil valet.) vel ad ℔j. ad ſolutionem ſulphur. hinc adde Gumm. Elemi.
Tacamahac.
Terebinth. ana ℥iß.
Thur. elect.
Myrrh. ana ʒiij.
Balſam. peruv. ʒvj.
terræ vitriol. dulc. rite parat. ℥ij.
M. f. Balſamus.
D. S.

Alius.

♃. Terebinth. venet.
abietin. pellucid. ana ℥iij.
Gumm. elem.
Thuris ana ℥iß.
Myrrh.
Maſtiches,
Benzoes,
Aloës hepatæ ana ℥ß.
Vin. ſpirit. ℥iv.
ſubacta probè invicem deſtillentur l. a. per retort. & fiat Balſamum temperandum nonnihil c. balſamo de Peru.

Temperandum dixi; deſtillata n. balſama volatiliora fiunt & acriora adeoque ſunt temperanda & poſtmodum *potius in partibus nervoſis læſis* quam in ſanguineis affectis conducunt.

IV. VNGVENTVM VULNERARIVM.

♃. ſummitat. hyperic. flor.
centaur. min.
Veronic.
ſanic. ana ℥j.

Conciſa & contuſa infundantur in ſ. q. ole. olivarum puro & butyri non ſaliti a. ℥iv. digerantur in mar. baln. per 8duum hinc acriori igne ad exhalationem humidittaris inſpiſſentur probè agitando per linteum exprimuntur: materiæ trajectæ adde.
Terebinth. ʒvj. l. ℥j.
balſam. peruv' ʒiij.
pulveris Maſtich.
Myrrhæ,
Oliban.
flor. ſulphuris ana ʒvj. l. ℥j.
M. pro Conſiſtentia unguenti.

DENIQVE V. ENPLASTRVM Vulnerarium.

♃. Rad. ariſtoloch. Rotund.
Conſolid. major. ana ℥ß.
Mumiæ,
Maſtich.
Aloës,
Colophon. ana ʒij.
Tut. præpar.
lithargyr. ana ʒij.
Gumm. Elemi. ℥ij.
Terebinth.
M. F. Emplaſtrum.
inducatur ſuper linteum prius c. balſamo Peruvianatum irroratum aut leviter humect.

Cæterum in ſelectu remediorum internorum & externorum nonnihil adhibendum eſt diligentiæ, cum *interna præſtent*, & *ſimplicia* ſint *optima*: unde externè pauca quædam *vulneraria* ſupradicta, it. *cancri* & *antimonium diaphoret.* ſufficiunt; interdum tamen c. l. *liquor C. C. ſuccin.* in partium nervoſarum læſione uſurpatur.

Internè in æſtu aut phlogoſi febrili *nit. antimoniat.* imprimis ſub largiori uſu concedendum eſt, quibus ſemper *ocul. cancr.* eſuſque *cancror. fluviat.* addenda erunt. Qui volunt habere paucas compoſitiones remediorum vulnerarior. adeant *Poter. Pharmacop.* Qui autem volunt habere ſelectum compoſitionum vulnerarior. adeant *Felic. VVurtz.* Par ratio eſt & *balſamor.* & *unguent. vulnerar.* Simpliciora & ſelectiora ſunt optima. *Balſ. c. gr. ſulphuris*, *balſam. Peruvian.* & *Tolutan.* ſunt optima, l. *ol. hyperic. expr. ex ſemin.* cui *proprii flores* infuſi ſunt, eſt egregium.

Cujuſdam *Chirurgi Neapolitan. ſingulare experimentum* fuit in omnibus vulneribus ſive ſclopetis ſive ictu ſive alia ratione factis.

♃it ſcil. *Plegma* NB. ſpir. vini *vel* m. in ejus defectu ſpir. vini c. aqua communi diluit, calefacit & imponit vulneribus c. linteis, vel injicit in ſinus aut fiſtulas vel vulnera profunda per ſiphonem, ſemper tamen calidè, & hoc effectum edit plane mirabilem; impedit non tantummodo ſupervenientem inflammationem d. quamcunque m. ex vulnere arcet corruptionem.

Alius ad *vulnera biduo curanda* commendat hoc:

♃. Spiritum vini rectificatum hoc eluit vulnera recenter inflicta dum inſpergit pulverem ſubtiliſſimum aloës hepaticæ & ligatura comprimit: ſic ſanabitur vulnus intra biduum. Vel ♃. ſpir. vini & elue vulnus, cui eluto *pulv. aloës hepat.* goſſypio *ol. hyperic.* imprægnat impone vulneri, ſuperponatur *Emplaſtrum Rulandi It.*

♃. benzoës ℥j. aqu. vitæ ℥iß. Maſtich. ʒj. balſam. nigri. ℥ß.
Miſc. in formam *linimenti*; conſolidat & cicatrizat quæcunque vulnera recent. ſimplicia.

Certum eſt quod vini ſpir. ſingulare quid obtineat; unde in *Theriaca* vini ſpir. ſubacta & diluta vulneri applicata putredinem & corruptionem quamcunque in vulnere arcet, & promptè conſolidat.

Mucus ſ. *Cerumina* aurium ſunt ſingulariſſima vulneraria cum ol. nucum juglandium expreſſa miſta & nonnihil inſpiſſata in formam unguenti dant linimentum vulnerarium ſingulariſſimum imprimis ad vuln. nervor. ſic *liquor follic. ulmi* ſolus inſtillatus in vulneribus, & imprimis *oculorum* ſufficit. Qui verò volunt habere plura *balſ. vulner.* vid. *Heinr. ab Heer. obſ.* 10. de herb. Hyperic. *Zvvolffer. in Pharmac. Regia.*

AGRICOLA *in ſua Chirurgia* m. Commendat ſequens unguentum ex baſi cerum aurium confectum; quo mirabilia ſe præſtitiſſe brevi tempore aſſerit.

♃. Sacch. ſaturni.
Muc. aurium ana ʒij.
adde ol. avellanatum expreſſ. q. ſ.

M. & ſi deſideretur in forma paulo ſolidiori tunc igne inſpiſſa. Moderni in uſu habent balſamum Indicum, quod vocant *balſamum copaiba*; quod paucos ante annos nobis innotuit, de quo ut alias monui quod *expertum* ſit remedium *ad Gonorrhæam* interne, ita *mirabiliter ſæpius intra* 24. *horas vulnera recentia ſanat* idque citra ullam ſuppurationem & ferè ſine inſigniori cicatricis veſtigio, id quod per primam intentionem vulnus curare appellat HELMONT.

Hic ipſe HEMONT. aliàs præ cæteris commendat ad curam vulnerum vitriolacea, non tantummodo *pulverem ſympatheticum* ſi cruor ex vulnere aut linteum cruore tinctum, hoc ipſo certo modo imbuatur l. ejus virtute impregnetur de qua vid. Digby in orat.

Sed l. maxime *Colcotar* vitrioli probè elotum ſive in ſpiritibus ſive diſſolutum in liquore & infuſum nempe vino coctum ſive alia ratione applicatum tq. egregium commendat ad quemcunque vulnerum corruptorem tollendum.

Aliàs *quoad potiones* vulnerarias *notanda eſt* earundem varietas, ita ut pro partium vulneratarum ratione m. delectus ſubinde habendus ſit in ſimplicibus potionum vulnerariorum: v. gr. *ubi* opus eſt ut *ſordes* mucilaginoſæ, *pus*, *oſſicula fracta* & ſimilia ex vulnere *ejicienda* ſunt, *egregiè conducit* in potione vulneraria, ſanicula, artemiſ. rob veronic. conſolid. Saraceni, pyrola, ſabin. ex his parata potio fortificatur additione ſingulis hauſtibus ſpermate ceti aut oculorum cancrorum.

Præ cæteris n. *ſabina* fortiter adjuvat excretionem heterogenearum ex vulneribus ſi ſcil. ejus pars I. c. partibus VI. ingredientium reliquorum combinetur in potionibus vulnerariis, non omittendo pulverem ocul. cancror. præp.

Et quidem potiones hæ aut dicta vulneraria non ſunt uſurpanda, niſi quando vitium eſt inſignius in vulnere, ſubitò enim atque vulnus probè mundatum denuò coire incipit, abſtinendum eſt ab his potionibus vulnerariis ſucceſſive.

Hinc m. qu. propinantur potiones vulnerariæ, non opus eſt tot unguenta & balſama applicare vulneri, quoniam ipſa potio ſponte ſuccurrit naturæ in medendo vulneri.

Facit huc imprimis quod refert FORESTUS *lib. 6. Chirurgiæ obſer.* 17. ſcil. de vulnere *Thoracis* utramque partem perforante, quod nempe omnes cum vulnera ejus tractarent perſuaſerint per vulnera aperta, odorem decocti vulnerarii tranſudare & qſ. roridum quid illius per vulnera tranſmitti, quod ipſum m. aliquoties ſe obſervaſſe nobis affirmavit *Patavii* MARSCHETTI *Junior*, chirurgo Medicus excellentiſſimus.

Hæc de vulneribus in genere pergo ad.

VULNERA IN SPECIE.

Vulnera in ſpecie. Quæ dicta ſunt hactenus omnibus vulneribus in genere & ſpeciatim iis quæ Cæſim & punctim inferuntur optimè applicari poſſunt.

Et quidem primo ad vulnera cum contuſione facta. In hiſce iſtud quod contuſum eſt, facilè mortificatur, putreſcit & conſolidationem vulneris impedit. In hoc caſu iſtud, quod contuſum eſt & mortificatum, ſeparetur & per turundas foras excernatur. E quidem *quæritur*, an ſuppuratio expectanda ſit, & ſanguis extrahendus ſecundum *VVurtz*: quando ſanguis tardius in pus mutatus in gangrænam abit? ♃. cum diſtinctione: Contuſio cum vulnere l. eſt levior, ut ſpes ſit per ſuppurationem eam poſſe curari pedetentim: in tali caſu ſufficiunt *digeſtiva* & *ſuppurantia*; ſi v. c. vulnere graviori conjuncta ſit contuſio, & metus ſit, ne gangræna ſuperveniat ante ſuppurationem abſceſſus, præter vulneraria mox *ſcarificando* aut *incidendo* contuſionis locus aperiendus erit, & ſanguinis exitus promovendus: hinc *digeſtivis*, quod reliquum eſt, ſub forma puris promovendum; digeſtivis tamen aliquid de *unguento Ægyptiaco* addendum eſt, ut præcaveatur Gangræna. Cum his etiam applic. *externa*, in ſpecie in principio morbi corruptionem ulterius præcaventia: Eminet *ol. Ceræ*, illitum, deſuper impoſito *Emplaſtro de cumino*, ſ. illin. *ol. philoſ.* impoſito *emplaſtr. de bacci lauri*, vel ♃. rad. conſolid. maj. & min. chamomill. melilot. aa. ℥j. croci ℈j. farin. fabar. fœnugræc. aa. ℥iß. coque ex aqu. & in ſpecie primo radic. add. *abſinth. pulv. cumini* ana ʒß. M. applica externe. Hiſce ſedata maximam partem contuſione, præ reliquis remediis convenit illitus ſpirit. ſalis ammoniaci cum calce viva deſtill.

Quod vero peſſima attinet

SCLOPETORUM VULNERA

Cum his inſignis contuſio & dilaceratio partis læſæ conjuncta eſt c. quodam *Calore* ſ. ſuperficiali qſ. *ambuſtione* in his imprimis quæ cominus & propius læduntur: Nam globulus quo uſque penetrat omne ſecum contundendo & dilacerando abſumit. *Sclopetorum vulnera.*

Præterea etiam *ſi propius vulneratus adſtiterit inſtrumento* nempe ſclopeto, tunc *globulus intenſo ardore ſ. calore fervens* partem qſ. nonnihil amburit. Dico qui propius adſtant: Nam qui ſunt remotius in iis ardor & æſtus à globulis quodammodo frigefactis non tantum ſentitur de hoc vid. imprimis HORST. *in obſer. lib. 1. de caſibus Chirurgic.* ubi ventilat hanc Controverſiam & aliquot habet obſ. quod revera ſclopetorum vulnera quoddam Empyreuma habeant conjunctum ſi proprius fuerint inflicta: Impetus imprimis celerrimus globulorum c. actuali ignis contactu conjunctus neceſſario introrſum fervorem concipit.

Hoc certum eſt quod, *globi majores Tormentorum* bellicorum ſi infixi hæreant in pariete & brevi poſt attingantur, intenſe calide ſemper ſoleant percipi.

UT E. CURENTUR ſclopetorum vulnera (Nam diagnoſis per ſe patet) præter INTERNAS potiones vulnerarias & præter uſum nitri nunc ſolummodo depurati, nunc c. antimonio fixati: It. præter uſum pulveris pyrii (qui ratione ſulphur. nitri. & carbon. tiliæ optime convenit) EXTERNE *omne Contuſum in pus eſt maturandum*, id quod fit tarde: Nam vulnera ſclopetorum vix ante 3. l. 4. diem ſuppurari ſolent, ob id ſufficit ſi inter hoc tempus ſingulis 24. horis ſemel tantum deligentur.

Facta autem *ſuppuratione* & inde nato abſceſſu, & eo quod contuſum eſt ſub formâ puris venenato; mundificantibus & incarnantibus debitis denuo vulnus eſt curandum, modo omne extraneum ex vulnere prius fuerit exemptum.

Applicentur E. *ante omnia digeſtiva & maturantia* (de quibus ubi de ulceribus) *quibus ſemper* vin. ſpirit. item balſ. Peruv. *aliquantulum* eſt addendum, ne labia vulneris contuſa ad Gangrænam ruant, cum & ipſe ſpirit. vin. in ambuſtionibus egregie conducat: Hinc *turundæ* quibus illinuntur unguenta digeſtiva & ſuppurantia, optimo conſilio *prius immerguntur in ſpirit. vin. &* huic digeſtivo illinantur, imprimis m. quoniam digeſtiva partibus nervoſis non ſemper æque conveniunt: propterea optime additur ſpirit. vin. qui omnem metuendam noxam corrigit & quidem ita applicantur ut utrinque puri pateat exitus.

Loco digeſtivi communis optime applicatur *balſamum* PAREI ſingulariter commendatum ad curam vulnerum ſclopetis inflictorum.

deſcriptio ejus eſt hæc.

♃. ol. lil. alborum l. violar. ℔iv.

In iis coquantur catelli duo nuper nati, ad oſſium diſſolutionem: poſtea adde lumbricorum terreſtrium in vino coctorum ℔j. Coquantur ſimul & colentur colaturæ adde:

Terebinth. venet. ℥iij.
ſpir. vin. ℥ß.
M. F. Linimentum.

quod egregie conducit ad ſedandum dolorem & maturanda vulnera ſclopetorum.

Applicantur hæc digeſtiva c. Turundis (imprimis hoc balſamum Parei) iiſque nunc una, ſi ſcil. vulnus non penetrat: Nunc v. applicantur c. Turunda duplici, ſi ſcil. vulnus ſit penetrans.

Ubi

Ubi per hæc & ſimilia ſuppuratum eſt vulnus & omne contuſum ſeparatum, applicandum eſt mundificativum ſequens l. quodcunque aliud.

℞. Terebinth. venet. ℥v.
ol. roſati ℥j.
Mell. roſat. colat. ℥iij.
Myrrh.
Aloës,
Maſtich.
Ariſtoloch. rotund. ana ʒiß.
Farin. hord. ʒiij.
M. F. Linimentum.

imprægnandum & irrorandum nonnihil c. ſpirit. vin. Hoc ipſo mundificandum eſt vulnus ſuppuratum, donec ſpontè caro nova ſuccreſcat.

Quod ſi v. aut *in ſuppuratione* aut ſub ſequente mundificatione *putredo* ac Corruptio adſit inſignior, ſupradictis remediis nonnihil de mercurio præcipitato quantum fieri poteſt dulcificato commodè addi poteſt, idque imprimis ubi partes nervoſæ minus fuerint læſæ l. affectæ.

Interdum in ſclopetorum vulneribus ſuperveniunt *dolores oſſium* in profundo, imprimis ſi vulnera non benè fuerint curata, in his ſingulare eſt ol. terebinth. in ſpecie ſi adſit ſuſpicio *fiſſuræ*. Hoc n. ol. illitum mirè emollit, adeò ut quicquid præter naturale relictum ſit extrudatur foras.

Sufficit hæc ſclopetorum curatio placet tamen quibuſdam auctoribus in prima horum vulnerum deligatione *ad ardorem à globulo inductum, corrigendum*, linimentum ſequens applicare: quo tamen, uti antea monui non ſemper opus eſt.

℞. Calc. vivæ ℥iij.
Cremoris lactis,
Mell. deſpumat. ana ℥iß.
M. probè, &c. turundis

mollioribus applicetur vulneri: vix ultra 3. l. 4. horas tamen relinquatur: Hoc probè corrigit ardorem & empyreuma vulneris: poſtmodum aliàs uſitata ſupradicta erunt adhibenda.

Porrò dantur

VULNERA MALIGNA & VENENATA.

Vulnera maligna & venenata.

Fit namque interdum ut præter læſionem ſimpliciter inductam, ipſa *cauſa lædens* malignitate venenoſa ſit tincta, *ſive armis* venenatis *ſive morſu* animalium iratorum aut venenoſorum infligantur.

Morſu animalium vulnus inflictum facilè patet: ſemper enim ſuſpicio eſt in omni animalium morſu latere venenum. *Sed ſin arma* aut *globuli* fuerint *venenati*, hoc ipſum à priori cognoſci nequit.

Cognoſcitur a. ferè à poſteriori ſcil. ex ſupervenientibus gravioribus ſymptomatis, dum nempe partem vulneratam urget dolor atrocior quàm naturaliter fieri poteſt. Item ſi brevi poſt læſionem partis vulneratæ *color* nativus ſ. naturalis mutetur & *cæruleus lividus* ac *nigricans* fiat, adeoque ipſa *gangræna* immineat: Item ſi non tantùm in parte vulnerata, d. in ipſo toto corpore atrocia ſuperveniant ſymptomata: in ſpecie *anguſtia* præcordiorum, *ſudores* ſymptomatici frigidi, *ardores*, *cephalalgiæ* horrendæ ac ſimilia peſſima ſymptomata.

Vulnera hæc ſive ab animalibus venenoſis ſive ab armis veneno tinctis inflicta fuerint, *utplurimum lethalem eventum* habere ſolent.

Animalia E. venenata ſi læſerint mordendo aut pungendo, applicandum eſt deſuper (*præmiſſa* tamen præter circumſtantiarum ratione partis læſæ ſ. vulneratæ à venenato animali *profunda ſcarificatione*) uti fit, v. gr. *in morſu canis rabidi*, aut in morſu *viperino*, aut ſimilibus & quidem in veſparum puncturis ol. ana it. N. M. ita empl. de ran. vigon. c. mercurio in aranearum punctura allium & cepæ contuſæ commodè imponuntur obſervetur diverſas animalium lædentium, ut læſus locus nunc *ſcarificatione*, nunc *ſine ſcarificatione* appropriatis curetur. *Scarificandum* eſt, quando vulnus profundius, ac metus eſt, ne venenum, quod penitius immiſſum eſt, mediante ſanguine ad cor deferatur; aut *ſine ſcarificatione*, ubi minus virulentiæ communicatum fuerit.

Sin *viperæ vel ſerpentes* momorderint præmiſſâ uti dixi ſcarificatione *bufo vivus* contuſus & applicatus optimè conducit: aut ſi deſit vivus in ſerpentum & viperarum morſu ſufficit bufo *aridus* vel nudè vel quod melius prius in aceto vel vino maceratus, & applicatus: aut ſaltim *ferrum probè candefactum* propius loco morſuræ eſt applicandum citra tamen ambuſtionem: Nam hoc ſingulare eſt remedium curandi morſum viperæ uti hoc propriâ experientiâ recenſet BOYLE in Philoſophia experimentali.

Quod ſi v. *Canes* aliave animalia rabida mordendo vulneraverint optimum eſt applicare *lapidem ſerpentinum* qui in ſerpentibus Pileatis Indiæ Orientalis reperitur, aut etiam ex iiſdem fabricatur: de quo præter experimenta alia imprimis videndus eſt KIRCHERUS in tractatulo. Regnum naturæ Magneticum inſcripto: Hic habet egregia aliquot experimenta de hoc lapide ſerpentino vulneri animalium rabidorum applicato & poſtmodum in lac depoſito, qui in genere ad quæcunque vulnera ab animalibus venenatis inflicta certo experimento conducit.

In hujus defectu cum ſit rarus & charus ſufficit ut morſui canis rabidi vel alius animalis, poſt factam ſcarificationem imponetur *Empl. Magneticum* A. SALÆ cui ℥j. vel ℥ij. pulveris cancrorum calcinatorum addi debet.

Quod ſi *inflammationem* vel *dolorem* inferre velit, illinitur locus vicinus oleo ſcorp. c. pauco ſaccharo ſaturni.

Eſt aliàs empl. Magneticum Catholicum ad quaſcunque morſuras animalium venenatorum, modo additione vel pulveris cancrorum uti dixi vel pulveris bufonum vel pulveris viperarum pro varietate beſtiæ lædentis approprietur plagæ inflictæ.

Communiter expertum remedium eſt cataplaſma, morſui canis vel alius animalis rabidi imponendum paratum ex

Cep. acr. no. j.
Capit. alliorum no. j.
Theriac. optim. ʒß.
Fermenti vulgar. ʒß,

quæ omnia invicem piſtata inſtat cataplaſmatis applicantur loco morſuræ.

His ita applicatis correcto & elicito veneno poſtmodum ipſum vulnuſculum ſæpius leve vel ſpontè, vel levi applicati balſamo vel digeſtivo, ſi in morſu contuſio quædam facta ſit curari poteſt cui digeſtivo ſemper aliquid ung. Ægyptiaci vel communis vel ab HILDANO correcti addendum erit.

Internè interea non ceſſandum d. appropriatis remediis imprimis ſal. vol. & ſpiritu viperino it. ſpiritu & decocto cancrorum fluviatilium in rabioſis ſimul progreſſus veneni ejuſque activitas eſt cohibenda.

Quod ſi verò venenatis armis inflictum ſit vulnus, tunc imprimis *ut extrahatur venenum* opera danda eſt applicando ſcil. vel cataplaſma ex

Ceparum coctarum ℥iiibus.
Sterc. caprin. ℥j.
Theriac. ʒß.
Ole. ſcorp. ʒiß.
Mellis &
Ceræ etiam q. ſ. ut
F. Emplaſtrum vel catapl.

quod promptè elicit malignitatem ex vulnere venenato.

Vel etiam empl. Magneticum. A. Salæ imponendum, aut uſurpandum eſt *Emplaſt.* ſingulariter ex-

 pertum

pertum GUIDONIS, mirè commendatum à quamplurimis auctoribus ad corrigenda vulnera venenata nempe,

℞. Galban.
Sugapen,
Opopanac.
Aſæ fœtid.
Myrrh.
piperis,
ſulphuris, aa.℥ß.
Stercor. columbin. anatis aa.℥j.
Calaminth.
Menthæ. aa.ʒj.

diſſolvantur gummata in vino miſceantur omnia c. ol. hyperic. & F. Emplaſtrum, imponendum vulneri venenato.

Internè appropriatis alexipharmacis in ſpecie acet. deſtill. cum theriaca aut diaſcord. Fracaſtorii tinct. Bezoard. ſpiritu theriacal. camphorat. mercurio diaphoret. & ſimilibus veneno maturè eſt occurrendum: Elegans eſt obſervatio FOREST. *qui lib.12. Chirurgiæ, obſer.* 10. refert, cum in bello turcico plures *vulnerati ex telis venenatis* ſubitò morerentur ſupervéniſſe tandem Medicum ſenem, qui vulneribus *poma cydonia* dentibus contrita & ita ſalivâ jejunâ permiſta appoſuit nullis remediis antea juvantibus.

Facit huc occaſione cydoniorum quod refert MINDERERUS *in Medicina militari*, vinum ſ. ſuccum cydoniorum ſine ſaccharo optimum eſſe ad corrigendum enpyreuma vulnerum ſclopetis inflictorum. Extracto veneno ex vulnere vulnus ad ſui conſolidationem perducendum eſt.

Vulnera venarum & arteriarum. Cæterum præter hæc vulnera imprimis conſiderandaſunt vulnera vaſorum ſanguifluorum nempe

VENARUM & ARTERIARUM.

propter graviſſimam ſupervenientem hæmorrhagiam ſæpius lethalem, minus quidem periculoſam ſi fuerit *læſa vena*: Nam & facilius ſiſtitur: Magis periculoſum ubi *arteria* fuerit læſa: periculoſum namque eſt malum: Et quidem vix erit vulnus quod non habeat comitem hæmorrhagiam: imprimis tamen hæc eſt periculoſa ubi majora læſa ſunt vaſa.

Vulgò ad ſanguinem ſiſtendum utiliſſimus eſt *crepitus lupi*, fungus nempe iſte hoc nomine inſignitus, qui exſiccatus vaſi læſo applicatus arctè optimè ſanguinis fluxum cohibet. Si hic ſolus non ſuffecerit, immerg. ſolutioni *vitrioli martis*, cui add. dimid. ſal ſolut. in decocto quodam vegetabili blando & adſtringente, quæ frigida cum *bombace* vel *ſtuphis cannabis* applicentur vulneri, ſic ceſſet omnis fluxus. Vel, ſi *vulnera* ſiant *profunda*, conveniens eſt, ut immittatur pulvis ex *lunæ lacte*, *bolo armena & capit. mort. vitrioli*, propè geloto, iſti nempe pulveres optimi ſunt, in ſiſtenda nimia hæmorrhagia.

Verum *obſervandum* eſt de omnibus hoc etiam, quod nempe talia quæ hæmorrhagiam ſiſtunt in vaſis majoribus læſis, ipſi loco læſionis *arctè ſint imponenda*, alias enim nihil juvant, licet totum vulnus repleatur alibus.

Loco hujus *pulvis compoſitus* ex aloë, thure, ſanguine dracon. & bolo armen. invicem miſtis, & ſtuphis albumine ovi madefactis inſperſis & applicatis internè confert ad ſiſtendam hæmorrhagiam.

Melius adhuc eſt ſi terr. vitrioli dulcis (nunc ſola ſufficit nunc additur parum de terra ſigillata) c. albumine ovi ſubacta c. ſtuphis intendatur vel applicetur arctè vaſi læſo: quin & tinct. ſulph. vitrioli c. ſimili ſtupha applicata, in ſpecie arteriæ optimè confert. *Fuligo furni* cum albumine ovi ſubacta & applicata vulneri ſiſtit hæmorrhagiam.

Muſcus quercinus pulveriſatus aut medulla ſambuc. pulveriſata inſperſa etiam compeſcit hæmorrhagiam vulnerum quibus tamen longè præferenda eſt *Uſnea* cranii humani vera, quæ applicata infallibile eſt experimentum.

Conducit etiam ſtercus aſininum recens pulveriſatum, aut ſuccus ex eodem expreſſus, ſi applicentur vulneris fundo.

Linteum etiam alumine & ſpermate ranarum impregnatum exſiccatum atque iterum imprægnatum atque impoſitum, multum conducit ad hæmorrhagiam ſiſtendam.

In arteriarum puncturis minoribus applicata pilula ex laudano opiato, eſt experimentum ab HORSTIO recenſitum *lib.9. obſ.12.*

Quibuſdam ſecretum eſt ad hæmorrhagiam venarum & arteriarum reſertarum.

℞. Aceti vini fortiſſimi ℥j.
Croci martis ʒj.
Colcotar. ſ. terr. vitrioli dulc. ʒß.

His probè invicem ſubactis madefiant lintea: vel ſtupha cōſperſa pulvere fungorum terreſtrium: Hæc enim ita applicata ſubitò ſanguinem ſiſtere dicuntur.

De *pulvere ſympathetico* & ſimilibus tq. vulgò notis nihil addo.

Quod ſi his nequeat compeſci hæmorrhagia *ligatura* interdum vaſorum applicanda eſt, imprimis quidem in membris abſciſſis: Nam aliis in locis locum non habet.

In aliis locis, ſicuti etiam in membris abſciſſis, ſunt qui *cauteria* admovent, nunc actualia nunc potentialia, in ſpecie vitriolacea uti de anevriſmate monui.

Actualia ſunt periculoſiſſima propter gravia ſupervenientia ſymptomata it. quoniam decidente cruſta ſ. Eſcharâ nihilominus ſæpius nova ſupervenit hæmorrhagia.

Tutiora ſunt *cauſtica potentialia* non quidem ſpiritus acidi qui peſſimi, d. ſi quid tentandum per cauſtica: Convenit *vitriol. ad albedinem calcinat.* l. c. bombace applicatum l. c. crepitu lupi permiſtum & ita loco ſanguinem ploranti impoſitum, modo, quod ſedulò cavendum non pateat nervus vel tendo inſignior in vulnere ad quem ſcil. vis vitrioli corroſiva perveniat, & ita periculoſiſſima ſymptomata inducat.

Internè ſanguinis impetum compeſcunt omnia nitrata, it. omnia ſtercora ex porco vel aſino deſumpta quæ ſunt optima: Hinc nitrum antimoniatum tinct. ſulph. vitrioli, mixturæ acidulæ cum unct. antiphtiſ. ſ. ſaturni comp. tinct. martis adſtringens & ſimilia aliàs nota: obſervando ut affectus graviores imprimis iræ hinc amoris ſedulò vitentur: It. quodcunque corporis exercitium: uti m. paroxyſmi morboſi ſub quibus interdum recrudeſcunt hæmorrhagiis, ſtudioſè præcavendi. Juxta *hæmorrhagiam vulnerum* alia quoque *ſymptomata* conſideranda ſunt. Quæ ſunt vel *generalia* vel *ſpecialia*. *Illa* ſunt, quæ vulneribus quibuſcunque ſolent evenire: *Hæc* verò quæ ſaltem ſuperveniunt vulneribus in hac vel iſta perſona, idque ex peculiari conditione ægri: Talia ſunt, v. gr. quæ ſuperveniunt viro vulnerato, cui *hæmorrhoides* ſuppreſſæ ſunt. In his caſibus *cauſis ſymptomatum proſpiciendum eſt*, fluxus tamen aperiendi ſunt, non tàm *internis*, quàm *externis*. *Interna* quidem humoribus motum largiuntur, ſed, ut omnis impetus transferatur in locum læſum, & ſic exaſperantur ſymptomata. Inter ſymptomata ergo ſunt (1.) *INFLAMMATIO*; quàm præ reliquis ſiſtit *aqua calc. vivæ*, vel crudè applicata, vel cum *ſaccharo ſaturni* aut *ceruſſa*, imprægnata; Hæc enim epithematis inſtar crebriùs applicata inflammationem ſolent ſiſtere. It. imprægnetur cum *camphora*, & erit eò magis efficax: hinc remedia *cancrina*, *aqu.* nempe *cancrorum* putrefactorum nonnihil deſtillata, applicata vulneri & inflammationem ſiſtit, & ſanguinis fluxum in vulneribus *articulorum & partium nervoſarum* ſolet præcavere & ſiſtere: *cancri fluviatiles* etiam contuſi fundunt *ſuccum*, qui

expreſſus

expreſſus & cum multiplicatis linteis applicatus, eſt conveniens. Si *ERYSIPELAS* affligit vulnera, illinatur eryſipelas cum *ſpir. vini* in quo diſſoluta ſit *theriaca* & adde parum *ſalis abſinth.* vel inſpergantur *pulveres eryſipelacei*; ex *flor. ſambuci, creta farina, ceruſſa*, & ſimilibus, qui loco priùs c. ſpir. vini probè illito inſpergantur. Si in vulnerum conſolidatione obſervatur *CARO LUXURIANS*, (quod ſit imprimis ex ignorantia Chirurgi, non debitis *Epuloticis* curandum vulnus; tunc enim fibræ aut ſtamina nervea laxata partem reddunt ſpongioſam, unde pars iſta recreſcit. *Curatur* autem adſpergendo *alumen uſtum* vel *crocum metallorum*, aut illinat carnem luxuriantem c. *unguento Ægyptiaco*: præ reliquis conveniunt *aquæ virides* inter quas excellunt *aqua viridis Plater. Hartm. & Barbett.* Inſtar omnium ſit *lapis infernalis ſ. pulv. luna* in *aqua forti* ſolut. nempe ſit ex luna puriſſima *ſpiritu nitri* ſoluta & denuò coagulata: fiant cryſtalli, & ex his pulvis, qui adſperſus huic carnem exedit ſtatim, unde poſtmodum applicetur *emplaſtr. epulotic. ſ. cicatrizans.*

Nervorum læſiones.

Poſt vaſorum vulnera NERVORUM imprimis & partium nervoſarum *læſiones cautiſſimè ſunt tractandæ.*

1. Propter *dolorem inflammatorium* & convulſiones quæ ſæpiſſimè ſuperveniunt læſionibus nervorum.

2. Propter facilem partium nervoſarum alterationem ab aëre externo, hinc corruptionem ac *gangrænam.*

3. Propter *ſynoviæ fluxum*, qui ſæpiſſimè vulnerum conſolidationem impedit, & periculoſam partis *atrophiam*, interdum *totius corporis tabem* poſt ſe trahit.

In genere E. ubi in parte quadam vulnerata nervus ſimul vel *partes nervoſæ* ſenſiliores fuerint *læſæ*, totum membrum uſque ad principium nervorum ad membrum derivatorum inungendum eſt ol. lumbricorum acuato c. ol. deſtillato lavendulæ: Nam & hoc internè convulſiones partium nervoſarum læſarum curat, aut c. ol. ſalviæ aut ſuccini aut ſimilibus.

Item optimus eſt ſi inungatur membrum ſequenti unguento.

℞. Ol. Lumbricorum, Vulpin. Axung. human. aa. ℥j. ſucci lumbricorum ℥ß. M. probè & illinantur membro.

In ſpecie nervis læſis ac partibus nervoſis *omnia* unctuoſa, *omnia* nimis mucilaginoſa & expreſſa oleoſa aut pinguia ſunt admodum *nociva*, quia volatiliora paulò penetrantiora, & quæ vulgò dicuntur calidiora potius uſurpanda: quâ ratione balſamus Peruvianus ol. terebinth. deſtillatus ol. ceræ: ol. deſtill. lavend. ol. philoſoph. ol. lauri deſtill. balſam. hyperic. ſpirit. vin. gumm. elemi Tacamahac & Carannæ, imprimis conducunt. Hinc elegans eſt miſtura VVürtzii.

℞. Unguenti dialth. ℥iv.
Ol. lauri deſtillati ʒiß.
Succin. deſtillati ʒß.

quæ miſta convenienter vulneri poſſunt applicari.

Specialiſſimè lumbricalia optima læporum nervorum ſunt ſolamina quâ ratione ol. hyperici CARPI compoſitum optimè confert qui

℞pit Summit. Hyperic. florent. Mij.
Ol. communis ℔vi.

hæc probè invicem digerit, poſtea addit:

Terebinth. ℔j.
Vermium terreſtr. pulveriſatorum ℥iij.
Croci parum.

M. pro ol. nervis vulneratis aut punctim aut læſim convenientiſſimo: alias pulvis paratus ex exuviis ſerpentum quas ſponte deponunt & ocul. cancrorum invicem miſtis nervis inciſis & per tranſverſum ſectis inſperſus mirè convenit pro eorundem unione: Et quidem *periculoſius eſt* ſi pungantur nervi, quàm ſi tranſverſim diſſecentur, propter doloris ac convulſionis metum. In tali caſu, in nervo punctim læſo, quod etiam locum habet in inepta venæ ſect. quando tendo pertunditur, nil melius eſt, quàm immittere, inſtillare aut illinire *ol. deſtillat. terebinth.* vid. *Sylv. in prax. p. 242. & 248.* loco ejus etiam *ol. ceræ* adhiberi poteſt vulneribus.

℞. Ol. deſtill. terebinth. ℥j. ſpirit. vini ʒi. camphoræ ʒß. M. inſtilla vulneri aut ulcuſculo, in quo nervus punctim læſus fuit: experimentum eſt *Paræi l. 9. cap. 38.*

Aliàs aurium cerumina ſunt ſpecificum HELMONTII contra nervorum puncturam, his poteſt addi balſ. Peruv. ol. deſtill. lavend. lauri, philoſoph. ſicuti GALENUS uſurpavit Euphorbium, quod & hoc tempore adhuc ad nervos punctim, læſos ex ineptâ v. ſectione eſt optimum, ſi ſcil. fiat unguentum ex

Euphorbii ℈j.
Reſin. terebinth. ʒß.
Ceræ parum,

quæ miſta extendantur & applicentur calidè, ubi *nervus per venæ ſectionem* fuerit *læſus*: Id quod non tantummodo eſt experimentum SCULTETI *in obſerv. 64.* d. præterea HELIDÆI PADUAN. *in obſer. p. 310.* ad nervos penitus inciſos denuò conſolidandos laudatur ſeq. ℞. *lumbricor. terreſtr.* q. ſ. ex ſicca blandè & pulveriſ. vel pulveriſatos *lumbricos lotos contritos* M. cum *terebinthina*, quo 20. (viginti) horas ſupra vulnus poſito iſtud ſanatur, vel ſine terebinthina pulvis aſpergatur venis vel tendinibus diſſectis.

Tendinum læſiones.

Quæ nervorum eadem & TENDINUM eſt ratio; puncti ſcil. aut non ex toto diſſecti dolorem acerbum & convulſivum minantur per tranſverſim v. diſſecti motum, ſicuti nervi ſenſum & motum ſimul perire faciunt.

Hoc ne fiat *moderni* per ſuturas conjungunt tendines diſſectos: Res primâ fronte videtur paradoxa, ſi ſcil. punctura tendinis minatur concuſſionem, quomodo poſſunt acubus conſui?

Nihilominus hujus experimentum factum eſt *Pariſiis* ante biennium præter propter c. Cuidam in carpo manus omnes tendines per tranſverſim erant diſſecti: Huic poſt ſedatam hæmorrhagiam Chirurgus per acum admodum latam d. admodum ſubtilem intra fibras ex quibus conſtant tendines intruſam denuò per ſubſequens filum conſuebat, & hinc balſamo vulnerario efficace vulnus & ſuturas illinebat: ſic enim poſtmodum brevi conſolidabantur iterum tendines & diſſecti denuo uniebantur citra hoc ut motum digitorum perderet æger.

Cura eſt mira & à nemine adhuc notata: niholominus tamen poſt curam hoc ſupereſt incommodi, ut toties, quoties *tempeſtatum mutationes* ingruunt, æger in loco antiqui vulneris ubi nempe denuò conjuncti ſunt tendines percipiat dolorem quodammodo ſimilem podagræ: Et nihilominus tamen poſtmodum inveni etiam hujuſmodi ſuturam tendinum per filum in VESLINGIO nempe in eius Epiſtolis & obſ. à BARTHOLINO editis p. m. 90. 91.

Aliàs tendines ligamenta & per conſequens *articulorum vulnera* uti hæc ſunt frequentiſſima, *per balſama* vulneraria *apparenter calidiora* debent curari *omiſſis* imprimis niſi ſumma urgeat neceſſitas *Turundis*, utpote à quibus propter dolorem ſæpius exaſperantur partium nervoſarum & articulorum vulnera.

Synovia.

Locutus ſum modo de *Synovia* ſ. fluxu aquæ articularis ex vulneribus articulorum, Hoc ipſum periculoſum eſt ſymptoma: quod ut compeſcatur.

℞antur *Oſtrearum* (*nempe teſtarum* ℥j. *Cranii aduſt. oſſ. ſepiæ. Mandibul. lucii piſcis calcinatar.* aa. ʒij. *ſpodii, terra ſigillat.* aa. ʒiß. quæ miſta inſpergantur.

ſpergantur: ſic namque citò evaneſcit Synovia.

Optimum quoque eſt, *unguent. fuſc. VVürtz.* quia tamen præparatio eſt laborioſa, & propterea difficulter poteſt parari, ♃. loco ejus *vitriol.* toties calcinatum *ſpirit. vitr. dul.* ſpeciatim ex *vitriol. martis*, & dicto modo cum hoc procedatur atque vult *Autor*; nēpe immitantur in *acet. deſtill.* quoddam vulnerarium, & ita addatur *mel, flores æris*, ſicque porrò miſceantur: vel ♃. *ung. Ægyptiac. ſimplex*, & adde *terram vitriol. dulc. in acet. deſtill. dicto permixt.* quantum poſtulat ingredientiū proportio, quòd poteſt eſſe loco *ung. fuſci VVürtz*, & *unguent. Ægyptiac.* magiſtralis comp.

Aliàs ſingulare experimentum eſt ſi *ſtercus porcinum* c. ſanguine vulneris invicem miſtum coquatur & ita vulneri externè applicetur inſtar cataplaſmatis: hoc enim compeſcit Synoviam.

Quin & *linteum ſanguine primo menſtruo virginis tinctum* hoc humidum ſive ſiccum applicatum certiſſimum habetur remedium ad compeſcendam ſynoviam. Polychreſtum eſt ſi deſtilletur aqu. ex cancris fluv. contuſis: Hæc enim c. linteis applicatis impoſita, non tantummodo ſynoviam ſiſtit, d. præterea omnes inflammationes, eriſypelata, dolores partium vulneratarum. NB. cancri fluv. multum proſunt in caſibus Chirurgicis.

Convulſio partis vulnerata. Tandem, ſi ſuperveniat *CONVULSIO* partibus vulneratis, magnum imminet periculum ægro, ne inter has *epilepſia* ſuperveniens eum interimat. *CAVSA* ſemper eſt in parte læſa. Præter *interna ſpaſmo reſiſtentia*, & in ſpecie *ſpecifica cephalica ſuccinata* & *ſalia volat.* ex regno animali, *externè* inveſtiganda eſt *cauſa*, & ſi adeſt *punctura*, læſio curatur, ut ſupradictum; ſi *inciſio* nervi, non tamen perfecta, neceſſe eſt, ut per tranſverſum diſcindatur nervus aut tendo; melius eſt enim partem ſenſu privare, quàm ægrum vitâ. Conveniunt *linimenta* hoc in caſu, item *balſam. Peruv.* & *ol. deſtill.* ordinariò ſupervenire ſolet ATROPHIA, de qua jam actum, vid. VVürtz, & excellit ejuſdem *arcanum aluminis ex alum. plumoſo.*

Atrophia partis vulnerata. Febris ſymptomica vulnerum.

Quod ſi v. fiat ut vulneribus jungantur FEBRES, pro varietate febrium res majoris vel minoris eſt periculi: ſin *febris ſit* ſymptomatica *ex nimia ſanguinis commotione* in vulnerato, *ex iracundia, terrore*, &c. aut ſi ſit ex generatione *puris* in vulnere, quod die 4. 7. 9. fit vel ex inflammatione ſuperveniente vulneri; tales febres facilè curantur imò interdum vel ſponte evaneſcunt: Verum ſi ſint *continua*: aut ſi ex apparatu, ut ſic dicam, humorum ut vocant deſt. ex læſa ſanguinis craſi ſuperveniant, periculoſæ ſint admodum, & quæ non parum curam vulneris remorantur, quin ſubinde vulnus ipſum aſperius reddant.

Hæ ipſæ febres optimè curantur remediis, acidum in vulneribus peccans & ſanguinem inficiens, abſorbentibus & corrigentibus: it. blandis diaphoreticis: ſi ſcil. propinetur ℈j. antimonii diaphoret. in aqua fumariæ vel convenienti miſtura c. ſpiritu theriacali camphorato & ocul. cancr. in convenientibus vehiculis ſi exhibeantur.

Nitrum etiam antimoniatum nitrum fixum & ſimilia convenienter in his febribus conducunt, quæ etiam Julepis poſſunt addi: Nam blandus ſudor optimum eſt harum febrium remedium, obſervando ſimul alia tunc temporis appropriata.

Pectoris & capitis vulnera. Quædam etiam monenda ſunt de VULNERIBUS PECTORIS & CAPITIS; In vulneribus PECTUS PENETRANTIBUS vel PULMONES LÆDENTIBUS ſanalibus, obſervandum eſt, ut ſemper habeatur reſpectus & metus *pleuritidis imminentis & peripneumoniæ*, unde *internis remediis* hos affectus curantibus tam præſervativè, quàm curativè ſemper inſiſtendum eſt. (2.) Quòd etiam in his vulneribus ſubinde neceſſe ſit, ut applicentur *turunda*, ut ſanguini & ſaniei pateat liberior exitus, ne superveniat *Empyema.* Hæ turundæ parandæ ſunt, ut habeant extrinſecus anſulas, ne poſſint intrudi, unde etiam applicandæ ſunt ſub exſpiratione. (3.) Obſer. etiam, quòd hiſce partibus vulneratis ſemper ſint ſeligenda talia remedia, quæ ſimul habeant vim *diureticam*, aut potionibus vulnerariis *diuretica* addenda ſunt. Obſervatum enim eſt, quod optimè ſubindè ſponte, ſubindè arte, in vulneribus pectoris tàm ſanguinis grumi, quàm pus & ſanies evacuata ſint à natura *per copioſum urinæ fluxum*: propterea hic videat Medicus opus naturæ: (4.) quòd ea vulnera, quæ inferiores coſtas penetrant, infra ſeptimam coſtam, ſint ſimpliciter *vulnera abdominis*, non *pectoris*, quia non penetrant diaphragma: Vnde etiam nullum ſignum *læſi pectoris* ex reſpiratione læſa poteſt haberi, ſed potius *abdominis pathemata* inveſtiganda erunt. Quod attinet CAPITIS VULNERA, de his paucis: Qui plura cupit, adeat limatiſſimum ſcriptum *Petri Paavv. anatomicus ſuccenturiatus*, qui eſt *commentar. in Hippocrat. de vulner. capit. Myrrh. in obſervat. Scultet. in armament. in obſerv.* Vulnera CAPITI *inflicta* ſunt vel *cæſim* vel *contuſim.* Vulnera capitis *cæſim* inflicta lædunt *vel* ſaltem partes extimas, ſupra cranium, *vel* ſimul cranium, ut tamen non penetrent univerſum, vel dividant etiam cranium & meninges, vel m. ipſum cærebrum. In omnibus capitis affectibus *alvus ſit aperta.* In ſpecie verò ſi *vulnera* ſaltim ſint *ſuperficialia*, facillimè curantur vel *ol. hyperic.* vel *balſ. Peruv.* vulneribus impoſito deſuper *empl. de beton.* vel *ſimplic.* vel *empl. ſeq.*

♃. Emplaſtr. de beton. gumm. tacamah. aa. q. ſ. malaxetur c. *balſ. Peruviano*, vel ſola ſufficiunt: Loco hujus ſit *empl. de gummi heder. Alex. bened. vid. Heinr. ab Heer.* Sin verò *vulnus cranium lædat*, *non tamen penitus perforet*, neceſſe eſt, ut habeatur ratio cranii læſi, & ſic inſpergatur cranio pulv. ex *rad. Iridis, aloë, myrrh. c. ſpirit. vini impragnat.* vel pulv. tantillum *ol. deſtill. terebinth.* impræ gnat. Hi cranio læſo inſpergantur, ut impediatur ejus corruptio aut caries, deſuper vero imponantur filtra ſicca: *Caveamus* etiam in cranio læſo à quocunque *unctuoſo* aut *viſcido* aut pingui; diſponit enim cranium ad cariem. Si *vulnera* autem *penetrant*, & *cranium dividunt*, & *meninges lædunt*, neceſſe eſt, ut *hæmorrhagia interna* maturè ſiſtatur, quod fit *pulvere Galeni ex aloë, thure & album. ovi conquaſſ.* quibus parùm *boli armeni* addendum. *Hæmorrhagia* ſedata ſufficiens eſt natura; cujus opus ut adjuvemus, immittantur intra cranium linteola, impræ gnata tantill. *ol. ex terebinth.* vel *balſ. Peruv.* vel *rob. juniper.* ut quaſi odore tenus afficiatur cerebrum ejuſque membranæ, & diſponantur melius ad conſolidationem. Ipſi cranio læſo ſupradicti pulveres applic. & foveatur linteis ſiccis. *Vulnera* verò curantur *externè* per *balſam. vulnerar.* In uſu eſt, ut cerebro læſo applicetur *oleum roſarum*, *ſed malè*, quia talia membranam lædunt, *Mel*, etiam applicatur, *ſed convenit* ſaltem, ubi cerebrum corrumpitur & membranæ incipiunt putreſcere, tunc mel impræ gnandum eſt, aliquot gt. *ol. deſtill. terebinth.* alias nocet. *Vulnera contuſim* facta ſunt vel ſuperficialia vel graviora. *Superficialia* parùm habent in receſſu: Illin. loco contuſo *ol. hyperic.* impræ gn. c. *ol. deſtill. aniſi.* Si verò ſint *graviora*, ut magnus tumor immineat, conſiderandum eſt, an ſpes ſit inſenſibiliter poſſe diſcuti: Si hoc eſt, fiat; ſi non, *aperiatur* in principio, quod obſervandum, ut contuſio ſuppurata quantocyùs aperiatur, ne pus ex retentione acrius factum pericranium & cranium erodat, & carioſum reddere incipiat. Si verò *contuſio* fuerit *gravior*, & *vel* ſine vulnere, & tunc modo dicto curetur: *Vel* cum vulnere, & tunc eſt *vel* ſine cranii læſione, *vel* cum læſione. *Contuſio gravior cum vulnere*, *ſine cranii læſione* curatur more reliquorum vulnerum contuſorum, nempe *digeſtivis & ſuppurantibus*, pro quo caſu præ reliquis

liquis commend. *unguentum* ſeq. ♃. terebinth. deſtill. gumm. Elemi aa. ℥iß. pingued. Caſtor. ℥ij. porci antiq. ℥j. M.

Si verò *cranium ſimul fuerit læſum*, hujus læſiones admodum ſunt variæ: Nam interdum fit, ut cranium ex contuſione deprimatur, & *nunc* cum, *nunc* ſine fractura: *Sine fractura*, in capite infantis, quorum oſſa ſint mollia & poſſint cedere; *Cum fractura*, in adultis, quorum durius cranium. Porrò *gravior contuſio capitis*, quæ *cranium* lædit, iſtud interdum *findit*, *l.* in loco contuſo, l. in loco oppoſito. CONTRAFISSURA *nunc* penetrat utramque laminam, *nunc* externam, illæſa interna, *nunc* internam, externâ ſanâ. Hic obſervand. eſt, ut cognoſcatur DEPRESSIO CRANII & FISSURA. SIGNA deſumuntur (1.) ex ſymptomatibus (2.) ex cauſis lædentibus (3.) ex ipſis ſenſibus: *Symptomata* ſunt multiplicia; in ſpecie *vomitus bilis, vertigo, ſanguinis* per os, nares; aures & ſimil. *effluxus*, *ſubitanea obmuteſcentia*, & brevi ſuperveniens *delirium*, *convulſiones*, *paralyſis*. Symptomata hæc *ſuperveniunt nunc* mox in principio, ubi gravior fuerit læſio, *nunc* quarto l. ſeptimo die, ubi levior. *Origo* horum ſymptomatum eſt, quod feſtuca pungat cerebri membranas, *l.* quòd ſanies deſtillet in membranas cerebri, & acrior facta eaſdem vellicet, *l.* ſanguis grumoſus intra cranium, ex læſis meningibus collectus, inferat hæc ſymptomata. 2. Suſpicio etiam deſumitur à majoribus inſtrumentis. 3. Viſus ipſe. Præter apertionem cranii, nempe præter ſpecillum & ocularem inſpectionem, *ad fiſſuras cognoſcendas* eſt experimentem *catapl. ex farina fabarum* capiti raſo applicatum: hoc, ubi non ſunt fracturæ, exſiccatur, ſecundum ductum verò fiſſuræ non exſiccatur. *Borell. c. 2. obſer. 20.* Ubi inſcii ſunt Chirurgi, jubent, ut ægri accipiant funiculum, quem firmiter tenent inter maxillas, ſi ita æger habeat fiſſuram in cranio, in loco fiſſo percipit dolorem, quod etiam fit, ſi fortiter contineat mandibulas, aut nucleum ceraſorum frangat. Quo in caſu utplurimum neceſſe eſt, ut *perforatum cranium*, ut ſanguini effuſo, & ſaniei pateat exitus, ubi etiam *feſtucæ*, ſi quæ ſint, removeantur & tollantur. Unum adhuc obſervandum, quod obſervavit *Glandorp. in ſpecul. Chirurg. obſerv.* 4. nempe, fieri interdum, ut in graviori capitis contuſione & læſione, ex ſanguine, collecto intra meninges etiam integras, generetur pus quod graviora fert ſymptomata, ubi aperiendum cranium & dura mater ſcalpello, ut ſanies educatur. Ad hæc *obſerv.* quòd nempe vulnera interdum capitis ſimplicia poſt 4. l. ſeptimum diem contrahant *dolores*, hinc *rigorem & febrim*. Hæc ſi ſuperveniat in graviori capitis læſione & contuſione, ſuſpicio fracturæ cranii & fiſſuræ, adeoque neceſſum eſt, ut cranium aperiatur *trepano*: Si non appareant, non ſtatim debent perforari, quia dicta ſymptomata etiam interdum ex alia cauſa ſuperveniunt: niſi ergo adſint alia ſymptomata, quæ cranii fracti l. fiſſi ſuſpicionem inferant, non ſtatim ad trepanationem accedendum eſt. Præcipitur etiam, ut in trepanatione vitetur muſculus temporalis; interdum tamen quidam Chirurgi etiam hunc muſculum per tranſverſum ſecant, vid. *River. obſervat. comm.* & *Borell. cap. 2. obſerv. 20.*

Hæc ſufficiant de Vulneribus.

Pergo jam ad

VLCERA

Vlcera in genere. ſ. tertium objectum circa quod verſetur Chirurgus Medicus.

Ulcus eſt *ſolutio unitatis* facta ab acredine corrodente & abſumente ſubſtantiam partis.

Si hujuſmodi exeſio & corroſio ſit ſolum in parte molli dicitur propriè ULCUS: ſi v. ſit in parte dura dicitur CARIES, oſſibus propria.

Corrodens hoc eſt *acidum* quod pervertit alimentum partis proprium illudque in excrementum acre immutat, ſ. in *ſaniem*, cujus mitior ſpecies eſt *pus* ſimulque fibras & carnoſas ſubſtantias partis ſenſim ſenſimque abſumit & depaſcitur.

In *abſceſſibus* (poſt inflammationes imprimis oriundis l. ex aliis cauſis natis) qui ſunt ulcera inchoata & in *Vulneribus* quæ facilè in ulcera degenerant hoc patet, in his enim alimentum partis corruptum aceſcit, & labiis vulneris adhærens ſequens alimentum balſamicum ſimul pervertit & corrumpit: Unde aciditatis incrementum & ulceris augmentum.

Acidum hoc confirmatur ulterius ex eo, quod *Emplaſtra* ulceribus admota, niſi proprius medicamento odor prævaleat, ſi removeantur ſubinde *acidum ſpirent ſubtile* (quod aliquoties obſervavi in noſocomiis Paduæ & Pariſiis) & quod corroſio doloroſa quæ m. oſſa abſumit & exedit, vix niſi per acorem commodè explicari poſſit, cum alcalia cauſtica non tam corroſionem quàm mortificationem ſ. omnimodam putredinem c. partis nigredine & corruptione inducant; Unde etiam metallica ſaturnina aut mercurialia venerea, caput mort. vitrioli promptè acida aut edulcorantia aut abſorbentia & vegetabilia vulneraria etiam acriora acidum corrigentia & in ſalſum tranſmutantia ulcera optimè curant.

Acidum hoc corroſivum, *ulceris* cauſa *oritur* vel.

1. Ab alimento partis proximo corrupto & degenerante cujus corruptionis inſeparabilis comes eſt aciditas, uti fit *in vulneribus* quæ ſemper degenerant in ulcera niſi maturè curentur, *in contuſionibus*, in *ambuſtionibus*, in *ulceribus contagioſis* in externis *corroſivis* admotis, &c.

Hinc n. v. gr. *lues venerea ſ. Gallica* aut *ſcabies* per contactum externum manus eſt contagioſa quibus contagia per contactum manui ſanæ adhærentia, in hac alimentum proximum pervertunt, vitiant & ipſi acorem vitioſum imprimunt: unde per conſequens *Vlcuſcula* leviora in *ſcabie*, aut majora periculoſiora in *lue venerea* & ſimilibus ulceribus contagioſis pluribus.

II. Oritur *acidum ulcerum* ab aciditate peregrina quacunque de cauſa in ſanguine aut lympha oborta, quæ c. ſubjecta materia in parte quacunque ex cauſa ſæpius ex paulatina congeſtione defixa, alimentum partis proximum pervertere, partem corrodere & ita abſceſſum ac ulcus inferre ſolet c. uti quidem in ſcorbuticis, in cachecticis, in venereis & ſimilibus uſu venit: Nam v. gr. ſcorbuto confirmato ſæpius ſuperveniunt ulcera in cruribus ex acore vitioſo ſcorbutico in ſanguine enato: Et hinc talium ſubjectorum cachecticorum venereorum, &c. ulcera ſunt vix curabilia, niſi ipſe morbus totius primarius prius curetur & corrigatur, quin & curentur licet ulcera talia tamen ſæpius niſi primarius morbus ſit ſolutus, in aliis locis recidivas inducunt, quale exemplum legi in HILDANO it. in SCULTETO & horum obſerv. Unde etiam eſt quod interdum palliativè licet, *fonticuli* in talibus ſubjectis ſint excitandi, ut ita ulceris contumacia mitigetur, & ex eodem occluſo recidiva periculoſior præcaveatur.

III. Cauſa unde *oritur acidum hoc* eſt ex *vitio ſanguinis* ipſique permiſto excremento quocunque aut alius cujuſcunque humoris in corporis ſtatu præternaturali, à quo vel nutrimentum parti ineptum ſuggeritur l. nutrimenti proximi perverſioni occaſio ſubminiſtratur: Unde vitioſus ejus acor ulceri inde enaſcenti primam originem ſ. occaſionem ſubminiſtrat. Patet hoc in ulceribus quæ aliis morbis ſuperveniunt.

Acidum E. hoc quacunque ex cauſa in ulcere obortum proximum quod ad partem diſtribuitur alimentum corrumpit, & quod ſalinæ volatilis oleoſæ qs.

balſamicæ naturæ eſſe debet, aceſcit ſimiliter fitque parti alendæ omninò hoſtile: unde ulcus ejuque fermétum acidum valdè augetur, & hujus activitas validior redditur.

Prout. v. major l. minor eſt aciditas, aut hæc ipſa ſimul variantis nonnihil ſaporis deprehenditur, ut ratione graduum diverſitatis variat c. aliis adjunctis proprietatibus, diverſis varia eſt m. alimenti exinde orta corruptio, & exinde m. contumax plus minus ſolet eſſe *ulcus*, aut *purulentum* idem aut *ſanioſum*, aut *verminoſum*, aut *dyſepuloticum* ſ. *phagedenum*, aut *cancroſum*, aut *corroſivum*, aut *doloroſum*, aut *malignum*, aut *contagioſum*, aut *carioſum*, aut *gangrænoſum*, aut alia ſpeciali proprietate eſt diſtinctum.

In ſpecie *nervoſarum partium ulcera* ut facilius oriuntur ita & difficilius curantur ob acidi majorem gradum: Nam alimentum earum c. ſit admodum temperatum, nec adeo impræagnatum ſale volat. acri, ut ſanguis in partibus ſanguineis, ob id *facili* corruptione & alteratione *aceſcit*, & ob defectum ſufficientis correctionis fit acrius *ſpiritu animali ſubtiliore* in his partibus celerius aut diſtributo & permoto aut exhalante.

Sanguineæ v. partes abundant ſale volatil. acriori oleoſo unde difficilius ipſis inducitur acor, qui m. contra facilius temperatur, fiuntque hinc ulcera benigniora.

Hinc & *in glanduloſis locis* cum in his aliquid acidi ſubtilis ex ſanguine ſecerni & unà c. aliis lympham conſtituere videatur, contumaciora & magis doloroſa aut corroſiva oriuntur ulcera, & quæ facillimè degenerant in fiſtulas ex quacunque cauſa ſint producta, ſubinde cancroſi quid redolentia.

Lympha hæc ſubtili acido ſale impræagnata c. facillimè acidi corrupti in articulis recipiat impreſſionem, ulcera & vulnera articulorum præter partium nervoſarum frequentiam, reddit & difficiliora & periculoſiora.

Certum eſt contumaciſſima ſunt ulcera & ſummè doloroſa in partibus glanduloſis in ſpecie *ſub axillis* & hinc circa inguina quæ acore corroſivo latius ſerpunt & vicinas partes acriter depaſcere ſolent.

Acor talis corruptivus, aut à vicino ulcere ad os ſubjectum delatus aut ex corruptione alimenti oſſis ab aëris contactu orta, genitus, aut ex acido peregrino ad os c. alimento diſtributo enatus, os ipſum corrodit & carioſum reddit, ulcuſque c. oſſis carie conjunctum conſtituit, immedicabile & l. centies recidivans, niſi oſſis caries prius emendetur.

Ut res exemplis fiat clarior in *fracturis* in quibus os eſt denudatum niſi hoc probè & citò curetur ſucceſſivè liveſcit & nigreſcit ſicque td. carioſum evadit, propter ſubitam alterationem ab aëre impreſſam: Similiter *in lue venerea in* medio oſſium oriuntur *gummata* à quibus ſucceſſivè os ſubjectum eroditur & carioſum evadit, (quod m. fit in ſpina carioſa) quibus alimentum partium nervoſarum in lue venerea maligno acore inquinatum m. ad oſſa diſtributum hæc ipſa erodit ac inficit.

Quod ſi corroſiva ſanies in ulceris labiis producta per interſtitia partium latius ſerpat aut molliores ſubſtantias inter ſtamina fibroſa duriora exedat, & ita per cuniculos longius latiuſque ſerpat, hinc inde, ULCUS SINUOSUM ſ. cavernoſum conſtituit: Cujus orificia aut m. canales in locis membranoſis & nervoſis ex alimenti vitiati congeſtione & conglomeratione indurata & in callum qs. oſſeum mutata FISTULAM conſtituunt.

Occaleſcentia hæc & *durities* circa membranas, imprimis in orificiis horum ulcerum ſinuoſorum nata, oritur *ex acido vitioſo ſatis intenſo*, dictas partes corrugante & pedetentim indurante ac in callum. ſ. cartilaginem transmutante: Exinde orificia fiſtularum ſemper ſunt anguſta.

Proximum partis alimentum prout facilius ab acido corruptivo impreſſionem recipit, plus minus diuturna aut maligna efficit ulcera ut in *hydropicis cachecticis venereis*, aut quibus hæmorrhoides l. menſes ſtagnant luculentiſſimè patet & talia ulcera ſolent eſſe graviora, propter alimenti partis corrupti facilem impreſſionem ab acido. Hinc aliàs c. humorum fluxu eſſe dicuntur.

Facilius corruptionis hujus in alimento partium fit imprimis ex defectu particularum ſpirituoſarum & ſalino-volatilium, quæ contraria dum ſunt acido fermento ulceris ejus vim infringunt, quibus dum caret interdum præternaturaliter pars ſanguinis alimentitia, aut m. aliàs ex vitioſa prima aut ſecunda digeſtione ad recipiendam corruptelam acidam magis eſt diſpoſita promptius ſic corrumpitur & ulcus ipſum ſic augetur.

Acidum hoc ulceris fermentativum & corruptivum non ritè correctum & ſublatum dum vel ejus aliqua portio poſt curam ulceris relicta eſt, aut in labiis ejus aut quod ſæpius contingit in oſſe carioſo, l. ejus aliqua portio per ſanguinis l. lymphæ motum alioſum delata pervertendo alimentum loci proximum aut recidivam antiqui aut generationem novi ulceris inducit.

Sic in *Sculteto* exemplum eſt ulceris præpoſterè curati, unde poſtmodum ulcus in pectore enatum fuit: Sic & *Fabr. Hildan. c. 3. obſer. 39. obſervavit* ulcus inveteratum in crure ſinuoſum, quo intempeſtivè curato ſupervenit pleuritis, ubi materia ſimillima per os fuerit rejecta, ac iſta, quæ ex ulcere cruris emanaverat.

Ulceris E. ordinaria *adjuncta* & fermenti ejus acidi producta ſunt.

1. *Cavitas* ab acore exedente & labia ulceris depaſcente plus minus, inducta.
2. In partibus carnoſis *pus* laudabilius ex ſanguine.
3. In nervoſis ſ. ſpermaticis *Ichor ſ. ſanies tenuis*, aut ſaltim pus minus laudabile, hoc eſt, acrius, tenacius, minus albicans, &c. Rariſſimum enim eſt quod *labia ulceris ſicca* & citra ſordes productas inveniantur, id quod tamen fit, qn. ulcera aëri aperto diu nimis fuerunt expoſita, aut qn. *labia dura & calloſa* fiunt; aut qn. exſiccantia aut cicatriſantia intempeſtivè fuêre applicata.

Quod ſi citra tales laus *ſubitò* (dico ſubitò quod benè obſervandum) ſicca aut minus humida deprehendantur ulcera c. aliquali livore l. decoloratione labiorum *imminentis gangrenæ* eſt indicium.

PROGNOSIS. Ex his facilè eſt formanda de quocunque ulcere. Nempe fundamenta prognoſeos in ulceribus *deſumuntur ex tribus circumſtantiis* (1.) *ab ipſa conditione ulceris*, an ſit *ſimplex*, an *complicatum*, an *ſinuoſum*, *fiſtuloſum*, *carioſum*, *&c.* Nam hæ conditiones ulcus plus minùs reddunt difficile, (2.) *ab ulceris excretis*, pure nempe & ſanie: Nam, quò citiùs ulcus reddit pus, idque magis laudabile l. minùs acre, candidum, mediocris conſiſtentiæ, eò melius eſt ulcus, Contrarium eſt, ſi ploret ſaniem tenuem, ichorem, acorem flavum & fœtidum, aut ſimil. (3.) *ab ipſo ſubjecto ulceris* tam particulari quàm univerſali. Ratione ſubjecti particularis, ab ipſo loco ab ulcere affecto, an ſit carneus, glanduloſus: Ratione ſubjecti univerſalis, an æger ſit ſanus l. non; an ſit laudabilis conſtitutionis, &c. hæc enim ulceris naturam & curam plus minus gravem oſtendunt.

Ex hactenus dictis facilè patet quod CURA *Ulceris Chirurgica* primario in hujus acidi mundificatione conſiſtat, quo tollatur alimenti depravatio & partis corroſio, reliquum ipſa naturâ agente, carnem generando & foramen claudendo.

Ea quæ acidum hoc corrigere valent, ſunt imprimis l. VEGETABILIA l. MINERALIA, imprimis naturæ *Metallicæ* aut huic cognata.

Nam

Nam *ex regno* ANIMALI præter cancros aut fella animalium, aut urinam humanam vix ſingularia contra ulcera habentur remedia.

Ex his *vegetabilia* imprimis *agunt poſitivè* temperando & delendo acidum per ſal ſuum vol. ſ. alcal. quod ipſum nunc eſt occultum & temperatum nunc v. manifeſtum & acrius :

Temperatum eſt, v.gr. in betonic. in veronic. in plantag. in vinc. per vinc. in bugulâ & ſimilibus.

Acrius v. eſt in chelidon. major. in ſabin. in nicotian. in aloës & myrrha. in ſpir. vin. & ſimilibus.

Mineralia v. & metallica operantur utplurimum *privativè abſorbendo* acidum, & ita quodammodo dulcificando ſub qua ipſa actione ſimul *virtutem adſtrictoriam acquirere ſolent :* Talia ſunt ſaturnina venerea mercurialia & hinc paratum ſacch. ſaturni ceruſſ. pompholyx, mercurius præcipitatus & quæ huc pertinent ſulphurata & in ſpecie ad ulcera maligna & cacoethea uſurpata arſenicalia fixa & in alcali naturam tranſmutata (Hinc balſamum Paracelſi ex fulig. & arſeni quia uti loquitur Helmont. arſenic. eſt qs. fumus metallicus.)

Hæc medicamenta dum deſtruendo acidum ulteriorem ejus activitatem inhibent, & excrementorum generationem ſ. alimenti perverſionem ſiſtunt ſicque ulcera nitida & labiorum carnem rubeum ſanum & naturali modo diſpoſitam reddunt *mundificantia ſ. deterſiva* vulgò appellari ſolent : graduum a. ac ſimilium proprietatum in his obſervanda eſt diverſitas pro ulcerum varietate varianda.

In genere quædam ſunt *acriora quadam v. temperata :* ab *his* ceu inferioribus inchoandum, niſi forſan ulceris prava conditio nimis progreſſa aliud ſuadeat, ne acidi vigor per acre contrarium efferveſcendo fiat malignior & putredo in ulcus inducatur, d. potius lenioribus prius temperatur, donec fortiora tutius tandem applicentur.

Temperata iſta *vulgò digeſtiva ſ. pus generantia* appellari ſolent : Hæc n. temperando acidum in ulcere vitioſum alimenti corruptionem in excrementum tamen, acre, & ſanioſum inhibent, ut temperatus acor ulceris, moderata fermentatione c. alimento partis concurrere, & excrementum ſimiliter temperatum, in meliori cõſiſtentia, calore & temperatura generare poſſit: quod ipſum mitius excrementum *pus* appellatur, ſicuti pejus iſtud acrius & tenuis *Ichor* ſ. *ſanies* uſitato nomine appellari ſolet.

Quoad generationem puris dictum fuit ſupra de inflammatione quod generetur per motum & per modum efferveſcentiæ ex concurſu acidi & urinoſi temperatorum tamen utrorumque mediante oleo ita tamen ut in pure adhuc præpolleat acidum : hinc albedo. (Hæc in genere ubi de tumoribus ; jam in ſpecie quoad ulcera.)

Alimentum n. partis cum naturaliter ſit ſalinum vol. oleoſum in ſanis, & ita temperatum, ſi occurrat acido corroſivo exceſſivo tunc ſine reſiſtentia pervertitur & in liquamen acre & Ichorem vitioſum corrumpitur : ſin v. acidum ſit moderatum, hoc ab illo aliqualem recipit reſiſtentiam ut mutuo concurſu & actione degenerent in excrementum mitius pus dictum.

Temperata talia remedia de quibus ſupra dictum, ulceris ſimplicis poſſunt abſolvere *Curam.* Ulceris v. vel corroſivi l. putridi l. cancroſi vel maligni virulentia, acriora & *validiora* utplurimum appropriata, nunc mercurialibus, nunc arſenicalibus permiſta requirit remedia obſervanda tamen ſimul *partis affectæ erit conditio.*

Nam *ſanguineæ* temperata imprimis vegetabilia requirunt.

Nervoſæ v. paulo acriuſcula, aromatica & ſaturnina magis poſtulant, & ſic m. pro varietate reliquarum partium affectarum.

Frequentius fit, ut præter ſimplicem ab acido corruptionem parti, concurrant putredo aut corruptio in ipſa parte, ubi putrilago ſimul cadaveroſa & incipiens gangræna ſolet adeſſe. In his ergo fortiſſimis omne putridum abſumendum, & putredinis proceſſus inhibendus ; hæc poſt operationem peractam ſubitò removenda & abſumenda ſunt ; ne partes ſanæ etiam abſumantur aut afficiantur.

Factâ E. acidi fermentativi & corruptivi in ulceribus abſterſione alimentum partis ceu ejus balſamus naturalis, ſenſim labiis ulceris agglutinatum partem cavam carne replet, dum interea fibræ & oſcula cutanea & ipſa ſucceſſivè longius extenſa in æquali concurſu variaque textura in cicatricem coëunt.

Ne impediatur a. Hæcce partis deperditæ ſ. eroſæ per carnis regenerationem reſtauratio, dum l. ab aëre ambiente ſub deligatione alterantur Ulcera ; vel ab interno vitio nova alimenti corruptio & ulceris ſuccedat renovatio : ob id poſt mundificatum ulcus, dum caro nova ſuccreſcit , *balſamica glutinantia* vel *vulneraria* ſarcotica tunc appellata applicantur, quæ temperatâ ſua virtute ſimul nonnihil adſtringente & balſamum naturale conſervant, & omnem acorem forſan de novo ſubortum promptè delent, quæ ipſa blandâ adſtrictione impediunt ſimul ne caro enata laxa nimis mollis & ſuperflua luxuriet, id quod fieri ſolet, ſi citra emplaſtri ſarcotici convenientis applicationem ſoli naturæ negotium committatur: hinc m. promptè luxuries ejus coercetur ſi applicetur, v. gr. empl. l. unguentum de tutia (quod optimum eſt ad ulcera carne replenda) item empl. ſ. Unguentum diapompholygos, aut de lapid. calamin. it. empl. diaſulphur. Rulandi imprimis ſi malaxentur c. ol. Nicotianæ.

Similia remedia glutinantia & conſolidantia d. magis adſtrictiva & humidi abſumptiva per modum exſiccationis, cicatricem firmiorem generari adjuvant, ſi deſuper applicentur.

Nam *vulneraria balſamica ſarcotica & cicatriſantia gradualiter tantum differunt :* Unde in corporibus delicatulis & mollioribus cicatriſantia ſunt, in ſubjectis durioribus ſarcotica & contra.

Externis talibus applicandis quæ *vulgò* 4. *capitibus* comprehenduntur, ſub nomine *digeſtivorum, mundificativorum, ſarcoticorum*, & *Epuloticorum* ſ. *Cicatriſantium* commodè ſuccurrendum eſt per *INTERNA acidi* tam imprimis viis, quàm ulceribus *correctiva* & *deſtructiva* ; quæ nempe alcali plus minùs acri pollent ; ſimul nunc potionibus vulnerariis ſ. ulcerariis nunc remediis ſudoriferis tam ex lignis quàm mercurio & viperis paratis, non omiſſa ſi opus ſit purgatione.

Quod E. attinet REMEDIA *ulceribus appropriata* ſunt ea *mundificantia* quæ ulcera purificant & ablatis ſordibus labia naturaliter conſtituta reddunt. Et quidem ulcera purgare & ſordes detergere eſt ſuperficialis tantummodo cura & palliativa, cum ſordes, pus, & ſanies affectus tantùm ſint & productum ulceris : Tolle tantum cauſam horum effectricem & palmam facilè acquires ; id quod ſuperius de vulneribus partim ex SEPTALIO & MAJATO, partim in HELMONTIO monui *Sordes* hæ ſunt nihil aliud quàm alimentum ſive ſanguinem, ſive chyloſum ad partem ulceratam demandatum quod dum vitiatur & corrumpitur in ſordes varias, ſaniem acrem, Ichorem varicolorem, pus fœtidum, ſordes nigricantes, & excrementa td. ex putredine vermicoſa reddita degenerat.

Hæc *corruptio alimenti* partium circa ulcus oritur *ab acido* præternaturali, nunc ſimpliciter fermentativo, nunc ſimul corroſivo, nunc putrefactivo, nunc virulento. &c. labiis, vulneris, ejuſque parietibus affixo, omne affluens nutrimentum depravante, & ſimul plus minus carnem ſanam rodente & abſumente.

E. hoc acidum qui tollit, & alimenti perverſionem removet, & ſordium proventum inhibet, & iſto ablato natura alimenti appoſitione & convenienti aſſimilatione partem cavam replet.

Hoc fermentum *acidum quæ tollunt ſunt* nulla alia, niſi quæ l. apertè acido ipſi, ſunt contraria ut *alcalia* omnia præſertim *volatilia*, vel quæ idem abſumunt avidè & abſorbent *fixa mineralia & metallica*: Hæc E. vera erunt mundificantia.

Prout a. fermentum Ulceris acidum corruptivum variat, *variant inter ea quæ ſunt applicanda* acria plus minus & abſorbentia iſtud potentiora l. mitiora pro gradibus acidi, quibus & pro circumſtantiarum varietate alia quæque appropriata ulceri & ejus ſpecifico fermento ſunt intermiſcenda.

Fortia talia non ſtatim & immediatè acriori acido, *niſi neceſſitas urgeat* opponenda ob efferveſcentiæ & inde ortæ irritationis metum c. ſed *prius mitioribus temperanda* eſt ejus acrimonia & tunc ſenſim ad fortiora adſcendendum.

Mitia hujuſmodi præmittenda *digeſtiva* dicuntur, quia temperando vim acidi fermenti moderatè ſordium quandam in melius mutationem & qs coctionem, rd. ſuppurationem promovent, ut id quod antea tenue acre & qs. crudum eſſet, nunc craſſius temperatius & qs. maturitis profluat.

Fit tamen interdum, ut præter ſimplicem ab acido corruptelam *ſingularis partis* concurrat *putredo & corruptio*, in qua præter degenerationem alimenti in varias ſordes putrilago ſimul & cadaveriſatio incipienſque quædam qs. *gangræna* præſto ſit: in quo caſu, fortiſſima omne putridum ad partem uſque ſanam abſumentia & putredinis ulteriorem progreſſum inhibentia uſurpanda eaque ſæpius acida, uti eſt unguentum imprimis Ægyptiacum, aut in perfectâ gangræna butyrum mercurii aut ſimilia: quibus tamen laudabiliter ſuo officio defungẽtibus aut defunctis, ſubitò ea omittenda ſunt ne partes ſanas abſument, aut novum fermentativum corruptionem in parte affectâ generet.

Hiſce externis commodiſſimè ſubjungenda ſunt *interna* occulto & temperato alcali acidum primarum viarum præcaventia & quantum poſſibile ſuccum nutritium ita alterantia, quo minus à fermento ulceris acido corrumpi poſſit, qualia ex vegetabilibus vulnerariis it. ex cancris fluv. albo græc. & ſimilibus potionum formâ parari ſolent: aut Eſſæ modo, quibus ex lignis parata potulenta mirè etiam ſuccurrunt.

Quod ſi v. deteriora fuerint ulcera, ad ipſa viperina ſaluberrimo conſilio fit acceſſus, aut m. ipſa ſalivatio mercurialis in auxilium eſt vocanda.

DIGESTIVA E. ſunt ſequentia ol. roſar. Maſtichin. butyr. recens non ſalit. butyrum majale, vitell. ov. mel. gumm. elem. terebinth. thuſ. maſtiche: farina tritic. hordei fœnugræc. & ſimilia.

Fit E. unguentum digeſtivum h. m.

℞. Terebinth. ℥j.
Vitell. ov. no. j.
Mellis roſac. ʒij.
Ol. Hyperic. ℥j.
M. F. Linimentum digeſtivum.

Vel: ℞. terebinth. ℥j. mellis ℥ß. ſucci apii ʒij. farin. hord. fœnugræc. aa. ʒiß. myrrh. parùm M. S. ut antea.

Pus ubi genitum eſt, & quidem laudabile, ſimul *mundificantia & acidum* in ulceribus peccans *corrigentia* ſunt admiſcenda & uſurpanda, eaque acriora, mitiora, poſitivè, privativè operantia, pro conditione ulceriſque varietate.

MUNDIFICANTIA SUNT:

radix: apii, ariſtoloch. utriuſque, beton. cyper. plantag. ſigill. Salomon. tormentill. aron. cucumer. aſinini: dracunc: irid. gentian. hellebor.

Folia cichor. it. abſinth. & apii, anagallid. minor, agrimon. chamædry. betæ, marrub. plantag. ſempervivi major. ſolan. ſcrophular. betonic. veronic. vincæ. pervinc. artemiſ. fumar. nicotian. hyperic. centaur. minor. chelidon. major. ſabin. &c. It. *Flores* roſar. rubrarum: hyperici, centaur. minoris.

Cortices pini,
Linum guajacum, ſaſſafras,
Semen urtic. plantag. apii.
Baccæ juniperi,
Farinæ ſem. lin. fœnugræc. cicerum lupinorum, hordei, fabarum, furfurum.
Purgantia imprimis ſcammoniata.
Succi abſinth. roſarum rubrarum, apii chelidon. maj. & ex ſ. c. his ſuccis parati ſyrupi.

It. ſacchar. aloë, vinum & ſimilia: lixivium omne ſpirit. vini extract. ariſtoloch. rotun. c. ſpirit. vini camphora & camphorata, animalium urinæ & fella, ſerum lactis, mel, mel roſatum, mumia, ſuccus ſerpentum, cancrorum fluv. ſtercus canis, oſſa rodentis: reſina terebinth. thus, myrrha: Euphorbium ſulphur. ſaturn. & omnia ſaturnina, minium, ceruſſa, lithargyrum, crocus martis adſtringens, terr. vitrioli dulcis, tutia, æs uſtum, alumen vitrioli imprimis, virid. æris, nitrum arſen. *decoctum ſcoriarum reguli antimonii* eſt ſingulare: ſpir. ſalis ſulphur. vitrioli, aquafort. butyr. antimonii, mercurius dulc. mercurius præcipitatus: arcanũ corallinum, aquæ virides quæcunque ex virid. æris paratæ in ſpecie Hartmanni: aqua calc. vivæ, benedicta, ol. nicotian. terebinth. ceræ, ovorum, tart. p. d.

Balſamum ſulphur. tam ex ſulphur. commun. quàm in ſpecie ex ſulphure aureato antimonii ſecundum methodum Poterii empl. diaſulph. Ruland. balſam. Peruvianum, &c.

Unguentum apii quod eſt egregium.
Unguentum Nicotianæ: it.

Unguenta Iridis, fuſcum, ſ. citrinum, album, album camphoratum, de ceruſſâ, diapompholyg. Ægyptiacum: porrò empl. de betonic. de gratia DEI, divinum c. empl. diaſatur. Mynſ. it. empl. de carne bubulâ ejuſdem.

Utendi horum modus eſt:
1. In Injectionibus.
2. In Unguentis.
3. In Emplaſtris.

v. gr. 1. *Injectio* in ulcera ſinuoſa & ſordida.

℞. Fol. nicot. Mj.
Summit. abſinth.
h. veronic. ana. Mj.
Rad. Ariſtoloch. rotundæ, ℥j.
Baccarum juniper. ℥ß.
Aluminis crudi ʒvi.

Coqu. in ſ. q. aqu. fabrorum: Colatura ſervetur uſui pro injectione in ulcus, addendo omni applicationi ſpiritu vini ℥j. plus minus pro ratione quantitatis liquoris injiciendi:

2. Unguentum *mundificans* ulcera ſit hoc

℞. Succ. Nicot. ℥iv.
plantag.
abſinth.
Betonic. aa. ℥ij.
Mell. roſat. colat. ℥iv. vel v.

Coqu. & ſubigantur probè lento igne adde
terr. vitrioli dulcis ℥iij. vel ʒß.
Pulveris aloës.
Myrrhæ.
flor. ſulphur. an. ʒj.

M. probè addendo ſimul terebinth. Venetæ pro conſiſtentia unguenti, v. gr. ℥iij. in fine etiam nonnihil balſami Peruviani eſt intermiſcendum.

Denique *Unguentum Sarcoticum* ex quo facilè fieri poteſt empl. ſit hoc

℞. Unguenti diapompholyg. de tutia.
Empl. diaſulphur. Ruland. ana. q. ſ.

Malaxantur

Malaxantur c. ſ. q. ol. Nicotianæ
F. unguentum ſ. emplaſtrum
Applicandum c. petiis vel imponendum inductum linteo.

Inter hæc autem remedia pauca ſufficiunt, & ſecundum *Helmont.* ad ulcera *benigna*, *terr. vitrioli dulc.* ad *maligna* vero. arſen. Eminet etiam *balſ. ſulph. terebinth. balſ. ſulph.* vel *communis*, vel *antimonialis* cum *oleo lini* aut *nucum jugland.* expreſſo paratus, vide de hoc *Polemann. de ſulph. philoſoph.* ubi habet ſimul egregium empl. ubi tamen loco *vitriol. dulc.* poſſunt ſubſtitui vel *cap. mort. vitrioli elixiviatum* ſolum, vel addito tantillo *virid. æris.* convenit etiam *balſam. Peruv.* habeatur tamen delectus, an *pinguia* conveniant an non? ſi poſſunt ferre, conveniunt dicta *balſama*; ſi non, ſufficit *mel* cum *ſucco vulnerario.* In rebellibus ulceribus reſpiciendum eſt ad *mercur. vivum*, à quo ſpiritus nitri fuerit abſtractus: In ulceribus putridis *virid. æris* cum *aceto deſtill.* eſt optimum; unde *unguent. Ægytiac. apoſtol. fuſcum VVurtzii*, conveniunt. Sic ex *vitell. ovi & melle* fit unguent. utile in quibuſcunque vulneribus:

℞. Vitell. ovor. ad durit. coct. num. iij. mell. ℥iß. M. cum hauſtu vini, fiat unguentum:
quod optime purgat ulcera, & etiam à gangræna præſervat. Si ulterius progrediatur malignitas, adde *mercur. præcipit.* ʒß. plus minùs, pro ratione circumſtantiarum. *Emplaſtr. Polychreſt. cicatrizans* eſt.

℞. *Maſtich.* ℥j. terebinth. ℥iij. ceræ fluv. ℥iv.
Hiſce liquefactis adde maſt. & redigantur ſimul in *empl.* præſtans ad *conſolidanda & cicatriſanda ulcera.* Non cedit huic ad *conſolidanda ulcera*:

℞. Calcis vivæ bis l. 3. lotæ & parum exſicc. q.pl. M. cum ol. lini q. ſ. tingatur cum bolo armen. l. bolo rubro ad carneum quaſi colorem f. empl. egreg. in ulceribus vetuſtis. *Interne* etiam quædam adhibentur ad promovendam curam externam. Inter *univerſalia* ergò *purgantia* eminet *mercur. dulcis*, ſi crebriùs uſurpetur cum *extr. hellebor. nigr.* vel *panchymagog. Croll.* quin etiam *antimonialia*, tam fixa, quàm in ſpecie *tinctur. antimoniales* genuinæ nobiles ſunt. Additur his uſus frequens *ocul. cancror.* cum *Myrrh. & Croco. corall. & oc. cancror.* cum *aceto deſtill.* propinata: Tandem *viperina*, *eſſent. viperar.* imprimis *ſpiritus & ſal. volatil. viperarum* continuo uſu mire conferunt: Quibus adde ſimul remed. *ex lignis*: *eſſent. lign. tinctur. corall.* cum *alcali lign.* imprimis *decocta lignor.* quæcunque, dicta *ſudorifera*, uſurpata conferunt.

Hæc eſt doctrina ulcerum & remediorum ad eadem pertinentium in genere: pergo paucis ad

VLCERA IN SPECIE.

Vlcera in ſpecie. Sin *Caries* ſubeſt in oſſe juxta ulcus neceſſe eſt hæc auferatur aliàs enim ulcus nunquam curabitur.

Caries. *CARIES* autem nihil eſt aliud quam oſſis corroſio nunc major vel minor, prout magis vel minus fuerit inveterata: & quidem ſi oculis pateat os denudatum facilè caries cognoſci, poteſt, primò enim *oleoſum* quodammodo *& pingue evadit os*: hinc ſucceſſivè *flaveſcit*, deinde ſucceſſivè magis *nigreſcit* & foraminulatum redditur, quaſi teredinibus pertuſum & perforatum.

Sin v. ſit *abſconditum os*, tunc vix cognoſcitur niſi *per ſpecillum* tunc enim ſpecillum it. ſtylus in fundo non glabrum d. inæquale & ſcabroſum os percipit, quia & *quæ effluunt* ex ulcere ſordes & excrementa *pinguia & oleoſa* & *nimia copia* effluere foras ſolent.

Quod ſi ulterius lateat caries ex eo ferè pateſcit, quod *ulcera talia ſint ferè incurabilia* & aut ſubinde recidivent, aut difficillimæ ſint curationis & optimis etiam non auſcultent remediis: Non enim poteſt firmiter conglutinari caro cum oſſe carioſo, quia ſanies ex oſſe plorans ſemper novum ulcus generat, quod, etſi conſolidetur, caro tamen, quæ ulceri ſupervenit, eſt flaccida, mollis, & minùs dolens.

Caries quo magis eſt inveterata eò difficilius auferatur: hinc etiam quo magis occupat oſſa circa *articulos*, aut ubi eſt copia partium nervoſarum, ibi etiam difficilius tolli ſolet.

Ut autem carioſum ulcus melius poſſit tractari; vel ſeparari, congruum eſt, ut labia ulceris non nihil dilatentur vel ſcalpello, vel immiſſis turundis intumeſcentibus: Tales fiunt: ſi volumus acrius procedere, ex *radic. gentian.* ſi non, ex *Medull. ſamb.* compreſſa hæc enim imbibit copioſam humiditatem, unde intumeſcit & orificia ulceris aperta reddit. Poſt etiam conſideratur, an caries ulceris ſit talis, quæ poſſit remediis cedere; an v. neceſſe ſit adhibere remedia chirurgica.

VT E. CVRETVR os Carioſum vitanda ſunt omnia oleoſa & mucilaginoſa: quia potius fortiora corruptioni & putredini reſiſtentia applicanda, quâ ratione ſpir. vini ſ. aquæ vitæ c. petiis impoſita optime convenit: itidem ſi quid aliud *Euphorbium* eſt ſingulare experimentum ad cariem oſſium corrigendam & tollendam ſi pulveris Euphorbii c. plumaceolis oſſi carioſo immediate imponatur de quo vid. HILDANUS *cent. 4. obſ. 96. it.* RIVERIUS *cent. 2. obſ. 26.* eſt enim expertiſſimum remedium.

Applicatur vel ſolum vel etiam permiſcetur commode c. aliis v. gr.

℞. Mumiæ Sarcocoll. aa. ʒß. Euphorbii ʒj. M. f. pulvis applicandus oſſi carioſo.

Mitius agit quam Euphorbium pulvis rad. Ir. Florent. qui & ipſe juxta Euphorb. ſemper eſt optimus & fuit experimentum HEURNII in oſſibus carioſis quin & pumex uſtus rad. ariſtoloch. rotund. pulvis aloës & Myrrh. impoſitus oſſi carioſo egregie confert. Ol. Guajac. deſtillatum ol. caryophill. deſt. c. pluma oſſi carioſo illitum (olea expreſſa & infuſa dixi vitanda eſſe, de deſtillatis alia eſt ratio) uſitatiſſimum eſt in modernâ praxi Gallis, ad oſſium cariem corrigendam: uti etiam ſpir. vini parum c. ſpiritu vitriol. acuatus, ubi fortius agendum eſt imponi poteſt.

Quin & *injectiones* inſtituendæ imprimis in *fiſtulis* & ulceribus ſinuoſis, quæ ſæpius diuturnitatem obtinent à latente oſſis carie; Tunc ſcil. optime injiciatur ſuccus Chelidon. maj. c. ſpir. vini c. quibus aloë & Myrrho. probè ſint permiſta: aut etiam *ubi fortius agendum eſt* parum vitrioli additum ſit: hæc ipſa injecta ſubinde ſolent tollere cariem, & etiam os mundificare, ita ut interdum ſquamulæ oſſis abſcedere ſoleant. Melius adhuc eſt & quod vix aliis cedit remediis in vulneribus, fiſtulis & ſimilibus ulceribus c. oſſis carie, mercurius dulcis ſolutus in aqua plantag; qui calide injectus in ulceribus corroſionem c. oſſium carie abſumit ſimulque egregie ulcus mundificat. Singulare eſt, quod ad os carioſum commendat *Tulpius l. 1. c. 39.* nempe de *ol. ſublimati*, (per quod forſan intelligit *butyr. antimonii*,) cum ol. lini mixto, mediante quo graves oſſium caries notat ſe obſervaſſe curatas. *Unguentum* etiam *Ægyptiac. pulv. tereb.* ad duritiem coctæ cum *ung. fuſco VVurtzii* hic proſunt.

Quod ſi hæc non ſufficiant, *ferro aut ign.* corrigenda eſt oſſis caries: ita quidem ut radatur locus carioſus ſi ſit in ſuperficie aut terebrâ perforetur caries eo uſque donec os album, ſolidum & tranſudantibus vel emanantibus hinc inde ſanguineis guttulis ſe manifeſtet poſtmodum dicta remedia applicentur.

Quod ſi raſio non videatur ſufficiens: vel hac omiſſa vel poſt peractam raſionem c. ſcalpro *cauſtico actuali* ſ. ferro ignito adurandum eſt os carioſum ita ut ardor ab igne inductus totam cariem penetret, vitando caute ne partes vicinæ nervoſæ aut carnoſæ tangantur, inde & lædantur.

Facta raſione vel uſtione expectandum eſt donec ſponte natura fiat ſeparatio oſſis carioſi ab oſſe ſano quod ut fiat promptius Batavi moderni applicant ſpiritum vini felici c. ſucceſſu.

Quod ſi hic minus videatur efficax ol. deſtillatum caryophyllorum applicatum eſt convenientiſſimum. Mentio injecta fuit.

Vlcera fiſtuloſa ſ. ſinuoſa. FISTULARUM ſ. ulcerum ſinuoſorum.

Fiſtulæ ſ. ulcera profunda & ſinuoſa ſunt unum idemque, niſi quod interdum in ulcere diuturniore aut male tractato ſuperveniat *callus*, qui nunc cingit ambitum ſ. orificium ulceris nunc v. totum ſinum ulceratum incruſtat & occupat & *talia ulcera ſinuoſa c.callo* enata vocantur fiſtulæ.

Fiſtulæ hæ facile *patent ex* callo nempe enato, ſaltim obſervandum eſt, an fiſtula ſit *ſimplex* an v. *multiplex* it. obſervandum eſt quouſque pertingat, an ſcil. in oſſe an vero in parte molli v. gr. nervea, in carne, in vena aut quadam arteria finiatur.

Simplicem aut multiplicem eſſe fiſtulam ex quantitate materiæ effluentis fere colligitur: it. expreſſione ejus & ex ſituatione ægri, an in uno latere an in altero, nunc hoc, nunc aliud pus effluat; it. ſi plura orificia fuerint fiſtulæ ita quidem ut injectus liquor per unum orificium non effluat per alterum foràs, fiſtulam multiplicem eſſe, tunc fere colligitur ſ. innuitur: It. an recta an vero tortuoſa ſit fiſtula & ſinus ex ſtylo colligitur, qui ſi recta penetret rectam fiſtulam, ſin v. penetrare nequeat tenuis candela ex cera & therebinth. intrudenda & ex hujus curvatione figura fiſtulæ eſt expiſcanda.

Quouſque terminetur fiſtula ex ſtylo patet facile. Nam ſtylus in rem duram impingens os oſtendit: & quidem dum abſque ullo dolore ſequitur perioſtium, jam os denudatum innuitur: ſin durum & glabrum ſit c. pure non pingui ſ. oleoſo os adhuc integrum eſt, ſin verò os inæquale & aſperum tangatur os eſt carioſum. Si ſtylus intruſus circa fundum intenſum dolorem inferat, nervum aut partem nervoſam admodum ſenſilem in fundo ſubeſſe innuitur c. aliis fere in partem carnoſam terminare præſumitur, & materia effluens eſt ſimilis puri laudabili: Fiſtulæ verò partium nervoſarum plorant pus acre & tenue, *ſi deſinat in vas*, ſignum materiæ eſt, obſcuri coloris inſtar fæcis, propter ſanguinem, *ſi ipſum vas eroſum ſit*, ſubinde ſanguis ex fiſtula profluit, vel rubicundus, vel obſcurus, ratione vel venæ, vel arteriæ.

Imprimis autem in locis glanduloſis frequentes oboriri ſolent fiſtulæ quin & ulcera diuturna in locis glanduloſis obortæ, ſi non fiunt cancroſa ſæpius fiunt fiſtuloſa & ſinuoſa: Habent & hoc vitium adjunctum fiſtulæ, ut orificium habeant admodum anguſtum quod continuo ſaniem acrem plorat: unde etiam dolentes ſunt fiſtulæ niſi durior callus omnem ſenſum abſtulerit.

VT E. CVRENTVR fiſtulæ callus eſt abſumendus: Hinc fiſtula probe purgantibus ſ. mundificantibus ut vocantur & hinc convenientibus ſarcoticis conſolidanda.

Hoc ut fiat conveniens eſt ut prius *ampliatur* orificium, quia aliàs ad callum aut abſumendum aut fiſtulam purgandam minus commode applicari poſſunt remedia.

Amplificatur orificium fiſtulæ calloſum per penicillos ex medulla ſambuc. intruſos it. ex rad. ariſtolochiæ confectos & immiſſos.

Facit etiam huc rad. Gentian. ſicca (quæ eſt optima) quæ vel nude intruſa vel quod melius eſt unguento quodam emolliente illita immittitur: ſic enim optimum habet effectum ad emolliendum callum & amplificandum orificium fiſtulæ ſicque poſt extractionem radix dupla craſſior inveniri ſolet. Fortius ubi agendum eſt ipſa rad. Gentianæ adſpergenda eſt prius alumine uſto & ita applicanda, ſic enim convenienter admodum dilatatur orificium & abſumitur callus.

Hoc facto mundanda eſt fiſtula per injectiones ex ſpirit. vini permiſto c.ſucco Nicotianæ: & pulv.exuv. ſerpent. aut expurgari debet ſanies ulceris fiſtuloſi c. aqua Mulſa vel ſimili injiciendum eſt hoc

♃. Mell. roſat. ℥iij. ſpir. vini ℥ß. mercurii præcipitati edulcorati vel præcipitati vulgar. ʒß. M. & ita injiciantur: Sic enim optime purificantur ulcera ſanioſa & fiſtuloſa.

Minui poteſt doſis præcipitati pro ratione ſcil. circumſtantiarum:

It. ad purificandum injici poteſt aqua calc. vivæ benedicta iſta Chirurgorum vel ſola vel cum ſpir.vini acuata cui addatur mercurius dulcis,erit remedium eo potentius: vel ſufficit ſola aqua plantaginis in quâ mercurius dulcis ſolutus eſt, ſi calide probe injiciatur. Convenit etiam ſuccus cancrorum fluv. ſubactus probè c. fol. nicot. & ita expreſſus c. quo ſimiliter miſtus mercurius dulcis eſt egregium admodum ad purificandas fiſtulas remedium: Omnia mercurialia hìc palmam præripiunt, ſi cum vulnerariis probe miſta injiciantur.

Hinc etiam turundæ immitti poſſunt illitæ c. unguento fuſco felic. VVurtz: item cum *ung. Ægyptiac. balſam. ſulphur. terebinth.* vel ſolus, vel cum *camphora* mixtus it. illitæ c. unguento parato ex melle deſpumato & inſpiſſato permiſto c. Thure, aloe & aſa fœtidâ: ♃. *mell. deſpumati* ℥ij. coque ad aliquam glutinoſitatem, hinc dum incipit refrigerari, adde *aloës, thuris* minutim pulveriſ. ana ʒj. *aſa fœtid. pulv.* ℥iß. diu terantur in mortario, fiat unguentum, ſic enim mundificantur conſolidantur cicatriſantur ſucceſſivè fiſtulæ citra ſectionem & uſtionem. Si verò in malo pertinaciori, aut callo graviori non ſufficiant neceſſe eſt ſubinde, ut addantur *mercurialia* aut *antimon*, v. g. ♃. *Vng. Ægyptiaci* ℥ß. *mercur. præcip.* ʒj. *lixiv.* ℥iv. *aqu. roſ.* ℥ij. *plantag.* ℥iv. Coque ad conſumptionem tertiæ partis, quod reliquum eſt fiſtulis illinitur, & ejus loco calloſo, ut exedatur & abſumatur callus, verum non ſemper, propter dolorem, & alias circumſtantias poſſunt applicari, unde neceſſe eſt, ut tota fiſtula incidatur, & aperiatur, factâ apertione dictis remediis callus vel exedatur vel etiam pedetentim ſectione auferatur; ablato callo, ulcus tanquam ſimplex blandis mundificantibus & conſolidantibus curari poteſt.

Nam ubi cedere nolunt remediis fiſtulæ, neceſſe eſt fiat acceſſio aut ad ſectionem aut ad uſtionem doloroſiſſimam tamen quæ ipſa c. raro admittatur ab ægris potius palliativa cura inſtituenda venit.

Unum adhuc moneo aquæ virides dictæ ex virid. æris paratæ ad ulcera ſinuoſa & fiſtuloſa mundificanda & curanda ſunt optima.

Palliativa cura conſiſtit in eo ut convenientibus ſudoriferis purgantibus & diætâ ſubtrahatur materia affluentis ſaniei quantum poſſibile: hinc fiſtula conſolidetur in ſuperficie: Nam c. convenienti diætâ ad aliquod tempus interdum ſatis diu conſervari poteſt clauſa, utut ſucceſſivè denuo ſolent recidivare ſ.exulcerari denuo. Unde continuanda venit talis modi palliativa cura.

Præter fiſtuloſa ulcera vel ſinuoſa etiam reperiuntur

VLCERA SORDIDA

Ita dicta propter copiam ſordium craſſarum & mucoſorum excrementorum quæ effundunt. *Vlcera ſordida.*

Quod ſi hæc ipſa ſimul odorem graveolentem & qſ. cadaveroſum exſpirant, tunc

VLCVS PVTRIDVM

Appellari ſolet.

Quod ſi ſimul c. tali excremento peripheria ulceris in latum & longum magis magiſque extendatur & latius ſerpat, tunc dicitur *Vlcus putridum.*

VLCVS CORROSIVVM

Cauſæ horum ex ſupra dictis de Ulceribus in genere facile patere poſſunt: Hoc ſaltim moneo *ſordida interdum fieri ulcera ab unguentis & linimentis nimis oleoſis* & nimis *unctuoſis* applicatis ſpecialiter *in locis nervoſis.* *Vlcus corroſivum.*

Sponte

Sponte patent hæc ipſa ulcera. Quoad CURAM præter interna optime mundificanda ulcera ſordida, putrida & corroſiva per ſpir. vini applicatum illinendo deſuper quo diſſoluta ſit theriaca unguentum Ægyptiacum.

Conveniens etiam eſt ſequens unguentum frequentis & experti uſus apud Gallos.

♃. Succ. depurat. opii, abſinth. betonic. aa. ℥j. plantag. ℥iv. agrimon. ℥ij. Mellis roſat. colat. ℥iv. bulliant ad conſumptionem humorum l. liquorum ab igne incorporentur hoc pulvere.

♃. Gallarum ʒß.
Myrrh. elect. ℈ij.
Thur.
Maſtich.
Aloes:
ſanguin. dracon.
Sarcocollæ aa. ℈j.
Roſarum rubrarum.
Balauſtiorum.
Ciner. ſarmentor. vit. aa. ʒj.

Hæc incorporentur c. modo dicto unguento! quo feliciter uti dixi utuntur adhuc hoc tempore Galli.

Quia & *ſtercora animalium* in ſpecie ſtercus canis oſſa rodentis applicatum: *imprimis ubi nimis unctuoſa antea ſunt applicata* optime conducit.

Convenit etiam ſtercus bovinum c. vino veteri expreſſum & applicatum.

Elegans hîc eſt obſ. Foreſti in lib. 7. obſ. 4. de quodam qui ulcus deſperatum habebat ita ut à nullo curari potuerit: huic appoſuit quidam ſtercus caprinum c. vino generoſo expreſſum & eo modo ulcus conſolidatum fuit: id quod etiam in aliis poſtmodum adhibuit.

Mercurialia etia conducunt in his ulceribus: Hinc unguentum de ceruſa vel unguentum ſaturni Mynſ. c. arcano corallino Vulgari l. c. mercur. præcipitato miſtum imponendum eſt vel abluantur cum de cocto calc. vivæ cui adde mercur. dulc. quæ talia ulcera optime curare ſolet. *Ut mercur. præcip.* tutius externe poſſit uſurpari, optima eſt præparatio *Luſitani c. 4. cur. 51.*

♃. Mercurii viv. aquæ fortis ana M. & aqua fortis abſtrahatur per retortam, pulvis præcipitat. remanens miſceatur cum ſpir. vini, digeratur aliquandiu & aliquoties ab eodem abſtrahatur, ſemper novum ſpirit. vini affundendo, donec ſponte exiccetur ſuper mercur. loco hujus etiam *arcanum corallinum* commode poteſt adminiſtrari. Additur hic mercur. præcip. aliis quibuſdam ungu. aut balſamis, aut emplaſtris plus minus, pro ratione circumſtantiarum.

His ulceribus vicina ſunt ulcera quæ aliàs dicta

DYSEPULLOTICA, CHIRONIA TELEPHIA.

Et quæ ſunt alia nomina in ſpecie

PHAGEDEMA

Vlcera Phagedema.

Scil. omnia ulcera quæ inveterata ſunt & ſpecialiter in tibiis occurrunt, & hinc tam profunde radicata ſunt, ut vix poſſint denuo conſolidari & curari, dicuntur *dyſepulotica* it. *Chironia*, quod nempe CHIRONE CENTAURO famoſo iſto *Chirurgo* opus habeant.

Alias etiam *Phagedema* dicuntur à φάγομαι, Comedo exedo quod talia ulcera ſubito ad vicina ſerpendo accreſcant & augmentum capiant.

Ad hæc E. ulcera CURANDA *præmiſſis* nempe *internis*, conducit inſigniter aqu. pomorum putridorum deſtillata quæ eſt inſigne remedium in hoc caſu imprimis ſi in eadem ſolvatur extractum. rad. ariſtoloch. rotundæ paratum c. ſpir. vini. Talis enim aqua c. extracto optime mundificat & purificat hæc ipſa ulcera.

Loco hujus extracti commode in eadem aqua deſtillatâ diſſolvi poteſt mercurius dulcis vel etiam ſaccharum ſaturni: in caſu, ubi ardoris vel inflammationis adeſt ſuſpicio: Hinc imponitur miſtura c. linteis duplicatis pro cura horum ulcerum: Nam ad hujuſmodi contumaciora ulcera certum eſt quod mercurialia imprimis requirantur. Unde etiam Poterius feliciſſime in uſu pro cura horum ulcerum habuit ſuum calcinatum majus ut vocat, quod nil aliud fuit quam mercurius certo modo præcipitatus, aliàs mercurius vulgari momo ſublimatus commodè etiam applicari poteſt ad imitationem Rulandi.

♃. Aqu. plantag. ℔j.
roſarum ℔ß.
flor. malor aurant. ℥iij.
mercur. præcipitati pulveriſati ʒß.

Coquantur lento igne per horæ quadrantem removeantur & applicentur hinc ulceribus, admodum enim exinde hæc ad conſolidationem properant.

Convenit etiam in his ulceribus ſi abluantur c. aqua plantag. in quâ aliquid aluminis diſſolutum eſt; Nam & hoc multum confert ad curanda hæc ulcera.

Loco hujus ſolutio ſcoriarum reguli antimonii in aqua appropriata applicata habetur experimentum ſingulare in contumacioribus curandis ulceribus denique experimentum militare eſt ſi pulvis pyrius ſ. pulvis nitratus, (qui erit optimus certum eſt) ſolvatur in vino & ita ſolutio excepta linteolis imponatur ulceribus dyſepuloticis etiam malignis: conſolidat enim & mundificat.

Hinc his ita factis, ablatis & impoſitis commode etiam unguentum diapompholyg. mercur. præcipitato miſtum poteſt imponi, hoc enim talia contumaciora ulcera commode ad conſolidationem diſponit: Singulare quid latet in *ſtercore humano* quod ad ulcera phagedema corroſiva & cancroſa etiam in ipſis mammis, ſingulare exhibet ſpecificum: Nam dum deſtillatur ſtercus humanum ultimo loco per retort. adſcendit ol. admodum fœtidum aliquoties rectificandum, quod ipſum imprimis illinendum eſt peripheriis ſ. circumferentiis hujuſmodi ulcerum impeditur enim ſic ulterior progreſſus & ulcus pedetentim ad naturalem redit ſtatum.

Non incommoda etiam eſt compoſitio Plateri ad ulcera ſerpentia quæ eſt hæc

♃. Ceruſſ.
Tutiæ,
Sarcocoll. aa. ʒiß.
Myrrh. ʒj.

M. & f. pulvis ſubtiliſſimus cujus media pars addatur

Vnguent. popul. ℥j. *ſucc. plantag.* ʒß. *Terebinth. laricea q. ſ.*

Ut f. unguentum. Reliqua medietas inſpergenda eſt ulceri & deſuper applicandum modo dictum unguentum.

Mentio facta eſt modo

VLCERVM CANCROSORVM

De his ſufficienter dictum fuit ſupra ubi de tumoribus. *Vlcera cancroſa*

Dictum fuit eos eſſe vel *occultos* vel *manifeſtos*. per manifeſtos intelligi eos quorum arſenicalis maligna aciditas corrodendo jam in perfectum abiit ulcus. De his E. *cancroſis ulceribus* jam ſermo erit:

Eorum ſigna ſupra fuerunt prolata ſive oriantur *ex cancris* antea *occultis* ſive ex ulceratis ſive ſint *ſcirrhi* & *ſcrophulæ*, qui malè tractati, in cancros exulceratos abeunt: ſive ſint alia ulcera quæ putredine & corroſione arſenicali ad cancrorum naturam proximè accedunt.

Hæc ipſa caute admodum ſpecificis ſunt tractanda, ut ſcil. citra irritationem doloroſum venenum arſenicale corrigatur & tollatur: Hoc ut fiat, juvat imprimis inſperſio pulveris Bufonum ſcil. bufo & lacerta

Calcinantur ambo in ollâ novâ benè clauſâ : poſtmodum cancer exulceratus ſ. ulcus cancroſum, oblinitur aqu. plantag. & inſpergitur huic modo dictus pulvis, qui brevi curat cancros. Quod ſi fortius agendum ſit ♃ atur bufo in olla nova exſiccatus & pulveriſatus adatur hinc parum auri pigmenti piperis nigri, ſalis comm. & fuliginis ſiccæ, quæ invicem pulveriſentur, & pulvis inſpergatur cancro exulcerato ſ. ulceri cancroſo, & hinc petiâ ſalivâ madida, deſuper eſt applicanda.

Singulare m. auxilium apud quoſdam Commendatur *ſtercus felis* cancris fluv. nutritæ, quod in pulverem redactum mirabiliter juvat in ulceribus cancroſis : felis uti dico clauſa & aſſervata ſolis cancris fluv. eſt alenda & nutrienda : hinc enim ejus excrementa tam ſingulares virtutes obtinent.

Præ cæteris in arſen. perfecta cura ulcerum cancroſorum eſt inquirenda & inveſtiganda, modo ita applicetur, ne nimis irritet ulcus cancroſum acrimonia ſuâ atque nociva malignitate ſive E. hoc ſub formâ pulveris c. aliis applicetur quo pertinet pulvis benedictus ad cancros ex arſen. pulvis rad. ari fuligine & ſimilibus cujus Compoſitio & uſus vid. in HARTMANN. praxi Chymiatric. *it. in Epiſt.* LIBAVII & aliis quamplurimis loci : ſive, quod melius eſt arſen. prius rite fuerit fixatum beneficio nitri & hinc per d. reſolutum in ol. ſine inſigni acrimonia : tale enim ol. arſen. fixum aliis omnibus merito palmam præcipit in cura cancror exulceratorum ſive m. ipſum arſen. fixum commode permiſcetur balſamo ſulphur. Rulandi addito ſimul fuligine furni : Hæc n. dant unguentum ſingulare contra cancros exulceratos.

Poſt hæc quæ apta nata ſunt ut curent cancrum exulceratum, imprimis conducunt ſaturnina remedia acidum corroſivum malignum cancroſorum ulcerum mire edulcerantia. Unde balſamus ſaturni Terebinthinatus c. Camphorâ & ol. fuliginis miſtus eſt conveniens admodum remedium it. ſaccharum ſaturni c. fuligine probe attemperatum & c. ſucco ſonchi & plantag. illitum ſi prius ducatur in mortatio ſaturno : commode ibidem applicari poſſunt ad ulcera cancroſa.

Pertinet huc pulvis Tulpii expertus ex ſaturno liquefacto c. mercurio vivo qui vid. in lib. l. obſ. 47. & qui ab eodem mire Commendatur ad ulcera cancroſa. Nam certum eſt quod ſaturn. ut aliorum pertinacium & ulcerum cancroſorum egregium exiſtit mitigativum : Unde m. unguenta omnia ulceribus cancroſis applicanda ducenda & miſcenda ſunt c. piſtillo plumbeo in mortariis plumbeis calidis.

Aut fiant unguenta contra ulcera cancroſa ex ſuccis vegetabilium nempe ſonchi, virgæ aureæ, Geranii Robertian. & ſimilium ſubactis c. pulveribus ſaturninis quibus l. ex fuligine l. ex arſen. parata remedia commode admiſceri aut horum poſterior acrimonia ſuſpecta illis probe edulcorari poteſt.

Ad hos ipſos tumores cancroſos & ulcera cancroſa ne latius ſerpant Commendatur à quibuſdam ſequens emplaſtrum.

♃. Unguenti diapompholyg. ℥iij.
Empl. de Mucilaginibus ℥j.
Rad. ſcrophular.
ari ana ʒij.
C. C. uſt. præp.
Cinerum cancrorum fluv.
Ranarum ana ℥ß.
Miſc. in mortario Calido addendo :
ol. vitellorum ovorum recenter.
extract. q. ſ.
ad Conſiſtentiam debiti emplaſtri applicandi ne ulterius ſerpant.

Quod ſi *ulcus cancroſum ſordidum* videatur neceſſe eſt ſane ut blande tractetur, ne excitetur dolor ob id ſequens medicamentum imponendum eſt.

♃. Aqu. cancrorum fluviat.
ranarum.
plantag.
Card. bened. ana ℥iß.
Sem. Cydonior. ſubtiliſſ. pulveriſat. ℈ij.
C. C. uſt. præp.
Tut. præp.
ſaturni uſt.
Cinerum ranarum,
Gammar. ſ. cancror. fluv. ana ℥j.
Theriac. ʒiv.
M. & imponuntur tepide c. filamentis bis in die.

Hæc ipſa ſi non ſint ſufficientia *ferro & igne* aggrediendi ſunt cancri ſcil. ulcus cancroſum ferro prius abſcindendum & ſi ſit pars quæ poteſt abſcindi v. gr. *Mamma* : hæc tota abſcindenda: facta abſciſſioni vel exſectione ferrum candens applicandum ut radix cancri tota extirpetur: niſi enim hoc fiat & vel tantillum de fermento ulceris cancroſi remaneat, repullulat ulcus antiquum. Imo ſi ex *cauſa interna* oriatur ulcus cancroſum metus ſane erit, ne ablatum & curatum in uno loco, nihilominus tamen in alio denuo enaſcatur.

Unde m. HIPPOCRATES & GALENUS cancros exulceratos non niſi ferro & igne curabiles aſſeruerunt.

Exactis tamen aliquot ſeptimanis monui repertum eſſe novum quandam Medicum eximium archiatrum Ducis Lotharingiæ qui vocatur ALLIOTH qui citra ferrum & ignem per alcalia fixa temperata curare auſus fuit cancros exulceratos imprimis in Mammis ob id *vocatus fuit pariſios* ad hoc ut REGINAM matrem cancro mammæ ex ulcerato laborantem curaret : ut a. certus eſſet ipſe REX de ejus arte prius mulieres quaſdam plebejas cancro exulcerato laborantes curare debuit, quod m. in quibuſdam præſtitit citra ferrum & ignem, ut a. medicis pariſienſibus ſuggeret notitiam ſuæ Methodi ob id ſequens ſcriptum edidit pariſiis, breve quidem d. elegans quod quia haberi nequit paucis communicabo.

Inſcriptio ejus eſt hæc.

NUNCIUS PROFLIGATI ſine ferro & igne CARCINOMATIS.

Miſſus ducibus itineris HIPPOCRATE & GALENO ad Chirurgæ ſtudioſos à PETRO ALLIOTH PARRODUCOCO, ducis à Lotharingia Conſiliatio & Medico ordinario

Pariſiis Anno 1665.

An phænomena Carcinomata ἀγονισικως curari poſſint, arcano alcali remedio?

Theſ. 1.

Spiritus in nobis ſive inſitus ſive influus ſalivus eſt de alcalium proſapia balſamicus item, quia partem cujus eſt ſpiritus cuſtodit & conſervat : cujus autem l. alteratio plus minus intenſa ſ. diſſipatio ſ. extinctio ſ. ſuffocatio januam pandit putredini cujus individuus & inſeparabilis comes eſt acor ſpiritus illi balſamico prorſus hoſtilis : ut v. nullum ulcus ſive purulentum ſit ſive ſanioſum datur abſque *putredine* ſic ſane nullum ulcus abſque *Acore*, qui quidem pro diverſo ulcere multiplex eſt *alius* leproſi narcoticus *alius* gangrænoſi Necroticus *alius* ſcabiei pruriginoſus alius Carcinomatis diæteticus *alius* luis venereæ anthracis: Eriſypelatis, Herpetis, Morbillorum atque id genus inſtarque fermenti partem effectam ejuſque alimentum multifariam labefactat & Corrumpit.

Theſ. 2.

At enim vero ſal alcali ſ. lixivioſum aut quocunque alio nomine ſal. omnis acoris expers appellare licet, ſeu naturali ſit quale eſt in animalibus fel, ſeu artificiale, quale eſt ſal tartari & ejus liquor p. d. ſeu volatile,

volatile, quale eſt in lapillis cancrorum, ſeu fixum qualia ſunt omnia ſalia elixiviata ſeu ſaporis ſalſi, qualis eſt ſpiritus nitri incoërcibilis, magnarum in medicina virium ſ. amari, quale eſt in abſinth. ſeu denique acris quale eſt in antiſcorbuticis, aro, ſerpentaria. Hoc, inquam, ſalis genus cuilibet acido eſt fere contrarium alterumque ab altero contemperatur fitque neutrum ex utroque teſte paſſim experientia. Non juvat propterea quodlibet ulcus ab alcali qualicunque carari, imprimis carcinoma cujus acidum & volatile fermentum inſtar aquæ Chryſulcæ corroſivum & deſpicit & ſpernit mitiora quoque alcalia & tantum abeſt ut à validioribus ſi liquabilia ſint, qualia ſunt pyrotica miteſcat, ut econtra propter ſubitam fermentationem & partis vicinæ colliquationem plurimum ab iis exacerbetur febris aliaque ſupervenientia ſymptomata.

Igitur ſic præparentur neceſſe eſt, ut & fixa ſint & in aqua inſolabilia. Quod certe remedii genus non eſt εὐπόριςον, neque dum hactenus à quoquam deſcriptum: benè à & exactè paratum ſi imponetur parti ulcere cancroſo obſeſſæ ſenſim & ſine doloris inſignioris ſenſu tuto citoque acorem necat: quod ferro & igne non obtinebis, idque quod carcinomate deturpatum fuit ſiccat in Eſcharam intacta parte ſanâ & fermenti acidi experta: ipſâ v. eſchara l. à natura l. ab arte aperta, ulcus antea Ichoroſum fit purulentum, quod tunc mundificandum & mundificatum cicatrice claudendum.

Theſ. 3.

Etſi v. medici omnes poſt HIPPOCRATEM & GALENUM omnium carcinomatum tam *apparentium* quæ in habitu corporis tangi poſſunt quam in corpore *latentium* it. tam *Ulceratorum* quàm *non ulceratorum*, cauſam continentem ſtatuant *atram bilem*: humorem nempe ſeu ex bile flavâ aduſtâ ſeu ex ſucco melancholico retorrido genitum in eoque agnoſcunt acidum, non qualecunque d. acre corroſivum & mordax inſtar aceti acerrimi quodque terram fermentat, poſſitque ejuſmodi acidum ut aliud quocunque longè potentius à contrario alcali contemperari & ſubjugum trahi non tamen omni indifferenter carcinomati ſal. alcali m. ex actiſſimè paratum opponi debere cenſendum eſt, ſed illi tantum, in cujus radices omnes & ſingulas penetrare poteſt, ne minima illius fermenti maligna particula ſuperſtite, malum tandem de integro repullulet: ut ita liceat concludere.

E. phænomena carcinomata curari poſſunt arcano alcali remedio.

Epiſtola hæc edita ab auctore conturbavit totam ſcholam Pariſienſem Medicam, quæ ob id ſpartam contulit Domini BLONDEN uni ex eorum primariis ut refutaret hoc ipſum aſſertum ALLIOTH & ejuſdem falſitatem demonſtraret, quod fecit hic ipſe: Sed hoc ſcriptum ex principiis HELMONTIANIS elaboratum refutavit iſte BLONDEN per argumenta & aſſertiones & principiis GALENICIS: verum cum in fundamentis adeò diſcrepent, facile patet hanc refutationem fuiſſe nullam.

Fit interdum ut ulcera quædam omnino arida reddantur ita ut paucam vel nullam ſuppeditent materiam ſeu excrementa.

In tali caſu optimum eſt unguentum impoſitum ex Terebinthina, Melle ſucc. apii & farinis: Hæc ipſa n. probe permiſta faciunt ut pus laudabile ulcus ſuppeditat.

Quod ſi in ulcere purificato *carnis* regeneratæ *uberior luxuriet copia* ſive naturalis hæc fuerit caro ſive flaccidior & præter naturaliter laxa tunc inſpergendus eſt pulvis ex Gallis, corticibus granatorum & ſpongiis combuſtis ana hæc ipſa omni carnem ſuperfluam optime abſumunt.

Præterea pulvis ex aloë & Myrrha, quibus commode parū aluminis uſti admiſcetur c. ſtupis ſiccis imponitur hoc n. blande carnem ſuperfluam cohibet, non minus m. quam crocus Metallorum pulveriſatus: hic enim ſi inſpergetur ſubitò carnem nimis excreſcentem mortificat & inſenſibiliter abſumit: experimentum ſingulare RULANDI.

Galli in uſu habent ad Coercendam carni luxuriem applicare lapidem quem vocant infernalem paratum ſcil. ex luna ſoluta in aqua forti ad cuticulam evaporato & in loco frigido cryſtalliſato. Cryſtall. iſtæ egregium dant *cauterium. indolens* pro fontanellis, uti alio in loco monui, & hoc ipſo contrario ſi contingatur caro luxurians in momento comburitur & reſolvitur in ſpumam albam, id quod tam diu repetendum eſt donec luxuria carnis reprimatur & totum abſumatur.

Unguentum m. Ægyptiacum in caſu hoc conducit ex baſi virid. æris paratum, uti & omnes aquæ virides & ipſæ m. ex ærugine compoſitæ hic imprimis conducere ſolent.

Porro *inter cauſas ulcera inducentes* externas *frequens eſt* cauſa *ignis* & inde inducta.

AMBUSTIO.

Ambuſtio

Quæ ordinario *ulcus grave* plus minus poſt ſe relinquere ſolet: Et quidem hæc ipſa ambuſtio obſervetur *trium graduum* nempe in 1. *gradu* ſolummodo calor & ardor in Epidermide ſ. cuticula excitatur quem inſequitur poſtmodum veſicularum proventus, idque ſucceſſive.

Secundus gradus eſt quando præter Epidermidem ipſa cutis aduritur; unde in continenti veſiculæ exſurgunt ipſaque cutis corrugari & contrahi nonnihil incipit.

Tertius denique gradus eſt ut præter Cutim ipſa caro aduratur, unde cutis ex toto emoritur & conſequenter in eſcharam ſ. cruſtam tranſit, qua ſeparata ulcus profundum admodum relinqui ſolet.

Varietas hæcce graduum oritur imprimis *ex diverſitate rerum ignitarum*, à quibus fit ambuſtio & etiam ex magis plus minus diuturna mora, qua res amburens partem ambuſtam afficit.

Leviſſimus ambuſtionis gradus eſt quando aqua fervens, ſtramen; ſtipulæ, lintea & ſimilia ignita partem contingunt: ab his enim Empyreuma ſaltem ſuperficiale induci ſolet.

Majorem ambuſtionem inferunt *olea & oleoſa omnia* pix, mel, cera, & ſimilia imprimis ſi diutius in parte hæſerint.

Maximam ambuſtionem & quæ ut plurimum *Eſcharum* efficiunt, ſunt metalla liquefacta v. gr. ſaturni; fuſum argentum liquefactum aut ſimilia, ſi hæc contingant partem; in his enim *concentrutus ignis* periculoſiſſimum infert ambuſtionem.

Malum ipſum ab ægris per ſe patet, & non abſque ejulatu refertur.

QUOAD PROGNOSIN, uti alias notum eſt, quod quo gravior ſit ambuſtio eo ſit pejor, hoc in ſpecie obſervandum venit, ut quo profundior eſt ambuſtio & quo majores venæ aut arteriæ aut etiam nervi fuerint læſi eo etiam periculoſior ſolet abeſſe ſtatus, partim, quoniam poſt ablatam Eſcharam vaſa ex toto conglutinata *periculoſiſſimas inferunt hæmorrhagias*: v. quia in his locis, ex ſanguinis impedito motu in partibus vicinis *gangræna* oriri ſolet.

IN CURA E. interdum ſimul c. *externis primariis* uſurpantur *interna* eaque nitrata quæ febrim ambuſtioni ſupervenientem interdum optime compeſcunt: Hinc nitrum fixum nitr. antimoniatum pulvis pyrius & ſimilia internè ſunt optima, quibus celeberrima ex oculis cancrorum parata Chirurgica; aut ſolùm ipſi oculi cancrorum ſimul commodè ſubjungi poſſunt:

EXTERNE quod attinet, quoad eorum uſum ſtudioſè obſervandi ſunt ambuſtionis gradus.

Nam *in primo gradu* remedia ordinaria Empyreuma & inde ortum nutrimenti in parte alterationem tollentia, *& ad ambuſta dicta* applicãda ſunt, qualia primario fere ſunt ex cepis, ex calce viva ex ſtercoribus animaliũ ex ſucco cancrorum & ſimilibus v. gr. ex calc. viva uſitatiſſimè fiunt unguenta ad ambuſta: ſive applicetur mox aqua calc. vivæ imprimis ſi paretur c. decocto raparum; recipiendo nempe decoctum raparum, in quo colato calx viva extinguatur: Hæc aqua calc. vivæ c. linteis duplicatis calide aliquoties impoſita, mirè curant ambuſta.

Aliàs uſitatum eſt ut recipiatur calx viva lota ſæpius & ab omni acri ſale probe temperata cum quocunque alio permiſceatur ingrediente v. gr.

Recipienda calx viva aliquoties lota eaque probè ſubigenda eſt cum butyro majali non ſalito in mortario plumbeo ut fiat unguentum, quod ipſum applicandum eſt, idque liquidum, loco ambuſto.

Melius eſt unguentum quod fit ex calc. viva p. ij.
Cremor. lactis:
Mellis deſpumat. aa. p. j.

Hæc omnia probè miſta in conſiſtentiam unguenti liquidioris ſ. linimenti optime conveniunt ad tollenda ambuſta.

Melius eſt ſi ℞atur calx viva eaque in aquam ſimplicem projiciatur, ita ut aqua aliquot digitos 4. vel 5. ſuperemineat, & ubi per ſe efferbuerint infundatur ol. Roſarum; ſic enim ſubito gelaſcent in conſiſtentiam Butyri, quæ ipſa loco ambuſto miro cum ſucceſſu poſſunt illiniri.

Hinc ſuccus allii aut cepar. illitus recenti ambuſtioni ratione ſal vol. acris præcavet omnem acorem in locis ambuſtis exulcerationem inferentem.

Aut ex his fiat tale unguentum inſignis commendationis.

℞. Ceparum crudarum ℥iß.
Salis.
Sapon. Venet. aa. ℥ß.
M. in mortario affundendo
Ol. roſarum q. ſ.
F. unguentum.
egregium in ambuſtis.

Optimum eſt linimentum, ſi cum aceto ſolvatur minium aut lithargyr. ſolutioni filtratæ addatur ol. raparum rec. expr. q. ſ. ut coeant in conſiſtentiam linimenti liquidi, quæ aliquandiu ducantur in mortario plumbeo, donec fiat gryſeum, & aſſerva pro uſu.

De cancris it. dixi quod mirabile ſuppeditant remedium contra ambuſtiones: id quod fit ſi cancri fluv. vivi contundantur in mortario, & ſucco inde expreſſo calidè fomentatur pars.

Vel cancri contuſ. miſceantur c. butyro Majali non ſalito ferveſiant commodè & deſpumentur donec fiat unguentum ſubruffum, quod tranſcolandum eſt, & experiemini uſum efficaciſſimum contra ambuſta.

Nam etiam ex cancris compoſita remedia conducunt inſigniter ſi ex pulvere pyrio orta ſit ambuſtio, contundendo ſcil. cancros fluv. c. aqua Roſarum: aut quod melius c. aqua ſpermatis ranarum ex contuſis, mucago craſſior aquæ permiſta ſeparetur eaque pars ſ. membrum pulvere pyrio ambuſtum fomentatur & illinatur. Nam hæc ſunt egregia in tali caſu.

Notum aliàs eſt quod etiam mucilagines ſem. Pſyllii, aut quod melius mucilag. ſem. Cydoniorum parata c. ſpermat. Ranarum & cui parum ſacchari ſaturni ſit permiſtum illita c. pluma parti ambuſtæ optime conducat ad tollendam ambuſtionem.

Vulgare eſt & prima fronte viliſſimum remedium compoſitum ex p. j. ol. Olivarum miſta c. album. ovi p. ij. quæ duo conquaſſentur & exactè miſceantur: & nihilominus hoc ipſum applicatum verè eſt unguentum ſingulariſſimi effectus: Cui tamen adhuc præferendum eſt ſimiliter prima fronte vile apparens, quod fit ex

Ol. lini c. aqua roſarum lot. ℥ß.
Vitell. ovorum an. iv.

quæ probe ſub acta applicantur calide parti ambuſtæ idque egregio c. ſucceſſu.

In graviori combuſtione talia etiam, ſed tamen paulo fortiora applicanda ſunt remedia nempe *ubi puſtulæ* jam ſunt excitatæ, citra hoc ut cutis ſubjecta ſit reddita corrugata, relinquendæ hæ ſunt ad diem 3tium, quo tempore niſi ſpontè rumpantur aperiendæ ſunt, & modo dictis unguentis pars ulterius curanda.

Sin v. à graviori ambuſtione c. *ſubitaneis puſtulis* ipſa Cutis ſit Combuſta *ſubito puſtulæ ſunt aperiendæ*, & ſubito apertis puſtulis modo dicta remedia applicanda: aut in apertis veſiculis imponendum eſt unguentum quod fit ex ſtercore gallinæ cocto c. butyro non ſalito quæ duo impoſita optimè talia curant Empyreumata.

Potentius adhuc eſt ſi ℞atur
Fol. ſalv. recent. Mj.
plantag. Mij.
butyr. recent. non ſalit. ℥vj.
ſterc. Gall. recent. & quantum fieri poteſt albiſſimi ℥iij.

frixantur mutuo per horæ quadrantem, & inde factâ expreſſione ſervetur uſui.

Notetur hoc quia bonum.

Aut ℞. pulp. pomorum dulcium ſub cineribus coct. ℥ij. farin. hordei, fœnugræc. ana ℥ß. croci ℈ß. M. f. linimentum, vel cataplaſma molle, quod illitum & dolores ſiſtit, & cutem corrugatam planam & mollem reddit.

Quod ſi v. IN 3TIO GRADU ex cute omnino Combuſta facta ſit cruſta, & Eſchara, tunc *mox apertis omnibus puſtulis*, opera danda eſt ut *primis duobus diebus ſeparetur Eſchara*, applicando ſcil. deſuper linimenta præter Empyreuma Corrigentia imprimis emollientia & laxantia qaæ inter mucilago ſem. cydoniorum c. ſpermat. ranarum extracta addito butyro non ſalito ol. lil. alborum & vitello ovi, non ultimum meretur locum. Quin & commodè applicatur linimentum paratum ex butyro recenti bene agitato in mortario plumbeo c. decocto Malvæ: hoc n. tq. linimentum illitum applicando deſuper folia braſſicæ tepida ſubito ſeparat Eſcharam.

Quod ſi durior & contumacior non ſeparetur Eſchara, tunc hæc ipſa ferro, aliquot inciſuris eſt incidenda, & ſordes ac Ichores ſubtus ac latentes evacuandæ, ne harum acore Ulcus profundum putridumque generatur.

Facta humoris evacuatione modo memorata emollientia applicanda, donec ſeparetur Eſchara: quâ ſeparatâ digeſtivis & mundificantibus relictum Ulcus eſt Conſolidandum: in quo caſu m. unguenta ex calce viva tota, cum ol. roſar. & vitello ovi, unguentum album: unguentum album Camphoratum: it. unguentum Alabaſtrinum convenienter poſſunt uſurpari, & imponi.

Denique Communis Vulnerum & ulcerum affectio eſt partis omnimoda corruptio.

GANGRÆNÆ ET SPHACELI

Nomine nota: quæ voces ex modernorum uſu, uti alio in loco monui, ubi nempe de phrenitide, longè aliud quid ſignificant, quàm apud veteres.

GANGRÆNA jam ſignificat incipientem partis mortificationem: Hinc Germanis addit *der heiſſe brand*, quia c. dolore & aliquali ardore adhuc eſt conjuncta. *Gangræna.*

SPHACELUS vero, ſeu ut propriè loquuntur NECROSIS econtra eſt perfecta partis mortificatio & omnimoda vitalitatis curatio:

Ut ſimus Breves:

CAUSÆ gangrænæ & ſphaceli in genere ſunt eæ quæ quacunque ratione ſanguinis & ſpirituum vitalium diſtributionem, & per partes circulationem inhibere valent.

Hac n. ex toto in quodam loco aut membro impeditâ & ſublatâ pars nativum vigorem denuo nanciſcitur: Hinc eſt quod vix ſæpius oriuntur gangrænæ & ſphaceli, quam *ex inflammationibus* male curatis, imprimis ſi partes inflammatæ per Emplaſtica imprudenter admota impediatur inſenſilis tranſpiratio; tunc n. ſanguis extravaſatus ſtagnans corrumpitur ex toto putreſcit & partis inflammatæ gangrænam poſt ſe trahit: quæ quidem incipiens eſt gangræna; confirmata eſt ſphacetus: Imprimis *Eriſypelata* per unguenta oleoſa aut mucilaginoſa inſulsè tractata ſubito ſerpentem induunt gangrænam communiter & rectè dicunt gangrænam & Sphacelum eſſe partis mortificationem, hujuſque cauſam eſſe calidi nativi extinctionem. Calidum verò hoc conſiſtit in acido volatili & ſpirituoſo, quod partis peragentis inſtar ſe habet in ſtructura & coagulatione partis ſeu formatione partis. Hoc acidum ergo vitale conſervatur & reſtauratur continuo à ſanguine & ſpiritu vitali influentibus ſalſis, & occultè acidis. Quæcunque ergo acidum iſtud deſtruunt, vel fomitem ejus impedire valent: omnia gangrænam & hinc ſphacelum inferunt, adeò ut exinde ſequatur, quòd in gangræna & ſphacelo peccet imprimis alcali; quatenus propter acidi deſtructionem emergit, vel quomodo in ſe genitum acidum deſtruere valet. Hinc ſubinde poſt gangrænam & ſphacelum ſupervenit partis fœtor & putredo, ſignum alcali agentis in acidum, & diſſolventis ſulphur partis.

Et quidem oriuntur hæ ipſæ mortificationes imprimis in partibus *nervoſis* minus in partibus ſanguineis.

Conducunt m. ad Gangrænam *Vlcera maligna* item inveterata quæ cunque it. Ulcera *cancroſa* uti m. refrigeratio partium nimia.

Hinc n. interdum *ex frigore* extrinſecus irruente partes Gangrænoſæ fiunt uti m. *nimis firma ligatura* externæ interdum hoc malum inducunt id quod fit interdum ſi *in oſſium fracturis*, locus fractus arctè nimis ligetur: Nam uti ſuo loco habebimus, *in omni fracturâ* aliqualis circa locum fractum *ſupervenit neceſſario tumor*: unde ſi nimis arctè ligetur tunc fractura, periculum eſt ne hinc ſanguinis motus impeditus, inflammatio ac Gangræna ſuperveniat.

Et quidem Gangræna & ſphacelus interdum *ab externis*, interdum m. *ab internis*, cauſis oriuntur: quod probè obſervandum eſt quo ad *prognoſin*: Nam ſi ab externa oriatur cauſa ablatâ, parte corrupta reliquum corporis permanet ſanum; ſin v. ab interna oriantur cauſa ſæpiſſimè ſunt lethales. Auferatur enim licet pars gangrænoſa, tamen in parte oppoſita regerminabit malum, & neceſſariò mortem poſt ſe trahit.

Hoc certiſſimum eſt ſi ab interna cauſa gangræna exſurgat in extremitate pedum, tunc certus ſit æger de morte, quæ, ſucceſſivè dum ſerpit gangræna, neceſſario ſupervenit: ſive manus ſive pedes amputentur.

SIGNA gangrænæ imprimis monſtrat, in inflammationibus in ulceribus it. in vulneribus partium nervoſarum, *color* floridus nativus, qui mutatur in pallidum ſubliveſcentem aut cæruleum ſ. cæruleſcentem, qui in ſphacelo exactè nigreſcit.

Caro partis gangrænoſæ anteà tenſa, mox evadit flaccida mollis, & qſ. omni tono ac vigore deſtituta,

In parte ipſa *nullus arteriarum pulſus* ſentitur ſicuti etiam ſenſatio ipſa tactus ſucceſſivè imminuitur, quæ ex toto aboletur, in ſphacelo, in quo ipſo pars nigreſcens odorem cadaveroſum ſpirare incipit, imò contacta cutis ſpontè ſeparatur à partibus ſubjectis, & aqua quædam decolor pravi odoris effluere ſolet.

Quod ſi ulcus evadat gangrænoſum præter dicta ſigna nullas ſordes ſ. nullam materiam ut vocant generare ſolet, aut ſi quid eſt materiæ eſt pauca, decolor ac fœtida.

QUOAD PROGNOSIN præter modo dicta *ſphacelus eſt incurabilis* niſi pars mortua ex toto fuerit ſeparata gangræna & ſphacelus qui oriuntur à cauſa interna, incurabiles ſunt, nam licet integra pars amputetur, in altera tamen parte iterum erumpit. Partes quo magis ſunt ſanguineæ vel carneæ, eo minus corripiuntur gangræna & ſphacelo, & faciliùs curantur: partes vero nerveæ uti faciliùs corripiuntur his affectibus, ita difficiliùs curantur.

Gangræna *ab externa* cauſa orta *curari poteſt* ſi maturè ſuccurratur. Præ cæteris *nota eſt cautela ſervanda*, ne decipiantur in cognoſcenda gangrænâ & ſphacelo: nempe ſi fiat, ut pars ſphaceli interdum motum adhuc habeat, quatenus movetur à tendine oblongo, cujus muſculus ſit ſanus; ne ergò partem mortificatam pro ſana habeamus, cauti ſimus, ut reliqua ſigna conſeramus. *Fermentum* autem iſtud inquinans ſanguinem, & ejuſdem ſulphur vitale per modum malignitatis deſtruit, & ſic ad mortem perducit.

INSTITUITUR CURA internis & externis: *Internis ſudoriferis* alexipharmacis: qualia ſpiritus Theriacalis camphoratus Eſſ. & ſpiritus baccarum ſambuc. ſpiritus C. C. proprio ſale accutus: Theriaca in ſpir. vini camphorato propinata: Elixyr proprietatis præſervativum ſ.c.ſp. vini vel ſpiritu Theriacali camphorato præparat. & ſimilia putredini potenter reſiſtentia: *aqua ſcordiis*, *C.C. citrata*, cum *camphora* & ſimilibus ſunt remedia quæ in morbis malignis uſurpantur: Sic poſſunt adminiſtrari: Fuit hæc *mixtura Timæi:*

℞. Theriac. flor. Sulphuris aa. ℥ß. rad. ireos flor. ℥vj. ſpir. vini ℥vj. Mixturæ hujus propinentur duo vel tria cochlearia & expectetur ſudor.

Externe in motu gangrænæ aut hac ſaltim incipiente *mire conducit* ſpir. vini applicatus ſ. linteum ſpir. vini calide impoſitum: aut quod melius eſt ſpiritus vini permiſceatur probe c. aloë Thure, & Myrrha & hæc invicem permiſta imponantur: Hæc enim mire conducunt ad gangrænam incipientem.

Loco ſpir. vini ſimplicis *longe præferendus eſt* ſpiritus vini theriacalis vel camphoratus. Nam in camphora ſingularia latent ad curam Gangrænæ experimenta. Item cum in gangræna imminet mortificatio acidi, externe vel acida, vel ſalſa in acidum primatum obtinent.

Hinc *jus braſſicæ acidæ* experimentum eſt elegans ad ſiſtendam gangrænam decoctum calc. vivæ vel ſolitarium, vel ſi eodem decoquatur ſulphur, vel c. mercurio dulci & ſpirit. vini applicatum eſt expertiſſimum: Galli vocant aquam phagedenicam quam mox ceu expertiſſimum experimentum, applicant præmiſſa ſi opus eſt ſcarificatione.

Certè ſingulare experimentum, uti monui habetur hæc aqua calc. vivæ c. mercur. dulc. & ſp. vini ſi c. linteis duplicatis calidis continuo imponatur & ſæpiſſimè repetatur. *Decoctum ſcoriarum* antimonii in aceto ſiſtit gangrænam, vid. *River. c.4. obſ.50.* vel ex *Minderero decoctum ſalis ammoniaci in urina ægri* applicetur. In uſu etiam eſt *ſcordium* applicatum, quod ex vegetabili regno vix ulli cedit remedio ad curam gangrænæ: ſive lixivium decocti ſcordii ſolum aut c. Rad. Scorzoner. & vincetox. imponatur.

Nam hæc lixivia commoda admodum ſunt & proficua: quin & apud multos uſus obtinuit ut imponatur Cataplaſma ex ſcordio, ſcabioſ. alliaria, abſinthio, hyſſopo, ſalvia; agrimon. & ſimilibus, quæ c. aqua calc. vivæ dilutiore ſimul decoct. dant Cataplaſma admodum egregium.

His Cataplaſmatis ſunt qui præferunt Catapl. paratum ex farina lupinorum fabar. & ſimilibus c. lixivio dulci vel oxymelite cum quidam aſſerat decocto lupinorum in vino albo & lixivio nihil reperiri poſſe

potentius ad coercendam Gangrænam, it. *caput mortuum aquæ fortis*, *contuſum & decoctum cum aqua roſarum* in qua ſummitates panni lintei ſint intincti & applicati aliquoties calide gangrænæ.

In graviori Gangræna, præmiſſa partis profunda ſcarificatione, conducit fimus equinus coctus in vino & inſtar Cataplaſmatis applicatus remedium expertum celebris cujuſdam Medici: vel c. eodem fimo ſequens parari poteſt Cataplaſma.

♃. Summit. abſinth.
flor. Chamomill.
Sambuc. aa. Mß.
herb. ſcord. Miß.
Rut. Mß.
Mic. panis ſimilagin. ℥vij.
(poteſt etiam omitti)
Fimi Caballin. ſ. equini ℥iij.
Coqu. ex aqua Mureatica ſub finem addendo.
atrament. ℥ij.
ſp. vini ℥iij. miſta hæc imponantur.

Quod ſi *Gangræna ſit gravior*, & incipiens jam ſphacelus loco ſcarificato largiter inungendum eſt unguentum Ægyptiacum, & modo dicta unguenta vel Cataplaſmata imponenda.

Quod *ſi v. jam in* SPHACELUM *degeneraverit Gangræna*, mortuum ex toto ſeparandum eſt.

Uſus obtinuit *amputare* membra: *de loco controvertitur* an in articulo an prope articulum inſtituenda ſit amputatio? v. g. an in Gangræna tibiæ amputandus ſit pes ſphacelatus infra Genu, an vero permittendus ſit progreſſus mortificationi uſque ad articulum & ita inſtituenda amputatio?

Experientia hâc in parte ſit deciſor & judex quæ docet, c. minori ſymptomatum proventu, & c. minori ægri jam convaleſcentis in actionibus fieri amputationem infra articulum latitudine præter propter unius palmæ: ſic enim optime poteſt curari, ac æger partem mutilatam licet pro actionibus uſurpare poteſt.

Ulterius *quæſtio eſt* an amputatio ſit facienda in parte ſanâ, an in parte ægrâ? ♃. ſi à cauſa *oriatur interna* Gangræna, neceſſe eſt ſemper in parte ſana fieri amputationem ut nempe ſic poſſit impediri recurſus gangrænæ in aliam partem: periculum enim eſt ne ſub cute ulterius ſerpſerit malum quam extrinſecus appareat.

Sin *ab externa* proveniat cauſa ſufficit in contermino partis mortuæ c. ſana: vel in ipſa etiam parte mortua inſtituere amputationem, modo id quod adhuc de ſphacelo reſtitat admoto ferro candente removeatur.

Uſus fere obtinuit per experientiam, modernorum proprius parti ſanæ ſ. contermino partis ſanæ c. ægra, ſi oriatur à cauſa externa, inſtituere amputationem, & ægris cutis tam firmiter ducatur deorſum, ut ſic aliquid de parte ſana amputetur.

Amputatio fit *cultris falcatis*, iiſque nudis, qui mos eſt Gallorum vel cultris ignitis, qui mos eſt Italorum: Prior eſt convenientior, utut in poſteriori non tanta ſuccedat hæmorrhagia. Borellus habet ſingulare inſtrumentum cum quo in ictu poſſit ſeparari pars ægra.

Aliàs quo modo partes amputandæ & hæmorrhagia reprimenda vid. Chirurg. ſcriptores.

Noſtrates nimis abhortent amputationem: hinc alius eſt modus ſeparandi mortuum à ſano beneficio *butyri* antimonii ſi ſcil. hoc ipſo ducatur circulus ibi ubi deſinit mortificatio.

Hoc ipſo enim uti aliàs monui de anthrace & carbunculo circumductus circulus ſi ſit ſanabilis ſphacelus & gangræna, prompte ſeparatur ſanum ab ægro ſ. mortuo ita ut dehiſcat mortuum à ſano, ut facile ſeparari & poſtmodum inſtar ulceris recentis nempe ſuppurantibus & mundificantibus pars ſana curari poſſit.

Vel ſi ſphacelus non adeò profundus præceſſerit, neceſſe eſt, ut locus ſcarificetur profunde, locus ſcarificatus eluatur *aceto mixto cum ſpir. vini*, poſtmodum applica *unguent. Ægyptiacum*, vel vulgare, vel *Hildani*, quo loca ſcarificata illina: vel loco hujus ♃. mercur. præc. & miſce cum unguento quocunque mortificativo, & illine ſcarificatas partes; vel ad imitationem *Hartm.* eſt *elegans remedium* mercur. præcip. cum oleo nucum coctus in conſiſtentiam linimenti obſcuri, quo illinatur pars vel ſcarificata, vel in qua mediante butyro antimonii ſeparata pars eſt ſana & ægra. Dum hæc fiunt, ultra talia, quæ hinc inde applicantur ad mortificationem tollendam, *epithema* imponatur v. gr. *Ex ſcordio*, *ariſtol. rot. rad. hirundinar. abſinth. bacc. juniperi*, *myrrha*, *aloe*, *coque in aqua vel aceto*, it. *vino*, *lixivio.* adde *alumen*, *vitriol. ſal marin.* & ſimilia, quæ applicentur; ut impediatur ulterior progreſſus. *Inſtar omnium ſit epithema* ſeu *cataplaſm. Hoffmanni in method. medendi p.* 411.

Hæc ſufficiant de ulceribus.

Pervenimus uſque ad

LUXATIONES.

Nam mollium affectiones Chirurgicas nempe tumores Vulnera & Ulcera abſolvimus, ſuper ſunt affectiones partium durarum nempe oſſium luxationes & fracturæ. *Luxationes.*

Oſſis *Capitulum ſ.* caput *ex ſuo naturali ſitu removetur*; Nam hoc eſt luxari: Vel ob vim *externam* vel ob cauſam *internam. Illa* ſcil. externa vis ſatis manifeſta eſt ſenſibus ac notiſſima ægro, ſive lapſus, ſive caſus, ſive plaga, ſive aliud quid fuerit, quod os loco ſuo removerit & ita luxaverit.

Cauſa v. *interna utpl.* ſolet *eſſe occulta*, nec niſi à poſteriori per effectum cognoſci poteſt. Nihilominus tamen occulta hæc cauſa interna fiet etiam manifeſta ſi conſideremus, quod ad hoc, ut os in ſuo loco naturali contineatur *duo requirantur.*

1. *Spatium debitum* quod in ſe recipiat os & cui oſſis caput commode inſeri poſſit.

Hoc ipſum receptaculum pro capitulo oſſis recipiendo eſt nunc majus, nunc v. minus.

Quod ſi fiat ut caput magnum recipiendum ſit in cavitate parvâ tunc vel vicinorum oſſium proceſſibus vel utrinque adnatis cartilaginibus cavitas talis efformatur ſ. excavatur, quæ ſufficiens ſit recipiendo capiti oſſis inſignioris. Sic enim v. gr. in articulatione humeri c. ſcapula cavitas iſta minor per proceſſum cornoideum & vicinos alios inſignis ſatis firmando humero efficitur: ſicuti in inſertione oſſis femoris in os coxæ cavitas hujus ſuperficialis per adnatas cartilagines uſque eò ampliatur ut optime ſufficiat firmando femori.

Hoc eſt primum requiſitum ad firmationem oſsis: nempe cavitas ſufficiens: ſequitur

2. REQUISITUM: hoc eſt *funiculus* qui firmiter alligat os ita ut motum licet, non tamen loco moveri poſsit.

Tales funes ſunt primario ligamenta 2. tendines & tandem muſculi. Nam hæ partes tq. chordæ aut funes ſuper articulos hinc inde panſæ & extenſæ oſium articulationes firmant.

Ex his duobus requiſitis ad oſsium firmam inſertionem ac motum debitum, poſſumus delabi ad cognoſcendas cauſas internas occultas luxationum.

Scil. quando *cavitas oſſis* capiti recipiendo dicata *repletur ab alia* quacunque *materia*, neceſſario oſsis caput extruditur & ita luxatur vel quando *funiculi oſſis* articulationem firmantes vel relaxantur à cauſa interna vel diſſecantur à cauſa externa, & neceſſario ſua ſede excidit, repletur oſsis cavitas ſ. receptaculum, aut, ut vocant Anatomici, *ſinus propter acidum vitioſum* & præter naturale ſynoviam ſ. liquorem iſtum blande glutinoſum pro oſsis humectatione ad facilitandum

motum

motum & capitis oſſis in ejus receptaculo rotationem neceſſarium inſpiſſans & incraſſans. Nam *Synovia* talis ab accido vitioſo incraſſata ſucceſſivè in *Gypſeam* & q. ſ. tartaream coagulatur materiam à quo coagulo ſinus oſſis repletur indeque os inſertum ſenſim ſenſimque ſua ſede extruditur & ita luxatur.

Pejus adhuc eſt ſi iſtud coagulum peregrinum os ſ. caput oſſis & annatos nervos, ſucceſſivè jungat c. ſinu, & qs. ferruminando uniat; Hinc n. immobilitas oſſis & membri tandem ſequitur.

Malum hoc, imprimis *luxatio à cauſa interna*, *familiare* eſſe ſolet affectibus *arthitricis* obnoxiis oriundis ſcil. *ex acido* præter naturali ſtomachi vitio in corpore coacervato: Unde in iis qui *Iſchiadico malo* laborant, ſubinde talis luxatio ex tali ſulphureo coagulo ſupervenire ſolet in femore: quia & arthriticorum nodi & tophi in articulis manuum & pedum, aliam non agnoſcunt originem, quam talem ſynoviæ coagulationem ab acido vitioſo ortam. Unde m. tales nullum motum in articulis habent, nec retinere valent.

Ligamenta a. ſimileſque funiculi nervei luxantur & flaccidi fiunt & qs.enervantur ex humiditate ſeroſa ſalina fibras nerveas iſtarum partium laxante & reſolvente ſimulque ſtuporem quendam inſenſilem inferente.

Malum hoc iis *qui ſcorbuto* laborant, aut m. qui affectibus catarrhalibus ſunt obnoxii non infrequens eſſe ſolet: Nam in his à vitioſo ſcorbutico aut acido aut ſalſo rancido ſale vehiculo laticis in partes tranſlato funiculi nervei laxati & reſoluti & ferè inſenſiles fiunt: Unde paralyſi ſcorbuticæ, talis ſubinde articulorum ſ. oſſium in articulis luxatio & loco ſuo remotio ſupervenit, utut m.ab externis cauſis nempe à contuſionibus, à vulneribus tranſverſim factis, ligamenta vel tendines diſſecti luxationem occaſionaliter inferre poſſint.

SIGNA.

Os luxatum facilè poteſt cognoſci, ſi *conferatur c. membro altero* in longitudine, in figura & in ſitu.

Luxatum enim os ſ. membrum *utplurimum longius evadit* parte non luxata.

Deinde luxatum membrum vix aut non, naturali modo moveri poteſt ſecus atque fit in membro non luxato.

Item non habet eandem figuram pars luxata cum non luxata: Sæpius minus recta minuſque extenſa eſt.

Situs denique partis, cum aut introrſum, aut extrorſum aut in alium ſitum differentem detortum eſt os luxatum, facilè monſtrat, quod nam malum ſubſit.

Et quidem *luxatio* nunc eſt *perfecta*, nunc *imperfecta*.

Perfecta quando articulus ſeu os omninò è ſede ſua remotum eſt.

Imperfecta quando non totaliter è ſede ſua remotum eſt os: quin extruſum quidem ſit, adhuc tamen in margine receptaculo hæreat.

Differentia hæc attendenda propter prognoſin: Nam quo magis perfecta eſt luxatio eò *difficilius* curatur: quo minus perfecta eò facilius.

Præ cæteris omnibus luxationibus *luxatio oſſis femoris* curatu eſt dfficillimum, ſicuti luxatio *oſſis in talo* ſ. in pedio eſt omnium periculoſiſſima.

Difficillima eſt oſſis femoris luxatio, quoniam non poteſt fieri niſi à cauſa violentiſſima, propterea quod os ipſum femoris cum forti ligamento ſit alligatum ſuo receptaculo in oſſe coxæ, & præterea ambientes muſculi inſigniores qui nates conſtituunt & femora inveſtiunt, facilè impediunt quo minus os femoris niſi à violentiſſima & inſigniori cauſâ luxari poſſit.

Non poteſt E. luxari os femoris niſi ligamentum iſtud internum, (vid. anatom. Veſlingii ubi habet egregia deſtructura & uſu hujus ligamenti) *aut ruptum* omninò *aut inſigniter laxatum* ſit.

Quæcunque ſit cauſa difficulter corrigi poteſt. Nam *ruptum ligamentum* conſolidationem reſpuit: *laxatum* verò difficulter in naturalem tonum reſtitui poteſt; cum in profundo nimis loco ſitum ſit, ita ut applicata topica nihil ferè operari poſſint quia earum virtus & efficacia à muſculis ani ferè tota impediatur, interna v.nihil aut parum præſtant.

E. Os femoris luxatum *rarò poteſt reſtitui*, quin ſæpius claudicationem per vitam durantem inferat, *niſi in tenellis* ſubjectis, v.gr. in infantibus, in quibus propter diuturniorem quietem, propter faſciationes inſtituendas facilius poteſt talis luxatio femoris curari quàm in adultis.

Periculoſiſſimam v. dixi iſtam luxationem *quæ fit in pedio* ubi nempe eſt os tali, calcanei tria oſſa innominata os cubiculare, &c. Nam 7. oſſibus conſtat pedium. Horum luxatio eſt periculoſa propterea; quoniam ibidem copioſiſſimi ſunt tendines; & ipſa articulatio oſſium eſt talis, ut ſede ſua remota vix adeo commodè poſſint reſtitui, utut rarò perfectè luxentur.

Jam E. in luxatione hujus pedii in reſtitutione ſæpiſſimè *dolor*, diſtentis aut laceratis nonnihil tendinibus *convulſiones:* ſi mitius eſt malum *ſæpius inflammationes*, ſin læſio tendinum ſit inſignior ſæpius *fungi* articulares ſuperveniunt: imprimis convulſio eſt metuenda. Ex his E. & ſimilibus cauſis *periculoſiſſima omnium eſt luxatio pedii: Nam ſunt 7. oſſa.*

QVOAD CVRAM luxationis pro varietate cauſarum, cauſa luxationis ſubinde *varianda* eſt; Nam ſi luxatio eſt ob vim externam, vulnus, contuſionem, lapſum & ſic porrò tunc membro externo maturè *os reſtituendum eſt*, quo facto,nil aliud opus eſt Chirurgo, niſi ut *commodis ligaturis os firmet*, apteque collocet, *ac inflammationem* facilè ſuperventuram maturè *arceat*.

Primaria E. cura luxationis conſiſtit in extenſione & repoſitione, ſecundaria in deligatione & ſymptomatum remotione.

Firmatio articuli repoſiti fit commodis ligaturis & faſciationibus, faſciis mundis lineis, & inſtituendis.

Faſciationes factæ non ſint nimis arctæ ſ. ſtrictæ ne compreſſis aut coarctis vaſis tam ſanguifluis quàm lymphaticis oriantur *tumores:* Ex vitio quidem vaſorum ſanguifluorum *inflammatio:* Ex vitio v. vaſorum lymphaticorum *ædema* tumore *ſeroſus*: ob id repellentia dicta & adſtringentia,& cataplaſmata ex modo dictis parata ſtudioſè in luxationibus ſunt vitanda, utut contrarium fieri adhuc ſoleat in vulgari Chirurgorum praxi.

Dixi jam *faſciationes* non nimis eſſe debere ſtrictas: neque tamen etiam non ſint nimis laxæ pars ſemel reſtituta, denuò elabatur novamque luxationem inferat.

Inflammationem ſubinde ex ineptâ ligatione ſupervenientem præcavebit Chirurgus per medicamenta interna, ſanguinem fluidum, mobilem & tenuem reddentia hoc eſt aut *ſalinia alcalia* imprimis volatilia aut alia terrea l. fixa, acidum enervantia & ſanguinem fluidum reddentia ſive c.ſive ſine ſudoris provocatione propinentur: ſic enim impeditur ſanguinis ſtagnatio.

Deinde etiam per medicamenta *externa pro ſanguine reſolvendo* eumque fluidum reddendo & moderatè ſi quid reſtitet diſcutiendo.

Quod ſi fiat, ut jam facta ſit inflammatio,antequam membrum

membrum repoſitum ſit, nihil prius tentandum eſt quam inflammatio diſcuſſa fuerit & omninò remota: quamdiu enim inflammatio durat, tamdiu pars inepta eſt extenſioni: ſin v. violentius luxationem inflammatam extendas ſupervenit ex nimio dolore convulſio interdum lethalis.

Ut E. præcaveatur inflammatio abluendus eſt articulus repoſitus parteſque vicinæ vino tepido aut quod melius eſt vino decoctionis ſ. ebullitionis ſummittat. Hyperici, chamomill. verbaſci: herb. roſmarin. ſtœchad. Arabic. & ſimilium, & hoc ipſo etiam humectandæ ſunt faſciæ largiter ſucceſſivè pro cura luxationis circumvolvendæ: *Nam tali fomento & ſanguinis ſtagnatio impeditur & inflammatio* præcavetur & *fibrarum* aut laceratarum aut diſſolutarum aut diſtentarum in luxatione tonus ſponte q. ſ. & facilè redibit. Unde eò facilius luxatio denuò ſanabitur. Interim in membro luxato, nunc ſub luxatione, nunc poſt repoſitionem ſupervenit *tumor quandoque œdomatoſus*; dicunt fieri affluxum in membrum. In *tali tumore* removendo, nihil melius eſt, quàm ut præmittantur *interna ſudorifera*, & loca *externa oleo volatil. fortiter penetrante illinantur*, tam in loco luxato, quàm tumido, ut diſcutiatur tumor, & pars firmetur. Conveniunt ergo *litus cum ol. deſtillat. tartari & oſſ. humanor.* quæ, quando fiunt nimis fœtida, rectificentur prius cum *C. C. uſto*, vel ſimili parte animalium; uti ſupra *calx viva:* Sic fiunt admodum penetrantia & diſcuſſiva, vel, quibus placet; *fiat emplaſtrum ex cera flava & reſina albiſſima*, quibus liquefactis immittatur *ſuccinum album & gummi elemi ſ. q.* ut ita coëant in maſſam homogeneam, quæ poſtmodum malaxetur cum *balſamo Peruviano*, & tum abit in emplaſtrum plus minus ſpiſſum, hoc illine lintea & applicetur membro luxato, *ita ut non exactè coeat, ſed extremitates emplaſtri ſaltem ſe contingant*, quia ordinariò aliqualis tumor & intumeſcentia ſupervenit partibus laxatis: Unde ſi emplaſtrum tenacius ſibi ſuperimponatur, impedit dictum tumorem, quod non ſemper conſultum eſt.

Communiter partem, ſcil. externam & *membrum totum luxatum inungunt* c. ol. roſarum lil. alborum cum ol. emphacino & ſimilibus, quæ tamen *illinitiones* cautè ſunt *fugiendæ*, niſi forſan ol. hyperici cum ol. deſtillat. terebinth. commodè admitti poſſit.

Nam iſta ſupradicta olea oblinendo poros inſenſibilem tranſpirationem impediunt, imprimis cum luxatio primis diebus ſæpe ad aliquod tempus ſine repetita deligatione relinquenda ſit: aut etiam hæc ipſa olea cum ſint emollientia & laxantia, uti notum eſt, fibras ulterius laxabunt, & ita humorum ut vocant affluxui ſ. ſtagnationi aut ſaltim faciliori reluxationi ut ita dicam, occaſionem dabunt.

Qui non admovent oleа Chirurgi, admovere ſolent Cataplaſmata conſtipantia & adſtringentia ex bolo armena aqua ſigillata ſanguin. dracon. Thure c. album ovor. tamen *hujuſmodi cataplaſmata adſtringentia nullo modo adhibenda*, quid enim hæc facient niſi quod poros, oppleant, cum eorum vis adſtrictoria, quæ non niſi per corporalem contactum fit intus penetrare nequeat, & poſito hoc fieri ſi validè partes nerveæ fibroſæ à luxatione extenſæ adſtringantur, firmabitur equidem luxatio, & membrum luxatum d. metus eſt ne dum ſemper circa articulum luxatum aliqualis fieri ſolet intumeſcentia, ne inquam, arctatis porulis intimis ſanguinis motus impediatur & inflammatio aliuſque tumor exinde inducatur.

Potius ſolus fotus: Vino decoctionis plantarum nervoſarum ad aliquod tempus continuatus eſt adhibendus.

Hæc eſt cura luxationis factæ à vi externa.

Os v. *ob coagulum Gypſeum* à ſua ſede remotum alia requirit remedia, nempe talia quæ materiam iſtam coagulatam *denuo reſolvere & attenuare valent:* hoc interna talia quæ acidum quodcunque deſtruunt uti ſunt volatilia acriora, quæ & præcavent talia coagula & eadem jam facta imprimis reſolvunt, eaque ſint imprimis *deſumpta ex tartaro*, ex quo parata remedia volatilia utramque faciunt paginam in hujuſmodi morbis articularibus ab acido vitioſo ortis: hoc enim ablato coagulum ſolvitur ſenſim: ſive ſit ſpiritu tartar. vol. ex fœcibus vini paratus: ſive ſit ſpiritus tart. volat. nitro per retort. tubulatam pulſus, ſive qui modus eſt optimus, qui ex tartaro per fermentationem c. proprio alcali præparatur, ſpiritu inſigniter penetrans.

Hujuſmodi tartarea medicamenta coagula talia continuato uſu optimè reſolvunt.

Poſt hæc tartarea ſpiritus & ſal. vol. oſſium humanorum etiam eſt appropriatiſſimum remedium, præmiſſis tamen pro ratione circumſtantiarum appropriatis laxantibus & ſudoriferis ac ſimilibus.

Externè ſimilia acidum deſtruentia & coagulum reſolventia applicanda ſunt.

Mitius remedium eſt Petroleum item balſamus Peruvianus v. ſpir. vini miſtus vel cum vitello ovi diſſolutus & cum ſpir. juniperi temperato illitus.

Melior adhuc eſt ſpiritus lumbricorum terreſtrium per fermentationem paratus crebrius inunctus vel ſolus vel miſtus c. ſpiritu ſal. armoniaci: Nam hi in loco calido crebrius inuncti tandem penetrant, & peregrina coagula quantum poſſibile diſſolvunt. Ol. tartar. fœtidum deſtillatum horrendum eſt ratione odoris, nihilominus tamen ſingulare admodum ratione efficaciæ: internè enim conducit ad diſſolvenda peregrina hujuſmodi coagula, quia & *omnia ea externe, quæ alias in confirmato malo Iſchiatico uſurpari ſolent* commodè in uſum vocantur cum omnia ſint acidum deſtruentia & reſolventia.

Interdum per accidens evenit, ut niſi maturè reponantur oſſa luxata tale *coagulum peregrinum in oſſis ſinu* reperiatur à quo enato impeditur poſtmodum oſſis repoſitio, adeo ut niſi coagulum iſtud fuerit remotum & reponi nequeat, pro quo eſſe egregium eſt ſequens ol. deſtill. admodum penetrans d. gravis odoris. ℞. ol. oſſ. human. deſtill. p. 1. ol. tartar. fœtidi p. ij. hæc miſta affunduntur calc. vivæ (hæc enim abſorbet acidum ex oleis ut ratione ſalis volatilis fiant penetrantiora) & ita per retort. deſtillatur ol. penetrans extrinſecus illinendum egregii uſus.

Quod ſi v. *funiculi laxati aut reſolut. qſ. occaſionem ſubminiſtrent luxationibus*, *tunc* hæ ipſæ reſtituuntur præmiſſis univerſalibus internis ſudoriferis additis nervinis ſ. ſale volat. oleoſo conſtantibus: Hinc conveniunt omnia ex ligno ſaſſafras parato remedio, quin & ſpirit. ſal. armoniaci ol. & aromaticus crebrius uſurpatus; Nam ſunt diuturni affectus.

Hinc imprimis conducit ſpiritus lumbricorum terreſtr. per fermentationem paratus, &c. eadem parata Eſſ. contra arthritidem vagam erit egregia in hoc caſu in ſpecie ubi ex radice ſcorbuticâ hujuſmodi proveniat luxatio & laxatio funiculorum nerveorum.

Externè applicanda ſunt nervina & *aromatica & diaphoretica* ſ. diſcutientia quæ ipſa partem luxatam & partes nerveas laxatas in naturalem tonum denuò reſtituunt: quibus *ſubjungenda ſunt adſtringentia nervinis temperata*, ut firmetur pars læſa in naturali tono.

Pro quâ curâ optima eſt methodus quæ præſcripta & uſu experta ab HILDANO *Cent. 6. obſ. ult.*

Methodus

Methodus non eſt inelegans, & quæ facilè in quibuſdam poteſt emendari. E. *lumbricalia* etiam hic externè palmam obtinent; Unde ex lumbricis paratus ſuccus, eo modo quo præſcribitur ab Hildano cit. loco & externè illitus conducet ad hujuſmodi luxationes: hinc empl. Hildani deſuper imponendum, aut etiam quod parari poteſt aliud ex ſolâ tacamahacâ & carannâ c. ol ſuccini deſtillato malaxatis: empl. tale poſt fricationem & illinitionem c. lumbricalibus impoſitum commodè conducit: aut etiam empl. ſticticum Crollii c. ol tartari & philoſophorum ſubactum alutæ inductum & applicatum inſigniter in tali caſu conferre ſolet, ubi laxati & reſoluti funiculi nervei ſunt occaſionalis cauſa luxationis, non neglectâ vel omiſsâ debitâ & conveniente faſciatione & deligatione.

In ſpecie quod attinet encheireſin, pertinet ad Chirurgiam mechanicam: Hæc verò omnibus luxationibus, mutandis mutatis, applicari poſſunt. *Fit etiam interdum, ut à cauſa externa ſimul frangatur & luxetur os*; malum difficile, circa quod neceſſe eſt, ut ſimul curetur *fractura* & *luxatio*. Fiat vel ſub puncto *extenſionis* & *repoſitionis*: dum enim extenditur membrum, neceſſe eſt, ut luxata & fracta pars eadem vice reponatur, & ſub iſta extenſione coadaptetur, ſeu facta ligatura debita etiam inſtituenda venit. In *luxata maxilla*, ſi eſt à vi externa, repoſitio eſt facilis, ſi *utraque* luxata ſit; ſi *altera* verò maxilla luxetur, promptum remedium eſt, *alapa inflicta*. Porrò parvum eſt os, quod luxatum varia infert mala, nempe *os coccygis*, quod luxatur tam introrſum quàm extrorſum, ut in partu difficili. Hanc utramque luxationem qui vult cognoſcere *vid. ann. 3. Ephem. pag.* 144.

Hæc de luxatione.

Superſunt tractandæ

FRACTURÆ.

Fractura in genere. nempe dum partes corporis duræ ſ. oſſa à quacunque cauſa ſæpiſſimè quidem à vi externa ſubitò diſcontinuantur, frangi dicuntur, utut enim cauſæ omnis fracturæ frequentiſſimè ſunt violentiæ externæ: nihilominus tamen obſervandum eſt, quod à cauſa interna, nempe à nimiis convulſionibus artuum manus & pedes fracti & diſcontinuati fuerint, exemplum tale refert *Med. Norimberg. in Miſcellaneis anno 2. obſervat.* 225.

Frangitur os l. *ſecundum latitudinem* adeoque tranſverſim, in quo caſu interdum ſimul inſigniter conteritur l. frangitur os *ſecundum longitudinem*, adeoque ſaltim finditur, diciturque propriè *fiſſura* oſſis.

Chirurgi noſtrates priorem fracturæ ſpeciem, vocant *fiſſuram* imprimis ſ. ſit fractura c. vulnere, ita ut aliquid de oſſe fracto foras promineat: poſterior v. ſpecies nempe *fiſſura vocatur iiſdem.*

Hæ duæ fracturarum ſpecies probè ſunt diſcernendæ cum differentiis admodum ſint naturæ, & diverſiſſima m. poſt ſe trahant ſymptomata.

Per tranſverſim quidem factæ fracturæ m. ab imperitis facilè cognoſci poſſunt, idque tunc imprimis qu. oſſa fracta m. à loco ſuo commota fuerint, & ſive externa vis lædens acceſſerit, ſive ex ſolo caſu oſſa fracta ſint, non poſſunt tamen non *ingentes dolores* moleſtiaſque inferre partibus membranoſis & fibroſis ſuperjacentibus, imprimis ſi feſtuca oſſis ſeparata atrocius has pungat.

Præterea *ſæpiſſimè membrum fractum brevius redditur*, dum muſculi oſſa ſeparata trahunt verſus ſuum principium.

Accedunt & *cauſæ externæ aliæ* à quibus facillimè oſsis fractura patet. Imprimis a. hoc conſideratu dignum eſt, quod *in fractura partium ſuperjacentium* muſculoſarum & nervoſarum *pori* naturales ex contuſione aut laceratione transformati, ſimulque ad dolorem & hinc junctam fibrarum nervearum criſpationem anguſtati facilè curſus motuſque ſanguinis naturales & lymphæ impediunt, remorantur & ſiſtunt.

Unde præter ordinariam aliqualem partis fractæ intumeſcentiam, nunc *inflammationes*, nunc *œdemata*, familiares fracturarum ſunt comites, ſæpius in principio ſupervenientes. Nam interdum etiamſi inconvenienter tractentur fracturæ, aut etiam ſin internè ex oſſe fracto nutrimentum ejus proximum corruptum vitians partes lædat quarto demũ aut ſeptimo die poſt fractum & repoſitum os inflammatio quodammodo eryſipelacea supervenit.

Ita ut nunc ſimpliciter aliquod eryſipelas in hoc loco fracturæ effloreſcat, nunc horror & rigor, & inſequens æſtus eryſipelas tale ſoleat comitari.

HUIUS CAUSA eſt varia, in ſpecie tamen ſupervenit, quando occaſione fracturæ partes nerveæ, tendinoſæ & membranoſæ læſæ fuerint, idque in ſpecie in corpore cacochymico, ubi occaſione partium nervoſarum læſarum, harum nutrimentum proximum alteratur, & læſum acorem contrahit & irritando partes nerveas eryſipelas infert, quâ occaſione commota camarina ſuccorum facilè febrem excitare ſolet, ubi ſubinde ſolet eſſe ſuſpicio *feſtucarum*, hinc inde ex oſſe fracto procedentium, & partes vicinas lædentium aut pungentium plus minus.

Hæc ita quidem quoad fracturas tranſverſim factas ſe habent quæ quò ſimpliciores, eò minus periculoſæ, ſin c. vulnere, ſunt multo pericoloſiores, ſin c. abſceſſu oſſis ita ut oſſicula ſeparata incipiant ſuppurari ſunt omnium periculoſiſſimæ.

Conſolidantur oſſa facilius aut difficilius pro varietate ætatis, conſtitutionis ægri vitæ generis, ac ſimilium circumſtantiarum.

Minora oſſa fracta *intra ſeptimum aut quatuordecimum diem* ferè ſanantur; oſſa majora ferè *intra 20. ad 40. præter propter* curationem recipiunt. Hoc imprimis *notatu dignum* eſt quod in gravidis ſi forſan frangatur os, difficillima & tardiſſima fit oſſis fracti conſolidatio, quæ tamen ſi ſupervenit partus naturalis & legitimus, poſtmodum facillimè conſolidari ſolent.

Hæc de fracturis tranſverſim factis, quod attinet FISSURAS hæ m. ſæpiſſimè *in occulto latent*, in ſpecie ſi minores fuerint, & non niſi tardè per varia ac gravia ſupervenientia ſymptomata ſe manifeſtant.

Scil. ex *caſu*, vel ex *lapſu*, vel ex *ſaltu* fortiori, vel in *contuſione* membri in lapidem fit ut fundatur in quodam loco os, idque pro conſtitutione ægri, vel naturali, vel præternaturali, ſeu morboſa, vel facilius, vel difficilius.

Hinc *ſenes* levi occaſione & violentia incurrunt fracturas oſſium tam tranſverſales quàm longitudinales, quia eorum oſſa ſunt arida & facilè ſciſſilia, facileque finduntur, & ii, quibus ex *contagio luis venereæ* per nutrimentum oſsium corruptum ipſa oſſa carioſa facta ſunt, facillimè eorum fracturam patiuntur, unde quidem dolor ibidem locorum exoritur major vel minor pro ratione fiſſuræ: patiens tamen munera ſolita ad huc c. iſto membro ferè obire poteſt; hinc *levis* quidam *tumor* interdum rubeſcens nonnihil ſimul ſucceſsivè ſe manifeſtat.

Verùm hicce in minoribus tardius ſupervenit, quia *ex fiſſura nutrimentum partis* proximum dilapſum & qſ. tranſudans intra perioſtium & partes vicinas ſucceſsivè alteratur & corrumpitur & ſenſim ſecundum longitudinem membri defluens uſque *ad loca articulationi* vicina, ubi tendines copioſiores & arctius tenſi

progreſſum

progreſſum ulteriorem impediunt, unde ibidem tandem congeſtum in *abſceſſum & ulcus* mutatur dum *interea ipſum os in loco ſciſſo corruptionem & cariem concipit*, unde infra enatum *ulcus* continuo quaſi fomite ſuſtentatur.

Hæ fiſſuræ quæ non ſunt adeò raræ niſi tempeſtivæ fuerint cognitæ ſi tandem ulcera iſta producant *vulgò pro abſceſſibus & defluxionibus corporis habentur*, cum in loco abſceſſus omnis cura ſit irrita, propterea quoniam obortus abſceſſus ſæpius remotus eſt longius à loco oſſis læſi. Unde etiam in his caſibus interna purgantia & ſudorifera, externa v. balſamica quæcunque malum diu protrahunt nunquam curant, niſi latens & aſcondita fiſſura detegatur.

Accuratus E. ſit Chirurgus in cognoſcenda fiſſura *expiſcando ſedulò* cauſam antecedentem & dolentem & tumentem locum læſum pertentando, & hinc inde *digitis inveſtigando*, an aliquid rimulæ vel inæqualitatis inſtar fiſſuræ in baculo quodam fiſſo, percipi queat ſ. perquirat ut an in caſu, v. gr. ſonus quidam & ſtrepitus m. membro læſo exauditus fuerit, an brevi poſt tumor ibidem ſubortus fuerit, annon perceperit ſucceſſivum motum materiæ lentè deſcendentis qſ. in abſceſſum & quæ ſunt ſimilia ſigna, ex quibus acuta conjectura fiſſuras cognoſcere debet.

Fiſſuræ hæ, utut *ex omnibus fracturis ſint facillimæ*, tamen ſi *non cognitæ*, *non ritè curantur* aut neglectæ ulcus poſt ſe trahunt imprimis ſi in loco fiſſo oſſium caries ſuperveniat, admodum periculoſæ ſunt & ſæpius ad membrorum abſciſsionem deducunt.

Fracturæ, in quibus loca oſsium fracta ſunt minus retuſa, ut non habeant multas prominentias acutas, pungentes, oſſa fracta tranſverſim non penitus loco ſuo remota, faciliùs curantur, quæ vero ſemotæ, difficiliùs longè; *Si vi fractum & comminutum* fuerit os in fruſtula & fragmenta, periculoſum eſt; omni enim conjunctum ſolet eſſe vulnus nunc ſenſile, nunc occultum, quod ſub cute partes membranoſas lædit, adeoque abſceſſus imminet. Porrò ſi ſit fractura oſsium, ubi oſſa duo coniuncta ſunt, ſi alterum ſaltem fractum, minus periculoſum eſt, ſi verò utrumque, majus eſt. Nam in oſſe uno fracto, reliquum os firmat membrum & non tam valida extenſione opus eſt. Poſtmodum os ſanum etiam fulcri inſtar ſe habet, quo alterum non poteſt loco ſe moveri. *Os fractum in medio ſui dat* fracturam leviorem; quàm circa articulum. Nam hujus repoſitio & firmatio longè ſunt difficiliores, item circa articulum ſunt plures tendines, multi nervi, &c. unde periculum eſt ne inferantur varia ſymptomata. Item *os fractum, quod tegitur multis muſculis*, minus periculi habet ratione ſymptomatum, quam quod frangitur circa loca tendinoſa & fibroſa, verbi gratia, ſi tibia circa ſuras frangitur, minus periculum eſt, quàm in talo. Si os fractum ſit abſque vulnere & læſione partium mollium, eò levior eſt cura, ſi verò cum vulnere partium mollium & contuſione, periculoſa eſt fractura, & periculoſas inflammationes, dolores, convulſiones, interdum gangrænam infert. *Si eſt fractura oſſium in plura fruſtula*, ſubinde neceſſarium eſt, ut oſſa ſeparentur à ſe invicem, quod fit nunc citius in minoribus, nunc tardius in majoribus: Citiùs, ſi oſſa penitus fuerint ſeparata, tardius, ſi oſsicula adhuc hæreant cum membranis. Oſſa præter reliquas ſubſtantias, prout ſunt vel majora vel minora, vel magis vel minus poroſa, nunc citius nunc tardius ſolent conſolidari, utplurimum conſolidantur à die vigeſimo ad vigeſimumquintum, alia ſubinde ad 40. vel 50. in majoribus extenduntur. Præ reliquis *oſſa femoris* fracta raro conſolidantur, integrum quin femur circumſeptum eſt vaſtiſsimis muſculis, mediantibus quibus fractum os vix ritè reponi vel firmari poteſt, quin denuò elabatur vel figuram vitioſam contrahat, adeoque inſtar regulæ erit, ſi femur fractum ſit, in ſpecie in adultis, ſine claudicatione non poſſe reſtitui.

IN CURA fracturarum neceſſe eſt ut *reponantur* oſſa in locum naturalem. Nam oſſa fracta quacunque ratione modo denuò ſint repoſita, & oræ ſeparatæ denuò ad ſe invicem admotæ, tunc natura eadem firmiter denuò conglutinat proprium eorum ſuggerendo alimentum, quo in ſpatiola oſsis ſeparati diffeſo & indurato reuniuntur firmiter ac denuò conglutinantur ipſa oſſa. Nam *liquor alimentarius oſſium* ſpermatico eorum principio ſimilis per meatus ac poros eorum ſecundum longitudinem fibrarum, ex quibus primitus oſſa coaluerunt rependo ea nutrit & auget dum vero in loco fracturæ rectus & naturalis pororum ac meatuum ſitus eſt vitiatus & impeditus, quoque *impeditur naturalis* & legitimus *alimenti curſus*, unde hoc circa locum fracturæ ſtagnat, ſucceſsivè congeritur, & ita td. in ſimilem oſsibus duritiem coagulatur, ſicque *callus* appellari ſolet qui ſubſtantia quidem ſimilis eſt oſsi conformatione verò ſolâ ab eodem differt.

Nullum E. aliud *directè Chirurgi officium eſt*, *circa fracturas* niſi ut *oſſa reponat* extenſa prius probè circa extremitates oris mutuo conjuncta: quorum prius in fracturis per tranſverſim factis tantum *locum habet*, *nempe extenſio* poſterius v. nempe *conjunctio* extremitatum m. in fiſſuris probè obſervandum eſt.

Poſtmodum *oſſa repoſita* ita *in ſitu naturali conſervat* nempe faſciarum circumligatione & ferularum adaptatione, ac denique membri aptâ collocatione.

Indirectè tamen m. circa oſsis fracturas Chirurgus eſt occupatus *præcavendo aut tollendo inflammationem & admovendo* ea quæ balſamum naturale ſ. alimentum proximum oſsis fracti & ita callo generationem promoveant inungendo ſcil. locum fracturæ *ſpirit. vini calido, vel ſolitario, vel cum infuſione florum hyperici*: vel illinatur cum *ſpir. vini*, cui tertia pars *ſpiritus lumbricorum terreſtrium per putrefactionem* admixtus ſit, ut ſe inſinuet in poros, & partes nerveas læſas reſtituat. *Si inſignis* ſimul *adſit contuſio partis*, illinatur *mel cum ſpir. vini probè temperatum*, hoc enim loco, nempe in *fractura cum contuſione* plus minus *intenſa* optimè confert, & contuſionem dictam removet, imminentiaque ſymptomata lenit. Illinatur etiam locus fractus c. ol. hyperici aut fomentando eandem c. vino decoctionis roriſmarini, aut inungendo ol. lumbricorum terreſtrium, aut ol. terebinthinæ c. tacamahac & paulò oleo deſtil. roriſmarini, ſub forma empl. aut quod utplurimum uſu venit applicando emplaſtrum ad rupturas ſ. fracturas parandum nempe ex

reſin. albæ puræ ℔j.
ex Terebinth. turbidæ ℥iij.

quæ lique facta & probè permiſta ſuper aqu. impregnentur pulvere rad. ulmariæ, biſtort. & ariſtoloch. rotund. donec invicem ſubacta coeant in conſiſtentiam empl. ſub finem addendo parum ol. deſtillati oſſium humanorum poteſt meliorari ſi addatur *extractum radicis ariſtolochiæ rotundæ cum ſpiritu vini*, item ſi iſtis invicem liquefactis addatur *pulvis ſuccini*, ut unà liqueſcat, vel factum emplaſtrum malaxetur blandè cum *oleo deſtillato ſuccini*, vel tempore uſus cum *balſamo Peruviano*.

In loco E. fracturæ poſtquam conjunctum & repoſitum fuerit os imponitur tale empl. ita ut non exactè extremitates emplaſtri ſibi invicem ſuper imponantur d. ut aliquâtiſper hiſcent, præmitti poteſt uti dixi inunctio loci c. oleis appropriatis imprimis c. ol. lumbricorum terreſt. acuato c. ol. deſtill. roſmarini.

Emplaſtro

Emplaſtro applicato imponuntur ferulæ, poſtmodum ferulæ conjunguntur per tria ligamenta ea hinc convenienter faſciis, pars eſt faſcianda: Hinc in figura media ratione ſitus extremorum aptè ſituanda eſt: in hoc enim muſculi neque laxi neque tenſi ſunt d. potius talis ſitus citra ullum dolorem oſſa repoſita ſervat. Cum his externis conjungi etiam poſſunt commodè interna vulneraria quibus ſemper roſmarinus addendus eſt aut ulceraria in vulnerum & ulcerum cura recenſita.

Præ cæteris oſtiocollæ lapis in aqua ſymphit. major. uſurpatus eſt appropriatiſſimus, cujus mira eſt efficacia in adjuvanda conſolidatione oſſium fractorum & in promovendo callo, adeò ut interdum m. ſi nimis diu uſurpetur magnum nimis callum producat.

Per experientiam hoc certum eſt quod *Oſtiocolla lapis* ſit mirabilis: quo a. modo operetur eſt ferè obſcuriſſimum: tam durus enim eſt ut neque igne calcinari neque menſtruis corroſivis commodè corrodi poſſit: multo minus E. à ſtomacho erit reſolubilis: quicquid ſit tamen ſingulariſſimus eſt in callis oſſium fractorum generandis & augmentandis.

Eminet etiam herba *agrimonia, conſolida major, Geranium Robertianum, ſabina*: quibus adde *lapid. oſſifragum*, eminet quoque *pulvis Fabricii Hildani ex lapide oſtiocollæ*.

♃. Lapid. oſtiocoll. præp. ℥j. Cinamom. el. ʒiij.
ſacchari ℥j. M. fiat pulvis, doſis ʒij.

Vel *oſtiocollam* ſolve in *vino*, in *decocto vincæ pervincæ*, propinetur repetitis vicibus. Non incongruum eſt *unguentum Bartholini c. 6. hiſtoriar. 25.* ſi poſt tres vel quatuor dies faſciæ reſolvantur, & conſideretur locus fractus, ibi, ubi conſultum eſt, *abluatur vel aquâ ſimplici, vel cum vino decoctionis plantarum nervinarum & vulnerariarum vel ſimilium.*

Ligationes & faſciationes ſint moderatæ, ita ut nec ſint nimis arctæ nec nimis laxæ.

Nam nimis arctæ partem ſuffocant c. ſemper n. in loco fracturæ aliqualis ſupervenit intumeſcentia, quæ impediri nec poteſt nec debet, propterea etiam empl. impoſitum non invicem ſe attingat extremitatibus uti antea monui, neque deligationes nimis ſtrictè ſunt adducendæ, quia alias ſi iſta intumeſcentia impediatur *gangræna* partis ſupervenire aſſolet.

Vulgò imponunt cataplaſmata ex pulveribus adſtringentibus ex bolo armen. roſis, balauſt. thure ſanguine dracon. & ſimilibus exceptis ovi albumine d. *prava conſuetudine*: Nam nihil juvant quin poros replendo & partem incruſtando ſæpius nonnulla mala inducunt.

Sin applicanda ſint cataplaſmata, ea paranda ſunt ex vulnerariis appropriatis nempe ex Geranio Robert: contuſo & inſtar catapl. impoſito, vel ſi tale quid applicandum eſt nemini tamen ſuaſor ero, inungatur locus fractus ol. Hyperici: hinc imponatur cataplaſma ex pulvere Rad. biſtort. in vino infuſo hoc n. fit commodè pro adjuvanda conſolidatione oſſis fracti, & impediendâ aut præcavendâ inflammatione.

Ferularum numerus nimius earumque arcta nimis collectio ſ. connexio eſt nociva: ſæpiſſimè tres ſufficiunt rarius ultra 4. adſcendendum eſt, eæque ad digiti diſtantiam à ſe invicem ſint remotæ ne comprimendo dolorem aut m. intumeſcentiæ impedimentum afferant.

Faſciarum deligatio à medio ſ. ipſo loco oſſis fracti eſt inſtituenda & eædem nunc ſurſum nunc deorſum pro lege artis ſunt ducendæ.

Quod ſi in fracturis imprimis c. contuſionibus, nervi, ligamenta & ſimiles partes nerveæ circa fracturas ſint diſlocatæ & qs. contortæ, tunc ad torſiones iſtas partium nervoſarum ſequens ceratum FORESTI eſt admodum accommodatum.

♃. Rad. ſigill. ſalomon. ℥iv.
alth. ℥j.
fol. plantag. Mii.
omnibus bulitis, piſtatis & cribratis ad ignem c. cera alba f. ceratum molle addendo.
ol. roſarum,
Myrtillorum ana. ℥ij.
Terebinth clar. ℥iß.
unguent. Ægypp.
dialth. ana. ℥ß.
Boli armen. ʒvi.
Sanguin. dracon. ʒiij.
Thur. ʒj.
Santalor omnium ʒij.
M. F. ceratum.

Cujus uſus eſt ut poſt 7. diem imponatur contra prædictos nervorum affectus.

Hæc modo dicta imprimis locum habent in oſſium fracturis per tranſverſim factis.

FISSURAS *quod attinet*: ſi recentes ſint facilè curantur, ſin loco tumenti & nonnihil dolenti ubi ſuſpicio eſt fracturæ applicetur empl. ad fracturas conveniens ex ſupradictis, v. gr. ex reſin. c. rad. ſymphyt. & ſimilibus paratis, & adaptatis l. etiam omiſſis ferulis, pro ratione circumſtantiarum. *Fiſſura.*

Membrum deligatum *quietum contineatur*: ſic namque nutrimenti oſſis corruptio impeditur c. facta jam corrigetur & fractura facilè conſolidabitur.

Quod ſi in fiſſura recenti *tumor inſignis*, mollior tamen & tractabilior adſit, quod ſignum eſt collecti circa locum affectum aut ſanguinis aut liquoris ex oſſe fiſſo tranſudandis, tunc *aperiendus eſt tumor & liquori* contento parandus eſt exitus.

Vulnuſculum *ſervetur apertum per turundam*, & hinc tractetur tanquam fractura c. vulnere: ſic n. facilè conſolidabitur & os fractum & m. vulnus inflictum.

Quod ſi v. *aut ignorantia Chirurgi aut ex neglectu agri* temporis diuturnitate *fiſſura degeneraverit in ulcus & abſceſſum* tunc tumor & abſceſſus facta aliquali maturatione aperiendus & apertura uſque ad locum fiſſuræ continuanda, ut ibidem os fractum ſæpiſſimè ſimul ſucceſſu temporis redditum carioſum, commodè curari poſſit: tunc n. abſceſſus facilè mundificantibus ac conſolidantibus curari in totum poterit: de quibus caſibus nemo unquam melius ſcripſit quam felix VVURZ. in ſua Chirurgia qui ſanè Chirurgorum Germanorum optimus & anteſignanus uti eum vocat *Helmont*.

Hæc in genere de fracturis per tranſverſim, &c. fiſſuris.

Et quidem *fracturæ* hæ nunc ſunt ſimplices, *nunc ſunt complicatæ c. Vulnere*, ita ut & os frangatur & ſuperſtratæ partes molles muſculoſæ vulnerentur.

Poſt extenſionem E. & repoſitionem oſſis, vulnus conſiderandum venit, & ubi nihil de oſſe abſceſſurum metuitur labia vulneris l. ſuturis l. glutine conjungenda, & balſamo convenienti tractanda emplaſtrum in loco vulneris perforatum ſ. foraminulatam fracturæ applicandum ut ita beneficio foraminis commodè vulnus tractari poſſit: hinc ferulis & faſciis convenienti modo pars læſa tractanda & deliganda, & *quotidie ſemel aut bis* pro ratione circumſtantiarum eſt medicanda l. *religanda*, quod *in ſimplici fractura tertio demum die* fieri ſolet, ut nempe religatur faſciatio prima.

Quod ſi v. oſſium fractorum *eminentia extra vulnus prominent* ita ut jam ab ambiente aëre alteratæ & quod citò fit cadaveriſatæ fuerint, tunc eminens os aut lima abradendum aut tenacula ſeparandum, id quod m. fieri neceſſe eſt ſi eminens os & cutim perforans, alia ratione reponi nequeat, ſin v. os adhuc

ſanum & non alteratum ſit, tunc denuo in ſitum convenientem reſtituendum vulnuſque fractum per unguenta digeſtiva diutius apertum ſervandum, idque eum in finem ut particulæ & fruſtula oſſium, interdum in fracturis per tranſverſim à toto ſeparatæ, ſi forſan coaleſcere c. reliquo oſſe nequeant per vulnus foras extrudi aut m.extrahi poſſint.

Quod ſi mox oſſicula talia omninò ſeparata ſe manifeſtant, Folſella ſunt extrahenda: ſin v. tantillum adhuc c.toto aut c.perioſtio ſaltim cohæreant, naturæ integrum committendum negotium, quæ nunc ſeparat ea omnia nunc verò denuò eadem conſolidat; Hoc ipſum v. cum lente fieri ſoleat, adjuvanda eſt natura unguento parato ex

mell. virgin. ℥iß. miſti.
pulveris Lumbricorum terreſtr. ʒiij.

quæ applicata convenienter oſſis ſeparationem adjuvant.

Vel etiam quod melius eſt.

℞. pulveris aloës, Myrrh. ana ℥ß. Rad. conſolid. maj. ariſtoloch. rot. ana ʒiij. Euphorb. ʒij. Terebinth. & ceræ q. ſ. M. in formam linimenti ſ.

Unguenti: quo illinitum vulnus promovet oſſiculorum ſeparationem ſi denuò c.toto conſolidari nequeant. Si oſſe fracto denuò coalito, *callus* nimis magnus genitus ſit, corrigendus & imminuendus eſt, quod docet *Hildan.c.1. obſerv.* 91. Si non habeat *debitam figuram*, opus eſt interdum, ut corrigatur; quod facile fit, ſi callus nondum eſt firmatus, ſi verò firmatus, ſine noxa fractura non poteſt curari. Si os iterum frangatur, non frangitur in calo, ſed circa callum.

SOLI DEO GLORIA.

I. N. J.

I. N. I.

COLLEGIUM CONSULTATORIUM.

PROLEGOMENA.

IN reſolutione caſuum quatuor conſideranda, *primò ſubjectum* ſeu ſedes morbi, ſeu pars affecta, tam per eſſentiam, quàm per conſenſum. *Secundò*, *cauſa* tùm proxima, tùm remota, quæ affectum cum ſymptomatibus variis producit. *Tertiò*, *prognoſis*. 4. *Cura* & methodus medendi.

Dubia ſæpè & difficilis cura eſt potiſsimum (1.) ob complicationem ſymptomatum, ut ſi gravida febricitet, mulier variolis laboret, (2.) ob idioſyncraſiam individuorum, quæ eſt non tantùm in craſi ſuccorum contentorum, ſed etiam in partium ſolidarum mechanica conformatione conſiſtit, quæ in ſingulis individuis quoad porulos differt.

CASVS PRIMVS.
DE APEPSIA.

Apepſia. *MERCATOR* Belga tenuioris fortunæ tempore hyberno per VVeſtphaliam peregrinatur, Lipſienſes petiturus nundinas, ſed negotiorum cauſa per tres ſeptimanas hinc inde in VVeſtphalia detinetur. Lipſiam veniens, conqueritur de nauſeâ & faſtidio ciborum, dolore gravativo circa præcordia, ſub coſtis nothis, noctes habet inquietas, manè evigilans ejicit copioſè ſputa viſcida, percipit ructus inſipidos, à paſtu, licet mediocri, rubores & æſtus faciem occupant, urina turbida, craſſa, pallida; virium ſupervenit imbecillitas.

RESOLVTIO. Ex ſymptomatum ſyndrome & cauſis antecedentibus patet, ægrum apepſia ſeu digeſtione ſtomachi imminuta & vitiata laborare.

CAVSA in ipſo ſtomacho cruditatibus viſcidis referto hæret, unde fermentum ejus digeſtivum partim copiâ obruitur, partim tenaci viſciditate hebetatur. Hinc *dolor gravativus* non tàm in regione ſtomachi ab ægro perceptibilis exoritur, ſed orificium potiſſimum ſuperiùs ſub noctis requie laceſſitum, *noctes inquietas & ſomnum turbulentum* producit. Manè *ſputa viſcida ex* diſſolutis ſub nocte & attenuatis cruditatibus in œſephagum regurgitantibus, cùm per pylorum ob clauſuram ad inteſtina tranſmitti nequeant. Cumque ſtomachus cruditates dictas, quantum poſſibile, digerere nitatur, iſtæ verò ob viſciditatem ad fermẽtativam volatiliſationem ineptæ ſint, non mirùm, *flatus & ructus inſipidos* eructari, *appetitum proſterni* dejecta activitate fermenti ſtomachalis, quo fit, ut ingeſta in paſtam acidam viſcidamque faceſſant, cujus acoris ratione, & inde pendentis inæqualis ſuccorum imprimis viis fermentationis φλογώσεις *& æſtuationes, ruboreſque faciei* poſt paſtum ſuperveniunt, *urinæ crudæ*, *pallidæ*, ob errata primæ coctionis, & defectum fermentationis, in ſtatu naturali, intimè ſalina recrementa cum ſeroſo vehiculo jungentis. *Virium ſucceſſivus defectus* ex fruſtranea corporis nutritione.

Induxerunt hoc malum victus inordinatus & craſſior denſiorque, ob paludes ibidem frequentiores, fermentum digeſtivum ſtomachi hebetans.

PROGNOSIS. Malum etſi caret periculo graviori, neglectum tamen facilè in febrem intermittentem, malum hypochondriacum, vel cachexiam diuturnam præcipitare ægrum potuiſſet, quod non metuendum, ſi lege artis cruditates reſolvantur & attenuentur; hinc evacuentur & poſtmodum appropriatis internis & externis ſtomachus roboretur.

CVRA. Pro priori ſcopo *vinum abſinthites cum radice behenii infuſum*, vel *extractum abſynthii in vino* manè jejuno ſtomacho & bihorio ante cœnam per aliquot tempus ſumptum egregiè conducit.

℞. Sal armon. depurati ℥j.
ſpec. diagalang. ʒß.
F. pulv. ſtomach.
d. in 4. partes æquales, manè & veſperi.

2. *EVACVANT* optimè *vomitoria*, v. gr. crocus metallorum in vini abſynth. ℥j. per noctem infuſus, manè poſt exactam filtrationem propina. Vel

℞. Tartar. emet. gr. iij.
ſacch. albiſſ. gr. vj.
Ole. menth. deſt. gr. j.
M. fiat pulv. Emet.

Sin horreant vomitum.

℞. Maſſ. pilul. de gumm. ammon. Quercet. ℈j.
extr. abſynth. ℈ß.
trochiſc. alhand. gr. ij *vel* iij.
C. ſ. q. Elix. proprietat. f. pilulæ pro unâ doſi.

INSTAVRANDVS VENTRICVLI VIGOR internè cum *Elixir propriet.* ad gutt. 40. manè & veſperi ſub ingreſſum lecti hauriat cochlear unum vel duo *ſpiritus juniperi. Externè balſamis ſtomachicis* regioni ſtomachi & ſcorbiculo cordis inunctis.

℞. Aqu. menth. ℥iij.
ſpir. juniperi. ʒvj.
elix. Matthiol. ʒiij.
ſpirit. ſal. dulc. ʒj.
Menth. ℥j.
M. Doſis cochl. j. vel alter. manè & ſub ingreſſum lecti.

℞. Ol. ſtomachal. Craton.
menth. aa. ℈.
carioph. ℈ß.
nuc. moſch. expr. q. ſ.
Pro corpore balſam.
F. balz. ſtomach.

CASUS II.

INFLATIO STOMACHI CUM ASTHMATE ET CARDIALGIA.

Inflatio ſtomachi cum aſthmate & cardialgia.

MULIER laudabilis conſtitutionis conqueritur de appetitu deficiente, ſuperveniente difficili & anheloſa reſpiratione, quæ ipſa in tantum etiam exaſperatur, ut decumbere ampliùs nequeat, citra ſuffocationis periculum, quin ſemi erecta jacere neceſſe habeat: Adſunt anxietates inſignes crebrioribus vicibus repetentes. Accedens Medicus eam ſingultientem offendit: Interdum ructu, licet magno conatu emiſſo, levamen percipit quoddam. Dolent hypochondria, omniaque ibidem tenſa & plena eſſe aſſerit, ut ne digitum ſub iis recondere queat. Medicus explorat intumeſcentiam in regione epigaſtrica, mollem cedentem tactui, quem ægra refugit, indeque impensè ſe dolere conqueritur.

RESOLUTIO.

Affectus eſt complicatus: ſymptoma primarium inflatio ſtomachi, ſecundarium aſthma ſeu levis orthopnœa, cum cardialgia & anxietate.

PARS AFFECTA ſtomachi tota capacitas, ratione inflationis, ratione verò anxietatis, cardialgiæ, ſingultus, primariò orificium ſuperiùs.

CAUSA PRIMARIA SEU PROXIMA cruditas viſcida & pituitoſa, fermenti activitatem obtundens. *Difficilis reſpiratio* ab impedito, propter inflationem ventriculi, diaphragmatis motu, præſertim ægra ſupina jacente.

Hypochondria dolent, quando tenduntur, id eſt, quando ſpaſmi oriuntur in partibus membranoſis peritonæi. *Singultus* ſuccedit, quando motu conſtrictivo convellitur orificium ſuperius ventriculi, quod in conſenſum trahit diaphragma. *Ructus cum moleſtia emiſſi*, quia irritatum ſuperiùs orificium ſe magis ſtringit. *Dolor ventriculi & anxietates* proveniunt à conſtrictione & motu convulſivo ventriculi, & ſpeciatim orificii ſuperioris. *Anxietates* in febribus tàm malignis quàm benignis plerumque ſunt ex ſtomacho, rariùs ex corde affecto, ob impeditum ſanguinis motum, ubi ſimul *reſpiratio anheloſa* obſervatur.

CURATIO. In cura proinde malignarum febrium potiſſimùm à contagio, quibuſcunque in principio morbi vomitorium exhibui, ſemper quieti & magis pacati fuere, quàm qui nullum ſumpſerunt, hi enim ſummas perpeſſi fuerunt anguſtias.

In puerperis verò *anxietas* obſervatur, propter rapidum motum ſanguinis chyloſi circa vaſa pulmonaria & vicina.

Hypochondria dolent, tenſa & ſuſpenſa ſunt, non tam ob flatus diſtendentes, quàm ob partium muſculoſarum ſpaſmum. In luxationibus vertebrarum dorſalium, nervorum nonnihil translocatorum, fibræ in ſpaſmos criſpatæ, variis ſymptomatibus dant anſam. Inflatio ſtomachi quò longior, eò magis imminet tympanitis.

Propter dolorem & flatus (1.) flatuum impetus ſiſtendus, (2.) pituita viſcida evacuanda: (3.) fermenti robur inſtaurandum. *Propriori ſcopo* ſequens clyſter applicari poteſt.

℞. Decoct. chamom. ℥v-
Urinæ human. ℥iij.
M. add.
Elect. de bacc. laur.
hier. c. agaric. an. ℥ß.
Ol. deſt. terebinth. ʒß.
M. f. clyſma.

Decoctum chamomill. & roriſmarini in cereviſia, additis ſem. carmin. fœnic. egregium experiment. *Foreſti* carminativum. *Caſtor. ejuſque eſſentia ad* ʒj. egregia, ſi ferre poſſit ægra.

Vel ℞. Aqu. menth.
fœnic. aa. ℥j.
eſſ. caſtor. ʒij
ſpir. ſal. armon. aniſat. ʒj.
Laud. opiat. gr. ij
ſyrup. cort. aurant. ʒiij M. F. potio,
doſ. 1. vel 2. cochl.

Ubi verò æſtus & phlogoſes,
℞. Aqu. menth.
fœnicul. aa. ℥j.
ſpirit. nitri dulc. ʒiß.
Laud. opiat. gr. ij.
ſyrup. cort. aur. ʒvj. M.

PURGANTIBUS trochiſci alhandali addendi, nam colocynthide mirè diſſolvuntur phlegmata viſcida.

Externè ut ſpaſmi remittant, ſi pertinaciter reſiſtant.

℞. Theriacæ q. ſ. imprægnetur oleo quodam deſtill. Vel
℞. Empl. ex tacamahaca, malaxetur cum theriaca.

CASUS III.

DE PICA à SCABIE RETROPULSA.

PUELLA procax & vegeta, annorum 14. cujus labra muliebre profluvium nondum polluerat, corripitur ineunte verè, ſponte ſuâ ſcabie, cujus pertæſa moleſtiæ & pruritus faſtidioſi, neſcio quibus linimentis eam curare ſategit, corripitur hinc brevi poſt febri anxioſa, malignæ ſimili, qua tandem, difficulter licet curatâ, redeuntibus ſenſim functionibus naturalibus, redit poſtliminio etiam appetitus, ſed minùs conſuetus, præ cæteris enim eduliis ſpeciatim cretâ ſubtiliſſimè tritâ delectatur, ejuſque uſu mira voluptate afficitur, palàm pariter ac clàm eam ſuffuratam comedendo. Parentes ſolliciti, ultra minas ſimul Medicum pro conſilio vocant. *Pica à ſcabie retropulſa.*

RESOLUTIO. Duo circa reſolutionem hujus caſus *ponderanda*: (1.) quæ ſit cauſa proxima ſcabiei, (2.) quomodo ſcabies retropulſa febrim & picam intulerit.

Quoad priùs, SCABIEI CAUSA PROXIMA eſt acido acre ſub cuticula defixum, natum occaſione intercluſæ tranſpirationis. Hinc homines quieti & minùs laborioſi, vel nonnihil ſordidi ſolent affici ſcabie. Halitus naturaliter per cutem tranſpirantes ſalſi, ſub cuticula coacervati corrumpuntur, & acorem contrahunt, qui acor alcalinum & roridum nutrimentum partium, cum quo efferveſcit, ſimiliter corrumpit, ut partim in liquamen acre ſalſum degeneret, partim ſalia hæc in nutrimento hoc irretiantur, & viſcoſitatem contrahant. Cujus viſcoſitatis ratione facilè aliis adhæreſcit fermentum ſcabioſum, & fit contagioſum. Acrimonia verò acidoſalina parti affixa, incipit corrumpere nutrimentum proximum, & ſic corpus inficit. *Patet hoc, primò ex pruritu*, omne acidum acre cutim attingens pruritum, ſi acrius, roſionem infert. *Secundò, Ex puſtulis*; Acida primò rubedinem, poſtmodum albedinem inferunt; Alcalia verò primo albedinem, hinc nigredinem: videbis hoc, ſi fonticulum unum cum butyro antimonii, alterum cum lapide corroſivo excitaveris. *Tertiò, Ex ſquamis decidentibus*, acidum erodit cuticulam, hæc abit in ſquammas. *Quartò, Ex pure*, quod eſt ſanguis fermentando tranſmutatus, ſulphure ejus ab acido præcipitato. *Diſtinctio ſcabiei in humidam & ſiccam non eſt bona*, nam prout ſubjectum plus minùs eſt ſeroſum, ſcabies quoque eſt vel humida vel ſicca.

CURA

CURA ſcabiei infra caſ. 27. tradetur, *ſitque per alcalina medicamenta & linimenta, cum oleo tartari per deliquium, aut cum mercurialibus, mercurius* enim alcalinæ eſt naturæ, & acidum abſorbet, v. g.

℞. Extract. panchymagog. Croll.
Mercur. dulc. aa. gr. xv.
Scammon. ſulphurat. q. ſ. pro ſtimulo.
M. f. pilul.

Quoad poſterius, ſcabies & aliæ excretiones cutaneæ repelluntur *vel* à pororum occluſione, *vel* à motu ſanguinis alioſum concitato. *Occluduntur pori* (1.) *à frigore*, *vel* extrinſecus admoto, ut quando corpus denudatur, poſt ſudorem frigori exponitur, fibræ nerveæ ſe contrahunt; *vel* intrinſecus recepto: Huc pertinet hauſtus frigidus, à cujus ingurgitatione cutis ſe ſtringit, ob conſenſum nervorum & panniculi carnoſi cum membranis ſtomachi. (2) *à viſcidis*, unctuoſis, pinguibus, oleis expreſſis, emplaſtris applicatis, quæ poros illinire ſolent. Hinc ſcorbutici, & qui ſerum habent acrius, à levi emplaſtri admotione puſtulas & herpetem contrahunt, ob coërcitos halitus acres. Ulceribus corroſivis meliori ſucceſſu pulveres ex lapid. calaminari, cret. ceruſſa, ſacch. ſaturni conveniunt, quæ acidum abſorbendo ſaporem ſalſum acquirunt.

Motus ſanguinis alioſum concitatur à venæ ſectione, purgatione, vomitu, clyſmate, intempeſtive applicatis, quibus ſæpè motus naturæ expulſorius ad exteriora pervertitur. *In petechiis* hinc *venæ ſectio* maxime periculoſa. *Clyſmata* quoque *in variolis* vidi lethalia, defloreſcentibus inde variolis, & diarrhæa colliquativa ſuccedente. *In puerperis* ſi ſit ſuſpicio febris malignæ, lochia ſtringenda potiùs nonnihil, quàm nimis pellenda ſuadet WILLIS: Quia tunc ſerum vitioſum, ſeu ſanguinis vehiculum à partibus exterioribus materiam vitioſam interius, & ad uterum ſimul rapit.

Repulſa verò *ſcabies* & aliæ excretiones cutaneæ tàm *periculoſa inferunt ſymptomata*, quatenus excrementa cutanea, quæcunque occaſione vel immediatè cum ſanguine miſta, vel ſero ſoluta in cruorem reaffuſa, ſanguinis texturam naturalem inſigniter irritant, quâ vitiatâ depravatur ſpirituaſcentia, vitiantur fermenta, ſicque à tantillo fermento tota maſſa ſanguinea infici poteſt.

His ita ſuppoſitis in hoc caſu pica fit à ſtomachi fermento inquinato ad modum acri, acido ſalſo, quòd cupit ſaturari iis, quæ acidum imbibunt, quale *creta*; danda proinde qualia appetunt, modò non nimia quantitate. FEHRIUS *de abſynthio* conceſſit cretam, ſed cum mechoacanna mixtam, quibus fermentum deſtructum ſaturetur, & ſimul evacuatur. *Itaque* 1. fermentum ventriculi ſaturandum, hinc 2. per vomitum evacuandum. 3. ſtomachus roborandus, *ad ſaturationem* faciunt *martialia & alcalia fixa*.

℞. Corall. rubr. præp.
cryſtall. præp.
ebor. uſt.
ſal. abſynth. aa. ʒj.
M. detur manè & veſperi.

Quæritur. Quomodo ſcabies & excretiones cutaneæ retropulſæ iterum expellendæ? *Reſpondeo*, fermenta ſalina iterum ſeparanda, ut ſeparata à ſero imbibi, & hujus vehiculo in cute rurſus defigi queant. *Separatio* inſtituenda mediante præcipitatione, quâ prægreſſa, ſerum purum tranſcolatur, fœcibus præcipitatis circa poros cutis congeſtis efflorеſcentibus. Danda igitur *alcalia*, quæ acidum in ſalſum convertunt, ut *ſalia fixa & volatilia, card. bened. fumar. abſynth. viperar. C. C. fuligin. ſang. humani*; Si *æſtus* urget, *antimonialia fixa, bezoardica, antimon. diaphor. miſtura polychreſta ex acet. & lapid. cancror.* egregia ſudorifera & diaphoretica.

℞. Aqu. ſcabioſ.
fl. ſambuc.
card. bened. aa. ℥j.
acet. vini ʒvj.
lapid. cancror gr. xv.
ſyrup. de fumar. ʒiij.
M. pro duab. vel trib. doſib.

Pertinet huc etiam *emulſio* ex ſemine napi, aquileg. card. bened. citri, ſub nomine liquoris alexipharmaci à ZWOLFERO correcta. *Fimus equinus* ad purificandam maſſam ſanguineam eſt egregius. Tandem conſilium ZACUTI *Luſit.* non improbandum, qui ſuadet ut cum alio ſcabioſo concumbat, ſic ſcabies redibit.

CASUS IV.

DE CHOLERA BILIOSA.

JUVENIS εὔσαρκος & probè ſanus exercitiis deditus, cum graviſſima ira excanduiſſet, ne vindictam inſtituere poſſet, bibit aliquantum vini cerafici, hinc domum rediens ingruente nocte ex improviſo terrore gravi percutitur, unde ſequenti die ob languorem univerſalem & laſſitudinem artuum in lecto ſubſiſtere cogitur. Mater ſollicita propinat doſin tincturæ bezoard. unde ſudor ſufficiens prolicitur cum aliquali euphoria: Die ſequenti atroces anxietates eum corripiunt, ut in lecto inquietus ſe jactitet, ſudores copioſi circa caput prorumpunt, flatus abdomen diſtendunt, ſitis urget intenſiſſima, modò calet corpus intenſiſſimè, modò naturaliter tepet Ex propinato remedio confortante nauſeat ſtomachus, in vomitus erumpit copioſæ materiæ viſcidæ, flavæ, viridis, amariſſimæ, cui & copulantur aliquot dejectiones per inferiora, cum flatuum emiſſione, hinc levatur malum, æger commodè ſatis ſe habet, die vero quarto eadem recurrunt ſymptomata, anxietates longè crudelius afficientes: adeò ut æger moribundi inſtar jaceat cum facie pallida & quaſi exangui. Cum ad horam & amplius ita afflictus fuiſſet, tandem ſummo vomendi conatu, antea ſæpius irrito, excernit aliquantum materiæ viridiſſimæ & amariſſimæ; vocatus Medicus pulſum validum, magnum, celerem, invenit, rogatur ægro inſtituenda cura. *Cholera bilioſa.*

RESOLUTIO. Eſt affectus choleræ affinis, minus acutus, per intervalla rediens; SUBJECTUM morbi ſeu ratione tranſmiſſionis, ventriculus & inteſtina, ſeu ratione receptionis & excretionis.

CAUSA PROXIMA eſt ſuccorum acrium (acidi pancreatici & bilioſi corrupti) in primis viis efferveſcentia. In *ira* turgeſcit bilis & ſanguis. *A terrore* motus ſpirituum ſupprimitur & augetur acidum; amarum acre in ſtomacho ingentes creat *anxietates*, quales obſervantur ab aſſumptis vomitoriis, quando ultimò materia amara evomitur, orificia ventriculi tamdiu ſtringuntur, donec prævaleat pylorus & per ſuperius moleſta ejiciantur, *ſudores circa caput* prodromus & effectus ſyncopes. *Sitis* primario affectus faucium, ſecundario orificii ſuperioris ventriculi, quod ſtimulatum ab acido famem, ab alcali vel ſalino ſitim infert: Omnia amara ex inteſtinis regurgitantia ad ſtomachum, clamoſam ſitem inducunt. *Spiritus vel clyſſus ſulphuris* in febribus ardentibus optimè *ſitim* ſedat, quatenus alcali rodens corrigit, quando acidum abundat, & membranas primæ regionis vellicat, urget *rigor*, quando verò ſub inæquali iſto concurſu prædominatur pinguedo bilis, oritur *phlogoſis*, unde præcipitantia & fermentationem ſiſtentia conveniunt, *in rigore quidem ſal abſynthii, os ſepiæ, cryſtallus*; *in phlogoſi arcanum dupl. Mynſ. nitrum antimoniat. ſpir. nitri dulc.* quando ſubitò *languet corpus*, ſpiritus, ſin ſucceſſive, maſſa ſanguinea affecta eſt. *Colores humorum & excretorum* varii proveniunt à textura, radios lucis vel tranſmittente, vel reflectente, vid. *Boyle de color. Albedo excretorum* ut plurimum à commixtione

minùs exacta aquei & oleoſi oritur, maximè ſi hoc ab illo præcipitatur, ſicuti ſpiritus vini rectificatiſſimus, cum aqua miſtus lacteſcit; *pus albicat*, ſulphure ſanguinis ab acido in vulnere præcipitato, *lac* eſt album ab acido mammis impreſſo. *Semina oleoſa* cum aqua trita emulſionem lacteam præbent, unde excreta candicantia, præcipitationem quandam prægreſſam arguunt. *Rubedo* oritur ex ſulphure ſeu oleo ſale volatili digeſto & diſſoluto; omne oleum, ſal & ſpir. volat. animal. aliquamdiu aſſervatus, tandem rubeſcit, ex diſſolutis particulis oleoſis adhæreſcentibus. Si ſal armoniacum, calx viva & ſulphur deſtillentur, una ſpiritus prodit rutilans à ſulphure ab alcali ſoluto, ſi huic ſpiritui aureo affundas aquam, totus liquor lacteſcit, & ſulphur ad fundum ſecedit.

Rubedo ſanguinis exoritur à ſale volatili intimè oleoſo, ſeu ſulphure diſſolvente. *Urina quo rubicundior*, eò ſulphure ab alcali volatili digeſto abundantior: *turbida* contra fit urina, ſi aliquid aceti admiſceatur, non ritè cum partibus reliquis uniti. In morbis acutis dum *urinæ claræ turbantur*, inſtauratum fermentum ſtomachicum deſignant.

Fœtor fæcum fit à putredine, quâ ſub ſolutione concreti alcali liberatum agit in ſulphur, illudque diſſolvit. Sic ſal tartari cum flor. ſulphuris in crucibulo fuſum immenſum ſpirat fœtorem. A purgantibus fortioribus excreta peſſime fœtent, quatenus iſtorum alcali acre in ſulphur ſcybalorum agit.

CURA. Cryſtallus præparatus uti bilis æruginoſæ alexipharmacum audit SENNERTO & LANGIO, ita magnæ in cholera efficaciæ experimento HEERII. Spiritus vini calidè ſtomacho applicatus egregius. In cholera bilioſa cereviſia ſecundaria ſucco citri acidulata porrigenda, vel Julepi blandè aciduli, v. gr.

℞. Flor. papav. err. Mj.
infund. in aqu. ſimpl. ℔iß.
Spiritus ſulphuris q.ſ. acidulata, ſtent in digeſt. ad extrahendam Tincturam;
Colaturæ adde
Syrup. corall.
cort. aurant. aa. ℥ß.
ſpir. nitri dulc. parum.
M. S.

CASUS V.

DE CHYLIFICATIONE LÆSA EX CRUDITATE NIDOROSA.

Chylificatio læſa ex cruditate nidoroſa.

FOEMINA delicata lautioribus epulis dedita, boniſque fortunæ affluens, conqueritur de vagis, ſubito invadentibus & recedentibus æſtuationibus corporis aliquot horis à paſtu cum faciei vago rubore, accedunt ſubinde ructus tetri ſaporis vix explicabilis, quibus interdum 5. vel 6. noctis hora ſuperveniunt vomitus variorum liquaminum, cibis quibuſdam aſſumptis plus minùs permiſtorum. Mane mediocriter ſe habet, ſed ad juſculi gallinacei, pro conſuetudine hauriendi odorem nauſeat, & aſſumptis paucis cochlearibus id ſeponit, ſuperveniunt ſolidæ æſtuationes, in ſpecie caloris intenſioris in regione ſtomachi, qui gulam flammæ inſtar urit, unde gravior ſitis ſupervenit, cum appetitu circa prandium proſtrato: Vocat Medicum pro cura.

RESOLUTIO. Digeſtioni opponitur *cruditas*, quæ *duplex*, acida, quando fermentum ventriculi nimis acidum, nidoroſa, quando nimis iners.

Cruditas nidoroſa, quâ præſens ægra cum ſoda laborat, obſervatur imprimis in febribus acutis, *oritur* ſæpiſſimè à pinguibus, ovis frixis, caſtaneis, butyro, lacte, comeſtis, fructibus horariis, cucurbitis, melonibus, aliiſque facilis corruptionis, potiſſimum in ſtomachi cavitate diutius retentis. Hac qui laborant ſemper habent excrementa alvi liquida impensè fœtentia.

Nauſea fit ob ſpaſmum orificii ſuperioris, *Phlogoſes* ex inæquali ſuccorum in primis viis fermentatione, quæ in maſſa ſanguineâ uſque continuatur, unde hecticis mox à paſtu calor & pulſus augetur.

Soda ſeu ſenſus roſionis & caloris in gula fit ab effluviis acribus aſcendentibus. *Sitis* à ſale acri lixivioſo orificium ſuperius ſtimulante, vel ex defectu lymphæ in faucibus.

Affectus non eſt lethalis, brevi curabilis; neglectus verò diarrhææ vel febris ardentis ſuperventuræ periculum minatur.

Quòd ut evitemus, (1.) ſtomachus ſuprà vel infra evacuandus, (2.) ſi quid ſupereſt excrementi, corrigendum temperatis, v.gr. *crem. tartari*, *arcano dupl. oſſ. ſepiæ*, *&c.* (3.) ſtomachus *blandis acidis* vigorandus. *Purgantia* in cruditate nidoroſa minori danda doſi, quia facile laxantur. Si *ſoda* prævaleat, præmittantur *acidum abſorbentia*.

In præſenti caſu, ratione *cruditatis* nidoroſæ conveniunt *abſterſiva*, ratione *ſodæ*, *præcipitantia*: utrique ſcopo ſatisfacit ſequens.

℞. Arcan. duplic. ℈ij.
oſſ. ſepiæ præp. ℈j.
pulv. nuciſt. gr.vj.
M. pro 2. doſ.

℞. Cremor tartari ʒj.
corall. rubr. ℈j.
M. pro 2. doſ. in juſculo.

Soda deſperata & cardialgia per crem. tartari curata traditur in *Ephem. ann.3. p.385.*

CASUS VI.

DE CARDIALGIA SEU SPASMO ORIFICII SUPERIORIS VENTRICULI A FUNGIS.

Cardialgia ſeu ſpaſmus orificii ſuperioris ventriculi à fungis.

AURIFABER ætatis conſiſtentis, cœna peracta, quàm ſanus & hilaris aſſumpſerat, lectum petit, nocte evigilans acutiſſimos dolores in regione dorſi circa medias thoracis vertebras percipit, tanquam pugione perforaretur, dolor à parte poſtica incipiens ad anteriorem partem ſterni tranſit, ubi etiam intensè, minus tamen acutè urget, cum inſigni anhelitus difficultate, ita ut ex punctione vehementi cum dolore quodammodo ſuffocari videatur. Pulſus magnus, æqualis, paulò celerior, minimè durus: Medicus inveſtigans cauſas antegreſſas, comperit ægrum die prægreſſa vaſa argentea mercurio incruſtaſſe & hinc deauraſſe, in prandio quoque illius diei fungos cum butyro frixos, quibus ſæpè delectatur, comediſſe.

RESOLUTIO. Affectus eſt cardialgia, ſeu ſpaſmus & conſtrictio orificii ſuperioris ventriculi, quod maxime ſenſile & laceſſitum ſæpe totum nervoſum genus in conſenſum rapit. Sic obſervata *Epilepſia* à dolore ſtomachi, quæ poſt vomitum ceſſavit. Nec rarò *ſyncopes vagæ*, potiſſimum in mulieribus exinde viſæ.

CAUSA PROXIMA eſt irritatio, quàm ſequitur ſpaſmus. *REMOTA fungi & boleti comeſti*, qui rectè à Seneca vocantur venenum voluptuarium; habent acrimoniam occultam cauſticam, in viſcidate admodum tenaci, vid. *Hild. obſerv.* hujus *antidotum theriaca cum oxymellite*: *Non vero fumi mercuriales*, qui ſolùm tremores aut paralyſin inducunt. *Dolor circa vertebras dorſales*, *cum reſpiratione difficili* obſervatur, quia quando orificium ſtomachi diaphragma perforat, ſupra vertebras dorſales aſcendit. Quando œſophagus aliquid convulſivi patitur, tunc *de ſtrangulatione conqueruntur ægri*.

Pulſus durus, id eſt, quando arteriæ tenduntur, rigidæ ſunt & digito reſiſtunt, nunquam verò obſervatur, niſi quando membranæ quædam vel inflammatæ vel convulſæ, v. gr. in pleuritide, in

doloribus

doloribus nephriticis, colicis, apoplexia forti.

Morbus præſens eſt acutus, ſi augeatur, periculum Epilepſiæ vel ſyncopes ſupervenientis.

Proinde materia peccans *per vomitum vel ſeceſſum* exturbanda, tum dolor *opiatis* & ſpecificis ſiſtendus. Si dolor intenſior, loco vomitus cathartica cum opio, ſed in majori doſi offerenda. *Chamæmelum* optimum in cardialgia: *Sacculi cum aromaticis*, vino incocti, ſtomacho applicentur.

CASUS VII.

DE CATARRHO EPIDEMIO.

Catarrhus epidemius. *ANNO 1675.* totam ferè Germaniam pervadens. Quoad morbum, qui hactenus epidemicè graſſatus fuit, obſervatum, quòd univerſi anni tempeſtas fuerit admodum inæqualis ſeu inconſtans, imprimis æſtas pluvioſa, indeque aquarum repetitæ inundationes, cum ſpirantibus crebrioribus zephyris, hinc principio Septembris, circa æquinoctium, nebulæ ſpiſſiores auroram obſcurabant, circa meridiem claro ſolis ſplendore denuò illuceſcente, utut tandem pluvioſum & humidum tempus ſuperveniret; Hinc ſub finem Septembris & menſe Octobri ubique graſſari incipiebat coryza gravis & diuturna cum copioſa muci rejectione, quàm dolor gravativus & tenſivus capitis comitabatur. Superveniebat huic poſt aliquot dies tuſſis crebra, ferina, profunda, frequentiſſimè pectus concutiens, inanis & ſicca, noctu præſertim affligens, donec tranſactis aliquot diebus & humida fieret; unde copioſis rejectis viſcidis liquaminibus pedetentim ceſſavit. Quidam ſubita obmuteſcebant raucedine, verbum ſonorum nullum proferre poterant, cum tanta reſpirationis difficultate, ut fere ſuffocari viderentur, ex eo, quod pectus ipſis anguſtiſſimum & ubique repletum appareret, unde & tales nec tuſſire poterant, donec, ceſſante pectoris anguſtia & liberiore facta reſpiratione, tuſſis ſuperveniret & raucedo paulatim ceſſaret. Plures cum dictis ſymptomatibus, præſertim in principio morbi, frigus vagum ſpinam dorſi penetrans interdiu affligebat, æſtu plus minùs veſperi inſequente ad mediam uſque noctem, & ſic quotidie repetebat. Quidam dolore punctorio in alterutro latere affligebantur, occupante ſpatium coſtarum notharum & à regione ſpinæ dorſi lumbari ſurſum, anteriora verſus ad ſternum uſque aſcendente, reſpirationem ob graviſſimos dolores inſigniter impediente. Rejiciebantur in taliter conſtitutis quibuſdam cruenta & viſcida glutinoſa, non tamen purulenta; aderat tunc ſimul calor, in principio intenſus, cum pulſu crebro, celeri; Omnia tamen ceſſantibus doloribus ceſſabant.

Quæritur qualis affectus fuerit; unde ortus; quomodo curandus?

RESOLUTIO. Affectus eſt catarrhalis, ex lymphæ p. n. effuſione per irritationem externam.

PARS AFFECTA in genere glanduloſa, ſpeciatim variat pro ſymptomatum varietate: nunc membranæ narium & vaſa glanduloſa laryngis, nunc circa corporis peripheriam.

CAUSA MATERIALIS LYMPHA vitiata, acris, acida, plus minùs abundans, p. n. mota, vitiata verò ex inæqualitate aëris in caſu expoſita. Aër pluvioſus & nebuloſus maſſam ſanguineam vitiat, ut ſpiritus minùs volatiles producat, hinc lympha aſperior & copioſior, ſal univerſale aëris plus minùs enervatum.

CAUSA EFFICIENS, ſeu lympham dicto modo vitiatam movens, *PROXIMA* eſt ſpiritus vitalis & animalis, qui irritatus fibras partium variè movet, quibus commotis etiam partium contenta moventur, unde loca glanduloſa lympham ſuam effundunt.

REMOTA, quæ efficientem internam movet, eſt inclementia aëris autumnalis, nebuloſi, qui cum ſordibus, quibus ſcatet, attractus, nares, fauces, irritavit ad effuſionem lymphæ; unde coryza, tuſſis, pleuritis, non ſecus ac ſpina infixa dolorem & affluxum facit.

Coryza quidem orta ex irritatione membranæ narium internæ & pituitariæ ſuperioris, ab attracto intra nares aëre aſperiore, atomis aſperioribus irregularibus ſtimulantibus referto, ſicut effectum ſimilem videmus à pulvere ſternutatorio, ſolutione vitrioli albi, intra nares attracta. Ex irritatione fibrarum & ſpirituum facta lymphæ effuſio.

Tuſſis ſucceſſit ex irritatione ſimili membranarum faucium & laryngis, primum ſicca, à ſimplici lymphæ effuſione, acrimonia ſua membranam aſperæ arteriæ ſtimulantis, poſt humida, ſuccedente excoriatione laryngis, ex qua ſuccus ejus nutritivus exſtillat, qui corruptus dat mucum, & tuſſim humidam. Micula panis intra laryngem recepta, ob irritationem, primò tuſſim ſiccam, ſi continuetur, & humidam creat.

Raucedo abhumectatione nimia laryngis.

Anxietas & plenitudo pectoris, diſtenſionem pulmonum impediens, à motu convulſivo pulmonum, qui ob retis fibroſi conſtrictionem non poterant diſtendi, unde nec tuſſire tales poterant. Ab opiatis ceſſabat, abſque materiæ rejectione.

Febris catarrhalis à lympha nimis acida cum ſanguine efferveſcente.

Rigor ab acore partes membranoſas circa præcordia vellicante.

Æſtus ex efferveſcentia lymphæ acidæ cum ſale volatili oleoſo ſanguinis.

Pleuritis notha ex lympha acri, rodente, circa pleuram effuſa oriebatur.

Dolor tenſivus à ſpaſmo membranarum cerebri, ob conſenſum cum naribus: *gravativus* ex ſanguine ſtagnante & turgente.

Mucus non cauſa, ſed productum tuſſis, aſperam arteriam leviter excoriantis, ex qua alimentum proximum tranſſudans, cum lympha copioſè affuſa degenerat in mucum, qui in bronchiis collectus ſucceſſivè evacuantur.

Noctu affectus catarrhales exacerbantur, quatenus circa veſperam minor fit inſenſilis tranſpiratio.

QUOAD CURAM;

(1.) Ratione cauſarum efficientium ſpirituum impetus ſiſtendus, & nimius irritationis ſenſus tollendus per *opiata*, quæ in principio tuſſis ſiccæ præſentaneè juvant, minùs verò excoriatione jam facta.

(2.) Ratione cauſæ materialis *acrimonia lymphæ* temperanda per *ſalia volatilia*, *oleoſa*, *balſamica*, *abundantia*; *ſudoriferis & diureticis tollenda.*

(3.) Sordes, ſi quæ in naribus & pulmonibus reſtiterint, *incidentibus & reſolventibus* removendæ, aliæque tenſiones partium appropriatis reſtituendæ. Imminente coryzâ, ad præſervationem ſuaſi, ut nares manè & veſperi balſamo apoplectico illinirent, ad aërem & læſionem jam inductam corrigendam.

Coryzam ſemper preſſo pede ſequebatur *tuſſis*, *quam præcavebam opiatis*, *ſudoriferis*: v. g. ſeq. mixtura veſperi, parciſsima cœna prægreſſa, ad eliciendum ſudorem ſumenda.

℞. Aqu. ſerpill. ℥j.
Liquor. C. C. ſuccin. ʒj.
(vel loco hujus ſpir. C. C. eſſenti f. ʒß.)
Laud. opiat. gr. ij.
Syrup. papav. ʒij. vel iij.
M. pro una vice.

℞. Liquor. C. C. ſuccin. ʒij.
Eſſ. opii. ʒß. M.
Doſ. gutt. 30. vel 40. bis in die.

In principio hujus affectus & febris catarrhalis: Morbo verò aucto & *naribus excoriatis*, conſultum

oleum

oleum deſtillatum aniſi immittere, vel *ſpirit. ſal armoniaci aniſatum vel ſal vol. urinæ*, C. C. crebrius, præſertim tempore veſpertino, naribus admovere & odorari.

His non ſufficientibus, *pulv. ſternutatorius Helmontii, vel alius probatior* in uſum vocandus. Si *dolor tenſivus capitis* conjunctus, guttæ aliquot *olei deſtillati ſuccini* vertici illitæ, vel ſi oleum acrius, balſ. peruv. conducunt.

Succedente *ſicca tuſſi*, adhuc *in principio* talia uſurpanda, quæ lymphæ acrimoniam temperarent, faucium & aſperæ arteriæ irritationem doloroſam ſiſterent & materiam incraſſarent.

℞. Aqu. ſcabioſ. ℥ij.
asthmat. ʒvj.
Syrup. papav. alb. vel diacod. Mont. ℥j.
M. capiat cochlear tempore veſpertino cum opiatis. Vel

℞. Aqu. Scabioſ. ℥iij.
aſthmat. ʒvj.
Spir. ſal. armon. aniſ. ʒj.
Syrup. viol.
papav. alb. aa. ℥ß. M.

Hoc ſæpè tuſſis, ſuperveniente blando ſudore, ſedata, ſin verò *tuſſis ad ſtatum jam pervenerit*, ut materia expectoretur, incidentia & expectorantia profuere, v. gr.

℞. Aqu. hyſſopi ℥ij.
aſthmat. ℥ß.
Spir. virid. æris vel quod melius,
gumm. ammoniac. cum
virid. æris parat. ʒij.
Syrup. nicotian. ℥ß. vel ʒvj. M.

Ut meliùs fauces & præcordia ſtimulet, addi poteſt ʒj. *Syrupi emetici Angeli Salæ*. Loco hujus mixturæ *ſuccus raphani expreſſus cum pauco ſaccharo cando* temperatus egregiè incidit mucum: *Si fauces, pharynx & larynx leviter excoriatæ*, linctus blandi in uſu fuerunt, v. gr. *looch paſſul. ſyrup. diacodii Mont. viol. cum baculo liquiritiæ*.

Aſthma opiatis & acredinem temperantibus curatum. *In declinatione morbi*, ſi læſionis inductæ ſuſpicio eſſet, ordinavi *balſamum ſulphuris aniſatum & terebinth.* quotidie ad gutt. 10. vel 12. in hauſtu juſculi vel cereviſiæ calidæ.

Febris catarrhalis curata fuit per *ſalia volatilia oleoſa*, imperando ſudorem, ſpeciatim mixtura ſupra de præſervativis propoſita.

Pleuritis notha ſalibus volatilibus cum ſpecificis & *opiatis ſpir. ſalis armoniaci aniſat. liqu. C. C. ſuccinat. tinctura tartari cum ſpir. ſalis armoniaci, dente apri, maxilla lucii piſcis.*

℞. Aqu. card. bened.
pap. err. aa. ℥iß.
ſpir. ſal. armon. aniſat. ʒiß.
laud. opiat. gr. iij.
ſyrup. chærefol. ʒiij.
M. ſumat cochleatim.

Pro alio ægro, qui prægreſſo frigore, æſtu inſolito, pectoris anguſtia & pungitivo lateris dolore torquebatur, ordinavi ſeq.

℞. Aqu. flor. ſambuc.
ſcabioſ. aa. ℥iß.
lapid. cancror.
dent. apri præp. aa. ℈j.
ſal. vol. maxill. luc. piſc. gr. xij.
laud. opiat. per ferm. gr. iij.
ſyrup. card. bened. ℥ß.
M.

Mixturæ hujus probè agitatæ capiat cochl. ij. expectando ſudorem. Cùm *urina* in hoc ægro eſſet *turbida cum copioſo ſedimento lateritio*, naturam diureticis juvi, tinctura tartari cum dimidia parte ſpir. ſalis armoniaci, doſ. gutt. 40. propinetur in aqua menthæ, ſerpilli cum ſyrupo hederæ terreſtris.

Inter *externa* profuerunt *fotus* calidi ſicci, & *frictiones* cum linteis calidis, *ſacculi* avenacei calefacti, & *empl.* ſequens:

℞. Sal. vol. urinæ ʒiij.
therebinth. ℥j.
maſſ. empl. Barbett. ℥ij.
M. in mortario marmoreo c. pauc. empl. de melilot. induc. ſuper alutam & applica.

Nocent mucilaginoſa & unctuoſa, propter obſtructionem pororum.

Opiata ſuſpecta videri poſſent, quòd motum naturæ & lymphæ excretionem impediant. Verum *conceduntur* ſolùm in principio, nequaquam in augmento & ſtatu. *Nec ſenibus opium concedendum*, ſed loco hujus *extr. theriacæ. Gravidis quoque interdicendum* planè, quia fœtui nocentiſſimum; locum ſupplet ſyrup. papav. vel diacodium Montani.

Purgantia in lymphæ vitiis nihil præſtant, quia univerſam maſſam ſanguineam turbant. Aſt omnem paginam faciunt *diaphoretica & diuretica*, inter quæ in præſenti excellunt *ſal. volat. ſuccini*, *eſſentia myrrhæ cum ſpiritu vini tartariſato*, *arcanum dupl.* pro corrigendis urinis ad ℈j. bis in die.

Infantibus catarrhoſis ſolus *ſpir. ſalis ammon. aniſ.* auxiliatur; ſi tuſſis affligat, *gr. j. vel ij. theriaca*, adde: *ſenibus* vertex *ole. deſt. ſuccini* inungatur, vel applicetur *emp. pro bregmate*, malaxetur cum *balſamo Peruv.* & irrodandum pauco *oleo ſuccini*.

CASUS VIII.

DE DYSENTERIA.

MULIER juvencula ἔυσαρκα & ſucci plena, ſed hyſtericis affectibus levi cauſa obnoxia, ſimulque menſium difficultate non rarò affecta, capit à Medico pill. ſeq. horis matutinis cum regimine debito. *Dyſenteria.*

℞. Maſſ. pilul. de Hier. c. agar. gr. xv.
vitriol. martis ritè præp. ʒß.
ſcammon. ſulphurat. gr. ij.
extr. troch. alhandal. gr. j.
c. ſ. q. ol. deſt. thereb. f. pilul.

à meridie ſuccedit evacuatio 6. 7. vicibus copioſæ materiæ ſordidæ, viſcidæ & variæ, cum euphoria, ſed nocte ſequente evigilans atrociſſima perſentit in abdomine tormina, ſuccedunt celerrimæ dejectiones alvi, vomitus; Ipſa doloribus vexata & excretionibus debilitata vocat medicum, qui reperit eam ſummè debilem cum pulſu celeri, frequenti, excreta tenuia, rubicunda, inſtar loturæ carnium, ſed intenſius tincta, ægra in lecto ſe circumvolvit, corpus mirè præ dolore incurvat & miſerè ejulatur, poſtulat medicinam.

RESOLUTIO. AFFECTUS eſt dyſenteria.

LOCUS AFFECTUS inteſtina tenuia, quia (1.) tormina ſunt atrociſſima, (2.) dejectiones tenues, (3.) non ſtatim fiunt poſt tormina, (4.) adeſt vomitus.

CAUSA PROXIMA, ſpiritus impetum faciens, irritatus ab objecto moleſto. Specialiter, acidum rodens & excorians inteſtina, quod patet ex prægreſſis paſſionibus hyſtericis, in quibus notoriè peccat acidum plus minus auſterum. *Cauſa remota* purgans datum.

Mulieres hyſtericæ à leviſſimis purgantibus maximè purgant, & ſæpè ſub operatione paroxyſmum patiuntur, propter ſenſile genus nervoſum, & quia ſpaſmis inteſtinorum conſuetè ſunt obnoxiæ.

Vomitus in præſenti ægra non adeò malus, quia manus moderatè calidæ: Aliàs in dyſenteria maligna vomitus malus, ſæpiuſque in dyſentericis cum vomitu mortuis ſtomachus eſchara obductus, & gangrænoſus repertus. *Pulſus auctus* ex dolore, in aliis plerumque febrim præſagit. *Dolor contorquens* à ſpaſmo inteſtinorum:

norum: *lacerans* ab excoriatione, quam ſequitur *ſanguinis dejectio* ex venis capillaribus.

CVRA. Pro cura, acidum acre corrigendum, (2.) maſſæ ſanguineæ reliquorumque humorum & ſuccorum motus ſiſtendus, & dolor mulcendus, (3.) læſio inducta emendanda.

Opiata in principio poſſunt adhiberi, minùs in progreſſu vel ſtatu, ſi metus gangrænæ.

Corrigunt acidum C. C. uſtum; Terra ſigillata, quæ abſorbendo acidum abit in naturam aluminoſam, unde ſimul adſtringit, v. gr. In dyſenteria maligna ſequens conducit optime.

℞. Terræ ſigill. ʒi.
antimon. diaphor. ℈i.
laud. opiat. per ferm. gr. iii.
ol. cinnam. gr. iii.
M. f. pulv. pro 4. vel 6. doſibus, capia c. aqu. cinnamon. cydon.

Simul quieta jaceat & ſi fieri poteſt, poſt unam vel alteram doſin blandum expectet ſudorem. Abdomini, ut ſpaſmi remittant, opercula calefacta vel ſequenti ſacculi tepidè applicari, & pro uſus exigentia reiterari poſſunt.

℞. Herb. chamom. c. fl. Miii.
flor. verbaſc.
ſambuc. aa. Mii.
flor. quercus,
menth. aa Miß.
Inciſ. includ. 2. ſaccul. rot. interpaſſatis.

Si hæc non ſuffecerint, ad ſpecifica acceſſus fiat.

℞. Raſur. priap. cerv. ʒii.
hepat. viperar. exſiccat. ʒß.
Mag. corall. cum ſucc. citr. ℈ii.
Laud. opiat. gr. vi.
M. pro 6. doſibus.

Læſiones inteſtinorum, ſi quæ ſuperſint, curat *balſam. peruv.* in vitello ovi ſolutum, (*vitella ovi* enim in diſſolvendis reſinis, in ſpecie purgantium præſtantiſſima.) *Tinctura antiphthiſ. tinctur. ſulphuris vitrioli, balſ. ſulph. tereb. eſſentia balſami peruviani* (quæ hoc modo paratur:

℞. Balſ. peruv. ſubige terendo cum ſal. tartari pro paſtâ, cui affund. ſpir. vini tartariſatum, digere in loco calido ad extrahend. eſſent. doſ. gutt. xx.

Guſtu acrior eſt, ſed ructus parit:) Aliis *decocta vulneraria* placent. v. gr.

℞. Rad. ſymphit. maj.
tormentill. aa. ʒi.
herb. veronic.
alchymill. aa. Mi.
plantag.
comar. hyperici aa. Mß.
conciſ. in ſ. q. aqu. comm. coqu. colatur.
℞. ℔j. add. ſyrup. de ſymphit. Fernel.
corall. aa. ℥ß. M.

Cuilibet hauſti gutta una vel altera balſami ſulphuris tereb. vel tinctur. antiphthiſ. poſſunt addi.

Si inteſtina craſſa gravius affecta cum teneſmo.

℞. Lactis bubuli recent. ℔ß. adde
tereb. vitell ovi ſol. ʒiii.
& ſi opus
mell. rutac. ʒvi. M. fiat clyſma.

Decoctum cydoniorum aromat. vinum abſynthites, Elixir menthæ tonum ventriculi & inteſtinorum fibroſum reſtituentia conducunt.

℞. Aq. plantag. ℥ß.
cinnamom. cydon. ʒvi.
antimonii diaphoret. gr. xii.
diaſcord. fracaſtor. ʒi.
trochiſc. de carabe ʒß.
lap. hæmatit. pulv. ℈ii
ſyrup. plantag. ℥ß. M. detur.

CASVS IX.

DE COLICA CONVULSIVA.

IVVENIS nobilis, per longum jam tempus abdominis patitur tormina, quæ vocat (*die colick.*) ita quidem, ut quoties vel dulcia vel facilè fermenteſcibilia, tantilla licet quantitate comedat, patiatur Colicam, unde & ſæpiſſimè circa regionem umbilicalem mediam dolorem percipit, cætera licet ſanus. Cum dicto malo ſubinde etiam ſubitaneis corripitur paroxyſmis, in quibus, ſenſu & motu omni evaneſcente, corruit, neſcius quid ſecum agitetur, adſtantes tamen tremere eum & oculos hinc inde contorquere dicunt; evaneſcente hinc pedetentim hoc ipſo pathemate, ſanus ad ſe redit; Ingruunt hi paroxyſmi cumprimis, quoties terrore aut iracundiâ ſubitò corripitur. Alvi naturaliter ſiccioris, & conſtitutionis ſcorbuticæ eſt, circa cubiti articulos puſtulas ſcabioſas & cruſtoſas cum prurítu patitur, ſanie manantes. Fit interdum, ut utrumque jungatur malum, ita ut ex dulcium eſu patiatur mox colicam, *adeo gravem ut immanem cardialgiam perſentiat*, & tunc corruit, & ſuprà dicta patitur; Hæc ipſa propter mala continuo faſcia vel zona coriacea firmiter hypochondria cingere ſolet, ut, quando colicam ſuam, ut vocat, ingruere perſentit, zonam illam firmiter contrahere, & hypochondria arctè ſtringere queat, eum in finem, ut medio ſui quaſi impetu coërceatur paroxyſmus. Vocat medicum. *Colica convulſiva.*

RESOLVTIO. Affectus hodie notiſſimus, (frequentiſſimus) veteribus, ob neglectum nervorum uſum, ſub colicæ nothæ nomine abſconditus, qui vocatur COLICA CONVULSIVA: Convulſiones Colicæ, propter inteſtina, & alias quoque partes convulſas per conſenſum.

Sicut nimirum punctura nervi in brachio cauſat convulſionem brachii: Sic nervis inteſtinorum laceſſitis, contractura & ſpaſmi ſequuntur. Pari ratione, quando calculus per ureteres vel in pelvim movetur, ob laceſſitos & contractos nervos, tormina abdominis, nauſea, vomitus, ſubinde hemicrania iſtius lateris, cujus ren affectus, ſuccedunt:

Partus dolores cum ſpaſmis uteri, aliarumque membranarum conjuncti. Mulier apud Hœferum dolores nephriticos ſe pati credens, loco calculi puerum excrevit. *Paſſiones hyſtericæ* nil aliud ſunt, quàm *convulſiones colicæ*, maribus & fœminis familiares. *Senſus globi in abdomine commoti* fit à motu inteſtinorum contractivo. *Suffocationis metus* nec ſemper hyſtericas urget, & viris quoque non rarò accidit.

Colicæ humoroſæ, quales vulgò diſcribuntur, rariores, & tamen cum ſpaſmis inteſtinorum ut plurimùm conjunctæ, quos produnt dolores contorquentes & lancinantes, via flatibus interclusâ, anguſtatis ob ſpaſmum inteſtinis.

Tormina infantum conjuncta plerumque cum tenſionibus ſpaſmodicis abdominis, ab acido lactis corrupti, nervos vellicante.

CAVSA PROXIMA præſentis caſus eſt *acre ſcorbuticum*, quod probant ulcera ſcorbutica quibus non ritè fluentibus pejus ſe habebat, urina non rarò ſignum ſcorbuti præbet, cui ſi cauda pavonis ſupernatet, de præſentia ſcorbuti teſtatur.

INTER CAVSAS REMOTAS.

(1.) *Dulcium uſus.* Dulcia facillimè fermentantur, & contenta corporis fermentant, ac per fermenti rationẽ, nunc aceſcunt, nunc bileſcunt; In hoc caſu optima *amaricantia, abſynthiaca, caſtorina, myrrhata.*

(2) *Pathematum impetus*; *Ira* ſpiritus movendo omnes corporis ſuccos p. n. moveri facit, *terror* ſpiritus figit, unde ſudor frigidus.

Fermentum acre ſcorbuticum aſcendit ex abdomine, non ad cor, ſic enim palpitaret, ſed ad orificium ventriculi,

Malum caret periculo, licet propter ſcorbutum difficilis ſit curationis.

CVRA tum ad principium morbi & augmentum, tum ad ſtatum, in quo convulſiones Epilepticæ & lipothymiæ ſuperveniunt, dirigenda. *Reſpiciendum* verò *primò*, ad acre ſcorbuticum, cui *ſalia volatilia oleoſa* (2.) ad ſpirituum inordinatum motum, *cui opiata & nervina* opponenda.

Initium fiat à *clyſmatibus ex lacte*, ſuaſu *Horſtii*, *Dravvitz*, *Bartholini*. *Vrina humana*, juxta *Luſitanum*, quibus *caſtoreum* & *opiata* addit *Deodatus*, *Theriacam* ad ʒij. *VVillis*; Alii *philonii Romani* ʒj. vide *Borellum lib.4. obſ.92.*

Loco *laxantis* paſſulæ laxativæ, aurum fulminans conducunt. Hinc *ſal acre ſcorbuticum corrigendum* volatilibus & diaphor. v. gr. *ſpir. fuligin. pulv. teſtic. equin.* ʒj. *ſuc. ſtercor. equini, fuligin.* ad ʒß. cum aceto aſſumpta, vel, ut ſimul motus ſiſtatur.

℞. Aqu. Chamomill. ℥ij.
Spir. Cochl. ʒij.
Sal. armon. ʒj.
Laud. hysteric. gr. vj.
Syrup. cort. aurant. ℥ß.
M.

℞. Aqu. Menth.
flor. Chamom. ana ℥iß.
ſpir. ſal. Armon.
fuligin.
C. C. ſuccin. cinnamom. vel carminativ. de tribus ana ʒß.
Laud. Opiat. gr. iij.
Hyſteric. gr. vj.
Syrup. cort. aurant. ʒvj.
M.

In *mulieribus* addi poteſt *eſſentia caſtorei*, *myrrhæ*, cum ſpir. vini tartariſato; ſi æger volatilia ferre nequit, vel eadem propter nauſeam rejicit, fixiora conveniunt. v. g.

℞. Aqu. fœnic.
Matricar. ana ℥j.
ſpecif. cephal. ʒß.
pulv. teſtic. equin. ʒj.
laud. opiat. gr. iij.
ſyrup. de alth. Fernelii ʒvj.
M. detur.

Externè ol. ſuccini, ſpicæ, &c. ſtomacho, & abdomini illinetur, imponendo deſuper laterem calefactum, vel *emplaſtr. de galbano malax. cum oleo deſt. ſuccini, Galbanetum Paracelſi ſpinæ* inunctum. *Pinguedo cati ſylveſtris* cum pauco *Zibetho* umbilico illita, egregia in colica convulſiva.

In paroxyſmo, *ubi* maxillæ conſtrictæ, & propter convulſionem laryngis *deglutire nequeunt*, convenit *ſpiritus ſalis armoniaci* naribus admotus, *ſuffitus ſuccini*, *balſ. ejuſdem* affricetur naribus & temporibus, ultimo ad *ſternutatoria* confugiendum.

Extra paroxyſmum curatur ad methodum chronicorum, præmiſſis digeſtivis detur *vomitorium*, ſine quo vix radicitus curatur morbus chronicus, quo facto ad *martialia* accedendum; hinc ſubjungantur *volatilia* vel generalia, vel ſpecialia *antiſcorbutica*.

℞. Aqu. antiſcorbutic.
fl. ſambuc. ana ℥iß.
ſpir. cochlear. ʒij.
lumbric. terreſtr. ʒj.
Arcan. duplic. Mynſ. ʒj.
ſyrup. ſcelotyrb. foreſt. ℥ß.
M.

CASUS X.

DE DIARRHOEA BILIOSA.

Diarrhœa bilioſa.

IN GRAVIDA ab eſu uvarum & ſubſecuta conſternatione, cum ſiti intenſa, appetitu dejecto, doloribus lancinantibus circa lumbos, virium proſtratione, & dejectionibus copioſiſſimis, aliiſque ſymptomatibus, quæ recenſet hiſtoria.

CAVSA PROXIMA fermentum doſes vel deficiens, quamdiu appetitus integer, motus naturæ non turbandus, cum languet, curatio non differenda.

Purgatio artificialis diarrhæa.

Sanguis exſiccatus ardet, nitro in crucibulo fluenti injectus illud figit in alcali.

Diarrhœa ab errore externo intrepidè ſiſti poteſt, minus, quæ motu naturæ ſpontaneo accidit.

Clyſmata ex lacte chalybeato cum terebinth. profuiſſe, vidit autor.

Vomitoria in diarrhœa contumaci ſtomachi vitio commendat *Riverius*, & experientia.

Purgantia verò minus conducunt.

Optima theriacalia cum *acidis* atque opiatis, *diaſcord.* acrimoniam temperat *gelatina C. C. in potu diſſoluta.*

℞. Aqu. plantag. ℥ij.
menth. ℥j.
cinnamom. ʒvj.
acet. vin. vel
ſucci citr. ʒvj.
diaſcord. vel
theriac. Andr. ʒj. l. ʒij.
antim. diaphor. ℈j. l. ʒß.
ſyrup. cydon. ʒvj.
M. pro 3. l. 4 doſib. expectando ſudorem.

℞. Conſ. roſ. vitriol. ℥ij.
theriac. Andr. ʒij.
bol. vel
terr. ſigill. ℈ij. ad ʒi.
c. ſyrup. cydon. f. electuarium.

CASUS XI.

CHLOROSIS INCIPIENS.

Chloroſis incipiens.

MULIER Itala 32. annorum, formæ alias integræ, conſtitutionis ſanæ, ſucciplena, poſtquam per 12. annos marito ſano ac robuſto nupta feliciter cum eodem vixiſſet, & aliquot liberorum mater facta fuiſſet, illo per mortem ſibi erepto incidit paulò poſt in vomitus enormes, periodicè ſingulis diebus, apparente aurora invadentes, perque duas horas durantes, tanto quidem cum impetu, ut hoc ceſſante cervicis tendines adeo tenderentur, ut quaſi tetano correpta, per aliquot horas non ſine multo dolore illius partis & totius capitis torqueatur. Ipſa antea floridæ faciei evadit nonnihil pallida, ipſis labiis nativum colorem perdentibus. Mala hæc per integrum annum jam eam mirum in modum excruciarunt, menſibus ſemper ordinatim, licet nonnihil parcius fluentibus. In abdomine ac circa hypochondria rectè ſe habet. Plures Medicos conſulit fruſtra; Flagitat nihilominus pro ſuo malo curam.

RESOLUTIO. AFFECTUS noſter *eſt* CHLOROSIS *incipiens*. PARS *primario* AFFECTA ſunt genitalia, ubi & fotus morbi: Eſt enim ægra vidua, Itala, &c. *Symptomatum verò ſedes* eſt ſtomachus & primæ viæ.

CAUSA PROXIMA eſt corruptio genituræ muliebris, huic aura virulenta exſpirans. Notum quæ aura ejuſmodi orgaſmon brutis certo tempore concitet. Hirci niſi crebrius ad venerem admittantur, odorem viroſum ſpirant, ex inchoata ſeminis putredine. Ex odore tali canes ſe invicem cognoſcunt. Odores penetrantiſſimi habent ſe inſtar fermentorum, quorum naturam per odores *Helmont.* explicat, quatenus ſumme ſunt activa & volatilia. Fermentum ſtomachi, renum, ſe habet inſtar odoris.

Odor

Odor aceti lac coagulat; odor ex chirothecis ſcabioſis expirans manus, ex genitalibus infectis partes ſanas in lue venerea corrumpit, odor ſulphuris vina à corruptione præſervat, odor camphoræ peſtem curat.

CAUSÆ REMOTÆ exercitium veneris deficiens & triſtitia.

Vomitus fit *partim* menſium vitio, *partim* vitio fermenti, ab aura virulenta ex genitalibus, mediante circulatione advecta, corrupti.

Matutino tempore vomit, quatenus cruditates nitroſæ ex ingeſtis non ritè digeſtis noctu coacervatæ, ſtomachum gravant, & ad expulſionem irritant.

Tetanus oritur ex ſpaſmo muſculorum, per conſenſum cum nervis ſtomachicis.

PROGNOSIS. Malum anceps eſt, & metus Epilepſiæ imminentis, itaque ocyus curandum.

CURA. (1) Ut vitium genituræ corrigatur. (2.) Maſſa ſanguinea & lympha vitiata purgantibus, & diaphoreticis blandis purgetur. (3.) Stomacho maturè proſpiciatur.

Quoad prius excellit *camphora*, quæ in ſpecie odores morboſos ex putredine ortos emendat, non tam extinguit, quàm refrænat impetus venereos, figit quadantenus ſpiritus animales, hinc in deliriis prodeſt, & ſomnum inebriando quaſi excitat. Egregiè confert *in potu ordinario* crebrius extincta, quali potu *furorem uterinum* curavit *Bartholinus*. In forma ſicca cum *nitro & ſaccharo ſaturni*.

♃. Nitri Antimoniat. l. arcan.
Duplic. Mynſ. ʒiij.
Sacch. ſaturni l. potius
Cryſtall. miner. ſaturni cum ſpir. nitri parat. ʒj.
Camphor. ʒß.
M. pro 6. l. 8. doſib.

Capiat manè, & ſub introitum lecti cum potu camphorato; cum his in principio larga *venæ ſectio* inſtituatur, eaque repetatur. Vide *Hildan.* & *Foreſt.* in obſ. *Vomitus gravidarum* optimè venæ ſectione curantur ſecundo vel tertio menſe. Nec inconſuetum, fonticulos coxis ſupra genua inurere, in ſpecie, ſi non amplius nubere velit. In principio curæ corpus purgandum ex hellebor. nigr. mercurio dulci.

♃. Extr. helleb. nigr. gr. xv. ad ℈j.
Merc. dulc. gr. vij. ad ℈ß.
Scamm. ſulphurat. gr. ij.
c. ſ. q. ol. camphor.
F. Pilul.

Remediis ex camphora & nitro addendus eſt *liquor ſalicis* ex his inciſis, verno tempore collectus, impetus venereos in mulieribus ſingulariter refrænans, manè & veſperi pro lubitu propinatus.

Myrrhata ad putredinem, *ſuccinata* ad ſpaſmos adjungenda:

Externè menſibus remorantibus & ſeminis vitiis ſuccurrendum per *peſſos artificiales*, quales delineat *Rhumelius*, inſtrumentum *Glauberi*, commodius videtur ſequens: Phialæ longioris colli immittatur ſpiritus ſalis armoniaci, collum linteis involutum mulieribus applicetur; phialæ carbones candentes providè admoveantur, ſic ſpiritus magis penetrabit.

CASUS XII.

DE COLICA HUMOROSA HYPOCHONDRIACA A PEDUM REFRIGERATIONE SUSCITATA.

Colica humoroſa hypochondriaca

UT nihil magis præter naturam eſt, quàm dolor: Sic medicus dolorum ſublatione facilè famam ſibi parare poteſt. In colica quærendum, an alvus ſit aperta, & fluat.

Cætera vide in *caſu* 18. *pag.* 95. In Collegio caſ. D.D. VVedelii, cùm idem hic caſus ibidem exſtet, præter finem, quem in paginâ ſequenti hic videre licet, quod ut propediem in lucem edatur, ſperamus & optamus.

Externè olea carminativa egregiè ſe gerunt, *ol. hyoſcyami* ad ʒiß. cum *oleo carminat. Mynſ. ol. Jovis, ſpir. & ol. Iuniper.* Prodeſt etiam tegula calida impoſita: omnia enim calida nervis amica, frigida verò inimica. *Empl. de hyoſcyamo*, item *decoctum hyoſcyami*; quo feliciter uſus *Drawitz.* In infantibus clamantibus aliquid *theriaca* addi poteſt; *vitandus potus frigidus*; panis calidus; blandus calor eligendus: ſi *acidum viſcidum* firmiter colo agglutinatum, fibras nerveas vellicando, *dolorem colicum producat*, vix aliis evacuari poteſt medicamentis, quàm *gummi, v. g. ammoniaco & mercurio dulci*, v. g.

♃. Aqu. Menth. ℥j.
Sal. tartar. vitriolat. gr. xv.
Gumm. ammon. aceto ſolut. ʒß.
Scammon. roſ. gr. x.
Extr. troch. alhandal. gr. j.
Syrup. de pom. ʒß.
M. f. potio.

Hoc colicus dolor cum ſucceſſu mitigatus; aliis purgantibus & clyſmatibus cauſam morbi non attingentibus.

In *alvo pertinaciter obſtructa* cum metu *Ilei*, interna generoſa & externa tentari poſſunt, (1.) Follis ano applicandus, ut inteſtina à ſcybalis ſecedant, vide *Amatum Luſitanum*, qui modus hodie paulò exoletus. (2.) *Globuli plumbei*, quibus Ileon ex hernia incarcerata, imminens curavit *VVelſchius*; Si globuli fiant ex *ſaturno & mercurio* in minori quantitate, erunt ponderoſiores; vid. *Helm. Henricum ab Heer. obſerv.* 2. præmitti poſſunt ℥j. vel ℥ij. *olei amygd.* ad lubricandas vias. (3.) *Mercurius vivus* ad ℥iv. propinandus, ſi ſucceſſus voto reſpondere debeat.

♃. Aqu. Menth. ℥j.
Ol. amygd. dulc. ʒvj.
Merc. viv. depur. ℥iv.
M. f. hauſtus.

D. Ettmüller in obſtructione alvi contumaciſſima à contuſione capitis, *mercurium* ad ℥24. ſucceſſivè propinavit, die demum 21. incepit prodire mercurius cum ſcybalis. Ad remanentias & *noxas à mercurio* exhauriendas ordinavit *bezoardicum ſolare*: item decoctum *ex rad. helenii & fœnicul.* pro ſudore ex *Hœchſtet.*

CASUS XIII.

HÆMORRHOIDES CÆCÆ DOLENTES.

Hæmorrhoides cacæ dolentes.

MULIER vegeta & corpulenta, cætera ſana, indeque luxui dedita, 49. annorum, conqueritur de dolore lumborum lancinante, gravante, diſtendente, ſucceſſivè increſcente, una cum intenſo dolore ardente, rodente, & nonnihil pulſante in interioribus podicis, hinc laborioſam alvi dejectionem patitur, in tantum, ut eam cum ſummis doloribus exoneret. Accedit tunc tremor, φλόγωσις & æſtuatio ex præcordiis caput petens, cum faciei rubore intenſo, & largo ſudoris per frontem & tempora defluxu. Medicus ordinarius varia ordinat interna & externa, venam in brachio ſecat. Levatur his malum, ſed ſupervenit difficilis reſpiratio, ita ut quoties parum ambulat, vel aliquot ſaltem ſcalas aſcendit, ſpiritus nonnihil intercipiantur, & libera reſpiratio impediatur, cum pulſatione ſenſili in temporibus & pedibus. Malum hoc varia Medici opera pedetentim evaneſcit, redeuntibus prioribus in lumbis & regionibus vicinis moleſtiis. Vocatur & alius Medicus pro Cura.

RESOLUTIO. AFFECTUS EST HÆMORRHOIDALIS, PARS AFFECTA inteſti-

num rectum, ubi vaſa hæmorrhoidalia tam interna quam externa inſeruntur.

CAVSA PROXIMA inchoata inflammatio inteſtini recti, circa ſitum vaſorum hæmorrhoidalium, à ſanguine ob copiam ſtagnante.

CAVSA REMOTA eſt fluxus (1) *menſtrui ceſſatio* (2) In corpore ſano & plethorico. Quod autem omnia hæc pathemata à ceſſante ob ætatem (erat enim 49. annorum) menſtruo fluxu ortum duxerint; Colligitur (1) cùm non rarum ſit, ceſſantibus naturaliter menſibus in ſubjectis vegetioribus ſupervenire hæmorrhoides. (2) Nec rarum, loco menſtruorum obſtructorum, hæmorrhoides, hæmoptyſin, hæmorrhagiam narium ſupervenire. (3) Habitioribus una cum menſibus hæmorrhoides fluunt. (4) In partu difficili partes genitales vicinæ tumeſcunt, tenduntur vaſa, & ſæpe hæmorrhoidum ſupervenit fluxus.

In præſenti itaque ægra plethorica *Sanguis ſuperfluus*, per uterum antehac evacuare ſolitus, ob locorum viciniam in vaſis hæmorrhoidalibus reſtagnans, & levem inflammationem pariens, primùm *tenſionem dolorificam lumborum*, hinc *dolorem ardentem, rodentem & pulſantem* in interioribus podicis non potuit non producere. *Alvi dejectio laborioſa*, quia pars tumet, dolet, hincque ab egerentibus fæcibus laceſſitur. *Tremor*, *ſudoris eruptio* ab exquiſito dolore, ſicut totum corpus tremit, ſi chirurgus partem al quam exulceratam tangat. *Æſtuatio*, φλόγωσις, à ſubita ſanguinis ſuperiora verſus repulſione. *Difficilis reſpiratio* à ſanguine, ob ineptam in brachio venæ ſectionem circa præcordia & vaſa pulmonum coacervato, ſtagnante, & tardiùs per pulmones circulato, factâ nimirum ſanguinis ab inferioribus verſus ſuperiora revulſione: Sicut enim menſibus erupturis ſubito ſuppreſſis, vel parcius fluentibus ſectio ſaphenæ in pede conducit, quatenus ſanguis, ſpacio inferius facto, rapidiori motu verſus inferiora fertur, ita in ſuperioribus evacuatione inſtituta, eò motu liberiori ruit ſanguis, niſi forſan prò liberiori ſanguinis circuitu conciliando, inſtantibus menſibus data opera in brachio aperiatur, quod in ſuppreſſione diuturna cum fructu factum fuiſſe legimus apud *Riverium* in obſerv. alioſque. In noſtra ægra *hirudines* applicari vel *ſaphena* aperiri debuiſſet.

PROGNOSIS. Affectus in ſe caret periculo, niſi forſan ob negligentiam *abſceſſus*, *fiſtula vel fluxus nimius* hæmorrhoidum ſuperveniat, vel *aſthmatica diſpoſitio* inducatur.

CVRA. Itaque quoad *CVRAM* (1) dolor inflammatorius hæmorrhoidum cæcarum tollendus, (2) ſymptomata removenda. (3) Recidiva in corpore plethorico præcavenda.

Dolor inflammatorius ſiſtitur, (1) *ſanguinem ſtagnantem* circa vaſa hæmorrhoidalia vel ſenſibiliter *evacuando*, *vel*, ſi hoc non ſufficerit, inſenſibiliter *diſcutiendo*. (2) *Anodynis* internis & externis ac appropriatis. In noſtra ægra neceſſe eſt, ſanguinem ſenſibiliter evacuare; *Quæritur* per quas vias? Ægra eſt plethorica, cætera ſana, patitur hoc malum à ſuppreſſis menſibus. Si venæ ſectio in pede inſtituatur, metus eſt, ne à nimio ſanguinis verſus inferiora impetu dolor augeatur; ſi in brachio, redibit difficilis reſpiratio. *Reſpondeo*, hoc in caſu ſuaſerim, pro revulſione univerſali & liberiori ſanguinis motu parando, venæ ſectionem in brachio inſtituendam; poſt unum vel duos dies in pede reiterandam, demum evacuationem per hæmorrhoides tentandam.

Diſcutientia partim interna, *ſudorifera* fortiora, pro liberiori ſanguinis motu concitando ſpecificis maritata: *pulv. rad. ſcrophulariæ, chelidon, min. partim* externa, cum anodynis & appropriatis ſubjungenda: Exempli gratia, *fotus ex linaria*, *floribus ſambuci & verbaſci* in lacte coctis; *ungu. de linaria* in mortario plumbeo ductum, *ol. momordicæ*, *aſellorum & ſcarabæorum*, *theriaca* illita, & profundè applicata cum ſtupa cannabina aut bombace, ſi internè etiam hæmorrhoides doleant: item *balſam. ſulphuris* ad extra cum oleo *papaveris expreſſo*, quando urget *ardor*.

℞. Aqu. roſar. largiter camphorata, vel ſpir. vini camphor: cum linteis triplicibus applica:

Item, oleum papaveris, hyoſcyami expreſſum.

Nota *opium*, cum ad gangrænam diſponat, cautè applicandum. Vaſa hæmorrhoidalia per *hirudines* aperienda. *Symptomata*, potiſſimum doloroſa alvi excretio *moderanda* continuatis *emollientibus* & blandiſsimè *lubricantibus*.

Recidiva præcavenda (1) per *cucurbitulas* ſcarificatas ſingulis menſibus, partim in dorſo, partim in cruribus, vel per *fonticulum* in crure.

(2) Per *motum corporis* crebriorem. (3) *Vitatis aloeticis, purgantibus aliis reſinoſis.* Fonticuli non niſi aliis fruſtra tentatis adhibendi in brachio uno, vel altero, vel utroque.

CASVS XIV.

DE CATARRHO SVFFOCATIVO.

PVER ingenuus, macilentus corpore, facie plena, ſed pallidiore, annorum 10. ſolet ſubinde nocturno tempore, alto oppreſſus ſomno, difficillimam reſpirationem incurrere, ita quidem, ut cum ſtertore & ſonitu (adſtantes dicunt, ſibilare) ſpiritum ducendo, expergefactus omni momento ſuffocandus videatur, facie ſub iis anguſtiis ſubtumeſcente, & ex rubro cœruleſcente, cum extimorum refrigeratione. Accedit tuſſis crebra, ſed difficillima & inanis, cujus impetu nihil niſi tenuis aqua eaque pauca excernitur. Sic pedetentim remittit paroxyſmus, ſuperſtite febri aliquot dierum lenta, ipſe verò æger cum facie ſubtumida raucus manet, & continuo tuſſit. Tandem elapſis 2. vel tribus diebus copioſam materiam viſcidam rejicit, quo facto totius morbi abſolutus eſt curſus. Redit idem paroxyſmus crebrius, ut plurimum menſis ſpatio omni ſemel, idque autumnali & hyberno tempore præſertim; Interrogatus, quid patiatur ſub paroxyſmo: de reſpirationis difficultate inque larynge titillatione conqueritur. Præcedit interdum dolor capitis, colli aut partium vicinarum; ipſe æger ſubinde etiam dolori & tumori tonſillarum eſt obnoxius. Occaſionem paroxyſmo redeunti ſuggerit nunc auræ frigidæ ſuſceptio, nunc prægreſſo corporis motu & exercitio, aliqualis extremorum refrigeratio. *Catarrhus ſuffocativus.*

RESOLVTIO. CATARRHVS SVFFOCATIVVS variè quidem accipitur, *propriè* tamen oritur, vel ex ſanguine, vel ex lympha; Ex *ſanguine*, quando reſtagnat in pulmonibus, unde ſubito imminet ſuffocatio. Rarior eſt, veteribus *ſyncope cardiaca* dictus, vide *Hoffmannum & VVepferum de Apoplexia. Ex lympha fit duobus modis*, (1) quando membranam pituitariam poſteriorem affligit, fitque cum continuo ſcreatu lymphæ ex dicta membrana. (2) Quando aſperam arteriam, qualis in præſenti caſu, vid. *diſp. de catarrhis Lipſiæ* ſub præſidio Bohnii habitam.

PARS AFFECTA eſt aſpera arteria, ejuſque cumprimis caput, *larynx*, quæ eadem ratione à lympha afficitur, *ac ſi carnis vel panis fruſtulum in fauces ſive tracheam arteriam incidiſſet.*

CAVSA PROXIMA, præſuppoſito ſpiritu motore impetum faciente, *eſt lympha*, *in ſubſtantia & motu peccans. In motu* quatenus quidem motus retrogradus per glandulas conglobatas impeditus. *Subſtantiâ* verò, quatenus abundans acrimonia ſalſa

ſalſa laryngem irritat, qui irritatus ſe ſtringit atque clauditur, unde tum lymphæ copioſior effuſio, tum *difficilis reſpiratio* motu pulmonum ob aëris inſpirationem denegatam præpedito. *Decoloratio faciei* ab impedito ſanguinis circuitu ejuſque ſtagnatione: *Tuſſis* ab irritato larynge. *Sonitus* ab incarcerato ob clauſum laryngem aëre, ſcil. aëre per anguſtiam laryngis potiſſimum inſpirato: Aliud verò eſt *ſtertor*, qui fit, quando reciprocans halitus per materiam viſcoſam, circa caput laryngis ſibi viam quærit, maximè ubi membrana pituitaria poſterior, copioſam & tenacem lympham plorat. Hinc infantes ſub dentitione ubi magis ſalivant, ſtertunt. Stertor ſæpius eſt ex ſummitate laryngis, rarius ex pulmonibus, niſi in moribundis, phthiſicis, & empyemate affectis. Lympha in principio eſt tenuis, acris, vellicans laryngem, unde *titillatio*, *tuſſis*, hinc aliqualis excoriatio, unde exſudat tum proprium nutrimentum laryngem obviſcans, quod ſucceſſivè ſub forma muci ejicitur. *Redit malum ſingulis menſibus*, quatenus (1.) larynx ſemel inæqualis factus & debilitatus facilius afficitur. (2.) Quatenus luna humorum domina ſub incremento expandit & turgere facit humores.

CAUSA REMOTA, refrigeratio humorum & auræ frigidæ ſuſceptio.

PROGNOSIS.

Metus eſt *phthiſeos catarrhalis*, oriundæ ex lympha acri & tuſſi crebriori, quatenus debilitantur & ſpongioſi fiunt pulmones. Item *hæmoptyſeos*, ex ruptura vaſorum à tuſſi.

CURA.

In principio & incremento quatenus lymphæ vellicatio & ſymptomata maximè urgent. (1.) Naturalis lymphæ motus concitetur, per *ſalia volatilia* & *blanda ſudorifera*. (2.) Motus præternaturalis lymphæ ſiſtatur per *opiata*. (3.) Acrimonia vellicans per incraſſantia temperetur, v. gr. *papaverina, amygd. dulc. tragacanth. glycyrrh. juleb. viol. ſperm. ceti* ℈ß. in vehiculo calido propinatum egregiè acorem lymphæ lenit, & ſtagnantem ſanguinem reſolvit, alvum etiam laxat.

In ſtatu, quando raucedo, tuſſis humida, & materiæ rejectio adeſt, *attenuantia, incidentia & expectorantia* conducunt.

Si plethora adſit, *venæſectio in principio*, in brachio, *frictiones & ligatura brachiorum* inſtituendæ, ne ſanguis nimis verſus pulmones recurrat.

Puerum præſentem ſic curavi: *In principio paroxyſmi*, qui derepente invadebat, mox *inunxi* verticem *ol. deſt. ſuccini*, brachiis *ligaturas* strictas admovi, *mixturam ſequentem* cochleatim aſſumendam ordinavi.

℞. Aqu. ſcabioſ. ℥iii.
Spir. ſal. armon. aniſat. ℈iß.
Syrup. papav. alb. ʒvi.
M.

In incremento.

℞. Aqu. ſcabioſ.
Serpill. ana ℥iß.
Aſtmatic. ʒvi.
flor. ſulphur. ℈i.
Syrup. ſcabioſ. l.
papav. l.
de Jujub. ana ʒvi. ad ℥j.
M. probè agitando.

Mixtura hæc crebrius aſſumpta tuſſim minuebat, ut lymphæ copioſior affluxus, & manè mucoſæ proventus præcaveretur.

In Statu ſufficiebat *ſuccus raphani* expreſſus cum pauco ſacch. ſi quid reſtaret *febriculæ lentæ*, blando *ſudore per liquorem C. C. ſuccinatum, vel ſpirit. ſal. armoniaci oleoſ.* vel blandis *diureticis ex ſuccino & lumbricis* removebam.

Extra paroxyſmum præſervationis gratia plura tentabam, ſemper tamen voracitas pueri & vita ſedentaria cum ſomnolentia obſtabant; unde *fonticulum* in brachio ſiniſtro inurebam, quo levabatur: fluebat autem tam ubertim, ut manè & veſperi mutandus eſſet. Immutato habitu corporis, abſque periculo poterit claudi; confer. quæ habet *Helm. tract. Cuſtos errans*; quoad theoriam, & *tractat. Jus Duumviratus. theſ.* 62 quoad praxin.

Pertinent huc *TUSSES SICCÆ NOCTURNÆ* ominoſæ, & *utplurimum prodromæ phthiſeos. CURANTUR per opiata* & temperantia *in principio*. Si *inveteratæ*, difficulter curantur ſine præmiſſo *Vomitu*.

Diuretica in declinatione optima. *Sedes* earum *ſtomachus*. Corripit ſæpe juvenes parcæ diætæ. Poſt *vomitoria* curantur *terra foliata tartari*. Egregiè quoque confert ſequens *ſpiritus aſthmaticus*.

℞. Cryſtall. ærugin. ℥iv.
Gumm. armoniac. ℥ii.
Sulphuris ℥iß. M.

Deſtillentur per retortam amplam in excipiens amplum ex arena, prodit ſimul oleum fœtidiſſimum, ſingulare in tumore duro ſcyrroſo ſcrofuloſo. Plura vide caſu 7.

CASUS XV.

DE TUSSI FERINA HUMIDA.

VETULA pro ætatis ratione adhuc robuſta, occaſione inclementioris aëris hyberni ſenſim incidit in ferinam tuſſim. Primitus ſentit vellicationem in faucibus, cum aliquali dolore & copioſo ſputi ſalſi mediocris conſiſtentiæ ſcreatu, hinc pedetentim tuſſire incipit, præſertim cum dorſo incumbit, & hinc dum manè evigilat, cum muci viſcidi moderata rejectione. Intenditur paulatim malum, ut interdiu graviter ac noctu tuſſiat, ſed cum in ſummo conatu ac ſonitu ex profundo emergente, copioſa viſcida, ſed cum ſummo conatu & crebrius repetito ejicit, in tantum, ut ex laborioſa tuſſi non raro ſuperveniat vomitus muci viſcidi. Malum pertinaciter durat, appetitus proſternitur, ſitis intenditur, febricula ſupervenit lenta, recũbens inſigniter ſtertit, interrogata deinde de novo materiæ tuſſim excitantis proventu, oſtendit regionem epigaſtricam, ſpeciatim locum quem vulgari etymo ſcrobiculum cordis appellant. *Tuſſis ferina humida.*

RESOLUTIO. Sicut vomitus eſt convulſivus ſtomachi, ſic tuſſis cum motu convulſivo pectoris conjuncta, & velut vomitus pectoris eſt.

PARS AFFECTA in principio fauces, imprimis *membrana pituitaria* poſterior, *in ſtatu* primario affectus *ſtomachus*, crebriore deſcenſione lymphæ turbatus. *Sedem hanc monſtrat* (1.) ſitus vellicationis. (2) Materiæ eruptio. (3) Sonitus inter tuſſiendum ex profundo emergens, (4) ſupervenit ſubinde vomitus, à quo melius habet, (5) pejus habet, cum dorſo incumbit, quatenus tunc materia peccans magis orificium ſtomachi affligit.

Lympha acrior primum irritat œſophagum, hinc copioſus mucus, ſub noctem cumprimis, in ſtomacho colligitur, unde manè tuſſis moleſtior, & ejecto copioſior. *Tales tuſſes ſunt chronicæ*, propter lympham ſalſam, digeſtionem ſtomachi turbantem, ut vix niſi vomitu curentur. *Stertor* eſt ex ſtomacho, *ſcreatus* ſaltim ex faucibus.

CURA ad ſequentia potiſſimum dirigenda, ut (1) *cauſa vellicans* in ſtomacho *removeatur*. (2) *irritatio ſiſtatur*, (3) ſi quæ in faucibus adſit *aſperitas temperanda* & corrigenda.

Prius optimè expediunt *vomitoria, præmiſſo*, ubi viſum fuerit, *digeſtivo*,

℞. ſalis armoniaci puri ʒß. detur in lacte.

Poſt vomitorium, niſi faucium urgeat aſperitas, ſequens præſcribendum.

℞. Aqu. Scabioſ.
Menth. ana ℥ii.
Aſthmat. ʒvi.
Oxymell. ſquillit. ℥i.
Syrup. de Nicotian.
de Eryſimo ana ℥ß.
M.

Vel *ſi fauces* ſimul *leniendæ* & mucus reſolvendus, præmiſſis præmittendis optimum ſequens;

℞. Sperm. ceti ʒj.
Flor. ſulphur. ℈j.
Croci ℈j
Pro duabus doſibus in cereviſia calida.

Pro leniendis faucibus optima *viſcoſa, inſipido-dulcia*, v. gr. *glycirrh. tragac.* linctus vel *looch paſſulatum, diacod. Montani* cum *ſyrup. ſcabioſ. & baculo liquiritiæ* ſenſim deglutiendo.

Si *vagæ* ſimul urgeant *anguſtiæ præcordiorum*, ob mucum in flatus reſolutum, præter *clyſmata carminativa*, optimus *ſpiritus carminativus de tribus* gutt. 30. vel 40. in cereviſ. calida. vel etiam *ſpirit. ſalis armoniaci aniſatus. Gargariſmata* ſaltem in ore tenenda. Egregium eſt *decoctum raparum*.

CASUS XVI.

DE HERNIA CUM PASSIONE HYSTERICA.

Hernia cum paſſione hyſterica.

MULIER 34. annorum agilis cætera & vegeta, queritur de duobus tumoribus ovi gallinacei magnitudine in inguinibus prominentibus, ſimul etiam inſigni moleſtia, qui, dum ſupina recubat, diſparent, dum tuſſit, aut erecta incedit, denuò prominent, eos tamen etiam gravida facta optimè perfert ſine ulla moleſtia, poſt partum dictis tumoribus recurrentibus: Interim cum hæc, quæ ſuaveolentia, averſetur, fœtidis verò delectetur, frequentes levi de cauſa patitur paroxyſmos, in quibus, prægreſſa gravi totius corporis refrigeratione, una cum tumultu aliquali in abdomine ſentit aliquid ſurſum tendere, & præcordia occupare, quæ ut impediat, forti ligatura hypochondria cingit, hinc vomitus & repetitæ alvi dejectiones, ſub quo ſtatu tumores molles aliàs & indolentes, admodum protuberant, indurantur, dolent, cum graviſſimis doloribus & exquiſitis torminibus circa regionem tumorum. Aſſumpto decocto abſinthii & matricariæ cum aqua ſimplici, & corpore ad ſudorem compoſito, ſymptomata evaneſcunt, ipſa vegeta reſurgit. Hinc verò aliquando menſe Februario linum carminando gravius ſe exercuiſſet, redeunt cum paroxyſmo prædicta ſymptomata, ſed atrociſſima, in ſpecie, præter vomitus, tumor circa inguen ſiniſtrum cum inſigni duritie, intolerabili lancinante cruciatu & abdominis borborygmis, alvoque pertinaciter clauſa eam affligunt, ægra ad quævis aſſumpta crebrius ſingultit, & violenter eructare videtur, ſine flatu licet. Tertia cum in hoc ſtatu fuiſſet conſtituta, vocat die Medicum.

RESOLUTIO. *Affectus complicatus* hernia cum paſſione hyſterica. *Cauſ. bubonoceles* fuit ruptio peritonæi à niſu partus. Nota *in hernioſis* non ſolum *inteſtina*; ſed *& omentum poteſt prolabi*; licet in demortuis ob corrugationem ultra umbilicum non protenſum videatur, revera tamen ad inguina uſque dependet in vivis.

Ægra noſtra extra paroxyſmum benè habet, in paroxyſmo tumor hernioſus indureſcit, dolet, & ob ſpaſmum inteſtinorum cum paſſione hyſterica conjunctum, exaſperatur.

PROGNOSIS, metus eſt, ne ob vomitum hernia major fiat, vel alvo pertinaciter clauſâ ſuperveniat *Ileon*. ITAQUE CURA. Quoad *curam*(1) ante omnia paſio hyſterica curanda, & *ſpaſmi inteſtinorum tollendi*, quod fit (1) *antihyſtericis & aromaticis* (2) *blandis opiatis* (3) *Externis*, inter quæ excellunt *empl. de galbano*, umbilico impoſitum ad ſiſtendam paſſionem hyſtericam. *Decoctum quoddam paregoricum* cum ſpongia, vel *unguentum ſequens* cum bombace tepidè locis tumeſcentibus & dolentibus applicatum.

℞. Unguent. Dialth. ʒiij
Ol. anethi,
hyperic. ana ʒiß.
Ol. aniſ. ʒß.
cumin. ℈j.
M.

Cavendi verò *ſacculi ſpeciebus repleti*, qui dolorem poſſunt exaſperare, ut & *cataplaſmata*, quoniam facilè frigeſiunt, & poros occludunt.

Nihil verò *hernioſis* magis *adverſatur* quàm *frigus*, his ita actis; (II.) *Alvus laxanda* & blandè evacuanda *clyſmate* vel *blando laxativo*, ubi tenſio, durities & ſpaſmus inteſtinorum remiſerit, in declinatione & principio, *minus in paroxyſmo*.

EXTRA PAROXYSMUM, cacochymia hyſterica *acida appropriatis & diaphoreticis* corrigatur, *Hernia* reponatur, firmetur & conſolidetur, *Alvus* teneatur ſemper aperta; *Quies* hernioſis ſaluberrima, *vulneraria* continuato uſu adhibeantur, regio lumborum *pinguedine urſina & erynacei* inungenda. Cum *ligatura* applicetur *empl. de tacahamaca & contra rupturam an. q. ſ.* malaxetur cum *oleo hyperici*.

℞. Cinnabar. Antimon. ʒß.
Ol. deſt. aniſ. gr. iii.
Laud. hyſteric. ℈ß.
c. ſ. q. ſyrup. cortic. aurant. F. pil. pro 2. doſib. in paroxyſmo.

℞. Extr. caſtor.
Gentian. ana ʒß.
Laud. hyſteric. ℈ß.
Aur. fulmin. gr. vj.
c. oleo aniſ. deſtill. F. pil. pro 2. doſib.

Ad ſpaſmum inteſtinorum tollendum & dolorem, ſudorem promovendum, alvum provocandam.

Cataplaſma ex pomis aſſis vel putridis cum croco, regioni umbilicali & tumoribus hernioſis applicatum, abdomine toto pinguedine humana inuncto, & ſuppoſitorio ex melle applicato, profuit præſenti ægræ.

CASUS XVII.

DE ASTHMATE CONVULSIVO.

Aſthma convulſivum.

STANNARIUS, vir robuſtus & optimè ſanus, ætatis conſiſtentis, incidit in tuſſim noctu imprimis affligentem, cum excretis viſcidis atque cruentis, ſed paucis. Interdiu mediocriter ſe habet, niſi quod difficilior ſit reſpiratio. Succeſſivè in tantum increſcit morbus, ut noctu graviſſimæ anxietates ſuffocatoriæ eum præhendant, & lecto exilire, feneſtram aperire, auram recentem capere neceſſe habeat niſi omni momento ſuffocari velit; adeo, ut ſubinde noctes integras inſomnes ſedendo, & anxiè cum alta, crebra & difficillima reſpiratione, reſpirando peragere cogatur, inſpiratio media quaſi via impeditur, cum tuſſi mediocri & pauca cruentæ mucilaginis rejectione. Accedente manè ſymptomata pedetentim remittunt, unde lectum & ſomnum repetit, interdiu mediocriter ſe habet, alimenta capit, ſupinus & pro lubitu in utramque aurem dormire poteſt. Quæſitus de loco affecto, ſuperiora & anteriora pectoris, pulmonum cubilia, oſtendit. Cauſam antecedentem ſciebat nullam, niſi forſan, quòd paulò antè, quàm dicto affectu corriperetur, pondus gravius geſtaverat. A purgante peſſimè ſe habuit, venæſectio, pectoralia, incidentia, expectorantia, antiaſthmatica, fruſtra propinata. Ulterius ergo quærit auxilium.

EST

EST ASTHMA CONVULSIVUM, frequens in praxi potiſsimum in arthriticis.

CAUSA PROXIMA eſt nerveus plexus fibroſus ſe ſtringens, & impediens expanſionem pulmonum, unde diffi ilis reſpiratio.

REMOTA, fumi mercuriales metallorum. In Jove luxuriat ſulphur volatile, hinc cum nitro mixtum fulminat, mercurius à Jove vel ſaturno liquefacto facilè coagulatur. Figuli facilè fiunt phthiſici & aſthmatici ponderis geſtatio culpa caret.

CURA. Fumis ejuſmodi metallicis inſpiratis *vomitoria, ſal volatil.* & *pinguia* conducunt, reliquias *liquor terræ foliatæ tartari* abſumit. Pro *præſervatione* ab ejuſmodi fumis, *butyrum, oleum amygd. d. lac cum ſapone veneto, quod mirabile.*

Pectori inungatur ſequ. ſpir. ſalis ammoniaci teratur cum terebinthina, ut fiat maſſa candida, *optima in affectibus pleuriticis.* Idem Stannarius ante biennium immunis *ab arthritide* factus incidit abſque cauſa *in aſthma*, de die bene adhuc ſe habet, noctu à prima requie expergefactus, ſine ſuffocationis periculo in lecto perdurare nequit, ſed accumbit menſæ pronus cum difficillimo anhelitu, durante uſque ad mediam noctem, hinc ceſſat. Varia fruſtra tentata, tandem juſſi ut *maturè cœnaret*, & lectum petiturus largam doſin *theriacæ* aſſumeret, cujus remedii ope benè habuit, quoties verò intermiſit, ſolita rediit anxietas nocturna, quæ tandem redeunte podagra penitus ceſſavit.

CASUS XVIII.

SUBLUXATIO VERTEBRARUM DORSALIUM.

Subluxatio vertebrarum dorſalium.

JUVENIS robuſtus & vegetus evigilans aliquando manè conqueritur de difficili reſpiratione cum dolore tenſivo hypochondriorum, quaſi cingulo omnia ibi coercerentur, & ut omnia repleta & turgida, ſurgens corpus non æquè bene flectere poteſt; quin palus quaſi dorſo infixus videatur. Negligit hæc per aliquot dies, ſed contumaciter omnia perdurant, alvus conſtipatur, abdomen murmurat, hypochondria magis inflari videntur. Tandem phlogoſes superveniunt. Interdum extremorum refrigeratio, cum ſudore frigido circa frontem & tempora, anxietates præcordiorum inſignes, & lypothimiæ ſubindè imminent, pulſus celer, durus, vehementia & magnitudine moderatus. In malo ita confirmato vocat Medicum pro cura.

RESOLUTIO. Affectus in ſe levis, qui tamen neglectus graviſſima quæque infert ſymptomata. *CAUSA PROXIMA* mutatio ſitus ſeu *ſubluxatio vertebrarum inferiorum* thoracis. *REMOTA conatus ponderis geſtandi.*

Symptomata ſuperveniunt ſequentia: *Spaſmi* circa hypochondria ab irritatis, ob diſlocationem nervis: *Difficilis adeſt reſpiratio. Corpus flectere nequit. Phlogoſis vaga* ob ſuccorum diverſorum in primis viis effervescentiam. *Refrigeratio extremorum, lypothimia, ſudores ſyncoptici*, propter motum ſpirituum impeditum. *Pulſus durus* adeſt, quia ſpaſmo corripiuntur membranæ; Circa locum luxationis, facilè aliquid colligitur ſanguinis, quod ſucceſsivè corrumpitur, unde ſudoriferis diſcutiendus.

PROGNOSIS; ſi malum duret diu, *tetanos* vel *opiſthonatos*, aut etiam propter lypothimiam repetentem *mors* ſupervenire poteſt.

CURATIO peragitur repoſitione & firmatione, de qua vide *Sennertum*, ſi verò in malo graviori *inflammatio* repoſitionem impediat, ea prius tollenda, *cancrinis, ſanguine hirci, acidis, ſanguinem ſtagnantem reſolventibus, ut ſpir. ſalis ammoniaci, ſperm. ceti* cum pauxillo *croci* in cereviſia calida.

℞. Lapis cancror. præp. ℥j
Antimon. diaphor. ℈j.
M. pro 2. doſib.
capiat primam doſin in duobus cochlearibus aceti, expectando ſudorem.

Facta repoſitione, in qua partes extendendæ, firmandæ eædem *vino tepido*, vel ſolo, vel cum *floribus hyperici* decocto, vel *petroleum* ſpinæ dorſi, præcordiis, & hypochond. calidè inungat vel fiat *empl. ex tacamahaca* malaxetur *c. balſ. Peruv.* pro reliquis ſymptomatibus & anxietatibus detur *ſpiritus carminat. de tribus.*

Frequens malum eſt infantibus, qui phlogoſes inde patiuntur: ſi volunt cognoſcere, an vertebræ luxatæ ſint, Emplaſtrum ſupradictum ventri admovent, deinde pedem lumbo applicant, quo ſitu ſi manu dextra pedem aſſumere poſſunt, ſignum eſt nullam adeſſe luxationem.

CASUS XIX.

FEBRIS TERTIANA INTERMITTENS.

Febris tertiana intermittens.

STUDIOSUS ad hypochondriacum malum inclinans, corripitur 5. April. cum nox prægreſſa præter morem fuiſſet inquieta, præcedente artuum laſſitudine & cephalalgia, horrore gravi, inſequente æſtu & ſiti, aliquot horas durantibus. Negligit autem talia, cum poſt noctis ſuavem quietem ſequenti die melius habebat, niſi quòd appetitus minor urgeat; Excipit verò hunc nox inquieta & anxia; appetente manè 7. April. aliquoties vomit varia liquamina multicolora amaricantia, &c. hunc inſequitur tuſſis ſicca ultra ſemihoram graviter affligens, (locum irritationis ſcrobiculum cordis monſtrat) qua evaneſcente, varia phantaſmata mentem perturbant, quæ excipit leve corporis frigus, hinc intenſus corporis æſtus & ardor, extrema imprimis lancinans, cum efflorescentibus hinc inde maculis rubris & purpureis; comitantur talia inſignes anxietates, ut æger hinc inde ſe miſerè jactitet, hypochondria ſimul tendi videntur. Durat hæc tragœdia ſucceſsivè remittendo, ultra 9. horas, maculæ etiam pedetentim evaneſcunt, laſsitudine ſolum & cephalalgia ſuperſtite. Nox inſequens quieta, altero manè bene habet horis antemeridianis ſupervenit ſudor copioſus univerſalis, cephalalgiæ reliquias tollens, à meridie optimè habet: veſperi verò conturbari quidem in hypochondriis advertit, laſsitudinem redire metuens, novaſque turbas, vocat Medicum.

RESOLUTIO EST TERTIANA INTERMITTENS ſimplex, pluribus ſtipata ſymptomatibus *propter labem hypochondriaco-ſcorbuticam*, periodica tamen & ordinaria; aliàs in ſcorbuticis tales febres utplurimum ſunt erraticæ, & mentiuntur malignas, cum tamen non ſint.

PARS AFFECTA vel *SUBJECTUM inhæſionis* tota *maſſa ſanguinea*, quod teſtatur æſtus, calor, &c. *radicationis primæ viæ*, ubi atrocia urgent ſymptomata.

CAUSA proxima eſt *fermentum febrile* ſalino acidum, ex læſa ſtomachi digeſtione productum, magis verò volatile & activum in legitimis, quæ vehementiores & breviores habent paroxyſmos; minus volatile, & ſubjecto viſcido irretitum in nothis & lentis, ſed diuturniores habent paroxyſmos.

Intemperantia plerumque *mater intermittentium.* Convaleſcentes à febribus acutis avidius vorantes, incurrunt in intermittentem, unde ſæpè ſola inedia, interdum largiori potu & ſubſequente vomitu curantur. Nec tamen ſemper in ſaburra excrementorum cauſa febris conſiſtit, cum poſt multas purgationes nihilominus ſubſiſtat.

Fermentum prædictum febrile in ſtomacho deliteſcit, donec acidum ſe exerat, & partes nerveas primarum viarum vellicando & ſpaſmodice convellendo, *horrorem, rigorem & frigus* producat. Nec enim poſitivum frigus requiri manifeſtum eſt, cum ſub rigore manus, & pedes

& pedes attacti poſitivè caleant. Accidit quod frigus plerumque circa regionem hypogaſtricam incipiat. Porrò ſpaſmodicam fibrarum in primis viis contractionem excipit ſuccorum effuſio, unde *anxietas, ſitis, vomitus, aliaque ſymptomata circa præcordia. Vomitus* in principio paroxyſmi ſunt ſymptomatici, ex ſpaſmis ſtomachi & inteſtinorum, quibus ſucci tam naturales quàm morboſi ejiciuntur, ſine levamine; ſic & *ſudor* ſtatim à paroxyſmo eſt ſymptomaticus. *Vterque tamen* licet ægrum valdè debilitet, *non ſtatim ſiſtendus eſt*, ſunt enim bonum ſignum malæ cauſæ, quia ſemper aliquid de fomite morbi ſimul evacuatur. *Tuſſis* eſt ex ſtomacho & diaphragmate à febri fermento irritato. *Appetitus* languet ob fermentum digeſtivum vitiatum. Si redit denuò ſapor & cereviſiam ferre poſſunt, ſignum eſt fermenti inſtaurati. *Cephalalgia*, quæ eſt abſque pulſatione temporum, ut in noſtro ægro, eſt ex conſenſu ſtomachi, quæ verò cum iſta, ex orgaſmo ſanguinis.

Et hæc inter alia ſunt ſymptomata, quæ fermentum febrile in primis viis, fibras nerveas vellicando, producit: Sanguini verò ulterius communicatum, motum ejus naturalem fermentativum pervertit, ſulphur infringit, hinc *frigus magis vel minus poſitivum*. Dum verò à ſale volatili ſanguinis ſubjugatur, *incaleſcit corpus & febriliter æſtuat*, donec particulæ iſtæ acidæ, in ſalſum mutatæ, mediante *ſudore* foras excernantur. *Somni defectus & turbatio* eſt ex moleſtia quadam circa præcordia & hypochondria, quando vel circa digeſtionem, vel circa fœcum ſeparationem fit erratum quoddam, quod confirmant, qui veſperi largius & ſerius cœnant. Item *hypochondriaci*, quibus proinde conſultum, *ad conciliandum ſomnum ante cœnam exhibere martialia. Ardor lancinans artuum & maculæ purpureæ* ſunt à Scorbuto.

PROGNOSIS; Metus eſt ne fiat chronica, vel propter inordinatam diætam, aut acidorum abuſum diverſimodè mutetur.

CVRA: Pro Cura itaque ſequentes indicationes; (1) *Primæ viæ evacuentur.* (2) *Fermentum febrile* acidum volatile *corrigatur. Maſſa ſanguinea* ſudore *depuretur.* Prius optimè expedit *vomitorium* aliquot horis ante paroxyſmum dandum, vel qui iſtud ferre nequeunt, iis *lenis purgatio abſterſoria* die intermiſſionis danda, præmiſſo digeſtivo commodo. *Venæſectio* nihil valet, niſi in mulieribus quibus menſtrua fluunt, quæ ſub rigore ſupprimuntur, unde ante paroxyſmum venæſectio in talo inſtituenda.

Hypochondriacis, quando *anxietates ex ſtomacho* patiuntur, etiam in ſtatu paroxyſmi utiliter applicantur *clyſmata. Alterum* obtinemus *ſpecificis* quæ *vel deſtruunt* fermentum febrile, *terrea alcalina, fixa vel volatilia, vel abſtergunt*, & è ſtomacho educunt, *ut nitroſa, nitrum antimoniatum, arcanum duplicatum.* Circa horum uſum *ſequentia obſervanda*, (1) alcalia *fixa & terrea* optima ſunt *in horrore* & ſymptomatibus circa hypochondria doſ. à ʒß. ad ʒj. (2) danda præmiſſis univerſalibus (3) ante paroxyſmum, ſi una vel altera vice non juvet medicamentum, *conſultum erit variare* propter idioſyncraſiam ægrotantium (4) *alcalia volatilia*, v. gr. *ſpirit. ſalis armoniaci*, commodius dantur, *ubi* urgent ſymptomata in maſſa ſanguinea, *æſtus* (5) declinante paroxyſmo *julepi aciduli* conveniunt *ad promovendum*, ſi ſupervenire velit, *ſudorem.* (6) Tempore *intermiſſionis* dentur *alterantia appropriata, eſſ. abſinth. card. bened. centaur. min. ſpirit. ſalis armoniaci* (7) ſublata febri *ad roborandum ſtomachum Elixir ſtomach. vitriolat.* item Prop. P. in hypochondriacis martialia dentur. Ingruente *horrore & anxietate*, ſcrobiculus cordis *ol. deſtillat. caryophyll. aniſi, macis* cum fructu illinitur, impoſito deſuper latere calefacto, vel *empl. de tacamah.* Qui cereviſiam faſtidiunt, ſumant vinum cereviſia ſecundaria largius dilutum.

CASVS XX.

FEBRIS ARDENS BENIGNA EX IRACVNDIA.

Febris ardens benigna ex iracundia.

VIR vegetus & ſanus, tenuioris licet conſtitutionis in convivio genio & baccho plus debito indulget, unde poſt noctem inquietam manè copioſo vomitu & aliquot ſeceſſibus ſe exonerat. Tertiâ abhinc die graviſſimâ iracundiâ afficitur, unde aliquot interjectis diebus languorem & laſſitudinem artuum inſolitum pepercit, cum aliquali ſiti, donec aliquando ſub medio noctis poſt mediocrem horrorem gravi æſtu cum cephalalgia intenſa corripitur, junguntur vires proſtratæ, ſitis clamoſa, inquietudines cum pulſu frequenti molli, magno & vehementi. Urina intensè tincta, emiſſa ſucceſſivè turbida per totum & contentis ſaturata. Medicus preſcribit.

℞. Aqu. rub. idæi.
Acetoſæ ana ℥ß.
Antimon. diaphor. ʒj.
Syrup. papav. ℥j.
Spir. nitri dulc. pro grat. ſapor.
M.

jubet cochleatim pro lubitu iſtam mixturam capere. Veſperi rediens offendit ægrum in priori ſtatu, ſed magis anxium, cum fluctuationis ſenſu circa præcordia, conſequente ſimul, quoties de præſcripta mixtura capit inſigni æſtuatione totius corporis. Hinc quærit ex Medico, qualis ſit affectus, & quid porrò agendum?

Annotata. *FEBRIS EST CONTINVA* ardens benigna. *CAVSA PROXIMA fermentum* nidoroſum ſeu corpus heterogeneum, *ſalino oleoſum*, miſſum ex primis viis ad maſſam ſanguineam. Bilis inſpiſſata lardi inſtar ardet.

CAVSA REMOTA digeſtio vitiata ob inordinatam diætam, quæ fomitem ſuggeſſit, quam excitavit *iracundia*, in movendis corporis noſtri contentis efficaciſſima, quæ non rarò ex benigna febri facit malignam. Morſus hominis irati eſt venenoſus inſtar viperæ. *Vide Hild. c. 1. obſervat.* 84. Iracundia verò ut alia externa, facilè movet hominem tenuioris conſtitutionis, ſicut enim in robuſta natura ab acido digeſtivo valido coguntur contenta, & quaſi concentrantur, ut ſub firmiori miſcela minus alterari poſſint, ita contra in conſtitutione tenuiori ſpirituum textura rarefacta eſt, facilè mobilis & diſſipabilis. Hinc à purgantibus facilè moventur, & minus commodè ferunt opiata.

Vrinarum inſpectio in acutis admodum eſt neceſſaria, quia ſi ſalia volatilia agunt in oleum, emergit *color rubicundus*, vide ſupra caſum de cholera. Si verò acidum inſtilletur, *turbatur urina*, prius rutilans ab acido in urina exiſtente per modum præcipitationis. *Intra corpus turbatur*, quando acidum emergens præcipitat alcali oleoſum. *Extra corpus*, quando ſub inchoata corruptione acidum ante occultum fit manifeſtum. Quando *urina incipit turbari, eſt ſignum coctionis*, quæ *conſiſtit in ſeparatione* quadam, quam excipit præcipitatio ab acido in ſtomacho inſtaurato. Si major ſit pæcipitatio, ſeponit ſedimentum.

PROGNOSIS. Periculoſus eſt morbus, cum ex iracundia contractus ſit, cæterum minoris momenti, quàm ſi abſque cauſa manifeſta ortus fuiſſet.

CVRA. In principio ſtatim tentandum, an *vomitu* radix febris evelli poſſit, quod utplurimum feliciſſimè contingit. In noſtro ægro diſſuadere videtur: 1. quod natura jam dum vomitu ſe exoneravit, 2. quod ſi conſtitutionis teneriori, 3. quod ſigna coctionis in urina morbum principium tranſcendiſſe oſtendant. Sed urgebat in contrarium, 1. Æſtuatio corporis

corporis ab abſumpta miſtura. Dedi ergo vomitorium, unde ſupra & infra copioſá egerebat cum proſtratione virium & refrigeratione extremorum, ſudore frigido circa frontem; unde juſſi vinum generoſum crebrò admovere naribus, ad quietem componi regionem ſtomachalem theriacâ vino generoſo dilutâ crebrius illinire, & ſequ. ſucceſſivè exhibere.

℞. Aqu. Menth.
Rub. idæi. ana ℥iß.
Cinamom. ʒvi.
Spirit. theriacal. camphor. ʒiii.
Succ. cydon. ℥i.
Eſſent. ambr. ℈ß.
M.

Poſt mediam noctem juſſi dare doſin unam, alteram mane, tertiam veſperi ſequentis pulveris;

℞. Ebor. ſine igne pp.
Antimon diaphor. ana ℈i.
Bezoard. ſolaris, gr. xv.
Laud. opiat. gr. iii.
M.

Detur, ſic valde levatus fuit.

Quoad ſitim *Julepi* ſimpliciſſimi optimi *ex ſucco acetoſellæ, rubi idæi. Cydon. recent.* vel aſſervatis: *per fumum ſulphuris cum aqua fontana & pauciſſimo ſaccharo. Decoctum citri Mynſ. Gelatina C.C.* egregia in potu ordinario vel julepo.

℞. Aqu. fontan. ℔i.
Gelatin. C.C. rec. ℥iß. ad ℥ii.
Syrup. rub. idæi, ℥ii.
papav. alb. ℥i.
add. pro lubitu tantillum ſpir. nitri dulc.

Si alvus ſimul obſtructa;

℞. Decocti tamarindor. c. paſſul. ℔ß.
Syrup. acetoſit. citri ℥iß.
M. pro julepo.
Nitri antimoniat. egreg. ad ʒii. vel ʒiii.

In menſura potus ordinarii, item *nitrum depuratum*, nitrum ebulliat probè in lixivio forti, per blandum calorem inſpiſſetur, & aqua eluatur, *ſpiritus nitri dulcis* ob vim diaphoreticam & quatenus figit æſtum humorum.

Opiata, evacuatis primis viis, danda *cum bezoardicis, tinctura bezoardica*.

CASUS XXI.

FEBRIS CONTINUA LYMPHATICA JUXTA SYLVIUM.

Febris continua lymphatica juxta Sylvium.

VIRGO annorum 18. cui difficulter fluere ſolent menſes, negotiis domeſticis aſſueta, nec ordinata utens diætâ, conqueritur de laſſitudine artuum ſpontanea tenſiva, quaſi contundente, cum cephalalgia & ſiti præſertim aucta. His aliquot diebus ita perſiſtentibus, corripitur aliquando à meridie horrore mediocri per aliquot horas, quem inſequitur nox gravis cum æſtu mediocriter intenſo, cephalalgia graviſſima, anguſtiis præcordiorum gravativis ſine ſomno. Manè melius ſe habet, cephalalgia tolerabilior, calor præternaturalis quidem, ſed moderatus, ut & reliqua ſymptomata; ſed circa veſperam omnia exacerbantur, nox priori ſimilis; mane omnia remiſſa & mediocria, continuò tamen eadem urgent ſymptomata, quæ ſaltim veſpertino & nocturno tempore exacerbantur. Medicus à meridie vocatus, præter jam dicta ægram offendit nonnihil debilem, ſed cephalalgiam & laſſitudinem artuum præſertim conquerentem, color naturalis intenſior, iſque continuus, non adeo acris, mordax, qui veſperi ſaltim intẽditur. & per noctis medium gravius urget. Pulſus celer, frequens, magnitudine & vehementia moderatus; appetitus nullus, ſitis intenſa, cereviſiam horret, aquam appetit. Urina turbida, craſſa, intenſius nonnihil tincta, facies & lingua ſaliva viſcida, infeſtata. Expectatur cura.

RESOLUTIO, eſt *FEBRIS CONTINUA* non admodum acuta, benigna, juxta Sylvium *LYMPHATICA*, ex vitio lymphæ, ſanguinis motum fermentativum turbantis.

Fiunt triplici potiſſimum modo; (1) per ſe, qualis præſens (2) à voracitate poſt curatas intermittentes, unde lympha viſcida acidior. (3) Accidunt lue venerea correptis, morbo vel ingraveſcẽte, vel decoctis ſudoriferis exceſſivè oppugnato. Confer *Sylvium de lue venerea*.

CAUSA PROXIMA eſt *fermentum febrile* ex vitio ſtomachi, præſertim cruditate accida lympham inquinante.

REMOTA, *læſa diæta & menſtrua parciora* ex ſanguine viſcido inepto ad excretionem.

Laſſitudo alia poſitiva, vitio lymphæ acore occulto tinctæ, qualis in præſenti, ubi adeſt ſimul contundens lancinatio, *alia privativa*, ex defectu ſpirituum.

Cephalalgia, cum ſit tenſiva & gravativa, eſt ex conſenſu primarum viarum, unde propinato vomitorio ceſſavit. In glutinoſitate faucium ordinariò *ſitis* adeſt. *Anguſtiæ præcordiorum gravativæ* ex glutinoſa pituita. *Calor remiſſior* proprius eſt febribus, quæ veſperi exacerbantur, præſertim lymphaticis, urinæ mox in principio turbidæ, in ſtatu copioſum deponunt ſedimentum. Horror in medio curſu ſubinde ingruit.

PROGNOSIS. Febres hæ non admodum periculoſæ ſunt, nec curatu difficiles, modò non ſub ſpecie harum lateat malignitas. Solvuntur paulatim.

CURA peragitur (1) *ſi prima viæ* à fomite morboſo *per vomitum* liberentur, (2) *lympha acida* nonnihil glutinoſa *corrigatur*, & per *ſudorem* vel *urinam*, quo meliùs natura vergit, evacuetur, (3) *ſymptomata* appropriatis *corrigantur*. Ægram ſic curavi. Vocatus mox à meridie, *ſanguinem miſi*, propter menſium vitium, poſtea dedi *alexipharmaca* per biduum, imperando ſudorem: Cùm verò morbus in eodem ſtatu permaneret, dedi *vomitorium*, hinc veſperi febris mitior fuit, nox quieta, cephalalgia nulla. Reliquias removi per *ſal armoniacum*, quod abſtergit primas vias, reſolvit lymphæ glutinoſitatem, & recrementa per urinam & ſudorem expurgat.

℞. Arcan. duplic.
Sal. armoniaci ana ʒß.
M. pro 2. doſib.

In *fine morbi* ordinavi ſpiritum ſalis armoniaci, bis in die, quo convaluit.

Juvenem *à nimia voracitate* in ſimilem febrim delapſum, *præmiſſis* duobus *vomitoriis* ſequ. curavi.

℞. Sal. armon. ℈i,
Antihect. Poterii gr. xii.
M. pro 2. doſib.

quod optimum, etiam ſi poſt curatas intermittentes hecticæ ſuperſit veſtigium,

Opiata nocent, diuturniorem reddendo effectum.

Juvenis lue venerea inquinatus, protuberantibus in utroque inguine bubonibus, & glande exulcerata cum gonorrhœa virulenta, diæta ſudorifera per aliquot dies ſtrenuè uſus, incidit in febrim cum laſſitudine totius & æſtu inſigni, quæ veſperi exacerbabatur, & certis paroxyſmis recrudeſcebat. Pulſus frequens, celer & ferè parvus, os glutinoſum, copioſa viſcida rejiciebat, anxius erat, calor extra paroxyſmum moderatus, cum pulſu tamen febrili. Propinavi *vomitorium*, unde copioſa viſcida rejecit; poſtea

℞. Sal. armon. ʒß.
Arcan. duplic. ℈i.
M. pro 2. doſib.

Dentur ante paroxyſmum, *ratione æſtus*.

℞. Sal. armoniac. ʒß.
Nitr. antimoniat. ℈i. M.

quo aliquoties repetito ceſſavit.

Cum denuo de *glutinoſitate oris & anxietate* conquereretur, repetito *vomitorio*, *ſpirit. ſal. armon.* ad gutt. 30. quotidie dedi, cujus opera mira erant, quæ excernebantur per urinam cum euphoria. Cum remittentibus aliis, inappetentia & inquietudo adhuc urgerent, pro abſolvenda cura ſequentia ordinavi.

℞. Rad. chin. ℥iß.
Raſur. lign. ſaſſafr. ℥j.
Rad. liquir. ʒvj.
Santal. rubr. ʒiij.
Infund. in ℔. vj. aqu. comm. ſtent. in M.B. per noct. manè adde paſſular. minor. conquaſſ. ℥iij.
coqu. ad remanent. ℔ij.

Capiat bis de die, adde ſingulis vicibus guttas 30. tincturæ antimonii, qua appetitus rediit, & ad ulteriorem luis venereæ curam diſpoſitus fuit.

CASUS XXII.

FEBRIS HECTICA LENTÆ SIMILIS OB ABSCESSUM IN MESENTERIO.

Febris hectica lentæ ſimilis ob abſceſſum in meſenterio.

COLLECTANEA. *Quæritur*, cur à morbo acuto convaleſcentes ſubinde vel debiles deinde maneant, vel morbos chronicos, cachexiam, hydropem, intermittentes, tumores pedum œdematoſos incurrant? *Reſpondeo*; Fit illud (1) quia fœculentiæ morboſæ non ſufficienter motu naturæ ſpontaneo, vel medicamentorum ope evacuantur, (2) quatenus vel alteratio inſignis ſucco, vel labes viſceri cuidam impreſſa, unde inſignis oritur dyſcraſia: ſic poſt pleuritidem ſæpè ulcus pulmonum & phthiſis oritur, (3) Ab inordinata diæta & voracitate poſt convaleſcentiam: (4) à perverſo quorundam remediorum uſu, tum fixorum terreorum, quæ magnam vim fermento ſtomachi digeſtivo inferunt, unde tardior reconvaleſcentia; tum acidorum vitriolatorum, quæ ſal volatile bilis & maſſæ ſanguineæ obtundunt, quo facto ſecretio fæcum à chylo ſufflaminatur.

Itaque *quoad prius*, ſi ſudor febrilis non ſuperveniat, & tamen *fæculentiæ* in urina appareant, *ſudorifero vel blandis laxantibus* eliminandæ.

Quoad (2 & 4) *Succis* vel à cauſa morbifica, vel perverſo remediorum uſu *alteratis*, maturè ſuccurrendum, *bili* quidem *amaricantibus &* ſpirituoſis temperatis; *fermento digeſtivo*, *acidis blandis* cum aliis remixtis ſuccurrendum. *Viſcerum labes* potiſſimum *martialibus liquidis* corrigenda.

Quæſtio. Quæritur, quomodo pus, pituita & ſemen in urina ſecernenda? *Reſpondeo, pus & pituita fundum petunt*; *pituita motu* cum urina *circumgyratur*, *pus* ad levem vitri agitationem *ſubitò diſſilit*, & hinc inde vago motu *urinam* imprægnando *lacteſcentem reddit*. *Semen* verò in ſummitate *natat*, niſi magnam virulentiam nactum ſit. Vide *Heer. obſerv.* 18.

CASUS XXIII.

FEBRIS MALIGNA PETECHIALIS.

Febris maligna petechialis.

MULIER ſana corripitur paulò ante ſolſtitium hybernum per aliquot dies inſueto artuum languore, ſine cauſa manifeſta, cum inſigni extremorum laſſitudine, appetitus deficit, ſitis intenditur, lingua ſicca, fauces glutinoſæ fiunt. Cereviſiam horret ceu nimis amaram, aquam frigidam deſiderat. Calor inſuetus iſque continuus corpus occupat, moderatus tamen, & qui interdum, præſertim noctu, ad aliquot horas intenditur, caput intensè imprimis circa frontem dolet. A Pharmacopejo capit pilulas purgantes, neſcio quas, quæ quinquies vel ſexies eam laxant copiosè, ſed ſine euphoria, quælibet potius ſymptomata, præſertim virium imbecillitas intenduntur, ob id die Martis veſperi, neglectâ cœnâ, capit theriacæ ʒi. in cochleari aceti vini cubitum itura, dormit exinde inquieta, ſudat inſigniter, manè melius habere videtur, extra lectum tamen durare nequit, eadem interea ſubſiſtunt ſymptomata, vires reſtringuntur, nox altera die denuò inquieta, variis inſomniis turbata, adſtantes eam crebrò in lecto jactitantem & ſubindè anxiè reſpirantem obſervant. Die Jovis vocatur Medicus; qui mulierem in ſtatu enarrato offendit, calorem perſentit obſcurum, acriorem tamen & præternaturalem acutum. Pulſus celer, frequens, in magnitudine & vehementia moderatus, ad parvitatem inclinans, mollis, æqualis. Urinæ claræ, intenſius tinctæ ſine ſedimentis. Dejectiones prægreſſa nocte habuerat. Fæces obſcurè tinctas, inſigniter fœtentes, & hoc ipſo mane (4) frons & tempora crebro ſudore madent; interrogata à Medico de quo queratur? Reſpondet, ſatis benè ſe habere præter laſſitudinem & ſitim. Interim ſubinde ſe jactitat anheloſa, torvum videt, flagitat curam, & urget imprimis venæſectionē.

RESOLUTIO. *Affectus primarius* eſt FEBRIS MALIGNA futura PETECHIALIS, ut ex ſymptomatibus colligitur, *Symptoma* maximæ *conſiderationis* eſt *diarrhœa*, occaſione pilularum excitata.

PARS PRIMARIO AFFECTA *maſſa ſanguinea* & *ſpiritus* tam *vitales*, unde ſubita virium proſtratio, quàm *animales*, unde ſymptomata nervoſi generis.

Malignitas ex ſubita virium proſtratione, ſudore ſyncoptico, faucibus aridis & lingua ſicca mox in principio colligitur; item ex anxietate inſolita, pulſu celeri, debili & formicante, quanquam *non rarò naturali ſimilis dignotionem eludat. Ægra anheloſa & torvum videt*, indicio *convulſionis* muſculorum & *delirii imminentis*. Interrogata quid patiatur, de levibus conqueritur.

CAUSA PROXIMA, *fermentum febrile* malignum *in alcali acerrimo*, craſin maſſæ ſanguineæ deſtruente, *conſiſtens*, quod produnt ſymptomata circa primas vias, appetitus proſtratus, nauſea, ſitis clamoſa, fauces ſiccæ, glutinoſæ, qualia ſymptomata etiam excitant purgantia acria, arſenicum ob vim cauſticam, bilis in ſtomachum regurgitans. Quin eſchara quoque in ſtomacho febribus malignis extinctorum viſa fuit, quaſi ab alcalinis cauſticis induci ſolet.

Diarrhœa eſt *ſymptomatica*, quia fit abſque ſignis coctionis & euphoria. Orgaſmum humorum arguunt *murmura in hypochondriis*, *cruditatem* urina clara. *Fœtor in excretis* malum ſignum ab alcali maligno, ſulphur maſſæ ſanguineæ diſſolvente, ſicut à purgantibus vegetabilibus acrioribus ſimilis fœtor in excretis advertitur.

PROGNOSIS ſtatus eſt periculoſus, propter ſummam malignitatem, atrocia ſymptomata & diarrhœam colliquativam, quæ utplurimum lethalis. SI evaſura vix motus criticus expectandus, ſed paulatina ſolutio.

CURA. Pro Cura (1) *fermentum alcalinum* acre malignum *corrigendum*, (2) *correctum* mediante *ſudore eliminetur*, (3) urgentibus *ſymptomatibus obcurratur.*

Methodum hanc monſtrat ipſa natura, quæ, ſi criticè ſeu paulatim abſque remediorum uſu morbum ſolvat, non in principio, ſed in ſtatu ſecretionem inſtituit, & venenum jam correctum ſecretum ſub communi vehiculo, ſero, quocunque fiat modo, excludit.

Sudorifera ſola naturam *turbant*, niſi fermentum alexipharmacis prius correctum.

Correctio verò *conſiſtit* in temperatura quadam & *texturæ mutatione*, ut acre fiat mire & lene, volatile fixius & ſpiſſius, alcalinū ſalſum. Sicut venena fortiſſima mutatione.

mutatione texturæ miteſcunt, & antimonium per nitrum, mercurius ſublimatus per mercurium vivum cicurantur, ut fiant remedia. Arſenicum, mercurius ſublimatus aſſumpti corriguntur butyro, lacte, ole. tartari per deliquium.

In præſenti *pro correctione* probatiſſima *ſunt alexipharmaca*, fixiora & acida, ut *acetum* imprimis *camphoratum* in Epidemiis malignis optimum præſervativum: *ſpiritus nitri, ſulphuris, ſuccus citri, liquores ſulphurati*, juxta Helm. tam ad præſervationem quàm ad curationem egregii.

♃. Liquor. ſulphurat. ℔iß.
Aqu. Lactuc. ʒvj.
Cichor.
Sambuc. ana ʒvj.
Succ. citr. ℥ß.
Nitri antimoniat. ʒiß.
Spir. nitri gutt. 30.
Syrup. acetoſ. citr.
Ribium ana ℥iß.
M.

Inter *fixa* ſunt *ſulphura mineralium fixata, aquæ minerales, partes animalium fixiores.*

Alter ſcopus obtinebitur *ſudoriferis* ex regno animali, *modò* volatilibus, ſi malignitas magis urgeat cum bezoardicis remixtis, *modò* fixioribus, ſi ſymptomata febrilia magis urgeant; *Sudorifera* in tali caſu *cum vehiculis acidis ſumpta* melius operantur, nec tantum excitant æſtum. *Gelatina C.C.* eſt egregia ad quæcunque ſymptomata. Item *camphora*, qui ferre poſſunt, ſequentem mixturam in ardentibus malignis uſu multiplici comprobatam habeo.

♃. Aqu. flor. ſambuc. ℥iij.
Acet. acerrim. ʒvj. ad ℥j.
Theriac. ſeu mthridat. ʒj.
l. ʒij. ad ʒiij.
Antimon. diaphor. ʒß. ad ʒj.
Syrup. rub. idæi. l. acetoſ. citr. ʒvj.
M. pro 2. l. 3. doſib.

Sudant hîc ægri, nec debilitantur, quieſcunt, & ordinariò melius habent. Dare ſoleo tam in ſtatu, quam in incremento.

Sudoriferis interponenda acida, ut debita ſanguini redeat conſiſtentia, & vires reſtaurentur, imprimis, ſi ſudor volatilibus elicitus fuerit.

Si poſt ſudorem fiant vegetiores, & *pulſus major, bonum* eſt, & ſudoriferis inſiſtendum, ſin minus peſſimum.

Vinum generoſum ob acidum analepticum, optimum confortativum *poſt ſudorem*, tam interius, quàm exterius.

Tinctura bezoardica opiatis exaltari poteſt.

Diarrhœa ob metum graviorum ſymptomatum *non ſtatim ſiſtenda*, ſed *theriacalibus* fomiti morboſo obviam eundum, ſic ſpontè ceſſabit, v. gr.

♃. Antimon. diaphor. ℈ij.
Terr. ſigill. ℈j.
Extr. theriac. gr. vj.
M. detur in 2. part.

Capiat cum vehiculo calido expectando blandum ſudorem. *Exterius theriaca* cum vino generoſo fervidè ſtomacho & hypochondriis ſæpius applicari poteſt.

Quid verò agendum, *ſi menſes ſuperveniant*? *Reſpondeo*, ſi debita quantitate, abſque gravioribus ſymptomatibus, naturæ linquendum directorium. *Si parcius & tormina abdominis ſuperveniant*, reliquis medicamentis miſcenda *myrrhata*. Si *copioſius* & metus ſit, ne excretio cutanea impediatur, *acidula cum terreis & opiatis uſurpanda*. Si *febris maligna* eſt à *contagio*, & æger de anxietate præcordiorum conqueratur, quod ſignum, ſuccos circa primas vias eſſe corruptos, maturè *vomitus procurandus*, etiamſi tertius dies morbi ſit. *Venæſectio nihil valet.*

CASUS XXIV.

DE VARIOLIS, COLLECTANEA.

ACIDUM IN VARIOLIS primariò peccare, juxta *Sylvium, probant* (1) puſtulæ pruritus, pus, cruſta à cuticula ab acido eroſa, oſſa eroſa, & ulcera depaſcentia ab acido in variolis. Idem, quod mulieres lactantes pueros variolis obſeſſos ulcera in mammis reportent. (2) Juvantia *alcalina* præſertim *volatilia*, ſine quibus rarò curantur variolæ. Variolæ.

Acidum hoc ſub fermentatione *maſſam ſanguineam & lympham corrumpit*, ut ſubinde univerſum corpus una quaſi cruſta obducatur.

Lympham verò potiſſimum *inquinari*, *patet* ex tuſſi, affectibus oculorum ab acrimonia lymphæ faucium & oris vitiis, lui venereæ ferè communibus.

CAUSA REMOTA, *aër auſtrinus* fracidus, unde ſal ejus nitroſum hebetatur, potiſſimum verò *contagium*. Mater gravida aſſidens variolis correpto, infantem variolis obſeſſum enixa eſt, ceu refert *Meauriceau*. *Cephalalgia* eſt ex orgaſmo ſanguinis. *Sitis, vomitus, anxietas, alvi fluxus ſpumoſus* ex bile, ob admixtum ipſi fermentum acidum variolarum turgeſcente, & ad ſtomachum regurgitante; In ſpecie *diarrhœa* inſignem humorum arguit corruptionem; & *in ſtatu ſuperveniens plerumque lethalis.*

Epilepſia oritur à vellicatione nervorum, à fermento acri ante eruptionem, & ſub ea non adeò formidabilis, poſt eruptionem peſſima, innuit excluſionem minus ſufficientem.

Hæmorrhagia ante eruptionem fit ab apertione vaſorum capillarium ex ſanguine turgeſcente; eſtque bona, ſi continua. *Mictio v. ſanguinis & dejectiones cruentæ*, quandoque in ſtatu ſeparatione jam facta, ſuperveniunt, ob eroſionem viſcerum & membranarum, quæ non rarò gangrænâ corripiuntur.

CURAM ſequenti ordine hactenus inſtitui: Vocatus in *principio* primo vel ſecundo die, quando incipiebant ægrotare, dedi *mercurium cum conſerva roſarum* in forma boli, pro bimulo gr. ij. & ſic conſequenter, qui modo per alvum, modo per vomitum; ſæpè etiam nihil operatus fuit.

Sin verò ſtatim cum *proſtratione virium & jectigatione* ingruerent, dedi *pulverem epilepticum cinnabarinum* cum euphoria.

Si ſymptomata circa primas vias, *tenſio abdominis, murmura*, &c. urgerent, blandum *clyſma de decocto avenæ vel lacte cum melle* injici curavi.

Præterlapſo principio ad alexipharmaca cum alcalinis acceſſi, v. gr.

♃. C.C. ſine igne ℈j.
Myrrh. gr. vj.
Theriac. gr. ij.
M. pro 2. doſib. Vel
♃. C. C. ſine igne ℈j.
Myrrh. gr. iiij.
Sal. vol. C.C. gr. iiij.
M. pro 2. doſib.

Dentur *in incremento morbi* ſecunda vel tertia die, dum æſtus urget ante eruptionem, quibus inſiſtendum quoque erumpentibus variolis vel promovenda excretio per *emulſionem ex ſem. expellentibus cum myrrha & unicornu foſſili*. *Dum jam attollebantur*, præſcripſi.

♃. Tincturæ tartari. ʒij.
Eſſent. myrrh. c. ſpir. ſal. armon. vinoſ. fact. ʒj.
M. detur bis, ter, 4. die & nocte ad gtt. 15. 20. 25. pro ratione circumſtantiarum.

In declinatione cum plenè eſſent in ſuppuratione *pulver. lapid. cancr.* cum tantillo mercurii ſuppurationem

purationem promovi, & reliqua ſymptomata ſuſtuli.

Cum cruſtæ decidunt, poſt duas vel tres ſeptimanas à primo morbi inſultu, pro interna mundificatione iterum *purgavi cum mercurio dulci addito gr.*I.*vel* I.ß.2.*l.*3.*jalap.* pro ſtimulo in conſerva roſarum. Symptomatibus ſequenti modo obviam itum.

Vomitus in principio compeſcere nolui, ſi verò urgerent *theriaca optima*, vel gr.j. vel gr.iß.*laudan opiati* aliquoties datum, vel *liquor C.C.ſuccinat.* gr.iii. ad gtt.vi. in potu.

Epilepſia ſi in principio vel incremento ingruat, *internè liquor C.C.ſuccinatus.* vel *pulvis cinnabar.epilept.externè*, ſi ſimul *dolor abdominis tenſivus* adſit, *balſ. ex oleo ſuccini* ℈j.*ſpic.*gtt.v.*cum nuce moſc.expreſſ.* regioni umbilicali & ſcrobiculo cordis aliquoties juſſi illiniri.

Diarrhœa in incremento & ſtatu ſæpe funeſta, occaſione potus nimii vel frigidioris, potiſſimùm ſi excreta ſpumoſa & murmura abdominis conjuncta: itaque

℞. Terræ ſigillatæ minutim pulv.ʒj.
Infundatur potui ordinar.
M. & ond.

Opiata cautè danda, ne excluſionem remorentur.

Viribus proſtratis
℞. Tincturæ corall. cum
Spiritu cordis cervi, vel aqu. typhorum.

C. C. cum vino, *ſi à ſudore nimio*, panis ſimilagineus, vino gen roſo intinctus ſumatur.

Ad præſervandos oculos, ne vel globum, vel palpebras obſideant variolæ, mater & mulier ſana maſticet *allium* jejuno ſtomacho, & halitum oculis crebrius inſpiret: Vel inſtilletur oculis *Succus rutæ*. *Si palpebræ obſeſſæ*, *decoctum malvæ & meliloti* cum linteis calidè applicetur. *Si viſus hebetudo* à variolis ſuperſit, *veſicatoriis* in nucha, pone aures aliiſque appropriatis curanda.

Tuſſis & pectoris affectus, *ſyrupo ſcabioſæ*, *hederæ terreſtris cum ſpirit.ſalis armoniaci aniſati* curantur. Plerique variolis defuncti *ſuffocatione* intereunt, unde *frequens reſpiratio anheloſa*, *ſtertor*, *&c.* malum.

Si loquela perdatur, vitio nervorum linguæ, præter *volatilia antiparalytica*, curatur *eſſentia caſtorei*, linguæ circa frænum crebrius affricata.

Denique ſæpe *poſt variolas morbi chronici*, *ulcera* vel alia ſymptomata relinquuntur, *curanda per ſalivationem* vel *mercurio dulci*.

CASUS XXV.

FEBRIS LACTEA.

Febris lactea.

MULIER juvencula, ſecundâ vice puellam enixa, optimè à partu ſe habet, cumque prima vice ipſa fœtum lactaſſet, altera laboris pertœſa, nutrici negotium committit. Die à partu nono, qui erat ſaturni, media nocte intenſo corripitur æſtu, cum ſiti & cephalalgia atque anxietate, mammæ antea lacte moderatè repletæ, immenſum tument & turgent, dolent inſigniter & indurantur, apparente aurora, prædicta præter mammarum ſymptomata evaneſcunt per levem ſudorem, ſuperſtite ſaltem inſigni virium proſtratione appetituque dejecto.

Vocatus Medicus die ſolis præter externa mammis imponenda præſcribit.

℞.C.C. ſine igne ʒß.
Myrrh. gr. viii.
Sal. abſinth.℈ß.
M. pro 2. doſib.

A meridie horâ tertiâ capit unam doſin, unde omnia ſupradicta redeunt ſymptomata, cum ſimili ferocia perdurant ad mediam noctem, quo tempore alteram doſin adſumere debet, dubitat tamen, an liceat. In ſequenti die Lunæ melius habet, mammæ minus dolent, lac per papillas effluit, nox inſequens quieta, unde & die martis optimè habet, ſed à meridie hora ſecunda gravi corripitur horrore per horam durante, inſequitur æſtus gravis per aliquot horas: mamma ſiniſtra intumeſcit de novo, induratur, dolet inſigniter, poſt mediam noctem remittunt ſymptomata febrilia, mammæ affectibus eodem tenore durantibus, die mercurii bene ſe habet, ut & die Jovis, ſed hoc ipſo à meridie ſtatâ horâ, rigor & æſtus cum reliquis ſymptomatibus redeunt, dextra ſimul mamma induratur, tumet, dolet, & ſpeciatim tumor durus ovi gallinacei ferè magnitudine in ima mammæ parte paulò profundius tactu percipitur: poſt mediam noctem ſymptomata remittunt; mammarum ſaltem pathemata affligunt, ægra ipſa fatetur, appropinquante paroxyſmo ſe aliquid prius in mammis percipere, flagitat curam.

RESOLUTIO. Eſt *FEBRIS LACTEA* per accidens *typum tertianæ obſervans*, quia *ob voracitatem* prægreſſam ad hanc erat diſpoſita.

Non præcisè tertio l. quarto die à partu ingruunt hæ febres lacteæ, & ſeptimo mediante ſudore finiuntur, ſed *interdum nono* demum die invadunt, præprimis in iis quæ non ipſæ lactant, & hæ atrocioribus utplurimùm ſtipantur ſymptomatibus. *Lochia* utplurimùm *ſupprimuntur*, ſi febris intenſior, nec redeunt, niſi ardore febrili profligato, *ſudore* largius *erumpente* ſpontè tandem *evaneſcunt*.

QUOAD CAUSAM febris hujus *referenda vel ad fermentum mammarum* per ſanguinem refluum totam maſſam ſanguineam inquinantem. *Vel deducenda à motu ſanguinis fermentativo* ſub partus negotio æquè ac menſtruorum fluxu obſervabili. *A qua turgeſcentia partus ipſe*, *lochiorum fluxus & febris lactea* proveniunt. *Curioſum enim eſt*, quod *mulieres ſanæ*, quæ ante imprægnationem ordinarias patiuntur menſtruationes, *ſub decima à conceptione pariunt*, *periodus numeratur ab ultima vice qua fuerunt menſtruatæ*, *ſi autem die decima menſes recurrant*, ordinariò pariunt.

Dolores partus ſunt *à ſpaſmis uteri* firmiter annexi oſſi ſacro.

TUMOR ET DURITIES IN MAMMIS nunc particularis eſt, à lacte in glãdulis coagulato; *nunc univerſalis*, quando ob dolorem fibræ mammarum ſpaſmodicè ſtringuntur, vaſa hinc anguſtantur, ſanguis ſtagnat, & ſuccedit inflammatio.

Symptomata febris lacteæ non facilè lacti congrumato ſuperveniunt, niſi dolor & hinc inflammatio ſuccedant.

Coagulant lac frequentiſſimè *ira & terror*, non tam in vigilantibus; ſed etiam in ſomnio obveniens.

Lactatio omiſſa, quam in priori puerperio ſuſtinuerat, tubulis laxatis copioſum lac colligentibus, *ad febrim lacteam* noſtram ægram facilè *diſponit*.

Eſt abſque periculo, *niſi* tardius lactea febris ſuperveniens ob incuriam *abeat in ardentem*, vel tumor mammarum *in abſceſſum*.

QUOAD FEBRIM conveniunt *ſudorifera*, *fixiora & præcipitantia*, non neglectis, quæ *lochiorum fluxum ſimul ſtimulet*. *Volatilia* etſi puerperis maximè proficua, cum tamen æſtum & cephalalgiam intendere poſſint, fixioribus in hoc caſu merito poſtponuntur.

Quoad lactis coagulum, interius *diaphoretica & reſolventia* tam fixa, quàm volatilia, *ſpir.ſalis armoniaci* ad ʒß. imperando ſudorem. Exterius *empl. crocatum Mynſichti cum ſaccul. oryzæ*, calidè applicentur, impedit lactis coagulum, & faciunt, ut mitius decurrant ſymptomata. In progreſſu verò morbi non ſufficit.

Ægram ſic *CURAVI*, poſt uſum dicti pulveris repetitum dedi *mercurium*. Cum mamma ſummè doleret, & dura eſſet; inunxi calidè *ſequ.ſpiritu.*

℞. Spir.

℞. Spir. ſal. armon. c. cale viva ℥iß.
Eſſent. Croc. ʒiij.
M.

Applicato deſuper *empl. ſequenti* in medio, ubi papilla eſt, perforato.

℞. Empl. de galbano crocati Mynſicht.
q. ſ. Malaxetur cum ol. tartari fœtido,
vel ſi fœtorem ferre nequeant,
ol. philoſoph. vel terebinth. deſt.
q. ſ. induc. ſuper alutam.

Denique *ſacculi ex oryza, milio, vel avena*, calidè ſuper imponantur, & ſæpius removeantur, ſicut & inunctio quotidie ter repetenda. Quorum uſu egregiè diſcuſſus tumor, nec facilè continuatus uſus quendam deſtituit. Si ad ſuppurationem neceſſario tendant grumi indurati, horum uſum ſines, & empl. erit tolerabilior.

Die Martis ante paroxyſmum dedi ſequens;

℞. Lapid. cancror. præp. ℈i.
ſal. abſinth. gr. xii.

Capiat hora prima ante paroxyſmum, cujus uſu repetito convaluit.

CASUS XXVI.
PLEURITIS VERA.

Pleuritis vera.

CASUM ſimilem vide in diſputatione VVeſneri ſub Præſidio D. D. VVedelii, de Pleuritica ægra habita.

Pleuritis vera COGNOSCITUR ex his, (1.) dolore pulſatorio circa coſtas, febri, reſpiratione difficili, pulſu duro, ob inflammationem membranarum, celeri, frequenti, non rarò intermittente, ob ſanguinem certis in locis ſtagnantem, qui non plus debito formidandus, denique tuſſi.

PARS AFFECTA non ſola *Pleura*, ſed *etiam pulmo* illius lateris, ubi pleura inflammata, quod confirmat tuſſis & materiæ copioſæ ejectio.

CAUSA PROXIMA acidum dolorificum pleuræ affixum non ſecus ac ſpina infixa inflammationem (ob fibrarum nervearum contractionem, hincque ortam anguſtationem, & conſequenter ſtagnationem cruoris) inducens.

Finitur vel per reſolutionem, *vel* per materiæ coctionem, id eſt attemperationem, unde ſputa cocta, alba, levia, æqualia & copioſa cum tuſſi excernuntur; *vel* per ſuppurationem, quando ſputa vel deficiunt, vel pauca, cruda, inæqualia ultra dies criticos durant.

Itaque *in principio* reſolutio & *diſcuſſio* inſenſilis *tentanda diaphoreticis* appropriatis, v. gr.

℞. Aqu. papav. rhæad.
Card. bened. ana ℥iß.
Mandib. luc. piſc. pp. ʒi.
ſal. volat. cujuſdam gr. xii.
Laud. opiat. per ferm. gr. ii.
Syrup. Scabioſæ ℥iß.
M. capiat cochleatim.

Convenit etiam *dens apri, lapis cancror. exterius ol. amygd. dulc. cumin. deſt. balſ. ſulphuris*, cum *ung. dialth.* loco dolenti illita, item *ſpir. ſal. armoniaci*, impoſito deſuper latere vel linteis calefactis.

2. *Sin hac via non cedat*, *coctio* ſeu attemperatio materiæ collectæ *juvanda*, *per temperata* dulcia & incraſſantia, *expectoratio* acrioribus & acidiuſculis *expectorantibus promovenda.*

(3.) *Si vero excretio*, quæ ad 10. dies ſe extendit, *& tuſſis non ſuccedat debitè*, ſed ob abſceſſum tendat inflammatio, quod fit ferè poſt diem 14. *ſuppuratio emollientibus* & humectantibus *promovenda*; Ut *decocto alth. ſcabioſ. malv. fic. paſſul. jujub.* Exterius *terebinth. cum vitello ovorum.*

Deinde quo vergit natura pus evacuandum. Optimè *ſi ſponte rumpat abſceſſus*, *quod fit* cum rigore, quem excipit inſignis æſtus febrilis, tuſſis, &c. Quod ſi verò ſymptomatibus remittentibus longiùs protrahatur *apertio*, *juvanda vomitu leni*; *ſternutatorio etiam.* Rupto abſceſſu ſi ad ſuperiora per ſputum vergat natura, expectorationem optimè promovet *Syrupus vel decoctum Nicotianæ* ritè paratum. Vel

℞. Herb. hyſſopi.
Hord. noſtr. ana m. i.
Rad. helenii, ℥ij.
acori noſtr. ℥i.
Coq. in ſ. q. aqu. ſ. colatura edulcoretur
c. ſ. q. Syrup. Nicotian. Querc.

Vomitus quoque moderatus expectorationem promovet. Acrimonia puris *balſamo ſulphuris*, *myrrha aliiſque balſamicis* temperanda. Si ad inferiora per urinam vel alvum vergat, *diureticis & laxantibus* juvanda. *Clyſma* paulo acrius per diarrhœam ſuccedentem egregiè pus evacuabit.

In vomica pulmonum convenit *decoctum radicis chinæ, ligni Saſſafr. cum vulnerariis & balſam. ſulphuris* vel *antihectico Poterii.*

CASUS XXVII.
DE CACHEXIA CUM SCABIE.

Cachexia cum ſcabie.

ANCILLA aliàs ſucci plena & formoſa, jam ab aliquot menſibus deformis admodum redditur, dum ſcabie laborat per contagium contracta. Scabies humida, puſtulæ latæ, ingentes, copioſum ſerum præſertim in artubus, fundentes, crura ſimul inſigni tumore œdematoſo ad genua uſque turgent, manibus etiam tumidioribus exiſtentibus. Conqueritur ſimul de ſapore dulci nauſeoſo, ſiti continua, cereviſiam ſecundariam bibit, quia primaria palato non arridet, bene appetit, probeque comedit, interdum dulcis & calidus halitus ex abdomine aſcendere videtur. In abdomine ſubinde varias agitationes percipit, qui exinde nunc inſigniter tumet, nunc denuo ſubſidet, facies eſt pallida & tumida, urina parcior, quolibet mane vomitum jejuno ſtomacho patitur, menſes ordinatè fluunt, nunc intra 14. dies redeunt, nunc ultra menſtruum tempus deficiunt, bene dormit, petit medicamenta.

RESOLUTIO. AFFECTUS *primarius* EST CACHEXIA, cui per accidens jungitur *ſcabies* in corpore diſpoſito longè gravior.

SUBIECTUM inhæſionis ſanguis & lympha, quoad ſcabiem cutis, *radicationis ventriculus* & *veſica fellea.*

CAUSA PROXIMA, *acidum viſcidum*, pingue, errore primæ digeſtionis natum.

REMOTA, *bilis pinguis* nimis, iners & parum volatilis, inde hæmatoſeos defectus & plura phænomena, hepati vulgò adſcribi ſolita.

Sapor dulcis nauſeoſus, frequens eſt chronicis cum colluvie ſeroſa conjunctis affectibus.

Dulcia mediæ ſunt naturæ, inter acida & amara, de utroque ſale participantia, copioſo, pingui, oleoſo ſulphure oblita & temperata, v. g. mel, Saccharum, paſſulæ, *ſuccus ribium* cum lixivio tartari præcipitatus *abit in paſtam dulcem* blandam. *Amara* de copioſo alcali participant., intimè concentrato cum oleo. Hinc olea deſtillata empyreumatica contrahunt propter ſal volatile cum pinguedine colliquatum, amaritiem. Bilis concurrens cum chylo acido volatili dat tertium ſalſum, temperatè dulce. Si ergo bilis iners & pinguior cum acido viſcido concurrat, fit ſapor dulcis nauſeoſus, ſtomacho in gratus. Ex nullo ſubjecto magis pituita viſcida colligitur, quam ex eſu pinguium, quâ cum bile concurrente, fiunt *inflationes & murmura abdominis.* Et quia cereviſia, ob amaritiem in acidum viſcidum primarum viarum agendo, moleſtiam in ſtomacho excitat, hinc *averſatio cereviſiæ amaræ.*

Parcior urina non renum vitio, ſed hæmatoſeos

defectu. Bilis, dum utilem cremorem à fæcibus ſegregat, eo ipſo cremorem quoque diſponit, ut ſuperfluum dimittat: Itaque non mirum, bile inerte utrumque claudicare. Hinc ab uſu alterantium amaricantium, vulgo hepaticorum aperientium, *urina copioſior*, intenſius tincta, & ampliore ſedimento prodit, quod eſt ſpes convaleſcentiæ.

Tumor pedum œdematoſus, aliique ſimiles in affectibus cachecticis commodè quidem à ſero extravaſato deduci poſſunt, non incongruè tamen fermentativa quædam turgeſcentia in partibus carnoſis ſubeſſe videtur, quæ ſub nutritione depravata inflantur. *Triplici potiſſimum modo tumores œdematoſi generantur:* (1) Simpliciter *ex abundantia ſeri*, quæ dum circulari per vaſa ſufficienter nequit, tendit deorſum, & tumorem excitat. (2) *Ex irritatione* quadam *in partibus nerveis* ſupervenit fibrarum contractio & *ſpaſmus*, unde anguſtatio vaſorum *ſanguinis impedit tranſitum*, & *tumor*, nunc ſanguineus, nunc ſeroſus *oritur*. Hinc odontalgiæ & podagræ ſupervenit tumor, propter ſpaſmum fibrarum nervearum, ſi ſanguineus, (*calidus*) ſi ſeroſus, (*frigidus.*) Tales tumores ſæpe oleis deſtillatis & acrioribus exaſperantur, quatenus partes nerveæ vellicantur. (3) *Ob vitioſam aſſimilationem, nutrimentum* partium, quod fit *vel* vitio fermenti localis in parte, quomodo ulceribus, venenis, item in anaſarca ſub parciſſimo potu, jungitur tumor, *vel* vitio nutrimenti, ad aſſimilationem inepti, quando p. n. fermentatur in parte, non ſecus ac paſta farinacea ſucceſſive in tumorem attollitur.

Scabies humida, qualis ordinario in ſubjectis cachecticis ſcorbuticis eſſe ſolet, fit ob nutrimentum aquoſius & minus temperatum, quam ob rem promptius corrumpitur. Ubi namque nutrimentum proximum eſt balſamicum, ſalino volatile oleoſum, non facile corrumpitur.

PROGNOSIS CACHEXIA utplurimum poſt ſe trahit *hydropem*, qui in noſtra ægra metuendus, niſi maturè & providè malo opponatur.

CURA præmiſſâ evacuatione univerſali ad ſequentia potiſſimum dirigenda, ut (1) *acidum corrigatur*, (2) *viſcidum reſolvatur*, (3) *bilis acuatur* ſalibus, his ſcopis ſatisfaciunt *amaricantia*.

Hinc noſtram ægram beneficio *abſinthii* maximam partem reſtitui. Primum per aliquot dies dedi *liquoris martialis* gt. 20. unde dulcis nauſeoſus ſapor evanuit, & urina liberius profluxit. Hinc ſingulo mane *ſpiritum abſinthii urinoſum in decocto abſinthii cum aqua ſimplici paratum* ad gt. 30. dedi, imperato ſudore. Quibus per aliquot ſeptimanas continuatis, melius habere viſa; Hinc dedi *vomitorium*, & cum decoctum prius averſaretur, *abſinthio effudi* ſpirit. vin. de quo infuſo mane & veſperi cochlear j. inſtillatis *guttis* 30. *ſpiritus ſalis armoniaci* aſſumpſit, continuando ad aliquot hebdomadas, abſinthium quoque cum pane butyrato ſæpius eſitavit; Sic integrè convaluit; *Pedes ſcabioſos aqu. calcis vivæ calida* ſæpius abluit, & calido linteo involvit, ſic evanuit *ſcabies*; *Pro menſibus corrigendis* juſſi parare *pulverem ex baccis lauri p. iij. Myrrh. p. j.* & omni mane largam doſin in vehiculo calido aſſumere.

Ad evacuationem univerſalem & purificationem maſſæ ſanguineæ in ſcabie.

℞. Extr. helleb. nigr. gr. xv. ad ℈ j.
Trochiſ. alhandal. gr. ij.
Merc. dulc. gr. xv. ad ℈ j.
c. ſ. q. Eſſent. fumar. f. pilul. pro una doſi.

℞. Conſerv. flor. perſic. ʒß.
Extr. helleb. nigr.
Merc. dulc. ana gr. xv.
Troch. alhandal. gr. j.
f. bolus.

Pro ſudore alcalia volatilia pro fixis ad cutis peripheriam penetrant. *Eſſentia myrrhæ cum ſalis armoniaci vinoſ.* Vel *ſpirit. vin. tartariſato*, *vel tinct. tartari* parata, *eſſentia lignorum* à ʒß. ad ʒj. Vinum medicamentoſum *ex abſinth. & hepatic. aperientibus.*

℞. C. C. ſ. igne ʒß.
ſal. vol. ejuſd. ℈ß.
M. pro 1. doſi ad ſudorem.

℞. Aqu. flor. ſambuc.
Fumar. ana ℥j.
ſpir. ſal. armon. ℈ß.
ſyrup. card. bened. ʒii.
M. pro 1. doſi.

℞. Aqu. fumar.
Menth. ana ℥ii.
Extr. Mart. cum ſucc. pomor. Borſdorff. ʒß.
M. detur pro cachexia.

Externa ad affectus cutaneos ſunt triplicia; (1) de genere *alcalium, ſaponariorum* & abſtergentium, inter quæ excellit *aqua calcis vivæ polychreſta* ſolummodo per repetitam aquæ infuſionem parata. Item *decoctum ſtercoris gallinæ vel ovilli cum radice lapathi acuti* tranſcolandum, & calidè applicandum.

In tinea capitis optimum *ole. tartari por deliquium*, cum ſpongiola cruſtis applicatum, vel ℞. *olei amygdal. q. ſ. cum oleo tartari* terendo f. linimentum, addito, ſi pediculi urgeant, oleum ſpicæ.

(2) De genere *ſulphureorum*, v. g. *flor. ſulphuris, aqu. calcis vivæ, in qua ſulphur tritum* decoctum, v. g. in ℔. ij. *aquæ* ℥ii. *ſulphuris ſolutio ſcoriarum reguli antimonnii* ſequ. mihi uſitat.

℞. Ung. alb. camphorat. l.
Enulat. ℥j.
flor. ſulphur. ʒii.
ſal. tartar. ʒi.
c. ſ. q. Ol. nicotian.
f. liniment.

manè & veſperi articulis calide inungendum, & ſi non ſufficiat, decocto ante dicto calcis vivæ cum ſulphure, vel ſcoriis reguli antimonii mane abluendum.

(3) De genere *mercurialium*, v. g. *cingulum mercuriale* TUTUM, ſi corpus ſudoriferis prius purgatum, ab omni frigore externo probè præmuniatur. *Vel*

℞. Merc. puriſſ. ℥iii.
aqu. commun. ℔. j.

Agitentur probe, bulliant, filtrentur, & abluantur partes ſcabioſæ.

℞. Aqu. calcis vivæ ℔. j.
Merc. dulc. ʒj. vel ʒii.

Præcipitabitur quidem pulvis albus, ſed uſus tempore movenda.

CASUS XXVIII.

DE PHTHISI.

VIR ætatis conſiſtentis, conqueritur de tuſſi continua cum materiæ copioſæ rejectione: Materia quæ per os rejicitur, eſt quandoque alba, quandoque livida, quandoque viridis abſque fœtore, & quæ aquæ injecta, fundum non petit; jungitur raucedo crebrior, ſubinde tamen remittens. Ad oblata mediocriter ſe habet, ſaporem tamen tetrum, nec facilè explorabilem, cinerum aut lignorum putridorum inſtar mane in ore percipit. Urina boni coloris & conſiſtentiæ, ſed intenſius tincta, pulſus celeres & frequentes, magnitudine moderati. Noctes propter tuſſim inquietæ, & ſomnus admodum interruptus, ſimul verò ac ſomno indulgere incipit, copioſis ſudoribus diffluit, non leviter eum debilitantibus. Corporis conſtitutio antea habilior, fit gracilior, partes extremorum carneæ, molles & flaccidæ, tempora collapſa. Alvus quotidie reſpondet officio, ſed liquidiora & fluidiora ſolent eſſe excreta. Ex levi motu virium imbecillitas & reſpirationis difficultas, utrique lateri commode incumbere poteſt, niſi quod dextro incumbens, omnia exaſperari *Phthiſis.*

perari

perari ſentiat. Diu eſt, quod ſucceſſivè malum in principio neglectum altius progreſſum ſit, facie quodammodo jam apparente Hippocratica. Originem morbi ſcit nullam, niſi quod lites continuæ & jurgia domeſtica uxorem inter & ipſum interceſſerint. Flagitat curam.

RESOLUTIO. AFFECTUS EST PHTHISIS, ubi autem *alia vera, alia notha*. Sic vir quidam veſcitur carne vervecina cum braſſica, inde brevi corripitur tuſſi ſicca, crebra & ſucceſſivè humida, color faciei perit, fitque Hippocratica, durat ad biennium: Omnibus irritis, tandem cum forti tuſſi duriuſculum quid ex imo pectore ſurſum movetur, quod erat oſſiculum parvum, cum braſſica deglutitum, in aſpera arteria defixum, quo rejecto, intra paucas ſeptimanas ſanus & floridus evaſit. Plura ejuſmodi exempla vide apud *Barthol.c.2. hiſt. 29. Keckerm. obſ.72. Ann. 2. Miſcell. curioſ. p.58.*

Sudores nocturni dormientibus imprimis erumpunt, quatenus ſub ſomno fibræ relaxantur & flacceſcunt, unde ſudor ſponte emanat, qui ceſſat, quando evigilant.

Non rarò in ulcere pulmonum *fœtida rejiciuntur*, corpore nihilominus vegeto & florido, ubi nimirum vis ſtomachi adhuc viget.

Maxilla illius lateris, cujus pulmo exulceratus, *ut plurimum rubet & calet*, altera pallida.

CURA. In Cura ſequentes notandæ obſervationes & indicationes; (1) *dyſcraſia ſanguinis & acrimonia* lymphæ *corrigatur*, (2) *ſordes* pulmonum per expectorationem *removeantur*. Pro hoc ſcopo convenit *Nicotiana in decocto & ſyrup. hyſſopi, marrubii*, &c. v. gr.

♃. Herb. ſcordii,
hyſſop.
Marrub. ana mß.
pulveriſatis adde
Myrrhæ,
antimonii diaph. ana ʒii.
c. ſ. q. mellis vel pulpa paſſularum recenti fiat electuarium aſperg.
Balſ. ſulphuris aniſat. l. myrrhato.

Mel cum myrrha in ſputo fœtido optimum.

(3) *Nocumentum* pulmonum *curetur vulnerariis*.

De Phthiſi incipiente curioſum eſt, quod habet *Riverius cent.1. obſ.79. decocto lignorum curata.*

♃. Raſ. ligni Juniperini ℥iij.
Guajac. ℥ß.

Macerentur per 24. horas in mar. bal. ſ.q. aqu. mane ebulliant ad conſumptionem medietatis, in fine adde *paſſul. min. conquaſſatur.* ℥j. trajice per manicam Hippocratis, de hoc aliquoties bonus hauſtus, ſed abſque ſudore ſumendus cum *antimonio diaphor. & antihectico Poterii*, vel *balſamo ſulphuris*, quibus peractis ad *lac* accedendum, ſi fibris non adſit.

Opiata ubi tuſſis adhuc ſicca & eroſio nondum facta, lymphæ acrimoniam temperando, conducunt, & ſenſum irritationis ſiſtendo v. gr. *pillula de Styrace Sylvii.*

CASUS XXIX.
DE HÆMOPTYSI.

Hæmoptyſis. *HISTORIA* continet HÆMOPTOICUM ab ulcere in tibia clauſo. *Ulcera antiqua tibiarum*, crurum, ſi curanda, fons prius reſpiciendus, & fomes in corpore auferendus, antequam claudantur, ne *dyſpnœa, aſthma, hæmoptoe, paralyſis, apoplexia* ſuperveniant. Ut plurimum à cachexia ſcorbutica foventur, hinc *amaricantibus* & *hepaticis* interius curanda. Sin vero vitium nequeat à priori cognoſci, nec dyſcraſia ſanguinis corrigi, *fonticulus*, vel etiam quandoque *veſicatorium* excitandum. In infantibus excitati circa annos pubertatis claudi poſſunt. Vidimus tumorem circa cubitum, ad motum lunæ increſcentem vel decreſcentem, cum dolore nocturno, inuſto in brachio fonticulo evanuiſſe.

CURA. Primo *in paroxyſmo* occupata tam in ſanguinis fluxu, ejuſque motu ad præcordia ſiſtendo, quæ præſtant (1) quæ motum ejus alio deducunt, *venæ ſectio, cucurbitulæ ſcarificatæ*, (2) ejus quæ acrimoniam temperant, & moderate incraſſant, v.g.

♃. Aqu. portulac.
plantag. ana ℥iß.
Corall. rubr. præp. ℈j.
Terr. ſigil. ℈ß.
Syrup. papav. err. ℥j.
M. pro 2. doſib.

Item *opiata, troch. de carabe, &c.* tum ſi quid grumoſi ſubinde diſſolvendo, *v. g. lapid. cancror. tinct. vel. decoct. fl. bellidis* mirabile reſolvens vulnerarium. *Externè centinodium recens cum aceto vini* contuſum axillis applicetur. *Bufo exſiccatus hic parum valet, ſed* ubi hæmorrhagia eſt ex ſolo impetu ſanguinis & ex candeſcentia Archei v. g. in febribus tunc convenit.

Extra paroxyſmum ſucci acres in corpore temperandi, quod fit (1) ACCURATA DIÆTA, ubi *lacticinia* crebro in uſu ſint, incoctis prius *vulnerariis*; Vitentur acria, ſalſa, vinum, incandeſcentia, (2) AUCTO CORPORIS MOTU ad promovendam inſenſilem tranſpirationem. Remedia ſint *amaricantia aromata.*

ULCERA CRURUM cacoëthica & antiqua nunc maturantia, nunc ſordida & profundiora curatu ſatis ardua. Pleraque reſpuunt emplaſtra, ſed auſcultant ſumme *abſorbentibus metallicis, ceruſſæ, aloë, myrrhæ, croco martis per præcipitationem cum alcali ex vitriolo martis in aqua ſoluto* & ſubſequam edulcorationem. Crocus hic inſperſus citò & tutò curat etiam abſque emplaſtro. Si *ulcus ſordidum*, præmittatur *digeſtivum, ex terebinth. vitello ovorum cum melle, myrrha, & extr. rad. ariſtol. rot.* Si *crura* ſimul *œdematoſa* ſint, vel ad *gangrænam* inclinent, occurrendum *ſpirit. vin. camphorato.* Interius *amara balſamica, ut myrrhata*, continuo dentur, ſi hæc non ſufficiant, *decocta lignorum ſudorifera*, ut raſura *ligni Juniperi cum baccis.* Quod ſi nec his cedant ad *ſalivationem mercurialem* accedendum.

CASUS XXX.
STRANGURIA OCCASIONE PODAGRÆ CURATÆ.

VIR ætatis conſiſtentis, nephriticis & podagricis affectibus crebrius obnoxius, urgente intenſo hyemis frigore contrahit tuſſim ingentem & validam crebrius pectus concutientem, ejicit pauca ſaltem & viſcida, locum, ubi tuſſis excitatur, monſtrat caput aſperæ arteriæ. Accedit levior invaſio podagrica circa manum dextram & cubitum ſiniſtrum. Vocatus Medicus præſcribit ſpiritum ſalis armoniaci cum dimidio ſpirit. cochleariæ, ter, mane, meridie & veſperi ſub introitum lecti ad guttas 20. ſumendum, exinde podagricus affectus ceſſat. Hinc ſecundo vel tertio die gravis dolor in lumbis cum intenſiſſimo veſicæ dolore ſupervenit; ita ut continuum mingendi conatum admodum doloroſum percipiat, pauca tamen emittit, vocatur pro cura Medicus. Stranguria occaſione podagræ curatæ.

RESOLUTIO. AFFECTUS primarius *ſtranguria* ad plures dies perdurans. PARS AFFECTA *veſica urinaria*, ſpeciatim *ſphincter* & *urethra.*

CAUSA PROXIMA acidum vitioſum, in ſpecie arthriticum, quod uſu ſpir. ſalis armoniaci reſolutum, & ex ſede ſua motum, àque ſero abſorptum,

prum, per *renes tranſiens*, *dolores* lumborum, ad veſicam delatum, *ſphincterem & urethram rodendo ſtranguriam* excitavit.

Solet alias in arthritide materia peccans, vel per ſudorem, vel per inſenſilem tranſpirationem eliminari; Cum v. utrumque ambiens frigus, ſtringendo poros & denſando ſuccos, impediret, per vias urinarias fuit excreta. Notum quippe, quod arthriticis & nephriticis, diaphoreſis etiam & diureſis in radice conſpirent. Hinc appropriata *diuretica arthritide*, potiſſimum *vaga*, tam curanda, quam præſervanda, magni ſunt momenti, in ſpecie *volatilia*, *ſpir. ſalis armoniaci*, *lumbricalia*, *ſcarabæi unctuoſi*, ex *fixis arcanum duplicatum Mynſchti*.

CAUSA REMOTA digeſtio vitiata. Efficiens ſeu movens fomitem morboſum *aër hybernus* inclementior, qui poros claudendo, & fauces irritando tuſſim atque varias metaſtaſes acidi vitioſi induxit, donec tandem ad vias urinarias delatum ſtranguriam produxerit.

Notum enim *in arthridite* potiſſimum incipiente *varias* obſervari *metaſtaſes materiæ morbificæ*, potiſſimum ab uſu præpoſtero topicorum. Sic quidam ceſſante ab impoſitione empl. de ſpermate ranarum podagra, aſthmate, hoc vero ceſſante, rurſus podagra corripitur.

Alius inſtante paroxyſmo podagrico dolores exquiſitiſſimos ſterni patitur, qui evaneſcunt, ſuperveniente podagra, hâc verò curatâ, majori cum atrocia redeunt.

Stranguria tolerabilius malum eſt podagrâ, modo non ob diuturnitatem *exulceratio veſicæ* ſuccedat.

Cum itaque in noſtro ægro acidum podagricum laudabili naturæ conatu ad vias urinarias ducatur, ſequentes obſervandæ indicationes. Ut (1) *acidum acre temperetur*. (2) *Motus* iſte *ad vias urinarias promoveatur*. (3) *Fomes* morboſus *removeatur*, *regeneratio* in primis viis *præcaveatur*.

Vocabar ad ægrum, cum urgeret *tuſſis ſicca* ab acrimonia lymphæ cum veſtigiis podagræ, hinc ordinavi.

℞. Aqu. Scabioſ.
menth. ana ℥iß.
ſpir. ſal. armon. aniſ. ʒiii.
flor. ſulphur. ʒß.
ſyrup. ſcabioſ. ʒvi.
M.

Interdum circa veſperam dedi gr. j. vel gr. iß. *laud. opiati*, unde evanuit tuſſis, ſed arthridis exaſperabatur, unde *ſpir. ſalis armoniaci* ʒii. *cum ſpir. cochlear.* ʒi. dedi impetrato ſudore, qui tamen ob clauſuram pororum non ſucceſſit, quaſi quam podagra ceſſaret, verum ſupervenit tuſſis & ſtranguria, unde pro temperanda lympha acido acri & urina promovenda.

℞. Amygd. dulc. ambroſ. ℥ß.
ſem. Violar. ʒiii.
papav. alb. ʒiß.
c. ſ. q. aqu. alkekeng.
f. Emulſ. ad ℥vii. add.
Lapid. percar. pp. ʒi.
edulcoretur parum.

Optimè hæc contulit, tandem ad derivandum ſerum acrius per alvum.

℞. Conſerv. roſat. ʒß.
Tartar. vitriolat. gr. viii.
reſin. jalapp. gr. xv.
Sic convaluit integrè.

In *ſtranguria* aliiſque vitiis à lympha acri ortis, ſequentia etiam commendentur, *ſuccus glycyrrh. decoctum ex fol. malvæ* cum *Syr. violarum*, *conſerv. florum malvæ*, *balſam. indic. alb. in decocto petroſelini* juxta *Lindanum*, cujus aliquot guttæ in *gonorrhœa virulenta* egregiæ, potiſſimum ſi exulceratio facta. *Borrax* ob alcali temperatum, *cancrina* ut *ſuccus expreſſus*. *Euporiſton* eſt.

℞. Ol. amygd. dulc. c.
Syrup. dialth. Fernel. &
Lapid. cancror. præp.

Item ℞. Cort. aurant. ʒiß.
Lapid. percar. l.
Teſtar. ovor. calcin. ʒß.
Ol. d. aurant. gr. ix.
c. pauc. Sacchar. f. pulv. pro 3. doſib.

Semen violarum, *hyperici*, quod tritum odorem & ſaporem terebinthinæ refert.

Si *veſica* præſumatur *exulcerationem* paſſa, conveniunt *ſulphurea balſamica*, *balſamus ſulphuris terebinth. l. ſuccinatus*.

Externè axungia hirci cum oleo terebinthinæ deſtillato pubis regioni illita.

Ad PRÆSERVATIONEM in affectibus nephriticis & podagricis *tinctura nephritica*, *ſpirit. carminativ. clyſſi compoſiti ſpir. ſalis armoniaci*.

Si malum contumacius *diæta lactea* inſtituenda, potiſſimum *ex caprillo*.

Juvenibus *acidulæ* pro potu, ſenibus *thermæ* pro inſeſſu commendandæ in vitiis urinæ variis.

Fœmina *paſſionibus hyſtericis* aliàs obnoxia, quas, irritis aliis, *herba menthæ* contuſâ in forma globuli pudendis intruſa ſæpius profligaverat; aliquando ſubito dolore graviſſimo lancinante in regione pudendi, potiſſimum in dextro labio vulvæ corripitur, qui ſubinde ſurſum verſus umbilicum vergit; Pluribus in caſſum tentatis, ſuſpicionem ſpaſmi ſuſcepi, unde præſcripſi

℞. Cinabar. antimon.
Lapid. percar. ana ℈i.
laud. opiat. gr. ii. ad iii.

Pro duabus doſibus, capiat ex cereviſia calida.

A prima doſi ſenſile levamen percepit, poſt alteram evanuit paroxyſmus, levibus ſuperſtitibus veſtigiis. Unde ordinavi emulſionem nephriticam, ſed malè inde habebat. Itaque *ſpir. ſalis armoniaci & eſſentiam myrrhæ*, cujus uſu jam per annum ſana vivit, & quoties aliquid ſentit, ſtatim ad ſpiritum prædictum refugit.

CASUS XXXI.

DE HÆMORRAGIA UTERI.

MULIER Juvenis ſucci plena, habitus corporis molliòris & carnoſi, ſecundo geſtationis menſe gravida, occaſione terroris patitur abortum, ipſa exinde in omnibus mediocriter ſe habens, convaleſcit. Cum vero frigori externo incautius ſe expoſuiſſet, quarta ab abortu ſeptimana, poſt graves dolores abdominis lancinantes & ad pudenda evagantes, copioſa ſupervenit uteri hæmorrhagia, Sanguis qui primò prodit, floridus, poſt aliquot dies idem fluxus continuat, ſed ſanguis tenuior & ſeroſior prodit, diu noctuque profluens, ipſa hoc ſimul patitur incommodi, ut ſubinde lancinantes graves abdominis adſunt dolores, ad ilia qui protenduntur, quos ordinario major ſanguinis impetus excipit. Ipſa cum ultra 8. hæc pertuliſſet ſeptimanas, imbecillis admodum & pallida fit, ſitis intenditur, appetitus ceſſat, varia tentat, ſed fruſtra. Poſtulat Curam. *Hæmorragia uteri.*

RESOLUTIO. Eſt HÆMORRHAGIA UTERI. PARS AFFECTA *uterus, ejuſque vaſa* ex prægreſſo abortu inſigniter *læſa*, ob violentam placentæ avulſionem.

CAUSA PROXIMA irritatio uteri & ſpirituum, qui copioſiorem inde ſanguinem ad uterum movent. In uberiori Menſium fluxu ſemper reſpiciendum, *vel* ad irritationis ſenſum, *vel* ad ſanguinis

nis qualitatem, an acrior, ſeroſior. Utrumque in noſtra ægra concurrit.

CAVSÆ REMOTÆ uterum irritantes ſunt (1) *abortus* vaſa dilacerans, hinc (2) *frigus ſuſceptum*, quod anteà uterum læſum facilè irritare potuit, accedente cum primis tempore ordinariæ menſtruationis. Hinc *dolores lancinantes abdominis*, ab irritatione ſpaſmodica. Frigus ſuſceptum non raro lochia & menſtrua actu fluentia ſupprimit. Sanguinem coagulando; Hic vero nondum fluentem & ſeroſiorem ſanguinem, uterum laceſſendo copioſius evacuat.

Nota fœtus ſeptimeſtris ſemper debet habere veſtigium imperfectionis, vel circa auriculas vel circa ungues.

IN CVRA ſequentes obſervandæ indicationes, ut

(Imò) *ſenſus irritationis* circa uterum & partes vicinas *leniatur*; Sublato enim ſtimulo, velut ſpina evulſa, ceſſat effluxus. Præſtant id blanda *opiata*.

(2) *Læſiones* ab avulſione placentæ & ſuſcepto frigore utero inductæ *corrigantur*. Quod præſtant *partim traumatica* adſtringentia, *partim aromatica temperata*, ut *martialia*, *cancrina*; *aqu.cinnam. eſſentia & ſpir. meliſſæ*.

(3) *Sanguis ſeroſior* blanda inſpiratione *condenſetur*, v. gr. *aqueis auſteris*, *incraſſantibus*, *glutinoſis*, v. gr.

℞. Aq. typhor. C. C. ℥iij.
Succ. cydon. l.
granat. acid.℥j.
Lap. hæmatit. pp. ℈ij.
Corall. pp.
Terr. ſigill. ana ℈j.
Laudan. opiat. gr.iß.
Syrup. portulac. ʒvj.
M. detur.

Vel ſi hujuſmodi auſtera minus conveniant, temperata eligenda, v. gr.

℞. Aqu. plantag.
Menth. ana ℥iß.
Cinnamom. ſpirituoſ. ℥iij.
Trochiſc. de Carab. ʒiß.
M. F. potio doſ. cochl. j.

℞. Ocul. cancror. pp. ℈ij.
Terr. ſigill. ℈j.
Laud. Opiat. gr.ij.

M. F. pulvis pro 2. doſibus, ſumatur c. aceto vini temperatiori.

Matribus à partu laſis *lapid.cancrorum* mirè recommendat *Helmont*.

Inter *martialia* eminet *tinctura ſulphuris vitrioli* & *liquor martialis ſolaris*, qui deficientem, ſanguinem vi martis promovet, nimium vi vitriolata ſiſtit, quæ multiplici experientia probata commendo.

Externe ad ſpaſmos dolorificos uteri & membranarum nec adſtringentia, nec refrigerantia, ſed potiùs blanda aromatica commendanda v. gr. Emplaſtrum de galbano, de tacahamaca, cum oleo anethi, chamomill. malaxatum vel

℞. Galban.
Terebinth. ana ℥j.
Sev. cervin.
Adip.porcin.ana ʒvj.

Liquefac invicem; Illine calidè regionem umbilici & viciniam, impoſito deſuper latere calefacto, vel locum hujus replet theriaca, ſimili modo adhibita.

CASVS XXXII.

DE NEPHRITICO DOLORE.

MVLIER Juvencula vini potui dedita; poſt levem horripilationem corripitur crebris vomitibus materiæ variæ, quibus ſuperveniunt tormina abdominis vaga cum alvi occluſione, incaleſcit ſub veſperam cœnâ parcâ per vomitum rejecta; nox inquieta cum ſubrepentibus levibus paſſionibus hyſtericis, & præcordiorum vagis anxietatibus, quæ omnia matutino ſequente exaſperantur, ut vix lecto exſurgere audeat, adſunt dolores lancinantes & ſtimulantes, circa regionem pubis, urinam excernit crebrius, ſed parcius, naturaliter quidem conſtitutam, minùs tamen quàm ſolebat temperatam: A meridie eadem intentè & obſcurà tincta ſanguine quaſi impragnata obſervatur. *Nephriticus dolor.*

Crebrior ſimul urget, fruſtraneus licet, alvum egerendi conatus, Adſunt dolores dorſi & lumborum partim acuti terebrantes, partim obtuſi, gravantes & contundentes quos ſenſibiliores percipit ſub corporis agitatione, aut quando ſe erigere vult. Intra 3. vel 4. dies menſtruam expectat purgationem. Conſulitur Medicus, qui accedens pulſum in omnibus moderatum, celerem tamen & durum obſervat. Curam rogat.

RESOLVTIO. *Nephritis* in genere eſt affectus renum doloroſus, ut plurimum cum inflammatione.

Eſtque vel *calculoſa*, vel *ſalina ſive notha*, ut plurimùm *ſcorbutica*, ubi ſalia corroſiva, circa renes coacervata, lancinant & rodunt partes nerveas membranoſas, ac ſi calculus adeſſet, vide *Drawizium*.

PARTES AFFECTÆ renes, ſpeciatim *membrana interna*, quæ pelvim cum tubulis & ureteribus conſtituunt.

CAVSA PROXIMA eſt *contractio ſpaſmodica* ob vellicatas membranas renum.

CAVSA VELLICANS poteſt eſſe *calculus*, quem ſimul promovet inſtans menſtruatio, nam mulieres nephriticæ pejus habent circa renes ſub menſtruationis tempore: *CAVSA REMOTA acidum* in primis viis.

Symptomata omnia recenſita à dolore, indeque orta ſpaſmodica contractione deduci queunt. *Alvus enim clauſa* propter ſpaſmum inteſtinorum, & ab eodem fonte *paſſiones hyſtericæ* in mulieribus, in viris nephriticis retracto teſticuli muſculo cremaſtere ſpaſmo affecto; *teneſmus* etiam & cumprimis *vomitus*, qui licet interdum urgeat, antequam dolor nephriticus in lumbis percipiatur, tamen *fit à vellicatione renum*, licet reſpectu noſtri non ſit ſenſilis.

Revera *omnes dolores* nephritici, partus, & qui inſtantibus menſibus urgent, *ſunt à ſpaſmodica contractione*.

In Nephritide notha irritatio fit membranarum interiorum renum *ab acido acri ſcorbutico*, ſicut etiam in gonorrhœa virulenta confirmata nephritici dolores urgent, ut nec incumbere loco dolenti, nec erecti incedere queant. Si Calculus major, & ſymptomata diu durant, ſupervenit *Epilepſia* ob continuatos ſpaſmos, in gravidis *abortus*. Si calculi inæquales, acuti, *exulceratio renum*, *mictio cruenta*;

In Paroxyſmo (1) & ante omnia *ſpaſmus* membranarum dolorificus *tollendus*, quod niſi fiat, fruſtra & cum nocumento adhibentur diuretica. *Id verò præſtant anodyna* tam vegetabilia, *opium*, quam mineralia, ſulphura, v. gr. *cinnabaris antimonii* vel *nativa* vid. in Ludovici pharm. v. g.

℞. Cinabar. antimon. vel
nativ. ℈ß.
Lapid. cancror. ℈j.
Laud. Opiat. gr. ij.
M.

(2) *Calculi excretio promovenda* ſublatis prius ſpaſmis, *diureticis ſalinis nitroſis.* Inter *lithontriptica* excellunt nitroſa, *ſpir. nitri*, *nitrum volatile armoniacale*, *nempe* ſpiritui nitri inſtilletur ſpirit. ſalis armoniaci ad punctum ſaturationis, inſpiſſetur blanda evaporatione abſque cryſtalliſatione, & propinetur. Convenit etiam *tinctura Amelungii*, *lumbricalia*, potiſſimum *ſpiritus tartari*, quia ſuſpicio eſt, quod calculum ægra contraxerit ab uſu vini, *tartarea enim acidum* vinoſum optimè abſorbent.

VOMITORIA in paroxyſmo nocentiſſima, extra paroxyſmum pro præſervatione optima, vid. *Hild. obſ.6. cent.5.*

PURGANTIA ſaltim in principio paroxyſmi exulent, cùm tamen alvus ſemper ſervanda ſit aperta, id obtinebitur, (1) *per clyſmata ex decocto carmin. chamon.* cum *urina human.* ℥iij. & *ol. terebinth.* guttis aliquot. (2) per *blanda laxativa* v. gr. *paſſulata* vel nephrocatharctica *emulſione ſemin. violar.* v. gr.

℞. Sem. violar. ʒiij.
papav. alb. ʒj.
F. Emul. c. aqu. alkekeng. q. ſ. add.
Lap. percar.
cancror. ana ʒß.
M.

Aurum fulminans à gr. iij. ad vj. laxandi vim habet ſine moleſtia, flatuum impetum ſiſtit, fœceſque nigerrimo colore tingit. Magis mirum eſt quod *ſolutio auri* cum *ſpiritus ſalis* tam inſignes habeat effectus inſtar acidularum. NEMPE aurum in aqua regia ſolutum cum mercurio vivo præcipitatum, edulcoratum, & hinc ad evaporationem mercurii blando igne uſtulatum, ſolvitur à ſpiritu ſalis rectificato in liquorem aurei coloris, qui liquor propinatus in vehiculo calido à guttis 5. poſtea, 6.7. 8. 9. ſic gradatim aſcendendo vires habet inſignes, primum nauſeam excitat, continuatus mirabiliter primas vias abſtergit, mucum tenaciſſimum diſſolvit, & aliquoties inſtar purgantis alvum laxat, fœceſque tingit nigrè. Sic uſurpatus in morbis chronicis idem præſtat, quod magna quantitas acidularum. Primus hujus mentionem facit *Glauberus* (*in dem Proſt der See-Sahrenden.*)

Externè exhibitis prius *anodynis cinnabarinis* fiat inſeſſus vel *balneum*, hinc regio lumborum *oleo deſtillato ſuccini vel petroleo*, cum *unguento anodyno* Minſicht. *dialth. ol. hyoſcyami* expr. illinatur, v. gr.

℞. Petrolei alb. ʒiß.
Ol. papav. expr. ʒj.
deſt. ſuccin. ʒß.
M.

Mulieribus habitioribus inſtantibus menſibus *ſanguis mittatur* in brachio, actu fluentibus, ſed minus ſufficienter, in pede.

Extra paroxyſmum à potu vini abſtineat, alvus ſervetur aperta, uſurpetur *tinctura nephritica* vel *ſuccus betulæ*, qui nitroſus eſt, & fortiori deſtillatione dat ſal volatile nitroſum. Loco diureticorum, quæ rarò ſatisfaciunt, adhibenda peculiari vi renibus dicata, eorumque fermentum in naturali ſtatu conſervantia *ex terebinth. Iunipero*, *ſuccino* v. gr. *malvaticum*, *juniperinum*, *balſam. ſulphuris terebinth. &c.*

CASVS XXXIII.

DE LOCHIORVM RETENTIONE CVM VRINÆ SVPPRESSIONE ET DOLORIBVS POST PARTVM.

Lochiorum retentio cum urinæ ſuppreſſione & doloribus poſt partum.

MVLIER partu laborioſo, in quo ab obſtetrice ruditer tractata filium enititur, quem difficilis & tarda ſecundinarum earumque fruſtulatim diſcerptarum excluſio ſequitur. Hinc lecto impoſita, altero manè graves abdominis lancinantes & ad pubem uſque protenſos dolores patitur, repetitis vicibus recurrentes, ſimiles partus doloribus. Dolet ſimul acerbiſſimè circa pubis regionem, ita ut præ dolore tantùm non ejulare conatur. Lochia parcè fluunt, ſimilia loturæ carnium, eaque pauca, urina difficulter redditur, & tandem penitus ſupprimi videtur. Ponderis ſenſum in regione abdominis hypogaſtrica intrinſecus ſentit, verſus genitalia prementis. Tertia demum die vocatur Medicus, qui ægram præter enarrata frigidiuſcule circa extrema, ac frontem ſudantem cum ſingultu offendit, ſimulque pulſum celerem, frequentem magnitudine & vehementia moderatum, durum nonnihil deprehendit. Adſtantes flagitant Curam.

RESOLVTIO. AFFECTUS EST COMPLICATUS, conſiſtens primario in lochiorum retentione, ſecundario in ſuppreſſione urinæ & doloribus poſt partum.

PARS AFFECTA, *uterus*, hinc *veſica* & partes membranoſæ vicinæ.

CAVSA PROXIMA grumi ſanguinis, *à quibus* irritatur uterus, unde *dolores ſpaſmodici*, quales ſub partus tempore adſunt, ab iiſdem grumis *ponderis ſenſus* in regione hypogaſtrica.

CAVSA REMOTA aër frigidus ſub partu laborioſo & tardiore ſecundinarum excluſione admiſſus, qui puerperis ſicut & *potus frigidus*, pernicioſiſſimus, ita hic grumeſcentiam ſanguinis introduxit, & conſequenter lochiorum ſuppreſſionem. Quod effluit, eſt ſaltem ſerum, à ſanguine grumeſcente ſeparatum, & pauxillo ſanguine tinctum, hinc loturam carnis refert.

Vrinæ ſuppreſſio eſt à læſione genitalium circa collum veſicæ, quæ imperita obſtetricis manu duriùs tractata tumefiunt, quem tumorem occurſus aëris frigidi auxit ſæpè collum veſicæ plane laceratur, unde urinæ ſtillicidium, planè incurabile.

Fruſtula ſecundinæ retenta potius hæmorrhagiam quàm ſuppreſſionem lochiorum inducunt. Sicut etiam mola retenta, fœtus mortuus, debilis, ad copioſum ſanguinis fluxum diſponunt.

Sæpe à frigore ſuſcepto, vel potu frigido hauſto *abdomen à partu tumidum manet*, vix niſi maturè, l. novo partu curabile.

Metus eſt, ne lochiorum ſuppreſſioni *febris acuta*, urinæ retentioni graviora ſymptomata ſuperveniant.

Excretio loturæ carnium ſimilis innuit orificium apertum adhuc: Dolor ſpirituum motum ad uterum, molientem excretionem arguit: neutrum malum.

IN CVRA (1) lochiorum *fluxus promovendus ſtimulantibus & aromaticis*, *grumos reſolventibus.* Solis ſtimulantibus nil obtinebis, quàm ut dolores intendas. Excellunt *myrrha*, *crocus*, *borax in aqua cinnamomi.* Item pro grumis reſolvendis *lapis cancror.* propter vim traumaticam *decoctum artemiſiæ* in cereviſia addito *croco*, *tinct. antimonii ex ſcoriis reguli* ad ʒß. egregia. EXTERNE *ſuffitus ex colocynthide*, vel *ſcoriis reguli antimonii*, vel *urina putrefacta*, quæ leni calore ſal volatile acerrimum emittit, per infundibulum excipiendum in lochiis & menſibus ſuppreſſis. Si ægra
habilior,

habilior, & metus febris ardentis urget. Vena ſecanda in pede.

Puerpuræ noſtræ ad lochiorum fluxum promovendum dedi

℞. Borrac. Venet. ʒß.
myrrh. gr. xvij.
croc. ℈ß.
M. pro 2. doſibus,

primam doſin ſumpſit manè, alteram evomuit, unde præſcripſi

℞. ſal. card. bened.
artemiſ. ana ℈ß.
borrac. Venet. ʒß.
M. pro 3. doſibus.

A prima doſi ſub veſperam ſumpta ſat commode fluxere lochia, in ſequente manè penitus ſupprimuntur cum ventris tumore, intenſoque dolore ſudoribus frigidis, unde cum ſanguinis grumos ſuſpicarer.

℞. Aqu. Chærefol.
Matricar. ana ℥iß.
acet. vin. acerrim. ʒvj.
Lapid. cancror. pp. ʒj.
Myrrh. gr. xv.
Syrup. arthemiſ. ʒvj.
Laud. Opiat. gr. iß.
M. capiat probè agitatum ſaltem cochlear.

Hinc ſequentes *ſacculos* calidè ſimul abdomini applicandos præſcripſi

℞. Herb. abſinth.
Chamom. ana miij.
Matricar. mij.
rad. angelic. ℥ij.
ſem. 4. calid. maj. ana ʒij.
baccar. junip. ℥ß.

Conciſis & contuſis includantur ſacculis duobus, repetitis vicibus applicandis.

A mixtura prædicta ſanguis diſſolutus fuit & evacuatus, cujus uſum etiam in caſu ab alto, lochiis à partu reſtitantibus & læſionibus uteri conſolidandis multiplici experientia confirmatus recommendo.

(2) *Urinæ excretio promovenda* leniter *ſtimulantibus*, potiſſimum *lapid. cancror.* Ægræ dictæ ſequens applicatum fuit.

℞. Herb. parietar. mij.
Chærefol. miß.
Inciſa coqu. ad conſiſt. pult. add. butyr. rec. non ſalit. ℥ij.
Ol. Scorpion. ʒiij.
thereb. deſt. ʒiß.
M. F. cataplaſma calidè applicandum pectini.

(3) *Doloribus urgentibus* providè obviandum, commendo *decoctum chamom. vulg. cum corticibus aurant.* (quamvis ſit nauſeoſum) àddit, ad ſtimulandum *myrrha & artemiſia. Externè ſacculi calidi* imponantur, illito prius hypogaſtrio *oleo deſtillato ſuccini & juniperi.*

(4) *Virium proſtrationi* ſuccurrendum, quod fit, abſente febre, *ſpirituoſis, aqua cinnamom. vino generoſo*, cujus odor & potus egregius ad refocillationem. *Tinctura corall.* cum ſpiritu Cornu Cervi.

CASUS XXXIV.

DE GONORRHOEA VIRULENTA CUM TUMORE TESTIS.

Gonorrhœa virulenta cum tumore teſtis.

IUVENIS veneri ſubinde indulgens petit conſilium propter inſignem cruciatum, quem patitur ſub urinæ emiſſione in radice penis, aſſerit ſimul continuò, paulatim licet profluere ex membro materiam tenuem flaveſcentem, interdum ſimul ſpiſſam, dolorem in glande excitantem, quæ glans rubet & tumet, ſimulque in confiniis ejus & præputii parva hinc inde ulcuſcula adſunt. Evanuerunt hæc ſymptomata aliquamdiu, neſcio quibus adhibitis, ſed ecce recurrunt de novo & comitem ſibi aſciſcunt, qui præ cæteris nunc urget, teſticuli dextri tumorem, quo bis teſticulum ſocium ſuperat, acerbiſſimè dolentem, dolore tamen non pulſatorio, nec pungente, ſed miſere contundente & diſtendente, qui dolor cum acerbo cruciatu ad lumbos uſque protendatur; Scrotum in iſto latere & ipſum tumet, & rubet, ipſa lumborum regio fervere videtur, obnixè auxilium flagitat.

RESOLUTIO. Gonorrhœa alia benigna, quæ non rarò à manuſtupratione, vel cathetere, malè immiſſo excitatur, curatu difficilis. Conducunt tamen *tinctura ſulphuris, vitrioli, vel antiphthiſica*, omni mane ad gr. 40. in vehiculo calido, & *trochiſci de carabe* veſperi ad ʒß. ſumenda, juxta ſtrictam diætam, *Alia maligna*, qualis præſens. In hac *laborant* in genere *partes genitales*, ſpeciatim ratione gonorrhœæ *glandulæ proſtratæ* magis vel minus exulceratæ, ratione tumoris *teſtis* dexter.

CAUSA PROXIMA acidum virulentum venereum, cujus ſpecificus ſapor à priori nondum cognitus, qui ut plurimum *per contagium communicatur*; *modò congreſſu*, quando genitalia infecta & ulceribus venereis obſeſſa. His enim ſanis, mulieres admodum venereæ non inficiunt; *modo poculis, modò in lecto*, ſi nimirum lues venerea eò progreſſa, ut ulcera faucium vel genitalium saniem plorent, qui lecto vel poculis adhærens ſanos inficit, non ſecus ac acidum viſcidum ſcabioſum. Nec rarò Parentes venerei liberos ſimili labe infectos generant; Nutrices infantes inficiunt. *Acidum hoc virulentum* ſub puris vehiculo eſt fixius & viſcidum, atque nunc in urethram ſe inſinuans, ad proſtratas pergit, quas exulcerat, unde *dolor ab urina præterlabente* ſimulque lympham inquinat, à qua lympha corroſiva *ſymptomata Gonorrhœæ*. Nunc intra glandem & præputium ſe inſinuans; *ulcuſcula dolorem, ruborem*, tandem *inflammationem & gangrænam* glandis introducit. Porro fermentum venereum, antea vehiculo lymphæ corruptæ ex proſtratis evacuari ſolitum, retentum, ſucceſſivè ſe multiplicat, & continuato materiæ alterabilis tractu ad teſticulum pergit, & liquorem ſeminalem in vaſis deferentibus inquinat. Hinc *tumor teſticuli & dolor ad lumbos uſque protenſus*, cujus ratio *partim* in vaſis ſpermaticis; *partim* in nervo mox infra renes ad teſtes derivato ex intercoſtalibus, *partim* in productione membranoſa peritonæi, vaſa ſpermatica involvente, & extra abdomen ad teſtes uſque propagata. *Ardor renum* in gonorrhœa confirmata oritur ex acido virulento, membranoſas partes circa renes rodente, cum ſanguine vel lympha ex teſtibus reflua eò delato.

Acidum virulentum venereum intacta maſſa ſanguinea (unde plerique lue venerea affecti admodum ſunt vivaces;) potiſſimum ſuccum nutritium & lympham inquinat. Hinc partes nerveas potiſſimum & glanduloſas narium, faucium, inguinum afficit. Hinc documentum in interioribus maxime percipitur.

Affectus in ſe periculo vitæ caret, ſolùm metus eſt, ne in luem veneream progrediatur. Itaque

CURA non differenda, quam in præſenti ſic inſtitui. Interius dedi *pillulas* appropriatas. *Ex extracto Hellebori nigr.* cum *trochiſcis alhandal. & mercurio dulci*, quod alexipharmacum eſt luis venereæ. Hinc

℞. Balſam. ſulphuris terebinthin. ℥iij. detur quotidie bis ad guttas xij. Exterius.

℞. Farin. fabar. ℥iij.
Pulv. Sem. cumin. ℥iß.
coqu. in ſ. q. aq. & acet. ad conſiſt. cataplaſm. add. lytharg. pulv. ℥j.
M.

Hoc cataplaſma calidè tumori & ſcroto imponatur, cujus uſu aliquot dies continuato, dolor mitigatus, & tumor imminutus fuit. Inde

℞. Balſam. ſulphuris Ruland. ad extra ℥iii.
Ol. deſtill. cumin. ʒi.
Ungu. dialth. ℥ß.
M.

Illinatur aliquoties de die calidè teſtibus & ſcroto.

Cum vero teſtis adhuc durus & ſolito paulò major eſſet, ſequens ordinavi.

℞. Gumm. ammoniac. acet. ſolut.
Empl. de Cicut. ana q. ſ.
Malax. c. ſ. q. Ol. deſt. Tart. l. lign. guajac.

Inducatur ſuper alutam, applicetur, loco affecto, quo per triduum aliquoties renovato penitus diſparuit tumor.

Applicaſſem mox in principio, niſi inflammatio obſtitiſſet. *Empl. Vigonis de ranis cum mercurio*, in bubonibus venereis incipientibus præſtantiſſimum, dubitavi genitalibus immediatè applicare, ob *vim mercurii genitalibus infeſtam.*

Quidam ad extinguendos pediculos linimento mercurii genitalia inungendo virilitatem amiſit, ſed abſtinendo à litu, & ſubſtituendo oleum ſpicæ, brevi recuperavit.

In *ulceribus* penis *aqu. calcis vivæ* cum *Sacchara ſaturni*, & ſi profundiora *mercurio dulci* pro injectione commendanda, maximè ſi φιμωσις adſit.

In *curanda lue venerea perfecta* quam produnt dolores nocturni, oſteocopi, efflorecentia gummatum & puſtularum in facie (1) *acidum* venereum *corrigendum*, (2) ſeu ſubjectum ipſius acidi diſſolvendum.

Præmiſſa blanda *evacuatione mercuriali* per alvum ad *decocta ſudorifera* accedendum, crebriori inſeſſu in ſemicupio *decoctum* poterit eſſe ſequens.

℞. Raſur. lign. ſanct. ℥iii.
Saſſafr. ℥i.
cortic. lign. ſanct. ℥ß.
Merc. viv. in petia ligat.
Antimon. in petia ligat. ana ℔ß.
Infund. in aq. comm. menſ. vj.
Macerentur per 24. hor. in B. M. coqu. ad conſumpt. tert. part. in fin. add.
Paſſul. min. contuſ. ℥ij.
Coriandr. contuſ. ℥j.
Cinnamom. ʒiij.
Colatur. f. pot. pro potu ordinar.

De *decocto bardanæ* in lue venerea vide *Riverii obſerv.* & *Simon Pauli quadrip. botan. p.* 363. de priori decocto ſudorifero, capiat bonum hauſtum manè calidè, expectato in lecto blando ſudore. Hinc ſurgat, comedat, ab acidis abſtinendo, à meridie *balneum aqu. dulcis* ad collum uſque ingrediatur, quamdiu lubet, hinc ſedeat, cænet, ſub introitum lecti doſin *decocti ſine ſudore capiat.* Hoc per 8. dies continuandum, ut mediante ſudore & balneo, ſucci viſcidi ac glutinoſi diſſolvantur, & ad ſalivationem diſponantur. Jungenda potio ordinaria antea dicta, quoties placuerit de die.

His peractis denuo purgatur corpus *pillulis mercurialibus* paulò fortioribus, ut magis extinguatur acidum venereum. Tandem ad *ſalivationem* accedendum per interna *mercur. dulcem. arcanum corallinum.* Vel per inunctionem ex *tereb. ol. lauri & mercurio* in mortario lapideo ſubactis, probè inungendo in loco calido plantas pedum circa talos & genua per 2. vel tres dies, ſi tardius ſuccedat ſalivatio in ſpina dorſi. *A ſalivatione* dolent fauces, lingua intumeſcit, gingivæ protuberant, dentes vaccillant, lingua in loco laterali exulceratur, fauces rubent, deglutitio fit difficilis. Unde ſedulò fauces inſpiciendæ, ne ulcera depaſcentia ſubnaſcantur. Saliva primo tenuis, poſt viſcida, tandem maximè tenax & fœtida prodit; durat ad 8. vel 14. præter propter dies. Ulcera conſolidantur, gummata ſi adſunt, ſanantur, puſtulæ decidunt, quod ſignum ſufficientis ſalivationis.

Quo plus comedunt ægri, magis ſalivant, hinc *concedenda ſolùm juſcula avenacea & vitelli ovorum: potus* ſit cereviſia tepida.

Peracta ſalivatione, potiſſimum, ſi remiſſior fuerit, denuo *purgetur corpus pillulis mercurialibus*, hinc decocto ſudoriſero alternis diebus uſurpato, & ſudore vel in lecto vel in conopeo, in quo ferro candefacto, vel lateribus ignitis aqu. calida affundatur, per 8. vel 14. dies procurato ut penitus eliminetur materia peccans, curæ imponatur finis: Intereà corpus emaciatum, denuo incipiet nutriri, & diæta ordinari uti poterit.

CASUS XXXV.

DE EPILEPSIA.

PUELLA nobilis decem annorum optimè aliàs conſtituta jam ab aliquot ſeptimanis, ex hypochondrio ſiniſtro obſcurè dolente, ſubinde præcordia anxiè admodum affici percipit. Ita ut hinc ſubinde ſenſus & motus voluntarius ceſſet, membra variè expanduntur, nunc rigidiſſimè extenduntur, ſubinde jacent, univerſum corpus artuatim attollitur. Durant hæc nunc per quadrantem, nunc per dimidiam horam, unde denuò ad ſe quidem rediens, de nullo niſi artuum laſſitudine conqueritur. Sæpius citra manifeſtam etiam cauſam tales paroxyſmi redeunt, ipſa interea mœſta præter morem & lachrymabunda exiſtente, dormit benè, largiter comedit, quin & ceſſante paroxyſmo ſubinde potum & alimenta poſtulat. In paroxyſmo balſamo odorato ad nares admoto ſenſuum internorum & externorum functiones redeunt, miro iſtarum partium motu adhuc affligente, ſimul verò ac removetur balſamum, iſtæ ſenſuum functiones iterum ceſſant. Ingruente paroxyſmo, ſemper motum prævium in hypochondrio ſiniſtro percipit, quo ad anteriora præcordiorum accedente, præfata ſubitò ingruunt ſymptomata, ipſa quid ſecum fiat, neſcit. **Epilepſia**

RESOLUTIO. Eſt *Epilepſia habitualis* ad differentiam ſymptomaticæ, qualis variolis, parturientibus, febribus malignis, &c. accedit. SUBJECTUM RADICATIONIS SEU FOMES MORBOSUS quærendus in *hypochondrio ſiniſtro*, ſpeciatim in *liene*, qui affectus ratione nervorum, reliquum ſyſtema nervoſum convellit, ob communionem cum ſtomacho & aliis viſceribus per plexum meſentericum lateris ſiniſtri.

Lienem verò potiſſimum *affici* perſuadet (1) ſitus doloris ante paroxyſmum & connexio lienis cum ſtomacho. (2) Animi pathemata, potiſſimum triſtitia, quæ ſola ſplenis vitia, difficulter curabilia, cum ſenſu doloris non rarò infert. (3) Ratio doloris, qui obſcurus, cùm contra dolores colici ſint punctorii & lancinantes.

SUBJECTUM PRIMARIUM fibræ nervorum motrices, quæ ſunt ſubjectum morbi, SUBJECTUM verò CAUSÆ, *lien.*

CAUSA PRIMARIA MATERIALIS eſt *acidum* in primis viis genitum, inquinans fermentum lienis, & vellicans partes nerveas.

REMOTA cruditates. EFFICIENS PROXIMA *impetus ſpirituum animalium*; REMOTA *vellicatio partium nervoſarum.*

NOTA in Epilepſia *habituali*, quamdiu appetitus conſtat, vel intenditur, tamdiu increſcit morbus, & difficulter curatur, quando verò abſque gravioribus ſymptomatibus imminuitur, remittit morbus.

Epilepſia

Epilepſia habitualis tranſit utplurimum in *melancholiam*, quæ tandem abit in *maniam*, quam excipit *fatuitas*. Supervenientibus menſtruis non rarò ſolvitur. Ea verò cura remediorum uſum an ſint ventura incertum, unde maturè Medicus iis provocandis ſit intentus.

CURA ſequenti ordine ſuſcipienda. Ut (1) *Acidum* nervos vellicans *corrigatur fixis & abſorbentibus* potiſſimum *martialibus*, quibus *volatilia* ſubjungi poterunt. (2) *Correctum evacuetur per vomitum*, aliquoties pro re nata repetitum, potiſſimum ex antimonio & quidem doſi majori. (3) *Lienis vitium* tunc *internis reſolventibus & abſorbentibus*, potiſſimum *martialibus*, hinc *tartareis & volatilibus*, *tum externis* itidem *reſolventibus* & penetrantibus appropriatis *corrigatur*. Præ omnibus commodè *empl. de ranis vigonis cum mercurio*, *duplicata doſi mercurii* in robuſtioribus, lieni impoſitum, ſive tumeat, ſive non. (4) Quod reſtat *fomitis Epileptici*, ſpecificis *deleatur*. Inter quæ, in præſenti quidem caſu, quando per conſenſum partis alicujus affligit epilepſia, præ aliis commendo *viſcos*, ſpeciatim *corylinum*, *quercinum*, *tiliaceum*, in magna doſi à ℈ß. ad ℥i. in forma pulveris continuato uſu. Virgo ruſtica ab octavo anno paroxyſmo epileptico correpta quotidie, fluentibus ritè menſibus, præmiſſo vomitorio, uſu hujus pulveris repetito rariores patiebatur paroxyſmos, quos ſi recurrere percipiebat, ſumebat hunc pulverem. Hujus uſu per tres mēſes ſanata fuit, poſtea febre maligna extincta. Juxta hunc pulverem commendo *ſtercus pavonis*, ex quo, conſilio VVilliſii præſcripto, *vertiginem contumaciſſimam*, aliis etiam generoſiſſimis remediis fruſtra tentatis, curavi.

℞. Stercor. pavon. ℥ii.
Rad. pœon. mar. ℥i.
Caryophyll. ʒiii.
M. F. pulv.

cujus largam doſin, manè & à meridie capiat.

Pro *cephalalgia*, quæ ſimul affligebat, verticem raſum *oleo deſtill. ſuccini inunxi*, applicato deſuper *emplaſtro vigonis de ranis cum mercurio*, *cinnabarina* in idiopathica magis & ſympathica epilepſia conducunt, *ſalibus volatil.* combinata. (5) Efferus *Spirituum motus compeſcatur anodynis*, tam vegetabilibus quam mineralibus. De *opiatis* ſequens notetur cautio, ſi paroxyſmi periodicè & præviis certis ſymptomatibus recurrant, commodè inſtante paroxyſmo, cum ſpecificis poſſunt exhiberi: ſin verò vagò & abſque ſpeciali ſymptomatum certorum prænuntio ingruat, tutius omittantur, ne ægri tales ad melancholiam inclinantes, eorum uſu ſtupidi magis reddantur.

In paroxyſmo *ſalia volatilia*. *Clyſteres acriores*, de quibus practici.

CASUS XXXVI.

DE APOPLEXIA.

Apoplexia. *VIR* ſeptuagenarius, aliàs ſanus, ſed inordinatæ diætæ aſſuetus, aliquando cum ſociis extra urbis portas ambulans ſubitò corruit, ſine ſenſu & motu, totus pallidus, ab adſtantibus denuò excitatus, quid ſecum actum neſcit, debilitatus tamen, & ob anhelitus difficultatem aliquando deſidere coactus, denuo intra urbem revertitur. Interjectis aliquot ſeptimanis, cùm intereà commodè ſe habuiſſet templum petens ſimili ratione ex improviſo corruit, ſed balſamo apoplectico refectus domum lento gradu repetit. Aliquoties hoc accidit, donec ingraveſcente malo, extra parietes vix liceat egredi, quin ex levi corporis motu mox omnimoda anhelitus interceptione & ſimultanea caligine oculorum affectus, forti impetu non tam corruit, quam proſternitur, ſenſu & motu carens. Aliquando ſimiliter proſtratus naſo menſæ alliſo mediam ejus oſſeam ſubſtantiam ſine perceptione doloroſa perfringit. Hinc conſuluit Medicum.

RESOLUTIO. Eſt *APOPLEXIA LEVIOR IDIOPATHICA* & eſſentialis conjuncta *cum forti ſyncope*, qui affectus ferè ſemper videntur conjuncti. Repentina ſpirituum vitalium obnubilatio *ſyncopen*, animalium *apoplexiam* inducit, *Principium mali* interceptus cordis motus & circulatio inhibita videtur eſſe, hinc ſpirituum vitalium & conſequenter etiam animalium præpeditus influxus. Probatur idipſum, quia ingruente malo reſpiratio anheloſa, cordis anguſtia, *σκοτοδινία* urgeant.

Motus verò cordis, ſanguinis & ſpirituum intercipitur, denegatis ſpiritibus cor moventibus. Itaque

SUBJECTUM PRIMARIUM eſt *Cerebellum*, ſpiritus pro motu cordis non tranſmittens, qui *influxus ſpirituum animalium denegatus* hoc loco videtur eſſe

CAUSA PROXIMA tum ſyncopes, tum conſequenter apoplexiæ.

Jam olim *Piſo* mentionem fecit ſyncopes ex nervo cordis affecto. *Syncope cardiaca* cum apoplexia plurimis convenit.

CAUSA VERO REMOTA ſpirituum è cerebello irradiationem impediens hoc loco videtur *imperſcrutabilis*, poteſt eſſe ſuſpicio ſanguinis, lymphæ, cerebellum inundantis, ſed obſtat paroxyſmi brevitas. Itaque *videtur aliquid vaporoſum*, afflatu cerebellum lædens, & quaſi convellens. Motu excitatur paroxyſmus, quatenus ſanguis & ſpiritus concitantur.

PROGNOSIS periculoſus eſt ſtatus, & metuendum, ne vel ex improviſo juguletur, vel in *paralyſin* alterius lateris tranſeat.

CURA. Cùm tempore hyemali de præſervatione potiſſimum eſſet ſollicitus, ordinavi *ſpir. ſalis armoniaci & C. C. eſſentificatum ana* ʒß. de quo capiat quotidie bis guttas 30. ad 40. Item

℞. Ol. ſuccin. ʒi.
Caryophyll.
Mac. ana ℈i.
M.

ſubige cum ol. nucis moſchatæ ad conſiſtentiam balſami, quo mane & veſperi tempora, vertex & nucha cum regione ſtomachi inungatur. His rariores & mitiores fuerunt paroxyſmi. Vere, præmiſſo digeſtivo, purgavi Extr. panchymagogo Crollii, mercurio dulci, & ad præſervationem ordinavi.

℞. Ficuum pingu. minut. inciſ. n. 4.
Sem. Sinap. contuſ. ℥ii.
Cardamom. pulv. ʒi.
c. ſ. q ſyrup. fl. tunic. & ſpir. lilior. convall.
f. Electuar.

de quo omni mane capiat quantitatem nucis juglandis jejuno ſtomacho, ſorbendo deſuper juſculum calidum.

Externè cum uſu prædicti balſami ſequens *empl.* capiti applicandum.

℞. Emplaſtr. de ranis vigonis cum mercurio, malaxetur c. ſ. q. balſami Peruv. cum vitello ovor. ſolut. induc. ſuper alutam.

Horum uſu benè ſe habet hactenus, ut ſpes ſit imminens malum præverti poſſe.

Si æger fuiſſet habilior, fonticulum brachiis inuſiſſem, vel veſicatorium nuchæ aut pone aures admoviſſem.

In paroxyſmo præter externa *volatilia*, naribus admovenda, *frictiones* linguæ & palati, ſi vox amiſſa,

etiam laryngis. (ſcilicet frictiones) conveniunt. *Spirituoſa volatilia* cochleari blandè inſtillanda, *clyſma* fortius applicandum: ſpecies reſiduæ abomini ſuperſternendæ.

His nihil proficientibus ad *ſternutationem* accedendum. *Vomitorium* in declinatione paroxyſmi fortius, non eſt de nihilo, niſi ſuffocatio immineat.

Paroxyſmo declinante vel finito *ſudor* imperandus *ſpirituoſis & volatilibus*, addi poſſunt *aurum diaphoreticum Poterii, cinnabaris antimonii*, ut febris, ſic apoplexia, non ſine ſudore tutò curatur. Vehiculum pro ſudorifero poteſt eſſe ſequens.

℞. Aqu. Salv. ℥ii.
lil. convall. c. vin. ℥i.
Spir. Ceraſ. nigr. ʒvi.
Syrup. beton. ʒiii.
M. F. potio.

Calx viva cum ſemine ſinapi & aqu. ſimpl. deſtillata dat ſpiritum volatilem urinoſum, craſin ſinapis repetentem egregium in ſoporoſis affectibus.

CASUS XXXVII.

DELIRIUM MELANCHOLICUM. HYPOCHONDRIACUM.

Delirium melancholicum hypochondriacum.

MULIER mediæ ætatis, aliàs ſana & fœcunda, ordinaria periodo menſtrua fundens, ab aliquot menſibus recurrente ſubinde palpitatione cordis affligi cœpit, enata ſine cauſa manifeſta. Triſtior quoque præter conſuetudinem, anxia ſubinde & ſuſpicioſa, neſcia ob quam cauſam evadit, ſolitudinem amat, conſortium aliarum fugit, preſſius examinata de capite nonnihil conqueritur quaſi obnubilato, ita ut ſibi quaſi ſemiebria videatur ſomnus deficit, aut dormire ſaltem incipiens, ex tetris inſomniis, ſubitò cum terrore expergiſcitur. Appetitus mediocris, interdum nullus, ſitis nulla, alvus clauſa, murmura & rugitus pererrant abdomen. Pulſus vehementes, tardi, rari, magnitudine moderati, ſubinde inæquales obſervantur. Aliquando præter morem hilarior evadit, ridet, & ancillam ſuam cimeliis donat, objurgata ob id à marito, mirè contriſtatur, lachrymatur acerbè, ut vix perſuaſionibus quibuſvis luctus ſiſti queat. Hinc melius habet, ſed nocte & die nonnihil exaſperatur affectus.

RESOLUTIO. Eſt DELIRIUM MELANCHOLICUM HYPOCHONDRIACUM in confirmato namque etiam ſplen afficitur, quod patet ex tumore ejus, dolore, duritie, & pulſatione.

SUBIECTUM patiens & ſimul *CAUSA PROXIMA* ſunt *ſpiritus*.

TEMPERAMENTORUM DIVERSITAS UNDE? Temperamentum corporis & ſanguinis, atque adeò mores hominum à ſpirituum conſtitutione dependent, pro diverſitate texturæ ſanguinis & multiplici inde habitudine ſpirituum oritur diverſitas temperamentorum. Quorum ſanguis & reliqui ſucci ſale volatili oleoſo uberiùs turgent, *cholerici ſeu bilioſi* dicuntur, & ratione taliter conſtitutorum ſpirituum agiles, activi, inconſtantes, vagabundi eſſe ſolent, quorum ſanguis contra & reliqui ſucci de ſale prædicto minus participant, ſed denſiores, rigidiores, magis aciduli & minus reſolubiles exiſtunt, *melancholici* dicuntur, & ratione ſpirituum & fibrillarum cerebri duriorum & rigidarum, tardi obſtinati ſunt.

Quorum ſanguis temperatus, volatilis, dulcis & oleoſus eſt *ſanguinei* dicuntur, ſuntque carnoſi, jucundi, ingenioſi, &c. quorum ſanguis magis temperatus ab uberiore chylo dulci & probè digeſto, *phlegmatici*, obeſi, ſed ob molliorem fibrarum cerebri conſtitutionem, tardioris ingenii ſunt. Si chylus aquoſior & lymphæ abundantior ſero, ſic uno verbo: Tot ſunt temperamentorum varietates, quot individuorum.

Palpitatio cordis oritur *vel* immediatè ab acido cor vellicante, *vel* ipſe ſanguis ad grumoſitatem diſponitur, hinc facilè irretitur intra valvulas cordis, quo facto, convulſivè moventur cordis muſculi.

Pulſus inæquales melancholicis tam extra & abſque palpitatione cordis frequens, nec admodum formidandus.

Dolor capitis fit ex hypochondriis, ob conſenſum generis nervoſi. Hinc illico alvo ſolutâ nova ſerenitas. Qui reſinas acres purgantes ſumunt, de dolore circa frontem conqueruntur, dum adhuc ſtomacho adhærent, melancholici utplurimum *obſtinati* circa objectum, quod fit ob fibrillas cerebri rigidiores, duriores, minuſque flexiles, hinc ſpiritus intra ſemel concepto obſtinatè pergunt.

PROGNOSIS.

Malum in annoſis, & ex gravi animi pathemate profectum, difficillimum eſt curatu.

CURA.

Pro cura inter evacuantia univerſalia excellunt *vomitoria*, in dupla doſi vel iß. crebrius exhibita. Quo magis deliri & moroſi, eo magis conducunt emetica, præmiſſis *alterantibus ſalinis*, verbi gratia, *ſal hypochondr.* vel *alcano duplicato*. Inter *cathartica* præſtant blandè laxantia & abſtergentia v. gr. *decocta paſſulata, tartarus vitriolatus* cum leni ſtimulo, *mercurius dulcis* magis convenit, ubi acidum in viſcido hæret, univerſalibus præmiſſis ad *martialia* accedendum, v. gr. *martis tinctura cum ſucco pomorum* doſis cochlear unum, item. ℞. Cremoris tartari & vitrioli martis ana, ſolve in aqua fervida, coque ad mellaginem, quod rob. in loco frigido evadit corpus ſalinum flaveſcens doſis ℈j. ad ʒß.

Corallia à *Paracelſo* ad deliria commendantur. *Alvus* diligenter ſervanda aperta, quo alvus fluidior, eo minus capite laborant. Melancholicum, qui violentas ſibi manus intulerat, curavi ſequ.

℞. Arcan. duplicat. ʒii.
Corall. rubr. præp. ℥i.
Camphor. ʒß.
M. pro 6. doſibus, quotidie binæ capiantur mane & veſperi.

Hinc exhibui ſyrupi emetici ℥vi. cum levamine, ſed manebat anxius, multum bibebat. Hinc omni mane dedi liquorem martis ſolarem gutt. 20. ad 30. ſub noctem verò

℞. Sacch. ſaturn. ℈i.
Laud. opiat. gr. ii.
Camphor. gr. iii.
M. pro doſi ſub introitum lecti.

Poſt tres dies repetii vomitorium, e. gr. ex tartaro emetico cum tartaro vitriolato, egregio cum levamine, poſt continuavit mane liquor. Solarem martialem, & à meridie.

℞. Arcan. duplicat. ʒii.
Sacc. ſaturn. ℈ii.
Camph. gr. xv.
M. pro 8. doſibus. Alvus ſemper ſervata aperta, ſic continuando fuit reſtitutus.

CASUS

CASUS XXXVIII.

DE ARTHRITIDE VAGA SCORBUTICA.

Arthritis vaga ſcorbutica.

MULIER floridæ ætatis, corpulenta, ſucci plena, guloſa, temperamenti ſanguineo ſeroſi, conqueritur de laſſitudine omnium artuum nonnihil lancinante, quam aliquot ab hinc diebus inſequitur tumor cruris dextri, item circa genu dolens & lacerans inſigniter, concolor tamen partibus vicinis, motum cruris inhibens. Adeſt ſimul calor totius p. n. moderatus tamen & ut vocant vaporoſus, una cum ardore corporis continuo, pulſuque magno, celeri, frequenti, molli quaſi undoſo. Urinæ craſſæ, turbidæ cum ſedimento lateritio, ſequenti die anxietates ſuperveniunt, tormina & tumultus abdominis, reſpirationis difficultates, eadem veſperi, & alterum crus ſimili modo ſimilibus in locis cruciari incipit. Nox inquieta, manè peſſimè habet, in brachio ſiniſtro vagè ſeu variis in locis torqueri incipit, manus tumida admodum digiti inflati, immobiles ſine alia ſenſili alteratione. Ægra eſt anxia, ſubinde animo deficit, caput admodum dolet, ipſa ſudore calido madet, nullo modo ſe movere valet, quia quolibet tantillo licet motu dolores exacerbantur, Appetitus nullus, alvus clauſa, ſitis intenſa. Anxia levamen ex Medicis quærit.

RESOLUTIO. Eſt ARTHRIDIS VAGA SCORBUTICA ad arthritidem fixam apparenter inclinans, quia articulos ſpeciatim occupat.

SUBIECTUM RADICATIONIS *maſſa ſanguinea.* INHÆSIONIS *Articuli.*

CAUSA PROXIMA, Acidum nervis inimiciſſimum, mediante lympha & ſanguine ſeroſiore ad loca nervea circa articulos advectum, ibique rodendo dolorem, cum nutrimento partis proprio effervеſcendo, vel etiam fibras ſtringendo; hinc anguſtatis vaſis & poris ſtagnationem cauſando, *tumorem* producit, eumque *vel* frigidum œdematoſum partibus vicinis concolorem, quando acidum eſt mitius, in ſpecie in ſubjecto magis ſucculento, *vel* calidum rubicundum quando acidum eſt acrius & volatilius. Ille minus dolet, ſed tardius curatur, hic magis dolet, ſed ritè tractatus, citius ceſſat.

Omnem morbũ arthriticum ſeu fixum, ſeu vagum, ordinariò præcedunt & concomitant pathemata quædam, circa primas vias unde ſi ſine cauſa manifeſta appetitus ceſſet, ſudore ſuppreſſo, certus ſit de paroxyſmo inſtante.

(2) Comitatur *febricula* plus minus intenſa, à principio morbi uſque ad ſtatum, quæ nunc intermittentes æmulat, nunc continuæ catarrhali ſimilis, omni veſpera exacerbatur.

Arthritis vaga ſcorbuto propria, ſi confirmata tandem fixa evadit, & quò fixior eſt eò facilius irritatur & difficilius curatur.

Fixa etiam non ſine ſcorbuto in principio plus minus vaga obſervatur. *Nodoſa* ubi Synovia in corpus calciforme coagulatur, & *hæreditaria* eſt incurabilis.

PROGNOSIS.

Præſens vaga eſt abſque periculo, ſi ritè tractetur, ſin minus, metus ne *contracturam* inferat.

CURA.

Præmiſſa itaque ſi opus fuerit, *venæſectione*, item *clyſmate*, quæ hoc in caſu valde proficuo, addito ℈i. *ol. terebinth.* & ſi viſum fuerit *laxativo ex tartaro vitriolato* cum *ſcammonio ſulphurato & trochiſcis alhandal.*

In paroxyſmo. I. Succorum in primis viis *effervеſcentia*, indeque natus impetus febrilis, *præcipitantibus* appropriatis, cum *diaphoreticis compeſcatur*, verbi gratia, pulv. *ex arcano duplicato, antimonio diaphoretico, cinnabari nativa, &c.* quæ continuentur tamdiu, quamdiu ſymptomata febrilia adſunt.

(2) *Symptomata* circa præcordia appropriatis *volatilibus tollenda*, verbi gratia, *Spirit. ſalis armoniaci cum lumbicis terreſtribus*, item *ſpiritus tartari, cochleariæ*, cum *clyſſi miner.* uſu *volatilia* non uſurpentur, niſi præmiſſis fixis, acidum ſcorbuticum abſorbentibus.

(3) *Dolores leniantur & tumores* artuum reſolvantur, & *diſcutiantur* tam *internis* quàm *externis*, moderatè *anodynis*; *ſpirituoſa* externè bona quidem ſunt, ſed non omnes æquè ferunt, quoniam non rarò acidum quietum in motum concitando, paroxyſmum vel revocant vel exaſperant. Magis conducunt *paregorica blanda & lumbricalia.*

Extra paroxyſmum, declinante ſic paroxyſmo, propinandum *decoctum Strobilorum pini* cum ana cereviſ. & aqua communis additis ſub finem paſſulis, pro dyſcraſia ſcorbutica emendanda, artubus quoque novo balſamo inungendis, æquè ſale ſcorbutico præmuniendis.

Ad recidivam præcavendam *Cura lactea* ad tempus continuanda. NOTA lac uſurpandum.) 1 (Non niſi univerſalibus & ſpecificis præmiſſis. (2) Extra paroxyſmum, quando corpus apparenter in ſtatu ſano eſt. (3) Primis viis mundatis. (4) Stomacho adhuc calido (5) Inſtillatis aliquot guttis *ſpirit. ſalis armoniaci* vel *antiſcorbutici*. Hinc ſingulis menſibus *pillulæ aloëticæ glaſſianæ* ex ſubſtantia aloës mucilaginoſa, ſeparatâ reſinoſâ uſurpandæ ante cœnam, *extracto hellebori* ſpecificatæ, vel ſi ſucci viſcidiores adſint *Gummi ammoniaco* exaltatæ vide *Ludovicum de vol, tartari.*

Tandem *diureſis* non negligenda. Copioſior urinæ fluxus & largior ſudatio, imprimis mane, præſervativa podagricorum.

Ad arthriticam noſtram vocatus, cum eſſet guloſa, euſarca, *venæſectionem* inſtitui in brachio, cui aliàs erat adſueta, idque cum levamine.

Qua emiſſa propter ſymptomata præcordiorum præſcripſi *clyſma emolliens* cum *ſale tartari*, ſequenti die

℞. Arcan. duplic.
Antimon. diaphor. ana ℈j.
Laud. opiat, gr ij.
M. pro duabus doſibus.

Hinc ſudor copioſius erupit, cumque antea ſaltem crura dolore & tumore affecta eſſent, nunc brachia quoque tumere & dolere incipiunt. Continuavi hunc *pulverem* cum *decocto ſtrobilorum* pini cum *paſſulis*. Supervenebiant inſignes *paſſiones hyſtericæ* hinc ordinavi *clyſma.*

℞. Spec. pro decoct. carminat. Mynſ. ſal. tartar. ʒj.
Coqu. in aqua comm.
Colatur. ℞. ℥ix.
add. Elect. de bacc. laur. ℥j.
Ol. deſtill. ſuccin. ℈ß.
Vitell. ov. n. 1.
M. applicatum fuit cum levamine.

Internè omni bihorio accepit guttas 30. *liquoris C. C. ſuccinati*, quorum uſu paſſio hyſterica evanuit. Hinc pulveres modo laudatos uſurpare juſſi, ſed ne nauſeam excitarent, decoctum ſtrobilorum omiſi, & ſaltem in potu ordinario, cui *ſpiritus cochleariæ* inſtillatus uſurpare juſſi, item loco prioris ſequentem ordinavi.

℞. Antimon. diaphor.
Arcan. duplic. ana ℈j.

Cinabar.

Cinabar. antimon. gr.xv.

M. pro 2. doſibus, expectando blandum ſudorem.

Pro anxietate præcordiorum & lipothymia uſurpavi *ſpiritum carminativum de tribus cum ſpiritu cochl. ana mixtum*, doſ. gutt.30. bis, ter in die, & ſtatim levamen circa præcordia percepit.

Externè locis tumentibus impoſuit *lumbricos vivos*, donec moriebantur, ſenſibile cum levamine.

In fine morbi uſurpavit crebrò *ſpiritum ſalis armoniaci*, & ſic convaluit.

Superiori anno cum recidivaret malum poſt *venæſectionem*, præmiſſa *blanda laxatione*, acceſſum feci ad *ſpirit. ſalis armoniaci* quia aberat febris. *Externè* juſſi uſurpare *ſpirit. ſalis armoniaci cum calce viva parat. miſtum cum aqua articulari*. Sed nihil proderat, potius augebat malum. Hinc

♃. Gumm. tacahamac. ℥ß.
Empl. diaphoret. Mynſ. ℥j.
Malax. ſ. q. ol. tart. deſt.

induc. ſuper linteum applica articulis circa genu, manus, quod dolorem levabat.

FINIS.

MICH. ETTMÜLLERI
PHIL. ET MED. D.
DISSERTATIONES ACADEMICÆ.

DISSERTATIO I.
DE MEDICINA HIPPOCRATIS CHYMICA.

Q. D. B. V.

HERMETICORUM Chorus pleno gutture decantat ſuam *Tabulam Smaragdinam*, in qua omnis ſapientia, veraque Philoſophia mirâ brevitate deprehendatur, ita ut inſtar Lydii lapidis omninm Philoſophantium & ſit & eſſe debeat. Idque eò magis, quod totum Myſterium Sophorum, & glorioſiſſimum Lapidis Benedicti artificium in eadem depictum pariter ac deſcriptum reperiatur. Linquamus iiſdem hac vice Smaradignam Tabulam, ſuſpendendo hujus loco Cedrinam, in quâ *Divina* HIPPOCRATIS *Oracula*, cedro ſane immortali qui inſcribantur digniſſima, exarata conſpiciantur, qualia ſunt, quæ *Lib. de Priſcâ ſ. Veteri medicinâ* (*ſecundum Editionem Op. Hipp. Joh. Ant. v. d. Linden, quam etiam in ſequentibus allegat, retinebimus*) nobis reliquit, dicendo: *Nihil igitur utilius, neque magis neceſſarium, quam hæc cognoviſſe: quod & probè & convenienti ratiocinatione inveſtigantes, juxta hominis Naturam hæc primi inventores invenerunt, Judicaveruntque artem dignam, quæ DEO adſcriberetur, quemadmodum etiam eſt receptum. Non enim ſiccum neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque alind quicquam ex his putaverunt hominem lædere, neque aliquo horum homini opus eſſe opinati ſunt, ſed quod in unoquoque forte & humanâ Naturâ potentius eſt, quodque non poſſit ſuperare, hoc ipſum lædere duxerunt, & hoc auferre quæſiverunt. Fortiſſimum autem eſt inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum, & in omnibus adeò rebus vigor ipſe ac ſummum. Hæc enim & in homine eſſe viderunt, & hominem lædere. Ineſt enim in homine & amarum, & ſalſum & dulce & acidum, & acerbum & fluidum & alia infinita omnigenas facultates habentia copiamque & robur. Atque hæc quidem mixta ac inter ſe temperata, neque conſpicua ſunt, neque hominem lædunt. Vbi v. quod horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ſe ipſo fuerit, tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit.* De hac Hippocratica ſententia, cum Exercitii gratia quædam exarare ſit animus, faxit ſummus Archiater, ut fiat fœliciter.

CAPUT I.

Qualitatum Elementalium Hippocratica Correctio.

§. 1. UT cautos reddat ſuos filios *Hippocrates* in prudenti inſtituendâ prognoſi, *ſi quid in morbis divini inſit*, acutè perpendendum, accurateque pernoſcendum hortatur. Quod divinum quid ſit, ut intelligatur, Divino opus habet Oraculo, cum tot de eo ſint ſententiæ, quod interpretes id explicare aggreſſi ſunt, & ipſe *Hippocr.* vix alio in loco apertam prætereà mentionem ejus faciat. Sunt qui occultarum qualitatum ſeu totius ſubſtantiæ, ut vocant, morbos hic intelligunt: *alii* omne virus abditum & inſolens occultumque in morbis huc vocant: *alii* Ideam morbificam & ab eadem productos morbos Ideales ſ. archeales ſubſtituunt. In genere Divini Nomenclatura ab *Hippocrate* quibuſdam indita videtur morbis, vel quod ſingulari Superum potentia inducti videantur, vel quod eorum Natura obſcura nonniſi à Superis ſit dignoſcenda & curanda. Ob id ergo, quod ſint divini & obſcuri, adeóque ſublimioris conditionis, & non ſuperficiariam requirant conſiderationem, raram eorum facit mentionem, quin potius reliquos ex mani-

ſeſtioribus deducendos rationibus hinc inde, præprimis in aureo de *Veteri Medicinâ* libello, accuratè & perſpicuè pertractat.

§. 2. De his nota ſunt dogmata, longâ annorum ſerie in ſchola Galenica mutua interpretū ſubſcriptione confirmata, quod nempè corpus humanum ex quatuor elementorum miſtione compoſitum, ex primis horum qualitatibus certam obtineat temperiem, quatuor humoribus nutritiis elementis analogis ſuſtentatam: quibus vitiatis, non tantum varii excrementitii oriantur humores, non niſi elementaribus qualitatibus definiendi, ſed præterea læſa iſta naturali temperatura diverſi intemperiei reſultent morbi, quaternioni Elementorum ſimiliter ſuperſtructi: unde & remediorum vires non niſi per qualitatum elementarium varias graduationes determinantur, univerſaque ferè medendi methodus his circumſcribitur limitibus: ſi quid ſupereſt, his primis qualitatibus non declarabile, qualitatum occultarum vaſto inſcribitur Catalogo.

§ 3. De his quid judicandum, ingenuè nos informat *Hippocrates*, non tantum in procœmii loco ſuſpenſa *Tabula*, ſed præterea dum libr. *De Veteri Medicina* ita inchoat: *Quicunque de Medicinâ dicere aut ſcribere agreſſi, dicendi ſcopum ac fundamentum ſibi ipſis ſuppoſuerunt, calidum aut frigidum, aut humidum aut ſiccum, aut aliud quodcunque voluerint, rem in compendium contrahentes, principium cauſæ tum morborum, tum mortis hominibus idem, unum aut duo proponentes: hi in multis quidem quæ dicunt, manifeſtè erraſſe deprehenduntur: & ſ.27. no.30. ejuſdem libri*, pergit dicere, *frigiditatem & caliditatem ego omnium facultatum minimè potentes eſſe in corpore exiſtimo.* Adjungo his accuratiſſimum ſcientiarum reſtauratorem & augmentatorem *Franciſcum Baconem*, *Baronem de Verulamio*, (cujus veſtigiis tam feliciter ſui Conterranei Angli inſiſtunt, per accurata minimeque fallacia experimenta Naturam ad promovendam Medicinam arteſque Mechanicas, ſcrutantes:) qui quodam in loco apertè aſſerit: *Elementorum commentum, quod avidè à Medicis acceptum, quatuor complexionum, quatuor humorum, quatuor primarum qualitatum conjugationes poſt ſe traxit, tanquam malignum aliquod & infauſtum ſidus infinitam & medicinæ, nec non compluribus mechanicis rebus ſterilitatem attuliſſe.*

§.4. Pervetuſtum ſanè eſſe hoc dogma, quod auguſtum Naturæ palatium quatuor qualitatibus primis, ceu angularibus Lapidibus ſuperſtruit, minimèque gentium à Peripatetica tantummodò ſchola primò fundatum, quin potius Hippocratis tempore magno applauſu receptum fuiſſe, totus citatus tractatus de *Vet. Med.* unicè contra hoc dogma conſcriptus, teſtatur. Nam *Hipp.* tempore *Artaxerxis Longimani* centum aliquot annos ante *Alexandrum Magnum*, & ita etiam ante *Ariſtotelem* vivens, *Democrito* familiaris & amicus, ſine dubio hujus accurata Naturam interpretandi, crebris firmiſque experimentis; in quibus totus fuit Abderita, confirmata dogmata hauſit, iiſque innixus, vulgatam tunc temporis elementarium qualitatum doctrinam ceu Medicinæ aut non ſufficientem, aut inutilem rejecit, & atomorum variè conformatarum corpora componentium, indeque ortarum ſenſualium qualitatum & aliarum proprietatum, beneficio, tam Macro quam in ſpecie microcoſmi mirabilia expoſuit, cum ex hoc Abderitano lumine præter ſcholam *Epicuream* tam *Carteſii Materialis*, quam Modernorum quorundam *Corpuſcularis* Philoſophia primos ſuos radios hauſiſſe quodammodo videantur. *Ariſtoteles* v. Elementorum iſtam & qualitativam hypotheſin, à majoribus traditam, in ſpecie ex *Ocello Lucano* exceptam poſteris ceu ſuam propoſuit, & quantum poſſibile antiquos Philoſophos oppreſſit, utpotè qui ſecundùm *Illuſtr. Verulamium d. augment. ſcient. l.3. pag.228. More Ottomanorum regnare ſe haud tutò poſſe putaret, niſi fratres ſuos contrucidaſſet.* Hujus poſtmodum tam à *Galeno*, quam tunc in ſequentibus *Arabibus* arrepta Philoſophia, in Medicorum ſcholas, neglectis limpidis Hippocraticis fontibus derivata & copioſa Commentariorum fœtura multiplicata fuit.

§.5. Cæterum tota Phyſica Peripatetica ſpecialis, & huic à Galeno ſuperſtructa Medicina ex eo natare videtur, quod quaternio iſte Elementorum, nunquam & à nemine adhuc vel ulla aperta ratione demonſtratus, vel certa quadam experientia confirmatus fuerit: quin potius Natura rerum ubique ipſi repugnare videatur, ut hoc ſufficienter declarant *Dominus Boyle in Chymiſta Sceptito*, & *Helmontius* hinc inde in ſuis ſcriptis: in ſpecie *Tr. Miſt. & Compl. Elem. Figm.* Et hoc ipſum curioſioribus ingeniis primùm ſubminiſtravit calcar, informandi vulgatam de Natura rerum doctrinam, & vel antiquam *Democriteam & Epicuream*, vel *Hermeticam* dictam reſuſcitare Philoſophiam, v. novam quandam per experimenta ab ipſa Natura ejuſque æmula Arte ſubminiſtrata, illam interpretandi inveſtigare rationem. Nam quatuor iſtas primas quod attinet qualitates, hæ ipſæ non ſecus ac cæteræ, ſecundæ aut tertiæ appellatæ, modi ſaltem ſunt materiæ ex ejus particulis corpora componentibus variè conformatis & contextis, & diverſimodè motis reſultantes. De quo vid. *Boylei lib. de Origine Formar. & qualit.* anglicè conſcriptus.

§.6. Non rejicit verò ex toto *Hipp.* has ipſas qualitates, aut tanquam inermes contemnit, utpotè cum ubique in ſuis ſcriptis eaſdem adducat, ſed tantum ceu minus efficaces eas conſiderat, & non ſufficientes, ut ab iiſdem inſigniter corporis machina alteretur, adeoque Medico convenientem medendi rationem ſubminiſtrent: quin potius iiſdem ſemper potentiorem facultatem annexam aſſerit, à qua imprimis activitas & energia promanet, cui alia ex primis inſtar pediſſequæ adhæreat: *Non enim propter calidum ſimpliciter homines febricitant, ſed eſt amarum & calidum idem, & calidum, ac acidum & ſalſum ac calidum, & alia infinita, & rurſus frigidum cum aliis facultatibus conjunctum. Hæc itaque ſunt quæ lædunt: ſi ſimul adeſt a. calidum robore participans, nimirum ducens, & exacerbans, & augens ſimul cum illis, verum nullam potentiam majorem quam convenit videlicet, habens cit. loc. p.30.* Terunt preſſo pede hac in parte Divini Senis veſtigia *Paracelſiſtæ & Helmontiſtæ* qualitates iſtas primas relollæas vocantes, i. e. non procedentes immediatè ex fermentis & ſeminibus rerum. Unde etiam fermentis & fermentationibus tranſmutationum autoribus tribuuntur ea munia, quæ calori alias fuere adſcripta, cum hic non effectivè ſed tantum diſpoſitivè operetur.

§.7. Rationes autem quas profert *Hipp.* ut inſufficientiæ arguat iſtam qualitatum Elementalium hypotheſim, *cit. libr.* conſcriptæ, & ex obſervationibus quotidiano uſu obviis hauſtæ, (paucis ut repetam eas) ſunt ferè ſequentes: 1. *à Diæta ſ.22. ſ.23.* quod alimenta, v. g. triticum, caro, aqua, vel inordinatè ingeſta, vel non ritè præparata aut alias mutata, nos denuò ſanent ſine ulla per qualitates elementares inducta aut ſublata alteratione. De quo plura infra. 2. *Ab autoritate majorum ſ.24. & 21.* novum modum artem medicam quærendi eſſe, ex elementaribus qualitatibus: primos enim artis inventores has ipſas rejeciſſe vires, & potius ſapores, tanquam morborum autores obſervaſſe. 3. *Ab alimentis medicamentoſis ſ.25. 26.* Nam alimenta temperata eſſe, quæ nos nutriant, & corpus ſanum conſervent: ſin vero nos alterent alimenta nonnulla, hoc ab ipſis fieri, non quatenus calida aut humida, &c. licet tales proprietates attribuantur iiſdem à quibuſdam, ſed quatenus ſint amara, ſalſa, acida &c. 4. *à methodo medendi ſ.27.* Curam nullam fieri per calidum

dum aut frigidum ſimpliciter, cum multa ſint calida licet diverſiſſimarum virtutum : quædam ſcil. calida acerba, calida tenuia, aliaſque ſubcontrarias vires ſibi ipſis habentia : cum autem his indiſcriminatim adhibitis , contrarii ſequantur effectus, neceſſe eſſe , ut potius ad vires adjunctas calido , quam ad ipſum calidum reſpiciatur. 5. *à ſubitâ permutatione unius extremi in alterum , iſtarum qualitatum.* ſ.28. & 29. ſive à frigore in calorem, ſ. à calore in frigus , tam in vita communi , per mutationem loci & veſtimentorum, quam in febribus, in quibus extremis rigoribus , accutiſſima febris ſubitò ſuccedat. : & poſt ſudores adeo ſubitò ægrum denuò frigere , ac ſi nunquam febricitaſſet. *Cui igitur*, inquit , *brevi adeò contrarium accedit , cuique vis adimitur ſuâ ſponte , quidnam ab hoc magnum aut grave fiat ? aut quid opus eſt multo auxilio ?* 6. *A duratione morborum* ſ.30. cum qualitates iſtæ ſint adeò facilè mutabiles , in quibuſdam v. morbis, febribus ardentibus , peripneumoniis , &c. calor ſæpè ſit diuturnus , eo ipſo non ſolum eſſe calidum, ſed amarum & calidum idem , & calidum & acidum, & ſalſum & calidum, & alia infinita. 7. *A defluxionibus* ſ.31. 32. 33. in quibus æger malè ſe habeat, quamdiu materia ſit acris, quam calores & ardores, febriſque inſequantur, temperata verò materia acri, & inſpiſſata nimis tenui,idque ex ſola permiſtione,& ægrum ſanari, & calorem ſpontè ceſſare. 8. *A nocentibus* ſ.34. humores peccantes eſſe tales, ratione ſaporum , qualis v. g. bilis flava ſit ratione amaritudinis : bilis v. æruginoſa ſit adeo anxioſa ratione acrimoniæ. 9. *A coctione & cruditate* ſ.35. humores ſcil. concoqui & alterari per omnigenas ſpecies, à quo ratio Criſium dependeat ; hoc aut calidum aut frigidum perpeti. i. e. coqui nunquam contingere.

§.8. Sed ut pergamus in examine dogmatis vulgati ; viſcerum quod ſpectat temperiem vitalem , hæc tota dependet à ſanguine, ſpirituque vitali, qui æqualiter per ſua vaſa juſtitia diſtributiva in partes effuſus & circulatus, ipſis debitam largitur temperiem : unde eodem æſtuante in Cauſo , & totum corpus ardet , eodem vero in ſenibus deferveſcente , totum corpus ſimiliter tepet : unde & viperarum corpus ad tactum friget , cùm ſanguis eorum & cor actu in iis vigentibus frigeant , non minus quam in ranis aut piſcibus. Quid verò per temperamentum revera intelligendum veniat , malo verbis *J. M. Marci* declarare, qui *in Philoſ. vet. reſtituta* pag.2. ſ.4. pag.133. ita inquit : *per temperamentum intellige non qualitates primas , aut harum ſymmetriam , verum conſtitutionem cujuſque radicalem , ex qua veluti effectus , procedunt dictæ qualitates : cujus potiſſima vis in ſanguine : qui eſt proximum ſubjectum animæ & primum vivens. Cujus gratia corpus univerſum videtur factum , vitamque ex eo participare : humidum verò radicale , aut ſanguis eſt, ut vult Harvejus , aut certè in eo radicatur : & corpus ſanguine deſtitutum confeſtim friget , nihilque manet in eo de temperamento , &c.* Ineſt ſcil. omnibus miſtis ſua determinata Craſis, in ſemine radicata & in corpus inde genitum neceſſitate ſeminali , qua ſemina omnes ſuas energias in productis explicant , & hæc rurſus ea in nova ſemina concentrant , propagata: hujus enim medio corporum tam in ſpecie , quam in individuo mirandæ *idioſyncraſiæ* per generationem multiplicantur , ex elementis earumque qualitatibus nullatenus explicandæ , utut primariam Craſeos ſeu temperamenti partem conſtituant. Prout E. radicalis iſta ſanguinis & ſpiritus variat Craſis, (cujus ratio ex certa particularum materialium imprimis ſalinarum, corpora ex ſeminum directione componentium habitudine, & textura , indeque mutua activitate dependet ,) etiam variat animalium Natura , ipſaque temperies.

§.9. Sanguis E. proportionaliter diſtributus in partes , proportionatum quoque calorem aliaſque nobis apparentes qualitates iis impertit : unde facilè patet , quid habendum de decantata iſta intemperie viſcerum inæquali, nempè ventriculi frigida, & hepatis calida ; ex qua tanquam *Pandoræ* infauſta pyxide tot contumaces affectus v. gr. cruditates, ructus acidi, flatus & tormina , Cachexiæ , Catarrhi , & tantum non omnes morbi chronici ſurgere dicuntur. De hac apertè pronunciat *Job. Ant. v. de Linden* , *in Colleg. MSto, in Hartmanni Prax. Chymiat.* c.124. *Hoc mera eſt fabula ; partes non habent calorem ex ſe , ſed ex ſanguine hunc accipiunt , qualis enim ſanguis eſt, talis quoque eſt calor in parte : quomodo E. idem calor, qui hepar calefacit, poteſt ventriculum frigefacere ? dein ſi hepar ſit calidum, quomodo ventriculo incumbens, non calefacit eum, ſed refrigerat ?*

§.10. Ut quod probabilius videtur , proponamus, revera in tali caſu intemperiei putatæ inæqualis , tota mali radix plantata eſt in ſtomachi cavo , cujus ſuccus fermentativus nimis acidus & fixus , minuſque volatilis, cum copioſo muco viſcido ex βραδυπεψία coacervato junctus , & ſtomachi inflationem , & ructus acidos, & vomitus ſimiles , & tormina inteſtinorum , & phlogoſes aliaſque ſymptomatum myriades producit, quatenus primam alimentorum digeſtionem pernicioſè depravat ; eaque in liquamen acidum & viſcidum corrumpit loco ejus , quod in ſubdulcem ſeu ſalſum volatilem, aut ſaltem moderatè acido volatilem tranſmutare debeat cremorem. Unde & in tali caſu , indeque conſecutivè ortis affectibus , præter vomitoria proſunt ea, quæ *vel acidum abſorbent* , ut Saturnina & Martialia , item fixa antimonialia , ut & ex animalibus cornua & oſſa , eorumque coagulata lapidea : *vel quæ idem temperant* , & ſenſim denuo volatiliſant, qualia ſunt vegetabilia guſtu acria , ut allia & porrum, ab *Hippoc.* acida eructantibus commendata ; & antiſcorbutica , quæ ſale volat. acri turgida æſtimantur, item aromatica , aut revera talia aut his affinia, v. g. mentha, acorus , abſinthium ſale volat. oleoſo temperato dotata. *Hippocr.* quod attinet , nullibi talis inæqualis intemperiei meminit, ſed iſta ſymptomata ceu ex cruditate ſtomachi oriunda exponit *l. de affection.* ſ.44. *n.*14. & 15. & ſpecialiter *l.*3. *de diatâ* ſ.20. 21. & 22. apertè deducit , quomodo à cruditate hac ſtomachi acida quamplurimi affectus in ſpecie Cachexiæ & Anaſarcæ dependeant.

CAPUT II.

Facultatum Salinarum Hippocratica aſſertio.

§.1. NOn *ſiccum , neque humidum , neque calidum neque frigidum , neque aliud quid ex his: hominem magnoperè lædere,* hactenus nos docuit *Divinus* noſter *Cous* ſ.24. *ſed econtra ineſt in homine & lædit, & amarum & ſalſum, & dulce, & acidum , & acerbum, & fluidum & alia infinita , omnigenas facultates habentia copiamque & robur.* Mirum ſanè quam apertè hic loquatur *Hippocrates*, & quam formidoloſum exercitum in campum educat, ita, ut μυρία (quod vulgò infinita vertunt, Foëſius vero numerum determinatum pro indeterminato ſumens, ſexcenta, Junius decem millia interpretatur:) talia contra nos armet , & hæc ipſa ſ.27. *c. l. tum in homine , tum extra hominem , ſive edantur ſ. bibantur, ſ. foriſecus illinantur, & quomodocunque formata adhibeantur.* En totam *Hippocratis* Pathologiam Medicam ; quam non recentem aut novam , indeque quibuſdam futuram nauſeoſam, ſed ut ipſe *cit. loc.* fatetur, *à primis artis inventoribus acceptam*, graphicè tanquam in ſynopſi nobis delineat.

§.2. Ineſſe verò in nobis tales ſapores & facultates , experientia tam quoad *aſſumpta* , quam quoad *retenta & excreta* ubertim confirmat. Panis Secali-

nus, quo nullum frequentius eſt alimentum, his Facultatibus Hippocraticis turget: moderato igne enim fundit ſpiritum acidum volatilem (cum quo etiam aliquantulum ſalis vol. in rectificatione unà aſcendiſſe, apud amicum me vidiſſe memini) brevi temporis ſpatio, abſque Vulcani adjumento, aut Veneris aut Martis tincturas, aut Corallorum aut hæmatitis ſolvens & extrahens, & in nonnulla corpora mineralia potentius ferè agens, ipſa aq. forti. Præter panem aſſumimus acida, amara, acria, aromatica, dulcia, inſipida, acerba, ſalſa, &c. eaque variis ſalibus imprægnata, quæ utut ſub ſtomachi digeſtione, in homogeneam quoad ſenſum ſalſam aut acidulam abeunt maſſam, retinent tamen adhuc nonnulla ſuæ craſeos veſtigia, quod effectus medicamentoſi talium alimentorum non raro confirmant. Diſſolvuntur hæc aſſumpta in ſtomacho à ſucco ſalino ſæpius acido, teſte namque experientia, omnia aſſumpta etiam ſaccharum & mel, primum in ſtomacho aceſcunt, quod tam ructus, quam legitimo tempore provocatus vomitus, antequam ſcilicet alimenta per fermentationem in Chylum transmutata fuerint, manifeſtant. Quam fermentationem non modernorum ſaltim inventum, d. jam *Hippocrati* cognitam fuiſſe, palam eſt *ex ſ. 20. libr. de Vet. Med.* ubi ita diſſerit; *Et ſanè puto his, qui cibum ſumere conſueverunt, quod non expectaverunt tempus juſtum, donec ipſorum venter pridie ingeſtos cibos perfecte conſumpſiſſet, & exſuperaſſet, evacuatusque eſſet, & quieviſſet, ſed in ferventem adhuc & fermentatum novos ingeſſerunt, &c.* Hinc ſimili menſtruo acido volatili chylum artificialem ex alimentis in vitro producere novit *Tachenius* in ſuo *Hipp. Chym. c.13. p.78.* & *Boyle* menſtruo ex vitriolo artificioſè parato, idem perficit, *Uſefulneſſe of Experim. Philoſ. p.2. p.20.* Acri vero nimis reddito hoc ſucco, appetentia canina exſurgit, in qua copioſa acida vomitu rejecta, affectum aut leniunt, aut tollunt, ſicut pinguia in tali caſu, acorem vitioſum obtundunt, aut fixa terrea eundem abſorbent. Balſamicus bilis ſapor amarus inſigniter omnibus notus. Pancreatica lympha, nunc ſubacida, nunc ſalſa deprehenditur, ita tamen acris, ut anno & quod excurrit elapſo in Anatome publica mulieris decollatæ ſanæ, intruſus ſtylus argenteus in ejus canalem, & ibidem aliam ob cauſam ad aliquot horas relictus, colore intensè cæruleo ex corroſione inchoata, tinctus extractus fuerit, tinctura ipſi pertinaciter adhærente. Reliqua lympha, lymphaticis comprehenſa vaſis, utplurimum ſubacida, inſtar diluti citri ſucci guſtatur. Chylus, ejusque frater germanus lac dulceſcunt, ſicut & ipſe ſanguis, qui tamen ſale volatili copioſiſſimè turget. Urina ſalſa eſt, i. e. acido & alcali volatilibus in ſalſum volatile junctis, fœta: cujus ſpiritus non adeò violento paratus igne, crudum cupri corpus in tincturam intenſè cæruleam ſolvere valet: Inſenſilis tranſpiratio, & ſenſilis pedum ſudatio, ſalſa eſt adeò, ut Orichalci limaturam calceis impoſitam, in viridem Crocum diſſolvere valeat.

§.3. Aſt quam exceſſivos ſapores morboſo in ſtatu non raro contrahunt hi ſucci? Vomitus ſæpè inſigniter amaricantes, non raro auſteri, dentibus ſtuporem inferentes, moleſtant ægros. Scorbuti & hypochondriaci, tam corroſivos rejiciunt per gulam liquores, ut præter hujus & faucium doloroſam excoriationem pelvim æneam item argenteam ærugine obducant: ipſum horum ſanguinem hæmorrhagia narium rejectum, adeò acrem, ut lintea quibus exceptus fuerit, eroſerit, obſervavit *Doringius de Med. & Med. p.109.* (ſimilem vim corroſivam linteorum Lunari Mulierum Tributo etiam aſſignat *Helmont. cit. tract.*) unde & horum Urina obſervata fuit interdum adeo acris, ut paulò diutius in matula vitrea detenta, eam corroſerit, & nonnihil abſumpſerit, utut fortiſſimis menſtruis, vitri compages reſiſtat. Quam facultatem diſſolvendi non obtinet interdum ſtomachi menſtruum, dum præter gallinas *Helmontii*, in quibuſdam gulonibus & vitra obterat, & conſumat, item coria, teſtas, ligna, carbones, &c. exempla vid. in *Amato Luſitano cent.2. cur. 69. Schol. it. in Sennerti Paralipom.* Non minus rarum eſt quod refert *Boyle ſupra cit. tract. p.86.* de milite lapides & fruſtula horum devorante & ita conſumente, ut alvi excreta arenoſa exinde fuerint rejecta, lapidibus in ſtomacho in arenulas reſolutis. Notum alias eſt omnibus, duram ferri limati compagem in hypochondriacis aut etiam Virginibus cacheticis non ſine ſanitatis optatæ emolumento diſſolvi: quin & numiſmata ænea deglutita, attrita prius & nonnihil conſumpta per inferius guttur reddita tandem fuerunt, teſte *Amato Luſit. c. l. & Kerckringio in ſpicileg. Obſervat. Anatom. Obſ.1.* Urinæ ſalſedo in acidum p. n. mutata in ſtranguriis & dyſuriis ſufficienter ſe monſtrat. Sudores ſæpiſſimè (quod in declinatione Tertianæ cum arthritide vaga conjunctæ aliquando obſervavi) inſigni acore ſunt tincti, unde præter moleſtum & manifeſtum acidum odorem, & cutis intenſum pruritum, & cuticulæ eroſionem inferunt. Ulcerum corroſiva & acida ſanies, quas non torturas ægris multiplicat? quæ oſſium robur in cariem eadem erodendo, infirmat: imò argentea etiam & ferrea Chirurgorum inſtrumenta levi contactu non raro diſſolvere inchoat, hincque indelebili macula eadem inquinat. Quid cancrum memorem, teneram mamillarum corroſivo ſuo Sale, arſenico autem quibuſdam comparato, exedentem ſubſtantiam? Puſtulæ cutaneæ & ipſæ non carent vitioſo tali ſapore. Patavii familiariſſimus mihi erat Juvenis, & ipſe Germanus, ſcabie inferiorum imprimis partium circa genua vehementer afflictus, cujus pruriginoſa ulcuſcula ſcalpendo aperta, liquorem ſeroſum odoris apertiſſimè acidi inſtar ſubtilis cujuſdam & penetrantis aceti fundebant. Saliva naturaliter ferè eſt inſipida, quæ tamen in ſcorbuticis corroſivo acuata ſale gingivas manifeſtò depopulatur, & dentium oſſa erodit: vidi adoleſcentem ſcorbuticum, qui matutinis horis jejunus adhuc adeò acrem ſanguinolentam in chartam duplicem firmam expuebat ſalivam, ut hæc exinde brevi eroderetur. Hanc ipſam Icterici, & multi febricitantes amarore moleſto inquinatam percipiunt, quæ in hydropicis nimis ſalſa guſtatur. Catarrhales denique affectus, ex lympha nimis acri, ſive per nares ſive per oculos moveatur, oriri, unde interdum iſtarum partium ulcerationes ſequantur, fatetur *Hippocrates* noſter *c. l. ſ. 31. & 32.*

§.4. Meritò ergo *Hippocrates*, manifeſtaturus & ſtatus pacati & turbati Reipublicæ Microcoſmicæ autores, (in tali caſu, ubi nihil *divini* ſe immiſcet,) ſub ſaporum notionibus eos nobis declarat, idque propterea, ut (cum in præfatis qualitatibus guſtabilibus profundior & potentior plerumque lateat dynamis,) iis quaſi manu nos ducat, ad inveſtigandas occultas ſalium proprietates & energias, cum ſalia ſub ſaporum forma præprimis ſe nobis manifeſtent. Licet enim affirmare nequeam, ex ſolis ſalinis particulis ſapores dependere, hoc tamen certum eſt, vix corpus eſſe magis ſapidum, quàm Salinæ quod eſt proſapiæ, ipſaque ſalia nullum organum ſenſitivum potentius afficere, quam guſtui quod inſervit, & pro ſalinarum imprimis particularum mutatione, & diverſa cum aliis textura, ſapores ſpecialius variare. Ignis ergò Spagyricus eſt conſulendus, qui in manu artificis & alterat varie, & etiam reſolvit concreta naturalia. Sed cauto hic opus eſt, ne Chymicorum ingredientes laboratoria, ab incondita Salium, Sulphurum & Mercuriorum turba, inſtar veſpertilionum in tenebris circum volitante obruamur, utpote ex confuſo Paracelſi Chao mentali excluſa. In genere duo ſe offerunt ſalia quaſi fundamentalia, (quæ ab uno ſummo ſale primitus oriri, ſunt qui exiſtimant,) acidi & alcali ſ. urinoſi quæ veniunt nominibus, ex quorum mutua conjunctione tertium ſalſum emergit, neutrum ex iſtis, de utroque tamen

participans,

participans. Sub hoc genere infinita ſpecialium Salium ſe offert varietas; nam *acidum* aliud eſt ferri, aliud auri, aliud Vitrioli, aliud nitri, aliud aceti, aliud ligni quercini, &c. *alcali* contra, aliud *fixum*, aliud *volatile*, aliud *animalium*, v. g. lumbricorum, cancrorum, cervi, hirci, urinæ, oſſium fellis; aliud *vegetabilium*, ſaporis *aromatici*, ut fœniculi, menthæ, *acris*, cochleariæ, ſinapi, *amari*, abſynthii, gentianæ, chelidonii, *adſtringentis*, gallæ, malicorii, *inſipidi*, ſempervivi, ſolani, &c. ſed quis finem inveniret, qui omnia hæc diſtinctè enarrare vellet, nam & *Hippocr.* ſexcenta nimis anguſta videntur. Plura qui vult, adeat *Tachenium in Hipp. Chym.* & ejus *Clave Zuvolferum*, in append. ad Animadv. p.71. & ſeq. & videat ea, quæ *Suvalbe* de acido & alcali conſcripſit.

§.5. Conſiderandum modò ulterius venit, quod omnis ſalium potentia ex eo radicaliter dependeat, quod alcalia & acida ubicunque ſibi (medio inprimis aqueo vel fluido) occurrerint, tanquam contraria in ſe invicem agere, ſeſe contemperare, deſtruere & tandem arcta concordiæ unione ſeſe in ſal tertium conjungere ſatagant. Prout verò diverſus eſt ſalium ſtatus, dum ea rarò pura aut ſolitaria, quin potius ſemper aliis concretorum particulis intermiſta exiſtunt, etiam effectus reciprocæ iſtius actionis & mutui concurſus eſt varius: Nunc enim *efferveſcentiam* impetuoſam cum bullis & ſtrepitu, & inſigni non rarò incaleſcentia, ubi eadem ſunt acriora, nunc verò *fermentationem*, ubi eadem adhæſione aliarum particularum materialium ſunt temperata, nunc *coagulationem* & novorum concretorum productionem, ubi mutuo amplexu alia ſimul adhærentia ſibi uniunt, nunc *ſeparationem* ſeu præcipitationem rerum non benè cum iis unibilium producunt. In genere ex ſalibus iſtis cum aliis particulis materialibus diverſimodè concurrentibus, junctis, ſeparatis, variè ſituatis & contextis, &c. non tantum ipſa eorum varietas, & Protei inſtar mutabilis facies, ſed omnes ferè inſigniores in natura alterationes, forſan etiam generationes & corruptiones proficiſcuntur, quas ſpecialiter excutere, non eſt hujus loci.

§.6. Quod ſi ulterius rationem iſtius mutuæ ſalium in ſe actionis, indeque adeò diverſorum Naturæ inde ſurgentium phœnomenon inveſtigare velis, in promtu erunt conditiones minutorum corpuſculorum, ſeu particularum ſalinarum mechanicæ, in ſpecie determinatæ eorum figuræ, & texturæ, magnitudines & inde exſurgentes diverſæ motiones: iſtæ enim ſunt tales, ut acidum & alcali ex figuræ & texturæ proportione certo modo ſibi adhærere, & mutuo amplexu ſe continere queant: antequam verò ad debitum unionis ſitum perveniunt, medio fluido, cujus particulæ ſunt in continuo motu, permiſta, unum impingit in alterum, hoc trudit, iſtud repellit, acidum rodit alcali, hoc abſorbet acidum, idque tamdiu, donec diuturna affrictione & hinc inde contorſione in legitimo ſitu unita firmiter ſibi adhæreant. & ita figuræ & texturæ mutatione in ſalſum abeant, aliaſque concretorum alterationes (ratione aliarum particularum una concurrentium, & vel ſimul connexarum, vel ſeparatarum vel translocatarum,) inferant: Qua texturæ ipſorum ſalium mutatione, & ipſa variè exaſperantur, mitigantur, alterantur, & ita infinita iſta *Hippocr.* conſtituunt. Sic enim oleum acidum vitrioli, cum oleo Tartari urinoſo mutua texturæ mutatione vel ſalſum leviter vel inſipidum tertium producunt. Sic ex alcali fixo cum ſilicibus calcinatis in ignis vehementi tortura per violentum & continuum particularum motum, ob mutatam earum texturam, novum & plane mirabile ens nempè vitrum producitur, cui ſimile Natura nullibi, niſi in lapidibus pretioſis conſtituit. Sic mutatione figuræ & texturæ particularum materialium Sal commune nudis in igne fuſionibus, in aqua ſolutionibus & coagulationibus repetitis, in terram inſipidam abit, teſte *Borrichio*; *de ortu & progreſſ. Chym.* p.82. Sic oleum Sulphuris vel Spir. Vitrioli, ſali communi vel Nitro affuſus, mutatione certa utriuſque texturæ dat Sal iſtud mirabile ſeu enixum *Glauberi*, quod figit & ſolvit, & ex Sale comm. paratum reſerabit clauſtra auri aliorumque ſubjectorum ſulphureorum, ex nitro verò Lunæ. Sic alcalia vegetabilium volatilia ſub ignis tortura concurrendo cum Sulphure concreti, in quo latet acidum, & mutando texturam, abeunt in Sal fixum ſalſum, quod fortiori concrematione & in igne fuſione abit tandem in perfectum alcali. Sic aqua fortis nuda texturæ ejus per Sal comm. vel ſal armoniacum additum mutatione, aurum ſolvit, & Lunam anteà amicam ſpernit. Nam in hoc menſtruorum conſiſtit diverſitas & ſimul etiam poteſtas, ut correſpondeant particularum ſuarum figuris, poris & meatibus corporis ſolvendi, & particulis ſolutis. Unde Alcaheſticum menſtruum ob ſummam penetrantiam & ſubtilitatem quaqua verſus penetrat, & omnia diſſolvit, teſte præter *Helmontium* experto *Starckey Pyrotechn. c.9. 10. & 11. & ſeq.* item *Bechero in Phyſ. ſubterran. l.1. ſ.3. c.4.* Hinc nihil repugnat dari etiam menſtrua inſipida, modo ita ſint conſtituta, ut v. g. auri poris exactè reſpondeant, iiſque ſe ſubtiliter & promptè inſinuent. Nam nihil impedit, corroſiviſſima mutata textura inſipida fieri, ſicut econtra teſte *Bechero Phyſ. ſubterran. l.1 ſ.5. c.2.* §.23. ipſa communis aqua multoties deſtillata & rarefacta, ita corroſiva redditur, ut metalla ſolvat: quæ aqua alia ſub præparatione in acetum tranſit, teſte *Helmontio tr.6. pl. dig. alim.* § 59. *Laurenbergius* ſanè aſſerit, ſe talem vidiſſe aquam ſeu liquorem, in qua aurum ſine ulla corroſivitate liqueſcat, inſtar glaciei in aqua calida: *aph.5. contra Salam.*

§.7. Per tales ſalinas facultates adeò potentes in adminiſtrandis Naturæ negotiis, definiendas eſſe cauſarum morbificarum energias, ſub ſaporum ceu per ſe notiſſimorum forma, inculcat *Hippocrates.* Ob id bilem flavam nomine amari deſignat, acutam vero & acrem bilem æruginoſam definit, *lib. cit. ſ.34.* generationem v. illius deſcripturus *l.4. de morb. ſ.8. n.3.* ita diſſerit. *Poſtquam comedit & bibit homo aliquid amari, quodque alias bilioſum & leve eſt, copioſior bilis fit in hepate:* & ita *per amarum & leve* ſ. volatile, ut hodierna loquendi fert conſuetudo, bilis naturam determinat. Non enim calidum aut ſiccum eſt, quod præpollet in bile, ignea ob id vulgò appellata, ſed acre amarum i. e. alcali inſigniter volatile, temperatum tamen Sulphure ſ. oleo, in ſeipſo, rubro: ut prioris beneficio chylum balſamico imbuat vigore, ſimulque acorem ejus volatilem à ſtomachi digeſtione nonnunquam ſuperſtitem, in perfectum Salſum volatile tranſmutet, poſterioris vero ratione Tinctura Sulphuris inviſibili eum tingat, pro futura ſanguificatione. Flava bilis ſic dicta excrementitia, cruditatem ſtomachi nidoroſam, & ità neque calorem neque frigus, ſed alimentorum corruptionem ex nimio pinguium & ſimilium ſuccum ſtomachi hebetantium & depravantium, ejuſque ſalinam vim enervantium uſu naſcentem. Æruginoſa bilis acris & acuta, aut ex alimentis in ſtomacho vitioſo acore depravatis, aut ex vitioſè acido pancreatis ſucco perverſam efferveſcentiam cum bilis ſale vol. oleoſo in inteſtinis excitantibus, originem ducit, nam & ſpiritibus vitrioli, bili ex veſicula eductæ admiſtus, colorem ex atro vireſcentem producit, teſte *Gravio diſſ. de ſucco pancreat.* §.147. unde & talia æruginoſa infantibus ſunt familiaria, ex lacte corrupto & aceſcente enata, quæ poſt moleſta ab acido nimio tormina rejecta, & acidum manifeſto ſpirant, & acidum abſorbentibus v. g. ocul. Cancror. ebor. a. C. C. uſto, it. creta, ſem. aniſi & ſimilibus curantur. Talia æruginoſa ab hypochondriacis ſuperius rejecta, & manifeſto linguæ acore dentes ſtupefaciunt, & adjuncta auſteritate, fauces & gulam fortiter adſtringunt. His adjunctæ ventris murmurationes, flatulenti borborygmi,

borygmi, & inteſtinorum convulſivi dolores, efferveſcentiæ illius p. n. in inteſtinis inſeparabiles ſunt comites.

§.8. A bile ad ſuccum melancholicum deflecto, qui vulgò frigidus, ſiccus, & ob id terreſtris ſtatuitur. Sed ut taceam, nullitatem talis ſucci (prout vulgò quidem explicari ſolet) ſufficienter eſſe demonſtratam à *Coringio tr. de ſanguin. generat. & mot. c.12. 13. 14.* certè ea, quæ de hoc humore obſcurè dicuntur, perſpicue per acidum, item acerbum in corpore noſtro ſecundum *Hippocr.* reperibile, explicantur: ſive ſit ſuccus fermentativus ſtomachi nimis acidus, ſive ſuccus pancreaticus nimis auſterus, ſive lympha nimis acida, ſive in particularibus membris, ex corruptione alimenti proximi talis acor peregrinus v. gr. in ulceribus & abſceſſibus generetur. Ob id convenienter admodum, aceto comparat melancholiam *Sennertus lib.2. de febr. c.20.* manuductore tamen noſtro *Hippocrate*, qui verè chymicè *lib. de Vict. acutor. ſ.28.* diſſerit: *aciditates ex aceto, amarâ bile abundantibus magis conferunt, quam atrabilariis: amara enim diſſolvuntur: & in pituitam tranſeunt, dum ab ipſo attolluntur,* (i. e. ut terminis uſitatis explicetur, acida præcipitant alcali volatile in bile, & ſimul tranſmutantur efferveſcendo, quod forſan attolli vocat *Hipp.* in tertium ſalſum vel omnino inſipidum, inſtar pituitæ aquoſæ ſeu inſipidæ:) *Nigræ verò fermentantur & attolluntur, ac multiplicantur: acetum enim nigra ſurſum ducit, vel interprete Sennerto L.2. de febr. c.20. p.296. nigra exaltat:* i. e. nigra ſeu melancholica aut atrabilaria, quæ bili amaræ opponit *Hipp.* ab aceto augmentantur, & in ſua qualitate nociva per fermentationem, acriora & volatiliora facta, exaltantur. Exaltatione iſta acidi generatur bilis, quam vulgo vocant atram, acris admodum & corroſiva ex acidi in gradu & volatilitate augmento nata, furia corporis peſſima, nam & lenia ſpernit remedia, & validioribus in deterius ruit. Conſideremus pro exemplo cancrum exulceratum, ab omnibus ab atra bile derivatum, hujus acidum & volatile fermentum inſtar aquæ chryſulcæ corroſivum ſe monſtrat, corrodendo & depaſcendo vicinas partes: hic acor uti medicamentis Saturninis, quæ acidum abſorbent & dulceſcere faciunt, aliquantiſper miteſcit, ita contraria mitiora alcalia ſpernit, à validioribus vero & acrioribus, propter ſubitam efferveſcentiam & hinc vicinæ partis colliquationem, plurimum exacerbatur, ſupervenientibus febre & totius ardore, partis ulceratæ horrendo dolore, ſimilibuſque ægrorum tormentis. Imò verò vulgaria ulcera, acrioribus paulò tractata in cancroſas malignitates ſimiliter degenerant, exaſperato & volatiliſato eorum fermento.

§.9 Paracelſiſtarum Idolum Tartarus Microcoſmicus, propter aliqualem ſimilitudinem cum propriè ſic dicto Tartaro Bacchi filio, ab acore vini propria fœce ſaturato, & cum eadem in Sal compoſitum, ipſo patre Vino nobilius, coagulato, ita dictus, non niſi ex Hippocraticis potentiis ſuam obtinet autoritatem: ſive enim reſolutus in forma liquida fluctuet, huic inde dolores, lancinationes & torſiones inducens, ſive jam ſub coagulo peregrino ſeipſum coerceat, ubique principium omnis ejus operationis eſt acor, partibus hoſtilis. Eſt ſcilicet Tartarus propriè loquendo, nil aliud, quam ſuccus acidus, facilè in ſubjecto idoneo coagulabilis, a. jam in eodem coagulatus, vitio primæ digeſtionis, ob hujus cruditatem acidam, & fecum vitioſæ ſegregationis genitus. Acor E. talis vitioſus in ſtomacho hoſpitans & graviorum ejus ſymptomatum & ſucceſſivè mali hypochondriaci eſt autor: in inteſtinis torminum Colicorum fœcunda eſt genitrix, imprimis ſi ſubjectetur in copioſo inteſtinorum muco, pituita acida tunc appellato: lotium imprægnans, ſtranguriam infert, ſicut in articulis arthriticas torturas: maſſæ ſanguineæ inquinans dulcedinem, & cordis palpitationes & ſcorbuticos infert affectus. Sin aptum inveniat ſubjectum, imprimis de alcali participans, cum eo coagulatur, in gorgonium monſtrum, quale eſt omne duelech, ſeu calculus, tam in renibus quam fellis folliculo, ex ejus coalitu ibi quidem cum Urinæ volatili ſale per fermentum putredinis reſoluto, hic vero cum alcali volatili bilis genitum, ſub qua concretione quicquid coagulabile ſimul deprehenderint in novi concreti conſortium trahitur. Sic ſynoviam articulationes oſſium inſtar cujuſdam axungiæ oblinentem coagulat in tophos, arthriticis cognitos, & oſſium corrumpens alimentum, cum eodem in gummata Gallica, oſſa cum intolerabili nocturno tormento perforantia, concreſcit. Sin viſcidæ conjunctus mucilagini anguſtias vaſorum permeare nequeat, ſed circa eaſdem coagulatus ſubſiſtat, oppilationum & obſtructionum, omniumque ſcirrhorum & ſcrophularum eſt artifex. Contra hunc acidum p. n. Tartarum uſurpantur medicamenta & ipſa tartarea, ſeu ſit ſpiritus tartari perfectè volatilis ſeu urinoſus, ſive ſit ſal ejus volatiliſatum; hæc enim & acorem ejus deſtruunt, & producta jam coagula diſſolvunt & reſerant.

§.10. Præter enarratos hactenus ſapores, dulce denique & inſipidum non rarò memoratur *Hippocrates*, innuens hoc ipſo ſtatum temperatum & blandam dulcedinem nutritii corporis noſtri ſucci, chyloſi quidem pro partibus ſpermaticis, ſeu nervinis, ſanguinei verò pro parenchymatibus ſanguineis. *Dulcia enim & pinguia ac oleoſa replent, quia ex modicâ mole multum diffunduntur: at verò acida & acria & auſtera & acerba, & ex toto collata & ſicca non replent: ſeu nutriunt,* docet *Hippocr. l.2. de diæta ſ.33. num.19. 23. &c.* Hinc ſi blanda & temperata dulcedo nutritii ſucci pervertatur, ut acrimoniam vitioſam, in ſpecie ſalſam acquirat, unde aſper minuſque mitis reddatur, & exinde nutritioni ineptus fiat, ſubinde tabe & atrophia emaciatum corpus, vivum ſceleton repræſentat. Succus talis nutritius minus in ſtomacho ex alimentis reſolutus, & volatiliſatus, ſed viſciditate p. n. tenax & glutinoſus, pituitæ p. n. nomine vulgò venire ſolet, ſive ullo exceſſivo ſapore careat, ſive acrimonia ſalſa, ſive etiam aciditate peregrina deprehendatur inquinatus.

CAPUT III.

Facultatum Hippocraticarum ad Hygienam & Therapeuticam applicatio.

§.1. QUæcunque mala homo patitur, omnia à facultatum potentiis proficiſcuntur, *inquit, Hipp. cit. lib. ſ.34.* quæ facultates, ipſo interprete *ſ.39. humorum noſtri corporis ſummas vires & robur* deſignant, iſtis ſaporibus ab eo definitas. Sed cum eædem & naturalem noſtram adminiſtrent Oeconomiam, & tanquam negligentes aut inobedientes miniſtri ſimul eandem non rarò peſſundent, propterea diſtinctum earum & ſtatum & effectum declarat *Divinus* noſter *Senex ſ.24. & 25. & lib. de Natur. hum. ſ.6. Hæc quidem mixta inter ſe & temperata, neque conſpicua ſunt, neque hominem lædunt: ubi vero quid horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ſeipſo fuerit, tunc & conſpicua ſunt & hominem lædunt.* Superius ſcilicet monitum fuit, ſalinas potentias continuo reciprocæ actionis motu ſeipſas fatigare, & in æquilibrio poſitas, aliis permiſtas blanda & æquabili fermentatione agitari, ſub qua ſeipſum tanquam mutuò activa & paſſiva ita temperent, quo minus aliquod nocumentum in corpus redundare poſſit. Ipſum hoc eſt, quod corporis machinam ſartam tectamque conſervat, ſi ſcil. ſanguineum vitale nectar debita fermentatione circulatur, qua & chylus ipſi aſſimilatur & ſpiritus volatilis volatiliſatur, ſimulque reliqui ſucci debitam Craſin & proportionem tam ad ſe invicem v. g. bilis ad ſuccum pancreaticum, quàm

ad objecta externa, v. gr. ſuccus ſtomachi fermentativus ad alimenta obtineant. At vitiata hac facultatum proportione, & læſa earum temperatura, ſin vel in gradu una excedat alteram, vel à naturali Craſi degenerent, cujus infiniti ſunt modi ſecundum *Hippocr.* non poteſt non rebellio atrox turbare Microcoſmum.

§.2. Origo læſæ temperaturæ, indéque ortorum morborum, *partim ex dictis, partim ex ſpiritu quem attrahentes vivimus* eſt, autore *Hippocr. de Nat. human. ſ.18. n.11.* Diætæ partem primam conſtituunt aſſumpta, de quibus nos ita informat *Oraculum Coum, lib. cit. ſ.25. Quin & ex cibis, quicunque nobis incommodi ſunt, & ingeſti hominem lædunt, horum unuſquiſque aut amarus eſt & meracus, ac intemperatus aut ſalſus, aut acidus, aut alius quis intemperatus & fortis: & propterea turbamur ab ipſis, quemadmodum etiam ab his, quæ ex corpore excernuntur. Omnia autem quæ edit aut bibit homo talia edulia palam eſt, minimè hoc intemperato & diſſidente ac excedente ſucco participare, velut ſunt panis & maza, & his ſimilia, quibus aſſuetus eſt homo plurimis & ſemper uti.* Jam verò edulia iſta hominis ſunt vegetabilia, aut animalia illis ipſis anteà ſaturata: in quibus terrâ naſcentibus ſuas facultates maturè conſiderat *Cous* noſter, dum *lib. de Natur. human. ſ. XI. ita ſcribit: quemadmodum ex terra naſcentia, & in ipſam plantata ac ſeminata, ubi in terram pervenerint, unumquodque trahit id, quod naturæ ſuæ familiare in terrâ exiſtit: ineſt autem in terrâ & acidum & amarum, & dulce, & ſalſum, & omnigenum, &c.*

§.3. Scilicet ut idem nos informat *Hippocr. ſ.26. Robur & augmentum ac alimentum præſertim per nihil aliud contingit, quam quod probè temperatum eſt, & nihil habet intemperatum, neque forte, d. totum unum factum eſt, & ſimplex & non forte*: hæc enim in naturali ſtatu, abſque ullâ alteratione corpus conſervant, ob quam temperaturam & lac & carnes, & oryza ſimiliaque cerealia tam commodum ſuggerunt alimentum. Aſt ubi exceſſivus ſapor imprægnat edulium, ſalinam potentiam excedentem manifeſtans, non poteſt non iiſdem corporis noſtri potentiis occurrendo, eaſdem alterare, aut augmentando, aut imminuendo aut diverſimodè alterando: plus minus tamen, prout *aut* major vel minor fermenti ſtomachici in illo alterando & tranſmutando fuerit poteſtas, *aut* prout conſuetudine ejus corporis noſtri potentiæ ſalinæ magis vel minus jam antea ab eo immutatæ fuerint. Sic enim & venenorum conſuetudine alteratis jam corporis noſtri potentiis eorum robur imbelle factum fuit, & continuata diutius eadem medicamenta, tandem incaſſum adhibentur: unde non tantùm loco modo citato §.2. conſuetudinis rationem habet, *divinus Senex*, ſed ejus obſervantiam quoque diligenter inculcat *ſ.2. aph.50.* dum *conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta eſſe*, pronunciat.

§.4. His ſuis potentiis determinandas eſſe alimentorum facultates, non calore & frigore, ſufficienter docet *Hipp. in libris de Diæta, it. lib. de affection. ſ.49.* ubi acrium, ſalſorum & acidorum, dulcium alimentorum frequentiſſimam mentionem injicit: & hoc illuſtrat pariter lib. de *Priſc. Med. §.22. & 23.* exemplo cujuſdam, crudo tritico & carne læſi, pane vero propinato curandi, quem præfert tritico crudo, non ob qualitates elementares, ſed ob id quia ſit præparatus, ſub qua præparatione diverſas ſubeat alterationes. Præparationis cardo in legitima conſiſtit fermentatione, quâ adjectione fermenti acidi volatilis farinæ aufertur viſciditas, quæ multum ſtomacho alias faceſſit negotii, & reſolutæ partes Salinæ & quædam Sulphureæ aliarum particularum implexu aliquantiſper ſe extricant, fermentando volatiliſantur, & in ſpiritum volatilem ardentem tranſmutantur: antequam vero totæ hoc modo fuerint volatiliſatæ, clibano impoſita maſſa torretur, unde pars volatiliſatorum Salium in ſpiritum avolat, ſuavi odore omnia replens, quibuſvis perlarum aquis virtute confortativâ *à Bechero l.1. Phyſ. ſubterran. ſ.5. c.2. §.144.* præpoſita, cujus colligendi modum docet *Kergerus, de fermentat. ſ.3. c.1. p.181.* pars verò Salium altera, nondum perfectè volatiliſata impedito fermentationis per exſiccationem motu à reliquis particulis implicata detinetur, facili tamen Vulcano in ſpiritum ſub acidum volatilem per Retortam ſeparanda, à quo ſubtilis panis aciditas etiam dependet. Panis ergò ſtomacho ingeſtus propter hunc ſpiritum acidum volatilem, de quo ſupra *c.2. §.2.* ex ſuſcepto fermento productum, liqueſcens in ſtomacho in cremorem, herbas & cibos quibuſcum eſt maſticatus, una colliqueſcere cogit, ut rectè loquitur *Helmont. tr. Tract. Victus §.15.* adeóque fermento ſtomachi potentes fert ſuppetias, & locum cujuſdam fermenti aliis cibis additi, quoddammodò ſupplet, & propter ejus convenientiam cum ſtomachi ſucco fermentativo, nunquam nos panis continuò licet comeſti capit faſtidium, quin potius naribus admotus nauſeam & vomitum ab aſſumptorum horrore imminentem compeſcit, & ſicut ægrotantes ultimo ejus appetitum amittunt, ità convaleſcentes eandem primariò denuò recuperant: ut rariſſimum ſit, quoſdam à pane omninò abhorrere, qualis fuit puer iſte apud *Schottum Phyſ. Curioſ. l.3. c.27. p.530. & ſeqq.* ab imaginatione materna graviditatis tempore ita diſpoſitus.

§.5. Loco aquæ Vinum ſupradicto ægro propinat *Hipp.* ſtomacho ſimiliter blando acore acceptatiſſimum, de cujus uvarum benedicti Nectaris Natura & ſtatu, cùm ab aliis, in ſpecie à *Celeb. Dn. Sachſio in Ampelogr.* qui inſtar omnium eſt, ſufficienter actum ſit, cui jungatur *Becherus Phyſ. ſubterran. l.1. ſ.5. c.2.* non eſt, quod actum agam. Hoc ſaltem quoad *Hippocraticas facultates* noto, obſervandos in eo eſſe *& ſpiritus ſalinos volatiles Sulphureos, ſulphur* Bezoardicum vegetabile, item aurum potabile vegetabile quibuſdam dictos, *& etiam acidum*, primo guſtu plus minus ſenſile: ratione cujus & vinum cum Unicornu foſſili notho efferveſcit, & ab oleo ſilicum in inſtanti coagulatur. Spiritus Vini volatilis tanquam ſymbolizans quodammodo Spiritui vitali, brevi mora ex ſtomacho in vaſa raptus, advocatur in hujus ſupplementum, levi contactu fermenti in corde perficiendus: Sin vero plus juſto hic inſit ſtomacho, ebrietas ſequitur, quatenus celeri diſtributione totus in ſpiritum vitalem commutari nequit, quin ſpiritus animales prius in motus confuſos & inordinatos actos, quodammodò Sulphure ſuo figat, inſtar opii & aliorum narcoticorum, indeque eos torpidos & ad debitas motiones & expanſiones ineptos reddat. Quoad acidum Vini benignum, hoc partim in ſtomacho partim inteſtinis concurrente fermento felleo in ſalſum volatile abit: Sin verò inordinato, & in ſpecie vini nimio abuſu crudus & acidulus liquor ex ſtomacho elapſus fuerit, hoſtili ſua toti corpori aciditate, cum ſibi adjuncta aqua vitæ in inteſtinis tormina Colica, & exinde in artubus pareſes, aut contracturas, præter mala arthritica & nephritica progenerat, Tartaro tam reſoluto quam coagulato ſuperius adſcripta; adeò ut ſæpiſſimè vinum prohibendum ſit ægris, non ratione ſpiritus ſui ardentis, ſeu ut vulgò dicunt, ob nimium ejus calorem, quam ratione acidi ſui, partibus inſenſiſſimi v. g. in vulneribus, articulorum affectibus, &c. Sic nemini mulieris, Dyſuriæ ſubindè obnoxiæ, cujus paroxyſmus tam ab aceti, quam Vini uſu ſubitò recrudeſcit, oleo amygdal. dulc. c. lapid. cancrorum & percarum denuò ſopiendus.

§.6. Vini Vicarius eſt Creviſia in locis ſeptentrionalibus, decoctum ſcil. hordei vel tritici, c. lupulo utplurimum, fermentatione exaltatum, quæ temperatior quidem eſt vino, indeque minus alterativa ſed plus nutritiva, iiſdem tamen potentiis Hippocraticis ſimiliter inſtructa, utut ejus acor non adeo purus, quin potius lupuli Sale amaricante de alkalium natura, nonnihil modificatus.

modiſicatus. In præparatione obſervanda venit hordei germinatio, eum in finem inſtituta, ut viſciditas ejus mucilaginoſa corrigatur, quæ & fermentationem decocti impediret, & digeſtionem ſtomachi turbaret: hordeum enim parum coctum ventoſitates efficit, oppilationes verò ſi meliuſculè bullierit. Aſt ſub iſta germinatione irrorata grana aquarum inbibitione turgeſcunt, unde reſoluta Salia in iis aliarum particularum complexu aliàs irretita mutuò agere & reagere, & anguſtia loci concluſa, qua data porta prorumpere, & *ita* per gemmam ſecum adhærentes particulas ſimul protrudere incipiunt. Verum ne in liberiore aura continuata iſta actione fermentativa omnino avolent, ſemenque ità emoriatur, & particulis activis ſalinis ſpoliatum pro fermentatione cereviſiæ fiat ineptum, toſtione ulterior ſalium in germinatione prohibetur progreſſus, & poſtquam contritum fuerit & cum lupulo conditum per cocturam, in Cereviſiam per reſtauratam fermentationem abit. Ineſt enim omnibus vegetabilibus, imprimis ſeminibus, & ex his præ ceteris Cerealibus, ſubſtantia quædam viſcida & mucilaginoſa, quam ceu primarium activitatis ſuæ objectum digeſtio ſtomachi reſolvit in Cremorem nutritium. Hæc ſubſtantia dum per fermentationem recluditur, & volatiliſatur, transmutatur in ſpiritum volatilem ardentem, novum ens, formaliter ab eo quod erat antea diſtinctum: adeò ut non amplius ſubjaceat fermenti ſtomachalis imperio, nec amplius ſit ità nutritiva ut antea, quin potius ſubitò tranſeat, ut ſupra dictum de ſpiritu vini, ad augmentandos ſpiritus corporis, & ità facta eſt primariò egregiè confortativa; ob id namque liquidus potus longè facilius & felicius nos recreat, quam ſolidus cibus. Natura equidem neque cereviſiam neque vinum ut talia poſtulat, ſed tantùm ſimpliciter ut humida, quibus latex corporis abſumptus reſtauretur, pro ſubminiſtrando alimenti vehiculo, id quod bruta ſimplici aquæ hauſtu contenta ſufficienter demonſtrant. Verum Curioſitas humana, per artem ſubinde præſumens corrigere Naturam, conjungit aquam ſpiritui per fermentationem, quo una vice & latex ſubminiſtretur, & alimentum ſuppeditetur, & ſpiritus reficiatur.

§.7. Tartarorum potus, ut notum, eſt lac Equinum, idque tantummodò in ſolemnioribus feſtivitatibus, quod tamen ità præparare norunt, ut ebrietatem conciliet, non ſecus ac Vinum. Modus præparandi cum ſit curioſus, eundem ex Lingua Gallica in Latinam tranſlatum ex *Relation de Tartarie par Jean Luca, Religieux Dominique, de Tartares Precopites p.15. & p.19.* hunc annotare libuit. Eorum potus, quem nominat Chimus & Boza, cum farina milii (forſan interdum loco hordei) inebriat inſtar vini noſtratis, præparatur ſequenti modo: Poſtquam equa peperit, permittunt pullum lactere per menſem, poſtmodum applicant naſo pulli fruſtula ligni acuminata eum in finem, ut quando pullus velit ſugere, equa iiſdem puncta eum admittere nequeat. Interea ipſi colligunt lac, eoque vas replent, in quo vinum alias fuerit, (ſi tale habere poſſunt,) quod dum in vas reconditur per linteum trajicitur, & vas poſtmodum exactiſſimè obturatur. Huic injiciuntur 20. vel 30. gr. hordei, cum cochleari oxygalæ vaccinæ ſeu lactis acidi vel ebutyrati, aut ſaltem parum fermenti. Interea neceſſe eſt, collocare vas iſtud vel prope ignem, vel exponere idem radiis ſolaribus, ut lac bulliat & benè clareſcat, id quod ſpatio 2. vel 3. ſeptimanarum evenit: quod ſi addatur tantillum vini, potio erit eò gratior. Lac ita benè depuratum, trajicitur per linteum purum antequam hauriatur pro potu, qui præparatus tempore vernali, melior eſt omni eo, qui reliquis anni temporibus conficitur. Hæc potio longe durabit, tantum enim lactis novi ſemper denuò infundi poteſt, quantum exhauritur. Obſervandum & hoc, quod ſi lac per ſeipſum ſatis acidum fuerit, non opus erit oxygalam vel fermentum addere, ſed ſufficiunt hordei: utque magis tutò procedatur, in diſtinctis vaſculis inſtituenda eſt præparatio. Poteſt etiam quibuſdam infundi nodulus ex radicibus violarum aut foliorum coriandri. Decies quotidie equæ lac emulgetur, dum ea interea optimis herbis nutrienda eſt. Potio hæc eſt admodum ſalubris, & magno emolumento iis, qui ſunt impotentes. Semina coriandri meliorem habent ſaporem ipſis foliis. Hactenus Autor Gallus, in quibuſdam nonnihil obſcurus.

§.8. Poſt aſſumpta eſſe inſpirata, quæ potentiarum Hippocraticarum proportionem & temperaturam in ſuccis machinæ noſtri corporis hydraulicæ turbent, ſupra §.2. dictum fuit. Tota namque atmoſphæra quam nos reciproca reſpiratione attrahimus, copioſiſſimis particulis, inſignibus facultatibus Hippocraticis ſalinis pollentibus, & quaſi tot diverſis fermentis imprægnata eſt. Notum eſt, non vitrioli tantum caput mortuum aëri expoſitum, de novo ſingulari ſpiritu acido impraegnari, ſed etiam terram tam nitri, quam aluminis exhauſtas ſemel aëri expoſitas poſt aliquot annos novum nitrum vel alumen ſuppeditare. Hinc aërem non ſine ratione, oculari eoque firmo experimento confirmatus, plenum ſale Hermetico univerſali, in diſtinctis matricibus determinationes varias ſuſcipiente, ſtatuit *Rochas tr. obſervat. nouvell. des eaux mineral. c.1.* Nam & duris metallis in aëre quis ſtatuerit incunabula, & tamen minera plumbi Anglica ante multos annos exhauſta, ab aëre novo plumbo impraegnatur: teſte *Borrichio ad Bartolinum in hujus Epiſt.92. cent.4.* idem fit cum ſcoriis ſtanni ab igne depauperatis, per aërem denuo fœcundatis, vid. *Hiſtor. de Singularit. Natur. d. Anglet. p.16.* uti etiam Biſmuthi vena Miſnenſis inanita aëri expoſita argento denuò nonnihil locupletatur: antimonium fixatum ad volatilem tamen revertitur naturam, aëri ubi fuerit expoſitum. Vegetabilia ſimiliter nonnulla, quæ inter principaliora ſunt bulbus ſcyllæ marinæ, uti & aloë Hiſpanica in conclavi ſuſpenſa, ex aëre ſolo vegetantur, creſcunt & ad tempus adoleſcunt: non minus quam viperillæ, araneæ & ſcorpiones ex aëris ſuctu, vitris arctè incluſæ vitam trahunt. Quæ non fermenta impraegnant aërem; tempore veris, dum putris gleba reſoluta exhalat copioſiſſima ſalina miaſmata, admodum fermentativa, quæ maſſam noſtram ſanguineam de novo quaſi inſpirato fermento animant, ut hac occaſione annoſi & clandeſtini morborum fomites potenter ſubinde exardeſcant. Hyberno tempore ſale ſubtili acido, de armoniacali forſan natura aërem plenum eſſe perſuadent faciei, labiorum & manuum contractæ aſperitates & ſuperficiales fiſſuræ, lotione urinæ aut ſaponis acris, tanquam contrario alcali curandæ. Fermenta locorum endemica aut interdum epidemica ſalinæ omnia nunc acidæ nunc urinoſæ naturæ, quo & omnia pertinent contagia in diſtans operantia, aëris amplo ſinu foventur. Hic ergo inſpiratus, quas non ataxias & dyſcraſias in maſſa ſanguinea, ejuſque potentiis Hippocraticis, it. in aliis humoribus particulis ſuis ſalinis fermentativis inducet?

§.9. Intemperatas ergo, & ita altero extremo excedentes iſtas potentias nos lædere aſſerit *Hippocrates.* Hinc enim tot frequentes febrium efferveſcentiæ, tot tormenta ab acido vitioſo inducta, tam variformia affectus hypochondriaci & Protei ſcorbutici ſymptomata, nunc caloribus nunc horroribus comitata. Curam ob id talibus, quæ intemperatas & à legitima craſi degenerantes potentias in juſtam temperaturam reſtituere valent, inſtituendam monet, *tunc enim humores acres crudos dictos, ex permixtione & temperatura mutua, non calidi aut frigidi ſimpliciter additione & ſubtractione, blandiores redditos, coctos & denuo naturales fieri.* Idque monſtrante viam natura, in defluxionibus, tam ad nares, quam ad oculos, aut

ad

ad fauces, unde anginæ, eryſipelata, peripneumoniæ, &c. oriantur, apertum demonſtrat, *cit. lib. ſ.31. 32. & 33.* quæ quatenus tenues & acres nos lædunt, & hujus acrimoniæ ſenſu ardorem & interdum inflammationem inducunt; *reſtituuntur autem & curantur, ubi temperata fuerint & concocta, & ab omni acrimonia liberata, tunc jam & febres, & alia hominem lædentia ſolvuntur.* Temperaturam hanc ex permiſtione fieri aſſerit *Hippocrates c. l. ſ.31. n.25. ſ.32. n.13. & ſ.35. n.16.* dum ſcilicet particulæ ſalinæ intemperatæ & conſpicuæ factæ, atque exinde acriores redditæ; additione & interpoſitione aliarum particularum materialium in ſpecie contrariarum ſalinarum, mutata figura & textura, acrimoniam & corroſivitatem amittunt: qua ratione acidum acetum ſolutione lapid. cancrorum miteſcit, corroſione Saturni dulceſcit, impraegnatione ſalis Tartari ſalſeſcit.

§.10. Rem ita ſe habere, conſtat ex eo, quod Mercurius ſublim. ſapore ſuo exceſſivo ſeu acore corroſivo, non minus quam arſenicum ſint lethalia venena, quæ tamen coërcet aut copioſum lac epotum, aut butyrum largius aſſumptum, aut oleum amygdal. dulc. deglutitum, quatenus talia pinguia acoris corroſivi obtundunt & quaſi inviſcant, aculeos: convenit etiam oleum Tartari per deliquium hauſtum, quatenus hoc alcali fixum excedens iſtorum acidum deſtruit, & ſui complexu & permixtione in ſalſum temperatum tranſmutat, Mercurio depoſita cryſtallina larva, aut pulveris terrei facie ſeſe veſtiente, aut viva forma proſiliente: non minus utilis eſt cryſtallus montana præparata, aut calcinata, quia hæc acidum abſorbet, iſtudque dum in ſe ruit pro corroſione concentrat, quo minus corpori nocere queat: qua ratione ſimiliter æruginoſæ bilis, quam acidam valde ſupra diximus, eadem cryſtallus eſt alexipharmacum, & choleram aut dyſenteriam exinde ortas pernicioſas curat. Eadem ratione creta, lac Lunæ, imò laterum coctilium pulvis, it. ebur uſtum, corallia & ſimilia ardorem ſtomachi ex efferveſcentia acidi vitioſi cum regurgitante bile aliove alcali ortum extinguunt, non frigore, ſed vi abſorbendi acidum, ſeu ut vocant, præcipitandi: qua ratione eadem & caninæ appetentiæ ſunt remedia, quatenus acidum corroſivum temperant: acida è contra ut ſpiritus nitri, vitrioli, ſalis, ſucci berberum, ribium, limonum, febrium ardentium, & diarrhæarum, quas vocant, bilioſarum. Item ægrorum nimiis ardoribus debilitatorum ſunt ſolamina: quatenus ſalis volatilis bilioſi in ſanguine compeſcunt vim, quod ceu contraria temperant in ſalſum, & ita ab eodem inductam aut p. n. ſanguinis efferveſcentiam, aut nimiam ejus diſſolutionem refrænant, & blando coagulo compeſcunt. Et ſanè alterantium (nam de evacuantibus non eſt dicendi occaſio) omnium vis & efficacia in virtute temperandi aut exaltandi acidum aut alcali in genere, aut corrigendi ſpecificos alios ex iſtis vitiatis ſapores obortos primario conſiſtere videtur, non vero in calore aut frigore, niſi conſequenter, in iis ſcilicet morbis ubi nihil *divini* ſubeſt. Quæ tamen non ita intellecta volo, quaſi omnem ſimplicium operandi modum comprehendant; in multis enim multa non parum differunt: cum v. g. opiatorum aliorumque narcoticorum longè diſpar ab his ſit ratio, ſed quantum ad effectus ab Hippocraticis potentiis excitatos tantum pertinent.

§.11. Hæc ut pateant ulterius, conſideremus à medicatrice Natura ipſa propinatos julepos acidos, ex terra acidularum nomine ſcaturientes, quas non calore aut frigore aut humiditate proficuas eſſe, ad averruncandos chronicos affectus, ex hoſte Tartaro præter naturam intus recepto & coagulato pronatos, in propatulo eſt conſideranti, ſpiritum acidum eſurinum iſtas aquas imprægnantem diſſolvere, & abſtergere mucilaginoſas ſordes, in primis viis, iiſque annexis viſceribus ſtabulantes, dum interea ſoluta in mineris ab hoc acido Martis vena abſorbet in ſe ſapores vitioſos acidos, acerbos aliosque, ſalia ſilveſtria, aut excrementitia, it. Tartarus reſolutus ab *Helmontio* appellatos, eoſque ſecum ſecum nigrarum forma evacuat. Nam & ſimili ratione aut cruda ferri limatura, per ſe ſemper adſtrictiva, ſicut omnia martialia, aut quicunque ex eo, ſine acido tamen exceſſivo, parati croci aut tincturæ proſunt, quatenus excrementa & peregrina ſalia, ad ferrum ceu adæquatum ſuæ activitatis objectum accurrentia abſorbet, & ita ab iis illatas noxas, in chronicis affectibus, obſtructionibus communiter attributis, emendat. Eadem vi ſaccharum Saturni, aceti acido non omnino ſaturatum, ſpleneticorum & hypochondriacorum & ſcorbuticorum acria ſalia aceto ſæpe potentiora, dulcificando non refrigerando, innocua reddit. Id quod longè clarius, dum Chirurgum agit Saturnus, cujus artis quartum præbet fulcrum, dum non tantùm cum Marte ſociatus in tincturam rubicundam, internis ulceribus quarumcunque partium potenter medetur, ſed etiam ſolus externe variis ceruſſæ, minii, lythargyrorum, &c. Lavatus formis, omnia ulcerum etiam chronicorum & cacoëthicorum fermenta acida, alimenti partis in ſaniem corruptiva, ratione ſui Mercurii copioſi pauciſſimo ſale aſſociati promptè abſorbet & dulcificat, & ita non refrigerando nec abſtergendo aut exſiccando eadem conſolidat. Id quod ſimiliter de Veneris cadmia factitia, & tutia aſſerendum venit, non minus quam de terra vitrioli dulci ob egregium tam in vulneribus quam ulceribus uſum balſamica quibuſdam dicta. Sed charta nimis cito deficeret, ſi de ſalibus *vel volatilibus* viperarum, cervi, hominis, cochleariæ, perſicariæ, vel fixis vegetabilium, vel ſpiritibus acidis mineralium, vel ſalibus ex duobus poſterioribus compoſitis, tartaro vitriolato, nitro tartariſato, arcano duplicato, it. ſale ammoniaco in ſpecie ſulphure metallico per ſublimationem, imprimis à colcothare imprægnato, dicere velim, quæ omnia non qualitatum primarum virtute, ſed ratione potentiarum Hippocraticarum & agere, & eaſdem corruptas in corpore corrigere, ferè per ſe patet. Modo obſervetur, quod tam ſtagmata mineralium acida, quam alcalia vegetabilium fixa, ſint quidem abſterſiva ſordium & correctiva ſuorum contrariorum, ſed ſimul ſtomacho inſigniter nociva, dum alcalia lixiviali ſapore fermento ſtomachi contrarientur, acidi vero ſpiritus corroſivitate ſua ipſi inſigniter adverſentur: ob id rarius ſola, potius vel mutua conjunctione in tertium ſalſum abſterſivum & diureticum alterata ſunt uſurpanda, vel additione alterius dulcificata (v. g. alcalia per ſulphur vel minerale vel vegetabile, quo elixiria parva, it. balſamus Samech pertinent, acidi vero ſpiritus per ſpiritus volatiles ardentes,) in uſum vocanda: ut talibus temperatis & temperentur exceſſivi noſtri ſapores, & ſi qui horum ſunt fomites, ſine læſione removeantur.

§.12. Sed cùm omnes concretorum in ſpecie vegetabilium ſapores, ſingulares obtineant varietates, iiſdem nobis inſinuant, non ad ſolum acidum aut urinoſum aut ſalſum ſemper & ſimpliciter reſpiciendum eſſe: ſed præter communes acris, amari, aut acidi rationes uniuſcujuſque ſpecificum ſaporem ſemini appropriatum, & ex ſeminali concreti craſi, eo quo ſupra *c.1. §.7.* dictum, modo, oriundum, mature conſiderandum eſſe, ceu appropriatum ſpecificis morboſis corporis noſtri ſaporibus, ex *Hippocrate* infinitis, remedium. Non latuit hoc noſtrum *Hippocratem*, qui occaſione alimentorum medicamentoſorum hoc inculcat, *l.2. de diæta ſ.7.* ita diſſerendo: *At vero ciborum ac potuum ſingulorum vim, tum eam quæ ſecundum naturam eſt, tum eam quæ per artem acceſſit, hoc modo cognoſcere oportet; Quicunque igitur in ſumma*

ma dicere aggreſſi ſunt, aut de dulcium aut pinguium, aut ſalſorum, aut alterius cujuſdam conſimilis facultate, non recte judicant. Non enim eandem vim habet, neque dulcia inter ſe, neque amara, neque ulla aliqua ejuſmodi; Multa enim ex talibus, quæ & alvum emolliunt & ſiſtunt, ſiccantque & humectant. Similiter autem in reliquis omnibus. Sunt & quæ adſtringunt, itemque alvum movent, & urinam cient. Sunt qui neutrum horum faciunt. Similiter & ex calefacientibus ac reliquis omnibus, alia aliam facultatem habent. Ex hoc enim fonte, ſpecifico nempe ſapore, omnis fere ſpecificorum remediorum in morbis promanat efficacia: quod nempe chelidonium majus, ceu expertum, curat icterum flavum, cochlearia ſcorbutum, quod Myrrha aut Sabina Lunare mulierum tributum exigat; quod priapus cervi & ceti dyſenteriam, papav. rheas pleuritidem, ſuccus ſtercoris equini colicam tam virorum, quàm mulierum, alias paſſionem hyſtericam, ſpiritus ſanguinis humani epilepſiam, caſtoreum, variolas, lumbrici arthritidem vagam ſanent. Hinc namque cum *Helmontio* omninò aſſerendum videtur, *in ſimplicibus perfectam eſſe curam & ſanationem omnium morborum:* ut non opus ſit, ſemper ad ſublimiora provocare arcana.

§. 13. Communis equidem ſcholarum mos eſt, per ſapores expiſcari vegetabilium virtutes, ſed duplex in eo deprehenditur error. 1. Quod relictis Hippocraticis potentiis, per ſapores, calores & frigora dimetiri in iiſdem aggreſſi fuerint, tanquam proprietatum cunctarum opifices: cum tamen qualitatum elementalium cum ſaporibus nulla ſit cognatio: 2. Quod ſpecificos ſingulorum ſapores neglexerint, & ita guſtato communis ſaporis cortice, nucleum appropriati, & ſingularem in eo latentem energiam rejecerint: cum tamen hic ex propria eorum craſi oriundus, ſingulari ab eodem latentis facultatis ſit index. Ex ſpecifica enim concretionis craſi à ſemine oriunda ſpecificæ ſimplicium dotes, eorumque indices ſpecifici ſapores proveniunt. Unde & hanc craſin ceu optimam rei partem ſimpliciumque nucleum in eorundem præparatione tam ſtudioſè conſervandum monet *Helmont.* & ablatis aut tranſmutatis eum tegentibus, nunc malignis nunc inutilibus ſcoriis, tanquam corticibus in apertum protrahendum, ut *ſexcentis* iſtis ſaporibus corpus noſtrum infeſtantibus, ex dyſcraſia potentiarum Hippocraticarum, & varia depravatione obortis, cito tuto & jucundè mederi queamus: in quo excellentia liquoris *Alkaheſt* miræ eſt commendationis, non tantum ab *Helmont. tr. diſpenſ. modern.* §. 22. primitus prædicata, ſed præterea quoque à *Starkey Tr. Pirotechnie aſſerted. c. XII. p. 28.* propria experientia confirmat; qui ſcil. reſolvit vegetabilia in primam eorum materiam liquidam, diſcriminans in iis omnes heterogeneitates, donec parvus liquor craſin totius herbæ vel ſeminis integram in ſe continens ab aliis præparationibus ſive per ignem fiant, ſive ſine eo, mediantibus ſolutionibus, aliiſve operandi modis, in ſpecie fermentationibus, ſimplicium craſis & hinc operandi ratio pro diverſitate laborum, additorum aut ſeparatorum non parum immutatur, & alia quaſi nova per artem ipſis imprimitur, ita ut talia chymica ſæpiſſime potius artis acquiſita, quam naturæ finitiva agant, idque inprimis minerali regno. Sic enim rhabarbarum cum ſale Tartari digeſtum, omnem purgandi virtutem amittit; aſarum in aqua bullitum, diureticum evadit egregium tardarum febrium remedium, opium per acida virtute narcotica & anodyna omnino ſpoliatur: Sal Tartari volatile vegetabilium venena, in ſpecie napellum, levi digeſtione omnino corrigit, teſte *Boyle experim. Philoſ. p. 136.* Mercurius vitæ vomituriens per ſal Tartari fit catharticum per inferiora, per nitrum vero evadit bezoardicum, Luna per nitrum dat pulv. amariſſimum, parva 2. vel 4. gr. doſi, copioſè abſque ullo tamen nocumento hydropicorum aquas educentem, facilè denuò in antiquam iners Lunæ corpus reducendum: Auri dura compages præcipitatur in pulverem tonitrualem, qui tamen per ſulphuris acidum omnino obmuteſcit, pro baſi auri diaphoretici Poteriani ſingularum virtutum remedii. Et quanta hic non poſſint adduci, niſi reſpiciendus eſſet finis.

DISSER

DISSERTATIO II.

DE ABSTRUSO RESPIRATIONIS HUMANÆ NEGOTIO;

EXULANTE FAMOSA *VACUI* FUGA:

Ex genuinis graviſſimi hujus Argumenti φαινομένων, cauſis plenius eruto.

PROOEMIUM.

CHRISTIANO Philoſopho digniſſimum ſanè ac pervenuſtè dictum eſt illud *Baſilii Magni*, Mundum hunc vocantis παιδευτήριον τῆς θεογνωσίας, καὶ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον. Tam admirandus etenim ex vaſto creatorum tam concinnè coordinatorum ſyſtemate, veluti ex tot ſpeculis reflexus, mentiſque pariter ac corporis profundè contemplantium oculos tantopere percellens ſapientiæ ſplendor non poteſt non de ſummi cujuſdam, Omnipotentis, Æterni, ac Infiniti, omniumque perſpicaciſſimi Numinis ineffabili exiſtentia pleniſſimè teſtari; adeò, ut & ipſe *Gentium Doctor ad Rom. I. v.20.* hæcce luculentiſſimè ſtabiliat: *Quæ ſunt*, inquiens, *inviſibilia illius (ſcil. DEI) ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipſaque æterna ejus potentia ac divinitas.* Hinc quoque rerum creatarum curata *Obſervatio*, quamque hæc in hominum animis prolicit, *Admiratio*, haud incongruè cauſa προκαταρκτικὴ Philoſophiæ ſtudii nonnullis cenſetur; imo in nil admirando Philoſophiæ finem perfectioniſque colophonem ſitum eſſe opinati ſunt *Pythagoras*, *Platoo*, ac *Stoicorum ordo*. Nec poſſum, quin inſigniſſimo omniumque ferè primo hujus ſæculi Realis ſeu Experimentalis Philoſophiæ propugnatori, Doctiſſimo *Galilæo* promptè adſtipuler; *Eſſe nimirum grandem illum Naturæ Librum veræ Philoſophiæ genuinum ac proprium objectum.* Cum autem miranda divini creatoris opera non niſi ſenſuum noſtrorum tanquam totidem excubitorum interventu Intellectum feriant, à quibus quippe omnis ſapientiæ humanæ, quantulacunque demum fuerit, prima omnium extremaque pendet origo; adeoque hominum nulli niſi volenti ad præmemoratam θεογνωσίαν animæque διδασκαλεῖον via ſit præcluſa. Hinc meritò cum *Bernardino Teleſio* Italo, acerrimi ingenii viro, ac Peripatum vehementer exercente, ægerrimè ferendum dolendumque, naturæ rationem per tot ſæcula non tam ex ipſis creaturarum φαινομένοις, quàm ex Ariſtotelicis aliorumque voluminibus accerſiri ſolitam. Nam brutum profectò, homineque prorſus indignum eſt illud *Maſii* Stagyritæ Interpretum haud poſtremi effatum; dum, (de loco verba faciens, referente *Rallio*) ego inquit, *niſi me Ariſtotelis & D. Thomæ compelleret Autoritas, manibus pedibuſque in ſententiam de Intervallo libenter abirem, quam & intellectu faciliorem, paucioribuſque difficultatibus patere, ſi attentè & argute ſuperiora, & quæ de natura illius diximus contemplemur, facilè deprehendemus. Verum quia ingenii faſces ſubmittendi ſunt Ariſtoteli & D. Thomæ, fateamur Locum ſuperficiem eſſe & non intervallum, quia hi graviſſimi Philoſophi tradiderunt.* Sed valeat infeliciſſimi ingenii Maſius ſimiliaque mancipia; ſolius quippe Naturæ operibus optimo jure Pythagoricorum illud αὐτὸς ἔφα competit; utpote ab ipſo ſummi creatoris ineffabili, quodque facta ſequuntur, Verbo, FIAT, ortum ſuum repetentibus. Ex horum itaque numero innumero, quam jam præ manibus habeo, nobiliſſimam at inſimul maximè abditam Materiam ſelegi, ad eamque pro tenelli ingenii viribus perquirendam animum induxi. Conſtitueram equidem primitùs perfectam *de Aëre per univerſam Medicinam conſiderato*, nec non, ob Materiæ affinitatem, *de Vacuo Spatio, deque Spiritu Mundi Catholico* διάσκεψιν Orbi Literato proponere: Verùm cum eandem elaborando prolixiorem repererim, quam Academicarum Diſſertationum mos, ferre ſolet, nec accurtari commodè ob laxum Argumenti ambitum ſpinoſamque naturam potuerit; idcircò ad plenius otium id differendo, RESPIRATIONIS interim penetralia ingredi placuit. In quo negotio ſi vides me magnorum Autorum Hypotheſes deſeruiſſe, libereque in rei naturam inquiſiviſſe, ne quæſo ſiniſtrè interpretare. *Sapientiam enim*, inquit *Lactantius lib.2. Divin. Inſtitut. ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa Majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc (pergit ulterius) eos fallit, quòd Majorum nomine poſito non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia Minores vocantur; aut illi deſipuerint, quia Majores nominantur.* Præterea ſola Natura eſt Arcanorum ſuorum interpres fidiſſima; Nam quæ in uno aliquo genere obſcuriùs exhibet, ea luculentiùs in alio explicat. *Et quamvis* (ut cum celeberrimo Mathematico Cæſareo *Keplero, Introduct. in Mathem.* loquar) *in Theologia Autoritatum: in Philoſophia tamen non niſi Rationum atque Experientiæ momenta ſunt ponderanda.* Autoritatum enim vaſtiſſimus eſt numerus, ſelectus earundem dubius, fundamentum plerumque lubricum. Neque id operam dediſſe me ſcias velim, ut ex aliorum libris Centonem conſuerem; ſed ut Experimentis tum propriis tum aliorum huc collatis ad inveſtigandam mirabilem *Reſpirationis Humanæ* naturam intellectum exercerem. Nec omnes Autorum opiniones pugnaciter examinaſſe juvabit, quod vel ipſo *Ariſtotele* Judice *Eth.1.c.2.* vaniùs forte foret: Satiùs verò maxime inſignes, aut quæ videntur niti aliqua ratione excuſſiſſe, Tandem etiam pro tractandi Methodo Stylove venia mihi impetranda erit abs te, qui cum Romanis Muſis familiariùs forſitan vixiſti. Eum ſiquidem ad ſcholarum normam non eſſe compoſitum optime

novi. Sed voto apud æquos rerum arbitros me facile potiturum confido, ſi cauſam ipſis expoſuero. Scilicet vix à limine ſalutaram Literas., cum Anno ætatis XIII. nondum elapſo mihi rurſus eaſdem eriperet inevitabilis Pharmaceuticæ Arti me addicendi neceſſitas. Quo tempore quantus Demoſthenes, quantuſque Cicero fuerim, tu ipſemet judica. Illa porrò per octennium pro viribus exculta, Pyroſophiæ Chimicæ jucunditate allectus, in Vulcania caſtra tranſii. Quorum ſanè tum ardore ignivomo, tum quoque carbonum atrore amœniores itidem nitidæque per integrum biennium procul fugabantur Muſæ. Donec tandem Virorum pietate, prudentia ac eruditione præſtantium ſuaſu, vix triennio abhinc, in Alma hac Philurea Literatiorum Albo inſcriptus, Medicæ Arti me totum dederem. Cujus vaſtiſſima amplitudo omnem mihi hactenus ad Humaniores Literas tramitem præcluſit. Sed ſolatur me ſublimis ille ingenii vir *Galilæus, in Dialog. de Syſtem. Mundi p.66. in aliis quidem artibus*, inquiens, *dicendi promptitudo ſcriptorumque varia lectio & Autoritas locum invenire poſſunt, ut qui rebus præſet, is ſuam quoque rationem plauſibilem probabilioremque efficeret. At in Scientiis naturalibus, quarum concluſiones ſunt veræ & neceſſariæ, ubi nullus arbtrio humano locus eſt, nil efficiunt. Nam ibi mille Demoſthenes & Chryſippi, milleque Ariſtoteles, vel à mediocris ingenii homine unico, qui meliori fortunâ, libertate, ac candore verum amplexus eſt, proſternuntur.* Hæc in Dictionis meæ patrocinium ſic uberiùs diducta volui, quæ, ut alicujus apud Te momenti eſſe patiaris, Ingenue Lector, eſt, quod maximè rogo. Rerum verò quod attinet momenta, ea præter tuum in judicando candorem, propriæ inſuper probabilitati confidunt. Nunc ad Te, Sanctiſſime JESU, Verbum Patris ſupplex devolvor, ex imo pectore ingeminans, velis mihi æternum, qui Tecum habitat, Sapientiæ Spiritum largiri, qui hoſce meos conatus dirigat in ſummi Nominis Tui gloriam, Proximi emolumentum, operumque tuorum ſalutarem cognitionem. Amen.

CAPUT I.

Reſpirationis Ὀνοματολογίαν, *nec non* πραγματολογίαν *ſuccinctè adumbrat.*

§.1. Laudabilis moderni ſæculi in ſteriles Logomachias non adeò proni, ſed rerum potiùs momenta penſitantis mos haud duriùs feret, quòd ὀνοματολογίας ſcrutinio non curioſiùs inhæreamus; ipſo quippe *Scaligero* Judice, cætero quin ſat ſpinoſo, in *Carminibus* ſuis:

Stultum ac ſupinum plumbeique deliri eſt:
Rebus relictis conſeneſcere in verbis.

Horum autem neſcio an oblitus, an verò ſubtilitatum ſuarum (in quibus mirum quantum ſæpiuſculè ſibi complacere videtur *in Exerc. contra Cardanum*) dulcedine nimium allectus in *Comment. in Ariſtot. Hiſtor. Animal. Lib. 1. c.2.* (quorſum, cui hæc ſapiunt fercula, remitto:) multa de Reſpirationis Etymologia verboſè diſſerit, ne curioſa magis quàm fructuoſa vereor, cum nihilo faciliùs in abſconditam nobiliſſimæ hujus Functionis naturam, vel ab illo aliiſve conſimilis farinæ ſcriptoribus penetratum, penitùſve deventum ſit hactenus.

§.2. Verumtamen ut quadantenus morem geramus *Galeno* dicenti *Lib. I. M. M. c.5.* ἐπὶ πάντων ζητουμένων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνεσθαι τὸ ὄνομα: *in omnibus, de quibus quæritur, ad rationem oportet aſſumi ipſum nomen:* pauciſſimis ſaltem attingamus Reſpirationem, Græcis ἀναπνοὴ & ἀνάπνευσις dictam, eſſe vocabulum generale, binos diſtinctoſque Actus denotantem; nimirum tum aëris Admiſſionem, Inſpirationem in Medicorum ſcholis communiter vocatam, Græcè εἰσπνοὴ & ἔμπνευσις: tum ejuſdem aëris illapſi Expulſionem, Exſpirationem communiter nominatam, græcè ἔκπνευσις & ἐκπνοή. Reciprocus enim hicce aërem in pulmonum antra admittendi indeque rurſus expellendi exprimendivè motus, una voce Medicis audit Reſpiratio ſeu Reſpiratus.

§.3. Quibus decenti brevitate prælibatis, cæteriſque Homonymiæ ac Synonymiæ tricis ad Philologorum verboſa volumina ablegatis, recto tramite ipſum Argumenti ſubſtrati nucleum deguſtaturi ad πραγματολογίαν properamus. Ubi prima fronte illicò ſeſe offert Definiendi neceſſitas omnium ſuffragio inevitabilis; Aſt ſane, ſive Autorum tantis opinionum divortiis fluctuantium farraginem; ſive irretitam ipſius rei naturam ſpectes, tam operoſa, ut, niſi forſitan temere quid dicere velimus, aut precariam penitus Doctrinam afferre, in hocce diverſorum Agentium atque Effectuum ſimultaneo concurſu vix arbitrer me inſulſe licet paradoxologice facturum, ſi cum profundo Philoſopho *Democrito, Hominem definiente id, quod omnes ſcimus;* referente *ex Empirico Gaſſendo Exerc. Paradox. 5. adverſus Ariſtoteleos:* pariter & ego Reſpirationem definirem id, quod omnes ſcimus eſſe Reſpirationem. Faciliùs quippe totum fere Reſpirationis Cauſarum ac Modi fiendi nexum analytice exponere, quàm hæc omnia conciſo verborum ſyrmate, unica ſcilicet paucarum linearum Definitione, prout Dialecticæ Leges (quo jure hîc non diſquiram, cum docte ſolideque id fecerit ſolide doctus *Gaſſendus, l. c.*) exigunt, compingere: Ita quidem, ut ne verbulum gratis aut improprie dictum, calamo elabatur.

§.4. Ne tamen noſtros conatus diſſimulemus, ſpretis aliorum placitis, Reſpirationem Humanam definire liceat, quod ſit *Functio hominis nati atque viventis arbitraria, bipartita, ac non niſi ſub vitæ periculo ferians, qua indefeſſo reciprocationis motu, nunc amplior fiens thorax, aëri per os nareſve pulmones irruenti, eos expandendi locum cedit; Nunc rurſus illicò ſeſe coarctans eundem, pulmones conſtringendo, ſimul cum roridi halitus ſarcinâ maximam partem expellit; nonnullâ interim, utut minimâ, aëris parte in Maſſam Sanguineam, pulmones ex circuli lege, vaſorum pulmonalium ſanguifluorum beneficio, permeantem, tranſeunte; ad varios tum vitæ ſimpliciter, tum ejuſdemmet commodius ducendæ Uſus infrà pleniſſime diſquirendos adornata.*

§.5. Reſpirationem eſſe Functionem hominis viventis nati notanter dixi. In infrà ſequentibus quippe aliquot argumentis probatum dedi, Fœtum in utero ac ſecundinis ſepultum neutiquam reſpirare poſſe. Quod autem Reſpiratio ſit Functio arbitraria, cuilibet facile patebit, Inſtrumenta ejuſdem, Cauſas, Agendique modum, ac Uſus in ſubſecuturis attente perluſtranti. Accedunt hiſtoriæ illorum, qui Spiritu cohibito ſeſemet ipſos ſponte jugularunt: quarum unam refert *Galenus Lib.2. de Motu Muſc. cap.6.* binaſque ſuggerit *Valer. Max. Hiſtor. l. IX.* nec ſufficit objeciſſe, Reſpirationem etiam in ſomno nobis inſciis fieri, hincque evincere velle, eſſe illam è numero Actionum naturalium. Somnambuli enim atque ſomniloqui eruntne naturaliter ſeu involuntariò, an verò pro arbitrio animali agentibus annumerandi? Qua occaſione non poſſum quin mirabilem ex *Helmontio Tr. de Formar. ortu* §.53. hiſtoriam adnectam. *In claſſibus literariis*, inquit Autor, *mihi ſodalis erat in cubiculo, honeſtis civibus ortus. Hic clauſis oculis noctu plerumque ſurgebat, & oberrabat: clavem verò ſecum deferebat, ſeramque poſt ſe clauſam rediens aperiebat. Veſpere itaque ſurgo & clavem clanculum ſubter pulvinar abſcondo, ille vero in ſomno ſurgens abditam clavem velut ſibi viſam capit & abit. Sequor illum arreptâ tunicâ. Ille vero ſcandebat antiquum parietem terminum Collegii muſco ac fœno obſitum. Arcus enim erat, quo trans flumen ſuſtinebat paries murum horti vicini. Plenilunium erat & nox pruinoſa. Ad ſpectaculum*

culum horrui & præ frigore redii. Sodalis vero mox revertens tam inhæſitanter clavem in foramen clauſtri abdidit, quod vix ullus videns & ſub meridiem æque incunctanter id faceret. At manè omnium immemor erat. Hactenus ille. Alius quidam denſâ nocte ſurrexit, ignem ex chalybe ſuſcitando candelam accendit, verſus latinos compoſuit, contubernali monſtravit; in illis ſibi complacuit & manè itidem omnium immemor fuit. Hæc qui conſideraverit; merito mecum diſtinguet inter Actiones nobis inſciis quidem, non tamen nolentibus à nobis editas; & inter illas; qui nullo modo arbitrio noſtro ſubſunt; in quo tamen Reſpiratio perfectè poſita eſt, ita, ut illam pro voluntatis allubente Imperio accelerare ac retardare, varieque modificare, imò planè cum morte ſubſequente ſuſpendere poſſimus, uti ex memoratis liquet. Præterea altius forent repetendæ corporis viventis Actiones atque Motus, eorumque cauſæ, cur nobis aut inſciis, volentibus aut non volentibus, aut denique penitus nolentibus eorundem nonnullæ fiant, ſi hujus loci eſſent, quam ſolis diſtinctiunculis in Naturales & Animales, acquieſcere. Cauſam enim ſolidam ac peſpicaci ingenio ſatisfacientem attuliſſe; cur anima in ſomno, ſomniis, ſomnambulis, Ecſtaticis, ſimilibuſque caſibus alio penitus ac anomalo modo (reſpectu Actionum nobis conſciis ac præmeditato quaſi conſilio contingentium,) agat, hoc opus, hic labor.

§.6. Porrò bipartitam Functionem eſſe ἀναπνοὴν jamdum innui, cujus *pars prior*, dum primâ omnium vice reſpirare incipit natus ac ſecundis exutus infantulus, Inſpiratio eſt; quâ thoracem dilatat, ad cujus dilatationem aër præ tracheæ foribus quaſi expectans, illicò ponderis ſui mole in pulmones irruit, illoſque expandit, atque hâc ratione vaſa pulmonalia ab accumbentibus pulmonum veſiculis, ſuaque concidentia illa hactenus comprimentibus liberat, ſanguinique patentem tranſitum præbet. *Pars Reſpirationis poſterior* eſt Exſpiratio, qua aër ſponte illapſus rurſus à thorace coarctato è pulmonibus exprimitur expelliturque: aliquantilla interim, ſub utroque Reſpirationis Actu, aëris parte ſanguinem aliaſque conſequenter corporis partes tranſmeante. Sed omnia hæcce atque ſingula rudi ſaltem penicillo hîc adumbrata in ſubſequentibus uberrimè ducenda ac dilucidanda erunt.

CAPUT II.

Peculiarem Sciagraphiam Principiorum omnium Reſpirationis Actus Univerſè conſtituentium delineat.

§.1. QUoniam valdopere vereor, ut numeroſa Autorum, quotquot hactenus evolvere contigit, de recondito ac intricatiſſimo hocce Argumento tractantium, cohors accuratis ac circumſpectis ingeniis ſatisfaciat, quippe aut non omnes Reſpirationem integrantes partes explicantium; aut diverſam Cauſarum ac Effectuum huc concurrentium indolem haud ſatis diſtinguentium; idcircò, ut cuncta ἐμμεθόδως peragamus, rem, quod ajunt, ab ovo exordiendo, methodicam quandam cunctorum univerſo Reſpirationis Humanæ negotio, ſeu activè ſeu paſſivé inſervientium *Principiorum Sciagraphiam* præmittere haud inconſultum duximus.

§ 2. Dicta proindè principia bifariam potiſſimum conſiderari poſſunt; vel quatenus ceu homini propria intra ejus penetralia præexiſtunt; vel quatenus ceu communia illi, æque ac omnibus animantibus, extrinſecus circumfuſa data occaſione intro adveniunt. Intrinſeca rurſus vel immediatè ſub ſenſus cadunt, vel non cadunt. Inſenſibilia ſunt: Anima, Cauſæ primariæ aut principaliſſimæ (reſpectu ſcilicet ad rerum creatarum cancellos reſtricto, ineffabilique ac immenſo cauſarum univerſè omnium Chorago æterno, DEO, ubilibet reverenter præſuppoſito) Efficientis munus: & ſpiritus animales, Efficientis ſecundariæ vices gerentia. Bina hæcce Principia ſemper ſubintelligendo cum ſenſibilibus hîc potiſſimum nobis res erit. Senſibilia itaque principia intrinſeca iterum biſecanda erunt in cauſantia ſive Activè, & Inſtrumentalia, Paſſivè, reſpectu priorum, ſe habentia. Cauſantia ſeu Activa Principia ſenſibilia intrinſeca cauſantur vel efficienter, vel finaliter. Finaliter cauſantia videbimus infrà, ubi de variis Reſpirationis Humanæ Uſibus diſpiciendum erit. Efficienter Cauſantia intrinſeca vel Inſpirationem vel Exſpirationem cauſantur. Inſpirationem quæ efficiunt, ſunt Muſculi omnes (Animæ ac ſpirituum animalium influxu ubivis præſuppoſito) coſtas elevare valentes: idque immediatè in naturali ac moderata Inſpiratione, quales ſunt Serrati poſtici ſuperiores & inferiores, Levatores coſtarum *Stenonii*, & Cervicales deſcendentes à *Diemmerbroccio* deſcripti. In aucta verò ac intenſiori Inſpiratione, quin mediantibus Scapulis, per Muſculos ſubſcapulares alioſque dorſo affixis, Levatores ſeu Patientiæ & Rhomboidæi mutuam aliquatenus poſſint conferre operam, non eſt, quod dubitemus; cum idipſum ſitus ac connexio digito quaſi commonſtrent. His adde Diaphragma, præter diductionem, quam à thorace patitur, propria ſed modica ſaltem contractione ſua ad pectoris cavitatem augendam aliquantum contribuens, adeóque eodem Inſpirationis momento gemina motus Cauſa, intrinſeca una, altera extrinſeca, attamen ad eundem functionis ſcopum collimant, gaudens.

§.3. Hactenus de Principiis internis ad Inſpirationem efficienter concurrentibus. Exſpirationem quod concernit, videtur eadem, ſi ordinaria ſeu moderata ſaltem fuerit, à ſola coſtarum, ſterni, claviculorum, ſcapularum cum brachiis integris, omniumque adhærentium partium, ut & ipſorum pulmonum mole, conſueto gravitatis ritu deorſum (remittentibus cauſis ſuſtollentibus) tendente, effici poſſe; Si addideris Sacrolumbum utrinque ab oſſe Sacro & lumborum ſpinis exortum, coſtiſque inferioribus intus & extus affixum: niſi quod quadantenus ſymbolum ſuum conferant Abdominis contenta, verſus Diaphragma tantillum relabentia. Quæ tamen, quod non ſimpliciter ad Exſpirationem neceſſaria ſint, ſuadet Experimentum, quò, remotis iiſdem in cane Diapragma nihilominus exſpirando rurſum ferri demonſtratur. Si verò præter ſolam aëris admiſſi halituumque expulſionem fortior Exſpiratio (in quemcunque denique finem inſtituatur) fieri debeat, præmemoratis Exſpirationis cauſis inſuper auxiliatrices jungunt manus muſculi Abdominis Recti præprimis atque Obliqui.

§ 4. Hucuſque fuerunt Reſpirationis Principia intrinſeca ſenſibilia efficienter aut Inſpirationem cauſantia: nunc locum ſibi poſcunt Principia interna inſtrumentaliter ſeu paſſive ad hocce Reſpirationis negotium concurrentia. Ubi præliminariter notandum, quod, niſi ἀκυρολογίαν committere velimus, ſolide philoſophantibus exoſam, nec muſculi ſuprà inter Activa ſeu Efficientia Principia numerati; nec Spiritus animales reſpectu ad Animam; nec ipſa denique Anima, niſi in æternum Numen (quod Chriſtiani meritò omnium Motorem abſolutiſſimè primum ac prorsùs independentem veneramur) injurius ſis, Cauſarum propriè Efficientium nomine ac munere æſtimari queant, uti ſuprà jam innuimus. Attamen cum reſpectivè ac indulgenter in prioribus Muſculos ibidem recenſitos Principiorum Activorum ſeu efficienter cauſantium officio dignati ſimus, quatenus ſcilicet Efficientium in Reſpirationis actu cauſarum primæ in ſenſum immediatè incurrunt; idcircò Inſtrumentalia ac paſſiva Reſpirationis Principia intrinſeca, partim in Inſpiratione, partim in Exſpiratione, partim etiam,

(diverſo licet reſpectu,) in utroque conducentia erunt, omnes tum Spiritus animales, tum Atmoſphæram aëream, aut tranſmittentes aut excipientes continentesve; nec non thoracis cavitatem circumſepientes corporis humani partes; quarum præcipuæ aut peculiarem conſiderationem promerentes ſunt Nervi, (ut ipſius Reſpirationis ordinem obſervemus) Cervicis, Dorſi, ac Lumborum, Oſſiſque Sacri Vertebræ, Coſtæ omnes tam Legitimæ quàm Nothæ, Sternon, Claviculæ, Scapulæ cum Muſculis, quibus Dorſo nectuntur, Muſculi ſubclavii, Intercoſtales externi ac interni, Triangulares, quos *Marchetus* pro Intercoſtalium portionibus agnoſcit:) Pleura, ſuperficiem concavam thoracis ſuccingens ac proximè integrans, & Diaphragma quatenus à thorace diducitur: Hinc Nares, Oſve patulum, aut horum quadantenus Vicarii ductus Tulpiani ſeu verius Fallopiani, fauces, Larynx nec muſculis nec Epiglottide clauſa, Trachea, ac veſiculoſa pulmonum moles integra; Hinc ſanguis, ſuccique reliqui, Vena pulmonali, Corde ac toto conſequenter corpore, vaſis tamen præcipuè arterioſis circumerrantes, &c.

§.5. Hæcce de Principiis Humanæ Reſpirationis homini propriis, inque ejuſdem tum Ergaſtulo corporeo præexiſtentibus, tum arbitrio poſitis, ſufficere queunt. Reſtat ut de altero Reſpirationis principiorum ſummo genere mentem aperiamus, quippe quod non tantum Reſpirantibus creatis omnibus commune reſpectuque Reſpirationis futuræ, (non præteritæ) extraneum penitus, ſed nec horum nutu niſi accidentaliter & ex conſequenti ſolummodò ad reſpirandum concurrit, in quo tamen totus ferè Reſpirationis Cardo vertitur, undè & concurſum ejus, rei quippe omnibus animalibus ad vitam ſimpliciter tantopere neceſſariæ, tam univerſalem, tam promptum, tamque difficilimè excludendum ordinaſſe utique videtur Summus rerum omnium ac Sapientiſſimus Arbiter, ut, etiamſi nulli penitus animantium in iſtud Principium ullatenus niſi ex accidenti duntaxat, jus ſit; Attamen quam vaſtus etiam eorundem per totum terrarum orbem ſparſus ſit numerus, licet omnia ac ſingula unico eodemque momento pectus Reſpirandi gratia expanderent, non poſſit non paratiſſimo affluxu ad vota eorumdem explenda irruere; adeò, ut vel ex hoc ſolo meritiſſime ab harum rerum contemplatore ſedulo cum *Propheta Iſaia c. XXVIII. v. ult.* tantis qui inſigniatur elogiis digniſſimus ſit; *Eſſe ſcilicet in conſilio ſtupendum, in operatione Excellentem.* Hæc proinde principia extranea atque extrinſecus intrò, data porta ſpatiove, ruentia ſunt Atmoſphæra aërea, omniaque inibi diffuſa atque natantia effluviorum Globi Terraquei agmina. Quæ cuncta tamen in ſubſequentibus collective ſub uno eodemque aut Aëris aut Atmoſphæræ nomine ſalutabimus.

§.6. Atmoſphæra itaque eadem tum active tum paſſive ad Reſpirationem concurrere reperitur; quod, niſi diſtinctis fieret temporum momentis, implicare videri poſſet. In Inſpiratione quippe Aër agentis ac efficienter pulmonum expanſionem cauſantis munus; ſubſequenti vero Exſpiratione revera Paſſi vices ſubit, è pulmonum quippe cavernulis à thorace ſubſidente expulſus atque expreſſus. Sed hancce de Aëris Natura ac Motu Doctrinam fuſius explicandi infra commodior dabitur locus, in quantum ſcilicet ad hancce functionem pertinere videbitur.

CAPUT III.

Thoracis Structuram in Reſpiratione præprimis attendendam ejuſdemque Motum inculcat.

§.1. SIc fuit præmemorata Principiorum quatenus Univerſam Reſpirationis Humanæ Functionem conſtituunt, *Sciagraphia* ac ſeries. Porrò ſubnata nobis dilucidius reddendi hoc argumentum ſpes de quorundam majoris præ cæteris in Reſpirationis negotio momenti, Principiorum ſtructura, indole, ſitu, motu atque effectibus peculiari ſcrutinio mentiſque indagine dignis, nec non perplexo eorundem, ac intricatiſſimo agendi aut patiendi modo exactius perquirendo, nos admonet.

§.2. Sedulò autem corporis totius ſitus in explicandis Reſpirationis partibus atque phænomenis obſervandus ac diſtinguendus eſt, ne error nobis in enunciando, Lectori autem benevolo in concipiendo obrepere poſſit. Notet proinde ſemel pro ſemper B. L. nos imposterum ubique de homine loqui, quatenus is, erecto ad ſidera vultu ac corpore, pedibus innitens, perpendiculariter ac per angulos rectos (ſi non mathematico rigore, ſaltem ſenſu phyſico, quem itidem ſemper in infra ſequentibus ſubintelligimus:) horizontali globi noſtri plano inſiſtit.

§.3. His nullibi non præſuppoſitis, in ſpinoſiſſima ac contentionum feraciſſima hac Materia, Analytica utar Methodo, phænomena ſcilicet ipſo ſenſu nota præmittendo; hincque ad ulteriorem cauſarum inveſtigationem accurato ac circumſpecto ratiocinandi modo progrediar. Notandum itaque, arcuatam coſtarum ſtructuram cum ſpina dorſi neutiquam, nec conſequenter cum ſterno, committi per angulos rectos, ita ut rectangulam cum illa crucem referant; ſed declivi admodum ſitu ſpinæ vertebris eſſe affixam, præſertim inferiores ac ſpurias; anguloſque à parte inferiori acutiores, à ſuperiori vero obtuſiores conſtituere; hinc & verſus curvam ſui partem depreſſiores eſſe; adeo, ut, ſi linea ſecundum coſtæ alicujus ductum in altero laterum ſitæ duceretur eadem cum globi Terraquei ſuperficie non parallela ac pari ſemper ab eadem diſtantia curreret; (quod fieri neceſſum foret, ſi tranſverſim ac cruciformiter cum ſpina conjunctæ eſſent coſtæ:) ſed oblique deorſum ad terræ planum properaret, brevique ad id pertingeret. Hinc ſequitur infallibiliter, quò magis coſta, dicto modo ſpinæ inarticulata, erigitur, eò obtuſiorem fieri angulum ejus inferiorem, qui antea fuerat obtuſior, ſicque utrumque angulum ad rectanguli figuram accedere propius, ac conſequenter ſemicirculares coſtas magis extrorſum, id eſt, verſus omnia ſemicirculi coſtarum puncta magis protuberare, quo altius coſta erigitur, id eſt, quo magis arcuatè coſtæ media pars à ſpina per ſui elevationem recedit, magiſque ad lineam tranſverſam, reſpectu ſpinæ conceptam, coſtæ appropinquant. Hæc omnia in Inſpiratione dicto jam ritu; contrario autem penitus per omnia in Exſpiratione quod eveniant, mechanica neceſſitate ſenſuumque miniſterio liquidiſſime conſtat.

§.4. Notandum ulterius, totam coſtarum cum claviculis, ſterno & ſcapulis affixis compagem eſſe mobilem, imo & actu in moderatiſſima quoque Reſpiratione ſurſum ac deorſum moveri, ſeu, accuratius loquendo, motum in orbem progrediendo, eademque, qua iverant, via regrediendo, incipere ſive attentare. Attentare notanter dico, quia neutiquam integrum circulum, imo ne quidem octavam circuli partem deſcribunt, verum deſcribere attentant ſolummodo; nec tamen recta ſurſum aut deorſum, ſed circulariter moventur, ſeu potius moveri incipiunt, tum quando à muſculis huic officio dicatis attolluntur, tum quando propria totiuſque thoracis mole gravitante ſubſident, perque muſculos Sacrolumbos & Abdominis Rectos atque Obliquos deorſum trahuntur, Thoracis hunc motum etiam in liberrima Reſpiratione obſervabilem contra induſtrium *Bartholinum, nec non pleroſque alios* noto. Neque *Galeno* lenem, à ſolo diaphragmate dependentem; ejuſdemque nec fortiorem, muſculis intercoſtalibus concurrentibus factam; nec tertiam illius ſublimem, diaphragmate, intercoſtalibus & thoracis

racis muſculis ſimul agentibus. Reſpirationem admittere ſenſuum accurate obſervantium ; ad quod appello, tribunal indulget. Neutiquam enim ratione Diaphragmatis aut muſculorum intercoſtalium Reſpiratio differre poteſt ; cum nec ab his, nec ab illo ; nec ab utriſque, juncta licet opera agentibus, Reſpiratio fieri poſſit, niſi coſtarum motus per muſculos ad id deſtinatos celebretur. Sed de his fuſius infra.

§. 5. Quod autem motus coſtarum tendat in orbem, optimè intelligere poteris, ſi, ut rudi utar exemplo, Siphonem recurvum ac bicrurem, (non vero rectangulum) binis ſuis crurum extremitatibus (coſtæ recurvæ trunco ſpinæ adhærentis inſtar) arbori cuidam, quocunque modo tranſverſum affixum concipias, ita quidem, ut in altera extremitate recurva ſurſum deorſumque, non recedentibus interim ab arbore binis cruribus, moveri queat. Bicruris hicce ſipho, ſi in curvata parte aut elevetur, aut deprimatur, ſemper circulum deſcribere geſtit ; imò licet funiculum supernè alligatum ac non niſi verſus unicum idemque punctum recta ſurſum trahentem concipias ; nihilominus tamen in ſubſtrato hoc ſimili motus affixi ſiphonis ſpecificè ſimul modificabitur in orbem, propter ſui ſtructuram & nexum cum arbore. Pari penitus ratione ſemicircularium coſtarum extremitates binæ in utroque latere ſterno & ſpinæ, veluti ſiphonis crura arbori, inarticulatæ ſunt, ut ſemicircularis earum circumferentia à muſculis in Principiorum Sciagraphiâ enumeratis, ſurſum deorſumque ; ratione autem nexus cum ſterno & ſpina, motum in orbem determinantis, circulariter moveri queat. Hinc quia coſtæ non exactè tranſverſùm cum ſpina junguntur, quin potius ſemicircularis earum circumferentia infra tranſverſam ſeu horizontalem lineam deorſum mergatur, ac ex conſequenti ſpinæ, perpendiculariter Terraquei globi plano innitenti, propinquior ſit ; idcircò, dum à ſupra deſcriptis muſculis attollitur dicta coſtarum recurva pars, atque ad tranſverſam rectangulamque, (reſpectu ſpinæ animo fingendam) lineam propius accedit ; & à ſpina recedit ; inevitabili neceſſitate extrorſum magis protuberat ; idque ſpatio majori, in medietate ſemicirculi coſtarum ; paulo minori verò in punctis, coſtæ extremitatibus, ſive ſterno & ſpinæ ; propioribus. Adeoque coſtæ in Inſpiratione ſurſextrorſum moventur, partim, idque primario, muſculorum Inſpirationi deſtinatorum motu cogente ; partim vero, idque ex accidenti, ipſarum coſtarum ſtructura, ſitu, ac nexu cum ſpina & ſterno, neceſſitante. Si itaque Autores, de muſculis coſtas extrorſum trahentibus loquentes, rem ita intelligant, ut ex accidenti extrorſum, proprie autem ſurſum, (ſeu, ut ſæpius antea dictum, accuratius loquendo, in orbem) coſtæ moveantur, tolerari poſſunt. Sin vero velint, coſtas per ſe extrorſum abduci, (quorſum in diverſis locis inclinare videtur *Bartholinus & alii*) errant. Coſtas enim proprie nec abduci, nec adduci poſſe, cuilibet facillimè patebit, firmum earum cum ſterno nexum intuenti.

§. 6. Dicta hæcce de thoracis Structura ac Motu obſervandum inſimul ſuggerunt, præter explicatum in præcedentibus coſtarum motum ſurſextrorſum fientem, neceſſario conſimili lege itidem moveri partes coſtis affixas, quarum ſtructura atque connexio cum coſtis, mixto harum motui, non tantum per ſe, ſed & vicinarum partium reſpectu, convenientiſſima atque ad id ſapientiſſimo naturæ Autoris conſilio coaptata. Hæ proinde partes coſtarum motui, tanquam efficienti cauſæ, obſequium præſtantes ac præſtare valentes ſunt duplicis generis : Aliarum enim motus ad Reſpirationem neceſſarius eſt, eandemque juvat ; quales ſunt Sternon cum claviculis, Muſculiſque intercoſtalibus atque ſubclaviis & Diaphragma ; de quo infra plenius. Aliarum non ita neceſſariò requiritur ; ceu ſunt Scapulæ, quatenus à coſtis ſimul attolluntur, & abdominis viſcera atque contenta, ab iiſdem motis diaphragmatis interventu, propulſa, de quibus αὐτοψία frequenti examine in proprio erectoque corpore, ac pedibus inſiſtente, facto, firmata dictitat ; eadem in Inſpiratione naturali ac libera ſupra umbilicum vix ad digiti auricularis tranſverſi craſſitiem antrorſum protuberare, expirandoque rurſus ſubſidere. In extrema autem, quæ fieri poteſt ; digitum auricularem tranſverſum extumeſcendo vix tranſgredi, de quo paulo poſt, ubi Diaphragmatis ſtructuram & Motum dilucidamus. Sterni itaque ac clavicularum motum, æque ac coſtarum, ſurſextrorſum Inſpirando ; ac contra deorſintrorſum Exſpirando fieri, ſenſuum ſedulo obſervantium teſtimonio liquet.

CAPUT IV.

Intricatam Muſculorum Thoracem in Reſpiratione moventium Doctrinam ſedulo perquirit atque elucidat.

§. 1. HActenus de Coſtarum ac Sterni potiſſimum ſtructura, ſitu, connexione ac motu ; nunc congruum ſibi locum in ordine, vendicare videbitur Muſculorum, præter Diaphragma, ad Reſpirationem, tum moderatam, tum auctam, facientium, inque Principiorum Sciagraphia noſtra nomine tenus duntaxat memoratorum, plenior explicatio, muneriſque eorum fundata aſſertio. Ubi tanta ſeſe primo ſtatim intuitu offert Auctorum adverſa fronte pugnantium diverſitas, ut, cui tuto aſſentiaris vix reperias. Diligentiſſimus *Mayovvius Tr. ſuorum Part. I. p.* 283. vult, coſtarum ſublationem fieri à ſolis muſculis intercoſtalibus utriſque, inque officio conſpirantibus. *Schvvammerdammius vero Tr. de Reſpir. c.* 2. in Inſpiratione Subclavium, intercoſtales exteriores, coſtarum Levatores, & Sacrolumbum ; in Exſpiratione contra intercoſtales interiores, triangularem, ac itidem Sacrolumbum, ut & Abdominis Muſculos, præprimis Obliquum deſcendentem agere dicit. Alii alios addunt, ac prædictorum aliquos omittunt. Sed cum non tam probent quam dicant Autores, nec mihi, nec aliis forſitan, ſatisfaciunt. Enimverò ceſſarunt hoc die Oracula, dudumque excuſſerunt brutum illud ſimpliciter aſſentiendi jugum ingenia liberè veritatem perſcrutantia : idcircò & noſtram de Muſculis Reſpiratoriis ſententiam, rationibus inductivis munitam, candidis ingeniis exponere, nulla ad aliorum Autoritates facta reflexione, haud verebimur ; de Diaphragmate quidem Capite ſequenti ; de reliquis autem hoc in loco.

§. 2. Sed ne ἀμέθοδως procedamus, *Axiomata*, quædam huc ſpectantia, & per ſe, attento animo rem perpendentibus, indubitatæ veritatis futura, præmittere, conſultum duximus ; quorum *primum erit :* omnem muſculum agere ſui contractione, ex interno principio orta, hinc & intumeſcentia duriuſcula, eaque, tum actioni, tum corpori ſuo, proportionata. *Secundum ſit:* omnem muſculum, partibus tum ſtructura, tum loco, tum mobilitate reſpectiva differentibus, utrinque affixum, trahere verſus partem immobiliorem ; ſive id fiat immediatè, quale quid fit v. gr. in Muſculis Abdominis Rectis, imò pleriſque totius corporis muſculis, recta verſus terminum fixiorem moventibus ; ſive mediante corpore quodam interpoſito, tractum prius aliorſum determinante, licet tandem nihilominus, ſi tractio continuaretur, pars mota perveniret ad partem, cui muſculus eſt affixus. Exemplum ſubminiſtrat Muſculus Trochlearis oculi. Is enim licet verſus partem trahat, à qua oritur ; attamen non trahit immediatè verſus terminum partis iſtius ; ſed potius verſus terminum Trochleæ, quam pertranſit tendine ſuo ; ſicque eventualiter ſaltem, ſi tractatio continuari poſſet, oculus pertingeret ad ortum Muſculi iſtius ; non vero immediate.

§. 3.

§ 3. Binis hiſce Axiomatibus ſubjungo *Poſtulata* totidem, tum Rationi, tum principiis Anatomicis optime quadrantia. *Primum ſit :* Muſculos, licet parti movendæ non immediate inſertos, poſſe eandem nihilominus movere mediantibus aliis, quibus immediate affixi ſunt, partibus ſi nulla adfuerint impedimenta. *Secundum ſit :* Muſculorum Actionem immediate ſenſus non ferientem, poſſe tuto inveſtigari, atque concludi ex partium, quibus affiguntur, ſtructura, ſitu, motu, &c.

§.4. Huncce præmiſſorum *Quaternarium* ad ſubſtratam de Muſculis Reſpirationis primariis materiam ſic applico : Primò, cùm ſenſuum evidentia conſtet, Thoracem Reſpirando actu, primarioque ſurſum ac deorſum moveri, ejuſque reſpectu ſpinam integram cum oſſe Sacro, Os Ilium, Pubiſque eſſe partes fixiores, omnemque denique motum in corpore organicum fieri à muſculis : hinc ſequitur, vigore poſterioris Axiomatis, ac Poſtulati utriuſque, omnes Dorſi & Abdominis Muſculos, altera ſui extremitate partibus dictis : altera vero Thoraci, aut immediate, aut mediantibus aliis partibus ad id idoneis affixos, eundem verſus Partes iſtas minus mobiles aut movere ſemper, aut, urgente neceſſitate, movere poſſe. Cum autem porro, tum propria obſervatione, tum virorum in Anatomica Arte facile principum, *Julii Caſſerii Placentini puta*, *Veſlingii*, *Bartholini*, *Dümmerbroccii*, aliorumque conſentanea relatione, ſenſuali experientiæ innixa, pariter liquidum ſit Muſculos, in Principiorum Reſpirationis Sciagraphia, ſub efficienter hanc functionem cauſantium titulo deſcriptos, eſſe (Diaphragmate excepto) altera ſui extremitate dictis partibus immobilioribus; altera vero Thoracis compagi, vel immediate, vel mediate affixos. Ergo concludo, eoſdem pectus in Reſpiratione, vel ſurſum, vel deorſum, partim movere, partim, & quidem aucta Inſpirandi Exſpirandique neceſſitate, movere poſſe. Notet autem B. L. me hic ſaltem de motu ſurſum deorſumvè fiente loqui, hic enim motus proximè & primariò à ſolis muſculis dependet. Nam quod Thorax in Inſpiratione, præter motum ſurſum, ſimul etiam extrorſum : in Exſpiratione verò, præter motum deorſum, ſimul & introrſum, moveatur, id Muſculis per accidens ſolummodo ac ſecundario imputandum, quippe quod proprie ab ipſa coſtarum ſtructura mechanica, ſitu, & connexione provenit, uti ex ſuperioribus liquet.

§.5. Immediate itaque Thoracem pro Inſpiratione elevant Muſculi Serrati Poſtici ſuperiores & inferiores, Levatores coſtarum *Stenonis*, & Cervicales deſcendentes *Dümmerbroccii*. Oriuntur enim omnes à vertebris, reſpectu coſtarum ſuſtollendarum ſuperiori loco ſitis, & deſcendunt in coſtas ſingulas, hiſque tendinibus ſuis inſeruntur, unde non poſſunt non coſtas parteſque adunitas ſurſum trahere. Mediantibus autem Scapulis, ad tollendum, pro Inſpiratione intenſiori, Thoracem, Muſculos Levatores ſeu Patientiæ & Rhomboidæos operam ſuam conferre poſſe, probabile eſt, quia oriuntur à colli & ſuperioribus dorſi vertebris, ac pauliſper deſcendendo Scapulis Dorſo affixis, inſeruntur. Accedit, quod in Aſthmaticis & moribundis extremo conatu ſpiritum haurire adnitentibus Scapulæ quàm maxime eleventur. Quod ipſum etiam in ſanis alta ſuſpiria ducentibus, nec non in patibuli candidatis, Aëra jamjam ultimato reddendum, trahentibus, obſervare licet. In Exſpiratione autem, eâque naturali ac moderata, unicum ſaltem Muſculorum par, ſcientiſſimo Naturæ Autoris conſilio, agit; Sacrolumbi videlicet, ab Oſſe Sacro & lumborum ſpinis, eodem cum dorſi longiſſimo muſculo Principio exorti, aſcendendo autem ab illo deflectentes & ſingulis coſtis pinnis ſuis inſerti. Nec enim opus erat ad liberam hanc Exſpirationem pluribus muſculis, cum ex indole rerum naturalium gravia cuncta, qualis etiam eſt tota Thoracis ſublati moles cum omnibus partibus annexis, vel ſponte deorſum relabantur. Induſtrium interim *Schvvammerdammium* miror, quomodo tantoperè labi, ac contra Anatomicorum Principia non tantum, ſed & ſanam rationem ſenſuum teſtimonio fulcitam tam inſigniter impingere potuerit, Muſculo Sacrolumbo contrarias prorſus actiones aſſignando : Scilicet tam Inſpirando thoracem elevare, quàm Exſpirando deprimere ac coarctare; cum ἀδύνατον prorſus ſit, quod unus idemque numero muſculus immutatis ſitu, nexu, contractioniſque modo, diverſas planè ac oppoſitas actiones celebrare poſſit, ſcilicet nunc ſurſum, nunc deorſum trahendo. In aucta denique quacunque Exſpiratione Muſculi Abdominis recti atque obliqui concurrunt, utpote ab Oſſe Pubis & Ilio, vertebriſque lumborum oriundi, ac parti Thoracis inferiori affixi : quorum Actio inſuper & ipſo ſenſu accuratè ſcrutanti nota eſt.

§.6. Intercoſtales tum internos tum externos quod attinet muſculos, novi equidem, illos omnium fere Autorum Anatomicorum pariter ac Medicorum, unanimi conſenſu, coſtas attollere inferioreſque ſuperioribus adducere debere. Nam (uti quidem vult *Mayovvius*) ſuperiores coſtæ magis fixæ ſunt inferioribus. In diverſas quidem hac etiam in parte abeunt opiniones. Alii enim Externos ad Inſpirationem; Internos ad Exſpirationem : Alii contrarium : Alii utroſque ad Inſpirationem; nullos vero eorum ad Exſpirationem facere contendunt; quibus *Dümmerbroccius* contrarius. Quæ cuncta tamen cum non tantum ab illis non probentur, ſed nec ulla probabilitate gaudeant, ſimpliciter nego, I. Quia reſpirando nullam in illis contractionem ſentio, quod utique vi prioris noſtri Axiomatis fieri deberet; II. Quia coſtæ neque inferiores, neque ſuperiores, ſibi invicem, neque hic illæ adducuntur, ita, ut ſpatium inter ipſas imminuatur Inſpirando; Exſpirando autem rurſus ad priſtinam diſtantiam redeant; quod itidem neceſſario ad ſenſum mihi multoties experienti patere debuiſſet, præſertim in corpore, quale mihi conceſſit natura, neutiquam obeſo; III. Quia coſtæ omnes ab aliis modo enarratis Muſculis moventur, idque ſimul, eodemque tum temporis puncto, tum mobilitatis gradu : Intercoſtales itaque nec non ſubclavios muſculos coſtis, parietum inſtar, ad complenda interſtitia intercoſtalia, pectuſque integrandum, ac coſtas connectendas, intertextos eſſe, probabiliter concludo; quo munere Triangulares etiam, cum pro intercoſtalium portionibus cum *Marchetto* haberi queant, fungi, rationi conſentaneum eſt.

CAPUT V.

Genuinum Diaphragmatis in Reſpiratione Motum hujuſque Cauſas penitius diſcuſſas exhibet.

§.1. POſtquam itaque Thoracis ſtructuram atque motum, huncque efficientes Muſculos reſpiratorios luſtravimus, quidnam Diaphragma in Reſpiratione conferat, proxime diſcipiendum ſeſe offert. De iſtius proinde ſtructura, ſitu, ac nexu cum vicinis partibus, hincque emergente motus poſſibilitate notandum : claudere id ipſum ab infera parte Thoracis cavitatem cæteroquin apertam, non quidem ſitu exactè tranſverſo, ita, ut cum ſpina per angulos rectos committatur, ac cum plano terræ horizontali linea parallea feratur; ſed obliquo penitus, anguloque inferius multo obtuſiori, quam eſt ſuperior Thoracem verſus ſpectans. Ab anteriori enim pectoris parte per coſtarum circumferentiam arctiſſime adhærens, declivi ac obliqua palatenus linea deſcendit ad lumborum vertebras; (niſi quod in medio gibboſum quodammodo

modo fiat verſus pectoris antrum) quibus, intermediis lumborum muſculis, per carnoſa ſua appendicula bina affigitur, ſicque declivius evadit, quo magis ad poſteriora approximaverit. Nec minus tum notatu, tum mentis libratione dignum eſt, Diaphragma in tali ſitu declivi, quem imprimis ratione circumferentiæ obſervat, inſuper verſus centralem ſuam medietatem ſenſim globoſum, uti jam innuimus, nonnihil atque convexum eſſe verſus ſuperiora; hincque concavum, facie qua ſpectat Abdomen; adeoque non planum ac æqualis ſuperficiei, ſed in tumorem elatum, parte qua reſpicit pectus; ſinuoſum vero, qua Abdominis viſcera tangit, referre diſſepimentum atque parietem. Ab hac ſiquidem gibboſa Septi tranſverſi ſtructura, ſituque declivi, præcipua ejuſdem in bipartito Reſpirationis Actu pendere phænomena, mox innoteſcet.

§.2. Hiſce de Diaphragmate prælibatis, inoffenſo pede ad ipſius, quem in Reſpiratione edit, præcipuè tamen patitur Motum progredior. Ubi in primo ſtatim limine, quod dicam Diaphragma ad Reſpirationem, inſpirantem præprimis, magis patiendo quam agendo conferre, innumeros ferè, quos à permultis ſeculis huc uſque tulit ætas, Medicos pariter ac Philoſophos offendi prævideo, qui omnes uno ore Septum tranſverſum primariò efficientem, imò ſecundum plurimos, in naturali ac libera Reſpiratione per ſe & ſolum ſufficientem Reſpirationis Muſculum venerantur, unico forſan *Johanne Baptiſta Lambzvverdio* in ſua *Reſpirationis Schvvammerdammianæ Exſpiratione*, excepto, per quem & ego, quod hac in parte quoddammodo, (nam non penitus in puncto de Diaphragmatis motu cum illo facio,) profecerim, ingenue fateor, haud immemor *Pliniani effati, benignum ſcilicet eſſe, & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris.* Rationes quidem, quas affert *Lambzvverdius*, nullatenus me movent pro exautorando Diaphragmate, Efficientiſque principalis in Reſpirationis negotio munere privando; cum contra eos potiſſimum directæ videantur, qui Thoracem à Diaphragmate primario in Reſpiratione moveri aſſerunt; cui inconſideratæ opinioni Anatomicorum ac Medicorum pauciſſimi, (quantum quidem hactenus ex eorundem evolutione mihi conſtat,) favere videntur, niſi quod *Clariſſ. Bartholinus de Mot. & Subſt. Pulm. ſect. 4. ſcribat: Diaphragma muſculum Thoracis primarium eſſe, eoque vulnerato Thoracem concidere, quo concidente Reſpirationem ceſſare.* Hinc denique concludit, *in libera Reſpiratione Thoracem primario moveri à Diaphragmate, & à Thorace Pulmones.* Cæterorum enim plerorumque fert opinio Diaphragma eatenus ſaltem primarium Reſpirationis muſculum eſſe, quatenus ſui, muſculorum omnium ritu facta contractione, Inſpirationis tempore, Thoracis cavitatem auget; remiſſione vero rurſus imminuit: non vero Thoracem ab illo moveri. Quamquam haud ignorem ingentes adhuc inter ipſos vigere lites, an ſcilicet Septum in Inſpiratione, an vero in Exſpiratione verſus Abdomen deſcendat; Quas tamen in ſubſequentibus ex noſtra hypotheſi optimè diſſolvi confidimus.

§.3. Enim vero accuratam ſtructuram, ſitum, ac nexum Diaphragmatis atque Thoracis, à *Lambzvverdio* omnium exactiſſimè, circini evidentia, delineata, ſi cum experimentis quibuſdam hanc in rem facientibus libere, ac ſine præconceptæ opinionis labe perpendam, menteque ſedulo volvam, non poſſum non audacter animi ſenſa ingenuis arbitris exponendo dicere: Diaphragma videri panniculum quendam nerveo-muſculoſum, ventrem inferiorem à medio diſſepientem, Reſpirationis ſi ſpectes Actum, præter aliqualem contractionem propriam, præcipuè paſſivum, nec Muſculi primario reſpirantis, (uti hactenus ab omnibus ferè creditum,) vices gerere; moveri autem in Inſpiratione partim carnoſarum peripheriæ ſuæ fibrarum conſpicua, & (peculiari encheireſi canem ad duas ferè horas abſque convulſivo aut alio jactationis in corpore motu in vita, reſpiratione, & pulſu, ſervando) cuivis à me demonſtrabili contractione, abbreviatione, ac duriuſcula tenſione, globoſitatem ipſius deorſ-antrorſum protrahendo, explanationem reddente; partim vero, & quidem præprimis, eodemque momento à muſculis Inſpiratoriis ſupra enumeratis, coſtarum interventu ac ope, ſurſ-extrorſum in circumferentia, hinc & conſequenter in centrali parte pauliſper deorſ-antrorſum, gibbere ſcilicet plus explanato; unde etiam Mediaſtinum, cum annexo Pericardio ac Pulmonibus aliquantilla tenſione motuve teneatur, nec non Abdominis viſcera (hepar præprimis, ventriculus, inteſtinum colon & lien,) deorſ-antrorſum, licet vix ultra calami anſerini craſſitiem, propelluntur. Ex quo immixto Diaphragmatis motu ſpatii Thoracis concavi capacitas neceſſariò increſcit, ſicque aëri (ubicunque loca aliis corporibus non obſita occupare nunquam non geſtienti,) copiam facit, pulmonum diductilia ac ſinuoſa membranacea antra ſubeundi, eoſdemque obſequio promptiſſimos explicandi & expandendi. In Exſpiratione è converſo, coſtis, ob remittentes muſculos, deorſ-introrſum tendentibus, nec non Diaphragmatis fibris à tenſione contractioneque ceſſantibus, illius itidem circumferentia rurſus deorſ-introrſum; centrum vero ejuſdem rurſum ad priſtinam globoſamque convexitatem, ſimulque retrorſum, partim à Mediaſtino è pauxilla tenſione ſeſe reſtituente; partim à viſceribus Abdominis relabentibus promotum, tendit; adeoque in totius Reſpirationis ſerie, præter modicam contractionem, præcipuè, raptum coſtarum preſſuramque Abdominis viſcerum patiendo, confert, iiſque partibus obſequium præſtat; nec ullatenus, ut multi, iique non infimæ notæ Autores volunt, immoto Thorace, ſolum reſpirare poteſt.

§.4. Nec obſtat tantorum virorum aliter ſentientium ac Diaphragmati in Reſpirationis officio primas deferentium tantus numerus, tantaque Autoritas, quippe qui, ut cum *Seneca* loquar, *nulli eorum me mancipavi, nullius nomen fero; multum ſanè,* (fateor) *magnorum virorum judiciis tribuo, aliquid tamen & meo vendico. Imò ipſe Galenus,* Scriptor poſt *Hippocratem* in Medicina vetuſtiſſimus, maximæque apud Antiquarios autoritatis, *ſect. 5. Commentar. 1. in Hippocr. de Humor.* haud obſcure mihi patrocinatur; *in Medicina,* inquiens, *non eſt par, priſcis* (addo ego, & Neotericis, niſi Rationum & Experientiæ illorum pondera id ſuadeant,) *fidem ſimpliciter adhibere, ut ſi quid illi dixerint, ſtatim credamus, ſed potius Experientia & Ratione, verumne illud ſit, an falſum perpendendum eſt: quod qui non faciunt, ne illi vehementer errant, & in errorem alios inducunt.* Rationes autem & argumenta *Lambzvverdii*, cum, uti dixi, non tam pro adſtruenda hacce doctrina, quam ad diruendam eorum opinionem, qui Thoracem à Diaphragmate moveri ſuſtinent, militare conſtet; æquum erit, ut præmemoratam, de adimendo Diaphragmati in Reſpirationis munere primatu, ac paſſiva potiſſimum adſtruenda ejus ſorte, hypotheſin, ne precariò hæc attuliſſe videamur, argumentorum robore muniamus, explicatioremque reddamus ipſi.

§.5. Primo itaque Viſu ac Tactu, tanquam Criteriorum in Philoſophia, hujuſque genuina prole Medicina, certiſſimis, cuilibet accuratè attendenti planum fit, coſtas ſurſ-extrorſum Inſpirando, & contra deorſ-introrſum Exſpirando moveri. Prætereà motus coſtarum extrorſum etiam probatur experimento, quo pectus, omni Aëre efflato, faſcia commenſuratum in Inſpiratione, intenſiori præſertim, manifeſte amplius fieri faſcia prolongata, rurſus menſurando docet; quod & præter αὐτοψίαν affirmat *Bartholinus de Mot. & Subſt. Pulm. ſect. 2.* idemque Magni ingenii vir *Helmontius Tr. Catharr. delir.* Hinc ſequitur infallibiliter;

liter: quicquid coſtis undique per totam earum concavam circumferentiam eſt affixum, illud, ſi ſtructura præſertim ac ſitus conſpirent, eundem cum coſtis motum ſubire: atqui Diaphragma, per totam coſtarum circumferentiam, Peripheriæ ſuæ extrema ora, coſtis eſt firmiter annexum, & præterea, tum ſitus, tum ſtructuræ reſpectu, ad parem cum coſtis motum ſubeundum, aptiſſimum, Ergo Major omni exceptione erit major. Minorem probo per partes; prior liquet ſenſu, poſterior minoris pars patet 1. quia Diaphragma eſt corpus ſequax & diductile: 2. quia non eſt in planitiem extenſum, ſed in medio globoſum ac fornicatum, unde ſi peripheriæ puncta extrema, præſertim anteriora & lateralia, coſtis ſurſextrorſum movendis affixa, per iſtas dicto modo motas, ſurſum ac inſimul quaqua verſum à medio extrorſum abducantur & protendantur: neceſſario pars media globoſa fit plana & aliquatenus deſcendit. Hinc conſequenter contenta Abdominis Diaphragmati contigua non tantum deorſum, ſed & ſimul antrorſum propelluntur, quia ſcilicet ſeptum cum ſuperficie horizontis noſtri non eſt parallellum, ſed ſitu declivi verſus poſteriora, lumborum vertebras puta, fertur. Unde, ſi ex gibboſitate in planitiem extenditur, neceſſario etiam antrorſum protuberat. Confirmatur idipſum ex ſpirandi difficultate ob ventriculum plus æquo alimentis aggravatum, aut viſcerum Abdominis præternaturales tumores, aliaque Diaphragmatis concavo adnata impedimenta exoriente. Tale quid de Steatomate carnoſæ Diaphragmatis parti adnato inſignemque Dyſpnoeam creante ex *Veſlingii ſyntagm. Anat.* refert *Charleton Oecon. Animal. p.159.* Inſigniſſimus *Kerkringius* in egregio ſuo *Spicilegio Anatomico obſervat.89.* pariter recitat exemplum auctæ paulatim reſpirandi Difficultatis, ac denique nulla præcedente tuſſi, aliiſve pectoralibus Symptomatis, mortem inferentis, oriundæ ex corpore cavo, craſſa tunica donato, Diaphragmatis concavæ faciei accreto, nec non (horrendum dictu!) quadraginta circiter aquæ inſipidæ at fœtidæ uncias aſſervante. Præmemoratus autem Diaphragmatis inſpirando deorſantrorſum fiens modus adeo exiguus eſt, ut Abdomen exinde vix ultra calami anſerini craſſitiem (uti ſupra experimento notavimus,) ſub Thorace protuberare conſpiciatur; cujus ratio hæc eſt, quia Diaphragma non ſolum verſus omnia peripheriæ ſuæ puncta quaqua verſum à coſtis motis extenditur: ſed & ſimul, in omnibus ejuſdem peripheriæ punctis marginalibus, ſurſum ab iiſdem coſtis ſublatis, ſuſtollitur, ſicque centro ejus propter extenſionem à coſtis motis, & propria quadantenus contractione, factam, deorſum ad planitiem moto, ora ejuſdem Septi marginalis, contrario motu, ab iiſdem coſtis, præter extenſionem quaqua verſum extrorſum factam, ſimul ſurſum fertur, atque hac ratione centri deſcenſum, ac per conſequens abdominis protuberantiam, imminuit, exilioremque reddit. In explorando autem Abdominis, ab Inſpiratione facto, tumore, cautiſſimi ſimus oportet; Muſculi enim Abdominis ad quemcunque corporis motum promptiſſimè concurrunt, agendo intumeſcunt, ac protuberantiam ex Inſpiratione alias oriundam mentiuntur. In Exſpiratione poſteà naturali ac moderata viſcera abdominis non propelluntur ab hujus muſculis, Diaphragma ſurſum retrudendo; ſed propria mole Abdominis contenta ſeptum verſus relabuntur, cum non ſimpliciter deorſum, ſed & ſimul antrorſum ſubmota fuerint, unde ſi gravium ritu reclinent rurſus, nil mirum. In aucta vero Exſpiratione quacunque, etiam in ſola loquela, Abdominis muſculi utique concurrunt, licet non tam Abdominis contenta verſus Diaphragma compellendo, illudque ulterius thoracis cavo intrudendo, quam coſtas cum Sterno deorſum trahendo, ſicque thoracem ac conſequenter pulmones coarctando, utpote quod ſenſus ſedula cura intuentem docet. Hinc ſequitur: quo magis coſtæ ac Sternon per muſculos abdominis detrahantur os Pubis verſus, eò minus Diaphragma ſurſum per viſcera abdominis compelli poſſe, cum in tota circumferentia coſtis ſit affixum, ac conſequenter Thoracis cavo non ultra quam coſtæ id permittunt, impelli poterit.

§.6. Ulterius ac quidem ſecundo, theſin noſtram de paſſivo Diaphragmatis obſequio ſtabilire pergo, ducto à membranoſis quorundam animalium Septis argumento. *Aves*, inquit *Thruſtonius Diatrib. de Reſpirat. p.121. reſpirant ope Diaphragmatis non quidem carnoſi, ſed membranoſi.* Univerſus præterea ranarum grex non niſi pellucidam pro Diaphragmate monſtrat membranulam albeſcentem ac tenuiſſimam, quod vel centies repetita experimenta me docuerunt, ut plura omittam. His ſane niſi præjudiciis captus, muſculi primario Reſpirationem in hiſce animantibus efficientis officium aſſignare non poteris, quin potius veritati litando mecum concludas, membranoſa hæcce ſepta paſſiva ſolummodo moveri, cum tamen aves ranæque multo ſtrepitu ceu Reſpirationis effectu, coaxantes non minus feliciſſime reſpirent. Imo in ipſis canibus Diaphragma non admodum robuſtum, & craſſam fere membranam carnoſam ſaltem refert. Hæc itaque ut in homine quadantenus valeant, quid vetat?

§.7. Tertium porro argumentum ex Diaphragmatis totali in vivo homine abſentia depromo. Cum priora duo paſſivum ſepti obſequium in functione hac potiſſimum conferre monſtrent, hoc tandem Primatum ipſius impugnabo, oſtenſurus, quod, licet ſeptum fibrarum ſuarum contractiore abbreviatione quodammodò in Inſpiratione, ceu digniori atque ſecundum excellentiam dicto Reſpiratu, Cavo thoracis augendo ſubſerviat, neutiquam tamen primarii, minimè autem juxta nonnullos, per ſe ſolum ſufficientis, ſeu muſculi ſeu organi reſpiratorii dignitate ac titulo jure affici queat, ſed potius thoraci hanc prærogativam concedere cogatur; idque hunc in modum: Si Diaphragma, vita nihilominus per aliquot annos ſuperſtite, plane abeſſe potuit, utique non erit Reſpirationis, pari quippe cùm vita fere paſſu ambulantis, primarius Muſculus: ſed prius eſt veriſſimum; E. & poſterius. Refert namque (ut antecedens demonſtrem) ex teſtimonio *D. de Goyer D. VVaſſenaer, & duorum triumve Chirurgorum Dümmerbroccius Anat. p.122.* puellum quendam 7. Annos ſupervixiſſe Diaphragmate penitus deſtitutum. Et quamvis in vita aſthmaticus levi de cauſa frequenter valideque tuſſiverit, id tamen aliis conformationibus vitiis ibidem recenſitis meritò imputandum, nec argumento meo ullatenus officit, quin potius firmius idipſum reddat, quia tuſſis omnis, multo magis valida frequenſque, ſit aucta plurimum atque intenſior Reſpirationis actio, quam tamen in hoc puello abſque ulla ſepti ope contigiſſe palam eſt. Pro Thorace denique contra Diaphragmatis primas. Quarto & ultimo ex ipſo interno ac proximo Reſpirationis fine (Pulmonum liberiorem Diaſtolen innuo,) ſic argumentor: Quæcunque partes ſuo, dum ſub Reſpirando moventur ac dilatantur, ambitu majus capaciuſque Aëri, pulmones eò tumidius inflandi, ſpatium concedunt, illæ certè majorem vehementiuſque expetitam, adeoque & potiorem digrioremque pro Reſpiratione operam opemve conferunt, quam aliæ minorem capacitatem procurantes: Atqui ſubſumo de Thorace, &c. Proboque primò Majoris Conſequentiam legitimo nexu ex Cap.X: huc mutuando, quem ibidem plenius probatum dedi, nimirum; Principaliſſimum functionis reſpirantis Uſum eſſe, ut ſanguinis Peridromus imperturbato itinere per pulmonum vaſa procedat; id autem poſtulat, ut dicta pneumonica vaſa ſucco pererranti libere pateant; Hoc rurſus requirit, ut pulmonum veſiculoſa moles illa cæteroquin ſubſidentia ſua comprimens ab Aëris expanſione

ſubmovea

ſubmoveatur : id autem ex Aëris inferius explicando aſſerendoque Motu ac Indole fieri nequit, niſi ſpatium in pectore debitum pro pulmonum Diaſtole ab Aere illabente cauſanda præſto ſit: ſed hoc ipſum optimè tandem, multoque melius, capacius, laxius ſua comparat Diaſtole Thorax, quam Diaphragma, quod vel pueri ex ambitu illius multo ampliori ipſos ſenſus feriente (en habes quoque ſecundo ſtabilimentum Minoris!) inhæſitanter cernere poterunt. Fuſius itaque hucuſque dicta de Diaphragmatis in Inſpiratione præprimis motu, in pauca quædam notabilia ita conſtringo: 1. Motum Diaphragmatis non adeo magnum validumque eſſe, ut thoracis opera inſignius quid in Reſpiratione naturali ac libera ad ſpatium pectoris valdopere augendum conferre queat. 2. Moveri tamen ſat manifeſte; fierique ex globoſo planius, nunquam verò penitus explanari: 3. Motum autem hunc à duabus differentibus cauſis oriri, utut ad eundem ſcopum colliment & ille, & hæ; quarum altera eſt propria atque ex intrinſeco Agente orta, fibrarum carnoſarum à centro ejus membraneo ad muſculoſam peripheriam tendentium, coſtiſque circumcirca adnatarum contractio, ita ut in Syſtole ipſius cum thoracis pulmonumque Diaſtole iſochronica fibræ hæ colligantur, indureſcant, tumeant, abbrevienturque, (ad auricularis tranſverſi circiter menſuram in cane:) hinc & globoſitatem ipſius centralem nerveam pauliſper deorſum trahant, atque hoc pacto cavitati pectoris aliquale incrementum afferant; quod ad ſenſum, ut ſupra innui, peculiari modo canem tractando, demonſtrare poſſum, adeo ut nec querelis, quas de difficultate & obſcuritate Septi motum inveſtigandi fundunt *Lamzvverdius* aliique, nec fruſtraneo, reque indeciſa permanente diſceſſu, quem Clariſſ. *Plempio* cum ſociis ſuis Diaphragmatis motum perſcrutaturis contigiſſe conſtat, ullatenus opus ſit: altera vero eſt Thorax ritu ſuperius expoſito amplificatus, ſimul Septum, propter figuram ejus, ſitum & nexum diducens ac quodammodo explanans: attamen. 4. Hinc haudquaquam ſequi, eſſe Diaphragma Primarium, multo minus autem per ſe tantum ſufficientem Reſpirationis Muſculum; utpote quod de Thorace potius optimo jure prædicari poteſt ob rationes allatas: Tandem 5. ſub Exſpirationis tempore Septum, relatis quippe fibris propriis, nec non thorace rurſus conſtricto, ad majorem globoſitatem priſtinamque convexitatem præcordia verſus redire. Notanter autem dico Majorem; nam in Inſpirationis actu neutiquam omnem, ſed tantum aliqualem globoſitatem amittit, ac aliquatenus depreſſus evadit, adque planitiem accedit propius, nunquam vero penitus explanatur, unde & non adeo inſignem opem ad ſpatii pectoris concavi amplitudinem augendam contribuere poteſt.

§ 8. Jam denique, ut inſigniora quædam nobis apparenter adverſantia, obſtacula ſummoveamus, neceſſitas monet. Apparenter dico, cum revera nos non feriant, ſicuti circumſpecte penſitanti ex dicendis mox patebit. Primum eorum ſubminiſtrat experimentum *Lovverii in Act. Philoſ. Anglic. Edit. Lipſ. p.441. & à Thruſtonio l. c.* itidem propoſitum. Putat enim *Lovverius*, probari optime poſſe Diaphragma eſſe præcipuum reſpirationis organum, nervos ejus in utroque latere juxta Pericardium decurrentes diſſecando, utpote à quibus motum ejus fieri ſupponit. Operatio autem ipſius ſic ſe habet: Primo alterum latus aperit vulnere unius digiti longitudinem longo, Deinde immittit digitum, nervumque ad vulneris os protrahendo diſſecat, atque ſic canem dimittit. Eundem proceſſum etiam in altero latere ſervat. Hinc duos notabiles effectus ſequi ſcribit, 1. Enim in hoc cane, præſertim ſi illum poſt ſectionem agitaveris, admodum anheloſo, inſpirando abdomen contrahitur in tenuem longitudinem; exſpirando vero tumeſcit rurſus; utrumque hoc ſanorum reſpirationi eſt contrarium: 2. Coſtæ in hoc caſu ſolito amplius in extremam ac poſſibilem diſtantiam dilatantur. Quod fieri conſtet Autor ex neceſſitate naturæ, defectum motus Diaphragmatis, propter nervos diſſectos ingruentem, majori coſtarum dilatatione ſupplere intendentis. Sed condonet mihi Vir Doctiſſimus, in experimentando fortaſſis, quàm circumſpectè concludendo felicior, ſi ipſi fallaciam non cauſæ pro cauſa in præſenti negotio monſtraverim; nimirum commemoratos binos effectus non agnoſcere pro cauſa immediata ac genuina nervorum diſſectionem, ſed potius aeris per vulnera utriuſque lateris irruentis in pectoris concavo præſentiam, pulmonum debitam inſpirationis expanſionem imminuentem. Sicuti etiam ejuſmodi promptam aeris aperto pectore irruptionem notat perſpicaciſſimi ac candidi ingenii Vir Doctiſſimus *Gaſſendus in Append. de Pulſu & Reſpir.* commemorans, candelam, à chirurgo negligentius admotam, in vulnus thoracis ab aëre illabi conante fuiſſe adactam. Primum enim effectum quod attinet, videmus in quavis intenſiſſima Inſpiratione Abdomen etiam in ſanis, poſt aliqualem intumeſcentiam liberæ Reſpirationi propriam, attenuari, ac in tenuem longitudinem, uti loquitur Autor, contrahi. Quod autem in hoc cane fiat ejuſmodi ad extremum aucta inſpiratio, ſecundus effectus liquido teſtatur, per coſtarum ad poſſibilem diſtantiam elevationem. Cauſa autem intenſiſſimæ hujus Inſpirationis non eſt nervorum diſſectio, hincque motus Diaphragmatis privatio: ſed pulmonum requiſitæ, ab aere, per tracheam illabente, oriundæ, inſufflationis denegatio: Denegationis autem hujus cauſa eſt ſpatii, pro pulmonum expanſione in pectore requiſiti, imminutio: hujus rurſus cauſa eſt aeris per vulnera, digiti longitudinem æquantia, irruptio in thoracis cavitatem. Hinc etiam in Exſpiratione canis abdomen tumeſcit, quatenus ſcilicet per thoracis ſubſidentiam aer illapſus quaquaverſum, hinc & conſequenter Diaphragma & Abdomen verſus propellitur, atque hac ratione Diaphragmatis interventu abdominis extumeſcentiam ſuſcitat. Vulneris ſiquidem anteà per digiti intruſionem patuli libera deinceps concidendo aerem, non pari, qua admiſerant, promptitudine, exire ſinunt; quod & ex vi ſectionum αὐτοψίᾳ experimentis certò ſibi conſtare aſſerit ingenioſus *Mayovvius Tr. ſuorum Part. 2. p.87.* Cætera quæ *Lovverius* de equorum anheloſorum cum prædictis canibus ſimilitudine addit, proprie huc non ſpectant, cum ipſe ibidem fateatur, occurrere in ejuſmodi equorum aſthmaticorum pulmonibus manifeſta vitia.

§.9. Alterum obſtaculum ſuppeditare videtur *Pecquetti* experimentum à *Bartholino p.341. in Anatomia Nova* adductum. Omnibus nimirum thoracis & abdominis muſculis penitus abſciſſis, exceptis intercoſtalibus & Diaphragmate, animal nihilominus reſpirare. Sed vellem *Pecquettus* ſpecialius commemoraſſet Thoracis quos abſciderit muſculos, quippe in quorum numero non omnes conveniunt. Imò, non obſtante muſculorum thoracis diſſectione, animal optimè reſpirare poterit; modo (uti ex ſupra deductis liquet,) ſerrati Poſtici ſuperiores & inferiores, Levatores coſtarum Stenonis & cervicales deſcendentes Dümmerbroccii fuerint ſalvi; hi enim propriè & efficienter præcipuam reſpirationis partem, Inſpirationem puta, abſolvunt, coſtaſque ſurſextrorſum ducendo thoracem diſtendunt. Hæc pro enervandis, quas ex *Lovverie* ac *Pecqueti* experimentis nectere quis poſſet, concluſionibus.

§.10. Dixi porro ſuperius, ubi, quas ex mente noſtra in Reſpiratione Diaphragma habeat partes, explicui, Mediaſtinum, hinc & partes annexas, inſpirando aliquantilla tenſione affici atque moveri. Quod pariter, ne gratis dixiſſe videar, experientia probo: Sublato nimirum Sterno, per cartilaginum diſſectionem, videbis, moto Diaphragmate ſimul tendi atque moveri

Mediaſtinum cum adhærente Pericardio & pulmonibus, qui quidem pulmonum motus multis Viris doctis ſuppeditavit hactenus argumentum, infirmum equidem, pro demonſtranda pulmonum in Reſpiratione activitate, cum tamen in hoc caſu pulmones neutiquam expanſionis & coarctationis Motum Reſpiratorium ſubeant; ſed ſolummodo Mediaſtini adminiculo à Diaphragmate & coſtis per muſculos reſpiratorios moveantur ſurſum caput verſus ac deorſum, idque motu nullius fere, reſpectu alterius illius momenti; imo plane contrario alteri. Hîc enim amplificato pectore attenuantur pulmones à tenſione Mediaſtino & Diaphragmate mediantibus facta, & vice verſa. In altero vero & ordinario Inſpirationis motu, amplificato Thorace ſimul etiam expanduntur pulmones, & contra; quamvis Thoracis dilatationem nullatenus pro immediata pulmonum expanſionis cauſa agnoſcam, veluti infrà contra *Clariſſ. Dn. Bartholinum & Sylvium* firmiſſime demonſtrabo. Accedunt experimenta hiſce parallela ex *Bartholino Anat. Reform. p.*284. & *Charletono Oecon. Animal. p.*158. Hic enim, *pulmones*, inquit, *diu & valide moventur, aperto Thorace, modo* (arrige aures) *Mediaſtinum à Diaphragmate non fuerit ſeparatum.*

CAPUT VI.

Pulmonis Structuram atque Motum in Reſpiratione perſcrutatur.

§.1. Dictis proindè necnon probatis de Diaphragmate cæteriſque partibus ab internis Principiis reſpirando motis, quæ dicenda atque probanda nobis incumbebant; recta ad irretitam Pulmonum tàm ſubſtantiam quam motum progredimur. Et primo quidem ſubſtantiam eorum ex accuratiori Neotericorum ſenſu deſcribemus. Notandum itaque ſeſe offert, Pulmonum texturam, non, uti vulgò hactenus Medicorum atque Anatomicorum trita tulit ſententia, carneam; ſed præter vaſa ſanguiflua & aſperæ arteriæ tubulos penitus veſiculoſam eſſe. Quod ipſum ex vetuſtiſſimi *Coi* monumentis doctè eruere ſtudet *Clariſſ. Bartholinus Tr. de Pulm. Subſt. & motu. Hippocrates* ſanè divino ingenio Vir, & Adeptorum, judicante magno illo ex Igne Philoſopho *Helmontio*, particeps, pleraque quaſi per nebulam divinando vidiſſe ac ruditer adumbraſſe videtur, quæ ſcientiarum ferax hoc ſæculum ipſis ſenſibus palpanda ſiſtit, ac in lucem protrahit. Scribit enim *Libr. de Principiis ſeu Carnibus text.*9. *Verſion. & Edit. Linden. Cor ex humido, quod glutinoſiſſimum erat, calefaciens cito exſiccavit veluti ſpumam, fecitque antrorſum, & venulas multas in ipſo.* Quibus verbis tria tantum nominantur à venerando Sene Pulmonum Molem conſtituentia: Spuma ſcilicet, antra & venulæ, prætereaque nihil, nec non aliud parenchyma proprium carneumve. Pariter & poſt *Coum* notavit *Corn. ab Hogeland. Oecon. Animal. p.66.* Pulmonum parenchyma ex tenuiſſimis pelliculis, parvas cavitates (quas poros nominari poſſe cenſet,) efformantibus, conſtare. Hiſce conſona ferè ſunt *Plinii* verba dicentis *Lib.*2. *c.*27. *Pulmo ſpongioſus & fiſtulis inanibus cavus eſt.* Sed cuncta multo clarius ex ipſo naturæ fonte per experimenta ſenſu viſus armato peracta hauſit celeberrimus atque oculatiſſimus *Malpighius*. Is enim in binis ſuis ad *Johan. Alphonſ. Borellum* datis, ac à *Bartholino* editis *Epiſtolis* notat: Univerſam Pulmonum molem vaſis excurrentibus appenſam, non carneam, ſed aggregatum quid eſſe, ex leviſſimis & tenuiſſimis membranulis, quæ extenſæ & flatu ſinuatæ infinitas penè veſiculas orbiculares & ſinuoſas efformant, veluti in apum favis alveolos ab extenſa in parietes cera conſpicimus: Hæ talem habent ſitum & connexionem, ut ex trachea in ipſas, mox ex una in alteram patens ſit aditus, & tandem deſinant in continentem inveſtientemque membranam: Quæ veſiculæ, ſanguine ex vaſis per aquam immiſſam elato, ſubalbidæ & fere diaphanæ apparent; adeo, ut trachea, interior præſertim tunica, ſenſim in orbiculares has veſiculas cellulaſque efformari ac terminari videatur: Ex vaſis autem utriuſque, arteriæ ſcilicet & venæ pulmonalis, exiliſſimis propaginibus annulatim & tortuoſe immixtis ac confuſe pertextis efformari quaſi Rete quoddam mirabile undequaque extenſum, ſingulaſque extuberantes veſiculas vinciens ac colligans, per quod, tanquam per vaſorum Synanaſtomaſin, ſanguis tenuiſſimis rivulis fertur, neutiquam vero extravaſatur: adeóque Rete illud non eſſe nerveum, ſed ipſa vaſa ſanguifera.

§.2. Hæc ex Malpighii utraque Epiſtola ſtudioſius ſic collecta volui, quo exinde notanter conſtaret. 1. Pulmonum Molem eſſe ſubſtantiam promptiſſimè ductilem, rurſuſque plicabilem. 2. Veſiculoſas eorum cellulas eſſe ad recipiendum fluidum aliquod corpus ſui extenſione, mutuaque communicatione aptiſſimas. 3. Nullas fibras muſculoſas, multo minus rubicundam muſculorum compagem (ſunt enim veſiculæ albidæ & fere diaphanæ) in ipſis reperiri. 4. Fluidum illos intrans corpus non alioſum, quam immediatè ex trachea in Pulmonum membranacea antra primariò labi; cum hæc propagata quaſi ſint trachea. 5. Sanguinem, licet non extravaſetur, nihilominus per ſubtiliſſimum vaſorum Rete, ad omnes quippe veſiculas attextum, ſua tranſpirare effluvia aquea cum exſpirato aëre in conſpectum venientia. 6. Rete illud non eſſe nerveum, multo minus fibroſum, ſed ipſorum vaſorum ſanguifluorum mirabilem texturam. Imò licet Rete illud non tam vaſorum Synanaſtomaſis, quam ex filamentis nerveis exiliſſimis contextum credatur; attamen nec Inſpirationi nec Exſpirationi conferre deprehenditur. Non Inſpirationi; Conſtrictio enim illius pulmonum dilatationi penitus obeſſet; Non Exſpirationi; cani quippe ſi celeri manu ſternum auferas, tracheam à Larynge diſſeces, à muſculis & cute ſepares, pulmones infles, ac illico tracheam vinculo arctiſſime conſtringas, ne unicum quidem in pulmonum ſuperficie contractionis conſtrictioniſque conatum ullumve veſtigium attentis licet oculis obſervare poteris, quin potius pulmones æque ac ipſe thorax in continua diaſtole, donec vinculum laxaveris, perſiſtant, qui tamen levi digito aliquantum faciliime comprimi poſſunt, quod & à nervei Reticuli, ſi qua foret, conſtrictione, ſaltem inchoative fieri deberet. Omnibus his probe notatis, cum inſpirando ſenſuum adminiculo doceamur, fluidam illam, quam aëra vocamus, nobis circumfuſam Atmoſphæram manifeſte per os nareſve (quonam acta motore poſthæc inveſtigabimus:) in Pulmonum cavernulas irruere; ſequitur, eandem non poſſe non veſiculoſam Pulmonum compagem dilatare, ac in omnes cellularum receſſus, (inter ſe quippe communicantium) ſeſe inſinuare, ſicque auctum illud pectoris ſpatium inſpirando procreatum, mediantibus Pulmonibus occupare. Præter os nareſque etiam, urgente neceſſitate, per aures, ductus à *Tulpio Obſerv.*35. annotatos, atque in os patulos trajiciendo, aër ingredi poteſt. Forſan hûc reſpexit *Alcmæon Crotoniates*, qui, teſte *Ariſtotele*, capros auribus ſpirare docuit. Aërem autem ſub inſpiratione illabentem Pulmones expandere ſic probo. 1. Quia alius locus non datur, quo ſe recipiat. 2. Corporum autem penetratio ex naturæ legibus eſt impoſſibilis. 3. Quia præterea nulla adeſt aërem condenſandi, ac in ſe, ad minus ſpatium occupandum, cogendi cauſa efficiens. 4. Quia experimentum, quo, pectore ſub dilatatione aëriſque ingreſſu pertuſo, pulmones etiam per vulneris hiatum erumpere tentant, idem probat. Manet itaque ratum, aërem, cum pectore ad inſpirandum dilatato, pulmones ingrediatur, ipſos neceſſario

rio Thoracis concavitati coëxtendere. Expirando autem, cum pectoris ſpatium non niſi ab eodem ſeſe rurſus deorſintrorſum coarctante imminuatur, neceſſariò, etiam aër ex pulmonibus complicabilibus ab eodem thorace ſimul exprimitur.

§.3. Hæc omnia, cuicunque tùm veterum; tùm modernorum, tam inutiles de Pulmonum Motu rixas agitantium, facillimè conſtare potuiſſent. Nec video, quonam argumento negligentiam atque hinc ortam ſuper hac re diſcordiam veriſimiliter tueri valeant. Si quæſtio foret; quam ob cauſam Aër inſpirando Pulmones ingrediatur? Forſitan patrocinium aliquod, licet infirmum, quærere poſſent, dicendo: defuiſſe ſibi tam clara de Aëris Natura & Motu experimenta, quibus Nobiliſſimus ac æternâ nominis memoriâ digniſſimus Vir *Otto de Gœricken*, florentiſſimæ Magdeburgenſ. Reipublicæ Ampliſſimus Conſul, hujuſque veſtigia legens novus ille naturæ Atlas illuſtriſſimus *Boyleus*, nec non ingenioſiſſimus *Sinclarus* orbem literatum hactenus bearunt. Jam verò, cùm ſenſu convincantur, imò ipſimet fateantur. 1. Thoracem inſpirando fieri ampliorem. 2. Aërem (quocunque demum motore, perinde hic eſt) inſpirando, tracheam & pulmones ingredi. 3. Pulmones eſſe molles flexileſque, muſculoſis fibris ceu propriæ explicationis organis deſtitutos, ſed potius tum expanſioni tum conſtrictioni patiendæ aptiſſimos: ac denique. 4. Expandi ſub Inſpiratione: idcirco miror ſanè tanta ingenia ex his præmiſſis talem concluſionem non eliciuiſſe: Ergò neceſſario aër irruens (à quacunque etiam potentia moveatur) ſequaces pulmones expandit. Hoc enim ſi feciſſent, ulterius negotium hoc rimantia ingenia fortaſſis ad miram ipſius aëris Naturam Motumque (de quorum exactiori Cognitione meritò ovant, æternaſque præmemoratis pereximiis Philoſophis nectunt laudes cuncti hujus ſeculi veritatis Sectatores:) perveniſſent. Sed imaginaria, quam poſteà perſtringemus, famoſaque illa Vacui Fuga unice in cauſa fuit, quo minus Aërem pro efficienter expandente pulmones principio agnoverint. Hujus enim Vacui Fugæ ergo Pulmones Thoraci coëxpandi maluerunt, quos deinceps tanquam dilatores præexiſtentes Aër ingrederetur, quam hunc pro dilatante ipſorum cauſa venerari. Naturam enim non tàm è Natura, ut cum Doctiſſimo *Morhofio Orat. de Studior. Intemperant.* loquar, quàm è cerebri ſui anguſtiis depromptam faſtidioſis Commentariis magis intricarunt; quam explicuerunt. Unde & tanta inter ipſos nata ſunt diſſidia, tantaque opinionum farrago, ut ingenuis, & ſolidam doctrinam, non vero putatitia Autorum figmenta avidè ſitientibus, nauſeam penitus pariant, cùm tamen veritas ſit una ac ſimpliciſſima.

§.4. Hinc alii voluerunt, Pulmones ex ſe propriaque vi moveri. Inter quos *Ariſtoteles*, *Averrhoës*, *Sennertus*, *Horſtius*, *Platerus*, *Burſerus*, *Riolanus*, &c. *VVilliſius ait, Pulmones primos motuum inſtinctus accipere per nervos, quibus tum Diaphragma & motus thoracis ſuccurrit: Lambzvverdius* tanta inconſtantia ac incertitudine, ex matre ignorantia oriundis, circumvagatur, ut recenſitu indigna videatur ejus ſententia. Sed his omnibus oppono. 1. Pulmones thoracis integritate quocunque loco ſublata, ſtatim ſubſidere, nec amplius expandi aut coarctari, uti in Reſpirationis actibus contingit. Quod præter αὐτοψίαν experti ſunt *Highmorus Diſquiſit. Anat. Galenus Fragm. de Thorac. Motu*, *Bartholinus Anat. nova*, *Deuſingius de Reſpir. Svvammerdammius de Reſpir. & Sylvius Diſſ. Med.7.* Videantur etiam huc Theſes noſtræ de Diaphragmate. 2. Pulmones fibris & muſculis prorſus carere, à quibus tamen omnis in corpore motus organicus dependet. Imo etiamſi fibris eſſent donati, uti pluribus viſum eſt, ab iis tamen tantum abeſt, ut expandi poſſent, ut potius contrario motu conſtringerentur, ut id ipſum Veſicæ, Ventriculo, Inteſtinis, &c. Contingere obſervamus. Nec valet nervos Pulmoni datos objeciſſe, cum nec Lieni in motus gratiam datos eſſe tam copioſos arbitrandum; nec demonſtratum ſit hactenus, nervos nulli, niſi aut ſentiendi, aut movendi officio, eſſe deſtinatos; nec adeo multi Pulmonibus conceſſi ſunt nervi. 3. *Nic. Fontanum L.I. Reſp. & Curat. Medic. pag.55.* (quem citant *Bartholinus de Pulmon. Motu & Subſt.* atque *Illuſtriſſimus Boyleus de Vi Aëris Elaſticâ pag. m.423.*) teſtari, puerum quatuor annorum vice pulmonum membranoſam quandam veſicam oſtendiſſe, quæ aëre repleta & minutioribus vaſis referta ab ipſa Aſpera Arteria originem duxit. Huc quadrant exempla, de veſiculis pulmonum, aut pure ſtagnantibus, aut ore rejectis, à *Zacuto, Foreſto, Schenckio*, aliiſque annotata. 4. Animalia pellucidas veſiculas pro pulmonibus habentia, uti Ranæ & ſerpentes: De his quippe *M. Aur. Severinus Zootom. Part.2. c.1.* prodidit, quod Pulmonum loco fiſtuloſas veſiculas oblongas, & ſacculi adinſtar feneſtellis & complexibus diſtinctas gerant. Quæ cuncta pulmones non ex ſe, propriaque efficientia, ſed paſſive tantum in Reſpiratione moveri clarè commonſtrant. Quid autem Clariſſimus *VVilliſius* per metaphoricos motuum primos inſtinctus per nervos allatos ſibi velit, me liquidò non capere, ingenuè fateor. Si forſan Spiritus, uti videtur, intelligit, eos pro motu hîc non advehi exinde patet, quia nec Spiritus vecti, neque vectores eorum, nervi puta, unquam in corpore motum organicum tanquam proxima inſtrumenta cauſantur, niſi muſculorum aut fibrarum muſculoſarum interventu: quorum tamen utroque pulmones deſtitui tum oculus inermis, tum armatus oculati *Malpighii* viſus certo edocent. Veſicæ igitur ex ſe otioſæ, & ſolo Aëris illapſu explicabili veſiculoſæ pulmonum cellulæ optimo jure aſſimilantur.

§.5. Alii concedunt, Pulmones moveri à corde. Inter quos *Hoffmannus*, *Cæſalpinus*, *Maurocordatus*, *Dunus*, aliique. Quibus oppono. 1. Pulmonem & cordis motus non eſſe iſochronicos, imo ne quidem ſynchronicos. 2. *Columbi* experimentum, quo canem corde exſecto vulnereque obligato, currere, latrare, adeoque & reſpirare monſtrat, refert. *Bartholino de Pulm. ſubſt. & motu.* Imo & eodem notante *Anat. Reform. pag.232. Galenus* victimas refert ad aras corde exſecto clamaſſe; & *Magnus Baconus Verulamius* hominem poſtquam cor eſſet avulſum & in carnificis manu, tria aut quatuor precum verba pronunciaſſe, teſtatur. 3. Injectum confertiſſimo impulſu liquorem in Arter. pulmonalem Pulmones expanſione Inſpirationi propria neutiquam dilatare, quod ipſemet expertus ſcribo. 4. Morientes pulſu fere penitus extincto Reſpirationem nihilominus celebrantes. Quod notat *Caſp. de Los Reies Elyſ. Camp. Quæſt.32.* Et ipſe non ita diu in magno quodam attente obſervavi Theologo, eoque uti per totam officii annoſam ſeriem, ita imprimis hac mortis hora vere Theologo: Tam ſonora quippe ac lætabunda voce cantuque permagna, quæ intra Animæ ſuæ penetralia Divinus peragebat Spiritus, opera decantabat, tamque indicibiles cœleſtis gaudii prægustus ore ac geſtu promebat, ut nullus eoſdem tanta, qua ſpectabantur, vivacitate, calamus depingere valeat. Interim tamen forti, quem dixi, cantu ac voce nullatenus obſtante, per integrum fere, mortem proxime antecurrens, ſemihorium vix pulſus ac ne vix quidem attentiſſimè mihi ſæpius exploranti ſeſe offerebat. 5. Quia cor, quantum ſanguine à ſe impulſo diſtendit, tantum & repleat, adeoque, ſi motus pulmonum inde oriretur, nullus aëri ingredienti daretur locus; quem tamen inſpirando manifeſte irruere notamus. 6. Experientia tum propria, tum Clariſſ. Lugduni-Batavor. Profeſſoris *Sylvii* demonſtrari, Thorace aperto, etiamſi, cordis adhuc aliquamdiu haud interruptus perſiſtat motus, ſanguiniſque propulſio, pulmones tamen haud quaquam ex-

pandi ac dilatari, *Diſp. Med.7.* Adeoque & dictorum vigore cordi adimitur cauſæ efficienter pulmones reſpirando expandentis dignitas.

§.6. Tandem & alii à motu thoracis, quod pulmonum dependeat explicatio, arbitrantur. Quorum quidam hanc ob cauſam id fieri aſſerunt, ne thorace dilatato in ejus cavitate oriatur Vacuum, terribile iſtud, uti vulgo opinantur, & à quo tantopere Naturam abhorrere ſibi firmiter perſuaſerunt, monſtrum. Ex horum ſenſu ſunt *Galenus*, *Laurentius*, *Plempius*, *Mercatus*, *Highmorus*, *Bartholinus*, multique alii, plus aſſeclarum numeroſo cœtu, quam rerum ac rationum pondere ſtipati; imo tota fere Circumambulonum caterva. Sed hiſce poſteà ſimul ſatisfiet, ubi Vacuum ejuſque Fugam diſquirendi, quantum quidem Theorematum noſtrorum exiget neceſſitas, dabitur locus.

§.7. Alio præterea modo à thoracis motu pulmonum expanſionem dependere volunt alii, ſcilicet à thoracis & Diaphragmatis motorum integritate. Hac opinione omnium primus Reſpirationis negotium accumulaſſe videtur prænominatus in Academia Lugduno-Batava Profeſſor celeberrimus ac meritiſſimus *Fr. Sylvius*: Is enim, poſtquam *Diſp. Med. 7. Th.* 33. concluſerat, pulmones ab aëre ipſos ſubeunte non expandi, rationem hanc afferendo *theſ.* 32. quia ſcilicet læſo thorace aut Diaphragmate, licet aëri per nares & fauces in aſperam arteriam ingreſſus pateat, attamen pulmones non obſervantur expandi explicarique: tandem *theſ.*40. ſic argumentantur: *Quo poſito ponitur, & ſublato tollitur aliquis affectus, id omninò habendum pro efficiente illius effectus cauſa; Atqui poſita motorum thoracis & Diaphragmatis ſecundum ſui continuitatem integritate, ponitur pulmonum expanſio; ſublatâ vero eâdem illorum motorum per patulum vulnus integritate, tollitur ceſſatque pulmonum expanſio: Ergò thoracis & Diaphragmatis motorum ſecundum ſui continuitatem integritas pro efficiente cauſa expanſionis pulmonum eſt habenda.* Sed mitius ferant, obſecro beatos præclari iſtius Viri manes, ejuſdemque vitali adhuc Aurâ veſcentes Cultores, ſi illum alteram de Aëre pulmones non expandente opinionem, non tantum non deſtruxiſſe; ſed nec ſuam de thoracis ac Diaphragmatis motorum integritate ſat firmiter aſſeruiſſe palam fecero. Primam, quam negat, quod attinet, *theſ.*32. & 33. propoſitam, notandum, plus eſſe in ejus concluſione, quam erat in præmiſſis. Sic enim ratiocinatur: Aëri, aperta thoracis cavitate, in aſperam arteriam ingreſſu patente, pulmones non expanduntur; Ergò nec ab eodem, ipſos in Reſpiratione naturali ſubeunte, ſalva thoracis cavitate expanduntur. Sed paucis reſpondeo, non valere Conſequentiam à ſtatu hoc præternaturali, in quo thorax eſt apertus, ad naturalem, in quo arctè eſt concluſus. Hic enim aëri ſolus pulmo duntaxat eſt attollendus; ibi vero ſi pulmonem expandere deberet, tota inſimul vaſtiſſimi ponderis Atmoſphæra pulmones circumſtans ipſi quaquaverſum eſſet loco dimovenda, quod ipſimet per ſe eſt impoſſibile, cùm nullum principium qua tale in ipſum agere queat. Sic nec aër, pulmones ſi ſubiret, thorace aperto, ſe ipſum intermediis pulmonibus poteſt movere. Imò ipſe Autor *theſ.*24. fatetur, Pulmones, ſimul ac aëri liber in thoracis cavitatem datur introitus, confeſtim ſubſidere, nec amplius, niſi vulnere obturato, explicari. Unde patet, non ſublatam pectoris integritatem, ſed aërem irruentem per vulnus eſſe proximam concidentiæ pulmonum cauſam; Quem proinde ſi idem aer pulmones ſubintrans horum interventu non dimoveat, hoſque expandat, neutiquam concludendum, uti fecit Autor, Ergò nec pulmones, qua tales, aer in naturali Inſpiratione ſubiens expandit. Nam ut aer conſtituatur efficiens expanſionis pulmonum cauſa, nihil magis requiritur, quam ut illos ſolos, remotis impedimentis circumſtantibus, explicare ac ſuſtollere valeat, utpote quod pro munere ac titulo iſto ipſi aſſignando ſufficit: non vero in hoc caſu ab ipſo exigi poteſt, ut pulmones expanſurus ſimul vaſtam eos undique circumſtantem atmoſphæræ molem dimoveat. Satius proinde fuiſſet, ſi Clariſſimus Autor potius in cauſam inquiſiviſſet, cur aperto pectore aer non intret pulmones, quam cur pulmones in hoc ſtatu non expandantur, eâ enim detecta pulmonum expanſio facillimè explicari poteſt; præſertim cum ipſemet fateatur *Th.*25. pulmones per tubulum valdè inflari poſſe; Unde concludere potuiſſet, aerem eorum veſiculas ſubeuntem eſſe principium aptiſſimum, eaſdem omnes, intimo etiam loco ſitas, commodè explicandi; cum contra thoracis & Diaphragmatis motorum integritas, licet tanquam cauſa expandens ſupponatur, in externa ſolummodò pulmonum ſuperficie actionem ſuam perficere poſſe videatur.

§ 8. Ad propriam ejus opinionem ut porrò me conferam, dicendorum ordo monet. Ubi notandum, quod & per integram de Motus pulmonum cauſis doctrinam dictum nullibi non volo, quæſtionem hîc non eſſe de cauſis ſecundariis occaſionalibus aut explicationis pulmonum; ſed proximis tantum atque immediatè efficientibus. Quibus prælibatis Argumenti ab Autore propoſiti Majorem non eſſe illimitabilem ac prorſus univerſalem apprimè advertendum. Illam proindè ſic limito: Quo, tanquam cauſa immediatè efficienti, poſito, ac ſublato, ponitur ac tollitur effectus, id omnino pro efficiente illius effectus cauſa habendum. Hinc cadit Minor Propoſitio. Nam Autor nuſquam probat Diaphragmatis ac thoracis motorum poſitam aut ſublatam integritatem eſſe cauſam immediatè pulmones aut expandentem, aut concidentiam eorum cauſantem; ſed ſaltem hoc experimenta ejus evincunt, ea poſita aut ſublata poni aut tolli pulmonum expanſionem, quod concedo. Sine illa ſiquidem pulmones explicari nequeunt, cùm ſtatim aer per vulnus irruat, eorumque expanſionem impediat; nec tamen proxima eſt dilatationis pulmonum cauſa, ſed potius ſine qua non. Quomodo enim Diaphragma & Thorax pulmones extendere poterunt? Cum non ſint iiſdem ullo modo affixa aut agglutinata, ſed contigua duntaxat, idque ſolum ob aërem pulmones ſubeundo expandentem; aliàs enim ne quidem pulmones thoraci ac diaphragmati contigui forent, quod patet, dum thorax & Diaphragma vulnere patulo pertunduntur, ubi pulmones multum intra thoracis concavam ſuperficiem ſubſident. Ut taceam Pulmones ab externo principio commodè per totam ſubſtantiam cavernuloſam expandi non poſſe, cum tamen in interioribus veſiculis expanſio potiſſimum requiratur. Hactenus de pulmonum Motu inſpirando fieri ſolito. Exſpiratio enim nullis difficultatibus eſt expoſita, cum in eâdem à thorace rurſus ſe coarctante pulmones comprimantur, atque eatenus Aër anteà illapſus ex iis expellatur. Non tamen penitus aere evacuantur pulmones exſpirando, ſed ſaltem, quouſque thorax conſtringitur, nec ulterius. Adeò, ut ſemper aëre ſcateat pulmo, ſive inſpires, ſive non, ſicque thoracis concavæ ſuperficiei contiguus ſervetur. Unde, ſi thorax hiante perforatur vulnere, prorſus denique ſubſident pulmones.

CAPUT VII.

Aëris, tanquam Reſpirationis Materiæ, Indolem ac Modum ex Neotericorum Experimentali Doctrinâ declarat, nec non fictam Vacui Fugam perſtringit.

§.1. Elucidato itaque plurimam partem Pulmonum Motu atque Subſtantia, indicatoque Principio eoſdem expandente, aëre ſcilicet, aucto Rectoris ſpatio,

ſpatio irruente, eosdemque ſimul concavæ Thoracis ſuperficiei, coextendente; Supereſt ex rerum concatenatarum neceſſitate ut in Naturam Aëris Cauſasque, cur pulmones intret atque diducat, penitus inquiramus. Ubi prius notabimus, aërem ſolùm eſſe veram & adæquatam Reſpirationis Materiam, idque præprimis ſaltem in confiniis globi Terraquei, ob certam aëris requiſitam denſitatis conſiſtentiam. Nam in altiſſimis Peruanæ montibus, vulgo Periæcata vocatis, præ quibus Alpes ipſas tanquam humiliores domus ſibi fuiſſe viſas ad altas turres comparatas, ait *Acoſta*, ſe ſociosque cum tranſirent ſubitaneo & violento vomitionis impetu (non ſine ſanguine emiſſo) fuiſſe percuſſos. Aër enim, inquit, ibi adeo ſubtilis atque immixtus eſt, ut cum reſpiratione hominis nullam proportionem habeat. Quod ex ſequentibus magis eluceſcet, aërem ſcilicet quo altius pertingat, ſeſe magis magisque Elateris ratione expandere, quia accreſcente altitudine copia ejus, ac conſequenter ponderis preſſura, imminuitur, adeoque liberius ſeſe extendendi ſpatium datur, donec tandem tum moles ejus, tùm Elater, eo uſque debilitentur, ut pulmonibus expandendis prorſus impar evadat. Pari ratione etiam, ſi à calore aër rareſit, id eſt, in quantitate, eo in loco, ubi calor exiſtit, diminuitur, Reſpirationi ineptus evadit, v. g. in balneis, locisque ſimilibus æſtuantibus. Sic enim refert *Scaliger Exerc.*31. in Luſitanorum navigationibus nautas aliquot ſub æquinoctiali penè animam efflaſſe, quanquam in medio Oceano, liberrimoque cœlo, ipſoque præſente Itali quidam in Lipſiæ Vaporariis Animæ Deliquium paſſi ſunt. Quod autem quidam ex *Ariſtotele* narrent, illos qui Olympum aſcendunt, vix vivere poſſe, niſi ſpongias ſecum portent humidas, quarum ope aërem ibi inſugere poſſint, alias Reſpirationi præ tenuitate inutilem: id meritò cum Illuſtriſſ. *Boyleo* in dubium voco, cum nec ipſe *Boyleus* Alpes tranſiens, nec *Generoſus Anglicus Scriptor in Aſcenſu ſuo ad ſummum montis Tenariff apicem*, Olympo longe altiorem, (cujus meminit Illuſtriſſ. *Boyleus de Aëris Vi Elaſtica p. m.*444.) nec *Frœlichius* in memorabili ſuo aſcenſu ad ſummum Hungarienſis montis Carpathi vel ad prodigium elevati, menſe Junio 1615. facto, (qui Alpibus Italicis, Helveticis, ac Tyrolenſibus altitudine longe præcellit,) ullam ejuſmodi difficultatis in Reſpiratione mentionem faciunt, qualem in Olympi ſummitate accidere ex Ariſtotele iſti referunt. Nec ulla probabilitate liquet, quomodo aqua ſpongiis contenta tàm ſubito in halitum reſolvi, ſicque aërem denſiorem ac pro reſpiratione aptiorem reddere poſſit. Quamvis enim aër aquam abſumat, atque ſecum ſub ſubtiliſſimarum atomorum forma abripiat, attamen id non illico, uti nunquam ferians reſpiratio exigit; ſed horis atque diebus tandem fit. Præterea aër rariſſimus ille adhuc tardiùs aquam extenuabit, quam prope terram, quia in quantitate paucior. Ingens inſuper adhuc Poſtulatum eſſet, aquam, etiamſi in minimas particulas ſubtiliſaretur, aëris vices in Reſpiratione gerere & poſſe & debere. Quemadmodum autem aër nimium rarefactus, ſic & ab extraneis globi Terraquei fuliginibus atque halitibus nimium onuſtus Reſpirationi prorſus incommodus evadit, quod teſtantur Plumbifodinæ Devoniæ, aliaque antra ſubterranea atque cryptæ, in quibus operatores non ſemel extincti fuerunt æque ac lampades ipſæ. Nec tamen venenoſæ aporrhæarum qualitati cuidam, (quamvis ſæpe concurrere poſſit) quam effluviorum craſſorum, aëremque ſpecifica gravitate longiſſime ſuperantium, hincque in eo ſubſidentium, illumque ſurſum exprimendo abigentium (uti ex Staticis liquet,) quantitati nimium auctæ hujuſmodi effectus annumerandi veniunt. In cellis ſiquidem turmatim aſſurgentibus muſti fermentantis halitibus infarctis ſuffocatio præſto eſt, niſi candentium carbonum ope ori admotorum diſſipentur, rariorque aër advocetur.

§.2. His in anteceſſum notatis, ad ipſam aëris Doctrinam accedimus. Cum autem denſiſſimas, quibus nobilis hæcce Phyſices pars obvoluta torpuit hactenus, ignorantiæ tenebras fulgidiſſimo Experimentorum jubare mirum quantum diſcuſſerit Nobiliſſimus Philoſophus, ac ſolius veritatis ardore calcar ſubdente, tot labores, totque ſumptus expertus Vir Conſularis Dominus *Otto de Gvericken in Experimentis Magdeb. de Vacuo*: perque illum allectus, uti ipſemet fatetur, *Illuſtriſſimus Boyleus*, Anglicæ gentis Decus, ac Regiæ Societatis ibidem ſplendor, *in Experiment. Phyſico-Mechan. de Aëris Vi Elaſtica*; quibus etiam qui ſubjungatur, dignus eſt doctiſſimus atque induſtrius *Sinclarius in Art. Nov. & Magn. Gravitatis & Levitatis*: idcirco, eorundem hypotheſin, tam irrefragabilibus experimentorum demonſtrationibus firmatam ſectando, potiora quædam doctrinæ, de aëris Elatere ac Pondere, hincque reſultante illius Motu, capita huc pro explicanda Reſpirationis obſcuritate plurimum ſpectantia, mutuanda veniunt.

§.3. Tenendum itaque 1. aërem, cum ſit materia ſenſibilis, multisque inſuper globi Terraquei aporrhæis perfuſa, corporum omnium lege, manifeſta ac poſitiva gravitate, id eſt, tendentia ad globum Terraqueum, donari; Quicquid etiam in contrarium Scholæ Peripateticæ non tam rerum naturalium experimentis, quàm præjudiciis cæcis utplurimum inſtructæ, doceant. Conſtat enim experimentis, vitreum ac rotundum vas 32. menſurarum capax, fieri uncia una & tertia prope unciæ parte levius, ſi aër exhauſtus ſit, quam antea dum erat aëre plenum. Ipſum hoc vas aëre evacuatum, ſi ille rurſus immittatur, ad priſtinum pondus redit. Præter jam memoratos celeberrimos Autores poſitivam aëris gravitatem confirmant inſuper *Bartholinus de Pulm. Subſtant. & Motu*; *Sanctorius Comment. in l. Pen. Avicenn. Caſp. Ens Thaumat. Mathem. Ricciolus Almageſt. Nov. Merſennus in Phænom. Caſp. Schottus in Mechan.* aliique. Imo tanta reperitur aëris globo Terraqueo perpendiculariter incumbentis gravitas, quanta foret aquæ 20. circiter ulnas Magdeburg. altæ, ſi loco aëris globo noſtro circunſtaret. Imo ipſe *Ariſtoteles* aëris gravitatem experimento confirmat, dicens *Lib.*4. *de Cœlo*: *Uter inflatus gravior eſt quam compreſſus.* Hinc quomodo hujus Autoris ſequaces aëri gravitatem denegare poſſint non video. Ex his ſequitur primo, aërem omnia corpora ſuo pondere premere, omniaque loca ſeipſo aut aliis corporibus vacua ſeu irruendo occupare, ſeu alia corpora fluida aptaque in illa impellere: Secundo, aërem inferiori loco ac prope terram ſito eſſe graviorem ſuperiori, ſicque ſucceſſive fieri leviorem quo altior evaſerit. Quia ſcilicet aër inferior plus aëris ſibi rectà incumbentis gerit atque ſuſtentat, qui cum altitudine increſcente decreſcit. Tenendum 2. aërem eſſe ejuſmodi corpus fluidum ac flexile, quod in anguſtius ſpatium cogi poteſt, atque coarctatum rurſus ſeſe extendere nititur, actuque, ut, eatenus ſe quaquaverſum extendit, ſi, & quatenus, cauſa coarctans ac comprimens, tanquam extenſionis obſtaculum, tollitur. Unde & commode comparari poteſt ſpirulis parvis, vel lanæ, aut velleri, vel denique optime plumis iſtis molliſſimis in Dania uſitatis, quas *Citer* vel *Otterdunen* ab avibus Iſlandicis *Cider* dictis, vocari ſcribunt *Barthol. Cent.*11. *Epiſt. Med.*5. & *Reiherus Diſſert. de aëre c.*4. *tres*, inquiens, *libræ talium plumarum in palmarem globum cogi poſſunt, quæ ſuæ expanſioni relictæ culcitram vel ſtragulam quinque pedes longam & latam explent.* Hic aëris ſeſe expandendi niſus dicitur Vis Elaſtica ſive Elater; aut uti *Reihero Diſſert. de aëre c.*3. placet, Vis Elaſtrica vel Elaterium. Tenendum 3. cum aër ſit poſitive gravis, imo quo inferior eò gravior, aërem noſtrum, quo degimus, eſſe neceſſario maximopere compreſſum ac coarctatum, ab aëre per paſſus 6867. juxta *Sinclarium l. c. p.*138. in altum exporrecto, ſibique

que perpendiculariter incumbente; preſſionemque ſuperſtantis Atmoſphæræ aëreæ fieri minorem, quo altius pertingat, hinc & aërem laxius ſe quaquaverſum expandere, ob minus ſcilicet tum ſibi innitens aëris pondus. Hinc in Experimento *Paſchalii* Harpaſtum prope terram leviter admodum inflatum magis magiſque intumeſcit, quo altius ad montis verticem portatur, ac in deſcenſu rurſus detumeſcit. *Vid. Illuſtriſſ. Boyl. Defenſ. contra Linum.* Imo veſica paulisper inflata & in vitro rotundo collocata non tantum ad extremum intumeſcit, quando aër per Antliam pneumaticam exhauritur; ſed & tandem diſrumpitur, quia aër circumſtans aufertur, unde incluſus veſicæ aër ſpatium ſeſe quaquaverſum expandendi libertatemque acquirit. Tenendum 4. aërem non tantum per circumcingentis aëris ablationem; verum etiam à languidiſſimo tempore, hinc & aucto imprimis calore, minus aut magis expandi poſſe. Quod ipſemet expertus, veſicam ruditer inflatam ac cingulo conſtrictam, ad ignem detinendo vidi. Eatenus enim à Calore intumeſcebat, ut rupturam minaretur. Frigore autem rurſus adventante tumor remittebat, ac tandem ad priſtinam flacciditatem veſica redibat. Unde & hyemali tempore multo denſior eſt aër compactiorque, quam ſub æſtivis caloribus, utpote à quibus inſigniter expanditur, hinc & Mercurium in Experimento *Torricellii* altius tunc deprimit, quàm gelidis temporibus.

§.4. Omnibus hiſce de aëris Indole ac Motu attento animo obſervatis, facillima opera explicari poteſt cauſa, cur aër inſpirando pulmones ſubeat, eoſdemque expandat. Nimirum dum ſpatium in pectoris cavitate inſpirando augetur, non poteſt non aëris ingens ponderoſaque moles eodem momento per Aſperam Arteriam in pulmones confluere, eoſque ſolius gravitatis vigore eo uſque illico explicare, quo uſque à pectore dilatato ſpatium illi conceditur, alio corpore reniti valente non occupatum. Si enim tantus eſt aëris, ſpatia ab aliis corporibus ſenſibilibus non repleta, irruere conantis impetus ex gravitate ſua oriundus, ut etiam vitra evacuata, ſi nimio gurgite in illa admittatur, frangat, uti id experimentis compertum eſt; quid ni leviſſimas flexiliſſimaſque pulmonum veſiculas, ſimul ac modo datur in pectore ſpatium, abſque illa interpoſita mora ingrediendo pectori amplificato coëxtendet? Aliter ſane ex ipſis corporum inviolabilibus legibus, experimentis fere innumeris perveſtigatis ac innoteſcentibus fieri nequit. Adeoque (quod contra Clariſſ. *Sylvii Diſp. Med. 7. theſ. 45.* noto,) aër non influit pulmones, quia hi præexiſtunt expanſi, utpote quibus ſpontaneæ expanſionis inſtrumenta deeſſe ſupra probatum eſt; ſed inverſo ordine pulmones, dilatato pectore, extenduntur atque in ſingulis ſuis veſiculis explicantur, quia aër tanquam explicationis cauſa immediata & ſola illos ingreditur: qui deinceps à coarctante ſe, ſub exſpirando thorace rurſus ex pulmonibus compreſſis cum roridis halitibus exprimitur. Sola itaque aëris fluidi gravitas eſt cauſa, quod is, amplificato pectore, in pulmonum veſiculas influat; influens autem ex gravitatis preſſura aër eſt cauſa, quæ pulmones efficienter expandit. Si vero Inſpiratio fiat ex Vitro aut alio vaſe capaciſſimo, ac non niſi ſolo orificio, os inſpirantis ſubeunte, aperto, notandum, aërem tunc non gravitatis, ſed Elateris ſeu ſpontanei ſeſe extendendi conatus ratione pulmones ſubire; quod patet ex Canonum ſupra præmiſſorum Secundo & Tertio; ubi, circumſtante aëre è vitro exhauſto, incluſa vitro veſica arcte ligata expanditur, ac tandem, exantlatione durante, rumpitur. Sic & pulmones, pectore circum circa amplificato, ab aëre tum in ipſis exiſtente, tum è vitro capaci, ex quo inſpiratio inſtituitur, ipſos Elateris ratione, ſubintrante, expanduntur explicanturque. Tantus enim eſt aëris Elater ſeu extendendi ſe, remotis corporibus circumſtantibus, niſus, ut etiam à terræ ſuperficie è vaſe evacuando ad recti apicem Antliam evacuantem ſequatur, ſeſeque eatenus extendat abſque aëris externi protrudentis ope ac gravitante preſſura.

§.5. Dictis huc uſque perſpicuis licet ac probe perpendentibus facillimis, nihilominus contrariantur Autores ſequentes. Primo enim *Bartholinus de Pulm. Subſt. & Motu ſect. 5.* objicit, conceſſa licet aëris Spira ſeu ad dilatationem aptitudine, attractionem tamen eſſe neceſſariam inde liquere, quod quanquam vel caput emortuum, vel aliud vas inanimatum & immobile opponatur, dilatatio illa ſeu Spira aëris non propagetur ex uno in aliud vas, nec ſi apertum os opponas hominis vivi, immoto Thorace ſeu cohibita Reſpiratione, aër in fauces progrediatur. Sed videtur nobilis illa de Aëre Doctrina eandem ſortem hactenus apud multos experta, quam *Samia iſta de Terræ Mobilitate & Solis Stabilitate Philoſophia, ab Ariſtarcho & Pythagorâ Samiis* ejuſdem Cultoribus ſic dicta, à *Nic. Cuſano Cardinali vero & Nic. Copernico* proximis ſæculis in lucem rurſus vindicata, à Peripateticis fere omnibus paſſa eſt. Nimirum ut prius objectionibus impetatur quam ab Adverſariis probe & perfecte intellecta fuerit, prout id præprimis ex *Galilæi Dialog. de Syſtem. Mundi*, cuicunque patebit. Pariter enim à *Lino, Deuſingio, Hobbeſio, Moro*, aliiſque nova de aëre Experimentis fulcita Hypotheſis examen ſubiit, qui tamen in ejuſdem penetralia nondum penitus penetraſſe videntur. Ex horum ſenſu quoque eſt *Bartholinus* in præmemoratis verbis. Quamvis enim aëri Spiram ſeu dilatandi ſeſe conatum concedat. Attamen præ concepto Attractionis figmento captus, eandem neceſſariam nihilominus, præter aëris Spiram, eſſe putat, quia ſcilicet Thorace immoto aër in fauces non progreditur. Sed advertas obſecro, Clariſſ. Vir ad propria verba. Si enim aër ſemper ſe expandere conatur, ſane nihil amplius, ut ingrediatur, requirit, quam ſpatium ſive locum corporibus ipſi obnitentibus vacuum, & illico ſeſe explicabit, nulla Attractione opitulante aut neceſſaria. Adeo nec mirum eſt, aërem pulmones in non inſpirante non ingredi, nullum enim eidem patet, præbeturve ſpatium ſeu locus, in quo ſe expandat. Dato autem, amplificato thorace, ſpatio ceu expanſionis loco, utique ſeſe expandit. Sed hæc ſaltem de Inſpiratione ex clauſo vaſe facta. In Inſpiratione autem ex libero aëre inſtituta ne quidem Elateris actione opus eſt, cum ſola molis aëreæ gravitate ac confluxibilitate totum negotium abſolvi queat. Præterea omnem in Natura Tractionem negamus, niſi trahendum corpus ſit affixum trahenti, idque hamis & uncinis funiculiſve tam tenacibus, quales in conſimili mole movendà alias requiri obſervamus. Nec concedimus *Lambzuverdio, Tractionem & Pulſionem non differre naturâ, ſed ſaltem determinatione; quia virtus movens ſemper eſt motiva: Tractionem autem eſſe motum localem, quo res diſtans transfertur verſus principium movens virtute motus impreſſi: Sic & Circulationem ſanguinis eſſe Tractionem, quia ſanguis movetur verſus principium movens.* Licet enim res quædam cum alia conveniat in generalibus; attamen ſpecifice differre poteſt. Pari quoque ratione etiamſi *Tractio & Pulſio* in hoc generice coincidant, quod ambo ſint motus locales; attamen ipſius virtutis moventis natura differunt ac ſpecificantur. Omne enim trahens Principium poteſt etiam pellere, non verò è contrario omne pellens poteſt trahere. Ut taceam, Tractionem ad ſola animantia arbitrio agentia proprie reſtringi videri. Et nemo ſanæ mentis circulationem ſanguinis ob id dicet Tractionem, quia ſanguis iterum verſus cor movetur, hoc enim cordi propellenti eſt per accidens, quod ſanguis à vaſis ita reflectatur, ut ad cor redeat. Nec Tractionis à Pulſu differentia ſpecifica in eo conſiſtit, quod Tractum moveatur verſus Trahens, hoc enim etiam in Pulſu, aliis corporibus rem pulſam ita determinantibus, accidere poteſt, uti ex

circulatione

circulatione patet; ſed in hoc Motuum horum differentia ſpecifica ſita videtur, quod in Tractione illud quod proxime trahenti affixum hæret, moveatur verſus principium trahens, nec eadem, qua attrahitur, linea à trahente ſimul recedere poteſt: in Pulſione vero illud, quod proxime antrorſum propellitur, recedat antrorſum à principio pellente, nec eadem qua pellitur, linea ad pellens ſimul eodemque temporis momento accedere poſſit. Hinc apparet, *quæſtionem de Tractione & Pulſione non eſſe meram nominis cavillationem*, uti *Lambzvverdius in Proœmio Exſpirationis ſuæ*, nimio forſitan erga veteres affectu abreptus, loquitur; ſed explicatu digniſſimam, cum vocabulo Attractionis tantopere abutantur Scholæ.

§.6. Proximo loco famoſiſſimi ac ſpeculabundi hujus ſeculi Philoſophi *Carteſii* ejuſque aſſeclarum, *Regii, le Grand, Rohaulti, Hogelandi, Pratai, Cornelii Conſentini, Falcoburgii, Schvvammerdammii*, aliorumque hypotheſis expendenda venit, quæ vult; aërem ſolo propulſu à pectore & abdomine motum impelli in pulmones, eoſque ſic explicare. Hi Viri veterem illam *Platonis in Timæo* propoſitam *Perioſin* orbi Literato reddere conantur, licet *Platonicam* illam *Perioſin*, quam explicat *Marſil. Ficinus c.87.* Carteſianis non undequaque conſonare annotet *Bartholinus de Pulm. Subſt. & Motu ſect.5.* Cum autem hæc hypotheſis fidenter ſupponat, omnia, etiam minutiſſima, mundi ſpatia corporibus eſſe pleniſſime infarcta, adeo, ut aër propulſus non niſi in pulmones ferri poſſit, quod tamen nec probant ejuſdem Patroni, nec probaturos confido; idcirco eidem aſſentire nequeo. Materiam etenim ſuam ætheream, eam ſaltem ob cauſam finxiſſe præcipue videtur Carteſius, ne ſcilicet Vacuum ipſi admittendi imponeretur neceſſitas. Eam autem actu exiſtere, Vacuumque non eſſe nec eſſe poſſe, ne unico quidem naturæ phænomeno infallibili, immediate iſtius exiſtentia hujuſque impoſſibilitatem demonſtrante evincere poteſt cum omnibus ſectatoribus. Hæc itaque ejuſdem ponderis eſſe arbitror, cum ſuo de Mundi Infinitudine, inconſiderato dicam, an vero in Atheiſmum prono? Placito, quod *Part.2. Principior. Philoſophiæ No.21.* proponit, *cognoſcimus*, inquiens, *hunc mundum ſive ſubſtantiæ corporeæ univerſitatem nullos extenſionis ſuæ fines habere.* Inſignis ſane eſt mentis ἀῤῥωςία, ne dicam inſania in homine præſertim Chriſtiano, non poſſe res naturales, creataſque ab ipſarum infinito immenſoque Conditore, DEO, ſecernere. Sed ne extra oleas vagari videar, cum Mundum finitum ingenioſis rationibus probet *Rhodiginus lib.2. c.19.* nec ſaniorum Philoſophorum finitudinem ejus neget ullus, præmemoratam aëris in pulmones ſub Inſpiratione à thorace & abdomine factam propulſionem unico eoque firmiſſimo ac omnium maxime cogente Experimento deſtruo. Nimirum poſſe nos ex vaſe capaciſſimo, ac non niſi in os inſpirantis pervio, aërem inſpirando haurire. Hic enim aër vaſe incluſus ac aëre externo corporis moti beneficio propelli nequit, cum communicatio inter utrumque per vaſis denſos parietes penitus ſit denegata. Recurrit equidem *Regius* in Reſponſione, *Bartholino*, idem hoc Experimentum objicienti, data, ad Materiam ſubtilem Ætheream, quam à corpore Inſpirantis propulſam vas pertranſire, ibidemque propulſionis motu aërem expellere, ac in os pulmoneſque Inſpirantis impellere docet, *Medicin. lib.1. p.39.* Sed ut plura omittam, potiſſimum regero 1. Materiæ ſubtilis exiſtentiam nondum eſſe probatam: Imò ipſe, *le Grand* ſedulus *Carteſii* Epitomator *Inſtitut. Philoſ. p.136.* ſcribit: *Tria illa Elementa* (ex quorum numero Materia iſta ſubtilis primas tenet,) *tanquam principia Mundi ſupponi, licet eo modo ſuam originem res naturales non habuerint, neque talia à Deo unquam fuerint creata*, ſaltem ob commodiorem Phænomenon rerum naturalium explicationem. Noſtra vero de aëris reali gravitate & Elatere hypotheſis naturæ experimentis firmiſſimis probatur. Ipſe etiam *Carteſius* ſenſibilem aëris gravitatem *in Epiſt. ad Merſennum* Experimento confirmat. *Vid. vit. Carteſ. à Borello edita p. m.34.* nec tam ea apud veritatis indagatores Philoſophos valet hypotheſis, per quam rerum naturalium phænomena ac effectus prompte, & expedite ſolvi queunt. Sic enim Peripatetici omnibus palmam facile præripient, mira facilitate, per tot fictitiarum Qualitatum myriades, quot ſunt effectus, difficultatem quamcunque eludentes. Sed illa potius exquirenda eſt hypotheſis, per quam experimentis rerum plurimis firmatam appoſitiſſime ac ſolide naturæ opera explicari poſſunt, ita ut rerum effectus cauſis ſuis genuinis immediate reſpondeant, hæ autem illos pro legitima prole rurſus agnoſcant. 2. Licet Materia ſubtilis exiſteret, tamen nullo naturæ phænomeno probari poteſt, omnia Mundi minutiſſimaque ſpatiola ab eadem penitiſſime expleri, adeo ut nulla corpora, præſertim aër, condenſari, ſeu in minus ſpatium abſque ulla materialis ſuæ ſubſtantiæ annihilatione cogi queant, niſi Materia ſubtilis, quam Carteſiani ſupponunt, ex iis exprimatur. 3. Probare nequeunt Materiam iſtam, ſi qua detur, neceſſario denſum vas vitreum metallicumve tranſire, ac exinde aërem in os profugare. Promptius enim ipſum Thoracem reſpectu vitri & metalli multo poroſiorem ac proxime primarioque in illam propellendam impingentem penetrare, ſpatiumque illius dilatatione flens immediate occupare poteſt, quam à molliori Thoracis Abdominiſque ſubſtantia per durum compactumque, ac multo ſolidius vas vitreum aut metallinum protrudi. Tandem 4. inane illud ad Materiam ſubtilem in Reſpiratione ſubterfugium penitus diluitur expugnaturque per irrefragabile *Experimentorum 38. & 39. à Boyleo, in Experiment. Phyſico-Mechan. de Aëre* propoſitorum, robur, quibus clariſſime demonſtratur, nullam materiam talem ſub aëris exantlatione vitrum pertranſire, ibique aërem rarefactionis agitatione expellere.

§.7. Poſtremo alii per famoſiſſimam illam Vacui Fugam, totius penè Europæ Scholas perſtrepentem, cauſam expedire conantur, ob quam aër inſpirando pulmonum antra ſubeat. Ex quorum ſerie omnes fere ſunt Peripatus Proceres; nec non ſupra memorati Medici aliique, numeroſa aſſeclarum cohorte ſtipati. Enim vero mirum, quantam Naturæ præ Vacuo abhorreſcentiam à tenuiſſimis unguiculis ipſi ingenitam affingant illi omnes, adeò, ut etiam, uti putant, contra proprias propenſiones moveatur eadem, ne Vacuum progignatur, monſtrum illud formidabile, & Panicus ipſius naturæ terror. De rebus enim naturalibus non aliter loquuntur, quam ſi mentis rationiſque eſſent participes, ac puerilem in morem Vacuum, tanquam ſpectra, lemures, aliaque vetularum terriculamenta, exhorreſcerent, cum tamen nullibi Vacuum illud tantopere perterrens inveniri velint ipſi, nec ullis Naturæ viribus Vacuum fieri poſſe acerrime contendant. Imò eorundem nonnulli eò audaciæ temeritatiſque progreſſi ſunt, ut & ſummi Numinis vires excedere voluerint Vacui productionem. Unde otioſæ ejuſmodi ac Philoſopho Chriſtiano prorſus indignæ ortæ ſunt quæſtiunculæ; *an Deus poſſit facere Vacuum?* Cujus negativam ſuſtinet *Scaliger*, ſubtiliter an temerarie, judicent alii, *vid. Alſted. Encyclop. Lib.7. p.666.* Sed ne ſpinoſæ iſti controverſiæ, deturne Vacuum necne, impræſentiarum ex inſtituto me implicem, cum tantum abſit, ut demonſtrent Peripatetici aliique Vacui hoſtes, omnia Mundi exiliſſima ſpatiola corporibus exactiſſime eſſe repleta, nullumque dari Vacuum interſperſum corporibus Mundum conſtituentibus, ut ne conentur quidem argumentis ſolidis perſpicaciſque ingenii & Experimentorum modernorum Philoſophorum rigorem ferentibus idipſum aggredi, quin potius precariis ac nondum probatis, nec ullatenus

firmiter probandis hypotheſibus, vel meris non cauſæ pro cauſa fallaciis nitantur: idcirco imaginariam duntaxat Vacui Fugam potioribus quibuſdam argumentis in contrarium adductis perſtringam.

§.8. Primò itaque, licet cum *Scaligero Exerc.6. Platone in Philebo, Pythagoræiſque ap. Henr. Corn. Agrippam Occult. Philoſophiæ cap.11. 12. & ſeqq.* Animam quamdam Mundo non denegem, ſi per cœleſtium corporum ſubſtantialem influxum, Solis primario, (quem haud incongrue *Plinius lib.2. c.6.* Mundi totius Animum ac Mentem, imò principale Naturæ Regimen ac Numen vocat:) explicetur: Etiamſi nec decantatum illum Mundi Spiritum, in Medicorum præprimis Hermeticorum (uti vocari geſtiunt) Libris non multis adeò abhinc annis rurſus animatum ac reſuſcitatum, (quamvis peſſime ex *Adeptorum* ſcriptis huc detortum, cum illi de prorſus alio ſibique peculiari *Chao, Aëre*, ac *Mundi Spiritu* loquantur, quod mecum norunt atque teſtabuntur Scientes, imo ſatis ſuperque eluceſcit, ex *Philalethæ introitu ad Regis Palatium*; præcipue v. ex p.8. 9. & 34.) impugnare velim, ſi modo Quidditas ejus Actioneſque ad globi Terraquei cum Solaribus (à quibus, opitulantibus forſitan caloribus ſubterraneis, potiſſimum tolluntur in altum,) Radiis, aeriſque corpuſculis conſociata Effluvia, Effectuſque his conſonos reſtringantur: attamen præter individua corpora univerſalem quandam, perque vaſtiſſimum Mundi, ne dicam totius Creaturarum Syſtematis, ambitum, extenſam, ac undequaque diffuſam Creaturam ceu Formam Animamve, Mundum univerſaliſſime informantem, effectuumque omnium Directricem, Naturæ etymo inſigniendam, ac in procurandis rerum naturalium utilitatibus fugandiſque earundem hoſtilitatibus damniſque occupatam, iiſque præcipue, ne Vacuum in exiliſſimis ſui finibus, ſpatioliſque admittant, ſed eadem potius pleniſſime & exquiſitiſſime repleant, admittendi calcar ſubdentem, cum nullibi ejuſdem exiſtentiam nec Adverſarii probent, nec rerum neceſſitas exigat, firmiter nego, confiteorque Mundum hunc nonniſi corporum individuorum & denſiorum & ſubtiliorum, majori minorive atomorum effluentium ſphæra cinctorum, complexum, ac coordinatum ſyſtema eſſe; nec Univerſaliſſimum quoddam ratione, judicio ac præmeditatione pollens Numen, præter ſummum illud Increatum, æternum, independens ac ſapientiſſime movens omnia, ſoloque ineffabili nutu dirigens, ſibi, ceu ſupremum ac univerſalem Rectorem, præfectum agnoſcere.

§.9. Secundo, corpora Mundi individua (ſi Animalia libere agentia excipias) non habent finium ſuorum præcognitionem, nec caſus ſibi imminentes prævidente judicio aut avertere fugereque, ſi noxii fuerint, aut accelerare accerſereque, ſi conducant, poterunt: Sed agunt duntaxat, quicquid ex Creatoris ſibi aut inditis, aut è Corporibus reliquis, propinquioribus præſertim, advenientibus Legibus agere juſſa ſunt, jubenturque. Hinc cum Vacui metus, ſi Individua illo agantur, præſupponat in illis facultatem judicandi imò prævidendi ac certo præſciendi, Vacuum, ſi illud admitterent, fore ſibi exitioſiſſimum; ipſa autem, uti dictum, hac facultate gaudere, nec probatum nec probari queat, quin potius (prout ſcire *Hippocrates* ait) neſciant quid agant: Ergo Individua corpora nihil ob Vacui Metum agunt, ac talis effectum, Vacui Fugæ illos tanquam Cauſæ efficienti, adſcribens interpres, fallaciam admittit non cauſæ pro cauſa. Ipſi quippe prius, ut firmiſſime probet ſequentia 4. puncta, incumbit 1. Vacuum inter individua Mundi corpora diſperſum (ut de Coacervato taceam,) actu non exiſtere; ſed omnia exiliſſima Mundi ſpatiola exquiſitiſſime adæquatis corpuſculis repleta eſſe; ſeu quod æquipollet priori, corpuſcula eatenus ac ſumme ſubtiliſata actu exiſtere, quæ dicta ſpatiola omnia ac ſingula, nullo penitus prætermiſſo pleniſſime expleant. Hæcque omnia non præcariis Suppoſitionibus & Poſtulatis, ſed ipſis rerum naturalium phænomenis abſque paralogiſmis & fallaciis candide ſunt demonſtranda. Nam benè advertit *Cornelius Conſentinus p.374.* argumenta quibus *Ariſtoteles* (addo ego Pleniſtas fere omnes) utitur ad confutandum Vacuum, partim eſſe captioſa, partim inniti fundamentis Experientiæ adverſantibus, uti videre eſt apud *Galilæum* eorundem fallacias præclare detegentem. 2. Probandum ipſi eſt Vacuum, ſi admitteretur, rebus naturalibus eſſe tam nociferum, ut omni conatu merito ab ipſis fugari mereatur. 3. Res inanimatas judicioque carentes pollere facultate prævidendi, judicandi, cognoſcendique, Vacuum, ſi illud admitterent, fore ſibi tantopere damnoſum. 4. Res inanimatas (ſupponamus licet illas, quod tamen ridiculum, per ratiocinii diſcurſum, Vacui noxam præcognoſcere,) habere inſuper poteſtatem ſe pro lubitu ipſas movendi, idque motu tam manifeſto pertinacique, ſuæque naturæ prorſus contrario, qualem in effectibus ejuſmodi cernimus, quos Vacui Fugæ falſo adſcribunt Vacui hoſtes. Nam non ſufficit rem ſibi tantopere obfuturam prævidere atque agnoſcere, niſi etiam in illarum arbitrio viribuſque poſitum ſit, ſeſe intrinſeco ſpontaneoque motu ad eandem avertendam illico accingere poſſe, eoque tanto, quantus ad inſtans damnum penitus & perfecte abolendum requiritur. Hæc autem cum nunquam probata ſint, imo ut ſolide probentur unquam à Vacui Negatoribus, ſpes plane irrita ſit; idcirco interim ad annihilantem Vacui Fugam ulterius pergo.

§.10. Objicio itaque tertiò, Experimentis Nobiliſſimi *de Gveriken* certo conſtare, aquæ in Antliis ſimilibuſque machinis aſcenſum (quo tanquam palmario pro Vacui Fuga aſſerenda utuntur argumento Peripatetici,) non ultra 19. vel 20. ulnas Magdeburgenſes pertingere. Adeoque ſi adverſarii dicant, aquam aſcendere in dictis machinis ad fugandum Vacuum, quod alioquin in tubis, quibus vehitur aqua, oriretur, ſi non adſcenderet; neceſſe eſt alterum dicendorum eligant: ſcilicet aut eſſe Vacuum in tubi 20. ulnis Magdeburgenſibus altioris, poſtquam evacuatus eſt, ſpatio, quod ſupra aquam, utpote ultra dictam 19. vel 20. ulnarum altitudinem non adſcendentem, reſtat: aut aquam in ejuſmodi machinis non attollere ſe ad fugandum in tubo Vacuum; ſed etiam cauſam ſui aſcenſus agnoſcere. Denique quarto ex ſupra memoratis aëris affectionibus liquidiſſime conſtat, aëris ſub Inſpiratione in pulmones ingreſſum non fieri ob Vacui Fugam, (quam quippe ad Non-Entia relegamus,) ſed ob propriæ gravitatis molem, cui pulmo, dum ingens tandem thorax amplificatur, ab illiuſque convexa ſuperficie circumcirca dimovetur, ſuſtinendæ impar eſt, ideoque ab aëre irruente illico thoraci dilatato coëxpanditur, atque hac ratione inſpirare dicitur Animal: quod ipſum thoracis, flexiles pulmonum veſiculas rurſus conſtringentis, opera, aërem, quem modo paſſive admiſerat, jam denuo active exprimit, éque pulmonum cavernuloſis veſiculis expellit, ſicque Exſpirandi munere fungitur.

§.11. Ex hucuſque deductis proinde non tantum eorum evertitur opinio, qui aërem ob fictam Vacui Fugam, dilatato thorace, pulmones ingredi prætendunt; ſed & illorum, qui ob eandem Vacui Fugam pulmones thoraci expanſo coëxpandi putant. Imo utroſque optime inſuper redarguit Experimentum *Schvvammerdammii Tr. de Reſpir. ſect.2. c.1.* propoſitum, quo monſtrat. *Fœtus pulmonem, dum thoracem aperiret Autor, plane fuiſſe contractum, aëremque externum leviſſimo ſimulac vulnere perforabatur intercoſtale ſpatium, cum magno impetu & vehementia in thoracis cavitatem penetraſſe.* Quid ad hæc, Viri clariſſimi, qui pluſquam Vatiniano odio erga miſerum illud Non-Ens (ſi rerum creatarum ſeriem ſpectes,) Vacuum inquam flagratis, ac in hoc ipſam procul dubio

naturam

naturam antecellitis? Cujus nihilominus larva veſtram Vacui negandi, ejuſque tantum in rebus naturalibus horrorem fingendi pertinaciam palliare optime noſtis. Dico enim: aut Vacuum in pectore Fœtus ante aperturam fuit, aut non fuit. Si prius; ruit veſtra admittendi Vacui rebus naturalibus afficta Impoſſibilitas Metuſque. Sin poſterius; hoc eſt, ſi concavitas pectoris corporibus adæquatis exactiſſime fuit repleta, ita, nullum ſpatiolum Vacuum fuerit reliquum: exigo à vobis legitimam cauſam, cur aër tanto impetu per vulnuſculum irruat, cum ex veſtra hypotheſi ſolum ob vacui fugam id contingere velitis, quippe quæ dictitat, corpora natura levia, (qualia eſſe fingitis aërem & ignem) ac non niſi perpetuo ſurſum tendentia, ob Fugam Vacui, contra ingenitam ſibi, quam putatis, indolem, deorſum ferri, ne detur Vacuum. Sane ſi pectoris cavitas omnino eſſet expleta, aut penitus aliis corporibus infarcta, ita ut nulli ulterius locus pateret, impoſſibilis vel lippis atque tonſoribus arbitris erit aëris tanto impetu ad fugandum Vacuum, utpote quod nondum adeſt, irruptio, prorſuſque fruſtranea; hæc enim neceſſario præexiſtentem Vacuitatem, tanquam capacem illabentis aëris locum non ſolum prærequirit, ſed & indicat. *Carteſius* quidem cum toto ſectatorum ſatellitio, licet Vacui Fugam mecum neget, attamen contra Vacuum objiciet, fuiſſe cavitatem thoracis Materia ſubtili à ſe excogitata duntaxat, expletam. Quod & ipſe Experimenti Autor Schvvammerdammius fidenter admodum aſſerit. Sed præter argumenta, quæ in ſuperioribus contra Materiam iſtam adduxi, idem contra hos, quod contra Peripateticos modo attuli, urgeo. Nimirum, ſi pectus infantuli ante pertuſionem penitus fuiſſet repletum, non potuiſſe aërem tanto impetu irruere. Corpora enim cuncta juxta ipſorum confeſſionem propriam ex una eademque Materia Catholica conſtant, adeoque ſive hoc, ſive alio corpore Vacuitates repleantur, perinde erit, modo exactiſſime fuerint repletæ. Accedit, quod ex eorum hypotheſi Materia iſta Ætherea omnium aptiſſima ſit ad explenda pleniſſime cuncta, etiam minutiſſima, interſtitiola Vacua; quâ itaque ſi pectoris cavitas penitus eſſet infarcta, eo minus aër tanta violentia irrumpere poterit, cum ſit ad hanc ſpartam obeundam, Vacuum ſcilicet explendum, Æthere Carteſiano ineptior.

§.12. Ultimo auctarii loco de Pulmone adhuc unicum duntaxat addidiſſe liceat, ſcilicet, quod ſi internis pectoris parietibus, Pleuræ ac fibrarum interventu, adnatus fuerit, tantum abſit, ut ſpirandi difficultatem inferat, ut potius ſpirandi promptitudinem facilitatemque augere poſſit. Cum enim in confeſſo ſit, Reſpirationis vota magis expleri, quo laxiori ambitu pulmones expanduntur, horumque explicationem cum thoracis dilatatione eſſe penitus iſochronicam, licet in cauſis proximis differant; idcirco, dum thorax, cui per fibras annexus adhæret pulmo, amplificatur, non poteſt non pulmo ſimul ad expanſionem abripi, ſicque aëri, eum alioquin expandenti, in explicandis illius veſiculis auxilium ferri. Hinc male *Bartholinus, Riolanus, Lidenius*, aliique diuturnam Dyſpnœam inde oriri dicunt, cum in tertia ferè hominum parte pulmones inveniri annatos *Dummerbrocius teſtetur p.514.* Imo *Helmontius, Tulpius, atque Harveus*, tam in hominibus quam avibus, fieri id notant ſine Reſpirationis incommodo: *vid. Mœbius Fundam. Phyſiol. p.293.* Celeberrimus inſuper *Kerkringius Spicileg. Anat. obſer.72.* pulmones ſterno & coſtis firmiter adhærentes reperiit ſine Dyſpnœæ aut Phthiſeos Symptomatibus.

CAPUT VIII.

Loca ad quæ aër in Reſpirantibus Hominibus pertingit, diligenter inveſtigat.

§.1. Explicatis hactenus partium corporis humani ad Reſpirationis munus concurrentium ſtructura, ſitu, nexu, motuque; expeditoque Principii forinſecus ſub reſpirando advenientis, Aëris puta, peculiari Indole ac Motu; tandem ut de Finaliter cauſantibus, ſive Uſu multiplici Functionis hujus nobiliſſimæ mentem noſtram exponamus, tractandi ſerie tenemur. Hoc autem cum commode fieri nequeat, niſi in anteceſſum intricatam hanc Quæſtionem reſolvamus, *Quorſum ſcilicet Aër inſpirando illabens proprie pertingat;* Num in pulmonum cavernulis circumſcribatur ejus præſentia, iiſque ſolis competat, ut juxta *Hippocratem L.III. de Morbis*, aëris habitaculum ac ſedes ſalutentur? An vero præter illas vaſorum corporis ſucciferorum cavitatibus contentiſque ſeſe inſinuet immiſceatque? Aut forſitan membranam pulmones inveſtientem permeando in thoracis cavitatem penetret? Aut denique cerebri penetralia ingrediatur? Idcirco in hiſce prius noſtra occupabitur opera. Aëri proinde ingreſſum ad ſanguinem alioſque ex conſequenti corporis liquores concedimus, ſequentibus commoti Rationibus atque Experimentis inductivis; *Primo*, quia in Experimento *Svvammerdammii* à Clariſſ. *Sylvio* (quo præſente factum eſt) *Diſp. Med. 7. th. 86.* commemorato, ejuſque teſtimonio ſtabilio, *aër lentè diuque in pulmones vivi adhuc animalis calentes preſſus, ex adaptato Aſperæ Arteriæ ventriculo ſiccato, adactuſque tandem in Arteriam Venamque pulmonales, hinc & utrumque cordis ventriculum tranſit*, quippe quod vaſorum pulmonalium cum pulmonum veſiculis communicationem, ſaltem aëris ac halituum expſpiratorum reſpectu, arguit. Idẽ hoc Experimentum confirmat inſignis ap. Hafnienſes Profeſſor *Ol. Borrichius in Epiſt. Barth. 76. Cent. 4.* aſſeritque *aërem in præfato Experimento Vivorum animalium pulmones ſubire, hinc cor ejuſque vaſa manifeſto diſtendere:* Cui nec obſtare videtur Experimentum *Highmori*, utpote in pulmonibus è corpore exemptis factum, in quibus ſanguinis calidioris continuus trajectus vaſa eorundem diſpandens deſideratur, ut alia prætercam.

§.2. *Secundo*, quia experiente *Thruſtonio Diatr. de Reſpir. p.47. liquor ater per Arteriam pulmonalem immiſſus, partim per venam pulmonalem, partim vero per tracheam quoque cum ſpuma rediit. Tertio*, quia *Lovverii* Experientia Dictitat *Tr. de Cord. c.3. ſanguinem pulmones ingredi venoſum ac atrum per Arteriam pulmonarium; exire autem rurſus per eorundem Venam, arterioſum atque coccineo lucideque rubicundo ac florido colore tinctum: Obturata quoque tracheâ ſanguinem ex Arteria cervicali inciſa proſilientem paulo poſt obturationem æque atrum eſſe ac venoſum: Denique, mortuo jam, motuque cordis ac ſenſu deſtituto, animali, ſanguinem Venæ cavæ adhuc fluidum, ſi per cor & pulmones folle ſimul inflandos adigitur, æque rutilum floridumque è pulmonibus prorumpere ac ſi vixiſſet.* Hic merito, cum ſanguinis Vena ſecta emiſſi ſuperficiem âëri obverſam pari modo rubeſcere, ac ſanguis animalium ex arteriis fuſus, cernamus, ab effectus identitate ad cauſam eandem formamus conſequentiam; præſertim, cum, ſanguinis prior ſuperficies ſi detrahatur, ſubſequens itidem coccinea & arterioſo ſimilis, evadat. Imo ſanguis in arteriis hoſpitatus rarior, multoque ad ſpumoſitatem pronior, adeo, ut parum abſit, quin ipſe ſpumoſus dicatur atque exiſtat; Unde etiam ex ejus ſpumoſitate aëris ad illum acceſſum haud incongruè concludit *Ioh. Theod. Schenck. Ep. Barth. Cent. 4. Ep. 72. Quarto*, quia monſtrante experientia *Mayovvii p. 149. ſanguis aliquandiu extravaſatus in Machinâ Pnevmaticâ Aëre per exantlationem deprivatus leniter*

ſaltem in ſuperficie aeri contigua rutilaq; in bullulas aſſurgit. Sanguis è contrario arterioſus recenter emiſſus, per eandem Antliam aerem exhauriendo, mirum in modum expanditur, & in bullulas pene infinitas elevatur. Quæ phænomena minorem majoremve aeris ſanguini Reſpirando admixti quantitatem arguunt.

§. 3 *Quinto*, quia in quocunque corporis ſani calore aucto: præſertim ex valida motitatione æſtivoque fervore exorto, digiti, manus, brachia, omnesque partes carnoſæ palpabiliter tumidiores evadunt? ceſſante autem calore cito rurſus ſubſident. Quod ſedulo attendenti palam fiet, aeriſque in corporis ſubſtantia præſentiam indicabit, utpote quia quocunque tempore, multo magis calore in Elaſtica ſua virtute inſigniter augetur, ſeſeque, ac ſimul partes quibus continetur, ſi flexiles fuerint ejusque eruptionem impediant, valdopere expandit. *Sexto*, quia, aere ex cucurbitularum jamjam corpori applicandarum cavo maximam partem aut ex ſucto aut per lampadis flammam expulſo, carnea moles, cui affiguntur, intra illas protuberando extumeſcit, propter aerem in minutiſſimis ac capillaribus corporis vaſculis, Elateris ratione ob minorem in cucurbitulis reſiſtentiam, ſe ſimulque carnem expandentem. Quamvis enim minime ignorem ab illuſtribus Viris *de Gveriken & Boyleo* nec non à *Pecquetto Diſſ. Anat. p.* 122. hocce phænomenon acceptum referri Atmoſphæræ externæ contruſioni, quod & Celeberrimi *Sinclarij* Experimento confirmatur, ubi caro æque in maris fundo ab aquarum vaſta ponderoſaque mole atque preſſura intra cucurbitulam adigitur intruditurque, aerem in ejus cavo contentum coarctando ac condenſando, quam ſupra aquas ab aere externo, poſtquam internus cucurbitulæ aer aut flamma imminutus rarefactusque, aut per foramen cucurbitulæ exſuctus eſt: attamen ſalva hac ſententia, cui quippe lubens accedo ipſemet, nil impedit. quo minus aër omnibus corporis ſuccis intime permixtus, renitentiam in cucurbitula applicata minorem quam alibi offendens ad elevandam, ſui expanſione Elaſtica, carneam maſſam, eamq; cucurbitulæ infigendam ſimul æque ut aër externus conferat. Pari modo in Experimento *Torricellij* pulpæ digiti intra tubi vitrei cavitatem infarctio tenaxque adhæſio, tum aëri externo gravitate ſua contrudenti; tum interno in digiti pulpa Elateris ratione ſe expandenti imputanda venit. Confirmantur hæc de aëris in ſanguine exiſtentia egregie ex Prænobilis Viri *de Gvericken L.* III. *c.* 16. *ubi per earum oculos, aërem ex Machina detrahendo, foraminibus ſuis extorqueri refert*: Pariter etiam & Illuſtriſſ. *Boylei Experim.* 41. *ubi murem in Recipienti, dum aër exhauritur, quaſi intumeſcere notat.* Accedit pro collato aëris in carne præſentis Symbolo Experimentum *Mayovvij p.* 130. in quo Veſica vaſculo cuidam arctiſſime ſuperextenſa ac circumligata, tum eidem cucurbitula cum flamma affligitur, in tumorem verſus cucurbitulæ cavitatem elevatur, perinde ac caro. Cum tamen in hoc caſu non tam aër externus veſicam, ut pote firmiter tenſam, contrudere quam internus in Vaſculo contentus ob minorem in applicata cucurbitula reſiſtentiam, vi ſua Elaſtica ſe expandens, illam intra cucurbitulæ cavum attollere atque intrudere poteſt.

§. 4. *Septimo*, quia largiſſima reſpectu aſſumptorum, qua quotidie diffluimus, Diapnoe aëris ad maſſam ſanguineam acceſſum firmiter perſuadere videtur. Quippe *Sanctorio Med. Static. Aphor.* 4. 5. & 6. obſervante, Perſpirata per corporis porulos, nec non exſpirando egeſta effluvia quantitate ſuperant excreta viſibilia cætera ſimul ſumpta; adeo, ut ex Lib. 8. aſſumptorum unius diei Tranſpirata inſenſibilia (uti vulgo vocantur) ad lib. 5. aſcendere ſoleant, variantia tamen pro hominis rerumque non naturalium varietate; imo ſolus exſpiratus halitus unica die ſelibram circiter conſtituat; adeoque neceſſario porulos in Arteria & Vena pulmonalibus arguit, per quos exeat, dum ſanguis per dicta vaſa propellitur. Quo tamen halitu aëris corpuſcula adhuc multo minutiora ſubtilioraque eſſe, nemo utrumque conſiderans negare poterit, proſertim cum halitus tempore brumali exacte conſpicuus evadat, inſigniſſimiq; *Borrichij* experientia teſtante, ſalem & ſulphur abſcondita in ſe gerat. *vid. Barth. Tr. de ſubſt. & motu Pulm. ſect.* 2. Sicuti etiam *Fabr. Barthol. de Diffic. Reſpir. Lib.* 5. prodidit, *halitum humanum coagulari ac in cryſtallos deſtillari poſſe*, referente eodem *Barthol. l. c.* Copioſæ autem hæ aporrhææ, (optimè notante Magno *Helmontio Tr. Blas Human.* ubi ſeptimam hanc rationem noſtram fuſe profert probatq;) ſi ſolo caloris auctæ corpore profugarentur, ingens brevi reſtitaret Capitis mortui (uti loquuntur Chymiæ periti,) carbonisve toſti quantitas. Nam quæcunq; ab animalibus deſumpta, tepidiſſimo licet caloris motu agas, inſignem aduſtæ duræq; fæcis carbonariæ quantitatem deſtillando poſt ſe reliquunt, partibus volatilioribus propulſis vel quintuplo ſextuplove præponderantem. Quæ, tantum abeſt, ut cum ſanitate hominis ſtare poſſit ut potius vel minimum non quidem aduſtæ ejusmodi fæcis; ad ſolum ſanguinis extravaſati, ingentes dolores, calores, pulſuumq; duritiem moveat, priusquam aut carnem cutemq; perforando ſub puris forma egrediatur, aut malacticis emplaſticisque ad plenariam tranſpirationem promoveatur; aut denique ſcalpello partes illud continentes incidendo (quod etiam, ſi copioſus fuerit extravaſatum, & nullæ ex prudentis Medici judicio id vetent circumſtantiæ, citius levamen feret,) foras educatur. Et tamen non obſtante fæcis poſthumæ metu pleniori tranſpiratione magis avellatur corpus, quam eâdem quodammodo ſuppreſſa. Unde non immerito laudatus *Helmontius peculiari Tractatu Retenta* corporis, tanquam valentiores frequentioresq; multorum morborum cauſas doctè pertractat. Præterea ſuggerit tum αὐτοψία, tum illuſtriſſ. *Boylei in orig. Formar.* propoſita experientia, ipſam etiam aquam pluvialem limpidiſſimam, vel centies rediſtillando, ſingulis per alembicum tranſvectionibus, terreſtre quid relinquere fixiſſimum, ac nulla ignis vehementia alterandum ulterius. Quæ cuncta ad proſcribendas penitus ſine incraſſatis toſtisque; reliquiis è corpore aporrhœas, præter ſolam caloris actionem ut pote univocam, inſuper aliud volatilizans Agens evidenter præſupponunt atque requirunt.

§. 5. Cum autem Experientia *Helmontij, Tachenij* aliorumq; conſtet, ligna libero aëre putreſcentia vel planè nullum vel verbo vix dignum in igne ſalem ſuppeditare: Cum & herbæ ſiccæ ac per annos aſſervatæ minorem, quam recentiores ſolent, ſalis quantitatem in cineribus relinquant: Cumque deniq: ſub maximis frigoribus aëreque puriſſimo, (uti præter *Helmontium*, id teſtantem, in memet ipſo ſedulo annotavi,) ſimus edaciores, cum minori ſudandi ac ſecedendi neceſſitate; navigantes etiam niſi ægrotent duplo vel triplo plus comedant minusq; excrementorum dejiciant, quàm ſi in terra degerent: hinc merito concludimus, aërem eſſe volatiliſationis ſine capite mortuo reſtitante in corpore animalium cauſam, adeoq, & neceſſario ſanguini reliquisque corporis ſuccis chyloſis lymphaticisque; ex utraque Cava in cor fluentibus, ac per minima pulmonum vaſcula exactiori miſcela conquaſſatis connecti intimeq; permiſceri. Ex lignis enim putridis herbisq; annoſis perpetuo ſuo allinctu ac recentatione iſtiusmodi ſuffuratur corpuſcula aër, quæ in proxima erant potentia aptitudineque ſalem in ignis colliquantis tortura conſtituendi. In intenſiori autem gelu cœliq; ſerenitate, optimè notanda veniunt tum aëris major copia denſiorq; aggregatio, ob ſolis receſſum diminutumq; radiorum, aërem alioquin agitando expandentium, impetum, compactiorem eidem ſubſidentiam arctioremq; particularum ejus conſtitutivarum inter ſemet appropinquationem ac coacer-

coacervationem indulgentem; tum ejuſdem exquiſitior puritas minorque ab effluviis globi Terraquei aggravatio, ob eandem radiorum ſolarium, aporrhœas iſtas cæteroquin ſuſcitantium, actionem tunc imbecilliorem. Hinc, aëre & puriori & copioſiori exiſtente, utique non poteſt non fieri plenior ejuſdem Inſpiratio, largior in ſanguinem traductio, promptior; Tranſpirandorum exportatio, tam per oris halitum, quam per Diapnoen in corporis peripheria potiſſimum obeundam. In navigantibus denique ſanis expeditior fit Tranſpiratio, tum ab aëre ob frigora marina ventoſque gelidiores copioſiore, hinc & majori particularum ſuarum numero ſanguifera vaſa ſubeunte; tum ſubinde recentato agitatoque tranſpirata effluvia diligentius à corporum ſuperficie detergente. Aëreæ namque particulæ effluviorum minutas atomos promptiſſime arripiunt, & cum in perpetuo ferè ſint agitationis motu, ſecum abripiunt, ſuccedentibus aliis ejuſdem aëris corpuſculis; quæ itidem, plauſtris (loqui ſic liceat,) ſuis effluviorum ſarcina aggravatis avolant, ſucceſſoribus muneris obeundi copiam relinquentes. Quæ cuncta jucundè dilucidantur partim ex ſacris; *ubi Gen. c.8.* Deus ventum immiſit ſupra terram ad aquarum Diluvii abſumptionem perfectamque exſiccationem: partim *ex Boylei Experim. 29. Tr. de aëris Elaſt.* ubi peculiaris quidam in libero aëre perpetim copioſos fumos exhalans liquor in Machina Pneumatica, aëre exantlato, fumare deſiit. Eodem autem rurſus admiſſo confeſtim fumi aſcendere denuò cœperunt, utpote ab aëre indefeſſe motitato è Phiala abrepti partim denique ex domeſticis obſervationibus; vi linteamina lota madidaque, à vento perflante omnium optimè exſiccantur. Humida enim ac ſucculenta quælibet ab aëre ſeu allabente ſeu pertranſeunte liquidis deprivantur particulis. Sic & animalium corpora, continuo quaſi gurgite inſpiratus, necnon tranſpiratus, permeat aër, humidaque eorundem corpuſcula ſecum ſurripit Appoſitè enim loquitur Venerandus Senex *Hipp. animatum corpus eſſe* εἰσπνοῦν καὶ ἐκπνοῦν *ſive, inſpirabile & expirabile.* Adeò, ut vere vita noſtra ſit continuus quaſi fluxus in mortis tandem otioſam, aſt piis dulciſſimam quietem terminans.

§.6. *Octavo*, quia venenoſa μιάσματα in aëre natantia cum eoque inſpirata tam ſubito occidunt inficiuntque. Refert enim *Kircherus Scrutinio Peſt. ſect.1. c.2. ex Ariſtotele & Cardano Lib. de Venenis*, Dracones illos in quodam Macedoniæ antro ſtabulantes tam peſtiferum halitum ſpiraſſe, ut vel tranſeuntes in momento interficerent. Ipſe *Kircherus* complura in diverſis mundi partibus antra ſe obſervaſſe ſcribit, adeò virulentum continuo halitum emittentia, ut & homines & bruta, quotquot inconſultius intrarunt, mox extinguat. Narrat porrò ex *Georg. Agricola* dictus *Kircherus*, linteamina peſtifera muro incluſa ac poſt multos annos extracta vermibuſque referta cum ingenti Mephyti mox eruentes infeciſſe, qui dein totam regionem inquinando devaſtarunt. Hæc ſanè ſi penitus penſitantur, μιασμάτων horum tam ſubito polluentium ſimul cum aëre tanquam vectore ad Maſſam ſanguineam tranſitum, exitioſamque ibidem alterationem cauſantium, optimè arguunt, Momentaneus enim eorundem effectus in corpore nulla probabilitate circūſpectis ingeniis ſatisfaciente alioquiexplicaripoterit.

§.7. Nam quod Clariſſ. *Dummerbroccius Anat. p.523.* dicat malignum aërem non miſceri ſanguini, ſed pulmonibus ſaltem malignam qualitatem inprimere, quam ſanguis tranſiens indè recipiat & cordi communicet; eodemque modo ex fragrantium uſu Lipothymicos refici; petito ſimili à calore, vitro antimonii vino infuſo, &c. Exiſtimans, hiſce caſibus non communicari ſubſtantiales materialeſque dictarum rerum particulas, ſed nudas duntaxat qualitates; illud Experimentali Realique Philoſophia imbutus, nec tam credere quam intelligere cupiens animus admittere nequit. De Lipothymicis enim ut taceam, cum eoſdem, utpote Reſpiratione plerumque ferè deſtitutos, non tam fragrantium particularum in pulmones traductu inſpiratuque, quam nervorum olfactoriorum membranæque narium cavitatem ſuccingentis nervoſæ vellicatione, irritationeque refici, animamque reſumere opiner; conſiderandum optimè duco; qualitates nullatenus abſque ſubjecto ſubſtantiali materialique vel ipſo Peripato judice, ſubſiſtere, adeoque nec communicari poſſe: ſi enim ſanguis tranſiens ex pulmonibus quicquam recipere cordique communicare debet, neceſſe eſt, ut aliquid ſit Materiale, (nam de immaterialibus hic nulla ne quidem ſuſpicio,) tanquam objectum ſanguinis, quod ſecum ad cor rapiat. Si verò quidditate materiali ſubſtantialique fuerit deſtitutum, quomodo recipi ac cordi communicari poſſit fateor me concipere non valere. Si alii forſan tanto concipiendi intelligendique vigore polleant, ut, quomodo ejuſmodi qualitates abſque ſubjecto materiali exiſtere ſuſtentarique, nec non recipi & aliò deportari poſſunt, clarè percipiant, intenſe ab illis flagitabo, velint mihi modum ejuſmodi ſubſiſtentiæ, recipientiæ, ac tranſportationis ad vivum depingere, & parallelis naturæ phænomenis colluſtrare. Interim ego cum Modernis, quos naturæ ſedula obſervatio ac Experientia creavit, Philoſophis dicam: calorem formaliter conſiſtere in velociſſima corpuſculorum minutorum agitatione, idque cum reſpectu ad ſenſum tactus; ſubjectivè verò ſeu materialiter in particulis ejuſmodi ſubtilibus exilibuſque. Adeoque uti calor non poteſt eſſe abſque velociſſima minimorum motitatione; ita nec velox hæcce agitatio fieri poteſt abſque ſubtiliſſimis corpuſculis tanquam ſubſtantialibus materialibuſque motus, hincque caloris, (ſolius ſenſus reſpectu ſic dicti,) ſubjectis. Ex vitro verò antimonii, quod revera corpuſcula vino communicentur, non verò imaginaria ſaltem qualitas in illum tranſeat, patebit ingenuo Lectori *ex Pechlini Tract. de Purgantib. p.78. nec non ex Tractatu permultis Experimentis referto illuſtriſſ. Philoſophi Boylei de Corporum Atmoſphæris*; ubi prætereà vel ipſum ignem ſeu ignificas particulas ſenſibiliter gravitare, ac lancibus librari poſſe reperient Peripatetici, tanquam paradoxorum omnium ſibi forſan παραδοξότατον. His omnibus pro aëris in ſanguinem tranſitu addi poſſent Viri clariſſimi eundem pariter aſſerentes, nimirum *Helmontius, Gaſſendus, Platerus, Sylvius, Deuſingius, Thruſtonius, Mayovvius, Entius, Backius, Schvvammerdammius*, aliique complures; niſi in ſaniori Philoſophia, quæ ipſam rerum veritatem duntaxat pro principaliſſimo veneratur ſcopo, non tam Autoritatum qua talium, quam Rationum atque Experimentorum vigere momenta optimè noſſem.

§.6. Cum itaque ex deductis hactenus argumentis ſufficienter conſtare arbitrer, aërem inſpirando hauſtum in maſſam ſanguineam, hinc & reliquos corporis ſuccos parteſve tranſire; paucis modum ingrediendi innuiſſe congruum erit, utpote qui & ipſi ſagaciſſimo Philoſopho *Boyleo*, nec immerito, explicatu difficilis cenſetur, *cum tantum abſint* (*uti egregius Vir loquitur*,) *Syſtole & Diaſtole cordis & pulmonum ut ſint Synchronicæ.* Sed in opinionis noſtræ patrocinium notemus ſequentia: 1. de viis; quibus ad ſanguinem aër feratur, non eſſe amplius dubitandum, cum eædem ex modo dictis clariſſimè evincantur, licet adeò exiles ſint, ut à priori ſub ſenſum non cadant. Quibus enim halitus craſſiores exeunt, iiſdem ut aër, halitibus multò ſubtilior, ingredi poſſit neceſſario, ſaltem viarum capacitatem quod ſpectat, ſequitur. 2. Non requiri ſtrictè ad huncce aeris in ſanguinem tranſitum, ut cordis & pulmonum Syſtole Diaſtoleque ſint ſynchronicæ, multo minus Iſochronicæ. In pulmonibus enim ſemper aer eſt præſens, ſive inſpires, ſive exſpires, ſive ab utroque munere ceſſes, quippe non omnis, imò vix dimidia pars

aeris, quem omnium prima ſub partu Inſpiratione admiſit fœtus, ſubſequentibus exſpirationibus expellitur; ſed eatenus ſaltem nec ulterius, quatenus & quousq; à thorace pulmones conſtringente exprimi potuit, cum impoſterum per vitam integram pulmones thoraci ſerventur ab aere contigui atque expanſi. Hinc, cum ſub qualibet Inſpiratione binæ ad minimum obſerventur cordis ſyſtolæ; adeoq; & totidem Diaſtolæ; quod pari etiam ritu ſub Exſpiratione contingit; cumq; præter vias, quas dari conſtat, nil amplius ad aëris ingreſſum per vaſa pulmonis ſanguifera in ſanguinem requiratur, quam ut ab altera parte reſpectu viarum per quas & loci ad quem, nullum obſtet tranſeundi & ingrediendi impedimentum; ab altera verò parte: reſpectu termini à quo, adſit Principium promovens illum per dictas vias, vaſorum pulmonis ſanguifluorum ſcilicet porulos, quibus oris halitus exſpirant, ad Locum deſideratum, memoratorum ſcilicet vaſorum cavitatem ſanguinemque in illa exiſtentem Diſpiciendum erit, quo tempore nulla adſint impedimeta, principij aërem moventis, actionem ſufflaminare valentia; nec non quo tempore principium illud movens præſto ſit agatque. Si enim dari poteſt temporis punctum quo principij aërem moventis actio ſimulque impedimentorum dictorum defectus coincidant atque concurrant, nil prohibebit, quin concludamus aërem illo temporis puncto in maſſam ſanguineam tranſire.

§. 9. Principium itaque aërem ad ſanguinem propellere valens vel erit gravitans ejus moles, idque ſub Inſpiratione; vel thorax pulmonum interventu eundem comprimens, idque ſub Exſpiratione. Adeoque in utroque reſpirationis actu principium movens agit, unde & ſemper aëris aliquam particulam in ſanguinem propellere poſſet, niſi impedimentis infringeretur ejus actio. Quæ proinde aliud nil erunt quam ſanguis à corde in vaſa pulmonalia propulſus, atque halitus indè exhalantes. Sanguis impulſus ſi per intervalla ceſſet, uti revera id fit in Diaſtolis, movens vero aërem principium nihilominus interea actionem ſuam adhuc continuet, ceſſante hoc impedimento, id eſt, in cordis Diaſtolis aërem in maſſam ſanguineam tranſire colligimus. Cum itaque ſub inſpiratione binæ; uti ſupra dictum, fiant cordis Diaſtolæ, totidemque ſub Exſpiratione; ergò bis ad ſanguinem accedere poterit aër, eique permiſceri inſpirando, totieſque Exſpirando. Nec metuendum erit, ne aër inſpirando irruens vaſa ſanguifera pulmonis coarctet, atq; ſic ſibimet ipſi vaſorum porulos, quos ingredi deberet, præcludat; quin potius eoſdem diſtendat mediantibus, quas inflat atque expandit, pulmonum veſiculis, quibus quippe vaſa arctiſſimè ſunt intertexta, adeo, ut ijs quaquaverſum extenſis non poſſint non ſimul diſtendi, hincque porulos aëri præbere patentiores, quos impulſu ſanguinis ceſſante aut ſub Inſpiratione propriæ gravitatis mole irruendo trajiciat, ſanguinique ſeſe immiſceat: aut ſub Exſpiratione à thorace comprimente compulſus ingrediatur, atque hoc demum modo ad ſiniſtrum cordis ventriculum, & conſequenter reliquas corporis partes pertingat; in quarum deinde peripheria partim ob ſanguinis propulſum, partim vero & quidem potiſſimum ob calorem corporis rarefacientem, ejuſque vim Elaſticam augentem ſimul cum Tranſpirandis, quibus obvolvitur, foras proſcribitur atque exterminatur; unde & ſanguis venoſus maximam partem aëre deprivatus ac nigricans reperitur. Halitus vero quod attinet ex ſanguine egredientes, nec illi obſtaculo eſſe poterunt, quo minus aer illum ingredi queat. Nam ſive à cordis impulſu, adeoque ſaltem ſub hujus ſyſtolen; ſive à ſanguinis calore, ſicque continuo, halitus è ſanguine expelli dicantur, (ab aëris ſiquidem expanſione Elaſtica, uti in corporis peripheria, fieri id dici nequit, cum ſanguis venoſus, qualis pulmones intrat, aëre fere penitus in Diapnoe fuerit orbatus) neutrum tamen officere poterit. Non primum, nam tunc aeris ingreſſum ad ſanguinem fieri, noſtra non fert opinio. Nec ſecundum, quamvis enim halitus continuo caloris fotu expirarent; attamen cum aeris inſpirati temperies ſit frigidior ſimulq; illapſus ejus tam fortis, ut, uti experimentis conſtat, etiam veſicam, remoto corpore circumſtante diſrumpat; idcircò languidum hunc halitum facillime ſuperabit; ac inſuper cum tantis hiatibus ac poris præditus ſit, ut vel ad ſextam ſeptimamve ſpatij partem comprimi poſſit, multoque denique ſubtilior exiſtat; halitus in pulmones admittere ac nihilominus ob ſubſtantiæ ſuæ ſubtilitatem vaſorum porulis ſe inſinuare ſanguinemque ſubire poterit. Exſpirando autem, cum non tam prompte è ſinuoſis pulmonum veſiculis abigi queat, quin quodammodo contranitatur, hinc, velintne an nolint halitus, iſta thoracis pulmonumque conſtrictione quoad aliquam ſui partem ad ſanguinem tranſmeabit. Quod autem, nec adeò leviter quidem contranitatur aër ſub Exſpirationis actu, probatur Experimentis tum proprijs: tum ingenioſi *Mayovvi p. 276.* in quibus ſi thorax exſpirando vulnere perforetur patulo, pulmones etiam extra vulnus prorumpere nituntur, ab aere ſcilicet à thorace exſpirante coanguſtato. Hinc ſequitur, aërem in ſonoris ſuis exſpirationibus cunctis, v. g. in loquela, cantu, clamore, &c. ſemper magis in pulmonibus coarctari adeoque & largius, quam in libera exſpiratione ſanguini intrudi: quia ſcilicet in omni ejuſmodi rimulæ laryngis modificatione aëri exſpirando remora injicitur, unde & impetuoſius allidens ſonum edit. Hæc de aëris in ſanguinem Tranſitu fuſe dicta ſufficiant.

§. 10. Aliam adhuc inter autores agitari litem cernimus, an ſcilicet membrana pulmones inveſtiens aërem in thoracis cavitatem ſub reſpiratione ordinaria tranſmittat? Affirmativam tuentur *Helmontius, Highmorus, VValæus, Tulpius, Harveus, Lindenius, Schenkius,* pluresq;. Imo *Helmontius Iunior Alphabeto Naturæ p. 29.* patrem ſecutus, uti & *Guarinus Guarini*, non tantum in pectoris cavum, ſed & abdominis penetrare aërem exiſtimant. Aſt pace tantorum virorum, quamvis poros in pulmonis membrana à *VValæo, Alex. Benedicto, Plempio*, aliiſque obſervatos negare nolim; quamvis porrò purulentam materiam in Pleuriticis pectoriſq; vulneribus, vel denique liquores in thoracis Empyemate immiſſos, per pulmones ac os rediiſſe, uti id experientia freti teſtantur *Galenus, Fernelius, Pareus, Tulpius, Lommius, Marchetius, Dummerbroccius aliique*, neutiquam inficias ire animus ſit attamen in naturali & ordinaria ſanorum hominum reſpiratione aerem in thoracis civitatem permeare nunquam credidero. 1. Quia, ſtante hâc ſententia, pulmones debitè non explicarentur, à ſolo quippe aere, uti ſupra probatum, explicandi; hinc ob eorundem collapſum ſanguinis circulus impediretur, adeoq; brevi, violentis convulſionibus prodromis animal in præſentiſſimum vitæ diſcrimen adduceretur; quod tamen, Deo ſint gratiæ, non experimur. 2. Quia non video, cur in thoracis abdominiſq; cavo tantopere expeteretur aeris præſentia, ut hujus in illis locis defectu intra pauca horæ minuta animal examine ſuccumbat, uti factum teſtantur Experimenta in *Illuſtriſſ. Boylei* Machina peracta. 3. Quia *Pecquetti* experimentum contrarium monſtrat citatum à *Mœbio Fund. Phyſiol. p. 290. imò ab ipſo Autore Diſſ. Anat. p. 144. deſcriptum: Si vivæ*, inquiente, *dum diſſecas, animantis inſinuata bronchiis inſpiras avena, quicquid nitate, nullus admotæ lucernæ flammam, niſi qua tunicam liberaveris; agitabit aër.* His permotus aeri imperviam eſſe in naturali ſanorum reſpiratione pulmonis membranam cenſeo Tranſitum autem præmemoratorum liquorum, aut membranæ iſtius eroſioni; aut peculiari pororum figurationi ſtructuræq;, verſus bronchia liquores

quores quidem; non vero verſus thoracem aera admittendi aptæ; aut denique inſolitis naturæ operationibus ad ſtatum ordinarium naturalemve nullatenus applicandis aut concludentibus, acceptum refero. Nonnunquam enim, ut cum *Averrhoë* loquar, in Medicina fiunt miracula; refertque inſigniſſ. *Helmontius Tr. de Injectis Materialibus*, nec non alij, miranda Excretorum per corporis ſubſtantiam abſque viis adæquatis exempla, quos vide.

§. 11. Reſtat tandem, dum aëris veſtigia exploramus, paucis diſquirendi negotium, an aër inſpirando cerebri quoq; penetralia pro ſpirituum animalium materia ſubeat? Cujus quæſtionis Affirmativam magni multiq; ſuſtinuerunt viri docti, *Galenus* puta, *Eraſiſtratus*, *Veſalius*, *Sennertus*, *Laurentius*, *Columbus*, *Plempius*, *Fracaſſatus*, Aliiq; complures. Sed huic opinioni quominus accedere queam, argumenta in promptu ſunt ſequentia. 1. Quia in cerebro nullum aëri comparatur inſpirando ſpatium reciproco quodam peculiaris alicujus reſpirationis motu, aliis corporibus deſtitutum, ad quod gravitatis ſuæ illapſu & confluxibilitatis aptitudine aut Elaſtica Expanſione ruere atque pertingere adniti poſſet, quod tamen ubique neceſſario requiri nobiliſſ. Virorum aëris naturam præclare detegentia Experimenta demonſtrant, ſi ad locum aliquem pervenire debeat Atmoſphæra aerea. 2. Quia aerem per os cribriforme ad ventriculos cerebri in homine vivente penetrare non poſſe, tum clariſſ. *Schneideri Libris de Oſſe cribriformi & de Catarrh.* declaratur, tum αὐτοψία omneſque circumſtantiæ cuilibet præjudiciis non capto monſtrant. 3. Quia in ventriculis cerebri ſpiritus animales elaborari, ruinoſa eſt ſententia, ab Anatomicis accuratioribus diu exploſa. 4. Quia perpetuus pituitæ viſcidæ in naribus mador ſpongioſumque os dicta pituita infarctum aeri tranſitum ad cerebrum denegant, etiamſi os ipſum quodammodo connivere gratis ſupponeremus. 5. Quia ſpirituum animalium neceſſitas eſt ſine interruptione cum tamen homines ſæpè per duas treſve ſeptimanas Gravedine affecti per nariū muco obturatas cavitates aerem admittere nequeant, ſed ore patulo ſpiritum ducere cogantur. Imo novi quendam Hamburgi Fidicinem, cui poſt narium Ulcus totus earundem meatus penitus erat coalitus atque occluſus, ſicq; per omnem vitam aeris per nares tranſitu deſtituebatur. 6. Quia fœtus in utero, præſertim grandior, ſpiritus animalibus nec caret, nec carere poteſt; cum tamen nihilominus, veluti paulò poſt demonſtrabitur, in utero nullatenus reſpiret. Ut taceam valdopere adhuc dubitari, an aer tanquam neceſſaria pro ſpiritibus animalibus materia in eorum confectione exigatur, cum ab hujus ſententiæ patronis id nullibi probetur.

CAPUT IX.

Problema Harveanum Doctis omnibus propoſitum enodando, Fœtus in utero Reſpirationem diſcutit diluitque.

§. 1. Superatis nunc, de aeris in corpore humano reſpirante Viis Locisque, ad quæ pertingat, oblatis difficultatibus, abſque mora ad varios humanæ Reſpirationis Uſus properarem, niſi prius paradoxam iſtam (uti illuſtriſſ. *Boyleo* haud immerito audit) *Hippocratis* ſententiam, ſcilicet quod Fœtus in utero reſpiret, à Doctis quibuſdam denuò reſuſcitatam ac propugnatam penitus perquirendam ducerem, cum hac occaſione quædam gravioris momenti in Reſpirationis uſibus accurate enucleandis futura eventilanda ſeſe exhibeant. Neminem itaque opinor, Eruditorum ſacris vel tantillum initiatum latere poterit, Anglicanum illud decus *Harveum*, inſigniſſimi Philoſophi *Democriti*, animalium intima rimando, veſtigia premens, Doctis omnibus hocce *Problem. Libr. de Generat. Animal. Exerc. de Partu*, *propoſuiſſe: qui nempe fiat, ut Fœtus in lucem editus, ac membranis integris opertus, & etiamnum in aqua ſua manens, per aliquot horas citra ſuffocationis periculum ſuperſtes ſit; idem tamen ſecundinis exutus, ſi ſemel aerem intra pulmones attraxerit poſtea ne momento quidem temporis absque eo durare poſſit, ſed confeſtim moriatur.* Quantopere Problema hoc Doctorum ingenia exercuerit, quamque feliciter infeliciterve in illo enodando operam navaverint multi, non eſt, quod diſquirendo afferendoque multus ſim. Num ingenioſus *Schvvammerdammius Tr. de Reſpir. ſect. 2. c. 1.* jure gloriari poſſit, *negotium hoc planè à ſe eſſe confectum*; judicent Viri in reſolvendis arduis naturæ phænomenis circumſpectiores. Ego, ut libere, quid ſentiam, fatear, non ſatisfactum eſſe ab illo permultis, ſi non omnibus, arbitror, cum non tam ex rerum naturalium effectibus, quam ex precariis Clariſſ. *Sylvii & Carteſij* hypotheſibus, ingenti adhuc difficultate laborantibus, deduxerit rationem, cur Fœtus aere deſtitutus confeſtim moriatur, qui tamen momento vix anteà eodem optime carere poterat; nec tamen eruditorum, quod ſciam, ullus difficillimum huc *Harvei* Problema ſolidè enucleavit.

§. 2. Non unas, confiteor ingenuè, horas, imo dies, ne dicam ſeptimanas, anxiè me torſit Problema illud, ab ipſo etiam *Harveo* Anatomico ac Medico Exercitatiſſimo Doctiſſimoque abſque reſolutione dimiſſum; parumque aberat, quin penitus de ejuſdem plenaria ac cautis ingeniis, Realiſque Philoſophiæ Cultoribus ſatisfaciente elucidatione deſperaſſem. Animum quidem certo ex multorum huc facientium diligenti penſitatione perſuaſeram, ſubitaneæ ob Reſpirationis defectum oriundæ mortis, (aut vitæ ſaltem ad ſenſum ceſſationis,) cauſam potiſſimum, & in peculiaribus circa & in fœtus corde extructis Vaſe ac Anaſtomoſi ovali eſſe quærendam; meritò ratus, ſapientiſſimum rerum omnium Creatorem in finibus ſuis errare neutiquam poſſe, nec fruſtra mirabilem illam Meatuum in fœtus corde unionem ordinaſſe. Attamen tam intelligibiliter Autores de modo dictæ Unionis in homine nato Abolitione loquuntur, ut talis iſtorum Meatuum Clauſura, qualem proponunt, quamvis forſitan, ſi Diis placuerit, in adultioribus tolerari poſſet; nihilominus in Fœtu vix nato ac paucis poſt partum momentis, quando probabiliter ſaltem indicato ab ipſis modo, contingat, doceri intenſe aveam; idque imprimis de Foramine Ovali, copioſiori quippe ſanguini curſuque expeditiori tranſitum præbente, quam Canaliculus, adeoque ob ſui occluſionem majorem etiam, ac denique totalem vitæ noxam inferente. Illud proinde, ſive aliquantulo poſt partum tempore ita coaleſcere & ſiccari cum *Bartholino Anatom. Reform. p.m. 275. & Corn. Conſentino Progymnaſm. p. 309.* putetur, ut locus hic nunquam pertuſus fuiſſe videatur; ſive ita ut ſolum ſaltem veſtigium in natu grandioribus aliquod relinquatur, quod *Arant. Tr. de Hum. Fœtu c. 14.* voluit: nullum tamen horum paucis minutis poſt partum ità contingere potuerit, ut tranſitu ſanguinis per pulmones, ob reſpirationis defectum, collapſos, præcluſo, fœtus confeſtim moriatur; uti Problema Harvei loquitur.

§. 3. Inſigniſſimus tandem *Kerkringius* Anatomiæ non minus quam Chymiæ callentiſſimus Autor, ac de Primis tenellorum fœtuum Exortibus omnium meritiſſimus, *Spicilegij ſui Anat. obſ. 94.* fulgidiſſimam hiſce tenebris lucem afferre videtur, Dictas enim Autorum opiniones merito recuſans frequentem αὐτοψίαν adducendo aſſerit, ſe cuilibet oſtendere poſſe, *Foramen illud Ovale non alia materiâ, quam ſua ipſius Valvulâ in Nato & reſpirante infantulo claudi.* Modum autem occluſionis, cum is, quem Clar. Autor indigitavit, mihi non ſatisfaciat, ſic explico: nimirum fieri Occluſionem, & quidem remote, quia ſanguis

via

via magis recta ad pulmones fertur, nec oblique per canaliculum diverti cogatur: hincque minus in dextra auricula remoretur adeoque & Valvulam minori impetu protrudendo aperiat: immediatè autem à ſanguine ad ſiniſtrum cordis ventriculum copioſius tunc detruſo, valvulamque illam ita in tranſitu ſuo per venam pulmonalem (in quam Foramen alias patet,) ad foraminis marginem comprimente, ut amplius commodè aperiri nequeat; Manere autem, (pergit Autor) Membranulam iſtam tralucentem & tenuem Valvularum omnium more; nec craſſeſcere, nec exareſcere, nec ſolum ſaltem foraminis veſtigium relinquere in natis ſed ita, ut valvula ſemper permaneat corpore, tenuitate & perſpicuitate; imô clare à reliqua Septi ſubſtantia differens cuilibet exhiberi poſſit, ut nullus dubitandi locus relinquatur. Cuncta hæc qui attento animo libraverit inſimulque perpenderit. 1. Meatus in corde fœtus eſſe factos pro ſanguinis trajectu, utpote cujus circularis curſus pari cum vita paſſu ambulat, quique per pulmones, dum fœtus membranis & utero ſepultus aëreque omnino deſtitutus jacet, collapſos pro rei exigentia tranſire nequit. 2. Sanguinem autem pulmones permeare non poſſe, quia in fœtu nondum nato ſunt contracti atque denſe coarctati reſpirantium reſpectu. 3. Pulmones eſſe coarctatos in dicto fœtu ob principii eos cæteroquin in nato explicantis atque expandentis, aëreæ puta Atmoſphæræ, defectum. 4. Hanc denique deficere ob craſſarum dupliciumque, ſi non triplicium, ſecundinarum arctiſſimam, aëremque penitus arcentem texturam, nec non ob oris uteri exactiſſimam clauſuram, quam præter *Hipp. & Galenum* ceu oculatus & authenticus teſtatur teſtis Celeberrimus Anatomicus *Dümmerbroccius Anat. p.383.* obſervationem afferens, *ſe propria experientia os uteri in prægnante fœtum longitudinis manum æquantis gerente glutinoſo tenacique humore clauſum inveniſſe; idque tam exquiſitè, ut nec ſtylus, niſi vi per gluten adactus, immitti poſſet.* Hæc, ut plura omittam, qui probè, inquam, attenderit, ſimulque ſedulò conſideraverit, quam prompte, laxe, ac fortiter Aër à quocunque tempore, multo magis calore expandatur, ſicque majus ſpatium occupet, (quod ad Pulmones Animalium ſpiritu cohibito enecatorum fuſius applicatum vide *cap.*10. §.8.) Subitaneæ non tantum mortis ob Anhelitum nato infanti præcluſum, cauſam; ſed & ſimul, qua veri ſimilitudine reanimata hactenus à Doctis quibuſdam aſſerta Fœtus in Utero Reſpiratio gaudeat, haud difficulter reperiet. Haveanum itaque *Problema* ſic ſolvo; Fœtus aquis ſuis ac Membranis integris circumdatus Utero licet excluſius, vitalis perſiſtere poteſt, quia ſanguis illius adhuc uti & in Utero, per Foramen Ovale & Canaliculum Arterioſum, curſum ſuum Circularem, pro Vita quippe ſervanda abſolutè neceſſarium, ſine remora peragere poteſt, pulmonibus interim nec Aerem illos aliàs inſufflantem, ob ſecundinarum integritatem; nec conſequenter ſanguinem ob ſui, propter Aëris defectum ſubſidentiam admittentibus, adeoque Valvulam Anaſtomoſeos Ovalis ſanguine mediante occludentibus. Contra vero Fœtus ſemel reſpirans, ſi illi os nareſque ac omnis Aëris via præcluditur, illico moribundus evadit, brevique moritur, quoniam Aër, vel unica facta Reſpiratione, in pulmonibus reſtitans confeſtim à calore in pectore maximo latiſſimè fortiterque expanditur; qui expanſus veſiculas Pulmonum juſto amplius diſtendit; hæ diſtentæ, cum aliud ſpatium, in quo aucta earum magnitudo recipiatur, non detur, vaſa Pulmonalia comprimunt, hiſque mediantibus (cavitate eorum aut penitus, aut maximam partem abolita,) ſanguis Circulationem aut ſtatim tollunt, aut eatenus remorantur, ut brevi congrumeſcendo ſtagnare incipiat; quo ſtagnante, inque curſu ſuo planè impedito, Valvula Foraminis arctè clauditur, ſicque ſanguini omnis penè vita, tum per Pulmones, tum per Foramen Ovale obſtruitur; quo facto, cum Canaliculus Arterioſus Foramine longè anguſtior, univerſo Fœtus ſanguini tranſmittendo incapax prorſus ſit, cor perpetuas corporique viventi mortiferas Syſtolarum ſuarum ceſſationes reſumit; unde Vitalia indicia intercidunt cuncta, morique dicitur Fœtus. Ab hoc etenim Cordis ac conſequenter Sanguinis Motu Vitæ Animalium Characteres, veluti à Pondere appenſo ſeu Elatere Chalybeo Horologii Effectus dependere videntur. Sed hæc omnia plenius deducta & explicata vide §.7. *hujus Capitis*, *nec non* §.8. & 9. Cap. Decimi. Sola itaque partium cordis ſtructura atque connexio, monſtrans Valvulam Foraminis Ovalis à ſanguine in Reſpirantibus illicò per pulmones propulſo, illamque ad foraminis oram arctè premendo affingente, claudi, nec non Aëris à Calore Rarefactio, docens veſiculas pulmonum ab eo in fœtu cohibito fortiter expandi, vaſaque ſanguifera in pulmonibus comprimere, ſicque Circuli ſanguinei remoram moxque mortiferam ceſſationem inferre, Problema Harveanum optimè ſolvere videtur, adeoque firmiter ſtabilitur illud Illuſtriſſimi *Bacon. de Verulamio*, *ſolam ſcilicet Naturam eſſe arcanorum ſuorum interpretem fidiſſimam.* Quod tamen in hoc caſu non ſine celebratiſſimi *Kerkringii* ſolertia contigit, qua ſine ſi fuiſſet, ulterius forſitan adhuc, uti hactenus factun, ſurdis narraſſet fabulam.

§.4. Negamus proinde Fœtum in Utero exiſtentem ac ſecundis integris obvolutum reſpirare, hoc eſt, pulmones ejus ab aëris gravitantis mole explicari, ac thoraci, (licet hic dilatari Reſpirantium in morem fruſtrà concederetur) coexpandi. Negativam noſtram ſolidis hiſce ſuffulcimus argumentis. 1. Quoniam pulmones in Fœtu aëre nondum fruente, conſentientibus omnibus, qui eos cutello anatomico ſubjecerunt, ſunt contracti atque compacti ſubſident, nec thoracis internæ ſuperficiei contigui & coexpanſi. Addere poſſem, colorem pulmonis in dicto Fœtu rubicundiorem eſſe, ſi non ad partum uſque, ſaltem ad paucos ante partum menſes. Quod confirmant *Galenus*, *Bauhinus*, *Spigelius*, *Hoffmannus*, *Harveus*, *Highmorus*, *Thruſtonius*, *Svvammerdammius*, *Dümmerbroccius*, *&c.* Poſtremus quippe hic *Charletonem*, nullam penitus inter adultorum & Fœtus in Utero pulmonum coloris differentiam agnoſcentem *Oecon. Animal. p.*171. *multiplici fretus experientia refutat Anat. ſua p.*511. ſed fallere poſſe hoc indicium opinor. Quidam Autorum etiam pulmonum fœtus in aqua ſubſidentiam contra reſpirationem in utero adducunt. Quod itidem experienti non ſatis cauto imponere poſſe exiſtimo. Cum enim ex Hydroſtatices legibus conſtet, corpora omnia, in Specie, uti loquuntur, aqua ipſa, leviora, in eadem ſupernatare, ſi ſufficienti aquæ quantitati immittantur, pulmones autem uti membranoſa & carnoſa omnia ſpecifica gravitate aquis cedant; hinc tam fœtus nondum reſpirantis, quam nati pulmones ſupernatare poſſunt, ſi modo ſat magna aquæ quantitas illos circumfluat. Adeoque non ſequitur: pulmones quia ſupernatant, Ergo, fœtus reſpiravit; nec vice verſa. Nam quod quorundam experientia velit pulmones fundum petiiſſe, id ipſum juſta minori aquæ quantitati tribuendum, quam facilè immiſſi pulmones mole ſua diſpellere & ad lococedendum adigere, ſicque ſubſidere potuerunt. 2. Quoniam principium expanſionis pulmonum fœtui in utero deeſt. Nam uti ex ſupra dictis liquet, impoſſibile eſt aërem uteri viſcida pituita infertum os interius ac denſas Fœtus ſecundinas permeare poſſe. Præſertim cum illuſtriſſ. *Boylei Experimento Quinto Tr. de Vi aëris Elaſt.* conſtet, Veſicam agninam (qua ſecundinæ fœtus quadruplo facilè craſſiores) dum ex Vitro, cui poſt modicam inflationem arctè ligata erat immiſſa, aër illam ambiens non adeo magnam partem eſſet exhauſtus cum inſigni fragore & ſciſſura maxime hiulca fuiſſe diffra-

ctam

etiam ab aëris incluſi expanſione. Quod ſi poris fuiſſet aëri pervia, nullatenus eveniſſet. Unde multò minus aërem Secundinas pertranſire poſſe concludendum, etiamſi, quod tamen æque experientia negat, Uteri os ſubire poſſet. Accedit, quod aër ſponte nulla niſi corporibus aliis deſtituta ſpatia irruat, cum tamen Uterus à Secundinis & Fœtu ſatis repleatur.

§ 5. 3. Quoniam Fœtus pulmones liquore, cui ore hiante innatat, Nutritio, non ſine maximo ſuffocationis periculo infercirentur, ſi intra membranas exiſteret aër, aut alia quædam tenuis ac halituoſa ſubſtantia ſeu pondere ſeu Elatere pollens tantò, ut exindè pulmonum antra (ſi forte fortuna thorax amplificaretur) irruere valeret. Cum enim, uti ſuprà demonſtratum eſt, pulmones efficienti aërem alliciendi cauſa careant, hic verò non niſi aut gravitatis mole ac preſſura, aut Virtutis Elaſticæ ratione eos illabi poſſit, neceſſe foret, ut ſimul, ſi in membranis præſto eſſet, Liquorem Nutritium in aſperam Arteriam impelleret, utpote qui Fœtus fauces alluit. Notavit enim *Corn. Conſentinus Progymnaſm. p. 260. catellos in utero hiante ore in circumfuſo liquore natare: cui conſonat Bartholinus Libr. de Vaſ. Thorac. nimirum, catellos innatare humori Amnii ore aperto, & exſerta nonnihil lingua.* Sicuti & in ore, œſophago, ventriculo & inteſtinis humorem illum reperierunt *Harveus Exerc. 70. Barth. l. c. Corn. Conſent. l. c. & Rudbekius obſ. 9.* Nec dubitandum eſt amplius de Fœtus in utero Nutritione per os; cum tot tantique viri *Hippocrates, Democritus, Epicurus, Galenus, Licetus, Harveus, Charleton, Courveus, Everhardus Barbatus, Aldes, Conſentinus, Bartholinus, Nedhamius, Rudbekius, Dummerbroccius*, aliique evidentiſſimis rationibus atque obſervationibus Anatomicis eandem extra omnem dubitandi aleam, ſi cuncta judicioſe conferantur, poſuerint. Requirit autem neceſſitas, ut Liquor Nutritius ſemper præ faucium patulis foribus præſto ſit, cùm cochlearia fœtui in utero deſint, ac manuum quoque uſu in hunc finem ob corporis curvaturam frui nequeat. Nec ullatenus Nutritio fœtus per os, ſimul Reſpirationem in utero arguit, cum Deglutitio & Reſpiratio ſint munera planè diſcrepantia, ac tum cauſis, tum materiebus, tum inſtrumentis, tum viis, tum agendi modis, tum finibus, penitus diverſa. Quorſum affero experimentum ejuſmodi: ſi quis liquorem v. gr. Cereviſiam ore ac buccis detineat, eamque, auribus prius, ob incommoditatem ab introrſum nitente aëre oriundam, ſedulo obturatis, nec non naribus omninò obſtructis, oreque inſuper clauſo, deglutire conetur, promptiſſimè id effectum dabit, etiamſi & volens à reſpiratione abſtineat, & aëris per os nareſve acceſſus exactè ſit ſufflaminatus. Novi quidem *Nedhamium* & alios forſitan tum ad aërem Liquori Nutritio interſperſum, tum ad halitum ſive Gas, uti *Helmontio* vocatur, ex iſtius fermentatione aſſurgentem, confugere. Sed regero 1. Conſtare quidem experientia Machinæ pneumaticæ adminiculo capta aërem liquoribus ferè omnibus eſſe immixtum; attamen pauciſſimum ac non niſi cum inſigni Liquoris continentis ebullitione & intumeſcentia ab illo ſeparabilem, reſpirationiſque reſpectu vix conſideratione dignum, nec pulmones expandere valentem. 2. Fermentationem tantam nulla probabilitate in Liquore Nutritio ſupponi poſſe, quæ, copioſum Gas extrudendo, expanſionis pulmonum efficiens principium ſuppeditare poſſet. 3. Quamvis & aër in Liquore diſſeminatus & halitus, quem fermenteſcendo exſurgere gratis ſupponit, juncta opera aliquot fortaſſis diebus eò uſque tandem copia ſua invaleſcere poſſent; ut ad unicam pulmonum Expanſionem ſufficerent; attamen conſiderent æqui rerum arbitri, quam ridicula hæc foret reſpiratio, quo duobus vel tribus denique ne dicam pluribus diebus, unica forſan vice celebrari poſſet. Ut taceam, undè continua aëris recentatio adventare deberet, poſtquam prior exſpiratis effluviis eſſet onuſtus. Ea tamen non niſi ſub mortis pœna carere poſſe Reſpirantes monſtrat invicta illuſtriſſ. *Boylei Experientia p. 441. Tr. de Vi aëris Elaſt.* qua aviculam Recipienti exquiſitè clauſo incluſam, nulla facta exantlatione, ob aëris tranſpiratis ob illa exſpiratiſque Apporrhœis aggravati denegatam recentationem intra tres horæ quartas, præviis permultis violentiſque vomendi conatibus moribundæ ſimilem collabaſcere, docemur. Præterea quorſum quæſo aër exſpiratus abiret tandem? Niſi fortaſſis prægnantes cunctas brevi redderet Tympanaticas: Ultimò 4. hæc opinio *Nedhamii* iiſdem premitur difficultatibus, quas ſuprà jam adduximus, ſcilicet, quod, ſi aër aut vicarium quoddam expanſionis pulmonum principium intra Fœtus membranas ſtagnaret, Liquorem Nutritium ejuſdem pulmonibus impingeret, adeoque ſuffocationem minaretur tenello infantulo certiſſimam.

§. 6. Ulterius in genere fœtus in Utero reſpiratio deſtruitur. 5. Quia fœtus intra Secundinas vivit, iiſdem autem exemptus ac reſpirans, ſi aëre deſtituatur, moritur, in eaſdem etiam Secundinas repoſitus, teſte *Harveo Exerc. de Partu.* Hinc concludo, ſi antea reſpiraſſet in Secundinis vixiſſetque, cur in eaſdem repoſitus reſpirare & vivere nequiret? 6. Palmarium erit argumentum Meatuum in corde fœtus ſingulariſſima ſtructura, quos ad tempus ſaltem peculiari opera creavit Summus rerum omnium Architectus eum in finem, ut ſanguis pulmones, ob explicationis defectum permeare nequiens, illac tranſeat, ſicque ejus circulus cum vita fœtus perſtet. Horum enim Meatuum uſus vel unica reſpiratione facta aboletur, quia promptior ſanguinis per hiantes pulmones tranſitus illorum præcipuum, Foramen puta Ovale, Valvula ſua exquiſitè claudit, eamque foraminis margini quaſi agglutinat, Canaliculo interim arterioſo pro tota ſanguinis in corpore mole tranſmittenda nullatenus ſufficiente. 7. Denique, quoniam nullus reſpirationis in fœtu ex Uteri latebris nondum eluctato Uſus ac Cauſa Finalis ſeſe offert, qua tum temporis commode caruiſſe non poſſet; quæ tamen tanquam cauſarum prima prærequiſita fuiſſet antequam cauſæ conſtituentes exigerentur. Principaliſſimus enim Reſpirationis in nato Uſus eſt, ſanguinis Circulatio abſque interruptione ſervanda, ſine qua nulla, perfectiora ad minimum, uti vulgò (quam rectè hic non diſputo,) diſtinguuntur, animalia, notabili temporis ſpatio vitam agere poſſe videntur. Hæc autem Circulatio, cum in fœtu nondum in lucem edito abſque reſpiratione per peculiares ad id efformatas Vias optimè peragi queat, cæteri autem brevi poſt enumerandi Uſus pro fœtus via abſolute non ſint neceſſarii, inconcuſſa ſtabit ſententia, illum in Utero non reſpirare. Videntur ſanè Autores, forſitan ex præjudiciis, operoſius allaboraſſe in reſpirationis actu ipſo, quam ejuſdem neceſſitate uſibuſque in fœtu nondum nato adſtruendis, cum tamen ſapientiſſimus naturæ Parens nihil faciat fruſtrà & abſque certa Finali cauſa. Maternæ autem Reſpirationis Uſum fœtui non penitus denego, cum ex ſupra probatis conſtet, aërem ad omnes corporis ſuccos ſanguinem præprimis, tranſire. Hinc quin cum Liquoribus tenello fœtui à matre communicatis aliquantillum aëris ſimul in illum tranſeat, nullatenus dubitandum. Ex pauxilli autem hujus aëris defectu fœtus neutiquam paucis minutis mori poteſt, cum in Sectione Cæſarea, obſervante *Harveo*, poſt mortuam matrem horis compluſculis intra Secundinas aëris nil indigus Vitalis perſtet. Nec indiget fœtus largiori aëre, cum Tranſpiratio ejus ſit parciſſima, partim quia ad ſolam dûtaxat neceſſitatem alimento utitur, voluptuoſis gulæ illecebris minimè indulgens; partim quia aſſumpta fere cuncta ac tota quanta in corporis ipſius ſubſtantiam mutata accreſcunt; unde & tam prompte corpuſculum ejus 9. menſium intervallo tantopere augetur, ut ſi largus iſte accretionis gradus poſt partum eodem tenore produceretur, in giganteam tandem molem

molem excreſceret homo. Hinc fortaſſis haud incongruè colligi poſſet, Tranſpirationem per os & cutis ſpiracula ab aëre in reſpirantibus potiſſimum cauſatam atque promotam, eſſe in cauſa, cur hominis nec non brutorum accretio tam inſignem poſt partum, adultioribus præprimis annis, patiatur remoram. Poſtremo Vagitum uterinum invincibile nonnulli exiſtimant argumentum pro Reſpiratione fœtus in Utero demonſtranda. Sed cum muliercularum, quæ plerumque in hiſce caſibus invocantur teſtes, ſubleſta admodum fides, nec ſatis circumſpecta ſit obſervatio, ut pro baſi Problematis hujus reſolvendi inſervire queat; merito ſuſpicamur cum Clariſſ. *Dummerbroccio*, Vagitum, ſi quis certò obſervatus fuerit, è ſibilo inteſtinorum flatulentorum à fœtu compreſſorum ortum duxiſſe, qui ſæpe mirus auditur, ſuſpiria gemituſque in quibuſdam mentiens. Similia quoque ad pipientium pullorum, intra ovi teſtam adhuc exiſtentium, ſonum, quem editum ferunt aliquando, reponimus: Præprimis cum extenuatus aquæ vapor ad corpora tenuiora alliſus non minus ſibilum excitare obſervetur: uti id Experimento probat illuſtr. *Boyleus Tr. de Aëre p.m.466.*

§.7. Tandem & ipſemet hanc mihi excogitavi objectionem, contra meam Problematis Harveani ſolutionem, quod, licet Foramen Ovale à valvula propria, ſimul ac inſpiraverit fœtus, ſanguinemque per pulmones admiſerit tranſiturum, illicò occludatur; attamen id non tam tenaci agglutinatione fieri poſſe videatur, quin vaſis pulmonum, ob veſiculas ab aëre per calorem rarefacto, diſtentas compreſſis, ſanguis à corde propulſus, Valvulam rurſus à foraminis oſtio dimovere, ſicque priſtinam, qua in utero gaudebat, vitam reſumere; adeoque vita fœtus ſuperſtes eſſe poſſit. Non levis fateor hæc difficultas alicui apparere poſſet, quam tamen mox dilutam atque ſublatam dabimus. Conſiderandum itaque optimè duco, pulmones in Reſpirationis, ob Spiritum præcluſum, defectu, non eſſe in eodem ſtatu, quo uſi fuerunt in utero ante omnem Inſpirationem. Simul ac enim vel unicam ſui dilatationem paſſi ſunt, confeſtim ſanguinem admittunt, eoque deinceps indeſinenter præſente ſcatent, à quo & Valvula foraminis occluditur. Dum itaque natum, quodque reſpiratione ſemel gaviſum eſt animal, ſuffocatur, hoc eſt, dum omnis Aëri recenti via per nares atque os præcluditur, neceſſariò pulmonum Veſiculæ ab Aëre per Calorem pectoris rarefacto fortiter expanduntur, vaſaque ſanguinem intra ſe remorari faciunt. Remorari notanter dico, non enim penitus ſanguinem iterum excludunt exprimuntque è ſua cavitate, uti ante omnem Inſpirationem in fœtu nondum nato fiebat, quod teſtantur pulmones ſuffocatorum Animalium ſanguine penitus inferti. Hinc & adempta Nato reſpiratione ſemper adhuc ſanguinis aliquid admittunt, quamdiu cor à pulſu nondum omnino ceſſat, & ſanguis adhuc fluidus eſt, licet curſu valdè impedito.. Hic autem, dum in curſu impeditur, cordis motus fit languidior ac ſenſim ceſſare incipit. Motus enim cordis à variis cauſis facilimè modificari poteſt, leveque ſaltem in ſanguinis curſu obſtaculum ſentiens tum fortitudine, tum frequentia imminuitur, quod crebris phænomenis notum. Cordis itaque motus, dum ſucceſſivè remittit, ſanguis in dextro ejus ventriculo & auricula pulmonumque vaſis ſtagnare ac brevi concreſcere incipit, idque imprimis in Vena Pulmonali, utpote à cordis impulſu, qui adhuc languidus ſupereſt, remotiori Sanguis autem dum in vaſis ac pulmonali præcipuè Vena ſtagnando concreſcit, neceſſariò Valvulam, quam anteà ſolo tranſitu occluſerat, arctius jam comprimit, ſicque nullam ſanguine illac tranſeundi viam, (Aëre ſubindè ulterius, latius, fortiuſque à Pectoris Calore rareſiente, hinc & magis magiſque Vaſa Pulmonalia ſanguiflua, Veſicularum Pulmonis interventu, coarctante ac comprimente) permittit; unde tùm Circulatio cum vitæ characteribus omnibus ceſſat. Et hæc erit genuina allatæ objectionis ſolutio. Nam ſi pulmones, ſimulac Reſpiratio adimitur, ad priſtinam, qualem ante partum habebant, coarctationem concidentiamque omnino redirent, ſanguinemque omnem admiſſum illicò, ante illius congrumationem, exprimere penitus poſſent, adeò, ut nullus de novo intra illorum vaſa admitteretur, tunc ſine dubio ſanguis à Corde propulſus Valvulam Foraminis Ovalis rurſus aperiret, circulumque cum vita continuaret. Jam vero cum 1. pulmones non planè ad priorem, quam in nondum Reſpirante obtinebant, concidentiæ anguſtiam redeant, ac Aër in illis reſtitans neque liberum prorſus ſanguini per illos Curſum permittat, neque tamen eatenus à Pectoris Calore rarefiendo expandatur, ut Veſiculis Pulmonum mediantibus ſanguinem omninò omnem ex Vaſis rurſus exprimat, arceatque, ſed hæc 2. ſanguinem quodammodo intra ſe retineant, ſubindeque quamdiu cor pulſat, & ſanguis nondum coagulatus eſt, novi quid admittant; cum & 3. ſub ſanguinis remoris cordis Motus pulſificus illicò imminuatur; undè, Sanguinis Circulari Curſu tum à poſteriori, tum conſequenter à priori impedito atque ceſſante, hic 4. ſtagnet moxque congrumeſcat; ſicque in grumum concreſcens 5. Vaſa Pulmonum ſanguiflua expleat inferciatque, atque hac ratione iterandam Valvulæ Aperturam impediat; qua impedita, cum alia ſufficiens via non detur, 6. Circulatio ſanguinis ſufflaminetur; idcirco animal poſt partum Reſpiratione ſemel facta deſtitutum, vitam denique amittit, etiamſi ante partum non reſpiraverat. Quod autem ab Autoribus nonnunquam in quadrimulis, quinquēnibus namque grandioribus pueris Meatus in corde fuerint obſervati patentes atque aperti, uti *Corn. Conſentinus Progymnaſm. p.309.* refert, partim indè oriri potuit, quod Reſpirationis defectus licet aliquoties fortaſſis ingruerit, illud tamen iterum ceſſaverit, antequam ſanguis in grumum abiret; partim quod ſanguis forſan admodum copioſus in illis fuerit, ac poſt partum larga nutritione auctus, ut non tam expedite per ſolos pulmones quam inſimul per dictos Meatus tranſire potuerit, atque hac ratione illos patulos ſervaverit. In Lutris vero Caſtoribus, Phocis, Anatibus aliiſque amphibiis ſub aqua diutulè viventibus commemoratos Ductus in corde patentes ob id interdum remanere poſſe credo; quia 1. ſæpius aquis immerguntur rurſuſque emergunt, idque à primis ferè exortibus; ſicque Spiritum jam cohibent, jam denuò hauriunt, alternis vicibus frequentiſſimè id ipſum quotidie repetendo. 2. Quia ſanguis illorum non tam citò in grumum concreſcit, quam majorum animalium in terra degentium, calidiorumque. Hinc fortaſſis non adeo improbabilis eſt opinio *Corn. Conſentini*, infantes nimirum eò perduci poſſe, ſi ſæpius in die ora nareſque illis obturentur, ſicque ſanguinis portio per memoratos Ductus tranſire cogatur, ut adulti deinceps Amphibiorum inſtar vitam perducant, Ductibus iiſdem patulis remanentibus; uti & hos patulos eſſe in Urinatoribus, multa ſæpè minuta ſub aquam durantibus præſumendum; quorum exempla vid in Illuſtriſſ. *Boylei Tr. de vi aëris Elaſt. Digreſſ. de Reſpir. & Act. Philoſoph. Angl. Edit. Lipſ. p.80. ex Kircheri Mundo Subterraneo; it. l. c. p.724.* Optimè itaque diſtinguendum cenſeo inter Reſpirationem pauca momenta inhibitam, rurſuſque liberatam; & illam, quæ eò uſque ſuſpenditur, donec vita aut illius ſaltem ſenſibiles characteres aboleantur. Hæc enim, quam mox ſanguinis grumeſcentia ſequitur, Valvulam denuò à ſanguine aperiri non permittit; Illa autem ad hanc iterum aperiendam conducere poteſt. Confirmantur hæc, quod Valvula ob ſanguinem in vaſis ac præcipue Vena pulmonali poſt Reſpirationem denegatam concreſcentem aperiri ex poſtliminio nequeat, illa obſervatione, qua in ſuffocatis

dexter cordis ventriculus auriculaque, ac vaſa imprimis pulmonalia ſanguine congrumato penitus inferta reperiuntur teſtante *Harveo & αὐτοψίᾳ*.

CAPUT X.

Reſpirationis Humanæ Uſus tum minus principales, tum principaliſſimum, ad vivere quippe ſimpliciter neceſſarium, ac ne aliquot quidem minutis, niſi cum morti periculo adimendum, plenius proſequitur: ſimulque concatenato φαινομένων atque Cauſarum nexu arduum illud atque bimembre Problema ſedulo dilucidat: Cur ſcilicet Animalia, tàm ob Aëris inſpirati cohibitique præſentiam, quàm in Machina Boyliana propter ejuſdem Aëris Exantlationem, paucis minutis moribunda evadant.

§.1. NUnc tandem omnibus ſemotis, quæ Uſibus Reſpirationis penitus explicandis obſtaculo eſſe poterant, difficultatibus, ut ultimam Themati noſtro hucuſque feliciter perducto manum admoveamus, ordo poſtulat, cunctos varioſque operoſi & admirandi reſpirationis humanæ negotii uſus perſcrutando. Nemo itaque multiplicia reſpirationis humanæ commoda attente perluſtrans dubitabit, quin eadem conducat 1. Ad Olfactum; quatenus particulæ odorabiles cum aëre dilatato pectore appropinquante abripiuntur, ac nervoſis narium tunicis quaſi impinguntur. 2. Ad Screatum & Sputationem; quatenus mucus aut ab aëre, amplificato thorace, irruente è narium ductibus in fauces repellitur, moxque à thorace fortiter exſpirante extruditur; aut cum eodem aëre inſpirato à thoracis valida conſtrictione è Laryngis cavo protruditur exſpuiturque. Quos proinde, uti & proximè ſequentes uſus, quomodo *Lambzvverdius* negare potuerit, haud video. 3. Ad Oſcitationem, Tuſſim, Sternutationem, Emunctionemque; dum nimirum cum aëre inſpirando admiſſo, aut halitus aut mucus viſcidior tenuiorve, aut aliud quid pulmonibus, laryngi, faucibus naribuſque moleſtum ſeu irritans, forti Exſpiratione extruditur. 4. Ad Liquidorum ſorbitionem, ſuctionemve: quatenus aëris Elatere ſeu ſpira, in faucibus, amplificando thoracem, debilitata, aër externus liquidis vel immediatè vel mediantibus mammis aliiſve partibus flexibilibus liquores continentibus incumbens, minoremque quam ullibi in faucibus renitentiam reperiens, liquida in os impellit, muſculorum deglutitioni dicatorum miniſterio ulterius in ſtomachum promovenda ac depellenda. In ſuctione autem ex mammis, quin præter aërem externum, Lac è mammarum tubulis in os lactentis infantuli experimentum, ſymbolum quoque conferat aër internus omnibus corporis ſuccis, uti ſupra probatur, penitiſſimè immixtus, intrinſeca ſua expanſione liquorem in tubulis lactiferis promovendo, nullus dubitandi locus eſt; Et hic ſane Suctionis uſus, ſi pulmones potius qua tales quam ipſam reſpirationis functionem ſpectes, maxime primarius, omnibuſque vere reſpirantibus animalibus ad alimentorum aſſumptionem hinc & vitam ſimpliciter neceſſarius eſt, & ob quem præ cæteris pulmones fabricati videntur. 5. Ad loquelam, Cantum, Clamorem, Riſum, Fletum, Flatum, ſimileſque, quibus aëris inſpirati expulſio inſervit, Actiones; quatenus aër inſpirando hauſtus varia varieque modificata ſui alliſione extruſioneque à Larynge, faucibus, lingua, buccis, dentibus, naribus, labiiſque diverſificata exſpirando è pulmonibus oreque expellitur. 6. Ad Fœtum alvi, Urinæ, Fœtus, Molæve nec non Secundinarum expulſionem excluſionemque; quatenus ſpatium in abdomine, per diaphragma, ab inſpirandi tunc ſpiritumque cohibente thorace propriaque contractione deorſ-antrorſum protenſum, anguſtius factum efficit, ut muſculi abdominis comprimentes ac coarctantes in dictis caſibus inteſtina, veſicam, uterumque aptius ferire atque contrudere valeant. 7. Ad promovenda Ventriculi, Inteſtinorum, Lacteorumque vaſorum, imò & fortaſſis, jecoris interventu, Folliculi fellis contenta, quod nunquam ferians Reſpiratio, abdomen per diaphragma indefeſſe coarctando relaxandoque quodammodo conducat, penitus quidem negari non poſſe videtur; quanquam collatum iſtud auxilium valdè indiſcretum ac pro debita commemoratorum contentorum promotione indeterminatum admodum appareat. 8. Ad halitus aqueos Sanguinis è pulmonibus aëris ope exportandos; quos, uti ſupra dictum; quolibet die ad ſelibram circiter adſcendere notat *Sanctorius Med. Stat. Aph.5.* 9. Ad Diapnoën; quatenus aërem tanquam primariam, ne aduſtum relinquant craſſamentum Tranſpirata in corpore cauſam ſuppeditat, uti in ſuperioribus fuſe explicatum. 10. Ad exactiorem Chyli lymphæque deſcendentium nec non ſanguinis in capillaribus vaſorum pulmonalium ramificationibus Miſcelam, quæ ruditer ſaltem in dextro cordis ventriculo erant confuſa, quod faciat Reſpiratio, negari nequit. 11. Ad conciliandam ſanguini pulmonalia vaſcula permeanti coccineam arterioſamque rubedinem, nec non tenuitatem fluxibilitatemque; uti ex ſupra deductis ſatis liquet. Qui ſane uſus ad Individui ſanitatem quam maximè conferre videtur. 12. Nec moroſe negabimus, aërem, dum ejus temperies ſeu conſtitutio eſt frigidior, quam thoracis partes interiores, pulmones & ſanguinem illos tranſcurrentem minus calida aliquatenus reddere, ſimulque magis calidum fieri; quanquam non concedamus aërem, brumalem licet, partes illas verè refrigerare, ita, ut ad ſenſum frigidæ ab ejus Inſpiratione evadant; naturamque intendere, ut per aërem inſpiratum dictæ partes infrigidentur. Ipſe enim tam facilè quemcunque calorem recipit, ut verius inſpirando à pulmonibus & à ſanguine calefieri, quam illa refrigerare dici queat. Quod monſtrant Thermoſcopia, in quibus aër à cujuſcunque, etiam nobis judicantibus frigidæ, manus applicatæ tepore manifeſtè expanditur, atque ſenſibilem, liquores, quibus innititur, deprimendo, effectum edit, ſi eodem ambientis aëris temperamento quoad frigus atque calorem, gaudeant vitrum ac manus. Multo minus nomine vix dignum hoc refrigerium aëris primarius Reſpirationis uſus nobis exiſtimatur. Ranæ enim licet frigidiſſimæ Reſpiratione tamen carere non poſſunt. Senes itidem naturali calore omninò ferè deſtituti, reſpiratione nihilominus non niſi cum vitæ periculo carere queunt. Nec autumandum, Deum calorem cordis tam immoderatum feciſſe, ut perpetuo anhelitus flabello refrigerari exigeret. Prætereà fœtus in utero non reſpirat, cum tamen duplici calore, proprio ſcilicet, ſimulque materno gaudeat. Cur autem aëris frigidioris eo, qui in pulmonibus ſemper reſtitat, continua recentatio pro ſanitatis vitæque commodo requiratur, explicabimus infra. Veterum enim, quem in corde finxerunt, Igniculus ac Flammula ſanioribus Medicis ac Philoſophis dudum exſpiraſſe viſa ſunt, ſi modo unquam arſerint. Ideoque ut ad illa quid regeramus, operæ pretium non eſt. Haud equidem ignoro, præclaros quoſdam Carteſianos, *VVilliſium, Sylvium*, ejuſque Cultores, levi admiſſa mutatione, igniculum huncce è cineribus reſuſcitaſſe, docendo, illum potiſſimum in dextero cordis ventriculo vigere, ſanguinemque in pulmones tranſiturum rarefacere, cui proindè rurſus condenſando aërem frigidiorem inſpiratum inſervire putant. Plauſibilius præ cæteris rem propoſuit Clar. *Sylvius Diſp. Med. ſexta & ſeptima*, ut & *utraque de Febribus*. In quibus ſcriptis Incendium illud in

Corde vitale, uti vocat, ex bilis lixivæ, cum ſanguine adſcendentis cordique advectæ, necnon lymphæ & chyli ſubacidorum mutua in dextro cordis ventriculo efferveſcentia, ne ſpecioſe magis quam verè vereor, deducit. Cui efferveſcentiæ contemperandæ aërem, ſale, refrigerare alioquin ſolito, fœtum, in pulmonibus admiſcet, ſicque ſanguinem rarefactum rurſus condenſat, refrigeratque. Sed paucis reſpondeo, hypotheſin illam, præſertim de bilis accenſu, vigorem Rationum, Obſervationum, & Experimentorum *Dümmerbroccii*, perſonati illius *Leoniceni*, atque *Malpighii* haud quaquam ferre, ideoque nec pro abſtruendo Igniculo concludere. Præterea alteratio nulla reperietur in ſanguine ex cordis dextro ventriculo egrediente, ſed ater & venoſus pulmones ſubit, ex iiſque demum vero per Venam pulmonalem arterioſus, floridus, lucidaque rubedine donatus, atque tenuis redit, quod clariſſimis *Louverii* Experimentis ſuprà adductis liquidiſſimè conſtat. 13. Quod denique aër ſanguini ſingulis Reſpirationibus aliquantilla ſui parte, uti ſupra oſtenſum, admixtus, pauciſſimas quaſdam in ſpirituum animalium elaboratione particulas ſimul contribuat, penitus quidem, accurate rem perpendenti, non impoſſibile videbitur; Cum tamen quod legitima imò primaria uti *Sebizius*, *Laurentius*, *Tackius* aliique voluerunt ſpirituum ſit materia, haud facilè credam.

§ 2. Quamvis itaque hactenus varios multipliceſque reſpirationis humanæ tum Actus tum Materiæ Uſus neutiquam ſpernendos adduxerim, omnes tamen vel ad τὸ εὖ εἶναι Individui duntaxat, vel ſaltem non adeo atque ſimpliciter ad τὸ εἶναι neceſſarii ſunt, ut eorum per aliquot ad minimum minuta horaſque ne dicam ſeptimanas, ingruens defectus cum vita animalis, etiamſi & minus ſana ſtare nequeat, quin ipſam aut ſaltem ejus ſenſibilia indicia prorſus aboleat. Nec puto candidum atque rerum naturalium experientia imbutum dictorum omnium accuratum trutinatorem ſeipſum aliofque perſuadere aut velle aut ingenuè poſſe, aliquem commemoratorum Uſuum, ſi ceſſet, poſſet illicò etiam vitam aut omnes hujus ad minimum characteres ſenſu obſervabiles in totum tollere, idque tam circo uti Machina Boyliana nos docet. *In qua dum aër exhauriebatur, intra 2. 3. 4. 5. 6. & 7. ad ſummum horæ minuta aves & mures ultra vitæ à ſola aëris readmiſſione redintegrandæ ſpem omnem redacta fuerunt.* Ab aëris defectu miranda ejuſmodi extinctionum velociſſimarum phænomena profluxiſſe unicè nullum omnino dubium eſt. Quicquid enim Carteſiani de Materia ſua ſubtili vitream Machinam promptiſſime, dum aër egreditur, permeante, ibidemque irrequietiſſimam vehementiſſimamque in animalis pectore agitationem, nec levem, ni Dii avertant, incaleſcentiam patrante, ſicque animalculum occidente, confidenter nobis narrant, veterum duntaxat crambem recoctam ac reformatam ſapiunt, nec ſolum ab ipſis poſitive nondum probata, ſed & in ſuperioribus, ac omnium validiſſimè perilluſtriſſ. *Boylei Experimentum 38. & 39. Tr. de aëre* expugnata habentur. His ſiquidem experimentis evidentiſſime demonſtratur, nullatenus aëri è Vitro Pneumatico exeunti Materiam talem velociſſime motam, multo minus calorificam, ſuccedere. Et quid obſecro, candide ac judicioſe Lector, qui non tam grandium famoſarumque hypotheſium turgidam oſtentationem, quam ipſam Rerum Naturalium ſimpliciſſimam jucundiſſimamque veritatem unice in votis habes, quid inquam, utilitatis exinde in nos redundat, ſi precariam ſolummodo doctrinam calleamus, quæ tamen nec animum libere ac penitiſſime cuncta perſcrutantem explet, nec ex ipſis rerum naturalium phænomenis liquido demonſtrari poteſt? Sic enim titillantibus Opinionibus prurientes veram Creaturarum utilitatem dulciſſimamque in illis reconditam Summi Creatoris ſapientiam negligendo ingrati tandem atque inutiles Deo & proximo ſepelimur, poſtquam nimirum prægrandem ſubtiliſſimis hypotheſibus inflatam bullam in hac mundi ſcena repræſentavimus. Malo quidem ego ingenue fateri, me huic vel illi phænomeno explicando imparem eſſe; quam ex meris hypotheſibus, rerum naturalium experientia circumſpectiſſime hauſta, & quam proxime iis quadrante, nondum firmatis, quidvis effutire, ſaltem ne quid ignoraſſe videar. Sed neutiquam metuendum, Naturam ſui ingenuos Cultores ſcientia vacuos dimittere, ſi modo Vacui ad illam accedant. Nam ſi Ictericis præconceptarum opinionum oculis ejuſdem opera inveſtigare conentur, non mirum, quod nudam non ſpectent Dianam, quin potius ſæpiſſime pro Junone nubem amplectantur. Regeres: oſtendere nihilominus acutas ejuſmodi hypotheſes ſpeculabundum ac ſubtile ingenium, poſſeque ex illis naturæ phænomena prompte ac expedite ſolvi. Sed Reſpondeo: veræ ſapientiæ Cultores ac Philoſophos non tam ingenii oſtentationem, quam rerum veritatem quærere debere, naturamque ridere ſubtilitatum noſtratum geſticulationes, niſi rerum naturalium pondere ac robore ſuffulciantur. Præterea non ſufficit facile ac expedite naturæ phænomena diſſolviſſe, niſi & ſolide, vera, atque apposite id fiat. Propmtæ enim ejuſmodi difficultatum enodationes ſunt admodum ſuſpectæ, & ſi in hoc verteretur veræ Philoſophiæ cardo, Peripatetici omnium optime rem expedirent, cuilibet, etiam difficillimo, phænomeno peculiarem qualitatem agili ore aſſignantes. Sed quid quæſo fructuum poſt ſe relinquunt hujus farinæ Philoſophi? Hac enim ratione nunquam perveniemus ad nobiliſſimam fructuoſiſſimamque meditandi non ſolum, ſed & operandi Methodum Syntheticam, qua cauſis rerum à priori cognitis mirandos ac inſtare pro lubitu valemus. In hac ſiquidem ingenioſi Mechanici operationum ſuarum cauſas à priori cognoſcendo, earumque judicioſa applicatione directioneque ſtupendos nonnunquam ac utiliſſimos nec minus artificioſos effectus atque opera perficiendo vel ipſum *Ariſtotelem*, *Scotum*, *Thomam*, alioſque ſpinoſiſſimos Philoſophos toto die ſuperant. Quinimo nunquam credo, Regem illum Japonenſium, etiamſi ſubtiliſſima acerrimaque cujuſcunque ingenioſſimi Philoſophi hypotheſis ipſi fuiſſet enarrata atque expoſita, tantopere illa commotum atque in tantam animi admirationem abreptum fuiſſe, quam factum conſtat, cum illi ab Europæis Horologium dono daretur. Illud ſiquidem ſummopere miratus in genua procumbendo veluti Numen adoravit. *Maurocord. Tr. de Mot. & Uſ. Pulm. p.135.* Et hanc Viventibus cunctis maxime proficuam Syntheticam philoſophandi ac operandi Methodum unicè in votis quoque habet celebratiſſima illa Societas Anglorum Regia, ut Analytice innumerabiles rerum effectus tum ſponte tum prudentiſſimo artis adminiculo experimentali ſollicitante productos exquirendo ac colligendo ex mutua eorundem collatione, ſapientique ac circumſpecta penſitatione, tandem ad genuinas ipſorum cauſas penetrare, haſque cognoſcere, ac cum ingenti Philoſophiæ, totiuſque vitæ humanæ commodo, pro arbitrio applicare valeat. Unde & tantopere ſibi à præjudiciis ac precariis hypotheſibus cavet illuſtriſſimus ille laudatæ Societatis ſplendor ac decus *Boyleus*, uti accuratiſſima auroque ac gemmis pretioſiora illius ſcripta abunde teſtantur. Magnus itidem ille *Fr. Baconus de Verulamio*, Regiæ iſtius Societatis in Anglia Fundator nihil magis in ſcriptis ſuis inculcat, quam fidelem ſolummodo Rerum naturalium Effectuumque illarum Hiſtoriam, diligentemque Phænomenon naturæ Obſervationem.

§. 3. Sed è diverticulo, quod æqui conſulat cordatus Lector, ad viam. Firmo ſtabit talo ſententia ab aëris defectu

defectu præproperam animalculis vitalium indiciorum ceſſationem moxque mortem accidiſſe. Inſtabit autem ulterius ſciendi cupidum ingenium graviſſimum hocce *Problema* proponendo: *Quonam modo aëris abſentia hoſce effectus paucis horæ minutis inferat?* Ut hinc tandem ipſi pateat Principaliſſimus, ac non niſi ſub mortis brevi ingruentis periculo ferians, Reſpirationis Uſus. An ſcilicet aliquæ aeris particulæ poſitive vitæ quidditatem ingrediantur, quibus deficientibus vita neceſſario deficiat? An vero aeris in pulmones illapſus ob id tam avide pro vita animantium expetatur, ut ejus mole gravitante pulmones diducantur ac expandantur, ne, ſi coarctati manerent, ſanguinis circularem curſum in vaſis ſuis ſanguiferis impediant, atque mox tollant, ſicque vitam ac ſenſum extinguant? Graviſſima hæcce maximeq; ardua Quæſtio, ut in hac humanæ mentis imbecillitate pleniſſime & quidem pro voto meo cum omnibus conſectariis indè propullulantibus enodari queat, maximopere vereor, niſi forſitan divinus quidam Oedipus tanquam θεὸς ἀπὸ μηχανῆς accedat. Plus enim in receſſu gerit, quam prima fronte præ ſe ferre videtur. Ad ipſam quippe abſtruſiſſimam Animæ humanæ atque Brutorum Doctrinam recto tramite perducit, ſi plenius exquiri debeat. Qua tamen, proh dolor! in ſenſuali hoc mundo nihil jejunius, nihil Scholis obſoletius rariusq;, niſi, quod Paganiſmum redolet, excipere velis. Sed in magnis voluiſſe ſat erit. Idcirco candidis ac libere accurateque rem penſitantibus arbitris cogitationes noſtras admodum probabiles, atque ex ipſis naturæ phænomenis depromptas ingenue exponemus. In anteceſſum itaque merito cum ſagaciſſimo noſtri Sxculi Philoſopho *Boyleo in Orig. Formar.* notabimus vocabula Vitæ, Animæ, formæ, &c. laxo admodum ſenſu vulgo gaudere, nec hactenus ab ipſis Philoſophis debitè limitata eſſe. Novi quidem vulgarem ferre ſententiam, Vitam conſiſtere in Motu & Senſu, adeo, ut animal vivere dicatur, quamdiu ſentit ac motum edit. Aſt Motum & Senſum eſſe Vitæ Characteres duntaxat atque Indicia, non verò quidditative Vitam conſtituere, nec animal Motu, tum arbitrario, tum involuntario, necnon Senſu deſtitutum, vita inſimul penitus carere compl[u]res ſuadent inſtantiæ experimentis poſteà enarrandis ſuffultæ. Nec movere nos debet *Galeni* Autoritas *Lib. 6. de Loc. Affect. c. 5. Reſpirantem*, inquientis, *non vivere, & viventem non reſpirare, impoſſibile eſt. Et lib. 5. de Loc. Affect. c. 1. Sublata reſpiratione tollitur vita.* Neque ob id mente captus videbor ex cenſura *Ioh. Matthæi Quæſt. Med. Enod.* 4. licet hanc Galeni ſententiam (niſi fortaſſis ad manifeſta ſolummodo vitæ indicia ſit reſtringenda,) impugnaverim, ac per Experimenta firmiſſima demonſtraverim, Vitam non penitus ceſſare ac confeſtim extingui, ſimul ac Reſpiratio ceſſat.

§. 4. His præſuppoſitis (ut ad præmemoratam Quæſtionem reſpondere incipiam,) dico, improbabile prorſus eſſe, in aeris defectu ideo cuncta ceſſare vitæ munera, quaſi tunc ſimul cum aere animalia privarentur portiunculis quibuſdam proxime vitalibus, ex illo alias ad vitam illorum ſartam tectam conſervandam in Reſpiratione accedere ſolitis. Quamvis enim aeris ad ſanguinem acceſſum aliquot argumentis ſupra probaverim ipſemet, non tamen exinde ſequitur: ergo aeris quædam particulæ pro ipſius vitæ, ut ſic loquar, nutrimento illam conſtitutive ingrediuntur; cum in Diapnoes potiſſimum gratiam ſanguini illum permiſceri dicta ibidem commonſtrent. Nec unquam probari poteſt exiſtere in aere ejuſmodi particulas proxime vitalitatis ſuſceptivas, &, ut plura omittam, hoc unicum illis, qui id ſentiunt, oppono: nimirum me per experimenta inferius adducenda demonſtraturum, vitam in aeris defectu nullatenus abigi, ſimul ac Motus & Senſus ferientur omnes. Unde ſequitur: ſi vita ſine omni aeris hauſtu perennare poteſt; Ergo aer non immediate pro vita ſervanda requiritur, ſed ſaltem pro muneribus vitæ obeundis & quidem præcipue pro pulmonum expanſione ac conſequenter ſanguinis circulo perpetuando. Quicquid enim tam magnificis verbis diffuſiſſimaque ſynonymia de *Occulto Vitæ Cibo in aere, Spiritu Mundi Catholico, Anima Mundi, Mercurio univerſali, Spiritu æthereo, Spiritu Panurgo, Spiritu aeris Vitali, Forma univerſali, Quinta vitæ Eſſentia, Auro Aethereo, Solis Filio, Latice Aethereo, Sale Mundi, Sale Cœleſti, Sale Pontico, Vita Univerſali, Archeo Univerſali Vitali, Protheo Verſipelli, Mercurio omniformi & uniformi, Rore de nocte, Aqua rarefacta de die, Spermate mundi, Entelechia Chao naturæ*, & ſexcentis aliis *Epithetis* ſpecioſe decantant Autores, omnia tandem in *Sulphureo-Salina globi Terraquei Effluvia, Radiorum ſolarium*; à quibus in altum vehuntur, *atomis ſubtiliſſimis immixta*, potiſſimum recidunt. Et quamvis haud mediocrem in alterandis ſublunarium ſubjectis efficaciam illis libenter ac merito concedam, præſertim ſi ex Aëre, Rore, fœcundiſque ac pinguibus Terris in palpabiliorem Salis aut Liquoris ſalini ſubſtantiam condenſata ac concentrata fuerit; attamen quod præclari Spiritus Mundi Patroni de Quidditate, atque Effectibus ejuſdem licentioſa nimis hyperbole, ſolide philoſophantibus merito ſuſpecta, loquantur, nemo rerum magis quam verborum æſtimator inficias ire poterit, ſi Clariſſim. Virorum *Fabri, Nuyſemet, de Rochas, Tackij, Balduini, Kircheri, Schotti, Borelli, Ratterey, Nittneri, Penoti, Dornæi, Crollii, Papinii, Tilemanni, Augurelli, Becheri, Corn. Conſentini, Hanemanni, Marſ. Ficini, Helmontij, Fluddii, Tackevii, Sendivogij, Borrichii, Rothmanni, Beckij, VVirdigii, Staricii, Glauberi*, aliorumque ſcripta attente ac libere perluſtraverit. Conſideratius quidem de Sale quodam Nitro aereo, ad vitam ſuſtinendam neceſſario mentem ſuam proponit *Mayovvius Tr. de Reſpir.* licet non minus valdopere adhuc fluctuet. Nam *p.* 301. Uſum particularum Nitro-aerearum, quibus ex parte aërem conſtare ſupponit, *debitam* dicit eſſe *fermentationem in vaſis pulmonalibus & Arteriis omnibus facere.* Quod quidem, ſi per moderatiſſimam ſanguinis non tam fermentationem quam conſiſtentiæ ejus in colore duntaxat & tenuitate alterationem explicetur, tolerari poteſt. Fermentatio enim propriè ſumpta, tum ob materiæ ad illam requiſitæ defectum, tum ob vaſorum anguſtiam celeremque tranſitum admitti nequit. Paulo poſt autem *p.* 303. ipſe dubitat, an in Reſpiratione ſuppreſſa ſalis hujus defectu animalia ſtatim mori poſſint; mortemque potius inde deducit, *quod non tam in ſanguine quam in muſculorum, hinc & præcipue cordis motu ſal iſtud aëreum deficiat, utpote ad quem illud tantopere neceſſarium exiſtimat*, ſupponendo, *Muſculorum Contractionem fieri per effervescentiam à ſale hoc aëris nitroſo & ſanguinis particulis ſalino-ſulphureis oriundam.* Adeoque vult, *ſalem hunc in aëre exiſtentem cum eoque inſpiratum in ipſam cordis ſubſtantiam muſculoſam penetrare, ibidemque, non vero in cordis cavitate, cum particulis ſanguinis ſalino-ſulphureis muſcularem cordis motum effervescendo producere. Quo cordis motu, ob ſalis iſtius, in ſufflaminata reſpiratione defectum, ceſſante, ſanguinis quoque motum ad cerebrum, hincque Spirituum animalium influxum deficere, in quorum tamen diſtributione Vitam animalem conſiſtere putat.* Ex quibus omnibus conſtat, autorem hunc non quidem ſalem nitro-aëreum immediate ad vitam eſſe neceſſarium, ſed ſaltem mediante cordis motu ſanguiniſque circulatione judicaſſe.

§. 5. Cum autem hæc omnia gratis ſint allata, nec rationibus firmis munita; idcirco gratis eadem dimittere poſſemus, cum aſſenſum noſtrum in Philoſophia naturali nonniſi evidentes rationes ipſius Materiæ, de qua agitur, crebris cautiſſimeque captis, ac circumſpectiſſime applicatis experimentis fulcitæ, nanciſci

ciſci queant. Aſt haud inutile forſitan erit paulo penitius, quid ſolidi ſubſit in opinione *Mayovvii*, exquirere, rogando Lectorem, velit libere & accurate ſecum perpendere, 1. quàm improbabile prorſus ſit, contractionem muſcularem fieri per efferveſcentiam ejuſmodi ab impetuoſis ac diverſæ naturæ ſalibus oriundam, cum tamen quolibet momento muſculorum actiones mutare, inhibere, augere, minuereque in noſtro ſit poſitum arbitrio; quod quomodo intelligib liter ac veriſimiliter ex ſalium efferveſcentia explicari poſſit, Hactenus non capio. Dum enim ſalina diſcrepantis ſtructuræ corpuſcula fluida pro efferveſcentiæ ſcopo confundimus, vehemens eorundem agitatio nullo vaſe clauſo, niſi capaciſſimo, coërceri poteſt, nec actionem illorum facile pro nutu modificare, poſtquam ſemel commiſſa ſunt, valemus, niſi mutuo inter ſe confractis viribus à priori textura penitus alterata tandem ſimul in gratiam redeant, ac novum quaſi Ens conſtituant. 2. Perpendat, conſtare experientia illuſtriſſ. *Boylei* aërem (ubi omnia in eo fluctuantia effluvia, ſive ſalina, ſive ſulphurea, ſive alterius indolis, ſimul intelliguntur,) eſſe ad minimum millies leviorem aqua, adeoque & millies capacius ſpatium occupare. Hinc qui liquorem ex aëre piſcantur ſub ſpiritus aërei nomine, in quo ſal iſtud nitro-aëreum latere debet, ex mille partibus aëris unicam liquoris partem vix accipient. Sed concedamus facilioris computi gratia, ex 906. partibus aëris poſſe acquiri partem unam liquoris aërei; largiamur ulterius quamlibet drachman iſtius liquoris poſt ſui concentrationem ſuppeditare Granum unum ſalis iſtius nitro-aërei, id eſt, ſexageſimam reſpectu liquoris priſtini, partem; quam tamen vix dabit, cum ſalina corpuſcula latiſſime parciſſimaque manu in illo liquore ex aëre capto ſint diſperſa; quod teſtari poterunt, qui æque ac ego ſalem illum collegerunt unquam. Supponamus jam, qualibet moderata Inſpiratione ab homine plane quieto, v. gr. dormiente, tantum aëris admitti, quantum inflandæ veſiculæ, uncias duas aquæ fluviatilis capienti, par eſſet. Plus enim aëris libera, nec ullatenus ſollicitata, Inſpiratione non illabi experientia conſtabit tentanti. Aërem itaque dicto ſpatio, duas aquæ uncias capiente, contentum, concedamus eſſe nongenteſima ac ſexageſima ſui parte liquorem; hoc eſt, aër qualibet inſpiratione irruens continet granum unicum liquoris aërei. Hujus grani ſexageſima denique pars erit ſal illud nitro-aëreum. Cum autem ſub unaquaque inſpiratione exſpirationeque ſimul ſumptis ad minimum quatuor fiant pulſus ſeu cordis Syſtolæ, hinc ſexageſima illa grani unius, de ſale nitro-aereo, pars, rurſus in quatuor partes erit ſubdividenda, ut quælibet quatuor ſyſtolarum de illa participari queat; adeoque in quamcunque cordis ſyſtolen ducenteſima & quadrageſima grani unius ſalis nitro-aërei pars cadere reperietur. Hæc igitur exiliſſima ac prorſus inconceptibilis ſalis iſtius portiuncula, cum ſufficienti quantitate particularum ſanguinis ſalino-ſulphurearum in ipſa denſa cordis ſubſtantia efferveſcendo tumultuans, erit ex hypotheſi Mayovviana efficiens unius Syſtoles ſeu pulſus Cauſa. Ducenties itaque & quadrageſies cor ſeſe contrahat pulſetve neceſſe eſt, priuſquam vel unicum granum ſalis iſtius nitroſi ex aere lucrari poterit. Et tamen nihilominus quindecim ad minimum ſanguinis libræ in quolibet pulſu cordis ſunt loco movendæ; ut nihil jam dicam de ipſorum totius corporis vaſorum, carneaque ipſis interſperſa ac circumjecta mole, Hinc cum carpus meus, 504. pulſationes mihi ſedulo numeranti horæ ſpatio exhibuerit, per integram horam cor ſeſe indefeſſe motitando non ultra. 14. grana & 144. ducenteſimas quadrageſimaſque grani unius partes de ſale iſto nitro-aereo ab invidis pulmonibus emendicare, juxta Autoris hypotheſin, poterit. Proh immanen crapulam! credat id Judæus Apella, non Ego. Taceo computum meum admodum adhuc connivere, nec rigoroſe inſtitutum, atque ad ſolum cor duntaxat eſſe directum. Iam vero, quid putas ad Ventriculi ac Inteſtinorum Periſtalticum motum, æque fere ac cordis continuum, licet manſuetiorem, in tanta ſalis nitro-aerei egeſtate redundare poſſe? At tandem quid reliquis corporis muſculis ſcribendo, loquendo, ſimileſque leves actiones, quæ crebriorem reſpirationem non ſtatim exigunt, obeundo, cordis magnitudinem multoties mole ſuperantibus reliquum erit? Hæc ita fuſius deduxi, ut pateat, quam circumſpecti ſimus neceſſe ſit in excogitandis hypotheſibus, quas forſitan nunquam excogitaſſe præſtaret. 3. Secum perpendat æquus Lector, quomodo ſola Inſpiratione in ipſam cordis compactam ſubſtantiam ſal iſtud nitro-aereum, uti Autoris hypotheſis requirit, penetrare poſſit? Quis illud in fibras cordis admodum ſolidas tam valide impingat? Quamque confuſa ac indiſcreta hæc foret principij cor moventis ſuppeditatio, quam in tam ſapienti atq; concinno rerum naturalim ordine, ſeu potius ſupremo ejuſdem Opifice, vix ſuſpicari, ne dicam ſtatuere fas eſt. Quin imo conſideret, quanta ſit fibrarum in corde multitudo? Quam diverſus ſitus? & quomodo his omnibus ducenteſima ac quadrageſima pars unici grani de ſale iſto aereo in qualibet cujuslibet fibræ contractione ſufficere queat? 4. Penſitet accuratus arbiter, cum ſub quavis Inſpiratione tantum ad minimum ſalis iſtius ex aere derivandi requiratur, quantum quatuor cordis contractionibus inſervire debet, ſexageſima videlicet grani unius pars, quiſnam ille ſit ſive in pulmonibus, ſive in corde æquus Partitor ac Diſpenſator, qui ſexageſimam illam grani partem in quatuor particulas rurſus ſubdividat, ac cuilibet *Syſtolæ* illarum unicam admetiatur? Sed quid dico ſubdiviſione? Probabiliter prius demonſtrandum erit, quiſnam in pectoris penetralibus tam ingenioſus artifex aut Chymiſta liquorem illum aereum hincque ſal iſtud nitroſum, ex aere ſingulis inſpirationibus illabente capiat, concentret ac ſeparet, ut pro efferveſcentia cum particulis ſanguinis ſalino-ſulphureis inſtituenda, hincque cordis contractionibus cauſandis, ſat virium unitarum acquirat? Salia enim tam parciſſime vaſteque diffuſa, aut vix aut plane non efferveſcere poterunt. Certe tam ridiculis conſectarijs tantiſque difficultatibus angitur hæc hypotheſis, ut mirer, ingenioſum alioquin *Mayovvium* hæc non prævidiſſe. 5. Obſtant ranæ & hirundines, ut alia omittam. Hæc enim animalcula tota hyeme ſub glacie ac in terræ cavernulis acervatim condiuntur, ſine anhelitu attamen non ſine pulſu, quod etiam affirmat *Helmont. Tr. Blas human.* §. 33. & memini, me plures, quam quas medimnus caperet, hirundines arcte coacervatas intra piſcinæ cannas ſub glacie prorſus ad ſenſum exanimes, pulſantes tamen, reperiiſſe. Si itaque aeris præſentia ob ſalem creberrime memoratum motui cordis tam neceſſaria foret, quomodo horum animalium pulſus inceſſanter ſub aeris, hinc & reſpirationis, defectu peragi poſſet? 6. Hypotheſi huic refragatur fœtus pulſatio in utero per 8. novemve menſes celebrata ſine reſpiratione, quam in ſuperioribus penitus expugnavimus. Pauciſſimum vero illud aeris quod cum ſuccis maternis illi communicatur, æq; ac ſucci iſtud continentis non magis ad cordis, quam alterius tenelli partis ſubſtantiam eſt determinatum.

§. 6. Patet itaq; cordis motum pulſificum nulla probabilitate ab efferveſcentia per ſalis nitro-aerei cum ſanguinis particulis ſalino-ſulphureis conflictum in ipſa cordis ſubſtantia ſuſcitata fieri poſſe, ac conſequenter aerem non inſpirari tanquam proximi Syſtoles cordis principij efficientis vehiculum adeoq; nec ſalis iſtius defectum eſſe cauſam immediatam ceſſantis mox, poſt ſuppreſſam reſpirationem, pulſatoriæ cordis

dis

dis contractionis, aliorumque vitæ characterum in animalibus Machina Boyliana evacuata incluſis. Refugiet quidem *Mayovvius* nec non ingenioſiſſimus *Hoockius* ad Experimenta in cane facta, quæ uterque refert; *ille Tr. de reſpir. p. 21. hic vero in Act. Societ. Reg. Angl. p.m.* 463. Simile experimentum nuperrime institui ipſemet, ubi mirando ſane ſpectaculo, ſublato ſterno, mediante pulmonum inflatione ac ſubſidentia cordis pulſum pro lubitu & accelerare & retardare, ſicque Convulſiones totum corpus concutientes & producere, rurſusque tollere poteram, Scopus illorum autem primarius hic eſt: canis thorace aperto pulmonibusque collapſis confeſtim belliferas patitur convulſiones, cordis & ſanguinis motu adhuc ſuperſtite. Inflatis autem rurſus pulmonibus ſtatim quies redit, diſparentibus convulſionibus. Imo ſi pulmones, factis prius in eorum peripheria foraminibus pro aeris ſuperflui exitu, perpetuo follis afflatu expanſi ſervantur, vivit animal; Cum tamen alias inſpirato licet aere pulmones expanſos ſuſtinent, ſi alicui os naresve obturentur, mori neceſſe ſit. Hinc concludunt, aerem non ideo in reſpiratione expeti ut pulmones expanſos, ac conſequenter ſanguinis circum irremoratum ſervet, cum etiam dilatatis licet pulmonibus, niſi aer recentetur, moriamur, imo ſanguinis circularis curſus etiam per collapſos pulmones fieri queat: ſed quia continua illius recentatio ad vitam eſt neceſſaria. Sed Reſpondeo 1. in genere: quamvis Experimenta, ſi accurate & repetitis aliquoties vicibus capiantur, ſint optima atque firmiſſima Philoſophiæ Naturalis Fundamenta, quibus tanquam primis ac infallibilibus Principiis Philoſophando innitamur; attamen ſi non ſatis cautè, & circumſpectiſſimo, ac vel centies præmeditato progreſſu, omnibus etiam leviſſimis obſtaculis optime trunitatis Deductiones atque Concluſiones ex ijs eliciamus, ac imprimis frequentiſſimas, non-cauſæ pro cauſa vera Fallacias ſumma vigilantia arceamus, ſed potius, vel ob judicij hebetudinem vel ob præconceptarum opinionum tantum non inexpugnabilem labem, vel ob aliis contradicendi illiberalem impetum, iis improvide ac minus ingenue utamur, inſanabile fere damnum ac immedicabilis nonnunquam error inde nobis in Philoſophia, hujusque legitima prole Medicina exoriri poteſt. His probe nullibi non obſervatis reſpondeo. 2. in ſpecie 1. quamvis pulmonibus collapſis aliquot adhuc pulſus edant animalium corda; attamen non ſequitur; ſanguinis ideo circulum æque ac antea eſſe liberum. Nam conſideret cordatus arbiter, impoſſibile eſſe, ſanguinem tam prompte per vaſa à pulmonibus ſubſidentibus compreſſa, quam per eadem à pulmonibus expanſis diſtenta currere poſſe. Nititur quidem miſerum cor ſanguinis Circulum expedire, unde & tam atroces ſæpe convulſiones oriuntur, at fruſtrà. Quod teſtatur Experientia. Si enim thoraci aperto pulmonibusque collabeſcentibus illico Arteriam magnam à ſiniſtro cordis ventriculo abſcideris, videbis ſanguinem in quantitate confeſtim imminutum provenire, ac tandem penitus fere ceſſare, licet nihilominus cor adhuc aliquoties pulſet. Præterea pulſus non adeo ſæpe peragitur collapſis pulmonibus, quin brevi ceſſet, niſi denuo inflentur. 2. Perpendat quilibet, quomodo tam momentaneus aëris defectus tantas, citoque ingruentes, convulſiones cauſari poſſet, niſi ob ſanguinis impeditum circulum, (quem vere ac ſtatim collapſis pulmonibus impediri adductum modo Experimentum probat,) id fieret? Huc faciunt omnia ſuperius adducta argumenta contra ſalis iſtius nitro-aërei in reſpiratione ſuppoſitos effectus, nam in illum unice inclinant hi Autores. 3. Notandum etiam eſt in dicto Experimento eorum, ſanguinis curſum ideo non penitus extinctum fuiſſe, quia pulmones mox rurſus inflarunt, ſicque vaſa diſtenderunt pro libero ſanguinis curſu. 4. Si ſanguinis Circulus æque per collapſos quam expanſos pulmones fieri poſſet, fruſtra eſſent Meatus in corde peculiares atque patentes, dum fœtus in uteri carceribus latet: Horum quippe uſus ordinario ceſſat in nato, dum pulmones inſpirando diſtenduntur, ſanguinique ſic tranſitum per vaſa ſua aperiunt.

§. 7. Interrogabis itaque; ſi principaliſſimus ac non niſi cum mortis ſuccedentis periculo ferians aëris in Reſpiratione Uſus hic eſt, ut pulmones expandat, atque ſic ſanguini eos pertranſituro viam pandat, *unde eveniat, quod animalia, pulmonibus licet inſpirando diſtentis nihilominus brevi moriantur, niſi recentatio aëris continua reciproco inſpirandi & exſpirandi actu accedat?* difficillimum hoc *Problema* ab Autorum omnium, quos hactenus legiſſe contigit, nullo, ſolutum reperio, ita ut animum ſatiaverint Prævideo quidem, *Mayovvium*, *Hookium*, *Thruſtonium*, aliosque cauſam mortis in defectum ſalis nitro-aërei conjecturos; ſed fateor: ob ſupra adducta contra hãc opinionem argumenta, illam omnium videri mihi improbabiliſſimã, cui quippe non tam legiſſe, quam intellixiſſe ac ex conſimilibus naturæ phænomenis rei alicujus poſſibilitatem ac probabilitatem collegiſſe expedit. Paulo probabilius quidem cum aliis reſpondere poſſem, mori in dicto caſu animalia, quia halituũ exſpiratio ipſis denegatur. Verũtamen cum nec ipſemet mihi hoc reſponſo ſatisfaciam, aliis ut in illo acquieſcant obtrudere nefas duco. Hi ſiquidem halitus ſunt prorſus pene aquei & omni noxa carent. Sunt præterea pauciſſimi, adeo, ut ex unica exſpiratione vix binas colligeres madoris guttulas, ſi condenſentur. Suppoſito itaque animal v. g. canem, ore ac naribus poſt inſpirationem arctiſſime obturatis, vita ad ſenſum penitus deſtitui, tali temporis ſpatio, quo vivum ſexagies exſpirare potuiſſet; (cum tamen ſi omnis illi aëris additus fuerit ſufflaminatus tamdiu vix vivat,) conſequens erit, illud partim in ſanguine, partim pulmonibus duas liquoris aquei drachmas retinuiſſe, guttam ſi grano æquiparem. Has autem aliquot minutis cani tam exitioſas, imo fatales fuiſſe, nemo opinor facile dixerit, conſiderando, quam glutinoſa aſthmatici ac phthiſici copioſaque vel unico horæ quadrante extundant è pulmonibus phlegmata, quantaque cereviſiæ vinique copia helluones paucis horis ſeſe ingurgitent. Exulet proinde & hoc ſimul cum ſale nitro-aereo ſponſum.

§. 8. Ut itaque propius ad veram extinctionis iſtius cauſam accedamus, optime perpendendum erit, quidnam aëri cohibito in animalis pulmonibus accidere poſſit, Nimirum conſtat innumeris Experimentis, aerem leviſſimo quocunque tepore ſeſe palpabiliter expandere, adeo ut manus noſtræ ad ſenſum hyemali tempore admodum frigidæ, ſi Thermometro in libero aëre collocato applicentur, aërem incluſum eatenus nihilominus expandant, ut aquam, cujus ſuperficiei innititur, ad digiti fere ſpatium deprimat. Accedit illuſtriſſ. *Boylei Experim.* 39. in quo commemorat, poſtquam peculiare ibi deſcriptum Thermoſcopium ita Machinæ ſuæ impoſuerat, ut collum ejus in liberam Atmoſphæram pateret, aeremque Thermoſcopij circumferentiam convexam ambientem aliquot exantlationibus è Machina ſubtraxerat, ita ut aër Thermometro incluſus integrum ſibi, per collum apertum, incumbentem aëris externi Cylindrum mediante aqua infuſa ſuſtineret; ad motæ manus teporem per machinam vitream, ſpatium interpoſitum, vitrumque Thermometrum penetrando, totum iſtum aereæ Atmoſphæræ extremæ incumbentem Cylindrum ſenſibiliter elevaſſe aërem ſcilicet Thermometro incluſum rarefaciendo. Ex quibus omnibus conſtat, aërem ab externis etiam ad ſenſum frigidis corporis animalium partibus confeſtim expandi, idque magis vel minus, prout tepidior vel frigidior fuerit temperies. Hinc ſequitur aërem in pectoris penetralibus

libus tot gradibus magis expandi , quot calor circa cor in pulmonibus,(ubi maximus in toto corpore eſt ſanguinis confluxus hincque calor ,) intenſior eſt , quam in externa corporis circumferentia. Adeoque ſi manus ſolius tepor ad digiti ſpatium aërem expandendo aquam in Thermometro deprimat , calor in intimo pectoris ſcrinio , omnium optime ad ſex digitorum ſpatium , ſi applicaretur , expandere poſſet. Præterea in pectore aër inſpiratus immediate calori ibidem vigenti exponitur , in Thermometro vero prius per compactum vitrum manus tepori penetrandum eſt. Et nihilominus aër citiſſime hanc alterationem per vitri quoque ſubſtantiam recipit, quam proinde multo adhuc promptius citiusque in pectoris fervidioris ſinu admittet ; quod optime notandum. Porro experientia fretus aſſero, pulmones thorace aperto in majorem adhuc molem in ſufflatu hominis expandi poſſe , quam in ordinaria vivorum Inſpiratione thorax undique concluſus permittit. Unde ſequitur , licet aër inſpirando omnes pulmonum veſiculas ſubintret, attamen illas non in extremam ſuæ poſſibilitatis expanſionem diducit , ſed ſaltem eatenus , quatenus thoracis inſpirando amplificati capacitas dilationis ſpatium ſuppeditat ; adeo, ut ſi expanſionis principium , aër ſcilicet , in actionis ſuæ gradu increſcat , veſiculæ pulmonum amplius diſpandantur. Increſcere autem poteſt aëris explicantis actio duplici modo : vel enim magis ab illo expandentur pulmonum veſiculæ ſi majus à thorace præbeatur amplificationis ſpatium,quo dato , plus aeris in quantitate irrumpet , ac conſequenter laxius veſiculas diſtendet: vel earundem expanſio augebitur non tam ab aëre quantitative quam qualitative in actione ſua fortificato; nimirum à calore aërem inſpiratum illico expandente , (uti ex *Canone* 4. de aeris Indole ac motu *C.* 7. ſupra à nobis propoſito liquet ,) idque eo magis, quo intenſior fuerit calor , & quo diutius in pulmonum æſtuantibus antris moram traxerit aer inſpirando illapſus. Cum autem thorax ultra certam metam vel vix vel plane non dilatari queat ; Ergò veſicularum pulmonalium expanſio potiſſimum augebitur à calore pectoris centrali , aerem in illas inſpirando irruentem in Elatere ſuo confeſtim augente. Dum itaque aeris ab animalibus inſpirati atque cohibiti Elaſtica expanſio à calore in pulmonibus augetur , neceſſario majus ſpatium occupant veſiculæ exinde tumidiores factæ , quod ſpatium cum à thorace , jam quantum valet , amplificato dari nequeat , calor autem interea non ceſſet ; aeris quoque Elater tanta vi polleat , ut vitra & veſicas diſtringat ; corporumque penetratio in natura non detur , nec aliud præterea medium ſuperſit pro augendo in pectore ſpatio veſiculas magis diſtentas recipiente , quam vaſorum pulmonis ſanguiferorum arcta , hincque ſanguinem ex iis arcens, compreſſio; ergo ſequitur , ut naribus oreque animalis poſt inſpirationem exquiſite clauſis , dicta vaſa pulmonum ſanguiflua à veſiculis eorum quaquaverſum , ab aere per calorem intrinſecum magis expanſo , ulterius diductis , cum aliud ſpatium non detur,coarctentur , ac ita ſanguinis circularis curſus impediatur , moxque corde à motu ceſſante , ſanguineque ſenſim grumeſcente, penitus tollatur ? unde tum cuncta vitæ animalium munera , ſi emoriantur , ceſſentque , quid mirum ?

§. 9. Sic habes B. L. genuinam ex *Mayovvij & Hookij* Experimentis prognatæ quæſtionis Enodationem , ex ipſis rerum naturalium phænomenis huc ſpectantibus depromptam, nimirum , *Cur animalia , pulmonibus licet inſpirato ab aëre diſpanſis , ſi os nareſque illis obturentur , omnibus nihilominus vitæ ſigillis confeſtim priventur , ac penitus denique morantur.* Non enim ſufficit , ut pulmones aere ſint diſtenti atque expanſi , niſi & vaſa ſanguifera , eorum veſiculis intexta , ſanguini à corde propulſo libere pateant. Cum autem aër pulmones expandens ſit ejus-modi naturæ , ut à quocunque calore velociter expandatur , ſicque pulmonales veſiculas ulterius extendat,ac conſequenter , niſi exſpiratio accedat , vaſa ſanguifera comprimat , ſanguiſque Circulum ad vitam ſumme neceſſarium inhibeat; idcirco ſummus ac Sapientiſſimus rerum conditor Reſpirationem ex reciproco Inſpirationis & Exſpirationis Actu conſtare voluit , ut , præter alios uſus minus principales , aer inceſſanter recentetur , ne in pulmonibus permanens idem ſemel inſpiratus à calore diſtendatur , ac veſicularum , quibus potiſſimum continetur, interventu ac intumeſcentia vaſa ſanguinea comprimat , Circulationem impediat , ac denique vitam tollat. Atque hinc tandem vera eluceſcit cauſa , cur reſpiratio vitali ſcopo ſatisfactura aerem frigidiorem eo , qui ſemper in pulmonibus reliquus eſt, pro materia exigat. Non quidem ac ſi ob illius defectum cordis aut pulmonum ſanguiniſve aduſtio metuenda foret ; ſed quia reſiduus in pulmonalibus veſiculis aer à calore , circa cordis confinia , aliarum partium reſpectu , maximo , nimium expanſus veſiculis mediantibus vaſa ſanguifera comprimat, ſanguiniſque Circulo remoram, atque mox omnimodam ceſſationem afferat. Nam niſi calor in corporis penetralibus eſſet intenſior quam atmoſphæræ ambientis , tunc non indigeremus nova frigidioris aeris Inſpiratione , calefactique Exſpiratione , ſed ſemel admiſſus aer, pulmones ſi expanſos ſufficienter ſervaret, nec ulterius ſeſe expandere niteretur , ſanguinis curſus eſſet haud impeditus , & vita , ſaltem ad notabile tempus , ſecura , quamvis conſequenter alia ingruerent ſanitatis incommoda ex cæterorum reſpirationis Uſuum feriis. Confirmatur noſtra ſententia ; quod ſcilicet Spiritus cohibitus ſanguinis Circulationi remoram injiciat per aliquot Experimenta & obſervationes. Obſervavit nimirum *Lovverus Tr. de Corde c.* 2. quod & quilibet in ſe ipſo obſervare poteſt : *in riſu & aliis Reſpirationis impedimentis faciem rubeſcere, venaſque colli & frontis intumeſcere.* Annotavit porro *Svvammerdammnius Tr. de Reſpir. p.* 9. *in Noſocomio Leidenſi aeris retenti ope per vulnus in pede magnam ſanguinis copiam pro voluntate à puerulo excretam.* Nonne hæc omnia ſanguinis curſum per pulmones impeditum clariſſimè monſtrant ? Sunt enim cuncta in noſtro arbitrio poſita, ac pro lubitu produci,rurſuſque aboleri poſſunt hæc phænomena. Adeoque licet principium cordis motum efficiens à priori & immediate intra poteſtatis noſtræ cancellos non coerceatur ; attamen à poſteriori & mediante ſanguine , tanquam cordis objecto , ejuſque curſu actionem illius remorari , accelerare , imo planè tollere pro voluntatis nutu nobis conceſſum eſt. Ulterius aeris cohibiti fortior expanſio probatur experimento tali : Si quis ad extremum dilatationis terminum thoracem amplificando , maximam aeris copiam inſpiret , eamque laryngis rimulam illico occludendo , quamdiu poterit , conſtanter cohibeat , ſentiet manifeſte aerem forti expanſionis niſu Laryngis oſtiolum mox quaſi diffringere atque erumpere conari , quod & nonnunquam cum ſono contingit. Aliud huc optime quadrans, dum pulſuum in carpo meo numerum ſciſcitabar , animadverti phænomenon , ab Autorum omnium , quod ſcio , hactenus editorum nemine obſervatum ac publicatum , quodque non tantum Tactu ſed & Viſu vel centies explorando diligentiſſime annotavi ipſemet , ac cuilibet hacce mea manu monſtrare poſſum , mirorque à ſedulis Pulſuum Calculatoribus, *Primiroſio, Riolano, VValæo, Regio, Harveo, Cardano, Plempio , Slegelio, Bartoholino , Lovvero, aliiſque palpabile* (in macilentis præſertim ,) *Viſibile* utiliſſimumque phænomenon illud non fuiſſe annotatum: *nimirum, cordis , adeoque & ſanguinis , motum tam ſtrictè pulmonum ſubeſſe habenis , ut vel qualibet Inſpiratione ac Exſpiratione palpaliliter crebrior ac rarior fiat , ſicque ſingulis*

ſingulis fere minutis aliquoties à pulmonum motu modificatus variet; præſertim ſi paulo longius Inſpirationis Exſpirationiſque filum protrahas. Nam ſub quovis Inſpirationis actu pulſus in numero fit frequentior; ſubſequente autem Exſpiratione confeſtim rurſus numero decreſcit, greſſuque tardiori incedit. Hoc ſane phænomenon, tam immediate reſpirationis bipartitum negotium conſequens haud ſana ratione peculiari vitæ ex aëre hauſto ferculo, haud ejuſdem carentiæ imputari poteſt. Inſpiratio enim & Exſpiratio fiunt perfecte, imo plenius. Nec ſerio dici poteſt, particulas nitroaëreas (ſi quæ cum inſpirato aëre cordi accederent,) ab illo tam velociter devorari, ut confeſtim exinde alacrius fiat, ſæpiusque pulſet, & tamen nihilominus ne tantum quidem virium cordi relinqui, ut acceleratum modo pulſum, paulo diutius continuet, quam Inſpiratio duraverit; ſed potius tam ſenſibili mox rurſus affici langore, ut eodem, quo exſpiratio incipit, momento ſimul ſtatim dimidio pulſuum numero tardius rariusque Syſtolem ſuam peragat. Allatum itaque hoc Phænomenon, (quod & ſimul per experimentum meum §. 6. adductum optime confirmatur,) ſic explico; in ſuſpiratione pulmones magis ab aëre frigidiore diducuntur, unde vaſa ſanguifera patentiora, hinc ſanguinis curſus, ac conſequenter cordis motus expeditior fiunt. In Exſpiratione autem propter pulmonum conſtrictionem vaſa ſanguinea magis coarctantur, unde ſanguinis Circularis motus atque hinc cordis pulſus impeditior rariorque.

§. 10. Ultimo pro peculiaribus quibuſdam in aëre ſuſpicandis particulis, ignotæ quidem, animalium nihilominus vitæ ſummopere neceſſariæ qualitatis inſervire alicui poſſet miranda *Cornellij Drebbelij* Navigatio ſubmarina, pro ditiſſimo Anglorum quodam *Rege JACOBO* adornata, quam ex virorum ſatis fide dignorum ore narrat illuſtriſſ. *Boyleus Tr. de aëris vi Elaſt. p.* 451. Notabiliora ejuſdem hæc ſunt: *Navicula peculiari modo excogitata atque extructa ſub aquis tulit duodecim remiges, præter transfretandos: homines in illa perdurarunt illæſi; Drebbelius non totum aërem, ſed certam illius ſolummodo partem Spirituoſam ceu Qint-Eſſentiam reſpirationi utilem ac neceſſariam putavit, qua conſumpta reliquum aëris corpus, vitali in corde flammæ fovendæ ineptum eſſet; In navigio ſubmarino (in quantum illuſtriſſ. Boyleus colligere potuit,) uſus eſt Liquore Chymico, quo, quotieſcunque puriorem aëris partem conſumptam vel navigantium expiratis & tranſpiratis effluviis ſaturatam animadvertit, recluſo vaſe Liquorem continente, turbato aëri talem de repente vitalium partium proportionem reſtituit, qualis navigantium reſpirationi aliquandiu ſubſerviret. An diſſipando, inquit illuſtriſſ. Boyleus, vel præcipitando craſſas exhalationes, aliove intelligibili modo, jam non vacat in examen proferre; Liquorem Drebbelius nemini uſpiam voluit indicare, nec ex qua conſtaret materia, niſi unico tantum oſtendere, qui Illuſtriſſ. Boyleum de ipſa rei veritate fecit certiorem.* Sed ad cuncta hæc reſpondeo 1. *Drebbelij* putatio non concludit pro ipſa talium particularum actuali in aëre præſentia. 2. Deſidero temporis moram navigationis ſubmarinæ. Ea enim ſi non admodum diu duraverit impoſſibile non eſt, homines aliquot in loco clauſo ac ſatis capaci ſine noxa ſenſibiliori abſque Liquoris iſtiuſmodi opera perſtare poſſe, 3. Quamvis etiam navigatio longius protracta fuerit, attamen naviculæ ſingularis ſtructura, nec non Aquæ marinæ illam undiquaque ſupra, infra, ante, poſt, & ab utroque latere ambientis frigus valde huc conducere poterit. Structuram enim quod attinet, dubio procul in parte ſupera ac lateralibus ad lucrandam lucem quamplurimæ inſertæ fuerunt feneſtræ. Forſan etiam interior naviculæ ſuperficies concava in parte præprimis inferiori tenuibus laminis metallinis fuit obducta, aut alio, cui facile adhæreant effluvia, idoneo tegumento inſtructa. Jam vero ex vulgaribus etiam deſtillationibus notum eſt, quam prompte vapores, non quidem vix tepidi, quales ab hominibus profluunt, ſed & calidiſſimi, cutemque adurentes, ſeſe vitreis metallicisque capitellis affigant, moxque in fluorem reſolvantur, etiamſi nec aquam frigidam trajiciant canales. Multo magis citiusque halitus navigantium à frigore marino facile condenſandi, ac in defluentem liquorem reſolvendi reſpirantibus minus obeſſe poterunt. 4. Vitalium in aëre particularum exiſtentia nunquam directe probata eſt; quorſum videantur, quæ ſupra §. 5. hujus capitis contra *Mayovvium* adduximus. 5. Multo minus probabili modo explicari poterit Liquorem quendam chymicum ſive deſtillatum, ſive alia quacunque Encheireſi præparatum potuiſſe vitalium in aëre, ſi quæ ſint, partium vices geſſiſſe, adeoque Liquor Drebbelij pro hac opinione concludere nequit, cum talis concluſio niteretur Poſtulato nondum probato. Quamvis enim illuſtriſſ. *Boyleus* poſitive aſſerere videatur, fuiſſe turbato aëri talem vitalium partium proportionem, vaſe Liquoris recluſo, reſtitutam, qualis efficere potuerit, ut reſpirationi aliquamdiu ſubſerviret aër; attamen antea, narrationem de liquore incipiens, præmittit in parentheſi hæc verba: *in quantum colligere potui.* Unde liquet, illum duntaxat ex alterius relatione adducta jam verba recitaſſe. Quinimo paulo poſt Epicriſin quaſi adjungens dicit: *ſe non ultra, quam quod prius intimaverit, Drebbelii opinioni aſſentire.* Nihil autem aliud illum prius intimaſſe reperio, quam quod de modo, quo aëris illa (ut ſic loquar) rectificatio fieri poſſet, hæc verba ſubjunxerit: *an diſſipando vel præcipitando craſſas exhalationes, aliove intelligibili modo, jam non vacat in examen proferre.* Ex quibus apparet, illuſtriſſ. Virum ac Philoſophantium circumſpectiſſimum mentem ſuam de Modo Fiendi penitus aperire noluiſſe. Probabilius ſane eſt, ſi modo vere quid contulerit Liquor ille ad reddendum aërem navigantium reſpirationi rurſus aptum, illud potius per modum Privationis effluviorum ex aëre craſſiorum, quam Poſitivæ Suppeditationis particularum vitalium à nemine huc usque ſolide ac ſatisfactorie in aëre evictarum, contigiſſe. Memini etenim dum chymicis operationibus unice incumberem, me reperiſſe Liquorem quendam brevi admodum tempore parem ſibi fere quantitatem halituum aqueorum ex atmoſphæra inſuper imbibentem. Præterea, quid quæſo vitales particulæ refocillamenti allaturæ ſunt, niſi à navigantium effluviis aër incluſus liberetur? Cum illuſtriſſ. *Boylei Experimento p. m.* 440. *l. c.* enarrato conſtet, aviculam exiguo Recipienti ſedulo incluſam, intra tres quartas horæ partes, abſque aëris exantlatione, à propriis halitibus atque effluviis moribundæ ſimilem redditam fuiſſe, præviis violentis multisque vomendi conatibus. Plura hujusmodi, ſi opus foret, obſervata adduci poſſent.

§. 11. Cum itaque ex hactenus fuſe deductis liquido conſtet, aërem ad vitam animalium reſpirantium non contribuere peculiares quaſdam vitales particulas, quibus deficientibus de repente vita, ſaltem ad ſenſum noſtrum, deficiat; nec animalia ſpiritu cohibito pulmonibusque expanſis ob id vitalibus ſigillis tam ſubito privari, quaſi ob recentati aëris inopiam ſalis cujuſdam nitro-aëri penuria perirent; ſed potius quia incluſus pectore aër à calore ibidem vehementiori expanſus, circulantem, ſanguinem, compreſſionis vaſorum interventu, remoretur ac denique ſiſtat. Tandem ordo nos vocat de altera ſuperius prolati Problematis parte diſquirendi, nimirum, *An animalia in Machina Boyliana poſt aëris exantlationem ideo paucis horæ minutis ab omni vitali motu penitus ceſſent, quia aëre, tanquam pulmonum Expanſionis efficiente cauſa, ſublato, hi collabaſcant, vaſa ſibi intertexta comprimant, ſicque ſanguinis curſum* ac

ac conſequenter cordis motum impediant, atque mox tollant? Ita ſane cenſeo, cum id omnes circumſtantiæ attento animo libratæ evincere videantur: Adeoque *Principaliſſimus reſpirationis Vſus* ſine quo vita animalium durare nequit, quam paucis minutis ceſſet, eſt *debita liberatio vaſorum pulmonis ſanguifluorum, ab aggravantibus accumbentibusque, ac dicta vaſa, niſi tollantur, comprimere, ſicque ſanguinem totius corporis illac innatis tranſeuntem, impedire, ac conſequenter cordis motum ſufflaminare valentibus corporibus, quæcunque illa demum fuerint*; Seu brevius: *maxime præcipuus, quique nonſi cum vitæ ceſſationis periculo deeſſe poteſt, reſpirationis Vſus eſt ſanguinis haud interrupta circulatio.* Hanc meam ſententiam ſolidis hiſce ſtabilio argumentis 1. Quia in fœtu nondum nato ideo ſagax natura peculiares in corde meatus extruxit, quoniam ſanguis pulmones tum coarctatos permeare non poterat; hi enim compacti vaſa ſibi interſperſa comprimebant, ſanguinique ſic aditum præcludebant cujus tamen curſus in omni vita eſt maxime neceſſarius, ideoque peculiates extra pulmones vias exigens, quæ deinceps, ſemel reſpirante pulmone ſanguinemque tranſmittente, illicò à valvula Foraminis ovalis potiſſimum intercipiuntur; uti ſupra explicatum. 2. Quia in nato per reſpirationem pro lubitu cordis motum accelerare & retardare poſſumus, mediante ſc. vaſorum pulmonalium liberatione & anguſtatione ſub inſpirando exſpirandoque procreata. 3. Quia in ſuffocatis dextra cordis auricula atque ventriculus, nec non pulmones ſanguine reperiuntur inferti, ſiniſter autem ventriculus ſanguine vacuus, quoniam ſcil. ob pulmonum in ſuffocatis aut concidentiam aut nimiâ eorum vaſaque comprimentem diſtenſionem ſanguis ad ſiniſtrum cordis ventriculum pertingere non valens ſtagnando concreſcit. 4. Quia aere deficiente pulmones, utpote ab hoc ſolo proxime expandendi concidunt, hincque neceſſario ſanguinis curſum remorantur, moxque tollunt, atque ſimul cordis pulſificum motum, cum eoque vitalia munera cuncta. Adeoque hinc patet genuina cauſa, *cur in Machina Boyliana tam ſubitaneâ morte animalia corripi videantur*, quia nimirum pulmones efficienter explicans ſanguinique per illos viam patulam reddens principium deeſt; hoc autem dum deficit, concidunt atque collapſi permanent pulmones, hi coarctati inevitabili neceſſitate vaſa ſanguifera comprimendo ſanguini circularem tranſitum denegant, quo impedito ille concreſcere incipit, ac conſequenter brevi à motu cor ceſſat, præviis quibuſdam extremis, Circularem ſanguinis curſum expediendi, conatibus; unde & plerumque violentis convulſionibus ſuccumbunt animalia; Sanguinis denique ac cordis motu ſublato omnia ſimul vitalia indicia tolluntur, adeoque nobis judicantibus vivere deſinunt animalia.

§. 12. Ultimo cum ſuſpicari videam illuſtriſſ. *Boyleum*, repentinum animalium interitum per ambientis aëris exſuctionem conſiderando, aliquem eſſe præter illos, quos adduxerat, aëris in reſpiratione uſum nondum probe intellectum ac plene explicatum, qui faciat, ut vitæ animalium ſine intermiſſione adeo ſit neceſſarius: Ignoſcat mihi, ſi ipſi tanquam ingenuo ac perſpicaciſſimo Arbitro *bina Notabilia*, de animalibus tam ſubito ob aëris exantlationem mori viſis optime libranda venerabundo animo ſuggeram. Primo experimenta qnædam ſuperius promiſſa & brevi poſt ſubjungenda, evincere videri nullatenus animalia ſenſu ac Motu omni ob reſpirationis penuriam deſtituta, imo ne quidem illa, quæ ſola duntaxat aëris in Machinam readmiſſione ad vitam revocare nequivit Illuſtriſſimus Autor, vita inſimul, aut ſaltem reviviſcendi ſpe penitus deſtitui; ſeu, ut ſtrictius loquar: Corporum animalium, ſolo forſitan excepto homine, à ſummo ac inimitabili rerum conditore ſapientiſſime creatas Machinas aere ex Recipienti ſubtracto, neutiquam eatenus tam paucis minutis, imo & longiori forſan temporis mora alterari ac deſtrui; ut diligentiori penitiorique aëris reapplicatione, quam ſolus ejuſdem rurſus in Machinam intromiſſi allapſus eſſe videtur, in priſtinos ac vitales nobis dictos motus redigi nequeant, tum in ſolo potiſſimum cordis pulſu ſanguiniſque circumpulſu conſiſtentes, tum ab iiſdem proxime dependentes. Hæc autem ideo huc affero: nam quod neſciam, Illuſtriſſ. Autorem animalcula vitalibus indiciis ſenſibilibus in exhauſta Machina deſtituta, aëris ſubitanea readmiſſione ad vitam quaſi revocaſſe; ſed quod & illa, quæ ultra ſpem vitæ redacta narrat, reviviſcere potuiſſe credam, ſi aut fortiori aëris in pulmones afflatu, aut alia poſſibili ingenioſaque ratione ſanguis in vaſis ſtagnans moxque concreſcens rurſus promotus, ſicque cordi priſtino cui vix vale dixerat, munere fungendi data fuiſſet copia. liberumque ſpatium, in quod ſanguinem evibrare ejuſque Circularem curſum redintegrare potuiſſet: Adeoque per mox adducenda experimenta admirationem quodammodo imminuere ſtudeam, qua Illuſtriſſ. Autorem aliosque detentos video, ob velocem illam vitæ extinctionem; quæ tamen potius ſaltem vitalium indiciorum ſenſibilium quo minus nobis appareant, inhibitio atque ceſſatio eſſe videtur; quemque potiſſimum anſam ipſi aliisque ſuppeditaſſe autumo, inexplicatam quandam, aut nondum intellectam (uti loquitur illuſtriſſ. Autor,) aëris in Reſpiratione Actionem ſuſpicandi credendique. Quod quidem nunquam miror, Illuſtriſſimo Autori tales de ſubita animalium in Machina exhauſta exſpiratione cogitationes ſubortas fuiſſe; cum ex iis Uſibus omnibus, quos hactenus philoſophi pariter ac Medici reſpirationi aſſignarunt, nec non ex modo, quo illos fieri debere explicuerunt, impoſſibile ſit, probabili ac circumſpectis rerumque experientia imbutis, eamque cum cautiſſimis exinde factis Philoſophicis deductionibus unice æſtimantibus ingeniis ſatisfaciente ratione liquido demonſtraſſe, cur ob aëris defectum duobus vel tribus minutis confeſtim cuncta vitæ animalium ſigilla intercidant. Viderunt quidem Autores plerique arctiſſimum inter ſanguinis Circulationem ac reſpirationis perplexam functionem eſſe nexum; at ſanè quonam pacto, fiendique modo, quave cauſalitatis effectuumque inter ſe cohæreant ſerie ordineque, hactenus omnium, quos evolvere in hunc usque diem licuit, plane nullus ex ipſis huc ſpectantibus utriusque Negotij phænomenis explicavit ac dilucidavit. Hoc proinde etiam in proxilitatis hujuſce Diſſertationis meæ patrocinium cordatis omnibus offero. Id enim unice operam dedi, ut Reſpirationis alte reconditum Machinamentum ex genuinis Cauſis, Inſtrumentis, Agendi, Fiendique Modis ac Uſibus palam exponerem, atque præprimis Principaliſſimum, atque tam ſtricte cum ipſius vitæ ſenſibilibus characteribus conjunctum Reſpirationis Uſum, huc usque ſolide ac ſatisfactorie non explicatum, pleniſſime eruerem ac illuſtrarem ſimulque legitimam Cauſam redderem, *cur animalia tam ob aëris inſpirati cohibitique præſentiam quam in Illuſtriſſ. Boylei Machina, paucas poſt aëris exantlationes, duobus, tribus quatuorve minutis, omnibus vitæ muneribus illico orbentur.*

§. 13. Experimenta itaque quorum ſæpius in ſuperioribus mentionem injeci, ac quibus inductus credo animalia ſenſibilibus vitæ indiciis penitus privata, quæque ab aëris ſola in Machinam, quodammodo evacuatam, readmiſſione duntaxat reſuſcitari non poſſunt, non eſſe ultra omnem vitalia ejuſmodi ſigilla rurſus edendi, ſicque vitam, nobis ſic vocantibus, reſumendi ſpem redacta, tandem ſic accipe. *Primum* ſuppeditat *Mayovvius Tr. de Reſpir. p.* 28. in quo motus cordis ob ſuppreſſam reſpirationem ceſſans ab inſufflato in Venam Cavam aëre ex poſtliminio reſtituitur. *Secundum* huic fere ſimile deſumpſi ex *Malpighij Epiſt. ad Borrel.* in quo motus cordis pene extinctus ob

ob collapſos propter apertum thoracem pulmones iterum reſtituitur, ſi pulmones inſufflentur; irrumpente rurſus ſanguine in ſiniſtrum cordis ventriculum. *Tertium* conſimile *Thruſtonis Diatr. de Reſpir. p.* 63. ſubminiſtrat: in hoc canis laqueo ſuſpenſus, donec cor à motu penitus ceſſaret; mox aperto abdomine, aereque fortiter in Ductum *Pecquetti* inflato, reviviſcere cœpit. *Quartum* idem *Thruſtonii Tractatus p.* 10. exhibet; adveniente, inquiens, frigore ſenſim elangueſcunt omnia in ovo, veſiculaque rarius pulſat primo; mox, ubi motus omnis ceſſaverit, ipſa quoque vita extinguitur. Approximante autem leni calore pulſario priori modo redit. Huic conſonat *Quintum* partim ex domeſtica obſervatione, partim ex *Malpighio de Format. Pulli in Ovo*, depromptum: nimirum ova quamvis ante aliquot dies imo ſeptimanas parta; nihilominus ſolo eoque indifferenti ex cauſa oriundo, (uti Ægyptiorum pullities docet,) modò debito gradu adminiſtretur, calore accedente in viventem pullum mutari atque excludi. In quibus tamen tantum abeſt, ut ante incubationem pulſationis motus, adeoque & vita, humano judicio, adfuerit, ut potius *Malpighius* ingenioſiſſimus etiam poſt 38. incubationis horas pulſum vix animadvertere potuerit, inſigni licet adminiculo, Microſcopio puta, inſtructus. Huc non incongrue referri poſſunt Vegetabilium ſemina per menſes nec non annos aſſervata, ac omni vitæ vegetabilis, futuræque germinationis ſpe atque indicio privata, illoque, qui ea terræ fœcundæ commiſſa germinare nunquam audivit, neque expertus eſt ipſe, judicante, vita vegetabili penitus deſtituta: quæ tamen nihilominus vel in ſola aqua leviſſimo accedente tepore prompte excreſcunt, ac jucundiſſimis vitæ ſuæ indiciis, vario colore, figura, atque textura ornantur exſurguntque. *Sextum* eſt præmemorati *Thruſtonii l. c. p.* 63. nimirum pullus gallinaceus data opera ſuffocatus eo uſque ut ne minima vitæ ſcintilla ſupereſſe videretur, inſufflato per rimam tracheæ aëre ab orco revocatur. *Septimum.* locum occupare poſſunt Exempla à Magno *Helmontio Tr. Demens Idea* dicto, allata, quæ monſtrant, ſubmerſos aliquot, etiamſi per horæ quadrantem, nec non per horam dimidiam, imo & ultra, uti ex circumſtantiis attente penſitatis conſtat, aquis ingurgitati ac omni vita deſtituti fuerint, nihilominus deinceps revixiſſe, conferente ad aquarum rejectionem prono corporis ſitu. Vid. etiam *Sebaſt. Albini Furger Handgriffzuden Erſoffenem* ubi exempla eorum, qui aliquot horas aquis ſuffocati fuerunt, adducuntur. Imprimis miraculo proximum, quod dictus Autor ex *Alex. Benedicto Lib.* 16. *cap.* 9. *de Cur. Morb.* refert; nimirum, in undis ſubmerſos poſt 48. horas recreatos revixiſſe. Huc quoque facit exemplum Hortulani 16. hor. ſub aquis viventis & ſentientis tandemque extracti & refocillati; de quo vid. *Pechlin. Tr. de Aëris & Aliment. defect. & Vit. ſub Aquis C. X. Octavum* erit exemplum commiſeratione dignum, à *Matthæo Quæſt. Med. Enod. p.* 21. relatum, ubi nobilis matrona, poſtquam per triduum in agone decubuiſſet, pro mortuâ ad locum ſubterraneum ſepulturæ deſtinatum elata, poſt aliquot menſes reperta fuit peperiſſe adhuc infantem, quem in dextro brachio mortuum detinuit. Huic ſuffragatur Hiſtoria Colonienſis, quam idem *Matthæus l. c. p.* 18. & *Lambzuverdius c.* 2. *Exſpirationis ſuæ* referunt, de fœmina nobili defunctâ, ſepultâ noctuque à ſepulchri violatoribus, annulis ejus atque armillis inhiantibus, illique ob id manus injicientibus, in vitam priſtinam non ſine magno nefariorum terrore revocata. Ut plura de Ecſtaticis, Apoplecticis, Sypcopticis, Utero ſuffocatis, aliiſque his ſimilibus omittam, in quibus diuturna ἀσφυξία præſens, reſpiratio verò ac calor vitalis omninò ceſſant, vita nihilominus tandem redeunte. Vid. etiam poteſt *Pechlin. l. c. c.* 7. *Nonum* ſubminiſtrat ipſe Illuſtriſſ. *Boyleus* recenſendo *Digreſſ. de Reſpir.* inſecta in ejus Machina, fatigato quantumvis antliæ Agitatore; nullo modo potuiſſe enecari, quod tamen avibus & muribus paucis minutis acciderat; quin ſtatim ceſſante Antlia, vitæ functiones, quibus ſub exantlando privata quaſi inanima proſternebantur, reſumere inciperent. Accedit, quod muſcæ aliaque inſecta mortis ipſius imaginem brumali tempore quaſi referant? quæ tamen vel pro lubitu teporis ope in verum vivendi actum reducuntur.

§. 14. Hæc omnia admodum probare videntur ſententiam meam illuſtriſſ. viro ſuprà oblatam nimirum eſſe corporum animalium Machinas, ceſſantibus licet vitæ indiciis cunctis, nihilominus adhuc idoneas, quæ ſublatis impedimentis, à Cauſis iſtis duabus maximè Univerſalibus (immediatè dicam an verò mediante Principio quodam interno ſenſus exquiſitiſſimos fugiente, ac vitæ Etymo dignando, proximaque vitalium characterum cauſa cenſendo?) Si diligentiori opera ac judicio penitiùs applicentur; in priſtinos vitales motus redigantur, ſicque vulgò vivere dicantur, quiete alioquin denique ſeriò lethali fruituræ. Et parum abeſt, quin credam, animalium corpora (hominem ne excipiam?) eo uſque adhuc ad reviviſcendum apta eſſe, quô uſque ſaltem ſucci in ipſorum vaſis putrefactura alteratione non cœperint deſtrui. Imò & hi putreſcentes licet, ſi ſolerti propulſu è vaſis abigi, horumque loco vividiora idoneaque liquamina ſurrogari tententur, forſitan tum Spes reviviſcendi, tum *Chirurgiæ Infuſoriæ & Transfuſoriæ* laus major fieret. Sed hic ampliſſimus παλιγγενεσίας campus, quatenus naturæ viribus circumſcribitur, panderetur, ſi hujus loci foret. Secundò itaque, commemoratis omnibus alta mente repoſtis manentibus, Illuſtriſſ. *Boyleum.* ſubmiſſo animi cultu rogo, velit ea, qua illum pollere pretioſiſſima ejus ſcripta teſtantur, ingenuitate ac attentione conſiderare, animalium repentinam mortique ſimillimam in exhauſta aliquatenus Machina mutationem, concatenata ratiocinatione mox ſequentem in modum optimè ac appoſitè ſolideque & procul dubio ingenuis omnibus ſatisfactoriè explicari ac intelligibiliter deduci poſſe, abſque eo, ut aliis, ad occultas, inexplicabiles ac neſcio quas vitales in aëre vitæ integræ cauſales particulas; Cibum, Pabulum, ſalem nitro-aëreum, Mundi ſpiritum; ſimiliaque ſolo verborum ſplendore cognita, confugere nimis promptè alioquin ſolitis, ulteriorem ſpecioſis ſuis imaginationibus indulgendi anſam ſubminiſtremus. Nimirum: dum aër, tum ponderis, tum Elateris (quo utroque eum pollere irrefragabilibus crebriſque Experimentis conſtat) ratione è Machina exantlatur, reſiduus ille, dum animal fatalibus ejuſmodi violentiſque mutationibus ceu mortis prodromis prehenditur, in pondere ac Elatere eò uſque imminuitur, ut celebrata licet ab animali thoracis dilatatione, (quam & ipſe vir Illuſtriſſ. *p.m.* 425. *l.c.* annotat) nihilominus Pulmones ad debitam ac pro circulari ſanguinis curſu irremorato ſervando, requiſitam expanſionem diſtendere nequeat, adeoque Principium efficienter pulmonum veſiculas ſubintrando debitè diducens deficiat; quo deficiente pulmones propriæ gravitatis ritu concidere ac magis magiſque coarctari incipiunt; quibus concidentibus ab illorum mole neceſſario intertexta tenuiſſima (uti ab oculato Malphigio ſenſu armato obſervantur) molliſſimaque ac promptiſſimè cedentia vaſcula ſanguifera aggravantur hincque comprimuntur; quibus compreſſis eàdem neceſſitate cavitas eorum ſanguinem à corde propulſum tranſmittendi cæteroquin capax & adæquata, imminuitur, atque ad id minus incapax redditur; quâ cavitate diminutâ ſanguinis tranſitus inevitabiliter impeditur; quo impedito, paucior ſanguis ex cordis dextro ventriculo ad pulmones pervenit; pauciori autem ſanguine à corde ad pulmones perveniente paucior etiam ad cordis ſiniſtrum ventriculum redit; pauciori autem ſanguine ad ſiniſtrum ven-

triculum pertingente, neceſſariò etiam partiori copia per Aortam ad corporis partes omnes amandatur; Hoc fiente conſequenter quoque paucior ad dextram cordis auriculam ventriculumque redit: ſicque Circulatio ſanguinis interrumpitur, quæ dum interrumpi cœpit, ſanguinis in dextra præprimis auricula atque ventriculo, nec non pulmonibus, in grumum concreſcit, hincque extremis totum corpus convellendi, Circulumque ſanguinis expediendi conatibus animal tentatur; hæc dum fiunt, Circularis ſanguinis curſus in totum ſufflammatur ac tollitur; quo penitùs ſublato, omnia confeſtim vitalia ſigilla ſenſibilia, (ſi calorem excipias, ut pote qui paulo diutius durat) intercidunt, ſicque mortuum dicitur animalculum, Et hæc erit totius Tragœdiæ genuina connexio. In qua, utut complures cauſæ ſucceſſiva ſerie enumeratæ ſint, quæ in repentino hoc animalium, quæ aeris defectu extinguuntur, Phænomeno, vix ſimul concurrere alicui forſan videri poſſent; attamen cogitandum eſt, animalium corpora horumque actiones optimè comparari poſſe cum Automato ejusque motu. In hoc enim, quamvis rotulæ numero ſint plurimæ, cum tamen ita dentibus ſuis ſibi mutuo infixæ hæreant, ut una ſine alterâ moveri nequeat, quin omnes ſimul moveantur, & è converſo una illarum in motu ſiſti nequeat, quin omnes ſiſtantur, ſic & pari ratione in animalium inimitabilibus à ſapientiſſimo maximeque Venerando naturæ Autore adornatis corporum Machinis, cauſæ ac inſtrumenta motus ita ſibi invicem cohærent atque à ſe mutuò dependent, ut unum illorum in motum adigi ſiſtique nequeat, quin omnia ſimul aut moveantur aut illicò quieſcant.

§. 15. Dictis hiſce, quamvis forſitan objici poſſet, cor propellens eſſe ſat validum mediante ſanguine vaſa pulmonalia nihilominùs eatenus diſtendendi, & concidentes comprimentesque membranoſas pulmonum veſiculas dimovendi, ut ſanguis illa permeare, ſicque Circulus continuari aut ſaltem non tàm ſubitò ceſſare queat: attamen reſpondeo: Me quidem negare nolle cor eo robore pollere, cum quindecim, ſexdecim, pluresque in nonnullis individuis ſanguinis libras, præter vaſa totius corporis diſtendenda, partesque illis interjectas eaque circumvallantes quâlibet Syſtole loco aliquatenùs moveat; nego tamen illud de facto à corde fieri, cum Experientia ac attenta conſideratio contrarium dictitet. Adeoque aliud eſt, cor poteſt vaſa à pulmonibus ob aeris expandentis defectum concidentibus compreſſa diſtendere; aliud autem: cor actu, objectis ejuſmodi impedimentis, vaſa nihilominùs mediante ſanguine diſtendit. Prius quidem acerbè negare nolo, quamvis fortaſſe, ſi penitùs excuteretur, difficultate non prorſus careret conſequentia illa â Statu Naturali ad Præternaturalem. Poſterius verò conſideratè nego, 1. quia non fuiſſent peculiares in fœtus corde extructi Meatus patuli, ſi ante partum abſque pulmonum ab aere factâ expanſione ſanguis à corde per pulmonum vaſa propelli ac circulari potuiſſet æque bene, ac ſi pulmones eſſent expanſi: 2. Quia in ſolâ exſpiratione paulo intenſiori illico cordis Syſtolæ fiunt rariores tardiores que uti id ſuprà jam adduxi. Quid igitur fiet in pulmonibus adhuc multo magis, ob aeris defectum, concidentibus, vaſisque hinc coarctatis, quam thorax in exſpiratione? Cordis enim motus facillimè à pulmonum Expanſione vel conſtrictione majori vel minori augetur vel imminuitur tum in vigore tum in numero: 3. Quia ſanguis in pulmonibus (cum non penitus excludatur, ſed quodammodo adhuc per illos moveatur licet Syſtolis & rarioribus & languidioribus) facilè ſub aeris defectu pulmonumque concidentia aut nimia vaſaque comprimente diſtenſione ſtagnare, moxque concretionem inire in omnibus ſuffocatis comperitur. *Vid. ſupra Cap. 9. th. 7.* Manet proinde nata ſententia animalia in Reſpirationis defectu mori, ſeu potius vitalia edendi indicia ceſſare, Principaliter propter ſanguinis Circulationem impeditam, imoque penitus ſublatam, ſine quâ anima perfectè aut vivere aut vitam oſtendere poſſe hactenus compertum non eſt, præſertim ſi ex numero ſanguineorum, maximeque ſi calidum fuerit.

§. 16. Tredecim itaquè Reſpirationis humanæ uſibus ſupra *theſ. 1. hujus capitis* aſſertis ac minus principalibus, tandem Decimum Quartum tanquam Principaliſſimum, ut potè non niſi cum vitæ ceſſatione, ceſſantem addimus, prolixiùs pleniusquè deductum atque dilucidatum, quia nullibi eundem per concatenata naturæ phænomema atque Experimenta ſatisfactore explicatum reperio, Qui hic eſt: ut vaſa pulmonum ſanguifera, ac pro toto vehentia, ab accumbentium & alioquin concidentium veſicularum pulmonalium comprimente & coarctante mole inſpirando liberentur, ſicque; promptum ſanguini per ea circulariter à corde propulſo tranſitum præbeant, atque hinc ſanguinis pro vitâ continuandâ ſimpliciter neceſſaria Circulatio, inperturbâta procedat perennetque.

EPILOGUS.

Ardua quædam Problemata innuendo, nec non ad eorundem Solutionem Notabilia quæpiam ſuggerendo finit.

Hactenus licet univerſum Reſpirationis admirandum negotium plenè pertextum arbitrer, inceſſit tamen jamdiu animum ſciendi, ac in ultimam (noſtræ diſquiſitionis reſpectu) Primamve (naturæ in agendo cauſalitatis ordinem ſi ſpectes) Cauſam demum perveniendi penetrandique ardor, meque adegit, ut inquirerem, cur itaque tantopere pro vita animalium neceſſarius ſit Cordis Pulſificus Motus, hincque Sanguinis Circulatio? An ſcilicet cordis motus per ſe & qua talis immediatè pro vita perpetuanda requiratur? An verò Cordis motus ideò à vitalibus muneribus ſeparari nequeat, quod Sanguinem ad omnes partes moveat; adeoque non tam cordis motus quàm ſanguinis, quà talis preſentia continuo tranſitu ſuppeditata ac recentata vitæ characteres cauſetur? An denique non quidem ſanguinis quà talis, ſed ejusmodi ſaltem Liquoris præſentia ad vitæ ſigilla edenda expetatur, qui licet formaliter & actu ſanguis non ſit, attamen pro vita, ſaltem ne aliquot horis, diebus, aut ſeptimanis, menſibusve ceſſet, ſervanda ſufficiat, dummodo partes ſibi pertranſeundas noxiis quibusdam particulis non tantum non lædat, naturalemque earum ſtructuram immutet deſtruatque, ſed inſuper ſanguinis vices tum quantitate ac mole, tum & quasdam fortaſsis particulas è ſâguine alias promi neceſſarias ſuppeditando, gerere poſſit? Sed de graviſſimis hiſce Quæſtionibus mentem meam exponere à ſubſtrato Argumento paulò liberiùs longiusquè eſſet digredi, cujus quippe terminos jamdudum debito ampliores feciſſe multis videbor. Fortaſſis ſi vitam, tempus ac occaſionem Deus æter. Opt. Max. largitus fuerit, pleniori aliquando (quantum in his humanæ imbecillitatis tenebris ſperandum magis quàm optandum eſt) de maxime recondita Animæ, Vitæ, Vitaliumque Characterum in animalibus Doctrina, Scriptio, eoquè non ex precaria aliorum hypotheſi, ſed ex ipſorum Naturæ, tum ſpontaneorum tum experimentante ſolertia prolectorum phænomenon ſedula ſeriaque obſervatione, Collatione ac Penſitatione, prognato, noſtra tibi Muſa canere poterit. Cuilibet interim, quem in propoſitis hiſce Problematibus animum exercere lubido tenuerit, attentè conſideranda propono ſequentia obſervata atque Experimenta partim in ſuperioribus jam adducta 1. canem corde exſecto ambulaſſe & latraſſe, nec non Victimas corde ad aras exſecto clamaſſe: 2. Viperas in Aere convenienti, per aliquot dierum ſpatium Capitum & Cordium ſuorum jacturam ſupervivere, teſtante Illuſtr. Boyl. Chym. Scept. p. 111. vid. quoque Corn. Gemm. Coſmocrit. L. 1. c. 6. de pecudum diſſectarum

ſubſultu

ſubſultu corde & cerebro deſtitutarum : 3. Hominem poſtquam cor ejus eſſet avulſum & in Carnificis manu tria aut quatuor precum verba pronunciaſſe: 4. Multos homines aliquot ãnos ſine cibo & potu vixiſſe: 5. Tráſfuſionem ſanguinis ex uno animali in aliud diverſæ licet ſpeciei, eſſe innumeris Experimentis jam probatam & extra omne dubium poſitam, animali, quod ſanguinem recipit , non tantum ſano permanente ; ſed & nonnunquam, ſi morboſum fuerit & ſani animalis alterius ſanguinem in vaſa ſua receperit, ſano fiente ; de quibus potiſſimùm *Lovverius &* *Acta Philoſoph. Anglica* conſuli poſſunt : 6. anguinis Maſſa per venam jugularem apertam ad dimidium ferè detracta, injectaque per vices cereviſia cum pauco vino mixta per venam cruralem, cordis motus in cane , pulſu parum diminuto, ſanguiniſque hinc Circulatio continuata ſunt, rediitque demum cereviſia loco ſanguinis immiſſa per vulnus venæ jugularis *Vid. Lovver. c. 2. & 4. 7.* Juvenem 16. annorum inſignem ſanguinis copiam nulla arte inhibendam per biduum ferè effundentem juſculis valdè, avidè aſſumptis recreatum eſſe ab abſtantibus , donec tota ſanguinis ferè Maſſa effuſa , juſculis ſimillimus effluxit humor, qui per diem unum aut alterum durans tandem ceſſavit, ſano interim fiente ac robuſto juvene cordiſque pulſu vix evidenter immutato. *Vid. Lovver. l. 2. c. 2.* 8. Cor exemptum omnique ſanguine depletum, imò in fruſtula diſſectum nondum à motu ceſſare. Juniorum quoque animalium corda longo tempore poſt exciſionem leviter acicula irritata ſtatim pulſus ſuos repetere, eoſque diu continuare , imò refert *Pecquettus Exper. Anat. p. 8.* Avulſum penitus à ſede cor moloſſi inque menſam projectum 90. fermè ſyſtolas æquabili vehementia compreſſiſſe totidemque explicuiſſe diaſtolas, & ſupremos tum demum efflaviſſe aliquanta palpitatione ſpiritus : 9. Cor abſciſſis nervis octavi paris in Cervice ſtatim palpitare & inæqualem prorſus motum per diem unum aut alterum edere obſervari, de quo plura vid. in *Lovverio l. c. c. 2.* Denique 10. ut plura prætercam, huc penſitentur obſervationes & experimenta ſuperiùs à nobis pro vita in mortuis viſis ac ſuffocatis animalibus ſuperſtite evincenda , allata *cap. 10. th. 13.* aliaque plura ejuſmodi ubicunque occurrant , Phænomena. Nos interim in Jeſu noſtri, quô cœpimus , Nomine finimus , Gratias ipſi animitùs agentes , pro opitulante ipſius Gratia nobis clementiſſimè largita humillimaque flagitantes mente, velit ulterius ſtudia noſtra in SS. Nominis ſui Gloriam , Sapientiæ ejus Veritatiſque creaturis collatæ cognitionem laudemque , ac proximi denique ſalutare Emolumentum feliciſſimè promovere ac moderari. Cordatum autem Lectorem rogamus impenſe, ut cuncta hiſce Theſibus noſtris expoſita ſagaci animo penſitet , ingenuè dijudicet , æqui bonique conſulat , nobiſque favere pergat. TANTUM !

Epimetron Vnicum de Chryſopœia & Agryropœia.

TRanſmutatio omnium Metallorum , quæ actu atque formaliter neque Aurum neque Argentum ſunt, in verum, naturale , omnia examina S. R. Imperii ferens & ad ſummum perfectionis gradum exaltatum Aurum atque Argentum , qualem veri ADEPTI Philoſophi in Scriptis ſuis per *Lapidem Philoſophorum* ſic dictum præſtandam perhibent, eſt Ars antiquiſſima veraciſſima, Naturæ legibus penitiſſimè conformis inæſtimabilis atque digniſſima. Nec vereor ultrò polliceri , me cuilibet prudenti veritatiſque unicè amanti, ſive docto, ſive Literarum ignaro, cui Ars illa impoſſibilis viſa fuerit , ſi ingenuo animo ulteriorem harum rerum diſcurſum privarim deſideret , ſolidis è Natura depromptis fundamentis & Rationibus Artis hujus poſſibilitatem eatenus demonſtraturum ac probaturum, ut non ſolùm dictis facilè fidem habeat , ſed & ipſemet ſponte fateatur, ſe pretioſam hanc Artem credere poſſibilem, eamque in DEI Ter. Opt. Max. ac Sapientiſſimi Operibus naturalibus firmiter ac clarè fundatam cernere. Sedulâ namque rerum naturalium perſcrutatione, indefeſſoque Studio atque labore in nobiliſſima Philoſophia Phyſico-Chymica , *Lapidis Philoſophorum* ſeu *Tincturæ Aurificæ Argentificæque* nec non ſtupendorum ejus *Effectuum , in Opere Transmutationis metallorum*, poſſibilitatem ac fundamentum clare perſpexi hactenus , idque cuilibet à Partium ſtudio prorſus alieno veritatiſque cupido explicare promitto, ne tantum Naturæ & Artis Myſterium, in quo Summi Creatoris omnipotentia ac ſapientia , nec non totius fere Naturæ jucundiſſimus Generationis Curſus , ceu in ſpeculo Compendiove cernitur, in poſterum impoſſibile mendaxque, uti hactenus à multis Oſoribus imperite factum, reputetur. OMNIA IN GLORIAM DEI.

DISSERTATIO III.
DE PARVIS MAGNORUM MORBORUM INITIIS.

EXORDIUM.

§. 1. EA EST Almæ Matris, Naturæ Conſuetudo, atque Lex quaſi connata, ut per minima initia gradu ſucceſſivo magnos moliatur atque producat effectus. Luculenter hoc ipſa oſtendit in ſeminibus, parvis ſanè magnarum generationum fundamentis. Quantilla hæc, quæſo, corpuſcula, ſi cum Mole ex iiſdem ſuccreſcente conferantur? Intuere, Lector Benevole, Plantarum ſemina, κατ' ἐξοχὴν cum Accuratioribus ſic dicenda, quæ ſat profectò ſunt exigua, etiam cum externis, quæ communiter iis accenſentur, conſiderata involucris; cùm tamen, ſeminis quod propriè meretur nomen & in Gemmula ſaltem continetur, quæ albæ inſtar lenticulæ in ſummitate ipſorum apparet, longè minimam, & computo plurium, vix 2800. capſulæ illius conſtituat partem, referente *Belkio in Experimentis circa naturalia rerum principia pag.* 264.

§. 2. Hanc enim ſolam pro vero ſemine habendam, varia commonſtrant. Primò namque annotante jam *Harvæo de Generat. Animal. Exerc.* 51. *p.* 233. læſa eadem vel deficiente, reliquum quod eſt Corpuſculi illicò ſterileſcens, quacunque ratione tractetur, nullo modo ad germinationem deduci poteſt: quemadmodum hoc in Piſis experimento domeſtico ipſemet didici, illis quæ gemmulâ gaudebant integrâ, vel ex ſola aqua, manuductore *Helmontio,* feliciter propullulantibus, fatiſcentibus contrà, quibus ſpem illam ſobolis vel inclementia Naturæ negaverat, vel manus curioſa violaverat. Accedit hiſce alterum, non exigui ponderis argumentum, quod in Gemmula illa ſive Medullâ ſub cortice reliquo contenta, integræ jam Plantæ Conformatio, mirando Naturæ in Minimis artificio! actu deliteſcat, oſtendente hoc *Joſepho de Aromatariis,* tùm *Epiſtolâ de Generat. Plantar.* tum oculato Teſte, *Gulielmo Harvæo,* ceu ipſe hic, *in Exerc. XI. p.* 92. *C. L.* de ſeminis Jaſeoli tali configuratione ab Aromatario Venetiis ſibi oſtenſa, ultrò fatetur.

§. 3. Simile quid à Bonatico Amſtelodamenſi in Tulipæ bulbo ſibi ad oculum demonſtratum, *Excellentiſſ: Dn. D. Bohn, Anatom. & Chirurg. in hac Alma Profeſſor longè Meritiſſimus, judicioſiſſimus, Præceptor atque Patronus devotiori cultu ſuſpiciendus.* Ipſum hoc multiplicata & univerſali magis Experientia confirmant, oculo armato potiſſimùm edocti, *Borellus in Obſ. Microcoſmicis obſ.* 17. ubi εὐχείριον etiam ſubnectit; Oculatiſſimus etiam *Malpigius* primùm *in Epiſtola,* ac ipſo nunc edito *Opere de Anatom. Plantar.* nec ſubticendus tandem *D. Grevv. in the Anatomy of Vegetabiles.* Quorum imprimis Malpigius ſtupenda induſtria ac perſpicacia in omni ferè Vegetabilium genere non ſolùm integram Plantæ in ſemine configurationem ſive Ideam, Radicis, Trunci & Foliorum binorum delineatione utplurimùm conſpicuam, detegit atque delineat, ſed & ſecundinas atque colliquamentum, ſub cortice eorum contenta, deprehendit, non diſpari ratione; ac in Animalium conceptibus videre licet, ſicque vetus illud Empedoclis & poſthac Harvæi dogma, Plantarum ſemina Ova eſſe, ab iiſdem decidua, non omni probabilitate analogicâ deſtitui, luculenter confirmavit.

§. 4. Gemmula hæcce in iſtis Seminibus, quæ ratione molis ſenſui nudo adhuc proportionatæ ſub conſpectu omnium facilè cadunt, ſi minutæ adeò quantitatis eſt, quantilla erit in minutiſſimis illarum Plantarum Seminibus, quæ non paucis propter exilitatem ſine prorſus ſemine oriri videntur? Quibus tamen contrarium evidenter oſtendit per αὐτοψίαν in dorſo Plantarum Capillarium *Borellus C. L. obſerv.* 8. *& Jungius in Doxoſcop. Phyſ. P.* 2. *S.* 3. *Tragm.* 4. *C.* 4. qui non ſolùm, nullam Plantam ſine ſemine oriri, ſed & ſemina, quod magis mirandum, quò minora, eò fertiliora eſſe, egregiè docet.

§. 5. Ad ſemina Plantarum & exilitate principii fœcundi, & huic in exiſtente jam conformatione analogâ, proximè accedunt Ovula fœcundata Animalium, Oviparorum pariter ac Viviparorum conceptus conſtituentia, qui demum rectè ab *Ariſtot. de Gener. Animal. L.* 1. *c.* 1. *& Harvæo C. L. Exercitat.* 63. Animalium ac futuri fœtûs Semina dicuntur, ad differentiam Genituræ utriuſque tàm Maris, quàm Fœminæ, ſeparatim adhuc exiſtentis.

§. 6. Ab Ovo, quod dicunt, principium Originis elementale, aut partem minimùm ratione ortûs primariam, in conceptu Animalium perquirentes Curioſi, in ipſo Ovo ac parvâ hujus Nubeculâ ſive Cicatriculâ, Gemmulæ in ſemine Plantarum correſpondente, Animal integrè jam conformatum fere, ſecundinis atque colliquamento nutritio de reliquo circumdatum, cum *Malpigio* (*in Epiſt. Form. Pulli in Ovo*) mirari neceſſe habuerunt; ita ut in Ovo Gallinaceo, nondum etiam incubato, *Theodorus Aldes* (*in Obſ. in Ovis factis.*) Cicatriculam Circulos ſuos jam oſtendentem, & *Graſius* (*in Defenſ. Part. Gential.*) omnes Pulli partes jam conſpexerit; quod idem etiam Laudatus *de Aromatariis L. C.* aſſerit.

§. 7. Dicta partium verò conformatio ſucceſſive intuentium oculis, etiam nudis tunc, manifeſtior evadit in Ovo incubato, (obſervante hoc jam tùm *Ariſtotele, Hieron. Fabricio, Volchero Coiter,* & omnium diligentiſſime accuratiſſiméque Immortali *Harvæo L. C.*) dum ſcilicet à calore fovente Motor in Ovo Spiritus excitatus, motu ſuo ac liquoris ulteriore præparatione, ad partes circulatione, appoſitione, aſſimilationéque, ſtamina Corporis minuta magis evolvit, explicat, adauget, perficit, conſpicuaſque nonnullas citiùs reddit, prout naturali vel conformatione aut breviori

viori exornatione majores, vel contentis coloratis ac evidentiùs intra eas commotis pleniores, quemadmodum *Le Grand in Inſtit. Philoſ. P.6. A.2. & Velthuyſius de Generat. p.247.* annotat.

§.8. Nec recenſitam delineationem in Ovis Majorum inter Ovipara, ut ita loquar, Gentium reperire ſaltem licet, quin & quod magis miraberis, in minutiſſimis Inſectorum, Aranearum puta, Formicarum, & quæ mutuo ex ſe invicem generantur, Papilionum atque Bombycum ovulis eadem obſervant *Borellus Obſ. Microcoſp.20. & 34.* nec non *Malpigius Tr. de Bombyce p.65.*

§.9. A Minoribus ad Majora, vulgo Philoſophorum perfectiora, progredior Animalia, Vivipara ſcilicet. In his ſimili modo, ac in recenſitis, rem ſe habere, ex modernorum, *Harvæi, Hornii, Græfii, Schvvammerdammii Ruyſchii, &c.* Ac quotidianis Anatomicorum obſervationibus apparet. Ex Ovulo quippe, ſive mavis, veſiculâ minutiſſimâ, liquore ſeminali plenâ, (quales in Teſtibus fœmininis præexiſtere ſolent, docente hoc Fallopio,) ab evibrato eò uſque in coitu fœcundo, ſpiritu Maris genitali fœcundatâ & per Tubas Fallopianas (Obſervatore *Græfio* in Brutis, *Ruyſchio* in Homine) ad uterum propulsâ, ſit conceptus, initio ſatis minutus & puncto ſaltem ſaliente fœtum manifeſtans, reliquis hujus partibus, propter fluxilitatem, exilitatem atque quietem, vix omnibus adhuc conſpicuis, quæ & ipſæ tamen breviſſime arctiùs connexæ & in majorem molem adauctæ, totum Embryonis corpuſculum egregie exhibent, *Confer Harvæum Exercit. 69. p.444. 445.* & alibi paſſim, *Kerkringium in Anthropogeniæ Ichnographia C.2. & ſeq.* nec non *Græfium de Organ. Genital. Mulier. C.15.*

§10. Adducta hactenus exilitatem primordii fœtûs paſſivi potiſſimùm ſpectarunt: activi moventis formantiſque ſubtilitatem ſi meditatus fueris, divinior admiratio mentem ſubibit. Neceſſitatem hujus ac materialitatem inferiùs paulo probatum videbis, nunc ſaltem conſidera, quantillum ejus ad conceptum excitandum concurrat.

§11. Requiri Germen maſculinum ad verum conceptum conſtituendum, omnes ultrò largiuntur, eò quod ſine hoc nullus unquam talis contingat, nec proles ſexûs virilis generari poſſet, niſi accederet aliquid ideam hujus poſſidens, quod in Muliere fruſtrà quæſiveris. *Vid. Bek. C. L. p.191.* Semen autem hoc virile nec membranaceum Mulieris ovulum, quod fœcundum reddere debet, propter viſcoſam ſui craſſitiem penetrare, imò ne quidem ad illud uſque ſub craſſiore iſta conſiſtentia, ſemper & in omnibus Animalibus aſcendere poteſt, v. g. in Gallinis propter anfractuoſum Oviductum, item in imperforatis; qualem tamen puellam ex ſolo Haſtæ Virilis (ignoſces autem, quod Naturæ ductu apertiùs ſcribam, cum Caſtis mihi res eſt) affrictæ concepiſſe *apud Græfium l. c.* legimus, ubi ſane præterquam Spiritus, nihil aliud adſurgere poterit.

§.12. Sequitur ergò ex hiſce, quod ratione alius cujuſdam principii ſubtiliſſimi & exiliſſimi, ſpiritûs ſcilicet activi, facile penetrantis, σπέρμα Viri ſaltem concurrat: quantillam verò hujus eſſe poterit in modica adeò ſeminis fœcundi quantitate, unico coitu ad plures fœtus nonnunquam ſufficiente, excretâ? Ut taceam, per experientiam nonnullos, ac doctâ cum aliis conjecturâ *Excellentiſſimum Dn. D. Barnerum, Inclyti Collegii Medici Auguſtani Adſeſſorem, Præceptorem devenerandum, in Collegio Phyſico,* quod ſemeſtri præterito ſub eo habuimus, *ſect.1.* §.18. docere, prævias ſaltem ſeminis maſculini guttulas, quas ſub primo eruptionis impetu altiùs ejaculari dicunt, vim hancce plaſticam continere, reliquo, quod ſubſequitur, magmate ſeminali, extremitatem urethræ vix tranſcendente ac ſine uſu iterum diffluente. Sicut non inepte *Marcus Marci in Philoſ. Veter. reſtitutâ P.3. ſ.8. Subſect.2.* §.10. dixerit: Tàm fœminæ (utpote cujus Spiritum genitalem ſuo modo & genere ad fœtum formandum quoque concurrere, non negamus) quàm Maris Genituræ portionem minorem, quam ut ſenſu percipiatur, ad conceptum ſufficere.

§.13. Ex quibus ipſis, plus nimis longa forſan ſerie adductis, abunde patet, quàm exigua ſint Magnorum in Natura Productorum atque effectuum primordia. Naſcitur ex tantillo ſeminis apice ingens Arbor, annoſa quercus, lata expandens brachia, & producta quævis ex triplici Naturæ Regno altitudine facile tranſcendens. Oritur ex Cicatricula, Milii ſemine minori, Gallus, Animal magnanime ac ſuperbum, & ex tantillo ſpiritu genitali hujus, una vice omnia, vel centena ſi eſſent, Gallinæ ovula fœcundantur, teſte cum Harvæo experientia. Ex puncto prodit Homo, Magni hujus Mundi non minoris momenti Microcoſmus. Ita ut exinde *Scaligeri* illud, dari inter minima maxima, & quod *Harvæus* habet, Creatorem Omnipotentem ex minimis initiis maximum apparere voluiſſe, oppidò pateat.

§.14. Tacitus hæcce, ac parvum imprimis mirandæ Hominis Machinæ exortum, mecum agitanti, ultrò deprehendi, quemadmodum ea à parvis ſuſcitatur primordiis, ita exigua non minus initia deſtructionem ejus moliri, & vel ex tantillo primùm cauſæ morbificæ erraro maximos ei accreſcere morbos. In quæ ipſa penitiùs nonnihil inquirere, cùm haud parvæ videatur utilitatis, ſpeciminis qualiſcunque gratia pro Ingenii Modulo de iis agere conſtitui.

TRACTATIO IPSA.

§.1. SUb initium vero ſtatim annoto, me per tantillum Magnorum morborum initium intelligere Cauſas proximas eorum, tùm ratione molis, tùm ſubtilitatis admodum exiles, idque imprimis reſpectu Producti ac Morbi exinde ſuccreſcentis ſat magni; quæ Magna voco intuitu improportionatæ partim coacervationis ac extenſionis per plures corporis partes, partim longæ plus juſto durationis, ac partim etiam periculoſitatis majoris, ſi cum tantilla ſui cauſâ primitiva conferantur.

§.2. Rem ipſam ſi attentiùs paulò intueor, omnium tantùm non Morborum initia hujuſmodi parva deprehendo. Proxima quippe formalis cujuſcunque ferè morbi cauſa ac ratio in ſpirituum vitiato conſiſtit motu, ita ut horum etiam intuitu ſubliminora ſaltem ac univerſalia vocata medicamenta pleroſque morbos compeſcere, omnes uno ore conſentiant. Cùm enim omnes ferè Morbi cum moleſta quadam ſenſatione videantur eſſe conjuncti, ſenſatio autem à ſpiritibus primariò fiat, manus enim ſpiritu abſente non ſentit, ſpiritus certè Morborum plerorumque, ſi non omnium cauſa immediatè ultima erunt, quæ, ut Morbum percipiamus, efficit.

§.3. Idem proinde nobis (ut cum *Charletone in Oecon. Animal. Exerc. l.* loquar) ineſt & Vitæ principium & Mortis; nec à cauſis occaſionalibus morbificis ſolummodò excitati ſpiritus noſtri motores, morbos nobis intentant, quia & naturali ſua inquietudine ac avolandi conatu perenni corpora noſtra ſucceſſivo ætatum decurſu ita atterunt atque immutant, donec ruinoſam tandem ejus Machinam penitus conficiant atque exanimeant.

§.4. Quàm verò ſubtilia hæc ſunt tantarum in corpore turbarum initia? Adeò ut exinde multi hodieque ſint, qui earum exiſtentiam, eò quòd in oculos non incurrant, penitùs in dubium vocare, alii autem ob eaſdem rationes materialitatem eorum negare non dubitant. Quibus proindè contrarium perſuadere, dubiumque hoc pro virili declinare, pro meliori dictorum pariter ac dicendorum robore, omninò convenit.

§.5.

§. 5. Falſa ſanè in Naturalibus eſt Concluſio, quodcunque non videmus immediatè, illud non exiſtit, nec Corporeum eſt. Ne quidem ab omnium ſenſuum negata à priori perceptione ad negationem exiſtentiæ alicujus rei naturalis valet Conſequentia; quemadmodum Laudatus ſupra *Excell. Dn. D. Bohn in Epiſtol. de inſuffic. acid. & alcal. p.* 10. & 11. egregiè oſtendit, idque exemplo imprimis particularum Mercurii vivi omnes ſenſus in quodam liquore, cui Mercurius prius fuerat infuſus & iterum ablatus, effugientium, effectu tamen ſuo, quem à Mercurio liquor ille mutuaverat, dum æquè ac hic poſtmodum Vermes necaret, inexiſtentiam ſuam ſatis comprobantium. Optima ſic & ſubtiliſſima quæque, conquerente *Sanligero de ſubtil. Exerc. cit.* 23. eludunt aut fallunt ſenſum.

§. 6. Rationem hujus rei reddere conatur *Tatinghof. in Clav. Philoſ. Nat.* Non mirum eſſe, innuens, quod Corpora valdè minuta ſentire nequeamus, cùm ipſi Corporis noſtri nervi, qui tamen ab objectis pro ſenſu excitando moveri debent, à talibus verò, quæ iis ipſis minora ſunt, moveri non poſſunt, non ſint minutiſſimi, ſed objectis ejuſmodi ſubtilibus craſſiores: undè & qui ſubtiliore nervorum texturâ, vel natura, ut Gynæcea, vel ex accidenti, ut atonia aliquali & fibrillarum in minores partes dilaceratione propter progreſſam aliquando læſionem affecti, gaudent, leviſſimum ſubtilioris objecti contactum, e. g. aëris exiguam mutationem, longè faciliùs ac citiùs aliis perſentiunt, qualia exempla lectu non indigna vide apud *Illuſtrem à Boyle Tr. de Athmoſphær. & Effluv. p. m.* 128. *& ſeq.*

§. 7. Hujus verò quicquid ſit, apparet ſanè ex adductis, ſolos ſenſus externos Naturalium perceptioni & judicationi non ſemper æquè ſufficere, & vel in ipſis experimentis ſenſibilibus, dum illud, quod quæritur, non ſemper in ſenſum externum incurrit (optimè hoc annotante, quanquam minus rectè applicante *Leichnero in Exerc. Anti-Harvæan. de motu ſanguinis*) libero ſanoque Rationis judicio, quod cum experimento, cui ſuperſtruitur, rectè cohæreat, inſuper opus eſſe, junctaque horum opera multa deprehendi poſſe, quæ neutri ſeparatim paterent.

§. 8. Omnibus proinde ſenſibus quod denegatum, multò minus ſoli viſui conceſſum erit, adeoque nec illud ſtatim in dubium vocandum veniet; quod ab hoc non percipitur. *Primò* namque multa Majores noſtri non viderunt, quæ per utiliſſimum hodie Inventum Microſcopii ac Teleſcopii detecta ſunt, ac proinde revera exſtitiſſe ſe, licet ab illis viſa non fuerint, teſtantur; qualia ſunt: Nova in Cœlo Sydera, Satellites Jovis; in Terra Corpora. Semina Plantarum ſine ſemine veteribus oriundarum, conformata jam integra proles in Seminibus, Plantulæ ex ſitu & mucidis Librorum maculis propullulantes, Corporum inflammabilium, Silicum, Sulphuris, Carbonum, &c. Particulæ minutiſſimæ inflammabiles ſub forma, punctulorum & linearum argentearum egregio ſpectaculo apparentes, Vermiculi in Aceto, Inſectorum minutiſſimorum partes diſtinctæ, pili, oculi, ſquamæ, pedes Teredinis; Dentes Aranearum, Muſcam oculorum pluralitate Argum inter inſecta repreſentantem Bombycis pulmones, Tracheæ, &c. Ductus adipoſi in piſcium felle, Viſcerum Corporis noſtri artificioſa & intimior ſtructura anteà incognita, ungüium venulæ, & quamplurima alia, de quibus videantur paſſim Authores, *Carthesii Dioptrica, Borellus in Hiſtoria Conſpicillorum & obſ. Microcoſp. Hockii Micrographia, Rohaulti Phyſica Capite de Elementis & alii.*

§. 9. Deinde, quod alterum eſt, multa adhuc in rerum natura ſubtilia exiſtunt, quæ ſub noſtrum conſpectum vel prorſus nunquam, vel ſaltem ſub ſtatu diſgregationis non cadunt. Aërem non videmus, exiſtere tamen eum, inter alia teſtatur Flamma Ellychnii, foribus in conclavi de ſubito apertis vel clauſis, hinc inde commota. Muſculos, Nervos in Teredine, de qua paulò ante memini, etiam per microſcopium viſu aſſequi aut diſtinguere haud poſſumus, ex motu tamen corporis & pedum ejuſdem, ſupponere hos omninò convenit, ſiquidem non ſolùm in Conſpectioribus Animalibus, ſed & inſectis nonnullis *Bombyce*, &c. obſervante *Malpigio in Tr. de eodem*, illos adeſſe & motum partium organicum mediantibus his contingere, manifeſto apparet; quidnî E. etiam in Teredine Natura eadem analogia uteretur?

§. 10. Corporum electricorum ſuccini Sulphuris, effluvia oculis noſtris non apparent, teſtari tamen de eorum ſatis coagmentata evibratione videntur Corpora leviſſima, paleæ, Crines, minuta papyri ſegmenta, quæ, ſi fruſtum v. g. ſuccini, pro excitando copioſiore & fortiore miaſmatum egreſſu, affrictione prius nonnihil calefactum, in proportionata diſtantia ſub iis firma manu detineantur aliquandiu, ex loco, cui incumbunt, ad ſuccinum uſque elevantur & huic adhærent, dum priora ſuccini effluvia propter alia, quæ continuo ac preſſo tramite inſequuntur, & ſubjectum Corpuſculum leve arctius circumcirca cingunt, repercuſſa iterum aſcendere & paleam v. g. in medio cingentis reliquæ athroſphæræ ſimul ſecum ſuſtollere coguntur, quæ deinceps tàmdiu ſuccino adhæret, quàmdiu, adæquatus effluviorum hujus effluxus & refluxus durat. Vi Magnetis ferri attractivæ ſimilem ſubeſſe cauſam & effluvia ſtriata, hodie perſpicaciores Naturæ Conſulti, *Carthesius*, *Boyle*, aliique non immerito ſuſpicantur.

§. 11. Porro exhalationes ſpiritus Sal. ammoniaci & aliorum Corporum odoratorum ſub viſum non cadunt, optime tamen naribus deprehenduntur. Nec eſt, quod ideo ad qualitates intentionales hîc confugiamus, cùm hodie conſtet, nullam etiam ex his contingere abſque ſubjecti (à quo qualitates cunctæ non niſi ſola ratione & reſpective ad quintuplicem ſenſuum noſtrorum differentiam differunt) materialium particularum emanatione; cùm vel ipſi Peripathetici concedant neceſſe eſt, accidens, adeoque & qualitatem extra ſubjectum non poſſe ſubſiſtere. Alia quæ probant, effluvia hæcce, odorata materialia eſſe & experimenta ſtatica eorum effluxum propter ponderis, quod inde percipitur, decrementum confirmantia, vide juxta *Boyleum de Effluviis*, interea, quæ infra de Odoribus atque Contagiis adducta ſunt.

§. 12. Sub diſgregationibus ſtatu viſum, imo & reliquos ſenſus effugiunt multa, e. gr. Vapores & exhalationes ex Globo Terr-aqueo dum elevantur, quæ tamen, ubi in Nubes collecta, oculos noſtros omnino feriunt, & reverâ prius elevata ſe fuiſſe oſtendunt. Simili modo effluvia vaporoſa, quæ halitu Oris emittuntur, dum diſgregata v. g. tempore æſtivo, non videmus, unita vero poſtmodum ubi fuerint, vel in ſpeculo, vel extra hoc ab ore ſaltem dimiſſa ac frigore hyberno conſtricta, nobis apparent. Sic vice verſa varia Corpora, quæ, dum unita erant, ſub viſum cadebant, in inviſibilem partium tenuitatem redigi poſſunt. Sic ignis flamma in minutiſſimis atomis per aquam & aërem diſpergitur, ut videri amplius non poſſit, annotante *Leichnero l. c.* Ac rectè *Scaliger, Exerc.* 9. *de Subtilit.* dicit, Carnem in veru non aſſari & tangi ab illo igne, quem videmus, ſed ab ejus particulis diſcontinuatis magis, quæ non videntur. Ex quibus omnibus longâ ſerie adductis uno intuitu inſimul quoque patet, ſubtilia & ſenſum noſtrum effugientia non ſtatim pro immaterialibus eſſe habenda.

§. 13. Dilutis igitur plenius remotiſvè hiſce dubiis, pergo potius ad poſitivam Spirituum demonſtrationem. Motus, & per motum formari, actuari, vivificari atque produci Corpora ac Phænomena naturalia, oppido omnibus, vel ex ſenſu proprio interni in Corpore noſtro Motoris, apparet, rectéque hoc à modernis Philoſophis Corpuſcularibus multis rationibus

atque

atque experimentis adſtruitur. Movens E. aliquod motum hunc producens, neceſſariò ſupponendum erit. Primum movens Deum, Creatorem Omnipotentem, reverenter agnoſcamus neceſſe eſt: ſed & ſecundùm ſ. naturale ac mediatum, à Deo Vitâ, agilitate & potentiâ, ſe ipſum aliaque ſecum, juxta normam & ideam quaſi adjunctam, movendi, vivificandi & conſervandi, inſtructum, non immeritò cum *Helmontio. Tr. Blaſ. Hum.* §.2. aliiſque Philoſophis ferè omnibus, ſupponimus; ſiquidem neceſſariò in Naturalibus tandem ad cauſam efficientem Phyſicam aliquam recurrendum eſt, niſi hodieque omnia, etiam ordinario curſu quæ fiunt, ſupernaturaliter contingere, & juxta *Rohault. in Phyſ. P. I. C.* 10. *f.* ſingulis momentis miracula à Deo elicere velimus.

§.14. Movens hocce naturale reſpectu tùm Corporis, quod actuat, tùm ſenſuum noſtrorum, craſſum quid eſſe nequit; partim ſc. quia ratione Celeritatis ſummæ in quibuſdam actionibus, e. g. voluntariis, quæ à craſſiore fixioréque ſubſtantiâ tàm ſubito fieri non poſſent, requiritur admodum ſubtile, mobile, volatile & activum, ut docet *Excell. Dn. Præſes in Colleg. Inſtitution.* partim etiam, quia oculis non patet. Nec eſt, quod ſanguinem (cui in vegetabilibus liquor Leſſas, in Mineralibus ſuccus Burr. *Helmontii Tr. Element.* § 13. reſpondere videtur) pro hoc obtrudat *Harvæus C. L. Exerc.*71. *p.*409. Non enim hunc, ſed ſubtilius quiddam in eo latens Machinam noſtram Corporeum, ipſumque etiam ſanguinem, actuare, vel exinde conſtat, quod hic in corpore demortuo etiam præſens ſit, nihilominus tamen ampliùs non moveatur; neceſſariò igitur principium motûs aliunde habebit, quô abſumptô vel deficiente, quieſcere emorique ipſum cum Machina, quam inhabitat, neceſſe eſt.

§.15. Sed ut in viam redeam, movens hoc ſenſibus noſtris ſubtilius quid eſſe, cùm certum ſit, erit id vel immateriale, vel materiale. Immateriale eſſe nequit variis ex rationibus, ac *primo*, quia diviſibile, uti benè adducit *Vvillis de Anim. Brut. P.* 1. *C.* 2. Diviſibile illud deprehenditur non ſolum in corpore integro vivente, *quia plures ac diverſos actus animales ſimul à diverſis Corporis membris ac partibus obiri cernimus, e.g. eodem inſtanti oculus videt, auris audit, nares olfaciunt, lingua guſtat, & membra quævis exteriora Tactûs ſenſum & motum, exercent, ac interea viſcera quæque & præcordia munia ſua exequuntur.* Neceſſe igitur, ut aliquæ ejus portiones ſingulis illis membris ac partibus Animalium, quorum ſucci viſcoſiores ac ſpiritus minus diſſipabiles, Lumbricorum ſc. Viperarum, Anguillarum, &c. Horum enim partes à toto diſſectæ ac ſegregatæ à ſe invicem per aliquod tempus adhuc moventur. Ac mirandá vidi præteritâ Hyeme penes nobile quoddam Par amicorum Philiatrorum, quorum in Muſeo, dum cultro anatomico ſubjiceremus Canem partui viciniſſimam, diſſectis, poſt reliquorum examen, in Fœtibus quibuſdam vaſis ſanguiferis nerviſque majoribus, læſis vel etiam prorſus extractis Viſceribus pleriſque ac imprimis corde, Truncum nihilominus reliquum, ita eviſceratum, longè etiam poſt horæ, ex quo hæc facta, ſpatium, motu conductorio adhuc convulſum, ſimiliterque Cor, à Corpore ſejunctum, motu convulſivo, tum ſpontaneo, tum irritatione Cultelli excitato, pluries tentatũ, vidimus. Cui ſi ſubjungerem, quod Anno 73. Menſe Decembr. in Muſeo proprio, unà cum Amicis quibuſdam Conjunctiſſimis, in ſciuro deprehendi, Cor ſc. (poſtquam ultra horas 40. Animal jam eſſet defunctum) exſectum & intra digitorum pulpam à nobis detentum, aliqualem adhuc motum pulſatorium in profundiori centro edere viſum fuiſſe, fidem forſan tranſcendere videret.

§.16. *Altera ratio* contra immaterialitatem moventis eſt, quod alterationibus ac morbis variis hoc ſit obnoxium, imò ipſi Morti, ut ſuperius probatum, quæ andem illud planè deſtruit & aufert. Hæc verò ſaltem Materiæ, omnium conſenſu, competunt, minimè autem immateriali cuidam ſubſtantiæ, cum non legamus ullibi, quæ immaterialia ſunt, e. g. Angelos bonos, vel etiam malos poſt lapſum proprium, deſtructioni obnoxia eſſe. Et ſanè, quod *tertium* eſt, ſi illud immateriale, adeoque ex Decreto altiſſimi jam ſancito & exemplis modò adductis confirmato, indeſtructibile ſupponeretur, ipſæ Brutorum Animæ, quæ in ſolo eodem principio movente conſiſtunt, etiam eſſent indeſtructibiles ſicque immortales, quod abſurdum & ſacro Textui contrarium.

§.17. Firmiter proinde concludere licet, movens illud eſſe materiale. Quid verò ſit, ardua magis eſt quæſtio: quantum tamen à poſteriori per certa fundamenta hariolari licet, etiam de eo videbimus. Ex ſupra adductis conſtat, eſſe illud admodum ſubtile, mobile, volatile & activum. Hinc factum, ut analogice à Medicis ſpiritus fuerit dictum, quo nomine & nos illud impoſterum appellabimus. Conſideremus jam, qualianam inter res naturales corpuſcula ad hanc ſubtilitatem & activitatem proxime accedant, ut per ea ad penitiorem ſpirituum horum cognitionem ac definitionem pervenire poſſimus.

§.18. Deprehendimus verò particulas ſalinas & oleoſ. ſ. ſulphureas (non craſſas illas, ſed in his latentes inſipidas Excell. Bohnii & quaſi ſeminales) omnium eſſe ſubtiliſſimas & maxime activas, hinc & ipſæ hæ tum in Corporibus, quibus continentur, tum ex iis arte eductæ & cum aëris vel proprii Corporis ſimul phlegmate unitæ, vocantur Spiritus. Activitatem atque ſubtilitatem ſuam probant exinde, quod ipſarum particulæ in continuo fere ſint motu, & vaſe aperto continuò odorem ſui, in diſtans quoque ſpargant, citra tamen alius ſenſus perceptionem, imò brevi maximam partem avolent. Et ſane quicquid in quocunque genere Mixtorum reperitur ſubtile activumque aut Sal aut ſulphur ejuſmodi inſipidum, aut utrumque utplurimùm combinatum eſt. Ut taceam ſpir. Salinos & Sulphureos, quæ ex ſubjectis trium Regnorum igne miniſtro evocantur, ſubtilitate & activitate maxime eſſe penetrantes: quæ naturaliter etiam & ultro ſubjecta illa exhibeant ſpirituoſa, ſaltem adducam.

§.19. Odores, ex Plantarum Floribus exhalantes, activas harum eſſe partes, quis negaverit? Cum & extra ſuum Corpus, quod ante inhabitabant, tantam oſtendant ſubtilitatem, activitatemque, quanta major ullius rei vix concipi poteſt. Sunt vero iidem nihil aliud, quam particulæ ſubtiliſſimæ Salino volatiles oleoſæ, ex oleo plantarum ſeminali fermentatione reſoluto aſcendentes, & certa ratione commotæ, nares noſtros eo modo afficientes, quem nos odorem vocamus. Oleo namque iſto Flores ſi privaveris, nullam amplius ſpirant fragrantiam. Sunt autem olea nihil aliud, quàm Salia volatilia cum pinguedine Sulphurea ac ſeminali in orbem concentrata, docente hoc, præter experientiam Chymicam, erudite Excell. Barnero in Prodromo ſuo Vindic. contr. Bek. p.20.

§ 20. Fœtores ex Animalium excrementis (ſit venia verbo & ad obſcena Tranſitui) recentibus imprimis exhalantes ad moleſtiam uſque activi, ſubtiles, & pariter naturæ Salino-Sulphureæ ſunt, quod innoteſcere poteſt, ſi Alembico ſuſcipiantur, quod experimẽtũ à Laudato Excell. Barnero in Collegio Chymico cõmunicatum memini; & ſulphureum principium vel exinde ſatis eluceſcit, quod ardeant flamma admota.

§.21. Mineralia quod exhalant Gaſſ. Vaporem, in Metallifodinis ſubindè conſpicuum, ſatis activum ſe eſſe oſtendit, dùm adeò facile & momentaneè homines interficit. Sulphureo verò Salinum pariter & hoc eſſe, vix eget probatione. Imo levi affrictu ex Sulphure nativo prodit ejuſmodi ſpir. acido ſulphureus, odore nares noſtros notabiliter ſatis feriens, teſte Boyleo de effluv. & propria experientia.

§.22. Quæ cum ita ſeſe habeant, non video, quò minus liceat nobis ſuſpicari probabiliter, Spiritus, Corporum internos Motiores ejuſdem cum dictis eſſe naturæ, & ſaltem magis ſubtiles, ſicque tandem juxta manuductionem *Collegii Phyſici Barneriani*, mutatis & additis paucis definire, quod ſpiritus hi ſint particulæ Mixti Viventis cujuſcunque ſubtiliſſimæ ſalinæ & ſulphureæ, ſub debita ac non interrupta contiguitate ac quantitate, potentiâ motivâ, & operativa ſecundùm Corporis, quod incolunt, proprietates & organiſationem è DEO inſtructæ.

§.23. Atque ut in ſpecie hoc jam applicem ad Animalia, ac Hominem præcipuè, utpote in cujus gratiam inveſtigatio hæc ſpirituum naturæ potiſſimùm vergere debet, quò Morbis eorum, quibus ille affligitur, eò meliùs ſuccurri queat: Notandum eſt: in ſemine primoque Animalium conceptu eodem momento cum & in ſeminali materia, tanquam paſſivâ, ex qua Machina Fœtûs conſtruitur, adeſſe ſpiritus, ceu materiam activam & formantem. Paſſivam nihil aliud eſſe conjecturare poſſumus, quàm Colliquamentum illud Chyloſum, omnium partium, quas ante ſuam in locis genitalibus collectionem, lege circulationis, pertranſiit, ideâ ſ. ſignaturâ, juxta Beckium C. L. alioſque notatum; eò quod ex hoc fœtum nutriri videamus, ex quo autem nutrimur, ex iis nos conſtare & ortos primum fuiſſe, vi illius Hipocratei, admodum probabile ſit.

§ 24. Spiritus in colliquamento hoc præſens continuò particulas ideâ inſignitas motu ſuo, juxta normam, cui in corpore Parentum adſuetus eſt, ordine determinato connectit, ita ut, quod ſuperiùs innui, materiam primigeniam fœtûs inquirere volentibus, cum hac ſtatim ipſe embryo integrè jam delineatus appareat. Dumque ſpiritus hac ratione materiam ſeminalem oleoſam (pingue enim oleum ſemini cuicunque, tanquam partem eſſentialem, inexiſtere experimenta varia docent) ſucceſſivè magis magiſquè reſolvit, ac ex particulis ejus Salino-ſulphureis magis ſic volatiliſatis ſeſe multiplicat atquè adauget, colliquamenti intra vaſa ſua incluſi, non aliter ac ex reſolutis oleis per Salia volatilia extra corpus contingere ſolet, emergit color rubicundus, ob quem adeoque illud poſthac ſanguis in vaſis dictis appellari incipit. Novo adducto alimento particulis Salino-oleoſis impraegnato, etiam tunc, ubi extra uterum fœtus jam editus, & eò uſque tandem adolevit, ut ex Cibis more Adultorum Chylum conficiat, continuò ſimili reſolutione & volatiliſatione ejuſdem, quæ ab Aëre quoque ſub inſpiratione non parum tunc adjuvatur, novi producuntur ſpiritus, & ſic uſque ad Vitæ terminum, eorum proventus perpetuatur.

§.25. Principium hoc, ex quo ſpiritus reſtaurari vel augeri dixi, aliquo modo jam eorum in Animalibus naturam Salino volatilem oleoſam probare poſſet; verùm alia quoque in promptu ſunt argumenta hoc confirmantia. Ac primò ratione principii Salini volatilis Urinoſi, quod notabiliorem eorum partem conſtituere videtur; præter ea, quæ in genere ſuprà ob ejus ſummam activitatem ſuſpicati ſumus, perſuadent porrò ejus in ſpiritibus præſentiam fracedo Urinoſa, ſpiritui Sal. Ammoniaci ſimilis, Cerebro, in quo ſpiritus, pro functionibus Animalibus potiſſimum neceſſarii, ſeparantur, inhærens, quæ ſatis teſtatur, *annotante Excell. Bohnio in Diſp. phyſiol.* 15. §. 18. de Naturâ eorum Salinâ Urinoſa volatili, cerebro ab eorum tranſitu, vel fermento ipſorum Naturæ correſpondenti *juxta Vvilliſium*, affricta, Huic ſuccedit copioſum ſal volatile quod elici poteſt ex partib. Animalium, ac ipſo etiam ſanguine, quorum hoc procul dubio ſpiritibus, ſub reſolutione ſanguinis fermentativa intra Corpus, materiam reſtaurationis præbet, illud verò ex Sale volatili ſpirituum ſub nutrimenti in partibus aſſimilatione magis fixato ortum trahit, quæ vel per blandum digeſtionis calorem, vel per ignem fortiorem iterum volatiliſata prodire videntur.

§.26. Nec moramur hîc Miſo-Chymicos, corpori hæc non ineſſe, ſed ab arte demum produci ſomniantes, cùm ignis nihil ex corpore aliquo elicere queat, quod huic materialiter non prius inexſtiterit, atque ſemper una eademque principiata, debito modo adhibitus, nunquam ab his diverſa, educat, imò digeſtionis & fermentationis qui vocatur ignis, naturali prorſus modo & excitativè ſaltem in Corpora agat, quorum principium internum poſtmodum ipſam operationem promovet atque perficit. Formaliter tamen nonnihil immutata eſſe, quæ per eum producuntur, non æque negaverim.

§.27. Quod alterum principium, oleoſum ſc. ſ. Sulphureum concernit, de hoc etiam ſpiritus noſtros participare, varia ſunt, quæ probant, ac intereà non ultimum, quod ſequitur. In ſanguine particulas pingues ſulphureas negare non poſſumus, partim quia calor ex ejus motu proveniens, cùm hic ſine particulis calorificis, inflammabilibus, quales in ſulphure intimius latere ſolent, fieri non poſſit, de harum in eo præſentia ſatis teſtatur, quod item facit calor ejus rubicundus à particularum oleoſarum m. minima reſolutione dependens, partim quia pinguedo, pars ſulphurea ex ſanguine ortum habet, partim etiam, quia ejus analyſis Chymica tales exhibet, & præterea ex anhelitu qui ſanguinis ex parte proles, oleum, ſ. ſulphur flammas concipiens, non difficulter haberi poteſt, docente hoc ipſum *Borrichio de Ort. & Progreſſ. Chym. p.7.*

§.28. Sulphureas verò particulas ac imprimis intimius eorum principium, quod indigito, inflammabile, inſipidum, admodum eſſe volatiles, ſubtiles & activas, conſtat; unde non immeritò inter ſpirituum noſtrorum partes numerandæ venient: quam ſuſpicionem non parum adauget, quòd, cùm illæ in aliis corporis partibus abſumantur in pinguedinem, in iis tamen locis, ubi ſpiritus ſeparari imprimis ſolent, ut in Cerebro & Teſtibus, nulla unquam reperiatur pinguedo in ſpiritus forſan ejus principiis ibidem abſumptis.

§.29. Ultimò denique notum eſt, quod ſpiritus inſigni vi polleant corpora noſtra condiendi & à putredine præſervandi, adeò ut, quamdiu illi in debita quantitate ac vigore corpori ac ſanguini proſunt, ab omni putredine hæc immunia ſint, recedentibus verò iis, ſtatim corrumpantur. Cùm verò ſimilem prorſus corpora condiendi virtutem poſſideant ſulphurea & oleoſa, dum Gas ſ. Fumus ſulphuris Vina & ſuccos vegetabilium præſervat à Corruptione, Terebinthina optimum pro conditura cadaverum exiſtit balſamum, ac præterea Olea deſtillata aromatica mirandam & momentaneam quaſi foveant vim ſpiritus odore ſuo reſtaurandi, licitum erit ſuſpicari, annon eâdem ac hæc virtute Salino volatili oleoſa hoc illi præſtent.

§.30. Verùm ſuppoſita licet hac ratione ſpirituum Natura Salino volatili ſulphurea, non ideò tamen cum Vvilliſio ſtatim aſſerendum, eos nimium commotos ac incaleſcentes in flammam quandam abripi, cùm hoc in anguſta Corporis noſtri Machina propter defectum liberioris medii, Aëris ſcil. fieri non poſſit, & cum præſentaneo vitæ interitu conjunctum eſſet.

§.31. Prolixior fui in ſpirituum exiſtentia atque eſſentia probanda, eò quod fundamento non ſufficienter firmato, reliqua minus tuto ſuperſtrui ſoleant. Spiritus vero fundamentum omnium facilè Morborum eſſe, ſuperius declaratum eſt. Nunc ſaltem ſpecialius de iis videbimus.

§.32. Morbi ſpirituum propriè ſic dicti, dum peccare illi dicuntur in quantitate, qualitate vel motu, vix aut difficulter admodum diſtinguuntur

ab

ab aliis; quæ Corporum contentis eſſentialiter inhærere ſcribuntur, quoniam continua quaſi pericycloſis & communicatio inter hæc obſervatur; ita ut v. g. dubitare poſſes, num in ſubtilitate ſpirituum vitiata, ſanguis potius Cacochymia; & in ſanguinis fermentatione febrili, ſpiritus rectius motu excedente, ſanguinemque in impetuoſum illum motum abripiente, peccare dicendus ſit. Sed mittamus hoc loco vulgariores illos ſpirituum morbos, cum ex profeſſo & ſpecialius de talibus agere, noſtri non ſit inſtituti, principium eorum minimum, ſpiritus ipſos, inſinuaſſe ſufficiat. Proſequamur illos potius, quantum anguſta hæc pagina permittit, qui totius ſubſtantiæ vulgò vocati, à cauſis occultis & τὸ θεῖον *Hippocratis* foventibus oriri dicuntur. Quos inter primò ſe offerunt Ideales, ſecundum Helmontium & M. Marci nuncupandi.

§.33. Cum viderent Naturæ Conſulti, ut, quæ ingenioſè habet *Excell. Dn. Præſes in Diſſert. de Morſu Viper. C.1. Punct.5. §.3.* ex parte mea faciam, Viventium Ortus, Progreſſus & Interitus ab interno agente, quod ſpiritum ſupra vocavimus, perfici, tàm multifarias autem adeò huic incumbere operationes, ut, niſi aliquid ſit, quod, tanquam, regula, ordine certo in agendo ipſum ita dirigat, ut operetur hoc, ut operetur illud, confuſionem in operando, à qua tamen Natura abhorret, fieri neceſſe eſſet, dirigens ejuſmodi ſuppoſuerunt. Idque ideam vocarunt, quam in ipſis ſpiritibus alii quæſiverunt, & ſcientiam dixerunt hiſce connatam; quam tamen, cum ſupponat in iis præviam quandam de ſubjecto cognitionem & ratiocinium, omnibus viventibus, Plantis v. g. adjudicare, durius paulo videretur, quippe quas rectius *Hippocrates facere, inquit, quod neſciunt & ſcire ſibi videntur, omnia autem per divinam neceſſitatem.* Quoniam tamen inſtinctus ejuſmodi idealis ſpontaneus determinatè ſeſe movendi & agendi ſpiritibus concedendus, erit certe is à poſteriori ſaltem & ex ſola conſuetudinis lege, quæ altera natura eſt, adeptus, ita ut hoc vel illo modo juxta ductum organiſationis illius Corporis, cui primum inditus, moveri adſuetus, alii Corpori poſtmodum communicatus eoſdem plane in hoc motus repetere tentet. Id quod illuſtrat partis cujuſdam voluntario motui deſtinatæ citra voluntatis imperium, ex ſola ſæpe conſuetudine ſpiritûs, certo tempore muſculos illos abbreviantis, contingens motus. Sic ex aſſuetudine quidam ſæpius cantillant citra etiam animadvertentiam propriam. Alii tempore ſomni manus hac ratione hinc inde jactitant, imo varia nonnunquam loquuntur citra prævium voluntatis imperium aut ſubſequam quoque facti conſcientiam.

§.34. Præter recenſitos, quidam motus hujuſmodi determinatum directorium in ipſa partium continentium organiſatione quærunt. Quos ſane per ideam hanc, quæ merito priori jungenda, ſic, ut junctim hæ ideas ſeminales conſtituant, nihil aliud intelligere ex *M. Marci Phil. Vet. reſtit. P.4. S.2. p.426.* tandem apparet, quàm Typum, aut Signaturam, vel conformationem, Machinis Corporeis eorumque partibus ſingulis in prima Creatione impreſſam, juxta cujus limites tramiteſque ſpiritus inſiti ipſis ſeſe movere & agere tenentur Hanc ipſam ideam ſeminalem particulis ſucci nutritii; qui omnes partes permeat & tandem in ſemen colligitur, impreſſam, cuncta generantia individua, poſtquam definitam figuræ Corporis ſui extenſionem aſſecuta, in Circulum quaſi redeundo, poſteris ſuis ſub ſpecie ſeminis communicant, ſicque perpetuo propagant atque conſervant, docente Bekio l.c.p.182. ita ut etiam parentes, ac imprimis Matres, nævos, excreſcentias, alioſque varios Morbos ratione idearum à ſingulis partibus ſeminali materiæ præterfluenti communicatarum, Exordio hujus diſſertationis oſtenſum. In ſanguine vero, quo in ſemen latet, ex eoque in teſticulos ſecernitur, eaſdem viſas fuiſſe refert *Borellus C.4. obſ.62.* quæ tamen fides ſit penes Authorem.

§.35. Naturales hæ, & Corpori noſtro propriæ Ideæ, quamdiu in ſtatu ipſis à Natura aſſignato imperturbatæ relinquuntur, tamdiu ſpiritus ordinatè omnia in Corpore exequuntur, ſimulac verò eædem aliqualiter transformantur, depravatè ac formoſè juxta eas ut agant ſpiritus, neceſſe eſt. Vitiari eædem ſolent à variis cauſis, à quibus conformatio partium lædi ſolet, quas vide in Inſtitutionum Scriptoribus, Sennerto, Mœbio, aliis. Nobis ſufficiat, hoc loco annotare illas occaſiones vitiatarum in Corpore noſtro Idearum naturalium, quas ſuppeditant Ideæ peregrinæ, vel imaginativæ ſaltem, vel ſeminales.

§.36. Per Imaginativas innuuntur iſtæ, quæ, ſine ideæ materialis peregrinæ intra Corpus noſtrum receptione, per ſolam imaginationem, occaſione objecti externi fortiùs commotam, & fabricante ſpiritu noſtro formantur. Spiritus unà cum ſanguine, per firmiorem & inconſuetam magis imaginationem hâc ratione fortiori & magis peregrino, determinato tamen, motu fœtui molliuſculo adhuc appulſi, varias figuras eidem intra uterum adhuc hoſpitanti affricant. Legimus in *M. Marci*, Gravidam à pomo, quod deperibat, prohibitam, enixam eſſe fœtum, è cujus malâ pomum, proprio petiolo adhærens, pendebat. Recenſet *Bekius* exemplum cujuſdam uterum gerentis, quæ, cùm Æthiopem inopinatò accedentem exhorreſceret inſigniter, in Animi deliquium lapſa: cùm E. metueret fœtûs nigredinem, adſtantium unus (qui probè cognitum habebat, ideas hujuſmodi, de ſubito & ex terrore conceptas, ſuperveniente aliâ ideâ contrariâ, iterum deleri) ſuaſit, ut ſtatim lavaretur fœmina & ſecura redderetur, nullum poſt lotionem nigrorem in fœtu ampliùs obſervatum iri. Factum hoc, & ecce! tandem peperit fœtum candidum, nigrorem tamen reverà ſibi impreſſum fuiſſe oſtendentem, dùm in locis, ad quæ manus lavantis non pertigerat ſcil. in interſtitiis digitorum tam in manibus, quàm pedibus, nec non in inguine ac uno quodam dorſi loco, nigredinis veſtigia adhuc retinuiſſet. Notum hinc ſimiliter eſt, Mulieres gravidas, de fœtu continuò ſollicitas, quando aliquid vident de ſubito, à quo abhorrent, manibus ſtatim inviolare faciem, hincque omnium frequentiſſimè Nævos hujuſmodi faciei fœtûs imprimere; quod ſi verò ſtatim ac hoc ipſis contigit ad ſe redeuntes, antequam idea talis firmiter & perfectè ibi ſigilletur, manu faciem iterum abſtergant, hancque alii cuidam loco, oculis non adeò expoſito, applicent, ex contraria imaginatione nævum illum huc transferri videbis. Porrò per experientiam conſtat, ex frequentiore & firmiore pulchrarum imaginum aut infantum aſpectu, firmiùs in phantaſia radicato, conceptam pulchritudinem Gravidas in fœtum derivare; quod idem ex adverſo ex turpiter conformatis, labiis, leporinis, &c. ſubito conſpectis & firmiùs animo retentis, iiſdem contingit.

§.37. Nec potis ſolummodo imaginatio eſt, ſpiritu & ſanguine mediantibus partes certas p. n. in fœtu formare, quin & naturales ipſi partes delere iterum valet. eos, in liquorem primigenium colliquamenti reſolvendo, uti ingenioſè ſuſpicatur *M. Marci l.c. P.4. S.2. ſubſ.1. p.413.* cujuſmodi poſſibilitatem experimentum Everardi ulterius confirmat, quo embryonem in materiam ſeminalem iterum diluit. Extra uterum partes ejuſmodi amandari, uti Helmontius vult, non probabile, & recte, cenſet Laudatus *Marci*, eò quod nunquam extra uterum ejectæ conſpiciantur, & hac ratione etiam fœtum imaginatione ejici poſſe ſequeretur, ab iis imprimis, verba ejus ſunt, in quibus pudor læſus & infamiæ metus phantaſiam in perniciem fœtûs firmavit, quod tamen minimè procedit. Ut autem exempla partium ejuſmodi intra uterum deletarum afferam, adduco eadem, quæ refert Marci, ſcil.

Mulierum duarum, quarum una manum gladio, altera brachium ictu ſclopeti Militibus quibuſdam auferri videns, hinc horrore percuſſa, prior manu, poſterior brachio deſtitutum infantem mox peperit. Imò aliam enixam eſſe Fœtum ἀκέφαλον poſtquam decollari quendam viderat, mirando magis exemplo recenſet.

§. 39. Conſideratis hactenus imaginativis, ad peregrinas ſeminales nunc deſcendo ideas, quæ materialiter ipſæmet Corpus noſtrum ſubingrediuntur, & tùm ratione ideæ motûs in priſtino Corpore conſuetæ, qua ſpiritus pollet, tùm ratione particularum ſeminalium & determinatè figuratarum, juxta quarum ductum ſpiritus ille operatur, utpote quæ ambo ut plurimum intimè conjunguntur, vim ſuam corpori noſtro hoſtilem exerunt. Exerere autem hanc ipſam videntur, dum confermentatæ cum particulis ſanguineis & ſpirituoſis ſubjecti recipientis & magis ſic evolutæ, extenſæ, ac multiplicatæ ſemper, ſanguinem cum ſpiritibus transfluentem in loco, ubi iſtæ hærent, idea ſua, vel etiam juxta *Helmont.* peregrina vitæ mediæ indole, quæ in ſapore aut odore vitioſo conſiſtit, ſigillant ac motu ſuo ipſis proprio ſpiritus noſtros in conſortium quaſi trahunt; unde tot in Corpore Turbæ, tot geſtuum & actionum transformationes & Conformationes pro Natura ideæ peregrinæ receptæ.

§. 40. Ex eadem cauſa factum, quod Puella Uratiſlavienſis, de qua *Bekerus in Microcoſmo Medico* refert, ex potu ſanguinis felini pro epilepſia tollenda hauſto, felinos mores & naturam contraxerit, ita ut ſub paroxyſmo feles voce, ſaltu, geſtu imitaretur, Mures in ſilentio venaretur, latibuliſque horum avida adſtaret. Pari ratione ac aliàs notum eſt, ex eadem cauſa Infantes nutricum mores imitari, quod eò magis confirmatur per exemplum Infantis à Capra nutriti & exinde Caprinos ſaltus atque mores æmulantis, cujus meminit *Excell. Dn. Præſ. Diſſert. cit. de Morſ. Viper.*

§. 41. Morbos ſic pariter ac Mores ab Animalibus rabidis læſi mutuantur. A cane rabido demorſus Homo latrat, ringit, omnia liquida, quod morbo Canum rabioſo proprium, horret, imo eadem nonnunquam cum canibus ſagacitate odoris dotatur, ita ut Amicos è longinquo accedentes, licet eos non videret, ſolo odore effluviorum, quæ continuò corpora emittunt, cum Aëre ipſi adductorum, exactè quidam diſcerneret, & Adſtantibus hunc vel illum Amicum appropinquare prænunciaret, quemadmodum obſervavit *Borellus Cent. 3. obſ. 68.*

§. 42. Vidiſſe ſe quidam teſtantur in ſaliva canum rabidorum & urina ab his demorſorum, ſemina ſ. ideas parvos catulos, qui reverà ſe moverent, repræſentantes, quæ ſanè admodum confirmarent, per idearum hujuſcemodi communicationem tales effectus concitari in demorſis; quoniam tamen hæc nonnullis, v. g. *Aromatario Diſſert. de Rab. Contag.* dubia adhuc & imaginationis ſaltem illuſiones videntur, donec ulteriore experientia hæc innoteſcant, in medio ea relinquo. Id interim annoto, Veritatem hujus rei non parum confirmare illam obſervationem, quam habet *Salmuth. C. 2. obſ. 83.* de Muliere, cujus fimbriam togæ Canis rabidus momorderat, naſcentibus deinde in loco ambeſionis vermiculis, ſimilitudine Capitis ad Canes proximè accedentibus. Horum vero quicquid ſit, id ſanè certum eſt, effectus ejuſmodi, Brutis vi idioſyncraſiæ ſeminalis ac ſpecificæ, ſaltem proprios, in Homine, poſtquam à bruto tali læſus, ordinario ſeſe exhibentes, non niſi ex ſimili cauſa ſeminali, proprietate ſpecificè juxta Naturam bruti iſtius agendi, inſtructa & intra Corpus humanum recepta, produci poſſe.

§. 43. Hoc tantum paucis adhuc declarandum, quomodo nonnunquam ideæ hujuſmodi peregrinæ ac morboſæ, poſtquam intra Corpus receptæ fuerunt, pariter ac Venena atque Contagia nonnulla, tam diu in hoc latere queant, antequam veſtigia ſua oſtendant. Fieri hoc videtur partim, quando communicatum μιάσμα eſt minus agile vel viſcidiori nimis incluſum tegmini, ut ſucceſſivè demum hoc penetret & liberum magis evadat; partim quando ſubjectum recipiens ad ſuſcipiendum illud eſt minus diſpoſitum, & viſciditatibus copioſis lentoque humorum motu præditum, ita, ut ineptitudine hac ex parte demum ablata, iſtud in actum & ſcenam ſaltem prodire poſſit: quod imprimis ineunte de novo vere facilè fieri poteſt, dum Aër activis tunc particulis admodùm refertus contenta Corporis magis actuari & reſolvi facit, vel etiam novo quodam miaſmate hoſtili inſpirato vetus illud ſimul excitat, ita ut ſæpius anno demum exacto, imprimis poſt morſum canis rabidi, hoc in actum deducatur.

§. 44. Pergo nunc ad conſiderationem Venenorum, de quibus notandum, Veneni nomine quæ veniunt, reſpectivè ſolùm ad corpus, quod in minutiſſima ſui quantitate inſigniter lædunt, ita vocari; nullum verò in ſe & abſolutè tale, Venenum exiſtere. Sic namque Homini quæ ſunt venena, cicuta v. g. & Helleborus, Brutis, Cornici illa, hic Capræ, exiſtunt alimenta. Scorpii ictus, teſte *Vido Vidio in Operib. Medic. de Curat. Morb. T. 4. L. 2. C. 8.* nocent ſaltem in ſiccioribus, quos ita vocat, locis, non æquè in humidioribus, utpote quæ venenum valdè hebetant; quemadmodum Piſis ſæpius ſe obſervaſſe, idem teſtatur. Opium in nimia doſi ſumptum ſaltem eſt venenum, non æquè, ſi circumſpectè adhibeatur. Porrò qui frequenti uſu familiaria ſibi reddunt venena quædam, ab iis poſtmodum non alterantur, ut in circumforaneis & iis videmus, qui generoſiori cuidam & ex ſubjectis venenatis petito medicamento frequentius utuntur, qui tandem ab eo prorſus non afficiuntur. Tandem Animalia quoque, quæ venenata vocantur, minimè in ſtatu metûs, ſed non niſi ad iram concitata ſicque affectu inimico adverſus objectum, quod mordent incenſa, lethaliter illud afficiunt, obſervante *Severino de Viperâ Pythiâ.* Hinc eſt, quod Viperæ Hominem intrepidè eas perſequentem, ex metu fugiant & minimè lædant, uti obſervat *Zwölferus*, & annotat *in Animadverſ. ad Pharm. Aug. Appendic. de Salib. Theriac. p. 276. (edit. in quarto.)* Inde etiam in Cacadæ à viperis in Arca, pro confectione Theriacæ, detentis, tanquam alimentum ipſarum conſuetum, demorſæ nonnihil, ſanguine per artem facilè repreſſo, ſine noxa lethali morſum hunc pertulerunt, referente hoc *Excell. Barnero*, qui huic experimento in Italia interfuit ipſe. Sic Homo denique ipſe ira & furore actus, morſus venenatos & lethales infert, obſervante *Hildano C. I. obſ. 84.* Et quæ aliæ ſunt circumſtantiæ, abſolutam venenorum exiſtentiam infringentes.

§. 45. Proin reſpectivè ſolùm, & quidem ad Corpus humanum in ſpecie, utpote in cujus ſaltem uſum inquiſitio noſtra tendit. Venena conſideraturus, definio illa, quod ſint Corpuſcula ſubtiliſſ. ſalina plus minus volatilia, in propria ſpecie incontaminata, corporis tamen humani reſpectu ut plurimum acerrima, hinc ubi ab hoc ſuſcepta, in minima etiam quantitate tantas alterationes & turbas in hujus ſuccis ac genere nervoſo inducentia, ut graviſſima hinc ſymptomata, vel necem ipſam inferant.

§. 46. *Subtiliſſima ea eſſe Corpuſcula* oppidò patet. Non enim craſſum iſtud, antimonii v. g. corpus, ut oculis ſubjicitur, veneni, quod in eo latet, formalitatem conſtituit, ſed longè ſubtilius quid in eo reconditum. Teſtantur hoc infuſa antimonialia, corpuſculis nullo ſenſu palpabilibus impregnata, iiſque tàm paucis ac ſubtilibus, ut licet vel centies unum idemque fruſtum vitri antimonialis novo ſemper vino infuderis, vix tantillum ponderis, nihilque reſpectu molis externæ, ei deceſſiſſe animadverſurus ſis. Particulis tamen quibuſdam Vinum ab eo fuiſſe impregnatum, vomitus à ſingulis infuſionis partibus excitati docent. In tantilla particula reſinoſa amara conſiſtit vis

venenoſa

venenoſa purgans Colocynthidis: extractâ enim hâc per lixivium Salis Tartari, pomum priſtini ferè ponderis remanet, ſed omni vi ſpoliatum, quemadmodum experimentum hocce ab *Excell. Dn. Præſide* didici. Ex ictu ſubtiliſſimi in Scorpione aculei & acutiſſimi in vipera dentis, vix veſtigium læſionis, nedum particulas venenoſas mediante ejus liquore aut ſalivâ communicatas videre potes: ſubeſſe tamen tales, & non ſolâ acutie inſtrumenti lædentis damna inferri ſubauguravit jam *Galenus 3. de Loc aff. c. 7.* ubi Scorpij aculeum non agnoſcit ſufficientem, ſed ſubſtantiam inſuper quandam vel ſpirituoſam, vel humidam ſubeſſe ſuſpicatur, quæ ut mole minima, ita facultate quàm maxima ſit. Quin & perſuadent hoc ponderoſæ rationes, quas *Excell. Dn. Præſes Diſſert. cit. de Viper. C. 1. §. 1.* habet. Scil: (1) quòd diverſæ maculæ varij coloris mox inſequantur, non niſi à principio materiali aliquo communicato ac ſanguinem dictis in locis corrumpente, oriundæ: 2. quòd extrahentia, in principio ſtatim adhibita, juvent; (3) quòd partibus carnoſis ex morſu tali læſis ſimilia nihilominus ſymptomata h. l. contingere. (4) quòd dentes non æque acuti, Animalium quoque aliàs non venenatorum in ſtatu iracundiæ, lethalem æquè tragœdiam excitent.

§. 47. *Quod alterum.* ſalinæ quòd ſint particulæ venenoſæ, imprimis quæ ex minerali & vegetabili Regno depromptæ, *acrimonia eorum* demonſtrat, utpote ſolis ſalibus propria. De hac autem in ipſis præſente, varia teſtantur, ac *primò* ipſæ venenorum ſpecies, quæ acredine manifeſtâ in ſenſum incurrunt, ut Mercurius ſublimat. purgantia fortiora, helleborus, euphorbium &c quorum venenoſitatē in ſale volat. acri conſiſtere, *Pechlin. Tr. de Purgantibus* egregiè oſtendit, atque inſuper ex eorum ſapore cauſtico patet. Et quamvis arſenicum, aliaque nonnulla, ob intimiorem veneni ejus incluſionem ad guſtum videatur dulce, ventriculo tamen immiſſum roſione acrimoniam, quæ latebat prius, ſatis manifeſtat. *Secundò* quòd cuncta vegetabilium & mineralium venena per temperantia corrigantur & mitificentur. Si Mercur. ſublimat. ſi, addito novo Mercurio vivo, ſublimetur, evadit dulcis & innoxiè ſub debita doſi & circumſpectione adhibetur. Mercurium vitæ per Spiritum Vini Sylvium ita mitificaſſe, ut κάτω ſaltem operaretur, *Venerandus Præceptor, Excell. Dn. D. Bohn in Chymico ſuo Collegio. noviſſimè habito*, retulit. Et univerſale quaſi venenorum ore hauſtorum temperativum atque correctivum præſtat Lac, butyrum, oleum amygdal. dulc. omniaque pinguia ac diluentia quoque, ut Aqua ſimplex copioſè deſuper hauſta; dum diluendo hæc acrimoniam ſimul valdè infringunt. Sic exemplum hîc loci cognitum habeo cujuſdam, qui ex errore Aqu. Fort. bibens, hauſtâ mox deſuper copioſâ aquâ, ab omni noxa immunis reddebatur. De muribus res nota eſt, ſi arſenicum comederint, modò aquam deſuper bibant, eos evadere.

§. 48. Acrimonia autem hæc duplex eſt, acida aut alcalina. In vegetabilibus venenoſis conſiſtit eadem in ſale volat. acri alcalino, quod aliquo modo patet ex eorum per acida caſtratione aut correctione, quæ tamen per alcalia fixa quoque procedit, quatenus hæc volatilitatem eorum tollunt, non tamen prorſus omni vi, quemadmodum acidâ, ratione eſſentialis contrarietatis, ut plurimùm faciunt, ea ſpoliant. Mineralium venena in acrimonia acido-alcalina ac volatili conſiſtere videntur; quod vel exemplo Antimonij patet, cujus neque ſubſtantia acida ſulphurea ſolitariè. e. g. Sulphur virideſcens, ex Antimonio per Aqu. Reg. ſoluto ſeparatum, ad ℈j. innoxie juxta *Tachenium* propinatum, neque ejus pars alcalina mercurialis ſola, per acida, v. g. in bezoardicis fixata, ſed ambæ ſaltem combinatæ, catharcticæ ſunt. Particulam limitativam, *ut plurimùm acerrima*, addidi, eò quòd exceptio veniat facienda de Animalium Venenis, utpote quæ non tàm in acrimonia, quàm motu ſpirituum affectu iræ impetuoſius intenſo, ideiſque ſeminalibus frequenter determinato, uti per exempla ſuperiùs allata conſtare poterit, conſiſtere videtur.

§. 49. *Volatilitatem particularum venenoſarum* arguit earum partim effectus ut plurimùm maximè ſubitaneus, partim correctio earum per fixiora ſubjecta. *In propria ſpecie*, cum *Aromatario de Rab. contag. p. 4. particulâ X. incontaminatas easdem dixi*, h. e. reſpectu Corporis, cui propriè inſunt, naturaliter ſe habentes & minimè corruptas, ad differentiam contagij, de quo paulò pòſt, quod ſimili ferè principio quidem gaudet, ſed in ſe præternaturaliter jam conſtituto & quaſi putrido.

§. 50. Cætera quæ definitionem complent, per ſe certa & res experientiæ ſunt. Species autem venenorum & varios ea ſuſcipiendi ac nos afficiendi modos hîc tractare, non eſt hujus inſtituti, ſed ex *Sennerti Inſtitut. Cap. de Morb. totius ſubſtant*, & ex *Charletoñe*, qui imprimis de hac materia ſolidè agit *in Exerc. Pathol. 5.* nec non ex *Vidi Vidij allegato ſuperius loco*, videri & dictis facile applicari poſſunt.

§. 51. Subnecto hîc ſaltem, multa Corpuſcula in ſe innoxia & nec pro venenis ab ullo habita, nihilominus in certis ſubjectis facile mobilibus, ſubtilioribus, aut idioſyncraſiâ ſingulari præditis, æquè cum venenis gravia producere ſymptomata. Sic notum eſt de odoribus nonnullis, e. g. moſchi in chirotheca eo infecta, quòd vel tantilla eorum particula ſuſcepta fœminas haud paucas, nec non viros quosdam litteratos, in ſubitaneas conjiciat Lipothymias, ſuffocationes & affectus convulſivos, hyſtericos &c. De quâ tamen odorum efficaciâ infrà pluribus.

§. 52. Progredior nunc potius ad principia morborum minuta, venenis valdè ſimilia. *Contagia* ſcilicet, quæ in hoc potiſſimùm à venenis differre dixi, quòd in Corporis, quod naturâ inhabitant, ſpecie à ſtatu naturali jam degeneraverint: De cætero in plurimis, etiam quòd ſub ſpecie fermenti nonnulla venenorum agant, cum his conveniunt. Et cùm *Fermenta morboſa* intra corpus noſtrum genita cum contagiis valdè concordent, ipſaque hæc nil niſi fermenta morboſa extra corpus; in quo primùm nata, deducta ac in aliud quoddam corpus analogum tacitè derivata, morbum planè conſimilem in ipſo paulatim & fermentando quaſi progignentia ſint, ideò junctâ ambo operâ optimè conſiderabimus.

§. 53. Fermentorum nomen & doctrinam ex *Helmontio* potiſſimùm habemus, ſatis tamen obſcurè ab eo relictam. Illuſtrarunt deindè eam nonnihil *VVilliſius & Kergerus Tr. de Fermentatione*, ſed partim craſſè ſatis, partim inſufficienter adhuc. Re tamen longius penes me revolutâ, nihil aliud tandem ea eſſe deprehendo, quàm particulas volatiles ſpirituoſas, materiæ cuidam lentæ ſeminali, ſalino-oleoſæ, tenui tamen, intimius immixtas, quam ipſam dum in minima reſolvunt, ac in ſimilem ſibi ſubſtantiam convertunt; (quod ſuis finibus clientem qualitatem coaptare vocat *Helmontius Tr. ſextupl. Digeſt. &c. §. 14.*) in athmoſphæram quando odoratam cum illis diffunduntur, perque hanc in objecta vicina adæquata agentes, parvâ ſui quantitate magnam horum maſſam in eandem cum ipſis naturam tranſmutant. Craſſa horum exempla habemus in flore cereviſiæ vel panis fermento rebus fermentandis addito, quorum exigua portiuncula in maſſam ingentem vim dictam exercere ſolet. Nec tamen craſſum iſtud corpus, quod pro panis v. g. fermento habemus, ſed longè quid ſubtilius in eo latens Fermentum propriè conſtituit.

§. 54. Corporeitatem, liceat mihi technicè loqui, Fermentis plurimi Authorum, ac ipſe imprimis *Helmontius Tr. Cauſæ & Initia Naturalium §. 24 & alibi paſſim*, denegant, ac medium quid inter ſubſtantiam (per quam corpus innuere videntur) & accidens

ea eſſe fingunt. Quod tamen quàm difficile & vix poſſibile conceptu in Naturalibus ſit, videant ipſi ejus Patroni ac Aſſertores. Rationes negandi eorum prægnantiſſimæ ſequentes ſunt, *Primo*, quod Fermenta ejuſmodi non poſſint converti in ſubſtantiam palpabilem; ſed quoniam cum ſpiritibus hâc in parte coincidunt eadem, facilè etiam, ſalva ipſorum corporeitate, pariter ac hi ſenſuum externorum perceptionem, ex ſuperiùs probatis, eludere poterunt.

§.55. Altera, quam objiciunt, difficultas eſt, quod extenſio actionis eorum in alia corpora penè multa, longè ſuperet tantilli, ſi fermentum materiale ſtatuendum ſit, corpuſculi quantitatem & potentiam expanſivam. Id quod tamen minimè concedendum iis, propter exempla, quæ miram ejuſmodi minuti corporis extenſionem, anteà vix conceptibilem ſenſuum judicio ſubmittunt, qualia benè multa adducit *Illuſtriſ. à Boyle in Tr. de eſſluviis & Athmoſphæris Corporum, &c.* ac quidem, quod primum eſt, ſtupendum Auri extenſionem, utpote cujus unciam unam ad 7776000. pedes, h. e. ad 155. milliaria & plus quàm dimidium, ſub deauratione fili argentei, extendi idem Author certis experimentis deprehendit. Et qui fidem his derogat, adeat Bracteatores & Ductores Auri, ac mira captumque ſuum ſuperantia videbit percipietque.

§.56. Altero loco pono ejuſdem *Boylei*, experimentum, quo accepit granum ſemiſpulveris pyrii, hoc imbrici impoſuit, & vaſe vitreo ſatis capaci cooperuit, quod pro tegendo ſuperiore orificio laminâ cuprea erat inſtructum Accenſo intra hoc pulvere illo pyrio, fumus ejus totam vitri cavitatem (quæ ultra 29. ℔. aquæ aliàs capiebat) replevit, & operculo ablato poſtmodum per horæ circiter ſemiquadrantem continuò per orificium apertum erupit, ſpatio adeóque, ad quod fumus ſe porrigebat, computo exactè inſtituto, quinquagies millies excedente illud, quod granum ſemiſpulveris illius nondum accenſi capiebat.

§.57. Sit tertio nobis loco odorum miranda diffuſio. Ex unico gummi cujuſdam odoriferi, e. g. Styracis, grano prunis injecto totum Conclave fumo & odore adimpletur. Annus, & quod excurrit, eſt, ex quo *Excellent. Dn. Barnerus in Chymico ſuo Collegio* præſente inter multos alios & me ipſo ſequens tentamen inſtituit. Accipiebat circiter 2. guttas olei deſtillati aniſi, ſubactis iiſdem in mortario cum pauxillo vitelli ovorum, aquæ ſimplici commiſcuit, ſucceſſivè ſemper plus hujus ſuperaffundendo, ſicque, quantum memini, ultra ſex vel ſeptem menſuras, quarum una 3. ℔. circiter continet, extendit, ſicut aqua omnis odorem ac ſaporem aniſi referret: imò aſſeveravit, ſe hoc modo unicam guttulam olei deſtillati aurantiorum ad 10. Cantharos ejuſdem capacitatis extendiſſe. Biennium ferè eſt, ex quo aſſervavi in vitro quodam Aquam Cinamomi ſpirituoſam, conſumpta hac, elui ſæpiùs vitrum hocce cum aqua ſimplici, interjecto nonnunquam aliquot ſeptimanarum ſpatio, & aqua omnis ſaporem odoremque cinnamomi leviter ſpirante; ut adeò verum ſit illud:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

In Chirothecis odoratis quantillum, quæſo, eſt, quod unum eorum par poſſidet odoriferi, dum paucis floribus Jaſmini, ut ex relatione laudati ſæpius *D. Barneri* habeo, ſtratificatis vel centum eorum paria Venetiis inficiunt: obſervavit tamen incomparabilis *Boyle Cit. Tr.* in quibuſdam Chirothecis ultra 30. annos odorem adhuc perduraſſe & hodieque perdurare, cùm tamen impoſſibile ſit, quin ſemper aliquid de iis exhalet. Imò, quod majori admiratione dignum, quò magis extenduntur & ſubtiliſantur particulæ odoratæ, eò magis energiam ſuam commonſtrant. Sic Ambra non niſi reſoluta ſaltem, v. g. cum oleo quodam deſtillato, odorem ſpargit, & ejus ℥j. fermentata cum Muſto ultra 50. hujus menſuras odore ſuo imbuit: quod experimentum in *Laudato Collegio Phyſico* Lipſiæ hîc inſtitutum fuiſſe, refert *Excell. Barnerus*; ſimul exemplum Aquæ Roſar. deſtillatæ adducens, quam in Italia, ubi copioſè paratur, ſub ipſo deſtillationis, adeoque reſolutionis actu majorem longè, quàm aliàs odorem, & talem quidem, qui integras plateas impleat, ſpargere teſtatur.

§.58. Ecquid vero odores aliud, quàm corporis, ex quo prodeunt, particulæ minutiſſimæ, ſalino-ſulphureæ, & ad ſubjectum uſque, quod afficiunt, materialiter diſperſæ propagatæque. Incorporeæ enim ſi eſſent, ſenſu minimè poſſent percipi, ſiquidem proportio inter organum & objectum requiritur, & quæ immaterialia ſunt, ſub ſenſum nunquam cadunt. Ut taceam eorum Corporeitatem exindè ſatis conſtare, quod corporibus peregrinis occurſantibus haud paucis adhæreſcant, diutiuſque in his perſiſtant. Ex quo proinde patet, nec fermentis, utpote quæ cum odoribus hac in parte coincidunt, & ſub odorum ſpecie agunt, ſimilem extenſionem ac corporeitatem eſſe denegandam.

§.59. Dari in corpore noſtro hujuſcemodi Fermenta, eaque diſtinctæ naturæ, ut plurimùm tamen acidæ vel urinoſæ, aut ex utriuſque mixtæ, varia ingeſtorum alimentorum pro partium, ad quas deveniunt, diverſitate, reſolutio, immutatio ac aſſimilatio, nec non diſtincta partium nonnullarum, Ventriculi, Renum, &c. Fracedo oſtendit. In Ventriculo immutantur alimenta fermentatione in Chylum acidum pro odoris, qui in dicto loco deprehenditur, natura. In Inteſtino duodeno ſalſus idem fit à bilis fermento admixto, & particulas recrementoſas paulatim ex ſe dimittere incipit. Sanguini ubi infunditur idem, ſub ſucceſſiva circulatione ac fermentatione tandem reſolvitur plurimam partem in Nectar rubicundum à particulis ſpirituoſis fermentativis ſanguini inexiſtentibus. Partibus deinde ſingulis aſſimilatur & in earum ſubſtantiam convertitur, procul dubio quoque ratione cujuſdam fermenti in iis localis ac ſeminalis, ſiquidem à ſola appoſitione particularum, quod *Cartheſius* vult, coagulatio, firmatio & conſolidatio ejus in partis ſpecificam ſubſtantiam, procedere non poteſt. Serum ab eo dum ſecernitur & quidem in Renibus, fracedinoſo ac urinoſo odore hiſce connato, imprægnatur, ſub eoque foràs excernitur, quod idem ferè fit ſub ejus per cutis glandulas miliares, quæ ut plurimùm aliquem odorem, fermenti indicem, ſolent ſpirare transcolatione; ut taceam de ſaliva, quam fermentum aliquod in ſe fovere patet, eo quod rebus facile fermentalibus addita fermenteſcere hæc faciat, unde non ſine cauſa Mulierculæ, dum ſaccharatas confectiones parant, vel in aliquo loco aſſervant, puſillos ſalivantes ab his arcent.

§.60. Fermentorum in corpore ſapor aut odor ſi à quacunque cauſa rerum non-naturalium p. n. alteretur, aut manifeſtus nimis fiat, evadunt iſta morborum ſatis ſubinde magnorum parva initia, *Helmontio* (*Tr. Magnum Oportet* §.25.) Vitæ mediæ proprietates peregrinæ appellatæ. Hæcque ſunt *potentiæ Hippocraticæ* ſalinæ, de quibus hicce *Lib. de Priſca Medicina* dicit, quamdiu temperatæ eædem ſint in corpore noſtro, eas hominem non lædere, mox vero ac conſpicuæ ſ. manifeſtiores evadant, ita ut acidum fiat aciďiſſimum, amarum amariſſimum dulce dulciſſimum, continuo morbos nobis afferre. Ut proinde non immerito *Celeberr. Franciſc. de le Boe Sylvius* Praxin ſuam fere ubique fundamentis hiſce morborum Salinis ſuperſtruat, iiſque p. n. vitiatis, contrarii ſaporis Salini remedia ſummo cum Imitantium ſucceſſu opponat.

§.61. In ſpecie vero, ſi alcalinum & volatile in acceſſu atque acredine peccet, naſcuntur exinde utplurimùm morbi breves, imprimis acuti; ardentes maligni;

maligni; ſin vero acidum & fixum, emergunt morbi magis Chronici. Neque enim exiſtimandum, Chronicorum ſtatim eſſe grande molis initium, quale in proceſſu apparet productum, quod ſanè à cauſa primitiva probè diſtinguendum. Quinimo primum eorum initium pariter parviſſimum eſt, & in tantilla ſæpiùs cauſa occaſionali, fermentum ventriculi fixius ac acidius nonnihil reddente, conſiſtit, adeo ut inſenſibiliter proindè tales morbi, eorumque quaſi Primates, Malum Hypochondriacum & ſcorbutus, oriantur, nec priùs ferè conſpectui ſe ſiſtant, niſi poſtquam profundius jam radicata, adeoqne tàm tardè difficileſque tunc exſtirpatū ſunt, cùm tamen, ſi ſub exordium ſui ſtatim innoteſcerent, tantillo medicamine auferri poſſent. Rectiſſimè hinc ſano ſenſu dixit *Schönbornerus in Manual. Pract. p.141.* quemadmodum lapis à gutta pluviæ excavatur; (ſ. primum quaſi excavationis initium accipit) ita à gutta quaſi rerum nonnaturalium ſucceſſivè fieri impreſſionem, quæ cum morbus manifeſtus tandem fit, ultimo delicto præpoſterè imputatur. Illuſtrat hoc obſervatio, quam habet *Diemerbroccius in ſua Anatom. p.510.* collecti ſucceſſivè in Lapicidæ famulo pulveris ſubtiliſſimi lapidum in veſiculis pulmonum ſicque aſthma, quo ille tandem obiit, poſtquam coacervatus admodum eſſet hicce pulvis procreantis.

§.62. Cum *Contagiis* eodem modo ſe res habet, eadem eorum differentia, ut alia ſint alcalina, alia acida &c. idem etiam lædendi modus ita ut producant iſta morbos breves, acutos, febres ſcil. malignas, peſtilentiales, &c. hæ vero Chronicos, ut ſcabiem, luem veneream, alioſque, de quibus videatur *Excell. D. Maur. Hofmannus Tr. de Morbis contag.*

§.63. Quoad originem vero Contagiorum annoto cum *Charletone in Pathol. Exerc. p.192. & Boyleo l.c.* ex quibuſcunque corporibus ferè efflnere indeſinenter corpuſcula quædam ſub vaporum forma, quæ in Aëre circumcirca velut nebulam ad extremum diffuſionis ſuæ terminum conſtituunt, Athmoſphæræ nomine venientem. Effluvia hæc naturam corporis, ex quo promanant, exactè referunt, eaſdem ferè cum iis, quæ in corpore adhuc latent, habent vires, ita ut pro majore earum efficacia & hæ validiorem oſtendant potentiam: quæ ratio videtur, cur effluvia, quæ ab electicis corporibus ejaculantur, paleas ſaltem aliaque levia verſus ſe movent alliciantque, quæ vero à Magnete, ferrū attrahant; item, quæ à ſulphureis aut volatilibus aromaticis oleoſis corporibus, Succino, Camphora, Moſcho, &c. diffunduntur, totam viciniam odoribus repleant, quæ ab aliis vero fixioribus & agilibus minus, vel nullū vel non diffuſum adeo aut penetrantē odorē ſpargant.

§.64. Continuum hunc particularum ex corpore effluxum *Laudatus modò Boyleus* variis experimentis confirmavit, dum exacta bilance eadem trutinando continuo tantillum aliquod decrementum fieri obſervavit. Quod idem in Homine ac ſeipſo tentavit cum eodem ſucceſſo *Sanctorius* pro Tranſpiratione hominis inſenſibili inveſtiganda, qui ſellæ, quæ ſtateræ erat appenſa, inſidens, ex corpore leviori ſucceſſivè reddito deprehendit, unica die per inſenſilem tranſpirationem tantum evacuari, quantum per alvum 15. dierum curſu, quemadmodum de hoc videatur *ejus Medicina ſtatica S.1. aph.60.* Imo Tranſpirationem hanc inſenſibilem ulteriùs confirmant canes venatici, qui non ſolùm Ferarum, ſed & Heri proprii, quamvis longius, & quod *Boyle l.c. p.132.* refert, ſeptem milliaria jam progreſſi, veſtigia ſolo odoratu exacte inſequuntur.

§.65. Quod ſi E. contingat, ut in certo Aëris Tractu, *vel* ex Mineralibus, poſt diuturnam incarcerationem, terræ motum, Solis calorem nimis exaltantem, aut novas quaſdam mutationes ſubterraneas. (à quib. novos epidemicos morbos derivat *Boyle in Coſmicis ſuſpicionibus p.25.*) effluvia venenata & diverſimode corrupta ac combinata exhalent; *vel* ex cadaveribus inſepultis, locis ſqualidis, paluſtribus aut Cœno ſtagnātē fœtidoque obſitis, miaſmata, putrida quaſi, exſurgant; Aëremque hôc modô inquinent, inſpirata cum eo ſimul intra Corpus Animale p.n. hoc, e.g. Peſte, afficiunt, ejuſque humores corrumpunt. Cumque ab Animalibus, ac ipſo homine, ſic inquinatis ſimilia ſemper effluvia morboſa per os etiā, exhalent, facile poſtmodùm ab aliis quoque vicinis ſimili modo ſuſcipiuntur, aut corpori horum affricantur; quod ipſum ſi in Craſi ſeminali cum priori Animali, ex quo contagium hoc morboſum manavit, conſpiret, (unde inter conſanguineos & certa genera Animaliū nonnunquam effectum ſolummodo ſortitur) ſimili inde morbo afficitur, ſicque contagia hæc ſenſim multiplicantur & in plura ſe diffundunt ſubjecta.

§.66. At ſane tantillum ſæpe eſt, quod pro hujus propagatione ſufficit. Etenim quàm exiguum haud raro, nares odore peregrino moleſtans, totum corpus illico inquinat? Quantillum ex manu ſcabioſa ſuſceptum, ſimilem in univerſo corpore luem producit? Sic tantillū ſæpiùs eſt quod corporibus inanimatis, raris imprimis ac poroſis, linteis, &c. adhærens, & per aliquot annos quiete in iis perſiſtens, dum quacunque occaſione ea de loco in locum moventur, iterum reſuſcitatum exſpirat & nova peſte, vel morbo contagioſo alios homines inficit. Exempla talia per quàmmulta in Authoribus legūtur, *Boyleo c.l. Charletone, Diemerbrock de Peſte, aliiſque.*

§.67. Quæ hactenus adductæ morborum cauſæ occaſionales proximæ, ſpiritus ac humores immediate fere affecerunt. Paucis adhuc partium continentium ac nervearum imprimis, tantillæ læſiones contemplandæ, ex quibus unà cum partibus contentis totum corporis ſyſtema ſæpiùs in conſortium trahitur. Summus rerum Conditor ſapientiſſimo conſilio corpus noſtrum ita conſtruxit, ut ſe habeat inſtar Machinæ hydraulicopneumaticæ, hujus rotulæ ſive fibrillæ cuidam nerveæ, ad motum neceſſariæ, ſi tantillum impedimentum vel læſio inferatur, plures partes, niſi & tota Machina compatitur. Patet hoc per exempla.

§.68. Ut à levioris momenti cauſis incipiam, perpendamus tantillum pulviſculum oculis illapſum, vel Cilii pilum intrò verſus oculi bulbum deflexum aut creſcentem, quantas mox creet moleſtias, lymphæ effluxum, ſanguinis ſtagnationem, hinc oculi inflammationem, non omni ſemper periculo carentem, nî cauſa comprimens maturè auferatur. Vertebrarum dorſi levis ſubluxatio aut contorſio, dum nervi & vaſa ſanguifera leviter ſic ſaltem comprimuntur, quanta; quæſo, interdum excitât ſymptomata per conſenſum nervorum & ſpirituum, lipothymias, ſudores ſyncopticos, difficilem reſpirationem, nauſeam, vomitus, virium proſtrationes, ita ut mors interdum inſtare videatur, meritoque proindè reſtitutio quantocyus inſtituenda ſit.

§.69. Hæcque ſaltem ex compreſſione tantilli nervorum ſpatii oriuntur: graviora longè ſymptomata ſuperveniunt, ſi ipſe nervus vel tendo quidam, circa articulum imprimis, aut etiam membrana quædam ſenſilis pungatur, aut vulneretur, unde univerſi ſæpè corporis oriuntur convulſiones, interdum Gangræna & ipſa nonnunquàm mors, quemadmodum *Pauli in Parckbaſi de Febr. Malign.* aliique obſervant. Similiter *Bonetus de abdit. Morb. Cauſ. ex cadav. diſſect. revelat. L.1. P.1. c.12.* exemplum refert pertinacis & duodecennalis Cephalalgiæ ex parvis diploidis internæ particulis diffractis & Meninges tantillum pungentibus.

§.70. Nec à fortuitis hujuſcemodi ſaltem cauſis partes nervoſæ tantopere læduntur: idem enim & potentiùs longè præſtant nonnunquam cauſæ internæ. Sic peregrina quædam aciditas inteſtina aut plexum meſentericum rodens in colicâ convulſiva, partes dictas haud rarò mirum quantum contorqueri, & univerſum corpus ex conſenſu convelli facit, quod præcipuè in Infantibus tenellis quotidiè ad oculum ferè patet, in quibus fons Epilepſiæ utplurimùm circa inteſtina hæret. Et quæ ſimiles aliæ ſunt cauſæ tantillum ſyſtema nervoſum irritantes, graveſque ſic morbos producentes, quas ſingulas ex profeſſo hîc adducere, diffuſum nimis foret. Videri prolixiùs tamen de talibus poteſt *Vuilliſius de morbis convulſivis.*

§.71. Morborum magnorum quemadmodum exigua

ígua utplurimùm ſunt initia, ita & parvæ ſæpiùs quantitatis, magnæ tamen efficaciæ, eorum exiſtunt medicamina. Ac parum abeſt, quin omnium ferè morborum minima dicam eſſe remedia, haud diſſimili ratione ac primordia in omnibus ferè morboſis affectibus parva aſſerui. Licet enim, antequam corpori ingeratur medicamentum, non omne ſit minutæ adeò doſeos, ad partem tamen affectam non niſi ſub formâ minimi utplurimùm pertingit eique medetur. Ut enim ex corde in univerſum corpus ejuſque partes unà cum ſanguine, tanquam vehiculo, diſtribuatur, in minima ſanè diſtrahi vel diſcerpi illud neceſſe eſt. Propelli verò hoc ad ſingulas Machinæ noſtræ partes, circulatio ſanguinis docet, utpote cujus lege huic vel illi ſaltem parti adduci nequit, ſiquidem cor pellens ad quaſcunque partes indeterminatè ſe habet, & præterea manifeſtè videmus, ſanguinem, qui unâ pulſatione ex corde evibratur, & medicamentum neceſſariò intimè confuſum ſibi continet, tàm in ramos Arteriæ magnæ, qui ad ſuperiorem, quam qui ad inferiorem corporis truncum ejuſque ſingulas portiones tendunt, diſtribui ac urgeri. Si proindè medicamenta, quorum vis ac doſis non adeò concentrata, non niſi ſub forma minuta parti affectæ medentur; quanta erit ſubtilitas particularum, in quas medicamenta, etiam extra corpus minima, diffundi ſimiliter opus eſt; quemadmodum reverà fieri, ipſa experientia demonſtrat.

§.72. Dari verò medicamenta, ſub minuta mole inſignem efficaciam foventia ex ſeqq. patebit. Craſis medicamentoſa in exiguo utplurimùm conſiſtit principio, quòd ſi à quiſquiliis reliquis, quæ illud in operando valde impediunt, ac ſtomachum ſaltem onerant, ſeparetur, ſub doſi granulari tantùm, imò plus præſtat, quàm integra libra totius ſimplicis, quemadmodum *Le Febvre Chym. P. 2. L. 1. Proœm. in fine* docet. Apparet hoc in Reſinis purgantium extractis, Scammonii, Jalapæ, &c. In quibus omnis vis cathartica concentrata eſt, ita ut ad grana pauciſſima propinata ſufficientiſſimè purgent. Spiritus vitæ aureus Rulandi, qui nil aliud, quàm Extractum Colocynthidis, ad guttas 20. propinatus dat purgans æquè validum ac potiones vel decocta purgantia ad integras libras propinata; quod remanet ab extractione, omni & amarore & vi ſpoliatum eſt, antiqui tamen ponderis ferè. Minimum & inſenſibile prorſus eſt, quod ex Antimonio extractum vomitus movet, hoc in ſapam vomitoriam, Sylvio adeò commendatam, ſi redigatur, ad gr. j. jj. aſſumptum ſufficientiſſime operatur. Pro ſcopo diaphoretico oleum deſtillatum Guajaci guttis 8. 10. integris aliorum hauſtibus vix cedit efficaciâ, nec aliquot grana Salis volat. viperarum, Corn. Cerv. integris pulverum aliorum acervis. Quod idem affirmandum de Spir. Salis ammoniaci, qui ſimul acidum viſcidumque egregie tollit. Contrario ſapori alcalino nidoroſo vel dulci aliquot guttæ ſpir. cujuſdam aciduli, e. g. ſulphuris per camp. medentur. Porrò olea deſtillata eſſentialia, abſinthii, cochleariæ, ſub concentrata unius guttæ doſi eſſentiæ ipſorum integram unciam effectu ſuperant. Ac olei deſtillati Cinnamom. unica guttula quantum in momento reficiat, narrabunt illi, qui Lipothymiâ proſtrati, tantilla ejus in apicem linguæ illinitione iterum exſuſcitati & ex orco revocati ſunt. Opii granum quantillum eſt, quod tàm divinam ſæpe præſtat opem, ſi circumſpecte adhibeatur. Et hoc ipſum *ut ſpecialius hæc applicem*, meritò generale quaſi morborum remedium eſſe dixeris, dum ſpirituum exorbitantias, in omnibus fere morbis accuſandas, tàm mire compeſcendo, naturæ ita ſuccurrit, ut interim cauſa morboſa occaſionalis eo meliùs exturbari poſſit: in quo ipſo cuncta tantopere expetita, remedia generoſiora univerſalia, ſulphura metallica fixa, cum eo fere conſpirant, niſi quod ratione cauſæ morbi ſimul vim debeant poſſidere, quodcunque acre temperandi ac corrigendi.

§.73. Hoc ſane affirmare omnino licebit, Initia Magnorum Morborum dum adhuc parva, utpote cum quibus ſaltem negotium hîc nobis eſt, pharmacis etiam exiguæ molis facile exſtirpari poſſe. Specialiùs ac prolixiùs tamen omnium, de quibus egi, parvorum Morbi initiorum curam ut annectam vix expectabis, Lector Benevole, cùm quaſi generaliter de ipſis iiſdem Morbis in antecedentibus ſaltem dixerim, prætereaque limites hujus Exercitii nimis excreſcerent. At breviſſimis nihilominus annoto ſequentia.

§.74. Ideæ imaginativæ, ſi curabiles adhuc, vix aliter, quàm contrariæ imaginationis firma perſuaſione mutantur in meliùs; ſeminalium cura vix omnium promittenda eſt, quæ tamen morſu rabidorum communicatæ, quo & Venena ab Animalibus illata pertinent, primo ſui initio tolli iterum poſſunt, ſi (1.) illæ ex loco læſo mox evocentur, antequam altius in corpus progrediantur, quod fit partim ligaturis, partim ſcarificatione ejuſdem, ac extrahentium applicatione: (2.) Per ſudorifera alexipharmaca, ſicubi quid maſſam ſanguinis jam ſubintravit, ſtatim eliminetur. Venena per os hauſta omnium optime per vomitorium ſtatim educuntur, ac per alexipharmaca temperantiaque, de quibus ſuprà, corriguntur, acidæ quæ ſunt, naturæ, iis alcalia, alcalinæ indolis acida, & volatilioris conſiſtentiæ figentia opponendo. Contagiis idem fere medendi modus competit; niſi quod in morbis epidemicis; Peſte, &c. Accedere inſuper debeat Aëris per particulas odoratas antidotales, at quantæ ſubtilitatis corpuſcula! correctio, quo in puncto fumus ſulphuris imprimis excellit. Fermentorum naturam cum contagiis coincidere fere dixi, proinde nec cura horum adeo diſcrepabit, imprimis attendendum erit, ut ſapor odorque morboſus in his per contrariæ, ac ſpecificæ, ſi fieri poteſt, naturæ medicamina tollatur. Quoad læſiones externas partium nervoſarum, curantur hæ, ſi ſpinam, h. e. cauſam lædentem, genitumque indè acorem hoſtilem abſtuleris, ſpirituum exorbitantias per opiata & nervina aromatica nonnihil compeſcueris, & læſionem factam debitè iterum conſolidaveris.

§.74. Minimum proindè cùm peccet in recenſitis morborum generibus initium, indicatio in tantillæ ſaltem hujus ablatione conſiſtit: quæ cùm per remedia minimæ & minus adverſæ molis obtineri poſſit, quid opus erit, ut tàm frequenter & citra neceſſitatem utplurimùm, in jucunditatis, quæ in medendo ſemper ſpectari debet, legem peccemus ac bicubitalibus compoſitionibus, decoctis ac hauſtibus horrendæ quantitatis, aliiſque medicamentis ad nauſeam diffuſis, ægros oneremus ac moremur? Ægri verò ex hiſce diſcant maturè, quando tantillum erratum commiſerunt vel perſentiſcunt, remedia vel Medicum in uſum vocare, ſi ſumptuum & curæ longinquitatem evitare volunt. Adeò namque vetus illud verum eſt:

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
Cum Mala per longas invaluêre moras.

§.76. Minima, fateor, de minimis, quæ propoſueram, attuli. Sufficienter ſiquidem ac ſpecialiùs de ſingulis acturo, non aliter ac maximi ex iis effectus, ita & maxima Speciminis hujus, limites tantilli Exercitii longè excedens, & in integrum Tractatum diffuſa excreſceret moles. Condonabis igitur, Lector Benevole, ſin minus ab omni parte curioſitati Tuæ, vel etiam ſtylo limatori, ſatisfeci, & Temporis anguſtiæ, quo hæc ſcribere cogor, ejuſque Legi, quæ aliò me vocat, & breviùs, quàm propoſueram, abrumpere jubet, ex parte hoc adſcribes. De cætero admiraberis mecum Divinum Numen, in minimis tàm Naturæ, quàm Morbi ejuſdemque Medelæ, maximum ac admirandum, cui ſit SOLI GLORIA.

DISSERTATIO IV.
DE EPILEPSIA.

I. N. I.

Affectuum humani corporis Machinæ inſidioſam properantium ruinam, nullus fermè ferocior ac truculentior animadvertitur Epilepſiâ, etiam in illos iniquâ, quorum oculis ſaltim ſubjicitur horrendum ejus ſpectaculum. Luget enim mens & cor improviſo horrore perfunditur, quando ſors ægros in plateis fulmine quaſi quodam tactos & membris ſæpe ſuis lapidoſum arietantes ſolum nobis cernendos offert. Et licet æquali ferociâ non omnes cernamus agitatos: fermè tamen neminem à malo hoc multiplici ſpecie aut gradu variante inſontem excipere poterimus. Album hic donabit mihi calculum, quicunque varias Epilepſiæ diſcrepantias & cauſas depictas legerit. Thematis autem hujus electionem ſuaſit commiſeratio mea erga viſos per vitæ dies, ægros, quibus nullo temeritatis pruritu adactus, aut inſolenti libidine gloriam captandi ſtimulatus, opem ferre conor hoc onere preſſis (ut ut intentioni Medici non ſemper eventus reſpondeat, cum non ſit medela iis, qui diuturnas divini numinis vindictas horrendis ſuis flagitiis in cervices ſuas extorquent) ſed theſibus præſentibus eruditorum invito imprimis ſcrutinium explorandi quantum per artem ægris auxilij & tales Tragœdias ſpectantibus ſolatij ſuperſit. Deterreri quidem debuiſſem hoc nodo Gordio, eruditiſſimis etiam viris multum negotij faceſſante: Veruntamen materiam hanc eruditorum ventilationi exponens, forſan non iniquus judicabor, ſi cupidus diſcendi tentem, quid valeant humeri, quid ferre recuſent. Cui conamini ut Sanctum Numen benigno nutu aſtet, piiſſimis foveo ſuſpiriis.

Theſ. I.

Hinc citra diuturniorem prævelitationem thema hoc aggreſſurus, more hactenus conſueto, primum dabo locum Notationi vocis hujus Epilepſiæ, evolvendo ejuſdem Etymologiam, hinc Homonymiam & Synonymiam.

Græca verò agnoſcit incunabula, procedens à primitivo compoſito ἐπιλαμβάνεσθαι prehendi, corripi: unde derivatum notat deprehenſionem ſeu invaſionem, quaſi dicas, affectum hunc eſſe hoſtis inſtar improviſo à tergo facinore inceſſantis & ſubitâ proſtratione in victos tyrannidem ſuam exercentis. Conſule Lexicographos.

Ego hic brevitati ſtudens paucis homonymiam annecto. credens duplici ratione accipi poſſe hoc vocabulum. *I. Laxè ac tralatitiè* notat quemcunque motum convulſivum aut convulſionem cujusvis partis v. g. Cordis in palpitatione ejus, Ventriculi in Vomitu & ſingultu; Muſculorum thoracis in Incubone, digno Epilepſiæ parvæ nomine: Pulmonum in aſthmate ſicco, Helmontij Caduco pulmonum; Nervorum phrenicorum, intercoſtalium ac ventriculi in Malo Hypochondiaco; Inteſtinorum in Colica & Alvi fluxibus, Penis in Priapiſmo ac Satyriaſi. Imò illorum, qui coitus dulci labore moleſtantur, affectus parva Epilepſia nuncupari ſolet, à qua ad magnam facilis eſt progreſſus, quale exemplum non nemo obſervavit ac ſimile videre eſt in *Obſ. oppid. Rar. Henr. ab Heer. obſ.* 18. Refer huc omnis generis dolores, qualis eſt Iſchiaticus, Arthriticus &c. *II. Strictè* indicat ſymptoma actionis auctæ principij moventis & organorum motui corporis animali deſtinatorum, quo in caſu imparia fiunt ferendo officio naturali deſtinato ſenſibus ac motibus ordinariis. Et hoc thema meum intendit.

Synonymias verò & earum omnium denominationum cauſas hîc enucleare ſuperfluum duco, verens ne crambem multoties coctam appônere dicar avidis. Quærantur ergò in variis autoribus v. g. *Vnzeri tr. de Epilepſia.* & *Sennert. lib. 1. Med. Pract. ſub. tit.* Unum hic conſiderandum, cur à nonnullis divinus ſeu ſacer dicatur hic affectus. an non divini aliquid in receſſu habeat? Negat hoc *Hipp. lib. de Morb. Sacro.* aſſerit verò *Mœbius in Inſtitut. lib. 2. part. 1. cap.* 4. Sed hâc de re infrà.

Theſ. II.

Miſſo viliori cortice, nucleum guſtandi properans definitionem realem præmitto. EPILEPSIA eſt Symptoma actionis animalis auctæ, conſiſtentis in totius corporis imperio eoque involuntario atque inordinato motu cum ſenſuum & actionum naturalium ad tempus ceſſatione; dependentis primariò ab animâ ſeu principio vitali ægrè ſentiente ſeu moleſtato (quod Hélmont. per furorem Archei explicat) indeque perversè organa movente; ſecundariò à nervoſo genere primùm præternaturaliter affecto.

Theſ. III.

Genus in definitione poſui Symptoma actionis auctæ Principij moventis, quod ex ipsâ αὐτοψία patet & infra probabitur. Quo ipſo refertur ſecundum *Mœbium loc. cit.* ad morbos occultarum Qualitatum: & ſecundum *Sennertum* ad Symptomata facultatis motricis: cum quibus ego certo reſpectu hac occaſione facio. Quoniam autem apud omnes in confeſſo eſt, Epilepſiam eſſe actionem læſam, omniſque actionis in corpore noſtro læſio ſymptoma firmiter creditur ideo recte Epilepſiam per ſymptoma me deſcripſiſſe autumo. Quo nomine adhibito, affectum hunc ex morborum archealium ſeu principij noſtri vitalis moventis, cujus naturales actiones fundantur in legitimâ motione ejus, ac naturali diſpoſitione & conſtitutione organicarum partium, cenſu non excludo quidem, ſed potius includo. Atque deinde Symptoma Curationis objectum proximum non credo; ſed potius morbum, qui materiæ cujuſdam in ſubſtantia peccantis ſtatus præternaturalis eſt, quâ actionem naturalem impediente ſublata aut correcta, reſtituitur actio, & ſymptoma ceſſat. In nuda enim ac ſimplici actionis læſione conſiſtit, & aliquod ſubſtantiale mor-

boſum, organa lædens, matrem agnoſcit, quæ à contactu materiali corporali pharmacorum impugnatur, & exturbatione ſua actionem redire facit naturalem.

Theſ. IV.

Pergo nunc recta ſemita ad ipſum Subjectum, quod Cerebrum totumque genus nervoſum cum fibris queiscunque in toto corpore aſſero. Dum enim Epilepſiam conſidero ceu ſymptoma actionis in motu animali aucto, & plus minus depravato, ſequitur nervoſarum fibrarum ſenſui atque motui animali inſervientium primarium pathema illud ipſum eſſe. Iſtud nempe, quod naturalis motus ſubjectum eſt, ſ. naturali motu movetur, illud ipſum etiam præternaturaliter concitari ac Epileptico inſultu vibrari manifeſtum eſt. Cum verò quodlibet ſymptoma, & ſpeciatim ex actionum læſarum quæ ſunt genere ſequatur morbum, ceu umbra Corpus, de parte morboſa hoc ſymptoma poſt ſe trahente, quæſtio præſertim urgetur. Hanc autem ipſum principium activum, & motivum corporis partium, animam ſcil. eſſe aſſero, quæ cauſarum antecedentium vi, ſive immediatè, ut in animi pathematis, ſive mediatè, occaſione materiæ cujusdam peccantis præſertim acido-acrioris commota, impetum ſuum motivum, & partibus corporis ſolidis communicat, indeque Epilepticas turbas concitat. Eſſe verò ſubjectum patiens ipſam animam, confirmat hoc, quod ob crebram Epilepſiæ perpeſſionem variæ ſubſequanrur ejus imbecillitates, quæ tandem in bliteam ruſticitatem aut fatuitatem deſinunt. Nempe Vniverſum genus nervoſum ex natura ſua immobile cenſeo, niſi internus Rector motum eidem conciliet. Quibus ritè omnibus conſideratis, duplex ſubjectum patiens in Epilepſia, nempe tàm ratione morbi, quàm ratione ſymptomatis, proponi poteſt. Illud ſ. quod ratione morbi affici dicitur, *Archeus* vaſ. principium vitale movens, ſ. auram vitalem ſ. animam rationalem immortalem, voca ut lubet; quod tamen ſymptomatis inſequentis reſpectu Efficientis rationem ſubit: Hoc, nempe ratione ſymptomatis in motu vitiato, genus nervoſum, cum fibris quibuscunque in corpore partem affectam primariò arbitror.

Theſ. V.

Cauſa Efficiens Epilepſiæ ex modo dictis vel ſpontè patet, eam nempe eſſe principium vitale movens ſ. ipſam animam, in homine nempe rationalem & ipſam quidem ratione cauſarum antecedentium malè affectâ, Epilepticorum tamen motuum effectricem. Hinc in foro Medico exercitij gratia Materialem adeoque corpori junctam arterabilem ſtatuere nil impedire videtur, ſiquidem ex lumine Naturæ, quæ ubique in Phyſiologia Medica latè patet, nec de immaterialitate, & conſequenter nec de immortalitate ejus apodicticè quid colligere licet: Sacræ ſcripturæ autoritate, quam humillimè veneror, ſarta tectaque manente. In determinando ergò & deſcribendo hoc ipſo morbi noſtri Epileptici fundamento, neceſſitatis eſſe duxi, ex Phyſiologicis naturam ejus & modum operandi ſciſcitari; idque eò magis, quò magis hypotheſes ad unam collimare metam videri poſſent, ut parum referre videatur, utrum ex doctrina hodie recepta de Spiritibus exponere hunc affectum, an etiam ex hypotheſi fundamenti noſtri loco de anima ipſa humana, ut ſic ſuppoſita, hoc phœnomenon explicare conemur. Brevibus ergò enarrare quorundam autorum de anima & principio corporis vitali hypotheſes conſultù eſſe duxi, ut ex variorũ intuitu eluceſcat eò clarius, quod veriſimilius eſt.

Theſ. VI.

Galenus in determinanda animæ quidditate ſuam fatetur ignorantiam *lib. d. Fœt. format. Vol. I. p. m.* 1254. his verbis: *Cum nullam opinionem ſcientificè demonſtratam reperærim, dubitare me de animæ ſubſtantia confiteor, quando ſanè neque ad credibile aut probabile quicquam pervenire poſſim.* Hipp. *Lib. d. diætâ p. m.* 186. *n.* 8. dicit, *irrepere in hominem animam ignis & aquæ temperamentum habentem, partem corporis humani.* Ex quo tractatu patet, Hippocratem crediſſe igneum principium noſtrum activum, cui hodienum adſtipulantur multi autorum. Confer. *Barthol. in Epiſt. ad Holſt. It. tract. de Luce hom. & brut. It. Holſt. d. flammul. Cord.*

Carteſius lib. d. Paſſ. art. VIII. p. m. 4. & 5. *Calorem* ſtatuit *continuum quamdiu vivimus ineſſe cordibus noſtris, qui ſpecies ſit ignis, quem ſanguis venarum nutriat, & hunc ignem eſſe principium corporale omnium motuum noſtrorum membrorum.* Verum, quid vetet quò minus his non ſubſcribam, vid. ap. *Needham. d. Biolychinio.*

Secundum *VVilliſium* & alios ſpiritus animæ ſenſitivæ hypoſtaſin conſtituere dicuntur, uti ex *tr. Anat. Cereb. & Patholog. Cereb. it. tr. d. Animâ brutorum* luculenter patet, ubi in ultimi tract. Cap. I. aliorum quoque opiniones collectas legere licet.

Helmontius tr. Archeus Faber. num. 4. p. m. 33. ſtatuit *principium vitale in animalibus eſſe Archeum, qui conſtet ex connexione vitalis auræ veluti materiæ cum imagine ſeminali*: quæ aura quia non irruit in oculos noſtros, meritò *inviſibilis & intangibilis* dicitur in tr. *Prog. ad morb.* §. 11. & licet *non in guttas cogatur* ſecundum tr. *Compl. & Miſt. No.* 41. tamen apta nata eſt, ut contineatur in liquore, eumque in varios motus cieat, quam ipſam ideò *Harv. Exercit. Phyſ. LXXI.* in ſanguine hoſpitari aſſerit.

Theſ. VII.

Hæc aura, quoniam Univerſalis eſt, ſpecificatione opus habet dependente ab ideis ſeminalibus, quæ neque ſubſtantiæ neque accidentia dicuntur modo citato *Helmontio* (jure an injuria non diſputo) ſed poteſtates à creatore Sapientiſſimo inditæ ſunt, ut earum ope aura hæc non ſolùm tam varia ſubire munia valeat, vid. *Helm. de Lithias. cap. I. §. 5.* verum & ſeſe dividere atque multiplicare, imò ſobolis ſuſcitandæ fœcunditatem concipere potens evadat. Has ideas vocito impreſſiones aut dotes vel privilegia divina, quales Helmontius ſenſiſſe videtur: quæ utrum cum Marci Marci Ideis concordent, quilibet ingenioſus lector ſcrutetur. Unum mihi placuiſſe de ideis confiteor, *Hyeronimum Hirrhaim. tr. de typho Generis humani*, qui ſatis perſpicuè explcavit Idearum doctrinam; niſi quod fermè nihil aliud ſenſiſſe videatur, quàm qui formas rerum ſpecificas ſtatuerunt: interim tamen ſagaciori judicio naturæ phœnomenis applicavit & explanavit.

Theſ. VIII.

Hactenus de animâ ſenſitivâ loquentium autorum prolatæ ſunt ſententiæ, de rationalis eſſentiâ ac quidditate plane tacentium, Hanc cum Helmontio eundem ſtatuo Archeum, utut materialem, etiam tamen rationalem & immortalem. Nam inter privilegia auræ noſtræ vitali, ſ. animæ noſtræ, ex miſericordia divina conceſſa, numerandam quoque immortalitatem ejus cenſeo, ut in morte licet ponatur, ut ſupra inſinuavi, materialis ac cæteroquin patibilis, ab interitu tamen ſecus quàm brutorum anima, à quibus gradu excellentiori diſcrepat, reſpectu habito ad rationem & voluntatem nobiliorem, vindicari poſſit. In quo paſſu aliter mihi, quàm Helmontius animam humanam imaginor: interim tamen opinionem hanc in foro Medico, ceu purè naturali, facilè concedendam arbitror.

Theſ. IX.

Anſam, præter locum *Hipp. lib. de Morb. Sacro pag. ſecund. Anton.* vanderlinden. 342. ubi ab Aëre ſapientiam hominis proficiſci aſſerit (quæ revera tantum animæ rationali humanæ tribui poteſt, & hinc animam humanam materialem arguit) ſubminiſtrârunt mihi opinionis hujus illuſtris Phylyreæ lumina, Magnus Scherzerus & Celebris Thomaſius. Quorum ille in *Breviar. Euſtach. quæſt.* 222. 223. *immaterialitatem animæ humanæ ex Naturâ apodicticè demonſtrabilem haud eſſe aſſerit*, quod & de immortalitate ejus affirmat, cmm illud *à priori demonſtrari poſſe neget, quod à merâ voluntae ac miſericordiâ divinâ dependet, eò, quod nulla creatura ex naturâ ſuâ indefectibilis ſit.* Hic verò cruditô de Origine

animæ

animæ diſcurſu in *Erotem phyl ſ. c.* 44. ad ulteriorē mihi meditationem calcar addidit, ut credam propagationem ejus per traducem nequaquam poſſe evenire, niſi materialitas eventui huic non contrariās ſupponatur. Atque eo confidentius hæc de animâ aſſerui humana, cum *cit. loc.* §. 64. legerim hæc verba ſcribentis: *Immortalitas rei per traducem propagatæ adeò divinæ omnipotentiæ non repugnat (neque enim ulla eſt in adjecto cōtradictio) ut Deus etiam brutis, ſi vellet, immortalitatem donare poſſit.*

Imò addo ego, quod ultra fidem & captum noſtrum etiam ipſum mundum æternæ durationis ac motionis participem reddere poſſet, ſi ſanctæ ejus placeret voluntati.

Theſ. X.

Qua verò confidentia hæc themati huic inſeruerim, præterquam quod æquali libertate ac reliqui Philoſo. (vid. Diſp. M. Joh. Schmidij Uratisl. Pro Loco de Animæ Rationalis Immortalitate ex Principiis Philoſophicis non demonſtrabili.) nos quoque hodierni Medici gaudeamus facilè patebit cuilibet paulò devotiori attentione thema hoc luſtraturo. Imprimis verò hoc ideo feci, quod credam, omnes operationes animales non niſi ab intellectu ſ. ratione dependere, idque eô magis, quo magis non eſt conceptibile, quomodo objectum ſenſile ſenſationem citra rationis concurſum & hinc voluntatem ad actiones, negatu animæ materialitate, ſuſcitet, cum, qui ratione deſtituitur, uti in furioſis atque Ecſtaticis contingit, ſimul etiam ſenſatione & prudenti operatione privetur. Taceo imaginationis vires præſertim illas non rarò obſervatas, quando fœtus ex utero, capite vel brachio amputato egrediuntur: qui caſus non niſi corporalem animæ concurſum ſubinnuentes animum noſtrum in ſtupendam admirationem rapiunt. *de quibus vid. Fienus in tr. d. Virib. Imagin. It. tr. Autor. d. motu muſculor.* §. 26. *p. m.* 17. de puero educatione & conſervatione inter beſtias naufragium ſanæ rationis humanæ in Lithuania paſſo. Quod ipſum planè non metuendum fuiſſet, ſi rationalis animæ immaterialitas & impatibilitas infallibiliter ſupponi poſſet. Unde tandem etiam ingenium ſæpè ac mores ſive boni ſive mali, patre mortuo, communicati viderentur ſoboli? niſi id mediatione animæ præſtaretur, non niſi per traducem propagabilis.

Theſ. XI.

Neque materialitas hæc animæ noſtræ ullatenus ejus immortalitati refragatur, modo recordemur eorum, quæ pueri ex Catecheticis rudimentis de corporum reſurgendorum immortalitate hauſimus, et planè aliter ſentiremus. Ibi nobis ſubinnuitur, corpus reſurrecturum, ut ut glorificatum, adhuc tamen materiale. Glorificationem enim in eo conſiſtere, ut materialitate à corpore ſublata illud reddatur immateriale, non auſim tam craſsè ſtatuere. Cur ergò talia demimus animæ, ſi ſit materialis, quæ corporis materialitati non repugnant?

Theſ. XII.

Dico igitur breviter, Animam humanam rationalem primaria ſui parte hoſpitantem in cerebro & circumambulantem, ratione coextenſionis ſuæ cum corpore, cum ſanguinis circulo eſſe ipſum ſubjectum & cauſam efficientem functionum animalium ac voluntarium in ſenſatione, intellectu & motu locali contingentium, communicantem partibus organicis virtutem quandam activam ſentiendi & movendi, à Deo ter Opt: Max. ex liberrima gratia conceſſam, ita, ut ſecundum rationem ac voluntatem ſuam itidem divinitus dōnatam, tangendo nervorum ſingula principia per totum nervum communicet muſculo partis ad voluntatis nutum movendæ ſenſum, ut muſculus ſtatim ſeſe contrahendo verſus partem immobiliorem, cui tendine eſt annexus, partem mobilem moveat: &, ſi retrahenda pars, alij muſculo, antagoniſtæ dicto, æquali privilegio gaudenti reciprocationis jus non violet. Modus tangendi radices ſeu principia nervorum quomodò contingat, ut cerebro mediante omnes functiones animales ipſa anima pro arbitrio obeat, mihi ferme videtur imperſcrutabilis. Cerebrum adeſſe ideò credo, ut tanquam patiens excipiat objecta per fibrarum ſenſorij motum ſenſationes producentia. Fibræ enim nervoſæ, & nervi ſunt filamenta quaſi extenſa, quæ quocunque modo tacta principium ſuum feriunt: prout in chorda extenſa liquet, cujus parte unâ pulſatâ, altera quoque ad motum irritari ſolet. Cæterum an partes fibrarum tendinoſæ in motu & extra motum priſma, intermediæ carnoſæ verò parallelipedum conſtituant, ut Stenone ingenioſo indagare ſuperſedeo, eò quod Judice *Viro Excellentiſſimo atque Experientiſſimo Paulo Ammano P. P. Lipſ.* multi laboris res, nullius autem uſus in Praxi exiſtat.

Theſ. XIII.

Fibræ motrices, quomodo motum producant animalem, multas inter Autores litigandi dederunt materias. Et licet ad eundem ſcopum collimare videantur hypotheſes, dicam tamen, quid dubiam mihi fecerit doctrinam de ſpiritibus, quò minus animum meum huic applicuerim. Mordicus autem hypotheſin meam non defendam, aut pro fide Catholica propalabo, cum unam quidem credam ſanctæ naturæ veritatem, quæ tamen ſub diverſo hypotheſium ſimulacro colitur, adoraturque, quod variarum teſtantur ſectarum viciſſitudines: ſed quemlibet ſuo indulgere ſenſui permitto, veniâ fretus palàm proponendi circa ſpirituum doctrinam meam hæſitantium. Autor de motu muſculorum de fluido aliquo inter fibras à ſe invicem quaſi ſeparatas & incurvatas, & ideò abbreviatas ſe inſinuante mentionem facit: & alij cum ipſo arbitrantur, muſculis per arterias communicari ſanguinem nitro-ſulphureum, per nervos verò ſpiritus: qui, tumultuoſo intra fibrarum ſpatia concurſu excitato, magno niſu fibras impellunt, non aliter ac pulvis pyrius explodi & diſgregatione particularum minimarum dilatari obſervatur. Et neſcio qualis copula ſpirituum elaſtica ipſorum animis arrideat, eodem cum doctrina ſpirituum debili niſa fundamento. Quicquid enim *Rolfinc. in Diſput. Anatom. lib.* 4 *cap.* 22. *& ſeq.* aliisque pro confirmanda hac doctrina Spirituum proferunt, de ipſorum exiſtentia & utilitate, id omne ulteriori adhuc probatione indiget. Taceo modum operandi Spiritibus aſſignatum, cujus delineationem *in VVilliſij ſupr. cit. tr.* intueri licet, pro exiſtendi eorum neceſſitate planè non militantem. Imò natura eorum flammea lucida ideò ſaltim excogitata eſt, ut exploſio ipſorum per copulam elaſticam affectibus quibusdam eò plauſibilius accommodari valeat. Tantum ergò abeſt, ut fidem adhibeam, flammeam lucidam iis aſſignantibus naturam, ut potius opiner percontationem ſenſuum internorum phantaſiæ ac memoriæ, quas per refractionem & repercuſſionem analogâ quadâm cum lucis radiis naturâ gaudentem exponunt, anſam dediſſe huic figmento. Miror enim non parumper naturam flammæ hujus lucidæ proprietate ſuâ maximâ ex parte ferè ſpoliatam eſſe. Quam ipſam etiam Vir profundi Judicij *Excellentiſſimus Bohnius Diſput. XV. De Spirit. Animal. elabor. theſ.* 15. *&* 16. in dubium vocare animadvertitur, atque inſuper *theſ.* 14. *vix concipi poſſe ſpiritus ab humorum miſcellâ omninò liberos* aſſerit: quo ipſo negandam ſpirituum naturam flammeam lucidam ſubinnuit: aliàs neſcio, cur non tandem flammæ cum fluctibus maris in gratiam redituræ præaugurari poſſint, citra omnem igneæ ipſarum ſubſtantiæ deſtructionem. Nec minorem dubitandi occaſionem ſubminiſtrat adſcriptus ſpiritibus his luminoſis elaborandi modus, ubi volatiliores Mæ. Sæ. partes per accenſionem & ſecretionem quandam transcolatoriam à reliquarum conſortio removeri dicuntur: id quod tamen ipſa cerebri glutinoſa vetare videtur ſubſtantia, cum, quò quid craſſius, eò etiam inhabilius luci producendæ judicandum ſit. Minorem hic fidem meretur ea aſſertio, quâ ſanguinis volatiliſatio per fermentationem in ſiniſtro Cordis ventriculo promoveri ſtatuitur; in quo tamen ultra momentum non commoratur, nec ulteriori volatiliſatione, ut pote ex Salibus merè volatilibus conſtans, Sanguis indiget: quâ nihilominus

plurimi ex amœniore ejus rubedine hariolari ſatagunt. Enim vero, quid ſi alia cauſa coccinioris coloris ſubſit, quæ nullam volatiliſationem, ſed potius coagulationem demonſtret, quam aſſertionem commiſtio chyli candidioris oſtendere, & neceſſitas ejus per Aëris inſpirati Sal acidiuſculũ (à modò laudato *Bohnio in Diſp. Phyſ. 8. theſ. XI.* ſatis probatũ) in præcordiis coagulandi, ut nutriendo corpori aptior reddatur, ſuadere cernitur.

Modum influendi ac circulandi non examinabo, quem ipſum deſpiciunt principia mechanica, utpote cum rudi etiam plebeculæ conſtet, corpus vel ipſa levitate levius per compacta nervorum corpora plane nulla cavitate gaudentia nequaquam deorſum verſus penetrare, ſed ſemper molliora & rariora tranſitum non præcludentia perſuadere. Ad modum operandi ſpirituum repetendum revertor quidem per exploſionem eorum inturgeſcentiamque muſculorum adumbratum: eum tamen non determinabo. Nam profectò ideò ſaltem excogitatus videtur, ut aliquali mechanica hypotheſi rem imaginari liceat. Ne tamen ipſe ſolus in Spirituum Patronos videar injurius, audiatur *Steno in ſpec. Myolog. p. 83.* ita ſtatuens: Spiritus animales ſubtiliorẽ ſanguinis partem vaporem ejus & nervorum ſuccum multi nominant; Sed verba hæc ſunt nihil exprimentia. *Conf. Bech. d. Cord. Harv. Ex. Phyſiol. & Needh. de for. fœt.*

Theſ. XIV.

Cùm ergò Privilegiis ſecure Philoſophandi æternis fruamur, in id enitendum eſt, ut breviori nobis viâ patulâ omnes evitemus ambages, & libertate judicij gaviſi, ab omni cupiditate aliorum præconceptas opiniones aucupandi & in verba Magiſtri jurandi alieni inquiramus. quo ſenſu naturæ phœnomena ſuum fiendi modum ſortiantur. Contemplaturis itaque actiones principij noſtri animales in ipſo limine, ſi creationis Adami recordati fuerimus, occurret nobis auræ vitalis inſpiratio, quæ, uti in toto corpore cum humoribus partes organicas irrorantibus ubique præſens eſt, ita in ſentiendo & movendo corpus noſtrum vivificare & actuare non remittit, Quali modo id fiat, ſupra jam, in quantum balbutire licet, innuiſſe ſufficiat.

Theſ. XV.

Hactenus Subjectum Patiens ratione morbi itemque Cauſam efficientem motuum & ſenſationum naturaliter conſtitutam depinximus: nunc antequam ad ſtatum ejus p.n. à cauſis morboſis orientem accedamus, affectûs noſtri contemplatio flagitat, ut alterum Subjectum ratione Symptomatis morbi pediſſequa non omittamus. Sunt autem hæc organa ſenſationum ac motionum ſupra recenſitæ fibræ nervoſæ & carnoſæ, ratione conformationis mechanicæ ab Anatomicis ſciſcitandæ, ad principij activi impulſum & voluntatem actionibus animalibus ſecundum naturam exſequendis aptæ, quæ quando à cauſis p.n. eos afficientibus læduntur, principio activo ad p.n. functiones impedimento ſuo anſam porrigunt. Ubi obſervandum, quod quidem fibroſæ ac membranoſæ partes primùm afficiantur, ubi cauſa mali ſ. ipſe focus hæret, primario tamen & maximam in inſultu Epileptico injuriam pati Cerebrum, reliquum totius corporis genus nervoſum in compaſſionem rapiens.

Theſ. XVI.

Rejectis autem ſupra citatorum autorum de principio activo variis hypotheſibus, hic nolo prolixiori narratione diſcurſum Pathologicorum ac refutatione ipſorum B. Lectori movere ſalivam: non enim centonem conſuere libuit: ſed breviſſimo diſcurſu ac ſtylo ſimpliciſſimo ad doctrinarum explanationem aptiſſimo, animi mei ſenſa patefacere decrevi.

Theſ. XVII.

Cum duplicis generis inſinuaverim Subjectum Patiens, cauſæ quoque p.n. affligentes erunt ſtatuendæ duplices. Cauſa igitur proxima affligens Cerebrum cum toto nervoſo genere eſt illud ipſũ, quod ratione morbi eſt ſubjectum patiens, ratione ſymptomatis verò efficientis rationem ſubit, anima ſc. ſ. principium vitale Symptomatis autẽ ortum ex cauſa efficiente p.n. deformata dependentem indagaturis nobis incumbit cauſas ſcrutari remotas, quæ invadunt efficiens proximum, ut irritationis ideâ affectum ac conſternatum redditum, p. naturalem machinæ noſtræ corporeæ motum inducat. Agunt hoc ipſæ 1. immediatè, 1. mediatè. Immeditatè quidem animi pathemata ut ſunt: Ira, terror, triſtitia, metus, amor & tædium. Quatuor priora pathemata, præcipuè in ſubjectis jam ante Epilepſiam perpeſſis valida occurrunt paſſim in Practicorum variis obſervatis v.g. *Schenk. & Sennert. ſub. tit.* Quorum operandi modus in animam noſtram quoties ex me quæritur, toties ultrò ignorantiam meam fateri planè ignominiæ mihi non cedere polliceor. Etenim principij iſtius moventis ſupra depicti mutationes patibiles indagare, res eſt ſublimiorem humano intellectu poſtulans prudentiam. Credibile tamen eſt, ut, licet diverſis pathematum ſpeciebus conturbetur, eundem tamen Epilepticum effectum ex incandeſcente quaſi & tumultuante commotione pronaſci faciat. Quo ipſo poteſtas illa à Sapientiſſimo cõceſſa motui deſtinata interdum ſola, interdum cum hac ſororiæ poteſtates pati videntur, ita, ut iſtæ ab ideis peregrinis ab extra advenientibus impeditæ & quaſi attonitæ, Archeum ad motuum ſtimulent exorbitantias.

Ex amore pronatas Epilepſias in *Helm. tr. d. Morb. Archeal. Henric. ad Heer. in Obſ. 18. & Kozakum tr. de Hemorrhagia l. 2. c. 10. p. m. 641. & ſeq.* legere licuit. Quâ in re propriam obſervationem conteſtor de puella paulo laſciviore ardore deperiente juvenem, quæ ad manualem jocum incidebat in Lipothymiam ſemi-Epilepticam cum rara adſtantium admiratione. Ex tædio quoque oriri poſſe eam teſtantur alimenta tædioſa ſubdolè exhibita.

Theſ. XVIII.

Mediatè ſævitiam ſuam exerit omne id, quod quacunque ratione ac modo partes nervoſas laceſſere, iiſque dolorem exquiſitiorem, imprimis verò in ſubjectis delicatulis, ſenſiliore genere nervoſo gaudentibus, infligere validum eſt. Hinc ea, quæ ipſas vehementius pungunt aut ſecant, Epilepſiæ ſuſcitant procellam. Sic ego vidi hominem in pollice pedis contrectatum ſtatim huic miſeriæ obnoxium. Cæterùm etiam plerumque minera morbi latet in parte aliqua materiæ cujuſdam acris vellicantis, injuriam non ſine omnium functionũ animalium tempeſtate tolerante. Talem Epilepſiam obſervavit *Dekers* in pollice & *Barthol. Cent. VI. hiſt. 78.* in pede. Cauſa ergo immediatè tangens fibrarum nervolarum filamenta, eſt acre quodcunque ſpeciatim acidum viſcidum in lympha oberrans, vellicans partes ſenſiles, cujus moleſtæ ſenſationis occaſione in una parte, non ſine reliquarum compaſſione, orta irritatus Archeus in exorbitantem motum erumpit. Sic in infantibus Epilepſia ut plurimum, imò fermè ſemper, annotante *Dn. Præſide in Valet. Infant.* ex ventriculo materiâ acidâ viſcidâ obſeſſo oritur, ob conſenſum nervorum. Et ex hoc conſenſu ſ. compaſſione multos Helm. affectus ſub titulo morborum poteſtativorum vel ſub actione regiminis deducit. Simili ratione Colica, Nephritis, Scirrhus meſenterij, Ulcus & ſuffocatio uteri, partus doloroſus &c. per conſenſum Epilepſiæ ſcaturigines fieri valent, ut pote quæ ejuſdem matris filiæ non degeneres cenſentur cum Epilepſia, cujus interdum thalamus in calvariæ cubiculo ſuſtentatur, ubi immediatè principium nervorum laceſſans totius generis nervoſi concuſſiones, in viciſſitudinariis ejus contractione & remiſſione conſiſtentes, exindeque improviſum omnium functionum excitat turbinem.

Theſ. XIX.

Nutritur autem hæc & adoleſcit ipſa mater iiſdem ſuſtentaculis, id eſt, cauſis remotis, queis alia morborum carcinomata ſuam acquirunt alimoniam. Et quidem ex naturalibus rebus eſt ætas puerilis, ob teneritudinem nervorum ad hoc malum proclivis. Præterea præſtat etiam aliquid ſenilis, inclinans in humores viſcidos acidos, Melancholicos veteribus dictos. Ex non-

natu-

naturalibus eſt Aër ſquallidus & frigidior hyemalis & autumnalis præcipuè circa metalli fodinas ſqualidus vel atomis etiam malignis & graveolentibus ex rebus incenſis vel per ſe fœtidis & malignis in ipſum elevatis, refertus; Unde febres malignæ ſtipatæ ſemper ſunt cum inſultibus epilepticis graviter affligentibus & cruciantibus.

Theſ. XX.

Occaſione ſermonis de Aëre quæritur, utrum & aſtralis influxus Aëris tempeſtates variis larvis deformare queat, nec ne: Aſtronomicorum filiis hujus deciſionem remittens profiteor ingenii mei imbecillitatem in hoc eruendo dubio, quod ingeniorum hactenus multorum curioſam delaſſavit induſtriam. Dicam tamen (ſi hariolari liceret) utique probabilem eſſe aſtrorum influxum ad morbi hujus vel productionem vel exacerbationem concurrentem, ſi fidem non derogamus Aſtronomis de varia ſiderum conſtellatione ac motu ſingulari diſcurrentibus, ac denique credimus radios illorum lucentes ſ. luminoſos materiales. Quod ipſum ſuppoſitum de Solis radiis plurimi defendunt, nec de Lunæ affectionibus anxiè dubitant. Hinc ut plurimum paroxyſmi accidunt Epilectici tempore plenilunii in pleriſque ſubjectis, uti amicus quidam candidus ore tenus mihi retulit, Scientiæ Aſtronomicæ benè gnarus. Et Beatus *Sennert. lib. I. P. 2. c. XXXI. p. 590. Med. Pract.* inquit, *plerumque in ecclipſi lunari natos malo huic eſſe obnoxios.* Quod ſi hæc verba ſunt, facile *Mœbius ſupr. cit. loc.* excuſatione dignus eſt, quod ſymptoma hoc referat inter morbos occultarum qualitatum & aliquid divini in receſſu interdum condentes, utpote cum multorum eruditiſſimorum teſtimonio, modus influendi aſtrorum planè ſit abſtruſus, atque divinus, utut ab Aſtrologorum obſervatione concurſus ſeu conſtellatio eorum ſit notiſſima.

Theſ. XXI.

Deinde ex non-naturalibus ſunt omnis generis alimenta acidum, viſcidum, auſterum ſuccum producentia. Imo & ex abſtinentia eorum longa ſ. inedia violenter perpeſſa non ſolum in pueris verum etiam profectioris ætatis hominibus, forſan Hypochondriacis, Epilepſiam prognatam eſſe teſtantur autores, optime per ciborum uſurpationem curandam. Porrò ad eandem diſponunt carnes & Piſces inſalitæ ac fumo induratæ, cum variis cibis acidis & auſteris ſingulis menſis varie aſſumptis, fructus horæi immaturi, &c. Excreta & retenta hîc etiam multa poſſunt. v. g. Suppreſſio menſium, Urinæ, interdum & alvinarum fecum in puerulis, atque puſionibus: quale exemplum mihi relatum eſt de meſpillorum nucleis in inteſtino recto hærentibus & exhibito clyſtere exturbatis cum epilepſiæ totali ceſſatione. Quo pertinent ſuppreſſiones lochiorum atque ſeminis. Vid. Kozakium & alios.

Theſ. XXII.

Ex præternaturalibus multum præſtare poſſe Plethoram autumo, quatenus non rarò motum cordis impediendo fibras ejus ad tales fibrationes convulſivas irritat. Similiter lumbrici in inteſtinorum cavo hoſpitantes morſicationibus ſuis per conſenſum Epilepſiam ſuſcitare valent. Quid Malum Hypochondriacum & Scorbutus præſtent in nervorum pathematibus totô die liquet. Quorſum pertinent omnis generis venena, febreſque malignæ, contuſiones & vulnerationes capitis l. violenta ſicariorum percuſſione, l. caſu ab alto, non abſimili modo cerebro infenſæ, quatenus extravaſatus ſanguis ſui corruptela affligit nervorum principia cum ſubſequa omnium membrorum fibratione Epileptica.

Theſ. XXIII.

Differentia eſt varia, Alia Epilepſia eſt hæreditaria, alia adſcitia, eaque vel ab ineunte vel à juvenili ætate, Alia cum febre, alia ſine febre. Alia frequentior, alia rarior. Alia. Periodica, alia Vaga. Alia Sympathetica ſ. per conſenſum v. g. ex Colica convulſiva, Vomitu, Sternutatione, Paſſione Hyſterica, ſuffocatione uteri oriunda: alia Idiopathetica ſeu per eſſentiam, immediate ex cerebro oriunda. Alia mitior, alia gravior, in qua vel ipſum dæmona ſubeſſe putes: quanquam etiam experientia teſtetur de Epilepſia dæmoniacis præſtigiis inducta. Alia totalis, alia partialis partem unam occupans: quorſum etiam pruritus & titillatio ſpectare videntur. De cætero tres gradus affectûs hujus ſtatuere poterimus. Quorum

Primus gradus eſt, quando omni ſenſu ac motu animali ægri privati exanimes quaſi, ſine externarum partium convulſione, ſtant, ſedent aut in terram proſtrati procumbunt: licet quoad internas partes ſpaſmodicis crucientur doloribus. Qui gradus improprie dicitur Epilepſia, ac potius Catalepſeos nomine venit.

Secundus gradus eſt, quando variis motibus agitatoriis corpus vexatur citra ſenſuum ac rationis ceſſationem, aut cum aliquali eorundem depravatione aut ridicula conturbatione. Quod ipſum ſæpe in Melancholia Hypochondriaca obvenire ſolet, uti ipſe in hac vicinia obſervavi in quodam, qui durante paroxyſmo veſtes & induſia exuta lacerabat. Alia exempla vid. in Patholog. Cerebr. Vvilliſii, Riverii Prax. Timei Epiſt. Salmuth. hiſtor. & alibi. Quorſum pertinet Epilepſia Curſoria Bootii tr. de affect. omiſſ. Cap. 6. Item Rotatoria in gyrum, quale exemplum etiam in hac vicinia Lipſiæ contigit.

Tertium gradum eumque communiſſimum & toto die obvenientem voco eum, quando in terram collapſi ægri miris modis agitantur, & variis contorſionibus & concuſſionibus membrorum cruciantur, & cum ſtridore dentium, arcta clauſura pollicum, thoracis abdominiſque curvatura, ſpumæ protruſione, linguæ aut labiorum morſicatione & cruentatione, ſanæque rationis exercitii ceſſatione obtingit: quorum omnium ignarus eſt patiens poſt paroxyſmum ad ſe rediens.

Theſ. XXIV.

Signa diagnoſtica patent ex αὐτοψίᾳ vid. tn. *Sylvium l. 2. Prax. c. 20.* Pulſus eſt inæqualis. Urina ſemper eſt valdè ſpumoſa, niſi ex ſubitaneo ingenti dolore excitetur.

Cauſarum diſtinctiva petantur ex relatione adſtantium.

Prognoſtica ſunt: Epilepſia febrim ſuperveniens ut pl. eſt lethalis. Febris vero ipſam ſequens non rarò eſt medela ejus. Vid. *Barthol. Cent. 2. hiſt. 68.* Adultorum Epilepſiæ difficilioris quàm tenellorum curationis ſunt. In dentitione infantum rarò ſunt lethales. Concomitans Ep. morbillos & variolas tempore eruptionis non multum timenda: ut plurimum a. lethalis eſt tempore ſuppurationis. Epilepſiæ ortæ à principio vitali immediatè affecto per animi pathemata, niſi in momento mortem induxerint, remittunt, nec revertuntur, niſi alia cauſa latuerit, cujus occaſione effloruerit & adoleverit.

Theſ. XXV.

Quoniam ſupra in cauſarum enucleatione poſui Principium noſtrum activum impediri in functionibus naturaliter obeundis, & excitari ad varias exorbitantias per injuriam mediantibus nervoſis partibus irregulari quâdam commotione & irritatione illatam, harum injurias abigere per certam indicationibus ſuperfundatam methodum medendi conabimur. Ratio officii mei quidem flagitaret etiam manifeſtare, quali medio ipſum Principium activum ad ſaniorem mentem revocari debeat: Sed cum id partim ratione animi pathematum à Theologis & Ethicis efficiatur, obtemperemus ipſorum conſiliis, nemini non innoxiis: partim verò mihi Univerſale illud celebratiſſimum

Philoſ. nondum innotuerit, cujus operationem in ipſum principium activum firmiter credo: excuſabor forſan ſi in doctrina de cauſis reliquis occaſionalibus eliminandis operam navavero. Intentioni ergò noſtræ reſpondebunt Indicationes.

I. Curatoria, in ipſo paroxyſmo, in quo FIBRÆ IRRITATÆ SEDENTUR. Cui indicationi ſatisfacient ſequentia remedia: Cinnab. Antimon. Cratoni Magnes Epilepſiæ dicta. It. Sulphur Antim. quæ mineralia miſceantur opiatis cum additione pptorum, quæ præſtantiora ſunt Magiſteriis, ſaliumque volatilium. Præparata ſunt ex Auro v. g. Aur. fulmin. Tinctur. Aur. c. Oleo Cinnam. Aurum potabile ritè paratum. Item Cran. hom. ppt. C. Alcis. C. C. ſ. igne. C. C. ſolar. Ebur ſ. igne, Dens Equi Mar. Apri, Caſtor, (& ipſum Caſtoreum exindeque alia parata, Aqu. hirund. e. Caſtor. Eſſ. Caſtor. parat. c. Sp. vol. Tartari.) Spin. muſt. Piſc. Mandib. Luc. Piſc. Lap. Percar. Carpion. Tali lepor. Os d. Cord. C. Item Marina ppt. a. perl. Corall. Lap. pretioſ. ſuccin. ppt. quæ omnia abſorbendo acidum vellicans nervos, in effectu vim habet ſedativam nervorum & conſequenter placativam Archei. Salia vol. ſunt v. g. Salia ſicca vol. Sp. & Olea v. g. Sal. vol. & Sp. Cran. human. Sang. hum. Urin. human. Viperar. Lumbr. C. C. Succini (Hinc præſentaneum eſt remedium. Liq. C. C. ſuccint.) Tartari. It. Sp. fuligin. Elex. Cephal. D. Mich. Eſſ. ejus d. Cephal. anod. Porrò olea proſunt deſt. Succin. Rut. Meliſſ. &c. Exindeque parati Balſami Apoplectici. It. Sp. Vitriol. Cephal. D. Mich. *Hartmannus* recommendat miris modis Sp. Vitriol. & Urin. miſtos. Verùm hi revera nihil aliud, quàm Sal Armoniac, conſtituere videntur, cui in incidenda viſciditate laudem ſuam non derogo in tenellis ſubjectis ob meconium retentum vel aliam viſciditatem, ex vitiato & caſeoſo lacte materno, prognatam hoc morbi genere afflictis. Hinc ridendi ſanè ſunt incauti iſti Practici, qui ſine ulla habita cauſarum car. cinoma hoc producentium ratione, omnibus infantulis Epilepticis vulgatum illud inſtar Deorum manus adoratum ſpecificum Cephalicum D. D. Michaëlis propinare non verentur: quippe cum nihil hoc in paſſu exhibere anodynis ſit imprudentius, quoniam aut in viſciditate ventriculum tenellorum occupante emoritur ejus virtus ſepultaque remanet, aut, ſi inanes vomendi conatus obtigerint, ſiſtendo nervoſarum fibrarum motum, æquè horribile ſuffocationis valent inducere ſymptoma. Cautus proinde quilibet Practicus juvenis eſto, ut infarcientem ventriculi viſciditatem vel prius tollat, vel ſimul cum Specificis Antipilepticis per incidentia educat. Quâ in re placent mihi formulæ ex Salibus Volatilibus & pptis abſorbentibus cum anodynis præſcriptæ, quæ ſaburræ iſtius maleficæ gazophylacia evacuant, & inſigni in Praxi ægrum Medicumque juvamine exhilarant. Porrò Hepar ranæ manibus laceratæ exſiccatum, pulveriſatum & primo Epilepticorum infantulorum inſultu Curæ & Præſervationi felici cum eventu exhiberi expertus ſum. Similiter ſecundinæ primiparæ magni æſtimantur: quâ verò ratione, omnino me neſcire fateor. It. Sanguis hirci & leporis ideâ timoris ſigillatus, tumultuantis ideam Archei ſopiente. Hinc ſanguis calide potatus malefici, enſe carnificis trucidati, in ipſo paroxiſmo forſan ſpeatiorem nanciſceretur eventum, quàm extra Paroxyſmum. Cordi hominis ejuſdem quo jure Hoffm. *in Method. Medendi* potiorem virtutem tribuat, omninò ambigere me confiteor.

Ex vegetabilibus proſunt omnia refragrantia inſtar vehiculi cum ſupra laudatis adhibita. v. g. Aq. Antepileptic. Lang. Apoplectic. Aqu. vitæ mulier. alb. Sp. Ceraſ. nigror. It. Eſſ. Aq. & Tinct. ex Floribus Cephal. v. g. Tunic. anthos. Lavend. Lil. convall. Primul. Ver. Tiliæ. Citri, Aurant. Papav. Betonic. Pœon. De cujus Radice debito tempore effoſſa, ego ipſe in variantis ætatis hominibus mira expertus ſum. Et licet à non nemine mira autores fabulari dicantur, mirabilis tamen ejus effectus eſt, mihi plane viſus imperſcrutabilis, niſi aſtralis influxus (de quo ſatis eruditè diſſerentem confer ſupra citatum Hirnheim) ad ejus exaltationem virium quid conferre ſupponatur. De Sambuco ex Salice creſcente ſtatâ horâ collecto præter Hartmanni teſtimonium alius mihi amicus juratò experientiam plus quam centuplam conteſtatus retulit. Quali modo operentur hæc amuleta addiſcere valde aveo: Poterunt etiam fieri Cucuphæ.

II. Imminentem paroxyſmum interdum præcavere poſſumus, ſi ex parte aliqua originem trahat Epilepſia, ita ut CONSENSUS NERVORUM, ſi poſſibile INTERCIPIATUR, quod fit per frictiones in partibus ſpaſmo primò tactis, deinceps adhibeantur ligaturæ firmiores iſtarum partium, ut ligato nervo dolor reliquis membris communicari non valeat ultra ligaturam exiſtentibus, teſte *D. D. Motho in Barthol. Cent.6. hiſt.78.*

III. Præſervatoriæ Indicationi occurrimus per variorum rerum p.naturalium utpote cauſarum ſublationem, quas quilibet eruditus Medicus judicio practico pollens, virtute methodi ſuæ medendi ipſe profligare noverit. Nam ſi Plethora vel alia cauſa mali urſerit, adhibeatur debita ejus Curatio. Ego hic paucis enucleabo, quid agendum, ſi mater hujus deteſtandæ ſobolis dormiverit in materia viſcida acida tàm in primis viis quàm ipſa Maſſ. Sang. hoſpitante, cui extra Paroxyſmum edomandæ, ne malum denuò reſurgat, alacri pectore occurrendum eſt. In ſpecie NERVOS IRRITANTIA EVACUENTUR. Quibus SCOPIS obtinendis I. Ex fonte Chirurgico Venæſectionem, Scarificationem nihil conducere æſtimo, niſi patiens fuerit Plethoricus. Balnea & Inunctiones rectius hic locum invenient, ex refragrantibus parata.

II. Ex fonte Pharmaceutico.

1. Recommendo Vomitoria, inter quæ optima ſunt Antimonialia.
2. Clyſteres etiam, quæ fiant ex ſpecificis vegetabilibus & exturbantibus ſaburram acidam viſcidam, in inteſtinis hærentem, & acuentur per Salia.
3. Purgationes adhibeantur conſuetæ dicatæ lymphæ viſcidiori cum appropriatis dictis Ceph. aromaticis miſta.
4. Omnia diaphoretica viſcidum acidum incidentia & præcipitantia. Qualia ſunt omnia Bezoardica vegetabilia amara v. g. Card. Bened. Fumar. Scord. Scorzon. Abſynth. Cent. min. Galega Scabioſ. Ulmar. Meliſſ. &c. Quorſum pertinet Tinctura Bezoardic. cum Eſſ. Cephal. anodyn. D. D. Michaël miſta. It. Bezoardica Mineralia v. g. Bez. Solar. Lunar. Jovial. Martial. Mineral. Antihectic. Poter. Mercur. Diaphoretic. Sal. Antimon. & omnia Antimonialia v. g. Antim Diaph. Tinct. Antim. Tartariſ. His jungenda ſunt ſupra laudata præp. & ſalia volatilia.
5. Diuretica, qualia ſunt omnia ſalia mineralia, volatilia & ſalſa compoſita ex acido & alcali v.g. Sp. Tart. Sp. Carminativ, Sp. Cinnamom. Caryoph. & aniſi oleos. vol. Tinct. Tart. Tinct. Vitriol. Mart. Zvvelff. Tinct. nephrit. Solar. Ammelungi. Arcanum Tartar. &c.

Proſtant etiam multivaria compoſita Antepileptica in *Zvvelff. & Hoffm. Theſ. Pharm.* & aliis reperibilia, inter quæ non rudior mihi compilatio videtur, quàm pulvis Marchionis dictus Antipilepticus. Formulas alias quilibet ingenioſus Artiſta ac rei Medicæ peritus facilè pro ratione Indicantium & contraindicantium variare poterit, quâ in re quemlibet ſuo abundare ingenio, Indicationeſve mutare pro captu ſuo permitto, modò

modò æger à miſeria ſua liber atque tutus impoſterum degere valeat. Cui intentioni denique ſatisfaciet bona inſtituta diæta, à Medico facile præſcribenda cauſarum ſupra citatarum non ignarô, quæ conſiſtit in fuga nocentium & moderata uſurpatione conducibilium.

III. De cura tranſplantatoria mali hujus vel in animantia bruta per Urinam aut ſanguinem ægri, vel in arbores certis quibuſdam vanis actionibus, vel aliis præſtigiatoriis fermè operibus, deponendo tenellos ſuper limina hypocauſtorum, capite extra fores, pedibus vero intra conclave porrectis, quicquam referre nolo, cum de illis tacere, quàm lubricas de Spiritu mundi, vel Sympathiis & aliis figmentis hypotheſes vendere, ſit conſultius: hæc vero rudis plebeculæ inanem ſuperſtitionem (mirô utut interdum ſucceſſu) ſapiant.

IV. Vitali Indicationi reſpondet cujuſlibet propria obſervatio, qui à malo hoc immunis eſſe ſatagit, ut Medici opem non reſpuat, ſi qua mutatio ſanitatis integræ ac virium qualicunque modo ipſi obtigerit: quod ſi aliter fecerit, aut negligentiæ aut avaritiæ pœnam magno ſuo malo luet. Quâ in re medicus ſagax pro re nata officio ſuo ſatisfacere noverit, ut curæ ſuæ commiſſus patiens vitam ſartam tectamque à morbis gravioribus valeat finire.

Hiſce calami mei curſum figo cum debitâ Divinæ benignitati gratiarum actione & ulteriori voto adhibito, ut mea impoſterum ſtudiorum conamina miſericordi nutu ſecundet, quò non niſi in proximi ſalutem (cui aliquando cum DEO auctius & limatius hoc thema promitto) *& præcipuè in honorem Dei vergant.*

CUI SOLI SIT LAUS ET GLORIA.

DISSER

DISSERTATIO V.

DE TEMULENTIA.

P*LATO in Timæo* ad decimum octavum vino abſtinuiſſe penitus juvenes, ad quadrageſimum dilutum bibiſſe, ab hoc vero largius & meracius, non tamen ad Ebrietatem hauſiſſe refert. Carthaginenſium quoque legibus ſancitum erat, ne Princeps eo anno, quo imperaret, vinumbiberet. Perſæ utebantur tantum vino pro incitabulo ingenii & virtutis, & eo tantùm die, quo Soli ſacra faciebant, ad Ebrietatem bibere Rex concedebat, *Athen. l.X.* Penes Romanos ſub mortis pœna interdictam fuiſſe Temulentiam M. Menacii Uxor proprio corpore experta eſt, à Viro virgis ad mortem cæſa, quod è dolio vinum bibiſſet, *Valer. Max.* Sed ceciderunt Majorum inſtituta, quo ſobrietati patrocinabantur, & pronum in ſcelera humanum genus proprio aſtu non pauca invenit venena, quibus vino minime contentum ſpontaneam inferre poſſet inſaniam. Verum enim vero, Ebrietatem pœna comes premit & phalans morborum ipſam inſequitur; „Caput fœdis exhalationibus dirumpitur, Cerebrum, „vertigine tentatur, oculi torquentur, aures undoſo „ſpiritu crepant, lingua vacillat, ſermo futilis, oris „halitus, teter ſtomachus ſubvertitur, cordis pal„pitatio, manuum inepta & inſana geſticulatio, pedum „incertus lubricuſque greſſus, inquies nocturna, tur„pes ronchi, furiales ſomni, alvi & veſicæ ſpurciſſi„ma ſolutio, ut in hac eluvie (quemadmodum in cœ„no lutulentæ ſues) perſæpe volutantur. Vide *Jaſon. Pratenſ. Tr. de curandis Cerebri morbis cap.20.* Miror interim paucos inveniri Practicos, qui prolixè ſatis alios morbos enarrantes aliquid de Ebrietate immiſcuerint, forte quod Medici raro ad eandem curandam vocentur, uti putat *Foreſterus l.9. obſ.28. ſchol.* frequentius vero ad morbos, qui hanc ſequuntur. Cum itaque Ebrietás in ſpecie ex Vino frequens cauſa morborum exiſtat, ita ut *Rondeletius M. M. c.13.* ſcribat in Britannia Medicos divitias ſibi colligere ex ſolis affectibus à Temulentia ortis, à pauciſſimis vero Medicorum attendatur, placuit indulgente Gratioſ. Facultate Medica de hac ipſa materia diſputando in ejus tam cauſam. quàm medelam inquirere, annuat DEUS!

§. 1. TEMULENTIA, cum à priſca voce TEMETUM, quod vinum eſt, derivetur, vi nominis eam tantum Ebrietatem deſignat, quæ à copioſa vini ingeſtione ortum traxit. Inde à tractatione noſtra omnes Ebrietatis ſpecies ratione Etymologiæ excluduntur, quæ ex aliis, quam vino, ſpontaneam hanc inſaniam inducendi vi præditis, contrahuntur.

§.2. Excluditur ita Ebrietas 1.) ex *aqua*, qualem ex potu omnis Lynceſtii contrahebant.

Hunc quicunque parum moderato gutture traxit,
Haut aliter titubat ac ſi mera vina bibiſſet.

Ovid. l.15. Metamorph. Lynceſtii aqua acidula vini modo Temulentos facit *Plin. hiſtor. natural.l.2.c.103. Senec. quæſt. natural. l.3. cap.20.* Sic piſces ex Ponto Euxino, ſi in aquam dulcem projiciantur, inebriari tradit *Baco de Verulam. Hiſt. naturæ & artis.*

§ 3. Excluditur 2.) Ebrietas ex *Cereviſia*, quod ἐκ κριθῆς Vinum ex hordeo vocat THEOPHRASTUS DE PLANTIS *l.6. c.15.* οἶνος κρίθινος vid. Dioſcorid. quo refero omnia fere potuum genera ex fructibus per fermentat. parata. *Virg. Georg.*

\- - - - - - - - Pocula læti
Fermentato atque acidis imitantur vitia ſorbis.

Hinc PLIN. *hiſt. natural. l.14. cap.22.* Eſt occidentis populis ſui Ebrietas fruge madida. Mira vitiorum ſolertia inventum eſt, quemadmodum aqua inebriaret conſ. *Placot. Schook, Meibomium, &c. De Cereviſia.*

§.4. Ebrietas 3.) ex *Lacte* Tartaris & Scythis non infrequens. Paratur autem ut inebriandi vim acquirat duplici modo, vel α) per fermentationem, quod Chymum & Pozam nominant, (Hunc potum *Proſp. Alpinus de Medicin. Ægypt.* ex farina loliacea ſeminibus cannabis & aqua componi aſſerit) quem modum ex *Ioh. Lucæ* relatione *de Tartaria* gallice con„ſcripta citat Dominus D. ETTMULLERUS *diſput. „de Med. Hipp. Chym. c.3* §.7. vel β) per deſtillatio„nem. Et probabile hoc videtur (inquit SENNER„TUS *Pr. l.4. part.2. de Inf. morb. cap.7. de Siriaſi*) „cum lac butyrum multum quod pingue & oleoſum „eſt, in ſe contineat. Dixi vero alibi (ſunt verba „Sennerti) pinguia & oleoſa omnia, ſpiritus chymicis „dictos, ſuppeditare & olea à ſpiritibus vix aliter quam „ſubſtantiæ modo differre.

§.5. Ebrietas 4.) ex *Opio* Turcis ita familiaris, ut in proverbio dicant: Opium comediſti BELLON. *obſ. l.4. c.15.* quod an idem ſit cum Maſlach Turcarum uti SENNERTUS *Pr. T. I. Part.2. cap.6. contra Tarnbeiſerum* diſputat, an vero compoſitum ſit, uti credit P. ANDR. MATTHIOLUS, *l.3. Epiſt. pag.*180. in medio relinquo.

§.6. 5.) *Ex rebus narcoticis.* Horum enim vis antequam eo progreſſa eſt, ut ſtuporem excitet, prius Temulentiam & Delirii quoddam genus producit v. g. *fol. cannab.* ex quibus bolos parant Ægyptii, quibus utuntur ſub nomine *Aſſis. Lolii ſemen* hujus farinam cum fol. cannab. miſcent & pluſquam Aſſis præſtare dicunt *Proſp. Alp. de Med. Ægypt. l.4. c.2.* Huc pertinent *nuces inſanæ*, de quibus *Cluſius Exot. l.2. c.26. Nux myriſtica* vid. LOBELIUS *obſ. ſtiry. Cortices Mandragoræ* vid. *Schrôd. Pharmacop.* Rad. Tubetis *Theophr. aſt. l.9. hiſt. Plantar.* Nicotianæ fumus, &c. Et plures aliæ herbæ, ſemina, radices, quorum catalogum hic ſcribere eſſet extra limites vagari.

§.7. Intelligimus ergo per Temulentiam Ebrietatem ex ſolo mero contractam alio nomine κραιπάλην græcis dictam, latinis *Crapulam.* Vox hæc licet variè à variis accipiatur, uti *Foëſius* docet *Not. ad Hipp. l.2. de morb. vulg.* α) pro quavis injurgitatione heſterna β) pro apepſia ex Vino, magis tamen audiendus *Galenus*, qui ad *Aph.5. ſect.5. Capitis offenſionem* ex vinolentia κραιπάλην vocat, conf. *Conh. Def. Med.*

§.8. Temulentia itaque hoc ſenſu erit: Productum morboſum lædens ſpirituum animalium actiones, à Sulphure vini copioſius hauſti ortum trahens.

§ 9. Tria eſſe, quæ valetudini noſtræ negotium faceſſant, Morbum ſcil. cauſam morbi, & ſymptoma *Galenus* putat *libr. de Conſtit. Artic. c.15.* quam opinionem per traditionem ad noſtra ſecula propagatam ex plurimis libris legimus. Verum quia ipſimet ſymptoma cum morbo confuderunt, ternarium hunc rerum p. n. numerum ad binarium redegerunt moderni; Cauſam nimirum *morbificam* & *Productum* ejus vid. Tit.

Dn.

Dn. D. *Ammanni Paræn.ad Studioſ.* Sufficit enim Medico Practico cauſas, ad quas ſolas attendere debet; à Productis ſeu effectis diſtinguere, quorſum etiam impræſentiarum reſpexi, dum Temulentiam rem homini p. n. per *Productum morboſum*, loco *generis* definivi.

§. 10. *Differentia* ſumitur 1.) à *forma, læſa ſcil. actione*, quam communem habet productum hoc cum reliquis. Cum enim vita ſana conſiſtat in actuatione partium corporis ſecundum legesà natura præſcriptas, vi contrariorum *hujus labefactatio* Morbus erit Seu productum morboſum, ejusdem *abolitio Mors*.

§. 11. Sumitur 2. differentia à *parte affecta* ſeu *Spiritu*, ab uſu *animalis* dicto: Spiritus enim noſtri corporis licet diverſas actiones edat, diverſiſque organis gaudeat, non niſi unus eſt, ſi ſubſtantiam aſpicias; *Ariſtoteles lib. de animal. motu Hoffman.l.2.inſtit. Argenter.lib. de Somno & Vigil. Deuſing. libr. de Spiritibus: Helm. Tr. Blas human.* §. 58. *Tr. Spir. Vitæ* §. 29. ratione vero uſus ab arte diſpeſcitur in vitalem & animalem; quorum ille actionum vitalium, hic animalium ſenſuum ſcil. & hos conſequentium motuum animalium autor exiſtit. Itaque Temulentia ratione partis affectæ diſtinguitur non modo à morbis ſanguinis & partium ſolidarum, verum etiam à morbis ſpirituum vitalium.

§. 12. Spiritus quidem hos partem corporis & conſequenter morborum ſubjectum eſſe negant veteres. Negandi rationes collegerunt *Conimbr. Comment. ad Ariſtotelem. l. 1. de gen. & corrupt. cap. 4. quæſt.24.* Sed ipſi definitione partium viventium recepta quam ex Galeno petiit *Fernelius*, refutari poſſunt, quæ talis eſt: Pars eſt corpus toti cohærens communique vita junctum ad uſum comparatum.

§. 13. Paradoxon videri poſſet ſpiritibus hanc partium applicare definitionem, dum per *corpora* definiuntur; ſed homonymia eſt in vocabulo *ſpiritus*, quod hic non proprie ſumitur, quatenus ſubſtantiæ corporeæ contradiſtinguitur, ſed improprie & comparate. Perinde ut Chymici liquores volatiles ob mobilitatem & ſubſtantiæ raritatem Spiritus dicunt: ita quoque ſubtilior hæc corporis noſtri pars ob ſubtilitatem & generationis modum, quem cum ſpiritibus Chymicorum eundem fere obtinet. Fermentationem ſcil. & circulationem, ſpiritus dicitur, h. eſt, corpus ſubtiliſſimum quod 1.) *toti cohæret*, cum ſit de Eſſentia corporis viventis & ſine interitu ejus ſeu abolitione actionum, quam mors ſequitur, ſeparari non poteſt: 2.) *communi vita fruitur*, quia proximum animæ inſtrumentum, quod vitam, h.e. vivendi actum largitur, per quod vero unumquodque tale eſt, illud magis eſt tale: 3.) *ad uſum comparatum*, qui eſt actuatio partium organicarum. Ipſis enim aut imminutis, aut abolitis, aut depravatis, abolitur aut imminuitur, aut depravatur motus animalis, ſalva licet organicarum partium ſtructura. Inde *Hippocrates* quoque corpus noſtrum inſtar machinæ hydraulico pneumaticæ diviſit in partes continentes, contentas, & impetum facientes ſeu moventes h. e. Spiritus.

§. 14. His itaque notatis, concludimus ſpiritibus corporis noſtri non modo definitionem partis competere, ſed ex uſu quoque, quem præſtant ipſos (non excluſo ſanguine) eſſe partem primariam active moventem, adeoque primariam uti vitæ & ſanitatis, ſic quoque morborum ſubjectum. Uti enim Vita & Sanitas & actiones exercendi vis effective & radicaliter à ſpiritibus his unice dependet, ita his ipſis læſibus ſpiritus laborare credimus, & quidem in Temulentis (qui noſtræ jam ſunt conſiderationis) animales, quia motus ſpontanei & ſenſus imminuuntur ac depravantur, uti teſtantur Ebriorum exempla tantum non quotidiana.

§. 15. Scilicet Spiritus hi, qui ſub ſeminis tegmine in uterum excernuntur, & poſtmodum ſeſe ex ſanguine in corde multiplicant, in cerebro perficiuntur aut ſeparantur cum materiales ſint, uti ſupra §. 13. dixi, materiales quoque habent conditiones, ratione quarum in ſtatu naturali appropriati ſunt ſyſtemati fibrarum organico. Præcipuæ ſunt ſalſedo & volatilitas.

§. 16. Salſedo probatur à vi balſamicâ. Balſamici ſunt (inquit *Helm. Tr. Sp. Vitæ*) & cuſtodes à cor„ruptione Unde & his enervatis aciditatum morbifi„carum in corpore obſervatur dominium, quarum acrimoniam illi antea temperabant Tit. Dnus D. *Bohn. Diſp. Phyſ.* 15. §. 18. Hanc ſalſedinem per fermentationem acquirunt, quæ ex duobus ſalibus ſibi invicem contrariantibus in liquido ſolutis oritur, ex quorum connubio naſcitur Tertium enixum ſeu ſalſum; volatile, vel fixum, prout pugnantia ſalia nunc ſunt volatilia vel fixa, utraque autem alterum alteri prædominetur.

§. 17. Generantur enim ſpiritus ex ſanguine per fermentationem, ſive ea fiat ad modum Sylvij propter bilem per Epar (vid. *Sylv. diſſ VI. it. de febr.diſp.* 2. §. 21.) lixiviofam volatilem (*Tackius Chryſog. animal. & mineral.p.* 37.) aſcendentem & acidulam lympham per venam axillarem (conf. *Schnyl. Tr.pro Vet. Med. Banthol. in Ep. Diemmerbrock, anat. l. 1. c.* 16. *Svvalvve lib. de Pancreate p.* 67.) itidem volatilem deſcendentem, ſive beneficio fermenti proprij eadem accidat, ſive alio modo fiat.

§. 18. Utraque ſuas patitur difficultates, Sylviana duplici modo impugnatur. Primo ab illis, qui bilem per porum biliarium verſus Epar ſcandere, ſecundo ab ijs, qui lympham acidam eſſe negant. Illis ſatisfacere videtur Experientia (violenta tamen) 1.) *Fracaſati* quod atramentum Veſiculæ injectum hepar denigrare monſtrat, 2.) *Sylv.j Diſſ.*6. qui flatum in fellis veſiculum immiſſum verſus hepar non intumeſcat, inde eſt, quod ſubligatione compreſſa veſicula copioſe non modo verſus hepar (unde etiam eſt, quod poſt factam ligaturam abſciſſa veſicula aliquid refluat, quod contra *Malphigium* noto) ſed etiam verſus inteſtino patente ductu communi bilem effundat, unde copioſæ agonizantium dejectiones. His præter autoritates §. 16. allegatas oppono, quod ſaliva humor lymphaticus, non modo cum ſaccharatis efferveſcat, ſed etiam lac coaguIet, & martialia præcipitet, inde ſi vel tantillum ſalivæ liquori Mart.Solar.admiſcetur, ſtatim turbatur. Altera de fermento cordis proprio ab iis negatur, qui cor muſculum eſſe & cavitatem accidentaliter ſaltem formare credunt. Sed recte Helmont. omnibus partibus & ſic muſculis quoque peculiare fermentum aſſignat, quod tamen de munere digeſtionis & Coctionis privatæ potius quam publicæ interpretandum venit.

§. 19. Volatilitas inde conſtat, quod poroſam minus cavam nervorum ſubſtantiam penetrare & citiſſime ad partes fluere ac refluere poſſunt. Hanc agnoſcens *VVilliſius l. 1. de anima brutor.* maluit eosdem cum lucis radiis quam ſubtiliſſimo liquore chymico comparare, quod hic de vaſe in vas effundi & deſtillari queat, Spiritus verò animales illico evaneſcentes nullum ſui veſtigium relinquant. Hinc *Graff. l. de Succo Pancreat. cap. 2. edit. ult.* diſceſſo nervo notabili ad crura tendente, ipſi phialam applicans anguſtioris colli nec guttulam decidentem vidit, nec ſpiritus vitri lateribus per condenſationem adhærere notavit.

§. 20. Obtinent hunc 1.) ab aëre ad generationem ipſorum concurrente, cujus in volatiliſando ſanguine efficaciam probat *Helm. Tr. Blas. human.* §. 45. confirmant Experimenta *Lovveri & Hoockij* qui refert Tit. D.D. *Bohn.diſp. Phyſiol. de Pulmon* 2.) à generationis modo, qui eſt per fermentationem & circulationem, quæ res in naturam ſpirituoſam elevant, conferatur *Ep. Beckij de volatiliſat. ſal.Tart.p.*30. quod vel ſolus odor ſub fermentatione & deſtillatione nares feriēs teſtatur.

§. 21. His ſpirituum conditionibus rite & naturaliter ſeſe habentibus, vegeta ſuccedit corporis actuatio. Sicut iisdem ſpiritibus fixioribus ac aquoſioribus redditis eadem frangitur ac debilitatur. Huic debilitati uti medentur indiſtincte fere omnia medicamenta, quæ ratione virid. æris volari is ſpiritus volatiliſare & in debita Salſedine conſervare potis ſunt, ita tandem ex contrario producunt, quæ ſpiritus figunt, ut pinguia, reſinoſa, ſulphurea, particulis famoſis ſalino volatiles maxime activas remorantia. Talis vis à Vino quoque inſit, cum in Temulentis ſimiles videamus affectus, dubitari equidem non poteſt, quicquid dicat *Angenius Tr. 3. Ep. med. 5. c. 4.* Quænam vero pars, cum Vinum unâ pluribus conſtet, ita vi polleat, ſequentibus patebit, ubi de cauſa proxima. Non enim ſecundum totam ſubſtantiam inebriare probat *Schoock de Cereviſ. cap. 17. pag. 142.*

§. 22. Differentia ſumitur 3.) à cauſa efficiente, quam ſulphur nominavi. Qua in parte non contradico veteribus, qui paſſim videri poſſunt, nec *Helmontio Tr. Spir. Vitæ* qui vinum, cum nihil aliud ſit, quam liquor. uvarum expreſſus, & fermentatus, ratione partis ſpirituoſæ ex fermentatione natæ (experientia edocti paratos per fermantationem ſpiritus inebriare) Temulentiam cauſare credunt, modo hanc virtutem non ſecundum totam ſubſtantiam ſpiritibus tribuant proxime: Duplici namque particularum genere conſtant hi ſpiritus ſulphureis ſc. & ſalinis *Beccherus Phyſ. ſubterr. l. 1. ſect. V. c. 2. Helm. T. Spir. Vitæ*, quæ enim hactenus de mercur. vini fabulati ſunt, ea de partibus ſalinis intelligenda eſſe ſuadet *Beccherus l. c.*

§. 23. Partem ſulphuream eſſe in Spir. Vini h. e. corpus *inſipidum ſeu dulce (Dn. D. Bohn. Ep. de inſufficient. princip. acid. & alcal.)* ſubſtantiæ ratione *reſinoſum*, quod *Barnerus (Ep. de Spir. Vin. ſine acido)* ex Magneno Ceram pinugeniam nominat, probat (1) geneſis, dum fiunt hi ſpiritus ex ſucco uvarum ſubjecto ſc. ſulphureo mediante fermentatione, quæ cauſa eſt, ut unâ cum partibus ſalinis in phlegmate ſolutum ſulphur ſpiritus ardentis naturam induat, adeò ut ſpiritus hi nihil aliud ſint, quam oleum ſeu ſulphur per fermentationem in ſuo phlegmate ſolutum, hinc etiam perinde ut ipſum flammam concipiunt, & ardentium nómen obtinent (2) analyſis dum ex iisdem oleum ſeu ſulphur vel nuda aquæ infuſione ſeparatur, quod ulterius beneficio liquoris prorſus ſalini in reſinam abire docet *Barnerus l. c.* ſaporis & odoris expertem, ardentem tamen & æquiponderantem ferè corpori ſuo.

§. 24. Liquor hic oleum Vitrioli eſt, & ſuccedit experimentum in pluribus oleis deſtillatis, nunc facilius, nunc difficilius, unde cum oleo deſtillato aniſi feliciſſime procedit, difficilius cum oleo Terebinth. uti prolixe hæc deducit Dn. D. *Etmüll.* in literis nuperrime ad me datis, ad alia vero olea deſtillata, quæ liquor hic non præcipitat forſan alius ſalino acidus adhiberi poteſt, unde modo memoratus Dn. *D. Etmüll.* ex oleo deſtillato pinguedinis humanæ cum ſp. ſal ſimilem reſinam paravit, perinde ut idem cum eodem ſpiritu ex oleo olivarum communi produxit concretum pinguedinem animalium exacte repræſentans, ad imitationem ſcil. experimentorum à *Grevv.* tr. of. Mixture: pag. 28. 110. & *ſymſon* Zymolog. p. 145. relatorum.

§. 25. ſalinam partem quod attinet, probat 1.) geneſis cum α) *ex muſto* copioſe ſale abundante uti monſtrat Tart. β) per *fermentationem* reſultet, quæ abſque ſalibus arti & naturæ impoſſibilis & γ) ſubſtantiam pinguem ſeu aream intime admixtam habeant vid. §. 22. 23. quæ non miſcetur niſi per ſalia, quæ ob id *Barnerus l. c. ex Helmontio* pinguia vocat. 2.) analyſis dum α) humiditate abſtracta in Cryſtallos abeunt, vid. *Libav. l. 2. Chym. Tr. 2. c. 38.* & β) olea, quæ ex ipſis ſeparantur, nunquam ſint abſque ſale, undè & in ſalia reſolvi poſſunt. Sic *Helmont.* oleo cinnamomi addito alcali proprio abſque omni aqua trium menſium artificioſa occultaque circulatione in ſalem volatilem commutavit *Tr. Chym. Princ.* §. 83. quin γ) ipſum phlegma putredinis expers ſalium innuit præſentiam.

§. 26. Cum itaque ſpiritus in duabus partibus conſtent, quænam illarum proxime ſenſus & motum liget inveſtigandum eſt. Atque hic dicimus eſſe *ſulphur vini* & quidem cum addito *copioſius*, quia ſemper certa proportio, inter agens & patiens requiritur, *hauſtum* ſeu ore aſſumptum, nam quod ex Clyſtere injecto Ebrietatem obſervaverit *Borellus c. 1. obſ. 56. & Rhod. obſ. c. it. Febr. de abſynth.* id rariſſimum eſt. Noſtrum erit itaque hanc opinionem de ſulphuris vinoſi inebriativa virtute ulterius tum rationibus tum experientiis à juvantibus & nocentibus deſumptis probare.

§. 27. Ratio, qua ſulphur vini ſpiritus ligare & ita Temulentiam cauſare poſſe confirmatur, à ſubſtantia ejus deſumpta eſt, quam §. 21. reſinoſam & viſcidam appellavimus adeoque capacem, qui ſpiritus ſalino-volatiles ratione viſcoſitatis in actionibus removeri poſſit. Inde omnia ſulphurea narcoſim poſſident & omnia narcotica ſunt ſulphura, quamvis ſulphura mineralia & metallica fixa, quæ etiam ſidendi ſpiritus potentia pollent, in quo tertio cum vegetabilium ſulphuris conveniunt (Non intelligo aut per ſulphurea mineralia calcinata illa metallica corpora) alio paululum modo agere videantur ob exiguam, qua ſumuntur, doſin, unde & Helmontio *Tr. in herb. Verb. & I. ag. magn. eſt virtus.* Irrandiantia vocantur, ſicuti etiam materialiter ultra paucas vias vix pergere videntur.

§. 28. Hanc rationem confirmat experientia à juvantibus & nocentibus ſeu Ebrietatem inducentibus & præcaventibus deſumpta; *I. inducunt* Ebrietatem citius Vina, quæ copioſo ſulphure gaudent, ut ſunt α) Vina ſuppreſſa, *verhaltene beine* quia egreſſus ſulphuris craſſioris in omni fermentatione alias exhalantis (monſtrat hoc *Langelott. Ep. ad Curioſ. de fermetat. Opij* & probat exhalans ſub fermentatione Gas adſtantes inebrians) impeditur β) Vina ſulphurata &c. γ) Hiſpanica, quæ plus ſpiritus ſulphurei quam acidi continent. conf. *Henric. ab Heer. obſ. p. 225. ſeqq.* Vina ambrata huc numerari poſſunt etiam Ebrietatem accelerantia. *Matthiol. ad Dioſcor. l. 1. cap. 20. II. Præcavent* omnia quæ ſale volatili acri ſpiritus acuunt, quo minus reſinoſis ſulphur. vinculis vinciri aut vinci poſſint, in ſpecie ſpir. ſal. armoniaci, quem *Beckius den Gauff.* Spiritum nominat. *III. Curant.* α) acida. Nimirum in omni narcoſi æque ac Temulentia felici ſucceſſu adhibentur, quatenus ſcil. hæc ſolutum à Ventriculi fermento ſulphur ex primis viis præcipitant β) aquoſa qt. dilatando poros menſtrui ſolventis ſulphur, hoc ipſum ſeparant, perinde ut Sp. Vini lacteſcere & oleum ſuum ex poris dimittere animadvertimus affuſione aqu.

§. 29. Sed reſpondendum jam quoque erit *Tachenio, Beckio* aliisque tantum non omnes morbos & ſic quoque Temulentiam à ſale acido deducentibus; Hi in eo feliciores ſunt cæteris Medicis, quod faciliorem vitam conſequendi medicamentum quoddam univerſale invenerint, cujus vicem penes ipſos imprimis ſuſtinet, ſpir. ſal. armoniaci, acidum, univerſalem fere ſecundum ipſos morborum cauſam potentiſſime infringens. Negari equidem non poteſt, acidum corpori extra ventriculum inimicum eſſe, ut loquitur Helm. & plurium ita morborum cauſam exiſtere. An tamen idem acidum, quod & ſulphur à ſimilitudine vocat *Tacckenius Clav. Hipp. Ghym. p. 8.* (Hinc Barnerus ſulphur inter ſalia acida ponit Chym. præcept. à Beckio editis) in vino verò exuberans, licet à ſulphure diſtinctiſſimum (conf. *Major. Tr. de ſal. c. 4. de liq. acid. ortu*) ſenſum & motum in ebriis liget, inquirendum eſt, quod ut commodius fiat, prius ad ſingulo-

ſingulorum argumenta reſpondebimus, tùm quæ porrò obſtare videantur, ſubjiciemus.

§. 30. *Tacchenium* quod attinet; ipſe *Hipp. Chym. c. 19. p. m.* 154. à juvenibus ſeu potius præcaventibus herbis ſcil. alcali occulto gaudentibus, ut ſunt herbæ vulnerariæ & olera omnia in ſpecie braſſica, concludit in acido vini inebriativam vim conſiſtere. Aberrare tamen in eo videtur, quod ipſas has dictas herbas non operari credat, niſi temperando & abſorbendo acidum ſpiritus aliàs figens, cum Temulentiæ medeantur, non tam acidum infringendo quam vi nitroſa ſtimulando Urinam & ſic Vinum totum eliminando. Hinc eædem quoque conducunt in Ebrietate, ex Spiritu Vini Tart. contracta, quem tamen haud acidum eſſe omnes norunt.

§. 31. Quod *Tacchenius* obiter unico argumento, id *Beckius in exper. circa natural. rer. princip.* prolixe per aliquot paginas variis ratiociniis, tum ab actionibus Ebriorum, tum ab experimentis particularibus deſumptis, probat. I. Ab Actionibus Ebriorum, hilaritate ſc. & hunc inſequente ſopore, quas non commodius explicari poſſe ſcribit, quam per effervescentiam acidi ex Ventriculo ad Cerebrum emiſſi, cum ſpiritibus animalium alcalicis, quos tandem ex largiſſimo potu copioſius accedens acidum ſomnum & torporem cauſet; Exemplo ſuo hoc teſtari non modo Poëtas, ſed Magnates quoque, quos conſiliis dantis aptiores credit, cum pluſculum bibiſſent.

§. 32. Verum enim vero, ſi experientiam conſulimus 1.) non præciſe has actiones ab effervescentia ſpirituum alcalicorum cum acido derivandas eſſe videmus, cum natura pariter ac arte conſtet, non modo acida cum alcalibus, ſed & alcalia cum alcalibus, ſulphurea cum alcalibus, &c. effervescere, &c. Clarum hoc eſt in Spiritu Vini cum ſale Tart. per deliquium ſoluto aut bile oleoſa cum lacte, Magis clarum hoc eſt in corpore humano, ubi ſulphurea in ſpecie Opiata, omni acido deſtituta (quod ſummus amaror, juratus acidi hoſtis teſtatur) ſulphure abundantia (hinc inflammabilis) antequam ſomnum inducant, mentem hilariorem reddunt Conf. *Senn. Pr. Tr. I. part. 2. cap. 6.*

§. 33. 2.) Licet acida volatilia ut plurimum hanc vim poſſideant, non tamen vice varia omnia, quæ hunc effectum præſtant, ſunt acida volatilia, adeoque ab illo principio dependere crederem, & quidem ſulphureo, cum hoc non modo in Vino copioſius contineatur, ſed etiam, quia omnia ſulphurea hanc virtutem poſſident & vice verſa omnia, quæ vi ac potentiâ hac pollent, ſint ſulphurea.

§. 34. Nec obſtat hîc, quod *Vigenarius Tr. de aqu. & ſale* (vid. *Theatr. Chym. T. 6. c. IX.* ſpiritum vini; quem minus acidum eſſe §. 29. diximus, minus in ebrietate ſcribat, quam vinum ipſum, ſale acido adhuc perfuſum tali quantitate aſſumptum, quantum illud ante Aq. Vitæ extractionem conſtituebat, ſeu ℥j. Sp. vini minus inebriare, quam ea vini quantitas, ex qua ℥j. eſt parata. Nam ex ipſo Autore reſpondeo 1.) procedere hoc experimentum in iis locis, ubi ſp. vini in uſu frequens eſt, Germaniæ ſcil. oppidis & locis frigidioribus, & proculdubio etiam in iis ſubjectis, qui raro meracius bibunt, ſcil. in his valet illud *Hipp.* aſſueta licet deteriora minus alterare corpus, quam inaſſueta licet meliora. Hinc Turcæ Opio, quod nos ſine vitæ periculo vix ad gr. ij. &c. exhibemus, ad ʒß. utuntur conf. *Bellon. obſ.* 2.) ſulphur ſubtilius & volatilius penetrans ſub forma Gas in deſtilatione exhalare, teſtante hoc odore, à quo deſtillatores ſæpe magis inebriantur, quam à ſpir. deſtillato, nec dubitarem, 3) quin in reſiduo aliquid ſulphuris remaneat.

§. 35. Alterum argumentum *Beckij* deſumptum eſt à juvantibus 1. (alcalicis α) in genere tam volatilibus quam fixis, quorum vim in labefactandis ſpiritibus acidis conſiſtere, quatenus cum his coagulantur ex Chymicis notum eſſe dicit. e. g. dum ſp. ſal. armoniac. cum ſp. Vini non modo ratione acidi ſalis in ſpiritu Vini latentis coagulatur, ſed & ſal Tart. fixum in ſpiritu Vini rectificatiſſimo acidas partes (quod ex aucto ſal Tart. pondere concludit) attrahit, β) in ſpecie braſſica quam ſpecifice in Temulentis exhiberi unanimiter ſcribunt.

§. 36. Sed Reſp. alcalium vim non pure conſiſtere in oppreſſione acidi, ut potius præcipue in corporibus noſtris ob cognationem, quam habent cum ſpiritibus, in eorundem confortatione, unde labaſcentes in agonizantibus vires non ſemel his ipſis reſtituuntur. Coagulationem verò ſp. ſal. armoniaci cum ſpiritu vini ab ejuſdem acido dependere, aut ſal Tart. ejuſdem acidum imbibere, atque adeo ſuo pondere creſcere eademque ratione acidum imbibendo ebrietatem præcavere dubium videtur. ſal enim Tart. à quo Spir. Vini abſtrahitur quantitate non augeri, ſed minui docet Dn. D. *Bohn Ep. c.* ut & *Barnerus c. I.* Spiritum Vini vero non ratione acidi coagulari, inde conſtat α) quia de aciditate adhuc dubitatur, vid. *Barnerus l. c.* β) quia non modo alcalia cum acidis, ſed & alcalia cum alcalibus coagulantur, unde & Spir. Vini Tart. eodem modo ſpir. ſalis armon. coagulatur, vid. Dn. D. *Bohn. c. I. p. 27. Barnerus p. 16.* Perinde ut hic ipſe cum ſale Tart. per deliq. ſoluto in offam coit. Nec Spiritus vini inebriare ratione acidi nec alcalia abſorbendo acidum ebrietatem præcavere ex eo conſtat, quod Spiritus Vini Tartariſatus vim inebriativam æque obtineat, ac ſi ficto illo acido adhuc gauderet. Tandem braſſicam quod attinet ſalalcali ratione (quod ipſi ex ſapore & effectu, quem in vulneribus præſtat ineſſe credo) ebriis conducere negare nolo; an autem abſorbendo acidum operetur; inde dubito; quod uti §. 30. dixi, conferat etiam in Ebrietate à Spiritu Vini Tartariſato contracta.

§. 37. II. Juvantibus oleoſis, amygdalis ſcil. amaris & emulſionibus ex ſeminibus frigidis, quas operari credit ratione olei; quatenus ſcil. pinguedine ſua acidum obtundant; atque ſic ebrietatem præcaveant. Oleoſa autem acidum obtundere probat per Spiritum Vini, qui licet ipſe acido volatili gaudeat (ex ejus ſuppoſito) olei tamen ratione Aquæ fortis aciditatem temperet. Miror ſanè hic Spiritum Vini oleoſitate ſua externum & peregrinum acidum ſatiſque potens infringere, & proprium (ſi quod eſt) minus potens negligere.

§. 38. Verum licet adductorum oleoſorum effectum non plane nego, an tamen obtundendo acidum ebrietatem tollant, inde dubito, quia 1.) ſolummodo amygdalis amaris hanc vim tribuit non dulcibus, cum tamen hæ æque oleoſæ ſint ac amaræ: 2.) Emulſiones ex ſeminibus frigidis pauco oleo gaudeant, cum copioſiori ſubſiſtentiâ aquea conſtent, & ſemina quoque aquoſiora ſint. 3.) quia non omnia oleoſa, quæ acidum obtundunt, etiam ebrietatem præcavent, ut oleum hyoſciami, papaveris, ambra, &c.

§. 39. Ut itaque *Tacchenius & Beck.* ex juvantibus concludunt, Ebrietatem à vini parte acida oriri, ita refutatis ipſorum argumentis ex eodem fundamento contrarium inferri poſſe ſequentia probant 1.) quia non omnia, quæ acidum tollunt, Ebrietatem etiam præcavent, hinc amara ſal acidum potentiſſimè infringentia, Lupulus, Crocus &c. minime Temulentiam curant. De Abſynthio quidem ex *Arculano* refert *Senn. c. I.* Ebrietatem ex Vino curare, ſed experientia id refellit, quæ Vinum abſynthites maxime ad ſomnolentiam & Temulentiam diſponere quotidie monſtrat. Sic de Croco ſcribit *Dioſcorid. l. 1. cap. 25.* ex paſſo ſumptum crapulam arcere, ſed falſum eſſe, experientia eorum monſtrat, qui etiam ex croco leviter odorato capitis repletionem & ſomnolentiam patiuntur, unde recte *Nic. Piſo l. 1. de cognoſc. & aur. morb.* in ſpecie crocum ebriis vetat 2.) qui etiam ea, quæ acida non ſunt, inebriant, v. g. Spir. Vini Tart. ama-

ra plura in ſpecie amarulentiſſimum Opium, quod ſimilem effectum producere Turcæ ſciunt, v. §. 5. 3.) quia vina auſtera, ut ſunt rubella, minus inebriant, cum tamen auſteritas ex acido in ſubjecto Terræ gignatur (unde concretum oleoſum maxime auſterum ex Terra Sigill. cum ſpir. ſulphur. artificialiter confici poſſe tradit Dn. D. *Etmüllerus Coll. Chym.* 4.) quia acida Ebrietatem tollunt, unde potatoribus *Senn. T. I. Prax. part. 2. cap. 6.* commendat acida, acetum ſimplex, vel Aq. Fort. dilutum, conf. §. penult. poma acida, pruna, cydonia, lac acidum, acidulas, &c.

§. 40. Signa diagnoſtica, per quæ præſentem ebrietatem cognoſcere queamus, recenſet *Dominicus Leonilucenſis M. M. l. 1. c. 20.* ſed ignorata cauſa occaſionali certi aliquid pronunciare non poſſumus, alij enim ut apoplectici cadunt, adeò ut quendam per 4. dies male pro apoplectico curatum *Heinr. ab Heer. ob. 19.* annotaverit. Alij delirantium inſtar varia ſibi imaginantur, ſic refert *Plater. obſ. lib. 1. p. 37.* quendam in platea lunæ ſplendorem in Terra intuentem exiſtimaſſe, ſe videre fluvium profundum & quo natare poſſet, veſtimenta depoſuiſſe, ſic alij pro phreneticis habiti, unde obſervavit *Borellus c. 1. obſ. 56.* mulierem abſtemiam clyſtere ex vino injecto inebriatam, quod ignoranter proximi adſtantes errorem quendam à Pharmacopola & Medico commiſſum opinabantur.

§. 41. Qui aut fiat, quod ex Ebrietate nondum conſummata alij iraſcantur, alij triſtentur, alij loquaces ſint, alij ſomnolenti, au ſc. quod humores affectibus convenientes in corpore noſtro moveantur, uti putat *Plater. Prax. l. 1. c. de Temulentia p. 97.* an alio modo accidat, nondum liquet. Conjicerem animum ſenſus alias mediantibus ſpiritibus dirigentem ipſis ſpiritibus per fumoſas ſulphur vinoſi partes obſcuratis quieſcere à muniis propter ineptudinem inſtrumentorum; unde hi liberiores (primo antequam planè à ſulphure ſupprimuntur) pro diverſitate conceptarum idearum potiſſimum exequuntur ſuas actiones. Inde fortè quod *Senguerdus de Tarantiſmo* ſcribit, animalcula hæc easdem imaginativæ impreſſiones imprimere fortius; quibus intentos quos mordent, inveniunt, hic quoque applicari certo modo poſſet, dicendo: Temulentos ſecundum ideas agere, quas archæus animæ ſuperioris dominio jamjam liber paulo ante Ebrietatem conceperat.

§. 42. Non negandum interim, temperamenta (non primarum qualitatum elementarium) particularum ſanguinis aliquid conferre, inde ſanguinei, quorum ſanguis ex debita particularum miſtura conſtat, læti ſunt quia in his ſpiritus celerius & agilius paulo moventur; Cholerici, h. e. in quibus particulæ urinoſæ oleoſæ prædominantur, mobiles ſunt & inconſtantes, quia ſpiritus volatiliores & facile diſperguntur, unde ſuperficiaria ſaltem fit idearum impreſſio, & propter hanc actionum facilis immutatio: Melancholici, quorum ſanguis particulis ſalino acidis ſcatet, propter ſpiritus ex ſanguine hoc generatos paulo fixiores, impreſſiones tardius quidem, fortius tamen recipiunt, unde conſtanter vel rident vel triſtantur, &c. Phlegmatici tandem, & quibus lympha obruit. ſanguinis ſalia fermentativa, paucos gignunt ſpiritus, unde citisſimè ſuccumbentes ſomniantur, conf. *D. Etmull. Coll. Inſtit. c. 16. & Gordon. lib. Med. cap. 2.*

§. 43. Cum itaque non ex ſale acido vini, ſed ſulphure quod ab affectu narcoticum appellamus, Temulentia, oriatur, eadem quoque extimeſcenda ſunt mala, quæ narcoticorum ſuum inſequuntur, licet vini ſulphur ipſis paulo mitius ſit, ſenſuum nimirum ſtupor, (*Heinr. ab Heer. obſ. 17. hiſt. I. p. 213. & p. 225.*) & motus deb litatio, ut & ex fixatione aut oppreſſione ſpirituum omnium digeſtionum labefactatio *Heinr. ab Heer. c. l. p. 222.* ſi ſc. frequentior ſit. Alias cito diſcutitur per ſomnum, cum ſcil. vis illa narcotica à natura jamjam eſt ſubacta, ſpiritusque à vinculis, quibus ligabantur, ſeſe expedierunt, pro vini tamen conditione, ægri peculiari natura, loco & tempore ſolvitur Ebrietas quibusdam 2. l. 3. die vel ſerius, prout craſſo vel tenui vino incaluerunt, *Gall. in Hipp. lib. 2. de Morb.* Conf. *obſ. 19. Heinr. ab Heer.*

§. 44. Optimum igitur & ſanitati maxime proficuum eſt Ebrietatem, quantum in nobis eſt vitare, quod fit *vel abſtinendo* penitus à vini potu (unde Abſtemij dicuntur) ſuadet hoc prolixe *Deodat. Panth. hygiaſt. lib. 1. cap. de Ebrietate*; vel corpus certis remediis *diſponendo*, quo vel per *alvum* aut *urinam* evacuetur aſſumptum vinum, antequam vires ſuas expandat; vel *confortando* ſpiritus, quo ſe ipſos à vinculis, quibus detinentur, liberent. Diſtinguatur tamen ſemper Ebrietas ipſa h. e. ſenſuum & motus ceſſatio à ſulphure vini orta, ab aliis morbis Ebrietatem vel concomitantibus, vel conſequentibus, cum hi plerumque ab acido vini, hæc ab ejusdem ſulphure dependeat.

§. 45. Tutiſſima præſervatio eſt per *abſtinentiam* quam certis remediis procurari poſſe, ſi alias obtinere non poſſumus) nonnulli Medicorum credunt. Collegit hæc ex aliis *Sachſius in Ampelograph. Sect. VI. Membr. II. ap. 2. de Vini abuſu p. 214.* ſunt; Rana viridis, anguilla in vino ſuffocato, lacryma vitis, ova noctuæ, Aqua fontis Clitorij, uva marina, rad. arb. amavil. &c. quibus ex *Franciſco Schacchio de Salubr. potu, c. 20. p. 215.* addo mullum in vino necatum. *Albertus N. l. 22. de animal.* laudat ſtercus leonis in vino. Confert etiam lacerta viva, vel teſtudo lacuſtris vel ſemina caulium patiente inſcio in vinum imm ſſa, ſi de ipſo hauriat *Capivacc. l. 3. de aff. Ventric. cap. 8. de Siti.* Omnia frequentioribus experimentis confirmanda,

§. 46. Quod ſi vero medicamenta dicta horreat æger, vinoque liberalius uti cogatur, de quo aulici utplurimum conqueruntur, non inutile eſt corpus ita diſponere, ut citiſſime per alvum aut urinam reddat, quod per os involuntarie ingeſtum eſt vinum. Per alvum imprimis evacuat *oleum olivarum* qt. lentore ſuo vias lubricas, non tamen cum *Nicol. Piſone lib. I. de cur. morb. cap. 6.* ſtatuamus, integrum vini dolium hoc præmiſſo poſſe ſine Ebrietatis periculo hauriri, *Dominicus Leoni-lucenſis* commendat olivas ſale conditas *Sect. I. lib. 1. cap. 20. Braſſica* coacta (alij crudam eligunt ad nutum Catonis. Conf. *Jaſon. Pratenſ. Med. l. c.*) principio menſæ appoſita, quam vim etiam Raphano tribuunt, qui braſſicam Græce κράμβην & raphanum dici, noſtram verò radiculam ῥαφανίδα nominati ignorant. *Lang. Ep. 301.* Notetur hic interim vitem etiam vivam braſſicæ odorem fugere. *Foreſtus obſ. 2. lib. 9. Schol.* De *Meliloto* vid. *H. urn. l. 2. M. M. de intemp. cerebr. calida.* Huc pertinet etiam lac, & omnia quæ primas vias lubricantes reddunt, it. Pil. Glasſij, quas frequenti in uſu fuiſſe biboni compertum habeo, unde etiam pilul. ad Ebrietatem ipſe nominabat: ſimilem refert *Rickeman. diſp. de Ebrietate Ien.* edita.

§. 47. Per urinam movent vel quæ ſale ſalſo ſtimulant, aut ſale vol. amaro abundant, amygd. amaræ, lupulus, ruta, &c. qt. hæc cum ſale vini acido in ſalſum diureticum abeunt, ſulphurque vini narcoticum una ſecum educunt. Eadem hæc medicamenta ſi paulo fortiora ſint qt. ſpiritus volatiles ſalſos in corpore acuunt, quo viſcoſitati ſulphuris vincientis commodius reſiſtere poſſint, confortando eosdem ab Ebrietate præſervant. *Plateri* Conſilium, qui *obſ. l. 1. pag. 38.* ſe in conviviis Ebrietatis præcavendæ cauſa per bihorium abſtinuiſſe vino prodidit, usque ad ſatietatem comederit, hiſce temporibus vix imitandum, ubi ab ovo pocula hauriuntur.

§. 48. Sin autem Sulphur Vini Spiritus jamjam vinctos in triumpho ducat, neceſſe eſt, ut vinum, ſi adhuc in ſtomacho hæret, per vomitum rejiciatur, qui vel irritatione faucium mediante digito vel etiam medicamentis ſi opus, excitetur. Aceſcens enim in Ventriculo

lo vinum ob ſuppreſſos aut exhalatos Spiritus Sulphureos per alvum ducere ob metum colicæ paſſionis, &c. nimis periculoſum eſt, Medicamenta Vomitoria ſint: v.g. mercurius vitæ cum melle miſtus, faucibus cum penna applicatus vel Oleum nucum penna.conf. *Heinric. ab Heer. obſ.pag. m.* 227. vel ſapa vomitoria. Monſtrat hanc viam ipſa natura ſponte ſæpius vomitum excitans, unde *Langius Ep.XXX. lib.*1.ſuadet, ne dormiat æger, priusquam evomuerit.

§. 49. Tum adhibeantur, quæ vel Sulphur *narcoticum mitigent*, ut ſunt acida, quorum vis infringenda narcoſi, uti ex præparatione Opij nata eſt, ita vini eam proprietatem, qua inebriat & ſtupidos attonitosque reddit, retundit. Unde Ebrioſos, hac arte ſibi proſpiciendo ad multos annos perſeverare poſſe, notavit *Platerus obſ. l.* 1. *pag.* 39. conf. *Frambeſ. Conſult. Medic.* 9. *Gabelhof. C.* 3. *obſ.*72. vel quæ illud à ſpiritibus dilatando eorundem poros, ſeparant, ut ſunt aquea, vel quod melius acida his juncta. Non incommode E. adhibetur Aq. Font. ſucco citri aut Aceto diluta, quam *Platerus Prax.lib.* 1. *pag.* 126. antidotum Ebrietatis vocat, ſi quantitate majori ſumatur, eoque inſignem potatorem, jam longo tempore in dies ebrium, ſe ne inde labem contrahat, præmuniviſſe ſcribit, l.c. vel Acetum ipſum abunde potum ibid. aut lac acidum ebutyratum, *Foreſtus l.c.* Unde decocta alterantia ſpiritibus mineralium acidulata, & varij generis julapia ex citro, cydon. granat. &c. parata, non ſine fructu adhibentur.

§. 50. Illa vero, quæ confortando Spiritus conducere diximus, cum ex genere volatilium ſint, adeoque cum acido vini ſimul ingeſta nimium effervefcendo febres excitare poſſunt, commodius Temulentis *externe pro diſcutienda* ſomnolentia naribus ſaltem applicantur aut linguæ. *Hipp. l.* 2. *de Morbis*, Aqua copioſa calida ſpongia imbuta caput lavat, & naribus *cepam* purgatam admovet, huc pertinet quoque caſtoreum & caſtorina cum Spir. Salis armoniaci juncta, quod licet pingue & Oleoſum videatur, qt. tamen externe ſaltem applicatur cum Spir. Salis armoniaci, præpollet ſal volatile cum Sale armoniaco exhalans Spiritusque noſtros confortans, internè verò ratione Sulphuris caput replet, unde hyſtericæ ſæpius hoc conqueruntur, quod ipſe in Perſona Illuſtri non ſemel obſervavi: vel etiam excuſſo ſopore morbis Temulentiam concomitantibus interne adhibentur, v. g. Spir. Sal. armoniaci, Spir. Cc. fulig. plura remedia, qui deſiderat, evolvat *Schacchium de ſalubri potu, Senebergum de Amethyſtis. Foreſt. obſ. Sachſ. in Ampelograph.*

§. 51. Ad Spiritus excitandos non parum quoque conferunt frictiones extremorum, & partium maxime ſenſibilium: quales in viris teſtes, & mamillæ in fœminis, vid. *Gord. lib. Med. pag.* 881. *Roſa Anglic. pag.* 726. *p.* 1164. *cap. de Regim. iter per diverſas regiones facientium.* Huc quoque pertinet *obſ. Heinr. ab Heer.* qui Ebrium per quatuor dies pro apoplectico curatum, & jamjam trepano tractandum vellicando myſtacis pilos, ab ebrietate excitavit, vid. *obſ.*19.

§. 52. Annectanda jam ultimo venit diæta, ubi conveniunt ex potu & cibo acida, v.g. cydonia. Citrus, ova acida, ſerum lactis acidul. acidulæ naturales & artificiales, Tinctur. martis ſolaris ut & aquoſa, Emulſiones. Somnus convenit, modo rite ponatur, ne ſupinus jaceat, confer. *Foreſt. l.* 9. *obſ.*27. *ſchul.* Si tamen nondum conſummata Ebrietas, Spiritus moderato motu excitentur, v.g. per ſaltationem, pilæ luſum. Inde etiam affectus animi læti, quatenus ſpir. in motum cient ſenſim Temulentiam tollunt. Quoad excreta attendatur, ſi vomitus imminet, aut Urinæ excretio, ne impediantur, ut enim illud cardialgias excitat, ita & ſubito putreſcens urina renibus ac Veſicæ nocet. FINIS.

DISSERTATIO VI.
DE MALO HYPOCHONDRIACO.

Ἄνευ προοιμίου.

§. I. NOMINIS declaratio utut parum vel nihil ad curationem rectè inſtituendam faciat, cùm ægri non ſpeculantem, ſed curantem, atque non verbis ſed herbis divitem exoptent Medicum, attamen, quoniam juxta *Scaligerum Exerc.I. Sect.I.* vocis explicatio ad cognitionem rei ſit quaſi quædam præparatio, & nomina ſint rerum ſymbola; meritò & nos mori hactenus conſueto obtemperaturi, de nomine Diſſertationis noſtræ primum filum ducimus.

§.II. Nomen autem ſortitur ſuum à loco affecto, ſc. hypochondriis à χόνδρος, quod præter granum etiam cartilaginem ſignificat, teſte *Scapul. ſub voc.* & à præpoſitione ὑπὸ ſub, quaſi dicas ſub cartilaginibus. Hypochondriaca verè ſecundùm autorum mentem, præprimis ſecundùm Anatomiam *Bartholini noviſſimè editam pag.13.* ſunt regio corporis cartilaginibus inferioribus coſtarum vicina, extendens ſe utrinque ad ilia cum muſculis & internis viſceribus ſimul; Unde & Barbari vocant morbum *mirachialem*, quia in genere Arabibus *Mirach* denotat abdomen, *Vid.* SENNERT. *lib.3. Pr. Med. part.V. Sect.I. Cap.I. pag.505.*

§.III. Acceptio vocabuli eſt duplex: Generalis & Specialis. Illa quamcunque paſſionem partium ſub hypochondriis & infra hæc ſitarum denotat; Quâ ratione etiam in ſexu ſequiore paſſio hyſterica hoc nomine donari poterit, *teſte Barbett. in Prax. p.139.* Hæc verò, de qua nobis ſermo eſt, eam duntaxat affectionem comprehendit, quæ focum ſuum agnoſcit ventriculum, materiâ acidâ viſcidâ obſeſſum, & quæ contra diſtinguitur paſſioni hyſtericæ propriiſſimè ſic dictæ; Mulieribus quaſi peculiari, & reſpirationis inſigniori difficultate comitatu, qualis rarior apud Mares obſervatur, ætut in radice & fundamento duo hæc pathemata Hypochondriacum & hyſtericum mutuo conſpirare videantur.

§.IV. Variis autem morbus hic inſignitur titulis. Dicitur enim *paſſio hypochondriaca*, *Affectio hypochondriaca*, *Tartarus hypochondriacus* Chymicis, *Affectus flatuoſus Diocli & Aëtio* ob ingentem flatuum copiam, *Mater Scorbuti Barbetto* ſalutatur *c. l. Morbus reſiccativus ſeu ſiccatorius Hippocrati* audit *Lib.2. de Morb.* Nonnullis *Melancholia Hypochondriaca* dicitur, quanquam multis hoc malo laborantibus Melancholia non eveniat; interim tamen plurimi Melancholiâ laborent affectione hypochondriaca correpti. Germanis vocatur *morbus coſtis nothis ſubjacens*, *ſive morbus Eruditorum*, non quòd literati ſoli hoc morbo ſint obnoxii, ſed quia plurimi hoc malo vexantur, qui intra chartas continuò abdomen comprimant, itaut liberiori deſcenſui Diaphragmatis via intercipiatur; unde tardior humorum fit circulatio, de qua plura in progreſſu.

§. V. Hiſce paucis præmiſſis ad realem definitionem nos accingentes dicimus. Affectionem hypochondriacam eſſe dolorem gravativum & conſtrictorium primariò ventriculi, diaphragmatis & totius meſenterii, dependentem ex convulſione nervorum dictarum partium, ſubortâ ob viſciditatem humorum acidam, vellicantem primas vias, in ſpecie verò ventriculi partes nervoſas.

§. VI. Genus eſt dolor, ægrorum nemini ignotus, qui revera nihil eſt aliud, juxta *Brunonem in Dogmat. Medic. p.269.* niſi ſymptoma ſenſus tactus nimium aucti. Hunc dolorem *gravativum* eſſe & *conſtrictorium* ſatis indicant patientium quærelæ, moleſtiam ſentientium ſimilem ei, quæ à pondere aliquo premente oriri aſſolet; cum qua ſimul partes nervoſæ vicinæ, originem nervorum ſuorum eandem obtinentes cum nervis inſertis in ſiniſtrum ventriculi orificium, verſus hunc ſeſe contrahunt, ipſis ventriculi fibris, ſimili ſpaſmo unà affectis.

§. VII. An morbus hic veteribus etiam fuerit cognitus, determinare nolo; cùm lis ſit de lana caprina, parumque ægro & Medico conducibilis. Arbitror tamen eundem iis occurriſſe, licet non ſub appellatione hac cognitus, nec adeò atrocibus ſtipatus ſymptomatibus. Nam uti creſcentibus delictis creſcunt pœnæ, ſic etiam creſcentibus luxuriæ & diætæ erroribus, quid mirum quod atrociori furore nos infeſtent morbi, qui veteribus tanta cum ſeveritate graſſantes non obtigerunt: Ob quam cauſam veterum quoque deſcriptiones nonnihil mitiores, cum noſtris tamen convenientes morbos proponunt.

§. VIII. De partis affectæ denominatione tot venduntur litiga, quot ferè hodiè extiterunt Practici. Sunt enim, qui nullam determinatam in H. M. affici exiſtimant partem, ideo forſitan, quia obſervarunt nonnunquam in acerbis paſſionibus hypochondriacis patientes non habere, de qua abdominis parte ſpecificè conquerantur. Alii, quorum animos laſciva varietatis perſerpſit aviditas, varias elegerunt partes, ob quas affectionem hanc in varias diſcerpſerunt ſpecies, prout fecit *Matth. Martini de Morb. Meſenter. p.152.* diſtinguendo in Meſentericam, Stomachicam, Epaticam, Spleneticam, Cardiacam, Hyſtericam, Hæmorrhoidalem, Melancholicam ſeu Phantaſticam. Præ cæteris Phantaſiæ mirè indulgentii, qui ſpatium iſtud inter ſtomachum & diaphragma pro ſede ordinaria aut ſaltim pro nido tot flatulentiarum exiſtimant: Inter quos fuit *Levin. Fiſcherus*, qui edidit peculiarem Tractatum *de loco & foco Mali Hypochondriaci* permotus *aph.57. ſect.7. Hipp.* Venæ portæ ramos & arteriæ cœliacæ & meſentericæ ut plurimùm accuſat *Sennert.I. ibid.3. part.V. ſect.I. cap.2. pag.506.*

§.IX. Miſſis hiſce & aliorum plurimorum ſententiis unicam cum *Highmoro pag.63.* & *Barbett. Prax. pag.140. Hœkſteter Derad. V. obſerv. aliiſque* agnoſcimus partem primariò affectam ventriculum: Siquidem id teſtatus partim *dolor* patientum perceptus in ſcorbiculo cordis, loco naturali orificii ventriculi; Interim planè non negamus, ſæpiùs etiam intra curvaturam inteſtini coli ſigmoideam hærere tàm pituitam

viſcidam

viſcidam quam ſcybala nimiùm indurata, dolorem tunc per conſenſum cauſantia; unde tunc querela inſtituitur de dolore hypochondrii ſiniſtri ſub coſtis inferioribus ſpuriis, ſub quo ſimul ventriculus à ſubjacente colo flatibus expanſo atque ſic vehementior dilatato comprimi ſolet. Partim teſtimonium perhibet de rectè aſſignata parte affecta Medici *Curatio*, quippe qua conſtat vix meliori via ratione poſterioris abigi malum quàm clyſtere applicato; ratione verò prioris aſſerti vix citiùs remittere dolorem, quàm præmiſſis præmittendis, exhibito Vomitorio. Quapropter recordor ſæpiùs quorundam Medicorum, de Literatis pro mali hujus tàm præſervatione, quàm Curatione largiorem Vini interdum aſſumptionem vomitu comitatam ſuadentium, quo materia viſcida in primis viis collecta evacuetur, & anſa multorum morborum præripiatur.

§. X. Porrò dum in definitione aſſerui ſimul compati diaphragma & meſenterium, neutiquam de foco morbi debent hæc intelligi, quaſi in hiſce partibus materia aliqua colligatur, quod jam antea rejectum & ſequentibus rejicietur; ſed quatenus in conſenſum dictæ partes ob fibras ventriculi convulſas rapiuntur. Simulac enim ventriculus in dolore hypochondriaco convellitur, diaphragma Structura namque nervorum & membranarum in univerſo corpore habet ſe adinſtar chordarum tenſarum & inter ſe connexarum? Unde uno loco una fortius pulſa per conſenſum altera quoque movetur, & pars à parte afficitur. *Vid. Vvilliſ. in Anatom. & Pathol. Cerebri It. Cartheſ.* Quamobrem quamcunque ventriculi exorbitantiam expiare tenetur diaphragma, quod quia tendinibus ſuis coſtis ſpuriis & proceſſibus ſuis lumborum vertebris implantatur, ſequitur, ut & ingentem percipiamus dolorem in coſtis ſpuriis & vertebris abdominis; Quoad anteriora adinſtar calculi nephritidem inſerentis. Cæterùm quia nervus intercoſtalis diaphragmati propagines ſuas communicat, fit ut convulſo diaphragmate in conſenſum quoque trahantur muſculi reſpirationi inſervientes cæteri, in ſpecie autem quoad partes poſticas. Ex quibus nervorum & hinc muſculorum & membranarum ſpaſmis, multi juges patientium deteſtationes doloris tenſivi, dorſalis præſertim nonnunquam ad vertebras colli uſque protenſi, quod ipſum præterlapſo anno proximo meo (ſi Medico imbecillitates referre proprias decus eſt) teſtari poſſum exemplo, ſuboriuntur. Exindè quoque facile licet colligere, quomodo ſæpiùs in hypochondriacis aſthma aliquod ſiccum natales ſuas nanciſcatur. Imò quomodo in hypochondriacis adeo frequenter ſymptomatum præfatorum ſocietatem appetat Cordis palpitatio. Hinc æquè non ineptè aliquis vocitaverit Paſſionem hypochondriacam Epilepſiam ventriculi.

§. XI. Cauſam efficientem proximam præcedentibus innixus fundamentis ſtatuo convulſionem nervorum à materia viſcida, acida excitatam, quam veteres ſuccum atrabilarium ſeu melancholicum acidum ſalutarunt. *Vid. Senn. Lib. 3. part. 5. ſect. 1. cap. 3.* Modus vero generandi, ac natale ſolum, ut debitè aſſignaretur huic ſucco, tot veterum ac recentiorum quorundam ſunt ventilatæ ſententiæ, quot in perveſtigatione partis affectæ colligi potuerunt diſcrepantiæ. In hoc tamen fermè conveniunt omnes, quod naturam hujus ſucci acidi obvelare nequeant, ac propterea materiam viſcidam acidam accuſent, utut in minera determinanda diſcrepent, ac Lienem hujus infortunii, cujus tamen inſons eſt, corpori humano ingruentis injurioſè inſimulent. Attractricem enim facultatem præ reliquis viſceribus an ſibi ſoli vendicet lien, ac totius Maſſæ ſanguineæ quiſquilias ſeu partem chyli terreſtriorem in ſinu ſuo colligat ac foveat, ventriculo pro exigentia communicet, permittant mihi autores ut dubitem. Omnes enim humores, ſicuti in rrliqua viſcera pulſu moventur, & nullus naturalium corporis partium appetitus pro nutritione earum demonſtrari poteſt, quem tamen recentiores nonnulli aſſerere non erubeſcunt; Ita nec oſcula vaſorum intra ventriculum hiantium eſſe providentia lienis chyliſuga (ut licentia omnium ita loquar) ut per vas breve nervoſum chylus abſorptus tradatur; neque peculiares ductus & liene ſuccum acrem in ventriculum & hepar vehentes concedere poſſumus; Quod utrumque *in Cornel. Conſentin.* proponente illam ſententiam *Prog. VI. de Nutricat. p.* 248. *& hanc ibid.* 244. vehementer miror. Quarum hæc ſatis refutata eſt ab Harvæo & aliis, quia venæ non ad partes vehunt, ſed ab iis revehunt id, quod per arterias cordis impulſu promanavit. Hanc verò proſternere videntur aſpleniorum canum teſtimonia, qualia cum *Diemerbrockio* mihi quoque ſunt cognita, qui æquè voraces ſunt ac benè digerunt, quam qui adhuc ſplenem in corpore ſuo poſſident. Deinceps ſuccum hunc acidum fore lieni magis hoſtilem quàm proficuum, ſatis demonſtravit *Tachen. in Hipp. Chymic.* eò quod omne acidum extra ventriculum ſit naturæ inimicum, & anſam potius præbeat ſcirrho lienis ſæpiſſimè in hoc morbo obvenienti, qui quando obtingit, potius eſt productum morboſum quàm cauſa morbi. Proinde maxima autorum turba obicem ſententiæ meæ non ponent, accuſantium lienem primariam ſedem Mali hujus, cùm dolor maximus non circa lienem ſed coſtas ſpurias percipiatur. Quin imo in ejuſmodi patientibus lien referente *Sylvio Libr. I. Prax. pag.* 82. optime conſtitutus fuit repertus; Hinc etiam neque ex liene, neque hepate, neque diaphragmate per vomitum, quod evacuatur in noſtro affecto, cum tanto levamine proxime prodit, ſed ſaltem ex ventriculo. Multò minus ſpatium inter diaphragma & ventriculum idoneum hujus materiæ colligendæ eſt repertorium, cum lympha aut cruor extravaſatus ſtatim putredinem concipiat. Uti nec meſaraicæ venæ ſunt gazophylacea hujus inquinamenti, quæ ſtatim in tumorem attollerentur, ac circulationem ſanguinis ſufflamando graviorum morborum exiſterent mineræ; puta inflammationum.

§. XII. Dico ergo, materiæ iſtius officinam primariam eſſe Ventriculum, id quod indicant frequentes ructus; vomituſque acidi. Ructus quod attinet, originem ducunt materialiter & proximè ex materia viſcida, intra quam efferveſcentiæ motu ſucceſſivè generantur, & in qua turgeſcente, non aliter atque aër intra bullam includuntur: ita ut quò viſcidum in corpore ſit copioſiùs, eò etiam copioſior fiat flatuum proventus. Quod ipſum duorum liquorum Chymica monſtrat miſtio, quorum ſi alter ſubſtantia ſpiſſiori abundaverit, largior longè flatuoſorum halituum producetur copia. Videntur autem ructus tales ſeu flatus maxima ſui mole nil aliud eſſe, quàm aër, latitans intra materiæ viſcidioris ex aſſumptis alimentis genitæ poris, qui ex iiſdem, præſertim alcalicarum particularum ſpatioſis, per irruens acidum, ſub mutua horum activitate extruſus, virtute ſua elaſtica ſe pandit, & ſubtilioribus materiæ efferveſcentis halitibus ſociatus, erumpens tandem, eaſdem cum alimentis aſſumptis quoad ſaporem & odorem ferè prodit qualitates. Hi verò (vomitus nempe) quod citra omne dubium ſint acidi & corroſivi, patet ex dentium, quos allidunt, ſtupore. Imò *ex obſ. Highmori* conſtat, vomitum hypochondriacum ſæpè labia, linguam, fauces & guttur exulceraſſe, *vid. cit. Aut. p.* 150.

§. XIII. Quando ſimul inteſtina tali materia flatuoſa ſunt adimpleta, tunc murmura & crebri adſunt borborygmi: Dum verò viſciditate ſuâ in cellis Inteſtinorum, imprimis coli, hæret, acore ſuo, pertinaces dolores & lancinationes pituitæ veterum vitreæ adſcriptas inferre aſſolet. Hinc ſæpè conqueruntur ægri, ſe

ſe percipere infarctus in abdomine, & monſtrando locum ſitum coli ſub ſtomacho exactè delineant; unde & ut plurimùm Malum Hypochondriacum comitatur paſſio colica. Hic chylus vitioſus in maſſam ſanguineam delatus, ſpiſſam & fermentationi imparem eandem reddit, ex qua radice multivaria morborum monſtra progerminant. Nempe per circulationem ſanguinis ad reliqua viſcera derivatur, in quibus hærendo ab acido ſuo vitioſo magis magiſque coagulatur, tumores & infarctus varios inducit, diverſis dolorum ſpeciebus comitatos, quatenus acidum nervoſis inimicum partibus fibras harum convellit, varioſque ſpaſmos & convulſiones, hincque doloroſa pathemata non raro inducit.

§.XIV. Qui Malum Hypochondriacum cum *Paracelſo* à Tart. quodam acido vel etiam veterum Melancholia acida ortum ſuum ducere aſſeret, à vero multùm non aberravit. Siquidem hæ ſententiæ omnes eo collimant, ut ſtatuant acidum viſcidum, quod ſubindè in nimiam fixam degenerat naturam, unde nunc Tart. quandam acidam, nunc vitriolicam ſtipticam indolem æmulatur (qualem obſervamus in ſucco inſpiſſato corticum viridium nucis juglandis, quem ſuccum non nemo ſub titulo vitrioli vegetabilis miris modis recommendavit) quatenus ſcilicet partes quædam terreſtriores excrementitiæ latitantes intra reliquias alimentorum, ab acido nimimum exaltato ſolvuntur, ut ſeſe intimius miſceant partibus Salinis acidis, ex quarum textura mutua, quaſi vitriolici aut aluminoſi ſaporis concretum emergit. Siquidem in hypochondriacis reperiri licet partes terreſtres, quæ tamen adinſtar Salium ob nimiam fermenti aciditatem intimè ſunt ſolutæ, ut ſi experimentum fiat ſubtiliſſima filtra penetrare queat, quæ tamen ab acidi conſortio ſtipticam Vitriolicam vel aluminoſam naturam exhibent.

§.XV. Cauſæ remotæ ſunt variæ. Ex naturalibus eſt Temperamentum ventriculi, veterum dictum frigidum ſeu melancholicum; Neoreticorum Dyſcraſia acida, maximè frequens in regionibus noſtris borealibus, & convenit utrique ſexui ac omni ætati, tàm juvenili quàm ſenili.

§.XVI. Ex non naturalibus eſt aër acris, conſtans ex Salibus acribus in ejus poros elevatis, & à copia aquoſorum effluviorum dilutis, obſervabilis tempore autumnali & verno, auditque noſtris Germanis *Tempus Rheumatic.* Hinc ejuſmodi aër inquinando Salivam ſeſe in ventriculum inſinuat, ibique reliquias in ſtomacho hærentes vitioſo ſapore inquinat. Ex alimentis omnes panes non ritè fermentati, pultes compoſitæ ex aqua & farina non fermentatæ, piſces & carnes fumo induratæ & non ritè maſticatæ. It. Cereviſiæ non benè fermentatæ. Porro quies nimia ſymbolum addit, quia continuè ſedentes comprimunt abdomen, & diaphragmatis motus, uti dictum, inhibetur. Jam verò abolito hujus motu & compreſſis muſculis abdominis alimenta diutiùs immorantur ventriculi cavo, exindeque nimium fermentando partes eorum terreſtres cum ſalinis diſſolvuntur. In hoc paſſu hepar quoque continuò comprimitur, quo ipſo & ſucco bilioſo in tantum ſufflaminatur exitus, quare degenerat ex ſucco amaricante in lixivialem alcalicum nimium. Hinc facti nimium fixi ſucci in inteſtinis excitant largum flatuum acrium proventum. Quapropter ſæpè Malum Hypochondriacum comitatur ſpecies quædam Colicæ, & benè Scorbutus inde oriundus ſub uno titulo tractatur à *Barbette.*

Porro ex rebus non naturalibus multa conferunt huc excretiones ſuppreſſæ: Hinc virginibus & mulieribus gravidis ob ſuppreſſionem menſium ſæpe accidit. It. viris totaliter veneris uſum intermittentibus. Suppreſſis enim excretionibus vaſa nimium replentur, hinc ſequitur tardior humorum circuitus, & conſequenter incraſſatio eorum. Quâ ratione ſomnus quoque nimius magis nocet quàm recreat, ad tardiorem circulationem humorum anſam præbens, imprimis qui ſtatim poſt cœnam capitur, niſi patientis conſuetudo aliud nos doceat, *juxta aph. Hipp. 50. Sect. II.* Vigiliæ è contra nimiæ etiam noxam inferunt muſculis diuturnâ agitatione corporis defatigatis & hac ratione tardiorem motum humorum procreantibus.

Neque à materia ſolùm hactenus depicta viſcida acida id dependet mali; ſed etiam à principio activo ſ. Archeo nervos dirigente p. n. irritato. Sæpius enim ex ſola iracundia malum hoc invaſiſſe quoſdam teſtatur experientia. Quo in caſu æque pati videtur anima noſtra, atque ſatis eruditè ab *Exc. Dn. D. Ammanno P. P. Lipſienſi* in deliriis ac mania pati judicatur. Animam enim, non corpus ſentire certum eſt, idque fit, quatenus eſt in cerebro; non qua membra corporis actuat, *vid. Carteſ. in Dioptr. cap. IV. p. 67.* Hinc quoties vel Ecſtaſi vel altâ contemplatione diſtracta velut extra corpus ponitur, toties ſenſus externi ſtupidi quaſi & ſemianimes obſervantur.

Ex p. n. ſunt omnes ſpecies ſuppreſſæ excretionum jam enumeratæ. It. febres malè curatæ imprimis intermittentes. De quibus *vid. Paul. Zachias.*

§.XVII. Differentia Mali Hipochondriaci fit in adſcitium & hæreditarium. Illud jam hactenus eſt inculcatum. Hoc à parentibus propagatum.

§.XVIII. Citra ambages Signa Diagnoſtica recenſemus hæc: Dolores gravativi & tenſivi in regione lumbari incipientes, & graviſſimo contorſionis ſenſu hinc inde in abdomine oberrantes, anterioraque verſus contorquentes, imo ad vertebras colli protracti adeſſe ſolent. Ubi malum eſt confirmatum, excerbationes ſuſcipit ſumptis cibis, ubi ſolent adeſſe phlogoſes ac reſpirandi difficultas. Interdum vomendi conatus jejuno præprimis ſtomacho. Flatus & ructus fermè ſunt continui, ut & contumaciſſimâ alvi obſtructio, Vertigenes, Cephalalgiæ anxietates, ad ſomnum propenſio, terrores & triſtitiæ citra manifeſtas cauſas mentem perturbantes. Interdum viri iis vexantur, quibus mulieres aliàs ſunt obnoxiæ hyſtericæ. Pulſus ſunt varii: Inæquales & omni ferè momento mutabiles in Paroxyſmo Extra nunc pulſus adeſt magnitudine moderatus & tardus. Urina ut plurimùm eſt citrina recenter micta & in tantum craſſa, utut pellucida. Interdum turbida & pallida cum copia Salium. Poſtquam verò aliquamdiu ſteterit, præcipitatur in materiam viſcidam copioſiſſimam & ſabulum ruffum gryſeum, unde & Medicaſtri utpl. accuſant renum calculum, quia in lumbis percipitur dolor, quod ſabulum tamen in urina tale non extitit. *Vid. Helmont. Tartarus inſons.*

§.XIX. Prognoſin quod concernit, ea ſequens eſſe poterit. Quòd malum hoc in incunabulis adhuc benè edomabile ſit; Quod ſi verò adoleverit, actuoſiſſimam ſæpè Medici illudat induſtriam. Ubi Cephalalgiæ non adſunt contumaces, neque appetitus proſtratus eſt, & flatuum ac ructuum continuus non eſt proventus, ſpes ſalutis adhuc ſupereſt. Si altas radices egerit, progignit non degenerem ſobolem Scorbutum, *Vid. Prax. Barbettiana.* Scorbutum autem qui dixerit, larvam malorum dicet. Hinc contumaces palpitationes cordis, Melancholia, agrypnia, Ephialtes, nonnunquam etiam Epilepſia, & quidem talis, ut juraveris malum dependere à Dæmone, imprimis in mulieribus, ſupervenire ſolent. Quod ſi hoc malum non curetur, ac vomitus niger ſuperveniat, uti ſæpius obſervavit ſingulari honore amoreque mactandus *Dn. D. Petermannus*, funeſtum eſt ſignum, & plerumque preſſo pede ſequitur mors. Si à ſcybalis diu retentis contumaciſſima adſit alvi obſtructio, periculum eſt, ne ad volvulum aut inflammationem tandemque ſphacelum ſecuturum diſponat. Hæredi-

tarium Malum hypochondriacum nunquam admittit curationem plenariam.

§. XX. Curationem legitimam inſtituendam ſecundùm certas indicationes ſubminiſtrat triplex Fons. Ex fonte Chirurgico commendant quidam Salvatellæ ſectionem; quæ tamen, cùm præ aliis venis nullam habeat prærogativam, prout ex circulatione ſanguinis notum, non aliud à reliquis auferet ægro auxilium. Hac tamen ratione admitti poſſet Ven. Sect. quod citiorem curſum humorum promoveat, & ita convulſione partium nervoſarum forſan ſtagnantem ſanguinem in motum rurſus ſuſcitet.

Fons Pharmaceuticus dirigitur juxta has indicationes: 1. Acidum viſcidum temperetur. 2. Temperatum evacuetur. 3. Convulſiones per anodyna ſedentur. Hinc ex regno vegetabili offert primo omnia antiſcorbutica, quæ quia participant, de Sale volatili magnam noxam inferente hypochondriacis, cum aliis ſint miſcenda. In genere conveniunt aperientia dicta Epatica, Splenetica, & omnia ſtomachica, ut ſunt Abſynth. fumar. Card. Bened. Chamædr. Chamepyt. Scolopendr. It. Rad. Gramin. armorac. acor. polypod. filic. helen. fœnicul. It. Salia lixivialia Sal. abſynth. Cihor. Sal Stomachal. Mynſ. Sal compoſ. quod ex remanentia Spiritus Sal Ammoniaci deſtillati elicitur, egregium diureticum dictum digeſtivum hypochondriacum. It. cit. herb. Eſſ. decocta, infuſa. Succi expreſſi amaricantes vegetabiles. Egregia quoque ex myrrha, Gumm. Ammoniacum. Hinc Pil. ex Gumm. Ammoniaco Quercet. ſatis proficuæ ſunt.

Ex minerali regno omnibus palmam præripiunt Martialia. Ineſt namque vis inſignis Marti Acida abſorbendi teſte Chymia. Notetur tamen, ut ſemper admiſceantur alia. Si enim Mars concurrit in acido fortiori degenerat in Vitriolum, quibuſdam nauſeoſum, imò Vomitorium, præſertim ſi Mars impurior fuerit, & tantillo licet Veneris contagio inquinatus, à quo Vitriolo tunc intra corpus emergente pertinaces vomitus ſuperveniunt: aliàs Mars cum ſpiritu volatiliori ſulphuris illitus, reſolvitur in *crocum Martis ſaccarinum.* Reliquis omnibus præfero crocum Martis cum Salib. Dum enim Salia lixivialia concurrunt c. limatura Martis aggrediuntur partes acidas Martis, quo facto deſtruitur ſtructura corporis Martis; crocuſque in corpus adſumptus ſaltim eſt alcalicus, quia ab acido ventriculi ita coagulari nequit, ut induat perfectam naturam Vitrioli, deſtructo priùs acido minerali. Deinde laudo hîc pulverem Martialem Antimonialem compoſitam ex part. Mart. & 2. p. Antimonii, fixatumque per Nitrum in 3 pla. proportione additum, ex quibus fit medicamentum blandius ipſa limatura Martis.

Dein adhiberi poſſunt Tinct. Martiales Tinct. Mart. Zvvelff. Eſſa. Mart. dulcis, quam non magni tamen æſtimo ob crudum Martem, niſi mox adhibeatur cum ſubſequentibus purgantibus. Quomodo extr. Mart. c. ſucc. pomor. poteſt aſſumi inter Pil. purgantes.

Porro incidunt & corrigunt ſuo modo acidum Tart. Vitriolat. Tart. chalybeat. Tinct. Antimonii Tart. terra Tart. fol. Spir. Tart. volat. Spiritus Carminativ. de tribus Spiritibus Sal. Ammoniaci c. liq. ex terra Tart. ſol. miſtus pro ſecreto ab aliquibus habetur. Nitrum depuratum etiam recommendatur hic, præſertim ubi flatus aut phlogoſes magis urgeant, cujus uſu deſperatos hypochondriacos ad externam ferè maciem deductos aliquando feliciter curavit *Bartholet. tr. d. Dyſpnæa lib. X. cap.* 4. Elix. Proprietat. Elix. ſtomach. *Dn. D. Michael.*

Ex animalibus proſunt omnis generis præparata ex oſſibus. Et ex Martinis v. g. C.C. Mater perlar. Corall. ocul. Cancror. &c.

Acidum viſcidum inciſum & correctum ſenſim atque ſenſim evacuetur ſ. per ſuperiora, ſ. per inferiora; alvus verò quantum poſſibile ſervetur continuò aperta. Inter evacuantia hîc vomitoria palmam præripiunt. Unicum enim Vomitorium plus præſtabit, quam decem purgantia; habitô tamen reſpectu ætatum ſexuumque. Propinantur autem præcipuè in infuſo. In omnibus enim vomitionibus ventriculum aliquantiſper repleri conducere arbitror, quò viſcidæ peccantes particulæ facilius egerantur, cùm aliàs ſaltim inanis ſequatur vomendi conatus. *Vid. aph.* 13. *ſect. IV. Hipp.* parum autem intereſt, utrum ex Antimonio crudo, Mercurio vitæ, ſuccin. Antimonii, Croc. metall. ſimpl. vel abſinthiac. Mynſ. parum quoque intereſt, utrum ut nuda infuſa adhibeantur, an verò inſpiſſentur in tantum cum ſaccharo in conſiſtentiam Syrupi, vel etiam in formam pulveris mutentur, uti ex Mercurio vit. & Cryſt. Tart. per infuſionem, filtrationem, & evaporationem fieri poteſt. Notetur igitur, ut extrahendis addatur Acidum, aliàs nihil extrahitur.

Purgantia verò ſunto lenia; fortiora enim peſſima inferunt inteſtinorum ſymptomata, ægroſque diſponunt ad dyſenterias, tormina & diarrhæas. Hinc proſunt hic pil. ex Ammoniac. Quercet. ſuprà laudatæ, quæ poſſunt acuari ſtimulo de Colocynth. qui ſunt egregii, Radix Helleb. nigr. quoque prodeſt ſatis, ſive adhibeatur inter infuſa, quæ non ultimum in hoc affectu ſibi vendicant locum; ſive inter pilulas.

Rhebarbarum tanquàm aptiſſimum & promptiſſimum alterans & evacuans laudatur *à Rhod. Cent.* 2. *obſ.* 2. tam infuſum, quàm decoctum. Aloëtica multis etiam hîc ſunt in uſu, quo etiam pilulæ Francofurtenſes pertinent. Verum omnia aloëtica plus nocent quàm proſunt, propter virtutem adſtrictoriam, quam poſt ſe relinquunt ordinariò, hinc corrigatur hæc vis Mercurialia.

Tertia Indicatio obtinetur per omnis generis ſedativa ſeu confortativa, v. g. Cinnab. Antimonii, Dent. Equi Mar. præpar. Ebur. ſ. Igne Unicorn. præparat. Ungul. alc. præparat. Ex quibus ſpeciebus præſtantiſſima ſunt præparata; quibus admiſceri poterunt opiat. v. g. Eſſ. Op. ad mod. Langlott. Laud. opiat. Extr. theriacal. Et in ſexu ſequiori Caſtoreum & exindè parata Eſſ. Extr. Aquar. hirund. c. Caſtor.

§. XXII. Clyſteres hic proſunt emollientes & abſtergentes, ſi ſcybala in inteſtinis malum hoc inferent: Si cauſa verò in ventriculo hæreat, dubito de ipſorum uſu.

§. XXIII. Formulas hîc annectere eſt replere paginas variis ambagibus & conſpurcare atramento. Committuntur enim cujuſlibet prudentis & exercitati Medici judicioſo arbitrio, pro ratione circumſtantiarum ætatis ac ſexûs curam gerentis. Ideoque ultimo ſaltim loco ad rectè inſtituendam diætam, obſervetur in omnibus temperantia, & videntur ea, quæ ſupra expoſitæ cauſæ mali hujus nutrices eſſe poſſunt, v. g. Piſces & carnes ſalitæ & fumo induratæ. It. Acida varia & omnis generis talia, quæ lympham viſcidam, acrem aut acidam in corpore producere & ſuſtentare valent. Et ſi qui ſunt, qui Medici conſilia irridere non erubeſcunt, aut ſordidis avaritiæ vinculis detenti Medici opem non quærunt, ſciant, quòd non meliori damno ipſorum conſulatur ſaluti, quàm ſi ſtudio protractis moris convaleſcendi Mors morbos ipſorum imponat finem. FINIS.

DISSERTATIO VII.
DE DOLORE HYPOCHONDRIACO, VULGO SED FALSO PUTATO SPLENETICO.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

ELEGANS certè eſt illa comparatio, quam inter hominis, annique ætates inſtituit *Ovidius lib. Metamorph. 15.*

Nam tener, & lactens, puerique ſimillimus ævo
Vere novo eſt, tunc herba recens, & roboris expers
Turget. & inſolita eſt: & ſpe delectat agreſtes.
Tranſit in æſtatem, poſt ver, robuſtior annus:
Fitque valens juvenis, neque enim robuſtior ætas
Excipit Autumnus, poſito fervore juventæ,
Maturus; mitiſque inter juvenemque, ſenemque;
Inde ſenilis hyems ———

hominis & anni ætatibus illæ Scientiarum, Artiumque reſpondent; nam, ut rectè *Sapiens* loquitur *Seneca: Multum egerunt majores noſtri, ſed non peregerunt, multa agenda reſtant poſteris; nec ulli poſt centum annos exercendi ingenii deerit occaſio*: Ita legimus, *Artis Pictoriæ* adeò tenera principia fuiſſe, ut rebus pictis nomina addiderint, eandem verò progreſſu temporis ab *Apelle* vel optimè excultam, ac Naturæ matris fætum egregiè adumbratum fuiſſe; Ita medicamentorum luxurioſa jam ſeges, de eorum ſingulatim agnita virtute ſurrexit; Imprimis tamen cum illis comparari poteſt, partium Humani Corporis ſtructuræ & uſus cognitio: Hæc olim paulò obſcuriori caligine merſa erat, indè verò ab *Harvæo*, *Conringio*, & forſan priùs *à Paulo Sarpâ Veneto*, motum ſanguinis indicantibus, nonnihil firmiori talo inniti cæpit, ac etiamnum novas vires & robur acquirit, majores à ſeculi hujus felicitate expectans. Maximè verô omnium controverſa fuit hactenus ſententia *de vera ſtructura & uſu lienis*, veteribus huic multos morbos adſcribentibus, recentioribus verò ipſi patrocinantibus. Et horum quidem Clariſſimorum Virorum veſtigiis inſiſtentes, & nos in præſentiarum *lienem* à doloribus ipſi vulgò tributis vindicare, eoſdemque *colo* potiùs adſcribendos eſſe, demonſtrare conabimur.

CAPUT I.

Hiſtoriam doloris Hypochondriaci recenſet.

§ 1. SI quæ alia totius corporis regio, utique tertius venter, abdomen qui vocatur Anatomicis, variis ac frequentiſſimis cruciatur doloribus. Inter plurimas autem, quas hic includit partes, primariò *Inteſtina* doloroſè affliguntur in morbo ſcilicet iliaco, dyſenteria, teneſmo, dolore lumbari, colica, paſſionibus Mulierum hyſtericis, doloribus in & poſt partum, doloribus ſcorbuticis, convulſivis, nephriticis, aliiſque ſimilibus. Cauſas frequentiæ horum dolorum inquirentes principem locum tenere videmus confluentiam ſucci bilioſi ſalin. volat. oleoſi, & ſucci pancratici ſalin. acidi, cum chylo, ejuſque relicto inteſtina incruſtante muco; nam ex horum ſub finem duodeni concurſu, non poteſt non à particularum imprimis ſalinar. hos liquores componentium, diverſimoda conſtitutione inſignis oriri agitatio & effervescentia, quæ in ſanis quidem blandè ac ſine omni maleſtia peragitur, in ſtatu verò morboſo hæc ipſa ſæpius augetur, ſubinde etiam inſigniter depravatur, quando videlicet vel chylus, in ventriculo non benè coctus, contumaciter ſpernit *Imperium Triumvirale* (ut hoc nomine ſuccum bilioſum, pancreaticum, & pituitam inteſtinalem indigitare cum *Sylvio* liceat) vel etiam quando horum unus alteri prædominari ſtudet, vel ex læſa conſtitutione vitioſè cum altero efferveſcit, hinc enim illæ lancinationes, diſtenſiones, tormina, frigora, æſtus, ſimileſque moleſtiæ modò vagæ modo fixæ in abdomine oriuntur, de quibus ægrotantes acerbè ut plurimum conqueri ſolent. Altera ab hac cauſa & frequentia flatuum, vitioſæ efferveſcentiæ pernicioſa proles, quibus dum à pituitoſa inteſtinorum diluta cruſta, ſimiliter ac à præcipitatis partibus debitò terreſtrioribus, feculentioribus, viſcoſioribus, via includitur, fit, ut inteſtina diſtendantur vehementiùs, & quaſi violenter divellantur cum acerbo patientium cruciatu. Accedunt his tertio loco nervei funiculi, inteſtina frequenter cingentes, ex inſignioribus ac mirabilibus eorum in meſenterio plexibus, ut ad alias abdominis partes, ita ſpecialiter ad inteſtina diſtributi, à quibus ſive per eſſentiam irritatis, ſive per conſenſum cum aliis corporis partibus affectis, varii ſpaſmodici, convulſivi ac acerbiſſimi dolores, modò in una abdominis parte ſeparatim, modò verò conjunctim in omnibus ferè ſimul excitantur.

§. 2. Hos inter dolores, ſi quis alius acerbus contumax & ſæpè recurrens, eſt iſte dolor abdominis, qui

percipitur

percipitur ſub hypochondrio ſiniſtro, & quem ad imitationem *Clariſſ. Sylvii lib.1. prax. cap.14. §.6. Hypochondriacum* vocabimus. Percipitur ſcilicet dolor graviſſimè lancinans & pungens, interdum ſimul diſtendens & vehementer vellicans, fixus ſub hypochondriaco ſiniſtro, & tam cavitatem illam, quam ibidem coſtæ ſpuriæ efformant, occupans, quam ſe etiam interdum latius extendens, ac partem illam molliorem lumbis conterminam obſidens, intumeſcentia ſæpiùs ibi locorum manifeſtè apparet, nunc mollis & compreſſioni cedens, nunc verò tactui pertinaciùs reſiſtens. Graviùs utplurimum urget dolor, dum ægri ſupini jacent, uti & dum inſpirant, tunc enim punctiones atrociores percipere ſe conqueruntur, admotâ verò manu regioni dolenti, hacque compreſſa remiſſio doloris & quoddam levamen percipitur; reſpiratio adeſt ſimul difficilis, non tantùm ob punctiones tunc perceptas, ſed quod inſpirando thoracem ſufficienter diſtendere nequeant, quin impedimentum aliquod in hypochondriis, mediaque regione epigaſtricâ, ſe opponere videatur. Præterea appetitus ferè ſemper ſimul eſt proſtratus, ſupervenientibus interdum; ſi atrocior fuerit dolor, vomitibus contumacibus tam ingeſtorum quàm liquaminum flaveſcentium, viridium, viſcidorum, craſſorum, tenuium, &c. Sub quo vomendi conatu ægri miſerabiliter de dolorum exacerbatione conqueruntur. Denique alvus ut plurimum eſt obſtructa, rariùs naturaliter fluida, rariſſimè nimis laxa, urgetque ſimul flatuum copia, quorum excretione levamen aliquod, ſed parvum, nec diu durans percipiunt ægri. His interdum accedunt, & vel potiſſimum in ſexu ſequiori, dolores totum abdomen occupantes, & ad genitalia excurrentes, qui parturientium dolores ferè imitantur, hinc ad lumbos dorſumque reflexi tandem diſparent, ſucceſſivè denuò recurrentes. Clyſmata injecta, & primariò quidem ex emollientibus, & abſtergentibus hinc & carminantibus, malum levare ſolent. Similiter quoque remedia externa ex oleis deſtillatis penetrantibus, aromaticis; regioni abdominis ſtomachali, ſ. ſcrobiculo cordis ut vocant; item hypochondrio ſiniſtro, & ubi totum abdomen occupatur; umbilici orbitæ ſucceſſivè illita conducunt. Interius verò egregium uſum habent blandè laxantia & viſcida abſtergentia, nec non aromatica; item ſemina & radices ſapore nonnihil acri, ac odore ſuavi pollentes. In genere vero omnia ſalia volatilia partibus oleoſis & ſpirituoſis attemperata; item opiata addita magnarum hic virium eſſe, experientia docet.

§.3. Adſtantes ubi audiunt ægrorum querelas, ſubito *Lienis* & affectum & culpam incuſant: His pleno ore aſſentiuntur ipſi ægri, *lienis* peſſimum viſcus execrantes, quin non raro ipſi Medici aut falsâ opinione ſeducti, aut ut auram plebeculæ captent, ſimiliter morbum *lienis* vocant. Applicantur ob id emplaſtra ſplenetica uſitata, de ammoniaco, de cicuta, meliloto, mucilagine ſemin. pſyllii, &c. Fiuntque inunctiones cum oleis capparum, oleo & extracto nicotianæ, oleo amygdalarum, oleo irino, lil. albor. nardino, tamariſcino, juniper. laterin. rutac. anethin. quæ diutiùs continuata, tandem non ſine fructu ſunt. Aſſumuntur etiam per os uſitatè Spiritus cochlear. naſturt. aq. & eſſent. ſpleneticæ, eſſent. ſplenis bovis, eſſ. fumar. compos. Tinct. eſſent. flor. croc. & ſalia martialia, ſacharum Saturn. remed. ex tartaro parata, ſimiliaque quibus & aperiatur obſtructus *lien*, & diſſolvatur ejuſdem infarctus, ut humoribus liber exitus concedatur; indeque iſti dolores ſopiantur.

CAPUT II.

Subjectum Doloris Hypochondriaci declarat.

§.1. Splenis viſcus uſitatè incuſari, ex dictis non minùs quàm quotidianis vulgi querelis patet; Nos tamen adæquatum affectus hujus Subjectum eſſe dicimus *inteſtina ſub hypochondrio ſiniſtro deliteſcentia, tam tenuia quàm primariò craſſa*, & ex his quidem frequentiùs inteſtini *coli iſtam partem, quæ hypochondrium ſiniſtrum occupat*, & ubi colon ex ampliori cavitate arctiùs nonnihil conſtringitur, ut optimè obſervavit *G. Bauhinus*, ſimulque angulari figurâ curvatum ad renem ſiniſtrum deſcendit; Eſt enim hic locus aptiſſimus, in quo aut ſcybala indurata hærere, aut mucilagines acidæ ſtagnare, aut flatuum impetus cohiberi, retrudi, ac retroflecti poſſit; Ex quibus quid aliud quàm dolorum varii cruciatus, lancinationes, roſiones, punctiones, diſtenſiones ſubnaſci poſſunt; teſte *Hildano cent.5. obſ.58. ubi ita habet: Cum excrementa, in ſuperiori & capaciſſimâ inteſtini coli parte, in globos magnos, prout capacitas ferebat, indurata, à flatu verſus hanc anguſtiam magnâ cum violentia pellantur, accidit, ut non niſi ſummo cum dolore permeare poſſint*: Ex inteſtinis vero tenuibus, *eam jejuni partem, quæ à lumbis liberiùs in hypochondrium ſiniſtrum aſſurgit, ibique incurvatur*, ſimili dolore interdum quoque ſed ſecundario tantum affici, omnino cum *Sylvio* aſſerimus. *V. Sylv. prax. p.147.* utut rariùs hoc ipſum contingere ſoleat.

§.2. Quod ſi exacte conſideremus, quæ circa tales ægros eveniunt, vel ſponte aſſerti noſtri veritas ſe manifeſtat; Situs enim doloris, exacte ad *coli* ſitum & conformationem ibidem locorum ſe conformat, deſcendens ſubinde deorſum nonnihil ad renem uſque ſiniſtrum, aut extendens ſe ſub coſtis nothis non parùm verſus hypochondrium dextrum; Imo evenit interdum, ut ſimilis dolor, qui ante erat in hypochondrio dextro, ſucceſſive transferatur ad ſiniſtrum, ibique fixâ ſede firmata atrociùs affligat; Unde etiam eſt, quod Clyſmata tam potenter ferant opem, præſentaneumque interdum ſint remedium, quod & contactus & virtus eorum hûc imprimis pertingat. Accedit; quod quò contumacior eſt alvus, eò dolor ſit atrocior, & quo illa fluidior, eo hic remiſſior; Item quod excretio flatuum malum levet, quos ex *liene* proficiſci quis aſſerat? Quin hi ipſi potiùs nullibi magis *quàm in Inteſtinis* ſpecialiter vero in *colo* ſtabulantur. Econtrà *lien* ratione ſitûs, qui eſt ſub coſtis, ita ut ultimam harum infimo ſuo extremo vix ac ne vix quidem contingat, tumorem vel viſibilem oculis offerre, vel manu palpabilem tactui repræſentare nullo modo poteſt, id quod tamen veterum volunt aſſerta; niſi forſan *laxata admodum vel rupta ſint vincula*, quibus diaphragmati, omento, ventriculo, lociſque vicinis annectitur; quale exemplum *in Obſ.3. M. Bogdan. affixis Cultro Anatomico Lyſeri* proſtat; *vel ab humore in eo ſtagnante* in immenſam molem aſſurgat, de quo *Vid. Malpigh. de ſtructur. & uſu viſcerum, ubi de liene*, vel etiam *ipſum lienis parenchyma*, modo texturam hanc membranoſam ita appellare fas ſit, enormiter excreſcat; obſervante *Bartholin. C.1. ep.62. p.254. & C.4. ep.13.* Quæ omnia tamen rariſſimè fiunt, cùm *dolor hypochondriacus* ſit frequentiſſimus; & poſito illa adeſſe, talia ſymptomata qualia hypochondrio ſiniſtro dolentes habent, non inferunt, de quo infrà. Prætereà, ratione parenchymatis adeo inflari nequit *lien*, ut in ſiniſtro hypochondrio extuberet, & admota manu cum murmure tumor intùs occultetur, id quod ſoli *colo* ibi locorum proprium: Nam *ſplenis* parenchyma, adeo ineptum eſt extenſioni à flatibus, ut etiam niſi magna vi in exempto exſiccatoque fieri poſſit. Omnes itaque *ſplenis* dictas inflationes, potiùs

flatuum aut in *jejuno* aut potiſſimùm in *colo ſub hypochondrio ſiniſtro* coacervationes dixerim. Exemplum ſit inflatio iſta ſplenis, quæ eſt apud *Foreſtum l.20. Obſ.4. p.m.276.* quam in *colo* fuiſſe cæcus ſit, qui non apertè videat. Propterea namque etiam evenit in tali *hypochondrii dolore*, quod manus loco dolenti cum forti compreſſione admota, quatenùs flatuum agmina disjiciuntur, dolorificæ diſtenſionis, lancinationiſque, levamentum adferat.

§ 3. Sed ne ſolis ſpeculationibus indulgere videamur, vel obſervationes Practicæ idem oculariter teſtantur. *Vid. Salmuth. Cent.I. Obſ.24.* Quæ obſervatio luculentiſſima eſt, ad confirmandam noſtram hypotheſin, ſcybalis per ſeſquiannum in *colo* retentis, affectum & dolorem vulgò habitum *ſplenticum*, exactiſſimè cum omnibus ſymptomatibus inferentibus. Cui ſimile ſed magis adhuc ſtupendum, infarctus talis per ſexennium continuati, pro ſcirrho contumaci habiti, exemplum recenſet *Fernelius lib.VI. de partib. morb. & ſympt. c.9.* Nec minùs eleganter noſtram opinionem illuſtrat, *Obſ.58. in Cent.I. Hildan.* Quibus adjungatur obſervatu digniſſimus affectus & cura, relata *à Sylv. prax. c.14. p.168.* Pertinet etiam hûc *caſus 36. Cent.I. Gabelchouer.* quem ſplenis dolorem, *colicam hypochondriacam* fuiſſe, curatio ejus teſtatur. Vix dubito, quin *& Obſ.21. Panaroll. Pent.2.* huic albo inſcribam, ſcilicet, quia mucilaginoſæ ſordes, à juſculo cum ſpir. vitrioli, attenuatæ ſolutæque fuerunt, unde tranſitu per annum reperto, *ſpleneticus* putatus liberatus fuit. Hinc cautè monent omnes Practici, cavendum, ne *dolor hypochondrii ſiniſtri* cum dolore *lienis* confundatur. *Vid. ſis Hildan. cit. loc. & Foreſtum l.20. Obſ.2. Schol. p.275.* quo loco libenter concedit, *dolorem colicum* diſtendentem acutum & interdum mobilem, *dolorem* vero *lienis* gravativum tantum eſſe. Reliqui Practici, ubi ad diagnoſin doloris ex vitio & affectu *lienis* perveniunt, potiùs alia ſigna adducunt, quibus is affectus cognoſci debeat, quam ut proprium *ſplenis* dolorem monſtrare poſſint: Et tamen hæ ipſæ notæ, quibus *ſplenem* laborantem exprimere conantur, de gravitate, videlicet in hypochondrio ſiniſtro, de dolore à longa ambulatione, equitatione aliove vehementi exercitio, de appetitu proſtrato, fluxu hæmorrhoidum ablato, ſpiritus difficultate, mæſtitiâ, ſomniis turbulentis, de utilitate ſupervenientis dyarrhœæ, dyſenteriæ, humorumque acidorum vomitûs, item quas de colore cutis atro, excretis nigris, rugitu & murmure in ſiniſtro hypochondrio referunt, ea omnia partim *Colo & inteſtinis affectis* vel maximè convenire dicimus, partim verò antiquam iſtam *Galeni & Avicennæ* Doctrinam ſapiunt, & falſæ ac præconceptæ illi opinioni de officio *Lienis* circa humorem melancholicum ſuperſtructa ſunt. Nimirum *Lienem* ex Epate per vas venoſum attrahere craſſum ac limoſum ſuccum, ipſis vocatum Melancholicum, illum alterare, ac ex ipſo conveniens ſibi alimentum elaborare, reliquo inutili ad Ventriculum, per vas breve amandato: Quod ſi jam eveniat, addunt, ut tranſitus hic denegetur excrementum hoc in totum corpus redundans, id ipſum neceſſario inquinat, varioſque morbos, imprimis verò icterum nigrum, Scorbutum, Affectionem hypochondr. inducit, ſimili modo ac ex obſtructione veſiculæ felleæ icterus flavus generetur. Quorum tamen omnium explicatio, ex aliis longè fontibus haurienda.

§.4. Res ut pateat ulteriùs, conſideremus ſaltem dolorem iſtum punctorium hypochondrii ſiniſtri, qui poſt vehementiores corporis motus & exercitia accidere ſolet, & in ſpecie poſt equitationem torquet, uno ore *Lillienis dolor punctorius* vocatus; unde etiam natum vulgare illud dogma, eximi poſſe aut ſaltem debere, curſoribus *Lienem*, ut citra punctorias has moleſtias, citatiori curſu pergere poſſent, de quo conſulatur *Cl. Mœbius in fundament. phyſiolog.* Verum hunc Dolorem non eſſe *Splenicum*, ipſe *Sennertus*, qui tamen aliàs ex hypotheſi vulgari *Lieni* ejuſque dolori multum adhuc tribuit *l.3. prax. pag.498.* libenter fatetur. In eo tamen à noſtra opinione declinat, quod Peritonæo illum acceptum ferat, cum potiori jure *inteſtinis ibidem locorum arctatis*, & in ſpecie *Colo*, ejuſque anguſtiori peripheriæ in curvatura ſit adſcribendus. Unde etiam eſt, quod poſt paſtum crebrius aſſurgat talis dolor, quando ſcilicet & copioſiores flatus ex alimentorum recenti aſſumptione & diſtributione inteſtina diſtendunt, & colon à vicino ventriculi fundo magis comprimitur, & anguſtatur: ita & impreſſio digitorum in locum puncturæ, aut fortior manus applicatio, dolorem ſopit, quatenus flatuum impetum retrudit ac retroflectit, quorum emiſſione dolor ſenſibiliter levatur, id quod ex *Liene* quomodo deduci poſſit non video; Præterea dolores hujuſmodi eis in ſpecie graviores incumbunt, qui affectione hypochondriaca laborant, ac indè largiori flatuum ditati ſunt proventu. Dum E. per motum & exercitium in concalefactis inteſtinis flatus impetuoſiore turgeſcentia vagantur, ſub hypochondrio ſiniſtro ex quacunque cauſa hærent, dolorum iſtorum punctoriorum cauſæ exiſtunt.

§.5. *Inteſtinorum* ſi conſideramus ſubſtantiam, Doloribus acutis concipiendis aptiſſimam, (ſicut reverâ, quam acuti ſint & torquentes, tantum non quotidiè experimur) è contra verò *Lienis* parenchyma quam his ipſis ſit ineptum, magis magiſque noſtra confirmatur opinio. Eſt enim totum *Lienis* corpus membranarum congeries in Cellulas, & concamerationes efformata ſive diſtincta; quæ apum veluti favos aptè repræſentant; In his cellulis copioſiſſimæ & ferè innumeræ ſunt glandulæ ovales, coloris albi, racematim tanquam uvæ botrus, invicem contextæ, cum ſeptem vel octo ſingulus quique botrus conglobetur: Has inter ſparguntur arteriarum & venarum capreoli, quibus intertexuntur fibræ copioſæ, cum numeroſa ramulorum ſive fibrillarum ſobole, prognatæ ab interiori membrana *Lienis*, ſive à capſula ejuſdem ad robur mollioris ſubſtantiæ, ſive ut ſint tanquam trabes, pro firmandis parietibus vaſorum ſanguineorum & nervoſorum ac cellularum. Hanc *Lienis* ſtructuram, hactenus omnium Anatomicorum ſedulitatem eludentem (Hoffmann. enim & alii parenchymatoſam carnem appellant, *Highmorus* verò concretum ſanguinem vocat; omneſque Anatomici uno conſenſu ſanguinem congrumatum circa fibras nerveas pronuntiarunt; decepti, quod vel leviſſimâ cultelli admotione, arteriarum & venarum quaſi filamenta ſanguinem pro ſupplemento ſpatiolorum, quæ ſunt inter glandulas illas, effundant, ac ſic denſam caliginem oculis offundant) uti primus luſtravit *Malpighius*, ita & idem ad abſconditas ſymptomatum hujus viſceris cauſas, facilius penetrare potuit; Nimirum vel à copioſo humorum per arterias nervoſque affluxu ad glandulas has vel vitio vaſis auferentis, vel appulſæ materiæ energiâ, *Lienem* interdum laxum & utplurimum amplum reddi, continuato nihilominus perpetuò ſanguinis affluxu in tumore jam facto. His ita trutinatis dolorem *pulſatorium* ex ſanguinis arterioſi motu, aut *gravativum* ex parenchymate ejus, variis excrementis infarcto, aut *Teſte Barth. cent.4. ep.14.* ultrà molem naturalem excreſcente, ipſis libenter concedimus; imò ut largiores ſimus, & *tenſivum* quendam, obſcurum tamen dolorem, ex diſtenſione ejus membranæ, tandem largimur: ſed acutum, pungentem, lacerantem, terebrantem & tam atrociter torquentem dolorem ut inferat parenchyma ejus minùs ſenſile & cujus ſtructura huic omninò repugnat, nulli admittimus, quin hos ſoli *Colo* & aliquando *Inteſtino tenui* ibidem locorum incluſo conſtanter adſcribamus; Nam & duri tumores & ſcirrhi *Lienem* infeſtant, qui tamen citrà ullā inſigniorē moleſtiam, ſæpè etiam inſenſibiliter ſuccreſcere ſolent, pluresque ād annos circumferuntur.

§.6.

§. 6. Dolenda intereà eſt *Lienis* conditio, cujus ſtructura & uſus legitimus, uti hactenùs planè ſtetit incognitus, ne dicam neglectus, ita nihilominus tot malorum morborumque à vulgo ignaro habetur ſentina, ut tantum non relegare iſtud & exterminare ex Republica microcoſmica, volupe ducant; Sed innocentiam ejus egregiè defendunt *Sylvius diſp. de uſu Lienis*, ob id à quibusdā malevolis titulum Patroni *Lienis* adeptus, item *Coring. Tr. de gener. & uſu ſangu.* Nam neque ſcorbuti, neque Mali Hypochōdriaci, neque icteri nigri fomes & focus eſt *Lien* obſtructus, vel alio modo vitiatus; nec magis Quartanæ cubile eſt *Splen.* quam Tertianæ Hepar. Et poſito quod Emplaſtrum *Helm. Tr. de febr. p. 776. Splenis* regioni appoſitum centenas. Quartanas tutò perſanârit, nihilominus tamen hoc ipſum, non magis ſedem eſſe ejus in *ſplene* probat, quam quod Emplaſtrum febrile *B. D. Michaëlis ex* fuligine Thereb. camph. &c. quo carpis manuum applicato, in ſene decrepito aliquando, eandem Quartanam curavit, (non ſecus ac ſimilia externa ſæpiùs mirabiles edunt effectus) probare deberet, eandem aliasvè intermittentes reſidere in carpis manuum. Plura alia *Helmontij de Splene lepidè aſſerta*, tam quoad jus duumviratus, quam quoad ſomni vigiliarumque radicem, nec non vim genitalem ex eo derivatam, ſufficienter infringit canis ſine *ſplene* optimè ſe habens, & omnes actiones quà vitales, quà animales & genitales, alacriter obiens, Neque tamen hæc ita accepta volumus, ac ſi in totum *Lienis* morbos negaremus, ac univerſaliter omnes ejus obſtructiones rejiceremus, nam inquiſitiva Anatomicorum manus, plus ſatis eaſdem ad ſcirrhoſam lapideamque duritiem impactas, nobis detexit; ſed hoc tantum urgemus: 1. Sæpius incuſari *Lienem* ejusque parenchyma, tanquam obſtructum & infarctum in morbis Chronicis, imprimis verò affectibus appellatis melancholicis, ut ut id ſolâ præconceptâ opinione, ſine ratione manifeſta, ſine ſigno ſaltem probabili adſtruatur, quod confirmat experientia *Cl. Sylv.* qui *diſp. de Liene* teſtatur, ſe in cadaveribus longè ultrà 100. diſſectis, & ex his plurimis per omnem vitam Malo Hypochondriaco melancholiâ &c. laborantibus, imò ob illam extinctis, ſemper ſatis ſanum ac floridum obſervaſſe hoc viſcus, nunquam verò inflatum, induratum, vel obſtructum. 2. Tumores, ſcirrhos, & infarctus hujus viſceris, qui non rarò in morbis Chronicis deprehenduntur, & quidem ſpecialiter in Quartana, non tam radices eſſe horum morborum, aut fomites, quam producta morboſa iſtis inveteratis ſupervenientia, ac ex vitio primæ digeſtionis orta, ſimili modo, ac calculus productum eſt morboſum, ex certa iſta ametria ſalium, quâ eadem ſe facilè coagulant, ipſe verò morbus eſt lithiaſis: adeoque hi *Lienis* tumores obſtructioneſque effectus potiùs morboſi erunt, quam cauſæ radicales.

CAPUT III.

Cauſas Doloris Hypochondriaci materiales & formales ſcrutatur.

CAuſarum dum ſtudemus evolutioni, has melioris doctrinæ gratiâ, in proximas & remotas, ex rebus non naturalibus deſumptas, dividemus Inter proximas I. ſe offerunt ſcybala ſ. *feces alvinæ indurata*, id quod fit 1. dum, vel à diuturna retentione *exſiccantur*, quatenus aliæ fluidæ chyloſæ partes à venis lacteis abſorbentur, & forſan aliæ tenuiores agiliores & volatiliores perpetuò per poros cutis tranſpirant, unde partes craſſiores & terreſtriores ſuo vehiculo deſtitutæ, magis concentrantur & compinguntur, ac ob molem ſuam neque motu illo periſtaltico, neque compreſſione à partibus vicinis promoveri queunt: Tale exemplum eſt *in Salmuth. C. 1. obſ. 24.* quando *per ſeſquiannum Scybala fuiſſe retenta* dicit, item in *Cent. 3. obſ. 45.* Id quod etiam accidere poteſt à ſudore copioſo vel ab exercitio vehementi, &c. 2. dum à coagulatione nimia *indurantur*, id quod imprimis accidit, aut vitio Succorum ſub finem Duodeni miſcendorum (quod *Graſius* ſucci pancreatici vitioſæ aciditati, ac auſteritati adſcribit) aut aſſumptorum, quando hæc duriora, viſcoſiora, ac in ventriculo non bene cocta, neque in inteſtinis cum bile & ſucco Pancreatico ſatis permiſta fuerint. Ex his enim & ſimilibus cauſis, ſcybala prædicta facile ſubſiſtunt, in cellulis *Coli*, in ſpecie tamen *ubi ſub hypochondrio ſiniſtro anguſtatur & incurvatur*, ac ideò dolores & ſæpius duritiem tactui reſiſtentem inferunt. Teſte præter *obſ. Salmuth.* ſuprà allegatam, *Schenk. in obſ. lib. 3.* ubi plura adducit ſimilia exempla: Quo ſimul facere videntur *Colicæ* aureæ ex nummis aureis deglutitis obſervatæ à *Bart. Cent. 3. ep. 69. & Bor. Cent. 4. obſ. 25.*

§. 2. Poſt Scybala ſeſe offerunt ſordes mucilaginoſæ & viſcidæ, eæ ſcilicet quas vulgò *pituitam vitream* nominant, Paracelſus verò, in ſenſu latiori *Tartarum fecalem* & mucilaginoſum, quod ſucco illi, qui in vino circa doliorum parietes concreſcit, quodammodo ſimilis, & acidum ſubtile coagulans feces, ejus ſit primordium, appellitat. Producuntur autem hæ ſordes in nimia copia modò *ab alimentis difficulter digeſtibilibus*, viſcidis &c. de quibus inferius dicendi erit occaſio: modò à *fermento ſtomachico deficiente* in digeſtionis negotio & loco chyli volatilis ſalſi, liquamen viſcidum tenax mucilaginoſum & ut plurimum vitioſè acidum producente: interdum etiam *ex inertia ſ. deficiente acrimonia* ſucci pancreatici & bilioſi non abſtergentium nec reſolventium mucum inteſtinorum ſuperfluum. Ab his & ſimilibus cauſis, paſta craſſa, viſcida ac tenax, ſæpius acida & pontica, generarur, ventriculi & primario inteſtinorum lateribus agglutinanda & infarcienda. Teſte *Salmuth. Cent. ſ. 5. obſ. 78. Vidit Dn. Peucerus in Italo quodam Colica conſumpto, diſſectoque, totum Colon pituita obductum relicto ſaltem foramine digiti craſſitie.* Huic proximè accedit quod refert *Sennert. lib. 3. prax. de Cl. Lipſio: hunc ſcilicet aliquando materiam adeò lentam & tenacem paulatim in tota inteſtinali fiſtula à vita ſedentaria ac in ſtudiis contabeſcente, coacervatam ejusque figuram retinentem per alvum rejeciſſe, ut ſe omnia inteſtina effudiſſe putarit.* Affinis his, eſt locus ille *Fernelij ſuprà allegatus*, ubi *Coli ex toto à pituita infarcti* legitur exemplum. Hæc pituita, ſi ſimul, id quod ut plurimum contingit, vitioſo acore ſive ex ſtomachi errore, ſ. ex ſucci pancreatici vitioſo acore omnibus partibus membranoſis hoſtili, inquinata ac in *Colo ſub hypochondrio ſiniſtro* collecta fuerit, fixum continuò lancinantem &, quaſi aculeis pars perforaretur, atrociter pungentem apto vocabulo terebrantem appellatum, dolorem infert.

§. 3. Frequentes denique dolorum vulgò dictorum *ſplenicorum* cauſæ flatus ſub hypochondrio ſiniſtro incluſi. Hi, ipſi non à calore neque à frigore, ut veteres voluere & in quam mentem loquitur *Foreſtus lib. XX. obſ. IV. in ſchol. Generatur igitur ventoſa flatulentia, Teſte Aetio ex frigiditate membrorum eundem producentium, & cit. loc. addit: aromatica propinare nolui, ne materia illa frigida in flatus diſſolveretur*, ſed per vitioſam generantur fermentationem, probante id *Kergero tr. de ferment. 3. c. 4. p. 223.* prædominante in hac vitioſo ac p. n. acido, idque ſæpiſſimè in ſubjecta materia viſcida. Generari dixi flatus per fermentationis modum, ita ut revera non inexiſtant aſſumptis, ſed de novo producantur ex eiſdem, ſive in ſtomacho ſive in inteſtinis hoc fiat; Non ſecus ac ex muſto fermentante eructatur gas copioſum flatulentum, quod anteà in eo non erat, ſed per fermentationis demum modum excitatur. Hinc eſt quod hypochondriaci, ex quibuscunque ferè aſſumptis copioſos generent flatus, cum contra robuſtus ſtomachus, vulgò flatulenta dicta, citrà eorum proventum poteſtate ſui fermenti digerat. De quo *vid.* accuratius

Helm. tr. de flatib. Sunt nempè flatus novum quoddam ens ſpirituoſum, ſpiritus ſc. ſylveſtres incoërcibiles, & non coagulabiles, quos ex defectu Etymi nomine *Gas* appellat *Helm.* in ſuis ſcriptis, & quos neque præciſè ſalinæ, neque ſulphureæ naturæ eſſe, ſed ex utriuſque actione aliquod emanans tertium, aptè aſſerit *Becher. phyſ. ſubterr. l. 1. ſ. 5. c. 2.* Hi E. flatus impetuoſius per amplitudines *Coli* delati, impingunt in lateris ſiniſtri ea parte, quâ id incurvatur ac anguſtatur, unde in ſe coacti cum murmure & borborygmis non rarò ſenſibilibus retro flectuntur, & moleſtum diſtenſionis lacerationisque ſenſum inferunt, tunc imprimis, quando reſpirationis actione diaphragma deorſum pulſum, *Colon* ibidem ſubſtratum premit, ac ita flatus in anguſtum ſpatium cogit, unde non rarò tumor elevatur, qui affectione hypochondiacâ laborantibus potiſſimum familiaris eſt, & malè *inflatio* Lienis dici ſolet.

§. 4. Fuerunt hæ cauſæ proximæ; accedo ad remotas, ex *ſex rebus non naturalibus* deſumendas: has inter. 1. eſt *aër* frigidus (abdomine veſtibus non benè munito ſuſceptus quod ſi enim *Hippocr.* Denſam ac duram cutim habentes facilè offenduntur, quod excrementis in corpore contentis, non pateat liber exitus per cutim, multò magis frigus, non modò poros claudens, ſed etiam per eos ſe forſan in corpus inſinuans, ſubindè inteſtinorum varios dolores inducere, pituitamque ipſam inſpiſſando, malum hoc excitare poſſe opinamur; Sic *For.* dicit fratrem ipſius ſtatim à refrigeratione pedum *dolorem Colicum* incurriſſe *l. XXI. obſ. IV.* id quod etiam *Hippocr. S. 3. aph. 5. & 17.* teſtatur 2. *aſſumpta* vel *qualitate*, quâ fermentum ſtomachale obruunt, ita ut hoc tantæ activitati inſufficiens reddatur; vel *qualitate ſuâ*, ſc. quatenus aut difficulter ſunt coquilia, aut viſcida aut mucilaginoſa, aut aſtringentia, ad hanc paſſionem diſponunt. In horum claſſe conſtituti ſunt piſces, frequenter comeſti, item caſtaneæ, meſpili, & alia vulgaris notitiæ; ita ex *Mœb. inſtit. p. 453.* patet, ex ſpirarum in nimia copia aſſumptione dari alvum obſtructam; ita *Schenck. l. 3. obſ.* ex ceraſorum cum nucleis devoratione, alvum per 3. ſeptiman. clauſam fuiſſe, & eosdem poſt id tempus per alvum demum exiiſſe notat. Ita *Cornarus* ova indurata & comeſta alvum adſtringere obſervat. *Conſ. 4.* Ita *Senn. ex Plat.* annotat, quendam *Colicis* cruciatibus diu vexatum poſt clyſmatum uſum caſei (quem copioſum antea aſſumpſerat) concreti induratique, magnam copiam per alvum excreviſſe; ita Uvæ cum pelliculis comeſtæ: lethalem alvi contumaciam aliquando induxerunt; pelliculæ enim harum cum facultati digeſtivæ reluctentur, ac inſigniter acidæ è ſtomacho in inteſtina elabantur, fit ut coagulentur excrementa, ac ſi pertinaciſſima obſtructio ſequatur. Conſideranda venit etiam ipſa ſtomachi cruditas acida, ex qua in inteſtinis poſtmodum per vitioſam fermentationem producuntur flatus, infarciente eadem de cauſa copioſo muco inteſtina, & in ſpecie colon ejusque cellulas. Id quod in iis ad oculum patet, qui affectione hypochondriacâ laborant, in his enim acidum hoc nimium & vitioſum in ſtomacho modos dictos eſſe effectus, tanquam pediſſequas ſecum ducit.

§. 5. Præter talia, & flatulenta & in ſpecie fermentativa aſſumpta, doloroſas has in ſiniſtro latere dant turbas; Eſt ſcil. quorundam aſſumptorum hæc natura, ut ſub digeſtione ſtomachi fermentativa, copioſum gas eructent, v. g. ex uvis comeſtis, it. ex cepis, quod partim ſub ructuum nomine per os exhalat, partim per pylorum erumpens inteſtina flatibus replet, unde talia flatulenta dicuntur; ſed & imprimis fermẽtativa aſſumpta hic conſideranda ſunt, ut fructus horæi, item muſti potus, omniaque mellita ac ſaccharata, quæque ad horum naturam accedunt; talia enim in paſſione hypochondriaca virorum & ſuffocatione hyſterica mulierum, quæ ferè coincidunt, cum vitioſo acido effervescendo. copioſos flatus producunt, & ſic *doloris Hypochondriaci* fomitem miniſtrant. Novi mulierem, quæ ex potu vini tenuis cum ſaccharo probe edulcorati, in atroces abdominis & in ſpecie hypochondrij ſiniſtri cruciatus incidit; Cumulârat autem ea antea ex inepta diæta copioſam pituitam, unde ex potu fermentativo ſuperingeſto, flatus excitati ac in colo hinc inde coërciti & oberrantes, tam atroces dolores inferebant; ſimile exemplum refert *Foreſtus* de mercatore quodam cui ex flatulentulorum ciborum ingeſtione, & potatione muſti, & tumor inſignis & ingens dolor in latere ſiniſtro exortus fuit, qui cum copioſo flatuum exitu finijt.

§. 6. *Somnus* & ipſe nimius ad inteſtinorum infarctum ac ſcybalorum aut viſcidiorum excrementorum in *Colo* hæſionem plurimum diſponit. Id quod etiam *de quiete* valet. Quemadmodum enim motu ac exercitio corporis ſanguinis circulatio, ejus vitalis fermentatio ac ſpirituum volatilium generatio augetur, unde & alimentorum fermentatio, aſſimilatio diſtributio & heterogeneorum ſeparatio, ac præcipitatio promovetur, ita è contrario *ſomnus* nimius generandis & coacervandis crudis ſuccis inſervit, & omnes excretiones ſenſibiles conſuetas, dum dormiens 7. horarum ſpatio, occultè, ſalubriter & ſine violentia perſpirare ſolet, duplò magis, quàm vigilans teſte *Sanctor. in Med. Static. ſ. 4. aph. 2.* tam propter ſpirituum animalium tardiorem motum, quam propter partium agiliorum tranſpirationem inſenſibilem tranſſudationemque ſenſibilem impedit, unde & ipſa excernenda imminuta, indeque inteſtinorum retenta plurimum aucta tandem dolorem noſtrum inferunt, ut ex dictis patet: Ut namque aliàs legitimum ſanitatis conſervativum eſt motus, vicarius nempe omnis ven. ſect. purgationis aut alius cujuscunque ſanguinis correctionis, id quod ruſticorum & mechanicorum gens præ alijs ſana confirmat, ita ſomnus immoderatus & nimia quies plurimis in ſpecie diurtinis ægritudinibus feneſtram aperiunt. Animi affectus ad motiones ſpirituum & humorum commodè referuntur, unde in quibus minus hi agitantur & moventur, ut in mœrore, triſtitia, metu &c. ad doloroſum hunc affectum diſponunt, in quibus verò iidem vehementius moventur, ut in ira, gaudio &c. potiùs hunc ipſum curant.

§. 7. His ultimo loco ex rerum naturalium genere, annectenda venit peculiaris quorundam Idioſyncraſia, quâ miræ ſtipticitati alvi quidam ſunt obnoxij; quod utut citra inſignius incommodum fieri ſoleat, tamen periculo non vacat, quin diutiùs retenta ſcybalâ in *Coli anfractu ſiniſtro* dolorem hunc inducant. Cujus Idioſyncraſiæ exempla videantur in *Senn. l. 3. prax. p. 2. ſ. 2. c. 4.* Item *Bartol. c. 4. hiſt. 40. Panar. pentec. 1. obſ. 1. & 17. Sylvatic. Conſ. 46. l. 3. Rodio cent. 2. obſ. 81. Salmuth. c. 2. obſ. 65. & c. 3. obſ. 36. Schenk. l. 3. obſ. Meibom. de uſu flagror. p. 7.*

§. 8. Fuerunt hæ cauſæ materialiter conſideratæ; videamus jam earum efficaciam formalem, ſeu rationem, ſub qua talem inferant dolorem, ſæpè miſeros ejulatus extrudentem; ſc. quicquid obſtinatius tanquam hoſtile irritat ſenſum Inteſtini *Coli*, *in ea parte ubi anguſtatum & incurvatum ſub hypochondrio ſiniſtro incedit*, hoc iſta irritatione moleſtâ, ſub qua inteſtinum dolere incipit, iſtud in contracturas, & ſpaſmos convulſivos cogit, à quibus doloris mira exacerbatio & crudelitas, cum inteſtina velut per crampum contracta corrugataque dolorem manifeſtent ſuum. Nam contractura eſt equidem ſenſationis irritatæ ſ. doloris effectus ſ. conſequens, nihilominus tamen hâc accedente mirè augetur dolor, adeò ut qui antea ferè inſenſibilis eſſet, nunc crudelibus torminibus partem ſpaſmo convulſam quodammodo dilacerare videatur. Oculari exemplo hoc confirmat *Helmont. Tr. de flatibus §. 38. & de Lithiaſ. c. 9. §. 132.* Mitiora hæc ſunt, ubi ſcybala indurata ſolùm inteſtinum obſident, aſt ſi mucilago tenax acore peregrino roſivo imbuta

pertinaciter

pertinaciter ipſi adhæſerit, hujus ponticus acor in viſcida materia obſtinatè hærens & continuò rodens, partem perforare quaſi videtur, & ad ejus propulſionem fruſtraneam tamen, irritata inteſtina ſeſe convellunt, & corrugant, unde crudeles pationes & torſiones, ſubindeque recurrentes pungentes lancinationes miſero modo ægros torquent: ſimili ratione atque purgantia medicamenta, quatenus eorum particulæ ſubtiliores inteſtinis inimicæ his pertinacius affixæ hærent. horum ſpaſmos ac dolorificos cruciatus inducunt; Sic antimonium in ſubſtantia aſſumptum, membranas Inteſtinorum vellicando torminoſam hypercatarſin infert, uti & reſinæ vegetabilium, item arſenicalia incautè uſurpata, horrendos vomitus ac hypercatarſes doloroſiſſimas inducunt. Periculoſior eſt flatuum procella, qui ex vitioſa, à p.n. acore, fermentatione excitati, & ſub hypochondrio ſiniſtro nonnihil coërciti, ſui acrimoniâ & exoticâ impreſſione gravem dolorem inferunt, unde convulſo contractoque inteſtino & exitus ipſis præcluditur, & ſimul retropelluntur, undè vagos & oberrantes, imprimis tamen ſiniſtro in latere frequentius recurrentes, cruciatus excitant: Diſtendunt namque hi inteſtinum & hac violentia ſenſationem dolorificam inferunt, authorem contracturæ & conſequenter torquentis convulſionis. Vid. *Helmont. loc. ſupra cit.* Dictis lucem affundit experientia ocularis *Magnif. Dn. D. VVelſchij Mæcenatis & Hoſpitis mei omni obſervantia colendi*; qui dum Anatomicas faſces gereret; in ſectione colicis cruciatibus enecati, deprehendit totum *Colon* à flatibus immenſum diſtenſum, ſub inſertionem v. in inteſtinum rectum, ubi ſimili modo ac media ſui parte ſub hypochondrio ſiniſtro in gyros contorquetur, adeò coarctatum, ut nil magis viſum fuerit, quàm planè ibi coaluiſſe; ipſe v. defunctus per quatuordecim dies ſæviſſimis torminibus cum ſonitu ac fragore ſæpius horrendo dilaceratus fuerat.

§. 9. Quod ſi ſpaſmi hi inteſtinales frequentius recurrentes, per nervulos eorum ad plexus communes in meſenterio deriventur, ex his ipſis contracturæ iſtæ ſpaſmodicæ in alias quoque vicinas partes ex iiſdem plexibus nervos accipientes (nam vix in infimo ventre datur pars præter Diaphragma, quæ non de iis nervos participet) contorquentur, unde totum abdomen excruciantes dolores ex vago & inordinato hoc ſpirituum motu occupant; quare & vomitus pertinaciores ſubindè ſuperveniunt, quin & in mulieribus ſimiles cruciatus, ac ſi fœtus enitendus foret, inferuntur. Id quod clarius patet, modò conſideremus Colicam Nephriticam, ſ. iſtos abdominis dolores ac vomitus ſæpe crudeles, qui calculo Renum tortori ſuperveniunt, nam & hi ipſi non niſi per tales ſpaſmos, à renum nervulis meſenterij plexibus communicatos, & hinc ad inteſtina & ſtomachum vibratos, ibique convulſivos tales dolores inferentes, producuntur.

CAPUT IV.

Signa Diagnoſtica & Prognoſtica proponit.

§. 1. Diagnoſis *Doloris Hypochondriaci* ex ejus hiſtoria, *c.* 1. recenſita per ſe patet; Saltem diſtinctiva evolvenda ſunt ſigna quibus & cauſæ inferentes à ſe invicem diſtinguantur, & quomodo à cognatis ſibi affectibus diſcriminetur, intelligatur? Ex quibus judicium formari poterit, an brevi vel diu duraturum ſit malum, & an graviora ſymptomata malum reddituræ ſint periculoſius, an v. minùs periculoſum iſta remiſſiora.

§. 2. A ſcybalis malum oriri docet dolor fixus ſub coſtis nothis, cum quodam gravitatis & ponderis ſenſu; tumor tunc durus, interdum ad coli ſitum deorſum verſus protenditur, ut hoc in exemplo à *Sylvio prax. c.* 9. §. 57. recenſito elucet; Adeſt contumax alvi obſtructio; Præceſſerunt cauſæ externæ ad excrementorum indurationem & retentionem diſponentes, quales ſunt balneum, ſudores, exercitiaque nimia, aſſumpta duriora & viſcidiora, potus parcior hauſtus, uti & vitam ſedentariam diſpoſitivè concurrere, & urinam copioſius redditam illas producere teſtatur ipſe *Hippocrates aph. ult. ſect.* 4.

§. 3. Mucilaginem ponticam, acidam, pertinacius *coli cellulis in ſiniſtro hypochondrio* adhærentem, eſſe cauſam hujus doloris ex eo ferè patet, quod dolor ſit perterebrans, fixus, & ferè continuus, quod adſit ſenſus contorſionis in iſto loco admodum doloroſus, & punctiones continuatæ: qui dolores ſi fuerint graviores, ſubindè & reliquis inteſtinis & meſenterio per conſenſum affectis per totum abdomen ſucceſſivè, & hinc ad lumbos detorquentur. Eandem ulterius manifeſtant ciborum faſtidium, ſingultus, vomituſque pituitoſi, ætas conſiſtens, crapula frequentior, & alvi reſeratio ſine doloris remiſſione.

§. 4. Flatus eſſe cauſam horum dolorum, ex hoc elucet, quod vagi ſint & modò ceſſent perinde recurrant, adſint ſimul borborygmi & murmura abdominis, regio hypochondriaca tumeat & turgeat non ſecus ac ſæpius totum ſimul abdomen, manu ſiniſtro lateri admotâ ceſſet dolor, flatus per inferiora erumpentes malum levent, ſubinde etiam ructus per ſuperiora miſſi dolorem minuant, adſit difficilior ac impedita nonnihil reſpiratio, ipſe æger ſit Hypocondriacus & aliàs flatuum generationi obnoxius, præceſſerint aſſumpta alias dicta flatulenta, item efferveſcibilia, de quibus cap. præcedente dictum.

§. 5. A cognatis ſibi affectibus diſcriminatur facilè, & 1. quidem à peritonæi & muſculorũ doloribus; quia *hypochondriacus* eſt profundior, & quod muſculorum ille facilè tactu deprehendi poſſit, nam compreſſi leviter dolorem inferunt, teſte *Sennerto prax. p.* 488. 2. Minus facilè à cardialgia oriunda, videlicet, ex iiſdem ferè cauſis in ſtomacho, ex quibus hic noſter affectus in inteſtinis undè & inconvenienter licet, colica ventriculi vocatur: Hæc ipſa ſæpius per *συμπάθειαν* dorſum ſupremamque lumborum regionem affligit, interdum etiam inferiora petit ac egregiè dolorem Colicum mentitur, undè non rarò errores in curatione naſcuntur, obſervante id *Schentk*, de quibuſdam Medicis, ægrum de dolore anteriori ſtomachi conquerentem, pro cardialgia laborante habentibus, qui tandem Clyſtere utiliter applicato, dolores hos à *Colo* proveniſſe cognoverant. 3. Ab Iliaco dignoſcitur, ratione loci quod hic circa umbilicum magis torqueat, item quod ſcybala *ἄνω* magis quàm *κάτω* rejiciantur, quodque brevioris ſit moræ. 4. Inter dolorem *Hypochondriaco colicum* & nephriticum, ob vicinum ſitum & per plexus meſenterii nerveos conjunctionem, ſibi multum affines, id diſcriminis obſervatur, quod hic minus ſit tenſivus, ſed gravans & fixus, deorſum tendat ac ureteres lædat, & urinas colore lacteo ferè cum copioſo ſedimento tingat, id quod non ſit in illo; Licet etiam 5. Hæc *paſſio hypochondriaca* ſæpe complicetur cum hyſterica paſſione in mulieribus, dum dolores in hypochondrio ſiniſtro incipientes, in medium abdomen contorquentur, & ad ſpinam dorſi lancinantes, vehementes præcordiorum anguſtias inferunt, imò interdum in inguina deſcendunt & qſ. fœtus enixum ræpræſentant; qualem dolorem mulieri inde à tempore abortûs ſæpius recurrentem, & ſemper ex hyponchridriaco ſiniſtro incipientem, & abdomini tormina inferendo ad inguina & lumbos deſcendentem, carminantium tamen & pituitam acidam evacuantium uſu ceſſantem obſervavit *Dominus Præſes*: attamen à ſe invicem diſcriminantur, quod rarius in ſuffocatione hyſterica fixia hypochondrio ſiniſtro inhæreant dolores, & quod in paſſione hyſterica majores borborygmi ac tumultus oriantur in medio abdominis,

minis, quod item majores præcordiorum anguſtiæ ac anxietates, non raræ quoque lypothymiæ adſint, id quod in dolore noſtro evenire non ſolet; ut taceam faucium anguſtias, vertigines, ac horrendos, ſæpius etiam ridiculos geſtus, qui paſſionem hyſtericam comitari ſolent. Quibus notis ulterius diſtinguendus ſit *Hypochondriacus*, à reliquis abdominis doloribus affinibus dicere ſuperſedeo, & facilè cuivis patebit, qui partem affectam ſitumque ipſum doloris attendet.

§. 6. Prognoſin quod attinet, caret malum hoc omni ferè periculo, ſi pars modò *coli*, imprimis verò circa finem laboret, clyſteribus eò facilè penetrantibus; minus verò facilem medicaminibus ſe præbet, ſi totum inteſtinum fuerit infarctum, tunc enim diuturnâ morâ, ſui acerbitate, vigilijs, inquietudine, ſimilibusque, vires inſigniter dejicit, idque eò magis, ſi malum hæreat in *inteſtino tenui* hypochondrio ſiniſtro ſubſtrato. Contumaciſſimum curatu eſt, ſi à mucilagine pontica & pituita vitrea oriatur, nam ſupervenire ſolent convulſiones abdomen ſæpius quaſi excavantes, & umbilicum interiora verſus retrahentes. Nec minus periculoſa eſt hæc paſſio, ſi oriatur à ſcybalis diutius retentis, periculum enim eſt quin ad volvulum aut inflammationem partem affectam diſponat; ſi verò à flatibus originem ducat in tympanitidem abire poteſt, aut diſtendendo nimis abdomen, ad umbilici intumeſcentiam, aut herniam diſponere, obſervante id *Foreſto lib. XXI. obſ. V.*

CAPUT V.

Medendi rationem Doloris Hypochondriaci docet.

§. 1. UT denique compeſcatur tam atrox furia, ſalutares opem ferunt Medicorum manus; quæ proceloſo morbi turbine ſedato, exoptatam corpori ſerenitatem reddunt; remedia ſcilicet hæ afferunt, quibus malum auferunt, inventa per indicationem mediante ratione, confirmata per experientiam, illuſtrata per analogiſmum. Ut dolor equidem ſiſtatur, anodyna in genere dicta, item, in ſpecie narcotica requiruntur; Ut cauſæ removeantur variæ, varia tentanda ſunt, ſcybala dura emollienda & evacuanda, mucilago viſcida incidenda, abſtergenda & expurganda, flatuum proventus inhibendus, & eorum ex acido origo deſtruenda: Quibus coronidis loco, præſervationi ab hoc malo dicata, adjungenda erunt.

§. 2. Fontes ex quibus hauriuntur remedia ſalutaria, pro his ſcopis ſunt Chirurgicus, Pharmaceuticus, & diæteticus; prior vel pauca vel nulla ſubminiſtrat auxilia, pro noſtro equidem affectu, mitioribus ferè ſuccumbente, nec crudelem Chirurgi opem poſtulante; ob id ea, quæ à Pharmacia ex tribus regnorum divitiis, & ex diætetica ſuggeruntur, imprimis producemus: initium faciendo à cauſarum remotione, ut eò tutius poſtmodum ipſe affectus doloroſus deleri poſſit.

§. 3. Si E. induratæ fæces obſeſſerint *coli* cellas, & quæ ſub hypochondrio ſiniſtro ſunt, anguſtias, optimum erit, eas primâ quâque occaſione per conſuetam portam inferiorem educere: Convenit tamen his præmittere emollientia, quibus humorum craſſities attenuetur & diluatur, ac viarum impedimenta amoveantur. Utrique ſcopo ſatisfaciunt, imprimis clyſmata, licet enim *Helmont.* eorum uſum ceu pudibundum. & quod vix citrà ruborem à Medico ſuaderi poſſit auxilium, rejiciat, tamen argumentis ejus nonnihil ſatisfecit *Hoffmann. opere de methodo medendi c. X. l. I.* & quotidiana experientia ipſi apertè contradicit, quæ ſaluberrimum clyſmatum uſum creberrimè oſtendit, quem etiam ulterius ſufficienter confirmat *Mœbius in diſſert. eruditâ & eleganti de uſu clyſterum* medico, cujus verba ſunt: *Clyſmata cunctis inteſtinorum ægritudinibus levamento ſunt, ſ. calida ſ. frigida adſit intemperies, eam corrigere poterunt*; & paulò inferiùs addit: *Ut autem alvus non à fæcibus exſiccatis tantùm, ſed etiam à flatibus induratur, ita & illis exterminandis & diſplodendis clyſteres inſerviunt*; & rurſus *in affectu hypochondriaco ſcorbutico, melancholia hypochondriacâ, febribusque intermittentibus, ubi alvus ferè ſemper eſt adſtricta, incredibilem ferunt fructum clyſmata, ſ. molliendo ſ. purgandorum tractare velis &c.* Clyſma itaque tale pro uſu emolliendi injeciſſe è re erit. ℞. Rad. alth. Rad. lil. albor. aa. ℥ß H. Malv. Summitat. meliloth. aa. mij. coq. in ſ. q. aqu. hord. Colat. ℞. ℥ix. add. bened. laxativ. ℥j. olei lilior. albor. rap. aa. ℥ß. vitell. ovor. Num. j. M. pro Enemate: vel hujus loco lac vaccinum cum melle mercuriali inſtar clyſmatis injectum, & fæces emollit, & lubricando vias eductionem facilitat; Clyſter etiam ex ſolo oleo lin. & rapor. aa. ℥iv. aa. ℥v. injectus & ad tempus retentus, mirus eſt ad alvum à ſcybalis impetitam reſolvendam, Clyſter hic acui poteſt cum ℥ß. vel ʒvj. olei diacolocynthid. Quercetan. Hinc namque ferè ſimili ratione alvum per tres hebdomadas pertinaciter à fæcibus induratis obſtructam, aliis omnibus irritis reſeravit Rulandus injectis ſingulis horis ℥iv. olei olivar. undè mollitis poſt 3. horas ſcybalis, hiſque præduris copioſè rejectis æger eſt reſtitutus. Vid. *Theſaurus Rulandi p. 233.* Qualem ſucceſſum idem author *cit. loco p. 236.* per oleum lini ad ℥v. nunc ſolum, nunc cum ʒß. trochiſcor. alhandal. injectum, obtinuit. Quod ſi tamen contumaciora ſtercora hæc & ſimilia lenia non promoverint, ad acriora pergendum, & clyſmatis lenientibus ſalis gemmæ ʒj. ad ʒij. permiſcendum: hoc enim ex experientia luculenta *Foreſt. lib. 21. obſ. 5.* ſcybala emollit, ac inteſtina ad eorum expulſionem irritat; ubi tamen obſervetur: omittenda tunc eſſe oleoſa, & mucilaginoſa ingredientia, ne his ipſis obtundantur aculei incidentes, emollientes & ſtimulantes ſalis gemm. Quod ſi v. neque hæc ſufficere videantur, pulp. colocynt. in petia ligata iſtis incoquenda eſt, v. g. ℞. flor. mellot. verbaſc. Chamomill. aa. mj ſem. lin. ʒvj. pulp. colocynth. in petia ligat. ʒß. ad ʒj. coqu. in ſ. q. aq. ſimpl. colatur. ℞. add. Electuar. laxat. ℥ß. ſal gemm. ʒj. M. F. Enema. Hiſce Enematis injiciendis, externa emollientia applicanda loco dolenti, aut fomenta ex ſacculis emollientibus vulgò notis in lacte coctis, item alia decocta emollientia adhibita, ſuppetias ferunt, uti & oleis linimentis ac unguentis emollientibus, cum felle tauri, aut unguento, v. g. de artanita, dialthæa acuatis & hujuſmodi aliis epomphalicis dictis, ſimul ſtimulantibus illitis, natura adjuvatur.

§. 4. Quin & non incommodum erit aſſumptis ſimul per os, emollientibus dura, aut lubricantibus inteſtina, ſcybala dolorifica loco ſuo ſub hypochondrio ſiniſtro deturbare. Uſitatus hic eſt eſus largior butyri, aut oleum amigdal. dulc. ab ℥j. ad ℥ij. ſive plures in juſculo calido ſumpti, quo potentius adhuc & certioris effectus eſt oleum lini ſingulariſſimum hoc antipleuriticum, de quo *Vid. Gabelchover. C. 4. cur. 68.* quod ub. ℥j. ad ℥ij. cum ſyrup. de jujub. vel violar. & aliquot gutt. olei deſtillat aniſ. (ut hoc odor faſtidioſus, illo verò ſapor nauſeoſus corrigatur) exhibito, mirè ſolvuntur ac abluuntur ſcybala dura, torminum Hypochondriacorum autores. Pertinet hûc mica panis toſta, & oleo olivar. irrorata manè deglutita, remedium à *Borell. l. 2. obſ. 14.* commendatum. Lactis quoque largior hauſtus aut quod melius eſt ſerum (cujusvis oleoſa inteſtinorum abſterſa mira hîc præſtat) vel ſolum vel cum melle attemperatum aſſumpſiſſe conducit. Imprimis verò paſſulæ minores ſalutarem hic ferunt opem, ſive pulpa earundem ſive decoctum cum ſtimulo Tartareo aſſumatur, hoc namque blandiſſimè alvum ſubducendo fæces induratas

tas

tas hinc inde hærentes abſtergit, emollit atque lubricat, unde ſperatus vix fallet ſucceſſus; Idque eò magis, ſi uno alterove blando laxativo acuetur eorum virtus, *Hypochondriacis* ſanè, quibus ob induratas alimentorum ſcorias, ſive ob acidum pancreatis auſterum, nimis eas coagulans, ſ. ob pituitam acidam vitio digeſtionis ſtomachicæ prognatam, eas glutinoſas reddentem, tantum non continuò obſtructa eſt alvus, optimè conducunt paſſulata, quæ inter ſeqq. potio palmam obtinet ℞. paſſular. min. ℥iß. contund. in mortar. lapid. ad conſiſtentiam pult. coq. in aqu. ſimpl. ℔. iij. colatur. fervent. ℔iß. infund. fol. ſenn. ſ. ſtipitib. ʒiij. cremor. tartari ʒj. fl. violar. p. iij. ſtent in loco calido per noctem, mane filtretur F. pot. detergens & purg. cujus hauſtulus mediocris eſuriente ſtomacho aſſumendus, palato gratus, & blandiſſimum *Hypochondriacis* laxativum exiſtit, fæceſque induratas aut viſcidas ſuaviſſimè educit. Aut uſurpetur pulpa paſſular. cum cremore & ſal. tartari ſubacta, & aliquot gran. extract. trochiſc. alhand. acuata, quæ dat Electuar. non inconveniens ad ſcybala ſuaviter promovenda, & ibidem natos dolores Hypochondriacos ſiſtendos. De paſſulis & prunis laxativis, communiter notis, nil addere placet.

§. 5. Juſcula quoque & ex blandis emollientibus parata decocta quibuſdam in uſu ſunt: quorum formulas præſcribit *Barbett. prax. p. m.* 73. 75. It. *Horſtius C.* 5. *obſ.* 8. Quibus emolliendo dura ac ſenſim lubricando inteſtina ſubducitur alvus. Sed his levioribus miſſis, ſi pertinacior fuerit induratarum fecum infarctus, ad mercurium vivum ceu ſacram anchoram confugiendum erit; & propinari poterit ab ℥j. ad ℔j. & plures, pro ratione circumſtantiarum; & ſanè hujus permeans fluxibilitas, etiam impactiſſima ſtercora permeabit, & excernibilia reddet, quin & volvuli hinc oriundi metum omninò eximet; cujus felicem uſum depredicatum, vid. apud *Henr. ab Heer. obſ.* 2. *Fontan. conſ. & reſponſ. pag.* 85. *Manichen. obſ.* 6. *ad cultr. anatom. Lyſeri annexa*. Præ cæteris efficacia ejus ex ſeqq. patebit *epiſt. ad B. D. Michaelem à celeberrimo Erbenio exarata, ad hunc vocor febricitantem, & pertinaci conſtipatione, variorum catarcticorum fortiſſimorum enematum, per XI. dies contemtrice, ad brachia uſque tumefactum. Juſſi alvo applicari ex arte follem ferrarium: ut beneficio inflationis excrementa illa indurata & peruſta febrili calore ab inteſtinis cohærentibus liberarentur, ſed irrito conatu. Unde ipſi propinari* ℔iij. *mercurii vivi, qui mole ſuâ & mobilitate patientem inter deambulationes primùm mox ſaltationes, denique vectionem currus ſupra pavimentum & in arvis, alvo rebelli & morti imminenti eriperet; ſed omnis conatus fuit vanus. Lento proceſſu ſuo & labore mercurius excrementa ita liquefecit, ut nocte, ab aſſumpto mercurio, blandè effluerent, dormiente nec advertente patiente, donec expergefactus ſtratum ad cubiculum pollutum, atque ex mercurio à menſtruo microcoſmico reſoluto inargentatum videret ſine ſeqq. convulſionibus.*

§. 6. Quod ſi v. non tam induratæ feces, quàm, quod frequentiſſimè contingit, mucilago acida & auſtera parietibus *coli* inflexi adhærens, cruciatuum hypochōdriacorum terebrantium & contorquentium extiterit cauſa, (licet cum hac flatus utplurimum concurrant, de quibus inferius dicetur) hæc incidenda, attenuenda, & per inferius guttur rejicienda venit. His uſibus nunc injecta clyſmata, nunc applicata fomenta & emplaſtra, nunc appropriata pharmaca propinata inſerviunt. Clyſmata itaque incidentia, & reſolventia ſuperius allegata; imprimis ex ſal. gemm. & colocynthide, hic etiam erunt appropriatiſſima: item quæ fiunt ex jure piſorum cum ſaccharo, melle & ſal gem. nam & hæc eleganter detergunt mucilaginoſas ſordes viſcidas: quibus ubi fortius agendam eſſe, addit ſuam aq. benedictam *Rulandus* (loco cujus infuſum vel decoctum vulgaris croci metallorum ſubſtitui poteſt) dum in deſperatis ferè abdominis doloribus ſeqq. clyſterem ſubinde repetendum, felici cum ſucceſſu applicat ℞. Juris piſorum ℥viij. ſacchari ℥ß. aqu. benedict. noſtr. ℥iiß. olei commun. ℥iv. Miſce ea, & injice quavis hora doloris recrudeſcentis calidè. Confer. *River. centur.* 1. *obſervat.* 67. *& centur.* 2. *obſervat.* 12. *& cent.* 3. *obſer.* 22.

§. 7. Hiſce ſuccurrendum eſt externis emollientibus, & pituitam viſcidam reſolventibus: quæ inter excellūt gummata emplaſtrj formâ loco dolenti, ac à pituita obſeſſo applicato, Gummi ammoniacum hic cæteris palmam præripit, undè & emplaſtrorum *ſpleni* tributorum, non minus quàm ad tumores ſcirrhoſos quoſcunque, etiam ſcrophulas, applicandorum ferè exiſtit baſis: convenienter itaque uſurpatur *emplaſtrum ſpleneticum Aquapendentis*, ex duabus partibus ammon. in acet. ſoluti, unâ ſucci nicotianæ, dimidiâ reſinæ & therebinth. & ſucci ebuli cum oleo de capparibus & q. ſ. ceræ miſtis paratum; Item *emplaſtrum de cicuta & ammoniaco Heurnij & Sennerti* ad ſplenis ſcirrhos aliaſque obſtructiones uſitata, malaxanda cum oleo ſuccini vel capparum. Præ cæteris elegans eſt *emplaſtrum carminativum Sylvii*, quod exhibet *praxeos* ipſius *p.* 169. ad liqueſcendam & emolliendam viſcidam hanc pituitam optimum: Alii tale emplaſtrum applicandum ſuadent. ℞. Gumm. ammon. in acet. ſolut. ʒj. Tacamah. Emplaſtr. de mucilaginib. aa. ℥ß. Sal armoniaci ʒiiß. M. F. Emplaſtr. in forma debita loco affecto imponendum. Ante v. horum applicationem non incommodum fuerit præmittere inunctionem loci ab hac pituita obſeſſi, cum oleo laurino, capparum, lil. albor. nicotian. cum oleo deſtillato laterino, vel ammoniaci, fœtido licet, permiſtis. Item adhiberi commodè poterit unguentum martiatum purgans, his ipſis oleis dilutum.

§. 8. Sed rarò ſufficiunt externa, aut infuſa clyſmata, utplurimum internis pituitam acidam ſ. auſteram detergentibus, reſolventibus ac evacuantibus, ſimul ſuccurrendum. Primatum denuò hîc obtinent gummata vulgò nota, in ſpecie ammoniac. undè etiam eodem paratæ pillulæ & potiones, ad corrigendam & detergendam hanc pituitam ſunt optimæ: ita proſtant pillulæ *Quercetani* ex ammoniaco, item lac ammoniac. *Bartheleti Encyclopæd. lib.* 5. *c. ultimo* paratum ex ammoniaco, cum acet. ex citri ſucco diſtillato; facit & huc ſpirit. ex gumm. ammoniaco cum virid. ær. & ſulphur. diſtillatus, admodum inciſivus, penetrans, & reſolutivus pituitæ viſcidæ vitreæ. Ad ammoniaci vires proximè accedunt reliqua gummata vulgò nota: bdellium, tacamah. ſagapen. opopan. mirrh. & maſtich. &c. Ad evacuandam v. pituitam iſtam viſcidam, colocynthide & ex hac paratis extract. trochiſc. alhandi ac aliis nullum præſtantius datur, quemadmodum & ſeqq. hæc potiuncula, licet ingrata, expertiſſima tamen eſt in ſimili dolore à pituitâ vitreâ & ponticâ, tam in inteſtinis, quàm in ſpecie ſub hypochondrio ſiniſtro ſtabulante. ℞. aq. menth. ℥j. cinnam. ℥ß. gumm. ammoniac. in acet. ſolut. ſcrup. j. ad ʒß. tartari vitriolat. ſcrup. ß. ad gr. xv. ſcammon. roſat. Extr. trochiſc. alhand. aa. gr. ij. ſyrup. de pomis ʒß. M. F. potio, quæ una vice hauſta x. ſ. xij. interdum ultrà xv. vices viſcida & mucilaginoſa, cū præſentando ægri levamine & doloris ceſſatione eduxit. Præter hæc eſt & mercurius dulcis cum laxantibus propinatus, pituitæ vitreæ præſtantiſſimum detergens, unde hujus optimum eradicativum non ſine ratione has pillulas appellat *Deodatus in valetud. p.* 246. ℞. maſſ. pillul. cochiar. min. ſcrup. j. aquilæ alb. dulcis gr. xvj. aut xx. olei aniſi gutt. ij. M. F. pillul. pro una doſi D. S. &c.

§. 9. Nec hic prætereunda ſunt tartarea, quorum virtus pituitam hanc viſcidam & acidam incidendi & detergendi manifeſta erit, ſi attendatur conſtare tartarum primariò ex copioſo acido ſubtili, quod junctum eſt ſufficiente ſale volatil. de natura alcalium

alcalium, præter feculentias quaſdam terreſtres cum pinguedine quadam ſulphurea intertextas, ratione quorum ſalium experti uſus eſt cremor tartari imprimis cum ſal.tartari junctim propinatus; ſimiliter quoque conducit tartarus vitriolatus, ſed non communi modo ex ſpiritu vitrioli, ſed ex ipſo vitriolo ſoluto modo *Tacheniano* paratus. *Vid.hujus clavis ad Hippochatem chym.* non minus quàm ſpiritus tartari volat. imprimis v.ex fecibus vini prolicitus, beneque rectificatus, aut qui ex tartaro cum nitro per Retort. tubulatam in Sp.vini propellitur,& poſt rectificatur,ac ſaporem & odorem perfectè urinoſum volatilem acquirit; ſpiritus carminativi nomine aliàs decantatus. Cui præferendus adhuc ſpiritus eſt volatilis,qui ex tartaro cum proprio alcali fermentato inſtar ſpiritus ſal. ammoniaci ſubtilis elaboratur,hi ipſi enim convenientiſſima ſunt auxilia,ad corrigendum ſaporem acrem, ac conſiſtentiam tenacem pituitæ iſtius viſcidæ. Horum tartarorũ vires exaltari poſſunt,ſi cum oleis aromaticis convenienter fuerint maritata, ſic nãque potẽtius hanc ipſam mitigant & corrigunt,cũ ipſa aromatic.non ſint ultima, quæ hanc pituitam alterent & inde orta mala corrigant;De quibus cum jam occaſione flatuum plura dicendi anſa ſuppeditetur,ea vel innuiſſe ſufficiat.

§ 10.Nam flatus ſunt,qui ut plurimum cum pituitâ viſcidâ & acidâ juncti, dolores immenſum augent,& varia ſimul abdominis Symptomata inducunt: quorum originem jam ſuprà ex vitioſa fermentatione, ab acido peregrino in inteſtinorum muco viſcido deduximus.Compeſcent E.optimè eorum vim & impetum aromatica, hiſque cognata alia de ſale volat. oleoſo participantia, mediante quo & acidum fermentativum tanquam hujus contrarium alteratur & deſtruitur,oborta fermentatio tollitur, & mucilago viſcida reſolvitur.Uſurpantur talia quatenus nunc clyſmatum formâ infunduntur, nunc unguentorum ſpecie abdomini illinuntur,nunc liquidorum modo propinantur. Simplicia carminantia naturæ aromaticæ, ordinaria clyſterum horum ingredientia, in vulgus nota ſunt, ſufficiat formulam(ut ex ungue leonem) hic annexiſſe, ℞.rad.angelic.leviſtic.aa.℥ß.herb. chamomill. roman.Menth.aa.m.i.baccar. lauri ℥j. juniper. ℥ß. ſem. anniſ. carvi. aa.℥ii.coqu.m.ſ.q.aq. ſimplic. colat. ℞. ℥ix. in quibus diſſolv. Electuar. de baccis lauri ℥i. mel. rutac. ℥ß. ſ. ʒvi. olei deſtillat. aniſ. fænicul. aa. ʒß. olei ſuccini gutt. v. vitell. ovor. Num.1. M. pro clyſmate. Huic opem ferat loci dolentis inunctio, parata primariò ex oleis diſtillatis inſigniter penetrantibus (cum nihil aliud ſint quam ſalia volat. ab acido volat. ſubpingui in corpus oleoſum concentrata) quorum virtus exaltabitur ponendo deſuper lapidem probè calefactum: Parantur tales inunctiones ex oleo chamomill. anethin. caſtor. laurin. cortic. deſtillat. aurantior.carv.cumin. fænicul. aniſ. rut. Zedoar. Angelic. macis & ſimilibus, modò ſeparatim modò conjunctim inungendis. Stockeri experimentum fuit litus ex oleo laurin.℥ß.cum ʒi.caſtorei paratus. Parari etiam poteſt unguentum h. m. ℞. olei caſtor. ʒi. olei ſtillat. angelic. cort. aurantior. cumin. aniſ. chamomill. ſaphirin.ʒj. cum ſ. q. corporis pro balſamo. ad flatus diſcutiend. Pertinet huc etiam Galbanetum Paracelſi, ut aliàs in colicis & iliacis doloribus conveniens,ita & in noſtris non minus egregium.

§. 11. His aſſocianda ſunt debita interna & ipſa aromatica; quæ inter agmen ducunt ſem.calida,dicta majora (Helmontio minora) ſcilicet aniſ. cumin. aneth. fænicul. carv. dauci,&c.quorum ſapor & odor aromaticus in oleo volat. fundatus, miras habet acidum vitioſum Gas flatuoſi generativum, corrigendi & flatus inhibendi dotes; cum prætereà ſingulariter inteſtinis ſtomachoque ſint amica & ob id inteſtinorum ſolamina rectè ab *Helmont.* vocantur *Tr. de flatib.§.75.* Non enim flatus diſcutiunt, quod inimaginabile, qui aliàs ſponte modo viæ ſint apertæ exitum quærunt, ſed materiam unde flatus exſurgunt,alterant & corrigunt,& iſtam fermentationem vitioſam ſiſtunt, ac ita impediunt, quominus concretum materiale in flatus ſ.in Gas ſpirituoſum vertatur, id quod etiam reliqua vulgò appellata carminantia & in genere quæcunque aromatica præſtant. Modus utendi eſt, ut in vino ſemina hæc propinentur, in quo leniter prius ebullierint, ad imitationem *Helmont.* Vel ut frequentibus cohobationibus ſpir.vini benè rectificatus earum virtute impregnetur: aut quod elegantius evadit remedium; ſpirit.vini cum ſale volat.ſal ammoniac. arctè conjunctus,ab iiſdem ſæpius eſt abſtrahendus, aut cum eorũ diſtillatis oleis conjungendus,ſic enim egregium contra flatus habebitur remedium. Sed præter hæc ſemina & aromatum, in ſpecie v. Galang. Zedoar. mac. carioph. cardam. cubeb. virtus in ſale volatil. acriori, oleoſo tamen,fundata, ſtomacho & inteſtinis flatibus infeſtatis potentes fert opes: Quibus ex noſtratibus cognata & q ſ. occidentalia aromata ſunt bacc.juniper.laur.cort.pom.aurantior.chamomil. menth.angelic. cumin. ſalvia & ſim. quorum Spiritus & eſſent.ſic dictæ omnibus ſufficienter cognitæ. Singulares inter has obtinet virtutes eſſent. chamomill. in ſpecie roman. combinata cum rad. aromatica Zedoar.& cum ſpiritu proprio parata,uſurpanda à gutt. xx.ad xxx. Nec ultimo loco reticenda eſt virtus amygdalar. amarar. quæ arcificioſè præparatæ ſingularem planè vim carminantem obtinent. Hiſce vegetabilibus animalium aromata addenda: e. g. caſtoreum & omnia ex eo parata, it.Zibeth. interno pariter ac externo uſu commendatiſſimum & à Paracelſo in colico dolore umbilico inunctum; Quibus & ſtercora animalium non minus interdum fragrantia ſpecialiter v. equinum addo, quod in flatulentis abdominis affectibus præſentiſſimam affert opem, undè pariter colicæ ac hyſtericæ paſſioni ſuccurrit. Excreta hæc animalium manu nos ducunt ad nitrum mirabile concretum ſalinum, ex iis ut plurimum petens natales,& & inter carminantia vel maximè eniteſcens. Imprimis v. Spiritus ejus probè cum ſpiritu vegetabilium dulcificatus,& ab acore nimio temperatus hic convenit. Eligendus v.pro hoc ſcopo erit ſpirit.vini ab aromaticis carminantibus cohobatus, & horum partibus volatil. probè impregnatus, cujus deſcriptionem egregiam ſuggerit *Sylvius prax. p.90.* hujus duplum cum ſpirit. nitri part. 1. junctum & cohobando unitum egregium ſubminiſtrat ſpirit. carminantem.Non diſſimili ab hoc modo *Spiritus anticolicus B. Michaelis paratur*, quo excellentius pro hoc malo eradicando non datur.

§. 12. Et hac fere ratione cauſæ tolluntur, quibus extirpatis ceſſare etiam atque evaneſcete ſolet ipſa dolorifica paſſio. Verum ſi torminoſa hujus ſubinde recurrant veſtigia, aut ſi mox in principio talis ſit vehementiæ, ut aliis prætermiſſis huic ceu primariò urgenti occurrendum ſit, ſui remotionem innuit per anodyna & narcotica uſurpanda, quæ inter papaverina emicant remedia,horumque princeps opium, imprimis ſi in laudatiſſimum exaltatum fuerit laudanum, cujus ſaluberrima uſurpatio, omnes dolores ex ſpaſmodicis inteſtinorum convulſionibus obortos à quacunque hi excitentur cauſa occaſionali exoptatò ſedabit. Imprimis ſi cum aptis ſpecificis combinetur, in ſpecie quidem cum ſeminibus iſtis calidis ſuprà laudatis, aut inde elicitis remediis, aut cum caſtoreatis medicaminibus, quæ ſingulari virtute convulſivos inteſtinorum motus, indeque natos dolores ſedant & quietant. Laudanum commendavi opiatum, ſ. iſtud quod ex correcto hoc paratur; Cujus correctiones omnes ſuperat, quæ fit per fermentationem cum ſucco cydoniorum videnda *in epiſt. 45. Cent. 3. Bartolin.* Eandem etiam cum ſucco pomorum Borſtorffiorum inſtituere *Dn Præſes* in more poſitũ habet. Juxta hanc & optima ea,quæ per alcalia

fixa,

fixa, primariò quidem tartari, hinc nitri, per ſulphur vegetabile carbonum præparat. inſtituitur. Quibus modis paratum opium tutum ac omni laude majus evadit remedium, quod ipſum etiam pro circumſtantiarum urgentia cum purgantibus propinari poteſt, præeunte nobis non tantum *Rhumelio* in compoſitione pillular. antipodagricarum, quas ob laudanum admiſtū vocat, *Veni amice, ſurge & ambula: jatreo Chym. p.725.* Sed etiam *Stocker*. qui *in prax. c.36. p.* 197. ceu expertas inſigniter ad colicum dolorem commendat has pillul. ℞ aloës ſuccotr. vel pillul. aleophangin. ʒj. ſ. ſcrup. iv. opii, croci, aa. gr. 1. vel 2. M.F. pillulæ jejuno ſtomacho exhibendæ, quas I. dolorem lenire, hinc etiam blandè evacuare aſſerit, cum ſperata denuò ſalute. *Conſ. River. C.1. obſ.63. & C.2. obſ.1. Poter. 3. c.27. &c.* His & ſimilibus internè uſurpatis, nullum dubium eſt, quin ceſſaturus ſit dolor; Nec minus hos ſedat opium cum Clyſmatis ano injectum à gr. iij. ad x. miſtum, ſed cautè & ultrà quam doſin vix aſcendendum. *Vid. Borell. C.4. obſ.92.*

§. 13. Hæc ſunt remedia ex fonte Pharmaceutico contra *dolorem hypochondriacum* deſumpta; Diæteticum quod attinet fontem, hic circa 6. res non naturales dictas, medias inter ſtatum ſanitatis & ægritudinum, & vel ad hunc vel ad illum pro varietate circumſtantiarum diſponentes, primariò verſatur. Eminet inter has aër, qui vitetur frigidus, moderatè verò calidus eligatur. Ab hoc ſunt *aſſumpta*, ex quibus reſpuenda ſunt craſſa, viſcida, dura, & cruda, ut carnes fumo induratæ, aut conditæ copioſo ſale comm. quia ſcilicet proprio ſale volatili ſunt exutæ, difficilis coctionis, parci nutrimenti, ac copioſi & vitioſi excrementi, hinc piſces, caſtaneæ, cydon. pyrus, &c. it. quæcunque adſtringentia, & fructus horæi, quia hi fermentando facilè aceſcunt, & copioſas flatulentias producunt. Nocet etiam ſi quod aliud, vinum largius hauſtum, nam aciditate ſuâ volat. extra ſtomachum toti corpori peſtiferâ, inteſtinis tormina colica, artubus v. paræſes inducit: Lactis uſus eſt ſuſpectus, ex eodem verò, ſeparatâ parte caſeoſâ & butyroſâ, emergit ſerum, medicina, *malo hypochondriaco* non inconveniens, videlicet, quatenus abundat ſale volat. nitroſo de natura armoniacali & ita ſordes primarum viarum abſtergit, ſimulque alvum blandè ſtimulat; Convenit etiam aromatum uſus omniaque aromatica it. allium & alliata, cepaceáque colicæ & mucilagine acida, & inde productis flatibus ſunt remedia. Capparum eſus eſt optimus, cum detergant & incidant ſordes mucilaginoſas. Panis ſeligendus & benè fermentatus huic enim, & imprimis ſecalino, ineſt ſpir. acidus vol. ſtomacho amicus, quia quodammodo ejus fermento eſt homogeneus; quâ ratione coctionem reliquorum ciborum multorum adjuvat. Condimenta ex ſinapi utiliter adhibentur, item pruna & hinc decocta. Potus ſit cereviſia probè fermentata, non triticea, quæ ſæpius eſt craſſa, hinc fermentativa & conſequenter flatulenta, non recens, non acida. Vinum abſinth. & heleniatum conducit, ſi malum non ſit ab induratis fæcibus. *Somnus* moderatus ut dolorem lenit, ita quies egregiè ejus exaſperationem prohibet. *Motus* nimius in lecto & jactatio inquieta dolorem exaſperat, ac violenta corporis contorſione abdominiſque compreſſione mutuum inteſtinorum in ſe invicem ingreſſum, ac tandem ileum inferre poteſt, demonſtrante *hoc Cl. Sylvio prax. C.15. §.19. Alvus*, quantum fieri poterit, ſervetur aperta, eadem obſtructa arte provocetur. Vomitus hic eſt utiliſſimus, eumque ſingulis menſibus ſemel provocandum eſſe, vel optimè monet *Languius l. 1. ep. 30.* id quod imprimis vitam ſedentariam agentibus dictū eſto. Denique ne malum hoc exaſperetur, cum vehementiores animi affectus, tum præcipuè ira, viperino ſanguine pejus eſt vitanda.

FINIS.

DISSERTATIO VIII.
DE CORPULENTIA NIMIA.

PRÆFATIO.

DUM non *vivere*, ſed *valere*, *vita* eſſe rectè dicitur, quibuſvis valetudinis proſperæ cultoribus, illud HIPPOCRATIS 6. *Epid. ſ.*4. §.20. *Sanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores*, oraculi inſtar meritò inſervire debet. Quantum enim pro conſervanda vita, cujus omnis mora in perpetuo fluxu conſiſtit, nutrimenti valet aſſumptio, tantum ejuſdem diuturnitati ac integritati detrahit nimia illius ingeſtio. Vigor pariter totius corporis, quem motus benè ordinatus conſervat florentem, enervatur inſigniter, & langueſcit ſub otii, quietiſve torpore. Alimento ſanè reſarciuntur quilibet, naturæ ex lege quos patitur machina corporea defectus, & attritu quaſi mutuo, quicquid deperit ejus partibus, illius ope redintegratur: modo prius, quod minus illis aſſociabile exiſtit, per prævias alterationes digeſtionũ beneficio, quib⁹ utile quod eſt, ab inutili ſecernitur, appropriatũ redditũ fuerit. Aſt ubi infarciuntur nimiâ ſatietate digeſtionũ officinæ, & obruitur vis fermẽtorum alterativa, haud benè ſubacta aſſumpta, aliena ſub textura hinc inde diſtributa, vitiãt ſtructuram naturalem organorum corporis, & ceu ædificium, ex lignis & lapidibus non benè cohærentibus conſtructum, neceſſariò minatur ruinam. In quem finem finge automaton, cujus rotulam quandam vel pulviſculus caſu illapſus in motu tantillum remoratur, vel cujus ſpiram aut alligatum funiculum aqueæ quædam guttulæ forſan irrorando, illam in elatere, hunc intenſione alterant, vel cujus remoram altero ſui extremo aliquantulum rubiginis ſordidæ infecerit, quicquid horum contigerit, neceſſe eſt deficere artificioſum adeò opus à regulari ſuo motu, & tandẽ penitus quaſi exanimari. Nullum artificioſius fingi poteſt automatũ pro noſtro corpore, cujus tot partium ſunt particulæ, omnes ut ſapientiſſimè fabricatæ, ita mille vitiis obnoxiæ, ut mirum videatur, vel per horæ momentum integram illam ex toto, citra morboſum defectum ſubſiſtere poſſe. Nil tamen æquè lædit eaſdem, ac quod pro conſervatione illarum ſubminiſtratur nutrimentum, vitiatum ſi fuerit: cujus primarius error eſt deficiens ſub digeſtionibus coctio, maximam partem ab illius copia natus. Adeò plures necat gula quàm enſis: & cum totius *Diætes* cardo ſit ſobrietas, cum nõ tàm qualitas, quàm quantitas alimentorum noceat, nihilominus in nullo crebrius peccatur, contra illius dictata, quam hoc in puncto. Utut verò nullus hic committatur à ſanitatis ſtudioſo exceſſus, quin tritum illud Germanorum benè obſervet (*dum ſuaviter olet abſtinendum*) nihilominus tamen quibuſlibet in aſſumptis, ut ſupra inſinuatum, præter homogeneum iſtud, noſtris conſtitutivis aſſimilabile, & heterogenei haud parum deprehenditur, cujus ſequeſtrationi maturæ incumbendum, cum non minus noxium retentum, quam ingeſtum vitioſum Oeconomiam noſtram turbet. Huic negotio apprimè confert motus partium corporis organicus, cujus auxilio, dum agitantur vehementius contenta corporis fluida per univerſum corpus, eo ipſo fortiori impetu & niſu ſubeunt tàm intimiores receſſus partium nutriendarum, quàm etiam cribra percolationi recrementorum heterogeneorum dicata, per quorum poros illo ipſo conatu penetrant copioſius ſecernenda, & ita facilius ac uberius ſeparantur. Præſertim cum iſte motus contentorum progreſſivus, intendat ſimul motum inteſtinum molecularum minimarum, quo ipſo ut aſſimilatio & exactior ſubactio particularum homogenearum ſeu miſcibilium ac nutritivarum promovetur in iiſdem, ita feculentiæ illæ heterogeneæ, adinſtar iſtarum in muſto vel cereviſia fermentantibus, ex aliarum conſortio extruduntur, ut præcipitatæ quaſi ſecedant. Paucis me ut expediam, ut alimentum partium fluidarum immediatæ reſtaurationi objectivè, ita motus corporis, hujus aſſimilationi & purificationi inſtrumentaliter inſervit. Adeò ut motus vicarius revera ſit, cujuſvis ven. ſect. purgationis, alteriuſque ſanguinis correctionis, quod ruſticorum & mechanicorum vegeta & robuſta cohors palam teſtatur. Cum vero rarò ſoleat obſervari conveniens diæta, quin ſæpiſſimè aſſumptorum exceſſu, & excernendorum defectu peccetur, ea eſt Oeconomiæ noſtræ elegans directio, ut quod ſuperfluum eſt, modo haud nocivum ſit, ſubinde largius ſolidis adhæreſcat, & carnis aut pinguedinis forma, uberius corpus augeat. Cum v. à naturali Norma hoc ipſo deflectatur, vix citra periculum id fieri poteſt, uti in corpulentiori habitu obvium eſt. De quo affectu cum quædam pertractare ſit animus, vires ſubminiſtrante imprimis fideli DOMINI PRÆSIDIS, qua olim cum aliis uſus fui, informatione, cujus pariter conſilio & auxilio, ſub ipſo hoc conatu non parum ſublevatum me fateor, faxit Deus T.O.M. ut cedat

FELICITER.

CAPUT I.
PATHOLOGICUM.
ART. I.

Naturam & Subjectum Corpulentiæ nimiæ declarat.

§. I. Corpus humanum ex ovo enatum, ut primitus mole eſt admodum parvum, ita ſucceſſivè alimenti beneficio & ſuſtentatur ſeu nutritur & augmentatur: actione eâdem, in nutrimenti ſaltem quantitate majore vel minore differente; in ſolidis ſanè ejus partibus, de quibus ſpeciatim nobis agendum erit, manifeſtum

nifeſtum eſt, quod nutritio & auctio non niſi majoris & minoris ratione diſcriminentur, nutritio enim eſt talium inchoata auctio, & auctio perfecta nutritio. Ne autem ambiguâ nutritionis acceptione decipiamur, imprimis monendum videtur, nutritionis rationem nunc à *fine* ejus à quibuſdam, nunc ab aliis *à forma* deſumi: Ratione *finis* quidem nutritio erit abſumptarum partium redintegratio, ſeu reſtitutio. Sed anguſta nimis hæc ipſa videtur. Solidarum enim partium, qua talium, cùm nulla ſit abſumptio, utut areſcant ſubinde humoris roridi nutritivi defectu, nulla quoque foret earum nutritio, quod minus convenienter dici videtur. Ob id concinnius *à forma* ejuſdem eſſentialis ratio deſumitur, quâ ſub acceptione nutritio erit, nutrimenti in ſubſtantiam partis nutriendæ converſio. Jam verò corpus nutritur per totam vitam, ut conſervetur tale, quale eſt, augmentatur verò ſaltem per ætatem accreſcentem, ut partes organicæ, machinam ejus componentes, debitam magnitudinem acquirant, quâ aptiores fiunt ad actiones debitas, quarum ſunt inſtrumenta, perficiendas. *Vid. Charleton. in Oeconom. animali Exercit. de Nutritione* §. 3. *p.* 4.

§. 2. Magnitudo partium debita, ex tribus dimenſionibus quantitativis, longitudine, latitudine & profunditate dimetienda, dependet à fundamentalibus partium ſtaminibus, quæ nil aliud quam *fibræ* eſſe videntur. Harum adeoque longitudo, & major minorve extenſilitas, quarumvis partium longitudinis normam præſcribit. Ipſa oſſa, quæ & univerſi Trunci & hinc artuum longitudinem principaliter determinant, cum pro eorum conformatione corpus plus minus procerum, artuſque longiores aut breviores exiſtant, & ipſa primæ ſui compagis rudimenta à fibris habere, probabiliter videntur. Uti itaque textura fibrarum ſecundum extenſilitatem in longum, longitudinis partium baſis exiſtit, ita earundem major vel minor numerus, ferè latitudinis ac profunditatis fundamentum conſtituit, quum pro earum copia majori vel minori, ſimul neceſſario vel amplioribus circumſcribatur pars terminis, vel anguſtioribus coarctetur limitibus. Hiſce ſeu fundamentalibus ac formalibus dimenſionis partium cujuſvis cauſis, ſecundariò accedit, ceu materiale principium, ipſum partium nutrimentum, ſui appoſitione & aſſimilatione quantitatem fibrarum, adeoque & magnitudinem partium, in ſpecie ratione latitudinis & profunditatis, (quæ dimenſiones diverſimodè mutabiles obſervantur, longitudine parum ac raro variante) vel augmentans ſui copioſiore diſtributione & retentione, vel imminuens ſui defectu. Cum vero neceſſe ſit, ut hoc ipſum intra poros & interſtitiola fibrarum & recipiatur & retineatur debito tempore, pro ſui nutritivo complemento, præſupponit hoc ipſo talem fibrarum illarum ſtructuram, quæ ratione porulorum & promptè recipere, debiteque retinere queat hoc ipſum, adeoque nec durior ſit illa, nec mollior, cum hæc nimii infarctus, illa denegatæ receptionis, & occaſionem ſubminiſtrent.

§. 3. Jam vero, ſicut in ſtatu naturali, magna corporum tàm in longitudine, quam craſſitie eſt varietas, ex ſpiritu genitali ſeu ſeminali, & inde dependente craſi ſanguinis, & partium ſolidarum radicali, originaliter, ex vario vero rerum non-naturalium uſu, conſequenter oriunda, ita m. præter naturam, tam pars una aut altera, & hoc frequentius, quam totum corpus, utut rarius, in quanto nunc excedit, nunc deficit: *prius* docet *lien* raræ magnitudinis, de quo *Horſtius Inſtit. Med. Diſp.* 3. *Coronid* 1. *pag.* 131. *Veſalius l.* 5. *de corporis hum. fabr. cap.* 9. *Barthol. cent.* 1. *Epiſt.* 62. Sicut deficientis ejus molis exemplum ſuppeditat *Vidus Vidius L.* 10. *de Curationibus mor. c.* 10. in ſpecie *Salmuth. Cent.* 1. *obſ.* 21. qui in fœmina *lienem* adeò parvum, ob pollicem majorem vix æquaret, *hepar* verò tam ingens obſervavit, ut non tantum hypochondrium dextrum occuparet, ſed & omnem ventriculi regionem, ſicque ipſum ferè totum hypochondrium ſiniſtrum, quæ tamen optima fruebatur ſanitate, & in partu extincta fuerat. Conferatur pariter quoad magnum *Hepar*, *Hildanus cent.* 2. *obſ.* 45. *Cor* magnum obſervarunt *Marchettus Anat. cap.* 10. it. *Kerckering. Spicileg. Anat. obſ.* 16. parvum vero idem *obſ.* 17. ut reliqua viſcera ſilentio præteream: *poſterius* in gigantibus, it. pumilionibus ſeu nanis obvium deprehenditur.

§. 4. Pertinet huc ſuo modo iſtud vitium totius in quanto, quod *Corpulentia nimia ſeu nutritio aucta* vocatur, in quo corpus non quidem in longitudine, ſed ſaltem latitudine & profunditate, ſeu uno nomine, craſſitie excedit: & tales obeſi, it. corpulenti pingues, Germanice *Feiſte Vvænste: dicke feiſte Menſchen.* Græc. μεγαλοκοίλιοι dicuntur. Talium corpulentorum ac obeſorum exempla inveniuntur hinc inde in libris Practicis. Speciatim *Sennertus Prax. l.* 5. *p.* 1. *cap.* 4. *p.* 21. refert mulierem triginta ſex annos natam, libr. 480. it. virum 600. ℔. pendentes: & præterea *p.* 23. nobilem poſt febrim malignam adeò obeſum redditum, ut vix loco ſe movere potuerit. Videatur præterea *Platerus lib.* 3. *obſ. p.* 584. *Tuplius l.* 3. *obſ. c.* 55. *Timeus lib.* 6. *caſ.* 1. 2. 3. *pag.* 261. ſeqq. *Marcellus Donatus l.* 5. *c.* 2. *hiſt. Med. Schenck. l.* 2. *obſ. pag.* 218. *Bartholinus c.* 3. *hiſt.* 88. & *c.* 2. *epiſt.* 81. *Panarollus Pentec.* 4. *obſ.* 31. *Acerra Philolog. cent.* 2. *hiſt.* 92.

§. 5. Ex his exemplis facilè patet, aliam eſſe corpulentiam nimiam à corpore quadrato, aut ab habitu εὐσαρκῶ, qui definiente *Gorræo in Definit. Med p.* 122. talis eſt, *quem nec gracilem dicere nec craſſum poſſis*, Tale namque corpus optimè diſpoſitum, & cujus maſſa ſanguinea in optima craſi conſtituta, omnes partes blando ſucco irrigat, & ita corpus ſucci plenum ac carnoſum conſtituit, tantum abeſt, ut craſſitie functionibus impedimento ſit, ut potius eas optimè ſingularique cum robore & vigore perficere valeat.

§. 6. Ea E. corpulentia nimia hic à nobis conſideratur, cum corporis totius i. e. primariò Trunci, ſecundariò pariter artuum peripheria, in tantum à laudabili nutrimento eſt aucta, ut actiones, imprimis quæ ad motum pertinent, aut impediat, aut tollat, aut vitiet, aliiſve nocumentis corpus mulctet. A tali namque ſuffocatos nonnullos recenſet *Schenckius obſ. c. l.* it. *Timæus c. l.* nocumenta nimiæ craſſitiei verò alia *Marcellus Donatus c. l. Senertus de Corpul. nim. pag.* 21. *aliique* quamplurimi paſſim. Imprimis obeſos nimis & corpulentos difficilius moveri, res notiſſima eſt. Cum namque ad motum, fibrarum muſculorum ſyſtema componentium, requiratur contractio & abbreviatio, ut venter muſculorum & rhomboidea, figura, fiat ferè quadratus, quam inſequitur oſſis alligati circa articulum motio ad certum angulum, ac quoad ſitum ejuſdem immutatio, non poteſt ſane talis fieri contractio, ſi omnia iſta ſpatiola nutritiva materia ſint repleta & infarcta, oſſiumque articulationes copioſâ pinguedine ita circumſeptæ, ut ejus obſtaculo eadem flecti ac torqueri convenienter nequeant: ut ipſum taceam artuum nimia pinguedine obſeſſorum pondus, motui reſiſtens. Non poſſunt non quoque vaſa tam ſanguifera, quam lymphatica, ob arctiorem ſui compreſſionem, per partes extimas undique repletas & infarctas, anguſtari plus minus, & ita naturalis fluidorum horum circulus plus minus turbari, & periculosè nonnunquam ſiſti, adeoque ægri tales ſubinde ſuffocari. Hinc quo graciliora ſunt corpora, eo eadem (cæteris tamen paribus) agiliora: unde funambulo & agyrta, ſeu præſtigiator, rarò eſt corpulentus & obeſus: ita ut rariſſimum ſit convenientis agilitatis in corpore tàm inſigniter obeſo exemplum à *Platero* cit. loc. adductum: & à *Cattiero: obſ.* 13. *ex Strada* allatum.

§. 7. Augmentum hocce in corpulentia nimia, à legitima nutrimenti convenientis appoſitione fieri,

modo dictum: ut diſcriminetur ira ab intumeſcentiâ corporis cachectica, & hujus intenſiori gradu, Leucophlegmatia & Anaſarcâ: in qua ex vitiata alimentorum in chylum fermentatione, ſanguinis vitiata craſis, (nam cacochylia eſt mater cacochymiæ) loco debiti nutrimenti, liquamen crudum & viſcidum partium poris ſuppeditat, qui eodem infarcti, inſtar paſtæ non ritè fermentatæ, inflatæ & tumefactæ apparent, ita ut impedito ſic debito lymphæ motu à circumferentia ad centrum, cachexiam & leucophlegmatiam preſſo pede Anaſarca inſequatur.

§. 8. Dum E. nutrimenti nimis copioſi appoſitione fieri corpulentiam nimiam diximus, qui non niſi ſucceſſivè & pedetentim fieri ſolet, excluſam volumus ſubitaneam corporis intumeſcentiam & inflationem, quale mirandum exemplum recenſet *Bartholinus lib.5. hiſt.12.* it. eam quæ *vel morſum* Venenatorum animalium v.g. Aſpidum, viperarum, lacertarum, Serpentum *River.4. obſ.96.* vel *ictum & puncturam* quorundam v.g. Scorpionum, Apum, veſparum. *l. contactum* ſaltem mediante ſaliva, urina, aut halitu, aut bufonum aliorumque quam plurium animalium, interdum inſequitur. Quorum Venenum fermentativâ virulentiâ & maſſam ſanguinem & in ſpecie nutritium ſuccum ſeu rorem partes ſolidas humectantem turgeſcere & quaſi ſpumeſcere facit. Nec mireris, tàm inſignem effectum ex tantillo veneni, nam & modicum fermenti integram maſſam fermentat; & ſpumæ ex cereviſia fermentante ebullientis modicum, magnam recentis cereviſiæ copiam fermentare facit: ſic halitus fermentativus in igne circumvolans vina fermentativo motu in cellis turbat, dum vitis floret: aſt potentiora longè ſunt animalium fermenta ſingulariter tranſmutativa, quorum vim vel fermentum venereum aut ſcabioſum, in ſtatu p. n. aut iſtud ſalivæ in ſtatu naturali confirmat, de quo vid. *Deuſingius Exercit. de nutriment. in corpor. eleborat. p.8.& append. pag.303.* Quæ ipſa nobis in mentem revocant litem iſtam nondum deciſam, in quo præciſè venenum animalium conſiſtat. Egregio conatu, & indefeſſo pariter ac accurato ſcrutinio, ſpeciatim hic deſudarunt. *Fr. Redi. Medicus Florent. Italus, in Obſervationibus de Viperis*, ſcript. in Lit. ad Dominum *Magalottum*: quarum verſio latina *Miſ. Acad. Naturæ Curioſ. anno 1.* annexa eſt. & *M. Charas Pharmac. Pariſienſis, Gallus tr. Nouvelles Expæriences ſur La Vipere*, quorum *ille* materiale hoc ipſum eſſe, & in liquore flaveſcente intra gingivarum veſiculas coacervato conſiſtere; *hic* verò merè ideale illud, & ex iracundia & vindictæ cupiditate in beſtia exſurgere aſſerit: Preſſe terens hoc ipſo veſtigia *Helmontii*, idem ante ipſum jam aſſerentis, cui & *Zvvelferus in animadverſ. ad Pharmac. Auguſt. pag. 212.* aſſentitur. Utrique experimentis & Phænomenis hypotheſin ſuam tueri ſatagunt, prout ex literis eorum mutuas & oppoſitiones & reſponſiones continentibus pateſcit, quarum Epitomen videre licet in *Tranſactionibus Philoſoph. Anglicis numero 66.83.& 87.* Componere equidem litem hanc anniſus fuit Famoſus *Bourdelotius tr. Recherches & obſervations ſur les Viperes*, &c. differentias animalium venenoſorum & ſpeciatim viperarum, veneniſque earundem, pro regionum varietate urgendo, & quod liquor iſte flaveſcens in regionibus calidioribus poſſit eſſe venenoſus, qui in temperatis magis, aut frigidioribus, haut citra bilioſos halitus efferatæ per iram Viperæ nocivus eſſe ſoleat: Vid. ejus *Epitom. in Tranſact. Anglic. anno. 77.* neutra tamen diſſentientium pars hac ipſa conciliatione contenta eſſe videtur. Nobis interim priorem iſtam hypotheſin, in materiali ſcilicet principio fundatam eſſe venenoſorum animalium venenum ceu probabiliorem complectere hac vice placuit.

§. 9. Hiſce ceu ſpuriis corporis intumeſcentiis, à corpulentia vera rejectis, legitimæ ſubjectum, ſeu id, cujus partis augmento corpus ita increſcit, conſiderandum. Determinatum fuit ſuperius, craſſos eſſe eos, qui ſecundum latitudinem & profunditatem augmentantur, ita ut hîc excludantur oſſa, quorum extenſione & augmento, longitudo tantum corpori accedit, donec ſub accretione adoleſcentiæ, ſenſim indurata, omne augmentum ulterius excludant, adeo ut & reliquæ his annexæ aut circumſcriptæ partes, nec longiores evadere poſſint, unde tàm brevioris, quam procerioris ſtaturæ homines corpulenti ſunt. Molles E. quod attinet, & primo quidem internas, viſcerum excreſcentia nimia, in obeſis non, nec niſi per accidens obſervatur, & ſi unum alterumque viſcus nonnunquam auctum fuit enormiter, hoc tamen peculiari tumore ſe prodens corpulentum neminem reddit: ſicuti nec mulieres gravidæ, quarum uterina cucurbita extenſa, ſimul abdomen attollit inſigniter, corpulentæ dici nequeunt. Externas E. quod attinet partes, ſe offerunt muſculorum carnes, cum ſuperſtrata pinguedine, & membranoſis velamentis. Tegumenta communia, ceu reticularis texturæ corpora, ad inveſtitarum partium ſe accommodant ſtructuram, & ita *caro muſculorum & pinguedo* remanent iſtæ partes, quarum reſpectu imprimis corpus craſſum, macrè itidem ac macilentum appellatur. Idque ferè *triplici* ſub differentia, nunc enim plus adeps, ut in obeſis, nunc magis caro, ut in toroſis aut lacertoſis, nunc utrumque æqualiter, in corpulentis in ſpecie ſic dictis, augetur. Aliàs duplex ſaltem corporis craſſities ſtatuitur, una quidem *carnoſa*, ut in ſanguineis: alia *ſaginoſa*, ut in Phlegmaticis *vid. Foreſtus lib. 31. obſ. X. Schol.*

§. 10. Pinguedinem quod attinet, hæc eſt pars ea, cujus nimium incrementum pingues & obeſos reddit, etiam quibusvis partibus cæteris optimè & laudabiliter conſtitutis ac conformatis. Singulare autem quid præ cæteris partibus hæc ipſa obtinet, cum ambigere inter partes ſolidas ac fluidas ſeu humidas, & mediæ quaſi has inter naturæ eſſe videatur. Nam eo ipſo, quo citra omnem fluiditatem propriis ſuis terminis ſubſiſtit, & invicem ſolidâ formâ cohæret, adeò ut cultro quoque ſcindi queat, vaſis quoque ſanguiferis ſuis inſtructa ſit, non poteſt non ſolidis partibus meritò annumerari. Dum vero fluidorum inſtar, pro vario corporis ſtatu, nunc copioſius coacervari, nunc abſumi penitus, & liquefieri quaſi ſub febrium, præſertim acutarum, ardoribus, aut in gelatinam ſolvi, de quo *Miſcell. Nat. Curioſ. anno 8. obſ.3. p. 54.* obſervatur, adeò ut corpus tunc per quam macilentum reddatur, brevi tamen iterum pinguefaciendum, quin etiam naturaliter quibuſdam animalibus loco nutrimenti, defectu ejuſdem ordinarii inſerviat, ut ſunt *urſus, murmentum, glires, &c.* quæ per integram hyemem intra latebras ſuas, dormientibus plus minus ſimiles deliteſcunt, quorum copioſior æſtivis menſibus coacervata pinguedo ſuſtentat tunc temporis eadem: notabile hoc imprimis eſt in *Murmento*, quod triplex, item interdum quadruplex Omentum obtinet, unum inſtratum alteri, ex quibus quædam venas habent, ordinario tramite ad portam venam recurrentes, quædam v. earundem ad venam cavam abeuntes, quo cordi ſub penuria iſta in hybernaculis immediate tranſmittant materiam nutritivam, quam ſacculi adipoſi abundantiorem reſervarunt, & quam ab arteriis receperunt, cum corpus totum ſucci plenius, in æſtate vel potius autumno abundaret nutritio tali ſucco, ut eleganter hoc obſervavit *Perraut: Eſſays Phyſiq. T. 3. c.6. p.233.* Præterea fluidorum inſtar debitis ſuis canalibus & ductibus, ceu vaſis, coercetur, in ſpecie ductus adipoſi dictis, prout conſtat ex accurata eorum anatomica recenſione, *Anonymi Exercit. de Omento, pinguedine & adipoſis ductibus, Tetradi Epiſtolar. Anatomicar. Malpighii & Fracaſſati* annexa. Hinc etiam nullæ propriè dictæ functioni inſervit, cum nullam ſpecialem habeat conformationem organicam

nicam ſeu mechanicam, in qua tamen potentia operandi partium ſolidarum conſiſtit, quia vel ornatui, vel defenſioni ac fotui aliarum partium tantùm inſerviat, minus commodè ſolidarum partium catalogo inſeri poſſe videtur. Adeò ut dicendum videatur, pinguedinem per accidens ex abundantia ſucci nutritii & chyloſi, ſub & poſt augmentationis annos generari, membranoſis locis adhærere, & intra ſua membranoſa conceptacula pedetentim dilatata incluſam, ſucceſſivè coagulari. Uno nomine eſſe quaſi oleum uberius, aut potius butyrum denſius, firmius paulo inſpiſſatum & coagulatum. Illuſtrant hæc experimenta oleorum, ab acidis in adipoſum concretum coagulatorum, oleum ſcilicet olivarum Spirit. nitri affuſum, facili digeſtione congelatur tandem in albam pinguedinem ſeu candidum butyrum, ſaltem ab igne liquabile. Id quod pariter cum oleo amygdalarum dulcium & Aq. Fort. eodem modo ſuccedere ſolet. Non ſecus ac ſerum quod ſanguini Ven. Sect. emiſſo ſupernatat, à Spirit. nitri promptè in craſſamentum viſcoſum, quaſi caſeoſum coagulabile exiſtit, gelatinâ ſcilicet chyloſâ contentâ ita inſpiſſatâ & per texturæ mutationem condenſata. Adeoque non adeò ineptè *Grevv. Diſcou. ſ. of. Mixture pag. 90.* ſuſpicatur, pinguedinem animalium eſſe ſaltem coagulum oleoſarum ſanguinis partium, factum vel à propriis ipſius acidis particulis, l. à nitroſo aëris Spir. cum ipſo permiſto. Hinc probabile eſſe aſſerit *pag. 91.* quod animalia quædam, ut cuniculi, item colluriones pingueſcant magis frigido ſub tempore: quatenus oleoſæ ſanguinis (vel ex noſtra mente, oleoſæ chyli h. e. butyroſæ) partes tunc extraordinarie coagulentur ob majorem abundantiam particularum nitroſarum, ab aëre intra eorum corpus receptarum. Ob eandem rationem quoque eſſe, quod pinguedo animalium terreſtrium durior fit, cum illa piſcium ſit mollior, & magnam partem in oleoſam formam diffluat: ſcilicet quia aqua, quam incolunt, & quæ reſpirationis uſui inſervit, paucas in ſe habet nitroſas particulas, reſpectu earum, quas aër obtinet. Hinc m. *Fr. Bac. de Verulantio Hiſt. Vit. & Mort.* §. 49 aſſerit, animalia quæ potant ex aq. nitroſa, manifeſto pingueſcunt, quod ſignum eſt frigidi in nitro. Plura de Pingu. *V. Sebizius lib. de alim. facult. lib. 5. quæſt. 12. 13. pag. 1217. & Caſp. Bartholinus Senior Controv. Anatom. de infim. Ventr. quæſt. 1. 2. 3. 4. pag. 269.* Speciatim *Cecilii Folii Itali, Diſcurſo Anatomico circa lageneratione & uſu della pinguedine, &c.*

§. 11. Præter pinguedinem & muſculoſa caro eſt, quæ corpulentiæ nimiæ ſubjectum conſtituit, quando & ipſa turgeſcit p. n. & ita inſigniter interdum craſſeſcit, ut notabiliter artuum ac corporis molem augeat. Talis olim *Athletica habitudo*, carnoſa ſcilicet plena & robuſta dicta fuit, qualis Athletarum erat, quem non Naturâ ſed arte comparabant ſibi, ut multâ ſolidaque carne, & ſanguinis tenaci & optimi copia abundarent. Neque enim vires tantum, ſed etiam molem pondusque corpori adjicere conabantur, ut hac etiam ratione adverſarium proſternerent. Hinc factum eſt poſtea, ut eo quoque nomine omnis corpulenta & firma habitudo vocaretur, etiam in iis, qui athleticam non exercerent, & quam *Hippocrates* cenſet non eſſe ſecundum Naturam, ſed neutram potius. *Vid. Gorræus definit. Medic. pag. 7.* De Carnea vero hac mole, par fere atque modo de pinguedine ferendum judicium. Eſt ſcilicet nil aliud, quam ſanguinis copioſioris firmius & uberius circa fibras nerveas motrices coagulum, harum robori pariter ac tutelæ aliàs naturali in ſtatu inſerviens. Sunt præterea, qui carneas partes, non niſi quaſdam particulas rubicundas ſanguinis grumefactas; & incluſas membranæ ſubtili, tanquam tenui vaſculo, unde diuturnâ etiam coctione elici poſſunt, adeoque mentiri tantum carnoſam ſubſtantiam, aſſerant, quod tamen tanquam adhuc paradoxum, vel obiter ſaltem attigiſſe ſufficiat. Hæc duo E. adeps uberior, & caro copioſior, nunc ſolitariæ, nunc ſociatæ, Corpulentiæ nimiæ ſubjectum proximum ſtatuenda eſſe, ex dictis concludendum videtur.

ART. II.

Cauſam Corpulentiæ nimiæ proximam ſcrutatur.

§. 1. NUtritius ſuccus perenni motu corpus alluens, ut nutrit ſingulas partes, easque auget, ita abundantior nonnihil, & totum corpus ſucculentum reddit, & in ſpecie circa membranas nonnullas laxiores coacervatus, ſenſim in pinguedinem incraſſatur, circa fibras vero congeſtus, in carnem cogitur. Quod ſi his ipſis ſociemus ea, quæ ſuprà *Artic. 1. §. 2.* præliminariter quaſi monita fuerunt, vel ſponte, citra ulterius ſcrutinium devolvimur ad corpulentiæ nimiæ cauſam. Hanc enim proximam bipartitam facimus, eamque tàm *materialem* ſucci nutritii inſignem abundantiam, quàm *occaſionalem*, quarundam membranarum in ſpecie, ſic dicti panniculi carnoſi & exterioris cutis laxitatem, & quaſi nimiam mollitiem, uti & fibrarum nervearum plurium extenſilem tenacitatem, & quaſi poroſam imbibendi aptitudinem conſtituimus, his enim præſentibus cauſis, ſuccus nutritius omnes partes ubertim humectat & irrigat, & præterea circa dictas partes ſenſim coacervatus & ſucceſſivè inſpiſſatus & coagulatus corpulentiam producit nimiam. De *formali* ſeu *efficiente* cauſa, quæ forſan aſſocianda, tertio loco fuiſſet, inferius, pauca quæ monenda occurrent, attingenda erunt.

§. 2. Hæc ut fiant nonnihil clariora, ſucci nutritii natura primo indaganda venit. Sanguinem nutrimentum eſſe corporis univerſale, & ita etiam ſcaturiginem pinguedinis, & carnoſitatis nimiæ, Veterum unanimis, multorumque adhuc recentiorum eſt ſententia. Vid. *Senn. l. 5. Prax. part. 1. c. 4. p. 22. & Ferdinandus Conſil. 82.* ſed hanc opinionem non leviter concuſſerunt Angli, Vid. *Carleton Oeconom. Animal. Exerc. 5. de ſang. uſu Gliſſ. Anat. hepat. c. 45. pag. 406. Ens Apol. Circulat. ſanguin. Contra Pariſan. digreſſ. 3. p. 69.* ut nihil dicam *de VVilliſio*: qui paſſim in ſuis ſcriptis quoad hoc punctum, conſulendus venit. Quibus tamen ſe oppoſuit *Deuſing. Exerc. de ſangu. Uſu.* it. *Steno in obſ. de Gland.* & noviſſimè *Piens de Febr. p. 1. pag. 153. 163.* ubi *Gliſſonii & Entii* argumenta in ſpecie ventilat, aliique plures, quibus pertinacius Veterum veſtigiis in hoc puncto inſiſtere placuit.

§. 3. Illi ipſi E. duplex ſtatuunt corporis nutrimentum, ſanguinem unum, pro partibus ſanguineis, & liquorem roſcidum per nervos in partes derivatum, pro partibus ſpermaticis ſ. nervoſis, & ita etiam pro pinguedine, ita ut cauſa obeſitatis nimiæ futura ſit abundantia talis per nervos influentis, *Vid. Carleton. &c. ſuprà cit. it. VVilliſ. Anatom. Cerebr.* Quibus acriter ſe opponit *Deuſing. Exerc. de comment. ſucci nutritii per nervos influentis* it. *Bartholinus in Spicileg. de vaſ. Lymph.* & ſanè hæc ipſa opinio adeò paucis arriſit, ut nullos niſi ipſos Anglos & paucos quoſdam Italos agnoſcat defenſores, & vix probabiliter perſuaderi poterit cuidam, qui nervorum ſtructuram ſubſtantiamque rectiùs paulò conſiderat. Quin modo *materiam* nutritionis, ab hujus cauſa *efficiente*, ſive *univerſali*, in quo puncto Spiritus animales influi omnino primariam mereri conſiderationem videntur, ſive *particulari*, ritè diſcernamus, haud adeò difficilis ad argumenta illorum videtur reſponſio.

§. 4. Dubius jam erat, quoad nutritionem, ſanguinis uſus, non minus etiam ſuccus nervorum nutritius, en E. novum *Bilſii* commentum à *Zaſſio* explicatum, & hypotheſi Helmontianæ, quoad ſextuplicem digeſtionem,

ſtionem, & quoad naturam & uſum laticis applicatum, & quantum poſſibile à *Deuſingio*, aurito tantum, minimè vero oculato teſte, defenſum. Vid. *Deuſing. Append. ad Exerc. de nutrim. elab. Bilſius* E. ejuſque ſectatores loco illius nervorum ſucci nutritii *rorem* ſubſtituit, hunc nempe liquorem, quem omnes reliqui Anatomici *Lympham* appellant: hunc rorem ex primis viis, ceu centro per vaſa rorifera, (ab aliis lymphatica) in totum corpus, ceu circumferentiam, diſpergi aſſerunt, ut veri partium ſpermaticarum alimenti vices obtineat, prætereaque partes ſanguineas ita præparet, ut ſanguinis nutritionem facilius ſuſcipiant. Cauſa E. corpulentiæ nimiæ, juxta hanc opinionem, erit roris iſtius nutritii uberior copia, & laudabilior conſtitutio, quo ut uberius nutriantur partes ſpermaticæ, & copioſius ſuccreſcat pinguedo, ita etiam ſanguineæ majus capiant incrementum, ob majorem aptitudinem, per hunc rorem inductam. Sanè elegans admodum hæc eſt opinio, & per quam multorum phænomenon difficilium, tàm in theoria medica, quàm ejus praxi, facilis & perſpicua poſſit reddi ratio, modo vera eſſet; Sed ea ſufficienter rejecta eſt ab omnibus ferè Anatomicis, in ſpecie *Bartholino*, *Sylvio*, *Hornio*, & imprimis *Pauli*, *in Anat. Bilſiana*, & quotquot unquam accuratius & curioſius vaſa lymphatica, ſeu *Bilſii* rorifera luſtrati fuerunt, dum clarè demonſtrant, motum in his vaſis contenti liquoris, contrarium eſſe *Bilſio*, & à circumferentia ad centrum, tandemque ad cor procedere, præterea valvulæ horum vaſorum, à *Ruyſchio* ipſi *Bilſio* demonſtratæ, hunc tantum non obſtupeſcerunt. Mortuo E. jam *Bilſio*, & ſepultis cum eodem ſecretis ejus anatomicis, ac enchiriſibus, metuendus omninò ſimul & horum aſſertorum interitus.

§. 5. An E. ſanguis ſolus corpulentos & ſucculentos nos reddit? Nequaquam, quin potius lac, ut nutrit infantes tenellos, ita etiam cum ſanguine ſuſtentat & corpulentos reddit robuſtos adultos. Chylus ſcilicet, ut genuina & legitima eſt lactis materia, ita idem ſanguini in axillari ſiniſtrâ permiſtus & aliquoties circulatus, non ſtatim abit in ſanguinem, ſed ſub lactis ſuaviſſimi forma aut ſanguini confuſus, aut ſub gelatina albicantis larvâ à ſero, ceu nutrimenti vehiculo ſolutus, mediantibus vaſis ſanguifluis, in totum corpus diſtribuitur, omneſque ejus latebras perreptat, partes nervoſas ſeu ſpermaticas nutrit, & abundantior paulò à membranis receptus, per eas tranſudans, & ſuperficie earum inhærens, in pinguedinem ſuccreſcit, dum interea ſanguis reliquus temperatus, ſanguinea parenchymata nutrit, & præ cæteris muſculorum fibras copioſiori carne incruſtat. Cui ſententiæ præter alios adſtipulantem vid. *Bartholin. cent. 2. ep. 65. p.612. it. cent.3. ep.38. p.141. Schneiderum de Catarrhis l.2. p.85. it. l.3. p.95. Fr. Bayle. Diſſert. 3. de uſu lactis.* Quo ſpectat etiam gelatina iſta ſeri lactea *Barbati*, in eleganti tract. *de Sanguine & ejus ſero*, quæ nihil aliud eſt, quàm chyli portio, ſub ſeri regimine occultata, tàm pro nutrimento partium nervearum & his cognatarum, quàm pro aliis uſibus per univerſum corpus diſtributa. Imo quicquid contra ſanguinis aſperitatem, pro ſucci nervei benignitate, in puncto nutritionis Angli tantoperè urgent, quamdiu intra *materiæ nutritivæ* limites ſubſiſtunt, optimè chylo, ſanguini nondum aſſimilato, diuturno tamen cum eodem circulo certè modo alterato, applicari poteſt. Quæ ipſa non parum illuſtrat experimentum, quo anſerum probè ſaginatorum, mactatorum, ſanguinem, ubi refrixit, albiſſimo lacte ſupernatante cooperiri conſtat; ſecus ac in iiſdem non æque ſaginatis fieri obſervatur: v. *Borrichii Herm. Ægypt. & Sap. pag. 262.*

§. 6. Sane butyroſa lactis ſeu chyli (levis namque hæc intercedit differentia) ſubſtantia, ſimilis quodammodo eſt (denſiori ſaltem) corporis pinguedini, unde eaſdem ferè obtinent proprietates. Cum econtra ſanguinea maſſa, aſperior paulò ac ſalino acrior minus commoda videtur, ut pinguedo ex ea generetur, & unde proprietates utriuſque in ſpecie color (in ſanguine adeò pertinax, ut quoſvis alios potius, quam candidum ipſi conciliari queas, niſi totalem ejus corruptionem in pure, quod tamen ſolo ex ſanguine conſtare, minus veriſimile videtur, urgere velis, minus tamen huc quadrantem) in multis diſcrepant, hinc & ſanguineis partibus immediatè nuſpiam adhæret pinguedo, quin membranis tantum nervoſis adnaſcitur. Unde & ea animalia, in quibus acrior ſanguis, concitatiori motu inteſtino, citius chylum in ſanguinem tranſmutat, parciorem habent pinguedinem, v. g. canis, equus, lepus, aſt ea, quorum ſanguis temperatus, blandius & parcius chylum tranſmutat, copioſa abundant pinguedine, ſuntque corpulenta, ut porci, urſi: id quod ſimiliter in genere humano obtinet. Hinc & aliquando obſervatum, quod talibus obeſis per umbilicum ſeroſus quidam humor, i. e. vehiculum cum contenta gelatina lactea nutritia evacuatus fuerit, Vid. *Sennert. 6. l.p.22.* Sed hæc ulterius confirmabunt res naturales & nonnaturales ad corpulentiam nimiam diſponentes: de quibus infrà.

§. 7. Maſſa E. ſanguinea copioſior eaque minus ſalina, acris & aſpera, ſed ſuaviter temperata exiſtens & ſimul blando & dulci chylo, eoque copioſo turgida, homines reddit corpulentos, ibi quidem carnem muſculoſam, hic ſubſtantiam pinguedinis notabiliter augmentando. Ut v. talis fiat, præter radicalem & ſeminalem ſanguinis craſin, ſecundum quam & chyli aſſimilatio, & ſolidarum nutritio, aliique ejus uſus variant, multum momenti ſitum eſt in ſtomachi digeſtione, qualem ſcilicet chylum hic ex alimentis fermentando producat, *cum fontalis ſtomachi digeſtio, rectè gubernatrix cæterarum, velut ſibi ſub alternatarum, dicatur ab Helmont. tr. jus duum viratus §. 59. ſæpè namque occurrit Capucinus, longo jejunio gravatus, potuque pauco & parvæ cereviſiæ ſaturatus, craſſo tn. corporis habitu dotatus. Ex adverſo cernuntur edaces largoque mangonio educati, inſigniter macilenti: ut idem cit. l. loquitur.* Variat n. non tantum in ſingulis animalium ſpeciebus digeſtionis ratio, unde panis idem tot varia dat ſtercora, quot animalia pane veſcuntur, ex diverſitate nempe digeſtionis, ſed unumquodque etiam individuum humanum ſua hic gaudens ſpecificâ differentiâ, determinatè modoque ac ratione ab aliis individuis diſtinctâ, eadem licet aſſumpta digerit, unde & eorundem major vel minor, ad nutriendum aptitudo. Quotidie ſcilicet id obſervare licet, eadem alimenta, pro chylificationis naturali modo procedentis vel p. n. læſæ ratione, illum nutrire & ſuſtentare, hunc verò lædere, ſecundum *Hippocratis* iſtud veriſſimum Effatum, corpora impura, quo magis nutriveris, eo magis læſeris, uti & iiſdem, hunc inſigniter augmentari, illum verò parum vel nihil mole corporis accreſcere. Ratio proximè in maſſ. ſang. remotè vero & fundamentaliter in chylo, hujuſque præparatione ac conſtitutione inveſtiganda, qualis enim hic, talis ſanguis, tales Spiritus (cætera omnia in œconomia animali ſi ritè procedant) & tale per conſequens nutrimentum corporis.

§. 8. Haud latet nos equidem, multum aliàs hic tribus Hepati, cujus temperata conſtitutio, in ſpecie calida & humida, ut ſanguini ſimili, eoque propterea nutrivo inſigniter, generando, ita conſequenter tàm carnis, quam adipis abundantiæ, primario inſerviat, cum dogma tale præter Veteres ſcriptores quoſvis, in ſpecie ex *Sennerto cit.* ſæpius *loc. p.12.* hauriri pluribus queat. Sed quo minus huic aſſentiamur impedimento, ſunt binæ falſæ, quibus ſententia hæc innititur, *hypotheſes*, primò ſcilicet illa, de hepatis in ſanguificatione principatu, deinde iſta, de calido

nativo

nativo quarumvis actionum ſimilarium primario autore & artifice. Nam quoad *priorem* illam notum eſt, jamdudum hepati publicas *à Th. Bartholino* ductas eſſe exequias: adeò ut ejuſdem defuncti, & exauctorati jam deſperata videatur cauſa (vid. *Th. Bartholin. ſub hoc Tit.*) utut *D. Schvvammerdammius, Anatomicus Excell. Amſtelodamenſis*, ſecundum experimenta *Hornii*, Lugdunenſium olim Anatomici dexterrimi, hepatis reſuſcitationi aliquam opem ferre promiſerit, in lib. *de Uteri muliebr. fabric.* quod tamen, morte immaturâ præventus, præſtare haud potuit; Contra quem tamen jam *C. Bartholinus Junior* calami aciem in hoc negotio ſtrinxit, de *diaphragm. ſtructur. p. 64. Poſteriorem* v. quod attinet, temperies illa partium calido nativo adſcripta, ut conſequens eſt vitæ, & effectus quidam poteſtatum vitalium, ita minimè ipſi tanti ponderis functio, non niſi potentioribus agentibus conveniens tribuenda venit, cum à ſanguinis & ſpirituum influorum craſi, temperies iſta potius dependeat, tantum abeſt, ut ab hoc ſanguis ſuam craſin & perfectionem recipere debeat. Concedendum eſt de cætero, prout bilificationi, (ſi loqui ita licet) præeſt hepar, hujus reſpectu non adeò negligendam eſſe in noſtro negotio, ejus conſiderationem. Multum enim omnino in receſſu habet, bilis debitè conſtituta, pro chyli debita perfectione, quâ vitiatâ, & vitiatus diſtribuitur chylus, & cacochymus generatur neceſſariò ſanguis, ipſe jam à debita craſi plus minus deficiens, prout iſtud hepatis circa bilem ex ſanguine eliciendo officium, plus minus læſum fuerit. Uti itaque plurium viſcerum, pro chyli & ſanguinis perfectione abſolutâ, mutua & concinna eſt conſpiratio, ita hæc inter hepar ferè primatum obtinere videtur; adeò, ut quo magis temperata & oleoſa dulcis bilis ab eodem conficiatur, eò magis corpulentiæ augendæ, quò acrior v. & ſalſior, eò magis eidem imminuendæ conferre probabile ſit. Quæ tamen latius deducere, præſens noſtrum minimè fert inſtitutum.

§. 9. Lactea hæc ſanguinis maſſa apta eſt, ut corpulentos nos reddat, modo aptitudo partium reſpondeat, quas copioſo ſucco nutritio irrigare, & circa quas in pinguedinem ac carnem concreſcere aſſolet. Hæc E. eſt altera cauſa corpulentiæ proxima, nempe pororum & ſpatiolorum amplitudo, inter fibras partium molliores paulò, ac ſpeciatim circa membranas, partiumque harum mollities, & obſequens tenacitas, circa priores enim illas carnem, circa has poſteriores verò concreſcere pinguedinem, notum eſt; idque tam quoad fibras & membranas partium internarum, in ſpecie abdominis & thoracis, quam primario circa membranas externas, intra panniculum carnoſum & cutim, fibraſque muſculorum trunci & abdominis. Quantum enim receptivitas nutrimenti uberioris harum partium, in qualitatibus iſtis fundata, momenti ad corpulentiorem habitum, ſeu copioſiorem nutritionem conferat, vel ex oſſibus addiſcere licet, quæ ſemel duritiem ac robur debitum ubi acquiſiverint, ulteriori incremento aut quamvis in dimenſionem extenſioni inepta evadunt: Fracta v. ob pororum p. n. ampliorem capacitatem, & interſtitia fibras inter induratas, in loco fracturæ ſpatioſiora, uberius nutrimentum mox recipere & retinere obſervantur, quod in callum ſic dictum, ſubinde inſignis magnitudinis, tandem abit. In Corpulentiori itaque habitu, dum lacteus ſanguis ad partes modo dictas alluit, earum porulis ſeſe inſinuat, & dum muſculorum & panniculi carnoſi fibræ ſanguine augeſcunt, ipſæ membranæ muſculorum lacteo nutrimento implentur, cujus abundantia externè cutim verſus tranſudat, quia internè fibris muſculorum ſanguine veſtitis adeò commodè adhærere nequit; ipſa vero cutis, ex extremitatibus capillaribus arteriarum, venarum & nervorum reticulatim contexta, dum per glandularum minutarum ipſi intertextarum excretoria vaſa, ut &, ſi qui ſint præterea, poros in ſpecie ſic dictos, inſenſibilis tranſpirationis materiam vaporum forma tranſire permittit, craſſiuſculum lacteum nutrimentum cum ſanguine allatum externorum pororum anguſtia cohibet, quod ita introrſum verſus coërcitum ſucceſſivè in corporis periſtroma adipoſum denſatur.

§. 10. Paſſivæ fuerunt, ut ſic dicam, cauſæ corpulentiæ nimiæ, quas hactenus pertractavimus, cum objectum materiale, uberius nempe nutrimentum, & ſubjectum recipiens, laxior ſcil. fibrarum & membranarum textura, ſaltem conſiderata fuerunt. De formali v. ſeu efficiente, quod nutrimentum copioſius dictis locis aſſimilat & agglutinat, altum hucuſque ſilentium. Sed cum efficiens corpulentiæ nimiæ, ſeu nutritionis p. n. auctæ, idem omnino exiſtat cum eo, naturaliter quod nutrimentum aſſimilat, hoc ipſum ſimpliciter ex phyſiologicis præſupponendum fuit, cum nihil peculiare in pathologica conſideratione, de eo monendum occurrat, ſive animam, ſive ſpiritum influum, ſive inſitum, ſive fermentum, ſive ideam, ſive acidum, ſive calidum innatum, majori ſubinde verborum, quàm rerum differentiâ, illud aſſerere velimus. Hoc ſaltem vel obiter monuiſſe ſufficiat. 1. *Cerebri & cerebelli* horumque ut ſic dicam, influentiæ, non parvam in nutritionis & augmentationis negotio efficaciam eſſe formalem, ut vel diſtorti, gibboſi, luxati, paralytici, &c. perſuadent. 2. Præter tamen efficiens nutritivum totius corporis, & quaſi univerſale, particulare præterea in quavis parte ſingulari neceſſario requiri quaſi inſitum, ratione cujus univerſale illud principium determinetur ita, ut idem nutrimentum in hujus partis ſubſtantiam præciſè convertatur, quod in aliâ, in aliam quoque, & quidem ſpecialem illi parti naturam, abeat. 3. Modum illum quo nutrimentum ex fluido in ſolidum abeat, ſub aſſimilationis actu in nutritione, vix clarius concipi, & evidentius explicari poſſe, quam per coagulationis rationem, cujus primaria inſtrumenta quaſi mechanica, ut aliarum plurium in corporibus miſtis mutationum, ſint duo illa acidum & alicali (ſeu terr. vol.) animalibus tamen, ſpecifica.

ART. III.

Cauſas remotas indagat.

§. 1. Fuerunt hæc cauſæ proximæ, remotas quod attinet ad corpulentiam nimiam diſponentes, eæ omnes in hoc conſpirant. 1. quod aut maſſam ſanguineam temperatam & lacteſcentem, aut fibras tam carnoſas, quàm membranaceas nonnihil molliores, & quaſi laxiores reddant, unde pororum facilior dilatatio, adeoque recipiendi ac retinendi copioſum nutrimentum prompta aptitudo 2. quo multum nutritivi addant corpori, parum verò eidem detrahant. *Conſtitutio Spirituum & maſſæ ſanguineæ radicalis ſeu ſeminalis*, taliter temperata, quæ blando motu inteſtino, quaſi fermentativo, moderatè corpus incaleſcere facit, ſuccumque nutritivum minus citò attenuat, aut quaſi colliquefacit, ſed potius chylum tardius ſibi aſſimilat, ad corpulentiam imprimis facit, & hoc eſt, quod temperamento calido & humido vulgò attribuunt. Naturâ ſcil. quidam præ aliis diſpoſiti ſunt, ut corpulentiores evadant, adeò ut reperiantur familiæ, quæ plures corpulentos, ſicut aliæ quæ proceros, aliæ quæ minores progenerare ſolent. Scil. ſicuti vegetabilia inter, ſub eadem ſpecie v. g. arborum quædam lege naturæ proceriores, aliæ humiliores, aut fructuum quidam craſſiores & grandiores, alii minores, & depreſſiores eſſe ſolent per traducem ſeminalem, quæ proprietas ulterius eodem modò multiplicatur, ita vegetatio animalium ſimili ratione prima fundamenta ex ſeminalibus primordiis omninò haurit. 2. *Aetas aſcendens & conſiſtens.* In talibus enim nutrimentum, quod ſub accretionis annis in augmentum corporis

poris, in ſpecie quoad longitudinem non omne impenditur, coacervatum ſucceſſivè corpulentos ferè reddit. Non ſecus ac infantes ut plurimum corpulentiores, ob nutrimenti lactei ubertatem, & ob fibrarum extenſilitatem, pororumque amplitudinem obſervari ſolent. Ex quibus facilè ac ſponte ferè patet, quare 3. *fœminæ præ maribus magis*, corpulentæ ſæpius fieri ſoleant. Id quod effectivè per temperamentum frigidius vulgo explicare ſolent. Quo ipſo nihil aliud inſinuatur, quàm contentorum corporis craſis magis temperata, ex qua minor caloris effectus procedit, quàm in maribus, in quibus illa volatiliora & acriora ferè eſſe ſolent.

§. 2. Inter res Nonnaturales, primum occupat locum, *Aër temperatus, aut ſaltem minus æſtuans, hinc tempus hyemale & vernum*: his enim anni tempeſtatibus ſucci nutritii major abundantia: nam ſub frigore hyemali ſumus ordinariò edaciores, contenta quælibet ſpiſſiora & reſpectivè magis condenſata exiſtunt, & tamen ob ambientis conditionem, ex pororum majori conniventiâ, corpus minus exhalat: verno verò ſub tempore ſanguis turgeſcens, inſtar vini recentis, copioſum nutrimentum chyloſum generat & ſuppeditat. *Regio temperata*. imprimis nonnihil borealior; qualis enim aër, talis ut plurimum maſſa ſanguinea: hinc Germani corpulentiores Gallis & Italis. Aër frigidus item craſſus, magis ad corpulentiam diſponit, quàm ſubtilis, id quod & antiquitus obſervatum: ſic enim Bëotii ſunt pingues, id quod innuit *Nepos* in *Alcib.* & *Horatius L.2. Epiſt.1.* at:

Bëotium in craſſo jurares aëre natum.

Subtilis enim volatilem nimis maſſam ſanguineam & nutrimentum corporis nimis volatile & ſubtile reddit, unde facilius poſtmodum ac copioſius inſenſibiliter diſſipatur.

§. 3. Quamvis Leſſio, Societatis JEſu Theologo, in libro ſuo diætetico, cibi & potus menſuram, quâ unicuique ſuam portionem ſingulis diebus admetiri conatur, relinquamus: cum univerſalis menſura determinari nequeat, partim ob idioſyncraſiæ, partim ob vitæ generis varietatem, alias ut taceam circumſtantias, nihilominus tamen certum eſt, quod *Cibus & Potus* copioſior, aut magis temperatus, & ob id uberior nutritivus, multum hìc valeat: modo ſtomachi digeſtio una conſpiret, ut ſupra monitum. Hinc enim ex omiſſis gravioribus exercitiis, ſequente otio & lautâ victus ratione, molem corporis cujusdam immodicè auctam, refert *Trincavellus lib 3 conſ.101.* *Panis* præſertim multum confert, qui non tantum per ſe admodum nutrit, ſed etiam liqueſcens in cremorem, propter acidum fermentativum in panificio ſuſceptum, & beneficio ſalivæ in maſticatione reſuſcitatum, inſtar appoſiti fermenti, aliorum alimentorum digeſtionem, ut magis evadant nutritiva, adjuvat. Hinc etiam panis, rectè *Theriaca alimentum* audit. *Vid. Helmont. tract. Victus ratio.* Confirmatur exemplis à *Cattiero obſ.12. & 13. pag. 45. & 46.* (*Borelli obſervat.* annexis) allatis, ibi quidem quantum panis doſis aucta, ad laudabiliorem corporis habitum, hic vero quantum eadem imminuta, ad gracilitatem diſponat. *Paſſulæ Corinthiacæ* dictæ, pinguefacere dicuntur *Joel in praxi*, it. *Riverio obſer. 43. Cent.4.* ſunt enim revera ſucci per quam temperati, (cujus reſpectu vulgo calidæ & humidæ dicuntur, quin & Veteribus hepar corroborare: Hinc quibuſdam decoctum paſſularum cum Rad. Cichorii in Maraſmo ſeu contabeſcentia corporis, eſt per quam conveniens) qui aſperitatem & acrimoniam ſalinam maſſæ ſanguineæ emendat, indeque ipſi talem craſin largitur, quâ aptior redditur uberiori nutritioni.

Poſt Paſſulas *ſemina oleoſa temperata*, ut amygd. dulc. pineæ, piſtaciæ, it. *mucilaginoſa* & reliqua *farinacea*, milium, hordeum, triticum, ſimiliter nutriunt: unde Cereviſiæ, primario triticeæ hinc & hordeaceæ ſunt nutritivæ.

Lactis & butyri uberior uſus, ut atrophiæ ſcorbuticæ medetur, acrimoniam ſanguinis acidulam vitioſam temperando, & emaciatos quosvis ac tabidos denuò pingues reddit: ita omnibus hominibus ſanis, qui reddi corpulentiores amant, inſigniter convenit: en quam pingues & ſucculentos facit infantes? imprimis lac muliebre, quod & ſemen genitale augmentat, & in venerem armat, *Vid. Foreſtus.* Unde lac equinum, cum pauco ſaccharo ad atrophiam ex philtro commendatur ab *Hartmanno.* Accenſenda his ſunt ova recentia mollia, carnes pullorum gallinaceorum aliorumque juniorum animalium partes, earumque gelatinæ, & ſexcenta alia, quæ quò temperata magis, & mucilaginoſiora, eò potentius nutritiva, & corpulentiæ augmentativa.

§. 4. Somnus & quies inſigniter impinguant, exiſtunt enim tunc fibræ laxæ, ceu in figura media conſtitutæ, porique ac interſtitia ſic erunt quoque amphora: præſertim *cum tunc demum aſſimilationis actus & motus ſit in vigore, cum omnis localis motus ceſſat, qui cum obturbet*: ut rectè hoc deducit *Fr. Bac. de Verulamio: Hiſt. Vit. & Mort. §.4. p.155.* Nam vigiliis, & in ſpecie crebriori motu, agitata & circulata maſſa ſanguinea celerius, fermentatione ejus intenſiori reddita, incaleſcit inſigniter, & ita colliquefacit ſuccum nutritium, eumque ita tam inſenſibiliter, quam ſudore tenus diſpergit. Videmus hoc in urſis, hyſtricibus, muribus, montanis, ſimilibusque animalibus, quantum quies & ſomnus valeant, qui tempore hyberno in latebris quieſcentes ſomno ſepulti, in ſpeciem craſſiores & pinguiores evadunt: partim quod intra omentum, aliaque viſcera interna, collecta pinguedo, de quo ſupra, ſucceſſivè attenuata, ſub nutritionis partium nervoſarum munere, indeque & alia quoque in loca diſtribuatur, & ibidem ſub torpore illo agglutinata, aliqualem copioſioris pinguedinis ſpeciem repræſentet: partim quod ſanguis eorum, ex voracitate prægreſſæ æſtatis, chylo crudiore abundans, hunc quantum ejus poſſibile ſibi aſſimilatum, in nutrimentum partium ſanguinearum impendat, crudiore & quaſi pituitoſiore ejus parte, partes ſolidas obſidente, & ſub habitu plus minus Leucophlegmatico, corporis peripheriam occupante, ac ſpeciem corpulentioris habitus repræſentante. Id quod facilè fieri contingit, dum iſta quiete, & rara conſpiratione, tardior eſt motus ſanguinis localis, remiſſior inteſtinus, unde tardiſſima ſanguificatio, pauciſſima tranſpiratio, parciſſima nutrimenti abſumptio; Confer. quæ habet *Pechlinus de Aëris & alim. defect. pag.67. & 68.*

§. 5. *Quoad excreta*, ſi eadem, imprimis per urinas & ſudores ſint pauciora, corpus pinguius reddunt; cum n. ſerum vehiculum ſit alimenti, eo copioſius excreto, nutritius ſuccus ſimul uberiùs evacuatur. Præter cætera omnia, excreta venerea imminuta, corpus craſſeſcere faciunt: animalia hoc teſtantur, quæ eo tempore, quo ceſſant à venere, pinguia evadunt: aſt urgente ſeminis orgaſmo, ſtato tempore, quando veneri inhiant, emaciantur: ratio eſt, partim quia blandior chyloſus & nutritivus ſuccus maſſ. ſang. detrahitur, & in ſupplementum ſeminis impenditur, partim quod Spiritibus genitalibus, aut ſingulari teſtium fermento, ſanguini permiſto, hujus maſſa inſigniter quaſi efferveſcit, unde acrior, volatilior & calidior ea facta, minus nutrit, dum promptè nimis, quicquid chyli (tunc temporis ob ſimul alteratum & acrius redditum ventriculi fermentum) minus nutritivi ipſi diſtribuitur, aſſimilat; His ſcilicet ex cauſis, noviter maritatis, Tabes dorſalis eſt frequens, & Veterinarii è contra, caſtrando bruta, eadem eſui aptiora reddunt, quia pinguiora & ſucculentiora evadunt Pertinent huc aliæ conſuetæ, præſertim ſanguinis, evacuationes ſuppreſſæ: Quâ ratione mulieres poſt ceſſantem menſtruam uteri hæmorrhagiam aut deficiente conceptione, aliàs ſolita, habitiores fieri, & notabiliter ſubinde excreſcere ſolent.

ſolent. Ut taceam Spirituum influorum ſub venereis actionibus diſpendia, quorum defectu quælibet actiones torpent, unde & coctio partium privata quoque ab iiſdem minus commode perficitur.

§. 6. His tandem conjungendi ſunt Animi affectus, qui moderati, aut nulli, adjuvant corpulentiam, quibus minus agitata maſſ. ſang. blando motu circulatur: gaudium moderatum conducit. Ira nimia, curæ nimiæ, non minus quàm motus aut vigiliæ, macilentos reddunt. Ratione ex hactenus dictis, collectu facilis eſt.

§. 7. Ex Rebus Præternaturalibus, nil eſt, quod pingues reddere valeat, niſi per accidens nonnunquam febribus corpulentia ſuccedat: quale exemplum habet *Sennertus lib. 5. Prax. p. 23.* quatenus per febrilem efferveſcentiam, principiis ſuis activis ſalinis admodum depauperata. Maſſ. ſang. quicquid recipit chyli, ſub remiſſione, tàm progreſſivo, quàm inteſtino motu, tardius aſſimilat, minuſque de eodem inſenſibiliter dimittit, unde temperata eadem facta & quaſi ſemilactea, arefactas fibras & membranas uberius humectat, & rore nutritivo mitiore, & reſpectivè uberiore perfundit, unde corpulentior habitus extimi facies.

§. 8. Signa hic addenda eſſent diagnoſtica, ſed ea per ſe ſunt patula, non ſecus ac diſtinctiva iſta, quibus ab aliis affectibus diſcernitur, quæ ex Cachexiæ & Anaſercæ ac Leucophlegmatiæ hiſtoriis innoteſcunt, adeò ut recenſendis iiſdem commode ſuperſedere queamus.

CAPUT II.
THERAPEUTICUM.
ART. I.
Signa Prognoſtica exhibet.

§. 1. QUam periculoſiſſima ſecum afferat incommoda, nimia corporis humani corpulentia, verbis *Avicennæ ſeptima quarti tr. 4. c. 5.* delineare placet *Scnnerto l. 5. Prax. c. 4. p. 23. it. Galeno l. 3. de differ. morb. c. 9.* quibus adde quæ habet *Marcell. Donatus Hiſt. Med. Mirab. l. 5. c. 2. p. 537. Hippocr. aph. 3.* vocat Gymnaſticorum evexiam, ſi ad ſummum plenitudinis gradum ſit perducta, periculoſam. Hinc ejuſmodi homines, magnus ille Græciæ Dux, *Philopœmenes*, teſte *Plutarcho*, in vita ejus deriſioni habuit, cum ignominia & probris, quod quanto plus corpori accedat, tantò plus quoque periculi accedat, & ſecuritati decedat, & quod vaſta corporis gauderent mole, quæ ad res gerendas & ad ſanitatem tuendam eſt incommoda. Quam non ſolum motus & operationis impedimentum, ſed & reſpirationis, aliàs inter cauſas, vel ſaltem ob viarum interceptionem, difficultas comitatur. Nec ad longinquos perveniunt annos, aſt brevioris utplurimum ſunt vitæ teſte *Hipp. aph. 2. 44.* Qui natura valdè ſunt craſſi, celerius moriuntur, quàm graciles. Expoſiti quippe ſæpius ſunt, alia ut taceam mala plurima, paralyſi, aut ſubitò ſuffocantur, vel apoplexia tandem extinguuntur. Id quod vel bina iſta *à Timœo lib. 6. caſ. 2. p. 262.* obſervata exempla ſufficienter confirmant. Quicquid enim ad ſummum pervenit, inquit *Seneca (de Republ. 2. l. 2.)* ad exitum properat. Ignis quo clarior fulſit, eò citius extinguitur. Hinc dicebat *Cornelius Celſus*: ſi plenior quis & ſpecioſior, & coloratior ſeipſo factus videatur, ſuſpecta habere ſua bona debet. it. *Livius*, prævalida corpora ab externis cauſis tuta videntur: attamen ſuis ipſa viribus onerantur. Quare rectè *Quintilianus*: Pravior omni fame ſagina *In Protreptio λόγω fol. 2, & præcedentibus cap. 7. C.*

§. 2. Quamvis etiam nonnulla proſtent exempla, obeſitatem interdum minimè obeſſe prolificationi, uti hoc urget *Timæus c. l.* nihilominus obeſos nimis & admodum pingues, raro & prolificos, ob rationes præced. Art. allegatas, cum *Avicenna* ſupra citato loco, *Hoefero in Herc. Med. p. 300. Andr. Laur. in Anat. f. 218.* aliiſque ſtatuendum videtur.

ART. II.
Methodum Medendi præſcribit.

§. 1. VT removeatur E. impedimentum functionum partim, partim periculũ vitæ ac ſanitatis, quod ex corpulentia nimia imminet, hæc ſanè ne fiat præcavenda, aut jam præſens maturè curanda. Utrumq; obtinemus, ſi impedimus, ne adeò copioſum generetur nutrimentum, aut ſi id genitum ſit, ut promptè removeatur, antequam partibus nutriendis ſui aſſimilatione ſeſe affigere valeat: aut ſi iis jam aſſimilatum, plus minus fuerit, ut denuò reſolutum & colliquatum ſeroque abluenti involutum foras amandetur. Sic enim fiet, ut ipſæ fibræ, tam carneæ, quàm in ſpecie membranas contexentes, defectu ſucci copioſioris, quo antea deliniabantur, & blande humectabantur, indeque laxiores & extenſiliores fiebant, nonnihil areſcant, & quodammodo exſiccentur, ut ita contractiores redditæ, ob poros interceptos anguſtatos uberius nutrimentum excludant. Præſupponendo ubique efficientis ratione, omnia iſta media, quibus ſpirituum vis utcunque infringi, & à tertiæ digeſtionis negotio alienari poteſt.

§. 2. Alimenti copiam impedimus, 1. minuendo aſſumendorum quantitatem, 2. corrigendo eorum qualitatem, ne adeò ſint temperata, nec copioſum nutrimentum ſuppeditent. 3. alterando, ſtomachi ſub digeſtione, chylum, ne adeò inſigniter nutritivus, ſed potius abſterſivus aut diureticus generetur. 4. immutando maſſ. ſang. craſin, quò ex temperata dulceſcente, acris, aſpera, ſalinaque nonnihil evadat, quò chylus partim promptius ſubigatur, partim ad celeriorem ſui excluſionem tàm ſenſilem, quàm inſenſilem diſponatur.

§. 3. Genius v. jam ſuccus nutritius ſ. aſſimilatus; ſive aſſimilandus adhuc, evacuandus ex corpore, ſive *immediatè*, quo faciunt omnia ea, quæ maſſ. ſang. exhauriunt; ſive *mediatè*, dum prius attenuatus, reſolutus & liquefactus, ſub ſpecie ſive excrementorum alvinorum, ſive Urinæ, ſive ſudoris, ſive ſalivæ, ſive inſenſilis tranſpirationis copioſioris, aliiſve modis excludatur. Naturaliter equidem tales excretiones excrementis tantum œconomiæ Microcoſmi hoſtilibus deſtinatæ ſunt, ſicuti autem p. 11. coacta natura, non raro per eas & utiles ſuccos, alteratos tamẽ nonnihil evacuari permittit, in excretionibus Symptomaticis ac colliquativis: ita & Medicus non raro iiſdẽ ſimili pro ſcopo abutitur.

§. 4. Dubitare equidem aliquis poſſit, an corpulentia jam facta tolli, & id quod de nutritio ſucco jam in ſubſtantiam carnoſam & adipoſam mutatum eſt, denuò evacuari poſſit, niſi crebrior experientia id jam dudum confirmaſſet. Sub febribus ardentibus, pingues & carnoſi, inſigniter emaciantur. Scorbutus atrophiam in corpulentis comitem ducit, non minus quàm viſcerũ internorum exulcerationes, tabidos reddunt antea corpulentos. Notum ſimiliter, qui ex vita ſedentaria laborioſam ſubitò ineunt, ſucceſſivè emaciari. Præ cæteris per Urinas quoſdam omnem ſuam corpulentiam exuiſſe, crebra experientia confirmat. V. *Helm. tr. jus duumviratus §. 59 it. Latex. §. 44. Schenck. l. 3. obſ. 456.* Et confirmant hoc ſpeciatim *Diabete* correpti, qui mirum quantum breviter emaciari ſolent. Poſt diureſin largior imprimis eſt diaphoreſis, quæ ſudoris ſub facie corpulentos emaciat. Quam cito enim febricitantes, crebrius qui ſudant habitum craſſiorem exuunt. Qui diætâ lignorum ſudoriferâ utuntur, notabiliter quoque aquaſiculum deponunt. Hinc ſub vehementioribus exercitiis corporis, qui copioſius ſudant, magis magiſque extenuari ſolent. Salivationem denique quod attinet, non tantum in cura luis venereæ, per inunctionem Mercur. crebrâ ſalivatione corpora inſigniter emaciantur. Sed in ſpecie pro detrahenda obeſitate nimia, per Mercur. dulcem

ptyaliſmus felici eventu inſtitutus,& pro eadem intentione aliquoties eodem ſemper cum ſucceſſu reiteratus fuit, teſte *Borichio in A. M. H. Vol.* 1. *obſ.* 74. Pertinere huc quoque videtur, quod refert *Borellus cent.* 11. *obſ.* 11. nimiam corporis craſſitiem & pinguedinem,maſticatione continuâ foliorum Tabaci, curatam. Id quod vix alia ratione,quàm per crebriorem ptyaliſmũ contigiſſe videtur,quo & ipſe *Borellus* inclinat,*c.l.* affirmãs,*folia lauri linguæ impoſita multas aquas educere*.

§. 5. Præſuppoſito itaque corpulentiam jam factam tolli poſſe,ſupereſt, modum ſcrutemur,quo id fiat. In hoc v. negotio duo imprimis ſunt conſideranda.1.quo modo ſuccus nutritius adeò conſiſtentiam mutet, ut aſſimilandus ſpiſſior, evadat tenuior aſſimilatus v. ex ſolido reddatur fluidus.2. quomodo alteratus ita, per modo dicta,quævis loca,etiam ex remotiſſimis inde regionibus,evacuari queat.Prius quod attinet,mutatio iſta texturæ & conſiſtentiæ,formaliter non niſi per motum inteſtinum acceleratum fieri poteſt, quo à ſe invicem ſeparantur particulæ,arctius nonnihil implicatæ, & in minutias exiles dividantur,antea firmius coagulatæ, & motu iſto continuato fluidâ in conſiſtentia perſiſtant, quo undique faciliùs motu progreſſivo diſtribui queat. Duobus hoc fieri modis,ferè obſervatur: 1. *per ſimplicem liquationem* eo modo, propinguia,mucilagino a,gelatinoſa,à quovis calore fluidiora fieri obſervantur. 2. per *ſolutionem*,eamque duplicem: α) eam quæ fit totius in minimas molleculas,homogeneas,adeoque partes totius integrales; eo modo,quo per menſtrua quædam, ſive reſpectu organorum noſtrorum ſenſualium ſint corroſiva,ſive inſipida, concreta duriora & ſolidiora findi quaſi obſervantur,ut aurum per Aq. Reg. Cranhum.per Spiritum ſal.Corallia per acetum. β) eſt iſta, quæ fit in particulas totius minimas,ſibi in miſto heterogeneas,adeoque ut vocant elementares (ſc.immediatas)eſtque propriè dicta reſolutio, oppoſita formali ſ. ſeminali cõcreti coagulationi,fitque per principii coagulantis enervationem,unde concretum fatiſcit denuò, quâ ratione per putredinem reſolvi vegetabilia,& animalia, & fatiſcere in principia ſua, l.immediatè l. mediatè talia,dicuntur,*Reclementatio* haud inepto vocabulo vocatur à *Strauſio in Epiſt. ad Dygbeum de pulvere ſympathet. in Theatro ſympathet.p.*135. & in *Reſponſ. ad exam.* pul. *ſympathet Deuſingii ad p.*425. dum colliquationem iſtam, quæ in diabeticis fit, conſiderat. *Prior* modus ſimpliciter quieti particularum, & aliquali corpuſculorum implicationi, *ſecundus*, fortiori unioni & arctiori cohæſioni, *tertius* v. ſeminali miſtioni opponitur: & hic tertius imprimis intelligi videtur per colliquationem humorum, in medico foro adeò uſitatam: utut ſub latiori ſenſu, omnes iſtos modos una comprehendat, utpote qui omnes, nunc ſeorſim, nunc idque ſæpius conjunctim, ſub colliquatione & emaciatione corpulentorum locum invenient. Certè, dum frigidioris qui ſunt temperamenti, corpulentos magis commoda ſub interpretatione (ſi nempe humiditas accedat) reddi, ſuprà inſinuavimus, ita ex oppoſito à calore excedente, præſertim febrili, liqueſcere contenta quælibet, & tenuari magis, oleoſæ plus minus cum ſint texturæ, non ſecus ac ipſa pinguedo, nemo facilè negabit. Dum porro acriora quælibet aſſumpta medicamentoſa, ut aromatica, diuretica, diaphoretica poſitiva, purgantia fortiora vegetabilia, attenuantia, incidentia, & omnia, quæ ad acredinem plus minus ſalſam contenta corporis diſponunt, emacient quoque corpulentos, ſuſpicari licet, acriores ſalinas v.g. diureticorum particulas ſolvere, menſtrui inſtar nutritivam gelatinam, & ſpiſſiorem ſanguinis conſiſtentiam, quin & acrimoniâ particularum ſuarum, cuneorum inſtar, findere, & affricatu ſuo, atterere pinguedinis, & carnis muſculoſæ texturam molliorem, nec adeò tenacem,adeoque hoc modo reſolvere denuo eaſdem. Ex hoc enim Urinæ diabeticorum mira dulcedo derivanda videtur, ex pinguedinis ſcilicet aut roris chyloſi liquefacti, cum ſalibus Urinariis miſti, mutuâ temperaturâ & in dulcedinem vergente textura? De quo videatur pluribus agens *VVilliſius Pharm. Rat. Vol.*1. *p.*164. & 172. Dum denique à Mercurii uſu, colliqueſcit corpus, videtur probabile, præter ſummam ejus per quosvis poros meatusque penetrantiam, acerrimum ejus ſulphur externum, deſtruere penitus & ſuperare ſulphur animale coagulativum nutrimenti, ſeu ab ejuſdem acrimoniâ, adeò mutati concretum coagulati alimenti molliores pinguedinis & carnis, ut efficiente vitali ſeu ſpecifico coagulatore deſtructo, concretum reſolvatur, in liquaminis aquoſi & viſcoſi conſiſtentiam, hinc per convenientia cribra tranſcolandum & excernendum. Sicuti aliàs Merc. præcipitatus, ſepticus eſt, & partis ſolide mollioris, in ſimile liquamen, externo uſu, reſolutivus. Nam fœtor cadaveroſus qui in liquamine per ſalivationem excreto percipitur, putredinis inchoatæ, & corruptionis, vitali & balſamicæ conſervationi oppoſitæ, indicium eſt.

§ 6. Alterum iſtud, quod ulterius hic conſiderandum monuimus, eſt evacuationis modus materiæ colliquatæ & reſolutæ. Fit hæc mediante ſero, ſeu latice, communi iſto nutrimenti & excrementi vehiculo. Hoc uti conſuetâ Naturæ lege impraegnatum eſt, ſalibus maſſ. ſang. ſuperfluis, & inutilibus: quæ ceu recrementa digeſtionis ſecundæ, per Urinam eliminat, & quorum medio, inſtar liquoris ſaponarii, abſtergit & abluit partes ſolidas, ne quid ſordium à nutritione privata remaneat, quas ſub formâ nunc ſenſilis tranſudationis, nunc inſenſilis tranſpirationis, foras excludit: Ita parili ratione, ejuſdem beneficio, colliquata quævis materia, & ita vitalibus noſtris heterogenea, & eatenus recrementitia reddita, & ſive ex nutrimento adhuc aſſimilando, intra vaſa, ſive ex eodem jam aſſimilato, extra vaſa genita fuerit, ac ubicunque locorum ſubſtiterit, imbibitur, probeque abſtergitur, (idque eò potentius, quò acrius & ſalſius, adeoque aculeatis pluribus particulis turgentius fuerit dictum ſerum) & communi humorum circulo, per univerſum corpus rapta, per loca convenientia, filtrationis modo, tandem tranſcolatur, ac ſeroſo iſto vehiculo involuta, foras emittitur. In quo negotio duo ferè concurrere ſolent: 1. Proportio conformationis mechanicæ, quoad figuram & texturam particularum filtrandarum, cum iſta pororum organi filtrationis. 2. Irritatio quædam, plus minus ſenſilis, in loco filtrationis, à materiâ filtrandâ, cujus occaſione ſtringuntur fibræ nonnihil, & refluxus integræ humorum maſſæ aliquamtiſper retardatur, unde lentiori ſub motu, tranſcolandæ partes, fibrarum iſtâ ſtrictura copioſius trajiciuntur & quaſi exprimuntur, donec qua data porta excludantur.

ART. III.

Fontem Diæteticum aperit.

§. 1. UT jam ſpecialius conſideremus auxilia, iſtis ſcopis plus minus convenientia, eadem ex tribus fontibus Medicis haurienda veniunt. Pro quorum ſelectu obſervanda imprimis differentia imminuendæ immediatè, vel carnoſæ vel adipoſæ ſubſtantiæ, præſertim adhuc aſſimilandæ. Nam carnoſæ illius partis reſpectu, eaque ſanguinem ſtrictè ſic dictum magis afficiunt, reſpectu vero pinguedinis, quæ chylum magis tangunt, adhibenda. Sic enim ſanguinis detractio, carnoſiori habitui imminuendo, Lactis uberior emiſſior, pinguedini detrahendæ accommodatum magis auxilium. Auxilia hinc *Pharmaceutica*, magis adipoſis, illa vero

Chirurgica

Chirurgica carnoſis, *diætetica* pro ſelectus ratione utriſque æqualiter conveniunt: ſic enim carnoſis Lacticinia & oleoſa, contra obeſis, carnoſa potius concedenda: iſtis cereviſia triticea, his ordeata propinanda. Eodem ſub reſpectu, acriora & effectivè calidiora, ſive alterantia, ſive evacuantia obeſioribus aptius reſpondent. Hinc nitrata carnoſis, tartarea obeſis potius conducunt; & ſic porrò in aliis.

§ 2. Primus fons largiter media Diætetica ſubminiſtrat, quorum legitimum regimen, vel ex ſupra dictis *cap.1.art.3.* ſponte patet. *Aërem* quod attinet, uti chylum, in ſaliva deglutitus, & ſanguinem, per inſpirationem admiſſus, pro conſtitutione ſui notabiliter alterat, ita, ut uterque magis vel minus temperatus, magis vel minus fixus aut volatilis, adeoque facilius aut difficilius diſſipabilis evadat. Ita pro corpulentiæ medela, ſubtilior, calidior, & ſiccior, iſque crebrius recentatus (ſi ita loqui liceat) imprimis ſeligendus. Hujus enim medio, ut attenuari in nobis & reſolvi, & quaſi magis liquari ſolent contenta noſtra quælibet, ita & motus inteſtinus intenditur notabiliter, unde acriora reddita eadem minus nutriūt, quin attenuata inſigniter, promptiſſimè tam ſenſibiliter, quàm inſenſibiliter evacuari apta nata exiſtant. Non minoris efficaciæ, propter eaſdem rationes, ſunt regiones calidiores, imprimis quæ Tropicis propinquiores: nec non ſolum arenoſum, calidius & ſiccius. Quo etiam referre licebit aërem arte calefactum, ut balneum ſiccum, hypocauſtum, &c.

§. 3. Quemadmodum autem tàm *liquidarum & fluidarum*, quàm (ſuo modo,) *ſolidiorum quoque partium conſumptio perpetua, neceſſitatem nobis imponit, aſſumendorum in dies alimentorum, quibus deſicientibus in fame qualicumque contabeſcit confeſtim corpus*, ut loquitur *Sylv. prax. lib.4. Tr.5. §.405*, ità, ut iterum macreſcant corpulenti nimis. *Cibus & potus* quoad quantitatem ſit parcus & paucus, de quo conf. *Panarolus pent.4. obſ. 18. item 32. qui pinguibus & obeſis remedium optimum & infallibile aſſerit, abſtinentiam à ſuperfluo cibo & præſertim potu: Nulla enim res minuit majori celeritate & ſecuritate pinguedinem, quantum ſubſtractio humidi.* Quoad qualitatem non ſit temperatus aut nutritivus, quin potius frequenti condimentorum, in ſpecie ſalinorum acriorum & acidorum additione ita conſtitutus & redditus medicamentoſus, ut incidentem, attenuantem & reſolventem, quin & diureticam quodammodo naturam acquirat, adeoque ut citò tranſeat, aut ſanguini infuſus, hunc ſimiliter acriorem ac aſperiorem reddat. Talia ſunt, prout recenſentur *à Sylvio l.1. prax. c.38. §.6. acet. ſuccus citri, ſpiritus ſalis, &c. piper, caryophilli, cinamomum, macis, zinziber, naſturtium, eruca, ſinapi, raphanus quivis, & imprimis ruſticanus. Platerus Tr.3. prax. pag.51. piperis frequentem uſum, maciem inducere, docet.*

§. 4. Omnibus autem hoc in caſu præpollet *vinum degener & acetum*, de quo ſane notabile eſt, quod ex *Strada* refert *Cattieri obſ.13. p.44* ejus uſu, virum militarem, obeſitate prætumidum, acet. continuato, 87. pondo, detumeſcente abdomine, decreviſſe. Volatile enim ejus acidum, utut ſtimulum quodammodo addat appetitui, tamen fortius cibos colliqueſcere cogit, ut in ſeroſiorem, & aquoſiorem, ac aſperiorem, minuſque nutritivum abeant chylum: præterea tàm ſub digeſtione in ſtomacho, quàm extra eum in fine duodeni, attactu fermenti fellei, tranſmutatur plus minus in ſalſum volatile acre, ac fit inſigne aſterſivum, inciſivum, tàm ſordium nocivarum, quàm etiam nutrimenti laudabilioris, & diureticum, unde crebriore & diuturniore ejus uſu, ſanguinea maſſa in ſpecie latex aquoſus, ſalſus volatilis, acrior, abſterſivus & diureticus redditus, extenuando & reſolvendo nutrimentum, ſucceſſivè corpulentiorem habitum imminuet. Quod ſi acet. vulgare, volatili ſcillæ ſale imprægnetur, & fiat acet. ſcylliticum (de quo aceto ſcyllitico *Duraſtantes* integrum conſcripſit tractatum, utpote quod in maximo apud Veteres fuit pretio, adeò ut tantum non pro panacea habuerint, cum ex uſu ejus, primus illius inventor per omne vitæ tempus benè & ſalubriter vixiſſe dicatur) quo & diuretica ejus virtus, omnibus cepaceis & alliatis ſingulariter propria, intendatur, & acrimonia penetrantior evadat, efficacius futurum eſt. Hinc *Stephanus* Med. Venetus, *in operibus Medic. lib. Coſmet. p.462.* nil peræque prodeſſe dicit ad obeſitatem tollendam, atque acet. ſcylliticum, jejunè quotidie aſſumptum; ex eodem fonte & ab aliis oxymel ſcylliticum commendatur, ſicut aliis acet. ſcylliticum in quo abſinthium maceratum, aliis acet. rutaceum laudaſſe placuit. Quidam loco ordinarii potus aqu. chalybeatam, aceto temperatam propinant corpulentis. Quod ſi acet. à nitr. cohobetur, & ita fortificetur, eò convenientius huic uſui futurum eſſet, quod ipſum obtineret pariter, ſi ſal. ammoniaci modicum in Nitro ſolvatur.

§. 5. Somnus parcus, labor vero corporis aſſiduus, cum vigiliis inſigniter convenit, ſic enim alteratur ſanguineæ maſſæ craſis, eaque ex aucta fermentatione, fortiorique hinc calore ſuccenſo, temperatis nutritivis partibus ſudore difflatis, retorrida eadem & acrior redditur, ut nihil apponat nutrimenti, multum è contra abſumat. Quantum enim crebriora pariter, ac vehementiora corporis exercitia, pro corpore attenuando faciant, vel ruſticorum ac mechanicorum teſtatur turba: quos inter raros carnoſos, (benè autem ut ſic dicam fibroſos ac nervoſos) rariſſimos obeſos, cernere licet, quamdiu conſueta ſcilicet vitæ obeunt munia. Adeo ſudoretenus diffluit, quicquid ſub parcâ ſomni quiete ſolidis partibus, pro irroratione earum, ad facilitationem motus, aſpergitur, ut citra uberiorem aſſimilationem, per habitum poroſum corporis denuo excernatur: id quod confirm. ſupra cap. 1. art. 3. §. 3.

§. 6. Propterea quoque ſedulò opera danda, ut viæ iſtæ, per quas quarumvis digeſtionum excrementa emittuntur, nequaquam ſint obſtructæ, ſed potius quotidie patulæ, imò ſolitò laxiores & apertæ, quo de ſucco nutritivo, ſub excrementi tegmine, portio quædam unà eliminetur. In quem finem tranſpirationis loco, crebrior ſudatio in ſpecie conducit, ut modò inſinuatum, ſic enim immediatè magis habitus corporis exhauritur, & quod carni vel pinguedini impendendum foret, ita glutinoſioris ſub ſudoris larvâ excernitur. Veneris quoque exercitium crebrius repetatur, quo enim major nutritivi roris portio, pro reparando ſeminis diſpendio ad teſtes abripitur, eo partes alias magis defraudari eodem palam eſt: quin & ſpirit. animalibus ſpeciatim ſic copioſius exhauſtis, totius corporis functiones tam motivas, quam in ſpecie nutritivas vacillare neceſſe eſt. Referendæ huc & aliæ excretiones extraordinariæ, menſium, hæmorrhoidum, aliarumque per loca alia hæmorrhagiarum, quæ tantum abeſt, ut cohibendæ ſint, ut potius omni ope promovendæ, in quem finem, interno uſu, vix croci ac myrrhæ auxilia quicquam ſuperare arbitramur: adeò hæc quaſvis hæmorrhagias provocare apta nata ſunt: ſanè mulierem novimus delicatioris texturæ, cui croco, cum molâ parvâ attereretur, odor diuturnior, ex fonticulo cruris ſanguinem copioſum effluere fecit. Pertinet huc, & lactis uberior in mulieribus excretio: cum quantum ejus uſu pingueſcant infantes, tantum ipſis detrahi omninò neceſſarium eſt.

§. 7. Tandem huc pertinent animi affectus, & motus, qui mediantibus ſpirit. uti inſigniter contenta corporis alterant, ita ad corpulentiam imminuendam plus minus conferent. Præ cæteris autem id efficit gaudium magnum, ac effuſum: & hinc imprimis incandeſcentia concitatior: utrumque pathema autem & crebrius & intenſius ſit, ſi ſcopum præfixum attingere debeat. Gaudia magna quidem & effuſa, Spiritus attenuant

tenuant & diffundunt, & acuendo per acceleratum inteſtinum motum, contenta corporis, acriora & aſperiora adeoque quaſi ſalſiora eadem reddit, unde minor nutritio, ſed potius nutrimenti colliquatio. Ex candeſcentia vero uti cruditatibus pituitoſis corrigendis apprimè confert, in ſtatu p. n. quas quaſi coquit ac maturat, ſeu attenuat & reſolvit, & partim nutritioni, partim excretioni, aptiora reddit, unde & chronicis in malis ſubinde remedii loco eſt, & in ſpecie menſibus vel parcius vel penitus non fluentibus confert, ita in corpulentioribus, liquando contenta nutritiva, & attenuando, eadem ac ad ſucceſſivam excretionem diſponendo, & exaſperando ſeu acriora reddendo cætera fluida, multum ad habitum craſſiorem deponendum facere ſolet.

ART. IV.

Remedia è fonte Pharmaceutico haurit.

§. 1. FOnte diætetico jam relicto, rectà tendimus in Pharmaceuticum, qui varia nobis ſuggerit remedia evacuantia. Ex hiſce autem eligenda ea potiſſimum, quæ ſimul etiam maſſ. ſang. alterant, eamque attenuant ac reſolvunt, & ſpeciatim laticem ſeroſum, (ejuſque contentam gelatinam chyloſam) in eo vel fundunt, vel acriorem efficiunt, indeque abſterſivum & glutinoſi cujuſvis plus minus attenuativum, ac colliquativum & hinc vaſorum excretoriorum ſimul ſtimulativum reddunt. Hæc inter evacuantia primum locum obtinent, *purgantia*, quorum fortiora, mediante acrimoniâ maligna, & colliquefactiva, cum promiſcuè tam vitioſa excrementa, quàm utiles nutritivos ſuccus, ſive aſſimilandos, ſive jam aſſimilatos, adeoque ipſam tandem, certâ ratione, ſolidam ſubſtantiam reſolvant, & ſub putrilaginis fœtidæ formâ educant, ut pluribus docuit *Helmont. in ſuis ſcriptis, in ſpecie de Febr. c. 5. & Crofelius Meth, Med. febr. epidem. exerc. 3.* potentiſſimè corpus emaciabunt. Sed quoniam non omnibus æquè conveniunt, quin interdum quibuſdam gravia mala inducant, cum *helleborum* inſequi convulſiones, jam olim *Hipp.* in aphor. notaverit, *Scammoniatum* pharmacum vero, hypercatharſin periculoſam, apud *Helmont. cit. l.* §. 13. induxerit, febres periculoſas in aliis fortiora purgantia accendant, *Gabelchov. cent. 6. cur. 26. & 27.* alios ad hydropem & leucophlegmatiam diſponant, teſte *Poterio cent. 2. cur. 29.* adeoque non ſemper ſine periculo propinentur, metu gravioris mali, potius ab iis abſtinendum. Blandiora tamen nonnulla purgantia, in ſpecie aloëtica, non lota, (lotione enim eorum virtus caſtratur) commendantur, ſive ſola, ſive aliis amaricantibus, in ſpecie myrrhâ, miſta: quæ ipſa uti & alia amara, v. gr. abſinthium, gentiana, Centaurium minus, ut balſamicâ quidem virtute corpus maſſamque ſanguineam condiunt; ita ſimul potenter exſiccare dicuntur, quatenus deterſivâ amaritie validè ſuccos nutritivos attenuant & diſſolvunt, potenterque abſtergunt, ſimulque bilem acuunt, forſan & augent, eamque acriorem & amariorem, adeoque reſpectu chyli & ſanguinis, ſimili modo alterativam, hoc eſt attenuativam, reddunt, eo ipſo ſanè corpus ad emaciationem multum diſponent. Quo major enim bilis acrimonia, eo magis nutritio impeditur, minor vero eandem promovet. Quam etiam ob cauſam in fœtu dum partes celerius creſcunt, bilis ſæpius inſipida planè obſervatur. *Vid. Colleg. Therapeut. Excellentiſſ. Dn. D. Bohnii Patroni ac Præceptoris mei ſummè colendi part. 3. art. 2. §. 3.* Ad noſtrum hinc ſcopum, pilulæ quæcunque aloëticæ, in ſpecie de Tribus, item ex hieris confectæ, uſurpantur, quarum loco & elixir proprietatis vulgare, multum differens ab eo, quod *Paracelſus* beneficio liquoris alkaheſt paravit, aut quod *Helmont.* tanquam ſuccedaneum hujus, artificioſâ digeſtione concinnat, ſubſtitui poteſt. Unde etiam *Fernelius*, *vir experientiſſimus & magni judicii atque ingenii*, prout audit *Conringio introd. in art. Med. p. 146. conſil. 15.* ad obeſitatem nimiam, pilulas ex Rhabarbaro, aloë & agarico confectas, curandam proponit. Pertinent huc quoque pulv. *Hypactici*, ex ſenna & aromatis acrioribus compoſiti, ad obeſitatem nimiam non inconcinne deſcripti à *Velſchio in Hecatoſt. 2. obſ. 61. p. 34.* item pulv. purgans expertus *Foreſti l. 31. obſ. x. Platerus multiſcius prax. Tr. 3. p. 51.* pilulas ex amaris paratas, ℈ß. pondere, ſingulis matutinis ſumendas, tales præſcribit: ♃. Rad. ariſtoloch. gentian. ana. ʒj. rad. rubiæ ſummit. cent. min. an. ʒß. alumin. ℈j. cum ſucco polypodii vel caryophyllatæ F. Maſſa. Faciunt huc Electuaria iſta bina, ex aromaticis acrioribus parata, corpulentiam nimiam, *Antipiotis* ob id dicta, & deſcripta contra à *Ferdinando, hiſt. medic. 82. p. 274.*

§. 2. Diuretica porrò ſunt primariò, quæ obeſis conveniunt, eaque ſpeciatim ſalina, quæque blandè & leniter eos emaciant, ut ſuperius dictum. Primatum in hoc puncto obtinet acetum ſiccum, ut vocatur *Billichio*, ſeu potius concentratum, nempe tartarus, ſeu ſal iſtud enixum ex acet. vini & fæcibus ejus alcalinis oleoſis ſolutis enatum, quem imprimis *Epiph. Ferdinandus c. l.* ſpecificè commendat, quod potenter abſumat pinguedinem, corpus laxat & primariò urinas promoveat. Eadem ſcilicet de hoc ipſo coagulo ſalino dicenda veniunt, quæ ſuprà de eodem tartaro liquido, hoc eſt, aceto, aſſerebantur, dum pari modo reſolutum in ſtomacho, & ſucceſſivè mutatum in ſalſum volatile, inſigniter abſterſivum & deterſivum, urinæque provocativum evadat. Sufficit autem crudus & ſuperficialiter ſaltem depuratus, crebra ſolutione & cryſtalliſatione clarificato præferendus, his enim præparationibus non parum de volatili ſua aciditate amittit. Sunt, qui arcani inſtar, contra obeſitatem nimiam commendant pulverem ex tartari depurati & cymarum aut jugulorum coryli verno tempore excreſcentium æqualibus partibus paratum, mane & veſperi, ſub introitum lecti, quantum cultelli cuſpis capit, acet. prius irroratum, aſſumendum. *Platero* decoctum julorum coryli in vino factum commendatur *prax. Tr. 3. p. 51. Foreſtus Alemarianus, vir multæ lectionis, & Practicus feliciſſimus*, autore *Conring. c. l. p. 148. l. 31. obſ. x.* de quodam aurifabro narrat, eum tanta craſſitie laboraſſe, ut ferè expiraret, curatum verò fuiſſe hoc pul. ♃. Tartar. ℥ij. cinamom. ℥iij, Zingib. ʒj. Sacch. ℥iv. M.

§. 3. Poſt tartar. eſt nitrum, non infimi ſubſellii remedium, & ipſum elegans ſanguinis alterativum, & nutrimenti abundantis reſolutivum, & per urinas eductivum. Hinc optimè depuratum, ſeu flores *Mynſichti p. 26.* in uſu commodo erunt. Tartar. *item Nitratus Bartoleti: tr. de reſpirat. l. 5. c. 1.* qui ceu ſingulare febrifugum ab eodem commendatur, & ſingulare diureticum: revera autem nil aliud eſt, quàm nitr. ex proprio ſpiritu in alcali tartari regeneratum. Ratione nitri, & diaſpoliticon Galeni, dictus officinalis pulvis, à quibuſdam pro arcaniſſimo habetur contra obeſitatem: quo ipſo aliàs pulvere, in totâ officinâ pharmaceutica, nobilius vix reperiri remedium, contra affectum hypochondriacum, & natam exinde melancholiam hypochondriacam, non tantum à *Bartoleto c. l. L. 5. c. 4. p. 431.* ſed etiam ab Archiatro quodam, Regio Danico, D. J. ceu frequenti experientiâ confirmato his ipſis in malis, aſſertum fuit. Nitr. ipſum crudum, non reformidandum, modo per Sal ammoniacum depuretur legitimè ab excrementitio ſulphur, ipſi frequenter adhærente. Relationi amici debemus, quod catellis, maturè ab uberibus matris ſemotis, ſi Nitr. in lacte vaccino, ceu alimento, diſſolutum crebrius propinetur, eorum incrementa corporis multum impediri, eoſque ita parvulos, ludis jocisque aptiores, continuò permanere. Pertinet huc Nitr. vitriolatum, h. e. arca-

num iſtud duplicatum Mynſichti, ſeu ut aliàs appellatur, Panacea Holſatica, *vid. Schrœder. Pharm. Med. chym. l. 3. c.23. p.466. 474. & Mynſicht. Armament. p.10.* remedium profectò laudatiſſimum, præter uſum enim ejus contra corpulentiam nimiam, in malo hypochondriaco, febribus intermittentibus, ipſaque etiam ſcandoloſâ quartana, & mulierum affectibus, it. in ſcorbuto, calculo, &c. remedium revera polychreſtum exiſtit. Somnum nonnihil conciliare ſimul deprehenditur, id quod non immeritò aliquali participationi de ſulphur. vitrioli anodyno adſcribendum videtur. Sigillat quidem nobile hoc remedium *Zuvelferus Mantiſſ. Spagyr. p.m.* 407. ſed ipſe inſigniter hallucinatur, ob neglectum legitimæ præparationis, ſi enim ejus veſtigiis inſiſtere velis, non deſideratum ſal. duplicatum, ſed vitriolicum vomitivum accipies. Sal enim iſtud duplicatum, ex capit. mort. aqu. fort. elixiviatum, vitriolici ſanè primitus & nauſeoſi ſaporis, per repetitas in crucibulo fuſiones, ſolutiones in aqu. filtrationes & coagulationes, eo uſque depurandum, donec ſal. candidum, ex inſipido amareſcens, acquiras: quarum inadvertentia aſperas iſtas *Zuvelfero* extorſit cenſuras.

§. 4. Vitrioli injecta mentio & hujus uſum contra nimiam obeſitatem in mentem vocat, in ſpecie ſi ejus ſpiritus ſeu ſtagma acidum copioſius uſurpetur, aut cum eodem paratus tartar. vitriolatus: Artificioſa tamen ejus in cryſtallos Salin. coagulatio, reliquis in hoc caſu præparationibus præfertur. Singularis experimenti rationem habere dicitur oleo vitrioli, ſuper ſulphur. antimonii affuſum, indeque per Retortam deſtillatum, cujus deſtillati gutt.8.l.9. in aqu.roſarum aſſumptæ & ſæpius reiteratæ, cujuſdam viri obeſitatem, qui 4. ulnarum circumferentiam habuit, in tantum diminuit, ut 5. ulnæ quadrantum macrior redditus fuerit: de quo experientiæ confirmatio attendenda. De vitriolo vero dum loquimur, acidularum ſe offert potus, cum vitriolum martis ſit, quod animam earum conſtituit: hæ ipſæ enim crebrius & diutius hauſtæ, pariter craſſiores extenuare ſolent, id quod alias præter cauſas, vel copioſior utin. fluxus pariter præſtat. *Timæi* eſt obſervatio *Lib.VI. caſ.111. p.263.* aquarum talium alumine, nitro & mart. (ut ipſe quidem enumerat) turgidarum potu, quendam obeſiorem corporis habitum manifeſtè imminui & decreſcere ſenſiſſe: idque toties, quoties, id quod annuatim fiebat, his ipſis uteretur: Egranas vero acidulas, externè adhibitas, corpulentiam nimiam imminuere *Macaſius c.9.* autor eſt. Nec immeritò Thermæ exſiccantes, & potæ, & pro balneo adhibitæ, ceu utiles laudantur *à Sennerto p.25.* modo appetitui, qui potu earum, non ſecus ac acidularum, mirè intenditur, minus ſatisfiat, ſic enim duplicatâ ope, detrahendo, nec reſtituendo, talibus ſuccurritur. Ut taceam harum extrinſecus admotarum ope, ſtringi & corrugari plus ſolito fibras, arctarique ita & anguſtari partium poros, quo ipſo copioſioris nutrimenti receptio neceſſariò impeditur.

§. 5. Ex regno vegetabili, præ cæteris ſimplicibus ſemen fraxini, ſeu ut ratione figuræ aliàs appellari ſolet, lingua avis, inſigniter commendatur: adeò ut *Ferdinandus c.1. p.274.* iſtud ceu ultimum contra obeſitatem nimiam deprædicet remedium, quod etiam hydropem curet, doſ. ʒj. propinatum in vino. Nec eſt, quod mereris talia præconia, magna namque in herbis virtus, potenſque in iis energia: imprimis quæ in ſemine earum concentrata deliteſcit. Hoc ipſum verò præ cæteris diureticis & lithontriticis caput extollit adeò, ut iſtud contra calculum ſufficienter laudare vix queat *Glauberus Pharmacop. Spagyr. p.1. p.23.* Eodem ex fundamento celebratus adeo ab *Helmont. betulæ* ſuccus diureticus, obeſis futurus eſſet proficuus, quod aliquando tentandum foret. Italis quibuſdam, ſingularis remedii loco, ad curandos infantes nimis obeſos, ita ut vix reſpirare poſſint, eſt hæc miſtura: ♃. Sem. urticæ ℥j. pulveriſat. ſubtiliter miſce cum mellis ℥iv. hujus miſturæ cochlear 1. vel 2. ſi paulo fit grandior propinant infanti, felici cum ſucceſſu. Ratio eadem hic ſubeſt, nam urticæ ſemen legitimo modo & tempore collectum, mirabile eſt diureticum, ſingulareque lithontripticum. Terebinthina ſilentio prætereunda non eſt, cujus tanta cum urina intercedit familiaritas, ut violacea ſuavitate urinam imbuat: de hac refert *Foreſtus l. 31. obſ. x.* quendam valdè craſſum & articulari morbo obnoxium extenuatum & curatum fuiſſe per pilulas de Terebinthina cum ſaccharo, harum 5. vel 7. duabus horis ante prandium quotidie recipiendo. Agmen tandem vegetabile claudat Sandaracha Arabum, ſeu gummi juniperinum, nam Sandaracha Græcorum, arſenicali virulentia infeſtum eſt, & ob id hic exulet. Gummi hocce, ceu vitale balſamici juniperini fructicis nectar, originem ſuam olet, & ita non tantum balſamicâ juniperi virtute corpus tingit; ſed in ſpecie laticem aquoſum maſſ. ſang. acuendo; quicquid ſordium invenit, per urinam evacuat & etiam alimenti ſuperfluitates unà exhaurit. Laudem hinc merentur Pilulæ Mynſichti de Sandaracha dictæ, quæ totæ inſigniter diureticæ & deterſivæ, contra obeſitatem ſingulariter commendantur, & ceu expertæ laudantur: cum oxymelite ʒß. ſandarachæ, ſæpius danda à *Platero* proponitur: *Prax. Tr.3. p.51.* Plura de diureticis his proficuis ex regno animali, in ſpecie de lumbricis, aſellis, ſcarabeis, cantharidibus, &c. dicere poſſem, niſi talia ceu in Vulgus cognita, præſupponerem.

§. 6. Diuretica excipiunt ſudorifera, quæ inter lignorum uſitata decocta vulgò referuntur, quæ aromaticâ ſuâ acrimoniâ, attenuando maſſ.ſang.ejus circulationem rapidiorem reddunt, unde ſuperfluum alimentum ſenſim liquefactum, ſeroque denuò imbibitum, ſenſim per poros corporis excernitur. Id ab omnibus obſervatur in cura gallicæ Luis per diætam ſudoriferam, in qua ægri non parum emaciantur. Rationem methodicam, quâ per lignorum decocta, præmiſſis ſanguinis debitis detractionibus, curandi ſint obeſi, delineat *Caſus I. Lib. 6. à Timæo* conſignatus. Hinc ſuper ſalſaparillæ radicem extructus eſt pulv. compoſitus *Ferdinandi*, contra obeſitatem, quem aliis præfert, & quo ſe feliciſſimè uſum & ſalib. theriacalibus æqui pollere aſſerit: Rec. pulv. ſalſaparillæ ℥j. coriandri, aniſi, cinamom. caryophyll. ana. ʒij. calam. aromat. ʒi. tartari ℥ß. ſacch.alb.q.ſ. F. pulv. in cujus locum forſan ſubſtitui poterit iſte à *Sennerto* laudatus *c.l. p.25.* Decoctis talibus aut pulv. eſſentiæ lignorum cum ſpirit ſambuci paratæ, pariter ſuccenturiantur. Salia theriacalia commendari ſolent à quibuſdam, de quibus videatur judicium *Zuvelferi*, & quæ contra hunc acutè diſſerit *Tachenius in Hippoc. Chym.* quorum tamen loco potius pulv. viperinos, tam ſimplices, quàm pro ſcopi varietate diverſimodè compoſitos, cum experto *Velſchio c.l. Hecaſtoſt.2. obſer. 61. p. 36.* commendamus. Salia aliàs fixa quæcunque ut & volatilia, tam quæ cervinæ calvariæ fructus, quàm quæ viperæ ſuppeditant, valdè hîc conveniunt: non minus quàm ſal vol. ſuccini, elegans ſudoriferum, & potens diureticum: qualia ſalia acria hoc in caſu convenientiora ſunt ſudoriferis fixis, ex minerali regno in ſpecie antimoniali familia paratis: cum illa poſitivè magis operativa exiſtant.

ART. V.

Fontem Chirurgicum libat.

§. 1. INſtrumentis jam Pharmaceuticis maſſ. ſang. colliquefaciendi, chylumque laudabilem, & inde corpulentiam nimiam minuendi non ſufficientibus: Videndum an Chirurgia quoque aliqua nobis queat ſuppeditare

ſuppeditare hunc in finem utilia Quanquam vero *Venæſectio* nequaquam unicum fermè ac optimum remedium in quibuſvis affectibus curandis, juxta Pariſienſes Medicos pleroſque, *Sylv. App. tr 9. §.242. p.809.* Nihilominus tamen in nutritione aucta iterum imminuenda, idque ſpeciatim carnoſiori in habitu, eandem multum præſtare, quin utramque complere paginam, teſtatur, confirmatque pariter experientia. Quippe primarium venæſectionis ſimiliumque ſanguinis detractionū indicans eſt ſanguinis laudabilis copia uberior. Et quemadmodum per venæſectionem,ſive ſimul ac ſemel fiat, ſive, quod melius, pro uniuſcujuſque conſtitutione peculiari & viribus, per iteratas vices inſtituatur, ſanguinem immediatè detrahimus,ita cum eodem emiſſo nutritium chyloſum ſuccum pariter cito tutoque, utut ſecundariò imminui atque exhauriri poſſe, nemo, credo, eſt, qui neget.

§.2. Vicarias phlebotomiæ vices, ſubeunt *Cucurbitulæ ſcarificatæ, ac hirudines,* variis in locis applicandæ, quæ eò crebrius reiterari, & eò plures adhiberi poſſunt, quo minori, ſaltem non adeò ſubitaneo, virium cum diſpendio, in uſum vocari poſſunt, ſive ſolitariæ adhibeantur, ſive accedente locorum vulneratorum frictione cum ſal.& acet.ad imitationem nempe *Zacuti Luſitani,* qui quantum hujuſmodi hæmagoga auxilia corpulentioribus conducant, pluribus oſtendit *Lib.3.prax.admir. obſ.112.*

§.3. Suum pariter inveniunt locum & certum uſum habent *Cauteria,* tam actualia, quàm potentialia, & cum his paratæ fontanellæ, ceu ulcera artificialia, quo ampliora & copioſiora, eò pro præſenti ſcopo, utiliora: hæc enim promiſcuè quicquid inveniunt humoris alluentis, colliqueſcere faciunt, & ita etiam ſucceſſivè nutritium ſuccum in forma liquaminis purulenti exhauriunt. Id quod pluribus oſtendit *Helmont. tr.Cauterium:* utut in cacochymicis, cum pauco nutritivo,plus excrementitii eliminando, à poſteriori quaſi,alios plures uſus obtineant.

§.4. Ad efficacem hanc Medicinæ partem referenda videtur etiam *adipis detractio:* cujus *Plinius* & ipſe ſolus *l.11. c. 37.* mentionem facit dum inquit: *L. Apronii Conſularis viri filio, detractos adipes, levatumque corpus immobile onere.* Juxta hunc,quem & alii qui rei hujus mentionem faciunt, unicum allegare ſolent, videre licet in ſcripto Germanico *Anonymi Thur. und. Jurſil. Helden. Saal. p. 221.* relatio non abludens à præſenti negotio. *Quæ ipſa eadem eſt quam refert. Dedo VII. Elias Reiſnerus Genealog. Baſilic. p. 275.* de Dedone V. Comite Rochlicio, propter nimiam obeſitatem craſſo cognominato, quod antequam cum Henrico VI. Imp. militatum ire in Apuliam, arvinam corporis Medico ſecandam præbuerit. Res nempe, noſtrum quod attinet negotium, eadem, circumſtantiæ ut ut varient. De *Sanctio*, poſt obitum Fratris *Ordonii III.* Rex Hiſpaniæ electo, cum ob nimiam pinguedinem ad regni officia ineptus eſſet, exciſionem etiam pati decreviſſe, ſunt qui referunt. De quo poſteriori tamen apud rerum Hiſpanicarum ſcriptores altum eſt ſilentium, qui potius referunt, nominatim *Rodericus Ximenez Archiepiſcopus Toletanus de Rebus Hiſpaniæ l. V. c. x.* & *Joh. Marianus de Rebus Hiſpaniæ l.8. c.7.* Sanctium ad Abderrhamanum, Maurorum Regem, Cordubam ſe contuliſſe, ibique ab illius Medicis, cujuſdam herbæ virtute, extenuata arvinâ, corpus ejus ad competentem habitum & agilitatem debitam perductum fuiſſe: Quod utut per veneni propinati virulentiam, factum quidam ſuſpicentur, confundunt tamen medicamentoſam hanc obeſi Sanctii extenuationem, cum veneno lethifero, ipſi à Fernando Gondiſalvi Caſtellæ comite, in pomo medicato exhibito, cujus vi tertiâ die Rex, qui jam ab aliquot annis extenuatus regno præfuiſſet, extinctus eſt. Conſtat, itaque per adipis talem detractionem quid *Plinius* intellexerit, Abdominis videlicet inciſionem, pro imminuendâ & tollendâ pinguedine, illum innuere, autor eſt *Epiphan. Ferdinandus in Hiſtor. Medic.* 82. *p.* 273. quo etiam inclinare videtur *Sennertus l. 5. prax. p.* 24. qui remedium hoc ſævum, nec quemquam facilè admiſſurum, ille vero curationem periculoſiſſimam & timore maximo plenam aſſerunt.Certe cum nullibi apud Medicorum Patriarchas, *Hippocrat. Galenum, Celſum, Paulum, Avicennam* ejuſdem fiat mentio; nec modernorum Chirurgorum ullus, quicquam de eadem conſignarit,incertum quoque ſit, quomodo, ſi de manuali operatione interpretanda ſit, inſtituta & cujus partis an pinguedinis ſubcutaneæ ſaltem, an vero omenti nimis adipoſi exciſione peracta fuerit, propterea nec nos de re vel de perditâ vel vix imitanda plura verba facturi, hic facimus finem.

DISSERTATIO IX.

DE MORSU VIPERÆ.

PROOEMIUM.

TErreſtres Deos ſi vocarim primos noſtros Parentes, vix aberraturum me æſtimo. Abſoluta namque eorum poteſtas, totum terrarum complectebatur orbem, & quicquid univerſo hic ipſe fovebat. Sed neglecto ab ipſis mandato Divino, omnes quoque ſubditi rebelles ſimiliter ſunt facti, ut vel leviſſimum animalculum inſurgere contra eosdem animosè audeat. Non ſufficiebat ſcilicet, tot morborum tempeſtatibus expoſitum eſſe corporis navigium, aut nebulæ inſtar evaneſcere fugaces vitæ dies, ſed ad principis anteà conſpirare debebant internecionem, tum ipſe homo, tum reliqua animantia. Relinquo machinationes, quas homini homo ſtruit malitiosè, ne proprio generi aſpergere infamiæ labem videar. Brutorum ſaltem notanda vis, eorumque inſigniorum atrocitas, & viliorum nocendi pernicioſitas, quâ leviter ſaltem provocata, lethalibus ſe ulciſcuntur plagis. Quem non proſternit Leo, Tygris, Urſus, Lupusvè? quis cornuum Tauri ferat inſultum? aut ungulæ equinæ percuſſionem? quæ ut aperto nos aggrediuntur Marte, ita manifeſtam eorum læſionem nemo non fugit. Aſt vix his cedunt vel viliſſima animalcula quæ occultis veneni armata ſunt ſpiculis. Araneus non bufoni tantum mortiferas ſtruit inſidias, ſed & homini, ſi provocetur, eſt venenatus hoſtis. Quid ſcorpij valeat aculeus neminem latet quidque apum, veſperarumvè ictus habeat in receſſu, loquuntur Practici. Taceo phthiriaſin morbum, in quo, horrendum dictu, ſordidi pediculi miſerè interimunt ægros. Viperæ in præſentiarum conſiderabo vim, & quantum malignitatis in Morſu ſub alexiteria earum lateat virtute, penſitabo. Huic ut faveat Divinum Numen, ſupplex rogo.

CAP. I. THEORETICUM.

PUNCTUM I.

Morſum viperæ eſſe venenoſum aſſerit.

§. 2. PAradoxa admodum prima fronte videtur Cornelij Celſi ſententia, dum *l. Medicinæ c.* 27. expreſsè aſſerit, *omnem feræ morſum habere quoddam virus*: quod effatum, licet de propriè dictis feris indomitis, iisque homini ſingulariter infeſtis intelligi poſſit, ſicut hoc ſenſu illud interpretatur *Sennertus lib. V. Prax. P. IV. c.* 19. Antecedentes tamen lineæ & ſubſequens generalis medendi methodus, ad omnia animalia, hoc aſſertum accommodandum ſuadent: Cum imprimis in aliorum Autorum lectione occurrens experientia, idem ſatis confirmet, Notantur interim, *quoddam virus habere*, ait innuens hoc ipſo varietatem graduum, dum intenſius modò ut idem modò remiſſius, modò inſignioribus comitatum ſit ſymptomatibus modò levioribus, ita ut in genere quilibet morſus cujuscumque animalium furore tamen vel irâ concitati præter læſionem externam, veneni unà inducat metum.

§. 2. Aſt inter feras morſu venenato inquinantes, præ aliis ſerpentum & reptilium eminet genus, inter quæ ferè primum meretur locum vipera, *animal in totum pernicioſiſſimum & venenoſum*, ut loquitur *Amatus Luſitanus Cent. I. Cura I. Schol.* 20. Quod quò notius eſt omnibus ferè Europæis, eò vehementius lædit mordendo teſtantibus hoc Symptomatis, quibus catervatim ſtipatur hic morſus. Sed in quo venenoſitas hujus conſiſtat, omninò controverſum eſt; neceſſe ergò, ut de natura veneni morſusque venenati priùs conſtet, quo eò certius de veneno viperino poſſit ferri judicium.

§. 3. Venenorum eſſentia, ſi quæ alia, in toto Naturæ theatro ut maximè eſt obſcura, ita ob id perdifficilis in Medecina eorum curatio eſt. *Vide elegantiſſimum diſcurſ. Ioh. Fabri Lyncei Expoſition. in nomina, & imagines animalium novæ Hiſpaniæ pag.*783. In primis monendum inſignem vulgò hic animadverti abuſum, dum quolibet corpus naturale ejusve quædam pars, lædens quocunque modo corpus humanum, cujus læſionis ratio adeò manifeſta dari non poſſit, aut licet reddatur, ab altero ob præconceptarum opinionum vim, non accipiatur, mox venenoſum, læſioque à veneno oriunda dicitur. Sic Opium ſæpius vocatur venenoſum ob vim ſuam Narcoticam, cum tamen magni ipſius Theriaces Antidoti conſtituat baſin, unde & Hyoſciamus, Solanum, Mandragora, ipſumque ſalutiferum Papaver, ſub venenorum vulgò rediguntur claſſem, cum tamen horum legitima præparatio & uſus, divinas medentibus porrigat manus, & nunquam ſatis deprædicandam ægris ferat opem, Sic ſimilem ſortem ſubit ob ſimilem vim *Datura* dicta planta, ex cujus tamen ſemine, quam elegantiſſimum Pharmacum phantaſticum & doctiſſimus elaboret *Fabritius Bartholetus*, ad quæcunque deliriorum melancholicorum imprimis genera efficaciſſimum, videri poteſt *in lib. V. Method. In dyſpnœam Part.* 1. *cap.* 1. *pag.* 362. Quod ipſum medicamentum manu ferè nos ducit ad penetrandam intimius medicamantorum vim, eorumdemque ſpiritus & archeum corporis noſtri, afficiendi modum. Miror intereà cur non & pares ob cauſas vinum inter venena relatum fuerit, poſtulante hoc delirio ebrioſo, poſt nimium ejus uſum, nunc melancholico, nunc Maniaco &c. pro varietate individuorum inducto: Sicut ob vires hujusmo-

di ſtupefactivas, vapor, ex muſto ferveſcente exhalans venenatus dicitur, cum tamen muſtum, in larga quoque copia hauſtum, nullas veneni imprimat notas. Solent ſimiliter ſanguis menſtruus, lac in ventriculo coagulatum ob quædam ſymptomata, ex ſtomachi gravidine oriunda. Unguium ſegmenta, ob vim emeticam vel purgantem excedentem, cantharides ob vim ſuam imprimis veſicam exulcerantem &c. venenorum appellari nomine. Ut & Calx viva, item Gypſum, vitriolum aſſumptum, Aqua fortis, venenata dicuntur, ob repentinam ſuam læſionem &c. Cæterum ſi ſimili modo pergere debeam, vereor ſane, ne omnia medicamenta, & alimenta ex perverſo uſu fiant venena, & horum uſus legitimus eaſdem in medicamenta permutaret, Aliud namque eſt noxium, aliud verò venenatum.

§. 4. Venenorum interim propriè ſic dictorum quod attinet naturam, ante omnia præſcindendus eſt conceptus uſurpationis, & præparationis, ab eorum interna eſſentia, quia ſub illo reſpectu venena fiunt non venena, hoc eſt legitimo uſu, & commoda præparatione, abeunt in ſaluberrimas medicinas; propriam verò conſideratam eſſentiam, conceptu quodam generali omnibus univocè competente exprimere, res videtur ferè impoſſibilis, tum ob inſignem eorum varietatem, tum etiam ob unius, ejuſdemque veneni variam operandi rationem. In genere tamen in hoc omnia convenire videntur, quod agant, vel ratione fermenti cujuſdam peregrini, Maſſæ ſanguineæ, tanquam Nectari vitali, omninò exotici, vel ratione ſpeciei, ſeu Ideæ cujuſdam Archæo hoſtilis, eum in varias agitantis perturbationum procellas, undè enormis actionum læſio, & perverſio contingit: Ita ut læſio à veneno partim ad corpus, partim ad actiones ejuſdem pertineat. Quas læſiones communiter, à qualitate quadam maligna & toto genere deletaria oriri ajunt, contra quos tamen diſputat *Iohannes Marcus Marci à Kronland. in Philoſoph. vet. reſtit. Part. IV. Sect. 3. pag. 431.*

§. 5. Hujuſmodi veneni operationes & operandi modos, deprehendimus imprimis in morſibus venenatorum animalium, quando præter rationem partis affectæ, & læſionis continui modum, ſupervenit Symptomatum miſerandorum, & horrendorum cohors, hinc certum imminens vitæ periculum, cum morbi acumine ſeu brevitate, ut ſunt, totius corporis tremor, item exhorreſcentiæ ſyncope lævissimo vulneri remota licet in parte ſuperveniens: Sudor frigidus ſyncopticus, corporis intumeſcentia, maculæ, & livores hinc inde erumpentes, quæ pro varietate mordentis etiam variant: in genere tamen vulneri tali ut tali nullo modo per ſe cohærere poſſunt, ſed omnino τὸ θεῖον Hippocratis hujuſmodi læſionibus ineſſe videtur. Non ſufficit autem, ut à venenato habito vulgò animali contingat læſio; nam & venenatum citra veneni ſui vim lædere, & contra non venenatum plagam venenoſam infligere poteſt, pro alio atque alio, in quo conſiſtunt, ſtatu. Hujuſmodi porrò crudelia ſymptomata (de quibus poſteà, ubi de ſignis) cum præſentaneo vitæ periculo, cujus linea ultima imminet, niſi celeri manu feratur auxilium, conjuncta, quæ morſum viperæ inſequuntur, apertè oſtendunt à poſteriori licet, venenum & hujus lethiferam vim conjunctam eſſe cum iſto morſu. Undè tutiſſima quoque curatio per Alexipharmaca, ſeu communia, ſeu appropriata, experientiâ duce inventa inſtituitur, ſeu intus aſſumpta, ſudoris beneficio, naturæ conatum juvent expellendo, ſeu foris admota eandem levent attrahendo.

§. 6. Sunt equidem nonnulli, qui morſum viperæ licet vel atrociſſimum venenatum negant, ſed omnem ſupervenientem ſymptomatum ſyndromen, tùm ex acutie, & ſummò dentis lædentis acumine, ejuſque relictis ſpiculis, & tenuis birioſi liquoris ſociatione, tum ex partis læſæ nervoſâ compoſitione oriri volunt, Non ſecus ac ex aciculæ punctura in partibus nervoſis nonnunquam ſuperveniat mors, videatur *Bartholinus de angina Puerorum pag. 111. 112. & D. Pauli digreſſio de febrib. malignis pag. 45. Hildanus Cent. V. obſ. 11.* Sed utut hæc ſeſe rectè habeant, non tamen omnem abſolvunt paginam: multum facit acumen dentis, undè ſine eo invalidæ ſunt viperæ demonſtrante hoc *Zvvelfero*, & *Severino*: multum quoque pars læſa, ut majora ſequantur ſymptomata, liquor etiam effuſus maximè eſt ponderandus, & in hoc ipſo id quod, venenatum reddit vulnus cæteris paribus reſidere exiſtimo, cum in minima quantitate maxima ejus ſit vis. Cur enim hujuſmodi morſus maculæ & livores, & intumeſcentia corporis, cur horrendæ lipothymiæ & cordis anxietates ſequerentur? aliàs in ſimilibus non obviæ læſionibus: cur in partibus carnoſis eadem adeſſent Symptomata? Cur applicata externè alexipharmaca & proprio ex ſubjecto, & etiam ex alieno, item volucres viventes, attrahendo relevarent ægrum? Cur interna alexipharmaca curarent maximè, ſi ab omni venenatæ læſionis ſuſpicione, eſſet liber viperæ morſus? cur denique tam brevis relicta ſit vitæ uſura de morſis? taceo hic Suctionem partis læſæ cum ore, accelerare mortem promovendo venenum ad interiora ex *Amato*, licet rejiciatur hæc hypotheſis à *M. Sever. de Vipera Pythia. Part. II. cap. 8. p. 36.* Cujus exſuctionis veritatem vide apud *Lynceum loco ſup. citat. pag. 778.* Cur denique aliorum animalium vulnera levia ob veneni tamen quandam labem ſunt lethalia? ut infrà patebit. Perplacent ergo mihi *Sennerti* verba *l. V. Prax. Part. II. cap. 21. Vulnera à venenatorum morſibus vel ictibus illata plus nocent vi venenata quam vulnere, quæ pe ſe plerumque non ſunt magni momenti:* Concluſerunt ergò veteres viperam eſſe venenatam, ſed quæſiti ulterius. *cur ſint non venenatæ*, dixere, quia earum licet exiguus morſus ſit lethalis, idque propter venenoſitatem animalis, & ita vitioſum commiſerunt circulum; quem ut effugerent tandem reſpondere, vim ineſſe ipſis peculiarem, toto genere præter naturam, & uno verbo occultam. Sed hoc ipſo dixere, ſe ignorare iſtam vim venenoſam, quia ipſis ſit occulta, quod namque occultum eſt, hoc ignoro. Pergendum ergò jam ulterius & ad naturam veneni viperini ejuſque per morſum communicationem eſt progrediendum.

Punctum II.

Autorum de veneni viperini naturâ ſententiam perpendit.

§. 1. Viperam ejuſque imprimis morſum, maximè eſſe formidandum ob veneni noxam, experientia edocti, ſtatuere veteres; Cæterum & eandem viperam inſigniter prodeſſe ad profligandas multorum morborum phalanges, eadem ipſos informavit experientia. Sic vinum, in quo ſuffocatæ viperæ, præſentiſſimum ad horendam Elephantiaſin Græcorum, ſeu lepram Arabum eſſe Alexipharmacum demonſtrat *Galenus lib. VI. Comment. Aphoriſm. 47.* Quos tamen hiſtorias in dubium vocari videtur *Poterius*, contraria experientiâ fretus *Cent. 3. obſ. 81.* Et muſto in quo ſimiliter extincta vipera, ſpontaneo niſu, talis æger non tantum perfectè curatu, ſed præterea quoque omninò in Juventutem

tutem quaſi reſtitutus fuit; exutis crinibus, unguibus & pelle hiſque omninò renovatis: referente *Aretæo lib. II. de Sign. & Cauſ. diuturn. morb. cap. ult.* quarum hiſtoriarum explicationem vide in *Zacuto Luſitan. lib. VI. Medic Princ. Hiſtor. II.* Unde etiam à *Galeni* anteceſſore *Andromacho* theriacæ tanquam baſis fuere immiſti ex viperis parati trochiſci. Cæterum cum deficeret ratio, propter quam tam pernicioſum venenum & rurſus adeo ſalutare pharmacum conſiſterent in eodem ſubjecto, res tandem eò pervenit, ut dixerint, non totam viperam eſſe venenatam, ſed tantum quaſdam ejuſdem partes: has recenſet. *Bald. Angl. Abbatius de Vipera Cap. IV. V. & VI.* & ait *eſſe dentes, Gingivas & veſicam felleam: in detinbus quidem venenum eſſe à natura inde manifeſtum ait, quoniam ab iiſdem dentibus viperæ jam dudum mortuæ, ſi quis tangatur, lethale eſt. Quare hac in parte, & mortua & viva; ſemper apta nata eſt ad lædendum; in Gingivis porrò, & veſiculis earum, eſſe collectum venenum ex uſu & cibo venenatorum animalium, attractum à veſica fellea, vagum & ſpirituoſum, tranſlatum ad Gutturis partes, tanquam in ſentinam deponi à natura, & facultate viperea perfici. Hanc autem fellis virulentiam toto Capite V. probat ex eo, quod impoſitum fel ictui viperino, venenum à viperæ ictu projectum, ſimilitudinis rationem attrahat.*

§. 2. Hæc veterum fuere aſſerta, ab *Abbatio* explicata, quæ ex parte vera eſſe certâ ratione, dummodo legitimè explicentur, inferius patebit: Merentur interim examen. Videntur enim omninò ex nuda, eaque falſa hypotheſi ortiri: obſervarunt ſcilicet veteres, morſu tantum lædere viperas venenoſè, hinc dentes eſſe venenatos concluſere, cumque præterea veſiculas obſervarint in gingivis, easque liquore quodam plenas, confirmati ulterius in ſua opinione, & hunc venenatum ſtatuerunt, cum ex fellis derivetur veſicâ, affirmantes, felleum liquorem, peſſimum corporis in quocunque animali virus. Sed ſuperiores reſtant difficultates; ſi tam pretioſus pro vita humana & conſervanda & prolonganda eſt reconditus balſamus in viperis, undè hæc eorum venenoſitas in dentibus? in liquore felleo? & in veſiculis gingivarum? In quo conſiſtit hoc ipſum venenum; Hinc qua ratione dentes ſint venenati, omninò probandum, & explicandum fuiſſet, non ex nudo effectu, morſu venenato; de dentium malignitate judicandum: ad hæc etiam poſt mortem lædere poſſe ex ſe & venenoſa ſuâ vi, quam dicti modò Autores illis attribuunt, vana eſt mentis perſuaſio, cum nulla vera hujus rei unquam obſervata ſit experientia, & licet exemplum, quod mortuæ viperæ dentis tactus ſit lethalis, habeat *J. C. Claudinus de ingreſſu ad infirmos*, huic tamen & etiam *Abbatio* abundè ſatisfacit *doctiſſimus Severinus*, & ratione & experimento confirmatus, *de vipera Pythia cap. 8. Part. II. pag. 359. & 360.* inter alia inquiens: *Viperæ aut dens integer, aut comminutus & uti libuerit voratus, ne dum non lethiferus, ſed neque detrimentoſus experimento comprobabitur tibi, ſeu nuper mortuæ denticulus, ſeu viventis, ſeu dum digitis tribus contineatur coërcitus anguis Capite, in animantis cujuſpiam carnem, tum ipſius operam per vim adactus, ſeu per arbitrium viperæ fuerit defixus, quod duplex nos experimentum in pullo Gallinaceo fecimus.* Quod veſiculas attinet ſub dentibus, ex *Ambroſini* Anatomica obſervatione conſtat, quod viperæ præter 34. dentes maxillarum (48. numerant *Hodiernus & Spontonus*) habeant quatuor caninos, imprimis fœmellæ, ſemper tamen duos tantum, ſe obſervaſſe *ait Locatelli theatr. arcanor. pag. 263.* Qui conſpiciuntur perforati & veſicula liquore plena muniti, quod tamen de duobus tantum aſſeritur à quibuſdam (& in ſpecie inter hos quodam medio,) quæ novo quotidie repletur humore, dum primus in ictu, conſumptus fuerit: Ad has dentium veſiculas ex corde & hepate venæ ſeu arteræ aſcendentes deferunt hunc liquorem. Videatur. *Jonſtonus lib. 1. hiſtor. Nat. de Serpentibus Tit. I I. cap. I.* Sed hanc ipſam *Ambroſini* & antecedentem *Abbatij* ſententiam, licet nec autopſiam confirmare, neque rationem ullam comprobare oſtendat *Veſlingius*, deſcribens Anatomen viperæ *Marco A. Severino Part: I. Cap. 12. pag. 234.* Horum tamen effatum ſub *Plinij* defenſione confirmatur à *J. B. Hodierno in deſcriptione dentis viperini ad Severinum miſſo pag. hujus 258.* Qui obſervavit veſicam felleam hepati colligatam in mediam propè caudam propagari atque iſtius filamenta quædam mira ſubtilitate per ſpinam ad os perduci, & virus per ejuſmodi filamenta quaſi per venulas ad dentis cavitatem perduci: ubi dentium harum accurata ſtructura eleganter deſcribitur, cujus brevem quaſi ſummam dat *Veſlingius in ſua Anatome Viperæ*, dicens, *quod recondantur intra laxas veluti vaginas, liquore felleo plenas, ex quibus ad libitum ferè celerrimè efferuntur. Hos lethale diſcrimen & perniciem afferre de morſis, tenuique fiſtula, veluti Scorpionum aculei, perforatos infundere venenum tàm experientiæ cenſura, quàm Autorum ſcriptis ſeriò confirmatum eſt.* Sed Salivalem hunc, in & propè dentes humorem per ſe conſideratum, experientiâ edoctus ſimiliter ab omni veneni ſuſpicione liberat *Severinus pag. 360.* vidit nempè *Johannem Branchinum Theriacopæum Senenſem* viroſum hunc liquorem de viperæ viventis dente collectum, nihil exinde noxæ perpeſſum, qui retulit, & de Gingiva viperæ mortuæ viventis ore ventriculo captatum, alij præter ſe nulli ex aqua vel vino potatum nocuiſſe: nec ſuccum hunc Gallo gallinaceo immiſſum in os quicquam nocuiſſe: nec famulo ſuper manu perpuncta virus hoc infricatum aliquid noxarum intuliſſe: & licet ex fellis veſicula oriatur, cum veſicæ felleæ non ſit venenatus liquor, nec hic exindè ortus erit malignus, probat hoc meum aſſertum *Zwelferus animadverſ. in Pharmacop. Auguſt. Claſſ. XII. pag. 211.* Qui in his partibus nullam unquam deprehendit malignitatem, & abſciſſa capita, veſiculas felleas, & caudas, earundem alia carne obvolutas felibus & canibus devoranda objecerit, qui hæc ipſa ſine ullo vitæ diſcrimine conſumpſere, videatur *Boyle experiment. Philoſoph. experiment. II. pag. 58.* item *Bartholinus* de angina puerorum *pag. 111.* refert: capita reſecta canes devorant nulla mortis mulcta, & ſi humorem ſuſpectum ex capite demortuo promas, innoxium ſenties, & *pag. 113.* aliis veſicula fellea eſt ſuſpecta, quæ tamen canibus in alimentum cedit; quam ipſam potiùs ceu ad quælibet venena antidotum deprædicat *Borell. Cent. IV. Obſerv. 19.* & certa obſervationis fide comperit *Severinus Parte II. cap. I. pag. 288.* quod [illegible] gallinacei ſtomacho immiſſum fel nil offecerit; præterea ſi vipera integra in vino extincta leproſos reſtituit, & fœminæ Anglicæ tali vino pro coſmetico utantur, teſte *Zwelfero* eodem loco; ſi totæ viperæ in retortam immiſſæ, cum capite & cauda, dent ſaluberrimum ſal volatile, ubi eorum erit fellea malignitas; objiciunt quidem venenatis veſci alimentis viperas, hinc venena hæc ſecerni in fellis veſicam, ſalutares vero partes in ſuccum & ſanguinem converti. Sed ut taceam merum eſſe effugium, nulla ratione ſtipatum, hujuſmodi animalia venenoſa cur non eodem veneno in digeſtionum officinis afficiunt partes? cur non inquinant ſanguinis vim alexipharmacam, antequam in veſicam colligantur biliariam? item undè petenda

origo virtutum alexipharmacarum, ſi venenatis veſ-ſcuntur beſtiis? prætereà & anates bufonibus & ranis delectantur venenatis, ſicut ciconiæ, ſimilibus ranis, ſerpentibus, bufonibus aliisque toxicatis animalculis (undè hæ aves per putrefactionem in ſimilia denuò reviviſcunt animalia, non ſecus atque ex induſiis humanis fiunt pediculi, ex ſpermate & ſanguine humano fiunt muſcæ & pediculi, ex pane & melle fiunt formicæ, ex Baſilicone & fracedine lapidis ſcorpiones &c. videatur *Helmontius de Poteſtate medicaminum* §. 37. quale Scorpiones ex ocymo exemplum obſervavit *Magnificus D. D. Michaelis*) tantum tamen abeſt, ut venena colligant, ut potiùs efficaciſſima exhibeant alexipharmaca: hinc *Theophraſti Paracelſi* arcanum ad quævis veneni genera ex ſanguine Ciconiæ notiſſimum eſt, videatur de hoc *Crollius in ſua Baſilica Chimica pag.* 450. cujus feliciſſimum effectum in principe refert. *Hartmannus comment. in citat. loc. pag.* 252.

§. 3. Nec quicquam obtinet *Abbatius* ex eo, quod venenum attrahat denuò fel impoſitum; nam aliæ viperarum partes ſimiliter impoſitæ idem præſtant: ad hæc columbæ vel gallinæ vivæ diſſectæ, calentes adhuc morſui impoſitæ, virus extrahunt, quæ tamen ab omni veneni exemptæ ſunt ſuſpicione: non ſecus ac pulli gallinacei vel columbini, circa anum deplumati, buboni peſtilenti applicantur, extrahunt namque tam fortiter venenum, ut ipſi etiam cum ſalute ægri moriantur: Quod ipſum quoque præſtat ſtercus humanum bubonibus peſtilentiablibus applicatum, ſicut *Saaer* (*quod obſervavit dum in indiis orientalibus bellum ageret*) *refert*, eſſe in Indiæ Orientalis Inſula quadam, ex Inſulis Celebes, arborem quandam vel leviſſima læſione ſummè venenatam, cujus venenata plaga alio non poſſit curari modô, niſi proprio ſubitò excreto ſtercore, eoque calido affecto loco applicato: qualem vim alexipharmacam aſſumptum idem ſtercus habet, contra animal lacertiforme, Guarid dictum in India Occidentali, teſte *Zacuto Luſitano lib.* 3. *Prax. admirand. obſerv.* 93. *pag.* 117. tandem & paſſeres vivi circa ventrem deplumati & parotidibus malignis impoſiti, attrahendo venenum, moriuntur Sed hæc omnia licet venenum attrahant, non tamen ſunt venenata. Quod ergò humorem in veſiculis dentium contentum attinet, æſtimo eundem per ſe minimè eſſe venenatum, ut ſuprà oſtendi, non magis quam aliæ viperarum partes, ſed arbitror potius eundem reſpondere ſalivæ in faucibus aliorum animalium obvjæ; de cujus uſu non eſt, ut ſim ſolicitus, primariò inſervit præparationi ciborum in ore ut ſubacti meliùs, & volatili hoc liquore imprægnati, feliciùs in ſtomacho deponant ſuum ſuccum nutritium, & ſi quid inſit iisdem venenati, à Sale Volatili alexipharmaco ſubjugetur & corrigatur; quod autem copioſo conſtet ſale inſigniter volatiliſato, tùm aliis quoque partibus ſpirituoſis aquæ copioſæ nexu copulatis, ſicque in conſiſtentiam quamdam redactis; nemo dubitet, qui ingentem harum partium copiam, in deſtillatione viperarum prodeuntem perpendit, ſimulque analogiam, cum ſaliva propriè ſic dicta, & uſum in alimentis præparandis, ut taceam facilem hujus liquoris in iracundis viperis efferveſcentiam, de qua inferius erit dicendi locus. Aſt licet vipera nihil mandat, ſed omnia transvoret integra, nudas nidorum præpetes, aves plumoſas, lacertas, mures, ranas, bufones quæ exſiccata diu, nil comminuta reddidit, per membrum ſui ſucceſſus, ut autor eſt *Severinus part.* 1. *cap.* 7. §. 5. *pag.* 104. Attamen cum dentium copioſum habeat numerum, oſque ſaliva madens, cum eodem *Severino* dico, dentes minutulos, & ſub maxilla latentes ei uſui deſtinatos, ut perpungant tantummodò ſolidiores eſcas, atque has fermento ſuo per acri tabefaciant propè, præſertim quod exſerti quidem Natura, verum gingivis obducti dentes, cum alimenta conterunt, ſic virus è veſiculis exprimunt. Abutitur tamen hoc liquore vipera, dum per fiſtuloſum dentem, ſimul ejiciendo, maximum toxici ſit ſubjectum.

§. 4. Pervenio nunc ad doctiſſimum *Marcum Aurelium Severinum*, qui tantâ viperam Pythiam pertractavit ſedulitate, ut nil deeſſe videatur, unde etiam ſententiam ejus intimè fovet *Kircherus in Mundo Subterraneo*, ubi quaſi compendium continetur eorum, quæ fuſiùs ſuo tractatu toto pertractat *Severinus*: Hic ergò in eo eſt totus, ut viperæ naturam totam eſſe alexiteriam defendat, venenum vero quod attinet ejus, hoc non agnoſci proprium, aut intrinſecus concretum, verùm adſcitium, & aliundè irrepere conſuetum, quod pluribus in locis viperæ veneno, & venenandi vi careant, ſed immutentur tantùm occaſionibus locorum, cœli, victuum &c. ut etiamſi viperæ ſit plurimum veneni, tamen adſcititia ſit affectio, & materiam quidem veneni eſſe per acrem & biliosum ſanguinem, qui à virulentis eſcis proficiſcatur, beſtiolis nempè ſulphureis, quæ ſunt ſcorpiones bubreſtes, aranei, bufones &c. ex quibus paratum Chylum læva cordis fornax miris modis reddat retorridum & fumidum. Ex quo loco ſurſum arteriæ ſanguinem ſpiritualem devehant, ad retiformen plexum in ventriculis cerebri, à quo pleniùs hic ſpiritus vitalis elaboratus reddatur animalis, & à cerebri fumoſi arteriis extenuatus adducatur ad ſummam Pyroſin, qui ſuccus ſpirituoſus, quem ore ac dentibus recipiat vipera, venenum à vulgò æſtimatum, venenum reverâ non ſit, ſed tributum ob id viperis, ut tot ſenſuum viriumque bonis gauderet agreſtis fera: hunc porrò ſuccum cum morſu dentis conjunctum reddere vulnus malignum & inficere hominem, ita ut definiat infecturam, actum feræ, defigentis in aliud animal dentem, & indè virus emittentis, pro ſui ipſius tuitione: ut nec dens per ſe. nec liquor hic plagam inferat venenatam, ſed utrumque ſimul. Non adeò abſona eſt hæc *Severini* ſententia, quam ob id quoque amplexus eſt *Kircherus*: & modò attendatur fermentationis, vel efferveſcentiæ ratio in viperâ laceſſitâ, quam inculcat *Kircherus*. *Severinus* verò hinc inde parvam facit mentionem, nil culpabile videtur in hoc ejus dogmate; hoc ſaltem videtur incongruum, quod veneni materiam, liquoremque viroſum ſtatuerit talem, qui ad vigorem, & alacritatem viperæ, adeoque ad ejus actiones & uſus, vel maximè ſit neceſſarius: cum probabilius videatur, eſſe ſaltem ſalivam in particulares collectam aſſervatamque uſus: quâ abutatur poſteà vipera irata in perniciem humanam; & cum ob iſtum nobilem uſum communis ſit omnibus viperis, cur non omnes viperæ ubique erunt venenatæ? quæ Severeni eſt aſſertio; nam victus ratio, locique mutatio non omne abſolvit punctum, cum Ciconiæ nullo modo ſint venenatæ, ſed potiùs alexiteriæ; cùm denique originem hujus liquoris derivet ex cerebro in cujus elaboretur plexu, adductus eò per aſſertum *Johannis Trollij pag.* 289. Non video quid reſpondere poſſit *Hodierno*, quia autopſia ſimiliter fultus, ex fellis veſica derivat ductus veneniferos. Tandem & cauda quibusdam eſt ſuſpecta, undè in medicamentis ex viperis parandis abjicitur. Sed nulla ſimiliter ratione, *Marco Aurelio Severino* innocentiam caudæ ſatis demonſtrante *Parte II. Cap.* I. *pag.* 284. Sed his relictis ad alia pergo.

PUNCTUM III.

Viperam mortuam nullo modo eſſe venenatam affirmat.

§.1. ALiorum perluſtratis opinionibus propiùs ad ſcopum accedam neceſſe eſt: conſiderandæ autem ſunt viperæ ſicut & reliqua omnia animalia dicta venenata, in duplici ſtatu & quando vivunt, & quando ſunt mortuæ. Mortuas viperas ab omni veneni labe abſolvo, & potiùs eſſe divinas in iiſdem medicas opes, quas vix in alia reperias creatura, ſtatuo; docet hoc ipſum experientia, veritatis magiſtra, quæ nullum ſuggerit fide dignum exemplum, ex vipera reverà mortua quocunque modò uſurpata, veneni noxam cuidam eſſe inflictam, notandum hinc venit *Helmontii* Adagium, *Tractat. de Ideis morb.* §.34. *Morta la beſtia, morto il veneno*; undè nec pulli gallinacei à vipera commorſi mactati, & eſitati poſteà lethales ſunt, ſed quartanam potiùs, Medicorum alterum ſcandalum, feliciter profligant, teſte *Severino pag.*366. & *Bartholino* 110. mitto jam ſuperius enarrata exempla, aliquot ſaltem adhuc adnotaſſe ſufficiat: quas vires habeat per retortam artificioſè propulſus ſpiritus, cum Sal. volatili, ad febres malignas & peſtilentes, inſultus epilepticos, ſcabies leproſas, alioſque malignos affectus, quotidiana loquitur experientia, & quia ſpiritus ferè omne quod agit, agit ratione Salis volatilis, de hoc ſciendum, quod omnia encomia, ſtupendæque dotes, quas veteres adſcripſerunt ſuo Sali theriacali, noſtro omninò conveniant Sali volatili, non vero eorum fixo, per tam fortem calcinationem parato, cujus aut nullam, aut minimam in ſe continent quantitatem viperæ, non ſecus ac alia animalia. Fixari equidem etiam ſolent per artem, ſed ſi hoc contingat per acida, eſt potius enecatio Salium volatilium, quàm vera eorum correctio: Acida namque omnia, efferveſcendo & præcipitando immutant Salia volatilia, undè non poſſunt non diverſas poſtmodum edere operationes, manent enim invicem adeo poſtmodum juncta, ut vix niſi beneficio cujuſdam Salis Alcali fixi, cum quo libentiùs inire ſoles conjugium acidum, quàm cum volatili, denuo ſeparari queant; noviter inventus eſt modus in Italia, ſine hujuſmodi per acida deſtructione figenda Salia volatilia viperina, modumque callent, non tantum *D. D. Tachenius*, cujus recentiſſimè editus vid. *Hippocrates, Chymicus, qui noviſſimi viperini Salis, antiqua fundamenta oſtendit*, ſed præterea quoque *Antonius de Sgobbis Pharmacopæus Venetus ſub ſigno Struthii*, cujus hæc ſunt verba: *Di poi per mezo del loro proprio menſtruo, cordiale & aleſſifarmaco acqueo (acciò vedano, che non ſia queſto menſtruo imbevuto, d'altra facultà Salina.) Hò cavato il vero Sale fiſſo viperino, ch' è una gioia pretioſa, per ſalute humara*: & noviſſimè alius nomine *Harras* Venetiis, ita fixare novit hæc Salia volatilia viperina, idque ſine acido, ut etiam per chartam tuto hinc indè tranſportari poſſint. Eſt ergo verus reconditus balſamus in viperis, eorumque Sale volatili, qui totius corporis renovat œconomiam, fermenta viſcerum effœta jam renovat, & ſanguinis vitalem fermentationem fortiter conſervat, & maſculè reſtaurat: hinc eſt, quod ex viperino vino ſequuntur ferè ſit elegans rejuveneſcentia, quod ex Brodio decoctionis viperarum mulier leproſa quadragenaria, ſterilis anteà, poſt curatam lepram facta fuerit fœcunda, teſte *Helideo Padoano in Curationibus pag.*294. *à Magiſtro Joh. Vuittich edit.* non ſecus ac Galli gallinæque viperis nutriti, docente *Zuvelfero, animad. Claſſ.*12. admodum fiant fœcundi, quæ animalcula poſtmodum viperinas vires poſſidentia, eſu, ad eadem conferunt mala, at quæ ipſæ viperæ, in ſpecie ad Elephantiaſin, & ipſi cognata mala, Scabiem fœdam, luem veneream, &c. Tùm ad fœcunditatem, vitæ prolongationem, corporis nitorem, & oculorum claritatem conciliandam: de quibus videatur *Joh. Fab. Lynceus expoſitionem in Rechum p.*780. Ad hæc itidem valent partes atque eſſentiæ viperinæ, ſecundum artem paratæ, ſiquidem *Magnif. D. D. Michaëlis*, Eſſentia ſua viperina Luem Gallicam aliquando curavit tàm proſpero effectu, ut ægro hinc ſanato, cuticula ex univerſa decideret cute, Strigmentorum facilè, inſtar ſerpentum, exuvias ſuas exuentium. Sed pagina deficeret ſi omnia proponere vellem.

§.2. Quod partes in ſpecie viperarum attinet, eas in mortuis omni veneni carere ſuſpicione, multa illuſtria oſtendunt exempla. De Regio cordis viſcere ut incipiam, quinque corda exſiccata una vice aſſumpta, tantum valuere in Juvene quodam, ut nullum amplius ipſi nocere potuerit venenum, Serpentes nullos timuerit, quin potiùs eos amaverit, & ſemper tractare voluerit. Hos vero eum admodum timuiſſe Autor eſt *Joh. Fabr. Lynceo loc. citat. p.*786. Ex corde & hepate viperino egregium & pulverem & aquam Bezoardicam animalem parare vocet *Zuvelferus p.*213. Inteſtina exſiccata, & in pulverem trita admodum commendat *Hartman. Comment. in Crollium pag.*456 ad omnis generis affectus epidemicos, majorum & minorum animalium, imprimis ovium & equorum: Sed cur non & hominibus imprimis in inteſtinorum affectibus proſint? Cum Hepata viperina pulveriſata ſint ſanè præſentiſſimum remedium in Dyſenteriis, præprimis Epidemicè graſſantibus; Fellis viperini exſiccati gr. j. ab omnibus venenis liberare ait *Borellus Cent. IV. obſerv.*19. Spinæ, exindeque paratus pulvis aut ſecundum quoſdam magiſterium, ad eoſdem proſunt uſus Medicos, ad quos caro; non eſt ergò, ut caudam ob conſtitutionem oſſeam, ſicut facit *Abbatius*, formidemus, cùm præterea eadem cauda vel nudo contactu tollere Odontalgiam dicatur: Caput verò appenſum, ad febrium arcendos paroxyſmos laudatur; quale ergò in his reconditum erit venenum? Firma potius manet mea aſſertio poſt mortem viperas non eſſe venenoſas: ex quo notanter elicio, venenum viperarum, ſi quod habent, non conſiſtere in quodam principio materiali, poſt mortem reſiduo, ſed in quodam intentionali, vel certè tali, quod pereunte vita, & ipſum eſſe deſinat.

§.3. Confirmat me in hoc ulterius conſideratio reliquorum animalium venenatorum, quæ cum in vivis eſſe deſinunt, & innoxiè tractantur & intra corpus aſſumuntur. Apparet hoc vel maximè in bufone, animali pleno veneno, ut non immerito terreſtris toxici, & contagioſæ virulentiæ burſa magnetica dici poſſit, loquente ſic eleganter *Kirchero in Scrutinio Peſtis p.*341. tanto in hominem odio eſt, ut ſuſpenſus & verberatus ab eo præ nimia in illum rabie moriatur: undè ipſi, imprimis in terrorem actum, quacunque poteſt ratione inſidiatur: nunc labiis ſcabris eundem fortiter mordendo, nunc habitu virulento, ſaliva venenata, lotiove toxicato indiſſitum à ſe hominem evibrando, vel herbas ſaltim inquinando, aliave corpora inficiendo, quibus mediantibus noceat homini, videatur *Kircherus citat. loc. pag.*342. & 207. *Sennertus lib. VI. Prax Part. VIII. c.*22. *pag.* 345. 346. *Jonſtonus hiſtoria de quadrupedibus lib. IV. tom. I. cap.* I. *pag.*188. Sed eneca beſtiam & liber eris ab ejus veneno. Non uſum externum ad anginam, peſtiferamque luem commendo, ſive ſub propria forma, cum vel ſine aceto applicentur bubonibus, & tumoribus peſtilentialibus, ſivè ſub trochiſcorum facie, ex vermiculis vomitu ejectis & ipſa ſubſtantia bufonum tragacanthi beneficio paratis, de quibus *Helmontius in tumulo peſtis*, aliique paſſim Autores, imprimis *Crollius in ſua Baſilica & Hildanus in ſuis Centuriis*: ſed quoad uſum internum, ſal ex eorum

cineribus calcinatis extractum, internè ʒß ad ʒj. pondere in Aqu. Cardui benedicti uſurpatum, ad omnem peſtem è maſſa ſanguinea eliminandam, eamque ab omnibus venenis vindicandam, mirificè commendat *P. J. Faber Panchym. lib. V. cap. 8. pag. 631. & libro primo Myrothec. cap. 24.* & tanquam egregia ſudorifera animalia extollit Sal fixum bufonum & aranearum: *Glauberus Furnor. Philoſoph. p. 3. c. 22. p. 177.* vel uſurpetur ſaltim bufonis exſiccati pulvis ad ʒß. & habebis experimentum ad Hydropiſeos aquas educendas certiſſimum, teſte *Wiero in obſervat. Petræus Noſol. Part. I. diſſertat. d. hydrope. Hartm. in Croll. pag. 420.* quem uſum ſimiliter vel externa ſolum ad renes applicatione præſtat. *Borellus* quoque bufones innoxiè voratos refert *Cent. IV. obſerv. 56. & Cent. II. obſerv. 37.* Pergo ad ſcorpium, cujus aculeum in caudæ extremitate eminentem lethale vulnus ob veneni pernicioſam vim, inferre conſtat: ſed mortuus Scorpio, magnus licet non tantum cum hauſtu gelidæ in os citra noxam illapſus fuit, *J. F. Lynceo. p. 781.* ſed præterea hic ipſe cauda ex ſcorpione viva abſciſſa, ſpontè ſe vulneravit, ſine ulla noxa: ſic devoratam ſcorpionum offam à circulatoribus, plus ſemel vidit *Baccius* ſine vitæ detrimento; & *Branchinus* referente *Severino pag. 366.* Nec ignotum eſt, quod egregiè valeat ad ciendam urinam, & provocandum lotium ſuppreſſum, non externa ſolum ſub olei ſpecie applicatio, ſed interna quoque pulveris vel calcinati, vel ſolum exſiccati, aſſumptio. Araneas eſſe venenatas, ſed non omnes communiter aſſerunt, ego interim telarias venenatas eſſe arbitror, tum quia eorum oleum venenis reſiſtit externo illitu, ad modum aliorum venenatorum animalium, tum etiam quod morſu vel potius ictu lædat, non contemnendis inſequentibus ſymptomatis, ſicut ex araneæ morſu epilepſiam ſuſcitatam refert *Salmuth. Cent. III. Obſ. 35.* Et ex aranearum morſu duos mortuos *Panarollus Pent. I. Obſ. 45. p. 27.* Nec minus calidos liquores in quos incidunt venenoſo contagio inquinent, teſte eodem *Salmuth. Cent. II. Obſ. 22. Sennerto lib. 6. Prax. p. 348.* & prava ex deglutita aranea Symptomata, vide *Salmuth. Cent. II. Obſ. 48. Borellus Cent. III. Obſ. 19.* ſed telæ non ſolum internè ad ſedandos intermittentium febrium æſtus uſurpantur, ſed ipſæ quoque araneæ mortuæ exſiccatæ, & pulveriſatæ, ad ſimilem uſum non ſine ſucceſſu propinaſſe ruſticum quendam, certo conſtat. Multos præterea eſſe ſerpentes venenatos, qui mortui pretioſiſſima dant Pharmaca, cum vita exuta omni veneni labe, notiſſimum eſt, & ſerpentes innoxiè vorari, & in cibis uſurpari cum ſanitatis commodo, videatur *Borellus Cent. IV. Obſ. 65. & Secunda. Obſ. 37.* Quidam quoque ſerpentem pro anguilla comedit nil mali indè perpeſſus, ſed cum cognoviſſet poſtmodum fuiſſe viperam, ex phantaſia in morbum illapſus, obiit, *Libavius Alchimia Pharm. 12. Zwelferus pag. 273.* Similem imaginationis vim, vide apud *Salmuth. Cent. II. obſ. 93.* Ex quibus ſimile etiam de viperis eſſe ferendum Judicium omninò exiſtimo.

§. 4. Excluſa tamen hic volo animalia ea, quæ peculiaris rabies ſub venenatorum redigit claſſem, cujuſmodi ſunt canes, feles, lupi, aliaque animalia interdum rabie, quæ corripiuntur, hæc enim in ſtatu præternaturali ſunt, adeoque venenatis reliquis in ſtatu naturali conſtitutis nil derogant, nam rabioſa ut in vivis dum ſunt, & morſu & ſaliva etiam nuda inficiunt, ita mortua & eſitata ſimilem rabiem inducunt, exempla vide apud *Bauhinum tractatu de rabie. Kircher. de Peſte, de fele rabioſa comeſta pag. 206.* De ſue rabie tacta, eſitata *Borellus Cent. I. Obſ. 75.* Videntur enim mihi hujuſmodi animalia laborare quaſi febre quadam maligna, cum inſania maniaca conjuncta, ex efferveſcentia maſſæ ſanguineæ à fermento peregrino peculiaribus ideis inſignito oborta. Quod verò hydrophobiam attinet, hæc quidem tanquam inſeparabile ferè adeſſe ſolet ſymptoma rabiei, utut contrarium referat *Salmuth. Cent. III. Obſ. 90.* Non tamen proprium eſt rabioſis, cum etiam ſine rabie, & in ſpecie in febribus malignis, citra ullam contagii rabioſis ſuſpicionem obſervata ſit, teſtibus *Schenckio lib. VII. Obſ. de venenis anim. Sanchetz in Obſ. p. 378.* Ubi tantus citra ullum animalis rabidi morſum adfuit aquæ timor, ut ne ferre quidem præſentiam ejus, aut manus abluere potuerit æger, ſimile exemplum habetur, *pag. 379. Salmuth. Cent. II. Obſ. 52.* Animalia ergò rabioſa per Morſum, vel etiam per ſalivam, communicant furibunda quaſi fermentum ſuum febrile. Ideis morbificis Archeum corporis læſi, ſeu ſpiritum ejus inſitum admodum perturbantibus, inſignitum, quod totum corpus, in mores quaſi brutales transformat: Suntque hujuſmodi ideæ in fermento quidem radicaliter, in homine vero affecto non niſi radiativè, de quibus vide elegantem *Marc. Marc. Phil. Vet. reſtit. Part. IV. Sect. III. ſubſectio I. p. 435.* Cum ergò hujuſmodi affectus ſit peregrinus ipſis brutis rabioſis, ſitque præternaturalis, & à peculiari dependeat fermento, in quod Archeus Ideas ſuas ſeminales imprimat, etiam poſt mortem ſuperſtes manere poteſt, licet ſopitum ferè, donec in alio corpore vivente exſuſcitatum denuò, ſimiles concitet tragœdias. Sed cum venena aliorum ſanorum animalium ſint eis naturales quaſi dotes, non tamen niſi imaginationes vi traducantur in actum, ut poſteà demonſtrabo, canis rabidi exemplum, hujus puncti veritati, nil detrahere valebit.

Punctum IV.

Viperam totam eſſe Alexiteriam, nec niſi laceſſitam eſſe venenatam aut venenosè quemquam lædere, oſtendit.

§. 1. Viperam mortuam inſontem pronunciavi, ex cujus egregiis medendi viribus totam eam alexipharmacam & Bezoarticam concludo: nec venenum ejus, quod in morſu percipitur in quodam materiali conſiſtere aſſero, quoniam alias, & hoc poſt mortem ſemper eſſet ſuperſtes: Sed potiùs in quodam intentionali vel ſpirituali, à furore concitato: nec tamen vivens, per ſe eſt venenata, nullibique teſte *Severino*, duce experientia, obvia ejus eſt malignitas, quam nonniſi laceſſita, vel provocata morſu exerit. Unde duplex viperæ perpendendus venit ſtatus, unus quo nullis gravioribus acta affectibus, tractabilem ſe offert, vel ſaltim nullo lædendi conatu ſe armat, aut metu, terrorevè acta, fugam quærit, alter quando iræ concitata furore, ab externo provocata læſione vindictæ inhiat, & ſpicula dentata exerit. Priori in ſtatu eſt innocens, & nulla culpabilis malignitate, nec lædit. Poſteriori verò, truculenta eſt fera, feros infert morſus; Vino quo maximè delectatur, ſuffocata licet, loco veneni ſalutiferas infundit dotes, ut ſupra dictum: Nec vivens Vipera, ſtomacho recepta detrimenti quicquam attulit, ſed ſine noxa vivens per alvum fuit expulſa, teſte *Gatinaria de ſuffocatione matricis*: hinc nudos & dormientes non laceſſit ſpontè, quod ſibi etiamnum puero ſæpiſſimè contigiſſe perhibet *Olaus Magnus*: Ad hæc mulieres non paucas viperis inſidiis ſtruentes, videre contigit, quæ ſerpentem hunc manibus libere contrectarent & amice, dicit *Bartholinus de Anginâ puerorum p. 111.* In metu poſita omnis quoque malignitatis deprehenditur expers, hinc eos, qui eo audaciæ proceſſerint, ut eas alacriter adeant non lædunt, ſed terrore perculſæ fugiunt: indidit namque provida Natura ſerpentibus metum quendam & timorem, ut homines, qui eos intrepide perſequuntur, fugiant, teſte experientia *Zwelf-*

feri p.273. Unde eodem Autore qui ſerpentes in capite & collo prius arripere auſit, itaque tractare novit, ut in prima invaſione mordere non audeant, is ſanè poſteà, ad libitum cum ipſis ludere poteſt, modo caveat, ne eos ad iram provocet. Sed objicere poſſis Lector ſub illo ſtatu eſſe venenatas viperas, ac ſerpentes; licet non lædant ſuo veneno, aliud nempè eſſe actum primum, aliud eſſe actum ſecundum. Benè: Sed undè quæſo probabis hoc tuum aſſertum? Ex abſentia enim effectus, quomodò demonſtrabis præſentiam cauſæ, hoc eſt, ex defectu læſionis venenatæ, undè oſtendes venenum, niſi ex præconcepta opinione de Veneno ejuſque principio materiali, dicere velis habere in ſe quoddam venenum, quia ſint animalia venenata, hoc eſt, niſi petere velis principium, & probationis loco ſubſtituere id, quod eſt in quæſtione: ſupra enim probavi, venenum hoc non conſiſtere in quodam materiali, quia non ſit ſuperſtes in mortuis, aut ſi fortè velis comparare cum veneno animalium rabioſorum, quæro cur poſt mortem per carnium eſum, non ſimiliter fiat activum, potiùs cum *Bartholino* dicam: *Ingenue fatebor minus in vipera recondi veneni quam vulgo perſuaſum; de Angina pueror. pag.*110.

§.2. Idem obſervare licet in aliis beſtiis, venenatis vulgò licet habitis, quæ non laceſſitæ, aut ubi metu fuerint perculſæ, non lædunt, ſeu ictu, ſeu morſu: è contrà non venenata animalia ubi irritata, ex irâ vehementer efferbuerint, ut feles, equi, homines, &c. venenatis non abſimiles inferunt plagas: Romæ Scorpiones quidam ſine damno deglutivit, priùs commode complicatis chelis, caudæque ſpiculo; in Italia ſæpè iidem dormienti accubuere, ſed non læſi innoxii fuère *Bartholino Cent. IV. Obſ. 95. p.*418. Ruſticus aliquot centena Scorpionum vivorum manibus apprehendendo, digitiſque revolvendo, non aliter quam nummos aureos numerare, vidit *Lynceus l. ſupr. citat. p.*781. Fatuus quidam, Batavii araneas omnes obvias devorabat, citrà noxam: *Barthol. citato loco.* Quod iridem mulieres quaſdam feciſſe refert *Borellus,* ubi inſimul obſervandum, quod aranea à viro deglutita, ſine noxa per duos menſes retenta, & mirum in modum aucta fuerit, tandem malignitatis ſuæ irritata forſan, prodidit vim: *Cent. III. Obſ.19. & IV. Obſ.56.* Taceo hic puellam Colonienſem vulgò notam, ſummo cum appetitu araneas capientem, & devorantem: & quanquam hic facilè aranearum diverſitatem quis protendere poſſit, quia etiam lethales hujuſmodi aranearum obſervatæ ſint deglutitiones, tamen Communis aranea, quæ parietes telis inveſtit, non ſine malignitate eſſe, ſaltem irritetur docebit *D. Pauli Parechaſi de febribus.* Vulgaris porrò notitiæ eſt Hiſtoria Mulieris, quæ ſerpentem vivum, mammillas ſugentem, per decem menſes innoxiè geſtavit: Quæ tamen vocatur in dubium, *à D. Horſtio Epiſt. med. Sect.VI. & Sebizio Iun. reſponſ. in dictum locum,* notandum tamen, quod loco citato refert *Horſtius* de Serpente mulieri dormienti per os in ventriculum deſcendente, ibidemque per aliquot menſes morante, & per vomitum tandem expulſo, nulla graviora inferendo ſymptomata, quam alias ſordes ventriculo adhæreſcentes inferre ſolent. Similes proſtant Hiſtoriæ de bufonibus, quorum ſemina quacunque ratione aſſumpta, vivificata ſunt in ventriculo, ibique in bufones perfectos adoleverе, ſine noxa inſigni per vomitum rejectis, hiſtorias inſigniores vide apud *Grumling. Cent. II. Cur. 9. p.9. Bartholinus Cent.IV. hiſtor.19. M. A. Severinus d vipera part.I. cap.11. p.29.* & ſimilem rationem de omnibus venenatis animantibus valere æſtimo: ut placido in ſtatu nulla vi venenata ſint formidabilia, aſt ſi iræ percita fuerint œſtro, vel quovis toxico ſint pernicioſiora. Irritationis tamen habenda diverſitas, dum nunc ab externa tantum læſione & moleſtiâ concitantur, nunc interno agitantur ſtimulo, iis nempè in brutis quæ naturalem quandam cum homine gerunt inimicitiam, ut bufones, ſerpentes quidam, & ſi quis eſt, baſiliſcus, &c. Quæ ex nudo aſpectu inflata odio iræ efferveſcentia intumeſcunt, & venenato fermento furoris ſpecie inſignito inficiunt, quod nunc per contactum ſaltem fit corporalem, nunc vero indiſtans. Illud morſu, ictuve, hoc per ſalivam, vel urinam, vel halitum.

Punctum V.

Viperam irritatam & ad iram provocatam concepto furore morſum inferre venenatum declarat.

§.1. Sit vipera animal ſumme bezoarticum, ſit theſaurus alexipharmacus, ſit libera ab omni veneno mortua, ſit inſons non irritata, laceſſita tamen inſigniter, morſus infert venenatos, brevi lethales. Hiſtor. vide quamplurimas in *Schenckio lib.VII. Obſ. de Ven. animal.* Vipera Iracundiæ æſtro percita, canem ubi morſu ſauciaverit, intra decurſum aliquot horarum, vel citiùs, mortem inducet *Zwolferus p.212. & Severinus p.365.* inquit, *qui remor debitur canis aut felis, vix hora, pullus verò demorſus, vix tamdiu tum recitabitur angelica ſalutatio, detinebitur in vita:* hinc *Aldrovandus,* viperæ collotenus jam pridem ex ſectæ caput, quod integrum ſic, poſſe demorſum à ſe animal perdere veneno: cujus rei capto experimento vidit horæ ſemiſſe mortuum gallum gallinaceum *Severinus citat. loco.* Simile refert *Lynceus p.*782. de famulo Pharmacopæi à capite viperæ, jam poſt tertium diem abſciſſo, cum manibus apprehendiſſet, lethaliter morſo, ut vix vel efficaciſſimis theriacalibus curatus fuerit. Nec ignota eſt *Matthioli* hiſtoria, referentis de Ruſtico à Vipera fortè ſecundùm caput diſceſſa, pro mortua habita, apprehenſa, lethaliter morſo, &c. Symptomata denique de morſis ab iracundis viperis ſupervenientia eandem venenoſitatem palàm teſtantur de quibus infra. Mordet ergò per dentes acutiſſimos, fiſtuloſos, ex quibus ejicitur liquor ſalivalis; venenat vero per ſummam, qua tunc ardet, iracundiam. Dentes iſti ſunt acutiſſimi, Authoribus quibuſdam quatuor, quibuſdam duo, quibuſdam medius quidam inter hos inſignior, aduncus & acutus, omnibus tamen ſunt fiſtuloſi, ut per eorum canales, derivatus liquor ſalivalis, cum impetu dentium in animali irato inferat lethalem veneni vim. Liquorem hunc ſimul ejectum vocat virus *D. Severinus,* innuens eo ipſo, ab hoc imprimis dependere virulentiam vulneris, ſed in quo virulentia hæc conſiſtat quæritur? Dicit in vi liquoris pyrotica, ſulphurea & arſenicali quæ vincatur tanquam valentiore, calor noſter vitalis. Rectè: Sed cur in ſpecie adjumentum dentis requiritur? Cur non in vipera mortua eſt talis? Cur etiam ex vivæ ore extractus eſt inſons? Hujus ratio, ex iracundia animalis petenda, quâ furens Archeus & efferveſcens ſaliva, ſimiles motus, ſimileſque Ideas, per morſum inferunt morſo. Ut ita formaliter vipera ſit venenata, quatenus eſt irata: & infert morſus venenatos, quatenus ab irato infliguntur animali.

§.2. Iræ ergo quam maxima hic penſitanda natura, qua vix validior, niſi amoris excipere velis vim, reperitur affectus. Conſiderandus hic & impetus animi, & ſanguinis reliquorumque humorum motus. Impetus animi vehementiſſimus furibunduſque ex præſentia mali maxime infeſti concitatur; Ad quod amovendum tota inſurgit natura eademque omni conatu amovere à ſe tentat, objectum enim odioſum per ſuam ſpeciem movet animæ vim cognoſcentem, per ſenſuum organa operantem, quæ ex ejus inconvenientia, & odioſa præſentia permota abhorret eandem

eandem, & amoliri à ſe conatur, urgente hoc, ſe conſervandi, omnibus innata concupiſcentia, & hic actus iræ nomine vocari ſolet: Ex hoc ipſo horroris actu, naſcitur ſpecies, ut ſic dicam, iraſcibilis, & Idea amovendi, & propulſandi moleſtum, quæ non tantùm recipitur in memoria & aſſervatur, ſed etiam totiùs corporis partibus fluidis, imprimis ſanguini, ſpiritibus mediantibus confuſe, in ſpecie vero membro cuidam, cui moleſtiam propulſandi munus committitur, diſtincte imprimitur, & inſculpitur: adeoque in viperis hoc animi impetu permotis, ſpecies hæc idealis, ut totius corporis ergaſtulo, ita in ſpecie ori ejuſque partibus, & maxime dentibus imprimitur percuſſoribus, ſimulque liquor ſalivalis in eorum confiniis aſſervatus, pingitur hâc ipsâ furoris impreſſa idea. Rem ita circa affectus ſe habere, præter autoritatem *Helmontii, Marci Marci, Zwelferi & aliorum modernorum*, teſtantur permulta quotidiè in medico foro obvia: Cruor Tauri potantem ſtrangulat, non cruor bovis aut vaccæ, idque propter tauri furorem, cum cupidine vindictæ morientis: Canis rabidus vel vivens, per ſalivam & morſum, vel mortuus per eſum, læſos transformat in mores caninos. Felis rabida, in mores felinos, non ſecus ac nuperrimè in oppido vicino Torgavia, mulier maniaca, & quidem ut putabatur ex Philtro, lictorem in cuſtodiam ſe abducentem, mordendo propè axillas, in ſimilem conjecit calamitatem, ut poſtero die ſimiliter ac ipſa fureret, muliere meliuſculè ſeſe habente: Sic felis ſanguis hauſtus à puella, eam in mores felinis ſimiles transformavit: Oſſiculum certum bufonis cum tremore ſcilicet & terrore, utut conjuncto aliquantiſper furore, morientis, mederi vel nudo contactu odontalgiæ, certo experimento novi: (hinc catholicum anodynum ex bufonibus parari poſſe, experientiâ quorundam celebriorum conſtat Medicorum) prodeſt idem ad epilepſiam infantum, ex nutricum imprimis immoderatis affectibus oriundam, ut & ad paroxyſmos febriles: bufo exſiccatus & applicatus quamcunque hæmorragiam ex interna ſanguinis ebullitione & effervescentia ortam, certiſſimè ſiſtit. Sanguis leporis, pavidiſſimi animalis, curat Eryſipelas, Dyſenteriam: Pellis caudæ lepori vivo detracta, ceu amuletum, idem curat Eryſipelas, admota verò, omnes ſanat ambuſtiones: Sanguis aſini, torpidi illius bruti, poſt aures collectus maniacos coërcere & placare meo dubitet; raſura cornu tauri, in coitus ardore abraſa, mire armat in venerem; quod alias non facit. Cerebrum paſſeris in veneris actu transfoſſi, potentiùs longè ſtimulat eandem, quam ſi nudè interficiatur alio tempore: filum quo ſtrangulata vipera, medetur anginæ: mores nutricum bibuntur cum lacte earum à tenellis infantibus, ſicut infans à caprâ nutritus, caprinos miris ſaltibus, & variis petulantiis, imitatus eſt geſtus: terror, anxietas, & tremor, paventibus Podagricis ſuam curant podagram: terror, tremor, ira lapſus ceraſi in Corpus, viſio capitis à lanio per medium fiſſi, &c. Simili modo ſignant fœtum: & alia hujus farinæ exempla plurima vagantur obvia; hinc optimè acutiſſimus *Marcus Marci, non parum referre, in quâ diſpoſitione animalia moriantur, quorum partes ad uſum medicum queruntur.*

§.3. Sed has & ſimiles operationes, per ſpecies quaſdam intentionales, recentioribus Ideæ dictas, ex quarum directione tanquam in ſpeculo quid agendum cognoſcat natura, peragi, paucis oſtendam, dum harum in omnibus viventibus præſentia & directrix vis, ex veterum imprimis Philoſophia, obſervare datur; Agentia ſunt diverſorum generum in rerum natura, præ cæteris obſervanda viventia, quæ varias edunt operationes, tàm vegetabilia, quam bruta & homines: Horum omnium ortus, proceſſus & interitus variis mutationibus, iiſque naturalibus, ut eſt ſubjectus, ita ab interno agente perfici aſſolet: Sed cum huic variæ incumbant operationes, neceſſe eſt, ut certô modô determinetur, ut operetur hoc, ut operetur iſtud, ne fiat confuſio, quam abhorret natura. Hoc vero quod determinat in agendo, ſunt ſpecies Intentionales dictæ veteribus, recentioribus Ideæ: Hæ dum determinant hominem in ratiocinando, dicuntur intelligibiles, dum bruta in ſentiendo, Senſuales in actionibus per appetitum mortis, appetibiles, dum omnia viventia in actionibus vitalibus, naturales. Sic cicuta per Ideas proprias creſcit, adoleſcit, & aſſumpta nos in anſeres, anates, & merges quaſi transmutat: Canis operatur in actionibus propriis, per proprias Ideas, quæ à rabioſo nobis communicatæ, nos ferè in canes transformant, aut certè ad caninas actiones, moresvè determinant: Homo intelligit per Ideas intellectuales, quæ quod probè notandum dominantur ſenſualibus, & hæ imperant, aut certe ſæpe perturbant naturales. Natura ergò per Spiritum ſeu Archeum corporis noſtri extructrix & conſervatrix, cujus diligens miniſter eſt Medicus, agit, & quidem ordinate, ſemperque, quæ ſua eſt prudentia, eodem modo, id quod eò magis eſt mirabile, quo ſtupenda magis totiùs microcoſmi eſt conformatio, & actionum tot, tamque mirandarum varietas ordinata, minimeque confuſa, niſi à quodam ſuperveniente perturbentur; quæ omnia directa ſunt in conſervationem totius in genere, & uniuſcujuſque partis in ſpecie: neceſſe eſt ergò ſciat quid agat, & cur agat, ſed quo mediante determinatur, & ſpecificatur? Hoc fit per ſpecies naturales, ſeu Ideas: Hæ in genere dirigunt ejus agendi vim, ut hominem homini formet ſimilem & etiam in ſpecie filius Patri, filia matri, &c. Reſpondeat in lineamentis, ut valgus valgum, blæſus blæſum generet, & quæ hujuſmodi alia à confirmationis vitio oriunda, errata: Harum namque rationem impoſſibile ſanè eſt reddas, niſi directrices Ideas ſeu ſpecies aſſeras; dumquè præterea extructum domicilium & omnium partium actiones, ſartas tectaſque conſervat, & perturbatas reſtituit, ex eodem hoc promanat fonte. Verum impedita in ſuâ ordinariâ agendi vi, per ſex res non naturales dictas, imprimis per affectus animi, mire transformantur, vel obfuſcantur naturales ſpecies, unde ataxiæ, & variæ Archei perturbationes, variæque actionum læſiones: depravate ergò dum agit natura, non cœco fertur impetu, ſed ex ſpeciebus depravatis & corruptis, corruptæ oriuntur actiones: hæ ipſæ à ſpeciebus pravis oriundæ, corriguntur, aut removendo occaſiones, Ideas & actiones perturbationes aut contrarias ipſi ſubminiſtrando ſpecies, quæ vel deleant priores corruptas, vel eaſdem corrigant, &c. Ut natura ita reſtituta ſuæ integritati per naturales ſuas ideas denuo agat. Hic eſt modus agendi ſuperiorum medicamentorum, alius ne mente quidem conceptibilis eſt. Sed longiùs deducere hæc prohibeor.

§.4. Conſiderato ſic animi impetu in vipera irritata, & mordicante, pergendum nunc ad motum humorum in tàm furibunda perturbatione. Hic autem conſiſtit, in impetuoſa ſanguinis ebullitione, & effervescentia, in Iracundis omnibus obvia, veteribus exinde iram fervorem circa cor definientibus, indeque iratus fervere & totus in fermento eſſe communiter quidem ſed appoſite dicitur, unde & iram fortitudinis cotem dixere Medici, ſi non ut duce, ſed ut milite ea quiſpiam utatur: Ira hæc ſimiliter acuit viperam, fugientem alias hominem & pertimeſcentem, ut ſupra dictum, eundem ut forti aggrediatur conatu; Fermentatio hæc ſanguinis nimia, ex ſpirituum impetu, variis motibus cordis pulſatile corpus, moventibus & commoventibus oritur, indeque nimia ſanguinis rarefactio, incenſio, efferveſcentia, & ebullitio, ex rareſcente imprimis bilis pingui ac oleoſa parte, & ſalina volatili ejus ſubſtantia in motum & volatilem impetum concitata, proficiſcitur. Agitatum ſic ſanguinem ſimilis ſalivalis ſequitur agitatio liquoris, ſive

enim

enim ex felle *cum Hodierno* ſive ex ſanguine & cerebro cum *Severino* derives, perinde eſt; dum partes ejus ſpirituoſæ & ſalinæ volatiles, in motum efferveſcentiæ ſimiliter rapiuntur: non ſecus ac homines irati ſpumare ſæpius ore aſſolent, ex ſimili ſalivæ motu; Et quidem eo magis hoc locum habet in vipera; quo volatilioribus & facile fermenteſcibilibus eadem ditata eſt partibus, videatur *Severinus, qui parte* 1. *c.VII.* in eo eſt totus, ut calidam viperæ defendat temperaturam, eamque Sulphureis calidis & ſpirituoſis & veſci alimentis & conſtare partibus: Unde & rectè ex Sulphureis ſpirituoſis, & volatilibus hujuſmodi partibus virulentiam ejus oriri defendit: *parte totâ ſecundâ.*

§.5. Hiſce conſideratis, patet, quid de venenoſitate morſus viperini habendum, conſiſtit ea partim in Idea furoris Archei impreſſa dentibus & ſalivæ, ſicque per morſum una parti læſæ & conſequenter reliquis partibus communicata, ſpiritum ſeu Archeum corporis ſimiliter perturbante, & in furorem concitante: partim verò in parte ſalivæ fermenteſcente, per fiſtulam dentis in vulnus evibrata, & beneficio circulationis ſanguinis toti maſſæ communicata, in ſimilem fervorem & impetuoſum motum, eandem concitante: in hiſce conſiſtit venenum morſus viperini. Confirmant hoc multa tum in viperis obvia, tùm in aliis animalibus obſervanda: ratione Ideæ dens humanus aliàs innoxius, venenatum infligit vulnus, nam redditus talis per imaginationem, & inde concitatam vehementem iræ paſſionem, teſte *Marco Marci Phil. Reſt. p.*430. Meticuloſos & expaveſcentes fortius lædit, & periculoſius vipera, ob Ideam furoris Archeo trementi contrariam altius impreſſam. Quo calidiores terræ regiones incolunt viperæ, eo venenoſiores, fortiùs ſcil. vel levi ex ira efferveſcentes: Quò item magis inhiat Veneri, eo virulentior ejus eſt morſus, agitata jam ſponte ſanguinea maſſa per ſpiritum genitalem, hincque fortius eadem efferveſcente; Aſt quo fortior efferveſcentia, eo altiùs furoris imprimitur Idea, nam & efferveſcentiæ vim furoris intendit impetus & Ideam contra major efferveſcentia fortificat, commota tota ſanguinis maſſa, undè & ſalivæ altiùs furoris imprimitur ſpecies: quò acutiores ſunt dentes, eo malignior eſt morſus, ob faciliorem ſalivæ penetrationem, & altiorem ejaculationem, quæ ſolo contactu externo nil nocet: hinc circulatores diffractis jam dentibus viperinis & mutilatis, ut mordeant eædem, patienter ferunt, quia ſine noxa, minus penetrante, hebete earum acumine, minuſque ſic noxii infundente. Extra hanc efferveſcentiam innoxius eſt ſalivalis liquor, referente namque *Bartholino de Angina p.*110. *ipſe Neapoli virus, quod in chartam irritatæ viperæ bilioſo colori ſimile ejaculaverant, innoxiè manibus trivi; & ab aliis devorari Florentinus ibidem Pharmacopola retulit.* Nam evaneſcentibus partibus ſpirituoſis & volatilibus, ſicque ſedata efferveſcentiâ innoxium eſt virus. Idea furoris Archei partis læſæ impreſſa, ſimiliter eum perturbat, hinc intolerabilis verè dolor; aſt affluente ſanguine inopinatus tumor, ſalivæ fermenteſcibilibus particulis eandem in æqualem efferveſcentiam cogentibus; Circulationis beneficio, brevi tota ejus afficitur maſſa, quæ eodem ebulliens modô ad modum tumefacit corpus, febremque accendit acutam: humores circa præcordia imprimis bilis volatilis, & fixus pancreatis ſuccus una quoquè commoti efferveſcendo, qua data porta ruunt, & regurgitando ſurſum atroces dant vomitus: Speciebus furoris interea in cerebrum allatis, vertigines primo experturbato ſpirituum motu, hinc deliria ex ſpeciei impreſſione infeſtant ægrum.

§.6. Quod in vipera contingit iræ percita œſtro, idem & in aliis obſervamus animalibus; Ab homine omnium principe duco exordium. Qui ut alteri ſolet eſſe lupus, imo diabolus, ita etiam vipera; idque per morſum; dentes equidem ex ſe innoxii, ut & ſaliva, his tamen ſæpè immedicabile, aut certè periculoſum infligi vulnus conſtat, ubi ira vehemens eoſdem armavit in perniciem: Exempla vide apud *Hildanum Cent. I. Obſerv.* 84. 85. *item Cent. IV. Obſerv.*87. ex morſu levi hominis in digito gangræna brachii ad cubitum uſque idem *Centur. Epiſt.*73. *Glandorp. Specul. Chir. Obſerv.*49. *p.*239. *Panarollus Pentecoſt. II. Obſerv.*42. *Zacutus Luſitan. lib.*3. *Prax. Admirandæ. Obſerv.*88. Imo Sanguinem hominis ruſſi venenatum perhibent, ſi ira exacerbato detractus fuerit Autore *Marco Marci pag.*433. Sicut *Zacutus Luſitan. lib.III. Prax. adm. Obſerv.*82. refert, ex potu ſanguinis hominis ruffi, per venæſectionem ſine affectibus gravioribus emiſſi, perpetuam ſecutam fatuitatem. Si ira fuiſſet percitus, vel alia vehementiori paſſione, alia certè ſecuta fuiſſent ſymptomata: Cauda Scorpioni viventi ex improviſo amputata, innoxium facit vulnus, teſte *Marco Marci p.*430. *& Lynceo p.*782. Aſt irritata peſſimum ejaculat virus; cujus vim in efferveſcentia à Sale volatili oriunda conſiſtere, demonſtrat *Pauli digreſſ. de febr. malign. p.*50. 51. 52. Similiter cornua tauri, ac dentes apri, quando irritantur & efferantur plagam inferunt magis venenatam quam ſi caſu eadem fiat, inquit *Marcus Marci p.*430. cujus ratio in ſola iracundiæ conſiſtit Idea, Sic mentionem facit vulneris virulenti ab apro in ſuram inflicti *Salmuth. Cent.III. Obſerv.IV.* ut & trium vulnuſculorum à cercopitheco inflictorum, per biennium durantium, ut & vulneris difficulter curabilis à mure minore inflicti: hinc rectè concludit, *non dubito, quin ejuſmodi animalium, irritatorum imprimis morſus, malignitatis quiddam obtineat*: cujus ſententiæ eſt quoque *Lynceus pag.*782. dum inquit: *cum ſciam venenoſa animalia, quæ pungendo aut mordendo vulnerant, vix nobis virus ſuum inferre, niſi irritata, adeoque vel à nobis, vel aliis, vel à ſe ipſis ad iram eadem provocata fuerint: id ſæpè in felibus, canibus, & gallis gallinaceis, iracundia flagrantibus contigiſſe animadverti, ut vulnera tunc infligerent cacoetica prorsùs & ægrè ſanabilia, cum tamen quando placidè nobiſcum agunt, & fortè nos ſauciant, vix quicquam detrimenti inde percipiamus, &c.* Qui ipſe diſcurſus perplacet quoque *D. D. Pauli in Digreſſ. propè finem*: ſimiliter diſcurrit *le Febvre trait. de la Chimie tom.*1. *part.*2. *lib.*1. *c.*8. *pag.*421. item *Boyle of experimental. Philoſophie Part.*2. *experiment.* 2. *p.* 52. Porro ex Equi morſu in tibia epilepſiam obſervavit *Salmuth. Cent.III. Obſerv.*35. & Gangrænam ex equi morſu *Hildanus Cent. II. Obſerv.* 86. Qui licet venenata ſimpliciter non habeat hæc vulnera, malignitatis tamen expertia non æſtimat. Morſum lupi non rabidi, ſed ſaltim irati malignitatem habere conjunctam, in eodem vide *Hildano Cent. IV. Obſerv.*90. Confirmatur à *Schenckio in Obſerv. lib.VII. de Venen. animal.* qui ſimiliter luporum licet non rabientium morſum venenatum probat: Sed non ſatisfacit ratio, quam affert, quia ſcilicet in renibus eorum plerumque naſcantur ſerpentes. Melliflui apes tantùm abeſt, ut ſcateant ubique melle, ut iracundiæ quoquè prodeant fel; Hinc ab apum ictu ortam gangrænam obſervavit *Zacutus lib. III. Prax. adm. Obſervat.* 83. ex punctura veſpæ circa carpum dolorem ingentem totius & lipothymiam *Hildanus Cent. IV. Obſ.*77. Sicut ex ſimili punctura circa juncturam mandibulæ, ulcus inſanabile ſecutum, idem *Obſerv.* 78. & dolorem horrendum aliaque ſymptomata ex ictu veſpæ ſecuta, theriacalibus internis & externis curata, *Riverius Cent. III. Obſervat.*88. *& Obſervat.* 6. *Commun. à Pachequo*: Sicut aliàs eadem læſio curati ſolet per veſpam ſuperimpoſitam, & per oleum ex veſpis per infuſionem applicatum, ſicut Scorpius ejuſque oleum proprio medentur ictui.

Nec alteri ſolum ſpeciei infligunt labem, & noxam venenatam hæc animalia, ſed ſe mutuis quoque interimunt ictibus: vipera namque à vipera atrociter demorſa vitam cum morte commutavit: *Autore Zvvolfero:* Scorpiones irritatos permiſtos invicem, ſe mutuis transfigere ictibus, teſtatur *Lynceus:* Araneas inſigniores in vitro conjunctas ſe mutuis petere aculeis, & enecare, oculatus ſum teſtis, alia ut taceam: Perſuadent hæc ipſa, & multa alia apud Autores paſſim obvia, venenatos eſſe hujusmodi animalium iratorum morſus, unus tamen plus alter minus: differentiæ ratio & in agente, & in patiente quærenda: agens nunc magis eſt irritabile, & irritati inſtrumenta nunc minùs, nunc magis ſunt acuta, & majori in patiens flagrat odio, vel minori. Patiens ſi eſt meticuloſum & pavidum, venenum morſu receptum multum exaggerare, & diffuſioni in totum corpus portas patentes aperire poteſt, contrarium fit ſi animoſum & intrepidum; nunc diſpoſitum eſt magis ratione maſſæ ſanguineæ, ad recipiendum venenoſum fermentum, nunc minùs, undè etiam nunc atrociora ſequuntur ſymptomata, nunc leviora. Pars læſa nunc eſt nervoſa, nunc eſt carnoſa, nunc nobilior aut ignobilior, nunc nobili parti propior aut remotior, &c. Variant hæc omnia magis & minus venenatorum morſuum & ictuum vim & energiam.

§.7. Ex modò allatis confirmata videtur ſufficienter primitus allata *Celſi* ſententia, omnem animalis morſum quoddam habere virus, ex quibus concluſionis loco elicio, ſi ob id animal dicendum eſt venenatum, quia ictus infert venenoſos, vel morſus, ſequitur omne animal, etiam hominem eſſe venenatum, quia fervente iræ ſtimulis animali inflictum tunc eſt venenatum vulnus, ut demonſtratum, idque eo magis, quo magis vehementia affectuum rapitur brutum, quod rationis regimine eoſdem refrænare neſcit: Sed vix ſine abſurditate hoc dogma concedi poteſt, imprimis cum incongruum ſit, id vocare venenatum, quod non ſemper habet venenum, nec quod aut vivum aut mortuum eſt tale, niſi in certo caſu; Potiùs ergò arbitror, ſtatuendum nullum animal revera & per ſe eſſe venenatum, fieri autem tale per accidens, dum abreptum impetuoſis animæ paſſionibus, frendens ira & ferociens, vindictæque anhelans, per effervescentem ſalivam, vel ſimile quid, Ideam iræ conceptam, per morſum communicat, & ita venenat, id quod innuit *Lynceus p.782.* dicens: *In hanc devenerim ſententiam, venenum abſolutum nullum dari, ſed relatione ſolummodo habita ad objectum, & ejus quidem naturam, modumque inficiendi, imperſcrutabilem verè nobis eſſe.*

CAP. II. PRACTICUM.

PUNCTUM I.

Signa Morſus viperini & Diagnoſtica & Prognoſtica pertractat.

§.1. Viperam per dentes duos caninos læſiſſe, ex ægri relatione peroptimè addiſcitur. Notanda interim ſunt & adjuncta ipſius morſus & ſupervenientia ſymptomata, ut & de qualitate ejus, & inſtituenda cura certior reddatur Medicus. Morſum ergò ipſum quod attinet, apparent in loco demorſo duo foramina parva, invicem ſpatio diſcreta, vel etiam plura pro quantitate dentium, fluitque ex his ſanguis primo purus, hinc humor ſanioſus, deindè oleoſus, ſpumoſus, hinc æruginoſus: prout magis magisque ſanguis partis læſæ à fermento venenoſo immutatur; Symptomata, quæ ſuperveniunt, ſunt vel ex genere actionum læſarum, vel qualitatum corporis mutatarum, vel excretorum depravatorum; omniaque habent originem vel ex furibunda Idea, per morſum impreſſa, vel ex præternaturali effervescentia, per fermentum venenoſum inducta. Quæ ſicut ſe invicem ſequi ſolent, enarrare placet; Pars demorſa miſerandum dolet, adjuvantibus hic non parum ſpiculis acutiſſimis, ex dentibus viperinis in parte relictis, non ſecus ac ſpinulæ ex urtica planta, vel opuntia ſeu ficu Indica, præprimis majore, relictæ, dolorem ad modum acerbant. Dolor hic adeò ſenſim accreſcit, ut totum quoque corpus dolore tandem dicatur, undè ſubitaneo tumore, pars inſurgit horrendam in magnitudinem, & ſenſim ſenſimque totum ſimiliter corpus inflatur; quodſi ore admoto haurire patiens conetur & exugere venenum, mox labra linguamque mirum in modum intumeſcere videas, ut os ipſam vix amplius capere queat, hinc putrilagine correpta, brevi ulceribus ſcatet, teſte oculato *Lynceo pag.177.* Color partis læſæ primò quidem rubicundus, ſenſim alterato per fermentum veneni ſanguine, ſubrubet, donec liveſcat, & obrepente gangræna, Sphaceloque nigreſcat, corporis ſimiliter nativus nitor perit, & pro fermenti efficacia, & ſanguinis certa miſtione, ac inde orta alteratione, nunc rubeſcit, nunc virideſcit, nunc purpuraſcit, nunc nigreſcit, ſanguineæ maſſæ tinctura rubinaceo ſic corrupta: quales alterationes obſervare eſt in ſanguine eorum, qui poſt iræ nimiam incandeſcentiam eundem arte evacuant, quibuſdam mire flaveſcit, aliis virideſcit vel etiam omninò liveſcit: Confuſa ex inordinata effervescentia debita ſanguinis miſtione, indeque obfuſcata & obtenebrato ſplendido ejus rubore. Calor præterea totum exurit corpus intenſus, incenſa febre periculoſa à peregrino & hoſtili fermento: Unde areſcunt fauces, ardetque larynx, accedunt vomitus birioſi admodum moleſti, anxietates cordis, lipothymiæ & ſyncopes terribiles invadunt ægrum: hinc & Palladis arcis fit afflictio ſupervenientibus ſcotomiis, deliriis, tandemque amentiis: labaſcente jam ſpirituum regimine, tremores agitant artus, & diffluente ac quaſi omninò liqueſcente ſanguinea maſſa, exſufflata propemodum flammula vitali, cum horroribus quibuſdam ultimi Naturæ afflictæ ſed relictæ conatus indicibus, per poros penetrat frigidus peſſimi ominis ſudor, ac ſtagnante tandem, & ſubſiſtente ſanguine in partibus vitali aulæ vicinis, & impedita ſic ejus circulatione, adſunt refrigerationes extremorum, reſpirationis difficultates, tandemque totius animæ expiratio ſupervenit.

§.2. Ex quibus vel ſpontè patet, qualis eventus tandem expectandus veniat, quomodò enim tanto ſymptomatum inſultui par eſſe perterritus æger queat? Non tamen præcipitet ſe medicus in prognoſi, quia ut variant viperæ, pro varietate locorum, victuum, irritationis, &c. Ita etiam variat eorum venenoſa vis, quod ipſum parili ratione de parte læſa tenendum; quibuſdam in regnis aliquot horarum ſpatio, in quibuſdam tribus diebus, in aliis longiori tempore conficiuntur ægri; hoc generaliter interim notandum morſum, hunc, tanquam ut plurimum lethalem, ſubitaneam medicaminis poſtulare opem. *Aëtius* hoc proponit τεκμήριον, Centaurium cum vino tritum bibendum præbeto; Siquidem enim Pharmacum evomet homo morietur, ſi non, vivet. Quod ſexuum diverſitatem attinet, litigant adhuc dum inter ſe autores, Maris an Fœminæ periculoſior ſit morſus: Sententias & autoritates vide apud *Severinum p.414.* Et ſanè ab utraque parte ſtat ratio, maribus major effervescentia competere videtur, fœmellis efficacior Ideæ vis, ob iracundiam, ad quam in omni fermè animalium genere fœminæ ſunt promptiores, utut vana non rarò ſit ſine viribus Ira. Sed quicquid ſit hujus controverſiæ, parum aut nihil intereſt Medico, ut ſcias animalis lædentis ſexum. Hæc tandem ultima prognoſeos ſigna *Euſtach. Rudius lib.3. de morb. acut. c.18.*

c.18. collegit, & ſunt : Si Vipera percuſſus in ſyncope incidit , ſi illi ſanguis è naribus profluit, ſi labia virore adſcivere, ſi digiti extremi gelidi redditi fuere, ſi corpus omne concuſſum eſt tremore, & ut Nicander ait, veluti grandine percuſſum ſibi videtur , certum eſt mortem eſſe propinquam.

Punctum II.

Methodum medendi morſui viperæ præſcribit.

§.1. Diſpiciendum tandem quid valeat ars operoſa medentum, quid ferre recuſet ; Maturam ferat opem Medicus , ne elapſa occaſione , quæ ſecundum Dictatorem noſtrum Summum , ſolet eſſe præceps , ſimul ſperata ægri convaleſcentia evaneſcat. Indicatio quam præfixam habet medicus , eſt, removere venenum, quod præſtat vel ex vulnere extrahendo, vel ex corpore expellendo. Conſiſtit namque iſtud in parte ſalivæ effervеſcente , Idea furoris inſignita , ſublato ergò miaſmate hoc, & inquinamento, ſecuritatis ſpes affulget. Quæ extrahunt venenum ex parte læſa', ſunt Topica & exterius admoventur, idque mox agendum in *primò* principio, antequam pernitioſa veneni celeritas , beneficio ſuæ volatilitatis , imprimis cum ſanguinis circulari motu , ad intimiora penetret, totamque ſanguinis maſſam conſpurcet , ejuſque Idea ubique ſpiritus ſigillet. Abſciſſo hinc continuo membro læſo , abeſt noxa , teſte experientia *Galeni* in ruſtico, qui remorſus à vipera ſecundum digitum , hunc ſibi per falcem fructuosè & ſalutariter amputavit , videatur *Zacutus Luſitanus lib.V. Med. Prin. hiſtor. I.* Sed truculentum nimis eſt hoc remedii genus , ad mitiora ergò accedamus. Hoc interim ſemper obſervandum, ut injiciantur vincula, & ligaturæ , partibus ſuperioribus , firmæ & valentes , ne vi doloris concitatus ſanguis, nimio impetu per arterias affluat , nec citò nimis unâ cum veneni inquinamento per venas refluat, Teſtificati ſunt Pſylli Marſique noſtri inquit *Severinus p.249.* vid. *Panciroll. p.178.* Cum fortè per viperas incautè mordentur, ſi continuò morſam particulam exaſperent ſcalpris , adeò ut tingatur caro, multo cruore , quem diligenter expreſſerint , fieri ſic, ut nulla ſequatur noxa. Bona equidem hæc eſt medendi methodus. Sed dum conſideramus vulnuſculi anguſtias, & ſpontaneum partis extumeſcentiam ; vereor ne plus attrahatur ſanguinis, ſine eo , ut convenienter evacuari poſſit , ita ut præter veneni celeriorem propagationem , ex ſanguinis in tumore extravaſatione, coagulatione & à fermento maligno mortificatione, ſubitaneus gangrænæ ingruat metus ; meliùs ergò faciunt illi , qui partem commorſam ſcarificant , idque pro circumſtantiarum varietate nunc levioribus nunc profundioribus inciſuris applicando poſteà tàm ſanguiſugas naturales, hirudines dictas, quam artificiales, ſeu cucurbitulas , quæ ſanioſum illum & tabe manantem ibique conculcatum ſanguinem exhauriant. Commendat hic *Severinus p.451.* Exſuctorem, quicunque ſit & quacunque ratione fiat , eumque ab omni labe ſecurum promittit : Cujus tamen non fuero imitator, deterrente me obſervatione *Lyncæi pag.778.* Sed duo omnium efficaciſſima , & abſolutiſſima commendat *Severinus* media , Ignem nempè & Sulphur. Ignem quidem expeditiſſimum eſſe auxilium , cum cæterorum præſtet viribus , ſicuti etiam *Hildanus in Obſervationibus* ſuis ignem ad canis rabidi morſum vel maximè commendare ſolet. Adhibendum autem pro Uſtione ſuadet , rombum unum alterumvè fimi caprilli incenſi , quos imponendos ſuadet , donec cincreſcant , fimum namque hunc in ſe & ignem ſervare & flammam reddere , idque ratione copioſi , quo impraegnatus ſit , Sulphuris. Cæterum quis non formidet hinc dolorem intenſum , qui per moram longè fieret crudelior, vereor ut patiens tunc tantam exhibiturus ſit patientiam , quantam dolorificum hoc requirit remedium : Et hoc ipſum ſimiliter obtinet de ferro ignito , loco affecto impreſſo : Horrent ægri mentionem ferri , nedum ignis , quid facient in hujus applicatione ? Commendo potiùs hic per elegantem modum *Domini Boyle in exper. Philoſ. idiom. anglico conſcript. pag. 59.* Qui etiam fit per ignem, ſed ſine uſtione , per quem extrahitur venenum, ſed ſine corporali ad partem læſam applicatione. Modus eſt hic : Ferrum ignitum admovetur parti affectæ eo uſque, quo ferre poteſt æger ſine dolorifica læſione , idque tamdiu , donec per hunc ignis contactum virtualem, extrahatur quicquid eſt in parte veneni, ſic namque interdum in marte obſervari maculam quandam flavam. Experimentum factum in homine quodam vulgari, qui ſtatuto pretio , ab irritata inſigniter vipera ſuſtinuit morſum in manu , undè in continenti mirum in modum eadem tota intumuit , ita ut vix ob temporis anguſtiam ſufficienter incaleſcere potuerit ferrum , ſed hoc per 10. vel 12. minuta admoto, incrementum tumoris omninò remiſit , & licet adhuc aliquandiu continuaſſet , ſpontè tamen poſteà evanuit , qui poſteà ſæpius hoc medio pecunias lucratus fuit. Quoad efficaciam hujus medii, non dubito , de quadam veneni extractione , qua ignis ſulphureas volatiles & actuoſas ejus partes alliceat : Sed forſan adhuc aliud quid in receſſu habet ; dictum enim eſt ſupra, fermentum venenoſum inſignitum præterea quoque eſſe Idea furoris , quæ ipſa perturbando Archeum admodum exaſperet malum. Sed huic nil magis contrariatur quàm terror , quo per ferri igniti præſentiam incuſſo , extincta priori Idea Archeus contrarium fabricet , ſicque veneni vim non parum enervet. Obſervare datur ſimile quid in procidentia uteri , quæ utut per ſolam ligamentorum aut laxationem contingat , aut ruptionem , optimè tamen incuſſo certo modò terrore, idem reſtituitur in ſuum locum : teſte enim *Roderico à Caſtro lib.II. de morb.mil. cap.16.* cauterium actuale ignitum ſi teneat medicus manu, ſimuletque ac ſi vellet uterum tangere, eundem ſubitò retrahi : quod ipſum in inteſtinis prolapſis obtinere quoque affirmabat. Simile Stratagema expertus eſt quoque feliciter *Zacutus Luſitanus lib. II. Prax. adm. Obſerv.95.* Idque ex manuductione *Avenzoaris*, per mures cruribus alligatos, quorum tranſcurſu perterrita fœmina , uterus in propriam reductus fuit ſedem. Alterum generoſum quod commendat *Severinus* remedium eſt Sulphur , cujus varia eſt applicandi ratio, vel enim guttulas accenſi ſulphuris inſtillare, vel olei ſulphuris per campanam complures guttulas in plagam demittere eamque ſpecillo tenuiſſimo refricare protinus, vel Oleo Vitrioli ſimiliter immittere,vel acetum adhibere jubet. Præter autoritates,quas apud eum vide , experimentum reddit hoc : Quod ole. Sulphuris effuſam in abaco viperæ infecturam, confeſtim coagulet , & fixet. Perplacent hæc , cum amice hic conſpiret theoria & Praxis, illa effervеſcendo agere dicit venenum viperæ. Hæc ergò medicamentum poſtulat, quod præcipitando coërcere queat iſtam immorigeram vim. Cum itaque venenum viperæ conſiſtat in ſale volatili, Spiritibus Sulphureis juncto , hoc eſt, ut loquitur *Severinus* , ſanies viperæ ſit pyrotica ſpirituoſa Sulphurea & arſenicalis , optimè conveniet acidum , vel Sulphuris vel Vitrioli vel Aceti , quod præcipitat omnem Salem volatilem & figit, & coagulando blandè Sulphur , fermentum venenoſum omninò mortificabit. Hinc housternè Spiritus hujuſmodi acidus vel etiam Aceta Bezoartica, juncti Theriacalibus medicamentis tam laudabilem præſtant opem, dum illa præcipitando vim veneni fermentativam hebetant, hæc verò ſi quid ineſt Heterogenei in maſſa ſanguinea , per cribrum cutis poroſum excludant , de quibus poſtea. Sed cum acidum hoc in oleum concen-

tratum, vulneratæ applicatum parti corrodendo atroces excitare valeat dolores, forſan per manuductionem *D. Boyle* fumus ex incenſis tædis Sulphureis propè applicatis erit utilis: ut tùm ratione admoti ignis, tum ratione vaporum acidorum Sulphure is, junctis quaſi viribus ſubjugetur venenum. Uſitata ſunt & alia extrinſecus applicanda pro veneni extractione, ut Aves, imprimis Gallus & Palumbus deplumati circa podicem, & admoti, vel diſſecti per medium, & calentes adhuc applicati: Alii theriacam vel ſolam, vel aceto ſubactam commendant, vel ex theriaca cum cepis aliis & caricibus paratum cataplaſma admovent, *Lynceus* unguentum ex majore parte olei Scorpionum mediocri theriacæ & mino e aceti compoſitum cum fructu adhibuit. Tormentilla exterius applicata, ſalutem demortis attulit teſte *Fracaſtorio lib. III. d. morb. contag. cap. 2. Aëtius* admodum commendat ſtercus caprinum, cum aceto applicatum, vide *Zacuthm. lib. V. med. Princ. hiſtor. 2.* Hinc alii ex ſtercore capræ cum aceto, pice, cera & Sulphure, utuntur miſtura: nec inutile erit emplaſtrum magneticum *Salæ*, ratione magnetis ex Sulphure Arſenico & Antimonio conflati, cui ſi addas vel pulverem viperinum vel earum bilem aut ſubigas cum earum pinguedine eo efficacius reddes. Viperarum namque partes externè applicatæ quæcunque exoptatiſſimam ferunt opem, imprimis fel illitum, & caput mortuæ impoſitum, quod utut furore prius ardeat, imminente tamen morte in terrorem & tremorem ſenſim faceſſente furore, obit, Extracto ſic veneno, danda opera, ut ſi quid ineſt ſanguini adhuc corrupti & congrumati, per debitam ſuppurationem evacuetur, poſtmodumque conſolidetur.

§ 2. Quod interna attinet remedia, ea ſint talia, quæ conceptum jam fermentum venenoſum foras excludant, inteſtinas ſanguinis commotiones ſiſtant, & diſcuſſis fuliginum per poros cutis nebulis, ſerenitatem priſtinam microcoſmo inducant. Specialius Antidotorum vim determinat *Marcus Marci pag. 434.* inquiens: *Antidota & in principio & in progreſſu morbi medelam præſtant, quia nimirum vel à veneno Ideas noxias exigunt, vel penitiùs miſtum iſtud deſtruunt, vel demum Archeum vulneris per amicabiles Ideas alloquuntur, & ſolando furorem ſenſim exuere procurant.* Sint ergò alexipharmaca vel præcipitantia, hæc tam poſitiva quàm privativa, illa tàm communia quàm contrà viperas appropriata, communia alexipharmaca ubivis nota, tàm ſimplicia quàm compoſita, inter ſimplicia Scordium, Scorzonera, Ruta, Centaurium minus, &c. Ex mineralibus antimonialia proſunt fixata, ut diaphoreticam acquirant vim, imprimis Sulphur. ejus aureum, ſeu quod Mercurii ſublimati beneficio ex antimonio eruitur, ſeu quod per Sal ammoniacum ſublimatur & figitur, ut ſine vomitu ſeceſſuque per nudam agat blandiſſimam diaphoreſin; Ex animalibus omnia proſunt ex cervo parata. Theriaces quoque inſignis vis apud omnes commendatur autores, indeque Eſſentiæ theriacales, Spir. Theriacal. Camphorat. ex quo cum Spirit. Vitrioli & Tartari (his imprimis volatilibus) parata mixtura ſimplex, de cujus uſu jam præcedenti paragrapho, atque etiam celebris Tinctura Bezoardica *Magnif. Dn. D. Michaëlis*, admodum erunt proficuæ. Opiata quoque cum theriacalibus maritata, admodum commendo, cum theriaca communis maximam verè vim ſortiatur ex opio, eo tamen minùs correcto, quod ſi correctum legitimè cum Bezoardicis miſceatur, ſedando ſanguinis impetuoſum motum, & delendo furoris in Archeo Ideam, maxime foret proficuum. Appropriata ad morſum viperæ medicamenta ex ipſis copioſe hauriuntur viperis. Pertinent huc pulveres viperini, de quibus videatur *Spontonus tractatu de pulvere viperino.* Item eſſentiæ earum & Tincturæ, quarum quamplurimas & in *Zwelfero* & *Severino* invenies: & quod inſtar omnium eſt, Sal ejus volatile, quod ſi rite abſque acido figere neſcias, in id ſaltem incumbas, ut legitimâ edulcoratione urinoſum & nauſeabundum tollas ſaporem, è contrà verò ſuavem ipſi, dulcem & aromaticam omninò concilies & fragrantiam & dulcedinem, quod facilè ſecundum ductum *D. Boyle tract. ſupr. citat.* fieri poteſt. Ratio operationis horum medicamentorum, conſiſtit in ſimilitudine, quæ ſimile attrahit ſuum ſimile, aſſumpta ergò vel admota viperina, fermentum venenoſum & ſalinum ſuæ naturæ omninò ſimile, attrahunt, illud alterant, vim fermentativam ſopiunt & placant. Parili ratione atque pili canis rabidi impoſiti, ejuſdem morſui, relevant ægrum: & jecur ejuſdem commeſtum eundem curant. Aut ſicut Scorpius vel apes impoſiti, ſuis ictibus iiſdem medentur, eliciendo id, quo nocent. Inter appropriata commendari vulgò ſolet fraxinus, utpote cujus vel nudam umbram viperas & ſerpentes fugere autumant, hinc ſuccum foliorum admodum commendat *Zacutus Luſitanus lib. III. Prax. adm. Obſerv.* ſed rejicit hoc ex *Plinio* hauſtum dogma *Severinus pag. 264.* Et licet *Amatus Luſitan. Cent. I. Cur. I.* Puellæ à vipera demorſæ propinaverit ſucci fraxini ℥jv. cum juvamine, hoc factum eſt ratione tremoris adjuncti, cujus ſpecificum eſt in fraxino, & aqua ejus deſtillata egregia hic eſt medicina. An ex corylo parata medicamenta aſſumpta aliquid afferant commodi, nondum certò expertum: attactu quidem virgæ colurnæ torpeſcere & ſtupefieri ſerpentem & viperas fama eſt, & circulum virga colurnâ circa viperam factum hanc non tranſgredi, quidam, qui ſe hoc experimentum vidiſſe dicebat, retulit. Non ergò ejus internus uſus omninò videtur improbabilis: cum præterea in corylo quamplurima abſtruſiſſima lateant arcana, & Oleum heraclinum ex eo paratum ſtupendas poſſideat vires: ut taceam corylinum viſcum ad morbos ab incantatione & veneficiis oriundos poteſtates obtinere omninò ſingulares: *Renealmus Obſerv. CLV. CLVII.* Morſam à vipera jam fermè conclamatam, reſtituit per decoctum ex Verbaſco & cortice Sambuci interno, cum parte ſexta baccarum acathalidis aſſumptum & partibus læſis ſcarificatis extra applicatum. Galegæ ſeu rutæ caprariæ vis, & hic ſpecifica eſt egregia, Aquam ejus deſtillatam non inferiorem æſtimat Aqu. Scorzoneræ *Lynceus pag. 786.* & cum hoc galegæ ſucco curatum juvenem ex viperæ veneno infectum, *vide in Schenk. lib. VI. de ven. anim.* Et Hiſtoriam Lacertæ cum vipera pugnantis, & cum galega contrà vim veneni viperini ſe munientis, vide in *Foreſt. lib. II. de incert. urin. jud. pag. 209. verſ. 156.* Imprimis feliciſſimum expertus eſt uſum urinæ humanæ ejuſque potus, in morſu viperæ, *Zacutus Luſitanus lib. VII. Prax. eos adm. Obſerv. 94.* Sicut eadem prodeſt ad præſervationem ipſius quoque peſtiferæ luis, jejuno ſi hauriatur ventriculo, Spiritus ergo Urinæ volatilis, cum Eſſentiis theriacalibus vel potius viperinis mixtus, foret hic ſaluberrimus. Saliva hominis jejuni ſerpentes & viperas enecare communiter aſſerunt: ſicut etiam ſanatores dicti per ſputum ſuum aquis injectum & ebibitum, quamplurimas ægritudines, etiam à viperis inductas noxas ſanare ſolent, cujus exemplum vide *J. M. Marci pag. 554. §. 16.* qui licet hanc vim Naturalem eſſe, & ex ſola imaginatione ſputum certò modò ſigillante in quibuſdam ſubjectis provenire aſſerat: tamen amicus quidam fide dignus retulit, eſſe donum quoddam divinitus conceſſum & proprium eſſe quibuſdam in Italia, qui feſto Divi Pauli nati, ſignum ſerpentis vel viperæ ſub lingua aliovè in loco gerant, cujus ſe oculatum teſtem, ſanctè affirmavit. De Diæta non eſt ut multa moneam, cum eam præſens medicus dirigere facile ſciat, temperantiæ medium ubique eſt optime, quare ne & ego mediocritatis nimia prolixitate excedam limites; facio finem.

DISSERTATIO X.
DE VALETUDINARIO INFANTILI.

PROOEMIUM.

SI quis alius, certè ingenioſus per ignem Philoſophus & Medicus *Helmont.*, *de tenera Infantum Valetudine* eſt ſolicitus, dum nutritionem eorum non ſolum ad *Vitam ſanam*, quin potius ad *Vitam longam* novâ paradoxâque ratione inſtituendam docet. Meritò ſanè. Siquidem mutabilis iſta & inſtabilis Vitæ noſtræ conditio, utut communis ſit omnibus hominibus, imprimis tamen infantibus propria magis eſſe videtur, quatenus ſub tenerâ eorum conſtitutione, minusque validâ viſcerum ſtructurâ, & fermentorum (ſpeciatim iſtius, quod primæ ceu fundamentali inſervit digeſtioni) nondum ſufficienter exaltato vigore, quoscunque ſub nutritione commiſſos errores graviter luunt, indeque fœcunda morborum ſuſcipiunt ſemina, quæ per totum ſubinde Vitæ curſum pernicioſos fructus progerminare ſolent. Utut enim ſub pubertatis tempore, genitalis vigor, fermenti ad inſtar ſingularis, ſanguineæ maſſæ inſpiratus, ſpirituoſiorem in ſanguine excitans fermentationem, & fermenta viſcerum reliqua exaltans, contractas ſub nutritione infantili labes ſubindè auſpicato corrigat, & quaſi abſtergat, ob id namque ſecundum *Hippocr. ſ. 5. aph. 7. Epilepſia quibus ante pubertatem contingit, mutationem recipit:* confer. *Celſus l. 3. c. 24.* Nihilominus hæc ipſa ſuperveniens alteratio, ad *Vitam ſanam* ſuo modo conferens ad *longam* tamen reddendam hanc ipſam, ineſficax & languida planè deprehenditur. Determinatur namque univerſaliter Vita longa aut brevis, ſanaque aut ægra primariò pro *indole ſeminis parentum*, & hinc *ſecundum alimentorum & climatum bonitates*, Ita ut ipſe inevitabilis Vitæ terminus, divinitus pariter ac naturaliter præfixus videatur, qui ex radicali vitæ ſeminalique primordio ſecundum cauſarum naturalium inviolabilem legem, quibusdam brevius imminet, ab aliis longius abeſt, quouſque ſcilicet primordiales in ſemine radicatæ poteſtates vitales ſe extendunt, quem amplificare mediis hactenus quidem cognitis & uſitatis *impoſſibile*, attingere, legitimo cauſarum effectuumque regimine *proclive*, prævenire ex perverſo earundem uſu, *facile* poſſumus. Huc namque alimentorum & climatum imprimis facit bonitas malitiaque, atterens per morboſos affectus robur poteſtatum Uitalium, easque plus minus enervans adeoque & brevius & ærumnoſius reddens Vitæ curriculum. Horum inſultus refrænare quidem nonnihil valent regulæ diæteticæ, & rerum non naturalium rigoroſum regimen: ſed ad iſtum vitæ terminum vix exactè ſanam conſervabunt vitam, nedum ut fines ejus ulterius queant extendere: adeò ut fruſtra ſic Claud. *Deodatus*, dum in ſuo *Pantheo Hygiaſt.* ad 120. annos per diætetica media ſalubriter Vitam producendi rationem docere nititur. Longè alia enim pro Vita longâ indaganda ſunt remedia, talia ſcilicet, quæ vitæ radicem ex ſeminali primordio oriundam, in ſanguine ceu parte primigenia explicatam, & in ſpecie in parte ejus ſulphurea ceu principio activo, h. e. ut aliàs explicant, in calido nativo & humido radicali fundatam attingant, eam quantum poſſibile ſartam tectamque partim conſervent, partim balſamicâ quadam virtute ab omni alteratione deſtructivâ præſervent, adeoque primis noſtris conſtitutivis, ut loquitur *Helmont. Tr. arbor Vitæ* aſſimilari vel adjungi queant. Quæ imprimis ex Vegetabili regno, ceu medio inter animalia, & ipſa in radice breviter caduca, & mineralia ceu nobis incompatibilia propriè inveſtiganda docet præfatus *Naturæ Conſultus*, & ex *cedri* incorruptibili ligno haurienda monet, cui alij balſamicam *juniperi* fruticem, *Therebinthum* alij ſubſtituunt. Sed quàm pauci hic deſideratam obtinere poſſunt Phyllidem, cum & ipſe *Arcanorum Monarcha Paracelſus* ceſpitaſſe in hoc puncto graviter non paucis videatur. Si ergò ad Vitam longam pertingere non æque liceat quibusvis, ſaltem ſanam hanc ipſam pro viribus conſervare annitamur. Cum verò cauſas inter, propter quas tam brevi termino circumſcribitur noſtra vivendi ætas, ſimulque tot morborum ærumnis continuò comitata decurrit, vix graviores inveniantur, ut ex ſupra dictis vel ſpontè pateſcit, quam *Parentum plus minus morboſorum charecter hæreditarius*, & hinc *perverſa puerorum nutritio*, ita ut hæc poſterior unicus ferè ſit fons, ex quo tantum non omnes infantiles morboſæ ærumnæ largiter ſcaturiunt, ac ſubinde toto vitæ curſu pertinaciter ægros affligunt, ob id affectuum infantilium, ex erroneâ nutritione enaſcentium & cauſas, & curandi pariter ac præcavendi rationes breviter hac vice delineare eſt animus, cui cœpto *Divinus Archiater*, clementer aſſiſtere velit.

Vid. eleg. Epiſt. de ſecretis operibus artis & Naturæ, in Naturæ miraculis expertiſſimi adeptorum Rog. Baconi, c. 7.

CAPUT I.

Hiſtoriam Nutritionis infantum morborumque eorum tunc temporis frequentium recenſet.

§. 1. SImul atque in lucem editus eſt fœtus humanus, ligatoque funiculo umbilicali probè ablutus, lecto reconditur, ut collectis in utero materno recrementis excretis, aptior fiat pro nutrimento Lactis ex mammis vel maternis, vel ad id conductæ nutricis emulgendo. Quo ipſe loco potus ut plu-

Nutritio fœtus cum Lacte.

rimum ſuſtentatur, eoque ob id frequentius propinato, adeò ut teneriores primis poſt partum menſibus, ſubinde omnibus bihoriis, poſt partum 3. vel 4. menſes ſexies aut ſepties poſtmodum bis terve ſub unoquoque ſolis circuitu lactetur. Hoc lactis Potu ſuſtentatur ut plurimum annuo ſpatio, à quibuſdam etiam biennio, rarius triennio, utut ultimis menſibus etiam potui locis patriis uſitato ſenſim aſſuefieri ſoleat, donec perfectè à lactis uſu removeatur, adeoque, ut dicunt ablactetur.

& cum pulte.

§. 2. Cum hoc lactis liquido, & quaſi Potulento nutrimento ſociare ſolent eſculentas pultes, bis quotidiè ad minimum, etiam ſæpius ſi adoleſcant magis magiſque eaſdem propinando, ex farinâ ut plurimum triticeâ aut ſecalinâ puriore, & lacte vel aquâ paratas, quas nutrices quædam prius in os proprium ingerunt, cum ſalivâ propriâ colliquefaciunt, poſtmodum in infantum buccas intrudunt, ſub finem mammam præbendo, ut ſuperventu Lactis diluatur probè, & ità facilius ut ſperant concoquatur.

Morbi infantum præcipui.

§. 3. Sub hoc nutritionis curſu, frequentiſſimis tenelli obnoxij ſunt ægritudinibus, quæ & ipſæ poſt ablactationem non ſtatim deſinunt quin interdum factâ ablactatione demum ſe produnt ob errores circa nutritionem commiſſos. Primitus inteſtinorum tormina frequentiſſimè cruciant illos cum quibus excreta alvi à conſuetâ flavedine ſubinde deflectunt & obſcuriori Colore ſubinde viridi omninò, porraceam vocant Practicibilem, tinctæ apparent: quin & cum hoc peregrino colore (rarius ſine eo) eadem ipſa non indebitâ fluida æqualiter permixta conſiſtentiâ cernuntur, ſed in parvos quaſi grumulos diſcerpta procedunt, præter quas vitioſas excretiones, & copioſior alvi fluxus ſeu diarrhæa non rarò eas delaſſat. Juxta has paſſiones, & vigiliæ pertinaces maximè neceſſariam junioribus ſomnolentam quietem tollunt, aut interrupti pavores eandem turbant, prodromi ſcilicet gravioris mali Epileptici, cui vel maximè iſta ætas eſt obnoxia, ſive interiores abdominis tantum convellantur partes & thoracis, quod noſtrates vocant *magnus in corpore dolor.*) ſive externa ſimul concutiantur membra, Hypochondriorum præterea flatulenta intumeſcentia, tumorque præcordiorum anguſtat eoſdem, non minus quam difficilis reſpiratio, tuſſiſque perquam vel ex eo moleſta, quod aut neſciant aut nequeant rejicere ea, quæ ad tuſſim proritant, niſi repetitus vomitus ſponté natura vitioſa auſpicatò eliminet. Ut ut autem viſcerum & membrorum mollis extenſilitas aptiſſima ſit, pro uberiori augmentante nutritione; crebrò tamen exareſcunt potius, aut deficiente nutrimento atrophiâ laborant, aut nutriantur licet, vitio tamen hujus nutritij ſucci prava non rarò effloreſcunt tubercula, in ulcera ſanioſa & cutaneas partes inſtar favorum in mellificio exedentia, aut tineæ inſtar cranij tegmina erodentia: quibus malis nec linguæ artificioſus muſculus, nec palati concamerata ſtructura carent, quin ulcuſculis aphthis appellatis infeſtentur. Ut nihil dicam de febribus variis, in ſpecie lentis, item de variolarum & morbillorum contagioſo inſultu, muſteum tenellorum ſanguinem non minus quam paulo adultorum magis, febrili turgeſcentiâ & tantum non efferveſcentia turbante. Supervenit tandem & dentitio, doloroſa eadem, & peſſimorum ſymptomatum concitatrix: non ſecus ac intertrigo, ſeu cuticulæ tenerrimæ hinc inde facta excoriatio. Ac ne malorum aliquid deſit. Lumbricorum inconditâ turba, quibus non malis mulctat infantes? in inteſtinis qui hoſpitantur, dum Crinones ſeu capillares vermiculi intercutanea loca catervatim inhabitant.

Humana Vita miſeria.

§. 4. Talis tantaque malorum ſtrages imminet pueris, ut rectè cum *Plinio in proœm. Lib. 7. hiſt. natur.* dicendum ſit, *à ſuppliciis vitam auſpicatur homo, unam tantum ob culpam, quia natus eſt:* aut aſſerendum cum ſapiente *Solone, homo eſt putredo in exortu, bulla in omni vitâ, eſca vermium in morte.*

CAPUT II.

Originem morborum infantilium declarat.

Prima reſpiratio multum habet in receſſu.

§. 1. NOn abſque præmeditatâ ratione miratur. *Harveus de Gener. anim. Exerc. de Partu. p. m. 501. qui fiat, quod fœtus non tantum ultimis geſtationis menſibus in utero, ſed etiam tandem extra uterum, dum membranis adhuc integris eſt opertus & etiamnum in aquâ ſua manens, per aliquas horas citra ſuffocationis periculum ſuperſtes ſit, idem tamen ſecundinis exutus, ſi ſemel aërem intra pulmones attraxerit, poſteà ne momentum quidem temporis abſque eo durare poſſit, ſed confeſtim moriatur.* Aſt æque ſi non magis mirabile videri poſſit, quod fœtus ex tam ſubitaneâ, adeoque apparenter periculoſa mutatione quam ſubit, ſimul atque ex clauſtris vapidis uteri materni in liberum apertumque irrumpit aërem, non ſtatim graviter & ferè lethaliter ægrotet? quidni enim loci calidi cum frigido, humidi anxioſique æſtuarij, cum aurâ ſiccâ patulâque permutatio, & ab aëre in pulmones primò irrumpente & inde ſuccedente reciproco reſpirationis negotio, maxima in ſanguine facta mutatio, totius corporis ſenſibiliſſimam inducat alterationem? Tantam ſanè, quantam poſt primam hanc inſpirationem, uſque ad ultimam expirationem per totum vitæ curſum, vix perferre videtur animal. Hæc ipſa tamen, quam tunc ſuſcipiunt corporis mutatio infantes, non ad ejus deſtructionem, ſed perfectionem potiùs tendit. Plus ſanè in receſſu habet operoſum reſpirationis negotium, quam ut vel fuliginum exploſioni, vel ſanguinis ſimpliciter refrigerationi, vel hujus ſaltem circulationi, vel ſoni formationi inſerviat, modo attendamus mirabilem aëris naturam & effectus; ſimulque nexum reſpirationis cum Vitâ, ita ut quamdiu extra uterum vivimus, tamdiu etiam neceſſariò reſpiremus,& contra. Scilicet ad ſanguinis perfectionem & ſpirituaſcentiam vitalem primariò tendit hic Aëris ſuctus, ita ut hujus medio attenuetur & reſolvatur ſanguis in pulmonibus, & imprimis ejuſdem ſulphur hoc modo quodammodo reſolvatur & volatiliſetur, quo ſub aucta fermentatione in Corde cum Salibus ſanguinis volatilibus coeat in Gas ſpirituoſum volatile ſeu ſpiritus vitales, calidos & probabiliter lucidos, ac ita ſanguis quaſi accendatur. Quod cum ritè fiat primitus in fœtu, dum Utero materno egreditur, non poteſt non ex debita perfectione ſanguini tunc primitus inducta, adeoque ejus majori ſpirituaſcentia & intenſiori incaleſcentia ex aucta ejuſdem fermentatione, cum rapidiori per omnes meatus circulo & uberiori ſpirituum animalium proventu, indeque organorum corporis quorumcunque ad motum ſingulari niſu, fœtus quaſi noviter aut proprie animatus reddi & vita perfecta animali dotari, qui antea in uteri materni clauſtris, ſaltem plantæ cujuſdam, aut zoophyti vitam egiſſe videtur. Occultum nempè vitæ cibum in aëre contineri, ſublimiorum naturæ ſcrutatorum communis fert ſententia: idque ratione Salis ſui, ut ne dicam, mirabilis, quæcunque penetrantis, reſolventis & volatiliſantis, atque univerſalis quaſi ſolventis. Undè tanta reſpirationis ad Vitam emergit neceſſitas, ut quæcunque animalia, ſimul atque ex ovis ſemel eruperint, aëris perneceſſariô victu nunquam carere poſſint, ipſis etiam inſectis eodem indigentibus, non ſecus ac piſces, aquarum licet incolæ.

Quare infantes omnes non æque lac matris perferre poſſint.

§. 2. Cum E. ad perfectivas potius quam deſtructivas alterationes pertineat, dicta fœtus ſingulariſſima paſſio, quam primò in mundum ingreſſu ſuſcipit, ſaltem hæc ipſa rationem videtur ſubminiſtrare probabilem, qui fiat non rarò, quod matres quædam cacochymicæ,

chymicæ, & in ſpecie noſtrates ſcorbuticæ, quos in utero feliciter geſtarunt, & optimè lacteo nutrimento aluerunt fœtus, poſtmodum factâ excluſione citra periculum lactare ipſæ nequeant; quin potius ſi eosdem ſanos conſervare velint, conductæ ad id nutrici committere neceſſe habeant, qui aliàs ſub proprio matris lacte eò nempè ex quo ipſæ partes corporis primo coaluerunt, adeoque iisdem appropriatiſſimum ſit, continuo ploratu torminibus, non rarò quoque ſupervenientibus Epilepticis inſultibus; aliisque variis pathematis, non leves ægritudines teſtentur; ſubindè ad mortem terminantes: quæ omnia alieno lactis ſuperveniente ſuctu, ſucceſſivè evaneſcant & non raro cum optimo infantis habitu permutentur. Solutionem hujus dubij ſubminiſtrat præfata ſanguinis & totius corporis per inſpiratum aërem alteratio; ſub qua ipſa ſanguis citatiori fermentatione turgeſcit, & ab inſpirato aëre reſolvitur, unde ſimul morboſa ſemina, ſub nutrimento lacteo in utero matris communicata excitantur, & ceu fermenta exotica partim ſanguinis Craſin vitiant, partim alios à ſanguine dependentes ſuccos, in ſpecie lympham & bilem alterant, aut ipſum ſtomachi fermentum protopepticum inquinant, unde ſucceſſivè largæ morboſorum affectuum ſegetes progerminant. Idque eò magis, quo amplius ſimili, inquinato nempe à morboſa matre lacte nutritur infans, & ita ſeminibus morboſis, nempè igni oleum, aptiſſimum ſe multiplicandi ſubjectum ſubminiſtratur. Simile ferè hic evenit atque id, quod tempore verno, ſub renovati quaſi aëris inſpiratione adultis etiam crebrius accidit, ut ſcil. eodem tempore latentia & anteà ſopita morborum ſemina quaſi eviligent, & varios affectûs, & corporis paſſiones, ceu tot flores protrudant. Maturè ergo à mammis proprijs abigant neceſſe eſt matres tales ſuos fœtus, & alienis in tali caſu tradant, pauperculis licet mulieribus, modo ſub moderata diæta, & laborum continuato exercitio, ſanæ magis & vividæ exiſtant, ut temperato & ſalubri tali lacte opprimantur morboſa fermenta, imprimis ſalino ſcorbutica, & corrigantur ſanguinis dyſcraſiæ, quo conſtans & firma magis exinde conſervetur ſanitas. Ex hoc ipſo etiam ratio indaganda, quare infantes, ſpeciatim noſtrates, recens nati, ſubinde 3. aut 4. à partu die efflorescentiâ cutis miliari purpurâ, germanis *der Prieſel* dictâ, affligantur, quatenus ſcil. ex reſpiratione factâ Maſſa ſanguinea intenſiori fermentationis gradu agitata, Salia heterogenea præcipitando ſeparat, & ceu feculentias non ritè miſcibiles ex ſuo miſto extrudit, quæ ipſa ſeroſo latice, ceu communi nutrimenti & excrementi vehiculo imbibita, occaſione balnei in recens nato inſtituti, & promotæ hac ratione liberioris perſpirationis, ad corporis peripheriam, in ſpecie glandulas intercutaneas miliares deponuntur, ubi cum rubedine, pruritu & aliquali ſubſequente excoriatione ſeu cuticulæ deſquamatione pedetentim exhalant. Revera purpuræ noſtratis origo, ex ſcorbuticâ affectione matrum originem ducere videtur, cujus productum inter alia pathemata, & purpurata hæc exiſtit efflorescentia.

Excreta infantum naturalia.

§. 3. Monitum fuit, ſupra §. 1. ex ſpirituaſcentia majori ſanguinis ab inſpirato aëre promota, indeque ſpirituum vitalium & animalium concitatiori impetu, in organis quibusvis, inſignem ad motus niſum excitari. Exinde namque originem ducit, quod fœtus recens editus, non tantum artus validè moveat, & vibret, adeoque digitos variè inflectat, ſed quod in ſpecie urinam brevi poſt per urethram emittat, crebriori vomitu cruditates ſtomachi ejiciat, & alvi recrementa varia protrudat. Quæ ipſa in utero nunquam naturaliter excernuntur; adeo, ut certum ſignum fœtus in partu, ex labore & nimio conatu mortui referatur *Velſch. de Ægagrop. Diſſ. 2. p. 61. cur. 6.* ſi meconium ſeu alvi excrementum antequam fœtus prodierit, emittatur: utut contrarium huic aſſerto exemplum reperiatur apud *Rulandum Theſ. Curat. Empir. p. 300. ſ. cent. 3. c. 66.* Sternutare etiam interdum fœtus recens excluſus obſervatur, dum ex membrana narium irritata nervis intercoſtalibus per conſenſum connexionis effectis, etiam convulſiva partium cui inſeruntur ſequatur commotio & concuſſio. Hæc ipſa tamen omnia, cum opera potius ſint naturæ, quam morboſa ſymptomata; ob id propius ad affectus p. n. accedamus.

Capita generalia cauſarum morborum in fantum.

§. 4. Cauſas ergò generales dum evolvimus affectuum infantilium ſupra enarratorum p. n. duæ principaliores ſe offerunt, unde omnes ſupra memorati affectus, primam nanciſcuntur (excluſo tamen ſemper vel vitio parentum hæreditario, vel aliunde hauſto fermento contagioſo) originem, nempè obſtinata *retentio excernendorum*, & perverſa *ingeſtio nutriendorum*, ibi quidem eminet fecum primarum viarum, & in ſpecie *Meconij ſuppreſſio*, & hinc inſenſilis *tranſpirationis occluſio*, hic vero primario ſe offerunt *Vitia Lactis & Errata Pultis*.

Cap. 1: retentio meconij.

§. 5. Feces primarum viarum quod attinet, præter ventriculum albicante plus minus, lentaque materia refertum, pituitoſa & flava, interdum variegata recrementa inteſtina tenuia occupant, ſicuti in craſſioribus excrementa duriora, craſſiora & quaſi picea, ex viridi nigreſcentia, papaverculum ſeu meconium quibusdam appellata (utut meconij vox generaliter *Hippocrati: de Vict. acutor. ſ. 96. no. 9. quod primum natis exit excrementum denotet*) hoſpitantur, & omnia ex nutrimento per os ſub formatione & nutritione fœtus in utero, hauſto, genita ſunt. Hæc ipſa maturè ex corpore infantis expurganda ſunt, ne retenta diutius, aut pertinacem alvi obſtructionem inferant; aut lactis nutritivi diſtributionem impediant: aut ſub diſtributione per inteſtinorum gyros; idem corrumpant, & æruginoſo virore tinctum ad corruptionem diſponant aut inteſtinis pertinaciter adhærendo & acrimonia acida rodendo, tormina crudelia inducant. Conſtans ſanè Practicorum eſt ſententia, frequentiſſimum atrocium torminum, ut & Epilepſiæ eſſe fomitem, feculentiarum harum diutina nimis retentio, & hinc in deterius corruptio: ſicut & Icterum 3. aut 4. die à partu infantibus ſupervenientem, imò ipſis interdum conatum ex harum quiſquiliarum fonte non ineptè alij derivant. Ipſa Natura provida, ordinaria lege brevi à partu vomitu pariter & ſeceſſu hæc ipſa feculenta quantocyus ex œconomia animali proſcribit; etiam antequam aliud quid moliatur, præmonſtrans his ipſis viam miniſtro medico, quid ſub tardiori ejus conatu ipſi agendum ſit. Præ cæteris meconium malè audit, idque ſuo merito, acidum nempe p. n. eſt, quod in ejus receſſu peccat. Cum enim oriatur ex nutrimento fœtus in utero quaſi lacteo, nil aliud eſſe videtur, quam crudior caſeus, à reliqua nutritiva ſubſtantia ſequeſtratus & quaſi præcipitatus: qui ipſe acorem à ſtomacho ſemel conceptum plus minus retinere ſolet; indeque occurrendo bili in inteſtinis cum eadem in obſcurum ex nigro, virideſcentem colorem coit, & pedetentim ſub mora in inteſtinorum cellulis diuturniori coagulatur firmius: quæ ipſa mutatis mutandis & reliquis recrementis accomodari poſſunt.

Cap. 2. Tranſpirationis occluſio.

§. 6. Pergo ad inſenſilis tranſpirationis morboſam in infantibus occluſionem, cujus quanta in omni vitæ genere & ſtatu ſit nceſſitas pariter & quantitas, eleganter docuit *Sanctorius* in *Medecina Statica*, adeo ut corpus noſtrum in continuo fluxu conſtitutum, atmoſphœram certam, ubique in ambitu circumfundat. Præ cæteris infantes, cum copioſo ſuſtententur nutrimento, ob id neceſſe eſt, copioſe quoque tranſpirent, partim ut nutrimenti tam univerſalis ſeu remoti Maſſæ ſanguineæ, quam particularis, ſeu proximi, hinc inde diſtributi puritas ab omni vel heterogenea vel effœta feculentia partibus non aſſimilabili

farta

ſarta tectaque conſervetur, partim ſi quid feculenti ſub nutritione enatum ipſis commiſtum fuerit, ex partibus ſolidis eliminetur. Jam vero infantum corpora ordinariò quaſi cruſta aut lanugine viſcida & glutinoſa obducta eſſe ſolent, ex liquore nutritivo in quo innatant ſucceſſivè cutis extimæ regioni adhærente, à qua ipſa inſenſilis halitus effluxus inſigniter impediri ſolet. Retenta ergò talia tranſpirabilia, in maſſa ſanguinea ſi coacerventur, hujus æquabilem turbant fermentationem, & ad febres ordinariò diſponunt, ſin verò ſub poris cutis depoſita hæreant, corruptionem ſubeunt variam, & cum ſalinæ ſimul eſſe ſoleant proſapiæ, & ſalſo ſapore, adeoque compoſito ſint inſignita, plus minus licet, (vid. *Tachenius Hippoc. Chym. p.* 78.) facilè acrimoniam intenſam, vel ſalſam ſimpliciter, vel, idque ut plurimum, ſalſo acidam contrahent, unde digeſtione particulari ſeu privata partium ſubcutanearum turbata, cutanei affectus efflorescunt, alterato & corrupto ab illis retentis nutrimento earum proximo & peſſumdato plus minus fermento iſtarum partium digeſtivo. Quæ ipſa eò promptius eveniunt ſi & ipſum tranſpirabile ex nutrimento minus temperato oriatur, ſive propria culpa tali, in ſe ipſo acrius ſalſius, aut facilè aceſcibile, aut alias plus minus vitioſum extiterit, ſivè digeſtionis primæ errato vel non corrigentis nutrimentum minus adæquatum aſſumptum, vel ipſum acrore. p. n. inquinantis, tale redditum fuerit. Quod ſi vero temperata magis, pinguiaque extiterint tranſpirabilia retenta, adeò ut minus, ad acrimoniam ſalſo acidam degenerare queant, cohibita tamen, partim propria natura partim tepore loci humido, in infantibus ſemilacteis ad putredinem ruunt, ex emergente tunc alcali deſtruente acidum, qua occaſione, larga animalculorum variorum ſeges ſucceſſive emergere ſolet.

Cap. 3. Vitia lactis. 1. alieni.

§. 7. Erat hæc excernendorum retentio, ad nutriendorum vitioſam pergo ingeſtionem: Ubi primario ſe offerunt *Lactis vitia*, quorum primum eſt, ſi fuerit *alienum*, h. e. dum non à propria matre tenellis porrigitur mamma, ſed nutricibus hoc negotium committitur. Quod ut pateat clarius, præſuppono 1. fœtum in utero materno nutriri non ſolum per umbilicum, ſed ſimul etiam per os: vid. *Diſſert. Segeri de Hipp. Orthod. & Demoncr. Heterod. in Nutrit. fœtus*, item. *Cl. de la Courvee, tr. de nutrit fœtus in Utero*, item *Harvæus de generat. Animal. Exerc.* 58. *it.* 56. *& Exerc. de humor.* 2. Nutrimentum utrobique non eſſe ſanguinem ſed lac ſeu chylum lacteum, cum ſanguine per arterias (cum aliæ nondum repertæ ſint viæ, in vaccis licet lactantibus inſtituta fuerit inquiſitio anatomica) ad uterum delatum: vid. præter *loc. cit. Needham. tr. de format. fœt. c.* 1. 3. Lac mammarum & ipſum revera eſſe chylum, in mammarum glandulis ſecretum & ductibus particularibus exinde ad papillam delatum: vid. *Deuſing. de lacte & Charleton Exercitat. de Galaxia.* Jam verò unicuique mulieri ſuum proprium eſt lac, ſeu ſpecialis lactis proprietas âc idioſyncraſia, (ut taceam Lac diverſum in una mamma obſervatum fuiſſe, ab eo, quod erat in alterâ, *à Lyſero, Obſerv. XI. annex. cultro ſuo anatomico*) orionda ex ſpeciali fermenti digeſtivi ſtomachalis differentia (nam hoc in unaquaque ſpecie magnam ſubit latitudinem) ſecundum quod, ut in unoquoque individuo, tam naturaliter quam p. n. conſtituto diſtinctus eſt appetitus ita etiam diſtincta digeſtionis eſt ratio, eorundem licet aſſumptorum. Diverſum ergò lac mammarum nutricis, à lacte uterino matris, in ſtomacho infantuli, ipſi aliàs non aſſueti, (cum conſueta longo tempore, licet deteriora, inſuetis minus moleſta eſſe ſoleant. *Hippocr. ſ.* 2. *aph* 50. indeque ob intimam ſymbolizationem aſſumendorum è fermento) non poteſt non ſubire corruptionem & lædere inſigniter digeſtionis primæ arduum negotium, quin & diſtributum ulterius ad Maſſam ſanguineam, heterogeneitate ſuà turbare hujus craſin, & fermentationem Vitalem, antequam ſucceſſivè ſtomachi fermento alterato, & ſanguinis craſi immutata, conveniens magiſque homogeneum fiat nutrimentum, cum generalis ſtomachi digeſtio præſit quibuſque ſingularum digeſtionum coquinis. Inſtituantur licet varia lactis examina bonitatiſque ejus ſcrutinia; fallax tamen eſt, quod ex conſiſtentiâ, colore, ſapore, pinguedine &c. judicare volunt Practici cum inſenſilia ut plurimum ſint vitia, quæ lactis corrumpunt miſcelam, ut non tantum in ſeminibus morboſis, cum lacte tranſplantatis, ſed in ſpecie vitiis moralibus per lac inſenſibiliter communicatis eſt manifeſtum) adeò ut revera lactis conditiones & vires metiendæ ſint ex ſanitate beſtiæ, vitâ ejus & Cibis. *Helmont. tr. ſextupl. digeſt.* §. 74. Cum vero nutrices adſcititiæ ſint ut plurimum pauperculæ, & quibuſcunque eduliis ſubinde latranti reſpondeant ſtomacho, vix fieri poteſt quin & Cacochyliâ & inde orionda cacochymia laborent. Morboſæ hæ proprietates naturales, uti per lac communicantur à nutricibus, ità non minus etiam morales, de quo meritò conqueritur *Helmont. tr. Infant. nutrit. p. m.* 523. cum legitimo ſenſu veriſſimum ſit illud *Galeni*, quod mores ſequantur temperamentum corporis: ſic puella v. g. obſervata fuit, admodum ſiticuloſa, ex nutrice bibacula *à Deodato, Valetud. pag.* 26. Cum & brutales proprietates & mores cum lacte in infantem penetrent ac in vitam perſeverent, ut in pueris à Cervæ item à capræ lacte nutricis obſervatum fuit. Sed hæc cum minus faciant ad ſcopum noſtrum, ob id vel ſummis labris ea delibaſſe ſufficiat. Quæ ipſa de lacte ex chylo elaborato explicata hactenus, fortius adhuc eos ſtringunt, qui ex ſanguine lactis fontes derivant. Conſultiſſimum ergò fuerit, ut matres ſanæ, vel non admodum morboſæ (tali enim in caſu obſervanda venit theſ. 2. ſupra explicata) proprios nutriant fœtus: de quo vid. *Sennertus* Tr. de Morb. infat. p. 1. c. 1. qu.

Vid. Reies campum Elyſ. quaſt. 47. p. 586.

An loco lactis aliud nutrimentum conveniat.

§. 8. Hæc ipſa ſimul oſtendunt quam aliena ſit à vero eorum opinio, qui conſideratione facilis corruptionis lactis in infantulis, indeque natorum variorum malorum, alio potiùs nutrimento, quàm lacte tenellos cibare & educare malunt. Adeoque vel hordeata juſcula, vel ex Crepatura hordei addito vitello ovorum emulſioni ſimilem miſturam, vel juſcula avenacea, vel amydalarum emulctum lacteum ſuccum, aliudve ſimile ſubſtituunt, quo etiam nutrimentum Helmontii pro pueris, *Tr. Infant. nutrit.* pertinet, ex pane tantiſper cum tenui cereviſia bullito cum melle. Siquidem nec fruſtra nec ſine prægnanti ratione, aut ornatus ſaltim gratia, mammæ mulieribus & in iis mox poſt partum Lac, non ſecus ac reliquis brutis terreſtribus, uti & quibuſdam aquatilibus conceſſum fuit à Natura, quin hæc ipſa potius digito quaſi intento hanc fætuum nutritionem monſtraverit. Hinc aves mammis carentes earum defectu, grana deglutita & in ingluvie aliquali morâ maceratâ, ac ita ad fundendum citius lacteum ſuum nutrimentum prædiſpoſita evomunt denuo pro meliori pullorum ſuſtentatione. Tenerior ſiquidem infantum eſt ſtomachus, minuſque exaltatum fermentum eorum digeſtivum, unde quæcunque fere ingeſta, laborioſam ſaltem, ſi non & defectuoſam penitus redderent digeſtionem, quæ facillima, & ſummè nutritiva erit, dum lac ceu chylus, jam ante in nutrice elaboratus ipſis ſuggeritur. Talis ſcilicet ſuccus, ex quo & primitus machina eorum corporea conſtructa fuit, & ipſe fœtus jam in utero ſuſtentatus, & quem ceu jam conſuetum facillimè digerere & concoquere poteſt. Quod ſi quædam ex lactis alteratione in infantibus metuenda erunt pericula, ea ſanè in ſe, ſunt facilè corrigibilia, modò maturè & legitimè iiſdem occurrantur. Unde & rariſſima eorum obſervata fuerunt exempla,

qui

qui defectu nutricum feliciter adoleverint

Vitia Lactis 2. Morboſi.

§. 9. Nam ſive nutrix ſive mater ſitienti ſatisfecerit puerulo, niſi ſana vegetaque gaudeant corporis œconomiâ indubitatum eſt, morborum ſemina radicesque firmiſſimas in eum tanquam per medium fomitem transplantari. Lithiaſin per nutricem in puerum derivatam notavit *Helmont. tr. nutrit. infant. ad V. L.* Lue venerea per matres infectas, puellas inquinatas binas obſervavi in noſocomio Patavino nutrices habitus ſeroſioris ad affectus catarrhales proclives reddere, quos nutriunt infantes, compertum eſt: Scorbuti labes multiformis per mammas propagari in ſugentem, nemini mirum, quum contagioſa ejus indoles ſit notiſſima. Sed res ipſa cum loquatur, quid opus ulteriori diductione? Quin etiam ſana licet in proprio corpore deprehendatur nutrix, ſi tamen propriæ conſtitutionis cauſa; idque ex ratione peculiaris in ſtomacho digeſtionis, vel ſeroſioris & ſalſioris ſanguinis conſtitutionis, vel certæ in glandulis mammarum texturæ, ſeroſius, acrius, aut ſalſius aliove modo minus conducens infanti Lac colligat, etiam citra ſugentis noxam id propinari nequit, quin nutrimentum tale, ipſi minus appropriatum, hoſtile & inimicum, evadat.

Vitia Lactis 3. nimis nutritivi.

§. 10. Sed utut ſaniſſima etiam ſit mater vel nutrix, tamen tenello infantulo ipſum lac probè excoctum, craſſius, ſpiſſius, adeoque uberioris nutrimenti, non æque primo ſtatim hauſtu convenire, vel ex eo fit manifeſtum, quòd in utero materno adhuc concluſus fœtus nutrimentum lacteum per os hauriat admodum ſubtile, perque duplicem chorij & amni membranam probè filtratum & depuratum, quo teneriora facilius perluat abdominis viſcera. Ob id provida mater natura, poſt partum, in ſalutem editi fœtus, non ſtatim lac perfectum pinguius & ſpiſſius ſubminiſtrat, ſed præmittit Coloſtrum, h. e. ſeroſiorem tenuioremque Chylum, ut hic ipſe minus ſtomacho, faceſſat negotij, quin potius ſeroſitate ſalinâ abſtergat blandè ſtomachi mucum, inteſtinorumque ſub geſtatione collecta recrementa expurget, ac virtute diuretica, organa urinaria probè eluat; ut ita ſupervenienti ſucceſſivè alimentoſo magis lacti, facilitetur digeſtio, & impediatur facillima ejus corruptio, cum reveta tale Coloſtrum ſit alimentum medicamentoſum. Hinc iſtud, quod die primo ſcaturit ad mammas, potentius purgat, quod ſecundo & tertio minus, donec ſuccedat purgatrici vis nutrix. Quam peſſimè E. ſuis conſulunt natis, qui robuſtis, aut obeſis aut qui jam aliquandiu lactarunt, nutricibus mox tradunt eosdem, à quorum lacte butyroſo & caſeoſo nimis gravatur tenellus ſtomachus, & digeſtionis opus inde inſigniter retardatur, ac cruditati acidæ, lactisque coagulo promptiſſima occaſio ſubminiſtratur. Illuſtrat hæc Epilepſiæ exemplum, aliquot filiabus lethale, ex nimiâ lactis, materni licet butyroſitate & pinguedine, quod recenſet *Hoffmannus Tr. de uſu & abuſ. medic. Chymic. p.* 49. Quod ſi verò matres nutrire intendant ſuos fœtus, quo quæſo conſilio corrigunt naturæ prudentiſſimos conatus, & tam ſtudioſè emulgent, ſalutare hoc coloſtrum, quaſi nocere poſſit infanti, quod ceu divina medicina ipſi propinandum foret. Id quod etiam contra quendam Medicum urſit ſufficienter *Veſlingius Obſerv. & Epiſt.* 28. *p.* 123. & ante eum *Spigelius* in erudito *ſcriptô de formato fœtu c.* 11. *p.* 16.

Vitia Lact. 4. ſuperflue ingeſti.

§. 11. Sed tolerabile adhuc, quia facilè corrigibile eſſet hoc erratum, niſi gravius longè, familiariſſimum licet ſe offerret, nempè ſuperflua & inordinata, & tantum non coacta lactis infuſio, qua matres pueros ſuos, nimis alendo, ſæpe necant, & dum lactant mactant, ut rectè obſervat *Kerckringius ſpicileg. anat. Obſerv.* 40. Dum ad quemlibet ex quacunque cauſa excitatum infantis ejulatum, ipſi renuenti licet; ſubinde de papillis in os intrudunt, ac lac ſugere cogunt, priori, licet crudo adhuc, ſubacido & nondum concocto in ſtomacho hærente, unde novi ſuperingeſti neceſſaria congrumeſcentia, caſeatio, ac utriusque in paſtam acidam, viſcidam, corruptio ſuccedit: unde Pylorus indignatus vel ſe pertinaciter ſtringit, qui aliàs de ſeipſo in pueris arcto munitur ſigillo, obſervante hoc etiam Laud. *Kerchringio c. l.* & planè non aut difficulter ſaltem talia caſeata tranſmittit, ut ulteriori morâ in loco iſto tepido in deterius, ac ex cruditate acidâ in corruptelam putredinoſam labantur, ac in liquamina putrida, flaveſcentia, nidoroſa &c. tandem degenerent: *vel* graviori furore percitus idem Pylorus ſalutari licet effectu, per gulam omnia iſta vitiata remittit: vid. *Helmont. tr. Infant. Nutr.* qui Tragœdiam hanc graphicè & eleganter delineavit. Præſtat ſanè hic peccare in defectu, quam in exceſſu; cum repletiones ad extremum productæ, graves eſſe ſoleant, teſte *Hippoc. ſ.* 1. *aph.* 4. & ſicut repletio omnis, in ſpecie panis in adultis, ita ſanè lactis in tenellis eſt peſſima: hinc enim conſequenter impura corpora, quò magis nutriveris eò magis læſeris. *Hippoc. ſ.* 2. *aph.* 10.

Vitia lactis 5. per malam diætam depravati

§. 12. Periculoſius jam urget Fatum miſellos lactentes, ex perverſâ & ſæpiſſimè inordinata lactantium diæta, circa quam ſaltem *alimentorum promiſcuam ingluviem, affectuum neglectam refrænationem, & excernendorum pariter ac retinendorum peccata* conſiderabimus.

1. quoad aſſumpta.

§. 13. Sanis quidem omnia ſana, modo per internam appetitus dictaturam imperentur, quod enim ſapit, nutrit; adeò ut in ſanis ſcrupuloſus alimentorum delectus, reverà ſit fruſtraneus; quin potius ſi appetitus circa aliquod objectum feratur intenſius, imprimis conſuetum, (nam in inſuetis appetitus ſubinde medicamentum quærit) vix denegandum ſit, quia fermentum digeſtivum potenter quælibet in ſui ditionem trahit, & coërcet, utut alia cum moderamine mediocritatis propinanda ſint, cum ſobrietas rectè cardo totius dicatur diætæ: id quod nutricibus conductitiis in ſepecie obſervandum, ut plurimum egenis, adeoque famelicis, & frequenter nimio nutrimentorum exceſſui primitus indulgentibus. Lactantes tamen præ cæteris tenellos reſpicere debent, cum leve illarum erratum, ut ut ipſis innocuum, his graves ſubinde inducat paſſiones, & aſſumptorum plures proprietates in chylo perſiſtentes, ut ut plus minus infractæ aut alteratæ, ſui tamen præſentiam in lacte manifeſtò exerant, & aniſum pro augmentando aut corrigendo lacteo chylo aſſumptum, ſui in eo præſentiam odore teſtetur, non ſecus ac florum ſambuci in lacte decoctorum inſons eſſe ſolet potus, imò admodum proficuus pro lactis augmento, quos tamen obſervavi à nutrice fortius dicto modo decoctos, & liberalius potatos, & ipſi & lactenti copioſum excitaſſe alvi profluvium, confer. *Bartholin. Centur.* 2. *hiſt.* 63. *p.* 338. Nil dicam hic de purgantibus, quæ nutricibus propinata, infantes purgant, & omnia imprimis propriè dicta, infantibus ſunt inimiciſſima. Tacebo peculiares idioſyncraſias infantum, quoad certa aſſumpta à parentibus transplantatas, quæ à nutricibus neglecta, graviter tenellos lædunt, quarum Exempla recenſet *Digby de Natur. Corpor. Tr.* 1. *c.* 38. *p. m.* 424. 436. Verum in ſpecie urgeo acida, quæ ſive ſint condimenta ſive potulenta, etiam Vinum, (in non aſſuetis) ſui veſtigia in dulci Lacte relinquunt, ut ut ſenſibus abſcondita, poſtmodum tamen torminum infantilium ex acido rodente autores. Unde & cautiores matres, dum fœtum in utero incluſum geſtant, acida nimia fugiunt, ne præmaturè inſontes torqueant, aut fomitem Epilepticum ingenerent, id quod ſæpius obſervavit *Celeb. Sylvius*, quod nempè infantes

infantes nati à matribus acido non adeo indulgentibus, Epilepſiæ minus ſint obnoxij idque etiam adeò pluribus matribus prædixit. Cum præterea acidorum abuſus ad abortum gravidas diſponere rectè aſſeratur *à Beckio, in Medit. & experim. p.* 214. Quod etiam de Vino, quod nempe fœtum pellat, aſſerit *Hartmannus Prax. Chym. cap.* 128. §. 3. Unde etiam *Johan (Ant. vander Lindem)* in Commentar. ſuper hunc locum, primis geſtationis menſibus Vinum gravidis, in ſpecie, ut vocat, calidioribus prohibet, metu abortus, quibus ultimis duobus vel tribus menſibus, Creticum aut malvaticum, in parva tamen doſi concedit. In quo tamen acido frequentiſſimè peccatur, amicum enim ac gratiſſimum cum ſit ſtomacho, tantum non quotidianum ejus percipimus appetitum, Caſeus itidem non immerito interdicitur nutricibus, ne hoc tanquam præmaturo coagulo ad grumeſcentiam p. n. jam in mammis lac diſponatur, Cereviſia non ritè fermentata, aut fecibus turbata, utut robuſtiores in nutricibus inteſtinorum tunicas, minus afficiat, à fermento ſtomachi ferè ſubacta, pueris verò quod diarrhæam torminoſam excitet, compertum eſt. Id quod ſimiliter de fructibus horæis ſucculentis, facilè fermenteſcentibus manifeſtum eſt: ſicut aridiores è contrario alvum pertinacius ſiſtunt, quod contigit in infante, cujus nutrix avidius caſtaneas aſſumpſerat, teſte *Timæo l. 5. caſ. 15 pag.* 252. Cautas ergò nutrices eſſe jubeo, in aſſumendorum ratione, plus minus tamen, prout nempe aut conſuetudinis aut digeſtionis primæ vel abſolutioris vel deficientis adeoque ſubactorum plus minus & alteratorum à fermento digeſtivo ingeſtorum in iis fert ratio.

Quoad 2. animi pathemata. §. 14. Affectuum exorbitantiæ jam attingendæ ſunt, quorum inordinatus inſultus, ut generaliter ſpiritus animales totumque genus nervoſum, & his mediantibus maſſam ſanguineam & reliqua corporis contenta liquida commovendo inſigniter alterat, ità ſpecialiter nutrientium depravat lac. Præ cæteris iracundia & terror nutricum nimius, nocentiſſimus eſt infantibus, & ab utroque, in ſpecie priori Epilepticas excitari convulſiones notiſſimum eſt. Turbant ſanè affectus omnes concoctionis primæ negotium, adeò ut triſti nuntio eſurienti inopinatò allato, adeoque incuſſo ſic terrore, ſtatim pereat omnis appetitus, unde digeſtionis conſequenter impedimenta, & cruditatum acidarum occaſiones: qui effectus itidem, ex Iræ furore expectandi ſunt, ſub cujus fervore vel maximè ſanguinis ebullitio & quaſi febrilis efferveſcentia c. bilis orgaſmo conſiderandi veniunt. Ex alterato ergò ac depravato chylo ſimile generabitur Lac, aut hoc genitum licet in ſtatu pacato, ſub inteſtinâ tamen affectuum rebellione, & inde natâ omnium corporis contentorum à ſpirituum vario ac p. n. impetu, non poteſt non inſigniter alterari, & variè commotum ac quaſi ſecundum minima concuſſum in partes ſecedere, & butyri ac caſei ex ſeroſo vehiculo quaſi ſeparationem p. n. pati. Vix ſanè quicquam frequentius eſt, ac terrorem, non minus quam iram, lactis inducere coagulum, ac in mammis grumeſcentiam, unde tandem inflammationes, doloroſiſſimique abſceſſus, & in ſpecie Eryſipelata ſuperveniunt: ſicuti à tali lactis ſemicaſeati ſuctu, mille malis inſons mulctatur infans, & ſpeciatim ad Epilepſiam ordinariò diſponitur. Obſervavi juvenculam primiparam, quæ ſuum alitura infantem, pro uberiori lactis proventu, & meliori papillarum protuberantia ſimul catellum ſubinde mammis admovebat. Evenit caſu, ut graviter perterrefieret puerpera, unde repente, ad ſe cum rediiſſet animus, catellum mammas exſurgere permittit, ne alterato iſto lacte fœtui noceret: quo facto brevi poſt gravi Epilepſia corripiebatur Catellus, quæ propinatâ Theriaca & inſequente gravi ſopore demum evanuit. Sed præter has ſenſiles coagulationis & grumeſcentiæ qualitates nocivas, & alias multivarias difformitates induit lac, & tam variis affectuum fluctibus, quibus ſanè non tam matres, quàm ſpecialiter nutrices obnoxiæ ſuccumbunt, quarum ſingulæ infantis nutrimentum lacteum morboſè diſponunt, & ità fœtûs ſanitatem graviter labefactant.

§. 15. Excretorum ſuperſunt conſideranda in nutricibus errata, quæ inter menſtruorum conſideratio primatum obtinet. *Quoad 3. excreta.* Supprimi hæc ipſa, ut in gravidis, ita & in lactantibus (probabiliter in ſalutem fœtus) naturæ reſpondet legibus, in habitioribus tamen, ſanguine turgeſcentiore præditis viraginibus dictis, tam primis geſtationis menſibus, quam ipſo lactationis tempore eadem ordinariâ erumpere periodo obſervatur crebrius, collectore *Exempl. Schenkio obſ. pag.* 574. & 630. Quoties vero ſanguinis iſta contingit excretio, toties ſenſilis in tenellis obſervanda venit alteratio, qua languidi, lachrymoſi, ac imbecilles fiunt, donec obturato denuò ſanguineo fonte, dicti languores etiam denuò remittant. Id quod itidem obſervatum à *Paul. Zacchiâ Quæſt. Med. Legal. l. 7. T. 3. qu. 3. pag.* 599. ſingulari ſcilicet fermentativo motu ſanguis ſub menſtruationis tempore agitatur & turgeſcit, unde & menſtruam febrim, ſeu omni menſe, quum ſanguis per genitalia evacuaretur reccurrentem, ex acriori ſcilicet ſanguinis efferveſcentia obſervavit *Lindanus in Coll. M. S. ſuper Hartmann. Prax. Chym.* Quidni ergò lac tunc temporis, & ſimilem fermentativum concipiat motum, qui & turbet infantis primam digeſtionem, & vitalem ſanguinis fermentationem vitiet, forſan ſimili quodammodò ratione, atque quando adulti cereviſiæ potui vel vini adſueti, ex potu talis liquoris adhuc nonnihil fermentantis ceu extraordinariè affecti ſubindè non leviter læduntur. Verum enim verò, inſignior longè lacti imprimitur alteratio, ſi per fœcundum coitum nutricis impediatur menſtruatio, ad corruptionem exinde lac diſponitur, & horridam quodammodò acquirit impreſſionem, fœtui ferè abominabilem; id quod & in brutis obſervabile eſt, ut curioſo exemplo obſervatum à *Grafio de Org. Viror. Genit. pag.* 126. Lac ita depravatum, ne dicam corruptum, ab infante hauſtum degenerat in ejus ſtomacho in vitioſum caſei coagulum, tenello infantis ſtomacho mirè infeſtum, adeo ut eidem exinde ſtigma, per totam vitam durabile imprimatur, unde caſei averſionem, tam multis familiarem, non abſque ſumma probabilitate deducunt *Schockius lib. de averſat. caſ. & Ill. Digby de nat. corpore. c. 38. pag.* 427. Ob id & Medicorum eſt præceptum, ut toto lactationis tempore nutrices à coitu abſtineant, unde etiam lactantes matres à redditione debiti excuſat, propter inſignia fœtus nocumenta, *Paulus Zacchias loc. ſupr. cit.*

§. 16. Hæc vitia lactis fuere, reſtant adhuc errata Pultis, ceu ſecundum genus errorum in aſſumptis. *Cap. 4. Vitia pultis. 1. in præparatione.* Deteſtor autem in pulte inprimis farinæ crudæ uſum, quæ cum lacte vel aqua ſubacta & cocta, ac in pulmentum inſtar viſcoſi glutinis redacta, quid aliud dabit, quam paſtam tenacem, crudam & viſcidam, ulteriorem bibliopegis pro glutinandis chartis, quam infantibus pro nutritione, ſiquidem ob fermentationis farinæ in panificio pro adultis etiam ſummè neceſſariæ defectum difficillimæ eadem exiſtit digeſtionis, quia laborioſæ in ventriculo fermentationis. Panis ex quacunque farina confectus, non ritè fermentatus, ac ità pro digeſtione ſtomachali facilius ſuſcipienda, & in aliis una aſſumptis promptius adjuvanda ineptus, ex defectu acidi ſpirituoſi volatilis, crudam farinæ mucaginem reſolventis & volatiliſantis, quantum noceat ſanitati, etiam adultorum, & quam fœcundus ſit genitor morborum

borum chronicorum, præter quotidianam experientiam vel muliebris loquitur ſexus, ex talis panis eſu, menſtruorum patiens defectus, & cachexias, ut pluribus videri poteſt *Kergerus de ferment. ſ. 3. c. 2. pag. 216. & Schoochius de ferment. c. 2. & 3.* Aſt robuſtus eſt adultorum ex ſpirituoſiori ac acriori fermento ſtomachus, debilis è contrà infantilis: ingere tale pulmentum glutinoſum & viſcidum, & ſuperaffunde lac butyro & caſeo pingui turgidum, quid putas futurum exindè in ſtomcaho infantili? tenax nempè & glutinoſus, vitioſoque acore intensè tinctus emerget mucus, mille malorum in junioribus talibus fœcundus parens. Compertum ſanè eſt, ſponte ſua & facilè quamlibet farinam liquore ſufficienti ſubactam, & in loco tepido aſſervatam, aceſſere inſigniter, & hinc fermentare & ſpumoſè turgeſcere, etiam citra fermenti additionem: id quod ſi fiat in ſtomacho infantis, ex p. n. & ſtomacho peregrino pultis acore corrumpitur ſuperingeſtum lac, & in grumos caſeoſos denſatur, adeoque tota digeſtio prima exinde depravatur inſigniter. Potius ergò farinæ talis pro meliori digeſtione fermentativa præparatio extra corpus præmittatur, quam quod cum tanto ſanitatis periculo eadem in ſtomacho demum inſtituenda ſupponatur. Peſpexerunt hoc, & rejecerunt ob id tales pultes jam olim plures inſigniores medici, uti de hoc videri poteſt *Velſchius de Vena Medinenſ. ſ. Dracunculis Veter. Exercit. de Verm. Capill. infant. pag.* 261. conferatur ſimul *Hildanus cent. 6. obſ.* 34. qui periculoſiſſimam Pylori obſtructionem, à tali ſpiſſa pulte natam obſervat.

2. in uſurpatione.

§. 17. Poſt pultis præparationem, culpo etiam ejus uſurpationem, dum nutrices eandem prius in ore volutant, & ſalivæ permiſtione, debitam fluiditatem conciliant, indeque infantis ori intrudunt. Jam vero ſalivæ ſingularis eſt vis fermentativa, à modernis ſufficienter declarata, ratione cujus proficua ſanè eſſet ejus cum pulte miſcela, ſi exactè ſanè nutrix eam inſtitueret: Sed cum ratione hujus virtutis fermentativæ, etiam morboſa contagio ſub ejus vehiculo promptiſſimè communicentur, ſeque multiplicent, ob id minus iſtam nutricis delibationem permittere poſſum, cum exinde facillime ad morboſam corruptelam puls diſponatur, imprimis ſi tantillum ſcorbutici fermenti gingivas & ſalivam inquinaverit.

Cauſa proxima affectuum infantilium.

§. 18. Detectis ità remotioribus cauſarum morbificarum fontibus, dum exactius nocendi rationem proximam ſeu rationem cauſandi inquirimus, perſpicuum evadit, ſuccum vitioſè acidum, nunc viſcidum, aqueo ſeroſum defectu primæ *digeſtionis* in ventriculo, ejuſque in inteſtino duodeno *perfectionis*, adeoque ex cruditate acidâ coacervatum, eſſe cauſam proximam & radicem, ex quâ tot morbi infantiles frequentiſſimè propullulare ſoleant. Hinc ſ. Galenicorum pituitam acidam, ſeu Paracelſiſtarum ſal acidum ſeu Tartarum fecalem appellare velis, mihi perinde eſt, ſimus namque in verbis faciles, modo in rebus conveniamus. Facillimè ſcil. Lac, ſeu ſanum ſeu alteratum in ſtomacho tepido p. n. aceſcit, idque eo magis, quo copioſius aut inordinatius ingeritur, hinc ſpiſſeſcit, factâ per coagulum ſeri à contentis ſeparatione caſei cum butyro pernicioſus grumus nunc in ſtomacho, nunc inteſtinis ſubſidet, & plus minus pertinaciter agglutinatus hæret, conferente ſymbolum pulte farinacea cruda & viſcida facilè aceſcibili, una cum retento & plus minus corrupto meconio, unde ex conditione loci, hoc eſt ſtomachi calidi, & ratione contentorum recrementorum, uti & ingeſtorum lacteorum & pultaceorum intenſus acor neceſſariò & de facili oritur, qui nunc materia viſcida irretitus, in primis viis ſuas ludit Tragœdias nunc vehiculo aqueo ſeroſo, & lymphatico ulterius diſtributus, etiam aliis & remotis in locis mille malorum exiſtit artifex. Clara hæc evadunt ſponte, modo ſuperioribus theſibus explicata probè conſideremus, in ſpecie in th. 5. 7. 9. 10. 11. 13. 14. 15. 16. &c. ſimulque obſervemus pleraque infantum mala per remedia acidum deſtruentia, de alcalium tam volatilium quam fixorum proſapia, uti & per aromatica ſalina volatilia Oleoſa optimè percurari.

Variat ſubinde cauſa proxima.

§. 19. Quæ tamen ita intelligenda ſunt, non quaſi alia nulla in corpore tenello ſint errata, quam quæ ex dicto acido oriuntur, ubique enim excipiendi ſunt hæreditarij morbi, uti & à lactantibus transplantata morborum ſeminaria, aut alīorſum hauſta contagia. Præterea mille larvas induit Lac ſub ſui corruptela, mille inde nocendi artes, non tantùm dum adhuc in mammis turget, ſed in ſpecie dum infantis in ſtomacho corrumpitur, hinc in inteſtinis tam à bile quam ſucco pancreatico alteratur, ſubinde à reſtitante meconio ſimilibus excernendis inquinatur, quin & propriâ ſponte, de facili corrumpitur, unde & diverſimodè dulceſcit, amareſcit, colliqueſcit, virideſcit, liveſcit, putreſcit, vermineſcit, aliaſque quam plures peregrinas aſciſcit ſibi qualitates: nam & jam in tenellis ſexcenta ſeu potius *infinita Hippocratea*, de quibus autor. *Libr. de Priſc. Medic.* locum inveniunt. Unde tam in abdominis viſceribus, quam maſſa ſanguinea & inde derivatis reliquis contentis liquoribus activis quam plurima p. n. nocumenta præſtò adſunt. Utut ea, quæ ex cruditate acida eveniunt, ſint frequentiſſima, quia talis corruptela eſt familiariſſima.

Unde acidum adeò vitioſum in infantibus.

§. 20. Paradoxon equidem videri poſſit, qui in ſemilacteis infantibus adeoque dulci rore ubique perfuſis, ex lacte dulci primitus concretis & eodem cum pulte inſipido dulci enutritis, acor adeo nocivus & ſubinde intenſus oriri poſſit, à quo tam tetra ſuperveniant ſymptomata. Sed clarius redditur facilè totum negotium, modo aſpiciantur aſſumpta tam matris utero geſtantis, quam nutricis lactantis. Hæ ipſæ enim præter manifeſta acida, quæ ut ſupra §. 13. monitum fuit, ex dictamine appetitus hauriunt, veſcuntur ſaltem pane & bibunt cereviſias. Panis omnis in ſpecie ſecalinus continet in ſe ſpiritum intensè acidum, volatilem tamen, adeoque in ſe ſaluberrimum, duriora tamen etiam corpora, v. g. Coralia, ferrum, Vitrum antimonij, aliaque rodentem, qui cum aliis aſſumptis lacti ſimul materiam præbet. Utut autem acor hic ipſe, partim ſub ſtomachi digeſtione, partim bilis alcalinæ in jejuno permiſtione alteretur plus minus in ſalſum volatile, ſicque occultetur, nihilominus facilè datâ occaſione denuo ſe exerit, & operatur; hinc enim tam facilis lactis aceſcentia, & aſſumpta acida matri ac nutrici innocua tamen infantibus per lac revera ad guſtum dulce ſunt torminoſa & vel maximè hoſtilia. Cereviſia vero quæcunque facillimæ eſt aceſcentiæ, cum modica lupuli pinguis aromatica conditura non ſufficiat, quin tandem aceſcat, ut taceam vel cereviſiam novellam, à fecibus nondum ſufficienter depuratam, fermentando in ſtomacho facillimè aceſcentem, aut cereviſiam inveteratam jam nonnihil acidulam, à nutricibus ſubinde hauſtam. De cætero his ipſis vix ulla eſt cura, quantum ſua aſſumpta fœtum aut infantem afficiant, utut earum delicta, diu poſt demum luant infantes, idque data qualibet occaſione, ut plurimum per Epilepſiam, ut ſupra §. 13. monitum. Quid fructus horæos memorem, efferveſcibiles facillimè, acetaria & ſimilia, gravidis pariter ac lactantibus citra reflexionem in fœtum familiariſſima. Adeo ut *acidum* ſit, quod morborum infantilium frequentiſſimus eſt autor, ſicut ſubjectum ejus *viſcidum* eos contumaces ſubinde reddit, aut crebrius recidivantes, vehiculum verò *aquoſum* etiam in remotioribus locis, & extrema corporis peripheria eoſdem propullulare facit.

§. 21. Jactis hiſce fundamentis facilis eſt via, ulterius

mina & varia alvi excreta Infantum.

rius indagandi ſupra enarratorum morborum generationes. Tormina infantibus ferè inevitabilia ab acido oriuntur, quod ex ſtomacho, ſæpiſſimè ex lactis coagulo & eſu acidorum à nutricibus delapſum, inteſtinorum membranas pungit, rodit & lancinat, unde iſti cruciatus, cum convulſivis ſpaſmis juncti, prodromi exinde non rari Epilepſiæ, iiſque eò crudeliores, quo viſcidiori glutine ſe agglutinaverit eorum parietibus. Horum indicia, præter ejulatum ſunt ut plurimum excreta virida plus minus, ſeu ut vocant porracea & æruginoſa, oriunda ab acido exceſſivo & vitioſo (nam acidum acre odore ſpirant talia) cum bile ſalſnâ Oleoſa volat. permiſta, ex quorum miſcella viriditas iſta exſurgit. Equidem viridis color reverà ſub concurſu plurium ex miſcella *flavi & cœrulei* emergit: flavedo in bile clara eſt, & conſpicua: cœruleus color in nullo ſuccorum corporis unquam nec naturaliter nec p. n. obſervatus fuit, unde rariſſimum; & fere unicum eſt exemplum, quod recenſet *Meara*, de lacte nutricis ſaphirinum colorem exacte referente *in Exam. Diatribe de Febrib. VVilliſſij pag.* 65. Cum tamen cæruleus color ad nigrum accedat propius, adeoque in certâ luminis maximam partem intrò ſuſceptione in porulos, & cum umbrulis miſtione conſiſtat, loco hujus in corpore abſentis, acidum, perſpicuum licet conſtringendo tamen & anguſtando aliquali ſubjecti coagulatione, poros flavi corporis ſufficiet, imprimis ſi dictum acidum & ipſum in ſubjecto nonihil denſiore & craſſiore hæreat, ut exinde viridis ceu medius inter cæruleum & flavum color emergat. Comprobat dicta experimentum *Graffij*, de ſucco pancreatico theſ. 145. 147. ubi bilis flava ex miſcellâ cum ſpiritu vitrioli atrovireſcentem induit colorem. Nec eſt, quod quoad experimenti fidem objicias, id quod alio mihi obtigit tempore, in ſpiritu vitrioli adhuc contentas adhuc eſſe, & ſub rigoroſo ignis examine c. acido ſimul elevatas metallicas venereas & martiales particulas, quæ attactu alcali bilis præcipitatæ virorem repræſentent, ſicut eædem attactu gallarum in vitriolo atrum colorem induant: nam idem experimentum tentavi & cum ſpiritu ſalis puriſſimo, non ſecus ac cum ſpiritu nitri & ubique idem fuit ſucceſſus & eventus, quod nempè iſtâ miſturâ intenſius viror effloruerit, id quod ſimili ratione de lactis vitioſo acore virorem cum bile producente verum erit. Unde ſubinde etiam grumoſa apparent talia, ſub infantum torminibus excreta, quia lac à præternaturali acido in grumos caſeoſos coagulatum, iſtam larvam induit. Non tamen ſemper talia grumoſa ſimul ſunt viridia, quin ſubinde ſint flava. Scilicet diſcoloratio horum excrementorum oritur à bile per acidum mutata & corrupta, ſæpè tamen evenit, ut feces excernantur flavæ, quæ pauco tempore poſtmodum colore viridi tinguntur. Cauſa hujus phænomeni eſt, 1. quod acidum in bilem, quamdiu in corpore fuit, ſufficienter non egerit, propter impedimentum lactis, continuò vel brevibus intervallis tantum aſſumptum, quippe quod ejus vim temperando infringat. 2. Quia non niſi finitis efferveſcentiis & præcipitationibus mutationem rerum accuratam obſervamus: unde poſt excretionem, dum aëris accedit adjumentum. finita mutua actione & reactione permiſtorum, color tandem tertius emergit. 3. Quia & ipſa commiſta excreta facilius forſan in aëre libero novum coloris ſchema arripiunt, quam dum inteſtinis adhuc ſunt coërcita. Obſervandum quoque hoc loco atrociſſima non rarò adeſſe tormina, excretis alvi aquæ inſtar leviter flaveſcentis fluidis, quæ nimis fluida, ſubinde adeò acria obſervantur, ut & podex excoriari exinde ſoleat.

Unde Anorexia, Vomitus, Præcordiorum & hypochondriacorum inflatio.

§. 22. Quod ſi copioſus tenaciorque grumus ſtomacho incumbat, cui per pylorum tranſitus negetur, non poteſt non exinde appetitus dejici, & activitate fermenti digeſtivi à lacte vel copioſiore vel coagulato obruta, horror mammæ oriri, eum abſoluta apepſia, cum quotidiè obſervemus, iſtud quod ſemel ſtomachum læſerit, ceu hoſtile poſtmodum, diu ab eodem averſari: quod ſi gravius exinde oneretur ſtomachus, vel obſtruatur omnino Pylorus, de quo vid. *Hœferus Herc. Med. pag.* 149. item *Hildanus cent.* 6. *obſ.* 34. & irritetur quoque, hujus convulſiva contractio, quam vomitus violentus ſequitur, ſupervenit tenella corpuſcula inſigniter quidem lædens, ſalubris tamen, quatenus excrementa iſta removet, & graviorum malorum, jamjam imminentium eſt medicus. Finge enim hærere talia diutius in Ventriculi burſa, facilè ex acore fermentativo, paſtæ inſtar farinaceæ intumeſcent, & impetuoſo flatuum proventu, intumeſcentium præcordiorum, hinc diaphragmatis impedito motu difficilem reſpirationem, & ex horum flatuum in orificium ſiniſtrum impetu, hujusque pertinaci ſtrictura, præcordiorum anxietates, inde inquietudines, ſomni impedimenta, vigilias inferent. Eadem eſt origo hypochondriorum inflationis, & totius abdominis tympaniticæ diſtenſionis, nam loco ſaltem differunt à priori; paſta nempè acida viſcida, vitioſo acore fermentata, concurrente ſimul alcalino bilis ſtimulo Gas tale flatuoſum eructat, Scilicet pharmaca plus cruda aceſcentiam neceſſariò ſubit in ſtomacho, unde cum lacte ſemicoagulato turgeſcentia fermentativa, de quo ſupra, flatuumque & modo dictorum ſymptomatum in & circa hypochondria & Epigaſtria fertilis proventus. Cogitemus adultorum hypochondriacum affectum, & in eodem flatuum & borborygmorum impetus, ex acido viſcido digeſtionis primæ relicto p. n. oriundos, & ſimile ferè in infantibus uſu venire perſpiciemus: cum ſufficienter *Helmont. Tr. de Flat.* horum originem ex acido, ſtomachali non tamen fermentali ordinario demonſtraverit.

Unde ſingultus, tuſſis, aſthma infantum.

§. 23. Quod ſi tenacior talis, acidiorque mucus ſuperiori ventriculi orificio firmius adhæſerit, per conſenſum firmiſſimæ connexionis diaphragmatis ſimul irritabitur muſculus, unde hujus ſub inſpiratione factâ conlvulſiva contractio, ſingultum, ſubinde contumaciſſimum, infert, ſicut in ventriculi cavo ſi magis fluctuent pituitoſa talia acida, aut ſalſo acida, eaque ſucceſſivè irritent orificium ſuperius, vel infenſa & moleſta ſua præſentia, vel ſaltem halitibus acrioribus, excitabuntur ſub expiratione occaſione vellicati diaphragmatis, ipſique compatientium muſculorum expirationi inſervientium horum convulſivi motus, unde repetentes tuſſes concutient tenella pectora. Revera enim ex ſtomacho, hujusque in ſe ipſo coacervatis cruditatibus infantum exoritur tuſſis, ſubinde tantâ violentiâ repetens, ut non niſi ſuperveniente Vomitu copioſique muci rejectione ad tempus ceſſet. Rara autem infantibus ſicca tuſſis, aut quæ ex Laringis aſperæque arteriæ oriatur irritatione, obvenit, niſi interdum inclementioris aëris afflatus & liberior hauſtus ſuo modo adhunc diſponat. Idem aſſerendum de tuſſi iſta, quæ ſub dentitione laborioſiore frequenter turbat infantes, quam copioſior ſalivæ ſubinde ſalſo acrioris defluxus in ſtomachum, & imprimis uberior ejus ex membrana pituitaria poſteriori ſeu inferiori tranſſudatio, & inde defectuoſa reddita prima digeſtio, & cruditatum accumulatio infert. Idem aſſerendum de infantum aſthmate, quod utplurimum ex ventriculo onerato oritur, dum mucilagines acidæ coacervatæ & flatulenta turgeſcentia tumefactæ, moleſtum tale aſthma producunt: hinc enim etiam provocato Vomitu ſtatim liberantur, autore *Primeroſio de Pueror. morb. p.* 73.

Unde Lumbrici in Infantibus.

§. 24. Quod ſi mucus ſimilis: blandior tamen & dulcior ex alimentorum quocunque modo digeſtorum reliquis in inteſtinorum canalibus diutius hæſerit, occaſione loci caloris & inchoatæ ſucceſſivè putredinis occultata lumbricorum ſemina excitantur,

fœtus-

fœtuſque vivi excluduntur. Semina ſcilicet vegetabilium Cerealia, in ſpecie ſecalina & triticea, vel immediatè in pulte farinaceâ vel mediatè cum lacte ex pane comeſto genito ingeſta; ſeminali infectorum contagio, (quod ſub minimâ etiam mole latere poteſt, utpote conſtituere dicitur ſaltem 2800. partem ſui ſeminalis corporis) quaſi imprægnata, data occaſione hæc excludunt. Accedit, ut monui, tepor loci blandus, vis digeſtiva ventriculi debilior, quâ digerendo non ſubiguntur omninò dicta animalculorum ſeminalia primordia, & temperata bilis acrimonia infantum, defendens aliàs ſuccos quos attingit à tam promptâ putredine & verminatione: unde & ibi, quo fermentum fellis non pertingit, lumbricorum eſt Patria, autore *Helmontio tr.6. pl. digeſt.* §.82. hinc & Tinearum in adultis cauſam potiſſimum in obſtructionem cyſtis felleæ refert *Hartmann. in Prax. Chym. c.*156. §11. Talibus ergò occaſionibus facilè viva iſta putredo excitari poterit.

Vnde atrophia, febres lentæ, Tineæ, furunculi infantum.

§. 25. Cum ergò ex ſupra dictis ſubinde mucus crudus acidus & viſcidus loco nutritii ſucci diſtribuendus ſit, non poſſunt non eodem inteſtina aut admodum incruſtari, aut oſcula ductuſque lactei eodem obſtrui, aut glandulæ meſaraicæ conſequenter infarciri, unde tumores abdominis protuberant; & denegato nutrimenti tranſitu, inſigni totius corporis atrophiâ contabeſcunt infantuli, accedente ſimul utplurimum alvo laxiore: vid. *Sylvius Prax. l.*1. *c.*14. §.56. *p.*168. item *Prax. Barbette l.*3. *c.*2. *obſ.*3. *& Anat. Pract. l.*1. *c.*14. *Hœferus Herc. Med. l.*7. *p.*649. *Sydenham. de fibr. pag.*89. Ut taceam hoc loco dyſcraſiam lactis alieni, nempè nutricis, vel inepti pro nutrimento infantis, vel vitiati, unde ibi atrophia, hic cachexia ſupervenit. Quod ſi minus viſcidus, crudus tamen & vitioſo acore, vel ſaltem acri ſalſo ſapore inquinatus diſtribuatur tandem, pro ſanguine augmentando & corpore nutriendo, neceſſariò depravatur exinde Maſſ. Sang. Craſis, vitiaturque inſigniter ſanguificatio, & oritur p. n. ejus efferveſcentia, unde febres variæ, in ſpecie lentæ, ſub veſperam præcipuè exacerbantes ſuperveniunt. Inquinatur hinc neceſſariò etiam Lymphæ latex nimio acore nimiaque acrimoniâ, ſimulque ſubinde nimis viſcida redditur, unde & circa glandulas tumores, & catharrales effectus infantibus ſuperveniunt, in ſpecie tuſſes ſiccæ nocturnæ, ex lymphæ talis acido acris ad laryngem effuſione: item per membranam pituitariam inferiorem tranſudatione oriunda. Obtunditur econtrâ bilis Sal. vol. oleoſ. ſeu balſamicum, unde perfectio digeſtionis primæ in inteſtinis deficit ultima, & ità magis magiſque propullulantes jam confirmantur ægritudines. Quod ſi cum tali plus minus intenſâ ſanguinis & lymphæ labe, nutrimentum exindè pro augmentandis & ſuſtentandis partibus confectum, has ipſas ſubintret, & per earum porulos diſtribuatur, nullo modo perfecté ipſis aſſimiliari poteſt, quin potius acore, anteà quidem apparenter occultato, & aliquali ſimul viſciditate ipſis inimicâ, hinc inde in puſtulas congeratur, in quibus acor denuò manifeſtatus cum vicino rore partium acrius efferveſcit, hinc altior tumor, intenſior rubor & ardor ſupervenit, donec mutua temperatura, nunc in pus, nunc in ſaniem, nunc aliud ſimile liquamen abeant, & per cuticulam prius in ſquamulas & furfures eroſam exeant: relicto adhuc poſt ſe fermento ſubtili, acido viſcido, corrumpente ulterius novum, inculpatæ etiam notæ alimentum iſtudque in ſimiles ſordes tranſmutante, ſerpente ità ſucceſſivè ipſo malo ulterius, & inquinante & excedente acore ſuo proximam adjacentem partis ſubſtantiam, ut in favis, tinea, cruſtaque lactea, item furunculis infantum obvium. Quæ omnia, eò facilius eveniunt, eoque pertinaciores radices figunt, quo minus tranſpirabiles ſunt partes ità affectæ, & quo magis poris earum clauſis, dicta excernenda ſucceſſivè congeruntur.

Cruſta lacteæ origo.

§.26. Facta modò lymphæ p. n. acidæ ac viſcidæ, item cruſtæ lacteæ mentio, uberiorem ſui explicationem urgent. Siquidem dictas corporis, & imprimis faciei & capitis defœdationes puſtuloſas, cruſtoſas, ulceroſas, quæ cruſtæ lacteæ, achorum & tineæ nomine venire ſolent, quarum deſcriptiones & differentias ſaltem accidentales, vide ſis apud Practicos, reverà ex lymphæ nimis, ſeu p. n. acidæ plus minus ſimul viſcidæ vitio originem ducere arbitror: Lacte vel matris ſub geſtatione fœtus, vel nutricis ſub ejus Lactatione vitioſo, cauſæ remotæ vices obtinente. Semper enim ferè cum hiſce defectibus glandularum in Collo & circa caput denſè conſitarum item parotidum, &c. Tumores conjuncti eſſe ſolent, ita quidem ut vel præcedant, vel ſimul affligant, vel dictos affectus declinantes ſubſequantur. Rariſſimè hoc poſterius obſervatur, & vel metum recidivæ, vel mutationem defœdationis dictæ in alium affectum p. n. ſecum trahit: Iſtud prius frequentiſſimè accidit, ita ut mulierculæ etiam per experientiam edoctæ, ex conditione dictorum tumorum, quaſi ſcrofuloſorum & quos ordinariè (*Haupt Druſen*) appellare ſolent, affectuum talium vel diuturnitatem, vel magnitudinem, aliaſvè circumſtantias probabiliter præſagire ſoleant. Certè obſervavi tumores tales glandularum, ad parvi ovi gallinacei magnitudinem in collo, mox infra autem protuberaſſe, cum cruſta lactea caput obducens evanuiſſet, quo tumore ſucceſſivè ſubſiſtente, & tandem dicta lactumina denuo eﬄoreſcebant. Non amplius n. dubitatur, glandularum functiones verſari circa lymphæ præparationem, & diſtributionem: unde ſponte pateſcit lymphæ vitium primarium ſubeſſe ità quidem ut ejus conſiſtentia materiali obſtruantur glandulæ, & inde conſequenter intumeſcant, ejus vero aciditate ob largiorem in partes intercutaneas capitis extimas effuſionem, ex denegata plus minus debità diſtributione & motu per glandulas, pruritus intenſiſſimus in dictis locis, cum puſtulis rubris ſucceſſivè in pus abeuntibus, & ſquamis in ſequentibus ac furfuribus, ex cutis & cuticulæ eroſionibus ſuperveniant: quæ omnia, pruritus, purulenta ſanies, cruſtæ & ſquamæ, de aciditate agente cauſæ peccantis manifeſta ſunt indicia, ut alio loco & ab aliis probatum eſt. Ut taceam, aſperiora facta hæc mala, ad cranium uſque penetrare, iſtudque erodere, pro more acidorum, oſſeas ſubſtantias facilè erodentium, de quo vid. *Sennertus l. de morb. infant. pag.*2. *c.*3. *p.*28. Unde & capitis partes extimæ, præ reliquis locis dictis infeſtantur malis, ob copioſiores glandulas, quibus hinc inde ſpeciatim collum ſtipatum eſt. Differentia autem has inter capitis defœdationes obſervatur, quatenus nunc acrior & acidior eadem fuerit, unde ulcuſcula manantia & copioſam acrem ſaniem fundentia emergunt, vel quatenus eadem minus acris, ſed ferè magis temperata & viſcida extiterit, ſic enim cruſtæ denſiores, & denſè ſubinde compactæ, & ſibi invicem ſuperſtratæ generantur, ſucceſſivè decidentes: imo etiam pro lymphæ ità peccantis ratione, varia glandularum quoque obſervatur conſtitutio, de quo uberior experientia adhuc conſulenda venit. Et ſanè non levis eſt cognatio talium lactuminum, c. adultorum ſcabie, cum & ſubinde contagioſa deprehendantur, & iiſdem remediis, in ſpecie nicotiana, Sulphure, Mercur. &c. Curari ſoleant, & retropulſa ut vocant, paria planè inferant ſymptomata; ità ut quaſi particularis capitis ſit ſcabies. Equidem vulgi fert perſuaſio, ſalubres eſſe infantibus tales defœdationes, quatenus præſervent eos, à gravioribus affectibus, quod negari ſuo modo nequit, quatenus ſunt bonum quidem ſignum, ſed malæ cauſæ, quæ ſi abeſſet, magis conduceret. Quæ hactenus ſunt expoſita, videtur confirmare quem obſervavi puerulus, 9. men-

ſium p. p. vitio nutricis cacochymico-ſcorbuticæ inſigniter, dicta cruſta lactea ſuper cranii hemiſphærium, & faciem ferè integram mire deformatus: quæ cum ſpontè evanuiſſet ſucceſſit graviſſima tuſſis, tenellum pectus inſigniter & continuò quatiens, cum copioſi muci in ſtomacho & Oeſophago præſentia, una cum diarrhæa ſeroſa adeo acri, ut etiam extrema podicis & vicina loca excoriarentur: totum corpuſculum inſigni æſtu fervebat, & inſultus quidam Epileptici, ſubinde iſtud convellebant. Factam fuiſſe hic arbitror lymphæ peccantis metaſtaſin, præter alia loca in ſpecie ad glandulas ſalivales, & quæ laringem irrorant, ut & ad pancreaticas, per quas lympha iſta acida acris, non adeo viſcida, uberius effuſa, ſpeciatim dictam tuſſim & diarrhœam, alia ut tranſeant ſymptomata, induxerunt. Dicta modò, etiam rationem aurium humiditatis fluentis, excoriationis & exulcerationis, item Labiorum manifeſtam reddunt.

Quæ Variolarum radicata origo.

§.27. Hæc ipſa vel manu nos ducunt, ad evolvendam morbillorum, & in ſpecie Variolarum abſtruſam aliàs naturam, cùm harum, qua talium, fiendi modus & effectus cum modo dictis affectibus in quamplurimis conſpirent, & etiam Tinea Capitis, non raró poſt variolas ſupereſſe, aut etiam eaſdem inſequi ſoleat. Torquet imprimis Philiatros, inevitabilis ferè harum inſultus omnibus Europæis, ne dicam de aliis quibuſdam nationibus. Ex menſtrui ſanguinis reliquis multi cum Arabibus earum radicem derivant, alii ex repetitâ poſt ſemel factam conceptionem venereâ libidine: neutrum mihi ſatisfacere videtur. Quin potius ſi certò ſtatuendum eſt, quod aliquod nobis quaſi implantatum habeant principium, ratione cujus nemo ferè eaſdem effugere queat, earum radicem ex corruptelâ lactis nutritivi, tam in, quàm extra uterum, & vitioſo viſcido acore tenellos inde inquinante derivarem, exinde enim & frequentiſſimè ſaltem infantes & pueros, rariſſimè demum adultos affligere ſolent. Qui vitioſus acor aliquandiu occultatus, tandem occaſione data, in ſpecie excitata Maſſ. Sang. per fermentum ſimile extrinſecus inſpiratum vel hauſtum, pernicioſas febriles effervescentias excitat, concurrente acido fermentativo viſcido cum Sale vol. maſſ. ſanguineæ, donec, præcipitato & ſubjugato acido iſto vitioſo, & ſero involuto, critica ſanguinis purgatione hinc inde per vaſa capillaria in ſpecie beneficio glandularum intercutanearum miliarium excernatur, & ſub cuticula hærendo, ſucceſſivè in puſtulas coacervetur, quarum contentus ſalſacidus ſuccus efferveſcendo ulterius miteſcat, donec in pus perfectum abeat, quod cum cuticula eroſa tandem in cruſtam duram & craſſam condenſetur, erodente interea ſub hac ipſa acido cutim ſubjectam in foveas plus minus, prout magis vel minus efferveſcentia febrili temperatum fuerit. Unde & ulcera ſubinde pernicioſa & cacoëthea ex variolarum puſtulis tam in partibus externis quam internis, in ſpecie in tenera veſiculoſa pulmonum ſubſtantia oboriuntur, pro conditione acidi plus minus virulenti varia, quod ipſum in dictis Variolis oſſa non raró arrodere & corrumpere aſſolet, id quod expertus teſtatur. *Paræus de Variol. c.1.* Hinc etiam Liberi à parentibus, morbo gallico laborantibus prognati, omnium graviſſimè à Variolis affici ſolent, obſervante hoc Horſtio l.6. obſ. append. p. m.308. quod non ineptè illuſtrat Mercurius dulcis, ceu ſingulare alexipharmacum curans pariter & præſervans Variolas: confer *Miſcell.* Acad. N. C. anni 3. obſ. 9. & 56. Ob id & convulſivi motus & Epilepſiæ inſultus præcedunt earum eruptionem, morſicante acido vitioſo nervos, & ad criſpaturas eorum fibras, & hinc inordinatos ac impetuoſos motus ſpiritus animales irritante. Unde & myrrha, acidum iſtud vitioſum mire temperans, non minus quam caſtoreum, & Salia Volat. iſtud per ſudorem eliminans, & Antimon. fix. ebor ſ. Unicornu foſſil. iſtud abſorbens, pro harum medela utramque faciunt paginam. Non rejicio hoc ipſo, vermiculorum exercitum, in ſingulis puſtulis acervatim graſſantem, *vid. Borellus centur.2. obſerv.72. & Obſerv. microcoſcop. obſerv.31. p.21.* item *Lipſius de Variol. Bartolin. centur.5. hiſt.20. Rhodius cent.3. obſerv.64* cum nullum pus, abſque horum pullulante ſegete reperiatur, ſed hos tanquam effectus, ſpontè ex ordine cauſarum morboſarum in pure ſupervenientes, tranſmitto.

Quare Variola interdum tam tarde ſe oſtendunt.

§. 28. Nec ſcrupulum injiciat, aut tardior in quibuſdam earum inſultus, aut repetitus etiam acceſſus. Nam diutius morboſa fermenta in corpore deliteſcere poſſunt, donec ſub ſua dierum maturitate tandem evigilent, id quod ex hæreditariis non tantum affectibus, ſed etiam ex Canis rabidi ſalivali fermento, ex febrium petechialium ad aliquot hebdomadas interdum latente contagio, ex Luis venereæ connivente diutius ſeminio patet, &c. Unde & infantes qui ſub nutritione ſani erant & vegeti, poſt ablactationem ſubinde cutanea contrahunt vitia, achores & ſimilia dum vitia lactis per conſuetudinem ſub lactatione quaſi appropriata naturæ, citra nocumentum adſunt, quæ mutata diæta per efferveſcentiæ motum in muſteo ſanguine ſeparata & inſtar fecum præcipitata, hinc inde per ſanguinis circulum ſub cute defiguntur, & ibidem coacervata ſuas morboſas ludunt Tragœdias, redeuntes ſubindè pertinaciter, quamdiu tantillum miaſmatis morboſi aut ſeminii fermentativi, nunc ſub ſanguinis Velamento, nunc ſub epidermidis Tegumento latuerit: quod ex materia conveniente data occaſione ſe multiplicat, & malum renovat, quæ ipſa de variolis & morbillis pariter aſſerenda videntur.

Unde Aphtha.

§.29. Ità quidem ſe habent, exulcerationes partium externarum, ſed præter has etiam interiores quædam, ſpeciatim partes oris, fauces palatum, lingua, ipſeque non raró Oeſophagus, ulcuſculis parvis ſcatet, aphthæ appellatis. Harum origo eſt acre acidum, excorians & exulcerans plus minus, dictarum partium ſuperficiem. Fons peccantis acidi, potiſſimum eſt in ſtomacho corruptela lactis & pultis, nimiaque ejus aceſcentia. Utut enim aut lactis nutricis aut ſalivæ ipſius infantis à quibuſdam nimia accuſetur acrimonia, vix tamen in infantibus aliam originem agnoſcunt, quam acorem vitioſum ex ſtomacho exhalantem. Nam & in adultis frequenter contingere ſolet, ut correpti febribus, cruditatibus recrementoſis, in ſpecie porraceis in ſtomacho exiſtentibus, aphthis moleſtè laborent, niſi maturè fomes removeatur à Medio ex Ventriculo.

Pavores infantum & epilepſia unde.

§.30. Supereſt funeſtum adhuc tenellis ſymptoma, nempè pavor in ſomno, oriundus ex exploſivo ferè impetu ſpirituum animalium in nervos: qui cum ſub ſomni requie blando tardoque greſſu influere debeant impetuoſius irruentes inopinam totius corpuſculi ex fibrillarum nervearum momentaneo contractivo niſu inferunt concuſſionem, adeò ut non ineptè mulierculis prodromi habeantur convulſionum Epilepticarum, infantibus admodum familiarium, ex ſimili inordinato & perverſo ſpirituum animalium motu in cerebro, & violenta exploſione in nervos oriundarum. Frequentiſſimè vero paris vagi & intercoſtalis ramificationibus annexæ partes abdominis & Thoracis convulſionibus hujuſmodi Epilepticis præ cæteris partibus tentantur admodum torminoſis, quas mulierculæ convenienter admodum, *Magnus in corpore dolor,* appellare ſolent. Scilicet continuus & nunquam interruptus ſpirituum animalium in hos nervos eſt motus & influxus, pro continuando motu Cordis, diaphragmatis & reſpirationi inſervientium muſculorum primariorum, ut & Ventriculi & inteſtinorum motu periſtaltico perficiendo, unde conſueto

conſueto quaſi tramite longè promptius irruunt in dictarum partium nervos ſpiritus animales, quam in membra externa in infantibus magis quieta; adeoque dictos ſpaſmos internos frequentius concitant. Quod ſi vero crebrius repetant, tandem totum ſpirituum animalium exercitum integrumque nervorum ſyſtema, per conſenſum & continuitatem motus ſimiliter afficiunt, unde univerſalis tandem ſupervenit Epilepſia, de qua dicunt, *Magnus Erumpit dolor.* Has & ſimiles paſſiones, poſt nervoſarum ſenſilium fibrarum quocunque in loco irritationem conſequentes, unde melius deducemus, quam ex ſupra ſæpius inſinuato acido? Per ſe nervis inimiciſſimo, multo magis in tenellis, quorum fibrarum nervearum mollior textura facillimè mobilis, & ità in convulſivos motus criſpabilis ut ſic dicam exiſtit. Hinc quæ propiores ſunt partes fonti vitioſi acidi ſtomacho nempè & inteſtinis, aut mediantibus nervis connectuntur iiſdem, etiam frequentius patiuntur convulſivos ſpaſmos, qui continuati ulterius in tantum, donec totum nervorum ſyſtema in cerebri cerebellique confiniis concutiant, univerſalem tandem Epilepſiam ſuperveniente ſpirituum impetu inferant: uti in adultis ſubinde in membro quodam externo focus latet epilepticus, qui per continuatos ſpaſmos, ſub apparente auræ frigidæ ſenſu ſurſum delatus ad cerebrum, tandem univerſum microcoſmum concutit, ità pari ratione ex acido, imprimis viſcido in abdomine hærente, tam ſpaſmi leviores interni, quam epilepticus totius corpuſculi inſultus oriuntur, optimæ ob id per alcalia volatilia, experientia teſte curabiles. Adeo, ut rariſſimam infantum exiſtimem Epilepſiam cujus focus acidus non in abdomine lateat, aut ex abdomine non derivetur, excepto dentitionis negotio, ità tamen, ut circa halituum aut fumorum impoſſibilem aſcenſum, malum dicto modo explicari queat pro quorum confirmatione quod nempè infantum nocturni pavores & Epileptici inſultus ab acido peccante excitentur, annotaſſe ſufficiat: 1. quod graviora tormina cum excretis æruginoſis, frequenter comitem aſciſcant Epilepſiam, teſte præter *Quercetan. in Tetr. graviſſ. c. affect. c. XI. p. m. 116. Lindano* ſuper *Hartm. Prax. Chym.* qui vix virorem æruginis inſtar intenſum in infantum excretis obſervari aſſerit, citra Epilepſiam: quod ſi dicta materia ità ſit acris, ut febris etiam accedat, plerumque interimit pueros: tormina vero & talia excreta ex acido lactis corrupto, ſuperius derivavimus. 2. *Hippocr. lib. de Morb. ſacro* aſſerit, infantes, ſi ipſis ulcera in capite, vel circa aures, vel in facie, vel in reliquo corpore excitentur, liberari ab Epilepſia: vid. *Sennertus de morb. Infant. p. 2. c. 3. pag. 28.* quas exulcerationes etiam ex acido lymphæ ſupra deduximus: quibus 3. accedit cura Epilepſiæ infantilis per alcalia volatilia, item per Terrea, acidum abſorbentia.

Dentitio diſficilis.

§. 31. Modo inſinuatum fuit, Epilepſiam & dentitionem ſubinde comitari, hujus ergò dentitionis negotium, & ſymptomata ejus occaſione excitata, hic evolvenda erunt. Equidem nil aliud, præterquam gingivarum à dente accreſcente perforandarum dolor primariò urget, ſimilis quodammodo illi, dum acido morboſo gingivæ in dentium radicibus punguntur, & quaſi perforantur. Sed cum ſenſilis gingivarum, ex interſperſis variis nervulis ſubſtantia, cum partibus vicinis inſignem conſenſum habere ſoleat, quod ex odontalgia adultarum, ſubinde dimidiam Capitis ſphæram per conſenſum afficiente, interdum muſculi temporalis aliquem ſpaſmum inferente, notiſſimum eſt, de facili evenit, ut atrocioribus ſub doloribus tandem univerſum ferè nervorum ſyſtema ſimul vellicetur, & inde convulſiones Epilepticæ ſuperveniant: idque eò promptius, quò vel per ſe & in ſeipſo nervorum ſyſtema infantum tenerius & mobilius extiterit, vel ipſum ex perverſa diæta matris vel nutricis, acidis abutentibus, de quo ſupra, imprimis ſuis ſtaminibus debilius & facilius irritabilius redditum vel ex lympha vitioſa commota hinc inde irritatum fuerit. Cum verò ex dolore gingivarum, vicina glandularum præprimis ſalivarium vaſa & illas integentes membranæ vellicari ſoleant ſimul, hoc ipſo uberior ſalivæ in os effuſio, indeque effluxus, quod vocant *Salivationem*, ordinario comitari, interdum aliquandiu præcedere dentitionem moleſtiorem ſolet. Quæ lympha ſi & ipſa minus temperata, ſed ſalſoacida plus minus fuerit præter roſionem faucium & laryngis, indeque excitatam tuſſim ſubinde ſiccam ſeu inanem, ad ſtomachum copioſior delata, anorexias, nunc apepſias, interdum vomitus cum tuſſi ferina, aut certè in inteſtinis diarrhæam plus minus ſeroſam excitabit, vel nervoſum genus hinc inde vellicando ad Epilepſiam diſponet: qualia ſcilicet ſymptomata ordinariò præter vigilias, inquietudines ejulatum, febrilem æſtum, dentium eruptionem comitari ſolent.

Febres.

§. 32. Reſtant adhuc febres, utut lentarum jam ſupra §. 25. rationem deduxerimus, non minus quam variolarum & morbillorum, §. 27. ſimiliumque cum exanthematis ſe exhibentium. Cæterum præter has & aliæ febres variæ, aut continuis ardentibus ſimiles, aut periodicæ continuæ, aut catarrhales, ſimileſve frequentes ſunt infantibus, quarum rationem omnem ex *corruptione lactis internâ*, aut ex *pororum cutis occluſione externa*, optimè explicabimus. Præter acidam enim cruditatem, quam puls & lac in ſtomacho infantuli ſubeunt, & unde ejus febres frequentiſſimè, nunc lentæ nunc acutæ ſcaturiunt, etiam variæ aliæ omninò lactis ſunt depravationes, jam ſupra §. 19. inſinuatæ, ſive in ventriculo ſub digeſtione, ſive in inteſtinis ſub hujus digeſtionis perfectione & fecum ſeparatione obveniant. In ſpecie cruditas nidoroſa appellatur, dum flava copioſa ejiciuntur à tenellis, id quod neutiquam tali in caſu bilis tingentis eſt opificium, unde enim tanta in fœtu juniore bilis abundantia? Niſi infantulos ferè omnes primo ſui initio bilioſiores Viris ſeipſis dicere velis: neque amareſcunt ſemper hæc ipſa, ſed dulceſcunt potius ſubinde, & avidè à canibus amari omnis oſoribus comeduntur. Lac potius vitiata quacunque ratione digeſtione ventriculi ſpontè de facili citrineſcere, ſufficienter declarat *Helmont. tr. ſchol. paſſ. decep. c. 3.* adeò ut hujuſmodi digeſtionis primæ multiplicia errata, ex alimentis & hinc affectibus nutricis primariò oriunda, cum non corrigi poſſint in ſecundâ digeſtione, neceſſariò ſanguineam craſin in tantum alterabunt, ut hujus p. n. efferveſcentiæ febriles variæ inevitabiliter ſuperveniant: id quod pariter in quibuſlibet infantum, etiam ablactatorum febribus tam lentis quam acutis obſervandum venit, quæ omnes ferè pro cauſa interna errata digeſtionis primæ in Ventriculo, & inteſtinis propter ordinariam eorum addiphagiam agnoſcunt. Et quidem eò citius ex enarratis occaſionibus febres accenduntur, quo minus per cutis cribrum inſenſibiliter purificatur ſanguis, id quod vel defectus caloris ambientis, vel crebra linteaminum, non ſufficienter calefactorum mutatio, vel denique balneorum neglectus uſus inducit. Calidi ſanè balnei lotio, ut ſordes cutaneas infantis copioſas abſtergit, & removet, ita & fibras retis Cutanei laxando, pororum apertioni, & copioſiori tranſpirationi amplam occaſionem ſuggerit, cujus intermiſſio & poros conſtipat, & ex heterogeneorum coacervatorum impetu, hujus febrili fermentationi uberrimam occaſionem ſuggerit.

Comedonum Origo.

§. 33. Facta ſuperius mentio vermiculorum in purulentis Variolarum puſtulis, atrophia quoque ſuperius conſiderata, diducunt nos, ad conſiderationem Verniculorum Capillarium infantum, quatenus hi ipſi atrophiam ſimul junctam ſemper habere ſolent.

Proprio

Proprio nomine *Comedones*, ab adjuncta infantis Tabe, quaſi nutrimentum comedendo largius abſumant. it. *Crinones* à figura, quod Crinium ſeu Pilorum curtorum nigrorum forma foras interdum prominere per poros Cutis ſoleant, appellantur: Differunt à Sironibus, vermiculis minutis quaſi pedicularibus in puſtulis prurientibus ſub cuticula manuum imprimis & pedum enatis: de quibus *vid. Sennertus l.5. Prax. p.1. c.24. pag.118. Langius l.2. Epiſ.42. Gœdartius Metamorphoſ. p.1.p.126.* Sicuti & Sironum & Crinorum formæ per Microſcopium conſideratæ, differentes planè deprehenduntur. Sunt ergò dicti Crinones vermiculi, Capillorum ſpiſſorum ſeu ſetarum forma curtarum, nudo oculo aſpicienti ſe exhibentes, quando nempè mellis affricti dulcedine allecti in loco calido foras prorumpere nonnihil, frigoris verò ipſis inimici ſenſu, denuo intro repere obſervantur. Accuratè magis per microſcopii adjumentum iidem obſervari poſſunt, ſic enim Coloris cinerei, cornubus ſeu potius antennis binis longè prominentibus inſtructi, oculis rotundis grandiuſculis, caudâ oblonga in fine Villoſa uno nomine aſpectu horridi, obſervari ſolent: prout ab amico curioſo & artificioſo, nempè Domino Chriſtiano Schæffero, Sereniſſ. *Duc. Saxon. Mauritii* Appelle Aulico dexterrimè, non ſecus ac alia talia minutiſſima inſectula, in ſpecie Sirones, item Termites ſeu potius lendes caſeorum, &c. Hacce ſub forma accuratè, per microſcopium obſervati & delineati fuerunt: ubi: a. quantitatem & figuram eorum exhibet, prout nudo oculo occurrere ſolent. b. oſtendit Crinonem integrum per Microſcopium accuratè obſervatum & ab ipſo obſervatore dextre delineatum. c. eſt ſimilis Crino ſed cui ſub ſeparatione à Cuticula corporis, cauda truncata fuit: d. itidem Crino eſt alius, ſed majorem ſub ſui à cuticula ſeparatione noxam paſſus &c. Occupare magis loca muſculoſa, imprimis dorſi, hinc ſcapularum, humeri, it. ſurarum & crurum ſub cuticula aſſolent. Infantes imprimis teneriores, minus robuſtiores affligere ſolent. Originem iis ſubminiſtrat ſuppreſſa inſenſibilis tranſpiratio, ut rectè id ſuſpicatur *Horſtius l.4. Obſervat.53. pag.254.* quæ temperata ſi fuerit, minuſque acris, dulcis & pinguis, retenta diutius ad putredinem ruit, unde occultata antea, & oppreſſa penitus principia ſeminalia quæ & minimo, ſeu ut vocant, in atomo ſenſibus imperceptibili latere poſſunt, ſui juris facta, deſtinationes naturales exequuntur, & in viva animalcula proruunt *V. Velſchius Diſſ. de Vermic. Capill. Inf. p.363. annexâ Tr. de Vena Medinenſ. it. Borellus 1. Obſervat.80. & Sennertus l.2. Prax. p.2. c.24. pag.302.* Nempè in Lacte, ratione alimentorum ex quibus generatur, non ſecus ac in pulte, milleformia inſectulorum & vermiculorum latent ſemina, quæ in tenello infantis ſtomacho, non adeò exacte alterata, facile data occaſione evigilare, & in actum ſecundum erumpere valent: hinc & quidam Crinones hos, illis vermiculis ſeu aſcaridibus ſimiles aſſerere volunt, qui in antiquis caſeis innaſci obſervantur. Hi ipſi Crinones animati moleſtiam admodum prurientem & continuò laceſſentem, plus minus tamen, ſub cuticula admodum ſenſili excitant, indeque inquietos, ejulantes, & vigiles reddunt infantes, quibus ut ut ſæpius porrigant mammas nutrices, quas etiam exhauriunt, tamen inquietudine, vigiliis, ploratu confecti, minus dictum alimentum concoquere aut rite aſſimilare poſſunt, donec emacientur tandem, & ità ſucceſſive in Tabem proruant: ut ob id exiſtimem, non tam ratione nutrimenti, à vermibus exhauſti, quam ratione ſymptomatum ab iſtis inductorum, maciem & tabem conſecutive ſupervenire.

§.34. Intertrigo denique acerbo dolore excruciat infantes, peccante in ſpecie Urina cujus continua humectatione, & hinc Salina acrimonia, tenerrima epidermis emolliri & relaxari, & pedetentim penitus eroſa ſeparari ſolet, in locis præſertim inter femora & circa clunes ſitis. Excoriationem iſtam, ulterius ſi proceſſerit, læſarum partium gravis exulceratio, etiam ad mortificationem partis ſubinde tendens ſubſequitur, aliaque pathemata pro partium diverſitate, ſubinde variantia. Præter Urinam & inſenſibilis tranſpiratio, aut ſenſilis tranſudatio, in locis impeditis, nominatim in articulorum flexuris, & ſub axillis modò dicti mali autor eſſe ſolet: in multis nempè ſudor & Urina convenit, adeoque affectuum identitatem comitem ſecum trahere ſolent. *Intertriginis ortus.*

CAPUT III.

Præſervationem & Curationem Morborum Infantilium docet.

§.1. CUm tanta mala teneros circumdent infantes, perverſæ nutritionis cauſa, mature iis occurrendum, periculum namque eſt, ne tam malè ſtabilitis primis ſanitatis fundamentis, impoſterum omnis ærumnoſè trahatur ætas. Quatuor Univerſalioribus ut occurramus cauſis pro meconii purgamento, nil æquè convenit, ac Coloſtrum infanti propinatum, ut ſupra §.10. monitum. *Alimentum namque eſt medicamentoſum, quod Natura eum in finem generavit, ut modicè nutriendo, leviter pro infantis imbecillitate purget per aliquot dies*, ut rectè aſſerit *Spigelius tr. de format. fœt. c.13. p.17.* Quod ſi fieri nequeat, ſtudioſé in id incumbendum, ut pharmacis nihilominus evacuentur dictæ ſordes. In hunc finem propinare ſolent recens natis Ol. amygdal. dulc. recens expreſſum c. Sacchar. albiſſ. quorum ope lubricatis & abſterſis ſtomacho & inteſtinis, copioſæ impuritates, geſtationis tempore collectæ, ejiciuntur, interdum & vomitu auſpicatô eliminantur, ut ut ſoli huic Oleo non fidendum ſit, cum vel ranceſcendo facillimè, infanti propinatum, non leve incommodum in primis viis inferat, vel non rancidum licet, vix tamen omnia tam exacte eliminet, quin ſubinde aliquid ſordium remaneat. Alii in uſu poſitum habent, mell. roſat. ſolutiv. tantillum propinare, feliciori ſane cum ſucceſſu. Mihi convenientiſſimum ſemper viſum, & uſu compertum fuit, ſi pulpa paſſular. minor. c. ana Syrup. de cichor. c. rhabarb. miſta, addito pauxillo pulv. corall. rubr. præp. & Ocul. Cancror. præpar. ana, horum ℈j. vel ʒß. ad illorum ℥ß. addendo, cum parvo cochleari leniter infundatur. Optatò ſic rejiciuntur omnia excrementa, tam per inferiora, quam & interdum per ſuperiora, & vitioſa meconii aliarumque ſordium acceſcentia, futuro lactis ſuctui perquam nociva optime ſimul ſic coërcetur. Denique *Syrupus de ſpinâ cervina ſ. domeſticus*, eſt convenientiſſimum abſtergens omnium ſordium, & laxans infantum, ſpeciatim ſi loco ſacchari cum melle per ſe depurato ſub inſolatione, confectus fuerit, vix unquam fallens & ſine ullo incommodo evacuans, imprimis cum pulv. ocul. Cancror. ſi ſubactus fuerit. *Ut meconium removendũ.*

§.2. Ut verò inſenſibilis promoveatur tranſpiratio, ceu alter fons morborum infantilium, auſpicato ſolent mulierculæ, recens natos infantulos immergere balneo aquæ dulcis tepido, ſ. ſubcalido, non, qui aſperrimus & ſanæ rationi pariter ac conſtitutioni ſanæ reluctans erat Veterum Germanorum mos, *Vid. Sennertus lib. de Morb. Infant. part.1. c.4.* Aqu. frigidæ aut flumini, ut hujus medio abluantur ſordes viſcoſæ, lanuginis inſtar inveſtientes teneram epidermidem, & accedente blanda frictione ita aperiantur & magis *Inſenſilis tranſpiratio ut promovenda.*

magis patuli reddantur, conniventes aliàs cutis Pori. Non ineptum eſt, quod in more poſitum, ut ſaponis adjumento, removeatur hæc ſordium coacervatio, & hujus alcalina lixiviâli acrimonia promptius detergantur iſta caſeoſa quaſi concrementa extracutanea, ſicuti ſi reiterantur crebrius hæc balnea, poſtmodum ipſi Aquæ, qua abluantur, modicum lixivii addere non inconſultum videtur, ut eò melius, tam reſolvantur & detergantur dictæ ſordes, quam hujus alcalini Salis beneficio, præcaveantur maturè cutaneæ infantum effloreſcentiæ, ceu quas jam enatas, optimè tollunt talia alcalia, ut infra monebitur. Reiteranda autem ſæpius eſt hæc balneatio, quoties ſanitatis infantis, & in ſpecie Virium permittit ratio, idque in prima ſeptimana quotidiè, reliquis alternis aut tertiis diebus, donec exactè purificatus, glaber, mollis, rubicundus & ubique nitidus appareat fœtus. Non rarum eſt, flavedine quodammodò crocea, adeoque Icteritia decoloratione tinctos in lucem prodire infantes, quæ extraordinaria Tinctura vix melius dictis Balneis detergi penitus, & deleri poterit, quibus ab aliis ſimul ſuccurri ſolet, gr. j. croci optimè triti in lacte nutricis vel alio conveniente liquore exhibiti, & aliquoties in die propinati, quo ipſo dicta cutis defœdatio promptius extingui poteſt.

Quomodò lactis vitioſæ alterationes corrigendæ.

§.3. Lactis denique & Lactationis pernicioſa errata, ex iis, quæ ſupra §.7. c.10. 11. 13. 14. 15. recenſita fuerunt, facillimè quivis corrigere valet. Ad hoc vero ſemper habeatur reſpectus, ut omnis ejus vitioſa aceſcentia, hincque grumoſa coagulatio, ceu familiariſſima vitia, quantum poſſibile præcaveatur. Commendatiſſimus ob id nutrici ſit *aniſi* & hinc *fœniculi* uſus, ſive ſemina eorum poſt ſingulos paſtus comedantur, ſive poſterioris ſaltem radix, herbaque, quacunque ratione uſurpetur: præter lactis enim ubertatem, etiam ſaluberrimam vim ipſi ſimul conciliant, aromatica volat. oleoſa natura, & aceſcentiam ejus præmaturam & coagulationem optimè prohibent, quin & tormina & flatus infantis feliciter tollunt. Caveat ſimul ſedulo nutrix, ne aquæ frigidæ diutius aut crebrius manus immergat, & ſtatim ab hoc lac infanti infundat, nec enim infans tantum, ſed & ipſa nutrix ventris torminibus ex tali occaſione ſæpiſſimè obſervatur corripi. Quod ſi inopinato terrore concuſſa, vel ira percita nutrix, lactis graviorem alterationem metuat, poſtquam lac ex uberibus prius emulſerit, aſſumpto ſpermatis Ceti ʒß. ad ʒj. cum Antimon. diaphor. gr. XV. ad ℈j. in hauſtu cereviſiæ calidæ, ad blandum ſudorem ſe componat, quo omnis lactis corruptela ſic emendetur: vel recipiat, in tumore, dolore & duritie ſuperveniente, & ita inflammationis metu, C. C. ſ. Ign. ℈j. Antimon. diaphor. ℈ß. Sal. vol. viperar. aut C. C. gr. viij. M. aut C.C.ſ.Ign. ʒß. Sal card. benedict. ℈ß. ad gr. XV. capiat in Aqu. flor. ſambuc. & pro ſudorifero reſolvente aſſumat: vel horum loco ſpiritum Sal. Ammoniaci à ʒß. ad ʒj. in Aqu. card. bened. hauriat, & ſudorem plus minus largum expectet: Imponendo ſimul mammæ, in leviori quidem affectu, Emplaſtrum *de ſpermat. Ceti Mynſ.* in graviori vero inducendo mammæ emplaſtrum *de galbano croatum Mynſicht cum ana gumm. ammoniac. in Acet. deſtillat. ſol. invicem liquefactis* & linteo denſo inductis confectum, quam calidè perferre poteſt: utroque in caſu deſuper ſacculum interpaſſatum ex oryza confectum probè percalefactum imponat deſuper, ut per ſudorifera iſta alcalina, diſſolutum lac, horum adjumento promoveatur in motum, & ſtagnatio ejus ac grumeſcentia ita corrigantur maturè.

Quomodo puls emendanda.

§.4. Pultis denique poſt Lactis curam, reſtat correctio, quæ in hoc conſiſtit, ut omiſſa farina, loco ejus panis triticeus, vel ut vocant ſimilagineus nonnihil exſiccatus vel induratus minutim tritus, cum lacte vel cum Aqu. in pultis coquatus conſiſtentiam mollem, tantillo ſeminis aniſi pulveriſato addito. Experientia me hactenus docuit optimè conducere tenellis tale pulmentum, ubertimque eoſdem nutrire. Fermentatus enim panis, adeoque facilè reſolubilis, promptiuſque in ſtomacho digeſtibilis, quidni crudæ farinaceæ paſtæ præferendus erit? Pauciores flatus inde elevabuntur, & liquidior mucus poſt ejus uſum reſtabit, faciliuſque longè qui abſtergi queat, quam è communi pulte fieri ſolet. Quibus hactenus dictis rite obſervatis, nullum dubium, quin infantes vitam ſanam ſint conſervaturi diutius.

In Cura morborum Inf. Salia vol. primatum obtinent.

§.5. Sed quam facile hæc imperantur, quæ tantum non impoſſibilia ſunt, ut obſerventur, idque tam à matre, quam à nutrice. Si recolentur ſuperius, cap.2. dicta, non poterit tam rigoroſum regimen inſtitui, quin tandem ſuccus acidus copioſior vel parcior, acidior vel temperatior, viſcidior vel ſeroſior colligatur interdum, unde morbi infantiles plerique ſucceſſive propullulant. In genere ergò pro horum Cura remedia talia conveniunt, quæ acidum deſtruere, viſcidum incidere, ſeu attenuare, utrumque pro ratione occaſionis evacuare valent. Adeoque mox à nativitate propinanda ſunt, & ſubinde repetenda remedia temperata, his indicationibus ſatisfacientia. Quæ inter facile patet nil æque præſtare, quam Salia vol. in ſpecie oleoſa, quæ optime acidum corrigunt, & cum eo Salſum tertium blandum componunt, diureticum pariter & diaphoreticum, prætereaque penetrando potentiſſime, attenuant, & reſolvunt quaſcunque obvias viſciditates. Unde ſpiritus Sal Ammoniaci, imprimis cum aromaticis deſtillatus, ſicque factus oleoſus, item ſpiritus Sal. Ammoniac. aniſ. aut caryophyllatus, & quem mille encomiis extollo pro curandis infantibus, liquor C. C. ſuccinatus, *à B. D. Michaëlis* primitus in uſum vocatus, & hactenus mille experimentis, multis in caſibus adultorum pariter ac juniorum utriuſque ſexus comprobatus, pro infantibus curandis ſunt optimi. Paratur modo laudatus liquor, ex ſpiritu C.C. probe rectificato & ab oleo empyreumatico depurato, qui affunditur Sal. vol. C. C. & Sal. vol. ſuccini (ab omni oleoſitate empyreumatica crebrioribus c. Aqu. & Spir. Vin. ſolutionibus & inde Sublimationibus purificato) ana q.ſ. ut imbibat & ſolvat intime dicta Salia, quæ miſtura utut efferveſcat primitus, cum ſuccini Sal vol. acidum ſuaviſſimum, admodumque delicatum conjunctum habeat, brevi tamen amice coëunt, & digeſtione debita ac cohobatione reiterata liquorem hunc commendatiſſimum conſtituunt. Nec eſt, quod generoſa nimis, nimiſque graduata putes Salia vol. pro infantibus, nam circumſpectus uſus, in Lacte nutricis, vel in Aqu. & ſyrupo menthæ, fœnicul. &c. Et limitata ad guttulas ſalium doſis, tenellis pariter ac paulo robuſtioribus infantibus eadem optime accommodare novit Miratus ſum ſæpius, à quibuſdam vel præconceptis opinionibus excæcatis vel experientia debita deſtitutis medicis, cum pavore quaſi audiri Salium vol. mentionem, ſpeciatim pro infantum cura, cum tamen ſub legitimo & circumſpecto uſu, Deorum manus eadem vocandi exiſtimem. Volatilibus hiſce alcalibus, & fixa per ſpiritum Vini temperata in ſolutiones tinctas etiam ſubjungenda erunt, imprimis Tinctura Tartari, & Tinctura ſcoriarum Reguli Antimonij.

Deinde aromatica vel oleoſa.

§.6. Præter ſalia hæc volatilia, acriora vel aromatica, etiam alia ſubjecta aromatica oleoſa, ſuo Sale vol. non deſtituta in genere infantibus ægris fructuoſa ſunt: quæ inter *aniſum* & ejus ſemen mire convenit, quod ad ℈j. pulv. recens quoque pro levi evacuante commendat *Heurnius method. ad Prax lib. 2. c. 26.* Juxta hæc *Caſtoreum* benedicta etiam eſt medicina, temperans mire acidum auſterum, & convulſivos ſpaſmos quoſcunque, torminoſaque inde pathemata optime ſiſtens. Quibus meritò annumeratur *myrrha*, omnem corruptivum acorem tollens, & balſamica vi, quamcunque corruptionem putredinalem

nalem inhibens, indeque ad Vitam Longam ab *Helmontio* commendata, *Tr. Arcan. Paracelſ. pag.*626. *Paracelſus* ipſe in Conſil. Sterzingenſibus commun. ceu optimum peſtis præſervans, myrrham junioribus & infantibus commendat. Tinct. ergò ſalutis *B. D. Langii*, ex myrrhâ cum Spiritu Vini Tartariſato extracta, loco cujus & Spiritus Sal. Ammoniaci cum Spiritu Vini paratus pro menſtruo capi poteſt, ſalutare erit pueris remedium, corrigens acidum, & reſolvens viſcidum. Facit huc etiam elixir proprietatis abſque acido paratum per alcalia, vel fixa, Sal Tartari, vel vol. cum ſpiritu Sal. Ammoniaci, hoc ipſum enim iis, qui adhuc lactis gaudent nutrimento mirificè conducit, ſicut poſt ablactationem, ad quod cum acido conſueto modo vulgò conficitur, tutô concedi poteſt. Hiſce denique ſuo modo Theriacam & Mithridatium annumero, quorum non eſt, ut vel caliditatem vel narcoſin opiaticam pertimeſcas, modò à gr. dimid. ad gr. j. vel ij. pro ratione ætatis propines, quæ & acida vitioſa temperent, & inde illatas noxas doloroſas blando ſopore fallant.

Denique fixa & paulò terreſtriora.

§.7. Hiſce acida corrigentibus vol. partim Salinis, partim oleoſis, adjungenda ſimul erunt denique concreta quaſi terrea, & fixiora paulò, acidum, quod talia rodit, in ſe abſorbentia, qualia ſunt ocul. Cancror. & (his vix nobilioris uſus) margaritæ præparatæ, Coralia, C.C. tam communi modo, quam Philoſophicè ut vocant uſtum, ut & *Ebur*, ſimili modo tractatum, *lap. bezoar animalis*, in genere omnes animalium partes oſſeæ, imprimis marinorum ſeu aquatilium, & dentes, quo & *Vnicornu* animale pertinet, item *dens Hippopotami* & ſimilia, ex quibus etiam pulvis marchionis compoſitus eſſe ſolet ad Tormina & Epilepſiam infantum Mulierculis decantatiſſimus: loco cujus feliciter uſurpari poteſt ſequens: Recip. Ocul. Cancror. præp. ʒß. C.C.ſ. Ign. ℈.j. Corall. rubr. præp. ℈ß. myrrhæ, el. gr. vj. vel ix. theriac. gr. iv. olei d. aniſi gutt. vj. M. fiat pulv. pro puerorum affectibus quamplurimis convenientiſſimus, qui ſi acuatur aliquot granis Sal vol. C. C. vel cranii hum. vel viperar. erit uſus ejus longè ſalubrior, magiſque præſentaneus.

Quomodò purgandi infantes.

§.8. Temperatus ità partim, partim reſolutus ſuccus acidus, neceſſe interdum eſt, ut eliminetur foras idque per alvum imprimis obſtetricante naturæ defectibus arte. Optatam opem hic ferunt Clyſmata, cum Sal. Tartar. ſimilivè lixiviali acuata, quæ mucum in craſſioribus inteſtinis reſolvunt, optimeque educunt, & ſtimulo reliquis inteſtinulis ità injecto, cœtero muco deſcendenti vias patentiores reddunt. Parentur ſaltem ex decocto fl. chamomill. ℥j. ad ℥iß. ad ℥ij. pro ratione ætatis, addendo mell. rutac. ℥ß. Sal Tartar. ℈ß. ad ℈j. ol. d. aniſ. gutt. iij. vel iv. quæ injecta feliciter operantur: vel loco talium Enematum ex lacte dulci cum therebinthina in Vitell. ovi diſſolut. miſta clyſmata ſunt admodum egregia, idque ubi doloroſa abdominis ſimul urgent ſymptomata: quin & fortius per clyſmata ubi ſtimulanda alvus, & detergendus mucus, non rarò vitreus, etiam talibus ex ſimplici vegetabili decocto paratis, pro fortiori acumine addendus eſt ſyrupus emeticus à ʒj. ad ʒij. pro ætatis ratione, aut etiam infuſum quoddam Antimoniale, nomine Aquæ benedictæ aliàs cognitum: qualia pertinacioribus in malis, epilepſiam etiam jam minitantibus, quæ ferè ſemper in infantibus fomitem obtinet in abdomine, convenientiſſima. Quod ſi neceſſitas incumbat, ex lacte farinaque congeſtum mucum ex ſuperioribus locis potentius eliminare, præter ea, quæ ſupra §.1. hujus cap. laudavimus, (quæ inter ſyrupus de ſpina Cervica vel ſolum, vel cum ſyrupo de fumar. miſtus, & ſubinde exhibitus, omnibus palmam præripit) imprimis jalapæ pulvis, cum triplo C. C. uſti l. ſ. Ign. miſtus & ad gr. 2. l. 3. & plura, ætatis habita ratione propinatus, elegans eſt laxans, ordinatum à *Ludovico in accurat. Pharmac. diſſ.*1. *p.*191. non minus quam dimidia vel unica pilula aloëtica ab eodem c. l. præſcripta. Habitioribus paulò eadem mutata ſaltem doſi conveniunt, non minus, quam aliquot gran. Mercurii dulcis, in ſpecie ubi ablactati fuerint, qui & mucum reſolvit, & prætereà quoque verminationi reſiſtit. *Manna quoque Calabrina* purior, pulti addita, & tenellis propinata quantitate plus minus, aucta, ʒij. ad ℥ß. pro ſcopi vel ætatis ratione, ſuaviter & blandè eoſdem laxare ſolet. Singulare aliàs pro reſeranda alvo infantum quid obtinet Muſcerda, non niſi ſuperfluè delicatis horrida, cujus minutarum Pilular. no. j. vel ij. aut iij. pulv. & cum lacte vel pulte potius exhibitæ ad imitationem *Rulandi Theſaur. l.*3. *p.*220. vel earum 8. aut 10. in lacte maceratæ & per linteum leniter expreſſæ ac propinatæ, egregie laxant infantes. Non me latet, eſſe qui ſcammonii uſum reliquiis præferunt, & ejus aliquot granula in emulſionis formam redacta, admodum commendari, vel ſi ejus gr. j. aut ij. ſyrupo de cichorio addantur. Sed hæc vix, præterquam in ablactatis & robuſtioribus locum habent: horreo eſulinam vel tithymalinam ſcammonii virulentiam, adultis & robuſtis gravem, & ſubinde nocivam, tantò minus infantibus tolerabilem. Novi etiam per nutrices quoſdam purgare velle infantes, quo pertinet aliquo modo, quando Papillis pulv. quidam laxativus inſpergitur, de quo *Panarolus Pent.* 5. *obſ.*10. ſed propter ſummam incertitudinem doſeos, quæ in tali caſu ad fœtum certò determinari nequit, adeoque ob metum, ne plus debito purgentur tenelli, minus tutum negotium exiſtimo. *Vid. Bartholinus* 2. *hiſt. anat* 93. Vomitus ſi in puſionibus interdum, in ſpecie in aſthmatis aut gravioris ſuffocationis metu provocandus ſit, vel per radic. ireos florentinæ, ad gr. aliquot, vel parum *ſyrupi Antimonialis emetici*, in ſ. qu. Aqu. menth. aut fœnicul. diſſoluti, etiam infantibus tutiſſimi, idque repetitis potius vicibus, idque tutius, quam ſemel pro unâ doſi, idque periculoſius propinati, ſufficit, ſuadente hoc itidem experto *Ludovic. c. l. pag.* 197. Nam Faucium irritatio cum pennâ oleo intincta, moleſtior eſt, minusque efficax Vomitorium.

Quomodò infantes curandi.

§. 9. Hiſce in genere ita prælibatis, facillimè patet, ſpecialium morborum infantilium curatio: quam & ipſam ne aliquid deeſſe videatur, levi calamo perſtringam. Tormina ergo quod attinet, cum flatibus, aut viridibus porraceiſque aliiſve dejectionibus p. n. conjuncta, non crebrò nimis præbenda eſt mamma, interea verò cum lacte potius pulv. Corallor. & ocul. Cancror. præp. addita ſemper anaticâ portione pulveris ſeminis aniſi, aut loco talium pulv. marchionis, aut qui præſentanei magis eſt auxilij, ſupra §. 7. præſcriptus pulvis, infundendus. Vel iſtis acidum abſorbentibus, caſtorei parum addendum, & quacunque ratione fieri poteſt, propinandum. Thetiacæ etiam vel mithridatij piſi vel minoris vel majoris quantitas, ſub veſperam exhibita, blandam quietem ſopiendo tormina præſtat. Sin pertinacius malum fuerit, nec talibus crebrius repetitis quieſcat, ita ut jam vel Epilepſia metuenda, ſupra dicti §. 5. ſpiritus & liquores Salini vol. ſacra, erunt anchora: vel fiat miſtura, Recip. ſyrup. de ſpin. Cervin. ℥ß. ſpiritus Sal Ammoniac aniſ. ʒß. ocul. Cancror. præp. ℈j. ad ʒß. M. diluantur cum pauca Aqu. fœniculi, & ita cochleatim propinentur. Aurum fulminans magnæ hoc in caſu obſervatur efficaciæ, ut non immeritò à quibusdam inſigniter extollatur, contra tormina Infantum, & pertinacem nimis alvi obſtructonem, etiam imminentem exinde Epilepſiam: datur infanti aliquot dierum, aut etiam unius ſeptimanæ, gr. j. cum gr. iij. Nitri deputari vel Antimoniaci, datur etiam ſolum, abſque addito, in iis, qui jam ſunt aliquot ſeptimanarum ad gr. ij. vel iij. propinatur in lacte, vel quod melius in vehiculo Aquæ deſtillatæ idoneo, & præter alios affectus, quos aliquoties admiratus fui, tormina ſiſtit, horridas

Tormina.

dejectiones

dejectiones alvi promovendo, & inſultus epilepticos ſopit. Varietas obſervatur in ejus operatione, nunc citius, nunc tardius operatur, debilius itidem, aut vehementius, prout uti ſuſpicor plus minus in Ventriculo infantis à grumo lactis, vel muco pituitoſo irretitur, & quaſi inviſcatur. Suppetias hiſce ſimul ferant inunctiones externæ, ex oleis deſtillatis cumini, carvi, aniſi, fœniculi, chamomill. cortic. aurant. &c. Oleo chamomill. per infuſ. ceu corpore, aut oleo nucist. expreſſ. aut ol. ſtomachal. Craton. exceptis, ne illorum deſtillatorum acrimonia dolorem ex excoriatione inferat, & circa umbilicum inunctis. Quod ſi tenacior mucus dictorum malorum fuerit autor, exterius ſpecialius unguentum conducet, ex gumm. ammoniac. in Acet. Deſtillat. ſol. ℥ij. therebinth. aloës a. ʒj. ſevi Cervini & butyri non ſaliti q. ſ. pro conſiſtentia debita, ulterius quoties illiniri debet oleo d. aniſ. irrorandum, & ita dictis locis umbilicalibus applicandum, quoties opus fuerit, aliquali portione fellis tauri acuendum. Cum vero pathemata hæc inſigniter exaſperari ſoleant, alvus ſi clauſa fuerit. ob id ſtudioſiſſimè proficuus clyſmatum ſupra laudatorum uſus obſervandus erit: attendendo ſedulò, magiſne acrimonia acida, an viſciditas cauſæ peccantis urgeat, ut ita delectus aliquis inſtituatur. Speciatim tenuia & liquida, laticis cujuſdam inſtar plus minus flavedine tincta, utut acerrima, & præter gravia infantum tormina, etiam excoriationem podicis ſubinde inferentia obſervantur, excreta, in quo caſu, Clyſmate ſimplici ex Lacte bubulo cum pauco ſaccharo impregnato, injecto, & dicta acrimonia temperari, & quæ imminet inteſtinorum craſſorum gravis læſio ac excoriatio tuto præcavere poteſt. Recenſita hactenus & ipſa, non abſque felici ſucceſſu, in inflatione hypochondriorum, aut tympanitica quoque abdominis diſtenſione in uſum revocari poſſunt, aniſi præ reliquis proficuus eſt uſus, ſive ejus pulvis cum dimidio Corall. præpar. crebrius infanti propinetur, ſive eleoſaccharum aniſatum, aut ſpiritus Sal. Ammoniaci aniſ. ſedulo ingerantur, & extra quoque oleum deſtill. cumini, aniſi, cum oleo chamomill. vulg. calide hypochondriis illinantur.

Hypochondr. inflatio.

Vomitus.

§. 10. Quod ſi Vomitus turbet infantes, iſque per eſſentiam ut vocant fuerit, ſinendus eſt, donec vitioſus mucus, aut acris latex evacuatus fuerit, & cum moderato lactis uſu interius pulv. ex nuce moſchat. corall. & caryophyll. paucis propinandus, & ſubinde repetendus, vel temperatior cinamomi Aqu. ſpirituoſa infundenda, Theriaces etiam externus pariter ac internus uſus in minuta doſi non negligendus, idque etiamſi per conſenſum fuerit: quod ſi ablactati fuerint infantes, non immeritò decoctum caryophyll. ʒß. & maſtiches, ℈ij. in Vino commendat *Joel. Prax. l. 9. ſ. 4. membr. 3. p. 344.* Externe fruſtulum panis Vino malvatico ebrium ſtomacho imponendum: vel aliquot gutt. ol. deſtill. macis, ol. nuciſt. expreſſ. exceptis, ſtomachal. regio inungenda. Quod ſi variegata, multiformia, Vomitu rejiciantur recrementa, cum talia non abſque perverſo regurgitationis motu ex ſuperioribus inteſtinis in Ventriculum, eveniant, clyſmatum modò laudatus uſus non negligendus, perverſum inteſtinorum periſtalticum motum irritando inferiora verſus corrigens, & ita Vomitus Violentiam cohibens. Sed ut ſupra monui, non eſt citò nimis cohibendus vomitus, imprimis quando nauſea urget, aut ſtertor anhelando auditur, quin potius in tuſſi ex ſtomacho, præ cæteris tuſſis ſpeciebus furibunda, difficilique reſpiratione & aſthmatico affectu, ſtudioſe, ni ſponte ſuperveniat Vomitus, provocandus erit, præſens namque levamen affert. Pro reliquiis a. materiæ acidæ mucilaginoſæ reſolvendis, ſyrupus de nicotiana legitimè paratus, ut & de Eryſimo optimè cum Aqu. hyſſopi vel menthæ propinati conferunt, non minus, quam raphani ſuccus recens

Tuſſis & Aſthma.

cum ſaccharo depurato temperatus, ingratus licet, efficaciſſimus tamen eſt: in cujus locum, mitior quidem non minus tamen potens, liquor ſacchari ex raphano in taleolas inciſo, ſaccharoque largiter inſperſo defluens, commodè ſubſtituitur. Quod ſi non ex ſtomacho, ſed pectore a. larynge potius affecta & à lymphâ acriori, vel aëre inclementiore irritata, tuſſis contumax ſicca, ſæpius nocturna oriatur, ſperma ceti, quacunque ratione commodiſſimè in juſculo vel cereviſia a. lacte probè calido propinandum erit, ſpiritus quoque Sal. Ammoniaci aniſatus, inſigni hic meritò extollendus encomio, etiam ubi dentitio difficilior talem tuſſim, quod interdum contingit, excitaverit, quo in caſu vomitorium interdum præmittendum erit: ſed præ cæteris Liquor. C. C. ſuccinatus, ſupra pluribus laudatus, in affectibus infantum Catarrhalibus quibuſcunque primum meretur locum. Nec contemnendum hic eſt euporiſton mulierculatum, ex *Cratonis, trium Imperatorum Archiatri*, experientia ipſis compertum, nempè juſculum decoctionis raporum c. ſaccharo ſedulò infantibus porrectum. Adultioribus paulò, decoctum rad. helenii c. uvis corinthiacis in Vino pauco addito ſaccharo confert, non minus quam loch de paſſulis cum mucilagine ſeminis lini a. cydoniorum permiſtum eſt blandum temperans. Externè in tali tuſſi ſicca inunctio plantarum pedis veſpertina cum pinguedine lucii piſcis eſt proficua. Quod ſi verò ſingultus ex quacunque cauſa adfuerit, iſque paulo pertinacior ſit, vomitus imprimis conducit, evellendo acres acidas ſordes, ſtomacho in ſpecie ſic dicto adhærentes, propinando poſtmodum pulv. Joelis in omni ſingultu ab eodem æſtimatum, ex C. C. uſto & Corall. præp. an. miſtis conflatum, gutt. j. l. alteram Ol. d. cinamomi a. aniſi addendo, nec omittendo proficuum Theriaces uſum, aut quod ſæpius jam laudavimus, noſtras aroma, aniſum nempè, ſingultui etiam adultorum appropriatum, externo pariter ac interno uſu, non minus, quam polychreſtum Caſtoreum.

Catarrhi.

Singultus.

Lumbrici.

§. 11. Vermium otioſa proles, mille incommoda inferens, felicius vix exturbabitur, quam Mercurialibus per os exhibitis, infuſis tunc ſimul clyſmatibus ex lactis vaccini vel muliebris ℥ij. ad ℥iij. addita ſacchari ſ. q. ut illorum hoſtili impetu, in fugam verſi lumbrici, hujus dulcedine allecti, melius decipi queant. Uſurpantur Mercurialia vel in forma Aquæ ut vocant, Hermeticæ, ſ. quam Mercurius vivus in eadem bulliendo ſuo contagio infecerit, vel in forma pulveris, ſi nempè Mercurium vivum cum certo quodam ſucco ut inquit *Schrœderus Pharmac. l. 3. cap. 5. pag. 398.* id eſt, cum ſaccharo continuata tritura in pulverem redactum propinaveris in cochleari ligneo, loco cujus & in ablactatis Mercurius dulcis cum conſerva fl. perſicorum, l. cum ſaccharo in rotulas redactus commodè uſurpatur. Quod ſi quis horreat ad Mercurii nomen, is gentianæ pulverem cum C. C. ſ. Igne & tantillæ myrrhæ, jurato lumbricorum hoſte (vel quæ præſentaneam magis fert opem, Tinctura ſalutis) exhibere poterit; vel ſaltem ſpiritum & Sal vol. C. C. adeoque & polychreſtum liquorem C. C. ſuccinatum. Applicare poteſt; præterea unguentum ex aloe hepatica c. felle tauri ſubacta, & cum Ol. colocynthid. acuata, regioni umbilicali, cum portione veſiculæ ſuillæ, ſic namque facilè inviſi hi hoſpites eliminabuntur.

Atrophia.

§. 2. Quod ſi denegatus alimenti tranſitus atrophiam inferat, laudata ſæpius volatilia, & alimenti depravationem ejuſque viſciditatem corrigent, & forti penetratione reſerabunt obſtructos antea meatus, præmiſſo & interdum iterato ſubinde blando laxativo, quæ ob id lactationis tempore ſubinde iteranda erunt, ſicut poſt ablactationem liquor Tartari *à Barbette in Prax. l. 3. c 2. Obſerv. 3.* commendatus erit proficuus, ut & Tartarus Vitriolatus Tacheniano

more paratus; ut & arcanum duplicatum *Mynſichti*; & Tinctura Vitrioli Martis Tartariſata, erunt utiliſſima. Externe ad reſolvendam ſpiſſiorem mucilaginem, linimenta ex gumm. ammon. ſupra §.9. laudata, it. quæ fiunt ex Ungu. Martiato, altheæ compoſito, Ol. Philoſ. felle tauri, &c. Erunt proficua, quorum formulæ, vid. in *Sylvii Prax. l.* 1. *cap.* 14. *p.* 167. & *Barbette c. l.* it. *anat. Pract. l.* 1. *c.* 14. Ceu præſentiſſimum, ſæpeque probatum remedium ab *Hœfero Herc. Med. p.* 349. commendatur Pulmentum illud, quod Vertex ferreus rotæ molaris, inter movendum colligit, extra illitum: cum hiſce conferantur *Miſcell. Acad. Nat. Cur.* anno 2. obſ. 152. & ſpeciatim anno 3. obſ. 250.

Tinea & Achores. §. 12. Quod ſi Cutanea ex vitiata nutritione ſubinde etiam neglecta balneatione effloreſcant Vitia, in achores, Tineam & cruſtam Lacteam, &c. Interne alcalinis Volatilibus ſæpe laudatis, in ſpecie viperinis inſiſtendum, tantillum Liquoris C. C. ſuccin. aut Sal vol. viper. Pulveriſve cujuſdam Viperini propinando, vel Tincturam Antimonii ſupra laudatam crebrius guttatim exhibendo, vel C. C. ſ. Ign. aut Antimonium diaph. aut Ocul. Cancror. pauca myrrha iteratis vicibus uſurpando. Externè Mercurialia, quibus hoc in paſſu ſubindè abutuntur, vitentur, cum Epileptica in tenellis adeò ſubjectis inducant ſymptomata, *Timæo* teſte *Reſponſ.* 43. *pag.* 106. nec lotiones pro curanda tinea ex Nicotiana inſtituendæ, pulveriſvè ejus inſperſiones, ebrietatem enim turbulentam, anxietates præcordiorum c. lipothymiis Vomitus, & copioſos ſeceſſus ſuperveniſſe talibus obſervatum eſt, *à Celeb. Boyle Vſefulneſſ. of. Experim. Philoſ. pag.* 211. & *à Fehrio tr. d'abſinth. pag.* 90. Potius Puſtulæ linimentis ſaturninis aut Sulphureis acidum abſorbentibus aut temperantibus blandè inungantur, quib. ſi add. Sal. Tartari modicum, exoptatus habebitur ſucceſſus v. g. pulv. fl. Sulphur. excipiatur ungu. de ceruſſ. camphor. vel diapomph. c. ſ. q. Ol. nicotian. vulgar. addendo Sal Tart. plus minus, prout acrius vel mitius poſtulamus linimentum, quo ipſo illitæ puſtulæ optimè exareſcent & curabuntur, facit huc etiam unguent. expertum *Panaroll. Pent.* 5. *Obſ.* 31. ex Sulph. axungia (porcina) & ſucco limonum, quo illitus locus tinea defœdatus aliquoties, & poſtmodum decocto malvarum ablutus, optimè reſtituitur. Vulgaria fugimus meritò Unguenta, & Linimenta, ubi ſimplicia cera, Oleis, therebinth. pinguedinibus, reſinis ſimilibuſvè permixta, & partim ſaturata, partim obruta & ſubacta, nullam operandi vim exſerere valent, niſi quod poros cutis denſe incruſtando malum longè deterius reddant. Meritò autem duplex harum in Cute effloreſcentiarum ſtatus, duplicem medendi rationem Medico inſinuat. Interdum enim puſtulæ hæ, ex acriori acido in manantia jam degeneraverint ulcuſcula, acrem plus minus, tenuemque ſaniem jugiter plorantia, quibus leviter linteo, vel ſpongiola, Aqu. ſpermatis ranarum turgida abſterſis, inſpergantur pulveres acida abſorbentes, viſcida modice reſolventes, & ita ut vocant exſiccantes, & detergentes, qualia componuntur ex Creta, Lacte Lunæ, Succino C. C. uſto ceruſſa, tutia, myrrha, fl. Sulph. & ſimilibus, præ cæteris crocus Martis ex ejus Vitriolo per lixivium Sal. Tart. præcipitatus & probè edulcoratus, ex nodulo leniter inſperſus, mirabilis exiſtit, cui tantillum Sal. Tart. coſmetici ſummi, quantum nempè ſine doloris ſenſu perferri poteſt, imprimis ſi contumaciores fuerint, aut ſubinde repullularint defœdationes dictæ, conſulto permiſcetur. His namque abſorpto acido, & deterſo viſcido, ſponte ſucceſſive coibunt ulcuſcula, idque citra ullum recidivæ metum. Sic enim v. g. Lactumina, faciei ſi offuſcant nitorem, puſtulis in ſpecie manantibus inſpergendum eſt: ℞. pulv. Lap. calam. ʒj. fl. Sulph. ℈ij. ceruſſæ. ʒ. ſ. Sal. Tart. gr. xij. vel xv. M. f. pulv. ſubtiliſſ. inſpergendus. Quod ſi verò mitius in dictis ulcuſculis peccaverit acidum, idque jam ſub ſua Salſedine temperata cum purulentia viſcida coiverit, in tenaces & ſubinde ſpiſſas cruſtas, ſufficiant ſimpliciter alcalia fixa cruſtas emollientia, & acidum vitioſum in radice penitus deſtruentia, quem in finem vel lixivio vulgari blande humectentur, ſubinde dictæ puſtulæ, vel oleo Tart. per deliquium eædem blande quaſi illinantur, vel ex dicto oleo per deliquum cum oleo expreſſo amygdal. dulc. fiat ſubtilis litus, dicto modo applicandus; Quod ſi grandiores tumores glandularum circa capitis protuberent confinia, applicandum eſt pro eorum diſſolutione Empl. de melilot. malax. c. ol. Philoſoph. vel fiat compoſit. ex eodem cum Emplaſtr. de galbano Crocato, *Mynſ.* & ita imponantur, aliquandiu relinquendo. Quæcunque autem modo recenſita externa, non niſi præmiſſis internis, & fomitem morboſum tam in primis viis, ſpeciatim in ſtomacho, quam in latice lymphæ corrigentibus & delentibus in uſum vocanda ſunt, ne pallietur morbus externus, & gravior internus inducatur affectus.

§. 13. Variolæ vel morbilli ſi affligant infantes, expulſionem earum, ſeu acidi viſcidi peccantis ex lympha & ſanguine ſeparationem, indeque natæ febrilis effervеſcentia mitigationem promovent optime ſemina iſta expulſiva dicta, napi videlic. card. bened. aquileg. naſturt. &c. Cum addita myrrha pauca, c. Aqu. ſambuc. & ſcabioſ. in emulſionis formam, ad imitationem *Zvvelferi Phar. reg. p.* 209. redacta, quæ infantibus perquam ſalutariter porrigitur. De cætero & Antimon. diaphor. tam vulgare, quam quod magis appropriatum hic creditur, ex Mercurio Vitæ paratum, additis granis aliquot myrrhæ, item caſtorei conſulto in Aqu. vel vehiculo appropriato iiſdem, reiteratis vicibus exhibetur, nonſecus ac C. C. ſ. Ign. ſimili modo ſalubriter convenit. Myrrhæ nunquam in Variolis aut morbillis negligendus uſus, tot experimentis jam confirmatus, unde & eſſentia myrrhæ ſeu ſalutis ſupra laudata, comprobatæ hic eſt efficaciæ, uti & eſſentia caſtorei, tam ſimplex, quam quæ magis eſt compoſita ex caſtoreo & aſa fœtida, cum ſpiritu vini tartariſato parata, ceu præſervativa pariter ac curativa ſuo modo Variolarum ab aliis eſt commendatiſſima. Dictis uſibus (niſi ſuperflue delicati in remediorum ſelectu eſſe velimus) ſimiliter infuſio ſtercoris equini in potu ordinario mirè conducit, ſtercoris tamen ovilli uſus, huic adhuc præferendus eſt in Variolis, ſicut in Morbillis Caprillum eminet. Promotâ ſic puſtularum eruptione & corporis fervore tepeſcente, id quod deeſt ad maturationem earundem, pulv. ocul. Cancror. c. myrrhâ crebrius reiteratus abſolvit. Quod ſi gravior acrimonia, ſub eruptione horum ex anthematum, Epileptica intulerit ſymptomata, in tenerioribus ſpiritus C. C. Succin. aut Sal. vol. Cran. hum. par ſibi vix inveniet remedium, ſicut robuſtioribus paulo Cinnab. Antimonii & ſuper ejus baſin conſtructum ſpecificum Cephalicum, optimè confert, imprimis c. dictis Volat. ſociatum. Nutrix intereà in potu quotidiano diligenter gelatinam C. C. diſſolvat & hauriat. *Variolæ.*

§. 14. Aphtharum moleſtiæ, quæ utplurimum lactationem infantum impediunt, ut removeantur, egregiè confert raparum in Ign. coctarum, ſuccus expreſſus, cui tantillum ſacchari vel mellis additum fuerit, quo eluatur & abſtergatur frequentius os eorum: vel quod aliis perplacet, raparum ſupra igne, tecto vaſe, ſine Ign. aſſatarum ſuccus expreſſus, etiam ſine ſaccharo optimus, dicto modo illitus. Aut horum loco Aqu. extinctionis chalybis, in quo ſalvia & parum mellis bullierint modicè commodè pro eluendo ore adminiſtratur. Decoctum quoque veronicæ cum melle in Aqu. ſimplici factum, pro ore eluendo, eſt uſu frequenti compertiſſimum. Quod ſi maligniora, aut etiam ſerpentia oris fuerint ulcera, idque in ablactandis imprimis, nam lactentium nutri *Aphthæ.*

nutrimentum lacteum pro medecina ex parte inſervire poteſt, inſtar omnium ſit linimentum ex melle c. tantillo ſpiritus vitrioli, vel quod magis placet, cum ſpiritu ſalis impraegnato ſubinde ori illitum.

Pavores & Epilepſia.

§. 15. Epilepticos tandem inſultus eorumque prodromos ſomnum turbantes pavores, ut curemus, nobile eſt remedium ſulphur. antimonij, ex hujus ſcoriis ultimâ vice certo modo praecipitatum, gr. j. & in robuſtioribus paulo gr. jß. doſ. Epilepticos inſultus tam imminentes quam praeſentes ſiſtens? ſimulque mineram morbi, ſi quae reperiatur in primis viis, auſpicato vomitu exturbans, quibus locis repurgatis, etiam repetitis vicibus, ſine tali effectu tuto propinari poteſt, blandâ quiete & diaphoreſi, novercam hanc potius quam matrem puerorum ſopiens. Interim non rejiciendum puto, communia euporiſta, qualia ſunt pulvis marchionis, raſur. cran. human. Unicornu marin. & hippopotam. vel Unicornu foſſile, bezoar. lap. &c. omnia enim haec acidum nervos infeſtans abſorbent, & ita malum, non mediocriter levant, interdum planè tollunt. Quibusdam praeterea ceu inter ſecretiora ad Epilepſiam Infantum remedia aſſervatur pulvis iſte citrinus, ſeu farina muſco terreſtri clavato, h. e. lycopodio inſidens ſulphureae proſapiae, adeoque facilè flammam concipiens, & inſtar pyrij pulveris crepitum edens, qui ad ℈ß. ceu ſummum Epilepticum puerile commendatur, cui tamen adhuc praeferendam exiſtimo ſimilem ſulphuream farinam in julis Coryli pro vere reperibilem: cum Coryli lignum mirabile iſtud heraclinum oleum, ſingulare antiepilepticum Rulandi fundat, ritè deſtillatum, ſicut & viſcus Corylinus, nobile euporiſton ad Epilepſias eſſe ſolet. Sed ubi talia non ſuffecerint, omnibus praeferendus eſt, liquor C. C. ſuccinatus crebriori experientiâ ad pueriles affectus epilepticos comprobatus, ex quacunque cauſa originem traxerint, etiamſi dentitionis difficultas eaſdem excitaverit, ſuo tamen optimè officio ſatisfacit. Externè abdomini cordisque, ut vocant, ſcrobiculo inungendum eſt balſamum ſuccini, ceu optimum euporiſton.

dentitio

§. 16. Dentitionis laborioſum, & tenellis ob ſymptomatum graviſſimorum ſyndromen ſubinde mortiferum negotium ut promoveatur, & doloribus leniendis & ſyptomatis ſupervenientibus mitigandis, omnis opera impendenda erit. Dolor ergò ut leniatur, & gingivae minus ſenſiles, ſimulque molliores reddantur, eaedem crebrius ſucco Cancr. fluviatilium contuſ. ç. aqu. fl. cyani extracto illinendae, aut balſamo puerorum dentientium à *J. D. Horſtio* in diſpenſ. p. 567. deſcripto, eaedem inungendae: rad. altheae fruſtulum recens, vel aridum in aqu. malvae maceratum, ſaepius maſticandum infanti praebeatur, ut hujus mucilagine à ſaliva ſub maſticatione extracta, emolliantur gingivae melius; cujus loco non ineptae alij fruſtulum corij lardi recentis, ſubſtituunt. Sanguis ex criſta galli parum inciſa recens collectus, & gingivis illitus, ad dentium eruptionem promovendam impenſè quibusdam laudatur. Non ſecus ac leporinum cerebrum coctum, & melle permiſtum, ceu unum ex potentiſſimis remediis, ſimili modo applicatum. Aliis irritis, ſi protuberantia gingivarum, & ſuperior ejus candidior reddita ora, dentis jam proximè abſconditi ſignum exhibeant, ſcalpello eas incidit *Paraeus l. 23. c. 67.* quod ceu tutum ſibique compertum & ſummè proficuum commendat *Borellus 1. obſ. 97.* Extra maxillae & regioni temporum loci dolentis, pro ſpaſmo doloroſo dictorum locorum leniendo, illinatur medulla crurum Vituli, oleum amygdal dulc. chamomill, ungu. d. altheae: mucilag. rad. altheae, aut pſyllij, Theriaca &c. Ut verò reliqua interea mitigentur ſupervenientia ſymptomata, qualia primariò ſunt febris & convulſiones, optimum fuerit, ſi alvus quantum poſſibile ſervetur probe fluida, nam *quibus, cum dentes erumpunt, alvus crebro demittit, minus convulſione tentantur,* inquit *Hippocr. de dentit. Lib.* hinc vel ſponte alvus fluidior ſervetur talis, vel eadem clyſmatis, ſimilibusque remediis laxior reddatur, conf. *Haefer. Herc. med. p. 355.* Indeque ſpeciatim in iis, qui ex nutricis cacochymia minus laudabilem ſanguinis, reliquorumque contentorum craſin obtinent: nam & tales ordinariò gravius ſub dentitione laborare aſſolent. Internè Gelatina C. C. recens, crebrius quocunque vehiculo propinata, & hinc Liqu. C. C. ſuccinatus, ob convulſionum imprimis metum, medicamenta ſunt tutiſſima & utiliſſima.

Febres.

§. 17. Ad febres nunc devolvimur, quarum varietas, variam etiam medendi methodum exigit. Intermittentes, utut rariores, quocunque aetatis tempore affligant pueros, curat praemiſſis in ſpecie Vomitoriis ſpiritus ſalis ammoniaci aut loco hujus ſal abſint. fixum, vel denique ſal holſaticum dictum aliàs arcanum duplicatum Mynſichti. Continuas verò lentas ex acido viſcido, hisque cognatas catharrales, ex lympha nimis acida, poſt laxativa & clyſmata, vix aliud remedij genus melius, quam ſpiritus ſalis ammoniaci, ſimplex aut aniſatus aut Liquor C. C. ſuccinatus curabit, in ſpecie poſteriores, ad quas etiam Tinctura myrrhae ſalutaris exiſtit. Quod ſi verò ablactati ſint, optimè liquor tartari, ſupra laudatus, it. ſal ammoniacum c. dimidio ocul. cancror ſaepius reiteratum, eas profligabit. Continuae ardentes, hisque ſimiles, utut rarae affligant tenellos, eos tamen Vomitu, imprimis praemiſſo, aut aliis evacuativis, profligant antimon. diaph. ut & C. C. ſ. Igne & cum eodem compoſitus pulvis febrilis Ludovici in pharmacia, p. 280. 282. quin & in potum ordinarium, quem praeter lac avide ſubinde appetunt, in nodulo infuſum ſtercus equinum, vile quidem, ſed non niſi delicatis ſuperſtitioſè contemnendum eſt euporiſton, loco cujus tamen & Gelat. C. C. tam infanti, quam in ſpecie etiam Nutrici in potu ordinario frequenter propinetur, inſignis his in affectibus uſus. Aliàs ſi robuſtiores paulò extiterint nitrum antimoniatum, uti & arcanum dupl. Mynſ. modo laudatum, cum modo dictis exhibita, ſunt egregiè proficua: quin & nil impedit, quò minus etiam miſturae blandè acidulae, pro compeſcendo aeſtu ſitique moleſta propinentur, ſicut & ſeri lactis cum ſucco Citri acidulati potus eſt non ingratus. Quod ſi malignitas conjuncta fuerit, praeter modò enarrata etiam emulſio ſupra de Variolis laudata, c. C. C. ſ. Ign. antimon. diaphor. Terra ſigill. & ſimilibus in ſpecie convenit. Miſturae quoque cum diaſcordio Fracaſtorij, aut moderatâ Theracae doſi impraegnatae in paulo robuſtioribus tuto in uſum revocari poſſunt.

Crinones & Vermes.

§. 18. Crinones, vel Vermes ſi affligant pueros, poſt Tincturam antimonij Balnei repetitus uſus, praeſervative pariter & curativè eoſdem removet, pro maturanda tamen genitorum remotione, conſultum eſt, ut Balneo aquae dulcis, mellis modicum addatur, quo ſub lotione hujus dulcedine allecti vermiculi per poros capitibus ſuis prominentes commodè, vel unguibus acutioribus, vel volſella exigua ſubtiliter extrahi queant, id quod aliquoties reiterandum erit. Aliis in more poſitum eſt, ut ablutos in Balneo infantes, manu melli intincta blandè perfricent, & hinc profectos Vermiculos vel cruſta panis duriore in formam aciei cultri reſciſſa, idque tutius, vel ſcalpello idque minus ſecurè abradant & removeant. *Petrus à Caſtro, Tr. de Coloſtro,* mulierum Luſitanarum experimento fuliginem Caminariam cum melle & lacte mixtam, dorſo illitam laudat. Prae caeteris, modò dictorum, uno altero ve praemiſſo convenit aqu. aloëtica *Timaei*, quotidiè aliquandiu inuncta: de cujus uſu: *vid. l. 5. caſ. 23.* deſcript. c. l. cap. 4. quinimo putarim, aqu. hermeticam ſ. decoctionis mercurij vivi, uti Lumbricis & ſcabiei optime conferre

ſolet, etiam eandem in Balneo cutim abluendo uſurpatum, citra ullum periculum dictos Crinones necare & tollere poſſe. Plura de his *vid. in Velſech. ſupr. cit. Locis.*

Itertrigo, §. 19. Intertrigo, ſi tenellam Cutim cuticulæ tegmine ſpoliaverit, vix citius aut jucundius removetur, quam croco mart. ex vitriolo præcipitato ſupra laudato ſinè ullo vel minimo ſenſu excoriata loca reſtituens: cujus defectu & Terra vitrioli dulcis conſulto ſubſtitui poteſt: Vel ſi macularum in linteis exinde nata flavedo ſit obſtaculo, uſurpetur pulvis ex C. C. uſto, creta, & pauca ceruſſa, quæ ipſa nodulo tenui incluſa ſuſpenſa manu blandè inſperſa, ſuper impoſito linteolo quicquid fuerit mali, ſiſtunt.

§. 20. Hæc ipſa, quæ hactenus tractata fuerunt, uti primariò, de tenerioribus, & quæ nutricis adhuc ſuſtentantur Lacte intelligenda veniunt, infantibus, ita eadem mutatis mutandis de facili quoque ablactatis & vegetiore robore jamjam adoleſcentibus applicari poſſunt. Modò conſideremus, quoscunque infantes, & ſpeciatim qui lautiori gaudent diætâ, & à teneris unguiculis luxurioſè magis, quam ſalubriter educari ſolent, ob communem iis addiphagiam & quaſi voracitatem obnoxios eſſe cruditati acidæ ex quâ ceu uberrima ſcaturigine, ſimilia iis, quibus ſub lactatione, ex lactis p. n. aceſcentia & corruptione &c. conflictari ſolent, mala in eosdem largiter redundare ſolent, quæ ipſa etiam, aut iis ferè aut ſimilibus medicamentorum generibus profligenda erunt, quo tenera hæc proles, in Divini ſui Creatoris Gloriam, & Proximi Salutem benè educari ac inſtitui juſſit. Ipſi Conditori Cœli & Terræ, ſit

SOLI GLORIA.

DISSER

DISSERTATIO XI.

DE PRÆSCRIPTIONE FORMULARUM IN GENERE.

CAPUT I.

§. 1. Auxilia Pharmaceutica ſeu Remedia, ſunt vel ſimplicia, vel cōpoſita: utraque rarius hodiè cruda, potius plus minus diverſimodè tamen præparata adhibentur. Exemplo ſit *Theriaces*, Compoſitorum Anteſignani, *fermentatio*, antè ſui diſpenſationem, neceſſaria æque ac proficua: illius enim ope mirabilis iſta ac diſcors ſimplicium farrago, mutuo quaſi attritus & ſubactione accurata in concretum concors, *texturæ* ſal in Oleum ſæ vol. effectus anodyno-ſudoriferi nonnihil analeptici, abit, ingredientium quorundam activæ magis particulæ, reſinoſæ præcipuè reſolutæ, hincque diffuſibiliores, indeque penetrantiores redditæ, partim corriguntur: ob id x. annos juxta *Arabes* fermentare debuit, & etiamnum hodiè longè diutiùs juxta *Perſas*, quorum quidam xii. alij xxx. annos ipſi pro fermentat. aſſignarunt, *Pharmac. Perſic. Fr. Angel. à S. Joſ. p. 26.* Sulphur, naturæ quibusdam dictum balſamum, crudum, tardiſſimæ & difficillimæ in nobis alterationis ac appropriationis eſt, quod tamen à ſal Tart. recluſum, & Oleum deſtil. ſolutum, properanda exinde vel Tinctura ſummè activo, vel extracto, longè magis medicamentoſo, quia magis reſolubile, & undique per corpus mediante quovis fluido diffuſibile, reddi ſolet. Attenuativa, & inciſiva, Gumm. ammoniac. polychreſtâ ſubſtantia, potius in eſſentia cum ſpiritu vin. Tartaris: adhibentur, quam integrum ejus concretum, licet acet. deſtil. ſolutum, ſiquidem ſociata in hoc acri illæ attenuativæ reſinæ mucilagô temperata & inſpiſſans, non poteſt non illius motum alterativum remorari: niſi veterum, & hos inter *Dioſcorid. l. 3. c. 98.* ex præcepto, ad ℥j c. acet. ſol. propinare velis. Extractum gentianæ ſuccoſum, præ crudo illius pulvere, febrientibus ſanè accommodatius exiſtit. Eò ſcilicet quævis præparatio reſpicere debet primariò, ut *remedij* reſpectu, vel vis plus minus recondita, ceu perla ex ſtercore eliciatur, vel virulentia caſtretur, aut potius quaſi invertendo corrigatur: *Ægri* vero intuitu, ut commodius aſſumat, quam crudum & ita melius ipſi applicari poſſit.

§. 2. Simplicibus verò aut compoſitis jam in officina quæ proſtant tam Medici intentioni, quam ægri ſaluti ſufficientibus, artificioſa imprimis præparatione exaltatis, haud opus erit novâ compoſitione: quin ſimpliciſſimè à Medico, in ſchedulâ præſcribuntur, & ſignaturâ vel generali, vel in gratiam ægri, interdum ſpeciali, ſubſcribuntur. Quid opus eſt Miſtura ex Spir. vin. camphor. eſſent. theriacal. ſpiritu C. C. Nitr. &c. nova diaphoreſin ægri procurare, ubi Miſtura ſimplex, aut genuina ejus proles, Tinctura bezoardica, rite tamen, quod rarum eſt, paratæ ſatisfaciunt? quid compoſitionibus novis theriacalibus, quas ordinariò theriaca ipſa ſimul ingredi amat, fatigare miniſtros? ubi theriaca ſola ritè adminiſtrata, aut Diaſcordium Fracaſtorij ſufficiunt. Pulv. Card. benedict. crebriori uſu ſe curant febricitantes plebei, citra tot pulv. aut compoſit. febrifugarum abuſum. Balſamus Copayvæ quatenus interno ſui uſu gonorrhœæ reſiſtere tam appropriatè valet, eo ipſo tot aquarum & eſſent. caſtitat: ſyruporum, decoctorum, pulverum & emulſionum compoſitiones ſuperfluas reddit: ſicuti externè, quodvis vulnus, citò tutò, & jucundè curando, non ſecus ac Ol. mommord. infuſ. aut Ol. ſem. hyperici expreſſ. & cum eo concinnatus balſ. ſulphuris, nos tot balſamis vulnerariis, Ol. balſamicis emplaſtris & miſturis interdum monſtroſis, ſuperſedere poſſe, oſtendit. Talia itaque ſelecta, vel ſimplicia vel compoſita, facile ordinari à medico, ac præſcribi, citra alias inſigniores cautelas, poterunt.

§. 3. Si vero circumſtantiarum plurium, ac præ cæteris ſymptomatum urgentium ſyndrome, in noſtris morbis, utplurimum complicatis, & ex intemperantia otioſa ferè anomalis, adeò urgeant, ut conſuetis iſtis *officinalibus* conſulere ægro nequeat Medicus, neceſſe eſt ſæpius, extemporaneas ut ordinet compoſitiones, & ſchedulæ inſcriptas Pharmacopœo miſcendas tranſmittat, quæ *magiſtrales* alias, (ad modò dicturam differentiam) dicuntur. Siquidem *officinales*, ferè majoris apparatus eſſe ſolent, præ *magiſtralibus*, ob extemporaneam, compoſitionum, neceſſariò promptius commiſcibilibus. Ordinata talis remedia ac circumſpecta præſcriptio, *FORMULA* alias dicitur, de *cujus genuino tantum præſcribendi modo*, uſum, applicationem, cautelas, &c. practicis ſpecialibus remittendo, hoc loco agimus.

§. 4. In his ergò præſcribendis Philiatro 2. conſideranda. 1. *Materia* ejusque debitus imprimis ſelectus 2. *Forma*: externa ſcil. ſeu materiæ iſtius concinna ad ſe invicem adaptatio, ut ægro, melius & jucundius applicari, ſive internè ſ. externè, queat, in quo *Finis* conſiſtit. *Materiam* conſiſtunt ipſa ingredientia, qualiacunque fuerint, ex penu 3. Regnorum deprompta, ſimplicia l. compoſita. *Formam* v. abſolvunt horum ſub præſcriptione ſitus ſ. ordo, reſpectiva proportio, præſcribendi modus, & denique in certam texturam à Medico intentam coaleſcentia, quarum hæc *principalis* illæ *ſubordinata* dicendæ ſunt.

§. 5. *Ingredientia*, non corpora elementaria aut omnium prima, ſed jam plus minus (ſub tali reſpectu) compoſita, adeoque formis ſuis ſpecificis & dependentibus inde qualitatibus & proprietatibus reſpectivis inſtructa ſunt. Unde in iisdem conſideranda

1. *quan-*

1. *quantitas* 2. *qualitas*. Circa *quantitatem* 3. materiæ dimenſiones & hic ſuo modo attendendæ: *longitudo*, ſecundum illorum multitudinem, *latitudo*, ſecundum doſin, *profunditas*, ſ. conſiſtentia, h.e. ex miſtis illis coaleſcens moles, & ejusdem color, ſapor, odor &c. Circa *qualitatem* v. conſideranda in ſpecie (apparens licet tantum nobis) *ſimilitudo* & *contrarietas*: tam reſpectu ſui ipſius in genere quam reſpectu ad corpus ægrum in ſpecie. Atque his *Materia* habitus eſt expoſitus: *Formæ* ratio jam præcedenti §. ferè fuit declarata, & hujus in reſpectu in materia iſta, ratione longitudinis, debitus *Ordo*, ratione latitudinis, *concinna proportio*, & ratione profunditatis debitus *præſcribendi miſcendique modus* conſiderandus. Ex quibus tandem eſſentiale Formulæ, quaſi mechanicum concretum coaleſcit.

§. 6. Pateſcit ex dictis ſimul, neminem concinnam, & quæ Medicum decet formulam compoſiturum, niſi: 1. *exactam Materiæ Medicæ ſibi comparaverit notitiam*, ſecundum omnia 3 regna: eamque tam *externam*, ſive quoad attributa à priori ſenſualia, qualis in officinis Pharmaceuticis & Mercatoriis, comparanda, quam *internam*, ſ. quoad attributa à poſteriori cognoſcibilia, h. e. operandi vires l. facultates non niſi per experientiam vel propriam vel alienam (ſcriptorum Medicorum) cognoſcibilem. In hunc finem vel ineptè etiam curioſum præſtat eſſe Philiatrum ſub ſtudij Medici curſu, ut in omnia ubicunque obvia minutiſſima, quæ, qualia, quanta &c. ſint, unde nata, cujus uſus, vel mechanici vel naturalis &c. ſive intelligat, ſive non intelligat, inquirat ſedulò, etiamſi riſu etiam interdum excipiantur talia quæſita: dici non poteſt, quanta copia rerum, in occulto, & non ſentientibus colligatur hoc pacto, quanta experientia, & denique quantus uſus, poſtmodum indè emergat. 2. *Præparationem ſimplicium ſaltem planiorem, exactè calleat*, quod ſine operationibus chymico mechanicis, fieri nequit: harum enim medio aperitur plus minus, alteratur, concentratur, reſpectu aliorum varia Phœnomena exhibet idem ſimplex &c. Propterea Laboratoria, Chymicorum, Medicorum, Pharmacopœorum, quin imò juvat & mechanicorum, quicunque ſubjecta quædam ad materiam medicam ſpectantia tractant viſitare, attentus ſi ſit, nunquam ſine nova præparationis cujusdam vel enchiriſeos &c. obſervatione diſcedat, nam & ſic apud Oenopolas, zythopeptas, piſtores, qui menti curioſæ ſatisfaciunt reperiri licebit: non ſecus ac apud aurifabros, clauſtrarios, ſtannarios &c. quin & proprias manus adhibeat & carbones tractet ad Helmontij imitationem, nec deterreatur à crebriori infauſto ſucceſſu, ſive enim procedat ex Voto, ſive reluctetur tentamen, ſemper aliquid obſervare contingit, alibi quod proficuum eſſe poteſt, & hoc medio optima remedia, elegantiſſima artis opera &c. inventa fuerunt. Modo non ſaltum faciat, ac mox prolixos, aut laborioſos, aut non niſi exercitatis imitabiles proceſſus inchoet, ſales enim nihil commodi, ſaltem ſumptuum perditionem & in capite confuſum Chaos Chymicum reportant. 3. *Compoſitionum officinalium* optimè gnarus ſit: partim ut adhibere debitè easdem, partim aliis aſſociare aptè queat: alias metuendum omninò, ne cœco impetu, quid pro quo interdum arripiendo empiricum temerarium, non circumſpectum agat Medicum. His ita primò obſervatis, certus ſum, quod facillima erit quævis formulas præſcribendi ratio: ſub quorum ignorantia, non niſi trepidante corde & manu, vel ob ſanitatem in ægro, vel ob famam in Medico, utrumque ex inepta formula, periclitantem, aliquid in ſchedula conſignari poterit. Quod ſi nimis late extendi requiſita talia videantur, reſtringi poſſunt ad ea, quibus in præſcriptione ſæpius & frequentius utitur, ut hæc ſaltem juxta ſuppoſita bene calleat, pro ulteriori vero artis incremento & aliis pro viribus incumbat.

§. 7. Jam ut ſpecialius iſta tam Mater. quam Form. requiſita conſideremus, ſe offert quoad materiam, 1. ejus *multitudo*. Equidem felicem iſtum ægrum prædicat, *Helmont.* cujus medicus novit curare ſimplicibus, & doluſ eſt, ſecundum *Arnold de Vill. Nov.* compoſitis uti, ubi ſimplicia ſufficiunt: ſcil. ut ſimplex victus ſaluberrimus & Naturæ convenientiſſimus, ita pariter Pharmacia: Natura utroque paucis contenta eſt. Quod ſi ex §. 5. compoſitis utendum ſit formulis, quævis vitanda multitudo: quæ nec *Medico*, nec *Remedio*, nec *Ægro* conveniens videtur. Non *Medico*, cum ſemper ignorantiæ cujusdam videatur indicium, tanta ſub magiſtralibus compoſitionibus farrago: quaſi inter tot ac tanta, ſimplicia aut compoſita, plus minus homogenea aut heterogenea pro præſenti caſu debitum delectum inſtituere neſciat, id quod materiæ Medicæ ſuperficialem ferè cognitionem innuit. Laboramus abundantiâ potius & luxuriâ remediorum, quam penuriâ, ſelectu ſaltem opus eſt, qui vix quam per experientiam, ac per cognitionem texturæ materialis ſecundum minima ex vi ſeminis nata, ceu operationum inſtrumenti, obtineri poteſt: Præſertim ubi non tam univerſalibus, ſed quod magis expetendum, particularibus ſine appropriatis ac ſpecificis ægro ſucurrere eſt animus. Symptomatum (quam alij urgent) atrocitas & pluralitas, ex unâ ferè vel immediatè vel mediatè propullulant radice morboſa, quâ plus minus correctâ, fructus iſti morboſi marceſcunt: ſin atrocius urgeant, en Opium ritè præparatum: infracta doſi cæteris ſociatum, tantum non omnibus ſuccurrere ſolet, externa ut taceam delinimenta. Nec rarum eſt, quod Naturæ motum, nimium dum damus operam corrigendis ſymptomatis, v. impediamus vel turbemus. Nec minus adverſatur *Remedio* ex pluribus compoſitio, ſiquidem horum genericæ ſaltem dotes, neglectis utplurimum ſpecificis conſiderari ſolent, utrobique ſuperfluo labore facultates, generales enim carminativæ, aperitivæ, abſorptivæ, tribus l. 4. ſelectis ſimplicibus, aut uno concinno compoſito obtineri poſſunt. Specifica pauca ſunt, quæ pauciorbus iſtis univerſalibus ſociata, ſcopo ſatisfaciunt. Quod ſi ſub plurium coacervatione, neglecta ſpecifica, appropriatum activitatis ſuæ objectum, (ne per ſomnium quidem id cogitante medico) inveniant, neceſſariò provocato hinc ſpirituum impetu, ex ſymptomatum novitate nova ægro turba, medico ſolicitudo excitatur. Imò attendendum & hoc, ne talibus compoſitis vel ex ſimplici miſtione, vel ex arctiori per determinatam præparationem in novam texturam unione, novæ vires medicamentoſæ, priſtinis vel deletis vel infractis emergant. Simili ratione, ac ſimplici ex miſtione pulvis pyrius, aut ſclopetans vim fulminantem acquirunt, qui ſtrepitus in auro fulminante ſimplici acidi intenſioris additione, obmuteſcit, non ſine virium detrimento mercurius ſublimatus ſimplici ſaltem cum mercurio vivo miſtione; diutiusque continuata trituratione, juncta repetita edulcoratione, draco mitigatus ſive dulcis evadit, de cujus uſu tuto ſi dubites, ſaltim Docimaſiam *Daviſonij Philoſ. Pyroth. part.* 4. *c. p.* 178. inſtituere licet. Jalapa ac colochynthis, ſimplici cum ſal. Tartari (hic quidem addito ſaccharo) miſcela & tritura cicureſcunt ferè penitus. Quid fieri jam putandum eſt, ubi præter miſtionem, infuſiones, decoctiones &c. quibus vel exaltantur, vel caſtrantur, vel immutantur ſimplicium Vires, acceſſerit. Minus denique *Ægro* proficua eſt iſta multitudo, cum perlæ c. ſtercore ſimul ingerantur Ventriculo: cui tam demum hic labor incumbit, ut digeſtioni ſimili labore, concreta medicamentoſa diſſolvat, donec activæ & medicamentoſæ particulæ reſolutæ, id quod poſſunt, operentur; ſub quo actu ut non tantum immutantur plus minus ingeſta medicamenta

camenta, ita ex oppoſito ipſe ventriculus à tot diverſis ingeſtis non niſi p. n. patietur impreſſionem: qui dum in ægris languet & conſueta horret, multò magis Inſueta medicamentoſa nauſeabit.

§. 8, Ut itaque debitis ſuis cancellis eo melius circumſcribatur quævis compoſitio *magiſtralis*; omnia ingredientia, ad 4. hæc *puncta cardinalia*, quæ ſunt 1. *Baſis*, 2. *Adjuvans*, 3. *corrigens*, 4. *conſtituens* dirigenda veniunt. *De Dirigente* taceo, lite nondum deciſa. *Baſis* eſt præcipuum medicamentum, cui ceu fundamento compoſitionis, ac principali ingredienti, ſive ſimplex & ipſa ſive ex aliquibus compoſita fuerit, reliqua tantum adjunguntur. Cætera inter ingredientia minus principalia eminet *adjuvans*, quod effectum baſeos, ut *citius* & *melius* ſe exerat, promovere debet. In quem finem, cum interdum ſenſibilior quidam requiratur ſtimulus, præſertim in purgantibus, etiam *ſtimulans* interdum audit, v. g. Mercur. dulc. optimus ſtimulus eſt ſcammon. more *Brendeliano* præparatum. Quo verò tutius, ac ſimul jucundius operentur iſta, *Corrigens* ſubinde addendum: Nec enim tam benigna aut correcta ſemper ſunt remedia, quin aliqualem, plus minus notabilem noxiam impreſſionem, vel ventriculo & inteſtinis, nervoſo generi, ut purgantia, vel aliis partibus hoſtilem alterationem inferre valeant: corrigentia E. ſubinde permiſcenda. *Sennæ* operatio Tartaro, cremore in decocto, Sale in infuſo, corrigitur; Opij malignit. pipere & caſtoreo emendatur, ut horum ope illius in ſpiritus impreſſio eò melius deleatur. Quin cum & ingrata ſubinde ſint ægris, certo ex puncto, vel odoris vel ſaporis &c. Remedia, pro infringendis hujuſmodi nauſeoſis qualitatibus ſubinde quædam, ſuccus citri, Acet. Aqu. cinamom. ſyr. ſach. &c. addenda veniunt. Cum denique pluribus modis remedia propinari ægro poſſint, & ita ex iisdem ferè ingredientibus plures formularum modi conſcribi, determinat hanc indifferentiam, *Conſtituens*, à qua reliqua, mutua ſubactione, certum conſiſtentiæ modum acquirunt ut vel ſolidum, vel fluidum, vel medij modi, evadat medicamentum.

§. 9. Exemplis binis negotium hoc declarare juvat: ſit v. g. præſcribendus pulv. vel bolus mediocriter laxans: *baſis* ſit *Jalap. adjuvans*, (quod ſimul baſeos doſin plus minus limitat (crem. Tartari *corrigens* Ol. Deſtill. macis: *conſtituens*, requiritur nullum in pulvere, cum hic per ſe ex miſtura emergat: in bolo verò conſerva fumar. aut fl.tun. adhibeatur; unde tales fiunt formulæ.

♃. *Crem. Tartari gr.* xv.
pulv. jalap. ℈ß.
Ol. Deſtil. macis. gutt. ij.
M. f. pulv. purg.

♃ *Conſ. fl. tunic.* ʒß.
Crem. Tart. gr. xv.
jalap. ℈ß.
Ol. Deſtill. macis. gutt. ij.
c. ſ. q. ſyroſ. ſol. F. Bolus purg.

Vel ſit ordinanda potio anthypochondriaca ſive hyſterico-diaphoretica, repetitis vicibus capienda. *Baſis* ſit vel compoſita, ex Eſſ. caſtor. & Liquor. C. C. ſuccin. vel ſimplex, Eſſ. Caſtor. c. ſpiritu Sal Ammoniac. vinoſo parata; *adjuvante* opus eſt nullo, aut ſi pro ſcopo abſorbendi vitioſos ſapores in primis viis addendum aliquid foret, Lap. Cancror. Unicorn. verum ſufficiunt. *Corrigens* ſaporis ratione ſit *ſuccus Chermes* vel ſyrup. borragin. vel ſyr. cortic. aurant. Denique Aqu. Deſtillata vel qualiſcunque, vel aromatica, vel appropriata, ut interdum dicuntur, pulegij, fœniculi, fl. ſambuc. omnia iſta ſinu ſuo excipiat, & ita potionem *conſtituat* h. m.

♃ *Aqu. fl. ſambuc.* ℥ij
fœniculi ℥j.
eſſent. caſtor. Tartariſ. ʒß. ad ʒiij.
Liquor. C. C. ſuccin. ʒß. *ad* ʒj.
Lap. Cancror. præp. gr. xv. *ad gr.* xxiv.
Syr. borrag. ℥ß. *ad* ℥vj.
M. F. potio. anthypochondriaca ſive hyſterico-diaphoretica, repetitis vicibus capienda.

§. 10. Conſideranda jam materiæ *latitudo*, ſive præſenti in negotio *Doſis*, hoc eſt, quando pondere ac menſura ingredientia præſcribenda, ſive *explicitè* iſtud, idque frequentius; ſecundum gr. ſcrup. drachm. uncias, & libras, ſive *implicitè*, idque rarius, tantum in vegetabilium quorundam partibus aridis, ob faciliorem diſpenſationem, ſecundum pugillos, manipulos, faſciculos; numerum parem vel imparem determinetur. Cum vero omne remedium, non reſpectu hominis ſit tale, cui alteratio certa illius occaſione inducenda, ſive activè ſive paſſivè remedium ad hoc contribuat, ipſi vero homines multum inter ſe differant, tam habitualiter ex Idioſyncraſia ſeminali, quam accidentaliter, ex climatis, vitæ generis, conſuetudinis varietate, nullius remedij doſis abſolutè determinari poterit, quin, reſpectu vel *primariò*, ad individuum patiens, vel *ſecundariò*, ad cætera aſſociata ingredientia habito, eadem demum limitanda. *Subjectum patiens* quod attinet, in eodem remedium vel facilius aut difficilius, vel fortius aut debilius &c. effectum ſuum exſerit. Siquidem pro partium ſolidarum majori vel minori Eutonia ac robore, fluidarum texturâ concentrata magis & firmiori aut attenuata & ſubtiliori, acrimoniâ in ſpecie volatiliori magis reſolvente & remedium actuante, aut fixiori concentrante & remedium enervante, ſpirituum denique ſyſtaſi rariori ac magis elaſtica, vel denſiori, ejuſdem remedij, etiam in eodem ſubjecto variat effectus. Qui alios fortiter exagitat Tartarus *Emeticus* Mynſ. in gr. iij. hypochondriaco melancholicos vix tantillum etiam ſub triplâ movet doſi: Dum Aurum fulminans infanti lactanti tutò ad gr. j. porrigitur, ceu polychreſtum iisdem auxilium, ultra gr. ſs. una vice vix dare poteris eidem, non ità diu ablactato: illiud ipſum ad gr. IV. c. pauco arcano duplic: Tertianario ultra X. ſeceſſus provocaverat, quod alia occaſione in quartanarino ad gr. IX. c. quibuſdam abſorbentibus ne minimum commotionis ſenſum induxerat. Mirum quantas doſes, repetito etiam uſu, opiatorum, optime ferant pthiſici ac Dyſenterici? Apoplecticum vix potentiſſimus naribus inſufflatus excitat helleboriſmus. Adeoque in quovis remedio, toties variat doſis, quoties, individuum vel numero diverſum, vel numero idem, ſecundum 3. Res Medicas diverſimodè alteratum occurrit. Ne tamen in ſuſpenſo penitus maneat hoc negotium, nec niſi per experimenta dubia, adeoque ſuſpecta, modo non periculoſa, doſis remedij unicuique individuo conveniens expiſcanda ſit, ob id ſicut rectum norma curvi, & juxta, ſtatum naturalem menſurandus quaſi eſt præternaturalis, ad adultum, ſanum, vel ſaltem neutrum reſpicere, & quæ alterationes inſequantur certam remedii doſin attendere, eandemque in aliis ſimiliter circumſpectè obſervare convenit, & iſta, quam ut plurimum (quod in contingentibus neceſſarii locum ſupplet) idem ac eodem ferè modo deſideratis inſecutus fuit effectus, *ceu media ordinariaque*, doſis ſtatuenda venit, juxta quam poſtmodum pro individuorum conditionibus *ſumma* ac *infima* & ita pariter *extraordinaria* determinandæ. Sic enim Jalappæ doſis media eſt ℈j. ſumma ʒß. infima ℈ß. ſed extraordinariè nec ʒj. quendam movere obſervatur, dum alium gr. IV. l. VI. ſufficienter exagitant. conf. *Barth. Cent. hiſt.* 69. *Epiſt. cent.* 3. *p.* 130. 133. Ac in hoc ſenſu apud Materiæ Medicæ ſcriptores doſes ſpeciales ubivis conſignatæ obſervantur. Aſt præter individuum recipiens, & alia *ingredientia* pro de-

terminando doſi remediorum ſimul conferenda: ab his enim impediri ac promoveri effectus medicamentoſus aſſolet. Prout adjuvantia baſin plus minus acuunt, corrigentia hanc infringunt, aut refrænant, conſtituentia concentrant aut diluunt &c. Jalap. ℈ß. pro doſi ſufficit ſi crem. Tart. gr. xv. eam adjuvent, idque; eò magis, ſi præterea ſcammon. pp. gr. 1. eam ſtimulet. Theriaca longè potentius ſudorem movet Aceto juncta: Opiata, quorumvis evacuantium, præter diaphoreticorum, effectus imminuunt: Aquæ medicatæ efficacius adſtringunt, Aceti conſortio, quaſi Aluminoſæ factæ. Hiſce e. ingredietibus cæteris, baſeos doſis abſoluta, ſubinde varianda ac determināda venit.

§. 11. Supereſt materiæ profunditas ſive craſſities, hoc eſt, ſub compoſitione exſurgens moles, & hujus qualitates ſenſibus gratæ vel moleſtæ. Harum quædam ante miſtionem jam partibus inſunt & compoſitione vel exaltantur vel infringuntur: vel non inſunt, ſed in compoſito demum ex hujus nova texturâ emergunt. Eſſentiæ reſinoſ. rubin. in aqueis vehiculis vel lacteum turbidum, minus gratum, vel lividum liquorem exhibent: quod non æque contingit, Spirit. Vin. Tartariſ. vel Tinctura Tartari ſi præparatæ fuerint, ut ut aliquali texturæ & virium alteratione. Acetum, ſuccus citri, ſpiritus Sal. qui gratiam de cætero multis medicamentis conciliant, abſorbentibus marinis ac Oſtracodermis copulata, ex dulci, ſalſiſſimum, quibusdam nauſeoſum reddunt ſaporem. Sulphurea alcaliſatis, in via humida ſociata, ingratiſſimum fœtorem contrahunt. Sin electuariis ſpiritum Vitrioli in conſervis aut Alum. crud. recipientibus Aërea abſorbentia miſceantur, ſuper vaſis ora motu fermentativo prorumpentia, vel viſum, vel tædium ægro conciliant. Tincturæ, ſyrupi, pro acidorum vel alkalium commercio, varias Tincturæ mutationes exhibent. Nauſeoſe dulce & adſtringens Mart. Vitriolum, Tartari Aëræ fol. junctum vel via ſiccâ, ſecundum Zwolferum, vel via humidâ in liquore Mart. Aur. Aëræ hujus certo connubio, concretum tertium novarum planè tam externarum quàm internarum proprietatum ſubminiſtrat. In qualitatibus adeóq; talibus ſenſualibus quantum citra ægri incommodum fieri poteſt, gratia aucupanda venit ſub materiæ miſcendæ ſelectu. Horret decumbentium ventriculus conſuetorum alioquin alimentorum odorem & ſaporem, quidni inſuetorum remediorum? & multo magis ſenſuum cæteris quoque Organis horrorem incutientium. Arte Marteque tandem ubi ingeſta fuerint, vel cardialgias, vel præcordiorum anxietates, vel poſt nauſeas Vomitus expectandi. Minus metuenda talia, ægri palato hinc & naribus accomodata melius ſi fuerint. Quod & de aliarum partium ſenſu quaſi particulari non minus interpretandum, oculis ſcil. propterea, præ aliis quibusdam partibus, minus acria adminiſtranda. Ad hæc multum in receſſu omninò habet imaginatio, pro cujus ductu & hinc ſpirituum influorum modificato motu, gratius quod eſt palato remedium, propenſionem majorem & quaſi amicitiam erga illud in ægro excitabit, ut & aſſumatur lubentius, faci jus retineatur & ſuavius operetur. Quoties enim imaginationis ex juſſu, res alienæ & inſuetæ quia ſingulari appetitu, atque adeo voluptate aſſumptæ, remedij appropriatiſſimi inſtar aut diuturnas febres, aut chronicos Ventriculi languores tollunt. Licito itaque ſtratagemata & hinc fallere interdum ægrum juvabit, ut ſub fide deſiderati à ſe remedij, aliud ipſi ſimile, ſed magis proficuum propinetur, ſane conſenſus hic, & imaginationis motus an quies, multum ad remedij effectum promovendum aut modificandum facient. Sequiori in ſpecie ſexui, crebrius ſe gratioſum his in punctis ſe exhibeat neceſſe eſt, ob hyſtericas paſſiones, aut caldialgias his non rarò ſimillimas, quæ uti per dulcia aut ſuavius odorata provocari ſubinde (idioſyncraſia ſummopere hic attendenda) ſolent, ita per ingratiora pariter medicamina, ob nauſeam & ventriculi ſubverſionem, quam ſæpius concitant, paroxyſmos iſtos vel revocant vel exaſperant.

§. 12. Poſt quantitatem materiæ formularum, conſideranda ejus *qualitas*, circa quam ante omnia vitanda *Contrarietas*, quin eligantur *tam ſibi, quam ægro Compatibilia*. Contrarietas *formalis* equidem nulla in naturalibus, aut ſaltem nullibi, præterquam in animali regno idque ferè quoque ſub latiori acceptione, ſed ſaltem *effectiva* & quæ reſpectu noſtri ita dicitur, quâtenus quædam ex neceſſitate aut naturali, aut artificiali nobis adverſantur, vel quatenus ſub unione ſe ita alterant, ut depoſitis priſtinis proprietatibus ſenſuum ex judicio ſe deſtruxiſſe videantur. Contrarietas hæc effectiva eſt, quæ in materia miſcenda juxta formulæ præſcriptum attendenda venit, tam reſpectu habito, ad *materiam* miſcendam, quam ad *ægrum* ſanandum. In *Materia* non ſuperficialis illa, qua quædam non bene miſcibilia ſunt intelligenda, ut Oleoſa v. g. Ol. amygd. dulc. c. Aqu. aut Vino, ſperma ceti &c. Sed quæ magis interius penetrat, & ipſam texturæ mutationem junctam habet, qualis in ſpecie univerſalia inter iſta duo Naturæ & Artis mechanica inſtrumenta, acidum & alcali, hisque cognata ſubjecta alia, notari ſolet. Ex nova enim in Salſum textura, neutrum propriæ ſatisfacit deſtinationi: idque eò minus, ſi ſimultanea particularum aliarum ſyncraſi vel diacriſi novum concretum emergat. Salia alcaliſata hinc non præſcribenda, cum Sal Ammoniac. pro febrium cura, Sal vol. Urinoſ. avolat. concreto Sale commun. æmulo relicto. Eadem ſive fixa ſive vol. alcalia, Aluminis ſocietatem citra ſui notabilem alterationem non ferunt. Nec Lixivialia eadem Martialibus præſertim Vitriolaceis jungenda, illorum enim in Tartarum Vitriolat. ſaturatio, hujus in crocum, ferè adſtringentem fit præcipitatio. Nec acida, præſertim mineralia, ac Acetoſa, fixatis metallicis aut mineralibus facile ſocianda, promptiſſimè aliud inde concretum emergit priſtinis ſimul utrinque exutis potentiis. Elix. propriet. vulg. minus cum ſpiritu Sal Ammoniac. miſcendum, cum novum exinde, mirabiliter alteratum ſub præcipitatione emergat concretum. Niſi interdum Medicus, ex inſtituto, compoſitionem talem ex contrariis componat pro obtinendo quodam tertio: id quod obtinet v. g. in potione febrifuga *Crolliana Baſil. p. 298.* ubi extemporaneus Tart. Vitriolatus ceu conveniens digeſtivum, ante paroxyſmum propinatur: pertinent pariter huc Miſturæ verſatiſſimi in felici praxi, *Sylvij*, paſſim in Lib. Ejus Pract. annotat. ex Acet. deſtil. Lap. Canc. l. corall. & Diaſcord. &c. combinatæ: mens ſcil. in talibus formulis non eſt ſaturare acidum, & ita aliud intra corpus abſorbendi vim in Terr. deſtruere: ſed arrodere ſaltem ſuperficiali attactu iſta objecta, quo intra corpus à potentiori acido promptius arripiantur ac ex Acet. deſtill. præcipitentur, ſeu quod dum in iſtis concentratur, ſeu ab iis abſorbetur, Acet. deſtill. quaſi regeneratum, in corpore in ſalſ. mutatum, abſtergendo & reſolvendo, & blande ſtimulando ſui quod erat, officij. Exemplo Tart. & Mart. hæc illuſtrare placet. Decoctio Mart. c. crem. Tart. ſolut. mediocris (in qua ſuperficiaiali attracta Tart. ſibi Mars jungebat) coloris citrini dulcoris Mars ſpecifici non adeò intenſi, inſpiſſata, donec intenſe Aurei eſſet coloris, inſtillato, ſpiritu Sal. Ammoniac. ſimpl. aut Lixivio Sal. Tart. vix ſenſibiliter alterabatur: ab Acet. vero, ſpiritu Sal. ſpiritu Nitri, turbabantur liquor Tartareo Martialis, & copioſum ponebat ſedimentum, non Aëreum, Martiale, ſed Salinum, quaſi granuloſum, guſtu ſub acidum, h. e. perfectus Tart. regeneratus, qui per præcipitationem

per

per potentius acidum liberatus à Mart. nativa in formâ ſe repræſentabat. Hinc enim, ſi modo dictis cum acidis intenſioribus imprægnatis liquoribus filtro à Tart. ſeparatis, lixivium Sal. Tart. inſtilletur, veri Mart. fit præcipitatio, ſub formâ ſedimenti obſcuri nonnihil virideſcentis, quod tamen in aëre libero in crocum flavum fatiſcit. Simili modo ſuſpicari licet, Martem in liquore martis Tartariſati præfato intra corpus à potentiori acido ſaturari, Tartarum v. præcipitando regenerari, ac dum conſuetis muniis fungi. Ex Oppoſito, Crem. Tart. & Martiana decoctio fortis & multum imprægnata, non tamen potenter adeò Martialis quam Tartarei ſaporis decantabatur, & magma reſiduum cum nova Aqua diu beneque agitatum & decoctum liquorem aurei coloris, ad nigredinem vergentis, ſaporis intenſius Martialis reddidit: quem ob fortiorem Mart. & Tart. amplexum, ſive potius intimum congreſſum, nec Acet. deſtill. nec ſpiritus Sali, nec ſpiritus Nitri nec ſpiritus Vitrioli tantillum immutabant quin omnia hæc acida, citra ſenſibilem alterationem ipſi ſe permiſcebant: par ratio c. alcalibus, ſi quidem nec à ſpiritu Sali Ammoniacis nec à lixivio Sal Tart. ulla mutatio, adeo perfectum ſalſum, ex Mart. & Tart. concreverat. Quod ſi liquori dicto, jam acidis imprægnato, alcalia inſtillarentur, poſt levem efferveſcentiam, præcipitabatur materia grumoſa, & groſſa, analoga quodammodo Mart. ex Vitriolo præcipitato. Sane ſuſpicari licet, Mart. extra corpus jam plus minus ita ſaturatum, minoris uſus futurum pro Cacheticorum acidis imbibendis, ſicuti ex oppoſito, Tartari acidum, appropriato ſuo comparari alcali Oleoſo, per iſtam in Mart. concentrationem & diuturnam coctionem ſpoliatum, minus regeneratum iri, ſed odore ſaltem acido, ſi adhuc ſeparabilis eſſet, parum vel nihil effecturum.

§. 13. Contrarietatem remediorum extemporaneè componendorum cum *Ægro* quod attinet, Idioſyncraſia hujus imprimis obſervanda, à priori licet non cognoſcibilis, ſive nativa, ſive adſcititia fuerit. Sanè ut ſenſibus grata, & alias conſueta, licet deteriora, in *Hygiaſtico uſu* reliquis omnibus præferenda, teſte *Hippocrate*, cum tantillum Caſei averſati fruſtulum, clam licet ingeſtum, totam ex oppoſito digeſtionem turbet, ita in *Therapeutico* negotio, quæ ægro accepta & compatibilia, nec hoſtilia, forſan melioribus præferenda erunt. Idioſyncraſia iſta, tam quoad ſenſiles immediatè, alias *manifeſtas* remediorum qualitates, quam quoad non ſenſiles, ſed *occultas* perpendeda. Iſtæ ex Ægri patent relatu, hunc enim amara, alium acida, dulcia, ſalſa &c. delectant, nunc pilulæ, pulveres, potiones &c. appetuntur. Sed circa occulta illa, quæ nulli ſenſuum patent, major omninò difficultas, neque enim niſi per experientiam, adeoque repetitas obſervationes cognoſci poſſunt: niſi forſan vel ex hæreditario charactere per plures ſucceſſiones innotuerint, aut ex ægri prævia obſervatione pateant. Sunt quos caſtorei ſapor aut odor offendit plurimum, alios qui delectat: hi bene aniſum, aut cinnamomum ferunt, quod aliis faſtidioſum eſt: acetum quamplurimis in ſummis eſt deliciis, cujus tamen vel ſolo odore lypothymiam incurrit Mulier apud *Horſtium ex Fabricio append. ad decad. 5. quæſt. 1. p. 117.* Saſſafras lignum præ aliis ſuave ſummè tamen abhorruit Veſtalis apud *Panarollum pent. 5. obſ. 21.* Sunt qui gammaros coctos, abſque perturbatione inſigni ne aſpicere poſſunt, in *M. A. N. C. anno. 1. p. 299.* quomodo eoſdem in potionibus vulnerariis ſuſtinebunt? Quicquid ergo Ægro haud compatibile, & primario quod ex Idioſyncraſia repugnat, ex formulis ſimpliciter exulet.

§. 14. Materia hæc fuit formularum, ſequitur Forma, in hac ſe primò offert *Ordo*, quo ſituanda ſint ingredientia. Libertate hic gaudet Medicus & pro lubitu ferè eandem inſtituere valet. Concinnior tamen ferè emergit formula, ſi quæ copioſius ingrediuntur, cæteris anteponantur, ut ea, quæ prius diſpenſanda aut præparanda, ut in decoctis, miſturis &c. Baſeos locus ſimpliciter in Arbitrio eſt præſcribentis: non ſecus ac Conſtituentia nunc præponuntur, ut in miſturis, nunc poſtponuntur, ut in morſulis: uno nomine, formularum crebrioris inſpectio, & præſcriptarum præparationis obſervatio, omnia hæc facillima reddunt.

§. 15. In Formâ ſequitur ingredientium debita *proportio*, quâ doſis tam *generalis* eorundem, quam *ſpecialis* aptè limitatur. *Generalis* doſis eſt iſta, quâ Aqu. ſyrup. Acet. ſuccus, pul. flor. folia, Fructus &c. pro hac iſtâ formula ordinariè & aptè præſcribuntur, quam Vide definitam in *Erudit. Wedelio, de compoſ. Med. Extemp. ſ. c. 12.* &c. *Specialis* eſt, quam cujusvis remedij uſus & effectus particularis circumſcribit, nam alia doſ. eſt CC. ſ. Igne. alia Sal. vol. C. C. alia Mercurii dulcis, alia turbith. mineral. alia rhabarbari, alia Lap. Cancr. &c. In utraque *debita proportio* obſervanda. In *ſpeciali* eſt proportio inter baſin, ejusque adjuvans, ac corrigens, ne nimis exaltetur potentia baſeos, nec infringatur ab iisdem, ſed omnia pro effectu intento obtinendo, mutuò conſpirent, & junctim Doſin legitimam conſtituant. conf. §. 10. circa finem. Ex hoc enim de judicio Medici præſcribentis ferè judicari poteſt. Ob id in pulv. §. 9. jalap. una doſ. ſufficit, ob adjuvans egregium Tartareum: quibus forſan debilioribus gr. 1. Scammon. additum integram doſin proportione debita compleret. Quoad *generalem* doſin, ingredientium mutuus ad ſe invicem quaſi ſit reſpectus, ita ut eadem proportione dupla, tripla, 4pla, 6pla, 12pla &c. aut quocunque alio modo his plus minus analogo, ſibi invicem aptè reſpondeant, quo æqualis quaſi, ac elegans, non vero hiulca aut aſpera fiat præſcriptio. Non equidem de neceſſitate hæc ſunt; cum ad ornatum tantum faciant, tamen de majori Medici præſcribentis attentione loquuntur. Sic enim in miſtura ſupra §. 6. præpoſita Aquæ ℥j. reſpondet Tincturæ ſ. Eſſent. ʒß. ſpiritus ℈j. pulv. gr. iv. ſyr. ʒj ad ʒiß. dant hæc doſin integram ſpecialem, triplicata mutuo, pro repetito uſu formulam iſtam ſubminiſtrant: id quod majori omninò, fit ornatu quam ſi Aqu. ℥iv. Eſſent. ʒiij. ſpiritus ℈iiß. pulv. xvij ſyr. ʒv. vel vii. invicem confunderentur.

§. 16. Reſtat adhuc, ut formæ ratione *præſcribendi miſcendique modum* conſideremus, qui vel materiam, vel formam præſcriptionis reſpicit: Materia quidem præſcribitur vel *ſimpliciter*, vel *modificate*: *ibi* generaliter herb. malv. rad. gentian. Sal. abſinth. Mercur. dulc. ſpir. Sal Ammoniac *hic* v. ſpecialiter com. abſinth. rad. helleb. nigr. præp. rad. chin. non carioſ. Mercur. dulc. ad extra, ad intra, ſpir. Sal Ammoniac. ſuccin. Sal vol. Viperar. camphor. &c. quæ tamen præſcriptionum inſpectio ſponte docet. Formam denique, quæ reſpicit præſcribendi ratio, eſt hæc vel *univerſalis*, quibus ferè formulis communis, vel *particularis* certis quibusdam propria. *Illa* in antepoſito conſueto ℞. ſive recipe, quod quare quidam adeò horreant, niſi forſan, quod in Veterum ſcriptis non æque reperiatur, ſanè non video: & in poſtpoſitis M. F. l. a. D. S. hoc eſt, Miſceantur, Fiat lege artis, dentur, ſignentur; ferè conſiſtit, quibus & illud ana ſub æquali ingredientium doſi accenſendum: Hæc in qualibet ferè formulâ aliquid peculiare obtinet quando in pulveribus præcipitur, redigantur in alcool. in quibusdam liquoribus filtrentur, colentur, ſtent in Mar. Baln. per 12. vel 24. horas, h. e. per diem ac noctem & quæ ſunt aliæ ſimiles præſcribendi rationes non niſi ſub ſpeciali

formularum tractatione exacte dignoſcendæ.

§. 17. His omnibus ita obſervatis ſub ipſa præſcriptione emergit ſpontè ſua ipſum Medicamentum ſive quaſi novum concretum remedij eſſentiale, magiſtraliter quidem ſivè extemporaneè, artificioſè tamen compoſitum, juxta Medici privatam ordinationem, ulterius adhibendum.

CAPUT II.

De Præſcriptione Formularum in ſpecie.

§. 1. Facimus jam acceſſus ad ipſas præſcribendarum formularum differentias & diſtinctos modos, iſtos ſcil. qui hodiernæ comptiori praxi accommodati, relictis jam antiquatis ac inuſitatis, & qui pro magiſtrali compoſitione dirigenda, ex tempore à Medico præſcribuntur. Applicatio præſcriptorum per formulas remediorum, eorumque uſus varius Practicis demandanda venit. Vitabimus n. quantum poſſibile *confuſionem* & *prolixitatem*, illa errorum, hæc tædij in Philiatro genitrix. Nihil ergò ſumus acturi de *ſyrupis, qui* pro diſpenſatione ſui ſemper parati proſtant, nec magiſtraliter præſcribuntur. *Vina medicata* ad infuſa pertinent, nec peculiarem præſcribendi modum exigunt. *Ptiſana* pariter, ſive *Hordeatum*, *Hydromel*, *Oxymel* decoctionum ſpeciales quidem modi, non ſecus ac *Diæta ſudorifera*, ſive lignorum decocta, *tam* primaria, quam ſecundaria, *Deſtillatum inſtaurans* eſt non ens: etiamſi aqu. impinguans *Epiphan. Ferdinand. in Hiſt. Med.* foret, nudum nempè Phlegma quod ſine ullo uſu hauritur. *Decoctum Galli* ſive junioris ſive ſenioris, jam rariſſimi uſus Pharmaceutici, ad culinas relegandum, unà cum *juſculis medicatis* ac reſtaurantibus, quorum omnium odor ægris vix tolerabilis, nedum ut ventriculis debilis, ſub appetitu proſtrato, eadem digerat, quin dum calore febrili interiora plus minus æſtuant, cadaveriſantur talia digeſtionis defectu, putreſcunt, aut ſaltem in nidorem abeunt. *Conditum* idem cum Electuario. *Eclegmata* ferè inuſitata, quorum locum ſyrupus quidam gratior, v. g. diacod. Mont. ſcabioſ. vel miſti, vel cum Rob. paſſul. min. ſubacti, cum baculo liquiritiæ pro ſcopo temperandi ſive demulcendi aut incraſſandi ſupplebunt, ſicut pro ſcopo attenuandi ſive demulcendi aut & reſolvendi iſti de praſſio, de nicotianâ, emeticus ſalæ c. ſpir. Sulph. paucis gutt. ſufficient. *Pandaleon Paſta Regia*, *Maſſa Panis*, *pineolatum*, cupediariis relinquendi, & quantum nutritij vel temperantis roris languidus tabeſcentium Ventriculus ex iſtis hauriet? dum in paſtam tenacem viſcidam acidam in eodem abeunt. *Trochiſci* magiſtrales vix præſcribuntur ulli, cum ipſi officinales videantur quibusdam ſuperflui. *Epithema* peculiarem haud exigit formulam, cum fluidi cujusdam, vel liquoris, vel miſturæ, vel decocti, vel emulſionis determinatam ſaltem externam applicandi rationem denotet. Idem dicendum de *Clyſmatis* ac *Gargariſmatis*, quæ ſaltem in medicamentorum liquidorum, variâ forma adſcriptorum, ſpeciali utendi modo conſiſtunt. *Fotus humidi*, & quæ huc pertinent, *Lotiones*, *Balnea*, *Inſeſſus*, ad decoctorum ſpeciales modos, ex applicandi varietate natos pertinent, nam ſimili ac decocta modo præſcribuntur: etiamſi etiam ſicca, *ſacculorum* formâ adhibeantur, eadem tamen præſcribendi, alia ſaltem applicandi ratio. Nec *Scutum* differt à ſacculo vel emplaſtro, dum ventriculo admoventur. *Frontale* nunc ſacculus, nunc Epithema, nunc linimentum eſt. *Cucupha* eſt ſpecialis ſaltem pulverum applicatio. *Collyria*, oculorum ſunt remedia, multiplici formulâ præſcribenda. Idem de *Errynis* valet, *Sternutatoriis, apophlegmatiſmis*, & *dentifritiis*. *Cataplaſmata* ad decoctionum ſpeciales modos reducenda, ſicut interdum ad miſturas ſpiſſiores. *Veſicatoria* peculiarem non conſtituunt formulam, quin prout pulveriſati cantharides vel fermento pro cataplaſmate, vel emplaſtro magiſtrali aut officinali includuntur, ſuum quod eſt faciunt, quid? quod eorum eſſentia, cuti impoſita, veſicas excitet. *Suppoſitoria* non præſcribuntur, ſed officinalia ordinantur: ut taceam loco illorum globulos *moſchi*, commodius ſi non ut plurimum felicius applicari poſſe. Quod ſi extemporaneum deſideres, prompte illud ex alumine ad imitationem *Salæ append. Myroth. ſ. 4. §. 13. p. 840. vel Sylvij l. 1. prax. c. XI. & XII. p. 119. 123.* concinnabitur. Quæ & qualia denique præſcribuntur hodie *peſſaria*, quin loco eorundem vel injectiones per metrenchytem, vel ſuffitus per inſtrumentum *Glauberi* ligneum, vel *optimè* per parvam aut Phiolam aut retortulam vitream, longioris paulò coll. uſurpantur, dum harum in ſpecie orificium linteis tenerioribus munitum, ſinui pudoris applicatur, fundus vero vaſis, cum remedio vel ſolido vel fluido Igni carbonum leni proprius admovetur, ut concitatis hinc effluviis, uterus locaque vicina diverſimodè alterentur. His e. partim rejectis, partim ad ſtationes debitas relegatis, *formularum quamvis differentiam 5. Claſſibus generalibus includemus, & ſpecialius pertractabimus.*

SIT ERGO CLASSIS PRIMA:

Pulveres & iisdem ſubordinatas formulas ſiſtit.

§. 1. Simpliciter in his arida ſive ſicca, in minutiores ſui partes contundendo aut terendo redacta, ſivè jam pulveriſata proſtent, ſimplicia ac compoſita, ſive demum pulveriſata ſint, præſcribuntur. Doſ. general. pro una vice ſit ℈j. ad ʒß. rarò ℈ij. rariſſimè ad ʒj. niſi in doſi quorundam ſpeciali v. g. rad. Aſari ʒj. aſcendere neceſſe ſit. Uſus eorum eſt tam *internus*, quam *externus*. *Internus*, ceu potior, (de quo modo dicta ferè intelligenda) eſt, dum capitur in vehiculo convenienti, aut *domeſtico*, quod privatim ægro Medicus denunciat, aut *officinali*, miſtura ſcil. quadam tenuiori, à Medico ſimul præſcripta,

Pulvis abſorbens acidum.

℞. *Lap. Cancror. præp.* ʒjß.
Unicorn. foſſil.
Corall. rubr. pp.
C. C. uſt. ana ʒß.
Sal abſinth. ʒj.
Nuc. moſch. ℈ij.
M. F. pulv. Acidum abſorbens.
doſ. quantum largior cultri cuſpis capere poteſt.

Pulvis abſque torminibus blandiſſimè purgans.

♃. *jalap.* ℈ß. *ad gr.* xv.
Nitri puriſſimi. ℈ß.
ſcammon. pp. g. ij.
Ol. Deſtill. aniſ. gutt. ij.
M. F. pulvis purg. p. j. *doſ.*
loco ſolius Nitri etiam Nitri gr. VI. *Nit. Tartari gr.* IV. *recipi poſſunt.*

Pulvis laxativus anthypochondriacus.

♃. *Crem. Tart.*
fol. ſenn. ſ. ſt. ana ʒß.
zingib. aniſ.
cinamom. cubebar. ana ℈j.
M. capiatur in juſculo calido l. in principio prandij vel hora 1. *ante prandium: doſ. largior cultri cuſpis.*
Cran. human. viol. occiſ.
ana gr. v.
Aur. fulmin. 2. *pr.* j.
M. detur. in. duplo. S.

♃. *Aqu. pœoniæ.* ℥jß.
cinamon. ſpirituoſ. ʒj.

ſyr.

ſyr. fl. tunic. ʒiß.
M.f. aq. In qua cap. pulv. ſupr. preſcript.

Pulvis febrilis laxativ. ante Paroxyſmum.

℞ *Corall. rubr. pp.*
Nit. abſinth. ana gr. xv.
ſcammon. pp. gr. iv.
M.f. pulv.

Pulvis contra Epilepſiam infantum: ex conſenſu abdom.

℞ *raſ. unicorn. ver.*

Pulvis contra Variolas & morbillos, præſertim in incremento.

℞ *C. C. ſ. Igne.* ℈ij.
Unicornu foſſil. ℈j.
Sal. card. bened. gr. xv.
myrrhæ el. gr. xii.
M.f. pulv. diaphor. divid. in. 3 p. æq. D. S.

Siccis hujuſmodi, interdum & conſiſtentiæ vel fluidæ, ut Ol. Deſtill. vel mediæ, ut theriac. extract. in doſi tamen exigua, ſive infracta, addi ſolent: verb. gr.

Pulvis Puerilis, in Torminibus c. alvi fluxu.

℞ *C.C. uſt.* ℈j. *unicorn. foſſil.* ℈j. *Terr. ſigill.* ℈ß. *theriac. gr.* iv. *extr. caſtor. gr.* iij. Ol. Deſtill. *macis gutt.* ij.
M. f. pulvis. quietem. conſil.

§.2. Subtiliſſimè tritus pulv. *alcool.* alias dicitur, groſſior verò ex aromatibus & analogis ſubjectis, non adeò exactè tritis, cum ſaccharo miſtis *Tragea* vocatur. Hujus ſecundum praxin olim uſitatum cochlear ſemis vel integrum, aut ita in forma ſicca, aut pani Vino malvatico impregnato inſperſæ, maſticando ſucceſſivè aſſumebatur præſertim à paſtu, pro corrigenda digeſtione primâ, inflatione ventriculi, flatibus hinc crebrioribus, & in genere, quibuſvis malis chronicis, in quibus ventriculus frigidus, & hepar calidum, paſſim incuſari ſolent, & exinde alias quoque *peptici* dicuntur: exempla vid. *in Horſt. Obſerv. l.4. obſ.38. p.210. it. lib.5. obſ.3. p.266. & obſ.4. p.268. it. Sennert. Inſtit. l.5 p.3. ſ.3. c.14. p.1415.1417. & lib.3. prax. p.1. ſ.1. c.5. p.24.* Sed comptior hodierna praxis, pro puerorum potius delectamentis, præſertim dum confectiones ſaccharatæ ſubinde permiſcentur talia deſtinat. Loco eorum enim, ex quibus neceſſe eſt ut ſub digeſtione prius ventriculus medicinam præparet, potius ſpiritus aut Salia vol. aromatica ſive Oleoſa in uſu ſunt, ſive quovis in paſtu, ſive brevi poſt eum abſolutum aſſumantur: in quem finem aptiſſima eorum videtur præparatio, ſi aromata ſelecta, præſertim ſimul carminantia, cum ſ. q. Sal. Ammoniac. & Calx. viv. miſta, hinc Aqu. commun. humectata, mediocri Ign. rigore per Retort. deſtillentur, acquiritur ſic ſpiritus ſive Sal vol. Oleoſ. in forma humida quod doſ. gutt. 20. vel 30. ab iſtis trageis ſperata auxilia multum ſi non ſuperabit, certè æquè præſtabit. Quod ſi tragea quædam delicata, variis condimenti loco inſpergenda aut addenda, deſideretur: præſcribatur talis perquam grata:

℞ *Cinamom. p.* iij. *Cardamom. p.* ij. *caryoph. p.* j. *Schari q. pl. M. aſſervetur uſui.*

§.3. Externum quod attinet pulverum uſum, varius equidem & multiplex eſt, pro partis affectæ, & uſus differentiis, aſt præſcribendi modus ubique eſt idem:

Pulvis ad Intertriginem: & ſimiles externas excoriationes.

℞ *C. C. uſt.* ʒij.
Cretæ alibi. ʒiß.
ceruſſ. ʒß.
pulv. roſ. rubr. exſicc.
q. ſ. pro gratiâ coloris.
M. f. pulvis. Quo Inſpergant. Itertrigines, nodulo raro includitur & ita inſpergitur.

Pulvis ad ulcera Inveterata.

℞ *Croci Mart. ex Vitriolo præcip.* ʒiij.
Lact. Lun. ʒiß.
Terr. ſigill. ʒj.
myrrhæ,
aloës,
macis, Ana ℈j.
camphor. ℈ß.
M. f. pulvis detergens.

Conf. Major. Diſſ. de Lact. Lun. c. XI. §.2. & 6. pertinet huc etiam pulv. eryſipelatodes Mynſichti: Armament. ſect. 5. p.436.

Pro oculorum uſibus pariter pulveres externi adhibentur, ſed ſubtiliſſimi, & ſpeciatim Arabico nomine, *Sief*, appellantur, & modeſtè oculis inſufflantur.

Ad oculum Ungue laborantem.

℞ *oſſ. ſep. pulv.* ℈j.
ſacch. cand. ʒj.
Vitrioli alb. ℈ß.
Tutiæ pp. ʒß.
M. f. pulv. ſubtiliſſimus Ophtalmicus.

Pulvis ſternutatorius.
ad imitat. *Helmont.*

℞ *rad. helleb. nigr. non præpar.*
ſacch. albiſſ. ana ʒj.
Ol. Deſtill. majoran.
aniſ. ana gutt. ij.
M. f. pulv. ſternutatorius.

Pulvis dentifricius, ad Mobilitatem, Putredinem, cruentationem, gingivarum.

℞ *fl. rubr. malv. arbor.* ℥ß.
C. C. uſt. ʒij.
Ouſti. alumin.
nuc. moſch. ana ʒj.
M. f. pulvis ſubtil. dentifricius.

quo poſt oris collotionem & dentium purificationem bene fricentur gingivæ.
Vid. Poterius, felix Practicus Cent. 2. cap. 8. p.16. ex quo ſuppreſſo Autoris nomine abſtulit Riverius Prax. l.2. c.18, p.184.
vel ad hodiernum morem.

℞ *pulv. tabac. Indic. Virgin.* ℥ß.
majoran. ʒij.
Ol. Deſtill. lavendul.
aniſ. ana gutt. vi.
ambræ, gr. v.
moſch. gr. x.
M. F. pulv. ſternutator. cæphalicus.

Pulvis pro ſuffimigio.

℞ *Sandarach. ſ. gumm.*
junip. ʒvj.
Succini ℥ß.
ſtyrac. calamit. ʒiij.
thuris,
maſtich.
benzoës ana ʒij.
M. f. pulv. groſſus pro ſuffimigio.

§.4. Pulveres ſi excipiantur Conſerva, & cum fluido quodam maximam partem, ſyrupo, pro meliori miſcela ſubigantur, pro una doſi, internè ſaltem uſurpanda, dant

BOLOS

qui cum ità ſimpliciter ſaltem deglutiendi ſint, & quantitate quantum fieri poteſt exigua. ʒß. ad ʒj. rarò ad ʒij. gratia vero majori præſcribendi.

Bolus Emeticus.

℞ *Conſ. fl. tunic.* ℈j. *ad* ʒß.
Sulph. Antimon. c. lixiv. detonat. Tart. & Nitr. per decoct. parat. gr. vi
Crem. Tart. gr. v.
M. f. Bolus Emeticus.

Bolus in Vomitu nimio.

℞ *Conſerv. roſ. Vitriolat.* ʒj.
Terr. ſigill. ℈j.

laud. opiat. g.1. ad ij.
Ol. Deſtill. Cinnamon. gutt.j.
c. ſ. q. muc. cydonior.
F. l. a. Bolus miſcendo & expectando, donec aliqualis turgeſcentia ceſſaverit. Bolus ille ſtomach. confortat.

Bolus Laxativus contra vermes.

♃ *Conſ. fl. perſic.* ℈ij. *ad* ʒj.
Mercur. dulc. gr. xv. *ad* ℈j.
pulv. jalap. gr. VIII.
vel
Scammon. pp. gr. ij.
c. ſ. q. ſyr. fl. perſicor.
F. Bolus. Laxans contra vermes.

Bolus Diaphoreticus febrilis expertus, ſed nonnihil ingratus.

♃ *Theriac.* ℈ij. *ad* ʒj.
ſpecif. febril. Strobelb. ʒß.
Ol. Deſtill. caryophyll. gutt. ij.
M. c. ſ. q. ſyr. card. bened.
F. l. a Bolus. Antefebril.

Nempe uſitatiſſimè iſtis modis præſcribuntur boli, loco tamen Conſervæ, etiam Pulpæ quædam ſpiſſiores, ut *tamarind.* it. Electuar. gratior: *ut Roſat.* quin & *Theriaca*, ut in poſtremo exemplo, ſed hæc rarius ſolent recipi. Dum enim vulgus inter euporiſta ſua Rob. Sambuci, vel juniperi cum C. C. ſ. Ign. aut uſto, pro ſcopo diaphoretico, in Eryſipelate & ſimilibus malis porrigit, quid aliud, quam bolum ordinat? Sicuti ex oppoſito Confectiones, extract. gratiora aliave, conjungi aptè in boli formam poſſunt.

Bolus alterans, in æſtu Ventriculi & hypochondr.

♃ *Pul. tamarind.* ʒij.
Tart. Vitr. Tachen. gr. xv.
bezoard. min. ſimpl. ℈ß.
c. ſ. ſyr. violar. F. Bolus. Refriger.

Bolus Analepticus Hypnoticus.

♃ *Conſ. fl. borrag.* ʒj.
Conf. alkerm. ℥ß.
Laud. opiat. gr.j. ad iß.
M. f. bolus. Somnum concilians.

quin & ſi copioſior paulo pulvis fuerit, Conſervæ Conſtituentis loco ſolus ſyrupus recipi poteſt, q. ſ. pro conſiſtentia debita.

Bolus Purgans.

♃ *Pulv. hypochondr. laxativ. ſupra.* §.1. *deſcr.* ʒj.
Scammon. pp. gr.j. ad ij. c. ſ. q. ſyrup. roſ. ſolutiv. ſ. mucharroſ. F. l. a. Bolus. purg.

§.5. Quod ſi ſimili modo, ſub mole tamen majori, tractentur pulveres, hoc eſt ſi formetur bolus pro pluribus doſibus, erit

ELECTUARIUM.

Quod modernis ſubinde *Conditum*, veteribus verò *Opiatum* audit, & hoc ab opio, vel principali vel univerſali eorum ingrediente. Veterum iſta Opiata, aut ad eorum ſimilitudinem confecta alia, v. g. Diaſcordium Fracaſt. Antitod. *Matthiol.* aut Orvietana, Theriaca cœleſtis *Greiffii*, &c. ceu officinalia tranſeant. Quoad Electuaria *magiſtralia*, proportio ingredientium ad conſtituentia eſt in genere vel 8pla, vel 6pla, 4pla, &c. Prout potentius vel debilius remedium, doſi majori aut minori, idque crebrius aut rarius, capiendum volumus. Uſus eſt tantum internus, iſque alterativus, ſolutiva Electuaria haud amplius in uſu, idque ob purgantium partim horridum ſaporem, partim ob incertitudinem doſeos, & conſequenter operationis, ſiquidem nec ſubigi æqualiter per totum purgantia, nec Electuarii doſis tam accuratè obſervari poteſt. Quin talium loco in officinis vel Paſſulatum laxativarum, vel prunorum, præſertim ad Timæi imitationem præparatorum, it. Cydoniati laxativi, Conſerv. roſ. vel violar. laxativ. c. mannâ, Timæi, & ſimilis compoſitionum uſus invaluit, quæ pro una vice determinata doſi optimè aſſumuntur: Pertinent huc elegantis compoſitionis Electuaria purgantia, tam cholagogum, quam hydragogum *Sylvii l.1. prax. c.2. §.46. & c.7. § 55.* quæ facilè pro diſpenſatione ordinaria in officinis præparari poſſunt.

§.6. Quoad Electuaria Alterantia ergò:

Electuar. Antihypochondr.

♃ *Conſ. cochl.*
fumar. ana. ℥ij.
Ebor. ſ. Ign. ʒij.
Lap. Cancror. pp.
Corall. rubr. pp. ana. ʒj.
Vitrioli Martis ℈IV. *ad* ʒij.
c. ſ. q. ſyr borrag. F. l. a. Elect.
Alterativ. Antihypochondriac.

Elect. ad fluorem album.

♃ *Conſ. fl. anthoſ.* ℥iij.
Ebor. crud. raſ. pulv.
magiſt. ſuccin. c. S. V. ana ʒiij.
lap. oſteocoll. ʒiß.
putamin. avellanar.
pulv. ℥ß.
c. ſ. q. ſyr. roſ. rubr.
F. Electuar. abſorbens & adſtring.

Loco Vitrioli Mart. etiam extractum Mart. cum ſucco vel pomorum, vel acetoſell. vel tamarindorum ad ʒij. *vel* ℥ß. *recipi poteſt.*

De his electuariis, bis l.3. de die capitur, magnitudin. caſtaneæ vel nuc. jugland. & amplius, aut quantum binis terniſve cultri latioris cuſpidibus capi poteſt.

Interdum ſive conſervis, ſolo ſyrupo convenienti excipiuntur, aut c. Rob. ſambuc. ſubiguntur, & hoc in compoſitionibus quaſi theriacalibus, loco Veterum mellis, quibus tamen aliquid fluidi pro meliori miſcela affundendum.

Electuar. contra Nimium Menſium fluxum.

♃ *Corall. rubr. pp. lap. hœmatit. pp. boli armen. Unicornu ver. pp. ana.* ʒiß.
ſem. plantag. ʒiij. *Alumin. crud.* ℈ij.
laud. opiat. gr.v. c. ſ. q. ſyr. plantag. F. Elect. adſtring.

Hiſce ceu ordinariis Elect. ingredientibus, interdum etiam rad. conditæ, confectiones, extracta, ſucci inſpiſſ. it. ſpiritus, &c. Pro circumſtantiarum ratione & reſpectu baſeos, item conſtituentis, infracta, proportionata tamen doſi commiſcentur.

Electuar. ſtomachale.

♃ *Conſerv. menth. criſp.* ℥ij. *anthos. meliſſ. ana* ℥j.
rad. zingib. in Ind. condit. ℥ß.
pulv. Zedoar. ℥ß. *cinamom. caryophill. ana.* ʒj.
Theriac. Andr. ʒij.
c. ſ. q. ſyr. menth. F. Elect. Stomach. corrob. & calefaciens.

Electuar. pro ſenibus ab Apoplex. metuentibus.

♃ *Conſ. fl. anthos, menth. ana* ℥j.
fl. tunc. ℥ij.
zingib. in Ind. condit. ℥ß.
ſem. ſinapi. Erucæ ana. ʒß.
Corall. rubr. pp.
ſuccini pp. ana. ʒj.
cardamom. ℈ij. *cinnamom. caryophill. ana.* ℈j.
Sal. vol. ſuccin. ʒij.

c. ſ. q. ſpiritus ceraſ. nigr.
F. Electuar. D. S.

B. D. Michaëlis, aliquando ſeni cuidam, non ſine judicio pro analepſi præſcripſit.

℞ Conſ. anthos. ſalv.
tunic. ana. ℥ß.
Conf. alkerm. ʒiß.
ambræ. gr. v. moſch. gr. iii.
laud. opiat. gr. iſſad. ii.
c. ſ. q. ſyr. fl. tunic. F. Electuar.
irroretur Aqu. cinamom. ſpirituoſ.
D. S.

Electuarium contra Dyſenteriam.

℞ Conſerv. roſ. rubr. ℥iii.
Diaſcord. Frac. ʒvi.
Tincturæ ſ. Eſſ. Cinamom. c. Spir. Vin. Tartiſ. ʒii.
raſ. priapi Ceti ſubtiliſſ. pulv. ℥ß.
troch. de carab. ʒii.
Corall. rubr. pp.
Oſſ. ſepiæ pulv. ana. ʒi.
Extr. tormentill. rit. parat. ʒiß.
c. ſ. q. ſucci cydonior. vel mivæ cydonior: aromatic. F. electuar. adſtringens & dolorem ſedans.
de quo creberrimè pro lubitu æger capiat.

In Hæmorrhagia narium habituali, juniorum, ex hypochondriis, &c.

℞ Pulp. paſſul. min. vel Conſ. roſ. rubr. ℥iiii.
rhabarb. el. Corall. rubr. pp. ana ʒiß.
Ebor. ſ. Igne ʒi. Dent. equi marin. ʒß.
M. c. ſ. q. ſyr. roſ. rubr. F. Elect. dolorem ſedans & adſtring.

§. 7. Quod ſi pulveres, loco conſtituentis conſiſtentiæ mediæ, excipiantur ſaccharo, in liquore conveniente ſoluto & denuô inſpiſſato & in planum per vaſculum ad inſtar infundibuli cum parvo quaſi piſtillo in medio projecto emergunt.

Rotulæ

ſeu ut aliis audiunt. *Orbiculi,* it. *teſſellæ*: tali ferè proportione, ut pulverum ſit p. I. ſacch. excipient. p. III. IV. ad VI. prout potentiores aut mitiores, affectu medico eaſdem expetimus: quibus jam confectis ſubinde una, alterave Olei cujuſdam Deſtillati aut ſuavioris eſſentiæ aromaticæ gutt. inſpergi poteſt. Uſus tantum eſt internus, iſque alterativus, ſolutivus ferè in deſuetudinem abiit: quin uſitatiſſimè in faucium à lympha acriori quacunque occaſione læſarum affectibus præſcribi ſolent, ut demulceant iſtas, dum in ore detentæ ſucceſſivè liqueſcunt. Quod ſi præterea in aliis caſibus ordinentur, crebrius maſticandæ & deglutiendæ veniunt v. g.

Rotulæ contra tuſſim ſiccam, nocturnam, faucium aſperitatem, conceptam earum Phlogoſin, &c.

℞ Spec. Diaireos uſit. ʒiij.
boli armen. pp. ʒi.
Succ. glyzyrrh. hiſp. ʒß.
c. ſ. q. ſacchari, vel hujus ℥iii. ad ℥iiii. in Aqu. papav. rhead. ſolut. F. Rotulæ. contra tuſſim.
confer. hic Rotul. Sylvii l. I. prax. c. 20. §. 37.

Rotulæ contra inflationem ventriculi, ructus, it. Colicam,

℞ Ebor. uſt.
Corall. rubr. pp. ana. ʒß.
Spec. diatr. pipereon. ʒi.
Extr. Zedoar.
cortic. aurant. ana ℈ß.
c. ſ. q. ſacchari in Aqu. fœnic. ſolut. F. Rotulæ aſpergendæ in fine Ol. Deſtill. fœniculi, macis ana gutt. IV.
D. S.

Rotulæ bibitoriæ quibuſdam dictæ.

℞ ſem. coriandr. pp. ℥ß.
fœnicul. aniſ.
carvi petroſ. ana. ʒii.
nuc. moſc. ℈iv.
macis. ℈ii.
zingib. cardamom.
cubebar. cariophyll. ana ℈ii.
piper. alb. long. ana. ʒß.
c. ſ. q. ſacchar. in Aqu. carminativ. Dorncrell. ſoluti F. Rotul. ſtomachic.

Rotulæ Confortantes.

℞ Spec. diambr.
diamoſch. d. ana ʒiß.
c. ſ. q. ſacchari ad ℥iii. in Aqu. roſ. ſolut. F. Rotulæ: ſub finem mixtionis, addendo, confect. alkerm. ʒß: vel quantum poteſt, irroretur Ol. Deſtill. cinamom.
D. S.

Nempe interdum præter pulveres, & extracta gratiora, confect. Ol. Deſtill. & ſimilia, proportionata doſi recipi poſſunt. Sic ex ſolis Oleis cum ſaccharo, loco Eleo ſaccharorum, quibuſdam uſitatorum, rotulas carminativas præparat. *Mynſicht. Armam. ſ. 7. p. 163.*

Quod ſi denique delicatis admodum l. pro Pueris, orbiculi purgantes præſcribendi ſint, hi methodo vel *Sylvii: prax. l. I. c. 2. §. 44.* vel *Timæi caſ. p. 427.* præſcribi poterunt.

§ 8. Quod ſi præter Pulveres & alia, ad Electuaria recipi ſolita, doſi quam in his minore, ſimili modo ſaccharo inſpiſſato excipiantur, & in formam oblongam, quadratam, planam, (in quem finem jam certi moduli lignei aliivè fabricati ſunt) redigantur, communiter.

Morſuli.

quia mordendo quaſi aſſumantur, it. ob ingredientium identitatem, *Electuar. ſolida*, aut *confectio ſolida* it. à figura *Tabellæ* appellantur. De cætero ut Boli cognati ſunt Electuariis, ità Rotulæ Morſulis & contra, item, ut Boli ſe habent ad Rotulas, ità Electuaria ad Morſulos, & contra. Res in fundamento quaſi eadem. In horum adeoque Morſulorum præſcriptione, proportio obſervanda ea, ut pulv. p. I. ana vel duplum reliquorum, conſerv. condit. confect. reſpondeant ſimul, ad 5plum, 6plum, imò 8plum ſacchari. Pro uſu ſaltem interno, eoque alterativo, & potiſſimum confortativo, rariſſimè aut nunquam hodiè ſolutivo, ob rationes ſupra § 5. allegatas.

Morſuli contra ſodam.

℞ ſpec. Diacret. Mynſ. ʒvi.
vel loc. harum
℞ Cretæ. ʒii.
ebur uſti. ʒi.
lap. Cancror. pp.
Unicorn. foſſil.
corall. rubr. pp. ana ℈ij.

nuc.

nuc. moſch. ʒi.
c. ſ. q. ſacchari, h. e.
℥iv. vel ℥v. *in Aqua portulac. ſolut.*
F. Morſuli. Refrig. & abſorbent.

Morſuli ſtomachal.

℞ *Conſ. anth. l. menth.* ℥ß.
rad. zingib. in Ind. condit. ʒij.
Spec. Imperat. ʒiii.
extr. zedoar. ʒß.
c. ſacchari ʒviii. *in*
Aqua fœniculi ſoluti: F.
l. à Morſuli. D. Stomach.

Quoad hos diacretæ Morſulos, annoto, quod pulv. ex latere cocto, intenſius rubeſcente, c. ſ. q. ſacchari in morſulos redactus præſtantiſſimum ſodæ ſit remedium: poſſit & nucis moſchatæ aut macis aliquantulum addi. Vis hæc conſiſtit in ſubſtantia Martiali, unde color, (etiam Præcipitando ab illo ſeparabilis) in crocum potenter abſorbentem per calcinationem ignis mutata.

Morſuli Præſervativi in Malignis.

℞ *Conſerv. pulp. Citri.* ʒj. *theriac.* ʒiii.
C. C. ſ. Igne. Antimon. diaphor. Terr. ſigill. ana. ʒii.
c. ſ. q. ſacchar. in Aqua ſcord. ſolut. F. Morſuli. irrorentur tempore uſus, aliquot gutt. Ol.
Deſtill. aniſ. & uſurpentur.

§. 9. Cæterum hæ & ſimiles formulæ, ſub hodierna praxi, multis ſuſpectæ ſunt medentum, quia hoſtiles manifeſtô pluribus ægrorum, aliquid hypochondriaci ut plurimum patientium, cujuſcunque fuerint ſexus, aut ætatis, tolerabilem, quin fermentando & aceſcendo, mucaginiſque tenacioris forma adhærendo, quibuſvis ita chronicis morbis ſymptomata aut exacerbare, aut magis complicare, aut morbum ipſum procraſtinare ſolent. Crebrior adeoque ſach. uſus, ut non convenit Ventriculo, autore *Helmont. Diſſenſ. Med.* §. 30. & 57. Ita ceu perquam noxium Pulmòni notatur à *Garentzier de Tab. Anglic. p. 98. & 95.* adeoque à crebriori ejus uſu, & præſcriptione, in Climate ægriſque noſtris, merito abſtinendum. Accedit & hoc, quod hæ remediorum formulæ, ſub tenebris ignoratæ Pyrotechniæ natæ, blandimento potius palati ægrorum, aut aliquali remedii varietate, quam efficacis medicinæ intentione ordinatæ primitus videantur. Quin potius concinniores pulveres, eſſentiæ, extractavè, ſpiritus, Salque vol. tam minori ægri ventriculi labore ac tædio, majori verò cum euphoria pro praxi elegantiori adhibeantur.

CLASSIS II.

Pilulas exhibet.

§. 1. A Parvæ pilæ ſimilitudine, (aliàs *Catapotia* ab aſſumendi modo, dictas. Veterum inventum, quo amariſſima ſua purgantia, ut aloën (apud illos quarumvis pilularum baſin) ſcammonium & colocynthidem propinando, eaque cruda, mellis ope palliata, palatum melius fallerent. Maſſam ita concinnatam ad ʒi. ferè præſcribebant, eamque in majores aliquot gr. v. l. vj. l. vij. redactam, quales apud Belgas fere adhuc in uſu ſunt, deglutienda offerebant. Concinnior hodierna praxis, ſub frequenti Pilularum uſu, ℈j. in præſcriptione totius molis vix excedit, adeò ut vix gr. 1. attingant ſingulæ Pilulæ, ſiquidem quo minores, eò gratiores. Niſi ingredientia, ſub parva mole ponderoſiora, ut Mercurialia majorem doſin admittant. Uſus nobis eſt tam *alterativus*, quam *laxativus*: & hujus quidem reſpectu Pilulæ vel *extraordinariæ* vel *ordinariæ ſ. uſuales* dicuntur. Purgantes *Extraordinariæ* vel 1. ex officinalibus Veterum tum recentiorum maſſis additis conſuetis ſtimulis ſcammonii & troch. alhandal. interdum & aliis appropriatis, mediante liquido, Aqu. ſpirituoſo, Oleoſo, &c. Præparandæ ordinantur: vel 2. ex extractis purgantibus, additis iiſdem præſcribuntur) idque pro una vel pluribus doſibus, ibi numero indefinito, hic verò pro dividendis doſibus, bene determinato. Capiantur manè, quacumque ratione fieri poteſt, jejuno ventriculo, vel poſt hauſtum juſculum tenue.

Pilulæ Purg. Cathol.

℞ *Maſſ. Pilul. de hier. c. agar.*
ammoniac. Qu. ana. ℈ß.
ſcammon. pp. gr. ii.
troch. alh. gr. i.
c. ſ. q. Ol. Deſtill. macis.
F. Pilul. purg. pro j. dos.

Pilulæ ad Luem Veneream.

℞ *Extr. panchym. Croll. gr. xii. ad xv.*
Mercur. dulc. ℈i.
Extr. troch. alb. gr. ii.
c. ſ. q. Eſſ. lignor.
F. Pilul. pro j. dos.

Pilul. Emetico-Cathartica ante Paroxyſ. intermittentium.

℞ *Maſſ. Pilul. de 3b. Ruff. gr. xv.*
Tart. Emetic. gr. i.
ſcammon. pp. gr. i.
c. ſ. q. Eſſ. cent. min.
F. Pilul. anti febril.

Pilul. Anti-hypochondriac.

℞ *Maſſ. Pilul. Tart. Querc.* ℈ij.
Vitrioli Martis ad albed.
lenit. calcin. gr. v.
ſcammon. pp. gr. i.
c. ſ. q. Eſſ. gumm. ammon.
F. Pilul. capiantur.
bibendo deſuper. largum hauſtum calidum.

Pilulæ Hydropicæ.

℞ *Extr. Elater. rit. parat. gr. xv. Mercur. vit. gr. ii. ad iii. vel hujus loco*
Mercur. dulc. cum. Mercurio Vit. ad imit. Hartmann. gr. x.
extract. troch. alband. gr. i.
c. ſ. q. Eſſ. abſinth. F. Pilul.

Interdum ſoli pulveres, vel aſſumptu ingratiores, vel periculoſiores, debito corpore excepti, in Pilulas compingi poſſunt: v. g.

Pilul. contra gonorrhœam inveterat. malignam. Scabiem ferinam, guttam roſac. contumac. &c.

℞ *Thurbith. minerale Croll. gr. v. ad vi.*
c. ſ. q. theriac. F. Pilul. ſpecific.
ſed vix, niſi pro robuſtioribus.

Pilulæ in deſperata alvi obſtructione.

℞ *Aurum fulmin. c. ſpiritu Sal. Ammoniac. pp. gr. vi. ad* ℈ß.
c. ſ. q. extr. helleb. nigr. F. Pilul. aperient.

§. 2. Atque tales ſunt pilulæ, quas pro ſcopo ſenſilius commovendi corpus, & repetitis evacuandi vicibus, ſubinde ſub morborum curſu, præſcribere cogitur Medicus. Cogitur, dico cum ſpecioſus purgationis titulus, ingentem tegat impoſturam, cum quævis, præſertim fortior purgatio, tantum noceat, quantum proſit. Cum vero in plurimis morbis chronicis, generali Cachexiæ & affect. hypochondr. & ſcorbuti titulo comprehenſis,

comprehenſis, copioſior, talis evacuatio ferè nociva manifeſtò eſſe ſoleat, cum talia ſubjecta, à leniori etiam evacuante facilè exolvantur, ut loquuntur Practici: ob id ut ſaltem primæ viæ, quaſi per epicraſin, à muco vel pituita plus minus viſcida, ac acida liberentur, & ita producta morboſa, ſi non æquè ſemper radix morbi (h. eſt à poſteriori, ſi non à priori) removeantur, lenioribus, ſive quorum vis primas vias non tranſcendit, ex evacuantibus, nunc ſolis, nunc appropriatis vel abſorbentibus, præſertim Martialibus, vel incidentibus præſertim gummatibus, ſociatis, præſcribuntur, pilulæ vel quavis ſeptimanâ vel quovis interlunio ſemel, atque veſperi, unâ alteravè horâ ante cœnam, unde & Pilulæ ante cibum quibuſdam audiunt, aſſumendæ, ut ita ſub chyli vehiculo innoxiè diſtribui, & circa primas vias ſaltem ſuo officio fungi queant. Cum verò aloës parte ſui gummoſâ in exili licet doſi, leniendi tamen huic ſcopo, dicto modo uſurpata, optimè inſerviat, hinc crebrius ex hac ſola, ita tamen præparata, ut pars ejus gummoſa magis quaſi extravertatur, reſinoſa v. infringatur, vel ſeparetur, tales pilulæ uſuales, parari ſolent: quales ſunt v. g. *Angelic.* Francofurt. *Glaſſianæ*, vid. *Hoffman. Clav. Schröder. l.2. c.73. p.105. & l.4. ſ.4. p.635. it. Ludovicianæ*: Pharmacia: *p.179. it. de Sal. Tartari. p.79. Tilemannianæ. Mater. Med. p.214.* it. majoris apparatus iſtæ de aloë violata, de aloë roſata, *de quibus Schroderus, Pharmac. c.4. cl.3. p.253* ut nihil dicam de aliis huc ſuo modo revocandis, ut de ammon. it. Tartar. Querc. *aloë phangin.* c. ſcammon. *de oribus* Ruffi, & ex his conſtructis *Pilul. Balſamicis Cnoffelii, Miſc. A. N. C. anno 6 & 7. app. p.19.* Verum hæ omnes, ſive ex aloë ſola, ſive ex aliis magiſtrali compoſitione natis, conſtent, ferè ceu officinales vel pluribus in locis introductæ ſunt, vel à Medico privatim diſpenſantur, adeoq; ad magiſtraliter præſcribendas minus pertinent. v. g.

℞ Maſſ. Pilul. de alce roſat. gr.vi.
F. Pilul. minim. aperient.

Quod ſi v. paulo efficaciores, tam pro alterandi, quam pro abſtergendi ſcopo pilulæ uſuales ordinandæ, quales ferè omni menſtruo ſpatio ſub ultima lunæ quadrâ, in hodierna luxorioſa diæta, dicto modo ante Cœnam capiendæ: hiſcè ferè modis præſcribi ſolent.

℞ Aloës ſuccotrin. lucid. ℥ß. gumm. ammon. c. Acet. ſcyll. emollit. ʒii. Tart. Vitriolat. ʒiß. c. q. Eſſ. Mart. F. Pilul: minores, aut ſaltem mediocres, quarum no.ix. xi. ad xiii. numero ſcil. ex vulgi ſuperſtitione, impari, capiantur.

Vel ſine aloë, ex ſolis alterantibus cum ſtimulo ſenſiliore ad imitationem Praxeos Sylvianæ præſcribuntur:

℞ Galban. c. Acet. depur. ʒß.
troch. alhand. gr.iv.
ſcammon. pp. gr.iii.
ſ. c. q. Ol. Deſtill. carvi F.
Pillul. numer. xxxxv.
pro 3. doſ. veſpertinis.

℞ gumm. ammon. c. Acet. dep. ℈i.
Vitrioli Mart. ad albed. calcin. gr.v.
troch. alh. gr.ß.
ſcammon. pp. gr.i.
c. ſ. q Ol. Deſtill. fœnicul.
F. Pilul. minor. pro una doſi: quovis menſe capiendæ vel ad imitationem Cnoffelianarum ſupra allegatarum.

℞ Maſſ. Pilul. de 3b. Ruffi, Extr. h lleb. nigr. ana ℈ß. Vitrioli Mart. ad albed. calcin. gr.v. ſcammon. pp. gr.i.
c. ſ. q. Eſſ. gumm. ammon. F. Pilul.

Atque tales hypochondriacis noſtratibus ferè proficuæ exiſtunt: quibus tamen & pulvis ſupra præſcriptus multum conferre ſolet, ſiccioribus nempe iſtis, magiſque exhauſtis.

§ 3. Pro alterandi denique ſcopo, pilulæ præſcribi ferè ſolent ex extractis, it. ex pulveribus ſolis, ſyrupo vel alio corpore in conſiſtentiam debitam redactis, vel ex utriſque ſimul, pro varia intentione.

Pilulæ febriles in chronicis pro infringendo rigore & intendendo æſtu.

℞ Extr. gentian. imperat.
cent. min. abſinth.
ana gr.v.
c. ſ. q. Ol. Deſtill. caryophill.
F. Pilul. capiendæ
Ante Paroxyſmum.

Commodè etiam hiſce febrilibus Extr. troch. alhand. gr. ii. ad iii. tam pro alterandi, quam laxandi ſcopo addi poſſunt: utut ſub debita diaphoreſi levior laxatio accidere ſoleat.

Pilulæ ſudorif. anodynæ.

℞ Extr. card. bened. ℈i.
lignor. gr.v.
theriacal. gr.ii.
laud. opiat. gr.ii.
c. Eſſ. lignor. F.
Pilul. diaphoret.

In Pthiſi confirmatâ pro tuſſi, ſudore, &c. nocturnis inhibendis.

℞ antihect. Poter. ℈j.
ſacch. Saturni ℈ß.
extr. Croci gr.v.
laud. opiat. ferm. gr.ii. ad iii.
c. ſ. q. balſ. copayv. F. Pilul. pro 2. doſibus: bihorio ante cœnam ſumendis.

In Tuſſi ferina nocturnâ ex lymphâ acriori.

℞ Extr. Sulp. pulv. gr.xvii.
myrrhæ gr.iv.
Extr. croci gr.ii.
laud. op. gr.i.
c. ſ. q. ſyrup. papav. rhead.
F. Pilul. veſperi capiendæ.
conf. Pilul. de ſtyrac. it. ad Tuſſin.

Schroder. Pharmac. l.2. c.73. p.252. vel de ſtyrace *Sylvii*: l.1. prax. c.20. §.36.

§.4. Internus hic fuit Pilularum uſus; moderni enim quidam eaſdem etiam uſu externo, loco ferè trochiſcorum Veteribus uſitatorum, adhibere amant, ſed rarius hoc, nec niſi ſpecialibus quibuſdam in caſibus: v.g. in odontalgia, ex extr. ligni guajac. & laud. opiat c. Ol. Deſtill. origani Cretici formantur pilulæ, denti dolenti l. cavæ applicandæ: quo etiam pertinent Pilulæ, denti dolenti l. cavæ applicandæ: quo etiam pertinent Pilul. de Cal. viv. it. odoriferæ *Mynſ. Armament. ſ.7. p.145.* Sic apophlegmatizantes ex Extract. nicotian. c. pauco Mercur. dulci, e. ſyr. nicotianæ it. ex Mercur. dulc. c. ſ. q. gumm. tragac. Aqu. roſ. ſolutæ; pro juvante ſalivatione ſub ptyaliſmo Venereo, &c.

CLASSIS III.

Miſturas Varias depromit.

§.1. **T**Ertia Claſſis Miſturas varias ſub ſe complectitur, ex liquidis primariò & fluidis, ſecundariò etiam minus fluidis & aridis quoque, omnibus multivariis concinnatas, & artificioſè compoſitas, uſui tam interno, quàm externo inſervientes: Internè quæ uſurpantur, ordinario ab aſſumendi modo *potiones* appellantur, externæ v. potiſſimum Epithemata audiunt. Internè latiſſimè patet earum uſus, cum quovis fere in morbo adhiberi pro quovis ſcopo poſſint, niſi interdum atonia Ventriculi ac inteſtinorum moderatum earum uſum ſuadeat: Uſurpantur vel determinatis

tis vicibus, *pro 2. vel 3. doſ.* interjectis ſemper debitis intervallis, vel indeterminate, pro lubitu, cochlearia aliquot capiendo: illud ubi ſubitanea magis alteratio per ſenſiliorem operationem procuranda, viribus utcunque conſtantibus, hoc v. ubi ſucceſſiva mutatio, præſertim in debilioribus, aut in caſibus, in quibus cautius nonnihil procedendum, magis locum invenit. Duo in Miſtura a. diſtinguenda 1. ipſa ingredientia multiplicia 2. conſtituens fluidum qualecunque fuerit: proportio horum obſervatur p. p. talis, ratione ſc. doſeos generalis, quæ tamen per ſpecialem cujuſvis ingredientis doſin, ratione facultatis ſpecificæ, hujuſque ſub præparatione magis vel minus concentratæ, determinanda ulterius venit. Compoſitio potionis ordinariæ ℥iv. ad v. vel ℥vi. ad ſummum vix excedere ſolet: cui ſi arida & facilè ſubſidentia ſimul permiſceantur, ſub uſu probè agitanda imperatur.

Aqu. ſimpl. Deſtill. ℥i.
Aqu. ſpirituoſ. ʒ. ad ʒii.
ſucci. ʒii.
Elix. ʒi.
Spirit. Vol. inflam. ʒi. ad ʒii.
Urinoſi ʒß.
acidi. gutt. iv. ad v.
ſyrup. ʒi. ad ʒii. l. iii.
Extract. ℈i. ad ʒß.
pulv. ℈i.
Eſſen. ʒß. ad ʒi.
Tincturæ. ʒß. ad ʒi.
Sal. vol. ℈ß. ad gr. xii.
Ol. Deſtill. gutti. ii. &c.

Potio Antipleuritica.

♃ Aqu. card. bened.
papav. rhœad. ana. ℥iß.
Spirit. Vin. benè camphor. ʒiß.
mandib. luc. piſ.
dent. apri pp. ana. ʒß.
Sal. vol. cujus vis: v. g.
mandib. Luc. piſc. gr. xii.
Laud. opiat. gr. iſſadii.
ſyr. papav. rhead. ʒvi. ad ℥i.
M. F. l. a. Potio. antipleuritica.
pro lubitu cochleatim ſemper benè agitando.

Potio Antidyſenterica.

♃ Aqu. ſcordii.
plantag. ana ℥i.
Cinamom. ℥ß.
Acet. deſt. Vini. ℥ß.
Diaſcord. Frac. ʒii.
Extr. tormentill. ʒß.
Corall. rubr. pp. gr. xv.
ſyr. cydon. aromat. ʒii.
M. F. l. a. Potio. adſtring. & confort. de qua capiatur cochleatim crebrius, bene agitando.

Potio febrifuga intermitt.

♃ Aqu. card. bened. ℥i. ad iß.
Cinamom. ʒi. ad ʒiß.
Extr. gentian. ℈ii.
Spirit. Sal. Ammoniac. ſimpl. ʒß.
ſyr. card. bened. ʒiß. ad ℥ii.
M. f. Potio. pro. i. dos. ſumend.
bihorio ante paroxyſmum, moderatè tegendo corpus: urgente magis frigore ut in 4tanis, extracti doſis augeri, it. c. extracti theriacali acui poteſt: magis v. torrente æſtu, ut in 3ianis ordinariis, ſpiritus Sal. Ammoniac. aucta doſi permiſceatur.

Miſtura alterans, in incremento & ſtatu, febrium continuarum, plus minus malignarum.

♃ Aqu. ſcordii ℥iii.
Spirit. theriacal. l. ſimpl.
l. moder. camphor. ʒiii.
C. C. ſ. Ign. ℈ii.
bezoard. min. ℈i.
Sal. vol. C. C. vel viperar.
gr. xii.
conf. alkerm. ʒiß.
M. f. potio corrobor. ſumend. cochleatim.
Prout aut ſpecialis doſis ingredientium ſubinde attendenda venit, etiam potionis particularis formula ſubinde variat.

Potio Emetica.

♃ Julap. roſ.
ſyr. Emetic. ſal.
ana ℥ß.
Aqu. Cinamom. ʒi.
M. f. pot. Emetic.
loco talium tamen vina infuſionis præparatorum Antimonialium, æque commoda videntur.

Potio Catharctica.

♃ reſin. jalap. gr. ix. ad ℈ß.
Sal. Tartari. gr. v. ad vi.
ſyr. roſ. ſolutiv. ℥ß.
vel q. ſ. M. pot. laxans.
vel
♃ reſin. ſcammon. ℈ß.
ſacch. cand. ʒi.
pulveriſ. exactè paulatim
affundendo ſucci citri ℥i.
M. F. Potio grata. laxanſ.

Potio diuretica.

♃ Aqu. alkekeng.
petroſelin. ana. ʒiß.
Malvatic. juniper. ʒvi.
ſpiritus lumbric. Terreſt. per
putr. ʒi. ad ʒß.
Ol. Deſtill. therbinth. gutt. iii.
ſyr. heder. Terreſt. ʒiii. ad vi.
M. pot. diuretic.

Miſtura Theriacal. ſudorifera.

♃ Aqu. fl. ſambuc. ℥i.
Acet. ſambuc. ʒii.
Theriac. ʒi.
raſ. Unicorn. ver. gr. xv.
bezoard. min. ℈ß.
camphor. gr. iii.
M. f. potio pro doſi una.

Pro temperanda acrimoniâ bilis, h. eſt corrigendo acido volatili plus minus Oleoſo in ſanguine.

♃ Aqu. portulac.
acetoſ.
fl. papav. hæad. ana. ℥i.
Diaſcord. Frac. ʒiß.
ſpiritus Nitr. dulc. l. Salis dulc.
ʒß. ad ʒj.
ſyr. portulac. ʒiij.
M. f. pot. Alterans, cochleat. ſumend.

Potio

Potio digeſtiva præmittenda purgationi in aff. hypochondr. & melanchol. in ſubjectis præſertim ſiccioris & ſqualidi magis habitus.

℞ Seri lactis ben. depur. ℥iv.
Eſſ. fumar. ʒii.
ſolut. Mart. c. ſ. pom. ʒi. ad ʒiß.
ſyr. fumar. ſimpl. ʒvi.
M. F. pot. digeſtiv.
pro 4. vicibus, doſin unam manè, alteram veſperi per biduum capiendo.

Miſtura ſ. potio. Analeptica, ſub & poſt ſudorem in febribus acutis.

℞ Aqu. borrag.
bugloſſ.
rub. idei ana ℥i.
Cinnamom. ʒiii.
ſucc. citri. rec. ʒvi.
ad ℥i.
Conf. alkerm. ʒiß.
M.F. pot. corrobor.
pertinent huc imprimis miſturæ Sylvii ex Acet. deſt. c. lap. Cancror. corall. pp. &c. revera in Praxi polychreſtæ; quæ videantur in ejus praxi l 1. c. 9. §. 20. c. 13. §. 53. & c. 7. §. 13. c. 30. §. 135. & 182. & paſſim alibi.

Miſtura Antiſcorbutica.

℞ Lactis caprill. vel
ſeri lactis depur. ℔ii.
adde.
ſucci cochlear.
naſturt.
fumar. expreſſ.
& depur. ad ℥ii.
M. F. miſtur. antiſcorbutic.
doſ. ℥iii. ad v. edulcorari poteſt ſaccharo pro lubitu, & melioris penetrationis ergo, cuilibet doſi Eſſ. fumar. compoſ. c. ſpirit. cochlear. parat. gutt. 30. inſtillari.

Vel in formâ infuſi.

℞ Herb. naſturt. aquatic. m. iv.
acetoſell. c. flor. m. ii.
contund. in mortario c. ſ. q. ſeri lactis. ſtent in loco tepid. vel in Mar. Baln. per noct. Colat. manè
℞ ℔ii D. S.
doſ. ℥iii. l. iv. quælibet doſis pro lubitu edulcorari poteſt.

Vel in decocti forma.

℞ Lactis caprill. ℔i. ad iß.
fol. cochlear. m. i.
naſturtii m. l.
contuſa & miſta parum ebulliant in olla clauſa, exprimantur & colentur D. S. in ſcorbuto admodum proficuum Colat. ℥iv. ad vi. bibat æger calidè manè, & bihorio ante cœnam: quod ſi juncta ſit febris potius ſerum lactis recipiatur.

§. 7. Pro uſu externo, non minus variæ quoque ſunt miſturæ ex iiſdem quidem ingredientibus pariter compoſitæ, ſed pro varietate partium & uſus ſubinde variandæ, in quo poſt experientiam judicium Medici omne fert punctum. Si externæ ſaltem corporis partium ſuperficiei, mediante linteamine vel ſimplici vel multiplicato, aut panno ſcarlatino, calidè, tepidè, frigidè, repetitis vicibus applicantur, in genere.

Epithemata

vocantur: quæ ſubinde pro ſpecialium quarundam partium varietate etiam ſpecialibus inſigniuntur nominibus: ut pro Fronte, *Frontale*, pro oculis, *Collyria humida*, pro naribus *Errhina liquida*, pro dentibus & gingivis *Liquores dentrifricii*, &c.

Epithema refrigerans æſtum ſanguinis, polychreſtum.

℞ ſucci ſemperviv. major. ℥i.
Acet. Vini acerr. ʒi.
Nitr. depur. ʒii.
M.F. Epithema.
applic. v. g. ſcroto in æſtu corporis minio, it. in hæmorrhagia narium: addita præſertim camphora: vel mammis, in hæmorrhagia uteri, item regioni pubis: vel plantis pedum, vel fronti, &c. Frigidè cum linteis multiplicatis.

Epithema contra dolorem capitis, in febrium æſtu ſ. Frontale.

℞ ſucci Cancror. fluviatil. rec. ℥iii.
Aqu. fl. ſambuc.
benonic.
fl. papav. Rhæad. ana ℥i.
Spirit. Vin. Camphor. ʒiii.
M. F. frontal.
applicentur cum linteis multiplicatis tepidè fronti & temporibus: ſed à nimio camphoræ uſu in agrypniis abſtinendum, ne ſomnus magis odoris penetrantia impediatur.

vel aliud *contra.*

Cephalalgiam c. Agripina in febribus contin.

℞ Aqu. fl. ſambuc. ℥iii.
apoplect. uſit. ʒvi.
Philon. Roman. ʒiß.
M.F. Frontal.

Epithemata pro ventriculo in Cholera.

℞ Spirit. Vin. camphor, ℥iii.
Theriac. ʒiß. ad iii.
M. pro Epithemate.

In Vomitu febrium malignarum & Peſtilential.

℞ Spirit. Vin. rectif. vel Aqu. apoplect. ℥iii.
Theriac. ʒiß.
camphor. ʒß.
M. F. Epithem. adſtring. & ſtomach.
calefiant in Vaſculo clauſo & intincta lintea celeri manu applicentur: idque crebrius.

Epithema in Cæphalalgia ex cauſa frigida, &c. Hemicrania, verticis pertinaci dolore, &c.

℞ Aqu. ſerpill.
roſmarin.
ſalviæ ana. ℥ii.
Spirit. theriacal. ſimp. ℥i.
Spirit. C. C. l. Sal. Ammoniac. c. Cal. viv. à ℥ß.
M. Epith. in Cephalag.

Frontale contra Hæmorrhagiam narium nimiam.

℞ Aqu. papav. rhead. vel. ſpermat. ranar. ℥iv.
Acet. roſac. ℥i.
Boli com. prob. exſicc. pulv. ℈iv.
Opii Acet. ſol. ℈i.
M. pro Epithemate.
℞ ſpermat. ranar. c. Nitr. & Alumin. aſſerv. ℔ß.
ſacch. Saturni ad ʒii.
Camphor. ℈i. ʒi. ad ʒʒ.
M. pro Epithemate adſtring.

collo, item fronti, nec non teſtibus in nimia narium hæmorrhagia applicabilia, it. mammis in hæmorrhagia uteri, ac regioni pubis: Hepatis pariter regioni talia frigidè applicari jubent, ſed præter alterationem ſanguinis ſubitaneam, forſan & nimiam, viſceris læſio, experientia hoc ferè confirmante, metuenda, ne tali occaſione diarrhœa quibuſdam ſuperveniat, vel in aliis diſpoſitio p. n. hepatis ſcirrhoſa, aliave chronica inducatur: haud ergo, quam caſu ferè extremo huc recurrendum.

Epithema contra tumorem teſtis inflammatorium c. inſigni dolore ac ardore.

℞ Aqu. Cal. viv. rec. ℔i. ad ℔iß.
Spirit. Vin. camphor. ℥ß. ad ℥i.
ceruſſ. ʒiß. l. ſacch. Saturni.
M. F. Epithema D.
urgente dolore etiam Opii
Acet. ſol. ℈i. addi poſſit.

Non rarum eſt, ex perverſo Mercurii Præcipitat. externo uſu, ſub coſmetici titulo, phlogoſin, tumorem, dolorem, cum ſummo cruciatu, interdum & periculo partibus externis induci: optimum hic epithema, lac tepidum, crebrius applicatum, poſt cujus uſum, vel etiam ſub illius defectu mox in principio.

℞ Aqu. Cal. viv. rec. ℔i.
Spirit. Vin. ℥i.
ceruſſ. ʒiii. M. applicetur calidè.

Occaſione Aquæ Cal. viv. non omittendum Epithema polychreſtum, ad ulcera quævis, dyſepulota, ad ſcabiem ferinam, herpetes exedentes, imminentem plus minus gangrænam, &c.

℞ Aqu. Cal. viv. ſ. decoct. rec. ℔i. Mercur. dulc. ʒi. M. vel magis compoſitum

℞ Aqu. Cal. viv. recent. ℔iß. S. theriacal. camphor. ℥iii. ſacch. Saturni. ℥i. Mercur. dulc. ℥ß. M. probè c. l. ſine ebullitione D. ſine l. c. Colatura laxiore. S.

Sic pariter Aqu. Deſtillata ex pomis putridis, cui l. Mercur. dulcis, l. ſacch. Saturni pro circumſtant. ratione permiſtis, in caſibus chirurgicis plurimis, ſpeciatim ulceribus telephiis, ambuſtis, &c. remedium multi uſus exiſtit.

§. 3. Quod ſi Epithemati immediatus c. parte affectà concedatur contactus, ut in ſcabie, ulceribus, &c. Miſturæ, pro indicationum ratione componi poterunt. Aſt ſi pro commodo partium internarum, & principaliter viſcerum, hepatis, lienis, Ventriculi, cordis, &c. Adhibenda veniunt obſ. 1. cum alias penetrare ſeque inſinuare debeant, non niſi ex ſubtilioribus, aut ſimilibus particulis, quæ vehementiori paulo motu operationes ſuas exerant conſtantibus ingredientibus, non vero adſtringentibus, Acribus, fixioribus, &c. Componenda eadem eſſe. 2. Cum applicata pro partium internarum commodo, ferè aut ſanè ut plurimum calidè, minus diu calorem aſcititium conſervent, quin facile intepeſcant, ne dicam refrigerentur, verendum omninò ne cutis contactu humido tepido aut ſubfrigido offendatur, quod quilibet in ſe experiri poteſt, unde fibrarum ſtrictura, pororum contractura, interdum per conſenſum totius quaſi horripilatio; adeoque non ſolum inſenſilis tranſpirationis notabilis imminutio, quin & metaſtaſeos, quam Natura in acutis ſubinde intendit, ex univerſo ad membra particularia cohibitio. Unde in malignis, cum excretione cutanea conjunctis, Epithemata præcordiis applicanda, meritò hodie ſuſpecta ſunt Conf. quæ §. 2. de Epithemate Hepati applicando, in alio ſenſu locuti ſumus. Miſſis itaque epithematis, alias miſturas externas conſideremus. v. g.

Collyrium pro Oculo polychreſtum.

℞ Aqu. ſolani
Cyani.
calcatrippæ ana ℥i.
Vitrioli alb. ℈ß. ad gr. xii.
ſolut. filtretur per chartam.
adde
Tutiæ pp. ℈ß. ad gr. xii.
M. F. Collyr.
applicetur tepidè cum linteolis, vel reſupinato corpore canthis oculi inſtilletur.

Collyrium contra Inflammat. Oculorum.

℞ Aqu. plantag.
fl. Cyani ana ℥i.
album. ovor. n. i.
Alumin. gr. v. ad viii. l. x.
(modo non ſpiſſior paulo ex coagulo naſcatur conſiſtentia) conquaſſentur & agitentur invicem, & hinc linteis duplic. applicentur oculis.
D. S.

Miſtura Pharmica.

℞ Aqu. majoran. ℥ii.
Vitrioli alb. gr. xv. ad ℈i.
ſolut. filtretur. D. S. Miſtur.
vel guttatim in nares inſufflando, ut vocant, ex vola manus recipitur: vel linteum eo leniter madefactum, contortum, naribus immittitur.

Miſtura contra Ozynam.

℞ Aqu. majoran.
plantag. ana ℥iß.
mell. roſat. ʒvi.
Spirit. Vin. rectif. ʒiii.
M. & applicetur, vel modo dictis modis vel etiam cum parva ſyringa: in deterioris conditionis malo, aliquantulum Mercur. Præcipitati, gr. vi. ad ix. ℈ß. addi poteſt.

Miſtura contra Prunellam febrium acutarum.

℞ Aqu. ſemperviv. maj. ℔iß.
ſucci Cancror. fluviatil. rec. ℥iv.
Sal. Ammoniac. depur. ʒiß.
M. miſtur.
Colluatur crebrius os, quin & interdum gargariſentur fauces, aut tepidiuſculè in ore aliquandiu ſaltem detineatur.

Alia magis compoſita.

℞ aqu. Cancror. fluviat. contuſ. aliquamdiu, Deſtillat. ℥iii.
ſpermat. ranar. ℥ii.
ſemperviv. maj. ℥i.
Phlegm. Vitrioli rorid. ℥iß. ad ℥ii.
ſyr. violar. ℥i.
roſ. rubr. ℥ß.
Nitr. c. alcali depur. ʒiß. ad ʒii.
M. D.
Ubi rejectæ denuò miſturæ tales fuerint, lingua palatumque blande illinantur butyro recenti non ſalito, ſpermate ranar. aut ejus Aqu. crebrius lota: quod ſi cruſta livido nigricans illam ſimul obduxerit, aliquantulum ſacchari albiſſ. butyro addi poteſt, lardum pariter non ſalitum, quin & ſalitum, ſed utrumque in ſperniola iſta, probè diuque maceratum, butyri loco recipi poteſt.

Miſtura pro dentibus & gingivis, à variis affectibus præſervativa.

℞ aqu. plantag.
ſedi min. ana. ℥ii.
Sal. ammoniaci, ſal. Tartar. ana ʒß. ad ℥i.

M. ſi

M. filtra. F. aq: dentifric.
hàc ipſâ dentes ab omni paſtu abluantur & gingivæ blandè fricentur: Sanè ſal. ammoniac. in aqu. ſolut. pro dentium ab omni paſtu ablutione, fœtorem eorum imprimis tollit: ſicuti matutina mundificatio c. Vrin. human. dentes & gingivas à quam plurimis malis præſervat.

Miſturæ contra Stomakacen ſ. ſcorbutum oris.

℞ *aqu. ſedi minor.*
prunell. ana ℥i.
ſpiritus. Cochl. ℥ii.
mell. roſat. ʒvi.
ſpiritus ſal. q. ſ. pro grato acidulato ſapore M. F. Miſtur. contra oris ſcorbut.

℞ *aqu. prunell.*
ſalviæ. ana ℥i.
mell. roſat. ʒvi.
alumin. uſti ʒß.
ſpiritus Cochlear. ʒi.
M. D. S.
His ipſis humectetur linteum, & fricentur eodem gingivæ ac aliæ oris partes, ex ſcorbuto malè habentes.

§. 4. Supereſt ſpecialis, eaque duplex Miſturarum differentia, ulterius conſideranda, quorum prior diffuſior, adeoque majori in quantitate præſcribi ſolita pro pluribus doſibus, unde & potando crebrius aſſumi ſolet, eſt

Iulapium.

Arabum inventum. Potiſſimum v. in febribus, pro compeſcenda clamoſa ſiti, temperando præcordiorum æſtu ac ardore; & mitiganda eorundem anxia moleſtià, ipſis ægris non ſatis explicabili, potiones tales ordinari ſolent, unde ob crebriorem uſum, præ aliis, *coloris*, imprimis rubelli, *ſaporis*, ſuaviter aciduli & leniter in receſſu quaſi pungentis & *odoris* jucundioris gratia, in iis attendi debet. De cætero quo ſimpliciora, eo meliora alia ſunt julapia: adeò ut in eorum locum, vel aqu. ſimpl. aut Cereviſia ſecundaria, cum 3ia vel quarta Vini parte diluta, cum infuſione cortic: aut taleolorum citri, quibus & ſacchari parum pro lubitu addi poteſt, ſubinde ſubſtitui queant. Cum enim quavis in febre humorum quorumvis p. n. commotio perturbatuſque in iiſdem, in ſpecie ſanguine obſervetur motus inteſtinus, vitiari hi ulterius à Julapiis magis compoſitis, & ita facilè fermentantibus, ſicque vim digeſtivam debilem eludentibus, ſyrupis præſertim aut ſaccharo copioſius impregnatis, poterunt. Undè ſi corpus julepi decoctum vel infuſum quoddam conſtituat, cætera addenda & pauciora & diluta magis eſſe debent. Quo ſimplicior ex oppoſito fuerit, minus ventriculum gravat, nec præcordia inflat, facile tranſit, primas vias diluit & abſtergit, acriora contenta temperat, & diureſeos ac diaphoreſeos negotium facilitat. Præſcribuntur eodem modo, ac aliæ potiones, ſaltem quod tenuioris debeant eſſe conſiſtentiæ.

Iulepus in nimio ſiti & æſtu Tertianæ cujuſvis.

℞ Aqu. fontan. ℔ii.
Cinamom. ℥ß.
ſucci citri rec. ℥iß.
ſpiritus nitr. parum. q. ſ.
pro grato ſapore. m. F. Julep. refrig. ſtomach.
vel
℞ Aqu. endiv. acetoſ. cichor. ana ℥vi.
ſucci cydon. ℥iß. ad ℥iii.
Tincturæ fl. bellid. ʒiii.
Syr. violar. q. ſ. pro ſapore.
M. D. S.

Iulepus in Cauſo.

℞ Decoct. rad. ſcorzon. ℔iß.
Tincturæ roſ.
violar.
bellid. ana ʒi.
ſyr. roſ. rubr. ℥iiii.
Spirit. Vitrioli q. ſ. pro grato ſapore M. F. Julapium refrig.

Iulepus in Febr. Maligna.

℞ decoct. C. C. ℔iß.
Aqu. Cinamom. ʒvi.
Gelatin. C. C. rec. ℥iß.
ſucci citri. rub. idei.
ribium. ana. ℥i.
ſyr. papav. alb. vel rhead.
vel berberum. q. ſ. pro gratiâ.
M. F. Julep. corrobor.

Iulepus in Febre ſcorbutica, quæ alvum ſimul apertam ſervat.

℞ ſeri lact. depurat. ℔i.
decoct. Tamarind. ℔ß.
ſucc. citri rec. ʒvi. *l.* ℥i.
ſyr. de toto citro q. ſ. M. F. julepus.
Interdum etiam per modum *infuſi magiſtralis* præſcribuntur Julapia non ingrata v. g.
℞ fl. papav. rhead. roſar. ana. m ß.
Infund. in ſ. q. vel ℔iß. Aqu. comm. aut
Aqu. fl. papav. rhead. aut ſeri lact. depur.
acidulatæ leniter c. ſpiritu Sulph. per campan.
ſtent. in loco calido, in Mar. Baln. ad extract. Tincturæ.
Colat. ℞ adde ſyr. jujubin. ℥ii.
Violar. ℥ii.
M. pro Julepo D.
Item ſecundum alios ex Conſervis.
℞ Conſ. fl. tunic. roſar. violar. ana. ℥ß. ad ℥i.
ſucci ribium. ʒvi. ad ℥i.
affund. ſ. q. Aqu. commun. l. Deſtillat. cujuſvis: diſſolvantur in mortario c. piſtillo, clauſoque vaſe leniter ebulliant. Colat. ℔iß. adde.
Tincturæ fl. bellid. q. ſ. pro grato ſapore
F. Julapium. refrig. & corrobor.

§. 5. Cæterum duo monenda hic reſtant. 1. potius Aqu. fontana vel decocto quodam C. C. eadem parato, pro corpore juleporum, quam Aquis iis utendum eſſe, cum hæ pluribus ferè nauſeoſæ ſint, quin & crebriori uſu, manifeſtam Ventriculi atoniam inducant. 2. Acidula Julepis commiſcenda, vel eſſe ſuccos vegetabilium, vel ſpiritus mineralium. Spiritus hi texturæ ſunt firmioris, minus & tardius ob id in nobis alterabiles, potentius tamen reſolvunt, & abſtergunt magis diuretici ſunt. Aſt nimis à conſtitutivis noſtris aliena ſunt, vix citra ventriculi laborem & primarum viarum alterationes, niſi cautè adminiſtrentur, ferri poſſunt, adeò temperata in praxi ſemper ſunt optima. Succi v. iſti Vegetabilium, Sulph. medicati, ac ita ab alteratione quavis præſervati, & qui ſponte ſua, quicquid eſt contentorum fermenteſcibilium ſepoſuerunt, adeò ut ſaltem acor nativus, Phlegmate ſufficienti dilutis ſuperſit, longè ſuavius & blandius, abſque mali cujuſvis ſuſpicione ferri à nobis poſſunt, unde horum potius, quam illorum, ſub frequentiori Julapiorum repetitione rationem habendam exiſtimo.

§ 6. Altera ſpecialis miſturæ differentia eſt contractior, & quæ pro aliquot ſaltem doſibus, ad ℥iv. vi. vel ad ſummum ℥viii. præſcribi ſolet: & à colore albo opaco, ſapore ſubdulci aut ſaltem inſipido dulci, ſubſtantia ingredientium pingui & Oleoſa, & uſu temperandi, potiſſimum acrimoniam Salſam, Lacti ſimilis cum ſit.

Emulſio.

dicitur. Scil. ſemina & nuclei, pulpa candida ac Oleoturgida, mediante tritu ſubiguntur c. Aqu. appropriatis, illorum ʒi. pro harum ℥i. edulcoratur miſtura pauco ſacharo & ita adminiſtratur, uſu & interno & externo: illo ad Potiones, hoc ad Epithemata refertur v. g.

Emulſio Analeptica & Hypnotica.

℞ amygd. d. ambroſ. ʒii.
 ſem. papav. alb. ℥ß.
  melon. ʒi.
c. Aqu. fl. ſambuc. fl. acac. & nymph. ana, ℥ii. F. *Emulſio* corrob. & ſomn. concil. edulcoretur parum rotulis *manus Chriſt.* perlat.

Emulſio nephritico-Cathartica: it. in ſuppreſſ. Urin.

℞ ſem. violar. ℥ß.
 lithoſperm. contuſ. ʒii.
c. ſ. q. Aqu. fragor. F. Emulſ. diuretic. ad ℥iv. dulcoretur pauco ſaccharo.

Emulſio Epithematis modo, ad agrypniam & Cephalagiam applicanda.

℞ ſem. papav. alb. ʒiii. ad ʒvi.
 c. ſ. q. Aqu. Hypnotic. Dorncrell. F. Emulſio.
præſtantior erit, ſi ſolutionis opii c. Spirit. Vin. ℈i. ad ʒß. addatur, & ità tepidè applicetur: ſicut omiſſo opio, addito Spirit. Vin. camphorato, ℥ß. l. camphora ipſa ad gr. ix. ad maniam magis accommodata foret.

§. 7. Manifeſtum ex dictis eſt, impropriiſſimè emulſionis appellationem illis tribui miſturis, quas ſoli pulveres candidi ingrediuntur, cum præter ſuccum nil emulſionis adſit: quo pertinent ſuperſtitionis baſi ſuperſtructæ *die Perſmiſche*: Talis emulſio impropria eſt.

In ſtatu variolar: & Morbillorum.

℞ Aqu. napi. aquileg. card. benedict. ana. ℥i.
 Cinnamom. ſpirituoſ. ʒiß.
 C. C. ſ. Ign. ʒß. bezoard. min. ℈i.
 Unicorn. foſſil. ℈ß. ſacchari albiſſ. q. ſ.
 M. Emulſ. corrobor.
Cum vero ſuo uſu non careant hujuſmodi miſturæ, hinc hodiernâ conſuetudine, quæ legis vice fungitur, uterque modus commodè jungitur, adeoque emulſioni propriè dictæ jam paratæ, iſti pulveres pro efficaciori medicina adduntur: ſic ſi in dato exemplo ex ſem. aquileg. ʒiii. napi, card. bened. papav. alb. ana ʒi. c. iſtis Aqu. in duplo aſſumptis fiat emulſio, & iſt. pulv. proportione ℈ß. ad ℈i. cuivis ℥. emulſionis addantur, foret formula ad variolas hodiè uſitatiſſima.

Emulſio ad Gonorrhœam benignam.

℞ ſem. agni caſti. ℥ß.
  cannab. ʒii.
c. ſ. q. Aqu. nympheæ. F. Emulſ. alter. & adſtring. addе Oſſ. ſepiæ pp. ſuccin. pp. alb. ana ʒß. ad ℈ii. edulcorentur parum c. ſacch.

Emulſio temperans lympham Salſam acrem, pectus affligentem, c. natâ inde febre ſymptomatica.

℞ amygd. dulc. ambroſin. ʒiii.
 ſem. melon. ʒiß.
c. ſ. q. Aqu. ſcabioſ. F. Emulſ. adde mandibul. luc. piſc. ʒß.
antihect. Poter. rit. par. ℈i.
Unicorn. foſſil. ℈ß.
edulcorentur parum. M.
 D. S.
pertinet huc liquor alexipharmacus Zvvelferi in Pharmacop. Reg. p. 209. ſanè in variolis egregius: ad cujus imitationem & alii ſimiles præſcribi poſſunt, ut ut ſaporis ratione ad ſtrictè dictas emulſiones minus pertineat.

§. 8. Obſervandum autem ſub Emulſionum uſu, 1. quod facillimè alterentur, corruptionem ac aceſcentiam incurrant; unde minori quantitate præſcribendæ, & loco minus calido aſſervandæ, 2. quod ventriculi tonum multum reſolvant, & facili ranceſcentia multum ejus functionibus noceant.

§. 9. Adjungendæ his quædam miſturæ emulſionibus cognatæ, ex reſinoſis imprimis conſtantes, & ferè laxantes: Præter emulſionem ſeminis *Carthami*, additione vel rad. mechoacannæ, vel reſin. ſcammon. aut jalap. acuendam, paſſim notam, reſinæ c. Aqu. artificioſè ſociatæ, & ita reſolutæ emulſioni conformes potiones potenter laxativas reddunt.

℞ ſem. melon. excortic. ʒß. ad ʒi.
 reſin. jalap. gr. vii. ad ℈ß.
 ſcammon. pp. gr. i.
miſce in mortario marmoreo, ſenſim affundendo Julep. Roſat. ℥i.
F. Emulſio. purg.
℞ Reſin. jalap. ℈ß.
 diſſolv. in ſ. q. Vitell. ovor: &c. Aqu. fœnicul. F. Emulſio laxans. adde Aqu. Cinnamom. ʒii.
 edulcorentur pauco ſaccharo.
Potentius operatur, quam ejuſdem reſinæ eadem doſis alia ſub forma, diſſolvente illius texturam Vitello ovi, cujus medio minutis ſub particulis, undique fluidis corpori permiſcetur & aſſociatur.

Emulſio Coſmetica.

℞ Aqu. roſar. vel ſpermat. ranar. ℥iß. aut q. V.
 inſtilla Eſſent. benzoës q. v. F. Miſtura lactea.
quam pro faciei ac manuum leni ablutione cum ſpontanea exſiccatione adhibere poteris: quin & præterea de Coſmetico exmarcaſita aliquid addere.

CLASSIS IV.

Infuſa & decocta comprehendit.

§. 1. Quarta ſpecialis formularum differentia Infuſa & Decocta, quæ Græcis, *Apozemata*, complectitur, quorum latè admodum patens eſt uſus, internus pariter ac externus. Nempe ut purum impuro, reſpectu noſtri, ubique junctum, tam in alimentis, quam medicamentis: ita, quod hodiernæ *Artis Spagyricæ* primarius ferè finis eſt, purum ab impuro in medicamento ſeparare, nucleum à corticibus Q. E. ab involucris elementaribus ſive materialibus, idque Tincturarum, Eſſentiarum, Extractorumque fere ſub titulo, ita jam Veteres idem, rudi licet Minerva, per infuſiones & decoctiones tentarunt, mediantibus quibus vim rerum medicamentoſam & in apto liquore, ſive menſtruo extrahente & ſolvente, loco crudorum ſimplicium acquirerent. Adeoque in Infuſis ac Decoctis, ſive ſeorſim, ſive conjunctim, ita ut altera alteram excipiat, inſtituuntur, (differunt enim ſaltem in eo, quod pro infuſione, ſufficiat ſpecierum inciſione, raſione, contuſione, pulveriſatione præparatorum, *maceratio* ſive *digeſtio* in loco tepido, vel ſpeciatim Mar. Baln. cui in decoctione ulterius ſupervenit ſuper ignem actualem concitatior omnium *agitatio* & *ebullitio*, & penetrantior ſolutio) ad duo ſemper attendendum, 1. ad *Objecta* infundenda, 2. ad *Subjecta ſ. menſtrua*, cum quibus fit infuſio ac decoctio. Mutuus omnino requiritur hic reſpectus, tam

tam *quantitatis*, quàm *qualitatis*; quantitatis quidem, ut ſibi mutuò ſufficiant, qualitatis v. ut invicem appropriata ſint: *In his duobus enim primarium decocta & infuſa medicata præſcribendi conſiſtit artificium conf. Zvvelferus pharm. R. p.31. & 84. it. animadv. in Pharmac. Auguſt. p.146.*

§.2. *Objecta* ergo quod attinet, ex omnibus hæc deſumuntur regnis 1. *ex animali*: partes ſolidæ duræ & ſicciores quævis v. g. C. C. Ebur. priapus C. Ceti, ſplen bovis, Viperæ, ſtercus equinum: ex quibus omnibus (exceptis excrementis) elicitur gelatina, quæ præter generalem nutriendi ac temperandi, adeoque confortandi & blandè refrigerandi uſum, de vi ſpecificâ ſui concreti omnino participare videtur, cum magnam illius ſubſtantiæ partem contineat, quæ ſub rigoroſiore Ign. in Sal. vol. & Ol. larva ſe ſiſtunt. 2. *Ex Vegetabili*, quævis plantarum partes & fructus, utplurimum ſiccatæ. Reſinæ ſaltim ac gummata minus his præparationibus, præſertim ſub magiſtrali præſcriptione, inſerviunt. Elicitur ſic ex Vegetabilibus, gummeo in receſſu, reſinoſa ſubſtantia, in cujus complexibus potiſſima vis medicamentoſa, quaſi concentrata eſt, ut ex decocto lignorum vel abſynthii inſpiſſato, manifeſtum. 3. *Ex Regno Minerali* varia deſumi ſolent. Auri candefacti in Vino vel Aqu. extinctionem magnifacit *Burrhus*. Martem Vino infundimus & decoquimus ſalubriter, eodem candefacto Lac dyſentericis appropriatum reddimus, Veneris infuſio pro oculorum vitiis laudatiſſima. Saturni infuſio aut decoctio, uſui Chirurgico multum inſervit, & in qua crebrius Saturnum fuſum extinctum fuit, alvum laxare ſolet, aqua, Antimonium non ſolum præparatum, ſub Vitri, reguli, croci, &c. Forma, infuſioni apprimè inſervit, ſed vel crudum idem hodie decoctis pro diœtaſudorifera additur: quin & ejuſdem crudi ſubtiliſſime triti ℥ß. macerati per noctem in ℥iii. l.iv. Vini aut aquæ pro doſi una, ſupra & infra purgare, aſſerit Poterius. De Mercurio res nota, quoad Aquam ſic dictam Hermeticam, it. decocta lignorum antivenerea. Vitrioli, Alumin. Sal. Ammoniac. Calcis vivæ, pro uſu externo decoctiones & infuſiones, in decocto nigro Mynſ. &c. It. Sulphuris in Aqu. Calc. vivæ vel lixiviis, paſſim pariter notæ ſunt.

§.3. Circa hæc v. ingredientia, præter ſuperius §.1. monita, in ſpecie attendendum 1. ad texturam eorum ſpecificam: quæ volatilioris ſunt naturæ, infuſioni ſaltem: aut cum juncta Deſtillatione decoctionibus inſerviunt: ut antiſcorbutica acria, aromatica, ſaſſafras lignum, &c. Nullam vel mediocrem decoctionem ferunt. Unde ſub Volatiliorum cum fixioribus miſtura, horum maceratio & hinc decoctio vel ad media vel ad finem ferè præcipitur, donec cætera illa ſimul adjiciantur. 2. Quæ ſunt ſolubiliora, molliora, poroſiora, &c. Minus diu infundenda, parcius coquenda, cum alias ingratum, quia ſpiſſius, & facile alterabile, quia denſius imprægnatum, & ventriculo hoſtile, quia digeſtioni ejus proprio motu magis reluctans, reddunt medicamentum. Contra atque in durioribus, & macerandis & diutius coquendis, accidit 3. Quæ denique vi medicamentoſa ſunt ditiora parcius, quæ v. pauperiora copioſius, &c. recipiuntur, & paratum ſic remedium, nunc cum, nunc ſine expreſſione colandum præcipitur: Et ſic ſpecialis doſis, ut ubique, itâ & hic generalem determinat: obſervandum v. quoad ſpecialem doſin, fere duplum, interdum 3plum hic pro decoctione aut infuſione recipi, reſpectu ejus, ſi in ſubſtantia propinaretur.

§.4. *Subjectum ſive Menſtruum* Infuſionum & decoctionum, pro ingredientium Natura & Medici intentione variat. Communiſſimum eſt, Aqua ſimplex, hinc Vinum, Acetum ſerum lactis, &c. Idem vel ſimplex, vel compoſitum, hydromel, poſca, cereviſia, juſcula, Urina lac: it. infuſa & decocta jam præparata, &c. Circa hoc obſervandum: i. ſi menſtruum eſt Volatile, minus decoctioni, infuſioni ſaltem, & huic circumſpectæ inſervit: ut Vinum, Spirit. Vin. 2. Quo tenuius & dilutius fuerit menſtruum; eò cæteris paribus plus imbibendo, potentius & ſubſtantia medicamentoſa ſaturatius ſubminiſtrabit remedium. Hinc Cereviſia præ aqua ſimplici, pro decoctione vel infuſione minus huic negotio apta exiſtit. 3. Quo denique tenerioris & minus penetrantis erit texturæ, eò debilius fiet, minuſque medicamentoſum remedium: Hinc enim Vinum præ Aqu. ex quamplurimis longè plus elicit. Conſultum ob id acuere interdum menſtruum, pro meliori penetratione & extractione, quin & interdum aliquali ingredientium correctione: quibus uſibus Tart. præ aliis inſervit, ejuſdem cryſtalli, Sal. & Sal. eſſentiale. Cryſtalli decoctionibus inſerviunt, cum ſine ebullitione non ſolvantur, ut ut poſt refrigerationem denuò coagulentur, Sal. Tartari magis in infuſis convenit, Sal. v. eſſentiale in doſi paulò largiori utrique aptiſſimè jungitur.

§.5. Proportio ingredientium, ad menſtruum, ob circumſtantias hactenus inſinuatas, & alias plures tantum non infinitas, vix determinari poteſt. Pro aliquali tamen Ideà, tali proportione ſibi invicem reſpondere poſſunt. Liquoris quantitas 4pla, 6pla, in mollioribus, aut volatilioribus, in denſioribus aut fixioribus, 8pla & 12pla, eſſe poteſt. Dum totius remedii moles, ordinario ℔iß. ℔ii vix excedit. Abſumptio in decocto ad medias, vel ad 3as h. e. partes menſtrui reſiduas, interdum ſaltem ad 4tæ partis conſumptionem præcipitur, aut poſt colaturam demum ejus quantitas determinatur, modo tamen non adeò certo, niſi prius menſtrui quantum determinatum fuerit, ſiquidem ad medias, item ad 3as decoctio inſtituta eſſe poterit, & ita nunc debilius, nunc potentius remedium obtineri.
lignor. ʒi. *cortic.* ʒß. *rad.* ʒvi. *ad* ℥i. *herb. m.*i. *ad* ii. *flor. p.*ii. *bacc.* ʒß. *ſem.* ʒ. ii. *ad* iii. *aromat.* ʒi.

§.6. *Infuſa* ergo, *vel* ſimpliciter menſtruo infunduntur, & ita pulveris forma c. liquore hauriuntur, *vel* nodulis linteis raris includuntur, à quo ſucceſſivè, cum aut ſine expreſſione liquor hauritur *vel* infuſum paratum à ſpeciebus colando ſeparatur, & nunc ita ſolitarium, nunc ſociatis iis, quæ decoctis addi ſolent, propinantur. *Decocta* vero ebullitione abſoluta colantur per pannum vel linteum, & quia ingratiora ferè, quin & interdum incompleta ſunt medicamenta, tam pro *efficacia*, quam pro *gratia* addenda ſubinde quædam veniunt: pro *efficacia* quidem, Electuarium, ſpiritus, extractum, ſyrupus, aut aliud quid, à Medico pro intentionis ratione ordinandum, proportione ferè illa, quæ ſupra de potionibus monita fuit. *Pro gratia*, præter colaturam ſubinde *clarificatio* cum albumine ovi inſtituitur, ut oculis, quin & Ventriculo magis arrideat: ſicut pro eodem ſcopo & *aromatiſatio* ſuperadditur, adjectis aromatis ventriculo gratis & medicamenta plus minus, corrigentibus: Ut nihil dicam de addendis dulcibus aut dulcoacidulis, pro guſtus ſuaviori alteratione, ſimili ratione ac ſupra in julepis vel miſturis factum. Sed omnia hæc diſtinctius ex particularibus conſtabunt exemplis, per quæ breviſſimum iter, præſertim cum totum hoc negotium & minus *difficultatis* hodie ac olim habeat, præſuppoſita ſolutionum & extractionum doctrinâ ſpargyrica, & minus etiam *utilitatis*, ſiquidem decoctis rarius præ quotidiano veterum abuſu, internè uti ſoleamus.

Infuſa Antifebrilia, in ſpecie contra Quartanas.

♃ pulv. Chin. Chin. ʒvi. ad ℥i.
rad. gentian. ʒiii.
fl. cent. min. p.iv.
piper. long. ʒi.
Sal. Tartari ℥ß.
M. F. pulv. Vino Infund.

♃ Cortic. chin. chin. ʒvi.
guajac. ʒii. l.iii.
Comar. Cent. min. m.i.

cinamom.

cinnamom. ʒii.
caryophill. ʒi.
Lap. Cancror. pp. ʒi.
Sal. Tart. ʒiii.
M. F. pulv D.

Infundatur in Vini vel abſinthitis, vel gallici, vel Rhenani, menſ. iß. ſubinde agitando. Tempore uſus omnibus benè commixtis, capiatur bonus hauſtus, idque ad imitationem Gallorum præſertim D. Monginot. Tr. de Cura Febr. per Chin. Chin. Ritè uſurpata, raró fallunt, ſigna coctionis ubi præceſſerunt. Loco Cortic. peruvian. & lignum Colubrin. amariſſ. præſertim in Tertianis recipi poteſt. Delicatioribus incluſus nodulo pulvis ita infundi, & prævia expreſſione infuſum hauriri poteſt.

Nodulus alterativus, in morbis chronicis vernali tempore uſurpandus.

℞ Comar. abſinth. fl. cent. min. herb. cochl. rec. ana m. ß. ad m. i.
rad. armorac. rec. ℥i. gentian. ʒß. tarax. ʒii.
fol. ſenn. ſ. ſt. ʒvi. ad ℥i.
rad. helleb. nigr. non pp. ʒß. eſul. non pp. ʒiß.
ſem. fœnicul. ʒiii. aniſ. ʒiß.
cinamom. zingib. caryophill. ana. ʒi.
Sal. Tartar. ʒiii. inciſ. & contuſ. includantur Nodulo vin. Infund.

Infund. Vini Rhenani menſ. iß. capiatur omni manè bonus hauſtus c. vel ſine expreſſione, prout fortius vel debilius ſe exſerit: iſque vel calidus, vel præmiſſo tantillo juſculo frigidus, Jalapa, quæ ordinariò aliàs una infundi ſolet omittenda, hæc enim & alia reſinoſa, ceu non appropriata menſtruo, nullam extractionem patiuntur. Sal. Tart. partim pro uſu proprio, dum c. acido Vini in Sal. eſſentiale abit, partim pro ſcopo corrigendi ſolutiva, ac ſimul promovendi ſolutionem additur. Loco ejus in hypochondriacis interdum Limatura Ferri additur, quicquid dicat *Geigerus in Kelegraphia*, acidum enim Vini hanc ſufficienter rodit: ſed nunquam ſimul, Sal. Tart. enim Mart. alioquin præcipitat.

Infuſum Antiſcorbuticum.

℞ herb. rec. naſturtii aquatic. cochlear. ana. m. ii.
rad. raphan. ruſtic. ℥i.

contuſ. & conquaſſ. in mortario lapideo infundantur in ſ. q. hoc eſt ℔ii. l. iii. ſeri lactis depurat: ſtent in loco tepid. per noct. in vaſe clauſo. mane ℞ Colatur. adde
Aqu. Cinnamom. ʒß. ad ʒvi.
M. pot. antiſcorbut.

aut hujus loco lac antiſcorbuticum. vid. ſupra § I. Claſſ. III. Addi poteſt pro lubitu vel de ſaccharo. l. ſyrup. de ſucco Citri, vel ſcelotyrb. Foreſti, non tamen copioſa, ob facilem alterationem doſ. ℥iii. l. iv.

vel

℞ Herb. cochlear. m. ii. rad. helen.
armorac ana. ℥i.
bacc. juniper. ʒvi.
paſſul. min. ℥i. M.
infund. in Vin. vel ſer.
Lactis.

Potentior eſt ſuccus, ſi ſpeciebus iſtis prioribus ſub contuſione affundatur ſeri lactis ſaltem q. ſ. pro meliori conquaſſatione, & ita ſuccus exprimatur, qui vel ita c. pauco ſaccharo edulcoratus, abſorbeatur: vel illius ℥iß. ſub uſu ſeri lactis q. ſ. addatur, & ita hauriatur.

Infuſum Purgans pro unâ doſi.

℞ fol. ſenn. ſ. ſt. ʒii.
rad. helleb. nigr. non pp. ℈ii.
zingib. ℈ß. Sal. Tart. ℈i.

Infund. in ſ. q. Aqu. com. l. fumar. ſtent in loco tepido per noct. mane.
℞ Colat. ℥iii. adde.
Aqu. Cinnamom. ʒiß.
ſyr. de pom. ʒiii.
M. pot. purg.

Infuſum Emeticum.

℞ Mercurii Vitæ.
vel.
Croci metall. abſinth. q. v.

Infund. in Vinum Rhenanum: ſtent in loco tepid. per noct. manè.
℞ filtrati liquoris per chartam emporetic. ʒß. ℥i. ad ℥iß.
pro conſideratione ægri. f. vin. Emet.

Nempe quantum Menſtrui ſive Vini hic ante omnia attendendum, ut rectè monet Vvalæus. Meth. Med. p. 59.

Infuſa Emetica.

℞ fol. aſari rec. no. viii. ad x. minutim inciſa infundantur per noct. in Aqu. card. benedict. ℥iv.
manè ℞ Colat. add. Aqu. cinnamom. ʒii.
M. pot. Emet.

Fortius.

℞ fol. aſari rec. no. ix. conterantur in mortario lapid. c. piſtillo ligneo, affundendo ſenſim oxymell. ſimpl. ʒß. ad ℥i. tamdiu terendo, donec in potabilem ſuccum ſint contrita: tunc adde Aqu. card. benedict. ℥ii. ad ℥iv. M. F. hauſtus. D. S.

Infuſum paſſulatum laxativum, pro hypochondriacis, aliiſque qui ſiccioris ſunt alvi.

℞ paſſul. min. ℥ii. ad iii. fol. ſenn. ſ. ſt. ʒvi.
cinnamom. ʒiß. caryophill. ʒi. Crem. Tart. ʒiß.
conciſa & conquaſſ. infund. in ſ. q. Aqu. com. v. g. ℔ii. ad iii. ſtent in loco calid. per noct. l. per 24. horas, vaſe clauſo: ubi omnia refrixerint colentur per linteum denſum. & f. pot. laxans.

Pertinet huc infuſum purgans ex ſennâ pro delicatulis, à D. Michaële olim laudatum.

℞ fol. ſenn. ſ. ſt. pulv. ℥i. paſſul. min. lotar. ℥ii.
Contunde omnia in mortario lapideo, ut fiat paſta, adde Cinamom. ʒiii. caryophill. ʒiß. hinc in vaſe fictili affund. Aqu. ferventiſſ. ℥xv. miſceantur optimè, & aſſerventur vaſe clauſo in loco tepid. vel in Mar. Baln. per 6. l 8. horas (alias ſapor ingratior redditur) liquor filtretur & leni digeſtione feces ſeparentur, & clarus liquor per declinationem decantetur & uſui aſſervetur: doſ. infant. ʒiii. ad ℥ß. adult. ℥iii. robuſto ℥v. quin & alia minus nauſeoſa purgantia una infundi poterunt, pro ſubjectorum ratione: ſicuti & de Tart. puro aliquid ſimul propter ſennam addi poſſit.

Pertinent huc Vina infuſione aromatum & ſacchari medicata, *Clareta* it. à repetita per manicam Hippocratis ſive marſupium laneum colatura, *Vina Hippocratica* dicta, apud nos ferè rariora, pro ſcopo l. analeptico, vel alterativo, vel ſimul laxativo.

Vinum Hippocraticum ſive Claretum laxativum pro ſene.

℞ Bacc. juniper. rec. ʒvi. rad: acori ver. ʒß.
fol. ſenn. ſ. ſt. ʒiii. rad. helleb. nigr. ʒß.

Cinnamom.

Cinnamom. galang. cubeb. Zingib. ana.ʒi.
Crem. Tart. ʒii Infund. in Vini rhenani optim. q.ſ.v. g. ℔i. ſtent in loco tepid. per triduum colentur, edulcorentur c. ſ. q. ℥iß. ad ℥ii. ſacchari: Coletur iterum bis vel ter per manicam Hippocratis & F. Claret. lax. & corrobor.

§. 7. Hiſce modis ſimplici ſpecierum per menſtruum, extractione præſcribuntur infuſa: eſt tamen, quando præterea fermentatio intercedit, qua mediante in textura gummeo-reſinoſa melius recluduntur ſpecies, ac ita exactius menſtruo uniuntur, & ſub minori digeſtionis primæ labore, altius partes corporis ſubeunt & alterativas impreſſiones undique exſerunt. Species infundendæ, ſaltem in majori quanto, habitâ ratione liquoris in quem fit infuſio, præſcribuntur, & hinc v.g. Cereviſiæ recenti & à coctura ferventi, vel muſto recenter expreſſo, infunduntur, vel ita nuda, vel nodulo raro incluſa, ut & in medio liquoris ſuſpenſa, ut ſub alterutrius fermentativo motu, potus medicamentoſus emergat. v.g. talis eſt Cereviſia antiſcorbutica *Timæi in Epiſt. l.6. epiſt.14. p.428.*

Cereviſia Medicata, anti-cachectica & antihypochondr.

♃ Rad. Cichor. rec. ℔ß. helen. rec. ℥iii.
herb. ſcolopendr. ℔ß. card. bened. m.iii.
bacc. juniper. rec. ℔iii.
Inciſ. & contuſ.
F. Species cereviſ. infund.
Menſ. 30. ad 40. quorum quælibet ℔iii. Medicas conſtituit, infundendæ ante fermentationem, & ita in liquore relinquendæ, donec liquoris peracta fermentatione fiat tranſvaſatio.

Vinum medicatum abſinthiacum.

♃ herb. abſinth. ℔iiß. card. benedict.
roſmarin. ana. ℔ß.
Com. cent. min. ℥iii.
rad. caryophyll. ℔ß.
fl. ſambuc. Cortic. citri.
aurant. ana ʒiii.
Inciſa & contuſ.
F. Species vin. Infund.
pro amphora, (60. menſurarum) una, vel cum ſemiſſ. Muſti, in quem debet fieri infuſio.

§. 2. Diſſerendi hinc prolixius daretur occaſio de potibus medicatis fermentatis, ex ſuccis & liquoribus vegetabilium parandis, in quo artificio Angli excellunt: ſed quia ad officinales potius labores, quam magiſtrales præſcriptiones pertinent, dimittimus. Unicum ſaltem potum medicamentoſum fermentatum, Viennæ & Auſtriæ quibuſdam in locis uſitatum, hypochondriacis imprimis ac lumborum renumque phlogoſi & æſtu correptis, crebrius l. loco potus ordinarii hauriendum.

♃ bacc. juniper. ℔i. paſſul. min. ℔i. ℥iii. Terebinth. Venet ʒß. ad ℥i. fruct. cynosbat. c. arill. m.i. fruct. acaciæ. c. nucl. m.i.
infund. in Aqu. commun. ℥xvi. in vaſe apto ligneo & prope fornacem, l loco quodam in calido fermentare permittuntur, hinc tranſvaſantur, & pro potu non ingrato aſſervantur.

§ 9. Simili modo ac infuſa præſcribuntur etiam decocta, differentia enim ſaltem in præparat. accidentalis. Uſus eſt ferè Alterativus, adeo rarò hodie, ob ingratas proprietates, doſes incertas, & operationes diverſas, pro ſcopo ſolutivo ordinantur: niſi mitius quoddam ſennatum aut helleborinum pro una doſi capiendum, &c.

♃ Rap. polypod. ʒiii.
helleb. nigr. ʒii.
fol. ſenn. ſ. ſt. ʒi.
Sal. Tartar. ℈i. ad ʒß.

Coq. in ſ. q. Aqu. comm. leniter.
Colat. ♃ ℥iii.
adde
ſyr. de fumar. comp. ʒiii.
Spirit. Cochlear. ℈i. M.F. pot. purg. antiſcorbutic.

♃ rad. polypod. ʒß.
fol. ſenn. ſ. ſt. ʒii. ad iii.
Crem. Tartar. ʒß. ad ℈ii.
c. ſ. q. Aqu. com. l. ſeri lactis depurati leniter ebulliant ad diſſol. Tartari.
Colat. ♃ ℥iii.
adde
Aqu. Cinnamom. ʒiß.
ſyr. de pom. ʒiii.
M. D. S.

Cùm tamen Clinico volupe fuerit, adhuc decoctum purgans pro pluribus doſibus, ad imitationem Veterum abligurire, tale præſcribi poterit. Decoctum purgans in ſcabie.

♃ rad. lapath. acut. ℥i. helen. polypod. ana ʒß.
herb. fumar. m.ii. ſcabioſ. m.i.
fol. ſen. ſ. ſt. ℥i. rad. helleb. nigr. non. pp. ʒß.
Crem. Tartari ʒi. Sal. Tartari ℈i.
Coq. in Aq. com. ℔ii. ad ℔iß. clauſo vaſe leniter, Colat.
♃ ℔iß. clarif. & aromatiſ. c. cinnamom. addendo ſyr. violar. ſolutiv. ℥i. de fumar. compoſ. ʒß.
M. F. pot. purg.
de quo capiat omni manè hauſtum ad ℥iv. l. v. calide
vel
♃ decoct. aperitiv. ℥iii. l. q. ſ.
in quibus diſſolv. Elect. catholic. l. diaphœn. ℥i.
vel Elect. de ſucco roſ. ʒvi.
vel Conf. Hamech. ʒß.
Colat. ♃ adde ſyr. roſ. ſolut. ʒvi. ad ℥i. M. Dum colantur poſt diſſolutionem, in paulò majori doſi præſcribenda electuar: cum multum reſidui poſt ſe relinquant.

§. 10. Alterantia ergò ſunt decocta, quæ ordinario præſcribenda veniunt.

Decoctum ad Dyſenteriam.

♃ rad. tormentill. ℥iß.
fol. plantag.
herb. heder. Terreſtr.
ſanguiſorb. ana. m.i.
fl. roſ. rubr. p.iii.
Raſ. priap. Cervi vel.
ceti. ℥iii.
inciſ. & contuſ. coquantur in Aqu. com. ℔iii. l. iv. ad medias
Colat. ♃ adde
ſyrup. cydon. aromat. ℥ii.
ad ℥iii.
Aqu. Cinnamom. ℥i. M. F. pot. corrobor. & adſtring.

Decoctum adſtringens ad hæmorrhagiam uteri, ex vaſorum laxitate.

♃ rad. tormentill.
Biſtort. ana ʒß.
herb. conſolid. maj.
ſannicul. pyrol.
ſummit. hyperic. ana. m.i.
Coq. in Aqu. chalybeat. q. ſ.
Colat. ♃ ℥xv. ad ℔iß. adde
ſyr. de ſympht. Fernel. ℥iii.
Aqu. Cinnamom. ʒß. M. D. S.
capiantur ad ℥iii. tepid. ſæpius de die.

Decoctum Vulnerarium internè & externè uſurpandum.

♃ aſtacor. fluviatil. no. xx.

rad. ariſtoloch. rotund. ℥i.
herb. bugul. alchimill.
ſannicul. betonic. ana m.i.
Coq. in ſ. Aqu. comm. & Vini. Colat. D. hoc externè vulnera & ulcera eluuntur, l. etiam plagulæ in eo madefactæ imponuntur: internè adduntur, ſyr. de ſymphyt. Fernel. ℥iv. & hauriuntur bis in die ℥iii. ad iv. horis aliquot ante paſtum.

Decoctum Vulnerarium in Renum exulceratione, &c.

♃ rad. Conſolid. ſarac. c. tot. m.ii.
fol. vincæ pervincæ.
alchymill.
heder. Terreſtr. ana. m.i.
ſummit. hyperic. m.ß.
glyzyrrhiz. raſ. ʒiß.
Coq. in ſ. q. Aqu. ſimpl.
Colat. ♃. ℔iß. ad ii.
adde
ſyr. de ſymphyt. Fernel. ℥iß.
Spirit. theriacal. ſimpl. ʒi.
M.F. Pot. vulner. pro plurib. doſib.

Decoctum refrigerans, ſive temperans bilem, ut vocant efferveſcentem.

♃ rad. Cichor. rec. ℥iii.
fl. roſ. rubr. m.iß.
ſantal. rubr. ʒiii.
ſucci Citri rec. ℥i.
Coq. in ſ. Aqu. comm.
Colat. ♃ edulcoretur pauco ſaccharo.
M. F. pot. alter. & refriger.
Coqui etiam poſſunt in ſero lactis, & ſi ſuccus Citri omiſſus fuerit, accipi poteſt ſerum lactis, cum Phlegmate Vitrioli acidulo.

Aliud ſimplicius.

♃ ſeri lactis ℔ii.
ſucci citri rec. expreſſ. ʒii. ad iii.
ebulliant parum: &c. album.
ovi clarificata & pauco ſaccharo edulcorata Colentur:
D. S. prodeſt in febribus pro alteratione, ſicuti ſimili modo, cum ſucco pomor. burſdorf. maturor ad ℥iv. l. vi. tractatum, convenit hypochondriacis æſtuantibus, obſtructis, melancholiâ affectis, &c.

§.11. Interdum infuſa & decocta ſimul eandem formulam ingrediuntur.

Decoctum alterans & laxans, quod etiam loco Iulepi uſurpari poteſt.

♃ fl. roſ. rubr.
bellid.
papav. read.
ana. m.ß.
Tamarind. rec. ʒiß.
Aqu. comm. l. ſeri lactis depurat. ℔iii. ad iv. Ebulliant invicem: decocto ferventi infunde
Conſ. roſ. rubr. rec.
violar.
papav. rhead. ana. ʒvi.
factâ digeſtione in loco tepid.
Colentur.
M. F. pot. purg. aper. & refrig. pro plurib. doſ. de quo bibat æger vel pro lubitu, vel quotidie bis manè, & bihorio ante cœnam.

Decoctum Diureticum.

♃ raſ. ligni juniperin. ʒiii.
macerentur per noctem in Mar. Baln. in ℔iii. Aqu. comm. manè ebulliat ad ʒiæ partis conſumptionem: decocto ferventi infunde bac. juniper. rec. ʒiii.
rad. fœnicul. ʒiß.
ſtent in infuſo in loco tepid. per 24. horas, manè facta leni ebullitione
♃ Colat. ℔ii.
adde
ſyr. de 5. radic. ℥iii. l. iv.
Spirit. Sal. dulc. ʒi. ad ʒiß.
vel hujus loco potius Spirit. acidi ex nucleis perſicorum & dactilor. Deſtillat. ʒi. ad ʒii.
M. F. pot. diuret.

§.12. Volatilia ubi decoquenda ſunt, jungatur deſtillatio, ſicuti hoc imprimis urget, quoad aromatica carminantia *Zvvelferus Pharmac. Reg. p.87.*

Decoct. antiſcorbut.

♃ Rad. raph. ruſtic. rec. ʒiß.
Herb. cochlear. naſturt.
piperitid. rec. ana. m.i.
conquaſſ. in mortario lapid. c. Aqu. com. vel ſeri lact. caprill. ℔ii. decoquantur in cucurbita ſuo alemb. munita, & deſtillentur ſimul ad medias:
Colat. clarificat. ♃ ℔i.
adde Aquam ſimul Deſtillatam in quibus diſſolve ſolut. Mart. c. ſ. pom. ʒvi.
ſacchari albiſſ. parum.
M. F. pot. antiſcorbut.

Decoctum in affect. chronicis capit. & pector. catharral. c. tumoribus glandularum colli & faucium inſignibus, ex lymphæ motu & craſi vitiatis.

♃ raſ. ligni juniper ℥ii.
ſaſſafr. ʒiß.
cortic. lign. guajac. ℥i.
herb. roſmarin. m.iii.
Bacc. juniper. ʒiß.
Infund. in Aqu. & Vin. ana ℔iʒ. ad ii. macerentur per 24. horas in Mar. Baln. vaſe ſuo alemb. munito, & decoquantur & Deſtillentur ad medias: Colat. & Deſtillat. ♃.
adde
Spirit. Sal. Ammoniac. ſimpl. ʒiii.
ſyr. fl. calendul. ℥iii.
M. F. pot. diaphoret. pro plur. doſ.

Decoctum Paralytic.

♃ raſ. ligni ſaſſafr. ℥ii.
her. roſmarin. rec. m.ii.
Bacc. juniper.
lauri ana. ℥i.
Coq. in Aqu. & Vin. ana. ℔ii. in Cucurb. c. alembic. operta: ad medias.
♃ Colat. & Deſtillat. adde
Spirit. bacc. juniper. ferm. ℥iv.
Sal. Ammoniac. ſimpl. ℥ß.
ſyr. fl. Tunic. ℥iv.
M. D. S.
de quo bis l. ter manè, veſperi, & ſub introitu lecti capiatur bonus hauſtus.

Decoctum pectorale, ad tuſſim à frigore externo natam, it. reſtituens læſiones pulmonum, &c.

℞ raſ. lign. ſaſſafr. ℥i.
macerentur in Aqu. com. menſ.ii. ſ. ℔vi.
adde
rad. leviſtic. ʒß.
helen. ʒiii.
herb. heder. Terreſtr.
ſcabioſ.
pulmonar. ana. m.ii.
ſem. aniſ.
fœnicul. ana. ʒiii.
Coq. ad tertias, addendo circa finem raſ. glyzyrrhiz. ʒß.
paſſul. min. conquaſſ. ʒvi.
Colat. m, F. decoct. pectoral.

§.13. Pertinent ad Infuſa & decocta etiam *Hydromelita*, it. *Oxymelita*, à menſtruo ita dicta, in affectibus pituitoſis, vel pectoris vel renum proficua, &c. Propriè autem dicta *Mulſa medicata* fiunt, dum melli c. Ign. fermentanti, infunduntur ſimplicia medicamentoſa, ad inſtar Vinorum medicatorum, de quibus ſupra.

Hydromell. reſolvens & incidens pectorale.

℞ herb. marrub.
hyſſopi ana m.i.
rad. helenii. ℥iß.
ſem. fœnicul.
aniſ. ana. ʒiß.
Terr. fol. Tart. ʒii.
Coq. in Aqu. ſimpl. p.vi. ſ. ℔iii. mell. deſpum. p.i. ſ. ℔ß. bulliant ſimul ad conſumpt. ʒiæ l. 4tæ partis: in fine.
infund.
pulv. Cinnamom. ℥i.
Croci gr.xv.
Colat. ℞ M. F. pot. incid. & reſolu. pectoral.

Hydromel. Paralyticum.

℞ Aqu. com. ℔vi. mell. optim. ℔ß.
deſpumentur ſedulò, coquendo leniter ad 4tæ part. conſumptionem.
Colat. ℞ adde herb. hyſſopi.
puleg. ſalviæ ana. m.i.
fl. anthos. m.ß.
ſtent in infuſ. per. 12. horas, manè ebulliant leniter, addendo Cinnamom. ʒiii.
cardamom. ʒß. cubebar. ʒß.
Colat. M.F. pot. in paralyſ.

Oxymel Diureticum Laxativum.

℞ Rad. vincetox. ℥i. helleb. nigr. ʒß. ad ʒvi.
Herb. heder. Terreſtr. parietar. vet. ana. m.i.
bacc. juniper. ʒvi. ad ℥i. gran. alkekeng. ʒß. ad ʒvi.
conciſ. & contuſ. infundantur in
Aqu. com. ℔iv. mell. colat. ℔i. Acet. deſt. Vini ℔ß.
ſtent in in Vitro clauſo per aliquot horas,
manè ebulliant leniter: Colat. clarificetur: aromatiſ. M. F. oxymel, diuretic.

pertinet huc Oxymel de Peto Quercet. quod & pectorale eſt egregium & ſimul vim purgandi appropriatam in hydrope obtinet: it. Oxymel abſinthites: Euporiſton Prævotii in morbis chronicis. Fehr. de abſinth. p.40. it. Oxymel. ad aſthma Poterii: Cent. 2. c.44. p.50.

§.14. Referenda & huc *hordeata*, ſive ut alias audiunt *Ptiſanæ*, quæ tamen aliæ apud Veteres, aliæ apud Modernos: ibi partim alimentum, partim potus: hic ut plurimum corpus pro Julepis, interdum, ſed rarius ex hordeo ad crepaturam cocto, emulſio paratur, cujus paradigma exhibet *Sylvius*: l. 1. prax. c.14. p.157. Aſt hordeata hæc non adeò frequenti hodie apud cultiores Practicos ſunt in uſu: 1. quia cruda ſunt & ventriculum crudum reddunt. 2. fermentando flatulenta ſunt: unde nunquam ſine ſem. aniſ. aut cortic. citri decoquenda. 3. primis viis & hypochondriis utroque modo inimica: ſi tamen pro *Julepo alterante* expetatur *Hordeatum*.

℞ Hord. mund. m.i. rad. ſcorzoner. ℥iß.
raſur. C.C. ℥i. cortic. Aurant. ʒiß.
Coq. lento Ign. ad crepaturam hordei: edulcor. pauco ſacch. M. F. pot.
Alterativ.

§.15. Quæ frequentiſſimè adhuc ſub hodierna praxi uſurpantur decocta, ſunt ſudorifera, pro chronicorum morborum curâ ferè in uſu, quæ cum ex ſubjectis fixioribus ferè præparanda, diutiuſque continuanda veniant, omninò & fortius decoquenda, & majori quanto ordinanda. Cum verò ſub uſu illorum ſtrictum diætæ regimen obſervandum omninò ſit, in ſpecie *Diæta*, apud nos *ſudorifera*, dicitur, idque ad differentiam *Lacteæ*, ſub cura ſcorbuti interdum neceſſariæ. Veteribus ex uno vel pluribus 4. famoſiorum hydroticorum parabantur, quæ ſunt *lignum guajac. ſ. ſanct.* ejuſque *cortex ſaſſafras* c. cortice, rad. *Chin.* & *ſarſaparil.* quibus in cura luis Venereæ, iſti principaliter uſi fuerunt. His vero ceu exoticis, & ob id ſubinde ſuſpectis, ligna noſtratia, radiceſque commodè à modernis adjunguntur: v.g. *lignum juniperinum, buxeum*, ſimul anodynum *ſarmenta periclymeni, rad. tormentill. bardan. maj. &c.* ex quibus nunc ſolitariis, nunc aliis additis, decocta primaria pro eliciendo ſudore, & 2daria ſ. bocheta, pro potu ordinario ordinantur. Præſcribendi rationes tam Veterum, quam modernorum, præter *Morellum de formul. Remed.* hic & prolixum & accuratum, apud luis Venereæ ſcriptores imprimis videatur: ſufficiat ſaltem in præſenti Idea, formam præſcribendi recentiorum, quibus Antimon. & Mercur. ſuperaddere placuit ſubjungere.

Decoctum ſudoriferum primarium, Zvvelfero communiter adſcriptum.

℞ Raſ. ligni ſanct. ʒvi. cortic. ejuſdem, ℥ii. ad iii.
rad. ſarſaparill. ℥ii. ad iii. lign. ſaſſafr. ℥i. ad ℥iß.
Mercur. vivi per alcali depur. ℔i.
Antimon. crud. gr. mod. contuſ. in pet. ligat. ℔i.
inciſa & contuſ. macerentur in Aqu. comm. menſ. xii. per Noct. Diem. hinc coquantur ad ʒias Colat. ℞. M. F. decoct. diaphor.
de quo ℥iv. ad ʒvi. capiantur mane & una altera ve hora projiciatur ſudor, &c.

Decoctum ſecundarium.

℞ Resident. decoct. prior. totam l. ubi aliud quid addendum, mediam.
affund. Aqu. comm. menſ. xviii. macerentur per 12. horas, coq. ad conſumpt. 3tiæ partis, adde
Paſſul. minor. major. enucleat. contuſ. ana ℥i. ad ℥iß.
rad. glyzyrrhiz. polypod. ana. ʒvi.
coriandr. pp. ℥iß.
Colentur per manicam Hippocr. aut. aromatizentur c. cinnamom. F. Decoctum pro potu ordinar.

§.18. Verum præter Luis Venereæ curam, quibuſdam in locis hodierno more receptum eſt, ut, qui corpora habent impuriora, ut vocant, & variis inde pathematis obnoxia, aut qui chronicis ac lentis, plus minus complicatis affectibus conflictantur, viribus tamen utcunque conſtantibus, item qui luxorioſa inordinataque, cum effræni potandi libidine, utuntur diæta, & ſucculentioris hinc fiunt habitus Diæta hujuſmodi ſudorifera quot nis verno, interdum & autumnali utantur tempore, pro digerendis congeſtis cruditatibus, excernendis heterogeneis impuritatibus, firman-

do tono viſcerum, & mundificando ac roborando univerſo corporis habitu. In quem finem, præmiſſa primarum viarum abſterſione, omni manè decocto primario utuntur, exſpectantes in Conopeo largum ſudorem, quem in lecto calefacto decumbentes ſenſim exſiccare permittunt: Decocto 2dario loco potus conſueti utuntur: Veſperi ante paſtum, aut ſaltem ſub introitu lecti repetentes decoctum primarium, citra ſudoris tamen profluvium. Alimenta ſint moderata: aërem externum vitent. Continuatur hoc per aliquot ſeptimanas, & vegeti inde ac alacres ferè redduntur. Præſcribendi modus hæc decocta, coincidit cum prioribus.

Decoctum Primarium.

♃ Raſ. lig. ſanct. ℥i.
ſaſſafras. ʒvi.
rad. Chin. ponderoſ.
ſcorzoner. ana ℥i.
Ering. ℥ß. ſarſaparill. ʒiii.
ſem. fœnicul. ʒii.
Præparat. l. a. coq. in ℔xii.
Aqu. comm. ad medias.
Colat. F. decoct. Diaphor.

Decoctum Secundarium.

♃ Rad. Chin. ponderoſ.
ſcorzon. ana ℥iß.
Cinnamom. acut. ʒiii.
paſſul. min. ℥iii.
ſem. fœnicul. ℥ß.
reſid. decoct. ſuperior.
Coq. in ℔xxv. Aqu. ſimp.
ad remanent. ℔xvi.
Colat. F. decoct. pro potu. ordin.

§. 17. Sed præter uſum per diaphoreſin evacuatorium, etiam pro ſcopo alterativo, in affect. Chronicis, ex viſceris cujuſdam interioris læſione, præſertim exulceratoria diſpoſitione natis v. g. in Phthiſi pulmonali, ex ſanguine aut lympha acrioribus nata, quàm alias defluxionibus à capite catarrhalibus tribuunt, it. exulceratione renum, abſceſſu meſenterii, aliorumve viſcerum mundificandis & conſolidandis, & ſimilibus, non nimis confirmatis malis, decocta ſimilia ex iiſdem lignis & radicibus, potiſſimum radice Chinæ, additis aliis vel vulnerariis, vel abſtergentibus more & methodo hactenus inſinuata præſcribuntur, & quotidie bis l. 3. hauſtus bonus ut capiatur, ordinatur v. g.

Decoctum alterans, exſiccans & putredinem inhibens.

♃ Raſ. lign. ſanct. ℥iii.
rad. ſarſaparill. ℥ii.
ſcorzoner. ℥iß.
fragar.
conſolid. maj.
min.
glyzyrrhi. ana ʒvi.
herb. Veronic. m. ii.
coriandr. pp. ʒii.
paſſul. min. ℥iv.
præparat. l. a. Coq. in ſ. q.
Aqu. ſimpl. l. menſ. V.
ſ. ℔xv. ad medias ſ. Colat.
F. decoct. alter.
doſ. ℥iv. l. v.

Aliud magis temperatum & conſolidativum, &c.

♃ Rad. chin. gumm. ponderoſ. non carioſ. ℥iii.
ſarſaparill. ℥iß.
ſcorzoner. ℥ii.
caryophyllat. ℥i.
macerata per noct. in ſ. q.
Aqu. ſimplic. ebulliant manè, addendo herb. ſcabioſ.
alchimill.
heder. Terreſt. ana m. i.
fl. roſ. rubr. m. i.
violar. m. ß.
ſem. fœnicul. ʒi.
paſſul. min. ℥ii.
decoct. trajiciatur per Manicam
Hippocr. Colat. F. decoct. conſolid. & corrobor.

§. 18. Pertinent huc denique decocta ex Cymis, it. ex cortice abietis, contra affectus nervorum ſcorbuticos, ſpeciatim athritidem vagam, pareſin, ſtuporem: v. g.

♃ Cymarum ſ. turionum pingv. ac reſinoſ. pinaſtri
it. Abietis. ℥iii.
rad. Chin. in tal. inciſ. ℥iß.
bacc. juniper. ℥i.
inciſ. & contuſ. coq. in Aqu. comm. ℔viii. ad 3iæ partis conſumptionem l. ubi fortius deſideratur, ad medias: Colat. D. S.

Capiatur bis, manè in lecto, expectando blandum ſudorem: & veſperi l. ſub introitu lecti citra ſudorem. Si ſubjectum patiens conſtitutionis ſit humidioris ac ſeroſioris vel ſucculentioris, loco Chin. radic. raſ. lign. ſaſſafras ℥i. ad ℥iß. recipi poteſt. Quod ſi ingratior ſit decocti ſapor, nam therebinthinæ proprietates, nonnihil repræſentat, in fine decoctionis aliquid paſſul. min. conquaſſat. addi poteſt.

§. 19. Fuerunt hæc decocta & Infuſa, prout uſui interno inſerviunt, conſideranda jam pariter earum præſcriptio, pro uſu externo: circa quam quidem nulla eſſentialis occurrit differentia, ut ut ex partium affectarum, ipſorumque affectuum varietate, accidentalis quædam diverſitas ſubinde occurrat.

Infuſ. ad aff. Paralyticos, aut dolores fixos ſcorbut. artuum.

♃ Fol. Nicotian. Herb. ſalviæ, ana. m. i.
rad. angel. ℥ß. Aron. pyrethr. ana. ʒii.
fl. anthoſ. lavendul. ſtœchad. arab. ana. p. ii.
ſem. Eruc. ʒvi. caſtor. ʒiii.
contuſ. & conciſ. infund. in Spirit. Vin. p. 2. & Spirit. lumbric. Terreſt. p. 1. ſtent in loco tepido, vaſe probè clauſo per aliquot dies, liqu. filtratus F. ſpirit. antiparalitic.
quo ipſo tepido aut moderatè calefacto artus, vel loca dolentia benè fricanda & illinenda veniunt: vel idem infuſum cum vel ſine ſpiritu lumbricorum, pro ſcopo diſcutiendi, reſolvendi, attenuandi vario, inſtar *fotus humidi* tepidi crebrius uſurpari & reiterari poterit.

Decoctum diſcutiens & Reſolvens ad Cephalalg. accident.

♃ Rad. rhodiæ ℥iß.
fl. papav. rhead. roſar. ana. mß.
capit. papav. no. iii.
præpar. coq. in ſ. q. Aqu. ſimpl. Colat. F. decoct.
Epithematis inſtar tepidè fronti ac temporibus applicatur.

Infuſum pro Oculo, ſive Collyrium multi uſus, ad rubedinem, maculas, albugines, nebulas, ulcera, puſtulas, ſcabiem oculorum, &c.

♃ decoct. Cal. vivæ c. Aqu. calcatripp. parat. ℔ß.
Sal. Ammoniac. depur. ʒß. mittantur in pelvim æneam per noctem vel ipſi miſturæ parum limat. aurichalci immittatur, donec, ſaphirinum ex cupro colorem contraxerint, filtrentur celeri manu.

aq:

Aq : ophtalmic.
vel inſtillatur oculo, vel cum linteo tepidiuſculè applicatur: nunc ubi acrior fuerit, pauca Aqu. fœniculi diluta, &c. Sanè ſolum Sal. Ammoniac. c Aqu. appropriata ſolutum, ità ut citra inſignem ſenſum oculi illud ferre queant, ad maculas & albugines oculorum delendas, etiamſi à Variolis relictæ fuerint, multum confert.

Infuſum ad oculos à cauſa externa, v. g. Aëre pluvioſo ac ventoſo læſos, &c.

♃ mucilag. ſem. cydonior.
fœnugr.
hormini.
per infuſ. in Aqu. fl. cyani extractæ ana. ℥iii.
ſacch. Saturni gr. ix.
diluantur. c. ſ. q. Aqu. euphraſiæ
M. F. Miſtur. ophtalm.

Infuſum ad Oculorum Epiphoram, Lippitud. &c.

♃ Tormentill. rad. groſ. mod. pulv. ʒi.
Alumin. gr. v.
Aqu. plantag.
cyani ana. ℥i.
ſtent in loco calid. per 24. hor. filtrentur.
F. Collyr. ophtalmic.

Decoctum Polychreſtum, ad Eryſipelata, Inflammationes, Exulcerat. humid. in metu gangrænæ, &c.

♃ Lythargyr. ℔ß. fl. roſ. rubr. m. ii.
Oliban. myrrhæ, maſtich. ana ℥ß.
Decoct. ſ. Aqu. Cal. vivæ rec. ℔iv. Acet. deſt. ℔iß.
Coq. ſimul, uſque dum lythargyrium ferè ſit ſolutum, in fine addendo camphor. ʒß. Colat. F. decoct. policreſt. calidè cum linteis multiplic. bis l. 3. & crebrius applicetur in die. Conf. Zvvelfer Pharm. Reg. p. 91.

§. 20. Sed hujuſmodi infuſa & decocta externa, quæ ad Epithemata revera pertinent, alias proprio nomine

Fotus

appellantur, quia eiſdem pars affecta ſuaviter afficitur & blandè quaſi fovetur. Idem horum, ac internorum decoctorum præſcribendi ratio, ſaltem quæ ad gratiam his adduntur, in illis omittantur. Triplici modo adhibentur: cum enim ſpecies decoquuntur, decoctum cum linteis, ſpongia (non cum veſicâ, nihil enim ſubſtantiæ medicamentoſæ hanc penetrat) applicatur, & dicitur *Fotus humidus*, vel decocti ſaltem vapor ac ſuffitus parte affecta excipitur, & dicitur *Fotus Vaporoſus*: ſpecies ſacculo linteo interpaſſato includuntur, uno vel pluribus, qui nunc ità ſiccus, aut ſaltem ſpiritu quodam penetrantiori irroratus, probe tamen calefactus, nunc in liquore convenienti coctus & ità humidus applicatur, & in genere *Fotus ſiccus*, it. *Sacculus* appellatur quantitas liquorum pro fotu humido, item ſpecierum pro fotu ſicco, ex partis & uſus ratione variat: v. g pro oculo: liquor. ℥iv. ad vi. pro ventric. ℔i. Species v. pro Capite, in *Cucupha*, ℥ii. pro ſtomach. ℥iii. ad iv. & amplius pro abdomine.

Fotus contra Teneſmum.

♃ fl. chamomill. verbaſcian. m. ii.
Herb. verbaſci, linariæ ana. m. i.
Inciſa Dentur ad Chartam. F.
Species pro F.
Coquuntur in lacte & æger in ſella perforata decocto ferventi inſideat, & fumum exſurgentem ita excipiat.

vel

Inciſ. Coq. in ſ. q. lactis Chalybeati.

Colat. ♃ ℔iii.
Decoctum hoc calefactum, cum linteis multiplicatis eidem immerſis, & leniter expreſſis, frequenti repetitione parti affectæ applicatur.

vel

Inciſ. includantur ſacculo interpaſſato laxiori.
pro fotu.
hic l. calefactus, ita ſiccus applicatur, unde tamen in hoc caſu parum alleviamenti ſperandum, vel lacti incoctus, & leniter expreſſus, calidè admovetur, aliquoties hoc ipſum reiterando.

Fotus Vaporoſus ad promovendos menſes, lochia, fœtum mortuum, &c.

♃ Herb. matricar.
puleg. ana m. i.
ſabin. m. ii.
bacc. lauri.
juniper. ana ℥i.
pom. Colocynth. ʒi. ad ʒiß.
incidantur gr. mod. D. ad chartam. F.
Species pro Fot.
hæc ipſa ebulliant in Aqu. comm. cujus vapor fervidus excipiatur per infundibulum in ſellâ undique clauſa, idque ita aliquamdiu continuando, & crebrius repetendo, ſin citius deferveat liquor injectione ſilicum candefactorum, vel chalybis igniti intruſione denuò calefieri poteſt, eædem ſpecies etiam ſacculo incluſæ, poſt fotum hunc vaporoſum, vel in forma ſicca, vel (in decocto maceratæ & expreſſæ,) humidæ regioni hypogaſtricæ applicari poſſunt.

Fotus humidus In contuſ. oculorum: aut Livore.

♃ Fl. cyani:
calcatrip. ana m. i.
ſummit. hyſſop. flor. m. i.
rad. ſymphyt. maj. ʒvi.
ſigill. Salomon. ʒiii.
Coq. in ſ. q. Vini Colat. ♃ ℥iv. l. vi.
adde
Spirit. Vin. camphor. ℥ß. ad ʒvi.
M. F. aqua.
applicetur calidè c. linteis multiplicatis.

Fotus humidus pro membro fracto, luxato, diſtorto, ante & poſt repoſitionem.

♃ Herb. betonic.
chamomill.
roſmarin. ana. m. i.
ſummit. hyperic. flor. m. iß.
rad. ariſtoloch. rotund. ʒvi.
ſymphyt. maj. ʒß.
ſem. 4. calid. maj. ana ʒiß.
Coq. in Aqua ſimplic.
Colat. ♃ ℔iß. adde
Vini infuſ. fl. hyperic. ℔ß.
M. F. Fotus.

Fotus pro ſcroto, inteſtinis repleto in Hernia.

♃ Stercoris Ovilli q. v. coq. in ſ. q. lactis vaccini: Colat. ♃ &c. linteis eidem immerſis fomentetur ſcrotum aliquamdiu ſubcalide: remanentia poſtmodum cataplaſmatis forma deſuper imponi poteſt. Sicuti alias ſacculus, ex ſtercore aſinino c. Acet. ſubacto pubi impoſitus, crebrius reiteratus, in hæmorrhagia uteri nimia egregius eſt.

Sacculi contra Dyſenteriam.

♃ Fol. quercus.
furfurum ana. m.iii.
includ. ſacculis no.ii.
uno rotundo majori, & quadrato, altero minori:
F. Saccul.

Sacculi hi Acet. Vini incocti applicantur, major quidem umbilico, minor. verò podici.

Sacculus contra dolorem capitis à cauſa externâ, in ſpecie à frigore.

♃ milii ℔ß.
Sal. comm. ℥iv.
herb. verben.
fl. chamomill. ana. m.i.
rad. rhod. ℥i.

M. Sal. & milium primum torreſiant in ſartagine, & protinus calide ſacculo cum aliis præpar. induntur: F. ſacculi interpaſſati nro 2. & ita calidi capiti imponuntur.

Sacculus pro Ventriculo.

♃ Herb. menth. criſp. m.ii.
nuc. moſch. ʒß.
macis.
Cinnamom. ana. ʒi.
caryophyll. ʒii.
F. pulv. qui excipiatur Cotone & includatur ſacculo interpaſſato rotundo: irroretur largiter Spirit. Vin. theriacali, ol. deſtill. menth. ac juniper. &c. D. S.

Pertinent huc *Cucuphæ*, h. e. pulv. aromatici Cotone excepti & mitræ capiti imponendæ ita inſutæ, præſertim pro ſenibus, ſed quia in deſuetudinem ferè abierunt ob levia & brevia emolumenta, cum præterea in præſcribendi ratione nil peculiare occurrat, præſtat de iis tacere.

§.21. Major fotus dicitur *Balneum*, quod corporis partium reſpectu. *Univerſale* vel *particulare*: illud vel ſimpliciter tale, cui totum corpus *ad collum* uſque immergitur; vel ſecundum quid, reſpectu medietatis ſaltem corporis inferioris, & *Inſeſſus* vel *Semicupium* alias vocatur, quia ad umbilicum ſaltem aut regionem hypochondriacam eidem inſideri ſolet. Particulare eſt vel capitis, vel manuum, vel pedum, quod propriè *Lotio* appellatur. Nulla hîc niſi in quantitate ab aliis fotibus aut decoctis præſcribendi eſt differentia.

Balneum in ſcabie.

♃ rad. lapath. acut. ℔ß.
bryon. ℥iii.
herb. parietar.
ſaponar. ana. m.ii.
lapath. acut. m.iv.
Sulph. pulv. ℥ii.
C. V. ree. ℔ii.
Inciſa & contuſ. D. ad
Chartam S.
Species pro Baln.

Coq. in ſ. q. Aqu. dulc. addendo parum lixivii: huic decocto moderatè calenti inſideat æger, vacuo ventriculo: poſſunt ante ingreſſum capi ſudorifera, ut Eſſ. lignor. Tinctura Tart. Antimoniata, Tinctura Sulph. &c. ſub egreſſu v. illiniri blandè corpus linimento appropriato, minus viſcido aut glutinoſo.

In Ictero.

♃ Herb. ſaponar. parietar. ana. m.iii.
rad. bryoniæ ℔ß. ſigill. Salom. ℥iv.
pulv. piſorum ℔ß. Inciſa. D. S.

Balne. hujus decoctionis aliquoties æger in ſidere poterit, novam ſemper Aquam recipiendo: tunc piſorum pulvis nodulo laxiori incluſus eſſe debet.

Inſeßus ſ. Semicupium pro gravida, ad facilitandum partum.

♃ Herb. malv. alth. meliſſ. fl. chamomill. ana. m.iii.
fl. malv. melitot. ana. m.i.
ſem. lini fœnugræci. ana ℥iii.
rad. alth. ℥iv.
Inciſa D. ad Chartam. S. Species pro baln.

decocto horum gravida inſideat, quamdiu c. euphoria fieri poteſt, idque ferè alternis diebus, imminente partu: deterſo madore in lectum ſe componat, illinendo poſtmodum lumbos, regiones umbilici & lumborum. Linimento ex mucilag. ſem. lini. fœnugræc. alth. ol. amygd. d. lil. albor. &c. Hæ ipſæ ſpecies, modo additione bacc. juniper. magis quaſi appropriatæ reddantur, pro ſemicupio in quibuſvis doloribus nephriticis commodè eodem modo adhiberi poſſunt: cingendo poſtmodum partes dolentes ungu. de althea: ol. ſcorpion. ol. deſtil. therebinth. &c.

Pertinet huc etiam inſeſſus Vinaceorum, vel per ſe ex fermentationis motu, vel inſperſa C. viva ſenſilius incaleſcentium, in malo Iſchiadico, doloribus crurum ſcorbuticis præſertim nocturnis, aliiſque contumacioribus, & inde paralytica dependente diſpoſitione, perquam proficuus.

§ 22. Quoad Balnea particularia ſ. Lotiones, nulla & hic ab aliis præſcribendi modis differentia.

Pediluvium ad firmandos articulos, podagra debilitatos: ſimul à crebriori recidiva præſervans.

♃ bacc. juniper ℔ß.
herb. roſmarin. m.vi.
ſerpill. ſalviæ ana. m.ii.
D. S.
F. Species pro pediluvio.

Coq. in ſ. q. Lixivii comm. non adeò acris, decocto decantato, cum vel ſine colatura immittuntur pedes, coërcendo halitus, in tegumento, vaſi ſuperimpoſito: conſervando æſtum, vel novum decoctum fervidum, vel ſilicem candefactum ſuperaddendo: pedes extracti probè abluti, calidis linteis involvantur & quies ipſis concedatur. Species hæ 3. l. 4. coqui dicto modo & adhiberi poſſunt.

Lotio Manuum contra Maculas & puſtulas, à ſcabie, variolis, &c. relictas.

♃ Aqu. Calc. vivæ ℔ii.
ſulph. pul. ℥i.
ebulliant invicem
Colat. adde Aqu. roſar. ℥i.
M. F. lotio detergens.

additione & miſtione ſimplici ſacchari Saturni ʒii. ad iii. erit lotio appropriata ad *maculas hepaticas*.

Lotio contra fœtorem axillarum, pedum, aliorumve locorum.

♃ Herb. ſcordii. plantag.
fol. quercus ana m.i.
Coq. in ſ. q. Aqu. comm.
Colat. ♃ ℔iß. adde
ſolut. lythargyr. Aurei c.
Acet. deſt. fact. ℥iii.
M. pro Lotione. D.
♃ Fol. quercus m.iii.
ſummit. origan. m.ii.
fl. roſ. rubr. m.i. Aluminis ℥iß.
D. S. Species.

coquantur in Aqu. comm. adhibeantur pro lotione, ſed ſemper cautè.

Lotio

Lotio Capitis in Caſu Capillorum.

℞ Abrotan. mar. capill. Vener. maj. ana. m.i.
fl. roſmarin. lavendul. ana. p iii.
rad. lapath. maj. peucedan. ana ℥i.
urtic. maj. ſem. fœnugrœc. ana.℥ß.
ladan. el. ʒiii.

affund. ſ. q. lixivii, ſtent in digeſt. per aliquot dies ebulliant leniter & exprimantur: hoc ipſo caput abluatur & linteis tepidis detergatur: illinatur poſtmodum Ungu. Bucretii experto: &c. Dum vero homum beneficio denuo creſcunt pili, loco lixivii in Vino dilutiori vel modice adſtringente ſpecies pro lotione capitis coquendæ. Facit huc decoct.h. & rad. malvac. piſis in Urina humana, quod pro lotione capitis infantum in tinea, etiam graviſſima: it. furfuratione capitis multum valet.

§.22. Hæc ſunt balnea propriè dicta, humida ſcilicet, ſunt & impropriè dicta, fotuum vaporoſorum inſtar, quæ ſpeciali nomine *Balnea Laconica*; it. *Stufæ.* it. *Sudatoria*, appellantur. In his Vapor ſaltem calidus plus minus medicatus, vel univerſaliter vel particulariter corpus aut partes quaſdam afficit: idque pro ſcopo vel ſudandi univerſiliter, vel diſcutiendi & leniendi particulariter. Vapor uſitatiſſimè hodie in Laconico excitatur, vel ex Aqu. fervente ſimplici aut decoctione certa medicata, vel ex Spirit. Vin. incenſo, quorum hoc præferendum illi: mirum quantum penetret univerſum corporis habitum Spirit. Vin. calor. p. ſubjectis humidioribus & ſucculentioribus, item quæ atonia Viſcerum laborant magis, quam qui ſiccioris ſunt habitus convenit, his enim prior modus magis appropriatus: perficitur utrumque in domunculo peculiari ligneo, notæ jam paſſim formæ, in qua æger ad collum uſque erectus ſedeat, dum ex fundo vapor exſurgens totum alterat. Eminet hæc inter balnea ſicca medicata in ſpecie balneum ex ſuffitu decocti *cubilis formicarum*, in artuum dolore, paralyſi, rigiditate & ſimilibus malis: ſcorbuti apud nos familiati progenie, admodum laudatum: præter hoc v. cum rara ſint balnea ſicca univerſalia medicata, ſaltem particularia interdum vapore medicato inſtitui ſolent; Sed nil à fotuum præſcriptione differente. Saltem exempli gratia quoddam peculiare addam.

Laconicum particulare, Cruribus dolore podagrico affectis: it. in doloribus illorum ſcorbuticis fixioribus.

℞ Lixivii Coriariorum, jam ab ipſis uſurpati ℔ii.
Vrin. human. ℔iii.

M. F. Lot.

Ebulliant, & fiat inde ſuffitus pro membris dolentibus deſuper ſituatis, & fornicatim in tegumentis aptis munitis.

§ 23. Efficacioris fotus ſpecies eſt

Cataplaſma.

dum maſſa medicamentoſa pultiformis parti cuidam applicatur pro uſu multiplici. Siquidem non rarum, ut poſt præmiſſum fotum humidum, Cataplaſma applicetur, imò ipſa decoctionis pro fotu remanentia, non raro capitur, & l. a. tractata, ut cataplaſma applicatur. Ordinario nempè fiunt cataplaſmata, dum ſubjecta appropriata, mediante lacte & oleo, ubi diſcutiendum & emolliendum, Vino & Aceto; ubi diſcutiendum & attenuandum, Vrina, lixivio, ubi reſolvendum: &c. Ad talem redigantur conſiſtentiam, ut per ſetaceum, pulpæ aut pultis forma trajici poſſint, quæ puls Cataplaſmatis corpus, majus vel minus, pro partis affectæ & applicationis ratione, conſtituit, cui pro re nata interdum & alia deſuper addi ſolent, oleum, mel, pulveres, Electuar: &c. eorumque plus minus, prout vel baſeos vel adjuvantis locum obtinent.

Cataplaſma emolliens & ſuppurans abſceſſus & inflamm.

℞ Nidi hirundinum inter. c. excrement: abjectis ſtramine, paleis, & cæteris quiſquiliis, no.i.
albi cræci. ℥i.
rad. lil. albor.
altheæ ana ℥ii.
fl. chamomill.
melilot. ana. m.i.
ſem. fœnugrœc.
pſyllii ana. ʒii.
altheæ. ℥ß.
ficuum ping. no.iv.
cepar, ℥ß. ad ʒvi.

inciſ. & contuſ. coq. in ſ. q Aqu. com. l. Aqu. hordei vel cereviſ. vel lactis vel ſeri lactis (pro indicationum ratione) ad conſiſtentiam pultis: pulpæ per ſetaceum trajectæ: adde
ol. lil. albor. ℥ii.
chamomill. ℥i.
Croci Orient. ʒiß. ad ʒii.
Vitell. ovor. no.iii.

M. f. Cataplaſma: emoll.

de quo q. ſ. calide applicetur & quoties opus reiteretur.

NB. ſemina iſta decoctioni addita omitti, & illorum loco pulti traject. farin: ſem. lin. fœnugræc. ana. ℥ß. rad. altheæ. ℥i. addi poſſunt.

Cataplaſma contra tumorem bracchii, ex pertuſa in Ven. Sect. vena & læſo nervo.

℞ Herb. agrimon.
chærefol.
chamomill. ana. m. i.
rad. ſymphyt. maj. ʒiii.
ſigill. Salomon. ʒi.
ſem. lini.
fœnugr. ana. ℥ß.

Coq. in ſ. q. Aqu. ad conſiſt. pultis: trajiciatur per ſetaceum.

M. F. Cataplaſm.

Inſtillato prius ol. deſtil. terebinthinæ vulnuſculo, applicatur calidè, addendo cuilibet portioni ſub applicatione Spirit. theriacali, vel ſimpl. vel camphor. ℥i. a. q. ſ.

Cataplaſma ad ſuppreſſionem Vrinæ, in puerperâ, ob admiſſum incautius frigus externum à partu.

℞ Herb. parietar. m.ii. chærefol. m.iß.
Coq. ad mollit. pulpæ per ſetac. trajectæ, adde butyri rec. ℥ii. ole. ſcorpionum ℥iß.

M. pro Cataplaſmate: calidè regioni pubis admovendo.

Subinde pulpa fructuum coctione emollita, ceu cataplaſma applicatur, cui & alia addi poſſunt v. g.

Cataplaſma ad Bubones Peſtilentiales.

℞ Herb. parid. m.iii. rad. lil. albor. ℥iß.
ficuum ping. no. iii.

Coq. in ſ. q. Aqu. comm.
pulpæ trajectæ adde Theriac. ℥ii.
pulv. bufonum. ℥iß.
fuligin. Camin. ℥i. ſaponis Venet. ʒvi.
c. ſ. q. Ol. aranear. F.
Cataplaſma. D. S.

Cataplaſma

Cataplaſma contra vulnera, dolorem, percuſſionem oculorum.

℞ pulp. pomor. dulc. ad mollit. coctor. ℥iv.
mucilag. ſem. cydon. c.
ſpermat. ranar. extr. ʒi. ℥iß.
ſacchar. albiſſ. ʒiß. camphor. parum.
M. D. pro Cataplaſmate conf.
Timæus in Caſ. l.1. caſ.21. p.48.

Interdum ſoli pulveres liquore conveniente excepti, cataplaſma formant: v. g.

Cataplaſma ad tumorem teſtium ex contuſione.

℞ farin. fabar. ℥iii. pulv. ſem. cumin. ʒii.
Coq. in poſca ſ. oxycrato q. ſ. ad conſiſt. pultis.
F. catapl.

ſin ſcrotum ab aceto pruritum aut roſionem ſenſiliorem incurrat, parum lithargyrii ſub decoctione addi poteſt.

Cataplaſma ad hæmorrhag. Narium.

℞ argillæ uſtæ ſive calcinat.
ex furno piſtorio v. g. extract. m.ii.
Acet. acerrimi q. ſ. commixta redigantur in form. Cataplaſm.
frigidè immediatè fronti c. temporibus, ac nuchæ cum linteo applicetur.

Imo ipſa interdum ingredientia, propria ſub conſiſtentiâ aut miſtione mutua in Cataplaſmatis formam coëunt, citra aliud artificium, ſucculenta ſcil. plus minus ſi fuerint.

Cataplaſma contra tumores ſeroſos, & hydropes particulares.

℞ Cohlear. c. ſuis teſt. contuſ. ℔i. pulv. ſem carvi. ʒii.
ſtercor.. caprill. ℥iv. M. & ſi opus c. ſ. q. Vini aut poſcæ redigantur. ad Conſiſt. Cataplaſmatis.

Pertinet huc ſtercus vaccinum, quod recens, ceu ſingulare anodynum cataplaſmatis forma imponitur, v. gr. podagra dolentibus: ſuccurrit pariter aliis doloribus ac tumoribus, præſertim cuivis dolori inflammatorio, vel ſolum c. ol. roſar. impoſitum: Sic ſtercus ſuillum, cum Aqu. fervid. ſubactum, & abdomini inſtar Cataplaſmatis inſternitur, egregio ſucceſſu, ſub nimio menſium fluxu. Cataplaſma ex fimo equino in Vino cocto, vel ſuccus ejus c. mica panis ſecretum eſt contra Gangrænam: conf. Cataplaſm. compoſ. Barbette: Chir. l.1. c.14.

Ex fermento pariter ſolo, additis aliis quibuſdam extemporanea fiunt Cataplaſmata, eaque propter acrimoniam vel veſicantia, vel rubificantia, adeoque ut vocant attrahentia & derivantia.

Cataplaſm. rubific. contra dolorem ſyncipitis inſignem, ſæpius recurrentem, c. gravi oculorum dolore: occipiti ſ. nuchæ applicandum.

℞ Ferment. acerrim. ℥i. ſem. ſinapi contuſ. ℥ß. ad ʒvi.
c. ſ. q. Spirit. Vin. ſubigantur ad pultis conſiſtentiam aut cataplaſm.

poſſunt, ubi opus eſt, ſem. eruc. ʒii. adhuc pro ſtimulo addi.

§.24. Pro Ventriculo, in ejuſdem quibuſvis ſymptomatis, plurimis laudatur cataplaſma ex fermento c. aromatibus, ad imitationem *Mynſ. Armam. ſ.37. p.520. & 524.* ſed quamdiu hæc omnia probe calent, res benè habet, ſimul verò ac parum intepuerint, offenditur tactus & cutis, unde nil emolumenti: expertus hæc ſcribo, ſane eædem difficultates, quas ſupra circa Epithematum uſum inſinuavi, premunt pariter ſæpius & fotus humidos & Cataplaſmata. Siquidem hæc tumoribus, præſertim calidis applicati, neceſſario ex allegata cauſa pororum conſtipationi occaſionem præbent, & tranſpirationem, adeo in iiſdem neceſſariam, impediunt, repellunt, & nervoſiori loco gangrænam citius accerſunt, &c.

§.25. Communiſſimus uſus externus. Infuſ. & Decoctor. eſt, quando aptis inſtrumentis certis quibuſdam cavitatibus injiciuntur, unde

Injectiones ſive Enemata.

it. *Lavamenta ſ. Clyſteres & Clyſmata*, ibi ſecundum Latinos, hic ſecundum Græcos dicuntur, quamcunque in partem injectio fiat. Cum v. à potiori ac uſitatiori fieri ſoleat denominatio, propter infuſionem talium in anum ac inteſtina; ceu generalem corporis cloacam, crebritatem, Clyſmatis ac Enematis vox ferè his ſaltem hodiè tribuitur, cui conſuetudini & nos cedimus. In Clyſmate ergo 2. conſideranda, 1. decoctus liquor. 2. addenda, vel diſſolvenda in eodem, ex quibus emergens compoſ. ad ℔i. p. p. adſcendat in adulto, rarò ulterius ad ℥xv. infanti ℥ii. ad ℥iii. pro corporis ratione ſufficiunt. Decoctum ipſum, præ ſupra dictis, nil peculiare obtinet. Addenda ſunt: Electuar. alterativ. aut laxativ. ab ℥i. ad ℥ii. mellia à ʒvi. ad ℥i ol. coct. vel infuſ. ab ℥ß. ad ℥iß. ol. deſtil. à ℈i. ad ʒi. Sal. ſtimulans vel alterans à ʒß. ad ʒi. ſubinde etiam Vitell. ovor. no.i. l. ii. adjiciuntur. Quod ſi plura addenda ſimul fuerint, & horum reſpectiva proportio attendenda, ut ex omnium miſcela una doſis completa pro uſu intento exſurgat: qui in genere eſt triplex: *vel* inteſtina ſtimulare & plus minus purgare, *vel* eadem demulcere, *vel* contenta in iiſdem temperare ac alterare: Quibus ceu 2darius ac accidentarius accedit, aliis partibus variis, ob conſenſum, diverſimodè prodeſſe: ſuperſtitioſus de cætero eſt delectus cephalicorum pectoralium, nephriticorum, hyſtericorum, &c. Qui in clyſmatum præſcriptione ſubinde inſtituitur; cum per conſenſum ſaltem aut deuteropatiam, vel per quandam conſequentiam aliis partibus auxilium ab iis afferatur. Injiciuntur tepidè, vel una, vel duplici vice pro excrementorum; flatuum, podicis plus minus dolentis, &c. Reſpectu, ſemper tamdiu ſi poſſibile retinendo, donec uſui ſatisfecerint. Inſtrumenta ferè ſunt triplicia: Veſica ſuilla, cum parva fiſtula, apud nos Germanos, ſiphon amplus, apud Gallos, Inſtrumentum *Graffii Tr. de uſu Clyſter.* apud Belgas, magis uſitatum. Optimum videtur hoc Graffii inſtrumentum, ab eo tamen non deſcriptum: forſan imitandum, ſi inteſtinum quoddam longius & æquale avis cujuſdam, debito balſamo vel therebinthinato, vel Spirit. Sal. Ammoniac. vinoſo, &c. Condiatur & aptè tractetur, hinc filo æneo & panno ſericeo obvolvatur, &c. Clyſter ex fumo Tabaci Anglorum, ceu Anomalus, huc non pertinet. De fumo Tabaci dico, nam qui ex decocto Tabaci, aliis additis, parari poſſet, ſummè periculoſus eſt, cum uſum ejus ſubitò: ac modo applicatus fuerit præcordium anxietates, lypothymias, ſudores circa frontem frigidos, totius feralem quaſi pallorem, aliaque ſimilia ſymptomata inſecuta fuiſſe, noverim.

Clyſter Carminativus in Colicâ flatulenta.

℞ Herb. chamomill. menth. ana m.i.
bacc. laur. juniper. ana ℥ß.
ſem. fœnicul. aniſ. carvi ana ʒ ii.
Sal. tart. ʒiii.
Inciſ. & contuſ. coq. in ſ. q. Aqu. ſimpl. vel ubi Sal. tart. non additum fuerit in ſ. q. ur. human.
Colat. ℞ ℥ix. adde.
Elect. de bacc. laur. ʒvi. ad ℥i.
mell. rutac. ℥ß.
ol. deſtil. bacc. laur. ℈ß. ad ℈i.
M. pro Clyſmate. D.

Clyſter

Clyſter fortiter ſtimulans v. g. in Apoplex. paſſion. hyſt. graviori, &c.

♃ Herb. ſalv. fl. chamomil. ana. m. j.
rad. pyrethr. ℥ß. ad ʒvj.
pulp. Colocynth. in pet. lig. ʒj.
(alias ſubtiliſſ. ramenta, horrenda tormina inferunt, & aliquandiu poſt ſe relinquunt: quod non putaſſem, niſi experientiâ confirmatus fuiſſem.)
Coq. in ſ. aq. Comm. Colat. ♃ ℥ix. adde
Elect. hier. picr. ℥j.
mell. anthoſ. ʒvi.
caſtor. ℈j. Sal: gemm. ʒß.
M. pro Clyſmate. D.

De Electuar. Purgant. Clyſmatis additis dubitatur merito, an cujuſdam uſus ſint: ſiquidem antequam textura crudorum purgantium reſolvatur ita, ut ſe commodè explicare & inſinuare parietibus inteſtinorum queant, diu erit, quod jam Clyſma rejectum denuò fuerit. Ob id potius ipſa fortiora purgantia infundatur, vel decoctum Croci metell. in vino, aut Aqu. bened. officinal. ℥iij. ſyr. aut emeticus ſal. ad ℥iß. decocto jam colato adduntur, præſertim ubi præſentanea magis ope opus fuerit.

Clyſma anodynum, antidyſentericum.

♃ fl. verbaſci. m ij.
ſambuc. m. j.

Uſitatior hic fuit Clyſmatum præſcribendorum modus: interdum verò ſola fluidorum miſcelâ, clyſter conficitur, citra alios labores v. g.
Cap. papav. cum ſem. no. iij.
conciſ. & contuſ. coquantur in ſ. q. lactis bubuli chalybeati:
Colat. ♃. ℔j. adde
ſevi Cervin. l. hircin.
in Vitell. ovi diſſol. ℥ß. ad ʒvj.
M. f. Clyſma.

Loco Capit. papaveris commodè etiam Philon. Rom. ʒj. aut theriaces non adeo vetuſt. ʒij. addi poſſunt.

Clyſter temperans & anodynus polychreſtus.

♃ Lactis bubul. ℥ix. ad ℔j.
therebinth. Venet. in vitell. ovi diſſol. ʒiij. ad ℥ß.
mell. roſat. ℥ß. ad ʒvj.
M. pro Clyſmate.

Sane therebint. additio, plus in receſſu habet, ex tali enim Clyſmate paulo diutius retento, urinam intensè violas ſpiraſſe, in puerpera olim notavi. Imò ſolum lac, cum pauco addito ſaccharo, vel cinere clavellato aut pro ratione, Elect. lenitiv. vel de bacc. lauri, jam pro Clyſmate anodyno, in ſcorbuticis præſertim abdominis malis, inſervire poteſt. Ut nihil dicam de Clyſmate ex ſolis oleis, ſub fecum induratione, aut pertinaciori alvi occluſione uſitato.

♃ ol. rapar. lini. ana ℥iv. ad v.
diacolocynth. ℥ß. M. pro Clyſmate. D.

§. 26. Juxta injectiones in Inteſtina, frequentiores cæteris ſunt iſtæ, in os, pro regionis hujus, & faucium, ac partium conterminarum levamine, variis ſub eorum malis, & in genere

Gargariſmata

dicuntur. Fiunt frequentius ex decocto appropriato, cui pro re nata adhuc alia adduntur, omnia in quanto mediocri, niſi crebrius eodem uti conveniat. Utendi modus, ſive eluendo, ſive gargariſando ſive cum ſiphone injiciendo fiat, notus eſt. Præſcribendi aut miſcendi modus præ aliis decoctis in genere, aut clyſmatis in ſpecie, nil ſingulare obtinet, niſi in quantum judicium Medici iſta ad partem affectam ſpecialem certo applicare norit.

Gargariſmus reſolvens & diſcutiens in principio inflammationis faucium, aut tonſillarum, &c.

♃ rad. leviſtic. ʒvi. apii. ʒiii.
fl. ſambuc. m. iß. fol. malv. m. j.
paſſul. maj. inciſ. ℥iß.
Coq. in ſ. q. Aqu. comm. l. Aqu. hordei: vaſis opertis.
Colat. ♃. ℔ß. adde
Sal. Ammoniac. depur. ʒß. ad ʒj.
M. pro Gargariſmate.

Sanè loco gargariſmatis domeſtici optimè in his caſibus convenit decoct. hord. vel avenac. in quo parum Sal. Ammoniac. diſſolutum eſt, imò ſola urina humana, calida aut calefacta loco gargariſmatis adhibita, ſubinde artificioſiſſimè compoſita ſuperat. Superior gargariſmus magiſtralis mutari etiam, & loco paſſul. maj. Colatur. Mell. Mercurial, ℥i. ad ℥iß. ſpir. Vin. theriacal. ʒvi. ad ℥i. (aut ſi malignum ac contagioſum videatur malum ſpir. Vin. camphor. ℥ß.) ſpir. Sal. Ammoniac. ʒß. ad ʒi. addi poſſunt.

Gargariſma anodynum & maturans in ſtatu iſtarum inflammat.

♃ Herb. malv.
melilot. ana. m. j.
rad. altheæ. ℥i.
ficuum pingu. no. vj.
Coq. in ſ. q. Lactis, aut ubi ardor & inflammatio intenſior, in ſero lactis.
Colat. ♃. ℔iß. ad ℔ii.

Et vel nudè ita uſurpetur, vel addito ſyrupo violaceo, aut mell. deſpumato pauco, adhibeatur. Sin ſuſpicio ſit materiam ſuppurandam pituitoſiorem ac viſcidiorem exiſtere, ſaponis Veneti nonnihil una incoqui poteſt: quod etiam locum habet ubi citius maturare abſceſſum eſt animus.

Gargariſmus in loquela amiſſa poſt Apoplexiam.

♃ Herb. ſalv. roſinarin. majoran. ana. m. j.
rad. pyrethr. ʒiii. ad ℥ß.
ſem. Eruc. ſinapi ana. ʒiß.
caryophyll. ʒj. Coq. in ſ. q. aq. comm. Colat.
♃. ℥x. ad ℔i. adde
Spirit. Ceraſ. nigr. vel bacc. juniper ℥iß.
Sal. Ammoniac. c. calc. viv. ʒiii. mell. anthoſ. ʒvj.
M. Gargariſm.

Gargariſmata, contra ſcorbutum oris.

♃ Herb. ſalv.
cochl. ana. m. ij.
Coq. in ſ. q. lactis vel ejus ſeri.
Colat. ♃. ℔ii. adde.
ſucci Cochl. ℥ii.
ſyr. aquileg. ℥iv.
M. pro collutione oris.

♃ Herb. ſalv. m. iß.
fl. malv. hortenſ. rubr. m. j.
rad. polypod. ʒß.
Coq. in ℔j. Aqu. fontan.
Colat. adde
mell. roſat. ʒiß.
Alum. uſti ʒ. j. l. nitr. Antimon. l. nitr. depur. ʒiß.
M. D. S.

ſi ſerum lactis ſumptum fuerit, ſpir. ſal. ℈j. vel q. ſ. addi poterit.

Subinde verò citra laborioſam præparationem ſimplex liquor,

liquor, aut ſaltem miſcibilium extemporanea unio, Aquis deſtillatis hic potiſſimum inſervientibus, ad gargariſmum conſtituendum ſufficit: nam decoctum raparum ſiccarum in faucium inflammationibus, in incremento & ſtatu optimum. Lac in aſperitate faucium, earumque phlogoſi cum pauco ſaccharo, vel Nitr. interdum abunde ſufficit: vel

Gargariſma in nimiâ ſalivatione.

℞ Aqu. prunell. ſemperviv. ana. ℔ß.
tinctur. bellid. ʒj. alum. crud. ʒß. ad ℈ij.
ſyr. roſar. rubr. l. myrtill. ℥ß. ad ℥j.
M. pro Gargariſmate.

§.27. Fuerunt hi modi præſcribendi injectiones in Praxi frequentiores, præter quas aliis partibus, earumque cavitatibus vel naturalibus l. p. n. vulneribus, ulceribus ſinuoſis, fiſtulis: &c. Injectiones variæ adhibentur: nunc in genere *ſiphonis* ope, nunc in ſpecie in uterum per *Metrenchytem*, in Veſicam per *Catheterem*, &c. In quibus omnibus nulla ab antecedentibus in præſcribendo differentia, niſi in quantum partis affectæ, & affectus ipſius ratio, materiæ ſelectum & quantum determinare plus minus ſolet.

Injectio in Veſicam exulceratam. it. in mictu cruento & purulento, &c.

℞ h. Agrimon. plantag. ana. m.j. liquirit. mund. ℥ß.
Coq. in Aqu. ferrarior. ℥ix. ad ℔j. ad ʒiæ p. caſum.
Colat. ℞ ℔ß. ad ℥viij. adde
Mell. roſat. ℥i. Eſſ. reſin. aloës cum ſpir.
Vin. extr. ℥ß.
M. pro Injectione. vulnerar.

Imò ſolum lac, cui therebinthina cum Vitell: ovi ſoluta permiſta, cum pauco ſaccharo ſufficit: pro leniendi ſcil. ſcopo & temperandi, dum iſtud magis intentioni purificandi inſervit.

Injectio in Penem, in Gonorrhœâ Malignâ.

℞ Aqu. calc. viv. ℥iii.
aloës hepat. ʒß. vel ejus loco
Eſſent. aloës ʒiii.
mell. roſat. ℥ß. ad ʒvj. M.F. Iniect.

Malum ubi pertinacius fuerit cum vel ſine aloë Mercur. dulc. ſimul. addendus, à ℈i. ad ʒß. imminuendo mel ad ʒiij. p.p.

Injectio in Uterum: tam hæmorrhagia nimia, quam fluore albo affectum.

℞ Viſci quercini. ℥ii. cortic. granator. ℥i.
alum. thuris ana. ℥ß. maſtich. ʒii.
balauſt. fl. roſ. rubr. ana. m.ß.
(in fluore albo ligni ſancti ℥iii. illius loco capere amant. Infund. in Aqu. comm. ℔ii. macerentur per 24. horas, ebulliant lento Igne ad medias, addendo ſub finem Vini rubri, auſteri, ℔i.
de Colat. F. Iniect. adſtring.

Pertinet huc injectio in nares, in nimia earum hæmorrhagia, vid. Miſc. Acad. Nat. Cur. ao. 2. p.323. In quem Narium uſum de facili decoctum magiſtrale præſcribi poſſet, ſimile decantato illi liquori Styptico de la Vigne Galli, v. g.

℞ Alum. vitrolian. ʒi. Phlegmat, vitrioli ℥i. ad ℥iß.
ebulliant ad diſſolut. contentor. Liquor. filtratus
Spir. vitr. aliquot gutt. adhuc aciduletur. F. aq. adſtring.

Vel in miſtura extemporanea.

℞ Alum. crud. ʒß. terr. vitrioli dulc. gr.xv. ad ℈i.
Phlegm. vitrioli, ſpir. vitrioli nonnihil acidul. ℥iß.
ad ℥ii. M. D. injiciantur naribus, &c.

Sed forſan ſpir. Vin. per ſe rectificatus, naribus paulo profundius injectus, omnibus his præſtat: ſiquidem ab illo quivis ſanguis fluidus, etiam calidus & adhuc recens, citiſſimè, mirabili c. ſpectaculo coagulavi ſolet. Pro auribus denique ſimiles injectiones fiunt, nunc laborioſe ex decoctis, nunc ſimpliciori modo concinnatæ: v. g. injectionem contra Vermes, ex decocto, v. *Barbette*: *Anat. Pract*: *l.2. c.1. p.110.* vel ſola urina, aut Phlegma ſpir. ur. hum. in ulceribus aurium crebrius injectum confert: in malo v. graviori.

℞ Ariſtoloch. rotund. cortic. granator. gallar.
ana. ℥ß. Coq. in ana. Vin. & Aqu. ferratæ: ad ℔ß.
Colat. adde ſucci plantag. polygon.
ana. ℥i. mell. roſat. ℥ß.

M. & injiciantur pro deterſione & cicatriſatione: ſin potentius deterſivum requiratur, Virid. Æris parum v. g. ʒß. ad ʒi. addi, & repetita colaturâ adhiberi poterit.

CLASSIS V.

Inunctiones varias comprehendit.

§.1. Ultima Claſſis generalis præſcriptionum uſitatarum externa ſaltem ſubminiſtrat, illa quæ inunguntur, & unguinoſa ac glutinoſa conſiſtentia partibus externis adhærent: pauciſſima enim talia ſunt, quorum internus etiam ſit uſus, ut Ungu. rubr. potabil. balſamus Fœniculi *Horſtii obſ. l.2. obſ.42. p.109. & l.XI. obſ.22 p.558.* Sed hæc particularia & planè ſingularia nos non remorantur: *Baſin & Conſtitutionem* omnium externarum inunctionum, ferè ol. & Cera conſtituunt: illi cujus 3plex alias nota eſt differentia, analoga ſive congenera, & plus minus miſcibilia accenſentur butyrum, pinguedo, medulla, axungia, ſevum, fella, reſinæ molliores, ſapones, utpote facilè Aqu. aliquabilia, & ol. inſtar applicabilia. Ceræ v. accenſentur colophonia, reſinæ ſpiſſiores, gummata, quorum plura amphibia videntur, dum & in igne & aqua vivunt, ſ. oleoſis ac Aquoſis menſtruis ſolubilia exiſtunt, quod ex miſtione duplicis ſubſtantiæ gummoſæ, cum inclufo copioſo nucleo reſinoſo accidit, tamen ob conſiſtentiam, & proprietates reſpectu Aqu. & noſtri ad ceram referuntur, non ſecus ac aliæ reſinæ ſpiſſæ, ut pix quævis, &c. Therebinthina medio intercedit loco, & præter hoc quod ob vires ſuas egregias, ob quas merito balſamum Europœum ſ. ſeptentrionale audit polychreſta ſit, utriſque & oleoſis & cereis ſubjectis ſociabile exiſtit: adeò ut gummatis, & reliquis uniendis optimè inſerviat: ut taceam, reſinam hanc, & copioſum ſubminiſtrare ol. ceram duriuſculam, & quaſi piceam pariter ſuggerere: vinculi ergò inſtar, hæc interdum conſiderari, interdum, ubi ingredientis primarii vice defungitur, ad olea referri debet. Ordinaria & potiora hæc inunctionum ſunt ingredientia, quibus extra ordinem, non raro penitus ſupervacaneè alia adduntur, ut pulveres varii, primariò metallici & minerales, hinc & vegetabilium, quin & ſucci vegetabilium, (quo & Acet. pertinet) tamdiu ob Aquei cum oleoſo incompatibilitatem, coquendi, donec quicquid fuerit aquei, exhalaverit. Denique & mel concretum, ob particularem texturam, reſpectu hactenus recenſitorum, ſui generis, oleoſam in receſſu, aquoſam tamen & gummoſum in ſuperficie, ob id vegetabilium ſuccis optimè ſociabile. Mucilagines denique Vegetabilium quorundam, quæ & butyro animalium, adeoque ol. vegetabilium hoc in paſſu analoga ferè habentur. Miſcentur hæc ingredientia, vel ſine vel cum igne: Sine igne ſimpliciter per tritum, ſpecies cum ol. in mortario ſubigendo, ſenſim ol. affundendo, & ita tritum continuando, donec debitam conſiſtentiam acquiſiverint, quod nutritum alias dicitur: & in Empl. Tria Pharmaco Meſue locum invenit: cum igne, ol. & ceræ invicem liquatis alia addendo, miſcendo, interdum etiam ubi opus eſt colando: cujus exempla paſſim proſtant.

§.2.

§. 2. Prout jam variat ingredientium horum proportio, etiam coaleſcens inde variat inunctio: Dum enim oleoſa ſola, aut cum illorum ℥j. ceræ ʒj. pulverum ʒß. miſcentur, *Linimentum* dicitur: dum vero 2plum modo dictorum ad ℥j. oleoſorum ſumitur, *Vnguentum* appellant. Ex oppoſito ubi Ceræ eſt præeminentia, ita ut Ceræ ℥iß. ol. ℥j. pulveris ʒiß. ad ʒij. coëant. *Ceratum* audit: ſin v.Ceræ & ol. ana ℥j.pulv. ℥ß. in genere miſceantur, *Emplaſtrum* habebitur, cui tantum non omni therebinthina, proportione moderata ſolet addi: quod ſi emplaſtro liquefacto immergatur linteum, cujuſcunque figuræ, ita ut utrinque eodem obducatur, *Spanadrapum* dicitur. Uno nomine, magna hic de re exili fabula: prompte enim ex Unguento Linimentum, ex utroque, additione Ceræ, Ceratum, hinc cum therebinthina emplaſtrum, & ex hoc per copiam olei unguentum fieri poteſt. Quod ſi pix baſeos locum occupet in Emplaſtro, egregiè hinc penetrante & reſolvente, *Picatio*, it. *Dropax* appellatur.

§. 3. Linimenta facillimæ ſunt præſcriptionis, quæ ſi ex ol. fiant deſtillatis, conveniente corpore exceptis, (alias acrimonia ſua pruritum, puſtulas, ardorem excitant) quod uſitatius eſt oleum nuciſtæ expreſſum, balſami magiſtrales vocantur, ad officinalium differentiam, quæ fere olea deſtillata compoſita eſſe ſolent.

Linimentum ſ. Balſamum Stomachale.

♃ Ol. deſtill. juniper. ʒj. menth. ʒß.
macis, caryophyll. ana. ℈ß.
cinamom. gutt. v.
c. ſ. q. ol. nuciſt. expreſſ. F. Balſamus.

Inungitur ſine alio apparatu regioni ventriculi, præſertim iſti, quam ſcorbiculum cordis vulgo appellant & latere probe calefacto deſuper impoſito, vis penetrativa oleorum deſtillatorum animatur, ut eò citius & potentius interiora verſus penetrent. Non eſt particularum volatilium harum interior penetratio de nihilo. Memini aliquando, ex tali balſamo applicato, ob crebriorem vomitum, ægrum à me interrogatum, cujus qualitatis & ſaporis ſint iſta rejecta, reſpondiſſe, percipere ſe in iiſdem eundem ſaporem, qualem odorem ex Linimento applicato, alias perciperet.

Linimentum contra gravedinem & narium obſtructionem.

♃ Ol. irini. Nicotian. nigell. per expreſſ. ʒß.
deſtill. majoran. aniſ. ana. gutt. ij.
M. F. Linimentum.

Quo nares crebrius internè inungantur. olea, quandocunque abſolute præſcribuntur, per infuſ. aut decoct. intelliguntur.

Linimentum contra dolorem Pleuriticum.

♃ Pingued. murment. ℥ß. liquefact. adde
oleum chamill. ʒij. abſinth. ʒj.
deſtill. cumin. ʒß. croci ℈j. camphor. ℈ß.
M. F. Linim.

Litus Carminativus.

♃ Ol. chamomill. anethi. ana. ʒij.
deſtill. chamomill. aniſ. carvi, lauri. ana. ℈j.
c. ſ. q. ol. nuciſt. expreſſ. F. *Balſamus*: vel
c. ſ. q. ceræ: aut Empl. de bacc. laur. F. *Vnguentum.*

quibus ſi addatur gumm. Tacamach. c. ſ. q. thereb. malaxata, F. *Emplaſtrum.* D. Non rarum eſt unguenta recipi officinalia, & additione olei appropriati, aliorumve, redigi in linimenta.

Linimentum ſomniferum.

♃ Ol. expreſſ. papav. alb. ʒij. hyoſcyam: ℥ß.
M. D. S.

vel c. ſ. q. Ungu. alabaſtrin. ʒiij.
F. Unguentum D. S.

Linimentum in dolore Nephritico.

♃ Ungu. de althea. ℥iß.
ol. lil. albor.
amygd. dulc. ana. ℥ß.
ſcorpion. ʒiij.
petrol. alb. ʒiß.
ol. deſt. juniper. ʒß.
M. F. Linim. D. S.

Interdum alia, modo ſub miſtione debitam conſiſtentiam acquirant, in Linimenti forma præſcribuntur.

Linimentum ad pediculos.

♃ Pulv. Coccul. de Levante. vel
rad gentian. ʒiß.
helleb. alb. ʒß.
c. ſ. q. ol. nicotian. F.

Linimentum. Irrorentur ſub miſtione aliquot. gutt. ol. deſtil. ſpicæ.

Linimentum contra Lumbricos.

♃ Aloës hapat. ʒij.
myrrhæ. el. ʒß. ad ℈ij.
c. ſ. q. fell. tauri ſubacta f. liniment.

Fruſtulæ veſicæ bubulæ l. ſuillæ, palmæ magnitud. ſuperinducitur, & ita umbilico applicatur: relinquendo quamdiu adhæret.

Contra Odontalgiam & junctam Hemicraniam.

♃ Theriac. Androm. Tacamah. c. 4ta ſui parte
balſam. peruvian. malax. ana. ℥ß.
F. Ung. dolor. ſed.

Inducitur in mediocri conſiſt. ſuper linteum & applicatur univerſæ malæ dolenti: quod ſi phlogoſis quaſi eryſipelacea adſit, omiſſa Tacamach. Sal. abſinth. ad ʒi. c. Theriac. ℥ß. vel ʒvi. ſubigi & ita admoveri poſſunt.

§. 4. Unguenta quot attinet præſcribendi modum, cum hæc majoris ſubinde ſint apparatus, ac tardius ob id perficiantur, ordinariò ferè unguentum quoddam officinale recipitur, & aliorum additione proportionatâ, affectui conveniens redditur.

Vnguent. contra ſcabiem expertum.

♃ Ungu. Enu'at. ℥j. fl. ſulph. ʒij. Sal tart. ʒj.
c. ſ. q. ol. nicotian. F. Unguent.

Quod ſi loco ſulphuris, & ſociandi ipſi ſemper alcaliſati recipiatur Mercur. dulc. ʒi. ad ʒii. iiſdem & longe pluribus uſibus, in affectibus cutaneis hoc ipſum inſerviet. Utrinque ſaltem articulationi crurum, circa genua & poplitem. ac brachiorum, circa cubitum & carpum, in graviori malo, etiam circa digitorum interſtitia illinitur: idque ſaltem veſperi ſub introitu lecti, partes à frigore benè muniendo, manè v. manum urina calida abluendo.

Vnguent. in dolore capitis febrili.

♃ Unguent. alabaſtrin. ʒiij. Philon. Rom. ʒß.
ol. nuciſt. expreſſ. gr. ix.
M. F. Ungu.

Vnguent. contra ſcorbutum oris, aut cognata ſymptom.

♃ Pulv. rad. biſtort.
fl. balauſt.
roſ. arbor. ana. ʒi.
myrrhæ el.
Alumn. uſt. ana. ℈j. ad ʒß.
mell. roſat. q. ſ.

Melli ad ignem liquefacto calenti inſpergantur ſenſim pulveres, M. F. Unguent. illinantur gingivæ hoc ipſo bis l. ter de die præſertim à paſtu, deinde Vino rubro, vel alio ſimplici abluantur. Imo mel ſolum depuratum aut roſat. c. Spirit. Sal. ad ſufficientem acorem tinctum, ceu optimum Linimentum laudatur. vid Deckers, comm. in Barbette l.3. c.3. p.156. de ſcorb. elegans ubi Linimentum contra ſcorbutum oris. Sicut ipſe Barbette. l.3. Chir. c.6. elegans unguentum magiſtrale per frixionem in butyro contra ambuſta deſcribit.

§.5. Emplaſtrorum par ferè, ac Unguentorum eſt ratio: Ob laborioſiorem apparatum Officinalia recipiuntur, & vel ſola, vel additis aliis ingredientibus, oleo vel liquore ſimili, ut eò commodius alutæ vel linteo craſſo ſuperinducantur, malaxata, in ſua *maſſâ*, pro repetito uſu præſcribuntur, vel certâ ſub *figurâ*, aut *notâ*, ex partis affectæ ratione, aut *ignotâ*, cujus Archetypus in charta ſimul tranſmittitur, ad cujus imitationem alutæ inducenda. Ipſum Emplaſtrum vel cuti *immediatè* applicatur, pro meliori odoris medicati penetratione & operatione, vel *mediatè*, idque *nunc* in delicatioribus, quibus unguentorum cuti adhæſio moleſta eſt, *nunc* in *neutris*, & quibus pruritus, puſtulæ, excoriatio, phlogoſis, &c. Per emplaſtra, præſertim quæ gummata copioſius recipiunt excitatur: Sin, *poſterius*, ſyndone obducenda præcipiuntur, ſiv. *prius*, abſque ſyndone: Mihi ferè media placet via, ut ſaltem circa marginem, ad latitudinem digiti tranſverſi ſyndo aſſuatur, uti ita intentioni Medici therapeuticæ, & Coſmetices ægri ſtudio ſatisfiat: ut ut ſupra allegata incommoda minus hoc modo evitari queant, minus tamen defluere hoc modo molliora emplaſtra à partibus, & facilius ſeparari, quæ tenacius adhærent, ſolent, calidis poſtmodum linteis vel lateribus operatio promoveatur.

Emplaſtrum ſtomachale.

℞. Empl. ſtomach. Craton.
gumm. tacamach. ana. q.ſ.
malax: c. ſ. q. ol. ſtomachal. Crat. inducantur ſuper alutam, fiat ſcutum ſtomachale in formâ uſitata abſque ſyndone: irroretur ol. deſtill. menthæ.

Contra Cardialgiam, Emplaſtr. Magiſtr. & ob id ſimplicius.

℞. Gumm. Tacamahac. vel carannæ: ℥iß. l. q. ſ. l. part. iij.
balſ. peruvian. ℥ß. l. part. j.
malaxata probè inducantur ſuper alutam. F. Scutum ſtomachal. obduc. ſyndone rubr.

Emplaſtrum ad paßionem hyſtericam.

℞. Empl. matric. de galban. uſit. p.ij. ſ. ℥i.
gumm. galban. in Acet. ſolut: p.1. ſ. ℥ß.
malax. c. ſ. olei caſtorei, inducantur ſuper alutam F. Emplaſtr. rotund. in forma orbis medii vel paulo amplius, abſque ſyndone: irroretur ol. deſtill. ſuccini.

Aliud Magiſtrale.

℞. Gumm. galban. in Vin. l. Acet. ad pult. conſiſt. liquef. q. ſ. l. ℥iß.
extract. caſtorei. croci. ana. ʒii.
ol. deſtill. ſuccini. ſpicæ. ana. ʒi.
M. in conſiſt. Emplaſtri induc. ſuper alutam, &c.

Emplaſtra pro Splene, dolente, tumido, &c.

℞. Empl. ſplenetic. uſ.
de Ran. cum duplic. Mercur. ana. q. ſ.
malax. c. ſ. q. ol. deſtil. ſuccini aut galban. Paracelſ. inducatur ſuper alutam F. Empl. in forma pro ſplene uſitata abſque ſyndone.

℞. Empl. de Ran. cum Mercur. dupl. ℥i.
gum. ammon. cum acet. ad pult. conſiſt. red. ʒß.
Opii in acet. ſol & inſpiſſ. ʒß.
Malax. c. ſ. q. ol. deſtil. iuniperi vel Philoſophor: F. Emplaſtrum, &c.

Emplaſtrum Saturninum pro uſu externo vario.

℞. Minii vel Saturni calcinati q. v. ebulliat in ſ. q. Acet. deſt. quod calidum ita miſceatur cum ol. amygdal. d. l. rapar. l. lini recent. continuò agitando, & nutritu benè miſcendo: F. Unguentum (addendo circa finem camphor. cum ol. ſimili ſubacta q. ſ.) cum cerâ v. unâ liquefacta. Emplaſtrum.

Aliud, rudiori Minerva elaboratum, ſed uſu præſtans.

℞. Minii, ceruſſ. acet. vini, ol. comm. ana. q. v. miſta invicem ſtent aliquandiu in digeſtione crebrius agitando, tantum calore aucto ſub continuâ agitatione, in emplaſtr. conſiſt. inſpiſſando, & dum liquidum adhuc erit à craſſamento ſuperfluo in fundo removendo.

Emplaſtrum ex Pice ſeu Dropax, contra dolorem Iſchiadicum.

℞. picis naval. ℥ii. therebinth. ʒii. liquefactis & ubi opus fuerit adhuc cum ol. chamomill. q. ſ. ſubactis, adde ſucceſſive inſpergendo & benè agitando
pulv. ſuccini maſtich. ana. ʒi. fl. ſulph. ʒii.
M. inducantur ſupra alutam aut linteum craſſum in forma quadrata oblongâ: vel, in forma tranſmiſſa: abſque ſyndone.

Egregium in Iſchiade, ut & in doloribus circa os ſacrum, ac Iſchium, ex nimia onerum geſtatione, aut ſimili cauſa externa internum partium nexum plus minus lædente, natis, præſcriptum ad imitat. Poterii, Cent.2. c.13. & c.58.

§ 6. Equidem hæc ita pauca ſatis eſſe videntur, quoniam verò vix ulla in compoſitione plures errores committi videntur, quam harum inunctionum, pauca quædam adjicere allubeſcit. Uſus omnium harum inunctionum, ceu Topici ſaltem remedii, adeoque particulari tantum cujuſdam privatæ uſui deſtinati in genere triplex eſſe videtur: 1. Robur partis Vitale, in ſpiritu inſito fundatum, vi quaſi balſamica firmare & roborare. Ab illo enim efficienter, ut nutritionis medio, partis conſervatio ita & reſtitutio, unde vulnerum, ulcerum, fracturarum, plurium tumorum curationes. Nil vero magis huic inimicum eſt, quam tranſpiratio prohibita, undecunque oriunda hac enim ipſius tertiæ digeſtionis ſordes principaliter evacuantur, quibus retentis, œconomia partis turbatur, ſpirituum motus ſufflaminatur, tandem ipſis quaſi ſuffocatis, gangræna inducitur. 2. Robur partis: animale in *Eutonia* Fibrarum, mediante ſpiritu influo conſervare, quin imò, *relaxatam* illam, roborare, & appropriatis humiditatem lymphatico-ſeroſam diſcutere & & abſumere: nunc *contractam* blande lenire, & quaſi rigidiores fibras emollire, & denique *vitiatam* in dolore, cui ſemper aliquid ſpaſmodici plus minus ſolet eſſe junctum, demulcere, & ſpirituum ſedato, undecunque nato Orgaſmo, in naturalem tonum reſtituere: unde emollientia & anodyna, ſæpius ſolent eſſe reciproca. Rarum eſt, quod irritetur tonus fibrarum acrioribus, unde ex illarum ſtrictura & pororum contractura modificato contentorum motu, effectus attractionis, rubificationis, veſicationis, &c. ferè inſequi ſolent. 3. Heterogeneum iſtud, aut p. n. topicorum

affectuum

affectuum occaſionalem cauſam, corrigere & alterare, ſive temperare & coquere, hinc & plus minus removere per illa, quæ humectare, reſolvere, attenuare, maturare, ſuppurare &c. dicuntur: in quo puncto, acidum quæ corrigunt, & hinc viſcidum reſolvunt ac attenuant, tantum non primatum obtinent.

§. 7. Quibus præſuppoſitis, 2. in legitimâ inunctionum, ſi non omnium, ſaltem uſitatiorum compoſitione, & præſcriptione, obſervanda moneo. 1. ut ex volatili ſive facilè reſolubili conſtent materie: 2. nihil iis admiſceatur, quod nequeat per totum homogenealiter reſolvi, id quod *Helmont.* imprimis inculcat: *Pharmac. & diſpenſ. modern.* §. 57. Prius quod attinet, agunt in nos inunctiones vel mediate, vel immediatè. ibi odorum inſtar penetrantium, hic contactu ſuo corporali: ibi in affectibus externis vel internis, ſed profundius radicatis: hic in externis. Hinc enim paſſim pro ventriculi &c. malis, ol. deſtil. recipere conſuetum eſt, cum externa in inflammatione, Saturnum quoddam emplaſtrum, aut pulv. ex Creta Saturno &c. ut in Eryſipelate inſperſus, magis in uſu ſint. De prioribus E. ut imprimis intelligendum axioma, tamen & in poſteriori quantum poſſibile obſervandum. Siquidem cujuscunque intentionis gratia applicantur inunctiones, ſemper pororum occluſio præcavenda, qua ſuperveniente neceſſario Oeconomia vitalis partis privata turbatur. Ergò vitanda ſunt nimis, unctuoſa: viſcoſa, glutinoſa, tenacia quæ poros oblinunt & pertinaciter infarciunt, unde præter modo inſinuata incommoda, partim ipſa agere interius aut operari quicquam nequeant, partim juncta alia impediunt. E contra, quæ ſubtiliora ſunt, penetrantia magis, & ita poros potius aperientia, præter hoc, quod nullum nocumentum parti inferant, ſaltem in faciendo ſuo officio, & ſpeciatim alteranda cauſa occaſionali erunt optima. *Burrho* ſane hæc debetur laus ſecundum *Borrichium ad Bartolin. Cent. 3. Epiſt. hujus epiſt. 89. pag. 387. omnia ipſius Emplaſtra ex volatili materiâ conſtare, adeo ut unguentum pridie illitum poſtridiè vix appareat uſquam: damnatque medicos, quod craſſa illa corpora in emplaſtri formas compingant, quæ pororum anguſtias in ægris nequeant ſubire.* Ac ſane notabile eſt hoc ipſum in affectibus talibus, in quibus minus locum habere hic modus externorum remediorum videri queat, nempè in Hernia inteſtinali, tamen proficuum perquam obſervatum fuiſſe: *Riverius* obſ. commun. prope finem obſ. 14. p. 371. Modi Unguentorum ex reſolubilibus adeò, ac tantum non volatilibus componendorum forſan varij inveniri poſſint, modo conſideremus, glutinoſum, ac viſcoſum, ac quod tenax ſimul hinc exiſtere ſolet, materialiter ex acido & pingui, illo agente, hoc patiente, ſub determinata formali texturâ coaleſcere: unde modo corrigatur acidum, circa fixationem, oleoſum ſeu pingue eo ipſo ſimul reſolubilius, diffuſibilius; & cujusvis acris potentius temperativum, effective refrigerans evadet. Ob hanc cauſam, pluribus in Ungu. & Empl. butyrum recens non ſalitum, oleo expreſſo, præſertim olivarum communi longè præferendum puto, præ hoc enim illud eſt tenerius, minus acido occulto concentratum, adeoque minus viſcidum, promptius penetrat, citius diſcutitur, magis eſt temperativum, præſertim Salſi, & potius alterativum. Scopus ergo iſte. Unguenta talia reſolubilia præparandi, variis forſan modis obtineri poſſit: ſuggeſſit jam quendam *Deckers Comment. in Barbett. Prax. l. 2. c. 2. p. 59.* Alius ulteriori ſcrutinio dignus, fit cum therebinthina pura, cum Salibus vol. urinoſ. in ſ. q. Aqu. deſtil. ſolut. aut cum ſpir. Sal Ammoniaci, in mortario trituræ ope benè miſcendo, coëunt mutuò in craſſamentum album, moderatè ſpiſſum, ita ut emplaſtri modo induci poſſit, quod cuti admotum, prompte vim ſuam, citra inſigniorem remanentiam exercebit, & additione oleo deſtillat. non adeo acrium ulterius determinari poterit: tentaminis ergo, in pleuritide notha, cuidam graviter affecto præſcripſi, ℞. Sal. vol. urin. ʒiij. ſolve in ſ. q. Aqu. deſtillatæ therebinthinæ ℥j. miſceantur in mortariolo lapideo ſucceſſive, celerius tamen paulo ſolutionem affundendo, & concitatiori tritu ſubigendo: adde (pro meliori ſaltem ſub tentaminis primi auſpicii, ſucceſſu) Empl. de melilot, parum: q. ſ. pro conſiſt. emplaſtr. applicetur: idque factum ſucceſſu non contemnendo. Facere huc quoque videtur Aqu. calc. viv. cum ol. roſato, quæ ambo ritè miſta, coëunt in conſiſtentiam butyri ad ambuſta præſertim vulnera, ulcera &c. egregij, cujus applicati veſtigia pariter nulla ſunt conſpicua: huic pro aliis uſibus etiam ſacch. Saturni aliquantulum addi, & inſpergendo ſub tritu in mortario uniri poteſt. v. g. Aqu. calc. viv. ℥i. oleum roſat. ℥ß. ſacch. Saturni ʒi. M. Saturno licet obſcuris ſuis veſtigiis ſe prodente. Sed aliis alios hæc perſequendi modos relinquamus.

§. 8. Alterum quod attinet axioma, ſanè in genere, quæ *vel miſceri nequeunt*, Aquoſa & oleoſa, vel quæ miſta *ſe invicem obtundunt* ut pulveres varij, Cera ac ol. inviſcati, fruſtra omninò compinguntur, cum vires debitas exſerere nequeant. Officinalia E. Unguenta, aut paſſim à Practicis uſitata, quanta egent correctione? Unde & non rarò ſimplicia quædam, & à Ruſticis plebeisve levi artificio conflata unguenta ſubinde artificioſiſſimè compoſitis & ſelectis officinalibus præſtant. Sanè ol. ex vegetabilium Decoctione & infuſ. parum valent, cum de gummoſa horum ſubſtantiâ nil. de aromaticâ reſinoſâ in illa quaſi concentrata, parum capiant. Pulveres vegetabilium ac mineralium, oleoſis pinguibus, & glutinoſis inviſcata, parum vel nil omninò præſtant, adeo ut plures tales compoſitiones de *Nihili* dicendæ forent: cum econtra, ſub libertate ſua inſperſi, inflammat: eryſipel. cuti exulceratæ, quæ Emplaſtr. ferre nequit: ulceribus manantibus & ſimilibus affectibus externis, ſuum quod eſt faciunt, ut v. g. de lap. calamin. lacte Lunæ, creta. C. C. uſt. nuc. moſch. aloë &c. notum eſt, quæ incarcerata ſqualent ſine uſu: ſimili ferè modò, ac farinæ Vegetabilium, fotuum aut Cataplaſmatum ſub forma ſubinde proficuæ exiſtunt, quæ ol. ceraque ſuſceptæ, inermes redduntur. Unde & omnes inunctiones, quæ adſtringendi, firmandi, exſiccandi &c. ſcopo, in herniis, imminente abortu, pro lapſu uteri, ulceribus &c. applicantur, ceu contradictoria rejicienda: pulveres ſtyptici inviſcati ſunt fruſtranei, aut ſaltem ad extimam cutis ſuperficiem ſphœra activitatis eorum terminatur: pinguibus interea calore actuatis, fibrarum, etiam profundius ſitarum reſolutione ac emollitione contrarium intentioni Medici operantibus. Obſervarunt hoc jam plures, & quæ mutua ſolutionis actione in ſe agere plus minus, & ſe invicem unire, & ita citra impedimentum operari mutuò poſſunt, inunctionum in formam univerunt. Singulare quid Saturnus hic obtinet, qui 4ta Chirurgiæ hodiernæ videtur columna, quod vel in ſe ſolus, vel Acet. ſubactus promptè cum acido olei cujusvis, intercedente præſertim coctione coëat, ac ita emplaſtra polychreſta conſtituat, dum ipſum in ſe atroſum quidem, ſed nondum ſaturatum acido ſuo compari, acidi p. n. tumorum, vulnerum, & ulcerum patratoris peſſimi, potentioris ſpicula recipit & ſecum retinet, dum pingues & oleoſæ particulæ à concentrante in viſcidum acido liberatæ nonnihil, magis alcalinæ fiunt, & reſolubiles, magisque penetrativæ & temperativæ. Ex quo fundamento, tanta Saturninorum emplaſtrorum & compoſitio & varietas plus minus concinna enata fuit. Quæ tamen, vel obiter ſaltem, cum præparationem ferè magis officinalem, quam præſcriptionem magiſtralem ſapiant, ceu à ſcopo noſtro aliena, inſinuaſſe ſufficiat.

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

PRÆFATIO.

Duplici baſi rectè ſuperſtructa eſſe dicitur Ars *Medecinæ* Nobiliſſima, *Experientiæ* ſcilicet & *Rationi*. Id quod de Praxeos non ſolum operoſis valet tentaminibus, ſed quicquid Theoriæ in eadem, ex naturali præſupponitur ſcientia, cujus quaſi complementum practicum illa ipſa exiſtit, dum quicquid elegantiſſimè primitùs conſtruit Natura in Microcoſmo, id imitari quodammodo ſub hujus artificioſâ conſervatione & redintegratione ſatagit, id omne pariter, iiſdem Experientiæ & Rationis neceſſe eſt innitatur fundamentis. Experientia etenim Magiſtra iſta eſt antiquiſſima, quæ neceſſitatis duriſſimo urgente telo, invenit primitus, quicquid in arte medicâ deprehenditur, extuditque artem, exemplo monſtrante viam. Ratio verò perficit ulterius, dum moderatur illius dictamina circumſpectè, allucetque facem. Utrique inſiſtat Medicus neceſsè eſt. Experientia ſola inflat, & temeraria ut plurimum eſt, citra Rationis regimen. Ratio cœca eſt penitus, & nuda, raſæque Tabulæ ſimilis, niſi ab experientia inſtruatur. Illa tumidum, quia arrogantem, ut in empiricis, hæc timidum, quia incertum, ut in methodicis, reddit Medicum. Neutrum ipſi congruit. Eperientiæ irrationalis prius, poſterius rationis inexpertæ indicium eſt. Ibi enim, dum non benè rerum ponderantur momenta, quod ſolius rationis eſt, temeraria arrogantia & jactantia enaſcitur, inaniſque pollicitatio, in hoc ferè Medicum talem beans, quod neſciat, quantum neſciat. Hic verò dum cautè nimis, vel minima attenduntur, nec uſu rerum ejuſdem defectus, & crebriores hæſitantiæ ſupplentur, hærere ubique aquam neceſſe eſt, adeò ut vel nimium agendo, nihil agat, vel minus agendo, ægrum perdat. *Timiditas equidem impotentiam, audacia verò ignorantiam artis ſignificat*, autore *Hippocrate*, *de Lege*. Sit ergò, pro re tamen natâ, *audax Medicus cum ratione*, ſic enim in *ſubitaneis* caſibus, maturato conſilio, in *dubiis*, ancipiti potius, quam nullo auxilio, in *deſperatis*, tentativo molimine quodam, aliis forſan ægris profuturo, ſuum quod eſt, aget. Errant adeoque, qui ſolam experientiam ſequuntur, quod circumforaneorum, ac argytarum, uno nomine, innumerabili ferè medicaſtrorum Turbæ proprium, & ignorantiæ comes eſt. Sed eheu! quam difficilis in Medecina eſt firma experientia, & cui tutò fidere liceat, & quam inſidus experimentorum ſucceſſus, id quod jam olim ſobriè expendit ſagaciſſimus *Boyle*, in *de inſid. experim. ſucceſſ. p.* 119. Errant pariter, ſoli qui rationi litant, hâc in pluribus cœcutiente, & veritate in puteo *Democriti* profundiſſimè toties demerſa, crebrius aberrante. Unde non rarò vel ineptas, ſubinde ridiculas rerum cauſas proferunt; vel Dæmoni autori effectus naturales impiè adſcribunt, quorum rationem, ex præconceptis ſcilicet ſuis hypotheſibus, reddere nequeunt. Rectiſſimè *e. Septalius: in animadv. & caution. l.* 1. §. 24. *pag.* 8. *Nec ratione in curandis morbis ſolùm nitatur, nec uſu, aut nudâ experientiâ. Claudicat enim Medicus, alterutro horum crure deſtitutus. Ratio igitur ab experientia incipiat & in eam etiam deſinat, experientia autem ducem habeat rationem, & in eam denique terminetur: utra enim per ſe indigens, altera alterius auxilio eget.* Minores tamen ferè empiricorum errores eſſe ſolent, quam iſti Methodicorum: qui nocentiores, ut eleganter expoſuit *Sylvius l.* 3. *prax. c.* 4. §. 59. *pag.* 163. Adeò, ut ſubinde præſtet, ſæpenumero etiam neceſſe ſit, pro praxi feliciter exercenda, ut in empiricorum caſtra, circumſpectè tamen, aliquandiu ſe conferat Medicus, in caſu ſcilicet, quo rationis certioris aut evidentioris, deſtitutus eſt adjumento. Siquidem pro curationibus, etiam feliciter perficiendis, tam accurata theoretica notitia, aut profunda Phyſices cognitio, aut œconomiæ animalis ſubtilis adeò perſcrutatio, haud æque, ſaltem non abſolutè neceſſaria eſt, quin ſine his, in arte ſua, excellere queat Medicus. Pari omninò ratione, ac expertus nauclerus, magneticæ acus beneficio, navigationes etiam in remotiſſimas regiones auſpicatò inſtituit, utut nec ferri, nec magnetis naturam perſpectam, aut directivæ illius in acu virtutis originem, cauſamvè, adhuc vel Eruditiſſimis dubiam, cognitam habeat. Nec qui Automata conficit artifex, Virtutis elaſticæ in ſpira rationem aut fundamenta novit, utut totum ipſius huic innitatur opificium, quam prout diverſimodè determinare novit, opus nunc magis, nunc minus artificioſum producit. Ut taceam, non ſemper haberi poſſe accuratam adeò cognitionem ſui objecti à Medico: id quod vel ſolæ abundè oſtendunt Idioſyncraſiæ unius cujusque hominis, à priori ſanè ſimpliciter imperſcrutabiles, quas ſi cognoſcere potuiſſet *Galenus* arrogans aliàs, & multum ab *Hyppocratis* modeſtia alienus, *Æqualem ſe Æſculapio cenſuiſſet*, ut ipſe de ſe teſtatur. Hæc ſanè, alias ut taceam, cauſa eſt non ultima, quæ in quavis medicatione, aliquid empirici ſemper ſimul occurrere facit. Præſtat ergò experientia ratione illuſtrata, rationi per experientiam confirmatæ: hic enim præconceptarum opinionum, quarum mira eſt potentia, metus ſemper intercedit, dum omne, quod ratio poſſidet cognitionis cuiusvis ſimpliciter experientiæ acceptum ferendum eſt. Hæc eſt, quæ præcipitationem oſtendit primitùs in artificialibus, hæc eſt, quæ præcipitantium uſum monſtravit in morborum medicationibus: rationis jam eſt, limitare debitè eandem, & ſubiectorum ac affectuum diverſitati prudenter applicare, ut hujus manuductione legitimus eorum ac rationalis pateſcat uſus, & evitetur cautè empiricus eorundem abuſus. Id quod dum docere ſatagimus, *Divini Numinis*, ceu *ſummi Archiatri*, auxiliatrices devotè invocamus opes.

CAPUT I.

HISTORICUM.

Præcipitantium Remediorum in medicinam Introductionem, eorundem abundantiam & ſcopum recenſet.

§. 1. Si quis alius, ſanè aph. 22. ſ. 1. Hippocratis à quibusvis Medicis, Praxin præſertim exercentibus, maximi ſemper habitus fuit; dum eo ipſo triplicem partium corporis contentarum fluidarum, ſive humorum ſtatum, ſcilicet, ὠμότητος, πεπασμοῦ, & ὀργασμοῦ inſinuat, in acutarum febrium curâ, attentè obſervandum. *Oraculum*, appellavit, modò laudatum aphoriſmum *Galenus*, & *in ejuſdem obſervationem, felicitatem quo in curandis ægris per* 40. *ferè annos fruebatur, maximè referre ſolitus eſt Septalius*, Mediolanenſium Poliater, in animadverſ. & cent. l. 3. §. 48. pag. 70. Quod ſpeciatim Ὀργασμὸν attinet, conſiſtit hic ipſe in impetuoſiori humorum & notabiliter exorbitante motu, tam inteſtino, quàm progreſſivo, ita ut p. n. quaſi efferveſcentes, ſimulque tumultuosè per vaſa & conceptacula ſua delati, horrendorum ſubinde ſymptomatum occaſionales cauſæ exiſtant; Unde non ineptè, ab interpretibus Latinis, *Turgeſcentia* imprimis, hinc & *ebullitionis, fermentationis inſignioris*, & tantùm non *efferveſcentiæ* nomine vertitur. Alij *ferociam materiæ morbificæ* vocant,

Ὀργασμὸς *humorum quid.*

cant; *Poterius l.1. febr. c.37. p.49. turgentis* i. e. *furentis materiæ impetum*, appellat.

Ὀργασμὸς unde dictus & quid propriè ſignificet.

§.2. Equidem τὸ ὀργᾷν Græcorum, indeque deſcendens Ὀργασμὸς propriè, anxiam animalium veneris appetentiam, & furibundum in eandem impetum, quâ determinatis anni temporibus agitantur, ſummèque irrequieta redduntur, innuit: in quâ auræ genitalis acrioris & volatilioris ratione, præter genitalium pruriginoſam titillationem, & hinc libidinoſos veneris ſtimulos, ſanguinis & aliorum fluidorum turgeſcentiam, & impetuoſiorem agitationem ac commotionem, ſpirituum concitatiorem impetum, intenſiorem corporis æſtum, &c. Patiuntur: Paucis negotium hoc expedit, accuratus aphor. Hippocr. interpres *Hollerius Comment. in aph. Hippor ſ.1. aph.22. p.80. Verbum turgere, ὀργᾷν, translatum ab animalibus, libidine titillatis, qua ob concubitus deſiderium, ſtare loco nequeunt.*

Similis obſervatur in mēſtruatione muliebri.

§.3. Analogum quid, quoad ſanguinis nimirum turgeſcentiam, experiuntur fœminæ, menſtruationis tempore, in quibus, occaſione auræ fermentativæ, à genitalibus inſpiratæ, rareſcentis & præter ordinarium modum turgentis, ac tantum non ferventis ſanguinis impetu, dolor dorſi & circa ſpinam lumboſque pulſatio, ut & diſtendens moleſtia, artuum tenſiva laſſitudo & gravitas, dolor capitis, hypochondriorum inflatio, & imprimis ejuſdem per uterinarum arteriarum anaſtomoſin excretio, excitantur; quâ undecunque impeditâ, ferociens ſanguis, qua data porta, per nares, os, oculos, aures, mammarum papillas, umbilicum, pedum pollicem, veſicam, & neſcio quæ loca alia, impetuoſè proruit. Ut taceam, menſtruam febrem, in quibuſdam dum lunare perſolvunt tributum, obſervatam; Refert *Lindanus: in Coll. M. S. ſup. Hartman. ſe noſſe matronam, jam vetulam, quæ quoties menſes accederent, febrem trium dierum pateretur.*

Ob ſimilitudinem pariter ad p. n. humorum motus applicatus.

§.4. Orgaſmus talis metaphoricus, ſed p. n. cum non rarò morborum ſub motu, præſertim febrium, in corporis fluidis obſervari ſoleat, appellationem ſimilem & hic adhibuiſſe placuit medicis. Prodit autem ſe mânifeſtiſſimè per varias tàm excretiones, quàm tranſlationes ſympthomaticas dictas. *Humor enim æſtu orgaſmi, modò in hanc, modò in aliam partem inſiliens, nullo ſubſiſtit loco, donec tandem irruptione factâ in aliquam nobiliorem partem, exitialem inferat vitæ calamitatem:* ut loquitur *Poterius* c. l. Unde & materia turgens, *quæ ſtare loco neſcit*, quibuſdam definitur: *V. Caſtro Quæ ex quibus: l.2. c.1. p.67.* aliis humor *mobilis inſtabilis, ferociens, &c.* Appellatur.

Cauſa Orgaſmi humorum in genere, eſt acrimonia eorum nimia.

§.5. Turgeſcentia talis humorum, & inde ferè oriundæ tranſlationes & excretiones ſymptomaticæ, ſequuntur in genere, nimiam materiæ occaſionalis acrimoniam, tam benignam, quam malignam; ſive enim ex aucta efferveſcentia contentorum, ſive ex irritatione partium continentium, & hanc inſequente concitatiori motu locali contentorum p. n. ſive ex utroque derives turgeſcentiam & agitationem iſtam humorum, ſanè ubique principale peccans erit acrimonia nimia. Scilicet non moventur ſuopte impetu contenta fluida, ſed per meatus canaleſque conſuetos, ceu organa, fibrarum earundem miniſterio, & ſpirituum moventium potentia, tam naturaliter, quàm præternaturaliter feruntur. Utrobique præſupponitur ſtimulus, qui ſub humorum Orgaſmo eſt in ipſis contentis, quæ potentiarum Hippocraticarum beneficio cum ſaltem activæ exiſtant, intemperatura eorum, cujus ratione nos lædunt, nil aliud erit, quàm acrimonia nimia.

In ſpecie, fermentum acre acidum vol.

§.6. Preſſius ut loquar; *fermentum acidum volatile acrius*, (plus minus tale, ſub morborum inde oriundorum latitudine) tàm benignum, quàm malignum, ſive intus (aut objecti, aut efficientis vitio) ex aſſumptis genitum, ſive extrinſecus inſpiratum, vel aliunde contagii nomine ſuſceptum, origo eſt orgaſmi cujuſvis humorum p. n. hoc enim aut texturam ſanguinis ſive craſin temperatam pervertendo, aut chylum & lympham exaſperando, aut bilem vitioſè acuendo, aut ſpiritus influos inquinando, primò motus horum inteſtinos, tàm abſolutè quàm reſpectivè tales, (in relatione nempe fluidi unius ad alterum, eorumque mutuæ miſcelæ) p. n. vitiat, & in turgeſcentiam ac commotionem efferveſcentiæ plus minus ſimilem concitat, hinc tàm acrimoniæ quàm turgeſcentiæ humorum reſpectu, partes continentes ſenſiliores irritat, qua occaſione, ſpiritus impetum faciens fibrarum miniſterio, contenta diverſimodè, ac inordinatè, ſubinde tumultuosè admodum agitat, & impellit per vaſa naturalia, donec facta meatus cujuſdam, vel turgeſcentis ſimpliciter & rareſcentis nimis humoris, vel impeditæ ejus undecunque fiat (nunc meatus anguſtati, nunc ejuſdem à fibrarum partis irritatæ ſtrictura coarctati vitio) ordinariæ tranſmiſſionis occaſione, anaſtomoſi, ſymptomatica illius aut ἔκκρισις aut μετάςασις ſuperveniat.

Motus humorum & inteſtinus & progreſſivus junctim Orgaſmum humorum conſtituunt.

§.7. Uterque ſcilicet humorum motus, tam inteſtinus quàm progreſſivus, junctim in conſtituendo Orgaſmo concurrere ſolent. Equidem à poſteriori hoc progreſſivo p. n. ceu ſenſibus manifeſtiori, communiter Orgaſmi humorum ratio ſaltem deſumi ſolet Vid. *Plempius Fundam. Medic. l.6. c.3. p.336.* ſed malè. Cum hic ipſe potius ſit adjunctum, ne dicam effectus, Orgaſmum humorum principaliter talem, concomitans. Non ſecus ac ſup. §.3. turgeſcenti ſanguini excretionem variam ſupervenire ſub menſtruatione plus minus p. n. inſinuavimus. Aut ſicut muſtum, vel cereviſia novella fermentationis ſub impetu turgeſcunt, ac ita quaſi intumeſcunt, ut vel vaſis ora impetuoſè excedant, vel arctius incluſa, illud penitus diſſilire faciant. Sanè altius quid, quàm progreſſivum ſaltem humorum motum vitiatum per turgeſcentiam inſinuare *Hippocrat.* cit. aph. vel ex hoc ſubſumere licet, quod coctis crudiſque evacuationis reſpectu ſociet turgeſcentes ſuccos, & eoſdem quaſi medio loco, inter hos non movendos, illos verò evacuandos collocet. Uti verò texturæ humorum reſpectu, & heterogenearum particularum vel arctius connexarum cæteris, vel commotionis febrilis, adeoque motus inteſtini p. n. beneficio ſeparatum ab iiſdem intuitu, cruditatis & coctionis ratio habetur, non motus eorum localis, cujus modificatio artificialis evacuatoria per artem poſt coctionem factam demum inſtituenda venit, ſicuti à Natura tunc demum inſtitui ſolet. Ita turgeſcentiæ nomine, primariò humorum crudorum adhuc, ſed impetuoſius ſub ſuo ad coctionem motu ebullientium, adeoque motu inteſtino p. n. agitatorum ſtatus inſinuatur, cujus occaſione & vitiatus progreſſivus motus adeoque excretiones aut tranſlationes ſymptomaticæ ſuperveniant, interdum à Medico, Naturæ miniſtro imitandæ, nunc eaſdem provocando, nunc promovendo: qui genuinus dicti *aphor. Hipp.* ſenſus videtur.

In quibus affectibus talis turgeſcentia humorum contingat.

§.8. Utut verò *Hippocrati*, non ſecus ac ſuperiorum ſæculorum Medicis turgeſcentia & orgaſmus talis humorum, cum eorundem, cruditate & coctione, ſaltem in febribus, tam intermittentibus, quàm in ſpecie continuis acutis, benignis pariter ac malignis, aſſerta fuit, cum in iiſdem manifeſtiora illius obſerventur Phænomena: Ab horum tamen ſucceſſoribus, hodierni præſertim ævi Medicis, etiam aliis affectibus p. n. accommodata fuit. Sic enim ſodæ ardores, pariter ac hypochondriacorum & ſcorbuticorum Phlogoſes vagæ, ac æſtuationes, & ſingulis momentis variantia ſymptomata, fœminarum tumultus hyſterici, inflationes ſublimeſque hypochondriorum dolores, borborygmi abdominis, diarrhææ graviores, choleræ acutiores, anxietates præcordiorum cardialgiæ contumaciores aut ſæpius recidivantes, dolores partuum vagi, hæmorrhagiæ effrænes, Ictericorum pathemata

ſubinde,

ſubinde atrocia, epileptici per conſenſum inſultus, & plures alii affectus, ex ebullientibus, turgeſcentibus, & ferocientibus contentis humoribus, ſub theoretico illorum ſcrutinio, derivati fuerunt. Hæc nihilominus obſervanda videtur differentia, quod Orgaſmus talis primariò in febribus, iiſque ſpeciatim acutis, ſecundariò verò etiam in aliis affectibus locum inveniat.

Turgeſcentiæ, humorum, remedia præcipitantia opponuntur.

§.9. Turgeſcentiæ tali humorum præcipitationem eorundem, per auxilia, ab affectu ſuppoſito, præcipitantia dicta, opponere ſatagunt Medici, iiſque minitatorum ſymptomatum ſtragem maturè evertere. Unde dum crebrius ebullitio effera & turgeſcentia humorum accuſatur in morbis, ſub eorum fiendi modo, frequentiſſima quoque præcipitantium remediorum injicitur mentio, & implorantur ſuppetiæ. Aſt quò facilior eorundem eſt uſus Practicus, eo jejunius eſt ſcrutinium theoreticum, dum vix apud quenquam diſtinctius evolutum reperias, in quo operandi eorum conſiſtat ratio, & qua methodo rationaliter adminiſtranda veniant. Equidem de poſteriori hoc nullibi aliquid invenire licuit, quoad prius verò iſtud, mirabilis confuſio, & rei aliàs minus claræ major obſcuratio ſaltem obſervatur, dum quidam præcipitationem cum ſolutione, alii cum coagulatione, alii cum unione plurium confundunt, & ita rotundis quadrata miſcent: alii effectus à ſuis cauſis, aut harum operandi modis minus diſtinguunt: alii præcipitantium nomen ac uſum adeò latè extendunt, ut tantum non alterantibus in genere æquipolleant, adeoque luſum ſaltem in vocabulo committunt. Paſſim de eorum uſu & actione quæ occurrunt, ſi in pauca contrahenda ſint, huc ferè recident, remedia præcipitantia fermenta præternaturalia deſtruere, ferocientes humores quoſvis, tam in primis viis luxuriantes, quam in vaſis & viſceribus ſanguiferis & lymphaticis ebullientes ſiſtere eorumque impetum ſedare, & Craſin vitiatam ſimul corrigere, quo alterati vel naturalem in Craſin & texturam coëant mutuo, vel ſubacti per convenientes vias debitè evacuari queant.

A quibus autoribus primitus ac maximè introducta.

§.10. Primarius ſcriptorum, & ferè quoque primus, qui præcipitationis & præcipitantium mentionem ac uſum preſſius inculcat eſt *Sennertus l.2. de febr. c.17. p.259.* ubi de ſpecificis intermittentium febrifugis diſſerendo ità inquit: *Vt quod mihi videtur, dicam, talia medicamenta præcipitatione quadam, vim illam effervescendi, & paroxyſmum excitandi in humoribus tollere videntur. Cujus rei documenta paſſim occurrunt; Vt jam non dicam de eo, quod cereviſiæ aceſcentis vitium cretâ injecta à vulgo emendatur, & acetum creta injecta aciditatem amittit ac ſpiritus vitrioli cum ſale Tartari miſtus aciditatem perdit: manifeſtum hujus rei argumentum eſt in ardore ſtomachi, cum à bilis in ventriculo ebullitione vapor quidam, & flatus ardens attollitur, & dolorem ac ardorem in orificio ventriculi & Oeſophago excitat. Ad quem affectum tollendum, cretam, oculos cancri, bolum armenam, & ſimilia, quæ acribus & acutis liquoribus acrimoniam præcipitatione quadam adimunt, uſurpari, vulgò etiam notum eſt.* Succenturiatur huic ſtrenuè, ſi quis alius, *Kergerus, tr. de fermentat. ſ.3. c.3. p.249. & ſq. Dum optimam & omnibus febribus ſalutaribus ſolam ſufficientem eſſe præcipitationem*, aſſeri ita ut *inquinamenti febrilis ſive fermenti præcipitatione*, totius curationis cardo vertatur, unde & *unico ferè medicamento præcipitante*, ultra mille febricitantes, ſine aliis remediis, ſine aliarum circumſtantiarum quarumvis conſideratione, curaſſe ſe aſſerat: *p.250.* In malignis quoque *optimum eſſe, aut præcipitantia cum alexipharmacis nectere, aut iſtius modi alexipharmaca eligere, quæ præcipitandi virtute ſimul polleant, ut hac ratione, utrique ſcopo, & malignæ qualitati, & fermentationi ſatisfiat. p.251.* accedunt his alii: *Sic enim Mynſichtus, in Armament. Medic. Chym. p.115. Species diacretæ. Tartarum in orificium ventriculi ſublimatum, efficaciter reſolvunt & præcipitant. Peculiarem præcipitandi furias æſtuantis ſanguinis vim habent oculi Cancrorum: utiliſſimè itaque in pleuritide iidem à Practicis adhibentur,* notante *Sachſio Gammarol. p.662. & 719. Oculi ſive Lapilli Cancrini etiam in aliis febribus adhibiti ſalutem ſperare jubent. Qua ratione id præſtent, ſi quæratur reſpondendum agere id vi præcipitatoria: p.732. Rectè moderni medici, novo ſed aptiſſimo vocabulo operationem oculorum cancrorum*, in ardore ventriculi ſeu ſola *præcipitatione dicunt fieri: & p.736. & 737. In dyſenteria, ubi fermentatio acrum humorum pulv. teſtarum Cancrorum, in Acet. coct. & præp. valet, imo oculi Cancrorum crudi propter bezoarticæ vi additam præcipitandi facultatem, non ſecus, ac ut ad eundem effectum cortices Ovorum induratorum, oſſa hominis philoſophicè calcinata, oſſa ſepiæ calcinata, C.C.ſ. Igne, &c. Antimon. præp. commendantur: ſicciſſima enim hæc omnia, imbibendo humores orgaſmo turgentes ſive fermentantes, acredine ſpoliant. Teſtæ itaque Cancrorum, eorumque oculi in dyſenteria præcipitando conducunt.*

Præcipitantia ex regno animali.

§.11. Tot autem proſtant præcipitantia medicamenta, ut potius de ſelectu laborandum, quàm de defectu & inopia quærendum ſit. Adeò liberali manu omnibus in tribus regnis polychreſta hæc medicamenta nobis Natura ſuggerit. Animali quidem in Regno, quævis animalium partes duræ, ut in genere cornua, dentes, oſſa & ungulæ: v. g. C. C. Ebor: Dens apri, cranium humanum, ungula alcis, gloſſopetra. Quibus etiam aſſocientur concreta alia lapidea, in quacunque corporis parte reperta, v.g. lapid. ex cyſti bovis fellea, bezoardici orientalis, & occidentalis ex ventriculis capricervarum extracti, & qui his vix cedit vi bezoardica, calculus humanus: item aliis in corporis regionibus reperti lapides, ſicut mihi eſt lapis ex teſte caſtoris, caſtaneæ magnitudinis, purus, & fortiter caſtoreum ſpirans. Marina ſpeciatim & omnia oſtracoderma huc pertinent, eorumque teſtæ, aut coagulata lapidea, v. g. Oſtrearum teſtæ, & gammarorum, ſpeciatim horum chelæ, & lapilli, Cancri communiter dicti. Conchæ quælibet, & harum fructus perlæ, cochlearum teſtæ, oſſa capitis Lucii piſcis: ſpina muſtelæ piſcis, Oſſ. ſepiæ. Quibus adde & Ovorum ex Volatilibus teſtas, & ſpeciatim illas Struthionis.

Ex regno vegetabili.

§.12. Vegetabilium luxuria ſuggerit nobis concreta ſtyptico-terrea, plus minus aromatica, ſpeciatim cortices, ut fraxini, quercus, guajaci, & qui primo loco nominandus fuiſſet, corticem arboris peruanæ Gannanaperide, dictæ, qui communi nomine, China Chinæ aliàs audit: cortic. Cinamomi, & quaſvis Canellarum ſpecies, quo & cortex Wvinteranus, Anglis in ſcorbuti cura adeò uſitatus, pertinet: it. rad. tormentillæ, fl. roſ. rubr. fructus iſtos anomalos quercinos, gallas, it. frutices ex arboribus creſcentes, ſcilicet, viſca, in ſpecie quercinum, tiliaceum, & cæteris quod præſtat, corylinum. Item Nucleos oſſeos, meſpilorum, dactylorum, aut nucleorum eſculentorum involucra, quaſi oſſea, ut cortic. avellanarum, nucl. perſicorum, &c. Quibus addantur inter vegetabilia & mineralia, mediæ quaſi naturæ, de utroque ſcilicet participantia, coralia quælibet & his cognatos poros ac madreporas, quin & aclyonia, &c.

Ex Minerali.

§.13. Minerale denique regnum, ditiſſimos ſuos prodendo theſauros, ſubminiſtrat quaſvis terras foſſiles medicatas, per artem ferè ſigillatas, tâm Europæas quam Aſiaticas, & quæ ad has pertinent, margas, cretam, Lac Lunæ, medullam ſaxorum, unicornu foſſile, bolos: Lap. plures minus pretioſos tyncis, oſteocollam cryſtallum, Lap. calcarium, ſpeciatim Martialis quæ ſunt proſapiæ, foſſilia, ut hæmatitem, magnetem, rubricam fabrilem, quin & laterum coctorum pulverem; metalla ferè quælibet, ſpeciatim Mars, ejuſque vitriol. Saturnum, & hinc Alumen, item Stannum, & Aurum, & qui integræ pharmacopœæ vices ſupplent

plent Mercurius & Antimonium.

Eadem Præparata. §. 14. Præparata horum nativorum artificialia, ſpeciatim mineralium ſunt varia ac multiplicia. Pertinent ergò huc omnia illorum *præparata*, in ſpecie ſic Pharmacopœis appellata, ut Corall. Lap. Cancror. hæmatit. præp. it. omnia *calcinata*, ut C. C. uſtum, ſpecif. febrile Tertianarum Strobelberg. aut Crollii, calx viva lota, ejuſque Aqu. it. Salia fixa per vegetabilium calcinationem producta, horumque ol. per deliquium, aut ex iis concinnatus Liquor præcipitans *Clauderi, tr. de balſam. Corp.* l. 7. §. 8. p. 208. Sane ut ol. tart. per deliquium appropriatum præcipitationis inſtrumentum quibuſdam dicitur, ita idem liquor, inter præcipitantia, & quæ hac in claſſe eminent, febrifuga, pariter excellit: quin & Salia vol. quælibet, tàm vegetabili, quàm animali ex regno petita, ut ut aliàs præcipitantibus minus aſſociata: ex mineralibus Terra vitrioli dulc. Antimonialia fixata quælibet, ſimplicia & compoſita, electra minora quibuſdam dicta, ut Antimon. Diaph. Martial. Ludov. antihect. Poter. ut & Mercurialia, quæ quò magis talia, eò præſtantiora: hinc quædam *ſublimata*, ut fl. Lap. hæmatit. & ex his aroph. *Zvvolfer. Mantiſſ* p. 338. it. fl. Sal. Ammoniac. Martial. & ex his ſedativum Archei ejuſdem, p. 339. ut & primum ens Vener. Boylei, Uſefulneſſ. of. Experim. Philoſ. p. 2. ſ. 1 app. p. 330. cum quo conſpirat tart. vitrioli Philoſoph. *Cnoſelii Miſc. Acad. Nat. Curioſ. ann. 6. & 7. app. p. 36. & 70.* Ut & alia *præcipitata*, ut Aurum fulminans, & plura ex Auro parata remedia, quavis ſub forma aut conſiſtentia, it. Mercurialia, in ſpecie Aurum vitæ dicta, plus minus compoſita, ad quæ & Febrifug. Riverian. pertinet: It. particulares plures, mineralium præſertim præparationes, ut tot Croci Martiales, it. Tinct. Martis, dictæ aperitivæ, Liquor Mart. Sol. Sal. Mart. compoſ. ſeu Tinct. vitrioli Mart. Zvvolf. in forma ſicca, tot tart. Martiales, & Tinct. Martiales cum tart. præparatæ, ut Tinct. Mart. aperitiv. vitriol. *Ludovici*. Miſc. Acad. Nat Cur. anno 3. p. 453. Syrupus Mart. tartariſatus *Lemery Chym. p. 157.* (à *Vvilliſiano* artificio Mart. præparandi, haud multum abludens,) it. *le Febvre.* Chym. p. m. 773. uti & tot adſtringentes, quos inter eminent quæ vulgò Tinct. tart. vitrioli dicitur: hinc cryſtalli mineræ Saturni, magiſt. Saturn. (c. ſpiritu urin. præcipit. Saccharum Aluminis, &c.

Et Compoſita. §. 15. Ex quibus ſimplicibus plus minus talibus, ingens compoſitorum turba emergit, quæ tamen facilè à prudenti Medico, Naturæ ſimplicium gnaro, & qui eorundem ad cauſas morboſas applicationem artificioſam perſpectam habet, ex tempore diverſimodè miſceri poſſunt. Illa inter ſunt v. g. *pulvis antifebriticus perlatus Timæi*, in Medic. deſcript. Caſ. annex. p. 425. *Species diacretæ Mynſ.* in *armament.* pag. 114. pulveres *antipleuritici*, it. *bezoardici à Sachſio Gammarol.* p. 6 4. & ſ. it. 715. deſcripti, pulv. *dyſ. entericus Crollii: in Baſilic.* p. 344. tot pulveres *Cachectici*, baſi Mart. ſuperſtructi, *pulv. Comitis de Vvarvvick ſ. Cornachinus: Tinct. antiphthiſica Lapis Chymicus*, à *Glaubero* tantopere laudatus per experientiam confirmatus, in *Miſc. Acad. Nat. Curioſ. anno 2. p. 217.* hæmatites artificialis quibuſdam non adeò ineptè appellatus. *Elixyr. præcipitans* quorundam, ex aloë, myrrha, croco, nuce moſch. c. Tinctura tart. extractum, cui ſpiritus Sal. Ammoniac. it. c. calce vivâ & flores Mart. debita proportione ſociantur. it. *Elix. propriet. aperitiv. Clauderi de balſam. Corp.* c. 7. p. 204. aut *Eſſentia purificans* ejuſdem *c. l. p.* 195.

Quo reſpectu à Veteribus adhibita fuerunt. § 16. Veteres apud Medicos, nulla penitus horum præcipitantium, tali quidem ſub conſideratione, occurrunt veſtigia, cum hæc ipſa ab iiſdem remediorum vires ſaltem ſecundum manifeſtas, ſic putatas, præſertim primas & hinc ſecundum occultas qualitates dimetientibus, modò inter *refrigerantia* & *ſiccantia*, ut animalium partes duræ, tàm crudæ, quàm cum aut ſine Igne præparatæ ac calcinatæ, modò inter *aperientia* ut Martialia & vitriolata, modò inter adſtringentia ut cortices vegetabilium, Alumin. Terra vitrioli, modo inter *diuretica*, ut Lap. Cancrorum, chryſtallus, teſtæ ovorum, modò inter *ſudorifera & alexipharm.* ut Lap. bezoardic. antimon. fixata: Terra ſigill recenſita fuerunt.

Occaſione Chymia magis exculta, à modernis in Therapeuſin introducta. §. 17. Sed cum hoc noſtro ſæculo, Chymicorum furni intenſius calefieri, & pyrotechnia ſtudioſius excoli cæpiſſet, ita quidem, ut non proceſſum, quos vocant, nudæ elaborationi, aut remediorum ſaltem præparationi, ſed Phœnomenon, ſub concretorum ſyncriſi & diacriſi artificiali, conſiderationi accuratiori & cauſarum eorundem, fiendique modi ſcrutinio, inſerviet, ſanè inſigniter mutata fuit, ut totius Naturalis ſcientiæ, cujus Clavig. eſt, & theſaur. cuſtos Pyrotechn. ita in primis ſpecialiſſimæ ejus partis, & quæ illius Praxis quædam exiſtit, Medicinæ, facies, dum ex Concreti, ſecundum minima, textura horumque affectionibus Mathematico mechanicis ſ. quantitativis, actionum & paſſionum in corporibus viciſſitudines variæque mutationes, *formaliter*, ex minimorum ſyncriſi, diacriſi & metaſtaſi, in genere, & ex minimis Salinis, ceu cæteris potioribus, in ſpecie, *materialiter*, per motus efficientiam, clarè magis & diſtinctè explicatæ, & medicamentorum quoque in ægrotis operationibus applicatæ fuiſſent: unde fieri aliter haud potuit quin & operationes plures artificiales ſeu pyrotechnicæ, ut functionibus partium corporis naturalibus it. & p. naturalibus accommodatæ, ſed & pro explicando remediorum agendi modo adhibitæ fuerint nunc quidem dextrè, nunc verò ſiniſtrè, ut de fermentatione & efferveſcentia, Præcipitatione, circulatione, ſolutione, fixatione, volatiliſatione, filtratione, &c. Manifeſtum eſt: quas inter & *præcipitatio*, operatio ſi quæ alia ſub chymicis laboribus frequentiſſima, reſpectu alterationis determinatæ, fluidis corporis per remedia quædam inducendæ, tantum non omnium ſuffragio recepta fuit, & quæ præcipitationis modo, aut huic proximè ſimili activa exiſtere putantur remedia, præcipitantia dicta fuerunt.

CAPUT II.

THEORETICUM.

Præcipitantium Naturam, uſum & Operandi modum evolvit.

Præcipitatio Chymica quid & quotuplex. §. 1. PRæcipitatio, (quantum quidem ad præſens negotium ejus conſideratio pertinet) ceu ſeparationis quidam modus, in *genere* accepta, opponitur propriè & *formaliter* heterogeneorum plurium arctiori unioni, & *effectivè* ut plurimum Præcipitationi. Eſtque talis motus, quo unita antea exactius, ſeparantur ab invicem, ita ut hæc, quæ ita ſeparata fuerunt, proprio impetu deorſum ferantur. Arctior talis nexus & unio, cui præcipitatio opponitur, haud melius quàm ſolutionis nomine vocari poteſt, ità ut in *ſpecie* præcipitatio talis ſit motus, quo ſoluta, à menſtrui, vel propriè talis, l. huic analogi, compedibus liberata, proprio niſu ſubſideant. Effectus cujus ratione, & Præcipitationi rectè opponitur, ut ut non adeò univerſalis ſit hic præcipitatorum ad imum deſcenſus, quin & ad ſuperiora interdum ferantur, pro reſpectiva nempe gravitatis præcipitatorum ad corpus; cui unita fuerunt, proportione. In Vino fermentante, eodem præcipitationis actu & fæces ad fundum deſcendunt, & flos ſpumoſus, ceu cremor quidam ſupernatat; Si alcool. Vini vegetabile quoddam reſinoſum, una cum camphora infuſum fuerit, pro illius quidem extractione, hujus verò ſolutione, Aquæ poſtmodum medio, facta præcipitatione; camphora reviviſcens ſumma petit, reſina ad imum deſcendente. Talis tamen ſeparatio, in qua ſuperiora petit præcipitatum, non niſi in latiori vocis

X præcipi

præcipitationis acceptione locum habere videtur. Præcipitatio omnis vel perfecta eſt, vel imperfecta, reſpectu ſeparationis eſt pariter vel ſpontanea, vel quatenus ab addito perficitur violenta: fit denique vel via humida, vel via ſicca; illud frequentius, hoc rarius. Sub Saturni calcinati ſcil. cum arena vel ſilicibus vitrificatione, Sol. & Lun. cum Saturno unita præcipitantur, & Mart. beneficio regulus ex Antimon. fuſione ſeparatur, & infra ſcorias præcipitatur.

Ejuſdem fundamenta mechanica.

§. 2. Fundamentum cujuſvis præcipitationis in genere (prolixa doctrina in pauca verba contrahenda venit) conſiſtit formaliter in mutata textura mechanica vel corpuſculorum continentium (unientium, ſolventium, voca ut lubet) reſpectu particularum præcipitatarum, vel contra harum reſpectu continentium, vel denique fluidi intermedii, reſpectu alterutrius, aut utrorumque. Textura conſiſtit in particularum figura, magnitudine, ſitu, ordine, pondere, motu vel quiete, & hinc dependente reſpectiva ad ſe invicem proportione, unione & nexu, quorum uno aut pluribus mutatis, mutatur ſubitò textura & cohæſio, fitque vel quorundam ſeparatio, vel earundem in novum concretum coalitio, vel aliæ plures ſimiles mutationes. In muſto, ex mutata per attritum mutuum ſub fermentationis labore minimorum textura, retentæ ac ſolutæ antea communi unionis vinculo, particulæ plures ſeparantur & fecum forma deſcendunt, ipſis cæteris in novum concretum ſe contexentibus, vini nomine notiſſimum, & hoc omne ſub ſpecifici acidi dominio. Luna in Aqu. Fort. ſoluta, per laminas Veneris præcipitatur, hæc per bacillos Mart. hic per Cincum, hoc per alcali fixum vel volatile: quatenus in omnibus his, acidæ Aqu. Fort. particulæ, mutato ſitu, & ordine promptius ſe uniunt cum aliis metallicis vel alcaliſatis particulis, ob majorem figuræ, magnitudinis, ponderis, &c. Cum iſtis congruitatem, unde Lunares ſic dimittuntur ſeu potius ab aliis extruduntur, quæ derelictæ ad fundum deſcendunt: idem effectus, ex Aqu. ſalſa infuſa obſervantur, quatenus Salinæ hujus particulæ arctè & copioſè ſimul adhæreſcunt Lunæ ſolutæ, mechanica ex congruitate (formaliter) unde hujus particulæ figura, mole, pondere, &c. Auctæ, retineri ab iſtis Aquis nequeunt, quin Lunæ corneæ nomine ſubſideant. Fluidum denique tam Igneum, quàm præſertim aqueum, tam quantitate, quàm qualitate, aut conſiſtentia, aut motu, ſecundum minimorum coaleſcentiam mutatum, pariter ex mechanica neceſſitate, præcipitationem nunc promovere, nunc impedire obſervatur: dum multa in frigido loco præcipitationem patiuntur, quæ in calido, ſub æquabili unionis texturâ ſubſiſtunt. Ac in magiſteriorum reſinoſorum ex Vegetabilibus quibuſdam præparatione, menſtrui Spirit. Vin. ad medietatem abſtractio prævia requiritur, ſi cum Aqu. com. præcipitatio commodè ſuccedere debet.

Præcipitatio in fluidis noſtris, in ſtatu ſano.

§. 3. Præcipitatio, eaque tam ſpontanea, quàm violenta, perfecta, in via humida, quin in machina corporis noſtri, ejuſque actionibus plurimis purè mechanicis, locum inveniat, haud quiſquam facilè dubitabit, ſive naturalem, ſive p. n. conſideret ſtatum. Quæ in primis inteſtinorum viis, fecum, ceu excrementorum digeſtionis primæ, fit ſecretio, haud ſine præcipitationis modo, bile & lympha pancreatica mediantibus, evenire, denegatus horum ſuccorum eò confluxus, obſtructis, aut undecunque impeditis excretoriis vaſis, & inde nata coliacæ affectionis iſta ſpecies in qua alvi excrementa chyloſa prodeunt, perſuadet. Sub ſanguificationis motu, præcipitantur pariter crudiores chyli partes, & urin. latice abſorptæ, ceu excrementum ſecundæ digeſtionis, foras emiſſæ, contenta in ſanorum urin. conſtituunt, ſive ſeparata, in illo fluctuent, ſive ſoluta in illo diſpareant, facilè tamen per alcaliſata præcipitabilia.

Quæ vix locum habet in cura morborum.

Eadem in ſtatu ægro.

§. 4. In ſtatu morboſo, totum iſtud materiæ, ut vocant, morbificæ coctionis, ſub febrium, præſertim acutarum, curſu, anceps negotium, in quo & ſalus & interitus ægri verſatur, & quod unicum Criſium, tam per eccriſin, quàm per apoſtaſin fundamentum exiſtit, non niſi præcipitationis ſpontaneæ modo, mediante commotione minimorum in ſanguine fermentativa, hoc eſt, acidi fermentativi ſaturatione, & cum aliis heterogeneis particulis, ex cæterarum conſortio extruſione, accidit, urin. Phœnomenis, ſecundum tincturæ, conſiſtentiæ, opacitatis, & ſubſidentiæ viciſſitudines ſucceſſivas, id atteſtantibus. In malignis pariter, petechialibus, purpuratis, cutaneæ excretiones & effloreſcentiæ ſeparationem heterogenei & corrupti, ab alimentitio & vitali, præcipitatoriam præſupponunt, cum ſine hac prævia ſecretio aut excretio laudabilis fieri ulla nequeat. Scilicet, ut paucis multa complectar, ſicut in mechanicis, ita & noſtro in corpore, nulla heterogeneæ materiæ, fluido cuidam commiſtæ, per quodvis colatorium aut filtrum ſecretio fieri poteſt, niſi eadem prius, ſoluta unione firmiori, ſeparatum fuerit, hoc eſt, plus minus perfectè præcipitata, in illo fluctuet. Non ineptiunt illi, conſiderato ſcil. & excretionis Naturæ motu ordinario, qui ebullitionis tempus in Variolis præſertim diſcriminant, cum ibi fermenti acidi morboſi ſpecifici, cum corruptis ſanguinis particulis ſaturatio in acido Salſum, & ex aliorum nexu excluſio, h. e. præcipitatio, hîc præcipitatæ ſubſtantiæ intra pororum & meatuum cutaneorum impedimenta retentio, & ſic demum ex ſanguine ac lympha ſecretio obtineat: utut certis temporum ac dierum momentis, non adeò ſtrictè alligandum ſit. Chronicis in morbis, cachexiis, ejuſque ſpeciebus, chloroſi, Ictero, ſcorbuto, & ſimilibus crudæ urin. h. e. tenues, plus minus, ſi craſſeſcant, aut turbidæ, ſi copioſa ſedimenta ſeponant, & ſub horum ſeceſſu ad naturalem ſucceſſivè redeant faciem, præcipitatorium heterogenearum particularum ex ſanguine ſeceſſum, cum euphoria ægri, oſtendunt.

Triplex caſuum differentia, in quibus in uſum vocantur.

De artificiali per medicamenta, eſt quæſtio.

§. 5. Sed miſſa iſta naturali præcipitatione, de artificiali, per medicamenta in corpore noſtro perficienda in præſentiarum ſpeciatim diſquiritur, adeoque violenta, per medium nempè præcipitans, externum, in via humida inſtituenda, plus minus perfecta. Qualis ſcil. arte in *Cereviſia aceſcentis, cretâ injectâ emendatione, aut ardoris ſtomachi per cretam, ocul. Cancror. bolum armenam, quæ acribus & acutis liquoribus acrimoniam præcipitatione quadam* (ut vocant) *adimunt, curatione*, ut verbis & exemplis *Sennerti, de febr. lib. 2. c. 17. p. 255.* utar, contingere putatur. Aut *quando ſpecificum antifebrile Crollii, horam unam ante paroxyſmum febricitanti Tertianario propinatum, materiam febrilem in vaſis ac cavitatibus quaſi oberrantem ſeparat, figit, & ad fundum ſecum deducit. Sic Creta pulveriſata ardorem ventriculi compeſcit: ſic biliosos ſuccos æſtuantes acidum vitrioli deprimit*, ſunt verba *Schenckii Diſſ. de Ferment. Præcipit.* § 6.

§. 6. Verùm enim verò, uti Naturæ opera, per iſta, quæ ſunt artis in corpore noſtro mechanico more convenientiſſimè explicantur, cum non ſolùm Deus & Natura ubique geometrizent, ſed talis phœnomena Naturæ declarandi ratio, præ omnibus intellectui ceu clara & diſtincta magis, utpotè immediatè ſenſibus connexa, apprimè arrideant: tamen non abſque cautela circumſpecta eadem, ne apparente ſimilitudine decipiamur, applicanda veniunt. Quod ſi & hoc in negotio operationis remediorum per modum præcipitationis ſuppoſitæ, rem accuratius paulo conſiderare velimus, revera ingens diſparitas mox manifeſtabitur, adeò ut ſæpius, ſi non ſemper, nil minus, quàm præcipitatio propriè ſic dicta, locum obtineat, ſi genuinam ejus conſiderationem applicare velimus.

§. 7. Scilicet triplex ferè caſuum morboſorum eſt differentia, quibus pro medela præcipitantia ab autoribus opponuntur, 1. *Humorum nimia acrimonia*, iiſdem compeſcenda,

compeſcenda. *Genuinum enim præcipitans, acida extemplo dulcificat, verius ſignum adduci non poteſt: adeo enim Acet. acerrimum hac ratione ad dulcedinem vel gratum ſaporem reduci poteſt*, aſſerente *Langio Diſſ. de Morbill. addit.* 11. Tartarum crudum acidum ſunt qui mutato nomine hic accuſant, coralliis, perlis, & piſcium lapidibus præcipitandum & corrigendum conf. *Glanberus, p.2. furnor. p.55. & 56.* Hinc in ſcorbuto, ejuſque pathematis gravioribus, iſta & ſimilia multi uſus eſſe ſolent: non ſecus ac Mars in hypochondriacis affectionibus præcipitando edomandis extollitur, aut in dyſenteria teſtæ cancrorum, eorumque lapilli, it. oſſa humana calcinata, &c. De quibus ſupra §.10. commendantur. 2. *Humorum nimia turgeſcentia & plus minus fermentativa ebullitio aut efferveſcentia iſtis mediantibus ſopienda, & inde nata æſtuatio intenſior temperanda.* Hinc enim præcipitantia, genuina quibuſdam dicuntur refrigerantia: & furias ſanguinis æſtuantis, in pleuritide præcipitandi vim habere Lapillos Cancror. ſupra §.10. inſinuatum fuit. *Febris nulla ſine fermentatione aut ebullitione exiſtit. Hinc ſi v. g. nux moſchata, alumen, tormentillæ pulvis, aut antifebrilis Crollii, margaritæ, corallia, lapis bezoar, lapides pretioſi, & his ſimilia ſimplicia febricitantibus propinentur, quandoque accidit, ut febris deſinat. Cur? quia ζέσις aut ebullitio illa, per ea ita ſiſtitur, æquè ac ardorem ſtomachi* (oder die Sood) *uſu ſolius ſimplicis Cretæ pulveratæ ſiſti novimus; ut diſſerit Veteranus Practicus Pauli, in digreſſ. de febrib. malign. p.92.* 3. *Fermenta p. n. undecunque oriunda, contenta corporis turbantia illorum ope ſubigenda, ac per præcipitationem deſtruenda. Hoffmannus in Methodo medendi p.258. 259. exiſtimat, omnem ferè morborum progreſſum vitioſo cuidam deberi fermentorum ortui, &c. In horum autem everſione tota curationis ratio conſiſtit. &c. Sic v. g. in omni febrium curatione, ante omnia fermenta febrilia ebullitionis in maſſa ſanguinea cauſa proxima, aut magis urgentia figenda aut præcipitanda per ſpecifica antipyreta, diaphoretica & diuretica. Sennertus* pariter *tr. de febribus*; *miaſma putredinale & περιττωμα σηπεδονῶδες*, quod inſtar *fermenti ſe habeat*, quod inquinamentum febrile ſpecifica præcipitando deſtruant, paſſim inculcat. Quibus addatur *Kergerus de fermentat. L.3. c.3. p.149.* dum inquit: *Si verò fermentum aliquod aliundè (ut per contagium, &c.) Sanguinem intraverit, fermento per præcipitationem deſtructo, illico fermentatio ceſſat. &c.*

In prima torum, non præcipitatio, ſed unio locum habet.

§.8. Sed rebus benè penſitatis, in neutro horum caſuum per remedia, præcipitantia dicta, hactenus quidem uſitata, & per experientiam quoque confirmata, in eorum operandi modo, præcipitatio genuina locum habet. Prima in claſſe, acrimonia contentorum corporis demulcenda. 1.) non eſt ſalſa, qua præcipitantibus non corrigitur, quin potius oblinentia, & inviſcantia, & ſimpliciter temperantia requirat, ut oleoſa, mucilaginoſa, dulcia, &c. Nec 2.) Urinoſa, cui, ſi unquam vitioſa in nobis obſervata fuerit, acidis obviam eundum, non præcipitantibus. Sed 3.) acida reſtat, plus minus corroſiva, præcipitantibus iſtis emendanda ſicut Acet. *aciditatem creta injectâ amittit, aut cereviſiæ aceſcentis vitium cretâ injecta à vulgo emendatur: Sennertus* l. ſupr. cit. id quod moderni per ova recentia feliciter quoque tentant, ab aceſcentia hoc modo cereviſiam præſervando. Vid. *Tranſact. Philoſ. Anglic. p.400.* Acidum nempe rodit iſta ſubjecta, & arctè ſe ſociat particulis illorum terreſtribus, juxta axioma, *ſpiritus acidus rodens, aliud corpus coagulatur*, novæque texturæ emergit ex ambobus concretum, in quo ſpicula acidi ita infixa ſive incuneata hærent, ut minus conſuetos effectus, ſive in noſtris ſenſoriis, ſive aliis objectis edere poſſint. C. C. uſtum notabilem etiam ſpiritus tart. vel vitrioli quantitatem imbibendo, horum acrimoniam, ſub nova textura penitus obliterat, qua ratione in dyſenteriis & ſcorbuticorum vomitibus proficuum exiſtit. Mars cum iisdem ſpiritibus (non ſecus ac cum aliis acidis, Acet. Deſtillato, Aqu. Fort. Spiritu Sal.) in dulce concretum coit, quale & in hypochondriacis accidit, non ſecus ac corallia, perlæ & Lapilli Cancror. eodem modo iiſdem proſunt; conf. *Glauber.* c. l. p 54. Salia alcaliſata quælibet iiſdem acidis pertinaciter adeò connectuntur mutata aciditate in Salſedinem, nunc plus, nunc minus ſenſilem, ut ſubinde vel fortiſſimis Ign. cuneis divelli poſſint. In omnibus his unio potius acidi, cum objecto mechanicè proportionato, quàm ſeparatio, ſolutio potius, quàm præcipitatio. Nulla hic diacriſis, ſed ſimplex particularum in novum concretum ſyncriſis, cujus nova textura, ab iſta ingredientium diverſa, novas proprietates, & attributa, in ſpecie acrimoniæ carentiam, & corroſivitatis abolitionem ipſi communicat. Perinde autem eſt, ſive acidum corrigendum firmiori nexu ſecum retineat medium præcipitans, id quod locum habet, ſi fortius, aut concentratum magis idem exiſtat, in creta aut minio Acet. deſtillato injectis obvium, ſive hoc tandem ima petat, illo debiliori aut aliàs minus mechanicè proportionato exiſtente, ſicuti eadem creta, in cereviſia aceſcente cum ebulliente tumultu deſcendit, aut coralia in ſucci citri ſoluta pariter ſubſident. Ibi quidem, manifeſta eſt ſolutio, hic vero nulla propriè dicta præcipitatio. Cum præcipitatum corpus acido ſuperadditum, nunquam fluido unitum fuerit, ut denuò per præcipitationem ſeparari debeat, quin proprio ſaltem pondere deorſum feratur, & abſque præcipitante addito, cadat, cui acidæ particulæ liquoris adhæreſcentes pertinacius, adeoque unitæ per accidens una ad fundum rapiuntur, quæ fortiores alias in fluore ſecum retinerent. Adeoque præcipitantia remedia, acrimoniam humorum, ſimplici in novam, texturam cum illis coalitu, abſque formali præcipitatione demulcent & temperant.

Erroris hujus origo.

§.9. Prima erroris hujus origo nata videtur ex eo, quod non probè diſtinxerunt in ſolutionibus per corroſiva acria factis, addito tertio præcipitantis 1. præcipitantis cum ſolvente unionem 2. ſoluti inde factam ſeparationem. Illud cauſæ, hoc effectus rationem obtinet: ibi ex nova textura acidi alteratio, de quo §. anteced. & reſpectiva enervatio, hic ſimplex ſoluti antea inviſibiliter ſeparatio ſenſilis, & genuina præcipitatio contingit. Uti itaque in omni hujus præcipitationis ſpecie, acidi corroſivi ſub præcipitatione quidem, non autem per aut propter præcipitationem fit quaſi attemperatio, ita mala converſione, in omni acrium acidorum correctione à corriſione præcipitationem unà induci concluſerunt: aut ſaltem acidi ſaturationem, ab inſequente præcipitatione minus aptè diſtinxerunt, hoc eſt, cauſam cum effectu confuderunt.

In ſecunda non præcipitio, d. nuda attemperatio.

§.10. Uti itaque priori illo in caſu, malè acrimoniæ corroſivæ præcipitationem oppoſuerunt, cum præcipitantia dicta, etiam ſine præcipitatione, ſimplici unione acrimoniam iſtam infringant: ita poſteriori in caſu, æquè inconcinnè turgeſcentiæ aut efferveſcentiæ (ζέσει, ebullitioni, fermentationi, promiſcuè his vocibus uti poſſumus) humorum præcipitationem eorundem oppoſuerunt. Tantum enim abeſt, ut præcipitando turgeſcentiæ & efferveſcentiæ, ac dependentis inde plus minus æſtuationis impetus infringatur, ut ſæpiſſimè hic ipſe intenſiſſimus concitetur, ut in præcipit. butyri Antimon. per ſpiritum Nitr. Aurum fulmin. per ol. tartari, Aluminis per ol. tart. ac præcipitationibus tantùm non omnibus ſolutionum per menſtrua acida, ab alcalibus præſertim fixis peractis, ad oculum patet, & in primis manifeſtum eſt, in impetuoſiſſima illa efferveſcentia & intenſiſſima æſtuatione, quam obſervare licet, ſi Mart. c. Aqu. Fort. ſolvas & ſubitò ol. tart. per deliqui. affundas. Equidem cavendum monet *Kergerus de ferm. p.139.* ab illa præcipitatione, quæ non niſi fermenteſcendo perficiatur, quin talis inſtituatur

ſaltem, quæ blande & ſine inſignibus turbis fermentationem conſidere facit. Sed rara eſt talis præcipitatio, ſi in fluido præcipitando acrimonia acida ſenſilis deprehendatur. Jam verò turgeſcentia fermentativa & ebullitio p. n. contentorum corporis concitatur vel occaſione peregrini fermenti, aliundè ſuſcepti, de quo poſtmodum, vel occaſione dyſcraſiæ eorum & in textura materiali, indéque dependentibus modis qualitativis læſionis, unde potentiæ eorum Hippocraticæ, quatenus debitè non fuerint contemperatæ, ſed potius per ſe extiterint, nos lædunt. Baſis potentiarum illarum Hippocr. eſt acidum, hujus ergò vitio læſa craſi humorum corporis noſtri, p. n. orgaſmi & ebullitiones, ac æſtuationes ſuperveniunt. Sed ut generalius loquar nimia contentorum corporis noſtri acrimonia, præſertim volatilis, inteſtini motus p. n. occaſio exiſtit, quæ quò major fuerit, eò intenſior ebullitio & efferveſcentia, comitante æſtu inſigni, accidit. Confirmat hoc mechanica chymica, quæ eò majores efferveſcentias & ebullitiones exſurgere notat, quò acriora fuerunt illa, à quorum miſcela, & inteſtino motu illa tumultuatio concitatur. Quicquid adeoque præcipitantia auxilia opis ferre poſſunt, in illo orgaſmo, non niſi acrius quod fuerit temperando, adeoque in ſpecie acidum corrigendo, & ita temperatam texturam per accidens ſic reſtituendo, præſtabunt; ità, ut ea, quæ antecedente §. 8. inſinuata fuerunt, contra præcipitationem, & hic commodè applicari poſſint. Requiritur denique pro genuina præcipitatione medii præcipitantis cum liquore ebulliente miſcela ſub præcipitatione, ſive contactus corporalis, qui quomodo locum habere queat in Maſſ. Sang. orgaſmo ac turgeſcentia febrili, qualiſcunque etiam fuerit, per præcipitantia ſcil. fixa inſtituenda, ſanè haud percipio. Nec facile quiſquam putabit, bezoardicum minerale, aut antihecticum Poterii, aut Antimon. diaph. Martial. Antimon. diaphor. ex Mercur. vit. paratum, quorundam pro variolarum cura decantatum experimentum, aut Strobelbergeri Croliive febrilia ſpecifica, pro ſiſtendis febrilibus Maſſ. Sang. commotionibus & turgeſcentiis materialiter ipſi commiſceri, vel pulverem dentis apri, vel capitis lucii oſſa ad ipſam Maſſ. Sang. uſque deferri, ad corrigendam ejuſdem in angina aut pleuritide, in ſpecie ſymptomatica intenſam ebullitionem, aut unicornu marinum vel crudum vel ſ. Ign. præp. ſubire miſcelam Maſſ. Sang. pro ſedando ejuſdem in eryſipelate æſtu, quin talia in primis viis ſaltem activa exiſtunt, non ſecus ac oſteocolla fracti oſſis occalleſcentiam, aut cryſtallus lactis in mammis ſcaturiginem, promovent, ſine eo, ut materiali ſui contactu ad partes affectas deferantur. Poſito quoque, quod tamen haud facilè aſſerturum quenquam arbitror, penetrare eò hæc ipſa, tamen alteratio iſta in primis viis, quam neceſſe eſt, ſubeant, à ſapore fermentativo in ventriculo plus minus acido, ita alterabit eadem, ſaturando plus minus illa ipſa, ut vel enervata penitus, vel parum admodum activa, nihil quod præcipitationi vel ſimile, vel analogum videatur, efficere queant. Adeòque præcipitantia, ſaltem acrimoniæ humorum temperatione, ex mutata illorum, cum his coalitus ratione, textura, abſque præcipitatione, illorum turgeſcentias, & fermentationes p. n. cohibent.

Erroris hujus origo.

§. 11. Erroris hujus occaſio prima, coincidit ferè cum iſta §. 9. inſinuata. Neglecta ſcil. diſtinctio effectus, qui præcipitantis applicationem ad fluidum, plus minus fermentans & ebulliens, immediate aut mediate, ibi per ſe, hic per accidens ſequitur. Siſtunt ſubinde remedia præcipitantia dicta, tam in artificialibus, quàm naturalibus nimias turgeſcentias fermentativas, ſed non quà talia, ſed quatenus acre iſtud dyſcraſiæ & hanc excipientis p. n. efferveſcentiæ cauſam materialem corrigunt, & temperant ejuſque impetum, & inde inteſtinum ferociorem motum frænant & coërcent, ſine eo, ut iſtud præcipitando ſeparent, aut præcipitatoriæ talis operationis ratione, affectum iſtum exerant. Quod ſi vel jungatur l. ſuperveniat præcipitatio partium quarundam, antea in concreto cæteris colligatarum arctius, hæ erunt tales, quæ paſſivæ potius, quam activæ in ebullitionis tumultu extiterunt, & quæ ſaltem acris, iſtas rodentis, & cum iiſdem aliiſque in novam texturam coaleſcentis, infracti, & per præcipitans plus minus enervati compedibus ſic dimiſſæ, proprio pondere feruntur: quod ut ut propriè dicta ſit præcipitatio, tamen non hujus ſeparationis ratione fermentativa ebullitio compeſcitur, ut ut hanc, illa immediatè ſequatur. Hac ratione Calce viva, fermentationem Vini, Sal. tatt. fermentationem muſti ceſſare faciunt, cum materiæ fecibus ſimilis præcipitatione: unde & pulv. alabaſtrites, ſilices cacinati, pumices uſti, revera Vina depurant, & partes heterogeneas præcipitando deturbant, non ſecus ac ovorum cortice Vinum à fecibus depuratur, præcipitatione reali: de quo *vid. Bartolinus Cent 4. hiſ. 13.* In ſpecie Sal. tartari conſideremus, hoc aut ejus ol. per deliquium muſto additum, fermentationem omnem ut præcavet, ita & Vino intenſiſſimè fermentanti commiſtum, illicò hoc à fermentatione ceſſare facit. Jungitur ſimul partium quarundam utrobique præcipitatio, quæ tamen ad efferveſcentiæ vel præcautionem vel ſedationem nihil faciunt, cum etiam iiſdem retentis licet, tamen efferveſcentia ceſſaret: acidum nempè alcaliſati illius tactu & unione intimiore, ex mutatâ hinc concreti texturâ, à motu impetuoſiore ceſſat, & ſic pacata quies. Ut ergò rectè *Beccherus Phyſ. ſubterr. l. 1. ſ. 5. c. 2. p. 359.* §. 23. aceſcentiam pro principio, vehiculo, & effectu fermentationis ſtatuit, ita eodem teſte *c. l. p. 358.* §. 21. ol, *aut Sal. tartari cuivis fermentationi, etiam fortiſſimæ, juſtâ quantitate impoſitum in momento fermentationem ſiſtit.* Sanè allegata modo, de acido, fermentationis principio antiquiſſima *Platonis* fuit ſententia, cui nec illius Anatomicus, *Billichius, in Anat. Ferment. Platon. c. 9. §. 106. p. 531.* nec hunc exercens *Conringius, in Exercitat. in Billich. p. 603.* revera contrariatur, *ignem fermentationis omnis proximam eſſe cauſam, omnium qui in fermentatione apparent motuum, aſſerentium*, conſiderata, Aquis, ceu ſubſtantiæ ab acido realiter haud diſtinctæ, genuina natura, & fiendi modo, à modernis aliàs prolixè explicato.

In tertia præſupponitur quid ſit fermentum.

§. 12. Fermentum denique p. n. per præcipitantia aut corrigendum aut deſtruendum, ſui conſiderationem meretur, cujus notitia; ut in ſcholis olim nulla jejunior, ita nulla utilior. Brevitati cum ſtudendum ſit, à poſteriori illud obiter dilucidandum, notitia ejus à priori, ut intricatiſſima, ita non, niſi pluribus, latius diducendis, neque id adeò facilè explicabili. Minimum nempè mole, activitate maximum, aliorum fluidorum plus minus ſymbolizantium, alterativum, ſicque ſui ſimul multiplicativum, fermenti morboſi nomine ferè intelligitur. Ex ſimilitudine effectiva, quam cum piſtorum fermento ſpecialiſſimè ſic dicto, habet, cujus parum, totam maſſam fermentat, appellationis ratione deſumpta. Unde & odorum inſtar ſubtiliſſimorum, ſummè tamen penetrantium, ferè ſe habere videntur & hoc nomine etiam ab *Helmontio* fermenta in genere definiuntur, quæ auræ nomine inſigniuntur à *Tachenio Clav. c. 9.* Odor vaſis ſcil. fermentativus, Vinum infuſum citiſſimè alterat & corrumpit, quod vitium alio odore, ſulph. nempe incenſi, tam præſervatur, quàm curatur. Odor Aceti, oris halitu poſt dentium cum eodem ablutionem, lagenæ inflatus. Vinum infuſum aceſcere facit. Mulctræ odor vitioſus, quam citò alterat & corrumpit Lac; Floreſcentis Vitis aut hordei latè diffuſus odor, etiam in cellis recondita Vina cereviſiamque alterat notabiliter. Parili modo odor talis eſt, qui in variolis, lue Venerea, petechialibus, ſcabie, dyſenteria maligna, ipſaque peſte fermentum iſtud multiplicativum conſtituit,

ſtituit, & in contagiorum plurium itidem venenorum in animali regno ſumma potentia conſpicuum ſe exhibet. Talis odor fermentalis eſt, qui in labiis vulnerum & ulcerum alimenti in pus ſaniem aliaſvè ſordes corruptivum exiſtit, & in cujus correctione primarium chirurgorum verſatur negotium. Talis odor eſt, qui febrium intermittentium & continuarum primaria cauſa exiſtit, Subolfecit hunc ipſum jam *Sennertus*, cujus ævo tamen nullus adhuc, aut ſaltem tenuis, fermentorum odor ſcholas medicas infecerat, dum *l.2. de febr. c.6. p.107.* inquit, *materia, quæ febri dat originem, initio ſæpè exigua eſt, fermenti tamen inſtar in continuis, reliquoſque humores corrumpendi & putrefaciendi vim habet*: it. *C.17. p.244. illud putredinale fermentum, in corpore poſt paroxyſmum relictum, initium effervescentiæ & putredinis dat, facitque, ut materia, quæ antea in ſuo foco coercita quieſcebat, jam veluti turgens & exardeſcens multum de ſe & tetricum vaporem diffundat.* Certè neglecta minimorum morbificorum ſive fermentorum conſideratio, horumque alterativæ & ſui multiplicativæ potentiæ, inſignem cauſæ morboſæ materialis, cum producto morboſo confuſionem & hinc inverſam penitus medendi methodum induxit. Appoſitè iterum *Sennertus c. l. l.2. c.2. p.66. Habet vitioſa talis diſpoſitio, ſive miaſma tale ſe inſtar fermenti, & ſubinde plures vitioſos humores generat, bonoſque corrumpit. &c.* Vide plura c. l. huc facientia.

Ejuſdem alteratio non præcipitatio locum habet.

§.13. Fermentum tale morboſum, mole minimum, adeoque *ſubtile* ac penetrativum, hinc ſummè *mobile* adeoque ſpirituoſum ac volatile, & potenter *activum* ſeu mediante determinati motus impreſſione, humorum quin & ſpirituum ad alterationem variam diſpoſitivum, ſicque ſimul ſui multiplicativum, ſaporis aut ſi mavis odoris *ſpecifici* (forſan genericè acidi) præcipitatione mediante, per ſuprà recenſita auxilia corrigendum, & inde concitata plus minus humorum turgeſcentia ſopienda. Aſt non video, quomodo præcipitatio in genuino ſenſu locum commodè invenire queat, circa objectum adeò ſubtile, activum & penetrativum, &c. Equidem odore contrario *deſtrui* poteſt idem, qua ratione odor ſulphur. incenſi, odorem fracidum fermentativum cadi, item peſtis aliarumque febrium malignarum extinguere obſervatur, (quod poſterius camphora videtur in nobis præſtare) quatenus his ipſis, illi prompte aſſociabilibus, textura inverti, & ſic activitas ejus enervari videtur: ſimiliter ac Mercurii ex Cingulo ſapientiæ tenuis odor (ut in ſimili termino pergam) ſcabiei univerſum corpus inquinantis fermentum, ulcerum etiam quorumvis, delet & extinguit. *Abſorberi* etiam, ut ſic dicam, ab objectis appropriatis, hinc concentrari ac quaſi figi, & ita activitate ſua ſpoliari poteſt, qua ratione fixa iſta ex marinis calcinatis, febrilia ſpecifica, fermentum concentrando & figendo, & ita in textura quaſi invertendo, operari videntur. Non enim febrili contentorum corporis commotioni ſedandæ, ſed fermento morbifico coërcendo, quod inſerviant talia, ex eo fit probabile quod in paroxyſmo, in quo formaliter urget iſta commotio, ferè noceant, ut plurimum febrem multiplicent adeoque antè paroxyſmum propinanda ſint, ut ut fermento ſaporis acidi, (de quo vix quiſquam amplius dubitat) frenum maturè injiciant, & nixum ejus motivum cohibeant. Fermentum febrile præcipitare hæc, & fermento per præcipitationem deſtructo illicò fermentationem ceſſare, ſententia eſt *Kergeri: de Ferm. ſ.3. c.3. p.249. quod tamen durum videtur, niſi in terminis ludat, præcipitare enim denotat unum ab altero ſeparare, quod in tali fermento febrili non contingere poteſt*: rectè reponit *Becherus Phyſ. ſubterr. l.1. ſ.5. c.1. p.389.* Bezoardicum minerale pariter, ceu exhauſtum concretum, & acidi vol. venenoſi appetens, quale in Ignis examine amiſerat, uti & Antimon. diaphoreticum, (Conf. *Tachenius H. C. c.22. p.164.*) malignarum ſpeciatim, quin & continuarum acutarum febrium, fermenti volatilis (plus minus acris) promptè abſoptivum & correctivum videtur. Quo in puncto etiam terræ minerales, ſuam activitatem in malignis, ſpeciatim variolis & morbillis exſerere probabile eſt. Quin imò plura morborum ſpecifica ſive appropriata remedia, hoc imprimis modò proficua videntur, quod determinatæ ſuæ texturæ ratione, fermentorum ſpeciali naturæ & texturæ magis accommodatæ, horum motum & impetum ad ſe convertant, & hinc in iiſdem concentrata, fixata, & in novi concreti moleculam invicem juncta, fermentorum activitas enervata torpeſcat: ſic enim cruor hirci pleuritidis, priapus Ceti dyſenteriæ, myrrha morbillorum, &c. Appropriatum remedium exiſtit: ſem. aquilegiæ, Icteri, ſcrophularia hæmorroidalium doloroſa fermenta, viſcus corylinus & quercinus Epilepſiæ, Lapis ſpongiæ ſtrumarum coagulativum enervant. Quin in genere Salia volatil. dum v.g. febrium comitatarum dictarum præſtantiſſima exiſtunt auxilia, ſaturando fermenta horum acida, & in Salſum cum iiſdem ſucceſſivè coaleſcendo, per urinam aut ſudorem eliminandum, non præcipitando, activa exiſtunt. Denique per ſudorem quoque *diſcuti*, aut hoc mediante promptius extra corpus, tam ipſum, quam ejus producta morboſa una excludi poteſt, ipſum cum ſit ſubtilis & volatilis, adeoque promptè mobilis texturæ. Hinc enim ſudorum, & ſudoriferorum frequens adeò in praxi uſus, ſive fixa, ſive volatilia fuerint eadem. Nulla propterea febris citra recidivæ metum tutò, abſque ſudore curari ſolet. Quo mediante, acidi iſti odores, qui tam ſenſibiliter cruciant articulos, optimè expirant. Adeoque præcipitantia dicta remedia, fermenta morboſa vel in genere abſorbendo & figendo, vel in ſpecie quoad texturam ſpecialem alterando, vel per ſudores excludendo, ſine præcipitatione reali, corrigere, & ab illis concitatas humorum turgeſcentias compeſcere, probabilius eſt.

Erroris iſtius origo.

§14. Prima erroris hujus origo videtur dependere ex inconſiderata affectuum plurium ſub præcipitationibus artificialibus concidentium confuſione, qui non diſtincti à ſe invicem, communi præcipitationis notione in genere veniunt. Res exemplis fit manifeſtior. Solutionem Lunæ in Aqu. Fort. Præcipitat Antimon. hanc præcipitat Mart. coincidunt in hac præcipitatione, & acidi & Mart. mutua abſorptio ac unio, cui jungitur ſimultanea Antimon. dimiſſio: hinc confuſè Martis iſta actio, qua ſub acidi hypochondriaci fermentitoſione, & mutua hinc abſorptione, illius noxam delet, pariter præcipitatio quibuſdam dicta fuit, utut nulla præcipitatio contingat. Parili modo, dum acida expugnantur ab alcalibus tam fixis quam volatilibus, & contra, cujus indicium præbent imprimis præcipitationes mutuæ ſolutionum ab alterutro factarum, deſtructio fermentorum acidorum morboſorum ab iiſdem, ac alteratio eorundem, præcipitationem quoque appellarunt. Adeò confuſio uti ubique, ità ut hîc quoque fœcunda errorum genitrix extitit.

Præcipitantia operantur in genere; acidum p. tò corrigendo.

§.15. Præcipitatio genuina ergò in operandi modo remediorum, præcipitantia dictorum, locum nullum obtinet. Quin, ſi rem exactè conſideremus, uſus eorum paſſivus potius quàm activus erit, cum non tam ipſa, agendo in corporis partes, quam aliorum impetum activum ſuſtinendo ut plurimum, proficua ſint: adeoque reſultans inde effectus immediatè, privativus potius quam poſitivus exiſtat. Acidum nempe vitioſum eſt, in genere, quod per ſpecificas aciditatum differentias, & junctas alias proprietates varias mille modis ut variat, ita & mille malorum in corpore autor exiſtit, cujus reſpectu, auxilia iſta, præcipitantia dicta tam inſigniter conducunt. Mechanica ſcil. conformatio acidi talis ſupponenda venit, cui aptè reſpondeat medicamentorum iſtorum textura, ſecundum poros & meatus non ſolùm, ſed etiam minutorum corpuſculorum configurationem, &c. Ità

ut promptè coire mutuò, & arctè plus minus uniri queant. Appropriati ergo talis objecti occurſu, acidi ſpicula mox ipſi ſe inſinuant, concretum findunt, particulis minutis ſe quaſi infigunt, & ita potenter in illas operantur, donec mutua unione facta, in concretum novum, idque tertium, ab utroque extremorum diſtinctum, & in quo obliterata acidi nocivi vis corporis partibus minus hoſtilis exiſtit, coëant. Mechanica Chymica hoc ipſum, quoad Mar. Saturn. Sal. urinoſa, fixa & Volatilia, oſtracoderma, gallas, oſſa animalium, &c. Ad oculum ut demonſtrat, ità in corpore idem evenire, vel ex effectu, eorum uſum qui inſequitur, abunde conſtat. Mars nempè humoris melancholici correctivum ac digeſtivum ab omnibus aſſeritur, qui humor acidi nomine ab *Hippocr.* inſignitur. Sic bilis æruginoſæ, ac inde ſuſcitatæ choleræ alexipharmacum chryſtallus montana aſſeritur rectè à *Langio: Epiſt.*3. *epiſt.*1. *c.*4. in qua acidum bili commiſtum imprimis dominari experientia anatomica hactenus comprobatum dedit: & ſic in pluribus aliis, de quibus in ſequentibus.

Unde potius invertentia, it. attemperantia dicenda.

§.16. Roſio hic actus aliàs dicitur, quo acida agunt in iſta præcipitantia: ſub quo actu ex ſocietate acidi cum corpore corroſo, & hinc novo emergente concreto, acidum morboſum hebes redditur, *acerrimum* quod erat, aut inſipidum, ut in animalium partibus duris, c. vel ſ. Ign. præparatis & calcinatis, aut dulce, ut in Mart. l. Saturn. aut Salſum, ut in oſtracodermis, it. Salibus urinoſis evadit, *corroſivum* quod erat, adſtrictorium fit, ut in terris medicatis Lap. hæmatit: *mobile* admodum & activum quod erat, torpeſcit, & quaſi incarceratum eſt: uno nomine priſtinam naturam penitus exuiſſe videtur, adeò ut iſta remedia, aptiſſimo vocabulo, à quibuſdam *invertentia* item propter recuſas, nocivas ex acrimonia nimia, & hoſtiles qualitates, *attemperantia* ſpecialiori licet ſub acceptione dicantur.

Aut ſaturantia.

§.17. Quin imò, cum diſſolvendi potentia objecti appropriati omne acidum activum exiſtat & eſurinum quaſi, quicquid poteſt, mechanicis ſub legibus, devorare & abligurire avide ſoleat, donec ad ſaturationis punctum uſque pervenerit, quo acquiſito, quieſcit, & quaſi feriatur: remedia verò iſta optimè huic fini ſatisfaciant, ob id commodè quoque *ſaturantia,* quibuſdam audiunt: quale cognomen ſpeciatim Salibus urinoſis tam fixis quàm volatilibus convenit, à quibus optimè ob arctiorem unionem ſaturantur, iſti acidi ſapores & cum iisdem in Salſum tertium, & ipſum medicamentoſum coëunt.

Aut abſorbentia.

§.18. Utut autem ſaturent aviditatem corroſivam acidi morboſi, tamen ab ipſo, quo ſub roſionis tali actu, hoc ipſum una plus minus coagulatur, (prout textura objecti mechanica magis vel minus ipſius conformationi reſponderit: ſic enim v. g. ſpiritus ſulphur. vel vitrioli arctius cum Sal. tart. quàm cum Mart. coagulatur, ſpiritus Sal. arctius cum Sale fixo quocunque, quàm volatili ſe unit) ità ut quaſi abſorberi aut avidè imbibi penituſque hinc occultari videatur, ob id appoſitè pariter auxilia iſta *abſorbentia* it. *imbibentia* pluribus vocantur. Quam abſorbendi vim terræ minerales, animalium partes duræ, & ex his parata calcinata, præ aliis potenter obtinent.

Aut figentia.

§.19. Cum denique activa ſumme exiſtant quædam morboſa acida, adeoque ſumme mobilia, idque eò magis, quo ſubtilia & ſpirituoſa ſeu volatilia magis exiſtant, qualia in febribus acutis, pluribus malignis, ſuo modo & intermittentibus (in quibus ſub paroxyſmo progreſſus acidi fermenti à ſtatu fixiori ad volatiliorem eſſe videtur.) Scorbuticis ut vocant bilioſis, ac hypochondriacis manifeſtum eſt, hæc ipſa verò medicamentorum iſtorum attactu & ſocietate minus mobilia reddantur, dum mutua cohæſione atque ita ex texturæ mutatione emergunt corpuſcula, tam ratione ponderis, quàm ratione magnitudinis & molis, quin & mutuæ, (ut ſic dicam) implicationis reſpectu, ad motum concitatiorem quemvis tam localem, quàm præſertim inteſtinum fermentativum & elaſticum minus apta, adeò ut quæ volatilia antea plus minus erant, jam incarcerata quaſi & fixata torpeſcant, ob id remedia eadem, quæ præcipitantia, aliàs dicebantur, optimo conſilio *figentia* nominari ſolent. Qua ratione viſca fermentum Epilepticum, Cort. Chin. it. calcinata Oſtracoderma, ſaccharum Saturni fermentum febrile intermittentium figendo, auxiliares opes præſtare videntur.

Adeoque acidi iſtius reſpectu univerſaliora ſunt alterantia.

§.20. Eò ipſo vero quo acidum vitioſum contentorum corporis corrigunt, primaria & magis univerſalia erunt alterantia, acido vitioſo, univerſali morborum cauſa materiali & occaſionali exiſtente. Naturaliter omnia fluida corporis ſunt temperata, & ſub ſpecifica cujuſvis materiali textura, in genere Salſa oleoſa exiſtunt, adeoque de acido & alcali, ſub pingui temperatura, variata tamen proportione & hinc texturæ modificatione participabunt. Imò preſſius ſi loqui velimus, non niſi ex acido, Aqu. & Terra conſtabunt, quod tamen ceu Paradoxon hic obiter attigiſſe ſufficiat. Infinita ergò ſeu ſexcenta Hippocr. quorum ambitu cacochymiam ſive dyſcraſiam humorum determinat, ex iſtis derivanda erunt. Acidum verò ubivis informat alcali, adeoque illud agentis, hoc verò patientis rationem obtinebit, ita ut hoc, ab illo, plus minus vitioſo, vitiari quoque ſoleat. Pingue temperans, ubi vis ferè in rerum natura, atque adeò in microcoſmo pariter acido junctum deprehenditur, quod ubi defecerit p. n. majorem illorum acrimoniam, ubi abundaverit, p. n. viſciditatem inducet, viſcido ex acido & pingui oriundo. In cauſis E. morborum occaſionalibus & materialibus, internorum pariter & externorum, ad acidum plus minus peccans, ceu baſin omnis cacochymiæ, & ex cujus aberrationibus ſexcenta iſta Hippoc. fundamentaliter dependent, reſpiciendum erit. Idque eò magis, ſi cum quibuſdam vim rerum ſeminalem in acido ſpecifico quoque fundatam aſſerere velimus.

Sed quid de bile?

§.21. Si acidum ergo tantùm non omnium morborum fons & origo prima, quid de bile fiet, & morbis bilioſis, ſpeciatim febribus acutioribus, æſtuatione corporis p. n. ſiti clamoſa, anxietate præcordiorum choleris, diarrhæis, colicâ acerbiori, dyſenteriis & ſimilibus malis, ſimpliciter à Veteribus à bile exſuperante aut vitiata, à modernis ex Sale ejus vol. oleoſo, vel copioſiore, vel acriore derivatis, acido revera contrariis fiet; Sed ut paucis negotium hoc abſolvam, ea quæ de bile à veteribus pariter ac recentioribus prolata hactenus fuerunt, arbitraria maximam partem videntur Miſſis iſtis, horum conſideremus hypotheſes. Sal. vol. urinoſ. bili ineſſe dubium, quod enim arte prolicitur, hujus potius, quàm Naturæ videtur opus adeo ut probandum, formaliter in bile præextitiſſe quod materialiter inde procedit. Poſito hoc, quomodo caloris effectum in corpore producit? Salia vol. qua talia, omnia notabiliter exiſtunt refrigerantia, vel ſpiritu Sal. Ammoniac. ſimpl. in febribus intermittentibus ſenſualiter hoc confirmante. Si ut oleoſum eſt, quod ol. revera in bile luxuriat, calefacit, de ol. hoc inquirendum ſupereſt, an pinguedinis, ac acidi occulti ratione vim caloris ſenſum producendi obtineat: pari modo, ac de ſulph. quæritur, utrum pinguedinis an acidi ratione, ſub deflagratione ardorem inducat. Sane plura argumenta proſtant, calorem naturalem pariter ac p. naturalem ab acido volatili materialiter dependere. Porrò ad duo hæc quoque attendendum ſedulo: (1.) *adſcribi interdum bili affectis p. n. in quibus ipſa potius paſſivè ſe habet, & ejus p. n. alterationes qualeſcunque, producta ſeu effectus morboſi potius, quam radicales cauſæ exiſtunt.* Æruginoſa bilis, ex qua in præcordiis, & primis viis revera interdum atrocia mala, in adultis non minus

quàm

quàm infantibus, ex bile naturali, ab acido p. n. alterata, quod dependeat, mechanica anatomica docet: unde & acidum enervantia, ſpeciatim cryſtallus, ejus alexipharmacum à *Langio* dicitur, de quo ſupra §.15. Quæ rejiciuntur bilioſa, in intermittentium, præſertim tertianarum, paroxyſmis, vi ſpaſmorum inteſtinalium, à fermento febrili concitatorum, evomuntur, ſine eo, ut cauſa morbi materialis exiſtunt, quin potius amara omnia bili ſymbolizantia, in earum cura, ſunt optima, non ſecus ac omnia reliqua febrifuga, in hoc ferè conſpirant, ut acidnm fermentum febrile figendo & abſorbendo ſeu invertendo ſalutaria exiſtant. Ab Antimoniali pharmaco, artificialis concitata nunc cholera, nunc Diarrhæa, in quibus pro ſubjecti conſtitutione, ſubinde tot bilioſa ἄνω καὶ κάτω rejiciuntur, naturalium utut morboſarum fiendi rationem docent, bile ſcil. & cæteris excretis paſſive ſe habentibus, (ſi non ſemper ſaltem utplurimum) (11) *Eidem bili ſubinde effectus adſcribi, qui ipſi penitus non conveniunt.* v.g. Vulnera, ulcera, tumores inflammatorii, quo magis æſtuant, rubent, & eryſipelacei quid patiuntur, à bile taliter affici dicuntur plurimis, quos tamen refellit Saturnus, medelam afferens, acidum abſorbendo, docente mechanica chymica, quod quo magis volatile ac acre fuerit, eò magis iſta ſymptomata producit; par ratio eſt podagræ, quæ calida, ſeu intenſius rubens, ardens, & phlogoſi eryſipelacea juncta, bilioſa dicitur, ad differentiam alterius, pituitoſæ dictæ. Sed utrobique ſimpliciter peccat acidum, in iſta ſpecie, acrius & volatilius, nec ſynovia debitè temperatum, in hac mitius, minuſque aëre, & à ſynoviâ viſcidiori melius correctum, unde & iſti ſperma ranarum, acidi talis optimum corrigens, ut mechanica docet, hinc camphora, Saturninaque eodem ex fundamento opem ferunt. Urinæ intenſior Tinctura in febribus, & rutilans ac flammeus ejus color, bili à plurimis adſcribitur, quam tamen ab acido dependere, experientia mechanica docet, in naturaliter conſtitutis ſanorum urinis, per acida medicatis. Contenta in febrientium urinis & copioſa ſedimenta, bili à plurimis, ceu materiæ adſcribuntur, cùm tamen *Galeno* teſte, & experientia confirmante, *cit. Mœbio Inſtit. p.343. qui ex otio & repletione febricitant, ſi ſanitati reſtitui debent, neceſſario in urin. plurimum ſubſidebit*, quod quomodo cum bile, aut inde productis humoribus cohæreat, ipſi viderint. Aut E. tales affectus bili falſo adſcribuntur ceu cauſæ aut ipſa ratione acidi vol. non ratione urinoſi in talibus caſibus peccabit.

Acidi morboſi origo. §.22. Scaturigo interna aberrantis acidi eſt ex ventriculo, ſub cujus digeſtione acidum vol. ſaporem plus minus contrahunt aſſumpta, ſive ex inſpirato fermento, ſive ex aſſumptis hunc ipſum derivare velis, quoad præſens negotium perinde eſt. Hic in Salſum oleoſum temperatum in primis viis non ritè correctus, toti corpori, omnibuſque ejus partibus, extra ventriculum penitus hoſtilis exiſtit, & mille calamitatum, pro ſpecifici acidi ſaporis, & partium, quas affligit proximè, differentia, artifex exiſtit. Hinc enim in fluidis partibus earundem dyſcraſiæ, turgeſcentiæ & efferveſcentiæ, indeque Phlogoſes, p. n. corporis æſtuationes, variæ coagulationes & concretiones, &c. In ſolidis vero inflammationes, irritationes, roſiones, convulſiones, contracturæ dolores, alimenti proximi corruptiones, &c. Nec opus eſt, ut ſenſibus adeò manifeſtò ubique pateat, cum non torrentis modo undique diffundatur, ſed odoris aut auræ inſtar ſubtiliſſimæ penetrando, appropriato ſubjecto ſe inſinuando, in fluido quidem hujus texturam & motum inteſtinum pervertendo, in ſolido verò ſpiritum inſitum imprimis alterando, operativum exiſtat, id quod fermenti nomine aliàs inſigniri ſolet, cum aptum ſubjectum alterando, ſeque in eo multiplicando, fermenti ſimilitudinem repræſentet: qualis odor acidus fermentativus in lue Venerea, ab alio hauſtus, & humores & partes ſolidas inficiendo ſive alterando, ſeque in iiſdem multiplicando, vel manu palpari poteſt, id quod & in ſcabie, variolis, &c. Extra dubium, de quo jam ſupra §.12. ſcil. præter internam acidi peccantis originem, ſupra inſinuatam, etiam ab extra, tam ab inſpiratis, quàm ſuſceptis aliunde contagiis idem contrahi facilè poteſt. Sanè quo ſubtilius idem, & quo facilius ſpiritibus ſociabile exiſtit, eò graviora & periculoſiora nocumenta, & quæ omnium difficilimè curabilia exiſtunt, infert, cum ſubtili tali acido compar objectum, non niſi difficulter obtineatur, hinc enim morborum hæreditariorum, item contagioſorum quorumvis & gravis nocendi ratio, & difficilis curatio dependet. Cum humorum quorumvis vitia & inepti acidi ſapores facilius alterabiles exiſtant, modò non ſpirituum peregrinâ tali aura contaminatorum vitio illi foveantur continuò.

§.23. Conſtat ex dictis, per univerſam morborum Therapeuſin, remediorum iſtorum, aliàs præcipitantia dictorum, latiſſimè patens uſus. Acidi enim vitioſi ratione, Mars tam potens quorumvis chronicorum morborum ſub generali cachexiæ nomine comprehenſorum, utroque in ſexu, exiſtit, debellator. Lapillorum Cancror. latè diffuſus uſus, à *Sachſio* tàm prolixè congeſtus, in *Gammarol.* hinc manifeſtus redditur, non ſecus ac aliorum oſtracodermorum. Cornuum Cervinorum acida abſorbentium creberrima exhibitio exinde explicanda: Martialia fixata, acidi vol. acerrimi appetentia, hujus ratione tam polychreſta remedia, Martialia pariter ritè fixata, ex hoc fundamento ad univerſalium apicem propius aſcendunt, præſertim ſi vi anodyna minerali ſimul impregnentur ſi ſcil. vera ſunt, quæ *Helmontius*, ad Paracelſi imitationem, de Mercurio diaphoretico, it. arcano Coralino, decantat, & vel ex Cnöfelii Mercur. fixo, ſive arcano corallino non nihil probabilia redduntur, Imò ex dictis patet in primis, Sal. vol. urinoſorum, ex animali & vegetabili regno parandorum, & vel ſolius ſpiritus Sal. Ammoniac. uſus planè polychreſtus, quæ utut minus inter præcipitantia numerata alias fuerint, potiora tamen fere inter illa ipſa exiſtunt, dum altius omninò penetrando, & ipſarum partium tam fluidarum quàm ſolidarum texturam ſubintrando, multis in caſibus ſumme activa exiſtunt, ubi fixorum effectus fere hebeſcere obſervatur. Amica in primis ſunt nobis Salia illa volatilia, cum tota noſtri corporis machina, omneſque ejus partes, ſimilibus referta ſint, unde vix præ iis nobis magis convenientia obtineri poſſunt medicamina, præſertim ſi temperata nonnihil, & oleoſa reddita fuerint, adeoque nobis promptius aſſimilabilia. — *Latè diffuſus horum remediorum uſus.*

Fixa inſipida ultra primas vias non pergunt. §.24. Nam fixa iſta, ut mineralia, terræ, metallica, lapidea, & vegetabilia ſtyptica, ac duræ animalium partes exque his parata calcinata uſta, ſoluta, &c. C. C. uſtum: ſpecif. febril. Strob. terr. Sigill. Lap. hæmatit. Martialia: Antimon. diaph. bezoard Joviale Unicornu animale & minerale, ultra primas vias materialiter haud penetrant, quin utcunque alterata, & in primis viis præcipitata, cum ſcoriis recrementitiis, per ordinarias portas denuò eliminentur, ut vel Mart. exemplo patet, ſcorias alvinas atramenti nigredine inficientis, id quod & in Saturninis, & quam plurimis Jovialibus remediis pariter evenire obſervatur: non ſecus ac nativa, vel artificial. Antimonii Cinnabaris, rutilante colore feces inquinare, & ita immediate per inteſtina excerni ſolet: Quæ ſolubilia facilius, ac menſtrui medio hinc inde diſtributi apta nata ſunt, ut præter Salia fixa etiam Cancror. lapilli, oſſa lucii, & ſimiles animalium partes facilius ſolubiles, forſan altius intra corporis receſſus, extra primas vias diſtribui probabiliter videntur, hinc enim talia Salſo ſub acquiſito ſapore diuretica evadunt. Tamen conſideranti præcipitationem particularum metallicarum v. g. Saturni in Acet. ſoluti. Aurum in

ſpiritu

ſpiritu Sal. vitrioli Mart. in primis viis, ſcrubulus facile ſuboriri poſſit, an non ſoluta licet iſta in ventriculo, in inteſtinis tamen, ante ſui in lactea propulſionem, pariter ſi non ex toto, ſaltem ex maxima parte præcipitentur quocunque fiat medio, & ita foras amandentur. Similiter enim & oſſa à canibus ſoluta, aut teneriores lapilli à gallinis quaſi liquefacti, excrementa eorum copioſe imprægnant, etiamſi à ſanis, & quorum vis digeſtiva ac ſi ita loqui licet, ſolutiva, pótens admodum exiſtit, devorata aut deglutita fuerint.

Duobus tamen modis etiam remotiores partes malè habentes curant.

§ 25. Quod tamen non obſtat, laudabili effectui eorum medicamentoſo, qui etiam ad longè diſſitas partes ſubinde extendere ſe obſervatur. Id quod duplici ferè modo accidere ſolet (1.) *Quatenus vitioſum acidum fermentativum in ventriculo & primis viis corrigunt, abſorbent, invertunt, & inde penetrantem undique odorem ſeu auram peregrinam figunt, & cohibent, ac natos inde defectus morboſos ita ſiſtunt.* Si enim cancrorum lapis in ventriculo abſorbendo acidum ſaporem, vulneris etiam in pede ardorem, ruborem, ac inflammationem ſiſtit, quæ pathemata Vini tantillum mox ſenſibiliter exaſperat. Oſteocolla fixiſſimus Lapis, calli generationem in oſſium fracturis mirè promovet. Lac. Lunæ, ut & Cryſtalli præparata, Lac nutricum uberius ſcaturire faciunt, abſorbendo acorem vitioſum primarum viarum, chylumque à p. n. craſi & textura liberando, ut aptior ſic fiat, qui & facilius & copioſius ad glandulas mammarias penetrare queat. Hæmatites Lapis, hæmorrhagias narium ſcorbuticorum habituales, non ſecus ac unum idemque Martiale, tam exceſſivas, quàm defectivas menſtruationes corrigit, neutro horum ad partem affectam proximè penetrante, quin acre iſtud ſpecifici ſaporis acidum, cujus occaſione tam immediatè ex ſanguinis acrimonia, quàm mediatè, ex motus illius localis per fibrarum irritatarum ſtricturam modificatione varia, hæmorrhagiæ vel intenduntur vel ſupprimuntur, in primo fonte alterando, & plus minus enervando Pari modo, ac *Poterius*, Auro ſuo diaphoretico fixo, iſchiadem, ac contumaciſſimas paralyſes optato eradicat. Sanè ſi ventriculus ſanitatis & morborum limes eſt, & ex ejus errato indeque nato peregrino ſapore etiam largius diſſitæ partes plectuntur, pariter ex eodem ſapore fermentativo aut odore primarum viarum correcto, evulſa quaſi radice fructus morboſi ſponte emarceſcent. conf. *Becherus Phyſ. ſubterr. l. 1. l. 5. c. 2.* §. 98. 99. ubi de modo quo Antimon. diaph. corallia, teſtacea, C. C. uſt. in febribus proficua & ſudorifera exiſtunt. Nec abſorbendo ſaltem acida primarum ſolum viarum, remotas inde partes à morboſis inſultibus liberant, quin ſi quid ſimilis ſaporis vel in corpore oberrarit, vel in ſanguine aut lympha fluctuarit, vel quadam in parte ſolida certo ſubjecto humoroſo mediante reſederit, hoc ipſum per continuum humorum circulum, ad primas vias pariter delatum, promptè medicamento ibidem locorum, ceu appropriato magis ſubjecto ſe inſinuabit, & ita ſucceſſivè concentratum ac fixatum à remedio, cæteris partibus minus hoſtile exiſtet. Vigere talem mutuam conſpirationem partium internarum & externarum, contentorumque earundem, mediantibus humorum circuitibus, confirmat alvi per chlyſterem aut tantillum laxans in variolis vel purpura vel petechiis malignioribus proritatio, cujus occaſione illius pernicioſus fluxus, harum vero receſſus & cum ſanguine ac lympha renovata permiſtio; hinc purgantia temere præſcripta, criticum & ſalutarem ſudorem ſæpè inhibent, obſervante *Ballonio* & ex eo *Bonetto Pharos Medic. l. 3. num. 21. p. 73.* Sicut qui crebrius ſudant, alvi ferè ſiccioris evadunt. Sudor verò ab aëre frigido cohibitus in morbis, nauſeam movet: vid. *Franciſc. Bayle problemat. Medic. Phiſi. 9.* pag 122. Hypochondriaci pariter, quo largiori fruuntur perſpiratione, eò cæteris partibus melius habent, quò minus, eò circa hypochondria ſenſiliora patiuntur pathemata. Adeo *Hippocrate* aſſerente, perſpirabile & conſpirabile totum corpus exiſtit.

§. 26. Secundo modo quoque fixa, & his cognata medicamenta, quæ materialiter ultra primas vias non penetrant, etiam remotis in locis effectus ſalubres exerunt, quatenus in ſtructura machinæ corporeæ, ratione admirandæ nervoſi ſyſtematis fabricæ, & inde dependentis multiplicis partium ſolidarum *conſenſus, ventriculi affecto ſedato, etiam aliarum partium pathemata hinc ſopiuntur.* Hypochondriacis jejunis, nunc caput dolet, nunc perturbatur, ſimplici cum Ventriculo, nervorum inſignium ratione, conſenſu, quibus vel panis bucella citò & jucundè medetur. Parili modo ſenum jejunorum caput frequenter vertigine rotatur, quin & ſcotomiam patitur, quæ tn. Zingiberis in India conditi fruſtulum aſſumptum, vel ex ficubus c. ſinapi & cardamomo parati electuarii uſus brevi cohibet. Qui univerſum corpus in febribus intermittentibus quatiunt rigores, ex præcordiis, ſpeciatim ventriculo excitari, litus ejus cum ol. aromaticis penetrantibus, ceu optimum auxilium confirmant, unde & Calcinata animalium eoſdem interno uſu, multum imminuunt. Bezoardica mineralia, & animalium partes duræ, ex parte eatenus exiſtunt ſudorifera, quatenus in continuis, præſertim malignis, acidum iſtud acerrimum volatile, cujus in primis viis irritatione, ut præcordiorum anxietates, irritationes, tenſiones, jectigationes, agrypniæ, ita & per conſenſum univerſæ cutis pororum ſtrictura, abſorbent & figunt, unde relaxatis hinc fibris, ſub corporis quiete facilis ſudoris profuſio.

CAPUT III.

PRACTICUM.

Præcipitantium Legitimam adminiſtrandi methodum exponit.

Abſorbentia legitimâ methodo uſurpanda.

§. 1. **O**Perandi modum & uſum præcipitantium dictorum prolixius, quàm inſtituti ratio exigere videbatur, proſecuti ſumus hactenus, reſtat, ut debitum eorum regimen, ſeu legitimam adminiſtrandi pro ſalute ægrorum methodum, etiam ſubjungamus. Multum ſanè hic intereſt, cum vel ex hac ratione, diverſos non rarò ſortiantur effectus auxilia medica, ut quæ uni proficua, alteri nociva, tertio neutra exiſtant, ſaltem ex variata applicandi methodo. Cujus reſpectu, & trivialia ſubinde ſaluberrima deprehenduntur medicamina, & ſublimia è contra auxilia, nil quod ſpei ab iis conceptæ ſatisfaciat, præſtant. Rectè ob id olim *Capivaccius*, arcana ejus practica ſciſcitanti reſpondiſſe fertur, *diſce meam methodum & habebis mea arcana.* Sanè unum idemque remedium, quod rite adminiſtratum, manum Dei auxiliatricem repræſentat, perverſe uſurpatum, gladius eſt in manu furentis. De Præcipitantibus idem omninò aſſerendum. Quorum tamen adminiſtrandi methodum rationalem in genere difficile eſt determinare, cùm non tantummodò tam latè pateat eorum uſus, ſed etiam in unoquoque eorum, præter generalem abſorbendi & acidum corrigendi vim, vel ſpecifica ejuſdem potentia medicamentoſa attendenda veniat, prætereaque pro individuorum ægrotantium diverſitate, diverſimode eorum applicatio determinanda ſit: pro morborum quoque plus minus complicatorum ratione, diſtinctis ſubinde modis dirigenda eadem, & nunc ſolitaria, nunc aliis ſociata, nunc primo, nunc ultimo loco adminiſtranda ſint, nihilominus generalibus ſub axiomatis & ſpecialium, quantum inſtituti fert ratio, mentionem ſubinde injiciemus.

Idque tam

§. 2. Quod itaque attinet adhibendi modum, uſurpari

externè quã internè.

pari poſſunt Remedia iſta abſorbentia internè pariter & externè. Fundamentum ſcil. curæ externæ, vulnerum, ulcerum, & quamplurium tumorum, ſimiliumque pathematum, v. g. eryſipelatum, herpetum, puſtularum, ſcrophularum, eſt fermentum acidum, nutrimenti partis proximi alterativum, & plus minus in pus, ſaniem, ichores, ſimileſque ſordes corruptivum, in cujus correctione & extinctione, balſamique partis naturalis, hoc eſt ſpiritus inſiti conſervatione, totum chirurgorum verſatur negotium: hinc pro priori iſto ſcopo, Saturnina, Martialia, Venerea, vitriolacea, terr. mineralia, ut bolus, creta, lap. calamin &c. Utramque faciunt paginam, abſorbendo vitioſa iſta acida, unà cum vulnerariis quibuſdam vegetabilibus, alcali occulto, ſive acidi blandè ſaturativo impprægnatis. Adhibentur triplici fere ſub forma: I. (liquida, epithematis, in Vino præſertim cocta, quale eſt epithema ad Eriſipelata & inflammat polychreſtum *Zvvelferi* in pharm. Reg. p.91. II.) *ſicca*: ſub ſubtiliſſ. pulv. forma: qualis eſt pulv. Eryſipelat. aut ad conſolidandas variol. Mynſichth. p.136. & 134. III.) Media unguentor. & emplaſtrorum: quale eſt emplaſtrum Miraculoſ. in *Miſcell. Acad. Nat. Cur. anni* 8. *obſ.16. p.23.* vel decantatum iſtud Noribergenſe, à *Zvvelfer. Pharmac. Reg. p.301. aut Hoffmann. Theſaur. Pharmac. p.69. deſcriptum*, aliaque plura, hinc inde obvia. De cætero quo ad hos externe applicandi iſta medicamina modos, *obſ.*1. Epithemata, non æquè ſemper convenire, cum facilè refrigerentur, unde ex humidi & frigidi contactu, ob cutis moleſtiam pori ſtringuntur & arctantur, tranſpiratio inſenſilis ſiſtitur, & non raro prava ſymptomata excitantur: Chirurgi vocare ſolent, *Es wird der Schaden erſtickt*: ob id ſemper & ſæpius calide renovanda veniunt. *obſ.*2. Quo ad Emplaſtra, quo minus compoſita, eò meliora, ne plurium farragine unctuoſorum, mucilaginoſorum, viſcidorum, obruantur & ita incarcerentur remedia iſta, quo minus odor acidus morboſus ea attingere, & penetrare queat. Interim non rejicienda eorundem vel crudorum, vel Acet. prius imprægnatorum, præſertim Saturninum, cum ol. comm. decoctio ſufficiens, quò ab acido olei arroſa, eò arctius cum ol. in æquabilem miſturam coëant, dum ſub præparatione tali, ol. acido ſuo ſpoliatum, & magis alcalinum ſic factum, ſub textura hinc minus viſcoſa minuſque unctuoſa caſibus præfatis melius inſerviat, metallica v. ingredientia hoc ipſo texturam & dulcedinem nonnihil Aluminoſam acquirant, facilius & ulterius ab acido iſtorum pathematum ſaturandam. Sed cum non rarum ſit, in eroſionibus præſertim, vel doloris ratione, vel idioſyncraſiæ cutis quorundam ægrorum reſpectu. (eorum ſcil. quorum corporis fluida ſapore acriori & Salſiori ſunt imprægnata ut in ſpecie ſunt ſcorbutici, & iſti, qui teneriori ſimul cuti inveſtiti ſunt, quibus retentum ex admotis unctuoſis autem plaſticis quibuſvis tranſpirabile effluvium, acrius, pruritum, excoriationem, inflammationem infert) ut quædam ſubjecta, non æque ferre poſſint emplaſtra, optimum eſt, quod *obſ.*3. ſicca pulverum forma, excoriationibus, ulceribus dolentibus, præſertim inveteratis manantibus, talia ſaltem inſpergere. Eminet hæc inter Terra iſta vitrioli dulcis, quæ ſub præparatione tart. vitriolati ad imitationem *Tachenii in Clav. c.6. p.*101. ſponte cadit, & quæ internis uſibus, æque ac Terra vitrioli dulcis alia, aut crocus quilibet Mart. adſtrictivus inſervit, quin & Tinct. iſta Mart. adſtringens, quæ aliàs falſo Tinct. ſulph. vitriol. titulo ſuperbit, commode ex eadem parari poteſt. Hæc ipſa rita edulcorata, & ſubtiliſſimè pulveriſata, elegans eſt abſorbens, & hinc exſiccans externum, plurimis uſibus inſerviens. Hinc pro re nata & alia varia addi poſſunt, in ſpecie laudabilis emergit pulvis compoſitus, ſi Rec. Terræ hujus vitrioli dulc. ℥j. Ceruſſ. ritè paratæ. ℥ß. C.C. uſt. ʒiij. myrrhæ: aloës macis an ʒj. camphor. ℈j. ad ʒß. miſceantur & debitis cautelis applicentur. His ipſis pro circumſtantiarum ratione, uſus tempore & alia addi poſſunt, nunc Sal. tart. q. ſ. aut fl. ſulph. a. malignioris notæ ſi fuerit malum, Mercurius dulcis, aut ubi fortius agendum, nonnihil Mercurii Præcipitati communis.

Perverſo enim abuſu multum nocent.

§ 3. Sed miſſo externo uſu, interna eorundem adminiſtratio eò exactius conſideranda venit quo & crebrius ac ſimul ſalubrius *legitimo uſu* in praxi medica adhiberi ſolent, & quo gravius *perverſo abuſu* nocere poſſunt. Unde non niſi quibuſvis obſervatis artis legibus, ac debito cum regimine in uſum vocanda. Tria autem primaria ſunt capita, ex quibus, quicquid nocumenti ſub perverſa illorum exhibitione metuendum eſt, ferè exſurgit. I. *Omnia gravant Ventriculum, idque plus minus, prout magis vel minus fixa, facilius vel difficilius reſolubilia, &c. Extiterunt, & laborem ferè tædioſum eidem faceſſunt*, dum aſſumptorum inſtar, more naturali conficere eadem aut alterare geſtit, quæ ventriculi offenſio eo ſenſibilior erit, quo debilior vis digeſtiva morborum ſub conflictu exiſtere ſolet. Quin & irritando ſubinde eundem, ex fibrarum ejus pertinaciori ſtrictura, præſertim in tenerioribus ac ſenſibilioribus, manifeſtus, gravativus ac compreſſivus ſenſus ab uſu eorum percipitur: Imò vel cruſtæ mucoſæ ventriculi, vel hujus plicis pertinacius inhærendo, diverſimodè tam particularem ejus Oeconomiam, quam functionem publicam turbare valent. Vomitorio ſanè propinato, interdum copioſa talia rejecta fuerunt, diutius in Ventriculo quæ ſubſtiterant. II. *Digeſtionis primæ arduum negotium, in quo vitæ ſanæ & ægræ, longæ & brevis cardo vertitur, ſubinde, præſertim ſub immoderatiori uſu impediunt*, ſuique permiſtione chylo conſiſtentiam & proprietates plus minus vitioſas conciliant, unde & impedita ejuſdem diſtributio & p. naturalis fecum ex eodem ſeparatio ſubinde contingit. Scil. ex quamplurimis (qualia ſunt calcinata animalium, terrea mineralia, Martialia, &c.) dum acido ſaturantur, concretum novum, quaſi Aluminoſum, adſtrictivæ & incraſſativæ facultatis exſurgit, quod ſui cum chylo miſcela, aut hujus aut fecum conſiſtentiam ſpiſſiorem, ſimulque alvum contumaciorem reddit. Sin ex quibuſdam eorum (ut urinoſis, it. marinis, teſtis, &c.) cum acido concretum Salſum emergat, abſterſivum ac diureticum, citata nimis chyli & fecum hinc diſtributio, ac per alvum excluſio, vitioſa pariter harum ex illo præcipitatio ſupervenit. Quoties obſervare contigit, ex Chinæ Chinæ abuſu febrifugo, vel intempeſtivo, vel in ſubjecto teneriori, pertinaciſſimam alvi inductam adſtrictionem, cum abdominis tumore ac tenſione moleſtiſſima. Repetitis quoque vicibus obſervaſſe me recordor, ex intermittente tertiana, inordinato uſu ſpecifici Strobelberg. vel ſolius vel cum Lap. Cancror. tandem oppreſſa, febrim continuam lentam, cum virium proſtatione, præcordiorum gravativa anxietate, muci copioſi glutinoſi in os ſcaturigine, & ſubinde crebriori excretione ſuperveniſſe, ex chyli impedita fermentatione & volatiliſatione oriundam, præmiſſo vomitu materiæ viſcidæ, per incidentia & attenuantia præſertim tartar. & Sal Ammoniacum hinc & aromatica curandam. Idem in continuarum cura obſervare licuit, quæ copioſioribus hujuſmodi abſorbentibus & figentibus, ſpeciatim ex animalium partibus duris & Antimonialibus fixatis, tandem curatæ, diuturnum languorem, ex ſpirituum inopia, ob digeſtionis primæ impedimenta, comitem poſt ſe traxerunt. III. *Acidum morboſum concentrant, ac nimis figunt*, indeque motum ejus, licet corporis partibus p. naturalem, ac dependentes ab hoc fluidarum alterationes, vel in ſolidas impreſſiones, præmaturè ſiſtendo, ſimul Naturæ medicatricis conatum, illius occaſione ſuſcitatum, ſub morboſo ſtatu (qui nihil aliud eſt, *quàm Naturæ conamen, materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem, omni ope molientis*, ut recte

rectè hoc aſſerere videtur *Sydenham* in *Obſervat. circa morb. acut. Sect.* 1. *c.*1. *p.*1.) hoc ipſo ceſſare intempeſtivè faciunt. Concentrant & figunt plus minus acidum morboſum abſorbentia & invertentia illa, vel immediatè, vel mediatè. Immediatè coeundo materialiter cum illo, unde novum concretum, utriuſque ex coalitu emergit, cui ubi ſubjectum humoroſum acceſſerit, hoc una in coaguli conſortium aſſumptum, aliquid tertium, texturæ & proprietatum peregrinarum, conſiſtentiæ plus minus (pro elementorum ſive ingredientium diverſitate) viſcidæ ac glutinoſæ inde producitur. Simili modo, ac acidum podagricum ab alcali ſynoviæ articulorum ſaturatum, in hac ipſa in calci vel cretæ ſimile corpus figitur, mutuoque omnia coagulantur: vel ſicut acidum in calce viva, cum terræ ſubſtantia Aqu. mediante, ſub illius per hanc ſaturationem in Lapideum ferè concretum coagulatur, quod longè firmius fuerit, albumen ovi ſi acceſſerit. Mediatè verò figitur & concentratur acidum morboſum, ſi hoc in parte quadam ſolida, ceu minera deliteſcens, partibus ſuis ſubtilioribus promptè remedio ſe inſinuet, vel modo ſupra §.23. inſinuato, vel iſto, à *Tachenio* curioſo cryptographiæ exemplo in *Clav. cap.*9. *pag.*137. illuſtrato, & ab hoc abſorbeatur, dum cæteræ in ſubjecto materiali (ſive materia occaſionalis antecedens, ſive productum morboſum conſequens fuerit) magis irretitæ, cum eodem firmius coagulantur, & intimius eidem uniuntur. Qua ratione Martialia, lienoſis aut hepaticis, ad ſcirrhoſam conſtitutionem vergentibus, ſubtilius quod fuerit acidum abſorbendo, reſiduum ad majorem indurationem ac coagulationem diſponunt, ut rectè annotat *Tachenius*, *Clav. c.*8. *p.*181. 192. de quo plura infra. Eſt enim Volatilitas & fixitas modus quoque rerum ſaltem reſpectivus, qui uti texturam earum mechanicam inſequitur, & vel Ignis vel Aëris vel utriuſque reſpectu ita dicitur, ita mutata quoque undecunque textura, cum & ſine additis, & variata particularum vel mole vel pondere vel implicatione mutuâ, etiam proprietatum harum mutatio: Mercurius ita in Igne eſt volatilis, tamen mutata ſimpliciter ſub hujus artificio textura, multum volatilitate perdit, & ad notabilem fixitatis gradum perducitur, ut in Mercurio per ſe præcipitato patet, qua ratione & Sulphur comm. in Igne aliàs Volatile, fixum tamen reddere nititur *Poleman. de Sulphure Philoſ. pag.*201.

Speciatim Recidivas prioris, aut generationem novi morbi inferunt.

§4. Ex quibus ulterius pateſcit, quare ſub illegitimo uſu, hujuſmodi abſorbentia (niſi ſpecifica fuerint) ſæpius ſaltem morbum pallient, non eradicent, quin *vel* crudelior ejuſdem recidiva ſuperveniat denuò, *vel* prioris in alium, ſubinde aut deteriorem, aut magis chronicum mutatio accidat. Prius illud quidem, acido utcumque oppreſſo & fixato, ſucceſſivè, idque ferè rerum non naturalium occaſione, denuò reſoluto & in motum priſtinum concitato: poſterius hoc verò, eodem partis cujuſdam vel per eſſentiam, (materiali ſui præſentia,) vel per conſenſum functionem impediente, aut vitiante, indeque novas p. n. læſiones inducente. Idem ferè accidere hîc mihi videtur, (ſimili quodam rem illuſtrare liceat) atque in automaton aliarumve machinarum elateribus in motu ſuo elaſtico oppreſſis aut impeditis qui, ubi qualicunque occaſione motionis reſtituendæ datur libertas, aut celerrima agitatione, ac geminato vel triplicato impetu priſtinos motus quaſi compenſant, aut ſaltem vitiatis motibus, machinæ ordinarios motus ac uſus turbant & lædunt. Concentratum ſanè acidum morboſum, dum motionis reiterandæ datur occaſio, multiplicata quaſi vi elaſtica, ex concentrata ſui & mole, & nixu motivo, &c. Ferocius reſurgit, unde & irritata Natura intenſiori conatu ipſi reluctatur, adeoque atrociores recidivæ exſurgunt. Aut ſi utcunque alteratum, priſtinos motus ac actus repetere nequeat, nunc alienis ſaltem motuum rationibus initis, nunc naturalibus partium corporis motibus & functionibus plus minus læſis & hinc vitiatis, novorum p. n. motuum morboſorum, in machina corporea, occaſionem ſubminiſtrat. Sæpiſſime ex Chinæ Chinæ aut ſpec. Strob. & Croll. ſimiliumve abuſu palliatæ, duplicatæ aut triplicatæ reſurgunt febres intermittentes ſimplices: aut iiſdem fixioribus copioſius tractatæ, præter languorem totius, diſpoſitionem ad Icterum relinquunt; quin etiam fermento, in fomite materiali concentrato & fixato, utcunque denuò reſoluto, aut in motum aliqualem concitato colicæ convulſivæ atrociſſimæ excitantur. Qualem graviſſimam cum ordinariis ſtipatam contumacibus ſymptomatis, ex Oleo deſtillato juniperi, pro tertiana chronica curanda, continuato aliquando uſu ante paroxyſmum pro hac quidem intentione felici, bis obſervaſſe me memini: idque ut ſuſpicor, quatenus Oleum deſtill. cum acido febrili, in chronica febri quavis ex cauſa paulò fixiori, in concretum quaſi reſinoſum, ſed acre admodum coaluit, ſimili ferè modo, ac ſpiritus Vitrioli rectificatus cum Oleis pluribus deſtillatis in reſinam coire ſolet, quod pertinacius vel inteſtinis agglutinatum, vel glandulis meſenterii infixum, vel circa nervoſos hujus plexus depoſitum, irritatione continua, occaſionalis cauſa torminum dictorum extitit. Simile doloroſum infortunium ex ſacch. Saturni cum Lap. Cancror. crebriori uſu & copioſiori, ante quartanæ chronicæ acceſſiones uſurpatæ, ægrum quendam nobilem prehendit, quo licet denuo ſedato; nihilominus tamen ſtatu ſub paroxyſmorum periodo, aliquandiu veſtigia torminoſa adhuc perſenſit, quibus poſt aliquot periodorum intervallum, nihilominus ejuſdem febris Recidiva ſupervenit. Rectiſſimè *Schenckius Diſſ. ſupr. alleg.* §.13. *Præter materiam, termini motus hujus,* (præcipitationis, ut eum vulgo appellat) *ſunt ſpectandi, ne plus obſimus, quàm proſimus, materiam morbificam præter neceſſitatem figendo, veluti perſæpe accidit, ut à datis hujuſmodi præcipitantibus & propinatis, epileptici quidem motus ſiſtantur, miteſcantque paroxyſmi febriles, verum poſtea quod præcipitatum fuit, circa nobiliores partes ſedem figens, circulationem ſanguinis ſiſtat, & mortem inopinatam inferat,* & §. 15. *Sic vidimus à præcipitantibus uterinis ortam fuiſſe dyſpnœam; à tertiana intermittente cohibita per ſpecificum febrile quotidianam & quartanam.* Motum Epilepticorum præcipitantibus ſive figentibus talibus inhibitorum mentio à *Schenckio* facta, in memoriam revocat puerum ingenuum X. annorum, epilepſia habituali particulari, diaphragma ſaltem primariò, hinc & ſecundariò partes vicinas quatiente, correptum: qui præmiſſis præmittendis alterantibus & evacuantibus, uſu pulveris ex Viſc. corylin. ℥ij. Corall. rubr. præp. ʒj. Oleo deſtill. ſuccin. gutt. xviij. M. aliquandiu omni mane continuato à malo penitus liberatus videbatur. Sed corripiebatur poſt aliquot ſeptimanarum intervallum febri continua acuta gravi, cum exquiſitis abdominis convulſivis circa umbilicum doloribus. Suſpicabar, fermenti morboſi ſpiram (ſecundum ſimile ſupra inſinuatum) concentrantibus iſtis & figentibus nimis quaſi intortam, & in motu ordinario impeditam, data occaſione eò concitatiori impetu, motus, ſi non eoſdem, ſaltem novos inſtituiſſe, ſicque vehementius Naturam ad extraordinarios morboſos motus ſtimulaſſe, idque partim, ſolidas quibus pertinacius affixum erat partes, ſenſibilius irritando (idque prout adhuc fixatum) partim Maſſ. Sang. texturam & Craſin vitiando (prout

ex

ex parte reſolutum,) donec extraordinariis his motibus remittentibus, adeoque præfatis malis curatis, ordinarios in motus rediret & priſtinum Epilepticum malum, eodem tenore denuò affligeret. Curabatur hoc ipſum inſequente demum anno perfectè, idque uſu acidularum egranarum, Marte fermentum acidum abſorbente & enervante, ſpiritu acido minerali undique penetrante, & fomitem morboſum ſive materiam occaſionalem potenter reſolvente & abſtergente.

Confirmatur per exempla: 1. ex regno vegetabili.

§.5. Juvat hæc ipſa, ceu magni in praxi ponderis, paulò ſpecialius per 3. materiæ medicæ regna conſiderare, idque præſertim, quoad intermittentium febrifuga, quibus præcipitationis effectus primariò ferè adſignatus fuerit, ac quorum nocumenta ex illegitimo uſu, manifeſtius patere ſolent. Superius dixi, *corticem peruvianum*, ſeu Hiſpanorum *Palo de Calenturas*, h. e. lignum febrium, fugare ſuo uſu quaſvis intermittentes, id quod veriſſimum arbitror: nec has ſolùm, quin à modernis is ipſe ad continuas quoque, tam benignas quàm malignas, quin etiam plures ſymptomaticas lentas ſive accidentales, item, quæ ex decubitu materiæ peccantis in quandam partem oriuntur, ſucceſſu ab illis laudato adhiberi ſoleat. Sed hoc ſimul obſervari ſolet, quod ordinariò ferè alvi occluſio pertinax, tumor abdominis, ejuſque durities ac dolores tenſivi inſequi ſoleant, quibus vel ſucceſſivè remittentibus vel per purgantia propinata, aut ſpiritum Salis Ammoniac. exhibitum, nonnihil irritatis, eadem febris, ſimili, interdum intenſiori furore recurrat. Sanè aliquoties cum tædio contigiſſe memini, profligatas, ut videbantur illo remedio febres ex ſpiritus Sal. Ammoniac. uſu promptè recidivaſſe: adeò ut caſu hoc in conſilium mutato, quibus ex corticis illius uſu, vel proprio auſu, vel Medici præcoci conſilio, febris ità palliata eſſet, ut evaneſcentibus licet inſultibus, vel ſupra dicta abdominis pathemata, vel artium oſtocopos quaſi laſſitudo, vel virium deficientia cum nocturnis ſudoribus, pertinaciter ſupereſſent, adeoque quibus pro tuta, ſimulque cita cura, febriles Naturæ motus revocandi eſſent, iis per ſpiritus Sal. Ammoniac. propinationem, mox eadem febris reſuſcitata fuerit. Adeò infidum ſæpius eſt, decantatiſſimum aliàs Chinæ Chinæ contra febres auxilium, etiamſi præmiſſis ſedulò præmittendis, & accuratà methodo eadem adhibeatur, ut frequentiſſimè recidivam comitem poſt ſe trahat, ut *Williſius de febr. c.4. p.153. Chiffletius de pulv. peruvian. c.4. Bartholinus cent. 5. hiſt. 50. Sydenham. Meth. curand. febr. p.82. & obſerv. circa morb. acut. p.96.* quoque notarunt, quin interdum fruſtra, & abſque paroxyſmi levamine adhibeatur, conf. *Piens de febr. p.2. cap.12. p.275.* ut taceam ſingulare iſtud, quod refert *Sydenham. Meth. cur. febr. pag.81. quoſdam pulverem illum, immediatè ante paroxyſmum exhibitum, è vitâ ſuſtuliſſe.* Vix adeoque tutius exhibetur, niſi vel declinante jam febre, quod revera tardius fit in quartanis, vel robuſtioribus ſubjectis & laudabili Viſcerum eutonia præditis, in ſpecie mechanicis, & laborioſam vitam agentibus, & qui poſt ejus uſum motu corporis vehementiori exerceantur, propinatum fuerit, inſtituendo ſimul, aliquot abhinc diebus ſummè neceſſariam purgationem. Obtinet hoc de cortice dicto, *ante paroxyſmum*, more hactenus recepto exhibito, quacunque etiam ſubminiſtretur forma vel pulveris ad ʒj. vel infuſi in Vino generoſo à ʒj. ad ʒij. vel decocti cum Acet. Vini, cum & ſine ſubſtantia, vel eſſentiæ, cujus præter *Rolfinccium de Chym. p.207. & Zwelferum Pharm. Reg. p.76.* optimam præparandi rationem docet *Blegny in Zodiac. Gallic. anno 1. obſ.1. p.2.* cujus præſcripta ratione diligenter præparatæ & ad ʒß. ante paroxyſmum exhibitæ, quin & intermittentibus diebus continuatæ uſu, nihilominus tertianas recidivaſſe haud abſque tædio expertus fui. Concinnior adeoque ferè, ac tutior iſta videtur exhibendi methodus, qua *poſt paroxyſmum*, & intermiſſionis tempore, idque præſertim in infuſo cum Vino, repetitis tamen crebrius vicibus exhibetur. Videtur enim ſic minus turbari Naturæ motus, minuſque intempeſtivè concentrari, ſaltem non uno impetu quaſi incarcerari & figi fermentum febrile, quin ſucceſſiva hujus correctione, & blanda ſanguinis aliorumque humorum alteratione, cita, tuta & jucunda magis videatur cura. Docet hanc methodum prolixius Autor Anonymus, in *Trait. de la gueriſon des Fievres, par le Quinquina*, nuperrimè Pariſiis edito, de qua ulterior tamen conſulenda venit experientia. Saltem recordor, in quartana contumaci, Electuarium ad imitat. *Sydenham. obſ. de morb. acut. c.5. p.99.* diebus intermittentibus propinatum, ſpem meam fefelliſſe; ſicuti in alio, ſimiliter quartana diuturna conflictato, poſt repetitum crebrius cum Antimon. diaphor. permiſtæ Chinæ pulveris uſum, idque diebus intermittentibus quotidie bis vel ter, ut & ante paroxyſmum, profligatam apparenter febrim aliquandiu ſiluiſſe, donec data levi occaſione poſt aliquot ſeptimanas, priſtina ferocia reſurgeret.

§.6. Modus curandi, & ſupprimendi febres in hoc Cortice, eſt pomum Eridos. Præcipitationem fermenti febrilis, multi afferunt. Non ineptè dicitur in *cent.2. Epiſt.42. Bartholin. p.530. Fermentum iſtud quartanæ hoc medicamento quaſi vinctum, & in unum compactum, niſi apti cujuſdam & appropriati purgantis beneficio è corpore educatur, vim ſuam fermentativam tandem exſerturum, unde perpetuum quartanæ fomitem derivare poſſemus.* Si liberius paulò, in re aliàs intricata, philoſophari licet, duplex ſubſtantiæ materialis differentia in cortice hoc obſervanda venit, *prima* particularum acrium inſigniter amararum, & aromaticarum: *altera* particularum ferè inſipidarum, (aut ſaltem ſubauſterarum) ſtypticarum, adſtrictivarum, quaſi magis terrearum, & ex hypotheſi *Tachenii H. C. c.17. & 19.* ad ſimilitudinem gallarum & malicorii (quorum effectus colcotharis ex Vitriolo præcipitatorius pariter in aliis adſtringentibus radicibus & corticibus, v. g. cort. tamariſc. fraxin. guajac. rad. tormentill. fl. roſar. rubr. &c. obſervatur,) alcali occulto, quod vicinius eſt fixo, impregnatarum. De Sale enim eſſentiali, quaſi Vitriolato, ut vocant ex ſubjectis talibus eliciendo, it. de vi vegetabilium adſtrictoria, in ſapore auſteriuſculo, & textura quaſi Aluminoſa fundata, vitandæ prolixitatis ergò, nil attinet dicere. Uti itaque hæ *poſteriores*, fermentum febrile acidum abſorbendo, illud figunt, & concentrant, & ita quaſi in unum compactum reddunt, (unde pathemata iſta abdominis, ex fibrarum & membranarum, occultè quidem, ſed pertinaciter irritatarum ſpaſmo ſcilicet, oriri videntur) ita illæ *priores* attenuant fomitem materialem plus minus viſcidum, reſolvuntque eundem, detergunt ſimul nonnihil primas vias; & hac ratione, præter inſignem, quem provocant appetitum, Maſſ. Sangu. & ſpeciatim genitæ inde bilis acrimoniam volatilem apprimè acuunt, eorundem dyſcraſiam ſub febrilibus paroxyſmis contractam corrigunt, vique diaphoretica eoſdem depurant. Uno nomine, *Diſpoſitionem* iſtam in ægro, cujus occaſione ſemper recurrunt paroxyſmi, conf. *Sennertus de febr. l.2. c.2. p.66. & 69. 70.* & in qua fundamentum quorumvis morborum chronicorum ponitur à Galenicis, vid. *Ballonius* in ſuis ſcriptis, *in ſpecie l.1. conſ.106. & de Virg. & mulier. morb. c.7. annot. 13.* quam per *ſpecificum fermentum* non inconcinnè explicat *Tachenius Clav. c.9. p.240.* id quod

& *Sennertus* jam ſubodoratus eſt, ut loc. cit. conſtat, tollere videntur. Uti ergò proficuus pro febrium fuga cortex iſte utroque ex puncto exiſtit, ita ratione prioris illius figendo nimis, & intempeſtivè concentrando plus minus febrile fermentum, febrim ſiſtit, ſed non ſemper extinguendo penitus, nec perfectè ſaturando acidum ſpecificum febrile, recidivæ occaſionem relinquit. *Poſterioris* verò ratione evenire arbitror, quod mox melius multò, ſibi habere videantur ægri, & famem tantum non caninam ſubinde contrahere, quin & recidivæ quæ ſuperveniunt, utplurimum, (niſi aliud quid obſtet) facilius curatu exiſtere ſoleant, quam ipſa febris primaria, antea ſaltem ſuppreſſa. Dubitare itaque licet, utrum præter ſingularem acrimoniam amaricantem tam ſpeciale quid in hoc cortice reconditum ſit, quod per ſimiles cortices ac radices, quin & per Viſca non æque commodè ſuppleri queat. Si non ex toto, ob ſpecificam cujuſvis ſimplicis ſeminalem craſin, ſaltem maxima ex parte. Sanè uti ſaporis ſimilitudine gentiana ipſi propius accedit, de quo paulò infra, ita ſuſpicari licet, coſtum Arabicum ſeu Syriacum, cum & ipſe de corticum ſit familia, prout in officinis hodiè receptus eſt, illius vice fungi poſſe. Alios quod attinet cortices, ſanè ex nuperrima amici relatione habeo, ſe ob pretium Peruviani hujus corticis carius, corticem ligni guajaci in quartana, parili utendi modo, & æque felici ſucceſſu ſubſtituiſſe. Id quod ſanè haud improbabile videtur, præſertim ſi cortex ligni acrioris accipiatur. Deprehenditur ſcilicet interdum guajacum, cujus decoctum piperis inſtar acerrimum eſt, quod etiam jam *Hoffmannus* obſervavit, *de Medicam. officin. l.2. c.128. p.380.* & in hoc ferè differentia guajaci & ſancti lignorum conſiſtere videtur. Cortices tamariſci & fraxini, ac gentianæ (credo quod hujus radix intelligenda ſit) cum Salibus additis fixis, illius Peruani, loco cum fructu uſurparit *Pienſ. tr.2. de febr. c.XI. p.259. & c.12. pag.275.* Non ſecus ac *Deckers, comment. ſuper Barbette Prax. l.3. c.3. pag.112.* illius loco pulverem compoſitum baſi cortic. guajac. & fraxin. ſuperſtructum, ſubſtituit. De Viſcis par ratio, quæ cum cortice hoc peruviano permutabilia quaſi videntur: uti enim per viſcum quercinum ℈j. doſ. ante paroxyſmum robuſtioribus propinatum, intermittentes aliquoties curatas novi, id quod pariter *Primiroſius* ceu contra quartanam proficuum obſervavit, *de febr. l.3. c.X. p.300.* quæ aliàs, in ſpecie corylinum, de quo ſupra, ad Epilepſiæ medelam ſpecifica laude eluent, ita & hodie peruvianum illum corticem in Anglia ad Epilepſiæ curam auſpicatò adhiberi pro certo relatum fuit: non ſecus ac ad hypochondriaca, ut & hyſterica pathemata, it. pallidos colores & Menſium ſuppreſſiones, à quibuſdam in Gallia, per experientiam confirmatis, commendatur. Gentianæ denique radix, debito uſu, ad illius corticis (qui gentianæ Indicæ fruticis, reſpectu noſtræ herbæ, eſſe videtur *D. Glanz.* apud *Hoferum in Herc. Medic. p.291.*) vires propius accedit, ſine eo, ut abdominis illa, de quibus ſupra, pathemata ejus uſum inſequantur. Siquidem illa ipſa, ſaltem pulvere tenus aſſumpta, ad tormina abdominis, it. ad paſſiones hyſtericas, egregii uſus exiſtat. Quantum v. febrifuga vi polleat, notharum præſertim ac chronicarum tertianarum, &c. Speciatim ſuccus ejus inſpiſſatus, doſ. ℈j. vid. in *Schrod. Pharmac.* ubi de gentiana: *Geſneri Epiſtol. l.2. p.62. Augenio. l.7. Conf. & Epiſt. 8. pag.173. Chiffiitio de pulvere peruvian. c.4. p.35.* Certè ℥j. pulveriſatæ ejuſdem, in Vino generoſo aut Vino abſinthite macerata, ſicque totum infuſum ante paroxyſmum propinatum, quin & pro neceſſitatis ratione, reiteratum, eoſdem ferè, cum illis corticibus Peruvianis, effectus febrifugos exſerere, obſervare licuit. Unde etiam radicis hujus beneficio adulterari jam corticem peruvianum fraus inſtitorum didicit, ſurrogando ejuſdem loco corticem quercinum, decocto radic. gentianæ, pro amaritie acquirenda ebrium & impregnatum. Præfero tamen ipſi pulveri extractum ejus cum ſpiritu Vin. factum, à ℨß. ad ℨj. cum Salis cujuſdam Urinoſi, vel fixi, ut abſinthii, ℈j. vel volat. ut ſpiritus Sal. Ammoniac. ℨß. ſociatum, variatâ tamen doſi ingredientium, pro ſymptomatum in ſpecie caloris ac frigoris ratione, in Aqua appropr. ante paroxyſmum propinatum, ceu non contemnendum, etiam in quartanis remedium. Æquipollere cortici Chinæ, gentianam ejuſque extractum aſſerit expertus *Ludovici in pharmac. p.253. & 278.* præfert v. eidem Salia alcaliſata, pro febrium cura *Barbette*: multi uſus practicus, *in Prax. c. l. p 112.* Utraque ergò hæc juncta, imprimis proficua erunt, contra violentam, ut ſic dicam, fixationem, aut intempeſtivam concentrationem, attenuando fomitem materialem, ſaturando fermentum febrile, & per ſudorem ac Urinam depurando maſſam ſanguineam, unde eo ipſo Recidivæ ſimul præcavebitur inſultus.

§.7. Animale regnum primariò partes duras ſuggerit, eaſque nunc Igne calcinatas, ſeu uſtas, nunc ſine Igne præparatas. Omnia hæc acida fermenta, & inde producta morboſa ſimilis ſaporis vitioſi, prompte abſorbent, & itá concentrant ac figunt: idque omnium maxime calcinata marina, quæ inter famoſiora ſunt, ſpecifica febrilia iſta Crollii, ex teſtis longis Cochlearum, *in Baſilic. p.297. & Strobelberg.* ex matre perlarum calcinatis, *Introduct. Remed. pro febr. p.13.* Sane hæc ipſa ad Calcis vivæ naturam propius accedunt, unde & recenter parata Aquæ affuſione effervescunt & incaleſcunt, ac Sal. Ammoniaci commiſta, hoc ſubitò Sal. vol. eructat, abſorpto prompte acido Sal. Ammoniac. adeò ſitientiſſima acidorum exiſtunt, & ceu exhauſta corpora, prompte cuivis acido acceſſum admittunt, illudque intimè imbibendo potenter figunt, ac itá paroxyſmos febriles inhibent; Ac ſanè legitimo uſu, ſpeciatim temporis & doſeos ratione, firmioribus ſubjectis exhibita, ut recte hoc notat *Hartmannus ſuper Croll. Baſil. p.300.* quia infirmi talia non ferunt, ſæpiſſime febrim feliciter profligant; Sed eo ipſo, quo potenter adeo figendo, Naturæ motus ſuſpendunt potius, quàm quod fermentum febrile exſaturent, crebrius non abſque nocumento propinantur. Nil familiarius, quàm calcibus talibus recidivas ſupervenire, nunc ſimplices, nunc idque crebrius, multiplices, & hæ ipſæ prioribus febribus fere contumaciores, niſi bene tractentur, quarum rationes, ex ſupra dictis, facile erui poſſunt. Sin minus hoc contingat, ſane abuſu ſuo diuturnos languores, & interdum lentas febriculas, hecticis quodammodo ſimiles poſt ſe trahunt, ut ſupra inſinuatum. Aliquoties etiam contigiſſe recordor, quod languores illi, haud prius ceſſerint, quàm Icterus quidam ſupervenerit, iſque cum ægrorum levamine, qui non tam ex hepatis biliſve vitio, ſaltem non primario, quam ex læſa digeſtione prima, ejuſque in inteſtinis deficiente perfectione oriri videtur, qua chylus ſanguificationi ineptus loco rubedinis, flavedine ſaltem vitioſa inquinatus, tandem ſpontanea per motum inteſtinum ſeparatione & præcipitatione à reliqua maſſa ſecretus, Ictericam defœdationem induxit, volatilibus cum junctis amaris, v. g. ſpiritu Sal. Ammoniac. cum Eſſent. cent. min. ac abſinth. facile curabilem. Potius ergò, ſaltem tutius uſurpantur non calcinata, ſed ſaltem vel ſimplici tritura, vel prævia cum Acet. ſecundum *Mynſicht. armament. p.97.* aut cum lixivio acri ſecundum *Rolfinccum in Chym. p.379.* extractione præparata. Aut ſi uſtis nihilominus, certas ob circumſtantias, utendum, terreſtria calcinata C. C. uſt.

(z) *Ex regno animali.*

uſt. aut Ebor. uſt. præferrem, inſigniter quoque abſorbentia & attemperantia, aſt non adeò concentrantia, nec figentia, ac illa marina, quorum calces, ad mineralem naturam ferè propius accedere videntur.

(3) *Ex regno minerali.* §.8. Minerali in regno excellit, & frequentioris eſt uſus Mart. ipſique affinia ſubjecta plurima, de quo cum ſæpius in his theſibus detur agendi occaſio, ſubjectum aliud, Vitriol. ejus cognatum, multi pariter uſus, conſideremus, & hoc ſit Alumen. Simplex, ut inter febrifuga admodum decantatum, imò magis univerſale, utpote quod intermittentes præter, & continuis & hecticis debita ſub præparatione dicatum eſt, ita etiam quibuſvis in morbis Laxis, à methodicis ſtricto oppoſitis, & huc pertinentibus imprimis fluxibus quibuſvis, non contemnendi uſus, qua ratione in diarrhæis, dyſenteriis, uteri quoque hæmorrhagiis revera utiliter adhiberi ſolet. Quoad vim præcipitatoriam in febribus, equidem ad intermittentes vel crudum adhiberi poteſt, conf. *Exegeſ. Chym. Tenzelii in ſalam. p.664.* in ſpecie in quartana laudare iſtud ſatis nequit *Hartmannus in Prax. Chym. c.238. §.4. p.324.* & novi hanc ipſam contumacem, à Medico per plures Menſes tractatam, tandem pulvere, ab empirico, ceu univerſale febrifugum decantato, ex Aluminis, Nitri depurat: & nuc. moſch. ad ʒj. cum pauco ſanguinis draconis, pro fuco tincto, pro tribus doſibus, mox prima ejus doſi, ante paroxyſmum propinata, profligatam: quod idem videtur eſſe remedium, quod alia licet ſub compoſitione, ſuper baſi tamen Aluminis, ad quaſvis laudat intermittentes *Rhumelius in Jatro Chym. C.13. p.427.* conf. potio febrifug. *Pienſ. de febr. l.2. c.XI. p.259. &c. c.XII. p.276.* ut ut crudo tali præferendum videatur, ob cauſas, quæ ex infra dicendis, ſponte patebunt, magiſterium illud *Schroderi Pharmacop. p.479.* prætetea ad ſcorbutum, quin & Epilepſiam nonnullis laudatum. Continuas verò quod attinet tam acutas, in quibus etiam ſimile artificiale Aluminoſum concretum, ſcil. ſacch. Saturni, aut cryſtalli mineræ hujus cum ſpiritu Nitri parati, quibuſdam multum extollitur, quam lentas Hecticas, in his præparatio, & digeſtio ſive coctio artificialis, ut dulcedo Alumin. ſive ejus ſaccharum, ut vocant, acquiratur, neceſſaria videtur, de qua conſulendus *Poterius, Pharm. l.2. c.9.* & ſpeciatim *Dariotti de præpar. Medic. pag.245. c.24.* ut & *Hoffmannus in Clav. Pharmaceut. p.349.* cujus tamen proceſſus deſcriptio, manca ex parte exiſtit, ejus v. (ut obiter hoc interſerere liceat) Sal. cryſtalliſatum abſterſivum, p. anteced. 348. nil aliud eſt, quam coagulum liquoris, qui Alumin. in Aqu. ſolut. & cum Sal. Tartari præcipit, ſupernatat, & Sal. tertium, Tartaro Vitriolato æmulum conſtituit. Ac ſanè in dictis malis, & præterea aliis plurimis, in quibus præcipitatione, ut vocant, opus eſt, lege artis præparatum & exhibitum Alumen, nobile eſt ſimplex, de quo mirari ferè liceat, quod rarius in uſum hactenus vocatum ſit, cum debitè, ut dixi, præparatum, ſacch. Saturni præferendum ferè videatur.

§.9. Eſt Alumen decompoſitum naturale, ex acido univerſali minerali, Sulphuris embryonati, rodente terr. petroſam ſ. calciformem, & ita cum hac ipſa, mechanica neceſſitate in cryſtallos octaëdricos coaleſcente genitum. Sicuti enim Vitriolum ex acido ſimili Sulphur. embryonati & vena metallica Mart. vel Vener. ita Alumen eodem ex acido & petroſo corpore in pellucidam Salinam coaluit ſubſtantiam, pari modo, ac Vitriolum, gallarum decocto præcipitabilem, adeoque ſpiritus ſive acidum Sulphur. Vitrioli, Aluminis eſſentialiter coincidunt, qui tamen intimius longe in Alumine quàm in Vitriolo concentratus, adeoque magis fixatus exiſtit, vel Igne magiſtro ſub deſtillatione docente. Unde etiam multum Alumen ubi generatur, ibidem quoque vitriolum & Sulphur. plerumque reperitur: nec rarum eſt, ex una eademque vena vitriolum & Alumen excoqui, ſicuti quoque Aluminis ſub præparatione Urin. humana multis in locis adjicitur, pro vitrioli ſeparatione, & Alumin. concinniori cryſtalliſatione, ex qua ſpiritus Urin. & Sal. vol. quod ex Aluminis cum alcaliſato quodam deſtillatione prolicitur, natales ſuos derivat. Quæ omnia artificialis Alumin. productio excreta cum ſpiritu Sulphur. ſoluta & cryſtalliſata confirmat, qui ſpiritus cum Mart. aliàs & cum Venere in vitriolum artificiale coagulatur. Uſum E. præcipitatorium & Orgaſmi humorum, quibuſvis ex cauſis concitati correctivum quod attinet, non præſtat hunc Alumen ſapore & textura ſua adſtrictoria; Adſtringere enim partibus ſolidis ſaltem, ratione fibrarum plus minus laxarum, canalium ac pororum vitioſe hiantium, competit, non fluidis concretis, qui coagulari aut ſaltem grumeſcere ejus uſu ſolent, uti in Lacte, non ſecus ac albumine Ovorum conſpicuum eſt; & qui effectus, ab acido ejus primario dependent, ſicut adſtrictoria vis, à ſpecifica ejuſdem cum terreis particulis textura oritur. Interno ergò ſub uſu, utcunque præparatum, præcipitatur mox in primis viis, ab effluviis & contentis partium Salſis volatilibus, parili modo, atque extra corpus ab Urina Salſa ipſi accidere ſolet, & quale fatum vitriol. Martialia aſſumpta pariter experiuntur, adeoque acidum ejus volatile, ſub Salſo ſic acquiſito ſapore, vi abſterſiva, & inciſiva, ac alterativa, quod ſuum eſt agit, dum acidus morboſus odor vel ſapor, plus minus fermentativus corporis, Caput Mort. præcipitatum aggreditur, à quo abſorptus & concentratus, ſive ut vocant præcipitatus, potenter adeò figitur, ut ceu incarceratus ac vinctus, inermis penitus reddatur. Vti itaque Alumen compoſitionis & texturæ ratione, cùm vitr. multum conſpirat, ita etiam quoad mutationes, quas recipit in primis viis paſſivas, & inde reſultantes in corpus alterationes, cum eodem coincidit, ipſo Mart. ejuſque Vitriolo, vi adſtrictiva, it. febrifuga, præſertim intermittentium, haud multum Alumini cedente. Dum verò nimis figendo acida, intimius fermenta morboſa in ſuis mineris concentrat, quin & adſtrictoria vi, motum humorum plus minus remoratur, ſanè illegitimo uſu palliare ſaltem morbos videtur, & vel diuturnos magis eoſdem, vel recidivantes, vel in alia pathemata degenerantes reddere, id quod de ſacch. Saturni, concreto artificiali Alumini ſimili, ſupra §.4. relata obſervatio illuſtrat. Adeò legitima adminiſtratione ſaluberrimum quod exiſtit, perverſo abuſu, & inſufficiente præparatione, nocivum eſſe ſolet. Legitimam adminiſtrandi methodum docebunt ſequentia; quod verò præparationem attinet, hæc eò dirigenda venit, ut ſaturata nimis, adeoque fixior & auſterior terra petroſa ſeu calciformis ſeparetur, à ſubtiliori vel facilius ſolubili, quæ vel proprio acido minerali, vel ejus loco Acet. deſtillatum ſuavi ſolutione, concretum magis Salinum, minus ſtypticum, minuſque adſtringens & auſterum, ſed acidi quaſi extraverſi & potentioris ratione, magis reſolutivum, terræ ſubtilis verò reſpectu abſorptivum blandius, & acidi morboſi exactius ſaturativum evadat.

§.10. Quoad legitimam ergò abſorbentium horum adhibendi methodum pro uſu interno, ſequentes Cautelæ ſpecialius obſervandæ veniunt. I. *Ritè præparata, non verò ſaturata propinanda ſunt.* Præparatio variat, *partim* pro ipſorum ſimplicium præparandorum textura varia, ſi enim alio modo partes animalium duræ, ſive terreſtrium ſive marinorum, alio modo mineralia aut metallica præparanda veniunt, *partim* pro ſubjectorum, quibus exhibenda ſunt, conſtitutione diverſa; Sic enim Mars crudus, ſimpliciter pulveriſatus, ut in pulvere ſimplici Cachectico *Hartm. Prax. Chym. c.171. §.5.* robuſtiori qui *Cautela pro legitimo uſu. I. Ritè ſint præparata.*

qui ſunt ventriculo, aut in quibus potentius dominatur acidum, convenit, conſ. *Hauptman. Theſaur. Thermar. calid. Vvolkenſteinch. pag.*221. item *Glauber. p.*2. *furnor. p.*57. aliis delicatioribus infuſionem ejus & ſolutionem mitiorem, cum ſucco quodam vegetabili acidulo factam requirentibus. Non ſecus ac Liquor Mart. Jovialis, ſeu ſolutio iſta Vitrioli naturalis ritè parata, ac ſanè multi uſus, quibuſdam ſenſiliori Ventriculo prædicis perquam moleſta obſervatur, quibus Tinctura Vitrioli Mart. Zvvolferi, minus Mart. ſaturata, ſed Sale eſſentiali magis turgida, optimè contulit. Scopus ergo præparationis omnis eò collimet, ut (1.) commodè, reſpectu ipſius remedii, (2.) tutò ac jucundè, reſpectu ſubjecti ægri, (3.) efficaciter, reſpectu uſus propinari poſſint.

Non ſaturata ab acidis. §. 11. Cum verò uſus eorum in enervando p. n. acido imprimis conſiſtat, manifeſtò ſequitur, acidis ſub præparatione ſui non nimis tractanda eſſe, quia exuuntur aliàs vi ſua abſorptiva & inverſiva, adeoque fruſtra propinantur, quantum enim extra corpus ſaturantur magis acidis, eo minus intra corpus inſerviunt, iiſdem corrigendis. Quin imò, acidis extra corpus tractata diverſimode, ſubinde ex mutata textura, novas facultates, priſtinis plus minus immutatis, acquirunt, ſæpius abſterſivas aut diureticas, adeoque alienæ indicationi inſervientes. Rem exemplis quibuſdam illuſtrabimus. Priori ex fundamento meritò hodie rejiciuntur magiſteria ſic dicta, ex animalium partibus duris parata, tam præcipitata, quàm abſtractitia. Præcipitata quidem, dum ſolutio per acidum facti, præcipitatur ab alcali vel fixo vel volatili, vel à ſpiritu Vitrioli. Priora enim ſunt calces terreæ, penitus inſolubiles, occultè Salſæ, acido ſolventis & alcali præcipitantis tam arcto connubio particulis terreis cohærentibus, ut nullo edulcorationis artificio penitus liberari poſſint, exinde enim & ponderis augmentum. Dealbatur talibus aſſumentium Ventriculis, citra uſum alium. Coralia cum acidis, ſpeciatim cum ſpiritu Vitrioli blande effervescendo, hunc abſorbent, qui tali eorum magiſterio affuſus, ſine motu, ſine alteratione ullâ obſervatur. Non ſecus ac perlæ cum quovis acido efferveſcunt, quorum magiſterium ſine motu illis additur. Poſteriora verò ſtyptici quid in concreto ſuo poſſident, & dum exactè Vitrioli acidum elui minimè poteſt, guſtui licet minus pateat, utpote in ſubjecto præcipitato, particulis alcalinis vol. plus minus impregnato, intimius concentratum, tamen vi abſorptiva, concretis iſtis aliàs appoſitè convenienti, ferè privata exiſtunt. Nec eſt, quod dicas, poſſe ex his magiſteriis denuò recuperari Sal. vol. ſi ſcil. addatur eiſdem alcaliſatum quoddam ſeu Sal fixum, ſic enim in examine Ign. ſucceſſivè aſcendet Sal vol. Verum paucum eſt Sal vol. quod hac ratione acquiritur, cum maxima ejus pars, ab acidis aut ſolventis aut præcipitantis enervata, ac deſtructa ſit: Requiſita pariter hæc artis, alcaliſatum & Ign. impetus, dum deficiunt in nobis, neque illorum reſuſcitatio in corpore noſtro expectari poterit. Altera differentia comprehendit abſtractitia, per ſpiritum Nitr. item Vitrioli, a. Vir. ær. parata, quæ utut ſolubilia, quin & quædam eorum, uſibus diaphoreticis aut diureticis convenientiora, quædam ſcopo adſtrictorio accommodatiora, attamen, cum ſub ſolutione iſta ab acidis, craſis & textura concreti multum immutata ſit, impoſſibile quoque, acidum ſolvens penitus adeò ſeparare, quin ejus multum, inſenſibiliter licet concreto cohæreat, quicquid etiam de ſuo Vir. ær. ſpiritu jactitet *Zvvolferus*: app. ad animadv. p.66. hocque exinde novam plus minus, interdum ſolventibus Vitriolatis non exacte rectificatis, ingrati, aut nauſeoſe Vitriolici ac Venerei ſaporis texturam acquirat, adeoque crudorum ſuorum ſimplicium abſorbendi & invertendi vim, nullatenus exſerere valeat, ob id præparata talia, ſimpliciter, eorum magiſteriis longè præferenda erunt. Præparanda ergò veniunt potius vel ſimplici pulveriſatione & levigatione, qualis in Coralliis, perlis, aut Lap. Cancror. obtinet, vel Ign. aut Aqu. adjumento, ceu duorum magnorum ſolventium, ut appoſite audiunt Vvilliſio, quibus & tertium illud, aër ſcilicet, meritò ſociandum fuiſſet. Ign. adjumento quæ fit præparatio, ſuggerit calcinata ſeu uſta, vi abſorptiva & inverſiva, cum effectu adſtrictorio efficaciſſima: quibus tamen ob junctum uſum potentius & poſitivè magis diaphoreticum, præferenda philoſophica magis, quibuſdam in ſecretis habita, calcinatio, dum v. g. raſur. C. C. aut ebor. aut unicornu: ℥ij. vaſi circulatorio, cuivis formæ, aut cucubitæ duplici vel ſimplici, ſed alembico cœco munitæ, incluſæ, digeſtioni blandæ, ne ingratum, quod ex neglecto Ign. regimine facilè fit, empyreuma contrahant, vel Aren. vel cinerum exponuntur: reſolvitur enim ſic phlegma ſpirituoſum, particulis Salinis Vrinoſis nonnihil aculeatum, & proprium circulationis motu recludit corpus ac penetrat, ita ut poſt 8. vel 10. dierum moram, hoc promptè pulveriſari ac in alcohol redigi poſſit, eo quod nondum adeo reſolutum eſt, vel ſolo, vel novo denuo addito, digeſtioni iterum expoſito, donec totum ita calcinatum fuerit. Quoad præparationem horum ſubjectorum, quæ Aqu. fit beneficio, hæc vel Aqu. ſimplicis vapore inſtituitur, modo à *Rolfinccio in Chym.* 5. *ſ.*2. *c.*22. *p.*336. deſcripto, vel elegantius per lixivium perficitur, modo primitus in A. M. H. Vol.3. p 126. & 127. inſinuato. Iiſdem ex cauſis ſupra allegatis, merito etiam ſuſpectus videtur crocus Mart. quorundam aperitivus, ope lixivii nempe ex cineribus vegetabil. crebriori irroratione paratus. Ineſt ſc. Mart. proprium acidum, facilè vel Simplici Aquâ, adjuvante tamen aëre mobile, & quod in crocum ſub vulgari rubiginis nomine, proprium corpus arrodit. Huic dum additur alcali fixum, acidum iſtud rodendo Mart. corpus ſimul arripit alcali, & ita coagulantur in Mart. corpore, emergitque exinde corpus occultè Salſum, terreum, iners, vi abſorptiva maximam partem deſtitutum, niſi in quantum particulæ quædam Mart. crudi, aliquantulum adhuc uſibus his inſerviunt. Nec immerito rejicere videtur *Glauberus furn. Philoſ. p.*2. *p. m.*57. crocum Mart. per calcinationem fuſoriam, mediantibus magdaleonibus Sulphur. illius laminis vel bacillis ſcintillantibus admotis paratum: rodit enim acidum Sulphur. liquefacti Mart. ſed ſimul concentratur pingue Sulphureum, non deflagrans, adeoque pulvis ex Mart. & Sulphur. compoſitus, hujus ob accretionem penitus inſolubilis obtinetur, nulliuſque adeo in corpore uſus, eo, quod acidi Sulphur purioris ratione, Vitrioli modo ſolubile & alterabile in nobis exiſtit, in Aqu. ſuppoſita ſoluto & abjecto.

§. 12. Vt itaque ſaturantur ab acidis, abſorbentia plura remedia, adeoque primario ſcopo inepta redduntur, ità quædam eorum ab iiſdem, mutua ex connexione, novaque ſub textura, novas vires medicamentoſas acquirunt. *Quædam enim ſic alienas vires acquirunt.* Sal. Tartari ſuggerit nobis exemplum, quod vel in ſicca, vel per deliquium ſolutum, humida ſub forma, nobile abſorbens, & acidi vitioſi corrigens ſubminiſtrat, ſpeciatim intermittentibus in febribus, ſive ſolitario ſive per infuſionem ſennæ ſociatum, ad imitationem *Riverii*, *cent.*1. *obſ.*39. 40. *cent* 2. *obſ.*66. *cent.*3. *obſ.*32. *cent.*4. *obſ.*84. adminiſtretur, ſanè utroque modo, tum Olei per deliquium facie ad 30. vel 40. gutt. bis in die, quam cum ſenna infuſum, alternatim uſurpatum, ut in chronicis quibuſvis febribus intermittentibus, ità ſpeciatim quartana proficuum admodum ejus uſum expertus ſum, triplicem quartanam aliquando hyemali tempore hoc ipſo profligando. Sed ſi ſub artificioſa præparatione, acido, vel Acet. deſtillati pro Tartari regenera

regeneratione, ſub nomine terræ fol. Tartari, vel Vitrioli, in Tartaro Vitriolato, vel Nitri, pro Sal. febrili quorundam, revera Nitro regenerato, vel Sal. in ſpiritus Sal. Ammoniac. deſtillat: pro Sale hypochondriaco, ſaturetur, vi acidorum ſaturativa & fixativa penitus depoſita, incidens, abſtergens, diureticum evadit concretum, ſordibus primarum viarum reſolvendis, imprimis dicatum. Lapides Cancror. uti abſorbentium, uſu & effectu non poſtremi exiſtunt, ita Acet. deſtillat. ſoluta, ſub acquiſita hinc textura Salſa, multum de facultate hac perdunt (utut à fortiori acido in corpore occurrente, præcipitata ex debiliori, illud imbibant plus minus, adeoque quavis ſaturativa facultate haud penitus careant, Acet. deſtillat. juncto, viſcidas ſordes incidente & reſolvente) & diuretica magis evadunt. Notabiliter quoque hoc patet, ex Ovorum, imprimis ſtruthionis, teſtis, egregiè abſorbentibus, ſpiritu Sal. in tertium Salſum ſolutis, citra inſignem vim ſaturativam, potenter incidentibus, & diureticis redditis. Terræ minerales ſigillatæ, abſorbendo & figendo excellunt, ſed ſpiritu Vitrioli vel Nitri ſolutæ & ſaturatæ, in liquoris ſtyptici, ſeu ut *Bartoleto, de reſpirat. diffic. p.586.* audit, Aurum potabile ex terræ ſigillatæ præparatione, texturam Aluminoſam acquirunt, & ſtypticæ ac potenter adſtrictoriæ exiſtunt.

Non tamen quavis per acida præparatio rejicienda.

§. 13. His ipſis tamen, quamvis abſorbentium pro acida præparationem haud rejectam volumus, ſed ſaltem illorum, perfectam plus minus ab his ſaturationem. Tantum enim abeſt, ut iſtam penitus excludamus, ut in quibuſdam ſubjectis omninò requiri videatur, præſertim mineralium, quæ ſunt ex familia, partim ut jucundius & tutius propinari, partim ut uſui deſtinato melius ſatisfacere, partim ut præter effectum abſorbendi, aliis ſimul intentionibus medicis ſatisfacere queant. Pro quibus ſcopis aſſequendis, Benigna mater Natura hic ducem ſe offert, quæ præter copioſa ſubjecta Martialia, ne horum crudorum uſu, teneriora quorundam lædantur Ilia, ſoluta eadem, & quaſi Vitrioliſata acidularum ſub forma nobis haurienda offert. Jucundius longe præ crudo Mart. hæ ipſæ aſſumuntur, minuſque præ illo, præcordia gravant, quin & ſpiritus acidus Sulphur. embryonati ſociatus, incidendo attenuandoque viſcoſiores, aut hinc inde coagulatas ſordes, quaſvis obſtructiones, revera tales, interiorum corporis viſcerum potenter reſerat, & canales meatuſque quoſvis eluit, & abſtergit: dum præcipitatus, à Sale vol. Salſo, undique in nobis præſente, Mart. per præviam iſtam in acidulis arroſionem, quaſi prædiſpoſitus, & in minutias exiles redactus, acrius occurrens acidum morboſum quodvis p. n. noſtris interraneis hoſtile, promptè abſorbet & imbibit, illudque ſecum coagulatum, ſordium nigricantium ſub ſchemate eliminat. Non ſecus, ac ex Vitriolo, per alcali quoddam præcipitatus Mars, Terræ cujuſdam mineralis, aut Ochræ facie cadens, cujuſvis acidi promptiſſimè abſorptivus exiſtit. Ad imitationem ergo Naturæ, pro ſcopo, ut vocant, aperitivo ſeu potius abſorptivo, inter tot præparata Martialia, non ultimus eſt Liquor Mart. Solaris dictus, ex magneſia Vitriolata, ſponte ſua in aëre in Vitriolum efflореſcente, qui in locum acidularum naturalium ſurrogari commode poterit. Sicut in forma ſicca, ſit paratum exinde Vitriolum Mart. ad albedinem, aut aliqualem ſaltem rubedinem calcinatum, ad imitationem nempe *Excell. Cnœfelii, in append. anni 6. & 7. Miſcell. Acad. Nat. Cur. p.105.*

Sed ſaltem nimia ſaturatio.

§. 14. Quantum ergo differant, tam acida, quàm ſimplicia abſorbentia, & imprimis qualem ad ſe invicem reſpectum mutuò foveant, probè conſiderandum venit. Sunt enim acida, quæ ſubjecta quæd m intimè penetrant, & arctiſſima ex minutorum corpuſculorum aſſociatione, partim novum concretum conſtituant, partim vim abſorbendi penitus deleant. Sunt è contra alia, quæ ſaltim arrodant, ut ſuperficiali contactu paſſivis ſubjectis adhæreant, facile ob id, quocunque fiat modo, potiſſimum tamen per præcipitationum modos, ſeparabilia à ſe invicem, ita, ut utrumque deſtinationi ſuæ debite ſatisfacere queat, quin & pro hac magis diſpoſitum redditum ſit. Differentiæ hujus fundamentum, in mechanicæ conformationis neceſſitate formaliter, & proximè conſiſtit, cui interdum & eſſentialis ſive radicalis ſeminalibus ex principiis, materialiter & remotè ſubeſt. Ut in exemplis, iis, quæ hactenus conſiderata fuerunt, ſubjectis, analogis, iiſque manifeſtioribus inſiſtamus, quàm arctum connubium ineunt, Spiritus Vitrioli & Oleum Tartari per deliquium, quod vix, ac ne vix quidem, arte penitus diſſolvi poteſt; hinc mutatur utriuſque textura, & novum, novorum attributorum emergit concretum. Quam laxè verò Marti, idem Vitrioli ſpiritus adhæret, ita, ut vel facili Igne, vel levi præcipitatione ſeparabiles invicem exiſtant, Marte ſeparato, vi abſorptiva, ob ſui, particulas imminutiſſimas confractionem, & ex textura metallica, in magis apparenter terream alterationem, ut mechanica chymica ad oculum docet, promptiori & potentiori ſic inſtructo. Quanta differentia inter ejuſdem Mart. à ſpiritu Vitrioli & ſpiritu Nitr. factas ſolutiones, & hinc ſeparati ejuſdem denuò notabilis alterationis diverſitas. Intimius longè penetrat & diſſolvit Nitri ſpiritus, idque tanta cum violentia & impetu, ut inſignis æſtus exinde exſurgat, & tam arctè ſocientur ſolventis & ſoluti particulæ, ut vix ulla vi divelli penitus queant, quin magna illius portio, huic arctiſſime infixa cohæreat. Vitrioli è contra ſpiritus aut Oleum, arrodit potius corpuſcula Martialia, idque lento magis (reſpective ſcil.) motu, minuſque intime invicem cohærent. Unde ibi quidem emergunt concreta texturæ perquam adſtringentis, & ſaporis inſigniter ſtyptici, ſcopo poſitive adſtringendi convenientiſſima, abſorbendi uſu minus apta. Hic verò Vitriolum dulce concreſcit, ſcopo ut vocant aperitivo, ſive acidorum vitioſorum correctivo, etiam præ crudo Mart. longe aptiſſimum. Imò eſſentiâ utut conveniant, Sulphur. & Vitrioli acida ſtagmata, tamen cum Sulphure, ſive via ſicca, calcinando, ſive humida, illius ſpiritum recipiendo, paratum Vitriolum, præferendum videtur eo, cum Vitrioli ſpiritu facto. Accurate enim ſi rem conſiderare velimus, purius & quaſi virgineum magis exiſtit Sulphuris acidum, & quod in corpus Mart. facilius penetrat, ejuſque particulas ſubtiliores exactius dirimit, & quod interno uſu, amicum etiam magis nobis, & melius reſolutivum & abſterſivum exiſtit. Vitrioli ſpiritu, ob liquaminis metallici, plus minus Sulphurei ſocietatem, nec rectificando quoque penitus ſeparabilis (niſi ante Vitrioli deſtillationem, artificioſâ depuratione mediante, prius removeatur) minus puro, minuſque ſubtili, nec Mart. adeò exacte penetrativo exiſtente. Vix itaque aſſenſum mereri videtur *Zvvelferius in Mantiſſa ſpagyrica p.1. c.3. p.337.* dum crocum Mart. Cachecticum, adeoque aperitivum, hoc eſt, acidi abſorptivum cum Nitr. detonando parare docet. Equidem labor ipſe, ob alias quibus anſam præbet, ſpeculationes, nec inutilis, nec injucundus exiſtit, præſertim dum Sulphur. Mart. externum ſic manifeſtum redditur, in deflagratione ac alcaliſatione Nitri, effectu plane eodem, qui aliàs ex ſimili Nitri cum Sulphure, Antimon. Tartar. carbonibus, ſanguine animalium, oſſibus aut cornibus animalium tractatione, accidit, adeò omnium trium regnorum Sulphur. hoc in effectu, & operandi modo conſpirant: quin & amici relationi debeo, in deflagratione iſta, flores Mart. & Nitr. ſimul elevari, qui in ret. tubulata ſi inſtituatur operatio, pro eleganti colligi queant remedio, de quo experientia conſulenda. De cætero, qui iſto modo obtinetur crocus, non ſecus ac cum ſpiritu Vir. ær. exinde parata Tinctura, revera

terreæ,

terreæ, ſtypticæ, exacte ſaturatæ, & minus aperitivæ, acidive correctivæ eſt texturæ. Affuſus huic croco ſpiritus Sal. lente, & non niſi longo intercedente tempore tantillum ejus diſſolvit, unde uberrimam quidem contrahit Tincturam, ſed ſaporem exhibet horride Vitriolicum, potenter adſtrictorium, & manifeſtæ adhuc aciditatis ſuæ participem. Saturatus ſcil. Mars jam ſufficienter, alio ab acido impraegnari recuſat. Præparatio ergo abſorbentium plurium aut ſaltem commiſtio cum quibuſdam acidis, nunc neceſſaria, nunc pro certis intentionibus etiam utilis omninò exiſtit, prout in acidulis §.13. Vitriolo Mart. c. l. Lap. Cancrorum, §12. teſtis ſtruthionis, c. l. hactenus illuſtravimus, modo ſaturationem perfectam, & hujus ratione virtutis abſorptivæ deſtructionem evitemus.

Cautel. II. moderata doſis exhibenda. §.15. Pergendum ulterius, in debita abſorbentium uſurpandi methodo, ubi *Cautel.* II. *Non niſi moderata doſi exhibenda ſunt.* Peccatur hic frequentiſſime in exceſſu, dum aut ſæpius reiterantur, aut diutius continuantur, aut copioſius una vice ingeruntur. Determinat doſeos rationem in genere acidi morboſi quantitas & exſuperantia major vel minor, quin & ejuſdem qualitas ſive acrimonia corroſiva, potentior aut debilior. Poſterioribus in caſibus, uti minor omninò ſufficit quantitas remedii, ita in prioribus, major indicatur copia. Moderandus tamen ita eorum uſus, ut partitis potius vicibus, quam ſemel, idque eò ſuccincta magis doſi, quo diutius iiſdem inſiſtere cogimur, adhibeantur: intermittendo ſubinde eorum uſum, quamdiu ſymptomata non nimis urgent eundem. Obſervanda quoque morborum vel continuorum vel intermittentium differentia, in iſtis, cum continuato ferè uſu adminiſtrentur, minori doſi una vice, in his vero cum interpolatis vicibus, adhibeantur, copioſius una vice propinare licet. De cætero, uti ſemper in p. n. cujus vis remotione, feſtinandum lentè, cum quævis ſubita mutatio ſit periculoſa, ità in his auxiliis, quæ intenditur alteratio, tutior eſt ſucceſſiva, quàm repentina. Utut enim minus nocere videantur, cum paſſivè potius ſe habeant, & privativo modo proficua ſint, quam alia alterantia, quæ poſitive magis, ſenſilius vel contenta immutando, vel ſolida afficiendo, operantur, immoderata tamen doſis, etiam ſua infert incommoda, de quibus ſupra, §.3. utut ob modo inſinuatam rationem, magis lenta, quàm acuta, ſeu magis ſucceſſiva, & diuturna, quàm ſubitanea, ſed exinde etiam minus citò denuò corrigibilia inferant nocumenta. Nempe idem mihi videtur, ſub inconſiderata horum doſi accidere, quod picantibus uſu venit, qui moderato rerum ardentius deſideratarum uſu, ceu alimento medicamentoſo, ſaturando ſpecifici ſaporis acidum ſtomachale, levantur & melius habent, aſt nimio eorundem abuſu, anorexias, dyſpnœas, cachexias, febres lentas, & mille mala incurrunt. Stolida quarundam virginum fert opinio, cretæ, præcipitantium ſive abſorbentium non poſtremi, uſu, candorem faciei ſe ſibi conciliaturas, quæ tamen, quantum continuata ejuſdem ingeſtione lædantur, quoad primæ digeſtionis, & dependentium inde reliquarum, negotium, quotidiana loquitur experientia. Quod ſi ex picæ ſtimulo, vel cretam, vel calcem viv. vel ſimilia devorent, modò non nimio fiat exceſſu, auxilium potius exinde, quàm nocumentum experiuntur, quod iiſdem ſanis, haud æquè impunè licitum foret. Aſt ſi & in pica quoque excedant in dictorum uſu, ſupra enarrata mala pariter effugere nequeunt.

Cautel. III. debitus ſelectus inſtituendus. §.16. Præter dicta, in rationali abſorbentium & ſaturantium uſu, ſit *Cautel. III. Curioſus ſelectus eorum inſtituendus.* Haud enim omnia æque omnibus conveniunt. Nec poſtrema prudentiæ medicæ pars eſt, acutè hariolari, quale remedium ægro, præ alio ſimili magis conveniens ſit. Cum itaque tanta luxuria ſit, abſorbentium remediorum, meritò eadem curioſe diſcernenda, & quid convenientius ſit eligendum. In ſelectu tali inſtituendo, reſpectus habeatur tam ad ipſa remedia quàm ad ægros. Remedia quod attinet, ſelectus ſub eorum uſu inſtituendus triplici ex ratione:

Iſque vel reſpectu Remedii. (1.) *Propter eorum inſignem varietatem*; ſupra c. 1. §. 11. 12. 13. 14. 15. enarratam. Sunt enim vel nativa vel præparata, hæc vel ſimplicia vel compoſita; utraque à textura & proprietatibus nativis plus minus abeuntia: Sunt inſipida terrea, aromatica, amara, auſtera, dulcia, Urinoſa, eaque tàm fixa quàm volatilia, &c. Quæ univerſa & ſingula æqualiter adhiberi nequeunt, cum ubique certus reſpectus agentium & patientium omninò requiratur. Speciatim unam ſaltem notabilem urgebo, & quæ ad præſens negotium magis facit, differentiam. Acidi peccantis enervationi dicata ſunt illa omnia, ſed diverſimodè hoc præſtant, tàm reſpectu acidi in genere, quàm hujus aut illius in ſpecie. In genere acida enervantur, ſub roſionis actu, ſed quædam cum inſigni plus minus, quædam ſine ulla effervescentia: & quando effervescentiæ contingit tumultus, acida quædam in ſpecie inſigniter, alia minus hos ipſos cient. De Urinoſis ceu acrioribus nihil dicam, quæ ſine effervescentiæ motu cum acidis haud facile coëunt, celeriori quidem & breviori volatilia, vehementiori & longiori fixa, ut ex ſpiritus vitrioli cum ſpirit. Sal. Ammoniac. & cum Oleo Tartar. miſcela conſtat. Saltem inſipida conſideremus. Hæmatites cum acido nec Vitrioli nec Nitri commotionem ullam obſervabilem exerit, aſt Mars, ejuſdem licet radicis fructus, cum iiſdem validiſſimo impetu congreditur, idque, longè vehementius cum ſpiritu Nitri, quàm Vitrioli, adeò ut exploſivo quaſi impetu intenſiſſimè cum illo ipſo exæſtuet: id quod tamen multo remiſſius erit, ſi Mars cum Sulphure præparatus ſeu calcinatus recipiatur. Ut itaque crudus Mars efficacior longe erit, vi abſorptiva, & acidi promptius alterativa, ita hic præparatus blandius, minoribuſque cum turbis, ſed ſimul debilius ac tardius idem præſtabit. Bolus armena, terræque plures ſigillatæ abſorbent acida promptè, tàm Vitrioli quàm Nitri, & in Aluminoſa concreta, cum priori illo coaleſcunt, aſt ſine effervescentiæ conflictu: qui impetuoſus admodum notatur, Cretæ ſi aſſociantur, ut ſub præparatione phoſphori *Balduini* conſpicuum eſt. C. C. crudum ebullit cum ſpiritu Vitrioli, intenſius cum ſpiritu Nitri: intenſior erit conflictus, ſi ſine Igne calcinatum recipiatur, cum uſto verò adhuc vehementior obſervatur. Teſtæ quævis cum ſpiritu vitrioli, intenſius adhuc cum ſpiritu Nitri effervescunt, ſed utrumque diverſimodè, pro illarum varietate: Cancror. teſtæ quidem inſigniter, ſed ſine ſtrepitu, aut fumorum elevatione, oſtrearum è contra intenſius multo, notabili cum ſtrepitu ac fumis, unde harum pulvis quibuſdam ſub nomine præcipitantis magni adhibitus fuit, qui aliis pro intermittentium fuga inſervit. Coralia eodem ſpiritu vitrioli tractata, moderato impetu, cum illo congrediuntur, citra æſtuationis aut effumationis inſignioris apparentiam, unde & blandius mitiuſque in nobis operari probabile eſt. Sabulum Urinarium, calculique renales, ab Oleo vitrioli ne tantillum alterantur, ſpiritus verò Nitri ſolvit eoſdem, nunc (pro ipſius ſpecialis texturæ ratione) cum nunc ſine effervescentiæ veſtigiis, nunc in loco ſaltem calido, nunc etiam in frigido, nunc penitus diſſolvendo, nunc in ſubſtantiam molliuſculam convertendo, quæ & alia fruſtra à ſpiritu Sulphur. aut Sal. expectantur: analogum quid in lapide ex cyſti fellea notatur, cum ſpiritu Nitri ſucceſſivè ebulliendo, non verò cum ſpiritu Vitrioli. Sed quotidie cum talia occurrant, non eſt, ut prolixius diducam. Saltem in ſelectu abſorbentium attendendum, facilius an difficilius effervescibilia in nobis ſint contenta p.n. vitiata, illud quo acriora, hoc quo mitiora; non ſecus an citius aut tardius acidum peccans infringere, quo magis vel minus effervescentiam

veſcentiam cum eodem excitare conveniat, quo talium ſub reſpectu circumſtantiarum, appropriata magis ſeligere queamus. Quin etiam, uti acidi ſapores ſub morboſo ſtatu variant, ita & abſorbentia quædam iiſdem corrigendis aptiora exiſtere, evidens eſt, unde artificiali ſtochaſmo ut ſpecialem illorum differentiam ſubinde ſcrutari neceſſe habet Medicus, ita & horum ſelectum debitum inſtituere.

§.17. *II. Propter ſpeciales propri tates, quibus præter generalem corrigendi acidi morboſi uſum, ulterius prædita ſunt.* Salia enim volat. præterea vim diaphoreticam, fixa diureticam, terræ minerales inſigniter adſtrictoriam, obtinent. Ulſcum Corylinum vim antiepilepticam, cortex fraxini diureticam, Vvinteranus antiſcorbuticam, cinamomi (poſt deſtillatum Oleum) contra fluores alvi, cort. avellanarum, contra fluorem album, oſſa ſepiæ contra gonorrhæam, medulla ſaxorum, contra ſtranguriam, oſteocolla, oſſium agglutinativam, Lap. Cancror. vulnerariam, Dens apri, aut Ceti Narhual. alias unicornu marinum, antipleuriticam, & contra quaſvis inflammationes partium internarum eryſipelaceas, Cran. hum. violenter interempti, antiepilepticam, Martialia anti-Cachecticam, Jovialia ac Saturnina, antihecticam, &c. Præterea ſpeciatim exſerunt. Talia ob id ſeligantur ubique, quæ præter generalem invertendi uſum, ſpecifica ſimul proprietate, aut affectui ſpeciali appropriata, aut ſymptomati urgenti convenientia exiſtunt. Sic enim Variolis, cum diarrhœa ſymptomatica complicatis, Terræ minerales, cum Epilepſia affligentibus Salia vol. &c. Appropriata magis exiſtunt. *III. Propter texturas novas, quas vel ſub præparatione, vel ſub compoſitione, vel ſub ſui imprimis viis alteratione acquirunt, ratione quarum, qualitatibus & proprietatibus à nativis plus minus diſtinctis, his vel enervatis vel retentis inſtruuntur.* De præparatione & alteratione per acida, jam ſupra §.12. locutus ſum, præter quam tamen & aliæ, modò inſinuatæ circumſtantiæ quoque attendendæ. Alia ſanè eſt ratio, C. C. uſti, ab eodem ſine Igne calcinato, illud potentius longè abſorptivum, hinc etiam adſtrictivum, præ hoc magis Diaphoretico exiſtit. Teſtæ concharum, Cancr. aut ovorum calcinatæ, à ſe ipſis non calcinatis, quin & iſtis terreſtrium animalium uſtis, multum differunt. Calcis viv. enim texturam exhibent, unde & recenter parata efferveſcunt Aquæ attactu; acido Sal. marini, in oſtracodermis, aut arenarum ſilicumve deglutitorum, in ovorum teſtis, Aqu. ope reſoluto, & cum particulis terreſtribus laxius nonnihil ſociato, per Aqu. additionem reſoluto. Sanè potentius longè efferveſcere, & promptius abſorbere acida obſervantur, præ illis non calcinatis, idque eò magis, quo diutius calcinationis Igni expoſitæ fuerint. Febrifuga in ſpecie ſunt talia, quæ citra calcinat: cum ſpiritu Sal. compoſita, Salſo ſub ſapore, egregia ſunt diuretica. Quam vim, uti ſub texturæ mutatione cum ſpiritu Sal. quia ad alcalium fixorum naturam propius accedere videntur, imprimis acquirunt, ita ſi eadem cruda ſaltem pulveriſata propinentur, prout cum acido primarum viarum, magis vel minus acri, &c. In ſaporem plus minus Salſum coaleſcunt, etiam una plus minus abſterſiva ac diuretica evadent. Terra ſigill. & cretaceæ, quo potentius ſibi occurrens invenient acidum, eo Aluminoſam magis acquirent texturam, eoque potentius adſtrictoriam. Mars prout magis vel minus ſub præparatione multiplici acidis ſaturatus fuerit, eò facilius aut difficilius hypochondriacorum & cachecticorum acida corriget: ſicuti ipſe, pro acidi, quod ſibi obviam venerit, varietate, ſub hujus alteratione, vim nunc hæmorrhoidalium affectuum curativam, nunc menſ. ſuppreſſorum aperitivam, nunc eorundem nimis fluentium reſtrictivam, acquirit, etiamſi unum idemque ex eo adhibitum fuerit remedium. Antihecticum Poterii, prout ſub præparatione ejus, Sulphur Jovis externum, vel certa enchiriſi ſeparatum, vel communi more relictum fuerit, unde color ejus ſubcœruleus, hic ſimul vim laxativam, interdum emeticam, ibi vero diaphoreticam ſaltem exhibet. Abſumpto ſcilicet Sulphure Jovis externo per deflagrationem, ſub legitima præparatione, calx Mercurialis maximam partem, ſive alcalinæ proſapiæ, exhauſta quaſi aut vacua remanet, promptè acidi vitioſi Hecticarum & continuarum acutarum abſorptiva, ut peregrini hujus acceſſu, defectus acidi Sulphurei, quod ſub præparatione perdiderat, utcunque reſtauretur. Aurum crudum, acidi intenſioris melancholico hypochondriaci abſorptivum eſt & correctivum, *vid. Moglini Vellus aureum pag. 8. & 9.* Quod cum Salibus compoſitum, reſpectu Ign. vim novam fulminantem, reſpectu corporis, vim potenter reſolutivam, abſterſivam & laxativam, & in infantibus peculiariter antiepilepticam acquirit. Lunæ magiſterium, artificioſè paratum, uti acidi melancholico maniaci, ſpeciale correctivum ſuggerit, unde & ex effectu, quibuſdam *Maniacorum pulvis* appellatum eſt, ita eadem Luna cum acido Nitr. imprægnata, interne potens hydragogum, externe penetrans eſcharoticum exhibet. Sub ſelectu adeoque abſorbentium horum, præter nativas facultates, & ad adſcititias, ſub præparatione & compoſitione, aut in primis viis alteratione oriundas, plus minus ſtatui ægro accommodatas, reſpectus ſedulò habendus eſt.

§ 18. Ægrum quod ſpectat, hujus conſideratione ſelectus inter remedia abſorbentia accuratius inſtituendus pariter, triplici ex fundamento: I.) *Propter individuorum ægrotantium varietatem.* Dum non hominem in genere, ſed hunc vel iſtum in ſpecie tractandum habeat Medicus, ad Τέκμαρσιν in curationibus quibuſvis deſcendat, vel *Hippocrate* monitore. In omni verò ſubjecto tali, præter generales, quoad temperamenta, ætates, ſexus, &c. Rationes, ſpecialis cujuſvis individui *Idioſincraſia* vel maxime attendenda venit, ſive eadem nativa, ſive adventitia fuerit, ſive in ſpiritu inſito aut influo, ſive humorum corporis ſpeciali Craſi, ſive partium ſolidarum differenti textura radicata exiſtat. Nam hujus ratione, ut ad diverſas ægritudines plus minus declinat æger, ita etiam remedia, quædam plus, quædam minus appropriata exiſtunt. Sunt, qui ſaccharum Saturni admodum horrent, aliis nil inde ſentientibus. Mulierem novi, quæ liquorem Mart. Solar. non benè ferre poteſt, Tinctura Vitrioli Mart. Zvvœlferi, aut ſolut. Mart. c. ſucc. pomor. ipſi amica, idque ut ſuſpicor, ob delicatam magis fibrarum ventriculi texturam, earundemque exquiſitam ſenſilitatem. Sed cum frequentiſſima ſunt ſimilia Idioſyncraſias exempla, ob id, non niſi iſta adhibeantur abſorbentia, quæ individuo ægro, ut tali conveniunt, & ſpeciatim Idioſyncraſiæ ratione, ipſi non contrarientur. II.) *propter acidi peccantis diſtinctas proprietates:* quod uti in artificialibus, v. g. ſub præcipitationis negotio, pro ſui varietate, ſubinde aliis magis appropriatis alcalibus, aut his cognatis abſorbentibus ſaturandum venit, ita etiam in therapeuticis, aliis atque aliis ſubindè corrigendum venit invertentibus. Quo magis enim appropriatum ſapori acido ſaturando fuerit auxilium, eò perfectius illud extinguitur, & tutius citra vel recidivam, vel alius affectus epigeneſiam curabitur morbus: uti enim mechanica ex figuratione, ſpiritus Vitrioli à Sal. Tartari exactius ſaturatur, quam à Mart. & Aqu. Fort. à Vener. quam à Luna, ita & ſubordinatio talis ſaturantium, reſpectu acidorum diverſorum in contentorum ſtatu morboſo, omninò locum habet. Nunc enim acrius exiſtit idem, nunc mitius: illud quale in ſcorbuticis, ac quam plurimis hypochondriacis, fortioribus abſorbentibus, in ſpecie metallicis

tallicis enervandum, huic quale in vulnere, vel ſtranguria, Lapillis Cancrorum ſufficientibus. Moleſtiam pluribus creant Salia Urinoſa tam fixa quam volatilia, in quibus ſcilicet acrius luxuriat acidum, idque ob effervescentiæ motum, quibus inſipida & terrea magis appropriata exiſtunt. Fixius quoque obſervatur acidum, in alio, quod volatilius; Tertianarum fermentum acidum, præ ardentium continuarum fixius eſt, volatilius verò præ illo quartanarum: cujus mutati ſtatus reſpectu, non rarum, permutari invicem has febres, adeò, ut quæ continua fuerit, in tertianam intermittentem mutetur & contra, prout tertianæ in quartanam, & contra, vel ſponte æquinoctiorum ſub mutationibus, & hinc contentorum fluidorum, mediante aëre inſpirato, ad majorem vel minorem reſolubilitatem & volatilitatem diſpoſitione, degenerare ſolent. Unde abſorbentia nunc fixiora, nunc volatiliora, & hæc nunc macra, nunc oleoſa conducibiliora. Antimonialia ſcilicet fixa, in ardentibus potius conducunt, quam quartanis, & in his ſpiritus Sal. Ammoniaci aromaticus potius, ſimplici pro tertiana ſufficiente. Ante omnia autem ſpecificus acidi peccantis ſapor, & inde determinatæ dependentes, determinatarum quoque partium læſiones, accuratè conſiderandus. Alind enim acidum vexat hypochondriacos melancholicos, aliud Ictericos, aliud variolis vel morbillis correptos, aliud pleuriticos & hepaticos, aliud podagricos, aliud gonorrhœa affectos, idque diſtinctum in benigna, ab illo in maligna, & ſic tantum non in infinitum. Hiſce ergò ſpecificis ſaporibus appropriata, ſuperius inſinuata opponenda remedia, utut à priori, non ſecus ac ſaporum vel fermentorum morboſorum natura, imperſcrutabilia, adeoque à poſteriori, per experientiam ſaltem comprehenſibilia. III.) *Propter affectuum p.n. in ægris multiplicitatem*: quæ ſive connexi ſive ſeparati exiſtant, ſelectum abſorbentium ita determinant, ut nonniſi talia, quæ nocere non poſſunt, reſpectu juncti affectus alterius p. n. adhibeantur. Saccharum Saturni, & ſuper ejus baſi conſtructa Tinctura antiphthiſica it. Liquor alterans ex Alumine, ſudoribus nocturnis plus minus colliquativis, tam poſt febres diuturnas, quam ſcorbuticorum aut phtiſicorum optime proſunt, ſed iis vix adhibentur tutò, qui ſicciores ſunt alvi, ſeu hujus obſtructionibus obnoxii, hanc enim conſtipant, propterea in diarrhæis colliquativis, ut & dyſenteriis proficua exiſtunt. Martialia Cachecticis, Icteris, & inde Hydropicis ſunt optima, non tantum quibusvis, quin noceant ſicciores, & (apparenter) calidioris qui ſunt conſtitutionis, vel quorum hepar aut lien, aliave abdominis viſcera infarcta, ad ſcirrhoſam conſtitutionem degenerant, ut jam ſupra ex *Tachenii Clave pag.* 181. & 192. indicavimus; ſed illis ſaltem proſunt, qui magnos lienes, & ſi non Aqu. ſaltem *amurcâ ſanguineâ nigricante tumidos ac turgidos habent*, ut dicit *Borrichius: Hermet. Ægypt. Sapient. pag.* 303. Sal. volat. & ſpiritus Urinoſi multi uſus ſunt ſaturativi, plurimis in affectibus, ſpeciatim hyſtericis dictis, nomine tenus ſpiritus Sal. Ammoniac. ſimplex aut aromaticus aut Liquor C. C. ſuccin. qui tamen nimio menſium fluxui obnoxiis, non abſque mali hujus irritatione, aut gravidis, vix abſque abortus periculo, propinantur. Sicuti idem ſpiritus Sal. Ammoniac. qui debilioribus ſunt oculis, interno uſu inimicus ferè videtur, ſenſibiliter eoſdem lædendo, quod plus una vice obſervaſſe me, viſus ſum, de quo tamen uberior conſulenda experientia. Eadem Salia volatilia, primatum uti ducunt in febrium malignarum cura, tamen ſub hæmorrhagiæ, facile inde concitandæ metu, ut bene monet *Borrichius Vol. IV. Act. Med. Hafn. pag.* 166. prudenter propinanda ſunt. Recordor juvenis, generoſi ſpiritus, ſplenetici tamen, & hæmorrhagiæ habituali, ſubinde enormi, præſertim Vini ſub uſu, obnoxius, qui uti Martialibus ab iiſdem præſervatur, in ſpecie liquore Mart. Solari, ita ſpiritus Sal. Ammoniac. uſu, eædem provocantur. Hypochondriacorum vaga, præſertim quæ abdomen affligunt, pathemata, abſorbentibus pluribus, in ſpecie marinis, animalium partibus duris, it. Salibus alcaliſatis ſopiuntur, cavendo ab iſtis, quæ adſtringendi vim vel habent, l. facilè acquirunt, ut terris mineralibus, quo magis n. talium clauditur alvus, eò deterius affliguntur hypochondria, aliæque per conſenſum partes. Talia adeoque eligantur ubique præcipitantia, quæ ab aliis ſimul permittuntur indicantibus, ne tantum ex una parte noceamus, quantum proſumus ex altera.

§. 19. Pergendum ulterius, & notandum pariter IV. quod in exhibitione eorum, *debitus ordo non negligendus*. Sub inſigni ſcilicet remediorum talium Varietate, uti primò ſelectus debitus, iſta poſtmodum eorundem Ordo probe obſervandus. Hujus ratione, triplex illorum differentia imprimis notanda, dum ſunt vel *temperata* ſive inſipida, vel *acria*, qualia ſunt Vrinoſa Salia, & hæc vel *fixa* vel *volatilia*. Scilicet non rarum eſt, adeo contenta acriora acida in quibuſdam ferocire, ut cum Vrinoſis in efferatam effervescentiam, contentorum inſigniter alterativam, continentium ſenſibiliter irritativam, coëant. Præterea motus morbi ratio hic ante omnia habenda eſt, celeris ipſe ſit, an verò tardus, & chronicum an v. acutum ſit malum, quod affligit. In *chronicis* enim præſtat omnino, temperata iſta inſipida præmittere, quorum attactu frangantur, ut ſic dicam, dentes aculeati acidi efferati, quo minori cum tumultu ab Vrinoſis poſtmodum ſaturetur. Semper enim inſipida illa ſive temperata, præ acrioribus tutiora obſervantur, minori ſaltem cum tumultu proficua. Sed abſorpto & fixato acido, ferè aut ſaltem maximam partem ulteriori uſu carent, dum acria ſive Vrinoſa, præter hoc quod acidum ſaturent, in Salſi texturam cum eodem coëunt & ita abſterſiva, reſolutiva, & diuretica ſimul evadunt. Cum etiam nunc primas vias magis occupet acidus ſapor, nunc altius intra corpus, hujusque partes tam continentes quam contentas, odor ejus penetrarit, ut ut ex iſta regione ferè primario ſpirans, ob id fixis præmiſſis, in primo ſui fonte corrigantur prius acida, quibus volatilia, id quod altius penetravit ſaturando, & diaphoreſeos beneficio eliminando, auſpicato ſubjunguntur. Sæpius hoc in ægrorum, chronicis morbis laborantium viſitatione, obſervare contigit. Haud ita pridem curæ meæ ſe obtulit mulier mediæ ætatis, hyſterico ſcorbutica, ſimulque ſplenetica, præter ſenſibilia eaque ſpaſmodica abdominis pathemata, ad melancholiam declinans, una cum menſ. ultra 3. menſes ſuppreſſione. Hæc ab exhibito ſpiritu Sal. Ammoniac. p. iij. cum ſpiritus Cochlear. p. i. mirè offendebatur, omnibus ſymptomatis notabiliter exaſperatis: ſed ſepoſito tantiſper hujus uſu, & præmiſſis abſorbentibus, Martialibus, Coralliatis, Salibus fixis, interpoſitis paucis laxantibus, & ſic ſaturatis ac edulcoratis acrioribus primarum viarum contentis repetitio ejuſdem ſpiritus uſu, mire recreabatur, & cum ſenſili levamine per plures dies ejuſdem uſum continuabat. Quartanæ, quæ omnium Practicorum conſenſu, in principio blandius tractandæ ſunt, niſi ſubjecta robuſtiora & εὐσπλαγχνα eadem corripuerint, quam facile ac inſigniter acrioribus iſtis irritatæ, multiplicato furore reſurgunt; de quo minus metuendum, ſi Martialibus (aliis ſimul, præſertim attenuantibus & incidentibus non omiſſis) amaris ſociatis intermiſſionis die ſucceſſiva alteratione temperentur contenta acriora, quo tutius ante paroxyſmum Vrinoſa iſta, acriora licet, ſed etiam nunc inſipidis plus minus maritata propinentur. Scilicet *acutis* in morbis, aut ſaltem *chronicorum gravioribus paroxyſmis*, fauſto cum ſucceſſu, inſipidis acria, item fixis volatilia ſociantur, & urgente præſertim affectu, quo plurimis indicationibus ſatisfieri queat, junctim propinantur, idque ſpeciatim in caſu, quo liberior diaphoreſis una promovenda. Hy-

ſtericis

ſtericis ſanè & hypochondriacis inopinatis non rarò paroxyſmis , & quæ his propius accedunt , Colicis convulſivis, epilepticis internarum ac externarum partium convulſionibus,vagis ſcorbuticorum pathematis, & pluribus ſimilibus malis, ſpiritus Sal.Ammoniaci & quælibet Salia volatil. cum fixioribus abſorbentibus juncto opere optimè ſuccurrere ſolent.Nec ineptè plures ſpecific.febrile Strobelberg.it.Corallia præparata, cum Sale abſinthii in Tertianarum cura copulant : aut huic ipſi Sali fixo ſpiritu Sal.Ammon. potionis forma, pro quibuſvis intermittentibus profligandis , jungunt, quam methodum & obſervavit *Deckers* in *Comment.ad Barbett.Prax.lib.3.cap.3.pag.113.* Saltem quod ſpiritus Sal.Ammoniac.doſis,parcior videatur. *Continuis* in *benignis* , abſorbentia Cervina & figentia Antimonialia, cum Sal.vol.aut Cervino aut Viperino,debita ſub proportione & forma eleganter propinantur. Id quod in pleuritide, hepatitide, & maturata opera in angina, & quibuſvis comitatis ſic dictis febribus pariter obſervari debet. *Malignas* verò quod attinet febres, quarum fermentativus odor , mole ſubindè minimus, adeoque inſenſilis,minus fluida corporis,quàm ſpirituoſa inquinat , quo ex fundamento , contagioſæ quoque,ſi non omnes,pleræque ſanè exiſtunt,(non ſecus ac cæteri;extra febres contagioſi morbi) alia ferè harum eſt ratio, in quibus,ut ut & ſimilis fixorum cum volatilibus copula,haud adeò inepta exiſtat,volatilium tamen imprimis, idque ſub principio, etiam ſolitariò exhibitorum, potior omninò & ratio, & operatio eſſe ſolet, id quod agendum reſtat,pro contentorum,febrilibus ſub turbis, plus minus vitiatorum alteratione p.n.emendanda,fixis temperatis ferè abſolventibus : de quo,ne nimis prolixus ſim,conferendus multæ experientiæ, magnique laboris *Ludovici in Pharmac.pag.237.261.283.284 & de Sal.vol.Tartar. pag.86.it.Pauli digreſſ.de febr.mal.&c.*

§.20. Præter dicta,in rationali abſorbentium & ſaturantium horum uſu,ſit *Cautel.V. convenienti tempore adminiſtranda veniunt.* Occaſio enim , quæ aliàs præceps , ritè obſervata , medicationis cujuſvis eſt anima. Adeò & hic,in tempore venire, multum eſt. Triplici circumſcribitur termino, præteriti,præſentis & futuri. Debita ex quorum obſervatione, legitimus agendorum ordo emanat. Quem triplicis differentiæ hujus reſpectu , Inſtitutioniſtæ communiter inſinuant , dum *quid ante quid, quid cum quo, quid poſt quid , agendum atque curandum ſit* , attendere ſedulo jubent. Omnia hæc primario ex motu Naturæ plus minus ordinato aut turbato, & acidi morboſi impetu, vel imminente , vel nimis urgente, dijudicanda veniunt.

§.21. Quod ſi differentiæ hæ temporis , & hinc adminiſtrandorum remediorum occaſio debita conſideretur , ante omnia monendum videtur *(1.) ratione temporis præteriti* quod non , *niſi præmiſſis primas vias abſtergentibus & purificantibus uſurpanda ſint* Naturæ ex juſſu inteſtina recipiendis & excernendis ſordibus, tam naturaliter ex aſſumptis,neceſſitate materiæ natis,quam p.n. ex venoſo genere per abuſum quaſi vaſorum felleorum ac pancreaticorum , quin & glandularum inteſtinalium eo derivatis dicata ſunt:unde hæc loca nunquam colluvie, plus minus vitioſa carere ſolent:ut taceam, p. n. ſub digeſtionis errato , quot vitioſa relicta in ventriculo & inteſtinis, ipſiſque meſenterii glandulis ſubinde ſtabulentur. Harum præſentia ne vel foveantur , accidentaliter præſentes morbi , vel varia ſaltem excitentur ſymptomata , vel ſucceſſiva harum reſolutione facta, per vaſa lactea ad interiora corporis penetrent , vel impediatur remediorum abſorbentium actio , id quod relicta mucoſa ſeu pituitoſa , hoc eſt, crudioris chyli portiones imprimis præſtant , vel illa cum iſtis in novum concretum dictis partibus hoſtile, aut functiones earum impediens , coëant , propterea conſultum eſt, ut abſtergentibus & blandè iſtas partes irritantibus, hoc ipſæ maturè expurgentur & mundificentur. Quin etiam, cum non raro foveatur morbus à muco , ſeu pituita viſcidiore , fermenti morboſi ſubinde ſubjecto , ſive materia occaſionalis antecedens ſive productum morboſum conſequens fuerit , hujus attenuationi, reſolutioni, ac repetitæ evacuationi , ſedulo opera danda, (ſicut hoc quoad quartanas in ſpecie urget *Sylvius : lib.4. prax. Tract.10. §.484. 875.877.*) antequam abſorbentia hæc, præſertim fixiora & minus ſolubilia adhibeantur , quia aliàs aut morbi , v. g. febris multiplicatio , aut inevitabilis diuturnitas , aut ejuſdem major pertinacia , iſtis ſcilicet cum acido abſorpto & ſubjecto fomite viſcido , in concretum magis tenax coëuntibus, ut probabil. ſupra §.3. declaratum fuit. Perinde autem eſt , ſive vomitu, ut in pleriſque febribus , tam benignis quam malignis obtinet , ſive ſeceſſu negotium hoc expediatur : modo eo quo maximè vergunt, per loca convenientia ducantur evacuanda, *aph 21. S.1.* ſane ex cautionis hujus neglectu, quoties febres intermittentes vel multiplicantur , vel typum mutant , vel in Chronicos morbos degenerant ; non ſecus ac continuæ acutæ in lentas abeunt , &c. Aut dyſenteriæ benigæ ac diarrhœæ contumaciores redduntur, aut palliato licet effectu, ſubinde crudelius recidivat. &c.

§ 22. Utplurimum ſcilicet hoc ipſum obſervandum, ſiquidem in pluribus ſimpliciter neceſſarium eſt caſibus, haud tamen univerſaliter, aut rigoroſè nimis huic inſiſtendum axiomati. *Sæpe enim axiomatum noſtrorum prætextus ſpecioſus , ac mordicus facta obſervatio in præcipitia quædam pericula ægros , magno damnò conjicit,* ut notat magnæ experientiæ Practicus *Ballonius, l.1. obſ.30. Hinc & ſtultum eſſe axioma , præmittenda ſemper eſſe Univerſalia h. e. purgationes Ven. Sectiones, in morborum curationibus ,* aſſerit *Lindanus ſuper Hartman :* ſcilicet leviori in malo , v. g. ardore ventriculi, ut iſtorum præmiſſio eſt ſupervacanea , ita è contrario graviori , vel ſubitaneo quodam urgente paroxyſmo , ſuffocationis videlicet hypochondriacæ, aut concitatioris cordis palpitationis , aut enormis ſanguinis ebullientis profuſionis , eadem foret ſummè periculoſa , in ancipiti ſubinde ſtatu verſante ægro. Adeoque de præſervatoria potius, quam curatoria indicatione , morbis habitualibus & chronicis debita methodo eradicandis , non ſubitaneis affectibus, aut paroxyſmis compeſcendis , ægris ſaltem cacochymicis plus minus , non quibuſvis intelligendum venit axioma iſtud. Præterea duo ſunt, quæ purgationes quaſvis vel impediunt, vel difficiles , interdum quoque fruſtraneas reddunt , materiæ evacuandæ viſciditas, & ejuſdem acrimonia acida & pontica , quæ commota in ſcorbuticis , hyſtericis , colicis convulſivis, quartanis , &c. Quas non turbas ſubinde excitat, quibuſvis ſi tantillum irritetur evacuantibus. In talibus adeoque ab his curationem auſpicari , minus rationale foret, quin abſorbentibus in genere ſaltem talibus præmiſſis , aut etiam ipſis purgantibus additis , de quo infra , tuta & jucunda magis reddenda evacuatio. Adeoque de abſorbentibus fermenti ſpecial. alterativis , non materiæ evacuandæ digeſtivis ſ. præparativis, deque illis ſpecificis magis & particularibus, minus de univerſalioribus axioma iſtud explicandum.

§.23. Præſens porro quod attinet tempus , dum actu ſubminiſtranda ſunt abſorbentia ſive præcipitantia,circa hoc motus Naturæ , circa cauſæ occaſionalis correctionem , (quæ in fermenti vitioſè acidi contemperatione,& ſaturatione,fomitis vero plus minus viſcidi reſolutione & attenuatione,utriuſque correcti per convenientes vias excluſione,conſiſtit)occupatæ attendendus:ratione cujus vel continui vel intermittentes exiſtunt morbi, ex quo emergit iſta differentia , quod in iſtis tempora ſaltem morborum univerſalia , in his præterea uniuſcujuſvis inſultus particularia obſervanda veniant. Notandum *ergo : 1.) In continuis minus in principio,ſed incremento ſaltem,aut potius*

in ſtatu locum inveniunt abſorbentia iſta medicamina. Fluit hoc ipſum ex ſupradictis; Dum enim fomes morboſus materialis prius attenuandus, & reſolvendus, primæque viæ expurgandæ ſunt, vix præterquam in incremento, ac ſtatu locum habebunt. Niſi talis illorum vel ſelectus vel miſcela inſtituatur, ratione cujus talia exhibeantur, quæ modo inſinuatis ſcopis ſimul plus minus inſerviant, qualia vel Salina, vel facilius ſolubilia erunt. Præterea miniſtras operas Naturæ benè agenti ferre debet Medicus, id quod præſtat attemperando ſucceſſivè acre morboſum fermentum, quo eò facilius ſuperari morboſo ſub conatu à Natura ac ſaturari queat, id quod non niſi ſub incremento, & omnium maximè in ſtatu locum habet. Alias in principio ſi adhiberentur iſta, fermentum acre præpoſterè figendo & concentrando, mala, quæ ſupra §.3. & 4. inſinuata fuerunt, neceſſariò ſupervenirent. Nimius tamen Orgaſmus humorum hic probè conſiderandus, cujus intuitu, & inde imminentium malorum, ſubinde etiam mox in aut poſt principium, morbo acuto tali, celeriori motu principii & incrementi tempora abſolvente, remedia talia figentia & invertentia ſubminiſtranda veniunt.

§.24. In Morbis verò intermittentibus, ſi præmiſſa fuerint præmittenda, adeoque ſtatus morbi ferè appropinquat, attendendum periodici an ſint iſti, an verò vagi. In illis enim *Periodicis, not.2. ante Paroxyſmos exhibenda ſunt.* Præſtat enim occurrere advenienti hoſti, quàm admiſſum demum profligare. Saturandum nempe & figendum plus minus eſt acidum morboſum fermentativum, quo ab impreſſione motuque hoſtili deſiſtat mature. Antequam E. motus ejus & hinc Naturæ inchoaverit, adeoque ante Paroxyſmum auxilia iſta opponenda. Fruſtra eſt, aut inſufficiens, quicquid in Paroxyſmo his ipſis tentaveris, interdum quoque nocivum. Qui ſemel concitatus eſt ſpirituum motus, humorumque orgaſmus, nulla arte perfectè & ſubito ſopiri poteſt, non ſufficientibus tanto operi remediis, utut attemperando, & ſucceſſivè ſaturando fermentum acre, mitiores, (ſed ut plurimum ſimul diuturniores) paroxyſmi reddi queant. Sin verò vel immoderata ſub doſi aliorumve aſſociatione, vi quaſi orgaſmum compeſcere velis, alterutrum horum expectandum erit, quod vel ex non ſufficienti effectu, nimis jam progreſſa humorum turgeſcentia, multiplicatura paroxyſmorum inſequatur, vel ex concentrato & fixato nimis fermento morboſo, aut chronicum ſive lentum continuum malum, aut multiplex ſaltem recidiva hoc ipſo excitetur: quæ ex ſupra §.4. dictis jam conſtant. Quod ſi vero paroxyſmi nullas ſtatas obſervent periodos, ſed erratico ac vago motu affligant, not.3.) ita *modificandus venit præcipitantium dictorum uſus, ut partitis ſed repetitis vicibus eadem*, ſub legitimo doſeos moderamine propinentur, jungendo ſimul, quæ blande & ſucceſſive per convenientes vias evacuent, ſic enim quicquid mali metuendum foret, præcavebitur.

§.25. Denique ſive continuus, ſive intermittens fuerit affectus, ita dirigatur eorum uſus, ut, not.4.) *ſaltem jejuno ventriculo ingerantur.* Adeoque nec in paſtu alimentis permiſcenda, nec immediate, antea, poſt eundem propinanda: niſi forſan acida nimis aſſumpta, aut undecunque concitata ſoda, interdum eorum uſum, in aut poſt paſtum urgeant. Ut enim hoc ipſum tantum non de omnibus medicamentis obtinet, iis ſaltem exceptis, quæ digeſtionis primæ, ejuſque debitæ perfectionis turbatum ac p. n. vitiatum negotium concernunt, ita & abſorbentia hæc, eò magis proficua, eò minus nociva erunt, quò magis vacuum ſubintrabunt ventriculum. Potentius ſic attemperare & abſorbere acidum valent, minus verò turbabunt digeſtionem primam, adeoque minus metuenda erunt iſta mala, quæ circa chylificationem ſuprà §.3. eorum abuſum inſequi diximus, & ex iiſdem, alimentis permiſtis multò magis pertimeſcenda forent.

§ 26. Futuro denique in tempore & poſt eorum uſum, ità porrò dirigenda medendi methodus, ut *blanda purgantia & primas vias abſtergentia ſubjungantur.* Idque ſpeciatim, ſi fixiora, ac minus reſolubilia, adſtringentia item, vel in ſe talia, vel quæ in corpore, ex texturæ mutatione talia evadunt, uſurpata fuerint. Ea ſiquidem horum eſt conditio, ut plus minus ſaturata circa primas vias, nunc in periſtromate ventriculi & inteſtinorum mucoſo, nunc plicis & cellulis eorundem deliteſcant, idque ſubindè ſatis pertinaciter, forſan per ductus. Lacteos primi generis penetrando, in glandulis meſenterii infixa hæreant. Recordor hac occaſione mulieris annoſæ, hyſtericæ, &c. Quæ acidularum Egranarum, ad nos advectarum potu, debito ſub regimine uſa fuit: quæ purgata licet ſub potionis fine, nihilominus tamen, pluribus abhinc ſeptimanis denuò evacuata, copioſas nigerrimas, adeoque Mart. intenſè tinctas dejectiones exhibuit: adeò Mart. quoque tamdiu intra primarum viarum anfractus ſtabulari poteſt. Ex iſta verò in primis viis ſubſiſtentia, præter mala ſupra §.3. recenſita, & impedita, ac depravata chyli, tranſcolatio & diſtributio, & fecum p. n. retentio metuenda erit. Quin & hoc modo tumorum ac abſceſſuum in meſenterio variæ ſpecies, ac inde oriundorum lentorum, ac ſymptomatum multiplici varietate intricatorum morborum, prima fundamenta ſubindè poni videntur. Sicuti etiam Colicæ convulſivæ pertinaces non minus quam crudeles, his ipſis ex occaſionibus inducuntur, non ſecus ac recidivis crebrioribus occaſio ſubminiſtratur, ut ſupra §.4. monitum. His ipſis procellis, ceu prudens Nauclerus, in tempore occurrat Medicus, & blandis laxantibus ac mediocri ſtimulo primas vias expurgantibus ſociatis reſolventibus ac abſtergentibus Salinis vel gummoſis, quicquid Cap. Mort. inſtar, dictis in locis relictum fuerit, removeat. Una ac altera vice inſtitutum hoc negotium ſufficit, poſt acutorum, remediorum talium miniſterio curationem, nominatim febrium ardentium ac ſimilium, ut & tertianarum intermittentium. Succeſſivis verò & partis vicibus, ſive ut vocant per epicraſin, ſub chronicorum tardiori progreſſu, idem tentandum, adeoque abſorbentibus talibus ſubinde interponenda, aut interdum ſocianda veniunt: ut in quartanis, hypochondriacis, cachecticis, &c. Tutius ſanè ſub declinatione morborum dictorum, enervato plus minus acri acido per iſta figentia, & concentrantia, inſtituuntur purgationes, quàm in eorundem principio, ob rationes; ex §.22. colligendas. Præſtat tamen blandioribus evacuantibus, & quæ potius ſtimulando primas vias, quàm colliquando contenta corporis operantur, uti: quævis enim copioſior ac vehementior purgatio plus nocet, quàm prodeſt, & impoſturæ inſtar, activæ quidem in Medente, paſſivæ verò in patiente, mihi videtur: *adeò omne ſolutivum* (potentius paulò, ac propriè tale) *deprædatur de viribus & ſubſtantia corporis noſtri*, ut optimè docet *Hippocr.*

§.27. Regimen porrò tale circa ægrum, ab exhibitione eorum inſtituendum, quo effectus eundem promoveatur. Adeoque ſit *Cautel. VI. ſub illorum Vſu motus concitatior contentis corporis fluidis conciliandus.* Non ſolùm ſcilicet in fodina ſua primarum viarum acidi ſapores & odores p. n. deliteſcunt, ſed etiam altius penetralia corporis ſubeunt, ut aliquoties jam inſinuatum, & morboſi effectus variis in locis palam illud profitentur: ſive ut *Helmont.* loquitur, *Paradox. V. §.9. pag.554. in nobis non raro oberrat Sal. quoddam reſolutum minerale, planè excrementitium, Tartarus inquam reſolutus, &c.* Illud ipſum pariter per abſorbentia iſta plus minus ſaturandum venit, etiamſi hæc primarum viarum tramites, fixiora ſcilicet & minus ſolubilia, non tranſcendant. Jam verò utut totum corpus ſecundum *Hippocratis* Oraculum, ſit conſpirabile

& perſpirabile, ſive immediatè, per inſenſiles cœcoſque meatus & poros partium, prout illuſtratur à *Tachenio: Clav. pag.* 237. ſuprà §. 3. allegato, ſive mediatè per ductus & vaſa, nunc magis nunc minus oculis patentia, mediante continuo humorum circulo, de quo ſupra §. 23. cap. 2. adeò, ut etiam remotiori ex loco, hoſtilis aura acida à remedio in primis viis hærente, abſorberi & corrigi queat, nihilominus, ut facilitetur hoc ipſum negotium, & acceleretur confluxus hoſtilis acidi ad ſuum compar medicamentoſum in primis viis, concitatior humorum motus progreſſivus & celerior in circulum raptus, multum omninò contribuet. Ob id ſcilicet tam ſtudioſè Practici ab uſu martialium motum corporis injungunt, non quidem, ut celerius ſic deſcendant, hoc enim fruſtraneum foret, & abſque ſperato effectu, (ut ut congruâ ſub explicatione, ceu uſus accidentalis concedi queat) ſed ut promoveatur acidi exorbitantis motus, ad appropriatum magis activitatis ſuæ objectum, adeoque ab eodem promptius & uberius ita abſorbeatur. Cum verò illum progreſſivum rapidiorem, intenſior etiam motus inteſtinus particularum fluidi heterogenei comitari ordin rio ſoleat, quâ ratione agitatione vaſorum, cereviſiæ & muſti turgeſcentiam fermentativam, aut concuſſione vaſculorum, efferveſcentias commiſtorum artificiales augeri inſigniter obſervamus, ob id ſub iſto rapidiori humorum circulo, dum acido peregrino, texturam ad motum inteſtinum plus minus vitiante liberantur illi ipſi, ſimul ſub iſta celeriori commotione inteſtina in novam texturam eò facilius ſe component, & ad naturalem eucraſiam ſe ipſos, ſecundum ſyncriſeos, & diacriſeos & metaſtaſeos minimorum leges reſtituent. Adeò & quidem ſecundariò, inteſtini hujus motus ratione, & ejus medio redindegrandæ texturæ ac Craſeos humorum cauſa, poſt abſorbentium uſum, motus illorum concitatior progreſſivus, quovis modo adjuvandus veniet.

§. 28. Motum hunc humorum progreſſivum, circularem, duobus modis accelerari licet, primo quidem beneficio motus naturalis artuum, & hinc totius corporis localis deinde citra hunc beneficio artificialis ſudoris, aut madoris ſaltem ſenſilioris pro vocationis. Utroque in caſu rapidior per vaſa impetus contentorum, & concitatior progreſſio omninò contingere ſolet, ex cauſis vel ſponte patentibus. Ille quidem ægris paulo vegetioribus, adeoque chronicis ferè in malis, & quamdiu Orthoſtadia in iis locum habet, magis convenit. Hic vero in acutis, chronicorum item gravioribus paroxyſmis, dum lecto ſurgere vel nequeunt ægri, vel minus conſultum hoc ipſum videtur, magis obtinet. Utrumque uti in fixioribus & minus ſolubilibus abſorbentibus utile admodum, ſubinde neceſſarium quoque exiſtit, ita poſterior modus in ſolubiliorum, ac imprimis volatilium, vel ſolitaria vel fixis ſociata (ſecundum dicta §. 19.) exhibitione, ſumme proficuus exiſtit. Excernitur autem hoc ipſo ſimul, quicquid motus inteſtini aucti & reſtauratæ plus minus texturæ naturalis humorum beneficio, ceu heterogeneum ſecretum fuerit, & depuratio quorumvis humorum vitiatorum, attenuatio eorum, quavis ratione condenſatorum, & celerior progreſſio, quovis ex impedimento nonnihil ſtagnantium, hoc ipſo obtinebitur. Patet ex his, quare ordinario poſt quæcunque febrifuga, fixa imprimis Terrea, ſudoris excitandum eſſe profluvium, tam ſedulo inculcent Practici, præſertim ſi fieri poteſt, eo tempore, quo alias recrudeſcere ſolet Paroxyſmus, cum ſic certiori planè juvamine propinentur eadem, ac minori cum recidivæ metu, quam ſi vel nullus ſudor ſuperveniat, vel hic ad paroxyſmi finem ſaltem expectetur.

§. 29. Haud poſtremum punctum rationalis abſorbentia adminiſtrandi methodi fert, concinna eorum cum aliis copulatio. Adeoque ſit *Cautel. VII. ne ſaltim ſolitaria, ſed etiam aliis ſociata remediis propinentur.* Utrumque exhibendi modum & ratio primitus docuit, & experientia poſtmodum confirmavit. Indicationes prout variant, cauſarum p. n. & ſymptomatum ex varietate & complicatione, & componenda etiam cum aliis, vel ſola exhibenda abſorbentia hæc, oſtendunt. Vtut autem larga ſeges aliorum ſit auxiliorum pharmaceuticorum, quibus miſceri commodè poſſunt, ſpeciatim tamen ad quatuor claſſes commodè redigi poſſunt, *purgantium* ſcil. *diaphoreticorum, anodynorum, & appropriatorum.*

§. 30. Purgantibus commodè ſociantur, ubi acriora fluida movenda veniunt, quo temperata horum & inverſa corroſivitate, citra graviorum ſymptomatum ſyndromen, jucundius & tutius evacuatio ſuccedat, ſicuti eundem in finem & præmitti interdum iiſdem, ſupra §. 22. inſinuavimus. De ſennæ Sal. Tartar. ſociatæ infuſo laxativo polychreſto, jam ſupra §. 12. locuti ſumus. Speciatim huc exempli loco pertinet famoſus iſte *Cerberus triplex* à *Cornachino* adeò peculiari ſcripto decantatus, *alias pulvis febrifugus Comitis Dudlæi de Vvarvvick* Angli dictus: *à Spigelio de ſemitertiana, lib.* 3. *cap.* 8. *& Kergero de fermentat. ſ.* 3. *cap.* 3. *pag.* 250. laudatus. Remedium profecto polichreſton, præſertim, ſi ſcammon. ſulph. loco, ejuſdem reſinam recipias, ut rectè hoc urget *Maxvellus, in Medicin. Magnet. lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 68. idque propter vim aromatico alterativam, ſolutivæ ſociatam, nec acido ſulph. fumo caſtratam vel inverſam. Sicuti etiam præ Antimon. diaphor. ſimplici, Antimon. diaphor. Martiale, ceu præſtantius abſorptivum, iſti addendum, ſive Antimonium iſtud cachecticum *Ludovici*, prout tam in *Pharmacia, pag.* 330. *quàm Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. anno* 8. *pag.* 108. autor ipſe parare illud docet. Pertinet huc pulvis iſte multi uſus, quibuſdam in ſecretis habitus, qui fit ex Antimon. Nitriana, libr. ß. Mart. ℥j. invicem detonatis, & hinc cum triplo Nitri calcinatis, & hinc edulcoratis. Habebitur ſic pulvis flavus, qui cum ana reſin. ſcammon. miſtus, vel illius p. ij. cum hujus p. 1. paucis crem. tartari gran. additis, ſuggerit polychreſtum remedium, ad quaſvis febres intermittentes, continuas, pleuritidem, obſtruct. Menſium, choleram, &c. Doſ. ℈j. ad ʒß. propinandum, & cuivis ætati tuto, limitando ſaltem doſin, porrigendum. Placet de cætero iſta methodus, qua in intermittentium paroxyſmis ſolutiva blanda febrifugis connectimus, ut juncta opera, dum Natura movet, & Medicus moveat, idque præſertim viribus utcunque conſtantibus. Quibus paulo debilioribus exiſtentibus, præmittantur ita laxativa Paroxyſmo, quo maturè ante hujus invaſionem ſuo fungantur munere, pro ſpecificis tempeſtivè propinandis. De cætero, quam fauſto radio Mars recreet hypochondriacos & ſcorbuticos, ac Cachecticos, laxativis ſociatus, tot pilulæ hypochondriacæ, aperitivæ, Cachecticæ, Electuaria chalybeata laxativa, Vina Martialia ſolutiva, malè à *Geigero in Microcoſmo Hypochondr. cap.* 23. *pag.* 294. rejecta, apertè loquuntur. Omnium loco ſufficiat Vitriolum Mart. ad albed. calcinat. gumm. ammoniaco cum debito ſtimulo ſolutivo ſociatum & Pilularum in formam redactum, ad imitationem formularum à *Sylvio in lib.* 1. *Prax.* paſſim præſcriptarum; vel ſi Maſſ. Pil. de tribus Ruffi. extr. helleb. nigr. āā ℈ß. Vitrioli Mart. ad albed. calcin. gr. V. cum eſſent. gumm. ammoniac. in Pilulas redigantur, & ita propinentur. Pertinet huc pariter Aurum fulminans, concretum mirabile, ex Aur. per Antimon. depurato, cum ſpiritu Sal. Ammoniac. præcipitato, paratum: vi inciſiva, & viſcidiſſimorum reſolutiva, ac abſterſiva, ſimulque ſingulariter laxativa inſtructum. Hoc in infantibus Vnicornu vero ſociatum, in Epilepticis eorum inſultibus, convulſivis torminibus, ſimilibuſque malis laudatiſſimum remedium exiſtit, accurata tamen doſi, pro lactationis & hinc ætatis ratione exhibendum. In adultis pariter

Coralliis præp. copulatum, gr. VI. ad IX. pondere, in quartanis egregium eſt remedium, non immeritò *ab Hofero in Hercul. Medic. lib. 6. p. 292.* laudatum: modò non inveteratum nimis fuerit malum, nec ipſe æger robuſtæ adeò conſtitutionis fuerit. Non ſecus, ac in intermittentium recidivis, arcano duplicato & ebori ſine Ign. additum, ante paroxyſmum circumſpecto uſu, planè egregium eſt. Nam convenientiſſimè abſorbentibus cum laxantibus miſtis, ſimul quaſi intertexuntur vel attenuantia, v. g. gumm. ammoniac. in pilulari imprimis forma, vel abſtergentia & reſolventia Salina, ut Tartar. Vitriolat. arcanum duplic. &c. v. g. arcani dupl. Corall. rubr. præp. ãã. ℈ß. ad gr. XV. ſcammon. more Brendelii præpar. gr. ij. ad iij. M. Sic enim abſorbentis vis, interdum nonnihil adſtrictoria, ſive formaliter eam obtineat, ſive in primis viis demum ex alteratione paſſiva acquirat, vim ſolutivam additi minus enervabit, hoc ipſum verò ſub minori doſi, illorum adjumento ſufficienter, idque tutius ac jucundius quod ſuum eſt, perficiet.

§. 31. Cum ſudoriferis imprimis ſalubrem ægris ſocietatem ineunt, ex rationibus jam ſupra §. 27. & 28. inſinuatis. Sunt equidem abſorbentia hæc, maximam quoque partem ſudorifera, tàm privativè, ut inſipida ac terrea, quàm poſitivè, ut Salia Urinoſa fixa; ac imprimis Volatilia. Laudabilior verò effectus ferè obſervatur, ſi privativa iſta, poſitivis præſertim Volatilibus ſudoriferis copulentur, uti & ſuprà §. 19. quatenus indicatum. Duplex autem Volatilium ſudoriferorum, abſorbentibus commodè admiſcendorum, materialem quoad eorum texturam, obſervatur differentia: aut Volatil. Salina ſive Urinoſa macra exiſtunt, quæ & ipſa ad ſaturantium ſive præcipitantium aliàs dictorum claſſem pertinent, ut modò, ac ſupra §. 14. c. 1. dictum fuit, aut volatilia oleoſa ſive Sulphurea, ut amara & aromatica, hiſque plus minus cognata, quorum farrago in Theriacalibus maximè conſpicua eſt compoſitionibus) & pro baſi virtutis ſudoriferæ reſinam plus minus acrem, libero in Igne inflammabilem, in clauſo vero in ol. deſtillabilem, ferè obtinent: ex quorum duorum artificiali connubio, quaſi tertium compoſitum, ſpirituum aut Salium vol. oleoſorum nomine, ubivis jam cognitum emergit, quale v. g. exhibet ſpiritus theriacal. cum ſpiritu vel Sal. vol. C. C. aut viperarum debita proportione & deſtillatione unitus, ac camph. ſ. q. imprægnatus, potentiſſimum ſudoriferum, malignarum febrium nobile auxilium. Quibuſvis horum abſorbentia & invertentia fixa commodè ſociari poſſunt: ut quando in Tertianis graviori rigore moleſtis, cum ſucceſſu ordinatur, Rec. Ther. ℈ij. ad ʒj. ſpecif. Strobelberg. ʒß. ol. deſt. caryoph. gutt. ij. M. F. Bolus, fortiter ſudorem movens: aut quando pleuriticis proficua admodum exiſtit Miſtura, ex Aqu. papav. rhead. ℥iij. ſpiritus theriac. camph. ʒiij. Mandibul. Luc. piſc. ʒj. Sal. vol. cujuſvis: gr. XV. ad ℈j. Laud. tartari ſ. gr. iij. ſyr. papav. rhead. ℥j. M. ſicuti etiam nobile illud balſamum Loimicum Heniſianum, unicornu vero & bezoardico minerali, aut hujus loco Cinnabari Antimon. vel nativ. ſelect. feliciter jungitur, in malignarum febrium medela. Cum vero inſignis ſudorifera hæc inter volatilia ſit differentia, ſelectus rationem determinabit ſtatus ægri, & ſymptomatum conditio, in ſpecie major vel minor ſanguinis commotio & æſtuatio: Hæc enim aut imminuenda, & plus minus temperanda, aut excitanda & augenda venit; illud in nimia ſpirituum, & particularum ſanguinis oleoſarum (in receſſu, ut probabiliter ſtatuitur, acidarum) volatilium turgeſcentia, & fermentativa quaſi ebullitione, hoc verò in deficiente tali ſpirituum impetu, & fermentativâ commotione. Utroque ergo in ſtatu, cum nulla heterogenei aut vitioſi fermenti, ab homogenea humorum textura ſecretio, nec prævia ejus correctio aut ſaturatio fieri queat, ob id arte ſubinde eadem moderanda venit. Infringunt autem æſtuationem ſanguinis nimiam, ſudorifera inter volatilia, omnium optime Urinoſa macra, quæ ſane ſenſibiliter febrientium æſtum compeſcunt, adeo, ut experientia teſte, pro tertianarum v. g. nimio ardore compeſcendo, ſpiritus Sal. Ammoniac. ſimplex in ipſo paroxyſmo ſubinde uſurpatus, ſit per quam proficuus. Intendum è contra ardores, vol. oleoſa, quovis tempore uſurpata, ſicuti eadem ex abſinthio cent. min. gentiana, ante intermittentium paroxyſmos, debito cum regimine adhibita, horroris & frigoris mitigationem, ardoris intenſionem ordinario efficiunt. Cum itaque intendendus ſubinde veniat ſanguinis æſtus, ut in Cachecticis pituitoſis, hiſque cognatis, pro crudioris chyli correctione, bilis verò inertioris acuatione, item in petechialibus, præ aliis malignis, utplurimum minori æſtu comitatis, adéoque reſpective quaſi lentis, pro fermenti maligni, hujuſque corruptiva operatione geniti producti morboſi evacuatione, hic quidem alexipharmacis fixis, it. Salibus volatilibus, diaphoretica oleoſa optime permiſcentur, ibi verò præmiſſis utplurimum abſorbentibus Martialibus, illa optimo cum conſilio ſubjunguntur, interdum etiam permiſcentur: qua ratione aliquando in quartana Tincturæ Vitrioli Mart. Zvvelf. ʒj. cum Elix. febril. D. Mich. ʒß. permiſtionem ante paroxyſmum proficuam obſervavi: uti eadem cum eſſentiis aromaticis amaris, quibus vel defectuoſè vel laborioſe fluunt menſes, ſociata, optime propinantur.

§. 32. Anodynis denique jungenda veniunt hæc noſtra abſorbentia, ſive ex minerali, quæ rariora, ſive ex vegetabili, quæ frequentiora, deſumantur regno. Urgent ſcil. interdum adeò ſymptomata quædam, ut aut vitæ, nunc immediate, ut hæmorrhagia aut cholera effrenis, nunc mediate, ut dolores atrociores, periculum intendant, aut ſaltem morbum primarium inſigniter exaſperent, ut dolor in pleuritide ophthalmia, quibuſvis inflammationibus, aut ejus curam periculoſe impediant, ut in ardentibus acutis, it. variolis, &c. Coctionis ſc. negotium, cui unicè incumbit Natura perturbando. Cunctatio omnis in his funeſta. Abſorbentia itaque & figentia quælibet, cum nonniſi debita interjecta temporis mora, effectus intentus inſequi ſoleat, anodynis ſocianda, quo ab his ſpirituum perverſo refrænato impetu, à quo omnia ſymptomata urgentiora dependent, & ſuſpenſo hoc ipſo aliquandiu nato inde paroxyſmo, illorum ope, occaſionalis tantarum procellarum materialis cauſa inverti & alterari queat. Modificando nempe ſpirituum impetum, & diaphoreſin liberiorem, etiam ſæpius ſenſiliorem reddendo, in quo omnia anodyna, tam vegetabilia quam mineralia conſpirant, quorumvis ſymptomatum urgentium (ſoporoſis forſan, idque ſaltem in tantum, non in totum exceptis) panaceæ exiſtunt, & ita propriè ſic dictæ, ſobrieque explicatæ Panaceæ & univerſalis remedii ideam quaſi repræſentant, & poſſibilitatem ſuo modo confirmant. In cholera, dyſenteria, ſcorbuticorum vomitibus enormibus, hypochondriacis ſuffocationibus, catharralibus repentinis faucium ac aſperæ arteriæ effectibus, catharris ſuffocativis vulgo dictis, convulſivis quibuſvis paroxyſmis, pleuritide atrociori, & pluribus aliis vel gravioribus vel ſubitaneis pathematis, tantum non ſemper iſtorum, Opiatorum quidem uſitatiſſimè, ſociatam invertentibus & figentibus opem imploramus. Sicuti verò, quo generoſius ſeu efficacius eſt remedium, legitimo uſu, eò periculoſius & gravius quoque nocere ſolet perverſo abuſu, cum vel *Galeno* aſſertore, nil magnificè proſit, quod non multum nocere etiam queat, ob id & anodynorum, ſpeciatim opiatorum, de quibus ceu uſitatioribus imprimis loquuntur, cautus ſit & circumſpectus cum iſtis congreſſus. Siſtendo enim hæc ipſa ſpirituum impetum, contentorum quorumvis motum ſimul plus minus imminuunt, adeoque

materiæ peccantis, ſive occaſionalis antecedens ; ſive productum morboſum conſequens fuerit, alterationem & remotionem hoc ipſo ſufflaminant, namque immobiliorem reddendo, ſimul quaſi figunt. Propterea ſub mutua ſocietate, Volatilibus tutius quam fixis, & hæc inter potius Salinis quàm terreis copulantur. Illorum enim ſub conſortio diaphoreſin ferè copioſiorem reddunt, & fluidorum motus minus refrænant. Hinc enim Eſſ. Opii tartariſata, Liquori C. C. ſuccinato aut ſpiritui Sal. Ammoniac. aniſato maritata, multum in effectuum catharralium cura præſtant, non ſecus ac Colicis in convulſivis, & huic cognatis hypochondriacis ſuffocationibus, eadem miſtura, aut huic analoga ex ſpiritu Sal. Ammoniaci, eſſentia caſtorei & opii debito in vehiculo dilutis, potiuncula, utramque abſolvit paginam. Sicuti & ſpiritus iſte Salino-vol. oleoſus, ſuprà §.31. ad febres malignas laudatus, eidem Eſſentiæ auſpicatò jungi poteſt. Salinis fixis commodè etiam jungi poteſt laudatum Opium, cum vim horum abſterſivam ac diureticam, ſaturativæ junctam, minus inhibeat. Fixis denique inſipidis aut terreis pariter ſubinde jungitur, tamen ob nimiam hinc metuendam fixationem & concentrationem acidi morboſi, ac materiæ peccantis pertinaciorem immobilitatem, paulò circumſpectius idem faciendum. Hinc patet ulterius, non niſi urgente malo gravius, aut graviori adhuc imminente, ibi curationis, hic præſervationis gratia commercium tale inſtituendum, quo prima in herba ſuffocentur, ut ſic dicam, tribuli ac ſpinæ morboſæ. Speciatim in Acutis, atrocioribus ſymptomatis comitatis, ſed ſaltem ſub incremento morbi, dum turbantur ſubinde præpoſterè ordinarii naturæ motus, ob materiæ orgaſmum, conveniunt, qua ratione bezoardico minerali, Unicornu foſſili & ſimilibus pulveribus bezoardicis compoſitis, cum vel ſine Cinnabari, extractum theriacale, aut theriaca cœleſtis Greiffii, aut Laudan. Opiat. commodiſſimè, e. g. in variolis malignis, aut purpuratis, &c. Sociantur. In Chronicis verò affectibus, ſaltem in gravioribus eorum paroxyſmis, tanquam tot parvis morbis acutis, ſub lento illorum motu intercurrentibus, locum inveniunt, idque imminente potius paroxyſmo. adeoque præſervationis gratia: ſimilibus ferè ex rationibus, quæ ſupra §.24. allegatæ fuerunt.

§.33. Obſervatis hiſce, jucundiſſimus anodynorum quorumvis, ſpeciatim Opiatorum, cum abſorbentibus, & ſaporum ac odorum acidorum alterativis eſt concurſus, modo hæc debita correctione, vi narcotica plus minus exuta, nobiſque ſic amica, magis reddita fuerint. In quem finem pro acutis quidem cum Acet. Deſtillat. extrahendo, in chronicis ac aliis quibuſvis, cum alcaliſato Tartari digerendo, commodiſſimè præparantur. Cum verò præſtet, catholicum magis ex Opio ſemper in promptu habere præparatum, quo tanquam unica fidelia, omnes dealbari queant parietes, hoc ipſum optimè obtinebitur, ſi Opii & Sal. Tartariana, cum ſ. q. Aqu. comm. irroratis, ad pultis liquidioris conſiſtentiam, blandoque digeſtionis calore aliquandiu expoſitis, pro concreti, gummeo reſinoſi meliori penetratione, & diſſolutione, affundatur ſucceſſivè & ſuſpenſa manu Acet. Diſtillat. fiet ſic ebullitio cum formali quaſi fermentatione, continetur hæc affuſio; ad punctum ſaturationis uſque, denuoque aliquandiu digeſtioni leni expoſita, filtrentur, & phlegmatis exhalatione inſpiſſentur, cum ſpiritu Vini per ſe rectificato extrahenda, & ad debitam vel fluidæ eſſentiæ, vel ſpiſſioris extracti conſiſtentiam redigenda. Habebitur hoc modo anodynum vegetabile, ut mihi quidem, ob rationes hic ſpeciatim haud recenſendas, videtur correctiſſimum, adeoque tutiſſimum, quibuſvis in caſibus adhibendum. Simplici labore, magnoque temporis compendio obtinetur hoc modo, quod per tædioſam cum ſuccis vegetabilium, & quidem horum potius, quàm additi, ſed non ſoluti Opii, fermentationem vix acquiritur. Remedium eſt, prompte in quovis corporis noſtri fluido ſolubile, adeoque ipſi faciliſſime commiſcibile, & hinc latiſſime diffuſibile, citra diuturnam in primis viis moram, aut ullum Ventriculi tædium. In quo haud poſtremum, legitimæ Vegetabilium, præſertim reſinoſorum præparationis momentum conſiſtere arbitror, ut reddantur contentis corporis noſtri prompte commiſcibilia, & longe lateque in parva licet mole diffuſibilia, *citius* ſic; & ob minorem circa primas vias moleſtiam, quam aliàs ibidem præcipitata, ſub reſinoſa ſua & viſcida textura, inferunt, *jucundius*, quin & ob parvam vel nullam, quam dictis in locis aliàs ſuſtinent alterationem, *potentius*, & minus ſenſili in partes ſolidas impreſſione vel immediatâ vel mediata (intercedente alteratione fluidis inducta) *tutius* operativa exiſtunt. Quo in negotio, alcaliſata præſertim illud Sal. Tartari principalium inſtrumentorum loco inſerviunt.

§.34. Ultimum locum eorum, cum quibus ſocietatem pro feliciori, praxi amicam ineunt invertentia noſtra, obtinent *Appropriata*, in genere ita dicta. Sunt enim abſorbentia hæc maximam partem, prout ſupra cap.2. §.20. & 23. dictum, generalia, & magis univerſalia alterantia; adeoque ſpecialibus p. n. affectibus, haud adeò directè oppoſita. Utut verò partim per debitum eorum ſelectum, ſecundum §.16. & ſeq. partim per ſudoriferorum & anodynorum concinnam aſſociationem, ſecundum §.31. & 32. ſpecialius determinari queant, haud adeò tamen ſufficere hæc videntur, quin pro acidi ſpecifici varietate, ejuſque fomitis materialis plus minus glutinoſi, diſtincta conditione, partium item vel primariò vel ſecundariò; unius vel plurium, ſolidarum vel fluidarum affectarum diverſa habitudine, & in ſpecie humorum, una plus minus alteratorum, contraria ſubinde diſpoſitione, morborum item diverſorum complicatione, & ſymptomatum plus minus moleſtorum aut periculoſorum ſyndrome, his ipſis frequentiſſimè, ceu coindicantibus, per appropriata & quaſi particularia auxilia occurrendum veniat, & hæc ipſa illis abſorbentibus dextrè adjungenda ſint. Sed tanta cum hic occurrat varietas, ſiquidem negotio huic tota ſpecialis Praxis innitatur, adeò ut certis regulis, ceu tot limitibus circumſcribi commodè nequeat, exemplis ſaltem quibuſdam illuſtrare illud ſufficiat. Dum Hypochondriaci vaga phlogoſi toties æſtuant, Ebori ſive Ign. & Coralliis, Nitr. Vitriolatum, aut Nitr. Antimoniatum addendum: ſicut in ſuffocatoriis eorundem Paroxyſmis; abſorbentibus tam fixis quàm volatilibus, ut potius utriſque, ſecundum §.19. commiſtis, caſtoreata ſpeciatim addenda. Bezoardicis dictis pulveribus, diverſarum licet compoſitionum, in variolis & purpuratis myrrha, in malignioribus camphora, auxiliatrices jungit copias: quibus præterea, nervoſo genere gravius patiente, adeoque in convulſionibus imminentibus, Cinnabarina adjungenda, non omiſſis Salibus volatilibus. Aperitivis, ut vocant, & anti-cachecticis Virginum non menſtruatarum Martialibus remediis, vix abſque croco & Cinnamomo utimur. Quæ ſodæ ebullitionem figit Creta, aut C. C. uſt. ſocietate nucis moſchatæ, hoc in affectu imprimis gaudet, idque præſentaneo magis ſucceſſu, ſi conſervæ aut ſyrupo ſummitatum ſive gemmarum quercinarum in foliola ſe explicantium, Electuar. ſub forma permiſceantur: quæ modò ex quercuum foliolis parata euporiſta, & dyſentericorum remediis temperantibus & abſorbentibus eodem modo recipiendis inſerviunt. Gonorrheæ dum ſuccurrit Os ſepiæ ol. deſtill. ſuccini, vel balſ. copayvæ ſocietatem ambit: ſimili modo; ac idem balſamus aut ejus loco ol. deſtill. cortic. aurant. Lapid. percarum & cancris calcinatis invicem miſtis, pro ſtranguriæ cura additur. Febrifugis fixis quibuſvis, rigore gra-

viore

viore ſub paroxyſmi initiis urgente, aromata acriora, in ſpecie plebis iſtud contra intermittentes euporiſton, debito uſu, non rejiciendum, piper album, aut potius longum, ad plura grana, aut ejuſdem vel caryophyllorum ol. deſt. ad aliquot guttas, commiſcetur. Lentis in febribus, præſertim aliis non benè curatis ſupervenientibus, Poterii antihectico, Sal. Ammoniacum conſultò jungitur. Vix quoque apud nos debellare licet ſcorbutum melancholicum (ut cum Vvilliſio loquar) niſi abſorbentibus quibuſvis, imprimis Martialibus, appropriata iſta, Sale vol. acriori & penetrante impraegnata, vel adjungas, vel præmiſſis ſubjungas, quæ tamen in eodem bilioſo minus tutò, & propterea majori longe cum circumſpectione adminiſtrantur, niſi cephalalgias, aut inſigniores ſanguinis Orgaſmos, eo ipſo concitare velis. Sed ubi finis foret, ulterius ſi pergere vellem? Hîc ergo pedem figimus tribuendo

SOLI DEO GLORIAM.

DISSER

DISSERTATIO XIII.

DE VIRTUTE OPII DIAPHORETICA.

I. N. S. S. T.

STERILE, ſi quoddam aliud, in Schola Medica ſemper extitit dogma illud, à ſuperiorum ſeculorum in *Galenum & Avicennam* Commentatoribus nobis relictum, quo ſimpliciter ex quatuor ſic dictis qualitatibus primis, eorumque abſque fundamento, graduationibus multiplicibus, mirabiles corporum vires, & præſertim ſimplicium operandi rationes, tantùm non omnium dilucidare ſatagunt. Superſtructum fuit illud, ſi primam ejus perſcrutemur originem, ruinoſo & arbitrario ſaltem Peripatetico Elementorum quaternioni, qui præter alias turbas, tam in Theoria Phyſices, quam hujus Praxi, Medicina, huic quoque aſſerto primas occaſiones ſuggeſſit: adeò *Dogmata Ariſtotelis, nullum adjumentum, ſed potius multum impedimenti adferunt Medicis ſtudiis, ſive cum Theoriæ, tum Praxi*: ut loquitur Eruditiſſ. *Jungius*, in *Doxoſc. Phyſ. Min. pag.2. S.1. proœm. Aſſ.1. Schol.3.* Sanè ſi ritè negotium hoc conſideremus, nullas tales in corporibus deprehendere licet, cujuſvis generis qualitates, quas ipſis ordinariò affingimus, ſeducti nimirum per pluralitatem attributorum reſpectivorum, quorum originem ad tot diſtinctas entitates qualitatum malè referimus; cum ex pluralitate & diverſitate occurrentium ſaltem objectorum externorum oriantur. Adeò nec Ignis eſt calidus, caloriſvè tantillum poſſidet, niſi in quantum organa noſtri corporis ita ſunt fabricata, ut ratione motionis celerrimæ ab acidis ejus particulis in iiſdem excitatæ, quam caloris nomine appellamus, illi calorem attribuimus: pariter atque nec ferrum ab eodem calefit, niſi in quantum hoc ab igneis iſtis particulis in ſui minimis motum, noſtris ſenſoriis talem impreſſionem, caloris notione inſignitam facit. Potius qualitatis nomine, (ποιότης à ποιεῖν) cum Curioſo iſto *Gallo*, facilitatem ſive agendi facultatem intelligamus, quæ omnis, cujuſcunque fuerit generis, nunc immediatè, nunc mediatè, ex corporum eſſentia & conſtitutivis principiis fluunt. Pluribus jam ſuſpecta fuit iſta, per qualitates præſertim primas putatas, Philoſophandi in naturalibus ratio, unde *Fernelius* pariter ac *Sennertus*, in aniæ opus eſſe dixerunt, ad manifeſtas qualitates omnia reducere velle. Quarum loco, cùm occultas ſubſtituere nitantur, profectò negotium potius implicant, quam explicant, dum manifeſtarum illarum æque abſcondita ſit, quam occultarum qualitatum natura: & nemo Illorum, caloris in Igne Naturam & operandi modum clarius explicare potuit, quam magnetis, ferri vim Locomotivam. Obſervarunt hoc plures, in Theoria Phyſica excellentes Medici, unde ſub ætatis ſuæ tenebris, ſi quis alius Lynceus *Fernelius*, hinc inde in eleganti & erudito, *de abditis rerum cauſis* Tractatu, operationes corporum ſingulariores, à tota eorum ſubſtantia oriri ſtatuit, pluribus applaudentibus Naturæ conſultis: id quod reipſa idem ſonat, ac cum Modernorum plurimi, audacis ingenioſique (ut *Boyleo* hactenus incomparabili, in *præfat. introduct. in Chym. Scept.* audit) Helmontii terentes veſtigia, ex ſeminibus & virtute rerum ſeminali, quaſlibet concretorum naturalium dotes derivant. Nempè ut illi, in rei ſubſtantia, formam in ſpecie conſiderarunt, per materiæ modificationem operantem, ita hi principium ſeminale, mediante ſpeciali materiæ textura, ceu quorumvis attributorum & qualitatum fundamento, activam, reſpiciunt. Atque hic terminus eſt ultimus, ultra quem progredi neſcit humana de naturalibus rebus cognitio, ſiquidem tam Tota iſtorum ſubſtantia, quamvis horum ſeminalis à priori nobis Mortalibus planè deliteſcit incognita, quia immediatè fluit ex imperſcrutabili ſapientia & omnipotentia Divina, cujus revera ſunt characteres, ab aliis Ideæ appellati, materiæ ſub prima corporum creatione impreſſi, quorum beneficio & adhuc dum fœcunda exiſtunt rerum ſemina, & qui ipſi à priori nullo modo, ſed à poſteriori ſaltem per effectus à nobis cognoſcibiles exiſtunt. Exerunt autem ſe, tam in corporum productione, quam productorum operatione, per multiplices materiæ Schematiſmos, ſive conformationes & permutationes mechanicas, ac propterea ex materiæ ſecundum minima textura ac modificatione multiplici & inde dependente varia ad alia concreta habitudine ſive reſpectu, tam activo quam paſſivo, ceu fonte tot attributorum, clarè magis, magiſque diſtinctè, quam ex qualitatibus, nomine tenus ſaltem notis quibuſvis, admirabiles iſtæ operandi rationes explicandæ veniunt. Specialis autem iſta à ſemine immediatè fluens, & in minimorum figura, magnitudine, ſitu, ordine, & nexu, &c. Proximè fundata textura; cum ſub tanta ſpecierum & individuorum varietate tantum non ſit infinita, pro ſublevando ab infinito abhorrente intellectu humano, in pluribus explicandis corporum Phænomenis, ad bina univerſaliora iſta naturæ imprimis, hinc & artis, illius imitatricis inſtrumenta materialia quaſi mechanica, minima acidi & alcali confugere omnino neceſſe habemus. Quæ omnia & iſti agendi facultati corporum, horumve partium, reſpectu cujus in animalium præſertim hominum corporibus, nunc alimentorum, nunc medicamentorum, nunc Venenorum nomine veniunt; applicanda ſunt. Quatenus illa, ratione materialis ſeu mechanicæ ſecundum minima texturæ, partium noſtri corporis texturam & conſtitutionem, vel conſervare, vel immutare vel deſtruere valent, quas actiones neceſſariò noſtræ cognitionis ſenſualis, hinc & intellectualis reſpectu, varii conceptus & notiones multiplices comitabuntur, quarum occaſione tot qualitates in iſtis objectis vulgò ſtatuuntur, quod attributa reſpectiva in iis deprehendere licet: quod ut perquam inconveniens eſt, ita multò magis, multiplici errori anſam ſubminiſtrare ſolet, ſi ex quatuor elementorum horumque primis qualitatibus, earumque Syzygiis particularium iſtarum qualitatum originem, & operandi modum derivare velimus. Illuſtrat hæc omnia, ut unicum in medium producamus *Opium*, vi ſua polychreſta, nec unquam

quam ſatis laudata, qua & ſomni nobis dulcedinem conciliat, & doloris ſuave lenimen præſtat, & quævis in Republica noſtra microcoſmica turbata pacatiora reddit: cujus ſingulariſſimæ dotes, dum ab uno frigori ejus ſummo adſcribuntur, quod tamen calidum intenſè ab alio affirmatur, dici nequit, quas lites excitant, de Lana caprina omnes. Quas ut in præſentiarum miſſas faciamus, vis ejus diaphoretica nos monet, quam ſolam conſiderare eſt animus, cui cœpto ſupremus annuere velit *Archiater*.

CAPUT I.

Effectus Opii in partes contentas conſiderat.

THES.

Opium quaſvis excretiones ſiſtit, præter ſudorem, idque nec in partes ſolidas nec in partes fluidas agendo, ſed ſaltem ſpirituum animalium impetum refrænando.

§.I. GRaviſſimè licet decumbant ægri, & peſſimo verſentur in ſtatu, modo ſomni blanda frui datum ſit illis quiete, præſentiſſimum ſolamen & levamen exoptatiſſimum ex eo percipere aſſolent, *adeo ut arcanum in Medicina, ſupra omnes gemmas & Lapides pretioſos*, meritò ſomnus audiat *Croll. Baſil. Chym.c.7.p* 198 Nam præter alios uſus, & hoc ſimul ex eo ſperare licet beneficii, quod juxta tritum Practicorum axioma, *ſomnus omnes fluxiones, excepto ſudore ſiſtere ſoleat.*

§.II. De ſomno naturali quod hic aſſeritur, hoc ipſum de eodem, quatenus artis beneficio per ſoporifera remedia, quorum anteſignanum eſt Opium hujuſque nunquam ſatis laudatum Laudanum, adeoque de ipſis etiam auxiliis ſomniferis affirmandum pariter venit, quod hæc ipſa præter ſuavem ad ſomnum propenſionem, quoſvis humorum motus cohibere, & ſpecialius quaſvis excretiones præter ſudorem compeſcere ſoleant.

§.III. Quotidianæ hoc debetur experientiæ, quæ tam de naturali contentorum in corporea noſtra machina motu, hoc confirmat, quam vel maximè de p. naturali eorum, vel in certa loca intra corpus effuſione, vel per certa loca extra corpus excretione idem oſtendit. Equidem naturalem contentorum fluxum per alvum & veſicam non ſolum cohibere aptum natum eſt opium, ſed ipſum etiam ſanguinis in orbem reditum ſedatiorem ſuo uſu reddit, cum pulſus exindè factus rarior & tardior, quam ante ejus exhibitionem fuerat, quietiorem ſanguinis circuitum innuat, & reſpiratio ipſa quoque minor & minus frequens exinde reddita, moderatæ magis per pulmones ſanguinis trajectionis teſtis adſit. Sub quo ſanguinis blandiori fluxu & refluxu, lymphæ quoque tardior neceſſariò ſequitur motus, propterea que ex opiatorum uſu ſubinde faucium ac Linguæ aliqualis ſiccitas, & ſitis urgentia obſervari ſolet, minus copioſa ſalivali lympha illas eluente. Quin imò, in tantum etiam cohibuiſſe contentorum corporis reciprocos fluxus, ad vitam continuandam ſummè neceſſarios, opiata obſervata fuerunt, ut penitus ceſſantibus his ipſis, vita cum morte commutata fuerit. Ob id ſc. tam ſolicitè monent Practici, ne niſi ſub aliquali adhuc virium robore, remedia iſtiuſmodi, nec niſi exactiſſimè correcta, propinentur.

§.IV. Evidentiora ſunt longè, quæ ſub p.n. contentorum corporis motu ab opiatis contingunt. His & vomitus & diarrheæ auſpicato ſupprimuntur, dyſenteriæ graviori abſque opio ſuccurrere difficile, ne dicam impoſſibile eſt non ſecus ac Choleræ. Sanguinis quæ fiunt, eò pericoloſiores effuſiones, quo vitæ nectar immediatè magis exhauriunt, per quæcunque loca, ſive alvum, ſive veſicam, ſive nares, ſive os, ſive uterum, &c. Frequenter ab Opii vi compeſcuntur. Diabeticorum urinarius limbus per Opiata ſiſtendus venit. Quas lymphæ effuſiones catharrales inducunt affectiones, præſertim thoracem cum aſpera arteria, (ceu quæ frequentiores magis illius patiuntur inundationes) affligentes, ab opiatorum vi promptè reprimuntur. Ipſa copioſior, etiam à Mercurio concitata ſalivatio per Opium moderamen patitur. Ut taceam febrium univerſum exercitum, in corporis fluidis, præſertim ſanguine, ferè omnia ſurſum deorſum miſcentem, cujus impetus ferociores, & reprimit Opium, ac refrænat in continuis benignis, in malignis verò utramque faciunt in cura paginam, ut *loquitur I. D. Horſtius jud. de Chirurg. Infuſ. p.47.* Dum intermittentium paroxyſmos ſenſibiliter repellit, rigores potenter minuendo, & cætera ſymptomata mitigando.

§.V. Sed in omnibus his contentorum ab opio quoad ſui motum factis immutationibus ſudor ſupereſt, qui tantum abeſt, ut ab Opiatis ſufflaminetur, ut potius ſtrenuè & profuſè proliciatur, tam ab iiſdem ſolitarie aſſumptis, quàm aliis præſertim diaphoreticis additis, quorum agendi potentiam, mirum quantum opium intendere ſatagit, adeò ut inter ſudorifera excellere Opium dicatur *Vvalæo tr. meth. medend. p.65.* cui conſtans Practicorum conſenſus omninò ſuffragatur, & ante eum jam notarunt, tam *Germanorum Plinius Geſnerus, in Ep.l.2.p.61.& 69.* quam *Platerus in Obſ.l.2.p. 491.& l.3.p.633.& 727.* Conf *Hochſt. decad.3.caſ.I.Sch.*

§.VI. Conſiderandum jam ante omnia, qua ratione priores illos, liquidorum motum ſiſtendi effectus perficiat Opium. Ubi imprimis obſervandus venit duplex in Medicina corporis noſtri hydraulico-pneumatica contentorum ſive humorum motus: Localis unus, ſive progreſſivus, alter inteſtinus ſive plus minus fermentativus. Localis, totius molis liquidæ per ſuos ductus & canales eſt tranſlatio, reſpectu cujus in ſanguine Cordis muſculus antliæ vices ſubit, tranſvaſando ex venis ſanguinem per medios pulmones in arterias, præter quod officium, an aliud præterea ſanguini conferat beneficium, meritò dubitatur, ſaltem hactenus ignoratur. Inteſtinus ille ſecundus, eſt minutarum illarum contenta noſtra liquida ſive humores componentium particularum continuus reciprocus motus, ratione cujus non tantum in fluiditate continua conſervantur eadem, ſed etiam fermentationis & turgeſcentiæ, tam naturalis quam p. naturalis, & inde natæ multiplicis alterationis & immutationis, ſecundum minutarum iſtarum particularum Syncriſin, diacriſin & metaſtaſin, ſubeunt viciſſitudines, undecunque etiam, minutiarum illarum continuatus dependeat principaliter motus, ut ut Salium ſic dictorum varietas, præſertim acidi, inſtrumentaliter plurimum omninò conferat.

§.VII. Inteſtinum hunc motum ab Opio ſupprimi, à nemine hactenus aſſertum fuit. Ac obſtat exilis iſta, aliquot ſaltem granorum doſis, quo minus Craſin materialem illorum immutare, & conſequenter dependentem ab illa inteſtinum motum ſiſtere plus minus valeat: de quo pluribus infra. Quatenus tamen, ut ex ſequentibus patebit, localem humorum motum refrænat, & ſupprimit plus minus, etiam ad inteſtinum motum, ab illo certa ratione, quoad aliquem modificationem dependentem, nonnihil moderandum conferre poterit: præſertim ſi ex confluentia quorundam liquidorum, hic ipſe vel oriatur primario, vel ab iis certa ratione intendatur, qualis eſt Chyli cum felleis & pancreaticis liquidis, ſanguinis cum his ipſis & lympha: &c. Hac enim ferè ratione, ex parte & febrium impetum nonnihil compeſcere, & intermittentium præſertim plura ſymptomata refrænare, probabile eſt.

§.VIII. Localis ergò ſpeciatim eſt motus fluidorum, quem Opium plus minus ſiſtere valet. Ut quando

ſuperiori anno, Juveni ex incautius hauſto Vino emetico Antimoniali, in hypercattharſi ultra 14. dies adeò copioſa, ut ſeceſſuum numerum referre, (mendacii ſuſpicionem declinans) non libeat, eſſentia theriacalis cum dimidio eſſ. Opii propinata, præſentaneam opem, 40. ſaltem guttarum doſi attulerit. Circa hunc motum localem tria conſideranda veniunt: 1. ipſum fluidum motum: 2. pars Organica, à qua & per quam inſtrumentaliter movetur: & 3. ſpiritus impetum faciens, à quo principaliter omnis oritur motus. Vnde unius vel alterius horum trium reſpectu, Opium vim ſuam exerere, omnino neceſſarium erit.

§.IX. Humores fluidos quod attinet, horum motum, qua talium, cohibere nequit opium. Locali in motu, fluida illa paſſivè ſe habent, & quæ naturali impetu, deorſum ſaltem ruerent, intra certos corporis canales coërcita, ſecundum horum conformationem, promoventis impetu undequaque diſtribuuntur, adeoque ſupra & infra neſciunt, ſuntque tam in fronte, quam in pedibus, ut de ſanguine loquitur *Helmont. tr. Terra*: §.7. cum quo *conf. Eruditiſſ. olim. Patavinorum Sanctorius: in Meth. Vit. Error*. p.710. & 874. Opium ergo talem motum, quomodo in his fluidis inhibebit, dum alieno ipſi ſubſunt & parent imperio. In quem ſcopum finge, occaſione ſpiculorum antimonialium, cum Vino infuſionis croci metallorum, aut Vitr. Antimon. hauſtorum, & Vomitus multiplicis materiæ, & variarum ſordium ſeceſſus provocari, quibus quocunque modo aut quanto ſocietur opium, quid adjumenti hoc conferet fluido,qua tali,ſiquidem hujus mole obrutum & abreptum,ſimul evacuabitur;Nam conſiſtentiam fluidi, ab Opio minutari immediatè, nondum hactenus compertum fuit. Adeò ut Opium fluidorum motum cohibeat, abſque ulla in fluida ipſa actione.

§. X. Conſiderandæ jam partes ſolidæ, qua tales, an harum ex affectione & Opio ſuſceptâ, illæ in contentorum motu alterationes dependeant, cum ab his moveri liquida, & modo § 8. dictum ſit, & experientia iſta commonſtret. Sed quo minus & harum reſpectu, Opium ſiſtat contentorum Lationes, patet non ſolum ex parva iſta doſi, qua propinantur, (de quo infra,) quæ non ſufficiens eſt, ut partes ſolidas tam notabiliter in ſuis functionibus motivis cohibere queat, ſed etiam ipſæ ſolidæ partes inſtrumentaliter ſe habent, ad fluidorum motum, quatenus principium movendi ex ſe ipſis non habent, ſed ab aliena potentia, ceu organa ſaltem moveri & ipſæ ſoleant. Ad hæc, qua ratione in eas agit opium, an ratione texturæ illarum materialis, & inde natarum multiplicium proprietatum ſenſualium ſive temperaturæ, an ratione conformationis ſuæ mathematico-mechanicæ, ratione cujus ineſſe organico conſtituitur? Non ratione hujus, cum nullum immutatæ organiſationis ſeu conformationis ab Opio inductæ innoteſcat veſtigium: pariter atque in ipſa textura materiali, qua tali, & inde natis qualitatibus temperaturaque, ab Opii uſu, ulla immediate facta mutatio haud apparere ſoleat.

§. XI. Dum ergo Opium proximè, nec in continentes ſeu ſolidas, nec in contentas partes ſeu liquidas, harum motus, & inde natas excretiones ſiſtendo agat, ſuperſunt ſpiritus, ſive impetum facientes Hippocratis, quos conſideremus, quid hoc in negotio vel agant, vel patiantur ab Opio. Hiſc. ſunt, animales ſpeciatim appellati, qui fibrarum motricium beneficio, omnis in corporis Oeconomia localis motus exiſtunt autores primi. Hi Rota ſunt ſuprema ſive magna, quæ alias Rotas in corpore humano (tanquam artificioſiſſimo automate) circumagit, ut eleganter loquitur *Illuſtr. B. de Verulamio: Inſt. V. & M.* pag 94. 193. Horum ergo quamdiu viget impetus elaſticus, etiam fibrarum motricium ritè fabricatarum tonus, & inde dependens tam ad externorum objectorum promptiſſimè recipiendam impreſſionem ſenſilem proclivitas, quam continuus ad motum nixus, debito in robore vigebunt, adeoque quamvis partium continentium localis motus, cum contentarum promptiſſima undique diſtributione, quin & pro occaſionum varietate inordinata commotione & nonnunquam excluſione continuabit. Sufflaminato autem nonnihil ſpirituum illorum impetu motivo, & inhibito quadantenus radioſo illorum influxu, ceſſabit, etiam proportionaliter fibrarum tonus, remittet una ſenſilium facilis receptio, & langueſcet fibrarum motivus nixus, adeoque contentorum hinc ſedatior longè ac tardior ſuperveniet fluor.

§. XII. Refrænat hunc ſpirituum impetum, & ſegniores quaſi reddit eoſdem Opium, quod notiſſimi ejus in corporibus noſtris effectus, *ſomnolentia* & *indolentia* teſtantur. Ibi langueſcens ſpirituum impetus, minus vigoroſè per univerſum ſyſtematis nervoſi extenditur, unde præſentes licet undique non æque ſufficientes tamen pro ſenſationum & motionum externarum obeundis muniis eſſe ſolent. Hinc flacceſcente fibrarum ſenſilium Tono, haud æquè validè ab objecto licet intenſiori vibrari poterunt, unde nec ſpirituum jam in Elatere ſuo remittentium ſufficiens repercuſſio ad primum commune ſenſorium fieri, nec fibrarum doloroſè commotarum ſuperveniens ſpaſmus ordinarius & convulſiva tenſio procedere poterit. Sub quo ſpirituum aliquali quaſi ſtupore per Opium inducto, & ſenſationes externas, & motiones pariter locales, tam partium ſolidarum, quam contentorum in illarum alveis fluidorum remittere inſigniter, neceſſe erit.

§.XIII. Et horum duorum effectuum ratione, *torpeſcentis* nempe *tactus*, & *remittentis* fibrarum motricium *Toni*, accidit, quod Opium quoſvis humorum motus ſiſtere, & ſpeciatim quaſvis excretiones, ſudore excepto, compeſcere ſoleat. Hæc duo enim ferè in quovis tam naturali, quam p. n. contentorum motu ſunt obvia, partis ſcilicet moventis irritatio, & hinc fibrarum ejuſdem motricium contractio, indeque fluidorum contentorum multiplex motio. Nempe quotieſcunque pars quædam ſenſu moleſto vel noxio infeſtatur, fibrarum ſenſilium inordinata & vehementiore vibratione, ſpirituum ad eam provocatur impetus, à quibus aucta & plus minus ſpaſmodica earum tenſio perficitur. Contractis ſic fibris, vaſa quoque tam ſanguifera quam lymphatica, aliaque & quicunque partis meatus ſtringuntur plus minus, indeque vel remorato contentorum tranſitu, horum circa locum ita affectum ſtagnatio,unde ſuperveniens tumor, vel copioſior per vias aut conſuetas,aut inſuetas apertas tamen vel facilè aperibiles, pro circumſtantiarum ratione effuſio.

§.XIV. Pro quorum illuſtratione conſidera acidum illud, mole ſubinde minimum, quod dentis plus minus carioſi radicem nerveam, & fibroſam pungit & rodit, ac doloroſè irritat. Brevi exinde, non faciei ſaltem ex illa parte, ac temporum, ſed totius capitis hæmiſphœrii tenſionis & plus minus lacerationis ſenſus, ſpaſmi fibrarum manifeſtus index, cum non raro tumore malæ, nunc ſanguineo, nunc lymphatico, h. e. Phlegmonoſo aut œdematoſo ſupervenit, cum copioſiſſimæ ſalivæ limpidæ effluxu, pertinaciori fibrarum nervearum ſtrictura ex glandulis immediatè, mediatè ex ſanguineis vaſis expreſſa. Aſt Opium ſi interno uſu, ſomnum provocarit, doloremque levarit, vel loco dolenti applicatione ſenſilitatem ejus ſtupefecerit, vel ſua ſponte tandem dolor deſævierit, breviter & hemicraniæ affectio, & externarum partium tumor, & ptyaliſmi profluvium ceſſabunt. Quæ ipſa, & Oculus à tantillo aſperiori pulvuſculo læſus, & digitus à parva ſpinula in ſui extremo infixa moleſtatus, & ſtomachus à ſpiculis Antimonialibus irritatus, & recti extremitas, à reſina viſcidiore aloës infeſtata, & aſperæ arteriæ ſenſibiliſſima tunica ab inclementiore aëre læſa, aliaque ſexcenta Corporis Oeconomia quotidie obvia ſufficientiſſimè mutatis mutandis confirmant.

§.X. Sanè Opium pro ratione ſuccorum inſpiſſatorum, ex vegetabilibus, gummoſum concretum eſt, ſed quod ceu nucleum medicamentoſum, reſinam in ſe complectitur. Reſina hæc, eſt proximum virtutis tam ſomniferæ, quam diaphoreticæ ſubjectum, unde & Spirit. Vin. mediante ex Opio extrahi, & hoc ipſo, ceu appropriato in textura menſtruo ſimul exaltari ſolet. Reſinæ, concreta ſunt ſingulariter concentrata, & ex pluribus diverſæ naturæ minutis corpuſculis invicem arctè complicatis contextæ. Nempe quod in ſicca conſiſtentia reſinam refert, hoc ferè totum, per Ignem liquefactum ſeu attenuatum & reſolutum, ol. Deſtill. exiſtit. Res clara eſt per experientiam, quæ ex oleis Deſtillatis, per *ſpirit.* Nitri, rectif. vel per ol. Vitrioli, nunc reſinam perfectam, ut in ol. Deſtillato aniſi, aut pinguedinis humanæ, nunc concretum therebinthinatum, ceu reſinam liquidam ut in ol. Deſtillat. therebinth. nucis moſch. juniperi, &c. Repræſentat. Sicut idem manifeſtum evadit, ſi ex lignis medicamentoſis per Spirit. Vin. probè rectificatum eſſentiam extraxeris, quæ facili labore vel cum Aqu. com. præcipitando, vel Spirit. Vin. abſtrahendo in reſinam redigitur, ipſo reſiduo ligno, per retortam Igne aperto, more ſolito deſtillato, nullum vel parcum ol. ſuppeditante, quod alias copioſum & penetrans admodum fundebat, teſte, præter experientiam, *Vvilliſio: tr. Phar. Ration. p.1. ſ.5. c.2. p 214. de ferment. cap.2. pag.16.* Jam vero ol. deſtillata, quæ mutata conſiſtentia per aliqualem coagulationem reſinas exhibent, nil aliud eſſe deprehenduntur, quam Salia vol. à pingui occultè acido concentrata. Comprobant hoc non ſolum plura (nam de omnibus ſpecialis, adeo nondum facta experientia) ol. deſtillata, v. g. Tartari, therebinthinæ, C. C. &c. Quæ mediante cum alcalibus fixis digeſtione, in Sal. vol. abeunt, ſed etiam fuligo, ex talibus oleoſis maximam partem conſtans, Sale vol. oleoſo turgida. Nam quod ſub clauſo vaſe Deſtillando ſeu per Ignem liqueſcendo, abit in ol. Deſtillat. empyreumaticum, hoc in aperto Igne deflagrando abit in fumum, & hinc maximam partem fuliginem. Hæc fuligo præter Phlegma acidum ſuggerit ſpiritum urinoſum, & Sal. vol. acerrimum manifeſtum, & ol. empyreumaticum, ſimile oleoſum, ex ligno alias Deſtillando. Scilicet quantum pinguedinis, Sal vol. in reſinam alias colligantis concremando deſtructum fuit, tantum Sal vol. contagio oleoſo adhuc affecti haberi poteſt, quantum v. reſinæ attenuatæ, oleo propter defectum deflagrationis haud liberatum fuit, oleum fuliginis conſtituit. Scil. ut rectè loquitur *Helmont. tr. Complex. & Miſt. Elem. figm.* §.33. p.89. *Fuligo, eſt partim Sal vol. concret. præſervatum ab inflammatione, propter aquæ evolantis commiſtionem, partimque eſt oleum, quod evolandi celeritate combuſtionem præterfugit.* Tandem compertum eſt, Vegetabilia aromatica, & quæ per veſicam ſimplici Deſtillatione ol. Deſtillat. ſuggerunt, eadem fermentata, ſubminiſtrare illorum loco ſpiritus ardentes, ceu olea attenuata & in eſſentiali Phlegmate ſoluta, putrefacta verò, ſuggerere Salia vol. urinoſa, ſatis copioſa, iſtis animalium Salibus vol. ſimillima, oleoſæ nempe pinguedinis reſolutæ per putredinem, adeoque ſic ſimul acidi enervati occaſione. Ut adeò ferè concludendum videatur, Reſinas & olea, eſſentialiter non niſi conſiſtentia differre, utraque verò eſſe Salia vol. oleoſa, ſeu olei beneficio, ratione occulti hujus acidi, paulò intimius concentrata.

§.XI. In ſimili concreto reſinoſo cum conſiſtat vis opii, tam anodyna, quam diaphoretica, dividere illud, & utrique effectui diſtinctum ſuum efficiens tribuere ſatagit *Helmontius*, ut ex ſupra allegatis manifeſtum eſt, adeoque Sulphuri vim ſomniferam, Sali vol. acri ſudoriferam adſcribere. Equidem negari haud poteſt, Salia vol. præſertim oleoſa, potiſſima eſſe, & efficaciſſima diaphoretica, eoque potentiora, quo actiora & penetrantiora, quæ effectivè ſanguinem alterando, & quaſi diſſolvendo, ſudoris rivos profundi faciunt, ut ſupra §.3. inſinuatum fuit, & per experientiam hactenus confirmatum. Sed pro hoc effectu requiritur omnino determinata, eaque tanta eorum doſis, quæ univerſæ maſſæ ſanguineæ ad plures libras aſcendenti, vel immediate, vel (ſi hoc minus placeat) mediatè (per præviam fluidorum in primis viis alterationem) alterandæ, plus minus ſufficiens ſit: quæ ad gr. xv. & ℈j. ſubinde ad ʒß. extenditur; ſed Opii ſive crudi, ſive quocunque modo præparati doſis medicamentoſa (nam de conſuetudinis legibus & alimenta & medicamenta multipliciter determinantibus, non attinet dicere) ultra 2. l. 3. gr. ad ſummum haud extenditur, rarò ſiquidem hanc ſuperare ſolet Medicus, ſæpius infra ſubſiſtere, cum vj. grana funeſta admodum obſervata fuerint. Sanè, ſicut non intelligibile eſſe rectè *Helmontio* dicitur, *tr. Duumviratus* §.5. *quomodo unicum opii granum ſat frigoris in ſtomacho cauſet. ſatque vaporis actualiter frigidi in caput egerat*: ut nempe ex Veterum quorundam aſſerto ſomnum inducat; ita pariter haud conceptibile exiſtimo, quomodo unicum alterumve opii granum, etiamſi purum Sal vol. eſſet, ſanguineam maſſam, quocunque modo alterare, & ſudorem provocare poſſit; Niſi continuato diutius opii uſu, ſucceſſive alteratio quædam ſanguini, & inde derivatis cæteris ſuccis inducatur, ratione cujus ad ſudoris vel urinæ uberiorem dimiſſionem plus minus diſponatur: uti exempla à *Vvilliſ.* adducta, *Pharm. Rat. pag.1. S.7. cap* 1. oſtendunt.

§. XII. Accedit & hoc, quod ipſum propinatum opium neceſſario quaſdam, plus minus tamen in viis primis ſubeat alterationes, tam in Ventriculo quam duodeno, unde ſi non infringi, certè non exaltari continget ejus efficacia. Hinc enim quorum ſtomachus acidum digeſtivum intenſius ſpirat, minus ab opio alterari ſolent, quia hoc magis ſubigitur, vel ab acido quaſi caſtratur. Unde nec adeo commodè opium, quamvis humorum acrimoniam corrigere vel infringere dicitur à *Sylvio*: l. I. prax. c.15. §.*26. 27. 37.* & 48. obſtante exilitate doſeos, pro notabili adeò effectu, etiamſi repetitis quoque vicibus propinandum foret. Ut taceam alias rationes à *Vvilliſio* P. R. Vol. I. ſ.7. c.1. p.291. allatas.

§. XIII. Haud equidem me latet, minima ut plurimum maximorum morborum eſſe initia, & mole minimum corpuſculum maximos effectus præſtare poſſe: atteſtantibus id apertè, alia ut taceam, venenis, in minima mole perniciem univerſo corpori minitantibus: confirmantibus hoc contagiis, ſub minimo & nullo perceptibili ſenſuum miaſmate, univerſam corporis œconomiam turbantibus, tam acutos, quæ excitant morbos, aut febres malignas, quam quæ chronicos, ut in lue Venerea & ſcabie manifeſtum eſt. Ita è contrario, & minimum ſubinde eſt medicamenti, à quo maximus & inſignis effectus pro univerſi ſalute dimanat, quod ſub reliqui corporis cortice, tanquam exilis, utut pretioſiſſimus nucleus eſt reconditus. Sed iis remediis, quæ alterando contenta corporis, & ſanguineam maſſam in craſi & conſiſtentia ſolita (ſaltem ad tempus) immutando, operari debent, idque corporali ſeu materiali ſui miſcela ac contactu, qualis modus in opio, ratione Sal. ſui vol. acris, putati ſudoriferi, omninò requiritur, iſta minimorum, qua talium, maxima agendi potentia, minus applicari poteſt. Talia enim minima agentia operantur ſaltem, vel quatenus vi alterativa & plus minus fermentativa immutare contenta, vel acutiſſima ſui textura irritare ſenſibilia ſolida poſſunt. Neutrum opio convenit: non irritat, d. irritationis ſenſum potius tollit: non fermentat, quia nullum talis effectus veſtigium in corpore obſervabile ejuſque contentis eſt. Adeoque ad agentia iſta, maxima ſub mole, minima, referri nequit.

§.XIV. Equidem inanis videri poſſit ille labor, qui

virtutes

virtutes operandi ex certis ingredientibus ſeu partibus integralibus concretorum inveſtigare ſatagit, cum quælibet proprietates rerum, & inde agendi qualitates, tam occultæ dictæ, quam manifeſtæ putatæ, fluere è gremio ſeminum, rectè dicantur ab *Helmontio, tr. progym. meteor.* §.28. unde etiam nonniſi à ſeminali virtute, tam vis ſoporifera, quam diaphoretica opii derivanda erit, unde etiam *ſeminalem dormitivam vim* Opio adſcribit, is ipſe, *tr. Natur. contr. neſc.* §.37. Sed utut agens ſeminale in minimo fundatum ſit, cum ſui corporis ſaltem 2800. pars eſſe dicatur; tamen cum ens materiale revera exiſtat, adeoque & generaliſſimis materiæ proprietatibus omnino obnoxium ſit, (formali licet agendi poteſtate in concreti generatione inſtructum,) prætereaque corporum genitorum proprietates quæcunque, nonniſi materiæ ſpeciatim contextæ beneficio immediatè explicentur, ac ex ſpeciali talis materiæ textura immediatè fluant, & nonniſi ab illa proxime dependeant. Pro ipſius quoque principii ſeminalis conſervatione, certa materiæ cui ineſt diſpoſitio, ſeu textura materialis requiratur, qua deſtructa, & ipſa vis ſeminalis perit, unde Ignis ſeminum deſtructor dicitur *Helmontio*, forſan quod ſeminale concretorum principium, nonniſi ſub Sulphureo deliteſcat tegmine, proxime ab Igne quod retexitur. Ipſæ denique rerum multiplices proprietates tam ſpecificæ ſeu ſingulares, quam pluribus aliis communes, pro concreti textura materiali plus minus mutatæ & alteratæ, etiam & ipſæ mutabiles exiſtunt. Sanè ob dictas cauſas, vis corporum operativa, nonniſi in certis materiæ, ex quibus conſtant, particulis, & ſpecifica harum textura proxime inveſtiganda venit, utut originaliter virtuti ſeminali, omnia iſta adſcribenda veniant. In Opio ergo, utut cum tota papaverina planta, & quibuſvis ejus partibus, tam ſolidis quam liquidis, & quibuſvis earum proprietatibus, à ſeminali potentia vis ſudorifera & ſoporifera omninò dependeat, tanquam à primo efficiente, proxime tamen, in materia ſeminali ſeu formali per ſeminale ens facta textura, utraque conſiſtit. Unde etiam pro mutatione texturæ illius Opii ſpecialis materialis, ſecundum ſimplices mechanicas aliaſve communes modificationes, ab aliis agentibus factas tam vis ſudorifera, quam anodyna, v. g. caſtrari, per acida, aut nonnihil mitigari & corrigi per alcalia aſſolet.

§. XV. Cum itaque Opio nullum jus ſit alterativum in ſanguinem, pro eliciendo ſudore, proximum eſt, ut conſideremus, qua ratione cutim pro ſudoris adjuvanda excretione afficere valeat. Quo in negotio alius ſupereſt nullus modus, niſi ut tubulorum excretoriorum ac pororum aperturam, glandularum laxitatem, & hinc cutis raritatem promoveat, adeoque nervoſorum ſtaminum relaxationis inſerviat. Jam vero ex ſuprà oſtenſis c. I. §.10. manifeſtum evadit, opium nullam partem ſolidam qua talem, adeoque nec cutim, in excretionis negotio adeò notabiliter afficere poſſe, adeoque nec fibrarum laxitatem, nec earundem contracturam efficere, cum huic operandi modo & rationes eædem, quæ modo contra ejus in ſanguinem activitatem allatæ, repugnent. Neceſſariò ergo ſequitur, cum ipſum cutis reticulum afficere nequeat, nec contenta fluida alterare in ſpiritus animales, fibras cutis vario tono moventis opium ſaltem agere, & horum adeò ratione, ſuique mediate ſaltem fibrarum laxitate, hinc cutis mollitie, laxa glandularum ſpongioſitate, & tubulorum excretoriorum apertura, ſudoris profuſionem præſtare.

§.XVI. Supra ſcilicet explicatum fuit, cap I. §.12. Opii uſu, certam ſpiritibus animalibus quaſi ſegnitiem & torporem, indeque in movendis partium organicarum fibris languorem induci, quo ipſo vel ſpontè ſequitur, eodem remedio & fibroſorum cutis ſtaminum tonum & tenſionem adeò relaxari, ut flaccidiore hinc reddita cute, & copioſius emulgere ex Maſſ. Sang. glandulæ, & uberius per tubulos excretorios excernere valeant. Paucis ut rem explicem, Opium per accidens, aperturam pororum ſudatoriorum procurando, uberius ſudoris profluvium emanare adjuvat.

§.XVII. Ut aſſertum hoc noſtrum pateat clarius, ſomnus in confirmationem ejus accedat, qui promptiſſimè ſudores profluere facit ſpontaneos, etiam in iis, qui vigilantes tale quid haud ſentiunt, aut interdum non abſque labore & difficultate elicere valeant, utut quaſvis alias excretiones ſiſtere ſoleat, ut jam ſupra monitum. Languet in ſomno ſpirituum impetus viſque eorum elaſtica, unde debiliori radio emanando, & ſaltem motibus ſic dictis naturalibus pro neceſſitatis vitalis ſaltem urgentia inſerviendo, minus tendere cæteras motrices fibras pro motu animali in partibus præſertim exterioribus valent, indeque tardiorem fluidorum motum localem hoc ipſo procurant, qui utut ceſſet quibuſvis aliis in locis, per apertiores tamen tunc cutaneos meatus, ex remittente fibrarum ſtringentium tono, uberius profluit, & ſudoris latice corpus largiter irrorat. Somnum talem arte conciliant opiata, unde clarum erit, quod & ejus conſequens ſudoris profluvium, modò contenta fluida ritè ad talem excretionem diſpoſita fuerint, parili ex ratione ſuperveniat. Hinc ſc. opiatorum ex uſu ſudor emanare vix obſervatur, niſi ſomnus illorum effectu vel obrepat, vel debita ſaltem quies aut indolentia, aut laſſitudo quædam corpori, ejuſque partibus concilietur.

§ XVIII. Illuſtrant præſens negotium ſimiles ſpontanei Syncopizantium pariter ac agonizantium ſudores Utut enim ex ſanguinea Maſſa non æque hi elici ſoleant, *cum morientium ſudor* autore *Helmontio*, *tr. Latex humor neglect* : *non ſit tam latex in ſui natura, quantum ros alimentarius reſolutus, cui mors imperat, quod patet, nam ſtatim corporis habitus ſiſtit, prout & in ſyncope.* Quod pariter de pavidorum & perterrefactorum frigidiuſculo madore pronunciandum. Non tamen, niſi ex pororum hiatu, à fibrarum relaxatione nimia, ſpirituum moventium, ſive illas tendentium ex defectu, ſpontanei hi ſudores erumpunt. Nempe jam olim *Hippocr. ſ.5. aph.*71. annotavit, *quibus arida & dura cutis obtenditur, ſine ſudore moriuntur, quibus v. laxa & rara, cum ſudore* vita defunguntur. Hinc iſtis & urina interdum involuntariè perfluit, aut abſque prævia admonitione ſecedit. Iracundis ex oppoſito, vel furioſis, ſudor nullus, ſpirituum ob concitatiorem impetum, & fortiorem fibrarum tenſionem.

§.XIX. Parili ex ratione, & magnis in doloribus præſertim capitis, aliarumvè partium vel ſenſilium, vel cum nervoſo ſyſtemate ſingulariter conſentientium, obſervavi, corpore etiam quieto exiſtente nullum ſudorem prolici potuiſſe, niſi forſan pernicioſum, & quaſi ſymptomaticum, eumque vel parcum vel ſaltem particularem. Non ſecus enim, atque talibus occaſionibus, ex continuata ſpirituum agitatione ac motu, ſomnus impeditur, etiam non interrupto eorum in quaſlibet partes, adeoque & cutis poroſa ſtamina influxu, fortior horum tenſio, tubulorum ſudatoriorum occluſio, & inde ſudoris ſuppreſſio ſecutæ fuerunt.

§.XX. Ea, quæ nos ambientia ſudoris profluvium evocare ſolent, modò dicta roborant. Eminet hic calor ambiens, tam ſtragulorum, quam hypocauſti, aliove artificio inductus. Fundit equidem hic ipſe & rarefacit corporis fluida, & ita ad excretionem ſub ſudoris forma, eadem potenter diſponit. Sed hæc ratio ſola haud ſatisfacit, quin conſiderandum ſimul videatur, caloris titillantem quaſi motum, in tantum ſuavitatis conferre cutaneis fibris, in quantum moleſtiarum à frigore patiuntur: uti itaque hujus occurſu irritatæ fibræ tendi, hinc pori quilibet occludi ſolent, ita illius grata applicatione, demulceri ſenſus, indeque relaxari iſtæ, & ita ſudoris portæ aperiri denuò

viden

videntur. Madeat enim, & tantum non diffluat ſudore corpus ſub ſtragulo, ſimul atque aëri liberiori hoc ipſum expoſitum fuerit, dictum factum, in naturaliter ſe habentibus obdurari ſudoris fontes videas, utut internam ſanguinis fluctuationem, tàm fermentativam, quam progreſſivam pulſus adhuc commonſtret, quàm aura ambiens frigidior tam citò alterare non valet. Blanditiæ è contra moderati caloris, uti amicæ ſunt, univerſo ſyſtemati nervoſo, cui frigus inimiciſſimum exiſtit, ita ejus occaſione minus tendi, potius relaxari plus minus videntur fibræ, etiam intercutaneæ, & tali occaſione ſudor promoveri.

§. XXI. Par ratio eſt illius Phænomeni, ſi ſub ſudorum effluxu, manus vel pes denudetur, & exponatur frigori, non raro ſudoris rorem breviter evaneſcere obſervamus in reliquo corpore, aut notabiliter ſubindè ſaltem imminui. Contrarium fit, in difficiliùs paulò ſudantibus, quibus calida, v. g. later calefactus, plantis pedum admotus, mirificè ſudorum proventum adjuvat. Scilicet mirabilis eſt membranarum univerſi corporis inter ſe, ſpeciatim cutis cum omnibus ſuis partibus conſenſus, continuatam quatenus conſtituit telam, unde una ejus extremitate affecta ſenſilius, & reliquam texturam ſimul idem quaſi ſentire & pati obſervamus. Sanè dum febrilis horror, frigusque univerſam cutim convelli, aut criſpari facit, tamen ol. deſtillat. caryophyll. epigaſtricæ ſaltem regioni illitum, mirum levamen, & in univerſa corporis peripheria horroris remiſſionem procurare ſolet. Aut ergò per conſenſum partium quarundam circa iſta præcordia, univerſa cutis febrili rigore riget, aut per conſenſum certè talium partium ſolum illitarum curatur. Plantarum præſertim pedum mirus cum univerſo ſyſtemate nervoſo & partibus membranaceis quibuſvis notatur conſenſus, dum pavimento frigido inambulantibus, aut alvum laxari, aut inteſtina torqueri contingit. Caput etiam cum imis his partibus conſpirat, unde & illorum noxam caput ſui dolore, quaſi lugere videtur, cum pediluvia interdum hujus dolorem leniant, & ſuavi ſomno temperent. Prout ergò conſenſus talis ratione, cum brachio aut pede bene maleve affecto, reliqua cutis vel blando vel moleſto ſenſu afficitur, etiam vel relaxari hinc ſudoris tubuli, vel claudi & ſtringi ſolent plus minus: accedente tamen ſimul ipſorum corporis contentorum ſenſili plus minus alteratione, & hinc pro tranſudatione faciliori vel difficiliori diſpoſitione, cum externa iſta, æqualiter ferè tàm nervoſas extremorum partes, quàm qui per eas ex arteriolis in venulas circulatur, ſanguinem afficere videantur.

§. XXII. Corporis quies, quantum ad ſudoris provocationem per medicamenta inſtituendam, faciliorem neceſſaria ſit, ex eo patet, quod inquieti, qui ſunt ægri, & membra totumque corpus inconditè jactitant, nunquam ſudoris effluxum experiantur, etiam poſt generoſiſſima propinata remedia. Crebriori enim iſta jactatione membrorum, & multiplici ab objectis externis toties mutatis ſimul impreſſione, inæqualis ſpirituum provocatur motus, externam ad corporis peripheriam, quorum impetu ſtringuntur pori, & clauduntur ſudatorii tubuli. Quiete autem ab opiatis conciliata, fauſtus utplurimum ſudoriferorum ſequitur effectus. Optimè memini, Expertiſſ. iſtum Practicum, *B. D. Michaëlis*, in febribus malignis, ſi inquieti ſint ægri, diaphoreticis, & alexipharmacis Opiata, & addidiſſe, & ejus imitationem nobis ſuaſiſſe, quòd felicius tunc operari obſerventur ſudorifera. Hinc memoranda eſt *I. D. Horſtii Judic. de Chir. Infuſ.* § 17. ſententia, *in febribus malignis petechialibus, variolis, &c. Opiata utramque paginam abſolvunt, & hinc graviſſimorum autorum conſenſu & experientia multiplici conſtat, maximè palmarium Robur Theriacæ, &c. Accedere Opii miſcelâ.* Nempe ut modo laudatus Vir diſſerit, *Opiatorum Sulphur à quo ſpirituum motus efferos, & concitatioris ſanguinis turbas, frenandi, domandi, & ſopiendi vim obtinent, feliciter ſudorem deſideratum conciliat.*

§ XXIII. Negari equidem nequit, ſub fortiori corporis motu, vel exercitio, ſudare omnes profuſiſſimè; ſed diſpar planè hujus in ſanis, ab illo, qui in lectis ex ægris eliciendus, ſudoris eſt ratio. Ibi rapidiſſimè circumrapta, & attenuata ſanguinea maſſa, vincit fibrarum cutanearum, intenſiore calore ſuaviter affectarum, & copioſiore humore irroratarum mediocrem reſiſtentiam, ſpirituum copiis in muſculis, tam cordis quàm artuum movendis, magis occupatis, unde nil miri, ſi copioſius effluat ſudor. Aliter longè cum ægris, vel lecto decumbentibus res ſeſe habet, in quibus minor impetus ſpirituum ad muſculos, major ad fibras membranaceas & intercutaneas, in illis præſertim ægris, in quibus ſyſtema nervoſum magis affectum à fermento febrili v. g. cum inquietudine & jectigatione fibras, undique ſtringit, de quo infra pluribus.

§. XXIV. Illuſtrant hactenus dicta non mediocriter ea, quæ circa urinæ excretionem, & hujus pathemata, quotidiè ferè in praxi obſervabilia ſunt, ſicut aliàs urina & ſudor in pluribus conſpirare, & unius ſuppreſſionem excretio alterius, quaſi ſupplemento certo excipere ſolet. Nempe quod urina interdum ſupprimitur, aliam nullam ob rationem, niſi quod pertinaciùs ſtringantur renum nervi, & quaſi corrugentur eorum fibræ, & occludantur tranſcolatoria oſcula, quo ſpaſmo ex Opiatorum uſu remittente, & hiant denuò meatus, & ordinariò tramite tranſcurrit urina. Notabile hujus rei Phænomenon obſervari ſubinde licet in calculoſis, quorum altero affecto rene, & à calculo in pelvi hærente interrupta urinæ via, & alter ſocius ren, benè valens officium negligit, adeò ut penitus hinc ſequatur urinæ ſuppreſſio: id quod & *Foreſtus: lib.* 24. *obſ.* 26. hujuſque *ſchol.* obſervavit pariter ac curioſum occurrit exemplum in *Act. Med. Haf.* Vol. 4. obſ. 33. pag. 102. Ad ſympathiam ſeu ad conſenſum partium mutuum referre hoc ſolent Practici: idque, meo judicio, rectè. Sed quid eſt *ſympathia* Græcorum, Latinorumve *Conſenſus* inter partes corporis mutuus, quam quod parte una p. n. quid ſentiente, alia idem ſentiat: ſenſationis omnis externæ quidem, qualis hic ſaltem locum habet, ſubjectum ſunt fibræ nerveæ, harum ergò ratione pars parti conſentire, ſeu idem omninò ſentire videtur. Scilicet Conſenſus, ſeu in ſenſatione quædam communio, præſupponit ſenſum; ſenſus verò præſupponit fibras nerveas ceu organa ſenſus: adeoque conſenſus propriè dictus eſt ſimpliciter ratione nervorum, impropriè dictus verò eſt, qui ex metaſtaſi varia vel cauſarum occaſionalium vel productorum morborum oriri ſolet. Renes ergò, cum nervos, ſenſationis organa habeant, partim utrinque ex propriis renalibus plexibus, partim verò ſimul ex plexu meſenterii maximo, Fallopiano aliàs dicto, confer. *Vuilliſ. Anatom. Cereb. & nervo. Fab. XI. pag.* 265. ſanè hujus ultimi ratione, facilè unius renis affecti, & hinc irritati nervorum ſpaſmus ſeu criſpatura convulſiva, alterius renis nervulis communicari, & hinc utrinque idem effectus fibrarum & meatuum renalium contracturæ excitari poteſt. Nam parili ex ratione, & renum calculum Vomitus, & Iliaca convulſiva tormina non raro comitari ſolent, ac contra. *Conf. Dravviz. Tr. de dolor. ſcorbut. Tit.* 9. *pag.* 370. Sed remoto calculo, & ceſſante irritatione fibrarum nervearum in renibus, vel ſopito aliquandiu per opiata malo, & urinæ redit tranſitus, & melius hinc habent ægri. Lucem hinc acquirunt obſervationes iſtæ, non curioſæ magis, quam elegantes, de uſu Opii diuretico in Aſcite, aliàs ceu lethali hoc in affectu præſcripti, relatæ à *Bartolino cent* 3. *epiſ.* 46. *p.* 192. *& ep.* 49. *pag.* 201. *cum quibus* conf. ſimul *Vuillis: Pharm. Rat. pag.* 1. *ſ.* 7. *c.* 1. *p* 302. Nempe, talibus in caſibus, non alia ex ratione urinæ

promoverunt

promoverunt fluxum, quam vi ſua ut vocant, anodyna, ſpirituum ſufflaminando impetum, fibrarum nervorumque renalium ſpaſmum inhibendo, & hinc per apertiores redditos meatus, urinæ fluxum procurando: ſicut in ultimo *Vvilliſii* exemplo, (propter internam ſucceſſivam forſan contentorum alterationem) ſudor & urina in deſperato hydropico promanantes ex Opii uſu, unam eandem efficientem cauſam, tàm per ſe, quam per accidens talem agnoverunt.

§. XXV. Occurrit pro dictorum confirmatione Phænomenon, quod ſuperioribus annis in mercatore hujus loci haud ultimæ notæ obſervare contigit. Laborabat hic ipſe gravi dolore lumbari in latere ſiniſtro, ad vicinam regionem ſe extendente, & protenſo ſimul deorſum ad pubem, rodente, urente, & miſerè torquente, interdiu ferè quieſcente, noctu verò præſertim à media nocte, crudelius & tantum non intolerabiliter affligente, adeò ut lecto ob id ſurgere, & deambulando, aliaque ratione inſomnes noctes, & dolore moleſtiſſimo infenſas fallere cogeretur. Hoc imprimis notabatur evidenter, quoties dolores noctu urgerent intenſiùs, toties urina matutina excernebatur tenuis, pallida, ſeu moderatiſſimè citrina, eaque parca admodum: quoties verò vel Balnei Aquæ dulcis tepidæ, vel anodyni Opiati uſu, nox quieta, abſque dolorum urgentia procuraretur, urinæ manè inſequente intenſius tinctæ, rubicundæ, cum copioſis Salibus cryſtalliſatis Urinalis parietes incruſtantibus viſui occurrebant: ſed recrudeſcentibus doloribus, mox urina pallida, tenuis, pauca manè viſebatur. Nullus aderat calculus. Oriebatur ſaltem malum ex Salibus ſcorbuticis acido Salſis, renes & vicinas membranoſas partes rodentibus. Fibræ ob id partium vellicatarum ſpaſmo criſpatæ & contractæ, pororum anguſtiam inferebant, quas non niſi latex urinarius ſolus, abſque contentis ſeu imbibitis Salibus pertranſire poterat: aſt ſi Balnei vel Opii uſu laxarentur denuò fibræ, & pateſcerent renales meatus, Salibus ſcorbuticis ſaturata tranſmittebatur urina. Veriſſimum ſcil. eſt, ex affectu ſpaſmodico à Salibus ſcorbuticis, nervoſo generi infenſiſſimis, adeoque tàm in partium urinariarum, quàm abdominis doloribus præter alias occaſiones ſupprimi poſſe urinam: ut accuratè hoc annotavit *Dravvizius*: *l. ſupr. cit.*

§. XXVI. Videntur ſufficere, pro confirmatione partim, partim pro illuſtratione aſſerti noſtri, Opiata ſudoris profluvia excitare ratione ſpirituum animalium, ſiſtendo illorum impetum, undecunque excitatum, & hinc tollendo ſpaſmum ſeu contracturam fibrarum nervearum cutis rete ex parte componentium, adeoque removendo pororum conſtrictionem & vaſorum glandularum intercutanearum excretoriorum occluſionem. Sub quo tranquilliori ſpirituum motu, & pacatior ſtatus in tota republica microcoſmica obſervabilis eſt. Remittente enim undique fibrarum, ceu ſtaminum partium ſolidarum, aut fundamentalium, aut compoſitionem mechanicam ſaltem firmantium, tenſione fortiori, permeabiliores undique fiunt meatus, etiam aliàs exiliſſimi, promptius faciliuſque quaquaverſum penetrant contenta liquida quælibet, & perſpirabilius univerſum ſic redditur corpus. Ipſum ſanguinis Nectar, vel febrili turgeſcentia & quaſi ebullitione, rapidiùs per vaſa raptum, aut fomentorum ac ſtragulorum calidorum applicatione notabiliter alteratum, & ad ſudoriferi laticis dimiſſionem diſpoſitum, ſub tali corporis ſtatu (ſub quo & nimia efferveſcentia acutiori ſub febre, conturbans totam ejus maſſam, moderatior ordinariò obſervatur) liberiori motu undique corporis perreptat latebras, ſpeciatim intercutaneas in glandulas ſeroſam ſarcinam, & hujus involucro, quælibet heterogenea ſeparata, & quaſi ex ejus maſſa præcipitata recrementa, copioſè deponit, quæ ſudoris in rivulos pedetentim concreſcit & effluit.

§ XXVII. Saltem qua ratione & modo in ſpiritus agant Opiata, ita ut ſub exigua adeò ſui mole, inſignis ſequatur alteratio in toto illorum ſyſtemate, inquirendum ſupereſt. Aſſerta & explicata fuit ſuperius textura Opii pinguis ſeu oleoſa vel ſulphurea, quæ pro more concretorum oleoſorum, ſpeciatim oleorum deſtillatorum, in minima mole latiſſimè diffuſiva exiſtunt: declarat hoc, v. g. ol. deſtillat. aniſi, ritè cum vitello ovorum ſubactum, cujus quot guttæ, tot ferè Aqu. ſimpl. menſuras, odore, ſapore & nonnihil colore imbuere ſolet. Tale ol. eſt ſaltem reſina vi Ignis liquefacta, & à craſſiore reliquo corpore ſeparata, qualis reſina condenſata adhuc & ita concentrata viget in Opio, cujus oleoſæ reſinæ ratione quoque latiſſimè diffuſibiles & explicabiles exiſtunt Opii atomi ſeu minima, quæ dum in minimo undique ſe diffundunt, ferè odorum inſtar latiſſimè ſe explicantium, undique penetrantium, & obvia quæque plus minus afficientium ſe habere videntur. Unde etiam probabile videtur, ab odore tali ſubtiliſſimo, qui ſolidas partes minus tactu, ob ſubtilitatem afficere, liquidas ob perexiguam molem minus alterare valet, ſaltem ſubtilem & delicatam ſpirituum texturam, ab odoriferis omnium maximè alterabilem, affici, & mutua utrorumque aſſociatione notabiliter immutari. Odorifera hæc Opiatorum vis ſenſibiliter ſe explicare obſervatur, ſub ejuſdem ſecundùm *Langelotti* methodum *in Epiſt. ad Curioſ.* præparatione & quaſi fermentatione. Nec ignota fuit veteribus, cùm jam olim & *Dioſcorides* illam obſervarit, de Opio referens, odorem ejus toto corpore expandi.

§. XXVIII. Subtiliſſimorum talium odorum vis, tantùm non ſenſibili effectu ſe exſerit, in ſumme debilitatis, & lypothymicis, quos odor vini generoſioris, vel cujuſdam aromatis, Aqu. Cinnamomi penetrantioris, tantùm non ad vivos revocare videtur. Pariter atque zibethi moſchive odor, hypochondriacæ ſuffocationi obnoxias mulieres repentina ſyncope exanimat, quas caſtorei plumarumve incenſarum odor volatilis denuò reſtituit, utut inſigniter ægrotum idioſyncraſiæ hîc varient. Odor dico, quatenus ſpiritus animales in Odoratus corporeo organo ſenſilius afficit, ſtupenda talia concitat ſymptomata. Tantum enim abeſt, ut in ſubſtantiis aſſumpta talia hoſtilia ſint iſtius modi fœminis, ut etiam paroxyſmos hyſtericos dictos, efficaciter ſiſtant & refrænent. Comprobat hoc Experimentum *Haratii Augenii*, Medici olim Eruditiſſimi, quod refert *lib.12. Epiſt.7.* quodque eum nunquam fefellit: Rec. moſch. optim. gr.v. cinnamom. caryophill. nuc. moſch. ana. ℈j. M. in Vino odorato miſta hauriantur: in quo loco etiam pilulas de moſcho, ceu præſidium efficaciſſimum commendat. Sed cave ſis, ne forte nares feriat talium Odor. Sane umbilico illita zibethum vel moſchus Paracelſo ad hyſterica talia mala laudantur. Plura quoad odorum mirabilem efficaciam vid. ap. *Helmont. tr. imag. ferm. imprægnat.* §.16. & ſeqq.

§. XXIX. Præſtant tam ſingularia odores, dum per organorum ſenſilium tranſennas ſaltem ſpiritus afficiunt, quid non facient, propriori ſub contactu ac miſcela, ſi invicem coire illis datum fuerit. Utroque modo efficaciam ſuam exerit opium. Quoad internum uſum res aliàs nota eſt; externe turundæ in forma: granum unum atque alterum laudani naribus inditum, profundiſſimum bidui ſomnum inferunt, teſte *Timœo. caſ. l.2. caſ.9.* ut taceam poma ſomnifera, ſpongiaſque hypnoticas naribus pro arcenda agrypnia identidem admovendas, Practicis quibuſdam uſitatas. Sub tali Ergò odore ſubtiliſſimo Opiata agunt in ſpiritus animales, quorum materialem texturam ſeu conſtitutionem, indeque dependentem impetum elaſticum ſpeciali ſua textura, ſeu ſeminali dote, ut alii vocant, adeò alterant, & quaſi irretiunt, ut à debitis expanſionibus remittentes, minus fibras

ſenſorias aut motorias tendere ſuſtineant, quia moderatiori ſub motu ſomni larvam induunt.

CAPUT III.

Dubia nonnulla diluit.

THES.

Opium ſubinde Vomitum provocare, ſeceſſum & Urinam promovere, Lochiorum fluxum adjuvare, ſudores ſupprimere, Criſes minus impedire obſervatur, &c.

§.I. SOmno tam naturali, quam Opiatorum artificiali, quaſvis excretiones, adeoque & vomitus ſiſti, ſupra innuimus, experientiâ quotidianâ confirmati. Obſtaculum non leve contra aſſertum hoc ſe offert ex eo, quod poſt Opiatorum veſpertinum uſum, vomitus matutinus, quin & interdum alvi fluxus inſecutus fuerit, id quod & *Helmont*. non leviter aliâs Opio favens, obſervavit, tr. *jus Duumviratus* §.62. & crebriori experientia in hoc confirmatus fuit *Rolfinckius Chym. l.4.ſ.3. c.6. p.248. Conf.* ſimul eleg. *obſerv. Celeb. Vvedelii. Opiolog. l.2. ſ.1. c.5. p.92.* Sed conciliatio apparebit facilis, modo conſideremus, opiata irritationis ſenſum, in Pyloro præſertim ſopiendo, & ſpirituum animalium motum ſiſtendo, adeoque fibrarum ſpaſmum præcavendo, per ſe Vomitus compeſcere, per accidens verò interdum, ſaltem ubi priores iſtæ operationes jam ceſſaverint, eundem ſtimulare.

§ II. Conſiderandus hic venit Opii ſapor amariſſimus, acris, in ſubjecto viſcidiſſimo hærens, qui ob id non niſi difficulter ex lingua, poſt levem etiam guſtatum elui poteſt. Amarities iſta ſingularis & ſpecifica, ut inimica exiſtit Linguæ, ita hoſtilis admodum eſt ſtomacho, aliâs quævis amara, ſpeciatim viſcida horrenti, cum acidis in primis delectetur. Tetrum illum ſaporem mox horret Ventriculus, & nauſea hinc concitata ſive guſtatum ſaltem, ſive aſſumptum fuerit Opium, tædium iſtud confitetur. Parili ferè ratione, atque rhabarbari, ut aloës, ſcammoniive odorem & ſaporem amaricantes ſingulariter mox nauſeat ſtomachus, adeò ut quaſi peculiarem tactum ſive guſtatum, ſecundum *Vvilliſium: Pharm. Rat. p.1. ſ.2. c.1.* vel odoratum juxta *Helmontium, tr. Cuſt. Err. §.ult.* habere videatur. Nauſea iſta ſopitur quidem aliquandiu primitus, quouſque nempe Opii in ſpiritus viget actio, indeque & ſenſilitas fibrarum ventriculi, & ſpirituum movendi eas nixus aliquantiſper ſufflaminantur. Aſt in particulæ iſtæ hoſtiles, interea haud correctæ aut ſubactæ fuerint, ſed viſcidiore illa textura pertinacius agglutinatæ hæreant adhuc interiori nerveæ ac admodum ſenſili ventriculi tunicæ, facilè moleſtæ iſtius continuæ impreſſionis occaſione provocari ſpirituum impetus, & ſub regimine pylori ſpaſmus ventriculi, adeoque vomitus concitari poteſt. Confirmat hoc meum aſſertum non leviter, quod ab Opio pilulari in forma exhibito, & præſertim ab eodem ſpiritu vini ſaltem præparato, vomitum imprimis cieri obſervavit *Vvedelius Opiol. c. l. p.92. & 93.* Viſcidiſſimam enim & amariſſimam ſub hac præparatione opium retinet texturam, & quæ pilulari in forma diutius in ventriculo hæret, & non niſi ſucceſſiva diſſolutione corrigitur, adeoque diutius & ſenſilius parietes illius membraneas afficit. His modo dictis, ſocianda ſimul & alia concauſa, qualitas nempe & ſitus recrementorum præternaturalium, circa primas vias plus minus ſtagnantium aut turgeſcentium, qui mediante Opii operatione in ſpiritus, in motu ſuo plus minus oppreſſi, illa ceſſante, denuò & interdum atrocius quam antea, commoti, ſimul vomitum, in ſtomachante jam ventriculo promovere ſolent.

§.III. Sanè non leviter hoſtile videtur ventriculo Opium, cujus ut digeſtionem ordinariò turbare obſervatur, ita etiam gravaminis ac compreſſionis circa ventriculi regimen, ſenſum, & vix explicabilem ab ægris moleſtiam circa præcordia Opiata inducere ſolent, idque præſertim ſicca in forma, omnium maximè Pilulari ſi propinentur. Manu ergò hæc ipſa nos ducunt ad legitimam Opii, quoad hoc punctum, correctionem, ac præparationem. Textura nempe viſcida & glutinoſa reſolvenda, adeoque quatenus oleoſa ſeu ſulphurea ad faciliorem ſui diffuſionem, ſimulque quaſi promptiorem difflationem redigenda, & liquidæ eſſentiæ ſeu Tincturæ ſub forma propinanda. Promptioris ſic operationis evadit remedium, & quod ſine diuturniore in ſpiritus actione confortativi potius, quam ſtupefactivi rationem habebit, ac abſque ſingulari ventriculi, primariarum viarum moleſtia, citò, tuto, & jucundè curabit. Quas intentiones haud melius aſſequi poſſumus, quam applicando generalia iſta mechanica (ſi non ſemper Naturæ, revera tamen) artis inſtrumenta, acidum & alcali. Illud agendo primariò in alcalinas Opii particulas & hinc etiam in oleoſas, illarum medio univerſam ejus texturam alterando, urinoſum nempe vol. figendo, oleoſum verò condenſando, caſtrat & plus minus enervat generoſam aliâs medicamenti energiam. Idque eò magis, quo potentius acidum fuerit, quale iſtud mineralium eſſe ſolet, unde acetum diſtillatum ſaltem in hac præparatione, a. citri ſuccus eligendus, utpote ex eadem cum Opio, vegetabili nempe proſapia. Parilis acidorum vis & in purgantia obvia, quæ omnia ab acidis, præſertim intenſioribus aut fixioribus caſtrantur inſigniter. Præſtat ergò, pro ſupra inſinuato ſcopo, ad Laudani ex Opio præparationem adhibere alcali quodcunque fixum, v.g. Sal. Tartar. ceu generalem omnium vegetabilium deleteriorum aut Oeconomiæ noſtræ hoſtilium, tam ſolutivorum, quam ſtupefactivorum, aliorumvè correctorem. Agit ſcil. hoc ipſum ſive ſicca, ſive humida in via procedatur, in Opii texturam reſinoſam, attenuat hanc ipſam nonnihil, diſſolvit oleoſum, viſcidum incidit, acidum temperat, hinc nimiam acrimoniam corrigit, ac ita totum concretum promptius ſolubile & undique diffuſibile, uti & cuivis fluido permiſcibile reddit. Corrigitur hoc ipſo ſimul acris & nauſeoſa ejus amarities, mitiorque & minus inimica ventriculo redditur. Adeò ut conſiderationem ulteriorem mereatur omninò, utrum acrimonia iſta reſinarum, aromatum purgantium, &c. Non ſecus ac opiatorum, non ex acido potius, quam ex alcali derivanda veniat. Cum quotidiè obſervemus, ol. deſtillata à calcinatis rectificatione mitiora & minus acria evadere. Correctum ſic per alcalia Opium, optimè ſpiritus vini benefecio, in eſſentiæ Tincturævè conſiſtentiam redigitur, commodè vel ſub hac facie propinanda, l. imbibendo eadem pulveres quaſvis, in pulveris larva obvelanda, aut ſpiritus dicti abſtractione in extractum, redigenda. Sunt nonnulli, qui ulterius Sal. Tartari, vel Acet. Vini, vel ipſum Vinum addere amant, pro exactiori Opii correctione, methodo omnium certiſſima, qua optimè præparatum Opium tutiſſimum evadit remedium. Vereor a. ne nimis cicuratum Opium debilioris aut tardioris pro vehementius interdum urgentibus ſymptomatis operationis fiat. Dum ergò tam laudabiliter corrigitur Opium à Sale Tartari, fixo, quid non ſperandum erit de eodem volatiliſato? penetrantioris omnino & potentioris hinc activitatis. Cujus locum interea ſuppleat, Sal. tartari triplo ol. deſtillat. therebinthinæ probe imprægnatum, & ita quaſi elixiratum; Præparatio revera, quæ non abſque præmeditata ratione primitus ordinata fuit à *Starkey* peritiſſimo Chymiatro Anglo, & crebriori poſtmodum experientia confirmata plus omninò in receſſu habet, quam ut obiter à *Vvilliſio Pharm. Rat. p.1. ſ.7. c.3.* ad empiricorum remedia referenda ſit.

§.IV

§.IV. Quæ modò de vomitu Opiatorum uſui interdum ſupervenienti explicata fuerunt, eadem pariter excretionibus per inferius guttur, aliquando ab Opii uſu obſervatis mutatis tamen mutandis applicari poſſunt. Sed præter aliqualem ab acrimonia nauſeoſa in particulis ejus viſcidis inteſtinorum ſtimulum, alio modo alvi ſolutionem promovere poteſt, quatenus in doloroſis inteſtinorum pathematis, eorumque fibrarum ſpaſmodica contractura, conſtringi pertinacius ſolent inteſtina, & contenta minus, ceſſante ferè ſucceſſive eorum periſtaltico motu propellere. Fruſtra ſub tali articulo propinantur ſolventia alvum, quæ vel malum exaſperant ſenſili ſtimulo, abſque deſiderato effectu, vel inverſo penitus ſuperiorum inteſtinorum motu, vomitum potius provocant. Sin verò Opio leniantur dolores, ut remittat inde fibrarum ſpaſmus, & durius antea emolliatur quaſi abdomen, facilè ſolutiva quæcunque, ſive junctim ſive ſeorſim modo dicta remedia propinentur, ſperatum ſortiuntur effectum; id quod in Colicis & Iliacis Pathematis probè obſervandum, docente hoc experto *Vvedelio*: Opiolog. p.2. ſ.2. c.5. p.120. & praxi idem confirmante, *in Miſc. Acad. Nat. Cur.* ami.2. obſ.238. pag.340.

§.V. Urinæ excretionem, eamque poſt eam quæ fit per ſudorem, Opiatorum uſui ſubindè ſupervenientem, uberiorem, quomodo per accidens promoveat Opium, jam ſuprà § 23. cap 2. pluribus explicatum fuit.

§.VI. Revocant hæc in mentem iſtud ad Phœnomenon per ſæpius in puerperis obſervare datum fuit, dum nempè primis 2bus l. 3bus diebus liberè fluunt lochia, quæ ſub turgeſcente in mammillis Lacte ſponte, abſque manifeſta cauſa alia, ſive præceſſerit lactea febris, ſive non, ſupprimi ſolent, tunc ſcil. temporis, cum dolore & tumore, ſimulque indureſcere ſolent mammæ: ſed ceſſante dolore & vel inſenſibiliter tranſlato aliorſùm lacte, vel ſenſibiliter per papillas tranſudante, libere fluunt denuò Lochia. Nempe doloris occaſione intenſioris, in ſenſibili illo mammarum globo, & turbatur ſpirituum ordinatus motus, ſtringuntur undique in corpore fibræ, & tenduntur ſimul uteri ejuſque membranoſæ vaginæ fibrillæ, hinc excernendorum per hæc loca debitus ſupprimitur fluxus, qui largiter redit, ſimul ac ceſſante in mammis dolore, ceſſat etiam fibrarum contractura. Nec eſt, quod fluidorum iſtorum impetum ex locis inferioribus ad mammas hic objicere velis, ſiquidem dum durat adhuc mammarum repletio, aut per papillas etiam lac excernitur, nihilominus, modo dolor illarum remittat, redit lochiorum profluvium. Par nempe hic eſt ratio, atque intenſiorum poſt partum dolorum, quorum occaſione etiam ſupprimi plus una vice obſervavi lochia. Unde & memoratis in caſibus (niſi in priori Lactea febris obſtet) opiata cæteris remediis, ſpeciatim miſturæ polychreſtæ ex Lap. Cancror. c. aceto addita myrrha, permiſcere fauſto cum ſucceſſu conſuevi, cujus uſu reſtituto ſpirituum motu in ordinem, & relaxatis hinc fibris, tantum abfuit, ſuppreſſus exindè fuerit purgamentorum fluxus, ut auſpicatò potius redierit.

§.VII. Simile quidem obſervare licet in infantibus achoribus affectis, quibus ſub dentitionis doloribus, mox achores diſparere ſolent, ſuperveniente hinc febre continua lymphatica, plus minus acuta, ſubinde cum gravi tuſſi, aut alvi fluxu comitata: ſicut ceſſantibus doloribus iſtis, effloreſcere denuò auſpicatò, cum febris aliorumque ſymptomatum ceſſatione ſolent achores. Nempè doloris occaſione inordinatus ſpirituum redditur motus, & fibræ aliarum quoque partium ſenſilium præſertim intercutaneæ iſtæ in facie, ceu proxima regione ſtringuntur, indeque achoroſæ materiæ ulterior excretio impeditur, iſto quod jam effloruerit exareſcente penitus & decidente. Hinc turbatur ſimul ſanguinis tàm progreſſivus quam fermentativus Motus, excernendis iſtis per faciei ambitum retentis, febrili ebullitioni occaſionem ſubminiſtrantibus, ac tuſſim vel diarrhæam inducentibus, ubi de acriori illo acido Salſa lympha vel ad tracheam arteriam l. inteſtinorum tubulos aliquantulum excretum fuerit. Donec ceſſante dolore, & æquabilis ſpirituum redeat motus & ordinata magis fermentatione ſanguinis mediante particularum iſtarum acido Salſarum plus minus viſcidarum ſecretio & quaſi præcipitatio, ac intra poros cutis per glandulas ob de unò relaxatas fibras ſecretio ſuperveniat.

§.VIII. Tandem Opium egregium eſſe ſudoriferum ſupra pluribus excuſſimus, dubium tamen aſſertum hoc reddere videntur tabeſcentes. Notiſſimum eſt, Phthiſicos, vel ad Pthiſin declinantes ægros, copioſis ſudoribus nocturnis eſſe obnoxios, ita quidem, ut ſimul atque perfecto ſomno corripiantur, mox toti ſudoribus diffluant. Obſervatio autem repetita in Praxi me hactenus docuit, præcaveri optimè poſſe ſudores hujuſmodi, revera colliquativos, Opii veſpertino uſu. Aliquot ſaltem exempla recenſere juvat: Mulier plebeia 42. annorum pleuritide graviſſima correpta, & jam ferè deplorata, ſeptimo ſcil. demum die opem meam implorans per Dei gratiam ſudoriferorum imprimis appropriatorum ope convaluit. Reſtitabant autem adhuc Tuſſis humida, difficilis nonnihil reſpiratio, aliaque ſimilis ſpeciei ſymptomata, Phthiſin minitantia, quæ uſu decocti heder. terreſ. & chærefolii ſublata quoque fuerunt. Saltem ſudores nocturni continui, pleno rivo emanantes, emaciantes inſigniter & debilitantes ſupererant. Pro quibus coërcendis præſentaneam Opem ſenſit ex Laud. Op. gr. iß. cum antihect. Poter. gr.XV. miſto, & ſub introitu lecti, poſt moderatam prægreſſam cœnam aſſumpto, cujus uſu primitus ceſſarunt iſti ſudores, eoque continuato penitus exaruerunt. Superiori anno Civis Academicus Jurium ſtudioſus, graviſſima corripiebatur hæmoptyſi, ipſo ex aliquot annorum tuſſi humida, ſpiritu minus libero, nativa corporis conſtitutione, aliiſque ſimilibus ſupervenientibus ad Phthiſin diſpoſito. Uſu convenientiorum remediorum, contumax malum ſævire deſiit, ipſo ægro cætera commodè habente, ſaltem quod calor quaſi hecticus ab omni paſtu, cum tuſſi moderata humida, & copioſiſſimis ſudoribus nocturnis etiam ſub primis ſomni horis, ſupereſſent. Pro quibus coërcendis optimè contulit pulvis, ex arcani duplic. ℈ij. Lap. Cancror. antihect. Poter. ana ʒß. Laud. opiat. per fermet. gr.IV. ad V. M. pro 4. doſibus horis duabus ante cœnam aſſumendis. Non ſecus ac Viro perfectè Phthiſico, pro tuſſi nocturna aliiſque ſymptomatis nonnihil coërcendis præſcriptæ Pilulæ, ex antihect. Poter. ℈j. ſacch. Saturni ℈ß. extr. croci. gr.vij. laud. fermet. gr.iij. cum ſ. q. balſ. peruvian. in debitam conſiſtentiam redactæ, pro 2. doſ. veſpertinis, ante cœnam aſſumendæ, præter alios uſus, & ſudores copioſos noctu promanantes compeſcuerunt. Adeò ut talibus in caſibus reprimat ſudores Opium nimios, quos deficientes aliàs, promovere optimè ſolet.

§.IX. Pro hoc Phænomeno, ſanè difficili dilucidando, duo præſupponenda veniunt. 1. Quod Phthiſici omnium optimi, Opiatorum etiam continuatum uſum ferre poſſint, ut ſupra inſinuatum fuit, & cum eadem aliàs aliqualem languorem, & notabiliter corporis laſſitudinem poſt ſe relinquant ut plurimum, in Phthiſicis contrarium accidat, qui vegetiores exinde, & ut ipſis ſaltem videtur, robuſtiores potius redduntur. Quo ipſo tamen, non illos intelligo, qui jam ad extremum Tabis gradum perducti, ſuprema ſpiritus difficultate laborant, & ſubinde ſuffocandi videntur, talibus enim narcotica; omninò futura eſſent necrotica, d qui in Chronico & Medicis tædioſiſſimo affectu, medio adhuc ſunt in gradu. Scilicet in præfatis Pthiſicis ſubtilis admodum, ac rara deprehen

deprehenditur ſpirituum animalium textura, unde & facilè diſſipabiles exiſtunt iidem, (indeque minimis motibus defatigantur tales ægri,) & ſub ſomni præſertim quiete contractiones magis illorum radii, minus extremas partes animant. Mutat autem eoſdem Opium, dum condenſando quaſi, aut figendo nonnihil, raram eorum texturam alterat, & facilem diſſipabilitatem coërcet, ut vegetiores hinc reddantur Phthiſici. 2. Quod in genere ad fluidorum corporis noſtri debitam in partes ſolidas receptionem, per eaſdem tranſmiſſionem, uti & ex iiſdem excretionem, requiratur omninò certus fibrarum nervearum, ceu ſtaminum fundamentalium Tonus, ultra materialis texturæ rationem, à ſpiritibus influis imprimis dependens, qui ſcil. nec ſtrictus ſit nimis, ne anguſtatis aut occluſis plus minus poris intermediis, aut coarctatis præter modum vaſculis tam trajectoriis quam excretoriis, impediatur debitus contentorum tranſitus, nec laxus nimis idem eſſe debet, ne flaccidioribus redditis partibus, aut pori meatuſque earum ita permeabiles fiant, ut non tam tranſmitti fluida, quam ſpontaneo motu permeare eos undique, & ubique ceu per ſpongias penetrare videantur, aut orificiola vaſculorum receptoriorum ex tono illo flaccidiore collabantur, ac ita debitam tranſmiſſorum fluidorum trajectionem ſiſtant. Quibus præmiſſis, & ab omnibus facilè concedendis, ſuſpicor, in Phthiſicis tàm copioſos effluere ſudores nocturnos, quatenus ſub ſomni quiete, ſpiritus animales, rarioris, ut ſupra dictum, texturæ, minus irradient partes extimas, adeò ut debito fibrarum Tono conſervando minus ſufficiant, unde per patentiores undique meatus, & poros partium intercutanearum, & ſpeciatim glandularum, nutritius ſiccus interdiu ex alimentis congeſtus, ſed ob ſanguinis dyſcraſiam non aſſimilatus, ſponte ſua, ſub ſanguinis circulo (ſimili ferè ratione, atque ſupra de ſyncopticis monitum) penetret, & ita nec cum ſanguine unitus, nec in meatibus partium ſolidarum debitè coërcitus, promptiſſimè, qua data porta ruat, & ſub ſudoris facie diffluat. Compeſcit vero hunc Opium in Phthiſicis, corrigendo iſtam ſpirituum texturam, ut Tono fibrarum conſervando melius ſufficiant, quo partim tranſmitti naturaliter queat nutritius ſuccus cum ſanguine per vaſcula intercutanea & meatus, ne proprio impetu elabatur, partim retineri diutius intra porulos partium nutriendarum is ipſe, eoſdem irrorare & nutritioni deficienti aliquantiſper ſic ſaltem ſuccurrere.

§. X. Dum itaque ſudorem egregiè promoveat, quin & ſecundum ſuperius monita, nimios contentorum tumultus, quibus Naturæ Medicatricis negotium, non rarò turbari ſolet, nonnihil refrenet laudandum Opium, ſuſpicio ſuboriri poſſit, an perpetuæ ſit veritatis Practicorum effatum, *Opium in ſtante Criſi haud adhibendum, quia Criticum Naturæ motum inhibere aut ſiſtere ſoleat.* Multa equidem de Criſibus, eaque ad pompam magis Theoreticam, quam uſum practicum facientia, hinc inde apud ſcriptores medicos deprehendi ſolent, quæ ad noſtra Climata, eorumque Incolas & horum Diætam, indeque natos affectus minus applicari poſſunt, unde etiam tam rari ſunt veri motus Critici in ægris noſtris, ut taceam incertum admodum dierum Criticorum computum, adeò ut bonus Medicus negligere debeat Criſin, ut loquitur *Helmont.* de febr. c.XI. §.18. ſi ſcil. eam poſſit anticipare, ſeu ante Criſis adventum morbum ſuperare. Nihilominus cum ad quælibet attentum deceat eſſe Medicum, in acutis maximè morbis, quorum incertæ adeò ſunt, *Hippocrate* autore, prædictiones, ne in his circa Opiatorum uſum, adeò polychreſtum, nocumenti quid accidat ægris, omninò præcavendum. Diſtinctio autem motuum Criticorum obſervanda eſt, dum quædam excretiones Criticæ fiunt, mediantibus ſimul partibus organicis, quibus vellicatis, adeoque ſenſu earum affecto, & hinc periſtaltico concitato motu, provocantur partim, partim promoventur per eas excretiones, & tales quaſvis Criſes impedit, plus minus ſiſtit Opium, quales ſunt, quæ vomitu, diarrhæa, hæmorrhagiis quibuſvis accidunt, &c. Aliæ Criticæ evacuationes eveniunt ſine tali partium activo & motivo concurſu, per ſimplicem humorum concoctorum ſeu præcipitatorum motum tranſcolatorium, quales per ſudorem, item per urinam obſervantur, & haſce Criſes, minus impedire arbitror Opium, dextrè & circumſpectè adhibitum. Quinimò promovere potius eas, quatenus graviora ſymptomata, motum contentorum Excretorium interdum impedientia, ſaltem plus minus turbantia ſiſtere, & ita tutiorem ad minimum Criſin reddere valet. Idem aſſerendum videtur, de iſtis Criſibus, quæ per tranſpoſitionem fiunt, & quibus tumores ſuperveniunt, has ipſas, & materiæ ad ſui in certis locis ſecretionem, & inde coacervationem diſpoſitæ decubitum, qui impedire valeat Opium, non video. Circulari enim ſanguinis motu mediante, cum omnes modò memoratæ contingant Criſes, eumque rapidiorem, aut concitatiorem refrænet Opium nonnihil, hoc ipſo ad meliorem cum ſudore & urina excretionem, vel in apoſtema congeſtionem materiæ coctæ non parum conferre veroſimile eſt. Intermittentium febrium quot paroxyſmi, tot parvi morbi acuti eſſe videntur, ordinariò ferè excretione quaſi Critica per ſudorem, interdum verò per urinam finientes: præmiſſum in his, ante paroxyſmum Opium, cum ſpecificis antifebrilibus, ut multum minuere ſolet paroxyſmos, interdum penitus profligare, haud tamen ſudorem in illis coërcere in fine, aut impedire obſervatur.

§. XI. Eo ipſo autem, quod ſudationem ſaltem promoveat Opium, rarò illo ſolo pro ſudorifero utendum erit. Haud enim ſufficit, quod Cutis Cribrum ad tranſcolationem per meatuum aperturam & aptam diſpoſitionem ritè ſe habeat, niſi & ſanguinis alteratio ac quaſi fuſio, ambientiſque debita temperatura una conſpirent. Ob id appropriato ſudorifero, quacunque forma exhibendo, ſociandum, & ita mutua unione utriuſque operatio & effectus eò magis perficiendus. Opii nempe polychreſtus aliàs uſus ad ſudorem ſic ſpecialius determinatur, ſudoriferorum verò operatio, ne ſit fruſtranea, præcavetur. Obſervavit hoc jam olim feliciſſimus *Platerus*, ob id in *Obſervat. ſuis lib.3. pag.633. & 727.* ſudoriferis narcotica ſe addere ait, pro uberioris ſudoris provocatione. Quin imo hoc Veneranda antiquitas, in Theriaces Mithridatiique compoſitione ac præparatione attendiſſe videtur, Opium inſigni in doſi, cæteris quamplurimis ingredientibus, plus minus ſudoriferis addendo, & una fermentando. Sub quo fermentationis motu inteſtino, tam oleoſæ & reſinoſæ, plurium ingredientium ipſiuſque adeo etiam, Opii particulæ attenuantur & reſolvuntur, ut inde penetrantiores ac magis activæ evadant, (unde & decennium fermentationem extendere voluerunt Arabes) quam novum concretum ex mutuæ confermentationis unione, Sal. volat. oleoſum anodynum & ſudoriferum emergit. Quod adeo rigoroſè urgent *Platerus in Obſ. & Vualæus in Meth. medend.* ut illæ compoſitiones abſque Opio, ceu ſua anima vi ſudorifera carere aſſerant.

§.XII. Ex hactenus allatis facilè eſt intellectu, quibus in caſibus Opium ſudoriferis ſociandum ſit, nempè quandocunque ſymptomata urgentia impedimento ſunt, quo minus ſudare queant ægri. Nullum enim ſymptoma urgere ſolet, quin ſpirituum animalium p. n. impetus vel cauſæ efficientis proximæ vel concomitantis ſaltem rationem habere ſoleat, unde de facili occaſione tali contrahi fibræ cutaneæ, & coarctari excretorii pori poſſunt: ut taceam Maſſ. Sang. cœterorumque contentorum, vel perturbatos inteſtinos, vel concitatos nimis locales motus, ſub tali ſtatu ſimul plus minus ſudoris dimiſſioni reluctantes. Frequens ſcilicet cauſarum efficientium, utut ſubinde mutuo

ſubordinatarum

ſubordinatarum obſervatur Circulus in Oeconomia animali, adeò ut & contentorum vitia, plus minus vellicent partes ſolitas, qua occaſione irritantur ſpiritus, quorum impetus poſtmodum plus minus modificat illorum motum. Qualis circulus non minus manifeſtus eſt in mutuo partium conſenſu, dum ſtomacho frequenter condolet caput, & hoc malè habente ſtomachus propriam ſubvertit Oeconomiam. Pariter & frequentiſſimè quibuſvis urgentibus ſymptomatis, per conſenſum affecta cutis claudit poros, ſudoriſque obdurat fontes.

§.XIII. Varias autem inter partes, quibus conſentire ſolet cutis, ſpecialem ſui conſiderationem merentur præcordia, hoc eſt, iſta abdominis pars, quæ extrinſecus quidem regione epigaſtrica & ex parte hypochondriaca circumſcribitur, intrinſecus vero ſtomachum imprimis complectitur, prout hodiè hæc Vox accipi ſolet: & à *Celſo* imprimis *l.* 2. *c.*3. ferè deſcribitur. Utut enim Doctiſſimus *Fernelius* febr. l.4. c.X. præcordiorum nomine, ventriculum, diaphragma, jecoris Cava, lienem, pancreas, Omentum aut meſenterium ſimul complectatur, tamen Ventriculo ob eximium ſenſum, manifeſtum ejus cum cæteris partibus membraneis conſenſum, primariò præcordiorum appellatio convenit, ipſo ejus orificio communiter ſuperiori, dicto, καρδία Veteribus appellato. Unde & *Celſus* præcordiorum dolorem ſtomachi infirmi indicium aſſerit: l.1. c.8 *Hæc ipſa præcordia*, ut modo laudati *Trium Galliæ Regum Archiatri* verba c.1. mea faciam, *& partes omnes quæ circa hæc ſunt, quia membranis ſopiuntur, nervoſque ſentientes ſuſcipiunt à ſexta* (ſecundum Veterum Anatomicorum ordinationem) *Cerebri conjugatione, eximio tangendi ſenſu ſunt prædita; Magnâ etiam ſocietate tum principibus, tum externis corporis partibus connexæ ſunt, iiſque adeò conſentiunt, ut affectæ mox principes partes, univerſumque corpus in conſenſum trahant. Sic enim Vinum meracius liberaliuſque ſumptum, tametſi Ventriculo nondum elapſum eſt, mox tamen exulceratæ Veſicæ, aut vulnerati Cruris, aut arthritidis dolorem exaſperat:* Ex hiſce autem ſedibus febrium horrores rigoreſque, in quibus cutis manifeſto afficitur, ſuſcitari eleganter idem docet *Fernelius*, dum c.1. ita pergit: *Sic & frigidæ potus liberalior, corpus univerſum frigore horrorevè concutit. Bilem Vomiturus rigeſcit, multoque magis, qui alienum vitioſumque cibum, velut fungos ſumpſit. Rigeſcit & cui calidum mordaxque medicamentum ventriculum præcordiaque ferit, non minus quam ſi nudam cutem, aut ulcus acrius compungat, &c. Hoc quoque vel inde conſtat, quod ſi acceſſionis initio humidi fotus aptè calentes præcordiis imponantur, maximè vero Lieni in quartana, jecori in tertiana, aut cuicunque alii ſedi fomes ineſſe deprehendatur, horrorem rigoremve leniant, quia nimirum ipſi mali fontem demulceant. Jam verò ſudores, non è ſolo corporis habitu, ſed & interdum è præcordiis moveri, hinc ſciri poteſt, quod qui vel exercitatione, vel Solis ardore exæſtuant, ſi frigidam liberalius bibat, mox totus ſudore diffluat, &c.* Hæc ipſa ſanè, quæ hactenus eleganter diſſeruit *Fernelius* de præcordiorum cum habitu corporis cutaneo præſertim conſenſu, quotidiana ubertim confirmat experientia, & quod de fotu calente refert, comptior moderna Praxis per olea deſtillata felicius præſtat, quatenus ab his, præſertim penetrantioribus, v. g. caryophyll. aut macis, aut cinnamom. præcordiis illitis, fotu lateris calentis deſuper admoto, rigores horroreſque manifeſto imminui, interdum ab iis maturè applicatis penitus præcaveri, obſervamus. Penetrant enim profundius talia olea deſtillata, & ipſum ventriculum ſui quaſi afflatu tam ſenſibiliter afficiunt, ut meminerim, ſuperiori anno crebrius vomentem ægrum, cui deſtillata talia, oleo nuciſtæ expreſſo excepta ventriculi ſeu præcordiorum regioni frequentius illinebantur, ſponte ſua aſſeruiſſe, ſe in rejectaneis illis per vomitum, linguæ judicio exactè ſentire linimentum illud, cujus odorem ſub illinitione aliàs perciperet. Jam verò in iſtis rigoribus horroribuſque cutanearum fibrarum contracturam, clauſuramque pororum ſimul contingere, nemo facilè dubitabit.

§ XIV. Prout itaque diverſimodè afficiuntur præcordia, etiam ipſe habitus corporis cutaneus per conſenſum multipliciter conſtitutus, adeoque ad ſudoris tranſmiſſionem magis minuſvè diſpoſitus erit. Mirabilis ſanè eſt membranoſi generis in univerſa corporis machina connexio & conſenſus, mutuaque hinc, quoad tam actiones quam paſſiones conſpiratio & concenſus, iis in caſibus, in quibus anatome nondum lucem ſubminiſtrat ſufficienter, adeò obſcura, ut etiam *ignotam actionem regiminis*, ingenioſiſſimus alias *He.m.* fingere coactus fuerit. Ex quo conſenſu etiam naſci videntur horrores iſti rigoreſve, qui ex partium membranoſarum abſceſſu, ſponte ſua rupto, ordinariò ægros affligunt, ruptique abſceſſus, haud poſtremi indices ſunt: membranis ſcil. perforatis, pus factum effundentibus, ſicque ſenſibiliter læſis, cætero membranaceo genere conſentiente. Sed ut revertar in viam, illa inter pathemata, quæ ex præcordiorum conſenſu ſudoris effluvia cohibent, eminent vel maximè inexplicabilis illa circa præcordia, ſeu ſtomachi regionem moleſtia, ſeu anxietates, quas *vulgò Hergens-Vngſt* appellitant, quaſi ipſum cor pateretur primario; quæ frequentes videntur occaſiones, pororum contracturæ, ſudoriſque ob id deficientis in morbis præſertim acutis malignis. Sæpius ſc. in praxi malignarum febrium obſervamus, æſtuante maximè corpore, ægro ipſo copioſius bibente, ſtragulis etiam cooperto, cum pulſu celeri, frequenti, plus minus vehementi & magno, (ut nihil dicam de illis, qui malignis in febribus, quoad urinam, calorem, &c. Sanorum ſimiles apparent) nullum ſudorem; etiam poſt propinata ſudorifera elici poſſe, cute ſemper ſqualida ac arida, ac quaſi nonnihil corrugata exiſtente, ægro alias naturali in ſtatu, facillimè ſudante, jam equidem concedendum eſt, alteratum his in febribus eſſe inſigniter ſanguinis ſtatum, impedientem plus minus laticis pro ſudoris materia receſſum: quod tamen hæc ſola, in tali ægri, præſertim ſiticuloſi ac bibacis, ſtatu, tali cum pulſu, &c. Cauſa ſit, denegati penitus ſudoris, equidem perſuadere mihi haud poſſum, quin potius arctior fibrarum cutanearum ſtrictura, & hinc pororum clauſura videatur ſudorem impedire. Nempe ventriculo, ejuſque ſuperiori orificio male affectis, ſpeciatim fermento maligno, contagioſo obſeſſis, ut anxii, inquieti, & agrypni, ſine manifeſta cauſa redduntur ægri, ita tantum non integrum membranoſum genus conſentire, hinc & cutaneæ fibræ contrahi videntur. Diffuſo verò ulterius maligno fermento, & ſyſtema nervorum plus minus afficiente, eò magis & nervea cutis compati, hinc portas quaſi undique claudere, & ſudori quoque tranſitum pertinacius denegare pergit. Unde fermento maligno, quod acidum ſtatuit, ab Antimonialibus fixioribus abſorpto, relaxari pororum contractura, corpuſque denuò tranſpirare, non ineleganter aſſerit. *Tachenius*: H. C. c.21. p.m.165. 167.

§.XV. Sed quod de præcordiis, fermento venenoſo in febribus malignis obſeſſis modo monitum fuit, cujus hoſtili præſentia, anxietates ipſis ægris non explicabiles, inquietudines, agrypniæ excitantur, & per conſenſum hinc pororum corporis contractura inducitur, ulteriorem poſtulat explicationem. Nempe præ cæteris affectibus, perquam contagioſæ exiſtunt maligniores febres, quæ contagia fermentativa, vel fermenta contagioſa, utrumque rectè dici videtur, quæ inſpirationis medio, utplurimum ſe nobis inſinuant, quaſcunque etiam aliàs corporis partes afficiant, ſemper ſimul ventriculo communicantur, indeque nunc citius, nunc tardius, pro circumſtantiarum tam ingente quam patiente differentia, nauſea, in explicabilis

lis quædam circa præcordia moleſtia ſeu anxietas, alvi etiam conſtipatio, ſitis intenſa, vagus, utut primitus leviuſculus horror, (ut taceam cephalalgiam & agrypniam, nunc citius, nunc tardius ſupervenientes) ægrum affligere ſolent, horrente univerſo nervoſo ſyſtemate inimicam impreſſionem, circa ſtomachum factam, & quaſi undique contrahente ope motoris ſpiritus quoſvis meatus, quo ab hoſtis perigrini inſultu, eo melius ſe tueatur. Contagiorum hunc afficiendi modum, expertus inſinuat *Lindanus, diſc. ſuper Hartm. prax. Chym.* dum inquit. *Ita autem propagari contagium, ego experimentis didici, tam in me ipſo, quam in aliis; Miaſma ſcilicet fuiſſe primum attractum in ventriculum, & ſtatim nauſeam ſubſecutam. Nauſeam autem ſupervenire eſt bonum, ſignum enim eſt, non ſtatim tranſire ad maſſam ſanguineam; & in conſtitutionibus epidemicis notandum neminem nauſeare, (niſi forſan ex ingluvie) niſi qui miaſma acceperit, & ſi adeſt nauſea, mox vomitus provocandus.* Hinc etiam febrium malignarum ſedem principalem in ventriculo eſſe, res confeſſa eſt, apud *Bartolinum cent.3. epiſ.42. pag.156. pariter ac apud Helmontium, Tumul. peſt.* p.m.843. 967. 891. *conf. Bartolm. cent.3. hiſt.68. 80. 50. it. Diemerbrock.* de peſt. l.4. hiſt.15. adeò ut ſemper ferè in febribus malignis ventriculus vel Eſcharam vel inflammationem, vel alia hujus ſenſus contraxiſſe, obſervatus fuerit. Propterea etiam tam in malignioribus, quam peſte ipſa, ſi contagii ſuſcepti ſuſpicio ſit, initium curæ à vomitorio optimo cum Conſilio inſtituitur. Sanè ſi ægros tales in morbi progreſſu anxietatibus, inquietudinibus, jectigationibus, cephalalgiis, &c. affectos interroges, in quanam corporis regione ita malè habeant, epigaſtrium intento digito monſtrant, & hoc ipſo Medico inſinuant, ventriculum imprimis peſſimè affectum eſſe, per cujus conſenſum & capitis membranæ tendi, caputque hinc diverſimodè dolere videtur: qua occaſione & cutis contrahi pori, ſudorque ſupprimi probabiliſſimum eſt. Exinde enim, in variolis, purpuris, petechiis, &c. Anxiis & hinc inquietis exiſtentibus ægris, vix ac non niſi imperfectè, cutaneæ excretiones ſuccedunt. Nempè ut membraneæ ſub epigaſtrio partes tendi, ex fibrarum irritatarum ſpaſmo tali ſub ſtatu ſolent, quod ipſi interdum fatentur ægri, ita & per conſenſum cæteræ membraneæ partes tendi, ut ſupra ex *Fernelio* deductum fuit, hinc & cutis pori ſimul pertenſas & contractas fibras coarctari ſolent. Pro quibus ſymptomatis mitigandis Opium optimo cum conſilio ſelectis additur, vel ſudoriferis, vel alexipharmacis, de quo cum ſupra jam actum fuerit, vela hîc contrahimus, & diſſertationi præſenti imponimus

FINEM.

DISSER

DISSERTATIO XIV.

DE EXAMINE CORALIORUM TINCTURÆ.

I. N. I.

NON Thales ſolùm Mileſius, σοφῶν iſte σοφότατος, firmiter ſibi perſuaſit, ex Aqua omnia primam ſumpſiſſe originem, ſed modernorum quoque quamplurimi, experientiæ adjungentes rationum ſubtilitates, idem adſtruunt; quibus ingens rerum varietas, quâ, quæ Oceani præprimis ſe jactitant, non leviter patrocinatur, quæ ipſa fertilitatis palmam Terræ, ingenti rerum multitudine, quas tanquam alma parens ſinu ſuô quotidiè excludit fovetque, ſuperbienti ambiguam omninò reddit. Commoti exinde Antiqui Gentiles, Mari quoque Deum ſuum Neptunum tribuerunt, regio Tridentis inſigni eum inſtruentes; innuentes hoc ipſo, latè ejuſdem per omnia 3. Regna, minerale, vegetabile & animale, diffuſam potentiam. Ad hæc ſpuma Maris eſt iſta materia, ex qua amica Venus, omnigenæ fertilitatis parens, enata fingitur. *Nihil enim aqua potentius, & efficacius in rerum natura reperiri poteſt, vita & mors ab ipſa dependent, infinitaque ſecreta & arcana ſunt in intimis aquæ, quæ regna omnia pretio ſuperant & antecellunt.* Nos impræſentiarum ſepoſitis cæteris ramum ſaltim Coraliorum rubrorum è maris fundo decerpamus, eumque, ut Chymicorum hactenus in exuenda ejuſdem purpura induſtriam fatigavit, paulò exactius, aſſiſtente Divini Numinis gratiâ, conſideremus. Neceſſe eſt autem; ut primò

Statum Controverſiæ.

Legitimum formemus, conſiderando non tantùm, quid Tincturæ nomine in ſpecie intelligendum veniat, ſed vel maximè ipſam Coraliorum eſſentiam exactiùs penſitando, quæ cognita fili Ariadnes loco ad ſuperandum præſentis controverſiæ Labyrinthum nobis inſerviet.

§. 1. Ipſum ergò quod attinet nomen, ex Græcia natales ducit vox Coralii, apud Latinos equidem uſu recepta, utut Etymi ratio vera adhuc dum lateat. Quibuſdam enim à Græco κόρη, quod puellam ſignificat, nomen accepiſſe placet ob Poëtarum fabulas, qui Coralium è virgis, cruore Gorgonis Meduſæ perfuſis (unde & Gorgonia dicitur) & in lapideam duritiem concretis, enatum narrant. Alii, à Corallis, Ponti accolis, nomen inditum putant; de quibus Ovidius.

Hîc mea cui recitem, niſi flavis ſcripta Corallis.

Alii dictum exiſtimant Coralium, quaſi *cor alens*, non enim poſtremum eſſe remediorum cordi robur addentium, de quo poſtea: vocatur quibuſdam λιθόδενδρον, Latinis frutex marinus ſaxeus, (Plinio Dendritis, alia enim ſynonyma brevitati operam daturi conſultò omittimus) quaſi ſaxeam l. lapideam arborem dicere velint, innuentes hoc ipſo, ambiguam ejus naturam, quam inter vegetabilia, mineraliaque obtinere videtur.

§. 2. Nondum enim inter Eruditos lis iſta deciſa, cui regno, minerali an vegetabili inſerenda ſint Coralia? & ſi vegetabili, an plantam ſui generis viridem invadendo ſuccus lapideſcens in duritiem iſtam coagulet, an verò jam emortuum lignum in lapidem transformet; Quod prius attinet membrum, (hoc enim deciſo poſterius per ſe patebit) ex utraque parte non contemnenda ſe ſiſtunt argumenta. Eſſe enim vegetabile perſuadere videtur 1. arbuſculæ elegantiſſima forma, quam ſeſe ſurrigendo exactiſſimè repræſentat, hoc uno excepto, quod foliorum ornatu deſtituta ſit, qualem figuram nullum aliud minerale obtinet, ſed plantarum generi, tanquam naturalis quædam dos, propria videtur, ſic refert *Matthiolus in Dioſcorid.* ſe habere ejuſmodi corallinam plantam, quæ propè radices brachii ferè habeat craſſitiem, & è medio trunco in ramos elegantes ſe diffundat. 2. Quòd baccas ferat ſimiles cornis & ſpecie & magnitudine. 3. Ad hæc reperiuntur ſurculi lignoſi, qui ex parte tantùm Coraliorum induerunt faciem, ex parte verò ligneam vegetabilem oſtendunt formam, ſicque ex ligno & lapide compoſiti & quaſi conglutinati videntur. 4. Notum quoque eſt ſagacioribus naturæ ſcrutatoribus, ſæpius in fontibus quibuſdam aliiſque aquis, ligna à ſpiritu lapidifico, quo aquæ iſtæ egregiè imprægnatæ ſunt, in lapidem converti, quidni idem fiat in mari, tanta ſalis copia referto, cum ſpiritus lapidificus ſalinæ eſſe proſapiæ ſtatuatur? ſic in vicino Jenenſis civitatis territorio ejuſmodi reperitur fons intruſum lignum in lapidem convertens; ſic in Hibernia ſupra Armacanum urbem in ſtagno haud amplo haſta lignea defixa, pars, quæ aquis tegitur, vertitur in cotem: (utut hoc quidam in dubium vocare auſint) In Boreali Ultoniæ provinciæ parte fons eſt, qui ligna per ſeptennium immerſa indurat in lapidem. In Bohemia quoque propè Thermas Carolinas fons eſt, in quo lignum diu durans in lapidem convertitur.

§. 3. Eſſe verò Minerale Coralium, ipſa natura ejuſque eſſentia vel lippientibus monſtrat, cum conſiſtentia lapidea, ejuſque ſolida durities firmiter hoc ipſum perſuadeat, qualem à ſucco lapideſcente, lignum vel plantam imprægnante, fruſtrà expectas. Ligna enim concreta in lapidem in certis aquis à ſucco lapideſcente diverſam plane repræſentant formam à Coraliis; ſunt enim plerumque inſtar cotis, vel lapidis alterius ex granulis multis compactim concreti, & ex arenulis quaſi concatenatim conflati; cum è contra Coralia continuum planè oſtendant nexum, ſine veſtigio concretionis ejuſmodi 1. granulatæ compactionis: ſed quaſi cerea Hiſpanica, in varias figuras per liquefactionem extenſa, appareant, & non niſi vehementiori tritura in pulverem vel arenulas redigantur. 2. Minus rectè accenſeri vegetabilibus, ſed mineralibus accenſendum eſſe ex eo confirmatur, quod *careat omnino radicibus*, ſicque non per alimenti veram introſuſceptionem & digeſtionem, vegetationi plantarum neceſſariam, ſed ſaltim partium ſuperadditionem creſcat: patet hoc ipſum ex experientia ſagaciſſimi Naturæ Scrutatoris *Kircheri*, qui rupis integram partem ex profundo maris extractam, totam Coraliis obſitam,

inter rariora Muſæi ſui aſſervat, cui varia conchyliorum genera annata ſunt; in hac rupe, partim ex concava conchyliorum parte, & aliorum convexa, partim verò ex ipſa ſoliditate ſaxea erumpunt Coralia, nullis planè ſuffulta radicibus, utut diligentiſſimè circa eorum inventionem laudatus autor laboraverit, ſed ipſi trunco velut agglutinata ſine ullo perforationis veſtigio ſpectata ſunt: poſito ergò indurari per lapideſcentem ſuccum, plantam, ſaltim quoque veſtigia radicum relinquerentur, ſicut truncus illibatus perſiſtit; ut taceamus, nullum quoque vel fructuum vel foliorum in iis reperiri ſignum. 3. Ad hæc non determinatè rupes in maris fundo protuberantes incolit, ſicut plantæ in Terra ſaltem creſcunt & adoleſcunt, in eaque radicum agunt fundamenta: ſed, ut dictum, non petris tantùm & ſaxis undè adhæreſcit conchyliiſque adnaſcitur, ſed, ut citatus autor refert, à Piſcatoribus unà cum ſtirpibus extracta fuerunt oſſa, lateres, ſaxa, tabulæ ligneæ, ferramenta, omnia Coraliis, quæ in eis excreverant, conferta, quin & è duro delphini corio Coralia propullularunt: ſic Magnus Dux Hetruriæ, Piſis in ſuo gazophylacio, habet cranium Humanum, ex quo Corallina planta excreviſſe ſpectatur: ſic ex lapide coctili aliquando naſcuntur, ob ſolidam verò firmamque ejus coaleſcentiam nulla ex eo enaſci planta poteſt. 4. Præautereà conſimiles ſaxeæ concretiones in fundo maris reperiuntur, quas vegetabilium tractabili genti inſerere ſaxea earum barbaries renuit: Cujuſmodi ſunt Pori, tàm magnus, quàm ramoſus, it. Madreporæ varia ſpecies, planta ſaxea, Abrotonoides, tubuli marini, aliaq; e corpora ſaxea, ut Coraliis affinitate juncta, ſic plantarum formam referentia, cum tamen ſaxeis petroſiſque planè aſſimilentur ſubſtantiis. Aſſerere quidem quiſpiam poſſit, eſſè eaſdem ſimiliter plantas à lapidifico Spiritu coagulatas, non ſecus ac Coralium: verum cur quæſo hic ſuccus determinatas adeò invadit plantas, & quare non alias, quibus maris fundus abundantiſſimè conſitus eſt, ſimiliter vegetabilium ſpecies ſaxea iſta duritie indurat? Fortè cum *Boëti* hoc propter ſingularem harum diſpoſitionem contingere ais, vel quod ſuccus lapideſcens natura ipſorum ſubſtantiæ inſit? ſed quoad prius explicanda venit peculiaris iſta diſpoſitio, è progenie occultarum qualitatum dubio procul oriunda; quoad poſterius, hoc ipſo vegetabilium adſcribuntur ordini, quo ſuccum Lapideſcentem ipſis connatum tribuis, h. e. ex eo oriri aſſeris. 5. Firmiter admodum adſtruit naturam mineralem generatio Coraliorum, ineſt enim Coralinis ſtirpibus liquor quidam ſpermaticus, quem per canaliculos, quibus inſigniores præſertim ramuli inſtructi ſunt, de ſe emittunt, qui in quamcunque rem deciderit, ibi ſtatim denſatus, novam fundit Coralia propaginem: Hinc, ut ſupra relatum, in conchyliis, delphino, &c. Coralii ſurculus enatus fuit: hinc integræ planè in maris rubri fundo Coraliorum Sylvæ reperiuntur, tanta earum copia condenſatæ, ut ne piſcibus quidem aditum concedant: ſed hæc non conveniunt in plantas, quæ vel per ſurculos, vel ſemina vel radices, eaſque tàm fibroſas, quam bulboſas aut tuberoſas ſeſe multiplicant: ut taceamus, aliena hæc planè eſſe à planta lapidefacta h.e. à planta emortua. Qua enim ratione planta in lapidem concreta generabit ſuccum prolificum & ſperma, quod ſimilem plantam producat.

§ 4. Hæc ſunt, quæ ex utraque parte proſtant argumenta: ex quibus non immeritò cum Eruditiſſ. *Kirchero* dicere quiſpiam poſſit: *Coralium quo nomine appellem vix diſpicio, nec enim plantis vegetabilibus nec lapideis excreſcentiis id rectè annumerari poteſt, ſatius itaque* λιθόφυτον *h. e. planto lapidem appellandam cenſemus, dico medium quid inter lapidem & plantam.* Sed cum rerum in claſſes diſtributio non ab accidentali forma externaque earum configuratione, ſed ſpeciali potius eſſentia deſumenda ſit, Coralium ad mineralium & in ſpecie ſaxearum propaginum ſeriem relegamus, utut quoad externam faciem arbuſculæ ſpeciem repræſentet, dicimuſque Coralium *eſſe lapideam in fruticis ſpeciem concretionem.*

§.5. Neceſſe E. jam eſt, ut oppoſitæ partis argumenta diluamus: quod itaque externam fruticis configurationem attinet, non ſufficit eadem ut vegetabilibus annumeretur Coralium, ab externa enim formationis ſimilitudine ad ipſius eſſentiæ identitatem non valet conſequentia: non enim ſtatim Frutex eſt, quod fruticis gerit ſpeciem. Non ſecus atque *Fructus Medicæ* ſcrutellatæ, orbiculatæ, vel turbinatæ cochlearum minorum referunt teſtas exactiſſimè, non tamen pro Cochlearum habentur domiciliis, & *ſcorpioidis Fructus* (non tantum qui ſpinis horret, ſed præprimis, qui craſſior eſt, colore viridi & ſine ſpinis, longè exactiùs priori erucam referens) adeò erucæ formam, ejuſque in ſe convolutæ ſpiras repræſentat, non tamen pro veris habetur erucis: ſic *fungus phalloides*, utut pudendis humanis utriuſque ſexus ſimillimus, & boletus Cervinus, licet *Cervi* genitale ſæpius exactiſſimè referat, propterea tamen animalium non annumerantur partibus, cum tamen eadem horum ſit proportio ad res repræſentatas, quæ Coralii ad Fruticem quandam vegetabilem. Ut taceamus Coraliorum Fruticem ramorum ſaltim divaricatione, ſine vel foliorum vel florum ornatu atque radicis fundamento, plantæ referre imaginem: imò ipſa eorum in ramulos expanſio non adeò ordinata & artificioſa eſt, qualem in vegetabilium conſpicimus gente, ſed inordinatæ planè & quaſi fortuitæ ſunt eorum excreſcentiæ, protuberantiis verrucoſis quandoque ſimiles, quos hinc inde abſque conſilio rationeque jactant & exporrigunt, ut non tantùm ad vivum depictæ eorum oſtendunt imagines, ſed vel maximè vera exemplaria ex maritimis aſportata locis hoc ipſum confirmant. Cum interim notiſſimum ſit, quam varias formas lapidibus imprimat ludens Natura, ingenioſiſſimos quoque artifices in ſtuporem & admirationem quæ rapiunt; ſic elegantiſſima Cryſtallorum eſt facies, & polygonæ naturæ geometricantis, topaciorum, amethyſtorum, aliorumve figuræ, peculiarem oſtendunt ſapientiam. Sic ſylvas, urbes, arbores, humanas figuras, brutorum facies mirabiles, & innumeras piſcium ac diverſas picturas, integra hominum aliorumque corporum ſimulacra lapidibus imprimi, haſque in tales ſtatuas elaborari Naturæ curioſorum teſtantur monumenta: quidni idem Coraliis contingat? cum in illis ſaltim per accidens, & loco quaſi Naturæ tam elegantes exprimantur formæ, in his v. ex primaria ſua intentione & data opera, ob certam materiæ diſpoſitionem aliaſque concurrentes circumſtantias in arboris ſpeciem contingat elaboratio. Quod baccas attinet, ſunt eæ liquor coraliorum ſpermaticus, poſt extractionem ſub forma coriandri aut baccæ corni craſſæ inſtar pinguedinis reſidens: quæ v. in Coraliorum monilibus, cornis & ceraſis ſimiles viſuntur, ex ipſorum truncis corno & lima prius parantur, mox ſmyridis lapidis pulvere, & terra quadam Tripolitana expoliuntur, & lucidum quendam livorem contrahunt, cùm iis diutius fricantur: quod verò 3. reperiantur ligna, quæ ex parte ſuam obtineant naturam, ex parte ſint Coralia, hoc ipſum oſtendit, ſuccum ſpermaticum per Coraliorum canaliculos extruſum, ſi quando incidat in plantulam veram lignoſam, inveſtire ejus corticem, & extraneo quaſi amictu induere ſicut ſæpius à piſcatoribus ramoſa herba una cum Coraliis extracta fuit, quam plerique myricam aut algam è maris fundo extractam dicunt: dum corpora Nitro-Sulphurea, mira quadam amicitiæ lege, hanc plantam appetentes, eam lapidea iſta lorica obducunt, ſicut in Gazophylacio *Cardin. Barbarini* ſimile Coralium, tandem in myricæ affinem plantam deſinens, invenitur: ubi v. hujuſmodi algæ aut myricæ deſunt, ibi nihilominus in

ramos

ramos extenditur eo modo, quo efflorescentiæ minerales in varios ramuſculos continuata partium ſuperadditione panduntur. 4to. jam ſupra ſatisfactum.

§.6. Vindicata hactenus Natura minerali Coraliorum, neceſſe eſt, geneſim ejus quantum fieri poteſt explicemus. Generari ergò dicimus coralia ex ſucco quodam minerali Salino Nitroſo, pinguedine & viſcoſitate quadam Sulph. impprægnato, qui per ſubterraneum Ignem, per poros fundi maris erumpit, ſed ubi attigerit marinas Aquas, protinus tum frigore, tum coagulante earum ſalſedine, ſubſidet, primaque fundamenta agit futuræ coacretionis, ex allabente v. & expirante continuo novo ſucco, coagulata iſta materies ſenſim diſtenditur, ſenſimque in altum elevatur, quæ novo novoque corpuſculorum Sulphureo-Salinorum affluxu non tantum condenſatur, ſed ulterius quoque aſcendendo ob copiam ſucci turgens, hinc inde in ramos erumpit, qui ex novo appulſo ſucco primò quidem verruculas quaſi promunt, quas recens ſalinus liquor ulterius extendendo, in ſurculorum ex ramulis enatorum ſpeciem expellit; quod ſi abundantia nimia diſtendendo arbuſculam diſrumpat, vel ex ramuli extremitate exſudet, exſtillans liquor ſpermatis naturam aſſumit, ſicque novam coralii propaginem fundat, & quamcunque rem attigerit, tanquam fertile ſolum oſculando, novo ſuperingeſtò ſpermate in arbuſculæ ſpeciem ſimiliter extollitur: Eodem E. modo celebratur hæc Coraliorum geneſis, quo cæteræ Salium efflorescentiæ contingunt, vel quomodo enati ſunt ſilices, aliique lapides, qui ramulis inſignes & fruticum ſpeciem gerentes reperiuntur, quales ſe vidiſſe ad Albim propè oſtium Tangræ memorat *Encelius* de re metall. l.3. c 3. Eſtque hoc idipſum, quod loquitur *Paracelſus tr. de glutine aquæ: Coralia oriuntur ex tenaci reſina ſ. glutine, quod ipſorum proprium eſt, & prima ipſorum materia eſt quaſi forma & liquor alicujus reſinæ, quæ lapideam in ſe proprietatem habet, &c.* Rectè v. materiam Salino-Sulphuream ſtatui patet ex lapide à duritie Coraliorum, quæ ex Salino principio non tantum dependet, ſed in ſpecie quoque ſpiritum Lapidificum dictum in ſe continet, qui nil aliud eſt, quam Sal univerſi centrale, ſ. Sal Naturæ, vel ſpiritus Salinus, ſubtiliſſimus, qui ut aliis aliiſque ſibi proportionatis Aquis, Salibus & Sulphuribus junctus omnem lapidum atque gemmarum varietatem peperit, ita & Coraliorum materiæ ſeſe inſinuando eandem poſtmodum in lapideam iſtam duritiem induravit. Sal verò Coraliorum Nitroſum eſſe vel Nitro-Sulphureum affirmat Quercetanus, qui ex hoc quoque ſpiritum eorum ardentem in deſtillatione emergentem oriri aſſerit, huic Sali adjunxit ſeſe viſcoſitas ſulphurea, quæ non coloris tantum elegantia decorat Coralia, ſed hæc ipſa quoque ſalina conglutinans corpuſcula, & viſcidate ſua conjungens, ſoliditatem iſtam non parùm promovet, & excreſcentiam formoſam valdoperè adjuvat. Cauſa itaque materialis Coraliorum eſt ſuccus iſte Salino-Sulphureus; efficiens proxima eſt ſpiritus lapidificus ipſi inexiſtens; remota & ſine qua non eſt Vulcanus ſubterraneus ſ. Ignis ſub Terræ cruſta reconditus activitate ſua ſuccum attenuans, reſolvens & ad poros fundi maris elevans, cauſa adjuvans eſt marinæ Aquæ appulſus & urgens frigus, quod ſucci ulteriorem exhalationem repellens, & ſpiritum inſitum ne expiret coërcens, ad congelationem egregiè & coagulationem cooperatur.

§.7. Ex modò deductis mox patet, quid de Coraliorum duritie ſub aquis habendum ſit, non enim adeò eſſe dura, in tenebris maris dum adhuc jacent ſepulta, atque cum liberiori fruuntur Solis aſpectu, facilè ex modo generationis patere poteſt; non enim tantum ſic omni nutritio & ſpermatico deſtituta eſſent ſucco, ſed ob duritiem nullum illius excurſe concederent tranſitum, omnique proindè artificioſa carerent ſtructura, & inſtar maſſæ informis inſiderent rupibus; idem experientia eorum loquitur, qui interfuere Coraliorum piſcationibus, à quibus dura equidem, non tamen lapidea deprehenſa fuere. Interim tamen mollia quoque ſub aquis exiſtere omninò falſum eſt, qua enim ratione in altum exſurgerent? vel rapido maris motui reſiſterent? vel piſcium tranſeuntium impetum ſuſtinerent? Experientia quoque duram eorum ſoliditatem patefacit, dum extrahuntur, ſimulque piſcatorum retia ab eorum ſurculis dilacerantur: Et ſi in aquis omnino eſſent mollia, unde poſt eorum extractionem durities? à ſolo Aëre ambiente? atqui ſic rurſus ſolverentur in Aquis, quod tamen minimè ita ſe habet. Mollitiei v. quam tribuerunt antiqui ipſis, figmento, occaſionem fortè dederit muſcus iſte villoſus, quo non rarò obſita ſunt, ex aquis dum extrahuntur. Duritiem enim ſatis firmam habent ſub aquis, non tamen lapideam, ſed mediam inter fruticeam mollitudinem & ſoliditatem ſaxeam ſortita ſunt: cedunt impellenti ſucco nutritio ex parte, & quidem ita ut in fiſtuloſum canaliculum ſe excavari patiantur, ſenſimque cedendo ex inferiori parte trunci denſitatem reſpectu gracilitatis ramorum oſtendant. Cur verò ex aquis extracta demum lapideam oſſeamque aſſumant duritiem, cauſa primariò in ambientis diverſitate conſiſtere videtur, quod ſucci illius lapidifico ſpiritu turgidi congelationem nunc promovet, nunc impedit; evulſa Coralia & in liberum aërem tracta ab ambientis humidum reſolventis aëris, caliditate & ſiccitate, & deterſiva humiditatis qualitate, intra exiguum tempus in perfectum ſaxum convertuntur, quod ipſum humiditas maris anteà impediverat: confirmat hoc non tantum firmiſſima lignorum durities, poſt humidi reſolutionem ſeſe patefaciens, ſed vel maximè Peireskii experientia, Coraliorum ſurculos poſt extractionem in leni fornacis vel Solis Igne indurantis. Quin tamen in aquis tandem quoque planè lapideſcant, non adeò dubitandum eſt, invaleſcente ſpiritu lapidifico & tandem indurante eadem: ut perfectiſſimam ſuam acquirant formam & conſiſtentiam: quod aſſerit *Paracelſus*, ubi ad juſtam, inquiens, magnitudinem pervenit, inſito Spiritu Salis & ætate induratur, id quod accidit vi ipſius propria.

§ 8. Hactenus de Natura Coraliorum, nunc ex differentiis paucis, quæ præſenti ſcopo conveniunt, perluſtrabimus; Removemus autem hîc omnia factitia eorum & adulterata monſtra; eaque ſolùm recipimus pro elicienda Tinctura, quæ ex benigniſſimæ naturæ gremio pronata ſunt, hæc ipſa verò cum ſint rurſus vel alba, vel rubra, vel nigra, (alias enim differentias, data opera, ſicco præterimus pede, utpote quæ pro extrahenda Tinctura non ſunt uſuales) ea tantum noſtro inſerviunt operi, quæ rutilante minii nativi colore ſe jactitant, quæque maſculorum nomen habent, cum palleſcentes fœminæ dicantur. Hujuſmodi verò coloris incunabula meritò cum Nobilioribus Spagyricis ex Sulph. deducimus, tanquam fonte, ex quo omnis colorum realium varietas in corporibus ſpectanda emanat. Prout enim Sulphur à Vulcano magis minuſque depuratur, & Sal diverſimodè exaltatur, non neglecto aliarum partium ad conſtitutionem corporis proximè concurrentium habitu, varia quoque colorum apparentia in corporibus oritur, Coralia quod attinet, eorum colores ſimiliter ex Sulphure cum Salino principio certo modo miſto, hiſque ab Igne ſubterraneo variè concretis & digeſtis oriri aſſerimus: in quibus enim ſuccus ille mineralis Coraliorum materies perfectè eſt coctus & elaboratus, Sulphur ejus optimè depuratum probèque à ſubterraneo calore digeſtum, Sal quoque ab eodem ſuavi tempore exaltatum & reſolutum, nobiliſſima Coralii ſpecies, quæ purpureo ſe

oſtendit nitore exinde generatur. Quod ſi nimia ejus ſit cruditas ob defectum debitæ digeſtionis, album emergit Coralium, ſin verò luxurians in ſucco Sulphur ab Ignis nimia vel vehementia vel propinquitate comburatur & corrumpatur, nigricans exinde, caliginoſum *Paracelſo* dictum Coralium naſcitur; ſicuti ſimiles colorum mutationes beneficio digeſtionis & in Igne coctionis exhibet continuò ſedula Naturæ ſcrutatrix Chymia. Et licet Coralia ex pelago extracta, non ſtatim manifeſtent elegantem ſuam purpuram, hoc tamen exinde provenit, quod muſcus villoſus, quo obſita ſunt, (quem corticem quidam falsò æſtimant, dum non in omnibus reperiatur Coraliis) colorem abſcondit, qui tamen eo detracto emergit. Licet quoque à Viris geſtata diutius ſplendore ſuo radient, à fœminis verò citius pallore inficiantur, & appenſa mulieri hyſtericæ palleſcant, ſed ſi ad carnes mulieris ſanæ affricentur, fulgorem recuperent, ſicut etiam obſervatum eſt, ab inſtante morte morbove eadem maculis liventibus & nigricantibus conſpurcari, hoc tamen ſaltim ob atomorum & effluviorum ex corpore geſtantis emanantium hæſione & in porulos eorum penetratione contingit: quo ipſo oſtendunt peculiarem quandam cum Tinct. microcoſmi ſ. ſanguine humano ſympathiam, qua id quod ex maſſa ſanguinea tanquam heterogeneum, præternaturale & excrementitium excernitur, ipſis quoque infeſtum & hoſtile eſt, effluviis ex ſanguine naturaliter conſtituto minimè ipſis offenſis: pateſcit hoc præprimis in febribus malignis, in quibus & ſanguinea maſſa toto genere infenſo obſidetur hoſte (dum minutiſſimis tunc ſcatet vermiculis) ita & tunc Coralia magis quam aliàs ſplendorem deponunt ſuum. Et in hujuſmodi caſibus imprimis ſtatuenda videtur ſimul actio quædam irradiativa Helmontio dicta, qua etiam fit, ut rubra appenſa Coralia hilaritatem & lætitiam, nigra triſtitiam & mœrorem inducant, imò qua illa affectibus melancholicis in ſpecie ſic dictis & Epilepſiæ egregiè opitulantur, hæc verò phrenitides & furioſas Manias ſedant, pro vario ſcil. modo, quo *Archæus* ab ipſis afficitur.

§.9. Ex hoc rubro Coralio Tincturam elicere geſtiunt Spagyrici, quo colorem ſimul, cum nobiliori Coraliorum eſſentia pro uſu medico, rejectis Terreſtribus aliiſque inutilibus fecibus adipiſcantur. Eſt enim vera & propriè ſic dicta Tinctura portio aliqua ſubſtantiæ propriæ corporis ex quo extrahitur, cum concentratione coloris & virtutis, idoneo menſtruo extracta & exaltata: ſicque Coraliorum Tinctura habebit ipſum in ſe eſſe formale Coraliorum. Quod verò extra ipſam datur, pro rejectamento habendum, non ſecus ac in Moſcho, dempto odore, nihil aliud reliquum eſt, quàm Cadaver; ita Coraliorum Tinctura eſt totum ipſorum eſſe formale, quod habito cœtera ſuſque deque habenda. Ex quibus non difficile erit, Tincturæ veræ naturam ab apparente diſcernere, quæ ſolum ſcil. colorem ſine eſſentiæ extractione obtinet. Licet enim Tinctura in ſpecie quidem colorem vel ejus ſaltim inductionem notet, dum à tingendo derivata ſit, uſum tamen obtinuit, ut colori juncta nobilior Eſſentia Tincturam conſtituat, ſicque nec color ſine eſſentia, nec hæc ſine illo Tincturæ laudem mereatur. Veræ E. legitimæque Tincturæ hæc requiruntur conditiones 1. *ut per extractionem, non v. Coralii corporis meram ſolutionem parata ſit*: ut enim illa operatione eſſentia rei intima exhauritur, ſic hac ſaltem res in calcem redigitur: ut in illa purum ab impuro, eſſentia ab excrementis ſegregatur, ita hac eadem juncta ſtatim diſcontinuantur. Ex hoc ſequitur, 2. Veram Tincturam *eam non eſſe, quæ non remaneat abſtracto ſuo menſtruo* ſub colore ſuo proprio, ſed vel Salis vel Calcis ſpecie reſideat, illud enim genuinus extractionis effectus, hoc vero corroſionis eſt, & illa Tinctura ex partibus Sulphureis & coloratis à toto oritur ſeparatis, hæc verò ex menſtrui cum atomis corroſis conjunctione. 3. Neceſſe eſt etiam, *ne Tinctura ſi debet eſſe vera, præcipitari poſſit*, ſive contingat per infuſionem Spirituum vel Salium acidorum, in magiſteria ſic dicta, ſive per menſtruorum abſtractionem & evaporationem in pulveres Salinos albos, ſic enim nil aliud quam ſubtiliſſimos pulveres menſtruo corrodenti inexiſtentes Tincturam dediſſe manifeſtatur. 4. Vera Tinctura rubra *nonniſi ex rubris Coraliis parari poteſt* & debet, quod ſi enim ſimilis operationis beneficio, ex nigris vel albis quoque eliciatur Tinctura rubra, vel lippientibus perſpicuum fit, non à Coraliis, ſed menſtruis, per eorum vel longam digeſtionem, vel certam à corpore ſubjecto diſpoſitionem eandem oriri. 5. Ut *corpus coraliorum album & purpureo ſuo ornatu ſpoliatum poſt extractionem remaneat*; hoc ipſum enim ut realem Tincturæ ex corpore extrahendo in menſtruum tranſitum notat, ita ejuſdem coloris poſt extractionem, remanentia, quid aliud, niſi fucatam & apparentem oſtendit Tincturam? 6. *Vt Tinctura non ſit adeò copioſa*: non enim adeò copiosè in Coraliis luxuriat Sulphur & abundat, ſed ejus potius parciſſima ineſt copia, ita ut ex Libra vix Uncia una veræ Tincturæ parari poſſit, imò adeò parvam ſtatuit *Lauremberg. c. l.* adeoque parciſſimè & leviter corpori permiſſam, ut per centenas Coraliorum Libras vix paucæ ejus Unciæ diſſeminentur. Hæc requiſita nobis inſervient poſtea tanquam Regula, ad quam proceſſuum pro elicienda Tinctura veritas judicabitur.

Et de Coraliis eorumque Tinctura in genere dicta ſufficiant, ſequitur jam

Deciſio Controverſiæ.

§.1. An vera genuina & legitima detur Coraliorum Tinctura, ex ſolo principio ejus Sulphureo oriunda, valdè diſcrepantes Chymicorum ſunt opiniones, in genere tamen *quidam* omninò negant, veram dari, ſed omnem eſſe vel nudam Coraliorum corroſionem vel menſtrui ſaltim talem colorationem: alii è contra hoſce audacter mendacii accuſant, & nimis promptè affirmativam propenſi multas Tincturas, quæ non omne examen ſuſtinent, pro veris venditant: alii mediam terunt viam, non negantes poſſibilem eſſe Tincturam veram, & ſecundum omnia requiſita paratam, ſed valdè eam paratu eſſe difficilem, valdeque parcam, ita ut nondum vera & ſtrictè ſic dicta à Spagyricis literis hactenus prodita ſit. Oſſea enim & lapidea eorum compages, utut facilè per corroſiva diſſolvi poſſit, principia tamen Sulphur cum Sale & hoc cum Terreſtreitatibus adeò eſſe firmiter connexa, ut vix ac ne vix quidem poſtea unum ab altero ſeparari poſſit, niſi fortè per Ignem, qui tamen volatiliſando & deſtruendo Tincturam omnem ſpem eludat.

§.2. Poſteriorem eamque veriorem ſententiam noſtram facimus, Compoſitum enim quoddam ſunt Coralia & ſimul ſuo Sulphure, à quo Tinctura dependet, debitè imprægnata, hinc extrahi poſſe per conveniens menſtruum quis dubitet? & ſi nullum hactenus inventum ſit, quod huic ſatisfacere queat ſcopo, ſaltim menſtruum illud univerſale, Mercurius benedictus Philoſophorum acetum eorum acerrimum, & Avicula Hermetis efficaciam ſuam oſtendet, modò uberior paulò ejuſdem ap. Spagyricos ſit proventus. Sicut *Rhumelius in Compend. Hermet.* per Aquam ſuam acerrimam ſeu menſtruum ſuum Univerſale eadem reſolvit, poſteaque cum Spiritu Vini extrahit. Et poſito pauciſſimum ineſſe Sulphur & inde oriundæ Tincturæ in Coraliis, hoc tamen unà cum defectu menſtrui convenientis ſaltem ſummam difficultatem, non verò omnimodam impoſſibilitatem declarat: & pauca licet extrahatur Tinctura, non tamen eadem eſt nulla: licetque ſit

ſit ardua ejuſdem acquiſitio, ob arctam principiorum unionem, non tamen ſupra Chymicæ artis vires ejuſdem poſſeſſio. Vulgares verò Pharmacopœorum Tincturæ, vel aliæ etiam, quas elegantiores Spagyrici literis poſteritati prodiderunt, non ſunt veræ propriéque dictæ Tincturæ, neque rigoroſum requiſitorum examen ſuſtinent, *ſed vel colorata tantum ſunt menſtrua, vel tincta eleganter Solutiones.*

§.3. Quod itaque attinet primo Tincturas à menſtruo oriundas, hæ ſunt omnes eæ, quæ ex Coraliis Igne actuali antè calcinatis oriuntur, & licet hæc menſtrua aliquid ſolvant de Coraliis, exinde tamen Tincturæ non eſt origo. Calcinato autem iſta fit vel cum Igne ſolo l. adjuncto una aut pumice, aut Sulphure aut Nitro. Quæ cum Igne fit ſolo, in ea Coralia obſervatis reverberationis gradibus, per biduum l. triduum calcinata, deponunt in Spiritum Vin. vel roris majalis ſuam Tincturam, falſam ſc. non veram: diuturna enim & violentiſſima iſta Coraliorum tortura, quid aliud niſi Sal quoddam fixum alkali (de quo quidam dubitant) cum Terra mortua conjunctum acquirimus, vel calcem quandam vivam acerrimam, deſtructa omni Coraliorum eſſentia, omni eorum exhauſta virtute, & expulſa Tinctura? Quod verò per vim Ignis expellatur omninò Tinctura, patet ex eo, quod non tantum ab albis Aquilæ Cœleſtis alis ſ. Sale Armoniaco unà elevetur, ſed cum Sulphuris quoque floribus unà aſcendat, & utroſque flores colore ſanguineo ut imbuit, ita viribus nobilioribus longè imprægnat, Coraliorum corpore, tanquam cadavere emortuo, ut in aliis contingit calcinationibus reſtitante. Nobilior E. & ſpirituoſior eorum eſſentia, in qua vera Tinctura ſepulta jacet, calcinationibus iſtis omninò perit & evaporat; non ſecus ac Magnes valdè calcinatus vim attractoriam omninò perdit, ſuccinumque uſtum vim trahendi paleas. Non ignotum hoc fuit Aromatario illi Neapolitano, qui cum electuario cordiali Regi Aragoniæ præſcripto Coralia alba immiſcere deberet, in defectu eorum, calcinando rubra, continuè alba nactus eſt Coralia, ob quam fraudem à Rege 9000. Ducatorum pœna affectus, & Aromatarii dignitate privatus fuit. Calcibus E. iſtis ſuperfuſa menſtrua tinguntur ab iiſdem, mediante imprimis digeſtione, non ſecus ac ſuper aliis Salibus alkalibus idem fieri ſolet: qua ratione ex calce viva cum modico Tartari vel etiam Nitr. certo modo conjuncta cum Spir. Vini Tinctura quoad colorem elegantiſſima extrahitur, vel (ut maneamus in materia propoſita) ex calce Coraliorum, affuſa Aqua calida extrahe Sal, huic per repetitas ſolutiones & coagulationes purificato affuſus Spirit. Vin. Tincturam ſanguinei coloris ſimiliter extrahit, cum tamen veræ Tincturæ nihil ſit in Sale iſto, quæ calcinando jam longè evanuerit. Nec quemquam ambiguum reddat tranſitus coloris in calcinatione iſta, ex albedine in flavedinem, ex hac in rubedinem, apparens enim tantùm eſt, & Ignis violentia ſucco tali pinguntur Coralia; cur enim primo gradu ſeſe abſconderet nativus eorum rubor, & poſtea per gradus rurſum emergeret? ſiquidem & ſimiles fucos in aliis quoque videmus calcinationibus, nam Vitriolum viride primò leni Igne in albedinem, mediocri in bruneum colorem, fortiori in intenſam rubedinem, fortiſſimo in nigerrimam abit calcem: & Tartarus ſimiliter, dum calcinatur, in varias ad inſtar Prothei ſe transformat facies. Ex hiſce ſimili modo judicandum de Tinctura illa putatitia per ſpiritum Coraliorum proprium acidulum ex iis immediatè per Retort. prolectum parata, poſito enim elici ejuſmodi ſpiritum acidum ex iis, (obſtinatè enim hoc affirmare nolumus, cum nulla hujus à nobis facta ſit experientia) vera tamen Tinctura extrahi cum eo nulla poterit: in Coraliis enim per Ignis iſtam violentiam jam omnis evanuit rubedo, & ipſa ſanguine omni exhauſta ex Retort. eximuntur: Qualem E. ex hoc Coraliorum cadavere iſte ſpiritus eorum proprius extrahet Tincturam? ſeipſum potius tinget; qualis mos acidorum alias eſſe ſolet, quemadmodum Acet. deſtili. ſuper Coralia ad albedinem calcinata fuſum, rubro quoque tingitur colore, non ſecus ac ſuper pumice calcinato; unde fictitia iſta Tinctura. Sed quid ſentiendum de hac cum pumice calcinatione, & unde parata Tinctura, ſatis à quam plurimis celebrata? Falſiſſima hæc eſt, ne micam quidem in ſe continens vel ſubſtantiæ vel Tincturæ coraliorum: nam 1. per vim Ignis omnis periit Tinctura, ut jam demonſtratum. 2. Pumex de eadem calcinatione iſta nihil aſſumit, licet enim albeſcentibus in principio Coraliis, pumex quodam modo rubeſcat, poſtea tamen iiſdem propemodum nigreſcentibus, & tandem planè albo colore ſuffuſis, nihilo magis tingitur pumex, cum tamen quantò magis Coralia exuerentur rubedine, tantò magis eum indueret pumex, quod tamen contrariatur experientiæ. 3. Coraliis, quibus ſic Tinctura à pumice extracta eſt, affunde ſpiritum mellis vel Urinæ, & acquires etiam Tincturam, quæ e. eſt vera? nulla ſanè. In hac enim ex Coraliis ſulphure ſuo ex hauſtiis paratur, & in illa ex pumice; qui nihil ejuſdem ſulphur. Corallini in ſe continet. 4. Tinctura ex ſolo eſt pumice, qui per diuturnam calcinationem vi empyreumatis & cujuſdam alkaliſationis ab Igne contractæ, Acet. deſt. l. ſpir. vin. ſuperfuſum, mediante longiore digeſtione tingit non ſecus ac idem lapis autore Libavio, crematus, Aqua affuſa ſimplici, ſimili modo tingitur, vel ut idem pumex nimis calcinatus, Tinctura Smaragdina imprægnat Acet. deſtill. affuſum autore *Agricola*. Ad hæc cum ſulphure quoque calcinantur Coralia, horum p.j. illius p iij. per horas 2. vel 4. & ſic calida injiciuntur Acet. deſtill. quod per digeſtionem, cum calce illa Coraliorum eam ſolvit, ſicque ſe ipſum tingit: vel cum ſpirit. vin. tandem Tinctura extrahitur; idque facilè mediante digeſtione. Par ratio eſt cum Nit. cum quo fuſa Coralia & probè calcinata, de ſe in auras tranſmittunt Tincturam, ſalv. Nitr. fixum, cum calce Coraliorum alkaliſato relictum facilè beneficio digeſtionis ſpirit. Vin. tinget: quod patet vel maximè ex eo, quod reſtitans Coraliorum pulvis ſimiliter rurſus cum Nitr. calcinatus, eodem modo iterum ſpirit. Vin. tinget. Alii hoc ipſum exactius perſpicientes, Nitr. cum ſatis fuſo, injiciunt pulverem Coraliorum, agitando continuo ſpatula, ſic enim Nitr. Coral. ſulphur aſſumere creditur, ne evaneſcat materiæ poſtmodum calidæ ſpirit. Vin. affuſus facilè hinc ſe tingere poterit. Sunt alii, qui cum Nitr. pulver. Coraliorum ana in Retort. tubulatam injiciunt, propellendo ſic ſp. Nitri & ſimul calcinando Coralia, ex qua calce ſalina ſpir. Vin. luteo colore tingitur, abſtracto eo, pulverem in Aqua ſolvunt, in qua rubedinem ſeſe prodere aiunt, pulverem rurſus coagulatum in Oleum rubrum per deliquium ſolvunt; ſuper quo fuſus ſpirit. Vin. ſtatim rubeſcit, &c. ſed quis putet aliquid remanſiſſe Tincturæ in Coraliis, cum poſt omnem materiæ injectionem ad 12. horas Coralia Vulcani vim ſentiant, & cur in ſpecie vinum primo luteo tantùm colore, tandem verò rubeo tingitur, pulvere ſponte in Oleum rubrum fatiſcente: profectò cum Chymicorum manus oculatæ ſint, non prius huic Tincturæ adhibebimus fidem, antequam eam ſecundum præſcriptionem elaboratam intueamur. Sunt qui cum Nitr. Coralia calcinant adjecto ſulphur. monumento, mox terunt & cum ſpirit. Vin. Tincturam eliciunt, præcipitato Nitr. cum Oleo Tartari: ſed Tinctura hæc ſaltim à ſulphure oritur, nam poſt ſpirit. Vin. evaporationem pulvis remanens planè eſt ſulphureus, & croceam Tincturam tradit, ſpiritui Therebinthinæ, qui ex fl. ſulphur ſimilem Tincturam extrahere aſſolet.

§.4. Similia Tincta menſtrua, cum pulvere ſubtili Coraliorum interdum imprægnata ſunt etiam ſequentes Tincturæ: Primò quidem ea, quæ cum ſuccino deſtillando

deſtillando paratur, dum putant ſuccinum eſſe magnetem Tincturæ, ſed rubedo inde emanans, obſcura nimis, ſuccini eſt, non Coraliorum. Ejuſdem valoris eſt quæ cum Spiritu Vini ſolo paratur, vel per digeſtionem, vel per crebrius repetitam deſtillationem, qua tandem Tinctura per alembicum prodeat, (ut aiunt, de quo dubitamus, utut *Ganſius* hoc oriri aſſerat, à Spirit. Vin. per crebriorem deſtillationem exaltato) Nam notum eſt, quod Spirit. Vin. in loco calido ſuper ſubjecto idoneo, colore purpura nitidiore ſeipſum tingat, non ſecus ac Spiritibus Therebinthinæ per levem digeſtionem ſeipſum rubra induit veſte. Sic idem Spirit. Vin. ex Coraliis calcinatis, h. e. ex quibus jam omnis exhauſta eſt Tinctura, tamen colorem rubrum extrahit, & quidem facilius ex his, quam crudis, quod forte ex illis in poroſitatem ab Igne redactis particulæ quædam à Spirit. Vin. imbibuntur, qui colorationem promovent, vel ſi Spirit. Vin. affundatur Coraliis per Oleum Citri jam ſua Tinctura privatis, nihilominus colore rubicundo tingitur, ut taceam Spirit. Vin. planè imbecillem eſſe pro extrahenda Tinctura ex Coraliis, niſi antea debite ſint recluſa. Hinc loco Spirit. Vin. ſimplicis, Spirit. Vin. Tartariſatum quidam aſſumunt, ſed quidni hîc Sal Tartari in digeſtione acceleret Tincturam, cum non dubium, quin ſimul partes quædam coraliorum ſolvantur: cæterum Tinctura, quæ hac methodo paratur, copioſior eſt quam ut ex Coraliis ſic extrahi poſſit. Alii per liquorem Alcaheſticum lapidum ex ſilicibus & Tartaro paratum, Coraliis affuſum, eorum Tincturam extrahere, eamque poſtea Spirit. Vin. affuſo communicare volunt, ſed nulli ignotum, quod ſuper iſtiuſmodi alkalia Spirit. Vin. ſeipſum facilè tingat: forte alio modo per eandem materiam, ſi cum eadem fundantur Coralia in crucibulo per præcipitationem, Sulphur Coraliorum per acidum quoddam ſeparare, & exinde Tincturam parare quis ſperaret? ſed ſicut iſta præcipitatione non ſolùm acquiritur Sulphur, à cætero corpore ſolutum omnino, ſed ſimul minutiſſimus Coraliorum pulvis, ita eundem quoque inſimul Spirit. Vin. imbibere poterit, ſicque habebit non extractionem Coraliorum, ſed elegantem eorum ſolutionem. Similem menſtrui Tincturam præbet Spiritus roris majalis, qui Coraliorum calci per Ignitionem paratæ affuſus ex iis Tincturam extrahere videtur, vel ſi ſecundum *Quercetanum* Coralia Igne reverberata cum menſtruo cœleſti deſtillato, cum proprio ſuo ſaccharo, (h.e. cum Spiritu roris majalis cum manna parato) extrahantur. Non equidem rori majali ſuam in extrahendis Tincturis negamus efficaciam, utpote qui Sale Naturæ & Aëris omnia vegetante & vivificante egregiè imprægnatus eſt, ſed quid extrahet ex Coraliis calcinatis? Verum quid dicamus de ſpiritu ardente Saturni (quem multi vel omninò pro non Ente, vel ſaltem pro Spirit. Vin. regenerato habent) cum quo ex Coraliis Tincturam parare docent Chymiatri? ut & de Spiritu ardente Coraliorum, quem ſimiliter pro Spirit. Vin. ex aceto reſuſcitato habere poſſis, utut *Laurembergius* hos Spiritus compoſitos aſſerat ex Spiritu aceti & parte ardente Saturni vel Coraliorum, quæ pars ardens, ſeparato aceti ſpiritu, remaneat, niſi quidam etiam ſine aceto & non ex Sale tantum coraliorum, ſed ex ipſis immediatè Coraliis certo modo deſtructis parare velint? Res ſanè ut adhuc incerta, ita & difficultatis pleniſſima. Quicquid ſit, quæ cum Spiritu Coraliorum paratur, eam ipſe rejicit *Hartmannus* ejus autor, eamque à menſtruo oriri vult & *Sennertus*, qui ſimili modo ex albis Coraliis Tincturam rubram elici affirmat; quod ſi verum eſt, verum etiam erit de Spiritu Saturni, cum de ſimilibus idem ſit judicium.

§.5. Promovendus jam gradus ad tinctas Coraliorum corroſiones, eaſque imprimis per acida paratas menſtrua, quæ ſubtiliſſimum coraliorum pulverem imbiberunt, & accedente digeſtione, aliuſve principii conjunctione, Tincturam prodiderunt. Vulgaris inter has eſt notitiæ deſtillatio Coraliorum cum ſaccharo, ſic per Retort. prodit liquor rubicundus, non ſecus ac ſaccharum cum Antimonio deſtillatum ſimili prorepit colore, particulas tamen quaſdam Coraliorum Spiritus acidus ſimul elevat corrodendo, per Oleum Tartari beneficio præcipitationis facilè ſeparandas. Alii ſolutionem Coraliorum cum ſucco limonum, vel berberum, vel citri pro eorum Tinctura venditant, acquirentes ſic loco Tincturæ magiſterium non inelegans. Alii ſuccum citri ad conſiſtentiam mellis abſtrahunt, poſteaque cum Spiritu Vini Tincturam extrahunt, non minus pulchram ſolutionem oſtendentes. Vid. *Rolfinck.* c.l. *Boot.* l.2. c.154. p.310. Cum Oleo corticum citri alii rubedinem Coraliis exuunt, hiſce integris, ſed albis in fundo relictis (& hoc Oleum citri corallatum calci Sol affuſim egregiam Tincturam extrahere, ſunt qui aſſerunt) ſed ſubtilis hujus Olei acrimonia, ſubtiliſſimas Coraliorum partes, Tinctura tamen ſua non deſtitutas, corrodet & recipiet, cumque ipſum ſit colore aureo, facilè accedente ad ſolutionem iſtam debita digeſtione, nitidiore purpura renitebit. Fuit aliquando Pharmacopœus quidam, qui Coralia cum Aqua Cæſarea ipſum Martem diſſolvente corroſit, ſicque Tincturam paravit, eamque Podagrico, ob aſſumptum arcanum Corallinum graviter decumbenti pro viribus reficiendis propinavit. Sunt, qui cum Spir. Vitrioli Coralia ſubtiliſſ. pulveriſ. diſſolvunt, & digerendo in Tincturam elegantis coloris redigunt, quæ non à ſolis corroſis eſt Coraliis, ſed maxime ex parte à ſolo Spiritu Vitrioli, qui vel ex levi pulviſculo, vel alio quodam incidente, rubro ſe colore tingit. Vel Spiritum Vini & Spiritum Vitrioli per frequentes cohabationes firmiter jungunt, eoſque loco menſtrui adhibent, ſed Spirit. Vitrioli dum corrodit eadem, pulviſculum recipit, & Spirit. Vin. implantat, hinc facilè rubeſcunt. Alii Recip. Coral. Libr. Vitrioli & Sal. gem. Ana. Uncias ij. & affuſa Aqua leviſtici per Menſem digerunt, ſicque corroſione Coraliorum Tinctura rubra exurgit. Solvit quoque Coralia Spiritus Mellis acidus, & color rubicundus ex ſolutione iſta oriundus ex Spiritu eſt, ingenuè hoc fatente *Crollio*, p.288. qui nunquam etiam genuinam ſe vidiſſe Tincturam apertè affirmat: facile enim Spiritus Mellis per ſe Tincturam aſſumit purpuream: ſic ſi cum Spirit. Vin. adjectis larenis Mel digeratur, dat Tincturam omninò ſanguineam, & ſi jungatur cum Sale Tartari inſtar ſanguinis mel rubeſcit, facilè E. ſuper Coraliis calcinatis, aliquas eorum particulas imbibendo, Tincturam rubicundam in leni calore induet, minimè vero à Coraliis oriundam, nam Spiritu hoc abſtracto, ex pulvere rurſus per Spirit. Vin. Tinctura evocanda, repetita digeſtione: prætereaque tam copioſa ſic paratur Tinctura, reſpectu Sulphur. Coraliorum, ut nullo modo ex his ſolis eadem oriri poſſit: Et idem copioſus Tincturæ proventus, ſuſpectum reddit Locatelli proceſſum, qui ex Sale Coraliorum cum Spiritu acido aceti ad abundantiam uſque inebriato, per affuſionem Spiritus mellis, Tincturam extrahit: & nulli dubitamus, quin hoc modo, & fortè etiam priori, ex albis Coraliis rubra Tinctura elici poſſit. Quod attinet Tincturam *Mynſichei*, cum Spiritu Mellis etiam paratam, ea non facile limam ſubire poteſt, cum occultè & philoſophicè admodum deſcripta ſit, ſatis tamen accurata videtur, & ſi iſtis paratur circumſtantiis, quales Autor conſignavit, non adeò longè à vera Tinctura abeſſe videtur. Sunt porro alii, qui admodum ſuperiorem iſtum primum *Hartmanni*, loco Spiritus Mellis, Spiritum Urinæ adhibent, extrahendo ſic rubedinem: Sed fraudulentum quid ſubeſſe videtur, ex eo, quod Sal Armoniacum, cujus potiſſima pars eſt Sal Urinæ volatile (ratione vero hujus Salis Spiritus Urinæ agit, quicquid agit) ſolutus in aqua comm. & affuſ. Coraliis rubris, cæruleum impenſe colorem extrahat,

hat, ſed unde hæc Tinctura? ut E. hæc eſt apparens, ſane & illa cum Spiritu Urinæ ejuſdem erit valoris, ibi enim per Sal Armoniac. ex Coraliis illibatis educitur Tinctura cærulea, hic v. cum Spiritu Urinæ ex Coraliis calcinatis, & cum Sale fixo Nitr. conjunctis, facilè ſimilis ſpuria Tinctura exſurgere poteſt: Cum ſimiliter Spiritus Urinæ Coraliis cum pumice calcinatis (hoc eſt è quibus à pumice omnis Tinctura extracta eſt, ut putant, vel potius, è quibus omnis per Ignis volatilitatem ſimul exhauſtā eſt Tinctura) & planè dealbatis affuſus, Tincturam rubram extrahat: quod ipſum de Spiritu Mellis non minus verum: Sal enim Urina mirificam colorum poteſtatem potentia in ſe continet, ſecundum quam ad variam ſubjectæ materiæ diatheſin, modo hunc, modo alium colorem exhibet. Solutiones elegantes ſunt etiam, quæ fiunt per ſpiritus vegetabilium acidos, quales ſunt, qui ex ligno quercino, juniperino, corylino, guajacino, ſaſſafras, ſorbo ſilveſtri, fraxino, &c. Per artem Spagyricam deſtillantur, quos aptiſſimos cenſet Spiritus Kircherus pro paranda Tinctura, ut & Tenzelius; non tamen uniformis eſt proceſſus. Quidam Coralia Ignita iſtis injiciunt ſpiritibus, alii prius cum Oleo Sal. vel ſucco citri ſolutis Coraliis, alii cum Nitr. prius calcinati, hos ſpiritus affundunt, &c. Sed in genere non ſunt veræ Tincturæ, ſed ſubtiles ſaltim ſolutiones, vel abſtractione menſtrui, vel facili præcipitatione in pulverem rurſus redigendæ. *Solutio* quoque eſt Tinctura, quæ paratur per Spiritum panis triticei peculiari encheiriſi ab empyreumate liberati, facilè enim præcipitari poteſt; ſimile judicium de reliquis cum acidis menſtruis præparationibus ferendum eſt, quæ non tantùm facilè præcipitantur, ſed copioſior Tinctura per ea elicitur ex Coraliis, quam ea revera in ſe contineant, & ſimili modo utplurimum ex albis quoque Coraliis Tinctura parari poteſt. Pertinet huc, quando Coralia cum Acet. deſtill. ſoluta & abluta, ſeu Sal Coraliorum, quidam etiam adhibent eorum magiſterium, cum Spirit. Vin. in Tincturam rediguntur, quo ſexies abſtracto, eadem inſtar mellis ſpiſſi in fundo Retort. remanent, vel quando pulveris corall. p. j. Sal. comm. p. ij. funduntur, ſimul in anemio his frigefactis acetum affundunt, quod extrahit Tincturam: ſed neminem fallat color rubicundus, qui acidis ejuſmodi ſola digeſtione parari poteſt, autore *Sennerto*. Quod de aceto jam dictum, dictum etiam ſit de Spiritu Vitrioli, vel ſpiritu Salis tàm communis, quam ex Salibus fixis vegetabilium, ut vult *Ganſius* (de quorum ſpirituum tamen exiſtentia res non adeò eſt certa) paratis, quibus ſoluta Coralia poſtea Spirit. Vin. tingunt. Vel quando pulvis Coraliorum ſolutus in ſpiritu Sal. & optimè edulcoratus extrahitur cum ſpiritu Vini: quæ extractiones per repetitas digeſtiones, & aliquoties iteratas cohobationes, quinta deſtillatione, promunt Spiritum rubeum, (ut volunt) ſexta v. cohobat. in Retorta pulvis hujuſce coloris in fundo manet. Sed ut optimum eſt *Ganſii* judicium, rubedo illa Coraliis accedere videtur, vel à reliquiis ſpiritus Salini, vel à menſtruo ſæpius affuſo & multum digeſto. Hiſce annumeranda etiam Tinctura *Frat. Baſilii Valentini*, in qua Coralia cum ſpiritu Sal. ſoluta, poſtmodum cum Sulphur. camphora & calcinata, Spiritum Vini rubro colore tingunt. Ex hujuſmodi ſolutionum cenſu eſt etiam ea Tinctura, quæ per menſtruum compoſitum ex Tartaro & Vitriolo paratur, (quamquam pro varia præparatione modo plus, modo minus participet de Vitriolo) ſive hoc ſic ſimpliciter paratum aſſumatur, ſive ab oſſibus calcinatis prius quater cohobetur, menſtruo hoc ſuper Coraliis rubefacto, ab iis decantato & abſtracto materia reſtitans affuſum Spirit. Vin. vel Aquam temperatam, vel Spiritum Roſarum Tinctura rubicunda impregnat. Nulli vero dubitamus quin ſimili modo ex albis quoque Coraliis eadem parari poſſit: & ipſe Dominus *D. Langelot*. qui primus eam communicavit *D. Schrodero*, aliiſque non pro ſincera eadem habet, ſe eam potius, quæ cum Spiritu vel Sale Aëris paratur, eidem præfert.

§. 6. Examinatis hactenus Tincturis, quarum nobiliorum Chymicorum ingenuitas & candor, nos participes reddidit, iiſque ſub apparentium claſſe redactis, reſtat, ut ſelectiores quaſdam præparationes ejuſdem apponamus, quæ utut verarum Tincturarum non mereantur titulum, elegantioris tamen & efficacioris Coraliorum ſolutionis nomine meritò gaudent: 1. Recip. pulverem Corall. rubr. ſolve in ſ. q. ſucci citri in digeſtione, filtrenturque, filtratus liquor includatur Retortæ, vel cucurbitæ, omniſque humiditas abſtrahatur & coaguletur lento Igne, affunde ſuper materiam in fundo relictam Spirit. Vin. vel quod melius Spiritum quendam appropriatum, ad 2. digit. eminent. & tridui ſpatio, beneficio digeſtionis, habebis ſpiritum rubicundiſſimum, qui Tincturā citri & Coraliorum in ſe continent. Elegantiores longè ſunt Tincturarum Corall. præparationes, quas Magnificus noſter Decanus *Dominus D. Michaëlis*, parare ſolet, eaſque vel cum Spiritu Ligni ſaſſafras, vel cum Spiritu Antiſcorbutico, compoſito, unde Tinctura Coraliorum Antiſcorbutica, vel cum Spiritu Cord. Cervi, quarum felicem energiam quotidiana experientia comprobat. Elegantes quoque Tincturæ nomine venire poteſt extractio Coraliorum ſecundum ductum Q. E Coraliorum Fabri parata, in *Myrothec*. Spagyr. l. 3. cap. 22. Recip. pulv. Coral. eleganter rutilant. Sal. Armoniaci Ana ſublima, & ſic Sal Armoniacum corrodet ſubtiliſſimas earum partes, floreſque rubicundiſſimi aſcendent, attracta ſecum Coraliorum Tinctura, quam à Sale Armoniaco, cum Spiritu vini aliove appropriato optimè rectificato ſeparare & per lenem abſtractionem ejuſdem ad Tincturæ debitam conſiſtentiam redigere poteris. Vel curioſiori modo hiſce floribus Corallatis ſolutis in Aqua calida ſpiritum quendam acidum infunde, ſicque præcipitando ſeparabis Sulphur quoddam Coraliorum ardens, ex quo per Spirit. Vin. quin Tincturam elicere queas nulli dubitamus: ſicut hoc ipſum ab *Amico quodam ſingulari* bona fide nobis communicatum fuit. Sic ex floribus Sulphuris corallatis, ſ. cum Coraliis ſublimatio colore citrino, & intenſo præditis, vel per Spirit. Vin. optimè alkoholiſatum, vel Spiritu Therebinthinæ Tincturam parare poteris. Sulphur enim per ſe vires poſſidet egregias medicas, quas conjugium ſubtiliſſimæ Coraliorum partis, non parum exaltabit. Non inelegans quoque & hic eſt proceſſus, ab Italiæ quodam Principe in Secretis habitus, Tincturæ pretioſæ nomine appellatus. E. Coraliis ſuper prophyrite pulveriſatis cum Terra Sigill. vel alia, & Aqua fiant globuli, exſiccentur & deſtillentur per Retort. per gradus, poſtremo fortiſſimus prodibit liquor, brunei coloris vel nigro-rubicundi, qui rectificatus, ſuper fruſta aliquot Coraliorum ſtet in leni calore & eliciatur Tinctura, repetatur injectio, donec acquiratur ſufficiens rubedo, depleatur & filtretur cum Spirit. Vin. circuletur per menſes, poſtea lento Igne abſtrahatur ad debitam conſiſtentiam; parcus autem eſt Tincturæ proventus. Sed noviſſimè egregius quidam Chymiater, Pariſiis novo & antea inaudito modo Tincturæ præparationem aggreſſus eſt. Certo ſc. tempore colligit Aquam Aëris, utpote Sale univerſali Naturæ inſigniter acuatam, ex eaque, præmiſſa debita digeſtione deſtillat primò phlegma, hinc Spiritum, &c. Phlegma illud primò prodiens, ut diaphanes eſt & planè perſpicuum, ita omnis omnino ſaporis expers, & non ſecus ac vulgaris Aqua omninò inſipida, ita ut vix ab eadem diſcerni queat, & tamen hoc ipſo menſtruo inſipido extrahit ex Coraliis Tincturam rubicundam ipſumque eorum Sal; evaporata enim in Solis radiis Tinctura, Sal in cubica forma reſidet, reliqua materia inſtar ſucci Berberum ſupernatante, &c. Hæc de præparatione Tincturæ Coraliorum

rum dicta ſufficiant: conſiderandus jam ultimò pauciſſimis ipſe

Vſus Tincturæ.

Communis Autorum ferè omnium & Chymiatrorum eſt ſententia, vi cordiali egregia instructa eſſe Coralia rubra, atque imprimis legitimam ex iis paratam Tincturam: præterea quoque peculiarem cum ſanguine humano ſympathiam & intimam amicitiam fovere, eamque ab omnium heterogeneorum excrementorum ſordibus repurgare: unde in morbis venenatis, febribus malignis, ipſaque adeò atrociſſima peſte, non vulgariter commendatur: adſtipulari hiſce videtur ſignatura rubedinis Coraliorum, qua nectatis microcoſmici Tincturam exactè repræſentat; imò *Ganſio* judice, Coralium viribus prope divinis omnes gemmas ſuperat, nec gemmis tantum, ſed cunctis etiam herbis præferendum videtur. Sed ne quid nimis. Egregias largimur Coraliis vires, Panaceæ tamen titulo ea indigna cenſemus: habentque eſſentiales ſuas dotes à divino Thaumaturgo in prima rerum Origine ſeminali ſuo principio implantatas, determinatas tamen & ad certos effectus reſtrinctas: participem earum imprimis dicimus Tincturam veram, modo lucem liberiorem aliquando ea aſpiciat, eamque inſigniter in ſupra nominatis affectibus commendatam volumus. Origo harum virium ex Sulphure cum Spiritibus Salinis, fixatis conjucto, optimè digeſto, concocto, & exaltato originem habere putamus, pro varia enim horum miſcella, ut lapides gemmæque reliquæ virtutum ſuarum nobilitatem nanciſcuntur, ita & Coralia. Sulphur enim tanquam totius Univerſi calidum nativum & inſitum, miris ſplendidiſque virtutibus præditum, ut pro varia rerum, præſertim Salium, ſecum combinatione varias & diverſas induit virtutes, ita imprimis in Coraliis, ob peculiarem ſuam nobilitatem, in quam ob ſummam coctionem & digeſtionem exaltatum eſt, arctumque cum Spiritibus Salino-Nitroſis connubium, non poteſt non longè efficaciſſimum & ſaluberrimum toti Microcoſmo reddi, cumque in vera Tinctura, à reliquis principiis tanquam recrementis ſecretum exiſtat, ſtatum hujus divina energia pateſcit. Interim tamen cum nondum licuerit adire Corinthum, in locum ejuſdem tinctas artificioſè ſolutiones recipere cogimur, quæ ipſæ, utut ſupra enarratas virtutes in inferiore poſſideant gradu, non tamen omninò rejiciendæ veniunt, firmante earum ſtationem, non Boëtii tantum, ſed quotidiana quoque experientia: & cum præterea minutiſſimas Coraliorum ſubſtantiæ contineant partes, eaſque ex parte Terreſtres, blanda quadam adſtrictoria facultate ſimul pollebunt, qua non tantum egregie partium internarum conſervando tonum, & robur earum firmando eas recreabunt, ſed omnibus quoque fluxionibus quarumcunque partium, & in ſpecie cruentis hæmorragiis maſculè reſiſtent, ſimulque præcipitatoria quadam facultate, nimias ſanguinis efferveſcentias, & indè ortos anxioſos ardores, ſuaviter compeſcent. Quæ ipſæ virtutes à menſtruo magis adhuc determinabuntur, magiſque appropriabuntur p. n. affectibus. Hinc quæ cum ſpirit. vin. paratur, ultimò inſigne erit Spirituum confortativum, & totius Microcoſmi à venenis præſervativum, cum hic ipſe ſpiritus ſic elegantiſſimum Aurum potabile, efficaciſſimumque ſimul alexipharmacum: quas dotes eminentius inveniemus in iſta ſolutione, quæ cum ſucco citri primitus inſtituta fuit, ſic quæ cum Spiritu ligni ſudoriferi eſt extracta, divinum contra Veneream fœditatem eſt auxilium, non ſecus ac Tinctura Antiſcorbutica miracula in hoc morbo præſtare certiſſimum eſt. Familiariſſimo quoque in uſu *Excell. D. Langelot.* eſt Tinctura Holſatica adhibetque in omni impuritate ſanguinis. Quæ v. ab Armoniaci ſubtilitate elevata fuit, ſi cum eodem conjuncta maneat, excellentiſſimum meritò nominabitur Diaphoreticum, omnes peregrinos hoſtes ſub fuliginum ſpecie ex Microcoſmi expellens territorio; qualem uſum fortè habebit Tinctura, quæ ex præcipitatione cum appropriato quodam ſpiritu parata fuerit. Sed quæ cum ſulphuris floribus concinnatur, in peſte imprimis, morbiſque aliis venenatis & peſtiferis ſtrenuam ſe oſtendet. Sicut & ea, quæ cum alexipharmaco Solaris Terræ Spiritu paratur. Cum Aqua Aëris quæ extracta eſt, cum tanquam recens editus fœtus nondum indolis ſuæ ediderit ſpecimina, de eadem adhuc experientiæ teſtimonia inquirenda veniunt. Quibus abrumpimus, & facimus

FINEM.

DISSER

DISSERTATIO XV.

DE CEREBRO ORCÆ, VULGARI SUPPOSITITIA SPERMATIS CETI LARVA DEVELATO.

PROOEMIUM.

VT AUREA Hygéæ Pax Microcoſmico in Regno ad Fata uſque ſuprema vel inviolabili tenore perpetuaretur, vel ſeditioſis inopinanter inſultibus labefactata, ad priſtina ſubindè revocari queat Halcyonia, univerſa Natura, omni Argo vigilantior, Excubias agit. Immenſa enim DEI Bonitas, quippe quæ nec Mortem, nec Medicamentum Exterminii in perniciem humanam creavit, gaudens mortalium Vita & Salute, pro abyſſali Benignitatis ſuæ Faventia, omnia; quibus hoc Univerſum abundat, in emolumentum illorum deſponſavit. Hinc, quoties novercantior Hoſtis Sanitatis noſtræ inducias diſrumpere molitur, videas certatim quaſi concatenatis viribus Cœlum, Terram ac Mare Imbecillitati noſtræ ſuccenturiare, & unanimi juxta nobiſcum conatu ad debellandum illum inſurgere. Trino hoc Murorum ahæneorum circumvallati aggere, tanquam ex inviolabili Securitatis Palladio tuti ridemus Morbonæ ſtomachantis fruſtraneos inſultus. Ex inexhauſtis enim hiſce Promptuariis interminabilis Telorum Redundantia ad conquaſſanda hæc multifida Hydræ Capita nobis ſubindè repullulat. Cœlum nempè arctiori fœderis copula nobis oppignoratum, quam pugnanti olim Herculi, cui exhauſta Tela ſpiſſô lapidum Nimbô ad delendos Hoſtes redintegravit, num; nos, ſub gigantea Morborum ſævitia ſuccumbere permittat? Cœlum, inquam, quod jam olim propitium in æternantis quaſi Aſſiſtentiæ Obſidem, divina deſuper Arma Acilia, Romanis demiſit, num hodiè dilectos ſuos Quirites à depeculatorum Morborum Tyrannide, nullis protegat ægidibus? Quin & hîc repulſi & conjurato quaſi Malorum agmine proſtrati, ſimul ac Terram Matrem exoſculati fuerimus, ceu Antæus, reſumptis viribus alacriores reſurgere poſſumus. Hæc nempè ut patrocinaretur Cladibus noſtris, plures quàm quondam ex ſatu Dentium Viperinorum Cadmæô auxiliares in Subſidium noſtrum fundit cohortes. Quoties morboſis Hirundinibus depaſti, exſangues labaſcimus; denudatis mellifluis uberibus vitali Nectare funerata jam penè Corcula revivificat. Taceo inæſtimabile divitiarum penum; qua intus & extus abundat, noſque in dies ad præpropera ſufflaminanda fata ſollicitè ex Parcarum manu redemit. Reſtat tandem ut quoque Terra Ratem ſolvamus, & audaci Velô ſororiantia huic æquora perluſtremus, indagantes, quibus & ipſa ſaluti & ſanitati noſtræ ancillantur. Sub ingreſſum autem ſtatim noſtrum quot ſpumantes exurgunt fluctus, quot criſpatæ æſtuant undæ, tot nos circumfluunt commoda. Ipſum Sal marinum, potens Lithiaſeos Demolitor, licet copia vileſcat, ineffabili tamen Oeconomiam humanam beat Emolumento. Deſinet ſanè quis mirari, cur ingenioſiores olim de Pago, *Venerem*, Matrem omnis fœcunditatis ex ferventi Maris ſpuma ortam, & nutantibus hiſce fluctibus ceu Cunis agitatam finxerint, qui Naturam ejus penitiùs paulò ruminabit. Non proſequar jam ulterius pretioſas incolas Perſas, nec indigena venabor Coraliorum ramenta, aut quaſcunque alias prædives Oceanus ſuggerit opes. Juvat ſaltem in præſentiarum cum Borealibus captare uti parabiliorem, ſic uſu Medico nulli ſecundam Materiam illam pinguiuſculam in Mari hinc inde fluctuantem *Ceti ſperma* vulgo fabuloſo cognomine inſignitam. Hujus enim natura & Eſſentia cum dubia adhuc inter ſcriptores volvatur, exactiori non indigna videtur ſcrutinio. Sed antequam altum petentes Anchoram ſuſpendamus, ad divinam reſpicientes Cynoſuram; votis ſubmiſſis ſupremum noſtrum Architalaſſum DEUM, ſollicitamus, accedat nobis deſuper lucidam Gratiæ ſuæ aſſiſtentis Phalum, qua diſcuſſis caliginoſæ Mentis Tenebris Delio Natatore feliciùs procelloſis his emerſi undis exoptatum ſalutemus Portum, ſacrabimus ipſi devotam Cordium noſtrorum Tabulam tutelare ejus Nomen ſine fine deprædicantem!

CAPUT I.

Hiſtoria Spermatis CETI *Phyſica.*

§.I. TRiceps Neptuni ſceptrum è deditis Regni ejuſdem finibus, tribus quoque potiſſimum, & præ aliis mirabilioribus ſubjectis (ejuſdem Eſſentiæ in radice quibuſdam æſtimatis) ſacram noſtram Meditrinam ditavit, quæ quemadmodum inſignibus virtutibus Medicis exundant, ita vel maximè genuinus eorum Ortus vel exactiſſimos Naturæ Myſtagogos ancipites huc uſque tenuit. *Ambram* puta, excellens illud refectivum & confortans, circa divitis *Bengalæ Peguque* famoſarum illarum Indiæ Orientalis Provinciarum oras, vel his oppoſita *Moſambique & Capo Verde* Africæ adhærentia Littora à marinis fluctibus eructatum: Succedaneum huic eſt *Succinum*, Polychreſtum multis in Affectibus Herculeum, ad Maritima Boruſſiæ freta in copia reperibile: Tertium deni-

que

que ſibi vendicat locum *Ceti* ſic dictum *Sperma*, Congrumatorum Reſolutivum & acriorum Temperativum decantatiſſimum, maximè in Oceano Boreali juxta *Norvvegiam* & *Grœnlandiam* Iſlandiamque aut conterminas Balænarum captura celebres Regiones, Mari ſupernatans. Hujus igitur impræſentiarum Quidditatem, Naturam, Ortum, Præparationem & uſum ſtudioſius paulò expiſcari, & uberiori Velitationi Exercitationis gratia ſubjicere cum in animum induxerimus, remoto ulteriori ambitu arenam hanc ſubibimus.

§.2. Venit autem Spermatis Ceti nomine, Subſtantia quædam pinguis, tenera, mollis, Vernali potiſſimùm tempore, horis matutinis Martii, dum nullis inquietatur fluctibus innatans, calore licet remiſſo diffluens, undè & ſolaribus reſoluta radiis Olei ſub larva amplis Tractibus ſubindè Æquori vecta, appellitur Frigidiori denique concreſcens aura, colore albicanti, liveſcenti interdum & quaſi ſufflavo, Squamarum minutarum vel furfuris ſub amicimine ut plurimùm ſe repræſentat. Aqua Societatem per ſe reſpuit quidem, interveniente tamen Lixivio Alcalizato amplexus intimant mutuos. Sic & Oleo maritata, compectoratæ hæ invicem materiæ amore ac ſi diffluerent de facili reſolvuntur. Guſtûs tandem Sperma Ceti examinatum Trutinâ, butyri quaſi liquamine faucibus primum adblanditur, ſubſequo demum aculeô Linguam lancinante & nonnihil rancoris imprimente, plus tamen minus prout depuratum fuerit diverſimodè, aut vetuſtius recentiuſve extiterit. Odor ipſi nullus per ſe ineſt, niſi quod Sapori analogus levi rancore interdum Nares corruget. Recens tamen extractum undis gari Odorem referre perhibent, ob Piſcoſitatem quam obtinere videtur. Quod ſi verò Prunis torreatur candentibus ſub hac Tortura ſebaceo nidore Nares perſtringit, extincti Ellychnii fuliginem referens. Utut verò Calori admota hæc Materies facillimè liqueſcat, ac purioris ac tenuioris Olei adinſtar diffluat, per ſe tamen flammæ admota non ardet, benè tamen cum Ellychnio abſque omni ſtrepitu lucidam & tranquillam nutrit flammam. In craſſamento ejus progreſſu temporis ſurgunt Mituli nigri inſtar granorum milii, qui tandem adoleſcentes debitam Magnitudinem acquirunt. Sulcantur ſæpius à frequenti Balænarum concurſu loca illa marina ubi uberius hauritur. Excipitur verò Corbibus vimineis vel quibuſvis pertuſis Vaſis ut liquore ſecedente tantùm ſicca remaneat Concretio. Hanc poſteà penitius exprimendo, ſtudent quam candidiſſima puriſſimaque induere ſtolâ, ut in Officinas lubentiùs recipi, ibidemque ſub *Spermatis Ceti* ſuppoſititio nomine queat diſpenſari. Vid. hæc uberiùs declarata in *Libav. Singular. P.3. libr.3. c.3. & 4. idem in Vvorm. Muſ. p* 34.

§.3. Innotuit autem primitùs Orbi ſub *ſpermatis Ceti* aut quod idem eſt *Balænarum Seminis* appellatione mucaginoſa hæc ſubſtantia, ex eo, quod communis divulgarit Rumor, revera eadem eſſe Balænarum Genituram fortuitò impetuoſa harum copula in Mare effuſam, aut portionem ſaltim ejus à coitu regurgitando eliminatam, ut quacunque ratione ab uteri deviantem Clauſtris. Ulteriori elumbe hoc commentum pedamentô ſtabiliviſſe videtur, quod illis in oris ſpecialiter reperiatur, ubi Balænarum tumultuatur frequentia & cum pinguem Spermaticamque adeò ad viſcidam ſimulet ſubſtantiam, exinde magis magiſque adolevit ruditer concepta primitùs Opinio. Sed prout ſequior hæc ipſa perſuaſio non ſedat avidam curioſæ Mentis Orexin, ita multò minùs rigidum ſagacis Naturæ Perſcrutatoris perfert Examen. Labaſcenti enim inclinans Hypotheſi mutuâ neceſſum eſt ſepeliantur ruinâ. Quis enim quæſo Sperma unquam Ceti in libidinoſas eorundem Conjunctiones ſeminiſque poſteà fæmineo è Cunno reciprocationem ſub undoſo vellere oculo tam acclinanti ſolicitus Indagator rimari potuit? Hinc ſanè ſubiit Mentem admiratio, *Cordum* ex profeſſo ſingulari Tractatu de Spermate Ceti agentem, hanc Opinionem ut certam & ipſa Experientia affirmatam aſſeruiſſe. Vide ſis *Libav. c. l. c.*8. & 12. Ab extritâ jam hac, non multum quoque abludit dubia *Geſneri* Sententia. Hic enim & ipſe incertus de Spermatis Ceti natura autumat hoc vel *Lac Balænarum* eſſe, quod rictus ludificaret Catulorum ſuggentium, cujus poſtea pars pinguior ad Maris emerſerit peripheriam, vel ſaltim vult eſſe adipem Cetaceum Maris planitiem hinc inde pererrantem, in qua poſterior Conjectura eò propinquiùs Veritati approximat, quanto remotius abſuit in priori.

§.4 Evellenda jam ulteriùs & proletaria eorum eſt Sententia, qui Sperma Ceti nomine *Ambræ albidæ* vel *Ambræ purgatæ* propalant. Nam hi ignotum per æque ignotum extenebrare dum tentant, res duas diſtinctiſſimas turpiter à Veritatis Obruſſa abnormantes confundunt. Omnibus ſanè in aprico eſt, res planè differentes eſſe, qualitateſque & attributa, Eſſentiarum in rebus indices, obtinuiſſe diverſiſſima, Ambram propriè ſic dictam & Sperma Ceti noſtrum. Ut taceam è latenti Veritatis puteo nondum penitùs erutam eſſe certam ipſius Odoriferæ Ambræ Naturam & Originem. Non ignoramus equidem & hujus Natales in Balænarum inteſtina referri *V. Cluſ. in Not. ad Libr.*5. *c* 1. *Hiſt. Arom. Garciæ*, cum non rarò Ambra hujuſmodi in his apertis reperta fuerit, teſte *Monardo hiſt. ſimpl. c.*7. & *M. P. Venet. l.*3. *c.*39. ut alios jam prætereeam: hoc tamen nondum ſufficit pro deducenda Origine Ambræ ex Ceti interioribus, quia potiùs iis adſtipulamur, qui Balænas tales in quibus reperta fuerit aliquando Ambra, eandem à marino æſtu anteà agitatam forſan cum alimentis deglutiviſſe contendunt, ut ita Caſu poſtmodum in iis fuerit reperta. Reliquas quod ſpectat de Ambari Origine & Natura Opiniones, eæ omnes ſub polymorpho incertitudinis militant Vexillo. Bituminis ex fundo maris ſcaturientis certam quandam eſſe ſpeciem, non minùs ſatisfacit quam ſimile aſſertum Succinum declarat. Fungorum inſtar creſcere in Maris fundo Ambram, probabilitate caret. Eandem Avium eſſe Excrementum Inſularum Maldivenſium, figmento ſimilius videtur. Plura quoad Originem Ambræ aptè diſpoſita & collecta Vid. in *Franciſ. Hort. Indic. & ſian. p.*179.

§.5. Gravior omninò tam conſpicua Defenſorum Autoritate quàm probabili Argumentorum apparentia eſt iſta ſententia, quæ Sperma Ceti noſtras cum *Haloſantho* Veterum idem eſſe ſtatuit, vel hæc duo potiùs confundit. Pro hac Sententia præter *Fuchſium Tr. de Medic. Compoſ.* tanquam pro aris & focis dimicat *Libav. c. l. Singular. p.*3. *l.*3. De Haloſantho ſeu Florem Salis, cum Vulgo, ſeu Florem Maris ipſi innatantem cum *Fuchſio* interpretari velis, Veterum monumenta nil referunt, præter pauca quæ *à Dioſcoride libr. c.*88. conſignata ſunt, & à *Plin. libr.*31. *cap.*7. ex eodem mutuata videntur. Juxta horum tamen Deſcriptionem, eorum Haloſanthos nos latet, quæ revera fuit Subſtantia Nitroſa, ſeu aliquid Salis Nitroſi pinguis, quod ex Nili Aquis Nitr. feraciſſimis, eoque omninò prægnantibus (à cujus Nitr. turgeſcentia & fermentatione, intumeſcentiam *Nili* fæcundantemque Ægypti inundationem deducere conatur *Monſ. de la Chambre, au Tr. du debordement du Nil*) in ſuperficie natans colligebatur, aut lacubus ſtagniſque Nitroſis innatare ſolebat, unde & *Nilo* flumini tanquam loco Natali imprimis adſcribitur à *Dioſcoride*. Unde ſicut verum Nitrum nobis eſt incognitum, cum Autore *Bellon. Obſ. libr.*2. *c.*71. in Europa ne mica quidem Nitri extet, ut ut in Ægypto res vulgatiſſima ſit, & crebri uſus & viliſſima; *Conf.* præterea *Lettre del Signor Buratini, al Signor de la Chambre, cit. Tr.* ita etiam cognatum ipſi Haloſanthos hodiè naſcitur. Congruunt cum hac Nitroſa Materia etiam reliqua Haloſanthos attributa

tàm

tàm acrimonia ejus quàm ferventia Salina & abſterſiva vis in ulceribus delendis cacoëtheis , aliiſque cutaneis averruncandis affectibus.

§.6. Ut nos ergo Haloſanthi Veterum perdidimus notitiam , ita noſtras Sperma Ceti ipſis etiam nondum innotuiſſe arbitramur , adeoque minimè pro uterinis hæc duo invicem habenda erunt Gemellis. Nam cætera ut taceam , noſtrum Sperma Ceti tantum abeſt ut Nitroſæ aut Salinæ ſit indolis, quin potiùs revera Sulphureæ naturæ, in tantùm etiam , ut ob id à maximâ Eruditorum parte ad bituminoſa referatur Corpora, quorum Materia aliunde in Mare influens in hac admiſtione Salis ejus & ſalſedine aliquali & piſcoſitate imbuatur. Tamen cum & hoc generale nimis videatur , adipoſum quid potiùs & pingue ex animalium Claſſe nobis videtur, in ſpecie aquatilium, cum Rancor facilis, piſcoſus ſapor, ſequax liquabilitas & Odor quem ſpirat Gari , ſimiliaque ejus attributa manifeſtè hoc declarent. Id quod ulterius mox patebit , dum jam veram Naturam & Originem non minus quàm infucatam ejuſdem Præparationem eruderabimus.

§. 7. Eſſe enim indubiè ex Cetis hanc Spermatis ceti dictam Materiam continuatæ Modernorum Experientiæ & Obſervationes in Balænarum Captura , extra omnem ponunt Dubitationis aleam. Non quidem quod Genitura earum , aut ex partibus genitalibus ejus ſit origo deducenda , ſed ex Capite potiùs eorum provenit , & tàm ipſum eſt pingue Cerebrum , quàm oleoſus huic Cerebro circumfuſus liquor. Scilicet varias inter Cetorum ſpecies , Borealem Oceanum juxta *Iſlandiam Grœnlandiamque* Inſulas incolentes, una eſt ſingularis , 25. ad 27. vel 30. ulnarum longitudinis, 10. ad 15. craſſitiei , dentibus mediocribus armata , ſed capitis prægrandi inſtructa mole , adeò ut ſecundum *Vvorminm* hoc tertiam totius Piſcis partem ferè adæquet , vel ut *Bartholinus* loqui amat, Caput gibbere adeò prægrandi extuberat , ut quaſi Domuncula ipſi ſuperſtructa emineat , à quo gibbere etiam ab Iſlandis *Burbualur* vocari ſolet , à Latinis aliàs proprio nomine *Orca* appellatur, Belgis *Potviſch* audit. In hujus igitur Cranii Cavo continetur Materia talis pinguis & oleoſa , quæ exinde collecta & præparata vel in Mare effuſa Sperma Ceti poſtmodum appellari incipit. Nec parva eſt hujus quantitas , reperitur enim in Craniis his tanta Copia , ut ex uno Balænæ captæ Cranio diſſecto , pluſculæ amphoræ depromptæ fuerint. Materia hæc inde collecta vaſculis incluſa minoribus quaqua verſum poſtmodùm tranſportatur per Europam, ut præparata Officinis ſub ſpermatis Ceti nomine dicendi queat. Talia ex oculatis teſtibus hauſta vid. è *Bartholino & Vvormio c. l.* id quod & alii horum conſcii interrogati unanimiter nobis affirmarunt. Cum iſtis conf. *Cluſius l.VI. Exotic.* 17. ubi figura talis Balænæ ad littus occiduum Hollandiæ tempeſtatum impetum ejectæ ad archetypum delineata, ex cujus Cranio etiam tale ſperma Ceti collectum fuiſſe teſtatur.

§.8. Hæ ipſæ Balænæ , in dicto Boreali captæ mari , etiam à Nautis ad Littora Bayonæ , & S. Joh. de Luca Inſulæ advehuntur , ex quorum capite hæc materia eruitur. Sed hoc ſaltim in maſculorum Craniis reperiri aſſerunt , cum fœminarum Cerebroſa ſubſtantia liquidioris inſtar pinguedinis ſit , oleum in uſum Lucernarum ſuggerentis ; hinc ut compacta magis Marium ſubſtantia in dictum ſæpius ſperma commodè præparari nequit. Videatur peritè hac de re diſſerens Excellentiſſ. Naturæ Curioſorum Symmiſta *D. D. Ioach. Georg. Elſnerus*, quem loco Parentis ejuſdem incomparabilis Propatris & Evergetæ mei maturiùs heu ! nuper & publico & mihi erepti, lugubris noſtra deveneratur Muſa , *Miſc. Curioſ. Anni. I. Obſer. c.*136. Præter hunc Oceanum ſeptentrionalem etiam in India Occidentali , ad Bermudas & novæ Angliæ Oras ejecti obſervati fuerunt hujuſmodi Ceti , inſigniter tamen dentati, qui partim Spermatis talis Materiam ſuppeditarunt , partim cum ſpermate hoc toto ipſorum ventre fuerunt reſperſi , uti videri poteſt è *Tranſact. Philoſophic. Anglic. Tom.*1. *p.*132. *T.*2.*p.*567. *& T.*3. *p.*792.

§.9. Modernorum ergo Nauticæ Obſervationes in apricum ponunt ex Capite certæ cujuſdam Balænæ dentatæ , macrocephalæ eſſe ſpermatis ſic dicti Materiam, adeò ut potius *Cerebrum Ceti* ob id appellandum veniat, ita quidem , ut nunc immediatè ex Cranio talium Cetorum aut captorum aut aliàs mortuorum in littora ejectorum eruatur : nunc verò amplis tractibus Mari innatans modo ſuprà dicto colligatur. Saltem dubium reſtitat , qua forma ac modo è Balænis in Mare effundatur ? Sub Genituræ ratione hoc fieri nulla perſuadet probabilitas , quin potius in *Vvormii* acquieſcimus judicio *Muſ. c. l.* aſſerentis , reperiri hanc Materiam in Mari , *quando aut Cetus hic pugnando cum aliis occubuerit* , *aut quando hanc Materiam certo tempore inſtinctu Naturæ per appropriatos meatus evacuarit.* Mari ergò immiſſa pinguidiuſcula hæc materia, ſeu ut *Bartholino Ep.*3. *ad Burrh. p.*3. audit *liquidior adeps*, attactu marini ſalis cogitur in ſe paulisper & ſpiſſeſcit, concurrente ſimul marino frigore , unde & ſalis dicti admiſtione nonnihil quaſi adulteratur. Non ſecus ac ſuccinum ſalis Marini attactu & ſocietate albeſcit , fruſtra ob id nobilius æſtimatum flavo. Ob id ignobilius ferè habetur illud ſperma quod innatat mari, ut ut Nautis notius, ſicut pretioſius eſt , quia & purius illud quod ex Cranio hauritur, teſte *Barthol. C.*3. *Ep.*70.

§.10. Materiam ſpermatis Ceti proximam hactenus vidimus, ſupereſt, ut explicemus , qua ratione præparetur , ut in formam iſtam candidam , nitidam ſquamoſamque evehatur , ſub qua ordinariè in Officinis diſpenſari ſoleat. Sed hæc ipſa non ubique eſt una eademque. Nam integrum Ceti ſperma prout ex Mari hauritur , autore *Libav. loc. ſupr. cit.* dat oleum tàm preſſum , quàm tranſudatione per vaſa rara ſeu lignea ſeu fictilia : Reliqua pars Aquis puris calidis abluitur, incoquiturque & facta poſt refrigerationem Conſiſtentia, aufertur Pinguedo,verum ſperma Officinale, Aqua ipſa coagulatur in ſalem,illum ſcilicet,qui ex Mari collectum præparatur ſperma Ceti. Iſtud verò , quod ex Capite Balænarum ad *Bayonam* & *Joh. de Luca* Inſulam advectarum conficitur, per ſimplicem fuſionem & craſſioris à tenuiori aliqualem ſeparationem præparatur : Modum docent *Jacob.& Paul.Contant.in Comment. Gallic. ſupra Dioſcoridem l.*1. *c.*51. *p.*63. Nempe poſtquam fuſum eſt Cerebrum, infunditur in ollam, in qua aliàs ſolet purificari Saccharum , poſteà clauſo foramine inferiore tamdiu relinquitur , donec congeleſcat & concreſcat , relinquendum verò eſt in loco modicè calido , tandem aperienda olla in loco inferiori , ſic iſtud opus purificatur & ſpatio aliquot dierum invenietur maſſa iſtius Cerebri tota albicans & Squamarum inſtar. *Vid. Miſcell. N. C. cit. ſupr. l.*

§.11. Concinnior longè præparatio eſt,ea qua utuntur Dani in præparando Ceti Spermate, quam à Pharmacopœo Hafnienſi experto *Clariſſ. Domino Præſidi, Studiorum meorum Palæmoni colendiſſ.* communicatam, ex amica ejuſdem participatione, huc apponam. Conficitur nempe lixivium acre ex Cineribus & Calce viva , ita tamen ut hujus minor ſit quantitas quàm illarum : Signum ſufficienter acuati Lixivii eſt , ſi intra Digitos ad tactum lubricum & quaſi pinguidiuſculum percipiatur, hinc filtratur per Saccum laneum , ut purum clarumque evadat. Ubi præparatum fuerit lixivium, recipienda eſt Maſſa ex Cranio Balænarum ſupra dictarum exempta , eaque ſi pinguis , flava & liquamine oleoſo ſuperfluo perfuſa fuerit per Saccum ex Pilis confectum (nam per pannum Lineum Tranſmiſſio eſt impoſſibilis) mediocriter eſt exprimenda , ut omne liquamen pingue ſuper-

fluum per Saccum tranſudet: quo facto reſtitans in Sacco Materia Spermatis lixivio ſuprà præparato immittenda & manibus in lixivio probè ſubigenda, & cum eodem permiſcenda perquè diem & Noctem ita reponenda eſt. Altero die manè per Saccum Piloſum Lixivium denuò exprimendum & ſeparandum, & id quod reſtiterit ſuper linteum explicandum & digitis blandè diducendum, & in Aëre libero vel ſub tepidiori Solis radio (ne ſcilicet liqueſcat) exſiccandum, atque ita præparatum erit, quod poſtmodùm Spermatis Ceti venit cognomine. Magma nempè candidum, ſquamoſum, friabile, promptè liqueſcens. Circa hanc verò Præparationem duæ adhuc obſervandæ ſunt Encheireſes: Scilicet ſi Materia ex Cranio collecta minùs pinguis ac oleoſa fuerit, ſed candidior & per ſe aliqualiter friabilis, tunc citra præcedaneam expreſſionem per Saccum piloſum immediatè Lixivio eſt permiſcenda, aliàs paratum exindè Sperma ruſeſcit. Deinde ipſa Lixivii quantitas nec copioſa nimis ſit reſpectu infundendi Spermatis, nec etiam acrimonia ejus nimis intenſa: aliàs immiſſa Spermatis Materia coit cum Alcalibus Lixivii in Saponem. Acidum ſcilicet occultum ſub omni tam animali quàm minerali aut vegetabili Pinguedine reconditum, arripitur ab Alcalibus, iiſque ſe unit, ut inde compoſitum Saponi-forme neceſſariò emergat. Idem præparandi modus etiam obtinet, ſi rancidum forſan aut Vetuſtate nonnihil fuerit corruptum. Hoc enim ſimili Lixivio ſubactum cum eodem immittitur in Cadum aquæ frigidæ, à qua dilutum lixivium ſeparatur à Spermate, tunc ſupernatante, ſordibus ejus rancidis flaveſcentibus cum lixivii ſalibus omninò ſeparatis, & in aquam frigidam tranſlatis.

§.12. Hoc eſt propriè ſic dictum Officinarum Ceti Sperma ejuſque genuina Præparatio. Non mitiorem interim præ aliis ſimplicibus pharmaceuticis experitur Sortem, dum variis adulteratur ſutelis. Simili enim plane ratione etiam præter Balænas ex aliis majorum Piſcium Cerebris, ſimillimum Sperma apparari poſſe impoſturarum harum conſcii, aſſerunt. Sicuti & Pinguedo oleoſa ex ſauciatis mortuiſque Balænis emanans, marique innatans & hujus ſalſedine pariter ac frigore denſata, ſpermatis loco à quibuſdam divulgatur; Quin & adeps pinguis Ceti aut Omphacio præparatus, aut in loco frigido reconditus, hinc expreſſione, à tenuiori parte ſeparatus aut lixivio ſuprà dicto aliove modo ſubactus pro Spermate Ceti intemerato venditatur, ſed ignavior longè in Operatione, prout & ignobilioris extitit Originis.

§.13. Cùm ergò Spermatis Ceti pinguis & oleoſa materia, tàm copioſè, interdum ad aliquot amphoras è Ceti Capite extrahatur, quin & vaſta Balænarum Corpora tàm denſa Pinguedine incruſtata & penitùs obducta ſint (adeò ut Autore *Cluſio l. c.* ex iſta Balæna, 40. dolia ſimilia iis, in quibus aſſervantur Haleces ſaliti, pinguedine ejus repleverint, præter magnam ejus quantitatem ſpontè effluentem ab aliis collectam, aut in undas Marinas redeuntem) meritò cuidam mirum videri poſſit, unde tanta Pinguedinis ubertas in animali aquas incolente, in iiſque omnem quæritante victum, cum notum ſit aliàs quam diſtincta attributa pinguia & aquoſa, adeoque differentes obtinuiſſe naturas credantur. Nam ut ut diverſa diſtinctæ Cetorum ſpecies habeant edulia, dum aliæ Piſcibus (in ejus enim, quem *Geſnerus* deſcribit Ventriculo, tria Dolia crudorum Piſciculorum, inter quos Salmo unius ulnæ longitudinis, inventa ſunt) aliæ Gramine & muſco ſub marinis veſcantur, *Vid. Philoſ. Tr. T.1. p.12. T.3. p.292.* nihilominus hæc omnia copioſa Aqua diluta hauriunt, & continuò Aquæ Maris hauſtu ebrii quaſi maximam ſui partem ex Aqua conſtare videntur, unde & Pinguedo eorum liquidior, fluidior & in liquamen rancidum corruptibilior videtur. Probabilitatem ergo ſummam habet *Helmontii* Opinio *Tr. Complex. atque Miſt. Elem. Figm.* §.12. ut alia concreta naturalia, ita & Piſces materialiter nil niſi Aquam tranſmutatam eſſe, adeoque & eorum Pinguedinem hac ſola conſtare, ſicut omne Oleum eidem Auctori Aqua ſimplex eſt, quam pauculum ſeminis in Maſſam conflagrabilem transfert, luditque larvam Sulphuris. Unde & Pinguedines per Alcalia ſemine propriè de acidi proſapia ſpoliatæ, in aquam maximam partem redeunt; comprobante hoc per Mechanic. in Oleis *Tach. Hipp. Chym. p.57.* Hinc & humana Pinguedo ex Lacte Chyloſo licet proximè condenſata ſatiſcit tamen interdum denuò & ſub Urinæ aquoſæ forma reſoluta, & aquæ Elemento approximata excernitur. Unde & *Burrh. Ep. 2. de Cer. pag.15.* refert, quod Vitellini Cerebri pinguis & oleoſa Subſtantia 3. partes ſui ponderis dederit Aquæ inſipidæ, quæ tamen anteà de Pinguedinis concreto etiam fuerat, dum quædam ejus adhuc retinet veſtigia, quia non bene clauſo vaſe aſſervata, vetuſtæ muriæ fœtorem contrahit. Ex quibus & Sperma Ceti aquoſæ Proſapiæ eſſe concludendum videtur, particulis aquoſis juxta Mechanicas leges in ſitu & textura ita tranſlocatis & transformatis, ut in aliud plane Corpus degeneraſſe videantur. Ut itaque jure merito concludamus cum *Medicorum Coryphæo Hippocrate Lib.I. de Diæt.* exclamantes: *omnia ſimilia ſunt diſſimilia exiſtentia!*

CAPUT II.

Uſus Spermatis CETI Medicus.

§.1. Cum Simplicia palmarium ad ſubducendam Morborum Sylvam ſuppeditent Robur, ob id in decorticandis illorum Eſſentiis, enucleandiſque eorum viribus omnem Sanitatis humanæ Procuratores moveant Lapidem. Sperma Ceti exinde intactum non erit prætereundum, ſed & quid hoc in receſſu habeat examinandum, & quouſque Experientia Ratione comitata viam paraverit ſequendam. Prima equidem Cura eſſe deberet, quali Temperamento ex Qualitatibus ſic dictis primis polleat hoc noſtrum Subjectum? i. e. calidum an frigidum, humidum ſiccumve primariò exiſtat, ſi vulgò trita relegere veſtigia velimus. Sed cum ceu *Relolleas* has Qualitates falſe perſtringat poſt *Paracelſum*, Veterum Errorum Vindemiator acutiſſimus *Helmontius*, ne procedat ex dotibus rerum Seminalibus, ſed rebus ſaltim conſtitutis ceu modi materiales ſuperveniant, nucleumque Craſeos ex Salinis Principiis primariò deducendum non attingant, ob id minùs Scrupuloſi erimus in hoc negotio. Ut tamen Conſuetudini receptæ aliquid demus, Sperma Ceti ceu temperatum admodum ſubjectum, cum blando Calore humiditatem prædominantem obtinere aſſerimus. Potiùs verò Pinguedinem ejus temperatam oleoſam conſideremus, quæ ut ut in receſſu acidum ſubtile & occultum habeat, vim tamen temperantem quaſcunque humorum acrimonias inſignem obtinet, & cum ex miſcela cum lixivio acidum ejus occultum non tantùm ſaturatum fuerit, ſed prætereà ipſorum Alkalium conſortio ipſum Sperma leviter tinctum, ob id imprimis ad Acida vitioſa ſimiliaque acria mitiganda & corrigenda, indeque oriunda in Corpore mala tollenda, cum fructu uſurpatur.

§.2. Temperata ergò & oleoſa cùm ſit ſubſtantia, dulcis ferè noſtrum Ceti Sperma, ob id nutritiva, & ſucci lacteſcentis in Corpore augmentativa videtur. Unde non mirum, quod ad Venerea Exercitia expetatur, quatenus citra vim ſtimulantem Lactei Spermatis copiam uberiorem ſuggerit. Quibuſdam ſcilicet in uſu eſt poſitum, in ſpecie *Francofurti ad Mœnum*, ut crudam Spermatis Maſſam Oleo ſuo adhuc perfuſam, antequam ſuprà dicto modo in Sperma depuretur, Pani ad inſtar Butyri illinant, & non abſque nauſeæ horrore, ob ingratum piſcoſumque gari inſtar Saporem ita deglutiant, ut ſtrenui magis in Veneris

ſe

ſe gerant militia. Duplicis aliàs ſpeciei ſunt, quæ ad Veneream alacritatem augendam expetuntur, quædam Seminis locupletant Penum, qualia ſunt temperata ſucco lacteo quaſi chyloſo turgida, ut ſunt amygdalæ, Pineæ, Piſtaceæ, Lac, Ova ſorbilia & ſimilia, quo etiam *ex Cacao* amygdalinis fructibus compoſita *Chocolate* pertinet: quædam ex altera Parte acriori ſale eidem ſtimulum titillantem ad Genitalium pruritum quaſi inducendum addunt, qualia imprimis ſunt aromata, & his cognata aromatica, Piper, Caryophylli, Zingiber, Cubebæ, Cardamom. Sem. Erucæ, lingua avis, Ambra, Zibethum, Spiritus Sanguinis Galli, Formicarum, &c. Tertiam huc facientem Claſſem, quæ ſingulari modo *Ideali* quibuſdam operari dicuntur v. gr. Raſura Cornu Tauri in coitu abraſa, Cerebrum Paſſeris in congreſſu interfecti, Sanguis & Teſticuli Cervi in Orgaſmo Venereo transfoſſi, ſtudio tanquam aliena à præſenti ſcopo omittimus. Sperma Ceti crudum ad primam ſeriem pertinet, dum Seminis abundantiam largitur, cui commodè pro ſtimulo Aromata pulveriſata, Ambra modica permiſta, addi poſſunt. Nam ſola Spermatis augmentativa ad Venerea Exercitia ſunt nimis ignava, ſola ſtimulantia acriora ſunt nimis nociva, Spirituumque depauperativa, ob id utrorumque amicabili conſortio tertium medium magis jucundum minùs nocivum producitur.

§. 3. Pinguis & oleoſa Spermatis Ceti materia ut acidorum eſt temperativa, ita blando ſuavique popyſmate demulcet partes membranoſas & fibroſas ſenſiles, ut exinde anodyna dolorumque egregiè lenitiva concilietur. Sive enim à ſuccis acribus *roſio*, & Vellicatio, ſive diſtenſione, contuſione, &c. *Laceratio* ſit; unde tam doloroſæ dictarum fibrarum motiones & repetitæ Spaſmodicæ criſpaturæ inferantur, utroque in Caſu Spermatis Ceti egregius erit uſus, in ſpecie internè: Sicut externè optimum anodynum eſt oleum illud ſuperfluum, quod in Præparatione reprimendo ſeparatur, calidè illitum inunctumve.

§. 4. Præ ceteris commendatus eſt ejus uſus in Cruciatu Colico, ſimilive inteſtinali & per os exhibitum, & cum Clyſmate ano immiſſum. Cum enim ab Acido ut plurimum oriatur Colica, ſive mucus ſit acidus, pertinacius ejus Cellulis implicatus, ſive ſint indurata inde ſtercora ſive vitioſa fermentatione ab acido elevati flatus, eò ipſo ſane quo acidum temperat Sperma Ceti & vi anodyna dolorem mitigat, & pinguedine ſua fæcum emollitioni & fluxilitati confert, non poteſt non Colicis convenire. Uſurpatur in dictis Caſibus commodè permiſtum c. oleo Amygd. dulc. in juſculis calidis autore *Senn. libr. 3. Prax. p. 265.* ſicuti *Crato Celebris ille trium Imperatorum Archiater*, inter ſecreta & efficacia contra Colicam paſſionem Remedia habet, Potionem compoſitam ex Vino Malvatico & oleo amygdal. dulc. cui Spermatis Ceti ℥ß. admiſcet, & ita propinat. *Vid. Scholz. Conſil. collect 168. Libav. ſæpè cit. loc. c. 3. Schol.* Mannatæ Potioni (cujus Deſcript. V. in *Senn. c. l.* ſicut felicem ejus ſucceſſum in *Thoner. Obſervat. p. 158.*) Sperma Ceti addit contra colicam, in quo affectu etiam per Clyſterem ægris ſe iſtud injeciſſe affirmat. Ergò fieri poterit Clyſter Anticolicus ex Urina Pueri calefact. ℥ix. quibus addi poſſunt ad imitationem *Deodati Valetudin. pag. 197.* Sirup. Papav. ℥j. & Sperm. Cet. ʒiß. plus minus, pro ratione circumſtantiarum, Vitell. Ovor. num. j. M. prop. Clyſm.

§. 5. Colicæ in multis cognata eſt *Hyſterica Paſſio*, modernis dicta *Suffocatio hypochondriaca*, niſi quod hâc ſpaſmodicæ convulſiones ex doloroſè convulſis inteſtinis & abdomine alliorſum in alias partes ſubindè continuentur, cum fortiori ſpirituum animalium perturbatione. Cauſa remotior & hic videtur eſſe acidum vitioſum, auſterum, facilè efferveſcens & flatuoſum *Gas* hinc excitans. Supervenit in graviori malo tandem Sanguinis quodammodo congrumati ſtagnatio in Præcordiis indeque omnimoda ſuffocatio, de quibus alii ex profeſſo. Pro compeſcendo hoc malo & temperando acido tollendoque Sanguinis coagulo facilitandaque ſpiratione difficillima, non inconveniens eſt Spermatis Ceti uſus, etiam à *Libav. c. l.* propoſitus, ſive ſolitariè ſive Caſtoreatis ſociatum, aut volatilibus Salibus locupletatum ſimul uſurpetur. Quemadmodum Mulieribus Hyſtericis quibuſdam non ſine notabili ſucceſſu ſimiliter cum aliis permiſtum aliquoties noſtrum Dn. Præſidem propinaſſe, novimus: Has inter cum eſſet quædam 34. præter propter Annorum, ſterilis adhuc cum temporis licet maritata, quæ inſtante aliquando Menſium fluxu ex hujus difficultate hyſtericos patiebatur inſultus non leves, præſcripto ſequente.

℞ *Aqu. hirund. c. Caſtoreo* ℥iß.
Carminat. ℥j.
Ocul. Cancror. præp. ℈j.
Antimon. Diaphor. ℈ß.
Spermat. Ceti. ʒj.
Sirup. Cortic. Aurant. ℥ß.

M. probè capiat ſubindè 2. l 3. Cochlear.

Et paſſio levata, & menſium fluxus inde promotus fuit. Similis miſtura foret forſan non inutilis ubi à frigore externo, & inde nata Sanguinis congrumatione ſupprimerentur ex improviſo Menſtrua l. Lochia, magis efficax futura eadem ſi Caſtoreo addito parum adhuc acueretur: Hanc conjecturam per Experientiam confirmat *Timæus l. 2. Caſ. 7.* dum mulieri ex ſubitanea refrigeratione Menſes fluentes ſuppreſſi Pleuritidem gravem intulerunt, quæ tamen præmittentis præmiſſis pulvere Sperm. Ceti ad ʒj. c. tantillo Caſtorei & à Menſium Suppreſſione & à Pleuritide admirando ſucceſſu fuit curata.

§. 6. Pueris abdomine dolentibus non minus ſalubre eſt Sperma Ceti. Sæpius namque evenit, ut ex Lactis coagulo in eorum Stomacho, indeque nata Cruditate, acida Lac corrumpatur in Bilem dictam Porraceam, i. e. liquamen virideſcens acidum ſpirans, inteſtina tenella infantum continuò rodens, & vitioſa ibidem cum bile excitata efferveſcentia flatus abdomen diſtendentes excitans. His Infantum Cruciatibus Sperma Ceti opitulatur, quatenus acidum vitioſum in Stomacho & inteſtinis temperat coagulatumque Lac diſſolvit, inteſtina lubricando blandè adhærentes Mucos ponticos promovet, & virtute anodyna doloroſas torturas lenit, idque eò potentiùs, magiſque præſenti juvamine, ſi cum pulvere ſem. Aniſi copuletur, aut tantillo oleo deſtill. Aniſi imprægnetur: Hinc enim & Acidum præſentius corrigitur, ac flatuum impetus ac generatio cohibetur, quin & Stomachus inteſtinaque exinde egregia percipiunt ſolamina, unde à doloroſis contorſionibus ceſſant. Nam etiam quibuſdam in uſu poſitum eſt ad educendum Tenellorum meconium Sperma Ceti recens natis propinare, non citra felicem ſucceſſum: Non ſecus ac ad reſerandam & lubricandam eorum paulo adultiorum pertinacius clauſam Alvum, Spermatis ceti cultelli cuſpis in Cereviſia calida commodè propinatur.

§ 7. Lac coagulatum diſſolvi ab uſu Spermatis Ceti dictum fuit præcedente Paragrapho. Id quod imprimis ſalubriter experiuntur Mulierculæ, quibus quacunque ex cauſa remota lac in coagulum in Mammis coit, Mammæve ex Lactis retentione vitioſa & tument & dolent. Acidum hic ſubeſt p. n. quod lac cogit & in grumos conſpiſſat. Unde & ſtudioſè ſibi cavent Mulieres à quocunque Acido aſſumendo, ne Lac caſeoſum generent, infantibuſque Tormina à vitioſo ejus acore inferant. Frequentior cauſas inter externas eſt, ſi mulierculæ Mammas ſudore madentes incautè aëri frigido exponant; exindè enim inſenſilis Tranſpiratio, ſenſiliſque Tranſudatio ſubitò ſuppreſſa aceſcit ſub mammarum naturalibus integumentis, & lac ſuo quaſi afflatu ſpiſſat ac cogit: Non ſecus ac ſanguis in Præcordiis cogitur in grumos & dat Pleuritidem, ab acido in eodem enato, ſi ſubito ſudore roridum Corpus ex quacunque cauſa

cauſa frigori exponatur. Deſtruendum ergò eſt hoc acidum Lactis coagulativum. Remedia inter huc conferentia non ultimum Experientia docuit eſſe ſperma Ceti ſive intus extuſve exhibeatur. Internè quidem, ſive ſolum bis in die propinetur, ſive mixtum cum pauca myrrha aut ſ. q. Oculor. Cancror. præp. uſurpetur. Externè uſu compertiſſimum hic eſt Emplaſtrum de Spermate Ceti *Mynſichtii Armament. Chymic. p. m. 520.* cujus felicem ſucceſſum ſæpius expertum etiam prædicat *Timæus à Guldenſllee Caſ. Medic. l. 4 Caſ. 36. p 234.* Quin & ipſum Sperma Ceti in Cochleari ad flammam candelæ liquefactum fomentiſque calidis deſuper applicatis interiora verſus propulſum in lactis retentione indeque Mammarum Tumore & Dolore aut Lactis coagulatione non foret inconveniens.

§. 8. Præter Lac & ſanguinis ſunt grumi, qui reſolvuntur à ſpermate Ceti, unde in Caſu ab alto, indeque orta Sanguinis ſuffuſione & Ecchymomate, vulgatiſſimus ſit Spermatis Ceti uſus, ut Sanguis, qui ex propriis conceptaculis effuſus corrumpitur, & ad putredinem tendit, indeque acorem p. n. contrahit, ſicque ſpiſſeſcit & coagulatus grumeſcit, reſolvatur, & cohibito à Spermate Ceti ac temperato iſto vitioſo acido attenuetur: *Foreſtus* ſanè per Experientiam *in libr. 16. Obſ. 15.* & huic annexo *Scholio* allatam confirmat, ſe optimo cum ſucceſſu uſum fuiſſe in ægris talibus Mumia & Spermate Ceti ad ʒß. in Cereviſia calida butyracea, quibus etiam præceptores ſui Itali ſint uſi. *Timæus* quoque *lib. 4. Caſ. 30.* ſe nihil uſquam ad grumos Sanguinis diſſolvendos potentius deprehendiſſe affirmat. Unde etiam Sperma tale pulverem ad Caſum Auguſtanorum ingreditur. Miror ob id, quare citra ullam rationem ab hoc uſu rejiciatur Sperma Ceti à *Lang. Ep. 31. lib. 2.*

§. 9. Ex eo quod Sanguinem grumoſum hincque ſtagnantem reſolvit Sperma Ceti, etiam Catarrho ſuffocativo ſic dicto mederi valet, qui revera nil aliud eſt, quàm *Syncope cardiaca* Veterum, nata ex ſtagnatione Sanguinis circa Cor, quam ubi Spuma ex Pulmonibus in fauces elata inſequitur, ferè deſperata res eſt videtur. Ridiculum enim eſt iſtud commentum, quod Catarrhum ſuffocativum è Cerebro in fauces ſubitò proruentem fingit, ut hoc & alia de Catharris figmenta ſufficienter diſcuſſit & *Helmontius Tr. Catarrh. Delirament.* & qui huic ſuccenturiavit Atlanti famigeratiſſimus *Schneiderus antehac ſtudiorum noſtrorum Fundator ætatem colendus, de Catarrh. in ſpecie l. 5. c. 4. p. 297. & ſeq.* Arbitramur nos potius Catarrhum ſuffocativum eſſe talem affectum, in quo Sanguis ex Ramis Cavæ tùm adſcendente, quam deſcendente in Cor influens, indeque in Pulmones erumpens, in harum partium vaſis in motu ſuo nonnihil remoratur & ſtagnare incipit, unde ſuffocationis periculum & præcordiorum anxietates, quas ex crebriori aëris fruſtranea licet reciprocatione neceſſario ſpuma conſequitur. Id quod ad Oculum patet in Cane moribundo cui moderata Quantitas ʒij. ad ʒj. p. p. Sp. Sulphur. per Camp. Aquæ ſufficienti quantitate diluta in Venam cruralem fuit infuſa. Hic enim perfectiſſimo Catarrho ſuffocativo cum copioſiſſima fames Laryngemque & Bronchia Pulmonum pariter opplente ſpuma interit, ex Sanguinis ob aliqualem grumeſcentiam per vaſa præcordiorum impedito motu. Talem Catarrhum ſuffocativum exactè delineatum *Vid. à Craton. in Conſ. 16. à Scholz.* collectis. Nempe ut ſunt quædam Apoplexiæ ſpecies, ex motu Sanguinis in Cerebro impedito, ita Catarrhus dictus ſuffocativus ex motu eodem in Pulmonibus & Præcordiis nonnihil ſufflaminato oritur. Unde & tandem tali Apoplexia interemptorum, idem eſt interitus, ac eorum, qui Catarrho ſuffocativo intereunt, cum in iis tandem & Sanguis in præcordia ſtagnet, unde poſt mortem Pulmonum vaſa à ſanguinis impetu rupta reperta fuerunt, *Vid. Car. Fracaſſ. Diſſert. Ep. de Cer. p. 414.* Sanguinis ergo ordinatus per Thoracis contenta viſcera motus impeditus dat Catarrhum ſuffocativum ſive ejus Copia, ſive Craſſities & viſciditas, ſive congrumatio incipiens, ſive regurgitatio ex ſuppreſſione ejus in alio loco erumpentis, ſive viarum vaſorumque impedimenta, aut infarctus v. gr. in Polypo Cordis, ſimilibuſque concreſcentis *vid. Barth. C. 2. Ep. 86. pag. 685.* in cauſa fuerit, ut collectus uberius aut detentus diutius in Præcordiorum vaſis Sanguis anguſtias tales ſuffocatorias inferat. Ad has anxietates ſublevandas præmiſſo, ſi urgentia affectus permiſerit, Clyſtere acriori, ex Aromaticis vegetabilibus cum Colocynthide in petia ligata & Sal. Gemm. q. ſ. mox Vena tundenda erit, ut minuto ſanguinis quanto impetus ejus in Præcordiis ex Stagnatione minuatur, quo facto vel in momento Reſpiratio liberior percipitur: Poſtmodum ubi vel Sanguinis grumeſcentia vel inchoata ejus coagulatio in cauſa fuerit, ad Sperma Ceti confugiendum erit, propinando ſequentem Potionem à quibuſdam in Catarrho ſuffocativo magnoperè celebratam: ♃. Spermat. Cet. ʒß. ad ʒj. diſſolv. in ſuff. q. Aqu. Hyſſopi add. parum de Sirup. Hyſſopi M. pro Doſi. Specialiter Pueris tenellis Catarrho tali ſuffocativo derepentè correptis, optimo cum ſucceſſu datur, ſecundum Experientiam *Navii Conſil. 309.* apud *Scholz.* ſi diſſolutum in Lacte Nutricum calido, piſi unius alteriuſve quantitate in os Pueri inſtilletur. *Vid. etiam Schenck. Obſ. l. 1. p. 148. 149.*

§ 10. Nec verò in Catarrhis ſaltem Suffocativis proficuus eſt Spermatis Ceti uſus, ſed vel maximè etiam in Aſthmate, in cujus Paroxyſmo ad ʒj. in Cereviſia calida exhibitum, ſecundum Experientiam *Timæi. l. 2. Epiſt. XI. & libr. 2. cap. 2. eſt inſtar omnium, quod eum nunquam fefellit, modo non ſit rancidum.* Jam verò & diſtinctæ Aſthmatis Species humanum delaſſant pectus, & in abdito admodum earundem deliteſcit natura. Eſt *Aſthma humidum* ex mucilagine viſcida tàm Bronchiorum Pulmonum, quam in ſpecie ſtomachi enatum, item quod Sanguinem ſtagnantem nonnihil in Præcordiis ſequitur. Eſt *Aſthma* contra *ſiccum* & convulſivum, Nervorum & Spirituum animalium vitio enatum. Ex his Sperma Ceti ſuccurrit imprimis iſti Speciei, quæ ex Sanguinis vitio in Præcordiis generatur, ut ex modò dictis de Catarrho ſuffocativo clarum eſt. Hinc iſti, quæ ex viſcida mucilagine non abſque Difficultate reſolvenda & expectoranda, guttur oblimat. Utut enim hoc in caſu, præter Vomitum reliquis ferè præferendum Remediis commendata & ſanè egregii uſus experta ſit Potiuncula *Brunneri* ex Gum. Ammon. c. Vino Rhenano, huic tamen ceu feliciori Succeſſu expertum præfertur Sperma Ceti à *Timæo l. c.* Lenit enim acrimoniam Muci expectorandi, reſolvit viſciditatem ejus, & mobiliorem eundem pertinacius agglutinatum reddit, dum ſimul aſperitatem faucium egregiè lubricat: Imprimis ſi in pertinaciori malo bis terve per ſeptimanam ejus uſus ſub introitum Lecti repetatur: Unde & Infantibus commodè propinatur in eorundem difficili Reſpiratione ex pituitoſis cruditatibus in eorundem ſtomacho congeſtis, imprimis enata.

§. 11. Pravum Aſthma nos ducit ad *Tuſſim*, cum hæc ipſa Aſthma humidum ceu Pediſſequa ordinariò comitari ſoleat. Sed penſiculemus ſaltim hac vice Tuſſim nocturnum, quæ interdiu ferè ſilet, ſed ſub Veſperam uſque ad mediam noctem marcida Afflictorum pectora imprimis flagellat, cum majori minorive Materiæ aquoſæ nonnihil viſcidæ rejectione. A materia tenui ex Capite deſtillante, adeoque Catarrho, vulgò Originem hujus deducunt. Nos potiùs hîc Lymphæ Vitium conſideramus, cum Catarrhales dicti Affectus ex Lymphæ Vitio primariò proveniant. Peccat nempè & hic Lympha fauces Aſperamque Arteriam continuò obliniens, ex vicinis ibidem copioſis Glandulis effuſa

effuſa

effuſa nimia aciditate, à qua & irritatio dictarum partium, ſuperficialis Excoriatio, Dolor & levis Inflammatio oriuntur: Quin & depravato exinde dictarum partium nutritivo Officio muci copioſa Lympha dilutigeneratio ſupervenit. Præceſſit ut plurimum aëris inſpiritati Vitium, dicta loca quæ tranſit lædens, ſimulque inſenſilem Tranſpirationem nonnihil impediens, unde & acrior acidiorque Lympha redditur, ac præterea in locis dictis læſis uberior ſcaturiens, tempore Veſpertino nocturnoque Tuſſim talem moleſtam, ut plurimum Coryza, ex iiſdem Cauſis oriunda, comitatam, inducit. In hoc Affectu ut temperetur Lympha vitioſa, & tollatur tuſſis iſta periodica, poſt laudatiſſima Opiata, Sperma Ceti eſt egregium, ſive cum ſuccinatis, ſimilibuſve propinetur: v. gr. ad talem Tuſſim compeſcendam

℞ *Sperm. Ceti* ʒß.
Succin. præp. ℈j.
Laud. Opiat. gr. iij.

M. pro 2. doſ. Veſperi ante Cœnam & hinc ſub introitum Lecti capiendis.

Vel ℞ *Spermat. Ceti.* ℈ij.
Fl. Benz. ℈j.
Myrrha
Sal. volat. ſuccin. ad ℈ß.
Laud. Op. gr. iv.

M. F. pulvis pro 3bus l. 4. Doſ. Veſpertin.

Ex eodem fonte nata *raucedo* ex lympha copioſiori & acriori Asperæ Arteriæ Caput inundante, commodè & Spermate Ceti curatur, ſi manè veſperique cum vehiculo calido uſurpetur: Novi quendam pertinaci raucedine affectum, qui aliis irritis tandem Spermate Ceti ad ℥ij. aſſumpto fuit reſtitutus.

§. 12. Hi ferè fuerunt uſus primarii, quibus inſervit noſtrum Sperma Ceti, inſervit tamen & aliis, quibus ſubinde adhibetur. *Langius* namque *libr.* 3. *Epiſt.* 1. *pag.* 866. componit Unguentum Magiſtrale, cujus etiam ingrediens eſt Sperma Ceti, quod ad Nervos contractos, ſpaſmum & eorum Dolorem commendat. *Levin. Lemnio l.* 4. *c.* 9. ad Oſſa tracta, fiſſa & rimoſa hiantiaque ferminanda laudatur. In Peſte ejus uſum *Paracelſus* ſuadet ſudoriferis permiſtum. In Epilepſia ſuccino ſociatum conferre aſſerunt. Sic etiam reperiuntur, qui ablatis Variolarum puſtulis maturatis Cicatriculas Spermate Ceti inungunt, ut hujus beneficio temperetur Acor iſte in Variolarum puſtulis Cutis corpus fibroſum exedens & in foveas excavans, quo reſarciatur debito alimento jactura, & reſtituatur id quod abſumptum fuerit.

§. 13. Conſideravimus Uſum Spermatis Ceti, ſupereſt adhuc uſurpandi rationem addamus. Doſis eſt in adultis à ℈j. ad ʒj. Infantulis tenellis recens natis piſi majoris quantitas ſufficit, quæ in paulò vegetioribus à gr. j. ad iv. l. viij. extendi poteſt. Propinatur commodiſſimè in ſubſtantia, cum præterquam quod in tàm ſimplici & homogenea ſubſtantia, per ſe innocua, omnis Præparatio ſuperflua videatur, etiam præparata quædam artificialia exinde elaboranda nondum innotuerint. Ad Eſſentiæ enim formam (ſi corruptionem ſic impedire vel remedium paulisper obnubere quiſpiam voluerit) induendam pene ineptum eſt, etſi Extractio vel diſſolutio rectificatiſſimo Vini Spiritu (cum vel ſine addito Alkali) tentetur, juxta *Ludovic. Pharmac. Diſſ. l. de Nervin. & Reſolventibus p.* 654. Hauritur idcircò commodè in vehiculo calido, cum in hoc promptè liqueſcat, & ita ſaporem ſuum nonnihil nauſeoſum optimè occultet.

In Cereviſia enim Calida Butyri inſtar diffluit & facile eſt aſſumptu. Cum ovi ſorbilis vitello promptè ſimiliter ſubigitur, permiſcetur & ita facili hauritur labore. In frigidis, aquoſis contra vehiculis aſſumptu eſt difficilius. Licet enim Saccharo probè tritum & per minima fuerit ſubactum vix tamen permiſcetur frigidis, aut citra Nauſeæ cujuſdam difficultatem deglutitur. Et hæc de natura & uſu ſpermatis Ceti dicta ſufficiant, hoc unicum ubi adhuc monuerimus, quod ſicuti *Uſus* legitimus ſuis extollendus eſt Encomiis, ita illegitimus ſeu nimius *Abuſus* meritò culpandus: Ex *Encelio* enim *Vuormius citat ſupra loco* refert, periiſſe honeſtiſſimam Matronam ad Oſtium Tangræ ex nimio hujus Spermatis abuſu. Verum ne & nos Otio noſtro abuti videamur, tandem ſubſiſtentes facimus

FINEM.

DISSERTATIO XVI.
DE CHIRURGIA INFUSORIA.

PROOEMIVM.

VT TALE, quale eſt, conſervetur corpus noſtrum, aſſumendorum alimentorum impoſuit neceſſitatem provida mater *Natura*, iiſque *Oeſophagi* iter, & *ſtomachi* conſtituit diverſorium. Sed de ægritudine *Illa* minus ſolicita, medicamentis applicandis nullam determinatam deſtinavit partem, ſed ubicunque juvare poſſunt, commodus applicandi eſt locus. Eadem nempè ratione, qua morborum Autores, non ſemper per patulam oris in nos ſubintrant viam, ſed mille modis, nobis inſultant, ita quicquid juvare poteſt, ſive deglutiatur, ſive appendatur, ſive imponatur, ſive infundatur, ſive illinatur, perinde eſt. Mille namque nocendi modis, mille ſalvandi media reſpondere par eſt. Quamplurimi equidem extraordinarii curandi ſunt modi, de quibus ceu particularibus non eſt facienda univerſalis regula, ut dum per *imaginationem* fit purgatio, ut videre eſt in *Obſ.* HENRIC. *ab* HEER aut ex *imaginaria perſuaſione*, ex ridiculis verbis ſchedulæ inſcriptis & appenſis, febris curatio, apud SALMUTH *c.* 2. *Obſ.* 81. *aut* dum per *contactum* fit ægri ſanatio, ſicut ante paucos annos in Anglia fuit Ruſticus, qui quoſvis etiam graviſſimos affectus curavit ſolo manus ſuæ contactu, item, dum tumores & excreſcentiæ contactu manus mortuæ evaneſcunt; aut quando *tranſplantationis* vi, morbi in beſtias transferuntur, ut Podagra, Colica, Odontalgia, &c In canes, vel in plantas, quarum exempla collecta vide apud BARTHOLINUM *cent.* 3. *obſ.* 66. & 6. *obſ.* 53. BORELLUM, *cent.* 3. *obſ.* 28. *Boyle Uſefulneſ. of. Experim. Philoſ. p.* 2. Ut jam curationes ſic dictas *Magneticas* prætercam, nam de hujuſmodi modis minus uſitatis, impræſentiarum non agam. Sed urgebo ſaltem non eſſe deſtinationem *Naturæ*, ut ſolummodo per os ingerantur medicamenta, pro internorum correctione malorum, cum applicatorum extrinſecus vis fit mirabilis, ſecus ac cum alimentis contingit. Lotiones pedum in pertinacibus Vigiliis, Cephalalgiis, catharris, Menſibus retentis, quid valeant, Practicorum loquuntur libri. Aloëtica cum amaris, ut felle tauri, oleo abſinth. &c. Umbilico applicata lumbricos enecant & propellunt. Purgantia extrinſecus umbilico, vel pulſibus applicata, purgant, ſicut theriacalia & opiata è contra ſimili uſu, hypercatharſes ſiſtunt. Hellebori albi radices, ventriculi regioni impoſitæ, vomitum cient, quod & unguentum de arthanita facit; folia verò ejuſdem hellebori inſtar plantaginis, ſed longiora & duriora, ſub cinguli forma lumbis applicata, nimios Menſium & Lochiorum fluores ſiſtere, expertum eſt, Mercurius vivus pinguedine ſuilla vel ol. tart. ſubactus, ſpinæ dorſi, vel articulis artuum, vel, quod optimum, plantis pedum, inunctus, ex Gallorum Chirurgorum methodo, per ſalivationes ſæpius, rarius per diarrhœas torminoſas, luem Veneream curat, qualem effectum & plumbum ſimili uſu in infantibus exhibet, ceditque contumaciſſimum hoc malum huic Mercuriali inunctioni, quod antea omnes decoctorum ſudoriferorum & diætarum ſtrictiſſimas neglexerat leges. Succus Cancrorum fluviatilium, vel ſedi majoris, vel Aqua ſpermatis ranarum, capiti vel plantis pedum applicati, valdoperè ad compeſcendos ſanguinis æſtus, & phreneticorum deliria commendantur. Quid pulſibus applicata valeant in abigendis febribus intermittentibus, ſæpius cum rubore ex aviculis diſcunt medentes. Pulpa paſſularum cum flor. lupuli, & pauca camphoræ pulſui applicata, quamplurimos febricitantes reſtituit Anglos. Quid *Strobelbergeri* emplaſtrum valeat ad frangendam quartanæ contumaciam, ejus fide digna monſtrant ſcripta. Ex fuligine ſplendente, therebinthina, teliſque aranearum cum camphora & ol. aranearum concinnatum emplaſtrum, ſeni nobili ferè ſexagenario, ſine cujuſdam alterius medicamenti uſu, quartanam profligaſſe, Autor eſt Deſideratiſſ. meus Præcept. D. MICHAELIS. Emplaſtrum ex Nicotianâ paratum, cum ol. capparum ſpleni applicatum, quartanam tollit, illudque HELMONTII fuiſſe, ſunt, qui exiſtimant: Pauci anni elapſi ſunt, quod novus medicamenta applicandi corpori noſtro modus, à curioſis inventus fuit, dum immediatè medicamenta venis infunduntur, unde *Chirurgia infuſoria* appellatur, cujus genuina Elia eſt *Transfuſoria*, dum ſanguis ex uno animali in aliud transfertur. De quibus *juſſu gratioſiſſ. Facult. Medic.* hac vice libentiſſimè conjunctim egiſſem, niſi defectus quorundam ſcriptorum Pariſiis præterita hyeme, cum ibidem degerem, editorum, quæ & ardenter adhuc expecto, me impediviſſent, *Transfuſionem* igitur ad proximam occaſionem reſervabo, & impræſentiarum *Infuſionem* tantùm pertractabo; cui incœpto, ut divinum Numen favere velit, ſupplex rogo.

CAPUT I.

Hiſtoriam Chirurgiæ Infuſoriæ Enarrat.

§. 1. DUm acerbiori ſævitia, quotidiè in nos irruunt, conjurati vitæ noſtræ hoſtes, *morbi*, in eo totam ſe occupatam monſtrat ars operoſa medentum, ut novis quoque machinis illorum impetum non ſuſtineat tantùm, ſed generosè quoque propellat. Unde tot egregia hactenus in lucem protracta ſunt inventa, de quibus veneranda antiquitas, ne ſomniavit quidem cum accuratior Diætæ obſervatio, à gravioribus morborum inſultibus, eam ſufficienter muniret; Inter hæc inventa, non ultimum locum meretur, *Chirurgia Infuſoria* dicta, quâ beneficio inſtrumenti appropriati, medicamentum in apertam anteà venam artificiosè injicitur, ut *infractis agendi poteſtatibus celeriorique agendi promptitudine*, agere queat id, ad quod antea à Medico deſtinatum fuit. Ad Chirurgicas operationes refertur hæc medicandi ratio, cum manuum artificioſa peragatur opera, ſimiliſque hac ratione ſit reliquis *injectionibus*, quibus nunc abſceſſus, ulcera,

fiſtulæ,

fiſtulæ, &c. Eluuntur, unde non incongruè appellationis genere; *Clyſmatica*, etiam *vel Enematica Nova* dicitur, ad differentiam artis iſtius clyſmaticæ veteris, majoribus ſatis cognitæ, de qua modo locuti ſumus.

§. 2. Novum omninò eſt hoc inventum, quodque inter Medicos, vix luſtri attigit ætatem. Meretur ob id meritò, ut penſitetur accuratè pluſnè commodi an incommodi exinde ad mortalium genus redundare queat. Nec novitatis quemquam deterreat titulus, cum non omnia, quæ ſeculorum aliquot numerant annos, veritatis niteant ſplendore, nec novis omnibus falſitatis inurenda ſit nota; Quæ jam antiquata ſunt uſu, ſuos olim habuere natales, & quod modo exſurgit inventum, poſt ſæculi ſpatium fortè elegantius florebit. Multum egerunt ante nos majores, multa agenda reſtant poſteris, nec nobis E. prohibita ſit ingenium exercendi libertas. Nonnullæ licet circumſtent difficultates hoc negotium, commune tamen id habet cum omnibus, quæ primo in lucem prodeunt; Fœtus tenellus talo incedere nequit firmo, qui in virili ætate inſigni robore pollet; & planta dùm primitus germinat, quibus non expoſita eſt tempeſtatum injuriis? Quas, ubi in arborem adolevit omnes contemnit. Eodem modo longior experientia roborabit fortè noſtram Chirurgiam & ratione confirmata, uberiores adoleſcentibus annis proferet fructus, quam nunc in prima ætate ab eadem haurire aut ſperare queamus. Nam

Eventus varios res nova ſemper habet.

§. 3. Primi, qui Chirurgiam hanc exercuere fuerunt Angli & inter eos primus autor dicitur *D. Vuren. Math. in Acad. Oxonienſ.* P.P. inſignis & *Regiæ ſocietatis ſocius*; jamque magno eruditorum deſiderio expectatur abſolutus de hac Materia tractatus, quem D. CLARCK, Anglus, Medicus Regius, propediem in lucem eſt editurus, in quo præter alia curioſa, etiam abortuum ferè omnium menſium, contentæ erunt hiſtoriæ. Hæc dum Angli peragerent, J. D. MAJOR *Med. D. & Anat. & Botanic. P. P. in Acad. Chilonienſ.* meditando; qua ratione intercepti ſudores ob ſanguinis viſciditatem in ægris ex febre maligna jam agonizantibus (dum uſitata remedia incaſſum ſæpius adhibentur) revocari, ſicque ſanguineæ maſſæ nova fluiditas & fermentatio induci poſſit, hujuſmodi infuſionem liquoris medicamentoſi tandem devenit, & anno 1664. prodromum de hac Chirurgia Infuſoria publico expoſuit, quem anno currente judiciis doctorum virorum, eorumque objectionibus ſimulque modeſtis ad eas reſponſionibus locupletatum denuò edidit. Eadem res evenit CAROLO FRACASSATO *Med. Doct. & in Acad. Piſana Anat. Prof. Publico*; viro, ut ex privato collegi diſcurſu multum curioſo: qui dum quærit, quo modo fermentatio ſanguinis in genere revocanda, ſi forte abierit, vel interitura renovanda, anſam accipit, de Medicina infuſoria cogitandi, eamque exercendi, ut videri poteſt in *Tetrad. Epiſt.* MALPIGHI & FRACASSATI *anno* 65. Bononiæ, edit. Nec omittendus hic eſt JOH. SIGISM. ELSHOLTZ, *D. & Elect. Brand. Med. Ordin.* qui occaſione experimenti anatomici, quo anno 1661. circularem ſanguinis motum in muliere undis ſuffocata demonſtraverat, *Cliſmaticam* etiam hanc *novam* invenit, de quo vid. ejus tractatus, hoc nomine inſignitus. Nec ſua laude hic defraudandus Mauritius HOFFMAN. *Med. D. & P. P. Anatom. Botanic. Altdorffi.* qui in literis ante biennium *Patavium* ad me miſſis, inter alia refert, ſe jam ante aliquot annos, & publicè & privatim docuiſſe, quomodo in melancholici. Epilepticis, &c. Sanguis ex juvene florido in ægrum immittendus, &c. Quod idem diſcipuli ejuſdem teſtantur. Hi ſunt, quibus inventi hujus novi gloria debetur, quique diverſas licet vias ingreſſi, ad eundem tamen collimarunt terminum. Quilibet ſanè rationis ſuæ obtinet robur, illudque applicando, quid mirum, ſi res novæ inveniantur? Quæ ſeu ſint diverſæ ſeu eædem, unumquemque tamen laus inventi proprii merito manet; *Si enim alius alia plura invenire poteſt, nemo omnia*, ut inquit, *Auſonius*, etiam alius alterius inventis ſimilia reperire valebit. Retulit interea Vir quidam Nobilis curioſus, & fide dignus, ſe anno 1642. in Luſatia ſuperiore, apud Magiſtrum quendam Equitum, virum rei venatoriæ multum addictum, & ob id quamplurimos canes alentem, vidiſſe, quod ejus venator delectationis gratiâ interdum canibus in venam apertam per officulum gallinaceum ex ore vinum hiſpanicum, vel aqua vitæ infuderit, unde canes poſt ligaturam parum ejulantes, ebrii facti fuiſſent, donec Ebrietatem per ſomnum diſcuſſiſſent: eumque ſolitum fuiſſe, canes ægrotantes hoc modo medicamentis neſcio quibus curare.

§. 4. Experimenta varia Chirurgiæ hujus infuſoriæ, quæ dum in ſuprà allegatis Autoribus reperiuntur, dum etiam ab aliis privatim tentata fuerunt, ſunt ſequentia. Cani majori in venam cruralem Aquæ comm. ℥j. injecta fuit, facili labore, qui cum per mediam horam lambuiſſet vulnus, fugam poſtmodum quaſi nihil paſſus arripuit. Ex vini hiſpanici ℥j. injecta, nulla in cane alteratio ab ELSHOLTIO animadverti potuit, ob doſin forte nimis exilem: in debita vero doſi quid contingat, præter alios docet imprimis *Schottus Tech. cur. lib.* 11. *cap.* 21. *p.* 891. *Vino hiſpanico, infuſo cani, primum in ſaltus & tripudia effundebatur, tum ebriorum more titubabat, demum procumbens in ſomnum ſolvebatur, donec crapulam edormiviſſet.* Ex infuſo purgante, *Spiritu vitæ Aureo* ad ℥j. quantum homini abundè ſufficit, canis per aliquot horas male habere viſus eſt, & hinc inde vagari, ſeptem verò elapſis horis, bis copioſè ſatis dejecit; teſte ELSHOLTIO. Ab aliis feliciter ſemper ſucceſſu idem expertum fuit, & in quibuſdam horæ tantum elapſo ſpatio operatio medicamenti per inferiora ſe prodidit: cum aliàs canes, vel non, vel difficillimè ab aſſumptis purgantibus, ſolvantur. Infuſum granorum ſexdecim croci metallorum non filtratum, ad ℥j. cani promeridie injectum inter ſingultus & ſalivationes oris, graviter decumbentium inſtar, cum ſonoris ſuſpiriis, ſecunda ab infuſione hora vomitus produxit, eodem valde interea inquieto & ex uno angulo in alterum prò repente: nocte verò tranſacta manè extinctus fuit inventus. In alius moloſſi arteriam, infuſum croci metallorum pauca quantitate, nil invexiſſe damni, obſervatum fuit, cum verò doſis ad ℥ij. aucta fuiſſet, & animam & omnia ſimul evomuit, Autore DN. BOYLE Opii tantum, quantum hominem enecare, felem verò in rabiem lethalem conjicere poteſt, nullam noxam cani propinatum infert: cum verò extracti liquidi opii ad ℥j. injectum fuiſſet, cane licet exiſtente feroce, is ſtatim manſuetus factus, poſt mediam horam adeò dormire cœpit, ut licet acicula per linguam exſectam tranſadigeretur, vix tamen paulumper evigilaret, imò cum eadem acicula in pede per cutem adigeretur, ſe nihil moveret, ſin verò ad nodulum uſque in carnem intruderetur, quædam ſenſus ſigna daret: & ita biduum unamque noctem dormiendo conſumeret, eodem poſtea reconvaleſcente. Ab aliis obſervatum, poſt opii Tincturam in arteriam canis infuſam, eum mox in vertiginem & paulò poſt ſimiliter quoque in ſoporem incidiſſe, paulatim verò ex eo tempore mirum in modum pingueſcere cœpiſſe. Injectione aquarum Chryſulcarum in jugularem & cruralem venam animal citò interit, ſanguine omni ferè coagulato, veniſque & meatibus ſanguineis majoribus ſciſſis ſeu ruptis, quemadmodum in Apoplecticis vaſa pulmonum plerumque diſrumpuntur. Amicus quidam in venam canis ſubclaviam injecit Spirit. Nitri, & paulo poſt extincto cane, ſanguis in iſta vena & corde coagulatus, & in diſperſos grumos concretus, repertus fuit. Ex infuſione Spirit. Nitr. *ſanguis pariter, ſed non illico* (*verba ſunt Fracaſſati*) *concreſcebat, verum aliquo interjecto tempore*; *nam animal*

diu conquerebatur, & munera reſpirationis ingeminabat & ſuccuſſato toto pectore ingentis doloris ſigna edebat, ſpumaque circa os prodibat, ut in Epilepticis. Secto animali, ſanguinis non ea erat concretio ut aliam ſanguinis partem continuatam haberet & velut ſtria inane vaſorum impleret, ſed divulſus & inæqualiter falſo hoc ſale revinctus reperiebatur. Infuſo ol. ſulphur. in venam jugularem, non potuit canis iterata licet infuſione adigi, ut moreretur, ſed obligato vulnere dimiſſus confeſtim cæpit oſſa quærere, cuncta vorare famelicus, ut videretur fames hæc cum ol. ſulph. indita. Mira videri poteſt hæc relatio conſideranti magnam ol. ſulph. & Spirit. Vitr. affinitatem, qui dum ex uno ſale acido, ſeu Eſurino ſulph. Embrionati, ut *Helmontio* audit, in terræ viſceribus ſint generati, affectionibuſque & proprietatibus ſint admodum ſimiles, adeo diverſos tamen in ſanguine producant effectus. Boni ergo, & curioſi cujuſdam amici animatus inſtinctu ejuſque adjutus ope experimentum inſtitui, & ʒj. Spirit. Sulph. per campanam in Aquæ ℥j. & quod excedit diſſolutam in venam cruralem injeci, factaque convenienti vulneris deligatione canem à vinculis ſolutum in aream depoſui, qui vivax omnino, apertis lucidiſque oculis, plena paulo tamen frequentiori reſpiratione in area decumbebat, hinc ſenſim altiorem, crebriorem & minorem agendo reſpirationem, levibus quibuſdam imprimis oris convulſionibus, agitari, hinc crebrius reſpirare, tandem fortiter diuque ex imo pectore non ſine violentia ſtertere, copioſam ſpumam effundere, hancque ſcenam repetitis ſubinde levibus convulſionibus, tam diu agere cœpit, donec quaſi ſtrangulatus fere circa mediam horam ab infuſione exſpiraret, effluente ex ore mox poſt mortem copioſa admodum aqua ſeroſa tenui inſtarque loturæ carnium rubicunda cum copioſa & viſcida ſupernatante ſpuma. Cum vero ex area in menſam elevaretur, pro viſcerum ſcrutinio, eadem ſpuma copioſe admodum ex ore effluebat apertoque rictu totæ fauces repletæ erant, ipſaque integra quoque aſpera arteria compreſſo namque exterius larynge, copioſe in fauces erumpebat hæc ſpuma, ſimulque per nares effluebat. Aperto thorace pulmones in quibuſdam extremitatibus ex albedine rubeſcebant, naturali colore, ſed maxima ex parte imprimis ubi coſtas reſpiciebant ex atro admodum rubeſcebant, non ſecus, ac ſi ex contuſione ſanguis concretus in iis retentus eſſet: abſciſſis vero uno vel altero lobo, ſanguinis moderata, imo exigua quantitas effluebat, copioſiſſime vero ſerum iſtiuſmodi ſanguineum, per omnes vel minimos quoque meatus cum copioſa ſpuma emanabat; erantque pulmones ſpongiarum inſtar, ſero hujuſmodi ſanguineo ſpumoſo h. e. bullis copioſiſſimis minutis & viſcidis repleta, omneſque arteriæ aſperæ majores pariter ac minores rami, hujuſmodi ſpumæ tantum non obſtructi. Aperto cordis thalamo dextro, ſanguis qui erumpebat copioſus, admodum ater apparebat, tenuis & fluidus quidem, craſſioris tamen, quam naturaliter eſſe debet, conſiſtentiæ, apparebantque ſimiliter non paucæ & grandiores bullæ hujus ventriculi parietibus affixæ: ſanguis ſimilis ater & craſſiuſculus, facileque coagulabilis ex ſiniſtro pariter ventriculo: vena ſubclavia ut & cava effluebat. Dum reliqua ſcrutaremur viſcera, abſciſſis grandioribus hepatis lobis, nihil ſanguinis ex iis effluebat, niſi forte compreſſione ex porulis eliceretur, imo hepar totum exſangue apparebat, grandioribus ramis vaſorum inanitis, lien duriuſculus exſanguis ſimiliter erat, ut renes: olfacientes ergo id, quod res erat, arteriam magnam paulò infra cor aperuimus, ut & ramum cruralem, item ramum aſcendentem axillarem ſiniſtrum, & ſimiliter paucas quaſdam ſanguinis reliquias, quibuſdam, tantum in locis reperimus, arteria ipſa ex toto fere in majoribus his ramis inanita. Multæ reflexiones hic quidem fieri poſſint, ſed cum non faciant ad rem præſentem hoc ſaltem addo: Veriſimile videri, ſanguinem ex acido Sulphuris injecto, ad craſſitiem circulationi redditum ineptum, in pulmonibus ſtagnaſſe, ibique repetito aëris motu, in ſpumam iſtam ſerumque rubicundum abiiſſe, Dum interea, eodem in arteriis promoto ſemper ulterius in minores ramos exindeque in venam cavam, nihil potuit circulari per pulmones, unde viſcera majoreſque arteriæ rami omnino inanita fuerunt. Oleum Tartari immiſſum cani, necem ipſi attulit, prævia tamen magna vexatione quærulus namque ingentem teſtabatur dolorem, totuſque inflabatur, & à poſtrema inflatione exſpirabat. Sectus poſtea ſanguinem valde fluidum & rubicundiorem ſolito exhibuit: nimiam ergo ſanguinis coagulationem, pariter ac ejus nimiam diſſolutionem mortem inferre, abunde patet: quarum illam ab exuberante acido, hanc vero ab urinoſo prædominante contingere, præter modo allegata Experimenta, quilibet experiri poteſt, ſi ſanguinem venæ ſectione emiſſum diverſis vaſculis hujuſmodi liquores continentibus excipiat, mutationeſque exinde ſanguini obvenientes obſervet. Decoctum Arſenici, in aqua ſimplici ad ℥j. infuſum cani, mortem miſerandam cum gravibus ſymptomatis, ronchis, copioſis alvi & veſicæ dejectionibus, volutationibus violentis, oculorum contorſionibus intulit, Videatur ELSHOLZ. Ego aliquando experimenti gratia ʒß. Mercurii, Sublimati in Aqu. ſimplici ſolvi, & licet non omnis Mercurius ſolutus eſſet, illius tamen ſolutionis paulo plus ʒj. in venam cruralem canis, majoris injeci. Simul vero atque fieret injectio, canis, qui antea ſemper, dum cutis ſcinderetur, venaque ſepararetur, quietus jacuerat, violenter ſe commovere inchoabat: Et paulo poſt repetita aliquoties vehementi altaque reſpiratione, cum miſero & horrido ejulatu, violentaque corporis commotione, ex improviſo, nobis nil tale cogitantibus, exſpirabat. Aperto corpore, ſanguis omnis non ſine noſtra admiratione & in corde & in cavæ trunco, etiam prope injectionis locum, omnino fluidus & tenuis inſtar ſanguinis, quod ex canis ſtrangulati vaſis effluit, ſine ulla coagulationis nota apparebat. Catello modo in lucem edito, *Germannus* (videatur *Majoris Chir. Infuſor. pag.* 103.) infudit aliquam portiunculam Spirit. Vin. Rhenani & præter ſolitum incaleſcebat, paulo poſt ſuper injecit aliquot guttas liquoris narcotici, & en! horrore perculſus ſtupidus evaſit. Elapſa ſemihorula de purgante paululum inſperſit, & alvo ſoluta ad ſe redire viſus fuit. Hæc ſunt ea tentamina, quæ experiundi gratia ordinarii Anatomicorum Martyres, canes ſuſtinuerunt. In genere autem in Belgio obſervatum fuit, infuſionem Diæteticam h. e. nutritionis & ſuſtentationis gratia inſtitutam infeliciter ſucceſſiſſe, alterativam vero & catarcticam nunquam fefelliſſe.

§ 5. Progreſſum fuit ulterius & quid humano valeat in corpore novum inventum, ſimiliter tentatum. Milites tres gregarii primi experimentum in ſe ipſis ab ELSHOLCIO perſuaſi, fieri paſſi ſunt. Ulcere antiquo laborabat primus in crure ſiniſtro, unde aperto venæ cruralis ramo interno & ulceri vicino, beneficio Syphonis parvi aqua plantaginis injecta fuit. Alteri febri afflicto, poſt ſanguinem per apertam medianam emiſſum, aqua Card. bened. Stillatit. cochlear. unum immiſſum. Scorbutica cacochymia torquebat tertium, cui ſimiliter poſt ſufficientem ſanguinis ex vena mediana extractionem, aquæ cochleariæ portio infundebatur. Dantiſci, in Noſocomio publico militi lue Venerea inveterata cum ulceribus in tibiis, tumore brachii dextri, doloribus capitis horrendis, cum gummatis ſeu notis in oſſibus laborante, reſinæ ſcammon. gr. vij. diſſolutæ in Eſſ. Guajac. ad ʒiij. infuſa fuere, unde inſequente vomitu ſubitanea omnium ſymptomatum 24. horarum ſpatio remiſſio, & poſt triduum ulcerum coalitio ſecuta fuit. Ancillæ vero ab ineunte ætate Epilepſia gravi corruptæ, Reſin. Gialapp. gr. vj. in Aqu. Lil. convall. diſſolut. infuſa fuerunt,

ſunt, unde poſt vomitum talis ſecutus ſucceſſus, ut aliquot menſes ab infuſione, libera prorſus fuerit. Radicaliter an curata ſit, neſcio.

§.6. Modus exercendi hanc Chirurgiam adeo magno non indiget apparatu, nec dexteritate. Eligatur ante omnia vas, in quod injiciendus venit liquor, quod ſit vel arteria vel vena, aliud haud reperies. Arteria non videtur conveniens, (licet ad partem, cui liquori infuſo eſt opitulandum, ſi illa à corde ſit remotior, per arteriam ad eam extenſam celerior medicamenti fiat appulſio) quia inexiles arterias non ſine magna difficultate poteſt fieri inſtrumenti intruſio, in majoribus verò ramis ob difficilem coalitionem ſubſequentiſque aneuriſmatis metum, periculoſa eſt ſectio. Situs quoque arteriarum profundior carnibus immerſus, & ſub venis occultatus, non parvum objiciet laborem, ut taceam hujus uſum infuſionis non ad partem quandam ſingularem, ſed imprimis ad totam maſſam ſanguineam eſſe directum; Unde primo omnium ad cor liquoris fieri debet directio, ut ex eo ceu communi ſcaturigine in omnes cæteros rivos, poteſtatum ejus fiat diſtributio. Commodior ergo eſt vena, ſed an partium ſuperiorum, an vero inferiorum, & ſi illarum, an jugularis, an verò mediana ſit aptior pro infuſione, quæritur. Sane ſi tunc demum ſalutaris eſt expectandus infuſionis eventus, quando in cordis thalamis cum ſanguine permiſcetur, indeque in totum corpus diſtribuitur, non poteſt non ea vena eſſe commodior, per quam propior ad cor patet aditus, ſuperiores ergo præferendæ ſunt inferioribus: & licet ex hoc fundamento jugularis ſit anteponenda medianæ, hujus tamen & uſitatior præ illa faciliorque ſectio & obligatio, palmam medianæ alterive brachiali pro infuſione relinquit. Invento ſic vaſe, pars ubi inſtituenda eſt operatio, linteis calidis confricetur, vel vino calido aut aqua ſambuci calida, cum Spiritu Vini camphorato foveatur, hinc facta duplici ligatura; prima citra locum infuſionis in ſuperiori parte. Quo venis ex impedito ſanguinis motu turgeſcentibus, facilior ſit ſectio. Secunda vero ultra infuſionis locum, in inferiori parte ne ſanguis facta apertura copioſius effluens negotium interturbet: niſi neceſſe ſit aliquid ſanguinis emittere, tunc enim poſt ſufficientem evacuationem iſta fiat ligatura aperiatur vena, foramine tamen digito appoſito ſtatim clauſo, quod ſi clauſum conſtet, donec (quod agiliter fiat) inſtrumentum infuſorium immiſſum ſit. Tunc ſoluta faſcia citra injecta liquoris fiat legitima infuſio, ejuſque ſucceſſiva partis ſuperiora verſus compreſſione, promotio. Abſoluta injectione, foraminis fiat occluſio, ſicut in ordinariis venæ ſectionibus uſu venit; ligatura ultra ſoluta, ut ſanguinis reſtituto motu liquoris infuſi adjuvetur curſus. Inſtrumentorum alio opus non eſt apparatu, (præter uſitatum in omni venæ ſectione,) quam ſolo inſtrumento, quo liquoris fit adjectio, quod vel eſt canalis ſeu tubulus argenteus in fine anguſtior, parumque incurvatus, cui annexa in extremitate ampliore veſicula, medicamento infundendo plena, qua compreſſa, liquoris per canalem venæ immiſſum, fit infuſio, ut in communi clyſmatum applicatione fieri ſolet: vel Sypho quidam argenteus moderatæ magnitudinis, cujus ope per cuſpidem foramine venæ immiſſum, liquoris fit impulſio, promptior longe & expeditior, quam cum priori veſiculæ compreſſione, unde & hic modus illi præferendus. Tertii modi vaporoſi nempe mentionem injicit D. MAJOR. *Chirurg. infuſ. pag.* 181. per vaſculi Diſtillatorii aut alterius inſtrumenti commodam applicationem. Cum transfuſione, qua ſanguis non tam injicitur, quam impellitur, vel potius ſpontaneo motu incurrit, nobis hac vice nihil eſt negotii.

§.7. Patet ex jam relatis, non poſſibilem tantum, ſed facilem quoque admodum eſſe hanc operationem, idque imprimis in homine, non adeo immorigero ac ſunt beſtiæ. Cogita, quæſo, quales operationes ſint cæteræ, quæ chirurgorum perficiendæ induſtria, ut ſunt trepanationes, laringothomiæ, thoracis paracentheſes, herniarum ſectiones, &c. Ut taceam calculi extractionem, & partium corruptarum abſciſſionem, quam ſive cultro falcato more Gallorum, ſive cultro ignito, more Italorum inſtituas, ob dolorem tamen horrendum, exilienteſque ſanguinis rivos, &c. Rem periculoſæ aleæ pleniſſimam invenies. In harum conſideratione ludum jocumque dicerem Chirurgiam infuſoriam, in qua nullum periculum, dolor nullus infeſtat ægrum, miles namque iſte, cui infuſa erat plantaginis aqua interrogatus poſt operationem peractum, num intruſio canalis inſignem dolorem intuliſſet; fere nullum reſpondit.

§.8. Finis in cujus gratiam inſtituitur Chirurgia infuſoria, & propter quem medicamenta in venas ita infunduntur, eſt *Medicamenti viribus infracti accelerata cum ſanguine permiſtio ad cor tranſlatio, indeque per totam corporis machinam diſtributio, unde celeriter & potentior ejus operatio.* Sine ulla namque ſui alteratione, quam alias in prima ſtomachi culina, & pro longatis inteſtinorum tractibus ſuſtinet, ſineque alterius humoris permiſtione, immediate ſanguini confuſum, potenter operandi exerit potentias, & ſine tot meatuum canaliumque ambagibus & anguſtiis, è quibus alias eluctari neceſſe habet; rectò tramite ſanguini indeque cordi infertur. Cæterum cordato & conſcientioſo Medico hic imprimis obſervandum venit, quod Medicamentorum vis, dum *celeriter* in actum prorumpit, id non ſine *commotione* ſingulari corporis ægri contingat, & dum *infracta virtute* operatur, non ſine quadam *vehementia* hoc fiat. Unde non ludat imprudenter de corio humano audacter infundendo; & generoſum hoc inventum ſtulte proſtituendo. *Citò* ſane curare debet Medicus, ſed ſimul *tutò*, & quantum fieri poteſt *jucundè: fulcire* corpus ægrum medicando; non impetu remedii nimis commovere aut *proſternere*, *miniſter* ſit naturæ attentus & obtemperans, non (niſi raro) ejus *Magiſter* ſuperbus & imperans; unde tentanda prius ea ſuadeo, quæ leges artis ratione & experientia Magiſtris ſancitæ, ſecundum legitimam medendi methodum jubent, & non inconſiderate, primo quoque morbi impetu (niſi neceſſitatis urgeat immutabile præceptum) neglectis cæteris medicandi rationibus, uſu hactenus receptis & comprobatis ad infuſionem accedendum. Conſuetis vero alias approbatis remediis incaſſum tentatis, quamdiu aliquantula ſpes vel ſalvandi vel liberandi citius ægrum adhuc ſupereſt, ne negligentia Medici eum perdat, quem debita ejus induſtria conſervare potuiſſet; Chirurgiam hanc infuſoriam generoſe in uſum revocet, & quo major hoſtis eſt impetus, eò generoſiori remedio reſiſtendum ipſi animoſè cogitet; Suppetias ſcilicet ceteris remediis ferat infuſio, non prima fronte hoſtem aggrediatur, occaſioniſque pariter ac neceſſitatis, ut in aliis medendi rationibus, ita & hic ſumma habeatur conſideratio.

§.9. Ratione ergo ſui ſcopi, habeat Chirurgia hæc ſuas diviſiones, dum *primo* eſt vel *curioſa* vel *ſalubris*. Illa, quæ experimentandi gratia fit in brutis, hæc vero, quæ medicandi gratia in corpore fit humano. *Secundo*, *ſalubris* porro eſt ratione intentionis vel *reſtitutiva ſeu curativa*, vel *conſervativa ſeu Diætetica*; vel ex his duabus *miſta*. *Curativa* eſt, quæ corpus ægrum per medicamentum infuſum ſanare intendit, idque vel *propriè* vel *improprie ſeu palliative* tantum. *Diætetica* eſt, quæ alimento liquido infuſo corpus nutrire & conſervare nititur: *Miſta*, quæ utrique jam dicto ſcopo inſervire debet per injectionem medicamenti alimentoſi. *Ter-*

tio ratione liquoris injiciendi, demum eſt vel *infuſoria* in ſpecie ſic dicta vel *transfuſoria*: hæc dum ſanguinis ex uno animali injicitur in aliud, illa dum aliquid aliud quam ſanguis immittitur, de qua in præſentiarum nobis tantum eſt ſermo. Apparet jam, non poſſibilem tantum, ſed etiam facilem hanc eſſe Chirurgiam. Quæritur verò tantummodò *de uſu*, quem obtineat in ſuccurrendo corporis humani defectibus, partim quibus in affectibus ſit congrua ejus uſurpatio, partim quale medicamentum ſit infundendum, pro obtinendo ſalutari ſcopo. Quod ut eo melius decidatur in cap. 3 propterea.

CAPUT II.

Præſupponendorum Conſiderationem continet.

§. 1. INnumerabilem ſi dixerim cauſarum morbificarum eſſe exercitum, qui vitæ noſtræ quotidiè inſidias ſtruit, minime me erraturum exiſtimo. Ita ut miraculo ſimile videatur, vel unicum momentum hominem ſupervivere poſſe; Miſſos jam facio fortuitos caſus, qui nos exagitant omnem externorum inſultum, aëris, cibi & potus reliquarumque non naturalium dictarum rerum omitto vires. Saltem quot & quam atroces exſurgant, primarum viarum h. e. primæ aſſumptorum alimentorum elaborationi, ſcoriarumque ab utili chymo ſeparationi dictarum partium vitio, calamitates, exactius conſiderarem, niſi fermentatio ſanguinis, ejuſque in horas mutabilis ſtatus, me ad ſe traheret. *Vix namque amplius dubitat aliquis, ſtatum noſtrum & ſalubrem & floridum. Ita & morboſum & langueſcentem ex ſanguinis fermentatione, partim immediatè, partim mediatè dependere*: Eſt namque corpus noſtrum inſtar machinæ hydraulicæ, à contento intrinſecus liquido (ſanguine) diverſimodè motæ, pro cujus liquoris ratione diverſa, (ex fermentationis varietate oriunda) diverſimodè quoque ſe habet machynæ integritas & motus. Dependet autem hic particularum purpureum hoc nectar componendum motus inteſtinus & agitatio, qui fermentationis venit nomine, ex duplici iſto Sale, acido & Urinoſo ſeu alcali volatilibus, quorum ſolutorum concurſu, & in ſe invicem actione, reliquæ quoque particulæ nimis ſe commoventur & agitantur, Actio hæc Salium iſtorum in ſe mutua oculis conſpiciendam ſe præbet, eſtque ſatis manifeſta, quando, dum pura ſeu impermiſta aliis principiis exiſtunt, effervescentiæ excitant impetuoſitates: ſed in fermentatione magis occulta eorum eſt pugna, ob intertextum aliarum particularum, ſimul agitatarum, &c. Non rejicio hoc loco probabilem valdè eorum ſententiam, qui in cavitate cordis ſiniſtra, fermentum quoddam ponunt vitale, ſpiritibus vitalibus imprægnatum & vitaliter illuminatum, *quod transmutati cruoris (venoſi) in ſanguinem (arterioſum) eſt cauſa ſufficiens, prout ſanguinis in ſpiritum vitalem transmutationi præeſt, ut loquitur Helmont, Blas human.* §. 22. Quod fermentum jam in ovi puncto ſaliente radicatum, ob ſpirituum abundantiam, Salinum volatile eſſe, omninò mihi perſuadeo, ut ſicut in chylificationis culinâ ſummus coquus eſt de Natura acida volatili, ita in ſanguificationis, & renovatæ in ſanguine fermentationis officina, Salſum volatile & luminoſum, ceu præſes ſummus prævaleat. Eſt tamen, ut omnium aliorum, ita & hujus fermenti poteſtas, licet mirabilis, tamen limitata, ut ſanguinem certo modo requirat prædiſpoſitum, pro receptione debitæ ſuæ activitatis, (cum non quidlibet agat in quodlibet) quæ præcedanea ſanguinis diſpoſitio, à Salium iſtorum duorum acidi & alkali volatilium conditione dependet, quos (fermentum cordis) inſtar fermenti piſtorii in farinacea maſſa, excitat ad fermentationem, certumque fermentationis characterem vi ſua Salina volatili ſimul iis imprimit, unde his duobus Salibus legitimè ſe habentibus, debita ſanguinis fit fermentatio, ſpirituum vitalium fit elaboratio & illuminatio, totiuſque microcoſmicæ Reipublicæ aureum nunc viget ſeculum.

§. 2. Sed turbata iſta Salium horum harmonia & læſa hujus ſanguinis fermentatione, heu, quantæ procellæ in continenti corpus noſtrum obruunt! *Aut imminuitur* enim *& deficit* iſta ſanguinis fermentatio, unde chronici quamplurimi exurgunt morbi, Cachexiæ, maſculorum pariter & fœmellarum, leucophlegmatiæ, anaſarcæ, &c. Et ſpiritibus non ritè exaltatis, nec elaboratis actiones omnes languent, torporque profundus obſidet membra, & ſuccus alibilis recens apportatus, in viſcidum faces ſit liquamen, pituitæ excrementitiæ nomine à veteribus appellatum, ſanguiſque tandem periculosè concreſcit: aut *aboletur*, quod ſeu pedetentim ſeu confeſtim fiat, quid niſi ſyncopes, virium extremas proſtrationes, & mortem ipſam denique affert: aut *augetur* impetuosè, unde ardores corporis, intumeſcentiæ, rapidus ſanguinis motus, inquietudines, febres ardentes, pleuritides, anginæ, morbilli & variolæ, &c. Aliique hujus generis affectus: aut *depravatur* vitiosè, quod ut mille modis fieri poteſt, ita & mille inducit calamitates: hinc namque uterinorum affectuum, paſſioni ſic dictæ, hyſtericæ, ſcorbuti, uteri, luis Venereæ, &c. Fœcunda ſeges. Omnia hæc vitia, unde, niſi ex Salium in ſanguinea maſſa ametria & vitiata harmonia derivanda erunt; Nunc enim ambo *non ritè ab aliis particulis commiſtis temperata* ſunt, unde nimis acria, impetuoſam effervescentiam concitabunt, nunc ab aliis *nimis obruta*, deficientem reddent fermentationem. Nunc unum alterum multum præponderabit, unde *ab acido*, quod ſubitò toti erit hoſtile & venenoſum, periculoſæ ſanguinis concretiones, indeque fermentationis notabiles defectus, teſtibus canibus, ex acidorum infuſione, ob coagulum ſanguinis expirantibus, de quibus ſuprà c. 1. § 4. ſicut quilibet ſanguis recens emiſſus, acidi affuſione concreſcit: *ab alcali* vero inſignes ſanguinis diſſolutiones, omnimodæque fermentationis abolitiones: ab *utriuſque* tùm inter ſe, tùm cum aliis commiſtione, mirandæ ſanguinis alterationes, ob fermentationis depravationem. Indicibilis namque hinc emergit Salium varietas, ſiquidem quot ſapores, tot adæquatè Salia, totque ſimul diverſa fermenta: *acidum* nunc eſt vitriolicum, nunc Nitroſum nunc Aluminoſum, nunc Salſum ſimpliciter, nunc Acetoſum, nunc auſterum, nunc acerbum, nunc aliàs ſaporum monſtrat differentias: *alkali* nunc eſt ſubtilius & acrius, nunc ol. temperatius nunc amarum, nunc penetrans adſtringens, nunc moderatè dulceſens, nunc alias innominatas & anomalas monſtrat differentias: hæc nunc inter ſe nunc cum aliis diverſis miſta, contemperata, exaltata, immutata, quas non alias prodent differentias, ſub Salſi nomine venientes? Quas non diverſas excitabunt fermentationes? Quot, quæſo mutationes, & in ſapore, & in cæteris qualitatibus exhibet muſtum, dum fit vinum & dum per reiteratas fermentationes degenerat in acetum, hinc l. denuò autranceſcit, aut paveſcit, aut in vermes abit, &c. Unde Salium differentias, ex alia atque alia contemperatione & compoſitione cum aliis particulis, & inde fermentationum viciſſitudines varias, vel manu palpare poteris. Idem in ſanguine fieri cogites, in quo variæ iſtæ Salium combinationes, & ſyn. l. ametriæ, quotidiè ferè ejus ſtatum mutant, & conditionem alterant. Quanta namque aſſumptorum diverſitas, tanta ſaporum in ſuccis noſtris alteritas, & fermentationis varietas. Non equidem me latet, ſuprema fermenti ſtomachici poteſtas, omnia aſſumpta, ſub acoris Dominio in Salſum volatile tandem, bilis adjumento concurrente

rente tranſmutantis, ſed & hoc ſcio, fermentum hocce ſingulis ferè prandiis & cœnis, ſub ſaporum, cæterarumque qualitatum ſuarum latitudine inſigniter variare: imò multas qualitates, quorundam ciborum, illæſas pertranſire ſtomachi anguſtias imò ſæpius hoc contingere, ut vel acidum nimis, vel non ritè volatiliſatum, vel viſcidum vel ratione alia deficiens ex ſtomacho per pylorum effluet alimentum, in inteſtinorum verò gyris tùm ab acido pancreatis ſtagmate, tùm ab amaro & urinoſo bilis liquore, varias alterationes & ſaporum ac proprietatum differentias ſuſcipiat. Silentio prætereo hîc exotica fermenta, quæ ſub contagii forma in nos irruunt & fermentationis in ſanguinem motum naturalem, mirum quantum turbant: ſunt namque & ipſa de Salium proſapia, nunc *alkalium volatilium*, unde febrium malignarum, petechialium & peſtilentialium, (de quibus *vid.* PAULI *digreſſ. de febr. malign.*) nunc *acidorum*, unde ſcorbuti, luis Venereæ, diſenteriæ epidemicæ, multiplicativa propullulant germina. Ingens hæc Salium varietas, ſub duplici Urinoſi & acidi in Salſo conjuncti, vexillo militant, eam tamen ſub unitatis numerum Salis cujuſdam primi, alii revocant: Omnis autem (in genere) quæcunque ſalium varietas, ex principiis mechanicis, magnitudine ſcil. figura textura & motu, tum ſui ipſius, tùm aliarum: cum quibus coaluere, particularum definienda venit.

§.3. Præter fermentationis haſce læſiones, & ſpiritus vitalis ſanguinis primarius incola, & Oeconomus noſtræ vitæ, interdum ſuas graves quoque patitur exorbitantias, *ſæpiuſque*, (*c. ſit impetum illud faciens Hippoc.*) *impetuoſe nimis agitatur, rapideque nimis commovetur unde ingens actionum animalium imprimis* (ab hoc ſpiritu ceu primo rectore dependentium) *perturbatio ſuccedit*. Quocunque enim modo à cauſa aliqua occaſionali lædatur (irritari dicunt multi cum *Galeno*, in furorem agi loqui amat *Helmontius*, mox extravagantiis ſuis inſolitis totam noſtram perturbat Oeconomiam, hinc ſcil. phreniticorum emergunt deliria hinc vigiliarum inquietudines, hinc convulſivæ membrorum contorſiones, & Epilepſiæ Herculei inſultus, hinc tenebricoſæ vertiginum obſcurationes: ut non dicam de enormi ejus in omnes operationes dictatura, dum Idearum ſequitur ductum ſive ab extrinſecus advenientibus peregrinis pingatur, ſive graviorum ex affectuum eas interno concipiat motu, harum enim conſideratio ad hunc locum non pertinet.

§.4. Fermentationum iſta vitia, & Archei perturbationes, ut corrigantur, promptum ſæpe & tantum non præſentaneum poſtulant remedium, quodque, quantum fieri poteſt, intemeratis agendi poteſtatibus agat, quod agere debet. Et fermentationum quidem labes, qua ratione melius, quam Salino emendabitur remedio, modò ſine ſui immutatione ſanguini permiſceatur, quod dum per os recipitur, vix ſperare licet. *Magnas enim alterationes, ſæpè & virium jacturas ſubeunt ferè omnia aſſumpta, imprimis ſtomachi & inteſtinorum viis; tardoque gradu in mezenterii & thoracis lacteis ad cor proripunt.* De hoc quis dubitare velit, qui ſtomachici fermenti varietatem quidem, (licet ut plurimum acidum volatile vel ſit vel naturaliter eſſe debeat) ſimul tamen & menſtrualem ſolutivam ac fermentalem tranſmutativam perpendit potentiam? Unde in pultaceum tranſmutata alimenta cremorem, quidquid anteà obtinebant, facultatum deponunt. Tantam, talemque alterationem non quidem in medicamentis fieri, putandum, inſignem tamen eam eſſe (habitâ tamen præparationis ratione, qua ea nunc magis nunc minus patentia, reluctantur illi menſtruo) eorum cum alimentis medicamentoſis analogia, dum plurima ex vegetabilium petita claſſe, nonnulla ex animalium genere hauſta, facilè perſuadet: imprimis cum ſuperatis fermenti ſtomachici moleſtiis, duos, adhuc in inteſtinis obvios habeant Dracones (ut eleganter dicuntur à TACKIO *Orat. de Chryſog. animal. & mineral. p.16. 17.*) Orientalem unum lixiviali oleoſo Sale impregnatum, Occidentalem alterum, acido Salino menſtruo armatum, cum quibus ipſis denuò pugnandum eſt. Ut ſilentio præteream lymphæ miſcelam in receptaculo communi, unde nova ipſis accedit impreſſio, adeò ut quædam aſſumpta per ſe indifferentia, in primis viis in iſtorum ſuccorum concurſu, fortè & connexu, demum in medicamentum abire videantur. Mineralibus generoſior quidem eſt animus, & non adeò facilè dictorum ſuccorum potentiis auſcultant, illibatis tamen ea procedere agendi viribus vix ſibi perſuadebit, qui ea non ſecus ac omnia cætera medicamenta pro varietate ſubjectorum, varias exſerere vires (de ordinariis loquor remediis, quæ tyrociniorum & Chymiarum proponunt compilatores, nam de majoribus arcanis, & iis, quæ diffuſione radiorum operantur, aliter pronunciandum, de quibus inferiùs) dum ea nunc citius nunc tardiùs, nunc fortiùs, nunc debiliùs, aliovè modo variè operari, Martemque eundem nunc adſtringere nunc laxare, obſervat. Ex ſuccorum namque horum Salinorum virtute contingit quod non tantum in diverſis ſubjectis, ſed in eodem; unum idemque medicamentum, varias exerat pillularum doſes, nunc multùm, nunc parum, nunc nihil operatur: quod ex fermenti ſtomachalis majore vel minore acore, purgantium vegetabilium vim, in Sale volatili acri conſiſtentem, figente oriri facilè patet ex eo, quod canes, ut ſupra § 4. *cap.*1. demonſtratum, difficillimæ ſint purgationis, per medicamenta ore aſſumpta, cum teſte J. D. MAJORE, *in Chirur. Infuſ. prodrom.* gr.24. vitri Antimonii pulv. nullam dejectionem in cane produxerunt, cujus tamen vel 3. grana ſupra & infra non ſine periculoſorum ſymptomatum concurſu, noſtrum corpus exagitant, Quod autem acidum in ſtomacho canum reſideat, vel oſſium deglutitio & in ventriculo diſſolutio abundè demonſtrant: unde & purgatio per venam injecta, quia à ſtomachi acore non fuit infracta, citò & potenter in cane operatur. Simili modo ii ægri, qui melancholici, ut dicunt, ſunt temperamenti, vel melancholicis laborant affectibus, &c. h. e. in quibus acidum abundat (nam melancholia, Hippocrati eſt acidus humor) difficilis ſunt purgationis: unde & Spiritus Vitrioli, omnium purgantium vim aut imminuit, aut planè tollit. Eadem ratio eſt cum opio, cujus oleoſum volatile ſal, ab acido fixatum, omnem narcoticam & ſomniferam deponit virtutem, unde & canum vigilantia, vix ejus ingenti doſi poteſt debellari, *ut ſuprà c. l. dictum.* Hinc etiam melancholicis phantaſmatis obnoxii, ob acidum in iis abundans, præter alias cauſas, ab opio vel non vel difficulter ad ſomnum deducuntur. Venena animalium innoxiè aſſumi notum eſt, eaque ex perturbationibus oriri, *Helmontio* acutè docente, hactenus à multis creditum fuit, unde & morſu tantum lethalem inducant noxam. Sed modernorum Italorum, imprimis D. REDI. *Archiatri florentini*, experientia manifeſtat, in viperis liquorem ſalivalem in dentium veſiculis contentum, expreſſum, in quocunque liquore aſſumptum innoxium eſſe; ſin verò vulneri vel levi tantum cutis inciſuræ illinatur, ſeu ex vipera viva, ſeu ex quocunque in ſtatu, mortua fuerit deſumptus, lethum indubitatò inferre, fruſtra etiam applicato, decantato iſto ſerpentino lapide, ex pileatis ſerpentibus confecto, quod præter tract. de hac materia impreſſum ipſe Autor frequenti experientia confirmatus, mihi ſanctè affirmavit, cum aliis quibuſdam de hac materia, quæ timor abuſus hîc ſcribere prohibet. Unde & *Celſus, Venena animalium non potu ſed vulnere nocere*, ſcitè docet. Hinc & Pſylii ſecurè venenum quodcunque ex vulnere à venenato animali inflicto exſugere valent, ſed ſin levem

quandam oris habeant læſionem vel parvam exulcerationem, ſuctu iſto intoxicantur. Unde quæſo illius rei ratio petenda eſſet, niſi ſuccorum in primis viis ſtabulantium activitas, venenorum quoque eludat aliàs inſignem energiam; & quid de ſalinæ adverſus animalium venena efficacia dicatur, ſeu omnibus notum hic relinquo. Quare & ob horum ſuccorum diverſam rationem, faſtidit & non ſine ſingulari læſione aſſumit iſtud medicamentum unus, quod alius ceu Ambroſiam exoptat: licet per conſuetudinem vel longam annorum ſeriem, alteratis ſuccis iſtis, idem poſtmodum, ſine alteratione aſſumamus. Balſamum illud omnium florum *Mel. à Democrito* ad vitam longam internè maximè commendatum fuit, unde & ſenibus illud præſcribit *Aëtius*, propterque ſingulares dotes, jam pharmacopæorum magis quam coquorum ornat officinas, unde & ſunt, qui Mulſum ob ſalubritatem vino præferunt. Sed in quibuſdam propinatum mel, vel quædam mellita, ingentes ſtomachi inflationes, tormina, cordis anguſtias, aliaque hujuſmodi ſymptomata concitare videbis, quibus ſcil. à ſuccis iſtis, melli adverſantibus, tantæ excitantur efferveſcentiæ: id quod de *ſaccharo*, quod tamen cum Sole & S. P. tam elegantem conſanguinitatem fovet, in hypochondriacis ſimiliter ad oculum patet, quæ ſi de ſequiori ſint ſexu, ſuffocationis uterinæ dictæ, patiuntur turbulentias: quot è contra & quantis in ſummis deliciis poſitum eſt ſaccharum? Quibus nempè ſucci iſti blandè & Naturæ conſueto modo operantur. Ordinariæ ſanè medicorum ſunt querelæ, medicamentum propinatum uni ſalubriter, ſine fructu eſſe applicatum alteri, imò interdum noxas intuliſſe huic, quod illi panaceæ vice fuerat, iiſdemque licet conflictati fuerint ægritudinibus. Tanta ſuccorum horum in primis viis eſt vis, in alterandis partim, partim & imminuendis medicamentorum facultatibus; unde eò meritò incumbendum ſedulò, ut (in gravioribus imprimis vel contumacioribus affectibus) ſine iſtius alterationis ſuſceptione, immediatè eò portentur, ubi eorum requiritur adjumentum. Quod ſi medicamentum immediatè ſanguini permiſceatur, idem ſine ulla ſui alteratione operaturum, vix credo; unde & infuſa quædam medicamenta non immediatè, ſed certo interjecto temporis ſpatio, vires exeruere ſuas: ſed gravem illam & adeò notabilem imprimis viis nunquam experietur, unde & medicamenta, quæ canem per os non purgant, nec narcoſin inducunt, injecta tamen feliciter operantur. Cum è contra, medicamentum in primis viis jam non leviter immutatum, eandem tamen in ſanguine ſuſtinebit alterationem, quam idem immediate infuſum.

§. 5. Ad hæc dum in ſanguinea maſſa, ſpiritibus ipſis altius radicatum eſt malum, ſæviſque ſæpius & periculoſis paroxyſmis ſe prodit, longa nimis aſſumptorum eſt mora; antequam cum ſanguine commiſceantur, ut novas Naturæ ſuccumbenti ferant ſuppetias. Vix namque quæ cognitæ hactenus ſunt, poſt Oeſophagum & ſtomachi cavum. Longæ & implexæ inteſtinorum circumgyrationes, per quorum porulos in lactearum ramulos, tranſudat remedium, & exinde per glandulas ad receptaculum commune abit, unde cum lympha ex partibus inferioribus aſcendente (falſitatis enim jam ſatis convicta eſt *Bilſii* de motu roris ſententia, tum per lymphaticorum ligaturas & valvulas, à *Ruyſch* detectas, tum per J. H. PAULI *anatomen*) per communem lymphaticorum truncum ramo axillari cavæ infuſum, ad cor demum deſcendit, deferri namque aliquam contentorum in inteſtinis partem, ad hepar, experimentis nondum comprobatum eſt. Quæ medicamenti mora eò erit periculoſior, motuſque tardior, ſi medicamentum per ſe non ſit volatile ſubtile & penetrans, ſed potiùs ſit fixum, terreum, aut concretum; unde eo tardius movebitur, faciliuſque hinc inde adhæreſcendo, longiores multò moras nectet. Præterea, quaſdam ejus partes ad loca Urinaria ex meſenterio, ad uterum in gravidis, ad mammas in lactantibus abire, valdè probabile à modernis eſt redditum. Urgente E. neceſſitate debile tardumque auxilium afferunt per os aſſumpta medicamenta, quæ tamen per ſe aliàs ſatis ſunt vigoroſa.

§. 6. Sunt namque ſtupendæ medicamentorum etiam ſimplicium poteſtates, quæ in ſua ſimplicitate ſunt ſufficientes ad ſanationem omnium morborum, modò legitimè ab artifice cognitæ, ab ergaſtulis concreti, quibus ſæpè devinctæ latent liberentur, ut ad majorem operandi libertatem deductæ felicius operandi virtutes mirabiles & multifarias pandere queant. *Hoc namque certum eſt, magnam in medicamentis, quoad operandi modum, eſſe varietatem.* Non conſiderabo ſubjectum, in quod agere debent, in horas mutabilem ſtatum, de quo ſuprà, nec præparationis neceſſitatem, ſecundum quam propriæ virtutes nunc in lucem protrahuntur & exaltantur, adjunctorum concrementorum ſæpius ſepultæ ſub cortice, nunc verò valdoperè alterantur & immutantur, qua ratione chymica quamplurima, artis potius, quàm Naturæ vi Natura agunt. Sed modum ſecundum quem ſimplicia (de compoſitorum enim inutili & pompoſo apparatu nil dicam) operari videntur, quantum præſens requirit negotium, conſiderabo. In genere vero nunc *corporali agunt contactu*, hoc eſt, materiali ſuarum partium cum ſuccis noſtri corporis imprimis ſanguine connexu & miſcela nunc vero *virtuali tantum operandi virium diffuſione*, & radio veluti vel aſpectu ſui, quod occultarum vulgo qualitatum imaginariæ adſcribitur potentiæ. Hoc poſteriori qui agunt modo, eis imprimis ſuccurrunt affectibus, qui vel ab Archei emanant fonte, vel ab ejus potenti curantur Dominio, in quem virtutes ſuas exerunt vel idearum ſuarum Tincturam imprimendo, vel novam ideam exuſcitando, vel radiativa ſua vi illuminando, vel odore ſuo eum delectando & exuſcitando, vel ſub amuletorum forma inſenſibiliter influendo. Legantur ea, quæ ſolito acumine HELMONT. *tr. de verbis, herbis & lapidibus*, de Mercurio in Aqua macerato ejuſque diffuſa vi diſſerit, item de vi radiativa ſulphurum metallicorum benedictorum, utpote quibus correctis ac perfectis tota morborum cohors auſcultat (de quibus videatur *Polemann. de ſulphure Philoſoph.* ut & obſervatu digniſſima cura à SEBASTIANO BARTOLO *Pro Regis Neapolitani Medico*, anodyno ex ſulphure Veneris peracta, cujus relatio annexa proſtat ejus *tractatus Exam. dogm. Art. Medicæ*) ut & de ſingulari virtute, quam nudus contactus lapilli Bulleri olei olivarum integræ lagenæ communicavit, *tr.* BUTLER, Multa namque ſunt, quæ ſub minima mole & pondere ingentes producunt effectus, vixque deglutita ſtupendas ſubito exſerunt energias, Merito hic conſideranda venit bufonum hoc in genere magna virtus, quam externo uſu tamen præſtat, dum omnem quamcunque Hæmorrhagiam fortiter compeſcunt (quod ſimiliter umbilicus marinus ex lapidum genere cum ſalivâ ex averſa parte applicatus præſtat) & urinæ incontinentiam quamcunque etiam ex veſicæ dilaceratione ortam, corrigunt, teſte HEER. *obſerv.* 14. & repetita Anglorum experientia, perfectumque peſtis Xenoxton conſtituunt Oſſiculum ejus non dentium immanes odontalgias tantum ſedat, ſed & pulſibus infantum applicatum inſultus eorum Epilepticos ſiſtit, ex affectibus nutricis enormibus contractos. Uſnea manu detenta, ſanguinis exſecta vena impedit eruptiones. Manus longa tabe vel etiam alio morbo interempti cadaveris, ſuo contactu excreſcentias tollit, quod *Helmontius* primus docuit, & Angli aliquoties feliciter experti ſunt, uti manus mortui infantis maculas nævoſque maternos delet. Odores quid valeant, notum eſt; quis enim non obſervavit aromatum odores duntaxat guſtatorum confeſtim lypothymicos reficere, & debilitatos roborare?

unde

unde ſapiens *Democritus* odore panis vino aſperſi, labentem jam vitam ad aliquot dies ſuſtinuit: moſchata ſuffocationes excitant muliebres, quas caſtorei odor tollit, & graveolentia ſæpius ſopitas revocant Epilepſias. Sunt nempe odores, qui dolores capitis, nauſeam, vomitus, tuſſes, ſingultum, vertiginem, Epilepſiam, Apoplexiam, dyſenteriam, movent atque ſui contagio inurunt. Suntque idcirco & alii, qui conſimili modo eadem leniant; aut ſaltem mitigant, ſi radicem fixiorem habeant. Ut expertè loquitur *Helmont. Tr. Imago fermenti impregnat. maſſam ſemine.*

§.20. Non deſtituuntur quidem corporeis effluviis dolores, ſed eorum corporeitas nil facit ad hos effectus; nam quicquid agunt, odorifera inducunt impreſſione, ſæpiuſque, ſine ulla in naribus alteratione Archæum tamen afficiunt. Sic enim peſtilens odor naribus non perceptus, Archæum horrore quatit. Multa dicenda reſtarent de Amuletis, eorumque influentiis, (utut quædam ſint ex his, quæ & ſuas emittunt Aporrheas) & inſigni Jaſpidis, Æthitis, Bufonitis, Coralii, Saphyri, Hæmatitis, Perſicariæ Pæoniæ, Scrophulariæ, Vincæ Pervincæ, Sambuci è ſalice, ungulæ Alcis, Dentis Equi marini, corii ſerpentium & humani, &c. Efficacia; niſi ad alia properarem, cum omnia ea medicamenta, quæ virtualium poteſtatum agunt radio, ad Infuſoriam Chirurgiam nihil faciant, ſed potius, quamdiu optatos præſtant effectus, ejus praxin omnino excludant. Plura qui cupit elegantiſſimum citatum ſupra legat HELMONT. *tractat. Ut & ſupra citat. Tractat. Bartholi Exerc. 10.*

§.8. Ad ea ergo, quæ corporali agunt contactu, actuque ſanguini materialiter ſeſe immiſcent, me converto, eaque ſub ſaporum forma ſe nobis præcipue manifeſtare, reperio, licet & alias habeant proprietates, ſecundum quas multipliciter operari ſoleant. Saporum vero duas imprimis differentias notat HELMONT. *unum*, nempe, per quem res ſunt acres, amaræ, ſalſæ, quem ſenſit ſalium eſſe dignitates & officia: *alter* vero eſt ſpecificus, ſemini nempe appropriatus, vel ſeminalis. Medicamenta ergo, quæ ſaporum ſub forma, h. e. ſalium ſuorum virtute in nos agunt, ea contactu corporali ſuccurrunt nobis, quatenus nunc noxia, cauſas nempe occaſionales, tollunt reſolvendo, abſtergendo, exhalando, & expellendo, quæ proprietates ſalibus ſunt congruæ; nunc quatenus læſam in ſanguine fermentationem corrigunt, & emendant, quam à ſalibus ortam, Salia quoque conſervant & reſtaurant. Hinc generali vel acris vel acidi ſapore ſe contrariam vim ſalinam infringere teſtantur remedia, quatenus vero ſpecificus concurrit ſapor, ejus ſingulari coruptioni vel exalterationi in corpore ſuccurrere manifeſtant; v. g. ſub communitate acrimoniæ volatilis, ſpecificè cochlearia & naſturtium ſcorbuto, fumaria Ictero, centaurium minus febribus, cappares & fraxini cortex ſplenibus conducunt, &c. De quo *vid.* TACHENII *Hipp. Chym.* Metiri quidem caloris & frigoris gradus per ſapores nituntur ſcholæ, ceu proprietatum cunctarum opifices, ſed notanter HELMONT. diſſerit. *Tr. Diſpenſat. modernum* § 16. *Tandem & ſingulis rebus ſpecificus ſapor, qui proprietatem, deberet docere, ſi quid aliud externorum ſignorum. Eſt nempe præter acuitatem Cinamomi peculiaris gratia in ſapore, quam in ullo vix reperies ſimplici. Sic gentiana Enula campana, &c. Præter communes amarores, ſpecificum ſaporem habent, qui ſubter regulas ob ſingularitatem propriam quorumcunque ſimplicium redigi nequit, ſoluſque proprietatum ſingularum eſt accuſator & diſtinctor.* Oraculum ſane *Hippocratis lib. de veteri medic. apte* inculcat, *non calidum, frigidum, humidum, aut ſiccum eſſe, quod magnam agendi vim habeat, verum amarum & ſalſum & dulce & acidum & inſipidum & acerbum, quæ contemperata nulla moleſtia nos afficiant,* dum vero ſecreta per ſe extiterint, nobis nocent. Quæ omnes ſaporum ſaliumvè ſunt proprietates. Quid mirum ergo erit, ſi contrariorum Specificorumque ſaporum potentiis curentur, à ſalibus & ſaporibus inducta mala? Rem in animalium & vegetabilium familia ſe ita habere apertum eſt, in mineralibus quamplurimis, imprimis quæ de ſalium aut ſunt proſapia, aut ipſis cognata probatione quoque non eget. In metallicis paulo difficilius videtur negotium, ſed multa ex his imprimis fixa & quaſi terreſtria ad ſalium claſſem revocari poſſunt, dum lixivialium fere imitantur naturam, acidum quodvis p. n. abſorbendo & ſudores pariter ac urinas ſic provocando. Sed majora ex iis parata arcana ſeparatione precioſi nuclei à duro concreti cortice, *ſunt vera ſpecula lucentia, quæ ita vim habent penetrandi, illuminandique Archæum, à ſuis erroribus, furoribus, atque defectibus, quod illum reſtituant in nitorem Tincturæ totalis perfectionis, ut loquitur* HELMONT. *cit. loco*, de quibus nihil impræſentiarum eſt, quod dicam, cum iis inſtructus non opus habeat Chirurgia infuſoria, cum illorum vis & operandi promptitudo ſufficienter Medicum nobilitet ſpeique ægri abunde ſatisfaciat.

§ 9. Cæterum in medicandi virtute, ex ſalibus, volatilia cæteris palmam præripiunt, ſive in nativis exiſtentia ingerantur cum cæteris concreti partibus miſta, ſive quod melius ab iis ſeparata per Chymica artificia, forſan & alterata ſeorſim applicentur ſulphura ſane & ipſa, & quæ eis cognatæ ſunt naturæ multa præſtant, ſed ipſa ut plurimum etiam ſalibus maritata reperiuntur, vel iis ſaltem amice admodum ſe jungunt. Jungunt ſeſe ſane libentiſſimè alkalibus, tam fixis artificialibus, quam volatilibus naturalibus, ſubtili mediante acido, quod in ſe gerunt, ſicque volatilium potentias partim temperant moderatè, partim quodammodo exultant, ipſaque ſub nativa ſua pinguedine digeſtioni noſtræ reluctantia, connubio iſtorum nobis fiunt magis appropriata. Præprimis alkalia fixa, quæ ſulphuris, h. e. acidi obſcuri cum volatili fiunt colliquatione volatiliſentur magnorum pharmacorum adæquant poteſtates. *Quippe vi inciſionis, reſolutionis, & abſterſionis, delata ad limen uſque quartæ digeſtionis tenacitatem coagulatorem in vaſis fundamentaliter tollunt*, atteſtante id *Helmontio*, inter quæ alkali Tartari volatiliſatum præeminet, dum ad ſuccedaneas liquoris Alkaeſt dignitates accedat. Quod ſi alkalibus iſtis adjungantur olea Deſtillata propria, debitaque circulatione abeant in Elixiria parva mirabilia, (ut ea vocat TACHENIUS *pag.* 37. & 155.) efficient in magnis morbis, quod de illis ſperatur, dum ſeſe in prima noſtra conſtitutiva ingerunt, de quibus videatur HELMONT. *Tria Chymicorum principia, &c.* §.84. Quorum cum non unuſquiſque poſſit eſſe poſſeſſor, imprimis cum præter occultam digeſtionem etiam ſingularis vaſorum apparatus à quibuſdam requiratur, quæ duo ſane tam ad fixandum quam volatiliſandum plurimum præſtant, à modernis ceu ſuccedaneum ſubſtituitur Sal volatile, ut vocant, oleoſum ſeu aromaticum, in quibus partes aromatum volatiles oleoſæ, vel eorum plantarumque aromaticarum olea Deſtillata, beneficio Spirit. Vin. Sali volatili Ammoniaci juncta non contemnenda in quamplurimis affectibus exhibent remedia. Sed ut ad ſcopum jam redeam, & de utilitate Chirurgiæ Infuſoriæ quædam diſſeram, ſuccedit in

CAPUT III.

Concluſionum de Chirurgiæ Infuſoriæ uſu Explicatio.

§.1. TOtum negotium, quod de Chirurgia infuſoria adhuc viget, eſt de ejus uſu, quem medicando præſtare valeat, quibus ſcilicet in morbis conveniat, & quiſnam liquor ſit infundendus; Prioris

deciſio eſt facilior longe poſterioris determinatione, cum nondum experientia ſatis demonſtratum ſit, quid quodlibet medicamentum immediato ſui contactu in ſanguine agat, ut taceam ipſius ſanguinei liquoris obſcuram adhuc valde craſin. Nihilominus tamen paucis concluſionibus animi ſenſus, idque generaliori ſaltem diſcurſu prodam, ſalvo interim aliter, & rectius forte, ſentientium judicio.

Conclusio I.

Chirurgia Infuſoria legitime adminiſtrata per ſe ſemper eſt utilis, interdum etiam neceſſaria, ſed debito tempore applicanda eſt.

§.1. Applicatur eo ſcil. fine, ut *cito & potenter operetur*, hoc eſt, defectibus noſtris ſuccurrat medicamentum, ut ſupra *cap.*1. §.8. dictum. Qui ſcopus per ſe ſalutaris & exoptatiſſimus, eſt. Quod ſi obſerventur neceſſariæ conditiones, & debitæ circumſtantiæ, tam ratione ægri, quam ratione medicamenti, quibus nempe in morbis, & quo medicamenti genere, quavè doſi, &c. Conveniat, non poteſt non emergere exinde ſperata utilitas, & per ſe nihil evenire mali. Quod ut de omnibus in genere medicamentis verum eſt, ita quoque de infuſione valet.

§.2. Contingit vero interdum, ut & neceſſaria videatur infuſionis celebratio. Cogitemus enim ægrum cui vel ex paralyſi vel etiam convulſione muſculorum & fibrarum nervearum œſophagi, omnis ablata eſt deglutiendi quicquam potentia, tam inquam extra Apoplecticos aut Epilepticos vel uterinos inſultus: vel cui ex vaporibus Vitriolaceis & ſtipticis in hypochondriaco & ſcorbutico affectu, loquela (id quod in JCto quodam obſervavit *deſideratiſſ. D. Michaël.*) & ſimul deglutiendi facultas auffertur, id quod etiam ex infuſo radicis Symphiti majoris epoto fieri, obſervavit HECHSTETERUS *Decad.* 3. *cap.* 5. Vel obſervemus, quando fauces præcluſæ ſunt, aut tonſillarum tumore aut partium vicinarum imprimis laryngis & œſophagi muſculorum inflammatione in angina: in qua vel pro aëris tranſitu, interdum arteria aſpera in Laringothomia perforatur. Et poſito eſſe apertas fauces, tantus tamen horror ſæpius invadit ægrum, ex aſpectu ſolo remedii, ut quodcunque potius patiatur malum, antequam vel tantillum ſuaveolentis licet & inſipidi deguſtet medicamenti, ob id tantum, quod pharmacopæam oleat, in quibus etiam iſto horrore adeo ligatum eſt ſæpius ventriculi orificium, ut nihil omnino admittat, dicto citius denuo ſuperiora verſus rejiciat. Familiare quam plurimis in morbis eſt ſymptoma obſtinatus vomitus, ut quicquid ingeritur, in momento denuo emittatur. Quid dicam de Lienteria, in qua omnia aſſumpta & ſic etiam medicamenta ſicut deglutita ſunt brevi poſt per alvum excluduntur; Aut cœliaco affectu, in quo aſſumpta in ventriculo alterata quidem ſine ulla tamen heterogenei ab eo, quod Homogeneum nobis eſt ſeparatione, & per vaſa in corpus diſtributione egeruntur, vitio vel ductus, per quem bilioſus pancreaticuſque ſucci deſtillant in inteſtina obſtructi, vel ob infarctos vaſorum lacteorum, à muco pituitave viſcida illa, copioſiore & craſſiore, qua ordinario inteſtinorum parietes oblinuntur. Forſan & D. MAJORIS ſuſpicio locum habet, dum ex adſtrictione oſcultorum vaſorum in inteſtina hiantium, vi medicamenti acidi & Vitriol. diſtributionem medicamenti omnem impediri aſſerit. His ſimilibuſve in caſibus ſi malum urgeat, externa vero remedia ſint nimis imbecillia, ut interna, (quod frequentiſſime obvenit, idque ob alterationes, quas ſuſcipiunt in primis viis, vide *ſupra cap.*2. §.4.) quid tentare aliud poteris, niſi Infuſoriam Chirurgiam? vel ſi omnibus aliis fruſtra tentatis ad extrema perventum ſit, ita tamen, ut nondum mors fores pulſet, nihil tamen appareat, quod fieri debite poſſit, uno verbo, ſi pro deplorato habeatur æger: ne eum relinquas, extrema potius tentes in extremis, unde chirurgia hæc tunc maxime neceſſaria erit. Recte enim FRACASSATUS *cit. ſupr. loco p.*425. *deploratos eam reſpicere morbos*, aſſerit.

§.3. Sed dum adhiberi debet, obſervandus eſt imprimis temporis articulus. Occaſio nempe eſt præceps, Autore HIPPOCRATE *ſect.*1. *Aph.*1. qua ſemel elapſa à poſteriori eam ob ejus calvitiem nunquam deprehendere. Hæc ut omnis medicationis conſtituit animam, ita in ſpecie in generoſiorum medicamentorum uſu, ad quæ & Chirurgicæ infuſiones pertinent, ſtrictiſſime obſervanda venit. Si ante conveniens tempus eam adminiſtras, quid aliud agis, quam quod naturam turbas & perturbas, fermentationemque acriorem & vehementiorem efficis, naturamque adeo non leviter proſternis. Sin, elapſo convenienti momento, tardius advenias, naturæ jam ſuccumbenti fruſtra manum porrigis, quam apprehendere nequit, Archæumque fruſtra exſuſcitari ſtudes jam ſopitum. Non ergo in agonizantibus conveniens ejus eſt uſus quocunque in ſtatu ſit negotium, niſi ſub agonis vocatus ſis extremitate, & tunc nonniſi prognoſtico bene munitus, negotium aggrediatis. Neceſſitatis tempore ergo in agonizante eam celebres, non vero tempore commoditatis ſeu electionis, quando ſcil. adhuc deliberare potes, quid factu opus ſit. Quid enim facies in agone, ubi natura jam proſtrata & non cooperante, fruſtra ſunt omnia, Fermentatione ſanguinis jam vere abolita, aut ob nimiam ejus diſſolutionem ex abundantia alkali ſeu volatilis, vel nimiam coagulationem ab acido peregrino, vel nimiam craſſitiem ex defectu diluentis ſeri, qua ratione novam ſuſcitabis fermentationem ſcilicet vitalem, ubi liquor eſt ineptus ad ejus ſuſceptionem: aut ſi fiat motus in ſanguine renovatus, hoſtilis potius erit efferveſcentia, quam debita, & ſub Archæi Dominio gubernata fermentatio. Et dum jam in labiis extremis reſidet diffugiens vita, qua ratione certus es eam operationis expectaturam ſucceſſum. Ut taceam diffamari ſic injuſtè generoſi remedii potentiam, non ſecus, ac abdominis hydropici paracentheſis, ob tardam nimis, quod fere ſemper uſu venit, adminiſtrationem, apud multos in infamiam, apud quamplurimos in deſuetudinem abiit, teſtantibus hoc graviſſimis Autoribus. In tempore ergo infunde; Niſi agonizantis vocem latius extendere velimus, eoſque pro talibus habere, in quibus multa egregia remedia fruſtra jam adhibita, dubiam ad minimum faciunt ſpem modo non exitium futurum prænuncient, quo ſenſu aliquo modo tolerari poteſt in agonizante infuſio. Temporis autem ut obſervetur conveniens momentum, diſtinctionis morborum in acutos & Chronicos habeatur ratio. De Chronicis utpote inducias dantibus & longa mora ſævientibus res eſt facilis, eos non depoſcere infuſionem, nec in principio, nec incremento, ſed tantum maturo in ſtatu, dum uſitatis & canonicis incaſſum adhibitis remediis, malum ob id non tam remittat, quàm in dies magis ſæviat, tunc ſine periculo fieri poteſt ſine mora fieri debet infuſio. Quod ſi paroxyſmorum habeant viciſſitudines hujuſmodi affectus, iique ſint truculentiores, nec facile aliis ſuccumbant armis, non obſtat ſane, ubi ſymptomata urgent, in principio vel incremento paroxyſmi particulari, inſtituere infuſionem, pro tollendo ſymptomatum impetu, licet forſan incrementum morbi vel principium ſit univerſale. Sunt namque hujuſmodi paroxyſmorum viciſſitudines veluti morborum acutorum particularium, in Chronico univerſali intervenientium intervalla, quæ violento impetu & ingentibus ſymptomatis urget celer ſimulque potens remedium. Quod ſi morbi ſint acuti, in his certè vel quodlibet temporis momentum eſt admodum pretioſum. Fermentationis tamen in ſanguine in his habeas rationem obſervando, an ea ſit talis, quæ Præcipitando heterogeneas

terogeneas fæces inſtar Tart. in vino (quod coquere vocarunt majores noſtri) aliquando earum totalem ſpondeat excluſionem per Criſin ſeu ſint excernendo ſeu tranſponendo in Abſceſſum. Negligere equidem bonus Medicus Criſin debet, quia anticipare, ſed ſi hoc non factum ſit, vel fieri non potuerit, naturam ne turbes infundendo, ſed ſpectatorem agas ſedulum ejuſdem actionis, ſimulque miniſtrum providum ejuſdem indigentiæ. Quod ſi nil horum appareat, & dubio marte adhuc ferveat pugna, naturam inter & morbum, cum ordinaria, ut aliaſque ſalubria non profuerint remedia, ſicque vix aliquid boni ominari queat Medicus, res licet videatur hic periculoſæ aleæ plena, cum per ſe incertæ hoc in caſu ſint prædictiones vitæ & mortis, tamen in ſtatu morbi infundere potes, vel ut adjuves naturæ potentiam velut infringas morbi ſævitiam: Imò interdum & debes, ſi ſcil. ſigna jam ſe manifeſtare incipiant vacillantis & nutantis naturæ. Intermiſſo convenienti hoc tempore, ſi natura ſuccumbat, vereor ne fruſtra poſt feſtum accedas, & dilates potius ad unum diem mortis fatales terminos infundendo, quam eos ad annos aliquot feliciter & exoptatò extendas.

Concluſio II.

Liquor infundendus pro vario ſcopo eſt variandus, pro cæteris tamen ſalinus volatilis temperatus ſeu oleoſus videtur utilis, & hinc opiatus.

§.1. Reſpondeat ex Diametro affectui medicamentum, ut ille ergò eſt multiplex & varius, ita & hoc. In genere tantum univerſalia conſideremus, purgantia nempè, diuretica & ſudorifera, confortantia, ad quæ pertinent & opiata, & quæ ex his commode infundi poſſint, ponderemus.

§ 2. Purgantia quod attinet, ad quæ & vomitoria pertinent, cum majoris & minoris activitatis ratione tantùm differre videantur, ea commodè infundi poſſe, & cum ægri Euphoria, non videtur veriſimile. Sunt namque ferè omnia propriè ſic dicta purgantia, ob malignitatis notam ſuſpecta, obque id parva vel mitiora quibuſdam audiunt venena. Fermentando nempè reſolvunt, & reſoluta ſeu colliquefacta putrefaciunt, idque promiſcuè tam vitales ſuccos, quam nociva excrementa. Unde & æqualiter tam in ægrum quam ſanum ferociunt. Hincque virium lapſus, genuum tremor, faciei macies, & oculorum decidentia, purgationum vim ſequuntur, licet per os ingerantur, indeque ſuccorum in primis viis ſtabulantium experiantur prius alterativam vim; de quo videatur HELMONT *tr. poteſtas medicam.* §.33. *& de febribus cap.* 5. & ANDR. KNEPHELII *Method. Medendi Febrib. Epidem & peſtilentialib.* Quod ſi ergò immediatè infundantur venis, quas non turbas dabunt toti corpori, unde & canes per medicamenta purgantia infuſa, quæ per os eos nil movent, non ſine gravi & periculoſo ſanguinis motu, indeque gravibus ſymptomatibus, purgantur, imo per Antimonialia vitam & excrementa ſimul evomunt; quid non fiet ergò imbecilliori corporis noſtri machina. Hinc namque purgantia non adeò violenta, minute doſi infuſa, homini vomitus induxerunt, ut ex experimentis Dantiſcanis ſupra *cap.*1. §.5. apparet. Corrigi poſſunt purgantia, non quidem per pallium aromaticum, ut communiter, ſed ridiculè, contingit, neque per acida, quæ eadem caſtrant, ſed per artificioſam fermentationem. Verum cum natura inferiores abdominis latebras excrementorum ſeparationi deſtinaverit, quidni ejuſdem ſequamur ductum, & per os ad inferiora mittamus ea, quæ per inferiora purgare, aut immediatè ex ſtomacho vel inteſtinis evacuare debent, cum tutius longè & jucundius fieri poſſit.

§.3. Diuretica quod attinet, in eorum uſu imprimis diſtinguenda *urina potus ab urina ſanguinis.* Illa enim, cum ex primis viis ante Chymicum ſanguine permiſtionem ſecernatur, ut multa id admodum probabiliter perſuadent, ad ejus excretionem infuſio in venam facta, omninò erit fruſtranea. Quod attinet ſanguinis urinam, per infuſionem ſanguinem ita diſponi poſſe, ut facilior ſeroſi laticis in renibus fiat ſecretio, idque beneficio injectionis liquoris nitroſi volatilis, nullus equidem dubito, cum & communia ſudorifera, quæ ſanguinem fundunt & attenuant, niſi per poros cutis excerni queat ſerum, per urinam copioſam ejus exitum promoveant. Sed in morbis, ubi neceſſaria eſt urinæ provocatio, diuretica communia per os aſſumpta omninò ſatisfaciunt ſcopo, & cum in iſtis affectibus nulla ſit urgentia, commodeque reperi queat diureticorum propinatio non opus videtur fruſtra ad generoſum hoc confugere remedium; cum ex diuretico infuſo tam citò ſudor quam urinæ fluxus excitari poſſit.

§.4. Sudorifera autem ſunt quæ commodè infundi poſſunt, quando vel aſſumi nequeunt, vel ſine ſperato ſucceſſu aſſumpta fuerint; Cumque ea, quæ per ſe ſudoriferam vim obtinent, ſubtilium & tenuium ſint partium, h. e. omnia ſint volatilia, & in ſpecie, Salina, ſanè commodè ſine ſanguinis ſimiliter Salini volatilis noxa infundi poſſunt. Ut namque acidum ſudoris inhibet excluſionem; coagulando ſanguineam maſſam, unde & nimios ſudores, quæcunque acida fixa feliciter refrænant (niſi acida perfectè ſunt volatilia, quo in caſu potiùs ſubtiliſant, quam condenſant ipſa:) ita è contra omnia ea, quæ acidum abſorbent & præcipitant, tam fixa, quam volatilia, dum fluidam & tenuem reddunt eandem, denuò ſudorem inducunt; Cum grano Salis tamen hæc accipienda ſunt; nam licet revera res ita ſe habeat, nimia tamen ſanguinis diſſolutio, h. e. debitæ conſiſtentiæ defectus ex alkali abundantia, (ut ex ol. Tart. infuſo, patet in cane,) non leve etiam ſudori infert impedimentum, non minus, quam ſanguinis p. n. efferveſcentia & ebullitio, quarum illa in ſtatu lethali, hæc in principio ardentium, forſan & malignarum reperitur, & iſto in caſu incaſſum propinantur diaphoretica. In his E. caſibus diaphoreticis vol. optimo jure adduntur acida, quæ debitam ſanguinis reſtituunt & conſiſtentiam, & ſimul quoque efferveſcentiæ impetum præcipitando refrænant, unde ſpiritui camphorato theriacali volatili nervosè adjungitur in *diaphoretico in peracutis*, Tincturaque bezoardica *D. Mich.* Sp. Vitriol. acidus. Quod ipſum medicamentum an commodè infundi poſſit, dubito, metu coagulationis ſanguinis à Sp. Vitr. Sed hæc obiter. Per ſe ſunt tantum volatilia Salina, quæ inducunt ſudores, commendatque ob id *D. D. Major.* Spir. Sal. Ammoniaci ad ʒß. puriſſimum illud alkali volatile, cui nihil omninò ol. adhæret, ut in Spiritu C. C. ſanguini human. &c. Contingit, ipſique addendum ſuadet Spiritus Vini camphorati ʒj. cujus uſum equidem non diſſuadeo; ubi extinctus propemodum cum ſanguinis fermentatione calor denuò exuſcitandus, ut eo facilius ſudor ſequatur. Sed ſi ſe mutuo coagulent hi duo Spiritus, quod vereor, artificioſa antè inſtituta digeſtione unita, ejus mandato cum ʒiiß. Aquæ cujuſdam fortioris infundi poſſunt: Vel conjungatur beneficio Spirit. Vin. cum ol. *peſtilentiali Heniſii* ex camphora, ſuccino, citro, Spiritus Sal. Ammoniaci, in Spir. Salinum oleoſum, & ejus ʒj. vel plus, minus pro ratione ægri & morbi vel cum vel ſine vehiculo, infuſa non contemnendum adminiſtrabit ſudoriferum. C. C. quid valeat, lippis & tonſorib. notum, imprimis in malignis, cum totus Cervus ſit alexipharmacus, hujus E. Spiritus, Sale ſuo probè eſſentificatus, ut dicunt, camphoræque certa quantitate per reiteratas rationes maritatus, excellens contra malignas præbet ſudoriferum, non ſine fructu ad ℈ij. vol. ʒj. infundendum. Eſt enim in Camphora ſingularis vis

contra

contra malitioſarum febrium ſævitiem, unde & omnibus medicamentis admiſcendam eſſe jubent Practici. Alia etiam ſalia volatilia pro ſudore ciendo, commodè injici poſſunt, ex ſanguine ſcil. humano & cervino, in ſpecie ex Viperis & ſerpentibus, quarum balſamica vis, Naturæ noſtræ amiciſſima: quorum Salium vis, non tantum pro ſudore ciendo, ſed & pro aliis ſcopis ſatisfaciendis, creberrimè in uſu eſt, ut inferius patebit. De doſi hoc in genere moneo, circa eandem experientiam eſſe conſulendam, quæ ut omnium aliorum medicamentorum prima docuit doſin & confirmavit, ita etiam, quoad infundendorum quantitatem, ea ſola magiſtra erit, & per crebrius repetitas injectiones, quantum injiciendum monſtrabit; Quo autem tutò fieri poſſit experientia, à parva doſi incipiendo, ſenſim progrediendum, donec quid valeant ægrorum humeri, quid ferre recuſent innoteſcat. Quâ cognita poſtmodum eadem pro ratione virium ægri impetus morbi neceſſitatis, ipſiusque liquoris virtutis, varianda venit.

§ 5. Ad Confortantia me confero, quæ licet ratò adhibenda videantur, cum vel per os aſſumpta ſpirituoſa, vel etiam odorifera ſæpe ſufficiant, nihilominus conſiderationem merentur. Sunt autem talia injicienda, quæ ſpiritus ſuſcitare & vegetos reddere, vel ſaltem ipſis, ceu aliquo modo conſanguinea, facilè ſe jungere poſſunt. Simulque ſanguinis æquabilem fermentationem conſervare valent. *Cinnamomum* hîc omnibus palmam præripere videtur, ut & *ambra*; hæc duo enim ſingulare quid præ ſe ferunt, licet poſterioris natales, ſint obſcuri, modernorum tamen, imprimis Anglorum obſervationes, eam cum ſpermate ceti balænarum eſſe fructus, illamque in inteſtinis, hoc verò in cerebro reperiri, ferè confirmant. Sulphurea ſpirituoſa Salinis volatilibus juncta hic convenient, unde Sal volatile oleoſum DN. SYLVII, (quod per os aſſumptum etiam mirabiles monſtrat vires) hic futurum eſſet egregium, aliaque huic ſimilia, de quibus ſupra *cap.* 2. §. 9 imprimis cum & ex cinamomo parata. Hæc namque & fermentationi ſanguinis & Spirituum robori egregiè conducunt. Ad pura ſulphur. magis inclinat *Marchius*, ante Spirit. Vin. ſubtiliſſimum mere ſulphureum, ab omni Salina acredine liberatum, cum olei vel roſarum vel cinamomi & tantillo camphoræ junctum, præfert, ipſi tamen, ſi commodè fieri poſſit, aliquid Spirit. Sal. Ammoniaci adjiciendum putat. *Vid.* MAJOR. *chir. infuſ. p.* 77. Reſtaurativus D. SACHSII liquor, Salino-volatilis ſanè non contemnendus ex Spirit. ſcil. cinnamomi cum oleo deſtillato ſuccini juniper. Sale volat. C. C. &c. Artificioſè junctis. Eſt etiam egregia ambræ Eſſ. cum Spirit. roſar. parata, ſanguinis rubineam tincturam exactè referens, vel Spirit. roſar. ambratus ex ambabus fermentationis adjumento paratus, niſi nimia quædam exæſtuatio in ſanguine metuenda. Unde miſtione cum ſale quodam volatili aliquo modo temperentur, tunc enim ſub moderata doſi de felici ſucceſſu non deſperarem.

§. 6. Ad confortantia quæ ſpiritus exſuſcitant proſtratos & languentes, ea etiam pertinent, quæ Spiritus impetuoſo motu ferocientes, & tantum non furentes, ſopiunt, eorumque periculoſum impetum compeſcunt, *opium* nempe & quæ ex eo procedunt medicamenta. Magnum namque ſæpius ægro imminet periculum ex ferocia iſta Spiritus qua gubernacula vitæ deſerens, omnia conturbat, de quo ſupra §. 3. *cap.* 2. locuti ſumus, qui exinde dubiæ ſpei eventus, partim prænuncius, partim cauſa exiſtit. Hos fluctus quod ſedat, has furias quod, placeat, magni remedii meritò obtinet nomen & hoc eſt *opium*, quod quicquid agit, unicè motum Spiritus ſedando agere videtur. Hinc namque dolorum remiſſio, hinc ſuavis quies, omniſque ferocis motus optata ſedatio unde & turgeſcentia materiæ peccantis, orgaſmuſque humorum facilè deſinunt. Quas vires quo modo exequantur, opiata, hoc in loco non attinet dicere, ſunt, qui dicunt probabiliter, figere eadem Spiritus, hoc eſt, condenſare eoſdem: & certo modo coagulare, unde mobilitas, indeque facillima cujuſcunque objecti impreſſionis receptio ſupprimuntur. Multi ſunt, apud quos maximi medendi Arcani locum tenet ſomni vel quietis in acutis productio; hinc namque dolores vigiliæque urgentia aliàs, & ob Spirituum gravem jacturam multum debilitantia ſymptomata ſopiuntur, omneſque corporis noſtri ſucci, qui vigiliis exaſperantur, ſopore inducto blandè temperantur, unde omnium vel graviorum ſaltem ſymptomatum remiſſio efferveſcentiæque imminutio, unde mox coctionis clariora ſigna ſe produnt, facta quadam præcipitando utilis ab inutili ſeparatione, quæ ante ob omnimodam ſanguinis perturbationem erant vel nulla vel ſaltem levia. Hinc facilior præcedente tempore vel fit Criſis, vel artificialis aut per ſudores aut per urinas materiæ coctæ ſeu præcipitatæ ſecretio Spiritibus quoque quietitatis, in ordinem quodammodo redit microcoſmi turbata antea reſpublica, dum rector ſupremus furore placato, id quod ſuarum eſt partium, denuò obſervat, quæ omnia legitimum opii uſum facilè ſequuntur. In febribus ardentibus, ut & malignis ſane quamplurima præſtant, teſte experientia & JOHANNE DANIEL HORST. *in judicio d. Chir. Infuſ. p.* 83. Inter alia hæc ejus nota digna ſunt verba: *opiatorum ſulphur. à quo ſpirituum motus efferos & conciatoris ſanguinis turbas frenandi, domandi, & ſopiendi vim obtinet, feliciter deſideratum ſudorem conciliat, &c.* & paulo poſt, *opium eſt ſummum ſudoriferum Venerem inſuper excitat, ſpiritus congregat, & ita roborat, ut inſurgant in quemcunque morbum.* Purgantibus certè additum, vel præmiſſum eorum virulentiam corrigit, cum ambra miſtum à multis pro ſecreto habetur Venereo. Unde & *Indi* communiter pro virium reſtaurativo ſingulari habent, ſicut revera eſt in calidioribus regionibus (*vid.* BONTIUS *Animadverſ. in Gratiam ab Orto in cap.* 4. *p.* 3.) & ut eo melius placeant ſuis fœmellis in concubitu, quibus non tam repetitus quàm una vice continuatus placet actus, antea opio, ceu peculiari armatura ſe muniunt.

§. 7. Sed non ſine ratione quamplurimi metuunt in opio ſulphur. quoddam pravum, ſylveſtre, & narcoticum quod ita reverà eſſe, nemo eſt, qui dubitet; ſed ut huic occurratur neceſſitati, obſervandum, meconium potiùs eſſe, quam verum opium, quod ſulphur. iſto deleterio ſit impregnatum, ob cruditatem ſuam. Sed cum rara avis in noſtris terris ſit opium verum, meconium ejus loco debito modo eſt corrigendum, ſed non per *rorem majalem*, hæc enim correctio parum plus præſtat, quam quod opium ſuperficialiter tantùm depuret, nec per Spirit. Vin. hæc enim deleteriæ qualitatis eſt potiùs exaltatio. Nec per acida, hæc enim eſt opii caſtratio, cum ejus vis in ſale volatili oleoſo conſiſtens acidis iſtis multum infringatur, potiùs *Sale alkali fixo imprimis Tart. cum therebinthina* debita ejus fiat per digeſtionem correctio, ſic namque opium tutum & mirabile in magnis quoque morbis fit remedium, hinc notanter loquitur HELMONT. *Tr. jus duumviratus* §. 31. *Sopores tam morboſi quam artificiales ſive opiatorum optimè debellantur per lixivia, &c.* Sicut alias etiam vitriol. Tart. legitimus purgantium eſt corrector. Optima omnium eſt correctio, quæ per artificialem fit fermentationem cum ſucco quodam ſtomachico, quo opium ſic correctum abit in remedium anodynum, ſine Narcoſi, & cujus x. grana non plus vel minus proſunt aut nocent quam xxx. Hoc modo præparatum celebratum apud doctiores quoſdam exteros, eſt remedium, ſuntque qui pro HELMONTII Laudano habent opiato, de quo nempe *tr. citat* §. 64. dicat, *felix æger, cujus auxiliator Medicus novit lethalia è papavere ſeparare, retento auxilio*

(excitatore

excitatore poteſtatis in duumviratu. Hujus ultimo modo correcti opii, tam liquida quam ſolida ſub forma, conveniens doſis ad viij vel x. grana cum ſ. q. Aqu. cinam. infuſa nobilitabunt Medicum, qui legitimum ejus noverit uſum, ſic namque & citius, quoniam ſæpiſſimè periculum in mora, & potentius, quoniam nulla imprimis viis ejus fit alteratio, operabitur, de quo ſuperius *cap.* 2. § 4. ſunt equidem adepti, qui ſulph. Veneris anodynum jactitant, (*cujus oleum elementum ignis Veneris vocat.* HELMONTIUS (& quo egregiam iſtam curam peregit BARTOLUS, de qua ſupra *cap.* 2. § 6. locutus ſum, de cujus veritate nullus dubito, cum ſciam, Aquilam albam ex Venere primum ens elicere, eoque in Crocei coloris habitum ſe veſtire, unde egregiam ſtomachicam anodinam & antiquartiam vim acquirit, cæteras ut taceam operandi virtutes. Cæterùm cum non omnibus liceat adire Corinthum, indeque ſulphur illud Veneris accerſere, opio interea nos contentare poterimus.

§. 8. Sed quod ſuperiore incluſione incalcaverim, temporis vel maximè habendam eſſe rationem, pro inſtituēda infuſione, imprimis & in opii injectione obſervandum. In genere namque adhibendi tempus opiata, in acutis *eſt morbi incrementum*, demonſtrante *id Ballonio lib.* 1. *conſil.* 65 *p.* 79. *Et Lindenio in Colleg. privato ſupra Hartman. prax. Chymiatricam cap. de anodynis, non principium*, ubi nullus eorum eſt uſus, non ſtatus ubi vel impedies Criſin, ſi morbi eventus eſt ſalutaris, vel fruſtra adhibes opium, ubi inclinante ad mortem ægro, Spiritus oppreſſi & proſtrati, ulterius non ſunt ſopiendi; ſed potiùs excitandi: ne languori eorum ſuperinducta artificialis quies, ad perpetuam quietem ægrum deducat. Fiat ergo opii infuſio, non quod ſupra innui, in ſtatu, ſed vel ſine principii vel incremento morbi, ſi per os opium vel aſſumi non valeat, vel aſſumptum nil proficiat, ut furore Archæi aliquantiſper ſopito, hic expeditius id, quod agendum ſit, agat, pro conſervatione œconomiæ vitalis, & perficiat.

CONCLUSIO III.

In affectibus ſubitaneis hincque peracutis nil promptius auxiliari poſſe videtur infuſione v. g. in Syncope & cordis palpitatione, Apoplexia, vertigine tenebricoſa, & Epileptico inſultu graviori.

§. 1. Turbam in medium produco omnibus terrificam, ægro ſæpiſſimè fatalem, quæ ut inopinata eum ſæpius aggreditur violentia, ita citiſſima juguleт ſtrage. Advolet ergò Medicus & quidem generoſiſſimis inſtructus armis. Multa hic præſtant odores, ex volatilibus elevati oleis de quibus *ſupr.* §. 6. *cap.* 2. Spiritus volatiles ardentes, in os injecti, ſalini volatiles immiſſi, juncti in ſalia volatilia oleoſa, tantùm non miracula interdum præſtant, dum Spiritus noſtros, ordinaria non expectata in primis viis alteratione, dicto citiùs interdum exuſcitant ſopitos, vel revocant abeuntes, de quo videatur HORSTIUS *judic. ſed chir. infuſ. p.* 76. & 77. & *ſupra, citato loco.* Unde hæc omnia tentanda prius, antequam ad generoſiora abeamus remedia. Sed quid? Si ægro hæc per os infundi non poſſunt, vel tarde nimis operentur, vel æger horum ope non reſtituatur, ſi ſingulis momentis expectetur fatum, ſi metus, ne nunc ſyncope extinguatur, nunc apoplexia vel Epilepſia ſuffocetur. Hic nec timidum ſe præſtet Medicus, licet graviora ſint mala ſicut nec tumidum ſe exhibeat in levioribus. Occaſione potius agendi arrepta, intrepidè infundat, ut generoſè curet.

§. 2. Syncope ſanè, quæ Microcoſmi eſt Ecclipſis, ob ſpirituum luminoſitatem, indeque eorum iradiativam vim tunc ferè extinctam, quamplurimas agnoſcit cauſas, in ſpecie tamen, quando imprimis infuſionem poſtulare videtur, ejus origo, eſt *vel ex nimia ſanguinis diſſolutione*, unde Spiritus, dum non generantur copioſe, interea exhalant, *vel ex nimia ejus coagulatione*, unde iidem violenter opprimuntur. Illud ardentibus in febribus malignis quæ ſæpè uſu venit, hoc in illa ſyncopis ſpecie, quam cardiacam nonulli vocant, & ſæpius cum apoplexia confunditur, ſi ſit gravior (vid. HOFFMAN. *in Inſtit. Med. & idem eleganter explicat Lindenius Collog. in Hartman. cap.* 11.) Lævior verò ſi ſit, catarrhi ſuffocativi nomine venit, ab ignaro vulgo, item quæ in hypochondriacis ſuffocationibus &c. evenit: hujus cauſa eſt ſanguinis in præcordiis periculoſa ſtagnatio, ex acido exceſſivo ab inferioribus partibus allato, imprimis à pancreatis acido nimis vel auſtero ſucco, ſanguini infuſo. oborta. Eaque infundēdo veniunt hoc in puncto cum eis conveniunt, quæ ſuprà *concluſ.* 2. §. 5. retuli, ex *cinnamomo* imprimis & *ambra* parata, hac tamen cautela adhibita, ut in priori caſu ſanguinis ſcil. nimia diſſolutione, ſulphureis & Spirituoſis, moderatè acida, ſed volatilia fixa enim nimis periculosè coagulant) addantur, quò ſanguini debita reſtituta conſiſtentia, deficiens ejus redeat fermentatio, Spiritusque vitales de novo ſuſcitentur & retineantur, unde acetum ex vino generoſo cum Spirit. Vin. volatiliſatum, Aquæ cinamom. vel ſpiritui roſarum ambrato additum, forte ex uſu foret: vel acidus volatilis tamen viridis æris Spiritus, ſine Aceti additione præparatus, & ſi opus ſit Spirit. Vin. ulterius mediante digeſtione temperatus, tum modo dicto ex uſu erit.

§. 3. In poſteriori verò caſu, ſanguinis nempè coagulo, medicamenta magis ſint ſalina volatilia, ut acidum corrigant & ſanguinem celeriter diſſolvant, quorum hinc inde ſufficiens facta enarratio, in ſpecie *Concluſione* 2. §. 4. Sperma ceti hoc in caſu interius aſſumptum, præmiſſa venæſectione, ceu ſummum prædicatur præſidium, & reverà miranda ejus eſt vis in diſſolvendo ſanguine, quacumque ex cauſa congrumato, ut & in abſorbendo omni hoſtili acido, unde Pariſiis podagricorum articulis dolentibus mirabili cum ſucceſſu applicatum vidi: ſed in primas detruſum vias, nimis tardè idque non ſine alteratione operatur, ut ſupra *cap.* 2. § 4. & 5. dictum, unde convenienti menſtruo diſſolutum, & venæ infuſum ſalutarem valdè promittit effectum. Hæc, quæ de ſyncope dicta ſunt, facilè etiam ad nimias virium imbecillitates, ut & enormes ſæpius cordis palpitationes, applicari poſſunt, in qua poſteriori, legitimam aliquam coralliorum Tincturam, qualem cum ſale Tart. volatili paratam, quæque per retortam facili negotio deſtillabatur, in Anglia vidi,) debito vehiculo ſi opus videatur permiſtam, infundendam cenſeo.

§. 4. Apoplexiæ ſubitaneus ictus ſenes ſæpius, interdum mediæ quoque ætatis homines derepente proſternit. Symptomatum atrocitas unicuique eſt nota, cùm non rarus ingruat hic affectus, & ob brevem ac triſtem exitum quamplurimos perterreat. Origo ejus imprimis ex impedito Spirituum animalium motu petenda, ob interceptum ſanguinis motum in cerebro, ſive *ex coagulante hoc contingat acido* (de quo videatur TACKII. *oratio de Chryſolog. animali & miner. p.* 42. & 43.) unde & non pauci apoplexia mortui, ſanguinem omnino in vaſis coagulatum exhibuerunt, imò in ipſis præcordiis polypos h. e. ſanguinis concretiones in apoplecticis repertos, & vaſa pulmonum ex impedito ſanguinis motu diſrupta refert FRACASSATUS *Tetrad. Epiſtol. p.* 424. & 414. *ſive à nimia ejus craſſitie*, quacunque ex cauſa oborta, imprimis viſcido & crudiore chylo non ritè ſanguini aſſimilato, ſive *à narcotico Spiritu* vel has quodam ſylveſtri ut Chymicis audit extrinſecus per aërem hauſto Spiritus figente & ſanguinis motum ac fermentationem inhibente Omni in caſu res eſt periculi plena. Vomitoria hìc ſæpe divinas afferunt

runt opes,experientia teſte Aquæ apoplecticæ ſpirituoſæ, & odoriferæ non contemnendæ, aliaque medicamenta quoque modo adhibita. Sed ſi pertinacia mali eludat, omnem horum medicamentorum vim, & ſtertor fatalis ingraveſcat,in extremo hoc articulo,quidni non tam extremum quam generoſum infuſionis, adminiſtremus remedium, ut eo citius concretus & ſtagnans ſanguis reſolvatur & ejus colliquatio promoveatur, quod ceu maximum praxeos feliciter exercendæ ſecretum,non ſine ratione commendat CLAUDIUS DE LA COURVEE *de nutric.fœtus ut utero part.2. c.3.*

§.5. Salia volatilia tam vegetabilium ex Cephalicis, eorumque Spiritus volatiles, quam animalium ex CC. Cranio & oſſibus humanis, ſanguine Cervino & humano, ſunt hic proficua,ut & Q. E. Matthiol. Specifica ad Apoplexias Sinapi & eruca ac naſturtii ſeminum volatili ſale impraegnata: Sal volat ſuccin. palmarium quoddam remedium, Liquorque C. C. ſuccinatus D. MICHAELIS Spirit. Vin. vel Theriacalis camphorati à quibusdam commendantur, ſalinos tamen volatiles hic potius preferrem. Spiritus Lil. conval. vel ceraſ. nigror. Sale volat. C. C. & camphoræ tantillo per iteratas cohobationes impraegnatus, ſalutiferum hic erit medicamentum. Nec omittenda hic Salia volatil. oleoſa ex aromatum oleis parata,de quibus ſuprà *c.2* §.9. Quibus applicari poteſt id aliquo modo quod HELMONT. *cap.5. de febr.*.§.7.de ſuis ex ol. Deſtillatis paratis Spiritibus volatil. Sunt, qui Spiritus ceraſor. virtutes ſuper vitriolum cohobando tam ad apoplexias, quàm epilepſias exaltare volunt; quod ſi febriſcula horum medicamentorum uſui ſuperveniat, cum apoplectici tamen inſultus diminutione, ne timeas, quæſo,cum ſalutem promoveat.Quod ſi eorum uſu, ſudor calidus & moderatus proliciatur, gratulari ægro de convaleſcentia poteris. Quod ſi Narcoticorum miaſmatum hauſtu producta ſit Apoplexia, Caſtorei ſalutaris erit medicamentis admiſtio, magisque ad ſpirituoſa ſulphurea quâ ſalina inclinare poteris, cum ſpirituoſa impreſſa jam à narcoticis ſpiritibus noxas curent, eos denuo exuſcitando & agitando, ſicut acida ab eorum impreſſione præſervant.

§. 6. Herculeus adhuc ſupereſt morbus, cum ejus prodromo vertigine caliginoſa & caduca in juvenibus (in ſenioribus enim appoplexiæ potius eſt certus prænuncius) qui & ipſe Herculea infundenda monet remedia. Qualis hic ſit affectus lippis & tonſoribus notum eſt, ut & quomodo per paroxyſmorum infeſtet circuitus. Unde extra inſultum legitima medendi methodo tractandus venit, quod ſi vero inſultus ſit gravior,quam ut conſuetis cedat remediis, ne periculum vitæ incurrat æger nil prohibet, quin infuſionem adniſtres. Aquæ Epilepticæ in os intruſæ, ſalia volatilia naribus admota, & ori infuſa, imò hæc ipſa cum clyſteribus injecta, tàm in infantibus, quam in adultis, egregius quidam Practicus non ſine experto ſæpius ſucceſſu commendat. Sed ſi his reluctetur paroxyſmus, quis dubitat, de felici hujusmodi Salium in venas infuſorum auxilio, ſi remotos inteſtinorum perreptando Gyros ſint ſalutares. Idque eò magis, ſi non privatæ cujusdam partis vitio, quod ſæpè evenit,ſed ex maligno maſſæ ſanguineæ Spiritibusque animalibus impreſſo Charactere invadat. Hic ſane, ſi accedentem inſultum præcavere velis,ſalinum hujusmodi volatilem liquorem, camphora acuatum,vel opii Eſſ. bene præparata temperatum infundere licet. Id quod & in ipſo principio inſultus, ſi vel gravior vel diuturnior eſſe ſoleat faciendum: Opii enim cum camphora connubio ſingularis hac in parte eſt vis & impediendi futurum, & imminuendi præſentem jam paroxyſmum, licet ad præcautionem tutiùs uſurpetur, dum ferocientes Spiritus compeſcit, & ſedato paroxyſmo blandum ſomnum cum ſalutari ſudoris eruptione inducit. Salina volatilia hic quoque injicienda ex antecedente petenda Paragrapho, inter quæ *ſuccinum* eminet. Utilis quoque erit Spiritus *ſecundinæ* humanæ, quo medicamento Regem Poloniæ Epilepticum curaſſe dicitur Knœphelius. In *Stercoribus*, pavonis imprimis, Ciconiæ & Leonis, ut & hominis, ſingularis quoque vis eſt antepileptica, Experientia multiplici teſte. *vid.* BORELL. *cent.* 111. *obſ.* 15. HENRICUS à BRA *de medicament. Epilepticis*, CRATO *in Conſiliis*: quam ex humano, qui debita fermentatione, & volatiliſatione novit elicere, ut moſcum & ambram ferè oleat, ſicque in Zibetum Paracelſi occidentalem abeat, forte non contemnendam ad multos morbos habebit medicinam. Alias ut prætercam ſtercorum præparationes. Omnibus interim præferendus Spirit vitrioli volat. ab omnibus inſtar Phœnicis decantata, rariſſima licet avis, cujusque ad Epilepſiam imprimis applicati, tot ſunt deſcriptiones, quot capita. Phlegma ſubtile ſtriatum ex vitriolo violarum martiarum odorem referens ab amico quodam tempore hyberno præparatum novi, quod tamen pro vero volatili non habuerim Spiritu. Cujus TACKIUS mentionem facit Spiritus egregii vitrioli aurei, *judicio de Chirurg. Infuſ. p.* 103. cujus elaboratio eſt admodum tædioſa, in notiſſimo tamen quodam Philoſopho Chymico, aperta ejus proſtant veſtigia, infuſioni videtur ineptus, ob vim, quam cum penetratione mutuo coagulantem. Qui veri volatilis ſulphur. Spiritus eſt poſſeſſor, facile, experientiam conſulendo, qui valeat ad Epilepſiam dum infunditur, felici, ut ſpero, eventu reperiet.

CONCLUSIO IV.

Ad ſanguinis debitam fermentat. reſtituendam apprimè conducit infuſio.

§. 1. Duo ſunt mala, quibus expedita infuſionis ope ſuccurendum. Spiritus ſcil. ſeu Archæi furibundus motus, & ſanguinis inordinata fermentatio: ut ſuprà *cap.* 2. §.1.& 3. dictum Hanc qualiscunque ſit, ſalium eſſe effectum ſuprà *cap.* 1. §. 1. & 2. *oſtenſum*, ut & ejus defectus ſalinis quoque curandum eſſe remediis *cap.*2. §. 7. quæ tamen ex ſalium in primis viis varietate & inevitabili concurſu, non parvam ibidem ſubeant alterationem, antequam debitam in ſanguine peragant correctionem *citat. loc.* §. 4. ſimiliter declaratum. Ex acido nempè imminuta vel depravata fermentatio, contrariis alkalibus corrigenda, quod qua ratione fieri poſſit, *vid.* TACKIUS *orat. ſupr. citat. p.* 43. Ab Alkali contra vitioſo eadem turbata, per acidum eſt emendanda. Quæ ſalia nunc pura & acria, nunc aliorum imprimis Sulphureorum adjunctione temperata, ſunt applicanda. Quod ſi verò in primis viis oberrent ſalia ſylveſtria, vitioſique ſucci, quæ medicamentorum vires infringant, & quod ſalibus facilimè evenit, eadem alterent, nullus effectus, exinde ſperandus venit: potiùs propiori via ſanguini immediatè ſunt commiſcenda ut promptius & potentius ſuccurrant; quod quibus in malis ſit faciendum, inferius patebit.

§. 2. Jam verò quantæ ſuccorum iſtorum ſalinorum eſſe poſſint corruptiones, ſuprà *cap.* 2. §. 2. declaravi, quæ corruptiones vitio maſſæ ſanguineæ oboriri, nemo facilè dubitare poteſt, qui cogitat ex ſanguine iſtos ſuccos continuo regenerari, ſanguinem verò ipſum ex rerum non naturalium varia activitate, magnas continuo alterationes ſubire, ſæpiusque per contagium maſſæ ſanguineæ depravatam notam immediatè inuri, ſine ſuccorum illorum præcedente vitio. Aſſumptorum alimentorum magnâ hìc eſt efficacia, ſed modo ſanguineum nectar in debita perſiſtat puritate, & non ſimiliter ab alimentis iſtis corrumpatur,facile noxa illa inducta eluetur. Quod ſi non fiat,& maſſa ſanguinea ſuccique ſimul

ſimul ſint corrupti , miſeram effervescentiarum inordinatarum variorumque ſymptomatum ludent tragœdiam. Viſcera & ipſa quoque , imprimis lien , ſuas ſanguini imprimunt noxas , ſed quas ſæpè antea ex ſanguine hauſerunt , cujus ineptitudine aliunde contracta , viſcera fermentativa correctio eluditur , ejuſque craſſitie illorum obſtructio ſcirrhoſa aliaque vitia producuntur. Unde ſanguinis reſtauratio eſt nulla, dum à ſuccis iſtis infimi ventris , aliiſque viſceribus continuò depravatur , & ſuccorum iſtorum viſcerumque emendatio eſt fruſtranea , dum ſanguinis corrupti partes , eorum malitiam continuo renovant. Sed cum alteratio ſanguinis ſit major longè , ob res non naturales . quæ omnes in ſanguinem agunt , ſimulque ſucci iſti dependeant à ſanguine , ex cujus maſſa in convenientibus cribris ſecernuntur , utique ſanguis alterandus venit primario , quod cum per medicamenta aſſumpta fieri non poſſit , ob rationes ſuprà & hîc allegatas , merito infuſio adminiſtranda , ut correcta ſanguinis labe , inordinataque fermentatione , iſti ſucci partim ſponte , partim verò medicamentorum aſſumendorum ope redintegrentur. Contrarium equidem fit in ordinaria medendi methodo, ubi primarum viarum humorumque ibidem ſtabulantium noxæ , in morbis præſertim Chronicis prius corriguntur per aſſumpta , idque rectè , cum alias in ſanguine nil alterari poſſit , ut ſupra dictum : hancque methodum tamdiu continuandam ſuadeo , quamdiu ſucceſſui optato reſpondeat ſpei aliquid deſiderati aut ſucceſſus adhuc ſupereſt. Sed res ipſa loquitur, quam tædioſæ ſæpius hujuſmodi ſint curæ , quantum tempus requiratur , ad eas abſolvendas , imò quod malum ſi ſit inveteratum , non tam cura quam palliatio fiat , vel ægri à Medicis ceu deplorati relinquantur. Aſt repetita magis eſt infuſio, ut mitigatio (non dicam curatio) ſymptomatum in ancilla Epileptica inveteratâ , & milite lue Venerea antiquata correptis oſtendit : videatur *ſupr. c.1. §.5.*

§.2. Eleganter diſſerit de hoc negotio TAKIUS *in judicio p.99.* Comparandum ſanguinem cum vino , dum inquit : *fateor haud mihi diſplicuiſſe ad ſanguinis ſopitam fermentationem excitandam , in generoſas cogitationes , imprimis quod ſciam vina quieſcentia , ad novam fermentationem excitari poſſe. Imò & degenerantia & tenacia & viſcoſa velut ſulphure reſtitui. Non enim neſcis , ſanguinem eſſe vinum vitæ noſtræ , vinumque non raro in ſacris ſanguinem uvæ appellari. Si itaque ad novam fermentationem vina reſuſcitari poſſunt , cur non & ſanguis , ille vitæ noſtræ theſaurus , cujus Spiritus homogenem forte naturam habet cum Spirit. Vin.* In qua convenientia vini & ſanguinis declaranda , totus quoque eſt VUILLIS *de febribus c.1.* Jam vero id , quod de nova fermentat. ſuſcitanda. dicit TAKIUS , facile quoque ad alteratam poteſt applicari corrigendam. Totus etiam FRACASSATI ſcopus is eſt tantum, in ſua *medic. infuſor.* ut ſanguinis fermentatio renovetur concretuſque ab acido reſolvatur , cui negotio Spirit. Vin Tart. pro infuſione deſtinat : ſed vetus Tart. Spirit. Vin. non eſt res adeò facilis , utut multum utilis , ad cujus ſingularem quandam præparationem in TAKII *Chryſogonia* inveniendum *p.44.* te remitto. Quale interim fermentationis eſt peccatum , tale quoque correctionis remedium , nunc ſalinum lixiviale , nunc acido volatile , nunc Spirituoſum ſulphureo ſalinum , nunc alia qualitate præditum , prout in ſequentibus pluribus dicetur.

CONCLUSIO V.

Atrociori affectionis hypochondriacæ & hyſtericæ, ut & Aſthmatis convulſivi paroxyſmo infuſoria Chirurgia eſt ſuccurrendum.

§.1. Congeries iſta ſymptomatum truculenta ; quæ mali hypochondriaci in viris , ſuffocationis verò uterinæ (ſi nempe eſt acerbior) in mulieribus nomine venit , adeo interdum paroxyſmus ſævit , ut à Dæmone obſeſſi ab ignaro plebe habeantur ægri. Teſtimonia hinc inde proſtant plurima. Præcipua ſymptomata ſunt , murmur & rugitus in hypochondriis , dolores in abdomine acerbi , reſpiratio impedita & ſuffocationis metus , palpitationes cordis graviſſimæ lypothymiæ & ſyncopes ſæpius recurrentes, vertigines tenebricoſæ & caducæ , deliria varii generis , artuum miræ convulſiones , corporiſque totius Epilepticæ ſubinde concuſſiones. Mali hypochondriaci nomine venit in viris , in mulieribus , ſi gravis hujuſmodi inſurgat paroxyſmus ſine convulſionibus quidem ſuffocatio uterina , cum convulſionibus verò Epilepſia uterina dicitur. Sed revera in utriſque unus idemque eſt affectus : differentiæ primariæ namque quas ſtatuunt Autores , eſt motus iſte Globi (quem ridiculè muliercularum inſtar uterum eſſe multi autumant) aſcendentis in abdomine & faucium ſuffocatoria conſtrictio quas in fœminis tantum eſſe aſſerunt , in viris quoque obviæ ſunt. Affectum enim hiſtericæ paſſioni adeò ſimilem , ut ovum ovo ſimilius eſſe nequeat, obſervavit in viro VUILLIS *in Pathol. cebr. ſpecimine* , una cum globo iſto in abdomine violenter moto ; & ſuffocationis ſenſu in graviori affectu hypochondriaco torqueri viros, nihil novi eſt , idque duplici modo , nunc quidem ſentiunt fauces , & laryngem à vaporibus vel humoribus acidis , ponticis , auſteris & ſtipticis , quaſi conſtringi , quale exemplum *D. Michael* vidit in JCto , ut ſuprà dictum, quem cum acidum præcipitantibus & concentrantibus alkalibus fixis , nempe creta , oculis Cancror. Antimon. diaph. & ſimilibus reſtituit : cujuſmodi caſus etiam mentionem facit SENNERT , *l.3. prax. part.1. ſect.1. cap.1. p.7.* nunc vero ſine tali in faucibus moleſtia ſaltem impotentia movendi thoracem adeſt , & cingulo vel Zona quaſi circa diaphragmatis cum coſtis connexionem ſe conſtringi & coarctari queruntur ægri : ita ut reverà affectu ſuffocationis uterinæ viros quoque laborare dici poſſit, niſi falſi appellatio putatitii , mulieribus uteri aſcenſus , cujus tamen innocentiam pluribus ſufficienter demonſtrarunt Autores, hoc impediret. *Vid.* VUILLIS *loco cit. cap. de affect. hypochondr. & hyſterico.* Quam ſententiam ſimiliter fovet celeberrimus *D. Sylvius* , aliique accuratiores hujus ſæculi Medici. Quod autem clytoridis contrectatio , vel odorum ad uterum applicatio paroxyſmum ſedat , ratio eſt quod titillatio iſtius ſenſibiliſſimæ partis voluptuoſa , ſpiritus fortiter afficiendo ad determinatum compellat motum , unde inordinatus motus , convulſiones cæteraque ſymptomata remittunt. Odores verò afficere ſpiritus , imprimis circa genitales partes eóſque allicere , & ad motum , ut modo dictum, determinare , patet præter ſupradicta ex eo , quod inuncto penis glande vel Zibetho vel balſamo apoplectico , &c. Voluptuoſiorem longe ſolito, faciat , utrique ſexui congreſſum : multa paucis declarare cogor , ob pagellarum anguſtiam.

§.2. Varietas ſymptomatum complicatum omninò monſtrat affectum , partim nempe ex vitioſa in abdomine ab acido pancreatis cum bilioſo ſucco effervescentia , hinc poſteà ſanguinis ab acido coagulatione : partim verò ex depravato & perturbato ſpirituum animalium motu , unde vertigines , deliria , ſpaſmique contractivi , partim meſenterii & partium annexarum , partim partium reſpi-

reſpirationi inſervientium, partim verò, & circa finem paroxyſmi imprimis artuum externorum, de quibus optimè vide differentem VUILLIS. *loco citat.* Id, quod primario peccat, eſt acor pancreatici ſucci depravatus, ſæpè acerbus, auſterus & ponticus, effervescentiæ in inteſtinis, hinc flatuum & borborigmorum Autor, qui poſteà ſanguini infuſus, eum periculosè coagulat, quod ſanguis venæ ſectione in paroxyſmo emiſſus, teſtatur. Unde ſyncope, pulſuum longè intermiſſiones, ſimulque ex ſanguinis ſtagnatione in præcordiis ſuffocationis inchoatus ſenſus: unde mulieribus ſcorbuto laborantibus, ſin vel levioribus purgantibus, moveatur iſtis Camarina, ſaniſſimæ licet ſint quoad uterum, hypochondriacas hujuſmodi ſuffocationes incurrere obſervavi. Moto ſcil. in viis vitioſo acido. Hinc omnia ea, quæ acidum infringunt, tàm fixa quàm volatilia, tàm inquam extra paroxyſmum, hos affectus curant, Spirit. Sal. Armoniaci, Spirit. carminativus urinoſus volatil. ex Tart. Nitro, & vino it. Sal. volat. & ol. Diſtillat. ſuccin. experta ad revocandos hypochondriacos & hiſtericos ſunt remedia. Huic accedit ſingularis ſpirituum facilè irritabilis nimiſque impetuosè mobilis diſpoſitio, qua concitati partim ex effervescentia in inteſtinis, partim ex ſanguinis ſtagnatione in præcordiis: impetuosè moventur, unde meſenterii convulſiones, cujus centricus nervorum plexus, globum iſtum ſimulat, diaphragmatis, & muſculorum cæterorum reſpirantium contractiones, deliria, vertigines, &c. Subſequuntur: unde opiata, quæ ſpirituum motum compeſcunt, ſpirituoſis, cephalicis miſta quæ eos corroborant, futurum paroxyſmum impediunt, inchoantem verò jam tollunt.

§.3. Urgente jam tot ſymptomatum crudelium ſævitia, propinari alia nequeunt, quam volatilia, acidum ſubito abſorbentia, præmiſſo interdum vomitorio. Quod ſi tamen iis legitimè adhibitis paroxyſmorum imprimis, quoad actiones animales perſiſtat atrocitas, ne ſub eorum ſuccumbat impetu æger, ad infuſionem procedendum præmiſſo tamen ſemper medicamento per os cum Caſtoreo, quod acidum primarum viarum abſumere valeat. Infundendi liquores, facile ex hactenus dictis patent; ſi enim præcavere volumus vel futurum paroxyſmum, vel ejus nimium incrementum ſaltem ſuſpendere ſpiritui Sal. Armoniaci, mediante Spirit. Vin. temperato Eſſ. opii q. ſ. addendum. Hæcque conjunctim infundenda: vel in Q. E. Matth. aliquid de opio ſolvatur, cui in ſequiori ſexu ſemper Eſſ. Caſtorei vel aſæ fœtidæ vel myrrhæ, ſufficiens addatur quantitas vel in Aqua hirundinum cum caſtoreo, diſſoluta Sal. Armoniaci, Spiritus erit proficuus, vel ejus loco Sal. volat. ſuccini conjunctum cum Sal. volat. Cranii humani, ad convulſiones ſpecifico. Spir. porrò ſecundinæ humanæ cum Sale volat. ſang. human. infuſus, non ſine proſpero erit ſucceſſu, vel Spirit. baccarum Sambuci aut Eſſ. ex Rob. Sambuci cum Spirit. proprio parata ol. Diſtillato ſuccin. lenta digeſtione imprægnatus, erit injiciendus. Prout autem conſtitutio varia ægri nativa, nunc Salina volatilia acriora, nunc verò per oleorum additionem temperatiora ſunt injicienda.

§.4. Suffocationem vel difficilem ſaltem reſpirationem multum affligere his morbis laborantes ex dictis patet. Jam verò in Scorbuticis vel in quibus hypochondriorum affectus non ſunt adeò inveterati aut non adeò atroces, ſæpè evenit, ut leviſſima procatarctica causa præcedente, graviſſima ipſis oriantur Aſthmata & adeò etiam orthopneæ. Nullo modo cum iis Aſthmatis, quæ ex infarctu pulmonum à craſſa vel viſcida materia interdum, licet valdè rarò contingunt (cum ventriculi ſæpius ſint ſordes, quæ tunc tuſſi rejiciuntur) conveniens, cum ſine tuſſi, ſine antecedente excrementorum coacervatione, aut ſenſibili eorum, finito paroxyſmo excretione ægros invadant, & nunc periodicè, ſecundum lunæ motum, nunc non periodicè repetant, quale exemplum Pariſiis in meo Commenſali obſervavi. Cauſam horum aſthmatum convulſivum eſſe motum diaphragmatis & reliquorum muſculorum reſpirationi dicatorum, qua ſanguinis in præcordiis impedito motu ejus & ſtagnatio & ſuffocationis ita inducatur ſenſus *Vid.* VUILLIS *cit. l. Helmontio* caducus ſeu Epilepſia pulmonum dicitur hujuſmodi Aſthma, quod etiam ſiccum ab eodem vocatur *tr. Tuſſis & Aſthma* quæ tamen latior appellatio cum ſyncopes cardiacas, alias catarrhi ſuffocativi dictas, de quibus *concl.* 3. §.2. dictum, & quas exactè exprimebat canis iſte cui oleum ſulphuris infudimus, de quo ſupra *cap.* I. *p.* 4. comprehendat. Multa horum Aſthmatum ſpaſmodicorum notata reperiuntur præter Helmontii *citato loco* exempla, apud Practicos, qui tamen ea ad ordinaria aſthmata humida reducere, obnixè inſudant vid. PLATERUS *lib.* 3. *obſ. p.* 161. & 172 *it. obſ.* SCHENKII *pag.* 234. & 237. *Marcell. Donat. obſ. lib.* 4 *cap* 12. *pag.* 280. *Colle. Coſmit. Med. pag.* 159. *Riverius cent.* III. *obſ.* 85. Cura horum aſthmatum extra paroxyſmum ad originalem morbum ſcorbutum ſcilicet vel malum hypochondriacum dirigenda, quibus curatis & ipſa ceſſant, cæterum in paroxyſmo, ubi miſeranda horum ægrorum eſt conſtitutio, ſeu convulſiones epilepticæ ſunt tractandæ: Excellunt ſpecificè in hac cura ternarius medicamentorum ſequentium, nempè ſperma ceti, Aſelli & lumbrici. Unde ſi atrocitas paroxyſmi alia omnia reſpuat remedia, & æger in horas ſuffocari videatur, ne nihil intentatum relinquat medicus; infuſionem tentet. Mediante ergò digeſtione & putrefactione reſoluti lumbrici in liquorem, dant Spiritum ad infuſionem, ut videtur aptiſſimum, in quo vel ſolo vel Spirit. Vin. prius commodè maritato, ſolutum ſperma ceti, quod fieri poſſe ſuſpicor, non contemnendam gravi hoc in morbo præſtabit medicinam, imprimis ſi tantillum Croci Eſſentiæ cum eo commiſceatur. Quin tamen & uſitata Epileptica volatilia commodè infundi poſſint nullus dubito, cum teſte HELMONTIO quicquid Epilepticum adultum ſanat, ſanat etiam Aſthmaticum. Dubitare hic poſſumus cum *Riolano Enchirid. Anatom. l.* 4. *c.* 14. *de Laryngotom. pag. m.* 516. (ubi videtur, eum jam tunc temporis olfeciſſe hanc Chirurgiam) *an non per apertam aſperam arteriam liquor dulcis, attenuans & incidens introduci queat, ad incidendum ſputum & promovendam anacatharſin.* Sed meritò dubitamus, imò vix poſſibile credimus: nam vel levis potus aliavè materia inſperato huic arteriæ illapſa, quos non turbas ciet: & liquor injectus dum per minores, tracheæ ramos ſe diſpergeret, reſpirationem omninò tolleret, jam per ſe ſatis exilem.

Conclusio VI.

Chronici morbi, qui Cachexiarum veniunt nomine profundè radicati, & aliis vel non vel difficulter cedentes medicamentis, ſalutarem ex infuſione expectant medelam. Quibus & Phthiſis annectenda videtur.

§.1. Tortura ægrorum ſunt ſcandala Medicorum, quos præſens Concluſio in ſcenam producit affectus. In quibus imminuta partim, partim verò inſigniter depravata maſſæ ſanguineæ vitali fermentatione, ipſa nutritioni fit inepta, unde ex depravata nutritione, mali exſurgunt habitus, qui per alteratos faciei oculorumque, imò totius corporis colores, in conſpectum prodeunt, unde & generali Cachexiæ nomine veniunt, cujuſmodi ſunt *Cachexia* in ſpecie ſic dicta tam maſculorum quam fœmellarum χλωρῶσις, &c. (Cui ſupervenit ordinariæ *menſtruæ purgationis ceſſatio*) & excellentior hujus gradus *Leucophlegmatia*, & quæ hanc ferè ſemper inſequitur *Anaſarca*: item *Scorbutus,*

Lues

Lues Venerea & tandem *Icterus*. In omnibus namque his primaria ſanguinis ex fermentationis læſione eſt labes. Cachexiam quidem in ſpecie ſic dictam quod concernit, ex chylo non ritè cum ſanguine aſſimilato originem ducit, dum is viſcidus & acidus nec rite volatiliſatus ſanguini infunditur, unde in humorem crudum dilabitur, & aquoſum, ſanguiſque exinde craſſus viſcidus æquabili fermentationi ob principia Salina imprimis volatilia urinoſa ob abundans contrarium acidum, depreſſa & obruta ineptus exiſtit, indeque minus ſpirituaſcit; ſed torpidus & ſemicoagulatus in vaſis lentè circulatur, unde & menſtruæ fermentationis, quam ordinaria ſequitur purgatio, fit ceſſatio, indeque cruor præter modum congeſtus, vaſa onerans, ſtagnationi fit aptus, unde graviſſimorum in virginum febre ſymptomatum origo. Malo ulterius procedente, & partibus crudis iſtis ſuccis infarctis potiùs quam nutritis *Leucophlegmatia* ſequitur, quam ex lymphæ, & ipſius quoque tenacis, impedito motu *anaſarca* preſſo comitatur pede.

§.2. Ad primas equidem vias dirigenda imprimis cura, propinando ea, quæ omne abſorbent acidum abundans (inter quæ excellunt Martialia quocunque modo præparata; modo ab acidis nimis menſtruis non antea fuerint corroſa,) reſtaurant Sal volat. ſpirituoſum deficiens, & quæ ſubtili penetratione crudos ſuccos fundendo, habitum floridum reſtituunt, præmiſſo ſæpius vomitorio; ſed contumacia mali ſæpius eſt tanta, ut omnem remediorum eludat vim ob profundè nimis in ſanguine arctas radices, propiori ergo adjumento ſuccurrat infuſio, injiciendo ſpirituoſa & ſalina volatilia v. g. Spirit. Vin. camphoratum vel Q.E. Matthioli vel Spirit. Sal. Ammoniaci c. Spirit. cochleariæ, vel oleis etiam Deſtillatis aromaticarum plantarum, in ſpecie corticum aurantiorum temperatum, item Spiritum ex Tart. Nitr. & Spirit. Vin. compoſitum, aquæ cinnamomi q. ſ. dilutum. Quibus omnibus non incommodè præferendus verus volatilis Tart. vinoſus Spirit. Addo his Elixir propr. HELMONT. *p. m.* 458. *& Tr. Arbor. vitæ pag.* 635. Quod etiam intrinſecus propinatum, ſingularia hic præſtat. it. Eſſentias vegetabilium abſynthii, Centaur. min. card. bened. Roris marin. lign. ſaſſafr. & eorum Spiritus, inprimis ex antiſcorbuticis prolectos, ut Cochleariæ, &c. Quibus in fœmellis Eſſ. Caſtorei, vel myrrhæ, vel Croci ſubinde addendas ſuadeo, in Anaſarca verò Spirit. lumbricor. terreſtrium cujus ſuprà *concluſ.* 5. § 4. mentio facta cæteris addendus, Martialia ut injiciantur ſub liquida forma inepta cenſeo, quo modo verò aſſumpta operentur in primis viis cum ultra diaphragma non aſcendant, *vid.* TACHENII *Hipp. chym. p.* 217 *cap* 28.

§.3. Cachexiam ſcorbuticam & ipſam eſſe ex acido, nemo, qui ſcorbuti conſiderat ſymptomata, facile negabit. Sed acidum iſtud non eſt ſimpliciter, tale ſed certo modo corruptum, unde maſſæ ſanguineæ ſtatus depravatus tunc non incommode vino ranceſcenti aut pendulo (quæ qualitates in vino quoque acidi, ſed certo modò depravati ſunt fructus) comparatur *Willis* Tr. de ſcorbuto. Jam certum eſt, vix eſſe morbum, qui diffi ilis ſit eradicationis, quam ſcorbutus, ubi vel leves ſaltem egit radices, quique ſimul diverſiſſimo ſymptomatum apparatu magis vexet ægros. Medicamenta communiter, ſic dicta antiſcorbutica, quæ ſale volatili acri abunde inſtructa multum laudo, uſum lactis in ſpecie caprini, animali herbis appropriatis præſertim nutrito, maximi facio, diætas quoque ſudoriferas ex Saſſafras & Chinæ radice, quas multi commendant, non rejicio. Sed quam obſtinatè omnibus his reluctetur hoc malum, ii norunt, qui experientia propria id didicerunt. Ut ergò aut celerior aut felicior ſaltem fiat eventus, & ut curetur potiùs malum quam pallietur iis, quæ interno uſu proficere experientia docuit, infuſionem in venas ſimul addamus, quo & ſanguinis corrigatur vitium, & ſi quæ ſubeſt, lienis labes efficacius emendetur. Spiritus ex cochlearia, perſicaria, piperitide, naſturt o, & à Belgis experta flammula vel cum Vino Deſtillatione vel præcedanea fermentatione, (quam ſine cauſa multi in antiſcorbuticis condemnant,) præparati, huic uſui videntur idonei: præ cæteris Spirit. Sal. Armoniaci cum his Spiritibus junctus & unitus, quod ſi verò (quod ſæpè ab interno contingit uſu) oriantur corporis phlogoſes & nimiæ incaleſcentiæ ab eorum infuſione, quæritur non immerito, an diluti Spiritus cum lacte vel ſaltem cum ejus ſero commodè poſſint infundi: item an lac ipſum cum ſit nobile antiſcorbuticum, Succorumque tantum non panacæa, imprimis ſi ſcorbuto ſuperveniat maraſmus, commodè poſſit infundi: Lac ſanè eſt Chylus, deſtinatus à natura ad hoc ut nutriat, unde & pars ad Mammas deportata lac dicitur, cætera parte ſanguini infuſa, chyli & nutrimenti corporis retinente nomine. Probabile ergò videri poſſit, nutritionem hoc modo fieri poſſe, non tantum in ſcorbuticis, ſed etiam ii, qui angina laborant periculoſa, aut qui ad omnem alimentorum mentionem tantum non exhorreſcunt: (quo etiam inclinat ROLFINCK. *in orth. & Meth. ſpecial. lib.* 11. *ſect.* 1. *cap.* 31. *p.* 934. ubi ſimul juſculorum carnium, emulſorum, amygdalatorum mentionem facit) cum idem videatur negotium, ſive Chylus immediatè ad ſanguinem portetur in corpore, ſivè prius per mammarum collatus tubulos, ſanguini in brachio infundatur: quod ſi Chyli quandam depurationem fieri dicas in lactificatione, lac eo aptius erit ad nutritionem quo purius. Imò cum Clyſteribus fieri nutritionem, multi ſtatuant, quidni ipſe nutrimentoſus Chylus, ſanguini injectus? Sed re accuratè penſitata, vereor, ne ſpes omnis ſit inanis. Si namque corruptio optimi eſt peſſima, vereor, ne lac ſanguini ſcorbuticorum acore ranceſcente impraegnato, infuſum, tetram corruptionis, vel quod pejus coagulationis, induat labem, ipſo admodum fermenteſcibili, facileque alterabili exiſtente, unde rarum lac reperitur, quod non pauco poſtquam emulctum eſt interjecto tempore, copioſos exhibeat vermiculos. Ut taceam ipſum lac pro alimentorum ratione & animalium varia conſtitutione in dies variare, aliudque alio melius, aliud nocentius deprehendi, de quo vid. HELMONT. *Tr. Sextupl. digeſt. aliment.* §.71. 72. *&c.* Unde facilè tantum incommodi, quantum commodi ex inde emergere poſſit. Et merito *Avicenna lacte vitioſo nihil nocentius*, eſſe ſtatuit. Et quid fiet cum caſeola ejus parte, fæce nempe lactis, cujus malitiam vel nequitiam cum peculiari decantaverit tractatu *Joh. Petr. Lotich.* non eſt, quod multa de hoc addam. Cautus ergò hic ſit Medicus, & licet naturam imitari videtur, Duo tamen cum faciunt idem, non eſſe idem, abunde notum eſt. Dum namque continuato curſu, lactis materia ſeu Chylus ſanguini infunditur, Character ejus vitalis qui eſt in ſtomacho à fermento, ipſi impreſſus fuit, non mutatur, quod tamen contingit ſimul atque extravaſatur, eoque magis, ſi ad tempus ſteterit. Simul namque atque ex uberibus lac elabitur partes ejus ſpirituoſæ & ſubtiles multum evaneſcunt, ſubitoque pars ejus caſeoſa coagulationis induit Characterem; (unde occulta accedente fermentatione, ratione prioris ſenſim, aceſcit, ratione verò poſterioris caſeus ad fundum ſecedit.) Ad hæc quamcunque aëris labem, nobiſque occultum vitium, facilè lac in ſe recipit & quaſi attrahit, unde & peſte graſſante, uſus ejus multis reprobatur, ob attractum veneni miaſma. Hinc provido Conſilio, papillas uberibus agglutinavit natura, ut immediatè oris ſuctu extrahatur à fœtu lactis nutrimentum, ne aëris contactu alteretur. Quod autem de nutritione per Clyſteres dicitur, falſum eſt, nulla namque alimenti ad nutritionem poteſt fieri adaptatio, niſi prius in ſtomacho ab ejus fermento vitali inſignitus ſit Charactere, cum præter dicta etiam nulla Heterogenei ab Homo-

geneo in inteſtinis fiat ſecretio, nullaque à bile Tincturæ ſanguineæ ab ejus rubicundo oleo impreſſio, niſi namque hæc fiant, omnia alimenta putreſcunt & cadaveriſantur, ut in ardentibus contingit febribus, unde & reliquos quoſcunque nutritios liquores omninò ineptos cenſeo, ut venis injiciantur, cum experientia quoque doceat, infuſiones Diæteticas ſeu pro ſcopo nutritionis, fruſtra eſſe tentatas vid. *ſuprà cap.* 1. §. 4. *in fine.*

§. 4. Sed ut in viam redeam, dubitari poteſt, an non ſerum lactis, iſtis medicamentis permiſtum, ſit ſalutare, hujus namque volatile Salſum Sal & temperat ardores & corrigit ſimul ſcorbuticum ſal acidum corruptum: ſanè tutiùs tentari hoc poteſt, quam lac modo benè præparatum & ab omni caſeoſa parte ſeparatum ſit. Sal ejus ſubtile magnarum eſt virium in multis morbis ab acido ortis, & quamplurimas ſanguinis efferveſcentias efficaciter, ſimul tamen blandè, compeſcit. Quod ſi rationes adhuc ſuperſint, quæ ſeri infuſionem prohibeant, aquam ejus Deſtillatam commendo, cum quo modò cautè & legitimè Deſtilletur, magnam Salis volatilis partem ſimul elevari certum eſt, unde diluta hac aqua Spirituoſa iſta medicamenta & acria optatum dabunt ſucceſſum. Quibus addo etiam Spir. lumbricorum terreſtrium, egregium antiſcorbutum, & imprimis moleſtiſſimum ejus ſymptoma, arthritidem vagam, medicamentum. Quibus *Eſſ. Myrrh.* cæteris permiſcendam ſubjicio, cum hæc in confirmato ſcorbuto ſanguinis ſingulares corruptiones & quaſi putredines macularum & ſtigmatum apparentia, (quas plenas eſſe vermiculis, putredinis nempè indiviſibilibus comitibus, ſunt, qui affirmant) ſe prodentes, balſamica ſua virtute inhibeat. Tandem benedicta arboris Antiſcorbutici ſeu Pini laudo medicamenta, quæ tantum non miracula præſtant in ſcorbuto; ejus Spiritus ex novellis & tantum erumpentibus ſtrobulis, item Aqua ejus oleoſa & Spirituoſa, ſecundum ductum GRUGNERI *in Tannenbaum* ut & eſſ. pini Spirit. proprio paratæ, nec Medicum nec ægrum, ut propinata ita infuſa, ſpe ſua excedere permittent, de quo vid. MOLLENBR. *de Arthrit. vaga c.* 3. *p.* 116. *& ſeq.*

§. 5. Lues venerea ut in multis cum ſcorbuto convenit (nam præter aliam convenientiam uterque ſua contagioſa hinc inde affigit miaſmata) ita malitia, contumacia, & ſymptomatum crudelium & dolorificorum tortura, ipſi non cedit, ſed longè potiùs poſt ſe relinquit. Hanc ab acido corrupto in humore, craſſo & viſcido ac pituitoſo ſtabulante, oriri, ante aliquot annos *ſplendidum Lugdunenſium ſidus, Franciſcus de le Boe, Sylvius*, publicè & accuratè docuit, ita habita diſſertatione egregie confirmavit. Methodus ordinaria, quæ nunc per decocta lignorum fit ſudorifera, nunc per Mercuriales inunctiones & inde fœtidas ſalivationes, nunc quod rarius per Cinnabarinas ſuffumigationes, neminem niſi qui in practicorum ſcriptis hoſpes eſt, latere poteſt; quæ etiam ſperatum ſæpius obtinet effectum, niſi malum ſit nimis inveteratum; poſt curam namque Mercurialem peractam, qua multum extenuantur ægri, ipſos mirabiliter & ſubitò denuo pingueſcere vidi. Quod ſi verò malum ſit inveteratum, ægri verò ob immanes nocturnas oſſium nodorumque torturas, & dolores id non tam ferre nolint, quam ferre nequeant, imitandus venit Medicorum Dantiſcanorum conatus, qui poſt infuſionem peractam ut ſuprà *cap.* 1. §. 5. *&c.* Subitaneum ægro attulerunt levamen, nam totam peractam eſſe curam, mihi perſuadere non poſſum, eam tamen hoc modo eſſe poſſibilem, non dubito, præmiſſis univerſalibus, & tentatis iis, ſimulque continuatis, infundi poſſunt ex lignis paratæ Eſſentiæ omnibus notæ, v. g. Saſſafr. Guajaci, Rad. Sarſaparill cum Spirit. fumar. paratæ, &c. Non tamen neceſſe eſt, ut exoticis iſtis tantum, ſæpè curioſis, aut nimio ſenio corruptis, adhæreamus, & noſtra tellus hac in parte eſt provida mater, quæ larga manu nobis ſuggerit *juniperum* ejuſque lignum (cui ſuccedaneas cedro ad vitam longam implantavit vires, de quo videtur TAKIUS *in orat. p.* 67.) ut & *Buxum*, (cujus anodyna & antepileptica vis eſt miranda) loco Guajaci & Saſſafras: *Radic. Bardanæ & Caryophillatæ* loco ſarſaparillæ præter hæc etiam *Sarmenta lupulorum & periclimeni*, cum *Corallinis ejus baccis*, de quibus vid. *Colleg. Coſmet. p.* 207. ut nihil dicam de aliis ſimplicibus, nempè perſicaria, ſaponaria, ſcordico, abſynthio, vincetoxico, & valeriana. Ex quibus pro lubitu Medici parata medicamenta, Sale volatili C. C. acuata vel Spirit. theriacali camphorato impragnata injici poterunt. Omnibus autem hoc in caſu palmam præripiunt ſerpentes & viperæ, quarum ingenioſo decocto non ſemel, ut curavit TACHENIUS lue Gallica infectos *vid. ejus Hipp. Chym. cap.* 11. *p.* 60. Ita ex eorum Eſſentia vel Sale volatili, liquori convenienti ſoluto, injectis, felicem ſpero ſucceſſum.

§. 6. Ad Icteritiam me confero, quam & ipſam eſſe cachexiam, in qua ſanguis vitioſè fermentatur, bilis vitio procreatam, clarum eſt, quæ ſive ſit flava, ſive ſit nigra, perinde eſt, cum ex uno ſcaturiant fonte. Bilis nempè ſulphur, ſeu oleoſa pars in vitio eſt quod corruptum & nimis copioſum exiſtit ſimulque ſal ejus acre lixivioſum imminutum & debilitatum unde Chylus à ſcoriis alvinis non ritè ſecernitur nec debito modo ad futuram ſanguificationem (inviſibiliter licet tingitur, *vid.* TAKIUS *cit. loco p* 16. 17. unde corrupto & vitiato chylo, vitiata ſanguinis fermentatio & coloratio, aliaque ſymptomata ſuccedunt: quod ſi ſucci pancreatici accedat vitium, quod ſit vel vitriolicus, vel Aluminoſus ſeu ponticus, icterum nigrum corpus deturbare, admodum probabile eſt, Medicamenta primaria: quæ conducere his affectibus, per experientiam hactenus innotuere, ſunt omnia Sale volatili eoque acri imprimis prædita (excipio hîc Martialia, aliaque, quæ ut ab impedimentis primas vias liberent, & acidum abſorbeant, adhibentur, de lapide fulminari & exuviis ſerpentum, ſingularibus ſpecificis, quomodo operentur, negotium adhuc eſt intricatum) quod obtundatur corrupta & nimia bilis oleoſitas, è contra verò augeatur & acuatur ejus Sal obtuſum, acidumque & ponticum pancreatis ſucci, corrigatur. Quod ſi E. obſtinata contumacia affectus, imprimis icteri nigri, cùm ob inſignem ſuccorum corruptionem in primis viis, tùm ob gravem aſſumptorum medicamentorum alterationem ab iis, de quibus ſupra c. 2. §. 4. infuſoriam poſtulat Chirurgiam, ſalina quoque volatilia, ſed ob immediatum ſanguinis contactum aliquantiſper Spirituoſis oleoſis temperata, injicienda: imprimis Spirit. urin. it. Spirit. lumbricor. terreſt. cum Eſſ. chelid. maj. abrotan. cent. min. Curcumæ, Taraxaci Hirundinar. Rabarb. junctus, de qua re jam ſupra aliquoties egimus. Eſt in pane tam triticeo quam ſecalino, ejuſque ſale volatili perfecta rubifica ſanguinis tinctura unde ejus Eſſ. rubicunda debito modo parata, vel etiam Sal volat. ejus Spiritui proprio acri junctum & debitè edulcoratum dabit medicamentum non contemnendum, ad reſtituendam ſanguinis debitam tincturam, bilis vitio læſam.

§. 7. Hiſce ceu corollarium adjungo phthiſin morbum ſi quis alius chronicum, & qui lenta tabe tandem ad mortem deducit ægrum. Hanc ab ulcere pulmonum eſſe, qui dubitat, (flagello Angliæ verò ſeu tabe Anglica, aliter res ſe habet) & præter contagioſum miaſma, hæreditariumque characterem, quo ſe multiplicat. ſæpè ſcorbuti eſt filius, vel variolarum nepos, aut eorum, qui Antimonialibus vel mineralibus imprimis aquæfortis Spirit. vitrioli, &c. Vacant præparationibus, eſt præmium. Quæ ut tollatur, ad acidum fermentum ulceris, corruptivum proximi pulmonum alimenti corrigendum, omnis directa eſt cura,

Suffumigia & medicati aëres attracti multum adferunt opis *vid. Bened. Theat. Tabidorum*, vulnerarium herbarum inſignis eſt vis, ad tollendum iſtum acorem, occulto ſuo, quo impraegnatae ſunt alkali, *vid. Helmont. Tr. a ſede animae ad morbos*, §. 20. & ex eo *Tachenius Hipp. Chym. pag.* 128. qui eas ob id lacti praefert pro hecticae cura *p.* 129. Nihilominus frequentiſſimè cum inſigni medentum dedecore incaſſum adhibentur haec remedia in phthiſi, unde ad balſamica Elixir nempe proprietat. Balſamum Peruvianum, ipſumque ſulphur. & ex eo ſulphuris paratum balſamum progreſſum fuit, ſed & hoc non raro fruſtra tentatum, imò *Expertiſſimo Dn. Michaelis* tentante, multi ex nimio balſami ſuphur. uſu in phthiſin vel etiam hecticam inciderunt. progreſſum hinc fuit ad metallica, antimon. diaph. Antihect. Poter. Sach. Sat. (non contemnenda multis in affectibus remedia) vitriol. mart. in uſum revocatum, unde quam plurimae antiphthiſicae tincturae ex Saccharo Sat. & vitriol. mart. paratae fuerunt. Sed & hae ipſae ſaepius ſpem aegri fallunt, utut per ſe egregia ſint medicamenta. Nam licet vitriol. per ſe phthiſicis ſit virulentum, unde & acidulae iis nocivae cum eorum uſu alioquot phthiſicos hydropicos factos obſervarim, eſt tamen dulcedo vitriol. poſtquam ab omni ſeparatum eſt acido, quae ab ejus ſulphure pendet, & omnem vulnerum & ulcerum corruptorem enecat. Quod ſi verò nil horum juvare valeat, Eſſentiae ex vulnerariis in ligno ſaſſafras cum Spirit. roris majalis paratae, vel aqua ſeri lactis deſtillata extractae, per chirurgiam infuſoriam ſunt injiciendae, ut tentetur, quid propiori contactu haec valeant. Quod ſi non metuenda ſit inſignis incaleſcentia ſanguinis, cum Spirit. Vin. paratae it. Solutio balſami Peruviani injiciendae. Vix equidem fieri poteſt, quin aliqualis Eſſentiarum harum fiat in ſanguine praecipitatio, ſed ob id earum uſus non eſt negligendus, cum debito modo operentur, ut exemplo ſimilium *c.* 1. §. 4. & 5. allegata teſtantur: id quod & de Eſſent. Benzoës, vero pulmonum balſamo it. myrrhae omnis in ulcere corruptoris deſtructoris intellectum volo. Therebinthina ſola eſt balſamus verus occidentalis internorum ulcerum & vulnerum, hinc Medicus, qui convenienter eam diluere & ſolvere in liquorem limpidum noverit, eam injiciendo, intentum aſſequi valebit.

CONCLUSIO. VII.

In febribus acutis cum inflammationibus, itemque malignis, melius eſt infuſionem experiri, quam aegrum ceu deploratum relinquere.

§. 1. Expeditum remedium poſtulant febres, cum inflamationibus Eryſipelaceis partium imprimis internarum conjunctae, cum ſint admodum acutae, quales ſunt anginae, pleuritides, & peripneumoniae, inflammatio jecoris, diaphragmatis, quae & paraphrenitis audit veteribus, ventriculi, cerebri, cujus inflammationem ſphacelum appellabant veteres. Autore *Lindenio*, quod ſi haec inflammatio exteriora capitis occupet Eryſipelas capitis appellatur. Omnes hi affectus ſunt periculoſi & acuti, unus tamen plus alter minus. Cauſa eſt aceſcentia inepta ſanguinis, cum Sale ejus volatili efferveſcens, & ad coagulationem diſponens, unde reliqua omnia ſymptomata, & ſtagnante in hac vel illa parte ſanguine, dum ob craſſitiem per vaſa capillaria difficulter pertranſire poteſt, inflammatio inducitur: quod ſufficienter probat *Helmont. Tr. Pleura furens, it. VVillis de febrib. cap.* 11. Et confirmat experientia, tum anatomicorum, qui ſanguinem p. n. craſſum & grumeſcentem in taliter mortuis reperierunt, tùm *Gabelchoveri Cent.* 4. *cura* 70. & 79. Hinc & ii, & qui poſt nimiam incaleſcentiam corporis, imprimis ex exercitio vehementi, ſubitò frigidum ingurgitant potum, facillimè in hos morbos incidunt, ob ſubitaneam ſanguinis coagulationem; hinc eadem medicamenta, quae in hoc caſu, ut & in lapſo ab alto proſunt, pleuritidem ſimileſque morbos ſanant. Totum negotium conſiſtit in reſolutione ſanguinis grumeſcentis, quam ſequitur immediatè ſudor; praeſtant hoc medicamenta ea ſpecificè, quae acidum illud conceptum tollunt, & ſanguinem incraſſatum reſolvunt, omniaque alkali conſtant tam fixo, quam imprimis volatili. Saepius imò maxima ex parte ſatisfaciunt aſſumpta interne, quod ſi non contingat, mala interim exaſperentur, ultimum ferè refugium eſt in chirurgia infuſoria. Injici poſſunt liquores volatiles Salini v. g. C. C. ſanguinis human. Salis ammoniaci, aliorumque diſſoluti in aqu. cherefolii vel ſpermat. Ranarum, aliave appropriata: quod quia per ſe patet ex ſaepiùs iam dictis, hic prolixus eſſe nolo. De febribus ardentibus ſimplicibus & periodicis ob certas cauſas hic aliquid dicere ſuperſedeo.

§. 2. De malignis quid dicendum ſit, ferè haereo, ob obſcuram eorum naturam, ſicut alias nuſpiam magis coecutiunt Medici, quam in venenorum natura & cura, imprimis in iis, quae non ex animalibus originem ducunt. Sunt namque qui in malignis febribus nimiam ponunt diſſolutionem, ob ſal alkali volatile ſubtile & acre excedens, ſunt, qui in iis p. n. ponunt coagulationem ſunt, qui talem in iiſtatuunt putredinem, ut ſanguis in copioſiſſimos abeat vermiculos: alias aliorum ut ſilentio praeteream ſententias. Ubique proſtant rationes pariter & experientiae, unde ut theoria eſt diverſa ita & cura. Sunt, qui acidis ſanguini debitam reſtituere volunt conſiſtentiam, ſunt, qui ſudoriferis eum diluendum ſuadent, ex quibus optima medendi methodo, medium eligit JOH. SEPHAN. *Opera. Med. Decad.* 8. *Conſ.* 3. & *Decad.* 9. *conſil.* 6. Et in principio & incremento, efferveſcentiam praecipitantibus corrigendam ſuadet, qualia ſunt acida moderata, in ſtatu verò vel tunc temporis, quo natura expulſionem aggreditur, ſudoriferis ipſi eſſe opem ferendam. Qualis Methodus ab accuratioribus Practicis in variolarum imprimis cura obſervatur, unde & alii *Diaſcordium Fracaſtorii* in principio malignarum adeò commendant. Faciunt huc ex parte, quae ſuprâ *Concluſ.* 2. §. 4. de ſudoriferis dixi. Experientia hîc optimus judex: ut namque variant malignae febres in ſua natura, ita & varianda earum cura, omnes ejuſdem enim eſſe naturae nullo modo mihi perſuadeo, alia namque peſtilentialium eſt cauſa & actio, alia morbi Hungarici, ſicut in morbillis vel variolis & in dyſenteria maligna non minorem concipio diverſitatem &c. In hoc quidem omnes conveniunt, quod ſudoriferis ventilanda & expurganda veniat maſſa ſanguinea, quod cum omni febre continua putrida dicta commune habent. Quae quidem in principio ſint pauca, in incremento moderata, in ſtatu generoſa & hoc tempore ſola, illis verò temporibus, praecipitantibus ſeu efferveſcentiam compeſcentibus miſta; ſemper camphora eſt utilis. Omnia ergò ſi ritè fiant, ad pejus tamen continuo aeger, ne aliquid praetermiſſum ſit, quod fieri commodè potuiſſet, ad infuſionem quoque accedat Medicus, & quidem in ſtatu imprimis, ubi volatilia ſudorifera ex C. C. ſanguine humano, viperi cum camphora & theriacalibus miſta, infundat. ſulphur. quod *Hippocrat.* arcanum ad peſtem curandam fuiſſe dicitur in peſte ultima crudeli Londinenſi, multum feciſſe, certum eſt, etiamſi ſolum ſtagma ejus acidum potui ad gratiam ſaporis permiſtum fuerit, quod etiam inſanguinis putredine, ceu expertum laudat TAKIUS *judicio p.* 104. Magis verò optatui Medici ſatisfecit, ſi potus per Gas ſulphur. impraegnatus fuit, quem ad aſthma *Helmont* commodat *Tr. aſthma & tuſſis* §. 77. Methodum verò haec duo miſcendi docet KNOEPHELIS *tr. de febr. Epedemica p.* 96. Quemis ſimiliter ad omnes febres malignas univerſaliter commendat, quo potu mirabilia in peſtè iſtâ

Londi

Londinenſi ſe præſtitiſſe Medicus quidam ibidem locorum mihi affirmavit. Annon injectio hujus liquoris impraegnati fieri poteſt in venas? Dubito, ob coagulum, quod metuo, cui lubet experiatur.

CONCLUSIO. VIII.

In morbis hæreditariis fruſtraneam eſſe Chirurgiam infuſoriam arbitror, ut & in Atthritide & Nephritide.

§. 1. Hactenus in quibus caſibus probabiliter conducat infuſio explicatum, reſtat ut & quorundam faciam mentionem, in quibus inutilis apparet. Pro ſcopo Diætetico eam eſſe nullam, ex iis patet, quæ ſuprà *Concluſ.* 6. §. 3. dixi. Idem de hæreditariis affectibus ſimiliter judicandum, modo radices eorum cum vitæ, imò in vitæ ipſis principiis inſertas conſideremus. Ob has namque cauſas, in ordinario quorumcumque remediorum uſu, inextinguibilis eorum eſt furor, ſi ſemel exarſerit: Sive namque ex Ideis morboſis in Archæo in generatione ſingulatis, ſive ex fermento quodam cum contagio ſeminis ſpirituoſo translato, ſive ex alia adhuc incognita ratione ſint nobis congeniti perinde eſt, ubique medicina eſt imbellis, ad eorum inſultus. Quid ergo hic faciet chirurgia infuſoria? aut qua ratione corriget cauſas, adeò firmiter radicatas? Qualis nam liquor eſt infundendus, qui extinguat, occulta eorum ſemina? Hæret hîc aqua, & exulat infuſio;

§. 2. Hoc ſimiliter dicendum de nephritide, ut & de arthritide, quorum coagulans pariter ac tormentans acidum non tam infeſtat ſanguineam maſſam, quam quod ſtomachi inprimis ſuſcitetur vitio. Et cum in nephritide propior via ad renes ex inteſtinis ſit, quam ex brachio per venas & arterias quod ſupra *Cõcluſ.* 2. §. 3. innui, potius propiore via deducenda ſunt medicamenta, cuicunque etiam uſui inſervire debeant, quam remotiore. Cum arthritide eodem modo ſe habet negotium, acidum nempè in primis viis corrigat, qui præſervari vult â paroxyſmo, aut ejus præſentis acerbationem gravem inhiberi, cui cum ſatisfacere queant per os ingeſta remedia, quid opus eſt eadem infundere? Aut licet infundatur, plus adjumenti tamen modo non minus afferre nequit: imò cum ad præſervationem arthritidis præter vomitum nil conducibilius, quam per urinam repurgare ſanguinem, quod idem in curatione eſt ſingulare arcanum, cui uſui injecta Salſa volatile Sal. plena, nempè lumbrici, aſelli, & in ſpecie ſcarabeorum totus exercitus, præcipuè inſerviunt, hæc autem per os aſſumpta, apprimè neceſſitati ſatifaciant, abſtergendo & expurgando Salia ſylveſtria primarum viarum, fruſtranea omninò & ſuperflua hâc in parte eſt omnis infuſio.

CONCLUSIO IX.

In mulieribus gravidis periculoſa admodum eſt infuſio, in infantibus verò recens natis difficilis, imo inutilis.

§. 1. Totum negotium, quod in gravidis ut talibus incumbit medico, eſt ut præmaturam fœtus præcaveat excluſionem, hoc eſt, *abortum*. Huic nihil confert infuſio, cum liquor infundendus per os aſſumptus eundem præſtare valeat effectum, imò fortè meliorem, quia celeriorem, ſi vera eſt probabilis modernorum Anatomicorum ſuſpicio vias eſſe quaſi lacteas, ex meſenterio ad uterum, nutrimentum pro fœtu eo deferentes. Et qualis liquor pro præcavendo abortu infundi poteſt? Sin infundis liquorem confortantem ſpirituoſum & volatilem, vel hujus generis alium, qui commoverat ſpiritus & maſſam ſanguineam, metus eſt, ne vehementiore eorum agitatione uterus moveatur, & à Spiritibus inordinatè motis, ejus fibræ nerveæ impleantur & contrahantur, unde fœtus expulſio. Hinc namque vinum âdeò ſtrictè interdicitur gravidis à Practicis, ne ſpiritibus vel ſanguine commotis, ſequatur abortus. Hinc omnia medicamenta, quæ levem menſes proritanda habent potentiam, ut venena gravidis prohibentur. Quod ſi verò infundere velis liquorem opiatum, pro compeſcendis ſpiritibus nimium ferocientibus, vel ex morbo, vel delirio, vel dolore, vel omni affectu graviori, imprimis ira, terrore pavore &c (Quos frequentiſſimè inſequntur abortus, turbatis ſpiritibus,) in ſummum periculum gravidam injicis: nam torpentibus ſpiritibus coram motus æquabilis & blanda fibrarum nervoſarum inflatio ceſſat, unde & fibris uteri laxatis, hic ſponte fœtum elabi permittet, tono ejus ſic reſoluto. Præterea nil nocentius eſt gravidis, medicamentis opiatis, teſte accuratorum quorundam Practicorum experientia, quibus opiata lege artis adhibita; tam mediis quàm etiam ultimis menſibus, imò ſub finem geſtationis abortum provocare, fœmellarum damno innotuit. Imò opium ſingulariter utero eſſe infeſtum, eadem docuit experientia: eo ergò gravidæ infuſo, quæ non mala exinde orientur? Blandè ergò tractandæ gravidæ, imò nulla uti medicina, apud eas ſæpè eſt optima medicina, cum abortum ob nimium eum præcavendi ſtudium, interdum inductum eſt, obſervatum ſit.

§. 2. Tenellos quod attinet infantes ſive adhuc nutricis ſuſtententur lacte, ſive ſolidioribus uti cibis aſueſcat, in iis admodum difficile erit, Chirurgiam infuſoriam exercere ipſi enim adhuc immorigeri & intractabiles, quomodo aut venæ apertionem, aut inſtrumenti intruſionem ferent? Eorum corpus ſucci plenum ſub cute ab humiditatibus imbibitis turgida, altè abſcondi, vaſa quo modo ergò ea invenienda? Ipſorumque vaſorum exilitas inepta admodum per ſe eſt huic operationi. Et ob quem uſum turbabis ſemilacteam tenellorum ſanguineam maſſam, aut quem in finem, cui non abundè ſatifaciant per os ingeſta. Morbi ordinarii, quorum ſubjacent imperio tenelli, ex lactis vitioſo propullulant coagulo, ab acido p. n. oriundo, propter quam cauſam etiam lac rejicitur ceu ineptum pro nutritione fœtus ad vitam longam *ab Helmontio*. Qui ergo acidum præcavere aut debito modo corrigere valet, ſufficienter inſtructus eſt, pro medendis infantum vitiis, cui ſcopo vel ſolus aniſi ſeminus groſsè contuſi uſus, ſufficiens eſt, Benedictum ſanè pro infantulis hoc eſt medicamentum, quod & acidum corrigit, ſtomachum roborat, flatus inteſtinorum diſſipat & lactis coagulati æruginoſi excrementa per alvum exoptatam exturbat. Sed his abrumpo, rogando lectorem ut ſi quædam minus vel concinnè dicta vel præmeditatè ſcripta videantur, ea feſtinanti imò currenti & volanti calamo imputare velit. Dum ego interea dico.

SOLI DEO GLORIAM.

DISER

DISSERTATIO XVII.
DE MEDICIS BALNEIS ARTIFICIALIBUS.

I N 1.

P R O O E M I U M.

IN quantum olim Romani Balneis ſed delectaverint, id ſi non aliunde, Satis ex Plinii Junioris Epiſtolis conſtare poſſet, qui *Balnea*, *geſtationes atque ſeceſſus* inter maxima Romanorum delectamenta refert; Tanti enim tunc temporis lavacra æſtimabantur, quorum finis propè ſolum delectatio animique relaxatio erat. Si itaque hæc, quæ tamen nullum inſignem uſum præter voluptatem habeant, eo tempore tantopere laudibus efferebantur, quidni MEDICA-BALNEA ad ſanitatem utiliſſima ad cœlum uſque feramus. Quoniam igitur intra mox proximos dies diſputationem noſtram Medicam primam conſcribere nobiſcum conſtituimus, ex multis materiis denique hanc tractandam conſultò elegimus, DEUS qui opem tuam implorantibus præſtò eſſe ſoles, & nos Spiritus tui Sancti gratiâ rege atque guberna.

CAP. I.

SECT. I.

De nomine.

§ 1. Nominis explanatio eſt ipſius rei explicatio.

NOT.: Nam dilucida vocum interpretatio *intelligentiam*, uti Scaliger ait, *aperit*, adeò ut hinc etiam illa, ab Arian I.1.diſſert. c. 17 ἀρχὴ παιδεύσεως non inconcinnè ſalutetur.

§. 2. Nomen abſolvunt Etymologia, Synonymia & Homonymia.

NOT. *Etymologia*, nominis ſeu vocabuli originem exponit. *Synonymia*, ejus æquipollentias tractat. *Homonymia*, diverſum illius ſignificandi modum tradit.

§. 3. Vocabulum Balneum natales ſuos Græciæ debet; βαλανεῖον enim Græcis dicitur, quod anxietatem ex animo pellat.

NOT. Euſtachius ad Homeri Iliados K. ita obſervat de quo & Auguſtinus lib. IX. Confeſſionum cap. XII. legi poteſt. *Alei*, in quid Buchnerus in Theſauro erudition. Scholaſt Fabri in vocabulo BALNEUM παρὰ τὸ τὰς βαλάνους ἄνευ *ita dictum volunt. Suidas enim glandibus veteres veſci ſolitos fuiſſe, earumque putamina ſuccendiſſe docet, vid. Cœl Rhodig. lect. antiq. lib. XVII.* Cujus quoque Martinius in Lex. Philog. in eadem voce mentionem facit.

§ 4 (α) Balneum & (β) Balinèum dicitur: it: (γ) Balneæ & Balineæ: Stupha, lavacrum, lavatio. Germ. *Vin Dad.* Gall. (δ) un Bain.

NOT. (α) Inter *Balneum* & *Balnea* ſeu *Balneas* ut plurimum ita diſtinguunt authores, quod *Balneum* privatum, *Balnea* publica ſint. Varro autem lib. VII. de ling. lat. Balnea dici planè negat. (β) Ita Plautus, Cicero & Plinius habent; Cic. ad Attic. inquit: *Balineum caleſieri jubebo*: Quanquam hæc tanquam antiqua & obſoleta lectio ab elegantioribus hactenus exploſa, & non in puram latinitatis pronunciationem recepta fuerit. (γ) *Balnea* & *Balinea* in multitudinis numero inveniuntur; De quo Buchneri Lex. in tit. B. iterum evolvi poteſt. (δ) Hinc *maiſtre des Bains où eſtuves* eadem lingua *ein Bader*, & *baigner baden*, it imbuere ut *baigner en quelque liqueur* dicitur. De quo dictionaire François Alleman. Latin par Jacob Stoer à Geneve impreſſum, habet ac refert.

§. 5. Balneum Athenis etiam luſus quidam ſcholaſticorum erat. Genus potus quoque, non delicati audit.

NOT. Non hic Martinii jam modo citati verba, qui in Lex. ſuo Philolog. totum hujus luſus modum & formam delineat, exſcribam: Hoc ſaltem noto, *non planè diſſimilem fuiſſe*, uti idem Martinus loquitur, *iis, qui in Academiis hodie depoſitionis vulgo appellantur.* Gregorius Nazianzenus in Epitaphio Baſilii M. & Photius in excerptis ex Olimpiodoroquoque, hujus rei mentionem faciunt.

CAP. I.

SECT. II.

De re ipſa, Balneorumque Differentiis.

§ 1. Nominis explicationem ſequitur ipſius rei expoſitio.

NOT. Cognito conſideratoque nomine ad rem ipſam accedimus; quæ nullo modo alio melius nobis ſe ſiſtit, quàm in definitione. Definitio enim, Græc. ὅρος, ſecundum Ariſtotel. lib. I. top. 5. §. 2. eſt λόγος, ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων i. e. oratio, quæ, quid res ſit, ſignificat. Sive, uti 1. de animat. 11. habet: παντὸς ἀποδείξεως ἀρχή, i. e. omnis demonſtrationis initium.

§. 2. (α) Definitur autem (β) Balneum, quod ſit (γ) corpus ſubtile & liquidum *nos addimus* interdum & ſiccum (δ) corpori circumferentialiter occurrens vel occurrere aptum, ut ſit ipſius ſecundum qualitates manifeſtas vel occultas actualiter immutativum.

NOT. (α) Definitionem hanc ex Joh. Mich. Sa-

vonarolæ lib. 1. de balneis c. 1. deſumpſimus. (*β*) In omni autem definitione conſiderandum venit tum *definitum*, tum *definitio*. *Definitum* ſeu quod definiri debet, hoc loco eſt *balneum* quod melioris diſtinctionis gratia, uti mox ſequetur, in hac noſtra diſputatione dividimus in *ſiccum* & *non ſiccum*. (*γ*) *Definitio* ſeu quod definit, conſtat *genere* & *differentia ſpecifica*. *Genus* eſt *corpus ſubtile & liquidum*, & quod nos adjecimus, *interdum ſiccum*. *Corpus* dicitur, quoniam omnia Balnea materiâ corporeâ conſtant, aut enim ex aëre calefacto & incenſo aut ex aqua conſtant. Si ex aëre calefacto & incenſo, *Balnea ſicca* ſunt, ſi ex aqua *Balnea minus ſicca* ſeu *lotiones* audiunt. Dein corpus *ſubtile* dicitur ex eo, quoniam Balnea tantam vim penetrandi habent, ut etiam hominis ſeu ægri conſtitutionem planè immutent & alterent. Quòd autem Balneum corpus vel *liquidum* vel *ſiccum* à nobis pronuncietur, id propter duplicis generis Balnea nempe cum ſicca. tum minùs-ſica fecimus. (*δ*) *Differentiam ſpecificam* abſolvunt reliqua definitionis verba: *Corpori circumferentialiter occurens* &c. Quæ ab *objecto*, *modo* & *fine* deſumitur. *Objectum* eſt corpori occurrens &c. *Modus*, quomodo nimirum Balneum corpori occurrat vel occurrere aptum ſit, conſiſtit in adverbio *circumferentialiter* i. e. ut corpus cingat & circumſcribat, vel ad minimum circumſcribere poſſit, ſive id aquis in Balneis liquidis fiat, ſive aëre incenſo & calido in Balneis ſiccis; quanquam hîc definitioni noſtræ aliquantulum contradici poſſe videatur tanquam hæc circumferentialis circumſcriptio non omnibus Balneis noſtris ſiccis competeret, quod tamen in diſcurſu, ſi aliquis Dn. Opponens forte hoc dubium moveret, defendemus.

§. § Sunt autem Balnea vel ſicca vel minus ſicca.

NOT. Quoniam ſupra §. 2. Sectionis hujus, hujus diviſionis mentionem fecimus, non opus eſt, ut prolixiores ſimus in hac diſtinctione exponenda; Et ſtatim ad *Balnea ſicca* acceſſum facimus, Lectori benevolo, ſi non plurima, multo minùs omnia, tamen aliqua horum Balneorum genera referentes.

CAP. II.

SECT. I.

De Balneis Siccis.

§. 1. Balneum ſiccum eſt corpus ſubtile & ſiccum corpori circumferentialiter &c.

NOT. Integram hanc definitionem repete ex Cap. 1. Sect. 2. §.

§. 2. Diſpeſcimus autem Balnea ſicca in octo claſſes: 1. in Balneum ſiccum ſecundum excellentiam. 2. In Balnea ſpirituoſa ſeu cum ſpiritibus. 3. In Balnea fumida. 4. In Balnea cum lapidibus & ferro ardenti. 5. In Balnea cum candelis & lampadibus. In Balnea cum Oleis ſpirituoſis. 7. In Balnea cum brodio decoctorum. Et denique 8. In Balnea lecti, ut ſic loquar!

NOT. De his Balneis omnibus ſiccis exactè dicere eorumque naturam candidè exponere ſpatium temporis ſat magnum videretur parvum; In tantùm illorum explicationis fines ſunt extenſi, ut etiam in re Medica exercitatiſſimus in horum tractatione tam amplam copiam inveniret, de qua non ſine labore dicere poſſet. Nos pro ingenii modulo de quibuslibet pauca proferentes, eorum deſcriptiones qualeſcunque ſimul addimus.

§. 1. Eſt autem Balneum ſiccum (*α*) ſecundum excellentiam ita dictum ejuſmodi Balneum, ubi (*β*) in arcula ex quatuor aſſeribus compacta æger (*γ*) exerto capite & (*δ*) peculiaris fornacis carbonibus incenſo aëre ſudat.

NOT. (*α*) Nominamus hoc Balnei genus ſecundum excellentiam ſiccum quoniam omnium ſiccorum eſt maximè ſiccum tum etiam, quoniam, uti cap. ultim. ſectione ultima, ubi de Balneorum uſu loquemur, dicemus, reliqua noſtra omnia virtute anteit. (*β*) Arcula hæc ex quatuor aſſeribus lateralibus conſtat, ita tamen compactis, ut aër incenſus non poſſit evolare & exſpirare; In hujus arculæ ſuperiori parte lateralibus conſtat, ita tamen compactis, ut aër incenſus non poſſit evolare & exſpirare; In hujus arculæ ſuperiori parte lateralibus aſſeribus firmiter inſeruntur aſſeres foramen rotundum, per quod æger caput extrudere poteſt, habentes: In inferiori arculæ parte verò ſeu in pavimento canalis lignus edolatur, qui ſudorem de corpore ægri cadentem, ſi fortè in nimiâ copiâ adeſſet, uti in robuſtorum corporum ſudatione vehementiore interdum fieri ſolet, excipit, & ad vas extra hoc Balneum in terra poſitum tranſmittit. Ubi verò foramen, per quod caput hominis exit eſt, nimirum in anteriori parte & ubi janua hujus Balnei, ibi ſella ponitur, ſuper quam æger ſedens ſudare Balneoque uti poteſt; Poſteriorem autem partem ſeu locum hujus ciſtæ tenet fornax, de qua mox. (*γ*) Porrò dicitur *exerto capite*. Exſerere enim caput æger debet, ne à calore affligatur, & hoc modo morbi periculum adeat. Ne verò, ſi hoc modo caput eminet, calor omnis exalet, collum ægri circumvolvere & munire poſſumus linteis, & ita caput à calore & calorem ab omni exitu prohibere; Et ut etiam cor ægri ab omni nimio calore tutum exiſtat, pectori ejus itidem linteum affigimus, quod calorem cordi inimicum ſuſtineat & repellat. (*δ*) Fornacem hujus Balnei melius cerâ fingere, quàm verbis Tibi. LECTOR SINCERE, depingere vellem. Eſt autem fornax hæc cum tribus pedibus, duo in latere habens oſtiola, unum in ſuperiori, alterum in inferiori parte lateris, per ſuperius oſtiolum immittimus carbones ardentes, per inferius oſtiolum recipimus cineres, quanquam etiam cineres per tubulum fornacis per hujus Balnei pavimentum tranſeuntem extra hanc arculam in vaſe terreo colligantur: Medium autem hujus fornacis itidem tubulum habet, extra Balneum in poſteriori ejus parte eminentem, & quod admiratione dignum, totum hoc Balneum regentem. Huic tubulo enim operculum ex argilla factum intrudimus, quo operculo Balneum pro lubitu tanquam equum freno gubernare poſſumus. Nam ſi illud operculum huic tubulo penitus aut ad dimidium inſerimus, non admodum Balneatorium erit calidum, ſi verò planè eximimus operculum, nunc ſtatim æger vehementiorem calorem ſentiet, & ſic porro.

Et hoc modo in ejuſmodi Balneo ſicco è corpore ſudoris ℥vj plus minùſve provocari poſſe certo certius eſt.

§. 4. Balnea cum ſpiritibus ſunt ejuſmodi balnea. ubi in pari (*α*) arcula modo, aliam formam habente æger exerto capite aëre (*β*) à ſpiribus oleoſis calido & incenſo ſudat.

NOT. (*α*) Diximus notanter hanc arculam aliam, formam habere, nimirum etiam ex aſſeribus collateralibus conſtat, in medio autem fracturam admittit & unam partem hujus Balnei, ubi nimirum æger caput exſerit, reddit altam, alteram ubi vaſa cum ſpiritibus per oſtiolum in latere exiſtens imponuntur, reddit ad dimidium minorem. (*β*) Hi ſpiritus ſunt Spirit. Vini, Sp. Juniperi, ſambuci &c. Quibus duo vel tria vaſa ad tertiam vel dimidiam partem implentur, & ægri capite pari modo ut ſupra linteis munito, cum charta inflammantur.

§. 5. Balnea fumida ſunt ejuſmodi Balnea, ubi morbo Gallico laborans ex arcula priori arculæ ſimili ſedendo caput exerit, & membrum virile per ſellam excavatam dimiſſum & conſequenter totum corpus pulveribus atque trochiſcis fumigat.

NOT. I. Fumidum hoc Balneum nominamus ideo quoniam in hujus Balneatorii pavimento rotunda

da foramina reperiuntur, ſub quibus locus quidam oſtiolo clauſus & vaſa ignem habentia continens eſt, ſuper quæ pulveres ſive trochiſci ex vario gummi, Mercurio, cinnabari ſparguntur, quorum in morbo gallico utilem fumum foramina rotunda recipiunt, & ad infecti membrum virile transmittunt; A latere autem hujus Balnei foramina duo habere utile eſt, ut mox per illa videri poſſit, an fumus ſufficiens in Balneatorio ſit. Caput autem etiam ideo æger exerere debet, ne noxam capiti fumus creet.

NOT. II. Aliàs hoc in morbo Galli & Itali Balneatoria quoque parva alia habent, in quibus fornaces minutiſſimas cum caminis ædificant, & ſupremam balnei partem multis foraminibus rotundis conſpicuam reddunt; Si itaque ægrorum magnus numerus eſt, ſex vel ſeptem ſimul in ejuſmodi Balneum relegantur, & ita illud ſæpius calet, ut multi interdum animam præ nimio calore expirare neceſſe habeant.

§. 6. Balnea cum lapidibus & ferro ardenti, ejuſmodi Balnea ſunt, quando (α) aqua vel (β) alio liquore utili in lapides & ferrum excandeſcens fuſo, fumus excitatur, (γ) & æger hoc modo ſudat.

NOT. (α) Poteſt autem ejuſmodi fumus duplici modo excitari, aut ut aquam in lapides candentes fundamus, aut ut lapides ignitos in aquam ipſam immittamus. (β) Diximus autem etiam *vel alio liquore utili*, ut conſtaret; decocta atque lixivia præter aquam alia ad hujus vel illius morbi curationem facientia parari & ſimilique modo affundi poſſe. Uti etiam hoc loco non ſimplicem tantùm aquam intelligimus, ſed & aquam thermarum atque acidularum &c. Uti & hac in ferrum ignitum fuſâ largum ſudorem elici poſſe Mart. Mayerus in tractatu ſuo, quem *Tract. de Therm.* inſcribit, p.m. 141. ait (γ) *Et æger hoc modo ſudat.* Duplici modo hoc fieri poteſt, vel ut ſtando ſive ſedendo fumum è lapidibus, ſcoriis &c. calidis excitatum recipiat: ita tamen ut fumus, quò velit, volare poſſit, & propter liberiorem exitum ſuum hoc modo non omnis ad ægrum perveniat; vel ut, ægrò ad vas ex uno latere & ſuperiùs, ne fumus alibi inutiliter feratur, linteis clauſum ſedente, fumus capiatur, omnique ad hominem hoc modo feratur.

§. 7. (α) Balnea cum candelis & lampadibus ejuſmodi balnea ſunt, ubi (β) in vaſe amplo atque rotundo fumô atque calore peculiaribus candelis excitato æger ſudat.

NOT. Balnea hæc apud Ægyptios admodum fuère in uſu, quos candelas ſingulari modo præparatas habuiſſe, illiſque vaſa ampla atque rotunda, in quibus æger incluſus ſedebat, calida feciſſe, illumque hoc modo ad ſudorem adegiſſe antiquitas narrat. (β) vaſorum autem horum ſtructura talis erat; Globorum rotunditatem referebant, ſed ſatis amplam, in hujus Balnei pavimento foramen erat ſub quo candelæ ex variis reſinis & gummi factæ ſtabant, & hoc modo Balneatorium hoc calidum reddebant. In ſuperiori autem ejus parte, uti in cæteris Balneis foramen magnum atque rotundum cum aliis parvis foraminibus erat, per quod ægri caput eminebat, & per quæ fumus expirabat.

§. 8. Balnea cum Oleis ſpirituoſis ſunt, ejuſmodi Balnea ubi in vaſe caveæ magnæ ſimili, linteiſque madidis quoad rimas clauſo, exerto capite oleiſque ſpirituoſis incenſo aëre, æger ſudat.

NOT. Baculi in Balnei hujus baſin induntur, ita tamen, ut omnes ſe imperfectam rotunditatem componant, & ita habitaculum quoddam rotundæ cavæ magnæ ſimile reddant; Baculi itaque cum linteis obducuntur, ne calor per rimas adeò magnas evaneſcere poſſit, In baſi verò hujus Balnei foramen ſatis amplum eſt, per quod Olea ſpirituoſa e. g. Juniperi, pini, petræ &c. in loco concluſo ſub Balneo hoc incenſa fumum ad ægri in ſuprema Balnei regione caput exerentis corpus mittunt.

§. 9. (α) Balnea cum brodio decoctorum ejuſmodi Balnea ſunt, ubi in arcula ſtannea ſeu ſtanno obducta Balneo noſtro ſicco ſecundum excellentiam ita dicto fermè ſimili aëre à (β) folliculorum ſpirantium & aquis pretioſis ac odoratis & aliis decoctis impletorum brodio inſenſo aliquis ſudat.

NOT. (α) Apud Principes atque Magnates ejuſmodi balneatoria valdè in uſu fuiſſe conſtat. Erant autem magnitudine non admodum magna, & ut pari modò, uti in aliis caput exſtaret, elaborata. (β) Ejuſmodi autem folliculi ex metallo & cupro, vel ſeorſim exiſtebant, vel in fornacem Balnei erant inſerti atque intruſi, ut hoc modo eò citiùs calefierent, & per tubulum vel collum anguſtum fumum vel brodium amœnum eò meliùs ſpirare poſſent.

§. 10. Sequuntur Balnea lecti, quæ iterum in duas claſſes diſpecimus; In Balnea lecti ſuo modo conſiderata, & Balnea lecti accidentali modo cõſiderata.

§. 11. Balnea prioris generis ſunt, quando (α) medicamentis ad ſudorem facientibus ſumptis æger (β) vulgari modo in lecto ſudat.

NOT. (α) De his medicamentis in cap. ſeq. dicendum veniet, quanquam hîc obiter noto, quod Sp. C. C. cum aqua Sperm. ran. cum & ſine aliis medicamentis ſudorem facientibus ut plurimùm antequam ſudamus, magna cum utilitate ſumi poſſit. (β) Dicimus *vulgari modo*: id eſt, uti promiſcuè ægri ſudare ſolent lectis, undique cicumvoluti & clauſi, modo ut ſequentem in lecto ſudandi modum ab hoc diſtingueremus, qui non vulgari, ſed alio & accidentali modo fit.

§. 12. Poſterioris generis Balnea ſunt quando æger tam morboſæ conſtitutionis eſt, (α) ut neque ſtare, neque ſedere poſſit, & ſi in igne incenſo balneatorio ſudare vult vel debet (β) peculiare Balneum in lecto ſibi ædificari neceſſe habeat, quò hoc modo ſupinus ſudet.

NOT. *Ut neque ſtare neque ſedere poſſit* &c. Nimirum quando forte arthritide, podagra aliaque convulſione corporis laborat. (β) Appellamus hoc Balneorum genus *peculiare Balneum* ex forma; Nimirum ad utrumque lecti latus tria vel quatuor ferrea foramina oblonga habentia affiguntur, in horum foramina arcus ad rotunditatem ſe componentes in anteriori parte lecti minores, in poſteriori verò majus ſpatium capeſſentes induntur, qui, uti ſuprà retulimus, madidis linteis circumvoluti, ne calor dimanet in poſteriori hujus Balnei parte clauſa calefaciendi cauſa fornacem habent. Uti Mantellum hoc ligneum ſudoriferum ſeu Laconicum Andr. Tentzelius in exegeſi Chymiatrica prolixius deſcribit, quem vide p. m. 762.

§. 13. Præter octo Balneorum ſiccorum univerſalium claſſes, in quibus Balneis ut plurimum totum corpus ſudare ſolet, ſicca particularia Balnea etiam addimus, quæ communiter ſuffitus nominantur.

NOT. Ejuſmodi Balneum ſiccum particulare eſt, quando e. g. ſuffocatione uteri pennarum perdicum ſuffitus naribus admovetur. Quando in retentione menſium hâc vel illâ re in ſpecie ſcoriis reguli antimonii in aqua ſolutis uterus fumigatur; In odontalgia baccæ cum thure, Ladano, maſtiche &c. Et quæ Balnea particularia alia in Authoribus hinc inde leguntur & à ſingulis excogitari poſſunt.

Et hæc ſunt *Balnea ſicca*, quæ in præſenti non definire, ſed ſaltem leviter deſcribere animus erat, nunc bono cum DEO ulteriùs pergentes ad *Balnea non ſicca* ſeu *lotiones* acceſſum maturamus.

CAP. II.

SECT. II.

De Balneis non Siccis Seu Lotionibus.

§. 1. Innumeræ ferè ſunt lotiones, nos thermis, aliisque pluribus omiſſis noſtras lotiones & quidem omnes ex herbis aliisque medicamentis conſtantes in quatuor ſaltem claſſes dividemus.

NOT. Thermas conſulto omittimus, quinam enim conſummatæ eruditionis Medici non fuerunt, qui non de thermis, acidulis &c. elegantes ediderunt tractatus, inter quos Langius Phil. & Med. D. Profeſſor hujus Academiæ olim celeberrimus non ultimum locum tenet, ut ego itaque tenuium profectum adhuc homo, ſi plura de his ſtylo proſequi, vellem in tanta copia aquis aquas viderer addere, & quidem claris ac pellucidis turbidas quoniam id, quod illi experti ſcripſerunt, ego inexpertus forte confunderem.

§. 2. Eſt autem noſtrarum quatuor claſſium lotio prima, quando in communibus Balneatoriis, in quibus corporis ſordes abluimus, (α) corroborationis aut odoris gratia (β) herbas benè odoratas in vannum injicimus.

NOT. (α) Dicimus *corroborationis aut odoris gratia*, nam nemini non conſtat, corpora noſtra multum relaxari Balneis, imprimis ſi præter conſuetudinem tempus balnei trahitur, hinc utile eſt, corpora iterum corroborari, quod autem duplici modo fit vel *tactu* vel *odore. Tactu* fit, quando nos in aquas ſparſæ herbæ ambiunt, & corpus ita attingunt & roborant, vel quando ſuper ſacculos herbis utilibus repletos ſedemus, & ita membrorum corroborationem quærimus: *Odore* autem fit ſi eædem vel aliæ herbæ in Balneis tam ſuavem odorem ſpirant, ut & hoc modo homo vires Balneo amiſſas recuperate queat. (β) *Herbas bene odoratas* &c. e. g. quando ſerpillum, majorana &c. communiter in vanum mittitur, ſive herbæ illæ maneant integræ, ſive antequam in aquam injiciuntur, ut majorem odorem ſpirent, conſcindantur.

§. 3. Lotio ſecunda eſt, quando in vanno (α) medicamentoſis aquis impleta & ſuperiùs clauſa (β) exerto capite aliquis ſudat, & ſe lavat.

NOT. E. g. Medicamentoſæ ejuſmodi aquæ ſunt, quando in ſcabie aliisque ejuſmodi affectibus ſulphur. cum calce viva per ſe ſive cum ferro coquitur & aquæ ſive lixivii hujus flavi quantum ſufficit, cæteris aquis affunditur, ſive ſi bonam quantitatem baccarum laurî & ſulphur. in aqua coquo & etiam cæteris aquis affundo. (β) Si vannus amplæ magnitudinis eſt, etiam tuo capitibus exertis ſedere, & ſe lavare poſſunt.

§. 4. Lotio tertia eſt, quando (α) Nitrum in vannum immittitur & æger thermas (β) aliquatenus quaſi æmulatur.

NOT. (α) Ad quamnam rem hæc lotio utilis cenſeatur, in ultimo hujus diſputationis capite exponam. (β) Dicimus *aliquatenus*; Nam ad quas lotiones etiam ſulphur. accedit, magis thermas æmulari videntur, quales excogitari poſſe Jo. Rudolph. Glauberus in furni ſui philoſophici parte tertia ſcribit.

§. 5. Denique lotio quarta particularis eſt, quando nimirum (α) hanc vel illam corporis partem morbo obnoxiam (β) in hac vel illa medicamentoſa aqua æger lavat.

NOT. (α) *Hanc vel illam corporis partem morbo obnoxiam* dico, quoniam interdum, ut totus homo ſeſe lavet, non requiratur, ſed ut offenſæ ſaltem partis rationem æger habeat, neceſſitas poſtulat. E. g. Uti fieri ſolet, ſi nervi morbo aliquo connexionis, uti ab inſtitutioniſtis nominatur, laborant; & ad partem aliquam ſunt inciſi. Si pectus in hoc vel illo morbo hujus vel illius intincti lintei indigeat. Si mulieres in hoc vel illo morbo pedes medicamentoſis & cum herbis, floribus & radicibus coctis aquis immittunt. Si caput hoc vel illo lixivio in tineis, furribus, defectu capillorum perfunditur. Si hoc vel illo liquore dentes in odontalgia lavamus. Et quæ hujus generis lavationes plures ſunt. (β) *In hac vel illa medicamentoſa aqua* &c. Multa enim ejuſmodi brodia atque decocta medicamentoſa ſunt, quæ quilibet ex autoribus petere ſive ipſemet pro lubitu ſibi præſcribere & componere poteſt.

Et ſic, benevole Lector, *Balnea* tum *ſicca* tum *lotiones* aut *minus ſicca* habes. Accingimus nunc nos bono cum DEO ad diſputationis noſtræ caput tertium, & quid circa horum Balneorum utendi modum obſervari debeat, paucis exponimus.

CAP. III.

SECT. I.

De Utendi modo.

§. 1. Circa utendi modum tria obſerventur moneo, nimirum quid ante Balneum, quid in Balneo, & denique quid poſt Balneum agendum ſit.

NOT. (α) Si ullæ res ſunt, quæ immutabilem aliquam conſequentiam requirunt, certè inter has primum nomen ſuum Medicina profitetur; Quæ tanquam divina & nunquam ſatis laudanda ars ita ſuas periodos & tempora obſervat, ut ceu annus nullum diem, ita & illa nullam ordinis rationem prætermittat; In tantum enim in unum quaſi orbem omnia Medicinæ adminicula redeunt; Ut hinc id etiam in balneis noſtris obſervandum venire videatur; Si enim in antecedentibus illorum non rectè procederetur, quomodo illis ſequentia exaſſe reſpondere poſſent; Qua propter ſit.

§. 2. Ante Balneum ad res ſeu non-naturales inprimis attendere æger neceſſe habet, quæ ſunt aër, cibus & potus, ſomnus & vigiliæ, motus & quies, excreta & retenta, atque animi pathemata.

NOT. Nimirum *tota noſtra Medecina*, Inquit Io. Riolanus in univerſæ Medicinæ compendii parte ſecunda, quæ ὑγιεινὴ diæta ſanorum appellatur, cap. 1. *in tribus capitibus conſiſtit, REBUS NATURALIBUS, NON-NATURALIBUS ET CONTRA NATURAM. Res non-naturales*, Paulò poſt eodem capite pergit, *media ſunt inter naturales & eas, quæ ſunt contra naturam: Neq; enim naturam noſtram conſtituunt, ut res naturales, nec eandem lædunt, ut affectus contra naturam, ſed ſunt promiſcua & indifferentes. Benè utenti bonæ: malè utenti malæ. Ejuſmodi ſunt aër cibus, potus, ſomnus &c.*

Ne itaque & nobis in Balneis malè utentibus eædem malè ſint, ſed benè utentibus bonæ, curam geramus, ne bonæ illæ res malè à nobis adminiſtrentur.

§. 3. Aer (α) ante Balneum ſit (β) maximè purus, ab omni (γ) vitio planè alienus & (δ) qui ventis ſalubribus perflertur.

NOT. Dicimus hoc loco *ante Balneum* non tanquam in ipſo actu Balnei poſtque ejus executionem non par aëris ratio habenda ſit, quum tamen *purus, ab omni vitio alienus* ſemper conferat; ſed adjicimus hoc

loco

loco vocabulum *ante*, ut temporis diſtinctionem eò meliùs faciamus. (β) *Maximè purus*; quò purior enim aër, eò meliùs hominis natura ad ſudorem præparatur, dum hoc modo omnes corporis pori aperiantur. Si autem *aër impurus* eſt, terreſtri & impura ſua materia poros claudit, quò minùs ſudor rectè & benè propellatur. (γ) *ab omni vitio plane alienus* i. e. qualitatum & ſubſtantiarum (δ) *& qui ventis ſalubribus perfletur*; Venti enim puri ſunt, qui aërem maximè purum in cubiculo quodam reddunt; hinc etiam omnibus cum ſudantibus tum dormientibus autor ſum, ut in cubiculis ſuis ejuſmodi caminos, mediantibus quibus aër illius loci ſeſe corrigere queat, habeant.

§. 4. Cibus & potus ſit (α) Euchymus, (β) paucus & (γ) temperatæ naturæ.

NOT. (α) *Euchymum*, ſecundum citati Riolani cap. 12. *dicitur, quod bonum ſanguinem generat, in quo quatuor humorum quantitas, qualitas & proportio legibus naturæ conveniens ſervatur.* (β) *Paucus autem cibus & potus* à nobis ſtatuitur, ne nimia eorum ingurgatione pori claudantur. *Nullus* verò ideo non admittitur, quoniam nimis valdè calor nativus ſudatione debilis redderetur, niſi priùs cibi boni & pauci illi irent auxiliatum. (γ) Tandem ſit *temperatæ naturæ*. Illum autem cibum ac potum temperatæ naturæ voco, quorum uterque inter calidum & frigidum medium tenet. Hoc enim modo fit, ne cibus & potus nimis calidus ad ſudantis (cujus ſpiritus aliàs ſudoriferis magis quàm alio tempore fieri ſolet, incaleſcunt) excedentem calorem anſam præbeat, neque nimis frigidus crudam & frigidam materiam in illo præparet, quæ deinceps ſudatione, poris omnibus per illam clauſis, vix ſe propellere patitur.

§. 5. Somnus & vigiliæ etiam intra mediocritatem conſiſtant.

NOT. *Somnus* longior humectat, refrigerat, cruditates multas ſudore deinceps vix diſſolubiles generat, quæ vigiliis mediocribus non tanta incrementa ſumere queunt. *Vigiliæ* verò immodicæ etiam ſudantibus non uſui eſſe videntur, quoniam illorum ſpiritus, qui aliàs ſudatione incendi ſolent, per illas adhuc magis incendantur, & ita calidum nativum nimis debilitetur.

§. 6. Motus & quies etiam intra terminos ſuos ſe contineant.

NOT. Nimius enim motus ſpiritus nimis incendit; nimia autem quiete totum corpus refrigereſcit, pituita multa & excrementa congeruntur, quæ omnia mediocris motus diſſiparet, ſeu ut ſudorifera meliùs diſſipare poſſent, anſam præberet. Ubi etiam, ſi tempus eſſet, de *utilitate frictionis* ante Balnei uſum multa dicere poſſemus.

§. 7. (α) Excernantur, quæ excernenda ſunt, retineantur, quæ retinenda ſunt.

NOT. (α) Quoniam juxta Riolanum *excrementa quædam benigna ſunt & ſola quantitate ſunt excrementa*, de quibus mox; *alia planè inutilia, quæ non tantum quantitate, ſed etiam qualitate ſunt excrementa* &c. cum planè inutilia generalia e. g. alvi proluviem, lotium & ſudorem, tum planè inutilia particularia e. g. mucum cerebri &c. ſimpliciter abjicienda & excernenda ſtatuimus; quoniam ſudorem magis cohibent quàm promovent, & ſine periculo etiam excerni poſſunt (β) Jn excrementorum autem benignorum e. g. ſeminis, ſanguinis menſtrui excretione, de quibus ſuprà, ut rationem magis conſulamus, ſuadeo, quoniam illorum retentio, prout conditio fert, interdum magis utilis eſſe quàm nocere videatur.

§. 8. Ἀπαθὴς, vacuus & liber ab omni perturbatione ſudans ſit.

NOT. Nam quamdiu animus æger eſt, tamdiu jam non de ſalute patientis ſperandum; quam cito patiens priſtinam poſſit recuperare ſanitatem, ſi animo tranquillo morbi exitum expectat.

Et hæc ſunt, quæ ſex res non-naturales ſeu diætam concernunt. Antequam autem cum ægris noſtris in ipſa Balneatoria nos conferamus, adhuc obſervandum venit, an materia illa, quæ per ſudorem evacuanda eſt, an verò ſi purgatio ejuſmodi præcedat, meliùs ſe vinci patiatur; Si prius obtinet, purgationem pro re admodum neceſſaria reputamus; quamvis hoc loco cautè agendum, ne in febribus ardentibus aliiſque ejuſmodi morbis, qui purgationem recuſant, purgemus, hoc enim modo multo citius, quàm aliàs factum fuiſſet, ad vitæ ſuæ exitum properaſſe novi: Si autem purgatio magis prodeſt, quàm obeſt, tunc illa admittenda? Quapropter ſit.

§. 9. (α) Nonnullos dies ante Balneum, ſi ægri conſtitutio & materiæ conditio admittit, β) purgantibus corpus evacuare & hoc modo ſudorem futurum magis promovere ſuadeo.

NOT. (α) *Nonnullos dies ante Balneum* ideò dicimus, quoniam ſi purgationem ſtatim Balneum ſequeretur nimis valdè ſudantis vires debilitarentur, ne itaque illud fiat, ut aliquod temporis ſpatium interveniat, utile judicamus. (β) Vel ſub ſpecie pulveris. E. g. ℞. Pul. Jalap. Cremor tartari an gr. Xvj. Diagrid. ſulphurat. gr. vij. Nitri. gr. iij, ol. Succin. gr. j. M. D. S. Pulv. purg. Vel ſub ſpecie Electuari, e. g. ℞. Conſer roſar. ʒß. Pul. Jalap. Cremor. tartari an. ℈j. Diagrid. g. vij. Nitri. gr. iij. M. D. S. Elect. purg. Vel ſub ſpecie ſucci e. g. ℞. Syr. roſ. ʒiij. Aqu. cinamom. ʒj. Pul. Jalap. ℈j. Diagrid. ſulphurat. gr. vij M. F. Purg. ſucc. pr., dos Vel ſub ſpecie noduli, e. g. ℞. Menth. rec. roſmarin. rec. an. Miß. fol. Senn. ſ. ſt. ʒv. rad. helleb. nigr. ʒß. rhab. El. ʒij. Sem. 4. calid. min. ʒij. bacc. juniper. ʒvj. Sal. tartari ʒij. Inciſ. includantur nodulo M. F. Nodul. purg. Quam formulam ab Excellentiſſimo Dn. PRÆSIDE præſcriptam hîc loci in Officina ad Nigrum Æthiopem, uti vocant, vidi atque legi. Et ſub qua alia forma purgationem inſtituere tibi animus eſt. Sed tempus nunc inſtat, ut ægrum diſcalciemus, eundemque veſtibus exuentes nos cum illo in balneatoria ipſa recipiamus; Singula autem Balnea noſtra iterum ad manus ſumere, quidque in ſingulo inter balneandum agendum fit, ſeorſim exponere, quum diſputatio noſtra aliàs præter opinionem excreverit, nimis longum foret; qua propter quid inter balneandum tractandum ſit in tribus §. is ſequentibus exponentes id ipſum una facie & vice depingemus.

§. 12. Ut eo melius æger ſudet (α) morbo, tempori, perſonæ, loco &c. convenientibus (β) ſudoriferis quum jam ſudare incipit, melioris ſudationis cauſa utatur.

NOT. (α) Addimus *morbo*, *tempori*, *perſonæ*, *loco* convenientibus; Ex aliis enim medicamentis ſudoriferum conſtet, quo aliquis in morbo Gallico utatur, ex aliis, quod in morbilis uſurpetur, *Tempus* etiam diſcrimen facit, nam tempore hyemis & autumni, quo corporis pori magis clauſi ſunt, & materiæ peccantis copia in corporibus humanis major eſt, ſudorifera ſint vehementiora validioraque quàm æſtate & vere, quibus temporibus pori magis dilatati conſpiciuntur. Porrò *perſonæ* ratio etiam habenda eſt, cujus temperamentum atque natura optimus in hac re tibi magiſter erit; Et denique *locus* etiam, in quo ſudatio inſtituitur, diverſa ſudorifera poſtulat, ubi enim calor vehemens eſt, ibi ſudorifera mitiora propinari, ubi autem calor non admodum excedit ibi ſudorifera fortiora locum habere poſſunt (β)

Dies me deficeret, ſi ſudorifera omnia, quæ tempore Balnei uſurpari poſſent, recenſere vellem; poteſt itaque quilibet ex pulveribus, ſyrupis, aquis ſpiritibus &c. ad ſudorem facientibus pro morbi conditione ſudorîfera ipſemet. componere, ne tamen hæc planè ſicco pede tranſire videar, paucas illorum deſcriptiones ſaltem hic addam. De Sp. C. C. autem cum aqu. ſperm. ran. ſumpto ſuprà diximus, quò ſi non multam ſimplicium compoſitorumque adamamus compoſitionem, promiſcuà in omnibus Balneis ſecurè uti poſſumus. Sequentes ſunt formulæ longiores; E. g. ℞. Aqu. Card. Bened. Sambuc. Sperm. ran. an. ℥j. Sp. C. C. ʒiß. Sambuc. Card. bened. tartari rectificat. an ℈ij. C. C. S. Ignes ʒß. Ocul. Cancror. ℈j. Nitri gr. v. M. F. Spirit. pro. 2. D. S. Quamquam hæc potiuncula ut plurimum in Balnei lecti, ùt ita loquar, à nobis uſurpetur; Et dimidia illius parte veſpertino tempore, ſi cubitum ire volumus, alterâ dimidiâ parte mane, antequam à lecto ſurgimus magna cum utilitate utamur. In reliquis Balneis, & in hoc, uſurpari poſſent ſequentia: E. g. ℞. Theriac Andromach. ℥ß. M.F.Spirit. Diapho. pro plurib. doſ. ♃. Vel Pulbez. D. S. c. l. gr. Xij. Margarit. præpar. gr. vij. Sal. Card. bened. gr. V. Ol cinamom. gr. j. M. F. pul. diaphor. & corrob. Morbo gallico verò laborantes non ſolum ſudoriferis morbo illorum convenientibus utantur, ſed etiam peculiares potiunculas ex ligno Guajaco, ſaſſafras, ſarſa parilla, radice Chinæ &c. compoſitas habeant, de quibus quotidie bibant, imo ſequentem eſſentiam illis non inutilem etiam uſurpare poſſunt nimirum. ♃. Eſſent. lign. ſanct. ℥ß. Sp. C. C. ʒiß. M. D. S. Eſſent. cap. Sing. dub. gt. 40. In vin.

§. 11. Sudet autem æger corde & capite à colore probè munitô.

NOT. De hoc quoniam ſupra diximus, nunc plura addere non libet.

§. 12. Non ante tempus juſtum ſudatio finiatur.

NOT. Finis enim hoc modo non impetrabitur, e. g. morbili non ſatis emergent, niſi ſudatio ſufficiens præceſſerit. It. in morbo gallico non ſatis ſanguis ſe purificabit, niſi juſto ſudore ille corrigitur.

Et hoc modo omnibus, quæ ad ſudationem pertinent, probè perpenſis, iterum nos cum ſudantibus in hypocauſtum vel cameram conferimus. Sit itaque,

§. 13. Poſt Balneum (α) ſudorem æger abſtergat, (β) in lectum vel hypocauſtum calefactum ſe conferat.

NOT. (α) Statim autem id fiat, ne iterum, ſi forte illi, antequam in hypocauſtum aut cameram pervenire poteſt, loca frigida perambulanda ſunt, ſudor ille ſalſus & inutilis ſe retrahat, ſicque novi morbi cauſa ſit. (β) Id ſuademus ideò, quoniam tum ex nimio calore in frigidum ſtatim ſe conferre corpori valde noxium eſſet, tum etiam ſi in Balneis ſudatio non juſta fuiſſet, hoc modo & imprimis in lecto de novo & ad ſatietatem quandam abſolvi poſſet.

§. 4. Hôc factô (α) bonam diætam iterum obſervare & (β) confortantibus ſudore reſolutum corpus corroborare ſuadeo.

NOT. (α) Hujus quoniam ſuprà mentionem fecimus, de eadem iterum de novo dicere ſupervacaneum eſſet, qua propter Candidum Lectorem ad §. 2. & ſeq. hujus capitis amicè remittimus. (β) Ejusmodi confortantia autem conſiſtunt tum in *cibis* tum in *medicamentis*; De cibo & potu hîc non agam, quoniam partim ad hujus §. (α) ubi de diæta agendum eſſet, hæc tractatio ſpectat partim quoniam aliàs, qui cibi boni ſucci ſint, & quo hi corpora noſtra optimè corroborare queant, cuique facilè conſtat. Medicamenta vero confortantia multa ſunt, & imprimis hîc locum habent illa, quæ germ. Iuſcul. corrobor. nominamus, ex Phaſianis, caponibus &c. per brodium calidæ aquæ in lagenis ſtanneis expreſſa & deinceps cum cinamomo, ſaccharo, Caryophillis aliisque aromatibus & ſuccis condita atque miſta. It. huc ſpectant Julepi, cum Syr. e. gr. ceraſorum, acetoſitat. cirr. violar. papaver. Rh. &c. uti & cum aq. cinamom. it. Sp. vitriol. ſeu ſulphur. mixti & compoſiti. Porrò varia genera Morſulorum cum carne citr. cydon. &c. Confect. Alkerm. ſaccharo & aliis pulveribus confortantibus parata. It. Electuaria ex conſervis e. g. roſar. borrag. &c. cum ſpeciebus variis e. g. de hyacinth. de gemm. calid. & frigid. &c. facta. Et denique balſami, omniaque illa: quæ iterum robur & vim corpori calore enervato addere poſſunt.

Et ſic, DEO adjuvante, hujus capitis tractationem etiam abſolvimus, progredimur itaque bono cum DEO ad ejusdem capitis ſectionem ſecundam ſeu ultimam, quæ horum *Balneorum* omnium *utilitatem & uſum* monſtrat.

CAP. III.

SECT. II.

De horum Balneorum utilitate & uſu.

§. 1. Balneorum ſiccorum uſus, & imprimis illius, quod balneum ſecundum excellentiam dicitur, multiplex eſt; A morbo enim quocunque ſi homo illum imminere ſentit, illud Balneum non ſolùm ut plurimum præcavet, ſed etiam amiſſam ſanitatem ſæpiſſimè ægro reſtituit.

NOT. De hoc quod univerſi corporis poros aperire, interius penetrare, coagulata reſolvere, & hinc corpus totum præ omnibus aliis Balneis maximè à peccantibus humoribus per ſudorem evacuare poſſit, jam nihil dicam.

§. 2. Balnea cum ſpiritibus oleoſis (α) vi penetrandi imprimis nota ſunt, nervis conducunt, & (β) fumigando interdum illud præſtant, quòd aliàs ſpiritus hi illiti efficiunt.

NOT. I. Inſinuat nimirum ille fumus ſe imprimis poris corporis propter oleoſam ſubſtantiam, quæ à membris ſudantibus calidis facilè intus trahitur, ut totum corpus hoc modo pervadat. (α) E.g. Sp. Juniperi, Sambuci &c. qui uti nervos induratos aliaque corporis membra calloſa inungendo flexibilia calidaque vi ſui ſulphuris reddunt; Ita etiam fumigando Sp. hos illud efficere poſſe planè mihi perſuaſum habeo. NOT. II. Non autem æque ac primum hoc Balneum mihi arridet, cauſam in conflictu vel dicurſu proponã.

§. 2. Balnea fumida morbum Gallicum aliosque contagioſos morbos pellere, (α) ſanguinemque impurum corrigere creduntur.

NOT. (α(Hæc ſanguinis purificatio autem non una vice fieri ſolet, ſed patiens ſæpius ut ſudet variisque ſanguinem corrigentibus, uti ſuprà dictum, potiunculis ut utatur neceſſum habet.

§. 4. Balnea cum lapidibus & ferro &c. duplicem uſum habent, tum (α) ut ejuſmodi lapidibus ignitis in aquam immiſſis & hôc modo brodio aliquo excitato æger magis ſudet, tum (β) ut illa multos morbo curent, eorundemque dolorem tollant.

NOT. (α) Hoc imprimis cum ſilicibus communibus expeditum datur, quanquam etiam alii lapides ſint, qui idem efficere poſſunt. (β) Uti e. g. calculi ejusque doloris curatio iisdem ſilicibus à quibusdam adſcribitur, quanquam id nonnullis & nobis, impoſſibile videatur. Interim tamen interdum

aliqua

aliqua mineralia & lapides dari , qui hoc efficiunt, non ſimpliciter negamus ; Joh. Rudolph. Glauberus enim in furni ſui philoſophici parte tertia , cap. 33. ejuſmodi materiam mineralem ſeu lapides repiriri ait, qui ſine igne etiam ſuis exhalationibus ſudorem elicere morboſque curare poſſint ; ſi hoc verum eſt , quantò magis lapides quidam igniti in aquam immerſi fumo vehementiore ſudorem promovere varioſque morbos hoc modo curare poterunt.

§. 5. Balneorum cum candelis ac lampadibus uſus apud Ægyptios (*α*) vehemens ſudoris extractio fuit.

NOT. Legi quidem de hac re nihil, ſed ex alicujus relatione aliquando audivi Ægyptios per ejuſmodi candelas tantum interdum ab ægris extraxiſſe ſudorem, ut ſæpius ſtatim illi animam efflaverint ; Cauſam verò , ob quam iſti id fecerint , nullam aliam puto eſſe , quam quod hoc modo omnem materiam, peccantem ad unguem ſe abſtrahere , cauſaque morbi penitùs remotâ eò meliùs hoc modo ægrum ſe curare poſſe crediderunt.

§. 6. Balnea cum Oleis ſpirituoſis Balneorum cum ſpiritibus oleoſis (*α*) effectum fermè habent.

NOT. (*α*) De hoc vid. §. 2 hujus ſectionis.

§. 7. Balnea cum brodio decoctorum non ſolum (*α*) ſudans ut benè oleat efficiunt, ſed etiam corpus roborant atque confortant.

NOT. (*α*) Apud horum Balneorum inventionem non ſolùm utilitatem , ſed etiam delectionem multum potuiſſe exiſtimo ; Nam uti jam juvenes alicujus conditionis ſequioris ſexus gratiam inunctione variarum rerum bonum odorem ſpirantium impetrare conantur; Ita etiam olim per ejus modi Balnea magnates uxoribus ſuis ſua corpora commendaſſe credo.

§. 8. Balnea denique lecti ad omnes morbos (*α*) citò atque etiam (*β*) tuto uſurpari poſſunt.

NOT. (*α*) *Cito uſurpari poſſunt* e. g. in morbilis , convenienti enim ſudorifero propinato citò ſudare poſſumus ; (*β*) *Imo etiam tuto* ; Etenim non faciliore tutioreque methodo morbi alicujus naturam Medicus expiſcari poteſt, quàm ſi ſudoriferum ægro propinans in lecto illum ſudare cogit ; Hoc modo enim non ſolùm tutò illius morbum, qui per ſudorem ſæpiſſimè ſe prodit , addiſcit , ſed etiam ſæpè ſæpiùs auxiliatrices manus illi affert.

Et hic eſt aliqualis ſaltem *uſus Balneorum ſiccorum.* Sequitur breviter etiam *uſus* ſaltem aliqualis *Balneorum* non *ſiccorum* ſeu *lotionum* ; Sit itaque.

§. 9. Lotio noſtra prima ut plurimum corroborationem atque odorem pro fine habet.

NOT. Quoniam cap. 2. diſputat. noſtr. ſect. 2. §. 2. uſus hujus mentionem feci , non alte illum huc repetam.

§. 10. Lotio noſtra ſecunda ad innumeros morbos , utilis eſt , & (*α*) pro ingredientium natura ac compoſitione effectum edit.

NOT. E. g. Uti ſupra c. 2. diſput. noſtr. ſect. 2. §. 3. lotionem ejuſmodi ex ſulphur. cum calce viva in ſcabie multum poſſe diximus. In ἰχȣρία ſeu urinæ ſuppreſſione etiam ejuſmodi lavatio prodeſt it. in ſuppreſſione menſium , modo ſi etiam ex ejuſmodi herbis ac medicamentoſis aquis ad hunc vel illum morbum facientibus conſtat.

§. 11. Lotio noſtra tertia in extrahendo reſolvendoque multum poſſe creditur.

NOT. Robuſtam autem ut habeat naturam , qui illa utitur , neceſſe eſt.

§. 12. Lotio noſtra quarta denique (*α*) ad hanc vel illam partem ægram imprimis a Chirurgis (*β*) ad hujus vel illius partis nervorum emollitionem uſurpatur.

NOT. (*α*) Supra etiam de hujus lotionis utilitate verba quædam fecimus ; Nolumus itaque illam iterum ad manus ſumere. (*β*) Chirurgi hæc Balnea vocant *die Beungen*. Et hoc modo etiam lotionum noſtrarum virtutes delibando ſaltem conſideravimus.

Sed , & mi navis ingredere nunc iterum portum , ſat diu in alto fuiſti ; Tuo autem Navarcho ac protectori ſummo , cujus auxilio ſcopulos præter navigaſti , honoris ergò in prora hanc votivam tabellam ſuſpendo :

DEO SIT LAUS ET GLORIA IN SÆCULA.

DISSERTATIO

DISSERTATIO XVIII.
DE SINGULARIBUS.

IESU IUVA.

SIngulare hactenus in *Praxi Medicâ* fuiſſe, quod Morborum, niſi omnium, plerorumque tamen Curatio, non amplius ex præſcriptâ & recepta *Dogmaticorum Methodo*, ſed vel ſolo, vel maximâ tamen ex parte, *Singularium* ita dictorum uſu, à non paucis paſſim tractaretur, neminem eſſe; auguror, quem lateat; Quod ipſum tamen cum Bonis, Eruditis, ac *Rationalibus Medicis* omnibus, vel ex eo tantum maxime ſuſpectum videatur, quòd *Singularium* ita dictorum *Natura*, & *agendi* ac *Operandi Vis*, ipſos ut plurimum non minus Autores, & Inventores non paucos, quàm alios Eruditos quosvis, latere penè, perſuaſum pariter, ac compertum eſſet, , placuit hac vice, dum, *Ordinariam* habere *Diſputationem*, Ordinis ratio me jubet, de *Vera* ac *Genuina Singularium Naturâ*, hoc tantùm proferre, quòd, niſi eſſentiam, & formalitatem *Ipſorum* planè exhauriat, Doctioribus tamen aliis, in hanc ſubjectam materiam penitius inquirendi, & Publicæ adeò Ægrotantium ſaluti benè, ac ſalutariter proſpiciendi, anſam præbeat.

Ut autem in *Publici* gratiam, & *Veritatis* ſtudio, id tantùm dicatur, quod verum eſt, faxit *Is*, qui *ipſe Solus eſt Veritas!*

Theſis I. Ad rem ergò accedens circa Etymologiam pluribus non ſum ſolicitus. quam quod dicam, *Syngulare*, Vi Nominis, id denotare, quod ſingulariter inhærere, vel ita ineſſe alicui dicitur, ut nulli alii commune ſit; atque adeò in *Foro Medico* id ſignificare videatur, quod ſub ſpecie, vel formâ latentis alicujus inhærentiæ, hoc eſt, Singulari, ac ſibi propriâ Vi, Virtute, efficaciâ, & proprietate, aliquid agat, faciat, & efficiat.

Theſis II. Ita, ut inter *Arcana, Secret. Specifica, & Singularia* dicta (*Panaceas* enim propriè ſic dictas cum Dogmaticis planè rideo) quandam Differentiæ rationem dare, non ſit difficile: Scilicet *Arcanum*, & *Secretum*, propriè loquẽdo Autorem præprimis, ac *Inventorem* ſuum; *Specificum* verò *Partem* in morbis *Affectam*, ipſiusque *Robur*, præcipuè reſpicere videtur;

Theſ. III. Singulare autem deſcribo, *quod ſi medicamentum, quod legitimè adhibitum, Singulari planè Vi, ac proprietate, huic vel illi p. n. Affectui, remederi dicitur.*

Theſis IV. Et quamvis ignorem, dari etiam in *Parte Diætetica* plurima, quæ, præter Alimentoſam qualitatem, Vi propriâ, ac inſitâ quadam proprietate, non tantùm huic, vel illi humani corporis parti, præ aliis amica, ſed & quibusdam p.n. Affectibus inimica ſunt; Cùm tamen Vis hæc Alimentis non competat, quatenus ſimpliciter alimenta ſunt, ſed quatenus ſunt alimenta Medicamentoſa, h. e. quæ, præter alendi facultatem, de alterandi etiam Virtute aliquid participiant; ideoque *Singularia* quævis ad *Fontem Pharmaceuticum* refero.

Theſ. V. Medicamentum ergò dicitur, quia Corpus noſtrum, alterando, à Statu Præternaturali ad Naturalem reducere aptum eſt; Et dividitur, ut quævis Medicamenta alia, in *Simplex & Compoſitum*; *Simplex* eſt quod vel plane per ſe, vel leviter tantùm præparatum, uſurpatur; *Compoſitum* verò, quod cum aliis ingredientibus, vel paucioribus, vel pluribus mixtum, &, lege *Artis*, in hanc, vel illam formam redactum eſt; Ac quamvis, & Autoritate aliorum, & rationibus probare ſatis poſſem, *Simplicia* tantùm Vera eſſe, & dici *Singularia*, nihilominus tamen de *Compoſitis* impræſentiarum ſolùm ſermo eſt, partim, quia de *Simplicibus* nullum eſt dubium, partim verò, quia *Moderna Singularia* ut plurimum. Omnia ſunt *Compoſita.*

Theſ. VI. Nec latere oportet, eſſe non pauca *Exter.* (Topica, vel Localia dicta) quæ & ipſa in Morborum Curatione, ſuâ proprietate, ac ſingulari Virtute non carent, ea proterea planè excipere quidem nolo; hæc tamen, quæ impræſentiarum de *Singularibus* dicentur, de *Internis* præcipuè intelligo;

Theſ. VII. Porro autem, cum interna Medicamentorum *Singularium* forma, à qua *Ipſorum* promanare debet *Operationis Singularitas*, non in *Primarum*, nec *ſecundarum qualitatum mixtura*, ſed in *ſingulari* ac *peculiari* quadam *vi*, ac *proprietate* quæ propterea *Singularis* vocatur, conſiſtere dicatur, Nodum in Scirpo quærere, non videbor, ſi in *Singularis*, iſtius *virtutis & Efficaciæ Ideam, Naturam, ac Rationem* inquiram accuratius; Soli enim & hac in parte Experientiæ (quæ *fallax*) fidem habere, periculoſum; experientiæ verò *Rationem* conjugem addere, tutius, & quemadmodum illud *Empirici*, ita hoc *Rationalis* Medici, nota eſt; **Hipp. Sect. I. Alph. I.**

Theſis VIII. Quod ut fiat, genuinam *Singul.* iſtius *Virtutis* Rationem ex reliquis, in Deſcriptione *Singularium*, allatis Verbis, depromere fas eſt, Dicitur enim, *Singulare* eſſe *Medicamentum*, quod *ſingulari Vi, ac proprietate, huic, vel illi remederi dicitur, p.n. Affectui*; Jam ergò cum p. n. Affectus (πάθος **Galen. Com. I. in libr. I. Epiſtem.** Græcis, vel πάθημα) in genere *Res p.n.* Omnes (καλοῦσι τε παθήματα πάντες οἱ ἕλληνες, ὅσα παρὰ φύσιν ἐν ταῖς σώμασιν ἡμῶν γίνεται) denotet, & *Morbum*, *ejusque Cauſam*, & *Symptoma* reſpiciat: manifeſtum eſſe, exiſtimo, *Singulare* quodlibet, ſuà *ſingulari Vi.* & *proprietate*, vel *Morbo* ſolùm, vel ejus *Cauſa*, vel *Symptomati*, *diſtinctim*; vel *omnibus* inſimul, & *conjunct.* remederi debere.

Theſis IX. Cùm enim *Medendi Methodus*, à qua *Methodici & rationales dicuntur Medici* ab *Empiricis, & Agyrtis* quibus vis diſtincti, in primo ſtatim cujus vis Curationis acceſſu, communi Lege, & Regulâ illud, *quod p. n.* in humano corpore & fieri, & generari, vel colligi, vel retineri, vel ab extra ipſi accidere poſſit; conſtat ſanè, ad hæc ipſa quodlibet *Singulare* reſtringi debere.

Theſis X. Jam verò, ſi omnia, & *Morborum* pariter, ac eorundem *Cauſarum*, & *Symptomatum* intuear *Genera*, accurat æque ipſorum cognitioni, Veram, ac *Rationalem* adjungam *Medendi Methodum*, Remediaque omnia, per *Indicationes*, tanquam certa, ac unica *Methodi inſtrumenta* indicata, atque inventa, Rationali

nali lance expendam, Authoritate omnium Methodicorum Praticorum manifeſtum eſſe, experior ex Claſſe Rerum p.n. nullam planè eſſe, cui *Ars* noſtra ex Lege *Methodi*, ſuum non deſtinaverit, ac ſurrogaverit competens, & indicatum Auxilium, & remedium.

Theſ. XI. Sic (ſed breviter) *Morbis intemperiei* ſua ſatifaciunt, *Alterantia*; *Morbis totius Subſtantiæ* dictis *Bezordica*, & *Alexipharmaca*; *Morbis Conformationis*, & quidem, qui præſentem præprimis ſcopum reſpiciunt, *Obſtructionibus* puta, *Digeſtiva*, *Aperientia*, & *Præparantia*; *Duritiei*, *emollientia*, *Mollitiei*, *indurantia*; *Tenſioni*, *relaxantia* &c.. *Morbis Solutæ Unitatis*, *Maturantia*, *Sarcotica*, *Glutinantia*, *cicatricem Inducentia &c.*

Theſis XII. *Morborum cauſas*, pro *Indicantium* ratione, & diverſitate, removere ſatagit *Methodus*, per *Vomitoria*, *Purgantia*, *Diaphoretica*, *Diuretica*, *Sternutatoria*, *Expectorantia* &c. Utpote quibus auxiliis *cauſam Morbificam*, per Vias noſtri Corporis publicas, & privatas, exturbare, & removere *Ars* docuit.

Theſ. XIII. *Symptoma* tandem omne, ut notum eſt, vel, curatô Morbô ſponte remittit; vel, ſi *Morbi*, aut *Cauſæ* morbificæ, *naturam* induat, nec ipſum ſuis competentibus deſtituitur Remediis.

Theſis. XIV. Quæ ipſa dum perpendo, inſimulque conſidero, quod *Medicorum* nullus, qui *Methodicè*, in Morborum Curatione, procedere nititur, quicquam Ægrotantibus ſui tutò ac rationaliter ordinare, vel præſcribere poſſit, niſi, quod ab *Indicante* aliquo, Lege *Methodi*, indicatum, & à *Ratione & experientia* approbatum ſit; dubius hæreo, quodnam *Singularium* dictorum ſit *Indicans*? ita, ut primo hocce intuitu ipſa *Singularium* exiſtentia valdè habeatur dubia.

Galen. l. 2. Meth. Med.

Theſ. XV. Facilè equidem recordor; Ampliſſima iſta *Mineralium Vegetabilium*, & *Animalium* Regna, inſignem *materiæ Medicæ* ſuppeditare nobis copiam, in câque plurima ſuggerere *Medicamenta*, quæ, præterquam quòd vel *alterandi*, vel *aperiendi*, vel *purgandi* Vim &c. in *Toto* obtineant, peculiari inſuper Ratione, ac inſitâ quâdam proprietate, huic vel illi corporis humani *Parti* amica magis ac familiaria ſint, quàm aliis, & propterea etiam *Appropriata* vocari aſſolent; quâ ratione *Cephalica*, *Capiti*; *Thoracica*, *Pulmonibus*, & *Pectori*; *Cordialia*, *Cordi*; *Epatica*, *Epati*; *Splenetica*, *Lieni*; *Stomachica*, *Ventriculo*; *Hyſterica*, *Utero &c.* familiaria, amica, & *Appropriata* dicunt.

Theſ. XVI. Nec latet, dari in ſpecie inter *Coroborantia* Medicamenta, quæ & ipſa peculiari proprietate, hanc vel illam *Partem Nobilem* reſpicere magis magiſque reficere ſolent, quę proinde, propriè loquendo, *Specifica*, & cum adjectione, *Cordialia*, *Cephalica*, *Stomachica &c.* dicuntur; item inter *Purgantia*, quæ omnes quidem humores movent, alia tamen in ſpecie *Bilem*, alia *Pituitam*, *Melancholiam* alia, alia *ſeroſos humores* evacuare dicuntur, & propterea *electivè Purgantia* vocantur; quæ tamen omnia, in Methodicâ Morborum Curatione, ſua habent *Indicantia*.

Theſ. XVII. An verò *Appropriata* hæcce noſtra (*Veteribus* etiam non incognita) ſive ſint *Alterantia*, ſive *Specifica*, *Confortantia*, ſive *electivè Purgantia*; Et Modernorum *Singularia* dicta, unum; idemque ſint? Non immeritò quæritur; utpote in quo ipſo totiùs controverſię ſtatus conſiſtere videtur.

Theſ. XVIII. Sunt autem omninò Unum, & Idem; Vel non ſunt; Si ſunt unum, & idem, cur præter neceſſitatem multiplicantur, cur confunduntur *Artis Termini*? Si non ſunt Unum, & Idem, nec eadem etiam utrorumque erit Virtus, Vis, & Operatio; & conſequenter *Singularia* dicta, nec *Alterando*, nec *Evacuando*, & *cauſam Morbi removendo*, nec *confortando*, ſed *alia quavis*, ac Singulari planè, & *occultâ ratione*, ſuam operatiônem exercere, morboſque per quoddam quaſi τὸ θεῖον depellere, dicendum eſt.

Theſ. XIX. Ut res clarior fiat, pono caſum: Petrus & Johannes, Adoleſcentes bilioſi, corripiuntur Febre Tertianâ Intermittente, & reſtituitur uterque; Illius Curationem ſuſcepit quidam *Titius Hippocraticis*, & *Galenicis fundamentis* nixus: Hujus verò quidam *Sempronius*, merâ, *Singularium fiduciâ* fretus; Patientes reſtituti quærunt ſinguli à ſuo Medico rationem Curandi, ac Methodum; *Titius* reſpondet; Ego, cum animadverterem, adeſſe Febrem, eamque Tertianam Intermittentem, *Lege Methodi Medendi* formavi meas *Indicationes*, *Febris* autem, ut intemperies calida cordis, & totius corporis, indicavit mihi *Alterantia*, eaque *Refrigerantia*; Febris verò *cauſa*, humor ſcilicet Bilioſus putreſcens, remotionem ſui, per *evacuantia*; Utrique ergò *Indicationi* ſatisfacturus, diætâ præſcritâ, ex fonte Pharmaceutico, & Chirurgico, convenientia deſumpſi Remedia; *Intemperiem* alteravi refrigerantibus, iiſque appropriatis, & præſertim Epaticis &c. *Humorem bilioſum* pecantem ἄνω, per vomitum convenientibus Emeticis, κάτω, per alvum, & quidem per ἐπίβασιν, & diebus intermittentibus, Cholagogis, electivè purgavi; ſecavi venam; reliquias, prout naturæ tulit motus, per urinam, diureticis, vel per habitum Corporis, benignis diſcuſſi diaphoreticis Febrilium non minus, ſi quæ intereâ urgere vidi, Symptomatum rationem habui ſedulò; vireſque; pro rei neceſſitate, & urgentiâ, corroborare pariter allaboravi; & hac ratione remiſerunt Paroxyſmi, ceſſavit febris ipſa, & cum ea omnia Symptomata; atque ita integrè reſtitutus eſt meus Patiens.

Sempronius contrà reſpondet. Ego Hippocraticas, & Galenicas iſtas ambages non curo; ſed longè breviori, ægrotantibuſque grata magis, ac jucunda via, procedere ſoleo, quapropter febricitanti meo, ex *Singularibus* meis, *Antifebrile* meum miſi, illudque paulò antè inſtantem Paroxyſmum, in *aquamea febrifuga*, exhibere juſſi; quo *Singulari* meo ter aſſumto, perfectè curatus eſt meus febricitans.

Theſ. XX. Jam ſi utriuſque Curationis ratio, & relatio à *Collegio*, vel *Facultate* quadam *Medica* Collegialiter, & *ex Artis fundamentis*, & *abſq; omni affectu* examinari deberet, non aliam ſanè expectarem ſententiam, quàm quòd *Prioris* Curatio fuerit conveniens, vera, & Methodica; *Poſterioris* verò inconveniens, ſuſpecta, & Empirica; *Ille* enim Curationem ſuam, lege *Artis* ſuſcipiebat, nihilque niſi quod per *Indicantia* pro Febris, ipſiuſque Cauſæ remotione indicatum erat; ἐμμεθόδως ordinabat; *Hic* verò, miſſa omni Methodô, miſſis indicationibus, ſolo ſuo *Singulari Antifebrili*, ſe febrem curaſſe, jactitat.

Theſ. XXI. Si quæret rationem hujus Sententiæ à Facultate Medica Sempronius; ita forſitan ipſi reſpondebitur: *Quæcunq; febris curatio non eſt conveniens veræ medendi Methodo, illa falſa, mala, ſuſpecta, Empirica, & periculoſa eſt; Sed tua Curatio, dum Johannem febre tertiana laborantem ſolo tuo Singulari Antifebrili curaſſe jactitas, non eſt conveniens veræ medendi Methodo; Ergò.*

Theſ. XXII. Veritas *Majoris* non tantùm tot Seculorum experientiâ, ſed & Authoritate Principum Medicorum nititur; *Oportet* enim, inquit *Hippocrates*, *ſe, ipſum præſtare opportuna facientem* (hoc eſt, *Methodicè* procedere,) & *ſcire oportet Medicum opponere ſe contrarium inſtantibus, & Morbis, & naturis, & Ætatibus, & Temporibus, & diſtenta ſolvere, & ſoluta diſtendere; ſic enim vel maximè morbum ſedaverit*; & *mihi ſanè* (pergit Venerandus *Senex* hoc ipſum (ſcilicet ſi fit, quòd ex *Arte*, & *Methodi* Lege fieri debet (*Sanatio eſſe videtur*; *Medendi* autem *Methodus partium Medicinæ omnium, ut ordine poſtrema, ſic certè fine, & effectu longè utiliſſima, ac veluti reliquarum omnium finis eſt, Methodus autem eſt via quædam univerſalis, quæ omnium particularium communis ſit, finis verò ipſius eſt, cujuſque morbi invenire Remedia.*

Sect. 1. Aph. 1. libr. de Natur. human.

Galen. libr. Introduct. lib. 4. Med. Med lib 2. M. d. Med.

Theſ. XXIII. *Minorem* jam olim *Galenus* probaſſe legitur, dum ait: *Methodus quædam privata eſt*

lib. 4. Meth. Med.

ſanandi. in ſingulis morbis, commune tamen in omnibus genus unum eſt: Auſpicari namque perpetuò oportet (arrige aures Pamphile! *perpetuò oportet*, inquit *Galenus*) *ab indicatione, quæ ab affectu, cui mederi paramus, accipitur; æſtimare verò, ac diſcernere* (ſcilicet *perpetuò oportet*) *an cauſa, quæ affectum excitavit, jam deſierit, an nunc quoque ipſum cum augeat, tum faciat.*

Theſis XXIV. Jam demonſtret, quæſo, *Sempronius*, ſuam *Methodum*, oſtendat ſuam *indicationem* ab *indicante* deſumptam? proferat quoddam *indicans*, à quo ſuum *ſingulare* indicatum fuerit. Si enim *indicationem*, ex *galeni* præcepto, & ipſius rationis, & experientiæ dictamine, ab *affectu*, vel *morbo*, ipſiuſque *cauſâ* accipere oportet, *ſingulare* hocce, aut *febrem* ipſam, aut ejus *cauſam* reſpexiſſe, neceſſe eſt; Quod autem neque hanc, neque hanc illam reſpexerit, manifeſtum eſt; non *Febrem*, quia *Febris*, ut *Febris*, quippe cujus natura, & formalis ratio, in caloris nativi à ſtatu naturali receſſu, & incendio, conſiſtit, *alterantia contraria*, hoc eſt, *refrigerantia* indicat; non *cauſam febris*, humorem ſcilicet bilioſum peccantem, quia hæc ipſa, remotionem ſui per manifeſtas *evacuationes*, indicat; Neuter autem horum effectuum de *ſingulari* iſto *Antifebrili* prædicari poteſt, nec debet; alias enim *ſingulare* non eſſet; ita ut fateri tandem cogatur *Sempronius*, aut ipſum *ſingulare* ipſius, vel alterando, vel cauſam removendo, febrem extinxiſſe; aut alia inſuper, pro febris curatione, fuiſſe adhibita convenientia remedia; aut, ut *Galeni* ſe ſubmittat ſententiæ, opus habet; Si fatetur *prius*, propriam fatetur turpitudinem; dum, quod *Medicis* omnibus notum, & commune eſt, ille pro *ſingulari* jactitat; quod candido *Titio*, in curatione febricitantis Petri *Appropriatum* fuit *alterans*, vel *electivè Purgans*, *Diaphoreticum*, *Diureticum*, *Confortans*, &c. id glorioſo militi ſtatim debet eſſe *ſingulare*, cùm tamen ſingularis, vel ſingularitatis vix hilum in ſe contineat, atque adeò plus ſit in titulo, & inſcriptione, quàm in chartâ, vel pyxide; Si fatetur *poſterius*, fraudulenter egit, & procul dubio plus ſibi, ſuoque *ſingulari* tribuit, quàm tribuere, vel deberet, vel fas eſſet; Si enim alia, & præſertim quæ *febrem*, febriſque *cauſam* reſpexerunt, adhibuit remedia, quò, quæſo. rationis oculo videre, & cognoſcere potuit, an ex *ſingularis* ita dicti, an verò reliquorum potius convenientium uſu, Dominus Joannes reſtitutus fuerit; Si verò neutrum fateatur, ex *Galeni* ſententiâ, *Temerarius* eſt, utpote, qui nullâ utitur *methodo*, ſed ſoli vel fortunæ, vel temeritati ſeſe, ſuoſque ægrotantes committit, & qui nec ſibi ipſi, nec aliis, rationem ſingularitatis ſui *ſingularis antifebrilis* reddere poteſt; *Methodo* enim *invenire* (curationem) inquit *galenus*, *opponitur ei, quod eſt, fortuito, temereque invenire.*

Libr. Meth. Med.

Theſis XXV. Sed ad Rhombum redire, ac perpendere tandem opportet, quænam *ſingularium* ita dictorum *vera* ac genuina *natura* ſit; quæſtionem autem, *An ſit*, ne id, quod hactenus tot *excellentiſſimorum virorum* fide, & experientiâ comprobatum eſſe, conſtat indubium (quod abſit!) vocaſſe videar, miſſam planè facio; atque adeò, de vera *ſingularium* ita dictorum exiſtentia, ipſe nec dubito, nec dubitare debeo multò minus *virorum ſingularium autoribus*, *& inventoribus*, quicquam ſive honoris, ſive famæ, & laudi, detrahere, ſed potius labores, & merita ipſorum hâc in parte, honorificè deprædicare, ac recommendare geſtio.

Theſis XXVI. Genuinam vero *ſingularitatis* iſtius naturam, ac quidditatem penitùs inveſtigans, ea, quæ hâc de re ſupra pro fundamento habui, hîc ut repetantur, neceſſe eſſe, exiſtimo; ſcilicet quodlibet *ſingulare*, vel *morbum*, vel *morbi cauſam*, vel *ſymptoma*, abſolutè reſpicere; cùm ipſius rationis conſenſu, & *Galeni* autoritate, *præter hæc tria nihil aliud ſit* (in humano corpore) *quod curetur* (vel curari poſſit ac dicatur) *medicis.*

Theſ. 5.

libr. 1. Meth. Med.

Theſis XXVII. Quò poſitò, vera *ſingularium* requiſita adinvenire, dextreque explicare, inſtituti equidem fert ratio, ſed hoc opus hîc labor eſt! Ut tamen expediam, quod expediendum eſt, ſic tandem de *veris ſingularibus* ſentiendum eſſe exiſtimo: nimirum *veri, ſinceri, genuini & infucati ſingularis* qualitates, conditiones, & requiſita hæc ſunt: 1. *Ut autor, & inventor ipſius ſit eruditus, & rationalis medicus, ac exercitatus practicus.* 2. *Ut ſoli autori ſingulare, & notum ſit.* 3. *Ut ſingularem ſibique propriam, ac nullis aliis medicamentis communem paſſim agendi vim, ac rationem obtineat.* 4. *Ut ſingularium quodlibet, Lege methodi, ſuum agnoſcat indicans.* 5. *Ut dextre legitime, & convenienter adhibeatur, & 6. Vt uſum ipſius ſingularis nõ minus, ac certus ſequatur effectus. & operatio.*

Theſis XXVIII. Omnino autem oportet, ut *autor*, & *inventor* cujuslibet veri *ſingularis*, eruditus, & rationalis *medicus*; ac exercitatus *practicus* ſit; *medicamenta* enim *medicorum* ſunt *inſtrumenta*, & legitimè non inveniuntur, niſi ab *artifice medico*? Hæc autem *tria* veri, ac *boni medici nota*, ac *Characteres* ſunt; *Eruditio* ſcilicet, quæ *rerum medicinalium* præſupponit *notitiam*, *ratio*, *legitiam* docet *medendi* viam, ac *methodum*, & *praxis*, quæ rationi adjungit experientiam.

Theſis XXIX. Sic *ſingulare* ſoli etiam *autori* & *inventori* ipſius ſingulare, ac notum ſit neceſſe eſt, aliàs eſſet contra naturam *ſingularis*; quod enim pluribus notum, ac commune eſt, qua ratione uni ſoli poteſt eſſe, vel dici, *ſingulare*?

Theſis XXX. ſingularem porrò, ſibique proprium, ac nullis aliis medicamentis communem paſſim agendi vim, ac rationem *ſingulare* oportet, ut habeat; Si enim eodem planè modò, eademque ratione, vel alterat, vel catholicè evacuat, vel electivè purgat, vel vomitum excitat, &c. vel viſcera, & partes nobiles ſpecificè confortat, ac vel appropriatum, & ſpecificum eſt cordiale. Cephalicum, Epaticum, Spleneticum, Stomachale, qua centum alia ſuam operationem in corpore humano habere, per tot ſecula, à ſexcentis *medicorum* millibus, obſervata fuerunt, & approbata; qua, quæſo, ratione jam dum uni ſoli *ſingulare* eſſe poterit?

Theſis XXXI. Præterea quoque opus eſt, ut *ſingularium* quodlibet, lege *methodi*, ſuum agnoſcat *indicans*, cũ enim *omnis medendi methodus per indicationem fieri*, dicatur, quælibet autem *indicatio à* ſuo *indicante* proveniat, nullum proinde *ſingulare*, rationaliter quidem medendo, exhiberi poterit, niſi quod à ſuo *indicante* indicatum fuerit; Si enim nullum adſit *indicans, ſeu agens aliquod in corpore humano præſens, quod ſingulare, ut ſingulare, auxilii loco indicet, & indicatum ſingulare ad ſeſe dirigendum eſſe monſtret*, cui, quæſo, fini, rationaliter adhiberentur, *ſingularia*? Non video.

Gal. lib. 2. Meth. Med.

Theſis XXXII. Quod ſi autem à ſuo *indicante* indicatum jam ſit *ſingulare*, oportet ulterius, ut & ipſum dextrè legitimè, & convenienter uſurpetur, & exhibeatur; hoc eſt, ſi univerſalia, &, quæ, lege *methodi*, præmittenda erant, præmiſſa fuerint, exhibere tandem *ſingulare* oportunum eſt:

Theſis XXXIII. Atque ita ex quadam quaſi neceſſitate requiri tandem videtur, ut cujuslibet *ſingularis* uſum ſingularis etiam ſequatur effectus, & operatio; Singularitas enim, quæ de *ſingularibus* dictis prædicatur, non *autorem* tantùm, cui ſingularia, & familiaria ſunt, ſed *effectus*, & *operationis* imprimis *ſingularitatem*, reſpiciat, atque includat, neceſſe eſt; Niſi enim ex occulta quadã vi, ac ſingulari proprietate ſingulis *ſingularibus* ſingularis ineſſe agendi potentia, quæ, poſt legitimum, & convenientem ipſius uſum, ſingularem etiam planè, ſibique proprium, ac nullis aliis medicamentis familiarem, vel communem effectum & operationem certò, ac manifeſtè producat, non video ſane, in quo differant, vel differre poſſint ſingularia, ab *appropriatis* vulgaribus, & medicamentis aliis, utpote quorum uſum, idem ſequitur effectus, eademque operatio.

Theſis XXXIV. Sed dum hæc dixiſſe ſatago, per tranſennam quaſi non paucas video objectiones, & inſtantias,

inſtantias, quibus ea, quæ de *Singularium* dictorum *Requiſitis* hactenus relata ſunt, impugnandi non parùm, niſi planè ſubvertendi, animus eſt: Sic enim *magnum exiſtimatur poſtulatum* nullum eſſe; nec dici debere *Singulare*, niſi cujus *Autor* ſit aliquis *Medicus* quaſi verô (ut audio) ſoli tantùm *Medico* Medicamenta, *Singularia* invenire competat, & conceſſum ſit; Cùm tamen Experientia, & quotidianus rerum uſus teſtentur, eſſe inter *Magnates* pariter, ac cujus libet conditionis alios, non paucos, qui & ipſi, etiamſi *Medicis ex profeſſo* non ſint, egregia nihilominus *Experimenta* ac *Singularia*, & habeant præparare, ac componere ſciant, ac ſoleant; *Item* præparationes, labores, & proceſſus (in Chymicis præſertim) eſſe diverſos; & quamvis hoc, vel illud Medicamentum, notùm aliàs, omnibusque cognitum ſit ſingulari tamen artificio, ſingularique proceſſu, & labore ab hoc, vel illo, ſive ratione Coloris, Saporis, odoris, jucundius; Sive, doſis ratione, Gratius; ſive, ratione Operationis, reddi Tutius; *Sic* haberi, ajunt, *Singularia*, quæ; cùm alia adhibita Medicamenta quam plurima, nihil planè in hujus vel illius Morbi Curatione, efficere potuerunt, ægrotantes vel *ſola* feliciſſimè reſtituiſſe; dicuntur; *ſic*, dicunt occaſione iſtorum *Singularium*, *Chymia* magis; magisque excolitur; multisque proinde, Naturæ Arcana, & penetralia intimius ſcrutandi, anſa ſuppeditatur, & occaſio; *ſic*, ferunt, magnam eſſe ſimplicitatem, rationem ſingularitatis à *Singularium* Inventoribus quærere, qua hoc; vel illud *Singulare*, huic, vel illi p. n. affectui remederi dicatur; cùm propterea ſit, & dicatur *Singulare*, quod Virtus, & Operatio ipſius nemini, quam ſoli *Autori* nota, & ſingularis eſſe debeat; *ſic*, perhibent, non eſſe neceſſarium, ut *Singulare* indicetur ab *Indicante generali*; Et tandem ſomniant, quosdam propterea tantùm ſiniſtrè ſentire de *Arcanis*, & *Singularibus*, quod vel *Chymiam* ipſi non exerceant, vel eandem planè non intelligant; & quæ ſunt alia.

Theſ. XXXV. Verùm enim verò, etſi toti conſtet Orbi, eſſe inter *Magnates* pariter, ac cujuslibet conditionis alios, non paucos, qui & ipſi, etiamſi *ex profeſsò Medici* non ſint, egregia nihilominus experimenta, ac *Singularia*, & habeant, & præparare, ac componere, & ſciant, & ſoleant; Certò tamen eſt certiùs, illa Experimenta, & *Singularia* omnia, cujuscunq; etiam ſint formæ, virtutis, & operationis; *Medicos* tanquam *primos Autores* ſolos, ac ſemper agnoſcere, & *originaliter* provenire à *Medicis*, ac per tertium, vel quartum, vel plures, aliis eſſe communicata; Conſtat enim, & palam eſt omnibus, ipſis etiam *Magnatum* Laboratoriis, vel *Medicos* præeſſe, ut laborum *Directores*, vel ipſis *Laborantes* dictos ſubſtitui; *Hos* autem, utpote, qui *Medicorum* miniſtri ſunt, quicquidboni, quicquid ſolidi ſciant, & ſapidi primariò habere à *Medicis*; Et poſitò eſſe quosdam; qui, & ſi *Medici* non ſint, vera tamen, & approbata (ab aliis puta communicata) *Singularia* habeant, legitimum tamen eorundem uſum ignorant, quia *Artis* ignari ſunt, & conſequenter eadem facilitate, ex ignorantia, lædere, ac interficere poſſunt, quâ, ex temeritate, juvare, ac ſanare audent. Quod cum ſit extrà omnem controverſiam, firmiſſimo ſtare talo, exiſtimo. *Autorem cujuslibet veri ſingularis, Primarium, & Verum, ſemper eſſe Medicum*; Hujus enim Profeſſio eſt, ſcire qualitates, & Virtutes Simplicium, ex iiſdem Artis Pharmaceuticæ ope, diſpenſare, & ordinare Compoſita; ſcire Morbos, eorumque Cauſas, & Symptomata, Scire Medendi Methodum, & in cujuslibet morbi curatione indicantia, Contraindicantia, Permittētia, prohibentia, Contraindicantia, & alia, quæ ad prudentiam Boni *Medici* ſpectant, diligenter prudenter ac circumſpectè attendere; unde, quâ ratione quisquam alius, qui à pueris,

Theſ. XXXIV. Sed dum hæc dixiſſe ſatago; per tranſennam quaſi non paucas video objectiones; & ex profeſsô, hæc omnia non didicit, ſed neſcit planè & ignorat, *Singularia* invenire, eademque ægrotantibus ſalutariter exhibere, valeat, judicet quilibet; qui candidus eſt. Bonis intereà *Medicis* circa hanc objectionem non injuſta ſuboritur indignatio, quòd ſcilicet *Chymicorum* non pauci, illiteratos ut plurimùm quosvis. Idiotas, rudesque non raro Aſinos, in ſua paſſim excipiant Laboratoria, ipſisque proceſſus, & labores ſuos concedant, alios verò, & qui ſunt de communi ſtudio, vel raro, vel non, niſi ad vulgarium præparationem admittant; hinc enim pleræque illæ lacrymæ! hinc fit, ut incomtum illud vulgus, utpote, penes quod nulla planè eſt alia rerum Medicinalium cognitio, quicquid præparari videat. *Secretum* eſſe, *Singulare* eſſe, credat; ipſumque tandem hâc; quâ ducitur, phantaſiâ, perſuaſum, abeat; *Singularia* jactitet, *Magnates*, & *Curioſos* quosvis adeat; miracula prætendat, & neſcio quid; quæris ſucceſſum rei; & eventum? Fallunt; decipiunt, defraudant utplurimùm, egregiè, ſpecioſè, & ſingulariter, hoc tamen, ut verum & approbatum *Singulare* ſemper habent, & poſſident, quòd qui decepti, ab aliis ſunt; taceant; nil dicant aliis, ſed, quod decepti ſint, ſibi tantùm, & pro *Singulari*, ac in ſecreto habeant; ſed habeant!

Theſ. XXXVI. Medicamentorum porrò preparationes, Labores, & proceſsûs eſſe diverſos, non nego quod autem ſola preparationis diverſitas, & ſingularitas *Singulare* ſtatim dictum, & novum Medicamentum efficiat, omninò nego; cùm enim *facilius* ſit, *inventa corrigere, quàm nova invenire*, non video, cur ſola præparationis correctio debeat ſtatim eſſe, & dici novi medicamenti, vel *Singularis* inventio, Præſertim, cùm tantùm abſit, ut hæc ſola *Singularis* dicti naturam exhauriat, ut potius omnibus in univerſum *Medicis* communis eſſe ſoleat; quot enim capita, tot ſenſus; &, qui noſtris, quæ hâcce Seculi felicitate proſtant, Officinalibus, vel addere quicquam, vel detrahere, vel quovis modo, ſi ex arrogantiæ ſtimulo velit, corrigere eadem neſciat, qui tandem ille ſciat, quid ſapiat, ipſe neſcio; hoc verò ſcio, & fateor, quod ſi Eruditus *Medicus*, & Exercitatus *Practicus*, ex multo rerum uſu quicquam habeat, quod circà hoc vel illud Officinale, ipſiusque vel ingredientia, vel præparandi Rationem, vel commodum utendi modum, *in ſalutem ægrotantis proximi*, notari poſſit, dicere illud, notare, & corrigere, conſcientiæ juxtà quàm officii ratione, teneatur.

Theſ. XXXVII. Hæc autem Remedia, quæ, cùm alia legitimè adhibita Medicamenta quàm plurima nihil planè, ut ajunt, in hujus, vel illius morbi curatione, efficere potuerunt, ægrotantes *ſola* reſtituiſſe dicuntur; hæc, inquam, laudarem; hæc magni facerem; hæc verè *Singularibus* omninò habenda eſſe, cenſerem; niſi iſtud me moveret, quòd reſtituiſſe *dicantur*; quæ ex præconcepta quadam opinione; affectu, & confidentia, ita eſſe creduntur, vera tamen non ſint, difficilè proindè hoc ipſum quoque æſtimarem Judicium; hoc enim illorum, qui *Singularia* crepant, ut plurimùm eſt PROPRIUM, ut, cùm ſuâ ducantur opinione, quemcunque bonum Curationis eventum, & effectum; ſolis ſuis adſcribant Singularibus; de quo tamen ſub judice lis eſt.

Theſ. XXXVIII. Præterea quod occaſione *Singularium* dictorum *Chymia* magis, magisque excolatur, multisque proinde Naturæ Arcanâ, & Penetralia intimius ſcrutandi, anſa ſuppeditetur, id, cæteris quidem paribus, facilè largior; Fuerunt enim, & jam dum ſunt plurimi, qui, cùm perſuaſum ſibi haberent, Hunc, vel Illum, occaſione hujus, vel illius *Singularis* dicti, in ſummam, apud ægrotantes, & quosvis Alios, veniſſe gratiam, & exiſtimationem, & ipſi ſtrenuam *Chymiæ* navare operam, cœperunt, & eo quidem ſucceſ-

ſu, ut, non ſine inſigni *Reipublicæ Medicæ* incrementô juxta, quam publica multorum ægrotantium ſalute, tot Medicamenta componendi, compoſita corrigendi, augendi, meliorandi, & rectificandi vias, totque egregios Proceſſus ingenioſè ſatis invenirent, ſtudioſamque juventutem in Academiis hac in Artis parte informare, atque adeò Bono Publico optimè conſulere allaborarent; Aſt verò, quot peſſimos *Abuſus* hujus Artis intereà produxerit abortus, experimur quotidiè, vix enim vigeſimum invenies, qui talentum ſuum *Bono* mancipet *Publico*; Omnes quidem, ſub ſpecioſo *Chymiæ* excolendæ prætextu, *Publico* aureos pollicentur Montes, pauci verò Singularis quicquam præſtant, & ſi quid præſtant, ſibi ſervant, adeoque non *Publicum*, ſed Privatum quærunt commodum. Omnes *Chymiam* deprædicant, & *Chymicos* ſe eſſe jactitant, cùm tamen *Nobiliſſimam Artem*, laboribus ſuis potius proſtituant, ac vix umbram, nec dicam Characterem (quos Excellentiſſimus *Rolfinckius* recenſet) vel notam veri *Chymici* præ ſe ferre videntur; Et hinc evenit, ut ſordidus tandem Agyrta, & Circumforaneus quilibet, *Chymiam* eructet, & *Singularia* exclamitet! ô mores! ô tempora!

lib. 1. Chym. in Art form. redact. c. 3. & 4.

Theſ. XXXIX. Magnam autem eſſe ſimplicitatem, Rationem ſingularitatis quærere, quâ hoc, vel illud *Singulare*, huic, vel illi p. n. affectui remederi dicitur, vix concedet, cui ſtat Ratio; *Rationalis* enim *Medicus*, quicquid agit, ejuſdem rationem reddere tenetur, ſi fundamentalis eſt, & poſito, eſſe *Medicum*, qui uno, vel altero, *Singulari* hunc, vel illum curavit affectum, nihilominus tamen operationis rationem reddere poteſt, abſque omni præjudicio, etiamſi *Singulare* ipſum nec dicat nec revelet; ità, ut quibus, rationem Singularitatis quærere, ſit *ſimplicitas* illorum *Singularia* videantur eſſe figmentum, & *Vanitas*.

Theſ. XL. Omninò verò neceſſarium eſt, ut *Singulare* quodlibet à ſuo *Indicante ſpeciali* indicetur; ſilicet, ſi illud à *Rationali*, & *Methodico* adhibeatur *Medico*; *Methodicus* enim *Medicus*, in Morborum Curatione; non acquieſcit in *Indicantis generalis* apprehenſione, ſed, ex *Medendi Methodo*, *ſpecialia* inſuper quærit *Indicantia*, utpote, quæ Curationem propius reſpiciunt, & ipſa Auxilia, & Curandi Media, digito quaſi monſtrant, ac indicant; quorum materiam tandem facilè invenire poterit, qui peritus in *Arte*, & exercitatus eſt.

Theſ. XLI. Et tandem merum eſſe ſomnium, fateor, dum dicunt, eos tantùm ſiniſtrè ſentire de Arcanis, & *Singularibus*, qui vel *Chymiam* ipſi non exerceant, vel Eandem planè non intelligant; ſicut enim aliàs, *ab Eſſe, ad Poſſe, non datur conſequentia*; Sic falſiſſimum, & abſurdum planè eſt, dicere: Hic *Chymiam Ipſe* non exercet, E. *Chymiam* non intelligit; Sic quale abſurdum eſſet, ſi dicerem: Hic *Medicus* cadavera *Ipſe* non diſſecat, E. *Anatomiam* ignorat; Hic venam *Ipſe* non ſecat; luxata *Ipſe* non reponit oſſa; vulnera, & ulcera *Ipſe* non tractat &c. E. *Chirurgiam* non intelligit; & ſic deinceps; Cùm enim, ex tripode dixiſſe *Hippocratem*, viſum fuerit *Veteribus*, quod *vita brevis*, *Ars* verò *longa* ſit, prudenti juxtà conſilio, quàm ſummo *Poſteritatis* commodo, *Artem Medicam* in *Partes Principes*, & *Miniſtras* dictas, dividere, decretum, & ſtatutum eſt; Eum quidem in finem, ut, cum *vita* noſtræ *Brevitas*, in comparatione & proportione ad *Artis longitudinem*, & ingentem *Rerum* diſcendarum, ac tractandarum *copiam*, vix ſufficere valeat, ſint, qui ex profeſſo, quod dicitur, *Principes Artis Partes* tractare, ſuſcipiant, & *Medici* dicantur; & ſint, qui *Miniſtras* & ipſi ex profeſſo exerceant, & expediant, & *Pharmacopœi* ac *Chyrurgi* vocentur; Ità, ut *utriq; unam*, quaſi conſtituant *Oeconiam Medicam*; illi quidem, qui *Directorium* habeant in omnibus, hi verò, qui obſequioſum Illis præſtent *Miniſterium*; quòd ſi jam utrique, & *Dominus*, & *Miniſtri* ſuo fungantur officio, benè agitur, & ægrotantium ſaluti ſalutariter proſpicitur; Sin ſecus, malè Præſertim, ſi invertatur ordo, & qui debuiſſet eſſe *Dominus*, incipit eſſe *Miniſter*; & vice verſâ.

Porrò autem abſurditas dicta, vel ex eo etiam properari videtur, quod propoſitio hæc, *Chymicus Singularia* præparat, non ſit convertibilis; ità ut dicere poſſem: *Chymicus* præparat *Singularia*; Ergò, qui *Singularia* præparat, eſt *Chymicus*; aliàs enim Circumforaneus, quilibet *Singularia* jactitans, eſſet *Chymicus*; quod tamen de Tanta; tamque Excellenti *Arte*, utpote *quæ cum ad Vtilitatem, tum etiam ad Splendorem, ac Amplitudinem Reipublicæ Medicæ* multum *conferre videtur*, dicere, Religio ſit! Abſurdè ergò ſentiunt, qui ita ſtatuunt; falsò ſibi perſuadentes, neminem eſſe, vel poſſe eſſe *Bonum Medicum*, niſi qui Ipſe *Chymiam* ex profeſsô exerceat; Cùm enim *Chymiam*, utpote, quæ eſt Pars Pharmaceuticæ, & *à qua in hunc uſque diem ſeparari meritò poteſt*, nec debet, exercere, non eſſentialiter pertineat ad *Medicum*, ut *Medicum*, ſed penes cujuſvis ſit arbitrium; ſufficit omninò, tantum ſcire in *Chymicis* quantum vel ad modernas *Galeno-Chymicas* dictas Morborum *Curationes* neceſſariò requiritur, vel *ut*, *ea uſuquæ videntur*; *methodicè adhiberi, quæ minus, cum judicio omitti, queant*; ita, ut prædominium ſemper habeat Legitima *Medendi Methodus*; *præſtat enim methodo quidvis, quam ſolâ Experientiâ facere*; & hic ſuccurrit mihi, quod in Albo Candidati cujuſdam Medicinæ legi dicterium, ſcilicet:

Raymund. Minder. Th. Med. c. 8.

Minder. l. c.

Rolfinck. l. l. Chym. in Arte form. redact. cap. 1. Gal. 3. M. M.

Methodus, ſine Chymia, facit Medicum;
Chymia, ſine Methodo, Carnificem.

Theſis XLII. Iam ſi ad Lydium eorum, quæ dicta ſunt, revocar lapidem, exactèque examinari deberent. Modernorum Medicinam paſſim facientium, *Singularia*, non defuiſſe hactenus, nec adhuc deeſſe *Viros* doctos, & excellentes, qui, magno rerum uſu, & longâ experientiâ ducti, certa invenerunt *Singularia*, certò quidem conſtabit certius; Aſtheu! quot econtrà dubia, quot difficultates, abſurda, mendacia, fraudes, inconvenientiæ, Calumniæ, Lites, Rixæ, & neſcio, quot malorum myriades, ſub ſpecioſo *Singularium* dictorum prætextu, noſtram hinc pernicioſè infecerint *Artem*, eſt ſanè, quod non ſine juſto dolore, omnes Boni Conſcientioſi, & Rationales doleant *Medici*; Sicut enim legitimus, ac conveniens Verorum *Singularium Vſus* omnem laudis, honoris, & gloriæ meretur titulum, ſic eorundem *Abuſus*, & luſus, tantâ hactenus ſacram *Artem* noſtram effecit injuriâ, ut, quâ ratione in priſtinum, & integrum, reſtitui *Ars* valeat, ſummè videatur difficilè.

Theſis. XLIII. Ne verò dum, ſcapham ſcapham dicere fas eſt; feſtucam aliorum vidiſſe, trabem vero Eorum, qui meæ profeſſionis, vix obſervaſſe, nedum perſenſiſſe videar, fateri omninò cogere cœco planè *Singularium* amore captos, raptosque eſſe hactenus, non minus etiam *Medicos*, & quod magis eſt, *Viros* alios Excellentes, eoque deveniſſe, ut in Morborum curatione, *Singularibus* ſuis ita dictis, niſi omnem, præcipuam tamen laudem impertirent, & fiduciam, quô verò id factum non rarò fuerit, & jamdum fiat, eventu, dies teſtatur & Experientia.

Theſis XLIV. Hâc etenim ratione, & dum ſpes omnis, & confidentia ſolis tribuitur *Sngularibus*, *Rationalis* ut plurimum negligitur *Methodus*; quâ neglectâ, & ſepoſita, non curatur amplius, qualiſnam certò, qui curatur, p. n. affectus ſit, An per conſenſum affligat? An unus, vel plures, & complicati ſint? An à cauſa calida, an frigida, proveniat? An marem corripiat, vel Fœminam? An ſenem, vel puerum? An Plethoricum, vel Cacochymum? An Bilioſum, vel Petuitoſum, vel Melancholicum? Et ſic quæ aliæ

notabiles

notabiles, ac neceſſariæ occurant circumſtantiæ; Ut mirum proinde non ſit, quod Morbi aliàs Breves, & facilè curabiles, nec ipſi tollantur, nec removean ur eorum cauſæ, ſed radices agant, & vel degenernt in alios, priori pejores vel fiant Chronici, ac diuturni; ipſique tandem ægrotantes, contra Canonem, & præter neceſſitatem, moriantur, ac pereant; niſi vel *Audacem fortuna juvet*, vel poſt *Deum*, *Natura*, *morborum Medicatrix*, errorem ipſa corrigat. Hinc contingere experimur, quòd, ſi in Morbis gravioribus, ac periculoſis, inſtantis vitæ periculum, vel mortis tandem cauſa, à *Cognatis* & *Adſtantibus* quæratur, internarum partium, Epatis imprimis, Meſenterii &c. Inflammationem, Gangrænam, & neſcio, quam Viſcerum corruptionem, ſpecioſè effingere, ac mentiri, & inevitabilem adeò mortis quaſi neceſſitatem, credulis præcipuè mulierculis, Patheticè ſatis perſuadere ſciant, ac ſatagant; Cùm tamen nullius planè, vel inflammationis, vel Gangrænæ, vel Corruptionis, per totum morbi decurſum, unquam apparuerit vel ſignum, vel veſtigium; Multò minus ex Receptis in Pharmacopolia miſſis, quincquam doceri, & remonſtrari poſſit, quod ad profliganda iſta mala, præſcriptum, & ordinatum ſit. Et hi ipſi ſunt, *qui Morbos, & pericula fingere, non dubitant; Unde Credulum Vulgus, plerumque autem Divites, inani metu percellere nonnunquam aggreſſi ſunt, Apoplexias, Epilepſias, Hydropes, Gangrænas. Viſcerum Corruptiones, aliosque Graviſſimos, Morbos, omnibus imminere, mendaci planè linguâ præſagientes, à quibus pro præſervationis Concilio, magna præmia expectant; cùm enim ab imminentibus Periculis ſibi metuerent ægrotantes, Auxilium ab his petendum, aut magno pretio coemendum, rati ſunt, quos pro Prophetis, ac futurorum Periculorum nuntiis ſuſpexerant; Unde, ſi quando vel leve ſabulum in Urina conſpectum fuit, mox lapidem, novaculis exſcindum, ſubeſſe comminati ſunt &c.*

Hipp. libr. 6. Epidem.

Raym. Mind. Thren. Med.

Theſis XLV. Sic Conſulationes & *Concurrentiæ*, in Caſu difficili, & morbis gravioribus, & ſummè periculoſis, cum *Medicis aliis*, vel non, vel rarò admodùm, & non, niſi coactè habentur, & admittuntur; Quia unusquisque ſua adhibere geſtit *Singularia*, jam verò, cùm alter alterius *Singularium* Naturam, & vires neſciat, (neſcit autem omninò, quia *Singularia* ſunt) vel alter ſua recommendare *Singularia*; alter verò Medicamenta convenientia ex *Officinis Pharmaceuticis* ordinare, nititur, animorum ſubinde diſſenſus prognaſcitur, & æmulatio; Quâ verò ratione, quâ conſcientiâ, & quô tandem ſucceſſu, & eventu, talis habeatur *Concurrentia*, penes *Rationales* quosvis candidum eſto *judicium*.

Theſis. XLVI. Et ſanè, ut fatear, quod verum eſt, non video, quomodo *Rationalis Medicus*, ad *Concurrentiam* cum alio vocatus, prioris *Singularia* approbare, inque uſum eorundem conſentire poſſit, niſi *Empiricum* agere, ac eventum Curationis *fortunæ* vel *temeritati* committere velit; Si enim media ad Curationem neceſſaria ignoret, quomodo de ejusdem ſucceſſu, & eventu certus eſſe poterit?

Theſis XLVII. Nec levis ſubindè prognaſcitur *Arrogantia*; dum enim vident, & experiuntur, hoc vel illud *Singulare* bono interdum adhiberi ſucceſſu, eò tandem deveniunt, ut morbus omnes, ſolis, & paucis aliquot *Singularibus* curari poſſe exiſtiment; adeoque ſalutem omnem ipſis ſolis attribuant, cùm tamen, ſi quærantur, ipſi rationem reddere neſciant, an ex *Artis* præſcripto, an verò *fortunâ*, vel caſu, vel ex *Accidenti* proceſſerit *Curatio*.

Theſis XLVIII. Arrogantia porrò hæcce parit *Contemptum*, peſſimæ matris filium; qui alios pariter invadit, & exercet *Medicos*, ac ipſos *Pharmacopæos* excruciat; *Illos*, dum miſello vulgo, ac credulo nimis popello, ſpecioſè ſatis perſuadere ſatagunt, quàm citò, quàm tutò, quamque jucundè ſuis *Singularibus* remederi morbis poſſint, quos *Medici* alii, *Singularibus* non inſtructi, vel vix, vel non, niſi longo tempore, potionibus longis, multoque medicamentorum, ad nauſeam usque exibitorum, uſu, curare valeant; *Hos* verò, dum eorundem, vel ignorantiam in rebus Pharmaceuticis, vel in præparandis Medicamentis negligentiam, vel in taxando avaritiam, vel in vendendo, ac ſubſtituendo fraudes, & malitiam, & neſcio, quot defectus allegare, & accuſare laborant.

Theſis XLIX. Ne verò, ſi plura dicerem, *veritas odium pariat*, digito compeſco labellum; hoc tantùm ſuperaddens, quod & ſumma Rei eſſe, & impium pariter, ac invidum mihi ſemper viſum fuit, ſcilicet, quod pauciſſimi hactenus de ſuis *veris*, & *Approbatis Singularibus* dictis poſteritati quicquam revelarint, vel reliquerint; cùm tamen ſecum reputaſſe debuiſſent, ſe *non ſibi*, ſed *Reipublicæ* notos eſſe; atque adeò, ſi quid utilis, ſi quid boni, commodique ad publicam *Proximi ſalutem* à ſe proficiſci, ac redundare poſſit, id, ex quodam quaſi *Naturæ debito*, exſolvi debuiſſe & quamvis ſciam magnum dici poſtulatum, petere communicationem, deſcriptionem, Proceſſum &c. hujus, vel illius *Singularis* dicti, utpote, quæ longo labore, ſumptuque interdum non parvo comparata, & propterea non cuilibet ſtatim propalanda, ſed in ſecreto reſervanda eſſe, dicuntur, ut & aliis ſubinde, in Arcana Naturæ penetralia ſcrutandi ſurrogetur occaſio; Larvam tamen eſſe hanc excuſationem, ac latitare ut plurimum aliud quicquam extrà omnem videtur controverſiam; *Chriſtianam* eniam *Charitatem*, utpote quæ omnes, ut quilibet, talento ſuo, ſalutem Proximi promoveat, devincire, invicem ſatagit planè taceo; Nec meum prorſus facio, quod *Renatus Moreau* hâc de re ſcripſiſſe legitur, dum ait: *Rutam contritam naribus, & ori Epilepticorum Impoſitam liberare ægros ac etiam perfectè ſanare*, obſervat *Michaël Savonarola*; ſubditque, *hoc præſidium pro ſecreto, & Singulari, tenendum, quod tamen omnibus propalandum ſit, ac revelandum; quoniam talia ſubiicere, videtur peccatum in Spiritum Sanctum. Ex quibus verbis* (ſunt verba Moreau) *dicent Chymiſtæ, Argyrtæ, Circulatores, Circumforanei, Arcanorum Tranſcriptores, & quicunque, ſe Remedia, Arcana, Secreta, & Singularia habere, profitebuntur, peſſimè agere; non ſolum, quia, ut plurimum falſa pro veris, inepta pro ſinceris, vana pro certis præſidiis, venditant; Sed etiam quia, quæcunque tandem illa ſint, ſubticent, & ægris, & Medicis Dogmaticis, qui pro ſuſpectis ſemper remedia illa, ἀλογα aut ab ἀλόγοις hominibus ſuppeditata, habent.*

In animad. verſ. ad C. 37. Scol. Salernitam. p. 435.

Sed hoc tantum cujuslibet Speculationi, Rationi, & Candori perpedendum remitto, nimirum, cùm conſtet Omnes omninò homines, & præſertim, qui literis addicti ſunt, quicquid boni agant, quicquid intendant, & quicquid ingeniorum acumine inveniant, vel invenire ſtudeant, id omne, *Famæ*, ac nunquam interituræ Nominis ſui gloriæ gratâ; vel ſacra *Auri* ac *divitiarum* fame, agere; Quæ tandem cauſa ſit, Cur Tot, etiam Clariſſimi Viri, è viventium numero, ad plures abeant, qui tamen, de ſuis *Singularibus* dictis, *ne tantillum* quidem *Poſteritati* relinquant? Tantùm autem abeſt, ut ex ſordida quadam Avaritie; *quæ Empiricæ Sectæ cognata quadam, ac Nutrix eſt à Bonis Medicis* id fieri, concedam, ut potius vitium hoc alienum planè ab iiſdem eſſe atque adeò de *Impoſtoribus* tantùm dici exiſtimem, quod dicitur: *Reperti ſunt Complures, qui Experientiolas aliquas, nullis forſan Rationibus innixas, nacti, easdem ſtudioſè cuſtodire, celare, velare, ac abſcondere ſtuduerunt; non, quo Arti honorem, ſed quò ſibi lucellum aliquod majus compararent, ut quod ſine ſpeciali eorum conſenſu, voluntate, ac deceptoriæ liberalitatis munificentiâ; Remedium obtineri non poſſe putabant ægri,*

Raymund. Mind. Thr. Med. c. 9.

 præmiis

præmiis ab ipſis Celatoribus, *tanquàm ex Captivitate*, *redimerent*.

Non equidem latet, quod vulgô, & verè quidem dicitur, *Neminem eſſe obligatum*, *Arcana*, *& Singularia ſua in Vulgus propalare*; Item. *Medicamenta Proſtitutione vileſcere*, &c. Reſpondetur enim, aliud eſſe, propalare Singularia *in Vulgus* hoc eſt, illiteratis quibusvis, & à Medicina alienis, Mulierculis puta, Idiotis &c. eadem manifeſtare, ac concredere; Aliud verò, *Orbi Literato*, *Medicorumque familiæ* communicare Eadem; Aliud item eſſe, quod *de Jure*, aliud autem, quod *ex Chriſtianæ Charitatis debito* fieri dicitur; Unde Medicamenta, etiam ſingulariſſima, quæ in Ægrotantium Salutem, & *Artis* Incrementum, aliis communicantur *Medicis*, nec proſtitui, nec proſtitutione vileſcere, dici poſſunt; niſi qui dicat, (quamvis abſurdè dicat) *Artem* noſtram, & olim, & à primis ipſius incunabulis, egregie fuiſſe proſtitutam, & jamdum proſtitui enormiter; Quam ingenuè enim; & quàm candidè *Primi Artis Parentes* quicquid in imis ſcientiæ, & Experientiæ Medicæ habuerunt penetralibus, *Poſteritati* communicaverint, negare non poteſt, niſi qui *Artem* negare ipſam audeat malevolè; Et quantâ quæſo ipſorum Laude, (ut quicquam tantum de noſtro hocce dicam Seculo) quandoque *Poſteritatis* Commodo, ſua nobis *Inventa*, verè *Singularia*, communicarunt hactenus *Anatomici*, *Venas* puta *Lacteas Meſaraicas*; *Ductum Pancreaticum*; *Glanduloſa Chyli Receptacula*; *Vaſa Lactea Thoracicâ*; *Vaſa Lymphatica*; *Ductus Salivales*; *Nobilem* item *Sanguinis Circulationem*; & *Singulares circà eandem habitas*, *eidemque accomodatas Obſervationes*, *Curioſam de Oſſis Cribriformis* uſu ſpeculationem, &c. Sic à *Pathologicis*, & Practicis Celeberrimis, quibus Novi, vel rari quicquam obſervare licuit, integras habemus *Morborum Hiſtorias*, *Obſervationes Medicas*; *Caſûs Raros*, *Enarrationes*, *Epiſtolas Medicinales*, *Conſilia*, *Conſultationes*, *Annotationes*, *Curationes inſignes* &c. ità ut Charta deficere videatur, ſi præclara omnium, qui hâc in parte de *Artis* Incremento, & Bono publico, optimè mereri allaborârunt, exprimere deberem nomina; Sic *Exoticorum* Periti ſuam Nobis non ſubticuerunt *Herbam Thee*, *Chinam Chinæ*, *Cavee*, *Crapp*, *Terram Catechu* &c. Quemadmodum nec *Curioſi* Alii Inventa ſua, quæ quovis modô ad *Artis*, vel *Incrementum*, vel *Ornamentum* facere, viſa ſunt, occultare rati ſunt; Quæ inter inſignis Modernorum *Inſtrumentorum Anatomicorum*, *Chymicorum* & *Chirurgicorum* apparatus, de *Inventorum* Candore teſtatur ingenuè; ità ut tantum abſit, ut *Ars* Noſtra, ſincerâ Eorum, quorum jam mentio facta eſt, communicatione, & propalatione, proſtituta eſſe dici queat, ut potius inſigne exinde *Incrementum* ſumſiſſe videatur.

Caſpar Aſell. Ioh. Georg. Viſungus. Iohan. Pecquetus.

Th. Bartholinus. Io. Hornej. Olaus Rudbeckius. Harveus Guern. Rolfinckius. Coctr. Vict. Schneider.

Soli verò *Sngularium Inventores* plerique *Sua* unà ſecum ſepeliri malunt, quàm ut Eorum hæres fiat Poſteritas; Quamvis enim hocce noſtro Seculo non defuerint *Viri Excellentiſſimi*, quorum ingenuus in Bonum Publicum Candor tantus fuit, ut ea, in quibus vel *novi* vel *Singularis*, & *Arcani* quicquam, longâ experientiâ deprenderunt non ſibi ſervarent, ſed in publicam omnium Ægrotantium Salutem, & nunquam intermorituram Eorum memoriam, Literis conſignarent, ac uſui faciſſent publico; *Plurimi* tamen & preſertim, qui ſuis *Singularibus* nimium quantum fidunt, iiſdemque omne Curationis punctum præ aliis ſoli abſolvere geſtiunt, *Experimenta* ſua planè ſubticent adeoque nec *ſibi* de honeſta Nominis exiſtimatione, nec *Arti* de incremento, nec *Proximo* de emolumento, proſpicere laborant.

Ioſ. Quercetanus. Oſw. Crollius; Dan. Senn. Hadrianus à Mynſicht, Io. Hartm. Angelo Sala: Gv. Rolſinc. Io. Schroder. Franc. Ioël. Io. Zwelferus. &c.

Theſis L. Aliud ergò quicquam latitet; neceſſe eſt, quod ipſum, vel *Invidiam* quandam, quel quendam *pudorem* eſſe, exiſtimo; ſi ex *invidia* ſubticentur *Singularia*, fit iſtud; vel reſpectu *Ægrotantis proximi*, vel *Curantis Alterius Medici*; ſi reſpectu *illius* impium planè, inhumanum, & *Chriſtiano Medico* Indignum eſt, ſubticere, ac ſibi ſervare ea, quæ, ſi vera ſunt, Sanitati, Vitæ, & Summo adeò proximi Bono, proſpicere poſſunt; Idem enim ſi ſuperiorum Seculorum feciſſent *Medici*, nec aliter *Rei Medicorum* conſuluiſſent *Publicæ*, *per Apollinem Medicum*, *& Æſculapium jurarem*, nec eos, qui *Singularis* quicquam ſubticent, tantum ſcire, & habere, undè, & ex quo ſua *Singularia* dicta conficere valerent. Si verò reſpectu *hujus* id fiat, ab Eruditis, Dogmaticis & rationalibus *Medicis* aliis, nihil, vel parùm curari, auguror; præſertim, cum per *Dei* gratiam, & Clariſſimorum, ac de *Republicâ Medicâ* & *Proximi ſalute* optimè meritorum *Virorum* ſtudia, & diligentiam, tanta nobis in *Pharmacopeliis* publicis, & Privilegiatis pariter, quam apud *Claſſicos* Autores quosvis ſuggeratur remediorum, & Medicamentorum approbatorum copia, ut, quod, *ex invidia paucorum*, *Publicò* denegatur, *Multorum Candor*, utrâque manu liberaliter ſatis nobis porrigat, & exhibeat. Et, ſi, e. g. Idem malum Hypochondriacum convenientibus, appropriatis omnibusque, Bonis *Medicis*, notis Medicamentis, curatur in *Gallia*, quod, per ignota *Singularia* dicta Antihypochondriaca, ab uno, vel alterò dicitur curari in *Germaniâ*; quid tum poſtea? Ita, *Varandæus*, Regius in *Academia Monſpelienſi* Profeſſor, ſcitè ſatis dixiſſe, legatur: *Illa Remedia eſſe optima*, *quæ minimè ſint Secreta*, *& Singularia*, *ſed notiſſima*, *utpote certiori experientiâ confirmata.*

Iur. Hipp.

Primeroſ. l. 3. de Vulgi Errorib. c. 12.

Theſis L I. Cùm verò de Chriſtiano, Bono, ac Conſcientioſo *Medico* talem præſumere, & prædicare invidiam, nefas ſit; in ælteram potius abirem ſententiam, ſcilicet ex modeſto quodam pudore plerumque ſubticeri *Singularia*, ita enim hujus noſtri præprimis Seculi genius fert & conditio, ut, quemadmodum in aliis plurimis, ſic etiam in *Medicina*, Novitati plus, quàm par eſt, indulgere, nil novi ſit; unde tantus ingeniorum excitatur pruritus, tantaque Singularitas, ut, quilibet ferè *Nova* invenire, *Singularia* tractare, *Singularia* præparare, iiſdemque, niſi omnes, pleraſque tamen Morborum Curationes, perficere geſtiat; ità, ut in tantùm *Singularia* dicta ſuccreviſſe videantur numerum, ut, & Tituli, ac Nomina tandem deficere, & integra Pharmacopolia iiſdem, ſi colligantur, impleri poſſe, plus quàm manifeſtum ſit.

Theſis L I I. Pudet autem omninò plerosque ut de ſuis *Singularibus* dictis quicquam certi proferant, multò minùs Ingredientia, ac præparandi rationem, utendique modum, candidè manifeſtent; Hoc enim factô, emerito ut plurimum ſuffunduntur pudore, propriâque confeſſa turpitudine, ipſi tandem fateri coguntur, ipſorum *Singularia*, vel planè eſſe *Vulgaria*, vel *aliorum Inventa*, ab ipſis verò *mutata* quodammodo, *correcta*, inque *aliam* vel *conſiſtentiam*, vel *colorem*, vel *formam* quamcunque, eſſe *redacta*; ſic enim quotidiana experientia teſtatur, quod pleraque, etiam vulgatiſſima non rarò Officinalia, vel per ſe, & prout in *Diſpenſatoriis publicis* præcribuntur, ac à *Pharmacopæis* noſtris, & ipſum *miniſtris*, quotidiè diſpenſantur, vel leviter tantùm mutata, & correcta, ſub ſpecioſo *Singularium* prætextu, & titulo gaſſatim quaſi circumferantur, vendantur, & exhibeantur, quod ipſum *Primeroſius* innuiſſe creditur, dum: *Obſervavi*, inquit, *multos aſtutè ſua* (*hoc eſt*, *Singularia*, & *Secreta* dicta) *occultare*, *ne*, *ſi aliis Medicis innoteſcerent riſum moverent*; *Vulgaria enim Remedia*, *&*

forſan

forſan inepta, pro magis ſecretis, à multis prædicantur quæ nemini revelare volunt, prudenti ſanè conſilio, quia nihil habent, quod Secretum, vel Singulare dici debeat.

Theſ. LIII. Et quod majus eſt, mirari meo quidem loco ſatis nequeo, quod & *Novelli* quidam *Practici*, qui nudius tertius *Medicinam* facere, atque Ægrotantes viſitare inceperunt, hodiè ſtatim de ſuis Experimentis, & *Singularibus* gloriari audeant; quæ tamen res, ſicut admiratione juxta, ac riſu digna eſt; ità altioris ſanè indaginis, quamvis pauci momenti, eſſe, videtur; Judicii enim imbecillitatem an dicam, an Arrogantiam, vel ea eò tantùm apparere conſtat, quod, dum Majorum, ac Præceptorum ſuorum æmuli, fictitiis,, ac opinativis ſuis *Singularibus* dictis, tales ſæpè imponant *Titulos* ac *Nomina*, quæ riſu, & cachinno digna ſunt, rem ipſam, virtutem ſcilicet ſui *Singularis* & operandi rationem, vix ipſi intelligere videantur: Sic E.g. inter alia (integros enim poſſem, niſi partim honoris ergò, partim riſûs compeſcendi Gratiâ abſtinerem, allegare Catalogos) dicta *Singularia*, datur *Pulvis in Acutis, pulvis in peracutis*; ſed quæ? qualis? quanta? Ergone *Omnes Morbi Acuti, & Peracuti*, unius, ejuſdemque erunt generis? Non eſt, cùm enim dentur, qui ſunt à *Causâ frigidâ*; ut Apoplexia Catarrhus ſuffocativus, Lethargus &c. in Senibus, cùm dentur, qui ſunt *à Causâ calidâ*; & *totius dicti Subſtantiæ*; ut, Febres ardentes; Malignæ, cum, & ſine Petechiis &c. Cùm dentur, quorum natura in *inflammatione* conſiſtit, ut: Phrenitis, Peripnuemonia, Pluritis &c. quâ, quæſo, Methodô indiſcriminatim exhibebitur, quâ ratione in morbis, à Cauſis contrariis productis, & quomodo contrariis Indicationibus, unicus æquè ſatisfaciet *Pulvis in Acutis, & Peracutis*? Non video.

Theſis LIV. Et *hac occaſione, & ex tanto* rerum *abuſu*, evenit tandem, ut, quibus nulla unquam facta, nec conceſſa eſt; *Medicinam* faciendi poteſtas, & licentia, indifferenter, impunè, & non ſine ſummâ ſacræ *Artis* ignominiâ, multorumque ægrotantium damno, & interitu. Medicos agant, Medicinamque faciant; Ita enim *Pharmacopæi* plerique, *Barbitonſores, Balneatores*, ac *Dentifrangibuli*, non pauci; *Paſtores, Pagani, Agyrthæ, Circumforaneique* quilibet, *Artem* exercent *Medicam*, *Singularia* effingunt, & jactitant, inſignesque *Artis* noſtræ Doctoribus excitant moleſtias. Idem paſſim facere audent, qui per aliquod temporis intervallulum *Chymicorum* Laboratoriis inhæſerunt hi enim ſtatim, atque vel ignis tantùm gradûs moderari, vel unum, alterumque proceſſum expedire didicerunt, in mundum univerſum abeunt, *Chymicos* ſe profitentur, ac nil, niſi *Singularia*, *Secreta* & *Arcana* olent, & ſapiunt; cùm tamen omnis plerumque literaturæ planè expertes ſint, & curioſum non tantum Vulgi genus, ſed *Magnos* interdum etiam *Medicos*, *Magnosque alios Singularium, & Arcanorum* amore raptos, egregiè ut plurimum decipere, ſumtuoſoſque proceſſos fugâ non rarò abſolvere, ſolent; Nihilominus tamen *foventur Hi à Magnatibus Impoſtores, ac in Aulis, in Hominum perniciem, nutriantur: cumulantur honoribus, Præmiis, ampliſque afficiuntur Stipendiis.* Et quâ denique *Artis* injuriâ, quodvis aliudhominumgenus, ut ſunt *Paſtores, Laniones, quadrati item Ruſtiei, Opiliones, Carnifices, Vetulæ, Sagæ, Præcentrices, Cingari, Harioli, Cryſtallantes*, & neſcio, quæ hominum farrago, falcem, non temerè minus; quàm inſolenter in noſtram meſſem immittat, eſt, quod (*vel hic etiam Loci*) inſigniter doleat *Medicorum* familia, atque ita tàm ſcitè patitur, quàm Verè cum *Medicina Lugente* exclamare cogatur: *Domus mea, Domus Medicationis eſt, Vos autem feciſtis eam Speluncam Latronum*; Nam & hæc malè feriatorum hominum turba, illud, ad quod nata, & educata eſt vitæ genus, petulanter deſerit, ac *Arti Medicæ* illotas, & peſtiferas manûs malitioſè admovet; *Aquas deſtillat; Simplices; Compoſitas; Pretioſas! Medicamenta varia præparat; Singularia, Secreta, Arcana jactitat; ægrotantes viſitat; Medicamenta exhibet; curat; necat, enecat; mortificat*; & hæc quidem omnia impune, & re quaſi optimè geſtâ, & quaſi nullus amplius ſuper ſit *Magiſtratus*, qui tantam malitiam, fraudes, & ſcelera, ſeverè vindicare, aut velit; aut valeat; *Impudicum enim hoc Hominum Genus Toti Arti multùm faſtidii, tædii, difficultatis, ærumnæ deſpectus, ac odii peperit, cum de cogenda magis pecunia, quàm de mortalium ſalute ſolicitum, & emugendis ſolummodò crumenis addictum fuerit, nihil autem reipſa, vel quod collaudandum foret, parum præſtiterit. At neque hoc adeo condolendum forſan exiſteret, niſi, præter ejus modi rapinas, tot hominum cædes, ac homicidia Reſpublicæ clamarent; Proh dolor! quot ab Agirtis his interfecti! Quot in extremam pauperiem ſimul, ac corporis calamitatem, acti? quot in florida juventute præmaturæ neci ſunt traditi? Medicinam, in manu inſcii poſitam, eſſe gladium in manu furioſi, quis neſcit? At, quid furioſus? mactabit, non defendet; occidet, non proteget; lædet, non ſanabit. Ita igitur hi, omni arrogantia, ac faſtu, referti, Præceptiones omnes Medicas illudentes, Indicationes, ad curationis viam inſtituendam neceſſarias, negligentes, concurrentium Symptomatum obſervationes deſpicientes, ætatum, temperaturarum, climatum, anni temporum, ac conſtitutionum, imo & cauſarum prægreſſarum vix ullam rationem habentes, veſpertilionum more in Medecina involant.* Et reverà *plaga eſt hæc Hominum, juſti Dei Judicio iis hominibus irrogata, qui ſeſe à Veræ Medicinæ Legibus, Præceptis Fide, ac Experimentis, ſubtrahentes, hiſce Aucupibus Corpora ſua credunt.*

Raym Mind. Thron Med. cap. 9.

Mind. Th. Med. cap.

Mind. ibid.


Theſis LV. Et ſic tandem verum eſſe experimur, quod dicitur: *Dato uno abſurdo ſequuntur Plura*; Et ſi *Medici* ipſi in tantos rapiantur *Abuſus*. quid mirum, ſi ex malo Exemplo idem faciant & alii; Sic enim omnes ruunt, ac diſſolvuntur *Bonæ leges!* Sic nullus amplius obſervatur *Medicinalis ordo*! Ita quidem, ut iis etiam nonnunquàm in Locis, unde abuſûs iſtius emendationes exſpectandæ erant, exlexquilibet ſit, vel eſſe tamen velit; nec ulla extet *Medicinalium Taxa*; nec tot annorum ſpatio habeatur *Pharmacopolior. Viſitatio*, ſed *ter. medicinal. omn. extrema ſuboriat, confuſio*!

Theſis LVI. Quam tamen Morum, & Geniorum Dyſcraſiam, eaſque quæ exinde promanare aſſolent, inconvenientias, & exorbitantias maximè deteſtantur, & abhorrent quibus *Proximi Salus, Poſteritatis amor, & Bonum publicum* cordi magis eſt, quàm ut ipſos purum putum, & ſordidum iſtud *Privatum Commodum* occœcare planè valeat, atque adeò unanimi voto mecum vovent, ut in priſtinum reſtituantur *Ars*; *Tandem! Sic Pudor, & tandem Veri Reſpectus & Æqui!*

Et hæc ſunt, quæ de *Singularibus* dictis dicere conſtitui. Quæcunque autem de moderno *iſtorum* pariter, quàm *Nobiliſſimæ Chymiæ Abuſu* incidenter paſſim dixi, bono (ſanctè teſtor) dixi animo; Atque adeò ſolennier proteſtor, me contra ſincerum *Veræ Chymiæ*, exercitium nec dixiſſe quicquam, nec unquam dicendi habuiſſe animum; Si quis verò eſt, cujus.

Conſcia Mens falſi de ſe putat omnia dici.

Is ſecum habet, ac conſideret, in quantam, per tot tantosque *Abuſûs*, *Medicina* & Moderna præprimis *Praxis*, abierit hactenus Barbariem! atque ita nec Vitio, nec Invidiæ nihil vertat, quòd *Verum, & palàm eſt Omnibus.*



OBSERVA

OBSERVATIONES MEDICÆ DVÆ,

PRIMA

DE CRINONIBVS SEV COMEDONIBVS INFANTVM.

INcognitus & indictus antiquioribus fuit morbus, cujus paſſim ſuperiori ac hodierno ſæculo à Medicis non minus, quàm medicaſtris mulierculis, fit mentio & ab iſtis quidem morbus pilaris infantum communiter appellatur, ſpeciatim autem crinonum, item comedonum nomine venit, Germanis MITESSER audit. Contabeſcunt infantes paulatim, inſomnes redduntur, & inquieti, & inſignem ſimul pruritum corporis pati videntur: quod ſi in balneo ritè tractentur, corpuſcula pilorum craſſiorum inſtar denſa & ſpiſſa (unde ſimilitudinis ratione, crinonum nomen) è poris corporis prominent, quæ pro animalculis intercutanea loca inhabitantibus (unde comedonum nomen, quaſi vermium alimentum infantum depaſcentium) ab aliis habita fuerunt quibus unâ alterave vice ablatis, melius habere infantes obſervantur. Vtrum itaque cenſui excrementorum ſpiſſiorum tertiæ coctionis, an vero animantium generi adſcribendum ſit iſtud extra cutim prominens, diutius controverſum fuit, prout ſcilicet fieri in naturalibus amat, ubi ſolis rationibus, citra experientiæ armaturam pugna inſtituitur. Hæc tandem rerum magiſtra litem diremit, oſtendendo microſcopiorum ope manifeſtè, eſſe revera animalcula viva, quidquid ſpiſſorum iſtorum capillorum facie ſubinde compareat coloris obſervantur ſubcinericei, & plus minus nigricantis, cornubus ſeu potius antennis binis longe prominentibus inſtructi, oculis rotundis grandiuſculis cum cauda oblonga in fine villoſa, paucis aſpectu ſatis horridi, prout ex tabula conſpici poteſt: In qua figura A magnitudinem nativam, prout nudo oculo ſe exhibet, repræſentat: figur B. verò crinonem integrum, accuratè obſervatum, reſupinato ſitu collocatum: figur. cc. eoſdem crinones, prono corpore delineatos, ſed ſub ſeparatione à cute, caudâ truncatos. Nam non tantùm propter moroſitatem puerorum, difficulter ſeparari poſſunt, ſed ob exilitatem etiam ac teneritudinem vix integri obtineri, quin facillimo attritu vitientur: id quod in figur. D. contingit. Pueri ſunt, & infantes in quibus frequentiùs naſci ſolent, quorum crura, brachia, & inprimis dorſum, ſive totum, ſive interſcapilium tantum, maximè tamen ipſam ſcapularum regionem ſolent occupare. Sed quæ huc ſpectant alia, curioſo lectore digna, prolixius, pro uſu inprimis medico, expoſuit Erud. *Georgius Hieronymus Velſchius*, in exercitatione de *Vermiculis capillaribus infantum*, in qua omne id, quicquid pro uſu tam Theoretico quàm practico deſiderari poteſt, ex quibus ſcriptoribus in unum faſciculum concinnè collectum exhibetur, adeo ut unus hic author quorumvis aliorum vices commodè ſupplere queat. Annexa eſt dicta exercitatio. Iſti *de vena medinenſi* laborioſè & accuratè conſcriptæ, & anno 1674. auguſtæ vindel. In quarto primitus, ſub auſpiciis Claudiæ Felicis Imperatricis, luci publicæ expoſitæ.

SECVNDA

DE

SIRONIBVS.

ALij longè à crinonibus ſunt Sirones ſeu Cirones, vermiculi ſcilicet minuti, quaſi pediculares, in puſtulis ſeroſis prurientibus ſub cuticula manuum inprimis & pedum, ſubſiſtentes. Germanis Seuren, item Reitlieſen vocari ſolent. Minus de his diſceptatum fuit, animalculorum claſſi an aſſociandi, ſi quidem hoc jam olim ſubtili *Scaligero exerc.* 194. *de ſubtilit. num.* 7. extra dubitationis aleam poſitum fuit: qui tamen ipſis formam nullam expreſſam eſſe aſſerit, quæ microſcopiorum ope diſtinctè ſatis & accuratè conſpici poteſt,

eſt , ſecundùm eam faciem , quam Tabul. figur. E E E repræſentat, colore ſunt albicante , & pedibus exceptis , qui propius intuenti nigricare videntur : pedibus ſex inſtructi ſunt , binis utrinque mox juxta caput poſitis , quibus talparum ritu cuniculos ſub cuticula agere , & oblongos non rarò quaſi ſulcos trahere , ſimulque moleſtiſſimum pruritum excitare videntur. Num deorſum ſit ſquamoſum, ſeu ſquamis coopertum , prout quidem affirmat *Dn. Rohaultus tract. phyſic. part.* 1. *cap.* 21. definire nolumus. Illo præſtantiore dubio procul microſcopio inſtructo. Mirum de cætero eſt , quantas moleſtias tam puſillum animal homini excitare queat, quas ſtupendâ hiſtoriâ pluribus explicat *Monfetus in Theatr. inſect. lib.*2. *cap.*24. *&c.*

INDEX
RERUM ET VERBORUM
TOMI PRIMI.

In quo numerus duobus unciolis (.) incluſus, indicat partem primam & inſtitutiones: numerus verò abſque ſigno poſitus diſſertationes deſignat. Primus Romanus oſtendit quota ſit diſſertatio, ſequentes numeri caput, vel §. illius monſtrant: numerus abſolutè poſitus inſtitutiones juxta editionem in quarto.

A.

Abdominis muſcul. inflammationis ſigna. (291.b)

Abomaſus quid. (10. theſ.11

Abortus quid. (508.b.) græci quomodo diſtinguant ibid. cauſa 509. a.b.) ſigna 509. b.) (510.a.) prognoſis (510.b.) cura. (510.b.) (511)

Abſinthium vermes enecat. (14 theſ.6)

Abſorbentia quæ. (444.) 445)

Abſceſſus quid (270. a.) (549. a.). recidivantes qui (561. a.) cauſa ibid. cura ibidem.

Abſtinentia à potu corpulentiam nimiam tollit. (140.a.)

Acacia vid. prunus.

Actionum diviſio in naturales & animales non ſufficit. II. c.I.§.5.

Acetoſa aquam rubro colore tingit. (93 a.)

Acetum dentes ſtupefacit & lædit (96.a.) ſcilliticum VIII. c.2. art.2.§.6. Tymæi in peſte (225.b.) vitrioli benedictum in ſoporoſis morbis. (161.a.) (363.a.)

Acidulæ, modus operandi I. c.3. §.11. artificiales. (93.a.)

Acidum & alcali in omni corpore ſunt (7. theſ.15. omne acidum extra ſtomachum corpori inimicum 13. theſ. 4. unde oriatur (102. a. b.) nervis inimicum (54. theſ. 8.) dentibus inimiciſſimum (99. a.) quot modis peccet 58. theſ. 19. quæ augeant vel alterent, (58. theſi.21.) quæ corrigant ibidem in podagrâ vitanda (29. theſ. 4.) ſtomacho conducunt (49. theſ.12.b.) acidum an univerſalis morborum cauſa eſt V. §.29. eſt baſis potentiarum hipocraticarum XII. c.2. §.10. plus minus peccans eſt baſis omnis cacochymiæ XII.c.2. §.20. acida ſpirituoſa præſervant in febribus malignis & epidemicus (59. theſ.28.) acidi morboſi origo unde XII. c.2. §.22. Acida ſalia innumerabiliter differunt (7. theſ.13.) inter acida quæ palmam aliis præripiant (205.a.b.) acidi & alcali effectus in generatione ſeminum, conſervatione & deſtructione 8.§.30. acidi in corpore noſtro differentia 55. §.14. acidi aucti aut fixi præternaturaliter corrigentia. 91.§.4

Acor vulnerum quomodo impediendus. 70.§.3

Actiones Sympatheticæ. 11.§.17

Acutum quid. (38.theſ.16.a.)

Adipis detractio plinii quid. VIII.c.2.art.5.§.4

Aëris neceſſitas in fermentatione ſanguinis (7.theſ.8.) introitus in pulmones quomodo fiat (21.theſ.2.) II.c.7.§.4.) aëris portio ſiniſtri cordis ventriculum ingreditur in viventibus (21. theſ. 3.) II. c.7. §.1. in montibus Peruvianis reſpirationi ineptus (22. theſ.6) nimis rarefactus reſpirationi ineptus ibid. reſolvit & volatiliſat omnia fixa (22. theſ. 7.) etiam ſanguinem ſine capite mortuo. (22. theſ.8.) II.c. 8.§.5. II. c.7. §.1. ineſt ocultus vitæ cibus (22.th.8) X.c 2. §.1. efficacia in corpus noſtrum unde (53. theſ.3. varietas unde ibid. hybernus acido ſale nitroſo eſt impregnatus (58.theſ.21) (85.b.) I.c.3. §.8. inſunt ſalia volatilia 85. b.) copioſiſſimis particulis quaſi tot fermentis eſt impregnatus (I.c.3. §.8) quomodo ſe habeat ad inſpirationem & expirat. II. c 2. §.6. pulmones dilatat II.c.6.§.2. cur quo altius pertingit eo minus pulmonibus expandendis aptus II. c 7. §.1. an aqua ſpongiis contenta condenſari queat ibid. fuliginibus nimis repletus eſt reſpirationi ineptus ibid. poſitive gravis eſt II.c.7.§.3.b. gravitate ſuâ quid efficiat ibid. inferior ſuperiori gravior eſt ibid. expanſioni & compreſſioni aptus eſt ibid. elater quid ibid. Hyeme denſior eſt quam æſtate ibid. hyeme acido aucto videtur impregnatus (342.a.) an perioſi quadam pulmones intret II. c.7. §.6. an propter fugam vacui pulmones intret? II. c.7. §.7. inſpiratus an ſanguinem ingrediatur? II. c.8.§ 1.2.3.4 5.6. an pro vitæ nutrimento ejus quædam particulæ ingrediantur II. c.10. §.4. an contineat particulas quaſdam vitales ibid. omnibus corporibus ſiccis eſt permixtus II.c.8.§ 3. quomodo ſanguinem inſpiratione ingrediatur. II.c.8.§ 6.9.

Aëre puriſſimo & frigidiſſimo cur edaciores ſumus? II c.8.§.5. quando ſanguinem ingrediatur II. c.8. §.9. an inſpirando cerebrum ſubeat, II.c.8. §.11. V. §.20. an per os cribriforme penetrare non poteſt? II. c.8. §.11. ſemper recentari debet reſpirantibus II. c.9. §.5. II. c.10. § 7. 8. 9. uſus in reſpiratione II. c.10. X. c.2. §.1. ſanguinem non refrigerat II. c.10. §.1. (156.b.) deficiente, non cuncta ſtatim ceſſant vitæ munera II.c.10.§.4. deficiente, cur animalia moriantur II.c.10 §.11. 100. levior eſt aquâ 1000. capacius occupat II. c.10. § 5. quantum ſalis contineat II. c.10. §.5. vermis latentia morborum ſemina excitat X. c.2.§.2. fermentis contagioſus inquinatus maſſam ſanguineam varie vitiat. (156.a.)

Ægri in compitis publicis expoſiti: in adytis templorum. I.§.2.

Ægrotare quid? (I. theſ.1.) ægrotorum fiducia in medicum (67.theſ.2.) ægros manus ſœpius naribus admovere malum. (64.theſ.1)

Affectus præter naturam ſecundum Galenum c.V. §.9. ſecundum modernos V.§.9. catarrhales cur capiti, faucibus & pulmonibus moleſti (335.b.) catarrhales infantum unde. X.c.V.§.25. cura X.c.3. §.10. catarrhalium remedia (339.) affectus doloroſi ſcorbutici unde? VII.c.I.§.I

Agere tota ſubſtantiâ quid. (58.theſ.15)

Agreſta vide omphacium.

Agrippæ qui! (511.b)

Agrypnia (357.a.) cauſa ibidem, ſigna diagnoſtica (357.b.) prognoſis (357.b.) cura (358.a.) opiata caute propinanda (358.b.) remedia (358.a.) agrypnia infantum unde. X.cap.2.§.2. (543.b)

Albugo oculi vid. oculus.

Alcalia innumerabiliter differunt (7. theſ.16.) quot modis peccent (58.theſ.16.) peccantia quid efficiant ibid. proles eſt bilis (58. theſ.17.) quæ augeant vel alterent (ibid. §. 18.) fixa mutant purgantia in diuretica & diaphoretica (74.theſ.14.) vis in quo conſiſtat. V.§.36

Alcôol quid. XI.cap.2.claſſ.I §.2

Alexipharmaca calida & ſpirituoſa non ſemper tuta. (225.a.)

Alexipharmacorum natura. 82.§.17

Alimenta 70.§ 8. quantitas non qualitas nocet. ibid.

Alimentorum neceſſitas (5.§.4.) habent partes utiles & inutiles (11.theſ 6) VIII. præfat. unum citius quam alterum mutatur in chylum (12. theſ.11.) omnia ſana ſunt (53.theſ. 4.) quantitatem & qualitatem appetitus preſcribit. ibid. inſueta appetita non nocent (54.theſ.4.) X.c.2.§.13. (101. a.) in primis viis varie corrumpuntur (60.theſ.29.) quædam flatibus aptiora ſunt (60. theſ.32.) flatus non inſunt ſed gignuntur ibid. reliquiæ fermento quid contribuant! (101. a.) fermentum modificant ibid. cur nos alterent I.cap.I.§.7. nonnulla ſub digeſtione craſeos veſtigia retinent I.c.2.§.2. aſſumpta omnia in ſtomacho aceſcunt ibid. ſunt cauſa ſanitatis & morborum I c.3. §. 2. 3.4. Vires quomodo hippocrates explicet. I.c.3.§.4. non tam qualitate quam quantitate lædunt VIII. præfat. Scrupuloſus delectus

fruſtraneus eſt x. 6. §. 13. appetita facilius digeruntur. (101. a) per fermentationem in chylum mutantur 70. §. 9. alimenta quædam ſunt medicamentoſa. 82. §. 14.
Allantoides membrana an in homine (44. theſ. 1. recipit ex veſicâ urinam per urachum. ibid.
Alteratio eſt fermentationis effectus (7. theſ. 20. quomodo fiat, ibid.
Alterantia qualia (72. theſ. 1. Sunt varia ibid. à præcipitantibus quomodo differant. ibid. vis in quo conſiſtat. 1. c. 3. §. 10. particularia quæ 91. §. 2. generalia ibid. §. 3.
Alterantia mediatè. 92. §. 7. quænam acidum tam generale quam ſpeciale corrigunt 93. §. 13. in iis quid obſervandum. 93. §. 14.
Aloë in aëre creſcit. 1. c. 3. §. 8. alvi excrementa flava tingit 60. th. 30. non eſt venenum ut reliqua purgantia (78. theſ. 17. aloës lotio eſt caſtratio (66. theſ. 11.
Alvi excretionem aër juvat 11. c. 10. §. 1. cautiſſime in morbis malignis movenda. 204. b) x. c. 2. §. 32.
Alvi excrementa non ſunt amara (60. theſ. 30. conſtant ſale ſalſo & ammoniacali. ibid. unde flaveant ibid. porracea unde ibid. flava in diarrhæis unde , ibidem b.) flava infantum unde ! x. c. 2. §. 32. vide excrementa.
Alvi ſuppreſſioni quinam ſubjecti (113. b.) cauſa. (114. a.) in ictero unde ibid. infantum unde (534. b.) Signa dianoſtica (114. a.) (535. a.) prognoſtica (114.) cura ibid. infantum cura (535.) gravidarum cura (502.) puerperarum cura (523 b.) auget capitis vitia (114. a) quidam idioſyncratice ſunt obnoxij vii. cap. 3. §. 7.
Alumen quibus conſtet xii. cap. 3. §. 9. artificiale, xii. cap. 3. §. 9 pro cryſtalliſatione quandoque urina additur ibid. in febribus operandi modus ibid. in febribus uſus illegitimus nocet. ibid.
Amara ſunt hepatica (49 theſ. 12. b amarum Hippocratis quid. 1. c. 2. §. 7.
Ambra cautè uſurpanda. (419. a)
Ambuſtio (585. b) gradus ejus ibid. cauſa ibid. prognoſ. ibid. cura ibid. remedia 5. (86. a b)
Amentia quid. (417. b.)
Annion quid (44. theſ. 1.) ejus liquor quid ibid. 49. §. 1. unde oriatur. 50. §. 5.
Amor inſanus quid (435. a) differt à philtro ibid ſigna ibid. cura. ibid.
Amuleta. 66. theſ. 14)
Amygdalarum amararum vires vii. c. 5. §. 11. an ebrietatem curent. vi. §. 37. 38.
Analogiſmus (65. theſ. 4.
Anaſarca quid (251. a) quomodo à leucophlegmatiâ differat ibid. b.) ſeri extravaſatio quomodo fiat (257. b.) cura cum cachexia convenit. (262.)
Anaſtomoſis (19 theſ. 1. cordis in fœtu ſingulares (46. theſ. 5.
Anaſtomoſis cauſa (306.) cura (307.)
Andromacho prima theriacæ compoſitio debetur. 2 § 9.
Aneuriſma quid. (564. a) ſigna ibid. cura. ibid.
Anginæ gargariſatio non ſemper proficua (275. b. potus ordinarius (278. b.) notha ejuſque cura ibid. cura idealis (68. theſ. 9. quid (273. a. cauſæ ibidem b. ſpecies ibid. ſigna (274.) prognoſ. (274.) cura (274. b.) (235. b. (275.) remedia. 278.
Angulus incidentiæ (34. theſ. 5.) repercuſſionis ibid. interſectionis (34. theſ. 4.)
Anhelitus eſt dyſpneæ primus gradus, (161. a)
Anima mundi quomodo concedenda 11. c. 7. § 8.
Anima 10. §. 7. (1. theſ. 2.) Hippocrati quid iv. §. 6. triplex (2. in homine & brutis negat ſenſitivam auctor. (357.) ſenſitiva quid. iv. §. 6 eſt in brutis (38. theſ. 2.) brutorum eſt materialis (39. theſ. 3.) omnem præter rationalem rejicit Carteſius. (2. theſ. 4. facultates quæ ibid. ſunt nullæ ibid. rationalis 13 §. 33. ad hominis vitam nihil facit 2. theſ. 7. habet intellectum & voluntatem (39. theſ. 2.) cognitio & intellectus quomodo fiat (39. theſ. 3.) (39. theſ. 5.) quid. ibid. eſt materialis ſed immortalis iv. §. 8. 9 10. 11. propagatur per traducem iv. §. 9. 10. hoſpitatur in cerebro iv. §. 12. quomodo functiones animales efficiat iv. §. 14. quomodo tangat nervos pro ſenſu & motu iv. §. 12. gubernatio ſpirituum incogitabilis & inexplicabilis eſt , (417. b.) quomodo lædatur in ſuis actionibus (418. a.) quandoque æque patitur ac corpus vi. §. 16. actiones cur deficiant. (40. theſ. 8.)
Animi affectus vocem variant. (35. theſ. 7.) cur muſica moveat (36. th. 9. affectus atrocium morborum auctores (55. theſ. 11. ad ſanitatem conferunt , (55. theſ. 12. curant morbos (68. theſ 10.) animi motus morborum complurium cauſæ. 63. §. 15. etiam ſanitatis ibid. §. 16.
Animalium partes quibus conſtent 63. §. 12. (34. theſ. 7.) cur animal moriatur obturatis naribus & ore 11. c 10. § 8. revocari ad vitâ poteſt 11. c. 10 §. 13. 14. omnia ex ovo 111. exord §. 5. 6. 7. 8 9. venenata quando lædunt 111. c. 1. §. 44. mortua non ſunt venenata. ix. c. 1. puncto 3. §. 3, rabida etiam poſt mortem ſunt venenata. ix. c. 1. puncto. 3. §. 4. irata nocent ibid. punct. 4. §. 12. alia præter canem etiam rabida fiunt (432. b.) nullum per ſe eſt venenatum niſi iratum ix. c. 1. punct. 5. §. 6. venenata irata ſe ſe mutuo lædunt. ibid. animalium duplex varietas 12. §. 23. calidorum animalium vita facilius deſtruitur 12. §. 24.
Ani procidentia quid (146. b.) cauſa (147, a) ſigna ibid. prognoſis ibidem cura ibidem b.) infantum unde (537. ſigna ibid. prognoſ. ibid. cura (537.) b.) ani inflammatio (281. a cauſa ibid. ſigna ibid. pronoſ. cura ibid. b) fiſtulæ remed. ibid. abſceſſus ibid. ani dolor pruritus (134.) (135.
Anus clymacterius. (64. theſ. 2.
Annorexia (85. b.) cauſa ibid. ſigna (86.) cura. ibid.
Anthrax (555. a) vide carbunculus.
Antimonij cum vegetabilibus analogia. 96. §. 23.
Antipraxia viſcerum quid. (26. theſ. 4.) (50. theſ. 14. (101. a) cura vid. morb. chronic.
Anxietatis in peſte cura (235. a b) ſtomachi differt à cardialgia. (109.)
Aperientia quæ. (26. theſ. 4.)
Apepſia (595. a) cauſa ibid. prognoſis 595. b) cura ibidem remed. (11. theſ. 7.) ſenum remedia. (13. theſ. 13.)
Aphonia quid. (416. b.) vid. loquelæ amiſſio.
Aphoriſmus Hippocratis ſect. 1. 20. quomodo intelligendus. 98. §. 33. de morbis etiam chronicis.
Aphtæ. (278. b.) (531. b) (cauſa, (279. a(531. b.) x. cap. 2. §. 29. ſigna diagnoſt & prognoſt. (279.) 531.) cura (279.) (531.) remedia ibid. x. c. 3. §. 14.
Apoplexia quid. (380.) (261.) eſt malum admodum hæreditarium. (382.) ſpecies (380.) cauſa (380.) (381.) (382.) (158.) ſigna (382.) ſigna diſtinctiva ibid. prognoſ. (382. 383.) cura (383.) &c. remed. quæ (384.) præſervantia. (55. theſ. 16.) (73. theſ. 3.) (384.) (385.) cur & quomodo ſuffocationem inferat (159. a) ſenſus & motus ſubita ceſſatio unde. (381.)
Apoſtema vid. abceſſus internorum remedium.
Apoſema vid. decoctum.
Apetitus quid. 16. §. 1. (8. theſ. 1. unde (8. theſ. 3.) quare variat ibid. 16. §. 4. (101.) quæ appetat (8. theſ. 4. quare æſtivo tempore deficiat. (85. b.) eſt index aſſumendorum (101.) imminutus vid. inapetentia depravatus vid. malac. nimius vid. bulimos.
Approximatio morborum quid (69. theſ. 15.) ratio ejus ibid.
Aqua inſipida quare (37. theſ. 13.) ſalſa maris quomodo dulcificanda. natura appetit in ſiti (92. b) inebriat v. §. 2. venenorum vim diluit. 111. c. 1. §. 47. in acetum abit. 1. c. 2. §. 6. communis deſtillatione fit corroſiva ibid. frigidæ potus nocet (92. b.) frigidæ potu curati ibid. pluvialis centies deſtillata ſemper terreſtre quid relinquit 11. c. 8. §. 4. aqua ophtalmica , (33. theſ. 3. (301. a) contra catarrhos frigidos Timæi (38. theſ 15. Lindani (374.) melli compoſ. amati Luſitani. (412. a)
Aqua contra affectus melancholicos ſtæcheri (429. a) puerperarum quid ? (45. theſ. 2. a) gravidarum fluxus immaturus quis noxius (506. a) ejus ſuccedaneum. ibid.
Aquatilia tactu non ſunt calida. (2 theſ. 10.)
Arabes puros Hippocratis fontes infecerunt. 2. §. 12.
Araneus vires ix. c. 1. punct. 3. § ex. aëre vivit. 1. c. 3. §. 8. ſine noxa deglutit ix. c. 1. punct. 4. §. 2.
Arcanum duplicatum Mynſicthi viij cap. 2. art. 4. §. 3. (12. theſ. 13.) (250. a.)
Archeus quid (3. theſ. 12.) eſt corporis architectus (4. theſ. 18.) habet in ſe chaos ideale. (4. theſ. 19.)
Ardor ventriculi (108. b.) cauſa ibid. cura ibid. remed. xi. c. 2. claſ. 1. §. 8. 1. c. 3. §. 10.
Arenulæ in urinâ differentia. (63. theſ. 6. friabiles ſcorbuticis propriæ ibid. (318. a)
Argentum vide Luna ,
Vivum vid. Mercurius.
Aridura quid (249 b. cauſa. ibid. (250.) ſigna ibid. cura ibid. remed. ibid. ex defectu ſynoviæ. ibid.
Ariſtoteles doctrinam de elementis pro ſua vendidit 1. c. 1. §. 4. quando floruit. 1. §. 6.
Ars & natura quomodo in operationibus differunt. 9. §. 13.
Arſenici aſſumptis remedium 11. 10. §. 10.
Artemiſiæ carbones non ſunt figmentum (374 a)
Arteriotomia ubi & quando conveniat (72. theſ. 10. (401. b) modus ibid uſus 90. §. 22.
Arteriarum motus unde (20. theſ. 4. pulſus eſt cordis pulſui contrarius (179. a) diſtributio in cerebro (30. theſ. 1.)
Aſperæ conditio ad vocem facit. (35. theſ. 6. ejus limpha (158. b. fibras circulares arteris tribuit Sylvius (210. theſ. 3.)
Arthritis (404. a) pars affecta (404. b) cauſa ibid. (102. b.) 1. c. 2. §. 9. ſigna ibid. (405. cura (29. theſ. 4. (406. a b) cura idealis (68. theſ. 10.) ſpecies (404. (405.) remedia (406.) (38. theſ. 15.) (29. theſ. 4. in Chinâ & Japone incognita (103. b)

Arthritis vaga ſcorbutica (440. a) (623. a (cauſa ibid. ſimptomata ibid. prognoſis ibid. cura ibid. (623. b.) quomodo à podagra differat. (447. b remedia. ibid
Arthritici cur ferè calculoſi. (316. b)
Aronis fæcula eſt caſtrata. (66. theſ. 11.)
Aſa dulcis vid. Benzoin.
Aſarum in aqua bullitum dieureticum evadit. 1. c. 3. §. 13.
Aſchia vid. Thymallus.
Aſelli. vid. millepedes.
Aſini ſanguinis vires (68. theſ. 8.
Aſcites vid. Hydropes.
Aſclepiades methodicæ ſectæ auctor. 1 §. 5. §. 7.
Aſperitas quid (38. theſ. 16.)
Aſphyxia tertius eſt gradus proſtrationis virium (180. a.)
Aſſimilatio & agglutinatio quid & quomodo fiant. 15. §. 21. efficiens ſpiritus animalis. ibid. §. 22.
Aſtacus vid. cancer.
Aſthma ſecundus dyſpnææ gradus (161. a) quid, (22. theſ. 8.) cauſa ibid. (161. 162.), (74. theſ. 4.) ſtomachicum hypochondriacis & ſcorbuticis familiare. (22. theſ. 8.) ſtertor & tuſſis unde. (162.) cura (23. theſ. 8.) (164. b) (73. theſ. 3.) convulſivum dicitur ſiccum, (22 theſi 8.) (161. b.) (162. b.) cauſa (22. theſ. 8.) (607. a) (163. b.) ſpecies (22. theſ. 8.) (163. b.) cura) 23. theſ. 8.) (164. b.) ſuffocativum unde. x. cap. 2. §. 23. cura x. c. 3. §. 10.
Aſtrum Mercurij Hartmanni. (375. a.)
Aſtrorum influxus an detur. (531. theſ. 3.) an aërem inficere queat IV. §. 20. an morbos producat, vel exaſperet. ibid.
Ateroma quid. (561. b.) cauſa 562. a) cura, ibid.
Athanaſia vid. tanacetum.
Athleticus habitus quid VIII. c. 1. art. 1. §. 11.
Athmoſphæra quid III. c. 1. §. 63.
Atonia viſcerum quid (51. theſ. 19.) unde (51. theſ. 20.) partium unde. ibid. theſ. 19. (270. a) 67. §. 38. cura ibid.
Atrophia (241. b.) cauſa ibid. (5. theſ. 6.) (148. b.) 1. c. 2. §. 10. ſigna (243. b.) cura (245. b.) ex philtro cura VII. c. 1. art. 3. §. 3. infantum cauſa (538. b.) ſigna. ibidem cura (539. a) remedia (x. c. 3. §. 12.
Atrophia particularis dicitur aridura. (249. b.) ſcorbutica unde. (242. b.) magica VIII. c. 1. art. 3. §. 3.
Attenuatio quomodo fiat. 15. §. 19.
Attractio quid. II. c. 7. §. 5. attractrix facultas eſt nulla, (6. theſ. 11.) VI. § 11.
Attributa, eſſentialia, accidentalia, 9. §. 8.
Auctio ſeu augmentatio corporis (5. theſ. 2. quamdiu durat. ibid. quid ibid. VIII. c. 1. art. 1. §. 1. & nutritio quomodo differant VIII. c. 1. art. §. 1. deficientis ratio. (5. theſ. 3.)
Auditus quomodo fiat (35. theſ. 8.) (364. b. primarium organum quod (35. theſ. 9.) læſio quot modis fiat. (407. a) remedia. (48. a b)
Averſio quid. 71. theſ. 7.) (272. a) an detur (271. b.) quorumdam ciborum cauſa. 16. §. 5.
Aves quo medio reſpirant. 11. c. 5. §. 6.
Acido valido donantur. 19. §. 7.
Avenzoar quis. 2. §. 12.
Averroës quis. ibid.
Avicenna quis quid fecit. 2 § 12.
Augmentatio ad vitales actiones pertinet. 13. §. 3. objectum. 14. §. 14. forma ibid. tres actus conſiderandi 15. §. 20. quam durat. 15. §. 23.
Auris ſtructura 40. §. 14. quid auditui conferat (35. theſ. 8. 9. humiditas infantum unde x. c. 2. §. 26. dolor. (35. theſ. 5. cauſa (402. b.) ſigna ibid. cura (403. a b) theſ. 5. à vermibus (403. b.) vermes extrahere ibid. ulcera (302. a (cauſa ibid. prognoſis ibid. cura ibid. remed. ibid. inflammatio (301. a) cauſa ibid. ſigna ibid cura. (301. b)
Aurum fulminans (115. a) diaphoreticum Poterij (386. b.) auri extenſio ſtupenda. III. c. 1. §. 55.
Auxilij medici circunſtantiæ duæ. (65. theſ. 2.) ex triplici fonte deſumitur. 79. §. 1. ex fonte pharmaceutico conſiderationem medetur. 9. §. 2. quomodo operatur ibid. arte accomodatur triplicem ob finem. 82. §. 16.

B

Balbuties infantum remed. (417. a b)
Balneum XI. cap. 2. claſſ. 4. §. 21. exemplum XI. c. 2. cl. 4. §. 21. Quando utendum XVII. c. 3. ſect. 1. artificiale XVII. c. 1. Sect. 1. different. ibid. c. 1. Sect. 2. Siccum XVII. c. 2. Sect. 1. non ſiccum ſeu lotiones XVII. c. 2. Sect. 2. uſus XVII c 3. Sect. 2.
Balſamica cucumerina. vid. Momordica.
Balſamum. vires XI. c. 1. §. 2. ſtomachicum Tymæi. c. 13. theſ. 13. podagricum Rumelij 29. th. 4. vulnerarium arcei.
Samrech paracelſi (152. b.) Salis gemmæ Hartmanni. (146. b.)
Balſami ſulphuris vires in quo conſiſtant (248. b.) vires (249. a) noxiæ. ibid. juniperinum. therebinthin. papaverat. ibid.
Balſilicum an ſcorpiones unde proveniant. IX. c. 1. punct. 2. §. 2.
Beriberi morbus indorum (387. a b) (389. a b)
Bezoar orientalis doſis non ſit parva ſed ad mininum ad ℈ (218. a)
Bilis natura controvertitur 30. §. 3. ad ejus intelligentiam quid conſiderandum. 30. §. 3. phœnomena ejus plura ibid. materia bilis 31. §. 4. modus quo ex ſuo ſanguine generatur 31. §. 5. motus bilis. 31. §. 6. bilis folliculi unde ibid. §. 7. uſus ejus in inteſtinis 32. §. 8.
Bilis ex quibus conſtet. (13. theſ. 4.) (58. theſ. 17. 1. c. 2. §. 7. XII. c. 2. §. 21. cur chylo commiſceatur. (13. theſ. 5. 6.) (14. theſ. 7. 20. §. 3. 4. Rubini inſtar nitr. (13. theſ. 5.) eſt corporis balſamus (13. theſ. 6. (54. theſ. 17.
Bilis motus Sylvij dubius (17. theſ. 5.) generatio (25. c. 12. theſ. 2. 4. effluxus (ibid. theſ. 2.) abſentia quid cauſetur (27. theſ. 4.) eſt alcali proles (54. theſ. 17.) (155. b) quæ augeant vel alterent ibid. (58. theſ. 18.) peccat in qualitate & quantitate (60. theſ. 29. cum ſpiritu vitrioli virideſcit (60. theſ. 30.) 1. c. 2. §. 7. aſtra quid (60. theſ. 30.) 1. c. 2. §. 7. vitiosè effervescentis noxæ (14. theſ. 9.) regurgitationis in ventriculum noxæ (86. a) (101. a) porracea æruginoſa unde (90. a) 1. c. 2. § 78. (109. b) ejus antidotum 1. c. 3. §. 10. cur infantibus familiaris 1. c. 2. §. 7. vitia quæ (113. a) (264. b) multum ad debitam chili perfectionem confert. VIII. c. 1. art. 2. §. 8.
Bilis in infantibus ſæpe inſipida eſt. VIII. c. 2. art. 4. §. 1. an actu contineat quæ arte proliciuntur. XII. c. 2. §. 21. caloris producendi vis unde. VII. c. 2. §. 21. ſæpe eſt effectus morbi non cauſa ibid. vitioſa unde (313. a)
Bilſij de nutritione ſententia VIII. c. 1. art. 2. § 4. ejuſdem de hepate (16. theſ. 5.) 22. §. 5.
Bolus medic. quid. XI. c. 2. claſſ. 1. §. 4. eſt duplex ibid. quomodo fiat. XI c. 2. claſſ. 1. §. 4. contra dyſenteriam Agricolæ. (129. b) contra ſingultum & vomitum Tymæi (169. a)
Bombicis ova quomodo fœcundentur (494. b) metamorphoſis (4. theſ. 21.)
Boniſacia vide vuularia.
Brachij dolor. 38. theſ. 15.)
Branchiæ aquaticarum ſunt loco pulmonum (21. theſ. 4.)
Bruta quomodo cognoſcant (38. theſ. 2.) actiones mirandæ unde. ibid. animalia eſſe & cognitionem iis denegat philoſophus corpuſcularis (theſ. 3.) idearum formati aliqua concredenda (40. theſ. 7.) anima cum careant cognitionem propriæ dictam non habent. 13. §. 34. de illorum cognitione ſententiæ tres 44. §. 9. 10. 11.
Bubo quid (554. b) Signa (555 a) cura ibid. a b (229. a b) 236. a b) Venerei cauſa (547. b.) (555. a b) cura ibid. maligni cauſa (547. b cura 555. a) (229. a b) (236. a b) remedia. IX. c. 1. p. 3. §. 3. 5. 12. 229.)
Bubo nocile quid. (144. b)
Buſo vires (68. theſ. 8. (308. a b) IX. c. 1. p. 3. §. 3. 5. 12. b.) odium in hominem IX. c. 1. punct. 3. §. 3. mortuus venenoſus non eſt. IX. c. 1. p. 3. §. 3.
Burrhi ſecretum in panno & ungue morbis oculorum (33. theſ. 3.
Bulimos quid (90 a) differt ab appetitu canino ibid. cauſa ibid. 1. c. 2. §. 2. Signa (90. b. cura ibid. (91. a b) 1. c. 2. §. 2.
Butleri Lapis (68. theſ. 11.)
Byolichnium artificiale (2. theſ. 9.) (62. theſ. 4.)

C

Cachexia quid. (250. b 251 a) (613. b) cauſa (5. theſ. 6.) (13. theſ. 5.) (18. theſ. 12.) (47. theſ. 6.) (48. theſ. 8.) (251. a b) (50. theſ. 16.) (59. theſ. 25.) VIII. c. 1. art. 1. §. 7. Signa (251. b.) prognoſ. (252. a) cura (252. a b. &c. (477 b) remedia (252. a. b.) difficilis reſpiratio unde (162. a) tepor unde (49. theſ. 12.) mulierum quid. (482. b) (484. a) cauſa ibid. Sina (484. b.) cura ibid. &c.
Cacochymia quid 55. §. 10. unde 55. §. 11. in quo conſiſtit ab Hippocrate deſcribitur 55. §. 15. raritas unde. 55. §. 18. triplex Galenicorum explicatur. 56. §. 21. bilioſa Galin. ibid. §. 22. quæ augent vel alterent. ibid. §. 23. quæ porrigunt ibid. melancholica ibid. §. 24. quæ augent vel alterent 57. §. 25. quæ corrigunt. 57. §. 25. 91. §. 1. pituitoſa ibidem §. 26. quæ augent ibid. quæ corrigunt. ibid.

ibid. cacochymia ſeroſa ibid. §. 27.
Cacochylia quid & unde (155. a)
Cadaverum conditura (16. theſ. 5.)
Cæſares quid (516. b.)
Calcinatum majus Poterij (583. b)
Calculus eſt productum morbi (50. theſ. 15.) VIII. c. 2. §. 6.) (316 a) generatio quomodo fiat. 60. theſ. 31.) (27 theſ. 4.) I. c. 2. §. 9. (316. a b) 317. b. differt à generatione lapidum in macrocoſmo. (316. a b) cur in renibus & veſiculâ felleâ potiſſimum reperiatur (60. theſ. 31.) (316. a.) difficillimæ eſt ſolutionis quare (27. theſ. 4.) in China & Japonia incognitus propter uſum theæ herbæ (103. b) albi & rubri unde, (316. b) elementa acor ſcilicet vitioſus & alcali unde ibid. prima origo in ventriculo (317. a) ex innumeris corticibus conſtat (317. b) an medicamentis comminui poſſit (320. a) generat aſparagus (317. a) dicitur Duelech , Ludus (316. a) (27. theſ. 4.) Signa (317. b) (318. a b. cura 318. b. (319. a b &c.) (27. theſ. 4.) præſervatio. ibid. (321. a b)
Calefacientia quæ. (50. theſ. 12.) interna vel externa quæ. 92. §. 7. circa ea quid notandum ibid. §. 9.
Calidum quid (38. theſ. 16.) nimij noxæ (95. b.)
Callus unde (5. theſ. 3.) (10. 21. theſ. 12.) VIII. c. I. art. 2. §. 9. a b)
Calor & vitæ conſequens. (3. theſ. 16. unde ibid. II. c. 8. §. 7. XII. cap. 2. §. 21. Quid efficiat 3. theſ. 16.) (theſ. 7. actio eſt univoca 10. theſ. 2.) adjuvat digeſtionem ibidem.) (101. a) partium particularis unde. (50. theſ. 12.) quomodo operetur. I. c. §. 6. quid 4. §. 19. requiritur pro operationibus melius perficiendis. II. §. 19. excitatur primitus in ſanguine , diſtribuitur à ſpiritu & ab utroque pendet 12. §. 20. cor eſt caloris fons ibid. in quo conſiſtat. 12. §. 21.
Calomelas ſeu mercurius dulcis. (144. a)
Camphoræ vires (201. b) (31. theſ. 6.)
Cancer quid (559. b. cauſa (560. a) Subjectum ibid. Signa (559. b) cura palliativa (560. a b) ocultus quid (560. a) exulceratus conſtat ſale corroſivo. I. c. 2. §. 3. unde. I. c. 2. §. 8. 583. Signa 559. cura (584. a) cura D. allcoth. ibid. (585. a b) remedia ibid.
Cancri fluviatilis. Vires (434. a b)
Canis digerit vitrum antimonij. (10. theſ. 2.) Sine ſplene vivit (24. theſ. 2.) quomodo herum agnoſcat 36. theſ. 10. (70. theſ. 20.) fortiſſimis remediis parum aut nihil purgatur (75. theſ. 15.) canem amore ſibi jungere (70. theſ. 20.)
Cantum , aër adjuvat II. c. 10. §. 1.
Caper & capra vires (315. b)
Carbones Sulphure minerali imprægnati. (360. a)
Carbo quid. (555. b)
Carbunculus malignus eſt rariſſimus. (555. b) maligni cauſa. ibidem ſigna (230. a) (555. b.) cura (230. a b) (556. a b) 236. a b.) remedia (230. a b) (556. a b.)
Cardia quid. (8. theſ. 5.) (109. a) eſt ſedes animæ ſecundum Helmontium. ibidem affectus ſunt periculoſiſſimi ibidem.
Cardialgia. (125. a) (598. b) cauſa (110. a) 598. b.) Signa (110. a) 598. b.) cura (110. (111.) (112. a b) (598. b.) (599. a) remedia ibid. dicitur colica ventriculi. VII. c. 4. §. 5.
Caries quid. (581. a) cauſa ibid. (Signa 581. a b) cura ibidem.
Cariophylli aromatici vires (91. b)
Carminativa quænam ſint. (61. theſ. 32. (Sunt ſtomachica (87. a) quomodo agant VII. c. 5. §. 11.
Caro optima quæ 63. §. 12. (54. theſ. 7.) quid. VIII. c. I. art. I. §. 11. indurata pauci nutrimenti. 54. theſ. 7.)
Caruncula lachrymalis (301. a ejus defectus dicitur ῥυάς ibidem.
Carus quid. (360. a) cauſa ibid. a b) à lethargo diſtinguitur. (361. b.) Sina (362. a) cura ibid. a b remedia. (161. a) (362. a b &c.
Caſeus lædit dentes (96. a) averſatio unde X. c 2. §. 15.
Caſtorei vires (100. a) (91. b.) (161. a)
Caſtrati coire poſſunt (42. theſ. 3.) caſtratio familiaris in brutis (42. theſ. 7.) (480. a) caſtrati cur pingueſcant (240. a.)
Caſus ab alto remedia. (160. b)
Catalepſis quid (361. a) dicitur catoche ibidem exempla ibidem Signa (361. b) 362. a) cauſa (48. theſ. 9.)
Cataphora vid. Coma.
Catapl ſama quid XI. c. 2. claſſ. 4. §. 23. incommoda XI. c. 2. claſſ. 4. §. 24. contra tumorem & dolorem brachij à venæ Sect. (377. a b) Foreſti in iſchuria (328. b) in ſcirrho Thonneri. (559. a.) ad maturand. &c. tumores mammarum (528. a) contra maculas oculorum Plateri (42. a) in calculo veſicæ ſingulare (323. a) ex ſucco cancrorum Cratonis (319. a b) contra cephalalgiam peſtis Barbette. (231. b. contra ſingultum Smukij (169. a b)
Catoche vide catalepſis.
Catarrhus quid (335. a) Hippocrati eſt nomen generale, ibid. unde (28. theſ. 4.) (57. theſ. 7.) (335. b.) (336. a b &c.) excretoria 28. theſ. 4. b) (335. b) externus quid (28. theſ. 4. b) differentia ibid. Signa (337.) a b) prognoſcis , ibid. b. (338. a) cura ibid. a b) 339. a b &c.) (28. theſ. 4. b) Epidemicus (599. a) Subjectum ibid. cauſa ibid. a b) cura (599. b. (600 a b) Suffocativus quid (22. theſ. 8.) (157. b (604. b. dicitur ſincope cardiaca (158. a. &c.) cauſa (157. b) (158. a &c.) (604. b.) (605. a) Signa (159. b) (605. a) cura (160. a b &c.) (605. a b.) (22. theſ. 8.) mucus, Spuma, tuſſis unde (158. a b) differt ab apoplexia ſolum loco. (158. a) (381. a)
Catelli parvi ut permaneant VIII. c. 2. art. 4. §. 3.
Cauſæ morborum externæ neceſſario vel non neceſſario occurrunt (53. theſ. 1.) internæ (56. c. 3. theſ. 1. 2. 3. &c.) non ex qualitatibus primis definiendæ, (57. theſ. 11. occaſionales quæ (59. theſ. 27. correctio illarum quid XII. c. 3. §. 23. materiales morborum an dentur. IV. §. 5. differentiæ cauſarum. 69. §. 1. cauſa morborum efficiens proxima formalis quæ. 66. §. 29. 30. 31. 32.
Cauteriorum uſus in quo conſiſtat (56. theſ. 5.) 88. §. 13.
Cephalalgia in genere (396. b.) pars affecta ibidem cauſa 377, a b) Signa (398. b.) 399. a) cura (399. a b) &c. 400. &c.) eſt duplex (397. a) per conſenſum quæ ibidem uterina quæ , ibid. chronica dicitur cephalæa (397. a) ſtomachica quæ (397. b.) Scorbuta quæ ibid. cura (400. b) cephalæa ſenum quæ (398. a) à vermibus (398. a) cura (400. b.) Venerea) 398. a) (38. theſ. 15.) remed. ibidem. cephalg. à caſu cura 401. a)
Cephalica & vervina quæ (51. theſ. 19.
Ceratum ad torſiones nervorum Foreſti (593. a b.) in cephalalgia Alexandri Benedicti. (400. b)
Cerebrum an inflammari poſſit. (286. b) & cerebellum multum faciunt ad nutritionem VIII. c. 1. §. 2. §. 10. eſt totum oleoſum (91. b.) cortex quid (30. theſ. 1. 2.) (335. b) membranæ inflammatio dicitur veteribus Sphacelus (297. a) motus unde. 30. theſ. 2.) conformatio variat (40. theſ. 8.) concuſſio quare ſenſus auferat ibid. cerebri ſubſtantia quotuplex. 35. §. 2. Spiritus animalis origo animæ ſenſitivæ ſedes 35. §. 3. §. 4. duplicis ſubſtantiæ duplex officium.
Cereviſia (54. theſ. 8.) I. c. 3. §. 6. aceſcit ex habitu menſtruatæ. (43. theſ. 9.) feces quid (85. b) dicitur vinum ex hordeo V. §. 3. inebriat ibidem antiſcorbutica Tymæi (445. a) triticea plus quam reliquæ nutrit. (240. a) Cereviſiæ coctura. 63. §. 10.
Cervi vires (68. theſ. 9.)
Chamomillæ vires (111. a b)
China Chinæ nomina (198. b) vis & utendi modus XII. c. 3. §. 6 198. b.) Succedanea XII. c. 3. §. 6. infidus eſt ejus uſus XII. c. 3. §. 5.
Chiocolata quibus conſtet (103. b) vires ibid.
Chiragra quid. (404. a) unde (28. theſ. 4. b)
Chirurgia quid (546. a) affectus ſubjecti ibidem operationes quæ (547. a) eſt duplex ibidem infuſoria XVI. ejus hiſtoria ibidem c. 1. præſupoſita ibidem cap. 2. eſt utilis & neceſſaria XVI. c. 3. §. 1. liquor infundendus eſt varius XVI. c. 3. §. 2. ubi conveniat XVI. c. 3. §. 3. 4. 5 7. ubi non XVI. c. 3. § 8. 9.
Chloroſis quid. 602. b) (13. theſ. 5.) (482. b) Subjectum (483 a &c.)
Cauſa (483. a) (602. b 603. a) Signa & ſimptomata (483. b) 603. a) cura (483. b) (603. a) an idem cum cachexia mulierum. (482. b.)
Cholera quid (118. a) (597. b.)
Cauſa (118. b &c.) 597. b &c. Signa (119. a b) cura (119. b) (598. a) cura ſpecierum ejus 120. a b) Sicca (103. b.)
Cholerici qui V. §. 42. cur macri (21. theſ. 12.)
Chordapſus (280. b)
Chorion quid (44. theſ. 1.) 49. §. 1.
Chylificatio (10. c. 5.) (100. b.) quid (10. theſ. 1.) 18. §. 1. variat VIII. c. 1. art. 2. §. 7.
Cauſæ (10. theſ. 2. 3. 4.) I. c. 2. §4. quomodo fiat (20. §. 13. (11. theſ. 4. 6.) I. c. 2. §. 2.

tempus (12. theſ.13.) quot modis lædatur (100.b.) abolita dicitur apepſia. Cauſa 12. theſ.13.) ſigna ibidem b.) cura ibid. depravata eſt duplex (13. theſ.13. a.) (100. b.) cruditas læſa. Cauſa ibid. (101.102.a.) (ſigna 102. a.b.) (337.b.) cura (102.b.) (103.a.b.) efficiens non eſt calor. cur. 18.§.2. non eſt facultas ibid.§.3.eſt fermentum acidum volatile ſpirituoſum ibid §.4. hujus munera ibid.§.5. fermentatione adjuvatur ibid. §. 6. ſtabilitur hæc ſententia ibid. §.7. tempus quo chylificatio abſolvitur varium 20. §.16.

Chylus quid (10.theſ.1.) (100.b.) differt (10.theſ.2.) artificialis (10. theſ.3.) 1.c.2. §.2. cujus naturæ (10. theſ.4.) 20 §.1. (13. theſ.1.) cur albicat 20.§ 15. deſcenſio ad inteſtina (12 theſ.11.) per inteſtina tranſcolatio (13. theſ. 2.) 21. §.12. color variat (13.theſ.5.) depuratio in inteſtinis (13. theſ.2. 3. &c. 112.b.) perfectio unde 20. §.2. bonitas unde proveniat (14.theſ.9.) (113.a.) 154.b.) motus ad hepar falſus (15.theſ.2.4.) 22.§.4.7.Pecqueti & Bartholini demonſtratio. 21. § 3. Galenicorum & Aſellii 2. §.2. verus motus 22.§.6. limphæ permiſtus quò vadat 22. §.4. in ſanguinem tranſmutationis vera cauſa: 23. §.5.6.7. omnis ad cor abit ibid. in ſanguinem mutatio dicitur ſanguificatio (17.theſ.1.2.) quomodo fiat ibid. (18. theſ.9. 10.) craſis in quo ibid. non uno per cor neque per pulmones tranſitu mutatur 23.§.9.25.§ 19. 20.21. (59.theſ.24.) (18. theſ.14.) (19. theſ.15.) VIII. c.1. art.2.§.5. (155. a.) partes excrementitiæ quomodo in chylificatione ſeparentur (19.theſ.17) 21.§.5 6. ſanguinis acrimoniam temperat (59. theſ.24.) crudi noxæ quæ (59. theſ.25.) (155. a.) crudi cauſæ ibid. (cura 59.theſ.26.) diſtributio quomodo lædatur. (148.a.&c.)

Chylus legitime conſtitutus totus abit in ſanguinem, ſecus varias patitur ſeparationes. 25.§ 22

Chymia philoſophiam naturalem & medicinam locupletavit 2.§.15. eſt antiquiſſima ibid. quomodo differt à modernâ ibid. ejus primi cultores ibid. eſt naturæ imitatrix. 25.§.20

Ciborum quorundam averſio unde (8. theſ.5.) præparatio in quo conſiſtat (9. theſ. 3.4.) in ſtomacho confunduntur (12. theſ.12.) qui & quomodo lædunt (85.b.) (101. a.) delectus eſt habendus (101 b.) diutius in ſtomacho retenta corrumpuntur (101.b.) in ingerendo nullus ordo obſervandus. 20.§.14

Cicatrix quid (570.a.) cauſa. ibid.

Cinnamomi vires. (31.theſ.6.)

Cingulum mercuriale. (544.b.) (545.b.)

Circulatio ſanguinis quomodo fiat 25. §.186.§.5.(19 theſ.1.) (154. b.) finis quis 26. §. 8. 9. (20. theſ 8.) (21. theſ.1.) (156.b.) quot modis impediatur (268. b) in fœtu (21. theſ.1.) (46. theſ.5.) 11.c.9.§.3. (157.a.) circulatio habet omnes motus veri conditiones 26.§.2. circulatio in cerebro 35.§.1. circulatio in fœtu per alterutrum cordis ventriculum tantum fit 51.§.5. circulatorius ſanguinis motus conſiderandus quomodo modificandus. 86.§.4

Croſocele vid. hernia varicoſa. 86.§ 4.

Clamorem adjuvat aër. 11.c.10 §.1

Claretum ſeu vinum hippocraticum. XI.c.2 claſ 4 § 6

Clavicularum motus in reſpiratione. 11.c.3.§ 4

Clavus cephalalgiæ ſpecies (397 a.) quid ibid. cura. (400)

Clitoris appetitus voluptatis venereæ ſedes. (480.a.)

Clonus quid. (368.a b.)

Clyſſus quomodo præparatur. (93.a.) (21.a.)

Conſtituit acidulas artificiales. (93.a.)

Clyſma ad quid 104. §.10. uſus primarius ibid. ſecundarius ultra colon non aſcendunt ibid. §.11. miaſmata eorum ibid. intra corpus penetrant ibid. §.11. non nutrit. ibid. regimen ibid. § 12

Coagulatio quid. 1.c.2 § 5

Cocta quæ. (53.theſ.29.) (189.a.)

Coctio ciborum eſt chylificatio (10. theſ.1.) morborum quid (53.theſ.28.) (63. c.2. theſ.2.) (189.a.) ſigna (53.theſ. 28.) humorum (74.theſ.7.) cur evacuationi præmittenda (75. theſ.10.) adjuvant præcipitantia ibid. (189.a.) quomodo juvanda. 98.§ 35

Cognitio in quo conſiſtat (39 theſ 5.) intellectualis unde pendet. 43.§.7

Cæcus tactu colores diſcernere poteſt. (32.theſ.2)

Cæliaca quid (124.a.) cauſa ibid. ſigna (124.a.b.) cura. (142.b.)

Coitus piſcium quomodo fiat 42.theſ.6. unus galli gallinam ad aliquot menſes fœcundat ibid.cur parva epilepſia vocetur (159.b.) quandoque promovet ſternutationem. (172.b.)

Colica ejuſque cauſa 1 c.2.§.9. (603 a.) (137.a.) cauſa (138 a.) (139.a.) ſigna (139.b.) (318. a.) cura (140. a. b. &c.) (603.a.) ſternutatoria quid & unde (138. b.) cura (140.) flatulenta unde (102.a.) (138.b.) remedia (140.b.) (110.b.) à calculis & nephritica (139.a.) (487.b.) poſt febres unde (139. a.) peregrinantis remedia (142. a.) infantum unde (138. b.) (533. a.) X.c. 2.§.21. ſigna (533.a. b.) cura ibid. remedia X.c.3.§.9. ſcorbutica unde (139.a.b.) cura (142.a.)

convulſiva unde (139. a.) (601. b.) ſigna (139.b.) cura 140. (602.a.) gravidarum (504.a.) cura. (504.b.)

Colliquamentum candidum. (44.theſ.3.)

Colocynthis, in clyſteribus in petiâ liganda. (115.a.)

Correctio. 340.b.

Coloniæ tres medicæ 1.§.3. hippocratis celeberrima. 1.§ 4

Coloſtrum quid (525.a.) X.c.2.§.10. an nocivum. (530.a.)

Collyrium quid (33.theſ 3.b.) (Lotichii 411.b.) polychreſtum X.c.2. claſ.3. §.4. in ophtalmia Thoneri (300.b.) in epiphora catarrhali Foreſti (344. b.) ſecretum Pemplii. (411.b.)

Color quid unde 38.§.6. (32. theſ.2.b.) viridis unde X. c.2. §.21. in omni colore duo ſunt conſideranda. 38.§ 6

Coma dicitur cataphora (360.b.) typhomania. 360.b.

Cauſa (361.b.) ſigna ibid. cura. (362.a.b.&c.)

Conceptio quid 48.c.24.(42.theſ.2) (493.b.)ſigna an dentur (494.a.) quomodo fiat (496 b) (497. a.b.) tubaria unde ibid. quot modis lædatur (495.a.) impedientia (497.b.) (498.a) conceptione factâ brevi conceptum in utero apparet. 48.§ 4

Conceptus. (43.theſ.1.)

Concoctrix facultas non datur. (6.theſ.11.)

Concuſſio quid. (368.a.b.)

In conformationis organicæ læſionibus quid attendendum. 67.§.37.

Confortantium peculiares proprietates XVIII. §.16. quæ.(83. theſ.6.)

Conjecturarum medicarum fundamenta. 2.§.20

Conſanguineorum ſimpathia. (52.theſ.22.) (214.b.)

Conſenſus. 68.§.44

Conſervæ ex halitu menſtruatæ aceſcunt (43. theſ.9) præſervativa in calculo. (321.b.)

Conſonantes quid. 35 theſ.7

Conſuetudinis magna vis. (55.theſ.13.)

Contagium quid 67.§ 41. (51.theſ.21.) III.c. 1.§.52. (211. b.) (212. a.) natura III. c.1.§ 62. (212. a.) origo III. c.1.§ 63.64.65. modus propagandi (212.a.) in aëre volitat III.c.1.§.63.1.c.3.§.8.

Contractura quid VII.c.3.§.8. (371.b.) ſcorbutica (448.b.) remed. (449 a.b.) generalia remedia. (377.b.)

Contrarietas formalis in naturalibus nulla eſt XI.c.1.§.12. effectiva quid. ibid.

Contra fiſſuras. (577.a.)

Contra indicans quid. (65 theſ.7)

Contuſionis cauſa. (553.a.)

Convulſio ſeu ſpaſmus quid 368. cauſa (369.a.b. 370. 371.) ſigna 372. a.b.) cura (373. a.b. &c.) clonica quid (368. a.b.) tonica quid ibid. vulneribus ſupervenientis cauſa (576.a.) cura. ibid.

Convulſivi motus (368.a.) (369. a.) unde (31. theſ.6.) (48. theſ.9.) ſigna (372.a.) (128. a.) ſcorbuticorum & hypochondriac. remed. (449.) abdominis infantum quid X.c.1. §.20. unde. ibid.

Cor quid 23 §.3. ejus officium. ibid.

Cor eſt officina ſanguificationis (17.theſ.a.6.) (70. theſ.5.) omnia habet à ſanguine & ſpiritibus (17.theſ.2.) an fermentum habeat ſanguinis fermentativum 23.§.8. (17.theſ. 4 6.) V. §. 18. eſt muſculus (20. theſ.3.) V. §. 18. (183.a.) motus quomodo fiat ibid. 26.§.3. unde 11. c.10. §.6. exſecto reſpiratio & vita adhuc ad tempus duravit 11.c.6. § 3. magni exempli & parvi VIII.c.1.art.1. §.3. quomodo ſe contrahat. 26.§.4

Cordialia vid. confortantia.

Corallia XIV.§.1.2. unde generentur XIV.§ 6.quid. XIV.§.3

Cornelius celſus quo tempore floruit. 1.§.8

Cornu quid (563.a.) cura. (563.b.)

Corona in urinâ quid. (63.b.)

Corpus naturale quid (1.theſ.1.) affectionum explicatio. Carteſii (1. theſ.4.) miſtum quid (7.theſ.14.) diviſio Hippocratis V.§ 13.79. theſ.19. totum eſt perſpirabile (22. theſ. 6.) ſemper aliquid perdit. 13.§.5. in corpore humano quid conſiderandum 10 § 2. materia quæ ibid. §.3. partium diviſio ibid. & §.5.9. temperamentum quid. ibid.§.4. alterationes unde (47.theſ.4.) vires unde (31. theſ.6.) conſtitutio & vires unde ſecundum Galenicos 1.c 1.§ 2. varii colores unde (264.a.) per totam vitam nutritur VIII c.1 art.1.§.1. magnitudo varia unde ibid. §. 3. c.2. §. 6. quadratum quid (239.a.) mundi quomodo agant 11. c.7. § 9. finium & caſuum præcognitionem non habent ibid. extenſio eſt ſtupenda. III.c 1. §.56. 57. continuò effluvia emittunt III. c.1.§.63 64 corpora ſunt homogenea vel heterogenea 5. §.28. operationes unde ibid. animalium ſunt machinæ hydrolicopneumaticæ in corporibus heterogeneis tria ſunt conſideranda

Corporeum non eſt quid inviſibile. III.exord.§.5.

Corpulentia nimia quid (239 b.) cauſa ibid. VIII. c.1.art.1, §.10.11. art.2.§.1 §.3. §.7. 8.9. 10. ſigna VIII. c.1. art.3. §.8. c.2. art.1.§.1. cura VIII. c.2. art.1. c.2.§.56. (239.b.)

Corruptio & generatio corporum quibus legibus dependeat. 7.§.24.

Corylus

Corylus pulvis ex julis coryli, epilepticum eſt. x.c.3.§.15
Coſmetica quæ & qualia ſunt. (5.theſ.6.) (9.theſ.6.)
Coſtarum connexio obliquâ cum ſpinâ & ſterno cur 11. c.2. §.3. erectione ad rectangulum accedunt ibid. quo altius eriguntur eo magis protuberant ibid. quomodo moventur 11.c.3. §.4. in inſpiratione quomodo moventur 11. c.3. §. 5. motui ſequuntur partes connexę. 11.c.3.§.6
Cotyledones veterum quid. (45.theſ.2.)
Crambe vide ſpaſmus flatulentus.
Cranii læſiones variæ. (577.a.) ſigna ibid. cura ibid.
Craſis miſtorum quid 1.c.1.§ 8. quomodo propagetur ibid. craſis naturalis quid 55.§.12. craſis morboſa ibid. craſis vitiata duplici modo conſideranda. 55.§.15
Crines denigrare. 52.theſ.24
Criſin medicus negligere debet 76.§.40. (53. theſ.29.) (64. theſ.2.) quomodo præveniatur ibid. in frigidis clymatibus rarior ibid chronicorum morborum qualis ibid. XII. c.2.§.4. magnus eſt annus clymatericus ibid.extra ſeptenarios criſes laudabiles eveniunt, 76 § 40
Crimones x.c.2.§.33. dracunculi (539 b.) quid & unde ibid. ſigna ibid. cura ibid. (540.a) x.c.3.§.18
Crocus vires. VIII.c 2.art.3.§.6.
Cruditas humorum quid (74 theſ 7.) (189.a.) ſigna (53. theſ.28.) putrida lindano quid (242.a.) quotuplex (100. b.) nidoroſa quæ ibid. (13. theſ.13. a.) unde 1.c.2. §.7. (598.a.) ſigna (102. a) cura 103.b.) (598. b.) acida quæ (13 theſ.13. a.) cauſa (101. a.) ſigna (102.a.) cura (103 b.)
Cruentatio cadaverum. (3.theſ.13)
Cruor quid. (20.theſ.7)
Crurum dolor (38.theſ.15.) ſcorbuticus. (446.b.) (447.a.)
Cruſta lactea infantum unde x.c.2.§.25.26. (544.a.) prognoſis ibid. cura. (544.a.b.)
Cryſtalli vires (60.theſ. 30.) ex minera ſaturni (152. a.) aluminis antifebriles. (100 a.)
Cucupha quid & quomodo fiat. XI.c.2. claſſ.4.§ 10.&c.
Cucurbitulæ venæ ſectionis vicariæ. 88.§.11. uſus ibid.
Curatio ſympathetica 11.§.17. 105.§. 6. 7. curatio idealis quomodo contingat 54.§.3. tres curationis normas obſervare debet medicus 78.§.3. curatio magnetica non dæmoni in curis ſympatheticis portio quædam volatilis communicatur. 106. §.9. adſcribenda: 105. §. 6. exempla ibid. §.7. tranſplantatoria quæ 106. §.8. cutis quid (29.th.1.) (37. theſ.15.) XIII.c.2.§ 4.
Cydonia mala. Vires. (88.a.)

D.

DEcoctum quid XI.c.2 claſſ.4. §.1. quomodo & ex quibus fiat XI. c.2. claſſ. 4. §.1. §.2. ad orthopnæam Joëlis (23. theſ.8.) (167. a.) chinæ ad ſcorbutum Tymæi (93. b.) centaur. minor. Rulandi (199.a.) hepatis Rullandi XI. c.2. claſſ 4. § 14. §. 17. contra phtyſin chirurgi Stetinenſis (247.b) contra raucedinem Catronchii (174. a.b.) in anaſarcâ autoris (262.b.) ad icterum Lindani (266.a.) ad icterum euporiſton Camerarii (266. b.) contra iſchuriam foreſti (319.b.) (320. a.) contra mictum cruentum expertum (326.a) contra paralyſim Poterii (390.a.) contra dolorem ſcorbuticum Poterii (394.b.) contra deliria, &c. Hildesheim, (423.a.) poſt repoſitionem & firmationem uteri Poterii contra vomitum Joëlis.
Deflorata (478 b.)
Deglutitio 17. §.8. (9. theſ.9.) quomodo fiat ibid. liquidorum excluſis ſolidis unde 17.§.9. (9. theſ.10.) quot modis lædatur (99.a.). cauſa (99.a.b. ſigna ibid. cura (100.a b.) depravata (99.a.) cura (100.b.) deglutita res aliena quomodo extrahatur. (100 b.)
Delirium qui (419.a.b.) cauſa (420 a.b.) (421. a.b.) ſigna 422.a. b.) cura (422. a.) (423. a.b.) &c. melancholicum quid (424. a.b.) (622. a.b.) ſpecies (424.b.) (425.a.b.) cauſa (425.b.) ſigna (426. b.) (427. a b.) cura (427 b.) (622 b.) actiones inſolitæ unde (426.a.b.) critici ſigna (422.b.) ebriorum unde (31. theſ. 6.) ſignum (64.theſ.1.) ex utero cauſa (426.a.) in peſte cura (235. b.) Hippocratis diſtinctio. (421.b.) (422 a.)
Dentes artificiales (97. a.) quomodo renaſcuntur (96. b.) per ſe non dolent (96.a.) continuo augentur ibid. quomodo nutriantur ibid. acidum & frigus iis inimiciſſimum (99.a.) tranſpirat ibid. ordine ſuperiore carent corniger à (10.theſ.11.) vitia quæ (95.b.) defectus ibid. ſola natura reparat (96.b.) caſus unde (95.b.) (97.b.) promovere (97. a.) (396 b.) caries quid (96.a.) cauſa (96.b.) cura (97. a.b.) vermes unde (96. b.) cura (97. b.) (395. b.) caloris fœtidi cauſa (96.a.) nigritiei cauſa (96.a.b.) ſtridoris cauſa (95.b.) cura ibid. vacillatio (98.a.) cauſa ibid. cura (98. b.) algor (99.a.) cura. ibid.
Dentitio difficilis (532.a.) ſymptomata unde ibid. x.c.2.§ 31. ſigna ibid. cura (532. a.b.) x. c.2. §.16. remedia ibid. notha quid 532.b. ſigna ibid. cura. ibid.
Dentifricia ex quibus componenda. (96.b.&c.)
Derivatio (70. theſ. 5. 6.) 87. §. 7. juvat tantum per accidens. ibid.
Deſipientia tremula & obſcura hippocratis. (297.b.) quid (417.b.)
Deſtillatum inſtaurans. XI.c.2.§.1
Deuſingii opinio circa fœtus nutritionem. 50.§.4.§.6
Diabetis quid (323.a.) cauſa (323.b.) ſigna (324.a.) cura (324.a.b.) nothus quid (323.b.) cauſa ibid. ſigna (324. a.) cura (324. b.) urinæ dulcedo unde. VIII. c.2. art.2. § 5.
Diabroſis (305.b.) cauſa (306.a.) ſigna ibid. cura.(307.a.b.)
Diæta in quo conſiſtat (54. theſ. 4.) ſtrictis regulis non alliganda (55. theſ.15.) regula hippocratis ibid. VIII. præfat. conſuetudo addenda (55.theſ.13.) infantum (55. theſ.14.) mediæ ætatis ibid. (theſ.15.) ſenum ibid theſ. 16. Galenicorum ſudorifera quid XI.c.2. claſſ.4. §.15. uſus. (313.a.)
Diæreſis (305. b.) cauſa (306. a.) ſigna ibid. cura (307. a.b.)
Diagnoſis ad pathologiam pertinet. 75.§.37
Diapedeſis. ibid.
Diaphoretica volatilia ſunt duplicia (82. theſ.5.) XII. c.3. §.31. quomodo operentur (82.theſ.5.) vis quomodo promovenda (83.theſ.7.) qualia ſint (82.theſ.5.) volatilia pro ægri conditione ſeligenda XII.c.3.§.31. ſelecta quæ (82. theſ.5.) (83.theſ.7.)
Diaphragma hippocrati dicitur (1.) φρενὶς (296.b.) connexio III.c.5.§.1. thoracem claudit ibid. ſequitur motum coſtarum II. c.5.§.7. cauſa ibid. in ranis eſt purè membranoſum ibid. abeſſe poteſt vita ſuperſtite II. c.5. §.7. non eſt primarius reſpirationis auctor. II.c.5. §.2 3.7 quandoque inflammatur cum pulmonibus (286.b.) inflammatio dicitur phrenitis. (297.a.) ſigna (285.b.) (286.a.)
Diarrhæa (120. b.) (121. a.) cauſa ibid. ſigna (121. a. b.) cura (121.b.) (122 a.b.) quinam obnoxii (121.a. critica & ſymptomatica quid (121. a.) bilioſa 1. c.3. §.10. cauſa (602. b.) cura ibid. ſcorbutica (449. b.) infantum unde (534.a.) ſigna ibid. cura (534. a.b.) hepatica. Vid. fluxus hepaticus cruenta vide dyſenteria epidemica (122. b.) (232.b.) (233.a.) (235. b.) gravidarum & puerperarum cura (504.b.) (523.b.) cauſa ibid. ſigna. ibid.
Diaſpoliticon Galeni uſus. (241.a.)
Diaſtole quid. (19.theſ.2.) (179.a.)
Digeſtio prima maxime attendenda 64. §. 18. errores ibid.§. 19. primæ fermentum 64. §.20. tertiæ ibid. exempla ibid. §.21.
Digeſtiva. (579.a.) (580.a.)
Difficultas auditus remedia. (34.theſ.5.&c.)
Dirigens ſpiritus in agendo eſt idea III. c.1.§.33. in quo conſiſtat. ibid. §.34
Diſcutientia (551.a.) refrigerantibus & repellentibus præferenda: 87.§.8. quæ. ibid.
Diuretica quæ 99.§.3.100.§.5. (80.theſ.3.) vide nephritica. Vires (21.theſ.12.) qua ratione operentur ibid.§.4. 100. §.5. (80.theſ.3.) quotuplicia ibid. 99.§.3. Vires fortificare ibid ut diuretica in ſtomacho elaborantur ibid. ſanguinis alteratio ad diureſim promovendam magni eſt momenti 100.§.5.uſus & regimen legitimum diureticorum. 100.§.7.
Divinum Hippocratis quid. 1.c.1.§.1
Doctrina Hippocratis elegans quomodo intelligenda. 55.§.17
Dolor in genere quid (392. a.) 37. theſ.15. cauſa ibid. ſpecies & earum cauſæ (393. a.) ſigna (393. b.) cura ibid. remedia dicuntur anodyna ibid. &c. (29. theſ. 4.6.) (38. theſ.15.) cura ibid. nervorum (38. ibid.) chronici ibid. capitis vide cephalalgia dentium vid. odontalgia à caſu (38. theſ.15.) abdominis ſcorbutici (447. a.) (449. a.) (139.a.b.) poſt partum quid (139. a.) (521. a. b.) cauſa ibid. ſigna ibid. cura ibid. parturientium quid (139. a.) (507.a.) legitimi quomodo à falſis diſcernendi (521.b.) (507.a.) cauſa ibid. nothi. (507. b.) cauſa ibid. cura (508.a.) (522.a.) ſcorbutici (394.b.) lumborum (137.b.) dolor. pulſatorius inflammationi eſt proprius (269. a.) dolor. colicus pertirebrans, & fixus, diſtendens & quaſi diſrumpens, gravans, contundens, varius (138.a.) dolorem attrahere ex veterum ſententiâ quid. 90.§.19
Doſis formularum. XI.c.2.claſſ.5.§.2
Dropax quid. XI.c.2.claſſ.5.§.2
Ductus thoracici inventor & uſus. (15.theſ.3.)
Duelech Paracelſi vid.calculus.
Dulce Hippocratis quid 1.c.2.§.10.dulcium noxæ (11.theſ. 7.) (96.a.) ſæpe mulieribus nocent. (486.b.)
Durum quid (38. theſ.16.) dura cur difficulter coquuntur (11.theſ.5.)
Dyſenteria ſecundum Hippocrat. &c. quid (124.b.) (600. b.) cauſa (125.a.) (600.b.) (48. theſ.8.) ſigna (126.a.) cura (126.b.) (127.a. &c.) (601.a.) benignæ cauſa (125. a.) malignæ cauſa (125.b.) (52.theſ.22.) mucus copioſus quid & unde (125.b.) (126. a.) alba quid ibid. dyſenteriæ gradus obſervandi (126.a.) ſcorbutica mendoſa quid (134. a.) (440.a.) poſt variolas. (222.a.)

Dyſpnæa (161. a.) cauſa ibid. a. b.) II. c. 5. §. 5. remed. 23. theſ. 8. &c.) infantum unde x. c. 2. §. 3. Scorbutic. & hypochondriac. poſt prandium unde (162, b.)

Dyſuria quid. (333. a)cauſa ibid. ſigna. (333. b.)cura ibid. 334. a. b.) Venereæ cauſa 333. b. cura (334. a.)

E

EBrietas , vide temulentia. cauſa. v. § 2. 3. 4. 5. 6. cura v. §. 39. (52. theſ. 24.) v. §. 28. 48. 40. 50. præcavere v. §. 28. 46.

Ἐκϐολή. Græcorum quid?(508. b.)

Eccho quid (34.. theſ. 5.)

Ecchymoma v. ſanguis congrumatus quid. (302. b.) (553.a) cauſa ibid. cura ibid. 553. b. ſuppurantis cura ibid.

Ἐκτρῶμα Græcorum quid. 508. b.

Effervefcentia quid (7. theſ. 18) I. c. 2. §. 5. quomodo à fermentatione differat (7. th. 18.) ibid. vitioſæ in inteſtinis ſymptomata (14. theſ. 9.) fit non ſolum ab acido & alcali. v. §.. 32. vitioſæ cura varia (14. theſ. 9. 15. theſ. eâdem.

Electuarium quid XI. c. 2. claſſ. I. §. 5. quotuplex ibid. Heurnij contra ſputum ſanguinis (311. b) (31?. a) electuarium ſeu opiata Tymæi beſoardica in cholerâ. (120. a) antimelancholic. ejuſdem (429. b) contra ſyncopem ejuſdem (182. b.) cõtra peſtẽ Unzeri. 227. b.) Roſencreuzevi ib. Michaelis 229 a) contra phtiſin Vuincleri. (247. a) contra vertiginem Bartoleti. (367. a) contra impotentiam Rulandi. (453. a) contra menſtrua nimia Lindani (472. b) in paralyſi Paracelſi (29. theſ. 4. a)

Elater aëris II. c. 7. §. 3.

Elementa peripateticorum ex quibus conſtant. 4. §. 15. aqua. ibid. terra §. 16. aër. §. 17. ignis. §. 18. Elementorum quaternio non datur (156 a) I. c. I. §. 5.

Elixir ſtomachi Michaëlis. (87. b.) proprietatis Paracelſi VIII. c. 2. art. 4. §. I. Helmontij. ibid. pectorale Michaelis. (165. b) (167. a) Febrile ejuſd. (199. a) anticachecticum Reinſij (252. b)

Elixatio ciborum quid. (10. theſ. I.)

Emmenagoga ſeu menſes moventia quæ. (43. theſ. 9.)

Emollientia quæ. (550. a)

Emplaſtrum XI. c. 2. claſſ. 5. §. 5. modus præſcribendi ibid. de gummi carannæ Barbette in dolore ſtomachi (108. a) Tacamahac Michael: ſtomachicum (112. a) ſtomachicum Poterij ibid. cõtra quartanam Helmontij (201. b.) in flacciditate ligamentorum Barbette (391. b) veſicatorium extemporaneum. (230. a) magneticum angeli Salæ. (229. b.) Sennerti in tumoribus abdominis (154. a. b.) emplaſtrum febrifugum Michaëlis 201. b.) magneticum Hoftmanni (146. a) Michaelis (229. b.) (230 a) ad herniam inteſtinorum (146. a) Carminativum Sylvij. 154. b. contra quartanam expertum (201. b.) contra bubones Knæphelij. (229. b.) pleuriticum ſecretum (289. b.) ad odontalgiam Foreſti (403. b.) ad Scirrhos teſtium Tymæi. (454. a) ad Sarcocelem Lotichii (455. a) Paracelſi ibid. ad lactis redundantiam (526. b) contra vulnera venenata Guidonis (574. a.)

Emproſtotonos quid 368. b.)

Empyema quid (268 b) (302. b.) cauſa ibid. ſigna (303. a) cura ibid. (304 a. b) &c. remedia (290. a.) 304. a. b. &c.)

Emulſio quid XI. c. 2. claſſ. 3. §. 6. contra ſingultum malignum Riverij (169. b.) contra petechias & variolas Cratonis (219. b.) cannabina Minſicthi. (463. b) purgans (74. theſ. 14.) XI. c. 2. claſſ. 3. §. 9.

Enæœremia urinæ quid (63. theſ 5.)

Enenia quomodo fiat XI. c. 2. claſſ. 4. §. 25. uſus ibid. quotuplicia ibid. therebenthinata Sylvij & Barbette (130. a) in dolore colico & iliaco Rulandi (140. b) in partu difficili tymæi. (513. a.)

Enterocele quid (144. b) remedia (145. b. &c.)

Epidydimis quid. (42. theſ. 2.)

Epiglottis quid (9. theſ 9. 10.)

Epinyctides quid. (480 a.)

Epilepſia quid. (369. a) 620. b) IV. §. I. 2. 48. theſ. 9.) cauſa IV. §. 5. 17. 19. 20 (21. 22. cauſa (370 a. b.) 371. a b) differentia & gradus IV. § 23. (369 a) ſigna IV. §. 24. (372. a. b) cura IV. §. 25. (373. a b.) &c. (621. a) dificilis deglutitio unde (99. b) Scorbutica (449. a) uterina quid (486. a) per eſſentiam rara eſt (371. a) per conſenſum (370. b) infantum unde x. c. 2.. § 30. (543. a) ſigna ibid ſubjectum cauſæ. x. c. 2 §. 30. cura (543. a. b) x. c. 3. §. 15. (68. theſ. 8.) præſervatio IV. §. 25 tranſplantatio. 14. §. 25.

Epileptici inſultus puerperarum, (523. b) cura ibid.

Epiphora quid? (297. b) (300. b) 336. a) (343. b) cauſa (301. a) (343. &c. ſigna 301. a) (344. a) cura (301. a) cura (344. a. b. &c.

Epiplocele quid? (144. b.)

Epithema quid XI. c. 7. claſſ. 3. §. 2. quomodo fiat ibid. in agrypnia nimia Rulandi (359. a. b.) in cephalagia Tymęi. 400. a) hepatica cautè uſurpanda XI. c. 2. claſſ 3. §. 2. XII. c. 3. §. 2.

Equi terreſtris vires VII. c. 5. §. II.

Errhina eſt ſternutatoria: 103. §. 7. in quo differunt. ibid. quæ. 104. §. 9

Eriſipelas quid? (554. a) origo (102. a) (554. a) cura ibid. (71. theſ. 8.) (272. b) cura idealis (68. theſ. 8) Scorbutica remedia (449. b) capitis eſt periculoſus 554. a) exulcerati cura (ibid. b.) partium internarum varia habet nomina. (554. a)

Eſſentia carminativa Michaelis (111. a) pini (444. b.) croci (182 a) lignorum (339 a) Sambuci (151. a) ſplenis bovis ſ. ad menſes (153. a) anodyna Langij (142. a) antiſcorbutica 151. a) auctoris XII. c. 3. § 33. chamomillæ VII. c. 5. §. II. cochleariæ (151. a) acoltica (408. b) aperitiva Michaelis 443. a.)

Evacuantia quid? (72. theſ. I) differentia. ibid.

Quando evacuandum. 98. §. 34.

Evacuatio ſanguinis artificialis quot modis fiat. (70. theſ. 2.) inſolitæ exempla 85 §. I.) (70. theſ. I.) ſpontaneæ & criticæ exempla (72. theſ. 2.) quando ſalutaris 74. theſ. 6.) particulares quæ (79 theſ. 20) conſuetæ ſupreſſæ noxa (116. b) evacuatio quotuplex. 93. §. 15.

Eunuchi hodie etiam podagra laborant (405. a)

Excoriatio podicis infantum (109 b)

Excretio purulenta quomodo diſtinguenda (282. b)

Excrementorum varietas unde (60. theſ. 29.) non colore æſtimanda ibid. proprietates unde (75. theſ. 17.) fermentatione fiunt ſuaveoleatia (36. theſ. II.) fœtor unde III. c. I. §. 2. ſunt cauſæ morborum. VII. c. 3. § I. (113. b.) (54. theſ. 10.) (86 a) (109. b. color) unde (60. theſ. 30.) porracea infantum unde (109. b) x. c. 2. §. 21 (531. a) cura ibid (533. a)

Excretio aut retentio varios morbos creat: 63. §. 14.

Excrementa per os ; alvum , urinam ſudorem & alia loca ſunt exactius indaganda. 65. §. 27. unde. ibid. motu locali aut loco etiam peccant. 66. § 28.

Excreſcentiæ quid? (547. a) (561. b) præter naturales unde (5. theſ. 3) cura (549. b) gingivarum unde (98. a) cura (98. b) corporis tollere (67. theſ. 5. theſ. 8)

Experientia quid? (65 theſ. 4. ratione dilucidatur. 78. §. 5. remedia caſu inventa confirmavit ibid.

Exſpiratio quid. II. c. I. § 2. quomodo fiat II. c. 2. §. 3. §. 6. II. c. 3. §. 6. quid diaphragma conferat. II. c. 5. §. 5. quot modis lædatur (172. a) finis 28. §. 6.

Extracta auctoris XII. c. 3. § 33.

F

FAcici rubor poſt paſtum unde (102. a)

Facultates animæ (I. theſ. 2.) (6. theſ. II.) chylopœtica eſt Nulla (10. theſ. 3. naturalis in hepate (15. theſ. 2.) ſenſitiva ſeu ſentiens (31. theſ. 2. ratiocinandi in quo conſiſtat (39. th. 3) alimentorum & medicamentorum unde (57. theſ. 12.) læſio quomodo explicanda. (67. theſ. 3. attractrix, concoctrix retentrix, expultrix, ſunt entia præter neceſſitatẽ multiplicata. 15. § 24. ſecretrix eſt merũ ſomnium 15. §. 25.

Fæcula an ullius uſus (166. b)

Fames quid? 16. §. I. (8. theſ. I.) unde 16 §. 2. (8. theſ. 2.) (85. a) læſio ibid. animalis & naturalis differentia. ib §. 3

Farina virginea Minſicthi (97. b.)

Faſcia glutinativa quid. (569 a)

Faſcinum *vid.* veneficia.

Faſtidium contrahit orificium ſtomachi (105. b) cur deglutitionem dificilem faciat ibid.

Favus infantum unde. x. c. 2. §. 25.

Fauces ne variolæ occupent. (221. b.)

Febris quid? (186. b) (187.) v. punct. 18. §. 12. (188. a) (18. theſ. 12.) (30. theſ. 6.) obnoxij qui (188. a. b) ſubjectũ (188. a) cauſa. ibid. ſigna (188. b) cura (188. b) (189. a. b) (70. theſ. 4) cura auctoris XII. c. 3. §. 19. victus (190. a) potus ibid. remedia catholica. quæ. (201. a. b) fixorum uſus cur periculoſus (200. a) illegitimus uſus nocet XII. c 3. §. 6. 7. 8. vis in quo conſiſtat XII. c 2. § 21. calor eſt morbi productum. (50 theſ. 15.) 49. theſ. 12.) (202. a) ſudorem difficilem opium promovet (189. a) verno tempore cur proveniat (53. theſ. 3.) periodi certæ unde. (193. a) nulla præter recidivæ metum abſque ſudore curatur (81. theſ. I) XII. c. 2. §. 13. (189. a) ſitus unde (203. a) remedia (93. a. b) ardens (202. a. b) (608. b) cauſa (202. b) ſymptomata eorumque ratio (203. a. b) (49 theſ. 12.) (202. a) (203. b) (204. a) (24. theſ. 8.) cura (204. a. b) (205. a. b.) 206. a. b.) (48. theſ. 6.) remedia (75. theſ. 10.) ardens complicata I. c. 3. § 10. ardens infantum cura x. c. 3 §. 17. acutarum cruditas & coctio competit (74. theſ. 8. ſignum. ibid. theſ 7. cum inflammatione unde (269. b.) calor ejus unde 49. theſ. 12.) cura ibid. puerperarum (524. a. b) cura ibid. continua catarrhalis (48. theſ. 6.) (609. a. b) 207. a. b) cauſa ibid. typus ibid. ſigna. 207. b) cura (207. b) (208. a) (341. a. b) continua quid. (202. a) cura (189. b) XII. c. 3. §. 23. maligna quid? 69. §. 49. (211. b) (236. b) typus (211. b) (212. a. b) ſubjectum (212. a) cauſa (38. theſ. 6.) (59. th. 28.) (212. a. b) (213. a. b) (422. b) ſigna (214. a. b) (215. a) (119. a.) 107. a) (110. a) cura (215. b) (216. &c.) (189. b.) (75. theſ. 10.) 217. &c. 81. theſ. I. (53. theſ. 29,) ſudor 4. vel 7. die prorumpit (82. theſ. 3.) cum phlogoſi delirâ curâ

Index Rerum,

(205. a.) remedia in genere (48. theſ. 6.) (59. theſ. 28.) præſervatio ibid. peſtilentis miaſma quale (52. theſ. 22.) quid ſit. (236. b.) miliaris maligna ſeu purpura (212. b.) (222. a.) cauſa ibid cura ibid. (216. a.) infantum unde x. c.2.§.2. ſcorbuticæ ſigna (446. b.) cura ibid. caſtrenſis vid. morbus Hungaricus Petechialis vid. Petechiæ. intermittens quid. (190. a. b.) periodi hiſtoria ibid. ſimptomata unde (192. a. b.) (193. a. b.) bilioſi unde. xii. c. 2. §21. cauſa (102. a.) (192. a. b.) (193. a. b.) &c. (194. a. b.) cura accidentaria (67. theſ. 5.) (192. a.) (193. b.) (194. b.) (195. a. b.) remedia (196. a) (197. &c.) (73. theſ. 3.) (48. theſ. 6.) xii. c. 3. §.24. (189. a. b.) ſudor difficulter prolicitur (189.b.) remedia illegitimè adhibita nocent. xii. c.3. §. 5. 6. (166. b. anticipatio & poſtpoſitio quid (194.a.) infantum raræ ſunt. x. c.3. §.17. cura ibid. quartana (190. b. fomes non eſt in liene. vii. c. 2. §.6. (192. a.) cura (68. theſ. 10.) 73. theſ.3. (200. b.) (201. b.) remedia. xii. c. 3. §. 12. (198. b.) tertiana intermittens (190. b.) (607.b.) unde (191. a.) nothæ & legitimæ differentia (193. a.) cura (197. a. b. &c.) quotidiana intermittens quid (190.b.) ſcorbutica intermittens ſigna (194. a.) curva (200. b.) (201. a.) habet petechias benignas (212.b) intermittentis variæ ſpecies (191. a.b.) ephemera (202. a.) ſynochos non putris ibid. continens ibid. cauſa. (202.b.) (203.a) ſigna (203. b.) (204. a.) cura (204. a. b.) (205. a. b. &c.) ſyncopalis (203. b.) continua quotidiana periodica veterum quæ (207.a.) lactea quid (524. a.) (612. a. b.) puerperarum (524. b.) cura ibid. infantum (541. a. b.) cauſæ ibid. x. c.1.§.32. ſigna (541. b.) cura ibid. frigida. (191. a.) (186. a.) (187. b.) erraticarum cura. xii. c. 3. §. 24. Menſtrua (43. theſ. 9.) x. c. 2. §.15. chronicæ cauſa (193. a.) lenta quæ (207. a.) cauſa ibid. ſigna (207. b.) cura (207. b.) (208. a.) lenta infantum. x. c.2. §. 25. hectica (208.) a. b. alba vide Chloroſis. Æſtus &. ardor (203. a.)

Fecum alvinarum ſeparatio (13. c. 6.) earum excluſionem quid promovet. 21. § 7. (14. theſ. 7.) non ſunt acres. ibid. 21. §. 8. conſiſtentia unde. 21. § 8.

Felium rabidorum catos rabidos facit. theſ.22.

Fellis veſiculæ officium quot modis læditur. (313. a.) cura ibid. ſæpè lapidibus eſt repleta. (263. b.)

Fella animalium optima collyria ſunt. (33. theſ. 3.)

Fermentorum doctrina unde. III. c. 1. §.53. quid. III. c.1. §. 53. natura (5. theſ. 5.) III. c.1. §. 54. 55.5.9. varietas unde. ibid. Vis ſive effectus quis (6. theſ. 11. 3.) in quo conſiſtat (7. theſ. 21.) ſunt minima tamen potentiſſima (7. theſ. 22.) xii. c 2. §.12. quomodo fiant morborum cauſæ. III. c. 2. §. 60. morboſa quid (52. theſ. 22.) III. c.1. §.52. cura. III. c. 1. §. 74. fermentationibus caloris munia tribuuntur. 1. c. 1. §. 6. morboſis an præcipitatio competat. xii. c. 2. §. 13. acidum in jejuno ſtomacho cur non reperitur. 19. §.9. non in copioſa fluidi ſucci ſubſiſtentia. ibid §.10. origo unde. 19. §. 11. reliquiæ alimentorum reſiſtentes in ſtomaco non ſunt agnoſcendæ pro tali fermento. 19. §. 12. fermentorum vitia à priori inexplicabilia. 64. §. 19.

Fermentatio quid & quomodo fiat. (7. theſ. 13.) (7. theſ. 20.) 1 c 2. §. 56. cauſa. (7. theſ. 15.) xii. c. 2. §. 11. differt ab effervеſcentia (7. theſ. 18.) 1. c. 2. §. 6. effectus (7. theſ. 19. 20. 21.) ciborum quid (10. theſ. 1.) Hippocrati cognita 1. c. 2. §. 2. ſanguinis unde (47. theſ. 6.) quot modis læditur (48. theſ. 7.) (155. b.) læſionis cauſa. (48. theſ. 8.) vitium in exceſſu & ſigna ejus (48. theſ. 7.) (155. b.) cauſa ibid. (156. a.) depravatio (155. b.) cauſa ibid. proprie an detur in ſanguine. 11. c. 10. §. 4. eſt motus inteſtinus. 6. §. 14. vitia fermentationis læſæ ſeu morbi ex cacochymiâ: 57. §. 28. unde. ibid. §. 29.

Fibra nervea quid iv. §.12. carnea quid. viii. c. 1. art.1.§.11. nervea motus organum eſt. (40. theſ. 7. 1.) ſunt organum tactus (392. a.) laxius ſeparatæ quid efficiant. (40. theſ. 3.) circulares arteriis tribuit Sylvius. ibid. quomodo movent. 45. §. 7. (41 theſ. 5.) conſtractionis cauſa (41. theſ. 5. 6.) unus eſt tractus per ſtomachum & æſofagum (73. theſ. 4.) motus earum altera cauſa. 45. §.8. 46. §. 12.

Filum Karmeſinum quo ſtrangulata fuit Vipera anginam curat. (278. a.)

Fiſſuræ abdominis gravidarum (506. a.) cura ibid. oſſium in vulneribus (573. a.) (591. a.) cauſa (591. b.) cura (593 b.(

Fiſtula quid (582. a.) ſigna ibid. cura (582. a. b.) lachrymalis. (33. theſ. 3.)

Fixitas ſequitur texturæ modum. xii.c.3.§.17

Flamma & fumus ſunt res eadem. 4. §. 19.

Flammula vitalis quid (2. theſ. 8.) (6. theſ. 8.) effectus ibid. extinctio (2. theſ. 8.) non nutritur ſanguine (6. theſ. 7.) non exiſtit. II. c. 10. §. 1.

Flatus quid (60. theſ. 32.) vi. §. 12. vii. c.3. §.3. generatio unde ibid. (61. theſ 32.) (439.a.) vii. c. 3. §.3. alimentis non inſunt (61. theſ. 32.) 104. in quibus gignuntur ibid. quædam alimenta aptiora ibid. vii.c.3.§.5. cura (104. b. &c.) vii. c. 5. §. 10. 11. an etiam in vaſis ſanguifluis (184. a.) variarum moleſtiarum auctores. 65. §. 26.

Flatum aër adjuvat 11. c. 10. §.1.

Flatulenta quæ (60. theſ.32.)

Flores cærulei cum ſpiritu acido dant tincturam rubram. 205. b.)

Fluor albus (475.b.) (242. a.) cauſa (476.b.) ſigna (476. b.) cura (477. a. b.)

Fluxus hepaticus quid. (131. b.) cauſa ibid. ſigna (132. a.) cura. ibid.

Fœtûs motus quando (44. theſ. 5.) 494. à formationis hiſtoria 48. c. 24. 44. theſ. 3. 4. Similitudo unde (44. theſ. 7.) (499. a.) ubi formetur (44. theſ. 1. vivit in utero quali vita 49. c. 25: 50. §. 8.) x. c. 2. §. 1 potius dormit quam vigilat. ibid. in utero an non reſpirat. 29. §. 12. II. c. 9. §. 3. 4. 5. cur extra uterum ſine reſpiratione non vivat. II. c. 9. §. 12. cur tantopere in utero creſcat II. c. 9. §. 6. excluſioni aër confert. II. c. 10. §. 1. an in materiam ſeminalem reduci poſſit. III. c. 1. §. 38. in uterum per os & umbilicum nutritur. 50. §. 3. x. c.2. § 7. nutrimentum quod ibid. plures uno conceptu unde (497. b.) quando ante partum ſe vertat. (508. b.) mortui in utero ſigna. (515. b. cauſa ibid. prognoſus. 516. cura ibid. &c.) mortuus an vivus natus ſit proba (46. theſ. 5.) x. c.2. §. 3. hujus formationis cognitio ex inſpectione ovorum gallinaceorum ſub incubatu elici poteſt. 49. §. 5. efficiens quid 49. §. 9. triplex ſimilitudo obſervanda 49. §. 10.

Fons chirurgicus quid. (66. §. 9.) pharmaceuticus ibid. diæteticus. ibid.

Fonticuli quomodo fiant (56. theſ. 4. 5.) noxæ. (208. b.) uſus (413. b.)

Foramen ovale clauditur in natis ſua valvulâ. 11. c.9. §.3. an aperiri iterum poſſit. x. c.9. §. 7. apertum ſervare ibid. an poſt partum coaleſcat. ibid. §.2.

Forma accidentalis quid. 9. §. 7. ſubſtantialis ibid. formas ſubſtantiales omnibus rebus Ariſtotelici tribuunt. (38. theſ.2.) negat philoſophia corpuſcularis (1. theſ. 1.) (39. theſ 3.) forma corporum compoſitorum heterogeneorum 8. §. 3.) ſimplicium. ibid. §. 2. non eſt aliquid à materiâ realiter diſtinctum. §. 1. eſt materiæ modificatio ſpecialis. ibid. 4. fundamentum operationum omnium. ibid. §. 4. 5.) formæ diviſ. 9. §. 6. Formationis in utero deſcriptio (44. theſ. 3. 4.) partium an ſimul fiat? (44. theſ. 4.) tempus quod (4. 4. theſ. 5.) maris an citius fiat ibid. quomodo fiat ibid. theſ. 6.) corporum regula & dirigens quod (3. theſ. 17.)

Formicæ generatio artificialis ix. c. 1 p 2. §.2. formularum notanda xi. c. 1. § 4. 5 6. materiale quid ibid. formale quid. ibid. modus præſcribendi. ibid. baſis. xi. c. 1. §. 8. corrigentia juvantia ibid. ſunt dubiæ adhuc. xi. c. 1. §.8. conſervantia ibid. magiſtralis quid. xi. c. 1. §. 3. officinalis. quid ibid. gratia ſaporis & odoris ſemper obſervanda. xi. c. 3. §. 11. non miſcenda effectivè contraria. xi. c.1. §. 12.

Fonticulorum uſus 89. §.14. loca. ibid. §. 15. inſtrumenta. ibid. § 16. ſi non ſufficienter plorent quid agendum ib. § 17.

Fomentum vel fotus quid xi. c.2. claſſ. 4. §. 20. uſus ibid. ſingularis in vomitu (108. a.) in cardialgia Foreſti (112. a) in inflammatione eryſipelacea Barbette. (272. b.) in prolapſu uteri Poterij (493. a. b.)

Forma corporum non differt à materiâ, & efficiente. 3. §.2.

Fractura quid (591. a.) cauſa (591. b.) ſigna & ſimptomata ibid. cura (592. a b.) cum vulnere muſculorum cura (593. b.) cum oſſium fractorum prominentiis cura ibid. &c.

Frigidum quid (38. theſ.16) dentes lædit (95. b.) (99. a.)

Frontale Poterij (310. a)

Fructuum horæorum noxæ (60 theſ.30.) (113. b.) (119. a)

Fungus in homine unde (548.a) (563. b.) quid ſit ibid. cura 563. b. 564. a)

Furor uterinus quid (421. a) (481. a) cauſa 481. b.) ſigna ibid. cura ibid. (182. a)

Furunculi infantum quid. (554. b.) cauſa 547. b.) x. c.2. §.25. cura (555. a.)

G

GAlbanetum Theophraſti. (391. b)

Galenus arrogans & multum ab Hippocratis modeſtia alienus fuit. xii. præfat. animæ. quidditatem ſe ignorare fatetur. iv. §. 6 quidquid per quatuor qualitates non explicabile occultis adſcribit. I. c. 1. §. 2. de corpore humano ejuſque temperie doctrinâ 1. c.1. §. 2.

Ganglion quid. 561. b. cauſa (548. a) cura 561. b.)

Gangræna quid (586. b.) cauſa (268. b.) 587. a) ſigna (587. b.) cura

b.) cura ibid. (588. a. b.) ecchymomati imminens quomodo curanda (553. b.) imminentis in ulceribus ſigna. (580.a.)
Gargariſmus quid. XI. c. 2. claſſ. 4. § 26. uſus (276. b.) (277. (XI. c. 2. claſſ. 4. §. 26. Riverij & ſculteti (277. a.) catholicus (276 b.) in loquelâ amiſſâ Stockeri (416.b.) (417. a.) in ſcorbuto oris Rulandi. (446.b.)
Gas ſylveſtre vini quomodo ſuffocationem inferat. (159. a.)
Gelativa lacteſcens ſanguinis unde (18. theſ. 14.) VIII. c. I. art. 2. §. 5.
Gemellij unde (48. theſ. 8)
Generationis motus ſpecialis determinari non poteſt. 8. §. 27. fit per motus plures. ibid. §. 28. actus generationis in quo conſiſtit. 48. §. 1.
Genitura abuſivè ſemen dicitur. (41. theſ. 1.)
Giboci cur aſthmatici. (162. b.)
Gingivas quæ lædant. (95. b. &c)
Gingivarum ulcuſcula circa dentes carioſos unde (96 a) caro mollis flaccida &c. unde (98. a (cura 445. b.) 446. a. b) exulceratio unde (98. a.) cura ibid. tumor unde ibid. cura ibid. putredo (98. b.) cura ibid. infantum remedia. (531. b.) hæmorrhagia (310. a.) cauſa (310. b.) cura. ibid. cruentæ ſcorbuticis ſunt familiares. (445. b.)
Glabrum quid. (38. theſ. 16)
Glandulæ (27. theſ. 1. 2.) (28. theſ. 3. 4.) ſunt catarrhorum fontes ibid. &c. (335. b.) (336. a.) lymphæ ſcaturigines (335. b obſtructio frequentiſſimum vitium. (335. a) cauſa ibid. remedia ibid. tumor unde ibid. cura ibid. pendulæ quid (558. b.) cura ibid. circa membranas pituitarias ſunt catarrhorum excretoria (28. theſ. 4.) cutaneæ (27. theſ. 1.) uſus (29. theſ. 1.) ſtomachicæ quæ (9. theſ. 7.) officium ibid. liquor unde ibid. lumbares earumque inventor. (15. theſ. 3.) conglomeratæ, 33. §. 1. binos habent ductus (27. theſ. 1.) liquor habet peculiaria nomina & officia ibid. conglobatarum liquor eſt limpha ibid. 33. §. 1. ſtructura 33. §. 2. varios liquores colant pro varietate ſtructuræ. 33 (§. 3
Globuli uterini. (493. b.)
Gluten Tymæi pro ruptura vulvæ. (522. b.)
Glutinoſa dentibus inimica. (96. a.)
Gonagra (404. a.)
Gonorrhea verò quid (455. b.) cauſa ibid. ſigna (456. a.) cura ibid. &c. mulierum quid (476. a.) cauſa (476. b.) ſigna ibid. cura (477. a. b) notha benigna (457. b.) pars affecta ibid. ſigna ibid. cura (458. a) notha maligna (458. a.) (619. a. b.) ſubjectum (458. a.) cauſa ibid. ſigna (458. b.) cura ibid. mulierum. (478. a.) cauſa ibid. remedia. (458. b.)
Gravedo quid. (28. theſ. 4.) (336. a.) (341. b.) cauſa (351. a.) ſigna (342. b. (cura ibid. (343. a. b.)
Gravidus quæ danda purgantia. (78. theſ. 17. (503. a. b.) quandoque laborant vomitu ſanguineo (106. b.) quæ nocent (503. b.) (502. a. b.) X. c. 2. §. 13. diæta (501. b.) (502. a.)
Gravidationis ſignum & proba (493. b.) (494. a. b.) an ex urina cognoſci poſſit (467. a.) quomodo ab hydrope diſtinguenda (256. a.) (348. b.) lactantium lac corrumpit. X. c. 2. §. 15.
Gummi ammoniacum (153. a.) guttæ quid ſit. (350. a.)
Gummata venerea quid. (561. a.) cauſa I. c. 2. §. 9. (547. b.) (5. a.) cura ibid.
Guſtus quid 41. §. 20. (37. theſ. 13.) organum quod ibid. (42. theſ. 22.) quomodo fiat (37. theſ. 14.) vitia quæ (416. a.) abolitus unde ibid. ſigna ibid. cura. (416. b.) depravatio unde (416. a.) ſigna ibid. cura. (416. b)
Gutta ſerena quid. (413. b.) cauſa ibid. ſigna (414. a.) cura ibid. roſacea. (5. theſ. 6)

H

Habitus athleticus quid (239. a. b.)
Hæmodia quid (99. a.) cauſa ibid. cura. ibid.
Hæmorrhagia quid (268. b) (305. b.) cauſa (306. a. b.) VIII. c. 2. art. 3. §. 6. pars affecta ibid. ſigna (306. b.) cura ibid. (307. a. b. &c.) remedia (68. theſ. 8.) gravidarum quando obveniant (505. b.) quando curandæ ibid. remedia ibid. poſt abortum cura. (511. b.) uteri. (129. a.) (616. b.) vulnerum. Vide vulnera.
Hæmorrhoidal. venarum inſertio & ramificatio (132. a. b.)
Hæmorrhoides quid. ibid. italis familiares (133. a.) fiunt quandoque menſtruali tempore ibid. (43. theſ. 9.) viris & mulieribus accidunt 85. § 1. (70. theſ. 1.) (133. a.) ſunt menſtruorum vicariæ in fœminis ibid. 85. § 1. (465. a) ſpleneticorum vomitui ſupervenientes ſalutares ſunt (107. a) cauſa (133. a.) ſigna ibid. (134. a.) cura (134. a. b.) remedia (135. a. b. &c.) ſuppreſſæ (133. a.) (603. b.) cauſa (604. a) ſigna 134. cura ibid. (604. a. b.) dolor (135. a. b.) exulceratæ (136. a. b.) mulierum (133. a.) quando accidunt ibid. tumor in gravidis (506. b.) remedia ibid.
Hæmatites artificiales (122. a.)
Hæmoptyſis (310. b) (615 a. b.) cauſa (310. b.) (311. a.) pars affecta (310. b.) ſigna (311 a. b.) cura ibid. (312. a. b.)
Hali Abbas quo tempore vixit. 2. §. 12.
Halitus contenta II. c 8 §. 4. in cryſtallos deſtillari poteſt ibid. quotidiani quantitas II. c. 10. §. 1. efflationem aër ad juvat II. c. 10. §. 1. angina laborans vitandus (275. b.)
Hecticas (610 a) cauſa (208. b.) (209. a. b.) typus & gradus (208. a b.) ſigna (208. a.) (209. b.) (210. a.) cura (210. a. b.) (211. a. b.) maraſmodes quæ (208. a.) ſubjectum caloris (208. b.) origo (208. b.) ſymptomata (208. a. b) hecticâ laborantibus quæ noceant (210. a.)
Hectica novorum maritorum. (242. a)
Hellebori vires. II. §. 2. 75. §. 17
Helmontij philoſophia de operatione remediorum ideali. 105. §. 12. aſſerit remedia communia à poſteriori curare, ſed archei pathemata à priori ibid. § 3. ideæ Helmontij ſunt impetus ſpirituum animalium modernorum, ibid. ipſarum operatio qualis ibid. §. 4.
Hemicrania quid (397. a.) cauſa (398. a.) cura (399 b.) (400. a.) remedia (79. theſ. 20.)
Hemiplegia quid (380. a) (387. a.)
Hepar uterinum vid. placenta.
Hepar magnum unde VIII. c. I. art. 5. §. 3. ejus hiſtoria 25. chap. 12 non eſt organum ſanguificationis (16. theſ. 45.) defendit Bilſius ibid. & folliculus biliarius in unum conſpirant (313. a.) eſt colatorium bilis (25 theſ. 2.) & purgantium (79. theſ. 19.) parenchyma quale (25. theſ. 3.) tumor non eſt cauſa morborum chronicorum (26. theſ. 4.) hepatis officium eſt bilis generatio 30. c. 14. compoſitio. 30. § 2. an bilis colatorium ibid. §. 3. officium quot modis lædatur (313. a.) ſchirrhus (26. theſ. 4.) cauſa ibid. inflammatio (291. a.) cauſa (291. b.) ſigna (291. b.) (291. a. b.) 270. a.) (286. a) cura (292. b) (293. a.) ſupurati ſigna (286. a)
Hepatica qualia ſunt. (49. theſ. 12.) (252. b.
Hepatici ſunt pallidi & vireſcentis coloris. (64. theſ. 1.)
Herbæ capillares annoſæ dant parum ſalis cinericij. II. c. 8. §. 5
Hermaphroditus. (44. theſ. 7.)
Hernia quid (144. b. (606. a.) cauſa (145. a.) 606. a.) ſigna ibid. cura (145. b.) (606. b. ſpecies (144. b.) (145. a) carnoſa vid. ſarcocele. aquoſa. vid. hydrocele. inteſtinalis cauſa (536. b.) ſigna ibid. cura ibid. (537 a.) umbilicalis cauſa (536. b.) ſigna ibid. cura ibid. (537. a) inguinalis ſeu bubonocele (144. b. varicoſa quid (452. a) cauſa ibid. ſigna (452. b. cura (455. a.)
Herniaria ejuſque vires (146. a.)
Herophilus 700. ſubjecta humana ſecuit. 1. §. 6.
Hypocrates quando vixit. I. c. I. §. 4. quando natus, claruit mortuus ejuſdem doctrina. I. §. 4. Galeni doctrinæ de qualitatibus contrariatur (156. b.) I. c. 1. phœnomena naturæ quomodo explicet. I. c. I. §. 4. cur ſaporum nomine morborum cauſas explicet I. c. 2. §. 4. doctrina de cauſis morborum. (57. theſ. 12.) fuit adeptorum particeps II. c. 6. §. 1 quomodo ſanguinis vitia deſcribat (56. theſ. 3.) (57. theſ. 10. potentiæ (57. theſ. 13.) aphoriſmus 22. ſect. 1. quomodo intelligendus (53. theſ. 29.) (74. theſ. 6. 8. 9.) XII. c. § 7 (82. theſ. 3.) dicitur Galeno oraculum. XII. c. 1. §. 1. aphoriſmus 42. ſect. 2. quomodo intelligendus (380. a.) aphoriſmus 43. ſect. 2. (158. a.) aphoriſm. 50. ſect. 2. (101. a.) aphoriſm. 35. ſect. 4. (273. b.) (380. b.) aphoriſmus 62. ſect. 4. non ſemper verus (64. theſ. 1.) aphoriſm. 10. ſect. 5. explicatio Lindenii (174. a.) aphoriſm. 13. ſect. 6. (168 a.) ejus filij 1. §. 5. ſcripta 1. §. 4. ſcriptorum fata varia. 2. §. 10. Hippocratis doctrina ubi profeſſa 2. §. 13. laceratur potius quam explicatur. 2. §. 13.
Hirundines hyeme in cavernis latent. II. c. 10. §. 5.
Hirudines quid præſagiant (64. theſ. 1.) deglutitarum cura (109. b.) ſi anum irrepant quid agendum ibid. venæ ſectionis vicariæ 88. §. 11. uſus ibid. §. 12. loca ibid. ſi in cavitatem irrepant quid agendum ibid.
Hominis ſanguis quomodo pro mania præparandus (69. theſ. 17.) quilibet peculiarem habet craſin ſanguinis (57. theſ. 9.) verum cognoſcendi & intelligendi modum tribuit philoſophus corpuſcularis (39. theſ. 3.)
Hordeolum oculi cura (9. theſ. 6.)
Humectantia 93. §. 12.
Humidum primogenium (2 theſ. 8.) quid ſit (38. theſ. 16.) radicale quid (50. theſ. 13.)
Humores corporis ſæpe exceſſivos ſapores contrahunt.. c. 2. §. 3. motus eſt duplex XII. c. I. §. 7. XIII. c. I. §. 6. acrimonia ebullitionem excitat XII. c. 2. §. 10 motus progreſſivus quid ſit XIII. c. I. § 7. requiſitæ ibid. 8. refrenatur quomodo XIII. c. I. §. 7. quomodo acceleratur. XII. c. 3. §. 19. XIII. c. 1. §. 6. motus inteſtinus quid XIII. c. I. §. 6. acrimonia ebullitionem excitat XII. c. 2. §. 10. aquei in oculo vitia (412. b.) fermentitius ſtomachi & omnibus animalibus ſingularis & determinatus (88. a. b) præſentia ejus in ſtomacho probatur (11. theſ. 7.) maxima ejus eſt varietas (11. theſ. 8.) eſt ſtomacho ſingularis & vitalis

11. theſ. 9.) origo (theſ. 9.) an per vas breve à liene vi. §. 15. ex quibus conſtet (11. theſ. 9. 10.) differentiæ ejus ratio imperſcrutabilis (88. a b) (101. a nimis acidi noxæ (439. a) quandoque etiam ſolidiſſima conſumit. 1. c. 2. §. 3. abſentiæ ejus noxæ (86. a) acidi cura (91. b. melancholicus quid(24. theſ. 3.) 88. theſ. 19.) 1. c. 2. §. 8. vi. §. 11. an per vas breve adveniat(24. theſ.) ejus attributa acido competunt (58. theſ. 19.) 1. c. 1. §. 8. acidus ab Hippocrate deſcribitur (90. a) prout vulgò appellatur nullus eſt. 1. c. 2. 8. humorum vitia ex qualitatibus primis non definienda 55. §. 13. humores Galenicorum vehicula chymicorum 56. §. humorũ cruditas & coctio 98. §. 32. humores non crudi etiam digerendi & præparandi ante evacuationem. 98. §. 36.

Hydatides quid (346. b.) (347. a) unde (347. a in meſenterio unde (148. b.)

Hydragoga quid. (75. theſ. 17.

Hydromel xi. c. 2. claſſ. 4. §. 13.

Hydroceles cauſa (451. b.) Signa (452. a.) cura (454. b) remedia (50. theſ. 16.)

Hydrocephalus quid (554. a) cauſa ibid.) 28. theſ. 4.) (50. theſ. 16.) Signa (354 b.) cura (354. b) (355. a b) cur infantibus frequens (354. a)

Hydrops quid (254. a b) (345. a b) cauſa (254. b) (345. b.) (346. a b) (347. a) (13. theſ. 5.) Signa (257. b) cura (258 a b &c.) 75. theſ. 17.) aſcitis cauſa (255. a b) (346. b) 347. a b) aqua contenta qualis (256. a b) (347. b.) ejus extravaſationis cauſa & motus (257. a) (346. a) Symptomata & ſigna (255. b.) 257. b) (348. b) cura (258. a &c.) 349. a b) cura chirurgica (260. a) (353. b) an ſalivatio conveniat, (259. b) ex colliquatione natus quis (257. b) univerſalis eſt anaſarca (345. a) 254. a) Vide anaſarca particularis varia habet nomina 254. a) (245. a) ejus cauſa (28. theſ. 4.)(50. theſ. 16.) (149. a) abdominis veſicularis (346. b) pectoris unde (28. theſ. 4.) (355. a) cauſa (355. a b) Signa ibid. cura ibid. pericardij unde (183. b) uteri vid. uterus.

Hydropicorum urina variat (255. a b) diureſeos & tranſpirationis defectus unde (255. b) (256. b)

Hydrophobia præter morſum animalium aliis morbis competit. (233. a) ix. c. 1. punct. 3. §. 4. cura idealis (68. theſ. 10. remedia (334. a)

Hygenie & ejus regulæ (55. theſ. 13.)

Hymen quid (478. b)

Hypercatharſis (120. b)

Hyperſarcoſeos cauſa (548. a) cura (575. a) (597. a)

Hypochondria quæ vocantur vi. §. 2.

Hypochondriacum malum quid. vi. §. 3. 5. (437. a b.) an veteribus cognitum vi. §. 7.) pars affecta vi. §. 8. 9. 10. 11. 12. (438. b) efficiens vi. §. 11. cauſa (18. theſ. 12.) (25. theſ. 5. 48. theſ. 8.) (102. a) (50. theſ. 16.) 1. c. 2. §. 9. vi. §. 14. 15. 16. (439. a b) 440. a b) an à liene (25. theſ. 5.) (438. b.) vii. c. 2. §. 6. typus & ſymptomata (438. b.) (439. a b.) (440. a) differentiæ vi. §. 17. vi. §. 18. 19. (440. a b) (441. a) cura vi. §. 20 (441. a b) (73. theſ. 3) 445. b.) diæta vi. §. 23. remedia iv. §. 20. (441. &c.

Hypochondriaci fortiter appetunt & digerunt (10. theſ. 2.) cur durioris alvi (14. theſ. 17.) (114. a cur flatulenti (60. theſ. 32.) (103. b) faucium conſtrictio unde (99. a b) cura (100. a) quare ſtomachi ardori obnoxij (108. b) reſpiratio difficilis ex decubitu ſupino unde (104. a) frequens eſt cardialgia (109. a) purgantibus opiata addenda (110. a b)

Hypochondriorum dolor. (137. a b) vii. c. 1. §. 2. Subjectum (137. a b) vii. c. 2. §. 1. 2. 3. cauſa vii. c. 3. §. 1. 4. 5. 6. 8. (137. a) Signa ibidem vii. c. 4. §. 12. 3. 4. 5. 6. cura vii. c. 5. §. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. confunditur cum dolore ſplenetico vii. c. 2. §. 3. punctorius poſt motus vehementiores unde vii. c. 2. §. 4. cur poſt paſtum crebrior. ibidem cura x. c. 3. §. 9. inflatio infantum unde x. c. 2. §. 22. (534. a) cura ibid. flatus borborygnij unde (113. a) Siniſtri Hypochondrij ſymptomata non omnia à liene. (114. a)

Hyſterica paſſio vid. Suffocatio.

Hyſtericæ cur alvum aſtrictam habeant (114. a) faucium conſtrictio unde (99. b.) Sunt flatulentæ (103. b.) purgantibus opiata addenda (110. a b) Senſus globi in abdomine unde (139. a)

I

IAlappa an flos Peruvianus an Mexicanus (350. a) male in infuſis præſcribitur. xi. c. 2. claſſ. 4. § 6.

Iaponenſium rex horologium velut numen adoravit ii. c. 10. §. 1.

Iaſpis vires (309. b)

Icteritia alba (482. b) vide chloroſis.

Icterus ejuſque ſpecies (262. b) veterum diviſio ibidem cauſa (263. a b &c.) (5. theſ. 6.) (13 theſ. 5. (48. theſ. 6. 8.) (50. theſ. 16.) xii. c. 3. §. 7. (264. a b) quomodo fiat (265. a) Signa (265. a b) cura (68. theſ. 12.) (266. a b) 267. a b &c.) quarto die Superveniens febri an malus (64. theſ. 1.) (188. b.) infantum unde x. c. 2. §. 5. (266. b) (530. b) remedia (266. b) gravidarum cura (268. a) nigri remedia (267. b) (268. a)

Idea quid iii. c. 1. (§. 33. ix. c. 1. punct. 5. §. 3. unde ibidem naturam in actione dirigunt ix. c. 1. punct. 5. §. 3. ſunt norma & exemplar in formatione corporis (4. theſ. 18. 19.) connatæ inſunt architecto corporis (4. theſ. 18.) iii. c. 1. §. 33. 34. quotuplices ſint (4. theſ. 19.) in imaginatione ſigillatæ alterant corpus. (4. theſ. 22.) doctrina Ariſtotelis ſententiam de anima illuſtrat (39. theſ. 5.) doctrina non rejicienda (ibidem theſ. 6.) illuſtratur exemplis ibid. veſtigia etiam in brutis obſervantur (40. theſ. 7.) Seminales quomodo propagantur. iii. c. 1. §. 34. ſeminalium cura vix promittenda iii. c. 1. §. 34. imaginativæ quid. iii. c. 3. §. 85. earum efficacia ibid. §. 38. cura iii. c. 1. §. 39. quomodo vim ſuam exſerant ibid. quomodo tamdium latere queant. ibid. §. 43. cur ineunte vere recrudeſcant. ibid. peregrinæ & morboſæ ideales morbos faciunt (48. theſ. 10.) beneficio mores & morbi tranſplantantur. iii. c. 1. §. 40. 41.

Idioſyncraſia unde (19. theſ. 16.) (47. theſ. 5.) (57. theſ. 15.) 1. c. 1. §. 8. in pulſu (63. theſ. 2.) ægrorum in malis formulis obſervanda xi. c. 1. §. 13. unicuique eſt ſua 2. §. 19.

Ignis clauſa non in totum comburit (6. theſ. 7.) quid ii. c. 8. §. 5. lance librari poteſt ii. c. 8. §. nec calidus eſt nec colorem poſſidet xiii. proæmio.

Ignis qubus conſtet §. 18. duæ ſunt proprietates ibid.

Iliacus morbus (116. a) cauſæ (116. a b) Signa ibid. (117. a) cura (117. a b) remedia ibid in Iamaica eſt endemius (117. a) vomitus unde (106. a)

Imaginationis actus in quo conſiſtat (39. theſ. 5.) vires & exempla (67. theſ. 2.) iii. c. 1. §. 36. 37. ix. c. 1. punct. 3. §. 3. efficacia in quo conſiſtat (67. theſ. 2.) multum adjuvat medicamentorum vim xi. c. 1. §. 11.

Imbecillitas vid. virium proſtratio.

Impellens omne eſt externum. (6. §. 16.)

Imperforatæ (478. b)

Impetiginis remedia (9. theſ. 6.)

Implantantio qui & quomodo fiat (69. theſ. 16.)

Impoſitio quid & quod fiat. ibid.

Impotentia quid (460. b) cauſa (461. a b) Signa 461. b.) cura ibidem (462. a) remedia ibidem: recens nuptorum per maleficia quomodo fiat (462. a) vide veneficia.

Imprægnatio quomodo ab hydrope diſtinguenda. (256. a) (348. b) lactantium lac corrumpit x. c. 2. §. 15. vid. gravid.

Inappentia vid. anorexia.

Incantatio vid. veneficia.

Incontinentia urinæ quid. (328. b) duplex ibidem. cauſa (328. b) (329. a b) Signa (329. b) cura (330. a b) remedia ibidem notha quid (329. b.) cauſa ibidem infantum cauſa (538. a) cura ibidem à partu difficili quomodo (523. b) cura ibid. in lecto unde(329. b)

Incruenta cadaverum ſectio Bilſij. 16. theſ. 5)

Incubus quid (170. a) cauſa (170. a b) (177. a b) quos invadat (170. b) pars affecta (171. a) ſigna (171. b) cura ibid. remedia ibid. ſomnia rei incumbentis unde (171. a)

Indicans quid (65. theſ. 5. 7.) 79. §. 8.

Indicatio quid ejuſque fundamentum (65. theſ. 4. 5. 6.) 78. §. 6. 7.

Indicatum quid (65. theſ. 5. Epiphanij Ferdinandi effatum 79. §. 9.

Individuorum idioſyncraſiæ unde 56. §. 19.

Induorum medicamentum appetitum fallens (86. a)

Ineſcatio quid (69. theſ. 16.)

Infantes cur citius augeantur quam ſenes. (20. theſ. 12.) cur ad ſomnum proclives(361. b) nutritionis hiſtoria x. c. 1. §. 1. recens natus quomodo à nutrice tractandus (530. a) plures propriæ matris lac perferre non poſſunt x. c. 2. §. 2. per lac mores ſugunt x. c. 1. §. 1. iii. c. 1. §. 40. per lac morbos nutricum ſugunt x. c. 2. §. 7. cur 3. vel 4. die purpura laborent x. c. 2. §. 2 recens nati cur cruſta lacteâ obducti x. c. 2. 6. an lactis loco aliud nutrimentum conducat. x. c. 2. §. lac alienum nocet x. c. 2. §. 6. recens nato conducit coloſtrum x. c. 2. §. 10. (530. a b.) morbi qui x. c. 1. §. 3. unde (55. theſ. 14.) x. c. 2. §. 18. 19. cauſæ generales ſunt duæ x. c. 2. §. 4. (530. b) (531. a) remedia generalia x. c 3. §. 5. 6. 7. quomodo purgandi (78. theſ. 17.) x. c. 3. §. 1. 8. lac copioſe & inordinate ingeſtum nocet. x. c. 2. §. 11. (530. b) acidum nimium unde x. c. 2. §. 20.

Inſlammatio quid (268. b.) (552. a.) cauſa (28. theſ.4.) (552.a.) (269. a. b. &c.) ſigna (270.a.) cura (270. b.) (271. a. b. &c) (552. a. b) (71. theſ.8.) viſcerum unde (269.b.) omnis eſt acuta (269.a.) in eâdem parte ſæpius recurrentis ratio (269. b.) (270. a.) eriſypelaceæ remedia 272.b.) cura (552.b.)

Inflatio ſtomachi quid (103.b.) (596. a.) cauſa (104.a.) (596.a.) ſigna (104.a.b.) cura (104.b.) (596.a,b.) remedia. ibid.

Infuſum ingredientia XI.c.2. claſſ 4. §.3. (153.b.) (154.a.) quomodo fiant XI. c.2. claſſ.4. §.6.7. Michaëlis XI.c.2. claſſ.4.§.6. helleboratum Lindani (431.a.) contra malum hypochondriacum Knophelii (442. b.) antimoniatorum liquoris quantitas obſervanda (86. b.) vino particulas communicant. II.c.8.§.7.

Ingeniorum varietas unde 43.§.7.8. (22. theſ.7.) (31.theſ. 6.) (40. theſ. 8.) (356. a.) tarditas ſeu ſtupiditas quid (417.b.) unde ibid. ingenium quid conſtituit. 43.§.7

Ingluvies avium. (10.theſ.11

Injectiones varie XI. c.2. claſſ.4. §. 25. 26. &c. in uterum quomodo fiant XI. c.2. claſſ.4. §.27. in veſicam XI. c.2. claſſ.4.§.27. quando conveniant ibid. in penem quomodo fiant XI. c.2. claſſ. 4. §. 27. quando conveniant ibid. in alias partes. XI.c.2.claſſ.4.§.27

Initia maximorum morborum minima. 65.§.22

Inquietudo infantum unde X.c.2.§ 22. in peſte. (235.a.)

Inſania quid ſit (429.b.) ejus typus (429. b.) (430.a.) cauſa (430. a.b.) ſigna (430.b.) (431.a.) cura (431. a.b.) vid. mania.

Inſecta tactu non ſunt calida (2.theſ.10.) poſt diſſectionem vivunt ibid. quibus conſtent (315.b.) ovula totum inſectum delineatum continent. III exord.§.8

Inſeminatio quid. (69.theſ.16)

Inſeſſus Vide ſemicupium.

Inſipidum Hippocratis quid. I.c.2.§.10

Inſpiratio quid II. c.I. §.2. qui muſculi inſerviant II.c.2. §.2.c.4.§.5. aër active concurrit II.c.2.§.6. quomodo fiat II.c.3.§.6. (157. a.) quid conferat diaphragma II.c.5. §.5. quid coſtæ II.c.3. §.5. ex vaſe quomodo fiat II. c.7.§.4. quot modis lædatur. (157.a.)

Inſtrumentorum pneumaticorum Sonus unde. (35.theſ.b.)

Intellectus quid (417.a.) actus ejus in quo conſiſtat (39. theſ.5.) operationes intellectus ab operationibus ſenſuum externorum diſcernere eſt difficile. 44.§ 9

Intemperies viſcerum ſeu hepatis & ventriculi 58.§.35. (50. theſ.14.) (101. b.) (156. a.b.) I.c.I. §.9. eſt ignorantiæ aſylum ibid. proprie quid I.c.I.§.9. (156. a.) cura (156. a.b.) nullibi ejus meminit Hippocrates ejuſque explicatio I.c.I. §.9 partium unde 49. theſ.12. calidam corrigentia ibid. (156. a. b.) frigidæ remedia)156. b.) univerſalis eſt non ens 58.§.35. particularis quæ ibid. in æqualis ibid. §.36.

Interceptio (71.theſ.8.) an poſſibilis & noxæ ibid. (272.b.) remedia impoſſibilia aut admodum nociva. 87.§.8

Intertrigo infantum unde. 545.a. X.c.2. §.14. cura (545.b.) X.c.3.§.19.

Inteſtinorum pori quales 29.theſ.I. mucus quid (59. theſ.3.) ejus uſus ibid. ejus ſolutio (15. theſ. 10.) expulſio quot modis lædatur (113.b.) affectuum remedia 73.theſ.3. Vid. ſtomachica vitia quæ (114.a.) an omnia locum mutare poſſint (144.b.) convolutio eſt falſa)116.b.) inflammatio (280.b.) cauſa ibid. ſigna ibid. cura & remedia (287. a.) dolor quotuplex (137. a. b.) cauſa doloris (138.b.) variæ ſpecies eorumque cauſæ (137.a.b.) (138.a.) in ſe invicem ingreſſus unde (116.b.) cauſa ibid. coli valvula quid ibid. coli ſitus naturalis (137.a.) ejus dolor lieni adſcribitur VII. c.2. §.1.2. 3.4. cæci ulcus quid inferet. (116.b.)

Inventores medicinæ varii. I.§.3

Ira quid. IX.c.I. punct.5.§.2

Iracundorum ſymptomata unde (14. theſ. 9.) eorum cura. ibid.

Iracundi ſunt obnoxii ardori ſtomachi. (108.b.)

Iris florentina fæcula eſt caſtratio. (66.theſ.11.)

Irroratio quid & quomodo fiat. (69.theſ.16.)

Iſchiadicum malum (404. a.) (28. theſ. 4.) Symptomata (404.a.b.) remedia. (38.theſ.15.)

Iſchuria quotuplex (313.b.) remedia (370. theſ. 4.) (468.a.) (314.b.) (315.a.b.) renalis cauſa (313.b.) ſigna (314. a.b.) cura ibid. (315.a.b.) veſicalis (326.b.) cauſa ibid. (327.a.) ſigna (327.b.) cura ibid. (328.a.b.) febrium remedia (233.a.b.) phreneticorum remedia. (424.a.) gravidarum quando accidat (506. a.) cura ibid. puerperarum (524.a.) cura ibid. infantum cauſa (538.a.) ſigna ibid. cura. ibid.

Judicium acre & hebes unde. (40.theſ.8.)

Julepus XI.c 2. claſſ. 3. §.4. quomodo fiat & præſcribatur ibid. ubi conveniat XI. c.2. claſſ.3. §.4. immoderati uſus noxæ (168.b.) ex acetoſâ Plateri (93.a.) contra ſingultum Foreſti (169.a.) contra hæmorrhagiam Narium Primeroſii (232.a.) contra ſitim in peſte Barbette ibid. in ardentibus extemporaneus (49. theſ.12.) roſar. extemporaneus. (93. a.b.)

Jupiter ſeu ſtannum ejus ſcoriæ per aërem iterum fæcundantur. I.c.3.§ 8

Juvenibus quando vinum concedat Plato V. exord.

K.

KAli herba. (351.a.) vires ibid.

L.

LAbia à varioſis obſeſſa curare. (222.a.)

Lac unde generatur 22.§.9. ad mammas per quæ vaſa deferatur : 22.§.9

Lactis materia quæ (16.theſ.9.) VIII.c.I.art.2. §.5.X.c.2.§.7. (525. a.) an nutrimentum fœtus in utero (45.theſ.4.) (239. b.) bonitas unde (54. theſ. 7.) X.c.2. §.7. (530. b.) uſus (240. a.) utendi modus (211. a.) diæta lactea quæ (444.b.) noxæ (96.a.) (109.b.) (119.a.) in mammis an imprægnationis ſignum ſit (466. b.) (467.a.) (479.a.) in mammis virorum obſervatum ibid. à coitu alteratur (531. a.) à dolore quandoque ſubito Supprimitur XIII. c.3. § 6. coagulatum inter venena refertur (109.b.) in aëre vermiculos exhibet X.c.2.§.33. eſt magnes venenorum ibid. præparatio inebriativa Rythar I.c.3 § 7. V.§.4. examen fallax eſt X.c.2 §.7. (530.b.) alieni vitia X.c.2.§.7. quoad aſſumpta vitia X. c.2. §.13. item quoad animi pathemata ibid. §.14. quoad excreta X.c 2.§.15. vitia in genere quæ (525. a.) contra dyſenteriam (129.b.) chalybeatum ibid. lactis redundantia (526. a.) cauſa ibid. ſigna ibid. cura ibid. (526.b.) (3.theſ.14.)

Lactis defectus (525.a.) cauſa ibid. (525.b.) ſigna ibid. cura ibid. remedia (78.theſ.17.) coagulatio (526.b.) cauſa ibid. (527.a.) ſigna ibid. cura ibid coagulationem præcavere X. c 3. §.3. corruptum infantum morborum cauſa (55. theſ. 14.) corrupti ſigna ibid. cura ibid. X c.3. §.3. Seri præparatio (93.b.) Vires (86.a.) (93.a.b.) (190.a.) quodnam melius. 63.§.12

Lactans abſentis infantis ejulatum ſentit. (62.theſ.4

Lactatio quot modis lædatur. (529.b.)

Lac Bartholeti. VII.c.5.§.8

Lachrymæ quid. (343.b.) unde ibid.

Lapis prunellæ quid (93. a.) Vires ibid. lapid. calaminaris præparatio. (345.b.)

Larinx ejuſque rima (9.theſ.9.10. ejus affectus. (173.b.)

Laryngotomia. (278.b.)

Laſſitudo nimia. (179.b.)

Later Helmontii quid. (335.b.)

Laudanum opiatum Helmontii. (31.theſ.6)

Laxare vias eſt non ens. (318.b.) (319.a.)

Lemæ quid. (344.a.)

Lepra communicatur per ſalivam (9. theſ.6.) remedia IX.c.I. punct. 2.§.1

Leporis Vires. (68.theſ.8)

Lethargus quid (361.a.) cauſa ibid. (361.b.) (48. theſ.9.) ſigna (361. b.) (362. a.) cura (362. a. b. &c.) remedia. (161.a.)

Leucoma quid. (411.b.)

Leucophlegmatia quid (251.a) unde (5.theſ.6.) cura convenit cum cachexiâ. ibid.

Levitas poſitiva nulla. 6 §.3

Lichen vid. impetigo.

Lien magnus unde VIII.c.I. art.I. §.3. nimis parvi exempla ibid. uſus ejus 29. c.13. VIII. c.2. §.56. (24. theſ.I. 2. 3.) (25.theſ.4.) (312. b.) (313.a.) conſtitutio ejus (24. theſ.I.) VII.c.2.§. 5.an ſuccum acidum contineat VI.§.11. in ſtatu tangi non poteſt VI.c.2.§.2. exſectio (24. theſ.2.) induratus morborum eſt productum (50.theſ.15.) (25. theſ.5.) (313.a.) in morbis melancholicis ſæpius ſanus (24. theſ. 2.) VI.§.I. VII. c.2.§ 6. Vires ejus (24.theſ.2.) actio quot modis lædatur (313. a.) cura ibid. qualis dolor competat VII.c.2. §.5. (25. theſ. 5.) quomodo à colicâ differat VII. c.2.§.3. remedia (25. theſ.5.) inflatio potius eſt coli VII. c.2. §.3. (313.a.) an tangi poſſit ibid. Scirrhus (151 b.) tumor an tangi poſſit VII. c.2. §.2. inflammatio (293. b.) cauſa ibid. ſigna ibid. cura ibid. corpus lienis quid 29.§.2. pro cognoſcendo uſu multa obſervanda ibid.§.3. omnia animalia habent 2. liene bene conſtituto corpus floret 3. in multis mortuis repertus fuit ſalvus 4. ſplenitici ſunt ſalivatores 5. lien omni cavo deſtitutus 6. liene ſanguis in portam abit 7. magnitudo & calor. 8. aſſatus vel coctus eſt acerbi ſaporis 9. Animalium cachexiæ medetur 10. pauca ab eo mala oriuntur. Uvilliſii ſententia 30. §.4. veterum ibid. §.5. verum officium. ibid.

Lienteria quid (123.a) cauſa ibid. ſigna ibid. (11. theſ. 7.) cura (123.a.b.) remedia ibid.&c. (59 theſ. 19)
Ligna putrida nullum ſal Suppeditant II. c.8. §. 5. Saſſafras. Vires (29. theſ. 4.) (339. a. b.) pavana ſeu Mollucenſe. (390.a.)
Lilii convallium collectio. (374 a.)
Linguæ ſtructura (37. theſ. 14) uſus ibid. Siccæ & aridæ in febribus cura (94.a.) paralyſeos remedia (416. b.) (417 a. b.) vulnera (376.a.) ulcera. (222.a)
Linimenta quomodo fiant & ingredientia XI. c. 2. claſſ. §. 1. §. 2. utendi modus ibid. in convulſione Foreſti (377.a.) Penoti ibid. contra impotentiam A. Salæ (462.a.) ad cancrum mammarum Spigelii. (529.b.)
Lippitudo quid (297.b.) (336. a.) unde (33. theſ. 3.) differt ab ophtalmia. (297.b.)
Liquor Stypticus quomodo paratur (107.b.) raphani (166.b.) cornu cervi ſuccinatus (340.a.) X.c.3. §. 5. 15. Somniferus Bartholeti (358.b.) tartari diaphoreticus cum ſuccis Rheſeldii (428.b.) cerebri canis in maniâ. (432.b.)
Liquor ſeminalis in coitu mulierum qualis & unde. (476.a.) (482.b)
Lithiaſis quid. (50. theſ. 15.) (321.b.) VII.c.2 §.6
Lithodontos quid & unde (96.b.) quomodo fiat ibid. cura. (97.b.)
Lithrontriptici medicamenti conditiones quæ (320.a.b.) an detur ibid. remedia (27.theſ.4.) (320 b.) (321.a.b.) (322. a.b.) propinandi tempus (321.a.) vid. nephritica & diuretica.
Lithoſpermon vid. milium ſolis.
Lochia quid 51.§.7. (46.theſ.7.) (518.b.) unde proveniant ibid. mulieribus ſunt propria (46. theſ. 7.) vitia quæ (518. b.) (518.a.) nimia (720.a) cauſa ibid. ſigna (520. a. b.) cura ibid. retenta (518.b.) cauſa (519.a.) ſigna ibid. cura (519.a.b.&c.) vid. menſtrua.
Lolii ſemen inebriat. V.§.6
Loquela quid (173. a.) adjuvantia II. c.5. §.5. II. c.10. §.1. amiſſa quid (416.b.) differt ab aphonia ibid. remedia. (416. b.) (417.a.b.)
Lues venerea unde (9.theſ.6) 48.theſ.8. (52.theſ.22.) infectos rarò peſtis corripit (224. a.) eorum ſanguis qualis. (72.theſ.9)
Lumen quid 38 §.4. (32.theſ.1.) 38.§.1. quotuplex (33.theſ. 3.) quot modis oculo communicetur. (32. theſ. 1.) 38. theſ.5.6. 39 § 7
Lunares radii concentrati materiam lacteam dant. (567.a.)
Luna ſeu argentum per nitrum dat pulverem nitidiſſimum. I.c.3.§.13
Lupinaria. (562.b.)
Lux in quo conſiſtit 38.§ 1. lux varia ibid.§ 2. lucis ſubſtantia ex ſubjecto lucido non vibratur. 38.§.3.
Luxatio (588 b.) cauſa ibid. (589.a.) ſigna ibid. cura (589. b.) vertebrarum colli an poſſibilis. (273.b)
Lycopodium X.c.3.§.15. Vires. ibid.
Lympha quid (17.theſ.2.) (16.theſ.5.) (56.theſ.6.) (334.b.) (335.a.b.) natura (33.c.16.) (27. cap.14.) I.c.2. §.2. ortus & materia ibid. 33.§.4. §.1.2.3. quotuplex (207.a.) (334. b.) uſus (17. theſ.2.) 33.§. 5. aciditas unde (58. theſ. 20.) Stagnatio quid inferat (28 theſ.4.) (56.theſ. 7.) remed. (335. a.) qualitates vitiatæ unde (56. theſ. 7.) effectus (207.a.b.) ſecretio quot modis lædatur (334.b.) generatio quot modis lædatur (335. a.) Salſam corrigentia. (48 theſ.6.)
Lymphatica vaſa & eorum inventor (15.theſ.4.) eorum uſus ibid. ortus quis (27.theſ 1.) (335.b.) vehunt à circumferentiâ ad cor. (16 theſ.5)
Lypothimia quid (180. a.) cauſa ibid. ſigna ibid. (181.a.) cura (187.b. &c.) ſcorbuticorum unde (180.a.) poſt morbos chronicos non ritè curatos ibid. ſymptomata præcedentia unde. (181.a.)

M

Macies quid. (241.b.)
Maculæ ſcorbuticæ. (1446.b.)
Magiſteriorum plurimæ ſunt caſtrationes. (66.theſ.11)
Magnetis vis attractiva unde III. c.1. §.10. tranſplantatio quid (69.theſ.14.) quotuplex. (ibid.theſ.15)
Magneſia Saturnina quid. (110.b)
Magnetiſmus quid. (68.theſ.13)
Magneticæ curæ unde. (49.theſ.10.) 106.§.9
Magnetes quatuor ex quibus fit mumia. 106.§.10
Malacia quid (88 a.) (596. b) pars affecta (88.b.) quale vitium ibid. cauſa ibid. (89. a.) ſigna ibid. cura (89 a. b.) cura (597.a.) cura in gravidis (503. b.) (504. a.) remedia ibid. (89. a b.) an conſequens gravidationis (88. b.) qui nam ſubjecti ſunt ibid. (89. a.) an ſimilia vel contraria appetant (88 b.) an cum damno aſſumant (89.a.) (503 b.) (504.a.) exempla ibid. Syrupi ibid. quomodo à picâ differat. (88.a.)
Malignitas quid vel in quo conſiſtat (211.b.) communis eſt affectio omnium morborum ibid. ejus in morbis indicia ibid. varia eſt (213. b.) ejus cauſa ſymptomata. (212. a.b.&c.)
Malvaticum juniperinum. (81.theſ.3.)
Mammarum cum utero conſenſus (52.theſ. 24.) mutatio poſt congreſſum (479. a.) mammas minores reddere (ibid.) abſceſſus ſeu ulcera (527. b. 528. a.) cauſa ibid. fiſtula (528. a.) Scirrhus (528. b.) cauſa ibid. ſigna ibid. cura ibid. Scrophulæ & ſtrumæ ibid. cauſa ibid. cura ibid. cancer (528. b.) (529. a.) cauſa ibid ſigna ibid. (547.b.) cura (529.a.b.) Eriſypelas (527.b.) tumor lacteus (428.a.) indurationis cauſa (527. ſigna ibid. inflammationis cauſa (527.b.) ſigna ibid. cura. ibid.&c.
Mania quid vide inſaniâ remedia (4.theſ. 22.) (67. theſ.5.) (68. theſ. 8) (431. b.) (432. a.) maniacorum robur unde (429 b.) frigoris tolerantia unde ibid. (430.a.)
Marcaſita aëri expoſita locupletatur. I.c.2.§.8
Martis vires (150. a.) crocus martis (151. a. b.) tincturæ. ibid.
Martialia aſſumpta ruptus nidoroſos faciunt (11. theſ.7.) fæces nigras reddunt (60. theſ.30.) quibus noceant XII. c. 3. §.18.
Mas an citius formetur quam femella. (44.theſ.5)
Maſlach Turcarum. V.§.5
Maſticatio quid 17.§ 2. (9.cap.4.) finis ejus 17.§.3. (9.th.3.) vitium ejus (94.b.) deficientis cauſa ibid. quibus mediis fiat ibid. læſæ cauſa (94.b.) (95.a.) cura (95.a.) cornigerorum animalium. (10.theſ.11)
Maſticatoria quæ. 103.§ 6
Maſtiche vires. (102.b.) (12.theſ.13)
Materia duplex ſimplex 4.§.11. compoſita ibid. §. 12. purè paſſiva 7.§.17. materia omnis à deo ibid. §.18. materiæ & motus par ratio. 7.§.19
Materia ætherea cur à Carteſio inventa II.c.7. §.6. an detur ibid. an vitium vel metallum tranſire poſſit II. c.10. §.2. circa materiam corporum quid conſiderandum 3. §. 3. materiæ nomine quid intelligitur 3.§. 4. Gaſſendi & Cartheſii opinio de materiâ ibid. materia prima Ariſtoteles 3.§.5. ejus modi ſeu affectiones 3.§.6. ex materia multipliciter diviſa exurgunt omnia corpora 3.§.10.maturantia quæ. 551.b.)
Maxillarum vitia (95.a.b.) motus quomodo lædatur. ibid.
Mayoiri de ſale acri & nitri ſententia II. c.10. §. 4. ejus examinatio ibid. §.5.6.7.8
Meatus urinarii exuberatio (458. a.) obſtructionis cauſa (327.a.) cura ibid. (328. a. &c.) caruncula (458. a.) cauſa (460.a.) ſigna ibid. cura (460.a.b.)
Meconium infantum quid (45.theſ.3.) X.c.2.§.5. unde ibid. retenti noxæ ibid. evacuatio. X.c.3.§.1
Media curandi. 78.§.4
Mediaſtinum quid (284. a.) quandoquè inflammatur ibid. ſigna (286.a.) in reſpiratione quid patitur. II.c.5.§.10
Medicamentum indorum ad appetitum fallendum (86.a.) ex perlis & gemmis abuſus medicamenta radices morborum idealita curantia quæ. 105.§.5
Medii Sinenſes & Japonenſes in pulsûs præſagio excellunt (63.theſ.2.) medicus eſt naturæ miniſter 78.§.2. (65.theſ. 112.) naturæ proſtratæ rector & princeps (65. theſ.1.) bonus criſim negligit (64. theſ.2.) (53. theſ.29.) quando recti ſuo munere fungatur (65. theſ. 2.) veri requiſita XVII. §.28.XII. præfat. accedenti ad ægrum quæ pernoſcenda 67.§.4. in praxi excellere poteſt licet non ſit theorecticus. XII.præfat.
Medicina cur tandiu ſive incremento ſterit 2.§.14. quid 2. §.17. nobiliſſima artium ibid. ars conjecturalis 2. §.18. partes principales. 3.§.21
Medicina Galenica cur vacillet I. c.1. §.5. in quibus ſuperſtructa. XII.præfat.
Medicina devaſtatis athenis concidit 2.§.11. ad arabes tranſiit ibid. abſcondita ſub barbaris & Saracenis 2.§.13. ab Italis revocata ibid. miniſtræ partes. 3 §.22
Medice vivere peſſime vivere quid. (55.theſ.13)
Membrorum tenſorum in peſte remedia. (236.a.)
Membranæ pituitariæ conſtitutio (28. theſ. 4.) (335. b.) tranſudat materiam catarrhi ibid. quotuplex. (336.a.)
Memoria quomodo fiat (39. theſ. 5.) (417. b.) ineſt chaos ideale (4.theſ.19.) firma & debilis unde (40. theſ. 8.) vitia quæ (417. b.) cauſa ibid. (418. a.) ſigna (418. b.) cura ibid. debilis remedia. (419.a.)
Mellis noxa. II.theſ.7
Melanagoga. (75.theſ.17)
Melancholia quid (424.a.) typus ibid. (424. b.) (425.a.b.) (426.a.b.) differentiæ (426.b.) ſigna ibid. (427.a.b.) cura (420.b.) (428.a.b.&c.) remedia. ibid.
Melancholici affectus quinam ſunt (V. §. 42.) (424. a.) cur difficilis purgationis (75.theſ.15.) magis ſunt ad calculum diſpoſiti (316.b.) actiones inſolitæ unde. (426.a.b.)
Melicetis unde (548.a.) (561. b.) cauſa ibid. (562. a.) cura ibid.

ibid. (562. b.)

Melonum noxa 119. a vires ibid.

Memoria ſenſitiva unde dependet 43. §. 5.

Membranæ ſequi debent fœtum egreſſum 51. §. 6.

Menſtrui. Vis (320. b.)

Menſtruorum diverſitas unde I. c. 2. §. 6. inſipidum an deſur I. c. 2. §. 6. (320. b) (321. a) convenientia cum ſolvendo quæ ibid.

Menſtrua purgatio quo tempore contingit. 47. §. 11.

Menſtruorum fluxus quibus competat. (43. theſ. 9.) (465. a) virorum exempla ibidem 47. §. 11.) (70. theſ. 1.) quando incipiat ibidem (465. a) quando deſinat ibidem, 47. § 11. periodus qualis 48. §. 14. (465. a) quomodo fiat 48. §. 13. (465. b) (43. theſ. 9. quantitas variat (470. b) principium fermentationis unde 47. §. 12. (43. theſ. 9.) anomaliæ ſunt variæ (465. b) odor 474. b) quandoque ingravidis & lactantibus fluunt x. c. 2. §. 15. abſentia totalis abſque fœcunditatis læſione (465. b) quot modis lædatur ibidem, fluxus nimius (470. b) cauſa ibid. (471. a) Signa ibid. cura (471.) 472. a b) remedia ibid. ſuppreſſio (465. b) 466. a) cauſa (466. a b) ſigna ibid. (467. a) cura (467. b) (468. a b &c.) ſymptomata (484. a) (86. a) (88. b) 106. b) (162. a) non eſt cachexiæ cauſa ſed oritur ab illa (25 1. a) 484. a) quibus eſt naturalis (465. b) remedia (468. a b) &c. (70. theſ. 4.) inordinatus (475 a) cauſa ibid.) cura ibidem per aliena loca ibidem loca quæ ibidem cauſa ibidem, in gravidis (475. b ſtillicidium (474. b) cauſa ibid. Signa ibid. cura ibid. (475. a) decolor (474. b.) cauſa ibid. cura ibid. fœtidus ibid cauſa ibidem cura (475. a) imminutus ſeu paucus (474. a) cauſa & cura ibidem, difficilium conjuncta tormina unde (139. a) (473. b) Signa ibid. cura ibid. (474. a) accidentia quæ (473. a)

Mercurialium noxæ (96. b.) (98. a) vitanda in infantum curatione x. c. 3. §. 12.

Mercurij noxa VIII. c. 2. art. 2. §. 5. vini v. §. 22. aſſumpti antidotus (379 b.) I. c. 3. §. 10. butyri correctio. I. c. 3. §. 13. diaphoreticus Helmontij (201. a) præcipitatus Amati Luſitani (583. a) diverſa operatio. 97. §. 28. adhibendi modus duplex 103. §. 2. modus peſſimus quid ibid.

Meſenterij affectus difficulter cognoſcuntur (281. b) affectuum remedia (73. theſ. 3.) cura (282. b.) (283. a b) ſymptomata (282. a. inflammatio ibid. cauſa ibid. ſigna ibid. (282. b) cura & remedia (283. a b) abſceſſus ſigna (282. a b) exempla ibid. a) cura (283. b) tumorum exempla (282. a ſupurationis (282. b) inflammat. vel abſceſſus facti Signa (282. b.) abceſſui urina profluvium ſuccedat (283. a) excretionis purulentæ diagnoſis (282. b)

Meſue quis 2. §. 12.

Metaſtaſis quid (52. theſ. 24.) a conſenſu differentia. 68. §. 45.

Metus morbi eum efficit (67. theſ. 2.)

Miaſma venenatum an in ſanguinem tranſeat II. c. a §. 6. poteſtas unde (7. theſ. 22.) epidemicum quid (51. theſ. 21.) morboſum quid (52. theſ. 22.) Sunt variæ naturæ ibid.

Microcoſpiorum artificium & varietas 39. §. 8.

Mictus lacteus (63. c. 2. theſ. 2. cruentus quid 325. cauſa ibidem (325. b) Signa ibidem (326. a) cura (326. a b)

Millepedum ſeu aſellorum vires (166. b)

Mineralium gas quale III. c. I. §. 1.

Mirach quid. VI. § 2.

Mirachialis morbus ibid.

Miſtura pro gingivis Dygbi (98. b) in ſcorbuto oris efficaciſſima ibidem (446. a) contra flatus & ructus Sylvi (104. b) contra vomitum ſanguinis Rullandi (108. a) Foreſti ibidem Sylvij (108. b) antiparalytica & apoplectica authoris (10. theſ. 10.) pro temperandis humoribus Sylvij (120. a) contra obſitatem infantum Italorum VIII. c. 2. art. 4. §. contra diarrhæam authoris (122. b.) dyſenteriam &c. ejuſdem (129. b) colicam Cratonis 143. b) (144. a) Singultum maligunm Riverij (169. b) tuſſim autoris. (178. a b in tertiana ſcorbutica continua autoris (200. b) 201. a) in febribus ardentibus Poterii. (205. a) de tribus Knophelij (219. a) contra inflammationes Sylvij (271. a) ad abſceſſus Anginæ Tymæi (278. b) contra pluridem Barbette (288. a) Tachenij (289. b) contra iſcuriam Riverij (328. a) in epiphora Tymæi (344. b) contra apoplexiam & epilepſiam ejuſd. (384. b) præſervativa ab apoplexia Kolbij (385. a) in dolore partium muſculoſarum Tymæi (394. b) ad maniam Fabri (432. a) Penoti. ibid. pro gingivis ſcorbuticis author (446. a) contra arthrididem vagam ſcorbuticam Tymæi (447. b.) Otrauvizij (448. a) contra impotentiam &c. Tymæi 452. b.) gonorrhæam Sylvatici (456. b) puſtulas pudendi Sennert. (480. a) in partu difficili Tymæi (513. a) ad lochia ſuppreſſio Tymæi 519. b.)

Mithridatum (142. b)

Mobile quid: 6. §. 9.

Modificatio materiæ qualitatis omnes producit 9. §. 9. in ſe conſiderata formam, reſpective, attributa, producit omnis modificationis fundamentum. 9. §. 11.

Molle quid. (38. theſ. 16.)

Mola quid (499. a) differentia (499. b.) quæ concipiant ibidem cauſa (500. b) quomodo fiat ibidem ſigna (500. b. cura 501. a b remed. ibidem ventoſa quid (495. a) vid. inflatio uteri aquoſa quid (495. a) (499. b) (unde (500. a)

Monſtrum quid (499. a)

Montes Peruviæ alpes ſuperant II. c. 7. §. 1. Tenariff eſt olympo altior. ibid. Carpathus ad prodigium eſt elevatus a ibid.

Mores hominum ſequuntur temperaturam (425. b)

Mors quid 51. § 1. (47. theſ. 1.) v. §. 10 futuræ in ægris indicia (64. theſ. 1.)

Mortuum eſſe quid (1. theſ. 1.) (2. theſ. 8.) mirabilia unde (theſ. 13.) manus cur tam frigidæ 68. theſ 13.) effectus ibid. ex nimio gaudio (35. theſ. 11.) ex corpulentia nimia VIII. c. 1. art. 1. §. 6. (157. b) (ex coitu (159. b)

Morſus omnium animalium eſt venenatus IX. c. 1. punct. 1. §. 1. c. 1. punct. 4 §. 2. punct. 5. §. 6. (432. b) animalis non rabidi rabidum reddere poteſt ibidem animalis rabidi ſigna (433. b) hominis irati eſt venenatus (55. theſ. 11.) III. c. 1. §. 44. IX. c. 1. punct. 4. §. 2. animalis rabidi remedia 573. b ſerpentum & viperarum cura 68. theſ. 8. IX. c. 1. punct. 2. (573. b) animalium venenatorum quando lædant IX. c. 1. punct. 3. §. 4. III. c. 1. §. 74. remedia (573. a) lædit magis & minus IX. c. 1. punct. 5. §. 6.

Morſuli vid. Tabellæ.

Morbilli quid (212. b) origo quæ x. c. 2. § 27. (541. b) Signa ibidem cura (217. a) (541. b) (219. b) ſymptomata unde 542. cura eorum ibid. (120. a b) remedia x. c. 3. § 13.

Morbus quid 10. §. 6. (49. theſ. 12.) 47. theſ. 1. v. §. 10. unde (47. theſ. 1.) (49. theſ. 12.) IX. c. 1. punct. 5. §. 3. cauſa (53 theſ. 1.) (53. theſ. 13.) cauſa materialis IV. §. 5. efficiens III. c. 1. §. 2. Subjectum (47. theſ. 3.) v. §. 12. tempora unde (53. theſ. 28.) illa in acutis obſervanda ibid. cura idealis (68. theſ. 8. 9. 10.) cura ſympathetica ibid. theſ. 12.) (439. a) tranſplantatoria ibid. (69. theſ. 14.) vid. tranſplantatio cura in quo conſiſtat (81. theſ. 1.) I. c. 1. §. 7. occultarum qualitatum unde (4. theſ. 22.) (49. theſ. 10.) eorum communicatio (9. theſ. 6.) differentiæ (47. theſ. 3.) à ſpiritibus quotuplices (48. theſ. 9) ab influo ſpiritu qui ibid. ab inſito qui ibid. theſ. 10.) ideales ſeu archeales unde (67. theſ. 6.) morbi in humoribus contenti. 54. §. 4 in quanto & in quali 54. §. 4. in quanto 54. §. 5. in quali 55 § 10. morbi partium ſolidarum 57. § 30. morbi intemperiei 58. § 31. 34. organici ibid. §. 32.

Morbi compoſitionis ibid. ſolutæ unitatis. ibid. morbi epidemici 67. §. 42. contagioſi ibid.

Morbi archeales qui 53 § 3. (49. theſ. 10) (67. b) cura 67. theſ. 7.) 68. theſ. 8. 9. 10. 11. exempla ibid. organici quotuplices (49. theſ. 11. humorum ſunt figmenta (57. theſ. 11. intemperies quid ibidem (49 theſ. 12.) (50. theſ. 15.) ab obſtructione quid ibidem theſ. 16.) 17.) (51. theſ. 18.) cura ibidem contagioſi & epidemici qui & quare (51. theſ. 21.) eorum cura ibid. epidemici novi unde III. c. 1. §. 65. inter conſanguineos ratio (52. theſ 22.) per conſenſum qui (52. theſ 23.) per deuteropathiam ibidem theſ. 24.) hæreditarii ibidem theſ. 25. unde ibidem theſ. 25. 26.) quomodo communicantur III. c. 1. §. 34. vid. tranſplantatio communicatio quomodo fiat (55. theſ. 10. ſanguinej qui (47. theſ. 6.) (48. theſ. 7. 8.) acuti qui (48. theſ. 7.) unde III. c. 1. §. 60. cura 81 theſ. 1. chronici qui (48. theſ. 7.) unde (59. theſ. 25.) (14. theſ. 9.) 102. b) III. c. 1. §. 60. 26. theſ. 4.) (149. b) 150. a) cura (26. theſ. 4.) (8 theſ. 11.) (73. theſ. 3.) (26. theſ. 4.) XI c 2. claſſ. 2. §. 2 (151. a b) cruditas & coctio an iis competat) (74. theſ. 8.) lente ſua tempora abſolvunt, ibid. pauca urina unde (81. theſ. 5.) maligni eſſentia (59 theſ. 25.) ibid. theſ. 28.) non eſt eadem ratio ibid. Signa 71. theſ. 9.) cura (59. theſ. 28.) catarrhales unde (28. 29. theſ. 4.) per conſenſum uteri qui & quomodo fiant (482. a b) cutanei cur verno tempore morbi cui competunt. 52. §. 1. ſubiectum morborum 52. §. 3. cauſa alterata ſanguinis maſſa. Subiectum duplex 52. §. 6. morborum diviſio 53. §. 6. morborum differentiæ 53. c. 2. ſumuntur. 53 § 1. accidentales 67. §. 42.

Morbi per eſſentiam 68. §. 44 per conſenſum: ibid 53. theſ. 3. Gallicus vid. Lues Hungaricus (222. b) (202. b) ſigna

ſigna (222. b.) cura (216.b.) (222. b.) fomites annoſi quomodo recrudeſcant I.c.3.§.8. III.c.I. §.43. 66. initia ſunt parva III.c.I. §.I.2. morbi connati 68.§.46. adventitii ibid. hæreditarii ibid. de his Helmont. ſententia ibid. § 47. ratio 69.§. eodem. morbi maligni ibid.§.48.benigni. ibid.
Moſchus unde deperditum odorem recuperat. (36.theſ.II)
Motor primus materiæ Deus 7.§.17. quiſnam motor ſecundus exiſtat. (7.§.20)
Motus quomodo fiat (6. theſ.II.) partium unde (44. theſ. I.) quomodo fiat ibid. (23. theſ.4.) (368. a.) quantum nutritionem adjuvet organum quod ibid. quotuplex ibid. 45.§.3. periſtalticus unde 45.§.3. (40.theſ.3.) quid efficiat (116. a.) naturalis quid (40. theſ.3.) (368. a.) animalis organum quod 45 §.5. (40. theſ.4.) tonicus quis ibid. uſus (54. theſ.9.) VIII. præfat. cauſa prima III.c.I.§.13. cauſa ſecunda ibid. analogicè dicitur ſpiritus III.c.I.§ 17. cauſa univerſalis (370.a.) in motu quot conſideranda 5 §.I. motus eſt tantum localis ibid. theſ.2. duplex ibid. §.3. elaſticus ibid. motu locali peraguntur dilatatio & conſtrictio 6 §.4. formatio corporum per ſemina §.5. tranſmutatio ibid. §.6. operationes vegetabiles §.7. operationes animales §. 8. fundamentum determinationes motus 6. §. 10. duplex (§.11.12. 13.) externus & inteſtinus 6.§.14. motus primitus à deo 7.§ 18. motus leges determinatrices 8. §. 31. particulares univerſalibus non nocent 8.§.32. vitalis duplex. 10.§ 9.
Movens quotuplex 6. §.15. principium ejus movens ſecundum. 7.§.23.
Mucilaginis contumaciſſimæ remedia & reſolventia (12. theſ.13.) (13.theſ. eâdem) mucus copioſus in ventriculo unde (101. a.) in inteſtinis quid 21.§.9 quid attenuet: ibid.
Mulſum quid. XI.c.2.claſſ.4.§.13
Mulieres an ſemen habeant (42. theſ.6.) (476.a.) in coitu quid excernant ibid. quando maturæ (43. theſ.9.) abſque menſtruis fœcundæ ibid. (465.b.) ſola cur menſtrua habeat (43.theſ.10) virorum cupidæ vomitus habent (106. a.) quibus non recti fluunt menſes ibid. cur præ maribus pingueſcant VIII. c.I. art.3. §.I. quælibet proprium lac habet X. c.12.§.7.cur poſt partum colica laborent (139.a.) podagra laborani (405. a.) puberibus quæ accidant (465. a.) decem menſes ſerpentem ubera ſugentem gerens IX.c.I. punct. 4. §.4. per tempus ſerpentem deglutitum geſtavit. ibid.
Mumia corporum quid. (69.theſ.19) (436.a.)
Microcoſmica ſpiritualis quid ibid. 106.§.10
Mundus an ſit infinitus II.c.7.§ 6. an ejus minutiſſima ſpatia corporibus repleta ibid. animæ & ſpiritus explicatio II. c.7.§.8. quid II. prœmio, &c. (2. theſ.8.) mundi ſyſtema quibus legibus conſervatur. 7.§.24
Mundificantia quæ. (580.a.b.)
Mus ſumpto arſenico aquâ ſuperbibita evadit III. c.I.§.47. quadruplex habet omentum VIII. c.I. art.I. §.10. cur hyeme pinguiores. ibid.art 3.§.3
Muſcarum generatio artificialis IX.c.I. punct 2 §.2.
Muſculus quibus conſtet (40.theſ 2) Structura (ibid.theſ.4.) (378.a.) quotuplex ibid. actio & uſus 44.§.2. (40.theſ.4.) II. c.4. § 2. antagoniſta qui ibid. motus unde 46. §.10. (41.theſ.5. 6. 7.) motus partium unde determinetur (41. theſ.8.) triangulares quid II.c.2.§.4. expl. & inſpirationi ſervientes qui ibid. §.2.3.4. movet partes quibus non conjungitur II.c.4.§.3. reſpirationi inſervientium motus qualis II.c.4.§.4. thoracem elevantes qui II.c.4 §.5. expirationi inſervientes qui ibid. intercoſtalium uſus II.c.4. §.6. maſticatoriorum vitium quotuplex (94. b.) temporalis convulſio & paralyſis rara ibid. contractio quomodo fiat. II.c 10.§.5.45.§.6
Muſicæ effectus mirandi unde. (35.theſ.9.)
Myaſma quid: 65.§.42. varietas. 68.§ 43
Myrrhæ vires. (98.a.)

N

NÆvus maternus cur facile faciem occupet. III.c.I.§.3
Napelli correctio. I.c.3.§.13
Narcoticorum vis noxia eſt (67. theſ. 4.) ſunt ſulphurea. V §.27. quæ (358 a.b.)
Narium hæmorrhagiæ cauſa (308. b.) ſigna (309.a.) cura (ibid. a.b.) ejus cura in peſte (231.b.) (232. a.) remedia (36.theſ.10.) obſtructio narium infantum (541.a.) deffendere à variolis. (221.b.)
Naſus inſititius quando putreſcat. (3.theſ.13.14)
Nationum varietas unde. (22.theſ.7.) (31.theſ 6)
Natura quid (65.theſ.I.) indicat quid agendum (ibid.theſ.7.) quomodo agit IX. c I. punct.5. §.3. eſt morborum medicatrix 78.§.2. (65.theſ.I.) determinant adeæ XI.c.I.punct. 5.§.3. in quo conſiſtat. 78.§.2
Navigans in mari plus edit (6. theſ. 8.) vomitum ſiſtere. (108.a.)
Nauſea quid (105.a.) unde (105.b.) cura (107.a.b.) in peſte cura (232.b.) (235.a.) gravidarum cura. (503.a.)
Necroſis veterum quid. (297.a.)
Nephritis quid (617.b.) (294.a.) cauſa ibid. ſigna Ibid.cura (294. a.b.) vomitus unde (106. a.) (294. a.) præcavere (73. theſ.3.) remedia (319. 320. 321.) vid. diuretica & lithontriptica nephritici affectus. (317.b.)
Nervus immediatum ſenſus inſtrumentum (32.theſ.5.) (33. theſ.3.) ſuccus Anglorum an detur (20. theſ.10.) VIII. c.I.art.2. §.3. diſtributio (30.theſ.2.) punctura (575.a.) læſi ſigna ibid. cura ibid. ulcera (578.a.) non ſunt cavi IV.§.13. ſed poroſi V.§.19. unctuoſa nocent. (575.a.)
Nicotianæ vires. 86.a.
Nictalopia quid (410.a.) prognoſis. (414.a.) cura (414.b.)
Nodi unde (548.a.), (561.b.) cura ibid. Spermaticarum partium unde. (50.theſ.17)
Nodulus antiſcorbuticus. (73.theſ.3)
Notum ſeu cognitum igni quid. (62.theſ.I)
Nutritio eſt continuata generatio. 8.§.29
Nutritio in quo conſiſtat (5. theſ.2.) VIII.c.I. art.I.§.I. naturalis quomodo fiat (5.theſ.4.) (90.b.) VIII.c.2.§.2.9. ejus quantitas variat (6.theſ.10) fœtus in utero quomodo fiat (45.theſ.3.) II. c.9. §.5. per os an reſpirationem indicet ibid. quot modis lædatur (239.a.) nimis aucta vide corpulentia (239.a.) deficiens ſeu atrophia ibid. cauſa ejus VIII. c.I. art.2. §.2.3. nutritio ad actiones vitales pertinet 13.§.3. in quo conſiſtit ejus finis 13.§.14.14.§.14. objectum ibid. forma ibid. ſubjectum quod ibid. §. 15. materia ſeu objectumduplex ib.§.16.forma in quo conſiſtit ibid. §.17. Nutritio partium diverſa 15.§.18. nutritionis ſubjectum ſeu materia quæ. 63.§.12
Nutrimentum partium quod & quotuplex VIII. c.I. art.2. §.23. (20.theſ.12.) fœtus quod & unde (45. theſ.3.4.5.6. c.2.§.7
Nutricum diæta X.c.3.§.c.2.§.14.15. (531.a.)

O

OBauditionis vitia. (34.theſ.5)
Objectum ſenſile (31. c.17.) ejus afficiendi modus (32. theſ.5.) coloratum quod (32.theſ.2.) viſus cur non duplex appareat (33.theſ.4.) ſapidum (37.theſ.13. tangibile (38.theſ 16)
Obſtetricis in partu difficile officium. (513.a.)
Obſtructio viſcerum ſunt ignorantiæ aſyla 67.§.39. (50. theſ.16) (26. theſ.4.) (148. b.) quid ſint (50. theſ.17.) (26.theſ.4.) (149.) unde ibid. I. c.2. §.9. remedia (150. a.b. &c.) ſunt inter læſiones conformationis 67.§.39. non univerſaliter negandæ ibid. §.40. de iis ſententia Lindani ibid.§.41. præſtat in iis fluxilem ſanguinem reddere ſudorifero conveniente aut topico criſpaturam, fibrarum ſedare quam venæ ſectionem celebrare.
Obtuſum quid. (38.theſ.16.) 87.§.7
Occultus ejuſque ſtructura (34. theſ.4.) membranæ (33. theſ. 3.) eſt camæra obſcura ibid. præſagia (64. theſ.I.) à variolis præſervare (34. theſ.3.) (221. a. b.) affectus unde (33.theſ.3.) albugo (411. b.) cauſa ibid. cura (412.a.) cicatricis cauſa (411 b.) ſigna ibid. cura ibid. dolor unde (402.a.) cura ibid. inflammatio vide ophtalmia macula quid (411.b.) (412.b.) cauſa ibid. cura ibid. nebula unde (411.b.) cura (412.a.) (221.a.b.) pruritus unde (33.theſ. 3.) puſtulæ unde ibid. cura ibid. ſugillatio quid & cauſa (411.b.) ſigna ibid. cura (412.a) ulcera unde (33.theſ.3.) cura ibid. remedia (412. a. &c.) vulnera (412.a.) unguis unde (33. theſ.3.) (410.b.) ſigna ibid. cura (411. a.) remedia. (33.theſ.3.) (221.a.b.) (411.a.)
Odor quid 40. §. 15. 41. §. 18. (36.theſ.10.) III.§.19. 58. differentiæ unde (36.theſ.II.) cauſa (37. theſ.12) vis & effectus unde (36. theſ.II.) XIII.c.2. §. 28. 29. odores quid conſtituat 41.§ 17. quare odor variat. 41.§.19
Odoratus quid 40.§.15. quomodo fiat (36.theſ.10.) organum quod ibid. acumen unde ibid. materiale 30.§.15. formale. ibid.
Odontalgiæ cauſa (49. theſ.10.) (395.a.) ſigna (ibid. a.b.) cura (395.b.) remedia ibid. (396. a.b. &c.) gravidarum cauſa & cura (504. b.) (505.a.) ſcorbuticæ cura ibid. (446.a.b.)
Oedema quid (557.a.) (cauſa ibid.a.b.) cura ibid.b.
Oeſophagi vitia quæ (99. a. b.) actionem quæ impediant ibid. cura (100. a. b.) tumorum cura ibid. ſpaſmodicæ clauſuræ cura. ibid.
Oleum hyperici compoſ. Carpi (575.a.) expreſſorum vires (91.a.b.) bufonum (394.a.) aſellorum (135.a.) diſtillata quid III. c.I. §.19. vires (14. theſ.3.) (91. a.b.) anſeris Hildeshein (391.a.) ad confortandam memoriam ejuſdem (419. b.) heraclinum Rullandi X.c.3.§.15. peſtilentiale

Heiniſii

Heiniſii (227.b.) contra maniam Paracelſi (432.a.) catholicum ad quoſvis dolores (394.a.) vermiculorum quercus (408.a.) ad tinnitum aurium. (409.b.)
Operatio triplex. 13.§.2
Ophtalmia quid (297.b.) cauſa (298.a.) ſigna (298.b.) cura ibid. (299.a.b.) (300. a.b.) remedia (33.34. theſ.3.) notha quid (298.b.) cauſa ibid. ſigna ibid. cura ibid.
Opiata utendi modus XII cap.3.§.32. (74.theſ.12.) vires & ubi conveniant (55.theſ.15.) (24. theſ.8.) (29. theſ.4.) (31.theſ.6.) (36. theſ.10.) (37. theſ.15.) (59. theſ.28.) (85.b.) (91 b.) (110.b.) noxæ (258.a.b.)
Opium papav. XIII. cap.2. §. 10. quotuplex ibid. noſtrum quomodo operetur (67.theſ.4.) XIII. cap.2. §.15. 16. 26.17.18.20. vires (67.theſ.4.) (83.theſ.3.) (84.theſ.4.) III.cap.1.§.72. (142. b.) v.§.5. XIII. c.1. §.1.9.11. an ſudoriferum XIII.c.1.§.5. c.2. §.1. quandoque eſt diureticum XIII.c.2. §.24. c.3. §.5. quandoque alvum ſolvit XIII.c.3.§.4. quandoque vomitum creat ibid. cap.3. §.1. an criſi inſtante conducat XIII.c.3.§.10. quando dandum (83.theſ.3.) inebriat v.§.5. an ſit Maſlak turcarum v.§.5. caute in peſte dandum (231 b) correctio XI. cap.1. §.8. (84. theſ.4.) VII. c.5. §.12. XIII. cap.3. § 142. b. cum ſale tartari ibid. authoris XII. c.3.§.33. cum fermentatione (142.b.) opii fatum 104.§.3. pro ſalubri uſu tria obſervanda ibid. mirus effectus. 105.§.4
Opiſthotonos quid. (368.b.)
Organorum ſenſuum inſtrumentum quod. (32.theſ.5)
Oris hiatus unde (95. b.) cura ibid. putredo in peſte cura (235. b.) tortura quid (94. b.) unde ibid. ſigna (95. a.) cura ibid. ulcerum ſcorbuticorum cura. (446.b.)
Orthopnæa quid (22. theſ.8.) (161.a.) cauſa (161.b.) cura (164.b.) remed. (160.b.)
Oſſa prima compagis rudimenta unde habeant VIII. cap.1. art.1.§.2. corporis longitudinem determinant ibid. oleoſa, &c. non conveniunt (546.a.) ut in ſtatu N. contineantur quid requirant 588. pubis an ſeparentur (46.th.2. Coccygis in partu extrorſum verſus plectitur (512.a) luxati cura. (589.b.&c.)
Oſcitationi confert aër. 11.c.10.§.1
Ova ſubventanea quæ (499.b.) ovi cicatricula animal totum conformatum & delineatum habet III. exord. §.6. 49. §.6. ex ovo omnia (43. theſ.2.) III. exord. §. 6. vires (114. b.) (118.b.) fœcunditas unde (42. theſ.6.) uterinum quid (43. theſ.2.) (497. a. b.) quibus conſtet (44. theſ.1.) (497.a. b.) in ovario mulierum ſtructura (42. theſ. 8.) quomodo fœcundentur ibid. III. exord. §.11. 12. ova fœminæ ſunt inſtar fomitis 48. §. 2. ſpiritu genitali alteratur ibid. §.3. diſtinctio ovorum obſervanda in oviparis & viviparis. 49.§.7
Ovum capitis dolor. (397.a.)
Oviparorum imprægnatio quomodo fiat. 42.theſ.6
Oxymel quid. XI.c.2.claſſ.4.§.13

P

PAlpitatio cordis quid (183.a.) cauſa 1.c.2.§.9. (183.a.b. &c.) ſigna 184.a.b. cura (185. a.b.) gravidarum (505. a.) cura ibid. arteriarum particularis. (186.a.)
Panacea quid. 85.§.26
Panaritium ſeu paronychia quid (556. b.) cauſa ibid. cura ibid. (69.theſ.14.)
Pancreatis uſus (79. theſ.19.) lapidoſum ſphaceloſum (105. b.) (283. b.) affectus præcavere (73. theſ.3.) ſunt per quam occulti (283.b.) difficilium morborum origo ibid. vomitus ſanguinei (106. b.) abſceſſus exempla (283.b.) ſuccus miſcetur cum chylo cur (14.theſ.8.) cujus naturæ ibid. 1.cap.2. §. 2. acciditas unde (58. theſ. 20.) vitia quæ (113.a.) (264. b.) (265. a.) (60. theſ. 29.) quomodo corrigendus (113. a.) vitioſi effectus (14. theſ. 9) (114.a.)
Panis eſt cibus familiariſſimus (101.b.) quomodo fiat (54. theſ. 6.) 1. cap.3. §. 4. cur non faſtidiamus (11. theſ 7.) (54. theſ.6.) 1.c.3. §. 4. ultimo amittimus & recuperamus ægroti ibid. contenta (54.theſ.6.) vires & effectus 1. c.3. §.4. (54.theſ.6.) nimia repletio nocet x.c.2.§.11. non fermentati noxæ (101. b.) odoris vis (92.b.) abſtemii rati 1.cap.3. §. 4. ſpiritus vires (87.a.b.) 1.c.8.§.2. medicatus. (91.b.)
Papillarum vitia (529.b.) fiſſuræ (530. a.) cauſa ibid. cura ibid. ulcera. ibid.
Paracentheſis (260.a.) pectoris. (303.b)
Paralyſis quid (387.a.) cauſa (387.) (388. a.b.) ſigna (389. a.) cura (389. a. b.) (41. theſ. 5.) paralyſis ſcorbutica (448. b.) remedia ibid. in paralyticis affectibus (79. theſ. 20.) paraphrenitis quid (284. a.) (421. a.) unde (31. theſ.6.)
Paraphroſyne vide delirium.
Paraphymoſis. (464.b.) cauſa ibid. cura ibid.
Paraplegia quid (380.a.) (385.b.) cauſa ibid. (386.a.) ſigna ibid. cura. (386.b &c.)
Parenchyma quid. (21.theſ.12)
Pareſis quid. (387.b) (390.a.) (143.b.)
Paronychia vid. panaritium.
Parotis quid (554. b.) (547. b.) maligna (555. a.) cura ibid.
Partium motus. 44.c.22.cauſa. ibid.§.1
Partium ſtructura qualis (6. theſ. 12.) magnitudo determinata unde VIII. cap.1. art.1.§.2. magnitudo varia unde ibid.§.3. nutrimentum quod (20.theſ.9.) ſolidarum nutrimentum (5.theſ.1.) ſpermaticarum VIII. cap.1. art.2. §. 3. 5. (20. theſ.10.) ſanguinearum (20. theſ.11.12.) VIII. cap.1. art.2. §. 3.5. ſanguineæ quæ (44. theſ. 4.) (546. a.) nuſpiam pinguedo adhæret VIII. cap. 1. art.2. §.6. ſpermaticæ unde (44. theſ.4.) (546. a.) tonus quid (6. theſ.11.) mobiles habent fibras nerveas (40. theſ.1.) an ſimul formentur (44. theſ 4.) ſolidæ quomodo vivant (47. theſ. 2.) ſunt inſtrumenta (ibidem theſ. 3.) organicæ conſtitutio (49. theſ. 11.) textura & figura unde ibid. an morborum ſubjectum ibid. omnibus fermentum tribuit Helmont. v.§.18. corporis calor & qualitates unde 11. cap.1. §. 9. cur calore aucto tumeant 11. cap. 8. §.3. motus cur pereat manente ſenſu, &c. (387. b.) ſanguinearum affectus (546.a.) externarum cura (ibid b.) auxilia ibid. partes ſolidæ ſunt ſubjecta paſſiva. 13.§.1
Particulæ materiæ quotuplices 3. §. 8.9. particularum ex quibus corpora emergunt infinitæ eſt differentiæ 5. §. 21. atomi Democriti ibid. ramenta Cattheſii ibid. ad quinque genera referri poſſunt 5. §. 22. an ſint ultima principia ſeu elementa 5.§.23. non tam primogeneæ ſunt quam ſecundo geneæ 5.§.24. quænam principatum obtinent 5.§.27. particulę odoriferę quę. 41.§.16
Partus ejuſque hiſtoria (45. theſ.2.) (507.a.) 50.cap.26. tempus (46.theſ.3.) 51.§.3.) (508.a.) cauſa 51.§.4. (46. theſ.4.) (507. a.) ſeptimeſtris notas imperfectionis habet (46.theſ.2.) (508.b.) ſeptimeſtris & octimeſtris vitalis unde (508. a.) octimeſtris an vitalis (46. theſ.3.) (508.a.) 51.§.3. facilitantia quæ (512. b.) (513. a. b.) difficilis quis (511. b.) cauſa ibid. (512. a.) ſigna (ibid.a b.) cura (512.b.) (513.a. b. &c.) (70. theſ. 4.) præternatur. periculoſiſſimus quis (511. b.) quomodo juvandus ibid. motu fœtus & labore matris adjuvatur 50.§. 2. aliquando ultra decimum menſem protrahitur. 51.§.3
Paſſeris vires (68. theſ.9.) troglodites ſeu regulus (321.b.) 322.a.)
Paſſulæ majores. (210.b.)
Pavonis ſtercus. (367.a.)
Pavores nocturni quid x. cap.2. §. 30. infantum unde ibid. (543. b.) cura ibid. &c. remedia x. cap. 3. §. 15. (171.b.)
Pectoris vulnerum cura (576.a.b.) vid.thorax.
Pediculi unde fiant. 11.c.1.punct.2.§.2
Pedum conſenſus cum alvo (52.theſ.24.) dolor periodicus (38.theſ.15.) tumoris gravidarum remedia. (506.b.)
Penis inflammatio (464. b.) dolor ibid. erectio nimia vid. ſalacitas & ſatyriaſis (462. b.) depravata (464.a.) cauſa (ibid.b.) læſa (460 b.) quot modis & quo modo fiat ibid. (461.a.)
Perioſis Platonica. 11.c.7.§.6
Peripneumonia quid (283. b.) (284. a.) cauſa (ibid. a. b.) ſigna (285.b.) differentia à pleuritide. ibid.
Periſyſtole quid. (19.theſ 2.)
Peritonæi membrana in hydrope craſſeſcit. (260.a.)
Perſica mala. (119.a)
Perſpiratio quantum jacturæ corpori ferat 14.§.6. impedita morbos quos pariat 14. § 7. non eſt ſolius caloris opus ibid.§.8. Helmontii opinio placet ibid. §.9. fit fermentationis ope. ibid. § 10. aëre adjuvatur ibid. §.11. & calore interno ibid.§.12. varia eſt. ibid.§.13
Perſpicillorum varietas unde. 39.§.8
Peſtis quid (222. b. &c.) (236. b.) conjungitur cum omnibus morbis ibid. cauſa (223. a. b.) (236. b.) miaſma quale (52.theſ.22.) (223.b.) ſymptomata ibid. ſigna ibid. (224. a.b.) cura ibid. (225.) (226. a. b &c.) amuletum (226.a.b.) præſervatio (224.b.&c.) Hoffmanni (233.b.) (234.a.b.) Lipſi. (237.b.&c.)
Petechiæ quid (212.b.) non omnis malignæ ibid. (215 a.) (216.b.) retroceſſio (215.a.) miaſma quale (52.theſ.22.) in facie unde (5.theſ. 6.) ſigna (82. theſ.3.) (107.a.) (214. b.) (215.a.) differentia à pulicum morſibus (214. a.) cura (216.a.) ſymptomatum cura (219. b.) (220. a.) proventum promovere. (218.b.)
Pharinx. (9.theſ.9)

Philoſophia Carteſii unde (2.theſ.4.) (39.theſ.3) I.c.I.§.4. corpuſcularis I.c.I.§.4. formas ſubſtantiales negat (39. theſ.3.) naturæ phænomena quomodo explicet ibid. cauſa & finis II. præfat quærit veritatem non odium II. cap. 10.§ 2

Philtrum quid (435.b.) determinata an dentur ibid. (436. a.) eorum ratio (3. theſ.14.) (70. theſ.20.) (420. b.) (436.a.b.) quomodo fiant (69. theſ. 16.) (70. theſ.20.) 435.a.b. ſigna (436.b.) cura ibid. remed. (437. a.b.) maniæ ſunt authores (430.b.) in mumiâ conſiſtunt. 106.§.11.

Phlegmagoga. (75.theſ.17)

Phlegmatici cur craſſi 27.§.3 (21. theſ.12.) quinam ſint. V.§.42

Phrenis quid. (296.b.)

Phrenitis quid (421.a.) (296.b.) (297.a.) cauſa (ibid. b.) (48.th 9.) (421.b.) ſigna (297.b.) (422.a.b.) cura (422. a.) (423.a.b.)

Phlogoſes hypochondriacæ unde. (439.a.)

Phtiriaſis cauſa (545.b.) cura ibid. remedia.

Phthiſis eſt generale nomen (242.b.) quid ibid. (614.b.) cauſa (243 a.) ſigna (243.b.) à catarrho (243.a.) cura (38.theſ.15.) (247.a.) (244.a.b.&c.) cura Knæphellii (245.b.) magnetica (246.b.) diæta (249.a.b.) ſymptomatum cura (249.b.) eſt contagioſa quandoque (243.a.) remedia (245.b.) (246.a.b.&c.) (73. theſ.3.) ſudorem cohibere XIII.c.3.§.8. opiata an conferant (246.a.) quæ noceant. (245.a.)

Phygethon quid. (554.b.) (555.a.)

Phyma quid. ibid.

Phymoſis (464.b.) cura ibid.

Phyſica peripatetica vacillat. I.c.I.§.5

Pica quid (88.a.) vid. malacia.

Pilulæ quid XI.cap.2.claſſ.I.§.I. corroborantes & alterantes XI.c.2. claſſ.2.§.3. catholicæ Poterii (110.b.) ad dolorem ſtomachi ſenum ejuſdem (111.b.) Sylvii (151.a.) de ſtyrace Sylvii (177.b.) hieræ cum agarico (87.a.) Stockeri VII.c.5.§.12. (143.b.) Deodati (144.a.) Glaſſianæ V.§.46. antiphtyſicæ Riverii (248.a.) pro pituitâ vitreâ Deodati VII.cap.5.§.8. contra corpulentiam nimiam.

Plateri VIII.cap.2.art.4.§.I. cachecticæ Helidæi (153.a.) Rondeletii (153.a.b.) Aſthmaticæ Freitagii (165.a.) balſamicæ Knæphellii (245.b.) antipleuriticæ Bartholeti (288.b.) contra ſtranguriam, &c. Quercetani (332.b.) contra ardorem urinæ Ellembergeri (334.a.) ad catarrhos Montagnanæ (340.a.) de ſtrammonio Bartholeti (358. b.) ad memoriam Montagnanæ (419 b.) antiſcorbuticæ Tymæi (442.b.) hyſtericæ Horſtii (473.b.) quandoque externo uſui præſcribuntur. XI. cap. 2. claſſ. 2. §.4.

Pinguedo quid VIII. cap.I. art.I.§.9. quomodo fiat VIII. cap.I.art.2 §.5.9. quomodo conſumatur 6.theſ.9. colliquata quomodo evacuetur VIII. cap.2. art. 2. §.6. ubi non reperiatur III. cap.I. §. 28. VIII. cap.I. art. I. §. 9. quibuſdam animalibus eſt loco alimenti VIII. c.I. art.I. §.9. habet ſua vaſa adipoſa ibid. §.10. unde generetur ibid. an exſcindi poſſit VIII.cap.2.art.2. §.4. non habet ſpecialem conformationem VIII. c.I. art.I.§.10. artificialis. VII. ibid.

Pinguefacientia. (240.a.

Pinguium noxæ quæ (85.b.) vires. III.c.I §.47

Piperis vires. VIII.c.2.art.3.§ 3

Piſces ſine calore digerunt (10.theſ.2.) quomodo coëant. (42. theſ.6)

Pituita naturalis inteſtinorum (59.theſ.23.) ſuperfluæ cauſa (ibid.theſ.25.) acida quid 60.theſ.30. (109. b.) I. c.2. §.9. vitia quæ (113.a.) corrigentia illa ibid. vitrea unde VII.c.3. §.2. copioſa calculoſorum unde. (317.b.)

Placenta uterina quando naſcitur (44. theſ. 2.) unde ibid. chorio adhæret ibid. 50.§.2. eſt medium adhæſionis fœtus ibid. differentia ibid. referta eſt ſucco albugineo limpido (45.theſ.6.) officium (ibid.theſ.7.) 50.§.7

Plantæ capillarium ſemen ubi III.exord.§.4.narcoticarum virtus in ſcirrhis (154.a.) infuſioni aptæ quæ ibid. vis an fermentatione pereat. (151.a.)

Plethora quid (56.theſ.I.) quotuplex (ibid. theſ.3.) 54. §.5. ad vires an detur (ibid.theſ 4.) apparenter talis ſeu ex conſuetudine (56.theſ.2.4.) (270.a.) 54.§.9. ad vires eſt impoſſibilis 54.§.6. ad vaſa eſt vera vel apparens ibid. 54.§.7. 8. ad vires apparens ibid. § 9. plethoræ diminutio ſeu cura 8.5.cap 4. imitanda eſt natura: 86.§.2

Pleuritis quid (284.a.) (613.a.) cauſa (284 a.b.) ſigna (285. b.) (286.a.b.) cura (286.b.) (287. a b.) (288.a.b.) ſpuria quotuplex (285.a.) ſigna ibid. cura (286.) maligna. (285.a.)

Pleuropneumonia (283.b.) vid.pleuritis.

Plumbi vires I. cap.3. §.11. augetur pondere ſubdio. I.cap. 3.§.9

Podagræ cauſa (28. theſ. 4.) (29. ibidem) cura ibid. (69. theſ.14.) ſi à ſcorbuto (28. theſ. 4.) præcavere 73. theſ.3.

Pollutio nocturna. (455.b.) cura (456.a.b.)

Poma ſomnifera. (359.a.)

Potus quid (240.a.) in ſiti non negandus (54. theſ.4.) fæculenti noxa (85.b.) abſtinentiæ raræ (94.a.) deficientis noxa (114.a.) facit ad corpulentiam augendam aut minuendam. 240.a.)

Potio quid XI. cap. 2. claſſ. 3 §. I. ingredientia (ibid. &c.) uſus XI.cap.2. claſſ.3. §. I. ad aſthma Bruneri (23. theſ. 8.) (165.b.) alia (167.a.) in tuſſi experta, (23. theſ. 8.) in pituitâ viſcida experta VII. cap. 5. §. 8. contra colicam Plateri (144.a.) febrifuga Crollii (197.b.) Sylvii (198.a.) laxativa in peſte Barbette (224. b.) (225.a.) contra peſtem Unzeri (227.b.) Barbette (228.b.) (229. a.) ſomnifera in peſte Barbette (231. b.) contra ſomnolentiam Barbette ibid. in exulceratione veſicæ Thoneri (296. b.) pro mercurio è corpore pellendo Hæchſtetteri (379. b.) in partu difficili Sylvii & Barbette. (513.b.)

Potentiæ Hippocraticæ (57.theſ.12.13.) III.c.I.§.6. quomodo ſe exerant ibid. excedentes nos lædunt I. cap.3. §. 10. quomodo domentur (66.theſ.13.) I.c.3. §.10. ſunt morborum auctores. I.c.23.§.12

Præcipitatio quid XII.c 2.§.I. quotuplex ibid. genuinæ requiſita XII.c.2.§.10. ratio quæ XII.c.2.§.2. locum habet in corpore ſano ibid.§.3. eſt coctionis & cryſeos fundamentum. ibid.§.4

Præcipitantia quæ (75.th 10.) XII.c.I.§.11.12.13.14.15.20.ſunt varia (72.theſ.I.) quotuplicia XII. c. 3. §. 19. unde dicantur (72. theſ.I.) (189.a.) quo nomine veteribus cognita XII.cap.I.§.16. quomodo operentur (72.theſ.I.) XII. cap.I. §.9. XII. cap.2. § 8. 10.11.15.25. 26. uſus ubi conveniat XII.cap.2. §.7. 8. 9. 23. (14. theſ.9.) (16. theſ.4.) (48. theſ.6.) (51.theſ.19.) (59.theſ.28.) (61.theſ.32.) (90.b.) (91.a.) (100.a.b.) (108.b.) tempus utendi XII.§. 20. 21. 25. nomina XII. cap.2. §.16. 17. 18. 19. externe quot modis adhibentur XII.cap.3. §.2. interne ibid §.3. illegitimi uſus noxæ §. 4. 6. 7. 8. legitimi uſus requiſita XII. cap. 3. §. 10. §. 26. 27. præparatio legitima quæ ibid. §.10.11. 12.13. doſis ibid.§ 15 ſelectus XII. cap.3. §.16. 17.18. quibus jungenda ibid.§ 29.34.

Præcordia quid XIII. cap.3. §.13. inflatio infantum unde X. cap. 2. §. 22. ſymptomata mitigare XIII. cap. 3. §. 8. habent conſenſum in habitu corporis XIII. cap. 3. §.13.

Prædictio ex pulſu miranda (63. theſ.2.) ex ſanguine emiſſo ſunt vanæ (19. theſ. 16.) (71. theſ. 9.) Veræ quæ. ibid.

Præparatio quænam. (75.theſ.11.12.) uſus ibid.

Præparatio remediorum neceſſitas & ſcopus. XI.c.I.§.I

Praxeos medicæ lex univerſalis. (105.b.)

Priapiſmus quid (462.b.) cauſa ibid. (463.b.) ſigna ibid. cura. (464.a.b.)

Primordia medicinæ. I.§.I

Principium vitale quid (I. theſ.2.) quomodo agat (4.theſ. 22.) vitale & mortis eſt unum III.cap.3.§.3. fermentativum in corde quale & quod (17.theſ.6.7.) principiorum naturalium cauſæ 3.§.I. quot ſunt principia minima ſive elementa 4.§.13. an formaliter præ exiſtant ibid.§. 14. reſpectu principiorum triplex corporum ſtatus. Chymicorum principia. 4.§.20

Producta morborum quomodo à morbo differunt (50. theſ. 15.) 65.§.24

Prognoſis ad therapeuticam pertinet 76.§.37. nemo prognoſtico relinquendus ibid. §.38. fundamentum prognoſeos ibid. §.39. proceſſus ſeu ratio. ibid.

Prolapſus uteri quid (491. b.) (492. a.) cauſa ibid. ſigna (ibid.a.) cura ibid. (493.a.b.)

Proſtatarum liquoris uſus (42.theſ.3.) eſt etiam in caſtratis.

Prunella morbus. (207.a.) cura ibid.

Pruritus unde. (5.theſ.6)

Pſorophtalmia. (298.b.)

Ptarmicæ quæ. 104.§.9

Priſanna veterum quid XI.cap.2. claſſ.4 §.15. noxæ XI.cap. 2.&c.

Pudendorum poſt partum tumor unde (522.a.) remedia ibid. puſtulæ ſcabrities; corroſio unde (479. b.) cura (480.a.)

Puella capite ſuillo conſolentanea (6.theſ.10.) felinos mores æmulans III.c.I.§.40. araneas devorans. IX.c.I.punct. 4.§.2

Puer panem abhorrens (8. theſ.5.) inter beſtias (IV. §.10.) ad decimum annum vinum dare vetat Plato. V. procmio.

Puerperarum regimen & diæta (517.a.b.) (518.a.b.) poſt abortum quomodo tractanda (510.b.) (511.a.) noſtrates cum raro lactare poſſunt proprios fætus. (525.b.)

Pullos

Pullos necare. (62.theſ.4)

Pulmonum ſubſtantia 27.§.3. (21. theſ.3.) 11.c.6.§.1.c.9. §.4. membrana an poroſa 11.c.8.§ 10. an aërem tranſmittat an dilatantur quia implentur. 28.§.4. ibid. dilatatio unde 27.§ 1.2. (21.theſ. 2. 3.) 11. c.5. §. 10. c.6.§. 4. 2. 6. 7. c.7. §. 7. 10. (157. a.) color 11.c.6.§.1.2. color in fœtu, c.9.§.4. ſunt coarctati in fœtu 11. c.9. §.3. 4. c.7. § 11. fœtus mortui fundum aquæ petunt (46. theſ.5.) 11.c.9.§.4. rete mirabile 11.c.6.§.2. an reſpirationi inſerviat ibid. motus unde ibid. 27. § 2. §.45. pectore vulnerato cur concidant 11. c. 6. §.7. nunquam aëre penitus evacuantur 11.c.6.§.8. c.9. §.7. aër quomodo ingrediatur 11.cap.7 §.4. (157.a.) cum pleura cohæſio an dyſpnææ cauſa 11. c.7. §. 12. mumus veſica membranoſa præſtitit 11.c.6. §.4. conſenſus cum teſtibus (52. theſ. 24.) uſus (21.cap.10.) 11.cap.10. §.1. 27. c.XII. aër dilatationem efficit 28.§.4. in quo tria conſideranda. ibid.

Pulſus arteriarum quomodo fiat 25.§.1. (20. theſ.4.) differentiæ 26.§.6. (ibid.theſ.6.) (63. theſ.1.) (179.b.) indicium 63.theſ.1.) quandoque fallax (63. theſ.2.) quibus conſtet (179.b.) amatorius (63.theſ.2.) (435.b.) intermittens & deficiens unde (64.theſ.3.) abolitus ad multos annos ibid. non ſenſibilis cauſæ myurus quis (179. b.) formicans ſeu vermicularis ibid. ſerrinus (285.b.) vitia quæ (179.b.) arteriarum particularis (186.a.) unde ibid. cura ibid. parvus non ſemper terribilis (64.theſ.3. qualibet inſpiratione & inſpiratione variat 11.c.10.§ 9. variæ anomaliæ (64. theſ.3.) tangendi locus (179. b.) pulſus vitia x.c.2.§.16.17. correctio eorum x.c.3.§.4. pulſus judicium ſæpe falſum 75.§.33. duo ſaltem oſtendit ibid. §.34. quatuor requiſita attendenda ſunt ibid. differientiæ ſimplices invicem collatæ compoſitas efficiunt 76.§.35. inter inæquales quis terribilis. ibid §.36

Pulſio à tractione quomodo differat. (11.c.7.§.5)

Punctum ſaliens (44.theſ.3.) primo generatur. ibid.theſ.4

Purpura vid. febris.

Purgatio quid (74.theſ.5.) uſus legitimus quis (ibid.theſ.6.) natura ſæpe inſtituit (72.theſ.2.) magnetica 74.theſ.13. fortis nocet XI.c.2.claſſ.2. §.2. XII. c.3. §.22. quotuplex purgatio 93.§.15. ſcopi in excretionibus ſymptomaticis ibid. purgatio in ſpecie 94. §.18. locus purgationis 97. §. 27. non ad inteſtina ſola terminatur purgatio 97. §.28

Purgationis regimen 97. §. 31. non dantur vera purgantia 94.§.19. virulentiam abſcondunt ibid. purgantium diviſio veterum (74.theſ.14.) quomodo operentur (74. theſ.13. 14.) (79 theſ.19.) VIII. c.2. art.4. §.1. vis fermentativa in quo conſiſtat (74. theſ.14.) externe applicata quomodo agant ibid. ſub veneno egregias vires habent (75. 78. theſ. 17.) excrementis colorem imprimunt (60.theſ. 30.) majori doſi fiunt vomitoria 95. §.21. (74. theſ.14.) excitant choleram (119.a.) an electivè purgent 96.§.25. (75.theſ.17.) an ſedium numero æſtimanda (87.a.) quomodo excrementa ſecernant (79. theſ.19.) operante quandoque per alia loca (ibid. theſ.20.) ſunt quandoque venerea (79. theſ. 20.) habent venenum (78. theſ.17.) indiſcriminatim ſuccos reſolvunt & colliquant 94.§.19. noxæ 95. ibid. modus operandi varius 95.§.20. duplici ratione potiſſimum operantur 95. §. 21. vegetabilium & mineralium actio qualis 95.§.22. vegetabilium vis in quo ibid. diviſio in cholagoga, phlegmagoga, melanagoga & hydragoga inutilis 96.§.25. ſanos & ægros pariter vexant 96. §.26. correctiones vanæ (78. theſ. 18.) correctio (78. theſ.17 18.) (350. a.b.) quæ præmittenda (75. theſ. 11.) uſus legitimus in chronicis (74.theſ.8.) quando optime ſumuntur (78. theſ. 17.) ubi opiatis miſcenda (110.b.) gravidis nonniſi leniſſima danda 78. theſ. 17. infantes quomodo purgandi ibid. nutricibus propinata infantes purgant x.c.2.§ 13. varius applicandi modus (74 theſ.13. 14.) reſinoſa quomodo extrahenda (74 theſ.14.) mucilaginoſa quomodo ibid. fortiora ſunt noxia (78. theſ.17. theſ.18.) XII. c. 3. §.22. ubi conveniant (10. theſ.10.) (13.theſ.8.) in remedio purgante præter vim laxativam conſiderandæ proprietates 96.§.26. in ſubjecto purgando quid conſiderandum ibid. circa regimen purgationis quid obſervandum 99. § 36. quæ conveniunt ibid. §.37. quæ purgantia præferenda 97.§.26. humoribus primario morbis ſecundario medentur. 97.§.30

Pus quid (551.b.) quomodo fiat (268. b.) (579. a.) eſt verminoſum. x.c.2.§.27

Putredo quid. (7.theſ.21)

Putrefactio eſt motus inteſtinus. 6.§.14

Pulveris purgantis doſis pro unâ vice XI. cap.2. claſſ.1.§.1. Hepaticus ruber. (93.a.) dentifricius principiſſæ Altemburg. (98. a.) ſtomachicus Michaëlis (103. a.) contra Gonorrhæam Helidæi (457. a.) contra incontinentiam urinæ mortagnanæ (330. a.) Joëlis (330.a.) contra ſcorbutum oris Bartholini (446. a.) pectoralis (Michaëlis 248.b.) contra obeſitatem arcanus VIII. c.2. art.4. §.2. ferdinandi ibid. §. 6. infantilis generalis auctoris x.cap.3. §.7. contra lactumina author. ibid. §. 12. polychreſtus ſecretus XII. cap. 3. §. 30. contra dyſenteriam Eurerii (127.b.) ad colicam (142 a.) febrilis perlatus Tymæi (200.a.) roſeus febrifugus Salzmanni ibid. contra variolas Tymæi (217 b.) ex tribus ſalibus Roſencreuzeri (218.b.) beſoardicus authoris ibid. Antiphtiſicus Erbenii (248.a.) Conerdingii (248. b.) ad Virginum colores pallidos (254.a.) contra icterum Tymæi (266. b.) pro lectimingiis Hechſtetteri (331.a.) Sternutatorius Tymæi (362.b.) ad præſervationem vertiginis Lindani (367. b.) ad pannos & tunicas Poterii (411.a.) rabiem Heurnii (434. b.) ad fluorem album Tymæi (478. a.) hyſtericus Tymæi (490.a.) ad partum difficilem Lindani (514. a.) Sylvii ibid. Helidæi ibid. Amati Luſitani (ibid. b.) ſecundinam retentam Tulpii (518. a.) ad lochia ſuppreſſa auctoris (519. a. b.) contra ſtrumas Arnoldi Villa (558.b.) ad ulcera ſerpentia Plateri (583.b.) ex oſtiocolla Hildani (593.a.) martialis antimoniatus. VI.§.20

Pylorus retentionis ſtomachi præſes. (105.a.)

Pyrotechinia à quibus excitata 2.§.16. quando. ibid.

Q

Qualitates primæ ſunt recollaceæ Paracelſi & Helmontii 53. theſ.11. 1.cap.2. §. 6. quatuor elementis ſuperſtructæ nullæ ſunt ibid. XIII. proæmio doctrina eorum ante Hippocratis tempora 1.cap.1. §.4. ab Hippocrate refutatur ibid. 1. 2. tertiæ quid 1. cap. 1. §.5. XIII. proæmio (18. theſ.11.) non ſufficiunt medico ibid. occultæ quid (4.theſ.22.) XIII. proæmio unde (49.theſ. 10.) differunt à virtutibus ſpecificis (58 theſ.15.) ſenſilis (32. theſ. 4.) tactilis (38. theſ. 16.) intentionalis (31.theſ.2.) corporum ſunt non entia (32. theſ.3.) abſque ſubjecto perſiſtere non poſſunt: 11. cap. 8. §. 6. qualitates primæ ſecundæ aut tertiæ unde 3. §. 7. harum formales cauſæ in ſpeciali motu & quiete exiſtunt: qualitates melius attributa dicerentur 9. §. 5. qualitates ſenſiles non ſunt entitates à corporibus ſeparatæ 37.§.5. modus officiendi conſiſtit in motu ſpeciali. 37.§.6

R

Rabidi canis ſigna (433.b) rabidorum in urinâ vel ſalivâ animalcula conſpiciuntur (433. a.) in animal à quo demorſi tranſmutatos ſe putāt 53.§.3.(4.th.22.) (433. b.) fiunt etiam à non rabidis demorſi (432.b.) quæ animalia fiant ibid. aquâ immerſi cur ſanentur. 53.§.3

Rabies canina 52. theſ. 22. cauſa (433. b.) ſigna ibid. cura (434.a.b.) (435.a) (4. theſ 22.) (49. theſ.10.) ſymptomata (433. b.) ſeminium multos annos abſconditum jacere poteſt ibid. felina (420.b.) ſuilla, lupina, ibid. remedia. (434 a.b.)

Radii ſolis in pulverem rubicundum concentrantur (53.theſ. 3.) lunæ in materiam lacteam. ibid.

Radix Cuſci. (363.b.)

Rana aquatica ex ſecto corde vivit (2.theſ.10.) totâ hyeme ſub glacie jacet. 11.c.10.§.5

Raptus humorum quid: 87.§.6. cauſa. ibid.

Ratio conſervandæ ſanitatis per præcepta hygienes 77.cap.1. infantum ibid § 3. ætatis conſiſtentis juvenum & virorum ibid.§.4. ſenum & langueſcentum. ibid.§.5

Ratione in naturalium judicio opus eſt. III.c.1.§.7

Ratiocinationis vitia quæ. (417.a.b.)

Raucedo quid (28. theſ. 4.) (173. b.) (336. a.) cauſa (173. b.) (343. a.) ſigna (173. b.) cura ibid. (174.a.b.) (343.a)

Receptorum nomine quid intelligitur. 64 §.17

Reflexio luminis quid. (52.theſ.1.)

Refractio luminis. ibid.

Refrigerantia quæ (49. theſ. 12.) interna vel externa. 92. §.10

Refrigeratio pedum ſeu perniones (556.b.) cauſa ibid. cura ibid. præſervatio. ibid.

Regulus avis vid. paſſer Troglodites.

Remedii natura quæ eſſe debeat. 79.§.3

Remedia quot modis inveniantur (65. theſ. 4.) unde deſumantur (66. theſ. 9.) ſpecifica unde 78. § 5. 1.cap.3. §. 11. morborum ſunt minima III.c 1.§.71. quotuplicia XI.c.1. §.1. legitimus uſus multum valet XII.c.3.§.1. præparatio vera quæ (66 theſ.11.) agendi ratio in quo conſiſtat (ibid.theſ. 12.) 79.§.4. virtutes unde minuantur (ibid. theſ.13.) morborum idealium qualia (67. theſ.6.) metallicorum vis in quo (68. theſ.11.) valleriolæ (128. b.) ad aſthma, &c. Heurnii (164. b.) ad hydropem Ellenbergeri (259. a.)

Paracelſi (260. b.) (261. a.) (350. b.) (351. a.) ad hydropem & icterum Michaelis (261. a. b.) ſputum ſanguinis Heurnii (311. b.) (312. a.) Helidæi Caſtelli Lindani ibid. iſchuriam Hartmanni. (315. a.) dyſuriam expertum (334. a. b.) apoplexiam Stockeri (384. a.) cephalalgiam Michaelis (400. a.) tinnitum aurium Rondeletii (409. b.) in odoratu abolito Petr. à Caſtro (415. b.) (416. a.) in mania Riverii (432. a.) Paracelſi ibid. in Rabie Stockeri: (434. b.) in ſuffocatione hyſtericâ Augenii (486. a.) XIII. c. 2. §. 28. in omnibus vulneribus chirurg. Neapolitani (571. b.) non operantur per qualitates 79. §. 5. ſed pro diſpoſitione objecti 80. ibid. qualitates non abſolutè ſed reſpectivè intelligendæ ibid. earum diſtributio in certas manſiones inutilis 80. §. 6. externa ſunt vel interna ibid. §. 7. reſpectu remediorum corpus in tres regiones apte dividitur ibid. §. 8. conſiderantur per ſe & per accidens ratione operationum minimum eſt aliquando quod in remediis maximam exoriri potentiam: 81. §. 11. interna remedia eſt digeſtione judicantur 81. §. 12. 13. remedia quædam quaſumpta vim medicamentoſam acquirunt 82. §. 15. pro varia præparatione fiunt vomitoria aut purgantia aut ſudorifera, &c. 83. § 20. in multa promiſcue miſere periculum eſt: 84. § 23. ſunt univerſalia aut particularia ibid. §. 24. particularia pluris fiunt in praxi ſed reſpectu partis affectæ; multo minoris æſtimantur univerſale remedium nullum ibid. §. 26. univerſalis remedii operandi ratio 85. §. 27. 28. remedia idealia 85. §. 29.

Renum ſtructura 32. §. 2. (27. theſ. 4.) uſus (ibidem 14.) (313. a.) atonia quid (314. a.) urinam facile putrefacientes (317. a.) calculus unde vide calculus ſigna (317. b.) (318. a. b.) cura ibid. (319. a. b. &c.) remedia vide nephritica, & lithontriptica obſtructio: cauſa (314. a.) ſigna ibid. ulcus (294. b.) cauſa ibid. ſigna ibid. cura (295. a.) inflammatio 294. a. vide nephritis ſeri ſuperflui ſalibus impraegnati per renes excluſio 32. c. 5. ſunt urinæ organum ibid. §. 3. colatorium. §. 4

Repellentia quæ. (272. b.)

Repulſio. (71. theſ. 8.)

Res non naturales quæ 70. §. 5. (53. theſ. 3.) ſunt indifferentes ibid. (55. theſ. 13.) continuò alterant maſſam ſanguinis ibid. res naturales. 70. §. 4

Res præternaturales morbos multos pariunt. 64. §. 17

Reſina quid. XIII. c. 2. §. 10

Reſolventia quid. (549. b.)

Reſonantia. (34. theſ. 5.) 39. §. 10

Reſpiratio quid 11. c. 1. §. 2. 4. (40. theſ. 3. partes duæ 11. c. 1. §. 6. principia homini propria 11. c. 2 §. 2. principium omnibus commune 11. c. 2. § 5. cauſa 11. c. 2. §. 1. 2. 3. 4. aër quomodo concurrat 11. c. 2. §. 6. muſculi quæ inſerviant 11. c. 4. §. 5. 6. coſtæ quomodo 11. c. 3. §. 4 diaphragma quomodo 11. c. 5. § 1. 3. fieri poteſt abſque diaphragmate ibid. §. 7. materia 11 c. 7. §. 1. fœtus (46. theſ. 4.) quomodo fiat 11. c. 9. §. 3. vitia quæ & unde ibid. §. 5. (161. a.) Supprèſſâ quidam ſe ipſos jugularunt 11. c. 1. § 5. uſus (21. c. 10.) (ibid. theſ. 4. 8 9.) 11. c. 10. X. c. 2. §. 1. 11. c. 5. §. 7. c. 10. §. 3. 7. 11. Sublimis Hippocrat. quid (285. b.) reſpirationis neceſſitas unde 28. §. 5. 29. §. 10. reſpiratio inſpirationis cauſa inſtituta eſt 28. §. 6. de reſpirationis uſu veterum & modernorum ſententia: 28. § 7. 8. verus reſpirationis uſus quis 28. §. 9. reſpirationis fines ſecundarii. 29 §. 11

Retentionis alimentorum vitia quæ. (103 b.)

Retentrix facultas. (6. theſ. 11)

Reticulum quid. (10. theſ. 11)

Revulſio an detur (70. theſ. 5.) (271. b.) quomodo fiat & quotuplex ibid. theſ. 6. 7. (272. a. b.) corrigenda non reiicienda 86. §. 4. exemplum notabile Lindani ibid. revulſio particularis quid. 87 §. 7

Revulſoriæ & derivatoriæ venæ ſectiones inutiles 86. §. 5. veterum ſuper eâ re opinio quo ſenſu ſtare poſſit ibid. §. 6. commoda quæ. 87. ibid.

Rhabarbarum cum ſale tartari vim purgantem amittit 1. c. 3. §. 13. alvi excrementa flavedine tingit (60. theſ. 30.) non eſt venenum ut reliqua. (78. theſ. 17)

Rhaſis quis ejus ſcripta. 2. §. 12

Rheumatiſmus vid. dolor. partium.

Rhyas quid ῥύας. (301. a.)

Rigoris febrilis remedia. XII. c. 2. §. 26. (201. a. b.)

Rimæ abdominis gravidarum. (506. a.) cura ibid.

Riſum adjuvat aër 11. c. 10. §. 1. Sardonius unde. (487. b.)

Romani ſub mortis pœna temulentiam prohibuerunt. V. exord.

Roſarum odor quibuſdam eſt nocivus. (486. b.)

Ros nutritius Bilſiii quid. (36. theſ. 5.) VIII. cap. 1. art. 2. § 4

Rotulæ ſeu orbiculi quid XI. c. 2. claſſ. 1. §. 7. quomodo fiant ibid. bibitoriæ ibid. contra tuſſim Sylvii (177. b.) (178. a.) maſticatoriæ Plateri. (95. b.)

Rubedo oculorum unde. (33. theſ. 3.) cura ibid.

Ructus (103. b.) quadruplices (104. a.) ſigna ibid. cura (104. b. &c.)

Rugæ ſeniles unde. (5. theſ. 4)

Ruminatio quid in brutis. (10. theſ. 11.) 17. §. 10

Ruminantium ventriculi ſtructura quæ (105. b.) homo ruminans. ibid.

Ruptura vulvæ (522. b.) cauſa & cura. ibid.

S

SAchari abuſus in morbis quare fugiendus (166. b.) vitia (11. theſ. 7.) ſacharum ſaturni. (220. a.) (299. b.)

Sacculorum uſus XI. c. 2. claſſ. 4. §. 20. contra cardialgiam allontagnanæ (112. b.) contra dyſenteriam auctoris. (130. b.)

Salacitas nimia quid (462. b.) cauſa ibid. ſigna (463. a.) cura ibid. a. b.) mulierum. (480. b.) (481. a.)

Salis volatilis urinoſi plus minus oleoſi corrigentia. 91. §. 5

Salis particularis ſumma genera quæ (57. 58. theſ. 15.) 1. c 2. §. 4. an ab uno ſummo oriantur X. c. 2. §. 4. urinoſum vide Alkali varietas innumerabilis unde (57. theſ. 14.) 1. c. 2. §. 4. doctrina ſalium eſt fundamentum phyſices, chymiæ & praxeos (75. theſ. 10.) quomodo in ſe invicem agant (7. theſ. 17.) 1. c. 2. §. combinatio odorem facit (36. theſ. 12.) raro pura ſunt 1. c. 2. §. 4. effectus varius unde X. c. 2. §. 5. fixa quomodo fiant 1. c. 2. §. 6. volatiliſatio (156. b.) digeſtivum ſalſum (152. a.) abſterſivum Hoffmanni XII. c. 3. §. 8. lithontripticum Polemanni. (322. a.)

Salertinæ ſcholæ origo. 2. §. 13

Sale condita difficulter concoquuntur. (11. theſ. 5)

Salia ſalſa unde (7. theſ. 16.) 1. c. 2. §. 4. effectus (8. theſ. 7. 8. 9. 10.) (160. b.)

Sal noſtrum ammoniacum quid (152. b.) vires (88. a.) ubi noceat. XII. c. 3. §. 18

Sal commune in terram abit 1. c. 2. §. 6. ſalis gemmæ vires (115. a. b.) balſamus ſalis gemmæ (146. b.) ſalium ex animalibus vires XII. c. 2. §. 21. (14. theſ. 9.) (23. theſ. 8.) an infantibus conducant X. c. 3. §. 5. fixatio eſt deſtructio IX. c. 1. punct. 3. §. 1. viperarum fixatio IX. c. 2. punct. 3. §. 1. oleoſa. (152. b.)

Saliva unde (9. theſ. 7.) quibus conſtet (9. theſ. 5.) acorem unde habet (58. th. 20.) uſus (9. th. 4. 5. 8.) uſus medicus (9. th. 6.) defectus ſitis cauſa (8. th. 8.) (92. b.) cura (100. b. a.) in ſcorbuticis ſalſa eſt 1. c. 2. §. 3. ictericorum amara: hydropicorum ſalſa ibid. canum rabidorum catulorum ideas repræſentat III. c. 1. §. 42. fermentum quoddam in ſe habet III. c. 1. §. 59. effectus varii V. §. 18. 17. §. 5. ſalivæ neceſſitas 17. §. 4. origo ſalivæ 17. § 6. uſus in genere. 17. §. 7

Salivatio ſeu ptyaliſmus univerſalis 102. cap. 8. quomodo inventa fuit ibid. §. 1. ſalivatio quid (79. th. 20.) quomodo fiat ibid ubi conveniat, ibid. Gallis eſt uſitata ibid. quot modis inſtituatur ibid. accidentia ibid. poſt variolas (221. a.) multos morbos cum lue venereâ curat 102. §. 1. fit cum mercurio ibid. ſalivationis proceſſus 103. §. 2. modus quo fit intricatus ibid. §. 3. regimen, ibid §. 4. tempus ib. particularis quæ ibid. §. 5. ubi conveniat, ibid. §. 6.

Sambuci vires (78. theſ. 17.) effectus varius pro decerpendi modo. (258. b.)

Sanguis proprie quis (20. th. 7.) arterioſus qualis 11. c. 8 §. 2. color coccineus unde 11. c. 10. §. 1. eſt valde pertinax VIII, c. 2. art. 2 § 6. differentia ibid. quid (19. th. 16.) (20. theſ. 10.) venoſus cur nigricet 11. c. 8 § 9. quibus conſtet (19. th. 15.) craſis quænam ſit & unde (18. th 12. 13.) (47. th. 5.) (155. a.) cuilibet propria unde (57. th. 9.) (theſ. 16.) (155. a.) (57. th. 14.) varietas unde ib. ex colliquamento fiat quomodo 11. c. 10. § 16 24. ſecretio mechanica in partibus (5. th. 5.) tranſpirat abſque remanentiâ (6. th. 7.) reſtauratur chylo (19. th. 16.) eſt in continuo motu reſtaurationis & deperditionis (6. th. 7.) ejus cum chylo & lympha miſcelam juvat aër 11. c. 10. §. 1. cur aër miſceatur ibid. §. 4. ejus quantitas ibid. §. 19. motus circularis quomodo fiat (19. th. 3.) ejus diſtributio & uſus ibid. circulatio per pulmones (21. th. 1.) hujus finis (156. b.) (157. a.) à liene per hepar ad cor redit (24. theſ. 2.) circulatio in cerebro (30 th. 1.) an copioſius ad unam quam alteram partem (70. theſ. 5.) motus impeditus quid inferat (28. th. 4.) motus in cerebro impeditus unde (380. b.) ſtagnantis remedia (70. th. 5.) (71. th. 6. 7.) in viperis eſt actu frigidus (2. th. 10.) calorem & qualitates partibus impertit 11. c. 1. §. 9. fermentatio unde (47. th. 6.) (155. a.) eſt proximum ſubjectum animæ & primum vivens (50. th. 13.) vis ejus unde (47. th. 5.) facit ad motum partium (41. theſ. 6.) eſt nutrimentum corporis univerſale 11. c. 1. art. 2. §. 2. pro varietate partium variè nutrit (20. theſ. 11.) cum lacte nutrit corpus ibid. theſ. 12.) animalium hauſtus homines transformat (4. theſ. 22.) pro mumiâ præparatio (69. theſ. 17.) inſolitæ evacuationis exempla (70. theſ. 5.) ex venæ ſectione emiſſi præſagia (64. th. 1.) (71. th. 9.) venæ ſectione emiſſo

ſupernatans

ſupernatans mucus quid & unde (150.b.) venæ ſectione extractus lacteſcens unde exempla (18.th 14.) (59.th.24.) cacochymicus unde & quot modis fiat (57. theſ.8.) (155. a.) motus ſanguinis ad glandulas 33.c.16. ad corporis circumferentiam 33.c.17. ad cerebrum c.18. ad teſtes 46.c.23. morbi in quo conſiſtant (47. theſ.6.) vitia quæ & unde (155 a.) quomodo corrigenda (72.theſ.1.) turgeſcentia quomodo compeſcenda (56.theſ.3.) congrumati in pectore ſigna (303.a.) in capite ibid. à caſu extravaſati cura (303.b.) remedia ibid. vid. caſus ab alto ſanguinis ſpirituaſcentiæ ratio cauſæ fiendi modi 12.§.21. ſanguis eſt principium movens 13 §.1. ſanguinis venoſi color ubi exaltatur 24 §.13. in ſanguine vitæ ſcena peragitur in formatione corporis incepta 24.§.14. in ſanguinis fermentatione rectâ quid requiritur 24 § 16. craſis quæ §.17. unde dependet 25.§.18. in totum corpus diſtributio. 25.c.XI

Sanguinis venoſi & arterioſi differentiæ 26.§.7. in ſanguine duplex nutrimentum 26. §. 11. 12. de ſanguine miſſo judicium. 88.§.9

Sanguinificatio (19.th. ib.) organum quod (15.theſ.2.3.4.5.) quomodo fiat (17.theſ.3.) (18. theſ.9.) (154.b.) (155.a.) principium quod (17.theſ.4.6.) impedimenta & adminicula (18.theſ.13.) fit in uno citius quam in altero (59.th.24.) quomodo lædatur (155. a. b.) ſanguificationis, ratio cauſæ & fiendi modi 12 §. 21. 23.§.2. eſt actio ſimilaris ib. ſanguificationis tota æconomia 23.§.10. aëre adjuvatur: ibid. 24.§ 11

Sanguinea maſſa eſt in perpetuo reſtaurationis & perditionis motu. 14.§.7

Sanguinei qui v.§ 42. cur craſſi. (21.theſ.12.) 27.§.3

Sanitas quid 10. §.6. 52. §.1. (47. theſ.1.) 1.c.3. §.1. in quo conſiſtat ibid.theſ.5.) unde (ibid.theſ.2.) conſervatio in quo conſiſtat VIII. præfat. ſanitatis omne momentum. 56. §.20

Saphyri vires. (230.b.)

Sapor quid 42.§.20 (37.theſ.13.) unde ibid. 1.c.2 §.4. differentia eſt innumerabilis ibid. acidus in quo conſiſtat ibid. dulcis in quo ibid. præter communes ſunt ſpecifici 1.c.3. §.12. ſunt morborum auctores 1. c.1. §.7. nomine cur Hippocrates cauſas morborum explicet 1.c.2. §.4.7. cinereus quid præſagiat (242.a.b.) ſapor piſcium ibid ſapores in quo conſiſtant 42.§.21. varietas unde. ibid.

Sarcoma unde. (3 theſ.13.) cura (561.b.)

Sarcocele quid (451.b.) cauſa ib. ſigna (452.a.) cura (454.b.)

Satyriaſis quid (462.b.) cauſa ibid. ſigna (463.a.) cura (ibid. b.) mulierum quid. (480.b.) (481.a.)

Scabies unde (5.th.6.) (102. a.) tempore peſtis eſt ſalutaris. 214.a.)

Scabricies pudendi unde. (479.b.) cura (480 a.)

Scapularum motus in reſpiratione. 11.c.3.§.4

Scholarum doctrina de animâ ſterilis (2.theſ.3.) ſimplicium facultatum examen per ſaporem erroneum. 1.c.3.§.13

Sclerophtalmia. (298.b.)

Scientia ſpirit. connata, quid. III.c.1.§.33

Scientiarum ſubordinatio circa corpus. 10.§.14

Scirrhus quid (558.b.) cauſa (50.theſ.17.) (59. th.25.) 1.c.2. §.9. (149.a.) (547.b.) (558.b.) cura (559.a.) prognoſis ibid. viſcerum prognoſis. (255.a.)

Scorbutus (437.a.b.) (438.a.) locus affectus (438.a.) VII.c.2. §.6. typus & ſymptomata (438.b.) (439.a.b.) cauſa (440. a.b.) (18.th.12.) (22.th.7.) (48.theſ.6.8.) (102.b.) 1.c 2. §.9. ſigna (440. b.) (441.a.) (63. theſ.6.) cura (441. a.b.) (442.&c) cura ſymptomatum (445.a.b.&c.) remedia (75. th.12.) communicatur per ſalivam (9.th.6.) arenulæ friabiles propriæ ſunt (63.th.6.) (441.a.) hoſtis eſt mercurius (79.th.20.) (442.a.) ubi endemius (440.b.) an à liene VII.c 2.§.6. oris & gingivarum exulceratio. (337.a.)

Scorbutici cur durioris alvi (14.theſ.7.) ſanguinis color (72.theſ.9.) atrophiâ laborant cur (90. b.) caries dentium cur familiaris (96.b.) calor fœtidus dentium familiaris, ibid. vomitus unde (105. b.) remedia (107. a.) catarrhis ſunt obnoxii. (337.a.)

Scorpii vires IX. c.1. punct. 3. §. 3. quando lædit IX.cap.1. punct. 4. §.2. ubi lædit III. cap.1. §. 44. mortuus non venenatus IX. cap.1. punct.3. §. 3. aculeus non ſufficit pro læſione inferendâ III.c.1.§.46. cauſa ex improviſo amputata non eſt venenoſa (67. theſ.6.) IX. c.1. punct.3. §.3. punct.5.§.6. ex aëre vivit 1.c.3.§.7. puncturam ſuam curat. 68.theſ.8

Scotomia vid. vertigo. (364.a.)

Screatum adjuvat aër. 11.c.10.§.1

Scrophulæ quid (558.a.) (50. theſ.17.) (558. a.) 1.c.2. § 9. remedia. (558.a.)

Secretio humorum quomodo fiat 6. theſ. 12. ſecretrix facultas eſt ſomnium. ibid.

Secundina quid (44. theſ.2. 45. ibid.) (46. theſ.6.) bruta à partu ſtatim abſorbent (518. a.) ejus putredinem arcere (518.b.) retentæ cauſa (517.b) ſigna ibid. cura (518.a.b.) extractionis cautelæ (46.theſ.6.) (517 b.) gemellorum quomodo extrahendæ. ibid.

Sedimentum in urinâ quomodo bonum. (63.theſ.3)

Semen in ſe habet ideas corporis fabricativas (14. theſ.19.) materia quæ 46.§.1.4. (16.theſ.9.) (42. theſ.4.) 22.§.9. (450.a.b.) maſculinum ubi fiat 46.§.2. (42.theſ.2.) quomodo fiat ibid. theſ. 4. quotuplex (ibid. theſ. 3.) ubi aſſervetur (ibid. theſ. 2.) totum an fæcundum III. exord. §. 12. an materialiter miſceatur in conceptione (494.b.) mulierum quale 47.§. 6. 7. (42. theſ.7.) viæ ad uterum ibid. quod in coitu excernunt unde & quale 47. §. 10. (476.a.) poſt coitum retentio an conceptionis ſignum (494. a. b.) ſeminis generatio: 46.cap.23. quot modis lædatur (455.b.) ſeminis excretio depravata (459. b.) cauſa ibid. cura ibid. nimis cita ejaculatio (459.a.) cauſa ibid. cura ibid. nimis tarda ejaculatio (ibid. b.) cauſa ibid. excretio deficiens ibid. 460. a. cauſa ibid. ſigna ibid. cura ibid. defectus (450. a.) cauſa ibid. b. (451. a. &c.) ſigna (452. a. b.) cura & remedia ibid. (453. a.b. &c.) VIII. cap.2. art.3. §.3. acrimoniæ cauſa, (455.b.)

Semen vegetabilium plantæ delineationem ſecundinas, &c. continet III. exord. §.2.3. gemmula verum ſemen continet ibid. 1.2. quo minora eo fertiliora ibid. §. 4. pingue oleum continent III. c.1.§. 24. in ſemine duo actus ſunt attendendi. 7.§.25

Seminalis vis conſiſtit in legibus motuum inexplicabilibus. ibid.§.26

Sennertus primus præcipitationis mentionem fecit. XII. c.1.§.10

Sennæ correctio. XI.c.1.§.8. (153.b.)

Senſatio externa formalis in quo conſiſtit 37.§.6. ab Dygbæo refellitur ibid.§.8. ſententia probabilior. ibid.

Senſus quid vocamus. 5.§.7.28. 36.§.1

Senſus quid (31. theſ.1.) (392.a.b.) organum ibid. quotuplex ibid. interni & externi in quo conſiſtant (39.theſ.3.) quod denegatum an ſtatim negari poſſit III. c.1. §. 8. externi in genere 36.cap.19. (31. cap.17.) in ſpecie (32. cap.18.) externus quid (31. theſ.1.) 38.cap.20. (392.a.) quot (31. theſ.1.) in quo conſiſtat (32. theſ.5) quomodo ad cerebrum deferatur ibid. 43.§.3. an naturalium perceptioni & judicationi ſufficiant III. cap.1. §. 7. internus quid 43.§.21. (31. theſ.1.) quomodo fiat 43. §. 4. (32. theſ.6.) (364.b.) eorum cognitio difficillima 43.§.1. (38. theſ.1.) explicatio eorum (38.theſ.2.) (39.theſ.3.) communis quid 43. §.2. (31. theſ.2.) in ſenſu duo conſideranda 36. §.1. in externo tria ibid. §.2. opinio communis 37.§.3. modernorum. ibid.§.4

Senes præſervare (55.theſ.16.) vinum iis concedit Plato V. exordio.

Separatio quid 1.c.2 §.5. eſt accidens fermentationis (7.theſ. 20.) excernendorum ex maſsâ ſanguineâ quomodo. (118.a.)

Serpiginis origo. (102.a.)

Serum ſanguinis quid (56. theſ 6.) (240. a.) veterum quid (335.a. b.) coquendo fit gelatina 27 §.1. (20. theſ.12.) ſecretio in renibus (26.cap.13.) cum ſpiritu nitri coagulatur VIII.c.1. art.1.§.10. uſus ejus (56.theſ.6.) deficientis noxa (ibid.theſ.7.) abundantis noxa ibid. cura ibid. ſeri corrigentia. 92.§.6

Siccantia. 9.§.12

Siccum quid. (38.theſ.16)

Sief quid XI.c.2. claſſ.1.§ 3. vide Collyria.

Signum quid 67. §.2. (62. theſ.1.) fontes (ibid.theſ.2.) 67. §.3. potagnomonium ibid. theſ.1. 67.§.2. probabilia ibid. magnetica ſeu in diſtans an dentur (ibid.theſ.4.) prognoſtica 64. theſ.1. futuræ mortis inſtituere ibid. coctionis & cruditatis unde (53. theſ.28.) quæ ex urinâ & pulſibus deſumuntur primatum obtinent 67.§.5. quare ibid.§.6.

Simia menſtrua patitur (43.theſ.10.) Similitudo cum cognatis antea non exiſtens. (64.theſ.1)

Simplicia quædam pro collectionis modo ſurſum vel deorſum purgant (75.the.16.) facultates cognoſcendi ſcholarum falſa 1.c.3.§.13. virtutes ſpecificæ unde (57.58. theſ. 15.) 1.c.3. §.12. differunt ab occultis, qualitatibus ibid. omnium morborum cura illis ineſt 1.c.3.§.12. præferenda compoſitis (66 theſ.10.) correctio vera 1.c.3.§.13. eorum virulentia eſt intricatum negotium 82.§.17. venena in certa intemperie conſiſtunt ibid. compoſitione ſimplicium vires alterantur 84.§.21. melius eſt ſimplicibus uti quam compoſitis. ibid.§.22

Sinapi vires. (55.theſ.16.)

Singularis quid XVIII. §. 2. 3. ubi conferant ibid. §.8. an dentur XVIII.§.14. natura quæ XVIII. §.25. veri & genuini conditiones XVIII. §. 26. 30. 34. habent magnates ibid.§.34. horum authores §. 35. præter medicum nemo exhibere & intelligere poteſt §.35. præparatio illa non facit §.36. chymici jactant §.35. 38. multa falſo vocantur §.42. nimis exagerantur §.43. conſultationes non admittunt §.45. arrogantiam & contemptum pariunt §.47.48.

non revelare impium §. 49. cur reticeantur ab authoribus §. 50. 51. 52.

Singultus quid (24. theſ. 8.) (167. b) ſubjectum 24. theſ. 8.) 168. a) cauſa (24. theſ 8.) (168. a b) ſigna ibidem cura ibidem (169. a b. &c.) (24. theſ. 8.) (235. a) infantum unde x. c. 2. §. 23. cura x. c. 3. §. 10.

Sinus quid (549. a)

Sitis quid 16. §. 1. ibidem §. 6. (8. theſ. 1.) (92. a) unde 16. §. 7. (8. theſ. 6. 7. 8.) (92. a b) cauſam habet poſitivam 16. §. 8. objectum (92. a) 1. c. 3. §. 6. ſedantia (9. theſ. 10.) 17. §. 10. poſt labores tollunt ibidem (93. b)

Scorbuticorum ibidem hecticorum phtiſicorum (94. a) hydropicorum (261. b) (352. b) (353. a) in peſte (232. a) (235. a) in febribus unde (92. b) (189. b) vid. febris ardens. Quot modis lædatur (92. a) miniæ pars affecta (92. a) cauſa ibidem (92. b) cura ibidem (92. b) (43. a b) cura palliativa (94. a) deficiens rara (94. a) averſio rara ibid. quæ ſitim concitent 16. §. 9.

Sol ſecundum Plinium quid 11. c. 7. §. 8. radix omnis motus 7. §. 21.

Solani furioſi ſeu maniaci vires (91. b)

Solventis & ſolvendi certa debet eſſe proportio (101.) b)

Somnambulonum actio qualis 11. c. 1. §. 5.

Somnus quid & unde (31. theſ. 7.) (360. a) impinguat VIII. c. 1. art. 3. §. 4. vimius differt ab impotentia vigilandi (359. b) à ſomno vinio (360. a)

Somnolento in peſte remedia (231. b) (235. b)

Somnia quid (421. a) quæ inducant (171. a) (172. a)

Sonus quid 39. §. 9. (34. theſ. 5.) differentiæ ibidem quomodo ſe diffundat 35. theſ. 8. harmonicus & diſharmonicus unde (35. theſ. 9.) quomodo animi affectus moveant (36. theſ. eadem) ad binas efficiendi rationes referri poteſt 39. §. 9. varij motus gradus obſervandi 39. §. 10. inſtrumentorum pneumaticorum ſonus 40. §. 11. quomodo auribus communicetur 40. §. 13.

Sordes tam variæ & tam horridæ an præxiſtant in corpore, & unde poſt purgationem 97. §. 29.

Sparadrapus XI. c. 2. claſſ. 5 §. 2.

Spaſmus cynicus unde (41. theſ. 7.) (94. b) flatulentus (369. a) cauſa (376. b) remedia 377. b)

Species ſenſilis quid (21. theſ. 2.) intentionalis quid IX. c. 1. punct. 5. §. 3. viſibilis quid (33. theſ. 3.)

Specificum ſtomachicum Poterij (103. b) antiquatium Riverij (201. a) cephalicum Michaëlis caute uſurpandum IV. § 25.

Sperma ceti quid & unde XV. c. 1. §. 2. 3. 4. &c. 160. b) depuratio XX. c. 1. §. 10. 11. vires (160. b) (22. theſ. 8.) (28. theſ. 4.) XV. c. 2. §. 1. utendi modus c. 2. §. 13.

Sphacelus ſeu ſphaceliſmus veterum quid (297. a) quid (586. b) cauſa (587. a) ſigna ibidem a b) cura ibidem b)

Spina quid 65. §. 23.

Spiritus mundi 7. §. 21. influus, inſitus ibidem 11. §. 3. vitæ radix 10. §. 10. hujus proprietates 10. §. 11. natura 11. §. 12. exiſtentia probatur 11. §. 14. 15. 16. origo in ſanguine 11. §. 18. incaleſcentia 12. § 21. eſt principium movens ſpiritus morboſi 53. § 2. quot modis fiunt ibid.

Spiritus quid ſint 10. §. 8. III. c. 1. §. 22. V. §. 13. ſunt in prima formationis materia. III. c. 1. §. 23. V. §. 15. quomodo fiant III. c. 1. §. 24. V. §. 20. 17. cujus naturæ ſint III. c. 1. §. 25. 26. V. §. 15. 16 quotuplex V. §. 11. (theſ. 15.) an ſint pars corporis V. §. 13. unde generentur V. §. 17. exploſio IV. §. 13. exiſtentia & modus operandi negatur IV. §. 13. vinculum animæ cum corpore ſunt & maſſæ ſanguinis actionum vitalium auctores (47. theſ. 2. 3.) V. §. 14. an ſubjectum morborum ſint. V. §. 12. 47. theſ. 3. eſt natura morborum medicatrix (65. theſ. 1.) dirigens in agendo eſt idea III. c. 1. §. 33. in quo conſiſtat ibidem 34. 35. habent in ſe agendi & movendi inſtinctum III. c. 1. §. 33. putredinem præſervant III. c. 1. §. 28. exorbitationes compeſcunt quæ) 55. theſ. 15.) inſitius quid (3. theſ. 11. 12.) eſt munia (69. theſ. 19.) influus quid 3. theſ. 12. fovet ſpiritum inditum ibidem vitalis quid (3. theſ. 15.) (18 theſ. 10.) elaboratio quomodo fiat ibidem 24. §. 15. animalis 35. c 18. (3. theſ. 15.) præſes omnium functionum 35. § 6. ejus in toto corpore expanſio & continuata ſeries ſeu irradiatio 36. §. 7. motus radiativi principium 16. §. 8. ipſis convenit vigilia & ſomnus ibid. §. 9 10. (28. theſ. 4.) exiſtentia probata (30. theſ. 3. (materia ex qua ibidem 11. c. 8. §. 11. aër paululum confert 11. c. 10. §. 1. quomodo fiat (30. theſ. 3. 4.) generatio (30. cap. 16.) generatio vitioſa (356. b) deficiens unde ibidem cura ibidem influxus materialis (30. theſ. 5.) in nervos impediti cauſa (380. a b) officium (30. theſ. 5.) (356. a) (370. a) ad actiones determinatio unde (30. theſ. 5.) varij Status quid officiant (31 theſ. 6.) Sunt motus cauſa (368. a) (41. theſ. 6.) torpor quid efficiat (31. theſ. 6.) ſunt medium deferens ſenſus externos ad ſenſum internum (32. theſ. 6.) genitalis (3. theſ. 15.) officium (44. theſ. 6.) (42. theſ. 6.) (43. theſ. 1.) Vehiculum ibidem utriusque ſenus ſi conjungatur fit conceptio ibid. an duplex (44. theſ. 6.)

Diſtillati quid III. c. 1. §. 18. Aſthmaticus Michaëlis (165. b) ad difficultatem auditus (34. theſ. 5.) carminativus ſecretus (104. b) (152. b) VII. c. 5. §. 9. Sylvij (104. b) VII. c. 5. §. tartari (152. a) volatilis ibidem VII. c. 5. §. 9. ſalis armoniaci (152. b.) ſulphuratus ibidem lumbricorum tereſtrium (153. a) epileptici (374. b) (375. a b) volatilis conditiones & uſus (374. a b) (363. a b) volatilis apoplecticus (384. a) Saturni eſt impoſtura (152. a) de tribus Knophellij (219. a) Serpilli (339. a) apoplecticus Mæbij (384. a) otalgicus Barbette (403. a) antiſcorbuticus (444. a) Sulphurei duplici particularum genere conſtant V. §. 22. 23. 25. ardentes Vegetabilium in reſinam convertere V. § 23. mundi quomodo concedendus 11. c. 7. §. 8.

Splenitici ſunt ſalivatores (24. theſ. 2.) (94. a) color corporis (64. theſ 1.) vomitus ſpontanei ſunt ſalutares (72. theſ. 2.) (106. b) habent quandoque urinam nigram (8. theſ. 1.) facile à potu abſtinent (94. a vomitus ſanguineus unde (106. b)

Splendere in corporibus quid (32. theſ. 1.)

Spongia ſomnifera (359. a)

Stagnationis ſanguinis cura (70. theſ. 5) 71. theſ. 6. 7.) vid. ſanguinis congrumatus.

Steatoma (548. a) cauſa (562. a)

Sterilitas quid (497. b (cauſa ibidem ſigna (498. a) cura ibid.

Sterni in reſpiratione motus 11. c. 3. §. 4.

Sternutatio quomodo fiat (36. theſ. 10.) (171. a) quid ibidem b) 104. §. 7. pars affecta ibid. a) confert aër 11. c. 10 §. 1. cauſa (172. b) Signa (173. a) cura ibid. duo in ſternutatione conſideranda 104. §. 8.

Sternutatoria ubi conveniant (79. 80. theſ. 20.) (344. a b)

Stomacace quid (440. a)

Stomachus quid (99. b) (105. a) habet fibrare nerveas circulares ibid. vitia deglutitionem impedientia (99. a) cura (100. b)

Stomachicorum vis in quo conſiſtat (50. theſ. 14.) quænam ſint (87. a) ubi conveniant (107. a b)

Strabiſmus infantum unde (530. b)

Strangulatus uteri vide ſuffocatio uteri.

Stranguria quid (331. a) (615. b) cauſa (331. b) 1. c. 2. §. 9. ſigna (332. a) cura ibidem (a b) (27. theſ. 4.) (141. b) cura magnetica (332. b) virulenta quid & unde (331. b) incantatoria ibid.

Strumæ unde (50. theſ. 17.) (149. b) (547. b) (558. a) cura ibid. &c. exulceratio 558. b ?

Stultitia qui 417.

Stupiditas quid ibid.

Stupha ſeu ſudatorium quid XI. c. 2. claſſ. 4. §. 22. humida quid ibid. ſicca ibid.

Stupor dentium ſive hæmodia.

Suaveolentia ſunt grata vel adverſa ſexui fœminino (486. a b)

Subjectum medicinæ corpus humanum 10. §. 1.

Subluxatio vertebrarum dorſalium (607. a) cauſa ibidem ſigna ibid. cura ibid.

Subſiſtentia corporum ex aqua per motum 5. §. 25.

Succini vires 28. theſ. 4. cur paleas attrahat III. c. 1. §. 10.

Suctioni aër concurrit 11. c. 10. §. 1.

Suctio venarum non eſt appetitus cauſa (85. a)

Succi quomodo aſſervandi (103. a)

Sudor quid 34. §. 5. (26. theſ. 1.) unde ibidem materia 34. §. 6. ibidem cauſa XIII. c. 2. §. 6. antecedentia ibidem §. 3. uſu (30. theſ. 6.) neceſſitas (81. theſ. 1. quomodo fiat ibidem theſ. 4. XIII. c. 2. §. 20.

20. 21. 22. 23. commoda 82. theſ. 2.) (30. theſ. 4.) crebrior cur emaciet ibidem an etiam ex præcordiis ibidem theſ. 7.) 35. §. 9. ubi nullus ſuccedat XIII. c. 2. §. 18. 19. quibus affectibus conveniat (82. theſ. 2.) præmittenda coctio in febribus ibidem theſ. 3.) in morbis quando provenit ibidem 34. § 7. acris quando obſervatur 1. c. 2. §. 3. finito danda acidula (83. theſ. 6.) fætidi in peſte cura (235. b) immodici remedia (233. a) frigidi ſyncopticorum unde (181. b.) ſudoris evacuatio 100. cap. 7. ſine ſudore nulla febris bene curatur 101. §. 1. ſudor medico procurandus 101. §. 2. quæ à ſudore emergunt remedia ibidem modus quo fit ibidem §. 3. duo requiruntur, ut recte fiat. ibidem §. 4. medicamenta ſudorifera qualia. ibidem §. 5. quoad rationem operandi ſunt in duplici differentia 102. §. 6. agrum debilitant ibidem §. 7. ſudore peracto quid faciendum ibidem uſus & legitimum regimen, ibidem, §. 8. in chronicis ibidem §. 9.

Suffumigium contra ani procidentia Keſler (147. b) pro hytericis (489. a b) ex decocto uvarum putridarum Sculteti (516. b) ad extrahendam ſecundinam Stokeri. (518. b)

Suffocatio (22. theſ. 8.) 157. a) cauſa eſt triplex ibidem in aqua unde (158. b) Signa (159. b) &c. è gas Sylveſtri cura (161. a) convulſivæ cura ibidem.

Suffocatio uterina quid (485. b) (488. a) (139. a) typus morbi ibidem ſymptomatum ratio (486. (486. a) cauſa ibidem a b 487 a b &c. quomodo fiat (488. a) quibus competat (486. a) Signa (488. b 489. a) cura in paroxiſmo (489. a) &c. Extra paroxiſmum (491. a b) puerperarum (522. b) (523. b) cauſa ibidem ſigna ibidem cura ibidem.

Hypochondriaca unde (159. b exempla (486. b) (487. a)

Suffuſio vid. cataracta.

Sugillatio vid. ſanguis congrumatus.

Sulphur artificiale. (228. a b) ſpiritus ejus XII. c. 3. §. 14. antimonij (375. a omnia narcoſin inducunt v. §. 27.

Sumach vid. Ruhus.

Superfætatio quomodo fiat (42. theſ. 8.) 497. b) 47. §. 8.

Suppoſitorium Salæ ex alumine (115. b)

Suppuratio (268. b) cauſa(548. b) quomodo fiat ibid. remedia ibid. (549. a) (551. b &c.

Surdus & mutus loquentes intelligit (35. theſ. 7.) (407. b)

Surditas (407. a) cauſa ibidem a b) (!34. theſ.) ſigna (407.) cura ibidem 408. a b &c.) remedia (34. 35. theſ. 5.

Suturæ vulnerum quomodo fiant (569. a) circunſtantiæ quæ ibidem nimis ſtrictæ noxæ ibidem veræ commoda ibid a b)

Suvammerdani error 11. c. 4. §. 5.

Sympathia quid (68. theſ. 13.) exempla (62. theſ. 4.) (436. a) in morbis quid (52. theſ. 23.) unde ibid. quibus partibus conveniat ibidem partium quid XIII. c. 2. §. 24. exempla (52. theſ. 24.) (355. b) III. c. I. §. 65. (436. a)

Sympatheticæ actiones unde (3. theſ. 14.) (49. theſ. 10. ſigna an dentur (62. theſ. 4.)morborum curationes (68. theſ. 12. 13.) pulvis ibid.

Symptoma urgens quid (83. theſ. 1.) ejus remedia ibidem theſ. 2.) an curæ proximum objectum IV. §. 3. Symptomata quid 69. §. 52. quomodo removenda 104. cap. 9. quænam ſuit ibidem §. 1. opium ibi palmam obtinet 104.

Syncope quid (17 theſ. 2.) (180. a) cauſa ibidem a b &c.) Symptomata unde (181. a) cura (181. b) (182. a b) in peſte remedia (235. a b) gravidarum (505. a) cura ibidem. Cardiaca quid (158. a)

Syncriſis 5. §. 25.

Synovia quid (21. theſ. 12.) (250. a) ejus fluxus in vulneribus eſt periculoſiſſimus (575. a) remedia ibidem.

Syſtole cordis quid (19. theſ. 2.) (179. a) cum diaſtole quomodo inſpirationi reſpondeant 11. c. 8. §. 6.

T

Tabellæ ſeu Morſuli XI. c. 2. claſſ. 1. §. 8. quomodo & ex quibus fiant ibid.

Tabes quid (241. b (ſigna (243. b) (244. a) cura ibidem a b 245. a b &c. remedia ibidem VIII. c. 1. art. 3. §. 3. dorſalis quid (242. a typus & exempla ibidem unde VIII. c. 1. art. 3. §. 4. anglica unde(241. b)

Tabidis quæ nocent (245. a)

Tacamahacæ. vires (112. a)

Tactus 42. §. 24. (392. a) organum quod 42. §. 23. §. 25. (37. theſ. 15.) 38. theſ. 17.) quommodo fiat (38. theſ 16.) per totum corpus eſt diffuſus (392. a) præcipuum ſymptomata eſt dolor (37. theſ. 15.) ſolo differunt odoratus guſtus &c. 392.

Talpa tumor (562. b) cura ibid.

Tamarindorum vires (93. a)

Tarantati tarentulæ actiones imitantur. (4. theſ. 22.)

Tarantiſmus (52. theſ. 22.) 420. b.

Taraxis quid (298. a)

Tarquinius Veneni celeber potator. (233. b.)

Tartarorum potus eſt lac equinum 1. c. 3. §. 7. V. §. 4. præparatio lactis inebriativa ibid.

Tartarari effectus morboſi qui 1. c. 2. §. 9. microcoſmi quid 1. c. 2. §. 9. Paracelſi quid (58. theſ. 22.) 1. c. 2. §. 9. unde dicatur ibidem reſolventia ibid. (58. theſ. 22.)

Vini quid vid. vitis. VIII. c. 2. art. 4. §. 1. deſtillatio (152. a) nitratus (197 b) VIII. c. 2. art. 4. §. 3. vires (75. 78. theſ. 17.) crebra ſolutione & cryſtalliſatione debilitatur VIII. c. 2. art. 4. §. 2.

Tauri cruor potantem ſtrangulat (68. theſ. 8. raſura cornu in coitu abraſa ſtimulat Venerem (4. theſ. 22.)

Telephium magice ſanitatem & morbum indicat (62. theſ. 4.)

Temperamentum quid 12. §. 25. in quo conſiſtat 12. §. 26. unde dependet 13. §. 27. innumerabilis varietas 13. §. 28. quaternio defendi poteſt 13. §. 28 cholirici ratio ibidem §. 29. melancholici ratio ibidem 30. ſanguinei ibidem §. 31. pituitoſi ibidem §. 32. (50. theſ. 13.) 1. c. 1. §. 8. (156. a) (18. theſ. 11.) officij explicatio (49. theſ. 12) diverſitas unde (19. theſ. 16.) miſtio eſt falſa (57. theſ. 11.) calidum & humidum quid VIII. c. 1. art. 3. §. 1. viſcerum unde (49. theſ. 12.) 1. c. 1. §. 8. VIII. c. 1. art. 2. §. 8.

Temperate quæ 92. §. 11.

Tempus formationis quod 44. theſ. 5. exornationis ibid. 49. §. 8. tempora ſeu gradus morborum 69. §. 50. de iis aphoriſmus Hippocratis 69. §. 51.

Temulentia V. §. 1. 8. 7. Subjectum V. 14. cauſa V. §. 26. 29. 30. 39. Signa V. §. 40. 43. varij effectus unde ibidem cura V. §. 48. 49. præſervatio V. §. 44.

Tendo quid 40. theſ. 4.) nodi unde (5. theſ. 3.) remedia vid. nodi vulnera (575 b) per ſuturas conjungi poſſunt ibid.

Teneſmus quid (130. b.) cauſa ibidem Signa (131. a) cura ibidem infantum cauſa (537. b) Signa ibidem cura ibid.

Teredo habet muſculos & nervos III. c. 1. §. 9.

Terebinthina inſervit optimè conditura cadaverum III. c. 1. p. 29.

Terræ ſigillatæ ſtrigentis vires (107. a) Solaris quid & unde (120. a) vires ibidem martialis ibidem vires ibidem.

Terroris ſymptomata unde (14. theſ. 9.)

Teſtes quid (42. theſ. 2.) 450. b) fermentum 46. §. 5. (42. theſ. 5.) (450. b) cujus naturæ ibid. quid efficiat ibidem vitia in defectu ſeminis quæ ibidem (451. a) inflammatio (451. a) cauſa ibidem ſigna (452.) cura (452. b) ſuppurationis cura (454. a) tumor (451. a b) tumoris hydropici cura. (454. a b) Scyrrhus unde (451. b) cauſa ibidem ſigna (452. a) cura (454. b) (455. a) mulierum ſtructura (42. theſ. 8.) an ovarium ibidem. (476. a) (497. a)

Teſtudo (562. b)

Tetanos quid (368. b)

Thée deſcriptio (363. a b. vires ibdem. (103. b)

Therapentica ſeu methodus medendi 77. §. 1. in quo conſiſtat ibid. eſt multiplex. 7. ibid.

Theriaca Arabum XI. c. 1. §. 1.

Thermæ artificialis (38. theſ. 15.)

Thoracis motus unde (21. theſ. 2.) 11. c. 4. dilatatio an pulmonum expanſionis cauſa 11. c. 5. 10.

Tinea capiti unde X. c. 2. 25. 26. (544. a) ſigna ibid. cura X. c. 3. §. 12. (544. a)

Tinea ſeu lumbricus latus unde X. c. 2. §. 24.

Tinnitus aurium 408. unde ibid. (34. theſ. 5. ſigna 409. remedia 35. theſ. 5. (409.)

Tinctura roſarum Zuolpheri (49. theſ. 12.) Laccæ Michaëlis (98. b)

(98 b) martis variæ (151. b) (316. a) coralliorum (123. b) 390. b) vera an detur XIV tota diſſertatione Sulphuris vitrioli (307. b) (308. a) antiphtiſica XII. c. 2. §. 18. nephritica medici famoſi (322. b) Helvetij ibid. ſalutis Langij X. c. 3. §. 6.
Tonſillæ quid (9. theſ. 7.) habent foramen in fauces hians (273. b inflammationis cauſa ibid. remedia (276. a)
Tonus partium quid (6. theſ. 11.) (51. theſ. 19.)
Tophi in genere (50. theſ. 17.) (547. b) podagricorum unde (60. theſ. 31.) I. c. 2. §. 9.
Tormina infantum vide colica.
Tormina in peſte remedia (232. b)
Tragea quid XI. c. 2. claſſ. 1. §. 2. Succedaneum ejus ibid. granorum actes (128. a)
Tranſplantatio quid 106. §. 8. morbi per tranſplantationem curantur 106. §. 8.
Tranſplantationis morborum fundamentum (3. theſ. 14.) (436. a) (69. theſ. 18.) exempla (48. theſ. 10.) (89. a) (92. b) quomodo fiat (69. theſ. 14.) per magnetem quotuplex ibid. theſ. 16.) motum &c. III. c. 1. §. 40.
Tranſpiratio corporis 33. c. 17. §. 1. organum 34. §. 3. (5. theſ. 1.) 29. c. 15.) unde fiat (6. theſ. 8.) (29. th. 2.) 6. theſ. 7.) 11. c. 10. § 1. materia (29. theſ. 2. b) 34. §. 2. quantitas ibid. theſ. 2.) (87. theſ. 1.) 11. c. 8. §. 4. quomodo fiat ibid. 34. §. 4 ex ſalſa 1. c. 2. §. 2. ejus uſus (30. theſ. 6.) 35. §. 8. de præſentia aëris in ſanguine indicat 2. c. 8. §. 4. fœtus eſt pauciſſima 11. c. 9. §. 6. infantis recens nati impeditæ noxæ X. c. 2. §. 6. cura X. c. 3. §. 2. efficiens tranſpirationis 34. §. 4. in quo à ſudore differat 34 §. 5.
Tranſmutatio metallorum an poſſibilis 11. c. 10. epilog.
Tremor quid (377. b) cauſa (378. a) ſigna (478. b) cura ibid. (379. a b) convulſivus quid 377. manuum remedia (379. b) cordis (183. a) cauſa ibid. ſigna 184. b) cura (185. b) differt à palpitatione (183. a) partium in peſte curâ (236 a)
Trepanatio tuto fieri poteſt (303. b)
Triumviratus Sylvij (113. a)
Tumores quid (547. a) cauſa ibid. 547. b) quomodo & quot modis fiant 547 b) cura (548. b) cura (548. a b) remedia 550 a b) (551. a. b.) apertio (549. b) ſanguineus unde (547. b) (70. th. 5.) quinam fuit (553. a) cura ibid. poſt podagram quomodo curandus (29. theſ. 4.) criticus quid (554. b) cauſa ibid. quinam fuit ibid. partium externarum in hydrope remedia (262. a b) (353. a) ſeroſi qui (557 a) (149. a) cura (557. a) calloſi cauſa 547. b) duri ſeu nodi 154. a b)
Tunicæ corneæ color vitioſus &c. vid. oculi nebula.
Tunica primarium eſt viſus organum (33. theſ. 3. retina quid.
Turgeſcentia humorum quid (74. theſ. 6.) XII. c. 1. §. 1. 2. 7. ubi obſervatur (75. theſ. 9.) præſente in principio purgandum ibid. unde XII. c. 1. §. 5. 6. analoga eſt tempore menſtruorum in fœminis XII. c. 1. § 3 concurrit motus inteſtinus & progreſſivus humorum ibid. § 7. crudos ebulientes indigitat XII. cap. 5. §. 7. in quibus affectibus contingat ibid. §. 8. ejus remedia ibid. §. 9. ſanguinis quomodo curanda (56. theſ. 3.)
Turtur helleborum digerit (10. theſ. 2)
Turundæ quomodo fiant (569. b) uſus in vulneribus ibid.
Tuſſis quid (174. b) quomodo fiat ibid. fieri poteſt abſque diaphragmatis concurſu 11. c. 5. §. 7. unde (23. b theſ 8.) (175. a) humida quid (174. b) cauſa (175. a) pars affecta (175. b) 176. a) irritationis cauſa (175. a b) (176. a) 11. c 10. §. 1. ſigna (177. a) excrementa unde (175. a) (176. b) ſigna (177. a) excrementa præter naturâ ibid. cura (177. b) (178. a) convulſiva unde (176. b) eſt chronica & periodica ibid. cura (178. a) ſtomachicæ cauſa (23. b. theſ. 8.) (175. b) (176. a) X. c. 2. § 23. (605. b) ferina humida (605. b.) pars affecta ibid. cura ibid. (606. a) in infantibus ſubinde vomitus jungitur (236. theſ. 8.) X. c. 2. § 23, ſigna ibid. cura (23. b theſ. 8.) (606. a) catharrhalis (24. theſ. 8.) cauſa ibid. (28. theſ. 4.) (175. b) præcedit phtyſin (24. theſ. 8.) febrem lentam conjunctam habet ibid. (175. b) quando affligat ibid. cura (24. theſ. 8.) (177. b) febricitantium unde (176. a) eſt duplex gravidarum (505. a) cura ibid. infantum unde X. c. 2. §. 25. (540. b.) eſt duplex ibid. ſigna tuſſis humidæ ibid. tuſſis ſiccæ ſigna ibid. cura (541. a) X. c. 3. §. 10. ſubjectum (540. b) (176. a) infantum verminoſa unde (176. b) epidemica ibid. ſenum (176. a)
Tympani auris læſionem non ſequitur ſurditas (407. a)
Tympanitis quid (254. b) (345. a)
Typhomania (360. b)

V

VAcuum an detur in naturâ 11. c. 7. §. 6. 7. fuga vacui eſt imaginaria 11. c. 7. §. 7. 11. præſupponit facultatem judicandi 11. c. 7 §. 9. difficultates implicat ibid.
Vagitus uterinus (46. theſ. 4.) 11. c. 9. §. 6.
Vaporum aſcenſus ad caput an detur. (365. a)
Vari vid. arthritis vaga ſcorbutica.
Varij (5. theſ. 6.)
Varices quid (564. a) cauſa (565. a) ſigna ibid. cura ibid. gravidarum (506. b) cura ibid.
Variolæ quid (212. b) 611. quotuplices (213. b) unde (5. theſ. 6.) (52. theſ. 22.) (541. b) origo quæ X. c. 2. §. 17. (213. a) (541. a) ſigna (214. b) (541. b) (542. a) cura (217. a) (219. b) (541. b) (542. a) potus (220. a) ſymptomatum cura (220. b) (221. a b) (542. b &c.) X. c. 3. §. 13. poſt curam purgandum (217. a) tempus ebullitionis quod (216. a) expulſionis quod ibid. liberos ab infectis venereis natos graviſſime afficiunt X. c. 2. §. 27. cur quandoque tam tardè irrumpant ibid. ſæpius aut præcedunt aut ſequuntur peſtem (213. b) an ſemel tantum homo laboret ibid. partes internas facile lædunt X. c. 2. §. 27. quandoque oſſa arrodunt ibid. puſtulis inhærent vermiculi ibid. partes ab iis præſervare (33. theſ. 3.) foveas præcavere (220. b, (221. a)
Vas deferens 42. theſ. 2.)
Vaſa limphatica quando inventa 22. §. 4.
Vaſa lactea an differant à Lymphaticis (346. b) inventor. 15. theſ. 2. an ad uterum ferantur ibid. theſ. 3. an ad inammas ibidem eorum uſus theſ. 2. an ad hepar ibid. theſ. 4. roriſera Bilſij (16. theſ. 5.)
Vmbilicalia in placentam plantantur (44. 45. theſ. 2.
Vas breve nihil ex ventriculo trahit VI §. 11. ad ventriculum vehit ibid.
Vegetabilium ſubſtantia nutriens quid (54. theſ. 5.) 1. c. 3. §. 6. gummoſam ſubſtantiam habent. 1. c. 3. §. 6.) fit ſpiritus ibid. vires 1. c. 3. §. 13. veneni correctio ibid.
Venarum nomine etiam arterias intelligunt veteres) 380. b) etiam tendines (387. a) vulnera (574. b) arteriis reſpondent fere ubique (19. theſ. 1.) cur non pulſent (20. theſ. 5.) 26. §. 5. cava prope cor pulſat ibid. iliacæ vulnus lethale eſt (565. b) lacteæ vid. Vaſa.
Venæ ſectio an ad animi deliquium (70. theſ. 4.) intermiſſæ noxæ (70. theſ. 3.) periodicæ ſuccedanea ibid. aſſuetæ cur ſtatuto tempore reiterari debent ibid. (56. theſ. 4.) 86. §. 3. indicans (70. theſ. 3 neceſſitas ibid. auxilium per acidens ubi, ibid. theſ. 4. an gravidis conveniat (503. a) in quatuor caſibus neceſſaria. 86. §. 2. utilitas ibid. §. 3. per ſe evacuationis ſcopo ſolummodo ſatisfacit ibid. §. 4. per accidens aliis affectibus ibid. uſus quis 88. §. 10. tempus quod ibid. locus ibid. quantitas ibid. ſi tendi vis, vel nervi læſi in venæ ſectione remedia ibid.
Venenum quid & quomodo dicitur eſt vox reſpectiva 82. §. 18. III. c. 1. §. 44. 45. 47. IX. c. 1. punct. 1 §. 4. in ſe nihil eſt III. c. 1. §. 44 Sunt corpuſcula minima ibid. §. 46. ſalinæ acrimoniæ ibid. §. 47. 48 quomodo agant IX. c. 1. punct. 1. §. 4. (48. theſ. 10.) ſymptomata IX. c. 1. punct. 1. §. 5. frequentiori uſu tandem non lædunt III. c. 11. § 44. in ſaluberrima abeunt remedia præparatione IX. c. 1. punct. 1. §. 3. 4. per os hauſti cura III. c. 1. §. 74. remedia III. c. 1. §. 47. animalium in quo conſiſtat VIII. c. 1. art. 1. §. 8. III. c. 1. §. 48. IX. c. 1 punct. 1. §. 6. ſub omni veneno ſingulares latent virtutes medicamentoſæ 82. §. 18. mineralia quomodo agunt 83. ibid. in regno vegetabili triplicia ſunt venena ibid. animalium venena ſunt in triplici differentia 83. ibid. b. in præparationibus chymicis attendendum ibid. §. 19.
Veneficium nuptorum quomodo fiat (461. a b) cura (462. a)
Ventilare quid. 86. §. 4.
Ventriculi in theoria morborum magna eſt conſideratio 439. a) humor fermentitius qualis (11. theſ. 5.) (10. theſ. 4.) quid efficiat in fermentatione (10. theſ. 4.) quadruplicem habent cornigera (10. theſ. 11.) ad 17. § 10 duplicem habent aves ibid. tunica interior eſt glanduloſa (11. theſ. 9.) os utrumque an poſt paſtum arcti claudatur (12. theſ. 11.) magnam habet potentiam in medicamenta (66. theſ. 13.) robuſtus fortiora purgantia cur ſuperet (74. theſ. 14.) vellicatio in fame unde (85. b) tonum debilitat potus nimius 101. b) confortantia (107. b) inflammatio ventriculi (279. b) cauſa ibid. ſigna ibid. (280. a) cura ibidem apoſtema (280. a) quomodo tractandum ibid.
Ventriculus cordis ſiniſter cor eſt primarium 23. §. 4 ejus officium.
Veneris uſus cur emaciet homines (240. a) excitare ſeu venerea remedia (4. theſ. 22.) (68. theſ. 9.) VIII. c. 1. art. 3. §. 3. (452. b) (453. a) appetitus læſus mulierum (480. a) ſedes quæ ibid quomodo fiat ibid. imminuti cauſa (480. b) ſigna ibid. cura ibid.
Veneris ſulphur vires (68. theſ. 11.) ejus ſpiritus & vires (87. b) (107. b)
Vermes an morborum cauſa vel adjuncta (213. a) in plurimis morbis reperiuntur ibid. ſpecies (535. a) præcavet bilis (13. theſ. 6 X. c 3. §. 11. in infantibus unde (535. b) ſigna ibid. cura ibid. &c. in febribus malignis (213. a) in cerebro hemicraniæ cauſa (398. a) pericardij ſymptomata & ſigna (186. b)

(183. b) remedia ibid. umbilicalis hiſtoria (539. a) remedia ibid. b)

Verrucæ cauſa(562.b)differientia (563. a (cura ibidem cura ſympathetica (68. theſ. 12. ventriculi lædunt chyloſin (102. a)

Vertigo quid (364. a) gradus ibid. b) ejus typus (364. a b) quomodo fiat (364. b) rotationis vitium eſt in oculo (364. a cauſa 364. b) per conſenſum (365.a) per eſſentiam quæ (365. b(colores varij unde (365.a)ſigna (366.a) præſervatio (367.b) cura (366.a b &c.) ſenum præſervatio (367. b) cura XII. c. 2. §. 26. hypochondriacorum ibid.

Veſicæ ulcera unde (295. b) ſigna ibid. (296. a) remedia (296. a b) inflammatio (295.a)cauſa ibid. ſigna ibid.b) cura ibid. calculus ſæpiſſimè ex renibus illabitur & ibid. augetur (316. a)ſigna (317.b) (318. a) cura (318. b) (319.a b &c.)remedia vid lithontript & nephritica.ſphyncteris conſtrictio quot modis lædatur (328. b)

Veſicatorum vires (95.a) 90.§ 18. in iis quid conſiderandum ibid.§. 19. uſus ibid. §. 20. materia ibid. §. 21. quid obſervandum ibid.

Veſiculæ ſeminales (42.theſ.4.)

Vigiliæ unde (31 theſ.6.) remedia vid. ſomnifera & agrypnia in peſte unde (231. a) cura ibid. (235. a) ſenum remedia (359.b)

Vigilandi impotentia differt à ſomno nimio (359.b) (360.a) cura ibid.

Vinum quid.(54.theſ.8.uſus ibid.commoda ibid.(61.theſ.32.) incommoda (54.theſ.8.) I.c.3.§.5.abſtemium reddere v. §. 45. Subſtantia quæ inebriat v.§ 21.26. cur inebriet ibid. §. 27.ex habitu menſtruatæ aceſcit (43. theſ.9.)ejus ſpiritus vires (9 theſ 10.a) nimis aſſumpti noxæ (85. b) Synonima I.c.3.§.5.quibus conſtet v.§.22.23. inebriat adhuc v. §.36. cum ſpiritu ſalis Armoniaci cur coaguletur v.§. 36. an ſit acidus v.§.36.

Vinum hyppocraticum XI.c.2. claſſ.4. §.6. hypocraticum in peſte.(228.b.) catarrhale Lindani (339. b) Adriani Papæ ibid.paſſulatum (210. b.) Tymæi(114.a) martiale (151. b) (152.a) Knophelij (485. a.)

Vinum aciditate ſua morbos multos parit 63.§.11.

Vipera poſt exenterationem vivit & lædit (2.theſ. 10.)II.c. 10.epilog.IX.c.1. punct.5. §.1. curat morſum viperæ (68. theſ.8.) vires IX.c.1. punct. 4. §. 12. ex aëre ad tempus vivit I. c.3.§.7.perſequentem fugit non lædit III. c.1. §. 44. IX.c.1.punct.4.§. 1. meticuloſos fortius lædit ibidem punct.5.§.5.dentes quot IX.c.1.punct.2.§.2.quot perforati ibid. ſaliva an venenata ibid.§. 2. 3. fel & cauda an venenata ibid. §. 3. 4. ductus bilioſi propagatio ad os ibid.non mandunt ibid. mortua non eſt Venenata IX. c. 1. punct 3. lædit morſu IX.c.1. punct.5. §.1. venenum unde IX. c. 2. punct.2.§.3.in quo conſiſtat IX.c.1. punct. 4. §. 1. nonniſi irata venenatos morſus infert ibid. punct. 5. §. 1. ſaliva quomodo ab ira inficiatur IX.c.1.punct.5.§.2.4.morſus venenoſitas in quo conſiſtat ibid. §. 5. in calidis regionibus ſunt venenoſiores ibid.Si veneri inhiat morſus eſt venenoſior.ibid.morſus ſigna & ſymptomata IX.c.2.punct.1.§.1.2. prognoſis ibid.cura ibid.punct.2.

Virginitatis nota (478. b.) Sophiſticatio quomodo fiat (479.a)

Virgo an illæsâ virginitate concipere poſſit.(497 b)

Virium proſtractio unde(31.theſ.6.) (179.b) gradus ibidem cura ibid.

Viri officium in generationis reſpectu (450.a)

Viridis æris vires (86.b)

Viſcidum quid (38. theſ. 16.) nimium dentes lædit (96. a) ejus corrigentia 91.§.6.

Viſionis modus (4.theſ.20.) (33 theſ.3.) (34. theſ.4.(364.b) (410.a) quomodo fiat 39. §.8. cur una res duplex non videtur 39.§ 8.

Viſus organum quod 33.theſ.3. objectum (32. theſ.1) (33. theſ.3.)quomodo fiat ibid theſ.4.) varia phœnomena (34. theſ.4.) hebetudo quid (410. a) remedia (414.a b) vitia quæ (410 a) depravatus quis ibid. læſio unde ibid. (412. a b) auctus quid (410.b)

Vita in quo conſiſtat 9.§.12. 10. § 6.52 §.1. (3.theſ.11.) (47. theſ.1.) II.c.10.§.3.v.10.unde conſervetur II.c 10.§.4.ſedentariæ noxæ (114.a) mediæ proprietates peregrinæ Helmont. quid III.c.1.§.60. fœtus in utero (45.theſ.8.) (47. theſ.2.vitæ ſubjectum quid 10. §.9. vita animalium in calore præciſe non conſiſtit 12 §.22.

Vitex vid.agnus caſtus.

Vitriolum an ex putaminibus unicum VI. §.14. ſulphur. (68. theſ.11.)

Vitrum quomodo fiat I.c.2.§.6.

Vivere quid (1.theſ.1.) 43.§.1.52.§.1.

Vinipara & ovipara in quo differant 47. §.9.

Vlcus quid (577.a) cauſa (577.a) acidum cauſa eorum unde ibid.differentiæ ibid. adjuncta quæ 577. b. Signa ibid. cur in can.abeant.I.c.2.§.8.ſanata cur turbas excitent (56. theſ. 5.) (106. b) materia per urinam evacuata (80.theſ.1.) laborantes raro menſibus vel hæmorrhoidibus laborant. 56.theſ 5. item peſte (224. a) remedia (578. b) 579. a b 580. a b &c.) inveteratorum cauſa (583.a) ſcorbutica (449.b) putrida quæ (582.b) ſordida corroſiva cauſæ ibid. cura (583 a)phagedænica maligna &c. quæ (583.a) cauſa ibid.cura(583.b)fiſtuloſa (578.a) (582. a) cauſa ibid.cura (582.a) calida ſeu inflammata (585 b)duſepulotica(583.a) cura ibidem carioſa ſæpius recrudeſcunt (581. a) remedia(581.b)corroſivam & acidam ſaniem habent I. c. 2.§. 3.ſigna (581.a)cura ibid.cancroſa (583.b.)vid. cancer exulceratus.Chironia(583.a) telephia ibid. ſerpentia ibid.

Vmbilicus marinus & vires (309 b)

Vmbilici inflammationis cauſa(537.a) ſigna ibid. cura (537. b.)prominentia vide hernia umbilicalis(536.a)

Vnguis oculi vid.oculus.

Vnguentum quid XI.c.2. claſſ.5. §.1. ingredienti XI. c. & §. 8. quomodo fiant ibid.§.7.uſus eſt triplex XI. c.2. claſſ.5. § 6. armarium (68.theſ.12.) de aquilegia (98. a) contra pleuritides Paracelſi (289.b) contra flatus Stockeri VII. c.5. § 10. contra tormina infantum X.c.3.§.10 ibid. §. 12. ad pruritum ani (131.b)ad petechias evocandas Brunneri (219.b) nephriticum Cratonis(319.a) contra incontinentiam urinæ à partu Tymæi (330.b)hydrocephalum Foreſti (355.a)ſpaſmum flatulentum Cratonis. (377. b) vermes aurium agricolæ (403.b) hebetudinem oculorum (414. b) de apio Horſtij (449.b) atrophiam infantum Barbette (539.b) Sylvij ibid. infantum faſcinum à Caſtro(540 a b) vulnerarium agricolæ 571.b) nervinum vulgi (575.a) ad hæmorrhoides Norimberg. (135.a) (136.a)

Vniverſalia non ſemper neceſſario præmittenda XII.c.3. §.22.

Vnicornu foſſile 132.b.) ſpecies ibid.

Vocales quid (35.theſ 7.)

Volatilia aeria ſunt calefacientia (50. theſ.12,)

Volatilitas modum texturæ ſequitur XII.c.3. §. 17.

Vomica eſt nomen generale (302.b) pulmonum quid ibidem (243.a)

Vomitus quid 93.§.16. (105.a b) quomodo fit 93 § 16. uſus polychreſtus 94 §.17.indicantia quæ ibid. voluntarius rarus ibid.b) menſtruus quibus ſalutaris 73.theſ.3. (106.a) VII.c. 5.§.13. quæ partes evacuentur. (74. theſ. 4) quomodo fiat (41. theſ.8.) (73. theſ.4) (105. a) cauſæ (105. b) (106.a) quotuplex ibid.differentiæ (106.a b) ſigna prognoſt (107. a) cura ibid.remedia(107.b) ſanguineus(106.b) cauſæ ibid. ſpleneticorum unde(186.a) ſigna 107.a.cura (108.a b) remedia ibid.in febrium principio unde (106.a)infantum (532. b) cauſa ibid.X.c.2.§.22 ſigna(532.b)cura ibid.X.c.3.§ 10. gravidarum quando accidit (504.a) cura ibid.) in peſte remedia(232.b) (234 b) (233. a) (449.a) remedia (ibid.b)

Vomitoria quomodo à purgantibus differant 96 §.14. (75. theſ.16.)quibus & quomodo conveniant (73.theſ. 3.4.)ubi danda ibid.(23.theſ.8.) (24. ibid.) (86.b) minori doſi fiunt purgantia (74.theſ. 14.) præſervant à quibuſdam morbis (27.theſ.4.) (29.theſ.4.) (48.theſ 6.) optime dantur forma liquida(73 theſ.3)

Vox quid 40.§.11. (35.theſ 6.) (173.a b) quomodo fiat ibid. differentiæ unde (35.theſ 6.pro paſſionum varietate variat (35.theſ.7.)articulata unde ibid. 40.§.12. modificantia quæ ibid. formationi inſervit lingua (37. theſ.14.) quomodo à loquela differat (173. a) quot modis lædatur ibid. b læſæ cauſa ibid.

Vrachus (44 theſ.1.)

Vrethra vid.meatus urinarius ureteres quandoque ad digiti amplitudinem diſtenduntur (316.a)

Vrina quid 22.§.8.32 §.1.67 §.8.26. theſ. 1. 2.) quibus conſtet ibid.68.§.14. (313. a b) ſanguinis & potus differunt 22 § 8. eſt in ſanguine materialiter 32. § 4. urina ſanguinis eſt lixivium 32 § 5. varia pro digeſtione chyli 32. §.6. quantitate & chlore variat 33.§.7. (26. theſ.2.) quid utraque demonſtret (63.theſ.1.b) conſtitutio unde dependet (26. theſ.3.)differentiæ unde ibid. (63.theſ.1.a) ſedimentum unde ibid color & proprietates unde (63. theſ.1.a) cruda quæ (313.a) nigra non ſemper lethalis (63.theſ.2.b) odor varius unde ibid.theſ.4.) ſuſpenſum ibid. theſ.5. rabidorum à morſu canis ſimulachra catulorum exhibet (48. theſ. 10.) corona (63.theſ.5.) arenularum differentiæ (63. theſ. 6.) 68. § 13.contenta inconſueta ibid. theſ.7.) eſt ſalſa (80. theſ.3.) excretio quomodo fiat (27 theſ.4.) aër adjuvat II. c.10 § 1 tranſcolatio in renibus quomodo fiat (27.theſ.4.) (313 a) quot modis lædatur ibid.(326.b) imminuta (313. a b) judicium fallax & incertum quandoque (63.theſ.2.b) cruenta vid. mictus cruentus corroſivæ exempla I.c.2. §.3. acida eſt in ſtranguria.I.c.2.§ 3.diabeticorum dulcedo unde VIII.c.2.art 2.§ 5. oleaginoſa quid (209.b) (324.b) (325.a) an detur ibid.quomodo differat à cruſta pingui hypochondriacorum (325.a) in quibus morbis obſervetur (209.b) (325.a) ratione contentorum quæ ſunt ejus vitia (313.a) ſtillicidium vid. ſtranguria ex urinæ inſpectione quid poteſt colligi quot in urina conſideranda ibid.§.8.liquor quid

exhibeat ibid. conſiſtentia & tinctura quid ibid. contentorum ratione quotuplex 67. §.9. contenta quotuplici modo diſtincta ibid. §. 10. coctio & cruditas quid 68. §.11.diſtinctio ibid. non confundenda ibid. §. 12. ineſt acidum occultum ibid §.15.experimentum 69. §. 16. color naturalis ibid.§.17.unde colorum varietas ibid.quomodo conſiderandus ibid. §.17.conſiſtentia urinæ naturalis 70. §.18. experimentum ibid.craſſities & perſpicuitas unde ibid. §.19. materia contentorum quæ ibid §.20. contenta præternaturalia ibid.§.21.præcipitata 71. §. 21. experimentum ibidem varietas & phœnomena 73.§.22.concluſio ibid.differentiæ præter naturalis à naturali 73. §. 23. quadruplex contentorum materia ibid. §. 24. primaria chylus ibid.§.25. nutrimentum partium ibid.§.26.unde ibid.§.27. conditionis & cruditatis natura explicatur.74.§.28.præcipitata 74. §.29. experimentum ibid. concrementorum coagulatorum origo 74. §. 30. 31. acidum & alcali implent omnem in urinâ paginam 75. §. 32. fallax aliquando judicium. 75.

Vrinæ excretio 99. cap.6.medico procuranda ibid.§.1.2.

Vrinatorum conditio 11.c.9.§.7.

Vrſus cur hyeme pinguis VIII.c.1.art.3. §.3.

Vſneæ vires (68.theſ.9)

Vterus ad fœcunditatem diſpoſitus eſſe debet (43.theſ.1.) extenſione quare craſſeſcat (45.theſ.1.)46.theſ. 8.conſenſus cum capite (52. theſ. 24.) an prolabi poſſit (491. b) (492.a) orificij ſubſtantia interna qualis (476.a) an abſque vitæ periculo abſcindi poſſit (492 a) inflatio quid (495.a) cauſa ibid. ſigna ibid. cura (495.b) remedia ibid. affectus unde(482.a b)vid.uterina & hyſterica pruritus quid (479. b) cauſa ibid. cura ibid. aſcenſus vel Strangulatus vid. ſuffocatio uterina hydrops quid (495. b) cauſa (496.a) ſigna(496.b) cura ibid.creſcente fætu extenditur. 50.§.1.

Vteri cornuum hydrops (496.b)

Vulnus quid. (565.b)omnia acidum habent (566.b) differentia (565.b) prognoſis ibid. lethale quod ibid. cura (566.a b) (568. a b) chyrurgorum vulgaris noxia eſt (568. a) Sympathetica (3. theſ.14.) ab effluviis menſtruatarum depravantur(43.theſ.9. ſponte coit niſi impediatur (566. b) conſolidationem quid impediat ibid.b)infra ſeptimam coſtam ſunt vulnera abdominis (576. b) cum contuſione (572.b) cura ibid. Sclopetorum remedia ibid. hæmorrhagia (574.a)ſymptomata (574. b) 575.a) à rabido animali cura (434.a) (435.a) (573.a b) (574.a) capitis quare vomitus ſequatur.(106.a) ſymptomata(576.b) (577.a) cura ibid. Ereſypelas (575.a) venenatorum cauſa (573.a) ſigna ibid. cura ibid. cum inflammatione & dolore cura (574.b) hyperſarcoſis vid. contenta præter naturam expellere (568. b)

Vulnerariorum selectus habendus (571.b) non generant carnem (570.a) uſus quomodo ibid quæ ſint (53. theſ.2.) 9. theſ.6 (570.b)

Vvulæ deſcriptio (279.b)eſt vocis moderator (35.theſ.7.)affectus 279.b inflammatio ibid.ulcera ibid.

Vvilliſius primus motus convulſivos exactius explicavit (488.a)

Z

Zedoariæ vires in peſte 226.a

Zeneſta ibid. ſeu amuleta.

Zenith Iuvencularum Paracelſi. vid.menſtrua.

Index foliorum in quibus incipiunt & deſinunt diſſertationes in hoc tomo contentæ.

PRima incipit pag.	1	Finitur	10
Secunda	11		45
Tertia	46		56
Quarta	57		64
Quinta	64		69
Sexta	70		73
Septima	74		83
Octava	84		96
Nona	97		108
Decima	109		126
Vndecima	127		157
Duodecima	158		184
Decima-tertia	185		198
Decima-quarta	199		206
Decima-quinta	207		213
Decima ſexta	214		232
Decima ſeptima	233		239
Decima-octava	240		347